SC·22·Pl·3·

43
9 H
5

Digitized by Google

MM-3

Digitized by Google

IOANNIS DŁVGOSSI
SEV
LONGINI
HISTORIA POLONICA.

Digitized by Google

SEV

LONGINI

CANONICI QVONDAM CRACOVIENSIS

LIBRI XII.

QVORVM SEX POSTERIORES NONDVM EDITI,
NVNC SIMVL CVM PRIORIBVS EX MSCRIPTO RARISSIMO
IN LVCEM PRODEVNT
EX BIBLIOTHECA ET CVM PRÆFATIONE

RVSSORVM CÆSARI A CONSILIIS INTIMIS,
BELLICIS ET IVSTITIÆ &c.
PRÆMITTITVR
PRÆTER VITAM AVTORIS ET DOCTORVM
DE EO TESTIMONIA
SAMVELIS IOACHIMI HOPPII,
SCHEDIASMA DE SCRIPTORIBVS HISTORIÆ POLONICÆ,
PLVRIMIS ANNOTATIONIBVS
AVCTVM

AC BIBLIOTHECARII GEDANENSIS
ACCEDVNT
VTROBIQVE INDICES LOCVPLETISSIMI.





LIPSIÆ,
Sumptibus IOANNIS LVDOVICI GLEDITSCHII
& MAVRITII GEORGII WEIDMANNI
ANNO M DCC XI.

SERENISSIMO
ET
POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
AVGVSTO
SECVNDO,
POLONIARVM
REGI,
MAGNO DVCI LITHVANIÆ, RVSSIÆ, PRVSSIÆ, MAZOVIÆ, SAMOGITIÆ, KIOVIÆ, VOLHYNIÆ, PODOLIÆ, PODLACHIÆ, LIVONIÆ, SMOLENSKIÆ, SEVERIÆ, CZHERNICOVIÆ.
DVCI SAXONIÆ, JVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM, ANGRIÆ ET WESTPHALIÆ, SACRI ROMANI IMPERII ARCHI-MARESCHALLO, ELECTORI, ET EIVSDEM IMPERII IN REGIONIBVS IVRIS SAXONICI ET FINIBVS AD HVNC VICARIATVM PERTINENTIBVS, NVNC VICARIO, LANDGRAVIO THVRINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, SVPERIORIS INFERIORISQVE LVSATIÆ, BVRGGRAVIO MAGDEBVRGI, COMITI PRINCIPALI HENNEBERGICO, COMITI MARCÆ, RAVENSBERGÆ ET BARBIÆ, DYNASTÆ IN RAVENSTEIN &c. &.

REGI AC DOMINO
NOSTRO LONGE CLEMENTISSIMO.

Digitized by Google



SERENISSIME
ET
POTENTISSIME
REX,

POlonicarum rerum hiſtorias, quas Dlugoſſi ſtudio quondam compoſitas in Regum & Reipublicæ nullo ævo inter-

termorituram memoriam integritati ſuæ reſtitutas primi vulgamus, SACRÆ TVÆ MAIESTATI, REX AVGVSTISSIME, quam humillime offerimus. Nec timendum nobis eſſe putamus, ne ingratum fortaſſe quid & indignum SACRA TVA MAIESTATE adferamus, quum ipſum operis argumentum fiduciam nobis maximam ſubminiſtraverit. Cuius enim magis præſidio muniendum erat hoc Polonicarum rerum monumentum, quam Illius, qui ipſam Poloniam Numine ac Maieſtate Sua feliciſſime continet? Quem tot fortiſſimorum in Poloniæ terris heroum potiorem teſtem pariter & iudicem conſtitueremus, quam Heroem noſtrorum temporum belli pacisque artibus florentiſſimum? Proinde magni iſti heroës, quos hoc volumen æternitati conſecravit, ad aulam TVAM, REX AVGVSTISSIME, admitti cupiunt, ut TE geſtorum ſuorum arbitrum experiantur, laureasque ſuas TVÆ ſubmittant. Præſtringit nimirum ille MAIESTATIS TVÆ fulgor oculos omnium, quippe qui non provincias, ſed regna, non cives tantum, ſed & ultimas extremæ Sarmatiæ gentes colluſtravit. Non TE, REX AVGVSTISSIME, capiebat Saxonia noſtra, quamvis eam minime faſtidires, Poloniæ certe maiorem

& ampliſſimum campum deſignabat, in quo magnitudinem animi, iuſtitiam, clementiam & rerum bellicarum gloriam noſtro ſeculo admirandam, poſteris imitandam incomparabili exemplo demonſtrares. Faxit modo Summum Numen, quod devotis ab Ipſo precibus contendimus, ut Poloniam aliquando pacatam diu poſſideas, ut bellum, quod iam atroci tempeſtate recrudeſcere videtur, feliciſſime conficias. Felicior tunc aliquis Dlugoſſo ſcriptor exiſtet, qui res a SACRA TVA MAIESTATE geſtas commemorabit, qui eandem, quam nos Regiam clementiam ſubmiſſiſſime efflagitamus, operi æterno apprecabitur. Det DEVS Opt. Max. ut in omnibus auſpicatiſſima AVGVSTISSIMI TVI NOMINIS omina perfecte impleas, ut ſublatis omnibus iis, quæ terris Tuis imminere iam videntur, AVGVSTEA, hoc eſt, aurea ſecula Poloniæ pariter & Saxoniæ referas. Sic utrasque terras gubernes, ut cum Romanorum & Saxonum Auguſtis, Germanorum vero Fridericis annorum numero contendas, omnes vero felicitate & rerum geſtarum magnitudine antecedas. Sic FELICIOREM FRIDERICIS, MAIOREM AVGVSTIS, SACRATISSIMAM TVAM MAIESTATEM

omnes

omnes uno ore profiteantur. Hæc ſumma eſt votorum, quibus ſe pariter atque opus hoc recens editum SERENISSIMAE TVAE, REX AVGVSTISSIME, MAIESTATI humillime commendant

SACRÆ TVÆ MAIESTATI,

REX POTENTISSIME,


Subditi atque cives devotisſimi

JOH. LVDOVICVS GLEDITSCH

&

MAVRITIVS GEORG. WEIDMANNVS,

Bibliopolæ Lipſienſes.



PRÆFATIO AD LECTOREM.

SAtis huc usque Germani noſtri criminationes exterorum,qui illis pingue in excolendis bonis artibus atque diſciplinis ingenium,& gravem in perquirenda veritate & antiquorum monumentorum fide oſcitantiam objiciebant, induſtria ſua diluerunt,atque pares ſe hac in parte Gallis etiam,qui palmam cunctis gentibus præripere annituntur, oſtenderunt. Neminem igitur tam iniquum rerum arbitrum futurum hodie exiſtimamus, qui non fateatur,Germanos quoque in omni eruditionis genere artiumque experimentis ad ſummum,quod homines contingere poſſunt, faſtigium perveniſſe. Prodierunt certe ex Scholis eorum per aliquot annos Philoſophi peracuti, Jureconſulti graves nec inelegantes, Oratores diſerti, Critici & Philologi ſubtiles, Medici peritiſſimi, quos omnes enumerare in præſens non eſt noſtri inſtituti. Sed quid de hiſtoricis dicam ? Hi quoque patriæ noſtræ adeo non defuere,ut etiam reperias,qui non ſolum Germanorum rebus inſignem lucem attulerint, ſed & vicinas gentes mirifice adjuverint in indagandis earum monumentis antiquis rebusque geſtis. Nam & Galli, & Pannones,& Sueci, Danique,& ipſi adeo,a quibus primum eruditio ad nos profecta eſt,Itali multa hodie in hiſtoriis ſuis à noſtris ſcriptoribus mutuantur, & eximia ſæpe Germanorum ingenia præmiis & dignitatibus, ut ad ſe veniant,& res ſuas ſtylo illuſtrent,invitant. Quæ cum ita ſint,nonnunquam miratus ſum,Germanos in perquirendis aliorum populorum antiquitatibus curioſiſſimos, originem & res geſtas Polonorum longe minore ſtudio indagare. Neque etiam diſſimulare poſſum,annales & ceteros a Polonis perſcriptos libros rariſſimos in Bibliothecis noſtris exſtare,atque exiguam hiſtoriarum hujus gentis notitiam,quæ adhuc inter nos viget,non ex illorum monumentis,ſed domeſticis ſcriptoribus noſtris,

par-

partium ſæpe ſtudioſis & in inveſtiganda veritate, ob remotos & vaſtiſſimos ampliſſimi regni limites parum accuratis hauriri, cum tamen Gallorum res ex Gallis, Italorum ex Italis, Britannorum ex Britannis addiſcantur. Ipſe hoc fatetur Conringius ſincerus alias & prudens vetuſtatis explicator ac interpres, qui *de finibus Imperii Germanici c.*18. *Multum* inquit, *profecto intererit, an Polonica monumenta ſequaris, usque adeo a ſe invicem diſſident. Noſtris tamen, iis præſertim, quæ rei geſtæ ævo ſunt ſcripta, ab hominibus piis & fidei alias haud ſuſpectæ, niſi vehementer fallor, præ Polonicis fidendum potius.*

Sæpius cauſas ex quibus iſte ſcriptorum Polonicorum contemtus proficiſcatur, & quare illis ſubleſtæ fidei nota inuſta fuerit, requiſivi, ac tandem quatuor illas potiſſimum eſſe, ex dicto Conringio aliisque intellexi. Primum enim illis objiciunt nimium patriæ innatum amorem ſtudiumque, quo occæcati res ſuas plus juſto extollant, multa vero, quæ dignitatem nationis & gloriam gentis deprimere videntur, aut omnino reticeant, aut ſuſpecta fide quam breviſſime enarrent. Deinde reprehenditur eorum in eruendis antiquitatibus & originibus ſuis negligentia & brevitas, cum reliquæ gentes illas a multis ſeculis & plerumque ab orbe condito usque repetant. Tum accuſatur ſtylus Polonorum obſcurus, turgidus, & nimios aliquando flores redolens, qui longe a ſimplici ac caſta elegantiorum ſcriptorum munditie recedat. Denique plurimi exiguum, quod nobis cum Sarmatis intercedit, commercium, & nullam fere quæ ex ſolida rerum Polonicarum notitia in nos redundet, utilitatem prætendunt, rati barbaros hodieque eſſe Sauromatas, quorum hiſtorias ac res geſtas cognoſcere, noſtra tantopere non interſit.

Hæc omnia non ſine aliqua veri ſpecie dicuntur, & me ipſum fere ab initio, ut cum illis Polonorum obtrectatoribus ſentirem, permoverunt. Qua re etiam cum primum in Johannis Dlugoſſi ſeu Longini Hiſtorias Polonicas, quas huc usque integras non habuimus, inciderem, & in illarum lectione quædam mihi ex recenſitis modo vitiis obſervare viderer; minoris hunc theſaurum, quam debuiſſem, æſtimavi. Nec unquam ego ad illum legendum accedebam ſine amoleto, nec recedebam ſine antidoto, Ciceronis ſcilicet, vel alii aurei ævi ſcriptoris lectione. Nimium Cromero credidi, qui de Dlugoſſi ſcriptis nimis forſan audacter cenſet, *non magnopere Dlugoſſum verſatum in externis hiſtoriis, quæ Polonicam ſcribenti magno adminiculo eſſe poterant, nonnunquam perplexum eſſe, nec perpetuo ſibi conſtare, aut rationem temporum tenere & plus alienis quam quæ ad rem faciunt, inhærere & operi imperfecto immortuum ad recognoſcendum id nil temporis habuiſſe :* Verum poſtquam illum majore induſtria evolvi, & ea quæ utrinque afferuntur accuratius perpendi, vituperationibus hiſce facillime reſponderi poſſe animadverti.

Nam quod ad primum attinet, non equidem inficior, Polonos in recenſendis hiſtoriis ſuæ genti magis quam exteris favere. Aſt hoc commune ſemper omnium fuit vitium ſcriptorum, & adhuc eſt, ut patriam ſuam familiares & neceſſarios, quantum poſſint, extollant. Non ipſi hoc Romani Græcique, a quibus tamen noſtri optimas ſcribendæ hiſtoriæ leges & exempla acceperunt, diffitentur. Inanes frivolasque ſæpe illi victorias vanosque triumphos de exteris gen-

gentilibus actos deſcribunt, longiusque imperiorum ſuorum fines, ſtylo quam armis extendunt. Nonnunquam tributa populis, quos non devicerant, imponunt, & virtutem moresque barbarorum præ ſuis contemnunt. Sed horum mendacia ſecurius fallunt, quo ab adverſa parte ſcriptores deficiunt, qui illa convincant. Hodie autem ubi utrinque annales conficiuntur, ſtudium partium facilius deprehenditur, nec tamen omittitur propterea. Accuſant Batavi, Britannique malam Gallorum in condenda temporum hiſtoria fidem. At hi viciſſim de illis conqueruntur. Irrident Danorum gratulationes Sueci, & ab iis mutuo ridentur. Omitto alios. Minus igitur ſuccenſebimus Polonis, quod & illi aliquando reliquarum gentium exempla imitati in ſuis rebus ornandis ſunt ſtudioſiores. Inprimis id deprehendimus, ubi memoriam bellorum dubio ſæpe Marte olim cum Moſchis geſtorum poſteris produnt, quod hæc gens rebus potius gerendis quam ſcribendis, ſcriptisque aliorum in ſe injurioſis refellendis fuerit intentior. Neque tamen ideo Germanos illis cum Conringio præferimus, neque hiſtoriarum Polonicarum notitiam ex his potius deſumendam eſſe putamus. Equidem non ignoro, multa a Germanis auctoribus aliter longe, quam a Polonicis commemorari. Illi Poloniam ſubjectam patriæ ſuæ & ſtipendiariam, hi liberam & fœderatam faciunt. Illi multas ſuorum de Polonis victorias enumerant, hi easdem aut ſilentio prætereunt, aut extenuant, aut Germanorum clades in earum locum ſubſtituunt. Exinde tamen non conſequitur, in hoc diſſidio noſtris magis hominibus fidendum eſſe. Nimis profecto nobis placemus Germani, ſi partium ſtudium in hiſtoria ſcribenda a nobis ſolis abeſſe exiſtimamus; quo tamen fortaſſis nulla alia gens magis exſtimulatur. Conqueruntur de nobis hac in parte non ſolum Itali, Gallique & ipſi populares noſtri. Neque diſſimulare poſſum, ſcriptores Germanicos ipſos frequentiſſime inter ſe in percenſendis gentium ſuarum rebus diſſentire, atque pro diverſitate aut ſacrorum quibus addicti, aut provinciarum ex quibus orti, aut Principum, quibus ſubjecti ſunt, & quos æque ac Proceres regni Poloniæ in diverſa ac repugnantia partium ſtudia tractos ſæpiſſime vidimus, diverſimode de iisdem factis ſcribere. Imo vero nonnunquam videmus ex noſtris auctores, qui lautiore ſtipendio allecti ab uno Principe ad alterum tranſeunt, & quæ pro illo antea ſcripſerant, ipſi refellunt. Exempla ejus rei, utpote cuivis facile nota, in præſens nominare ſupervacaneum eſſe exiſtimo. I nunc & Germanorum fidem extolle, atque monumenta eorum Annalibus Polonorum antepone. Quos ego ſi non majore, certe æquali loco cum Germanis habendos & utrosque ad eruendam veritatem ſimul conferendos eſſe intrepidus affirmo. *Prudens ergo*, ait Bodinus in Methodo Hiſtor. c. IV. *exiſtimator laudes cujusque non domeſticorum aut amicorum duntaxat, verum etiam hoſtium ponderibus examinabit. Neque eas hiſtorias probare poſſum, quod perpetuas laudes ac virtutes ejusdem, nulla vitia commemorant, cum nullus ſit tanta integritate ac prudentia, ut non ſæpiſſime offendat.*

Venio ad alterum, in quo Polonici Scriptores communiter delinquere dicuntur, quod ſcilicet recentiora ſaltem gentis ſuæ facta commemorent, antiquiora autem ſilentio aut brevi involucro involvant. Non video, qua ratione crimen hoc, ſi modo crimen eſt, depelli queat; confiteamur enim

opor-

oportet, Longinum noſtrum & cum eo pleroſque Polonorum hiſtoricos, vetuſtiore gentis ſuæ origine primoribus vix labris deguſtata, ſtatim ad ſeculum poſt Chriſtum natum octavum deſcendere, & quæ in illo atque ſequenti geſta ſunt, titubanter & ſtrictim enarrare. Quanto confidentius contra aliæ gentes origines ſuas & res geſtas a condito usque mundo, imo cum Sinenſibus etiam ulterius, longa imaginum & nominum, & ſi Dîs placet, rerum geſtarum quoque ſerie deducunt. Imprimis gentibus ad ſeptentrionem poſitis hoc familiare eſt, ut in ſumma antiquorum monumentorum ſcriptorumque penuria tamen altiſſime quam poſſunt, enitantur & remotisſimos ſibi majores multaque laude conſpicuos Heroes, quandoque & Gigantes effingant. Fecerunt id jam olim apud Juſtinum Lib. 2. Scythæ, atque ſe reliquis populis omnibus, qui meridiem ſpectant, antiquiores eſſe, multis rationibus evicerunt. Nos qui forſan, ut Cluverius l. 1. Antiq. Germ. c. 2. Zuerius Boxhornius, & alii quidam volunt, ab illis deſcendimus, mirifice hunc eundem morem ſervamus. De Svecorum vetuſtate multa & incredibilia congeſſit *Johannes Magnus* & Rudbeckius in opere, quod *Atlanticum* inſcribit. Danorum originem longius etiam arceſſit Saxo Grammaticus. Germaniæ nationes ſingulæ primordia ſua non minore ſtudio explicant, atque lepidiſſimis, quæ undique corradi potuerunt, fabulis exornant. Non dicam de Francis, qui ſe ex Trojanis ortos gloriantur, nec de aliis. Prodeant nunc ſaltem Saxones noſtri. Horum ortus a Scriptoribus illorum *Wittikindo Corbejenſi L. I. Annal.* Eccone Repkovio *in L R.* I. 3. *artic.* 44. & infinitis ferme aliis ad Alexandrum Magnum; ab H. Meibomio l. 1. Script. German. p. 352. Reiner. Reineccio & Heigio ad Sacas, Aſiaticam gentem refertur, multisque egregiis commentis illuſtratur & ad noſtrum usque ſeculum non interrupta ſerie derivatur. Multum ſcil. itaque a Scythis majoribus ſuis degeneraſſe & contemtum mereri videntur Poloni, quod non pari, qua cæteræ gentes confidentia antiquitates ſuas ex veterum Annalium caligine ac ſitu eruant. Verum enim vero tantum abeſt, ut Polonicos Scriptores hac in parte vituperem, ut potius eorum prudentiam ac modeſtiam præ reliquis omnibus laudem & admirer. Sicut enim Livius magis etiam propterea a cordatioribus æſtimatur, quod ea, quæ ante conditam condendamve urbem poëticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum geſtarum monumentis a cæteris traduntur, omittat, ita & ingenua Polonorum verecundia, qua relictis anilibus figmentis, & obſcuris gentis ſuæ incunabulis vera ſaltem & certa perquirunt, commendari debet, non vituperari.

Quod ad tertium attinet, objiciunt vulgo Polonis inquinatum turgidum & faſtuoſum ſtylum. Agnovit hoc ipſum in præfatione Libri, quem Gallica lingua M DCC X. de reditu *Auguſti* Regis in Poloniam conſcripſit, pro eo quo fuit candore ac generoſo ſpiritu ſanguineque politiſſimus Prewentowius, obſoniorum regiorum ſciſſor, ipſe Polonus, cujus præmaturam mortem, dum hæc ſcribimus, non tantum Illm. parentes, verum etiam omnes qui virtutes, quibus præter ætatem fuit præditus ornatusque, perſpexerant, dolentius deplorant. Neque equidem diffiteor intercedere aliquod inter illos & politiores auctores diſcrimen, paucosque ex illis ad elegantiam & ſimplicitatem ſcriptionis, qua Thuanus Sleidanusque hiſtorias ſuas exornarunt, accedere. At excuſari & hoc poteſt. Tametſi enim venuſtas ſtyli hiſtoricum mirifice deceat,

ceat,ne tamen importune nimis ac præfractius rigidiusque eam ab illo exigamus. Potius huc,quod Cicero de Philoſophis ait,applicemus: *Philoſophum, ſi afferat eloquentiam,non aſperner: ſi non habeat,non admodum flagitem.* Sæpius hiſtoricis,dum nimia ſuperſtitione vocabula & commiſſuras ac formulas deligunt,& munditiei ac collocationi verborum ſtudent,veritatem, quæ unice indaganda erat, amittunt. Sæpe odioſus & exquiſitus nimium cultus obſcuritatem inducit,dum nonnunquam,ut Manilius inquit,*ornari res ipſa vetat,contenta doceri.* Indulgendum quoque aliquid eſt ſeculo illi,quo plerique ſcripſerunt, nondum ſatis expolito, & quo cum exteris nullum fere Polonis commercium fuit. *Interdum enim*,ut Quintilianus monet,*nitor & ſumma in excolendis operibus manus magis videri poteſt temporibus,quam ipſis ſcriptoribus defuiſſe.* Ferri etiam debet genius populi,& ſicut Livio Patavinitas,ita Polonis,ſublimis & cothurnatus ſtylus ac aſperior aliquantulum condonandus eſt, quo plerique uſi ſunt,popularibus ſuis magis ut placerent, quas conſcripſiſſent orationes & hiſtorias,utpote qui luxurianti illo Aſiatico & ventoſo magis quam caſto,ſimplici & naturali dicendi genere capi videntur. Neque hic reticere poſſum Polonos plerosque non tantum illos qui alias regiones inviſerunt,ſed alios quosvis ſemiliteratos,etiam fœminas,nulla neceſſitate vel penuria vocum polonicarum, ſed ex mera libidine novandi & ſe oſtentandi, peregrina vocabula & ſententias tam ſermonibus quam ſcriptis immiſcere,adeo ut vix aliquam longiorem ſententiam proferant,quin vel Polonicas voces corrumpant,vel ex aliis linguis putidos centones farciant. Eadem corruptela in Linguam Latinam, quæ in Scholis,cœnobiis,aulis,tribunalibus ſacris & diplomatum publicorum officinis utuntur,apud plerosque invaſiſſe videtur. Quod malum tanto Latinitati nocentius eſt, quanto majorem ei autoritatem & approbationem multitudo & exiſtimatio loquentium ſcribentiumque conciliat. Hos ſuo tempore Dlugosſum noſter ſecutus ſibi licere exiſtimavit, commentariis ſuis vocabula Italica, *guerras,treugas*,aliaque, præſertim militaria & aulica ſequioris ævi verba, quæ hic recenſere longum foret,immiſcere. Quod tamen magna rerum quas memoriæ tradidit,ſacrarum & profanarum,in toga & ſago geſtarum varietate abunde penſavit. Verum hac in re faciliores quoque erimus, ſi & noſtræ gentis vitia,& auctorum Germanicorum, priſcorum maxime, in ſcriptione ſua incuriam cogitamus,quos tamen propterea non abjicimus, ſed nihilominus evolvimus frequenter & æſtimamus.

Denique quod quidam cum Joh. Barclajo in *Icone animorum c.* 8. autumant, barbaram ac Scythicam Polonos gentem eſſe, cujus res geſtas accurate cognoſcere,ob exiguum,quod nobis cum illa intercedat, commercium noſtra non interſit. In hac vulgi opinione refellenda non multum deſudabo. Nemo eſt cordatior paululum,qui non moratioribus gentibus Polonos annumeret, illosque bonis artibus & diſciplinis imbutos fateatur. Et fac, eos olim ſubhorridos & incultos,nec non priſcis Teutonibus,de quibus Tacitus *de Moribus German.* vel ſimiles,vel inferiores fuiſſe. Jamdudum,præcipue ex quo Caſimirus M. ejus nominis rex ſecundus Rempublicam legibus armare,bonisque moribus ornare cœpit,feritatem iſtam exuerunt & ad juſtitiam manſuetudinemque tranſtulerunt. Non mihi eſt animus ea hic adducere,quæ Opalenius,Solikovius

vel quisquis ille fuit Poloniæ contra Barclajum defenſor, multique alii in Polonorum laudem J. M. Q. dixerunt. Unicum illud commemorare lubet,quod non alia facile gens cum Polonis commune habet. Videmus eos non tantum promiſcue ſtudia bonarum artium,imprimis quæ ab humanitate nomen acceperunt,amare,earumque cultores tueri ac promovere,verum etiam Viri Principes ab exterarum gentium nobilitate ſæpius ſpretas & triſtes hac tempeſtate Camœnas ſplendori natalium proprias ducunt,nec ulla re magis illuſtrari cenſent,quam doctrina. Unde fit,quod in ſermonibus moribusque eorum non minorem mellis & ſalis ubertatem deprehendimus,quam in eorum latifundiis, & quod hodie non pauci reperiantur tam Senatorii quam Equeſtris Ordinis Viri, qui quoad Latini ſermonis probum uſum,copiam,gravitatem & ornatum peritioribus quibuscunque in hac arte magiſtris conferri merentur. Qui olim ſcriptis hiſtoricis & ad rem publicam ſpectantibus inclaruere, in Commentario Ampliſſimi ac Juris ſcientia peritiſſimi Hoppii hic adjecto laudatos vides. Præterea res illorum ita hodie cum noſtris connexæ ſunt,ut utriusque gentis commoda vix a ſe invicem ſeparari queant. Non dicam nunc de vicinia Potentiſſimi Moſchorum Imperatoris,cujus fœdus & amicitiam,qua Germani nunc perfruuntur,etiam remotæ gentes ambitioſe expetunt. Non illi alias ad nos,quam per Poloniam acceſſus. Neque agam in præſens de munitiſſimo,quod huc usque Polonia Germaniæ præſtitit adverſus Turcarum & Tartarorum irruptiones propugnaculo. Nec commemorabo ſumma,quæ a Polonis accepimus,beneficia & inſignes duas,quas ope illorum reportavimus, ad Viennam & Strigonium victorias,quarum altera imminens jam a Barbaris Germaniæ jugum excuſſum,altera amiſſa Pannonia nobis reſtituta fuit,nullum extat luculentius benevolentiæ illorum erga nos documentum,quam quod novo plane & inaudito exemplo Regem ſibi ex Germanis elegerit gens,quæ huc usque Piaſtæis aſſueta a popularibus noſtris tam acri animo diffidere viſa eſt, ut Hiſpanos cum Gallis faciliore ratione jungendos exiſtimares: Hæc inquam gens,quæ ſe alias maxime æſtimat,cæterisque populis omnibus anteponit, cum Regem Sigismundo ſuo & animi & corporis virtutibus ſimillimum quæreret,non eum in ſuis terris, ſed in media Germania invenit. Quis ergo amplius de arctiſſima,quæ nobis cum Polonia intercedit,familiaritate & commercio,dubitet? Quis accuratam rerum Polonicarum cognitionem Germanis proficuam,imo neceſſariam eſſe neget? Nemo profecto,niſi plane in rebus noſtris hoſpes. Quapropter operæ pretium me facturum & ſtudium Hiſtoriarum Polonicarum mirifice adjuturum exiſtimavi,ſi quem hucusque mutilum & dimidiatum ſaltem habuimus, Johannem Dlugoſſum ſeu Longinum poſt Vincentium Kadlubkonem & Baſconem, antiquiſſimum rerum Polonicarum ſcriptorem integrum exhiberem, auctorem in argumento,quod tractat perſpicuum & fide dignum. Studio enim veritatis odium ſibi peperit ac tot inimicos paravit, ut VI. ultimos Libros quos ab Ill. Alberto Dembinskio, Vexillifero Zatorienſi, Viro ſapientiſſimo noſtrique amantiſſimo conceſſos jam prima vice publici juris facimus,ineditos reliquerit, elogium autoris & præſtantiam hujus operis ex teſtimoniis aliorum hic adjectis lege,& alia impoſterum ſimilia quibus utilitas tua promoveri poterit,exſpecta.

TESTI-

TESTIMONIA NONNVLLA
DE
IOHANNE DŁVGOSSO.

SIMON OKOLSKI *in Orbe Pol. T. III. p. 299.*

JOannes Dlugoſz, præceptor filiorum Caſimiri III. regis Poloniæ, Canonicus Cracovienſis, legationibus plurimis adfuit, & acta Polonica latino ſermone conſcripſit, nominatus Archiepiſcopus Leopol. obiit 1480. *Pater ejus Johannes bello cum Crucigeris ſub Vladislao Jagellone rege, magnus triumphator.*

SIMON STAROVOLSCIVS *in Hiſtoria Epiſcoporum Cracovienſium.*

*In vita Jacobi de Sienno, enarrans calamitates quibus ob trium ad Epiſcopatum tendentium concertationes, quorum unus a Rege Caſimiro commendatus, alter a Capitulo electus, tertius a ſummo Pontifice de plenitudine poteſtatis promotus erat, eccleſia illa affligebatur, Dlugoſſos etiam fratres duos, quorum alter Scriptor rerum Polonicarum, huic calamitati, implexos & hunc potiſſimum & redituum ſuorum retentione, & domus direptione, & moleſto exilio multatum, nec niſi poſt biennium pacatis per Senenii ceſſionem rebus, in priſtinum locum reſtitutum. A.*1462. *memorat.*

Idem SIMON STAROVOLSCIVS *in Monumentis Sarmatarum* hoc habet Dlugoſſi epitaphium Cracoviæ in templo S. Stanislai in rupellam poſitum

R. D. D.

JOHANNES DLVGOSSVS de NIEDZIELSKO,
ILLVSTRIVM FILIORVM REGIORVM INFORMATOR,
CANONICVS CRACOVIENSIS, HVJVS MONASTERII PRIMARIVS INSTITVTOR,
HIC SEPVLTVS REQVIESCIT.

Anno Domini 1480. *die* 10. *Menſis Maii*
ORETVR PRO EO.

GERH. JOH. VOSSIVS *de Hiſtoricis Latinis p.* 565.

Joannes Longinus, qui & Dugloſſus, vel Dugloſchus, vel Dlugoſſus vocatur, Canonicus fuit Cracovienſis, & poſtmodo Leopolienſis epiſcopus. Nomine Caſimiri III. Polonorum Regis, varias obiit legationes, ac liberorum quoque ejus fuit præceptor. Anno cIↄ CCCC LXV *vitam S. Stanislai Epiſcopi Cracovienſis & Martyris, tribus tractatibus complexus fuit: Sed Surius ſtylum mutavit, inque compendium redegit, prologos etiam omiſit. Habes Tom. III. a. d. VIII Maii. Scripſit quoque commentarium rerum Polonicarum qui MStus exſtat Romæ in bibliotheca S. Mariæ in Vallicella &c.*

DEDI-

DEDICATIO PRIORIS EDITORIS.

VENETIS
PRINCIPI M. A. MEMO
ET SENATVI
VNICO ORBIS TERRARVM.

PRINCIPEM Hiſtoriæ SLAVONICÆ DLVGOSSVM, Vobis, ô qua ſol habitabiles illuſtrat terras, Maximi & liberrimi, omnium ætatum, orbis terrarum, VENETI, adfero. Et quod eiusdem inclytæ gentis & generis, pars magna eſtis; Nam maiores Veſtri ex Paphlagonia ad Timauum Illyricum amnem noſtro Slauico ſanguini permixti vnam ex duabus gentibus fecère: & quòd maximum & liberrimum Hiſtoricorum, non niſi apud maximos & liberrimos lucem adſpicere deceat. Quid? & Libertas & Nobilitas Polona quonam melius, quàm ad Libertatem & Nobilitatem Veſtram ſpectabit? & Polona Aquila Princeps alitum, cum quo melius, quam cum Principe ferarum Leone Veneto? Sed hæc ſplendida, veriora autem iſta. Natura omnes liberi eſſe volumus, nec vllum animal eſt, quod non vitæ periculo libertatem quærat. Et brutis quidem pro LEGE eſt, nam contraire illi nec poſſunt, nec velle poſſunt. Hominibus quêis rectum & prauum ex æquo, diuino munere data eſt LEX. Eam Princeps Sapientiæ in libro ſuo mundiſſimo de mundo, ad Magnum illum Macedona, quem ipſe fecerat Magnum, Deo comparat. Et per hanc ciuilem Reipublicæ ſanctionem, æternam illam & ſanctiſſimam, nec vllo verborum ſplendore dignè vocandam & inuocandam MENTEM, ſcribit ac deſcribit. LEX enim neque hominum ingeniis excogitata, neque ſcitum aliquod eſt populorum, ſed æternum quiddam, quod vniuerſum mundum regit, imperandi, prohibendique ſapientia. In prima LEX illa & vltima eſt MENS, omnia ratione aut cogentis, aut vetantis DEI. Hæc vim habet ad rectè facta vocandi, & à peccatis auocandi. Quæ vis non modò ſenior eſt, quàm ætas populorum & ciuitatum: ſed æqualis illius cœlum atque terras tuentis & regentis DEI. LEX vera atque Princeps apta ad iubendum & ad vetandum orta eſt ſimul cum MENTE DIVINA & eſt ratio recta ſummi DEI. Nec ipſe mundus ſine LEGE ſtare poteſt. Nam & hic DEO paret, & huic obediunt maria, terræque, & hominum vita iuſſis ſupremæ LEGIS obtemperat. Eum ſiue DEVM, ſiue æternam omnium rerum LEGEM, ſecutæ ſunt gentes humanæ ferè vniuerſæ, non ſolùm hæ, quas Europæus Sol, mitiorque Iupiter vrget: ſed illæ etiam feræ Aſiæ & Africæ Aborigenes. Ius ſemper quæſitum eſt æquabile, neque enim aliter ius eſſet. Quod cùm non ſemper iuſti & boni reddant, LEGES ſunt inuentæ, quæ cum omnibus ſemper vna atque eadem voce loquerentur. LEGVM imperia potentiora quam hominum. Sed ô FATA in abſcondito, ô diuinæ Sapientiæ abyſſus multa, Soli vos eſtis, qui veras LEGES hincque DIAM LIBERTATEM, neque ciuilibus armis pollutam, neque externis deformatam & ſummo Soli parem, retinetis. Soli vos eſtis, quos LEX docuit LIBERTATEM, hæc verò admirandam Virtutem & Sapientiam. Petrarcha Rempublicam Veſtram vocat Domum Libertatis & Iuſtitiæ, portum adflictorum, non modò à tempeſtate, ſed à bellis & Tyrannis, ô ventum peſtilentem. Seluagus ſummam quietem, defenſionem ſine precio, ſcholam non viſam. Ego cœlum in ſolo & ſalo Veſtro, & ſolum ac ſalum Veſtrum in cœlo. Nam quæ obſecro nunc gens eſt, quæ nunc viuit, atque æquum agitat, ſiue illi Chriſtiani ſint, ſiue barbari, cui non plurimum de maiorum gloria deceſſerit? quæ nunc, aut optimos Principes, aut fortiſſimos Duces, aut prudentiſſimos Senatores, qui olim erant, non ſuſpiret? Soli Vos eſtis, qui continua æmulatione omnes ſuos deceſſores ſuperatis. Imperare Conſtantinopoli: Regere Cyprum: Cretam & Inſulas Ægei plurimas poſſidere: Triumphare ex maximis orbis terrarum Monarchis: opem omnibus adflictis ferre, Regna & Prouincias conferre, geſta maiorum veſtrorum, maxima ſunt hæc? ſunt; ſed à multis antea facta. Sed firmare LEGIBVS Patriam: immortalem illam reddere: ea quæ nocere poſſent remouere: nec oſtentatione maximi belli permoueri: quæ vos his proximis annis feciſtis, iſta conſilia attin-

gunt ſolium Iouis & cœleſtia dona. Nec illa Vobis deſunt. Vidi ego Vos Turcicam pacem non muneribus emere,ſed mutuo metu tenere : ſcio ego ita Vos res Veſtras habere, vt niſi vicinorum ſuſpecta eſſet fides,id totum habere poſſetis,cuius tertiam partem maiores habuêre: Non ignoro quibus modis & rationibus nuper Henricum quartum Galliæ Regem præclariſſimum,& alios viros inſignes iuuiſtis. Quod eò libentius commemoro,cùm pro LEGIBVS,heus quibus ego iactatus fatis,quæ bella exhauſi. Sed Veſtra ſic ſe habent,vt non timeam dicere, ô fortunatum orbem terrarum, ſi aut à Vobis,aut Veſtris LEGIBVS regeretur. At nos quid? voluerunt certè maiores noſtri diuini Viri LIBERTATEM nobis relinquere,ſed pauca literis conſignarunt,rati ſeros nepotes ſimiles : multa miſcuerunt non mala, ſed quæ,vel leuiter mali in contrarium torquere poſſunt,quid verò corruptiſſimo hoc æuo, peſſimi, poſt homines natos, non faciunt ? Tota res in hominum mentibus,heus quàm fluxæ,quàm peruerſæ. Et qui aliter fieri poteſt,vbi cæco quodam impetu miniſtratur,& adminiſtratur,ita perditum it res noſtra, nec vllum remedium valentius, quàm ſi luce Veſtra tenebras ſuas clareſcere vellent. Eò illos duco,non modò ſermonibus,quà publicis,quà priuatis, ſed hac etiam dedicatione huius Hiſtorici nunquam publicè viſi. VALETE, ORBI IMPERATE.

AVTORIS EPISTOLA DEDICATORIA.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI,

DOMINO ZBIGNEO DE OLESNICA,

Miſeratione Diuina Tituli S. Priſcæ Sac. Romanæ Eccleſiæ Presbytero Cardinali & Epiſcopo Cracouienſi.

IOANNES LONGINVS, Canonicus Cracouienſis viſione perfrui Remuneratoris æterni, & beata atque immortali ſtola potiri.

STVDIORVM MEORVM labores,REVERENDISSIME PATER,ad Benedictæ Trinitatis laudem,excellentiam,& gloriam, fidei Orthodoxæ amplitudinem,& in patriæ noſtræ,tuumque ornamentum ac decus conuerſurus, Annalium rerum Polonicarum, cæterarumque gentium Poloniæ vicinarum memoriam,res pace & bello geſtas,complecti & literis mandare ſuſcepi,ſopitis hominum cineribus, diuturnaque concretis caligine, largiturus notionem & memoriam, ſingulisque lectoribus & auditoribus,eorum repræſentaturus actionem. Non ingenii fretus potentia,tenue enim illud & aridum extat,& ad lucubrandum opus præſens vt Heroum illuſtria facta inſignesque victoriæ extolli adornarique poſſent,languidum & parum ſufficiens,nec ſcribendi arte rudem veterum æquans narrationem. Sed quia multa præclara,& ſuperiorum,& noſtrorum temporum acta ſcitu digna perpetua obliuione tegi doleam. Egregia enim extant,nonnullorum Polonorum Virorum illuſtrium geſta & memoratu digna,ſiue pacem,ſiue bellum ſpectes,vtrobique exemplorum caſibus oneroſa,in quibus & gladii fraterno aut cognato ſanguine, cæca regnandi cupiditate rubentes,itemque factiones,ſeditiones,varia exilia,variæ publicarum rerum euerſiones,& optimatum atque ciuium exterminia reperiuntur,alias clarius illuſtrari depoſcentia,ſimulque tuis iuſſionibus,& aſſiduis exhortationibus etiam poſt tua fata pariturus. Tu ſiquidem,mira charitate,qua ad extollendum res Patriæ flagrabas,Vnum id potiſſimum me effecturum, precibus iuxta ac imperiis impuliſti,ſimulque materiam ſcribendi,condendique res,quæ in ætate tua contigerunt,fideli narratione,& domeſtico præconio præbuiſti. Et quoniam non vna eadem fuit,eſt, & erit, Hiſtoriam ſcriptoribus laboris & ſcribendi cauſa,cum alii,vt gloriam honoremque apud præſentes & poſteros aucupentur,quale aliquid Tito Liuio eueniſſe ſcimus,Vir enim lacteo eloquentiæ fonte manans,ex vltimis Galliarum Hiſpaniarumque finibus plures habuit admiratores,& Gaditanum quendam ex longinquiſſimis oris & ad videndum illum fama adduxerat. Mortuus verò omnium ore ſententiaque Latinorum laudatus. Cineres quoque ſui atque oſſa agentia Patauine,de origine & ſtirpe ſua gloriante,propè Ædem S. Iuſtinæ in porta Palacii maioris,quo aliquid venerationis oſſibus accederet,condita ſunt. Alii,vt gratiam referant, ab iis quorum virtutes laudant bellicas: Alii quod rebus magnis & arduis pace vel bello geſtis affuêre & genus aſſumpſcre laboris. Quod de Homero,Darete,Quinto Curtio,Plutarcho,aut credi,aut præſumi poteſt. Me porrò nulla harum cauſarum,ſed magnitudo rerum ſub obſcura caligine vetuſtatis iacentium, honeſtatis officium,non ſpes vtilitatis,charitas quoq; patriæ,quæ omnium omnes charitates

com-

complecti ſolet,qui vt illam omni ornamento,quod ex me fieri poſſit, redundantem,atque accumulatam,vel redderem,vel efficerem,charitas proximi ex opere præſenti ædificanda ad opus prolixum & ingentis laboris ſuſcipiendum pellexit. Antiquitatis enim & Hiſtoriæ, rerumque domi foriſque geſtarum notitia,virtutis parens & vitæ magiſtra à ſapientibus habita,non tenuiores humano generi,quàm Philoſophia, noſcitur conferre profectus. Nam etſi Philoſophia pro conſequendis virtutibus hominem dirigat,& informet,ad clara tamen facinora aut aggredienda aut implenda,plus hæc virium, quàm illa, obtinet. Cum Philoſophia tantum accendat & moueat,illa verò opus perfectum etiam efficiat,& in qua etiam ſingula quæ ad fortitudinem,ad modeſtiam, ad prudentiam,ad pietatem,& relligionem pertinent,velut in quodam ſpeculo, & humanæ imbecillitatis exemplari contemplari poſſunt. Propterea ſummum decus,ſummamque voluptatem claris iuxta & obſcuris hominibus,non præceptis, non inſtitutis,non diſputationibus ſed rebus geſtis,& inſignium Heroum moribus ad capeſſendam virtutem & aſſequendam celeberrimam laudem,& ad comprehendendos auguſtos honores affert,clariſſimorum quippè hominum geſtis & maximarum rerum recordatione conſtat. Quæ ſola res humanas,& præſertim nobilia pectora ad immortalitatis gloriam vehementer accendit,dulce enim eſt, inter maiorum verſari commercia,& veterum dicta factaque complecti memoria,atque operum præſtantibus actionibus inhærere. Denique cum mortales omnes ſciendi & intelligendi teneantur deſiderio, (quibus neminem aliter,niſi aut æuo diuturno,aut aſſidua rerum contemplatione aut experientia licuit potiri) ſi qui ad Hiſtoriæ cognitionem,& ad perdiſcendũ illuſtrium Virorum, maximarumque regionum & ciuitatum res geſtas, artes, conſilia, bella, fortunam, mentem appulerint, verticem ſublimioris ſcientiæ,& intelligentiæ,ſub breui ætatis & laboris compendio apprehendent. Ad res enim pulcherrimas noſcendas per Hiſtoriæ ſeriem alieno labore partam perducimur, & transactorum ſeculorum longum ordinem,& pleraque mortalium tàm priuata quàm publica opera ſub breui temporis compendio intuemur, eoque vno pacto vir iuuenis & viridis,ſenibus vnius ætatis cognitionem tenentibus poterit præſtare, aut ſaltem æquari, velut in quem præclara rerum & optimarum artium eruditio & vberrima geſtorum & antiquitatum notitia, non ex vnius capite,ſed ex multorum abundantiſſimo fonte manet. Quod cùm ita ſit,quis tàm expers humanitatis erit,qui ſe dare his ſtudiis nollet? quæ adoleſcentiam ad maximam conſequendam gloriam excitant,ſenectutem oblectant,ſecundas res ornant,aduerſas ſalubri conſilio temperant,& in vniuerſum ſola plurimum patriæ proſunt. Quum in illis res hominum geſtæ, fortunæ euentus inſperati,naturæ opera inſolita,& ſuper his omnibus rationes temporum contineantur. Memoria etenim hominum,& quod transmittitur, per manus ſenſim elabitur,& vix vnius hominis æuum exuperat. Quod autem benè libris mandatum eſt,perpetuo manet, nec labefactari ita facile poteſt. Nec modo ea,quæ vel facta ſunt,vel dicta adfert,ſed & ſermones notat, & cogitationes hominum effingit. Nec parua iactura cenſeri debet,quod res plurimas noſtras, atque facta Poloniæ cognitione digniſſima pro magna parte latere nos contingit,quorum notitia propter ſcriptorum defectum periit: ea verò quæ habemus,aut anguſtè videmus perſcripta, aut vetuſtate obliterata,pleraque apud alios,quàm apud nos diffuſius annotata. Non mediocriter ad Rempublicam expedite gerendam refert, ſcire vt clara prædeceſſorum facta videamus,nàm vt bonorum geſta,dùm leguntur,rectè gradientibus,pieque viuentibus proſunt ad ædificationem: ita damnabilia prauorum facinora eorumq; pœnæ errantibus ad correctionem conducunt. Totis ideo viribus ad ea ſtudia nobis incumbendum eſt,ex quibus & ad ingenii exercitationem,& ad Reip. legitimam ordinationem non mediocris acceſſura eſt vtilitas. Decet namque virtutibus præditos viros,prudentium geſta,imo & ſtultorum ſæpius ad memoriam reuocare,vt bonis exemplis diſcant bonis operibus inſiſtere,& ex malis valeant perditionem euitare. Niſi enim precioſum à vili ſeparaueris,ſtulta concupiſcentia temperare ſe non valens præcipiti curſu demergeris in voraginem & denſitatem tenebrarum. Varia itaque in Annalibus & virtutum exempla reperiens,& facta reproba æquè conſiderans,illa ſequi,hæc præterire diſces. Terrebat autem me, cui quidem nec ars,nec natura dicendi peritiam contulit,onus grande & prolixum,quod in debiles artus,tot ſupremæ ſcientiæ,ornatiſſimis viris tranquille ſilentibus imponebatur: Terrebat immenſæ difficillimæque & arduæ rei moles,claua Herculis oneroſior,in qua labori ſummo non vllum præmium,non gratia,ſed corruptiſſimum iudicium,& ſiniſtra interpretatio eſſent reſponſura. Sæpèque ipſe mecum inter ſecreta ocia tacitus reputabam, quam vaſtum & proceloſum æquor exigua titubantis & fragilis ingenii cimba,conſultonè an temerè eſſem ſulcaturus, quantæque obtrectationi & inuidiæ caput apud modernam & poſteram ætatem obiecturus. Non

 enim

enim eos qui geſta in opere futuro perſcribenda,aut me ne quicquam concinne dictaſſe,aut non integre dictis facta exæquaſſe,neque onus ſuſcepti muneris impleuiſſe,actus quoque aliquorum plus æquo extuliſſe,& pro fictis vera poſuiſſe, quadam aut leuitate, aut maleuolentia, inuidiauè, calumniaturi ſunt (vtinam falſo ludar augurio) reor defuturos. Difficillimarum enim rerum vnum extat,& non elucubrati tantum ingenii,ſed affluentisſimi pariter & acutisſimi offenſionem calumniamque in contexenda Hiſtoria effugere,& omnibus gratum eſſe,ac apud ſummos & peritos viros expectationem,quam in primordio concitaueris,reliqua narratione impleuiſſe,iuxta ac per aſperiora dumeta ſine offenſione inceſſus. Noui enim noſtræ ætatis hominum ingenia, qui nil probant niſi Italicum nitorem,à quo longe mihi abeſſe videor. Reprehendunt vetuſtatem noui & inuidi,qui ſuo diffiſi ingenio, cæteros obloquendo detrahendoque, & ſuo inſtituto vtendo moribus impudenter laceſſere contendunt. Nam etſi ingenio præditus, parique fretus ſcientia officium ſcribendi facilè me implere poſſe crederem, tam arduum tamen opus aggredi ſine aliquo magno & difficultatis & pauoris reſpectu non poſſem, propter liuoroſam nonnullorum obtrectationem,& inuidioſam calumniam. Quoniam etſi ſingulæ nationes ſingularibus ingeniis, ita & vitiis abundent, Polonorum tamen genus ad inuidiam & obtrectationem plus quàm ad cætera,ſiue id ſucceſsio à priſcis tradita,ſiue ſitus & inclementia cœli, ſiue occulta ſyderum vis,ſiue quod genus & fortunam ſuam cum aliorũ virtute exæquare æſtuet,cenſetur eſſe magis procliue,& ingenia Polonorum ad inuidiæ facinus plusquam aliqua alia proniora exiſtimantur. Quo fit vt nonnulli Polonorum & omnium Slauorum Parentem Cham affirment,quod hic Noë Patris femora irridens,etiam in ſuam poſteritatem id facinus inuexerat. Hanc quoq; vnam & præcipuam cauſam arbitror, quòd Polonia raros & paucisſimos rerum ſuarum habuerit ſcriptores,vnoquoque ſub iniqua rerum extenuatione exhorrente ſcribendi officium,& ſubducente ſe obtrectationi & liuori: Alteram quòd paucis germinibus ſuis præclara & ſolitum atque vulgarem modum excedentia,& hæc ipſa parum iuſti precii habitura prouenerunt ingenia. Tertiam, quòd pauci trahuntur cupiditate ſapientiæ,doctrinæ,aut virtutis,ſed potius honoris,lucri,aut voluptatis. Proinde iis tantummodo vacant literis,quæ opes aut dignitates, aut quæſtum aliquem pollicentur,eloquentiæ & ſcribendi artem perpauci colunt,& hi tantummodo ſoli, qui egregia quadam animi indole impulſi virtutem terrenis metiuntur præſtantiorem, vt nihil mirandum ſit cæterarum nationum geſta factaque ſcriptorum ingeniis quàm maximè celebrata illuſtrataq; eſſe,Polonorum ex contrario defectu res amplas & magnificas ad obliuionem,obſcuritatemque recidiſſe,geſtaque & virtutes Regum,Principum,& Heroum atque Ducum facta fortia regionum & ciuitatum,fortunas,literarum lumine non patefacta,caliginem ſempiternam contraxiſſe,& in æternas quasdam ſilentii tenebras ſcriptorum penuria præcipitatas eſſe. Quorum ſi gratiam meruiſſent,præconiis eorum celebrati apud poſteros immortali fama clareſcerent. Hæc itaq; inter alios me ratio pellexit ac commouit,vt cæteris ſtudiis humanis neglectis,omnes curas,ſtudia, labores,vigiliasque meas ad illuſtranda Heroum noſtrorum egregia facta,metu omni atque pudore abiecto,conferrem,& veteribus,alienisque inſiſtere non contentus, proferrem in vlteriora pedem. Corpus nouum arido licet & ieiuno ſtylo conficerem Hiſtoriæ,qualiter Reges & Principes cæterisque qui Remp. adminiſtraturi ſunt,virorum fortiſſimorum imagines, quas ſcriptores Annalium reliquerunt expreſſas,imitati,animos,mentes & operationes ſuas,hominum excellentium virtutibus & actionibus conforment. Singula autem rebus Polonicis vndecunque cohærentia & commixta,collecta vndique & connexa, quæ Annalibus Polonorum videbantur quomodolibet conducere,operæ precium viſum eſt perſcribere,& præſenti noſtro connectere operi,Syrenæos cantus,obdurata aure tranſiturus,qui rerum geſtarum neque odio, neque inuidia, neque aſſentatione,aut gratia vellem corrumpere puritatem. In his præſertim quas mihi coram intueri contigit,ætatis ſiquidem ſuperioris tempora aliorum adminiculis, quæ verò in noſtram incidere ætatem,Marte,vt aiunt,noſtro,quasdam verò res,quibus vetuſtas fidem certam abrogauerat,aut illas literarum vnica fidisſima cuſtodia non perennauerat, ex fama, quæ ſola durabat, ſcrupuloſius ſinceriusque,quàm poteram,deſcripſi,& quæ per varias Eccleſias & Bibliothecas, & alia loca ſparſa erant,curaui colligere,& collecta in præſens opus vtcunque deducere. Plura verò quæ parum concinnè parumque verè inſerta fuerant,allatura factis aut dictis pudorem, omiſi. Res & facta veterum vt ſuis non fraudentur præconiis,de caligine in lucem extracturus, non pro magnitudine operis & virtutis præſtantia,quæ aut eruditisſimum ſcriptorem,aut magnum quendam Poëtam efflagitant,non pro ingenii fiducia,nec dicendi aut ſcribendi peritia,vel aucupando gloriam,ſed pro imbecillitate mea,& omni in patriam gratitudine, & ne temporis mei ætatem

mu-

mutam ac inſciam relinquerem,ingenuè profeſſus magnam vim ingenii,magnum dicendi nitorem ineſſe ſcriptori Annalium oportere,qui inter tot Hiſtoriarum & caſuum aceruos,& laudandi & vituperandi materiam modumque teneat,& ſingula grauiter expediat,& peritis atque imperitis,prudentibus atque inſipientibus,diſertis & indiſertis placeat, gratumque ſe vniuerſis ex æquo reddat. At certè inter difficillima cenſetur difficillimum,aliorum ſenſus,voluntates, & deſideria verbis ſufficienter deſcribere. Ex omnibus enim literis,quæ ad humanitatis comparata ſunt ſtudia,nullæ mihi ſplendidius relucere atq; excellere viſæ ſunt,quàm quæ rerum geſtarum ordinem nobis commendant. Ex illis enim ad rectè viuendum imbuimur, & ſingulares fructus,ac egregiam quandam iucunditatem comparamꝰ,ſtudio imitationis accendimur,& à prauis in recta reuocamur. Cæterarum ſiquidem gentium & Regnorum geſta commendatione laudeq; conſtat eſſe referta,ad quorum expreſſionem venuſtandam ingenua ſcriptorum certarunt ingenia:Polonorum verò pauca admodum per tot ætatum ſpacia & ſtrictim commemorata ſunt. Pauciſſimique Principes & Reges, cæterique Polonorum Heroes ſuorum facinorum meruére ſcriptores, nonnullorum verò fama cum ipſis ſepulta & extincta eſt. Itaque Polonorum res per contrarium Athenienſium rebus euaſere ſimiles,anguſtæ,tenues, paruæ atque obſoletæ,cùm forent multò maiores,quam ſcriptis feruntur,ſcriptorum iniuria & ſegnitie ex claritate magnifica ad obſcuritatem & anguſtiam pertractæ,nec,vt decuit,pro iuſto atque integro celebratæ,adeò,vt nec à VincentioCracouienſi Epiſcopo ſuæ ætatis ſcriptore egregio,potuerint præclaro ingenio extolli.Itaque plurima Regum,Principum,Pontificum,& cæterorum Poloniæ Heroum celeberrima opera ſempiterna obliuione obruta ſunt ſcribentium penuria,& eorum ipſorum languido, aridoque,& parum culto ingenio à noſtra notione abducta,nec aliquid celebre illorum potuit manere ad poſteros. Et cum ope literarum fulta non fuerint,perinde ac vapor admodum paruus euanuerunt. Nulla enim tàm ingens, tàm clara, tamque admirabilis res geſta eſt,quam non vetuſtas obſcuret & obliuio,niſi literarum ſplendor, & ſcribentium lumen acceſſerit, iacerentque ſepultæ, atque perpetua obliuione obrutæ Regum & Imperatorum res geſtæ, quippè quæ raro ætatem hominum excedunt,ſi eos ſcriptorum induſtria,immortalitati non dedicaret. Quoniam opera humana caduca ſunt & momentanea,ſcriptorum verò munimenta ſua durabilitate immortalitatis ordinem æmulantur. Accedit ad hæc anxietas amplior, quòd cum cæterorum librorum ſcriptores viuis & florentibus perſonis opera ſua, quo altior illis ineſſet autoritas dedicauerint, decreto & approbatione eorum, robur, defenſionem & ſtabilimentum acceptura: (Ego opus præſens meum Paternitati Tuæ iam ex mortalium conuerſatione ſubtracto, & abſenti etiam corpore concreto & mortali exuto, dedico, tuo ſuffragio mortali orbandum tutela.) Idque eò libentiùs mea tenuitas aggredietur,quod ad me id in corpore mortali poſitus tua exhortatione,cuius authoritas apud me,etiam poſt fata magna eſt,impleta. Nam ſeculum noſtrum velut quoddam Sydus clariſſimum ſplendore morum,virtutum atque actionum tuarum dexteritate illuſtrabas,nec vlli alteri quàm tibi vigilias ac labores,vires quoque qualeſcunque illæ mei ingenii ſint,dicandas cenſui,pro ſumma clementia, prudentia, iuſtitia, probitate,humanitate,& in patriam charitate,quam omnium iudicio magno ſplendore,magniſque ſermonibus in vita,& poſt cineres videmus te conſequutum,macte inſuper virtutis,non à me ſolùm, ſed ab vniuerſis noſtri Polonici generis hominibus perpetuo celebrandus æuo. Cuius & ego æternum tuorum laborum præconium literis ad perennitatem mandabo. Vnde omnis ſpes atque defenſa in ſolo cœleſti præſidio,& in ſuperis,qui noſtræ regioni & Vrbibus præſident,ponenda mihi eſt,qua pietate Agni Cœleſtis,& Beatiſſimi Stanislai Patroni & Protomartyris Poloniæ,Epiſcopi Cracouienſis,tuaque interceſſione,quem diuinitate propitia,& operum merito,exutum corpore concreto & mortali,in cœlicolarum numerum translatum, & cum creatore ſuo, cumque Angelis eius ac Beatis glorificatorum hominum ſpiritibus lætum agere & tranquillum æuum reor, obtentum, nullas inuidiorum & obtrectatorum calumnias pertimeſcam,ſperans vos erroribus meis velle ignoſcere ego quæ humanitùs non potui in hoc opere euitare. Spero vos veniam apud Clementiſſimum Deum,ſimulque rectè ſcribendi iuſtam & fidelem occaſionem,atque mentem in diuinum honorem,patriumque decus,& amplitudinem proximorum inſtructionem & profectum redundantem,facilè impetraturos,ſimulq; pudori meo probè conſulturos; qui opus proprium ac ſeueritatem cenſorum reformidans,vos in tutisſimos patronos,cenſoresq; accepi. Enitar ſiquidē pro viribus, vtinam tantum inſit mihi roboris ac neruorum,ne res geſtas in maius deprimam; quàm efferam; & actus humanos plus iuſto celebrem vel ſugillem, aut ſi quid offenſum iri veritatem geſtarum rerum ſuſpicabor,ad eam diligentisſimè inclinabo,non longius amori quàm verita-

ritati,nec quantum ſcribendo valeam,ſed quantum res exiget progreſſurus. Ad quæ ſollicitum me etiam tua admonito reddebat inſtructiorem,nemo vt dubitet,& me in facinorum relatione, malignitate,aut odio: in virtutum quoque commendatione,affectione vſum eſſe,& paſſione animi tantum his gratiam,cæteris ignominiam tribuiſſe. Succenſere autem mihi nemo iuſte poterit,ſi veritatem Hiſtoriæ ſequens aliquorum mores,actiones,& facinora detexero, cuius natura & conditio eſt ſecundas iuxta ac aduerſas res,virtuoſas perinde ac vitioſas actiones ſincerè perſcribere,& poſteris transmittere incitamenti & cautelæ ſpeculum & exemplar,mordacitatemque ſcriptorum meorum non ex auſteritate mea,ſed ex vitio illorum iudicet proceſſiſſe. Malignum ratus iudicem,qui vna aut altera virtute enarrata de vitiis ſubticeat. Etenim futurum ipſe vaticinor,quod Reges,Principes,& cæteri viri Heroici præſenti noſtro operi,non ſecus quàm ſpeculo ac exemplo ad colendam virtutem,& ad præclara edenda facinora excitari poterint. Vt enim reperiri ſolent homines virtutibus præclari & inſignes,ita nonnulli ſunt vitioſi & deteſtabiles, qualem Catilinam & Clodium in Romana Republica extitiſſe legimus,pluribus vitiis in patriæ perniciem deprauatos. Qualesque in noſtra Patria Boleslai Kryvvouſty Ducis filios, & Zbigneum naturalem eiusdem Kryvvouſty fratrem fuiſſe legimus, ſed nec defuturos eſſe aliquis ambiget ſenſatus. Si quis autem & Sacras,& Gentium Hiſtorias velit percurrere, reperiet profecto in omni ætate paucis bonis & virtute deditis mixtos fuiſſe peſſimos,& hos ipſos non ſolum per opera, ſed per auitam,& paternam progeniem,nomen,genus,familiam, & fortunam, quo amplior eis gloriæ aut ignominiæ inureretur nota, deſignatos. Reperiet inſuper pro conditione mortali viros optimos,rebus aduerſis oppreſſos,ſceleſtos verò ſæpenumero blandis fortunæ muneribus in ſublime actos fuiſſe. Quæ rerum conditio acerba nimis cenſeri poſſit; niſi animæ è corporibus excedentes,quod & pleriq; ſenſere gentiles,in perpetuas transmigrarent ſedes, ſupplicia pro maleficis,præmia pro virtutibus habituræ. Si quem verò diſertum,& pinguiorem Mineruam ac eruditam linguam ſortitum,incultus,ruſticanus,aut prolixior ſtylus huius operis, nulla ſuauitate aures mulcens,nec verborum declamatoria ſubtilitate frondeſcens,nec vernanti flore ſcintillans offendit,cogitet operationes donorum non apud vnum conſiſtere,nec vni imbutas & applicatas eſſe,nec me tenuitatis arguant,ſi in fragili vaſe meo lolium & ſteriles dominentur auenæ, longum & inconditum ſermonem præſenti operi minimè competentem non proferam, præſertim cum ſcriptoribus illuſtribus & eruditis materiam ſcribendi magis videar præbuiſſe, quàm præripuiſſe, in qua maiori cum laude & dicendi copia poterunt verſari, exquiſitiorem politioremque illam ſuo ingenio,ſua induſtria reddituri. Vtpotè,qui celeritate Ingenii,ex paucis norunt multa colligere. Vellem quidem ego eſſe breuiloquus. Sed rei geſtæ longa ſeries,ſi paucis deprompta fuerit,inſipida eſt,nec aliquam legenti,niſi illam ſcrupuloſa deſcriptione detexeris, illuſtraueris, depinxeris,præſtat voluptatem. Succurrit quoque nonnullas res ſilentio abſoluere, quàm transcurrere ieiuna & truncata deſcriptione. Sed nec quempiam puto adeò ſtolidum, & rerum ignarum qui ſe aut cæteros,qui pro ſummis ſcriptoribus habiti ſunt,credat ſingula eo pondere, ea dicendi facundia limaſſe,vt nullus illic interuenerit error aut labes, id enim ſoli reſeruatum nouimus diuinitati. Nihil enim vetat credi poſſe,quòd tamen poſſibile eſt,ſiue ſic,ſiue aliter accidere potuiſſe,ſed & labi in multis humanæ fragilitatis eſt,in omnibus iuxta habere perfectionem diuinum,eſt.Nam ſi Demoſthenes ſummus & eloquentisſimus vir apud Græcos,interdum Ciceronis aures offendit: Si Homerus ſcribitur nonnunquam dormitare. & operi longo fas eſt obrepere ſomnum: Si Ciceronem in Carmine eloquentia deſeruit: quid putandum eſt mihi contingere poſſe homini mediocri, & parum erudito? quem pedeſtri,& quotidiano calle currentem,fas non eſt cum priſcis,ſed tantummodo cum ætatis meæ ſcriptoribus conferri, neque magnorum virorum ingeniis,ſed meis tantummodo viribus æſtimari.Et quanquam opus præſens primarium ſibi Oratorem depoſcat,& longè ſcriptorem alium, quam qui ego eſſe poterim,dicendi & ſcribendi peritum,ditius quoque ingenium,& ſermonis ſuppellectilem magis, quàm quæ mihi conueniat, locupletem ſortitum,cui & amplior vbertas ſermonis, & feracior contigit libertas ingenii, ne ieiunus ſermo eximiis videatur derogaſſe præconiis. Ego tamen tarditatem meam, ea quæ ex alto dabitur,diligentia compenſatum iri conabor,& quo minus poſſum ingenio,eò magis mihi & ignorantiæ meæ ignoſci poſſe confido. Verùm quemadmodum priſcorum reſpectu,mutus mihi & elinguis videor,ita in modernorum non Balbus, ſatque erit priſcorum ingenia, quæ exprimere ſiccum meum & aridum ingeniolum prohibet,colere ſaltem & mirari. Maior fateor extat operis huius amplitudo,quam vel ætate mea percenſeri,vel ingenio hebeti poſſit comprehendi,eum virum expoſcens,qui & in oratoria excellat,& multarum artium peritiam habeat, & cui

cui acre,celerrimum,atque argutum ingenium contigiſſet, Herculeo robori magis quàm meo conueniens. Si igitur minus ornatè atque grauiter,quam vel rei aſſumptæ grauitas aut dignitas, vel legentium expectatio exigit,opus præſens impleuero, id imputetur partim inſcitiæ meæ, partim rerum magnitudini,quas pertracto,tribuatur errori iuſta venia, qui imperfectus perfectum non poteram texere opus. Non enim tantummodo noſtra, ſed & priſcorum ætas à me deſcribenda,quæ plena eſt egregiis geſtis,plena pulchrorum varietate factorum, plena & illuſtrium Virorum caſibus,& multifariorum exemplorum ſarcinis adeò grauida oneroſaque,vt rarus tanta dicendi facultate redundet,tàm nitido & perſpicaci ingenio polleat, qui non aliquando patriæ noſtræ ſeditiones,factiones varias,transmutationes & exterminia deſcripturus areſcat & balbuciat. Si qua igitur in re lector offenſus fuerit,veniam precor dare velit,vel ignorantiæ, vel verboſitati, ſit quæſo pronior ad indulgentiam,quàm ad reprehenſionem. Et hoc à me rogatus obſeruet, vt quod minus benè, minus accuratè,aut legitimè ſcriptum animaduertet, benignè emendet. Ego enim ingenuè profiteor,& debilius me ſcripſiſſe,& hebetius dictitaſſe,quam rerum maieſtas & pondus requirebat. Ex eo autem præcipuè veniam datum iri opinor infantiæ meæ,quod aliis doctis & eruditis viris ſilentibus,prior ad ſcribendum conſurrexi,malens aliquid parum culte,parumque concinnè,quam nihil ſcripſiſſe. Quod ſi cætera diſplicebunt, affectio certe mea & pietas non potuerunt in patriam culpari. Satis inſuper mihi erit, ſi laudem non merui, contemptum apud proprios effugiſſe,& non dicendi peritis, & à literarum ſapore ieiunis, ſatisfeciſſe. Quicquid enim ingenium meum præſtare potuit,in præſens opus ad patriæ ornamentum conieci. Neque enim,quia multa dare non potui, manum ex toto à labore retrahere licitum putaui. Vnusquiſque enim tantum patriæ debet, quantum ingenii ſui vires valent exoluere: externus putandus, qui illam aliquo munere non extulerit, non adiuuerit. Exigebas autem Reuerendiſſime Pater iure tuo, à me illuſtrandæ patriæ cauſa vt res geſtas ſuperiores, & præſentes ſtylo meo literis mandarem, aſtruens non mediocrem me Reipublicæ noſtræ allaturum profectum,ſi præſentibus vetera coniungerem,ex vtriſque corpus perpetuæ Hiſtoriæ compacturus. Ego itaque, & ſi cæteris Hiſtoriographis ingenio,ſtudio, & doctrina poſthabendus ſum, nec vlla ratione illis conferendus, iuſſione tamen tua & auctoritate fretus, opus arduum & ingens obedienter aggreſſus ſum, ſingulis Poloniæ proceribus, ſatrapis, optimatibus, & Almanis ſummo ſolatio & vſui illud fore arbitratus. In quibus ſi quid inconcinnius offenderint ſcriptum, imperiti ingenii arrogantiæ non imputent, ſed primum charitati profundæ in patriam,deinde tuæ,cui recalcitrare nefas putaueram, iuſſioni, amori tuo in me,& officio reſponſurus. Vera autem potius quàm ſpecioſa,vetuſtiſſima nouis accumulans, vera de veris,aut proxima veris, quæ ad cautelam, memoriam, & geſtorum notitiam expedire videantur exacturus. Cum conſcriptorem omnia deceat veritati poſtponere, nonnulla Hiſtoriis & Annalibus Polonorum parum concinnè,parumque pudicè, & quæ faſtidium exagitant inſerta,fabularum ineptias redolentia peroſus, Poëticis magis figmentis decora, quàm ſinceræ Hiſtoriarum traditioni conſentanea præcidi repudiauique,ne vas purum & fidele, iuxta quoque vetus prouerbium oleum ſimul & operam perditurus,infectum incruſtatumque ex modico fermento iri contingat. Quoniam neque vetuſtiori tempore,nec auorum autoritate ab euidenti figmento apud rerum & Hiſtoriarum peritos poterant licite defendi. Cætera vera aut verò etſi veris ſimilia putentur, non tamen ea ſic affirmare auſim, vt veri periculum mihi & in meum caput aſſumam, & editionis huius aſſertio ex fide liberetur mea, tùm quòd res vetuſtæ & abolitæ coniecturis illuſtrari, & opinionibus nequirent: tum quia nimia vetuſtate res ſcribendæ obſcuratæ ſunt,& longioris æui ſpatio repelline an acceptari debeant dinoſci ad liquidum non poſſunt,tamen quod raræ ſub iiſdem temporibus apud Polonos ac pænè nullæ fuere literæ,vna omnium operum atque euentuum humanorum fides,induſtria,& ſi quæ in priuatis aut publicis fuere monimentis,ea crebris,Polonis ea tempeſtate ferè omnes ædes & arces ſuas ex ligno fabricantibus,periere incendiis. Quæ verò diligentiori fuerunt in noſtram ætatem traducta cuſtodia,pauca fuere,& hæc ipſa nodoſa & truncata,ex quibus per nos prorogari ad liquidum vetuſtatis memoria non poterit. Perdifficile ſiquidem & laborioſum nimis videtur Hiſtoriæ veritatem complecti ad ſolidum, quum res geſtas poſſibile non ſit vniuerſas ſcribentem vidiſſe,quas aliorum narratio,gratia aut odio acta peruertit ſæpenumero atque corrumpit,nec determinat ſed inuoluit. Omnium tamen difficultatum,nulla difficilior in rebus geſtis perſcribendis quam offenſionem,calumniam,& lapſum effugere,& omnibus,& ſatisfacere, & placere poſſe: Rerum præſertim & eorum qui eas geſſerunt conſiliorum ignarum,de quibus plus quàm difficile eſt propter

pter

pter euentus iudicare. Cùm etiam hi ſpectando adſunt aliter atque aliter ſæpenumero, vt ferè vſu euenit, referunt, ſed & verba rebus, res temporibus contemperare, & de ſingulis, quæ in diuerſis, & plurimum à ſe porrectis regionibus & ætatibus acciderunt, iuſto & modeſto primum, & tandem culto, atque elaborato calamo exarare, & in opus deducere, eſt hominis ſolidas vires, & perſpicax ingenium, tenaciſſimamque memoriam habentis, cuius ego, non modo qualificationem, conditionemque, ſed nec ſimulachrum, vmbramque profiteor me ſortitum. Si quis verò ob id me carpendum putet, quod non ſolùm Polonorum res geſtas perſcripſerim, ſed etiam Bohemorum, Hungarorum, Rutenorum, Prutenorum, Saxonum, Lituanorum, Romanorum inſuper Pontificum atque Imperatorum, & Regum, à multis ignoratas attigerim, ſciat me conſultò & veritatis facibus impulſum id egiſſe. Quoniam & regiones ipſæ plurima aut fœdera, aut bella cum Polonis, tùm propter conformitatem linguæ, tùm propter vicinitatem regionum, propinquitatemque habuere, adeò vt pleriſque temporibus vnius Principis regerentur imperio. Cum enim POLONICIS rebus plura cohæreant externa, non indecorum viſum, ea in ſcribendo non arrogantia, neque enim vires meas ignoro, ſed ne ignorentur etiam à noſtris, attigiſſe. Vnde eam ob rem, cano iam capite, ad perdiſcendas literas Rutenas me ipſum appuleram, quatenus Hiſtoriæ noſtræ ſeries certior redderetur. Romanos quoque Pontifices aut Reges, eorumque exceſſus & tempora ob multos reſpectus inſeruimus, quod & venuſtet, perficiatque opus, & ratio annorum Summorum Pontificum præſtet veritate iucundius cumulatiusque legentibus. Diſcordia autem ſcriptorum, plerumque lenitate & negligentia offenſus, ſequutus ſum in relationibus & rebus ambiguis, qua me vel ſimilitudo rerum, vel ſcribentium autoritas, vel opinio traxit vulgarior. Vt autem legentibus Annales hos rerum geſtarum, firmior credulitas, minorque ſuſpicio occurrat, plures Epiſtolas & contractus præſenti operi inſerui, quo ex ipſa varietate opus firmitatem contrahat, & ſtudioſos curioſoſque rerum in lectura amœna diuerticula prouocet, afficiat, & inuitet, plus voluptatis, quàm moleſtiæ lectoribus quod ſpero allaturum. Opus denique præſens viris doctis & eruditis, ſcriptoribusque illuſtribus & ſignanter parenti meæ Almæ Vniuerſitati Cracouienſi iuuandum, corrigendum & emendandum permitto, pro ſingulari gratia habiturus, ſi quis errata mea præmiſſa aut minus prudenter & inconcinnè ſcripta doctrinæ ſuæ ventilabro in frugem vlterioris ſementis verterit, tranſtulerit, adiuuerit, erexerit, & imperfectum inornatumque ſua incude poliuerit, ornaueritque. Ad quod omnes viros doctos, induſtrios, diſertos, dicendique & rerum peritos exhortor & inuito. Quicquid enim à me indoctè, inconcinnè, fictè, contumelioſè, prauè, inconditè, & incautè ſcriptum eſt, id pro non ſcripto & non dicto haberi velim, gratulaturus, ſi errata mea quis improbando correxerit. Neque enim me ipſum adeò amaui, vt meo latente errore, alios errare velim. Neminem mortalium adeò peritum ratus exiſtere, per quem plenus, durus, & elucubratus, nullum vitium redolens, poſſet condi ſtylus. Veniam à ſingulis mihi datam depoſcens, ſi in hoc opere maiora viribus meis tentauerim, & ſermonem inconcinnum quandoque nonnunquam abortiuum protulerim, ſciens & profitens juxta ſententiam Senecæ, neminem eſſe tàm circumſpectum ac induſtrium, cuius non diligentia aliquando ſibi ipſa excidat, neminem tàm maturum, cuius non grauitas in aliquem lapſa caſum impingat; neminem tàm timidum offenſarum, qui non in illas dùm vitat, incidat. Atque ſub hoc reſpectu illo ante omnia depulſo periculo, mea quoque ſterilis mens, & parum argutus ſermo culpetur, implorato Spiritus Sancti ſuffragio confidentius ad initiandum opus deſtinatum accedo, ſperans clementiam Diuinam, hebetudinem & imperfectionem meam ſuppleturam.

IOANNIS

IOANNIS DLVGOSSI CANONICI CRACOVIENSIS ET RERVM POLONIÆ HISTORIOGRAPHI VITA.

IOANNES DLVGOS vir fuit clarus & inſignis, quippe nobili familia *WIENIAWA* oriundus, ſplendorem gentis ſuæ virtute & diſciplina militari illuſtrauit. In qua re eo magis ac facilius excelluit, quod magnitudo corporis & membrorum firmitas commoditatem ei dabat ea præſtare, quæ ingenii viuacitas imperaſſet, ob quam rem non mediocriter charus erat inclyto *Wladislao* ſecundo *Polonorum* Regi. Præficiebaturque plerumque ciuitatibus atque oppidis, maxime illis, quæ Rex aut muniri, aut certe inſtaurari cupiebat. Cum itaque Præfectus eſſet in oppido *Brzeznica* anno a Salute mundi milleſimo quadringenteſimo quindecimo, ex generoſa *Beatrice*, quam iam pridem propter ſplendorem generis & morum elegantiam ſibi legitimo matrimonio coniugauerat, filium ſuſtulit. Qui cum ætatem ſuam in talibus ſtudiis exegiſſet, vt bene ac ſapienter viuendi exemplum multis mortalibus præbuerit, operæ precium eſſe puto ea omnia, quæ ad vitam eius pertinerent, quantum mediocritas ingenii patietur, literis commendare, vt quando non licet mihi Philoſophica grauitate ſeculi noſtri deprauata ſtudia & mores refutare, grauis atque integerrimi Viri vitam recenſendo, ante oculos hominum, quaſi normam aliquam ponam: ad quam omnes illi conformare ſe poſſint, qui vitam ſuam taliter agendam putent, vt non fruſtra a natura ſuſcepiſſe rationem videantur. Igitur nato puero in arce prædicta ſub Chriſtiana obſeruatione ceremoniarum, aſſignatum eſt nomen *Ioannes*, quod deinde quaſi fatale decem fratribus poſt eum natis inditum eſt a parentibus. Nam cum primogenitus eodem nomine appellatus, non ſine indole probitatis futuræ viueret, ſecundus vero & tertius filius, quibus diuerſa nomina iniuncta erant, deceſſiſſent, conuerſi parentes in religionem nominis, eo vocabulo quartum appellauere, ſub cuius auſpicio primum filium viuere augurabantur. Quæ res cum feliciter ceſſiſſet, quippe quia iſte non ſolum valeret, & viuax eſſet, ſed tota indole etiam primogenitum ſuperaret, & iam tunc in eo virtutis prognoſtica quædam intuentibus exhiberet, cauſam dedit, vt cæteris deinde liberis naſcentibus, bene ominatum, & quaſi aliquid perpetuitatis in ſe complectens nomen imponeretur. Acceſſit deinde nomini gentile cognomen *LONGINVS*, & mox defuncto fratre, qui erat maior natu, appellatus *Senior*. Primum itaque nominis obſeruatione atque auſpicio apud omnium parentem præ cæteris liberis charus eſſe incepit, tum factus in dies eſt charior, & morum quadam non puerili elegantia, & cibi atque potus abſtinentia & parcitate. Nam præter id, quod modici erat cibi, vsque ad ſextum decimum annum aquæ tantummodo potu contentus vixit. Qua frugalitate, cum naturæ prima incrementa debilitarentur, factum eſt, vt infirmior longeque magis gracilis euaderet, quam cæteri fratres. A quibus quidem per pueriles ſimultates multa indies patiebatur, eo quod mater, vt plerumque vſu euenire ſolet, propter naturam debiliorem, ex omnibus ipſum vnice diligendum ſuſceperat, & blandimenta plurima non ſine aliorum inuidia ei ſemper offerebat. Et iam non procul eſſe apparebat, quod pater in eam ſententiam venturus eſſet quoque, vt tandem euenit. Nam etſi per aliquod tempus pari charitate liberos omnes proſequeretur, tandem non potuit non illi plurimum affici, in quo plura, & manifeſtiora futuræ probitatis apparebant argumenta. Et proinde cum videret iſtum quam plurimis optimæ indolis ſignis totius domus ſuæ decus atque ornamentum futurum, ſingulari & præcipua quadam pietate ipſum complexus eſt, perſeueranterque præ cæteris dilexit adeo, quod cum e vita decederet, omnia quæ vel in funere, vel in domeſticis rationibus fieri vellet, iſti tantummodo commiſerit. Cum ſextum ætatis annum ageret, paterque Præfectus eſſet oppidi *Nouæ ciuitatis*

vitatis Korczyn, traditus eſt ad ludum literarium, ad quam rem natura ipſa Duce ita liberali animo acceſſit, vt quaſi iam tunc ſentiret, quanta eſſet doctrinæ ac literarum maieſtas. Et proinde mirabili quodam inſtinctu ac motu animi, ſtudiorum atque oblectamentorum puerilium inſtrumenta, quibus vſque ad eam diem inter æquales operam dederat, in proximam paludem abiecit, & mentem totam ad literas conuertit, tanta auiditate, vt nihil pro illis aſſequendis ſibi durum ac laborioſum videretur. Et quod mirari in ea ætate poſſimus, cum pueris propter humoris affluentiam ſomnus non ſolum familiaris, ſed omnino ſit neceſſarius, ſurgebat cum Pædagogo ante diluculum, & a Ianitoribus Arcis, quando preces parum efficaces erant, gemitu & lachrymis exitum ad ſcholas impetrabat. Poſt paternam in eo loco Præfecturam, diuerſis in oppidis diligentem operam Grammaticæ præbuit, in qua non mediocriter profecit, prout ætas ſua, & Magiſtrorum peritia tunc ferebat. Tandem a Parente *Cracouiam* miſſus, cum ferre non poſſet rigidam & auſteram naturam cuiusdam Magiſtri, cui creditus commendatusque fuerat, ſcripſit ad patrem, petiitque, *vt commodiori præceptori ſe inſtituendum committeret*. Quam rem ſecus ac erat pater interpretatus ſignificauit magiſtro. Ex quo euenit, vt ſeuerius & inclementius poſtea cum diſcipulo ageret, quippe quod acerbitas naturæ exaſperata erat, cum pueri ad patrem reclamatione, tum quod pater animaduertendi in filium Pædagogo liberalius veniam indulſerat poſt adoleſcentis conqueſtionem. Cum itaque ſeueritas & rigor præceptoris indies creſceret, iſte inconſulto patre illum deſeruit, timensque ne in difficiliorem magis & ſeuerum incurreret, ſi alteri cuipiam ſe crederet, libere inſtituit vitam agere, ac proinde Collegium diuitum intrauit, in quo fere per triennium Dialecticæ ac Philoſophiæ inuigilauit. Sed adeo etiam puer doctus eſſe maluit, quam videri, quod nunquam aliquo titulo, cum per doctrinam poſſet, inſigniri voluit. Cæterum cum neceſſaria ſibi ægre ſubminiſtrarentur, quippe quod pater illi difficilem nouercam ſuperduxerat, coactus eſt vitæ ſuæ modum ſtatuere, cum nulla eſſet facultas incumbendi ſtudio, ſi deeſſent alimenta. Diu itaque conditionem ſuam queſtus, examinatisque pluribus viuendi rationibus, nullam, quæ a literarum ſtudiis aliena eſſet, ſatis laudare potuit, eoque ſemper animus reuoluebatur, vt dura & miſera omnia pro nanciſcenda doctrina pati paratus eſſet. Verum vrgente tandem rei domeſticæ difficultate, ductus opinione & fama, quæ conſtans erat de integritate & literatura, humanitateque *Zbignei* tunc Epiſcopi *Cracouienſis* inter familiares ipſius curauit ſe adſcribi. Sperauit enim fore, vt in domo viri doctiſſimi atque optimi, non ſolum honeſta conditione viueret, ſed continuam etiam rationem ſtudiorum eſſet habiturus. Cui quidem cupiditati non ſolum non repugnauit pater, ſed laudato filii ingenio diligentiſſime etiam & efficaciter Epiſcopo commendauit. Receptus itaque in familiam a *Zbigneo*, ſtatim a principio non mediocriter charus quam pluribus fuit, præſertim domino, erat enim adeo acuti & perſpicacis ingenii, vt facile ex ſolo hominis aſpectu vniuerſam ipſius naturam præſentiret, ac iudicaret. Sed cum indies LONGINI vita & mores, non ſolum opinioni de eo conceptæ reſponderent, ſed plura etiam ſperari de ſe adducerent, ille ſibi primum Cancellariæ, deinde familiæ, poſtremo vniuerſæ facultatis ſuæ curam credidit. Quibus rebus ea integritate & diligentia duobus & viginti annis præfuit, vt & per totam vitam *Zbigneus* eum perſeueranter dilexerit, & in morte quoque, quid de ipſo viuus ſentiret, teſtatus ſit. Siquidem inter Exequutores teſtamenti ſui, quaſi præcipuum nominauerat, nec per aliquem diligentius ſupremam voluntatem ſuam exequendam eſſe putauit, quam per illum, qui viuentis nullam vnquam voluntatem irritam eſſe permiſiſſet. Inter initia famulatus, cum, ſupra quam rati eſſent cæteri, gratia indies magis ac magis creſceret, apud Epiſcopum, pleroſque veterum familiarium aduerſos habuit, ferebant ægre ſibi diuturnitatem obſequiorum ſuorum ab huius diligentia quaſi obſcurari. Et proinde diuerſis machinationibus, aut ſuſpectum, aut inuiſum Domino reddere procurabant. Nec defuerunt qui quaſi leuem ac temere in ea re ſentientem Epiſcopum coarguerent, quod tantarum rerum ſummam adoleſcentulo crederet, quippe quod tunc LONGINVS annum circiter decimum ſeptimum ageret. Sed cum paulatim reliquorum animos partim conſcientia, quod innocentem perſequerentur; partim patientia & manſuetudo iſtius infregiſſet, & ad ſe diligendum conuertiſſet, fratris Epiſcopi Germani *Ioannis Glovvacz* de *Oleſnica* Palatini *Sendomirienſis* tam diu infenſum animum in ſe tolerauit, quod Epiſcopus efficaciſſimis aſſeuerationibus, addita iuriſiurandi religione merito diligendum perſuaſit. Aſcitus

Dlugoſſus Cracouiæ ſtudet.

In familiam Zbignei Epiſc. Cracov. peruenit

tus itaque in conſiliorum ſecretorumque omnium partem, nec minus ad ſummam rerum vniuerſarum adminiſtrationem, difficile dictu eſt, quanta bonorum omnium commendatione ſingula adminiſtrabat, quantoque in honore apud domeſticos erat. Singuli illum, quod per ætatem mirabile videbatur, & venerabantur, & colebant. Nunquam cauſam dedit, vt cum aliquo litigaret, prouocantes vero interdum ratione, interdum manſuetudine, quandoque diſſimulando ſuperauit. Nihil antiquius habuit, quam vt creditarum rerum ſibi rationem integram non ſolum ſeruaret, ſed etiam augeret. Et proinde ſtatim ab initio omnes fructus, immunitates, prouentus, & iura Epiſcopatus, quæ propter negligentiam prædeceſſorum quibusdam codicillis, & commentariolis non ſolum diſperſa, ſed propemodum obſoleta, & perdita erant, in certum ordinem, & authenticum Regiſtrum digeſſit, & ordinauit, tanta conuenientia & circumſpectione, vt non videretur præteritas negligentias emendaſſe, ſed potius Eccleſiam nouis fructibus locupletem atque opulentam reddidiſſe. Ac denique id cauiſſe, vt in poſterum tuta eſſet ab omni iactura negligentium, quandoquidem in vnum quaſi corpus, compaginata membra ſub oculis ita expoſuit, vt facili cura ſucceſſores poſtea vniuerſa, & conſeruare, & augere potuerint. Quo etiam beneficio affecit Canonicorum Collegium, & Sacerdotes reliquos Cathedralis Eccleſiæ. Nam cum Præbendæ eorum, ſalaria, & certa emolumenta diuerſis Chirographis, & confuſa, & inordinata eſſent, in ordinem certum & Regiſtrum non ſine diligentia exquiſita, compoſuit, vniuerſosque Eccleſiæ illius prouentus ita diſtinxit, atque ordinauit, vt & facile ſit vniuscuiusque proprium noſcere, et iura bonaque Eccleſiæ tuta ſint aduerſus iniurias cuiuscunque. Crebris item exhortationibus perſuaſit *Zbigneo*, vt pro Eccleſia emeret Ducatum *Seueriensem*, in qua re dum tractaretur, varios labores & pericula ſuſtinuit, partim ab his, qui ægre ferebant *Zbigneum* pecuniis exhauriri, partim a nonnullis, qui eo emendo præferri cupiebant. Sed omnia æquiſſimo tulit animo, cum videret ſe non ſolum Eccleſiæ, ſed etiam Reipub. in ea re operam nauare. Siquidem Ducatus ille non tam in ditionem Eccleſiæ propter illam emptionem concedebat, quam etiam Regno adiiciebatur. Et proinde contemptis quibuscunque periculis, non prius deſtitit, quam rem perfecit. Ductus præterea naturali quodam inſtinctu & deuotione, qua non ſolum Deo, ſed etiam ſanctis omnibus afficiebatur, maximo & ſtudioſo ambitu imperauit a *Zbigneo*, & Prælatis cæteris *Cracouienſis* Eccleſiæ, vt vaſcula & ſcriniola argentea, reliquiis Sanctorum plena, quæ hodierno tempore diebus ſolennibus monſtrantur, emerentur. Ad quam rem conducendam non exiguam pretii partem ſponte ac liberaliter contulit. Cæterum mortuo *Zbigneo*, cum vnus ex teſtamenti Executoribus nuncupatus eſſet, ſummo ſtudio & diligentia omnia per eum legata exequenda curauit, nullum vnquam in ea re periculum, nullum laborem effugit. Tantamque fidem & ſolertiam, vt mortui voluntas quoque perficeretur, adhibebat, quod merito Executores alii omnem curam in eum reiecerunt. Abſolutiſſime itaque omnia, quæ ille poſt mortem facienda legauerat, adimpleuit. Quæ vero viuus inchoauerat, eo modo, quo ille deſtinaſſet, diligentiſſima ratione abſoluit, adeo, vt difficile dictu ſit, quanta alacritate & conſtantia vtiliter diſpenſauerit ſupra duodecem millia florenorum, quæ *Zbigneus* Studentum & Religioſorum hominum vſui & amplitudini teſtamento deſtinauerat, quantumque laudis ab vniuerſis inde fuerit aſſecutus, palam eſt. Nam præter id, quod integritatis & fidei magnam exiſtimationem conquiſiuit, ab omnibus Vir gratiſſimus dici promeruit. Siquidem illi mortuo gratias egit, & officium operamque ſuam præſtitit, a quo viuo plura ſuſceperat beneficia. Quam quidem animi gratitudinem, etſi viuente etiam illo, quantum facultas permiſerat, ſemper præ ſe tuliſſet, & poſt mortem tamen adeo diligens in exequendo, quæ ſuprema voluntate mandauerat, fuerat, vt facile dubitari poſſit, viuentine, an mortuo diligentius, aut diuturnius inſeruierit, nunquam tamen magis quam in morte manifeſte apparuiſſe contenderim. Tunc enim præcipua quadam & propemodum admiranda pietate, eo vsque ſe gratum, collatorumque in ſe beneficiorum memorem, teſtatus eſt, vt non ſolum alios, in quos propenſiſſima ſemper fuerat humanitas & munificentia *Zbignei*, ſuperauerit, ſed ipſos etiam conſanguineos, & fratres, viciſſe aſſeueretur. Nam cum illius cadauer, vt pote, hominis corpulenti, & craſſitudinis inuſitatæ, ſtatim tabuiſſet & flueret, ſordidiſſimoque odore alios omnes a ſe repelleret, iſte nunquam ab eo ſeparari potuit, neque odoris fœditate, neque amicorum ſuaſionibus, qui contracturum noxam aſſeuerabant. Quos quidem opinio

haud ſane falſos habuit. Nam etſi beneficio robuſtæ ætatis tunc haud quaquam proſterni potuerit, irrepſit tamen in arcana ſpiramenta lues naturæ, & paulatim labefactauit ſenſus, quos ſibi ſubito infringere non poterat. Ex quo ſecutum eſt, vt poſt elapſum annum grauiſſime ægrotauerit, aſſeuerantibus Medicis tabem illam & ſordem cadaueris, illius ægritudini cauſam & originem præſtitiſſe. Acceſſit ad teſtimonium miræ erga illum virum gratitudinis, quod cum conſuetudo non haberet, ut pro concione in funere mortui laudarentur, LONGINVS epiſtolis ad amicos plurimos, dolorem quem ex illius morte conceperat, expreſſit. Ex quibus vnam legi, in qua præter id, quod inexhauſti doloris ſui acerbitatem teſtatus eſt, ita effuſe & eleganter virtutes; moresque ac pene vniuerſam vitam illius recenſet, vt nullo modo lector poſſit non conqueri vehementer, quod talis, tantusque vir e medio ſit ſublatus. Tantaque ipſius epiſtolæ ad efferendas laudes illius eſt efficacia, vt facile affirmare auſim, nullum ex plurimis monumentis, quæ nomini ſuo propagando ipſemet conſtituit, diutius, ac illuſtrius quam eius Epiſtolam, *Zbignei* famam conſeruaturam. Sed cum non ſolum genere illo ſcriptionis, ſed quamplurimis aliis memoriam viri de ſe bene meriti exornauerit, & immortalitati conſecrauerit, dubium quandoque inter prudentes fuit, cum quo a fortuna melius actum eſt, an cum LONGINO, cui tam egregio ac liberali viro ſeruire contigit, an cum *Zbigneo*, cui tantæ probitatis & fidei ſeruum ſors dederat? pluresque in eam ſententiam ibant, quod in ea re *Zbigneus* felicior fuiſſet, cui eius hominis miniſterio vti contigiſſet, qui non ſolum & ſciret, & vellet, fideliter morem gerere, ſed qui etiam cumulatiſſimas gratias, ſi quid beneficii in eum conferretur, referre poſſit, eo modo, vt apud omnem poſteritatem collata in ſe officia eſſent immortalia. Cæterum cum ſtudioſiſſime frequentaret templa & loca, in quibus Diuinis ceremoniis opera impenderetur, incidit ei aliquando cogitatio, nihil in terris maius, aut præſtabilius eſſe ordine Sacerdotii, quippe quod omnis eorum labor & cura, circa Diuina tantum verſaretur, & humana omnia infra eorum dignitatem haberentur. Præterea, cum ab ineunte ætate in frequenti conſuetudine habuiſſet memoriter recitare paſſionem *Chriſti*, non ſine quodam argumento religioſiſſimi animi, ex quo non mediocrem cum admiratione ſentiebant voluptatem parentes, a quibus plerumque inuitabatur laudibus & blandimentis plurimis, quibus puerorum ingenia delectarentur : Iam tunc ab exordio adoleſcentiæ Sacerdotii votum nuncupauit, & ſeſe moribus vitæq; tali accommodare inſtituit, vt qui non tam ad Sacerdotium voto duci, quam illud virtutibus & vitæ ſanctimonia mereri videri vellet, illis itaque artibus omnem adoleſcentiam exegit. Et cum iam primum & vigeſimum annum ageret, non ut plerique alii per ambitum, ſed meritis ſuis ita efflagitantibus, ſacris Subdiaconatus initiatus a *Zbigneo* Epiſcopo, nec multo poſt ad Diaconatum accitus. Sacerdotium autem quinto vigeſimo ætatis anno accepit tanto fauore omnium, vt videretur vnus eſſe, per quem Deus immortalis recte placari, ac generi humano conciliari poſſet. Beneficia diuerſis temporibus plura ei collata obtinuit, quæ potius non renuendo ſuſcepit, quam per ambitionem impetrauerit. Nam cum *Zbigneus* vnice ei afficeretur, velletque apud eum teſtari quantum cordi haberet commodum & amplitudinem ipſius, ex officio promouit eum apud Parochialem Eccleſiam Sancti *Martini* in oppido *Klobuczko*, reſignante illam ob aduerſam valetudinem patruo ſuo germano *Bartholomæo* Plebano, impetrauitque a *Wladiſlao* tertio inclyto *Poloniæ* Rege, qui ius patronatus in ea Eccleſia habebat, vt promotioni a ſe factæ conſentiret, quod facile a Rege exorauit: nam & illi merita LONGINI innoteſcebant, & Eccleſiæ illiusmodi, vt pote quæ celebris diueſque eſſet, hominem bene meritum præfici cupiebat. Nec multo poſtea, creſcentibus ſemper in eo virtutibus, viſus eſt *Zbigneo* dignus, qui in Collegio Canonicorum *Cracouienſis* Eccleſiæ conſcriberetur. Et proinde non ſine vnanimi totius Capituli conſenſu Præbendam ei contulit, quæ in fructibus mediocres excedebat. Deinde, diuerſis temporibus melioris ſortis conditionem ſemper aſcendens, diuerſas Præbendas commutando poſſedit. Demum, ad illam euectus eſt, quæ omnium optima & ditiſſima exiſtimatur. In quibus tanta integritate ſua & gratia vniuerſi Capituli verſabatur, quod vicinarum quoque Eccleſiarum Prælatos eo vsque ad ſe diligendum conuertit, vt cuperent multi cum illo in eadem Eccleſia, quandoque emolumentum aliquod & viuendi opportunitatem habere, & ex eo facile euenit poſtea, ut in *Viſlicienſi* Eccleſia, primo Cantoriam, exinde Cuſtodiam, adipiſceretur. In *Sandomirienſi* Canonicatum præter alia tenuiora beneficia, quæ

fit Subdiaconus, Diaconus, Sacerdos.

fit Canonicus Cracouiæ,

accipit varia beneficia,

quæ in locis pluribus conſecutus, viris egregiis, & de quorum virtutibus aliquid ſperari poſſit, liberaliter impartiebatur. In qua re, tam ſtudioſus fuit, vt nonnullis cupidus aliquando videretur. Credebant enim ipſum ad impetranda beneficia ſtudio vtilitatis accedere, cum ipſe nulla alia ratione in ea diligentia fuiſſet occupatus, quam vt immeritis aliquibus, volentibus abuti bonis Eccleſiæ, obſiſteret, aut dignos, & probatos ſacerdotes in Eccleſias induceret. Nam quantum a cupiditate pecuniæ abfuerit, teſtantur ædificia, veſtes, tabulæ, vaſa, picturæ, libri, quæ in Eccleſiis ipſo autore partim exornatis, partim inſtauratis, partim ex integro ædificatis, plurimis in locis pulcherrima & pretioſiſſima viſuntur. In villa enim Cuſtodiæ *Viſlicienſis*, erexit opere lapideo templum, ſub titulo *Stephani* Regis, cuius quidem ſtructura etiam in ciuitate quauis inter ornatas haberetur. Piſcinam inſuper operis non vulgaris, effodi curauit, atque aggere circumſepſit, & aquaticum priſtinum in altero ipſius angulo, non mediocri impenſa & labore locauit. In oppido autem *Viſlicienſi* iuxta cœmiterium Eccleſiæ coëmptis duabus areis, redditibusque immunibus ab omni vectigali, turrim ædificari curauit, ac etiam domum amplitudinis haud mediocris, vt pote, in qua commode Collegium Vicariorum illius Eccleſiæ habitat. Quod opus ſupra commoditatem incolendi neceſſitas maxime commendandum, & acceptiſſimum fecit inhabitantibus. Nam cum oppidum illud fato, vt credi poteſt, quodam, igni ſit obnoxium, crebriſque incendiis afficiatur, Vicarii in tuto degunt, nec vt anteactis temporibus continuo, aut timore, aut etiam periculo ignis infeſtantur. In agro *Sandomirienſi* in villa Præbendæ *Odanchovv*, quam in ea Eccleſia obtinebat, ſub titulo Beatæ *Mariæ* a fundamentis erexit templum Parochiale coctili laterculo, pulchritudinis ac magnitudinis maioris, quam aut villæ competat, aut certe ferant emolumenta Præbendæ, in cuius ornamentum ac etiam amplitudinem tale opus conſumauit. Præterea, cum inter præcipuos Aduocatos in aduerſitatibus ſuis haberet Sanctum *Stanislaum*, & pro comperto crederet, multas inſidias per illius merita, ac interceſſionem euaſiſſe, volens, quantum in eo erat, Sanctiſſimo Martyri gratiam rependere, curauit, vt in villa, in qua ortus eſt, ex muro Eccleſia erigeretur, atque etiam ornaretur, cum prius eſſet lignea, & propemodum exigua & vilis, ad quod opus aliquot habuit adiutores. Nam cum Sanctus ille vniuerſi Regni Patronus ſit, pudebat quam plures, quod ita viliter in natali loco coleretur. Sed neque Præbendæ *Cracouienſis* fructus, aut auare poſſedit, aut inutiliter diſpenſauit, quinimo Eccleſiaſticis ædificiis debitam partem exhibuit, partem pauperibus erogauit. Inſtaurauit enim domum muris & fundamentis reſarcitis, in quo hodie ius Pontificum docetur, eamque ad habendum Spiritualium Conſiſtorium per Officialem *Cracouienſem* aſſignauit. Qua liberalitate motus *Thomas* tunc *Cracouienſis* Epiſcopus, perpetuum Ius Patronatus ſibi, familiæque ſuæ, ſuper Altare *Geruaſii* & *Protaſii* in Cathedrali Eccleſia tradidit. Domum Collegii, cui nomen eſt *Hieruzalem*, quam moriens *Zbigneus* inceptam reliquerat, in vſum & commoditatem Scholaſticorum mira celeritate & diligentia perficiendam locauit, quam poſtea igne conſumptam magnifice inſtaurauit. Præterea magno ambitu a Rege impetrauit emptionem marcarum centum annui cenſus, quas quidem liberas, & immunes ab omni Regio vectigali, victui, & neceſſitatibus degentium in ea domo, in perpetuum aſſignauit. Fuit etiam a natura ita inſtructus, vt ſingulorum vſui, & commodis libenter faueret. Sed tum maxime nihil arduum & laborioſum ſibi exiſtimabat, cum ea exequeretur, aut procuraret, quæ dantibus operam literis, aut relligioſis viris profutura eſſent. Ampliauit ergo Collegium, quod pauperum nuncupatur, nam veteri ædificio inſtaurato, totam partem, quæ in poſtico eſt, demptis ruinis & caſſulis quibusdam ſemirutis, & obſoletis, ſtatim ex integro ædificauit. Egitque, vt, commoditate illa inhabitandi, etiam in infima fortuna conſtituti, facile ſtudiis liberalibus operam nauare poſſent. *Iudæorum* Synagogam, & diuerſoria, quæ e regione Collegii Artiſtarum erant, cum vicinitas continuam controuerſiarum materiam inter Scholaſticos & Iudæos ſubminiſtraret, ſubmouit ad pomerium ciuitatis, ac velut extra fidelium conuerſationem relegauit, coemtisque eorum habitaculis, Ciſtercienſi ordini dedicauit, vt relligioſe illic Deus coleretur, vbi per *Iudæos* ſuperſtitioſe colebatur. Magnifico *Ioanni* de *Melſtyn* perſuaſit, vt domum, quæ hodie nuncupatur *Hungarorum*, Studentium commoditati legaret. Ex aduerſo Collegii Iuriſconſultorum coëmta ingenti area, & ab omni Regio vectigali liberata, domum egre-

multa opera exſtruit,

giæ amplitudinis inſignisque ſtructuræ ex cocto latere ab ipſis fundamentis ædificauit, eamque pro habitaculo aſſignauit, illis qui Pontificio Iuri operam impenderent. Sed neque minus magni ac liberalis animi fuit in exornandis ædificiis, quam in erigendis, nam omnia, quæ ab ipſo ædificata ſunt, non ſolum muris & ſtructura, ſed neceſſariis quibusque ſunt locupletata. *Vislicienſi* Eccleſiæ liberaliter erogauit purpureas veſtes, auro illitas, quibus Sacerdos, & gemini miniſtri ad ſolenne Sacrificium peragendum exornantur, vna cum pallio, quo altare in anteriori parte obducitur. Præterea fuit auctor aurei calicis, qui maximus in eadem eſt Eccleſia, & inaurati vaſculi, quo Euchariſtia in ſolenni proceſſione ad populum circumfertur, quarum rerum precium ſupra quinque millium marcarum aſcendiſſe putatur. Erat illi cura & cogitatio præcipua, vt quæcunque poſſideret, meliora efficeret. Et propterea *Sandomirienſis* Præbendæ fructus & emolumenta aucturus, commutatione illius vnius villæ cum additamento marcarum centum, duas recepit ad vtilitatem Præbendæ illius. In agris etiam aliorum beneficiorum multa vtiliter, aut inſtituit, aut inſtaurauit. Sed non minus in augendo Diuino cultu, quam in ædificandis Eccleſiis bonisque illarum augendis, & in melius ſemper conuertendis, ſollicitus ſtudioſusque fuit, tota enim mente & cogitatione eo conuerſus erat, vt aſſidue ſecum meditaretur, quoquo modo ſanctius Diuinæ ceremoniæ coli frequentarique poſſint. Viro enim, qui omnino ingenium conuerterat ad contemplationem Diuinarum rerum, non ſatis quicquam placebat, quod non in quotidiana fieret conſuetudine ad honorem Dei, videbanturque omnia ſibi, vel cultu, qui debetur, inferiora, vel minus frequentari, quam innumerabilia Dei erga genus humanum beneficia exigerent. Et proinde cum neque poſſet, neque liceret ſibi nouos ritus religioſius colendi Deum excogitare, inuentos quam ſanctiſſime obſeruare, & in frequenti vſu habere procurabat. Itaque impetrauit ab inclyto *Cazimiro* Rege *Poloniæ*, vt liceret ſibi inducere in Eccleſiam Parochialem Sancti *Martini* abs ſe ædificatam in agro *Klobucenſi*, Canonicos Regulares Beati *Auguſtini*, quorum Sanctimonia & relligio in præcipua apud omnes exiſtimatione habetur. Idque deinde, accedente conſenſu & fauore *Zbignei*, executus eſt. In quam rem præter labores & expenſas alias impendit fructus, & adminiſtrationem vnius Eccleſiæ, quam germano reſignauit, qui tum in eo oppido Plebanum gerebat. Ductus præterea eadem cura præter particularem & priuatam deuotionem ſuam erga *S. Stanislaum*, cum natalem locum prius latericia ornaſſet Eccleſia, procurauit non ſine magna difficultate, vt in Eccleſia *Rupellæ Cracouiæ*, in qua ille Martyrium ſuſceperat, collocarentur confratres ſub religione *Pauli* primi heremitæ, vt ſecundum Eccleſiaſtica inſtituta horæ Canonicæ frequentarentur, & reliqua in diuinis officiis ordinata debitis ceremoniis abſoluerentur, quo populus non tam a loco, quam etiam a ſanctimonia incolarum ad frequentandum Eccleſiam illam inuitaretur, & debitus honos ptotectori & patrono totius Regni impendatur. In qua re præter ſumptus alios, & emptionem villæ, pro victu & neceſſariis confratrum illorum, ac etiam reſignationem Præbendæ *Sandomirienſis* factam Plebano, quem ab Eccleſia *Rupellæ* amouere oportuit, innumerabiles labores ſubiit, cum pleroſque aduerſos haberet, quibus non facile perſuadere poterat, vt in Parochialem Eccleſiam confratres admitterentur. Sed facile illi fuit vnam atque alteram repulſam tolerare, ſpe illa, quod eorum mentes aliquando, vel per diuturnam inſtantiam ipſius, vel per merita *S. Stanislai*, cuius in honorem id agebatur, inflecti poſſent, vt tandem euenit, cum ſinguli tanta facilitate in eam rem conſenſerint, quanta prius pertinacia ſe inexorabiles præbuerunt. In *Sandomirienſi* inſuper Eccleſia, cui, quod in ea Canonicus fuiſſet, præcipua quadam deuotione afficiebatur, ſacerdotum numerum auxit, inductis in eam monaſteriis octo, quibus negotium eſt perpetuum, ſingulis diebus ſolenne ſacrificium, horasque, & reliqua Diuina in honorem Beatæ *Mariæ* Virginis celebrare, coëmptisque duabus villis, videlicet *Okalina* & *GoyczoVV* apud monaſterium *Suleiouienſe*, ex quarum fructibus victus, & reliqua dictis Manſionariis neceſſaria ſuppeterent. Ad quam rem adiutores habuit *Nicolaum Penuſſer* Archidiaconum *Sandomirienſem*, & *Thomam* Epiſcopum *Cracouienſem*, cum vterque ad id opus perficiendum in morte ſua nonnullas pecunias legaſſet, quæ negligentia quadam propemodum perditæ erant, niſi cura & ſtudium iſtius ad eas recuperandas interceſſiſſet. Sed cum legata illorum non ſatis ſufficerent, in multis ille ſuppleuit, & e cuſtodia *Vislicienſi* germano ceſſit, vt ille

decimas

decimas S. *Adalberti* extra muros, & etiam S. *Heduigis* ad negotii huius ſupplementum reſignaret. Ex quibus omnibus eo vsque eſſet prouiſum, vt nunquam dubitari poſſet futurum, quod tam pium commentatumque opus & inſtitutum inopia vel neceſſitate aliqua intermitteretur. Sed quod mirari ac dolere homines poſſint, eo vsque proceſſit malignitas ſeculi noſtri, vt viuenti ſub tanta diuinarum rerum ſollicitudine, tantoque ſtudio illuſtrandæ atque augendæ relligionis, non defuerunt perſecutores, & quidem graues, quorum auctoritas humanæ perfidiæ effecit, vt commenta in eum crimina experimentum eſſent patientiæ ipſius, non periculum. Nam cum *Petrus* de *Scrokocin* Vicecancellarius Regni eum falſitatis inſimulaſſet, delataque res eſſet ad Regni conſilium, repetitis vitæ ſuæ omnibus actionibus, & adductis cauſis, rationibusque, propter quas, nedum crimen, ſed ne ſuſpicio quidem in eo eſſe poterat, tanta modeſtia, & circumſpectione, cauſam ſuam perorauit, vt coactus ſit aduerſarius negare ſe vnquam aliquid ignominioſum ſibi obieciſſe. Cum tandem perſequeretur *Longinus* cauſam ſuam, & *ſponte ſe ad ſupplicium veniſſe* aſſeueraret, *indignumque facinus eſſe* diceret, *non altius ſcrupuloſiusque contra ſontes inquiri*. Præterea *iniquiſſimum eſſe* affirmaret, *ſcelera, quæ poſtea in exemplum peſſimum adduci poſſent, impunita dimittere*, obortis lachrymis Vicecancellarius veniam petiit, ſibique ignoſci poſtulauit, non ſine Regis & circumſtantium omnium admiratione, cum viderent eum, qui tanquam reus ibi conſtitutus erat, conſtantem, atque intrepidum, accuſatorem vero ſollicitum & trepidantem. Difficilior diuturniorque fuit inſimulatio illa, qua defuncto *Zbigneo* per ipſius fratrem accitus eſt in iudicium, quaſi loculos & ſecretiora ſcriniola compilaſſet. Quod poſtea falſum indicauit teſtamentum ſolenne Epiſcopi, quo integritas, & fides *Longini* erga Epiſcopum ipſum facile probabatur. Sed neque a Rege tutus fuit, nam cum vacante ſede *Cracovienſi* ſequerentur partes *Iacobi* de *Sienno*, quem *Pius* Pontifex maximus ad eam Sedem promouerat, vna cum illo & fratre iuniore *Ioanne* Canonico *Cracouienſi* in exilium miſſus eſt, in quo per triennium fuit. *In exilium mittitur.* Quo tempore crebro perſuaſum eſt Regi, nihil commodius ad exterminandum *Cracovienſis* Eccleſiæ ſchiſma, quam ſi vterque, *Senior, iuniorque Longinus*, quoquomodo e medio tollerentur. Nec defuerunt qui tam atrox facinus patrare parati eſſent, niſi toto exilii tempore in arce *Melſztyn* non ſine diligenti ſtudio ſe continuiſſent. Cum vero aliquando ſollicitaretur, vt Regiæ voluntati non ſe opponeret, & *Ioanni Gruſczinski*, quem Regius fauor ad Epiſcopatum *Cracouienſem* promouebat, adhæreret, maluit exilium, periculaque omnia pati & ſubire, quam ab eo, quod ſibi iuris eſſe videbatur, diſcedere, potiusque facultates ſuas ab aduerſariis diripi paſſus eſt, quam ipſe in iuſta cauſa amicum deſereret. Ex qua conſtantia etſi tunc nonnullis inuiſus fuerat, tamen poſtea iudicio omnium commendari meruit. Nam compoſitis tandem rebus illis, Rex, cui cognita & perſpecta ſatis erat prudentia integritasque ipſius, & proinde ſentiens non paruum vſum in eo eſſe poſſe, ad curam Reipublicæ inſtituit eum ſibi conciliare. *Ad Reip. munera adhibetur.* Itaque vt præteritorum omnium videretur oblitus, Secretorum ſuorum participem habere voluit, admittendo eum in conſilium, & quoties ſe occaſio offerebat ad conuentus optimatum, quoscunque frequentare contigiſſet, deſtinabat. Quam rem ipſe non ſatis æquo animo ferebat, quippe quod relligioni mancipatus, intelligebat ſe non niſi periculoſe, in curis humanarum rerum verſare poſſe. Sed cum Regiæ voluntati aduerſandum non putaret, præſertim quod in eo etiam communis omnium ſalus negligi videbatur, commiſſa ſibi munera eo ſtudio & diligentia obibat, vt ſemper expectationi hominum de ſe reſponderet. Quamobrem gratior indies apud omnes eius erat exiſtimatio, paſſimque aſſeuerabatur ſacerdos optimus & integerrimus, ciuis vero circumſpectus & prudentiſſimus. Ex quo fiebat, vt ardua & difficilia omnia maxime ei crederentur, vtque ad eas cauſas legeretur, ad quas cæterorum ingenia minime ſufficere putabantur, præſertim vigente bello *Pruthenico*, quod ſuſcipiendum minime cenſuerat multis rationibus, ſed imprimis propter naturam Regis, quem a bello ſciebat abhorrere. Sed cum cæteris optimatibus Regni ſecus videretur, vltro venientibus in ditionem *Pomeranis* & *Pruthenis* plurimis; qui a Magiſtro tanquam Tyranno ad Regem tanquam legitimum hæredem deſciſcebant, deditionem eorum accuratiſſime perſcripſit. Deinde cum de fine & pace ſemper ſollicitus eſſet, quippe quod etiam principio belli contradixiſſet, non vt in aliis rebus quaſi inuitus, ſed ſponte ac propemodum per ambitionem operam ſuam adhibuit. Quotiesque de pacificatione illa agendum fuit, haud grauatim procurationem ſuſcepit, præſertim poſt aduentum *Lauentini* Epiſcopi, qui a Sede Apoſtolica eas ad res componendas Legatus fuerat. Tunc enim magis, quam vnquam

quam alias, fretus bonitate & prudentia Legati, enixiſſimam operam concordiæ dedit, & modis omnibus, quibus res & temporum conditio patiebatur, partibus quietem ac pacem ſuaſit, nec prius deſtitit, quam quod cogitauerat, & cupiebat, perfecit, interpoſitis iuſtis, atque honeſtis vtrinque conditionibus. Quibus ab eo excogitatis, atque deſcriptis, cum recitarentur, inclytus Rex *Poloniæ* cum conſilio ſuo, & Magiſter generalis *Pruſſiæ* cum Aſſeſſoribus liberaliter aſſenſere, easque ſuſcepere. Inditumque eſt fœderi illiusmodi nomen *perpetuæ pacis*. Legationes pro Republica plures ac easdem inſignes obiuit, in quibus plurimorum hominum opinionem, ſæpe etiam ſeipſum ſuperauit. Cum exortum eſſet in *Hungaria* ſociale ac propemodum inteſtinum bellum, miſſus eſt a Rege *Poloniæ* ad dirimendum illud, Regnumque pacandum. Quæ quidem res non difficilis ſolum, ſed penitus impoſſibilis plurimorum iudicio cenſebatur, quippe quod ambitio & libido dominandi belli cauſa erat, nec poni a partibus arma poterant ſine manifeſto periculo. Quam rem etſi ipſe a principio intelligebat, prouinciam tamen ſuſcepit, fretus perſuaſione quadam, Deum ſcilicet non permiſſurum, Regnum illud Chriſtianæ religionis propugnaculum, vaſtari ſeditionibus inteſtinis, & proinde facile futurum, vt Deo integritati ſuæ aſpirante, omnia componeret. Quod quidem non ſecus ac cogitaſſet euenit, ſiquidem omnia pacata reddidit, & iam pugnantibus exercitibus deponere arma perſuaſit. Cuius rei apud omnes tanta fuit gratia, & admiratio, vt *Nicolaus V.* Pontifex Max. Regi *Poloniæ* ob id gratias quam plurimas ageret, & *Zbigneo* Legati de latere auctoritatem conceſſerit, & ad reliquias belli *Hungarici* ſopiendas, deſtinauerit. Collega etiam fuit in Legatione, quæ *Wratislauiam* miſſa eſt a Rege, pro contrahendo matrimonio cum Illuſtriſſima *Helizabeth* Sereniſſimi *Alberti Romanorum, Hungariæ, & Bohemiæ* Regis filia. In qua legatione, cum plurima laude digna geſſerit, illud maxime commendandum fuit, quod precibus & ſuaſionibus ſuis *Ioannem* de *Capiſtrano*, virum religionis & ſanctitatis venerandæ, in Regnum *Poloniæ* induxit, egitque, vt illius miraculis Prouincia illuſtraretur. Datum eſt inſuper ei negotium redimendorum captiuorum, vt militibus ſatisfieret poſt pugnam apud *Choinica* infeliciter geſtam. Præterea commiſſa eſt ei cauſa emendæ arcis oppidi *Mariemburg*. In quibus omnibus tantum difficultatis & laboris inerat, vt non immerito collegæ in legatione diffiderent. Itaque vir prudens quanquam & ipſe diffidentiæ proximus eſſet, diſſimulabat tamen, & per totum illud iter collegas ad ſpem bonam excitauit. Poſtquam vero in *Pruſſiam* ventum eſt, ea dexteritate ingenii in omnibus legitimum modum adinuenit, capto conſilio ex opportunitate rerum, vt tandem facillima omnia ſint viſa, quæ prius pene impoſſibilia videbantur. Nec longa mora, abſolutis illis, quæ perficere miſſus erat, ſumma cum commendatione omnium remeauit. In bello, quod aduerſus *Matthiam Hungariæ* Regem propter *Bohemiæ* Regnum geſtum eſt, multas legationes vtiliter geſſit, multa excogitauit, multa ſcripſit. Obiuit & legationem, quam cæteri magno faſtidio horrebant, reliquisque omnibus difficiliorem, quippe quod in cauſa ipſa, non ſolum optimates Regni, ſed & *Cazimirum* etiam ipſum Regem aduerſantem habuit. Nam cum *Zbigneus* inſignitus eſſet titulo Cardinalis, quo tempore ſchiſma erat in *Romana* Eccleſia, neque tanti ordinis adhuc inſignia recepiſſet, quippe quod prudens ac bonus vir, integritatem Iuris omnibus rebus præferebat, expectabatque, vt prius ſchiſma conueniret, quam de honore ſibi vltro oblato rationem habere vellet. Neutrum enim eorum, qui ſe maximos Pontifices aſſeuerabant, aut ſpernere, aut approbare vellet, & proinde nullius fauores, aut ſequebatur, aut renuebat. Sed cum ſopito ſchiſmate *Nicolaus V. Romanus* Pontifex vltro etiam id ei honoris obtuliſſet, haud immerito ſuſcipiendum putauit. Verum ſimultas & inuidia quorundam, præſertim *Vincentii* primum, deinde *Wladislai Gneſnenſis* Archiepiſcoporum quorum vterque deſpectus in ea re videbatur, rem apud Regem eo vsque turbauerat, ſuſpectamque fecerat, quod & literis plurimis, & oratore ob eam cauſam miſſo, Rex caueret. Ob quam rem cum *Zbigneus* non mediocriter turbaretur, ſollicitusque ſecum eſſet, quod aut Regi aduerſandum videret eſſe, aut decus & ornamentum ſuum obmittendum, *Longinus* cauſam vltro ſuſcepit, & ſtudium, ac diligentiam ſuam, ſi Romam mitteretur, pollicebatur. Idque facile impetrauit, cum quod *Zbigneus* plurimis experimentis iam dudum compertum haberet, nihil ab ipſo fruſtra aggredi, tum quod ipſe per ſe, quid in ea re acturus eſſet, non ſatis deliberabat, illinc tanti ordinis ambitione, hinc autoritate Regia diuerſa ſuadente. Sed nec temere *Longinus* eam prouinciam ſibi delegit, vir enim conſilii ac pru-

legatus eſt in Hungariam,

& Wratislauiam,

Romam mittitur,

Digitized by Google

ac prudentiæ exquiſitæ, intelligebat Regiam voluntatem facile immutari poſſe, vbi percepiſſet rem illam, ſibi, atque vniuerſo Regno fore ornamento & decori. Nec quicquam pertinacius ab aliis Regibus concupiſci, quam vt aliquis ex ſuis in Concilium illud admittatur, apud quod vniuerſæ Reipublicæ Chriſtianæ ſumma verſatur. Itaque licet tota *Italia* ſociali bello, ac peſtilentia vaſtaretur, imperterritus vtroque periculo iter arripuit. Tanta ei cupido inerat, & honori hominis de ſe bene meriti conſulere, &, quibuscunque dignitatibus poſſet, Regnum illuſtrare. Poſtquam vero in vrbem venit, adeo efficax in perſuadendo, tum Pontifici, tum Cardinalibus fuit, quod maxime renitente Oratore Regio, cauſam perorauit, & *Zbigneo* Cardinali inſignia conſignanda impetrauit. Et ne diuturna expectatione hominem torqueret, quanta maxima celeritate potuit, *Cracouiam* regreſſus eſt. Nec mora, licet ſibi multa minarentur, præſtituto die, cum Regni Optimates quamplurimi & *Cracouienſis* Vniuerſitas ad Cathedralem Eccleſiam conueniſſet, pileum rubeum Cardinalatus inſigne, literasque Apoſtolicas, non ſine luculenta oratione, *Zbigneo* aſſignauit. Quæ oratio in eo fuit, vt & deleret ſuſpiciones, quæcunque erant, quod id, aut periculoſum, aut indignum Reguo foret: & explicaret, quantum gloriæ ac amplitudinis *Polonorum* nationi exinde obuenturum eſſet. Præterea quanta ambitione id ab aliis Principibus expeteretur, vt quam pulchrum & magnum eſſet, Regem inter Prælatos ſuos hominem eius ordinis habere, cuius conſilio relligio tota adminiſtratur. Ex quo factum eſt, vt plerique aliter perſuaſi ad veram ſententiam reducerentur, cœperintque & *Longini* procurationem commendare, & *Zbignei* amplitudinem ſibi ipſi ornamento exiſtimare. In quam perſuaſionem paulo poſt etiam Rex adductus eſt, adeoque ſe præter voluntatem ſuam cauſæ illiusmodi aduerſatum fuiſſe teſtatus eſt, quod plerumque gloriabatur ſe etiam Cardinalibus imperare. Quantum vero gratiæ ob id apud iam Cardinalem *Zbigneum Longinus* fuerit conſecutus, non facile dixerim, cum non ſolum votis illius in aſſequenda tanta dignitate ſatisfeciſſet, ſed etiam Regi, cuius maxime iram reformidabat, ſe conciliaſſet, charumque reddidiſſet. Sed nec minus Regi ſeipſum conciliauit exinde, cum propter exornatum ea dignitate Regnum, tum propter præſtitum documentum virtutis, & fidei ſuæ, in quacunque actione, tam apud ſuas, quam apud exteras nationes. Peregrinationes variis ex cauſis inclytas obiuit. Primam ſuadente *Zbigneo* in *Italiam* ad *Eugenium* Pontificem maximum, & inde in *Germaniam* ad *Baſilienſe* Concilium: conſecuturus *Cracouienſem* Præbendam, a qua actione ſponte deſtitit, cum ius ſuum infirmum eſſe comperiſſet, maluitque reditus ſuos fruſtrari, quam conſcientiam lædi. Secundæ peregrinationis cauſa fuit in *Pannoniam* delatum *Hungariæ* Regnum ad *Wladislaum Poloniæ Regem.* In quo itinere, cum agreſtium tumultus raptores frugum temere inſequeretur, & caſu in *Zbigneum* impetum feciſſet, pro ſalute illius ſe oppoſuit, & non ſine ingenti vitæ ſuæ periculo incolumem *Zbigneum* conſeruauit. Flagrauerat etiam pene ab ineunte ætate deſiderio quodam videndi *Hieroſolymam*, & *Chriſti* cunabula. Itaque quo anno forte frequentabantur veniæ, quas Iubilæum vocant, *Romam* ſe contulit, inde *Venetias*, ex quo loco in *Syriam* tranſire curauit, delatus felici nauigatione in prouinciam pio admodum & ardentiſſimo affectu *Chriſti* ſepulcrum, mortisque & natiuitatis ipſius loca viſitauit. Præterea reliqua omnia, in quibus Dominum diuerſatum fuiſſe, aſſeuerabant gnari regionis, & rerum illiusmodi curioſi. Dum vero veſtigia *Chriſti* circuiret, viſus eſt plerumque non mediocriter flere, aut gaudio, quod viuo ſibi illa videre contigerat, votique compos erat, aut miſeratione mortalium, qui eo vsque humanis illecebris detinentur, vt ne ad præſentem quidem Deum oculos conuertant. Sed & plerumque gratis ſe ad id tempus vixiſſe iactabat, fruſtraque in mundo fuiſſe, quandoquidem Opificis mundi natale ſolum non prius vidiſſet. Ac ſubinde repetebat frequenter illud Pſalmiſtæ: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine &c.* Cæterum cum nauis ad reditum feſtinaret, maiore cum mœrore inde abſtractus, quam fuerat deſiderium, propter quod venerat. Reuerſus in patriam, cum iam omnino a curis rerum humanarum ſe abſoluere, & in quiete reliquam ætatem agere, cultuique diuino intendere inſtituiſſet, accitus eſt per Regem ad curam & inſtitutionem liberorum ſuorum. Quod negotium diu ſuſcipere recuſauit, tandem inſtantibus præter Regem Regni etiam optimatibus, multisque rationibus ad eam rem ipſum cohortantibus, præſertim perſuaſione illa, quod nihil Deo immortali acceptius facere poſſet, quam eorum curam ſuſcipere, quos ille ad imperandum gentibus naſci voluit, nihil opportunius, aut vtilius Reipublicæ, quam illos

Variæ eiuſdem legationes.

Hieroſolymam petiit.

illos bene inſtituere, qui in ea præeſſe debebant, coactus eſt ſententia ſua cedere, ac onus ſubire. Itaque præfuit illis aliquot annis, ea dexteritate ingenii, vt contra rerum naturam pueri non inuiti, & diſcerent libenter ea quæ ipſis tradebantur, & apud illum ſpretis ludis puerilibus, aſsidue eſſe cuperent. Ex quo factum eſt, vt brevi ita eos inſtitueret, vt non minus propter indolem, ac virtutes eorum, quam propter genus Regium chari ac venerabiles omnibus eſſent. Dedit hæc cura occaſionem peregrinationi ipſius ad *Bohemiam.* Nam cum iam dudum fama apud omnes vicinos Principes percrebuiſſet, de indole admirabilique ingenio, ac etiam inſtitutione inclytæ prolis Regis *Poloniæ*, *Bohemi* primogenitum veluti legitimum hæredem in Regem petierunt. Quorum votis cum pater aſſenſiſſet, nunquam adduci potuit, vt ſine *Longino* ad ſuſcipiendum Regnum filium deſtinaret, quod negotium plures ob cauſas *LONGINVS* ſuſcipere recuſabat, ſed inprimis quod *Bohemia* eſſet interdicta omnibus Catholicis. Verum cum obortis lachrymis Rex tandem diceret, *Duos eſſe adoleſcentuli parentes, ſe primum qui genuiſſet, ſecundum ipſum qui educaſſet, & inſtituiſſet. Crudele admodum immaneque futurum ſi eodem tempore ab vtroque quaſi raptus ad gentes ignotas mitteretur. Se quidem ſi liceret, cum filio ire paratum, ſed cum id conditio Regni non pateretur, dignum videri, quod vtriusque parentis ipſe vices impleret, atque tum maxime adoleſcentulo præſto eſſet, quando in nouitate rerum erat inſtituendus.* Victus itaque cum genitoris pietate tum filii neceſſitate munus ſuſcepit, eundemque *Pragam* comitatus eſt, ibique tam diu fuit, quoad corona illi, & cætera Regis inſignia exhibita fuiſſent. Deinde compoſitis rebus, vt temporum conditio ferebat ad curam reliquorum remeauit. *Valetudo eius* Valetudinis fuit variæ, raro tamen cum periculo ægrotauit. In prima adoleſcentia conſtituto, inguen vtrumque intumuit, ſanatusque eſt ſine ſectione a phyſico per id tempus egregio. In ea ægritudine caſtitatis votum nuncupauit, nec ſine maxima difficultate poſtea ſeruauit. Cum ab *Italia* reuerteretur cum inſignibus Cardinalatus, quæ pro *Zbigneo* impetrauerat, febre correptus eſt, quam noxam in itinere contraxiſſe credebatur propter aërem peſtilentem. Vexatus etiam eſt a quartana menſibus ſex poſt ingreſſum ex *Hungaria:* quo tempore & *Zbigneus* pro coronatione inclyti *Wladislai* ſe illuc contulerat. Poſt mortem quoque *Zbignei* in ægritudinem ſatis periculoſam incidit. In quibus omnibus adeo patienti animo fuit, vt in æquo habere videretur vitæ, mortisque conditionem. Sed illa omnium periculoſiſſima fuit ægritudo, qua afflictus eſt poſt reditum ex *Bohemia*, cum propter ætatem iam infirmam, tum magnitudinem & grauitatem ægritudinis. Nam cum in *Bohemia* contraxiſſet noxam calculi, propter aquarum ſulphurearum vim, & miſerabiliter illic ab eo tortus fuiſſet, reuerſus ſtatim ab eadem cauſa vexari cœpit. Acceſſit etiam ad dolores calculi, febris quotidianæ exæſtuatio, vsque ad deſperationem medicorum, & ſuam intenſa. Quamobrem vitæ ſuæ diffidens teſtamentum non ſolum ſcripſit, ſed etiam eſt executus diſtractis cæteris rebus quæ legabat, ſed inprimis copioſiſſima, & egregia librorum ſuppellectili, ex qua omnium ſtudentum Collegia ſecundum facultates eorum locupletiora reddidit. Et procul dubio (vt credi poteſt) actum erat de ipſius vita, niſi aut doctrina, qua ſupra omnes medicos excellebat, aut inexhauſto deſiderio, quo pro ſalute tanti viri afficiebatur, *Ioannes Stanconis* deſperantibus cæteris non ſolum non deſperaſſet, ſed deſperatam etiam curam hominis ſuſcepiſſet, tanto ſtudio & charitate, vt in dubio poſuerim, plus ne diligens charitas, an medici eximia doctrina ægroto ad ſalutem profuerit? Nam vtriusque effuſiſſimam operam ad ſanandum illum adhibuit, cum reliquos omnes præter grauitatem infirmitatis, imbecillitas ægrotantis ad deſperandum impuliſſet, *Stanconem* nihil æque terrebat, ac animus ægroti. Videbatur enim non ſolum vitæ diffidere, ſed vltro etiam mortem appetere, vt credi poſſet, dolore quodam qui mentem ipſius iam dudum torquebat, cum videret Rempublicam ab iis, qui præeſſent, ita adminiſtrari, vt non procul ab infortunio eſſe appareret, & proinde cupiebat moriens, non in deterrimo ſtatu eam relinquere. Cæterum cum iam de morte, quam de vita, fama conſtantior eſſet, conuenêre frequentiſſime ad eum viſendum boni homines, quibus Respublica cordi erat, lamentabanturque paſſim non ſine maximo incommodo bonorum omnium, ſed Reipublicæ inprimis, talem virum de medio tolli. Sed præter omnes in mentem Regis altius dolor deſcenderat, cum intelligeret, ſe priuari viro integerrimo, cuius conſilio multa bono ordine geſſiſſet, liberos vero ſuos veluti altero parente orbari. Et proinde de ſalute ipſius ſollicitus crebro

ad

ad eum viſendum deſcendit, interdum etiam filios miſit, vt ſaltem charitas, qua illorum diuinam indolem virtuteſque proſequebatur, aliquam ſuperuiuendi cupiditatem adhuc in animum iam de morte ſolum cogitantem, iniiceret. Ex quorum ſtudio,& pietate, *Stanconis* quoque cura & diligentia augebatur adeo, vt præter ſpem omnium ipſum ſanauerit. Propter quod non pauciores medico, quam *LONGINO* gratulati ſunt, illi, ob felicem curæ ſuæ euentum,huic,quod veluti iterum vitæ reſtitutus videbatur.Mirabanturq; plerique varietatem animi ipſius, quod cùm calamitates quaſcunque, exilium, ægritudines, ac denique omnia aduerſa patientiſſimo & forti animo toleraret, vitæ quoque ſtudio tam modico teneretur, vt mortem nunquam formidaſſet. Propinquorum ærumnas aut mortes vſque ad muliebrem impatientiam animo molli & effæminato ferre non poſſe teſtatus eſt. Nam vt de vtroque parente ſileam, ex quibus alterum decimo quarto ætatis anno, alterum vigeſimo octauo amiſit, quorumque naturaliter iactura omnibus moleſta & grauiſſima eſt, huic quoque maxime debuit eſſe, quoniam in matre etiam perdidit alimenta, & ſuffragia omnia, per quæ liberalibus diſciplinis operam nauare deſiderabat. Per patris vero obitum curæ familiari ſucceſſit, quæ etiam literarum ſtudiis aduerſa erat. Fratrum moribus quæ ab aliis facile tolerari conſueuere, omnino impar fuit. Nam cum iam in matura ætate fuiſſet conſtitutus (quippe quod ſecundum & quadrageſimum annum ageret) cum quandoque apud fratrem maiorem natu in vico *Bambelno* ageret, & latrones in domum irrupiſſent, atque illum ſagitta confoſſum coram ſe animam exhalarare inſpexiſſet, adeo dolore conſternatus eſt, vt non niſi difficulter retrahi potuerit, quin rebus humanis ſe abdicaret, & relligioſo aliquo clauſtro includeret, ætatem ab omni humana contagione procul acturus. A qua quidem obſtinatiône, cum nulla ſuadendi efficacia ipſum retrahere poſſet, recordatio tandem paternæ voluntatis eum continuit. Nam moriens Pater, fratrum, ſororumque, ac vniuerſæ familiæ illi curam delegauerat. Itaque ne aut parentis ſuprema mandata negligere, aut vtilitate quadam animi, quaſi ſuſceptæ curæ familiari non ſufficeret, monaſterio ſe mancipaſſe videretur, ſe ipſum a deſtinato propoſito continuit. Laborauit etiam impatientia, cum renunciaretur ei in *Bohemia* mors fratris iunioris,qui erat & ipſe *Cracouienſis* Canonicus. In qua re etſi potius muliebrem imbecillitatem, quam viri bene inſtituti robur præ ſe ferret, tamen erat & ipſe apud omnes paulo excuſatior, quam in reliquorum neceſſariorum deploratione fuiſſet. Nam cum iam ætate confectus, vt pote qui quinquageſimum ſeptimum ageret annum, familiarem curam fratri commiſiſſet, eaque delegatione animum ſuum cogitationibus omnibus liberaſſet, quæ ipſum vel a ſtudio librorum, vel a diuinarum rerum contemplatione auocare poterant, non immerito viſus eſt impatienter ferre mortem illam, qua non ſolum fratre priuaretur, ſed etiam in ſeruitutem curæ maximæ liberis ingeniis aduerſæ, ipſum reduceret. Diu itaque propemodum effœminate fratrem defleuit, nec paſſus eſt ab aliis conſolari, donec mora ipſa paulatim tractabile vulnus reddidit, tantaque fuit in recenti caſu propemodum animi conſternatio, vt ſæpe aſſeueraret, pro certo ſe præmori maluiſſe. Quod ex animo ab eo dici nullus ambigebat, qui intelligeret, quemadmodum ipſe omnia ſemper parui feciſſet, quæ inter prima ab aliis nuncupantur, & propter quæ vita ſolet eſſe iniucunda. Nam cum omnis cogitatio ipſius eſſet, vt aliquando ſibi ipſi viueret, nunquam aut dignitates, aut officia vlla ſuſcipere voluit, quæ ipſum a propoſito immutare poſſent. Et propterea cum rex vltro ſibi Theſaurarii, interdum Viceecancellarii officium offerret, pertinaciter recuſauit, quamuis plerique ex neceſſariis ipſum ad id hortarentur, ne aut puſillanimis, aut ingratus Regi videretur. Nonnulli etiam parum Reipub. affectum eſſe dicebant, quod ea negotia pro publica ſalute non ſuſciperet, quæ neminem alium, aut caſtius, aut vtilius adminiſtraturum intelligerent. Renuit etiam *Pragenſem* Epiſcopatum, cum illic eſſet cum Rege coronando, ea tamen conditione ipſum ſuſcepturum ſe aſſeuerauit, vt *Bohemi Romanæ* Eccleſiæ vnirentur. Sed *Bohemis* renuentibus, ipſe quoque conditionem oblatam ſpreuit, aſſeuerans *ſatis ſibi notam eſſe ſarcinam Pontificis, cum quatuor & viginti annis apud Epiſcopum fuiſſet.* Nullaque ratione adduci potuit, vt alium quempiam Pontificatum ſuſciperet; ad hoc conſenſiſſet, vt *Pragenſem* ſuſciperet, non vt Epiſcopus fieret, ſed vt Epiſcopatum illum mortuum ſuſcitaret, *Romanæque* Eccleſiæ vniret, & conciliaret, fuit enim tantæ relligionis, vt pro amplitudine illius facile poſſet & vitam impendere. Nemo diligentius omnes ritus & ceremonias Chriſtianas ſeruauit, nemo ſacerdotii dignitatem, ab omni ſorde & ab omni

Pragenſem Epiſcopatum renuit,

image
not
available

SAMVELIS IOACHIMI HOPPII
SOLTQVELLA-MARCHICI

DE

SCRIPTORIBVS HISTORIÆ POLONICÆ

SCHEDIASMA LITERARIVM

GABR. GRODDECKII P. P. ac Bibliothecarii

&

VALENTINI SCHLIEFFII Patricii Gedanenſis

Annotationibus

auctum.

Viro Iuueni Doctisſimo

SAMVELI IOACHIMO HOPPIO,

Auditori ſuo Amicoque ſuauiſſimo,

G. GRODDECK , S. P. D.

SI delineandæ impræſentiarum eſſent virtutes Tuæ, & inter has amor literarum cum ingenii dexteritate morumque probitate coniunctus, de quo nos omnes, quorum Collegia & Lectiones diligenter ſalutaſti, teſtari poſſumus, ampliſſimam in laudes Tuas excurrendi materiam inuenirem. Verum vti id præſtare, mei nunc inſtituti non eſt, ita tamen de ſolido & inſolito ſpecimine tuo, vt nonnulla adiiciam, res ipſa videtur poſtulare. Equidem me hortante, argumentum illud aggreſſus primum es. Volebam enim, vt poſtquam ductu meo, variorum inſignium librorum notitiam Tibi paraueras, in aliquo Scriptorum genere, vires tuas, quantum illæ valerent, explorares. Atque eapropter rerum Polonicarum monumenta, à Doctiſſimis Viris copioſe exſtructa, vt in ordinem redigeres, Autor Tibi eram. Cumque Magnificus Patruus Tuus, cuius prudentiam in iudicando conſulendoque non ſolum hæc Ciuitas ſuſpicit, ſed & exteri mirantur, conſilium approbaſſet, atque inſuper librorum optimorum copiam, ex inſtructiſſima Bibliotheca ſua, Tibi porrexiſſet, labore iſthoc adeo egregie perfunctus es, vt induſtriam tuam iudiciumque exquiſitum non ſatis laudare potuerim. Quam ob cauſam etiam eo ordine, quo poſueras, pleraque reliqui, additis ſaltem nonnullis, Schediaſmati augendo atque illuſtrando maxime neceſſariis, iisque non vna, ſed diuerſis vicibus, nonnunquam feſtinato & ſatis tumultuarie, prout hinc inde partim in Bibliotheca publica nobis obueniebant, partim à Viris quibusdam Illuſtribus benignisſime nobiſcum communicabantur. Vnde factum eſt, vt interdum alio quam decebat loco, alioque idiomate, Scriptores quidam recenſiti fuerint, id quod æqui bonique Lectores facile condonabunt. - - - - - Plura nunc non addo, ſaltem DEVM T. O. M. precor, vt Vitam longæuam, Viresque ſufficientes Tibi largiatur, quo ad HOPPIANI nominis ampliorem ſemper famam gloriamque aſſurgere queas. Scrib. Gedani Prid. Kal. Ianuar. M DCC VII.

CON-

CONSPECTVS SCHEDIASMATIS.

§. I. *Notitia Scriptorum hiſtoriæ Patriæ vtilis eſt. p.* 5.
II. *Et quoad varias nationes ab eruditis exculta.* 5.
III. *Circa Polonicæ Hiſtoriæ Scriptores deſiderata.* 7.
IV. *Quinam in Schediaſmate hoc allegandi; eiusque ordo.* 8.
V. *Scriptores vniuerſales Hiſtorici & Politici in transcurſu nominantur.* 9.
VI. *Scriptores Chorographiæ Polonicæ e Tomo I.* Iohannis Pistorii. 9.
VII. *Geographici alii in Piſtoriano corpore non occurrentes.* 12.
VIII. *Itineraria regni Poloniæ & tabulæ geographicæ* 14.
IX. *Scripta Genealogica, & Heraldica* 15.
X. *Hiſtorici Poloniæ vniuerſales e Tomo II.* Pistorii 16.
XI. Cromeriani *operis de Polonia epitomatores* 19.
XII. *Scriptores ſimiles* Cromero *antiquiores* 20.
XIII. *Continuatores Hiſtoriæ Polonicæ poſt* Cromervm 21.
XIV. *Libri quibus Regum, Reginarumque Poloniæ icones ac vitæ in genere repræſentantur.* 23.
XV. *Hiſtorici particulares rerum ſub* VLADISLAO *III* CASIMIRO *III* SIGISMVNDO *I* & SIGISMVNDO AVGVSTO *geſtarum* 24.
XVI. *Sub* HENRICO VALESIO, STEPHANO BATOREO, SIGISMVNDO *III.* 26.
XVII. *Sub* SIGISMVNDO *III* & VLADISLAO *IV.* 28.
XVIII. *Sub* IOHANNE CASIMIRO 31.
XIX. *Sub* MICHAELE, IOHANNE *III*, & FRIDERICO AVGVSTO 34.
XX. *Scriptores a* Pistorio *T. III. exhibiti, aliique, qui ſpecialia tantum Regum facta deſcripſerunt*, SIGISMVNDI I. 35.
XXI. SIGISMVNDI AVGVSTI 37.
XXII. HENRICI VALESII 39.
XXIII. STEPHANI BATOREI 41.
XXIV. SIGISMVNDI *III* 45.
XXV. VLADISLAI *IV* 47.
XXVI. JOHANNIS CASIMIRI 53.
XXVII. MICHAELIS KORIBVT 56.
XXVIII. JOHANNIS SOBIESKII 58.
XXIX. FRIDERICI AVGVSTI 63.
XXX. *Scriptores qui vtriusque ordinis Magnatum vitam, obitum, nuptias, præclara facinora, munerum aditiones &c. ſtylo proſecuti ſunt* 67.

XXXI.

§. XXXI. *Epiſtolæ ad notitiam hiſtoriæ polonicæ facientes.* 76.
XXXII. *Itemque Poetæ.* 77.
XXXIII. *Acta publica ad* SIGISMVNDVM *III pertinentia* 80.
XXXIV. *ad* VLADISLAVM *IV.* 84.
XXXV. XXXVI. *ad* JOHANNEM CASIMIRVM 85.
XXXVII. *Acta Boruſſiam in ſpecie, & Ducatum Curlandiæ concernentia* 93.
XXXVIII. *Pax Oliuenſis aliique tractatus tempore* JOHANNIS CASIMIRI *initi* 71. 98.
XXXIX. *Scripta ad motus inteſtinos facientia* 99.
XL. *Acta tempore Regum* MICHAELIS, JOHANNIS, *&* FRIDERICI AVGVSTI 101.
XLI. *Juris publici Scriptores vniuerſales* 105.
XLII. *Statuta, priuilegia, & conſtitutiones* 107.
XLIII. *Compendia Statutorum & conſtitutionum* 108.
XLIV. *Deciſiones, Proceſſus, Inſtitutiones Juris* Polonici *&c.* 109.
XLV. *Politici & Satyrici Scriptores qui de Reipublicæ forma, ſcopo, emendatione, Poloniæ laudibus, defenſione aduerſus obtrectatores, ciuium moribus &c. egere.* 112.
XLVI. *Politici Miſcellanei de electione & coronatione Regia, interregno, libertate, comitiis, cancellariis, loco Legatorum Poloniæ, vaticiniis de venturis Regibus, nummis, re militari; quique de ſingularibus naturalibus ſcripſere.* 115.
XLVII. *Scripta Hiſtorico-Eccleſiaſtica.* 120.
XLVIII. *Alia eiusdem generis, vt & hiſtoriæ literariæ monumenta: de controuerſiis cum Jeſuitis, ordinis Eccleſiaſtici cum Politico, forma regiminis eccleſiaſtici, ſynodis, ſanctis, academiis, & bibliothecis &c.* 122.
XLIX. *Libri confinium prouinciarum hiſtoriam illuſtrantes.* 129.
L. *In ſpecie hiſtoriam Lithuaniæ.* 130.
LI. *Liuoniæ* 132.
LII. *Miſcellanea Liuonica,* 133.
LIII. LIV. *Hiſtoriæ Pruſſicæ Scriptores* 136.
LV. *Miſcellanea Pruſſica, cum Eccleſiaſtica, tum naturalia & literaria* 139.
LVI. *Scriptores ad Jus publicum Pruſiæ facientes* 141.
LVII. *Gedanenſia* 146.
LVIII. *Thorunenſia, Elbingenſia &c.*

ʽΑπαν

"Απαντα σὺν τῷ Θεῷ.

§. I.

Scriptorum patriæ Hiſtoriæ notitia vtilis eſt.

VTiliſſimum eſſe ſtudium, quod patriæ Hiſtoriæ Scriptoribus recenſendis impenditur, neminem prudentum facile credo, inficias eſſe iturum. Comprobant id complures ex omni fere gente ac natione Auctores, qui hoc in argumento laudabiliter ſunt verſati. Taceo iam illos, qui cuiuscunque generis ſcriptores ſuæ gentis cum vniuerſim, tum ſpeciatim enumerarunt, quales præcipue ſunt, qui vniuerſæ nationis rationem habuerunt, ex *ITALIS:* CAPACCIVS, IMPERIALIS, GHILINVS, CRASSVS, ERYTHRÆVS, TOMASINVS; Ex *HISPANIS: Andr.* SCHOTTVS, & *Nicol.* ANTONIVS; Ex *GALLIS: Franc. de la* CROIX *du* MAINE, *Anton.* VERDERIVS, *Scæuola* SAMMARTHANVS, *Car.* SORELLVS; Ex *ANGLIS: Io.* BALÆVS & *Io.* PITSEVS; Ex *BELGIS: Aub.* MIRÆVS, *Val. Andr.* DESSELIVS, & *Franc.* SVVERTIVS; Ex *GERMANIS: Io.* TRITHEMIVS, *Hieron.* ZIEGLERVS, & *Henr.* PANTALEON; Ex *DANIS: Albert.* BARTHOLINVS; Ex *SVECIS: Ioh.* SCHEFFERVS, &c.

§. II.

Et quoad variæ nationes ab

Quodſi eos tantum conſideremus, qui Hiſtoricas Bibliothecas certæ gentis Scriptorum contexuerunt, maximus Scriptorum numerus oculis noſtris ſeſe obiiciet. Hic enim occur- *Eruditis conſcita.*

A rent quoad Hiſtoricos *GRÆCOS Gerh. Ioh.* VOSSIVS & *Bernh. à* MALLINCKROTH; quoad *ROMANOS LATINOSQVE* idem VOSSIVS, *Chriſtoph.* SANDIVS, *Io.* HALLERVORD, *Martin.* ZEILERVS & *Mart.* HANKIVS, qui & *BYZANTINÆ* hiſtoriæ ſcriptores recenſuit; * quoad *GALLOS Andr. du* CHESNE ſiue QVERCETANVS & ſpeciatim quoad Scriptores rerum *BVRGVNDICARVM Philibertus de la* MARE, cuius Conſpectus Hiſtoricorum Burgundiæ prodiit *Diuione 1689. 4*; quoad *ANGLOS & SCOTOS Guil.* NICOLSON, qui hactenus tres partes Bibliothecæ Hiſtoricæ Anglicanæ, & vnam Scoticæ edidit *Londini, 1696. 97. 99. & 1702. 8vo*; quoad

B *GERMANOS Mich.* HERTZIVS; quoad *HELVETOS Io. Henr.* HOTTINGERVS; quoad *PRVSSOS Chriſtoph.* HA[illegible]KNOCH. Diſſ. I. de Var. Reb. Pruſſ. item in Præfat. Chronici veteris & nouæ Pruſſiæ; (1) denique quoad *INDICARVM & AMERICANARVM* rerum Scriptores *Antonius de* LEON PINELIO, Philippi IV. Regis Hiſp. quondam Chronographus Indicus, & ſupremi Indiarum Senatus Referendarius, qui Hiſpanico ſermone publicauit Epitomen Bibliothecæ Orientalis & Occidentalis, nauticæ & geographicæ, *Madriti 1629. 4to*; de quo vid. *Nic.* ANTONII Bibl. Hiſp. T. I. p. 110.

b §. III.

(1) quoad *SICVLOS Auguſtinus* INVEGES in apparatu præliminari ad annales Siculos;

(2) quoad *HVNGAROS*, *Dauid* CZWITTINGERVS qui Specimine Hungariæ literatæ, *Francof. & Lipſiæ* a. 1711. in 4. vulgato præfixit Bibliothecam Scriptorum qui exſtant de rebus Hungaricis.

§. III.

Circa Polonicæ Hiſtoriæ ſcriptores deſiderata.

Quæ dum animo reuoluimus, non poſſumus non dolere, adeò incurioſos fuiſſe in rerum ſuarum Notitia Polonos, cum apud illos etiam plurima lucem viderint, quorum Catalogum locupletiorem texi, intereſſet publice. Equidem non ſine laude hic commemorari poteſt *Simonis* STARAVOLSCII Primicerii Tarnovienſis, Scriptorum Polonicorum *ἑκατοντὰς*, ſeu Illuſtrium Poloniæ C. Scriptorum Vitæ & Elogia, *Francof.* 1625. 4. edita, quemadmodum huc etiam pertinent EIVSDEM Monumenta Sarmatarum, viam vniuerſæ carnis ingreſſorum *Cracou.* 1655. fol. puclicata. Non minus memoratu digni ſunt *Chriſtoph.* WARSEVICII CC. Reges, Sancti, Bellatores & Scriptores Polon. *Romæ* 1601. 8. in lucem emiſſi. Sic & ſpeciatim Archi-Epiſcoporum *GNESNENSIVM* ſeriem, eorumque res geſtas edidit *Steph.* DAMALEVITIVS, vel vt alibi ſcribitur DOMOLEVITIVS, S. Theol. D. Vladislauienſis, & Cruſuicenſis Canonicus,) *Varſau* 1649 4. qui etiam Vitas *VLADISLAVIENSIVM* Epiſcoporum (iuſſu *Matthiæ* LVBIENSKI Epiſcopi Vladislauienſis & Pomeraniæ) deſcripſit, editas *Cracou.* 1642. 4. (1) Solet etiam allegari *Sim.* STARAVOLSCII lib. de Epiſcopis *CRACOVIENSIBVS*, f. qui tamen nobis viſus non eſt, vt nec alius SCORBISSEVII de Vitis Archiepiſcoporum *HALICIENSIVM* & *LEOPOL. Leopoli* 1528. 4. *PLOCENSIVM* Epiſcoporum Vitas conſignauit *Io.* DLVGOSSIVS, in operibus poſthumis *Staniſl. Lubienski, Antu.* 1643. f. vulgatis, exhibitas; Vti *POSNANIENSIVM* Epiſcoporum ſeriem contexuit idem DLVGOSSIVS, quam à *Iacobo* BRZEMEZKIO continuatam edidit *Thom.* TRETERVS, Canonicus Varmienſ. *Brunsberg* 1604. 4. Et *Nicolaus* ZALASZOVVSKI, I. V. D. & Prof. Cracouienſis, dein Archi-Diac. Poſnanenſis hiſtoricam eorum ſynopſin add. Tractatui de Iure Capituli ſede Epiſcopali vacante, *Poſnan.* 1706. 4. in qua p. 39. mentionem facit Tractatus ſui de vitis Archiepiſcoporum *GNESNENSIVM*, & p. 16. alterius, de *VLADISLAVIENSIVM* Epiſcoporum vitis. De Epiſcopatu & Epiſcopis Eccleſiæ *VARMIENSIS* opus poſthumum *Th.* TRETERI, publicæ luci expoſuit *Matthias à* LVBOMIECZ TRETERVS, S. R. M. Secret. *Cracou.* 1685. f. vbi adiectum Chronicon de vitis Epiſcoporum *VARMIENSIVM*, per *Ioannem* PLASTVVIG, Decretorum Doctorem, Varm. Eccleſiæ Decanum, conſcriptum circa A. M. CD. LXIV. Scorſim quoque prodiit Autore I. B. Series Epiſcoporum *VARMIENSIVM*, cum eorum Inſignibus, impr. typis Manaſterii *Oliuienſis.* 1681. 4. Vt taceam *CVLMENSIVM* Epiſcoporum Catalogum, quem contexuit *Chriſtoph.* HARTKNOCH Diſſ. XIV. de variis Rebus Pruſſicis. Hæc omnia tamen valde exigua ſunt, in quibus etiam nec plena eſt, nec ſemper ordinata Auctorum Polonicorum recenſio, adeò vt optime de publico mereretur, qui ſecundum ſeculorum aut materiarum ſeriem omnia conſignaret, & accuratam ſimul Proſopographiam Poloniæ ederet.

§. IV.

Quinam hic allegandi.

In hoc defectu non male me collocaturum eſſe operam exiſtimaui, tam illuſtris ingenii æque ac gentis Scriptoribus enumerandis, non quidem omnibus: huic enim operi imparem me eſſe lubens fateor; ſed certi tantum generis, nimirum illis, qui deſcriptionem regni, mores & inſtituta populi, Regum Virorumque Illuſtrium res bello paceque præclare geſtas commemorarunt. In quo argumento quidem neminem plene hactenus verſatum fuiſſe, perſuaſus ſum, vtut compendiaria quadam ratione ac velut in nomenclatura hic aliquid præſtiterint *Chriſtoph.* HARTKNOCH, qui Catalogum quorumdam Scriptorum Polonicorum, quibus in concinnando de Rep. Polon. opere vſus eſt, ipſi operi præmiſit, ac poſtea in præf. ad Pruſſiam Veterem & Nouam, itemque in Diſſ. de Scriptor. Hiſtor. Pruſſ. ex parte repetiit; & *Nicolaus* CHVVALKOVVSKI, cuius de Iure publico Regno Polon. Libro, *Regiomonti* 1684. 4. auctius edito, præfixa eſt Sylloge Scriptorum de Rebus Polonicis conferenda cum exercitatione Chalkovv. oppoſita, nobis §. XLI. allegata. Vt non commemorem, qui in Bibliothecis generalibus, Introductionibus in hiſtoriam in genere, aliisque Libris, vt aliorum, ſic & Scriptorum rerum Polonicarum mentionem iniecerunt, quemadmodum LIPENIVS in *Bibl. Philoſ.* STRVVIVS in *Bibl. Hiſtorica*, BECMANVS in *Hiſt. Orb. Terr. P. 2. c. 8. §. 1. Ferdin.* NEOBVRGVS in *Ephori part. II*, & nuper defunctus B. Dn. *Chriſt.* GRYPHIVS, Rect. Gymn. Vratisl. quondam celeberr. in *Colleg. Hiſtor. MS. c. 10.* (2) aliique fecerunt.

Ordo huius Schediaſmatis.

Totum autem argumentum eo ordine tractabo, vt primo recenſeam *Scriptores geographicos & topographicos*, qui deſcriptionem regionum Poloniæ expoſuerunt; hinc accedam ad *genealogicos*, qui teſſeras ac arma gentilitia indicarunt; quos ſequentur *Hiſtoriæ Ciuilis & Eccleſiaſticæ Scriptores* cum vniuerſales, tum particulares; his illos

(1) Quas enim *Clemens* IOANNICIVS ſcripſit, vt & *Chriſtophorus* CONCKI, qui vitas quoque Epiſcoporum *CRACOVIENSIVM* dedit, annotante vtrumque STARAVOLSCIO in illuſtr. Pol. Scriptorum elogiis p. 49. Præter hos *GNESNENSIVM* Archiepiſcoporum vitas conſignauit *Barthol.* PAPROCIVS, aſſirmante STARAVOLSCIO l. c. p. 119.
Vitæ Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Eccleſiæ *CRACOVIENSIS*, olim per *Chriſtoph.* KAKSK Philoſ. Doct. hexaſtichis expreſſæ, nunc ad aduentum *Ioh.* ALBERTI, Epiſcopi *CRACOVIENSIS* per *Ioh.* CÆSARIVM in alma Academia Cracouienſi Poeſeos ſtudioſum luci reſtitutæ pr. *Cracov.* 1633. 4.

(2) pr. a. 1710. *Lipſiæ* 8. ſub tit. Diſſ. Iſagogicæ de Scriptoribus Hiſtoriam Seculi XVII. illuſtrantibus.

illos, qui ad *Politiam Iusque publicum & ſingulares materias* ſpectant, ſubiiciemus; & denique *Scriptores Hiſtoriæ Lithuanicæ*, *Liuonicæ* & *Pruſſicæ* enarrabimus.

§. V.

Scriptores vniuerſales Hiſtorici & Politici in transcurſu nominantur

A *GEOGRAPHICIS* & *TOPOGRAPHICIS* Scriptoribus initium facturus, poſſem quidem commemorare generales quosdam Scriptores, qui vti aliorum regnorum, ita etiam Poloniæ, rerumque Polonicarum mentionem fecerunt, inter quos ex antiquis præter STRABONEM, *Pomponium* MELAM, PLINIVM, TACITVM, PTOLEMÆVM, *Iornandem* ALANVM cum CASSIODORO editum; occurrunt inprimis *Ditmarus* MERSBVRGENSIS, *Otto* FRISINGENSIS, *Gottfridus* VITERBIENSIS, HELMOLDVS aliique; Ex recentioribus autem nominandi eſſent: *Raph.* VOLATERRANVS, *Sebaſt.* MÜNSTERVS, *Gerb.* MERCATOR, *Paul.* MERVLA, *Abrah.* ORTELIVS, *Pet.* BERTIVS, *Io.* IANSONIVS, *Nicol.* & *Guil.* IANSONIVS, *Philip.* CLVVERIVS, *Phil.* BRIETIVS, *Io.* & *Wilh.* BLAEVVII, *Petr. du* VAL. *Iob. Bapt.* RICCIOLVS, *Phil.* FERRARIVS & *Mich. Ant.* BAVDRAND, DN. *de la* CROIX, *Allain* MANESSON MALLET, ROBBIVS, SAMSON d' ABBEVILLE, *Ludov. du* MAY, AVCTOR GALLVS itinerum Hiſtoricorum *Tom.* 8. germanice etiam à perſonato *Talandro* verſus. Hos aliosque Scriptores, in quibus rerum Polonicarum haud infrequens mentio reperitur, prolixius recenſere poſſem, æque ac alios Hiſtoricos generales, itemque Politicos Scriptores, quales e. gr. ſunt *Lucas de* LINDA, *Io. Ludov.* GODOFREDVS, I. C. BECMANVS, *Io. de* LAET, *Georg.* HORNIVS, *Chriſt.* FVNCCIVS, *H.* CONRINGIVS, *Phil. Andr.* OLDENBVRGERVS, *Sam.* PVFENDORF, *Bernhard* ZECHIVS, ſub ficto *Leutholſi* à Franckenberg nomine latens, *Sam.* CHAPPVZEAV, *Iac. Aug.* THVANVS, *Oſeas* SCHADEVS, *Mich. Caſp.* LVNDORPIVS, *I. C.* BVLENGERVS, *Georg.* LOHMEIERVS, *Chriſt.* WEISIVS ac *Io.* HÜBNERVS in Quæſtionibus Hiſtorico-Politicis germanice euulgatis, *Ferdinandus* NEOBVRGVS in Ephoro curioſo germanice edito part. 2. *Martinus* POLONVS, *Melchior* GOLDASTVS, *Adolphus* BRACHELIVS, *Chriſt. Adolphus* THVLDENVS, *Frid.* HORTLEDERVS, *Henr. Anshelm* ZIEGLERVS &c. &c. *Ioach.* CVREVS in Chron. & Annal. Sileſiæ, *Alb.* KRANZIVS in Vandalia, *Gabriel* BVCELINVS, *Iob.* MICRÆLIVS, *Iob.* DVBRAVIVS, *Iob.* BOTERVS, *Hieron.* BRVSONI, *Franciſc.* SANSOVINVS, *Victorius* SIRI, *Petr.* VALCKENIER, THEATRVM & DIARIVM EVROPÆVM, MERCVRII, qui in Germania, Gallia & Belgio publicam lucem adſpexere, *Recenſus hiſtoriæ nouiſ.* vernalis & autumnalis, opera *Iob. Burchardi* MAII & aliorum inſtitutus, THEATRVM PACIS, TRVTINA STATVS & INTERESSE PRINCIPVM, aliique.

§. VI.

Scriptores Chorographici e

Hos omnes tamen nunc mittam, & ad eos, qui ſpeciatim Poloniam tangunt, propius me accingam. Vbi primum inter Scriptores Geographicos commemorandi illi, qui ap. A *Ioannem* PISTORIVM, Nidanum, D. Tomo I. habentur; in quo Tomo ſcilicet omnia eſſe dicuntur, quæ ad chorographicam Poloniæ conſiderationem pertinent, vtut negari non poſſit, plurimis iſtorum Tractatuum hiſtorica potius argumenta contineri. Tomum hunccum duobus aliis Autor edidit *Baſileæ* per *Sebaſt. Henricpetri* A. 1582. f. totumque opus appellauit POLONICÆ HISTORIÆ CORPVS, vbi in I. T. apparent.

Tomo I. Iohannis Piſtorii.

I. *Æneæ* SYLVII, poſt adeptam Pontificis dignitatem PII II. nomen ſortiti, Relatio de Polonia, Lithuania & Pruſſia ſiue Boruſſia, in qua tamen Auctorem in Sarmatas aliquanto iniquiorem fuiſſe; quam decebat, quidam obB ſeruant. Hæc Relatio quinque capitibus & tribus foliis comprehenſa, deſumta eſt ex eius Hiſtoria de Europa c. c. 25--29.

II. *Eraſmi* STELLÆ, *Libanothani*, Libri duo de Boruſſiæ Antiquitatibus, quinque folia implentes, qui iam pridem impreſſi ſunt *Baſ.* ap. *Froben* 1518. f. & præterea comparauerunt in Collectione diuerſarum Nauigationum & Itinerum à *Io. Hutichio* facta, cui *Simon Grynæus* Epiſtolam nuncupatoriam præmiſit *Baſil.* per *Iob. Heruagium*, 1536. f.

III. *Alexandri* GVAGNINI, *Veronenſis* Itali, Equitis aurati peditumque in arce Vitepſcienſi Moſcou. Præfecti, Chorographia totius Poloniæ, Lithuaniæ, Pruſſiæ & Liuoniæ, C foliorum 28. Hanc autem, ſi cum prima nitidiſſima & multis figuris ornata *Guagnini* editione, quæ typis *Matthiæ Wirzbietæ* ſine adiectione loci & temporis prodiit, & *Sarmatiæ Europææ deſcriptio* inſcribitur, conferamus, à Piſtorio admodum transpoſitam eſſe animaduertemus. Nam in laudata editione poſt Epiſtolam dedicatoriam, quæ data eſt *Cracou. anno* 1578. & duo prima Capita; quibus Sauromatiæ Europææ ſitus, gentisque deductio & origo referuntur, à fol. 7. vsque ad 57. exhibetur Compendium Chronicorum Poloniæ ſecundum ſeriem Regum Poloniæ, a LECHO I. vsque ad HENRICVM VALESIVM, quibus ſingulis præmiſſæ ſunt Vitæ eorundem, carmine elegiaco olim D à *Clemente* IANITIO deſcriptæ, quæ apud *Piſtorium* Tomo II. leguntur. Poſt fol. 57. primum ſequitur Poloniæ deſcriptio vsque ad fol. 79. ſe extendens, quam *Piſtorius* Epiſtolæ dedicatoriæ, & duobus memoratis capitibus, ſtatim ſubiunxit. In antiqua illa editione ſequitur Lithuaniæ Deſcriptio, ſed quæ à fol. 1. vsque ad 22. de Ducibus Lithuaniæ leguntur, *Piſtorius* iterum prætermiſit, qui prouinciarum Lithuaniæ deſcriptionem tantum à fol. 22. vsque ad 33. exhibet. Pruſſiæ deſcriptionem, quæ ibi foliis 13. legitur, *Piſtorius* integram retinuit, vt & Liuoniæ deſcriptionem, quæ 9. folia implet; Sed omiſit Moſcouiæ Deſcriptionem 47. foliorum, & aliam Tarta-

riæ, quæ 10. foliis comprehenſa eſt. Ad eundem ferme modum hæc diuulſa ſunt in alia Collectione Scriptorum rerum Polonicarum, A tribus itidem Tomis conſtante, quæ *Francofurti* apud *Iohan Wechelum*, impenſis *Sigism. Feyerabendii* Anno 1584. 8. prodiit, & *Alexandri Guagnini* auctoris nomen præſcriptum habet, quaſi is omnium Tractatuum illic inſertorum autor eſſet. Enim vero qui hos tres Tomos obiter ſaltem euoluit, facile deprehendit, non omnia, quæ hic exhibentur, ſolius *Guagnini* eſſe, ſed varia collectanea ex *Alex.* GVAGNINO ſæpe neglecto Autoris nomine, *Chriſtoph.* WARSEVICIO, *Io.* LASICIO, aliisque variis Auctoribus, Tomis illis contineri, ita vt pleraque huius rapſodiæ iam occurrant in Collectione *Piſtoriana*, ſaltem quod ordo immutatus ſit. Primam *Guagnini* de Sauromatia Europea editionem preſſe B ſequitur, quæ *Spiræ* apud *Bernardum Albinum* 1581. f. prodiit, vbi figuræ quoque adiectæ ſunt. (1.)

IV. *Martini* CROMERI, Coadiutoris tum temporis ac deſignati Epiſcopi Varmienſis, Polonia ſiue de ſitu, populis, moribus, magiſtratibus & Republica Regni Polonici Libri II. à fol. 74. ad 121. qui Autore adhuc ſuperſtite aliquoties variis in locis, inprimis *Colon.* apud *Maternum Cholinum* 1577. 8. & auctius apud eundem 1578. 4. vt & cum *Alb. Kranzii* Vandalia *Francof.* ap. *Vechel.* 1575. fol. typis fuêre deſcripti, & aduentanti ex Gallia Regi HENRICO VALESIO, a *Stanislao* C *Karncouio*, in finibus Regni oblati: De quo vid. *Epiſt.* M. *Cromeri*, quæ extat L. 1. num. 68. qui numerus tamen manu cuiusdam tantum appoſitus eſt, *Epiſtolarum Carncouii* opera editarum. *Cracou.* 1578. 4. (2.) Habentur etiam, ſed omiſſis præfatione & relatione. Sacerdotis cuiusdam de gente ſileſia, quæ in aliis Editionibus leguntur, in Rep. Polon. *Lugdun. Batau.* 1627. apud *Elzeuir.* in 12. excuſa, & in Opere maiori *Cromeriano*, *Coloniæ Agrip.* 1589. f. edito, à fol. 480. ad 530.

V. *Matthiæ* à MICHOVIA, Med. Doct. & Canonici Cracouienſis, de Sarmatia Aſiana & Europæa Libri duo, à fol. 121. vsque ad 150. qui excerpti videntur ex Collectione antea memorata, ſcriptorum ſcilicet, quos *Huttichius Heruagio* iunctim excudendos dederat, in qua Collectione leguntur à pag. 482. vsque ad 531. (3.)

VI. Deſcriptio Lithuaniæ ex Moſcouia *Sigism. L. B.* in HERBERSTEIN, à f. 151. vsque ad 157. Hæc autem deſcriptio reperitur in laudati Autoris Commentariis rerum Moſcouiticarum a pag. 103. vsque ad 116. edit. *Baſil.* per *Ioh. Oporinum* 1556. f. a qua non differt alia eiusdem officinæ, cui annus 1571. præfixus eſt.

VII. *Pomponius* MELA de Sarmatia, cum Commentariis *Ioachimi* VADIANI á fol. 158. ad 163. Hi vero commentarii *Viennæ* 1518. & *Pariſ.* 1530. f. editi fuerunt. Potuiſſent autem meliori iure huic Polonicæ Hiſtoriæ Corpori inſeri, quæ in Epitome trium terræ Partium, *Tigur.* 1534. & 1548. 8. edita, *Ioach. Vadianus* Heluetius de Sarmatia retulit. Hæc enim magis ad chorographiam regionis huius ſpectant.

VIII. De Sarmatia Commentariolus *Hartmanni* SCHEDELII (4.) à fol. 163. ad 165. deſumptus ex illius Hiſtoria mundi ſ. Chronico Norimbergenſi *Norimb.* in fol. excuſa. A. 1493. vid. PLACCII Anon. n. 1073 (γ).

IX. *Laurentii* CORVINI (5.) Ode ſaphica de Polonia & eius metropoli Cracouia, quæ olim prodiit ad calcem Libri, quem Autor inſcripſit Hortulum elegantiarum, *Vratislauiæ* per *Conradum Baumgarten de Rotenburg* Anno 1503. 4.

X. *Conradi* CELTIS Carmen ad Viſtulam fluuium depromptum ex eius Amorum Lib. I. eleg. 15.

XI. *Adami* SCHROETERI, *Sileſii*, Iter Salinarium Sarmaticum. Hoc carmen legitur etiam in *Nicol.* REVSNERI Hodoeporicorum opere L. 7. c. 8. p. 573. ed. *Baſil.* 1580. 8.

XII. *Conr.* CELTIS Salinaria. Hæc elegia reperitur in Amorum Lib. I. eleg. 6. Extant autem IV. Amorum Libri cum aliis *Conradi Celtis* Operibus Viennæ abſolutis & *Noribergæ* 1562. 4. editis. Exſtat ap. eundem REVSNERVM p. 579.

XIII. *Iacobi* PRZLVSII ſiue PRZYLVSII, de prouinciis & quibusdam Regum diplomatis Tractatus, ex Statutorum Libris, ab illo *Cracou.* 1553. f. publicatis, exſcriptus à fol. 171. ad 255. Quæ diplomata præcipuam huius Tractatus partem abſoluunt, ad aliam Scriptorum Polonicorum claſſem potius referenda.

§. VII.

Geographici alii in Piſtoriano Corpore non occurrentes.

Enumeratis Scriptoribus in Polonicæ Hiſtoriæ Corpore comprehenſis, nonnulli alii iungendi videntur, ad chorographicos vtique etiam referendi. Inter hos eſt *Stanislaus* SARNICIVS cuius deſcriptio veteris & nouæ Poloniæ, vt & Ruſſiæ ac Liuoniæ, *Cracou.* 1585. f. à *Io. Sienienio* publicata, eiusdem Annalibus anno 1587. editis, iungi ſolet. Deinde *Ioh.* CRASSINIVS memorari poteſt, qui dedit nobis Poloniam, *Bononiæ* 1574. 8. vulgatam, cuius tamen verum autorem fuiſſe *Ca-*

(1.) GVAGNINI Sarmatiæ Europeæ deſcriptio pr. in idiomate Polonico. *Cracov.* 1612. f.
(2.) *Vecheli* editionem mendoſiſſimam vocat CROMERVS in præf. ad *Colonienſem* de a. 1578.
(3.) Seorſim *Baſileæ* 1582. f. prodiiſſe memoratur *Czwittingero* in Bibl. Scriptor. Hungar. p. 2.
(4.) Artis medicæ Doctoris.
(5) Nouoforenſis.

Carolum SIGONIVM quidam obſeruant. Ita teſtatur THVANVS lib. I. de vita ſua. vid. GRÆVIVS ep. 14. p. 70. PLACCIVS de Pſeudon. p. A 204. vbi *Petrus* CRASSINIVS appellatur. Noſtra ætate Regni huius Choro-& Topographiam expoſuit *Simon* STARAVOLSCIVS in Polonia, primum *Coloniæ* apud *Henricum Cribrum* 1632. in 24. deinde *Gedani* 1652. ſumtibus *Georgii Fœrſteri* in eadem forma excuſa, atque hoc argumentum ita plene pariter ac nitide tractauit, vt aliorum induſtriam longè ſuperauerit, notante *H. Conringio*, qui etiam paruum hunc, ſed admodum vtilem Libellum tanti fecit, vt eleganti præfatione ornatum, *Wolferbyti* ſumptibus *Conradi Bunonis* Anno 1656. in 4. typis iterum publicaret, adiectis Tabulis geographicis & indice rerum locupletiſſimo. In eundem annotationes compoſuit Dn. *Martinus* Böhm Prof. Gymnaſii Thorunenſis aliquando publicandas. B Huic merito iungendus *Andreas* CELLARIVS, Gymnaſii Hornani quondam Rector, cuius Nouiſſima Deſcriptio Regni Poloniæ, Magnique Ducatus Lithuaniæ, omniumque Regionum iuri Polonico ſubiectarum, vna cum potiſſimarum vrbium iconibus & regni huius geographica delineatione, *Amſtel.* 1659. 12. prodiit (1) Equidem *Auguſtinus* GVDICANVS Boruſſus pariter Poloniam, ſiue nouam Regni Polon. in Aquila, huius Regni inſigni, Deſcriptionem, una cum mappa geographica *Colon.* 1659. 8. euulgauit; liber tamen ille non admodum magni eſt momenti, quamuis ab aliis dignus habitus ſit, qui in appendice ad THVLDENVM P.IV.n.I. locum inueniret. Nec melius fortaſſis ſeuſerint eruditi de *Ioh. Theod.* SPRENGERI Polonia Nov. antiqua, quæ *Francofurti* 1656. 8. euulgata eſt; vt & de *Ioh.* Tröſters Nido Aquilæ Polonico (Polniſches Adler-Neſt) germanice cum fig. edito. *Norimb.* 1666. 12. Forte etiam hic reticenda non eſſet *Auctoris* ANONYMI, qui in Catalogo Bibl. Thuan. T. I. p. 440. *Ioh. Demetrius* SALISKOVIVS (corrige SVLIKOVIVS) ab aliis vero rectius *Lucas* OPALENIVS eſſe fertur, Polonia defenſa contra BARCLAIVM, *Dantiſci* apud *Georg. Fœrſterum* 1648. 4. edita, vbi multa de regionis natura à pag. 1. vsque ad 55. certe alibi non obuia, exhibentur, de quo libro tamen infra quædam afferemus. *Dav.* CHYTRÆI Vandalia, regionum ad Mare Balthicum Pomeraniæ, Pruſſiæ, Liuoniæ, Moſcouiæ, Poloniæ & vicinarum aliquot gentium Principes, & ſtatum Reipublicæ & Eccleſiæ ſummatim exponens pr. *Roſtoch.* 1589. 8. Deſcriptio ſuccincta Regni Poloniæ, vna cum ducatibus eiusdem, Palatinatibus atque regionibus germanice pr. *Dresdæ* 1706. 8. 3. pl. La deſcription d'Vkranie par lie Sr. de *Beauplan.* a *Rauen.* 1660. 4.

§. VIII.

Itineraria regni Poloniæ.

Ad pleniorem regni notitiam non parum quoque iuuant Itineraria, quale quidem in Germ. lingua nobis dedit *Martinus* ZEILERVS, in deſcriptione regni Poloniæ & Lithuaniæ, *Vlmæ* 1647. 8. & alia noua deſcriptione huiusdem regni, ibid. 1657. 8. edita. Latine *Carolus* OGERIVS, cum eſſet in Comitatu *Claudii* MEMMII, Comitis *d' Auaux*, ad Septentrionis Reges Extraordinarii Legati, Iter Polonicum deſcripſit, quod cum Danico & Suecico itinere, vt & *Nicol.* BORBONII quibusdam Epiſtolis prodiit *Lutet. Pariſ.* 1656. 8. de quo vid. Bibliotheca antiqua p. 341. Gallice præter *Io.* LABOVREVR, de quo infra §. 25. & HAVTEVILLIVM (2) *in Relat. Hiſtor. Poloniæ, Pariſ.* & *Amſt.* 1687. 12. edita & germanice per plagium, verſa vt patet ex PLACCII An. p. 467; nuper demum ſimile itinerarium exhibuit nobis *Bernhardus* CONNOR, D. Medicus, Regiæ Societatis & Collegii Medicorum Londinenſium Socius, qui Epiſtolas Anglico ſermone edidit, in quibus deſcribitur tum antiquus, tum præſens regni Polon. ſtatus hiſtoricus, geographicus, phyſicus, politicus & eccleſiaſticus. Prodiit ille Liber *Londini* (non *Lonanii*, vt eſt apud Dn. *Struv. Bibl. Hiſt.* p. 747.) 1698. 8. ac *Lipſiæ* ſequenti Anno recuſus, & in germanicum quoque idioma translatus eſt. *Io. Bapt.* PACICHELLVS in Hiſtoria Itinerum per Europam Chriſtianam C (memorie de viaggi per l' Europa Chriſtiana) P. 3. ep. 65, occaſione excurſionis in Poloniam ſuſceptæ multa de ſtatu, atque finibus Poloniæ tradit. Pr. *Neapol.* 1685. 21. *Auguſtinus* L. B. de *Mayerberg*, Leopoldi Imp. Legatus ad Czarem 1661. miſſus, plurima habet de Polonia, Pomerellia, Pruſſia Curlandia, Liuonia, in prioribus foliis libri, qui inſcribitur *Iter in Moſcouiam.* f. * Nec negligi hoc loco debent Tabulæ ſiue Mappæ, vt dici ſolent, geographicæ regni Poloniæ, quas inter ſatis curata, ceteriſque omnibus melior eſt, quæ ante ſeptennium & quod excurrit, *Noribergæ* in f. luci publicæ expoſita eſt. Alias non inelegans eſt Mappa, quæ ap. PVFENDORFIVM in *Hiſt.* D *de Carolo Guſtauo* exhibetur. E Polona gente delineationem regni vicinarumq; prouinciarum in Tabula dedit *Wenceslaus* GODRECCIVS, quæ *Baſil.* prodiit, & ap. CROMERVM in opere maiori de Polonia, itemque ap. ORTELIVM reperitur. Recentior eſt Poloniæ, Ducatus Lithuaniæ, Volhiniæ, Podoliæ, Vkrainæ, Pruſſiæ & Curlandiæ deſcriptio per *Iuſtum* DANCKERTS, *Amſtelodami* facta, & *Atlanti Minori* nuper inſerta. *Gerhardi* MERCATORIS, *Iodoci*

*conf. §. 51.

Tabulæ Geographicæ.

(1) Et in Belgicum ſermonem translata a. 1660. eadem forma.

(2) GRYPHIVS de Scriptoribus Hiſtor. Sec. XVII. c. 10. §. 2. p. 515. Sub nomine HAVTEVILLII latere ſcribit quendam *Caſp.* de TENDE qui a. 1697. æt. 79. obiit, idque ex Mercurio Hiſtorico & Politico m. Iulii a. 1697. art. 3. §. 9. p. 632. probat.

doci HONDII, *Io.* IANSONII, *Io. & Gul.* BLEAVII, SANSONII, aliorumque Delineationes, quia vulgo notæ ſunt, non commemoro. Tabulam vero, quæ ap. CHVVALKOVIVM & STARAVOLSCIVM *edit. Conring.* conſpicitur, è *Philippi* CLVVERII Geographia deſumtam eſſe, cuilibet eas inter ſe paulo curatius conferenti patet. Reliquæ, ſi SANSONIANAS exceperis, mutilæ paſſim ſunt minusque emendatæ.

§. IX.

GENEALOGICA *ſcripta.*

A Scriptoribus Chorographicis progredimur ad GENEALOGICOS. Hos inter primum apparet *Ioh.* PISTORIVS, vel quicunque autor eſt Tabularum genealogicarum, quæ ad calcem Corporis Hiſt. Polonicæ Piſtoriani habentur hoc titulo: *Tredecim regni Polonici mutationes & familiarum, quæ regnum tenuerunt, genealogicæ explicationes, deſcriptæ ex optimis Auctoribus, & continua perpetuaque ſucceſſione propoſitæ in Tabula:* Item *Principum Sileſiæ pene omnium & Ducum Maſſouiæ ac Lithuaniæ Genealogiæ, diligenter magnoque ſtudio collectæ, & ad illuſtrandam hiſtoriam Polon. appoſitæ à Ioanne* PISTORIO. Deinde *Iodoci Ludov.* DECII, Germani S. Lateran. & Imper. Comitis Regisque Sigismundi Secretarii, Liber de Vetuſtatibus Polonorum, & alius de Iagellonum familia, qui *Tomo II.* f. 260. *&* 284. ap. *Piſtorium* habentur, antea quidem *Cracouiæ*, adiecto Libro tertio, de SIGISMVNDI Regis temporibus, 1511. f. editi, huc referri poſſent, ſed libri illi potius hiſtorici ſunt, quam genealogici, adeoque minus recte ab aliis in hanc claſſem referuntur, vt factum in *Catal. Bibl. Thuan.* p. 440. Maiori quidem, ſed ſi verum dicere volumus, non vsque adeo curato opere, quod *Orbem Polonum* inſcripſit, genealogias Polonicas illuſtrauit *Simon* OKOLSKI S. Theol. Prof. & Regens ſtudii generalis Leopolienſis, Ordinis Prædicatorum Prouinciæ Ruſſiæ; de quo ſiniſtra iudicia legi poſſunt in *Ioh. Markewicz Carcere Romano*, eiusque *præfat.* edit. 1666. 4. Conſtat liber tribus Tomis in *fol.* ordine alphabetico digeſtis, in quibus omnibus antiqua Sarmatarum ſtemmata gentilitia & arma inſigniaque recenſentur. Primus Tomus à lit. A. vsque ad lit. K. ſe extendens, *Cracouiæ*, 1641, ſecundus à litera L. vsque ad lit. R. *ibidem* 1643; tertius à lit. S. vsque ad finem *Ibid.* 1645. prodiit. Habetur etiam ſcriptum Germanicum *Noribergæ* impreſſum in 4. cui titulus: Polniſcher Königs-Stamm / oder Beſchreibung des Hertzoglichen Litthauiſchen Geſchlechts / aus welchem bey faſt 300. Jahren her / zwölff daraus gebohrne oder demſelben anverwante Fürſten zu Königen in Pohlen erwehlet worden / mit Einführung des neu-erwehlten Königes MICHAEL THOMAS KORYBVTT, gebohrnen Hertzogs von Wiſniowicz, &c. Litthauiſcher und Polniſcher Anverwandten / auch Stamm-Verwandſchafft mit allen jetzt-regierenden Potentaten / Käyſern / Königen und Fürſten. Alias ſolent allegari *Bartholomæi* PAPROCII opus ſtemmatum, polonico idiomate ſub tit. *Gniazdo Orla Polskiego*, h. e. *Nidi Aquilæ Polonicæ. Cracou.* 1584. f. editum; quod & in quibusdam catalogis inſcribitur Herby Rycerſtvva Polskiego. Libris V. Re vera autem hunc titulum gerit: Gniardo Cnoty, zkąd Herby Rycerſtvva Slavvnego Kroleſtvva Polskiego Wielkiego Kſięnſtwa Litevvskiego, Ruskiego, Pruskiego, Mazovveckiego, Zmudzkiego, y inzych Panſtvv do tego Kroleſtvva naleza, zych Kſiąząt y Panovv poczrątek Svvoymaiaç. Pr. *Cracouiæ* 1578. f. & verſibus Polonicis conſcriptum delineationem gentilitiarum inſignium, & nonnullorum effigies continet. *Marci* AMBROSII Arma ſiue inſignia regni Pol. in 8. vulgata, itemque *Mart.* SCHROTI & *Andreæ* VARGOTII ſimilia ſcripta, de quibus tamen duobus nihil certi definire poſſumus, vtut de vltimo in *Exercitatione ad Nicol. Chwalkouii Ius publicum Regni Polon.* A. 1685. 4. edita p. 18. ſeqq. notatum ſit, *Andr. Vargotii* nomen (1) ex *Andr. Dargotio*, Vel *Dardotio* aut *Dardozki*, cuius extat Tractatus *de Titulata Nobilitate*, effictum eſſe. Equidem arborem genealogiarum Regum Poloniæ, Magnatum, Nobilium, Ciuium, Ciuitatumq; præcipuarum *Eraſmus* GLICZNERVS, Auguſtanæ Confeſſionis in Polonia Antiſtes, *Præf. Chronici ſui*, aliquando edendam, promiſit, ſed hactenus quod ſciamus, hæc nondum lucem adſpexit. In hoc tamen argumento forte etiam *Simonis* STARAVOLSCII, Primiceri Tarnouienſis, Monumenta Sarmatorum, *Cracou.* A. 1655. *fol.* nitidiſſime edita, harum rerum curioſum non parum adiuuabunt. Nouiſſime prodiiſſe Polonico idiomate & carmine Numerum ſtemmatum Polonicorum & Lithuanicorum, auctore WACLAVVIO Pincerna Cracouienſe 1696. f. à Nobiliſſ. Dn. *Valentino* SCHLIEFFIO, Patricio Gedanenſi, accepimus, qui præterea varios Tractatus curioſiſſimos, ex Magnifici Domini PARENTIS Bibliotheca, nobis ad perluſtrandum beneuole porrexit.

§. X.

CIVILIS HISTORIÆ Polonicæ Scriptores, qui gentis origines, chronica, annales, res bello paceque præclare geſtas ipſasque Regum & aliorum Virorum illuſtrium Vitas conſignarunt, porro enarraturi, initium iterum ab illis facimus, quos PISTORIVS *Corp. Hiſt. Pol. T.* 2. quorum aliqui etiam in Collectione *Francofurtana* habentur, inſeruit, vbi occurrunt à f. 1. vsque ad 258.

I. *Matthiæ de* MICHOVIA Chronica Polonorum

(1) Autorem quendam reuera exſtitiſſe, *Andr.* VARGOTIVM dictum, qui librum Clenodiorum ſeu armorum nobilitatis Polonicæ inchoauit, ſed morte præuentus abſoluere non potuit, STARAVOLSCIVS in Elog. Scriptor. Pol. p. 221. teſtis eſt.

rum a prima propagatione & ortu eorum, vsque ad A. C. 1504. (rectius 1506.) quatuor Libris comprehenſa. Quæ Chronica primum A impreſſa ſunt *Cracouiæ* per *Hieron. Vietorem* 1521. f. iconibus Regum ordinata. (1) In hac editione adiecti quoque ſunt

II. *Iodoci Ludov.* Decii de Vetuſtatibus Polonorum, de Iagellonum familia, deque SIGISMVNDI Regis temporibus Libri tres, qui ap. *Piſtorium* reperiuntur à fol. 260. ad 340.

III. Tertium locum occupat *Alexandri* Gvagnini, Itali, Compendium Chronicorum Polon. ſecundum ſeriem & ſucceſſiones omnium Principum Regumque gentis à LECHO, primo Duce autoreque Polonorum vsque ad Regem HENRICVM VALESIVM, qui tum regno præerat, à f. 341. ad 397. quod B iu Collectione *Francofurtana* T. 1. p. 49. legitur. Hocce autem Chronicon primum typis *Matthiæ Wierzbietæ* in f. ſine adiectione loci & temporis, cum iconibus Regum impreſſum eſſe, ſupra §. VI. n. III. iam notauimus; in qua editione quoque

IV. *Clementis* Ianitii Carmina elegiaca de vitis & ſucceſſionibus ſingulorum Principum Regumque Poloniæ, quæ ap. *Piſtorium* à f. 398. ad 401. ſeorſim exhibentur, ſingulorum Regum vitis præmiſſa ſunt, ſine auctoris nomine, vti etiam factum eſt in Collectione *Francofurtana.* Alias hæc carmina ſeorſim prodière *Gedani*, 1621. 4. ex recenſione *Iac.* Gadebvschii C ſub tit. *Chronici Dynaſtarum regni Poloniæ*, cui etiam acceſſerunt carmina in SIGISMVNDVM II. AVGVSTVM, HENRICVM, STEPHANVM & SIGISMVNDVM III, nec non Ianitii dialogus in Polonici veſtitus varietatem atque inconſtantiam, quæ in memoratis operibus non comparent. (2)

V. *Martini* Cromeri de Origine & rebus geſtis Polonorum Chronicon Libr. XXX. (non X. vt eſt ap. *Lipen.* in *Bibl. Real. Philoſ.* lit. C. fol. 1221. a. & Dn. *Struv. Biblioth. Hiſt.* p. 749.) a f. 401. vsque ad 833. Hoc opus inſigne, quod à primis gentis incunabulis incipit, & ad A. C. 1506. vel ſi Orationem in obitum SIGISMVNDI I. addi- D deris, vsque ad A. 1548. extenditur, primum in lucem prodiit *Baſil.* 1555. f. poſt quam editionem duæ aliæ factæ ſunt, vt ex quartæ editionis (3) omnium optimæ & locupletiſſimæ, *Colon. Agripp.* ex officina *Birckmanniana* (poſt autoris obitum, qui A. 1586. accidit;) A. 1589. f. editæ, præfatione ac dedicatione A. 1586. ad Regem STEPHANVM à Cromero exarata, apparet, vbi inter alia quoque memorat Autor, degiſſe ſe tum temporis in aula Imperatoris FERDINANDI, legatione perpetua SIGISMVNDI AVGVSTI nomine, in ſeptimum annum fungentem; maximamque huius laboris partem in itinere ſe confeciſſe. Quod hanc vltimam editionem attinet, in illa plurima recognita, nonnulla partim adiecta, partim dempta, partim mutata ſunt. Præcipue vero huic editioni præter orationem funebr. in obitum SIGISMVNDI I. Regis, & duos libros de ſitu, populis, moribus, magiſtr. & Republ. Polon. acceſſerunt, quæ in prioribus editionibus non videbantur, vt ſunt (1. *Bernh.* Vapovii fragmentum SIGISMVNDI Senioris res geſtas, Cromeri deſcriptione poſteriores, continuans. (2. *Mart.* Cromeri Epiſtola ad Regem, Proceres, equitesque Polonos in Comitiis Varſauienſibus congregatos. (3. *Philippi* Callimachi de rebus geſtis à VLADISLAO III. Polon. atque Hung. Rege Libri tres. (4. *Stanislai* Karncovii ad M. Cromerum Epiſtola, de modo & ordine electionis noui Regis ap. Varſauiam habitæ 1573. (5. *Eiusdem ad Henricum* Valesivm, Polon. Regem deſignatum Panegyricus. (6. in funere D. SIGISMVNDI AVGVSTI Oratio *Iohannis Demetrii* Solicovii. (7. (3) Probi & Galliæ ac Poloniæ amantis Viri, ad Gallos & Sarmatas Oratio 1575.* (8. STEPHANI I. Pol. Regis imago, ære ad viuum expreſſa, cum eiusdem elogio & vita, capitalibus literis, vnius folii pagina breuiter comprehenſa. (9. *Reinholdi* Heidensteinii de bello Moſcouitico à STEPHANO I. geſto Commentariorum Libri ſex, qui præterea occurrunt inter *Scriptores rerum Moſcouit. Frf.* 1600. f. (10. *Chriſtophori* Varsevicii in obitum STEPHANI I. R. P. Oratio. Acceſſerunt præterea chartæ geographicæ cùm Poloniæ, Pruſſiæ, Maſouiæ, Ruſſiæ, &c. tùm Lithuaniæ, Liuoniæ & Moſcouiæ, æneis formis expreſſæ, cum Indice rerum memorabilium locupletiſſimo. Laudatum illud opus ex latino in germanicum ſermonem quoque tranſtulit *Henricus* Pantaleon, Philoſ. & Medic. D. Baſileenſis, & *Baſileæ* ap. *Henr. Petri* & *Petrum Perna* edidit 1562. f. Atque hanc ipſam translationem credimus eſſe, quam, cum forte in manus CROMERI incidiſſet, ille ſibi ad perficiendam recognitionem magis etiam calcar addidiſſe, fatetur, in *præf.* A. 1566. ſcripta. (4) Aliud Hiſtoriæ Polonicæ, ſi Diis placet, corpus, Bibliopola quidam Ge-

* vid. inf. §. XXII.

(1) *Annibal* MAGGI in Ital. ſermonem h. opus tranſtulit, Venet. 1562. f. v. Catal. Londin. P. II. p. 37.

(2) Et iam antea ſeorſim prodierant *Cracouiæ*. 1574. 8. recentiſſima illorum editio excuſa eſt *Stendaliis* 1670. 12. in qua Regum Poloniæ vitæ vsque ad Regem Michaelem continuatæ reperiuntur, & quoque adiecta eſt tabella genealogica Regis Michaelis cum domo regnatrice Iagellonica cognationem indicans.

(3) Tertia pr. *Baſileæ* a. 1568. ex officina *Oporiniana*.

(4) Quidam *Martinus* BLAZOWSKI in Polonicum idioma hoc Cromeri chronicon translatum, a. 1611. f. *Cracouiæ* publicauit, quæ tamen verſio non habet, quæ in editione *Colonienſi* de a. 1589. ſupra laudata acceſſerant.

Gedanenſis compilauit, in quo nonnulli tractatus habentur dudum apud Förſterum editi, ſed ademptis titulis, vt in vna ſerie ſemel excipere videantur. Quod tamen fucum facere harum rerum non ignaris nequiit. Integer operis titulis eſt: Scriptores rerum Polonicarum ex recentioribus præcipui quotquot exſtant latini, in vnum corpus nunc primum congeſti, & in III. Tomos diſtincti, collectore C. T. L. *Sorniz. Miſnico. Amſtel.* ſumtibus *Gysberti van Valk* M DCIIC. 4. T. I. complectitur SVLIKOVII Comment. Rerum Polon. à morte SIGISMVNDI AVGVSTI, & FREDRO geſta populi *POLONI* ſub HENRICO VALESIO. Tomus II. KOBIERZYCKI Hiſtoriam VLADISLAI. Tomus III. *Eiusdem* obſidionem Clari monti Czenſtochovienſis & FREDRO Militaria.

§. XI.

Cromeriani *operis de Polonia Epitomatores.*

Cromeri Epitomen adornauit *Salomon* NEVGEBAVER à CADANO, in Hiſtoria rerum Polonicarum X. Libris comprehenſa, & vsque ad SIGISMVNDI III. (excluſiue) tempora deducta, quæ prodiit *Francof.* ap. *Vechel* 1611, & *Hanouiæ* ap. *Aubrios*, 1618. 4. quæ editio poſterior priori multum præſtat, & in contextu hiſtoriæ Regum longius porrigitur, vt notauit Dn. *Schurzfleiſch. in Diſſ.* quæ *Annotata ad res Pruſſorum* exhibet, & *Vitemb.* 1693. 4. excuſa eſt, §. 7. *lit. g.* Similem Epitomen ex *Cromero* fecit *Ioachimus* PASTORIVS *ab* HIRTENBERG, in Floro Polonico, ſiue Epitome noua hiſtor. Polonicæ, cuius prima editio *Lugduni Bat.* ap. *Hegerum* 1641. 16. altera *ibid.* 1642. 12. prodiit, quam ſecutæ ſunt *Amſtelodamenſis*, 1664. & *Gedanenſis*, 1679. 12. quæ pleniſſima eſt, & ad Pacem A. 1660. factam extenditur. Quamvis verò idem Autor deinceps quoque Hiſtoriæ Polonæ plenioris duas partes ediderit *Gedani* 1680. & 1685. 8. excuſas, hæ tamen de bellis nouiſſimis tantum ſub VLADISLAO IV. & IOHANNE CASIMIRO geſtis agunt, adeo vt ad particularis hiſtoriæ Polonicæ ſcripta referendæ ſint. Hic vltimus liber vero ideo gratus merito Eruditis eſſe debet, quod poſtquam Coſacorum & Tartarorum infanda coniuratio, præcipuam iſtis bellis & calamitatibus anſam ac materiam dediſſet, vtrumque hunc populum curatius, quam ante à quoquam factum, Auctor eo depinxerit, vt ſciret melior orbis, quam barbaro flagello plectere hominum peccata, irato Numini placuerit, vt loquitur ipſe Auctor in *præf.* Ceterum Operi iſti poſthumo, ſiue parti poſteriori potius, quam *Georg. Adamus ab* HIRTENBERG, *Ioachimi* filius, in lucem dedit, adiecta quoque eſt eiusd. A PATRIS Diſſert. philologica de *Originibus Sarmaticis*, qua ſatis curioſa continentur. Iisdem Cromeri Epitomatoribus accenſendus videtur *Io.* HERBVRTVS *de* FVLSTIN, S. R. M. Secretarius, poſt Caſtellanus Sanocenſis & Capitaneus Premislienſis, ac Regni Polon. Senator, à *Chwalcouio in Syll. ſcript.* valde laudatus, cuius Chronica ſiue Hiſtoriæ Polonicæ compendioſa ac per certa Librorum capita recens facta Deſcriptio, in SIGISMVNDI I. exitu deſinens, prodiit *Baſil.* 1571. & 1615. ac *Dantiſci*, 1609. & 1647. 4. itemque *Regiomonti* apud *Paulum Nicolai.* 4. & gallice ſub titulo: Hiſtoire des Rois & Princes de Pologne &c. *Pariſ.* 1573. 4. translata per *Franciſcum* BALDVI- B NVM vt teſtis eſt *Anton. du* VERDIER Biblioth. p. 366. & PLACCIVS in Theatr. anon. p. 594. (1)

§. XII.

Scriptores ſimiles, **Cromero** *antiquiores.*

CROMERVM tamen temporum ſerie præceſſerunt alii, inter quos antiquiſſimus cenſetur *Vincentius* KADLVBECK, ſiue KADLVBKO, vel vt adhuc alii ſcribunt, *Cadlubcus de* KARVVOVV, Epiſcopus Cracouienſis, quo tamen Epiſcopatu ſe abdicauit, Monachus Ord. Ciſtercienſ. in Cœnobio Andrzeiouienſi, ſtudio religionis factus, teſtante *Okolski* T. II. *Orb. Pol.* in quo poſt quinquennium obiit A. 1223. Scripſit hiſtoriam Polonicam ſiue Chronicon iuſſu CA- C SIMIRI IVSTI, qui Seculo XII. Polonis præfuit, vt habet ipſe Kadlubko *lib.* 4. *c.* 1. Editus eſt cum Commentatore ſuo (qui tempore VLADISLAI IAGELLONIDIS Commentaria illa compoſuit) *Dobromili*, 1612. 8. ex officina *Ioh. Szeligæ.* Rudi illum ac imperito ſtylo res Polonorum annotaſſe verius, quam ſcripſiſſe indicat *Io. Herburtus, præf. in Chronicon ſuum*, & ex eo *Dn. Becmannus in Hiſtoria Orb. Ciuil. & Geogr. c.* 17. §. 1. Multa etiam fabuloſa habet, inprimis de antiquitate gentis Polonicæ, adeoque cum iudicio probandus, notante *Hartknochio in Rep. Polon. p.* 26. *Cromerus*, eum conciſe admodum, nonnulla etiam fabulis, vt ſibi videtur, quam hiſtoriæ D propiora ſcripſiſſe, aſſerit in *Ep. Dedicat. ad Sigism. Aug.* ap. *Piſtor.* T. II. *f.* 402. *Kadlubkonem* in ordine temporis excipit BASKO, Cuſtos Poſnanienſis, qui ſcripſiſſe fertur Hiſtoriam Polonicam A. 1370. tempore CASIMIRI M. Regis, teſte *Chriſtoph. Varſeuicio, in Catal. Scriptor. Polon.* quæ tamen Hiſtoria in MS. tantum habetur, quod ipſe *Hartknochius* monet in *Catal.*

---

(1) Ad eosdem pertinet Compendium abo Krotkie opiſanie tak Kriąząt y Krolow Polskich, iako ſpraw przypadkow y dawnych drieiow Kroleſtwa Polskięgo z Kroniki Marcina Kromera, y inſzych, oſobliwie dlatych, Ktorzy Szyrokiem czytaniem nie rudzi ſię bawą, przez *Pavvla Demetrovvicza* z drukana ſwiat podane. w *Lubczu* 1625. 4. Autor *Vilnæ* vixit & vsque ad SIGISMVNDVM III. hiſtoriam hanc pertexuit, electum a. 1587.

Catal. quorundam Script. Polon. qui non diffitetur, quoties in *Tr. de Rep. Pol.* a ſe citatur, hoc ex fide aliorum fieri. Poſt eum *Johannes* DLVGOSSVS (non vt *G. I. Voſſius* hoc nomen ſcribit, DVGLOSSVS vel DLVGOSCHVS, nec vt alii vocant NVGLOSSVS, notante *Hartknochio, præf. deſcript. Pruſſiæ Antiquæ & Nouæ*) LONGINVS cognomine gentilitio dictus, Canonicus Cracouienſis & poſtea deſignatus Archi-Epiſcopus Leopolienſis, Seculi XV. ſcriptor, (obiit enim Anno 1480.) memorari debet, cuius Hiſtoriæ Polonicæ in tres Tomos digeſtæ Tomus primus, autoritate & ſumtibus *Herbulti Dobromilski* editus, *Dobromili* in officina *Ioannis Szeligæ* A. 1615. f. (1) Reliqui duo Tomi adhuc MSS. variis in Bibliothecis aſſeruantur, vt Romæ in Bibliotheca S. Mariæ in Valicella, in Poloniæ quibusdam locis, ac in Vrbe hac apud Patres Dominicanos, teſte *Hartknochio loc.* antea *alleg.* Mihi certe (quod grato animo hic profiteor) vti aliis in rebus, ita & in hoc argumento Tomos hos MSS. vna cum aliis Libris elegantiſſimis, conſulere manibusque terere licuit in Bibliotheca inſtructiſſima Magnifici Dn. IOACHIMI HOPPII, iam Præcoſ. & Montanorum Adminiſtratoris longe merentiſſimi, Patrui omni filiali pietate ætatem proſequendi, quem diutiſſime ſaluum florentemque diuina præſtet Benignitas! Integrum horum Annalium corpus XII. Libris abſoluitur, quorum ſex priores conſtituunt Tomum I, qui in anno 1240. deſinit. Reliqui duo Tomi, qui ſex poſteriores libros complexi, vsque ad A. 1444. quo infelix VLADISLAI ad Varnam cæſi, vitæ exitus deſcribitur, extenduntur. De his autem duobus Scriptoribus, vt & de *Matthia* MIECHOVIO, qui poſt Dlugoſſum ſcripſit, & cuius iam antea mentio facta eſt, iudicat *Herburtus* in *præf.* l. c. eos quidem diligentia „ac fide, in perſcribenda hiſtoria ſingulari, „ceterum non eo ordine ac verborum ſententiarumque grauitate vſos fuiſſe, vt ad exterorum optimis literis exculta ingenia purgatas„que & teretes aures, ſcripta illorum penetrare „poſſent. De DLVGOSSO in ſpecie *Cromerus* iudicium dedit in *Dedicator. Epiſt. ad Sigismund. Auguſtum*, ap. *Piſtor.* T. 2. f. 402.

§. XIII.

Continuatores Hiſtoriæ Polonicæ poſt Cromerum.

Vbi CROMERVS deſiit, *Bernardum* VAPOVIVM *de Rudochonice*, I. V. D. Cantorem Cracouienſem, Cubicularium Apoſtolicum, Regisq; Sigismundi I. Secretarium incepiſſe, adſtruit *Chwalkouius.* Enimuero notat *Autor* Anonymus *Exerc. Chwalkouio oppoſitæ* p. 20. quod is non inceperit, vbi Cromerus deſiit, ſed quod Annales ſcripſerit Regni Pol. ab ipſo LECHO, h. e. à primis huius gentis Principibus vsque ad A. 1535. quo ſcribere ſimul & viuere deſiit. „Atque hic politiore quidem eloquio & veritatis indagandæ ſummo ſtudio vſus eſt, ve„rum cum aut immatura mors, aut negotia„ reip. à cœpto opere eum reuocaſſent, Fra„gmentum tantummodo hiſtoriæ nobis reli„quit, (notante *Herburto* l. c.) quod cura *Thomæ de* PLAZA, S. Stephani Cracouiæ Parochi & Canonici Viſliciens. ſimul cum aliis hiſtoricis ſcriptis editum fuit. *Colon. Agrip.* A. 1589. in officina *Birckmanniana*; idemque plane eſt cum eo, cuius mentio à nobis facta, §. X. & XV. Inter Chronographos poſt Cromerum referendus quoque eſt *Martinus* BIELSCIVS, cuius chronicon lingua patria conſcriptum, ſed Pontificiis ob religionem inuiſum, continuauit, expoliuit, & in SIGISMVNDO III. deſinens vna cum Patris defenſione edidit filius *Ioachimus. Cracou.* 1597. fol. conf. *Exerc. Chwalkouio oppoſitam*, & *Starauolſc.* p. 100. & 101. Minime etiam prætereundus eſt, vt ab aliis factum eſſe videmus, *Stanislaus* SARNITIVS, vel SARNECIVS, Nobili genere natus, *Ioannis* filius, *Iacobi*, Aulici Regii & ad Scythas, quorum linguæ notitiam ſibi comparauerat, Legati nepos, Miniſter V. D. in Eccleſia Niedzuiedenſi, notante *Regenuolſcio Hiſt. Eccl. L. III. p.* 413. Hic Annales edidit, ſiue de Origine & rebus geſtis Polonorum & Lithuanorum Libros VIII. *Cracou.* 1587. *fol.* impreſſos, quibus ab *Aſarmoth*, conditore, vt putat, Sarmaticorum populorum, ſiue ab Orbis Conditi A. 1790. incipit, & in hiſtoria rerum poſt SIGISMVNDVM AVGVSTVM geſtarum, h. e. A. 1586. deſinit, de quo opere iudicium legi poteſt apud *Caſp.* CICHOCIVM L. 1. *alloquiorum Oſiecenſ. c.* 24. *p.* 193. Iam antea autem prodierat eius Synopſis Annalium Polon. edendorum, *Cracou.* 1582. 4. Sic quoque *Eraſmus* GLICZNERVS, Eccleſiarum Aug. Conf. in Maiori Pol. Antiſtes, (qui obiit Brodniciæ, 1603, cuiusque officia & ſcripta recenſet *Regenuolſcius Loc. cit. p.* 405. qui etiam *Lib. I. c.* 13. *p.* 94. & 95. de eo egit) in animo habuit Chronicon Regum Pol. vna cum Origine gentis regniq; Polonici, prouinciarum, diſtrictuum, familiarumque præcipuarum, Ciuitatum, &c. à LECHO, gentis Rege, vsque ad SIGISMVNDVM III. ea tempeſtate regnantem, deſcribere, vt ex titulo & præfatione apparet; Sed huius Chronici pars tantum extat, quæ ab *Henetis*, Homero etiam memoratis, incipiens, ad ZEMOMISLAVM XVI. & vltimum inter gentiles & dæmonum cultui adhuc deditos, Polon. Regem extenditur, edita *Thorunij* 1597. 4. Recentiſſime *Matthæus* PRÆTORIVS, Præpoſitus Waiheropolitanus, Hiſtoriogr. & Secret. Regius, *Orbem Gothicum* ſcripſit IV. libris abſolutum, & typis Monaſterii *Oliuenſis* 1688. *f.* editum, quo ſimul Gothiam, productis vltra Europæ Aſiæque termi-

(1) HERBVLTVS iſte Felix, & filius *Ioannis* dicitur STARAVOLSCIO in Ill. Poloniæ Scriptorum Elog.

minos in Africam armis, Gothiæ Sarmatieæ acceptam debere originem probare voluit, cuius *Mars Gothicus* poſtea ſeorſim quoque acceſſit, A *ib.* 1691. f. exhibens veterum Gothorum, (præcipue Polonorum, ſiue Sarmatarum) militiam, potentiam, arma, machinas, exercitationes bellicas, acies, caſtrametationes, leges, ſtipendia, pœnasque militares &c. In *Ioh.* GVALTERII Chronico Chronicorum Politico *Francof.* 1618. 8. ed. T. I. p. 505. habetur catalogus Regum Poloniæ autore *Caſp.* SCHÜTZIO, deſinens in SIGISMVNDO III.

§. XIV.

Libri, quibus Regum Reginarumque Poloniæ Icones vitæque in genere repreſentantur.

Generalibus Scriptoribus adiungendi ſunt, qui ſuccincte omnium vel plurimorum Re- B gum, vt & Reginarum vitas, aut elogia delinearunt, vt fecerunt; (1. *Chriſtoph.* WARSEVICIVS, de quo §. III, qui præterea publicauit Memorabilium rerum & hominum coæuorum Deſcriptionem ab Orbe condito ad A. C. 1585. *Cracou.* 1585. 4. qua res Poloniæ quoque accurate conſignatæ ſunt: itemque Speculum Analogiæ & metamorphoſis aliquot magnatum, ſeu Cæſarum, Regum & Principum eiusdem generis & nominis Vitarum Parallelarum libros duos, *Francof.* 1608. 8, vbi *lib. 2. à pag. 123. vsque ad 412.* exhibentur vitæ IA- C GELLONIS Primi, & IAGELLONIS vltimi, nempe SIGISMVNDI AVGVSTI. Cæterum hos Vitarum parallelarum, quo ſub titulo communiter allegari ſolent, libros duos, parum iudicioſe ſcriptos, & in regno Poloniæ, ſub magna pœna prohibitos, aſſerit *Keckermannus de nat. & proprietat. Hiſt. pag. 184.* (2. *Arnoldus* MYLIVS, cuius Effigies Principum & Regum Polon. cum Comment. editæ *Col.* 1594. f. (1) (3. *Salom.* NEVGEBAVERVS, qui Icones & vitas Principum ac Regum Poloniæ elegantiſſ. figuris exornata publicauit *Francof.* 1620. 4. (2) (4. *Nic. de* CHVVALKOVVO CHVVALKOVVSKI, cuius habemus Effata Regum D Poloniæ vsque ad IOHANNEM CASIMIRVM, *Varſau.* 1694. 4, qui præterea Regum Reginarumque ſyllabum vna cum figuris (forte ex NEVGEBAVERO deſumptis) exhibuit in *Iure Publico Regni Poloniæ lib. 1. c. 5.* (5. Anonymus, qui Vitas Regum Poloniæ cum figuris, germanice excudendas dedit, *Norimb. 1684. 12.* (6. *Veſpaſianus à* KOCHOV KOCHOVVSKI, qui Hypomnema Reginarum Poloniæ, à ſuſcepto fidei lumine, continua ſerie ad ELEONORAM, Regis MICHAELIS coniugem, incluſiue regnantium, edidit *Cracou. 1672. 4.* 7.) Corona Auſtralis in Polo Poloniæ, inter tergemina diademata, auguſtiſſima conſtellatione refulgens: ſiue Sereniſſimarum è ſtirpe Auſtriaca Reginarum Poloniæ immortales Virtutes, ethicis, politicis, hiſtoricis obſeruationibus propoſitæ per *Vladislaum* TVRLAY Equ. Lithuanum, Notarium caſtrenſem Palatinatus Trocenſis. *Vilnæ 1705. 4.* vid. Act. erud. a. 1707. p. 18. (8. Speciatim ELISABETHÆ Reginæ Poloniæ (quæ CASIMIRI IV Vxor, non ſolum IV. Regum Mater fuit, ſcil. VLADISLAI Hung. & Boh. Regis, IOHANNIS ALBERTI, ALEXANDRI & SIGISMVNDI I. Regum Poloniæ, ſed etiam regnantes vidit) ſchema genealogicum &c. diſſ. Hiſtorico-politica *Thorunij* adumbratum, à G. WENDIO. XI. Aug. 1700. 4.* (9. de *Iac.* THOMASIVS, in cuius *Orationibus varij Argumenti*, oratio XI. agit de Regibus Poloniæ. (10. Curieuſer Geſchichts-Calender des Königreichs Polen ab a. 1500 - 1697. *Lipſ.* 1698. 8. (11. Series & Acta præcipua Ducum & Regum Poloniæ, in forma Tabulæ. *Varſau. 1699. f.* (12. Hiſtoria Poloniæ & Lithuaniæ gall. conſcripta, & *Amſtel.* 1698. in 12. edita, poſt præmiſſam formæ Reipublicæ in Polonia delineationem, à LECHO vsque ad Sereniſſ. AVGVSTVM II. porrigitur. (3)

* Reliquarum Reginarum vitis particularibus ſub Regibus quibus nuptæ fuerunt agitur.

§. XV.

HISTORICI PARTICVLARES *rerum ſub* Vladislao III. Caſimiro III. Sigismundo I. & Sigismundo Auguſto *geſtorum.*

Præter hos Scriptores vniuerſales, nonnulli alii, in PARTICVLARI Regum Poloniæ, rerumque ſub illis geſtarum HISTORIA deſcribenda, fuerunt occupati. Hac ratione *Philippus* CALLIMACHVS, natione Thuſcus, Orator & Poeta non inelegans, qui non ad CASIMIRVM M. vt ſcribit *Chwalkouius*, ſed ad CASIMIRVM III. Iagellonidem ex Italia venit, eiusque filiis moderator datus fuit, tribus Libris conſignauit hiſtoriam VLADISLAI III. Polon. atque Hung. Regis ad CASIMIRVM VLADISLAI fratrem & ſucceſſorem, qui ſeorſim 1584. 4. & cum CROMERI Polonia, *Colon. Agrip.* 1589. f. edita f. 628. vt & inter *Scriptores rerum Hungar.* f. 284. *Francof.* 1900. f. extant.

---

(1) BARTH. PAPROCKIEGO, *Ogrod Krolewski w Ktorem o poczatku Ceſarzow Rzymskich, Arcyxiazat Rakuskich, Krolow Polskich, Czenskich, Xiazatsłąkich, Ruskich, Litewskich, Pruskich, rozodziemaich krotko napiſane naidzieſz. 1599. f.*

(2) *Alexandra z Obodna Obodzinskiego Pandora Starozytna Monarchow Polskich, zacnoſcia Iasnie oswieconych Krolow, ſwiatloſcia Promieni Bialego Orla Kroleſtwa Polskiego, wolnoſcia zacnych oby watelow Koronnych, dzielnoſcia Zodwagac Zastazonego Rycerſtwa, pobożnoſcia Patronow Polskich powaznie ordobiona w* Krakovvie 1643. 4. Continet liber iſte vitas Regum Poloniæ a LECHO, vsque ad SIGISMVNDVM III. verſibus polonicis deſcriptas.

(3) *Antonius Chryſanthus* de STRALKOVVO ŁAPCZYNSKI Eq. Polonus, & in maiori Regni Cancellaria Secretarius, omnes ad STANISLAVM vsque Regum Poloniæ vitas breuiſſime, non tamen ſatis accurate vna plagula deſcriptas, ed. 1708. 8.

tant. Eiuſdem de Clade Varnienſi Epiſt. cum Chronic. Turcico Loniceri T.II. legitur.

(1) Qua occaſione non poſſumus non men- A tionem iniicere S. CASIMIRI, Poloniæ ac Lithuaniæ Patroni, A. 1458. Patre CASIMIRO III. Poloniarum Rege nati, cuius proſapia, vita, miracula & illuſtris pompa in ſolemni eiuſdem apotheoſeos inſtauratione *Vilnæ* A. 1604. inſtituta, deſcripta ſunt à *Gregor.* Svvięcicki, editaque *ibidem eodem anno* in 4. vbi præterea adiecta ſunt *Quirini* Cnogleri, Auſtrii, Pompa CASIMIRIANA, Vilnensivm Eulogia CASIMIRIANA, & Genealogia S. CASIMIRI collecta à *Gregorio* Svvięcickio, Canonico Vilnenſi. Similiter *Ioh. Ludou.* Decivs de SIGISMVNDI I. (cui à ſecretis fuit) Regis Pol. temporibus *Cracou.* 1521. fol. fuit B commentatus; ſed hic Liber pertingit tantum ad A. vsque 1517. extatque etiam in *Io. Piſtorii* Corp. H. P. Tomo II. f. 297. *Bernhardi* Vapovii fragmentum, SIGISMVNDI I. res geſtas, Mart. Cromeri deſcriptione poſteriores, continuans, reperitur cum *Mart. Cromeri* Polonia f. 531. vt paragr. X. & XIII. diximus. Porro hiſtoriam SIGISMVNDI AVGVSTI, magna cum grauitate & iudicio pragmatico, ſtylo item venuſto, deſcripſit *Staniſl.* Orichovivs, Vir celeberrimus, in Annalibus, impreſſis (2) *Dobromili* 1611. in 8. & *Dantiſci* ap. *G. Færſterum* 1643. 12. cui editioni adiecta eſt PETRI KMITÆ, Palatini Cracouienſis, vita. Sed in hac po- C ſteriori editione nonnulla deprehendi omiſſa ex iis, quæ in editione Dobromilenſi inueniuntur, notat. *Chwalcou. in Syll. ſcript. Pol.* Id certum eſt, ad Annalem IV. aliqua pertinere, ac iis quæ in Dobromilenſis ac Gedanenſis editionis Annali IV. habentur præmitti debere, quæ ex ipſius Autoris MSC. reſtituta apud nonnullos exſtant. Vti in MSto exemplari, quod ap. Magnif. Dn. IOH. ERN. v. d. Linde/ COS. huius Ciuitatis digniſſimum, latet, cui hanc aliasque præſentis Schediaſmatis obſeruationes plures grato animo debemus. Aliud exemplar MSC. poſſidet M. *Martinus* Böhm/ Profeſſor *Thorunenſis*, ad quem Hartknochii Bibliotheca peruenit.

Quod ipſos Annales *Orichouii* attinet, eos plane inſignes & magna prudentia conſcriptos, qui rariſſime inueniantur, vocat *I. Henr. Boeclerus*, vel quicunque Autor eſt Libri, *Bibliograph. Curioſæ* titulo editi. Eadem tempora illuſtrauit *Lucas GORNICKIVS Tykocinenſis* & *Waſilkouienſis* Capitaneus, qui ſcr. *Dzieie w Koroni- Polskiey* ſ. acta regni *Poloniæ* ab a. 1538. vsque ad 1572. quæ a. 1634. *Cracou.* in 4. edidit, & Wladislao IV dedicauit Autoris filius eiuſdem nominis, Canonicus *Wilkenſis*, *Warmienſis*, & S. R. M. Secretarius. Fragmentum quoque ex *Simonis* Schardii, I. V. D. Hiſtoria de Vita & obitu SIGISMVNDI AVGVSTI extat in *Io. Piſtorii Corp. H. P.* Tomo III. f. 64. & in *Guagnini* Tomo III. R. P. in fine; quæ deſumta ſunt ex *Schardii Epitome rerum geſtarum ſub Imperatore* Maximiliano II. & habentur Tomo IV. *Rer. German.* f. 181. edit. *Gieſſ.* 1673.

§. XVI.

Sub Henrico Valeſio, Stephano Batoreo, Sigismundo III.

Rerum Polonicarum à morte SIGISMVNDI AVGVSTI, quæ anno 1572. contigit, breuem Commentarium ſcripſit *Io. Demetrius* Svlicovivs, Archi-Epiſc. Leopolienſis, qui prodiit *Dantiſci* ſumtibus *G. Færſteri* 1647. 4. Non minus extant *Reinholdi* Heidensteinii, (3) Secretarii Regii, Rerum Polon. ab exceſſu SIGISMVNDI AVGVSTI Libri XII. quos filius *Ioh.* Heidensteinivs Soliescivs, Caſtellanus Gedanenſ. Regi MICHAELI inſcriptos, publico dedit *Francofurti* ad *Man.* 1672. f. quibus hiſtoriam HENRICI VALESII, STEPHANI BATOREI & SIGISMVNDI III. deſcribit. Optandum autem eſt, vt ipſius, de vita IOANNIS ZAMOSCII, Regni Poloniæ Cancellarii & Exercituum Ducis ſummi, libri tres, quos in MSto ſolum videre mihi licuit in inſtructiſſimo Bibliopolio Waesbergiano, in publicam tandem lucem protrudantur. Scripti ſunt illi *Solencii* M. DC. VI. *Kal. Mart.* vt ex dedicatione filio, *Thomæ a Zamoſcie Zamoyski* facta, videre eſt. Speciatim de rebus in electione, profectione & Coronatione HENRICI, R.P. in Gallia & Polonia ge-

(1) Staravolscivs in Monum. Sarmatarum p. 143. hoc ipſi *Cracouiæ* in templo SS. Trinitatis poſitum eſſe epitaphium refert: *Philippus* Callimachvs, *natione* Thuscus, *Vir doctiſſimus, vtriusque fortunæ exemplum imitandum, atque omnis virtutis cultor præcipuus, diui olim CASIMIRI & IOHANNIS ALBERTI Poloniæ Regum Secretarius acceptiſſimus, relictis ingenii ac rerum a ſe geſtarum pluribus monumentis, cum ſummo omnium bonorum moerore, & Regiæ domus, atque huius Reipublicæ incommodo, anno ſalutis noſtræ* MCCCC LXXXXVII. Cal. Nov. *vita decedens hic ſepultus eſt.*

(2) *Felix* Herbvrtvs, *Iohannis* F. primus Orichouii annales luce donaſſe memoratur Staravolscio in Ill. Pol. Scriptor. elog. p. 43.

(3) Gryphius de Scriptoribus Sec. XVII. c. X. §. V. p. 520. Reinholdum hunc ab alio eiuſdem nominis Heidenſteinio, qui res ſeculi XVI. a Stephano Bathoreo in Liuonia contra Moſcos feliciter geſtas, ſtilo longe elegantiore literis mandauit, plane diuerſum eſſe ſtatuit. Sed vid. quæ in hoc ſchediaſmate p. ſequenti leguntur.

geſtis egerunt *Stanislaus* Rescivs, *Romæ* 1573. 4. & *Achilles* Stativs, ib. 1574. citante *Lipenio*, vti quoque *Stanislaus* Karncovivs, A Epiſc. Vladislauienſis, de modo & ordine electionis &c. A. 1573. habitæ, Epiſtolam ad M. *Cromerum* ſcripſit, quæ extat cum *Cromeri Polonia*, f. 688. Præterea in *Piſtoriano Corp.* T. II. f. 370. & in *Collect. Francof.* T. I. p. 140. occurrit *Alex.* Gvagnini Tr. de Celeberrimo ingreſſu Cracouiam & Coronatione præclariſſima HENR. VALESII. Sic etiam habemus *Andreæ Maximil.* Fredro a Pleszevice, Caſtellani Leopol. & tandem Palatini Podoliæ, Geſtorum populi Poloni ſub HENRICO VALESIO Librum, quem hic *Dantiſci* edidit *Georg. Fœrſterus*, S. R. M. Bibliopola, de factis heroicis Regum Pol. ab obliuione vindicandis, inſigniter meritus, A. 1652. 4. recuſum apud eum A. 1660. B 12. Incipit vero ab A. 1572. & in A. 1576. deſinit. Quæ poſterioribus annis à STEPHANO BATOREO in Liuonia contra Moſchos fortiter feliciterque geſta ſunt, eleganter deſcripſit *Reinh.* Heidensteinivs in libris VI. Commentariorum de Bello Moſcovitico STEPHANI Regis Pol. *Cracou.* 1584. f. & *Baſil.* 1588. 4. editus, qui & in *Cromeri* Polonia, f. 733. & inter *Script. Rer. Moſc.* habentur, ac præterea germanice ſtudio *Henr.* Ræfel redditi, prodiere *Gorlicii* 1590. 4. Sed ſex iſti Libri non differunt ab iis, quæ in maiori opere Rerum Polon. ab exceſſu SIGIS- C MVNDI AVG. lib. 3. 4. 5. & 6. continentur. Separatim prodiit Hiſtoria Rerum à Poloniæ Rege in Moſcouia ſuperiori anno fortiter & feliciter geſtarum, vt & Narratio de bello Perſico, 1581. 4. vbi in fine libri appoſitum eſt nomen *Venceslai* Bvdovvitz à Bvdova. Cui addi poteſt Supplementum rerum inter Eum & Moſchum An. 1579. geſtarum ex hiſtoria *Alex.* Gvagnini, quod extat in *Io. Piſtorii Corp. H. P.* Tomo III. f. 114. & ap. *Guagnin.* T. I. p. 211; nec non ipſius STEPHANI Epiſt. ad ordines regni Polonici de rebus a ſe in bello adu. Moſchos A. 1579. geſtis, ap. *Guagn.* T. 1. p. 357. Nec negligi debent D. *Laurentii* Mulleri, Conſiliarii Curlandici, Hiſtoriæ Polonicæ, Liuonicæ, Moſcovviticæ & aliæ, germanico ſermone fideliter deſcriptæ, & primum *Francof.* A. 1585. 4. deinde *Lipſ.* 1606. f. editæ, quibus bella STEPHANI imprimis in compendio recenſentur. (1)

§. XVII.

Sub Sigismundo III. & Vladislao IV.

Genealogiam SIGISMVNDI III. Polon. atque Sveciæ Regis, edidit I. Messenivs, Suecus, Regique dedicauit, *Dantiſci*, 1608. 8. Sed magis Hiſtoriam hanc illuſtrant ea, quæ habentur in *Stanislai* Lvbienski, Epiſc. Plocenſis, (qui obiit 8. Idus April. A. 1640. æt. 67.) Operibus poſthumis, ab Exſecutoribus teſtamenti *Antuerp.* ap. *Io. Meurſium*, 1643. f. editis, vbi inter alia habentur (α) Profectio Regis in Sueciam, cum poſt mortem IOANNIS, Sueciæ Regis, Parentis ſui, hereditarium regnum capeſſeret, fol. 1. (β) De motu ciuili in Polonia, qui A 1606. cœptus eſt, & ad A. vsque 1608. perdurauit, Libri IV. f. 22-153: quem notabilem motum (à Polonis *Rokoſz* dictum) Italico etiam ſermone deſcripſit *Alexand.* Cilli, in Hiſtoria motus ciuilis, Anno 1606. 1607. 1608. in Polonia facti, *Piſtoiæ* 1627. 4. ex quo verba quædam repetit ac illuſtrat *Bailius, in Reſponſ. ad quæſt. cuiusd. Prouinc.* T. 1. p. 613. (γ) *Stanislai* Zolkievii, Generalis Exercituum R. P. Ducis, de Bello Turcico Epiſtola, ab Auctore in latinum verſa, vbi magnus ille Senex imminentem ſibi exitum haud obſcure præſagit, f. 185-87. (δ) Epiſtola nomine SIGISMVNDI III. ad GREGORIVM XV. ſcripta, continens narrationem belli Turcici ad Chocimum geſti, f. 187-90. (ε) Narratio de eodem bello Imperatori FERDINANDO II. facta, f. 190-93. (ζ) Querela & diſſertatio de ſtatu rerum Polonicarum ac militari confœderatione, quæ 1622. accidit, f. 193-202. De his *Stanislai* Lvbienski operibus poſthumis obiter notamus, quod in nonnullis, & quidem rarioribus exemplaribus aliqua occurrant, quæ in aliis caſtratis exemplaribus non reperiuntur. Ea nos infra ſubiiciemus, ne diuerticulo intempeſtiue hic indulgeamus. (††) Extat quoque Narratio de

(1) Prodiit etiam *Ambergæ* 1595. 4. & *Francof.* 1586. f.

(††) Nempe F. 131. in fin. poſt verba: *In maximo eſſent periculo*, ſequentia inſerenda ſunt: *Viri aliquot illuſtres, quorum nominibus parcendum cenſeo, turpi, Rege inſpectante, fuga famam & exiſtimationem ſuam fœdarunt. Nec vnus ex præcipuis Proceribus, Vir alioquin clarus, & in bellis feliciter verſatus, conceptæ de ſe exiſtimationi eo die reſpondit: Nam cum Regii agminis, & earum cohortium, quæ cuſtodiæ Regiæ attributæ erant, adeoque Regiæ ſalutis tuendæ munus in ſe ſuſcepiſſet, turbatis rebus, nec nutantes cohortes ſuſtinuit, nec omnino ea cura, qua opus erat in tuenda Regia ſalute, verſari viſus eſt. Sed vtcunque tum alea prælii ceciderit, ſciat poſteritas, cui hæc ſcribimus, Regem Regiumque exercitum in maximo fuiſſe periculo ob diſcordiam Ducum, deſertum Regem pene ab omnibus, & præcipuos quosque ſuæ potius quam Principis ſaluti turpiter conſuluiſſe.* T. 199. lin. 18. lege. *factum eſt, vt* Lvbomirskio, *nondum exauctorato milite, ab eius regimine amoto, curaque exercitus in alios translata, coiret nefanda conſpiratio.* &c. Ibid. lin. 22. poſt *poſſent*, adde: *Sero admodum monitus* Lvbomirscivs, *vt nata iam & adulta con-*

de Polonica electione in Comitiis Varſauienſibus Anno 1587. acta, & quæ ſecuta ſunt vsq; ad Coronationem SIGISMVNDI III, 1598. 4. Verum propius ad SIGISMVNDI huius eiusque ſucceſſoris VLADISLAI IV. hiſtoriam faciet *Paulus* PIASECIVS, Epiſc. Premiſlienſis, cuius Chronica geſtorum in Europa ſingularium, ab A. 1571. inchoata, & in A. 1645. deſinentia, primum *Cracou. 1645. f.* deinde ſecunda editione auctiora, & ad A. 1648. continuata, ibidem *Cracouiæ* in officina *Franc. Cæſarij* A. 1648. f. impreſſa, & tandem in *Belgio* ſine die & conſule recuſa ſunt, vbi etiam obſeruationes ad quædam loca huius Chronici, in quibus Autor de rebus Gallicis & Belgicis tractans a veritate nonnihil aberrauit, ad calcem operis in quibusdam Exemplaribus poſtremæ editionis adiectas videre licet. In hoc Scriptore, alias ſatis iudicioſo, non ſolum eo ſtatim tempore, quo opus in lucem ediderat, præſertim ex Polonis plurimi, in rebus Polonicis quædam deſiderarunt, vti apparet ex variis iudiciis, hinc inde obuiis, & in MS. tantum extantibus, qualia beneuole ad legendum nobiſcum communicauit Magnificus Dn. FRIDER. GOTTLIEB ENGELCKE, Inclutæ huius Reip. Præcoſ. & *Neringæ Scarpauiaque* Adminiſtrator, de officiis ſingulis optime meritus, Patronus obſeruantiſſime colendus; ſed etiam poſtea nonnulli exterorum ſcriptorum, fabulis indulgens Auctoris ingenium, fidem non vbique integram, & de aliarum nationum ac religionum hominibus nimis ſiniſtrum iudicium reprehenderunt. vid. *Hartknoch. de Rep. Pol.* L. I. c. 2. p. 33. Dn. *Becman in Hiſtor. Orb. Terr. Geograph. & Ciuil. Part. 2. c. 8. §. 1. pag. 676.* & Autor *Bibliogr. Curioſæ tit. Moſcou. Ruſſ. Polon. &c.* Porro res auſpiciis SIGISMVNDI geſtas exponit atque illuſtrat *Stanislaus* KOBIERZYCKI, Caſtellanus Gedanenſis, poſtea Palatinus Pomeraniæ, in Hiſtoria VLADISLAI PRINCIPIS, Libris XI. nitidiſſime conA ſignata, ſiue de eius ante Regiam dignitatem rebus geſtis, *Dantiſci* apud *Georg. Færſterum* 1655. 4. quam *Conringius* in *Scholis Hiſtoric. MS.* Liuianum candorem & vbertatem exprimere, rectiſſime iudicat, notante B. Dn. GRYPHIO, in *diſſ. de Scriptor. Hiſtor. Sec. XVII. c. 10. §. 5.* Optandum modo foret, vt Vir illuſtris eodem habitu VLADISLAVM REGEM (vti quidem recepit in *Epiſtola dedicat. ad Leonem* SAPIEHAM, *M. D. L. Cancell.*) nobis dediſſet, ſed fato, vt opinor, præuentus hanc laboris partem non abſoluit. Ceterum à *Chwalkouio* adhuc laudantur *Stanisl.* ZOLKIEVII Comment. B belli Moſcouitici ſub SIGISMVNDO Rege, (1) Item *Ioh.* TARNOVII, & *Car.* CHODKIEVVICII Rerum cum Sueco, Moſco & Turca geſtarum libri, lingua ipſis vernacula ſcripti, qui tamen typis non ſunt editi. Speciatim famoſam illam SIGISMVNDI III. contra Turcas expeditionem, cui VLADISLAVS quoque interfuit, expoſuit *Io. Innocentius* PETRICIVS, Medicinæ D. & Profeſſor ac Hiſtoriographus in Academia Cracouienſi, cuius ſtudio alias prodiiſſe legimus Principem Polonum *Cracou.* 1633. 4. & Comitia Sapientum. *ib.* 1618. 4. Huc vero pertinet Rerum in Polonia ac præcipue belli cum Oſmanno, Turcarum Imperatore, geſti finitique A. 1620. & 1621. Hiſtoria, C quæ prodiit primum *Cracou.* 1620. in 4. geſta primi tantum Anni 1620. exhibens, deinde plenius *ibid.* 1637. f. Eandem Expeditionem ſtylo plane lacteo ac florente deſcripſit *Iacobus* SOBIESKIVS, olim ad Chotinenſem expeditionem ab Equeſtri Ordine deſignatus belli pacisue Arbiter, (Commiſſarium dicimus) poſt autem Caſtellanus Cracouienſis, primus regni inter profanos Proceres Senator, & quod his titulis longe maius eſt, Diui IOANNIS III. Pater,

ſpirationi iret obuiam, ſed ſegniter id quoque ab eo ſuſceptum negocium, tractatumque multi credidere. T. 240. lin. 35. poſt *gerebatur*, ita lege: *Nec eæ vires belli moderatoribus, quibus hoſti pares eſſe poſſent, ſuppeditabantur.* F. 458. lin. 32. poſt verba: *aliter conſulere cogamur*; in altera editione ſequentia ſic ſe habent: *Quanquam adhuc incertum eſt, vtrum ſincere is hoſtis pacem offerat, an vero diuturniore armorum ſuſpenſione, bellum eo fine ducere cogitet, vt nos ſumtibus, quos in alendo exercitu erogare cogimur, exhauriat. It Sereniſſimus Rex obuiam hoſti, ex re & occaſione conſilium capturus. Nullam certe gentem commodius & facilius aggredi Turca poteſt, quam Regnum Poloniæ, in quod quotieſcunque libet, non ſolum Europæum militem, quo ipſius exercitus robur conſtat, ſed & Tartarorum ingentia agmina, iunctis Tranſyluanicis, Moldauicis, & Vallachicis copiis quin effundat prohiberi non poteſt: nulli montes arcent, nullæ arces obſtant, quæ impetum ipſius vel remorentur vel ſuſtineant. Quodſi exercitum diuidere illis libuerit, nos totis viribus vni parti vix pares, ab altera impune graſſante opprimeremur: hoſtis vero etiamſi ſemel victus fuerit, non magno ſuo detrimento alterum exercitum facile reparare poteſt, & bellum multis continuare annis. Hi ſunt metus noſtri, hæ periculorum cogitationes, quæ & Seren. Regis noſtri heroicos pro Rep. Chriſtiana conatus, & militiæ Polonæ ſæpius felices auſus cohibent, ne plus conemur, quam poſſimus, ne aliis bellis, quibus conſpiratione hæreticorum, & eorum qui illis fauent appetimur, obruamur. Hoc ipſo anno -- poſcit conditiones. Sed ego priuatis rebus* -- usque ad fin.

(1) Cuius chronologiam *Iohannes* KRAIEVVSKI verſibus Polonicis inſertis figuris edidit. *Cracou.* 1615. f.

ter, Libris tribus Commentariorum Belli Chotinenſis, quos à tineis & blattis vindicatos, primus in ſcenam literariam produxit *Georg. Fœrſterus*, & *Dantiſci* typis, vt conſueuit, venuſtiſſimis tantoque ſcriptore diguiſſimis, A. 1646. 4. publicauit. Nominanda hic quoque erit *Samuelis* KVSZEVVICZ Legatio Zbarauiana & rerum apud Ottomanos 1622. geſtarum ſeries, *Dantiſci* ap. *Georg. Fœrſter. 1645. 12.* excuſa. (1) Quod VLADISLAVM IV. (qui A. 1632. imperii ſummam capeſſiuit) attinet, de eius Geſtis opus in duas partes diſtinctum conſcripſit, eidemque viuenti nuncupauit *Euerhardus* WASSENBERGIVS, *Embricenſis*, Hiſtoriographus Regius, qui in prima parte, III. Libris conſtante, VLADISLAVM PRINCIPEM; in altera, totidem Libris, REGEM panegyrice repræſentat. Opus hoc prima vice *Gedani* typis *Hinefeldianis*, A. 1641. 4. deinde iterum *ibid. 1643.* in 4. prodiit, quæ editio licet in titulo dicatur auctior atque correctior, nihil tamen præter adiectam tabulam obſidionis Smolenſcenſis, in ea mutatum deprehendas, paginas quoque in vtraque editione ſibi mutuo correſpondere animaduertes. Prolixius vitam & res geſtas incluti Regis deſcripſit *Samuel* à SKRYPNEY TVVARDOVVSKI. (2) De VLADISLAI IV. Extremis, libellum *Ioach.* PASTORII mox plenius allegabimus.

§. XVIII.

Sub Ioanne Caſimiro.

IOHANNIS CASIMIRI Vita gallice primum edita, (3) mox in germanicum ſermonem verſa prodiit *Noribergæ 1680. 12.* Illius *Carcerem Gallicum* conſcripſit memoratus WASSENBERGIVS, qui liber prodiit 1645. 4. De Conſanguineis eius proximisque Agnatis extat plenaria informatio, ſtylo germ. contexta, in *Append. Diar. Europ.* Part. XIX. p. 69. ſeqq. Sed maiori agmine infelix illud & calamitoſum regimen, quod XXI. anni componunt, literis mandauit *Veſpaſianus* à KOCHOVV KOCHOVVSKI, Tribunus terræ Cracou. generalis & Hiſtoriographus, Phœnix literatorum noſtræ ætatis, vt eum appellat B. D. SCHVLTZIVS, *Tr. de Polon. nunquam Tributar.* Eius tres Annalium Poloniæ Climacteres (à *Viro militari ſtylo quidem ſatis aſpero, ſententiis tamen eximia prudentia plenis commendabili, ſcripti*, quæ verba ſunt Dn. GRYPHII in *diſſ. de Script. Sec. XVII.* c. 10. §. 5.) *Cracou. 1683. 1688. & 1698. f.* editi ſunt, quorum primus Vkraynenſe cum Coſacis bellum ab A. 1648. vsque ad 1655. ſiue res primo ſeptennio geſtas, totidem Libris complectitur; alter bella cum Suecis, Moſchis, Tranſyluanis, aliisque ab A. 1655. ad 1661. geſta, aliis ſeptem Libris exhibet; Tertius ab A. 1662. ciuiles motus & interna Reip. diſſidia, vsque ad punctum Abdicationis IOH. CASIMIRI Regis, A. 1668. factæ, enarrat, ſeptemque itidem Libris abſoluitur. Eiusdem regiminis hiſtoriam, bellaque varia, præter Autorem NOVI FLORI POLONICI, germanice editi *Norimbergæ*, 1666. 12. (de quo vide *Placcium* in Theatro Anonym. n. 1837.) illuſtrat *Ioachimus* PASTORIVS in Bello Scythico Coſacico, qui liber *Dantiſci* 1652. 4. ap. *G. Fœrſterum* prodiit, & in Hiſtor. Polona pleniori, ſiue de VLADISLAI IV. Regis extremis, ſecutoque inde Interregno, & IOHANNIS CASIMIRI Electione ac Coronatione, interſerta Coſacorum & Tartaricæ ſimul gentis deſcriptione, quæ ib. 1680. & cum Parte poſteriore de Regis huius Expeditione Zborouiana & Bereſteciana, profligatoque ibid. Chano Tartarico, ac Chmelnicio Coſaco, 1685. 8. procurante dicti *Paſtorii Filio*, (vt ſupra §. XI. iam notauimus) in lucem emiſſa eſt. (4) Eundem etiam Autorem fuiſſe putamus Relationis glorioſiſſimæ Expeditionis, victorioſiſſimi progreſſus & fauſtiſſimæ pacificationis cum hoſtibus Seren. IOANNIS CASIMIRI, ſine Autoris nomine editæ

(1) Eandem verſibus polonicis prolixe deſcriptam edidit *Samuel* ZSKRYPNEY TVVARDOVVSKI *Cracou.* 1639. 4.

(2) Sermone vernaculo, & quidem ligato. Opus conſtat V. libris, ſeu vt Autor loqui amat, punctis. pr. *Lesnæ* 1650. f.

(3) Pariſ. 1680. 12. per D. L. V. R.

(4) Polonicis verſibus expeditionem Zborouianam decantauit eques quidam Polonus, RADVVAN dictus. Varſau. 1649. 4. de rebus a. 1648. & 1649. contra Zaporouios Coſacos geſtis exſtat narratio *Alberti* WIIVK KOIALOVVICZ. *Vilnæ* 1651. 4. germanice habetur. Kurtzer Summariſcher Bericht was im Monath Auguſto 1649. zwiſchen den Partheyen Königl. Polniſcher Seyten/ und den Coſaken in Reußland biß zu erhaltenem Frieden vorgelauffen. 1649. 4. Eines Nahmhafften Officirers Relation der Coſaken Revolte wider die Cron Polen/ den Anfang derſelben/ biß zur Friedens-compoſition e. a. 4. Puncta der Verordnung und Befriedigung der Zaporovver Krieges-Volcks / wie dieſelbe auf der commiſſion unter Biala Cierkievv von den Commiſſarien a. 1651. im September ſind abgehandelt worden. 4. Puncta des Vertrages zwiſchen dem Könige und der Cron Polen / und denen Zaporouiſchen Coſaken/ ſo auf dem Reichs-Tage zu Warſchau 1659. confirmiret worden. 4. Orationes der Herren Niemieryczen als Abgeſandten der Coſaken auf dem Reichs-Tage zu Warſchau vor dem König und gantzen Senat gehalten 1659. 4.

editæ 1649. 4. (1) quo tempore etiam prodiit Obſidio Zamoſciana à Coſacis facta, & a *Io.* Bytomski, Prof. exhibita *Zamoſcii* 1649. A 4. Ad notitiam huius belli faciet quoque *Alb.* Viminæ, *Bellunenſis*, Hiſt. bellorum ciuilium Poloniæ, ſermone hetruſco exarata, & *Venet.* 1671. ac cum Annotat. *Io. Bapt.* Casotti ib. 1678. 4. excuſa, vbi Polonorum vitia liberrime carpuntur, multaque leguntur, quæ alibi non inuenies. Eodem ſermone deſcripſit has turbas *Maiolinus* Bisaccioni in Hiſt. bellorum ciuilium, *Venet.* 1655. 4. quarta vice edita, a pag. 272. ad 397. qui tamen interdum veritati non ſatis litaſſe videtur, monente Dn. Gryphio, *loc. cit.* §. 5. Similiter huc pertinet Relatio glorioſiſſ. Victoriæ IOHANNIS CASIMIRI, R. P. de Hano Crimensi, rebellibusque Coſacis ei fœderatis, die 30. B Iunii 1651. apud Bereſteczho obtentæ, impreſſa *Varſauiæ* dicto anno in 4. nec non Autor Tractatus, qui inſcribitur: Res in Lithvania Gestæ per tempus rebellionis Ruſſicæ, impr. *Regiom.* 1653. 12. (2) Item *Iohannes* Zielenievicii memorabilis victoria de Szeremetho, armis IOHANNIS CASIMIRI, P. R. ad Cudnouiam reportata. *Cracou.* 1668. 12. (3) Iuuabunt etiam hanc hiſtoriam duo Autores Galli, quorum vnus Anonymus Hiſtoriam belli Coſacici, *Pariſ.* 1663. 12. alter, Linage de Vauciennes, Cauſas tumultus Coſacici edidit *Pariſ.* 1674. 12. Iis addimus Cl. Bailium, qui in Cogitationibus diuerſis occaſione Cometæ, qui a. 1680 C apparuit Gallice exaratis T. I. p. 77. & ſeq. de tumultibus Coſacicis à morte VLADISLAI egit. Quibus Polonicæ linguæ vſus eſt, non ſine voluptate legent Maronis Poloni, (hoc enim nomen promeruit) *Samuelis* Skrzypno Tvvardovvski Carmen, trochaicis verſibus decantatum, & in IV. Libros diuiſum, de Bello domeſtico Koſaco-Tartarico-Moſcovvitico, dein Sueco-Hungarico ſeu Tranſyluanico per duodecim annos, regnante Seren. IOH. CASIMIRO, Pol. Rege, geſto, *Caliſſii*, 1681. f. de quo *Acta Erud.* A. 84. p. 53. (4)

§. XIX.

Sub Michaele, Iohanne III. & Friderico Auguſto.

Breue MICHAELIS regnum ſtylo ſatis perplexo deſcribit *Caſim.* Zavvadzki, Caſtellanus Culmenſis & Capitaneus Lipinenſis, in Hiſtoriæ Arcanæ, ſiue Annalium Polonic. Libr. VII. primum *Dantiſci 1693. 4.* integre publicatis, (etſi poſtmodum bibliopola quidam, rationibus forte politicis motus, annum mutauerit, & *Coſmopoli 1699.* poſuerit:) Pars illarum iam a. 1675. prodierat *Dantiſci* typis *Rhetianis* 4. hoc titulo inſignita: *Herculeus labor, ſpreta præſertim inuidia, & contempto ex flagrantibus odiis periculo, dum Reipublicæ conſulitur; publicæ vtilitati, & equeſtris ordinis dignitati à Caſimiro* Zavadzki, *Gubernatore Pucenſi, ſub ſpecie illuſtris doni conſecratus.* Complexa L. I. II. III. & principium IV, vsque ad illa editionis Coſmopolitanæ p. 161. verba: *Id Gracchorum genti, ceteriſque tribunitia poteſtate alios prægnantibus.* Hic abruptum opus, neſcio qua ex cauſa remanſit, idque à reliquis editionibus hinc inde differre obſeruaui. Frontiſpicio inſerta eſt memorabilis illa parænesis: *O Patria ſi ſapis, exitium Tuum non fato, ſed moribus imputes.* Antea idem Zavadzkivs ediderat Diarium electionis Regis Michaelis, ſub tit. *Gloria orbi, Sarmatico conſenſu monſtrata, à DEO data, & Seren. Princ.* MICHAELI KORYBVT, *&c. Regi Orthodoxo, cum prima imperii ſpatia feliciter ingreſſus fuiſſet, exhibita Varſau. 1670. 4.* Actum Coronationis eiuſdem Seren. Regis idiomate Polonico deſcriptum exhibet *Iohannes Albertus à Ianic* Ianicki, *Cracou.* 1670. f. de eius Genealogia, vid. ſupra §. IX. Amores qui in aula eius feruuere, tectis nominibus iiſque ob anagrammatiſmos mire contortis, forte etiam quædam ingenio indulgens deſcripſit in Memoriis ſuis Petrus *Franciſcus Prodez*, de Peragrem, Marchio d'Almachev, publicatis *Amſtelod.* 1677. 12. 2. Volum. Quod obſeruatum videmus Viro Nobiliſſ. Ioh. Burch. Menckenio *de commentariis Hiſtoricis, quos Galli* MEMOIRES *vocant*, n. LIII. (5) IOANNIS III. Regimen con-

(1) Et in germanicum ſermonem e. a. translatæ.

(2) Infra §. L. allegatur *Anonymi* Autoris *Rerum M. Ducatu Lithuaniæ per tempus rebellionis Ruſſicæ* (a. 1648.) *geſtarum commentarius, Libris II. conſtans, & Elbingæ 1655. editus,* qui vtrum idem ſit cum hoc præſenti non conſtat.

(3) Quam & Anonymus quidam verſibus polonicis deſcripſit, & IV. partibus abſoluit. *Cracou.* 1661. 4.

(4) Prodiit prima vice *Cracouiæ* 1660. f. Sed iſta editio cuius duo exemplaria ad manus meas peruenerunt, primum modo bellum domeſticum Coſaco-Tartarico Moſcoviticum a. 1648. & 1649. geſtum exhibet, licet in titulo Sueci quoque & Hungarici fiat mentio. Vidi alias eiusdem Autoris bellum Coſacicum poſterius A. 1651. geſtum, carmine polonico deſcriptum & impreſſum *Leſnæ* 4.

(5) Nonnulla ad Connubii eius hiſtoriam inſeruientia ſuppeditabit, Vita Caroli V. Ducis Lotharingiæ, cui Sereniſſima Vidua poſtea nupſit, germanice in 12. edita. Plenius illa & maximam partem vera, ſed immutatis anagrammate nominibus, & admiſtis paſſim delectationis cauſa excogitatis relationibus, ſiſtitur in fabula Romanenſi non ineleganti: Die Durchlauchtige Olorena (h. e. Leonora) quam ab Autore ſuo non perfectam, perſonatus Talander abſoluit ac edidit.

concernunt DALERACI *Anecdota Poloniæ*, ſeu Memoriæ ſecretæ Regiminis IOHANNIS III. *Pariſ.* & *Amſt. 1699.* duobus Tomis in 8. gallico idiomate publicatæ; vbi tamen obſeruandum, primum Tomum eundem plane eſſe cum *Memoriis* BEAVJEVSII, eodem ſermone ſeorſim editis *Pariſ. 1698.* & *Amſt.* recuſis 1700. 12. vt notauit *Iac. Bernardus in Nou. Reip. Liter. A. 1699. T. 2. p. 633.* Quanquam alii αὐτόπται hic (quod obiter addimus) cum *Bernardo*, ſcriptore ſecus accuratiſſimo, non faciant. (1) Maiori apparatu Vitam & res geſtas IOHANNIS SOBIESKI III. belgico ſermone deſcripſit van der Linde, adiectisque monumentis aliis, publicauit tribus partibus, cum figuris. *Amſt. 1685. 4.* Bellum IOANNIS Coſacicum delineauit Dn. *de la* CROIX, olim Legationis Gallicæ, in Aula Turcica, Secretarius, in libro, cui tit. *Guerres des Turcs avec la Pologne, la Moſcovie & la Hongrie, Haga C. 1689. 12.* De Expeditione eiusdem Regis Viennenſi extat Relatio *Michaelis Erneſti* DLVGOSSI, ſub tit. *Magni* IOANNIS III. *Auguſtum Viennenſe*, Veni, Vidi, Vici, *aſſertum* A. 1683. impr. typis monaſterii *Oliuenſis.* A. 1684. 4. Nec non *Veſpaſiani* à KOCHOVV KOCHOVVSKI *Commentarius belli aduerſus Turcas ad Viennam & in Hungaria a. 1683. geſti, ductu & auſpiciis* IOANNIS III. *Cracouiæ. 1684. 4.* Quæ poſt obitum IOANNIS, durante interregno, acta fuere, explicantur in BISARDIERII Hiſtoria ſciſſionis ſeu diuiſionis in Polonia factæ d. 27. Iun. 1697. (*Hiſtoire de la Sciſſion ou diviſion arrivée en Pologne, au ſujet de l' election d' un Roy*) *Lutet. 1699. 8.* edita. Eiusdem autem hiſtoria Comitiorum apud Polonos, (*Hiſtoire des dietes de Pologne*) *ibid. 1697. 12.* edita, & *Amſtel.* e. a. recuſa, in morte Regis terminatur, nec quicquam de interregno refert. De aliis ad Regem hunc & Sereniſſimum eius Succeſſorem pertinentibus infra dicendi locus recurret.

§. XX.

Scriptores, à Piſtorio *T. III. exbibiti, aliiq; qui ſpecialia tantum Regum facta deſcripſerunt, vt* Sigismundi I.

Particularis hiſtoriæ ſcriptoribus iungimus nonnullos alios, qui ſingularia quorundam Regum facta breuiter memoriæ mandarunt: In qua claſſe etiam locum teneant illi, qui Panegyricos ſermones, lætitia & mœrore facundos, vtroque ſtylo conſignarunt. Initium à SIGISMVNDO I. Rege facimus, (nam de prioribus Ducibus Regibusque pauca particularia monumenta occurrunt, inter quæ tamen locum merentur duæ M. *Georgii* WENDII, Rectoris in Gymnaſ. Thorun. Diſſertationes, in quarum vna, Trium antiquiſſimorum Poloniæ Ducum LECHI II. LESCI II. & POPIELI II. fata finalia, partim hiſtoricis, partim moralibus diſcurſibus interpolata, *Thorun.* 1699. 4; altera VENDÆ antiquiſſimæ Poloniæ Ducis fatum finale iisdem diſcurſibus interpolatum A. M. DCIC. 4. ſunt exhibita; (2) itemque BOLESLAVS CHROBRI, Rex Polonorum primus, carmine publice laudatus à *Dan.* SCHRADERO. Coſ. poſtea Dantiſcano. *Gedan.* 1662. 4. SIGISMVNDI autem peculiaria quædam facta referuntur in *Piſtoriano Corpore*, eiusque Tomo III, vbi præter alia occurrunt, quæ paſſim etiam in Collectione, quæ *Guagnini* nomen fert, Tomo III. leguntur, nimirum.

(1. PISONIS, Legati Pontif. Epiſtola ad *Ioannem Coritium*, de Conflictu Polonorum & Lithuanorum cum Moſchouitis, *fol.* 1. & ap. *Guagn.* pag. 515. (2. Epiſtola SIGISMVNDI R. P. ad LEONEM X. P. M. de victoria, contra Schiſmaticos Moſchouios apud aras Alexandri M. parta A. 1514. d. 8. Sept. *fol. 5.* & apud *Guagnin.* p. 527. (3. ERASMI VITELLII, Epiſcopi Plocenſis, Oratio, in Conuentu Auguſt. ad Cæſarem MAXIMILIANVM I. nomine SIGISMVNDI, habita coram omnibus S. R. I. Proceribus, A. 1518. f. 7. & ap. *Guagnin.* p. 513. quam orationem primum edidit, & *Eraſmo Roterodamo* inſcripſit *Iacobus* SPIEGEL, Seleſtadienſis, Imperialis Secretarius, *Auguſt. Vind. 1518. 8.* poſtea eam *Volumini I. Select. Oration. de Bello Turcico pag. 65.* inſeruit *Nicol.* REVSNERVS, Conſiliar. Saxonicus. (4. Victoria SIGISMVNDI contra Vayuodam Muldauiæ, Turcæ tributarium & ſubditum, &c. quæ à DEO data fuit menſe Auguſto 1531, excerpta ex ipſis Regis literis per *Ioh.* DANTISCVM, Epiſcop. Culmenſem, Regisque Oratorem, f. 11. & ap. *Guagn.* p. 545. itemque apud *Schard. T. II. Rerum German. pag. 279.* (5. Fragmentum ex *Sigism.* de HERBERSTEIN de bello Poloni & Moſchi, f. 13. quod extat in eius *Comment. Rerum Moſcouit. p. 10-14. edit. Baſil. 1571. f.* (6. *Mart.* CROMERI Oratio in funere SIGISMVNDI, f. 15. & ap. *Guagn.* p. 557. quæ præterea reperitur in *Cromeri Polonia*, f. 460. itemque *in Orat. funebr. Pontif. Regum &c.* p. 286; in quo funere eo tempore aliæ quoque Orationes habitæ fuerunt, ex

(1) Sub ficti huius BEAVJEV nomine latere DALERACVM (d' ALERAC) & has memorias anecdotorum eius partem primam quaſi conſtituere, quippe quæ iter Autoris Pariſiis Varſauiam verſus proſequuntur, notat idem Dn. MENKENIVS l. c. n. 82. GRYPHIVS quoque l. c. p. 525. ſtilum ac rationem ſcribendi id arguere iudicat.

(2) Excuſa eſt *Lipſiæ* a. 1702. 12. fabula Romanenſis, ſub tit. die Polniſche VENDA, ſed res ſub Auguſto II. in Polonia geſtæ ſub iſtis inuolucris tractantur. Autor eſt Imperialis, quo ſub nomine latet *Ioabimus* MEIER I. V. L. & in Pædagogio Electorali Göttingenſi Profeſſor,

ex quibus ſaltem allegare licet Orationem *Staniſlai* Orichovii, *Rutheni*, quæ ſeptimum locum tenet ap. *Piſtor.* f. 33. & inſuper ap. *Guagn.* A
p. 613. & in *Orat. funebr. Pontif. Reg.* pag. 30. reperitur; (1) & aliam *Samuelis* Maciejovvski, Epiſc. Cracou. & Regni Pol. Vice-Cancellarii, quæ per *Staniſl.* Hobium, Secretarium illo tempore Regium conſcripta, extat in *huius Operibus*, ſtudio *Staniſl.* Rescii editis *Colon.* 1584. f. T. II. f. 462. Addimus vero memoratis ſcriptis, Relationem germanicam de ingreſſu SIGISMVNDI, Regis, in ciuitatem Gedanenſem, & homagio ipſi præſtito, *Cracou.* per *Hieron. Victorem*, editam 1526. 4; nec non Hodœporicon ſeu itinerarium Matthæi Cardinalis Gvrcensis, Coadiutoris Salzburg. generalisque imperii locum tenentis, B
quæque in Conuentu MAXIMILIANI Imp. & Regum VLADISLAI, SIGISMVNDI ac LVDOVICI memoratu digna geſta ſunt, per *Richardum* Bartholinvm, Peruſinum, quæ *Viennæ* primum *Hieron. Victor.* impreſſit 1515. 4. deinde T. II. *Script. Rerum Germ.* f. 321. ſeqq. inſeruit *Marqu.* Freherus, vbi inter Orationes, Epiſtolas, Carminaque ibi inſerta, etiam leguntur: *Ricardi* Bartholini Carmen heroicum ad SIGISMVNDVM Sarmatiæ Regem, f. 334; *Io.* Dantisci Sylua, ſeu poëma de profectione eiusdem Regis, poſt victoriam contra Moſchos, in Vngariam, f. 336; *Gaſparis Vrſini* Velii Epiſtola ad *Iohannem Thurzo*, Epiſcopum Vratiſlau. de Conuentu Poſonien- C
ſi, eodem ſtylo, f. 345; & Oratio Bartholini, in eodem Conu. habita, f. 361. (2)

§. XXI.

Sigismundi Augusti.

SIGISMVNDVM I. in regimine excepit SIGISMVNDVS AVGVSTVS, SIGISMVNDI I. filius, & Iagellonicæ ſtirpis Rex vltimus, de quo multa notatu digna refert *Antonius Maria* Gratianvs à Burgo S. Sepulchri, Epiſc. Amerinus, qui ſcripſit de Vita *Iohannis Franciſci* Commendoni, Cardin. & Pontif. Legati, tempore SIGISMVNDI AVGVSTI & electionis HENRICI VALESII, Libros IV, *Pariſiis* 1669. 4. poſt obitum Autoris editos, vbi Libr. 2. c. 15. agit de Ruſſia, c. 16. de Podo- D
lia, deque eius frequentandæ conſilio Regi allato, c. 17. de Rege cupiente diuortium cum vxore facere, & per *Commendonum* diſſuaſo; Lib. III. de actione cum Rege & Polonis de fœdere; L. 4. c. 1. de SIGISMVNDI AVGVSTI morte, c. 3. de Conſiliis eius, Regnum vni è Cæſaris filiis conciliandi, c. 6. de Competitoribus regni, c. 9. de comitiis habitis & HENRICO Rege creato; c. 12. de aduentu Regis & de coronatione & fuga eius. Vitam illam Commendoni ex latino in gallicum ſermonem nitide quoque tranſlatam debemus Flecherio, Epiſcopo Nemauſenſi, *Pariſ.* 1695. 12. excuſam. Alias ſingularia SIGISMVNDI AVGVSTI exhibebunt ipſius SIGISMVNDI AVGVSTI Epiſtolæ, Legationes & Reſponſa, nuper e Muſeo *H. de Huyſen* edita à *Ioh. Burchardo* Menckenio *Lipſ.* 1703. 8. quibus etiam acceſſerunt STEPHANI BATORII, Poln. Regis, Epiſtolarum Decas & oratio ad Ordines Poloniæ, vt & opuſcula duo alia ad electionem Regis SIGISMVNDI III. ſpectantia. Elegans eſt Panegyricus nuptialis Regis Pol. SIGISMVNDI AVGVSTI à *Staniſlao* Orichovio, *Roxalano*, olim conſcriptus, quem cum alio eius Panegyrico, *Io. Chriſtophoro*, Comiti Tarnovio dicto, e tenebris in lucem produxit *Gabriel* Ioannitivs, Regius Prof. *Cracou.* 1605. 4. Nec ſicco prætereunda eſt pede oratio XII, *M. A.* Mvreti, X. Kalend. Febr. A. 1567. pro SIGISM. AVG. R. P. ad *Pium V*, Pontif. M. habita, in qua non pauca de Regni Pol. antiquitate atque amplitudine, & de rebus, quas multis abhinc ſeculis, Polonorum Reges, ſine vlla propemodum intermiſſione geſſerunt, vt & de ipſius SIG. AVG. pietate, animi magnitudine, fortitudine ac præſtantia dicuntur. Extat in *Oratt. gratulator. in Electione Coron. &c. Pontificum &c. habitis à Legatis Viriſue ſuæ ætat. doctiſſimis* p. 419. ſeqq. & inter *Oratt.* Mvreti à *Iac. Thomaſio* editas *vol.* 1. *orat.* 14. p. 127. cuius orationis mentio reperitur *L. II. Epiſt. Pauli Sacrati* p. 84. Fragmentum de vita & obitu SIGISMVNDI AVGVSTI extat apud *Piſtor.* T. III. f. 64. & *Guagnin.* T. III. p. 712., quod ex *Schardio* deſumtum, reperitur *Germ. Rerum Script.* T. IV. p. 181. In *Piſtoriano* Corpore ſequitur *Io.* Lasicii Hiſtoria de ingreſſu Polonorum in Valachiam, An. 1572. f. 67. & apud *Guagn.* p. 429. itemque *Leonh.* Gorecii deſcriptio belli Iuoniæ, Palatini Valachiæ, quod is cum Selymo, Turcarum Imperatore, geſſit f. 75. & ap. *Guagn.* p. 451. quæ ſtatim poſt SIGISMVNDI AVGVSTI obitum acciderunt. Vtrumque illud ſcriptum quod ſeorſim prodierat *Francof.* ap. *Andr. Wechelum* a. 1578. 8. germanice tranſtulit *Nicol.* Höniger von Tauber-Königshofen. & *Baſil.* 1578. 4. publicauit. (3) In exſequiis eius non prætermitti debent duæ Orationes, quarum prima

d *Sta-*

(1) Vt & p. 74. inter orationes Cl. hominum vel honoris officiique cauſa ad Principes, vel in funere de virtutibus eorum habitas, quæ in Academia Veneta prod. 1559. 4.

(2) Obitum SIGISMVNDI I. Oratione Panegyrica proſecutus eſt *Iacobus* Prilvsivs, notante Staravolscio in Script. Pol. p. 81.

(3) Ad belli quod cum Moſcis illi fuit hiſtoriam ſpectat: Beſchreibung wie Polozko in Litthauen a. 1563. von den Moſcowitern erobert und eingenommen. 4.

Stanislai Hosii, à *Stanislao Reſcio* recitata, extat in Opp. Hosii T. II. f. 479. altera *Io. Demetrii* Svlicovii, Archi-Ep. Leopol. t. t. Secretarii Regii, in *Cromeri Polonia* f. 701. habetur. (1)

§. XXII.

Henrici Valeſii. De ANDIVM DVCE in regnum Poloniæ allegendo, habetur Epiſtola *Io.* Monlvcii, Epiſc. Valentini, Regis Gall. Legati, ad Polon. Ordines, quæ vna cum *eiusdem* Defenſione pro Andium Duce aduerſus quorundam calumnias, & cum alia, aduerſus huius ipſius defenſionis calumnias *Zachariæ* Fvrnesteri Defenſione, pro iuſto & innocente tot millium animarum ſanguine in Gallia effuſo, prodiit *Luſiniani Pictonum*, excudente *Iuo Dorerio*, A. 1574. Habetur etiam cum aliis ad ea tempora ſpectantibus Tractatibus in *Collectione Tractatuum Pacis* Gallice ed. Amſtel. 1700. fol. T. II. p. 337. Anno autem 1575. pro Ioh. Monlucio, Epiſc. & Comite Dienſi, iterum exiit *Anonymi* Præſcriptio aduerſus libellum Zach. Furneſteri, quod ſcriptum in *Cat. Bibl. Thuan.* T. I. p. 437. *Iacobo* Cviacio tribuitur; Sed Furneſterus aduerſus hanc Præſcriptionem eodem adhuc anno nouam defenſionem edidit. Ceterum orationes variæ, quæ tum temporis à *Io. Franc.* Commendono, Cardinali, Apoſt. ſedis per Germaniam & Poloniam de latere Legato, item ab Imperatoris & Electorum Legatis, & a *Io.* Monlvcio, Epiſc. Valentiæ, in Comitiis Varſauienſ. pro electione noui Regis habitæ fuere, excuſæ ſunt *Cracou.* 1573. 4. (2) Epiſtola ad Staniſl. Hoſium Card. vna cum Actis Legationis de Regno, ad Henricum Pol. R. prodiit *Pariſ.* 1574. 4. *Caroli* Crassi, Lingonum Epiſcopi, ad Legatos Polonorum oratio *Metis* habita, edita eſt 1573. 4. Zamoscii, Legati, oratio ad Henricum Valeſium, item *Stanislai* Karncovii ad Henricum P. R. Panegyricus, cum *Vidi* Fabri, Domini a Pibrac (*Guy* du Favr vt conſtat ex Placcii Theatr. Pſeudon. n. 2149.) Reſponſione ad eundem, vt & Herborti, Legati Pol. Oratio, cum aliis Tractatibus *Pariſ.* 1573. & 1574. 4. prodierunt (3) Gallice hoc tempore in lucem emiſſi ſunt Tract. ſeqq. *Diſcours de l'entré du Roy de Pologne à Orleans en Iuillet*, 1573. 8. *Les honneurs faits au Roy de Pologne en Allemagne & en Pologne*, *Pariſ.* 1574. 8. *Harangue publique de bienvenue au Roy Henry de Valois elu Roy de Pologne, prononcée par Stanisl.* Carncovien, *Eueſque de Vladislauie*; *Reponſe a la dite Harangue par Monſ. de* Pibrac; *Diſcours de Iean* Choisnyn *de tout ce qui s' eſt paſsé en la negotiation de l' election du Roy de Pologne*, *Pariſ.* 1574. 8. *Declaration des Polonois ſur le retour du Roy en France*, *Pariſ.* 1574. 8. quæ ſcripta paſſim notantur in *Catal. Bibl. Thuan. T.* I. p. 437. Carncovii ille Panegyricus, vt & *Anonymi* cuiusdam, qui ſe *Probum Galliæ ac Poloniæ amantem virum* vocat, Oratio, extant etiam in *Cromeri Polon.* f. 694. & 721. Latuit autem ſub iſto nomine *Io. Demetrius* Solikovivs, ſi extra dubium poſita ſunt quæ traduntur in Placcii Theatr. Anon. n. 1126. a. *Steph.* quoque Forcatvlvs *Poloniam felicem, regnante Henr. Valeſio*, edidit *Pariſiis* in 4. quo tit. Autor Panegyricum, quo Henricum, Calend. Ianuar. 1574. ſalutauerat Regem, inſigniuit, qui & *Oratt. Gratulator. in Elect. Coronatione, Natiuit. Nupt. Triumphis &c. Pontificum, Impp. Regum, Principum*, *Hanou.* 1613. 8. editis, p. 447. inſertus reperitur. De Comitiis 1573. habitis & Henrico Rege creato, itemque de aduentu Regis, & de coronatione, & fuga eius, egit ſupra laudatus *Ant. Mar.* Gratianvs *L. IV. de vita Commendoni c. IX. & c. XII.* E. Tomo I. *Guagnini* & Tomo III. *Piſtorii* huc referendum eſt Exemplar quarundam literarum ſuper diſceſſum HENRICI III. itemque Senatus Polon. ad eundem Regem, incerto auctore. Continentur vero iſto faſciculo. (1. Oratio Dantzæ ad Senatum R. P. Cracouiæ congregatum habita, de Diſceſſu Regis Henrici, apud *Guagn.* p. 160. & ap. *Piſtor.* fol. 95. (2. Literæ Senatus R. P. ad Imper. Roman. ob diſceſſum Henrici, ap. *Guagn.* p. 164. & ap. *Piſtor.* f. 96. (3. HENRICI III. ad Senatores, Nobiles & Equites R. P. Epiſtola, ap. *Guagn.* p. 166. & ap. *Piſtor.* f. 97. (4. Eiusd. Epiſt. ad Epiſc. Cuiauienſem ap. *Guagn.* p. 169. & ap. *Piſtor.* fol. 98. (5. Eivsd. Ep. ad Palatinum Cracouienſ. & Zberouium, Mareſch. Curiæ, itemque ad Rev. D. Wolki, Vice-Cancell. ap. *Guagn.* p. 171. ap. *Piſtor.* f. 98. (6. Eivsd. ad Dn. à Tienſzin, Caſtell. Weinicenſ. ap. *Guagn.* p. 172. ap. *Piſtor.* fol. 99. (7. Eivsd. ad D. Radl. *Wiel*, Du-

(1) *Matthæus* quoque Piscorovivs in hunc obitum funebrem Panegyrim ſcripſit, Staravolsc. in Elog. p. 47.

(2) Interregni huius hiſtoriam non imprudenter exhibet, modicus in 4. liber MSC. huius tituli: Interregni Poloniæ liber primus ad *Petrum* Czarcovivm Caſtellanum *Poſnanienſem* ſcriptus. a. MDLXXIII. *Suientoslao Orclio* de Bozcievvice Equite Polono Authore. Definit in miſſione Legatorum ad Ducem *ANDEGAVENSEM*, & in concluſione Autor ſe vocat *Swientoslaum* Orzelski, *Czarkowium* vero auunculum ſuum. Locus ſcriptionis nominatur *Thopola*, tempus autem ex adſcripto XIX. Calend. Septemb. a. MDLXXIII. patet.

(3) Pr. etiam Oratio *Petri* Volscii Epiſc. Plocensis, qua HENRICVM Cracouiam ingredientem omnium Regni ordinum nomine excepit, alleg. Staravolsc. in Elog. p. 22.

Ducem in Olira, Mareſch. Curiæ Litu. ap. *Guagn.* p. 173. ap. *Piſt.* f. 99. (8. Senatorum R. P. literæ ad S. M. R. cum quibus Cubicula- A rius Mai. ſuæ Viennam, d. 20. Iunii 1574. miſſus, ap. *Guagn.* p. 174. ap. *Piſt.* fol. 99. (9. Literarum exemplum à S. Cæſ. M. Maximil. II. ad Senatores R. P. ap. *Guagn.* p. 176. ap. *Piſt.* f. 100. (10. Literarum Exemplar ad Henricum Andegauenſ. à Senatu & Ordinibus R. P. ap. *Guagn.* p. 177. *Piſt.* f. 101. Quæ ſcripta omnia, vti illo tempore ſeorſim primo edita ſunt, ita præter illa, multo plura adhuc, partim in Gallia, partim alibi tunc comparuerunt. Illius generis ſunt *Io.* Bonefonii, Aruerni Claromontani, ad Erricum Valeſium, Lutetiam celebri pompa ingredientem, Panegyricus, carmine heroico, *Pariſ.* 1573. 4; *Steph.* Theveneti de felici Regni Pol. ſucceſ- B ſu Congratulatio, ad eundem Regem, ſtylo eodem *Pariſ.* 1573. 4; & *Roberti* de Chanollet Carmen, cui titulus: *Henrici P. R. nuper electi Triumphus, quo Lutetia exceptus eſt, ibid. eod.* Alia huius generis ſcripta habentur in Collectione diuerſorum Tractatuum ad hiſtoriam Henrici III. R. Franc. & Polon. pertinentium, quæ gallice edita eſt *Colon.* i. e. *Amſteld.* 1693. 12. Vid. etiam quæ ſupra §. XXI. ex Gratiani Vita Commendoni iam notauimus.

§. XXIII.

Stephani Batorei.

Ad STEPHANVM BATOREVM progredientibus nobis obueniunt primum Carmina in Regis Stephani in *Vilnam* ingreſſum, C A. 1576. edita, quæ extant ap. *Chytræum* in *Saxonia f. 984. ſeqq.* vbi etiam *Eques Cathaphractus,* (M. D. Litv. ſtemma,) & *Aquila Polonica,* verſibus artificioſis ornata, exhibentur. (1) Clades Dantiscanorvm, A. 1577. d. 17. April. à *Io.* Lasicio, Polono, deſcripta, in qua cauſæ belli à Seren. Rege contra Gedanenſes ſuſcepti referuntur, antea ſeorſim latine, *Poſnan.* 1577. 4. deinde etiam germanice ex translatione *Leonbardi* Thvrneisseri, 1578. 4. edita, extat latine ap. *Guagn.* T. I. p. 186. & ap. *Piſt.* T. III. f. 104; vbi præterea reperitur Excuſatio erga Germanos, ne offendantur, quod toties in clade Dantiſc. mentio illorum fiat, *f. 112*; item *Ioachimi* Bielscii Satyra in quendam Dantiſcanum, qui leuibus ac ineptis ſuis germanicis rhythmis, multa nefaria de Rege & Regno Polon. ſcribere, & per Germaniam vbique ſpargere impudenter auſus eſt, A. 1577. f. 112: quo tempore etiam exierunt Commentarii de Tumultu Gedanenſi, *Mariæburgi 1577. 4.* (2) Cum his tamen omnino iungenda ſunt, quæ ſeparatim prodierunt: *Declaratio vera, quibus de cauſis* Ordines Civitatis Gedanensis *cum Seren. Principe ac Dn. D. Stephano R. P. &c. aduerſariorum ſuorum impulſu, iam pridem, in eam, quæ nunc etiam durat, controuerſiam pertracti ſint; pro innocentiæ ſuæ rationibus & ipſius negotii circumſtantiis palam demonſtrandis, in lucem edita Gedani* 1577. 4. & eod. ann. germanice etiam translata, ibid. in 4; (3) vt &, quæ illam mox inſecuta eſt, *Appendix declarationis* Ordinvm Civit. Gedan. *de præſenti rerum ſtatu, menſe Aprili vulgata, Gedani M. Iulio* 1577. itidem in 4. excuſa; Item Summariſche Schrifft / in welcher die Unſchuld der Stadt Dantzig angezeiget wird / Dantzig / 1577. 4; nec non Eigentliche Beſchreibung der Stadt Dantzig / ſamt dem zugehörenden Block-Hauſe die Weichſe münde genannt / und deſſen Belägerung. 1577. 4. Exempla Literarum a Seren. Stephano P. R. Ciuitati Gedanenſi datarum, poſt receptionem in gratiam, vna cum Iureiurando eiusd. Ciuitatis, edita *Varſau.* 1578. 4. De bello aduerſus Moſchos ad Equites Polonos oratio *Franciſci* Goslav de Nadarice prodiit *Poſnan.* 1578. 4. Eiusdem Expeditionem adu. Magn. Moſcouiæ Ducem, carmine elegiaco deſcripſit M. *Samuel* Wolfivs, Sileſius, Scholæ Leuartouienſis Rector, 1582. 4. (4) Moſcouitici huius

(1) De initio regiminis STEPHANI Regis ad Ioh. Gaieroski ſurrogatum & Vice-Capitaneum Poſnanienſem diſſertatiunculam ſcripſit *Ioh.* Lasigivs quæ eius ſchediaſmati de Diis Samogitarum iuncta eſt.

(2) *Laſicij* Clades Dantiscanorvm & Bielscii ſatyra ſubiuncta quoque eſt *Leonh.* Gorecii deſcriptioni belli Ivoniæ. Forte autem per rythmos illos Dantiſcani intelligit, carmen quod *Nicolao* ab Vngern, & *Georgio* Farensbeken præcipuis Gedanensivm Ducibus dedicatum, a. 1577. in 4. hoc titulo pr. Hiſtoria und Beſchreibung der Polniſchen Belagerung vor Dantzig / nebenſt der Niederlage der Polen vor der Weichſelmündel.

(3) Iniquum in inſontem ciuitatem eſt, omnemque in eius magiſtratum culpam deuoluere conatur, vix dimidium plagulæ excedens ſcriptum: Gründliche und warhafftige Urſachen des Bathoriſchen Krieges vor Dantzig A. 1577. 4.

(4) Illuſtrant præterea eam (1. Neue Zeitung von der Victorie vor der Stadt Wenden in Liefland wider die Moſcowiter erhalten. *Gedan.* e. a. 4. (2. R. STEPHANI epiſtola hiſtoriam ſuſceptæ à ſe aduerſus Moſchum expeditionis, & expugnatæ ciuitatis & arcis Polozko recitans, ad ordines regni Poloniæ ſcripta. 1579. 4. (3. Zeitung wie der König in Polen die Veſtung Polozko von den Moſcowitern wiederum eingenommen / a. 1579. 4. (4. Zeitung wie der König von Polen nach eroberter Veſtung Vieliſcha / ferner dem Moſcowiter ins Land gerücket / endlich auch die Stadt und Schloß

huius belli confectum negotium pacemque A. 1582. d. 15. Ianuar. ad *Zapolſciam* factam, Regi quoque gratulati ſunt: *Iac.* Gorscivs A I. V. D. Archi-Diaconus Gneſnenſis, Canonicus & Archipresbyter Cracouienſis, nec non Vniuerſitatis Profeſſor & Pro-Cancellarius, in quatuor orationibus, quæ cum adiecta oratione quinta ad *Io.* Zamoscivm, Cancellarium regni, *Cracou.* 1582. editæ ſunt, de quibus vid. *Aut. Exerc. Chwalkouio* oppoſ. p. 16; Item *Georgius* Latalski, oratione panegyrica *Tigur.* A. 1582. 4. nec non *Chriſtoph.* Warsevvicivs, R. P. Orator ſeu Legatus, in Panegyrico, qui primum locum tenet ap. *Guagn.* T. I. p. I. & antea ſeorſim excuſus eſt *Magd.* 1582. 4. (1) Idem Warsevicivs, poſtea quoque orationem funebrem edidit in obitu Regis, *Baſil.* 1588. 4. impreſſam, & *Cromeri Poloniæ* f. 838. vt & *Oratt. Funebr. Pontif. Imp. Regum, Principum &c. Hanou.* 1613. in 8. editis, inſertam, p. 425. addito Regis Epitaphio, B *Ioan. de* Samoscio auctore. (2) Ceterum de ſubita & inopinata huius Regis fortiſſimi morte, (quæ contigit *Grodnæ* Litu. menſ. Decemb. 1586.) varia variorum extitere iudicia, plerisque in Medicos culpam transferentibus. Hinc factum, vt iuſſu & voluntate Dn. *Alberti* Radzivili, Ducis in Olika & Nieſcevvicz, Magnique Duc. Litu. ſupremi Mareſch. &c. *D. Stephani I. Pol. Reg. Sanitas, Vita medica, Ægritudo, Mors, a Simone* Simonio, Lucenſi, M. D. atque intimo Mai. illius Medico, expoſita ſcriptoque comprehenſa prodierit *Nyſſæ*, typis *Andr. Reinbeckelii* A. 1587. 4. C Hunc libellum inſecuta eſt in Comitiis general. Varſauiæ proxime celebratis, Epiſtola cuiusdam *Georgii* Chiakor, Vngari, Scribæ; vel potius vt ſe ipſum vocat, Secretarii Regii, de Obitu & Morbo Stephani, adiecto eiusd. Epiſt. Examine, Auctore *Anonymo*, quo vtroque ſcripto longe alia ægritudinis Regiæ idea & curationis ratio exponitur, ac quidem a Simonio fuit deſcripta. Mox quoque *Nicolaus* Bvccella, *Patauinus*, olim Stephani, poſtea Sigiſm. III. Archiater, ediderat Refutationem ſcripti *Simonis* Simonii, cui tit. *D. Stephani I. P. R. &c. Sanitas, vita medica, ægritudo, mors, Cracou.* typis *Alexii Rodecii* (Sociniani) 1588. 4. ad quam *Simon* Simonivs iterum Reſponſum edidit. Bvccella vero Confutationem etiam illius reſponſi publicauit ib. 1588. 4. Præterea ad memoratam Epiſtolam *Georgii* Chiakor, eiusque Examen, Reſponſum pro Simonio vulgauit *Amadeus* Cvrtivs, Italus, Medicus Ticinenſis, Anno 1587. 4. vbi Lectorem à Simonio ſperare iubet Cenſuram curationum medicarum duo de triginta, à *Nicol.* Bvccella, in Polonia empirice inſtitutarum; itemque Dialogos duos, quibus & Buccellæ Conſcientiam; & F. V. V. i. e. *Franciſci Veſelini Vngari*, (qui *Ferenz* vulgo nominabatur, atque cum Buccella Chirurgo, aſſidue morituro Regi adſuerat) Magnificentiam, Simonius ſit oſtenſurus. Quæ tamen ſcripta, an lucem vnquam adſpexerint publicam, nobis non liquet. Sed tantum monemus ſub *Georgii* Chiacor larua delituiſſe *Nicolaum* Bvccellam, vt *Amadeus* Cvrtivs in Reſponſo ſuo prodit, Bvccella ipſo in confutatione huius reſponſi non admodum repugnante. Aſt *Amadei* etiam Cvrtii nomen fictum eſt, a *Simone* Simonio qui iſtam laruam ſibi induit, quam detraxit Bvccella edita *Cracouiæ* 1588. 4. *Confutatione Reſponſi* Simonis Simonii Lucenſis *ad epiſtolam* Georgii Chiakor, *Secretarii Vngari de morte* STEPHANI I. Regis, *nec non ad eiusdem epiſtolæ examen, ſub Amadei* Cvrtii Ticinenſis *ficto nomine editi.* (3) De priori conferatur Cl. Placcivs in Theatro Pſeudon. n. 623. de poſteriori idem l. c. n. 769. Antequam progrediamur, paucis facienda eſt mentio ANNÆ IAGELLONIÆ Reginæ, de qua Cl. Baile in Reſponſ. ad literas cuiusdam Prouincialis gal-

Vielikiluka erobert. 1580. 4. (5. Hiſtoria rerum à Poloniæ Rege in Moſcouia anno ſuperiori (1580) fortiter & feliciter geſtarum, addita ex literis *Conſtantinopoli* 1581. 14. Ianuar. ſcriptis narratione de bello Perſico, quod à Turcis in Media geritur &c. 1581. 4. (6. Conditiones pacis à Magno Moſcouiæ Duce petitæ, & Rege Poloniæ conceſſæ. *Magdeb.* 1582. 4. conf. p. 27.

(1) Prodiit inſuper Warsevicii Oratio ad STEPHANVM Regem, *qua cum* IOHANNE *Magno Moſcorum Duce d. 15. Ianuar. ad Zapolſciam confectam pacem gratulatus eſt, Thoruniæ 1582. 4.* Præter nominatos gratulatus Regi hos ſucceſſus eſt *Andreas* Patricivs *Nideeus* Præpoſitus *Varſauienſis* cuius gratulatio II. (primam non vidimus) pro Clero Varſauienſi, ad Regem poſt victoriam Velcolucenſem Moſcouitis ex Varſauiam aduentantem. pr. *Varſau. 1581. 4.*

(2) Pariter *Martinus* Schwartzbach, Ludimod. *Illauienſis* edidit *carmen lugubre in obitum* R. STEPHANI, quod inſcriptum eſt Magiſtratui *Thorunienſi, Mariæburgenſi*, & *Graudentinenſi, Dantiſc. 1587. 4. Chriſtoph.* Warsevicii Nob. *Poloni*, & *Chriſtoph.* Stvktzii Nob. *Liuoni* ac I. V. D. orationes *de vita, rebus geſtis, & obitu* STEPHANI iunctim editæ ſunt *Roſtoch. 1627. 4.* Nouiſſime vitam incluti huius Regis, Specimini Hungariæ ſuæ literatæ inſeruit *Dau.* Czwittingervs.

(3) Simonis iterum cauſam ſuam egit editis, *Scopis contra Nicolaum* Bvccellam. *Olomuthy. 1589. 4.*

allice editas T.II. c. 3. agit. Eiusdem elogium aſſert *Hilarion* de Cvsta in libro gall. de œminis illuſtribus p. 21. ſeq. Laudationem ius funebrem ſcripſit *Matthæus Piſcoreuius* racou. 1597. 4.

§. XXIV.

Sigismundi III. De electione SIGISMVNDI III. extant *Ordinum Regni Pol. nonnallorumque eius Magiſtratuum ad diuerſos Principes Chriſtianos, Legationes, Epiſtolæ, Reſponſa, eorundem Ordinum mandato edita Cracou. ex officina Lazari 1587. 4*; & prolixe recenſita in *Biblioth. Antiqua. Ienæ. 1705. 4.* edita, p. 225. itemque *ſcripta inter Archi-Duc. Maximilianum & Ordines regni Cracou. congregatos poſteriora, ibid.* eod. in 4. euulgata; quo referri etiam debent: Relatio Germanica eorum, quæ inter Magnum Cancellarium, Regemque Maximilanum geſta ſunt, ex *Abrahami* Schalbii, Regii Archiatri, literis excerpta, & *Magdeb.* edita 1588. in 4; (1) item, *Henr.* Ræteln Narratio germanica eorum, quæ ab A. 1584. in regnis ſeptentrionalibus, Polonia, Liuonia, Moſcouia & Succia acciderunt, *Gorlicij* 1591. 4; nec non memorabiles aliquot euentus anni 1595. quibus acceſſerunt Epiſtolæ duæ ad Sigism. III, vna Clementis VIII. Pont. Rom. altera *Cham* Kazikierey, Tartarorum Czarii, excuſ. A. 1596. 8. Habentur etiam orationes variorum Autorum, quæ in Comitiis general. 1595. d. 22. Februar. celebratis, ad Sigismundum III. cum ab exteris, tum ab indigenis, dictæ fuere, quæ reperiuntur ap. *Reuſnerum*, Vol. III. *Select. Oratt. de Bello Turc. ed. Lipſ. 1596. 4. Part. alter. p. 1. ſeqq.* poſt quas ſtatim ſequitur *à pag. 79. vsq; ad p. 88.* de Tranſitu Tartarorum, per Pocutiam, A. 1594. Epiſtola *Ioannis de* Zamoscio, ad D. Cynthium, Cardin. Aldebrandinum miſſa. Pro felici Eius ex Succia reditu, ſingularem orationem edidit *Petrus* Lilias, S. Theol. D. & Canonicus Poſnanienſis, *Poſnan. 1597. 4.* Ingreſſum Eius in Ciuitatem Gedanenſem A. 1623. d. 1. Iulii factum, deſcripſit germanice *Petrus* Witzke, *Dantiſci 1623. 4.* (2) Vti in aduentum Eius in vrbem *Thorunienſem*, oratio quoque prodiit *Thorun. 1587. 4.* Vitam & obitum ANNÆ AVSTRIACÆ, prioris Sigismundi III. Coniugis, expoſuit *Fabianus* Qvadrantinvs, Pruthenus, in Speculo pietatis, *Brunsberg. 1605. 4.* quemadmodum, cum eidem Monarchæ Seren. Princeps CONSTANTIA, Archid. Auſtriæ, matrimonio iungeretur, panegyricam orationem ad MARIAM, Sereniſſ. Matrem, ſcripſit *Laurent.* Svslyga, *Cracou. 1605. 4.* A In quibus ſponſalibus præterea oratio Græcii habita, à *Ioh.* Deckerio S. I. Vniuerſitatis Cancellario, prodiit *Cracou. 1605. 4.* (3) Auguſtæ Heroidi, ANNÆ, IOHANNIS III. Suecorum Regis, filiæ, SIGISMVNDI III. R. P. Sorori, ad littus Dantiſcanum, IV. Id. Oct. ex Succia appellenti, Carmine applaudit *Io.* Rybinivs, Polonus, *Dant. 1591. 4.* De eiusdem Sereniſſimæ Principis exequiis, *Thorunij Boruſſ.* d. XVI. Iul. 1636. celebratis exſtat relatio *ibid. in 4.* excuſa, vna cum monumento ſepulchrali quod VLADISLAVS IV. Amitæ erigi fecit. Quo tempore ſimul carmina quædam publi- B cata ſunt, à Docentibus in Gymnaſio Thorunienſi, *ib. f.* nec non Panegyricus, autore *Mart.* Opitio *ib. 1636. f.* Ad media regiminis Eius tempora ſpectat Salutatio gratulatoria, nomine *Capituli* Varsaviensis facta, cum capto Smolensko, Varſauiam rediret A. 1611. auctore Lvbienskio, quæ in eius *Opp. fol. 465.* legitur. Extant quoque *Collegij* Dvacensis Encomia Sigismundi III. *Duaci 1628. 4.* In memoratis Lvbienskii Opp. habentur duæ laudationes funebres, quarum *prima* ſcripta, f. 499. *altera* recitata, quæ & in *Manipulo orationum ab eruditis Polonis habitarum Romæ 1639. 4.* edito, p. 1. & ſeq. habetur f. 488. reperitur. (4) Similiter in obitu Sigismundi, (qui *quadrage-* C *ſimus quartus* Rex 44. annos regno impendit) extant: 1) *Simonis* Staravolscii Oratio, *Antuerp.* ex officina *Plant. Balth. Moreti, 1632. fol.* 2) *Ioh.* Heidensteinii Sollescii Oratio excuſa *Louanij, 1633. f.* 3) *Io.* Mochingeri, Paſtor. ad D. Cathar. & Profeſſoris quondam de Athenæo hoc optime meriti, Luctus ſeu Planctus Senatus Populique Gedanensis, oratione in Gymnaſii patrii Auditorio maximo A. 1632. d. 25. Maii habita, deſcriptus, & cum alia *eiusd.* orat. panegyrica, ſuper Electione VLADISLAI SIGISMVNDI, A. 1632. *d. 10. Dec.* dicta, ſimul excuſus *Dantiſci 1633. f.* 4) Collegii Cracoviensis S. I. La- D chrymæ vectigales, magnis manibus Magni Sigismundi III. inter parentalia ſacra perſolutæ, *Cracouiæ 1633. fol.* 5) *Io.* Lipski Referendarii Regni Abb. Wachocenſis, Præpoſiti Cracouienſis, Regentis maioris. Cancellariæ Regni oratio funebris SIGISMVNDO III. & CONSTANTIÆ Reginæ ſcripta, *Cracou. 1633. 4.* quæ & inuenit, in *cit. Manip. Orationum.* (5)

(1) Coronationem eius carmen Heroico proſecutus eſt *Dan.* Hermannvs Pruſſus. *Cracou.* 1588. 4.

(2) Primum vero in iſtum vrbem aduentum carmine elegiaco celebrauit *Matthæus* Strattmannvs Dantiſcanus, excuſum ib. 1587. 4.

(3) Nuptiis iis lina epithalamia dicauit *Andr.* Loeæchivs Scotus. *Cracou.* 1605. 4.

(4) Vtraque ſeorſim prodiit *Cracou.* 1633. prior in f. poſterior in 4.

(5) Add. M. *Ioh.* Cinerski *Rachtamouii* mnemoſynon victuræ gloriæ, & immortalitati, ex immortalibus virtutibus SIGISMVNDI III. concinnatum. *Cracou.* 1633. 4. de

Vladislai IV.

§. XXV.

Ad Inaugurationem VLADISLAI IV. ſpectant: (1. *Simonis* STARAVOLSCII Panegyricus Sereniſ. Principi Vladisl. omnium votis acclamato Polonorum Regi &c. conſecratus, *Antu.* 1633. f. (2. Collegii CRACOV. S. I. Tropæum regale, Regi Vladislao, inaugurationis die dicatum, ibid. 1633. f. cuius autorem *Paulum* KVHN prodit ALEGAMBIVS in Biblioth. p. 367. & ex eo repetitur in B. PLACCII Theatr. Pſeudon. 745. (3. *Bart.* PAPROCII, Poloni, Pharus Sarmatica Europæo Trioni Auguſtis ignibus radians 1633. f. (4. *Petri* POTOCII ad inuictisſ. Princ. Vladislaum Pol. & Suec. Regem orat gratulatoria, *Antu.* 1633. f. (5. *Henrici* à BOMELN ſacrum deuotæ mentis, Honori Vladislai Sigismundi &c. peractum Athenis *Bregelanis*, menſe Febr. 1633. impr. *Dantiſci* fol. Ioh. ZERCOVVSKI Laurea Academica oblata carmine lyrico. *Vilnæ* 1633. qui ex *Alegambio* & *Sotuello* detegitur eſſe *Andr.* ROSCIOALD Ieſuita Prutenus, apud PLACCIVM de Pſeudon. n. 2926. (6. Gratulatio *Ioh.* BEHM, Aulæ Elector. Brand. in Pruſſia à Concionibus, *Regiom.* f. (1.) (7. Deſcriptio germanica inaugurationis & homagii *Gedani* facti A. 1634. f. (8. SENATVS DANTISC. Oratio ad ingreſſum Regis in Ciuitatem, circa ſolſtitium hybernum An. 1634. ab HENRICO FREDERO, tum temp. Synd. poſtea Præcoſ. habita, atque ab eod. edita, & *Iacobo Zadzik*, Epiſcopo Culmenſi, & Pomeſan. Supremo R. P. Cancell. inſcripta 1634. f. Eiusd. Magn. Senatus nomine, Orat. Panegyricam habuit *Io.* MOCHINGERVS, vt præced. paragrapho dictum. (9. Carmen Panegyricum Vladislao IV. Pol. ac Suec. R. ſub auſpicat. ad Ciuitatem Dantiſc. ingreſſum, conſecratum à *Georgio* PREVTTEN, Patritio Dantiſc. f. (10. VLADISLAO IV. Pol. & Sueciæ Rege, primum poſt felicem coronationem d. 19. Dec. 1634. vrbē ingrediente, Senatus populique Dantiſcani votiua acclamatio carmino heroico concepta. Ged. f. (11. Eiusdem Sereniſſimi Regis in vrbem Thorunienſem ingreſſus, deſcriptus *Thorun.* 1635. f. (12. *Rotgeri* zum Bergen, Regis Secretarii, Carmen de Eius in vrbem Regiomontanam ingreſſu, Anno 1636. in 4. Victoriam de Turcis (2) elogio proſecutum Collegium CRACOVIENSE, cuius proſtant Immortales gratiæ Seren. Vladislao IV. redditæ, quod in Amurathem, Turcam moueret, 1634; itemque Arcus pacis nouo ſine ſanguine triumphatori Vladisl. IV, ab expeditione bellica in Amurathem Turcam ſuſcepta, auſpicato & feliciter reduci, 1635. quod vtrumque ſcriptum eundem Kuhnium autorem habet. Reſtitutam à Suecis Poloniæ per nouas inducias hactenus poſſeſſam ſibi Boruſſiæ partem, celebrarunt 1.) SENATVS GEDANENSIS, cuius auſpiciis prodiit Supplicatio Vrbis Gedanenſis, in honorem DEI O. M. & memoriam Vladislai IV. pro conſeruata Boruſſia & pace reſtituta, in panegyri, Oratione explicata d. 27. Sept. 1635. à *Io.* MOCHINGERO Gymnaſii Rhetore, *Dantiſci*, *1635. f.* qui eodem A. etiam edidit Gratiarum Actionem pro conſeruata Boruſſia. f. (2. Academia REGIOMONTANA, cuius nomine Panegyricus ſub auſpicium a. 1635. publice dictus eſt à *Valent.* THILONE, Eloqu. P. P. cum Rex Boruſſiæ fines auſpicato ingreſſus eſſet *Regiom.* A. 1635. f. *(3. Henr.*

pompa exſequiarum Regiarum exſtat relatio germanica *Cracou.* 1633. 4. nec non alia, quæ præter illam coronationem quoque noui Regis deſcribit. 4.

(1) His inſeri poſſunt: (1. *Petri* GĘBICKI Decani Cracouienſis ſalutatio VLADISLAI IV. quo die ingreſſus ad capeſſendum diadema regni Poloniæ, nomine capituli Cracouienſis habita. *Cracou.* 1633. 4. (2. Carmen Heroicum, quo ſub tit. Applauſus Muſarum cum Phoebo occurrentiū, Nobilitas Scholæ Dialecticæ *Nowodworſcianæ* Regiā dignitatem gratulata eſt. (3. M. *Iac.* VITELLII Eloq. Prof. Tyliciani Auguſta Regni felicitas in inauguratione VLADISLAI IV. Oratione Panegyrica expreſſa. ib. 1633. 4. (4. Eiusd. Epinicion eidem inaugurationi ſtylo poetico dicatum. *Ib.* e. a. 4. (5. Ei. Poloni Panegyricus Honori eiusdem Regis, electi Magni Moſcouiæ Ducis dicatus. e. a. 4. (6. *Dau. Alb.* GRYMZA applauſum auſpicatiſſimæ coronationi VLADISLAI IV. carminice ſcriptum dicauit. *ib.* e. a 4. (7. M. *Danielis* OTRĘNBVSZ in Academia Cracouienſi Scholarum Novvodvvorſcianarum Profeſſoris Panegyricus ad *Vladislaum* IV. in primo ad regnum Poloniæ ingreſſu. *ib.* e. a. 4. (8. *Adami* NICORI Philoſ. Baccal. Collegii Pragenſis S. I. Panegyricus triumphus ſolennis inaugurationis VLADISLAI &c. ib. e. a. 4. *Ioh.* KARVTMANN, Acad. Cracou. Studioſi Vates Polonia nouo Reguli Imperio VLADISLAI IV. carmine Alcaico adumbrata. *ib.* e. a. 4. (10. *Ioh.* SCHLICHTINCK *de* BVKOVVIEC Iudicis terreſtris Wſchouienſis, & ad comitia coronationis, & Palatinatu Poſnanienſi nuntii terreſtris, acclamatio panegyrica ſuper coronatione VLADISLAI IV. nomine ordinis equeſtris euangelici oblata. e. a. f. & 4. 11) Gratulatio Inaugurationis in Regem Poloniæ, VLADISLAO IV. à Principe quodam, bonarum artium & eloquentiæ ſtudioſo contexta, & Parenti ſuo poſt reditum in Volhyniam ab electione vere libera oblata. 1632. 4. 12.) *Martini* SIEMECK, in Academia Cracouienſi ſtudioſi Novvodvorſciani Bona auſpicia VLADISLAI in gratiam Reipubl. anno coronationis collecta. Cracou. 1633. 4.

(2) de qua relatio vernacula pr. *Gedani* 1634. 4.

Idem Thilo nomine Academiæ *æternum honoru monumentum poſt pacem undiq; ſuis partam illi* erexit, a. 1636, f. 3.) *Rotgerus* zum Bergen *Rigenſis*, Tripudiare Oratorium, in triumphalem Vladislai adventum *Regiom.* 1636. f. (1) 4.) *Henr.* a Bömeln, Boruſſus, qui *Franek.* 1636. f. edidit Boruſſiam liberatam lenitate inclyti indomitarum gentium Victoris Vladislai IV. Sarmatis creati, Suecis nati Regis. Habetur *Eiusdem* Panegyricus, in laudem Magni Polonorum ac Suecorum Regis, Vladislai IV. Victoris ac Triumphatoris ſemper Auguſti, ſcriptus ſub initium anni 1635. *fol.* (2) Alias extant *Io.* Ryvvocki, *Pruteni*, S. I. Panegyrici XI. in Vladisl. IV. *Vilnæ*, 1636. fol. & *Andreæ* Scato Porta Honoris, quam Seren. Vladiſlao IV. &c. Magno in ſua Pruſſia hoſpiti, erexit & obtulit *Gedani*, 1646. f. Ad famam ſemper proſperam Vladislai IV. orationem A. 1648. d. 7. Iulii dixit *Ioh.* Mochingervs *Gedani*, editam *ibidem* in fol. Ante dictus *Io.* Ryvvocki, in nuptiis VLADISLAI IV. & CÆCIL. RENATÆ Auſtriacæ, Ferdinandi II. Imp. filiæ, *Varſauiæ d. 6. Sept.* 1637. celebratis, Iconem votorum vulgauit *Vilnæ* 1637. f. (3) quarum nuptiarum felicitati eodem tempore Panegyricum dicauit *Mart.* Opitius *Gedani* 4; ut & *Rotg.* zum Bergen/ *Liuonus*, S. R. M. Secret. cuius Debita Gratulatio prodiit *Dant.* 1637. f. & Muſæ *Regiomontanæ* interprete *Val.* Thilone, cuius Panegyricus pr. Regiom. 1637. f. *Ioh.* a Lipe Lipske orationes duæ coram Ferdinando Imperatore & Cæcilia Renata habitæ, pr. Cracou. 1637. 4. conf. §. XXX. in fine. (4) M. *Ioh. Nicol.* Kiszka de Ciechanovviec, Caſtellanus Trocenſis Volcouienſis &c. Capitaneus, ſupremi in M. D. Lithuan. Tribunalitii iudicii Mareſchallus, *Reginæ huic Sarmatici Regni faſces & diadema prehendenti*, gratulatus eſt ſermone latino, ſub tit. *Triumphalis ſocii* vulgato, *Vilnæ* 1637.

(1) Add. Gratiarum actio VLADISLAO Pacifico &c. cum pro ſummis ab ineunte ætate in Patriam meritis, tum pro recuperatis per pacis compoſitionem Pruſſiæ partibus, ſcripta nomine conſulum, Magiſtratus, totiusque communitatis Regii montis cum eandem feliciter reuiſeret, *Regiom.* 1636. f. M. *Ioh.* Cynerski diſſertatio publica, qua Pruſſiam recuperatam in Academia Cracouienſi celebrauit. *Cracou.* 1635. 4. & M. *Balth.* Voidii gaudium Elbingenſe Irenico-Euchariſticum, ſeu concio ſub aduentum Regium Elbingæ habita. *Elbing.* 1634. 4.

(2) Non minor gratulationum votorumque ſeges prouenit, ob bellum contra Moſcos feliciter compoſitum. Ex quibus mihi innotuit 1) Relationes aliquot germanicæ de victoria contra Moſcos, ad Smolenskium. 1633. 4. 2) M. *Ioh.* Cinerski *Ruchtamouii*, Coll. minor. Ord. eloquentiæ Prof. clemens Victoria VLADISLAI IV. pro feliciſſimis ſucceſſibus, & recepto Seueriæ Ducatu celebrata. *Cracou.* 1634. 4. 3) *Ei.* Panegyricus ſub tit. debiti Pietatis. *ib.* e. a. 4. 4.) Ei. felix omen Vladislao IV. dum recuperato ab obſidione Smolensko, contra Moſchos exercitum promoueret, carm. alcaico. *ib.* e. a. 5) *M. Mart.* Michovii *Pilsnenſis* votum, VLADISLAO IV. dum anniuerſaria electionis die ſolennes apprecationes pro belli Moſcouitici ſucceſſu Academia Cracouienſis faceret, concinnatum ligato ſermone. *ib.* 1633. 4. 6.) M. *Ioh.* Otrebosz, Collegæ minoris Claſſium Novodvvorscianarum oratio gratulatoria in felicem ex Moſcouia reditum VLADISLAI. *ib.* 1634. 4. 7) *Stanislai* Nievviarovvski Studioſ. Philoſ. & eloq. in Academia Cracouienſis, corona obſidionalis Vladislao IV. ab ordinibus ſeruatæ Smolenſciæ delata. *ib.* e. a. 4. 8) Chriſtoph. *Baldouini* de Tenczyn Ossolinski corona ciuica ob Ciues a Moſcho ſeruatos VLADISLAO IV. in declamatione publica oblata. *ib.* e. a. 4. 9) *Stanislai Floriani* Obryvski, Philoſoph. auditor in Academia S. I. *Vilnenſi*, panegyricus totius Academiæ nomine VLADISLAO IV. Vilnam vrbem debellatis hoſtibus, recuperatis prouinciis, pace conſtituta ingredienti 1634. dedicatus. *Viln.* f. Allegatur etiam inf. §. 30. ex manipulo oratt. Romæ a. 1639. publicato. 10.) *Iacobi* Olszevvski S. I. Theol. D. & Academiæ Vilnenſis Pro-Cancell. Eccleſiæ parochialis Vilnenſis concionatoris ordinarii, duæ conciones Polonicæ *ib.* 1634. habitæ, ac publicatæ, in celebrationem victoriæ ad Smolenskum obtentæ. 11.) *Ioh.* Lesnivvolski *de* Obory S. R. M. aulici, Studioſi in Acad. Cracouienſi, manubiæ triumphales VLADISLAO ob pacatam Moſcouiam & receptum Seueriæ ducatum conſecratæ. *Cracou.* e. a. 4. 12) *Laur.* Gnatovvski oratio panegyrica pro felici Regis in Moſcouiam expeditione. *ib.* 1633. 4. 13) M. *Laur.* Smieszkovvie Med. D. & Profeſſoris Cracouienſis Xenium votiuum VLADISLAO Moſchorum perduellium vindici ſub exordium a. 1633. 4. 14.) M. *Iac.* Vitellii Eloqu. Profeſſoris Tyliciani Cracouiæ &c. oblatio ob exemptam virtute VLADISLAI ab obſidione Smolenſcum &c. in Academia Cracouienſi habita. *Cracou.* 1633. 4.

(3) Et a. 1639. Monumentum gratæ teſtificationis. VLADISLAO nomine Academiæ Vilnenſis S. I. in memoriam beneficii nuper ſibi exhibiti erexit, *Idem.* Vilnæ f.

(4) Nuptias regias C epigrammatibus hexaſtichis coluit *Frider.* Zamelivs. *Elbing.* 1637. 4.

1637. f. In huius prioris Coniugis funere Oratio habita eſt ab Illuſtr. & Reu. D. *Andr.* LESCZINSKI, Epiſc. Caminiecenſi, & R. P. M. Cancellario, *Cracou.* 1644. 20. Iunii; qualis oratio etiam Polonice legitur in *Oratore Politico*, a *Caſimiro Ioh.* WOYSZNAROVVITIO, lingua Polonica *Cracou.* 1648. fol. edito, *part.* 3. fol. 1. Academia S. *I.* Vilnenſis funus Regium XXII. inſcriptionibus comitata eſt, quæ ſub titulo *primarum lachrymarum Vilnæ* 1644. prodiere, & *Georgio* OSSOLINSKI P. Cancellario ſunt dedicatæ. Sic quoque interitum Seren. Principis filii, SIGISMVNDI CASIMIRI, ex CÆCILIA RENATA prognati, Oratione parentali deplorauit *Sim. Stanisl.* MAKOVVSKI, Acad. Cracou. Prof. *Cracou.* 1647. f. In idem funus extant *Ioh.* KVVIATKIEVVICZ, Poloni, *Vmbræ minores*, Carmine *Caliſ.* f. expreſſæ. Expeditio Legatorum in Gallias ad deſponſandam LVDOVICAM MARIAM GONZAGAM Vladislao IV. auctore *Andr.* KANONE, *Roxolano*, è Pol. S. I. carmine heroico prodiit *Cracou.* 1646. f. Huius Reginæ, adhuc ſponſæ, Iter ex Gallia in Poloniam ſuſceptum, itemque Reditum Dominæ de GVEBRIAN, deſcripſit *Ioh.* LABOVREVR, Gallice *Pariſ.* 1648. 4. editum, vbi adiectus eſt prolixus Tractatus de Regno & Regimine Poloniæ. Eiusd. ingreſſum in Dantiſcanam vrbem, reditumque in Varſauiam, Germanice delineauit *Ad. Iac.* MARTINI, *Ged.* 1646. 4. cui inſertum eſt Nuptiale Hoſianna, ore *Iuuentutis Dantiſcanæ*, die Conſtantiæ ſacro, prolatum, auctore *Iac.* ZETZKIO, t. t. Conrect. Schol. Marianæ, ex latino ſermone in germ. translatum. Eundem ingreſſum, præcipue vero magnificum Portæ Arcuumque Triumphalium Theama, Carmine heroico delineauit *Daniel* ASCHENBORN, L. S. *Dant.* 1646. f. Diſceſſum vero Seren. Reginæ ex hac Ciuitate, ſimili carminis genere decorauit *And.* BYTHNERVS, P. L. Cæſ. & Rector. fol. qui ingreſſum eius variis numerorum modis ſub titulo *triumphi panegyrico-gratulatorii* in f. editis celebrauerat. Sic quoque Ingreſſus huius Reginæ in Baſilicam Oliuenſem, excipiente Reginalem Maieſt. D. *Alexandro a* BAVTZENDORF KESOVVSKI, eius loci Abbate, adiectus eſt *Alexandri XII.* memorato Alexandro Abbati oblatis à *Gerh.* NEDATSIO, Benedictino, *Dant.* 1646. 4. Easdem nuptias celebrauere: 1) *Ioh. Pet.* TITIVS, Vir celeberr. cuius carmen gratulatorium *Gedani* 4. prodiit. 2) *Ioh.* IANSSONIVS, Parochus Sobkouienſis, Oratione, cui tit. *Sæculum Aureum. Dantiſci* 1646. fol. 3) Collegium VILNENSE, ſub tit. *Poloniæ pacificæ*, *Vilnæ* 1646. f. 4.) M. *Florianus* LEPIECKI Phil. D. & in Vniuer. Cracou. Prof. collega minor, & contubernii Hieroſolymitani Senior, panegyrico latino, quo *Poloniæ felicitatem in auguſtiſſimis feſtis nuptiarum* VLADISLAI, & M. L. GONZAGÆ *demonſtrauit. Cracou.* 1646. f. Contractus matrimonii huius regii exhibetur, in collectione gallica tractatuum pacis (Recueil des traites &c.) T. III. p. 475. (1) In Coronationem Sereniſſimæ Reginæ Sermo habitus in Cathedr. Eccleſ. Cracouienſi, editus eſt *Varſ.* 1646. 4. Et *Sim. Stanislaus* MAKOVVSKI Prof. Cracouienſis Panegyricum conſcripſit, cui titulum dedit: *Plenilunium Lunæ Sarmaticæ.* Cracou. 1646. f. Eidem ſolennitati conſecrauit M. *Nicolaus* SVLIKOVVSKI Collega maior, Tylicianus eloq. Profeſſor & Eccl. S. Annæ Canonicus *Spem publicam Poloniæ, poſt lætas & auguſtas nuptias &c. in primo ſupremæ Maieſtatis aditu, & celeberrima inauguratione. ib.* c. a. f. Nec non, de *Vladislaus* OSSOLINSKI, Præpoſ. Solecenſis, Cracouienſis & Varſauienſis Canonicus, ſermonem ſub tit. Diadema virtutis &c. ib. e. a. f. (2) In glorioſiſſimæ Reginæ huius obitum Panegyricus *Adr.* PIKARSKI, S. I. polonice prodiit *Cracou.* 1667. f. Ceterum ſingularia multa de Regina hac obſeruauit doctiſſ. BAILE in Reſponſionibus gallicis ad quæſtiones cuiusdam prouincialis T. 4. c. 4. Memoriam Regis defuncti Orationibus proſecuti ſunt: 1) Collegium CRACOVIENSE, S. I. *Cracouiæ* 1648. in fol. 2) SENATVS DANTISCANVS, qui *Ioh.* MOCHINGERO munus parentandi commiſit, cuius Oratio prodiit *Ged.* 1648. f. 3) Academia REGIOMONTANA, interprete *Valentino* THILONE, memoratæ Vniuerſitatis Ora-

(1) *Virgilius* PVCCITELLI, nuptias Amoris & Pſyches in Dramate muſico Italico, ſub adventum Reginæ in vrbem Gedanenſem repræſentauit. ed. *Varſau.* 4. & *Michael Angelus* BRVNERIVS eadem lingua drama muſicum honori harum regiarum nuptiarum *Gedani* dedicauit, quod ſub tit. *Martis & Amoris* prodiit. 4. Epithalamia præterea cecinerunt *Nath.* ROSTEVSCHER ſub tit. *Spei pacis* e. a. 4. *Frider.* MEIBOMIVS, Canonicus Guſtatenſis, Archipresbyter Elbingenſis, S. Theol. Licentiatus, & denique *Nicolaus* de RADZANOVV, ZABICKI aulicus cubicularius Regius, ſub tit. Aquilæ Polonæ &c. *Varſau.* 1646. f.

(2) Iungendus his M. *Valentinus* STALICKI, contubernii philoſophici ſenior, qui felix auſpicium, ob vtriusque luminaris VLADISLAI IV. & *M. Ludouicæ* GONZAGÆ conſociationem exhibuit. *Cracou.* 1646. 4. & M. *Ioh.* ZYSZKIEVVICZ collegii minoris Cracouienſis Profeſſor, qui Theatrum Reginale choris IV. Reginas Poloniæ, Ducumque & Principum ſponſas comprehendens, Reginæ coronatæ obtulit ib. e. a. f.

Oratore, *Regiom.* 1648. f. 4) *Ioh. Alex.* Gorczyn, cuius Memoria de Virtutibus, Fortuna, & Fato Vladislai, patrio idiomate. *Cracou.* 1648. 4. expreſſa eſt. 5) Illuſtr. & Reu. D. *Andr. de* Szoldry SZOLDRSKI, Epiſc. Poſnan. a quo oratio *Cracou.* 1649. 15. *Ian.* habita, lat. *ibid.* in f. excuſa eſt. 6) *Stanisl.* Domanievvski, Canon. Chyouienſ. qui edidit Solem Sarmaticum obſcuratum, *Cracou.* 1649. f. 7) *Thom.* Kieszkovvski, Nobilis, quæ oratio ſcripta, *Cracou.* 1649. fol. 8) *Sebaſtianus Fabianus* Stryievvicz, in Acad. Cracou. L. Gr. Prof. cuius Imago Regis Vladislai IV. implacabili fatorum lege extincti, *Cracou.* 1649. 4. prodiit. 9) *Caſimirus Io.* Woysnarowicz, Sedis Apoſtol. Protonotarius, eiusdemque & Regis Polon. Secretarius, in Triumphali Feretro, ſeu Oratione, Romæ dicta & *Cracouiæ* recuſa, 1648. 4. 10) *Alb.* Nowakovvski in Cracou. Acad. Gramm. Profeſſor, qui Laudationem funebrem edidit *Cracou.* 1649. 4. 11) *Stanislaus* Temberski, Philoſ. Doct. in Academia Cracou. Collega minor, cuius *Nomen Magnum* Sereniſſ. Vladislai IV. Pol. Reg. dum Pii Manes parentali officio Varſauia Cracouiam deducerentur, declaratum A. 1649. die 2. *Ianuar.* impr. *Varſau.* 4. 12) *Simon Dominicus* Wachocki, qui vulgauit Planctum Poloniæ ſuper ſuorum clade, a Kozacis rebellibus illata, *Cracou.* 1649. 4. 13) Academia S. I. Vilnenſis, cuius aurea meſſis in regalem manipulum collecta, & in luctuoſo glorioſiſſimi Regum VLADISLAI IV. funere in publici moeroris ſolatium ed. 1648. f. 14) *Ioh. Franc.* Hilbrant *Prutenus* I. V. D. & S. Brigittæ alumnus *Romæ* in ædibus S. Brigittæ nationis Suecorum, orationem in funus Regum habuit, impreſſam ibid. 1649. f. (1)

§. XXVI.

Iohannis Caſimiri

Quæ electionem & res geſtas alias IOH. CASIMIRI concernunt, de iis notatu non indigna habent *les Memoirs* de Mr. Chanut. quas T. I. infra §. XXXV. plenius allegabimus Præterea IOANNI CASIMIRO Diadema Regium gratulati ſunt. 1) Collegium Cracoviense, S. I. in primo, quod vocat Tributo rei literariæ, *Cracou.* 1649. f. 2) Senatus Dantiscanus, qui Panegyrin ſolennem inſtituit, Rhetoris officio fungente *Ioh.* Mochingero, cuius Oratio Panegyrica edita *Dant.* 1649. f. 18. *Ian.* dicta, carmina quædam germanica de ceremoniis tum in iſta ciuitate obſeruatis edente A. I. M. (*Ad. Iac.* Martini) Ged. 1649. 4. 3) Senatus Thorvniensis, cuius Compellatio vna cum profeſſione ſubiectionis & fidei coram S R. M. Legato, Dn. *Andr.* Comite de Lesno, impreſſa eſt *Thorun.* 1649. f. 4) Rector, Senatusque Acad. Regiomontanæ, ore *Valent.* Thilonis, cuius Applauſus gratulatorius prodiit *Regiom.* 1649. f. Idem Orator Regiomontanus A. *eod.* Vota publica pro felici Ioh. Caſimiri, aduerſus ſeditioſos ciues profecti, expeditione, a Nobiliſſ. quibusdam Iuuenibus facta, *ibid.* 1649. f. edidit. 5) *Stanisl.* Domanievvski, Canonicus Chiouienſis, qui edidit Fauſtum ingreſſum in ſedem auitam, Regalem Seren. Ioh. CASIMIRI, *Cracou.* 1649. 4. (2) 6) *Andr.* Bythnervs, P. L. Cæſ. in Acclamatione ſolenni, eaque gratulatoria, vario anagrammatis genere carmine expreſſa. *Dant.* 1649. f. 7.) *M. Balth.* Voidivs, in Concione Gratulat. german. ſuper coronat. Io. Caſimiri. *Elbing.* 1648. 4. 8) Huc ſpectat Profeſſio ſubiectionis & fidei *Ioh. Caſimiro* coram eius Legato, Comite *Andrea* de Lesno a Ciuitate Thorunenſi edita. &c. *Thorun.* 1649. 4. Ad Eundem Regem, Prodromus Virtutum Laudumque Heroicarum Auguſtiſſimi Monarchæ, Iohannis Caſimiri, poſt deuictum ac fugatum Tartarum & ſuppreſſos rebelles, ſcriptus ab *Andr.* Knochio, & excuſ. *Gedan.* 1651. f. Nuptias tanti Regis cum LVDOVICA MARIA GONZAGA coluit *Ioach. Paſtorius Aquilæ Sarmaticæ ſuper nuptiis Io. Caſimiri &c. exultantis & lætiſſima ominantis plauſu*, ſtylo partim ad modum inſcriptionis compoſito partim ligato, & Thorunii oratione ſolenni eas celebrauit *Conr.* Thamnitivs, Gymnaſii patrii Prof.

e

(1) 15. *Mich.* Mylius *Elbingenſis*, cuius VLADISLAVS IV. a ciuitate Elbingenſi ipſo exſequiarum die a. 1649. laudatus pr. *Elbing.* 4. 16) *Hieron.* Grato de Moskorzovv Moskorzovvski, qui orationem funebrem habuit, in Academia *Lugd. Batauorum*, *ibidem* excuſam 1648. 4. Vltimo Regiorum fratrum IOANNIS ALBERTI, & ALEXANDRI CAROLI non importune mentionem hic facere poſſumus. Illi, S. R. E. Cardinali, & Epiſcopo Cracouienſi, hanc dignitatem, & aduentum Cracouiam a. 1633. gratulati ſunt. 1) *Ioh.* Fokius Archidi. Cracou. habita oratione pro capitulo Eccleſ. Cathedralis Cracouienſis d. 27. Febr. 2) Stanislaus Rakovvski, cuſtos Klecenſis, oratione, primum Romæ poſtea Cracouiæ impreſſa, a. e. 4. 3) M. *Mart.* Michovivs aeroamate poetico a. e. 4. 4) M. *Ioh.* Cinerski *Rachtamouius* Proſphtegmate Apollinis Academici. Cracou. e. a. 4. ALEXANDRO CAROLO elogium funebre ſcr. *Iohannes* Lipski Referendarius regni, Cracou. 1634. 4. quod ex *manipulo oratt.* ſæpius citato allegatur, inf §. XXX.

(2) Relation des Einzugs und Krönung zu Krakau/ edita eſt *Gedani* 1649. add. M. *Ioh.* Rocki Phil. D. & in Vniu. Cracou. Collegii minoris Profeſſoris Panegyricus d. 17. Ianuar. ſacro inaugurationis die dictus. *Cracou.* f.

Digitized by Google

Prof. qui etiam aliam Orationem in panegyri ſolenni habitam A. 1650. d. XI. *Auguſti*, edidit, ob natam Auguſtorum Parentum prolem, A cuius Orationis tit. *Peplus Mineruæ Sarmaticus, ex auguſtiſſimo Iagellonum & Gonzagarum flore contextus*, *Thorunii*, 1651. f. & ob alium recens natum Filium, ſub tit. *Faſciæ, ibid.* Anno 1652. f. cuius Viri doctiſſimi præterea ſolennis oratio ob reditum Regis Victoris, Thorunium ineuntis, ſub tit. *Genethliaci* prodiit *ibid.* 1651. fol. Ingreſſus *Ioh. Caſimiri*, *Regis Pol.* (*Iehoua Coronam Regni Protegente*) in Poloniam & Boruſſiam, Gedanum ſuum fideliſſimum, A. 1656. XV. *Nouembr.* reuiſentis, Carmine anagrammatico & heroico, decantatus eſt a *Iucundis Muſis Dantiſcanis*, h. e. a *Iohanne* MAVCKISCHIO, *Doct.* qui loco iuuentutis ſuæ verba fecit, *Gedani* in fol. ac inſuper proprio nomine de hoc ingreſſu carmen ſcripſit ad *Dn. Adrianum a Linden*, B Protoſcholarcham, in f. De eodem ingreſſu extat breuis Relatio germanica, hic *Gedani* publicata, 1656. 4. cui adiecta eſt Compellatio Senatus per *Vinc.* FABRICIVM, huius Ciuit. t. t. Syndicum, & Reſponſum *Stephani de* PILCA KORICZINSKI, ſupremi Regni Cancell. ex latino idiomate translata, *Gedani*, 1656. in 4. (1) quæ latine prodierunt *ibid.* 1656. f. & præterea in *Vinc.* FABRICII *Oratt. Ciuil. p. 19. & p. 22.* vt & germanice in *Lundorpii Act. Publ. T. 7. p. 1186.* reperiuntur. Hoc tempore *Io. Pet.* TITIVS quoque carmine gratulatorio eum ingreſſum veneratus eſt in *fol.* Nec reticeri debet Gratulatio poetica, a *Ioach.* PASTORIO, eodem tempore Regi oblata, quæ *Elbingæ* in f. & in 4. A. 1656. edita, & *Syluarum lib.* 4. legitur adiecta; Vt & alia ſtylo ſoluto Regi *ibidem* exhibita. Eundem ingreſ- C ſum Pentade Epigrammatica celebrauit *Daniel* ASCHENBORN, *Dant.* 1656. f. itemque *Iacobus* ZETZKIVS, Scholæ Mar. Rector, qui Aquilam Poloniæ reducem, IV. Annagrammatum Decuriis exhibuit *Gedani* 1657. f. Et *Ioach.* PASTORIVS carmine conſolatorio, *cum poſt ingentes calamitates Rex quaſi ab exilio*, *Gedanum ex Sileſia 1656. veniſſet*, quod ſtellæ *Eius* aureæ *Dantiſci* typis Rhetianis recuſæ adiectum. In victoriam Io. Caſimiri R. de Moſchis relatam, extat *Io. Laurent.* LACCHESINI, *Itali* carmen Romæ 1662. 4. in aliam Victoriam a Tartaris & Coſacis menſe *Iul.* 1651. deportatam, inuictũ Sarmatiæ Leonem, ſiue carmen lat. & germ. edit *Ioh. Georg.* MOERRESIVS, Scholæ Petro Paul. Rector, *Ged.* fol. Actum memorandarum ſolennitatum Abdicationis & Reſignationis Sereniſ. Io. Caſimiri, d. 16. *Sept.* 1668. celebratum Varſauiæ in Comitiis Regni Generalibus, *Elias Conſtantinus* a *Trewen* SCHRÖDERVS, *Dantiſcanus*, IC. & Secret. Regius, latine & germ. 1668. in 4. edidit, vbi orationes, quæ ab ipſo Rege & Pro-Cancellario in Comitiis prolatæ ſunt, ex Pol. conuerſæ, habentur. Memoratam quoque Orationem Regis, totiusque abdicationis proceſſum, *Hartknoch L. II. de Republ. Pol.* c. 1. p. 253. è *Nicolao Chwalkonio*, teſte oculato, exhibet; de quo etiam Acta *Londorpii* legi poſſunt T. 9. p. 644. ſeqq. itemque *Theatrum Europ. Part. X.* f. 815--822. &c. Orationes autem Polonicæ reperiuntur *Part. II. Oratoris Polonici* (*Mowca Polski*) *Caliſſiæ* A. 1676. typis exſcripti, p. 11. ſeqq. Emblematibus aliquot æri inciſis, & carmine germanico latino Denck- und Danck-Altar nominato explicatis celebrauit eam *Ludou.* Knauſt P. C. & Sub-Iudex Palæopol. Gedan. *Gedan.* 1668. f. Cineres Auguſti Io. Caſimiri, P. & Su. Reg. &c. auito, Regum Pol. Mauſoleo, in Baſilica cathedrali Cracouienſi, iuſtorum ſepulcralium regali magnificentia illatos, gratæ in Seren. Domum Iagellonicam. Regiæ Vniuerſit. Cracou. nomine, funebris encomii parentali cultu excepit M. *Staniſl. Ioſephus* BIEZANOVVSKI, *Leopol.* in Academia Cracouienſi Philoſ. D. & Poëſ. Prof. *Cracou.* 1676 d. 30. *Ianuar.* Extat quoque *Andr.* OLSZOVVSKI, Epiſc. Culmenſis, Poloniæ Pro-Cancellarii, Sermo parentalis, in Exequiis Seren. Iohannis Caſimiri Regis, dictus, ſub tempus Comitiorum regni, Varſauiæ in Eccleſia collegiata S. Iohannis Baptiſtæ, die 18. *Febr.* 1673. & Seren. *Chriſtinæ Alexandræ*, Reginæ Sueciæ, dicatus in 4. (2)

§. XXVII.

In MICHAELIS KORIBVT, Ducis in Wiſniovviec, Inaugurationem, A. 1669. factam, ſequentia ingenii monumenta ad manus meas peruenerunt: 1) Palmes Coributeus per *Staniſlaum* à STERNBERG TEMBERSKI, Canon. Premiſl. d. 20. *Sept.* porrectus, *Cracou.* 1669. f. 2) Chronologia Synoptica Palmitis Corributei ad auguſtiſſimum Coronationis diem Michaelis I. Reg. Pol. &c. hiſtorico ſenſu Michaelis Koribut.

(1) Et ſine adiecta oratione e. a. 4.

(2) Mauſoleum Regale IOH. CASIMIRI a IOACH. ab HIRTENBERG PARTORIO, F. eloquentiæ in coll. S. I. prope Gedanum ſtudioſo carmine elegiaco conſcriptum, & *Ioh. Ignatio* BAÇKOVVSKI, Pomeraniæ Palatino &c. conſecratum, excuſum eſt typis monaſt. *Oliuenſis* 1673. 4. Non incongruum erit, hic illorum quosdam recenſere qui funeri LVDOVICÆ MARIÆ iuſta exhibuere, quamuis illius iam mentio facta ſit in §. præc. Ita 1) M. *Martinus* WINCKLER Eccleſ. Cracou. ad D. Annam Canonicus, Regius & Tylicianus Eloq. Profeſſor orationem funebrem habuit. *Cracou.* f. 2.) *Staniſlaus* a STERNBERG TEMBERSKI I. V. D. Canonicus Premiſlienſis leſſum edidit. *ib.* 1667. f. 3) M. *Staniſlaus Ioſephus* BIEZANOVVSKI modo in ipſo §. nominatus, Mauſoleum Reginale. Ib. e. a. f.

ſu producta, *d. 6. Octobr.* per eundem, *ib. f.* 3.) Gratulatio Panegyrica Seren. Michaëli ſub felicibus coronationis auſpiciis per *Steph.* RADVAN LODZINSKI, Præpoſ. Scekocinenſ. oblata, *ib f.* 4.) Solennes gratiæ DEO immortali Divisque cœlitibus, pro felici Electione Michaelis Koributh, à *Theod. & Alexand.* COMITIBVS à BVTHLER, Succamer. Regni Polon. conſecratæ, d. 22. Iulii, *ib. f.* 5) Gratulatio ſermone gentilitio ſcripta à *Cypriano* ZOCHOVVSKI, S. Theol. D. *ibid. f.* 6.) Corona nouæ regni felicitatis, ex boni ominis nomine Michaelis, & ex aliis auſpiciis, à *Colleg. Varſav S. I.* contexta, eidem Sereniſſimo, ipſo inaugurationis eius ac nominali die, dedicata per D. *Steph.* BRANICKI, Mareſch. Cur. Reg. & Capitaneum Stobnicenſ. *Varſav. f.* typis *Elertianis.* 7.) Vaticinium Regale, ſub auſpicatiſſima Coronatæ Maieſtatis primordia Seren. Michaelis, heroica poeſi celebratum, & à *Polona Societat. Ieſu* fauſti ominis ergo oblatum, autore *Alex.* LOVENCOVIC, *S. I. Cracou. f.* qui male LORENCOVIC ſcribitur in B. PLACCII *Pſeudon.* n. 1421, & anon. num. 1673. 8.) Sarmatia ciue patriæ coronata, inter publicos Regiæ Inaugurationis plauſus ſub adſpectun regnis imperiisque data, è voto *S. I. inſ.* quæ Oratio etiam extat in *Io.* KVVIATKIEVVICZ, *Oratore Peripatet. Caliſſii* 1680. *in 12.* publicato. 9.) Septizonium triumphale, à M. *Stanislao Joſepho* BIEZANOVVSKI, Phil. in Acad. Cracou. D. & Ord. Poëſ. Prof. opere literato erectum die 29. Septembr. *Cracou. fol.* 10.) Diadema gloriæ felicibus auſpiciis Seren. Michaëlis, fauente cœlo, triumphante Rep. Cracouiæ in æde S. Stanislai, die Principi Angelorum dicata, Coronam ſuſcipientis, conſecratum à *Ioach.* PASTORIO, *Cracou. 1659. f.* & cum eius *Floro Polon.* edit. *Gedan. 1679. 12. pag. 765.* 11.) Carmen acroſtichum Coronationi Regis applaudens *Sophianna Bernard.* à BERNIGZ, Natæ CORBINIANÆ, in *fol.* 12.) Munus Ciuile Regi ſuo à fideli ſubdito oblatum, autore *Veſp.* KOCHOVVSKI, *Cracou.* in 4. 13.) Carmen elegiacum *Io. Pet.* TITII, *Gedani* edit. 1669. f. & aliud, quo inter gaudia ſolenniſſima publica, Muſarum Gedanenſium lætitiam exprimere voluit, *ib.* in f. 14.) Solennitas Coronationis Regiæ, quam Iubilis patriæ accinebat *Andreas* IASKI à IASKINDORF, *Ged.* in fol. Conciones eo tempore gratulatoriæ variæ editæ ſunt, vt *Gedani* duæ *Nath.* DILGERI, & vna *Mich.* FALCKII; *Elbingæ*, *Christoph.* FEIERABEND; & *Cyriaci* MARTINI, *Thoruniį*, *Ioh.* NEVNACHBAHR. (1) Sub initium ſtatim regiminis *Andr.* OLISZOVVSKI, Epiſc. Culm. Pro-Cancellarius Regni ac Legatus Regius, ad Ordines Ciuit. Gedanenſis, antequam S. R. Maj. fidelitatis & ſubmiſſionis juramentum præſtarent, A. 1670. *d. 9. Iunij*, Sermonem habuit, qui cum Reſponſo, nomine Senatus & Ordinum, per (Dn. *Barth.* FRANCK, Ciuitatis t. t. Syndicum) typis excuſus eſt in 4. *Eiusdem*, Illuſtriſſimi Legati Sermo pro deſponſanda Michaeli, Regi Pol. MARIA ELEONORA, Imperatoris filia,* *d. 13. Decembr. 1669.* habitus, legitur latine & germ. in *Append. Diar. Europ.* P. XX. pag. 309. ſeorſim antea in 4. latine publicatus. Ibidem quoque P. XXVII. habetur Regis Mich. Teſtamentum ſcriptum *Lubl.* 1673. ſtylo germ. it. Epitaphia, mauſoleum, tumulique inſcriptio, latino ſtylo, cum *Ioach.* PASTORII & *Adriani* à LINDA, diſtichis. Tædis Regiis, Poloniarum orbem ſereniſſimo auguſtiſſimoque iubare colluſtrantibus, Anno 1670. *Gedani* etiam applaudit *Ioh. Petr.* TITIVS, *fol.* à quo inſuper *Cyneas Polonicus*, cum iusiurandum Sereniſſimo Poloniarum Regi, A. 1670. *d. 9. Iun.* à Ciuitate Gedanenſi præſtitum ſuſcepiſſet, Epigrammate feſtinantiſſimo celebratus eſt *inſ.* In eundem nexum nuptialem Carmen edidit *Ioach.* de HIRTENBERG PASTORIVS, *Ged.* 1670. f. qui præterea Auguſtum Diadema Seren. Reginæ *d. XIX. Octobr. 1670. Varſau.* ſolenniter impoſitum, quibusdam Anagrammatibus celebrauit *Ged.* in fol. (2) Cupreſſum Sereniſſimo Poloniæ Regi *Leopoli*, A. 1673. *d. X. Nouembr.* defuncto, poſuit *Ioh. Petrus* TITIVS, f. Victoriam Regis poſthumam, Carmine heroico, *Gedani* 1674. f. excuſo, deſcripſit *Andr.* JASKI. Sic etiam Dis. (*Regis*) Manibus, de immaniſſimis hoſtibus Ottomanigenis ad Chocimum diſiectis obtritisque, die poſt emortualem primo, glorioſiſſime triumphantibus, victrices Coronas ſuſpendit ſacrauitque B. *Godofr.* à PESCHVVITZ, (*Cos. Gedan.*) in f. Splendor Corybutæi Sideris, inextinctus, in funere Michaelis, P. R. æternæ optimi Principis memoriæ, à *Matthia* BROCKI, Ph. D. & Prof. Cracou. lugubri carmine conſecratus eſt, *Ibid.* A. 1676. *d. 31. Ian. f.*

* conf. de ea §. XIX. not.

§. XXVIII.

Johannis Sobieskii.

IOANNI SOBIESKIO Coronam faſcesque Regios 1676. capeſſenti, applauderunt: (3) 1) *M. Martin.* WINCKLER, Crac. Prof. Eloq. in Panegyrico, in primo ad Regni me-

c 2

(1) *Neutreichii Laur.* Fiſcheri. Add. 15) Echo anagrammatica Elbingæ celebrata. *Elb.* 1669. 4. 16.) *Ioh. Rutgeri* zur Korſt anagrammata in electionem auſpicatiſſimam &c. Ged. f. patenti.

(2) Huc ſpectat Relation mit was ſolennitäten die Königin a. 1670. d. 19. Octob. gekrönet worden. 4.

(3) His præmittenda: Relation was bey der Wahl Iohannis III. vorgegangen ſub adato Warſchau d. 15. Mai. 1674. 4.

metropolin ingreſſu eidem e voto publicæ lætitiæ conſecrato f. 2) *M. Stanislaus Ioſephus* BIEZANOVVSKI, Prof. Cracou. in Hecatombæa ſcuto Regali ſacra, binas Panegyres complexa, quarum prima exponit auguſta ad electionem Regiam opera, ſtylo ſoluto; altera auguſta ab electione Regia opera, ſtylo ligato exhibet. f. 3) Illuſtris Iuuentutis nomine *M. Alex. Petrus* REMBERT, Prof. Poeſ. Nouoduorſcianus, in Parnaſſo Nouoduorſciano, Ioanni III. cum Apollinis & Muſarum feſtiuo concentu, dedicato f. 4) *Georg. de* SIECIN in KRASICZYN KRASICKI, Caſtellanides Premisl. in Scutata Sarmatiæ Aquila, ſub Regali Clypeo Ioannis III. repræſentata, f. 5) *Alexander* MORSTIN *de* RACIBORSKO, Capitaneides Koualienſis, qui Carmine heroico eidem applaudit. f. 6) *Ioh.* SZEMIOTH, Succamer. Vend. in Regali Sarmatiæ clypeo, oſtenſo in Ioanne III. f. 7) CONVENTVS RVPELLANVS, Fratrum Ord. S Pauli I. Eremitæ, in Armamentis gloriæ Inuictiſſimi, Victoriſiſſimi Glorioſiſſimique Principis, Ioannis III. erectis, & in titulos diſtributis. f. 8) *Ioh.* KVVIATKIEVVICZ in Marte Polon. coronato, qui etiam extat in *Orat. Perip. Caliſſ.* 1680. 12. edito, 9) B. D. *Ægid.* STRAVCH, qui inſignia Ianinorum, è quorum familia Sobieſcii oriundi, Carmine expoſuit f. ac præterea Conc. gratulat. germ. edidit, quæ legitur in *Eius* Starck-und Milch-Speiſe/p. 909. 10.) *Ioh. Pet.* TITIVS, qui Carmen ſcripſit in Electione Ioannis III. A. 1674. menſe Maio, *Gedani* celebrata, in fol. item aliud in coronatione Regis A. 1676. f. & adhuc aliud, cum fidei ſacramentum à Ciuitate Gedan. præſtitum, ſuſcepiſſet: cui iungi & illud debet, quo MARIÆ CASIMIRÆ, Reginæ Pol. auſpicatiſſimum in vrbem Gedanenſem ingreſſum, A. 1676. d. 20. *Auguſti* celebrauit, f. (1) & aliud ad ingreſſum Sereniſſimi Regis Ioannis III: in eandem Ciuitatem, A. 1677. Kal. Aug. *ibid.* in folio. Quæ V. carmina cum 2. aliis reperiantur in *Ei.* manipulo noctium poeticarum. *Dantiſc.* 1684. 12. 11.) *Ioach.* PASTORIVS, cuius Ægis Palladia in Iohannis III. R. P. clypeo gentilitio, A. 1676. 11. *Febr.* ſub ipſam inaugurationis Regiæ ſolennitatem carmine heroico adumbrata, ſeorſim 1676. f. & deinde cum eius *Floro Pol.* 1679. 12. p. 822. prodiit. 12.) B. *Chriſtoph.* BEHR, infra repetendus, cuius Exultans Flammula, quam in Sereniſſimi Iohannis III. coronatione accendit, exiit *Gedani* 1676. f. 13.) *Georg.* WACHSCHLAGER, Legationis Sueciæ Secretarius, qui Carmen gratulatorium, Sereniſſimo Iohanni III. poſt redditam Orbi Polono triumphato oriente pacem Gedanum auſpicato ingredienti ſacrum, edidit in f. 14.) Dn. *Iohannes* KRIEG, Sch. Mar. R. qui in coronationem Elegiam edidit. f. *Ged.* 1676. 15.) *Io. Nic.* WEBER, eiusd. Sch. olim Con-R. qui eand. ſolennitatem Carmine celebrauit. *ib.* f. & inſuper Laurum Sarmaticam, lætiſſimo Sarmaticæ pacis nuncio accepto, A. 1676. alio carmine exhibuit *Ged.* in f. 16.) *Car. Fried.* SCHMIEDEN, qui aliquot diſtichis Sereniſſimo Regi Thronum Regium conſcendenti gratulatus eſt fol. (2) Eidem Regi à KVVIATKIEVICIO dedicata eſt Laurus prodroma, ſeu Carmen triumphale de Victoriis Turcicis *loc. c.* cui iungimus proſa ſcriptam *Io. Hyacinthi Bakowski* expoſitionem actionis ſub Chotimo, in Coll. S. I. prope Gedanum celebratam. a. 1675. 4. (3) Pariter ob Viennam ab obſidione Turcarum liberatam, cuius expeditionis ſcriptores nonnullos §. 19. allegauimus) Romæ ab *Antonio* MALAGONNELLIO, *Florentino*, habita fuit oratio panegyrica, quæ reperitur inter *Oratt.* eius, cum *Epiſtolis, nomine Cardinalium S. R. E. ex Comitiis Vaticanis ſcriptis,* (*Romæ* 1697. 12.) *Orat. II.* itemque ſeorſim ad exemplar *Florentiæ* recuſum *Gedani* 1684. 4. Ob eandem victoriam, cum Rex diuino munere ac beneficio, Victor ac Triumphator præ-

(1) De Ingreſſu Reginæ in eam vrbem agit: Relation von der Ankunfft der Königin bey Dantzig/und derſelben erfolgten Einzug in beſagte Stadt 1676. 4.

(2) Add. 17.) IOANNIS III. electi Regis Poloniæ merita erga R. P. ciuibus explicata. lat. & germ. 1675. 4. 18.) *Sam.* CORELLEN Paſtoris Eccleſiæ Neapolitanæ Elbingenſis Krön- und Glückwünſchungs-Predigt *Elb.* 1678. 4. 19.) Scutum Martis coronatum, quod nomine Academiæ S. I. Vilnenſis propoſuit *Ioh.* ZAVVISZA. *Vilnæ* 1676. fol. 20.) M. *Iac.* BÖRGER Gymn. Elbing. Rectoris echo epi- & anagrammatica coronationis ſolennibus ſacra. *Elb.* 1677. f. 21.) *Ioh. Rutgeri* zur Korſt anagrammata in electionem & coronationem. 22.) *Io.* IANSENII ſcutum Regium inſcriptionibus elegiacis adumbratum. *Oliuæ* 1676. 4. 23.) Relation von beyderſeits Majeſtäten Krönung. den 2. Febr. 1676. 4. 24.) Erklärung der Sinnbilder/ ſo an dem Feuerwerck zu ſehen geweſen/welches an dem Krönungs-Tage IOHANNIS III 1676. den 2. Febr. in Dantzig verbrannt worden. Nec omnino negligenda: Die Beſchreibung des Actus, bey welchem dem Könige der Ritter-Orden des H. Geiſtes im Nahmen des Königes von Franckreich durch den Marquis de Bethune in Zolkiev den 30. Nov. 1676. iſt conferiret worden. 4.

(3) Epinicion *Magno iſti Poloniæ Polemarcho* ob inſignem hanc cladem Turcis illatam elegantiſſimum prorſus cecinit, inclutus maxime vates *Leonhardus Frizon.* S. I. quod exſtat in Operibus *Ei.* Poeticis Pariſ. 1675. II. Vol. 8. publicatis. vol. I. p. 9. ſeqq.

prægloriosiſſimus, Regiam ſuam Cracouiam ingreſſus eſſet, Palmæ eius oratione publica celebratæ ſunt in Athenæo noſtro Gedanenſi, à ſæpe nominato b. m. *Ioh. Petro* TITIO, Eloq. & Poeſ. Prof. 1684. die 13. *Ian.* iubente Magnifico Patrum Ordine: de qua victoria etiam *Thorunii* verba fecerat Excell. Dn. *Ioh.* SARTORIVS, Gymn. Thor. eo tempore Prof. digniſſimus, A. 1683. *M. Oct.* f. In Belgio *Petrus* FRANCIVS, Poetarum ſui ſeculi facile Princeps, A. 1687. *Laurum* dedit *Europæam*, qua, *ode II.* Ioannis III. Victorias facunde celebrauit. Add. quæ in *Nouis Reip. litter.* A. 1684. p. 178. ſqq. habentur. In CHVVALKOVII ſingularibus Polonicis p. 42. ſqq. ſimiliter in huius victoriæ laudem nonnulla occurrunt. (1) Alias gloriæ Sereniſſimi Regis dicitum eſt firmamentum Sobieſcianum, a. B. Dn. *Ioh.* HEVELIO in Cœlo erectum, ſcriptoque illuſtratum *Gedani.* 1690. f. (2) Alias honor Sereniſſimi Iohannis III. R. P. duodecim inſcriptionibus coronatus, autore ROLCZYCKI, prodiit *Cracou.* 1675. f. Sic etiam *Chriſtophori* MARQVARDI Oratio extat in Diem nominalem IOANNIS III, *Francf. Od.* 1683. f. Pariter commendauit Sereniſſimum illum Regem D. *Mich. Ant.* HACKI, Abbas quondam Oliuenſis, Carmine Heroico doctiſſimo, quod extat in eius *Apolline Heroico* & *Lyrico*, *Oliuæ* 1692. f. excuſo. Quo pertinent EIVSD. Carmen Acroſtichon, in Regem Ioannem III. ſingulari artificio contextum, & *Matth.* PRÆTORII *Marti Gothico*, *Oliuæ* 1691. f. excuſo, vna cum alio ſuccincto & ueruoſo eiusdem HACKII poemate, adiectum; item, Hilaria Auguſta, Nuptiis *Sobieſcianis* & *Palatinis* dedicata, f. Applauſus item anagrammaticus IOANN. III. & alia quædam, in Regem & Regiam Domum carmina. *Matthæus* ille PRÆTORIVS, Stargardienſ. Præpoſitus &c. Regium Scutum Monarchæ Poloniarum perennatura gloriæ fama poſteris conſignatum, ſiue Carmen germanicum ob Sereniſſimi Regis Ioannis III. victoriam, d. 12. *Sept.* 1683. a Turcis & Tartaris in obſidione Viennenſi obtentam, publicauit *Oliuæ* 1684. f. qui præterea Applauſum Sarmatiæ, ſiue Acclamationem in nuptiis Illuſtriſſimi Poloniæ Principis IACOBI LVDOVICI cum HEDVVIGE ELIZAB. AMALIA, Comite Palatina Rheni, A. 1691. d. 25. *Martii*, *Varſauiæ* celebratis, verſibus Germanicis edidit *Dant.* eod. anno fol. Eiusdem Regiæ prolis IACOBI SOBIESCII nuptiis cum memorata Principe in panegyri ſolenni Thorunii applaudit antea laudatus Clariſſimus Dn. SARTORIVS, hodie Athenæi noſtri Decus, cuius *Scutum Sobieſcianum* hac occaſione impreſſum fuit *Thorunii* 1691. f. (3) Horundem Sereniſſimorum Sponſorum Magnificentiam, Regio eximiarum virtutum opere excitatam, & ad auſpicatum hymenæum, e voto lætitiæ publicæ celebratam, prædicauit M. *Mart.* OSLINSKI, Pr. & Canon. Cracouiæ. Similiter Solennia nuptiarum MAXIMILIANI EMANVELIS, Bauar. Electoris, &c. & THERESIÆ CVNIGVNDÆ, filiæ Regiæ, Polon. Principis, A. 1694. *Gedani D. Io.* SCHVLTZIVS, Iur. & Hiſt. t. t. ib. Prof. Sermone gratulatorio; *Thorunii* vero, auſpiciis inclyti Senat. Thorun. Excell. Dn. *Io.* SARTORIVS, modo laudatus, Connubiali Leonis Bauarici cum Aquila Sarmatica Fœdere; & *Halæ*, *Ioach. Henr.* SCHRADER, Gedanenſis, Nuptiali Panegyrico (cuius autor eſt Dn. *Chriſtoph.* CELLARIVS,) coluerunt: quibus *Matthæi* PRÆTORII, Parochi Stargard. S. R. M. Polon. Hiſtorici & Secretarii, carmen germanicum iungi debet, in iisdem nuptiis decantatum, & *Gedani* editum 1694. fol. Alii adhuc alio in argumento fuere occupati: Vt, cum *Rex* valetudini reſtitueretur, idem laudatus Dn. *Io.* SCHVLTZIVS, A. 1694. d. XIII. *Maii*, eius laudes ſolenniter hic loci prædicauit. Ingreſſum quoque in Regiam hanc Ciuitatem, 1677. *Kalend. Auguſti*, inter gaudia & plauſus publicos, Vir optimæ recordationes, *I. P.* TITIVS, Carmine heroico proſecutus eſt. (4) Et cum æterna memoria digniſſimus Rex, A. 1669. d. XVII. *Iunii*, ſtatione mortali decederet, *Magnas eius Exuuias ferali Cupreſſo*, h. e. Oratione funebri, ex inclyti Magiſtratus *Thorunenſis* Conſulto, coluit *Ioh.* REZIK, Gymnaſii Prof. & Viſitat. qua merita fortiſſimi Regis in genus humanum, phænomenis etiam cœleſtibus nobilitata, pariter & tropæa illius a genere humano emerita, expli-

(1) Præter illos *Chriſtoph. Ioh.* CYBONI Philoſ. D. Panegyricum poſt liberatam obſidione Viennam *Ioanni* III. conſecrauit. *Zamoſc.* 1684. f. cui adiungi poteſt: *Petri* **Schaur** Memorial **oder unvergeßliche Ehren-Seule/ und Freuden-Zeichen/ als der König** IOHANNES III. **nach der Befreyung Wien/** a. 1683. 23. Dec. **in Krakau ankam/ aufgeſetzt** in lig ata. *Warſchau* 1683. f.

(2) Vid. in illum HIPPARCHI Gedanenſis laborem Magnif. V. V. *Io. Ern.* SCHMIEDEN, *Conſtantini* FREDERI & Cl. *Ioh. Petri* TITII elegantiſſima carmina.

(3) Et carmine heroico, digno tam illuſtri vena B. nunc *Io Ern. Schmieden* Coſ. tum, ſed poſtea Præcoſ. Gedanenſis. Qui & natam ex illo thalamo principem pulcherrimo epigrammate celebrauit. Easdem nuptias carmine latino, & alio germanico, veneratæ ſunt Muſæ Gedanenſes. Vtrumque in forma patenti excuſum eſt. Et *Georg.* Wachſchlager S R. M. ſecretarius carmine heroico. f.

(4) Deſcriptio huius ingreſſus Regii, additis iconibus nonnullis pr. *Gedani* 1677. 4.

cantur. Præterea in funere Regis, iubente Magnifico Patrum Ordine, Orationem *Gedani d. XIX. Iulij* habuit Vir Cl. νῦν ἐν ἁγίοις, *Christoph.* BEHR, Eloqu. & Poeſ. Prof. (1) Præter hanc adhuc aliam videre mihi contigit apud Cl. Dn. PRÆSIDEM, Præceptorem ea, qua par eſt, deuotione proſequendum, quæ eo præſente atque audiente, *d. 5. Decembr. Romæ* in Sacello Pontificio Quirinali ad INNOCENTIVM XII. P. M. à *Carolo de* AQVINO, S I. habita, & ſeq. anno in fol. ibi publicata eſt. Leſſum ad Illuſtriſſim. atque Excellentiſſ. D. *Ioh. Bonau. Coruin Kraſinski*, Palatinum Plocenſem, Auguſto hoc Principe rebus humanis exemto, miſit D. *Iohann.* SCHVLTZIVS, *Gedani* 1696. f. Lublini deduxit Triumphale Regis Funus SOCIETAS I. Polona, Paoegyrico, *ib.* 1697. in fol. excuſo. Fata Sereniſſimæ familiæ Regiæ nota ſunt. Nos hic tantum allegamus, literas quibus Sereniſſimam Viduam, ob captiuitatem celſiſſimorum filiorum IACOBI & CONSTANTINI conſolatus eſt CLEMENS XI. P. M. quæ leguntur im Staats-*Mercurio* T. 2. p. 450. exhibitæ etiam im Neubeſtellten *Agenten I. Function.* p. 239. Prodiit ſeorſim 4. 1704. 4. expoſitio rationum detentionis Principis IACOBI, exhibita ſtatibus Imperii in Comitiis Ratisb. per Regis Poloniæ Ablegatum, Comitem de WERTHER. Quæ excerptæ leguntur addita de Sereniſſimis captiuis relatione *l. c.* p. 178. integræ inſertæ ſunt *ib.* p. 391.

§. XXIX.

Friderici Auguſti.

Notitiam interregni quod Sereniſſ. Regem AVGVSTVM anteceſſit, æmulorum, & ſtudiorum partium, præter polonica nonnulla adiuuant. 1.) *Andr. Chryſoſt.* ZALVSKI Epiſc. PLOCENSIS Wahlpredigt gehalten den 15. Mai. in der Pfarr-Kirch zu Warſchau bey angehendem Reichs-Wahltage ex polonico in latinum translata. *Thorun.* 1697. 4. 2.) *Georgii Alberti* DENHOFF Epiſc. PREMISLIENSIS. S. R. I. Principis & ſupremi Regni Cancellarii, concio ſub introductionem S. FELICISSIMÆ tempore electionis factam. Pol. 4. 3.) Propoſition ſo der Republic von Polen durch des neuen Candidati Ihr. Durchl. von Sachſen Enuoyé extraordinair vorgeſtellet worden / quod ſcriptum quoque h. t. prodiit: Vorſtellung ſo wegen Chur-Sachſen durch dero Geſandten der Königl. Wahl halber geſchehen. 4.) Das in gantz Europa herrſchende Chur-Hauß Sachſen / 4. quo Schediaſmate demonſtratur Auguſtiſſimum Regem noſtrum inter maiores ſuos paternæ æque ac maternæ lineæ numerare CASIMIRVM IV. Regem Poloniæ. 5.) Polniſcher Mercurius, d. i. kurtze und deutliche Nachricht von allem demjenigen / was in Polen vor / in / und nach der Wahl Ihro Majeſtät des itzigen Königs vorgegangen. *Breslau.* 1697. 4. 6.) Ausführlicher Bericht deſſen / was zeitwährenden Königlichen Polniſchen Wahltags inſonderheit den letzten Tag ſich zugetragen. 1697. 4. 7.) Relation wie die groſſe Geſandſchafft aus Polen ihrem erwehlten Könige die Krone angetragen. 1697. 4. 8.) Oratio Palatini WOLYNSKI Dni in IABLONOVVSKI Legati primarii, quæ ad Regem nouiſſime electum habita eſt d. XIII. Iulii. impr. *Cracou.* a. 1697. 6.) Mars Saxoniæ triumphans ſuper aureo pomo Poloniæ, a tot Principibus affectato. (2) Inter illos præcipuus fuit Celſiſſ. IACOBVS, Poloniæ Princeps, cuius cauſam concerrit: IACOBVS diuerſicolor Orbi Sarmatico præſentatus a ciue habitante Poloniam beatam liberamque 1697. 4. it. Diſcurſus Politicus de electione & ſucceſſione Principis, præprimis IACOBVM, vt vocant, diuerſicolorem, Sereniſſ. Poloniæ Principem concernens, Autore cuius ſymbolum: *Me Gratia Beet domini* (*M. Gottfr.* BARTHOLD, Dantiſcano, Scholæ Iohanneæ in Patr. Conrectore.) Pro Principe CAROLO, duce NEOBVRGICO, germano ſuo, Electoris PALATINI propoſitiones ad Rempubl. Poloniæ, pr. latine itemque polonice 4. (3) Nemo tamen ma-

(1) Peculiares in eadem Vrbe conciones funeri Regio ſacras habuerunt, ediderunt que 1696. 4. Dominus *Samuel* SCHELGVIGIVS & Dominus *Conſtantinus* Schütz.

(2) Add. Conſiderationes circa electionem futuri regnantis. f. Scriptum ad archiuum cordium inclutæ nobilitatis regni Poloniæ & M. D. Lithuaniæ, gratia noui Poloniarum Regis eligendi ad campum Varſauienſem pro 15. Maii 1697. congregandæ, per conciuem equitem ſenio a congreſſu hoc impeditum, porrectum. f. Parallela hiſtorica trium electionum, quæ diuiſa Republ. contigere in Polonia. f. Autor ſchediaſmatis fuit *Andr. Chryſ.* ZALVSKII. t. t. Epiſcopus PLOCENSIS. ed. typis Monaſterii *Oliuæ* 1697. diploma electionis AVGVSTI II. pol. in f. Copia literarum S. R. Maieſtatis AVGVSTI II. ad Cardinalem Primatem regni 1698. 22. Ian. cum huius reſponſo Saxo percuſſit Philiſtæum, ſeu Reſponſio Theologica Cracouienſis ad re ſolutiones Theologi Varſauienſis, cuius falſitates deteguntur honor AVGVSTI II. defenditur, incliti electores ei. Regis a cenſuris bullæ cœnæ domini immunes declarantur, totaque Reſp. Poloniæ a cavendis peſtiferis deciſionibus Theologi Varſauienſis expoſtulatur. f.

(3) Inſeri poſſunt. Propoſitiones ab Eleonora Poloniæ Regina vidua factæ, pro Leopoldo Lotharingiæ Duce primogenito ſuo, in comitiis electionis. 1697. f. ad IACO-

maiori contentione pro obtinendo regno niſus eſt, quam Princeps de Conty: Huc pertinet: Cenſura Candidaturæ de natione Gallica A Reipubl. pro cautela neceſſaria. 4. Equitis Poloni examen literarum, quas m. Octob. 1696. Galliæ Legatus Abbas Poligniacus ad Epiſc. Cuiauienſem dedit. 4. Copia Reſponſoriarum Epiſcopi Cuiauienſis ad literas nimium prolixas Legati Gallici. Contiſches Diarium, oder des Printzen Conty Schiffarth nach Polen/ worinnen beſchrieben/ was derſelbe vor Anſchläge gebrauchet/ zur Polniſchen Crone zu gelangen/ wobey auch das Manifeſt der Contiſchen Parthey nebſt der Widerlegung 4. bey Dantzig 1697. 4. Manifeſt des Printzen de Conty, gegeben auf der Flotte bey Oliua. 1697. 4. it. polonice. f. (1) B Alios libellos qui inter iſtos motus, aut ſine Autore priuata autoritate prodierunt, aut ſatyram magis quam hiſtoriam condidere lubentes & conſulto hic omittimus. Conuertimur Itaque ad Sereniſſimum Potentiſſimumque FRIDERICVM AVGVSTVM cuius cauſa ita cœlo placuit vt ſceptro Polonorum poſthabitis reliquis admoueretur. Quod capeſſenti ſolennia gratulationis exhibuit, nomine *Academiæ Vitenbergenſis*, A. 1697. Vir meritis ſuis in rem literariam illuſtris, Dn. *C. S.* Schvrzfleiſchivs. Eodem A. prodiit Panegyricus *Acad. Lipſienſis* & *Halenſis Magdeburgicæ* f. Perorauit quoque de his Regiis faſcibus nobilis Iuuenis, *Io. Siegfr.* von Beichlingen/ C Equ. Miſnicus in Academia Fridericiana, *d. 29. Octobr. 1697.* quæ Oratio rurſus Auctorem habet celeberr. Dn. Cellarivm, vt ex *Catalogo Script. à Profeſſoribus Halenſibus editorum*, apparet. Ex Cathedra Eccleſiaſtica Coronationem regiam celebrarunt in hac Ciuitate præcipue, B. A. *Andreas* Kühn, Dn. D. *Samuel* Schelgvigivs, & Dn. *Conſtantin.* Schützivs, quorum Sermones germanice typis vulgati ſunt, in 4. (2) Relatio de ingreſſu Sereniſſimi Regis in *Vrbem Cracouienſem, d. 12. Sept. 1697.* germanice recuſa eſt *Dantiſci* 4. ex Polonico tranſlata: Alia relatio de ingreſſu in *eandem* Ciuitatem, germanice in 4. exiit. Deſcriptio coronationis Regiæ, germanice pr. *Dreſdæ* & *Wratiſl.* 4. Solennium quibus *Varſauia* aduenientem Regem coluit, monumentum eſt: Beſchreibung der Ehren-Pforten/ ſo beym erſten Einzuge in Warſchau/ den 12. Ianuar. 1698. auffgeſetzt. 4. Eiusdem R. M. in vrbem Gedan. ingreſſum, *die 12. Martij*, Anno 1698. omniaque eius ſolennia, vt & Orationes elegantiſſimas, à Magnif. Dn. IOH. ERN. von der Linde/ Reip. COS. & Syndico, hac occaſione diuerſis vicibus ad S.R.M. habitas, exhibet accurateque deſcribit Dn. *Georg. Reinh.* Cvricke, quæ Deſcriptio figuris etiam ornata, prodiit *Gedani*, 1698. f. præter quam deſcriptionem adhuc alia extat, ab Autore, cuius Symbolum *Bonis Legibus*, i. e. *Balth.* Lange, conſignata, quæ german. *ibid.* exiit 1698. 4. & adhuc alia germanica vna cum deſcriptione *Mariæburgi* & *Dantiſci*. 4. Sub eundem ingreſſum, *Aquilam Poloniæ feliciter gladiis armatam*, Carmine heroico veneratus eſt antea laudatus *Chriſtoph.* Behr, Eloqu. & Poeſ. Prof. Præceptor poſt fata quoque colendus. Nec reticendus Vir Nobiliſſ. Conſultiſſimusque Dn. *Io. Gotofred.* à Diesseldorf, COS. nunc vrbis primariæ grauiſſimus, qui elegantiſſimum Carmen ſermone vernaculo, eodem tempore Regi obtulit f. inſertum Poëmatibus germ. von Hoffmannswaldau T. 3. p. 287. quali deuotione alii etiam Sereniſſimum Regem tunc venerati ſunt, vt Plur. Reu. Dn. *Samuel* Verch, *Io. Valent.* Meder, Capellæ Muſicæ Præfectus, *Io. Andr.* Thvmmel, nunc palæopoleos Gedanenſis Scabinus & *Ioh. Iacob.* Schlakow, quorum Carmina germ edita, proſtant f. Latino heroico eum veneratus eſt *M. A.* Hacki, Abbas Oliuæ, ſub tit. *Arcus Pacis &c.* quod recuſum reperitur, in den auffgefangenen Brieffen 1. Rauage. p. 457. Thorunii vrbem cum Sua S. Reg. Mai. prima vice ingrederetur, *Syllogen Obſeru. aliquot Hiſt.* po-

BVM adhuc ſpectat *Mich. Ant.* Hacki Meta Votorum, diuerſicolor Candidatus, Sereniſſ. IACOBVS Regius Princeps, carmine heroico celebratus 1696. f.

(1) Add. Nobilis Poloni epiſtola ad Regis Galliarum in Polonia Legatum de dato *Poſnan.* 1696. 20. Dec. f. Copia epiſtolæ quam ſcripſit Epiſcopus Cviaviensis Legato Galliarum vna cum reſponſo Legati. *Varſau. 1696. f.* Rationes pro non eligendo Galliarum Principe in Regem Poloniæ f. Literæ a Magiſtratu Gedanensi ad *Melch.* de Polignac Legatum Galliæ cum eius reſponſoriis. 1697. f. Copia orationis quam habiturns erat Legatus Galliæ in comitiis conuocationis, ſi non abrupta ſubito fuiſſent.

(2) *Iohannes* etiam Platovivs Eccleſiaſtes in inſula Principis (Fürſten-Werder) eidem ſolennitati homiliam conſecrauit editam Gedani. a. 1698. 4.

politic. è Ser. R. AVGVSTI II. Nomine, Perſona, Famil. Elect. &c. petitarum, Regi obtulit G. Wend, Gymn. Rect. *Thor. 1698. f.* (1) A Alias extat quoque Exitus & Exortus, Caſus & Curſus in Regno Pol. vterque Fatalis, anno, alter 1696. alter 1697. contentus & luculentus, literis conſignatus ac typis publicatus ab *Andr.* Caraeo, priuato Pol. incola, *Berol. 1698. f.*

§. XXX.

Aliorum Magnatum Poloniæ.

Memorauimus præcipuas Regum Panegyres, aliaque ſimilis generis ſcripta, facta Regum ſingularia ſpectantia. Sed procul dubio plura ſimilia extant, à nobis prætermiſſa: quis enim omnes Panegyriſtas, ſcriptaque alia minora cuncta recenſere valeat? imo vero longe maior numerus illorum eſt, qui Poloniæ Heroas B alios eodem ſtudio collaudarunt, quos omnes accurate recenſere nec poſſumus, nec vſui illud eſſe credimus, cum ab eo Scriptorum genere minima tantum Hiſtoriæ Polonicæ notitia haurir queat. Interim quia in hac claſſe Scriptorum aliqui occurrunt, qui Viros præ aliis illuſtres, aliaque argumenta egregia, Commendatione illuſtrarunt, hos quidem prioribus merito iungemus. Primum vero locum teneant *Simonis* Staravolscii Sarmatiæ Bellatores centum & triginta, Elogiis hiſtoricis comprehenſi, *Colon. 1631. 4.* Eiusdem Ἑκατοντὰς ſiue Centum illuſtrium Poloniæ Scriptorum Elogia & Vitæ, impr. *Francof.* C *1625. 4. & Venet. 1627. 4.* Idem de claris Oratoribus Sarmatiæ Tr. edidit *Florent. 1628. 4.* Eiusd. Vita & miracula *Vinc.* Kadlubkonis. exc. *Crac. 1642. 4.* Hunc ſequatur *Iohannes* Rywocki, S.I. qui Ideam magni Herois, ſiue Illuſtriſſimum Dn. *Leonem* Sapieha, Palatinum Vilnenſem, Exercituum M. D. L. ſupremum Ducem, tredecim orationibus panegyrice deſcripſit, quæ prodierunt *Antwerpiæ 1645. 4.* Imprimis vero commemorandæ veniunt Orationes *Georgij Ducis in* Oſſolin Oſſolinski, ſupremi Regni Pol. Cancellarii, quas nitidiori deſcriptas typo, nobis exhibuit *Georg. Fœrſterus, Dantiſci 1647. 4.* inter quas (*ima* D habita fuit Anno 1633. *d. VI. Decemb.* cum nomine VLADISLAI IV. electi Magni Moſchorum Ducis, VRBANO IIX. P. M. obedientiam, vt loqui amant, præſtaret. (*2da d. XXVI. Septembr. 1637.* ad FERDINANDVM III. Septemuirosque S. R. I. Principes, Ratisbonæ congregatos. (*3tia vltimo Martij 1621.* Londini ad IACOBVM I. M. Britanniæ R. nomine SIGISMVNDI III. auxilium aduerſus barbaros poſcentis. (*4ta* ad Reginam Pol. LVDOVICAM MARIAM, *d. X. Martij 1646.* in qua orator eam VLADISLAI IV. Sponſi nomine ſalutat. (*5ta die XIV. Ianuar. 1633.* ad Sereniſſ. *Venetiarum* Principem & Senatum. (*6ta d. XXIIX. Auguſti 1645.* cum VLADISLAI IV. nomine, publica in *Colloquio*, quod *Caritatiuum* vocant, legatione fungeretur. Porro ex *Ioachimi* Pastorii Panegyricis ſcriptis quædam ſuperſunt, qualia ſunt, quæ eius *Palæſtræ Nobilium, Francof. ad Mœn. 1678. 12.* editæ, adiuncta conſpiciuntur, ex quibus huc pertinent: Gratulatio ad *Andr.* Lesczinskium, Comitem de Lesno Epiſc. Culmenſem, cum anno 1650. Magni Cancellarii munus adiret, quæ ſeorſim prodierat *Elbing. 1650. 4.* item Panegyricus Sibyllæ Margarethæ, Comiti Denhofiæ, Duci Sileſiæ, Anno 1657. ſcriptus. Eiusdem Syluis, *Gedani 1656. 12.* editis, (in quibus Poëmata, variorum illuſtrium Poloniæ Virorum laudibus dicata, continentur) adiecta eſt *Stella Aurea*, ſeu Panegyricus, Sigismundi Güldensternii honori dicatus, qualem etiam eidem illuſtri Viro conſecrauit *Conr.* Thamnitius, *Thorun. 1649. f.* Nec reticeri debet eiusdem Pastorii *Peplum*, quod vocat *Sarmaticum*, ſeu de præcipuis quibusdam Poloniæ Principibus & proceribus liber, *Dantiſci* ſumtibus *Georg. Fœrſteri 1653. 12.* Eiusdem Calendæ Regiæ, qua Thorunium expugnatum IOANNI CASIMIRO gratulatur: itemque de præcipuis Beneficiis & ſucceſſibus, quibus Diuina Gratia S. R. M. & Remp. Polon. vniuerſam, nec non Principes Populosque fœderatos A. M DC LIX. decorauit Oratio, in celeberr. Panegyri, præſentibus Cæſareis, Regii, Electoral. Legatis, Gedani, d. 13. *Ian.* Anno 1660. ineunte, habita, ibidemque in 4. impreſſa: nec non Oliua Pacis ſeu Oratio ob pacem Oliuæ prope Gedanum ſancitam, 1661. habita, hic loci ſeorſim in 4. prodierunt. Egregium eiusdem eſt Poëma, *Plauſus Caſtalij* titulum gerens, ob auſpicatum aduentum Illuſtriſſimi D. *Andreæ* Olszovii, Homagium fidelitatis, Sereniſſimi Poloniæ Regis nomine, à maioribus Ciuitatibus Pruſſiæ, & inter alias *Gedan.* anno 1670. d. *9. Iunij* ſuſcepturi, *Ged. 1670. f.* Denuo quoque memorandus venit B. *Vincent.* Fabricius, *Hamb.* COS. quondam huius Reip. eiusdemque per XXIII. annos Syndicus meritiſſimus, *Varſauiæ 1667.* in functione publica denatus, cuius extant Orationes Ciuiles ad Sereniſſimos Potentiſſimosque Poloniæ Reges, nomine Ciuitatis Gedanenſ. habitæ, quæ vna cum Diſſertat. varii argumenti, Epiſtolis ad illuſtres Viros, Poëmatumque duabus Partibus, (quarum poſterior in edit. *Batava* non comparet,) accurante Dn. *Frid.* Fabricio, Fil. nunc Magnifico huius Vrbis COS. iterum prodiere, *Francof. & Lipſiæ 1685. 8.* Non minus *Io.*

(1) Elbingæ *Andr.* Wahl, nouæ ciuitatis Cantor, publicauit in ligata Lob- und Danck-Altar vor die glückliche Wahl FRIDERICI AVGVSTI: it. Magnum Magni AVGVSTI II. nomen à nouem Muſis celebratum. *Elb.* 1697. f.

Io. Kvviatkievvicz, S. I. in Oratore Peripatet. *Caliſſ 1680. 8.* vulgato, publica vt plurimum argumenta perſecutus eſt. Nempe præter illa, quæ iam circa inaugurationem MICHAELIS & IOHANNIS, Polon. Regum, adducta ſunt, conſecrauit *Caſimiro Floriano* Czartorycki, Archi-Ep. Gneſnenſ. Infulam Principem, Ducali Tiaræ annexam; *Andr.* Olszovvskio quoque, Archi-Ep. Gneſn. Honorum non plus vltra, ſtylo maximam partem lapidari, exarauit. In obitum *Caſimiri Leonh.* Sapieha, compoſita fuit ab eodem; Meta ſagittæ Sapiehanæ, inſcriptionibus XIV. conſtans; præterea *Io.* Wielopolscii, R. Procancell. & Mariannæ, Marchionis d'Arqviniæ, Reginæ Sororis, nuptias inſcriptione honeſtauit, cui titulus: *Gemma Annuli.* Idem *Io. Stanisl.* a Sbaszin Sbaski, Epiſcopo Premisl. in primo cathedræ aditu, obtulit Zodiacum Polon. ſeu Faſciam infulatam; *Stanislao* autem de Lvbraniecz Dombski, Luceorienſi & Bertenſi Epiſc. ſecundas infulas exhibuit. Forte etiam eius *Suada Ciuilis*, vt & *Phœnix Rhetorum, Vratisl. 1679. 12.* edit. in hunc cenſum venire poſſent, vbi habentur exempla variarum allocutionum & inſcriptionum, quæ Poloniæ ſtatum tangunt. Præterea extant Panegyrici Regales, Potentiſſimi Regis, celeberrimi Ducis, inclyti Regni & Nobilium Polonorum laudibus contexti, per *Thomam* Vitalem, Ord. Prædicat. *Romæ 1645. 12.* qui libellus tres Panegyricos continet. Titulus *primi*, Schola Iagellona; *ſecundi*, Pius Æneas & Fidus Achates; *tertij*, Polonia Inclita regno. In *primo* LADISLAI IV. & Principum Regalis familiæ Iagellonæ; in *ſecundo* Stanislai Koniecpolski & *Nicolai* Ostrorog, in *tertio* Poloniæ, & Nobilium Polonorum laudes inſinuantur. Seorſim quoque prodierunt Septem Chodkievvicii Heroes, Exercitus Lithuanici Duces, Illuſtriſſimum Dn. *Chriſtophorum* Chodkievvicz, Palatinum Vilnenſem &c. Vilnam ingredientem, gratulatione excipientes, quam Gratulationem *Petrus Caſimirus* Lacki, Orator Acad. Vilnenſis S. I. nomine Academiæ calamo complexus, Illuſtriſſimo Palatino Vilnenſi obtulit, Anno 1642. f. Eiusdem Societatis *Vilnenſis* nomine *Via Auguſta* ad Sereniſſimum Pol. & Suec. Principem *Carolum Ferdinandum*, Epiſcopum Plocenſem, domus ſuæ Fundatorem, ſcripta prodiit A. 1644. in f. Non minus extat: Salutatio Celſiſſ. Principis, Dn. *Ianuſſii* Radzivilii, D G. Birzarum & Dubincorum Ducis, &c. cum hoſtibus cæſis, pace reſtituta, Victor pius, felix ad ſuos rediret, gratulationis ergo ſcripta à *Val.* Thilone, *Regiom.* 1651. f. Item Ingreſſus Illuſtriſſ. Dn. *Stephani in* Czarnca Czarniecki in Leopolim, metropolitanam Ruſſiæ vrbem, poſt Hungaros, Coſacos, Valachos ac Moldauos, inſignibus aliquot cladibus affectos, 1657. ab *Anonymo* deſcriptus, & *Dant.* ſumtibus *Georg. Færſteri* editus 1659. 4. Item Adlocutio gratulatoria ad Celſiſſ. S. R. I. Principem Dn. *Georg.* Lvbomirskivm, ſupremum R. P. Mareſch. &c. ſuper triumphatis, ductu eius, in Boruſſia hoſtibus, autore *Godofr.* de Peschvvitz, (COS. olim Gedan.) *Gedani 1659. fol.* Denique Triumphalis Soleatæ Virtutis Appia, qua illuſtr. Dn. *Vladislaus* Los, Palatinus Pomeraniæ &c. ad trabeati Honoris Capitolium in frequentiſſimo meritorum Comitatu, nobilibus deſideriis & affectibus deductus eſt, inter feſtiuos Pomeraniæ applauſus, gratulatorio *Gedanenſ. Rozrazeuiani Collegij Societ. IESV* obſequio ſalutatus An. 1685. f. Ab eodem *Collegio* habemus præterea Splendorem Oliuæ in imagine virtutum Reuerendiſſ. Dn. *Mich. Anton.* Hacki, Abbat. Oliuenſ. &c. inter genethliacas D. Tutelaris *Michaelis* Archangeli apprecationes, Confundatori & Benefactori ſuo præſentatum 1690. *in folio.* Aliis Præſulibus infulatis ſtylum ſuum dicarunt. 1.) M. *Gregorius* Borvski, Prof. in Acad. Cracou. qui *Ioanni* à Lipie, Lipski Archiepiſc. GNESNENSI *ad primum Eius in Archiepiſcopalem ſuam ſedem ingreſſum*, *elogium conſecrauit. Cracou. 1639. 4.* 2) M. *Alex.* Zychovvski Parochus Potocenſis, qui *Ioh. Baptiſtæ* de Zamoscie Zamoyski Epiſcopo PREMISLENSI *ad primum Epiſcopatus ſui ingreſſum* exhibuit, *Famam teſtem ſublimium in Eccleſia & Patria meritorum &c. Zamoſc. 1650. f.* 3) M. *Baſilius* Rvdomicz Philoſ. D. Medicinæ Candidatus, Phyſices Pr. O. nec non propugnaculi Zamoſcenſis ProCoſ. &c. qui *Thomæ* in Lezenice Lezenski Epiſcopo CHELMENSI, Abbatiæ *Wechocenſis* Adminiſtratori perpetuo, Academiæ Cancellario, *fauſto ad cathedram ſuam ingreſſu* obtulit *Faſciam candidam heroicorum faſcium Ill. Domus* Lezenianæ. *Zamoſc.* 1659. f. 4) *Theophilus* Christecvs S. I. Polonus, qui teſte ex Alegambio & Sotvello Placcii Theatr. Anon. n. 1621. autor eſt libri carminum anonymi, quo Diui Tutelares diœceſis Cracouienſis gratulantur ingreſſum in ſuam ſedem *Martino* Szykovvski Ep. *Cracouienſi. Cracou. 1617. f.* 5) Collegium Cracouienſe S. I. quod *honorum virtutumque nexum ſolutæ ac ligatæ orationis floribus implexum Petro* Gembecki, Ep. CRACOVIENSI *ſub ingreſſum Eius* repræſentauit. *1643. f.* 6) Collegium S. I. Thorunenſe cuius exſtat: Honor biſontis coronati, *Andrea* Lesczynski Comite à Leszno Epiſcopo CVLMENSI &c. nouum dignitatis Pontificiæ gradum auſpicatiſſime adeunte. a. 1647. f. In ſpecie ad hiſtoriam Abbatum Oliuenſium, ex quorum ordine vnius iam meminimus, facit, E. W. (forte *Eberhardi* Wassembergii) oratio in obitum *Ioh.* Grabinscii Abbatis Oliuenſis totam vitæ Eius ſeriem breuiter repræſentans. *Dantiſc. 1688. fol.* & Mnemoſynon quo *Alexandri* Kessovvski Abbatis inaugura-

rationem conuentus Oliuenſis recoluit. *Dantiſci 1641. f.* Anteceſſoris Eius *Alexandri* GRABINSCII inaugurationem idem WASSEMBERGIVS oratione celebrauit ed. *Dantiſc. 1639. f.* (1) Ex gratulationibus nuptialibus memorandæ veniunt nonnullæ, præſertim quæ celſas familias illuſtrant. 1.) *Virtus honorata* inter feliciſſimos Hymenæos *Sam. Georgij Dagoberti* de HVSIATYM KALINOVVSKI, Czernichouienſis, Braclauienſis &c. &c. Gubernatoris; & *Vrſulæ Brigittæ*, *Georgij* Ducis de OSSOLIN, *Comitis* de TĘCZYN, S. R. I. Principis, Supremi Regni POLONIÆ Cancellarii filiæ. *Varſau. f.* 2.) Secunda vota, ſecunda omnia, quæ Neo-Sponſis D. *Georgio* LVBOMIRSKI Comiti in WISNICZ & IAROSLAVV, S. R. I. Principi, ſupremo R. P. Mareſchallo Generali, *Cracouienſi*, *Chmielnicenſi*, *Niſinenſi*, *&c. &c.* Capitaneo, & *Barbaræ* de SCZEKARZOVICE TARLOVIÆ &c. apprecata eſt vniuerſitas Cracouienſis per M. *Florianum* LEPIECKI Collegam maiorem, Regium Philoſophiæ ac t. t. Tylicianum eloqu. Profeſſorem. *Cracou. 1655. f.* 3.) *Alexandri* à KONIECPOLC KONIECPOLSKI connubio cum *Io. Barbara* ZAMOSCIA *Thomæ* ZAMOISKI filia plauſit M. *Andreas* ABREK, *Leopolitanus*, Eloqu. in Academia Zamoſciana Prof. O. 1642. d. 7. Decemb. *Cracou.* f. titulus eſt *Phœbus poſt nubila &c.* 4.) *Petri* SIESTRZENCEVVICZ oratio epithalameos ad Ianuſſium Radziuilium M. D. Lithuaniæ Sub-Camerarium, Camenecenſem præfectum &c. Sponſum, & *Catharinam Stephani* à POTOCK POTOCKI Palatini Braslauienſis filiam Sponſam. *Lubecæ ad Chronum 1638. f.* 5) D. *Iacobi* DZIALINSKI Sagitta Działynia, famæ prodigiis pronubisque coronis armata in *Paulo Dzialinski*, Palat. Caliſſ. & *Magdal. Leſczinska*, Palatini Podlach, *Poſnaniæ 1687. f.* (2) Nec plane omittendi ſunt panegyrici, ac gratulationes, quibus itinera, aditiones officiorum, expeditiones, triumphi, aut alia præcla-

(1) Add. 1.) *Sim.* STARAVOLSCII Panegyricus *Ioanni Carolo*, Comiti CONOPATIO Epiſcop. WARMIENSI & SAMBIENSI, Cathedram ſuam ingredienti dedicatus. *Venetijs. 1644. 4.* 2.) *Eberhardi* WASSEMBERGII congratulatio panegyrica EIDEM, ſub idem tempus, dedicata. *Gedan. 1644. 4.* 3.) *Frider.* MEIBOMII, Canonici Gutſtatenſis, Archipresbyteri Elbingenſis, S. Theol. Licentiati, congratulatio panegyrica *Wenceslao* Comiti à LESNO Epiſcopo WARMIENSI & SAMBIENSI primo epiſcopatum ſuum ingredienti, habita in templo S. Nicolai. *Elb. 1645. 4.* 4.) *Caſp.* SIEMECK gratulatio *Andreæ* a LIPE LIPSKI, Epiſcopo CRACOVIENSI, Duci Seuerienſi &c. de felici in epiſcopatum CRACOVIENSEM ingreſſu dicata. *Cracou. 1631. 4.* 5.) M. *Iac.* VITELLII, Eloqu. Prof. Cracouienſis panegyricus EIDEM eodem tempore oblatus. *Ib.* e. a. 4. 6.) *Friderici* SZEMBECK S. I. epiſtola de morte *Petri* TYLICKI Epiſcopi CRACOVIENSIS idiomate Polonico ad GĘBICKIVM Præſulem GNESNENSEM exarata. *Cracou. 1617. 14.* 7.) *Nicolai* SVLIKOVVSKI, Rhetor. & Dialect. Pr. in Coll. Bialenſi in Acad. Cracouienſi, Harmonia Lyrica, in felici *Boguslai* RADOSZOVVSKI, Epiſcopi LVCEORIENSIS in ſuam cathedram ingreſſu concinnata. *Cracou. 1634. 4.* 8.) *Franciſci* LILII, Eccleſiæ Cathedrális Cracouienſis Magiſtri capellæ, *Concinentis Muſæ Symphonia*, *Nicolao* SZYSZKOVVSKI Epiſcopo WARMIENSI nominato, Abbatiæ Czeruinenſis Adminiſtratori, Secretario Regni maiori, vrbem Principem diœceſis ſuæ adeunti dicata. *Cracou. 1633. 4.* 9.) *Currus triumphalis, quem honor publicus vehit* in *Andrea* de LESNO LESCZYNSKI Epiſcopo CAMENECENSI Regni Procancellario, *ampliſſimæ dignitatis faſces in Republica prehendente repræſentatus* a *Caſimiro Iohanne* WOYSNAROVVICZ. *Varſau. 1645. f.* 10.) M. *Achatij* CVREI, Gymn. Dantiſcani collegæ, elegia gratulatoria ad *Iacobum* VCHANSKI Epiſcopum CVIAVIENSEM &c. *Dantiſc. 1559. 4.* 11.) *Immortalis Woynarum tubarum clangor ad mauſolæa* Abrahami WOYNA Epiſcopi VILNENSIS *perſonans, ab Academia S. I. Vilnenſi funebri panegyri redditus. Vilnæ 1649. f.* 12.) Bericht von dem in Dantzig geſchehenen Hintritt *Andr.* OLSZOVVSKI, Ertz-Biſchoffs zu Gneſen/und der darauff erfolgten Abführung des entſeelten Cörpers. 1677. 4. 13.) E. WASSENBERGII oratio in obitum *Mich.* KONARSKI, Abb. Oliuenſis. *Gedani 1641. 4.* qui & 14.) eiusdem prima præſulatus auſpicia celebrauit e. a. 4. 15.) Conuentus Oliuenſis, nouum ſidus Ordinis Ciſtercienſis cum *M. A.* HACKI, Abbas denominaretur. f.

(2) Perficient numerum, non indignæ quæ allegentur, 1.) *Mich.* WEBERI pompa nuptialis *Ioh. Ignatio* à BAKOVVO BAÇKOVVSKI Palatino Pomeraniæ, Theſaurario terrarum Boruſſiæ, connubium ſecundum ineunti, cum *Conſtantia* Comitiſſa à DÖNHOFF, Palatina Culmenſi &c. exhibita *Gedani. f.* 2.) *Sidus publicæ lætitiæ in nuptiis Sigismundi* Com. a DÖNHOFF & *Annæ Thereſiæ*, *Georgij* Ducis in OSSOLIN filiæ *exortum*, & *ab Academia S. I. Vilnenſi celebratum Vilnæ 1645. f.* 3.) *Nouus Archimedes Amor, circa nuptialem pompam* Ioh. WIELOPOLSKI Regni Dapiferi &c. & *Chriſtinæ Conſtantiæ* Comitiſſæ in LIPTOVV & ORAVVA KOMOROVVSKA præſentatus, per *Matthiam Caſimirum* TRETERVM. *Cracou. 1665. f.*

clare facta Magnatum quorundam celebrati ſunt. In illorum cenſu 1.) *Obſequium gratitudinis ab Apolline* Crosensi, *Io. Carolo* Chodkievitz Palatino Vilnenſi exhibitum. *Vilnæ 1619. 4.* Cuius autor eſt *Matthias Caſimirus* Sarbievivs qui & *Sacram Lithoteſin* in prima templi, Collegii Croſenſis, ab eodem fundati inchoatione publicauit. *Ib.* 1621. 4. conf. Sotvvelli *Bibliothecam* S. I. p. 600. b. Witten. *Diarium* a. 1640. 12. Apr. & Placcii *Theatr. Pſeudon.* n. 756. 2.) Charites Roxolanæ ad auſpicatiſſimum ab vrbe reditum *Iohannis* in Zamoscie Zamoyski Comitis in Tarnovv, & Iaroslavv &c. &c. à M. *Nic. Andr.* Zychini Poëſeos P. in Academia Zamoſciana, evocatæ. a. 1651. f. 3.) *Nath.* Rostevscheri Elogium in memoriã virtutum *Alexandri* à Koniecpole Koniecpolski. &c. cum e Belgio citeriores regiones inviſum iret. *Lugd. Bat. 1641. f.* 4.) Siradia trabeata, cum *Stanislaus* à Koniecpole Koniecpolski, Supremus exercituum Dux Caſtellanatum Cracouienſem adiret, propoſita carmine heroico nomine Collegii Cracouienſis S. I. Autor eſt *Seuerinus* Karvat Wokicievvic S. I. vide Sotvelli *Bibliothecam* S. I. p. 737. b. Wittenii *Diarium* a. 1658. d. 6. Iul. & Placcii Th. Pſeud. n. 745. 5.) Pilavva, ampliſſimæ familiæ Potociorvm de religione DEI, regno, S. R. Maieſtate, optime ſemper meritorum teſſera, in *Stanislai* à Potock Potocki terrarum Kiouiæ generali Palatino, exercituum Poloniæ ſupremo Duci &c. ad delatum bellici regiminis inſigne & auſpicatum Capitaneatus Sckalienſis ingreſſum publicæ luci expoſita, à M. *Andr.* Abrek, *Leopol.* V. I. D. Acad. Zamoſc. Prof. & t. t. Rect. 1655. f. 6.) Luna munifica, *Ioh. Nicolai* Daniłovvicz Supremi Theſaurarii, celebrata ab Auditoribus Rhetoricis S. I. *Cracou. 1646. f.* (1) Multum quoque notitia Procerum Poloniæ iuuatur, orationibus funebribus, vitæ ſeriem enarrantibus, & præcipue illorum monumentis, qui eam ex profeſſo deſcripſere. Ex illis nominare poſſumus *Mart.* Opitii laudationem funebrem, in obitu *Fabiani* L. B. a Cema Caſtellani CVLMENSIS. *Thor. 1630. f.* In cuius incluti vatis poematibus P. 2. p. 721. leguntur epicedia lat. & germ. in obitum *Catharinæ*, Ducis Corecii filiæ, *Andreæ* Lescinii coniugis. 2.) *Ei.* Panegyricum inſcriptum honori & memoriæ Raphaelis Comitis Lesnensis, Palatini Belſenſis, in quo vita eius præcipue ad fidem A hiſtoricam ſummatim refertur. *Thorun. 1636. f.* 3.) *Stanislai* Biezanovvski *Leopolienſis*, Periclem Sarmaticum, ſeu panegyricum in funere Georgii Ducis in Ossolin, Supremi R. P. Cancellarii habitum. *Cracou. 1650. f.* 4.) M. *Andreæ* Abrek, *Leopol.* Eloqu. in Academ. Zamoſc. Prof. Mulierem Virtutis in *Cath.* Zamoscia, Duciſſa Oſtrog. &c. ſuprema Regni Pol. Cancellaria, anniuerſario obitus eiusdem die (qui fuit VI. *Octobr.* 1643.) in Exequiis Academicis ad imitandum Orbi exhibitam, d. *ann. f.* *(Locum hic ſummopere merentur: 1.) *Samuel* Węsłavvski IOH. CASIMIRI Notarius M. D. Lithuaniæ, cubicularius, & Tribunus Vpitenſis, qui B *Vincentii Coruini* Gosievvski, Supremi M. D. L. Theſaurarii & Campi Mareſchalli &c. vitam & res geſtas prolixe integro tractatu a. 1664. deſcripſit, complexo totam belli cum Muſcouitis a. 1657. ſeq. geſti hiſtoriam, ſed edito demum 1691. 4. à *Mich.* Węslavvski, Tribunida Vpitenſi, & Academico Vilnenſi. 2.) *Simonis* Staravolscii laudatio funebris *Nicolai* de Podhayce Wolski, Supremi R. P. Mareſchalli, & Crepicenſis, Olſtinenſis, Odolmouienſis, & Rubſtinenſis præfecti. *Cracou. 1630. 4.* 3.) *Mich.* Mylii Rectoris Gymn. Elbingenſis Sermo funebris, memoriæ *Gerhardi* Comitis à Dönhoff, Pomeraniæ Palatini, terrarum Boruſſiæ Theſaurarii, S. Reginalis Maieſtatis Mareſchalli &c. Elbingæ ante exſequiarum ſolennia 1649. d. 24. Martii pu- C blice dictus. *Elb. 4.* 4.) *Idem* exſequias *Magni Ernesti* Com. à Dönhoff, Palatini Pernauienſis, Torpatenſis, &c. &c. a. 1642. VII. Id. Octobris concelebrauit. Vt & 5.) Wassenbergivs. 6.) Concio in funere *Gabrielis* Woyna M. D. Lithuaniæ Procancell. lingua polonica *Vilnæ* habita, a *Martino Widziewicz*, S. I. excuſa *ibid. 1615. 4.* 7.) Laudatio funebris *Chriſtophori* Radzivil, Palatini Vilnenſis, M. D. L. ſupremi generalis, ſcripta à *Petro* Siestrzencevvicz. f. 8.) *Adami* Bvrsii Hiſtoria vitæ & obitus *Io.* Zamoscii pr. cum *Simonis* Simonidæ Poematibus Lugd. Batau. 1619. 8. *Ei.* Zamoscii vitam enarrat Bvllart dans l'Academie des ſciences P. I. lib. I. n. 16. elogium vero reperies in Cl. Græuii ep. 45. p. 241. ſeq.)* Dum hæc iam a nobis ſcribuntur,

f 2

(1) Præter illos innotuerunt mihi 1.) P. *Fabiani* Skonieczny bellator Sarmaticus in exemplari *Sigismundi* à Kvzanovv Kvzanovvski, Supremi Regni Cameræ Præfecti, Kochonauſenſis, Solecenſis, Globucenſis, Mucharouienſis Capitanei expreſſus. *Cracou. 1634. 4.* 2.) *Nath.* Rostevscheri votiua acclamatio honori *Gerhardi* Comitis à Dönhoff, cum ad capienda Palatinatus Pomeraniæ gubernacula, ſolennam Schöneckam ingreſſum celebraret. (in proſa) *Dantiſc. 1643. 4.* 3.) EIDEM eodem ſtylo gratulatus eſt, E. Wassenbergivs. *ib.* e. a. 4. 4.) *Lucidiſſimus virtutum ſplendor* Vladislai de Kozyvvonega LOS, Caſtellani Culmenſis, *ad ſerenandos Sarmatiæ dies exortus. Oliuæ. 1681. f.* 5.) E. Wassenbergii congratulatio panegyrica *Georgio* Ossolinio, cum ei Regni ſigillum maius in pleno comitio traderetur, oblata. *Varſau. 1643. 4.*

tur, forte in manus noſtras, beneficio Fautoris cuiusdam, venit *Manipulus Orationum ab Eruditis Viris Polonicæ Nationis, diuerſis temporibus & occaſionibus ſcriptarum*, *Romæ* ex typographia Heredum *Franc. Corbelletti*, *1639. in 4.* cuius collectionis Autor eſt *Andreas* Trzebicki, Scholaſt. Plocenſis F. vt ex dedicatione ad Eminent. *Guidonem Card. Bentiuolo*, apparet, qui præterea ſingulis Orationibus breue aliquod præloquium præmiſit. Occurrunt autem in hoc Manipulo *pag. 1.* Laudatio funebris SIGISMVNDI III. à *Staniſl.* Lvbienski, Epiſcopo Plocenſi, ſcripta: *pag. 31.* Oratio in eodem funere a memorato Autore dicta, *pag. 41.* Oratio funebris SIGISMVNDI III. & CONSTANTIÆ, Reginæ, ſcripta a *Ioan.* Lipski, Referendario Regni: *pag. 69.* *Georgii* Ossolinski, Regni Poloniæ Curiæ Theſaurarii &c. Oratio habita Romæ A. 1633. cum Seren. ac Potentiſſ. VLADISLAI IV. Regis Poloniæ & Sueciæ, electi magni Moſcorum Ducis nomine, VRBANO VIII. Pont. Max. obedientiam præſtaret: *pag. 79.* *Eiusdem*, ad Seren. Remp. Venetam Legati Oratio habita coram Venetiarum Principe, aliisque Proceribus d. XIV. *Ian.* 1633. *pag. 85.* Panegyricus VLADISLAO IV. Moſcouitico Vilnam Vrbem, debellatis hoſtibus, recuperatis prouinciis, pace conſtituta, ingredienti, Vilnensis Societatis IESV Academiæ nomine dedicatus: *pag. 113.* Arcus pacis nouo ſine ſanguine Triumphatori VLADISLAO IV. Potentiſſimo Sarmatiæ Monarchæ, ab Expeditione bellica in Amurathem, Turcarum Imp. ſuſcepta, feliciter & auſpicato reduci, laureatisque Regni Ordinibus, triumphalem hanc portam vna ſubeuntibus, inter publicos Europæ acclamantis plauſus, e voto *Soc. I.* religioſe conſecratus: *p. 133.* Elogium funebre Seren. Alexandro Carolo, Polon. & Suec. Principi, a *Ioan.* Lipski, ſcriptum: *pag. 145.* Laureæ Academicæ, Seren. Polon. Regi, VLADISLAO IV. Vilnam ingredienti, dicatæ: *p. 187.* Theatrum gloriæ, Regi VLADISLAO IV. ab Academia Vilnensi, S. I. extructum & conſecratum A. 1636. *pag. 211.* Triumphus, quem Diuo CASIMIRO Principi, Seren. VLADISLAVS IV. Rex, magnifica ac pia in auguſtum Paternæ libertatis Mauſoleum deductione, A. 1636. 14. Auguſti *Vilnæ* exhibuit, Panegyrico repræſentatus: *p. 247.* *Georgii* Ossolinski, ad S. Cæſ. ac Regiam Hungariæ & Bohemiæ Maieſtates, Septemuirosque Romani Imperii Principes, Ratisbonæ congregatos, Legati extraordinarii, Oratio, habita *Ratisbonæ* in Collegio Electorali, A. 1636. d. 26. *Sept.* *pag. 255.* *Ioann.* Lipski, Epiſc. Culm. & Pomeſ. ad Ferdinandum Imp. Legati, oratio habita in Aula Cæſaris, coram ſua Cæſarea Maieſtate, d. vlt. *Iulii*: *p. 261.* Icon votorum Seren. ſponſis, VLADISLAO IV. & CÆCILIÆ RENATÆ Auſtriacæ, in auguſtas fortunatasque nuptias oblata ac dedicata ab Acad. Vilnensi, S. I. A. 1637. *pag. 305.* Æternitas Seren. *Stirpis Iagellonicæ* Regum in VLADISLAO IV. orbi expreſſa, & eidem Seren. Regi, cum Vilnam, Lithuaniæ Metropolin, cum Seren. Regina CÆCILIA RENATA ingrederetur, ab Acad. Vilnensi, S. I. dedicata, qua ſeorſim ſinguli ſtirpis Iagellonicæ Reges tam ſtylo, quem vocant, lapidario, quam carmine ſapphico eleganter depinguntur. conf. §. XXV. & XLVIII.

A

B

C

D

§. XXXI.

Epiſtolæ ad hanc notitiam facientes.

Quanquam varias paſſim epiſtolas ſuo loco iam allegauerimus, nonnullæ tamen peculiarem recenſionem hic merentur: quales ſunt: *Ioh. Mich.* Brvti, *Veneti*, Regis Stephani Hiſtoriographi, Selectæ Epiſtolæ, quæ cum libro de Hiſtoriæ Laudibus, & alio Præceptorum Coniugalium, prodiere *Cracou. 1593. 8.* recuſæ cum aliis quibusdam opuſculis obſtetricante *Io. Frider.* Cramero, *Berolini 1697. 8.* in quibus epiſtolæ aliquot ad Regem, plures aliæ ad Poloniæ Magnates leguntur, quæ Lectoribus non ingratæ eſſe poſſunt. Reperio etiam ſeorſim *Francof. 1590. 4.* editam *eiusd.* Autoris, qui S. Cæſar. Maieſt. Hiſtoriographum ſe ibi appellat, Orationem ad Polonorum & Lithuanorum Senatum de ERNESTI Archi-Ducis Auſtriæ, & de vniuerſæ Familiæ Auſtriacæ laudibus, vna cum Cenſura in orationem *Lucæ* Cvvalkovvski, qua Sueci Principis petitio in Comitiis Varſauienſibus de nouo Rege creando commendatur. Porro Epiſtolæ illuſtrium Virorum in III. Libr. digeſtæ, opera Reu. Dn. *Staniſl.* Carncovii Epiſc. Vladisl. & Pomeraniæ, in lucem editæ ſunt *Cracou. 1578. 4.* ex quo rariſſimo libro multa ſingularia cognoſci poſſunt, quæ ab Anno 1564. vsque ad 1577. in Poloniæ regno acciderunt, in epiſtolis Melanchtonis ad Camemarivm p. 501. nonnulla de Polonia, quanquam non adeo magni ſint momenti leguntur. Reperiuntur etiam in *Staniſl.* Lvbienski operibus poſthumis part. 2. p. 435. tres Epiſtolarum decades, quæ ab Anno 1622. vsque ad 1638. exaratæ ſunt. Similiter ex *Martin.* Rvari Epiſtolarum Selectarum Centuria altera, *Amſt. 1681. 8.* edita; nec non ex *Staniſl.* Hosii Epiſtolis per *Staniſl. Reſcium* in ordinem redactis, & operum eius Tomo ſecundo p. 145. inſertis, multa memorabilia de Regibus Poloniæ aliisque huius regni perſonis Illuſtribus intelligi poterunt. In *Hugonis* Grotii, Viri maximi, epiſtolis ad *Iſraelem* Iaski, *Dant.* 1670. 12. editis, non pauca leguntur ſingularia, ſtatum Poloniæ & ciuitatis Gedanenſis attingentia. Sed non prorſus bona fide editas eſſe, deprehendi, cum exemplum meum ad autographa *Grotii* exigerem.

Itemque POETÆ,

§. XXXII.

Ex Poetis præter *Clementem* Ianitium, *Laur.* Corvinum, *Conr.* Celtem, *Sam.* A Skrzypno Tvvardovvski, *Rich.* Bartholinum, *Io.* Mochingerum, *Ioach.* Pastorium, *I. P.* Titium, *Io.* Kviatkievicium, aliosque plurimos paſſim ſuo loco memoratos & adhuc enarrandos, rerum Polonicarum notitiam porro iuuare poterunt. 1.) *Georgius* Sabinus in cuius poematibus a. 1606. 8. excuſis leguntur elegiæ: p. 72. ad *Andr.* Gitium Archiepiſcopum Gneſnenſem p. 167. ad *Euſtachium* à Knobelsdorff Canonicum Varmienſem p. 171. ad *Iohannem* Bogum Regis Poloniæ aulicum, p. 173. ad *Stanislaum* Hosium Epiſcopum VARMIENSEM p. 179. in annulum coniugis Nicol. Radzuilæ. p. 217. heroicum B carmen de nuptiis SIGISMVNDI AVGVSTI & ELISÆ Cæſaris FERDINANDI filiæ, p. 251. epigramma ad SIGISMVNDVM Archi-Epiſcopum MAGDEBVRGENSEM SIGISMVNDI Regis Poloniæ ex filia nepotem. p. 255. aliud inſcriptum termino in finibus Lithuaniæ & Pruſſiæ poſito. p. 282. hendecaſyllabi ad *Iohannem* Dantiscum Epiſcopum VARMIENSEM, adde p. 290. & 302. p. 408. epiſtola ad *Stanislaum* Diadusium Polonum. 2.) *Simon* Simonides qui *Ioh.* Zamoscii fuit Secretarius, memoratus Staravolsc. in Elog. n. 99. cuius poemata ex bibliotheca *Ioach.* Morsii prodiere *Lugd. Batau.* 1619. 8. 3.) *Matthias Caſimirus* Sarbievius C S. I. Sacerdos, incomparabilis Vates, vt audit *Luca Opalenio Polon. Defenſ.* p. 92. de quo vid. etiam *Lubienskii* (qui plures literas ad eum ſcripſit) *Epiſtolarum Decad. I. Part. II. Opp. f. 442.* Eius in Lyricorum Libris IV, aliisque Epigrammatum, Anno 1660. in 12. editis, Variorum Poloniæ Illuſtrium virorum laudes decantatæ reperiuntur. 4.) *Albert.* Ines S. I. qui præter Lyricorum Libros, & Epigrammatum Centurias VI. (non VII, vt eſt ap. *Ferdin. Neoburgum* Ephori curioſi, *Part. 2. c. 1. p. 182.*) *Cracouiæ* primum editas, & *Vratiſl.* 1686. 12. recuſas, quibus celebria Poloniæ ma- D gnatum facta, ſuauiſſimo cantu exornantur, ſeorſim publicauit *Lechiadem*, ſiue Ducum, Principum ac Regum Pol. ab vsque LECHO deductorum Elogia hiſtorico politica, & Panegyres Lyricas, in quibus compendioſa totius hiſtoriæ Polonæ Epitome exhibetur: quæ primum cum figuris æneis *Cracou. 1655. 4.* deinde ſine illis *Francof. ad Viadr. 1680. in 4.* prodiere. (1) 5.) *Frider.* Zamelius Patricius & COS. Elbingenſ. qui Otiorum Delectum ſeu Horas Poëticas, *Elbingæ 1646.* vno Vol. in 4. publicauit, inque eo varia, ſparſim antea à ſe in lucem emiſſa poëmata, collegit; e quibus præcipua ſunt, quæ noſtrum argumentum illuſtrant: Laus Druſidos ſeu ELBINGÆ patriæ deſcriptio Carm. elegiaco; Manipulus Epigrammatum Regiorum, quibus cum ampliſſimi Poloniæ Regni Decus & gloria, tum Auguſtiſſimi Principis ac Regis VLADISLAI IV. clariſſimi triumphi ac veræ Regiæ virtutes, partim ante Suecorum irruptionem, partim ipſo induciarum tempore, aſſeruntur; Oleæ præconium ſeu Pacis aſſertio; Hymenæus VLADISLAI IV. nec non RENATÆ CÆCILIÆ, celebratus centum Epigrammatis hexaſtichis; Epigrammatum Regiorum Manipulus alter; Deorum Heroumque Luſus, in quo Regina LVDOV. MARIA GONZAGA, vtramque (quod dicitur) paginam implet; De Galindis ac Sudinis vetuſtiſſimis Boruſſiæ incolis, ad *Rob. Cruquium*, Virum Nobiliſſ. Carmen hexametrum, in quo multa habet de veterum Pruſſorum lingua, vnde etiam Hartknochius illud ſuis de *Variis Rebus Pruſſiæ Differtt.* inſeruit p. 104. ſeqq. (2) *Rotgerus* zum Bergen, Regius Secretarius, Hereditarius in Braßnecken, cuius in Apolline acerbodulci ad SS. Mundi capita &c. *Regiomonti 1651.* 4. denuo publicato, extant ſeqq. Epigrammata: Ad VLADISLAVM IV. de eius in Vrbem Regiom. ingreſſu, ſcript. 1636. de quo ſupra; Plauſus Melicus, quo Auctor Polonorum victoriam & pacis fœdera inter IOH. CASIMIRVM R. P. ac Tartaros Coſacosque percuſſa, perſequitur; Planctus Melicus in obitum VLADISLAI IV; Plauſus Melicus ad IOH. CASIMIRVM 1648. d. 17. *Nou.* electum, ac Cracouiæ d. 17. *Ianuar.* 1649. coronatum Regem Pol. 7.) *Mich. Ant.* Hacki, Abbas quondam Oliuenſis, cuius præter alia venuſtiſſima, quibus ſubinde delectatus fuit, poemata, ex parte iam ſupra memorata, adhuc extant in *Apolline Heroico & Lyrico:* IACOBI Principis Tyrocinium triumphale; *Mich.* Radzieiovvski, Card. & Archi-Epiſc. Gneſnenſ. Honor Fortunatus; *Io. Caſ.* Dönho-

(1) Carmine germanico Reges Poloniæ, quotquot ſubiectam adhuc habuere Sileſiam, addita cuilibet explicatione Hiſtorica, deſcripſit Ioh. Chriſtian. Hallmann / in der Beſchreibung aller Obriſten Hertzoge über das gantze Land Schleſien / quæ adiuncta eſt ei. Trauer-Freuden-und Schäfer-Spielen. *Vratisl. 1672. 8.* SIGISMVNDVM III. triplici anagrammatiſmo, carmine heroico elucidato, proſecutus eſt *Andr.* Loeæchius *Scotus*, adiunctis V. claſſibus anagrammatum, quibus Heroes vtriusque dignitatis in Polonia celebrantur. Titulus eſt: *Aſtræa apud Iouem ſupplex*, pr. *Cracou. 1605. 4.*

(2) Rhodanum fl. elegantiſſima elegia decantauit B. *Chriſtoph.* Behr, quæ ni fallor ſubiecta eſt ei. Riuulis Plinianis.

HOFII, Card. Eminentia ſummis proxima; DANTISCVM, *Pandora vrbium Sarmatiæ*, *&c.* 8.) *Daniels* HERMANNI, *Boruſſi*, „Regi Stephano à ſecretis, vt „Viri eruditi „& vena poëtica pollentis, Regisque STE-„PHANI geſta, eleganti poëmate canentis,“ meminit D. *Io. Demetrius* SOLIKOVVSKI, in *Paræneſi ad Liuones, Samoſcii 1600. 4.* edita, p. 45. Longum illud poëma, quod deinceps in manus noſtras incidit, inſcribitur *Stephaneis Moſcouitica*, ſeu de occaſione, cauſis, initiis & progreſſibus belli, à STEPHANO I. contra IO. BASILIVM, Magnum Moſchorum Ducem, geſti, & hoſte repreſſo fractoque, ad æquas pacis conditiones feliciter deducti, libri duo priores, cum tertii initio excuſi *Gedani*, à *Iac. Rhodo* 1582. 4. 9.) A Polonis multum æſtimatur *Io.* KOCHANOVVSKI, cuius Varia Poëmata, Polonico ſtylo, ſub finem ſeculi XVI. exarata, prodierunt *Cracou.* 1639. 4. Plura forte ſimilis generis poëmata occurrunt, quæ tamen nunc præterimus. Nec tamen ſine piaculo omitti poterant, quæ nobis memoranda primo ſtatim loco fuiſſent, Illuſtr. Viri, D. IO. ERN. SCHMIEDEN, Reip. Gedan. Præcoſ. Senioris, cum fata EVM rebus humanis eximerent, elegantiſſima Poëmata, variis occaſionibus *in fol.* in lucem edita, qualia ſunt: Abdicatio CASIMIRIANA; it. Gratulatio ad Seren. MICHAELEM publica felicitate coronatum; Vmbra illuſtris, Sol ex nube, Opt. Max. Princeps IOHANNES III. Rex Poloniarum, inter maximarum familiarum IOHANNIS CASIMIRI, Regis, & GEORGII WILHELMI, Ducis Lignicenſis, Piaſtidarum ac Iagellonidum vltima funera, ſupremasque inferias, Cracouiæ *poſtrid. Kal. Febr.* Anno 1676. coronatus; Polonia Reſpirans, Opt. Max. Principe IOHANNE III. &c. quietem rerum A. 1676. 16. *Octobr.* ſtipulato; Opt. Max. Principes, IOHANNES III. &c. & MARIA CASIMIRA Regina, &c. meta pulchri, iuſtitia lætitiaque publica coronati; A ſa Majeſté la Reine de Pologne, pour le jour de ſon Entrée dans ſa ville de Dancig, *le 20. d'Aouſt*, 1676. A la gloire de la Reine ſur le depart de ſa Majeſté de ſa ville de Dancig le 7. de *Sept.* 1676. Opt. Max. Principi IOANNI III. Regi Heroi Strena; Fortunæ Regiæ Domus Auguſtæ Poloniæ, recens nato Principe *Kal. Maii.* A. 1680. auctæ; Ad Regem, cum Seren. Principi filio IACOBO, & Sereniſſ. ELISABETHÆ, Principi Neoburgicæ, ſponſis, genialia feſta, pompa Regia lætitiaque Europæ, apparauerat; Ad Opt. Max. Princip. IOANNEM III. Regem Heroëm, ex Sereniſſimis Principibus, IACOBO LVDOVICO, & HEDWIGE ELISABETHA AMALIA, Nepb. Avum; Ad Solem, pro Seren. IOANNE III. &c. diem Maieſtatis ſuæ nominalem, felicitate lætitiaque publica, apud Pruſſos celebrante, Votum; De Valetudine Regia ad Apollinem; Opt. Max. Principi, AVGVSTO II. Regi Heroi, &c. de quorum venuſtate tamen cum ſatis dicere non valeamus, ea hic nominaſſe ſufficiat.

§. XXXIII.

ACTA PVBLICA ad Sigismundum III. pertinentia.

Sequuntur ACTA PVBLICA, quæ occaſione Electionum, Bellorum cum exteris, Motuum Ciuilium, aliarumque Litium, tum publica tum priuata negotia concernentium, variis temporibus edita fuere, quorum aliqua præcipue ad Seculum XVI. pertinentia, ferme antea, partim ex *Cromero, Piſtorio, Guagninoque*, partim ſeorſim notauimus, qualia etiam infra circa res Lithuaniæ, Liuoniæ & Pruſſiæ afferentur, quæ hic iterum repetere nolumus. Miſſis itaque illis, Actisque anteriorum temporum, illorum quæ Seculo XVII. agitata fuerunt, narrationem inſtituemus, in quorum recenſione iterum Regum ſeriem ſequemur. In hoc ordine cum primum locum teneat SIGISMVNDVS III. ad eius Regimen ſequentia ſcripta referri debent; 1.) *Phil.* HONORII, Diſſ. de Nouo in Polonia Rege eligendo, quæ extat in *Rep. Polon. Elzeuir.* p. 422. (1) 2.) Cauſæ quare SIGISMVNDVS bellum Moſchis intulerit, ad Rom. Imp. MATTHIAM miſſæ, in LVBIENSKII *Opp. poſth.* f. 151. *Cæſaris* BAROFFII Mediolanenſis I. V. D. Protonotarii Apoſtolici, & Comitis *Franciſci* SIMONETÆ Epiſcopi Fulginatenſis, Nuncii in Regno Poloniæ Apoſtolici Secretarii oratio triumphi SIGISMVNDI III. e Moſcouia poſt partas victo-

(1) Ad hiſtoriam electionis eius pertinent 1.) Oratio nomine IOHANNIS III. Regis Sueciæ, nec non Eius Maieſtatis filii Principis SIGISMVNDI per *Ericum* SPARRE, & *Ericum* BRAHE dictæ Maieſtatis & Serenitatis Legatos ad Comitia Varſauienſia, noui Regis electioni 29. Iunii 1587. indicta, habita d. 15. Auguſti. 4. 2.) RVDOLPHI II. Imperatoris Legati, *Stanislai* PAVVLOVVSKI Epiſcopi OLOMVCENSIS ad R. P. & M. D. L. Senatores & equites Oratio in caſtris apud Varſauiam ad noui Regis electionem, habita d. 14. Auguſti. 4. 3.) *Clementis* SEVERIANI ad Polonorum & Lithuanorum Senatum vniuerſosque regni ordines oratio, circa idem tempus habita & publicata. 4. 4.) *Lucæ* CHVVALKOVVSKI deliberatio de Principe Sueciæ, Regno Poloniæ præficiendo, præmiſſis in obitum R. STEPHANI carminibus. *Poſnan.* 1587. 4. in quam cenſuram ſtrinxit I. M. Brutus vt §. XXXI. indicatum eſt 5.) & denique *Chriſtoph.* WARSEVICII oratio poſt R. STEPHANI mortem in primo & generali totius Maſouiæ conuentu habita. 1587. 4.

ctorias redeuntis dicata. *Vilnæ* 4. 3.) Oratio Legatorum Hungariæ ad SIGISMVNDVM III. R. P. & Regni Ordines habita Cracou. 1595. exc. *Cracou.* e. a. 4. & *Dantiſci*, in offic. *Iac. Rhodi*, 1595. 4. & inter *Oratt. & Conſult. de bello Turcico*, per REVSNERVM edit. *Vol. III. p. 24.* 4.) *Guilielmi* BRVSSI, *Scoti*, conſilium ad Principes populumque Chriſtianum de bello aduerſus Turcas gerendo. *Cracou. 1595. 4.* 5.) *Germanici* Marchionis MALASPINÆ Epiſcopi S. SEVERI, Nuncii ad R. P. Apoſtolici, oratio de fœdere cum Chriſtianis Principibus contra Turcam feriendo, in Comitiis Varſauienſibus habita. *Cracou. 1596. 4.* (1) 6.) Articuli pacis inter SIGISMVNDVM III. (male enim loco citando I. legitur) & OSMANEM I. continentur in Collect. gall. Tractat. pacis T. 3. p. 165. 7.) Acta & Decreta Commiſſionum S. R. M. Pol. & Suec. Regiomonti in Annis 1609. & 1612. habitarum; Itemque Reſponſa, Cautiones, Transactiones & Diplomata, circa Feudum Ducale Pruſſicum, à S. R. M. Electori Brand. IO. SIGISMVNDO & Ordinibus Ducat. Pruſſiæ, conceſſa, &c. edita *Cracou.* 1615. f. & recuſa *ibid.* in officina *Andr. Petricouii* 1633. f. Regnique Conſtit. inſerta. (2) 8.) Mandata Sereniſſimi Ducis SIGISMVNDI, Suec. & Pol. Regis, nec non Senatorum, Procerum & Ordinum Poloniæ ad D. CAROLVM, Sudermanniæ Ducem, expoſita per Ill. Dnn. *Ericum* BRAHE, *Aruidum* GVSTAVI, Legatos Suecicos, *Staniſl.* DZIALINSKI, *Staniſl.* CZYCHOVVSKI & *Nicol.* SAPIEHA, Oratores Polonos, & reſponſum à CAROLO Regnique Sueciæ Senatoribus & ordinibus iisdem Oratoribus Poloniæ datum, vna cum apologia decreti Sudercopenſis, &c. latinè & Suecicè, Anno 1596. 4. 9.) Auſa *Caroli* SVDERMANNIÆ Ducis (Regis patrui) aduerſus SIGISMVNDVM III. ſuſcepta, mandato Regis edita, *Dantiſci* 1598. 4. 10.) *Dau.* (non *Iac.* vt eſt in Tomo I. *Catal. Thuan.* p. 438.) HILCHEN Clypeus Innocentiæ & veritatis pro SIGISMVNDO III. contra Luneburgenſium & Rigenſium calumnias, *Zamoſcij* 1604. 4. 11.) *Georg.* TRISAROLI Vrbinatis Diſcuſſio calumniæ, quam aduerſus SIGISM. III. P. R. pro *Caroli* SVDERMANNIÆ Ducis perduellione, Legatus eius *Io.* SKYTTE ad M. Britanniæ Regem habuit Anno 1610. *Friburg. Brisg. 1620. 4.* (3) Sub qua larua latuiſſe *Gregorium Laurentij* F. BORASTVM (non *Petrum* vt vocatur in Catalogo Biblioth. *Thuaneæ* T. I. p. 438.) *Suecum*, religionis euangelicæ deſertorem, & Canonicum Varſauienſem, virum alias eruditum ex ſymbola Cl. NORMANNI refertur in B. PLACCII Theatr. Anon. n. 1173. *a.*) 12.) *Laur.* BOIERI, *Sueci*, Carolomachia ſeu Victoria SIGISMVNDI III. R. P. de *Carolo* SVDERMANNIÆ Duce A. 1605. in Liuonia relata carmine decantata, *Vilnæ* 1606. 4. 13.) Deſcriptio germanica rerum inter regnum Poloniæ & Sueciæ, occaſione Liuonicæ inuaſionis à CAROLO factæ geſtarum, cum narratione de Tartaris, & deſcriptione eorum, quæ inter Poloniam & Domum Brandenburgicam Varſauiæ 1601. ſuſcepta ſunt, per magni nominis Iureconſultum. 1602. 4. *Item* Proceß des gantzen Handels zwiſchen Schweden und Pohlen / Anno 1605. 8. 14.) Exegeſis hiſtorica cauſarum de quibus iure Regio apud Suedos, cum poſteris exutus eſt SIGISMVNDVS III. *Stockholm.* 1610. 4. Verſionis latinæ Autorem eſſe *Ioh.* MESSENIVM, operis vero ignorari teſtis eſt Id. NORMANNVS l. c. 1197. 15.) Rigenſium Apologia ad SIGISMVNDVM, cur GVSTAVO ADOLPHO Sueciæ Regi ſe ſubiecerint, vnà cum Inueſtitura *Chriſtophori* RADZIVILI, Ducis, german. 1622.

(1) Idem pene argumentum tractant 1.) Breuis commonitio de bello Sociali Turcico ad SIGISMVNDVM III & Regni proceres ac ordines in publicis Comitiis propoſita a. 1595. per S R. I. Principum Electorum Legatos & oratores, *Iohannem* a KOSTITZ Præpoſitum & Præſidem Martisburgenſem, *Iohannem* a BENCKENDORF &c. Conſiliarios Electorales Saxonicos & Brandenburgicos. *Dantiſci* 4. 2.) Oratio RVDOLPHI II oratorum ad SIGISMVNDVM III. &c. in Comitiis generalibus habita, d. 25. Febr. 1595. Ibid. 1595. 4. 3.) *Leuini* BVLOVII conſilium SIGISMVNDO III. in comitiis exhibitum de ſocietate belli aduerſus Turcas cum Cæſare RVDOLPHO ineunda, ab vtraque parte bene diſputatum: acc. *eiusdem* conſilium eidem tempore coronationis in Regno Suediæ datum. Roſtoch. 1595. 4.

(2) *Felix* FIDLERVS, nobilis Prutenus, & Secretarius Regius edidit libros de rebus geſtis Regiis quorum ſecundus qui ſine mentione loci, aut temporis impreſſionis, editus, in manibus meis eſt, inueſtituram feudi ducatus Pruſſiæ a SIGISMVNDO III. Electori BRANDENBVRGICO IOHANNI SIGISMVNDO & eius fratribus, eorumque hæredibus maſculis ſub Comitiorum Regni tempore ſolenniter factum illuſtrat. Alias pr. Primum beneficium & conceſſio ſimultaneæ inueſtituræ in ducatu Boruſſiæ. 4. Ihro K. M. Bekräfftigung des Receſſes, der commiſſion ſo zu Königsberg von Königl. commiſſarien im Jahr 1612. gehandelt worden. e latino in germanicum translata *Cracou.* 1614. 4. Antwort der Räthe aus Polen und Litthauen auf die Brieffe derer von Thoren und Dantzig / ſo auf dem Reichstage zu Warſchau eingelauffen. 1615. 4.

(3) It. 1618. 4.

1622. 4. (1) 16.) Mercurius Sarmaticus, ſeu rerum in ſeptentrionalibus regnis in decurſu 1605. anni geſtarum relatio, vna cum A deſcriptione germanica regiarum nuptiarum, ex Polon. lingua tranſlat. *Mogunt.* 1606. 4. 17.) Apologia *Mariaeburgenſium*, poſtquam Regi Sueciae ſe ſubiecerant A. 1626. d. 18. Iulii, germ. 1627. 4. (2) 18.) Septuaginta graues & arduae rationes, ob quas Regem Poloniae, nec non Senatores & Nobilitatem regni, defenſioni in Hungaria, Bohemia & alibi ſuſceptae, non aduerſari decet, *Poſonij* per D. R. 1619. 4. Quibus deinde Reſponſio oppoſita fuit, quae ab initio quidem ſine Auctoris nomine prodiit, ſed deinde auctorem eius ſe profeſſus eſt *Stanisl.* LVBIENSKI, Epiſc. Ploc. in cuius Opp. f. 163. legitur. 19.) Panegyricus in laudem GVSTAVI ADOLPHI, B Suec. Reg. autore *Elia* de NVKROIS (i. e. *Daniele* KRVSIO,) *Auguſtae Trinobantum* 1628. 4. (3) quem examinauit eo tempore *Amotus* KRVSIVS, *Syrenata*, A. 1628. 4. vt & alius Autor Anonymus (4) in Cenſura ad panegyr. Senatui Gedanenſi dicata, *Aug. Trinob.* 1628. 4. Secuta eſt *Eliae* NVKROIS Palinodia ad Panegyricum in laude GVSTAVI ADOLPHI *Ibid.* 1619. 4. quam excepit SIGISMVNDI III. Pol. & Suec. Reg. de bello Suecico Panegyricus apologeticus ad El. de NVKROIS ſcriptus à *Iacobo* ROY, Gallo, *Viennae* 1629. 4. 20.) SIGISMVNDI variae Epiſtolae ad Bohemos, Vngaros & Sileſios, vt & illorum Reſponſa, tempore motuum Bohemicorum An- C no 1619. exarata, extant germanice in Actis Publ. *Mich. Caſp.* LONDORPII T. 1. f. 846-851. (5) 21.) Ex eiusdem Collect. T. 3. f. 952. -963. *Ludouici* CAMERARII & aliorum Epiſtolae variae, à Polonis poſt obtentam victoriam naualem Anno 1626. in naui quadam Suecica interceptae, quae ſeorſim prodiere germanice 1627. 4. 22.) Articuli pacis inter Polonos & Suecos A. 1627. propoſiti, *Ibid.* T. 3. f. 997. germanice. 23.) Reſponſum Regis Pol. ad propoſitiones pacis, à Legatis Illuſtr. Ordin. Belgii factas, A. 1627. latine *Ibid.* f. 998. 24.) Cauſae, ob quas Regnum Pol. & Dantiſcana Ciuitas inducias annuas cum Suecis paciſci non poſſint, germ. *Ibid.* f. 1011. 25.) Puncta, quae Regni Suec. Cancellarius OXENSTIERNA Polonis pro induciis propoſuit, germ. *Ibid.* f. 1043. 26.) Conditiones pacis inter Reges Pol. & Suec. ad 6. annos, Varſau. 8. Oct. 1629. initae, lat. *Ibid.* f. 1104. quae germanice ſeorſim proſtant 1629. in 4. & cum quibus ex collectione Gallica Tractatuum Pacis T. 3. p. 284. conferri poteſt Traité de Tréve pour ſix années entre Sigismond III. & *Guſtaue Adolphe*, fait au camp d'Altenmark le 15. Sept. 1629. Vbi etiam p. 199. reperitur Traité de Tréve entre la Pologne & Suede fait 1624. 27.) *Iacobi* RVSSELII Legati Suec. Propoſitiones de Regni ſucceſſore, Statibus Polon. exhibitae, cum Sigismundus lethaliter decumberet, 1632. germ. *Ibid.* T. 4. f. 27. 28.) Ausführlicher Bericht von dem Schwediſchen Marſche nach Preuſſen / *Regiom.* 1627. 4. Cuius Scripti Autorem eſſe D. SEBACK Status Liuonici Secretarium, idem NORMANNVS l. c. n. 1855. affirmat. Alia quoque deſcriptio huius expeditionis *Regiomonti* pr.

§. XXXIV.

Ad Vladiſlaum IV.

Sub pacato VLADISLAI IV. regimine, haec inter alia Acta praecipue memoranda veniunt: 1.) Propoſitio Ducis RADZIVILII ad Belgii Ordines Generales, de Electione VLADISLAI IV. exhibita 1633. quae cum Ordinum Reſponſo latine extat ap. *Londorp.* T. 4. f. 347. ſeqq. (6.) 2.) Legati Polon. ZAVVADZKII Propoſitio ad eosdem Ordd. de telonio Suecorum Pruſſis aggrauato, cum Legati Suec. *Lud.* CAMERARII, Reſponſo,

(1) *Io.* NARSIVS *fidem & humanitatem Polonicam* (vt ironice vocat) *erga delegatos regios Suedorum* ſermone ligato *commendauit &c. Rigae* 1625. 4.

(2) Regiomontani cur oblatam ipſis a Suecis neutralitatem in hoc bello acceptarint oſtenderunt peculiari ſcripto, titulo *Neutralitatis* Regiomontanae publicati. 1627. 4. Ad idem bellum adhuc pertinent: 1) Verlauff des Treffens ſo zwiſchen des Königes von Polen und GVSTAVI ADOLPHI Schiffen vor der Dantziger Reyde (zur auantage der erſten) a. 1627. geſchehen. 1628. 4. 2.) Acta & literae ab VIII. Maii a. 1624. vsque ad 6. Nouembris a. 1625. inter vtriusque regni Sueciae & Poloniae Senatores ac officiaels commutatae, ex mandato S. R. M. Suecicae edita. 4.

(3) Item 1629. 4.

(4) Quem *Gregorium* BORASTVM eſſe quidam credunt.

(5) Exemplar literarum quibus Rex Poloniae ordines Bohemiae vt ab armis contra Caeſarem ſumtis diſcedant adhortatur, & reſponſi ordinum Bohemiae, ſeorſim editum eſt 1618. 4.

(6) Iſtam electionem illuſtrabit 1.) *Io.* WILMANNI Curlandiae ducis ordinarii in aula polonica rerum curialium Agentis, & ad conuentum conuocationis generalem mandatarii, oratio ad R. P. Senatum habita & edita *Varſau.* 1632. 4. 2) Comitis *Honorati* Vice COMITIS, Archiepiſcopi Lariſſeni & Nuncii in Polonia apoſtolici oratio habita d. 22. Octobris a. 1632. ad ſenatum equitesque Poloniae & Lithuaniae in caſtris prope Varſauiam congregatos, ad nouum ſibi Regem eligendum. *ibid.* 1632. 4.

ſo, 1634. german. *Ibid.* f. 349. ſeqq. (1) 3.) Literæ interceſſionales Regis Pol. ad Cæſar. Maj. pro Sileſiis, germ. *Ib.* f. 472. 4.) Induciæ 26. annorum inter Reges Pol. & Suec. ſeu PACTA STVMDORFFIANA, à pago *Stumsdorff* (qui quadrante milliaris ab oppido Stumenſi verſus Mariæburgum ſitum eſt,) in quo die $\frac{2}{12}$ *Sept.* A. 1635. coaluerunt, nomen ſortita, germ. *ibid.* f. 478-482. quæ latine leguntur ap. *Chwalkow. de Iur. publ. Regni Polon.* pag. 239. & ſeparatim *Gedani* ap. *Georg. Rhet.* 1635. 4. cum adiecta Specificatione Commiſſariorum, & Ratificatione, S. R. M. Pol. ex originali vernacule edita ſunt. Habentur etiam pacta hæc in collectione Gallica Tractatuum pacis T. 3. p. 371. &c. 5.) Bericht von dem Frieden zwiſchen Pohlen und Moſcau/ 1634. 4. (2) 6.) Fröliche Zeitung von dem Türcken-Frieden/ 1634. 4. 7.) Der Obrigkeit in Dantzig Ermahnung an die Gemeine/ wie ſich dieſelbe itzo/ da der Friede mit dem Türcken geſchloſſen/ zu verhalten/ 1634. 4. Copia IV. Literarum Pacis, inter Reg. Pol. & Imp. Turc. confectæ, germ. *Dant.* 1635. 4. Articuli huius pacis exſtant in alleg. Collectione T. 3. p. 359. & ſeq.

§. XXXV.

Ad Iohannem Caſimirum.

IOHANNIS CASIMIRI negotia concernunt ſcripta, tempore belli Suecici (cuius memorabilia ſatis prolixe exhibentur a *Chriſt. Adolph.* THVLDENO P. 2. & 3. germ. transl. 1661. 12.) maximam partem in lucem emiſſa, qualia ſunt: 1) Oratio ſuaſoria pro pace vel induciis impetrandis, A. 1655. ad Regem Suec. nomine Regis Pol. habita à *Chriſtoph.* PRZIEMSKI, R. P. Cubicul. & Legato, quæ vna cum Reſponſ. per Epiſt. *Ern.* PACIANI, & cum Regis Suec. Literis Vniuerſalibus, *Lipſiæ*, 1655. 4. prodiit, & ſeorſim in Actis *Londorpii* T. 7. f. 1015. latine legitur. Hæc oratio quoque iuncta eſt Epiſtolæ, quam H. CONRINGIVS (ille enim ſub *Cyriaci* THRASYMACHI nomine latitat) de Iuſtitia armorum Suecicorum in Polonos, perque ea liberata à magno periculo Germania, ad *Andr.* NICANOREM ſcriptæ, & 1655. 4. latine, ſequentique anno germanice variis in locis editæ, vulgauit. De quo ſcripto iudicium *Vinc. Fabricii* legi poteſt in *Epiſt.* ad *Iſm. Bulialdum*, quæ reperitur in eius *Oratt.* p. 356. THRASYMACHO perſonato ſe oppoſuerunt tum is, qui *Lucæ de* GABRIIS nomen aſſumſit, in Iniuſtitia armorum Suecicorum in Polonos, A. 1656. 4; tum alii. Extant enim A. O. (*Andr.* OLSZOWSKI) vindiciæ Polonæ, ſeu Reſponſio ad Literas Vniuerſales CAROLI GVSTAVI, d. 28. *Iul. ſt. veter.* 1656. *Varſaviæ* publicatas, ap. *Færſterum* (vt apparet) edita. (3) Hanc ſecuta eſt *Nicephori* NICOYMII (è Grecia, vt ſe vocat, oriundi) Reſponſio ad Enumerationem Cauſarum, ob quas Rex Suec. Polonos bello adoriri quaſi coactus ſit, latine; quæ editio reperitur ap. *Londorp.* T. 7. f. 1119. & deinde etiam germanice 1656. 4; quo anno CONRINGIVS Apologiam Suecorum luci publicæ expoſuit. Eodem tempore edebatur *Andr.* NICANOR. (4) Reſponſum ad *Cyr.* THRASYMACHI Epiſt. cum præmiſſa Diſſ. de Manifeſto Suecico, cui titulus: *Breuis & præliminaris Enumeratio cauſarum, ob quas* CAROLVS GVSTAVVS, *Suec.* R. IOH. CASIMIRVM, *R. P. bello adoriri coactus eſt, Helmſt. & Gedani* 1656. 4. quod Manifeſtum latine quoque exhibet *Londorp.* T. 7. f. 1001. (5) Germanice prodiit illud *Stetini* 1655. & 56. 4. Non prætermittenda hic obſeruatio quam ex ſchedis MORHOFIANIS ſuppeditauit Cl. *Io.* MOLLERVS in B. PLACCII Theatri anon. n. 1198. Scilicet autorem ſcriptorum, quæ ab 1655. vsque ad 1658. nomine CAROLI GVSTAVI pro bello Polonis illato prodiere, eſſe *Dauidem Meuium* celeberrimum Ictum. In ſpecie huic Manifeſto hoc tempore oppoſitum eſt Anonymi ſcriptum, cui tit. *Cauſæ, ob quas Rex Su. &c. breues & præliminares, breuiter limatæ & eliminatæ*, 1656. 4. Autore vt docet SCHEFFERVS in *Suecia literata* p. 130. eodem Borraſto, quem tamen *Georgium* vocat, *Borraſenſi-Veſtrogothum*, I. V. D. & Secretarium SIGISMVNDI III. Primum, ceu Idem monet, *Lublini* ex officina *Wicmorcowski*, & mox ſecunda vice prodiit *Dantiſci* auſpiciis (vt nos coniicimus) *Færſterianis* editæ. Sed idem illud propugnatur ab Auctore *Anonymo* in der Behauptung des Königl. Schwediſchen *Præliminar-Manifeſts*/ und der darüber durch *Cyr. Thraſymachum* aufgeſetzten Schrifft/ *Andreæ* NICANORI entgegen geſtellet. 1656. 4. itemque [illegible] *Elucidatione* (Beleuchtigung) germanice [illegible]dita 4. Aduerſus quam tamen rurſus ſe [illegible]dit *Nicanor*, in

(1) Literæ Regis ad regnum Sueciæ, eiusque incolas, datæ *Thorunii*, 30. Iunii 1655. e ſuecico in germanicum ſermonem translatæ, pr. 4. Iis hortatur ordines, vt ſe legitimum Regem agnoſcant.

(2) Inſer: epiſtolica relatio equitis Poloni ad amicum de prælio VLADISLAI IV. ductu *Stanislai* à KONIECPOLE KONIECPOLSKI, Caſtellani Cracouienſis, ſummique R. P. exercituum ducis contra Tartaros ad Achmerouiam 30. Ianuar. 1644. commiſſi. *Dantiſci*, 1644. 4.

(3) Manifeſte du Roy de Pologne pour ſeruir de reponſe au manifeſt publié par le Roy de Suede: 1656. 4. In Gallia excuſum eſſe præfatio docet.

(4) Id NICANORIS reſponſum germanice translatum pr. 1656. 4.

(5) Latine ſeorſim cum præfatione CONRINGII editum eſt Helmſt. 1656. 4.

Eclypſi Elucidationis, eodem ſtylo edita, *Ged.* 1656. 4. Separatim quoque extant Literæ R. M. Succiæ ad Imp. Rom. de Bello Polonico, A *Stetini* 1655. in 4. vt & Nothwendige Anmerckung über das Königl. Schw. Manifeſt &c. Augsburg 1655. 4. Hiſtoriam motuum qui in bellum hoc tandem erupere deſcribunt: Memoires de ce, qui *eſt* paſſé en Suede & aux prouince voiſines, depuis l'année 1645. jusque au l'année *1655*. enſemble le demelé de la Suede avec la Pologne, tirez des depeches de Mſ. CHANVT Ambaſſadeur pour le Roy en Suede, par P. LINAGE de VAVCIENNES. T. I. II. III. a *Cologn.* 1677. 12.

§. XXXVI.

De hoc bello Polono-Suecico, præter ea, B quæ in *Diar. Europ.* paſſim, imprimis vero *Append. Part. VIII.* (vbi p. 225. *Pacta Bydgoſtienſia* ſiue, vt alii, ſed minus recte, vocant, *Velauienſia* quoque conſpicies, infra a nobis cum aliis pacis Tractatibus commemoranda,) & ap. *Londorp.* in *Act. Publ. T. VII. & VIII.* habentur, quæque in *Indice generali* horum *Actorum* 1702. f. edito, copioſe ſatis recenſentur, & a nobis h. l. ſigillatim propter eorum amplitudinem, & quod facili negotio in memorato *Indice generali Actorum Londorpianorum* inueniri poſſint, non commemorabuntur; ſeorſim inſuper extant: 1.) *H. I. M.* i. e. *Hector. Ioann.* MITHOBII Tr. de Contro- C uerſiis Sueco-Polonicis, ſeu de Iure, quod in Succiam Regi, ad Liuoniam Regno Pol. nullum competit, A. 1652. 4. edita & eadem forma *Helmſtadii* cum præfat. Præceptoris *Conringii*, 1656. 4. recuſa. Sed laruam detraxit WITTENIVS in Diario a. 1681. d. 12. Ianuarii, & ipſum CONRINGIVM ſub MITHOBIO quem commendat, latere voluiſſe prodit, ſicut & PLACCIVS in Theatro anon. n. 1198. *a.* qui tamen n. 1787. de *Pſeudon.* dubitat iterum, nec prorſus aſſerere audet, quia in catalogo Scriptorum CONRINGIANORVM, epiſtolis eius præfixo, nulla eius rei mentio fit. 2.) Moriens Polonia, quod ſcriptum etiam germanice D in 4. editum eſt. 3.) Zwey Tractätlein/ das eine genandt Roſſomalza, oder Schwediſcher Vielfraß/ das andere/der Lappländiſche Doctor, 1658. 4. 4.) Anatomia ambarum literarum Vniuerſitatum Suecicarum ad Polonos ac Lithuanos, *Mariæburgi*, d. 1. & 8. *Maii* 1656. emiſſarum, latine primum, deinde etiam germanice edita, 1656. 4. 5.) *Ambroſii* MELLILAMBII (ſub quo nomine latet B. D. *Io. Balth.* SCHVPPIVS: Epiſtola germ. concernens Arma Polono-Suecica, de A. 1654. &c. quæ reperitur in *Schuppii Opp. german.* p. 399. *ed. Francof.* 1654. 8. Ibidem p. 413. eodem quoque ſtylo habetur Hollandica Confabulatio de bello duorum Septentrionis Magnatum, de A. 1657. 6.) *Io.* FRISCHMANNI, Regis Chriſtianiſſimi Legati, Argentorati quondam reſidentis, Viri, ob ſtylum lapidarem quem vocant, plane noti (cui expeditum ad ſatyras ſcribendas ingenium fuiſſe, ex vero alicubi iudicat Dn. SCHVRZFLEISCH in *Epiſtolis*, notante *B. Gryphio* in *Coll. MS.* c. 2. §. 15.) Animorum in Europa & vicina Aſia Motus de Suecici belli motu in Polonia, recuſi & aucti. *Vpſaliæ* & *Grypswaldiæ* 1656. 4. ſequentique A. germ. translati, 4. H. CONRINGIVM, Autorem illius aut I. H. BOECLERVM multorum ſermonibus deſtinatum fuiſſe, patet ex huius epiſtola ad *Ioh. Alb.* PORTNERVM ſcripta, qua iſtam ſuſpicionem refellit, & FRISCHMANNO omnino libellum tribuendum confirmat, antea tamen ſe credidiſſe, ſcribit, partum eſſe POMERESCHII Icti Grypswaldenſis. Ceterum non adeo præclare de chartis iſtis ſentit. Pars epiſtolæ, vnde noſtra hæc depromſimus, repetitur in PLACCII Theatro anon. n. 1171. *a*) 7.) *Lucii* APRONII Obſeruationes Magnatum Europæ, 1656. 4. 8.) Regni Succiæ Senatorum ad Senatores Regni Pol. &c. Literæ declaratoriæ ſuper miſſione MORSTENII, internuncii Polonici 1657. in 4. Eorund. Senat. Pol. Reſponſoriæ, *Louicii* 1656. 4. 9.) Rationes, ob quas Elector Brandenb. cum Rege Pol. iterum vnire ſe debeat, germanicè *Ged.* ap. *Phil. Chriſt. Rhet*, 1657. 4. Quibus mox ſucceſſit fidelis Patriotæ Pruſſi, feſtinata Reſponſio (eilfertige interims Beantwortung) XIII. rationum illarum, eodem ſtylo exarata. 10.) Copiæ literarum FRIDERICI WILHELMI, El. Brand. ad IO. CASIMIRVM, R. P. vna cum *huius* & *Andr. de* LESNO, Archi-Ep. Gneſn. Reſponſoriis, ratione ſeceſſionis ad partes Suecicas, latine & germanice. 1656. 11.) Diſcurſus quo armorum iure exorto inter Succiæ & Poloniæ Reges bello, Ser. El. BRANDENBVRGICVS caſtra Regis Succiæ ſecutus fuerit. Autorem ſe profitetur *Iacobus Andreas* CRVSIVS Tr. *de eminenti dominio Principis*. c. 4. n. 15. in fine. 12.) *Sigiſm. Frider.* WARTMANNI Polonia ſuſpirans, Apollini in Parnaſſo per querulam Reginam Poloniam propoſita, germanice, *Francof. ad M.* 1656. 4. 13.) Eiusdem Poloniæ ſuſpirantis continuatio *impr.* A. 1657. 4. 14.) Cauſæ Regum heri & hodie inter ſe belligerantium, Gall. & Hiſp. *Succiæ* & *Poloniæ*, expoſitæ & expenſæ ad iuris & ſtatus rationem, Chriſtiano orbi cum figuris æneis inſcriptæ, à CR. munerario, (i. e. munus offerente) *Guilhelmo* SERLINO. 1657. in 4. 15.) *Andreæ* OLSZOWSKI, Legati Polon. Propoſitiones ad Electorem Mogunt. ob debellatum a Suecis Poloniæ Regnum, factæ d. 18. *Maii.* 1658. germ. *Francof* 4. (1) 16.) Articuli foederis inter LEOPOLDVM & IO-

(1) Et latine a. e. *Eiusdem* memoriale ad S.R.I. Principes & ordines directum pr. 1659. 4.

JOHANNEM CASIMIRUM *Viennæ* d. 27. Martii a. 1657. ſanciti leguntur in Collectione gallica Tr. Pacis T. 3 p. 707. 17.) *I.* GILENII, Conſiliarii Palatino-Simmerani, Triumphus Suecicus de Polonia & Boruſſia ſi binga-ta. 1656.8. 18.) Europæ itziger Zuſtand/abgebildet per *Iuſtum* Knüppelhardt / 1658. 4. (1) Nec reticeri debet *Samuel.* HARTLIE-

(1) Non indignum eſt ob varia monumenta quod hic plenius recenſeatur Actorum & geſtorum Sueco Polonicorum ſemeſtrale, ſeu Halbjährige Erzehl- und Darſtellung aller im jüngſten von J. K. M. zu Schweden in das Königreich Polen fürgenommenem Feldzug vom Herbſt des 1655. biß Oſtern 1656. fürgenommener und verrichteter Handlungen / gewechſelter Schrifften und anderer Begebenheiten/ 1657.4. Continet hic tomus ſequentia ad ſtatum Polonum pertinentia 1.) Abdruck der 1656. den 27. Iulii geſchloſſenen Defenſiv-Allianz zwiſchen den Staaten der vereinigten Niederlande / und Churfürſten zu Brandenburg. 2.) Enumeratio cauſarum ob quas CAROLVS GVSTAVVS, IOH. CASIMIRVM bello adoriri coactus eſt. 3.) oratio *Chriſtoph.* PRZIEMSKI, & PACIANI epiſtola de hac oratione facta. 4.) Eadem oratio germanice verſa. 5.) Regni Sueciæ Senatorum declaratoriæ ſuper miſſione MORSTENII &c. cum reſponſo Suecorum Regis, *Chriſtophoro* PRZIEMSKI dato d. 30. Auguſti 1655. 6.) Senatorum Poloniæ reſponſoriæ ad declaratorias Senatorum R. Suediæ. 7.) Eædem germanico idiomate, quibus additæ ſunt: (*a*) Puncta des Vertrags/worauff ſich die Stadt Elbing an den König von Schweden ergeben. (*b*) Antwort des Königs in Schweden/die dem *Chriſtoph.* PRZIEMSKI gegeben worden. (*c*) Reuers der Stände von Litthauen/von wegen der Huldigung/ Treu/ und Unterthänigkeit/ den Königen/ und Königreich Schweden ewig zu leiſten. Hamburg. 1656. 8.) R. Sueciæ literæ ad FERDINANDVM III. quibus exponuntur cauſæ ſusceptæ in Poloniam expeditionis. 9.) Eædem germanice. 10.) Palatinorum quorundam Poloniæ epiſtola ad Regem Sueciæ pro facultate Regem ſuum adeundi d. 18. Iulii 1655. ſcripta, vna cum reſponſione Regis d. 12. Octobris e. a. & Legati Polonici *Adami* BROCHOWSKI ad Regem Suecorum oratione, eiusdemque verſione germanica, cui adiecta ſunt: Artickel und Puncte/die von Chur-Brandenburg an die Preußiſchen Stände begehrte Coniunction betreffend. 11.) Relation, wie Quartianer Soldateſca im Königreich Polen ſich an J. K. M. aus Schweden ergeben / und derſelben gehuldigt haben. 1656. 12.) Ubergabe des Schloſſes und der Stadt Krakau. 1655. 13.) Relation von der durch die Moſcowiter und Coſacken an der Stadt Lublin verübten Tyranney. 1655. 14.) Königlich Schwediſches Schreiben an die Senatoren und Ritterſchafft in Polen / in welchem ſie in J. K. M. Schutz und Schirm ſich zu begeben nacher Warſchau beruffen werden/den 20. Octobr. 1655. nebſt einem Schreiben des Türckiſchen Käyſers an den König in Schweden. 15.) Imperatoris Romani literæ ad R. Sueciæ cum oblatione mediationis pro ſopiendis inter Poloniam & Sueciam exortis differentiis 16. Nov. 1655. latine & germanice. 16.) Alliance zwiſchen Chur-Brandenburg und den Ständen im Hertzogthum Preußen 12. Nouembr. 1655. 17.) Extract des zwiſchen dem Könige in Schweden und Chur-Brandenburg getroffenen Friedens-Inſtruments. 1656. 18.) *Benedicti* TRANQVILLI literæ reſponſoriæ ad conſiliarium quendam electoralem. 1656. 19.) Panegyricus CAROLO GVSTAVO dictus. 20.) *Ioh. Wilhelm* Zeiters Königlich-Schwediſcher Stamm-Baum. 21.) Literæ Cromvelli Protectoris Angliæ ad Regem Sueciæ. 1656. 22.) & denique *Cyriaci* THRASYMACHI Brieff an Nicanorem. *Semeſtrali Secundo* ſequentes tractatus continentur 1.) Ad præliminarem enumerationem cauſarum, ob quas Rex Sueciæ Regem Poloniæ bello adoriri coactus ſit, reſponſio. 2.) Nicanoris Antwort an Thraſymachum. 3.) Behauptung des Königl. Schwediſchen Præliminar-Manifeſts. 4.) Chur-Brandenburgs Propoſition denen Land-Ständen / 1656. 22. Martii zu Königsberg geſchehen. 5.) Grafen von Oſtorogs Oration. 6.) Bedencken darüber. 7.) BIOERENCLAV Epiſtola ad *Hieronym.* RADZIEWSKI. 8.) CAROLI GVSTAVI Vniuerſales contra rebelles nobiles Poloniæ 1. & 9. Maii 1656. 9.) Des Hertzogs zu CROY Schreiben an den Rath zu Dantzig/ und die Antwort darauff. 10.) Der Dantziger Antwort an den König in Schweden. 11.) Chur-Brandenburg Schreiben an die General-Staaten/ worinn die Urſachen der Coniunction mit den Schwediſchen Waffen entdecket werden. 1656. 4. Iulii. 12.) EIVSDEM Schreiben an den König von Polen/nebſt der Antwort des Königes und des Grafen von LESNO. 13.) Beſchreibung/welchergeſtalt Riga von dem Groß-Fürſten in Moſcau belägert/nebſt Verzeichniß der Granaten/ die hinein geworffen worden/ 1656. 14.) Des Dantziger Syndici Anrede an den König in Polen/ nebſt der Antwort. 15.) Königlich-Schwediſche proponirte Præliminar-Puncte / ehe zur Haupt-Friedens-Handlung geſchritten werde. 16.) Des Fürſten LVBOMIRSKI

LIEBII, i. e. *Io. Am.* COMENII Panegyricus, CAROLO GVSTAVO, Poloniam aggredienti, ſcriptus, *Lugd. Bat.* 1657. 4. qui poſtea creditur Leſnenſis excidii cauſa fuiſſe. Hic panegyricus quoque in fine *Epiſt.* THRASYMACHI *de Iuſtitia arm. Suec. in Pol.* conſpicitur, vbi literis *W. T. L. B. de B.* Auctor ſignatur. Sed extat quoque Refutatio illius Panegyrici, ſub nomine *Apologetici contra Panegyr.* CAROLO GVSTAVO *&c. dedicatum, ad Religionis, Regis, Legisque Polonæ defenſionem producti*, ſine die & Cos. typis tamen nitidisſimis in 4. edita, in quo Auctor, præterquam quod acerbe notetur, „ Palponis etiam, non Encomiaſtæ; alienæ laudis decoctoris, non Oratoris; Mendacis, non Veridici; „Placentini, non Veronenſis nomen promeruiſſe aſſeritur, ipſeque CAROLVS GVSTAVVS acriter perſtringitur. Illud Leſnæ excidium, cuius *Comenius* cauſa fuerat, ipſe COMENIVS deſcripſit, ſermone latino, 1656. 4. A & LAGNERIVS, *Francof. ad Viadr.* 1657. 4. Memorabilem Obſidionem *Clari Montis Czeſtochouienſis*, Deiparæ imagine à D. Luca depictæ, in Regno Polon. celeberrimi, ab exercitu Suecorum, Duce *Burch. Mellero*, Generali Legato, ſub finem 1655. factam, ſtylo nitidisſimo expoſuit *Staniſl. a* KOBIERZYCKO KOBIERZYCKI, Palatin. Pomer. &c. eamque imagine B. M. V. & ectypo obſidionis ornatam edidit *Dantiſci*, ſumtibus *Georg. Færſteri*, 1659. 4. Quo pertinet etiam *Noua Gigantomachia* contra S. Imaginem Deiparæ Virginis, in *monte claro Czeſtochouienſi* collocatam, per Sue. & alios hæreticos excitata, conſcripta ab *Auguſtin.* KORDECKI, Ord. S. Pauli in Claromonte, Priore. *Cracou.* 1655. f. (1)

§. XXXVII.

Schreiben an den Fürſten in Siebenbürgen den 27. Ianuarii 1657. latine & german. 17.) Frieden zwiſchen Moſcau und Polen ꝛc. Quanquam enim, quæ ex ſemeſtri primo n. 2. 3. 4. 6. 8. 12. 13. 22. ex ſecundo vero *n.* 1. 2. 3. 5. 6. 7. 9. 10. 12. 14. hic allegantur, ſuo iam loco in *Schediaſmate* allegata ſint, non tamen prorſus vacaneum viſum eſt, hic ea vna cum reliquis, & quidem breuius, repetere. Vt & plenius conſtet, quænam ambitu ſuo hæc collectio contineat, & ſimul perfectior de ipſorum editionibus notitia tradatur. Præcipue cum illis forte vſuro, facilius ſit integrum volumen impetrare, quam ſchedas ſeorſim excuſas, & rariſſime recte aſſeruatas.

(1) Non leue momentum habent, ob quod addi mereantur ſequentia: 1.) M. B. I. L. Schwediſcher Krieges-Stein über den Danieliſchen Stein. 4. 2.) Schwediſche Grillen über das 2. Capitul Danielis, entgegen geſetzet dem unechten Schwediſchen Krieges-Stein. ꝛc. 3.) *Philothei* Warners von Warhauſen Schwediſcher Spiegel. 1658. 4. 4.) Dreyerley Friedens-Vergleichungen: *a)* Zwiſchen dem Graff Wittenberg und den Posniſchen und Caliſiſchen Woywodſchafften. *b)* denen Ständen aus Litthauen/und dem Graffen de la Gardie. *c)* dem Graff Wittenberg/und dem Czarnecki, wegen der Ubergabe Krakau. 1655. 4. 5.) Relation über die bey Wlostovvicz ob Seiten des Königes in Schweden mit dem Czarnecki 1656. $\frac{8}{18}$. Februarii gehaltenen victorieuſen Action. Elbing 4. 6.) Relation aus dem Polniſchen Lager unter Koſcian betreffend den Verlauff zwiſchen den Polniſchen und Schwediſchen Völckern/ſub dato 20. Maii 1656. 4. 7.) Relation von dem Entſatz des Hauſes Tykoczyn in Podlachien $\frac{13}{3}$. Iulii 1656. 4. 8.) Bericht aus Warſchau/wie es mit den Krieges-Actionen beyder Armeen auff Polniſcher und Schwediſcher Seiten abgelauffen 28 und 29. Iulii. e. a. 4. 9.) Formular, wie in den Kirchen des Königlichen Preuſſens die Danckſagung vor die durch den König von Schweden und Churfürſten von Brandenburg/ wider den König von Polen/ den 28. 29. 30. Iulii erhaltene Victorie verrichtet und abgeleſen worden. 1656. 4. 10.) Beſchreibung was ſich nach Eroberung Warſchau zugetragen. 1656. 4. 11.) Relation von der Eroberung Lublin. 1656. 4. 12.) Verbont tuiſſchen den K. van Sveden ende den Keur-Vörſt van Brandenb. Grauenh. 1656. 4. 13.) Brieff verhalende de Coniunctie van den Koningh van Sweeden, met den Keur-Vorſt van Brandenburg, mitsgaders de omſtandlicheden van het gevecht tuſſchen deſelfde, ende de Polen, vorgevallen den 28. 29. 30. Iulii 1686. Hagæ e. a. 4. 14.) Relation von der Victorie/ die der General Gonſievvski wider die Schwediſchen und Churfürſtliche Völcker 1656. 8. Octobris. erhalten 4. 15.) Continuation des Succeſſes des General Gonſievvski, nebſt der Eroberung der Stadt und Schloſſes Lancicez. 1656. 4. 16.) Copia zweyer Schreiben/ eines aus dem Polniſchen Lager vom 13. Martii, in welchem der Verlauff des Treffens unter Golob zwiſchen Czarnecki und Pfaltzgraff Adolph enthalten/ nebſt dem Polniſchen Entſatz der Stadt Zamoſc; des andern von der Quartianer Abfertigung nach Lublin ꝛc. 1656. 4. 17.) Relation von dem ſiegreichen Marſche der Polniſchen Armee aus Reußland nach Preuſſen/unter dem Lubomirski und Czarnecki. e. a. 4. 18.) Copia eines Schreibens aus Tuchel an den König von Polen/ von dem Treffen zwiſchen dem Czarnecki, und den Schweden bey Tuchel und Straßburg. 1657. 4. 19.) Relation deſſen was

§. XXXVII.

Alia particularia, & in ſpecie quoad Ciuitates Boruſſicas & Ducatum Curlandiæ.

Inter vicinas Regnoque Poloniæ vnitas regiones bellum hoc funeſtum, per aliquot annos etiam Pruſſiam, (1) eheu: Curoniamque adflixit. Ad illam generatim pertinent interceptæ binæ Literæ, quæ de *aduerſa Suecorum in Pruſſia fortuna*, ſtylo germ. in 4. exaratæ fuerunt, itemque ſcriptum, cui titulus: Preußiſches Haanen-Geſchrey/ 1656. 4. vulgatum. Speciatim vero in hac belli tempeſtate ad *Ciuitatem* GEDANENSEM ſpectant: Literæ *Regis Suec.* & Illuſtr. Ducis CROYENSIS, ac Comitis STEINBOCKII ad Gedanenſes, & ad easdem *Gedanenſium* Reſponſa, Men-

kurtz vor Ankunfft des Czarnecki, vom 6. Februarii an/in Dantzig und andern Orten/ inſonderheit in Liefland/biß auff des Königes von Polen Abzug den 10. eiusdem, vorgelauffen. 1657. 4. 20.) Copia 3. Schreiben vom Königlichen Hofe aus Czeſtochovva, in ſich haltende/ was zwiſchen den Polniſchen Völckern und Fürſten Rakoczi vorgelauffen ꝛc. e. a. 4. 21.) Relation von dem Succeſſe der Polniſchen Armee unter dem Czarnecki, ſo er wider den Rakoczy erhalten/ dem beygefüget die Puncta des Vertrages zwiſchen der Krone Polen und dem Rakoczy. 1657. 4. 22.) Continuation des itztgedachten Vertrages/wie auch des Succeſſes der Königlich-Polniſchen Armee/unter dem Czarnecki. 1657. 4. 23.) Accords-Puncta wegen der Ubergabe Krakau an die Polen. e. a. 4. 24.) Urſachen warumb der König von Ungarn und Böheimb verurſachet worden / dero Völcker in Polen dem Könige zu Hülffe zu ſchicken. 1658. 4. 25.) *Matth.* BIOERENKLAV memorialia bina S. R. M. Sueciæ nomine, prius ad Electorem MOGVNTINVM, poſterius ad ordinariam Imperii deputationem directa & exhibita: in quo poſteriori exponitur, quod inconſultis S. R. I. Electoribus, Principibus, & Statibus, S. C. Maieſtas decreuerit, & R. Maieſtas Hungariæ & Bohemiæ, ceu S. R. I. membrum ſuſceperit bellum in Polonia contra Sueciam, quodque durantibus dicti belli præparatoriis Auſtria procurarit & Poloniæ vltimum pene exitium, & Germaniæ non modo inuaſiones Polonorum & Danorum, ſed etiam niſi in tempore præueniatur ingens belli incendium. 1657. 4. 26.) *Eiusdem* memoriale in quo exponitur, quantopere Rex Sueciæ pacem in Germania ſeruare, & Polonicum bellum reſtinguere allaborauerit, quorumque moliminibus & facibus belli Polonici flamma Germaniæ nunc admoueatur, exhibitum S. R. I. Electorum, Principum, & Statuum ordinariæ deputationi Francofurti ad Mœnum, d. 24. Iunii 1659. 27.) Sendſchreiben an den König von Schweden / betreffende die letzten Kriege in der Kron Polen und Dännemarck. 1659. 4. In ſpecie ad turbas cum Moſcouitis pertinent: 28.) Rationes XXI. cur Moſcorum Czar, quamuis lactetur ſpe Coronæ Polonicæ, nunquam tamen eadem pro ſe vel pro filio ſuo potiri poſſit, latine & germanice. *Hamburgi* 1657. 4. 29.) Relation der Victorie/welche die Polniſche Armee unter der Conduite des Czarnecki, zwiſchen Slonyn und Myzovv gegen den Moſcowiter den 24-28. Iunii a. 1660. erhalten. 4. 30.) Continuation der Victorie wider den Moſco-witer/nebſt einem Bericht/auff was Weiſe die Coſacken zum Gehorſam ſind gebr[acht] worden. 1660. 4. 31.) Copia gewiſſer Schreiben an den König von Polen / von dem Tarterſchen Chan MECHMET GERAY, und deſſen Groß-Cantzler Sefer Kary Aga, wie auch General Subhan Kary Aga, aus dem Polniſchen ins Teutſche überſetzt. 1657. 4. 32.) Extract-Schreiben aus der Vkraine wider die Moſcowiter und Coſacken / wobey die Conditiones, welche nach Endigung dieſes Krieges dem Moſcowitiſchen General übergeben worden. 1660. 4. Quid apud Turcas in bello hoc Polonico moliti fuerint Sueci declarat. 33.) Bericht was nach angefangenem Kriege wider die Kron Polen/ von des Königs in Schweden Miniſtren bey der Ottomanniſchen Pforte zum dritten mahl zu Trennung der Chriſtenheit angeſuchet worden.

(1) FRIDERICVM WILHELMVM ratione Boruſſiæ ſuæ præter illa quæ in §. XXXVI. & in notis n. 9. 12. 13. 14. allegata ſunt, concernunt ſequentia: 1.) Auszug deſſen / was zwiſchen CAROLO GVSTAVO &c. und **Friedrich Wilhelmen** ꝛc. vom Jahr 1655. biß auff den 7. Ianuarii 1656. auſſerhalb Krieges gehandelt worden/woraus erhellet/mit was Recht oder Unrecht der Chur-Fürſt zu Brandenburg ein Urſacher und Anſtiffter des Polniſchen Krieges genennet wird / aus dem Lateiniſchen ins Teutſche überſetzt. 1660. 4. 2.) Der ſämtlichen Stände und Ritterſchafft des Hertzogthums Preußen Supplication an den Churfürſten von Brandenburg/ nebſt einem Extract eines Schreibens von hoher Hand aus Lück den 2. Octobris 1656. 4. 3.) Derſelben abermahlige Supplication den 27. Februarii 1657. übergeben. 4. 4.) Churfürſtlich Brandenburgiſcher an die K. M. von Schweden abgelaſſener Geſandſchafft Verrichtung/woraus zu erſehen / wie wunderlich man dieſelbige tractirt und abgewieſen/ weil ſie vom Frieden ſprechen / und S. Churfürſtl. Durchl. mit Schweden gegen Polen und deſſen Alliirte ſich in die vorige Krieges-Händel nicht wieder einlaſſen wollen.

Menſibus *Martio*, *Aprili*, & *Maio*, A. 1656. ſcripta; quæ Literæ in gratiam eorum, qui germanica non intelligunt, latine conuerſæ, A eodem anno in 4. prodierunt. In hac latina editione typographo viſum fuit ſeriem temporum obſeruare, & ſingulis literis ſingula reſponſa Gedanenſium ſubnectere, ſecus ac in Germanicis edd. factum fuiſſe videmus. Eædem habentur etiam ap. *Londorp. T.* 7. f. 1144-1147. Porro Oratio, quæ ap. *Londorp. l. c. f.* 1140. legitur, & à Comite Oſtrorogo ad *Senatum Dantiſc.* in Curia, Menſe *April.* 1656. publice dicta fuit, è latino in germ. verſa, & cum Iudicio ſeu Animaduerſionibus quibuſd. typis commiſſa eſt, 1656. 4. Has vero refutauit Auctor *Examinis ſtulti*, vt vocat, *iudicii* (Examen Närriſcher Gedancken/) à quodam Elbingenſi, Suecis nimium fauente, profecti, de Propoſitione Oſtrorogi, ad Magiſtr. Gedanenſ. facta, A. 1656. in 4. B Quo ſimiliter ſpectat die Beantwortung des Elbingiſchen Paſquills in 4. De *Gedano* præterea extant Traur-Reden über die Zerſtörung der Vorſtädte in Dantzig/ 4. (1) Item Der Stadt Dantzig ſehnliche Thränen nach ihrem Könige IO. CASIMIRO, 4. *It.* Immota Gedanenſium fides erga Seren. IOH. CASIMIR. & Remp. Polon. quam pro Concione ſacra, *Dom.* 24. p. *Trin.* in æde D. Brigitt. habita, germ. prædicauit *Seuerinus* Karwat Worteiewic S. I. Theol. ac Regi à Conc. aulic. *Ged.* 1657. 4. (2) Facit huc Copia literarum de quæſt. an ſtatus Euangelici, A. C. addicti, ſpeciatim *Gedanenſes*, ſpe promouendæ religionis, à IOH. CASIMIRO, Rege ſuo legitimo, ad Reg. Suec. deficere debeant? quæ vna cum Vniuerſalibus IO. CASIMIRI de tolerandis, C nec vllo modo violandis Diſſidentibus in religione, ſtylo germ. edita eſt A. 1657. 4. (Autore *Nath.* Dilgero, Paſtore Mariano.) Eodem tempore emittebatur in publicum Dialogus germanicus, inter *Nicol.* Einfalt/ Wahrem. Erenberg ꝛc. habitus de ſtatu Dantiſci *ibid.* 1658. 4; itemque Memoriale (Gedenck-Zettel) acerbi prælii *Dirſauienſis*, inter Ciuit. Dantiſcanam, militemque Suecicum & Brandeburg. commiſſi d. 2. *Sept.* 1657. in 4. Qua ratione huiusdem belli tempore, *Cornelius* Trompius, Hollandiæ Archithalaſſus, cum claſſe inſtructa Belgica, *Dantiſco* in ſubſidium venerit, eandemque ſeruauerit, refertur in *Vita Cornelii Trompii*, gallice edita *Hagæ C.* 1694. 12. (2) Bello quaſi iam confecto prodiere Articuli Pacificationis (Accorts-Puncte) quorum tenore *Hauptum* Gedanenſe, huic Ciuitati d. 22. *Dec.* 1659. iterum cedebatur. Famoſi huius Propugnaculi *Nehringenſis*, a Suecis A. 1656. muniti, & a Gedanenſibus A. 1659. oppugnati, vberiorem Narrationem germanice edidit *Petrus* Vogetius, *Paſtor* in Gottswalde/ *Gedani* 1661. 4. ubi *Ioach.* Pastorii, & I. P. Titii, de Haupto expugnato, carmina quædam adiecta ſunt, ſeorſim antea publicata. Eiusd. Delineationem ichnographicam exhibuit *Georg.* à Stracwitz, Ciuit. t. t. Centurio & Architectus germ. 1661. f. *mai.* Spectat huc quoque R. *Nathan.* Dilgeri, Paſt. ad D. Mar. Chriſtl. Heers- und Kriegs-Predigt/ aus dem 60. Pſalm ꝛc. gehalten/ quæ homilia *Gedani* 1659. 4. excuſa, Collegioque huius Civ. Sagato inſcripta eſt. Occaſione Vrbis *Thorunenſis*, a Rege Io. Caſimiro recuperatæ, ſequentia tum edebantur ſcripta: *a.*) Puncta des Vergleichs/ zwiſchen Polniſchen und Schwediſchen Deputirten/wegen Ubergabe der Stadt Thorn/ d. 30. *Dec.* 1658. 4. *b.*) Calendæ Regiæ de auſpicato Io. Caſimiri in obſeſſum a ſe, & feliciter recuperatum Thorunium ingreſſu, *Dant.* per *Georg. Fœrſter.* 1659. 4. qui & *eod. ann.* Obſidionem Thorunienſem, ab *Iſidoro Affaita*, Archit. militari Regio, ichnographice delineatam in forma patenti excudit. *c.*) *Relatio* von dem Abzug der *Guarniſon* aus Thorn/ 1659. 4. *d.*) *Diarium* von derſelben Ubergabe/ 4. *e.*) Freuden-Zeichen von derſelben Ubergabe/ 4. Reliquas Pruſſiæ ciuitates concernunt Tractatus ſequentes: Der Stadt Thorn und Elbing Warnung an Dantzig/ (4) Elbings Treuloſigkeit/ 1659. 4. Bericht von Eroberung der Stadt Graudentz/ 4. Recuperirung

(1) It. Miſſiv eines zu Dantzig ſich auffhaltenden Niederländers/an einen Freund zu Amſterdam/ worinnen Anmerckungen enthalten gegen eine Schrifft/ in welcher die Stadt Dantzig wegen abgebrannter Vorſtädte angegriffen wird. 1656. 4. Vterque hic tractatus Belgice quoque prodiit. a. c. 4.

(2) Eadem polonice pr. e. a.

(3) Inter Gedanenſia, quæ hoc bellum exponunt, locum merentur: 1.) Relation auf was Weiſe der Graff Königsmarck von der Dantziger Reede gefangen genommen und eingebracht worden/ nebſt der Liſta aller Gefangenen/ ſo wohl des Schiffes als der Schütte. 1656. 4. 2.) Liſta der Schwediſchen Gefangenen/ſo vom 22. Februarii biß vlt. ſept. in Dantzig eingebracht worden. e. a. 4. 3.) Bericht was ſich bey dem Ausfall aus Dantzig zugetragen/ entgegen geſetzt den auſſen ſo zu Elbing/und Königsberg gedruckt worden. 1657. 4.

(4) Antwort auf die höniſchen Gedichte unterm Nahmen der Stadt Thorn und Elbing auf die gute Stadt Dantzig ausgeſprenget. 1656. 4. & Retorſion auf den Dantziger paſquill. e. a. 4.

rirung des groſſen Werders/ 1659. 4. Quibus addi poſſunt, quæ ap. *Londorpium* T. VII. & VIII. habentur, in Indice horum Acto- A rum, peculiaribus titulis, accurate enumerata. (1) Cvrlandiam quod attinet, de Rebus Succorum ibi geſtis, deque IACOBI, Ducis Curland. ac Semigall. in cuſtodiam abductione, varia cum germanico, tum latino ſermone ſcripta, eo tempore in lucem emiſſa fuerunt, quorum præcipua ſunt: 1) Ausführlicher und warhafftiger Bericht von Eroberung des Schloſſes Mietau/ und Gefangen-Nehmung des Hertzogs. 1658. 4. 2.) Warhaffter Bericht von des Hertzogs von Curl. gefängl. Wegführung nach Riga. 1658. 4. 3.) Copie zweyer Schreiben/ das eine des Hertzogs aus Curland / das andere aus B Mietau den 10. Nov. 1658. 4.) *Relation* der Schwediſchen *procedu*ren in Curland. 1658. 4. 5.) Schwediſche in Schrifften verfaſſete/ und mit Hand und Siegel bekräfftigte *Parole*, woraus J. K. M. von Schweden ſchlieſſen können / was Unrecht dem Hertzog von Curl. geſchehen. 1659. 4. 6.) Fides Suecica, ſeu Plenaria Deductio, &c. 1660. 4. 7.) Schwediſche Treu und Glauben/ darin die unverantwortl. *procedu*ren der Schweden durch den Feld-M. Dvglas an dem Hertzog in Curland verübet / vorgeſtellt werden/ 1660. 4. Quæ eſt verſio germanica tractatus præcedentis. 8.) Appendix des Schwediſchen Spiegels. 1658. 4. 9.) C Defenſio Ducis Curlandiæ, Succorum calumniis oppoſita, &c. Pro defenſione Succorum ext. Tr. germ. exhibens cauſas, quibus Rex Sueciæ inductus præcipue fuit, Ducem Curl. è ducatu ſuo in cuſtodiam abducendi, 1658. 4. & ap. *Londorp.* T. 8. f. 482. Autorem eius fuiſſe *Iohannem* Habævm ex Symbola Diecmanniana refert B. Placcius in Theatro anonymorum n. 1792. γ.) Sed contra hunc Tr. mox vulgata eſt Refutatio emiſſarum pro parte Suecica Cauſarum, quibus prætendunt, Reg. Mai. Suec. adductam fuiſſe &c. cum oppoſitione verarum impulſionum, quibus Rex Su. ſe paſſus eſt ſeduci, ſtylo germ. 1658. & 1660. 4. & ap. *Londorp.* T. 8. f. 492. Idem ſcriptum quoque lat. prodiit 1660. 4. cui *Roberti* Dvglas Vniuerſale ad Prouinciæ Curland. incolas adiectum eſt. Alia refutatio germ. ſtylo excuſa eſt 1660. 4. (2)

§. XXXVIII.

Pax Oliuenſis, *aliique* TRACTATVS, *tempore* Io. CASIMIRI *initi.*

Poſtquam fatale illud bellum perpetua tandem pax inſecuta eſſet, inter S. R. M. & Remp. Pol. eiusque Confœderatos ex vna, & inter S. R. M. Regnumque Suec. ex altera parte ad Gedanum in Monaſterio *Oliuenſi*, III Maii 1660. inita & concluſa, illius Pacis Inſtrumentum, ſeparatim mox *Gedani* 1660. 4. ſumtibus *Iac. Weis*, R. M. Bibliopol. german. itemque lat. vulgatum eſt, deinde vero ſub tit. *Pactorum Oliuenſium Anni* 1660. cum Ratificationibus articuli ſeparati ratione Traditionis Elbingæ, inſertum *Conſtitut. Regni A.* 1661. *Cracouiæ per Andr. Petricouium* impreſſis, *f.* 41. *ſeqq.* quod præterea cum Actis pacificationis extat apud *Londorp. T. 8. f. 651. ſeqq.* In *collectione gallica* tractatuum pacis *T. 3. p. 805.* *Item* in *Diar. Europ. P. IV. p. 292.* latine, & *p. 331.* germ. *collat.* cum *App. P. VIII.* à *p. 1.* vsque ad 106. vbi (quod ὡς ἐν παρόδῳ notamus) exhibetur quaſi Prolegomenon loco ad Deiparam Votum, quod IO. CASIMIRVS cum Proceribus Regni in Æde Leopolienſi ſolenniter vouit pro felici contra Suecos armroum ſucceſſu. Add. *Chwalkou.* de *Iure publ. R. P. L. 2. c. 7. p. 281. ſeqq.* (vbi annectuntur *p.* 327. Ratificationes articuli ſeparati ratione traditionis Elbingæ,) aliique. (3) Circa initia Tractatuum Oliuenſium Orationem præſentibus Legatis Cæſaris, Regis Pol. & Brand. *Gedani* in maxima frequentia habuit *Ioach.* Pa-

(1) Ad oppidum Conicium ſpectat: Extraordinar-Zeitung / welchergeſtalt der König von Polen die Stadt Konitz annoch belagert halte/ wie denn auch von dem See-Gefecht zwiſchen den Graf Königsmarck und der Dantziger Soldateſca. &c. 1656. 4.

(2) Iung. Schwediſches Jubel-Feſt zu Strahlſund über die Victorie wider die Holländer im Sunde/ und dann Eroberung der Stadt Mietau in Churland/ zugleich Abführung des Hertzogs aus Riga. &c. 1659. 4.

(3) Ad vota & præludia pacis ſpectat: 1.) Supplication an die Friedens-Göttin/ der mit Krieges-Laſt belegten Unterthanen in Liefland/ Polen/ Preuſſen &c. 1658. 4. 2.) Mercurii Europei de pace ſeptentrionali diuinatio, ſiue de inſtantibus Polonos inter ac Suecos tractatibus pacis dialogus, e. a. 4. & germanice 1659. 4. 3.) Zwey Abſchrifften α) von Käyſerlicher Mai. de dato 1/8 Auguſt. 1659 an den Churfürſten zu Mayntz betreffend die præliminar tractaten zwiſchen Schweden und Polen / wie auch den Einfall in Pommern. β) Des Königlich Schwediſchen Legati *Matth.* Bioerenklav Schreiben &c. ad eundem in eadem cauſa. Nec omittenda hic mihi, declaratio Regis Sueciæ ad tractatus pacis in Pruſſia Legatorum Plenipotentiariorum, pro pace & libertate omnium ab Eccleſia Catholico-Romana, de religione in Polonia diſſidentium, in puncto amneſtiæ ſecundum auitas leges regni cauta, ex ipſo originali publici iuris facta. *Sedini* 1660. 4. Ipſum inſtrumentum ratificatum pacis perpetuæ Oliuenſis, vna cum ratificationibus articuli ſeparati declarationi ratione Elbingæ, aliisque his annexis prodiit etiam *Regiomonti.* 1661. 4.

PASTORIVS, quæ ſub tit. *Auroræ pacis* prodiit tum ſeorſim; tum cum eius *Floro Polon.* edit. *Ged. 1679. 12. p. 705.* Laudatus Autor præterea *Oliuam Pacis* ſeu Orationem ob pacem Oliuenſ. 1661. habuit, & in hac vrbe in 4. edidit, vt alibi diximus. Præterea ſub hoc titulo eodem tempore Carmen publicauit *Io. Pet.* TITIVS. *f.* Vti non minus Collegium OLIVENSE, eundem titulum retinens, edidit Gratiarum actionem ad S. Cæſ. Maj. reliquosque Seren. Reg. & Princip. Chriſtianos, quorum Illuſtr. & Excellentiſſimi Legati, d. 3. *Maii* 1660. Pacem orbi reſtituerunt, *Gedani* 1660. 4. Præterea Tractatus concluſæ pacis cum *Moſchis d. 30. Ian. 1667.* latine ap. *Chwalkov. l. c. p. 154.* & germ. ap. *Londorp. T. 9. f. 489.* habetur: cum iam antea de Armiſtitio inter Io. Caſim. & Moſchum, nempe an. 1656. *3. Nov.* conuentum eſſet, de quo *Io. Auguſtin.* PASTORIVS, Cæſar. & Elect. Saxon. Hiſtoricus ac Protonotar. Apoſtolic. in *Laur. Act. publ. Francof. 1658. 4.* edita *p. 44.* conſuli poteſt. Sic etiam Fœdus defenſiuum inter Seren. Regem Sueciæ, Electorem Brandenb. & Remp. Polon. 1667. *22. Iun.* initum, latine legi poteſt apud *Londorp. T. IX. pag. 494.* PACTA VELAVIENSIA inter Remp. Polon. & Seren. Electorem FRIDERICVM WILHELMVM, *d. 19. Sept. 1657. Velauiæ* inita, *&* *Bromberga* (polonice *Bydgoſt*) confirmata, quibus abſolutum huic in Pruſſiam dominium conceſſum eſt, tum in *Collectione gallica Tractatuum Pacis; T. 3. p. 714.* tum apud *Londorp. Part. 8. f. 170* & *Puſendorf. Rerum Brandeb. lib. 6 §. 78. ſeqq.* alibique obuia ſunt. (1) Qua occaſione etiam tum varia ſcripta publicata fuere. (2)

§. XXXIX.

Scripta ad motus inteſtinos facientia.

Ad IOH. CASIMIRI regimen adhuc pertinet Manifeſtatio Innocentiæ D. *Hieronymi* RADZIEIOVVSKI, Pro-Cancell. R. P. A. 1652. 4. in *Suecia*, vt opinor, edita, & Gallice etiam recuſa; (3) ad quem Varſauia Elbingam 1656. abeuntem Epiſt. ſcripſit *Matth.* BIÖRENCLOV, Secret. Sv. latine eod. Anno in 4. Apologia pro Illuſtr. Principe IANVSSIO Duce RADZIVILIO, exercit. in D. L. Supremo Generali, circa idem forte tempus in 4. prodiit. Quæ rationе Confœderationis A. 1661. ſeqq. tam intra Regnum Pol. quam extra illud acta ſunt, extant in *App. P. VIII. Diar. Europ.* Claſſ. II. ap. 106. ad 271. vbi etiam P. XIII. *App. 3.* p. 1--304. habentur Polonico-Lubomirſcеica Acta publica, quæ in cauſa *Lubomirskiana* vltro citroque ab A. 1664. vsque ad 1666. ſcripta, & typis diuulgata fuere, quorum indicem *Appendici III. L. c.* præmiſſum, hic non repetimus, indicaturi ex iis ſaltem ea, quæ ſeparatim in ipſius Illuſtr. Dn. *Georgij Sebaſtiani* LVBOMIRSKI gratiam excuſa nobis obuenerunt, vt ſunt (4) *Equitis Pol.* diſcurſus, exhibens Innocentiam memorati Principis, patriæ oblatus 1665. f. qui extat *Diar. Europ.* l. c. p. 225. Tubus Opticus ad perſpiciendam Innocentiam Eiusdem, vna cum reſponſione ad euidentia figmenta ſub titulo *Informationis* edita 1666. f. & in *Diar. Europ. l. c. p. 265.* It. Publicæ Innocentiæ Manifeſtum, bono publico porrectum A. 1666. f. & in *Diar. Europ. l. c. p. 69.* Sed ab Eius aduerſa parte quoque editus eſt Proceſſus Iudiciarius, in cauſa Illuſtris & Magnifici GEORGII, Comitis in Wiſnicz & Iaroslavv LVBOMIERSKI. *Varſau.* 1664. f. qui habetur *Diar. Europ. l. c. p. 1.* Generoſi Dn. KOMORMICKI, Deputati è Palatin. Sendomirienſ. Conuentu, Sermo ad Regem habitus *d. 26. Iunij 1667.* extat lat. in *Diar. Europ. P. XVIII.* pag. 135. in quo Auctor, poſtquam gaudium de reducta tranquillitate publica conteſtatus fuiſſet, præcipue in quosdam factioni Gallicæ addictos, Regique abdicationem regni ſuadentes, acriter declamat. (5) Compoſitioni horum motuum

(1) Diploma in welchem der König IO. CASIMIRVS, dem Churfürſten von Brandenburg FRIDERICO WILHELMO das Hertzogthum Preußen / mit ober-und abſoluter Gewalt / unter den Rechten der höchſten Herrſchafft zu beſitzen übergiebt. editum eſt. 1658. 4. Churf. Durchl. zu Brandenburg manifeſtation, welchergeſtalt ſie vom Könige / und der Kron Polen / der bißher getragenen Lehns-Pflicht entbunden. &c 4.

(2) Ad acta publica horum temporum referri inſuper poteſt: S. R. M. Poloniæ propoſitio ratione faciendæ electionis habita in ſenatu abſentibus ducibus terreſtribus, durantibus regni Comitiis, 4. Iulii. *Varſau.* 1661. 4.

(3) Nec non *Eiusdem* Apologia ſuper nouam a. R. Poloniæ oppreſſionem.

(4) Separatim quoque ad ventilationem ardui huius negocii facientia ſcripta prodiere ſequentia: 1.) Puncta ſo mit den Polniſchen confœderirten den 18. December 1662. zu Wolborcz veraccordiret worden. 4. 2.) Beſchreibung der Tractaten ſo zwiſchen dem Könige und der Armee deputirten im Lager unter Laworovva den 2. Iulii 1663. geſchloſſen worden. 4. 3.) Execution des Polniſchen Friedens / ſo den 12. Iulii 1663. vollenzogen worden. 1663. 4. 4.) Des Königes von Polen der vormahls vniirten numehr aber diſſoluirten Armee ertheilte General Amneſtia, und darauf erfolgte vniuerſalia an alle Magiſtrat / damit geſamte der confœderirten übergebene Schrifften ex actis publicis caſſiret werden ſollen. 1663. 4.

(5) Ipſius Regis nomine diuulgatum eſt: Vniuerſal auf die von *Georgio* LVBOMIRSKI

tuum accuratius pernoſcendæ proderit: explication des propoſitions faites par IEAN CASIMIR R. de Pologne, à *George* Comte de WISNITZ & de IAROSLAVV, & autres confederez, & par eux acceptées le 8. Nov. 1665. in *Theatro Pacis* T. 2 p. 221. & Collectione Tractatuum pacis gallica T. 4. p. 10. De Actis ſpontaneæ Abdicationis IO. CASIMIRI iam actum ſupra §. XXVI.

§. XL.

Acta tempore Regum Michaelis, Iohannis, & Frid. Aug.

Vacante, per abdicationem Regis IO. CASIMIRI, Throno Polonico, plures Candidati eo tempore ſeſe obtulerunt, quam in rem nonnullæ Epiſtolæ & Orationes, quæ ſeorſim etiam extant, leguntur apud *Londorp. T. 9. p. 686. ſeqq.* Tum temporis lucem adſpexit A. O. i. e. *Andr.* OLSZOVVSKI, Epiſcop. Culmenſ. & Pro-Cancell. poſteaque dignitatem Archi-Ep. Gneſn. adepti, Cenſura Candidatorum Sceptri Polonici in 4. & 12. excuſa, cui oppoſita eſt Cenſura Cenſuræ Candidatorum, 1669. 12. In Cenſura Candidatorum numerus ad V. perſonas redactus eſt, *Moſcum, Neoburgum, Condæum, Lotharingium & Piaſtum,* ſeu Polonum, ex quo Tr. rationes quaſdam etiam excerpſit *Dn. Becman. in Med. Pol. Diſſ. XIX. th. VIII.* Eodem Interregni tempore prælo ſubiectum fuit *Floriani* de GVRRY GVRSKI Examen Sarmaticum, tempore Interregni celebrandum, 1669. 4. (1) Itemque Scriptum ſtylo lapidari confectum, cui tit. *Comitia Warſauica de eligendo Pol. Rege*, (quæ eidem FRISCHMANNO deberi, cuius ſupra mentionem fecimus ex *Simonis* PAVLI diſpoſitione libr. hiſtoricorum patet in PLACCII Theatr. anon. n. 1168. 9.) A. 1669. in 4. vbi Conſpectus rerum in fronte præmittitur; nec non *Georgij* VLICOVII, ſeu potius *Ioh. Chriſtiani* L. B. BOINEBVRGII Demonſtrationum Politicarum pro eligendo R. P. Specimen, *Vilnæ* 1669. 12. quem Librum merito ſuo magnifacit *Bœcler. Diſſ. de Vtil. hiſtor. Vniuerſ. p. 180. ſeqq.* licet conſilio, quo Regnum Neoburgico, Hero ſuo, conciliare cogitabat, ſucceſſus defuerit. (2) Quæ tum temporis in fauorem CAROLI Lotharingiæ Ducis acta ſint, tradunt *les memoires du Comte de* CHAVIGNAC. (3) Poſtquam vero MICHAELI (Piaſto) præ aliis t. t. regnandi onus impoſitum eſſet, eo quidem viuente, præter alia ap. *Londorp. T. 9. ſ. 692. & 789.* obuia, publicata fuere Puncta approbatæ Pacificationis ANDRVSOVIENSIS inter Regnum Pol. & Imp. Moſchov. quæ ex Polonico in latinum tranſlata in Actu *Radzini, d. XVII. Mart. 1670.* exhibet *Chwalkov. Lib. II. de Iure publ. R. P. cap. 7. p. 384.* (4) Articuli vero pacis inter MICHAELEM & CZARIVM, *Moſcuæ d. IX. April. 1672.* confecti, germ. leguntur ap. eundem *Londorp. T. IX. p. 815.* Latine in *Theatro Pacis* T. 2. p. 563 itemque in *Collectione gallica Tractatuum pacis* T. 4. p. 294. Eodem A. *d. XVIII. Octobr.* Puncta tractatuum inter Regem Pol. & Imperat. Turcicum ſunt concluſa, quæ germ. extant in *Diar. Europ. P. XXVII. p. 402.* Latine in *Theatro Pacis* T. 2. p. 563. & in allegata *collectione* T. 4. p. 311. Occaſione huius belli prodierat ZIMOROVVICII Leopolis à Turcis, Tartaris, Coſacis, Moldauis, A. 1672. hoſtiliter obſeſſa, à M. *Io. Stanisl.* MOSCICKI in lucem data. *Cracou.* 1697. 4. (5) Tempore memoratæ pacis editæ ſunt literæ de pace Polonos inter & Turcas inita, à Miniſtro Brand. in Comitiis Varſauienſibus diuulgatæ, vna cum Reſponſione ad illas à vero Ciue Polon. data *Freiſtadij* 4. Ad quæ etiam tempora ſpectat Proteſtatio, quam Seren. Regi & Reipublicæ, Legati Electorales Brandenburgici Varſauia diſcedentes, ſub tit. *Præcuſtoditionis* exhiberi curarunt 1670. 4. Itemque Cancellariæ Polon. Demonſtratio, Cancellariæ Elect. Brand. Declarationis & Expoſtulationis inconuenientia exhibens, lat. & germ. 1671. 4. (6) Sub Interregno poſt obitum MICHAELIS, typis exſcripta eſt Apoſtrophe ad Sereniſſ. Poloniæ Candidatos, 1674. 4. Si-

ausgegebene defenſions-Schrifften. 1665. 4. & 1666. vbi adiungitur: Antwort eines freyen Polniſchen Edelmanns. 4.

(1) Eiusdem fere argumenti videtur eſſe conſilium quod pro redintegrando Polonorum regno intimauit HVSANES de GEMLABBVRBITS GEMLABBVRBITZKY. 4.

(2) Propoſitio legati Ducis Neoburgici. 4. Ducis Neoburgici ad Poloniæ ſceptrum aſpirantis, & a multis inique traducti, defenſio. 4.

(3) Oratio ad vniuerſos Reipublicæ Poloniæ ordines dicta a Principis Lotharingiæ legatis d. 12. Iunii 1669. 12.

(4) Seorſim edita ſunt germanice 1670 4.

(5) Relation von der Belagerung Reußiſch-Lemberg pr. 1672. 4. add. Diarium der Tartariſchen Niederlage/ ſo der Cron-Feldherr wider ſie erhalten/ 1672. 4. La marche de Sultan Mahomet contre la Pologne & en Vkraine avec un ſuccint recit de tout ce, qui c' eſt paſſé de conſiderable de part & d' autre. quod ſcriptum ſubiunctum eſt comitis de la MAGDELEINE *Miroir Ottoman* ed. *Baſil.* 1677. 8.

(6) Ad acta publica vltimorum MICHAELIS temporum pertinet: Synopſis regiſtrata, oder Abfaſſung aller auf dem Reichstage dieſes 1673. Jahres geſchloſſenen Reichs-conſtitutionum. 4. & conſtitutio pacificationis internæ R. Poloniæ. 1673 4.

4. Similiter prodierunt Orationes tres Nuncii Apoſtolici, Legati Gallici & Legati Lotharingici, (1) habita in Conſeſſu Reip. Polon. A pro Electione Regis congregatæ, 1674. 4. Itemque Diſcurſus ſuper Seren. Principe Daniæ GEORGIO, qui cenſeri poteſt vnus è principalibus Candidatis ad Regnum Polon. 4. de quo præterea habetur Scriptum, cui tit. *Genealogica Deductio Seren. R. Daniæ* CHRISTIANI V. *eiusque Seren. Fratris, Princip. Daniæ* GEORGII, *à Piaſto ſextuplex, à Iagellone quadruplex, 1674. 4.* Item Oratio ad Seren. Potentiſſimumq; IOAN. III. R. P. habita à Legato Regis Sueciæ 1674. quæ cum eiusd. Gallica ad Reginam Oratione, typis Monaſt. *Oliuenſis* in 4. impreſſa eſt; Nec non Der Frantzöſ. und Poln. Wahrſager auff das Jahr 1674. autore *Mart.* BARBE, Prof. Pariſ. in 4. (2) Poſtquam ſub regimine IOANNIS III. A. 1676. ſub initium Octobris pax Turcico-Polonica in Campo DANOVÆ BASSÆ concluſa eſſet, Articuli eius latine & germ. euulgati ſunt, qui habentur in *Append. Diar. Europ. P. XXXVIII. p. 273.* & in *Theatr. Pacis* T. II. p. 580. & in *Collect. Gall.* tractatuum pacis T. IV. pag. 375. Induciarum vero ad XIII. annos prolongatarum *d. 17. Aug. 1678.* contenta ſuppeditat *Chwalkov. L. 2. c. 7. p. 389.* Sequentium Annorum cum Turcis habita negotia illuſtrant, quæ ap. *Londorp. T. XI.* leguntur. Conditiones pacis cum Turcis a. 1679. initio Octobris ſancitæ legi poſſunt in *Theatro Pacis* T. II. p. 585. & in Collectione gallica tractat. pacis T. IV. p. 380. & 465. Apud *Londorpium* porro *T. XII. f. 545.* habetur Pax & confœderatio offenſiua & defenſiua inter Reg. Pol. & Moſchum d. 25. Apr. A. 1685. concluſa. (3) Pax offenſiua & defenſiua inter LEOPOLDVM & IOANNEM III. in allegata collectione gallica reperitur T. IV. p. 481. La Triple Alliance entre Leopold, Iean Sobieski & la Republique de Veniſe, contre le Turc, faite le 2 Septembre 1684. *ibidem* T. 4. p. 500. Bello Turcico adhuc durante, elegans prodiit ſcriptum, quo Chriſtiani Principes ad bellum hoſti publ. inferendum excitantur, titulum præferens: *Tuba verum ſpargens ſonum ſuper ſceptro Nationum.* Cui ſimile ſcriptum ſuo tempore edidit *Simon* STARAVOLSCIVS, & inſcripſit: *Ad Principes Chriſtianos de pace inter ſe componenda, belloque Turcis inferendo Protrepticon*, Impr. in 4. (4) Similiter *Lipſiæ* ap. *Ioh. Frid. Gleditſch, 1685. in 4.* impreſſus eſt Tr. germ. cui tit. Das kaltſinnige Pohlen gegen die Türcken / ꝛc. in quo Lib. cauſæ, ob quas arma Polonorum contra Turcas deferbuerint, vnice à ſubdolis Gallorum machinationibus arceſſuntur. Eiusdem commatis eſt Tr. alius qui A. 1688. 4. vulgatus eſt ſub tit. Der nach der Frantzöſiſchen Pfeiffe tan-

(1) Hic inprimis commendatur in *Reflexione ab equite Polono, & amante Patriæ facta, ſuper electionem noui Regis.* 1674. 4.

(2) Diploma electionis Regiæ habetur latine & germanice. 4.

(3) Ad negocia publica quæ cum Moſchis interceſſere illuſtranda faciunt 1.) Copia des Königs von Polen Miſſiue an den Groß-Fürſten in Moſcovien aus Lemberg de 20. Dec. 1676 1677. 4. 2.) Einzug der A. 1680 1. Maii in Warſchau geweſenen Moſcowitiſchen Geſandſchafft. 4. 3.) Bericht/was in der erſten Conferenz zwiſchen den Polniſchen und Moſcowitiſchen Commiſſarien 1684. zu Andrezovv vorgelauffen. 4. 4.) Copia der Rede/welche der Woywod von Poſen *Chriſtoph.* GRZYMVLTOVVSKI an den Czaaren bey öffentlicher Audienz den 21. Februarii a. 1686 gehalten.

(4.) Plura iam monumenta rerum contra Turcas à Rege geſtarum §. XIX. & XXVIII. ibidemque in notis memorata ſunt, ſed ſpicilegio tamen huic locum reliquere. 1.) Relation von der Haupt-Schlacht bey Chocim. 4. 2.) Abbildung der Haupt-Schlacht und Eroberung des Türckiſchen Lagers bey Chocim, nebſt einem Kupffer. 1674. 4. 3.) Extract eines Schreibens aus Zamoſc vom 3. Martii 1674. betreffend den Zuſtand der Türcken in Caminiec. 1674. 4. 4.) Extract eines Schreibens des Königs von Polen aus Javvorovv vom 11. Sept. 1674. an den Nuncium Apoſtolicum aus dem Italiäniſchen überſetzt. 4. 5) Copia eines Schreibens des Zaporovviſchen Feld-Hauptmanns an Jhro Königl. Mai. zu Polen aus Czechryn. 2. Dec. 1674. 4. 675. 6.) Extract eines Schreibens aus dem Polniſchen Lager unter Lemberg den 27. Aug. 1675. 4. 7.) Relation der Victorie gegen den Türcken unter Trembovvla erhalten. 1675. 4. 8.) Copia eines Schreibens ausm Poln. Lager unter Bucracz de 9. Octobr. 1675. 4. In ſpecie ad expeditionem pro liberanda Wienna ſuſceptam reſpiciunt poſt ſuo loco iam allegata. 9.) Continuation des Königs von Polen Marches nach Wien/nebſt der Relation von derſelbigen Stadt Entſetzung. 10.) Copia eines Schreibens des Königs von Polen an die Königin/ ausm Lager unter Wien/ den 13. September 1683. *Bresl.* 4. 11.) Nachricht der vom Könige in Polen wider den Türcken den 9 und 10. Octobr. 1683. erhaltenen Victorie. 4. 12.) Copia eines Schreibens des Königs von Polen/ an den Nuncium Apoſtolicum, Hn. Pallauicini, in welchem enthalten/ wie GOTT die Chriſtlichen Waffen wider den Türcken geſegnet/d. 9. Oct. 1683. 4.

tanzende Polack/ꝛc. (1) Denique Pacis, quæ inter Seren. Regem AVGVSTVM II. & Remp. Pol. ab vna, & inter Imper. Ottoman. ab altera parte, ad CARLOVVICZ in Sirmio Anno 1697. in Congreſſu generali Confœderatorum Plenipotentiariorum, inita fuit, Inſtrumentum ſeorſim in forma maiori, item in 4. excuſum conſpicitur. Inſertum quoque allegatæ collectionis T. 4. p. 787. ſeq. & in compendium miſſum in den auffgefangenen Briefen 1. Ravage p. 265. Qua occaſione etiam prodiit Dn. *Dav.* CZERNIEVVSKI, *Con-Rect. Schol. Mar.* Exoptata Pacis Oliua è felici Comitiorum euentu, *Ged.* (1699.) 4. Vbi etiam p. 117. habetur relatio de ingreſſu Legati Polonici in Vrbem Conſtantinopolitanam anno 1700. d. 18. Aprilis facto. Deinceps inter alte memoratam S. R. M. & Electorem t. t. Brandenb. occaſione Ciuitatis *Elbingenſis* edita nonnulla ſunt, de quibus agendi opportunior locus infra occurret. Reliqua ſcripta omnia, quæ partim poſt electionem Seren. AVGVSTI pro Gallica factione & contra eam, partim poſt geſtum cum Suecis bellum, vltro citroque a variis varie publicata fuerunt, & ex parte etiam cum aliis nonnullis, in *Fama Europæa*, *Epiſtolis* (vt audiunt) *interceptis*, aliisque ſimilibus libellis germanicis leguntur, cum in omnium adhuc manibus verſentur, recenſere hoc quidem loco iam non vacat, nec forte expedit.

§. XLI.

IVRIS PVBLICI *Polonici Scriptores Vniverſales.*

Ad Polonici Regni notitiam omnino quoque faciunt IVRIS PVBLICI (vt vocantur) Scriptores, quo nomine intelligimus illos, qui ſtatum politicum tum vniuerſim, tum ſpeciatim, iuraque omnia iſtius Regni deſcripſerunt. Delineationem Locorum Communium talis ſpecialis Politiæ Polonicæ quondam fecerat *Barthol.* KECKERMANNVS, olim Athenæi noſtri Prof. celeberr. quæ poſt eius obitum a *Dan.* BRESLERO, *Dantiſcano*, edita, operibusque KECKERMANNI *Geneu.* 1614. f. publicatis, T*om. 2. p.* 1289. inſerta eſt. Ex inſtituto vero hoc argumentum, vtut compendioſe ſatis, primus ex veteribus tractaſſe videtur *Stanisl.* KRZISTANOVVICZ (falſo ap. *Lipen.* in *Bibl. Philoſ.* & *Struu.* p. 754. RITZISTANOVIC dictus) ICtus, cuius Compendioſa Status Regni Pol. deſcriptio, *Moguntiæ* primum 1606. 4. edita, habetur in *Rep. Polon. Elzeuir.* p. 1. ac præterea ex lat. lingua germanicæ conſuetudini tradita, nuper ſub tit. *Curieuſe* Beſchreibung des Königreichs Pohlen/ *Craconiæ*. i. e. *Lipſiæ* 1697. 8. cum adiecto Catalogo omnium Principum Regumque Pol. prodiit. Pleniori vero opere Remp. Polon. politice illuſtrauit *Nicol. de Chwalkow* CHVVALKOVVSKI, Equ. Pol. & Ducis Curl. ad Aulam Regiam Polonam Reſidens & Conſiliarius, edito *Regni Pol. Iure publico*, quod A. 1676. typis *Regiomontanis* in 12. exſcriptum, poſtea *ib.* 1684. 4. auctius exhibitum, figurisque aliquot æneis illuſtratum eſt. Cui libro præmittitur *Sylloge Scriptorum de Rebus Polonicis*, quæ ipſa tamen non in omnibus exemplaribus occurrit, ſed ſaltem in quibusdam, iisdemque forte, quæ ante publicatam Autoris *Anonymi Exercitationem*, CHVVALKOVIO oppoſitam, iam diſtracta fuerant. Hæc Exercitatio prodiit *ἀνονύμως Gedani* A. 1685. 4. Aſt genuinum eius parentem fuiſſe B. HARTKNOCHIVM, conſtat ex ore Dni. M. *Martini* Böhm *Paſſenheima-Boruſſi* Gymnaſii Thorunenſis Profeſſoris, qui ipſemet eandem ad bibliopolam Gedanenſem Waſenbergium excudendam tulit: In hac de multis rebus ad Remp. Polonam pertinentibus, itemque de Scriptoribus Polonicis ſpecialia monita, non ſine rigida interdum cenſura, quod & Collectores *Act. Erud. Lipſ.* A. 1686. p. 485. monent, afferuntur. Conjungendus cum CHVVALKOVIO eſt *M. Chriſtoph.* Hartknoch/ *Paſſenheimenſis Pruſſus*, Gymnaſii Thorun. Prof. celeberr. qui, poſtquam prius Diſſertationes aliquot de Rebus Polonicis, *Regiomonti*, 1674. 4. ediderat, deinde maiori agmine Libros II. de Rep. Polonica, *Ienæ* 1678. 8. impreſſos, in lucem emiſit, quorum prior hiſtoriæ Pol. memorabiliora, poſterior autem Ius publ. Reip. Poloniæ, Lithuaniæ, Prouinciarumque annexarum comprehendit; quibus in altera editione A. 1687. quo Auctor diem ſuum obiit, altero tanto auctiori, acceſſere II. Diſſertt. hiſtoricæ, vna de *Rep. Curonica Vetere & Noua*, altera, quæ etiam in priori editione videbatur, de *Originibus Pomeranicis*; Atque hæc eodem plane modo leguntur in tertia & quarta edit. *Francof. & Lipſ.* 1697. & 1699. in 8. publicatis. Nouiſſime cum magna diligentia integrum Regni Polon. ſtatum delineare aggreſſus eſt *Nicol.* ZALASZOVVSKI, I. V. D. & Profeſſor Cracouienſis, dein Archi-Diac. Poſnanienſis, qui edere cœpit Ius Regni Polon. ex ſtatutis & conſuetudinibus eiusd. Regni & M. D. Lithu. collectum, & additionibus ex Iure Ciu. Rom. Canon. & Saxon. nec non ex Conſtitutionibus prouincialibus Gneſnenſibus & diœceſanis auctum, hiſtoriisque illuſtratum. Cuius magni Operis in 4. Libros & 2. Tomos diſtincti,

(1) Alia duo negocia publica attinguntur duobus hiſce ſcriptis: 1.) Bericht/ welcher geſtalt der Graff Groß-Cantzler und Extraordinair Ambaſſadeur von Polen von dem Könige in Franckreich zu Fontainebleau den 19. Octobr. 1685. empfangen worden. 4. 2.) Copia eines Schreibens FRIDER. WILHELMI an den König von Polen/ worinnen Er erſuchet wird/ denen Ungarn ihre Gewiſſens-Freyheit zu laſſen/ und auch ſolche beym Käyſer zu befördern. 1684. 4.

Tomus I. ius publicum continens in lucem publicam editus fuit *Poſnan.* 1701. f. qui accurate ſatis recenſetur in *Act. Erud.* A. 1702. p. 162. ſeqq. Tomus II. vero ius priuatum ad methodum inſtitutionum Iuſtiniani exhibens *Ib.* A. 1702. in publicum emanauit. Notus alias eſt hic Autor, edito *Cracouiæ* 1706. 4. Tr. de Iure capituli ſede vacante, cuius iam §. III. meminimus.

§. XLII.

Statuta, Priuilegia & Conſtitutiones.

Ex illis, qui ſingulares materias tractarunt, maximus Auctorum, Iura regni illuſtrantium, numerus eſt. Vbi primum illos recenſebimus, qui Statuta, Priuilegia & Conſtitutiones Regni collegerunt. In quam claſſem initio referendus eſſe videtur *Iohannes* Lask, Cancell. Regni, & poſtea Archi-Ep. Gneſnenſ. cuius Statutum latinum, iuſſu Regis ALEXANDRI editum eſt 1506. f. (1) Secuta ſunt Statuta Seren. Dn. SIGISMVNDI I. Pol. Reg. &c. in Conuentibus generalibus edita & promulgata, vnaque cum Proceſſus Iudiciarii formula typis exſcripta, ſine loco & tempore in folio. Maiori vero apparatu hanc ſpartam ornaſſe videmus *Iac.* Prilvsivm ſeu Przylvski, Caſtrenſem Præmislienſis, & terreſtrem Cracouienſis diſtrictuum Notarium ac Ædilem, „qui publica auctoritate in gratiam præcipue „D. SIGISMVNDI AVGVSTI R. P. inque „vſum Reip. Leges ſeu Statuta ac priuilegia „Regni Polon. omnia, hactenus magna ex „parte vaga, confuſa & ſibi pugnantia, iam vero ordine digeſta & conciliata Libris VI. (non „VII. vt eſt ap. *Chwalkou.*) comprehenſa, publicauit, ediditque partim in *Szczuczin*, partim in *Arce Cracouienſi* in ædibus ſuis, A. 1553. f. labore ac ſumtu proprio, vt Auctor in fine Operis teſtatur. Acceſſerunt etiam præfationes & Commentaria ex Regum Decretis, Conſuetudinibus Regni, variisque Scriptoribus ac Legislatoribus conflata. Index tamen rerum deeſt, & deſideratur, qui ordine alphabetico digeſtus, habetur in MS. quem ap. Per-Magnif. Dn. Patrvvm, *Ioachimum* Hoppivm ſupra laudatum, accurate & nitide deſcriptum in f. videre mihi licuit. Deinde *Io.* Herbvrti à Fvlstyn, Regni Pol. Senatoris, (quem Plenius §. XI. allegauimus) Statutum Latinum commemorandum venit, *Samoſcii*, 1557. f. excuſum; Poſthac etiam idiomate Polon. ex voluntate Deputationis, A. 1563. & 65. impreſſum *Cracou.* 1570. f. Idem Auctor deinceps quoque edidit Statuta Regni Pol. in ordinem alphabeticum digeſta, *Cracou.* 1563. 67. 70. & 1600. f. (2) qui Liber propter exemplarium inopiam, recuſus eſt *Dantiſci* ap. *Balthaſ. Andream*, & *Francof.* ap. *Godefrid. Tampachium*, 1620. f. vbi in fine *Stanisl.* Skzrzszovivs aliquot LL. ſubiecit, à *Io. Felice* Herbvrto, Ioannis F. acceptas, & ex veteribus quibusdam Codicibus excerptas. (3) Paratitla Statuti Herburtani, cum applicatione Conſtit. Nouell. in vſum ſeri controuerſi edita, Praxique Iuris Terreſtris accommodata, autore *Gregorio* Czaradzki, IC. impr. *Poſnan.* 1620. 12. typis *Ioh. Roſſowski.* Ex Laskio & Herbvrto collecta ſunt Statuta regni Pol. à *Iano* Ianvszovio, *Cracou.* 1600. in fol. latino polonice vulgata, quæ Statuta, à CASIMIRO Magno, Succeſſoribusque ipſius, vsque ad tempora SIGISMVNDI AVG. lata, ſiſtunt. Singulari modo iuxta materiarum ordinem Statuta & Tabularia (*Metrika* Poloni vocant) Priuilegiorum Regni exhibuit Polonice *Stanisl.* Sarnicki, *Equ. Polon. Cracou.* 1594. f. publicata. Integrarum vero Conſtitutionum, Statutorum & Priuilegiorum, in Comitiis Regni, ab A. 1550. vsque ad A. 1637. (non 25. vt B. *Hartknoch.* bis poſuit cum in *Catal. Script. Polon.* tum in *præf.* Oper. de *Republ. Polon.* præmiſſis,) Polonica lingua latorum Collectionem, debemus *Andreæ* Petricovio, I. V. D. & typographo Regio, *Cracou.* cum priuilegio Vladislai IV. A. 1637. f. editam. *Eiusdem* ſtudio ſequentium Annorum Conſtitutiones vsque ad A. 1643. ſeorſim *Cracouiæ* editæ fuerunt. Ab hoc tempore Conſtitutiones variæ, Comitiis finitis publicatæ, partim *Cracouiæ*, partim *Varſau.* typis impreſſæ ſunt, ex quibus aliæ illarum, quæ ſceptra tenente AVGVSTO, latæ fuerunt, A. 1697. *Cracouiæ* per S. R. M. typographum *Nicol. Schedel*, Scabinum Vrb. Cracou. aliæ de A. 1699. *Varſau.* typis *Collegii Scholarum piarum*; denique nouiſſimæ aliæ *Lublini*, 1703. è typographia *Collegii S. I.* prodierunt.

§. XLIII.

Compendia Statutorum & Conſtitutionum.

Compendia Statutorum & Conſtitutionum varii quoque Auctores exhibuerunt, quo ſpectat: *Pauli* Sczerbic, Syndici Ciuit. Leopol. poſtea in numerum Secretariorum R. Sigismundi III. cooptati, Promptuarium Statutorum omnium & Conſtitutionum Regni Pol. quod latine, cum Indice Rerum & Verborum copioſiſſimo, editum eſt *Brunsbergæ* 1604. f. Similem in modum *Theod.* Zavvacki, ex familia *Rogala* Equ. Pol. Breuem Collectionem Iurium, Statutorum & Conſtitutionum vsque ad A. 1613. lingua ſibi vernacula ador-

(1) Et quidem *Cracouiæ*. Titulus vero eſt: Commune regni Poloniæ priuilegium &c. iunxitque illi Laskivs librum iuris feudalis, iuris Magdeburgenſis libros II, & Libros IV ſummæ *Raymundi Parthenopæi*.

(2) It. *Samoſcii* 1597.

(3) Recuſa quoque hæc Statuta 1693. *Dantiſci* per *Ægidium* Waesberge & Varſauiæ per *Tobiam Kieller*. f.

Digitized by Google

adornauit, quod opus *Cracou. 1614. f.* lucem adſpexit. Poſt illum *Albertus* Madalinski, Inuentarium Conſtitutionum publicauit polonice, *Varſau. 1632. f.* (1) quod aucto Conſtitutionum numero, opera *Ioann.* Dziegielovvski vſus, prælo iterum donauit *Petrus Elert*, Typogr. Regius, *Varſauiæ 1644. f.* Illuſtriſſimoque Principi D. *Georg.* Ossolinski inſcripſit. Eodem ſermone *Marcianus Matthias* Ladovius Conſtitutionum Compendium 1685. f. *Varſauiæ* edidit. Sic quoque poſt obitum D. IOHANNIS III. prodiit Promptuarium Legum & Conſtit. R. P. ac M. D. Lithuan. ad faciliorem indagationem publicamque vtilitatem, ſpecioſum in ordinem redactum concinnatumque per *Auguſtinum* Kolvdzki, Iudicem terreſtrem Iuniuladislauienſem, impreſſum typis Academ. *Poſnan. 1695. f.* (2) Cum etiam Ius Polonicum hodie non tantum *Statutis* CASIMIRI, VLADISLAI & SIGISMVNDORVM, aliisque Conſtitutionibus Regni nitatur, ſed præterea Ius *Saxonicum* quoque, *Municipale*, ſeu *Magdeburgicum* & *Culmenſe* interdum in ſubſidium vocentur, hac occaſione non debemus prætermittere labores illorum, qui iura illa in ordinem redegerunt, quos inter facile eminet *Barthol.* Goricki, Vice-Aduocatus Cracou. cuius Ordinem Iudiciorum, negotiorumque ciuitatenſium Iuris Magdeburgici, Polonice auctiorē iterum edidit, Senatuiq; Dantiſcano dedicauit *Matthias Andreouienſis*, Typogr. Cracouienſ. *Cracou. 1616. 4.* vbi adiecti ſunt *Articuli Iuris Magdeburgici* ſeu Speculi Saxon. aliique Tractatus Polonice tranſlati; nec non *Io. Kirſteyn* Cerasni Enchiridion aliquot Locorum Communium Iuris M gdeb. latine. *Idem* eundem 1619. edidit Senatui Cracouienſi dedicatum, *ibidem* itemque *Franc.* Cæsar, Typographus Cracouienſis a. 1630. 4. In qua vltima editione alii quidam tractatus cum polonici tum latini adiecti ſunt. Sic etiam vna cum *Articulis ſecuritatis*, Speculum Saxonicum Iusque Municipale terrarum Pruſſiæ, & Culmenſe, a *Paulo* Szerbicio, Secretar. Polonice tranſlata, & iuxta ordinem alphabeticum digeſta, edidit *Petrus Elertus*, S. R. M. typogr. *Varſau.* 1646. f. cum iam antea prodiiſſet *Poſnaniæ* 1610. f. Spectat huc quoque *Benedicti* Zelechovvski, V. I. D. Canonici Zamoſcienſis & in Academia Prof. Iur. Ordin. Digeſtum Iuris Saxonici Prouincialis, partibus ſex comprehenſum, *Zamoſcij* 1643. 4. Itemque Ius Culmenſe emendatum, ex lat. in Polon. tranſlatum per *Paul.* Kuszevvic, *Poſnaniæ* 1623. in 4.

§. XLIV.

Deciſiones Proceſſus, Inſtitutiones Iuris Polonici &c.

Iuxta Statutorum, Priuilegiorum & Conſtitutionum memoratarum tenorem, Deciſiones, Proceſſus Iudiciarios, Inſtitutiones, Manualia, aliaque ſimilis generis ſcripta plurimi publicarunt. In quo Scriptorum genere præprimis commemorandi ſunt Tractatus ſequentes: *Ioannis* Cervi, *Tucholienſ.* Artium Magiſtri & Phil. D. Farrago actionum, quæ emendatiſſime edita eſt *Samoſcij*, 1607. 8. per *Martinum Lenski*, Acad. Zamoſcianæ typogr. qui in *præf.* trium antiquiorum editionum *Cracouienſium* meminit Anno 1540. 1552. & 1555. 8. Poſtea Collectanea Deciſionum in Tribunalibus Italiæ, Galliæ, Poloniæ, &c. a *Io. Aloyſio* Riccio, Patritio Neapolit. ac eiusd. Vrbis Eccl. Canonico, edita ſunt *Geneu. 1617. 4.* Porro memorandus venit *Theod.* Zavvacki Proceſſus Iudiciarius Regni Pol. in officina *Nicol. Lobij*, *Cracou.* 1612. editus, & magna acceſſione adauctus, tertioque recuſus *ib.* ap. heredes *Iac. Sibeneycheri*, 1619. f. vt & *Varſauiæ* ex officina *Ioann. Trelpinski*, S. R. M. typograph. 1647. 4. omiſſa tamen Auctoris ad Lect. præfatione. Tertiæ editioni legitur adiecta Formula proceſſus iudiciarii terrarum Cracouienſis, Sendomirienſis, Lublinenſis, &c. quæ ab omnibus Dignitariis, Præfectis, Iudicibus, aliisque Officialibus terreſtribus & caſtrenſibus obſeruanda; qui libellus, nulla mentione Auctoris facta, Vrbem *Samoſcium* & annum 1602. præ ſe fert. *Eiusdem* Memoriale Proceſſus Iudiciarii & Floſculorum Legum ſeu Statutorum atque Conſtitutionum Regni Poloniæ, prodiit *Cracou. 1619. in 12. & 1644. 8.* Speculum vero *Eius* Senatorum ac Officialium Regni Poloniæ cum ſummulis Legum excuſ. *Cracou. 1623. in 12.* Non minus Inſtitutionum Iuris Regni Pol. Libri IV ex ſtatutis & conſtitutionibus collecti, & in vſum Nobilitatis Polonæ, iuris patrii ſtudioſæ, publicati fuerunt a *Thom.* Dresnero, *Leopolit.* I. V. D. in Acad. Zamoſc. Iur. Prof. Ord. *Samoſcij*, typis Academiæ, 1613. 4. *Eiusdem* Collatio Iuris Pol. & Roman. ſiue Similium Iuris Poloni cum Iure Romano, Centuria vna, impr. *Pariſiis 1602. 4.* Alias de vſu & autoritate iuris ciuilis in Polonia egit *Arth.* Duck de vſu & autoritate. I. C. Romani L. 2. c. XI. Proceſſus autem *illius* Iudiciarius Regni Poloniæ excuſ. eſt *Samoſci 1601. & Varſau. 1636. in fol.* Nec prætermitti debet Manuale fundamentorum Iuris Ciuilis ac Poloni, IV. Diſpp. iuridico-hiſtorico-politicis comprehenſum, & ad IV. Libr. Inſtit. Iuſtin. publico examine, in Illuſtri Schola *Auriaca*, ventilatum, Præſide *I. Henr.* Daubero, *Naſſouio* I V. D. ac Scholæ Auriacæ Anteceſſore. Sed has Diſputationes jam antea disquiſitioni publicæ expoſuerat *Paul. Boguſl.* de Orzechovv Orzechovvski, Equ. Pol. *Bredæ* ex offi-

(1) Antea prodierat Lepoli 1630.

(2) B. Gryphius diſſ. de Hiſtoricis S. XVII. Kodlvckyvm vocat & lat. ac pol. prodiiſſe *Poſnan.* 1697. f. affirmat.

Digitized by Google

ficina *Io. a Waesberge*, 1646. 4. quas *Henr. de Schellen, ibid. ſeq. anno*, ſub nomine DAVBERI, iunctim iterum edidit, & in *Dedic.* ad illuſtr. A aliquot Polonos ad oculum aliquando ſe demonſtraturum promiſit: homicidii pœnam „vel longe duriorem iure Polono celebrari, „quam quæ capitalis nomen apud alias natio„nes retineat; Inuehitur etiam *Editor* in eos, „qui ex mera, *vt ait*, ignorantia iuris Poloni, „illud nullis *iuſti iniuſtiq;* fundamentis inniti, „idemque ceu barbaris quibusdam conſuetudi„nibus introductum calumniantur.„ Pertinere huc quoque videntur *Gregorij* CZARADSKI, ICti Proceſſus Iudiciarii Compendium impr. *Cracou.* 1612. 8. & maius *Illius* opus polonice editum *Poſnan.* 1620. *fol.* De *Eius* Paratitlis Statuti Herburtani vid. §. XLII. Sic & *Staniſl.* LOCHOVVSKI Proceſſus Iudiciarius Gra- B nicialis Regni Poloniæ prodiit *Cracou.* 1641. 4. *Eiusd.* Regulæ Iuris & Loci communes forenſes, excuſæ ſunt *Poſnaniæ.* 1643. 12. *Adami* ZYDOVVSKI Potioritas & nonnullæ diſpunctiones Iuris, editæ *Varſau.* 1640. 4. (1) *Samuelis* KVSZEVVICZ Collectanea de Foro & Iurisdictione Ciuitatum Regiarum in Regno Poloniæ & M. D. Lithuaniæ, impr. *Varſau.* 1646. 4. *Andreæ* LYSIECKI Inſtigatoris Regni Tribunal capitale Poloniæ, polonice *Cracou.* 1638. *f.* vulgatum eſt. Simile ſcriptum, eodem idiomate publicauit *Franc. Lewaltus* POVVALSKI. *Gedan.* 1669. 4. Sine Auctoris nomine prodiit *Coæquatio* iurium, vna cum ordinatione iudiciorum Tribunalitiorum & re- C partitione locationeque exercituum M. D. Lithuan. *fol.* In cauſis, ad forum ſacrum, iurisdictionemque Eccleſiaſticam ſpectantibus, plurimum huc conducet *Iacobi* IANIDLOVII, *Bozantini*, Phil. & I. V. D. Acad. Cracou. Prof. & (Bernardi Maciejovvski, Card.) Conſiſtorial-Aſſeſſoris, Proceſſus Iudiciarius ad praxin fori ſpiritualis Regni Pol. Anno 1606. conſcriptus, & *Cracou.* 1606. & 1619. 4. vulgatus, denuo autem A. 1643. *ibidem* impreſſus in 4. Cui iungendus eſt *Andr.* LIPSKI à LIPE, I. V. D. Scholaſticus Crac. & Plocenſ. S. R. M. à ſecretis, hinc Pro-Cancell. R. & Epiſc. Luceorienſ. demum Cancell. & Epiſc. Cracouienſis, qui in Decade Quæſtionum publicarum Regni Pol. Eccleſiaſtica iura & immunitates ſtatus Eccleſiaſt. elucidauit, *Dantiſci*, ſumtibus *Hüneſeldianis* 1646. 4. & *Fœrſterianis*, 1647. 4. cuius præterea extant Obſervationes Practicæ, ad ſtylum vſumque Iudiciorum Curiæ Regalis Poloniæ accommodatæ, *Pariſ.* 1627. ap. *Andr. de Villa noua in* 4. cum Centuriæ II. ſemiſſe, & *Dant.* 1648. 4. per *Georg. Fœrſterum* editæ, vtut in his non admodum multa de rebus Polon. occurrant. Vid. Auct. Exerc. *Chwalk.* oppoſitæ *p.* 17.

§. XLV.

Politici & Satyrici Scriptores, qui de forma ac ſcopo Reip. Polon. egerunt.

Reliqui Iuris publ. Polon. Scriptores particulares, partim circa totam regiminis formam, partim circa certos regni Ordines, aliasque particulares materias politicas occupati fuerunt. Ad formam regiminis, Reique publicæ ſcopum in genere cognoſcendum, præter Auctores quosdam, præſertim Gallos, ſupra indicatos, faciunt imprimis. 1.) *Iacobus* GADEBVSCHIVS, qui edidit Encomium Regni Poloniæ; *Dantiſci.* 1621. in 4. (2) 2.) *Alb.* DEBOLECKI, Franciſc. Theol. D. qui Poloniam antiquiſſimum in Europa regnum eſſe ſcripto polon. demonſtrare voluit. (tit) *Wywod Iedyno Wlas..go Panſtwa ſwiata wktorym pokazuie X.* Woyciech DEBOLECKI &c. *zenaſtarodawnieyſze w Europie Kroleſtwo Polskie. Warſau.* anno 1633. in 4. 3.) *Chriſtoph.* VARSEVICIVS, qui Librum *de optimo Reip. ſtatu, Cracou.* 1598. edidit, (3) quo plurima ad ſtatum regni Pol. pertinentia contineri, notat *Auct. Exerc. Chwalkou.* oppoſ. p. 21. vt nihil dicam de *eiusd.* Autoris *Legato*, *Roſtochii* 1597. 12. & *Lichæ*, 1604. 8. itemque *Dantiſci* 1646. 12. edito; vt & de *Paradoxis*, *Pragæ* 1588. & *Cracou.* 1598. 4. vulgatis & ap. *Reusner.* Vol. IV. *Oratt. Select. de Bello Turcic. pag.* 197. obuiis, & XIV. *Turcicis* quas ad exemplum Philippicarum Ciceronis compoſuit, quibus Turcam ab vniuerſi Orbis Chriſtiani Principibus impetendum eſſe aſſerit, quarum duæ repetitæ ſunt *l. c.* Vol. III. p. 167. Iunctim prodiere addito I. *Frider.* Ceriolæ opuſculo de conſilio & conſiliariis Principis ex hiſpanico in latinum a noſtro translato, libelloque de Legato & legatione. *Cracou.* 1595. f. SIGISMVNDO III. inſcriptæ. 4.) Diſcurſus Politicus de cauſis & Remediis malorum Poloniæ. A. 1661. 12. 5.) Polniſche Kriegs- und Staats-Sachen, die ſich von 100. Jahren her unter 6. Königen in Polen (SIGISMVNDO AVGVSTO, HENRICO, STEPHANO, SIGISMVNDO III. VLA-

(1) Illæ etiam *Varſauiæ* 1631. 4. excuſæ ſunt.

(2) Simile argumentum præclare tractat: *Dominici* RONCALLII Protonotarii Apoſtolici S. R. M. Pol. & Sueciæ Secretarii, Philoſ. ac Theol. D. ex Academia Humoriſtarum, Panegyricus in laudem Polonorum habitus Romæ in eadem Academia, excuſ. *Cracou.* 1633. 4.

(3) Vidi eiusdem libb. II. de optimo ſtatu LIBERTATIS *Cracou.* 1598. 4. editos, qui iidem forte ſunt cum h. l. allegatis.

(3) Paradoxa WARSEVICII pr. etiam Romæ 1601. 12. vna cum Dialogo de origine generis & nominis Poloni.

VLADISLAO IV. IO. CASIMIRO) begeben/nebſt nothwendigen Stamm-Tafeln. Nürnberg. 1666. 12. 6.) Beſchreibung des Königreichs Polen/Podolien und Ukraine/ 1672. 12. 7.) Der Polniſchen Nation Politiſche Staats-Maximen. 1670. 12. 8.) *Thom.* Lansivs in Orat. pro Polonia, & alia contra Poloniam, in *Conſultatt. de Principatu &c.* p. 627. ſeqq. *edit. Tubingenſ.* 1678. 8. 9.) *Andreas de* Pilca Corycinivs, Caſtell. Viſlicenſ. qui prope ſeptuagenario maior, patrueli ſuo *Stephano* de Pilca *Corycinio*, ad electionem Ioh. Caſimiri Regis profecturo, egregium Tr. dedicauit ſub tit. *Perſpectiua Politica Regno Pol. elaborata, per quam quid & qualiter Regibus & regno proſpiciendum ſit, de longe tanquam de proximo facile cognoſcitur*; qui liber poſt fata Auctoris *Dantiſci* ap. *Georg. Førſterum* 1652. 4. in lucem editus, optimo iure elogium *Chwalkouii* meretur: *quot verba, tot pondera, & quot lineæ, tot ſententiæ.* 10.) *Anonymus*, (quem tamen conſtat eſſe Virum illuſtrem *Lucam* Opalenivm, licet alii alium huius libri faciant Parentem) in Polonia defenſa aduerſus Barclaivm, (cuius Iudicium de Polonia & ingeniis Polonorum ex *Icone Anim.* c. 8. deſumtum, tum ibi, tum etiam in *Republ. Polon. Elzevir. p. 436.* legitur) *Dantiſci*, ſumptibus *Georg. Førſteri*, *1648. 4.* in quo elegantiſſimo ſcripto Auctor oſtendit, ea, quæ Barclaius de Polonis dixit, falſa & commentitia vt plurimum eſſe, & aut imperite ac temere, aut maligne ac contemtim ſcripta. 11.) *Franciſcus* Marinivs, (ſub quo nomine *Ioh.* Sax, ſeu Sachsivm, *Frauſtadienſem*, Civit. quondam Thorun. Secretarium, latere, plures obſeruant. Vid. præ aliis Auctor *Exerc. Chwalkou.* oppoſitæ p. 8.) Huius Diſſ. erudita de Scopo Reip. Poloniæ, *Vratislauiæ 1665. 12.* publicata, mox tamen ideo prohibita fuit, quod erga Sereniſſimam Auſtriacorum familiam intemperantius ſe geſſiſſet; cui etiam Libellus oppoſitus eſt de Scopo Reip. & Domo Auſtriaca, adu. *Franc.* Marinivm, *Hamburgi 1665. 12.* editus; cuius Autorem ipſum Conringivm fuiſſe volunt nonnulli, & inter eos B. Gryphivs l. c. verum iuuenem aliquem eruditum Mointhivm, qui frater amoribus Regiis in Daniæ celeberrimæ comitis de Ramſoe, & Secretarius Regius Danicus poſtea fuit, cauſam illam egiſſe *Chriſtoph.* Schradervs Lüneburgenſis ad dioetam Ratisbonenſem Legatus, familiariter olim Autore vſus confirmat in Placcii Theatr. Anon. n. 1407. Sed eruditiſſimus ille *Marinii* Aduerſarius aliis, rem intelligentibus, non viſus eſt negocium iſtud acu (vt loqui amant) tetigiſſe, Mariniique Liber ab omnibus cordatis in pretio habetur, teſtante B. Dn Gryphio in diſſ. de Hiſtoricis S. XVII. *c.* 10. *§.* 2. 12.) *Ioach.* Hagemeiervs, S. Cæſ. M. Conſiliarius, Principis Friſ. Orient. & Collegii Wetterauici Comitum in Comit. Ratisb. per multos annos Legatus, horumque Pro-Cancellarius, in

A peculiari Epiſtola ad *Antonium Comitem Aldenburg.* de Statu Regni Polon. exarata, quæ inter eius *Epiſtolas Iuris publ. Europæi*, diuerſis vicibus editas, & ab *Henr. Günther.* Thulemario, IC. Heidelb. continuatas, ac *Francof. ad M. 1681. 4.* publicatas, eſt *Epiſt. 8.* 13.) Relation de l'Etat de Pologne & de leur Republique, de la maniere dont ils ſont adminiſtrez & comme vn Ambaſſadeur doit s'y conduire pour en tirer les avantages du Prince, qui l'envoye, a Cologne 1668. 12. 14.) *Andreas* Fricivs *Modrzewscius*, SIGISMVNDI AVGVSTI Secretarius, qui ſcripſit libros IV de emendatione Reipublicæ per *Oporinum Baſileæ* editos. I. agit de conſuetudinibus, II. de Statutis, III.

B de bello, IV. de Scholis vsque ad SIGISMVNDVM AVGVSTVM. Hos libros latinitate donauit *Cyprianus* Basilicvs, & *Nicolaus* Olechovviz Monvvidvs Dorohostaiki, Palatinus Plocenſis in M. D. Lithuaniæ, ſumtibus ſuis edi curauit, cui dedicati etiam ſunt latina præfatione ab *Andrea* Volano. a. 1577. f. 15.) *Franciſcus Goslauus* de Nadarice, qui de Iudiciis & moribus corrigendis Parænesin ſcripſit ad Stephanum, Polon. Regem, *Poſnan. 1678. 4.* 16.) *Caſpar* Cichocivs, in Alloquiis Oſiecenſibus ſiue variorum familiarium ſermonum libris V. *Cracou. 1615. 4.* Latuit ſub hoc nomine *Caſpar* Savvicki S. I. *Lithuanus*, Canonicus & Parochus Sandomirenſis, quod

C *Guidonem* olim Patinvm & P. Bælivm quamuis anxie inquirentes latuit, ceu hic in *Dictionario* ſuo in *artic. Sawicki* fatetur. Detegitur autem adductis aliorum teſtimoniis in Placcii *Theatr. Pſeud.* n. 649. 17.) *Simon* Staravolscivs, in Declamatione contra obtrectatores Poloniæ, *Leopoli 1630. 4.* & *Cracou. 1631. 4.* 18.) *Staniſl.* Orichovivs in Idea Apocalyptica, in qua facies perturbatæ & afflictæ Reipubl. eiusque reſtaurandæ ratio repræſentatur, ex recognitione *Blaſii Lipowski*, *Cracou. 1660. 12.* & nouiſſime per *Paul. Anton.* Radzinski, Guardianum Sanocenſ. typis Coll. Schol. piar. *Varſau. 1696. 8.* Extat etiam Eiusdem Ori-

D chovii *Roxolani* Fidelis ſubditus, ſiue de Inſtitutione Regia ad Sigismundum Auguſtum libri duo, *Cracou. A. 1684. 4.* & denuo *Varſau. 1696. 4.* 19.) *Matthias* Dargotivs ſeu Dargodzki, cuius Tr. polon. de Titulata Nobilitate, ſeu de iis, qui titulos peregrinos Principum, Marchionum, Comitum, Baronum &c. quærunt, & ab exteris Principibus impetrant, alias ſatis acerbum ſcriptum, A. 1634. prodiiſſe teſtatur *Hartknoch. L. 2. Reip. Pol. c. 5.* & *Auct. Ex. Chwalkou.* oppoſ. *p. 19.* qui etiam polonicum titulum integrum *ibidem* attulit. 20.) Polonus Iure politus, mores patrios ad Leges conformans, Autore *Petro* Mierzkovvski, Canon. Poſnan. S. R. M. Secretario, *Caliſſii* 1637.

1637. 4. (1) 21.) *Caſimirus* ZAVVADZKIVS, Capitaneus t. t. Pucenſis. Hic Exilem, vt titulus habet, Tractatum ſuper aduertentiam defectuum in Capitibus Imp. Sarmatici, IOANNI III. ſub tempus Comitiorum Coronationis, 1676. obtulit, *Cracou. eodem Anno in 4.* A quo ſcripto non differt, quod Anno 1690. *Varſauiæ in 4.* exſcriptum eſt ſub tit. *Vere repræſentans Speculum Anomaliam*, (vel *Anomaliarum*) *in capitibus Imp. Sarmatici IOANNI III. oblatum à Caſim.* ZAVVADZKI, &c. 22.) Iuuenalis Rediuiuus, quæ Satyra eſt *Lucæ* OPALENII, Poloniceque ſtylo ligato prodiit 1691. 8. qua Auctor Ciues ſuos de emendandis tum moribus, tum regimine grauiter admonet. Antea prodierat 1652. f. a IO. CASIMIRO proſcripta, conf. *A. Erud. Lipſ.* Suppl. T. 2. S. III. p. 150. & 151. 23.) *Stanislaus* LVBOMIRSCIVS, (is enim literis S. L. intelligitur:) R. P. Supremus Mareſch. cuius habentur Conſultationes XXV. ſiue de Vanitate Conſiliorum Liber vnus, in quo Vanitas & Veritas rerum humanarum politicis & moralibus rationibus clare demonſtratur, & dialogice exhibetur, *Varſau. 1700. 4.* editus, & deinceps in Germania 12. etiam recuſus: 24.) Nouiſſima Scripta ſunt: Das noch bey zweiffelhafftiger Wahl eines neuen Königs gantz verwirrete und unruhige Pohlen. Cölln 1697. 4. 25.) Polniſcher Cedern-Hayn/das iſt/kurtzgefaßte doch ausführliche Beſchreibung des Königreichs Pohlen. Breßlau 1698. 4. 26.) Das Polniſche Staats-*Protocoll.* 1698. 4. 27.) Eiusdem *Continuation. 1698. 4.* 28.) Der Sarmatiſche Wahl-Schoppen/Cöln/1698. 4. 29.) Der *curieuſe* und vollkommene Polniſche Staats-Mann/oder das denckwürdige Wahl-Feld bey Warſchau. 1698. 4. 30.) Hiſtoire de Pologne & du grand Duché de Lithuanie depuis la fondation jusqu'a preſent. *Amſt. 1698. 12.* 31.) L'etat actuel de la Pologne à *Cologne. 1702. 12.* 32.) Der Staat von Polen. (Leipzig/) 1704. 4. (2)

§. XLVI.

Politici miſcellanei.

Speciatim Electionem, Coronationem, aliaque Regis ſolennia & iura expoſuit *Alex.* GVAGNINVS, cuius *Ordo, qualiter Rex Polon. iuxta veterem conſuetudinem coronetur, & quæ ſolennitas & ceremoniæ circa id ſeruari ſint ſolita*, extat ap. *Piſtor. T. II. f. 373.* & in *Collect. Francofurtana Tom. I. p. 274.* Num viuo Rege nouus ſucceſſor eligi poſſit? tempore IOH. CASIMIRI disquiſiuit *Andr. Maxim.* à FREDRO, Caſtell. Leopolienſ. cuius ſcripta polonica & latina collegerat *Franc.* GLINKE, ſed illa tantum edidit *Leopoli 1670.* erudito Diſcurſu, qui ex Polonico verſus habetur latine in *Append. P. VIII. Diar. Europ. p. 196.* vbi etiam *p. 205.* eadem lingua reperitur *Anonymi* Reſponſum ad Fredronis Diſcurſum. Idem FREDRO in gratiam Reip. Polonæ ſcripſit Prærogatiuam Reip. ſiue popularis ſtatus, quæ reperitur in *Additament.* ad eius *Militarium Libros II. Amſtel.* ap. *Færſterum 1668. in 4.* editos. Præterea ex EIVSD. *Fragmentis Scriptorum* huc pertinent: Diſcurſus de loco Poloniæ Legatorum *p. 111. ſeqq.* Itemque ea, quæ habentur *p. 288.* vbi ſcriptorum quorundam ſcommata, maligne aut per leuitatem in Polonam gentem iacta, breuiſſime refutantur &c. Acceſſerunt memoratis Fragmnentis Periſtromata Regum Symbolis expreſſa, *Dantiſci* ſumtibus *Færſteri 1660. 12.* edita. Forte etiam ex laudati Auctoris Monitis Politico-Moralibus & Icone ingeniorum, in *eodem bibliopolio*, 1664. in 12. extantibus, haud pauca excerpi poſſunt, quæ ſtatum huius Reipubl. illuſtrant. Ad Interregnum Polon. ſpectat *Stanislai* KARNCOVII Tr. de Primatu Senatorio Regni Polon. ex quo quædam haut contemnenda attulit *Hartknoch. L. 2. Reip. Polon.* c. 1. §. 7. De Interregnis poſt obitum abitumque SIGISMVNDI AVGVSTI, HENRICI & STEPHANI, R. R. Pol. inſpici meretur *Iani* IANVSSOVII liber ſingularis, Statutis regni annexus. De Interregno Poloniæ Anno 1587. Diuinatio *Horatii* SPANOCHII, item de nouo in Polonia Rege eligendo Diſſertatio exhibetur in *Phil.* HONORII *Theſaur. Polit.* & quidem in editione Italico latina *Francof.* 1617. 4. excuſa p. 426. & 454. in priori autem quæ Italico tantum *Mediolani* 1600. 4. prodiit T. I. p. 553. & 591. eædemque etiam reperiuntur in *Nic.* BELLI diſſertationibus de Statu imperiorum prior T. I. n. 24. p. 328.

(1) *Ioh.* HEIDENSTEIN Normam ciuis in Republica boni ſomnio Ioh. Zamoſcii expreſſam publicauit. *Dantiſci 1637. 4.* *Caſp.* SINECK Ciuem bonum ſchediaſmate politico ad Iohannem a Zebrydovvice Zebrzydovvski, Regni Poloniæ enſiferum, Lanckoronenſem capitaneum &c. deſcripſit. *Cracou. 1632. 4. Idem* Laconem, ſeu de Republicæ recte inſtituendæ arcanis dialogum edidit, *ibid. 1635. 4.* cui vtrique ſcripto varia ad Statum Poloniæ pertinentia immiſcentur.

(2) Huc pertinens Polniſcher Staat/ oder Beſchreibung des Königreichs Polen und Groß-Hertzogthums Litthauen / worinnen dieſer Republique Stärcke und Schwäche/Vortheile und Mängel ꝛc. ꝛc. umſtändlich gezeiget/ und aus fünff und zwantzigjährigen Erfahrung durch einen Frantzöſiſchen Edelmann beſchrieben/und anitzo ins Hochdeutſche überſetzt. Cöln. 1697. 4. eſt germanica tantum verſio tractus HAVTEVILLII qui allegatur §. VIII. vt & PLACCIO obſeruatum in Theat. anon. n. 1850. β)

328. poſterior n. 25. p. 332. Quibus alia de regno Poloniæ n. 22. p. 305. præmiſſa eſt. De Comitiis Regni, præter LVBOMIRSCIVM, in ante memorato Libello de *Vanit. Conſiliorum, Conſult. XII. XIII. XIV*, eleganter egit *Vinc.* FABRICIVS, in quadam *Epiſt.* quæ inter *Oratt. & Epiſtolas varii argum.* extat p. 389. De Indigenatu Poloniæ M. *Io.* Gottlieb Meiſter/ Rector Scholæ Nicolait. Lipſienſ. *ibidem* 1698. Diſputationem habuit, quæ maximam partem in germanicum idioma ab *Auctore* des wohl-*informirten* Redners translata, exhibetur im Gelehrten *Critico* über 100. *curieuſe Dubia* und Fragen. *Lipſ.* 1704. 8. vulgata, *qu.* 81. De eodem Indigenatus Iure, Præſide D. *Carolo Friderico* LAV, *Regiomonti* A. 1645. diſputauit *Ioannes Treug*, Mariæb. Pruſſ. Extat etiam de indigenatu ſincera Collatio Iurium & priuilegiorum Poloniæ & Pruſſiæ Regiæ, 1667. 4. De Cancellariorum, cum in ſummi Pontificis curia, in Imperio Germanico, regnisque diuerſis; tum præcipue in florentiſſimo Regno Poloniæ & M. D. Lithuaniæ heroicis virtutibus, ſplendidiſſimis honoribus & ornamentis, præclariſſimis officiis, meritis, & præmiis lib. II. conſcripſit *Rutgerus* zur Horſt/ Liuonus, aliquoties nobis memoratus, editos *Dantiſci* 1628. 4. De libertate Politica, ſeu ciuili, Libellum lectu non indignum ſcripſit *Andr.* VOLANVS, *Cracou.* in officina *Matth. Wierzbieta* 1582. 4. Singulare argumentum de Polonia nunquam tributaria, tractauit X. Diſſert. hiſtorico-politicis, *Ged.* 1694. 4. editis, b. m. Dn. *Io.* SCHVLTZIVS, Francofurtenſium quondam Iuris Profeſſor, Regiusque Conſiliarius, ante quinquennium ibi viuis ereptus, cuius tamen ſtudium in gratiam gentis Polonæ hoc opere præſtitum, non æqualem apud exteros inuenit approbationem, cui etiam quædam oppoſuit Celeberrimus Dn. *Martinus* HANKIVS, in *Exercitat. de Sileſiorum Antiquitatibus* ab A. C. 550. ad 1170. *Lipſiæ* 1702. 4. De Coſacis Diſſertationem Hiſtoricam in Academia *Lipſienſi* A. 1684. defendit Præſes Dn. M. *Godofredus* WEISSIVS, Thorunienſis Eccleſiæ Mar. hodie Myſta digniſſimus. De quibus inſuper nonnulla leguntur im Staats-Mercur X. Giornata p. 30. & 77. Memorabilia Reip. Polonicæ conſignauit *Io. Ludou.* HARTMANNVS, Prof. in Academ. Regiom. quæ *ibid.* A. 1677. 4. exiere. Similiter *Nicol.* de CHWALKOWO CHWALKOWSKI, Singularia quædam Polonica collegit, quæ primum *Leopoli* 1686. deinde auctius *Varſau.* 1696. 8. edita, Cardinalique *Henrico d'Arquien* inſcripta fuerunt. Inter ſingularia iſta, (quæ maximam partem quoque germ. leguntur in dem Fliehenden Paſſagier durch Europa/ in der 5ten *Promenade*, p. 12. *ſeqq.*) memorabile p. 4. 5 & 6. occurrit Vaticinium de Regibus Poloniæ, ab HENRICO VALESIO ſucceſſiue hactenus impletum; *Flos de valle; Corona; Exul fortunatus; Gloria ſuccedens; Manipulus ſterilis; Noctis breue ſidus;* A *Manus congregatorum:* quibus Symbolis *Henricum Valeſium, Stephanum, Sigismundum III. Vladislaum, Ioannem Caſimirum, Michaëlem & Ioannem III* h. præfiguratos fuiſſe, *ibidem* oſtenditur. Eodem ferme tenore hæc repetuntur im Fliegenden Paſſagier/ p. 14. *l. c.* & in *Hubneri* Hiſtor. Fragen, *P. IV.* p. 598. In Calendario autem Viri cuiusd. Celeberr. de A. 1698. hoc Vaticinium ab ERICO VI. Rege Sueciæ, caſu repertum fuiſſe, traditur, vbi hæc præterea adiecta ſunt: *Diuerſicolor; Vnus ex duobus; Aquila biceps; Sic transeunt felicia regna.* Hac occaſione recentius quoddam Vaticinium de Regibus Poloniæ B poſt SIGISM. III, bona cum legentium venia adiicere nobis liceat, quod ex Archivo ſecretiori Cracouienſi depromptum, beneuole nobiscum communicauit, Vir Magnificus, nobisque nunquam ſatis laudandus Dn. IO. ERN. von der Linde/ Reip. COS. & Syndicus meritiſſimus. Rythmice vero formatum ita ſe habet:

En Frater, quam vis procul abs te mittere prolem
Poloniæ regno, tibi ſunt conſideranda,
Primus adeſt horum V. gentis proſecutus amore.
I. C. non ornat regnum, nec M. diu regnat.
I. moritur; poſt hunc A. Rex fit cum Domino, qui
C *Incipiet forti zelo: bene ſingula fient.*
Ille animam perdet bellando pro grege Paſtor.
T. ruet, E. que luet. S. C. M. ſponte patescent.
Atque H. L. aperient pro tunc altaria ſacra
Tempore, quo fiet nonum cum Principe fœdus.
Aquila nigra biceps albâ pereunte ſequetur
Iuncta Lechis, & ſic pereunt nunc ſecula Regno.

Per V. *Vladislaum IV.* per I. C. *Iohannem Caſimirum*, per M. *Michaëlem*, per I. *Ioannem* D *III.* & per A. *Auguſtum II.* notari, quiuis facile diuinare poteſt. Sed quid reliquæ literæ indicent, futura demum tempora nobis aperient. De alia prophetia, quæ Seren. FRIEDERICVM AVGVSTVM ſpectat, vid. *Bailij Reſponſ. ad quæſt. cuiusd. Prouincialis*, T. 1. c. 4. p. 28. ſeqq. De Regno Poloniæ *Nicolai* DRABICII, *Straſnicenſis Moraui*, Vaticinia varia, habentur inter Eius Reuelationes, cum *Chriſtoph. Kotteri & Chriſtinæ Poniatouiæ* Reuelationibus, per *I. A. Comenium* editas 1665. 4. de quibus Iudicia legi poſſunt in *I. B. de Rocoles Vienna Obſeſſa*, & ap. *Bailium, Nouv. de la Rep. des Lettres*, Anno 1684. p. 172. Simile funeſtum *Ioachimi Greulichij* Vaticinium exhibetur

tur in *Gottfr. Arnoldi* Kirchen- und Ketzer-Hiſtorie/*part. 3. c. 26. ſ. 244.* De quo præterea *conf.* Cl. TENZELII *curieuſe Bibliothec* anno 1705. p. 208. & ſeq. vbi & de vaticinio, quod BAILIVS memorauit, quædam afferuntur. Vaticinium *Ioh.* HANKII ſacrorum quondam apud Waldenburgenſes antiſtitis, quod ante obitum ſuum protulit: Für Türcken und Frantzoſen fürchten wir uns noch nicht / aber Polen/Polen wird uns noch Händel machen / commemorat FEVSTELIVS in epiſtola ad S. R. PIPPINGIVM pag. 127. add. Acta Erud. Lipſ. a. 1708. p. 184. De aliis Vaticiniis conſuli poſſunt die Theolog. *Offerten*/ ſiue *Menſes Reſeruati*, *part. 1. p. 278. & 449. ſeqq.* adde Nov. Liter. Germ. a. 1707. p. 56. Circumfertur etiam *Ioan.* DANTISCI Vaticinium de interitu Regni Poloniæ huiusque Ciuitatis, quod cum nimis prolixum ſit, hac vice prætermittimus. Quædam illius ap. *I. B. Schuppium* leguntur, *Opp. p. 411.* (1)

Vt in viam iterum redeamus, ſub *Singularium* quoque titulo Dn. *Martin.* BÖHM, Gymn. Thor. Prof. & Viſitat. (ad quem B. *Hartknochij* Bibliothecam inſignium Librorum Codicumque MSS. perueniſſe accepimus,) Diſput. vnius plagulæ *Thorun.* edidit, A. 1703. d. 4. *Ianuarij*, Reſp. *Mich. Wachſchlagero*, vbi ex variis Scriptoribus Pol. obſeruationes ſpeciales congeſtæ ſunt. Quo ſpectant etiam Lineamenta Sarmatica, ſub præſidio Dn. C. S. SCHVRZFLEISCHII publice aſſerta à *Io. Chriſtoph. Alberti*, *Witteberga* 1670, recuſa A. 1683. in 4. vbi breuis Scriptorum rerum Polon. Syllabus præmittitur. Quæ ex parte refutauit B. HARTKNOCHIVS in MSC. quod apud Dn. *Martinum* BÖHM Thorunienſem aſſeruatur. Sed iam antea Variarum Lectionum librum, in quo præcipue Sarmatica, publicauerat *Mart.* OPITIVS, *Dant. 1637. 4.* Monumenta quædam Poloniæ præter *Sim.* STARAVOLSCIVM ſupra allegatum illuſtrat b. m. Dn. *Mich.* TESSIN, Ciuitatis Gedanenſis primariæ Scabinus deſideratiſſimus in inſcriptionum monumentis publicis *Gedani* a. 1696. 8. evulgatis p. 95. vbi quoque p. 115. exhibentur Oratt. VI. ab exterorum Principum Legatis in comitiis R. P. generalibus 1683. ſolenniter habitæ. De primis Polonorum Nummis argenteis ſeu groſſis Pragenſibus, in memorato Gymnaſio *Thorun.* duas Exercitationes cum adiectis figuris publice propoſuit Vir Clar. M. *Georg.* WENDE, *Vratislauienſ.* dicti Gymn. Rector, *Thorun. 1702. 4.* Idem ille Impp. Romanorum nummos, in memoriam Victoriæ de Sarmatis olim reportatæ, cuſos, Polonicis Nummophilis conſiderandos exhibuit d. XIX. *Mart.* MDCIIC. in 4. Alia de Re nummaria Polonorum, itemque de vectigalibus Reg. Polon. Excerpta ex Hiſtor. *Salom. Neugebaueri*, habentur in Rep. *Elzeuiriana p. 443. ſeqq.* Inſtituta rei militaris publicauit *Sim.* STARAVOLSCIVS typis expreſſa *Florentiæ 1646. 12.* Naturalis hiſtoriæ quædam phœnomena, Poloniam, Lithuan. & Pruſſiam tangentia, examinat *Adalb.* TYLKOWSKI, S. I. in *Phyſica Curioſa*, typis Monaſterii *Oliuenſ.* edita 1680. 8. vbi inter alia etiam egit de *Plica Polonica*, de qua præterea Literas ad *Cornel. Bontekoe* exarauit *Ianus Abrah.* de GEHEMA, Archiater Regius & Conſiliar. quæ *Hagæ C.* 1683. 8. & *Hamburgi* eod. A. in 12. excuſæ ſunt. De eadem quam Poloni Gwordziec, Roxolani Kolthumum vocant, iam antea librum ad Ioh. Zamoyski Regni ſupremum Cancellarium ſcripſerat, *Hercules* SAXONIA Prof. *Patauinus* ed. 1600. 4. quemadmodum etiam figura Plicæ ex *Frid.* RVYSCHII *Theſauro Anatomico* exhibetur in *Act. Erud.* 1704. p. 363. *Andreas* POSTHVMVS de *Sarmatica lue* tractatum edidit *Vicent.* 1600. 4. De Salinis Cracouianis obſeruatio, Authore *Iodoco* WILLICHIO, *Reſeldiano Crac.* 1543. edita, iterumque recuſa eſt *Dant.* ap. *Georg. Fœrſter*, 1645. 8. vbi præfigitur *Io. Broſcii* dedicatio ad Vladiſlaum IV. & præfatio ad Lectorem. (2) Catalogum plantarum tam exoticarum quam indigenarum quæ a. 1651. in horto regio Varſauiæ naſci obſeruatæ ſunt, habetur in viridariis variis, collectis ſtudio D. *Simonis* PAVLLI Medici Haffnienſis. *Haffniæ* 1653. 12.

§. XLVII.

Scripta Hiſtorico-Eccleſiaſtica.

De Scriptoribus ſtatum Regni politicum concernentibus abunde ſatis diximus. Sed nec illi ſilentio plane inuoluendi ſunt, qui ad ſtatum ECCLESIASTICVM ſpectant. Vbi quidem dolendum maxime eſt, a nemine adhuc Gentis illius præclariſſimæ Hiſtoriam Eccleſiaſticam ex profeſſo conſignatam fuiſſe, vtut ſpecialium Eccleſiarum, præcipueà religione in Polonia præualente diſſidentium, hiſtoricæ quædam Commentationes extent. In quo Scriptorum genere commendari omnino debet *Adriani* (quem nonnulli *Andream* vocant) REGENVOLSCII Syſtema hiſtorico-chrono-

(1) Auget numerum: Eine Prophezeyung das Königreich Polen betreffend/ ſo von einem gottsfürchtigen Manne der Geburt von Cracau / an ſeinem letzten Ende a. 1558. geſchehen / welche hernach in eines Prieſters/der a. 1595. verſtorben/Bibliothec gefunden / und gedruckt worden. 1664. 4.

(2) *Dan* HERMANNVS *Bruſſus* diſcurſum Philoſophicum ſtylo poetico emiſit, de rana & lacerta ſuccino Pruſſiaco inſitis, ex quo occaſio ſumi poteſt de cauſis ſalinarum Cracouienſium naturalibus ratiocinandi. *Cracou.* 1583. 4.

nologicum Eccleſiarum Slauonicarum per prouincias varias, præcipue Poloniæ, Bohemiæ, Lituaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Morauiæ &c. diſtinctarum, Libris IV. adornatum, continens Hiſtoriam Eccleſiaſt. à Chriſto & Apoſtolorum tempore ad A. D. 1650. Editum *Traiect.* 1652. 4. cum *Gisb. Voetij* præfat. Idem opus prodiit poſtea ſub titulo *Sclauoniæ Reformatæ* Amſtel. 1679. 4. præfixo vero Autoris nomine *Andreæ* WENGERSCII, quem HARTKNOCHIVS *Hiſt. Eccl. Pruſ.* p. 305. 469. & 892. aliique Adamum nominant, eundem eſſe cum REGENVOLSCIO obſeruantes. Quod & probatur in PLACCII Theatr. Pſeud. n. 2290. Quanquam B. Dn. *Nicol.* BERGIVS per *Liuon.* quondam Superintendens in exercitatione de Statu Eccleſiæ & Religionis Moſcouiticæ *Holmiæ 1704. 8.* edita, p. 29. diſtinguat eos, & WENGERSCIVM plagii manifeſti accuſet. *Franc.* STANCARI Canones reformationis Eccleſiarum Gallicarum editi ſunt *Francof. ad Oder. 1552. 8.* Iura & libertates diſſidentium in religione Chriſtiana, in R. Poloniæ, & M. D. Lithuaniæ ex Legibus Regni & aliis Monumentis authenticis excerpta a. 1708. *Berolini* ex typographia Regia prodiere ſ. Porro *Ioachimus* CAMERARIVS in Hiſtorica Narrat. de Fratrum Bohemorum Eccleſiis in Bohemia, Morauia & Polonia, *Heidelb. 1605. 8.* excuſa, itemque *Ioh.* LASITIVS, Nobilis *Polonus*, in Hiſt. de Orig. & rebus geſtis Fratr. Bohem. A. 1649. 8. edita, Poloniæ hiſtoriam Eccleſiaſticam attigerunt. Ad earundem Eccleſiarum hiſtoriam ſpectant, quæ *Io. Am.* COMENIVS in Hiſtor. Fratrum Bohemorum, cum præf. Summe Reu. Dn. *I. F. Buddei*, *D. Halæ* 1702. 4. publicata, p. 27. ſeqq. attulit, in quo poſtremo ſcripto narratur, quomodo fratres illi in Pruſſiam venerint, & quomodo in Polonia reformauerint. *Andr.* TRICESII equitis Poloni Tr. de SS. euangelii in ditione R. Poloniæ poſt reuelatum Antichriſtum origine, progreſſu & incremento. *Reg. 1556. 4.* editus, nobis quidem viſus non eſt, niſi in catalogo Bibliothecæ Francofurtanæ a V. Celeberrimo *I. C. Becmanno* 1706. denuo edito p. 286. Ex aduerſa parte *Andr.* CRICIVS, *Epiſcopus* PREMISLENSIS de Schiſmate Lutheri epiſtolam ad SIGISMVNDVM P. R. ſcripſit, quæ vna cum edicto Regio in Lutherum & *Barth.* ab VSINGEN ſermone de Matrimonio Sacerdotum, *Argent.* apud *Io. Heruag.* a. 1523. 8. excuſa eſt. Elegans ſcriptum eſt *Staniſl.* LVBIENIECII, A Equ. Polon. Hiſtoria Reformationis Polon. in qua tum Reformatorum, tum Antitrinitariorum origo & progreſſus in Polonia & finitimis prouinciis narrantur, *Freiſtadii*, i. e. *Amſtelod. 1685. 8.* Ad hos in ſpecie referendus eſt liber: *Summa Doctrinæ Sarmatarum*, vt habet titulus MSC. *Conradi* VORSTII, qui illud congeſſiſſe perhibetur; ſeu *Compendiolum doctrinæ eccleſiæ Chriſtianæ nunc in Polonia potiſſimum florentis*, ed. 1630. Idem in Belgicum ſermonem translatus, & deinde à CLOPPENBVRGIO, qui eum OSTORODO ac VOIDOVIO tribuit refutatus eſt. Conf. *Placcij* anon. n. 843. a.) (1) Cui merito iungi debent Tractatus nonnulli, qui Bibliothecæ B Antitrinitariorum *Chriſtoph.* SANDII, *Freiſtadij* 1684. 8. publicatæ, annectuntur, nempe: *Io.* STOINII Epitome hiſtoriæ originis Vnitariorum in Polon. p. 181. *Georgij* SCHOMANNI Teſtamentum vltimæ voluntatis, continens Vitæ ipſius, nec non variorum actuum Eccleſiaſticorum ſuccinctam hiſtoriam, p. 189. De typographiis Vnitariorum in Polon. p. 199. Relatio de *Io.* TYSCOVICII Martyrio p. 203. *Andr.* WISSOWATII Narratio Compendioſa, quomodo in Polonia à Trinitariis Reformatis ſeparati ſint Chriſtiani Vnitarii, p. 207. quæ præterea etiam extat in SANDII *Append. ad Nucl. Hiſt. Eccleſ.* p. 86. ſeqq. & in WENGERSCII *Slauonia Reformata* L. 3. p. 53. Anonymi C Epiſtola, exhibens Vitæ ac mortis *Andr.* WISSOWATII, (*Fauſti Socini* ex filia Nepotis) nec non Eccleſiarum Vnitariorum eius temporis breuem hiſtoriam, p. 219. Denique Vindiciæ pro Vnitariorum in Polon. religionis libertate, ab *Equite Polono* conſcriptæ, p. 265. Euangelicorum querelæ de A. 1669. leguntur latine ap. *Londorp. T. IX. f. 690.* (2)

§. XLVIII.

Breuiores Tractatus ſunt: *Ioh.* ARGENTI, D *Mutinenſis*, S. I. per Poloniam Prouincialis Liber de Statu S. I. in Polon. & Lithuan. ad SIGISMVNDVM III. ſcriptus, & *Ingolſtadij* 1616. & *Cracou.* 1620. 8. impreſſus, notante *Algambe, Bibl. Ieſuitarum.* p. 21 . ſeqq Item ad *Dau.* CHYTRÆVM ſcripta Epiſt. de Ruſſorum religione, itemque de Tartarorum religione ac moribus A. 1582. 8. & alibi ſæpius excuſa, vbi in fine quædam leguntur de rebus Polonicis: quæ

Alia eiusd. generis, vt & Hiſt. Literariæ monumenta.

i 2

(1) A. 1642. 4. edita eſt confeſſio fidei Chriſtianæ edita nomine eccleſiarum Polonicarum, quæ vnum DEVM & filium eius vnigenitum I. C. cum Spiritu S. profitentur, præfixa præfatione *Ioh.* SCHLICHTINGII de BVCKOWIEC.

(2) Huc etiam facit Vita *Fauſti* SOCINI ab Equite Polono ſcripta & præmiſſa eius operibus, quæ primam Biblioth. Anti-Trinit. partem conſtituunt, vt & vita *Ioh.* CRELLII *Franci*, ab I. P. M. D. expoſita & eius oper. in eadem Bibliotheca præfixa. Denique præfatiuncula ad *Ioh. Ludou.* WOLZOGENII Bar. *Auſtr.* opera tertiam iſtius bibliothecæ partem facientia, quæ breuem vitæ Wolzogenianæ notitiam ſuppeditat. Et vita *Staniſlai* LVBIENIECII ſcriptis eius præfixa, atque à Cl. Bælio in dictionario Hiſtorico Critico repetita.

quæ Epiſt. præterea adiecta eſt *Ioannis* MELETII ad *Georg. Sabinum*, de Religione & Sacrificiis Veterum Boruſſorum Epiſtolæ, de qua infra §. LV. Nec *Stanisl.* CARNCOVII, *Io. Mich.* BRVTI, *Stanisl.* HOSII, *Stanisl.* LVBIENII, aliorumque Epiſtolæ, ſupra §. XXXI. memoratæ, negligi debent; vt nec alii Scriptores, qui Vitas Archi-Epiſcoporum, Epiſcoporum & Abbatum in Polonia ſcriptis conſignârunt, quorum ſimiliter ſupra §. III. mentio facta eſt. Sic quoque in Viri illuſtris, *Vit. Ludou.* SECKENDORFFII *Comment.* de *Lutheraniſmo, L. III. §. 73. n. 13. fol. 230.* habentur Acta Proteſtantium cum Rege Poloniæ. Egregium pro defenſione religionis ſuæ Reſponſum eſt Illuſtriſſ. Dn. *Nicol.* RADZIVILI, Palatini Vilnenſis, ad *Aloyſii Lipomani*, Pontif. R. in Polon. Legati, Epiſtolam, quæ duæ Epp. iunctim prodierunt *Regiom.* 1556. 4. De dignitate Ordinis Eccleſiaſt. R. Pol. *Auguſtin. Rotundus* MILESIVS, I. V. D. & Prætor Vilnenſis, ſcripſit ad *Andr.* VOLANVM, *Cracou.* 1582. 4. Huius *Andreæ* VOLANI extat etiam Parænesis ad omnes in Regno Poloniæ &c. Samoſatenianæ vel Ebioniticæ doctrinæ Profeſſores, *Spiræ* 1582. 8. Pro tuendo iure decimarum Cleri Polon. contra prætenſam Ieſuitarum exemptionem Tr. ſcripſit *Io.* MARKIEWICZ, I. V. D. & Canon. Poſnan. eumque dimidiatum *Senis* primum, 1643. 4. deinde integrum *Pariſiis* A. ſeq. publicauit, cum approbatione Sorbonæ, cuius Libri titulus eſt: *Decima Cleri ſecularis in Regno Polon. defenſa contra exemptiones Patrum S. I.* inque eo *Auctor* diſputat contra Bullam, quam Ordo *S. I.* à Sede Apoſt. hanc in rem impetrauerat, quam variis rationibus impugnat atque conuellit. *Eiusdem* ſtudio porro edita, Decima cleri ſecularis &c. ad effectum Executionis debitæ accommodata, *Cracou.* 1646. 4. cui oppoſita eſt Polona decimarum pro Patribus S. I. contra libellum MARCHEVICII, Conſultatio, *Romæ* 1647. 4; *Eiusdem* MARCKIEVII nomine Decima Cleri ſecularis, tertio S. Congreg. Rom. repræſent. prodiit *Crac.* 1648. 4. Ad hanc materiam præterea ſpectant: Carcer Romanus *Ioh.* MARKIEWICZ, A. 1666. 4. Itemque Veritas bonæ vitæ, ex occaſione occupatæ hæreditatis Iaroslauienſis, Patribus Societatis demonſtrata per *eund. Pariſ.* 1671. 4, & ſpeculum zeli, impr. *Gedani* 1652. itemque Scandalum Expurgatum, *ib.* 1654. 4. Aliæ Controuerſiæ cum ordine eccleſiaſtico in Polonia peti poſſunt 1.) Ex poſtulatis ordinis eccleſiaſtici vniuerſi in R. coram S. R. M. ordine Senatorio, & equeſtri, in comitiis Varſauienſibus generalibus a. 1585. habitis propoſitis. *Poſnan.* 1587. 4. quo libello continentur: *a)* *Alberti* Bolognetti Card. & Epiſcopi MASSANENSIS, nuntii Apoſtolici oratio, habita in comitiis d. 12 Febr. 1585. *b)* alia D. GOSLICKI Decani Plocenſis, pro Clero huius regni eodem loco & tempore habita *c)* capita per deputatos ſtatus eccleſiaſtici, de iniuriis quibus idem grauatus eſt, propoſita 2.) ex libro ſine mentione Autoris & loci 1592. in 4. edito, de controuerſiis inter ordinem eccleſiaſticum & ſecularem in Polonia, quem a *Laurentio Arturo* FAVNTEO *Leceſtrenſi* ſcriptum memorat, RIBADENEIRA, ALEGAMBE, SOTVELLVS & ex iis *Placcius* in An. n. 843. 3.) Ex Tractatione de controuerſiis inter ordinem eccleſiaſticum & ſecularem in Polonia ex iure diuino regnique ſtatutis, priuilegiis, ac præſcriptione, in qua refellitur libellus quidam famoſus & mordax contra querimoniam & poſtulata cleri in comitiis regni 1585. publice oblata conſcriptus. *Cracou.* 1632. 4. Quibus non incongrue fortaſſis adiungi poteſt, *Phil.* CALLIMACHI *Florentini* oratio de contributione Cleri in Synodo epiſcoporum 1584. habita, cui præfationem ad nominatum modo, BOLOGNETVM præfixit *Iac.* GORSCIVS. Ex LVBIENSKII *Opp. poſthumis f.* 202. huc referri poteſt *Illius* Reſponſum ad Proteſtationem, quæ nomine Dignitariorum, Officialium & Nobilitatis Palatinatuum, Poſnanienſis & Caliſſienſis, contra Statum ſpiritualem, A. 1622. in lucem prodierat. SIGISMVNDI III. tempore prodiit Hiſtoria Confœderationis Polonicæ *Clementi* POLO communiter tributa h. e. ad libellum quendam Polonicum, contra Confœderationem Diſſidentium de Sententia religionis editum, Reſponſio, ſiue de Iniquitate, Auaritia, Crudelitate & Idololatria Barbarico-Papiſtica, & de iuſta cauſa Evangelicorum, *Debreceni* A. 1596. 4. vbi etiam acceſſit Replicæ Proceſſus & Confœderationis breuis Refutatio. Similiter huc pertinet Conſilium de recuperanda & impoſterum ſtabilienda pace Regni Pol. in quo demonſtratur, pacem nec conſtitui, nec ſtabiliri poſſe, quamdiu Ieſuitæ in Polonia maneant, ad illuſtres R. P. Proceres, ex Polonico in latinum conuerſum, & A. 1607. 4. ſine Auctoris, Interpretis, ac Loci nomine vulgatum, deinde vero in *Germania* eadem forma recuſum A. 1609. quod præterea *Francof.* 1632. 4. editum, & *Axelio* OXENSTIERNIO dedicatum, hanc habet Inſcriptionem: *Grauis & maximi momenti Deliberatio de compeſcendo perpetuo crudeli conatu Ieſuitarum.* Sed huic tamen ſcripto oppoſita fuit *Anonymi* Spongia, qua abſterguntur conuicia & maledicta Equitis Pol. contra Ieſuitas, Autore, cui *ἀνάγρ.* Sanis Recta Salus, *Cracou.* ap. *Andr. Petricou.* 1609. 4; itemque Reſponſio *Nic.* ZIEMECKI, Archidiac. Pczeuenſis, *Cracou.* 1610. 4. Et præcipue CASPAR SAWICKI ſub *Caſparis* CICHOCKI vt ſupra iam monuimus larua deliteſcens, ſcripta a. 1611. anatomia conſilii editi, de ſtabilienda pace Regni Poloniæ, Ieſuitis pulſis,

(1) quod exſtat in paralipomenis amphitheatri honoris *Caroli Scribanii*. (hunc enim eſſe perſonatum Clarum Bonarſcium conſtat) A Memoratis ſcriptis iungi poteſt *Matthæi* Dresseri Epiſt. ad *Zamoſcium*, qua Ieſuitarum conatus in Polon. exploduntur, *Lipſ.* 1607. 4. Nec non Conſilium de componendis ob religionem excitatis motibus è gallico in latinum conuerſum, & *Fabiano* à *Czema*, Capitaneo Stumenſi, dedicatum à *Salom.* Nevgebavero à *Cadano*, A. 1615. 4. Extat etiam Mandatum monitorium Regis Pol. ad Ieſuitas germ. *Cracou.* 1620. 4; nec non Reſponſio Anonymi ad famoſum libell. à PP. Soc. I. in Academiam Cracouienſ. ſcriptum, & nomine *Reproteſtationis* vulgatum 1621. (2) Alia Oratio germanica egregia cuiuſdam Equ. Poloni (qui B dicitur fuiſſe *Caliſius*, Rector Scholæ Leowartonienſis Samoſatenianus) adu. Ieſuitas, A. 1591. ad Senatores in pleno conſeſſu habita, ex latino tranſlata prodiit ap. *Nicolaum Piſtandrum Neoſanienſem*, Ao. 1592. 4. Similia ſcripta ſunt: *Pax non Pax*, ſeu rationes aliquot, quibus Confœderationis Euangelicorum cum Catholicis pacem, nullo modo veram eſſe pacem, breuiter oſtenditur, A. 1615. 4. cui oppoſitus eſt Tr. *Pacatus Impacatus* &c. itemque *Pacatus Impacatus ad Examen vocatus*, *Cracou.* 1616. 4. Addi poſſunt Rationes, quod non expediat nouam Academiam Leopoli PP. Soc. I. erigere, (regnante I. CASIMIRO, vt coniicimus, compoſitæ) in quibus præcipue C decus & auctoritas Academiæ Cracouienſis ſtabiliuntur, in 4. (3) Eriſticis ſcriptis adhuc annumerari debet *Stanislai* Orichovii *Roxolani*, Chimæra, ſiue de Stancari funeſta Regno Poloniæ ſecta, *Colon.* 1563. 8. Non importune hic quoſdam allegabimus, quæ de conſtitutione regiminis & iurium eccleſiaſticorum egerunt. Ita *Andr.* Olszowski edidit L ſingularia Iuris Patronatus R. Polon. ſed ſuppreſſo nomine, quibus probare voluit ius conſtituendorum Abbatum Regi competere. Et quodammodo huc referri poteſt *Laur.* Nicolart Theol. D. Protonotarius Apoſtolicus & Canonicus Leodienſis, qui compendioſam praxin beneficiariam ex concordatis Germaniæ, POLONIÆ, Galliæ, cum ſede Apoſtolica & Clero Leodienſi. *(4)* Alias quoque Acta & Conſtitutiones variæ Synodorum, Metropolitanæ Eccleſ. Gnesnensis, Prouincialium, diuerſis temporibus editæ fuerunt, vt 1.) Formula fidei tradita in Synodo prouinciali, Louicii in Polon. celebrata 1556. XI. *Sept.* præſidentib. in ea Nuncio Apoſt. *Aloyſio* Lipomano, Epiſc. Veronenſi, & *Nicol.* Dziergowski, Archi Ep. Gneſn. quæ vna cum Confeſſ. Christophori, Duc. Wurtenb. Concilio Trid. d. 14. *Ian.* 1552. oblata, excuſa eſt *Regiom.* per *Io. Daubmannum*, 1556. 8. 2.) Confeſſio fidei catholicæ in Synodo Petricouienſi facta per *Stanislaum Hoſium Mogunt.* 1557. f. eademque germanice *Ingolſt.* 1560. 3.) *Hieron.* Povodovii Agenda ſeu Ritus Sacramentorum eccleſiaſticorum, ad vniformem eccleſiarum per vniuerſas prouincias R. Poloniæ officio Romano conformati, & ex decreto ſynodi Petricouienſis Cracou. 1591. f. editi. 4.) Gneſnenſis Metropolitanæ Eccleſiæ Conſtitutiones Synodorum Prouincialium &c. *Crac.* 1574. 4. 5.) Concilium Prouinciale Regni Pol. quod *Bern.* Maciejowski, Archiep. Gneſn. habuit Petricouiæ, 1607. *Cracou.* 1630. 4. (5) 6.) Synodus Prouinc. ſub Illuſtr. Dn. *Laurentio* Gembicki, Archi-Ep. Gneſn. Petricouiæ, A. 1621. d. 26. *April.* celebrata, *Cracouiæ* 1624. 4. 7.) Synodus Prouinc. Gneſn. ſub Illuſtr. Dn. *Io.* Wężyck, Archi-Ep. Gneſn. Petricouiæ, A. 1628. d. 22. Maii celebrata, *Cracou.* 1641. 4. Oratio in hac Synodo a *Ioanne* Fokio, Archidiacono Cracouienſi d. 22. Maii habita, & actis Synodalibus inſerta ſeorſim quoque prodiit. 8.) Conſtitutiones Synodorum Prouincialium, autoritate (Synodi) Prouincialis Gembicianæ per Deputatos recognitæ, iuſſu Illuſtr. Dn. *Ioh.* Wężyck, Archi-Ep. Gneſn. *Crac.* 1630. 4. 9.) Synodus Prouinc. ſub Eodem, Varſauiæ, A. 1624. d. 13. *Nou.* celebrata. *Cracou.* 1636. 4. 10.) Synodus Prouinc. ſub Illuſtr. Dn. *Matthia* Lubienski, Archi-Ep. Gneſn. Varſauiæ, A. 1643. die 8. *Nou.* celebrata. *Ib.* 1646. 4. 11.) Chelmenſis Synodus *Matth.* Lubienski 1624. 4. Quibus addantur ex Pruſſicis, Synodus Culmenſis & Pomeſaniæ *Caſp.* Dzialinski anno 1641. 4; Conſtitutiones Synodales Diœceſis Varmienſis per *Simon.* Rudnicki, &

i 3 *Mart.*

(1) Add. Equitis Poloni in Ieſuitas actio prima. 1590. 4. & *Mart.* Siscovii Canonici Cracouienſis pro religioſiſſimis S. I. Patribus contra ficti equitis Poloni actionem primam oratio. *Ib.* e. a. 4.

(2) Et *Edimburgi* a. 1615. recuſum, bono publico, vt habet titulus, omnium Academiarum Germaniæ, Galliæ, Italiæ & Poloniæ. Origo litis inde pullulauit, quod vniverſitas ſolennibus ob conſecrationem Ignatii non interfuerat, & molientibus Cracouiæ Academiam Ieſuitis palam reſtiterat.

(3) De natione Polona in Vniuerſitate Patauina, ac ei. Bibliotheca, agit *Iac. Phil.* Tomasinus Gym. Patau. p. 53.

(4) De Legatione nata, de principatu & priuilegiis Archiepiſcopatus Gneſnenſis, editus eſt liber 1677. f.

(5) Pr. etiam *Cracou.* 1609. 4. edente Archiepiſc. Gneſnenſi, *Alberto* Baronovvski.

Mart. CROMERVM, Epiſc. Varmienſes,*Brunsb.* 1612. 4. Vox catelli paſtoritii penes ouile Chriſti *Adalb. Gabr.* STAVVOSZ. Oliuæ 1679. A 8. editus,huc,vt quidem nonnullis videri poſſet,non pertinet, ſed eſt acerba in evangelicos ſatyra.

Antequam hinc pedem vlterius promoueamus, liceat nobis adhuc indicare nonnullos Scriptores, qui memorias quorundam Polonorum vitæ & doctrinæ claritate inſignium, ſcriptis conſeruarunt. (1) Hos inter (præter libros § III. allegatos) facile eminet, totius qui Sarmatiæ Patronus audit, STANISLAVS Sanctus, Epiſcopus olim Cracouienſis, de quo Commentariolum ſcripſit *Hartman.* SCHEDELIVS, Med. D. qui extat ap. *Piſtor.* T. 1. f. 165. Vitam autem, geſta & miracula *Mart.* BARONIVS Clericus Iaroslauienſis Cracou. B 1609. 4. Vitam eius exhibet etiam SVRIVS in vitis Sanctor. T. 2. p. 634. canonizationem prolixe deſcribit *Dlugoſſus* Annal. l. VII. ad a. 1253. S. CASIMIRI, Polon. Principis Regii, Regnique Pol. Tutelaris, ſupra §. XV. facta eſt mentio. Celebritatem qua imago eius ex VRBE Vilnæ illata eſt ſub titulo *Pompæ Caſimirianæ* poemate heroico deſcripſit, quanquam omiſſo nomine *Laur.* BOIERVS *Holmia Suecus*, S. I. Brunsb. 4. *B. Stanislaum* KOSTKA, S. I. bello ad Chocimum Dacico contra Osmannum, Turc. Imperatorem, Auxiliarem, tanquam *Propugnaculum Tutelare*, ſub Auſpiciis *Chriſtoph.* ZEGOCKI, nominati E- C piſc. Chelmenſ. in Regali Baſilica Principum Apoſtolorum Petri & Pauli, VI. *Kal. Nouembr.* 1669. aliquot Carminibus repræſentauit Collegium *S. I.* CRACOV. *ib.* 1669. f. Vitam eius ſcripſiſſe dicitur *Franc.* SACHINVS. Orationem protrepticam de eo edidit *Chriſtoph.* CHODKIEWICZ. Cracou. 1606. 4. Officium eius, cum vitæ compendio *Cracou.* 1632. ib. editum, a *Franc.* STANISLAO S. I. Polono latine verſum eſſe docet SOTVELLVS, & ex eo PLACCIVS in Theatr. Anon. n. 2761. (2) *Mart.* BARONII, quem modo allegauimus vitæ geſta & miracula V. fratrum Polonorum Eremitarum Caſimirienſium ordinis S. Romualdi, luci expoſitæ ſunt *ib.* 1610. 4. De vita, miraculis, & actis canonizationis S. Hyacinthi confeſſoris Poloni, ord. fratr. Prædicatorum habentur IV. libri F. SEVERINI *Cracouienſis.* Romæ 1594. 8. Vita B. *Eſaiæ* Poloni, ord. fr. Eremitarum a. 1471. tumulati, ab eodem BARONIO conſignata, *ibid.* e. a. excuſa eſt. 4. (3) Ad hiſtoriam Sanctorum merito refertur: Honor Sanctorum reliquiis Vilnæ exhibitus, oratione ſoluta *Matthiæ Caſimiri* SARBIEVII *Vilnæ* 1631. 4. Præter hos, & quos §. XXX. iam recenſuimus nominandi ſunt. 1.) *Io.* DLVGOSSVS, Canon. Crac. cuius Vita *Tom. I.* Annal. Eius, *Dobromili* impreſſorum, præmittitur. 2.) *Io. Demetr.* SOLIKOVIVS, Archi-Ep. Leopol. cuius Teſtamentum in fine *Comment. Rerum Polonic. a morte Sigiſm. Aug. p.* 228. ſeqq. legi poteſt. 3.) *Matth.* PSTROCONIVS ſeu PSTROKONSKI, Epiſc. primum Præmiſl. deinde Vladislau. & Regn. Suprem. Cancellarius, cuius Vitam ſtylo floridiori contexuit *Stan.* LVBIENSKI, in *Opp.* P. 2. f. 396. 4.) *Stan.* LVBIENSKIVS, Epiſc. Plocenſ. cuius Vitam, (quam ipſe, ſuorum alias in Epiſcopali cathedra Prædeceſſorum ab obliuione vindex, ſilentio inuoluit,) *Andr.* TRZEBICKI, Scholaſt. Ploc. Regiusque Secret. ſcripto expoſuit, quæ habetur dd. *Opp.* f. 389. *ſeqq.* 5.) *Mich. Steph.* RADZIEIOWSKI, Card. Archi-Ep. Gneſn. ante ann. hic loci defunctus, cuius Teſtam. ſeorſim 4. lat. pariter & germ. excuſum eſt. Vitæ eiusdem deſcriptio germanica pr. *Colon.* 1704.

(1) Elogia Diuorum Tutelarium diœceſis Cracouienſis, a congregat. aſſumptionis Deiparæ, apud S. I. iſtic inſtituta dicata *Martino* SZYKOVVSKI Epiſc. Cracou. pr. *Cracou.* 1617.

(2) Eundem amore diuino actuantem ode alcaica decantauit *Iac.* WALLIVS quæ exſtat p. 257. in Ei. Poematibus vna cum *Sidronii* HOSCHII, & *Guilielmi* BECANI carminibus Lugd. Gall. 1688. 2. edit.

(3) B. *Eſaiæ* BONERI, Auguſtiniani & Theol. Doct. vita pr. *Cracou.* 1610. ex qua de illo agit BZOVIVS ad a. 1471. n. 34. ſeq. & non ſatis accurate eum ſecutus *Simplicianus* a S. MARTINO in hiſt. Auguſtin. P. IV. c. 19. Quippe qui integro ſeculo recentiorem facit, Rectior eſt MERERA in Alphab. Auguſtiniano. Optimi autem BOLLANDVS & HENSCHENIVS in Act. Sanctorum m. Februar. T. II. p. 214. eandem quidem biographiam ſecuti, ſed emendatam à *Frider.* SZEMBEK S. I. quem non ſolum Poloniæ Regibus in conquirendis ac diſtribuendis reliquiis operam nauaſſe, ſed & Sanctorum aliquot Polonorum vitas procuraſſe, ex Alegambii Bibliotheca memorant. Viuum exemplar apoſtolicæ conſtantiæ: B. *Stanislaus* CASIMIRITANVS Profeſſor quondam in Acad. Cracouienſi, Sac. Theol. D. & e congreg. S. Saluatoris Lateranenſ. Canonicus regularis, pio labore *Mich. Aquilini* GORCZYNSKII I. Canon. & S. Theol. D. & Pr. eiusdem congregationis, expoſitum. *Cracouiæ* 1702. 4. Autor qui lingua polonica ſcripſit, dum recenſet diui miracula prouocat ad *Chriſtoph.* LONIEVVSKIVM, qui a. 1616. & *Stephanum* RANATOVVICIVM, qui eadem a. 1660. conſignauit. Excerpitur lib. in Act. Erud. Suppl. T. IV. p. 260. & ſeq. M. *Adamus* PATOVIVS S. Theol. Pr. Cracou. & ad S. Annam Decanus, vitam *Ioh.* CANTII S. Theol. D. & in eadem Acad. Profeſſoris, pro beatificatione illius conſequenda collegit, & deſcripſit. *Cracou.* 1628. 4.

1704. 4. (1) Superſunt *Vinc.* Kadlubko, *Pet.* Kmita, *Io.* Dantiscus ac *Stan.* Hosius; ſed de duobus prioribus ſupra iam diximus; ceterorum vero infra rationem habituri ſumus, vbi ad res Pruſſicas peruenerimus. Vltimo loco indicandũ, quod animaduerti allegari centuriam clariſſimorum virorum Polonorum, & Lithuanorum, iuxta alphabeti ſeriem in 4. loco & anno editionis non expreſſo, mihi quidem non viſam. De Bibliothecis Polon. & Pruſſ. vid. *Lomeier.* c. X. p. 266.

§. XLIX.

Libri, CONFINIVM PROVINCIARVM Hiſtoriam illuſtrantes.

Ducimus quoque inſtituto conuenire, vt, poſtquam de Polonicæ Hiſtoriæ Scriptoribus egimus, quædam adiungamus de Scriptoribus aliarum CONFINIVM PROVINCIARVM, quæ cum Polonia in vnam Remp. coaluerunt. Quales in genere ſunt, qui partim apud *Piſtorium*, partim apud *Guagninum*, partim in *Republ. Elzeuiriana*, in compendio exhibentur. *E Tomo I.* Corpor. Hiſtor. Polonicæ à *Piſtorio* collecti, huc faciunt: *Æneas* Sylvius, *fol. 1. 2. & 4.* *Alex.* Gvagninvs, *f. 40. 49. & 64.* *Matthias* Miechoviensis, *f. 142. 146.* *Sigism. L. B. in* Herberstein, *f. 155. 156.* *E Tomo II.* iterum *Alex.* Gvagninvs *f. 380. 398.* (*conf. §. XXX.*) E *Tomo III. num. V.* Fragmentum *Sigismundi* Herbersteinii *f. 13 - 15.* *num. IIX.* Tertii belli à Moſcorum Imperatore contra Liuones, 1558. geſti, Deſcriptio *f. 55 - 64.* quæ etiam ap. Frehervm *T. III. Rerum Germ. f. 39 46.* reperitur *num. XV.* *I.* Levvenclaii ſeu Levenclavii Comment. de Moſcorum bellis aduerſus finitimos geſtis, ab annis iam LXX. quibus, antea per Europam obſcuri, paulatim innotuerunt *f. 128 - 136.* & Epiſtola Moſci ad *Guilhelmum*, Magiſtrum Ord. Teutonici, vbi cauſas belli ſuſcepti contra Liuones exponit, *f. 136.* Horum Tractatuum nonnulli etiam in *Collect. Francofurtana*, quæ *Alex. Guagnini* nomen gerit, leguntur inſerti, vbi præterea ſeorſim habentur: *T. I. p. 346.* Nouæ Gubernationis Liuoniæ forma, recens à STEPHANO R. P. inſtituta 1583. *Tom. II. p. 105.* Pruſſiæ cum ſuis Prouinciis & Ciuitatibus, omniumque Magiſtrorum Crucigerorum Teutonici Ordinis, iuxta ſeriem, compendioſa Deſcriptio; *Ib. p. 141.* Liuoniæ totius cum ſuis Prouinciis, Ciuitatibus, Caſtris, & Commendaturis ſeu Palatinatibus, &c. ſuccincta Deſcriptio, cui addita eſt breuis Narratio, quomodo hæc regio in ius Inuictiſſimi Regis Pol. SIGISMVNDI AVGVSTI, ceſſerit, & quo pacto à Moſcorum Principe, & Rege Suec. diminuta fuerit. Ex *Rebusp. Polon. &c. Elzeuir.* huc referri debent: Excerpta de Valachia, ex Thvani *Hiſt. Lib. LVIII. p. 254.* De Lituanæ Gentis origine & moribus, ex *Alex.* Gvagnini *Sauromatia Europæa*, *p. 256.* Quædam ad Lithuaniam pertinentia ex fragmentis Michalonis *Lithuani*, *p. 265.* De Ducatu Samogitiæ ex *Alex.* Gvagnino *p. 274.* *Iohannis* Lasitii, *Poloni*, de Diis Samogitarum, ceterorumque Sarmatarum, *pag. 291.* qui Tr. ſeorſim prodiit *Baſil.* 1615. 4. (2) Articuli conſtitutionum bellicarum M. D. Lituaniæ in Comitiis generalibus conſtituti, & à *Gregorio* Chodkiewicio, Supremo & Generali copiarum Imperatore, confirmati & militibus imperati, *p. 309.* Pruſſiæ cum ſuis Prouinciis & Ciuitatibus compendioſa Deſcriptio ex *Alex.* Gvagnino, *p. 318.* Origo & ſeries Principum Teutonici Ordinis, *p. 343.* Liuoniæ deſcriptio cum addita Narratione, quomodo hæc regio in Ius R. P. SIGISMVNDI AVG. ceſſerit, *p. 366.*

§. L.

In ſpecie, Hiſtoriam Lithuaniæ.

Ex his Prouinciis tres inprimis eminent, in quarum hiſtoria euoluenda Scriptores laudabilem poſuerunt induſtriam, nempe Litvania, Livonia & Borvssia; quorum Scriptorum Catalogum breuiter iam, ſeruato certo ordine, texemus. Et quod primum Litvaniam attinet, eius Annales conſignauit *Matthias* Strykovvski Ossostevicivs, Canonicus Samogitiæ, Vir (teſtimonio *Koialouicii*) ſua ætate pereruditus, in hiſtoria Lithuanica, quæ Polonice, 1582. *Regiomontanis* typis in *fol.* apud *Georg. Oſterbergium* exſcripta eſt. Auctor huius hiſtoriæ, notante paſſim *Hartknochio*, Libros *Alex.* Gvagnini, *de Sarmatia Europæa*, (quos ſupra §. VI. recenſuimus,) non vno in loco ſibi vindicat: teſtatur enim, *Lib. VI. Hiſtor. Lituan. c. 13.* in editione Sarmatiæ Europeæ *Spirenſi* a. 1581. f. excuſæ & alibi paſſim, DEVM T. O. M. quod Guagninus ille Italus „ne primis quidem Heliconis fontibus labra „admouerit, literarumque prorſus expers, ſibi „hunc laborem, cum ſtipendia mereret, ſurripuerit. (3) Sed vt ad *Strykouium* noſtrum redeamus, Liber eius, cum Polono ſermone

(1) *Matthiæ Caſimiri* Sarbievii elogium, comptiſſima ad eundem elegia cecinit *Sidronius* Hoschivs S. I. quæ exſtat inter Eleg. eius p. 95. ſeq. Eiusdem Lyram Europæos Principes ad S. Bellum excitantem ode alcaica elaboratiſſima celebrat *Iacobus* Wallivs l. c. p. 271. ſeq. Pauli Poloni a. 1549. Prof. libri III. Auicennæ in Vniuerſ. Patauina mentio fit in Tomaſini Gymn. Patau. p. 327. & Stanislai Poloni Sophiſticæ a. 1548. Profeſſoris ibid. p. 337. nec non Laurentii de Polonia Vice Rectoris Vltra montanorum ib. p. 173.

(2) Michalonis *Lithuani*, de moribus Tartarorum, Lithuanorum & Moſchorum fragmina X multiplici hiſtoria referta, & *Ioh.* Lasicii Sched. de Diis Samogitarum &c. religione Arminianorum & initio regiminis STEPHANI *Batorii* iunctim per *Io. Iac.* Grasservm pr. *Baſil.* 1615. 4.

(3) Strykovio eam quoque tribuit Staravolsc. in Elog. Script. Pol. p. 52.

mone conſcriptus, exterorum vſibus plane inutilis eſſet, domi vero, diſtractis pridem paucis exemplaribus, breui interiturus videretur, nouo operi manum admouit *Albertus* WIIVK KOIALOVVICZ, S. I. Th. D. *qui* latino idiomate Hiſtoriam Lituanam ſcripſit, cuius Pars prior Libris IX. prodiit *Dantiſci* per *Færſterum*, 1650 poſterior (quæ rarius comparet) *Antuerp.* Anno 1669. in 4. In hac hiſtoria Auctor ita verſatus eſt, vt maxime notabilia ex Annalibus *Matthiæ* STRYKOVII excerpſerit, inque meliorem ordinem redegerit. Præterea ANONYMI Auctoris, Rerum in M. Ducatu Lithuaniæ per tempus rebellionis Ruſſicæ (A. 1648.) geſtarum Commentarius, Libris II. conſtans, prodiit *Elbingæ*, typis *Achatii Corellii* 1655. 4. vbi etiam obiter & ſuccincte attinguntur, quæ in annexis Regno Pol. Prouinciis eodem tempore euenerunt. Vitam & mores Lithuanorum in Boruſſia ſub diſtrictu Inſterburgenſi & Ragnicenſi degentium, breui Delineatione adumbrauit *Eberb.* Wagner / *Inſterb. Bor. Regiomonti* typis *Oſterbergerianis*, 1621. 4. Ad ſtatum *Eccleſiaſticum* præter REGENVOLSCIVM & LVBIENIECIVM, ſupra adductos, faciunt *Alberti* WIIVK KOIALOVICII, S. I. Miſcellanea rerum ad ſtatum Eccleſiaſticum in M. Duc. Lithuan. pertinentium, *Vilnæ* 1650. 4. edita; Itemque *Stanisl:* CHOCULOVVSKI, quondam Ord. Franciſcanorum in Conu. Vilnenſi Guardiani, nunc conuerſi, Epiſtolæ V. quas de Epiſcopo Litigioſo (ita enim titulus habet,) & ſeditionum in Eccleſia Dei & in Rep. Concitatore, *Conſtantino Brzoſtowski*, Epiſc. Vilnenſi, nulla mentione loci (quem tamen *Rigam* eſſe quidam putant,) facta, 1695. in fol. vulgauit, atque *Ordinibus Fæderatar. Belg. Prouinc.* inſcripſit. In quibus V. Epiſtolis ad *Henr.* LIPSENBERGIVM, *Bohemum*, (cuius Reſponſum in fine fol. 116. Epiſtolam VI. abſoluit) ſcriptis, etiam literæ aliorum, *Andreæ* nempe SANCTACRVCII. Nuncii Apoſt. *Caroli* Principis RADZIVVILI, M. D. L. Pro-Cancell. itemque *Caſimiri* SAPIEHÆ, Palatini Vilnenſ. Supremi Exercit. M. D. L. Ducis, &c. Forma item Excommunicationis contra *Caſimirum Sapieha* A. 1694. promulgatæ, & alia Inſtrumenta publica decretaque exhibentur. (1) Ius Lithuanicum concernunt Deciſiones *Petri* ROYZII, *Maurei Alcagnicenſis*, Regis Pol. ICti, de Rebus in ſacro Auditorio Lithuan. ex appellatione iudicatis, ad Sigismundum Auguſtum, P. R. quæ prima vice prodierunt *Cracou.* 1563. 4. & poſtea *Francof. ad M.* vna cum Deciſionibus Senatus Pedemontani, & Parlamenti Pariſienſis per *Petr.* FABRICIVM, impenſis *Hier. Feyerabendii*, A. 1570. f. recuſæ ſunt. Statutum Lituaniæ conſenſu VLADISLAI IV. totiusq; Reip. Pol. editum eſt *Varſau.* 1648. f. lingua polonica. Alia ſcripta huc pertinentia, vt KOLVDZKI Promptuarium, *Sam.* KVSZEVVICZ Collectanea, &c. ſupra iam memorata à nobis fuere.

§. LI.

Liuoniæ.

Hiſtoriam LIVONICAM ſpeciatim ex antiquis deſcripſerunt *Balthaſar* RVSSOVVIVS, Præco Verbi Div. Reualienſis, qui lingua germ. inſer. Chronicon huius Prouinciæ vsque ad A. 1578. ſecunda vice edidit *Roſtochii*, 1578. 8. per *Auguſtin. Ferberum*, quod poſtea auctius ad A. 1583. vsque perductum, Tho Bart per *Andr. Seitnerum*, 1584. 4. excuſum eſt. Deinde extat *Salomonis* HENNINGII, *Vinarienſis*, Duci Curland. à Conſil. Chronicon Liuoniæ & Curlandiæ ab A. 1554. ad 1590. tempore diuturni belli Moſcovv. germ. lingua exaratum, quod *Lipſiæ 1594. in folio* publicatum eſt. Hiſtoriam belli Liuonici, quod Dux Moſcouiæ aduerſus Liuones geſſit, deſcripſit *Tilemannus* BREDEMBACH, Canonicus Dorpatenſis, *Duaci*, 1565. 8. quæ inſerta eſt *Rerum Moſcouit. Scriptor. p. 210.* De *Laurent.* MÜLLERI Hiſtoria Polonica, Liuonica & Moſcouit. germ. exarata, acta ſupra §. XVI. Germanico etiam ſermone prodiit *Matthæi* (quem B. *Hartknochius* vbique *Thomam* ſalutat, eumque plagiariis annumerat) WAISSELII, *Bartenſteinenſis*, Paſtoris Lanckheimenſis Chronicon vetuſtarum rerum Pruſſicarum, Liuonicarum & Curonicarum, (Preußiſch. Liefflándiſcher und Churl. Sachen.) *Regiom.* 1599. 4. quod ad A. 1525. quo ALBERTVS, relicto Ordine Teutonico, Dux Pruſſiæ factus eſt, extenditur. Ex recentioribus vero, in Liuonica hiſtoria deſcribenda occupatus fuit *Caſparus* von CEVMERN, *Salcenſis Sorabus*, primum Aduocatus, deinde Secretarius Ordin. Equeſtris, poſt Adſeſſor & Vice-Præſes iudicii Aulici Dorpatenſis, tandemque Conſiliarius Prouincialis in Duc. Liuoniæ, qui Theatridium, vt appellat, Liuonicum (Kleine Liefflándiſche Schau-Bühne /) edidit, quo non tantum omnium Epiſcoporum & Archi-Ep. vt & Magiſtrorum Ord. Mariani, ſiue Templariorum, Regumque nomina, ordine Chronologico, vsque ad A. 1621. quo vrbs Riga in Suecorum poteſtatem tranſiit: Sed etiam Catalogum vrbium, arcium & monaſteriorum, prout A. 1555. ante Moſcorum irruptionem ſe habuerunt, earumque Eccleſias, Nomenclaturamque Nobilitatis tum extinctæ, tum hodie florentis, Priuilegia quoque cum in antiqua inferior. Saxon. lingua, tum in latina, Nobilitati quondam conceſſa, germanice verſa, Monetæ deni-

que

(1) Ad hæc Lithuaniæ Miſcellanea pertinet narratio de Caſim. Liſzynski, Equ. Atheiſmi accuſato & propter eum a. 1689. d. 30. Viln. capite plexo. ex qua de eodem agit Tentzelius in Colloq. Menſtr. a. 1689. p. 981. & ſeq. De eodem nonnulla habet Cl. la Croze in Colloq. div. *Colon.* 1711. 8. gallice editis verſus finem.

que antiquæ valorem ſuppeditat; quod Opuſculum prodiit *Rigæ* 1690. 4. Eodem ſtylo Liuonicam hiſtoriam vna cum Eſthonica & Lettica nobis exhibuit *Chriſtian.* Kelchius, Paſt. ad D. Ioan. Ieruæ in Ducatu Eſtlandiæ, quod Opus V. Libris diſtributum, & ad An. 1690. perductum, lucem adſpexit *Rudolphſt.* 1695. 4. (1) Extat quoque Anonymi Neu-eröffnetes Liefflandiſches Theatrum, vorſtellend eine kurtz-gefaßte Erzehlung der Liefflandiſchen alten und neuen Geſchichte und Regiments-Veränderungen/ A. 1701. 4. Anglico ſermone ante paucos annos prodiit Anonymi Narratio de Liuonia (*An Account of Livonia*) vna cum Hiſtoria originis, progreſſus & interitus Ord. Teutonici Mariani, nec non de Ducatibus Curlandiæ & Semigalliæ, & de diſtrictu Piltenſi, adiecta deſcriptione Itineris ex Liuonia in Belgium A. 1698. facti, *Londini* 1701. 8. cuius Libri excerpta legi poſſunt in *Iacobi Bernardi Nov. Reip. liter. A. 1701. T. 2. p. 603. ſeqq.* & in *Act. Erud. Lipſ. 1702. p. 262.* (2) Diſtrictus Piltenſis reuocat nobis in memoriam ſummariæ deductionis iuris, Illuſtriſſimis Curlandiæ Ducibus in diſtrictum Piltinenſem competentis. f. & Summariæ demonſtrationis epiſcopatum Piltinenſem ſubeſſe S. R. M. totiusque Reipublicæ ordinationi, & ius vindicandi ſeu eximendi huiusmodi epiſcopatum poſſe concedi illi epiſcopo, cui ſalubriter S. R. M. & R. P. cenſuerit expedire. Originem gentis Curlandiæ & mores duabus diſſertationibus recenſuit M. *Sam.* Rhanævs, *Gremidena-Curlandus. Vitenb. 1683. 4.* Reſp. *Io. Chriſtoph.* Ernesti *Thuringo.* (3)

§. LII.

Miſcellanea Liuonica.

Minoribus magisque ſpecialibus Liuonicæ Hiſtoriæ ſcriptis accenſenda Liuoniæ Hiſtoria in compendium ex Annalibus contracta, à *Thoma* Hornero, *Egrano*, cui acceſſit *Iohannis* Menetii ſeu Meletii de Sacrificiis & idololatria veterum Liuonum & Boruſſorum Libellus, in Academia *Regij Montis* excuſus per *Ioh. Lufft*, 1551. 4. de quo infra §. LV. In ſpecie Encomion vrbis Rigæ, Liuoniæ emporii celeberrimi, approbante *Ioh.* Simonio, Prof. Eloq. Roſtoch. exercitii gratia ſcriptum & publice recitatum ab *Henr.* ab Vlenbrock, Riga-Liuono, *Roſtoch.* 1615. 4. Sic & *Claudius* Arrhenivs Oernhielm, S. R. M. Suec. Hiſtoriographus, in *Vita illuſtriſſimi Herois Ponti de la Gardie*, Exercituum Suec. Supremi Ducis, regnante IOANNE III. Suecorum R. glorioſiſſimo, *Lipſiæ*, 1690. 4. edita, totius fere Liuoniæ hiſtoriam complexus eſt. Sub Præſidio Dn. *C. S.* Schvrzfleischii, A. 1700. d. 28. April. Liuoniam certis propoſitionibus comprehenſam, publice defendit M. *Herm.* Becker, *Liuonus*; qui etiam ſeorſim Hiſtoriam Eccleſiaſticam huius Gentis, diu deſideratam illuſtrauit, propoſita, Reſpondente *Chriſtiano Braunſchwigio*, Belgardia Pomerano, *Viteb. d. 22. Maii*, eodem adhuc anno, Diſſertatione, cui titulus: *Liuonia in ſacris ſuis conſiderata*, vbi argumentum hoc in tria diſtinctum capita exhibuit, quorum primum de impio Liuonorum cultu, alterum de religionis cultu in Eccleſia Rom. recepto, tertium de renouato & inſtaurato per D. Lutherum cultu, agit. Eruditum ſcriptum eſt Dn. *Henr. Leonh.* Schvrzfleischii, qui *Conradi Samuelis* Frater digniſſimus, Hiſt. Prof. in Academ. Vitebergenſi claret, Hiſtoria Enſiferorum Ordinis Teutonici Liuonorum, publicata *Vitenb.* A. 1701. 8. De quo Ordine Celeberr. *Frater* Diſſertationem breuem, antea in lucem ediderat Viteb. 1685. in 4. Reſp. *Andrea Hornung* Rev. Liuono. Iuuabit quoque ad notitiam huius Prouinciæ Diſſert. hiſtorica de Ciuitatibus Hanſeaticis cum in genere, tum de nonnullis ac præſertim Liuonicis in ſpecie, in florentiſſima propter Salam Vniverſitate, Præſide M. *Vdalrico* Heinsio, ac Reſpond. *Henr. Meiero*, Riga-Liuon. A. 1684. habita. (4) Pariter in *Ant.* Varillasii *Hiſtoria de Reuolut. Europæ in materia religionis*, (gallice edita, *Pariſ.* 1690. 12.) *T. 5. lib. 24. in fine*, quædam, quamuis odioſe ſatis, referuntur, quæ à Gotthardo Ketlero, Liuonici Ord. Magiſtro, in religionis mutatione, & accepto à Rege Pol. Curlandiæ Ducatu acta fuere. Ius Liuonicum edocebit *Dionyſius* Fabri, e Pomerania oriundus, Vir doctus, qui ob inopiam ſcholarum in Liuonia, circa A. 1538. Liuonicos Proceſſus Iuris, quinque Libris conſtantes, in lucem emiſit, vt habet *Herm.* Becker/ *in Liuonia in ſacris ſuis conſiderata, c. 3. §. 4.* Prodiit quoque *Friderici* Menii in Acad. Dorpat. Iuris Prof. Hiſtoriſcher *Prodromus* des Liefflandiſchen Rechtens und Regiments/ Dorpt. 1633. 4. Ad notitiam Autorum, qui Rigæ ſcripta quædam publicarunt, proderit *Io. Ioach.* Phragmenii, *Rigenſis*, Diſſ. de Riga li-

(1) Huc referenda eſt M. Z. Topographia Liuoniæ, quæ germanico idiomate inſertis præcipuarum vrbium figuris, & totius regionis tabula geographica, deſcripta & ſubiuncta eſt. *Ej.* Topographiæ Electoratus Brandenburgici, quæ inter Topographias Merianeas partem XIII. conſtituens *Francof. ad Mœn.* 1652. f. prodiit.

(2) Gallice pr. *Vitrai. 1705. 8.*

(3) *Ioh. Arnoldi* de Brand, I. V. D. & Prof. Duisb. itineris quod in legationis Brandenburgicæ comitatu per Marchiam, Boruſſiam, Curoniam, Liuoniam &c. in Moſcouiam fecerat, deſcriptionem germanicam poſt fata Autoris ed. *Henr. Chriſtianus* Henninivs. *Weſal.* 1702. 8. cum fig. æn.

(4) Et in germanicum tranſlata *ibid. 4.*

literata, quam Præſide Dn. D. *Zach.* GRAPIO, *Roſtochij* 1699 eruditorum examini ſubmiſit. Faciet ad hanc claſſem quoque Transactio inter A WILHELMVM, Archi-Ep. Rigenſem & Magiſtrum Ord. Liuon. ac SIGISMVNDVM P. R. per Commiſſarios Imperii Rom. 1557. *d. 5. Sept.* confecta, quæ extat in *Dauid.* CHYTRÆI Saxon. *f. 967. ſeqq. edit. Lipſ. 1611. fol.* Idem Auctor, Nobilitatis Liuonicæ priuilegium, (quod etiam Generoſus Dn. von CEVMERN P. 2. p. 61. ſeqq. exhibet,) cum adiecta ſerie primorum Liuoniæ Epiſcoporum & Archi-Ep. Rigenſium, quibus breuia epigrammata ſubiunguntur, Appendici *Libr. cit.* inſeruit, f. 974-980. quorum, vt & Magiſtrorum Ord. Catalogum, ſupra iam f. 18-21. ferme dederat. In Liuonia, Regibus Pol. adhuc ſubiecta, *generales*, vt vocantur, *Reuiſiones* duæ inſtitutæ ſunt B quarum prima, auctoritate STEPHANI R. P. A. 1582. per *Stanisl. Pekoslowski, Io. von Thieſenhuſen, de Berſon, Theod. Skumin, Daniel. Hermannum & Samuel. Cerasin* inſtituta; altera iuſſu SIGISM. III. 1599. per Reuiſores ſiue Commiſſarios, vt vocant, octo, quorum caput erat *Io. Demetr.* SOLIKOVVSKI, facta eſt. Atque Hic, commiſſione finita, Rigæ *d. 28. Sept.* 1599. in ſupremo diſceſſu egregiam ad Liuoniæ incolas orationem habuit, quæ ſequ. Anno 1600. typis *Acad. Samoſc.* exſcripta, & hoc titulo vulgata eſt: „Ad Liuones Reuerendiſſi„mi in Chriſto Patris & Dn. D. *Io. Demetr.* „SOLIKOVVSKI, Dei & Apoſt. Sedis gratia, Ar„chi-Ep. Leopol. & R. P. ac M. D. Lith. in Li- C „vonia cum aliis Collegis Generalis Commis„ſarii, Paterna & Amica Paræneſis, *Samoſci* „1600. 4. Fuerunt illi Collegæ ſeqq. D. *Leo Sapieha*, M. D. L. Cancell. *Georg. Schenking*, Caſtell. Vendenſ. *Matthias Leniek*, Caſtell. Derpatenſ. *Petr. Oſtrowski*, *Bertram. Holtzſchur*, Succam. Dorpatenſes, *Ioh. Vilczek*, & *Dav. Hilcken*, Secretarii Regii, vti in fine ex Allocutione *Solikouij* eluceſcit. Seorſim Conſtitutiones Liuonicæ poſt ſubmotum ex Liuonia Moſchum à STEPHANO P. R. ſancitæ, *Cracou.* primum in officina *Nic. Scharffenbergeri*, 1583. 4 editæ, mox hic *Gedani* elegantioribus typis recuſæ ſunt. Quibus addantur Conſtitutiones Liuonicæ SIGISMVNDI III. 1589. 4. Noua D Singularia de fame memorabili, quæ A. 1602. in Semigallia ſub FRIDERICO Duce accidit, german. conſuetudine per *Frider.* ENGELCKE, Paſtorem Liu. *Reg.* 1603. 4. prodierunt. Habentur etiam Epiſtolæ duæ Hiſtoricæ, prior, qua Rigenſes ad Seren. SIGISMVNDVM III. R. P. cauſas perſcribunt, ob quas ſe vrbemque ſuam, Liuoniæ metropolin, in poteſtatem Seren. GVSTAVI ADOLPHI, Suec. Regis, & quibus conditionibus dederint: poſterior CHRISTOPHORI RADZIVILII, Principis Birzarum, &c. inuectiua contra Rigenſes, qui fortiter reſiſtere debuerunt, vernaculo ſermone impr. *Francof.* 1622. 4. Vtraque cum duabus aliis Epiſtolis exhibetur quoque in Tr. de Expugnatione Ciuitatis Rigenſis, Liuoniæ metropolis A. 1621. à Guſtauo Adolpho facta, exc. *Rigæ* p. *Nic. Mollinum* 1623. 4. (1)

§. LIII.

Hiſtoriæ Pruſſicæ Scriptores

Scriptores Hiſtoriæ Pruſſicæ, præter *Caſp.* HENNEBERGERVM & *Caſp.* SCHÜTZIVM, de quibus mox dicemus, accurate ſatis recenſuit *Chriſtoph.* HARTKNOCHIVS, Diſſ. I. *Select. Diſſ. Hiſtor. de Var. Reb. Pruſſ.* & in præf. *Pruſſiæ Vet. & Noua*, ex quo velut in compendio, præcipuos Scriptores, eosque typis editos, hic iterum repetemus, adiectis quibusdam aliis ab illo prætermiſſis. Primus vero in hoc ordine locus merito aſſignatur *Petro* de DVSBVRG, Ord. Teuton. Sacerdoti, qui ſub initium Sec. XIV. Chronicon Pruſſiæ ſcripſit, in quo Ordinis Teutonici origo, nec non res ab eiusdem Ordinis Magiſtris, ab A. 1226. vsque ad 1326. in Pruſſia geſtæ, exponuntur. Quod Chronicon cum Incerti Auctoris Continuatione vsque ad ann. 1435. cum Notis item peculiaribus in Dusburgenſem; Priuilegiis quibusdam, quæ Pruſſis antiquis conceſſa ſunt; & Diſſertationibus XIX. antea allegatis, Antiquitates Pruſſicas complexis, edidit M. *Chriſtoph.* HARTKNOCH, *Ienæ* 1679. in 4. Deinde *Eraſmi* STELLÆ, *Libanothani*, Med. D. & COS. Zuiccauienſ. duo de Boruſſiæ Antiquitatibus Libri laudari debent, de quibus ſupra §. VI. Stellam excipit M. *Georg.* RANIS, qui breue Chronicon Pruſſiæ concinnauit, quod ſine Auctoris nomine A. 1536. & iterum A. 1564. in 4. editum eſt *Elbingæ* apud *Wolffg.* DIATMARVM, quo tempore alterius Anonymi ſimile Chronicon germ. ab A. 1200. vsque ad A. 1525. *Regiom.* 1568. 4. publicauit *Io.* DAVBMANN, illius loci Typographus, qui vterque liber ſub Typographi nomine vulgo allegatur. Non minus commendari debet M. *Dionyſii* RVNAWII, *Hieropolitani Pruſſ.*, Concionatoris poſtea *Dirſauienſis*, Hiſtoria belli XIII. annorum, ab A. 1454. ad 1466. geſti, vbi adiecta Deſcriptio belli duorum annorum 1520. & 1521. inter SIGISMVNDVM I. Reg. P. & ALBERTVM, Magiſtrum Ord. nec non Ciuitatum, Caſtellorumque Pruſſiæ, iuxta ſeriem alphabeticam Recenſio, quæ omnia germanice vulgata ſunt *Vitenbergæ* ap. hæredes *Io. Krafft*, 1582. 4. Maiori ſtudio hiſtoriam rerum Boruſſicarum, vernaculo ſermone contexuit M. *Caſp.* SCHÜTZIVS, vrbis huius quondam Secretarius fideliſſimus, eamque ad A. vsque 1525. perductam, vna cum Magiſtrorum Ord. Teutonici Inſignibus, aliisque

(1) *Ioh.* NARSSIVS, *Dordracenſis*, Med. D. Rigam deuictam à GVSTAVO ADOLPHO, carmine heroico cecinit. *Rigæ* 1625. 4.

que figuris,ac Tabula geographica *Henr.* CELLII, X. Libris edidit *Serueſtæ* 1592. f. Hoc opus,ſine adiectis tamen figuris, iterum recuſum eſt,cum Hiſtoriæ Continuatione,quæ tribus Libris abſoluitur, per D. *Dauidem* CHYTRÆVM facta, & cum *Georgij* KNOFFS Deſcriptione belli à STEPHANO aduerſus Gedanenſes 1577. ſuſcepti, *Lipſ.* ap. *Henning. Groſſium*, & *Islebii* 1599. f. vulgata. Liber *Imus* Pruſsiæ memoratæ *Caſp.* SCHÜTZII antea prodierat *Regiom.* 1563. 4. Chorographicum magis ſcriptum eſt *Caſparis* HENNEBERGERI, Paſtoris primum Mülhuſini, & deinceps Regiomontani, quod titulum gerit: *Breuis veraque Deſcriptio Prouinciæ Pruſsiæ*, *&c.* german. excuſa *Regiomonti*, 1584. 4. vbi præter Tabulam chorographicam, adiecta deſcriptio germanica omnium Magiſtrorum Ord. Teutonici,à DAVBMANNO quondam edita, cum Inſignibus Magiſtrorum huius Ordinis. Ex hoc *Hennebergeri* Libro ἀυſολεξεὶ eſſe deſumta, quæ in ANONYMI *Belgæ* Chronico Pruſſiæ, eodem Belgico ſermone,*Harlemi* 1657. edito, leguntur, teſtis eſt *Hartknoch.* loc. antea cit. Idem vero HENNEBERGERVS poſtea quoque edidit ſtylo germ. Commentarium, ſiue Explicationem *Pruſsicæ Tabulæ geographicæ maioris*, quam ſeorſim primum ſatis accurate delineauerat,quæque hodie inter rariſſimas tabulas merito numerari debet. In hac vero germanica Explicatione,quæ per *Regiomontanum* prelum rurſus A. 1595. f. lucem adſpexit,& in qua etiam Inſignia Magiſtrorum Ord. Teut. iconibus expreſſa ſunt, Auctorem celeberr. in Dantiſcanos nonnihil fuiſſe iniquiorem, animaduertere licet. Quia tabulæ geographicæ meminimus, ſuccurrit mappa derer drey Werder/nebſt angräntzender Nährung und Höhe/ Autore *Olao* IOANNIS, *Gotho*. (1) De *Matthæi* WAISSELII Chronico veterum rerum Pruſſicarum, Liuonicarum & Curonicarum, mentionem iam fecimus, §. LI.

§. LIV.

Alii Scriptores Hiſtoriæ Boruſſicæ.

Ab Hartknochio etiam affertur ex veteribus *Martinus* MVRINIVS, qui ſub finem Sec. XVI. ANONYMI Chronicon germanicum Polonicæ conſuetudini tradidit, quod ſecunda vice per *Sigism. Kempinium*, Typograph. *Cracou.* 1606. editum, Thorunienſibusque, vti etiam in priori factum erat editione, nuncupatum fuit. Ex recentioribus *Io. Cap.* VENATOR, Th. D. Ordini Teuton. à Conſiliis & ſacris, Eccleſiæque Mergentheimenſis in Franconia Paſtor, *Noriberg.* Ao. 1680. in 4. germanice edidit Relationem hiſtoricam de Ordine Equeſtri Teutonico Mariano, qua res Boruſſicæ haud parum illuſtrantur, vbi adiectæ quoque ſunt plurimæ figuræ, vt & Inſignia Magiſtrorum Ordinis. Notitiam huius Ordinis inſigniter etiam iuuabunt, quæ Clariſſ. Dn. I. P. LVDOVICI, D. & Profeſſ. Halenſ. in lib. qui inſcribitur: Vertheidigtes Preuſſen wider den Anſpruch des Teutſchen Ritter-Ordens/ ꝛc. in Mergentheim/ 1703. 4. edito attulit. De ſtatu Boruſſiæ V. & Nouo orationes aliquas edidit *Andr.* CREBS I. V. D. *Francof.* ad *Viadr.* 1614. 4. qui Autor alias notus eſt edito gubernationis Boruſſiæ triumpho IO. SIGISMVNDO a Rege Poloniæ decreto. *Regiom.* 1619. 4. annumerando illis quæ ſupra recenſuimus, ad nexum quam regnum Boruſſiæ cum Polonia quondam habuit declarandum facientia. Eximia inſuper Diſſertatio eſt Dn. C. S. SCHVRZFLEISCHII, quam de Rebus Pruſſorum, *Vitembergæ* Anno 1672 in 4. habuit; ad quam etiam *Annotata* ſcripſit Anno 1674. *ibidem* in 4. publicata, typisque eius loci repetita A. 1693. in 4. Præ aliis omnibus vero de patria ſua optime meruit Vir Clariſſimus nobisque ſæpius laudatus M. *Chriſtoph.* Hartknoch/ *Paſſenheimenſ. Boruſſus.* Nam præter *Diſſertt. de Var. Rebus Pruſſic.* aliquoties memoratas, ab eius ingenio profecta eſt Deſcriptio germanica *Pruſſiæ Vet. & Nouæ*, duabus partibus comprehenſa, & cum figuris edita *Francof.* 1684. f. quæ in quibusdam conuenit cum DVSBVRGII Chronico eiusque Continuatore, in nonnullis vero etiam differt, cum plurima hic de nouo adiecta ſint, & reliqua quoque plenius vberiusque exponantur. Eiusdem Auctoris induſtriæ debemus *Pruſsiæ hiſtoriam Eccleſiaſticam*, ſtylo itidem german. contextam, & VI. Libris abſolutam, quæ prodiit *Francof.* & *Lipſ.* 1686. 4. Vtinam vero delicias ſuas antiquitatum Pruſſiæ nobis dediſſet M. *Matthæus* PRÆTORIVS *Memelenſis*. Cuius operis Syllabus materiarum ante plures annos vna & dimidia plagula 4. conſtans, palatum eruditorum ſollicitauit. Recentioribus ſcriptis annumeranda eſt Notitiæ Ducatus Pruſſiæ delineatio generalis & ſpecialis *Iac.* LYDICII, *Hohenſteina-Pruſſi*, excuſ. *Witteb.* 1677. 12. in quo tamen Tractatu Pruſſiæ Ducalis imprimis habetur ratio. Ante biennium prodiit *Germani* Adlerholdes Hochſtgeprieſenes Preuſſen/ oder umſtändliche Beſchreibung des herrlichen Landes Preuſſen/ ꝛc. nebenſt einer Verzeichnuß aller fürnehmſten Städte/ Veſtungen und Plätze/ ſamt deren Merckwürdigkeiten/ Franckf. und Leipzig 1704. 12. in quo Tr. nonnulla quoque, quæ moderna belli calamitate in Pruſſia a Suecis geſta ſunt, exponi deprehendes. (2)

k 2 §. LV.

(1) M. Z. topographia Pruſſiæ & Pomerelliæ adiectis figuris adiunct. eſt *Ei.* topogr. Electoratus Brandenb. *Francof. ad Mæn.* 1652. f. editæ.

(2) Non tamen ſatis accurate.

Miſcellanea Pruſſica, cum Eccleſiaſtica, *tum* Naturalia *&* Literaria.

§. LV.

Eandem Pruſſiæ hiſtoriam illuſtrabit *Iacobi* Zerden/ *Iuris Pract.* Bekehrtes Preuſſen/ Thorn/ 1690. 8. Ex antiquis *Io.* Meletivs, ſeu vt alibi ſcribitur, Menetivs, Archi-Presbyter Lyccenſis in Boruſſia, Epiſtolam ſcripſit ad *Georg. Sabinum*, primum Acad. Regiom. Rectorem, de *Pruſſorum veterum idololatria*, quam ipſe Auctor primum edidit *Regiomonti* 1551. 4. deinde vero Ao. 1563. eadem forma emendatam & auctam (vt titulus habet) recudi fecit *Hier.* Meletivs, Io. filius, Principi Pruſſ. ab interpret. linguæ Polon. quæ præterea extat cum Anonymi Epiſtola ad D. *Chytræum* ſcripta, de Ruſſorum religione, *&c.* A. 1582. 8. impreſſa, & *Collectioni Francof. Scriptor. Polon. T. 2. p.* 417. inſerta. Plenius de religione Pruſſorum egit *Cæleſtin.* Mislenta, Theol. Regiom. celebratiſſ. in *Prolegom. ad Manuale Prutenum, Regiom.* 1626. 8. In ſpecie de quero Romowe apud Veteres Pruſſos ſacra diſſertationem hiſtoricam locum eius & formam exhibentem ed. M. *Martinus* Ieschke *Reſp. Theodoro* Rhodman *Regiom.* 1674. 4. Poſt reſtitutam evangelii lucem pr. Warhafftiger und gründlicher Bericht/ wie und was geſtalt die ärgerliche Spaltung von der Gerechtigkeit des Glaubens ſich anfänglich im Lande Preuſſen erhoben &c. *Regiom.* 1552. De corporis doctrinæ Prutenici repetitione ſub M. *Martino* Boehm diſſeruit, *Ioh. Criſtoph.* Stiege *Pomeranus Thorun.* 1707. 4. (1) In Reformatorum gratiam, german. prodiit Breuis Relatio, de Religione Reformatorum in Boruſſia, *Hanouiæ* 1603. 4. cuius Libri auctor eſt D. *Iac.* Fabricivs, ſicut ipſe fatetur P. II. der *Probation* - Schrifft contra *Coletum* p. 723. Verum occaſione huius ſcripti alia ſimilis generis eo tempore prodierunt, quæ cum eriſtica vt plurimum ſint, h. l. recenſere nolumus; rationem potius eorum habituri, qui propius ad hiſtoriam vniuerſæ prouinciæ faciunt. Ita *Reinhardi* ab Eppingen oratio, in qua diſſeritur de Virorum illorum laudibus qui in Boruſſia & vicinis locis Chriſtianam religionem primum propagarunt, habita *Regiom.* 1626. *Æneæ* Sylvii Vita S. IVTÆ, & *Thomæ* Clagii LINDA MARIANA ſeu de Virgine Lindenſi in Boruſſia, tr. ab *Hartknochio* memorantur. Quibus addi poteſt *Fr.* Szembeck, *Cracouienſ.* Collegii Brunsberg. S. I. de Vita S. DOROTHEÆ, Pruſſiæ Patronæ, aliorumque eius Patronorum Tr. *Thorunii*, 1638. editus, & impenſis *Adriani* von der Linde/ Canonici Varmienſis, A. 1698. 8. recuſus, atque Illuſtr. Reuer. & Excellent. Epiſcopis, Palatinis, Caſtellanis, Dignitariis, vniuerſisque Statibus Terrarum Pruſſiæ dedicatus. Pariter S. WOITICHI ſeu Voicechii, alias *Adalberti*, communis Pruſſiæ Doctoris, & velut Apoſtoli Vita, reperitur ap. *Caniſium* T. V. *Antiqu. Lect. P. II. p.* 329. ſeqq. & *Laur. Surium T. II. in Vit. Sanct.* ad d. 23. *Aprilis*, ſine auctoris nomine; Sed inter Scriptores *Rerum Bohemicarum* per *Marqu.* Freherum, *Hanou.* 1602. & 1607. fol. editos, (vbi pariter extat,) Cosmæ Pragensi adiudicatur: præter quam adhuc alia ADALBERTI Vita, a *Matthia Bened.* Bollevert conſignata, ab *Hartknochio* allegatur. Extat inſuper *Stan.* Hosii, Card. Maioris Pœnitentiarii & Epiſc. Varmienſ. Vita, a *Stan.* Rescio conſcripta, quæ iuxta primam editionem, *Romæ* (vbi obiit Hoſius) 1587. impreſſam, recuſa proſtat *Oliuæ* 1690. 8. Teſtam. *Eius, Heilspergæ* 1569. ſcriptum, annectitur *Opp.* illius *Tom. II. f.* 483. vbi etiam f. 484. legitur Epiſt. *Staniſlai* Rescii de Tranſitu & Dormitione D. *Stan. Hoſii*, ad fratrem *Ioh. Hoſium* perſcripta, vt & *Eiusdem* Autoris Ode lugubris, f. 485. (2) De Vita *Nicol.* Copernici, *Thorunenſ.* Canonici Frauenb. qui A. 1543. *ibidem* demortuus eſt, peculiari Libro egit *Petrus* Gassendvs, Dicenenſ. Eccleſiæ Præpoſitus, cum *Eiusdem* L. de Vita Tychonis Brahei, *Pariſ.* 1654. & *Hagæ C.* 1655. in 4. excuſ. (3) Reſtituta Evangelii luce præclare de vniuerſa Boruſſia meruit D. *Io.* Wigandvs, vltimus Pomezanienſ. Epiſcopus, de cuius vita & obitu extat Oratio funebris, a Viro b. m. *Conrado* Schlüsselbvrgio habita, quæ vna cum Catalogo librorum à Wigando editorum *Francof. ad M.* 1591. 4. & alibi publicata eſt. De vita eius præterea *Melch.* Adamvs in *Vitis German. Theol.* p. 603. ſeqq. & Vir Clariſſ. Dn. *Io. Caſp.* Zevmervs, in *Vitis Theol. Ienenſium* p. 46. ſeqq. conſuli poſſunt. Vid. etiam *Bibliothec. Antiqua* ann. 1705. p. 49. Ipſe B. Wigandvs de Succino Boruſſico, de Alce Boruſſica, & de Herbis in Boruſſia naſcentibus Hiſtoriam conſcripſit, quæ vna cum eius Conſideratione Methodica & Theologica de Sale, creatura DEI ſaluberrima, poſt obitum Au-

(1) Conf. de eo Ven. Abbatis I. A. Schmidii diſſ. de Corporibus doctrinæ Pomeranico, Prutenico, Iulio &c. add. M. *Petri* Sikii Theol. Pr. Regiomontani oratio de ſtatu Eccleſiarum Prutenicarum, & de confeſſione ALBERTI &c. contra calumnias P. Scalichii. Regiom. 1572. 4. It. Erwehlung derer beyden Biſchöffe zu Samland und Pomeſan/ auch von ihrem Amte/ Verordnung der viſitation &c.

(2) Ei. Vita & Elogium in Iſ. Bullarti Academie des Sciences P. I. l. 1 n. XI. Epitaphium quoque habet Phil. Rondininus l. II. d. S. Clemente eiusque Baſilica c. XI. quo recenſentur Cardinales, qui Baſilicæ ſ. Clementis titulares fuerunt. pr. Romæ: 1706. 4.

(3) Habetur eius vita & epitaph. in Bullart Academie des ſcience P. II. l. 2. n. V. item ſed non ſatis accurate in Lor. Craſſo Elogii d' huomini letterati l. II. p. 14. ſeq.

Auctoris in lucem emiſſa eſt, ſtudio *Io.* Rosini, Paſtoris Wickerſtadenſis, *Ienæ* 1590. 8. Alias Succini Pruſſici phyſicam & ciuilem Hiſtoriam, *Francof.* Ao. 1677. in 8. & aliam ſuccinctam Succini Pruſſici hiſtoriam & demonſtrationem, *Berolini*, 1699. 4. edidit Dn. *Phil. Iacob.* Hartmannus, Medic. & Phyſic. Regiomont. celeberr. Fautor ſummopere colendus, qui aliorum etiam Auctorum, qui de Succino hoc ſcripſerunt, mentionem iniicit. (1) De laudibus Boruſſiæ habemus Orationem conſcriptam per *Ern.* Bartholdi, *Dantiſcanum*, *Dant.* 1653. 4. & encomium *Georg. Ioach.* Rhetici annexum Eius narrationi de libris reuelationum Copernici. *Baſil.* 1541. 8. De Inſignibus Pruſſiæ Exercitationem hiſtoricam, *Regiom.* 1693. 4. Præſide *M. Mich.* Hoynovio, Scholæ Löbnic. Rectore, & Reſp. *Henr.* Siverto ventilatam, vbi etiam figuræ quædam adiectæ ſunt. Solennia Secularia ob recuperatam à Crucigerorum tyrannide libertatem, ore *I. P.* Titii, Hum. & Eloqu. Prof. d. *VI. Martii*, 1654. celebrauit Reſpublica Gedanensis, quæ Panegyris typis exſcripta eſt h. t. *Oratio ſecularis, Pruſſia, Seculum, (ſublata Cruciferorum tyrannide,) libertatis, ſub Auguſtiſſ. R. P. tertium ordiente*, Dantiſci in Auditorio Athenæi maximo habita; in qua terrarum Pruſſiæ, ſub Cruciferis poſt eximia merita fœdiſsime degenerantibus, calamitas, earundemque, profligata tyrannide, ſub Auguſtiſſ. Potentiſsimiſque Pol. Regibus, felicitas proponitur. Adiecta ſunt Carmina ſecularia, quæ eundem Virum latiniſsimum, (vt nonnemo Patronorum B. Titium vocare conſueuit,) agnoſcunt Auctorem.

§. LVI.

Scriptores ad Ius publicum Boruſſiæ facientes.

Ius Pruſsicum, inprimis quod ad Proceſſum attinet, edocebit *Io.* Nixdorff, ICtus Gedan. cuius Opuſcula Iuridico-practica, regnum Pol. terraſque Pruſſiæ regalis concernentia *Dantiſc.* 1685. 12. prodierunt. Præter hunc iam antea *Stanisl.* Carncovius ſeu Karnkowski, Epiſc. t. t. Vladiſlau. nobis plus ſimplici vice allegatus, de *Iure prouinciali terrarum maiorumque Ciuitatum Pruſſiæ*, Libellum concinnauerat, cumque Regi Pol. Henr. Valeſio, inſcriptum ediderat, *Cracouiæ* in offic. *Nicol. Scharffenbergeri* 1574. in 4. Circa quem tamen obſeruandum, Conſtitutiones SIGISMVNDI AVGVSTI de A. 1552. quæ *pag.* 43. *ſeqq.* adducuntur, & quas *Mart.* Cromervs, a ſe conſcriptas eſſe, aſſerit, (*Polon. lib.* 2. p. 202.) quæque rectius Reſponſiones D. SIGISMVNDI AVGVSTI ad petitiones A nonnullorum priuatorum è Communitate Gedanenſi, vocari merentur, nunquam vim legis in Ciuitate Gedanenſi obtinuiſſe, nec in obſeruantiam & praxin fuiſſe deductas; Cæteras vero *pag.* 79. *ſeqq.* relatas ita dictas Conſtitutiones Gedanenſes Anni 1570. cum annexis, per *Tractatus Portorii* cum Seren. Rege STEPHANO initos, & Varſauiæ in Conuentu Regni Generali d. 26. *Febr.* A. 1585. datos, (quos exhibet *Reinh.* Curicke, *Chron. Gedan. l. 2. c. 20. p. 164. ſeqq.*) abolitas eſſe, prout accepimus à Magnifico Dn. IO. ERN. von der LINDE, Patrono noſtro, aliquoties ſupra honorifice allegato. Proſtant etiam Exempla literarum (vti Inſcriptio habet) a Seren. STE- B PHANO, Polon. Reg. Ciuitati ſuæ Gedanenſi datarum, continentia Receptionem in gratiam, Abolitionem proſcriptionis, Confirmationem iurium, Cautionem de Religione, Edictum de iuridicis Ciuitatis negotiis, impreſſum *Varſauiæ*, Anno 1578. in 4. (2) De aliis Pruſſorum iuribus, eorumque editionibus variis, videndus *Hartkn. Diſſ. XVII. de Var. Reb. Pr.* vbi tamen quædam editiones omiſſæ ſunt, videlicet Editio Priuilegii Culmenſis, (Colmiſche Handfeſte) germ. *Dantiſci* per *Franciſcum Rhodum*, Anno 1539. in 4. item Iurium Municipalium terrarum Pruſſiæ, & Legum ad eas terras priuatim pertinentium, *ibidem* Anno 1578. in 4. per *Iacob. Rho-* C *dum*, additis literis quibuſdam SIGISMVNDI I. & SIGISMVNDI AVGVSTI aliiſque Priuilegiis, Ciuitates Pruſſicas concernentibus, quæ Iura nouiſſime quoque (iuxta exemplar Ged. *Andreæ Hünefeld* 1657.) *ib.* ſumtibus *Simon. Beckenſteinii*, 1685. 4. prodierunt, adiecto Iure terreſtri Nobilitatis Pruſſiæ, A. 1598. correcto, quod latine primum *Thorunii*, *Andreas Cotenius* 1599. 4. excudit, latine polon. ac germ. cura *Daniel.* Pattersonii, *Dantiſcani* rurſus editum fuit hic *Ged.* 1625. & 1647. 4. In ſpecie quoad Ius *Culmenſe* emendatum, præter Magn. Dn. *Io.* Klein, mox iterum allegandum, eius cum Iure ciuili collationem, ſub moderamine celeberrimi ICti, Dn. *Barthol. Leonhardi* Schvvendendorfferi, in Acad. Lipſienſi publice inſtituit Nobiliſſ. Dn. *Io. Henr.* Schvltz, *Thorunenſ.* hodie Reip. patriæ à ſecretis, *Lipſ.* 1691. 4. Cui Comitem addimus *Chriſtoph.* Wegner Iun. Neo. Pruſſi diſp. inauguralem de differentiis Iuris Ciuilis Cæſarei, & Prouincialis Prutenici. *Reg.* 1640. 4. Pertinent huc etiam: *Eliæ* Riccii Tr. Iuridicus

(1) *Dan.* Hermanni Diſc. philoſ. de rana & lacerta ſuccino Pruſſiaco inſertis alleg. ad §. XLVI.

(2) Huc referri poſſunt: Legatorum Nobilitatis Pruſſicæ literæ inſinuatoriæ appellationis à ſe interpoſitæ a. 1582. ad S. R. M. (STEPHANVM) Inſtructio Legatorum Nobilitatis ex germanico in latinum translata a. 1585. Et grauaminum Ducatus Pruſſiæ breuis complexio a. 1585. Scripta hæc vna edidit *Fridericus* a VLOCK. 4.

cus de ordine & forma Proceſſus Caſtri Skars-
zeuienſis Palatinatus Pomeraniæ, impr. *Oliuæ*
1691. 4. Item Proceſſus Iudiciarius Epiſco-
patus Varmienſis proprius, ex Laudo olim Sta-
tuum & Ordinum Epiſcopatus Varmienſis
ſancitus, ac Iudiciis omnium Inſtantiarum
obſeruatus, nunc marginalibus notis auctus, &
impreſſus germ. & lat. in *Oliua* A. 1679. in 4.
Ordinatio Iudiciorum interregni, vnanimi
ſtatuum & ordinum terrarum Prusſiæ conſen-
ſu, publico Laudo ſancita in conuentu genera-
li, *Mariaburgi*, d. 25. Iunii a. 1649. celebrati.
Thorun. 4. De Iure Indigenatus Terrarum
Prusſiæ, polonice extat Diſſert. *Ioannis* à Wer-
en, Succamerarii Pomeraniæ, *Thorunii*, 1645. f.
uæ altera parte auctior prodiit *Gedani* 1647. 4.
Item de Indigenatu Sincera Collatio Iurium &
Priuilegiorum Poloniæ & Prusſiæ Regiæ ad
ſopienda Statuum disſidia, *Mente Bona Con-
cordiæ Gratia* (i. e. à *Michaele* Behm, COS. Ge-
dan.) ſcripta A. 1669. 4. nec non ſcriptum po-
lonica lingua, non expreſſo Auctoris nomine,
exaratum, cui titulus: *Ex ſeruato Indigenatu
Prusſiæ ſalus publica, ex non ſeruato pernicies
& ruina Prouinciæ, per Indigenam Boruſſum
orbi deducta:* Acceſsit Iuris correcti Terrarum
Prusſiæ de ſucceſsionibus inter fratres & ſoro-
res defenſio, impr. A. 1696. 4. Huic Anony-
mus quidam ſe oppoſuit, edito eadem lingua,
ſcripto, ſub tit. *Reſponſum Indigenæ Boruſſo
datum, cuiuis Nobili Polono, Fidem & Verita-
tem amanti, ad perlegendum neceſſarium, in 4.*
Sed vindicauit prior Autor veritatem aſſerto-
rum ſuorum, diuulgato in publicum Tractatu,
quem inſcripſit: *Replica Indigenæ Boruſſi ad
Reſponſum inciuile, in veritate & iuſtitia errans,
cuiuis veritatem & ſalutem publicam amanti
ad trutinam oblata per A. B. (Adamum*
Bayerski) A. 1697. 4. Quod ad ſtatum Mo-
netarium terras Prusſiæ concernentem attinet,
typis expreſſæ extant Quæſtiones tres moneta-
les ad Conſultationes huius temporis in Repu-
blica Polona pertinentes, exſcriptæ *Gedani*,
1636. 4. (ab *Henr.* Fredero, Synd.) Item Un-
vorgreifflіches Bedencken eines Müntzer-
fahrnen über itziger Zeit in Pohlen erregte
Fragen vom Müntzweſen / quod latine quo-
què reperitur in 4. (1) Eodem tempore
prodiit Diſcurſus contemporaneus de cauſis
aucti valoris monetarii in regno Polono, pro
Innocentia officinæ regiæ, & redituum publi-
corum indemnitate, 1636. 4. Aliquot annis
poſt in eodem negotio publicatæ ſunt Conſi-
derationes monetales circa commisſionem
monetariam Varſauiæ celebrandam probe ex-

pendendæ, 1659. 4. quæ Autorem agnoſcere
dicuntur *Vinc.* Fabricivm, Civ. Gedan. Syndi-
A cum, & germanice etiam recuſæ ſunt. Perti-
net huc Breuis & exacta deductio damnorum,
ex varii generis moneta, quæ in regno Poloniæ
nunc cuditur, in ſpecie ex nouis ſolidis cupreis
prouenientium, cum ſolida refutatione ſcripti
Polonici, cui tit. *Informatio ratione Solidorum
per Fidelem Indigenam Prutenum Nobili Polo-
no oblata*, impr. polon. item latine, nec non
german. A. 1661. 4. Paulo poſt in lucem exiit
Diſcurſus de re monetaria Regni Poloniæ, o-
ſtendens damna enormiſſima, ex vilioribus
monetis nouis argenteis & cupreis, eorumque
remedia, ad trutinam Seren. Reip. Polonæ,
Mente Bona Sinceraque (i. e. à *Michaele* Behm,
B *Sileſio*, COS. Gedanenſi;) conſcriptus 1664. 4.
german. recuſus A. 1665. 4. (2) Item E-
piſtola Mercatoris cuiusdam ad Equitem Po-
lonum, Statum modernum rei monetariæ con-
cernens, A. 1669. 4. quæ Auctorem habere di-
citur *Fabianum* Gvstmeiervm, Secretar. Ge-
dan. Iura Pruſſiæ circa expeditionem genera-
lem bellicam, ſermone polono deduxit Autor
Anonymus *Breuis Informationis, quod Boruſſi
bellica generali expeditione non ligantur*, impr.
in 4. Item Autor breuis diſcurſus, *An Terræ
Pruſſiæ ad expeditionem generalem bellicam
vna cum Regnicolis obeundam teneantur*, edi-
ti Anno 1651. 4. Eandem materiam nuper
ſpeciali, ex Hiſtoria Pruſſica, diſſertatione eius-
C que continuatione, quibus oſtenditur, Borus-
ſos ad generalem Expeditionem extra fines
ſuos non eſſe adſtrictos, in Gymnaſio *Thoru-
nenſi* tractarunt, Præſes M. *Martinus* Böhm,
Prof. Publ. & Reſpondens *Iohannes Hintz*,
menſibus *Octobr.* & *Decembr.* Anno 1700. 4.
Quæſtio, *An & quatenus Nobiles in Vrbibus
Pruſſiæ forum ſortiantur & poſſint iudicari*,
ventilata eſt occaſione Nobilis cuiusdam Ge-
dani decollati propter homicidium A. 1675.
de quo Relatio typis polonicis excuſa eſt in 4.
Alias extat Anonymi Informatio de iuribus
terrarum Pruſſiæ & Ciuitatis Gedanenſis, ad-
D uerſus nouam ibidem telonii affectationem,
edita *Gedani* A. 1637. 4. cuius Tractatus Au-
ctorem fuiſſe accepimus b. m. *Henricum* Fre-
dervm, Syndicum t. t. huius Ciuitatis meritiſ-
ſimum, poſt ad Præ Conſ. honores euectum, &
1654. quo à S. R. M. Burggrafii faſcibus fuerat
ornatus, pie denatum, Viri Illuſtr. B. Dn. CON-
STANTINI FREDERI, quondam Præ-COS.
& Inſulæ Neringianæ Adminiſtratoris, Mæce-
natis maxime ſuſpiciendi, Parentem, qui amo-
re Patriæ ductus, Exactionem *Spiringianam*
in

(1) Tit. Conſideratio quarundam in R. Poloniæ motarum quæſtionum ſuper re moneta-
ria. Addatur Appendix IV. quæſtionum typis editarum de re monetaria 4. appendix
appendicis, & quæſtio an reductio monetalis ſit idonens monetæ Regni reſtituendæ mo-
dus, deſtinata Regni Comitiis a. 1625. edita 1627. 4.

(2) Deductio rei monetalis in qua variatio & immutatio rei monetariæ de ſeculo in ſecu-
lum oſtenditur, pr. 1664. 4.

in portu Gedanenſi contra iura publica nouiter affectatam, modeſte retudit, anno, quo IVra InnoCentVM InIVrIIs & oDIIs graVantVr à SpIrIngIIs. Occaſione eiusdem prætenſi Telonii plurima tunc temporis in publicum prodière ſcripta, videlicet: Rationes contra telonii marini exactionem nouiter affectatam, cum Reſponſione ad rationes adverſarias A. 1637. 4. (Autore prælato Dn. *Henr.* FREDERO;) It. de Telonio affectato cuiusdam Patriæ Amantis Diſſertatio, 1637. 4. (Auctorem agnoſcens *Ioh. Erneſt.* SCHRÖER, Præ-Conſ. Gedan.) Item *Information* wegen der Bürger Zulage in Dantzig/ (autore *Mich.* BORCKIO, Secretario,) extatque etiam polonice in 4. Item *Copie* einer *Miſſiue* eines Preußiſchen von Adel an einen in Litthauen/ von wegen der Stadt Dantzig Bürger Zulage/ (autore *Clemente* CÖLMERO) polonice etiam recuſa, 4. Item *Eliſei* AVRIMONTANI ad Dantiſcanos Epiſtola, in qua Vatem iis popularem exhibet A. 1638. 4. quæ Epiſtola *Danielis* CRVSII, S. I. eſt, (teſte *Piaſecio* in *Chron. geſtorum ſingular. in Europa, ſub ann. 1638.* p. m. 501.) Alii tamen *Ph* LACKIVM Ex-Secretarium Gedanenſ. Autorem faciunt; Item ad *Eliſei Aurimontani* Epiſtolam Reſponſoria, quæ Vanitatem ipſius peculiarem exhibet, excuſa *Alithopoli* A. 1638. 4. (Autore *Ioanne Erneſto* SCHRÖERO;) It. *Conſtantis* SINCERI Spongia in Eliſei Aurimontani Epiſtolam contra Dantiſcanos nuper editam, anno exeunte 1638. 4. (cuius autor *Chriſtoph.* RICCIVS, Syndic. Ged.) It. *Iuſti* PATRICII ad Eliſei Aurimontani in Dantiſcanos Epiſtolam breuis Reſponſio 1638. 4. (Autore *Michaele* BORCKIO, Secret.) Item Diſcurſus neceſſarius, qui polonice quoque extat in 4. & Refutatio diſcurſus dicti neceſſarii, neceſſario conſcripta, ad demonſtrandam Ciuitatis Dantiſcanæ innocentiam A. 1638. 4. (cuius Autor eſſe dicitur *Ioan.* CHEMNITIVS, Secretar.) item *Mare Balthicum*, i. e. Hiſtorica deductio, vtri „Regum, Daniæne an Poloniæ prædictum ma„re, a multis jam annorum centenariis, aſſeren„te non fallaci hominum cenſura, ſed ipſa nun„quam fallibili natura, ſe deſponſatum fatea„tur & agnoſcat? Poloni cuiusdam nuper ty„pis excuſo Tractatui, qui Diſcurſus neceſſarius „inſcribitur, oppoſita (à *Chriſtiano* LIPPE, Regis Daniæ Cancellario) germanice etiam translata A. 1638. 4. cui oppoſitum Scriptum, quod dicitur *Anti-Mare Balthicum*, ſiue breuis & analytica Recapitulatio Tractatus nuper editi, cuius titulus eſt: Mare Balthicum &c. in vim Prodromi cuiusdam editum A. 1639. 4. A (Auctore *Ioanne* PFENNINGIO, Præ-COS. Mariæburg.) nec non *Ioannis Antonij* CARNIOLI Eliſeus Aurimontanus defenſus A. 1639. 4. Quibus Tractatibus iungi poteſt Diſſ. ſuper vetere Auſtriacorum propoſito de occupando Mari Balthico, omnibusque & Poloniæ, & ſeptentrionalis Germaniæ mercaturis ad ſe attrahendis, in Galliarum & Fœderati Belgii detrimentum, vnà cum mediis, quæ hanc perniciem auertunt, Emin. Card. MAZARINO dicata, *Pariſ.* ann. 1644. in 4.

§. LVII.

Seorſim Deſcriptionem hiſtoricam vrbis Gedanenſis, B DANTISCANÆ, quæ Pruſſiæ Regalis clariſſima Ciuitas audit, vernaculo quondam ſermone conſignauit *Reinboldus* CVRICKE, vrbis huius Secretarius Anno 1645 quam e tenebris in lucem protraxit filius, Dn. *Georg. Reinbold* CVRICKE, figurisque æneis illuminatam nitidiſſime edidit *Amſtelod.* per *Waesbergios* 168 . & 1688 f. Ædificia ſacra, ſiue Templa huiusdem Ciuitatis ichnographice & hiſtorice, germanico adornauit idiomate *Barthol.* RANISCH, Ciuis & Architectus huius loci murarius, in arte ſua verſatiſſimus, *Gedan. 1695. f.* Qua lingua etiam Emblemata, ciuium huius loci ſignis militaribus inſcripta, A. 1646. explicuit *Ad. Iac.* MARTINI, in Libello, qui annecti- C tur der kurtzen Beſchreibung/ von *Ludov. Mar. Gonzaga* Königl. Einzuge ꝛc. d. A. in 4. Ex antiquis ſcriptis forte memorari poſſet liber paruus german. cui titulus: *Chronica* oder Handbüchlein vieler Gedächtniß-würdiger Geſchichte/ von Anbegin der Welt/ biß auff das Jahr 1578. impr. Königsb. 1579. 12. cuius libri maxima pars, præcipue poſterior, Annales Dantiſci continet, vbi ſeorſim quoque in fine accedit deſcriptio Dantiſci & Caſtelli, eod. D idiomate. (1) Inter recentiores, qui hanc vrbem encomiis proſecuti ſunt, extant: 1.) *Wenceslaus* CLEMENS, *Bohem.* Exul, cuius Gedanum ſeu Dantiſcum Carmine Heroico adumbratum, & in IV. Libros diſtributum, *Gedani,* 1630. 4. luci publicæ traditum fuit; 2.) *I. G.* SALICETVS, cuius Poëma germ. extat ſub tit. Vergötterte Dantzig/ *Ged.* 1643. 4. 3.) *I.* KLEIN, *Pannonius*, Gedani Schol. Barthol. R. qui publicauit Curiam Gedanenſem Anagrammaticam, A. 1651. 4. (2) 4.) *Eberh.* WAS-

(1) Idem libellus *Gedani* per *Iacobum Rhodum* 1594. 12 recuſus eſt, cum continuatione ad a. editionis. Ceterum quæ Sec. XVII. memorabilia in vrbe acciderunt breuiter complexus eſt, concione Seculari Vir S. Reuerendus Dominus D. *Sam.* SCHELGVIGIVS a. 1700. 4.

(2) Emendata & aucta pr. 1660. 4. Carminibus quibus vrbs decantatur add. Georgii Bernhardi Vorſingers und Pauperum Præceptoris zu S. Marien Poetiſche Beſchreibung von dem Urſprung und erſten Erbauung der Stadt Dantzig. *Gedan. 1641. 8.* *Mich. Anton.* HACKI Abb. OLIVÆ Pandora felicior Vrbium Sarmatiæ Dantiſcum, pa-

WASSENBERGIVS, qui nobis dedit *Saguntum in Dantiſco non deletam*, *Francof.* 1671. 4. in qua præcipue Gedanenſium fidem, & quæ A poſt reſignationem IO. CASIMIRI ſecuta ſunt tempora, panegyrice perſequitur; 5.) *Simon* IACHIMONOWSKI, S. I. & *in* vicino Schotlandiæ Collegio, quod à fundatore *Rozrazevianum* dicitur, Eloqu. Prof. cuius Oratio in laudem vrbis Gedan. artibus literariis addictiſſimæ, tempore ſolennis ſtudiorum Renouationis habita, ἀνωνύμως excuſa eſt *Gedani* 1684. f. ſub tit. *Summi in Emporio Gedanenſi Literarum Pretij*; 6.) denique *E. P. Prodigium temporum in Republ. Gedan. celebratum 1692. f.* Ad ſtatum Naturalem eiusdem Ciuitatis pertinet *Nicol.* OELHAFII, Medici Regii, & in Rep. Patria Phyſici Ordin. Elenchus plantarum circa Dantiſcum ſua ſponte naſcentium, *Stetini* B typis *Rhetianis* an. 1643. 4. Hic Elenchus, qui ſecundum Alphabeti ſeriem procedit, & ſynonyma, locos natales, florum tempora & ſpeciales autores allegatos habet, ſub incudem reuocatus eſt per B. Autoris in munere ſucceſſorem, *Laur.* EICHSTADIVM, D. *Ged.* 1656. 8. (1) Ex regno Minerali non obliuiſcendum nobis eſt Lapidis Roſtochio huc delati, & à Magnif. Dn. *Ioh. Nicol* QVISTORPIO, Theol. Roſtochienſi, Plur. Rev. Dn. *Ioanni* Falcken/ Paſtori ad D. Cath. aſſignati, iamque illius munere, in Bibliotheca publica aſſeruati, cuius eminentiores literæ, calligraphico ſatis & ſuperioris ſeculi artem loquente ductu delineatæ, C Gedanenſibus fauſta quæuis apprecantur, his verbis: VIVANT GEDANENSES. Occaſione huius lapidis, Præclariſſ. Dn. *Georgius* WENDIVS, (cui roganti ad ſpectandum lapis transmiſſus fuerat,) breue Schediaſma ſcripſit, hoc tit. inſignitum: *Vtrum notabilis illa Lapidis Roſtochienſis inſcriptio*, VIVANT GEDANENSES! *Naturæ adſcribenda ſit, an Arti?* Menſ. Mart. M DCC III. Reſpond. *Chriſtoph.* Eißwagen/ *Thor. &c.* ventil. & *Thorunij* 4. impreſſum, vbi ipſe beatus Autor pro Artis quidem pegmate decertat, inque eo omnes, quicunque literas curioſiori paululum luſtrarunt oculo, ſibi ὁμοψήφους promittit. (2) Progredimur ad Scholas huius Ciuitatis publicas, (illa vera Eccleſiæ & Reip. Seminaria,) quas inter primum merito locum tenet GYMNASIVM, per VII. & quod excurrit, annos ſtudiorum meorum dulciſſima Mater, de cuius Conſtitutione Noua A. 1558. facta, Tractatum ſcripſit *Andreas* FRANCKENBERGER, huiusdem Gymn. t. t. Rector, poſt Vitebergam vocatus, *Gedani* ex officina *Iacobi Rhodi*, *1568. in 4to.* Super huius Gymn. Natali nouo, quem dies 22. *Dec.* Anni 1643. ruentis attulit, & quo B B. CALOVIVS Rectoratum adeptus eſt, Exclamationem panegyricam publicauit *Io.* MOCHINGERVS, in fol. Seculare Iubilæum, quod cum *Illuſtri Ienenſi Academia*, Athenæum noſtrum, idem, licet menſe diuerſo, ſortitur, in Gymnaſio, die XIII. Iunii 1658. *Oratione panegyrica* celebrandum, B. D. *Io.* Maukiſch/ peculiari indixit Programmate, typis *Rhetianis* in 4. excuſo, quo beneficiorum diuinorum, per illud Seculum Gymnaſio exhibitorum, memoriam ſigillatim repetit; ad quem carmen d. III. ſupra X. Iunii Vir Illuſtris B. Dn. *I. E.* SCHMIEDEN, ea occaſione ſcripſit excuſum in f. Eodem etiam tempore à ceteris huius Athenæi Profeſſoribus, laudato nempe D. MAVKISCHIO, D. *Laur.* EICHSTADIO, D. *Ioach.* PASTORIO, L. *Chriſt.* ROSTEVSCHERO, *Io. Pet.* TITIO, M. *Georg.* NEVFELDIO, *Wolffg.* ROSTEVSCHERO, & M. *Ioh.* RAVIO, variæ cum Orationes Panegyricæ, tum Diſpp. ſolennes ad hoc inſtitutum facientes, habitæ ſunt. Alias Doctores atque Profeſſores in hac Muſarum ſede, vna cum ſyllabo Præconum Verbi Diuini in vrbe Patria, Vir pl. Rev.

negyrice ad lyram Apollinis decantata, reperitur in *Ei.* Apolline heroico & lyrico §. XXX. allegato. *Ei* Gloria coronæ, corona gloriæ vrbs virgo Dantiſcum, auitis geminæ crucis & virtutis ſuffulta trophæis acroſticho heroico panegyri decantata typis monaſterii 1698. f.

(1) Abbildung oder Beſchreibung des Stein-Adler-Kampffes/ welcher den 2. Apr. 1655. drey Meilen von Dantzig ſich begeben. Dantzig 1655 4. Beſchreibung des Adler-Kampffs / welcher ſich den 6. Januar. 1666. anderthalbe Meilen von Dantzig über der See zugetragen. pr. ib. 1666. 4.

(2) Præmittentur a nobis nonnulla de templis: 1.) *Nath.* DILGERI concio euchariſtica ob conſeruatam ædem primariam D. Mariæ, quæ ipſa feria II. Paſchatos fulmine perculſa fuerat. 1653. 4. 2.) Domini D. *Sam.* SCHELGVIGII concio cum ædem SS. Trinitatis a. 1699. d. 3. Sept. fulmen feriiſſet, inſequenti die dominica habita, & edita. 1700. 4. 3.) *Eliæ* Hirſchfelds Einweyhungs-Predigt der von Grund auff neu erbauten Kirchen in Petershagen bey Dantzig. ed. 1635. 4. 4.) Dn. *Ephraim* PRÆTORII concio, qua domi eleemoſynariæ ineunte hoc ſeculo erectæ conclaue diuino cultui dicatum conſecrauit, nonnulla ad hiſtoriam domus facientia complectens. 1703. 4. 5.) ad turbas conuentus monialium S. Brigittæ aliquando motas facit *Lucæ* LVNOWSKI (qui eſt *Caſp.* SAVICKI S. I. Lithuanus) dialogus Polonicus curſoris & nautæ de violenta Gedanenſium monialium S. Brigittæ, per hæreticos facta proſcriptione. Et 6.) Information mit was Recht das Dorff Schiedlitz dem Kloſter Marienbrunn Ordens der H. Brigitten in Dantzig zukomme. 1677. 4.

Rev. ac Cl. Dn. *Eph.* PRÆTORIVS, hodie R. Miniſterii Aug. Conf. addicti ap. Thorun Senior, & ad D. Mariæ ib. Paſtor, *Lipſiæ, 1704. 8.* breuiter recenſuit, prolixius vero id factum eſt in *Ei. Athenis Gedanenſ.* quas vtinam aliquando luci expoſitas videre liceat. Præter Leges peculiares huius Athenæi aliquoties editas, & nuper A. 1701. 4. typis *Stollianis* repetitas, ſeorſim Anno 1653. (quo B. Dn. D. MAVKISCHIVS Rect. munus gerebat,) in 4. prodiit *Breue Summarium, qua ratione iuuentus impoſterum in Gymnaſio, aliiſque Scholis Ciuitatis Gedanenſis, in latina atque aliis linguis vniformiter erudiri debeat.* De Incrementis *Bibliothecæ Gedanenſis* Epiſtolam & Commentationem, ſiue Annales, dum Bibliothecarii munere adhuc fungeretur, compoſuit Summe Reuer. Dn D. SCHELGVIGIVS, Patronus atque Præceptor omni animi ſubmiſſione deuotiſſime proſequendus, atque edidit 1677. 4. poſtquam antea iam publicauerat *Specimen Biblioſophiſtarum Gedanenſium*, ſeu erudita colloquia in Biblioth. publica intra trimeſtre hyemale habita, *Gedani* 1675. 8. Athenæo noſtro ſuccedat SCHOLA MARIANA, cuius me olim alumnum fuiſſe, non pœnitet. Hæc, vt reliquas huius Ciuitatis Scholas Triuiales taceam, cum ob alia, tum inprimis ob elegans celebrari meretur ædificium, pro cuius liberali inſtauratione, Charites ſeu gratiarum actionem vulgauit *Valentin.* SCHREGKIVS, Sch. Mar. Rector, ſub initium Anni 1582. in 4. Præterea de eadem extant Leges, officia Docentium & Diſcentium in ſchola Mariana *Dantiſci* complectentes: it. Typus Claſſium & Exercitiorum puerilium, cum ſententiis quibusdam Eruditorum, de inſtitutione puerili & de officio ſcholaſtico, lat. & germ. *Dantiſci* 1592. 4. Ab hac Schola prodierunt Soteria, quibus *Gedanum*, ſeculo multis populis infeliciſſimo, ſe adhuc felicitate beantem collaudauit DEVM, modulantibus Filiorum ſuorum vocibus, in Schola B. Virg. &c. 1645. typis *Hünefeldianis* in 8. excuſa, quæ *Iac. Zetzkius*, Con-R. Deo, Curiæ, Prætorio & Iani-Medio Gedanenſi, conſecrauit. Sed iam antea ſub reſtitutæ purioris doctrinæ tempus, Ludum literarium in hac Ciuitate, ex decreto Senatus aperuerat *Andr.* AVRIFABER, qui de ſuo inſtituto paruum
A edidit Tractatum, cui titulus: *Schola Dantiſcana*, cum Exhortatione ad literas bonas, latina & germanica, *Dantiſci* ap. *Franciſcum Rhodum*, 1510. 8. (1) Alia ſcripta particularia, quæ ad hiſtoriam motuum Ciuilium, cumprimis autem Eccleſiaſticorum faciunt, & in cauſa *Reformatorum*, itemque *Iohannis Arndij*, *Caſp. Mouij*, *Herm. Rathmanni*, *Henr. Nicolai*, *Ægid. Strauchij*, *&c.* edita ſunt, nec non Conciones varias in coronationibus atque inaugurationibus Regum Pol. aliisque ſolennitatibus, diuerſo tempore editas, lubentes inpræſens prætermittimus. Præ aliis tamen, quæ oculis vſurpare contigit, ſcriptis, notari merentur:
B Hiſtoriſcher Auszug von Veränderung der Religion in Dantzig / 1651. 4. item Verbeſſerter Hiſtoriſcher Auszug von Veränderung der Religion in Dantzig / 1652. 4. Nec non *Ioh. de* TEMPORIBVS Erläuterung des Hiſtor. Auszugs und Verleitung des verbeſſerten Hiſtor. Auszugs von Veränderung der Religion in Dantzig / 1652. 4. Quibus add. *Formula Concordiæ*, oder Notel der Kirchen zu Dantzig / 1652. 4. nec non Erörterung der Frage: Ob die Reformirten Kirchen der Dantziger Notel mit gutem Gewiſſen unterſchreiben können / 1652. 4. Et denique Kirchen Agenda publicata ſub finem Martii anno 1708. 4. Ad hiſtoriam motuum in inclutа
C vrbe Theologicorum quodammodo facient epiſtolæ grauiſſimorum Theologorum B. Botſacci, & B. Maukiſchii, aliorumque, inſertæ epiſtolis de Syncretiſmo hodierno &c. conf. nov. Liter. M. Balthici anno 1706. pag. 270. Ex aliis ſcriptis particularibus adhuc occurrit Accuſatio criminalis contra Rebelles, (vt vocat,) *Elbingenſem* ſcil. & *Gedanenſem* in Pruſſia Magiſtratus, &c. per *Mich.* FRIDEWALD, Regii officii Inſtigator. *Lublini* 1569. d. 23. Mart. in generali Regni Conuentione propoſita, in 4. *Eiusdem* temerario auſu quoque exiit Narratio germ. de rebus Pruſſicis, duobus Lib. comprehenſa, quorum primus ex *Matthiæ* LAVENTOTTERI Tr. 1454. exarato, tanslatus eſt *Cracou.* 1578. 4. (2) Sed in Commiſſionis Gedanen-

(1) *Iacobus* SCHLACOVIVS Eccleſiaſtes ad ædem D. Barbaræ, Scholam ad eandem ædem a. 1636. conditam peculiari concione c. a. 4. edita proſecutus eſt.

(2) Crederem ferme vtriusque autorem fuiſſe *Matthiam* LAVENTOTTERVM, vt circa finem libri II. expreſſe ſemet nominat. Sed primum librum nunquam vidi. Secundo qui haud minus raro occurrit præfixam animadverti libellum ſex plagularum, in proſa ſcriptum: Die gemaine und eintrüchtige auch gancz rechtmeßige Apweichunge der Lande Preußen von denn Creuczherren/wegen Irer geybeteten grauſamen Tyranneien/Auch die gemaine Wydder Untergebung/und der öffentliche Landes-Aiht/welcher dem Aller-Durchlauchtigſten Fürſten und Herren Caſimiro, von GOttes Genaden Konige czu Polen ꝛc. gethan worden iſt zu Thorun a. 1554. durch den Konigl. Preuſchen Inſtigatorem Herr Mychel Frydwald ins Deütſche transferyret/expreſſ zu Krakau 1578. annexa ſunt pauca alia documenta, & eundem LAVENTOTTERVM autorem eſſe ex ipſo opuſculo liquet. An vero hoc primum librum *Narrationis allegatæ* conſtituat, cum ſecundus ſtylo ligato ſatis prolixo & in Gedanenſes innocuos mordaci exaratus ſit, decidere non audeo.

nenſis negotio, oppoſitum ei fuit ſcriptum, tribus Lib. abſolutum, bonaque fide ab eo, qui præſens Commiſſioni interfuit, (i. e. *Caſparo* A SCHÜTZIO, Secretar. Ged.) elaboratum 1578. 4. Non minus *Nic.* SCHVLZIVS Apologiam contra *Fridwaldi* calumnias edidit *Magdeb.* 1593. 4. Ad eadem tempora ſpectant *Matth.* RADECKEN, Secret. Gedan. (qui poſtea Socinianorum caſtra ſecutus eſt,) Urſachen/warumb er ſich von Dantzig wegbegeben. 1593. 8. Statum Politicum Reip. Gedanenſis vellicant Theſes Politico-Practicæ, quas Præſide M. *Manlio, Appius Claudius*, Illuſtri ſex & viginti Virali Collegio offerre fingitur, german. etiam recuſ. 4. quibus oppoſitæ fuerunt Antitheſes, ſine Præſide B ab *Æmilio Probo*, veritatis ſtudioſo, in lucem emiſſæ, adiectis quibusdam Problematibus; quorum occaſione iterum prodiit Iudicium *Publii Vatinÿ*, (*Eliæ Schrœderi*, Braxatoris Gedan.) de Problematibus ab *Æmilio Probo*, Feritatis ſtudioſo, propoſitis ad *Marcum Antonium*, Brunduſium ex caſtris Cæſaris ſcriptum. Hoc tamen rurſus exceperunt Caſtigationes in Iudicium *Publii Vatinii* ſuper Problematibus *Æmilii Probi*, Veritatis ſtudioſi A. 1652. 4. Extat quoque *Eliæ Conſtantini* de TREVVEN SCHRÖDERI Prodromus apologetici, contra calumnioſas Conſiſtorii Gedanenſis officiantes in ſpecie contra *Io. Frid. Lerchenfeld, Gedan.* 1672. 4. In Hiſtoria Iuris Statutarii Gedanenſis inſignem operam præſtitit Magnificus Dn. *Ioh. Ern.* von der LINDE/ Diſſert. de Origine, Libris, & auctoritate Iuris Civ. Rom. & Statutarii Gedanenſ. *Dantiſci* publicata, 1680. 4. (1) & poſt illum Magnif. Dn. *Io.* Klein/ Seren. Duci Mecklenb. à Conſiliis, &c. in Diſſ. Iuridica, qua Conuenientiæ Iuris Culmenſis & Gedanenſis cum Iure Communi Saxon. Prutenico, & Lubecenſi, in XII. Decades diuiſæ exhibentur, Reſpondentis munus obeunte Dn. *Daniele Godofr.* Nimsgart/ *Gedan. Roſtochii* ann. 1697. in 4. Hiſtoriam literariam, præter Excerpta ex literis illuſtrium & clariſſimorum Virorum ad *Ioh.* HEVELIVM, ſtudio Dn. *Ioh. Erici* OLHOFFII, Secretarii, *Gedani* 1683. 4. publicata, illuſtrabunt *Laurentii* GABLERI, Iuris Practici & Poet. Laur. Cæſarei, Elegidia Epidictica elegantiſſima, quorundam in Europa Regum, Principum, Comitum, aliorumque clariſſimorum Virorum, qui in Ciuit. Dantiſcana, & extra illam olim vixerunt, & adhuc viuunt & innotuerunt, Virtutes & actiones

Secundo illi quem vidi addita erant 1.) Vexillum obtentæ victoriæ Nobilis *Michaelis* FRIDEWALDI contra *Nicolaum* SCHOLZ, 1579. 2.) *Martini* ALEXSVANGII, indigenæ Elbingenſis gratulatio (carmine elegiaco ſcripta) de felici è Polonia adventu *Michaeli* FRIDWALDI in arcem Mariæburgenſem. *Cracov.* 1572.

(1) IDEM VIR MAGNIFICVS edidit: Trigam quæſtionum prætenſum in villis & pagis (ſpiritualibus Civitati Gedanenſi adiacentibus) mercaturæ, opificiorum, braxationis, propinationis & diſtributionis cereviſiarum exercitium concernentium, ipſisque Iurium & inſtrumentorum publicorum verbis deciſarum. 1704. 4. It. inclytam Poloniæ Rempublicam civitati Gedanenſi æquiorem a. 1703. 4. Vterque tractatus ſine CONSVLTISSIMI AVTORIS SVI nomine, a. 1710. quanquam alios præferat prodiit. Ceterum acta publica inſuper concernunt: 1.) Nefaria de prodendo Gedano Colonelli Habaldi macchinatio. 1651. 4. 2.) Tractatus commercii initus inter *Nicolaum* de BKY Reſidentem Regni Poloniæ & *Chriſtianum* SCHRÖDERVM Deputatum Gedanenſem, & deputatos fœderati Belgii e latino in belgicum ſermonem translatus & ed. 1656. 4. præfixo Tractatu Gvarantiæ inter Regem Daniæ & ordines fœderati Belgii, commercium liberum in mari Balthico concernente. 3.) Verſœk van *Chriſtian* SCHRÖDER Afgeſant van Danzic an de Staeten Generael der vereenichde Nederlanden. *Middelburg.* 1656. 4. 4.) Oratio a capite deputationis Gedanenſis, Viro per Per-Magnifico & Generoſo *Gabriele* de BOEMELN nunc PræCOS. maximis meritis ſplendidiſſimo, ad Regem Galliæ, in arce eius Verſalienſi habita, gallice & in latinum verſa edita eſt ab Oratoris Nobiliſſ. filio *Georgio Simone* ſub tit. exigui ac levidenſis munuſculi &c. *Gedan.* 1704. 12. Occaſione peſtilentiæ quæ vrbem a. 1709. afflixit ſequentia edidere Viri maxime Reuerendi: 1.) Dominus D. *Ioachimus* Weickhmann/ Paſtor ad D. Mariæ & Miniſt. Senior Theologiſchen Unterricht von der Peſt. Danzig. 1710. 8. 2.) Dn. D. *Sam.* SCHELGVIGIVS aliquoties in hoc Schediaſmate laudatus Denckmahl der Peſtilentz. *ib.* 1709. 8. Vtrumque ſcriptum notabilia multa de iſto contagio continet, & poſterioris præfatio exhibet indicem contagiorum quæ antea Gedanum hauſere. 3.) IDEM concionem euchariſticam ob ſublatum malum, Dom. Quaſimodogeniti a. 1710. habitam publicauit. 4.) Dn. *Conſtantinus* Schütze/ Paſtor ad ædē D. Mariæ dedit Erinnerung zur Beybehaltung der Buß-Gedancken/ ſo bey denen über dieſe Lande ſchwebenden Gerichten Gottes/ inſonderheit aus Gelegenheit der 1709. in Dantzig graßirenden Peſtilentz ſind erwecket worden. *ib* 1710. 4. 5.) Dn. *Io. Chriſtoph.* GOTTWALD Med. D. publicavit Verzeichniß deſſen/ was in Dantzig bey der daſelbſt 1709. graßirenden Peſtilentz ſich zugetragen ꝛc. *ib.* e. a. 4. 6.) *Manaſſe* Stöckel/ Chirurgus, ſcripſit Anmerckungen/ welche bey der Peſt/ ſo a. 1709. in Dantzig graßiret/ beobachtet worden. Dantzig 1710. 4.

nes notantia, & ad expellendas calumniantium iniquitates, cum præf. apologetica ad Ampl. Magiſtratum Ged. in lucem emiſſa A. 1653. 4. A Quibus iungi poſſunt *Mich.* Kongehls / Secretar. Regiom. Immer-grünender Cypreſſen-Hayn / *Dant.* 1694. 8. in quo libro ſimiliter quorundam Celebrium Gedanenſium effigies, eorumque elogia rythmo germanico exhibentur. Non ſecus in *Mich.* Retellii Poematibus multa habentur, in Eruditos Gedanenſes compoſita. *Dant.* 1574. 8. Ex aliis Virorum clarorum, famam publicam hic promeritorum, Vitis, quæ typis excuſæ proſtant, videntur huc referri poſſe: Vita Joh. de Curiis Dantisci, Epiſc. Varmienſis, S R. I. Princip. & Præſidis terrarum Pruſſiæ, quæ ex autographo Sconouiano in Bibliotheca Gedan. aſſeruato, edita *Gedani* 1693. 4. Itemque B M. *Andr.* Welsii Oratio de Vita & morte Io. Bernardini Bonifacii, Oriæ Marchionis &c. A. 1597. in hac Ciuit. defuncti, quæ cum ipſius *Io. Bernard.* Bonifacii Miſcellaneis Hymnorum, Epigrammatum & Paradoxorum, prodiit *Dantiſci* 1599. 4. de cuius præterea fatis, lectu digna quædam attulit Clariſſ. Dn. Præses, *in Triade Obſerv. ex Hiſt. Literar. Obſ. I.* Sic etiam Dis Manibus & æternæ memoriæ illuſtr. Viri, *Io.* Hevelii, COS. Ged. Mathematici Principis, elegantiſſimum poſuit Cenotaphium, Illuſtr. Dn. IO. ERN. SCHMIEDEN, t. t. COS. Ged. quod cum Epiſtola Eius ad *Iſm. Bulialdum*, excuſum eſt *Ged.* 1688. in fol. (1) C Pariter ex Memoriis ab *Henningo* Witteno collectis, & quidem ex *Memor. Theologorum* hic allegari debent Memoriæ: *Io.* Botsacci, A. 1647. denati, *Decad. XIV.* p. 1815. *Io.* Maukischii, A. 1669. vita defuncti, *Decad. XIII.* p. 1660. & *Ægid.* Strauchii. A. 1682. demortui, *Decad. XVI.* p. 2102. Quibus iungi merentur *Adr.* Pauli Vita ap. *Melch.* Adamum, in *Vit. Theol. Germ.* p. 808. itemque *Abrah.* Calovii Vita ap. Plur. Reuer. Dn. Pippingium in *Memor. Theolog. Decad. IV.* p. 108. Ex Memoriis *Philologorum* & *Philoſophorum* ab eodem Witteno conſeruatis, celebrandæ ſunt Memoriæ: *Mart.* Opitii, 1639. extincti, P. 1. p. 439. *Io.* Mochingeri, 1652. denati, P. 2. p. 136. *Laur.* Eichstadii, A. 1660. mortui, *ibid.* p. 361. (2) & *Henr.* Nicolai, *eod. A.* defuncti, *ibid.* p. 379. Quibus addatur *Barth.* Keckermanni Vita, apud *Melch.* Adamum in *Vit. Germ. Philolog. & Philoſ.* p. 499. itemque *Philippi* Cluverii, ap. Clarmundum in *Vit. Clar. Vir.* P. 2. p. 46. & *Io. Pet.* Titii, ap. *Eundem*, P. 1. p. 200. (3)

§. LVIII.

Ad monumenta THORUNIENSIS Ciuitatis priusquam accedamus, memoranda primo ſtatim loco ſunt Scripta, quæ occaſione famigeratiſſimi illius, quod *Caritatiuum* vocant, Colloquii, *Thorun.* 1645. inſtituti, in lucem publicam emanarunt, qualia ſunt: 1.) Epiſtola Synodi prouincialis Polon. Varſav. 1643. celebratæ, ad Diſſidentes in rebus fidei ab Eccleſia Romana in Regno Pol. Magnoque Duc. Lithuan. qua ad amicum congreſſum inuitantur Thorunium, A. 1464. in 4. 2.) Diploma Regis VLADISLAI IV. in hoc negotio publicatum *Vilnæ* 1644. 4. 3.) Reſponſio Ordinum Euangelicorum ad hanc Ep. & Diploma Regium eod. anno, quæ tria ſcripta germ. quoque edita ſunt 1644. 4. 4.) Relatio germanica de Eccleſiaſticorum Conventu Thorunienſi, d. X. Octobr. 1644. inſtituto. 5.) Reſponſum Regium ad libellum ſupplicem, ab Ordinibus Euangelicis *Orlæ* ſcriptum, in quo terminus Colloquii prolongatur in anni ſequentis 1645. diem XXVIII. Aug. eod. a. in 4. 6.) Caritatiui Pontificiorum in Polon. Colloquii Conſilia ſecretiora, eodem anno. 7.) Literæ Ducis Curland. ad S. R. M. quibus ad Colloquium Caritatiuum Inuitatoriis reſpondet, vna cum Reſponſione Regia ad easdem, 1645. 4. 8.) Conſultatio Romana de modis Lutheranos Germaniæ Principes ad Eccleſiæ communionem reducendi, 1645. 4. 9.) Iudicia quorundam Catholicorum in Polonia, de Reconciliationis in religio-

Thorunenſia, Elbingenſia &c.

(1) M. *Io.* Hoppius poſtea Rector Gymn. Gedanenſis orationem funebrem de obitu *Conradi* Lagi, I. D. & Synd. Gedanenſis recitauit Regiom. 1546. & publicauit 1548. 8.

(2) Elogium eius eleganti ad Ioh. Heuelium epiſtola exhibuit *Ioach.* Pastorius. 2. pl. f.

(3) *Io. Ioach.* Reussii L. Gr. & Ebr. Profeſſoris in *Reinh. Henr.* Rollii Memoriis Philoſophorum, Oratorum &c. Dec. I. ed. *Roſtoch.* 1710. 8. Cl. Polyhiſtoris G. Groddekii cuius auſpiciis hoc ſchediaſma debetur, d. 12. Sept. a. 1709. immatura, bonisque omnibus ac literis admodum acerba morte exſtincti, vita recenſetur in der neuen Bibliothec &c. P. 2. p. 180. ſeq. Eruditam Virginem *Conſtantiam* Cziembergiam, PræCOS. Gedanenſis filiam eleganti elegia propter doctrinam iſtam honorauit Ogerius in Itiner. ſuo. Ex quo illius meminit Cl. Morhof. Im Unterr. von der Deutſchen Sprache. p. 403. Ceterum *Io. Ephr.* Gnospii Gedanum Literatum promittitur in *Mich.* Lilienthalii Conſultat. de conſcribenda Gentis cuiusdam Hiſtoria Literar. p. 2. qui eiusmodi hiſtoriam Pruſſiæ literatæ meditatur. Sed ni fallor eius tantum, quæ in Regnum evecta eſt, quod colligas ex indice Cl. Virorum in illa olim conſpiciendorum l. c. p. 144. & 145. Alias *Chriſtoph.* quoque Helvichium Cal. Medicum literatam Boruſſiam ſub manibus habuiſſe, in Nou. Liter. M. Balth. alicubi relatum eſſe memini.

gione diſſidentium impoſſibilitate, eod. an. 10.) *Iohannis Licinii* Namysłovii ad Fratres, Miniſtros Euangelicos, pro ineunda concordia Paræneſis, lat. & pol. 4. 11.) Fraterna admonitio ad Diſſidentes in Religione, pol. 4. cui eadem lingua oppoſita, fraterna declaratio ad non fraternam admonitionem. 1646. 4. 12.) Copia Literarum, quibus Diſſidentes in rebus fidei ab Eccl. Cath. Rom. in Regn. Pol. & M. D. L. ad fraternam cum eadem reconciliationem inuitantur, nec non Diſſidentium ad eaſdem Reſponſum *Dant.* 1645. 4. 13.) Orationes habitæ Thorunii a Deputatis d. 28. Aug. Ao. 1645 in 4. 14.) *Extract* eines Schreibens aus Thorn/wie es mit dem *Colloqu. Charitatiuo* abgelauffen/ geſtellet den 29. *Nou.* 1645. 4. 15.) Entdeckung der Unwarheiten/welche D. *Io.* Hülseman von dem *Colloqu. Charit.* ausgeſprengt durch *Conſtantinum* Prawdecki, Samogitien/1647. 4. 16.) Acta Conuentus Thorun. ad protocollum Regium, *Varſau.* 1646. 4. impreſſa. 17.) *Hieron. a S.* Hyacintho, Carmelitani, Idea Colloquii Caritatiui cum Diſſidentibus, vna cum animaduerſione in *Ioh. Hülſemannum*, Miniſtrum Witteberg. *Cracou.* Ao. 1646. in 4. 18.) Scripta partis Reformatæ in Colloquio Thorunienſi an. 1645. parti Romano-Catholicæ exhibita, *Berolini* an. 1646. in 4. 19.) Scripta facientia ad Colloquium à Seren. VLADISLAO indictum, cum *Georg.* Calixti Conſiderat. & Epicriſi *Helmſt.* 1645. in 4. 20.) Breues Poſitiones doctrinæ & fidei Aug. Confeſſ. in Colloq. exhibitæ, lat. & germ. in 4. 21.) *Io.* Hülsemanni Refutatio germ. Relationis Caluinianæ de Colloquio Thorunenſi, *Lipſiæ* 1646. 4 22.) *Ei.* Examen Confeſſionis Calviniſticæ, quæ ſub nomine Eccleſiarum Reformatarum in Polonia & Boruſſia exhibita fuit in Colloquio Charitatiuo Thorunienſi A. 1645. excuſum *Lipſ.* 1659. 4. 23.) *Georg.* Calixti Animaduerſiones in Confeſſionem Thorunenſem a Reformatis 1645. in Colloquio oblatam, editæ primum in Belgio 1654. 4. & poſtea correctius *Brunſuici* 1655. 4. Alias iam A. 1595. *Synodus* generalis inter Diſſidentes *Thorunii* habita fuit, cuius Acta & Concluſiones ſeu Canones, prodierunt vna cum Actis & Canonibus Synodorum *Sendomirienſis*, *Poſnanienſis*, *Cracouienſis*, *Petricouienſis* & *Vladislauienſis*, præcedentibus annis confirmatarum, ſub generali tit. Consensvs Sendomiriensis, lat. & pol. *Thorun.* 1596. 8. quæ typis lat. repetita ſunt *Heidelb.* 1605. 8. & germ. *Ambergæ* 1605. 4. ut & nouiſſime germ. & lat. per Dn. *Samuel.* Strimesivm, S. Theol. D. & Prof. Ordin. Acad. Francofurtanæ, *Berol.* 1704. 8. ac præterea inſerta reperiuntur Libro, qui inſcribitur *Corpus & Syntagma Confeſſionum fidei, quæ in diuerſis regnis & nationibus, Eccleſiarum nomine fuerunt authentice edita, &c. Geneuæ* 1654. 4. *Part.* 2. quæ habet Auguſtanam Confeſſionem &c. p. 21. ſeqq. Hoc tempore ſimul prodierunt Scripta duo de cauſis ac remediis diſſenſionum & turbarum in religione, cum præf. ad Proceres Regni Pol. 1596. 8. itemque *Benedicti* Morgenſtern/ Paſtoris Grudentini in Pruſſia, Tr. de Eccleſia, vbi præter alia ad hiſtoriam Eccleſiaſticam, Ciuitatum Thorunenſis & Elbingenſis facientia, quædam adferuntur de Caluiniſtarum Valdenſiumque Eccleſiis, & harum in religione conſenſu, Sendomiriæ in Polonia A. 1570. fabricato, qui Tr. prodiit *Francof.* ann. 1598. in 8. (1) Memoratis ſcriptis pauca quædam alia iungimus, quibus res Thorunenſium maxime notabiles ſiſtuntur. Inter hæc elegans Oratio eſt *Conr.* Thamnitii, Prof. Thor. de Conſtantia Thorunienſium in obſidione probata, quæ prodiit *Thor.* 1651. f. *Idem* cum memoriam aſſertæ fidei & conſtantiæ d. XVI. Febr. a. 1653. Ciuitas Thorunium celebraret, XVI. anagrammatiſmos *ibid.* f. publicauit. Sic & vetus nouumque Thorunium germanicis rythmis deſcripſit *Iacob.* Herden/ Iuris Practicus, ediditque *Thorunii* 1688. fol. Patrocinium pupillorum (2) eiusd. Ciuit. ab *Henr.* Stroband/ Sen. COS. in lucem datum fuit *Thor.* 1605 4. De inſignibus Thorunienſibus Præſide Cl. Böhmio diſquiſiuit *ibid. Ioh. Dau.* Heinrichsdorff a. 1706. 4. Nouæ Scholæ Thorunenſis Ratio doctrinæ & diſciplinæ, conſcripta a M. *Matthia* Brev, Scholæ eiusdem Rect. impreſſa eſt *Dantiſci*, ap. *Iacob. Rhodum*, 1568. 4. vbi Leges quoque adiectæ ſunt. Aliquot annis poſt prodierunt Orationes X. quarum aliæ in Actu Examinis An-

(1) Ad turbas quas Ieſuitæ Thorunio excitauerunt referendum: Patrocinium veritatis literarum Thorunienſium ad conuentum Szrodenſem, & Præzouienſem ſcriptarum ad Senatores, equitesque Regni Poloniæ directum, contra iniurioſam & calumnioſam Ieſuitæ cuiusdam anonymi orationem. 4. in germanicam quoque linguam translatum 1614. 4. Ieſuita ille anonymus erit forte *Albertus* Rozciszevski S. I. Polonus, quem absque addito nomine ſuo ſcripſiſſe orationem ad Senatum equitesque Polonos in qua refelluntur ea quæ in conuentu tum Proſzeuienſi, tum Schadenſi Thorunenſes Ieſuitis obiecerant, & reſponſionem ad calumnias cuiusdam qui Patrocinium Thorunenſium ſuſceperat, memorat Alegambivs p. 10. & ex eo Placcivs in Th. anon. n. 843. δ. ε.

(2) Germ. Wäyſen-Ordnung/nebſt einem kurtzen Auszug der Qvartier-Ordnung. eſtque recuſum 1691. 4. Statum politicum inique perſtringit autor ſcripti, quod pr. ſub tit. Unzeitiger Haß gegen die Brauer/und unbedachtſame Liebe zur Contribution. 1696. f.

Anniuerſarii, aliæ in Inauguratione nouæ Cu-
riæ, eiusdemque operarum inchoatione, ha-
bitæ ſunt in Gymnaſio Thorun. 1594. 4. Si- A
militer Gymnaſii, ac Oeconomiæ ſcholaſticæ
Thorunienſis, Inſtitutum & Scopus, ſiue
Kurtzer Bericht von der Schul und *Oecono-
mie* zu Thoren in Preuſſen. 4. exc. habetur.
In obitum Cl. V. *Conr.* GRASERI R. Gymn.
Thor. ſolertiſſ. &c. extat Oratio proſa & ver-
ſa, habita d. 24. *Octob.* 1630. quæ cum præmiſ-
ſo Programm. Scholarcharum, & adiectis
Docentium aliquot & Diſcentium Carmini-
bus excuſa eſt *Thorun. eod. ann.* 4. Luſus
anagrammatico-poeticus in honorem non-
nullorum doctrina clariſſimorum in Patria
virorum &c. conſcriptus eſt a *Ioh. Henr.* ZER-
NEKE Scabino Thorun. 1706. & 1708. 4. cu-
ius tabulæ naufragæ hiſtoriæ Thorunenſis B
ſub prælo ſunt. Speciatim prodiit ad Viros
Doctos, Prouocatio a decreto abdicationis
Thorunenſis, M. *Ernesti* Königs/ Thor.
Gymn. ab A. 1667. Rectoris, *Sedini* 1683. 4.
Orationem memoriæ Eius ſacrum Thorunii
1698. habuit *Ioh.* CZIMMERMANN, editam
Thorun. f. De Notabilibus & Curioſis qui-
busdam Thorunenſibus egit B. *Georg.* WEN-
DIVS, in Exerc. *Thorunii* d. XVII. Iul. MDCIIIC.
certis theſibus propoſita, in quarum decima
notatur, Tabulas cereas, quæ in Biblioth. pu-
blica ibidem aſſeruantur, Ciceronis non eſſe,
ſecus ac *Ferd. Neoburgus (Eph. Cur. P. 2.* p. 172.)
aliique in Itinerariis ſuis retulerunt. Præterea
Catalogus Presbyterorum Thorunenſium ab C
initio Reformationis 1554. vsque ad 1671. præ-
fixus eſt *Poſtillæ Euangelico-Catechetica Ioan-
nis* Neunachbahr / Eccleſiar. Thorunenſ. Sen.
& ad D. Mar. Paſtor *germ.* publicatæ *Francof.
& Lipſ.* 1675. f. Parem conſignationem o-
mnium V. D. Miniſtrorum, qui in & extra ci-
uitatem Thorunienſem, ab initio reformatio-
nis euangelicæ ad hoc usque tempus vixere,
annexa eſt concioni Pl. Reuerendi Dn. *Ephr.*
PRÆTORII Senioris Thorunienſis grauiſſimi
euchariſticæ pro peſtilentia amota. *Thor.* 1709.
4. Occaſione peſtis quæ almam ciuitatem af-
flixit pr. Eiusd. Dn. ZERNEKE Vergifftetes
Thorn/oder Summariſcher Auszug der Pe-
ſtilentz-Seuchen/ womit die Stadt Thorn D
von Anfang ihrer Erbauung biß itzt heimge-
ſuchet worden. *Ibid.* 1710. 4. Aram DEO ob
pulſam a Ciuitate Thorunenſi peſtem erexit
ſæpe laudatus BÖHMIVS, *Ib.* 1709. f. Sub
eiusd. præſidio occaſione templi ſuburbani S.
Georgii reſtaurati de Encœniis templorum
diſputauit *Ephraim* OLOFF, *Ibid.* 1706. 4. In
Stan. HOSII *Opp. T. 2.* f. 61. habentur Eius Re-
latt. de Actis cum Thorunenſib. A. 1551. it. f. 70.
de Actis cum Elbingenſib. 1553. porro f. 85. de
Actis cum Graudentinenſibus 1556. & f. 92.
de Actis cum Braunsbergenſibus 1564. fol. 102.
denuo de Actis cum Elbingenſ. 1565-1568.
quædam habentur, vbi etiam alia plura legun-
tur, quæ ad hiſtoriam Elbingenſium faciunt.
Huius vero Ciuitatis Elbingenſis, hiſtoriam
Eccleſiaſticam iuxta ac literariam inſuper illu-
ſtrabunt: Scriptum germanicum, cui titulus:
Offenbahrliche Nachricht wegen etlicher
Sachen zum Religions-Weſen in der El-
bingſchen Kirchen gehörig/und zu wiſſen noth-
wendig/ 1663. in 4. in quo Tract. res cum
Chriſtoph. FEIFRABENDIO, Paſtore, occaſione
Syncretiſmi Dreieriani, *ib.* geſtæ exponuntur;
Item duæ Orationes, habitæ in Gymnaſio El-
bingenſi, in Noua Conſtitutione Scholæ An-
no 1598. & in Dedicatione noui ædificii ſcho-
laſtici, Ao. 1599. à M. *Ioh.* MYLIO, Scholæ
Rect. *Dantiſci*, Ao. 1600. in 4. excuſæ; Nec
non I. P. D. h. e. *Ioach.* PASTORII Doct. Ora-
tio honori literarum & memoriæ poſthumæ
duorum Gymnaſiii Elbingani Rectorum,
Ioann. & *Michael* MYLIORVM, Patris & Filii,
dicta *die* XX. *Iun.* M DC LII. *Elbingæ* typis
Corellianis impreſſa. Qua occaſione ex eo-
dem *Achatii Corellii* chalcographeo prodie-
runt: Epicedion gloriæ & memoriæ Clariſſ.
Viri *Mich.* MYLII ſacrum, auctore *B.* VOIDIO,
Eccleſiæ ibidem Paſtore; itemque Charis fu-
neralis a Gymnaſii Elbingani nonnullis ſiue
Profeſſoribus, ſiue Docentibus atque Amicis,
charitatis Chriſtianæ & Collegialis quondam
nexus ergo, ſuperinducta tumulo Ampliſſimi
Viri, Dn. *Mich.* MYLII, Rectoris bene meriti.
Balthaſaris VOIDII, quem modo nominaui-
mus laurea, & varia poemata excuſa ſunt ib.
a. 1644. & ſeq. Ad recolendum Elbingenſis
Gymnaſii Natalem, qui incidit in XXIV.
Nouembr. A. 1689. Officioſiſſima extat Invi-
tatio, Interprete M. *Erneſto* König/ Rect. d.
A. in 4. Ex *Frider.* ZAMELII Variis, quibus
patriam illuſtrauit, Poëmatibus, iunctim edi-
tis, nobisque ſupra, cum de Poëtis ageremus,
recenſitis, præter laudem Druſidos ibidem
notatam, nominanda quoque eſt Druſis gem-
mifera, ſiue Gemmarum *Elbingenſ.* Detectio,
carminice 1635. 4. cui Gemmarum Mango in
proſa annexus eſt. Nec prætereundum eius-
dem Epulum rurale (quod vocat) *Euthalii*,
ſeu Deſcriptio Paſcuorum *Elbingenſium*, vbi
quotannis epulo rurali, à Prætore annuo, Ma-
giſtratus loci excipitur. Iuuenilis labor fuit
Dn. *I.* NAGELII, Profeſſ. tum, nunc Eccleſia-
ſtæ Elbingenſ. quem *Illuſtris Elbingæ Topo-
graphiam, calamo poetico delineatam* inſcri-
pſit, atque *Regiom.* 1698. 4. publicauit. Ad
negocia quæ inclutæ ciuitati cum Sereniſſ. E-
lectore Brandenburgico, nunc Boruſſiæ Rege
interceſſere ſpectant. Schreiben an S. C.
D. von der Stadt Elbing nebſt dero Ant-
wort darauff. 4. S. C. D. der Stadt El-
bing gegebene capitulation, ſamt Schreiben
an den Magiſtrat. 1698. 4. Vorſtellung des
Rechtes / Krafft deſſen S. C. D. befugt ſeyn
die poſſesſion der Stadt Elbing/als eines der-
ſelben durch ein ewiges Bündniß und be-

ſchworne Verheiſſung conſtituirten Unterpfandes nach mehr als 40. jähriger Gedult/ und Nachſehen endlich zu ergreiffen. 1698. 4. Beſchreibung der Stadt Elbing/ auch wie und warum ſelbige von J. C. D. in poſſeſſion genommen / Leipzig 1698. 4. exemplum literarum ad Regem Poloniæ ab Electore exaratarum, quibus ad iniurioſas ac immeritos exprobrationes, quæ in vniuerſalibus Stylo polonico publicatis continentur, reſpondetur. Colon. 1698. 4. *Andr.* ZALVSKI Epiſcopi Warmienſis ſermo poſt euacuationem a milite extraneo Elbingæ dictus 3. Febr. 1700. 4. (1) Ex reliquis Pruſſiæ Ciuitatibus, MEVAM, paruam Pomerelliæ ciuitatem, obſidione Polonorum liberatam, ductu Guſtaui Adolphi Reg. Succiæ, cum aliis Poematibus Suedo-Boruſſicis, Moſchouiticis, edidit *Io.* A NARSSIVS, *Anaſtaſii* Fil. *Dordraco-Batauus*, *Stockholmi 1627. 4.* *Henr.* RICHTERI Concionatoris Dirſ. memento Dirſauienſe, oder 2 geiſtliche Predigten / wegen der 100. jährigen Feuers-Brunſt ad hanc claſſem etiam pertinet. Sic & CHONECIÆ (quæ *Cromero* Choinicia, vulgo *Conitz* dicitur) Conſtantiam, Ordini Equitum Teutonicorum Marian. variis bellis probatam, & tandem priſtino hæredi redditam, peculiari Diſſertatione ventilauit Dn. M. *Mart.* BÖHM, Prof. Thorun. Reſp. *Sim. Andr. Poltzin, Chonecenſi, Thoruníj*, Anno vltimo ſeculi XVII. in 4to.

(1) Tractatus retraditæ Elbingæ f. & 4. editus eſt. In ita dictis literis interceptis paſſim de hoc negocio agitur. 1. Rauag. p. 17. Von Chur-Brandenburgs Recht auff Elbing/ Brandenburgiſcher Attaque und deßhalben gewechſelten Schrifft/ nebſt 2. Brieffen von Chur-Brandenburg an den König in Polen/ und Primatem Regni. p. 91. Die Accords-Puncta p. 799. der Vergleich darüber zwiſchen Polen und Brandenburg p. 939. von denen Kleinodien/ welche Polen an Brandenburg wegen Elbing eingeſetzet. De rebus Elbingenſibus occaſione vrbis a. 1698. occupatæ Tubingæ diſſeruit *Andr. Adam.* HOCHSTETERVS hodie in illa Academia Theologiæ Profeſſor celeberrimus. *Chriſtophorus* Falcke *Annab. Miſnicus* ſtylo ligato ſcripſit: Lobſpruch und Beſchreibung der Stadt Elbing/ ſamt ihrer umliegenden Landſchafft. 1565. 4.

INDEX I.

exhibens

Nomina Sanctorum, aliarumque inſignium perſonarum, quarum vitæ rerumue geſtarum ſcriptores in ſchediaſmate allegantur.

Numerus prior paginas, poſterior Romanus additionem notat.

S. Adalbertus 140
ALEXANDER CAROLUS Sv. & Polon. Princeps 53. I.

Ioh. Ignatius a Bączkowo Backowski 71. II.
Eſaias Bonerus 128
Ioh. Bernardinus Bonifacius Marchio *d' Oria* 153
Ioh. Botsaccus 153
Conſtantinus Brzostowski 131

Abrah. Calovius 153
Ioh. Canttus 127. III.
CAROLUS FERDINANDUS Polon. & Svec. Pr. 69
S. CASIMIRUS 25. 127
Fabianus L. B. a Cema 73
Caſim. Florianus Chartoryçki 69
Chodkiewiciorum gens 69
Ioh. Carolus Chodkiewicz 73
Philippus Cluverius 154
Catharina Corecia 73
Nicol. Copernicus 140
Cracouienſes Episcopi 7
Ioh. Crellius 122. II.
Culmenſes Epiſcopi 8
Iohannes de Curiis Dantiſcus 153
Stephanus in Czarnka Czarniecki 69

Ioh. Nicol. Danilowicz 73
Sigismundus a Denhof 71. II.
Gerhardus 73. II. 74.
Magnus Erneſtus 74
Ioh. Caſimirus 78
Sibylla Margaretha 68
Conſtantia 71. II.
Ioh. Dlugossus 128
Staniſl. de Lubranniecz Dombski 69
S. DOROTHEA 139
Paulus Dzialinski 72

Laurentius Euchstadius 154
ERNESTUS Archi-Dux AUSTRIÆ 76

S. FELICISSIMA 64
Pontus de la Gardie 133
Petrus Gembecki 70
Vincentius Coruinus Gosiewski 74
Alexander Grabinscius 71
Iohannes - - - 70
Conradus Graserus 157
Gabriel Groddeck 153. I.
Sigismundus Güldensternius 68

Mich. Antonius Hacki 70. 71. XV.
Halicenſes Archiepiſcopi 7
Ioh. Hevelius 153
Stanislaus Hosius 140
S. Hyacinthus 128

IOHANNES ALBERTUS Poloniæ & Sueciæ Princeps 53. I.
S. IUTA 139

Vincentius Kadlubko 67
Sam. Georgius Dagobertus de Huſiatyn Kalinovvski 71
Barthol. Keckermannus 154
Alexander Kessovvski 70
Petrus Kmita 25
Erneſtus König 157
Mich. Konarski 71. XIII.
Alexander Koniecpolski 72. 73
Ioh. Carolus - - 71. I.
Stanislaus - - 69. 73
Stanislaus Kostka 127
Sigismundus a Kuzanovv Kuzanovvski 73. I.

Conradus Lagus 153. I.
Leopolienſes Archiepiſcopi 7
Andreas a Lesno Lesczinski 68. 70. 71. IX.
Raphael - - 74
Wenceslaus - - 71. III.
Magdalena - - 72
Thomas in Lezenice Lezenski 70
Iohannes a Lipe Lipski 70
Andreas - - 71. IV.
Caſimirus Liszynski 131. I.
Vladislaus Los 70. 73. IV.
Stanislaus Lubienicius 122. II.
- - Lubienskius 128

Ioh. Maukischius 153
Ioh. Mochingerus 154

Henricus Nicolai 154

Andr. Olzovvski 69. 71. XII.
Martinus Opitius 154
Georgius Dux in Ossolin Ossolinski 73. V. 74
Anna Thereſia - - 71. II.
Vrſula Brigitta - - 71.
Nicol. Ostrorog 169

Adrianus Pauli 157
Plocenſes Epiſcopi 7

Pos-

Poſnanienſes Epiſcopi 7
Potockiorum familia 73
Catharina POLOCKIA 72
Matthæus PSTROCONIVS PSTROKONSKI 128

Boguslaus RADOSZOVVSKI 71. VII.
Michael Stephanus RADZIEIOVVSKI 78. 128
Hieronymus - - 99
Ianuſſius RADZIVILIVS 69. 72. 100
Chriſtophorus - - 74
Ioh. Ioachimus REVSSIVS 153. I.

Caſimirus Leonhardus SAPIEHA 69
Leo - - 67
Ioh. Stanulaus a SBASZIN SBASKI 69
Georgius SCHOMANNVS 122
Fauſtus SOCINVS 122. II.
Ioh. Demetrius SOLICOVIVS 128
S. STANISLAVS *Caſimiritanus* 127. III.
Stanislaus Polonus 129. I.
Ægydius STRAVCHIVS 153
Nicol. SZYSZKOVVSKI 71. VIII.

Barbara de Skekarzovice TARLOVIA 71
Ioh. Petrus TITIVS 154
Petrus TYLICKI 71. V.

Iacobus VCHANSKI 71. X.
Varmienſes Epiſcopi 7.
Ioh. WIELOPOLSCIVS 69. 71. II.
Ioh. WIGANDVS 140
Andr. WISSOVVATIVS 122
S. WOITICHIVS v. ADALBERTVS.
Nicolaus de Podhayce WOISKI 74
Ioh. Ludov. WOLZOGENIVS 122. II.
Abrahamus WOYNA 71. XI.
Gabriel - - 74

Iohannes a ZAMOSCIE Cancell. 26. 74
Iohannes - - 73
Iohannes Baptiſta - 70
Iohanna Barbara - - 72

INDEX II.

Autorum quorum Scripta recenſentur.

Samſon d' Abbeville 9
Andreas Abreck 72. 73
Melchior Adamus 140. 153
Germ. Adlerhold 138
Iſidorus Affaita 96
Martinus Alexſuanguius 149. II.
Marcus Ambroſius 6.
Nicolaus Antonius 5
Lucius Apronius 88
Carolus de Aquino 63
Iohannes Argentus 122
Gotofredus Arnold 119
Dan. Aſchenborn 51
Andr. Aurifaber 49
Eliſeus Aurimontanus 145

Petrus Bailius 33. 44. 52. 118. 122. III.
Ioh. Balæus 5
Franciſcus Balduinus 20
Martinus Barbe 103
Cæſar Baroffius 80
Martinus Baronius 127. 128
Albertus Baronovvski 125. V.
Gottfried Barthold 64
Erneſtus - - 141
Albertus Bartholinus 15
Richardus - - 37
Cyprianus Baſilicus 114
Basko 20
Michael Antonius Baudrand 9
Adamus Bayerski 143
Dominus de Beauplan 14
Beaujeſius 35
Ioh. Chriſtoph. Becmannus 8. 9
Ioh. Behmius 47
Michael - - 143. 144
Chriſtoph. Behr 60. 63. 66. 77. II.
Ioh. Sigfridus a Beichlingen 65
Nicolaus Bellus 116
Iohannes a Benckendorff 81. I
Nicolaus Bergius 121
Chriſtoph. Bernhardi 145. II.
Sophianna Bernhardina a Bernicz 57
Petrus Bertius 9
Ioachimus Bielſcius 22. 42
Martinus - - 22
Stanislaus Ioſephus Biezanovvski 56. 57. 59
Stanislaus - - 74
Matth. Bicerenclau 89. VII. 93. XXV. 97. III. 100
Macolinus Biſaccioni 33
Biſardierius 35
Ioh. & Wilhelmus Bleamii 9
Ioh. Henr. Bœclerus 88
Martinus Böhm 13. 119. 139. 156. 157. 160
Henricus a Bœmeln 47. 49
Gabriel - - 151. I.
Georgius Simon - - ib.
Iacobus Bœrger 59. II.
Laurentius Boierus 82. 127
Io. Chriſtian. L. B. de Boineburg 101
Matthæus Benedictus Bolelucki 140
Alb. Bolognetus 123
Bollandus 127. III.
Iohannes Boneſonius 41
Gregorius Boraſtus 82. 83. IV. 86
Michael Borkius 145
Gregorius Borŭski 70

Iohan-

Johannes Boterus 9
Johannes Botſaccus 50
Adolphus Bracchelius 9
Ericus Brahe 79. I.
Io. Arnoldus de Brand 133. III.
Stephanus Branicki 57
Tilemannus Bredembach 131
Dan. Breslerus 105
Matthias Breu 156
Philip. Brietius 9
Matthias Brockus 58
Michael Angelus Brunerius 51. I.
Hieron. Bruſoni 9
Guil. Bruſſus 81
Ioh. Michael Brutus 76
Iacobus Brzemezkius 7
Nicolaus Buccella 44
Gabriel Bucelinus 9
Wenceslaus à Budowitz Budowa 27
Iulius Cæſar Bulengerus 9
Iſ. Bullart 74. 139. I.
Levinus Bulovius 81. I.
Adamus Burſius 74
Theodorus & *Alexander* à Buthler 57
Andreas Bythnerus 51. 54
Ioh. Bytomski 33
Bzovius 127. III.
Ioh. Cæſarius 7. I.
Caliſius 125
Georgius Calixtus 155
Phil. Callimachus 18. 24. 124
Ioachimus Camerarius 121
Ludovicus - - 83
Caniſius 140
Capacius 7
Andr. Caræus 67
Iohannes Antonius Carniolus 146
Baptiſta Caſotti 33
Chriſtoph. Cellarius 62. 65
Conradus Coltes 12
Iohannes Cervus 110
Caſp. von Ceumern 132
Robertus de Chanollet 41
Sam. Chapuzeau 9
Com. de *Chavignac* 102
Ioh. Chemnitius 145
Andr. du Cheſne
Georgius Chiakor 44
Stanislaus Chochlovvski 131
Carolus Chodkievvicius 30
Iohannes Choiſnyn 40
Lucas Chvvalkovvski 79. I.
Nicolaus de Chvvalkovvo 106. 117
Dav. Chytræus 13. 14. &c.
Caſp. Cichovius 114. 124
Alexander Cilli 28
Ioh. Cinerski 46. V. 49. I. II. 53. I.
Adolphus Clarmundus 154
Appius Claudius 151
Wenceslaus Clemens 146
Philippus Cluverius 9
Quirinus Cnoglerus 25
Clemens Coelmerus 145
Ioh. Amos. Comenius 91. 121
Ioh. Franciſcus Commendonus 39
Chriſtophorus Concki 7. I.
Bernh. Connor 14
Hermannus Conringius 9. 13. 85. 87. 88
Andr. de Pilca Corycinius 113
Laurentius Corvinus 12
Cosmas *Pragenſis* 140
Hilarion de Coſta 45
Collegium S. I. Cracouienſe 46. 47. 48. 52. 54.
Ioh. Frider. Cramerus 76
Laurentius Craſſus 5. 139. III.
Carolus - - 39
Iohannes Craſſinius 12
Ioh. Cricius 121
Franciſcus de la Croix 5
N. - - 35
Martinus Cromerus 11. 17. 36. 127
Daniel Cruſius 145
Iacobus Andreas - - 88
Iacobus Cuiacius 39
Achacius Cureus 71. X.
Ioachimus - - 9
Reinholdus Curicke 146
Georg. Reinholdus - - 66. 146
Iohannes de Curiis *Daniſcus* 36. 37. 119
Amadeus Curtius 44
Ioh. Chriſtoph. Cyboni 61. I.
Gregorius Czaradzki 108. III.
David Czernievvski 105
Ioh. Czimmerman 157.
Dav. Czwittingerus 5. II. 43. II.
Dalerac 35
Stephanus Damalevitius 7
Dantza 40
Matthias Dargotius 114
Ioh. Henricus Dauberus 110
Iodocus Ludovicus Decius 15. 17
Adalb. Debolecki 112
Ioh. Deckerius 46
Georgius Albertus de Denhof 63
Ioh. Godofredus à Dieſſeldorff 66
Nathanael Dilger 57. 95. 96. 147. II.
Dilmarus *Merſeburgenſis* 9
Ioannes Dlugoſſus 7. 11
Michael Erneſtus - - 35
Stanislaus Domonievvski 53. 54
Nicolaus Drabicius 113
Thomas Dreſnerus 110
Matthæus Dreſſerus 115
Collegium DVACENSE 46
Iohannes Dubravius 9
Arturus Duck 110
Petrus de Dusburg 136
Iohannes Dziegielovvski 109
Laurentius Eichſtadius 147. 148
Fridericus Engelke 135
Reinh. ab Eppingen 139
Ianus Nicius Erythræus 5
Guido Faber de Pibrac 39
Dionyſius Fabri 134

m
Ian.

Iacobus Fabricius 139
Fridericus - - 68
Vincentius - - 55.68.117.149
Michael Falckius 57
Chriſtoph. - 159
Laurentius Arturus Faunteus 124
Chriſtophorus Feierabend 57.158
Philippus Ferrarius 9
Felix Fidlerus 81.I.
Laurentius Fiſcherus 57.I.
Flecherius 38
Ioh. Fokius 53.I.126
Stephanus Forcatulus 40
Petrus Francius 61
Barthol. Franck 58
Leutholff à Franckenberg 9
Andreas Franckenberger 148
Henricus Frederus 47.143.144
Conſtantinus - - 61.II.
Andreas Maximilianus à Fredro 27.116
Marquardus Freherus 140
Michael Fridevvald 150
Iohannes Friſchmannus 88.101
Leonhardus Frizon 59.III.
Chriſtoph. Funccius 9
Zacharias Fürneſtrus 39
Laurentius Gablerus 152
Lucas de Gabriis 86
Iacobus Gadebuſch 112
Petrus Gaſſendus 140
Petrus Geebicki 47.I.
Iohannes Abrahamus de Gehema 120
Huſanes de Gemlabburbits Gemlabburbitsky
Ghilinus 5. (101.I.
Ioh. Gilenius 89
Eraſm. Glicznerus 16.22
Franciſcus Glinke 116
Laurent. Gnatovvski 49.XII.
Ioh. Ephr. Gnoſpius 153.I.
Ioh. Ludovicus Godofredus 9
Wenceslaus Godrecius 14
Melchior Goldaſtus 9
Leonhardus Gorecius 38
Bartholomæus Goricki 109
Lucas Gornickius 26
Iacobus Gorſcius 43.124
Ioh. Alexander Gorczyn 53
Michael Aquilinus Gorczynskius 127.III.
Franciſcus Goſlavus *de Nadarice* 42
Goslicki 124
Gottfridus *Viterbienſis* 9
Io. Chriſtoph. Gottvvald 151
Antonius Maria Gratianus 37.4
Hieron. Grato 53.
Ioach. Greulichius 118
Gabriel Groddeck 153
Hugo Grotius 76
David Albertus Grymza 47.V.
Chriſtianus Gryphius 8.II.
Alexander Guagninus 10.115
Io. Gualterius 23
Auguſtinus Gudicanus 13
Florianus de Gurry Gurski 101
Fabianus Guſtmeier 144
Iohannes Habæus 97
Michael Antonius Hacki 61.66.78.145,II.
Ioachimus Hagemeierus 113
Io. Hallervordius 6
Io. Chriſtianus Hallman 77.I.
Iohannes Hankius 119
Martinus - - 6.117
Chriſtoph. Hartknoch 6.8.106.138
Samuel Hartliebius 90
Io. Ludouicus Hartman 117
Philippus Iacobus - - 141
Hautevillius 14.115.I.
Io. Heidenſteinius 26.40.115.I.
Reinholdus - - 18.27.
Helmoldus 9
Chriſtoph. Helvichius 153.I.
Caſp. Henneberger 137
Salom. Henningius 131
Henricus Chriſtianus Henninius 133.III.
Henſchenius 127.III.
Sigismundus de Herberſtein 11
Iohannes Herburtus *de Fulſtein* 20.107
Iohannes Felix - - 108
Iacobus Herden 139.156
Dan. Hermannus 45.I.79.119.II.
Michael Hertius 6
Iohannes Hevelius 61
Iohannes Franciſcus Hilbrant 53
Elias Hirſchfeld 147.II.
Andr. Adamus Hochſtetterus 159.I.
Nicolaus Hoeniger 38
Philippus Honorius 80
Thomas Hornerus 133
Georgius Hornius 9
Rutgerus zur Horſt 117
Fridericus Hortlederus 9
Iohannes Hoppius 153.I.
Sidronius Hoſchius 129.I.
Stanislaus Hoſius 39.76.126.157
Io. Henricus Hottingerus 6
Michael Hoynovius 141
Iohannes Hübnerus 9
- - Hülſeman 155
- - Hutichius 10
Henricus ab Huyſſen 38
Hieronymus a S. Hyacintho 155
Iablonovvskius 64
Simon Iachimonovvski 147
Io. Alexander à Ianick Ianicki 34
Iacobus Ianidlovius 111
Iohannes Ianſonius 8
Nicolaus - - ib.
Wilhelmus - - ib.
Io. Ianſſonius 52
Ianus Ianuſzovius 108.116
Andreas Iaski à Iaskindorff 57.58
Martinus Ieſchke 139
Imperialis *vid.* Meier.
Albertus Ines 77
Auguſtinus Inveges 5.I.

Cle-

Clemens Ioannicius 7. I.
Gabriel Ioannitius 38
Olaus Iohannis 137
Vincentius Kadlubeck ſ. Kadlubko 20
Karatan 47. VIII.
Stanislaus Karnkowius 18.39.76.116.141
Chriſtoph. Katski 7. I.
Bartholomæus Keckermannus 105
Chriſtianus Kelchius 133
Alexander à Bautzendorff Keſowski 52
Thomas Kieſzkovvski 53
Iohannes Kirſteyn 109
Nicolaus Kiſzka 50
Iohannes Klein *Rect.* 146
- - - - *ICtus* 152
Ludouicus Knauſt 56
Andreas Knochius 54
Georgius Knoff 137
Iuſtus Knüppelhardt 90
Stanislaus Kobierzycki 29. 92
Iohannes Kochanowski 79
Veſpaſianus à Kochow Kochowski 24.32.57
Erneſtus Koenig 157.158
Albertus Wiiuk Koialowicz 131
Komormicki 100
Michael Kongehl 153
Auguſtinus Kordecki 92
Iohannes a Koſtitz 81. I.
Io. Kraiewski 29. I.
Albertus Krantzius 9
Georgius de Siecin in Kraſiczyn Kraſicki 59
Daniel Krauſe 83
Iohannes Krieg 60
Amotus Kruſius 83
Stanislaus Krziſtanowicz 105
Andreas Kühn 66
Paulus - - 47
Paulus Kuſzewic 109
Samuel Kuſzewicz 31. III.
Iohannes Kwiadkiewicz 57.59.60.69
Ioh. Laboureur 51
Iohannes Laurentius Lacheſinus 55
Petrus Caſimirus Lacki 69
Philippus - - 145
Marcianus Matthias Ladouius 109
Io de Laet 9
Lagnerus 92
Balthaſar Lange 62
Thomas Lanſius 113
Iohannes Laſicius 38. 41. 121
Iohannes Laskus 107
Georgius Latalski 43
Carolus Frider. Lau 117
Matth. Lauentotter 150
Florianus Lepiecki 52. 71
Andreas Leſczinski 51
Iohannes Leſniwolski 49. XI.
Leuenclauius 129
Petrus Lilias 45
Franciſcus Lilius 71. VIII.
Michael Lilienthal 153. I.
P. Linage *de Vauciennes* 87
Lucas à Linda 9
Adrianus - - 58
Iohannes Erneſtus von der Linde 66.152
Martinus Lipenius 8
Aloyſius Lipomannus 123
Blaſius Lipowski 114
Chriſtianus Lippo 145
Ioh. à Lipe Lipski 46.50
Andreas Lipſenbergius 131
Stanislaus Lechowski 101
Stephanus Radwan Lodzinski 57
Andreas Loeæchius 45. III. 77. I.
Georgius Lohmeierus 9
Chriſtoph. Lonievvski 127
Alexander Lovencovic 57
Stanislaus Lubieniecius 122
- - - Lubienski 28
- - - Lubomirski 115
Michael Caſp. Lundorpius, *paſſim*
Lucas Lunovvski 147. II.
Iacobus Lydicius 138
Andreas Lyſiecki 111
Sam. Maciecovvski 37
Albertus Madalinski 109
Comes de Magdeleine 101
Annibal Maggi 17. I.
Ioh. Burchardus Maius 9
Sam. Stanislaus Makovvski 51. 52
Antonius Malagonnellius 60
Germanicus Malaſpina 81
Bernhardus à Mallinckroth 6
Philibertus de la Mare 6
Franciſcus Marinius 113
Io. Markievvicz 123
Chriſtoph. Marquardus 61
Martinus *Polonus* 9
Adam. Iac. Martini 51. 54.146
Cyriacus - - 57
Simplicianus à S. Martino 127. III.
Matthæus *Card. Gurcenſis* 37
Io. Maukiſch 55.148.150
Ludouicus du May 9
Auguſtinus de Mayerberg 14
Io. Valentinus Meder 66
Frider. Meibomius 51. I. 71. I.
Ioachimus Meier 20. I.
Io. Gottlieb Meiſter 117
Pomponius Mela 9. 12
Philippus Melanchthon 76
Iohannes Meletius 125. 139
Hieronymus - - 139
Ambroſius Mellilambius 87
Iohannes Burchardus Menckenius 38
Fridericus Menius 84
Gerh. Merula 9
Iohannes Meſſenius 28. 82
Dauid Meuius 86
Matthias à Michouia 11. 16
Michalo
Martinus Michouius 49. V. 53. I.
Iohannes Micrælius 9

Petrus Mierzkovvski 114
Auguſtinus Rotundus Mileſius 123
Aubertus Miræus 6
Cæleſtinus Miſlenta 139
Hector Iohannes Mithobius 87
Io. Mochingerus 46.48.49.52.54.148
Andreas Fricius Modrzevvskius 114
Io. Georgius Moereſius 56
Iohannes Monlucius 39
Morera 127.III.
Benedictus Morgenſtern 156
Dan. Georg. Morhof 153. I.
Alexander Morſtin 59
Io. Staniſl. Moſcicki 102
Mothius 113
Laurentius Müllerus 27.132
Sebaſtianus Münſterus 9
M. A. Muretus 38
Mart. Murinius 137
Arnoldus Mylius 123
Iohannes - - 158
Michael - - 53 I. 47
Franc. Goslavus de Nadarice *v.* Goslavus.
I. Nagelius 158
Io. Licinius Namyslovius 155
Io. Narſius 83. I. 135. I.
Ferdinandus Neoburgus 8
Georgius Neufeld 148
Salomo Neugebauer *à Cadano* 19.23.125
Io. Neunachbahr 58.157
Andreas Nicanor 86.89. II.
Laurentius Nicolart 125
Guil. Nicolſon 6
Adamus Nicori 47. VIII.
Nicephorus Nicoymius 86
Staniſl. Nieviarovvski 49.VII.
Daniel Godofr. Nimsgart 152
Io. Nixdorff 141
Albertus Novakovvski 53
Schola Novvodvvorſciana 47. I.
Elias de Nukrois 83
Staniſl. Florianus Obryuski 49. IX.
Nicolaus Oelhafius 147
Claudius Arrhenius Oernhielm 133
Carolus Ogerius 14. 153. I.
Simon Okolski 15
Phil. Andr. Oldenburgerus 9
Io. Ericus Olhofius 152
Conuentus Oliuenſis 99
Iacobus Olſzevvski 149. X.
Andreas Olſzovvski 56.58.86.88.101.125
Lucas Opalenius 13.113.115
Martinus Opitius 73.119
Suienteslaus Orclicz *de Bozciewice* 39
Stanislaus Orichovius 25.37.38.114.125
Abrahamus Ortelius 9
Paul. Boguſl. de Orzechovv Orzechovvski 140
Chriſtoph. Bald. de Tenczyn Oſſolinski 49. IX.
Georgius Dux in Oſſolin Oſſolinski 67
Vladislaus Oſſolinski 52
Martinus Oslinski 61
Daniel Otrębuſz 47.VII.49.VI.
Otto *Friſingenſis* 9
Erneſtus Pacianus 85. 89. III.
Io. Bapt. Pacichellus 14
Henricus Pantaleon 5. 18
Barthol. Paprocius 8. I. 16. 47
Ioach. Paſtorius *ab Hirtenberg* 19.32.55.57.58.
Georgius Adamus - - 20 (68.69
Andreas Patricius 43. I.
Iuſtus - - 145
Adamus Patouius 127. III.
Daniel Patterſon 142
Simon Pauli 110
Stanislaus Pavvlovvski 79. I.
Godofredus à Peſchvvitz 58.70
Io. Innocentius Petricius 30
Andreas Petricovius 108
Iohannes Pfenningius 146
Io. Ioachimus Phragmenius 134
Paulus Piaſecius 29
Adr. Pikarski 52
Antonius de Leon Pinello 5
Henricus Pipping 153
Matthæus Piſcorovius 39. I. 45
Piſo 56
Iohannes Piſtorius 10
Io. Pitſeus 5
-- Plaſtvvig 7
-- Platovius 65.II.
Thomas de Plaza 22
Plinius 9
Clemens Polus 124
Petrus Potocius 47
Hieron. Povodovius 126
Franciſc. Lewaltus Povvalski 111
Ephraim Prætorius 147. II. 149.157
Matthæus - - 22. 61. 138
Gregorius Preutt 48
Iac. Priluſius *ſ.* Przilluſius 12. 37. II. 107
Æmilius Probus 151
Chriſtoph. Prziemski 85.89.III.
Ptolemæus 9
Virgilius Puccitelli 51. I.
Samuel de Pufendorff 9
Matth. Radecken 151
Radvvan 31. IV.
Hieron. Radzieiovvski 99
Paulus Antonius Radzinski 114
Carolus Radzivilius 123
Chriſtoph. - - 135
Nicolaus - - 123
Henricus Raeteln 45
Stanislaus Rakovvski 53. I.
Stephanus Ranatovicius 127. III.
Georgius Ranis 136
Bartholom. Raniſch 146
Iohannes Ravius 148
Adrianus Regenvolſcius 120
Alexander Petrus Rembert 59
Stanislaus Reſcius 27.39.76.140
Michael Retellius 153
Iohannes Rezik 62
Samuel Rhanæus 134

Ioa-


Ioachimus Rheticus 141
Elias Riccius 142
Io. Aloyſius - - 110
Io. Baptiſta Ricciolus 9
Henricus Richterus 160
Johannes Rocki 53.II.
Rolczycki 61
Reinh. Henr. Rollius 153.I.
Dominicus Roncalius 111.II.
Phil. Rondininus 139.II.
Andreas Roſevvald 47
Iohannes Roſinus 141
Nathanael Roſteuſcher 51.I. 73.II.
Wolffgangus - - 158
Iacobus Roy 83
Petrus Royzius 131
Albertus Rozciſzevvski 155.I.
Collegium S. I. Rozrazevianum 70
Martinus Ruarus 76
Simon Rudnicki 121
Baſilius Rudomicz 70
Dionyſ. Runavius 135
Conventus Rupellanus *Eremitarum* 59
Iacobus Ruſſelius 84
Balthaſar Ruſſovius 132
Frider. Ruyſſchius 120
Iohannes Rybinius 36
- - Ryvvockus 49.67
Georgius Sabinus 77
Franciſcus Sachinus 127
I. G. Salicetus 146
Scævola Sammarthanus 5
Andreas Sanctacrucius 131
Chriſtoph. Sandius 6.122
Franciſcus Sanſovinus 9
Caſim. Sapieha 131
Matth. Caſimirus Sarbievius 73.77.128
Stanislaus Sarnecius 12.22
- - Sarnicki 108
Iohannes Sartorius 61.62
Caſp. Savicki 114.124.147.II.
Iohannes Saxius 113
Hercules Saxonia 120
Andreas Scato 49
Oſeas Schadeus 9
Abrah. Schallius 45
Simon Schardius 26
Petrus Schauer 61.I.
Hartmannus Schedelius 12.127
Ioh. Schefferus 5
Sam. Schelguigius 63.I. 66.145.I.147.II.149.
Iacobus Schlakovv 149.I. (151.I.
Ioh. Iacobus - - 66
Ioh. Schlichtinck 47.X.122.I.
Conradus Schlüſſelburgius 140
Io. Erneſtus Schmieden 61.II. III. 79.148.153
Carolus Fridericus - - 60
Ioh. Andreas Schmidius 139
Georgius Schomannus 122
Andr. Schottus 5
Daniel Schraderus 36
Ioach. Henr. - - 62
Valentinus Schreckius 149
Elias Schrœderus 151
Elias Conſtantinus a Trewen Schrœderus 56.151
Iohannes Erneſtus Schröerus 145
Adamus Schröterus 12
Martinus Schrotus 16
Caſpar Schützius 23.151.136
Conſtantinus - - 63.I.66.151.I.
Iohannes Schulzius 62.63.117
Ioh. Henr. - - 142
Nicolaus - - 151
I. B. Schuppius 87.119
C. S. Schurtzfleiſch 65.119.134
H. L. - - 134
Mart. Schvvartzbach 43.II.
Scorbiſſeuius 7
Carolus Scribanius 125
Paulus Sczerbick 108.109
Seback 84
Vit. Ludouicus a Seckendorff 123
Guil. Serlinus 88
Clemens Seuerianus 79.I.
Franciscus Seuerinus 128
Martinus Siemeck 47.XI.71.IV.
Petrus Sieſtrzencevvicz 74
SIGISMVMDVS AVGVSTVS. R.P. 38
Carolus Sigonius 12
Petrus Sikius 139.I.
Simon Simonius 43
Simon Simonides 77
Caſpar Sineck 115.I.
Victor. Siri 9
Martinus Siſcouius 125.I.
Fabianus Skonieczny 73.I.
Stanislaus Skzriszouius 108
Laurentius Smieszkovvic 49.XIII.
Iacobus Sobieski 30
Carolus Sorellus 5
Horatius Spanorchius 116
Ericus Sparre 79.I.
Iacobus Spiegel 36
Io. Theodorus Sprenger 13
Valentinus Stalicki 51.II.
Franciſcus Stancarus 121
Sim. Starauolſcius 7.13.16.46.47.71.I.74.104.
Achilles Statius 27 (144
Adalb. Gabr. Stauoſz 127
Eraſmus Stella 10.126
STEPHANVS R.P. 38.42.IV.
Manaſſe Stöckel 151.I.
Strabo 9
Georgius a Stracvvitz 96
Mart. Strattmannus 45.II.
Ægidius Strauch 59
Sam. Strimeſius 156
Henricus Stroband 156
Burc. Gotth. Struuius 8
Matthias Strykovvski 130
Sebaſtianus Fabianus Stryievvicz 53
Chriſtoph. Sturzius 43.II.
Io. Demetrius Sulikouius 13.26.39.135
Nicolaus Sulikovvski 52
Laurentius Surius 127.140
Laurentius Suslyga 46

INDEX II.

Barthol. Leonh. Svvendendörffer 142
Franciſcus Svvertius 5
Gregorius Svviecicki 25
Æneas Syluius 10. 139
Fridericus Szembeck 71. VI. 139
Iacobus Szemioth 59
Andreas de Szoldry 53
Szyszkovvski 71. VII..
Tacitus 9
Talander 34. V.
Io. Tarnouius 30
Staniſl. Temberski 53. 56
Iohannes de Temporibus 150
Michael Teſſin 119
Conradus Thamnitius 54. 68. 156
Stephanus Theuenetus 41
Valentinus Thilo 48. 49. 50. 52. 54
Iacobus Thomaſius 24
Cyriacus Thraſymachus 85. 89. XX.
Iacobus Auguſtus Thuanus 9
Iohannes Andreas Thümmel 66
C. A. Thuldenus 9
Leonhardus Thurnaiſſerus 42
Io. Pet. Titius 52. 55. 57. 58. 59. 61. 62. 69. 99. 141.
Philippus Iacobus Tomaſinus 5. 125, III.
Benedictus Tranquillus 89. XVIII.
Thomas Treterus 7
Matthias - - ib.
Caſimirus 71. II.
Iohannes Treug 117
Andr. Triceſius 121
Georgius Triſarolus 81
Ioh. Troeſter 13
Andreas Trzebicki 75. 128
Vladulaus Turlay 24
Samuel Tvvardovvski 31. 33
Adalb. Tylkovvski 120
Iohannes Tyſcouicius 122
Ioachimus Vadianus 12
Petrus du Val 9
Petrus Valckenier 9
Bernhardus Vapouius 18. 21
Andreas Vargotius 16
A. Varillas 134
Publius Vatinius 151
P. Linage de Vauciennes 33
Caſp. Vrſinus Velius 37
Ioh. Caſpar Venator 137
Samuel Verchius 66
Antonius Verderius 5
Honoratus Vicecomes 83. VI.
Collegium S. I. Vilnenſe 52. 53
Albertus Vimina 33
Thomas Vitalis 69
Eraſmus Vitellius 36
Iacobus - - 47. I. 49. XIV. 71. V.
Henricus ab Vlenbrock 133
Petrus Vogetius 96
Balthaſar Voidius 49. I. 54. 158
Andreas Volanus 123. 147
Raphael Volaterraneus 9
Petrus Volſcius 39. III.
Gerh. Iohannes Voſſius 6
Barthol. ab Vſingen 121
Simon Dominicus Wachocki 53
Georgius Wachſchlager 60. 61. II.
Wacłauius 16
Eberhardus Wagner 131
Andreas Wahl 67. I.
Matthaus Waiſſelius 132.
Iacobus Wallius 127. II.. 19. I.
Philotheus Warner 91. III.
Chriſtoph. Warſeuicius 7. 43. 112
Sigismundus Fridericus Wartman 88
Eberh. Waſſenbergius 31. 70. 71. XIII. 147
Ioh. Nicolaus Weber 60
Michael - - 71. II.
Chriſtoph. Wegner 142
Ioachimus Weickmann 151. I.
Chriſtianus Weiſius 9
Godofr. Weiſſius 147
Andreas Welſius
Georgius Wendius 24. 67. 119. 147. 157
Andr. Wengerſcius 121
Samuel Węslavvski 74
Michael - - ib.
Martinus Widzievvicz 74
Io. Wigandus 40
Iodocus Willichius 120
Ioh. Wilmannus 83. VI.
Martinus Winckler 55. II. 58.
Andreas Wiſſovnatius 122
Henningus Wittenius 153
Petrus Witzke 45
Seuerinus Wokicievvic 95
Samuel Wolffius 42
Caſim. Iohannes Woysnarovvicz 51. 53. 71
Nicol. Zabicki 51. I.
Nicol. Zalaszovvski 7. 106
Andr. Chryſoſt. Zaluski 63. 159
Frider. Zamelius 49. IV. 78. 151
Iohannes Zamoſcius 39. 45.
Theodorus Zavvacki 108. 110
Caſimirus Zavvaldzki 34. 155
Bernhardus Zechius 9
Martinus Zeillerus 7. 14
Ioh. Wilhelmus Zeiter 89. XX.
Benedictus Zelechovvski 109
Iohannes Zerkovvski 47
Iohannes Henricus Zernike 157
Iacobus Zetzkius. 51. 149
Iohannes Caſpar Zeumerus 140
Hieronymus Zieglerus 5
Henr. Ansh. - - 9
Io. Zielenievicius 33
Nicolaus Ziemecki 124
Zimorovvicius 102
Cyprianus Zochovvski 57
Stanislaus Zolkievius 28. 30
Adamus Zydovvski 111
Io. Zyſzkievvicz 51. II.

):(o):(

IOANNIS



IOANNIS DŁVGOSSI

SEV

LONGINI

CANONICI CRACOVIENSIS,

HISTORIÆ POLONICÆ

LIBER PRIMVS.

MILL. I.

HVmanum genus in ipſa ſui creatione & fabrica, in puritate, ac innocentia in primo noſtro parente conditum *Adam*, quem alterum poſt ſe præſidem DEVS, ſi tantummodo voci Plaſmatoris potius quàm ſuaſoris obediſſet, facere diſponebat, quem ad propriam formaverat imaginem ab Angelis paulò minus imminutum, nobiliſſimum inter creaturas, & creaturis ipſis dominaturum pro libito: infundens illi animam rationalem praua à bonis diſcreturam, dum primum contra præceptum dominicum pomo ligni vetiti prægustato, à paradiſi gaudiis in terram ſpinis & tribulis obſitam, eiectum eſt, in ſudore vultus, & amaritudine doloris pane veſciturum. Deinde dum ſe temporis ſucceſſu fœdis libidinibus coinquinaſſet deprauaſſetque, iniuſta licentia iuſtam punitionem exigens, vagum & profugum in terra miſeriæ oberrans aquis diluuii (octo tantummodo animabus ad ſubſtituendam fidei originem, & operum merito

Quomodo poſt diluuium generale

reſeruatis) diuinitas delictis provocata hu- A manis deleuiſſet. Tandem propitiante Deo, ſed to *κατακλύσμῳ* vehementer germinans in ſimilem præuaricationem, quam ſibi *Adam*, & poſteritati ſuæ in paradiſo contexuerat, antiqui hoſtis ſuggerente verſutia, caſurum pari cœperat in Deum transgreſſione graſſari, & communi deliberatione, communique ſumptu & labore, ducenteſimo primo anno poſt diluuium *Nemrod* gigante, filio *Thanan*, autore & ſuaſore, inter *Nubiam* & *Ægyptum* negatam immortalitatem, vel potius primorum parentum transgreſſione perditam, arte ſe recuperaturum, & breuiſſimum vitæ ſpatiũ, quod Deus induiſerat protelaturum ſe exiſtimans, turrim *Babylon* in ſub- B lime ædificandam, coctili latere, vice cæmenti, & arenæ interſtrato, atque interlito bitumine, quod ora illa paſſim e terra gignit, volens æquiparari altiſſimo, conſtituit. Cuius craſſitudo fundamenti trecentorum paſſuum erat, vt opus erigendum, quod ſenſim artabatur ſolidius conſiſteret: quatenus altitudine eius & robore omni pauore remoto aduerſus quoslibet caſus tutum & ſecurum de cætero conſiſtere valeret, & tàm vndarum alluuionem, quam reliqua Dei contra ſe ferenda prohiberet & arceret edicta:

MILL. II.

circa ædificationem turris Babylon

proprio arbitrio abſque ſubiectione, & qualibet lege victurum. Miſericordem autem ſe Deus filiis *Adæ*, prout pollicitus fuerat, A demonſtrans, præſumptæ quidem temeritatis & ſuperbiæ, ſcelus ædificantium, turrim irruptione diluuiali, ne vniuerſa obduceret abſumeretque iuxta fœdus quod pepigerat punire diſtulit: ne tamen amplius ſerperent conatus improbi, vnam Hebræam, quam vniuerſi ſonare, & intelligere conſueuerant linguam, & quæ ſola tunc in vſu erat ab *Adam* vſque in illa tempora deriuatam, in duas & ſeptuaginta ſuperbam mentem ſermonemque conſtruentium confuſurus, opuſque turris, quod aliquantulum creuerat exterminaturus, diuiſit, *Noe* ſiquidem generatio in *Chaldæa & Damaſci Syria*, ac maiori *Armenia* ſiue *Aſſyria*, in qua *Ninive* ſita B eſt, ſedes ſuas atque habitacula poſuerat. Cæteræ regiones *Aſiæ*, *Africæ*, atque *Europæ* nulla hominum frequentatione aut populatione cultæ, feris tantummodo & auibus plene vaſtam ſolitudinem retinebant, donec primordia noſtræ originis ſuperbia confundente vnitatem ſimplicium linguarum diuiſio ſeparauit. Ex qua & in moribus, conuictibus, animis, geſtibus, legibus, iudiciis, cæremoniis, ritibus, diuerſitas, varietaſque ſequuta eſt. Propter quam odiis magis, quàm linguis diſſidentes, ad quærendas nouas ſedes, populandaſque nouas terras diſceſſère. Et filiis quidem *Sem* in viginti duas linguas diuiſis, filiis verò *Cham* C in tres & triginta, *Africam* occupantibus, à filiis *Iaphet* decem & ſeptem linguas ſortitis, *Europa* vniuerſa in hæreditatem ſempiternam accepta eſt. A flumine autem *Tanai*, quem *Poloni* ſua lingua *Don* vocant, *Tartari Edil*, *Europa* ſumens principium, hinc *Tyrrheno*, inde *Septentrionali* & *Gaditano Oceano* terminatur. Ex *Rhiphæis* autem montibus *Tanais* oriens, adeò præcipiti curſu ruit, vt cum vicina omnia *Mæotis*, & *Boſphorus* frequenter ſolidentur in glacies, ſolus ex confractuoſis montibus euaporans nunquam *Scythico* algore indureſcat, *Africæ* & *Europæ* alteram partem concludens, alteram iniicians, famoſus limes. *Fretum* D enim *Gaditanum* in finibus *Celtiberiæ* à *Gadibus Herculeis* nuncupationem ſumens alterum terminum præſtat. Inde *Oceanus Septentrionalis*, qui verſus ſeptemtrionem aliquando *Sarmaticum* nominatur *Mare*, quod in littoribus ſuis *Sarmatæ* ſiue *Poloni* regiones & vrbes poſſideant. Ex quibus ſunt illæ duæ magis inſignes, *Lubik*, quæ *Polonicæ Bukowiec* vocitatur, & *Gdansk* à *Polonis* populatæ. Plurimas inſulas in ſe tenens, *Scandiam*, *Angliam*, *Scotiam*, *Hiberniam*, & alias minores. Ab iisdem *Gadibus* verſus meridiem *Tyrrhenum mare* cum inſulis, quæ *Tyrrheni* littore includuntur, videlicet *Maiorica*, *Minorica*, *Euica*, *Frumentaria*, *Corſica*, *Sardinia*, *Sicilia*, *Mitilenæ*, *Venetiæ*, *Creta*, donec ad *Mæotim paludem* peruenitur. *Bizantium* inſuper ſiue *Conſtantinopolis* vrbs in Europa ſita eſt. Hos itaque omnes terminos, & vſque ad *Gadizam*, quæ cum *Pella* includit *Decapolim* ſeptem filii *Iaphet*, videlicet *Gomer*, *Magog*, *Madai*, *Iauan*, *Tubal*, *Moſoch*, & *Thiras*, vel alias *Thorias*, in cognominibus linguis & familiis ſuis poſſederunt. Porro tres filii *Gomer*: Primus *Aſcenas*, à quo *Sarmatæ* ſeu *Sauromatæ*, quos Græci *Reginos* vocant, ex quibus proceſſerunt *Calabri*, *Siculi*, *Appuli*, & *Latini*, qui *Latium* habitant. Secundus *Riphat* à quo *Paphlagones*, qui *Paphlagonia* contigua *Galatia* in *Italiam* transuecti *Eneti* vocati ſunt, à quibus *VENETI*, *Ligures* & *Æmilii* proceſſerunt. Tertius *Thogor*, à quo *Phrigii*, qui terram ſuam *Phrigiam* appellarunt. Quatuor filii *Iauan*, quorum primus *Eliſa*, à quo *Græci* qui *Eulides* dicuntur. Secundus *Tharſis*, à quo *Cilices*, qui *Ciliciam* habitarunt, quorum metropolis *Tharſus*. Tertius *Cetim*, à quo *Cetime Cyprii*, & ſecundum hoc *Cyprus* filius *Iaphet*, non filius *Sem* prouenit, quorum inſula *Cyprus* dicitur. Quartus *Dodanin*, à quo *Rhodii*, quorum *Rhodus* ciuitas dicitur. De *Gomer* filio *Iaphet Galatæ*, qui Latine *Gallogræci* dicuntur. Olim enim *Senones Galli* quandam partem *Græciæ* inuadentes, à *Gallis* & *Græcis* *Gallogræciam* appellarunt. De *Madai Medi*, à quibus *Media* nomen ſumſit. De *Iauan Iones*, qui & *Græci*, à quibus *Ionium mare*, ex quibus *Græci*, qui *Troiam* & fines eius habitarunt, proceſſerunt. Qua deſtructa *Priamus* & *Antenor Venetias* nauigio peruenerunt: ex quibus *Antenore* mortuo, & *Padua* ſepulto *Priamus* cum comitibus *Germaniam* occupauit, & ab ipſo, & *Antenore germano Germania* fuit dicta, quæ nunc à Teutos, qui eſt *Mercurius*, *Teutonia* vocatur, à *Latinis* autem *Alemania* dicitur, à *Lemano* fluuio. Quæ has continet regiones, *Lotharingiam*, ſeu *Brabantiam*, *Veſtphaliam*, *Friſiam*, *Thuringiam*, *Saxoniam*, *Sueuiam*, *Bauariam*, *Franconiam*. Et inde *Gallias* irrumpentes à fractione patriæ, & ebrum ferocitate *Francia* fuit dicta, ſimili quoque nauigio ex *Troia* *Britus* adueniens, eam prouinciam, quæ nunc *Anglia* dicitur, à ſuo nomine *Britanniam* nominauit. A qua etiam olim *Siluania*, nunc citra mare *minor Britannia* vocatur. De *Moſoch* filio *Iaphet Cappadoces*, quorum metropolis *Maſaca*, quam *Tiberius Cæſar* à ſuo nomine *Cæſaream* appellauit; *Tyras*, à quo *Thraces*, quaſi *Tyraces* à nomine patris ſui terram à ſe populatam *Thraciam* vocauerunt. Sextus filius *Iaphet Thubal*, à quo *Hiberi*, qui & *Hiſpani* proceſſerunt, qui primo *Cetube-*

be-

vnam linguam Hebræam à creatione mundi vſque in illa tempora durantem, Deus Opt. Max. in ſeptuaginta & duas linguas diuiſerit:

Et qua ratione poſteritas Noë ob varietatem linguarum, indeque diſſidiorum ſubſecutam rituum altercationem, partes mundi, nempe Aſiam, Africam, & Europam (quarum etiam fines deſcribuntur) impleuerit.

MILL. II.

beles ſunt vocati, quaſi *Cœtus Tubal.* Et attendentes ſtellam, quæ ibi tarde occultatur poſt occaſum, ſtellam *Heſperum*, & patriam à ſtellæ nomine *Heſperiam* vocauerunt. Pagis autem & vicis circa fluuium, qui nunc *Iberus* dicitur conſtructis, qui prius *Cetubeles*, ab *Ibero* tandem fluuio corrupto vocabulo *Celtiberos* ſe vocauerunt, & regionem à ſe poſſeſſam, quæ *Oceano* & *Tyrrheno*, *Ibero*, & *Pireneis* montibus terminatur, *Celtiberiam* appellarunt, quæ poſtea ab *Hiſpano* in ea dominante *Hiſpaniæ* denominationem accepit. Septimus filius *Iaphet Magog*, à quo *Scythæ*, qui & *Maſagetæ* appellantur *Gothi*, *Sueui*, *Alani*, *Hunni.* Hi ſunt filii *Iaphet*, filii *Noe*, filii *Lamech.* Primus autem homo de genere *Iaphet* venit ad *Europam* *Alanus* nomine cum tribus filiis ſuis, quorum nomina ſunt hæc, *Iſicon*, *Armenon*, *Negno.* *Iſicon* autem habuit quatuor filios, quorum nomina ſunt hæc, *Francus*, *Romanus*, *Momahrus* & *Britto*, à quo primum *Britannia* dicta & habita eſt. Secundus autem filius *Alani*, *Armenon*, habuit quinque filios. Hi ſunt *Sochus*, *Valgotus*, *Cebidus*, *Burgundus*, *Longobardus.* Tertius autem filius *Alani*, ſcilicet *Negno* habuit quatuor filios, quorum nomina ſunt hæc, *Vandalus*, à quo *Vandali* dicti ſunt, qui nunc *Poloni* dicuntur, qui etiam nomine ſuo fluuium, qui nunc *Wiſlá*, aliàs *Viſtula* vulgariter nuncupatur, *Vandalum* cenſuit appellari. Secundus filius *Negnonis*, *Targus.* Tertius *Saxo.* Quartus *Bogorus.* Sic igitur ab *Iſicone* primogenito *Alani* orti ſunt *Franci Romani*, & cæteri *Latini* & *Alemani.* A ſecundo filio *Alani* orti ſunt *GOTHI* & *Longobardi.* A *Negnone* autem tertio filio gentes diuerſæ ſunt per totam *Europam*, videlicet tota *Ruſſia* vſque ad orientem, *Polonia* maxima terrarum: *Pomerania*, *Caſſubia*, *Suecia*, *Sarnia*, quæ nunc *Saxonia* dicitur, & *Noruegia.* A filio *Negnonis* tertio qui *Saxo* vocabatur *Bohemia* & *Moravia*, *Styria*, *Carinthia*, quæ nunc *Dalmatia* dicitur, *Liſna*, *Croatia*, *Seruia*, *Pannonia*, *Bulgaria*, *Eliſza.* Itaque *Negno* omnium *Sclauorum* parens egreſſus de campo *Sennar*, *tranſita Chaldæa*, *Graciaque* circa *Ponticum mare*, & fluuium *Iſtrum*, quem & *Danubium* vocitamus, (qui *Germanicis* jugis ortus, montem qui *Rauracus* vocatur latè effuſus, omnem *Europam* emetitur, ſumpto ex cellis initio, quadraginta amnes ferè omnes nauigabiles in ſe recipiens, latum ſpacium itinere terreno conficiens in *Euxinum mare*, quod vulgari vocabulo *Pontus* appellatur ab *Euxino* fluuio, qui in eum fluit, vt quibusdam placet, denominatum, cum antea vocaretur *Axenum* ſeptem hoſtiis *Pontum* influit, quorum quatuor adeò grandia ſunt, vt per ſexaginta millia paſſuum non miſceantur æquori, ſuaueſque hauſtus amaritudine freti, natiuum & incorruptum ſaporem retinentes in tam protenſo curſu non vincuntur) cum filiis, cognationibus, & familiis ſuis conſedit, & primum *Pannoniam* primam & veterem *Slauorum* ſedem, parentem & alumnam, quæ nunc *Hungariæ*, *Longobardis Slauos* inde pellentibus, deinde *Hunnis* de ea contendentibus, ſortita eſt vocabulum. Inde *Bulgariam*, *Dalmatiam*, ſiue *Meſſiam*, *Serbiam*, *Caruatiam*, *Boſnam*, *Raſciam*, *Carinthiam*, & *Illiricum*, cæteroſque illarum orarum, & *Adriatici*, *Jonii*, *Ægeique* maris tractus & inſulas ſucceſsionem nepotum populauit *Græcis*, ab oriente & meridie, *Latinis* & *Italicis*, *Teutonicis* ab occidente conterminans, in quo & felicitas generis *Slauonici*, quod tàm optimas terras ſortiti ſunt, notari poteſt. Nullæ enim terræ orbis præter *Indiam*, quam hæ à *Slauis* primum poſſeſſæ, aurum, argentum, ſal, ferrum, cuprum, & cætera metalla, quæ mortales prima ducunt, feracius noſcuntur producere. Et equidem amplior in Deum præuaricatio, quàm illud eiiciendum ob ſcelera decernens *Hunnis*, *Turcis*, & aliis nationibus, tam diues & opulentum ſolum poſſidendum conceſsit, furoris ſui magnitudinem in eo potiſsimum oſtendens, quod & rabiem barbaricam in *Slauos* ſæuire, & ex ſedibus originalibus migrare permiſerit. Maxima ſiquidem & grandia generi *Slauonico* propitiatio diuina contulerat, perpetua apud nationem ipſam manſura, ſi illius legitima atque iuſta ſcrupuloſiori cura ſeruauiſſet, ſed legem Dei multiplici enormitate exceſſuum præuaricantibus omnia erepta, atque in alias gentes & nationes inuecta ſunt. Prouinciarum autem quas *Danubius* à *Barbarico* ad *Mediterraneum mare* ſecludit, prima eſt *Miſſia* ſiue *Meſſia*, à *meſſium* prouentu vocata, vnde & eam veteres *Cereris* horreum nuncupabant. Hæc à modernis *Bulgaria* appellatur, ab Euro *Thraciæ*, à meridie *Macedoniæ*, ab occaſu *Hiſtriæ* iuncta.

SECVL. VI. poſt C. N.

Pannoniorum Regnis propriorum & aduenarum habitatione coaleſcentibus, vrbibuſque nonnullis, & coloniis crebris in illis conſtructis, primum diſcordiarum & odiorum fomes, deinde apertarum guerrarum & cladium fragor inter *Iaphet* nepotes pro terminis terrarum, coloniarum & vrbium ſubortus ciuili & fraterno ſanguine, aliquoties præliis commiſsis terram fœdauit. In eam etenim ſummam numerumque concreuerant, vt eis Regna, quæ poſſederant, anguſta viderentur. Duo itaque filii *Iani* nepotis Iaphet, *Lech* & *Czech*, quibus *Dalmatia*, *Serbia*, *Slauonia*, *Caruatia*, & *Boſna* contigerant, & præſentium, & futurarum colliſionum, diſcrimen & pericula vitaturi, pari & concordi voce & deliberatione, originario ſolo relicto, nouas ſedes quærendas populandaſque decreuerunt, & cæteris quidem fratribus in *Pannoniis* re-

Egreſſi Lech & Czech fratres de Pannoniis,

SEC. VI. poſt C. N.

manentibus ipſi cum omnibus coloniis, familiis, & ſubſtantiis, quæ ditionis eorum erant, ex *Slauonia, Serbia, Caruatia, Boſna*, & A ex caſtro *Pſari* in altisſima rupe (quam fluuius *Gui Slauoniam* & *Caruatiam* diſterminans alluit) ſito, cuius etiam hactenus nonnulli aſpiciunt priſcam magnificentiam, teſtante ruina, & eius vetuſtam nuncupationem villagium *Pſari*, ſub loco arcis ſitum in eadem die retinet, in quo Principum præfatorum *Lech* & *Czech* familiarior, peculiariorque habitandi, & illic ſubditis iura reddendi eſſe vſus conſueuerat.

vicinas terras petunt,

Egresſi vicinas & proximas terras verſus occidentem (ſciebant enim orientem cæteris nationibus refertum eſſe) petierunt. Oram autem quam *Morauia, Egra, Albia, Multania* alluunt, perambulando, glebam eius animaduertentes fœcundam, & a- B quis, paſcuisque irriguam, nil tamen præter vaſtam ſolitudinem habentem culti ſoli,

Czech Bohemiam fratre concedente apprehendit,

iunior natu *Czech* eam ſibi à germano *Lech* natu maiori multifariis precibus obtinuit in perpetuam, & hæreditariam ſortem, & poſſesſionem relinqui. Cùm enim longo tempore in locis illis, & ſignanter in monte, qui lingua eorum *Rzip* vocabatur inter *Albiam, Multaniam*, & *Egram* poſitum, ſtatiua communia habuiſſent, ſoli fœcunditas & cœleſtis auræ temperies, valliumque & montium crebri ſinus adeò alterum Principem, ſuasque colonias, & familias ceperat, deuinxeratque, vt cæteris neglectis & abdicatis hanc ſibi ſedem, & poſteritati ſufficere arbitraretur. Fratre C autem altero Principe *Lech* precibus ſuis condeſcendente, duas ſedes ponit, duasque vrbes condit, vnam ad ripas *Multanæ* fluminis,

& Pragam, atque Wielegrad ciuitates erigit.

quam *Pragam* ſui linguagii intitulauit vocabulo. Alteram ad fluentam fluuii *Morauæ*, & hanc *Wielegrad* nominauit, in colonias quoque terra diſtributa plures vicos & rura conſtruxit, terraque vniuerſa ab eo ſortita cognomen, etiam in præſens *Czeska* vocatur, licet latina lingua, quæ *Slauonicum* nomen proportionaliter ſonare non potuit, quod *Slaui* Deum eorum lingua *Boh* vocitant, eam *Bohemiam* appellant. Ea quoque pars terræ, quam *Moraua* fluuius circumfluit, è nemoribus & ſiluis pleraſque planicies virides & graminoſas D mericas in ſe habentibus, aliam appellationem videlicet *Morauia* vſurpauit. *Bohemiæ* longitudinem latitudinemque parem afferunt habere, in coronæ rotunditatem formatam ſilua vniuerſam ambit, quam veteres *Herciniam* vocauere, à *Græcis* & *Latinis* ſcriptoribus nominata, amnibus & ipſa irrigua, inter quos *Alba* ſeu *Laba* ex montibus, qui *Bohemiam Morauiamque* diſterminant, oriens mediam prouinciam perlabitur, qui *Poloniæ* ſiue *Sarmatiæ Europæ*, & *Germaniæ* limites fecit, item *Multana* inſigniores cenſentur. *Multana* autem circa metropolim *Pragam* decurrit, medius ponte lapideo quatuordecem fornices habente commiſſus, *Brunnam* verò fluuius *Ruda* interfluit.

Lech ingreditur in Poloniam,

Lech itaque iuniori fratri valedicens, cum colonis, familiis, ſarcinisque ſuis, & omni ſubſtantia ab eo digreſſus ſuperatis montibus & ſaltibus, qui nomine vetuſto *Hercinii* vocantur, *Poloniam* & *Bohemiam* ambientibus regionem latiſſimam, ſiluis, nemoribus, & boris vaſtam, ſolitudinibus & deſertis, & quibuſdam perpetuis, pænè ſeptam, pluribus fluminibus, torrentibus, & aquis irriguam glebam quidem bonam habentem, ſed cuius fœcunditas niſi ſtercore aleretur, diuturno conſiſtere non poteſt, gelubus tamen & frigore rigentem, extra ſeptimum & vltimum clima ſitam reperiens in ea conſedit, eamque ſibi & ſuæ poſteritati hæreditandam & poſſidendam primus cepit,

& in ea conſedit, cuius natura

quippe animantia & germinantia omnino patientius & tolerabilius ad ſummum frigoris, quàm ad ſummum caloris accedunt. Quapropter *Europæ* regio, quamuis hiemali conſtricta rigore, cultior tamen eſt & amplior ſitu & populis, quàm *Africa* ſolis ardore torrida, quia & natura ſui plus habet ſpatii, & cœli clementia, incolarumque prouidentia, frigus à ſe per ignes & focos arcentium minus deſerta.

& fœcunditas recenſetur,

Regio *Polonica* fœcunda frugibus, amœna fructibus, delicioſa piſcibus, ſapida lacticiniis, clamoſa venationibus, copioſa armentis & gregibus, dulcis mellibus, commoda equis, referta alitibus, diues ferro, & plumbo glorioſa, cera craſſa, butiro, eſto quod in pleriſque locis, abſciſa magis quam ſeparata, culturæ reſpondet fœcunditas, nemoroſa regio, & ideo diues pecorum, & abundans lactis, herbifera. In pleriſque locis ægrum atque ieiunum ſolum, & natura ſterile, nemoroſum tamen & arboribus varii generis conſitum, aut pro aluearis apum, aut paſcendo pecore congruum, nec vſquequaque ocioſum, vini & olei propter aquilonarem regionem, indigens, cereuiſia pro vino vtimur, quæ ex cerere, tritico, hordeo, aut ſiligine fit; Ager in pleriſque locis craſſus, in aliis verò arenoſus, ſilveſtris, incultus, & infœcundus. Salis verò adeò grauida, vt ſales in illa plus extrahant, quàm decoquant. Rigida niuibus, & lubrica glacie, aura & ventorum flatibus, ſalubris. Terræ motus, quos aliæ regiones frequenter vſque in ruinam & internecionem ciuitatum, & vicorum, & ſciſſuram *Alpium* patiuntur, & alluuionum niſi perrarò, & quaſi prodigioſo tempore prorſus ignara. Frumenta cuiuslibet generis in annos plures & tempora, abſque omni læſione conſeruanda; quæ apud vicinam & finitimam regionem *Pannonicam*, ſi anni vnius ſpatium exceſſerint, in muſcas euadunt & vermes. Habet & ſulphureos montes, parum tamen feraces & aluminoſos, ſed balnea naturalia non nouit. (Magiſtratus & officia publica apud *Polonos* non annua ſunt, ſed ad vi-

tam

SEC. VI. poſt C.N.

tam durantia, quam quidem illorum obſeruantiam, neminem ſenſatum ſatis probare crediderim. Annuis enim vicibus, mutare A Magiſtratus Præſidum & Officialium, ſalus communis eſt, & quaſi quidam Reipubl. neruus.) In qua & Principis exiſtimatio, quò obedientius & venerabilius illi pareatur, ſi mutari poteſt, terribilior efficitur, aut contemptibilior redditur, ſi ei mutationis facultas præripitur, videmus euidentiſsimè incluſam, dum nec inſolens ob inſolentiam ſequeſtrandus diutius cum pernicie aliorum manere permittitur, & alius moderatior illi ſuccedens, parem deſtitutionem veretur.

& quibus regionibus ſit contermina.

Ab Aquilone Polonia ſeptentrionalis, pars eſt *Slauoniæ*, quæ habet ab oriente *Ruſſiam*, ab Auſtro *Hungariam*, à Subſolano *Morauiam* & *Bohemiam*, B ab occidente *Daciam* & *Saxoniam* collaterales. Terminatur autem *Polonorum* regio ad Aquilonem à *Sarmatis*, qui & *GETÆ* vocantur in *Daciam* & *Saxoniam*, à *Thracia* autem per *Hungariam*, ſiue verius *Pannoniam* hinc deſcendendo per *Carinthiam* in *Bauariam*. Ad Auſtrum verò iuxta *Mare mediterraneum*, ab *Epiro* deriuando per *Dalmatiam*, *Caruatiam*, & *Hiſtriam* finibus *maris Adriatici*, definitur, vbi *VENETIA* & *Aquilegia* ſequeſtrantur.

Flumina Poloniæ primaria ſeptem,

Septem præcipuis fluminibus, quæ amnes quandoque, loca à ſe rigata, & circa quæ defluunt, amœna efficiunt, nuncupamus, quæ C regionem ipſam circumfluunt, partim ex montibus cadentia, partim ex occultis viſceribus terræ erumpentia, & in *Oceanum* pluribus aliis fluminibus in eadẽ regione conſurgentibus aucta

quorum nomina, & fontes originarii atq; oſtia ſubnectuntur.

& inflata decurrunt, nomina lingua ſua *Sclauonica* dedit. Vni quidem *Wiſla*, quem authores, & hiſtoriographi antiqui *Viſtulam* dicunt, nonnulli verò *Vandalum*, à *Vandalo* filio *Negnonis* primogenito *Alani* filii *Iaphet*, filii *Noæ*, plerique à *Polonorum* Duciſſa *Vanda*, quæ ob victoriam de *Germanis* relatam Diis ſe deuouens, in illum ſe dedit præcipitem. A nationibus quoque orientalibus *Polonis* vicinis, ab aquæ D candore, alba aqua. Eſto quod idem fluuius ſit denominationem quadruplicem ſortitus, rectius tamen *Wiſla* nominatur, quaſi pendens, fons enim eius propè oppidum *Skoczow*, ſupra villam *Wſtronie* in terra *Teſchinenſi* de ſupercilio montis, qui vulgo dicitur *Skalka*, ex ſummo *Sarmaticorum Alpium* cacumine, magno vndarum & fragoſo ſtrepitu excurrens, antequam in ſubiectum recidat ſolum, pendenti magis, quam currenti ſimilis exiſtimatur. Per *Cracouiam* ciuitatem ſingulare totius *Poloniæ* decus, medius iam aliquibus ſuſceptis fluminibus validior effectus decurrit, apud *Polonos* celeberrimus. Maiorem enim *Polonici* Regni irrigat regionem, qui & ipſe inter *Polonicales* amnes Principatum facile ſortitus, longius enim quàm cætera flumina terreſtre conficiens ſpatium, ab occidente in orientem aliquantulum progreſſus; tandem in ſeptemtrionem flectit iter, frequentioribus etiam fluminibus, qui in illum defluunt, quorum aliqua magis vulgata annotabimus, auctus, in tria oſtia ſe ſcindens. Quorum primum apud ciuitatem *Gdansk*, alterum apud villam *Tephi*, quod *Hab*, id eſt *magnus lacus* vocatur, tertium apud oppidum *Elblag*, quod *Mogat* vocatur, in *Oceanum Sarmaticum* grandis deuoluitur, albo fluore & hauſtu ſalubris. Piſces Salmones & Eſoces, qui raris tantummodo & nobilibus contingunt amnibus, gignit. Plurima autem flumina ab occidente auſtro & ſeptemtrione excipiens à ſui nominis denominatione non declinat. *Odra* alter, quaſi *ſpolians*, eo, quod præcipiti curſu ſuo ſpolia nemoribus & campis ſolitus eſt inferre, qui & ipſe à ſcriptoribus *Latinis Guttalus* inſcribitur, cuius fons iuxta oppidum *Odry*, oſtiis quatuor infunditur in magnam paludem, quorum primum apud villam *Svvinia*, quod in *Polonico* vulgari ſignificat *Scropha*; ſecundum apud villam *Dziwno*, quod in *Polonico* idiomate ſonat *mirabile*; tertium apud villam *Piana*, quod in *Palonica* lingua ſonat *ſpuma*; quartum apud oppidum *Volgoſch*. Euoluens autem ſe de lacu ſtricto alueo in *Oceanum* propè oppidum *Strzalsmith* illabitur Oceano ſiue *Sarmatico* mari. Tertius *Wartha*, quod ſignificat *ſcrutinium*, non enim vno eodemque alueo contentus, ſed in plures diuiſus, & diſtractus, locis vicinis quaſi quædam ſcrutinia per aquas diffuſas inducit, cuius fons in terra *Cracouienſi* in vico ignobili *Kromolovv*, qui circa caſtrum *Santok* fluuio *Notes* mixtus, & ipſius vocabulum appellatione propria amiſſa ſortitus, flumen *Odram* circa oppidum *Czorſztyn* ingreditur. Quartus *Dnieſtr*, cuius fons in *Sarmaticis* montibus propè caſtrum *Sobien* in terra *Pramislienſi*, oſtium in mare maius infra *nigrum* & *album Caſtrum*. Quintus *Bug*, cuius fons in palude in ſuperiori parte caſtri & oppidi *Olesko* in villa *Kolczovv*, oſtia in flumine *Narevv* inferius *Drohiczyn*. Sextus *Niemen*, cuius fons ex ſiluis & paludibus oppidi *Kopielovv* longo ſpatio terrarum confecto inter duos alueos propè caſtrum & oppidum *Pruſſiæ Ragneth* ſcinditur, & priore ac vetuſto nomine deinceps amiſſo fluuius vnius aluei, verſus *Liuoniam* decurrens cognominatur, *Roſſa*, alter ad *Pruſſiam* ſpectans *Lilia* appellatur. Tandem diuerſo meatu, ambo propè caſtrum *Memel* in lacum magnum ex *Oceano* deriuatum ſe infundunt, qui adeò recuruis & indirectis ac ſinuoſis circumagitur fluoribus, vt qui in eo nauigant, integro die nauigatione exacta, ignem à foco heſternæ diei ex propinquitate loci propter aluei circulationem frequenter ſumant. Septimus *Nieper*, hic in latino *Drinus* ſiue *Boriſthenes* appellatur. Cuius fons ex finibus *Moſcouiæ* ex ſil-

SEC. VI. poſt C.N.

uis

SEC. VI. poſt C. N.

uis *Wiaſnia*, oſtia in lacu propè oppidum *D.ſ. ovv.* Lacus verò vtroque flumine inflatus *Oceano* ſe miſcet. Minorum etiam fluminum, quorum a præfatis ſeptem fluminibus abſorbuntur nomina ſubnectam.

Quæ flumina a meridie in Viſtulam influant,

Primus autem fluuius *Poloniæ* ſiue *Lechiæ Wiſła* aliis augetur fluminibus, quorum etſi aliqui commixtione aliquorum aliorum fluminum nomen amittant, digni tamen viſi ſunt, qui huic operi insererentur. Primo *Biała*, qui propè fontem *Viſtulæ* ex *Sarmaticis* montibus oriens oſtia habet propè oppidum *Zebrace*. Item *Sola*, cuius fons in *Sarmaticis* montibus, oſtia propè oppidum *Oſvvięćim*. Item *Raba*, cuius fons in *Sarmaticis* montibus oriens, oſtia habet circa oppidum *Vśćie*. Item *Skavva*, cuius fons in *Sarmaticis* montibus, oſtia circa villam *Smolice*. Hunc aliqui ſcripſerunt ex inundatione ingenti, quæ ante annos ducentos contigerat, quod ego ridiculum reor, ortum eſſe. Item *Dunaiec* niger & albus, cuius vtriusque fons in *Alpibus* altisſimis *Hungariæ*, quorum niualis ſemper vertex, qui *Tatri* à vulgo appellantur, oſtia habet circa oppidum *Opatovviec*. Item *Loſośina*, cuius fons propè oppidum *Timbarg*, oſtia in *Dunaiec* propè oppidum *Oczchovv*. Item *Vſchovv*, cuius fons propè villam *Laki*, oſtia è regione villæ *Przemakovv*. Item *Poproth*, cuius fons ex monte *Pannonico Thatri* propè *Kucovvna*, & *Filka* villas. Qui longo itinere in *Hungaria* confecto per *Sarmaticos* montes alueo deriuato *Dunaicovvi* inter *veterem* & *novam Sandec* miſcetur. Item altera *Biała*, cuius fons in *Sarmaticis* montibus propè villam *Giebultovv*, oſtia in *Dunaiec* propè villam *Biała*. Item *Wisłoka*, cuius fons in *Sarmaticis* montibus, oſtia circa villam *Zdakovv*. Item *Bzrzenica*, cuius fons propè oppidum *Wielopole*, oſtia in *Wisłokam*, circa villam *Kanczyc*. Item *Wisłok*, cuius fons in montibus *Sarmaticis*, oſtia in flumine *Shan* circa villam *Trincza*. Item *Mlecka*, cuius fons in ſilua propè oppidum *Brzozovv*, oſtia circa villam *Gnievvnica*. Item *Shan*, cuius fons in montibus *Sarmaticis* ex monte qui dicitur *Beskid*, & planicie *Huska Połonina* vocata. Item *Rogoznik maior* & *minor*, vterque ex *Alpibus* quas vocamus *Thatri* ortus, vterque ſe in fluuium *Dunaiec* vna cum fluuio *Lipitnica*, qui apud montem *Obidovva* oritur circa villam *Ludomierz* exoneratur. Item *Wiar*, cuius fons ex montibus *Sarmaticis* in monte *Tribuch*, oſtium in flumine *Shan* circa villam *Orsko*. Hæc autem flumina omnia ex parte meridionalis plagæ, & in eadem orta in fluuium *Wisła*, aut per ſe, aut cum aliis fluminibus illabuntur.

quæ ab oriente,

Pauciores plaga orientalis non contemnendos tamen mittit. Primus *Wiślica*, cuius fons circa villam *Strzoza*, oſtia circa villam *Rybitwy*. Item *Gielcow*, cuius fons circa villam *Borząćin*, oſtia in flumine *Wieprz*, circa villam *Sieſtrzenitow*. Item *Byſtrzyca*, cuius fons circa villam *Chrzanow*, oſtia in flumine *Wieprz*, circa villam *Blinow*. Item *Por*, cuius fons propè villam *Zawieprzyce*, oſtia in flumine *Wieprz*, circa villam *Nawoz*. Item *Wieprz* in *Belzenſi* terra, cuius fons ex lacu *Wieprzowe Iezioro*, propè villam *Rogozno* & *Rachanie*, oſtia circa oppidum *Sięzyca*. Item *Ropa*, cuius fons circa oppidum *Biecz*, ex montibus *Sarmaticis*, oſtia inferius oppidum *Iasło* in *Wisłoka*. Item *Iaśiel*, cuius fons ex montibus *Sarmaticis*, circa villam *Licowno*, oſtia in *Wisłoka* propè caſtrum *Goleſch*. Item *Lada*, cuius fons ex monte propè villam *Chrzanow*, & oſtia in flumine *Thanew* duobus milliaribus à *Krzeſzow* in borra. Item *Thanew* ex paludibus propè villam *Dzikow*, & oſtia in flumine *Shan* inter *Kupki* & *Krzeſzow*. Item *Brnew*, cuius fons in villa *Brnew*, oſtia in *Shan* in villa *Brennica*. Item *Biała*, cuius fons in villa *Godzieſzow*, oſtia in *Brnew* circa venationes *Turobinenſes*. Item *Sama*, cuius fons ex merica propè villam *Wierzchowiska*, oſtia circa oppidum *Zawichoſt*. Item *Zapoth*, cuius fons ex lacu *Kolpithe*, oſtia in *Thanew* circa villam *Lukowa*. Item *Zołkievv*, cuius fons in villa *Zołkievv*, oſtia in *Wieprz*, circa *Kraſnyſtaw*. Item *Wułuca*, cuius fons circa villam *Cyzow*, oſtia in *Wieprz* inter villam *Lethycow* & *Dworzyska*. Item *Wieprzec*, cuius fons in villa *Wieprzec*, oſtia in *Wieprz*, circa villam *Nieliſch*. Item *Chodel*, cuius fons circa villam *N.* oſtia eius circa villam *Dobro*. Item *Thyſmienica*, cuius fons ex villa *Gozdnica* propè *Parcow*, oſtia in *Wieprz* propè villam *Gorka*.

quæ a ſeptentrione,

A Septemtrione autem flumina in *Wisłam* cadentia ſunt iſta. Primus *Narew*, cuius fons ex paludibus propè oppidum *Słonim*, oſtia circa *Nowydwor* in *Mazouia*, atras oſtendens vndas, *Viſtæ* mixtus per longum ſpatium natiuum non deponit colorem. Eo vel maximè memorabilis, quod venenata eum non ſuſtinent, ſed quamprimum attigerint aquas eius, ſinguli ſerpentes qui ſe lignorum ſtrugibus per multa ſpatia applicati abdiderunt, ſibilo edito quaſi fatalem ſibi effugiunt. Quæ res non exteros ſolùm, ſed & indigenas ſui in admiratione tenere ſolet. Item *Piſz*, cuius fons ex lacu circa villam & caſtrum *Piſz*, oſtia in flumine *Narew*, circa oppidum *Nowygrod*. Item *Lidinia*, cuius fons circa oppidum *Ciechanow*, oſtia in *Warka* penes *Novvemiaſto*. Item *Swider*, cuius fons ex ſiluis *Czyſz* & *Miensk*, oſtia in villa *Wlera* e regione ciuitatis *Warſouienſis*. Item *Orzic*, cuius fons ex ſiluis & paludibus prope oppidum *Nidborg*, oſtia in flumine *Narevv*, circa villam *Magnuſzevvo*, inferius *Koſan*. Item *Płona*, cuius fons circa oppidum *Płonsko*, oſtia in flumine *Wlera*, circa villam *Santocino*.

Item

SEC. VI. poſt C. N.

Item *Wkra*, cuius fons circa oppidum *Dźialdovv*, oſtia in flumine *Narevv*, ſupra villam *Novvydvvor*. Item *Strkvva*, cuius fons circa oppidum *Bielsko*, oſtia circa ciuitatem *Płocko*. Item *Oſſa* dividens *Polonorum* terras à *Prutenorum*, cuius fons ex lacu prope oppidum *Radzin*, oſtia non longè ab oppido, & caſtro *Grudźiądz*, *Gadibus Boleslai Chabri Polonorum* primi Regis, quas per ferream columnam in illo locauerat inſignis. Item *Drwanca*, cuius fons in villa *Drwanca*, oſtia circa *Złotoria*. Item *Biedrza*, cuius fons in paludibus & ſiluis oppidi *Tykoćin*, oſtia in *Narew*, circa oppidum *Goniadz*. Item *Omołow*, cuius fons ex paludibus circa caſtrum *Scythno*, oſtia circa oppidum *Oſtrołęka*. Item *Renia*, ex ſiluis *Sulow*, oſtia in *Narew*, circa oppidum *Sieraczec*. Item *Liwna*, cuius fons ex lacu *Bieskrzyc*, oſtia inferius oppidum *Kwidźin*. Et hic ſolus ex fluuiis *Pruſſiæ Wislam* ingreditur.

quæ ab occidente.

Ab Occidente vero fluuius *Wisła* his irrigatur fluminibus. Primo vtroque *Przemſcha albo* & *nigro*, albi fons in borra oppidi *Ogrodzeniec*, nigri in ſiluis *Trzyſemik*, propè villam *Rokitno*, oſtia vtriusque (*albus* enim miſcetur *nigro*) circa villam *Kopćiowice*, è regione oppidi *Oświęćim*. Item *Smierdźiąca*, cuius fons in ſiluis *Zaleśie* propè *Tenczyn*, oſtia propè villam *Smierdźiąca*. Item *Rudawa*, cuius fons in villa *Gierzmanowice*, oſtia in *Cracouienſi* ciuitate. Item *Prądnik*, cuius fontes in villa *Sulośowa*, oſtia infra ciuitatem *Cracouienſem*. Item *Dłubnia*, cuius fons circa villam *Iangrod*, oſtia circa villam & monaſteria *Mogiłà*. Item *Strzeniawa*, cuius fons in villa *Wierzchovvisko*, oſtia circa oppidum *Koſzycki*. Duo autem ii fluuii *Dłubnia* & *Strzeniavva*, quod nullis amnibus in *Polonia* ſubpetit, ſolis feruore, aut hiemali conſtrictione non diminuuntur in alueis, ſed æquo retinentes tenore vndas, ſoli de ſiccitate & frigoris immenſitate non queruntur, ſoli ſupernos imbres, & cœleſtes pluuias non requirunt, ſed naturali fœcunditate, diuites in fonte, æſtus & pruinæ intemperiem non horreſcunt. Item *Brzeźnica*, cuius fons in villa *Sandek* terræ *Sieuierienſis*, oſtia in nigrum *Przemſcha*, circa villam *Pogonia*. Item *Niedzica*, cuius fons in villa *Zandovvice*, oſtia circa villam ſeu locum *Lavvy*, terras *Cracouienſem* & *Sandomirienſem* diuidens. Item *Nida*, cuius fons in villa *Moskorzovv* conſurgens, per aliquale ſpatium fluens, ſubterraneum agit gurgitem, & tandem in borra villæ *Dzierzkovv* Præpoſituræ *Cracouienſis* emergit, oſtia ab vtraque parte oppidi & caſtri *noua ciuitatis Korczyn* propè villam *Grotniki*. Hic in aliquot, paucis tamen, locis *Gneſnenſem* & *Cracouienſem* diœceſes diuidit. Item *Schodnia*, cuius fontes in villa *Młyny* & *Stolkovv*, oſtia in flumine *Czarna*, propè oppidum *Połaniec*. Item *Koprzyvvnica*, cuius fons circa oppidum *Lagovv*, oſtia circa villas *Skotniki*, & *Krczyn*.

SEC. VI. poſt C. N.

A Item *Lukawa*, cuius fons circa villam *Bukowiany*, oſtia circa *Słupcà*. Item *Krempa*, cuius fons ex paludibus villæ *Rzeſzovv*, oſtia circa oppidum *Soliec*. Item *Kamiona*, cuius fons in ſilua *Nogi* propè villam *Odrovvąz*, oſtia circa villam *Pavvłovvice*. Item *Moravvica*, cuius fons ex ſiluis *Cierpielovv* villæ *Włoſczovvice*, oſtia in *Nidam* in parte dextra inter *Zerniki* & *Brzegi*. Item *Bobrza*, cuius fons ex monte *Bobrzyca* propè villam *Zagnovvsko*, oſtia in *Nidam* in parte leua inter *Zerniki* & *Brzegi*, qui & ipſe in aliquibus locis inter *Cracovienſi* & *Gneſnenſi* diœceſi habetur pro limite. Item *Iłża*, cuius fons in ſiluis villarum *Bieſzkovv* & *Bzdovv*, oſtia in B flumine *Chodza*, propè villam *Oſuchovv*. Item *Chodza*, cuius fons circa villam *Pakosłavv*, oſtia propè villam *Ianovvice*. Item *Radomierza*, qui inter *Cracouienſem* & *Gneſnenſem* diœceſes limitem facit, cuius fons ex ſiluis villæ *Babnovv*, oſtia propè oppidum *Ryczyvvoł*. Item *Pilca*, cuius fons propè caſtrum *Pilca*, à quo caſtrum, ſub quo oritur & ciuitas, quam præterfluit, denominatur, terram *Siradienſem* & *Sandomirienſem* in aliquibus locis diſterminans, oſtia circa villam *Oſtrovv*. Item *Drzevvica*, cuius fons in ſiluis villæ *Peruſa*; oſtia in *Pilca*, circa villam *Dzierzązna*. Item *Pilcayca*, cuius fons ex villis *Kraſſocyn* & *Ludinia*, oſtia in *Pilca*, C circa villam *Czemiątki*. Item *Lućieża*, cuius fons propè oppidum *Roſprza*, circa villam *Bliſzyn*, oſtia in *Pilca* in villa *Barkovvice*. Item *VVolborza*, cuius fons in ſiluis oppidi *Tuſzyn*, oſtia in *Pilca* propè villam *Zavvady*. Item *Moſzenica*, cuius fons circa villam *Strożko*, oſtia in *Wolborze* inferius oppidum *Wolborz*. Item *Bzura*, cuius fons in villa *Lagiewniki*, propè oppidum *Zgierz*, oſtia propè oppidum *Wyſſogrod*, circa villam *Kamion*. Item *Rawa*, cuius ortus ex ſilua villæ *Leſczyny*, oſtia in *Bzura* ſuper villam *Kozłow*. Item *Ieźiora*, cuius fons in villa *Oſuchow*, oſtia circa oppidum *Czyrsko*. Item *Zgowiathka*, cuius fons ex lacubus villarum D *Kamieniec*, *Chelmo*, & *Orlic*, oſtia circa ciuitatem *Wladislauienſem*. Item *Wola*, cuius fons ex lacu & villa *Gadz*, oſtia circa oppidum & caſtrum *Swiećie*. Item *Wierzyſza*, cuius fons ex lacubus villarum *Koſcerżyno*, & *Garść*, oſtia circa oppidum *Gniew* in parte ſuperiori. Item *Mothława*, cuius fons circa caſtrum *Grabino* ex palude circa villam *Gothlant*, oſtia circa ciuitatem *Gdansk*. Item *Radunia*, cuius fons ex lacu *Grabia* & palude, oſtia ab altera parte ciuitatis *Gdansk*. Item *Brda* fluuius *Pomeraniæ*, cuius fons ex lacu *Kransko*, in cuius vtero exortus in alterum lacum amplum dictum *Lutomie* ingreditur, ex quo ſe euoluens ſubintrat lacum am-

SEC. VI. poſt C. N.

ampliſſimum *Charkzyowny*, vbi quaſi victor ſe extrahens aliquali ſpatio terræ confecto proprio alueo decurrens in *Wiſlam* propè A oppidum *Fordan* terræ *Cuiauiæ*, exoneratur. Item *Mthawa*, cuius fons ex lacu *Mthawsko*, exoneratur autem in *Wiſlam*, propè oppidum *Nowe*. Item Kamiona alius à priore, cuius fons ex lacu *Slochow*, oſtia circa villam *Dzedzno*, ſupra monaſterium Koronow, quod veteri nomine appellabatur *Czyſzkowa*. Et hic terram maioris Poloniæ & *Cracouiæ* à Pomerania diuidit, & in terra Pomeraniæ villa *Sobkow* in *Władawa* ex lacu *Leba* egreditur fluuius *Leba* deriuationem nominis à lacu trahens, cuius oſtia in mare circa villam *Giethnovv* in bonis Epiſcopatus *Vladiſlauienſis* Eccleſiæ.

Qui fluuii in Oderam ſe exonerent.

Odra ſecundus *Polonorum* fluuius, qui B etiam *Guttalus* dicitur infra ſcriptos accipit fluuios. Primo *Olſcham*, qui in *Sarmaticis* montibus habet fontem circa oppidum *Iabłonkovv*, oſtia circa oppidum *Oderberg*. Item *Oſſoblokam*, cuius fons ex *Sarmaticis Alpibus* in ſiluis dictis *Gnuk Manthel*, oſtia circa oppidum *Chrapkovvice*. Item *Niſam*, cuius fons circa oppidum *VVarckovv*, & villam *Vartha*, oſtia circa oppidum *Surgoſth*. Item *VValdapevv*, cuius fons circa villam *Czynkovv*, oſtia circa monaſterium Sanctimonialium Præmonſtratenſis ordinis *Czarnovvąz*. Item *Olavva*, cuius fons circa villam *VVilkovva*, circa oppidum *Grodkovv*, oſtia circa ciuitatem *VVratiſlauienſem*. Item C *Niſam* alterum à priori, cuius fons circa oppidum *Luben*, oſtia circa villam *VVilkſchin*. Item tertium *Niſam*, cuius fons propè oppidum *Szytauam*, circa villam *Schochovv*, oſtia circa villam *Schydla*, quod à duobus ſuperioribus aliud eſt. Item *Monvvica*, cuius fons propè oppidum *Olbrachcyce*, oſtia circa *Niemiecka Oſtrovva* oppidum. Item *Bobr*, cuius fons propè oppidum *Herſberk* ex montibus, oſtia circa oppidum *Kroſna*. Item *Stobrawa*, cuius fons in borris & ſiluis *Oleśno* oppidi, oſtia circa villam *Kolno*. Item *Kłodnica*, cuius fons circa oppidum *Glivvice* decurrit, oſtia circa oppidum *Koźlie*. Item D *VVidavva*, cuius fons in ſiluis villæ *Stradomia*, oſtia propè ciuitatem *VVratiſlauienſem*, circa villam *Banovvice*. Item *Opauica*, cuius fons circa oppidum *Brunthal*, oſtia circa villam *Trębovvica*. Item *Oſtrauica*, cuius fons circa oppidum *Fridlant*, oſtia circa oppidum *Oſtraua Niemiecka*. Item *Pſyna*, cuius fons ex paludibus ſupra oppidum *Bauorno*, oſtia circa villam *Tvvorovv*. Item *Obra* qui in ſiluis ſuper maius *Kormin* habet ortum in villa *Obra*, oſtia circa villam *Głuſhin*. Item *Baricz*, cuius fons ex ſilua monaſterii *Olobog*, & oppidi *Oſtrzeſzovv*, oſtia ſupra maiorem *Glogouiam*, circa villam *VVelikie*, & hic diuidit *Gneſnenſem* diœceſim à *Vratiſlauienſi*. Item *Kaczbach*, cuius fons circa oppidum *Koſin*, oſtia ſuper oppidum *Parthouice*. Item *Kvviſza* cuius fons circa monaſterium *Oblink*, oſtia circa monaſterium *Lubens*. Item *Pliſk*, cuius fons ex paludibus propè oppidum *Droſchen*, & circa oppidum *Suidnica*, oſtia circa villam *Gałki*. Item *Sprovva*, cuius fons ex *Alpibus* circa villam *N.* oſtia inter monaſterium *Nouæ cellæ* & *Francfordiam*. Item *Noteſz*, cuius fons circa oppidum *Noteſz* lacum ampliſſimum *Gopło* irrigat, & fluuio *VVartha* circa *Santhok* permixtus fluuium *Odram*, circa oppidum *Koſtrzyn* ingreditur. Item *Orlia*, cuius fons ex ſiluis oppidi *Kozmin*, propè villam *Orlia*, oſtia in *Barycz* inter villas *Bełkaczovv*, & *Pakoſłavv*. Item *Ruda* fluuius, cuius fons in villa *VVoſczyska* extorrente *Srebrnik*, & fluit circa villam *Patovvice*, & oppida *Zary* & *Rybniki* ad monaſterium *Ruda*, oſtia in *Odram* circa oppidum *Koźlie*, ſuper villam *Dzierzgovviec*. Item *Kocavva* qui diuidit Epiſcopatum *Cracouienſem* à *Vratiſlauienſi*, cuius oſtia in *Odram* inferius oppidum *Koźlie*, ortus verò ante oppidum *Bitom* ex torrente *Kłitzborn*, & inferius villam *Sośnice*, ingreditur fluvium *Kłodnica*, & commixti intrant *Odram* ante *Koźlie*.

Qui in Wartam.

Tertius fluuius Polonorum *VVartha*, à quo & oppidum *VVartha* nomen accepit, infra ſcriptos in ſe amnes recipit. Primo *Iſdvvartam*, cuius fons circa villam *Baranovv*, oſtia in villa *VVoſzoſze*. Item *VVidauam*, cuius fons circa villam *Kodrab*, oſtia in *Grabia* circa villam *Podogorzyce*. Item *Niz*, qui *Lancitienſem* terram & *Siradienſem* diſtinguit, cuius fons in ſiluis villarum *VViskitno* & *VViączanie*, in lacu qui dicitur *Smierdząca VVoda*, oſtia circa *Chełm* villam Archiepiſcopalem, inferius duobus milliaribus oppidi *Vnieiovv*. Item *Przoſna*, cuius fons ex palude propè oppidum *Byczyna* conſiſtens, oſtia circa villam *Liſſovv*, propè oppidum *Pyzdry*. Item *Ruda*, cuius fons circa ciuitatem *VVielun*, oſtia circa villam *Moniatovvice*. Item *Olobog*, cuius fons in villa *Logota*, oſtia in *Przoſna*, circa molendinum *Radzieſzovv*. Item *Grabia*, cuius fons in ſiluis villæ *Szzygvvin*, propè oppidum *Tuſzyn*, oſtia circa villam *Pſtrokonie*. Item *Nirzec*, cuius fons in ſiluis villæ *Czyſzymin* Capituli *Cracovienſis* oſtia in loco qui *Gorbi* appellatur in *Nir*, circa villam Capitularem *Laſzkovvice*. Item *Czybina*, cuius fons ex lacubus *Pobiedziska* oppidi, oſtia in ciuitate *Poſnanienſi*, poſt Eccleſiam Cathedralem. Item *Głovvnia*, cuius fons ex ſiluis villæ *Iemielno*, oſtia inferius villæ *Zavvady*, propè ciuitatem *Poſnanienſem*. Item *Paklica*, cuius fons ſupra villam *Lubenovv*, oſtia circa oppidum *Miedzyrzec*. Item *Odra* alius à priori, cuius fons ex ſiluis villæ *Czerekwica*,

Digitized by Google

SEC. VI. *poſt C. N.*

ca, oſtria circa oppidum *Skwirzyna*, hunc fluvium *Odra* fluuius exuberans aliquando irrigat per anteceſſum. Item *Luthinia*, cuius fons circa villam *Ligota*, oſtia interius inter villas *Logow* & *Dambno*. Item *Wierzcyca*, qui etiam dicitur *Trzemesla*, cuius fons è ſiluis villæ *Borzanice*, oſtia inferius villam *Kathy*. Item *Goplinica*, cuis fons ex lacu *Gopło*, oſtia circa villam *Morysława*. Item *Koprzywnica*, cuius fons circa villam *Dźiadowice*, propè *Thurek* oppidum, oſtia circa molendinum *Pranducyn*. Item *Września*, cuius fons ex fonte villæ *Mnichow* Præpoſiti *Gneſnenſis*, oſtia circa villam *Pieſtrzykow*. Et hic fluuius *Gneſnenſem* Diœceſim & *Poſnanienſem* diuidit. Item *Kwieczyſzewska* diuidens terras *Maioris Poloniæ* & *Cuiauiæ*, cuius fons ex monte propè villam *Niewſzaſtow*, oſtia circa *Noteſz* verſus oppidum *Pakość*. Item *Biała*, cuius fons ex ſiluis villæ *Zbieſko*, oſtia circa villam *Kapaino*. Item *Wielina*, cuius fons ex riuo villæ *Iankow*, plures lacus videlicet *Rogowskie*, *Skurskie*, *Tonowskie*, & *Lawicæ* ingreditur, ex quibus ſe euoluens per medium oppidorum & Monaſterium *Wagrowiec*, *Ianowmlyn maiorem Poloniam* & *Pałuki* diuidit, decurrens, oſtia infra caſtrum & oppidum *Oborniki*. Item *Noteſz*, cuius fons circa oppidum *Noteſz*, lacum ampliſſimum *Gopło* irrigat, exinde ſe euoluens, defluit circa oppidum *Pakość* & *Labiſzyn*, oſtia circa antiquum caſtrum *Santok*. Item *Groda*, cuius fons ex lacubus *Stetinenſibus*, oſtia in *Noteſz* in ſuperiori parte oppidi *Vſćie*. Item *Dobrzyca*, cuius fons ex lacubus *Nobliny*, oſtia in *Grudam* circa *Otoczyce*. Item *Krampnica*, cuius fons ex lacubus *Krampska*, oſtia in *Gruda* infra *Pleczemin Brod*. Item *Drwa*, cujus fons ex lacu magno *Drawsko* inter *Draim* & *Falkemberg*, oſtia in *Noteſz* inter *Czarnkow* & *Lemberg*.

qui in Dnieſtr,

Quartus fluuius *Polonorum Ruthenorumque* regionum *Dnieſtr*, qui in *Latino* vel *Græco Tiriſanis*, in *Tartarico Turlo*, alias *Tiras* appellatur. Is dividit *Sarmatiam* à *DACIA*, quam Beatus *Auguſtinus* antiquam vocat, quæ quondam fuit Regnum *GOTHORVM*. Cuius fons propè caſtrum *Sobien* ex monte *Bieſzkid*, ex loco qui appellatur *Dabrowica*, propter ſingularem quercum illic ſtantem, ex cuius radicibus duo fluuii quos prædiximus *San* & *Dnieſtr* in *Polonicales* terras. Tertius *Tyſa*, qui *Tybiſrus* in *Pannoniam* fertur, & circa *album Caſtrum* exoneratur in *Euxinum mare*. Notabilibus etiam fluuiis ex *Valachica* regione, quæ & ipſa *Polonorum* regno ſubiecta eſt, à meridie, orienteque fluentibus fœcundatur primo fluuius *Styrus*. Cuius fons eſt in montibus *Sarmaticis*, propè villam *Wiſſocka*, oſtia circa *Zydaczow* oppidum. Item *Tyśmienica*, cuius fons in montibus *Sarmaticis*, circa *Pokućie*, oſtia circa oppidum *Czeſſybieſy*. Item *Pruth*, cuius fons eſt in montibus *Sarmaticis*, oſtia in *Sereth* inferius oppidum *Pokućie*. Item *Baſſa*, cuius fons ex lacu, circa villam *Sczepanowice*, oſtia in *Pruth*, circa villam *Pieczora*. Item *Sereth*, cuius fons ex palude propè *Oleſko* caſtrum in villa *Scharkow*, oſtia in *Danubium* inferius *Targouiſce*. Item *Zbrucz*, cuius fons in palude vocata *Kuśmin* propè *Oleſko*, oſtia circa *Ryczywot* caſtrum. Item *Smotricz*, cuius fons in montibus *Zbieraskie* ciuitatem ſitu & petra admirabilem *Kamieniec* ſuis vndis cingens, oſtia circa villam *Vſćie* dictam. Item *Lippa*, cuius fons ex paludibus *Oleſko*, propè villam *Czeremoſna*, oſtia inferius *Halicz*, circa villam *Baranow*. Item *Sczykle*, cuius fons ex mericis *Dobrzestany*, oſtia in *Wrzeſzyca* ex ſilua dicta *Zelazne nogi*, oſtia in *Viśniam* circa villam *Lowczyce*. Item *Dreſſa*, cuius fons circa *Drochum* oppidum, oſtia propè *Zaskiburg* in *Pruth*, alias *Philiſtinorum forum*. Item *Moldawa*, cuius fons ex montibus *Sarmaticis* ex monte *Kirbielia*, oſtia in *Sereth* propè *Romanowtarg*. Item *Socawa*, cuius fons ex *Alpibus Sarmaticis* ex monte alto, qui vocatur *Iuco* ſupra villam *Dźickowie*, oſtia in *Pruth*, circa villam *Czarnowice*. Item alius *Sereth* ex montibus *Sereth*, oſtia in *Pruth* in villa *Valachia*. Item *Stripa*, cuius fons ex palude & lacu circa villam *Sobowce* verſus *Kamieniec*, oſtia circa villam *Chmielowa*. Item *Błozwa*, cuius fons ex palude *Frifztyn*, circa villam *Błozwie*, oſtia circa villam *Dolubow*.

qui in Bug,

Quintus fluuius Regionum *Polonicalium* & *Ruthenicalium Bug*, ſanore fluens atro, *Ruthenis* omnibus abominabilis eſt. Nam ad fluenta eius à *Polonis* à primo Rege eorum *Magno Boleslao* vires eorum attritæ ſunt, & vrbes eorum atque metropolis *Kiow* in eam vſque diem oſtendens veſtigia cædis, conquaſſatæ, his rigatur fluminibus. Primus *Muchawiec*, cuius fons ex ſiluis & palude *Iaroieniſce*, propè oppidum *Turow*, oſtia circa caſtrum & oppidum *Brzeſćie*. Alter *Betz*, cuius fons in borra villæ *Przeworsk*, oſtia circa villam *Kluſzow*. Item *Vczer*, cuius fons ex ſiluis *Grodek* villæ *Podhorzyce*, oſtia in villa *Grodek*, vbi prius antiquitus caſtrum *Welin*, à quo vniverſa terra *Wolynska* appellatur, erat, quæ nunc *Chelmenſis*, & *Lucenſis* nominatur. Item *Ratha*, cujus fons in ſuperiori parte villæ *Wierzchbrata*, oſtia propè villam *Siedlec*. Item *Swinia*, cuius fons circa villam *Drzewna*, oſtia in *Ratham* interius villæ *Dworcze*. Item *Wolczwin*, cuius fons ex paludibus villæ *Gotuſzyn*, oſtia prope villam *Podzimierz*. Item *Połthew*, cuius fons ex villa *Zubrza*, non longe poſt *Leopolim*, oſtia circa oppidum *Busko*. Item *Nur*, cuius fons ex ſiluis oppidi *Bielsko*, oſtia circa villam *Zaskow*. Item *Liw*, cuius fons ex ſiluis oppidi *Lukow*, oſtia circa *Mazoviæ Kamieniec*. Item *Koſirzyn*, cuius fons ex ſiluis *Dąbrowka*, oſtia in *Liw*, circa villam *Zoliboń*.

SEC. VI. *poſt C. N.*

SEC. VI. poſt C.N.

libow. Item *Błothnia*, cuius fons ex paludibus quæ vocantur *Baranowe błotho*, oſtia circa oppidum *Sokalie.* Item *Drzewnia*, cuius A fons in palude circa villam *Dworce*, oſtia circa oppidum *Sokalie.* Item *Włodawa* in palude villæ *Soſnowice*, propè oppidum *Chelm* in terra *Chełmenſi* exortus terram præfatam *Chełmenſem*, a terra *Brzeſtenſi* diſterminat, & frequenti influentia aquarum auctus fluuium *Bug*, propè villam *Soſno* illabitur.

qui in Niemen,

Sextus fluuius *Polonicalium* & *Ruthenicalium* regionum *Niemen*, qui à *Latinis Curuntius* inſcribitur. *Niemen* variis vt ſupra diximus incuruatus fluxibus hos accipit amnes. Primo *Merecz*, cuius fons circa villam *Crudzewo*, oſtia circa oppidum *Merecz.* Item *Vilia*, cuius fons circa villam *Kamieniec*, oſtia circa oppidum *Kowno.* Item *Wisłucz* cuius fons B circa oppidum *Mobilno*, oſtia circa curiam & villam *Dubno.* Item *Swiatha* ex *Samogitia*, cuius fons propè *Vilkomiriam*, & in villa *Remygola*, oſtia circa *Mariewerder*, & hic diuidit *Lithuaniam* & *Samogitiam.* Item *Niewieſza*, cuius fons circa oppidum *Kieidany*, oſtia infra oppidum *Kowno*, & circa villam *Wilka.* Item *Wilna*, cuius fons circa villam *Lawarzyski*, oſtia in villa circa ciuitatem *Wilno.* Item *Miedniki*, cuius fons circa oppidum *Szocawa*, oſtia in *Niemen* propè *Kowno.* Item *Merecz*, cuius fons propè villam *Solecznik*, oſtia in *Niemen*, iuxta oppidum *Merecz.* Item *Brześnia*, cuius fons circa villam *Swiatha*, oſtia in *Viliam* prope oppidum *Niewienczany.* C Item *Kotra*, cuius fons ex lacubus *Gierſzany*, oſtia circa villam *Miecznikí.*

qui in Dniepr,

Septimus fluuius *Polonicalium* ac *Ruthenicalium* regionum *Dniepr*, vocatur a *Latinis Dritius* alias *Boriſthenes*, circa *Kiow* vrbem metropolim *Ruſſiæ* currens, hos autem fluuios habet cadentes in ſe, qui in *Tartarico* vocatur Krzeſze. Primo *Przypiec*, cuius fons non longe à caſtro *Lubomla* in villa *Olowno*, oſtia inferius caſtrum *Czarnobole*, circa villam *Pochoſt.* Item *Styr*, cuius fons in palude circa *Olesko* in villa *Ieśienow*, oſtia in fluuio *Przypiec* non longe à *Pinsko.* Item maior *Słucz*, cuius fons circa villam *Choiwicze*, oſtia in fluuium *Przypiec*, inferius oppidum *Turow.* D Item minor *Słucz*, cuius fons circa oppidum & caſtrum *Cośmin*, oſtia in fluuium *Przypiec* circa *Grodek.* Item *Cietrzew*, cuius fons circa caſtrum & oppidum *Cudnow*, oſtia in fluuium *Przypiec* circa villam *Mumickovvice.* Item *Słuniew*, cuius fons ex paludibus villæ *Satyczow*, oſtia in *Styr* inferius *Lucko* infra ciuitatem. Item *Roſz*, cuius fons ex paludibus propè oppidum *Smolniany*, oſtia circa caſtrum & oppidum *Orſza* in *Dnieſtr.* Item *Iaśiodla*, cuius fons circa *Kopilow*, oſtia in *Przypiec* infra oppidum *Pinsko.* Item *Brześnia*, cuius fons ex paludibus & deſertis *Ruſſiæ maioris* propè oppidum *Połocko*, oſtia in *Dniepr* propè oppidum appellatum *Dobrogiska.* Is fluuius *Brześnia Lithuaniam* à terris *Ruſſiæ* diuidit.

SEC. VI. poſt C.N.

A Item *Swisłoc*, cuius fons circa villam *Poroſtow* in ſuperiori parte, oſtia in *Brześnia*, circa oppidum *Boryſzow.* Item *Swinia*, cuius fons ex lacu *Włoska*, oſtia in mare propè *Rigam.* Item *Polota*, à quo ciuitas & regio *Polocenſis* appellatur, cuius fons propè caſtrum *Brzewa*, oſtia in fluuium *Dwina* iuxta caſtrum *Połocko.* Item *Boh*, cuius fons ex ſuperiori parte *Olesko* ſiluæ, oſtia in *Dniepr*, circa caſtrum & oppidum *Daſzow.* Item *Wiſzew*, cuius fons in villa *Nowoſiedlce*, oſtia inferius caſtrum *Rathno* in *Przypiec.* Item *Lutha*, cuius fons circa villam *Tremno*, oſtia in *Wiſzew* non longe à *Rathno.* Item *Berezyna*, cujus fons circa oppidum *Vhoro*, oſtia circa oppi- B dum *Strzeſno.* Item *Brzeznica* fluuius terram *Lucenſem* diſtinguens à *Litwanis*, & ille eſt verus limes regni *Poloniæ.* Item *Orſza.* Item *Bobr.* Item *Boryſtow.* Item *Orinia*, cuius fons circa oppidum *Dambrowica*, oſtia in fluuium *Styr.*

Quibus ciuitatibus Viſtula, cuius eſt ſingularis commendatio, Odra, Warta, & Dniſtr, fluuii inſignes illuſtrantur.

Fluuius autem *Wisla* qui *mare Oceanum* tribus oſtiis illabitur, & in orientis partem parum flexus, quadraginta & ampiius flumina in ſe recipiens, plures nobiles & inſignes quam alii fluuii nactus eſt vrbes. Licet enim *Odra* cuius aquæ occidentem petunt *Ratiboriam*, *Brzegam*, *Wratislauiam*, & *Francfordiam*; *Warta* verò, qui medius inter eos decurrit, *Siradi-* C *am*, *Pizdry*, *Poſnaniam*; *Dnipr*, *Kiouiam*, famoſas vrbes habeant, *Wisla* tamen inter *Polonicos* fluuios facile præcipuus amnis amplioribus nobilitatur locis, videlicet, *Cracouienſi*, *Sandomirienſi*, *Varſchouienſi*, *Plocenſi*, *Wladislavienſi*, *Torunenſi*, *Culmenſi*, *Grudźiadzenſi*, *Suecenſi*, *Derſchouienſi*, & *Gdanenſi* vrbibus. Ligna quercina & taxina diuerſi generis pro igne & nauigiis, picem, cineres, fraxinos, telam, ſimplicem, terpentinam, ceram, mel, plumbum, cuprum, ferrum, & frumentum, pluresque alias res, quibus portus *Anglicani*, & *Hollandenſes* perſtrepunt, ex regionibus *Polonorum* mari *Oceano* alueo ſuo ſubminiſtrans. Meminiſſe hoc loco par eſt, quia tribus Ponti- D ficalibus Baſilicis *Visla* fluuius inclytus ſit, cùm in quolibet, ex reſiduis amnibus vna tantummodo numeretur. Ea autem quæ de *Visla* ſeu *Viſtula*, qui & *Vandalus* & de *Odra*, qui *Guttalus* fluminibus narrauimus, *Solino* teſte defenduntur. Ita enim *Germaniæ* principium deſcribere orſus inquit: Mons *Seno* ipſe ingens nec *Riphæis* minor collibus initium *Germaniæ* facit. Hunc *Ingeuones* tenent, à quibus primis poſt *Scythas* nomen *Germanicum* conſurgit. Diues virorum terra, frequens populis numeroſis & immanibus. Extenditur inter *Hercinium ſaltum* & rupes *Sarmatarum.* Vbi incipit, *Danubio*, vbi deſinit *Rheno* perfunditur. De internis eius partibus

c. 20. edit. Salmaſii.

SEC. VI. poſt C.N.

bus *Albis*, *Guttalus*, *Viſtula* amnes altiſſimi præcipitantur in *Oceanum*.

Niemen inter omnes fluuios pacificus.

Notandum eſt autem, quòd omnes ferè amnes *Polonici*, videlicet *Iſtula*, *Guttalus*, *Wartha*, *Bug*, *Dniepr*, *Dnieſtr*, frangunt & ſubruunt ſuorum alueorum ripas, multaſque arbores, cum magna parte ſoli, frequenter etiam & vicos abſorbent. Solus *Niemen* tàm profundum & inſtar caldaris rotundum habet aluetum, vt ſilenter decurrens, nec nemoribus, neque campis nocens, ſuis contentus ripis, fluat. Omnia inſuper flumina *Poloniæ* prædicta & lacus moliuntur & inſulas, & nonnunquam veteribus alueis deſtitutis nouos alueos, nouaſque inſulas, nouos inſuper lacus quaſi quadam alluuione efficiunt, plerumque etiam in veteres reflectuntur. *Dewina* amnis fluit ſecus ciuitates *Ruſſiæ Połocko* & *Witepsko*. Item ab alia parte, *Witepsko* fluit *Wihba* ſatis inſignis fluuius. Poſt *Iſtulæ* fluminis oſtium *Cronis*, *Rubonis*, *Turuncii*, *Kerſinii*, fluuiorum oſtia in *Oceanum*.

Deſcriptio Poloniæ a quatuor plagis,

VNIVERSAM itaque regionem quam ſeptem fluuii prædicti, & cæteri omnes qui in eos deriuantur, & delabuntur, ab eorum ortu vſque in *pelagum*, *Oceanum*, *Lech*, *Lechitarum* ſeu *Polonorum* parens & princeps complexus, eam ſui iuris fecit, & in illa per ſe & ſuos nepotes frequentibus populis hæreditat, & propitia diuinitate hæreditabit. Ab oriente nullis quidem niſi *Græcis* & *mari Leonino*, ad quas per ſiluas, & nemora ducentorum & amplius miliarium ſpatium, & plura flumina ipſi etiam principali conditori tunc ignota habent nomina pro ea tempeſtate eundum erat, vicinis. Quæ quidem regio orientalis ab vno nepotum *Lech*, qui *Ruſz* vocabatur, poſt plures ætates habita & populata *Ruſſiæ* nomen accipiens, in latiſſimas, ditiſſimaſque prouincias, regiones & vrbes creuit, quas in præſentiarum cernimus, vbi ſabellonum, mardurum, & aliorum nobilium animalium pelles, quas vicinæ ſolitudines producant pro ſumma opulentia habentur. Quarum incolæ ipſarum pellium delicatarum portantes decora, licet tenuem & inopem habeant victum, ditiſſimè veſtiuntur.

& unde Ruſſia pellibus delicatis ditiſſima dicatur.

A meridie *Alpes* quæ *Pannoniam* perpetuis iugis diſterminant, & vſque in *mare Leoninum* porriguntur, & in multa ſpatia porrectæ, magnam longitudinem & latitudinem conficiunt, *Polonorum* tamen Principum per longas ætates & ſucceſſiones regebantur & parebant imperio. Ad quod nonnullorum priſcorum ſcriptorum euidens poteſt teſtimonium adduci. *Puteolanus* enim Hiſtoricus, & veterum ſcriptorum geſtorum ſcrupuloſus indagator ſcribit, quod anno *Marciani* Imperatoris tertio, qui circa annum Incarnationis Domini quadringenteſimum quinquageſimum octauum imperauit, ſurrexit in Polonia Princeps qui *Bulgaris Meſianiſque* imperabat, volens etiam in *Hungaria* dominari. Hunc *Hungari* variis muneribus allectum, explorata illius diminuta potentia improuiſo aggreſſi cum tota militia peremerunt. Ab occidente *Germaniam*, quam à *Polonorum* prouinciis *Labia* alias *Alba* fluuius interſecat, à ſeptemtrione *mare Oceanum*, *Daniam*, *Sueciam*, & *Norueiam*, ac vltima terrarum ipſis etiam incolis tunc inacceſſibilia freto ſuperato oſtendens.

SEC. VI. poſt C.N.

Vnde dicuntur Lechitæ,

Quamuis autem à primo Principe & conditore *Lech*, regio eius *Lechia*, & gentes eius *Lechitæ* appellatæ ſunt. Quia tamen in pleriſque locis camporum planicies ad ſerendum aptæ, recenti cultorum diligentia & induſtria in breui tempore exciſione nemorum auctæ, & in ſimilem planiciem redactæ, ſpeciem naturalium quaſi camporum præbuerunt, *Lechitæ*, & hi præſertim, qui in campeſtribus habitabant, & à cæteris cognatis & familiis, qui ſiluas inſiderant, & à vicinis gentibus in circumhabitantibus *Polianie*, id eſt campeſtres tam frequenti vſu & appellatione vocati ſunt, vt veteri nomine abolito tàm gens, quàm regio generali iam & vſitato vocabulo *Polonia* etiam à ſcriptoribus aliquibus nominetur. Vicinæ tamen nationes, & præſertim *Ruthenorum* quæ in ſuis annalibus de ſtirpe Principis *Lech* ortas ſe eſſe gloriantur, *Polonos* & eorum regiones *Lechitas* appellant, in hunc diem apud *Slauos*, quoque *Bulgaros*, *Caruatos*, & *Hunnos* eadem adhuc manet appellatio, licet & in pleriſque locis à nonnullis autoribus intitulentur & ſcribantur. *Vandalitæ* à fluuio *Vandalo*, qui idem quod *Wisla* eſt, quod ipſius quoque fluminis principalitatem ſignat. A veteribus autem ſcriptoribus & Hiſtoriographis, *Sarmatia Europæa* appellatur, & tàm *Rutheni*, quàm *Poloni Sarmatæ* nominantur. Idque reor iuſtum & verum quod *Polonis* & *Ruthenis* indidit antiquitas vocabulum. Vnde & *Alpes* quibus conterminant quique *Poloniam*, *Ruſſiamue* à *Pannoniis* diſterminant *Sarmatici* vbilibet ab autoribus inſcribuntur. *Scythas* plerique, nonnulli *Germanos* parum iuſto vocant cognomine, quod omnis ea regio, quæ inter *Tanaim* & *Albam Iſtulamque* eſt poſita *Scythia* nominatur à ſcriptoribus, quam cum proceſſu temporis *Poloni* & *Rutheni* populandam introiſſent, *Scythæ* & ipſi à nonnullis vocati ſunt, & quia *Iſtula Scythiæ* & *Germaniæ* tenens confinia in *Polonorum* meditullio decurrit, & à ſui fonte, ſiue ab ortu vſque ad occaſum nulla gens alia quàm *Polonica* illum incolit & populatur, *Poloni* etiam *Germani* vocitantur. Aſſerere nonnulli eam rationem conantur, *Ruſz* non *Lechonis* nepotem, ſed germanum extitiſſe, & ſecum vna atque *Czech* fratre tertio ex *Caruatia* egreſſum, ampliſſima *Ruſſorum* regna, quorum *Kiouia* caput & metropolis eſt, & *Dnieſtr*, *Dniepr*, *Niemen*, *Pruth*, *Slucz*, *Styr*, *Strucz*, *Smotrycz*, *Sereth* ampliſſimis irrigantur amnibus, populaſſe, & terminos ſuos vltra *Nouogrod*, auro, & argento, pellibuſque

Polonis,

Vandali,

Sarmatæ,

Scythæ,

& Germani,

& de Ruſſo-pinio, a quo Ruſſia.

SEC. VI. poſt C.N.

que ditiſſimam, & notiſſimam, inter paludes & ſtagna ſitam *Ruſſiæ* ciuitatem ad fines propriæ terræ dilataſſe. Scriptorum tamen varie- A tas de origine *Ruthenorum* plus connubilat eorum originem quam declarat.

Ruthenorum principem

Ab eo quoque *Ruſſone* primo *Ruſsiæ* patre & populatore, *Odouacer Ruthenus* ſtirpem ducens, & progeniem cum *Ruthenorum* copiis ſub anno natiuitatis *Chriſti* quingenteſimo nono, ſub *Leone* Papa primo, & *Leone primo* Imperatore in *Italiam* adueniens capta *Ticino*, ferro atque igne deſtructa, *Oreſtem* captum, capite damnans, & *Auguſtulum*, qui imperium occupare præſumpſerat effugans *Romam* vrbem, victor cum ſuis ingreſſus, totius *Italiæ* regnum nullo inquietante poſſedit, quod cùm per annos quatuordecem in ſumma pace & otio gubernaſſet, *Theodoricus GOTHORVM* Rex per *Bulgariam* & *Pannoniam* in *Italiam* magna fatigatione pertingens, dùm non longe ab *Aquilegia* in paſcuis vberrimis ſe, & copias ſuas reficeret, *Odouacer* cùm totius *Italiæ* viribus ipſum illic inuadens, à *Theodorico* & *GOTHIS* contritus eſt, qui cum paucis fugiens *Romam* à populo ingredi vetitus *Rauennam* ſe recepit, quem triennali obſidione, in *Rauenna* maceratum, & deditionem facere coactum, *Theodoricus* cepit & necauit, & Regnum *Italiæ* a *Ruthenis* ereptum in ſe *GOTHOS*que transtulit.

Romam & totam Italiam quatuordecim annis poſſidentem Theodoricus Gothorum Rex necavit, & Regnum Italiæ obtinuit.

Fluuiorum *Polonicalium* deſcriptione expedita, vtcunque pro qualitate laboris aſſumpti poterant à me, tàm vbi oriuntur & emer- C gunt, quàm vbi exonerantur & decidunt: ad ſcribendum lacus famoſos, qui in *Polonica* regione & prouinciis ſibi ſubiectis conſiſtunt, animum inflexi, qui & ipſi vel flumina generant, vel ex fluminibus gignuntur, aut quod pleriſque locis contingit per flumina fœcunditatem conſequuntur & incrementum. Eſto quod cernamus plures lacus abſque incremento, aut ſorbere ingentia flumina, aut tanquam hoſpites iuxta ſuſcipere & emittere. Appellantur autem lacus aquarum grandes congeries, ex occultis terræ meatibus in vnum defluentes atque conſiſtentes lacum commoda mortalibus ſubminiſtrantes. Et quamuis nonnulli lacum à ſtagno plurimum aſſerant D differre, & parum concinnè putent ſtagnum lacum, & lacum ſtagnum, quemadmodum dictiones ipſas pro vno & eodem ſignificato ſcriptorum ſolet committere autoritas, nuncupari, cùm lacus viuas in ſe vndas habeant, ſtagna limoſas, putres, olidas, ac tetrum odorem ſpirantes. Nos tamen, quoniam ita fert *Polonorum* atque *Ruthenorum* communis locutio, qui nulla diſtinctione facta vno vtuntur pro altero, lacum à ſtagno non ſequeſtrabimus. Non eſt autem mihi animus omnium *Poloniæ* lacuum, & cæterarum orarum regno ſubiectarum *Polonico*, nominatim ſitus deſcribere, eſſet enim ingentis & difficilis opus

Lacus Poloniæ præſtantiores.

laboris, quoniam cum regio *Polonica*, & terræ ſibi ſubiectæ ſitum habeant baſſum, & *Oceano Sarmatico* pro maiori parte conformatum, frequentibus & pæne innumerabilibus lacubus referta eſt. Illuſtriores itaque & magis famatos ſatis erit attigiſſe. Et quoniam lacus *Gopło* adeo vniuerſali *Polonorum* conſenſu grandis & famoſus eſt, vt rem aliquam grandem *Poloni* ſignificaturi, ex lacus prædicti magnitudine prænomen *Gopło* definiant, huic & nos pro ſui merito, & pro nominis appellatione inter lacus *Polonicos* principatum tribuemus.

GOPLO in prouincia *Maioris Poloniæ* lacus ampliſſimus, & *Polonis* celeberrimus eſt, piſcium multitudine adeo fœcundus, vt in vicina quoque capti in eo piſces, quadrigis de- B lati, ſufficientiam vel potius abundantiam mortalibus ſubminiſtrent. Hic apud oppidum fontis ſui nominis *Noteſz* ex fontibus ſcaturientibus exortus, iamque illic vbi exoritur, continuo grandis & profundus tam longo latoque tractu diffuſus, vt maris ſpeciem viſentibus repræſentet. Nam medium miliare in latum, quinque in longum prætenditur, & demum circa caſtrum *Sarienſe* non mediocrem de ſe emittit fluuium, qui *Noteſz* appellatur, ex ſuo vtero profluentem, & generantur varia piſcium genera in illo, guſtatu & ſpecie, quam in aliis lacubus, præſtantiora.

CZARTORIA, lacus prope caſtrum & oppidum *nouæ ciuitatis Korczyn*, & ex fertilitate piſcium, & ex conditore ſuo *Caſimiro* ſecundo *Polonorum* Rege inſignis, qui duorum fluuiorum *Iſtulæ* & *Nidæ* alueis aliorſum per induſtriam deductis, lacum perpetuum, & lacum protenſum, qui ab vtroque fluuio tam vndis, quam piſcibus fœcundantur, conſtituit.

SWIECIECHOW, lacus propè villam Epiſcopalem *Cracovienſem Swieciechow*, à quo & denominationem accipit conſiſtens, fontes perennes in vtero ſuo ebullientes lacui ſuo perennitatem conferentes, habet. Eſto quod etiam nonnunquam ex *Wisła* flumine non longe decurrente irrigationem accipiat.

SLESINO, lacus oppido ſui nominis imminens ex monte *Przewłoki*, ortus quatuor miliaria *Polonica* in longum, quartale miliaris in latitudinem conficit, & fluuium *Goplenica* ex ſe circa villam *Gappa* parturiens fluuio *VVarthæ* apud villam *Morzysław* miſcetur.

POVVIDZ, ingens lacus oppidum ſui nominis *Powidz* irrigans tria miliaria in longum, vnum miliare in latum conficit.

BDANIE lacus ſupra oppidum *Dolsko* ingens plures lacus in ſe in quamlibet partem gignens.

LEDNICA, lacus ampliſſimus *maioris Poloniæ*, cuius initium ſupra villam *Srzonek*, plures lacus ex ſe minores emittens, duobus miliari-

SEC. VI. poſt C. N.

liaribus à *Pobiedźiska* oppido ſitus. Inſulam non mediocrem habens in ſui corpore, in qua *Gneſnenſis* Eccleſia metropolitana, A primum à veteribus memoratur magis quam ſcribitur fundata fuiſſe. Quod murorum ruinæ, & reliquiæ teſtantur, & proceſſu temporis propter difficultatem acceſſus *Gneſnam* translata. Duo miliaria & amplius in longum conficit.

BLANDNO, lacus ampliſſimus *maioris Poloniæ*, qui amplitudinem lacus *Gopło* aſſeritur ſuperare oppido *Zbaſzyn* impendens, piſcibus vberrimus, quem fluuius *Odra* apud oppidum *Kośmin* ortus à principio vſque in finem irrigat, anguillas plures numero gignit.

NIEZAMYSL, magnus lacus *maioris Poloniæ* non longe à fluuio *Wartha*, qui & oppido, à quo ſumit exordium, dedit nomen, qui vſque ad oppidum *Głuſzyna* decurrit, odioſus Cruciferis de *Pruſſia*, qui ad illius littora per Marſchalcum *Poloniæ* in villa *Polwica* profligati ſunt.

WONIESKA, magnus lacus *maioris Poloniæ*, cuius initium penes oppidum *Oſieczno*, fines verò vſque ad villam *Kurzagora* protenditur, & illic fluuio *Odræ* miſcetur.

DOMINICE, lacus ingens *maioris Poloniæ*, cuius initium penes oppidum *Brenno*, & apud monaſterium *Przement* terminatur.

PCZOWO, lacus *maioris Poloniæ* magnus, qui & oppido ad *Ripes* reſidenti nomen dedit.

LVBSTOWO, *maioris Poloniæ* lacus magnus, circa villam ſui nominis conſiſtens, quem fluuius *Goplinica* irrigat, & ad duo miliaria in longum protenſus, latitudine verò coarctatur.

TVLANVS, *lacus maioris Poloniæ* villæ ex ſe denominatæ nomen dedit, vnum miliare in longum conficiens, circa oppidum *Pakość* terminum ſumens, fluuio ex oppido *Gęmbice* decurrente irrigatur.

IELEN, lacus circa ciuitatem *Gneſnam* conſiſtens, magis ciuitate *Gneſnenſi*, quam ſuo ſitu inſignis.

DRAWSKO, lacus ingens *maioris Poloniæ* continens in ambitu ſuo ſeptem miliaria *Germanica*, piſcibus fœcundus, à *Drawa* fluuio, qui illum irrigat, cognomen ſortitus, qui & arci inſigni ſibi impendenti *Drahim* nomen dedit.

NOBLINY, *maioris Poloniæ* lacus propè caſtrum proxime nominatum *Drahim* conſiſtens, tria miliaria in longum, vnum in latum conficiens.

KRAMPSKO, *maioris Poloniæ* lacus, quatuor ſpatiis diuiſus propè *Walcz* conſiſtens, tria miliaria in longum, quartale in latum conficiens.

Lacus Terræ Lublinenſis.

IEDLINO, lacus circa ciuitatem *Lublinenſem* in borra conſiſtens, cui villa eiuſdem nominis à lacu ſortita nomen imminet, medium miliare in longum, & dimidium in latum conficiens.

SEC. VI. poſt C. N.

CZARNE, lacus terræ *Lublinenſis*, alius ab illo, qui in terra *Chelmenſi* conſiſtit, ab oppido *Parczovv* duobus diſtat miliaribus, in partes omnes ſe æqualiter porrigens, medium miliare in quamvis partem conficit.

RACZNO, lacus terræ *Lublinenſis* propè villam *Bolechovvice* ſitus, vnius quartalis miliaris continentem in omnes partes habens.

GLAMBOKIE, lacus terræ *Lublinenſis*, habens villam ſui nominis ſibi imminentem, æqualem proportionem de vno quartali miliaris habens in longum & latum.

VSTONOW, lacus terræ *Lublinenſis* cui ſubiacet villa *Stunovv* à lacu cognominata, B ac rotunditate ſua, ad quartale miliaris æquali tenore porrectus.

TRACZANO, lacus terræ *Lublinenſis* in borra, propè eandem villam *Lanczno* conſiſtens ſphæricum habens corpus, cuius longitudo & latitudo quartale miliaris non excedit.

ROSKOPACZOW, lacus terræ *Lublinenſis*, iuxta quem villa appellata *Roskopaczovvska Wola* conſiſtit, miliare vnum habens in longitudinem, quartale in latitudinem, fluuium ex ſe ſui nominis emittens, qui ſe fluvio *Tyſmienica* infundit.

DRZASTOW, lacus terræ *Lublinenſis* propè villam *Lanczna* conſiſtens, medium C miliare habens in longitudinem, quartale in latitudinem.

NADVB, lacus terræ *Lublinenſis* poſitus non longè ab eadem villa *Lanczna*, medium miliare in longum, & quartale in latum conficit.

BIESZCZE, *Lublinenſis* terræ lacus, duobus miliaribus diſtans à *Lanczna*, quartale miliaris in longum, in latum dimidium conficit.

OSTVVISZ, *Lublinenſis* terræ lacus non longè ab eadem villa *Lanczno* conſiſtens, medium miliare in longum, quartale in latum conficit.

Lacus Terræ Cuiauienſis.

BIELSKO, *Cuiauienſis* terræ lacus circa D villam *Bielsko*, à quo & villæ deriuatum eſt nomen, ſingulares piſces, & qui raro in aliis reperiuntur lacubus *Polonicis*, quos *Sielany* nominamus, ſapidi ſaporis genus, medium miliare in longum conficiens.

BRDOW, *Cuiauienſis* terræ lacus inter *Kłodauam* & *Hizdbicam* oppida conſiſtens, medium miliare in longum conficiens.

ORLIE, *Cuiauienſis* terræ lacus Epiſcopi *VVladiſlauienſis*, amplitudine ſua inſignis, & fœcundus piſcibus, fluuium *Zgoniątka* ex ſe emittens, miliare vnum in longum conficit.

TVR, *Cuiauienſis* terræ lacus magnus, alius à priori non longè à *Bidgoſtia* oppido ſitus,

SEC. VI. poſt C.N.

tus, piſcium, qui *Kleſcze* vocantur multitudine refertus, medium miliare in longum conficiens.

LVBOTYN, Cuiauienſis terræ lacus eiuſdem nominis villam irrigans, in fluuium verò *Noteſz*, amnem ex ſe cadentem emittens, medium miliare in longum conficit.

KRZEWIANTKA, lacus magnus *Cuiauienſis* terræ haud longè ab oppido regio *Kowalie* ſitus, medium miliare in longum conficiens.

LANCZNO, Cuiauienſis terræ lacus Epiſcopi *Wladisłauienſis*, oppido *Pakość* imminens à fluuio *Noteſz*, dum iam lacum *Gopło* liquiſſet generatus, vnum miliare in longum conficiens, latitudine verò parum extenſus.

PTVR, Cuiauienſis terræ lacus, cui villa de lacu denominata imminet quartali miliaris in latum, & vnum miliare in longum conficiens, irrigatur flumine *Noteſz*.

SECVNDVS lacus *Borzymowski* eiuſdem terræ ad unum miliare extenſus.

Lacus Terræ Pomeraniæ.

LEBSKO, lacus magnus terræ *Pomeraniæ* in villa & hæreditate Epiſcopi *Wladiſlauienſis*, *Charbzouo* à fluuio *Leba*, qui interfluit illum *Lebsko* appellatus, *Pomeraniæ* terram à *Stolpenſi* diſterminans.

VZDZICE, lacus terræ *Pomeraniæ* ampliſſimus, continens ad longitudinem quinque miliaria, qui incipit propè caſtrum *Kiſzchovv*, & tendit propè caſtrum *Tucholia*.

OSIECZNO, magnus lacus terræ *Pomeraniæ* propè caſtrum *Oſiek* ſitus, vnum miliare in longum, medium in latum conficit, à quo caſtrum *Oſiek* denominationem accepit.

STWORŻONA GAC, lacus ingens terræ *Pomeraniæ*, habens in longitudinem ſeptem miliaria, in latitudinem quinque, ſitus non longè ab oppidis *Choinica, Tucholia, Słochow*, & *Bithom*, ex cujus vtero *Brda* fluuius conſurgit.

BORZYCHOWO lacus terræ *Pomeraniæ* propè oppidum *Starogard* vnius medii miliaris in longitudinem, & quartale in latum conficiens.

BIALA, lacus terræ *Pomeraniæ* propè oppidum *Tucholia* conſiſtens, vnius miliaris in longitudine, medii verò in latitudine, ex quo fluuius eiuſdem nominis decurrens, fluuium *Wierzyſza* ingreditur.

KRAG, lacus terræ *Pomeraniæ* in diſtrictu *Swiecenſi* propè oppidum *Tucholia*, medium miliare in longum, in latum verò quartale miliaris conficit.

SVCHVM, lacus terræ *Pomeraniæ* in diſtrictu *Swiecenſi*, quartale miliaris in longum, & latum ex æquo conficiens.

OSTROWICE, lacus terræ *Pomeraniæ* in longum miliare vnum, quartale verò in latum conficiens.

SEC. VI. poſt C.N.

DESZCZNO, lacus terræ *Pomeraniæ* in diſtrictu *Swiecenſi*, ad quartale miliaris protenſus.

PIASECZNO, lacus terræ *Pomeraniæ* in diſtrictu *Swiecenſi*, ad quartale miliaris ſe protendens.

STEKLNO, lacus terræ eiuſdem propè villam *Grodek*, conſiſtens vnum miliare cum medio in longum, medium miliare in latum conficit.

MVKSCHA, lacus terræ *Pomeraniæ* propè oppidum *Tucholia* ſitus, æqualem in longum & latum, ad quartale miliaris vnius porrectus.

KREMPSKO, lacus terræ eiuſdem inter *Szlocow* & *Emerſtin* ſitus, tria miliaria in longum, quartale in latum porrectus.

LVKAMIE, lacus terræ eiuſdem propè *Choinicam* ſituatus, quinque miliaria in longum, vnum verò in latitudinem conficiens.

CHARZYKOWY, magnus lacus terræ *Pomeraniæ* ſex miliaria in longum, duo verò in latum conficiens, fluuius autem *Brda* ex ventre lacus *Krampsko* ſe euoluens primum lacum *Lukamie* ingreditur, & inde ſe extrahens, tertium lacum *Charzykowy* intrat, vbi victor effectus proprio alueo notabile ſpatium terræ conficiens in *VVisła* tandem exoneratur.

Lacus Terræ Chelmenſis.

SVVITASCH, magnus lacus in terra *Chelmenſi* circa villam ſui nominis ſituatus, quinque miliaria in girum, duo in longum, vnum in latum conficiens, & optimos piſces producens *Kleſzcze*.

SACKO, magnus lacus terræ *Chelmenſis* binominis, alio enim nomine ab incolis vocatur *Lucomir*, ſed propter villam cui eſt proximus *Sacko* nomine vulgari appellatur, fluuium ex ſe *Lucomir* ſui nominis emittens, medium miliaris in longum, medium in latum conficit.

THVR, magnus lacus terræ *Chelmenſis*, in omnes æqualiter partes in longum, duo cum medio miliaria, in latum vnum miliare conficit, qui & villæ propè ſe conſiſtenti nomen ſui vocabuli *Thur* indidit. Rigatur à flumine *Lucomir* in eum, ex *Sacko* decurrente, qui inde egreſſus, & nonnullos ignobiles lacus victor prætergreſſus hæret in *Przypiec* flumine.

BIALA, lacus ingens terræ *Chelmenſis* in ſolitudine inter duas villas *Radſztow* & *Vethlie* conſiſtens vnum miliare in longum, medium verò in latum conficit. Craſſos adeò piſces *Kleſzcze* producens, vt ex illorum adipe plura vaſa impleantur aruina. Aqua verò lacus eius in menſibus Maio & Aprili corpora humana nigredine tingit & fuſcat, nec enim per aliam aquam nigredo poteſt dilui.

ORZE-

SEC. VI. poſt C. N.

ORZECHOW, *ORZECHOWIEC*, & *OSTROWIE*, lacus magni, qui rigantur flumine *Lucomir*, qui ex his lacubus paululum progreſſus flumini *Przypiec* ſe miſcet. A

MSZANE, lacus terræ *Chelmenſis*, propè villam *Zamorowice* conſiſtens, quartale miliaris in longum, & dimidium in latum conficit, frequentiſſimos lapides ſilices, habet in fundo, qui cum piſcibus vna extrahuntur in aridum.

POLMO, lacus magnus terræ *Chelmenſis*, iuxta villam ſui nominis *Polmo* conſiſtens vnum miliare in longum, medium verò in latum conficit.

PIASECZNO, lacus terræ eiuſdem propè villam *Luboczyn* conſiſtens, miliare vnum in longum, & medium in latum conficiens, fluuium *Krzemionka* ex ſe emittens. B

SMOW, lacus terræ *Chelmenſis* a villa ſui nominis, iuxta quam conſiſtit, appellatus, montibus vndique ſeptus, & in longum & in latum rotundus, eſt enim æqualiter porrectus.

KRZEMNO, lacus eiuſdem terræ ſui nominis villæ imminens, rotunditatem præ ſe ferens, & æquales latitudinis & longitudinis partes habens, rigatur a flumine *Krzemionka*, qui in illum ex lacu *Piaſeczno* defluens, exinde in fluuium *Przypiec* incidit.

LVKIE, magnus lacus terræ *Chelmenſis*, propè villam *Dubiecko* conſiſtens, quartali miliaris in latum, & in longum quo ad rotunditatem. C

WELIKIE, lacus terræ *Chelmenſis*, propè villam *Polapy* ſitus, quartale miliaris in longum, & in latum propter ſui rotunditatem æqualiter conficit.

CZARNE, lacus terræ *Chelmenſis* cui villa ſui nominis imminet, medium miliare in longum conficit, quartale in latum.

KINACZ, lacus terræ eiuſdem, cui villa ſui nominis imminet, medium miliare in longum, in latum quartale conficit.

OKVNIN, lacus terræ eiuſdem, propè villam *Oſtrow* ſitus, quartale miliaris in longum conficiens, dimidium in latum.

PLOCICE, lacus terræ *Chelmenſis* magnus, propè villam *Wiethli* conſiſtens, medium miliare in longum, quartale in latum conficit. D

STRZYBORZ, lacus magnus terræ eiuſdem, propè villam *Sczodrochowskie* imminens, quem fluuius *Przypiec* irrigat, per dimidium illius decurrens, rotundus eſt, in omnes partes æqualiter porrectus.

WIECZNINO, lacus terræ *Chelmenſis*, propè oppida *Chelmza*, *Kowale* ſitus, vnum cum dimidio miliari longus, & medium latus.

Lacus Terræ Ruſſiæ.

NOBEL, lacus magnus terræ *Ruſſiæ* in diſtrictu *Pinsko* conſiſtens, quem fluuius *Przypiec* irrigat, & fœcundum efficit in piſcibus.

OLBIASZ, lacus magnus terræ *Ruſſiæ* in diſtrictu *Pinsko* conſiſtens, quem fluuius idem *Przypiec* vndis & piſcibus locupletat.

ORZECHOW, lacus magnus terræ *Ruſſiæ* in diſtrictu *Brzeſtenſi* alius a priore, qui & ipſe à fluuio *Bre...* piſcibus fœcundo irrigatur.

Lacus Terræ Pruſſiæ.

DRVSZEN, lacus magnus *Pruſſiæ*, propè *Elbing* ciuitatem, quatuor miliaria in longum, duo in latum protenſus.

SPERDENI, lacus ingens terræ *Pruſſiæ*, circa oppidum *Liec*, ſeptem miliaria in longum, medium in latum diffuſus.

HANVSBORG, lacus terræ *Pruſſiæ* ab oppido eiuſdem nominis, circa quod conſiſtit quatuor miliaria in longum, vnum verò in latum cum dimidio conficiens.

PARTECINO, lacus *Culmenſis* propè caſtrum *Brathian* ſitus, tria miliaria in longum, & in latum duo protenſus.

MALDESZE, lacus terræ *Culmenſis* inter *Radzin* & *Rogozno* oppida conſiſtens, vnum miliare in longum, quartale in latum conficit.

DAMBROVVNO, lacus terræ *Pruſſiæ* oppidi ſui nominis muros ambiens, vnum miliare in longum, quartale in latum conficiens.

MELNO, lacus terræ *Pruſſiæ*, prope oppidum *Gronfeldt* ſitus, vnum miliare in longum, quartale in latum protenſus.

LVBNO, lacus terræ eiuſdem propè oppidum præfatum *Gronfeldt*, vnum miliare in longum, quartale verò in latum porrectus, vterque autem lacus prædictus, videlicet *Melno* & *Lubno* Cruciferis de *Pruſſia*, cæteriſque *Almanis* odioſus & execrabilis eſt, in eorum enim meditullio per *Polonos* & eorum Regem *Wladislaum* ſecundum magna cæde adfecti ſunt.

SCHEILANG, lacus terræ *Pruſſiæ*, propè oppidum *Oſterrod* conſiſtens, qui circa villam *Schemberg* exortus, quinque miliaria in longum, quartale verò in latum definitur.

GIESTRVTH, lacus terræ *Pruſſiæ* à villa *Ilſzan*, vſque ad oppidum *Ilana* protenſus, quinque in longum miliaribus, vno verò in latum diffuſus eſt.

STAWANTH, lacus terræ *Pruſſiæ* propè oppidum *Kogez* conſiſtens, duo cum dimidio miliaria in longum conficit, quartale verò in latum.

LYK, lacus terræ *Pruſſiæ*, duo miliaria in longum, quartale verò in latum protenſus eſt.

Lacus Terræ Lithuaniæ.

BERSTY, lacus *Lithuaniæ*, medium miliare in longum conficiens, fluuium ex ſe gignens, qui vocatur *Kotſa*, fœcundus piſcibus, vt nullus eo in *Lithuania* ſit fœcundior, ibi venationes regiæ biſſontium & ceruorum, & curia eiuſdem nominis.

DVBICE, lacus *Lithuaniæ*, cui oppidum à lacu denominatum imminet *Dubice*, & quamuis quatuor videantur lacus, tamen vnam habent denominationem, quos etſi paludes qui-

SEC. VI. poſt C.N.

quidam interſecant, vndæ tamen illorum ſimul mixtæ omnem altercationem dirimunt.

Notandum inſuper eſt, quia lacus inſignis A triginta miliaribus ſuper oppidum *Smolensko* verſus *Nowogrod* ſitus, ex eo oriuntur tres fluuii, de quibus in ſuperioribus fecimus mentionem.

Primus *Dzwina*, qui vadit in *Rigam*, verſus *Oceanum*.

Alter *VVolga*, qui creditur eſſe fluuius poricus, vadit ſuper montem *Tanais*, & intrat *mare Caſpium*, quem *Scythæ* Perotha appellant, *Græci Pirethon*, *Poloni* & *Rutheni* W*olgam* appellant.

Tertius *Dniepr*, qui in *Latino* vel *Græco* vocatur *Boryſthenes*, & intrat *mare* P*onticum* circa caſtrum *Oczakow*.

ITEM *Dnieſtr* fluuius in *Latino* vel *Græco* B vocatur *Tyrſanis*, & diuidit *Sarmatiam* à *DACIA*, quam beatus *Auguſtinus antiquam* vocat, quæ quondam fuit regnum *GOTHORVM*. Item montes P*annoniæ* inferioris qui ſunt circa *Danubium*, vocantur *Sarmatici* qui habent ortum à monte *Carpete*, & *Metanaſte*, quam vocamus *Valachiam*. Et tali nomine vocantur omnes montes *Germaniæ*, vſque ad fluuium *Rhenum* propter earum ortum. Ex montibus autem illis *Sarmaticis* oriuntur tres alii fluuii notabiles & inſignes, videlicet *Iſtula* aliàs W*iſta*, *Guttalus* aliter *Odra*, & *Albia*, ſiue iuxta antiquos *Albis* aliàs *Albia*. Item ex *Sarmatia* præfata egreſſæ ſunt gentes hæ, quæ poſſederunt *Scandiam*, & nouam *Daciam*, C quæ dedit ortum *Teutonis*, *Vandalis*, *GOTHIS*, *Longobardis*, *Rugis*, & *Lepidis*, quos vocant aliqui *Cimbros*, quos hodie vocamus P*omeranos*. Illa autem *Sarmatia occidentalis*, ortum habet à *Sarmatia orientali*, quæ eſt infra *mare Caſpium*, & habet ortum à *Saruth*, qui fuit quartus ante *Abraham* de *Sem*.

Lacus Terræ Dobrzinenſis.

GORZNO, lacus terræ *Dobrzinenſis*, amplitudine & fœcunditate piſcium inſignis Epiſcopi P*locenſis*, à fluuio irrigatus.

MOKOWO, lacus magnus terræ *Dobrzinenſis* non longe ab oppido *Dobrzin* ſitus.

SKAMPSKO, lacus terræ *Dobrzinenſis*, non longe ab oppido *Lipno* conſiſtens.

Lacus Terræ Belzenſis.

BRZYMICE vel *Krynice*, lacus terræ *Bel*- D *zenſis*, medium miliare in longum, quartale in latum conficiens. In quo propter ſui profunditatem difficilis eſt piſcatura, ſingularem ab aliis lacubus habens naturam ſecretam; Nam certo tempore aliquando infra triennium, aliquando infra biennium magno edito mugitu à fluctibus intumeſcentibus concuſſus, in montem petroſum ſibi contiguum per cauernas occultas, & ſubterraneas ingreditur, & pauciſſimas vndas in alueo ſuo relinques multitudinem piſcium facile à piſcatoribus concludendam & comprehendendam relinquit.

Deſcriptio montium Poloniæ.

Quamvis autem P*olonicum* Regnum pauciores quàm cætera climata montes habeat, vt potè, quod in planiciebus & campeſtribus ſitum primariam ſui nominis & principalem ab aliis accepit denominationem, habet tamen quàm plures montes tàm ſaxeos, quam terreos, quorum inſigniores deſcribemus. Pro ſui autem fama & celebritate *Caluariam* proponemus omnibus, & Principem, vt eſt, aliorum conſtituemus. Cui *Vauel* ſubnectemus, quoniam apud illum ſummam rerum conſiſtere, & Regiam illi imponi conceſſum eſt.

CALVARIA mons eſt excelſus, in terra *Sandomirienſi*, oppido *Opatow* propinquus, aſſiduo pænè rigens frigore, & frequentes niues, nebulas, & pluuias producens, ſcaturientes in pleriſque locis habens fontes, famoſiſſima quondam, ſi veteri & vulgatæ aſſertioni ſtandum eſt *Cyclopum*, quod ingentes acerui teſtantur lapidum ex arce, quam monti impoſuerant, ruinati, nunc verò virorum religioſorum ſub regula *S. Benedicti* militantium habitatio. Incertum à quo *Cyclopum* & quo tempore arx tanta tot parietum continens longitudines, & tam grandes æuo ſuo moles ſumptu tam magnifico exſtructa fuerit. Cujus monſtroſi ædificii monſtroſam lapidum congeriem, atque ruinarum aceruos ingentes, neque vepres, dumoſaque gramina, nec arbores frequentes potuerunt contegere. In arcis locum ſuccedenti monaſterio, à magno enim *Boleslao* primo *Polonorum* Rege ex petra ſuperædificato, in quo ligni Dominici magna mortalibus beneficia conferens, notabilis habetur portio à Beato *Emerico* filio *B. Stephani Hungariæ* Regis monente per viſum Angelo illic relicta. Ob quam rem locus ipſe in celebri habetur reuerentia, & in aſſidua mortalium ſuis neceſſitatibus ſuccurri per virtutem ſanctæ Crucis depoſcentium frequentatione. Qua in re altitudinem diuinæ prouidentiæ. & eius diſpenſationis mira opera libet admirari, nam qui pro ſalute generis humani pati dignatus eſt in monte *Caluariæ*, is lignum in quo patiebatur pro ſalubritate & conſolatione *Polonorum*, in monte eius appellationis voluit conſiſtere. Acceſſit ad hæc admiratio amplior, nam cum *Lithuani* ea tempeſtate gentiles & idolatræ clandeſtino incurſu Regnum *Poloniæ* irrupiſſent, & ſpoliato præfato monaſterio etiam lignum viuæ Crucis in ſuam terram apportaturi rapuiſſent, ſed priuſquam *Sandomirienſem* regionem egrederentur, quadriga, in qua ſacratiſſimum lignum vehebatur, ſubſtitit, nec ab equis aut bobus, ſtupentibus barbaris, moueri potuit. Ingens illic peſtis exorta maxima ſtrage tam homines quam pecora abſumebat. Quo malo *Lithuani* perterriti conſilio quoque *Polonorum*, quos captiuos ducebant, vſi, lignum Dominicum in locum ſuum cum magnis muneribus detulere; & illico omnis peſtifera vexatio ab eis non ſecus quàm quondam poſt interceptionem

SEC. VI. poſt C. N.

nem & reſtitutionem archæ à Philiſtinis conquieuit.

WAWEL, mons ſaxeus qui à *Wiſla* fluuio curſu præcipiti alluitur, in quo & Baſilica inſignis Martyris famoſiſſimi Beatiſſimi *Stanislai*, & prima ac præcipua arx Polonorum *Craconia*, atque Regia ſita eſt. Videntur etiam in diem hanc in monte ipſo plures ſpecus, aut cauernæ, ſeu antra latebroſa, in quibus draconem & belluam miræ magnitudinis habitaſſe, & incolas loci magnis incommodis affeciſſe, literis & fama vulgatum eſt.

CZESTOCHOWA, qui & clarus mons propter monaſterium in eo ſitum, & Eccleſiam Beatæ *Mariæ* Virginis illic ſuperædificatam meruit appellari, ad quam frequenti & annua deuotione fit concurſus, propter eiuſdem Beatæ *Mariæ* Virginis, quæ illic oſtenditur imaginem, quæ vel à Beato *Luca* Euangeliſta, vel ad inſtar ſaltem imaginum, quos pingebat, æſtimatur formata.

KONIVSZA, qui & *Equirea* in latino appellatur oppido nominato *Proſzowice*, mons imminens, Eccleſiam Parochialem ſuperædificatam habens ab euentu raro & mirabili nomen ſortitus eſt. Nam cum miles quidam *Polonus* genere nobilis de domo & familia *Srzeniauitarum*, *Przybyslaus* nomine, illum nonnullo tempore conſtructa illic æde, cum coniuge & liberis inhabitaret, in vna noctium equus raræ magnitudinis, quem miles ipſe ad fœcundandum equarum partus vni *Pannoniorum* Satrapæ triennio iam exacto vendiderat, ducens ſecum frequentem equarum à ſe ex *Pannonia* depulſarum gregem, quem noctibus tantummodo ne dies furtiuum deprehendiſſet ex *Pannoniis* diſceſſum, notatus eſt conduxiſſe, aduenit, & vngula pedis domum & portas Heri quondam ſui, ac blando hinnitu quatenus aperiretur pulſare cœpit. Cuius crebra in portam percuſſione & hinnitu ſibi multipliciter noto, miles *Polonus* excitatus, & à ſomno expergefactus, primum quidem verebatur hoſtiles inſidias. Poſtea verò cum per diligentem explorationem omnia pacata eſſe agnouit, nouo hoſpiti portas aperuit, & ſecum vna maximum equarum, & pullorum ſubiugalium, ex quo breui locupletatus eſt, gregem accepit. Qui muneris ſibi præſtiti gratum ſe ſuo autori Deo oſtendens Eccleſiam ex cocto latere monti impoſuit, dotemque præſtitit.

TYNIEC, mons fluuio *Wiſlæ* ſuſpendens arcem conficiens, & cœnobium religioſorum Fratrum Sancti *Benedicti* inter omnia monaſteria Regni *Poloniæ* primarium & inſigne.

GOLESCH, mons fluuio *Wiſloka* imminens, in quo arx eiuſdem monaſterii de qua immediate egimus, *Tynecenſis*.

LIWOCZ, mons longe ab oppido *Kolaczyce*, & eidem oppido imminens.

MRVKOW, mons petroſus & altus oppidum *Zmigrod* proſpectans, arcis vetuſtæ monſtrans, veſtigia.

CHECINY, mons arcem habens cum oppido ſui nominis, ab eodem ſibi impoſitum, *Lazuri*, & æris tam ex ſe, quam in circuitu ferax.

RABSTYN, mons ſaxeus arce inſignis & oppido *Ilkuſz* propinquus, habens in circuitu ſolum plumbi venis fœcundum.

PELCZYSKA, mons vno miliari à *Wiſlicenſi* diſtans oppido, Eccleſiam ſuperædificatam ex petra habens, & villæ Epiſcopali *Cracouienſi* ſui nominis imminens.

BABA, mons altiſſimus ſupra fluuium *Sola*, herbas multiferas germinans, & oppido *Zywiec* imminens.

DZIEWKA, mons, quem præfatus fluuius *Sola* alluit.

IAWORNIK, mons in *Oſwięcimenſi* terra, in quem ferax ſylueſtrium ferarum, hoc eſt ceruorum, & damarum fit concurſus.

SKRZECZNO, mons in *Oſwięcimenſi* terra, in quo alites omnium generum conſtat habere conuentum, à torrente *Koſiorowa* alluitur.

SADLNIK, mons *Oſwięcimenſis* excelſus, ex quo torrens *Koſiorowa* erumpit.

SVCHA, mons ſuper fluuium *Sola* non longe ab oppido *Zywiec*.

SOLA, mons ſal gignens, & ſalſos gurgites emittens, à quo *Polonico* idiomate vocabulum ſortitus eſt, *Sal* enim *Poloni* ſua lingua *Sol* appellant, in terra *Oſwięcimenſi* ſitus.

ZARNOWKA, mons in *Oſwięcimenſi* regione, qui torrenti ſubter ſe fluenti nomen dedit.

OSSOBITA, mons in *Oſwięcimenſi* terra torrentem ſui nominis *Oſſobita* generans.

WIELKA PVSZCZA, in terra præfata oppido *Kathy* imminens.

WOLEK, mons duos torrentes habens ſub ſe, & in vertice arcem fortem & munitam.

Montes Terræ Ruſſiæ.

KOBRYN, mons altus in terra *Ruſſiæ*, quem fluuius *Muchawiec* ambit, oppido ſui nominis *Kobryn* imminens.

CHELM, mons altus, à quo terra *Chelmenſis* denominationem accepit, cui arx ſupra poſita eſt.

KRZEMIENIEC, mons altus in terra *Podoliæ* habens arcem fortem in ſui vertice, totus ſaxeus, ſilices frequentes producens, a quibus monti nomen inditum eſt. *Poloni* enim & *Rutheni* ſilicem *Krzemien* appellant.

HALICZ, mons altus terræ *Halicienſis* argilloſus, qui à fluuio *Dnieſtr* alluitur, cui arx ſuper impoſita eſt, qui regioni & arci nomen dedit.

LISA GORA, mons altus ciuitati *Leopolienſi* imminens in terra *Ruſſiæ*, in quo arx magna, & Regia quæ alta conſueuit appellari, ſita eſt.

SEC. VI. poſt C. N.

POTHYLIC, mons altus terræ *Belzenſis*, qui à fluuio *Potylica* alluitur,& oppido ſui nominis imminet, in quo quondam arx notabilis A habebatur.

Mons terræ Siradienſis.

CHELM, mons terræ *Siradienſis* alius à priori, totus ſaxeus villæ ſui nominis ſuperiacens, non longè ab oppido *Przedborz* ſitus, tanta altitudine eminens, vt *Sandomiria, Olſztyn, Miechovv, Cz ſtochovva, Piotrkovv, Caluaria*, & plura oppida ex eo clara die ſpectantur. Eccleſiam habens à Comite de *Skrzyn* muratam,& ſeptē foſſis profundis videtur cinctus.

Montes maioris Poloniæ.

RZERZVCHOVVA, mons *maioris Poloniæ* non longè à fluuio *VVartha* & oppido, excelſum habens verticem vicinas proſpicientem ciuitates.

TVRZA, mons *maioris Poloniæ* non longè ab oppido *Gromadno* ſiluis & borris obſitus, B ſtatiuis quas illic *maioris Poloniæ* exercitus habuit aliquot hebdomadis expectans importationem coronarum, quas *Romanorum* & *Hungarorum Sigiſmundus* Rex pro *Vitoldo* Duce magno *Lithuaniæ*, & conſorte ſua *Iuliana* Regnum *Poloniæ* læſurus transmiſerat, inſignis.

ZYRKOVV, mons *maioris Poloniæ* altus, non longè ab oppido *Pyzdry* ſitus, quem fluuius *Lutnia* præterfluit, ex quo *Poſnania* & ceteræ ciuitates *maioris Poloniæ* claro die ſpectantur.

GIEC, mons magnus & latus ante *Gneſnam* & *Poſnaniam* ſitus, vbi quondam ducalis arx habebatur, hodie verò habetur Eccleſia. C

BIESZCZAD, mons propè caſtrum *Sobienſe* terras *Polonicales* à *Pannonicis* diſterminans. In illius enim vertice ſituatus eſt lapis *Ruthenicis* inſcriptus literis, & à *Leone* quondam duce *Ruſſiæ* locatus limites Regnorum *Poloniæ* & *Hungariæ* demonſtrans. Ex hoc monte, & ad eius verticem hi fluuii inſignes & memorabiles orti conſurgunt, videlicet *Dnieſtr, San, Styr*, & *Liſſa*, & in ſubiectas regiones, videlicet *Poloniam*, *Ruſſiam* & *Pannoniam*, diuerſo itinere ex ipſa montis ſummitate decurrentes franguntur.

NICKO, mons terræ *Plocenſis* propè *Sarnovv* & *Radzanovv* oppida conſiſtens, quem fluuius *VVkra* alluit, ſub tempore guerrarum D munitus à *Cruciferis*, ſed à *Mazouiæ* militibus expugnatus, omnium Cruciferorum deſiderato, aut capto præſidio.

Notandum quod montes *Pannoniæ inferioris*, qui ſunt circa *Danubium* vocantur *Sarmatici*, qui habent ortum a monte *Carpatho* in *Methaneſte*, quam vocamus *Valachiam*.

Lech

Aliquanto autem tempore *Lech Lechitarum* Parens, vir ſapientia, induſtria, fortuna, & vitæ integritate præſtans, cum illi natura eam omnia excellentia contuliſſet, facile illius ætatis, illiuſque gentis Princeps regionem nouam ſpeculans & girans, ſæpiuſque cum ſuis examinans & deliberans, quiſnam locus pro ſua habitatione, & pro fundanda Principatus ſui ſede eſſet aptior, campeſtres planicies fœcunditate ſoli & clementia auræ præferens, quas plures vicini lacus ſuapte nati ambiebant, ex quorum quaſi generali vtero perennes amnes prodeunt, piſcium ſalubritate, & abundantia fertiles reperiens, ſtatiua ſua illic ponit, & tam ipſius Principis *Lech* quam omnium natu maiorum, qui ſub eius conſiſtebant imperio, decreto locus ipſe deſignatur, & eligitur pro prima Regni ſede Metropoli & vrbe, eique *Lechiticum*, ſeu *Polonicum* nomen *Gnezno* ab euentu impoſitum eſt, quod in vulgari ſonat nidus. Ibi enim primum Princeps & Parens *Polonorum Lech*, ſtatiua figens peregrinari deſiit, & illic ſibi & ſuis omnibus natu maioribus nidificandum, & ſedem Ducalem figendum, ac manendum eſſe decreuit, ilicque in altis ac proceris arboribus aquilas nidificaſſe comperit. Ibi veteri ritu Diis patriis ſacrificio celebrato, quatenus Principi & ſuæ poſteritati Regnum ſtabiliant. Velint ſibi & genti ſuæ propitii, tam operum, quàm bellorum Duces, ac bonorum conſiliorum autores fore, pluribus iugulatis hoſtiis litauit. Cerealia etiam frumenta nouæ virginalique terræ, primum aratri dolabro violatæ inſerta ſunt, cum ante fuerint raſtro intacta, nec vllis ſaucia vomeribus. Condita autem noua vrbe, & principalioribus familiis populata, arce inſuper pro Principe ſuo, cuius imperium etiam loci præeminentia à cæteris ſecretum veneratione ampliore colatur, extructa, cætera omnis multitudo Principis ordinatione in colonias diſtributa, in varia loca vberiorem glebam & ſitum habentia deducta eſt. Propter terrarum enim diffuſionem cogebantur noui cultores late diffundi.

Metropolim Gnezno fundat,

& in ea ſedem ſuam Ducalem ponit,

Quo autem anno poſt confuſionem linguarum Princeps prædictus *Lech* ex *Slauonia Caruatiaque* exceſſerit, & quo anno, quoue tempore primum terras *Polonorum* populare cœperit, parum apud autores conſtat. Geſſiſſe tamen *Sarmatas* cum finitimis & nonnullis aliis longè poſitis nationibus, vt cum *Cæſaribus Romanis* videlicet *Valentiniano, Tiberio*, & cæteris bella legimus, & dum ſe *Sarmatæ* per Prouincias *Pannonias, Romanis* tunc ſubiectas diffudiſſent, easque vaſtarent, *Valentinianum* Imperatorem aduerſus eos bella parantem fluxu ſanguinis apud *Strigonium* extinctum eſſe, *Carolumque Magnum* cum *Polonis* bellaſſe, & Ducem eorum *Lech* ſuperaſſe, *Martinus Gallicus* vt in ſequentibus narrabimus autor eſt. Conſtat autem *Polonos* ab initio ſuæ originis idololatras extitiſſe, & pluralitatem Deorum & Dearum videlicet *Iouem, Martem, Venerem, Plutonem, Dianam*, & *Cererem*, cæterarum gentium & nationum errore lapſos crediſiſſe coluiſſeque.*

& quos Deos Poloni adhuc idololatræ illis temporibus coluerunt.

Appellabant autem *IOVEM Ieſſem* lingua ſua;

SEC. VI. poſt C.N.

ſua; à quo velut Deorum ſummo, omnia temporalia bona, & omnes tàm aduerſos, quàm felices ſucceſſus ſibi credebant præſtari. Cui etiam A ſupra cæteris Diis amplior impendebatur honos, frequentioribuſque colebatur ſacris.

MARTEM vocabant *Liadam*, quem præſulem & Deum belli, Poetarum figmenta pronunciant. Triumphos de hoſtibus, & animos feroces ab illo ſibi precabantur conferri, aſperrima illum placantes cultura.

VENEREM nuncupabant *Dzidzielia*, quam nuptiarum Deam exiſtimantes, prolis fœcunditatem, & filiorum atque filiarum ab ea ſibi depoſcebant numeroſitatem donari.

PLVTONEM cognominabant *Niia*, quem inferorum & animarum, dum corpora linquunt, ſeruatorem & cuſtodem opinabantur, poſtulant ſe adeò poſt mortem in meliores in- B ferni ſedes deduci. Quibus etiam delubrum primarium in *Gneſnenſi* ciuitate, ad quod ex omnibus locis fiebat congreſſus, fabricarunt.

DIANA quoque quæ ſuperſtitione gentili fœmina & virgo exiſtimabatur, à matronis & virginibus, ſerta ſimulacro ſuo ferebantur. *Ceres* à colonis, & agriculturam exercentibus frumentorum grana ſacris certatim ingerentibus colebatur. Habebatur & apud illos pro Deo *Temperies*, quem ſua lingua appellabant *Pogoda*, quaſi *bonæ auræ largitor*. Item *Deus vitæ*, quem vocabant *Zywie*. Et quia imperium *Lechitarum* in regione vaſtiſſima ſiluas & nemora continente fundari contigerat, C quibus *Diana* à veteribus inhabitare, & illorum habere imperium perſuaſum fuerat, fingebant nomen illorum lingua *Dziewanna*.

CERES autem mater & Dea frugum, quarum ſatis regio indigebat, *Marzanna* vocata, apud illos in præcipuo cultu & veneratione habita fuit. His autem Diis Deabuſque à *Polonis* delubra, ſimulachra, flamines, & ſacroſancta inſtituta, lucique in præcipuis ac frequentioribus locis venerationes & ſolennitates cum ſacrificiis inſtitutæ, ad quas mares & fœminæ cum paruulis conuenientes, Diis ſuis victimas & hoſtias, de pecoribus & pecudibus, armentiſque, nonnunquam de hominibus D in prælio captis offerebant. Qui confuſam ac popularem Deorum placandam multitudinem libaminibus credebant, in eorumque honorem ludi certis temporibus anni decreti & inſtaurati ſunt, ad quos peragendos multitudo vtriuſque ſexus ex vicis & coloniis in vrbes conuenire, pro diebus inſtitutis iuſſa, ludos huiuſmodi impudicis, laſciuiſque decantationibus & geſtibus nonnunquam plauſu, & delicata fractura, cæteriſque venereis cantibus, plauſibus, & actibus, Deos Deaſque præfatas receptis inuocando, obſeruationibus celebrabant. Horum ludorum ritum, & nonnullas eorum reliquias *Polonos* quamuis ab annis quingentis Chriſtianitatis cultum conſtat profeſſos, vſque in præſentia tempora annis ſingulis in Pentecoſtes diebus repetere, & veterum ſuperſtitionem gentilium annuali ludo qui idiomate eorum *STADO*, id eſt grex appellatur, quod greges hominum ad illum peragendum conueniant, & in cuneos ſeu greges diuiſi homines tumidi & ſeditioſi, in voluptates, ſegnitiem, & commeſſationes proni, peragunt, meminiſſe.

De Polonorum natura & moribus.

Polonorum Nobilitas gloriæ appetens, & in rapinas prona, periculorum & mortis contemptrix, promiſſi parum tenax, ſubditis & inferioribus grauis, lingua præceps, vltra facultatum modum expendere ſolita, Principi ſuo fida, agrorum ſationi, & armentorum nutrimento dedita, in aduenas & hoſpites humana, & benigna, & hoſpitalitatis vltra cæteras gentes amatrix.

Plebs ruſticana in ebrietatem, rixas, calumnias, cædes procliuis. Nec facilè aliam gentem reperies tot domeſticis homicidiis & cladibus contaminatam, nullius laboris aut oneris fugax, frigoris atque inediæ patiens, ſuperſtitionum & figmentorum ſequax, in rapinas prona, hoſtilitatis ſectatrix, & auida nouitatum, rapax & alieni appetens, in conſouendis ædibus parum operoſa, gazis vilibus contenta, audax, & temeraria; ingenio callida, & parum facilis, geſtu & habitu decora, viribus præcellens, ſtatura alta & procera, corpore valida, membris apta, colore albo & nigro permiſcua, ferox. Cœli aura, cruda, gelida ſidera, inclementes venti, longæ niues, diu rigantes. Aduenæ forenſes, & peregrini homines, etiamſi in illis ingenium ſpectetur aut vita, raro ad regendos, & non niſi procedente tempore, & ætatis ſucceſſione aſſumuntur ad Magiſtratus, & ſi quando id contigerit, raro tamen ſine inuidia. Vtinam *Poloni* virtuoſis *Hiſpanorum* vterentur ingeniis, qui nullum hominum genus, in quo virtus eluceſcit, faſtidiunt, conuerſiſque ex *Indæis* & *Saracenis* Pontificia, & celſiores Magiſtratus, mandant, hac quoque benignitate Rempubl. ſuam florentiorem rectioremque efficiunt. In hoc *Bohemis* diſſimiles, qui nefas ducunt, quoslibet Regni ſui Magiſtratus niſi in vna etiam per improbos, ignavos, continuare familia, polluendos, ſi in alteram transferantur: Prouidi aliquando in cæteris, in hac tamen re videntur mihi non parum deſipere, qui velut diuinitati vim ponunt, & donorum eius gratiam obſeruare aut vſurpare contendunt, illud genti ingenium, ea indoles, vt tenuem virtuti, tenuem doctrinæ honorem tribuant, ad illos faſces dignitatum & Magiſtratuum officia deferant, qui effuſiores omnibus opibus abundant, animum habentes contemptorem mortis, ad necemque aliorum proniorem.

Ciuitates & oppida Poloniæ celebriora.

Ciuitates & oppida apud *Polonos*, & ſub Regno *Poloniæ* conſiſtentia magis inſignia, magiſque memorabilia eſſe ea dignoſcuntur.

SEC. VI. poſt C.N.

CRACOVIA, per *Grachum* Principem *Polonorum* apud *Stennam* ad vada fluminis *Viſtulæ* condita, & à *Graco G* litera mutata in C *Cracovia* appellata eſt. Illic enim Regum & Principum *Poloniæ* ortus, crepundia, ibi regenerationis in *Chriſto* aguntur eorum primordia. Illic totius eorum Genealogiæ cineres, magnificis vrnis & ſumptibus reconduntur: illic oportunitate & gratia loci præeminens omnium *Polonorum* facile arx & metropolis, tàm Regis, quam Pontificis honorificata ſedes, in tres diuiſa vrbes. *Cracoviam* mediam vocant, cui arx in colle petroſo, & editiori, à veteribus *Wawel* nuncupato, imminet à *Viſtula* ablutus, ſaxo in pleriſque locis abſciſſo ſuperimpoſita, & in coronæ modum, muris, palatiis, turribus, cæteriſq; propugnaculis munita, & in ea regia ſita eſt ſedes, & S. *Stanislai* Martyris & Pontificis *Craconienſis* ſacri corporis gleba, & baſilica, petra quadrata fabricata, oſſibus & corporibus, reliquiiſque veneranda Sanctorum plurimorum, clauo inſuper Dominico, & Beati *Ioannis Baptiſtæ* mandibula, item corqore *S. Floriani* Martyris dotata. Altera ad meridionalem plagam vrbs *CASIMIRIA*, à *Caſimiro* ſecundo *Polonorum* Rege, ſuum illi imponente nomen, fundata, eiuſdemque B. Martyris *Stanislai* nobilitata martyrio, ædibus religioſorum quam ciuium feracior, infrequens enim extat ædificiis, templaque ſuperiorem aliquem tenent locum. Tertia ciuitas *FLORENTIA* à B. *Floriani*, in ea, priuſquam conderetur, ædificato templo, denominationem accepit, & ipſa ab eodem *Caſimiro* ſecundo *Polonorum* Rege fundata. *Cracouienſis* vrbs, etſi pluribus præemineat commoditatibus, ea tamen vel ſola inſignis, quod ad omnes regiones ſibi vicinas, videlicet *Pannoniam, Bohemiam, Morauiam, Ruſſiam, Podoliam, Lithuaniam*, proportionaliter porrecta, à quibus merces variarum accepit materiarum, & porrigit ſtudio generali, Item coronationibus, corporibus, incunabulis, & ſepulturis Regum: Item Eccleſiis Collegiatis quatuor ſit illuſtris, copiam petræ, lignorumque, & cuiuslibet alterius materiæ ad erigendos muros, ad excitandum neceſſaria opera, in propinquo habens. *Viſtulam* præterea amnem nauigabilem oportunum ad importandum, quæ vſui forent, ſubter mœnia *Cracouienſis* & *Caſimiriæ* urbis in medio fluentem. Magnarum inſuper gentium haud longè fines abſunt, quarum commercium in eam maxime urbem mutui vſus contraxere.

GNEZNA, *Polonorum* altera metropolis nomine magis quam re, & veteri potius ſplendore, quàm nouo lumine inſignis, & niſi Prouincialis Eccleſia eam diffunderet, ignorata à pleriſque foret. Omnium tamen *Polonicalium* vrbium mater, à nido denominata, à primoque Principe *Lechone* fundata, quoniam ibi primum cum familiis & cognationibus conſtitit, & tam Regiam, quàm vrbem erexit, Nidus ex euentu appellata, eo vel ſolo parum felix, quod cum plures vrbes *Polonicales* parturierit, ſe ipſam exinaniuit, lacubus ferax, & ſolo B. Martyris *Adalberti* corpore ex *Pruſſia* in maiorem Eccleſiam translato feliciſſima.

LEOPOLIS tertia etiam Poloniæ metropolis & ſedes, quæ dignitas ad illam ſub *Wladislao* tertio Rege *Poloniæ* translata eſt, ex *Halicenſi* vrbe, duabus arcibus, quæ illi ſupereminent, inſignita, & plurimarum mercium quæ per *mare Nigrum* inuectæ terreſtri itinere tranſmittuntur ad illam, ferax eſt. Amnis tamen nauigabilis, qui commoda vrbium augere ſolet, indiga.

POSNANIA, priſcorum *Poloniæ* Regum arx, ſedes, & regia, atque ſepultura. Pontificali honore prædita eſt, flumine *Wartha* irrigua, & religioſorum ædibus ampla.

WRATISLAVIA, à *Mieczſlaw Polonorum* Principe, ſub quo primum *Poloni* à Diis gentium ad Chriſtianitatis iura conuerſi ſunt, condita, Cathedræ honore, & corporibus Beatorum Martyrum, ac templis Sanctorum pulchro opere fabrefactis, fluuioque *Guttalo* illam alluente celebris.

WLADISLAVIA ad fluenta *Wislæ* ſita, a *Wladislao* Monarcha *Poloniæ* primi Regis *Poloniæ* filio, nomine ſuo illam vocitante condita, qui pro illius incremento ſedem Pontificalem *Cruſuicienſem* in eam tranſtulit, nulla alia re, niſi Cathedra Pontificali memorabilis, quæ niſi eam oſtenderet, à pluribus illam ignorare potiꝰ contingeret, quàm ſcire, cum in propatulo ſita ſit, nulla propugnacula, nulla mœnia retinens, & cuilibet hoſti ad diripiendum facile expoſita.

PLOCKO, ſede Epiſcopali & arce vrbi confrontata, amne quoque *Viſtula*, qui illic inflatus alueum ſuum late ſpargit, inſignis.

CHELM, quæ ad differentiam nouæ *Chelm*, ad fluenta *Viſlæ* ſitæ *Chelmza* vocatur, honore tantummodo Cathedræ Pontificalis nobilis.

KAMIEN, a lapide (plures enim dum condebatur locus ille, lapidum habebat congeries,) appellationem ſortita, lingua enim *Polonica* lapidem *Kamien* vocant, Pontificali excellentia nobilis.

LVBVSCH, veteri magis denominatione, quàm præſenti ſignificato celebris, quæ cum dignitate Pontificali tantummodo excelleret, communi verò habitatione rara & ſterilis foret Pontificalis ſedes in *Furſtenuald* oppidum magis cultum, magiſque tutum translata eſt, priſcum tamen retinens vocabulum non *Furſchenuald*, ſed *Lubucenſis* appellatur.

PRZEMISLIA, a *Przemislao* fundata, Epiſcopali dignitate, & arce, & templo in arce ex petra quadrata erecto magis, quàm alia re, fluuio inſuper *Shan* ſubter illam decurrente, inſignis.

KAMIENIEC, petram altam, ſpiſſam & abruptam in coronæ modum vndique habet pro

pro muris & mœniis, quam fluuius *Smotricz* non mediocris vndique cingit, & alluit, aliquantulum dum illam circumfluit ſtagnans. A Tam raro & inuſitato naturæ ſolius effigiata ſitu, vt conſpectus eius ſingulos in admirationem commoueat, præruptis vndique intercluſa rupibus, non vallo, nec foſſa, quemadmodum aliæ vrbes, ſed profundis vallata præcipitiis, quæ intuentem horrore quodam inuoluunt, aliarum rupium in circuitu, velut quodam vallo communita, ſeptoque naturali abſcondita, vt nemo prius vrbem illic cogitet eſſe, quam in ipſam fuerit ingreſſus. Vnus tantummodo ad illam acceſſus ex arce & à plaga meridionali, arduo tamen aſcenſu patet. Pontificali & ipſa eminentia, & arce vrbi ſuperimpendente inſignis, ſolum melle, cera, & pecore ferax. B

KIOVIA, ab vno *Polonorum* & gentilium Principum *Kig*, condita, & ab illius nominis proprietate vocabulum ſortita, maxima quondam & famoſa vrbs trecentis templis, quorum nonnulla ruinauit vetuſtas, honore inſuper Cathedrali, & amne nobili & feraci *Dnyepr* aliàs *Boryſthene* arce quoque in colle, ex quercinis roboribus conſtructa, propinquitate inſuper maris memorabilis, adeò piſcium ferax, vt vix ſimilis alia.

WILNA, honore Epiſcopali & arce editiori inſignis, duobus fluminibus *Wilna*, & *Vilia* illam à parte vtraque ambientibus fœcunda.

MEDNIKI, Pontificali honore & arce editiori inſignis, fluuioque *Medniki* ſecus illam C decurrente.

LVCKO multa ſalis fœcunditate nobilis, & vno fluuio pulcherrimo *Styr* vocato irrigua. Pontificatu & arce inſignis à *Wladimiro* Principe condita.

CHELM, tantummodo Pontificali honore & arce vulgata, adeò inculta & ignobilis, vt honor ille ſibi ademptus, & in *Rubieſzow* oppidû cultius & magis habitatum transferri debeat.

SOCAWA, honore Epiſcopali inſignita mercibus inſignita, quam fluuius eiuſdem nominis præterfluit. Et quidem hæ ſunt vrbes in *Poloniæ* Regno Pontificale habentes decus. Cæteræ quos ſubnectemus, minus vulgatæ ſunt, & Collegiatarum Eccleſiarum nomine D aliis præſtantiores.

SANDOMIRIA, regionis magnæ *Sendomirienſis* caput, quæ à fluuio *Wiſta* alluitur celebritate, indulgentiarumque 2. Iunii maximo illic hominum concurſu frequentatur memorabilis.

WISLICA, à *Viſlao* Comite, Heroe peruetuſto *Poloniæ*, nomen ſuum illi imponente, ſub gentilitate condita, & in meditullio amnis *Nidæ* ſita, paluſtribus locis vndequaque ſepta, in qua obſtrepentes, & rem diuinam turbantes ranas, fama fert ſacerdotem quendam loci pro ſua ſanctimonia ſilentium ranis iuſſiſſe, atque ex eo negantur tempore, ranæ illic coaxare.

KIELCZE, à *Gedeone* Epiſcopo erecta.

OPATOW, foro & mercium venalium importatione famata, famoſior ſi magis opulentum amnem, quàm ſit *Lukawa* eam præterfluens, ſortita fuiſſet.

SANDECZ, à *Venceslao Polonorum* & *Bohemorum* Rege, vtriuſque enim Regni tunc tenebat iura, in editiori loco ad confluentia duorum fluminum, *Dunaiec* & *Kamiona* fundata.

SCARBIMIRIA, ſolo fœcunda, & fluuio *Nidzica* irrigua.

TARNOW, per *Spicimirum Cracouienſem* Caſtellanum condita.

LANCITIA, palude protenſa, & vix permeabili, latus illius ſeptemtrionale cingente nobilis.

KALISZ, ciuitatum vetuſtiſſima, cuius nomen inter *Polonicales* ciuitates per *Ptolemæum* in ſua Coſmographia deſcriptum tantummodo poteſt dignoſci. *Proſna* flumine paluſtrem illi cauſante ſitum, alluitur.

WIELVN, à qua vniuerſa regio, quæ prius *Rudenſis* vocabatur, *Wielunenſis* vocitari cœpta eſt, Collegio *Rudenſi* & ciuibus in eam translatis per *Caſimirum* ſecundum Regem *Poloniæ* ad riuos pulcherrimos è terra planè ebullientes, condita.

KVRZELOW, arenoſum ſolum habens & ſterilem, habitatoribus quoque infrequens.

LOWICZ, à *Iaroslao Boguria Gneſnenſi* Archiepiſcopo ad flumen *Bzura* condita, habitatoribus copioſa.

GLVSZYNO, nulla alia re, quàm Canonicali Collegio memorabilis.

NISZA, propter fluuium *Niſza* penes illam decurrentem, huiuſmodi nomen ſortita eſt à *Boleslao* Victorioſo dicto *Krzywouſty*, *Polonorum* Duce & Monarcha condita.

OPOLE, duabus pulcherrimis arcibus optime inſignis.

BRZEG, oppidum, quod in littore fluminis *Odræ* conditum ſit, vulgari *Polonico Brzeg*, quod littus ſonat appellatum.

GLOGOVIA maior, flumine *Odra* iam illic vndis inflato, & duobus caſtris venuſta.

GLOGOVIA minor, arce tantummodo & fluuio *Oſſobogla* clara.

LEGNICA, arce, templo, & mœniis nobilis.

RATIBOR, arce ornata & flumine *Odra* irrigata.

ODMVCHOW, arcem quidem habens ſuperimpendentem ſed fluminis indiga.

KRVSWICA, vetus quondam regia lacu ampliſſimo *Gopło* circumcincta, & ſeminibus frugifera.

POLTOWSK, Eccleſia collegiata, & Clero in ea reſidente celebris, & pulcherrima arce ſupereminente, piſce, frumento, & cæterarum rerum venalium importatione opulenta, illic vini rariſſimus vſus, nec vini cultura cognita. Habet tamen quendam potum coctum *Polonica*

SEC. VI. poſt C. N.

ca regio ex tritico, humulo & aqua, qui vulgari *Polonico Piwo*, id eſt cereuiſia appellatur, quanquam nihil melius ad ipſum corpus alendum, inhabitatores delicatos reddit, aduenas ſui ſaporis mira delectatione vltra cæteras regiones retinet, amne *Narew* irrigua.

Habet præterea Regnum *Poloniæ* nonnulla oppida, eſto quod neque Pontificali, neque Collegiatarum Eccleſiarum honore, fulgeant, inſignia. Et in primis

GDANSK, nedum apud *Polonos*, verùm apud cæteras gentes memorabile etſi non magnum oppidum, ſed frequenti emporio celebre, quod multarum rerum merces, in illud flumine *Wiſla*, quæ illic oſtio vno ex tribus miſcetur, æquori *Oceano Sarmatico*, magnarum gentium fines contingens. Quarum commercia illic, terra, vndis, & pelago frequenti, & mutuo vſu ex variis regionibus trahuntur.

TORVN, pulcherrimis ædificiis & tectis ex coctolatere irradiantibus, adeo memorabile, vt vix aliud ſibi pulchritudine ſitu & reſplendentia exæquari poſſit, & ſupra ripam, *Wiſtulæ* ponte ligneo magna arte & impenſa superædificato poſitum.

ELBING, ex vicinitate maris plurimas ſortita commoditates, muris & turribus, ſatis inſignis, verum Fide ſub tempore guerrarum in *Caſimirum* tertium Regem Poloniæ, quam demonſtrauit, Insignis. Referuntur inſuper, & in Coſmographia *Ptolemæi* deſcribuntur, & aliarum *Polonicalium* vrbium ſedes & nomina, videlicet *Caliſſia, Sedibaba, Lutidanum, Budoricum, Laucariſtus, Sturgum, Limoſaleum, Aſcanalis, Rugium, Viritium*, & *Arſonium*; in quibus neque loca, neque nomina, præter ſolum *Caliſch* potuimus recognoſcere. Non ſolùm autem ſub Imperio & Principatu primi *Polonorum* Principis, & conditoris *Lech*, qui generis & ſeminis *Polonici* Princeps eſſe promeruit, ſed & ſub filiorum ſuorum & nepotum, quorum quilibet in Principatum ſuccedens, auito & paterno nomine *Lech* appellabatur, gubernatione & regimine *Polonorum* Prouincia per diuturna tempora, longaſque ætates & ſucceſſiones ſecura potiebatur pace & tranquillitate. Bella raro repellens, quippe quæ *Alpibus* aut freto ſepta, aliarum nationum, quas a continente habebat, confrontatas, audiebat magis quàm ſentiebat bella. Habet longo terrarum mediante tractu villagia & vicinia, ſed neque æquore aut terra, externarum regionum more, gens *Polonica* frequentabat fora, aut transmarinarum, peregrinarumque gentium mercibus, aut connubiis ſe miſcebat, ſed ſimplici alimento, quod natiuum producebat ſolum, & hirſuto humilique veſtitu, domeſtica elaborato arte, contenta, omnium mollium & delicatorum expers, ſitim vndis, eſuriem frumento, carne, piſce, lacte, melle & olere ſedabat. Nullas habens tunc opes, quibus vicinas & finitimas ſibi gentes, vel adduceret, vel ad ſui incolatum & frequentationem alliceret. Legum autem humanarum rudis & ignara, Principum arbitrium pro legibus obſeruabat. Et quidquid à Principe ſancitum, mandatum, vel decretum eſſet, prono deuotoque animo exequebantur, cum contumaces & rebelles ſeuera animaduerſione, nullo pœnitendi dato ſpatio plecterentur, propter quod imperium Principis pro legum norma habebatur, nihil temerè, nihil tumultuosè agi licebat, ad Regum arbitria digna atque indigna, & quoque extrema poſita. Pendebant autem ſinguli pro Principe, ſtatutis vicibus & diebus, labores, obſequia, deinde tributa, ac pro menſa & curia ſua, frumentum, carnes domeſticas, & ſilueſtres, piſces, mel, & aliorum victualium neceſſaria iuxta Ducis arbitrium, ſilueſtriumq; animalium, mardurum, caſtorum, ermeliorum, & vulpium, quibus *Polonorum* regio pro ea tempeſtate ferax fuit, pelles ſub certo numero pro tributo conferebant, huiuſmodique laboribus, datiis, & rebus annua tributa reddebant, auri, argenti, æris, cæterorumque metallorum nullus apud eos vſus præter ferrum, quod vel haſtis, vel aratro cæteriſque inſtrumentis competebat. Culmo tegentes tuguria, & nudo ſolo accumbentes, pecore & frumento diuites, litium diſcordiarum & iudiciorum ignari, omnium ſuperfluorum apparatuum noſcitabantur oſores, propter quod nemo ad eos peregrinus aduentauit hoſpes, nemo pannos, nemo aromata, nemo vina, cæteraque huiuſmodi oblectamenta ad luxum pertinentia, quibus maximè humanus & ferox animus remittitur, aduehebat, ſcientes hæc apud gentem parco & groſſo victu aſſuetam in contemptu magis, quàm in pretio haberi; tunc enim *Polonia* nihil laſciuum, nihil luxurioſum habere nouerat. Mutua autem fora non niſi cogente neceſſitate obibant, non quidem proprie aut forenſia numiſmata, nullum enim tunc extabat, & ſi quid importabatur, refutabatur, ſed vitæ rerum neceſſariarum cambio, commercio & permutatione vtebantur, quibus magis quàm pecuniis res per illos aut dabantur, aut parabantur. Nullus itaque tunc hoſtis, nullus liuor, nulla cum exteris gentibus bella, nulla fœderum ruptura, nulla ciuium violatio, omnia pacata & tranquilla, omnia beata, & tuta adeò, vt ætas illa ſub Principe *Lech* filiiſque ſuis & nepotibus traducta, aurea potius quàm *Lechitica* poſſit vocitari, in qua etiam tenues tranſgreſſiones & minutæ caſtigabantur, ne ad grauiores ex facilitate fieret tranſitio, in ipſiſque initiis comprimebantur delicta, ne fœda imitatio cæteros inuolueret. Erant autem tunc *Poloniæ* Reges & Principes magis quàm leges terribiles.

Duabus rebus *Polonorum* regio prodigioſa & miranda eſt, quas *Solinum* cætera orbis mirabilia ſcrupuloſius inueſtigata deſcribentem admiror tacuiſſe, & quæ aut immerito pro ſui veritate vt naturæ præpotentis opera nihilo aliis inferiora, iis quæ à *Solino* enumeran-

SEC. VI. poſt C.N.

rantur, poſſunt adiungi. Vna quod in campis villæ *Nochovv* propè oppidum *Srzem* in *Poſnanienſi* diœceſi ſitæ, item in villa *Kozielsko* in diſtrictu *Paluki*, propè oppidum *Lekno* vniuerſi generis ſponte, & ſola arte naturæ abſque omni humano adminiculo variarum formarum & iis ſimiles, quas humanus conuictus habet in vſu, ſub terra naſcuntur ollæ, teneræ quidem & molles dùm conſiſtunt in natiuo nido ſub gleba, ſed dùm fuerint extractæ & vento, aut ſole duratæ, ſatis firmæ; diuerſis formis & quantitatibus compoſitæ, non ſecus quàm artificio figuli effigiatæ, & quarum, quod admirabilius reor, generatio, augmentatioque naturalis nunquam nota eſt, gleba etiam non dehiſcente decreuiſſe. Altera quod in ſiluis, campis, & borris oppidi *Potilicz*, in terra & regione *Belzenſi* & *Chelmenſi* diœceſi, pinearum arborum ea eſt natura & conditio, vt ſi earum aliqua pars, vtpote ramus, præciſa, vel decerpta fuerit, aut vniuerſa arbor ſucciſa, quod lignum ſub anima vegetatiua fuerat, in naturam Silicis poſt annos aliquot conuertitur & transformatur, & iuxta ac naturalis ſilex, ignem excuſſus producit, quantitatem & proportionem, in qua præciſum eſt, retinens, ſaxi verò & ſilicis qualitatem & naturam.

Ollæ naſcuntur ſub terra.

Arbores pineæ mutantur in ſilices.

Vigente quam narrauimus inter *Polonos* parſimonia & modeſtia, & tranquillitate, adeò res eorum creuerunt in vniuerſum, vt & has oras, quas colendas acceperant, habitabiles, cultaſque efficerent, & nonnullas inſulas maritimas contingerent: germina coloniarũ ſuarũ vſque ad *Almaniam*, quæ nunc *Myſzna* dicitur diffundendo, propter quod plerique ex illis, qui deſertas & ſingulares regiones ſubiiſſent, varia cognomina ſunt ſortiti, videlicet *Drzevvianie* à multitudine ſiluarum, in quibus primum ſedes ſuas poſuerunt notabiles ciuitates, videlicet *Bukovviec*, quæ nunc *Lubek*, *Ham*, quæ *Hamborg*, *Breme*, *Slesnik*, *Czeſznina*. Item *KASZVBIANIE* à plicatione rugarum in veſtimentis, quibus primum veſtiri conſueuerant. Huba enim in *Polonico* ſeu *Slauonico* dicitur *Ruga*. *Kaſz* autem dicitur plica in modo Imperatiuo. Item *Travvnianie* ab abundantia graminum appellati. locus enim quem inſederant graminibus vberrimis erat refertus. Item *POMORZANIE*, eo quod maris ſeptemtrionalis oram maritimam incolebant, à quibus terra *Pomerania* eſt denominata. Item *SERBIANIE*, à præfecto ſuo *Serb* extiterunt cognominati, Quamuis autem variis his & aliis à ſitu locorum, vel nominibus præfectorum appellentur, unum tamen *Lechiticum* ſeu *Polonicum* ſinguli ſonant linguagium, licet *Teutonicis* & *Saxonibus*, qui eorum terras occuparunt, mixti quædam verba confuſione idiomatum proferant, nunc ineptè & corruptè. Cæteri verò *Poloni*, qui ad reliquos oras populandas ſe conuerterant vniuerſali nomine non mutato, *Poloni* appellantur, licet inter eos ſit quædam per regiones, quas incolunt, quæ à capitibus urbium, quæ in illis ſucceſſione temporum conſurgebant, denominationem acceperunt, diſcretio, omnes tamen tam propinqui, quàm remotè poſiti tributa conſtituta Principi *Lech* filiis ſuis & nepotibus, poſt illum nulla interpoſita renitentia & contradictione perſoluebant, ſingularibus etiam largitionibus & donis, ex bonis terræ, illos honorando. Inter autem filios & nepotes primi Principis & conditoris *Polonorum Lech*, ex illo rebus humanis abſumpto, nulla contingebat diuiſione & diſſenſione interponi. Primus enim dum viueret, & communi omnium deliberatione maior natu in ſolium & principatum decedentis ſuccedebat. Quæ quidem conſtitutio ſolitam caſtamque habuit obſeruationem executionémque, donec vniuerſa Principis *Lech* per lineam rectam deſcendens conſumeretur progenies, in longas ſucceſſiones, ætates, & tempora deriuata; ſub quibus omnia memorabilia geſta & bella à *Lechone* & ſuis nepotibus illata, atque repulſa, & res geſtæ quantumuis illuſtres memorabiles & magnificæ, caſuſque eorum & ſucceſſus quibuſque & quotannis apud *Lechitas* ſeu *Polonos* geſſere imperia, quibus quoque fulsêre virtutibus, & moribus, aut quibus vitiis abundarunt, & quæ in proprios & exteros ediderint facinora, temporis diuturnitate, & literarum penuria; nullis tùm apud *Polonos* extantibus ſcriptoribus & literis, in perpetuam obliuionem venere, ita vt illorum nomen obſcurum prorſus ſit & obſoletum, Principibus *Polonorum* illius æui, illiuſque temporis munus id non tenentibus in proſpectu, nec quidquam penſi habentibus, vt eorum origo bella & opera in poſteriorem forent traducta nationem. Quæ rerum maligna negligentia etiam in eam diem apud *Polonos* manet, cum nulli *Polonorum* Principes tranſacti, Reges autem Heroes ſoleant rerum geſtarum & temporum ſuorum negotium alicui ſcriptorum mandare; ad quod *Hebræorum*, *Medorum*, *Perſarum*, *Græcorum*, *Romanorum*, *Gallorum*, *Germanorum*, *Hiſpanorum*, cæterarumque gentium Reges, Duces & Cæſares nomen ſuum tranſmiſſuri, ad poſteros præcipuam & ſcrupuloſam curam leguntur impendiſſe, ſcriptoreſque rerum ſuarum, & præcones altis & exquiſitis extuliſſe & celebraſſe honoribus. Non fortuna autem & ignobilis, ſed plurimum vtilis & neceſſaria humano generi annales conſcribendi fuit, eſtque ratio, vt videlicet ſequens ætas, ſequenſque ſucceſſio, laudatos mores, actus & virtutes, quas imitetur, bonorum Principum & heroum, pro ſpeculo habeat, & ſe illis conformare contendat, deprauatoſque Deo, & hominibus odioſos ſciens, pro illis ſugillationem, & execrationem ad ſe etiam poſt fata pertinentu-

Polonorum varia à ſitu & loco cognomina.

SEC. VI. poſt C.N.

SEC. VII. poſt C.N.

uenturam, deuitet. Nulla ſiquidem aut bellica aut domeſtica virtus adeò excellens & inſignis fuit, vt eius memoria foret diuturna, niſi poſteris ſcripturarum monimentis traderetur memoriæ. Sed & opus quodlibet ſiue heroicum ſiue virtuoſum infirmum cenſeretur atque mancum, quod non fuerit illuſtratum à ſcriptoribus, qui ſoli certam illi ſedem conſtituunt, & res domi aut bello geſtas efficiunt celebriores.

Quomodo Poloni

Stirpe *Lech* primi Parentis & Principis *Polonorum* radicitus ſublata, primis *Polonorum* Proceribus, & nobilitate apud *Gneſnam* de Principe ſurrogando deliberantibus, id omnibus pro ea tempeſtate optimum viſum eſt, vt Principatus iugo ſoluti, omnibus viribus libertatem ſectarentur, & ad ſubeundum nouum iugum, cum antiquæ recordationis grauitate tenerentur, nulla ratione aſſentirent. Monarchiæ itaque ſtatum abrogant, in quo pro libidine impunè agere omnia Reges & Tyrannos licenter viderant, ad illam ex opulentia deuenientes inſolentiam, & per liuorem, & vitiationem naturæ, vt ſuperbè populares ſuos faſtidirent, optimis inſenſi, deterrimis amici eſſent, & quaslibet criminationes facile admitterent, iura patriæ labefactarent, terminos eius occupari ſua negligentia permitterent, fœminis vim inferrent, indemnatos pleroſque, aut facultatibus, aut vita exuerent, conceſſa *Venere* non contenti, illicita ſe fœdarent: atque adeò omnibus in rebus voluntate pro ratione vterentur. Vniuerſis autem hanc ſententiam prona approbatione ſequutis, ne Reſpublica in longas terrarum propagines deriuata, ſine rectoribus remaneret, leges patrias, & quas rudi illi, & agreſti ſeculo ſufficere arbitrabantur, inprimis condunt. Deinde duodecem viros ex proceribus innocentis vitæ, & recentioris ſpiritus, nobilitate & diuitiis præſtantes eligunt, illiſque ſummam adminiſtrandæ Reipublicæ & omnium quæſtionum, iniuriarum, differentiarumque deciſionem, punitionemque committunt; quorum imperium aliorum ſurrogatione, ſi fortè neceſſitas vel vtilitas poſtulaſſet, producebatur; qui etſi integritate quàm potuerunt ampliore Regno commiſſo intendiſſent, puritatis tamen & libertatis vſus inſolitus faſtidioſum & contemptibile tandem eorum Imperium reddidit, veteris enim diſciplinæ & rigoris *Poloni* obliti ex conceſſa libertate inſoleſcebant, Imperiumque duodecim rectorum, ſi quando vſu aut neceſſitate cogente aliqua imperauiſſent, detrectabant, eorumque ſententias & decreta improbabant. Scientes contumaces & rebelles aliqua animaduerſione non poſſe percelli, ipſi quoque duodecim præfecti a vulgo ingeminatione querelarum inſimulabantur, quod Republica poſthabita priuatis tantummodo commodis & vtilitatibus cum legum promulgatarum præuaricatione inhiarent. Ex quo crebræ inter præfectos & communitatem contentiones, & odia exorta benè fundatam Rempublicam peſſundare cœperunt. Ea enim natura multitudinis perhibetur eſſe, quæ & freti. Si enim aliquanto fluctus ſuos impellentibus flatibus extulerit, non facile ad priorem poteſt reduci tranquillitatem. Sanctum quippe nacti, Regibus & Principibus diuinitate propitia extinctis, *Poloni* conſilium, imperium ſuum libertate & legibus ſtabiliendum cenſebant, optimum factu rati, ſatius parere legibus quam regibus, fuiſſetque eorum Reſpublica felicibus incrementis proſperata, ſi partam libertatem pati & tueri potuiſſent. Paucis ſiquidem exceptis cæteri inſolentes, arrogantes & rixoſi facti, ſiue id natura gentis, ſiue moles dilatati imperii cauſabat, impunita transgreſſione, & ſuapte illecti, ad quæque illicita & noxia dilabebantur. Iam domeſticis & ciuilibus non contenti facinoribus etiam in vicinas gentes & regiones ſuas factiones diffundebant. Hinc quoque effectum vt vicinæ gentes ab illis violatæ, variis duriſque bellis eos affligerent, & in regionibus *Polonorum* nullo, hoſtile bellum repellente, graſſando illos pro libito vaſtarent. Quapropter dulce libertatis nomen, ad ſalubrem Imperii ſtatum deſtinatum, abutentibus illo *Polonis*, grandem Reipublicæ attulit pernitiem & iacturam. Imbecilliores deinde a potentioribus oppreſſi ſerum & tardum ex duodecim Rectoribus præſidium aſſequebantur. Tendendo enim quiſque Rectorum ad ſuas ambitiones & conſilia, dedere documenta in adminiſtranda Republica multorum Imperium non poſſe fieri vtile neque diuturnum, & pleriſque virtuti incumbentibus in publico, vehementiora priuatim odia ſuſcitari conſueuerant, vt vnoquoque partes primas ſibi vendicante, & tàm in dicenda ſententia, quàm in cæteris id genus publicis rebus excellere conante, ad ingentia odia, nec non ſeditiones & cædes ventum eſt, ob quas ad Monarchiam coacti ſunt recedere.

ſub duodecim præfectis ſine Rege

non diu

& peſſime ſteterunt

ſub ſpecie libertatis.

RVTHENORVM ſub idem tempus Principatus *Polonis* ciuili bello ſeſe collidentibus, & incrementum & ortum habuit, quorum regio apud oram, quæ hactenus *Podolia* nuncupatur, adeò agro perhibetur ferax, vt cum ſemel ſatæ fruges fuerint, recidentibus ſubinde ſeminibus, ſegetem nouantibus alteræ meſſes ſine ſatione proueniant. Erant apud illos tres viri, eodem patre & vtero geniti *Kig*, *Sczyg*, *Korew*, & quarta ſoror; liberi tàm ingenio quam virtutibus præſtantes, vt qui facile, Principatum in gente conſecuti, cæteros redegerunt in ſuas ditiones, à quibus cæteræ nationes ſecundum tribus & domos ſuas deriuatæ ſunt. Hi tribus caſtris in Ruſſia erectis, ſua illis indiderunt nomina. Nam *Kig* caſtrum ſuper fluuium *Niepr* à ſe conſtructum vocauit *Kiow*, *Sczyk*, *Sczykawica*, & *Korew Korewica*, & gentilium & ipſi errorem conſequuti, ſtagna, lacus,

Quomodo res Ruthenorum creverunt,

& a quibus principaliores ciuitates & caſtella ædificata ſunt.

SEC. VIII. poſt C. N.

lacus, fontes, aquas, pro Diis colebant. Erant & alii *Ruthenorum* Duces, vnus videlicet *Radzyn* in flumine *San*, & alter *VViathko*, in flu- A minum *Olha* conſidentes, quod de nominibus ſuis regionibus & populis vocabula indiderunt, à *Radzyn* enim *Radzymierzanie*, à *Wiathko Wiatyczanie* vocati ſunt, qui ad fluuium *Bug* conſederunt. *Dulebianie* à Duce eorum *Duleba* vocabantur, qui nunc *Luczanie* appellati ſunt. Habebant autem nationes *Ruthenorum* ex *Polonis* deſcendentes in ducendis vxoribus, & contrahendis matrimoniis inter ſorores germanas, & propinquas diſcretionem, abſtinendo a concubitu earum, propter quam honeſtatem ſortiebantur vitam longam. *Dulebianie* verò & hi qui proceſſerant ex *Radzyn* & *Wiathko* habitabant more ferarum in ſiluis, committentes omnem immunditiam, pudo- B reque ſoluto, & alienis & cognatis vxoribus rapientes miſcebantur. Abrumptis deinde *Kig*, *Sczyg* & *Korew*, filii eorum & nepotes linea directa ſuccedentes, dominabantur apud *Ruthenos* annis multis. Donec ſucceſſio huiuſmodi ad duos fratres germanos videlicet *Oskald* & *Dir* peruenit, quibus apud *Kiouiam* manentibus, nonnullæ *Ruthenorum* nationes quæ ex ingenti multiplicatione nouas ſedes ſibi quæſierant, eorum Principatum pertæſæ à *Varabis* tres duces acceperunt: quoniam ex propriis neminem eligi propter paritatem placebat. Primus autem dictus eſt *Rurek*, qui in *Nouogrod*, ſecundus *Scyniew*, qui in *Biale iezioro*, tertius *Trubor*, qui in *Zborsk* ſedes ſuas C poſuerunt. His & cuilibet eorum à *Ruthenis*, & populis ſuæ ditioni ſubiectis, de quolibet capite humano pro tributo vnus aſpergellus albus reddebatur. Duobus autem Ducibus proceſſu temporis, videlicet, *Sciniew* & *Trubor* nulla prole relicta mortuis, *Rurek* in eorum Principatum ſuccedens & moriens filium nomine *Ihor* reliquit, qui adoleſcentiam pertingens, *Oskaldum* & *Dir Kiouienſium* Principes nihil hoſtilitatis ab eo ſuſpicatos in dolo occidit, & Principatus & terras eorum occupavit. Sed neque Duci *Ihor Oskaldi* & *Dir* Ducum *Kiouienſium* diu impunita fuit occiſio. Dum enim populos qui *Drzewlanie* vocabantur, *Ruthenici* generis Ducem pro- D prium *Miskinam* habentes, ad tributum fretus potentia cogeret, & prima ſolutione, de qua inter eos conuenerant, non contentus, ſecundam eodem anno exigeret, a *Drzewlanis* iniuriam non ferentibus nefariè occiſus interiit. Qui miſſis ad ſuam relictam *Olbam* nuntiis, quatenus Ducem eorum *Miskinam* virum acciperet, & Principatus vniret, ſummopere ſuadebant, illa muliebri dolo vſa, primis & alteris nuntiis benigne acceptis & retentis, *Drzewlanos* cum Duce eorum *Miskina* ad ſe venire, quaſi coniugium conſociatura iubet, quibus iuſſa implentibus legatis eorum quos domi retinebat, per varios cruciatus clandeſtinè primum enecatis in occurſum *Drzewlanis* procedit, & ad inſidias locaque iniqua, in quibus fortem exercitum collocat, ferè omnem eorum exercitum ad quinque millia virorum extendentem ſe, occiſo marito ſuo *Ihor* parentando, deleuit. Suſceperat autem Dux *Ihor* ex *Olba* conſorte ſua filium vnicum nomine *Suantoslaum*, qui annos viriles attingens vir bellicoſus & in armis ſtrenuus eſſe cœperat. Patris autem ſui *Ihor* occiſionem vlturus, primam expeditionem in *Drzewlanos* egit, & graui cæde domitos ſub iugum mittit, tributumque imponit. Transfretans autem mater ſua *Olba Conſtantinopolim*, apud *Græcos* a Patriarcha *Conſtantinopolitano* in fide Chriſtiana edocta, ſuperſtitione gentilium relicta, baptiſma accepit, barbaroque nomine mutato, pro *Olba Helena* appellatur. Benedixit autem illi Patriarcha *Conſtantinopolitanus* dicens: Benedicta tu inter mulieres *Ruthenorum*, & nomen tuum in omnes generationes ſit glorioſum, & benedictum; Quæ a *Conſtantinopoli* in *Ruſſiam* reuerſa, *Suantoslao filio* ſuo fidem *Chriſti* ſuſcipere, depoſito gentili errore, perſuaſit, ſed ille monita materna contemnens & irridens non acquieuit, neque ſpurcos gentiles ritus depoſuit.

Poloni ſentientes Rempubl. libertate collabi,

Progredientibus in hunc modum *Polonorum* rebus, & ciuili diſcordia colliſioneque & externa hoſtilitate per tempora plura debilitatis & afflictis rurſus omnis nobilitas vulgusque deſiderare vnum Principem Monarchamque cœpit. Quamuis enim libertas experta dulceſceret, ſpecioſaque & iucunda ac omnibus præferenda eſſet, ad retinendum tamen ſtatum Reipublicæ ſub pluribus rectoribus dilapſum, ne ſeruitutem ex hoſtibus experiri cogantur, libertatem abdicant, & ad regendos frequentes populos, lataſq; terras ex re viſum eſt vnũ Principem ac Rectorem aſſumere, illique parere, qui æquo iure potentes iuxta atque tenues retineat. Hinc vero exorta quæſtio, quis tantam molem ſubire, & gentem poſt libertatem, plurimum rebellionis, & duritiei habentem, regere aptior eſſet, rem ad magnam vſque factionem perduxit, ſcrutinio tandem diligenti habito ad virum quendam ad fluenta *Wiſlæ*, & regione ad montes *Pannoniæ* porrecta habitantem animoſum, ſtrenuum, induſtrium & ſolertem nomine *Grack* ſiue *Grachum*, quod & ſpecimine ingenii cæteris præſtare, & cuius probitatem pluribus iam experimentis didicerant clareſcere, vniuerſi ſua vota concordi deliberatione conuertunt, ac ipſum approbatione, & decreto cunctorum in Principem deligunt, & ſibi totius Regni gubernacula, & ſummam rerum demandant: ille diu cunctatus inicientium ſibi faſces, & purpuram manibus repugnabat, apud ſe quoque tacitus maxima perplexitate ſatiſne inſanirent, quod quaſi delirum maieſtatis ſimulacro delinirent; deliberabat, tandem ambiguitate diſcuſſa importunitate petentium

Elegerunt in Regem Grachum, cuius laudes recenſentur,

tium non valens reſiſtere, Polonorum ſuſcepit Principatum, reſque extunc publicas *Polonicas*, ea modeſtia & prouidentia adminiſtrare cœpit, A vt non aliter quàm parens à *Polonis* coleretur, neque enim priſcorum Principum more tyrannidem & ſuperbiam in *Polonos* exercuit, ſed pro ſubditorum vtilitate & quiete ſingula adminiſtrans, rudem & ferocem populum magis beneuolentia quam imperio in fide continuit, nobilitati atque plebi æque gratus. Hunc *Grachum* exiſtimant nonnulli *Romanum* de ſtirpe & familia *Grachorum* genus duxiſſe, & ciuili ſeditione duobus *Grachis Tiberio* videlicet & *Gaio* tribunitiam poteſtatem immoderatè pro lege agraria exercentibus, mota, anno ab vrbe condita ſexingenteſimo ſecundo factione Principum occiſis, *Roma* relicta ad *Polonos* quæſitum ocia & latebras diuertiſſe; & ſummam rerum apud *Polonos* ſortitum eſſe. B Conſiderans autem *Grachus* plurima bella in id tempus, quaſi quadam conſpiratione contra *Poloniam* ebulliſſe, ad reſiſtendum quoque ſingulis vires deeſſe, quædam pactis intercepit, quædam compoſitione extinxit, reliqua aggreſſus tanta felicitate, & ingenio geſſit, vt ex quolibet certamine glorioſus victor rediret. Qua ex re, & militum tepidi ex ſuperioribus congreſſibus infeliciter geſtis, animi firmati ſunt: & apud hoſtes fama eius dietim crebreſcens, & contemptum ademit, & pauorem incuſſit. Cum itaque *Galli* cæteris Prouinciis peragratis etiam *Pannoniam* contigiſſent, & eam variis guerrarum turbinibus vexaſſent, in *Poloniam* ingreſſuris, *Grachus Polonorum* Princeps occurrit, & pugna commiſſa inſignem & memorabilem victoriam de *Gallis* cum robore veteranorum, & exercitatorum militum, tùm aſtu & arte militantium reportauit. Qui etſi ſuis charus eſſet, hoc tamen triumpho de *Gallis* relato, charior, honoratiorque eſſe cœpit, maiorique deuotione & promptitudine erat ſibi ex tunc a *Polonis* obtemperatum. Huius tanta fuit fama clara, & nobilitas, vt *Bohemia* tota ſibi deditionem fecerit, & eius omni vitæ tempore ſub ſuo degebat regimine & Principatu. Habet tamen nonnullorum exiſtimatio & aſſertio, *Grachum* Principem ante incarnationem *Chriſti* annis circiter quadringentis regnare apud Polonorum gentem cœpiſſe, & tam induſtria quam viribus celebre nomen ſibi feciſſe.

& victoria de Gallis relata,

& Bohemorum deditio eidem facta.

Hoſtibus in circuitu *Grachus Polonorum* Princeps bello & pactis ſubmotis, ſatis proſpera felicitate vſus ad promouendas ciuiles res, externis quietatis, diligentiæ ſuæ ſtudia conuertit. Inprimis itaque in edito colle, qui ab incolis *Wauel* appellabatur, & quem *Wiſla* vndis ſuis alluebat, latam & ſparſam planiciem in ſummitate habente arcem regiam conſtruit; Deinde pro eius firmiore ſubſiſtentia, amplitudine & decore, vrbem haud procul ab arce ab eodem flumine *Wiſla* ſundat irrigatam, eique à ſuo nomine nuncupationem adoptans *Grachouiam* vocat. In huiuſmodi quoque arce & vrbe, thronum ſui regni collocat, illicque iura *Polonis* & *Bohemis* reddit, ac illam metropolim ac primariam ſui Principatus deſignat decernitque ſedem, raro & naturali ſitu ſpem ſibi de magnitudine futuræ vrbis non ambiguam promittendo, nec eum opinio fefellit. Velocibus enim incrementis *Gracho* & bona vigente valetudine vrbs *Cracouienſis* multipliciter conſurgere cœpit, & in eum ſtatum ac fortunas attolli, vt a vicinis regionibus ac vrbibus eius ſorti & conditioni inuideretur. Vehementiori autem æmulatione & liuore *Gneſnenſis* ciuitas ei infeſta eſſe cœpit, quod faſces primarias & præcipuè dignitatis ſpecimen illi detraxerit, & priſcum ſuum obtenebrarit candorem. Inter tot tamen ſuorum primordiorum grata & fœcunda auſpicia incommodo angebatur ingenti. Bellua enim inſolitæ magnitudinis Draconis aut Olophagi ſpeciem habens, in antro montis *Wauel*, ſuper quo caſtrum *Grachus* erexerat, cubile poſuerat, quæ ad explendam ſuam eſuriem, iumenta pecorum, aut armentorum præbita corripiens deuorabat, ſed nec humanis differebat corporibus, verum quoties illius ventrem non reperti aut non dati pecoris diutius excruciaſſet rabies & fames; toties ſub clara luce diei ad mitigandum ſui ventris ingluuiem horrenda rictibus ora trahens, & cubili ſuo potenter emergens, & valida iumentorum, C atque boum corpora, ſiue adiuncta carpento, ſiue ſubiugata aratro inuadebat, ſuffocabat, vorabat, in quoſque etiam homines ſæuiens, niſi in totum refugerent, aluum ſuam illorum horrenda cæde explebat. Quæ execranda ingluuies & rabies adeò ciues *Cracouienſes* terruit, afflixitque, vt de deſerenda magis quàm de habitanda vrbe, propter tam infeſtum vaſtatorem cogitarent. Mandato autem & decreto Principis *Grachi*, qui vrbis a ſe fundatæ moleſtiam ægrè ferens, ciuium ordinauit tria ſingulis diebus iumentorum iactari corpora, quorum ſatietate non hominibus ſolùm, verùm & cæteris animantibus præſtabatur ſecuritas, ſed cùm hæc quoque oneroſa magis D Principi quam ciuibus, qui poſt mortem ſuam vrbem deſertam iri verebatur, conditio videretur, iactanda monſtro corpora ſulfure & caumate, parum igne contecta cera atque pice iuſſit corpora iumentorum impleri, & belluæ exponi, quæ cum naturali & ſolita auiditate deglutiſſet, ab igne torrente, & flammis altius diffuſis in interiora vrgentibus ſenſim collapſa & extincta eſt.

Grachus arcem,

& ciuitatem Cracouienſem ædificat.

& draco ingens latitans ſub arce,

incolis oneroſus

occiditur.

Occidente bellua & immani monſtro, quod à quibuſdam ſcriptoribus Olophagus intitulatur, *Cracouienſis* vrbs periculo grandi præter ſpem exuta tentorii ſui longius cœpit dilatare funiculum, & facile inter *Polonicales*

Sec. VIII. poſt C. N.

les vrbes vendicare Principatum. Sed & ipſe *Grachus* Princeps, ob deletam ſua arte & ingenio belluam, parens & liberator patriæ appellatus, apud populos & externos inſignis & inclytus habebatur. Tunc primum leges promulgat: iudices conſtituit, decreta condit, mandata edicit, quibus rudem illam ætatem credidit poſſe regulari, quibus *Poloni* in poſterum vſi ſunt, Prouincia autem pace & quiete, ciues opibus aucti. Quicquid autem ab illo conditum, ſancitumque fuit, id per multas ſucceſſiones, & ætates pro iuſtisſima lege, & perinde, ac ſi quodam diuino oraculo promulgatum fuiſſet, apud *Polonos* cuſtodiebatur. Cùm præter inſitam legibus & ab ipſo conditis naturalem iuſtitiam, etiam legiſlatoris charitas & exiſtimatio illis ſingularem cultum, reuerentiam, pariter atque metum adjiciebat. Siluit autem in diebus eius *Polonorum* regio annis multis, finitimis omnibus, aut eius prudentia & feſtiuitate tritis, aut bello perdomitis, quapropter ſub Principatu ſuo, & in antiquis oppidis coloniiſque noua conſurgebant tecta, & in vaſtis nemoribus nouæ erigebantur coloniæ. Pluribus itaque annis *Graecbus* Princeps *Polonorum* Rempublicam feliciter & prouidè adminiſtrans in ſenecta vbere plenus dierum hominem exuens, fatis eſt interceptus. Ad cuius exequias honeſtandas, primum Polonorum proceres, cæterumque vulgus promiſcuum accurrit, & iuxta morem illius temporis, cadauer ſuum in monte *Laſſotino*, qui *Cracouienſi* vrbi confrontatus eſt, iuſto honore & comploratione ſepeliuit. Buſtum autem eius quo eſſet durabile & perpetuum, & nulla illius edax poſſet abolere obliterareque apud poſteros vetuſtas, ſabulo monti in quo conditus eſt, arte & ingenio ſuperiecto duo filii eius à patre dùm adhuc viueret ſpeciali mandato edocti, ad tantam produxerunt altitudinem, vt collis ipſe omnibus vicinis ſit editior & ſublimior humano cacumine, elaboratoque opere & tanti viri ſarcophagum arte exciſum *Polonorum* pro traducenda nominis ſui ad poſteros memoria, & tribuenda illi immortalitate etiam in hoc tempus fauorem oſtendit. Quæ etiam ſepulchri editioris formatio, *Romanum* cum fuiſſe conuincit, vt ea fabrica conditorem vrbis *Romulum* ſepulchrum in collis modum ex petra congeſtum habente pro viribus exprimeret.

Grachus tradit Polonis leges,

& moritur,

cui pro tumulo ex ſabulo montem fecere altiſſimum.

Poſt mortem Grachi Lubuſſa filia eius

Bohemorum gens, apud quam *Grachus* pro ſua induſtria & virtute etiam Principatum memoratur geſſiſſe, *Lubuſſam* vnam ex tribus filiabus, quas *Bohemis* reliquerat, in Dominam & Principem aſſumit, quæ faſtidium populi iniquo animo imperium muliebre ferentis, ſedatura, ruſticanum quendam hominem ruri & agriculturæ vacantem boues & aratrum relinquere coactum *Przemyſl* nomine, in coniugium & regnum acceſſiit. Cuius ſucceſſio & poſteritas in plures filios & nepotes deriuata vſque ad tempora *Ioannis Cæci Luceburgenſis Bohemis* imperauit in *Vislao* Rege apud *Olomuniec* occiſo extincta: licet ſeptennio integro regimine *Przemislai*, *Lubuſſa* vxore fatis intercepta, fœminæ, *Valaſta* virgine Duce, *Amaſonum* morẽ, & ingenium ſortita, cladibus aliquot viros, & eorum exercitus ſternendo perturbaſſent, dolo tamen magis & aſtu *Premislai* debellatæ & confractæ, quàm viribus.

SEC. VIII. poſt C. N. ruſtico Przemyſl ſibi in coniugem accepto regnavit in Bohemia.

Expletis diebus luctus, quibus vniuerſi de Primoribus *Polonorum* ſuper morte *Grachi* iuſta funeri perſoluendo erant occupati, ad ſurrogandum in thronum *Grachi* alium Principem curas intendunt. Reliquerat autem *Grachus* duos mares, *Grachum* & *Lechonem*, & tertiam filiam *Vandam*, in ſpem ſucceſſionis genitos, hoſque moriens proceribus *Polonorum* commendarat, enixis precibus rogans, *vt beneficiorum ſuorum memores prolem ſuam dignam Principatu iudicarent, vnumque ex filiis ſua in ſede conſtituerent.* Minor itaque natu *Lech* maiorem fratrem natu *Grachum* ſibi in Principatu ſucceſſione cùm primogenituræ ætatis magis maturæ, tùm ratione beneuolentiæ, & præſtantiæ virtutum ac morum, quibus germanum anteibat, metuens anteferri, & ſe contemptum iri temporum oportunitate ſeruata, fratrem maiorem natu clandeſtinè obtruncauit, & lacerum cadauer proſſum ſabulo abſcondit. Et ne ob fratricidii crimen excluderetur à Regno, fratrem mentitur venationi operam dantem, & audacius quàm ſat erat in belluas graſſantem occiſum. Relationi quoq; vt facilior daretur credulitas, fictas lachrymas admiſcet, in hunc modum *Polonorum*, proceribus circumuentis & deluſis, Rex ab eis conſtituitur, & inprimis illi decernitur Principatus, quem cum an̄is pluribus tenuiſſet, non minori illum omnes *Poloni*, quàm parentem coluerunt, fide, obedientia, & deuotione perpetrati fratricidii ſcelere, primum ſecretis rumoribus miſcente, poſt verò certa indagine illuſtrato patefactoque omnibus inuiſus eſſe cepit, tantumque odium Procerum *Poloniæ* in eum ob impium ſcelus, & immeritàm fratris necem conflatum eſt, vt illum à ſede Principatus deiicerent, & perpetui exilii pœna in deteſtationem & terrorem facinoris per eum admiſſi mulctarent. Non mediocri ob eam rem commendatione digni, quod fratricidii ambitionis reatum exquiſitiſſimo expiauerunt animo & remedio, nec paſſi ſunt tàm atrocis piaculi autorem ſibi diutius imperare. Aliis placet *Lech* præfatum, neque exilio, neque alia pœna perpetrato fratricidio punitum fuiſſe, ſed diuinitatem omnium iniuriarum vltricem, prolis fœcunditatem illi & ſubditorum chari-

Lechus Grachi filius

necato Gracho fratre,

inPrincipem aſſumitur,

tandem detecto facinore,

privatus dominio

SEC. VIII. poſt C. N.

tatem ac beneuolentiam ademiſſe. Quapropter tàm conſcius in fratrem necis, quam *Polonorum* iuſtis odiis vexatus, mœrore & anxietate contabuit, & nullo memorando edito actu è vita inglorius & deteſtandus exceſſit. Vtcunque tamen ſit, certum eſt, illum nullo ſuperſtite relicto diem obiiſſe.

miſere obiit.

Lechoni ſucceſſit Vanda ſoror,

Vtroque *Grachi* filio abſque liberis ex humanis abſumpto rebus, Principatus *Polonorum* gubernacula vnicæ filiæ *Grachi*, quæ *Vanda*, quod *hamus* in latino ſonat, nominabatur; *Polonorum* vniuerſali conſenſu delata ſunt. Tantus enim amor *Grachi* omnium *Polonorum* pectoribus inſederat, tantum probitas eius, in amplianda defendendaque patria, & virtus recenti memoria vireſcebat. Accedebat fermè tantus decor, & omnium lineamentorum tàm venuſta ſpecioſitas, vt animos intuentium in ſe, affectionesque ſolo aſpectu conuerteret, natura doti ſuæ munera prodiga largitate in eam effundente. Vnde & ab ipſa formæ pulchritudine id nomen nacta erat, cum ſplendore ſpeciei ſuæ ſingulos quaſi hamo in ſui amorem admirationemque raperet, venuſto vultu, aſpectu decoro, eloquens verbis atque omni pulchritudine compoſita, auditoribus dulce præbebat alloquium. Spes autem omnium Procerum *Poloniæ* mentes haud dubia tenebat, Principem aliquem prudentia & diuitijs inſignem, quò amplior *Poloniæ* regionibus amicorum & vicinorum perueniret acceſſio, *Vandæ* virgini, quæ vsq; in diem illam quoslibet procos repudiauerat, ſe aſſociaturos. Cùm veriſimile eſſet plures illam quàm ante formæ excellentia, & dominiorum magnitudine illectos ambituros eſſe. Sed hæc Regni paterni ſolium ſortita alto magnoque ingenio, & animo omnium eam precantium, præſertim iuris ſui ſe factam videns, repudiabat connubia, & tàm ſalubriter, tàm prouidè, & iuſtè ſingulas Reipublicæ dominii ſui regebat gubernabatque partes, vt ſingulis eius factiuitas & induſtria cederet in ſtuporem mirantibus cunctis, & id quadam aſſertione vſurpantibus, talem ac tantum virilem animum in ſexu muliebri inſediſſe, dum & ſapientes maturique viri ſententias illius magno eueherent præconio, & hoſtiles animi in eius aſpectu & præſentia ſuccumberent. Itaque cùm ſub regimine & auſpiciis *Vandæ*, *Polonorum* res atque opes florentes eſſent, & *Almanorum* ea tempeſtate princeps *Rithogarus* & genere & potentia illuſtris, & regno *Polonorum* vicinus, celebrem famam *Vandæ* virginis, quæ per oram multarum regionum ſonabat, audiens & ſperans, tàm illius forma, quàm regno *Polonorum* potiri, procos mittit ſolennes *Vandæ* nuptias ſub belli denunciatione petituros, ſed cùm à *Vanda* quæ celibem vitam ſe cuſtodituram deuouerat, aliquoties promiſſionibus, & precibus nequicquam reſumptis vacui rediiſſent; *Rithogarus* Princeps *Almanorum* intelligens virginem *Vandam* precibus, & oblationibus ampliſſimis frangi, & ad tædas coniugales pellici non poſſe, dolens quoque ſe contemptum, & repudiatum eſſe, collecto ingenti exercitu *Poloniam* intrat, quod precibus non poterat, armis confecturus. Nil autem *Vanda Polonorum* Regina rumore belli territa, ſed copiis *Polonorum* in vnum celerrimo edicto coactis exercitui *Almanico* occurrit, copiamque facit decertandi, ſubſtitit paulisper *Rithogari* animoſitas, & precibus iterandis per colloquium prius melius, quàm armis vtendum ratus, aliquot ex purpuratis ſuis ad *Vandam* virginem armis dimicare paratam transmiſſis. Torum expetit, diuitias ſuas enumerat, potentiam oſtendit, minas ſubnectit, exiſtimans fœmineum animum vtcumque vel precibus, vel minis frangi, aut emolliri poſſe. *Oratum*, inquiunt, *ad te Regina Vanda nomine Principis noſtri Rithogari venimus, quatenus te toro illius coniungere patiaris, ſponſum habituram viridem, opibus & potentia pollentem, ampliſſima tibi largiturum dotis munera, ſi tuum aſſenſum ſuo non negaueris coniugio, ſin minus, armis te ad id impulſurum minatur.* Illa, medius fidius, conſtantis & virilis animi fœmina. *Adeòne* (reſpondit Legatis) *tenuis ſortis & coniugii indigna veſtro Principi mulier viſa ſum, vt Regni mei celebritate & potentia depoſita, grauis quoque iniuriæ, quàm Regno meo iniuſte intulit, infertque, oblita, me illi ſubiectam iri cum Regno conſentirem, decusque Regni confunderem. Proinde renunciate Duci veſtro, & ſuum & cuiuslibet alterius connubium me peroſam eſſe, ſanctius quoque Dominam me quam Dominantis coniugem appellari. Bellum mihi indixit, bellum paret, turpe putet ſtante acie, & Virum & Principem, omiſſo Marte, de Venere tranſigere, armisque neglectis coniugalia tractare.* Quo reſponſo edito ſigna canere, & ſuos armis correptis in aciem deſcendere hoſtilem iubet, & ſuperbam denunciationem ſibi à legatis ingeſtam victricibus armis humiliari. Verùm dùm *Almanorum* milites præcipui vultum *Vandæ Polonorum* Reginæ diligentius contemplati fuiſſent, volentes experiri eorum quæ apud eos fama de ſingulari eius pulchritudine vulgauerat veritatem, omnium ſubito corda, tàm eorum qui viderant, quam cæterorum, qui à referentibus audiebant, mollita, & in quandam tabem ſoluta ſunt, vt omnes concorditer certamen futurum, quod & pro cauſa iniuſta, & cum exercitu potentiori ſciebant gerendum, aperta publicaque denunciatione detractarent, aſſerentes ſe ſacrilegium horreſcere, non prælium, nec velle pro cauſa noxia & impia notorium ſubire diſcrimen. Sic à loco certaminis diuertunt, in caſtraque reuerſi nulla poterant ad decernendum, aut caſtigatione, aut perſuaſione, armis reſumptis induci. Vehementer itaque mentis afflictione deiectioneque Princeps conſternatus *Almano-*

quo ſpreto Rithogari Almanni connubio

poſt partam de ipſo victoriam

no-

SEC. VIII. poſt C. N.

narum *Ritbogarus*, quod omnia ſecus quàm ſperauerat euenerant, ne ad Penates redire cogeretur inglorius, à vicinis quoque ludibriorum pati cogeretur opprobria, qui illum ſolo muliebri aſpectu commutatum & deuinctum dicerent fati diem præoccupare ſtatuit. Conuocatisq; militibus ait: *Quoniam* inquit, *à vobis deſertus omni morte amariorem iniuriam hanc reputo, & qui bellum vltro inferebam, ſine bello ſuperor. Vanda enim mari, Vanda aëri, Vanda terræ imperans Deorum immortalium voluntate vos effecit pauidos, & imbelles, corda quoque veſtra ſolus eius aſpectus infaſcinat, & in veſtrum meumque dedecus perpetuum conuertit. Ego tamen, ô Proceres, & commilitones mei pro vobis ſolennem hoſtiam me ipſum inferis deuoueo, hanc tamen vobis à Diis, quos peto, quosque deſidero, imprecor ſortem, vt tàm veſtra, quàm veſtrorum filiorum & filiarum progenies, pro expiando ſcelere in me admiſſo ſub fœmineo conſeneſcat imperio.* Sic fatus gladio, quem acumine contra ſe verſo gerebat corpore inermi incumbens vita ſe priuauit. Vanda autem cum primoribus *Almanorum* fœdere celebrato, & miro maximoque bello vnius voluntaria extinctione confecto exercitum incolumem cum triumphali pompa *Craconiam* reducens, cum magna reuerentia & ſolennitate recepta, pro tàm magnifica & inſigni victoria, pro tàm felicibus ſucceſſibus, quibus in omni vita ſua ſupra cæteros mortales abundabat, primum Diis ſuis ad omnia puluinaria per triginta dies ſupplicationem pro re benè geſta decreuit, qua ritè expleta, ſeipſam ſpontaneam victimam Diis offerendam ſtatuit, errore illius ſeculi lapſa, quo tale gratum Diis arduumque & heroicum facinus putabatur, ſimulque ne actionum eius vniformis ſplendor & felicitas aliquo caſu aduerſo eſſet obſcurata. Proceribus itaque conuocatis *Polonorum*, victimis prius cæſis, & ſacrificio more patrio ritè peracto, in quo & gratiæ de præſtitis donis exoluebantur, & imponebatur precatio, vt ſibi partes meliores concederentur apud inferas ſedes, de ponte in amnem *Viſlam* ſaliens vndis fluuii præfati *Viſlæ* ſe donauit. Quibus præfocata mortem ſubiit, ac ſupra fluuium *Dlubnia* vno à *Craconia* militari in campo ſepulta eſt, res apud poſteros plus admirationis habitura, quam fidei, ſepulchro quoque idem honos qui paterno ſeruatus. Terrena enim mole collis in altum erectus, buſtum ſuum illic in hanc diem teſtatur, à quo & loco nomen eſt *Mogila* inditum. Quod munus ſupremum tàm *Gracho*, quàm *Vandæ* pro merito nemo à *Polonis* datum ambigit. Tali enim vtrumque perpetuitate celebrandum decreuerunt, fluuius inſuper *Viſla* cognomen à *Vanda* Regina *Vandalus* ſortitus, gentesque *Polonicæ* ab illo à plerisque ſcriptoribus & gentibus *Vandalitæ* nuncupantur, licet vetus fluminis nomen non ſit abolitum, quod *Albula* qui nunc *Tiberis* dicitur *Romam* præterfluenti, à *Tiberio* in eo ſubmerſo, legimus contigiſſe.

Diis ſe immolandam

in VViſlam ſubmerſit,

& in Mogilam ſepulta eſt.

Inde Vandali dicuntur Poloni.

Przemyslai Principatu per mortem apud *Bohemos* finito, duobus filiis ſuis immaturo funere abſumptis, tertius morienti ſeni *Premislao* ſuccedit *Minislaus* nomine, ſegnis & in omnia tardus ac piger, mollis quoque, & laſciuiarum ſectator, *Minislao Mnatha* ſucceſſit. Quo excedente è viuis duo filii ſui *Vnislaus* & *Wratislaus* ſucceſſère, quorum alter videlicet *Vnislaus* apud *Pragenſes* alter *Wratislaus* apud *Zathocenſes* patre ordinante, dominatum ſortiti; Ex *Vnislao* natus eſt *Grzymislaus*, qui & *Nieklam* dictus, vir pauidus & ignauus. Cuius ignauiam patruus ſuus *Wratislaus*, animo metiens, & vniuerſam *Bohemiam* ditioni ſuæ ſubiicere deſtinans, in nepotem (iam enim pater obierat) mouet arma, & plura aduerſus eum feliciter gerens, in extremum nepotis & gentis, quæ illi parebat, lactantibus etiam non parſurus excidium, graſſabatur, & pugna acerrima in campo, cui *Tuſco* nomen eſt, commiſſa, vincit *Nieklam* patruum ſuum *Wratislaum*, qui in locum ſuum *Sderico* corpore, ſibi per quam ſimili, ſed animo & fortitudine diſpari conſtituto, vniuerſas copias in belli diſcrimen adducit. Ambobus autem Ducibus videlicet *Wratislao* & *Sderico*, in huiusmodi conflictu cadentibus *Nieklam* ſumma rerum potitus eſt. Iuuentusque *Wratislai* filius impuber, Principi *Nieklam* traditus eſt, qui miſertus patruelis ſanguinis & ætatis, educandum illum *Duringo* patri pueri amiciſſimo tradidit, qui cœca cupidine captus, tanquam gratiam *Grzymislai* initurus, caput puero, piſcationi operam danti aufert, atque illud ad *Nieklam* defert, aſſerens ſe puero enecato ſolium ſuum firmauiſſe: verum *Nieklam* impium ſcelus peroſus, obiurgato carnifice, quòd illum neque amici memoria, neque innocentis pupilli miſeratio à ſcelere reuocauit, *Duringum* in patibulum egit.

SEC. VIII. poſt C. N.

Przemyslao Minislaus, & Minislao Mnatha ſucceſſit in regnum Bohemiæ, Mnathæ Vnislaus & VVratislaus, Vnislao Grzymislao, qui patruum VVratislaũ regnum ambientem occidit.

Principatus iugo ex morte *Vandæ Poloni* ſoluti, ad firmandum libertatis ſtatum omnium aſpirabat intentio. Hic enim eſt omnium hominum inſtinctus & affectus, vt præſentibus, & recentibus, in quibus verſamur, ea quæ non attigimus, vel deſeruimus, credimus potiora. Abrogato itaque vnius regimine & principatu, duodecem Præfectos iuxta numerum Prouinciarum, quæ tunc Regno *Polonorum* ſubiacebant, creant, eoſque vulgari vocabulo *Woiewodas*, id eſt, *Exercituum Ductores* appellant, quibus regimen Prouinciarum & bellorum adminiſtrandorum curam committunt, vt pro defendenda patria, tutandaque ab hoſtili inuaſione, diligenter excubias facerent, & quoties id exigeret neceſſitas, delectus agerent, & vocarent quoslibet ad arma, copiaſque in hoſtes ducerent, & diſciplina quoslibet contumaces, & rebelles coercerent: pace autem reddita iura populis ſubiectis darent.

Mortua Vanda ſine hærede Poloni libertatem reſumunt, & duodecim creant Præfectos,

SEC. VIII. poſt C.N. qui diu durant.

rent. Quæ conſuetudo illo tempore cœpta, & per multas ſucceſsiones traducta, etiam in hanc diem apud *Polonos* manet, & vetuſti priſcique temporis ſpeciem præfert. Nam quilibet Ducatus & Prouincia Woievvodam ſeu Palatinum ſalariatum ex publico habet, qui & maiores cauſas ſuæ prouinciæ cum aliquibus aliis magiſtratibus illi pro conſilio iunctis, iuxta iura *Polonorum* municipalia conſtituto tempore iudiciorum decidit. Exercitum ſuæ prouinciæ cum aliquibus aliis magiſtratibus ad bella producendum luſtrat, gubernat, & producit. Bannitis & proſcriptis dummodo iuri parere ſe aſtringant, ſaluumconductum largitur. Item miniſteriales publicos creandi, cœtuſque & conuentiones particulares ſuæ prouinciæ celebrandi, pondera & menſuras inſtituendi, cæteraſque quibus regulatur & gubernatur prouincia, ſibi & non alteri eſt attributa facultas. Vnde & maiores natu, & qui meliora ſortiti ſunt ingenia, ad regendum hunc magiſtratum exquiruntur, cùm ex illis ſalus & pernicies Reipublicæ dependeat: Funguntur pænè eadem autoritate ſub Regibus & principibus, quibus ſtante libertate, & imperio Regum & principum abrogato, fungebantur. Regebantur autem *Polonorum* prouinciæ per huiuſmodi duodecim Woievvodas & Præfectos annis multis, vnoquoque Woievvodarum prædictorum enixius pro adminiſtranda iuſtitia, pro defendenda patria, & libertate operam nauante, ne grauior, duriorque Polonorum offenſio, deſiderium creandi Principem animos intenderet, & ſtatum libertatis, quo res eorum priuatæ, & publicæ vehementer infloruerunt, peſſundarent.

Stante florenteque Republica *Polonorum* ſub duodecim Palatinorum ſeu præſidum gubernatione annis multis, rurſus dùm *Poloni* more ingenii humani gubernationem Palatinorum pertæſi, deſiderio noui Principis tenerentur, credentes ſe ſub ejus regimine magis feliciter victuros, temporis oportunitate ad explendum grauidum iam & maturum deſiderium, ſunt adducti: Duplex enim & vterque in grandi & frequenti numero, ex *Pannoniis* primum, deinde ex *Morauia*, quibus cæteræ nationes præbuerunt auxilia, in *Polonorum* regiones concitatus hoſtis copias ducebat, *Polonos* ſui iuris adempta libertate facturus. Quibus etſi *Polonorum* turmæ ſub ductu & auſpiciis ſuorum Palatinorum occurriſſent, & prælio conſerto pro viribus dimicaſſent, læuam tamen & aduerſam fortunam experti, & cladem aliquoties ab hoſtibus perpeſſi, ne de ſumma rerum periclitarentur, cœpit illos anxietas & formido horrere, dum hoſtes quotidie palantes per agros prædas agerent, & libera licentia vagarentur. Omnibus itaque Reipubl. *Polonorum* exercitibus deletis, hoſtibus dietim graſſantibus, exiſtimantibus amiſſam, vir vnus reſtituit, retinuitque hanc Rempubl.

Graſſantibus per Poloniam Pannoniis & Morauis, dum Palatini non poſſent reſiſtere,

Erat ea tempeſtate vir quidam impiger *Przemyſl* nomine, inter *Polonos* induſtriæ diſciplinæque militaris, aliquanto, quàm pro ſorte in qua erat, expertior, ingenio itaque atque induſtria, quàm proſapiæ genere maior, iuſtitiæ opinione inſignis, ac apud vulgares propterea celebris, & vir multiplici præſtantia clarus, quæ res certiori ſpe *Polonos*, quàm quæ oculis ſubjici poteſt, impleuerat, cui ad naturalem indolem frequens præliorum, in quibus militauerat, acceſſerat exercitatio. Is cùm apud hoſtes omnia negligentius agi exploraſſet, ad conſilium magis doloſum, quàm audax animum adiecit, & ſecum tacitus circumſpiciens, diuque agitans, quanam arte hoſtilis ſuperaretur potentia, quam languidis ſuis viribus videbatur frangi non poſſe, ſolerti rem inſolitam animo excogitat, & vani terroris, vanæque ad pugnam ſimulationis, inſtruit apparatum. Simulacra ſiquidem galearum in crebra multitudine, in collibus, caſtris hoſtilibus confrontatis, primo manè ſole oriente ordinauit ſuſpendi. Quarum reuerberatio ſolis facta radiis, adeò hoſtilem exterruit exercitum, vt vniuerſi armis certatim vtcunque comprehenſis, nulla lege, nullo ordine ſeruato, illuc, vbi micantes galeas viderant, præcipiti curſu concurrerent, nouam victoriam de Polonis relaturi. Verùm dum ad loca, in quibus ab illis ſimulacra galearum conſpecta erant, perueniſſent, & nullas illic *Polonorum* acies, ſed nec prius viſas galeas reperiſſent, (repente enim illas exercitum hoſtilem *Pannoniorum* & *Morauorum* armari videns, vt averteret illos ab ea, quam cœperant, opinione, *Przemyſl* ſubduci mandauerat) comperiſſent diffugiſſe *Polonos* qui apparuerant rati, ſolutioribus ordinibus in ſtatiua reuertuntur. *Przemyſl* verò occaſionem bene gerendæ pugnæ quam quæſiuerat, ſe videns magis ſimultate & arte, quàm veris viribus conſecutum, *Polonorum* milites, qui ſe illi iunxerant, animat, hortaturque ad pugnam, certam illis ſpondens, ſi & ipſi quoque deuouerint ad vincendum animos, victoriam. Atque ita illis acerrimum ad triumphum conceptum infundens, vt ea aggredi auderent, quod non auſuros eos hoſtes veriſimiliter videantur, à tergo & lateribus ſomno ſtratos, & corpora curantes, prima vigilia hoſtes aggreſſus fortiſſimè, & audaciſsimè alienatis à memoria periculi *Polonorum* ſenſibus, & hoſtium tela intrepidè excipientibus, obtruncat; & plurimis occiſis, cæteris verò omnibus metu nimio perterritis fugientibus, hoſtiles copias cum paucis proſternit, & deuincit, caſtraque hoſtium fugientium pluribus rebus & ſpoliis referta capit, prædamque illic repertam militibus concedit. Facile autem hoſtium fugientium multitudo poterat deleri atque capi, ſed *Przemyſl* patriam liberaſſe, & hoſtem viciſſe contentus, fugientes inſequi vetuit. Tantus verò ob defenſam liberatamque patriam erga

SEC. VIII. poſt C. N. Przemyſlaus miles aſtu & imperio ſuperauit,

ga

SEC. VIII. poſt C. N. & publico edicto eligitur in Principem.

ga *Przemyſlaum* amor eſſe cœpit, vt tàm militari, quàm vulgari fauore dignus imperio acclamaretur, mox in *Polonorum* Monarcham A & Principem vniuerſorum ſuffragiis & conſenſu creatur. Ab eo autem tempore priſco nomine abrogato *Leſzko* appellatus eſt, quod ſignificat vafer & doloſus: eo, quod aſtu & vafricie à calliditate magis, quàm armis & robore hoſtilem, & aliquoties victorem exercitum ſuperauit, ſiue (quod verum magis reor) ne quid illi ad conditionem autoritatemque Principatus deeſſet, nomen vetus & commune Principum *Poloniæ* ei impoſitum eſt, quod à *Lechone* primo cæteri Principes ex eo deſcendentes appellatione diminutiua, quæ ſingulis ferè gentibus in vſu eſt, vocabantur *Leſzkones*, non *Lechones*. Quod quidem nomen in generationibus Principum *Poloniæ* in tempo- B ra noſtra traductum perſeuerat.

SEC. IX. Mortuo Przemyſlao

Leſzkonis ſeu *Przemyſlai* Principatu annis aliquot continuato, & felicibus ſucceſſibus finito (nemo enim in diebus ſuis auſus fuit in regiones *Polonorum* bello publico, principante eo, inuadere, *Pannoniis* & *Morauis* magna clade perdomitis) nouum inter *Polonos* de ſurrogando Principe ſubortum eſt diſſidium, noua & varia poſt mortem ſuam generata ſunt Principatus ſtudia. Præfatus enim *Przemyſlaus* ſeu *Leſzek*, nullam ſuæ poſteritatis in virili, aut fœmineo ſexu, reliquerat progeniem, propter quod illo mortuo ad occupandum

multis Principatum ambientibus

Principatum plurimorum animi variis reſpectibus incitati aſpirabant. Alium enim inſti- C gabat genus, alium diuitiæ, alium factiuitas, alium induſtria, alium conſanguineorum crebra ſuppellex, alium maiorum claræ imagines. Hinc quoque effectum eſt, vt poſtquam Comitiorum dies ad eligendum nouum Principem aduenïſſent, varia quoque ambientium Principatum apparerent tàm ſtudia, quàm ingenia, quem unusquiſque ad ſe iuxta vires rapere conabatur. Pluribus itaque diebus ſuper nouo eligendo Principe, necquicquam conſumptis, intendebatur amplius, quàm remittebatur petentium illum ambitio, nec finis monſtroſæ electionis ſuffragiis, eligentium in plures diuiſis aliis alium ordinare cupientibus ſperabatur, nec tamen fœdum eligentium dis- D turbium, qui in apertas & publicas contentiones, atque ſchiſmata, æmulatione eligentium, crebro etiam ſtrage, & interitu multorum propterea ſubſequuto, veritum eſt prodiiſſe, ne in vniuerſæ Reipublicæ vergeret atque ſerperet periculum & diſcrimen. Poſt longas diſcordias ad ſedandum exortum diſturbium, hæc via omnium conſenſu aperta captaque eſt, vt certo tempore ad id conſtituto ſeruaretur columna, quam omnes principatum *Polonorum* ambigentes equis diſtinctis, & varias maculas, ſeu colores in corporibus habentibus, velociore quam poſſent curſu à præfinito loco peterent, & quicunque ex currentibus primus

Poloni decernunt curſum equorum ad columnam erectam, ut, qui prius eam attigerit, Rex ſit

SEC. IX. poſt C. N.

columnam attigiſſet, is *Polonorum* Regimen & Principatum conditione cuiuslibet ceſſante, perniciori curſu ſortiretur. Ad aſſequendum itaque Rectorem per hanc viam, in qua cuiuslibet fraudis & doli nullatenus poſſe interponi credebant, maturum, vtilem, & idoneum Rectorem campeſtris planicies propè ciuitatem *Cracouienſem* verſus fluuium *Prandnik* ſitus, & proſpectum habens vniformem, placidum, & virentem eligitur, columna figitur, ſpatia curſorum certis ſignis & terminis præfiniuntur, ſingula impedimentorum obſtacula remouentur, ſenes, & grandæui proceres, puri, & ſinceri, ad inſpiciendum, iudicandumque currentium merita eliguntur, nobile brauium, principatum videlicet Regni *Polonorum* victori, & athletæ collaturi. Verum vt eſt ingenium humanum nullis cautelis circumſeptibile, facile via capta eſt, per quam ſtudiis humanis repertum decretum, dolus ſuperueniens vincit. Vir enim quidam ingeniorum & aſtutiarum plenus, qui inter eos, qui petebant per curſum *Polonorum* Principatum, ardentior, ambitioſiorque habebatur *Leſzek* nomine omne campeſtre ſpatium, quo ad columnam currendum erat nocte intempeſta ſine arbitrio, ne à quoquam prodi, vel vulgari facinus poſſet, ferreis exigonis cautè replet, & ſternit, viridi ſabulo, ne poſſet notari, ſuperiecto, vna tantummodo laterali ſemita, per quam ſibi currendum credidit, ſine exigonorum labe & ſtramento relicta, & certis tantummodo ſignis ſibi notis diſcreta, quo facto non ſine ingenti gaudio comitiorum diem, Principatum nihil dubitans ad ſe peruenturum, operiebatur. Interim autem artificioſum ingenium caſus prodidit: Duo ſiquidem adoleſcentes ſortis tenuis, & obſcuræ ad locum paleſtræ delectandi animi gratia egreſſi, ludicro fœdere inter ſe paciſcuntur pedeſtri curſu & itinere, columnam locatam ſe petituros, eo præmio poſito, vt victus victorem ſemper Regem & nominet, & ſalutet. Verùm deſtinatum pactum implere in ipſo mox primordiali curſu exigonis ferreis plantas lædentibus prohiberi ſubſiſtunt, ac vniverſam illam planiciem ſimilibus ferreis ſtratam reperiunt, nihil tum de his quæ caſuali deprehenſione inuenerant, vulgandum rati, rem omnem ſilentio prætermittunt. Cumque comitiorum dies aduenïſſet, & plures tam viri, quàm adoleſcentes, in diſcoloribus equis fortunam experturi, aduenïſſent, ad paleſtræ locum per eos, quibus huiuſce rei cura mandata erat, deducuntur; vniuerſa nobilitate & plebe *Polonorum* ad tam grande & rarum ſpectaculum, in frequenti numero exitum nouæ rei ſpectatura conueniente, conſtitutus, Idibus Octobris currendi dies, ex omni parte ſpectaculum præbuit. Stratus arena campus, extructum primoribus & proceribus Regni ſolium, populique vndique ad ſpectandum conuenerant, ora, mentes, oculos, in currentes conuerterant,

Leſzek clam uncos in terram, per quam currendum erat, recondit

SEC. IX. poſt C. N.

terant, quibus multiplex vt ſit metus, fauor, miſericordia, & ſtudium iuxta affectionem qualitatis inerant. Cumque omnium Regnum A petentium ex pari incitatus eſſet curſus, vniuerſorum equi læſuram exigonorum, quos nullatenus vitare poterant, paſſi, primum cæſpitant ſubſiſtuntque, & ad extremum concidunt, ſeſſoreſque ſuos vehementius illos vrgentes deiiciunt, remorantur aut ſternunt, ſolus *Leſzko* exigonorum doloſus iactator, qui & vngulas equi ſui babatorum ferramentis vndequaque accuratius ſepiuerat, vt etiam exigonorum, ſi in aliquod euentu inciderat, feſelliſſet diſcrimen, ſemita non infecta gradiens primus & ſolus, non ſine comitum & ſpectantium ſtupore & admiratione, ad columnam eques prior peruenit, & columnam, velut victor & athleta, apprehendit, ſed neque alter ex B duobus adoleſcentibus, quos pridem ludibrii pacto concurriſſe narrauimus, qui pauciora ab exigonis vulnera contraxerat, iamque ſanitati redditus erat, palæſtram illam negligendam duxit, quinimo equeſtri itinere ad currendum dato, expreſſoque tempore mox & ille itinere arena conſito, rapidoque curſu ad ſtatuam ſecundus peruenit. Quamuis autem *Leſzek* primus in equo maculoſo iuxta conditionem ad columnam perueniſſet, & Rex Princepſque ab omnibus conſalutatus eſt, mox tamen per competitores ſuos de euidenti inculatur fraude, cauſamque dicere coram iudicibus ad inſpiciendum conſtitutis currentium merita, eſt compulſus. Producuntur autem in euiden- C tiam patratæ fraudis, omnes equi ſui quatuor vngulæ ferro vndique circumuolutæ, illoque euidenti documento, ſtrator iactatorque exigonorum, & publici inſtituti vafer temerator eſſe conuincitur, omniumque iudicio, concordi ſententia, ambitus reus, & doli artifex damnatur. Damnationis autem in illum prolato decreto à competitoribus ſuis, quos feſellerat, & cæteris, qui illius exquiſito iraſcebantur facinori, membratim laceratus, ac diſcerptus eſt, & fraudis ſuæ pœnam meritam pendens, atroci ſupplicio, dedit. Concordi autem vniuerſorum inſtinctu & acclamatione, adoleſcens ille, qui pedeſtri curſu ſtatuam iocabundus contigerat, dignus Principatu iudica- D tus, in thronum regium extollitur, & ſublimatur, & ſibi quamuis ſortis, vt prædiximus, obſcurioris, ſingulorum conſenſu defertur Principatus, decernentibus cunctis ſincere illum iuxta edictum legis Principatum meruiſſe. Ne quid autem ad principandam perſonam nouam deficeret, vetuſto nomine abrogato *Leſzek* vocatus eſt, crebro enim id nomen apud *Polonos* tunc temporis habebatur, vt etiam quos in Principatus dignitatem aſſumerent, illos quaſi quodam charactere inſignirent, ſic pro vno eodemque tempore, & Sacroſanctus Regiæ Maieſtatis Magiſtratus, fraudulento ambitioſoque homini cum ſua pernicie negatus eſt, & humili ſimplicique viro, cum ſumma eius laude collatus, verificatumque tunc eſt veridicæ ſcripturæ Eulogium, multi conſederunt in throno, ſed inſuſpicabilis portabit diadema.

&, dum ipſe equi ſui pedes ferreis ſoleis muniſſet, & aliorum læſi claudique eſſent, primus accurrit, & Rex acclamatur. Sed dum alter quidam iuuenis, quod pedes ſpatium curſus circumiens, ſecundus ad columnam accurrerat, priore ob dolum occiſo Rex Leſzko appellatur.

SEC. IX. poſt C. N.

Obſcuram autem ſortem conditionemque ſuam in faſtigium regale mirabili prouidentia diuinitatis euectam, tantis *Leſzek* heroicis extulit operibus, tot virtuoſis illuſtrauit actionibus, vt non in ruſticano tugurio natus, ſed à regalibus thronis parentibuſque ingenuis ortus crederetur. Animus illi liberalis, vaſtus & impiger, audaciaque ferox, qui non ſolùm vicinorum hoſtium dominia ſua inuadentium impetus repreſſerit; ſed etiam *Pannoniis, Morauis, Bohemis, Teutonicis*, aliiſque in circuitu nationibus bella vltrò intulerit, in quibus gerendis, ſolertia & felicitate vſus, nonnullos hoſtium magnis præliis fuderit, cæteros terris & fortunis mulctauerit. Si quando verò extraneus hoſtis deerat, ne militum corpora longa quiete hebetata langueſcerent, curiis indicebat ludos haſtarum, & ſimulachra pugnarum, cæteroſque actus militares inſtaurabat, victoribus, & athletis præmia proponebat, & ea cum magna animi alacritate, inter vincentes partiebatur. Quæ quidem actuum militarium & luctarum continua inſtauratio, & charitatem illi apud vincentes milites magnoperè conciliauit, & milites ad gerenda bella, continua armorum exercitatione atque vſu, effecit conſtantes atque pronos. Tanta inſuper liberalitate, & in domeſticos, & in aduenas reſplenduit, vt ſæpe maluerit ex largitione egere, quam per tenacitatem ex abundantia diteſcere. Nullum bene meritum renumeratione negligens, aut petenti, aut egenti patrocinium, ſeu ſuffragium recuſans, vt non Rex, ſed omnium indigentium ſaluberrimus prouiſor putaretur. Parco autem & caſtigato victu contentus; maximus ebrietatis & crapulæ oſor habebatur: Menſam denique ſuam admiranda prouidentia, parſimoniaque venuſtauerat, vt omnibus quidem veſcentibus dapes ſufficerent, ingurgitationis verò occaſio procul abeſſet. Exigua hæc quidem, & minus admiranda in Principe viderentur, niſi & his omnibus vnum ſpecimen virtutis, cætera ſupergrediens adieciſſet, eam enim animi continentiam modeſtiamque, quàm dum priuatus eſſet, à virtute ne mutuatam, an à natura datam, incertum eſt, ad regalem fortunam pertulit, eiuſque vſum in omni tempore vitæ ſuæ ſeruauit, ſæpè quidem in actibus publicis, quoties illum chlamide regia veſtiri aliqua neceſſitas impuliſſet, toties pannos hirſutos & veſtes ignobiles in quibus ſuſcepit Regnum, ſuper verticem ſuum in eminentiori loco iuſſit extendi, volens vt habitus ille originariæ ſortis ſibi reuocaret, repræſentaretque memoriam, & ipſum vitæ neciſque dominum inſoleſcere non fineret. Cuiuslibet pompæ, arrogan-

Quomodo Leſzek partis de hoſtibus multis victoriis diu & pacifice multis virtutibus decoratus regnavit.

gan-

SEC. IX. poſt C. N.

gantiæ,& iniuriæ ſibi transgreſſione indicta,ab initio Principatus, vſque ad vitæ exitum, humanus & clemens erat. Tenuitatem generis A originarii, neque vnquam inficiatus eſt,quin etiam in decus tulit,atque in facinus pulcherrimũ,quod in eam Principatus amplitudinem,ex ſorte humili euehi,& aſcendere illi contigiſſet.

Iuſto & modeſto regimine,dùm apud *Polonos* annis multis *Leſzek* ſecundus victorioſè & feliciter imperaſſet, longæuo ſenio confectus, ad maturam ætatem perueniens,vita exceſſit. Nonnulli aſſerunt, hunc *Leſzkonem* in prælio cum Cæſare *Carolo Magno* inito victum & occiſum eſſe: Ita enim reperi *Martinum Gallicum* de eo ſcripſiſſe. Anno 805. Imperator *Carolus* miſit *Carolum* filium ſuum in *Poloniam*, qui depopulatis omnibus,Ducem terræ illius *Leſzkonem* occidit,indeque reuerſus ad Patrem eum in ſilua *Woſzego*, venatui ſtudentem inuenit. Ex quo quidem conſtat *Polonos*,& tunc, & antea bella cum Imperatoribus & Regibus finitimis geſſiſſe,ſed quo tempore,quoue ordine aut fortuna, quibusue Ducibus propter literarum & ſcriptorum,quibus tunc *Poloni* velut gentiles caruere,penuriam, parum conſtat.

Leſzek filium Leſzkonem III. reliquit hæredem, ſe non inferiorem,

Itaque ſiue naturali,ſiue violenta morte *Leſzko* decedens,vnicum filium ſui nominis,*Leſzkonem* tertium *Polonis* pro hærede reliquit. Qui ob Patris præſtantes actus & merita,in ſolium paternum dignus iudicatus eſt ſuccedere. Nihilo autem paternis actibus,quibus peroptimè fuerat inſtitutus,inferiorem ſe gerens,celebris fama virtutibus & gloria apud ſuos & exteros C habebatur,vt Patris virtutem,& merita tranſcendiſſe magis,quam æquaſſe videretur. Plurima hic cum finitimis bella gerens, nomen & gloriam gentis ſuæ, & ſuum plurimis heroicis nobilitauit operibus;quaſdam verò *Polonorum* Regni prouincias ſua prudentia,& bellica virtute vacillantes, & res nouas cupientes in fide continuit,motusque earum compreſſit. Quaſdam etiam denuo expugnatas ſuo adiecit imperio. Crebris autem vicibus à *Pannoniis* tunc per *Græcos* & *Italos* bello laceſſitis,magnis precibus & largitionibus ad adminiſtrãnda bella inuitatus, legiones *Italorum* & *Græcorum* frequentibus victoriis fudit, gentemque *Pannoniorum* qui & ipſi *Slaui* ſunt,ne *Græcis* aut *Italis* tributaria fieret,tàm ſuo,quàm exercitus ſui robore,atque arte militari,qua pollebat, defendit.

qui tandem vnicum legitimum deliquit filium Pompilium Regni ſucceſſorem, & naturales viginti,

Ex legitima autem vxore vnum duntaxat filium,nomen *Pompilius* imponens,progenuit, quem in ſpem futuræ ſuæ ſucceſſionis, adhibitis magiſtris & curatoribus,dignis moribus,& virtuoſis inſtitutis,curauit educari. Ex pluribus autem pellicibus viginti filios omnes mares ſuſcepit, videlicet *Caſimirum, Boleſlaum, Wladiſlaum, Wratiſlaum, Ottonem, Baruinum, Przybyſlaum, Præmiſlaum, Iaxam, Semiamum, Semouitum, Semomiſlaum, Bogdalum, Spicigneuum, Spicimirum, Sbigneum, Sobeſlaum, Viſimirum, Creſpimirum*,& *Viſlaum*. Veritus autem *Leſzek*,ne eo ex humanis rebus abſumpto, ſuper dominiis & principatibus ſuis contentiones & bella ſanguiniſque profluuia inter filios conſurgerent, filium legitimum *Pompilium* Monarcham, & Regni *Polonorum* Dominum conſtituit,cæteros verò ſuos fratres naturales ſuæ ſubiecit obedientiæ & ſeruituti,& iureiurando conſtrinxit, & obligauit mandans, vt ſibi in omnibus parcant,& illius tribunal atque ſuperioritatem recognoſcant.

quibus ſub ditione eius relictis certas in vita ſua terras eis diuiſit.

Partitur autem inter viginti filios prædictos omnem maritimam,& *Sclauorum*, & *Rugianorum, Pallatorum, Obotritorum, Varienſium*,& *Caſſubitarum* oram,verſus *Miſnam*,& *Veſtfaliam*, & *Oceanum mare* ſe prætendentem,& omnes regiones *Poloniæ* inter flumina *Albiam* & *Halebam* ſitas,& cuilibet congruam aſſignat portionem. B Qui in illis plurimo tempore Principatum gerentes,plures vrbes,caſtra,municipia, atque caſtella ex ſuo nomine condiderunt, quas etſi natio *Teutonica* ſucceſſione temporum occupaſſet occupatq; inpræſens,vetus tamen nomen vrbium,caſtrorum,& locorum,quamuis in *Almanicum* transformata ſint,manet in hanc diem appellatio,videlicet *Bukow, Dobyn, Brema, Mykielburg, Luneburg, Aldemburg, Raczesburg, Sigerburg, Plunen, Sleſnik, Ilow, Zwerin, Malcnow, Roſtog, Kuczyn, Werle, &c.* Occupatæ autẽ ſunt terræ & regiones *Sclauorum* præfatæ vnâ cum caſtris & ciuitatibus, per *Saxones, Veſtfalos, Olandros, Friſones*, cæterosque *Teutonicæ* linguæ populos,& ſucceſſiuè Principes,Proceres,Optimates,Nobiles,præfatarum regionum ab *Almanis* exterminati & eiecti ſunt. Ad extremum *Nicolaus* Princeps *Slauorum* cum duobus filiis, *Przybyſlao* & *Warczyslao*,ab *Henrico Leone* Duce *Saxonum* deleti ſunt, in vicis tamen & rure *Slaui* ruſticani generis habitant in hunc diem,nec aliam linguam niſi *Polonicam* ſeu *Slauonicam*,licet corruptam, & in pluribus mutatam propter commixtionem & ciuitatem aliarum linguarum, & variationem idiomatum ſonant.

Mentio de filiis naturalibus *Leſzkonis* facta me admonet, ne illorum Principatus & dominia,vrbesque ab illis conditas & populatas,obruam ſilentio, quatenus *Polonorum* poſteritas D intelligat,quantum ſit *Polonorum* regionibus per *Almanicam* nationem detractum, cum omnes illas oras,atque prouincias *Almani* poſſideant, itaque *Boleſlao* primogenito naturali *Leſzkonis Baruino*, & *Bogdalo Pomerania inferior*, *Caſimiro* & *Wladiſlao Caſſubia*, *Iaxæ* & *Semiano Serbia*; *Wratiſlao Rama*; *Przybyſlao, Czeſzemiro* & *Ottoni Dituonia*, quæ nunc *Olſacia* nuncupatur: *Præmiſlao Semouito* & *Semomiſlao Zgorzelica*, quæ nunc *Teutonico* nomine *Brandeburg* appellatur, aliis verò reſiduis fratribus,quædam ſortes in huiuſcemodi Prouinciis conſiſtentes, adiectis quibusdam deſertis ſiluarum & nemorum, fuere conſignatæ. Condidit autem *Wiſlaus* caſtrum

SEC. IX. poſt C. N.

De caſtris per viginti filios ædificatis.

ſtrum *Miedzyborze*, quod nunc *Meidburg* dicitur, *Sobeslaus* caſtrum *Dalen*, quod *Dalemberg* dicitur, *Viſimirus* caſtrum & ciuitatem in A ripa maris Septemtrionalis *Viſſimiriam* ex nomine ſuo, quæ in hanc etiam diem *Viſſimiria* nuncupatur. A cæteris hæc caſtra noſcuntur erecta, caſtrum *Bremen* in confiniis *Veſtfalorum* & *Friſonum* ſitum, quia pondus hoſtile exciperat. *Brzemie* enim in *Slauonico*, *Pondus* denotat. Item caſtrum *Luna*, quod nunc *Lumburg* dicitur, in petra enim altisſima, quam vndique latitudines planitiesque camporum ambiunt ſitum, nomen caſtro indidit. *Slaui* enim, ſplendorem Lunæ nocturno tempore interlucentem, *lunam* vocant, a cuius ſimilitudine ripæ & campeſtri planitie lucentem, caſtrumque in ea fundatum *Lunam* vocarunt. Item caſtrum & ciuitatem *Bukowiec*, B quam *Almani Lubek* appellant, licet per *Slauos* in circuitu commorantes priſco intituletur vocabulo. Item *Ratibor*, item caſtrum *Swerin*, item caſtrum *Lubow*, quod quia à quodam *Miklone* conditum eſt, *Teutonici* illud *Mikielburg* appellant, & Principes, qui in eo dominantur, *Mikielburgenſes* appellant, à camporum verò ſpatioſa latitudine in latere Magnopolienſi ex duobus integris, licet in duplici idiomate, *Latino* videlicet & *Slauonico* compoſitum vocitatur. Item caſtrum *Gitow* à craſſitudine terræ. Item *caſtrum Roſtoki*, à diſſolutione inundationeque aquarum. Item caſtra *Verla*, a crudelitate. Item *Zwanouo*, à vocando. Item caſtrum *Oſtrow*, C à loco inſulæ, in quo ſtat erectum. Item *Teſzyn, Marlewo, Bobel, Trzebieſzewo, &c.* pluraque alia caſtra, municipia, vrbes, & caſtella, quæ à filiis viginti *Leſzkonis*, filiisque eorum, & nepotibus, circa *Sarmaticum Oceanum*, & *Septentrionale mare*, paludibusque, inſulis, & deſertis fretum illud ambientibus ſunt conſtructa & erecta, quæ frequenti numero gentium, propter maritimas opes, & lucra incoluntur & inhabitantur; nouarumque vrbium in oris illis varia conſurrexit ſtructura, & habitatio numeroſa. Illa enim Septemtrionalis plaga, quantò minus ſolari ardore exuritur, niuali gelidoque magis frigeſcit frigore, tantò ſalubrior corporibus hominum, & D ad producendum humanos fœtus & gramina aptior exiſtit.

Pompilius Leſzkonis filius, mortuo Patre in Regem coronatur,

Ordinationi *Leſzkonis* tertii in ſingulis quæ de filiis viuens confecerat, paritum eſt: Legitimus enim filius ſuus *Pompilius*, tam fratrum, quam vniuerſorum *Poloniæ* Procerum approbatione vnanimi & conſenſu Patre fatis abſumpto, in Regem & Monarcham *Poloniæ* ſuſceptus, & ſurrogatus. Vniuerſis viginti fratribus ex concubinis ſuſceptis, præſtantibus ſibi iuxta iusiurandum, & Patris decretum debitam obedientiam, & feudalem ſubiectionem.

& fratres obedientes

Firmato itaque Pompilius ſolio viginti fratres ad procurandas, quas illis Pater *Leſzko* donauit, Prouincias dimiſit, quas tunc iuxta vniuſcuiusque attributam induſtriam cœperunt adminiſtrare.

SEC. IX. poſt C. N.

confirmat inſtitutis,

Pompilius itaque ſiue *Popiel* ſuſcepto *Polonorum* Regno, montana, ſub quibus vrbs *Cracouienſis* fundata conſiſtit, pertæſus, in campeſtribus & planiciebus delectari cœpit. Vnde & ſedem Regni ſui à *Cracouienſi* arce vrbeque transferens, in quibus prædeceſſores ſuos nouerat habitaſſe, ad originariam priſcorum Principum *Poloniæ*, *Gneſnam* videlicet, rediit.

ſedem regiam Gneſnã,

Sed cum huius quoque inhabitatio ſibi ingesſiſſet faſtidium, volens Principatus ſui in poſteros relinquere monumenta, in campeſtribus longum proſpectum habentibus, nouam arcem, nouamque vrbem, iuxta lacus & paludes condidit, eamque *Cruſuiciam* nominauit, in illam ſuam continuam manſionem transtulit, principalem eam ſedem Regni ſui conſtituens.

tandem Cruſuiciam per eum ædificatam transfert.

Ob quam rem vrbs noua mercatorum & colonorum facile numero impleta, inter *Poloniæ* vrbes, pro ea tempeſtate famoſa, & inſignis habebatur. Quoties autem aduerſitate hoſtili, aut vicinorum bellis *Popiel* ſe oppoſuit, aut *Poloniæ* Principatus ab hoſtibus inuaſus fuiſſet, toties fratres ſui perſonis propriis & omnibus copiis illum contra quoslibet hoſtes adiuuabant, non prius redeuntes ad propria, donec aut hoſtes fuſi, aut exorti motus conditione honeſta compoſiti fuiſſent.

vbi gaudens quiete

Nullum autem opus inſigne aut heroicum prædictum *Popiel* ſcimus ediſſe, neque auita, aut paterna in adminiſtrando Regno, in propagandis eius finibus, in edendisque militaribus actibus in eo reluxit propago, ſed parta tantummodo gubernare contentus de coniuge legitima vnico filio ſuſcepto, quem ſuo nomine *Pompilium* appellauit, nondum ad ſenectam perueniens, in marcida & torpenti ætate morbo correptus vita deceſſit.

nullo edito memorabili opere

relicto vnico filio obiit.

Cætera in illo venerabiliora videbantur, illud quoque criminoſius, & enorme, ſiue natura infudiſſet, ſiue venturi mali omen foret, quod in omni ſacramento atque execratione murium deuorationem ſucceſſu temporum diuino iudicio permittente, ſequutam ſibi deprecabatur euenturam. *Latino* idiomate vocatus eſt *Cinereus*, *Almanico Oſſerich*, circa annum Dominicæ Incarnationis octingenteſimum, apud *Polonos* creditur imperaſſe, & Monarchiam *Polonorum* Monarcha ipſe per annos plures rexiſſe.

Quomodo venientes fratres ad Pompilium illoque mortuo invento

Languore *Pompilii* Principis viginti fratres eius audito, qui ad maris Septemtrionalis oram, & in *Pomerania* inferiori, *Caſſubiaque* Principatum tenebant, de dominiis ſuarum habitationum egreſſi, propero curſu *Cruſuiciam* ad viſitandum fratrem *Popiel* languentem conueniunt, poſtridie iam animam exhalaſſe reperiunt. Super cuius morte non mediocri dolore conſternati, plures fletus fundunt, corpus

pus

SEC. IX. poſt C. N.

pus eius, iuxta morem illius temporis, honeſto loco condunt, & honore debito funeralibus ſuis iuſta peragunt. Ea autem in omnium pe- A ctore ad fratris filium, quem vnum *Pompilius* ſuperſtitem reliquerat, reperta eſt charitatis affectio atque fides, vt quamuis potuiſſent probantibus proceribus & primoribus *Poloniæ*, propter imbecillem nepotis ætatem Regni *Poloniæ* nanciſci curatorum nomine adminiſtrationem, omni tamen ambitione circumſcripta nepoti *Pompilio*, quamuis immaturo & paruulo regimen relinquere, quam illud in aliqua parte contingere maluerunt. Vnde & tunc adoleſcentia nepotis in dies longiores minimè expectata, ipſum in Regem & Monarcham *Poloniæ* extulerunt, ac illi quemadmodum à Patre ſacramento conſtricti erant fidelitatis obedientiæque homagium præſtiterunt. Accede- B bant autem aliqui ex eis, quibus onus illud cæteri mandauerant, & per certa interualla maiorum quæſtionum & cauſarum, quæ ad *Pompilium* referebantur, audientiam faciendo, deciſiones, & edicta in curia nepotis donec adoleſceret, benigna longanimitate morabantur: ratiſe *Pompilio* nepoti ex tam benigno aſſiduoque negotio ſeu officio in illius tenera ætate impenſo, quouſque in virum euaderet, chariores fore.

filium ipſius Pompilium acceperunt in Principem

& curarunt rectè omnia adminiſtrari.

De moribus Pompilii deteſtandis,

Sub diligenti & accurata Patruorum ſollicitudine, minor *Pompilius* annos adoleſcentiæ prætergreſſus ſuo iuri, & poteſtati, a patruis re- C lictus, ab auitis mox cœpit degenerare moribus, his rebus tantummodo intentus, quæ parum commercii habere videbantur cum virtute, in omnia quoque praua, & ſceleſta procliuis, turpis & flagitioſiſſimus habebatur. Nulla in eo nobilis indoles, nullus actus viro heroico & Principe dignus, nullum virtutis ſpecimen, nullus honeſtatis amor, ſomno aut ventri, aut crapulæ deditus. Non Baronum ſuorum intendebat conſiliis, ſed laſciuiam petulantiamque ſectatus, in apparandis conuiuiis, in trahendis ebrietatibus, in ducendis plauſibus, & choreis occupatus. Poſthabita omni virtutis cura, ſerta tractabat non arma, fœminarum cœtibus, & conuerſatione implicitus, virorum & præſertim maturorum & pruden- D tium conſortia, quaſi quandam peſtem & perniciem fugiebat. Propter quod vicinorum hoſtium ſuorum furor priorum Principum ſtrenuitate ſolertiaque compreſſus, mox reuixit, *Pompilii* Principis ſcelere & puſillanimitate accenſus. Crebris itaque bellis diuinitate permittente laceſſitus, muliebri illa, pauentique animo adminiſtrabat: Ad conſuetas & radicatas voluptates ſemper reflexus, vnde & ſæpè contigebat, hoſtes, quamuis minoribus potentiis fretos, commiſſo prælio euadere ſuperiores; Ipſe enim *Pompilius* tardius omnia, quæ ferro adminiſtranda erant, prouidens, primus in fugam proſiliens, cæteros magno diſcrimine mortis & captiuitatis, aut fugæ ignominia inuoluebat. Si quæ autem bella felicius ſub Principatu ſuo geſta ſunt, non ſuis, ſed ſuorum priſcorum ingeniis prouenerunt, quoniam ad repellenda bella gerendaque certamina Baronum deliberationi, & conſilio nunquam illum, velut quandam infelicitatis ſentinam, placebat acciri. Non ſolùm autem deſpectui, ſed ludibrio apud ſuos & exteros patuit. Qui cum deformes & hos quidem attritos & raros in cæſarie haberet capillos, turpis propter id, ſed turpior propter laxatos in omne facinus mores haberetur, *Chwoſtek* à ſuis pro vituperii nota (quod ſignificat vilem, attritum, & deformem ſcopam) cognomen accepit, bello ſegnis & timidus, in quolibet verò opere cunctator, aduerſus denique corruptelas pecuniarum parum purus. Procatur autem illi & deſponſatur ex Principibus *Almaniæ* vicinis *Polonico* Regno coniux, generis nobilitate præſtans, & formæ elegantia rara, fœminas plures ſuæ ætatis ſupergreſſa, in omne tamen facinus, & præſertim in ambitionem & auaritiam muliebri ingenio prona. Ea ſpe & reſpectu a patruis & Proceribus *Poloniæ* illi coniuncta, vt viri actus, deteſtandoſque mores, in meliora verteret. Verùm illa blanditiis ſuis muliebribus, calliditatibuſque illectum, captumque illaqueauit adeò, vt apud illam magis, quàm apud Regem totius Regni adminiſtrandi conſiſteret poteſtas. Singulaque per legem decernenda non ſecus rata habebantur, ac illa Reginæ conſenſus & autoritas probauiſſet. Duo denique pignora ambo mares ex illa ſuſcipiuntur. Procedente tempore prolis fœcunditas ampliorem illi ſtruxit, & apud Regem, & apud Primates Regni venerationis gradum, ſtatumque eius, & ex venereo amore mariti, & ex productione filiorum credebant perpetuum. Ex quibus omnibus Regina magis magiſque inſoleſcens conditionis ſuæ oblita, totius Regni adminiſtrationem & regimen ad ſe vnam iure hebetato & effœminato traduxit. Regiumque animum ſuapte tetrum & languidum, Proceribus ne quicquam potiora ſuadentibus, ad deteriora quæque propenſiori ſtudio inclinauit. Filiis autem regiis nomina indita ſunt auita. Vni quidem *Lech*, alteri nomen parentis *Pompilius*.

& quomodo uxor eius per blanditias viro effœminato ſuſcipit omnem Reipublicæ curam, duobus filiis procreatis.

Videntes autem & ab experto cognoſcentes patrui ſecundi *Pompilii* ſuum nepotem in quæque praua declinaſſe, & tàm ſuis, quàm exteris magno deſpectui & ludibrio eſſe, ſæpius illum priuatim & publicè accedunt, ſæpius per auitos & patrios cineres obſecrant, admonent, & deprecantur: quatenus ſuam & eorum progeniem non pollueret, & indignis moribus ſcurrilibuſque abuſibus non contaminaret euidenti demonſtratione, pluribus argumentis & exemplis illi declarantes, non diuinitatem ſolùm, ſed nec ſubditos fœda ſua iudicia, & pe-

Quomodo caſtigatum à patruis Pompilium

petulantia opera quoquomodo repreſſuros, ſæpius & illi Regni minantur exterminium, ſæpius ſuum & ſuorum tàm ſuffragiorum, A quàm conſiliorum hactenus illi præſtitorum allegant diſceſſum. Verum *Pompilio* ſecundo ad malignitatem naturali conditione inſitam, altera labes, conſors videlicet, quam ex Principibus *Almanorum* duxerat, impietas acceſſerat, quæ *Pompilii* ſecundi ſuapte ægrum, & ad omnia nefanda pronum animum, ad quæque deteriora inclinabat. Propellens ſiquidem maritum ſuum, tam primoribus, quàm inferioribus, tam diuitibus, quàm pannoſis exoſum & inuiſum eſſe, verita ne proceres Regni eius malignos mores, & muliebres actus pertæſi ad eius proſcriptionem, eiectionem, aut perniciem procederent, & in locum eius aliquem de Patruis ſuis, Principibus videlicet B ad oras ſeptemtrionales habitantibus ſurrogarent, ſtirpis quoque ſuæ duos mares, quos ex *Popiel* ſuſceperat, in exilium ire contingeret, nocte & interdiu animum viri muliebribus blandiciis demulcet, leni[illegible]ctit, in necemque patruorum allicit, mollit, & inclinat.

uxor ægre ferens maritum, vt eos veneno necaret, miris perſuaſionibus hortatur.

Non eſt, inquit, *tibi, ſed neque proli tuæ, quæ tibi ſucceſſura eſt, patruis ſuperſtitibus, ſecura vita, non eſt tranquilla Regni, quod habes, ſed momentanea prorſus & periculoſa poſſeſſio. Quotquot enim patruos habes, tot tuorum pignorum inſidioſos hoſtes. Diſertos tecum miſcent, & familiares ſermones, crebris te coarguunt monitis, magnam auiſamentorum congerunt ſuppellectilem, maximam vim præ-* C *ſidiorum pollicentur: Omnia hæc callido vafroque animo agunt, vt tibi laqueum ſtruant, vt te ſubditis tuis magis reddant contemptum & exoſum non patruorum ſolum, ſed parentum ſe erga te opera egiſſe gloriantur. Altam viciſſitudinis compenſationem, crebra ſermonum vſurpatione exigunt, ſæpè te non Regem, non Primorem Principem, ſed ſui figmenti vocant mancipium, ſuorum conſiliorum nituntur te regere diſciplinis, non quo melior exercitatiorque, ſed quo contemptibilior euadas, auitas virtutes, mores, & actus, aſſidua relatione obiectant. Bella te cogunt, aut repellere, aut inferre quo te celerius extinguant: Vniuerſæ quoque eorum ad hoc ſuadent, ad hoc lucubrant, ad id vigilant* D *artes & ingenia, vt te, & prolem tuam exterminent, tibique in Regno ſuccedant. In tua itaque manu ſitum eſt, Princepſne, an aliorum ſeruus? inclytus, an ignominioſus? felix, an miſer cenſeri & eſſe malis? Si itaque ſapis, ſi aliqua prudentia viges, ſi tuum, tuorumque cupis ſtabilem eſſe ſtatum, expergiſcere aliquando, & hunc, quo hactenus es vſus, excute torporem, & priusquam patruorum tuorum in te roborentur machinationes, priusquam te ſuis fraudulentis caſibus includant, vitam illorum, ſi ferro parum tutum & conueniens cenſes, ſaltem potione toxicata extingue: Cuius rei me fidam habebis cooperatricem, & miniſtram. Dii te penates, patrii quoque, & tàm paterna, quàm auita imago in Regni ſolium te vocat, ſed & plebs omnis nobilitas, omnis cætus creat, vocatque Regem. Patrui tantummodò obſtant, nec felicem glorioſumque Regem ſinunt, quibus ſublatis omnia tibi non dubites pro voto ceſſura.* His aliiſque perſuadendo, increpandoque modis virum, ad facinus inſtigat, ſuo artificioſo ſeductum alloquio, & muliebribus verbis illaqueatum.

His vocibus pluribusque ſimilibus ſermonibus, viri animum expugnatum ad innocentem patruorum ſuorum necem nefanda fœmina pelliciens, oportunum tempus & modum, quo deſtinata animo mandet celeri effectui, in ingenti ſollicitudine obſeruat. Ea itaque huiuscemodi muliebri callíditate dirigente, *Pompilius* ſecundus in grauem morbum ſe ſimulans incidiſſe, in grabatum ſe velut languidus & moribundus imponit, Patruos crebris nunciis & literis obſecrans, vt ad illum celerrimè non cunctentur, antequam illum languor non conficiat, accedere, ſuprema quædam mandata ab ipſo percepturi.

Pompilius ſimulata gravi infirmitate patruos ſuos ad ſe conuocat,

Quibus ex more prono & deuoto animo conuenientibus, ſic apud eos, *Popiel* audiente Regina, & Primoribus Procerum diſſeruit. *Deorum* inquit, *beneficio proximam mortem mihi imminere, & languore, quo me correptum cernitis, edoctus, non amplius fas eſt poſſe me aura vitali frui. Vos chariſſimos Patruos meos dignum exiſtimaui accerſere, vt antequam vita mea exui me contingat, de ſucceſſore Regni veſtro celeberrimo conſilio, cui parere conſueui aliquid conſtituam, ut quemadmodum veſtro regnaui munere, ſic & veſtro perenni & immortali viuam beneficio per ſucceſſionem filiorum. Magis enim me ſuperſtitem, quàm extinctum: magis viuentem quàm mortuum exiſtimare potero, ſi vobiſcum meas celebrauero exequias, & veſtra in me ſtudia palpitante adhuc anima viuens proſpexero, quæ mortuo ſtudio & lege humanitatis affinitatisque eſtis impenſuri, fatis enim vocantibus diſſoluor, nec fas eſt mihi vobiſcum diutius commorari. Præſtate itaque viuo, quod morienti eſſetis præſtituri, impietatis enim cenſeretur facinus, id viuenti abnuere amico, quod etiam non conſueuit hoſtis exanimato negare.* Simulat inde lachrimas, & gemitus cum ſuſpiriis arte compoſitis, execranda potius vafricia, quam vero dolore compreſſos, & velut occupatos luctu oppreſſos lachrimis, præpeditus ſingultibus, aggrauatus languore dicendi ordinen non tenet. Ad hæc tam dulcia, & mellea ſuauitate delinita verba, pectoribus omnium grandi mœrore perculſis vniuerſa regia domus altis cœpit concrepare ſingultibus, audiens hinc veras, hinc fictas lamentationum voces, inde ſuſpiria, aut horribiles vlulatus, alibi percuſſiones pectorum, aut comploſiones palmarum, lacerant crinem virgines, matronæ vultum, habitum annoſæ. Augebat autem omnium lamenta Reginæ ſi-

mu-

SEC. IX. poſt C. N.

mulatricis,& plus quàm *Punica* fraude ementitus eiulatus, quæ nunc virum, nunc mariti Patruos,nunc ſingulos Procerum luctuosè amplexa ſuſpirioſis fletibus tenet & emulcet, & ſuo comploratu ſimulato, Patruis & Proceribus veras lachrimas excutit pro marito. Tantus omnium mentes occupat mœror, vt etiam fama prodente omnium aſſertione, falſo licet vulgatum fuerit,ſimulacra quædam ærea, & ſtatuas in regia poſitas,ad tantarum lamentationum mugitum,ſudorem in lachrimarum morem largiùs, quàm inanimatis conueniebat profudiſſe: plurimi ad nutum *Pompilii* Regis ſumptu liberali & magnifico funebrales apparatus inchoantur, conſummanturque viuentis hominis, quod monſtro par videri poteſt, exequiæ. In quibus tanto quiuis ex Patruis *Pompilii* Regis & Primoribus *Poloniæ*, ſtudium officiumque ſuum extulit, quanto a ſpectatore Rege,& omnium officia ſcrupuloſè notante, ſtrictiori fauoris & beneuolentiæ gradu anhelabat commendari. Superſtitioſis itaque exequiis more & ritu gentilitatis illius temporis expeditis, omnes qui aderant, delicato excipiuntur conuiuio, & ſinguli epularum pro relata adminiſtratione opipare tractantur. Quos à refectione digreſſuros,etiam mœrore leuatos, *Pompilius* Rex ad præſentiam ſuam præcipit adduci,ſimulans ſe ex eorum iucunda præſentia, & dulciſſima allocutione imminentem fati horam leuius toleraturum. Conſpiciens autem Reginam fallacibus indulgere lachrimis,his eam ſolatur verbis. *Quid,* inquit, *charisſima coniux mœſta mades fletibus? quid luctuoſis oppreſſam te quereris acerbitatibus? viduitatemne times? At certe his, quos pro tua orphanitate tutanda relinquo curatores, ſuperſtitibus, viduitatis incommoda te ingreſſuram non ſperes, ſed incolumibus illis, viuum, quamuis tuum reputa parentem. Singulos enim tàm Patruos meos ſtricta mihi affinitate iunctos, quàm Baronum meorum præcipuos, quos moriturus deſero obteſtatos precatoſque eſſe volo, vt in te, natiſque noſtris communibus, mei viuat vigeatque nominis recordatio, vtpotè, qui te, filioſque meos reliquias corporis mei, & dimidium animæ meæ illis pro hærede relinquam.* Aſſurgunt Patrui, aſſurgit & Baronum venerandus ſtatus, & pro ſe quiſque operam ſuam, iuxta eorum poſſe, erga conſortem & filios *Pompilii*, ſe pro viribus nauaturum promittit, mortemque aut perniciem ſibi accidere prius imprecatur, & deuouet, quàm Reginæ & filiorum ſalutem quoquomodo negligeret. Simplici enim & recto corde,quod vnuſquiſq; ſentiebat, certatim depromebat, ad demonſtrandum ſuæ deuotionis & charitatis in Regem & Reginam affectum. Neque credere aut perpendere poterant,quod ſimulatæ tàm Regis, quàm Reginæ fuerant lachrimæ, & gemitus arte compoſiti, nec vllo dolore expreſſi. Adiiciunt Patrui

celebratisque exequiis

filios eis commendat.

& Duces,Proceresque *Poloniæ*,quo maius fletus flebiles reſcindant, Regis & Reginæ ficcent lachrimas,quas in veritate,& non in dolo opinabantur effuſas, *ſe filiorum regiorum nondum epheborum ætatem ſupergreſſorum, Leſzkonis videlicet & Pompilii, tàm ſtudioſam tamque accuratam curam Pompilio Rege abſumptò geſturos, ac propriorum, vt alios parentes filii Regii non deſiderent, illumque honorem & cultum, fidem, & deuotionem, quam ipſi Patri exhibere conſueuerant, in eius filios ſuperſtites tranſlaturos.* Ex his gaudere ſe *Pompilius* ſimulat gaudio ingenti, & obortis fictis lachrimis,quas fraudis & dolis magnitudo excutiebat,vniuerſis in genere gratias egit, ſingulos deinde proprio nomine compellans, amplexibus & falſis oſculis deliniens, cunctos obſecrat,vt verbis ſuis dando virtutem in promiſſa fide permanerent. Ad horam autem,qua prope moriturus erat regiam coniugem, duoſque in ſucceſſionem *Poloniæ* à ſe genitos filios illis lachrimis madentibus commendat.

Inter hos ſermones in ſpatium decliuis Olympi ſolare approximabat iubar, & *Pompilius* ſingulis ſuis doloſitatibus ad fallendum Patruos, & primos Procerum, arte coniugis compoſitis,iam perfunctus erat. Patrui quoq; & Proceres ſinguli, quæ penes moriturum mortuumuè Principem rite expediri ſolebant, peractis,diſſolutionis tempus,iuxta denunciatam diuini oraculi certificationem credebant imminere. Tùm *Pompilius* Patruis & Proceribus ſuis quaſi valedicturus nectar ſibi iubet ſurrogare per miniſtros,extremum fœdus potione illius & oſculo cum Patruis & Proceribus percuſſurus (erat autem aureum poculum ingenio ſubtili cælatura & arte elaboratum,cui infuſus liquor,quamuis tenuis & exiguus in altum ſpumabat, vt cratere vix dimidio, liquor vaporali aſcenſu in ſummum euadebat,qui oris flatu diſſolutus ad veram quantitatem ſucceſſiuè,vt in bullientibus igne ſubducto cernimus, redibat) tali itaque vaſe lethifer potus infuſus, primum *Pompilio* Regi porrigitur, vt à Rege prægustatus, a cæteris velut purus & ſalubris haberetur. Verùm Rex ad ſingulos proceres prægustationem fallacem,& ſimulatam faciens virtute flatus ſpumarum denſitatem,quæ medium crateris occupabat,nil de ſubſtantia,ne dum contingens,ſed nec libans,conſumebat; reliquum verò potionis dimidium, in qua validum conditum erat virus,abſumere quiſque ex Patruis & Proceribus iuncto Regi prius oſculo iubebatur. Huiuſmodi peſtifera potione impletos ſomnum ſibi ex eorum ſuaui & aſſidua colloquutione obrepere fingens,re autem vera, ne in ſuo conſpectu aliquem illorum extingui contigiſſet,excedere de cubili iubet. Veneni autem vigore præcordia, artuſq; virorum neci iniuſte addictorum occupante,ſubitò in quandam amentiam,furoremque verſi, à pleriſque ebrii, ab aliis deliri, & inſani putabantur.

SEC. IX. poſt C. N.

Patrui veneno à Pompilio necantur.

SEC. IX. poſt C. N.

Tandem virtus ſedem animæ pertingens, ſingulos peſtifero nectare ebrios, antequam noctis ſuccederet conticinium, multis affectos A cruciatibus peremit, patens quoque ruptura, etiam in cadaueribus præmortuis, prorumpens venefica illos infectione interiiſſe, euidentiſſima demonſtratione vulgauit. Tunc quoque primum ab vniuerſis notatum, & compertum eſt *Pompilium* Regem fallaci & virulenta potione inebriaſſe Patruos, & ſub iniquiſſimæ ſuæ mortis dolore illorum deteſtabilem ſibi, deteſtabilem patriæ, deteſtabilem ſuo vniuerſo generi mortem maturaſſe, & magis vxoris perſuaſionibus, & acclamationibus, magis ſuis ambitionibus, quàm diuinis naturalibusque & humanis factis parere voluiſſe. Cupiditate ſiquidem terrarum, quas Patrui poſſederant, illectus & coniugis ſuæ, B alterius quodammodo *Ieſabel* in *Achab*, & ipſe verſus inſtinctionibus, conſiliorumque aſſiduitate ineſcatus, de iuſtis poſſeſſionibus, patriisque ſedibus, Patruos germanos eiecturus, omni communione ſanguinis neglecta, omni pudore poſthabito, iniuriarum vltorem uilipendens Deum, neque credens illum iuſtum & innocentem ſanguinem vindicaturum, aut ſanguini germanorum Patruorum pœna celeri & condigna nunquam parentaturum: Nec prius à peſſimis cœptis reſiliit, donec ea ſpiritu maligno inſtigante peregit.

Sideribus patriæ indigna miſerabilique occidentibus morte, mœror tacitus & ſuſpirium, C crebra ingeminatio mentes omnium hominum occupauit. Pauore ſiquidem tyranni conſtricti ac veriti, ne quid in eos, qui mortes necatorum publice deplangerent, contulerentur grauius, patulos proferre non audebant eiulatus. Solus tyrannus cum conſorte ſua miris tripudiis hilareſcebat, conuiciis & calumnioſis coniurationibus in uiros innoxios à ſe ueneno ſublatos vtebatur, aſſerens *illos ob hoc facinus in Regem nepotem & amicum excogitatum cœleſti verbere miraculosè percuſſos interiiſſe. Dum necem nepotis & Regis, de qua in heſternis gratulabantur funeralibus, uniuerſi diuina vltione exceperint, impietatemque quam ſub relligionis* D *& officii prætextu fictis & ſimulatis lachrimis deflendo exceſſum Regis monſtrabant, repentino ſuo interitu detexiſſe.* Geminato autem necis, & criminationis ſcelere in Patruos Proceresque non contentus, peccata peccatis congeminans, aliud æquè fœdum adiicit: Prohibet edictione ſeueriſſima, extinctorum cadauera à quoquam contegi, aut ſepeliri, negansque amicis & Patruis ſepulturam, quibus ademerat vitam; Qui ſecus agerent pœna capitali plecterentur. Primus ille autor tam ſæui exempli, occupaturus inſignem crudelitatis titulum, non ſine infamia illius ſeculi emerſit. Iacebant itaque mortuorum cadauera tabe defluentia, & vniuerſis inſpicientibus commiſerationis & horroris ingerebant terrorem.

Quomodo Pompilius negauit Patruorum corpora ſepeliri.

Tyrannus interim *Pompilius* Lamia crudelior, atroces ſingulorum facinorum impetus edidit, & totus ſcortorum impudicorum gremiis ſe infudit, non aliter libitis, quàm licitis vtens, exiſtimans ſe de cætero beatam & felicem vitam Patruis & Proceribus decedentibus, abſque vlla reprehenſione in ſertis, choreis, balneis, vnguentis, odoribus, ſomno, crapula, & ebrietate, luxuque traducturum. Sed non eſt ingenio humano, aut robore comprehenſibilis manus Dei, vt quantum velit, vltionem non inferat delinquenti. Vltor ſi quidem & omnium iniuriarum uindex Deus, ſcelus illud, quod *Pompilius* ſuis nitebatur inficiari doloſitatibus, graui mulctauit ſupplicio. Dum enim ſpurciſſimus omnium *Popiel* auget ſcelera, celebrat conuiuia, madet mero & vnguentis, diſſoluitur crapula & luxu, & vt alter *Sardanapalus* omnis laſciui genere fœdatur & inſanit, repentina diuinitatis obruitur vltione. De cadaueribus ſiquidem Patruorum & Procerum, quæ tyrannus abiici iuſſerat inhumata, inſolitæ quantitatis murium multitudo ebulliens, ſedentem in conuiuio, & uoluptati dantem operam *Pompilium* non ſine aliorum ſtupore, in vnum duntaxat tyrannum *Pompilium*, & ſuam conſortem, duoſque filios *Pompilium* & *Leſzkonem* cœpit continuatis & rabidis morſibus infeſtare deſæuireque.

unde mures eum cum uxore & liberis ſuis

Quos etſi militum ſeruorumque ſedula cura abigeret, recenteſque ſuccederent fatigatis: Vincebat tamen perſeuerans murium, & noctu & interdiu, nullo ſpatio ad quietem conceſſo, multitudo omnium ſuffragiis aut defatigatis, aut ſe ab eius tutela ſubducentibus. Cùm & in defenſores rabies ſæpius murium verteretur, noua remedia præparantur, extruuntur frequentes & ardentes foci, & in medio eorum *Pompilius* cum vxore & filiis conſiſtit, ſi forte incendiis mures arcerentur, ſed & ignes quantumcunque flammantes, muribus peruii nullum præſtabant *Pompilio* auxilium. Sic ad aliud elementum reuerſus, in late patentia ſtagna deportatur per naues *Pompilius* cum conſorte & liberis, & turri locatur lignea, vndis vndique ambita, ſed nihilo plus vndæ tulerunt remedii, quàm ignes. Singulos enim gurgites, in quos ſe *Popiel* contulerat, mures natando uariis itineribus illum perſequebantur, conſequutique nauem aſſiduis corroſionibus infeſtabant: Milites autem & nautæ, ne ſimul naui à muribus perforata aquarum ſuffocatione interirent, ipſo etiam *Pompilio* mandante, in littus nauem reducunt. Cui è naui egredienti, noua murium caterua occurrit, & cum his qui illum in ſtagna conſequuti fuerant, ſimul coniuncta tyrannum uehementius infeſtant. His itaque & aliis pluribus remediis, ne quicquam proſi-

SEC. IX. poſt C. N.

in Kruſzvica devorarunt

proficientibus, virtutem diuinam vniuerſi agnoſcentes, ab eo diffugiunt. Qui videns ſe ab omnibus deſertum, in turrim caſtri *Cruſuicienſis* excellentiorem cum coniuge, & duobus filiis conſcendit, vbi à ſuperabundanti murium multitudine, à quibus ſine interuallo oppugnabantur, duo primùm filii ſui, eo & infelici matre inſpectante, nullamque ferre valentibus opem, deinde crudeliſſima coniux, & ipſe ad extremum tyrannus *Popiel* adeò lacerati & corroſi, & cum ſingulis partibus artubusque deuorati ſunt, vt neq; alicuius oſſis vel nerui veſtigium reliquerint. In hunc modum ſceleſtus & impius *Popiel* cum ſuggeſtrice iniqua, altera *Ieſabel* & filiis, vltione diuina deletus, & inſolito nouoque genere mortis conſumptus, manibus necatorum Patruorum & Procerum iuſtas pœnas dedit. Cuius interitu cognito, oſſa & reliquiæ peremptorum ab eo Primorū & Procerum, quæ nondum tabefacta erant, à *Cruſuicienſi* pia multitudine collecta, vnius ſarcophagi tumulo condita atque ſepulta ſunt. Hic autem inſolitus vltionis diuinæ, & rarus caſus *Popiel* tyranno & Principi *Poloniæ* accidens, à pluribus ſcriptoribus & Hiſtoriographis, pro ſingulari monſtro & miraculo eorum libris inſertus reperitur. Morbo ſimili, & ferè eadem peſte *Arnolphus Francorum* Rex & *Romanorum* Imperator *Auguſtus* ex concubina magni *Caroli* filius ſcribitur interiiſſe, non muriū quidem, vt hic noſter *Pompilius*, ſed pediculorum vndiq; ſcaturientium infeſtatione conſumptus. Qui, omnibus nocte & interdiu non ceſſando, corroſis oſſibus nervisq; relictis vſque ad præcordia penetrarint. In hunc modum *Pompilius* Polonorū Rex cum Regina conſorte & pignoribus diuina vltione deletus, & aliquanto grauius præcipitatus (vnde per iacturam & ſanguinem Patruorum & Procerum innocentum ſe aſcenſurum, & filios ſuos euecturum crediderat) quam *Phaethon* è curru Solis. Intuere quæſo quilibet mortalis & diligenti ſtudio conſidera, & oculos tuæ mentis in *Arnolphum* Imperatorem & *Pompilium* Regem coniice: Quorum alter nulla medicorum ope à pediculis liberari, alter nulla militum reſiſtentia à murium corroſione defendi poterat; qui tàm dolore, quam faſtidio torti morte abominabili & miſeranda interierant. A quorum corporibus pediculi tàm paruuli, & mures inermes nequiuere auelli, quos neq; opes immenſæ, neq; theſauri, neque diademata, neque purpuræ a pediculis & muribus tutari potuerant. Et his duobus, ſi cætera deeſſent, humanæ infelicitatis argumentis certiſſimis, tuos actus, tuosque exitus metire, pediculis Arnolphi, muribus *Pompilii* terrefactus. Faſtu poſito Deum omnipotentem omnibus virtutibus cordis & corporis cole: maiores æquo animo tolera: pares iugi dilectione promeritis honora: minoribus per charitatem indulgendo compatere, & in lege altiſſimi die ac nocte meditare.

SEC. IX. poſt C. N.

Morſu murium tyranno *Popiel* conſumpto, & filiis eius unà deletis, & iuſto Dei iudicio extinctis, Proceres Nobileſque *Polonorum* vniuerſi ad prouidendum de futuro Rege & principe generalem conuentum apud *Cruſuiciam* indicunt, velut in vrbe, quæ pro ea tempeſtate prima & famoſior habebatur, & in qua hactenus nihil præter famam durat, vix vici retinens nomen, & magnarum quondam opum tenue veſtigium, nec regiam quis vel modernus illic ſedem fuiſſe credat, ſed nec regium buſtum. Ita ſunt turpi omnia, aut vetuſtate diſſoluta, aut deflagrata incendio, ſupernæ diuinitatis prudentiſſimo prouidente conſilio, & in horrorem ſceleris à *Pompilio* patrati, quatenus locus ipſe fœcundum licet fundum habens ſolitudinis potius, quàm frequentationis repræſentaret formam. Initiato & pluribus diebus continuato ſuper electione futuri Regis, & Principis *Poloniæ* tractatu, variæ diſſenſiones, contentionesq; ſubortæ ſunt, & inter eligentes ſchiſmata, nonnullis priuata ambitione & ſuffragiis cognatorum, Principatum molientibus ſibi vſurpare, cæteris verò contraria oppoſitione reluctantibus, indignum iudicantibus aliquem indigenam, in Principem ſurrogari: Filios autem interfectorum à *Popiel* Patruorum, & *Poloniæ* Principum, ex pluribus reſpectibus vniuerſis Proceribus & nobilibus aſſumi non placuit, tum quod à pellicibus eorum protendebatur origo, tùm quod ſtirps, & cognatio *Pompilii* cunctis fuerat execrabilis & inuiſa, tùm quod metus & reſpectus apud nonnullos ſuberat, ne aliquis occiſorum filius a *Popiel* in Principatum euectus Patris & Patruorum necem, retorta in Proceres & Nobiles *Poloniæ* culpæ cauſa, vltum iri contenderet. Votis itaque eligentium in diuerſas partes diuiſis, infenſis animis ex *Cruſuica* diſceſſum eſt, nullo ordine pro adminiſtranda Republica procurato. Interea per circuitum vicinæ nationes infeſto agmine *Poloniam* ingreſſæ, pro libitu eam, nullo reſiſtente, ſpoliis & rapinis affligebant, & nonnullos eius diſtrictus & oras, iuri & proprietati ſuæ vſurpabant. Procerum inſuper & Nobilium *Poloniæ* deterior erat conditio, qui mutuis in ſe graſſantes odiis, continuis ſe cladibus & depopulationibus conſumebant: Propter quod *Polonia* aliquanto tempore propriis & externis bellis deferueſcens, magnæ patuit ruinæ & calamitati gaudentibus, & in ſingulari exultantibus per circuitum nationibus tripudio, quod *Polonico* Regno plurimorum bellorum inteſtinorum, ſtridoribus ſeipſum collidenti crediderunt exterminium prouenturum.

Conventus pro electione novi Principis fit in Cruſuica,

indeque omnes nullare conſtituta diſcedunt,

ob idque inteſtina oriuntur bella.

Polonia

SEC. IX. poſt C. N.

Conventus alter pro electione Principis inditur.

Poloniæ oram dum vidiſſent primi Proceres ex diſſenſione domeſtica, magis quàm hoſtili bello vexatam & attritam, ſecundum apud *Cruſuiciam* indicunt pro eligendo Principe conuentum, ad quem dum vniuerſus Procerum & popularium cœtus de Principe ordinando conueniſſet, ſedatis inueteratis odiis & ſimultatibus, (ſedari enim illas & componi extrema calamitas Regno imminens compellebat) modeſtos concordeſque cœperunt habere de ſurrogando Principe tractatus. Erat autem in urbe *Cruſuicienſi* vir quidam nomine *Piaſt* ab eo, quod ſtaturæ quidem depreſſæ, ſed robuſtæ atque craſſæ eſſet, nomen huiuſmodi ſortitus, *Poloni* enim ſuo vulgari eam partem rotæ, quæ in axe voluitur truncam & craſſam *Piaſtam* appellant: vir ſimplex & rectus naturali iuſtitia, cæteriſque gradibus virtutum inſignis, ſed ob inopiam agellum exiguo colens aratro, cui, vt pler ſque, tenuitas cauſa probitatis erat. Habebat paribus virtutibus & moribus vxorem, quæ *Rzepica* vocabatur, & vnicum filium ex ea ſuſceptum, nondum aliquo nomine appellatum, ambo agrorum cultui intenti, cunctaque humo gignente victum quæſiuerunt. Admiranda, & per omnium ora celebrata charitate indigentibus, aduenis, peregrinis, miſerabilibus perſonis, & quibuſcunque aliis eorum opem implorantibus, cum tamen gentiles ipſi & ethnici eſſent, erogabant, vt ad eorum tuguria maior, quàm ad regiam ſtipem mendicantium frequentia conueniret. Contigit autem viuente impio Rege *Pompilio* à muribus corroſo, duos peregrinos & hoſpites, nunquam antea cognitos, neque viſos, in *Cruſuiciam* in habitu venerando & humano aduéniſſe, & primum apud regiam ſuſceptionem, ſimul & refectionem expetiiſſe, qui cum à ianua regia prohibiti & excluſi eſſent, in domum communem & hoſpitalem *Piaſt* ſe conferunt, & tàm à *Piaſt*, quàm à conſorte ſua *Rzepica* hilari vultu excipiuntur, & affectu ingenti pertraktuntur. Coxerat enim *Piaſt* vrnam mellis, porcumque ſaginatum nutriuerat, vtrumque hoc pro parando conuiuio, excipiendiſque vicinis hoſpitibus, dùm, more gentili, tondendi filii vnici cæſariem, aduenisset dies, in quo & puero imponebatur nomen, reſeruabat. Verùm duorum illorum hoſpitum, plurimum lætatus aduentu, ad conuiuium deſtinatum peregrinorum, conſumendum decernit, porcoque occiſo, dapes conditioni ſuæ congruentes præparat, menſam ponit, & hoſpitibus accumbere iuſſis, cunctos apponit cibos, liquoremque medonis magna ſedulitate, vna cum conſorte ſua *Rzepica* ſubminiſtrant, multiplici ingeminatione precum, vtrumq; hoſpitem deprecantur & obſecrant, *ne pauperes & tenues dapes ſuas faſtidiant, ne pronam ſuam in omnia eorum beneplacita voluntatem contemptum iri ſinant, ſed affectum eius, ſi appoſitus cibus & potus vilis ſit, referant in* A *acceptum.* Hoſpitibus autem iuſta gratitudine refectionem illis præſtitam commendantibus, diuinitatemq; operum omnium bonorum præmiatricem pro ſe retributuram aſſerentibus, liquor medonis nunciatus eſt ſuapte ſponte accreſcere & fluere, atque in abundantiam prodire. Monentibus autem & iubentibus hoſpitibus, commodantur à vicinis vacua vaſa in frequenti numero & quantitate. Liquorq; medonis exuberans, tamdiu ſingulis infunditur, quouſq; vaſorum defecit acceſſio, & porco inſuper occiſo, ea carnium multiplicatio ſequuta eſt, vt illam vix decem lintres explere valerent. Geminatum innouatumq; miraculum per *Heliam* primum apud *Sareptam Sidoniorum* vrbem, deinde per *Elizeum* apud *Samariam* crederes præſtitum, niſi in Prophetarum locum hi duo, vel Angeli, vel Martyres ſucceſſiſſent. B Pro quare hoſpitum munere & largitate ſibi præſtita, *Piaſt* ditior factus, ſingula hoſpitum illorum ſuorum agit arbitrio. Vnde pro futuro, quod celebraturus erat, pro tonſione filii ſui conuiuio, non ſolùm ciues & vicinos, ſed & ipſum Principem *Pompilium*, hoſpitibus ſic iubentibus inuitat, quem magnifico cum omnibus conciuibus, Deo ſingula augente, procurat prandio, in quo filius *Piaſt* duorum hoſpitum tondetur miniſterio, nomenque ei ab eiſdem duobus hoſpitibus imponitur *Semouitus*, qui ex ea die peracto diſparuerunt officio. Angeli à nonnullis crediti ſunt, à quibuſdam *Ioannes* & *Paulus* Martyres, quorum feſtum C 6. Calend. Iulii agitur, forte enim huiuſmodi nominibus quærenti *Piaſt*, qui vocarentur, & qui eſſent, ſe inſinuauerant. Gratiſſimum itaque ſummo Deo & ſublimis præmii hoſpitalitatis officium eſſe, vel hinc vnuſquiſque aduertat, quod etiam gentilibus, huiuſmodi opus Deus ipſe non dedignatus eſt tàm liberali compenſare præmio, vt & Angelos hoſpitio exciperent, tantamque ſuæ poſteritatis fœcunditatem, & generis ſui celebritatem, & excellentiam apprehenderent, vt ex eorum lumbis Reges & Principes *Poloniæ* prodirent agnitione vnius veri Dei & ſucceſſione, & ſeptingentis amplius annis, exorta in tempus præſens multiplici, florida, auctaque ingeminatione D perſeueraret.

& quomodo Piaſt ciuis Cruſuicienſis vir bonæ vitæ

habuit duos hoſpites miraculoſe.

Inter feliciſſimos *Piaſt* ipſe reputandus, qui hoſpitalitatis conditionem naturamque licet gentilis ſortitus fuerat ob illius officium & meritum, medonis liquorem ab Angelis non ſecus, quàm mulier vidua ad *Helizei* Prophetæ iuſſionem, oleum auctum, donec vaſa commodata deficerent, infuſum vidit, & ad inſtar *Abrahæ* Patriarchæ Angelos hoſpitio ſuſcepit. Cuius ſtirps munere diuino in Ducibus *Poloniæ*, qui *Sileſiam*, *Mazouiam*, *Haſiamque* inhabitant in hodiernum diem, ex illo tempore perſeuerat, quamuis amplitudinem & fulgorem Regiæ dignitatis, quam etiam illius

SEC. IX. poſt C. N.

illis ſuperaddiderat altiſſimus eorum, & ſubditorum irritatus impietate & iniuſtitia amiſerint. Actum autem id ſcribunt *Polonorum* A Hiſtoriographi anno gratiæ noningenteſimo quarto, quo tempore præfuit Eccleſiæ catholicæ *Agapitus* Papa ſecundus, qui ſedit annis octo, & diebus ſex.

Cum itaque *Polonorum* Proceres & vniuerſa nobilitas pro electione futuri Principis *Cruſuiciæ* dies plures incaſſum conſumpſiſſent, nec ſatis inter primores conueniret (ambientium enim Principatum electionem difficile fatiebant importuna ſuffragia) contigit eidem multitudini, quæ ad electionem conuenerat, victualium neceſſaria deeſſe. Quo defectu cum ſinguli angerentur, & diſceſſionem electione imperfecta pararent, duo hoſpites illi qui in tempore ſuperiori filium *Piaſt* B totonderant, medoniſque augmentum & carnium effecerant, domum *Piaſt* non ſine ſua, & vxoris ſuæ ingenti iucunditate introeunt, eidemque denunciant futurum eum eſſe oportere *Polonorum* Regem, & in *Polonia* annis multis regnaturum per filiorum & nepotum ſucceſſionem, qua denunciatione ille perterritus hoſpitum ſuorum reficitur conſolatione, qui illi Principatum felicibus ſucceſſibus augendum declarabant diuina voluntate, cui reſiſti non poteſt, obuenturum. Proceribus itaque & Nobilibus *Poloniæ*, non tàm fame eſurieque, quàm ſiti laborantibus, *Piaſt* hoſpitum ſuorum inſtructione, & iuſſu vaſculum medonis, quo ſe ille tantum cum domeſticis aleret, peregrinorumque neceſſitati ſubueniret, exponit. Cùmque omnis illa cohors & congregatio pro tàm neceſſaria refectione, in domum ſuam concurreret, omnibus tamen ex tenui, & exiguo vaſculo inebriatis medo, liquore illius diuina virtute & hoſpitum aduentu aucto, non ſolùm pro neceſſitate, ſed etiam pro ſatietate cœpit ſufficere. Vbi autem tanti prodigii, primum vulgata, deinde deprehenſa eſt certitudo, ad eligendum virum tam ſanctum in Regem omnium corda, & intentiones quaſi quadam religione commotæ, inſpirantur. Vnusque *Piaſt* miraculi prodigio declaratus, ex omnibus dignus viſus eſt, ad quem Regnum deferrent, incredibileque erat, quantus ardor huiuſmodi dignitatis ad *Piaſt* deferendæ, Procerum & totius Nobilitatis corda peruaſerat. Altero itaque die illi frequentes in ſolitum atrium conueniunt, atque vniuerſi concorditer *Piaſt* Regem denunciant & eligunt, atque in caſam ſuam in magna multitudine aduenientes iuxta denunciationem, quæ ei pridie Angelico miniſterio reuelata fuerat, ipſum iam virum ætatis mediæ & virilis in Regnum vocant vero ritu & aſſumunt. Verùm quo promptius eligendum inſtabant, ipſe electus reſiſtebat perſeuerantius. Poſtremo reluctantem circumfuſi omnes precibus deuincunt, vt magis coactus

Piaſto denunciatur per illos duos peregrinos futura de eo electio,

& ſic in Principem cum magno omnium gaudio eligitur,

& Regni ſolium

diu reluctans accipere cogitur.

quàm voluntarius Principatum ſuſciperet (eo quidem maiori cum ſua & totius ſuæ poſteritatis laude, quod ad faſtigium huius dignitatis, non ambitione populari, ſed ſpectabili morum moderatione diuino inſtinctu credatur, euectus) & Regem ſalutant; Regemq; ſibi & vniuerſæ genti, ac Regioni *Polonorum* conſtituunt & ordinant. Nihil penſi habentes, quod vir in tugurio ruſticano genitus, & nulla nobilitate inſignitus, ſortis etiam tenuiſſimæ fuerit, vtpote agrariam, & mellicidiorum exercens artem. Ex vili autem in quo degebat tugurio per *Polonorum* Proceres in Ducalem aulam deducendus, ſandalia ex ſuberino robore elaborata ſecum attulit, aſſeruarique in Regia mandat, poſteris ſuis videnda exhibendaque, quatenus intelligerent, ſuperbireque & inſoleſcere deſinerent omnes, *Polonorum* Regnum accepturi, quod originarius eorum Parens ex humili fortuna faſtigium Regium conſcenderit, felix nimium iudicandus, ex quo tot pullularunt excellentiſſimæ plantæ: tot illuſtres Principes emanarunt: tot animæ candidatæ prodierunt: tanta prodierit Regum videlicet & Principum *Poloniæ* numeroſa propago, etiam ad noſtra tempora floreſcens.

Reſtitiſſet autem *Piaſt* omnibus conatibus electioni de ſe factæ, illamq; quadam inſania ad ſe delatam crediliſſet, niſi diuino hoſpitum ſuorum miraculo de illa certior factus fuiſſet Itaque quamuis ſtupens & trepidus conſentit electioni, plurimum mirabundus, quæ ſibi ſors C nec ſperanti, ſed nec cogitare audenti contigerit. Quapropter generis ſui propago tantò euaſit ſublimior, quantò ſtirps credebatur fuiſſe depreſſior. In adminiſtrando autem & regendo *Polonorum* Regno, adeò illi diuina pietas (quam extunc licet ſuo gẽtili ritu feruentiſſima & magis præcipua, quã tunc, quando priuatus viueret, operum miſericordiæ cura colere adnixus eſt) ſucceſſus dedit, vt admiranda cunctis & celebris eius haberetur induſtria, cui ſinguli Proceres & vniuerſa Nobilitas *Polonorum*, videntes ſpecimen ſingularis ſapientiæ, & quæ magis collata infuſaque diuinitus, quàm naturali dote conceſſa videbatur, in eo lucere promptam obedientiam & ſubiectionem in omnibus quæcunque decreuerat, aut imperauerat exhibendo, pa- D rebant. Quieuit & ſub eius regimine ſingulorum hoſtium *Poloniam* inuadentium furia, prædonum & furum rabies contabuit, dùm & hoſtes mira æquitate modeſtiaq; compeſceret, & latrones animaduerſione debita puniret. Quo effectum eſt, vt Reſpubl. ſub iniquo & doloſo Rege *Pompilio*, & tandem poſt corroſionem ſuam, & ſtirpis ſuæ ex Baronum & Nobilium inteſtina commotione & guerra plurimum languida & depreſſa maximum reaſſumeret robur. Patrato per *Pompilium* ſuum immediatum prædeceſſorem in Patruos & Proceres ſuos ſceleri plurimùm infeſtus, Regiam in *Gneſnam* ex *Cruſuicia* originarium ſuum & vetu-

Piaſt omnia pacifica & domi & foris reddens

ſedem ex Cruſuica Gneſnam transfert,

SEC. IX. poſt C. N.

vetuſtum locum tranſtulit. Indignum iudicans illic *Polonorum* Metropolim conſiſtere,& iura gentibus reddi, vbi tam atrox facinus, quod etiam loci inſpectione renouabatur, admiſſum extitiſſet. Et quamuis ſub præfati *Piaſt* regimine & Principatu omnibus florerent ſucceſſibus, id tamen vnum magno diſcrimine *Poloniam* diuturno tempore inuoluit,quod filii & nepotes Principum circamarinorum *Pomeraniæ, Caſſubitarum* aliarumue quarum ſuperius mentionem fecimus, orarum, quorum parentes veneno à *Pompilio* fuerunt extincti,& parentum morte,& ſuo contemptu,alteriusque de humili ſorte ſurrogatione in Regem grandi furore commoti tributarium,& feudale iugum cui hactenus erant ſubiecti, amaritudine iuramenti,ſ. potius indignitate electionis permoti, abiicerent,pro infeſtis quoque hoſtibus magis, quàm pro feudalibus Principibus habiti in *Polonorum* gentem regionemque frequentibus debachationibus ſæuiebant. Dolebant ſiquidem parentes ſuos toxica fraude peremptos, ſed vltio diuinitùs immiſſa dolorem attenuabat. Verùm amplior cruciatus vniuscuiusque ſubibat præcordia,quod ruſticanæ ſortis hominem omnibus his præteritis videbantur præpoſuiſſe,& in Principatus locum, quolibet eorum neglecto ſuffectum. Principes verò & vniuerſi proceres ac Satrapæ *Poloniæ* neque indignum ducebant *Piaſt* parere faſcibus,& illius adorare tribunalia,quem obſcuræ ſortis hominem nouerant,relligione ad id non minus, quàm virtute inductum. Ineratque ſingulorum pectoribus non tenuis admiratio, quod quem primum manus aratro apponentem, boues iungentem,& in exigua gleba arantem, ex aluearíis quoque apum quæſtum exigentem in vili tugurio degentem animaduerterant, eundem in regia iura reddentem,necis & vitæ poteſtatem habentem,exercitus regentem,de hoſtibus triumphos & ſpolia referentem, viderent.

cui nepotes Pompilii tributum pendere negant, & multas in Polonos faciunt incurſiones.

Id ne cui ſcrupulum ad diffidendum pariat, & ſcripta noſtra præſentia præbeant occaſionem ad obtrectandum, duo exempla ſubnectam,vnum quod legitur in vita Sancti *Remigii*. Qui cum eſſet Archiepiſcopus *Remenſis*,& ſollicitus valde,vt inclytum populum ſuæ fidei commiſſum ad aulas reduceret cœleſtes, & diœceſim ſuam annis ſingulis per ſe ipſum corrigendo deformitates & vitia, & zizania euellendo viſitaret,hoſpitatus eſſet in domo cuiusdam conſanguineæ ſuæ,videns erubeſcere pro eo,quod vinum non haberet omiſſis omnibus facta oratione ante dolium vacuum, & ſigno crucis edito vinum exibat. Inſuper aliud quod in vita *S. Germani* legitur: Qui cum in *Britannia* cum ſociis & diſcipulis ſuis viris religioſis prædicaret, hiemis aſperitate vrgente Regis palatium intrat,petens hoſpitium a Rege,qui ei negauit. Cum autem ſubulcus Regis egrederetur è domo Regis ad ſuam portans portionem cibi ſui,miſericordia motus videns *Germanum* & Monachos eius in niue algentes,rogatos adduxit in tugurium,occidens & parans eis vitulum, quem *S. Germanus* congregatis eius oſſibus ſuper pellem,ſuis precibus reparauit,tunc mane Palatium ingreditur,& conuocato populo arguens Regem de crimine, & oſtendens eum indignum gubernatorem Regni, depoſuit eum à Regno, & ille cum virtuti diuinæ perquam operabatur Sanctus, non poſſet reſiſtere, licet inuitus receſſit cum coniuge & liberis ſuis de Palatio. Sanctus autem *Germanus* dictum ſubulcum Regem *Britanniæ* conſtituit propter hoſpitalitatem, & charitatem ſuam,& extunc Reges illi de ſubulco ſublimati ſunt.

Mira rerum metamorphoſis opera Beatorum Remigii & Germani euenit

Annis multis *Polonorum* Regno per *Piaſt* prudenter & feliciter gubernato, ſub quibus plura per *Pompilium* deformata ad euidentem inſtaurationem fuère redacta,*Piaſt* ipſe ſenio longo confectus centeſimo & vigeſimo anno ætatis ſuæ rebus exuitur humanis, non ſine vniuerſæ nobilitatis & populi grandi mœrore & luctu, ſingulos enim pro cuiuslibet conditione & merito extollebat, & præmiis afficiebat,parentisque magis quam Regis ab omnibus colebatur loco. Poſt eius deceſſum fauore & voluntate concordi totius Nobilitatis filius eius *Semouitus* in Ducem aſſumitur, & thronus paternus illi decernitur gubernandus, viuente ſiquidem Patre in Principem militiæ creatus in adminiſtrandis bellis,cæterisque Regni obeundis expediendisque negotiis pluribus probitatis ſignis emicuit. Frigoris enim, inediæ,& caloris patiens cibum potumque pro naturali menſura non pro voluntate ſumebat, vigiliarum, ſomniq; non diſterminans tempora,crebris vicibus inter cuſtodias, ſtationesque militum excubabat,ſolusque vniuerſa,vbi inſidiæ hoſtiles poni poſſent circumſpiciens,largitate in omnes munificus, & ſeueritate correptioneque modeſtus habitus ſuus nullam pompam redolens,vix procerum & Nobilium habitui æquabatur,quibus virtutibus, adeò ſe militibus & Proceribus, cunctisque ſtatibus *Polonorum* inſinuauerat,vt plusquam charo illum ſinguli venerarentur affectu, morteque Patris ſequuta,dignum omnes Principem acclamarent,imperium,ad annum Saluatoris nongenteſimum primum adeptus eſt.

SEC. IX. poſt C. N.

Piaſt moritur, cui filius ſuus Semouitus, vir optimus, ſuccedit.

In paternum ſolium *Semouitus* aſcendens, prioribus virtutibus aliquid magis adiicere conabatur. Vniuerſam igitur curam pro bene regenda Republica Principatus ſui, pro reſtituendis finibus Regni occupatis, & nouis propagandis intendens, creato primum Principe militiæ, etiam centuriones quinquagenarios, Decanos,Tribunos,Chiliarchos,ordinum tam equeſtrium quam pedeſtrium Ductores, præfectosque conſtituit,hosque antequam ad bella prodirent,certaminum ſimulacris & haſtarum, pugnarumque ludis exercitari, quo animoſio-

Semouitus

res

SEC. X. poſt C. N.

res & cautiores in hoſtes exiſterent, diſpoſuit: finitimis deinde *Pannoniis Albanis* & *Pruthenis*, pro terminis Regni ſui ſub *Popiel* Principis ignauia occupatis, bella mouit, & aliquot certaminibus confligens, hoſteſque magna ſtrage confundens, magnæ virtutis triumphum referens celebratus, cunctiſque per circuitum nationibus in terrorem erat. Recuperatis autem aſſiduitate bellorum veteribus *Polonorum* finibus, in aliud bellum mox conuerſus, Principibus *Pomeranis*, *Caſſubitarum*, & transmarinis, quorum Patres *Pompiliana* extinxerat per venenum ſæuitia, guerram pro denegato ſibi & Patri feudo indixit, eamque annis aliquot Principibus illis non robore aut militia exercitus, ſed ſitu, & difficultate locorum fortiter reſiſtentibus, continuauit: Verum antequam duras & rebelles eorum ceruices domuiſſet immatura morte apud *Gneſnam* obiit diem, 32. annis in Principatu peractis.

multa bella feliciter geſſit,

tandem Gneſnæ moritur.

Arnolpho Imperatore, qui anno Natiuitatis Domini noſtri octingenteſimo cœpit apud *Romanos* regnare, tres *Slauorum* Duces, videlicet *ROTISLAVS*, *SVENTOPELCVS*, & *KOCZIEL*, miſſis ad *Gregorium* Imperatorem *Michaëlem* nunciis, petierunt quatenus pro ipſis & eorum gentibus in fide chriſtiana erudiendis, doctos illos viros transmitteret, *Methodium* & *Cyrillum* mittit, qui Duces & gentem *Slauonicam* tùm primum ad fidem conuertunt ſcripturas de *Græco* in *Slauonicum* transferunt, Sacra in vulgari *Slauonica* peragenda inſtituunt lingua, ſedem Pontificalem apud *Wielograd* ponunt. Acceſiti poſthæc *Romam*, & à Summo Pontifice arguti, quod rem diuinam *Slauonica* lingua agerent, reſpondent a ſcriptura omnem ſpiritum laudare Dominum debere. Diſceptatione tandem in Sacro Senatu habita, licet non pauci apparuiſſent contradictores, obtentum tamen & decretum eſt, vt ſacra in lingua *Slauonica* iuxta atque *Latina*, *Græca*, & *Hebraica* peragantur.

Tres Duces Slauorum ad Arnolphum Imp. nuncios miſerunt, petentes ſibi viros doctos in S.Scriptura mitti.

Semouito decedente eius mors magnis *Poloniam* inuoluit mœroribus. Cùm enim Principem viderent ſibi ſubtractum, cuius virtute & auſpiciis magnas iam res geſſerant, & maiores ſe acturos ſperabant, cuius etiam largitione munifica, & triumphorum relatione priuatim & publicè opibus armiſque, & equis aucti erant, vberioraque victoriarum trophæa, amplioraque præmia, & laceræ patriæ redintegrationem eius ductu, eiuſque ſolertia ſe adepturos non dubitabant, beneuolentiam *Semouito* præſtitam, in filium eius *Leſconem*, quem vnicum reliquerat, conuertunt. Qui etſi nondum debitæ ætatis ſtatum attingeret, Procerum tamen & Nobilitatis communi aſſenſu poſt Patris funebria, ſummus per *Polonos* honos iuxta gentilitatis, & illius ætatis ritum eſt impenſus. *Leſzko* ipſe in Principem aſſumptus, & certi Barones pro Curatoribus, donec adoleſceret illi deputantur, ſub quorum gubernatione bellorum contra Principes *Pomeranorum*, *Caſſubitarum*, *Slauorum* & ciſmari-
A norum continuatio, intermiſſa clangit. In virilem autem ſtatum *Leſco* prouectus, paternarum virtutum cœpit eſſe imitator ſingulari prudentia, ſolertiaque Rempub. dirigens iuſticia & liberalitate ac probitate in omnes ſuos ſubditos clareſcens. Militiæ tamen munera non æquè vt Pater coluit, partiſq; & reſtauratis per Patrem nihil adiecit, & bellum contra Principes *Slauorum*, *Caſſubitarum*, & *Pomeranorum* penitus gerere intermiſit anno Incarnationis Chriſti noningenteſimo quinquageſimo ſecundo, ad regendam Monarchiam *Polonicam* aſſumptus.

Leſco filius Semouiti

in Principem Poloniæ eligitur.

SEC. X. poſt C. N.

Procerum & Optimatum *Poloniæ* charitate magis quam ſuo merito, in annos plures Princi-
B patu *Leſconis* producto, naſcitur illi filius, de cuius ortu plurimo exhilaratus gaudio nomen illi circa tonſuram *Zemomyſl* imponit ſignificatione nominis, quod ſonat terram recognitans terrarum *Poloniæ*, (in quarum futurum regimen genitus erat) ſollicitam ſibi curam demandans. *Leſcone* itaque mortuo prælatus filius ſuus *Zemomyſl*, perfectam in vita Patris nactus ætatem ſibi ſuccedit, naturali virium robore plurimum valens, non minori etiam virtutum ornatu fulgeſcens, enitebatur, ſi quidem pro viribus, & id præcipua vendicabat cura, vt tam auitam, quàm paternam in omnibus actionibus exprimeret indolem, & virtutum fragrantiam, iuxta ac ille in ciues & forenſes ef-
C funderet. Et quamuis auitam felicitatem, audaciamque in gerendis bellis non impleuit, cæteris tamen virtutibus ſuis nihilo fuit inferior, & quod illi bellica laude & armis, hoc iſte toga, & prudentiſſima in ſingulis rebus libratrice modeſtia creditus eſt patriæ præſtitiſſe facinora. *Ioanne* Papa X. impie mortuo, *Benedictus* quintus à *Romanis* eligitur contra *Leonem*, ſed à *Cæſare Ottone* deponitur, & in exilium ad *Saxones* miſſus, illic conſeneſcens obiit.

Leſconi Zemomyſl naſcitur,

filius optimus & ſuccedit.

Angebatur autem Princeps *Zemomyſl* dolore ingenti, quod vxor ſua annis pluribus ſterilis manebat, credens ſtirpem ſuam extinctum iri. Inſpectore tamen, & omnium virtutum remuneratore Deo, apud quem nullum opus
D ſine præmio præterit, ſterilitatis opprobrio adempto, fœcunda & grauida eſſe cepit, ſed partus die adueniente, ſummum gaudium, quod de ortu nouæ prolis *Zemomyſl* credebat ſibi prouenturum, verti contigit in luctum. Enixa quidem eſt vxor *Zemomyſl* marem, ſed cœcum, quod vtrique parenti ſingularem dolorem, & amaritudinem inferebat, ſterilitatis quoque incommodum dedecore illo magis videbatur auctum, quam præciſum. Stimulabat & amplior dolor, quod Regina illa, vnico filio cœco edito parere deſinens, ſterilis vt ante permanſit. Natus quoque filius in annos aliquot ſucceſcens, nec aliqua viſus potentiæ ſigna præferens, perpetuam caliginem oculorum præten-

Naſcitur filius Zemomislao cæcq.

SEC. X. poſt C. N.

debatur habiturus. Pater autem pueri in virtutum operatione nihilo factus ſegnior, ſed pluribus actionibus Deo placitis refulgens, hoſpitalitatem, quam ceu hæreditariam à Proauis acceperat, ſummo ſtudio ſectabatur. Omnium autem quos vnquam legi *Polonorum* hiſtoriographorum annales & literas, de cœcitate huius *Mieſzkonis* concordant, ſcribentes illum adhuc intra cellam materni vteris, cœcitatis contraxiſſe tenebras, cœcumque effuſum integro ſeptennio ab ortu cœcitatis ærumnas toleraſſe aiunt. At clementiſſimus Deus generi *Polonico* propitiationis gratiam, poſt tot quæ proceſſerunt ætates, impreſſurus; lumineque *Polonos* iuxta ac cæteras illuſtraturus gentes fidei, cœcum Principem naſci, cœcitatiſque opprobria ſeptennio ferre oculto iudicio permiſit. Vt ipſe Princeps caligine oculorum percuſſus mente plus videret quam oculis, & cœcitatis tenebris à ſe per gratiam ſaluatoris depulſis carnalibus propenſius, & ipſe à ſe, & ab vniuerſa gente ſua *Polonica* infidelitatis, & idololatriæ ſordes & tenebras depelleret diuturno tempore concretas.

Mieſzko nomine

Cum poſt ſeptennium Mieſco tonderetur,

Inſtante denique ſeptennio, in quo iuxta ritum *Polonorum* veterem & gentilem filius Principis debebat tonſurari, & nomen illi aptari, & imponi, *Zemomyſl* Princeps Proceres & Nobiles *Poloniæ*, *Gneſnam*, ad ſolennitatem tonſurationis in filio ſuo quamuis cœco peragendam inuitat, dieque conſtituta adueniente, dùm de nomine puero aptè imponendo quæreret, *Mieſzkum* illum & Patris & Procerum decreto appellari placuit, quod in vulgari *Polonico* ſonat turbatio, vel commotio, eò quod conditione ſuæ cœcitatis & parentibus, & genti *Polonicæ* in ſuo exortu confuſionem intulit, & ipſo *Zemomyſl* decedente maiorem turbationem eſſet illaturus, verentibus Proceribus & Nobilibus *Poloniæ*, & id crebra ſermonum & tractatuum ingeminatione vſurpantibus; quod à Patre ſuo *Zemomyſl* mortuo maior vel eadem turbatio, quæ poſt mortem *Pompilii* acciderat, *Poloniam* eſſet inuaſura. Tonſurato itaque Principis *Zemomyſl* filio cœperunt tàm ipſe quàm omnes Proceres epulari.

& pater celebraret conuiuium mœſtus

Ouantibus tamen omnibus ſolus Princeps *Zemomyſl* filii tunc tonſurati cœcitatem animo & cogitatione dimetiens, altis ſuſpiriis pectus implebat, tacitis ſingultibus de tanta nati infelicitate, ſeipſum verberando, cui tanto dolore conſternato mirum in modum ſubitus nuncius aduenit, denuncians filium *Mieſzkonem* in ipſa hora perfectam claritatem, & viſionem oculorum accepiſſe, ſed Patre Principe, & conuiuis omnibus dubitantibus magis quàm credentibus, mater pueri Principiſſa de epulantium triclinio exiuit, experimentum denunciatæ nouitatis palpatura. Quæ cubile quo puer aſſeruabatur ingreſſa, videns in orbibus oculorum prioribus, nebulam diſſolutam & veram claritatem illuxiſſe, attonita præ gaudio decidit in terram, & à miniſtris ſubleuata reſumpto ſpiritu, rapto in vlnas puero, ad coniugis A & conuiuarum defert conſpectum, ſciens niſi coram cernerent puerum, accidenti miraculo nullatenus credituros.

aperti ſunt oculi illius,

& vidit cum omnium lætitia.

Repletur ſummo gaudio Pater, replentur & conuiuæ, Pater tamen ſublato opprobrio vberius exultans, lachrimis faciem irrigat, quas lætitiæ immenſitas indices cordis excuſſerat. Puer quoque *Mieczſław* mirabundus exultans, & nunc parentem, nunc conuiuarum intuitus, quos nunquam ante viderat, vultus, ſingulis illum certatim deoſculantibus applaudit, extenduntur dies conuiuis, epularum quoq; præparatio intenditur, & magno ſtrepitu, mugitu atque iubilo Regia concrepat vniuerſa. Parum quoque *Zemomyſl* ducens ſingulis Proceribus & B Nobilibus inuitatis munera largiri, munificum ſe cunctis eo die & tempore plus ſolito oſtendens, quod diuinitate propitia deſiit eſſe, & infelix & orbus. Placet nonnullis Ducalem puerum *Miecſlaum*, quod ſignificat iturum in gloriam appellatum fuiſſe, ſed & nomen *Mieſzko* per vocationis diuinationem, dum pueritiam ageret, defluxiſſe. Quam opinionem, nos quoque ex multiplici reſpectu probamus attendentes, quod *Poloni* Regum & Principum ſuorum nomina non in *ko*, ſed in *ſław* terminare ſoliti ſunt, lingua ſua formando Principum & Regum nomina, *Władyſław*, *Boleſław*, *Przemyſław*, *Staniſław*, *Swiętoſław*. Puer *Mieczſław* cultiori poſt hæc prouidentibus parentibus cura habitus eſt, ac tàm C miniſtrorum, quàm ſuppellectilium ad eius ingenuam educationem duplicatus numerus & ordo. Magnum enim illum futurum, tàm apud Patrem, & Proceres Nobileſque *Poloniæ*, quàm apud vicinas nationes declarabat naturalis cœcitatis vſque ad ſeptennium perpeſſæ, ſupernæ quoque illuminationis diuinitus attributæ portentum. Quo quidem *Zemomyſl* Princeps vehementius, quam cæteri paterno incenſus ardore ac promotus, ariolos, auriſpices, diuinos, pithoneſque ſæpius ſcrupuloſe conſultos inquirebat, quid filii ſui cœci nati caligo, & in ſeptennio diuinitus collata illuminatio portenderet. Omnium autem conſona reſponſione accipiebat Regionem *Polonorum* D ſuperiorum Principum prauis moribus & ignauia cœcutientem tenebreſcentemq; filii ſui virtute & ſingulari prudentia fore & illuſtrandam & in ſublimè erigendam, quod etſi Pater diuinatoreſque implendum carnaliter intellexiſſent; veriori tamen ſpirituali intellectu approbatur fuiſſe impletum. Poſtquam *Mieczſław* ipſe ſuperſtitione idolorum, quam hæreditaria ſucceſſione coluerat, & quorum cultura per plures ſucceſſiones traducta, ſeptennario, qui vniuerſitati deſeruit, ſignificatur munere abiecta, lucem veri luminis & fidei, vt in ſequentibus narrabimus apprehendit. *Zemomyſl* itaque *Polonorum* Monarcha, cum plures annos gra-

SEC. X. poſt C. N.

Ariolis illum magnum futurum pollicentibus,

SEC. X. poſt C. N.

gratus ciuibus, gratus Nobilibus, gratus forenſibus in Principatu exegiſſet, & Rempublicam ſtrenue ac prudenter gubernaſſet, filio *Miecslao*, iam maturam ætatem ſortito, Regnum derelinquens in ætate pæne eadem, qua proauus ſuus *Piaſt*, licet in ritu ſacrilego, complorante illum vniuerſa *Poloniæ*, mortuus eſt, & in *Gneznenſi* caſtro Patribus ſuis gentilitatis more appoſitus, anno ab ortu *Chriſti* noningenteſimo ſexageſimo quarto, annis octo in Regni *Poloniæ* gubernatione abſumptis.

deinde eo adulto Zemomyſl moritur non ſine luctu omnium.

Miecslaus parenti Zemomyſl ſuccedit,

Sepultura *Zemomyſl* Principis iuſto honore confecta, Proceres & Nobiles vniuerſi *Poloniæ*, vnico filio eius *Miecslaw*, vltimo paganorum Duci collatum dudum a Patre innouant Regnum, & ipſum *Gneſnæ* in Dominum & Monarcham *Polonorum* aſſumunt, ac quidem minus cunctanter, pro maiori ſpe ſuam Rempublicam per illum, vt diuinatores prodiderant, amplificandam credentes, & quamuis iuſto imperitauerit regimine, nonnullaque bella cum finitimis feliciter geſſerit, per annos tamen multos falſa augurum non implentur oracula, vt etiam quibusdam à ſpe concepta excidiſſe videretur. In Venerem namque more barbarico procliuis erat. Cuius licet caſtiſſima fuerit adoleſcentia, libidinoſa tamen & laſciuiens fuit ætas prouectior. Septem enim pellicibus, quas vxores nominabat, vtebatur. Non tamen ex aliqua illarum ſobolem & futurum ſuæ ſucceſſionis ſolatium ſuſceperat. Qui dum orbitatem ſuam crebris accuſaret ſermonibus, per nonnullos viros catholicos ſpirituales atque ſeculares qui in curia ſua obſeruabantur, & qui ex finitimis regionibus curiam ſuam accedebant, per quos iam fidei ſplendor & Chriſti redemptoris aduentus lucere in *Polonia* cœperat, ſenſim ſibi ſuggeſtum eſt, vt ſacrilego Idololatriæ cultu relicto, vnum verum Deum agnoſceret, & fidem catholicam cum gente ſua profanis ritibus dedita ſuſciperet, tunc enim & fœcunditatem ſibi prolis, & cuncta alia feliciter prouentura, & ipſum inter Principes catholicos *Slauonici* generis atque linguæ in ſe & filiis ſuis celſiorem ſortiturum thronum, & magnum & celebrem futurum, cui ſuggeſtioni benignas aures accommodanti, plurima per viros religioſos & eremitas adiecta ſunt, quibus & idolorum, quæ hactenus colebat ſpurcicies, & cultoribus eorum generales, & perpetui præparati detegebantur cruciatus. Simul quoque diuini conſilii ſuper redemtione noſtri generis, ſumma benignitas ſibi declarabatur. Propitiatione itaque agni cœleſtis, qui *Polonorum* gentem ſacrilegis ritibus hactenus ſpurcidam & fœdam, cæterisque *Slauorum* nationibus inuiſam & contemptam corripere, & ad ſui nominis agnitionem, inuocationem, & cultum voluit perducere, inſpiratus, & ſalutaribus conſiliis & monitis virorum religioſorum & eremitarum perſuaſus, flexus eſt chriſtianum venerari dogma, & ſe per omnia eorum doctrinis acquieturum promiſit, & omnes *Polonorum* regiones à diis gentium ad veram orthodoxam religionem, cæremoniasque eius adducturum ſe ſpopondit.

& quamuis ad libidinem pronus eſſet, tamen conſilio catholicorum


SEC. X. poſt C. N.

inducitur ad ſuſcipiendam fidem chriſtianam, & promittit.

Premiſlaus ſeu *Nicklam Bohemicus* Dux moriturus, *Heſtinicum* maiorem natu filium in Principatu inſtituens, *Dipoldo* altero filio Prouinciam *Gurmenſem* in ſortem dedit, *Heſtinico Borzywoi* ſucceſſit, qui & ipſe à Beato *Methodio Morauorum* Epiſcopo, cum *Ludimilla* coniuge ſua filia Comitis *Samborii* ad gratiam Baptiſmi perductus eſt, *Borziwoi* duos filios *Spitigneum* & *Wratiſlaum* reliquit. Primus Patri ſucceſſit, ſed moriens ſine liberis fratri Principatum reliquit. Coniux *Wratiſlai Drahomicia* mulier audax; & in ſcelus prona duos vno partu geminos *Venceslaum* & *Boleslaum* effudit. Prior à *Ludimilla* enutritus, alter à matre, vterque mores alumnarum ſortiti, *Venceslaus* pius, manſuetus, religioſus, & in pauperes liberalis: *Boleslaus* contra, ambitioſus, rapere, occidere, adulterari, & opprimere ſolitus. *Ludimilla* Patre excedente imperium Regni ſortita iuſſu *Drahomiciæ* ſtrangulata eſt, & inter Sanctas relata. *Venceslaus* charitate populi propter Sanctos mores celebris & admirandus habebatur, at odio frater *Boleslaus* inflammatus matre inſtigante conuiuium inſtruxit & *Venceslaum* fratrem inuitat, tum poſt epulas ad Eccleſiam orationis gratia properantem in limine, anno *Chriſti* noningenteſimo trigeſimo octauo, & anno *Ottonis* primo obtruncat, qui & ipſe clariſſimis fulgens miraculis, Sanctorum ordines ſortitus eſt. Mater *Drohomicia* pro ſcelere patrato apud *Pragenſem* arcem hiatu terræ abſorpta eſt. *Boleslaus* totius *Bohemiæ* germano interfecto, cuius ſibi longum putabat mortem expectare, Dominium adeptus. Indignam mortem B. *Venceslai Otto* primus vlturus, *Boleslao* Principi bellum indicit, longaque inter eos altercatio annis quatuordecim fuit.

Sanctus Venceslaus & Ludomilla à fratre Boleslao in Bohemia interficitur.

FINIS LIBRI PRIMI.



IOANNIS DŁVGOSSI
SEV
LONGINI
CANONICI CRACOVIENSIS,
HISTORIÆ POLONICÆ
LIBER SECVNDVS.

A. C. 965. *Miecslaus* — 965.

MOnentibus autem viris catholicis & religioſis, ſeptem pellices, quarum carnali detinebatur amore à ſe abdicare iuſſus, ne mollicies muliebris eum in aſſueracla detineret idololatria. Quarum contubernio remoto ad Principem *Bohemiæ Boleslaum:* Sancti *Venceslai* interfectorem & germanum, procos mittit filiam ſuam *Dąbrowkam* pro vnica & legitima vxore ſibi petituros. Verùm dum *Bohemiæ* Princeps reſponderet ſe magnificum & inſignem generum non abominaturum, ſi illum ritus gentiles abiicere, & fidei ſanctæ catholicæ normam ſuſcipere contigiſſet. Aliter enim filiam ſuam nulla ratione gentili, & idolorum cultori Principi aliquatenus deſponſaturum eſſe. Eodem etiam reſponſo virgo Ducalis *Dąbrowka* procis & nunciis *Miecslai Poloniæ* Ducis illam de ineundo fœdere matrimonii interpellantibus vſa reſpondit, non conuenire profeſſioni ſuæ chriſtianæ, vt idololatræ nubat, vbi tamen *Miecslaus* Dux *Poloniæ* ſpurcitias idolorum abiecerit, & baptiſmatis lauacro renatus fuerit, non recuſaturam ſe vt in A eius tranſeat amplexus.

Dąbrowkæ Bohemorum Principis filiæ nuptias petit,

quæ ea conditione, vt Miecslaus christianam religionem aſſumeret,

Eo reſponſo in *Poloniam* relato, cum frequenti Senatu *Miecslaus* Dux *Poloniæ* coacto, quid facto opus eſſet, conſuleret, Satraparum ſuorum ſententiis variantibus placuit rem in craſtinum differri. Nocte verò ſubſequenti propitiatio diuina ærumnas longi erroris *Polonorum* miſerata, *Miecslao Polonorum* Duci & plerisque ſuis conſiliariis per quietem inſpirat, & imperioſa iuſſione mandat conditionem oblatam, ne negligant felicitatem Regni ex fide ſuſcepta ab eo tempore in omnes ætates habituros. Mouit hæc viſio Ducem *Poloniæ* & Proceres, decretoque concordi de aſſumenda chriſtianæ religionis puri- B tate facto, cùm frequentes nuncii in *Bohemiam* miſſi promitterent, coniuncta affinitate Principem ſuum non ſe ſolum, ſed & vniuerſam Polonorum gentem de fidei articulis peroptimè inſtructam, vnda baptiſmatis abluturum eſſe. Euidenti certificatione allegantibus affinitatem poſtulatam Dux *Bohemiæ* gratificat, & nunciis Ducis *Poloniæ Miecsław*, filiam ſuam *Dąbrowkam* virginem nobilem & honeſtam, cum dote & ſuppellectili locante & accipiente digna, tradit præfato Duci *Polonorum* deſponſandam. Fuerunt autem plures numero Polonorum Regni Proceres & Satrapæ, qui

ipſi traditur.

in

965. in ſuſcipienda fide chriſtiana diſſentientes grauiter aduerſabantur, alii dicentes eſſe ſuperſtitioſam chriſtianorum ſectam: alii obſeruan- A tias eius fore difficiles: alii non eſſe bonum poſtponere commoda paternarum traditionum, & nouæ ſectæ, & hactenus inſolitæ libera colla ſubiugare. Has tamen & plures alias oppoſitiones miſeratione diuina, quæ dat ſalutem Regibus, ærumnas longi erroris *Polonorum* miſerata, facile diſſoluit inſpirando *Polonis* concordiam, & religionis chriſtianæ pietatem, ne illa abiecta à *Bohemis*, cæteriſque nationibus pro contemptibilibus haberentur. Procis autem Ducis *Poloniæ Miecslai*, pluribuſque Baronibus & Nobilibus de *Bohemia* virginem *Dambrowkam* cum apparatu & ſumptu magnifico, dotemque & ſuppellectilem raram & inſignem ſecum, vt par & dignum B erat ſocero & genero, ferentem, comitantibus ad regiam *Gneſnenſem* perducta. Vbi tam à Duce *Miecslao* & ſuis Proceribus *Poloniæ*, quam ab omnibus ordinibus ſibi obuiam itum eſt, & ingreſſus ſuus magnifico cultu & ſuperbo exceptus eſt, pro qua honeſtanda inſigniores matronæ & virgines *Poloniæ* variis gemmis, auro argentoque onuſtæ, cæteriſque inſignibus *Gneſnam* iuſſu Principis conuenerant. Tranſactis autem paucis diebus, Dux *Miecslaw* de fidei orthodoxæ articulis & ritu ſufficienter per viros religioſos, & anachoriticam vitam in religionibus ſuis ducentes, quos eam ob rem ſingulariter acceſſiuerat, inſtructus, tenebris vetuſti erroris renunciat cum principalioribus C Baronibus & Nobilibus, vrbiumque Poloniæ Primoribus ſaluberrimam orthodoxæ religionis Catholicæ legem amplexurus, ſuæ de tenebris idololatriæ, in lumen fidei conuerſionis primitias ſacro fonte conſecrat, ſacrum in *Gneſna* ſuſcipit Baptiſma, & depoſita per regenerationis vndam vetuſtate peccati, in nouam animæ innocentiam, vitæque inſtantiam eſt renatus lauacro baptiſmatis ſordes abluens, tam facinorum, quàm idolorum, ex cœca & vetuſta caligine idololatriæ, in agnitionem puritatem, atque religionem fidei orthodoxæ vocatus, lumenque eiusdem fidei lumine rationis naturalis, qua etiam illum vigere altiſſimus conceſſerat, excedente, illuſtratus ex D gratia Spiritus Sancti, ex aqua & ſpiritu renatus eſt, vetuſtoque nomine *Mieſzko* abrogato, velut barbaro, *Miecslaus* nominatur.

Baptiſmum deinde accipit

Sed & germana ſua virgo ſacro charactere fidei inſignita catholica efficitur, eique nomen *ADLEIDA* aptatur. Eodem inſuper die ſacramento baptiſmi percepto, Dux *Miecslaus* aliud ſuſcipit ſacramentum, & virginem *Dabrowkam* ritu catholico ſibi deſponſat, & nuptiæ feliciſſimæ corrogatis vicinis Principibus *Gneſnæ* pluribus diebus magnifico celebrantur apparatu, & ſinguli inuitati conuiuæ delicatis tractantur neceſſariis, & multiplices ludi ac ſpectacula in honorem Principis, ac decus

cum ſorore ſua,

magna ſolennitate inſtaurantur. Quibus finitis Principes finitimi, Baroneſque & Nobiles *Bohemiæ* ſumptuoſis muneribus a Duce *Miecslao* honorati, in oras proprias reuerſi, Ducis *Poloniæ Miecslai* munificentiam & opulentiam laxato ſermone diuulgant. Ex eo deinde tempore vniuerſa *Polonorum* regio, fidei catholicæ iugum ſuſcepit, ſtudio quoque Ducis *Miecslai* & conſortis ſuæ *Dambrowkæ* feruentiſſimo *Poloni*, miſeratione diuina, lumine fidei illuſtrati, præſidente in cathedra *Petri Leone* octauo natione *Romano*, qui eodem anno rebus humanis exemptus eſt, & cui in Vicarium *Chriſti*, *Stephanus* ſeptimus natione *Germanus* per electionem conformem pietatis ſucceſſit, ſecundum alios *Ioannes XIV.* natione *Narnienſis*, aliqui ſcribunt *XII.* 965.

& tota Polonia,

Strictiſſimo poſthæc *Miecslai Polonorum* Principis edicto, & omnium Baronum, & Nobilium *Poloniæ* conſenſu conformi, confringuntur idola, & falſorum Deorum ſimulacra, atque ædes flammis traduntur; cultores verò illorum & ſingulorum bonorum priuatione & capitis præciſione mulctantur, non modo ſingulos ritus celebrationes atque feſta, quibus honos & ſupplicatio idolis impendebatur, ſed & omnes incantatores, ariolos, augures, & phitones, *Mieczslaus* Dux *Polonorum* abrogauit, & eraſit de terra, ludos omnes publicè & priuatim in honorem deorum geſtos prohibuit.

omnemque gentilitatem abrogat,

Non enim eſt Deus noſter vt dii gentium, quos ſæpè populus *Polonicus* ludis, plauſibus, & geſtis inhoneſtis, atque ſexcentis aliis generibus impietatis placatos credidit efficere. Feliciſſimus profecto & Deo amabilis Princeps, qui primus *Polonorum* regiones fidei orthodoxæ & corpori ſanctæ Eccleſiæ per veritatis cognitionem & idolorum deſertionem inuiſcerauit. Et quoniam ferè in omnibus ciuitatibus, oppidis & vicis inſignioribus *Poloniæ*, ſimulacra deorum & dearum idola atque luci habebantur, quæ lentius tardiuſque quàm iuſſio habebat, *Miecslai* Principis ſuccidebantur confringebanturque; ſeptima dies Martii ad confringendum abolendumq; ea in vniuerſis *Polonorum* regionibus à *Miecslao* indicta eſt, qua adueniente quælibet ciuitas, quæq; villa deorum ſuorum ſimulacra confringere, & confracta in paludes lacus & ſtagna proſequente vtriuſque ſexus populo demergere, ſaxiſque obruere, cultoribus deorum dearumque & iis præſertim, quibus ſacra eorum erant quæſtui profuſius ingemiſcentibus, illachrimantibuſque non tamen quicquam metu præfectorum Ducalium mutare audentibus, coacta eſt.

idolis Dominica Lætare confractis,

Quæ quidem deorum & dearum idolorumque confractio & immerſio, tunc facta apud nonnullas Polonorum villas, ſimulacris *Dziewannæ* & *Marzannæ* in longo ligno extollentibus, & in paludes in Dominica Quadrageſimæ Lætare proiicientibus & demergentibus, repræſentatur renouatur in hunc diem, nec hu-

quæ conſuetudo quotannis repetitur.

huius conſuetudinis vetuſtiſſimo effectus vſque modo apud *Polonos* defluxit.

A. C. 966. *Miecslaus*

Rudimenta fidei nuper ſuſceptæ & iniciatæ, *Miecslaus* qui & *Mieſzko Polonorum* Princeps poſt ſacros ſuſcepti baptiſmatis latices auctūrus, apud cœleſtem Regem ſuorum cumulum meritorum, & fulgorem ſui diffuſurus Principatus in ſoliditatem perfecti roboris, volens perducere, & in omnibus, quibus Chriſtiana religio veneraretur, & coleretur, cæteris Principibus nihil omninò inferior eſſe, ad ſacrorum locorum dotationem, miniſtrorumque Dei inſtitutionem, fideli & deuota conſorte Duciſſa *Dambrowka* ſuapte religioſum, & feruenti deuotione refertum animum mariti & Principis ſui inſtiganti, omnem curam & cogitationem ſuam conuertit, & primum quidem in locis magis celebribus, *Gneſnæ* videlicet & *Cracouiæ* duas fundat Metropoles: *Gneſnenſem* videlicet in titulum & honorem Excellentiſſimi Dei, & eius genitricis virginis *Mariæ*, à qua plenitudo totius ſalutis & gratiæ manauit: *Cracouienſem* verò ad inſtantiſſimas preces conſortis ſuæ *Dambrowka*, in titulum ſancti *Venceslai* noui eo tempore martyris, cuius eadem *Dabrowka* Duciſſa germana erat neptis. Et quamuis in natione *Slauonica* primus martyrio & ſanctitate inſigni refulſiſſet, *Gneſnenſi* tamen ſuperiorem eſſe voluit, & apud illam decus Principale conſiſtere; *Cracouienſi* verò ſecundam. Itaque Eccleſia *Cracouienſis* præripuit *Gneſnenſem*, ne eſſet vna, *Gneſnenſis* verò præripuit *Cracouienſem* ne eſſet prima. Pro quarum honore Metropolitico ſeptem alias Eccleſias, videlicet *Poſnanienſem*, *Smogorzouienſem*, quæ nunc *Wratislauienſis*, *Kruſuicienſem*, quæ nunc *Wladislauienſis*, *Plocenſem*, *Culmenſem*, *Lubucenſem*, & *Kamenecenſem*. Quas ſeptē Eccleſias iure Metropolitico, *Gneſnenſi* & *Cracouienſi* Metropolibus, voluit eſſe ſubiectas. Duæ autem Suffraganeæ quas nominauimus, *Smogorzouienſis* & *Cruſuicienſis* propter locorum transmutationem etiam titulos ſuos variare coactæ ſunt. *Smogorzouienſis* enim primum in *Byczinam* oppidum diſtrictus *Brzegienſis*, ſed propter vberiorem ſitum tandem in *Wratislauiam* tranſlata eſt, & vltimi loci ſortita eſt appellationem: *Cruſuicienſis* verò propter ſolitudinem loci, in quo primum fundata erat, *Wladislauiam* meruit transferri: Cæteræ Eccleſiæ Cathedrales, & loca & nomina originaria retinent in hunc diem. Fundauit præterea & alias Collegiatas plures Parochialesque Eccleſias, monaſteria & loca religioſa, ſecundum quod neophitorum populorum, tùm neceſſitati, tùm deuotioni videbat congruere, *Smogorzouienſem* ſeu *Wratislauienſem* Sancto *Ioanni Baptiſtæ*, Principatum poſt intemeratam virginem inter omnes ſanctos retinentem: *Poſnanienſem* Sanctis duobus præcipuis Apoſtolis *Petro* & *Paulo*: *Cruſuicienſem* ſeu *Wladislauienſem* Sanctæ *Mariæ* Virgi-

Chriſtianam religionem proſequens

duas Metropoles,

ſeptem Epiſcopatus,

& multas Collegiatas Eccleſias fundat.

966.

ni: *Plocenſem* Sancto *Sigismundo* Regi & Martyri: *Culmenſem* Sanctæ Cruci: *Camene-* A *cenſem* Sancto *Ioanni Baptiſtæ*: *Lubucenſem* Sancto *Ioanni* Euangeliſtæ in titulos erexit, & in honorem eorum Baſilicas præfatas dedicari diſpoſuit, quod quidem ſui operis pium & laudabile in fundandis & dotandis tot Eccleſiis Cathedralibus meritum, felicitatem ſuam ad æterna capeſſenda prouexit præmia, & tàm ſuo, quàm omnium ſucceſſorum ſuorum Principum & Regum Poloniæ exemplo, templa omnibus Sanctis laude maxima efferendis mandauit, & res perituras coegit tranſire, mercedem & immarceſſibilem theſaurum ſibi apud poſteros cumulaturus: teſtimonia ad id nulla exquirens, cum operis effectus ſub hominum conſpectu aſſiduè relucens dicta præponderans, quantalibet diſpoſitione ſolen- B nior opus ſuum apud Deum & homines illuſtret. Quapropter omnium bonorum retributor multiplicauit Regni *Polonici* proſperos ſucceſſus, multiplicauit incrementa frugum, iuſtitiæ, leges cumulauit, gloriam præſtitit virtutis, præmia poſt hæc æterna largiturus. Ordinatus eſt autem in *Gneſnenſi* Eccleſia primus Archiepiſcopus *Vilibaldinus*: in *Cracouienſi* verò primus Archiepiſcopus *Prochorius*: in *Poſnanienſi* primus *Iordanus*, in *Wratislauienſi* primus *Gotfridus*, in *Wladislauienſi* primus *Lucidus*, in *Plocenſi* primus *Angelotus*, in *Culmenſi* primus *Octauianus*, in *Camenecenſi* primus *Iulianus*, in *Lubucenſi* primus *Iacintus*. Egit eo anno Dux *Ruſſiæ Suatislaus* in *Koza-* C *ros*, qui & ipſi *Ruthenorum* ſunt populi, expeditionem, & obtinuit eos bello, & cepit caſtrum eorū *Białouica*, & facti ſunt ei tributarii.

Quarum Epiſcoporum nomina.

Egidius Epiſcopus *Tuſculanus* Cardinalis *Poloniam* à ſummo Pontifice *Ioanne* tertio miſſus, ſingulos Epiſcopatus *Poloniæ*, videlicet bi- duas Metropoles, *Gneſnenſem* & *Cracouienſem*. Item *Poſnanienſem*, *Wratislauienſem*, *Wladislauienſem*, *Plocenſem*, *Chelmenſem*, *Lubecenſem*, & *Kamienecenſem*, Cathedrales Eccleſias confirmauit, & ſingulis diœceſibus terminos poſuit & diſtinxit. De quo etſi ſingulæ Eccleſiæ eiuſdem *Egidii* Cardinalis & Legati priuilegia & literas habuiſſent, ſingularum tamen Eccleſiarum ſingulæ literæ, aut parum ſolerti cura cu- D ſtoditæ amiſſæ ſunt, aut frequentibus cùm tunc in Polonia non frequentes forent muri, periere incendiis.

& confirmatio recenſetur.

967. *Miecſlaus*

Nouem Eccleſiis Cathedralibus à ſe fundatis, *Miecslaus Polonorum* Dux dotes ſufficientes aſſignat, & tàm Pontificibus earum, quàm perſonalibus dignitatibus, & Canonicalibus, & Cathedralibus, & in aliis inſtitutis monaſteriis & Eccleſiis Parochialibus, omnem vniuerſæ *Polonorū* regionis omnium frugum naſcentium deputauit decimationem, ſed & omnes Barones Proceres, ciues & ruſticos, non ſolùm ad redditionem, ſed etiam ad ducturam campeſtralis decimæ ſubiiciens, largitus eſt. Præterea Eccleſiis Cathe-

Eccleſias fundatas redditibus inſtruit,

967. Cathedralibus collegiatis, conuentualibus, & Parochialibus, largas poſſeſſiones, fundos, reditus, & prædia largitus eſt, & precioſa clenodia, & vaſa diuerſi operis ex auro argentoque fabricata, veſtes quoque ſacras, & cætera ornamenta donauit. Sed neque his contentus, omnes Cathedrales Eccleſias à ſe fundatas, firmiſſimis, licet humilibus & anguſtis muris, iuxta illius temporis qualificationem & morem, quadrata petra & tabulata perfecit, & ornamentis plurimis variatas lapidum iuncturis commiſſionibuſque ferri & plumbi communiuit. Ex omnibus tamen octo Eccleſiis præfatis deuotione & ſumptu ſuo fabricatis, vnam tantummodo *Cruſuicienſem* ſupereſſe videmus antiquitatem ſuæ fabricæ, ſaxo, artificio & muro atteſtantem. Septem enim cæteræ ſucceſſu temporum & Regum, Principum, Pontificumque *Poloniæ*, deuotione & liberalitate accreſcente, demolitæ ſunt, & in earum vicem inſignes & excellentes Eccleſiæ magnifico & ſumptuoſo opere, amplificato ſitu extructæ. Prouidebat & illuſtris religioſaque fœmina Duciſſa *Dabrowka*, pro vice ſua ſingulis Eccleſiis à viro ſuo fundatis, vaſis, apparatibuſque ad cultum Eccleſiarum neceſſariis, & vniuerſa quæ potuit habere in ſacrorum locorum vſum & ornamenta erogabat, adeò, vt eam cum marito ſuo Duce liberalitate, & largitione in Eccleſias & ſeruos Dei conſtet pio ſtudio certauiſſe. Quorum vniuerſa *Poloniæ* Baronitas, & nobilitas æmulata mores & veſtigia in prædiis & villis ſuis ad conſtructionem & fundationem Eccleſiarum, dotationemque earum feruentius intendebat. Ex alto autem benignitas diuina in opera iam per Ducem *Miecslaum* & conſortem ſuam *Dambrowkam* edita edendaue reſpiciens, prolis fœcunditatem illis conceſſit. Nam Duciſſa *Dabrowka* concipiens filium pulcherrimum peperit: Cui patre annuente, matre quoque pluribus precibus inſtante, aui, auunculique materni in ſacro baptiſmate nomen imponitur *Boleslaus*, quod ſignificat plurimum famoſus, magnum illum & famoſum futurum hoc nomine portendens. Eodem anno *Boleslaus Bohemiæ* Dux ſancti *Venceslai* occiſor, & *Poloniæ* Ducis *Miecslai* gener moritur: cui filius *Boleslaus* vir plurimum modeſtus, & pius, germanus Duciſſæ *Dambrowka* ſuccedit, patrui magis æmulatorem ſe gerens ad augendum cultum diuinum, fundando plurimas quoque Eccleſias animum intendit. Frater alter eius *Stracislaus* ſeculo relicto apud *Ratisbonam* ciuitatem in cœnobio ſancti *Emerani* monachorum habitum aſſumpſit. Soror altera *Mlada* ſacris imbuta literis, & multa eruditione pollens monaſterio ſancti *Georgii* in arce *Pragenſi* conſtructo, & ſacerdos illic facta cæteras virgines ſuo exemplo ad profitendam virginitatem & religionem induxit.

ut & Dabrowka,

qua filium Boleslaum parit,

968. *Geiſa Pannoniorum* & *Hunnorum* Princeps ſama nobiliſſimæ virginis *Adleidis* Duciſſæ *Polonorum*, & ſororis germanæ *Miecslai* ad ſe plurimorum relatione perlata, multiplici commendatione pulchritudinis, & virtutis eius dotes differentibus, mittit in *Poloniam* ad Ducem *Miecslaum* ſolennes Nuncios, virginem præfatam *Adleidam* ſibi petituros pro conſorte, priore vxore fatis intercepta. Quorum petitione Dux *Miecslaus* audita, & in conſilium Prælatorum & Baronum ſuorum relata, quid agendum ſit aliquanto conſultat, & quamuis & ipſa virgo *Adleida* torum gentilis Principis magnopere abnueret, & nonnulli ex conſiliariis huiuſmodi affinitatem propter ritus diſparitatem improbarent, diſponente tamen cœleſti prouidentia, quæ ex malis nouit optima deligere, flectit Dux *Miecslaus* animum ſuum, & ſororem ſuam *Adleidam*, ſpem futuræ ductionis Principis *Geiſæ*, & gentis *Hunnorum* ad fidem catholicam ſibi ingerens per eam fiendam & conſeruandam. Itaque Duce *Miecslao Poloniæ* de conſilio conſiliariorum conſentiente, contrahitur inter *Poloniæ* & *Hungariæ* Dominia & Principes, eorum affinitas, & virgo *Adleida Hungariam* deducta, Duci *Geiſa* copulatur. Quæ velut fœmina religioſiſſima, cœpit magnæ deuotionis & ſanctitatis ſpecimen (quamuis inter ſacrilegos & profanæ fidei homines verſaretur) ſedula perſuaſione operibuſque religioſiſſimis, tam virum ſuum *Geiſa* Ducem, quàm Proceres & Nobiles ſuos ad fidei ſanctæ catholicæ agnoſcendum & amplectendum lumen inuitare. Fouebat & ipſa *Adleida* Duciſſa mulier benedicta viros religioſos & bonos, quos ſecum ex *Polonia* ſuſceptam ſemel fidem contagione nulla temeratura conduxerat. Itaque Duciſſa *Adleidis* iuſſa legis diuinæ, & Euangelii ſaluberrima monita ſæpius Duci *Geiſa* & conſiliariis eius inſtillabat. Quorum aſſidua doctrina, & conſortis ſuæ quotidianis precibus, & lachrimis peruictus, ſordes idolorum, in quorum cultura in eam diem verſabatur, abiecit, & cum Primoribus & Baronibus fidem ſanctam ſuſcipiens, dirigente prouidentiſſima coniuge *Adleida* baptizatur, maioremque regni ſui partem ſacro baptiſmatis fonte ablui procurat. Mirabili itaque miſeratione altiſſimi *Polonis* per *Bohemam Dambrowkam*, *Hunnis* per *Polonam Adleidam* catholica veritas eadem ætate, licet modicum diſtincto tempore reſplenduit, ſanctificatio quoque per fœminas prouenit, non virorum ſolùm, ſed duarum inclytarum nationum. Ecce quàm mirabilis imo inæſtimabilis diuinæ miſerationis reſpectus, vt duas terras, videlicet *Poloniam* & *Hungariam* conferendæ ſalutis æternæ cauſa duarum obſequio mulierum, miſeratione viſitaret. Vna enim earum extitit occaſio, imò cauſa catholicæ fidei in *Polonia* ſeminandi myſteria, & diuini verbi ſemen ſalubriter peragendi: Altera verò earum fuit origo ſuperſtitionem idolorum ex *Hun-*

968. *Geiſa Hunnorum Princeps*

Adleidam Miecslai ſororem

in vxorem accipit,

& per eam cum regione ſua ad chriſtianam fidem conuertitur.

968. ex *Hungaria* penitus eradicandi, & religionis chriſtianæ principium cognoſcendi, & ſanctitatem vitæ cum deuotione aſſumendi. Quarum prima edidit Ducem *Poloniæ* ſtrenuum defenſorem *Boleslaum*: Altera genuit *Stephanum* Regem *Hungariæ*, vitæ merito totius *Hungariæ* aſſiduum protectorem. Gratias igitur agant vtriuſque regni incolæ immenſæ Dei pietati, & in tripudium iubilationis & laudis, cum exultatione mentis & corporis indeſinenter dicentes prorumpant: *Benedictus es Domine Deus noſter, qui diuturni laboris noſtri & erroris miſertus oriens ex alto, & viam veritatis nobis aperiendi noſtram dignatus es viſitare & illuminare cæcitatem, & inæſtimabili precio redimere captiuitatem.*

969.

Geiſæ Hungariæ Duci eiusque vxori Adleidæ per ſomnium a Stephano filius promittitur.

Feruenti ſolicitudine ad eradicandos eliminandoſque ritus ſacrilegos, & ad plantandam in ſingulis locis & angulis Regni *Hungariæ* fidem religionemque chriſtianam, Geiſæ Duci *Hungariæ* vna cum conſorte ſua felici *Adleida* intendenti, inſolita & ſtupenda diuinæ bonitatis dignatio *Geiſam* Ducem conſolatur viſione. Aſtitit enim illi adhuc quieſcenti adoleſcens decoro & placido aſpectu, & ſtertentem adhuc in auroræ ortu, vehementer exterruit eique dixit: *Pax tibi Geiſa Chriſtiane Deo dilecte, annuntio tibi vota tua ad conſpectum altiſſimi perlata eſſe, perque eius aures benigne ſuſcepta. De his quoque quæ pro religione chriſtiana meditaris ne ſis ſollicitus, ex lumbis ſiquidem tuis naſcetur filius, cuius ſolerti prouidentia vniuerſa ad cultum, fidei neceſſaria procurabuntur, atque veræ fidei ardore plenum, religione ſanctitateque inſignem, inſtructione ſua in ſingulos dirigendum, plenitudine temporis veniente, non dubites voluntate diuina venturum, ſed & ipſe filius tuus primus inter Principes Hungarorum diademate ornaturus eſt tempora, & terreno regno tranſacto, æternum pro labili & caduco commutaturus.* Viſione huiuſmodi Dux *Geiſa* ſupra modum exhilaratus, altera die conſortem ſuam *Adleidam* Duciſſam comperit grauidam, quo ſigno credidit omnia ſibi denunciata ex ordine infallibiliter prouentura. Similis quoque ſed magis illuſtris viſio nobili fœminæ *Adleidæ* Duciſſæ contigit. Dum enim partui eſſet vicinior, apparuit illi vir venerandus, Leuitico habitu amictus, trementique & viſione eius pauidæ, dixit: *Confide filia, & depone timorem, certaque eſto, quia filium in breui es paritura, coronam primum terrenam, deinde pro meritis immortalem adempturum, cui nato impones nomen meum.* Quem cum timore attonita Duciſſa inquireret: *Quis es Domine aut quo nomine vocaris? Ego ſum*, inquit *Stephanus Protomartyr, qui primus martyrio ſtolam meam inſigniui, meum quoque nomen ex tuo naſcituro vtero iubeo imponi* quibus dictis diſparuit. Duciſſa quoque felix *Adleidis* viſione præfata; primum conſorti ſuo Duci *Geiſæ*, deinde viris timoratis & religioſis non ſine profluuio lachrimarum patefecit, filium poſt menſes nouem editum *Stephanum* nuncupat licet aliqui *Hungarorum* annales fingant *Geiſam* Ducem *Hungariæ* ex *Sarolth*, filia *Cutæ* Ducis *Tranſiluani* vxorem iam tunc fœcundam *Stephanum* filium de quo loquimur ſuſcepiſſe, quo etiam tempore *Stephanus* octauus natione *Germanus Leoni* immediate ſuccedens, cathedram Petri iam rexerat triennio. Et qui eodem decedens anno, *Martinum* tertium natione *Romanum* habuit ſucceſſorem. 969.

qui natus Stephani nomen accepit.

Miecslaus in Polonia veram religionem propagat.

MIECSLAVS Polonorum Princeps, attendens quod virtutum Dominus per potentiam clementiæ ſuæ ſuper exaltanda gloria ſui nominis, ſuæque fidei ſibi affectum & intelligentiam præſtiterat, omnemque opem & operam in amplianda & propaganda fide chriſtiana, in nouis *Polonorum* plantis quam efficaciſſimè poterat, impendebat, producens ſuperna propitiante clementia gratiſſimos religionis chriſtianæ fructus, in vniuerſa *Polonorum* regione incremento & profectu eorum, qui crediderant relucente.

Joannes P. R. in exilium mittitur.

IOANNES Pontifex *Romanus* à Præfecto vrbis captus, & aliquot dies in carcere cuſtoditus, in exilium tandem mittitur. Sed *Otto* Imperator iniuriam hanc, occiſis culpatoribus *Romanis*, Summi Pontificis iniuriam vltus eſt ac violentiam. Sedit annis ſeptem, diebus decem.

970.

Swatislaus Ruſſiæ Dux Bulgaris bellum infert & Pieczeniegos qui Kiiouiam obſederant, depellit.

Non contentus Dux *Ruſſiæ Swatislaus* Principatu paterno, *Bulgaris*, vicinis ſuis infert bellum, & octuaginta eorum caſtris quæ ad *Danubii* fluenta ſita ſunt expugnatis, *Bulgaros* cogit ad tributum. *Suiatoslao* autem Duce *Ruſſiæ* in *Bulgariam* expeditionem innouante, gens *Pieczeniegorum* adueniens caſtrum *Kiiow*, in quo mater *Suiatoslai Holcha* alias *Helena* cum tribus filiis *Suiatoslai* nepotibus, videlicet *Jaropelko*, *Olcha*, & *Wladimiro* reſidebat, vallat & impugnat. Fuiſſet tum deditio caſtri *Kiiow* fame *Olcham*, & viros qui inerant cum ea, premente ſubſequuta, niſi nonnulli ex *Ruthenis Pieczeniegos* hoſtes fallendo, metum illis inieciſſent, ſuggerendo *Swiatoslaum* Ducem cum victore exercitu ex *Bulgaria* aduentare. Eo enim auiſamento territi *Pieczeniegi* obſidione ſoluta, magna trepidatione diſcedunt, ſub quo tempore mater *Swiatoslai Olcha* moritur.

IOANNES ſummus Pontifex, imperatoris *Ottonis* fretus auxilio captiuitatem euadens *Romam* victor ingreditur, & diuerſæ factionis Principes grauiter mulctat. Ob remunerationem autem collati in ſe beneficii *Ottonem Ottonis* Imperatoris filium Auguſtum appellauit.

Signum ignei coloris in cœlo apparens, plurimorum mentes in admirationem & ſtuporem vertit, eaque res velut noua & inuſitata religionis loco apud *Polonos* habita eſt.

Diſſidium

Digitized by Google

971. *Svatoslaus filiis regionem ſuam viuus diuidit.*

Diſſidium poſt mortem ſuam, *SVATOSLAVS Ruſſiæ* Dux inter filios ſuos pro Principatu *Ruſſiæ* ſe abſumpto accidere veritus, *Ruſſiæ* Principatum inter filios diuidit & *IAROPELKVM* quidem natu maiorem in *Kiiouienſem* Ducem præfecit, *OLCHAM* verò alium filium *DRZEWLANIS*, tertium *WLADIMIRVM Nouogrodenſem* duces conſtituit; Magna execratione quemlibet conſtringens, vt ſorte ſua contentus ab alterius occupatione ſe contineat.

972. *Otto Dux Saxoniæ hoſtes ſuos vincit, & fratrem interficit.*

Martino Papa tertio, qui annis tribus, menſibus ſex, diebus decem ſedit, defuncto, *Agapitus* ſecundus natione *Romanus* ſuccedit. Cuius temporibus *Otto* primus Dux *Saxoniæ*, qui per Germaniam tantummodo *Berengario* in *Italia* imperante, regebat, duram ſuorum Principum *Germaniæ*, videlicet Comitis *Palatini*, & Ducis *Lotharingiæ*, & germani ſui *Tagmari*, qui ſe illis iunxerat rebellionem & hoſtilem guerram perpeſſus, ex omnibus tamen triumphans, & rigidam vltionem ex illis cepit. Frater etenim ſuus *Tagmarus*, caſtro *Heresburg* cui ſe incluſerat expugnato in Eccleſia ad quam fugerat, confoſſus interiit.

Swatoslaus a Pieczenigis vincitur, capitur, & ex teſta capitis eius poculum fit.

Reuertenti *Suatoſlao Ruſſiæ* Duci, à *Græcorum* terra quam hoſtiliter inuaſerat, & ſpolia *Græcorum* ferenti, *Pieczeniegi* hoſtes ſui per nonnullos *Ruthenos* in *Kiiow* auiſati, cum ſingulis potentiis accurrunt, & *Suatoſlaum* exercitumque ſuum, tum quod ſpoliis onuſtus eſſet, tum quod in loco iniquo pugnaret, facile vincunt. *Suatoſlaus* ipſe pugnam reſtituere, & ſuorum turpem fugam ſiſtere ſatagens in hoſtium manus viuus venit. Cuius caput Dux *Pieczenigorum Bura* vocatus præcidens, teſtam capitis auro ornatam ſcyphum fecit, ex quo in ſignum deuicti hoſtis biberè ſolitus triumphum ſuum quotidie innouabat.

973. *Otto I. Imp. Saxones conuertens, Magdeburgenſem Archiepiſcopatum fundat, moritur, & Magdeburgi ſepelitur.*

Romanorum Otto Rex primus, & Dux *Saxoniæ*, quam plurimos *Saxonum* cultibus idololatriæ deditos, aut fructifera ſuaſione, aut poteſtatis ſuæ terrore, aut Epiſcoporum prædicatione fidei ſubiecit criſtianæ, & vt fides religioque chriſtiana firmius haberet ſtabilimentum in *PARTHENOPOLI*, quæ ab accolis *MAIDEBVRG* dicitur, cathedram Metropoliticam inſtituit, certos ſibi ſubiiciens Epiſcopatus, qui anno eodem mortuus *Ottonem* ſecundum habuit ſucceſſorem filium ſuum. Qui & ipſe paternam æmulabatur probitatem Eccleſiæ *Romanæ* deuotus & fidelis. In eadem autem *Maideburgenſi* S. *Mauritii* Eccleſia Metropolitana, quam fundauerat, ſepultus eſt, quæ Prouincialis eſt *Almaniæ*.

974. *Dambrowka Polonorum Duciſſa*

974.

Frequentibus & variis pietatis operibus, quæ nobilis & beata fœmina Duciſſa *Dambrowka* conſors *Miecslai* Ducis *Poloniæ*, pro cultu diuino in noua fidei plantatione deuotiſſimo ſtudio egerat, acturamq; ſe diſponebat non contenta, ad patriam ſuam *Bohemiam* oculos conuertit. Sciebat enim illam, quamuis religione chriſtiana annis pluribus pollentem, honore tamen Pontificali inopem eſſe. Cruciabaturque ſpiritu perpendens *Poloniam* poſteriorem quidem ordine in lucem fidei perductam nouem Cathedralibus ſedibus in ipſis primitiis fore inclytam, *Bohemiam* verò fidei ſuſceptione priorem, ne vna quidem Cathedra ornatam eſſe, ſed ſub exterorum Pontificum, videlicet *Moguntinenſis*, & *Ratiſponenſis* adminiſtratione hucuſque de-lituiſſe: illi enim Diœceſano ſubiecta erat.

ſororis ſuæ ſenſu Boleslaus Bohemiæ Dux

Miſſis itaque crebris nuntiis & literis ad fratrem *Boleſlaum Bohemiæ* Ducem, qui ex Patre *Boleſlao S. Venceslai* occiſore, anno Domini 967. mortuo, Ducatum *Bohemiæ*, velut natu maior, & magnæ vir pietatis & religionis regendum ſuſceperat, illum & ſororem germanam *Mladam* in continentiæ & virginitatis propoſito Domino famulantem rogat, quatenus tàm diuturnum non ſinat in ſua fronte & gentis *Bohemiæ* in fidem opprobrium, ſed illud tanto celerius meliori prouiſione ſummoneat & abſtergat: Sororis itaque ſuæ *Dambrowcæ* crebris precibus & ſuaſionibus ſtimulatus, in arce *Pragenſi* Cathedram Epiſcopalem in Eccleſia S. *Viti* per auum ſuum B. *Venceslaum* muratam fundat, illamque certis bonis temporalibus ditat.

Cathedralem Eccleſiam Pragenſem fundat.

Ad quam primus Epiſcopus *Ditmarus* vir religioſus, & monaſticam vitam ducens natione *Saxo* in *Slauonica* lingua aliquantulum eruditus, eadem Duciſſa *Poloniæ* dirigente promotus eſt: præſidente in Cathedra *Petri* Papa *Agapito* ſecundo. Præſtiterat autem clementia Dei per preces Beati *Venceslai* occiſoris & germani, filiis filiabuſque gratiam: Nam & filius ſuus *Boleſlaus* Pius propter virtutes vocabatur, alter vero *Straciquas* ad cuius natale S. *Venceslaus* à fratre occiſus *Boleſlao* inuitatus fuerat, monaſterium S. *Emeriani* in ciuitate *Ratiſponenſi* Ordinis S. *Benedicti* ingreſſus, monaſticam vitam degebat. Filia quoque ſua ſenior Duciſſa *Dambrowka* conſors *Miecslai* magnum incrementum fidei attulit, & claris fulſit virtutibus edens multa pietatis opera. Altera ſoror *Mlada*, regulam S. *Benedicti* in monaſterio S. *Georgii* caſtri *Pragenſis* profeſſa, & poſt eiuſdem loci facta Abbatiſſa, in bonis operibus vitam conſumavit. Comparatione autem iuſta facta, reperies *Gneſnenſem*, *Cracouienſem*, *Wladislauienſem*, cæterarumque *Polonicalium* Eccleſiarum fundationem annis octo *Pragenſem* præceſſiſſe nec vnquam labefactatas, aut peſſundatas aliquo caſu, vel errore eſſe, ſed per gratiam Dei ab exordio vſque ad præſentem ætatem, in fidei & Chriſtianæ religionis virenti perſeuerantia & augmento floruiſſe.

Magna hiems huius anni.

Hiems anni huius grandis & oneroſa plurima niue grauida, & quæ omnia maria, ſtagna, lacus, & paludes inglaciauerat, à Calendis Nouembris, vſque ad æquinoctium vernale

974. nale durauit in magnam admirationem apud ſingulos verſa, quod ſine illius ætatis exemplo prouenerat.

975. *Mortuo Papa Agapito II. ſuccedit Ioannes XII.*

Agapitus Papa ſecundus *Romanus*, quum annis tribus, menſibus ſex, diebus decem ſediſſet, moritur, & in Eccleſia S. *Petri* tumulatur: Et ceſſauit Epiſcopatus diebus duodecem. *Octauianus* qui *Ioannes* duodecimus cognominatus ei ſucceſſit, natione *Romanus* ex patre *Alberico*, qui quidem *Albericus* alias *Albertus* filius *Berengarii Italiæ* Imperatoris, cùm potens in vrbe foret, vocatis Nobilioribus *Romanis* induxit illos & iuramento conſtrinxit, vt mortuo Papa *Agapito* filium ſuum *Octauianum* promouerent. Quod & factum eſt ac ex *Octauiano Ioannes XIII.* appellatus, Cathedram Piſcatoris aſcendit.

Otto Imp. Berengarium in Italia capit.

Otto cum magno exercitu *Italiam* ingreditur, deteſtabilem in- B ſaniam *Ioannis XIII.* ſpurcitiis carnalibus vacantem damnat, *Berengarium* capit, & catenis in *Almauiam* ductum onerat, *Alberto* filio eius in *Corſicam* feſtino curſu fugato.

976. *Filiis Suatoſlai de principatu contendentibus*

Non poterat inter filios *Suatoſlai Ruſſiæ* Ducis inſtituta à Patre charitas & terrarum diuiſio eſſe diuturna, ſed occiſione *Suatoſlai* ſecuta, quaſi prouinciæ & regiones latiſſimæ *Ruthenicæ* à patre relictæ anguſtæ illis forent, contentio inter illos de principandi maiori autoritate & præeminentia ſuboritur. Quam ſibi *IAROPELCVS* natu maior vendicare ſatagens caſtrum *Waraſz*, in qua germanus ſuus

cæteris occiſis

Olcha conſiſtebat conquirens, *Olcham* interficit, & in Ducatum *Drzewlianorum* ſanguine C fraterno dotatus ſuccedit. Formidans autem *Wlodimirus* natu minor *Iaropelconis* tyrannidem ad ſe quoque aliquando peruenturam, quaſi fraternam necem vlturus caſtrum *Kijow*, & fratrem *Iaropelcum* in illo, circumuallat, venientem quoque ad ſe in pace *Iaropelcum* fratrem ſuaſu & conſilio ſui ſceleſti conſiliarii nomine *Blut* Palatini interficit, & omnes tres Principatus poſſidere cœpit. Principatibus

ſolus Wlodimirus rerum potitur.

autem ſanguine fratrum germanorum quæſitis non contentus, etiam vxorem *Iaropelci Græcam* genere ex *Iaropelco* grauidam accepit in vxorem, ex qua filium *Suatopelcum* nomine duos habentem Patres, *Wladimirum* & *Iaropelcum* accepit.

Prodigium.

Quinto Calend. Nouembris, igneæ acies viſæ ſunt in cœlo per totam noctem in *Poloniæ* Prouinciis, res quoque huiuſmodi monſtroſa, vti eſt inſueta, *Polonis* viſa, ne quod malum imminens genti & terris *Polonorum* portenderet, hoſtiis maioribus diuinitatem exorari placuit.

977. *Dambrowka moritur, & Gneſnæ ſepelitur.*

Dambrowka Duciſſa *Poloniæ* conſors *Miecſlai Poloniæ* Ducis fœmina religioſa, & deuota rebus abſumitur humanis. Hæc in ætate prouecta caput non velabat, ſed ad inſtar virginum ſerto & corona incedebat ornata. Cuius corpus in Eccleſiam *Gneſnenſem* relatum, ſepulturæ mandatum eſt, & funeri ſuo à *Miecſlao* Principe, & Proceribus Optimatibuſque *Poloniæ* magnifico & liberali ſumptu iuſta A perſoluta. Luxit autem illam Dux *Miecſlaus* Poloniæ, maritus, & *Boleſlaus* filius planctu magno, ſed & omnes viri Eccleſiaſtici non ſecus, quam piam matrem deſiderabant. 977.

978. *Wladimirus Ruſſiæ Dux, idololatra*

Firmato Principatus ſui ſolio, *Wladimirus* Dux *Ruſſiæ* ad religionem verſus in montibus *Kijouienſi* caſtro proximis, fana, ſimulachra & idola locat, templaque & delubra ædificat. Inter omnes tamen ſuæ profanæ ſuperſtitionis deos Fulminis numen in præcipua apud illum cultura & veneratione habebatur, cui & plura templa inſtituit, & excellentiora. Nec ipſe Dux tantum, ſed & vniuerſus *Ruthenorum* populus deteſtabiles ritus huiuſmodi ſecutus, Fulminis numen præſtantioribus immolationibus & holocauſtis venerabatur. Fabricauit autem Dux *Wladimirus* deo ſuo principali Fulmini corpus & ſimulachrum ex ligno, caput ex argento, & nares ex auro, cæteriſque diis lucos & ſimulachra conſtituit, & adducens filios ſuos & filias, ſacrificat diis, & coinquinat ſe & terram *Ruſſiæ* idolis.

Fulminis dei idolum locat.

Eius vxores & filii recenſentur.

Accepit autem *Wladimirus* plures vxores, ex quibus vna generat quatuor filios, *Izaslaum*, *Mſciſlaum*, *Iaroslaum*, *Wſzewolodum*, & duas filias. Item ex *Græca Suatopelcum*; item ex *Bohemica Wiſſeslaum*; item ex quarta *Suatoslaum* & *Mſciſlaum*; item ex *Bulgarica Boris* & *Chleb*, tenuit plures concubinas, cæteras quoque virgines & vxores alienas parum pudicas & temperatas deuirginebat. *Otto* coronam Imperii inſignem a *Benedicto VII. Romæ* accepit.

979. *Miecslaus religionem Chriſtianam propagat,*

Scrupuloſiorem indaginem *Miecslaus Polonorum* Dux in his, qui nondum ſacri fontis baptiſmate initiati fuerunt, *Polonus* oſtenſurus, ad plures vicos, oppida & villagia perſonales facit aggreſſus, & tam adultos, quam infantes mares iuxta ac fœminas aquis regenerationis innouat, innouatoſque & ablutos in fide firmat, & tam pecuniæ, quàm veſtium largitione exhilaratos, & in fidei, & in ſui charitatem pellicit. Quod quidem ſui pii operis meritum in amplificanda fide orthodoxa, & tunc & plures alias fideli & ſancto ingenio exhibitum, non ſolùm illi æterna attulit præmia, pia vt cre- D dulitate præſumi poteſt, ſed etiam Principatus & regiminis ſui recolendam memoriam apud præſentes & poſteros collaudandam effecit, ſed in cætera religionis catholicæ opera conſumenda, atque explenda, virtuoſos ſuos ſine intermiſſione dirigebat effectus, catholicorum Regum & Principum ſatagens in ſingulis ſequi veſtigia, & eorum æquare virtutem, ne religione eorum foret inferior, quorum erat charitate, & Principatuum amplitudine atque Dominio non minor. Ipſius ſiquidem opera & inſtinctu ſacroſanctus mos in Proceres, militares, & quoſlibet nobiles eo anno introductus eſt, prope ad noſtra vſque tempora ſeruatus, vt præfati Proceres *Polonorum*

& inter nobiles ritum introducit,

979. rum & milites diebus Dominicis audituri diuina, Eccleſias ſacras militari gladio ingrederentur accincti, & ad diuina ſacerdote canente ſequentia S. Euangelii ſecundum *Matthæum*, vel alios Euangeliſtas è veſtigio omnes velut certamen inituri extendebant pro dimidietate è vagina gladios, quouſque à ſcholaribus reſponderetur, *Gloria tibi Domine*, viceuerſa in vaginas recondebant. Demonſtrantes eo tam frequenti & quolibet die Dominico repetito actu, pro defenſione veritatis Euangelicæ ab eis cognitæ & profeſſæ intrepide & alacriter pugnaturos, &, ſi, oportet mortem etiam oppetituros. Quem benedictum morem vehementer doleo, neſcio quo leuo ſidere ex *Poloniæ* Regno abolitum eſſe, qui illorum ſingularem zelum, atque fidem orthodoxam declarabat.

ut lecto Euangelio gladios e vagina educerent.

980. *Miecslaus Polonos adhuc gentiles baptizare iubet.*

Intelligens *Miecslaus Polonorum* Dux pleroſque ſuæ gentis ſubditos, tàm Nobiles quam agreſtes, fallacium & veterum ſuorum deorum teneri conſuetudine & ſacrilego ritu, thura & libamina in domibus propriis illis offerre & litare, varia quoque ſuperſtitione diſtentos alligatoſque baptiſmatis gratiam in eadem die neglexiſſe, miſſis in ſingulas regiones & vicinitates, quæ pro ſubditis habebantur regionum Præfectis & præconibus mandat vniuerſis ſtricto imperio, vt ad proximiorem & viciniorem Cathedralem Eccleſiam à ſe fundatam qualibet excuſatione circumſcripta ſinguli conueniant, & Chriſtianitatis, tàm nomine quàm baptiſmatis, inſignirentur vnctione, grandibus in eos extremis vſurus pœnis. Bona quoque confiſcaturus, ſi ſequi imperium ſuum detrectarent, & ſi ſub certo termino atque die, in Cathedralium Eccleſiarum locis, vnda ſacri baptiſmatis non fuerint renouati. Inflictam autem & infligendam pœnam *Poloni* vitaturi, certatim omnes ad ſuſcipiendum beneficium fontis perrumpunt, & ad Epiſcopalium Eccleſiarum loca conuenientia charactere chriſtiano ſe inſigniunt. Ab Epiſcopis autem, aut à ſacerdotibus in articulis fidei, & in ceremoniis aut ritibus inſtructi, Dominicos dies, feſta quoque *Chriſti*, & ſuæ genitricis *Mariæ* atque Apoſtolorum obſeruare & feſtiuare, & in diebus *Mercurii*, *Veneris* atque *Saturni* à carne abſtinere iuſſi ſunt. In hunc itaque modum zelo & opera Ducis *Miecslai* omnia *Polonorum* ſimulachra radicitus euulſa, & ignibus aut paludibus in perpetuam obliuionem tradita, ſtudiis quoque vigilantiſſimis *Miecslai* quæcunque fuerunt per totam *Poloniam* portenta potius quàm ſimulachra eraſa, rituſque profani & quælibet ſortes, auguria, diuinationes, phytones, omneſque ſuperſtitionum veterum gentilicii errores è medio ſublati.

981. *Dithmaro Epiſc. Pragenſi mortuo ſuccedit Adalbertus.*

Primo Epiſcopo *Pragenſe Dithmaro* mortuo; *Adalbertus Bohemus* natione & lingua de nobilibus parentibus ortus (pater eius *Slawnik*, mater eius *Strzezislawa*,) in *Pragenſem* Epiſcopum acclamatione cleri & populi electus eſt. Cuius etiam electionem dæmones in obſeſſorum corporibus velut dignam & ſanctam ante pronunciauerant. Hic in baptiſmo nomen *Bohemicum Woiciech*, quod ſignificat *exercituum conſolator* acceperat; ſed Epiſcopus *Maideburgenſis* apud quem exegerat adoleſcentiam, eum *Adalbertum* difficultate expreſſionis originarii nominis motus cognominat. Extremum autem ſpiritum *Dithmarus* Epiſcopus *Pragenſis* prædictus ſuſurus pluribus verbis omnibus qui aſtabant, inter quos *Adalbertus* vnus Epiſcopus erat, cauſam & ſeriem damnationis ſuæ perpetuæ depromebat. *Væ mihi*, inquit, *quod diſſolutius vixi fructu temporis perdito; quam vellem vixiſſe nunc, dum morior. Decepiſti me fallax ſeculum, annoſam mihi pollicendo ætatem, & ecce inſperatè anima & corpore ſaucius necor, damnationis autem meæ facinus, & ſi per virtutem Paſſionis Chriſti venia dignum eſſet, ob ſcelus tamen Bohemici populi vltro in deſideriis & voluptatibus ſuis immerſi, qui etiam vſque nihil aliud operari nouit, niſi quod Satanæ digitus in eius corde tetro atramento conſcripſit, iuſtiſſima Dei lege, quoniam latrare iuxta ac canis expaui, damnor, itinere recto ad inferna igne inextinguibili arſurus, proficiſcor.* Sic aiens, miſeram animam iam tunc cruciatus gehennales ob negligentiam cernens expirauit. Quo terrore *Adalbertus* correptus, omnibus delicioſis cibis & veſtibus abiectis noctu cilicio carnem amiciens, caput verò cinere aſpergens, in alium hominem ex milite delicato mutatus, omnia quæ habebat in egenos, pupillos, & viduas erogauit.

Dithmarus a. ante mortem ſe damnatum oratione habita pronunciat.

981. *Agapitum Papam fœde viventem Otto Imp. deponit, Leonem VIII. ſucceſſorem conſtituens,*

Agapito *Papa* ſecundo, qui ſedit annis tribus, menſibus ſex, diebus decem, obeunte, *Ioannes* natione *Romanus* ex patre *Alberico* viro nobili, & pro ea tempeſtate in vrbe potenti, intruſione & ordinatione patris ſui in Papam vt præmiſimus, aſſumptus eſt. Veterator & lubricus fertur fuiſſe; tantæque in Deum prævaricationis, vt etiam in domo ſua concubinas fouere non erubuerit. Duos autem Cardinales tranſgreſſiones ſuas *Ottoni Romanorum* Regi per ſcripta denunciantes, vt Eccleſiæ ſuccurreret expetentes, graui & horrida pœna mulctauit. *Ioannem* quidem Cardinalem in naſo, alterum in manu mutilando. Quibus omnibus *Otto Romanorum* Rex motus, venit in *Italiam* cum valido *Germanorum* exercitu, & *Ioannem* Papatu cedere coegit, cum in Papatu annos octo, menſes decem, dies decem exegiſſet, in cuius locum *Leo* octauus laicus communi populi voto, propter ſingulares eius virtutes, qui *Ottonem* diademate coronauit, ſurrogatur.

Eodem inſuper tempore *Otto* Imperator deuicto *Berengario*, qui ſua tyrannide cum filio *Adalberto Italiam* premebat, *Adalmundam* reli-

Adalmun-

982. relictam *Lotharii* Imperatoris, quam *Berengarius* tenebat, captiuam liberat, & ſibi matrimonio copulat, nuptiaſque in Natali Domini in *Papia* celebrat. *Berengario* deinde in gratiam recepto, & *Marchia Taruiſia, Verona, Aquilegia* exceptis, totam *Italiam* ſuæ gubernationi reſtituit.

...dam vxorem ſumit, & Berengarium captiuitate liberat.

Angeloto Plocenſi Epiſc. ſuccedit Martialis.

Angelotus Plocenſis Epiſcopus natione *Romanus*, dùm Pontificatum *Plocenſem* annis XV. rexiſſet, pro conditione humana moritur, & in *Plocenſi* Eccleſia tumulatur, cui *Martialis* à *Ioanne II.* ordinatus, qui genere & ipſe *Romanus*, anno ſequenti ſuccedit.

983. *Romani Leone poſthabito Benedictum V. conſtituunt Pontificem. Quem Otto Imp. in exilium eiicit & Leonem reſtituit.*

Moleſtè ferentes *Romani*, hi præſertim qui *Ioanni* duodecimo cognatione iuncti erant, affinem ſuum de ſummo Sacerdotio eiectum eſſe, & *Leonem* octauum ſibi ſucceſſiſſe, dum *Ioannem* propter notoria ſua ſcelera, & turpitudinem vitæ reſtituere vererentur, *Benedictum* quintum viuente *Leone* in Papam aſſumunt. Qui cum menſibus duobus, & diebus quinque ſediſſet, venit Imperator *Otto* de *Almania*, & obſedit *Romam*, nec prius obſidionem ſoluit, donec *Benedictus* ſuæ poteſtati traditus eſt: Quem *Otto* mittit in *Saxoniam* in exilium. Ingreſſus autem *Otto* Imperator *Romam*, *Leonem* in ſuam ſedem reſtituit, deformata recuperat, & nonnullos *Romanos*, nouas res molientes proſcribit, filium ſuum quoque *Ottonem* ſecundum, tunc ſecum *Romæ* præſentem, per Papam *Leonem* procurauit Regem Romanorum benedici. Pacataque Eccleſia in *Saxoniam* reuerſus, in ciuitate *Maideburg* poſt plurima quæ Imperio *Romano* digna peregerat, Nonis Calendis Maii moritur, anno regni ſui 37. Imperii decimo. Cuius corpus in Baſilica admirandæ magnitudinis in *Maideburg*, quam ipſe viuens in honorem S. *Mauritii* opere ſumptuoſo fabricauerat, eo quo dignum erat, Cæſareo cultu eſt humatum, mortuus autem valde ſenex, vnico filio eiuſdem nominis relicto.

Poſt moritur & Magdeburgi ſepelitur.

Gotfrido Smogorzonienſi Epiſc. mortuo ſuccedit Vrbanus I.

Annis 36. in Regno *Poloniæ* transactis, primus *Wratislauienſis* Epiſcopus qui *Smogorzouienſis* tunc iutitulabatur, *Gotfridus* genere *Romanus* Pontificatu ſuo per annos 17. continuato moritur, & ibidem ſepelitur. Cui *Vrbanus* primus ad petitionem *Boleſlai Chrabri* Ducis *Poloniæ* & Monarchæ, nobilis genere, natione *Romanus*, ad prouiſionem *Ioannis Papæ* XII. fuit ſubſtitutus.

984. *Boleſlaus Iudithbam Geiſæ filiam vxorem ducit.*

Boleſlaus Dux *Miecslai Poloniæ* Ducis filius, diebus luctus materni è vita exceſſus, qui vſque in annum ſextum tendebatur, expletis, *Miecslao* iubente patre, coniugalia ſacra ſuſcepturus, & cum *Pannoniis* veterem innouaturus amicitiam, *Iudith* virginem pulchritudine & forma inſignem, ampliſſimam inſuper dotem auri & argenti ſecum ferentem, filiam *Geiſæ Hungarorum* Ducis ex prima vxore deſponſat, & nuptiæ apud *Gneſnenſem* ciuitatem in præſentia Prælatorum atque Baronum, qui ſub frequenti numero ex *Polonis* & *Hungaris* conuenerant, in ſplendido apparatu & ludorum inſtauratione celebrauit. 984.

Otto II. Imp.

OTTO ſecundus, octuageſimus ſecundus ab *Auguſto*, patre è vita excedente Regno ſucceſſit, qui quum prius ſub patris præſentia à *Leone* Papa VIII. fuiſſet in *Romanorum* Regem deſignatus & coronatus, morte tamen patris ſecuta ab omnibus qui aderant, denuò coronatur, & in Regni ſede locatur, huic pater viuens filiam *Ioannis Græcorum* Imperatoris nomine *Theophaniam* deſponſauerat, nuptiaſque *Papiæ* celebrauerat. Ex qua idem *Otto* ſecundus filium inſignem nomine ſuo, clariſſimique ſui ſanguinis normam propemodum exprimentem, filiamque *Nactidam* ſuſcepit, & Imperii *Romani* ſtrenue diſponens regimen, *Lotharium* Regem *Galliarum* exuit poſſeſſione. Qui cum plura bella contra infideles geſſiſſet, ad extremum toto ferè exercitu in *Calabria* amiſſo, ipſe meritò B. *Petri* Apoſtoli, quem ſuppliciter inuocabat ſeruatus, *Romamque* reuerſus, exactis in Imperio annis nouem, moritur, in Eccleſiaque S. *Petri* ſepelitur, cui filius *Otto* tertius ſuccedit, & à *Gregorio* V. cuius fuerat conſanguineus, *Romæ* coronatur.

ex Theophania coniuge Ottonem III. & Nactidam filiam ſuſcipit, Lotharium Galliæ R. vincit, tandem Romæ moritur.

Profanis religionibus *Ruſſiæ* Dux *Wladimirus* perfunctus ad arma animum intendit, Ducique *Poloniæ Miecslao* bellum primum mouet, quod vario marte geſtum eſt: nunc *Polono*, interdum vero *Rutheno* triumphos retinente. Expugnauit autem Dux *Wladimirus* caſtra *Polonorum* videlicet *Przemysl*, *Czerwien*, & alia expugnata occupat, præſidio militum forti impoſito, ſuæ & *Ruthenorum* ſubiecit ditioni. Vadit deinde contra *Radimnice*, qui & ipſi ex *Polonis* deſcendunt, victiſque tributum imponitur. 985.

Wladimirus bellum excitat, & varia Poloniæ caſtra expugnat.

Summo Pontificatu *Leo* VIII. beneficio *Ottonis* Imperatoris reſumpto, conſtituit, & nullus ſine conſenſu Imperatoris aſſumeretur in Papam. Dum autem poſt aſſumptionem Papatus ſediſſet annũ vnũ, & menſes quatuor, moritur. Cui *Ioannes* XIV. natione *Narnienſis* ſucceſſit.

Leoni VIII. Pont. ſuccedit Ioannes XIV.

Proborinius, ſiue vt aliis placet, *Proborius* primus *Cracouienſis* Eccleſiæ Archiepiſcopus, & fidei religioniſque chriſtianæ in noua plantatione dilatator, ætate & ſenio confectus, moritur, & ibidem in Eccleſia *Cracouienſi* ſepelitur: cui præſidebat annis vno & triginta, eique *Procullus* ſuccedit. 986.

Proborinio Cracouienſi Archiep. mortuo ſuccedit Procullus.

Exigentibus ſceleribus humanis fames valida & generalis, frumentis ferè in vniuerſo mundo male prouenientibus, ſecuta eſt, quæ in ſingulis regionibus multos mortalium abſumens, etiam in *Polonos* graſſata, in pluribus ciuitatibus vicis & villis orbitatem induxit. Sollicitatus tunc *Wladimirus Ruſſiæ* Dux, primum à *Machometiſtis*, vt ritum pſeudo *Machmet* ſuſciperet, deinde à *Latinis*, tertio à *Iudæis*, vt legem Hebraicam, poſtremò à *Græcis*, vt fidem 987.

Fames in Polonia.

Wladimirus Ruſſiæ Dux

987. fidem chriſtianam aſſumeret, nuntios quidem ritus præfatos ſibi perſuadentes, benignè tractatos, etiam remuneratos remiſit: cum ſuis A verò *Ruthenis* quænam fides acceptanda eſſet conſultat, placuit autem ad omnes nationes rituum prædictorum nuntios ſpeculatum mitti, & cuiuslibet ritum explorari. Miſſi itaque ad *Bulgaros Latinos* & *Græcos* nuntii, ſingulorum ritus, vt iuſſi erant, ſpeculantur & explorant, & *Machmeti* quidem ritus plura habens in ſe fœda & turpia, illicò ab eis profanus & iniquiſſimus iudicatus eſt. *Latinorum* verò ceremoniæ parum illis religioſæ, & templa parum ornata videbantur. Cùm verò in *Conſtantinopolim* perueniſſent *Baſilius* & *Conſtantinus Græcorum* tunc Imperatores, intellecto eos ſpeculandi gratia ritus ſuos illuc veniſſe, cœtu religioſorum vocato, magnam ſolennitatem inſtituunt, & in ſplendidiſſimis ornamentis celebritatem miſſæ per Patriarcham teneri diſponunt, *Ruthenorumque* nuntios ad Eccleſiam introductos in loco eminentiori, ex quo omnes cerimonias videre poſſent, locant, honoreque menſæ exceptos ſplendidè tractant, & muneratos remittunt. Qui ad Ducem ſuum *Wladimirum* reuerſi, de ſingulis ritibus, quos viderant diſſerunt, ſectamque ſpurciſſimam *Machometi* contemnendam prorſus, & repudiandam eſſe perſuadent, & *Græcorum* ſectam omnium præſtantiſſimam conteſtantur, *in Græcorum Eccleſiis plura, & magis cultiora ornamenta, quàm in Latinis conſiſtere. Tantam inſuper in miſſa Græcorum cui intererant,* C *teſtabantur ſe dulcedinem ſenſiſſe, vt penè extra ſe rapti magis cœleſti, quàm terrenæ ſolennitati ſe putauerint interfuiſſe.* Ad ritum igitur *Græcorum* ſuſcipiendum omnium Procerum ſententiæ inclinabant, perſuadendoque *Wladimiro* dicebant, ſi fides *Græcorum* bona non eſſet, non auia tua *Olcha* inter mulieres prudentiſſima illam accepiſſet. Aſſenſit itaque *Wladimirus* Procerum ſententiæ, & baptiſma ritu Græcorum accepit.

variis religionibus probatis

ad Græcam ſe conuertit.

988. Aquarum inundatio frequens & diuturna fuit, quam æſtas feruida, & pluribus pernicioſa ſecuta eſt, propter quod fruges partim diſparitæ, partim diminutæ. Siccitas inſuper vernalis modum excedens acciderat, ob quam ſatio vernalium frugum impedita, nix inſuper nimia decidit, quàm imber aſſiduus ſequebatur, adeò vt autumnalem ſationem prohiberet, famemque induceret.

Magnam inundationem ſecuta ſiccitas.

989. *Adalbertus Pragenſis* Epiſcopus populum *Bohemicum*, cuius erat ipſe vnicus Epiſcopus, enormibus ſceleribus, quorum hæc erant præcipua, quod pluribus vxoribus contra legem catholicam abutebantur: quod gentiles & ſacrilegos ritus practicabant: quod ſubditos proprios, filios filiaſque *Chriſti* charactere inſignitos, *Iudæis* in ſeruitutem vendebant: quod fora diebus Dominicis frequentabant: quod ſepulturas in profanis eligebant locis: videns deditum eſſe, & omnem correctionem hactenus per eum adhibitam habere in contemptu, virorum timoratorum vſus conſilio, ſedem Epiſcopalem deſerere, & habitum monachicum aſſumere in animum inducit, quod vt facilius conſequi poſſet, *Straciquas* S. *Benedicti* monachum & germanum *Boleslai* Ducis diligenti cura perſuadet, & precatur, quatenus Epiſcopatum *Pragenſem* ſuſcipiat, facilius enim illum plebis *Bohemicæ* abuſus, & facinora, cum fratris Ducis *Bohemiæ* aſſiſtentia ſanaturum. Cui *Straciquas* reſpondens, *non licere ſibi*, ait, *quæ contempſit, mundana repetere, & terrenis omnibus mortuum ad honorem faſtigiumque culminis Pontificalis aſpirare, ſubinferens ſe & honore Epiſcopali indignum, & paſtorali pondere in ſufficientem.* d quem vir Dei prophe- B tico ſpiritu fertur dixiſſe: *Scio*, inquit, *frater Pontificalem ſedem Pragenſem quam nunc iuſto titulo, & vero oſtio conſcendere potuiſſes contemnentem te, & poſt iniqua via iniuſto titulo te petiturum eſſe, & ſucceſſum malum habiturum; & quod nunc recuſas in tuam perniciem poſt vehementer expetes.* His dictis *Bohemiam* & ſedem ſuam præ tædio plebis incorrigibilis relinquens, *Romam* petiit, *Hieroſolymam* viſa *Roma* petiturus. Verùm *Romæ* conſiſtens conſilio virorum religioſorum monaſterium S. *Bonifacii* ingreſſus, vitam monaſticam in vitæ arctitudine agere cœpit, fratre ſuo *Vito Gaudentio* in eodem monaſterio ſecum vna deliteſcente, piæ ſuæ conuerſationis, & vitæ C ſtudio, quaſi angelus Domini ab vniuerſis reputatus, quoniam ſub corporis mortalis habitu vitam ſanctiſſimam ducebat, & tàm propriis quàm forenſibus admirandus, religioſiſſimè viuens, verbo reſplendens pariter & exemplo.

Albertus Pragenſis Epiſcopus ob varios Bohemorum abuſus

989.

reſignat,

& in monaſterium intrat

Iudith Duciſſa conſors *Boleslai Polonorum* Regis, annos quinque ſterilitatis perpeſſa opprobrium, tandem anno ſexto fœcunda, virilis ſexus puerum effudit, de cuius natiuitate dùm & auus *Miecslaus*, & parens *Boleslaus Polonorum* Duces immenſo exultarent gaudio, ſolennem curiam conſtituto die baptiſteriorum inducunt, & infantulum apud *Gneſnam* ſacro fonte abluunt, etiam auitum nomen D *Miecslaus* imponunt, quod ſignificat *habiturus laudem.* Congregata *Wladimirus Ruſſiæ* Dux gentium ſuarum multitudine copioſa, *Græcis* bellum infert, & caſtrum inſigne *Græcorum Korſzin* conquirens, vicinam ex eo ſibi ſubiecit regionem, cogitque oram illam ad tributum. Mittit deinde nuncios ad *Baſilium* & *Conſtantinum Græcorum* Imperatores, petens ſororem eorum *Annam* coniugio copulari ſibi, offerens ſe, potitum eius connubio exemplo de caſtro *Korſzyn*, quod conquiſierat & regione quam ſubiecerat, exceſſurum. Sed *Baſilius* & *Conſtantinus Græcorum* Imperatores, *ſororem* reſpondent, *non conuenire ſibi, & ſuæ honeſtati, cum Principe gentili & idolorum cultura* pollu-

990.

Boleslao naſcitur filius Miecslaus.

Wladimirus Græcorum regionem inuadit,

Annam deinde Baſilii & Conſtantini Impp. ep.

990. *polluto affinitatem contrahere, & germanam ſuam illius connubio ſociare. Si verò errore gentili deſerto fidem chriſtianam profiteri vellet, non ſe eius petitionem abnuituros.* *Wladimirus* autem *Ruſſiæ* Dux eiuſdem nunciis remiſſis offert ſe prono animo fidem chriſtianam ſuſcepturum, modo venirent perſonaliter, ſororemque *Annam* offerrent, & ipſum baptizarent. Aduerſabatur autem ſoror *Anna* Imperatorum, huic affinitati, aſſumereque illam multiplici renitentia dedignabatur, ſed *Baſilius* & *Conſtantinus* fratres diſſerendo, perſuadendoque, quanta bona ex affinitate huiuſmodi ſequutura ſint, & quod vniuerſa *Ruſſia* ex eius connubio fidem *Chriſti* ſit ſuſceptura, animum ſororis expugnant, peruincuntque ad conſenſum. Veniunt itaque *Baſilius* & *Conſtantinus* cum ſorore ſua *Anna* in *Korſzyn*, & illicò *Wladimirum* Ducem *Ruſſiæ* oculorum cœcitas inuadit, fluctuareque vario mentis æſtu cepit, an ritu ſuo gentili derelicto fidem chriſtianam & baptiſma *Chriſti* eſſet ſuſcepturus. *Anna* autem ſoror Imperatorum & futura ſua coniux docet, cœcitatem quæ illi acciderat ſuſcepto baptiſmate diſparituram. Ab Epiſcopo itaque *Corſinenſi* baptizatus, illicò oculorum caligine depulſa illuminatus: nuptias cum *Anna* celebrat, & Eccleſiam in ſignum & memoriam, tàm ſuæ conuerſionis, quàm baptiſmatis & illuminationis ædificat, caſtroque *Corſzyn* Imperatoris derelicto & reſtituto, in *Ruſſiam* cum noua ſponſa plenus gaudio redit.

aſſumta chriſtiana religione

vxorem duxit.

991.

Ioannem XIV. Pont. a Romanis electum reſtituit Otto II.

Ioannes XIV. natione *Noruegienſis* ſuccedens *Leoni* à *Petro* Præfecto vrbis comprehenſus in caſtrum Angeli primum detruſus, deinde in *Campaniam* in exilium miſſus. Quo malo *Otto* ſecundus, qui patri in Imperio ſucceſſerat ad ſe perlato, cum magno exercitu venit *Romam*, & *Ioannem* Papam exilii moleſtiam duobus annis ſuſtinentem, reſtituit. *Romanos* verò captiuitatis ſuæ reos quoſdam trucidauit, quoſdam laqueo ſuſpendit, aliquos in exilium in *Saxoniam* miſit, vbi etiam à *Ioanne* Papa prædicto, vnctionem & benedictionem ſuſcepit Imperialem. Cum autem tàm *Roma*, quàm *Italia* pacata regredi in *Alemaniam* diſponeret, audiens *Ioannem Græcorum* Imperatorem ſuæ conſortis *Theophaniæ* Imperatricis genitorem defunctum, & alium in locum ſuum ſurrogatum, ſibique de *Calabria* vxoris ſuæ hæreditate conſuetum negare tributum, mittit legationem. Reſponſum accepit *non Calabriam Theophaniæ Imperatricis dotem & hæreditatem eſſe, ſed ſignum S. Crucis in Imperio Conſtantinopolitanæ vrbis hactenus ſeruatum, & filiabus Imperatorum pro dote dari ſolitum.* *Otto* igitur Imperator ira ductus, non rationis maturitate, cum non ſatis iuſto exercitu *Calabriam* petens, eam ferro & igne deuaſtat, & *Beneuentum* capiens oſſa B. *Bartholomæi* inde aſportauit, *Græcas* contemptui habens diuitias, expoliat opibus ærarium. Contra *Græci* pro vita, pro patria, auro argentoque *Saracenos* ſibi paciſcuntur in auxilium, & maioribus copiis & inſidiis collocatis pauciores cum *Ottone* pugnam conſerunt, quos cum deuiciſſet ab his qui in inſidiis latuerunt, inuaſus cum vniuerſo exercitu ſuo, *Romanis* & *Beneuentanis* terga vertentibus obtritus atque victus eſt. Et ne in manus hoſtiles veniret, omnibus tàm inſignibus, quàm veſtibus abiectis, inermis ſe vndis iniecit, fluctibusque maris tota innatans nocte, mane a piſcatoribus captus, occiſi Imperatoris ſe fingebat armigerum. Piſcatores autem illum & ex decore, & ex diſpoſitione corporis, prout erat, Imperatorem ſuſpicati: *Græca* de illo colloquebantur lingua. Exiſtimantes autem illum non intelligere linguam aſtruentes eum non armigerum, ſed verum Imperatorem fore, diſponebantque eum in *Græciam* freto ductum *Græcorum* præſentare Imperatori, præmia ampla relaturi, qui periculum vitaturus, ea nautas arte circumuenit, fingit ſe apud *Siciliam* magnam abſcondiſſe pecuniam, petit vt nauem ad terram reducant, pecunia accepta felicius nauigaturi. Quibus cupiditate illectis rogata explentibus in littus perueniens, & Epiſcopum probum in armis *Caſum* nomine cum nonnullis ſuis militibus offendens, & illorum ſuffragia inuocans, nautas 40. numero inuadit, & nulli parcens trucidat, diuinoque S. *Petri* aſſiduo inuocando auxilio geminatum periculum deuitauit. Primumque ad Imperatricem *Theophaniam* peruenit, à qua cum hilaritate exceptus, *Romamque* perductus, cum ex labore & dolore ſenſim langueſceret, ſexto Idus Decembr. *Romæ* moritur, cum annis octo imperaſſet, & in porticu S. *Petri* tumulatur, poſt cuius mortem filius eius *Otto* tertius in *Romanum* ſuffectus eſt Imperium. Et licet ob odium Imperatricis *Theophaniæ*, quæ fœminea & *Græca* leuitate Optimatibus Imperii de amiſſo in *Calabria* prælio, fugam & pauorem exprobrans, plures ſibi hoſtes conciliauerat, nonnulli *Henricum* Ducem filium germani primi *Ottonis* in Imperium ſurrogare laboraſſent, aui tamen & patris beneficiis recenſitis omnium iniuriarum obliti *Ottonem* tertium ab *Henrico* prædicto, ſub cuius cuſtodia & tutela tenebatur graui ære redemptum Imperio præficiunt. Qui illud ſingularis *Ezonis* Comitis, Palatini *Rheni* prudentia induſtriaque extunc adminiſtrare cepit.

Deinde cum Ioanne Græcorum Imp. de Calabria pugnat,

vincitur, *& a nautis capitur.* *Ab illis autem ſe eripiens* *Romamque perueniens* *moritur.* *ſuccedente filio Ottone III.*

Sacrilegos ritus, quibus priſcis temporibus *Ruthenorum* gens dedita erat, *Wladimirus Ruſſiæ* Dux eliminaturus, tertio ex quo *Chriſti* fide illuminatus erat anno, idola, lucos, araſque & templa eorum confringit, incendit,* & comminuit. Simulachrum verò Fulminis, quod præcipua veneratione apud *Ruthenos* colebatur, ad caudam equi alligatum, ſpectante multitudine *Ruthenorum* per terram trahi, & *exſtirpato* in flumen *Dniepr* mergi gentibus *Ruthenis* ex *gentiliſmo* vtro- 992. *Wladimirus Ruſſiæ Dux*

992. vtroque ſexu deorum & ſimulachrorum ſuorum fletu, & eiulatu ingenti confractionem proſequentibus, mandauit. Promulgauit in- A ſuper *Wladimirus Ruſſiæ* Dux edictum, vt omnes nationes & populi ſibi ſubiecti relictis idolis *Chriſti* fide & baptiſmatis charactere ſe inſignirent, habiturus eos pro hoſtibus, bonaque eorum confiſcaturus, qui detrectarent ſanctis ſuis parere iuſſionibus. Qua neceſſitate populus *Ruthenorum* conſtrictus ad *Kijow* cateruatim confluxit, & fidem *Chriſti* confeſſus in flumine *Dniepr* ab Epiſcopo *Corſinenſi*, & Presbyteris ex *Græcia* adductis baptizatur, & in fide ac ceremoniis eius eruditur. Audita autem eſt vox & eiulatus draconis in aere querentis ſe ex poſſeſſione *Ruthenorum* diuturna, non ab Apoſtolis aut Martyribus, ſed ab vna fœmina eiectum eſſe. Ædificauit autem B S. *Wladimirus* primam Eccleſiam in loco, quo prius idolis thura incendebantur, & eam B. *Baſilio* dicari ordinauit, ſed & in aliis regionibus *Ruſſiæ* templa & ſacerdotes Dei multiplicat. Ædificat alteram Eccleſiam B. *Mariæ* Virgini in *Kijow*, & ornat eam vaſis aureis & precioſa ſupellectili, & tam in ea, quàm in aliis Eccleſiis *Ruſſiæ* à Duce *Wladimiro* & Baronibus *Ruſſiæ* ædificatis, *Corſinenſis* Epiſcopus miniſtros & ſacerdotes inſtituit, pro quorum ſuſtentatione *Wladimirus* Dux prædia & cenſum largitus eſt, & primitias & decimas tàm *Boiaris* quàm agreſtibus mandat ſolui & offerri. Baptizauit & tunc *Wladimirus* Dux decem filios ſuos, videlicet *Wiſzeslaum, Izaslaum*, C *Suatopelkum, Iaroslaum, Wſeuoldum, Suatoslaum, Micislaum, Boris, Chleb, Stanislaum*, &c. Pueros *Ruthenorum* applicat literis, artifices inſuper ex *Græcia* adductos ſalariat, & plures Eccleſias ex muro & latere ædificat.

chriſtianam religionem propagat.

993. *Bohemorum* Principales & nobiles diſceſſione ſui Pontificis *Pragenſis Adalberti*, & abſentia eius ſeptennio integro continuata, plurimum anguſtati, & dolore amaritudineque vexati, Pontificali honore ab eis ſublato in præcipitium multorum malorum ferebantur dietim, culpam omnem in virum Dei *Adalbertum* vertunt, quaſi ipſe omnium, quæ illis contigerant, malorum fuerit ſuo diſceſſu autor & patrator, propter quod in furiam rabiemque ver- D ſi, pœnas quas ab illo abſente exigere non valebant, in fratres ſuos, genuſque illius & patriam vertunt, & ſub vnius diei celebris tempore oppidum *Lubik* in frequenti numero armiſq; ingreſſi, primum quinque fratres S. *Adalberti* germanos, videlicet *Sobobor, Spicimirum, Dobroslaum, Zauiſſam*, & *Krzeslaw* variis cruciatibus extinguunt, nec fratres tantummodo viri S. necare contenti, ſed & fratrum filios maſculum vna cum fœmina inſontem damnant. Aberat tunc forte à *Bohemia*, & à paterna domo ſextus S. *Adalberti* germanus, *Porai* nomine. In curia enim & obſequiis *Boleslai Polonorum* Ducis filii *Miecslai* ſuperioribꝰ temporibꝰ eſt pro illa tempeſtate verſatus, trucidationem tyrannicam, quæ fratribus & domui ſuæ, vniuerſæque ſtirpi acciderat, longe à domo poſitus ignorabat. Hic quoque ſolus ex omni ſtirpe & familia viri Dei remanſerat ſuperſtes, prouidente clementiſſimo Deo, ne proſapia tàm nobilis de terra viventium eradicaretur. Hunc cùm *Boleslaus* Dux *Polonorum* cædem fratrum ſuorum, & ſuam conditionem aſſiduis & lugubribus lachrymis deplorantem vidiſſet, magis enim diram in ſe *Bohemorum* truculentiam, quàm quæ in fratres edita fuerat, ſi in ſolum paternum rediret, verebatur futuram, benignè adoleſcentem conſolatus, bono animo eſſe iuſſit, pollicitus ſe illi temporalium bonorum, quæ in *Bohemia* habuerat, poſſeſſionem hæreditariam ſua munificentia reſarciturum. Dat deinde promiſſis virtutem, & *Poraio* S. *Adalberti* germano, multas poſſeſſiones, opes, & hæreditates in *Polonico* regno largitur, ac illum ſuo dominio, & *Polonorum* militum nobilitati interſerit, adiungit, & implantat. Ex hoc autem vno ſurculo multiplex in *Poloniæ* regno ſurrexit propago, & in magnam & frequentem progenies viri Dei familiam, quæ ſe *de Roſis* nominat, albam roſam in campo rubeo deferens, & *Porai* pro clamoris ſigno habens, euaſit ſucceſſionibus fœcundis, vſque ad noſtra tempora deriuata. Fratribus & conſanguineis Pontificis S. *Adalberti* vario mortis genere deletis, *Bohemi* deinde vniuerſum populum vtriuſque ſexus oppidi prædicti *Lubik*, ſeptem videlicet animarum millia carnificum more in ore gladii, nulli ſexui, ætati, aut conditioni parcendo perimunt. Nec his contenti in tecta etiam innocua ſæuiunt, & oppidum prædictum igne exurunt. Quod quidem tàm atrox facinus, neque per Ducem *Bohemiæ* prohibitum extitit, neque aliqua vltione punitum, vnde ſi cædis præfatæ, quam ſcriptam apud *Bohemorum* annales reperi, vera eſſet ſeries (plura enim in hoc tempore tranſcribo quàm credo) ſatis gentis *Bohemicæ* pro ea tempeſtate miranda eſt feritas, quæ nec naturali quidem compaſſione etiam beſtiis inſita, à cæde tàm atroci in ætatem infirmam & domeſticam facta poterat deterreri.

Bohemi Adalberti Epiſc. abitum ægre ferentes, familiam ejus trucidant, (excepto vno fratre qui apud Boleslaum erat, cuius etiam poſteri in Polonia genus ſuum propagarunt) omnes oppidi Lubik incolas interficiunt, & ipſum oppidum exurunt.

Strage autem tam inhumana *Moguntinenſis* Archiepiſcopus Metropolitanus *Bohemorum* ad ſe perlata, miſſis ad ſummum Pontificem Nuntiis, in quanto periculo fidei religioniſque catholicæ res in *Bohemia* verſentur, declarat, obſecrans obteſtanſque, vt pro reſcindendis abolendiſque malis patratis & patrandis, Suffraganeus ſuus *Pragenſis* Epiſcopus, ad plebem *Bohemicam* remittatur. Summus autem Pontifex *Gregorius*, aliàs *Ioannes* fidei religionique chriſtianæ conſulens, mandat B. *Adalberto* ad ſe accerſito, ad oves ſuas regreſſum. Declarat autem vir Dei Apoſtolico, aperitque gentis *Bohemicæ* mores & qualitatem, aſſerens *illam & fortem & ceruicem habere*

Poſtea Adalbertus a Gregorio Pontifice

993. *bere duriſſimam, & cor indomabile, ſeque in caſum illic rediturum, rogans vt ſibi licentia prædicandi fidem Chriſti & verbi gentibus Pruſſorum, quæ oram Septemtrionalem incolunt, tribuatur.* Tum Apoſtolicus *Dei, inquit, ſi te contempto monitis, inſtructionibusque tuis non paruerint, excuſſo puluere pedum tuorum linque illos, & genti apoſtaticæ atque perfidæ præſentiam tuam ſubtrahe, nos enim extunc & a vinculo, quo Eccleſiæ Pragenſi hactenus tenebaris te abſoluimus, & Pruthenis cæteriſque nationibus fidem in Chriſtum prædicandi poteſtatem impartimur.* Qua quidem poteſtate ſibi tributa Sanctus Dei vir ſupra modum exhilaratus, vrbe & monaſterio S. *Alexii* in quo degebat, relictis, *Germanorum* etiam cædem dummodo ſolus perueniri poſſet, non pertæſus, *Pragam* reuertitur, ſperans *Bohemos* veteres ſuas ſuperſtitiones, & flagitia derelicturos.

in Bohemiam remittitur.

Vnde multifariis remediis plebem ſuam ſanaturus, alios obſecrat & mulcet blando ſuæ inſtinctionis alloquio, pleroſque corripit, arguit & obiurgat, ſed omnes ſuos conatus & ſtudia perditum iri videns, & amariſſime ingemiſcens, ſubſiſtendumne ſibi, an recedendum deliberabat. Interim ſopore ex vigiliis & triſtitia oppreſſus, diuina voce audit ſe allocutum: *Tu, inquit, ſtertis, & ego iterum vendor Iudæis:* qua voce exterritus proſiliit, & in forum progreſſus chriſtianos vendi *Iudæis*, vt vox cœleſtis denunciauerat reperiens, data pecunia venditoribus, & fidei ludibrium diſpulit, & his qui vendebantur præſtitit libertatem.

ibi chriſtianos Judæis vendi prohibet.

Joanni XIV. Pont. ſuccedit Benedictus VI.

Annis ſeptem, menſibus vndecim, diebus quindecim, *Ioannes* Papa XIV. in Pontificio *Romano* exactis moritur, & in Eccleſia S. *Petri* ſepelitur, et ceſſauit Epiſcopatus diebus tredecim, *Benedictum* VI. natione *Romanum* habuit ſucceſſorem.

& Wladislauienſi Ep. Lucido

Primus *Wladislauienſis* Epiſcopus, qui & *Cruſuicienſis* antiquitus dicebatur, annis tribus & triginta exactis in ſede *Cruſuicienſi* moritur, & in Eccleſia Parochiali in *Dzwirczno*, quam ipſe fundauerat, fabricauerat, & dotauerat ſepelitur. In cuius locum eodem anno *Mauritius* primus ſurrogatur.

Mauritius.

994. Prouidens venerandus Præſul *Adalbertus* I *Pragenſis* plebem *Bohemicam*, ad quam Apoſtolico mandato curandam, regendamque redierat, ſuo recalcitrare imperio, & abominandis transgreſſionibus in Deum deditum eſſe; non ſperans ſe amplius in gente indomitæ frontis & rebellis quicquam profecturum, *Praga* iterum relicta, *Romam* regreſſus a vinculo quo *Pragenſi* Eccleſiæ tenebatur, obtinuit ſe per *Benedictum* Papam VI. abſolui, & ſibi ad prædicandum barbaris nationibus, vltra *Poloniam* ſituatis, licentiam prædicandi concedit. Qua obtenta cum *Gaudentio* cæteriſque religioſis viris *Hungariam* ingreſſus ad ducem *Geiſam* peruenit, in fide catholica & ceremoniis eius, quam ipſe ante annos aliquod ſuſcepiſſe eum audierat, ſuis monitis & prædicationibus inſtructurus.

Adalbertus I

Pragam iterum relinquit

& in Hungaria

994. Cum autem A Duci *Geiſæ* & conſorti eius *Adleidæ* aduentus fuiſſet denunciatus, ſumma mox lætitia concepta ad laudes diuinas organa laxarunt: Hunc enim virum ad ſe veniſſe, qui ſibi in viſione dudum fuerat præmonſtratus, intelligebant. Cum magna itaque veneratione & deuotione ſuſceptus filio Ducis *Geiſæ* confirmationis characterem impendit, & verbum Dei *Slauis* & *Hunnis* tam per ſe quam fratres ſuos, per vnum & amplius annum mellifluo ſermone prædicauit, pluri moſque *Slauorum & Hunnorum* adhuc cultibus idolorum deditos conuertens, omnem *Hungarorum* perambulauit regionem, eos quidem qui crediderunt, erudiens, & paterna pietate confirmans, idololatras vero ab erroribus reducens & confirmans, B ad cuius etiam exhortationem Dux *Geiſa* cum filio ſuo *Stephano*, & conſorte ſua *Adleida*, plures Eccleſias fundant, erigunt, & inſtituunt & Epiſcopalia illis bona largiuntur. Sed & ibi quoque facta perſecutione ob manuum violentarum in perſonam ſuam iniectione, non maledicens, nec repugnans, ſed benedicens, *Pannonia* diſceſſit. *Geiſa Pannoniorum* Dux poſthæc infra dies paucos moritur, filium *Stephanum* relinquens ſucceſſorem.

religionem veram promouit.

Geiſa Hungariæ Dux moritur.

995. *Hungaria* relicta vir Dei *Adalbertus Pragenſis* Epiſcopus in *Poloniam* aduenit, & à *Miecslao Poloniæ* Duce eiuſdemque filio Duce *Boleslao*, omnique populo & Clero cum C magno iubilo & honore ſuſceptus, in *Cracouienſi* primum vrbe, (ea enim ſibi ex *Hungaria* egredienti prima occurrebat) aliquanto tempore moratus eſt; & in ciuitatis prædictæ circulo, ſuæ prædicationis ſanctæ vulgari ſuo *Bohemico*, quod a *Polonis* potuit bene intelligi, aſſidue exoluebat officium, fiebat autem ad illum ex vicinioribus oris & diſtrictibus frequens concurſus. Multi enim in languoribus ægritudinibus, & neceſſitatibus ſuis ab illo ſuſcipiebant votiua ſolatia; vexati autem à dæmonibus liberationem. Rapiebatur autem vir Dei delectatione mirabili, videns vniuerſam *Poloniam* fidei ſanctæ puritate, miræque deuotionis ardore candeſcere, in Eccleſiis nouem Cathedralibus, D cæteriſque ſacris locis nobilitatam eſſe: Pontifices verò & miniſtros Dei magno honore haberi, ſimulque lachrymis obortis ſuſpirans aiebat: *Poloni poſteriores chriſtiani quam Bohemi, nouem cathedris Pontificalibus quaſi veris octo beatitudinibus in baſi noua fide catholica eradicatis, ſuas illuſtrauerunt regiones, nomen venerantur, feruntque Pontifices Dei magno honore haberi, & hos omnes exteros atque peregrinos, omnemque illis præſtant deuotam & ſinceram ſubiectionem. Bohemia vnam tantummodo habens Cathedram, me vnum ſui generis Pontificem ferre non potuit, ſed non ſine fidei ſanctæ ludibrio, ſuaque infamia, mores catholicos peroſa, me cum vituperio*

Adalbertus ex Hungaria in Poloniam tranſit, & primo Cracouia,

995. *perio & dedecore repulit, excluſit & deiecit.* Tantam autem vir Dei *Adalbertus* ſua prædicatione, conuerſatione, vitæ merito & exemplo ſui memoriam apud *Cracouienſem* reliquit vrbem, vt poſt ſui glorioſi martyrii conſummationem in eo loco, quo prædicationem ſuam peragere ſolebat, baſilicam in eius honorem conderent, quæ vſque in diem hodiernam permanens, & ſollicitudinem viri Dei in verbo vitæ diſſeminando, Polonorum erga illum teſtatur deuotionem. Digreſſus autem ex vna *Polonorum* Metropoli *Cracouienſi* Cleri multitudine, & populi diſceſſum eius deplorante, & in longa ſpatia cum ſectante, in alteram *Polonorum* Metropolim *Gneſnenſem* Ducis *Miecslai Poloniæ* militibus illum, & comites ſuos omnium neceſſariorum prouiſione tractantibus, viamque monſtrantibus peruenit. Conſtitutus autem in itinere ferme in rure quolibet & villagio, ad quod illum venire contingebat, docebat *Polonos* tanta ſedulitate vt etiam conductores ſui longa mora pertæſi, illum frequenter relinquerent. Cum autem quodam die errore viæ lapſus ad villam quandam in *Polonia Maiori* perueniſſet, ruſticis ſuum & comitum ſuorum monachalem habitum, aut cucullatum, quem antea nunquam viderant, irridentibus & pro inſanis eos reputantibus, repente in irriſores Dei vltio affuit, quæ illis vſum auditus & loquelæ ademit. Qui poſtea *Gneſnam* ad eum venientes, & ſcelus ſuum publice confitentes, reſtitutionem vtriuſque ſenſus, eius meritis & oratione receperunt. Contigit autem pro illo tempore *Robertum Gneſnenſem* Archiepiſcopum mori, cuius locum *B. Adalbertus* maximis Ducis *Miecslai*, & filii eius *Boleslai*, totiuſque Cleri & populi inſtantiis deuictus ſuſcepit. Vbi deſides gentis animos & parum de ſpe futura ſollicitos, ſtimulare verbis & prædicatione ſuccendere, negligentiamque eorum excutere & abolere, cœpit.

Mox Gneſnæ prædicat,

ibique mortuo Roberto fit Archiep.

996. *Benedictus* VI. Papa *Romanus*, cum vno anno, menſibus ſex ſediſſet, à *Curtio* Nobili *Romano* captus, & in caſtro *Angeli* ſtrangulatus eſt, cui *Donus* II. natione *Romanus* ſucceſſit. Sub cuius Pontificatu, duo *Bulgarorum* Duces, *Petrus* & *Baianus* moto *Græcis* bello, & aliquot relatis victoriis *Conſtantinopolitanam* ciuitatem adeo vexauerunt, vt eius potentia in pluribus fuerit diminuta & collapſa. A nonnullis autem ſcribitur præfatus *Benedictus* à *Tito Romani Theodori* filio fame extinctus: Cuius tyrannis non inuenitur vindicata *Dono* tempore breui mortuo, & vno anno, menſibus ſex ſedente.

Benedicto VI Pont. ſtrangulato ſuccedit Donus II. Bulgari Græcorum Imperium bello vexant.

Cracouienſis Eccleſiæ ſecundus Archiepiſcopus *Proculſus*, cum annis decem ſediſſet, moritur, & in *Cracouienſi* Eccleſia ſepelitur: Cui *Lampertus* per Cleri & vicinarum Eccleſiarum Parochialium Rectorum electionem, conſenſu Ducis *Poloniæ Miecslai* accedente, ſuffectus eſt in Metropolitanam ſedem.

Proculſo Archiep. Cracouienſi ſuccedit Lampertus:

Robertus Gneſnenſis Archiepiſcopus, dum annos viginti & quinque ſediſſet, obiit, & in *Gneſnenſi* Eccleſia ſepelitur: Cui *Adalbertus Pragenſis* Epiſcopus genere Nobilis, de domo *Rozarum* ſuccedit. 996.

Annum vnum, menſes ſex, *Donus* Papa in Pontificio exigens *Romæ* moritur, & in Eccleſia S. *Petri* ſepelitur, ceſſauitque Epiſcopatus aliquot diebus. Cui ſuccedit *Bonifacius* Romanorum potentia intruſus, cuius nomen & patria ignota, ipſeque ſede *Petri* indignus. Hic in vrbe *Romana* pluribus moleſtatus & perculſus aduerſis, Eccleſia S. *Petri* ſpoliata notabilioribus clenodiis gemmiſque *Conſtantinopolim* fugit, deinde *Romam* cum pecunia ingenti reuerſus, cum in Pontificatu tenendo profecturum ſe non ſperat, in tyrannidem verſus; *Ioanni* Diacono Cardinali oculos eruit, & ipſe tandem cholera confectus, & melancholia extinctus eſt, cum vno tantummodo menſe, & diebus duodecim ſediſſet. Quo mortuo *Benedictus* VII. *Sutrienſis* Epiſcopus, ſanctitate & probitate inſignis *Romanum* Pontificatum accepit, & pleroſque *Romanos* rebus nouis & tyrannidi ſtudentes, fauore & aſſiſtentia *Ottonis* tertii captiuauit, & digna pœna coërcuit.

Dono Pont. Bonifacius, qui Rom. Eccleſiæ bona ſpoliauit. Ei ſuccedit Benedictus VII.

997. Æſtuans vir Dei S. *Adalbertus Gneſnenſis* Archiepiſcopus ignito & flagranti deſiderio, lauream martyrii ſuſcipere, de qua accipienda, viſione ſibi monſtrata certificatus erat: viderat enim chorum duplicem beatarum animarum, cœleſti fulgore radiantium, ordine purpuratorum, videlicet & candidorum. Cumque ſtupens quid eiuſmodi viſio portenderet ſecum tacitus quæreret, cœleſti illi voce nunciatum eſt *martyrum & virginum duos ſacerrimos cœtus iam beata immortalitate veſtitos, quos viderat ordines eſſe, & in vtroque eum conſortium loco præmii ſui recepturum.* Hac itaque viſione vehementer inſtigatus, non ſine Ducis *Miecslai Poloniæ* & filii eius *Boleslai* Ducis moleſtia & dolore, *Gneſnenſem* ſedem deſerit, & fratre ſuo *Gaudentio* pro ſe Archiepiſcopo *Gneſnenſi* ordinato, comitantibus illum Ducis *Poloniæ Miecslai* triginta militibus & familiaribus verſus *Pruthenorum* regionem, *Polonorum* regioni confrontatam à flumine *Oſſa*, qui & ipſe in *Wiſlam* decidit terraſque Polonorum à *Pruthenis* diſterminat, vſque ad mare ſeptemtrionale protenſus pergit. Fuit autem pro ea tempeſtate *Pruthenorum* gens ſæua & crudelis idololatriæ, & cultui dæmonum, & tam cæco & caliginoſo dedita errori, vt ſolem, lunam, ſtellas, beſtias, aues, ignem, & cætera creata pro diis coleret, & quaſdam ſiluas, lacus, & aquas, quas neque piſcatu, venatu aut inciſione contigere licebat, ſacras putarent, ſpeciale habens idioma, à *Latino* tamen aliquantulum deriuatum & quod cum *Lithuanico* habet concordantiam aliquam, eoſdemque pæne ritus, deos & ſacra

Adalbertus martyrii cupidus

Archiepiſcopatu Gneſnenſi ſe abdicat fratre Gaudentio ſucceſſore. Inde ad Pruthenos conuertendos pergit,

997. 997.

quorum regio & origo deſcribitur,

eadem colentes, vnum & eundem ſacrorum Pontificem apud ciuitatem eorum pro metropoli habitam *Romoue* vocatam, reſidentem à *Roma* intitulatam, venerabantur, cuius iuſſa à ſingulis non obedienter impleri capitale erat, & qui Pontifex *Kriue*, eorum lingua appellatus eſt. Vnius & moris & linguæ, cognationisque *Prutheni* & *Lithuani Samogitæque* fuiſſe dinoſcuntur, & beliis ciuilibus in *Italia* per *Cæſarem* & *Pompeium* exortis, flagrantibus ciuilibus bellis *Italiæ*, veteribus ſedibus deſertis, in has, quas incolunt oras veniſſe, ſedesque ſuas in nemoribus & deſertis fluminibus, ſtagnis, & paludibus obſitis poſuiſſe, ad inſtar quoque *Romæ* ciuitatem Principalem *Romoue* condidiſſe, & ſummum ſacrorum Antiſtitem illic locaſſe eos aſſerunt, & quamuis gentes ipſe in pronunciatione verborum diſ- B ferunt, quemadmodum *Poloni, Bohemi, Rutheni*, nihilominus in multis conueniunt, non vnius tamen ſtirpis & linguæ fuiſſe æſtimantur; ſed *Pruthenis* alia fertur fuiſſe, quàm *Lithuanis* & *Samogitis* origo. Dum enim *Pruſſias Bythiniæ* Rex, apud quem *Annibal Panorum* Dux à populo *Romano* victus & fugatus exulauit, ſuaſu *Annibalis* temerè contra populum *Romanum* bellum ſuſcepiſſet, & publicam pugnam non reſpondentibus fibris dùm exta conſpicerent, inire eſſet auſus, (vbi etiam in hunc modum ab Annibale increpabatur: *An tu*, inquit, *ô Pruſias vitulinæ carunculæ credere mauis, quàm Imperatori probato?*) conflictus ergo & ſuperatus *Pruſſia* cum *Bithiniis* gente ſua in aquilonarem oram *Romanos* fugiens venit, & ex ſuo titulo *Pruſſiæ* nomen fecit. *Bithinii* autem populi etiam in hanc diem manent veſtigia, quoniam nonnulli *Prutheni* priſcæ linguæ retinent vocabula & ab *Æolicis, Doricis, Atticis*, & *Ionicis* populis competenter intelliguntur. Coniuges his venales erant, ſeruilia etiam opera coactè agere, defunctorum cadauera cum armis, equis, & veſtibus, cæterisque rebus, quæ viuis cordi erant incendere ſoliti. In *Pruthenorum* itaque Prouinciam vir Dei *Adalbertus* ingreſſus, cœpit per interpretem à Duce *Polonorum Miecslao* ad id ſibi ſingulariter præbitum, *Pruthenico* populo euangelizare *Chriſtum*, & illos a cultu- D ra dæmonum auertere, docens *ea quæ colerent, ſolem, lunam, ſtellas, beſtias, ignem, quem perpetuum vocabant, & ſiluas creaturas veri Dei eſſe, & in illis permiſſione diuina ſpiritus dæmonum conſiſtere, & cultores ſuos ludificare.* His & aliis pluribus vir Dei vſus ſermonibus, loca magis inhabitata colebat, continuò plantationi fidei & prædicationi ſanctæ inſiſtens. Superanti autē flumen *Oſſa*, & remitti ſibi naulum & ſociis ob egeſtatem deprecanti, à remige grauem in caput ictum excepit & in glorificatione Domini, qui ſibi aliquid pro ſuo nomine pati tribuiſſet, inde ſoluit, oſtendens exemplum, quia nihil terribile eſt vbi diligitur

Deus, nihil graue & acerbum, per quod ab errore ad fidem reducitur proximus. Et licet A videret *Pruthenicum* populum ad ea quæ annunciabat obſtinatum difficulter domabilem eſſe, de Dei tamen pietate quæ ſibi prædicandi gentibus nomen ſuum donum conceſſerat, non deſperans, pluresque iniurias & opprobria perferens, adeò vt ſæpè domo & tectis excluſus, ſub dio frigore & pluuia laceſſitus, cogeretur hoſpitari, mira perſeuerantia patientiaque cœptum prædicationis officium diligentiſſimè proſequebatur. *Prutheni* autem moleſtè ferentes Deorum ſuorum contaminationem & vituperium, quorum cultum & ritum à maioribus ſuſceptum iniquo animo dolebant confutari & reſcindi, ſummo ſacrorum Antiſtite *Kriue* dicto, & aliis Sacerdotibus idolorum primores *Pruthenorum* animantibus in necem ſuam conſpirant. Cum itaque vir Dei vniuerſa ferè *Pruſſia* diſſeminando verbum vitæ peragrata ad vicum in littore *Oceani* propè oppidum, cui nomen hactenus *Felſchaus* ſitum perueniſſet, & in colle petroſo vico impendenti, die Veneris, quæ fuit nona Calend. Maii ageret miſſarum ſolennia, & ſupplicibus precibus pro conuerſione *Pruthenica* pietatem diuinam obſeruatione & ſacrificio imploraret, *Prutheni* conueniunt, & credentes illum incantationibus in Deorum ſuorum perniciem vti, in ipſum inſiliunt, & pluribus quaſſatum ſciſſumque ictibus & ſæpius confoſſum, caput à corpore abſcindunt, & in quadam vicina ar- C bore, vt ampliori pateret contumeliæ, ſuſpendunt, quod per tres dies, quibus habebatur oſtentui, diligenti ab aquila ſeruabatur tutabaturque cuſtodia. Sic anima illa ſancta carnificis excruciata percuſſionibus, ad ſupernæ Maieſtatis thronum, geminatam lauream perceptura, & ſempiterno æuo fruitura, angelico obſequio comitata conſcendit, & Sanctus ipſe carnis vinculis abſolutus ad frugem tranſiit ſupernæ & immarceſſibilis voluptatis, corpus ſacrum, quod in plures partes ſciſſum, hoſpes beati viri in ſportam recollectum ſeruauerat, *Prutheni* ne poſt mortem aliquibus per illud afficerentur incommodis, ſub diligenti & ſecreta cuſtodia apud eundem, à quo mactabatur, virum, abſcondunt, comites verò B. *Adalberti*, videlicet *Benedictum, Matthæum, Ioannem, Iſaac, Chriſtinum*, & *Barnabam*, iniuriis & plagis variis affectos denunciantes eis mortem, ſi redire auderent, de regione ſua eiiciunt & educunt. Habebant autem *Prutheni* barbari in ſuis ritibus & obſeruantiis hanc legem, vt mortuos ſuos igne cremarent, adiungendo funeri cremando magis ſplendidas veſtes, equos, arma, & quæcunque meliora, exiſtimantes mortuum iis omnibus, quibus cum crematetur, in vita altera vſurum, homicidium crudeli vltione damnando, reum atque culpæ affinem capite expiabant, in hoſpites liberales & humani, ebrietati & baccho dediti, equino lacte,

a quibus occiditur,

& comites eius eiiciuntur.

Mores Pruthenorum.

997. lacte, quod multipliciter inebriare conſueuit, vtebantur. Vini vſus apud illos tunc erat ignotus, adeò ebrietatis ſectatores, vt nullum ſe officium in amicum & hoſpitem crediderint contuliſſe, ſi ebrium illum non viderent, mulieres ac viri iuxta in ebrietatem procliues, vxorum nullus illis finitus numerus, ſed quot vnuſquiſque poterat emere, tot habebat, propter quod neque in honore habebantur, ſed ancillarum & ſeruarum cogebantur explere officia, balneorum quotidianus, tam viris, quàm mulieribus vſus, quibus heſternæ diei ebrietatem aſtruunt ex corporibus depelli, & vitam produci. Nemo mendicare permittitur, affatim vnicuique eſurienti, in quamcunque ſe domum contulerit, cibus miniſtratur.

Miecslaus

Miecslaus interim *Polonorum* Dux Prælatorum & Baronum *Poloniæ* ſedula admonitione & conſilio perſuaſus, vt ad ſummum Pontificem *Benedictum* VII. nuncios mittat, & coronam ſibi, & *Polonorum* regionibus dari petat. Ea enim tunc opulentia frequentiaque tàm hominum, quàm diuitiarum in *Poloniæ* Prouinciis & iuſtitia Ducis *Miecslai* habebatur, vt digna *Polonia* viſa ſit, quæ ad numerum catholicorum regnorum accederet. Ad hanc autem tàm arduam rem obeundam expediendamque, Pontifex *Cracouienſis*, Lampertus vir doctrina & eloquentia ſpectabilis, electus eſt: Qui cùm ad ſummum Pontificem *Benedictum* Papam perueniſſet, & diſertè grauiterque Ducis *Miecslai*, & *Polonorum* mandata exponens, petiiſſet, *vt Duci Miecslao & Poloniæ regionibus pro maiori fidei S. catholicæ per eos ſuſceptæ, quam mirum in modum per fundationem nouem Cathedralium Eccleſiarum, aliorumque ſacrorum locorum dedicabat germinaſſe corroborationem, pro infidelium quoque & Schiſmaticarum nationum Poloniæ vicinarum reductione & exterminio daret coronam, deducens Miecslaum Ducem Poloniæ verum Catholicum, religioniſque Chriſtianæ feruentiſſimum zelatorem, atteſtantibus id operibus exiſtere, in armis actibusque militaribus ſtrenuum & ingenuum, multarum gentium copia glorioſum.* Cùm autem Summus Pontifex *Benedictus* VII. communicato Cardinalium conſilio, *coronam Miecslao Polonorum Duci pro incremento & dilatatione fidei catholicæ, & gloria gentis Polonorum ſe benignitate paterna daturum, Lamperto Cracouienſi* Epiſcopo reſpondiſſet, Ducis *Hungarorum Stephani* germani ex ſorore *Adleida* Ducis *Polonorum Miecslai* nepotis, qui eodem anno genitore *Geiſæ* mortuo *Hungariæ* Ducatum regendum ſuſceperat, nuncius *Auſtriacus* cœnobii S. *Benedicti* ordinis ad radicem *montis ferrei* Abbas, & poſt in *Strigonienſem* Archiepiſcopum promotus, licet per anticipationem *Strigonenſis* Archiepiſcopus inſcribatur in annalibus, *Romam* aduenit, & pro Duce ſuo *Stephano Hungariæ* coronam petere à ſummo Pontifice cœpit. Et licet *Benedictus* Papa diſpoſitus fuerit, vtrique Duci, *Hungarorum* videlicet & *Polonorum*, dare coronam, intelligens largitionem coronæ pro vtroque nulli eſſe præiudicialem, & magnum rebus fidei religioniſque chriſtianæ profectum poſſe adferre. Interim tamen fertur *Benedictus* Papa angelica viſione admonitus eſſe, quatenus promiſſum pro Duce *Polonorum Miecslao* Epiſcopo *Cracouienſi Lamperto* factum reſcinderet, & Duci tantummodo *Hungariæ Stephano*, eiuſque nuncio *Auſtriaco* coronam conferret, ſubinferens *Polonos magis ſanguini, cædi, & venationibus quàm deuotioni, & miſericordiæ operibus: magis oppreſſioni ſubditorum & rapinis, magis mendacio & dolis, quàm veritati deditos & intentos eſſe, maiorem illos agere belluarum & canum, quàm hominum curam, in effuſionemque ſanguinis humani procliues, nondum dignos exiſtere, quibus corona hactenus debeatur conferri. In proximo autem ſi erit Deus genti illi placatus, miſerebor, & coronam, quam nunc ei denego, glorificabo exaltaboque illam, extant enim in ea gente plura hominum millia in lege mea incedentium ſine offenſa, quorum merito & ſupplicatione cæteris miſerebor, ſed neque multorum bonorum operum in plurimarum erectione, dotationeque Eccleſiarum, cæteroque quibus ab ea veneror cultu, potero obliuiſci.* Huiuſmodi itaque viſione *Benedictus* Papa permotus, coronam quam Duci *Miecslao* præparauerat, Duci *Stephano Hungariæ* tradendam, *Auſtriaco* ſuo nuncio largitur. *Lampertum* autem *Cracouienſem* Epiſcopum licet triſtem & lugubrem in *Poloniam* remittens bene ſperare iuſſit, aſſerens *non longo tempore decurſo Ducem Polonoſque, poſtquam ſordes ſpurcitiaſque ſcelerum quibus hactenus diſplicuerant Deo, abiecerint, & exercitati virtutibus colendo iuſtitiam & æquitatem ſtuduerint, Dei benignitatem, pro votis ſuis ſe largiſſimè conſequuturos.* Veritus autem *Benedictus* Apoſtolicus, ne occaſione coronæ Duci *Stephano Hungariæ* datæ, Duci vero *Poloniæ Miecslao* negatæ, inter auunculum & nepotem *Hungarorum* & *Polonorum* Duces prædictos execranda bella, & guerrarum motus conſurgerent, vocato vtroque nuncio, hortatur, commonet, & mandat, *vt pacem & charitatem affinitatis vicinitatiſque iure contractam indiſſolubilem obſeruent, cuſtodiant, & nullo reſpectu, aut occaſione, labefactari permittant, per vtrum ſteterit, quo minus pax ſeruaretur, eum ſe anathematis cenſura cenſuraturum.* Habet autem nonnullorum aſſertio, quod ſummus Pontifex non angelica viſione permotus, ſed ex certitudine, qua doctus erat, *Miecslaum Poloniæ* Ducem obiiſſe, coronam illi non dederit, quod & ego in *Polonorum* aliquibus annalibus memini me legiſſe, ſed apparitionem angelicam ab *Hungaris*, quo coronæ miſſio eis a *Benedicto* Papa facta foret celebrior, conſictam & ſomniatam 997.

a Romano Pont. ut ſe Regem declaret, petit

qui ſomnio monitus

coronam non Miecslao ſed Stephano Hungariæ Duci mittit.

997. tam eſſe, quam etiam in hanc diem parum iuſta appellatione ſanctam vocant, cùm nullum metallum poteſt in ſe includere ſanctitatem, niſi A vſurpatam vel ementitam.

Vaſtatis eo anno Dux *Ruſſiæ Caruatis*, infertur illi à *Polonis* bellum, contra quos egreſſus ad fluuium *Rubieſſa* eos offendit, cumque fluuio impediente periculoſam ſibi vterque exercitus dimicationem cenſeret, vir altus & raræ fortitudinis de caſtris *Pieczyngorum* egreſſus prouocabat *Ruthenos*, vt alium darent ad pugnam, tribus annis, ſi vinceretur, vaſtationem ſuæ terræ perpeſſurum. Vnus itaque ex *Ruthenis*, qui domi remanſerat, adductus id munus ſuſcepit, quem pro deuicto vtroque exercitu inſpectante, eò, quòd ſtatura mediocris eſſet, *Pieczyngus* deſpexit. Inito tandem certamine vincit *Ruthenus Pieczyngum*, & B continuò exercitus *Pieczyngorum* fugit. Quem *Ruthenus* proſequutus multos occidit aut cepit. *Wladimirus* illic caſtrum *Bereſlaw* erexit, eò, quòd vir, qui vicerat, ex *Bereſlaw* ortus eſſet.

Rutheni Pieczyngos vincunt.

998. Anno Domini 998, ſeptimo Idus Februarii *Boleſlaus* Dux pius vocatus germanus Duciſſæ *Dambrowcæ Poloniæ* moritur, vnicum filium *Boleſlaum*, alter enim *Venceſlaus* immatura morte abſumptus erat, reliquit, qui Patri in Ducatu *Bohemiæ* ſucceſſit. Grauiter & moleſto animo ferens *Polonorum* Dux *Miecslaus Bohemiæ* Ducatum poſt mortem *Boleslai* pii Ducis auaritia Baronum diſtractum & vſurpatum iri *Boleſlao* conſanguineo ſuo ſolo nomi- C ne Principanti compatiens, congeſto forti exercitu, habens in ſuo comitatu *Boleſlaum* filium ſuum *Poloniæ* Ducem, *Bohemiam* ingreditur, & cæteris ciuitatibus cum honore illum excipientibus, eiusque ordinationibus & iuſſionibus parentibus, ſola *Praga* portas clauſit, imperium eius abnuitura. Tum *Miecslaus* illam aggreſſus expugnat, & in ſuam redigit ditionem, impoſitoque tam arci, quàm ciuitati, præſidio, & ordinato rerum *Bohemicarum* ſtatu, alacer, victor, & incolumis in *Poloniam* reuertitur.

Boleslao Bohemiæ Duce mortuo ſuccedit filius Boleslaus, cuius auctoritatem vindicat Miecslaus,

& Bohemos in ordinem redigit.

Irruentibus eo anno *Pieczyngis* in terram *Ruſſiæ*, & eam vehementer cæde & igne vaſtantibus, *Wladimirus Ruſſiæ* Dux cum ſuarum D gentium copiis occurrit illis, & ingenti cæde vtrinque edita, contritus eſt *Wladimirus*, & exercitus eius à *Pieczyngis*. Et cadentibus plurimis, affugit *Wladimirus*, proſequentibusque illum *Pieczyngis*, ne in illorum manus viuus incideret, ſub pontem, qui fugienti occurrerat, ſe abſcondit. Cuius beneficio vſus hoſtes ſe inſequentes feſellit, *Pieczyngi* autem ſpoliis & caſtris *Ruthenorum* potiti, prædata *Ruſſiæ* terra, in regiones ſuas captiuos & pecora, cæteramque prædam deducunt. Poſt quorum diſceſſum, *Wladimirus Ruſſiæ* Dux in ſignum ſuæ euaſionis Eccleſiam transfigurationis in *Kiow* ædificat, & dotat. Eo quidem feſto iuxta *Græcorum* ritum, clades illa & ſua euaſio contigerat. 998. Duo viri ea tempeſtate inſignes, vita & exemplo ac conuerſatione floruerunt, *Swyrardus*, qui ad fluuium *Dunaiec* prope oppidum *Czechow* in *Craconienſi* diœceſi eremita ſub rupe, quam in hanc diem cernimus, habitabat, & in qua per annos plures Chriſto militauerat, & *Benedictus*, anachoriticam vitam ambo ducentes, è *Polonia* egreſſi intrauerunt *Pannonias*, & in cœnobio S. *Benedicti* ad radicem *montis ferrei*, ſub Abbate *Auſterico* militantes, *Swyrardus* qui & *Zorardus*, confeſſoris decus aſperitate vitæ promeruit, *Benedictus* ſanguine fuſo laureola martyrii coronatus.

Wladimirus a Pieczyngis vincitur.

Miecslaus Polonorum Dux cum annos plures in Principatu egiſſet, & fidem chriſtianam 999. cum *Dambrowka* conſorte ſua, filia Ducis *Bohemiæ*, primus in *Polonia* plantaſſet, multarumque Eccleſiarum Cathedralium & Parochialium fundator, cæterorumque piorum actuum deuotus patrator extiterat, religioſè & catholicè perceptis ritu chriſtiano ſacramentis, mortuus, & in Eccleſia Cathedrali *Poſnanienſi* ſepultus. Cuius funeri, tam à filio ſuo illuſtri *Boleſlao*, quàm à Prælatis & Baronibus eius deceſſum magnoperè deplangentibus, ſingula iuſto debitoque honore perſoluta ſunt. Poſt expletas autem funebrias *Boleslaus* filius vnicus triginta habens annos duoſque, cuius optima indoles in militaribus rebus iam dudum in multis & heroicis actibus reſplenduerat, & qui in ea ætate viguiſſe tam inſigni modeſtia notatus eſt, vt iam appareret plura illum experimentis reſeruaſſe, quàm tempore tranſacto præſtitiſſe, fauore Prælatorum & Baronorum *Poloniæ*, & miranda omnium vociferatione, acclamatione, & conſenſu in locum Patris ſufficitur, & Principatus regni *Poloniæ*, ſibi gubernandus committitur. Erat enim corporis elegantia venuſtiſſimus, mentis induſtria prudentiſſimus, animi magnitudine fortiſſimus, ad diſponendum negotia, tam priuata, quàm publica diſcretiſſimus, eo nimirum pollens profectu, vt ſuam, populique ſui gloriam, continuis diffunderet augeretque decoribus, in Eccleſias, & miniſtros Dei munificus, in milites beneficus, & in cæteros ordines liberalis. Quibus rebus tantâ ſingulos deuinxerat charitate, vt vitæ illius, iuxta ac ſuæ, timerent. Curiam denique ſuam, non ſolùm militum & Baronorum præcipuorum, ſed & libertorum, quos à ſeruitute diſſoluerat, numero habebat ſtipatam & ornatam, tantaque refertam frequentia, vt à ſpecie iuſti exercitus parum differret. Cuius fretus robore facile hoſtiles inſultus reprimebat acri vir ingenio, conſilio & virtute præclarus, iuſſionum ſuarum ſeueritatem liberalitate & blanditiis, quaſi quodam validiſſimo temperamento condecorans, non ad fortunæ nutum, ſed ad virtutis normam ſingula Reipublicæ adminiſtrans negotia,

Miecslaus Polonorum Dux moritur,

ſuccedit filius Boleslaus,

cuius laudes prolixe deſcribuntur.

999. gotia, cui natura magnificam, præſtantemque perſonam cæteros mortales excedentem donauerat. Benigniſſimè fouens virtutes, vitia A verò ſeueriſſimè vindicans. Erat autem *Boleslao* Duci *Poloniæ* præfato ingenium facilè ad omnia quæcunque agere vellet accommodatum, & verſatile, loco, perſonæ, & tempori congruens, qui didicerat omnis conuenientiæ rationem ſingularem, vt ad omne, quod ſiue pace, ſiue bello agendum emergeret, artibus optimè affectus, inſtructusque cenſeretur, robore, ſanitate, integritate ſenſuum, facundia, opibus, liberalitate, claritate gloriæ vigens, & cæteris id genus ornamentis, gloriæ auidus, & notam ignominiæ metuens. Morte autem *Miecslai Polonorum* Ducis in regionibus, quæ ſibi parebant vulgata, nouem omnes Eccleſiæ Cathedrales ab ipſo fundatæ & dotatæ, certatim B illi funebria, pompa ſolenni peregerunt, agendasque à ſe & ſuis ſucceſſoribus Pontificibus ipſarum Eccleſiarum quotannis inſtituerunt, rectiſſimè quidem, vt mihi videtur, & dignè, vtpote principi & primario ſuo fundatori, à quo illis & cuilibet choro per liberalem dotationem perpetuo in hanc diem vigens, commendatus eſt ſpiritus.

Beato viro *Adalberto Gneſnenſi* Archiepiſcopo, ad prædicandam fidem Chriſti in *Pruſſiam* profecto, beatus *Gaudentius*, qui alio nomine *Radzin* vocabatur, frater germanus beati *Adalberti* ſecundum carnem, *Gneznenſem* Cathedram à beato *Adalberto* viuo ſuffectus C ſuſcepit, genere *Bohemus*, & nobilitate clarus, eisdem parentibus quibus beatus *Adalbertus*, *Slawniko* & *Strzeliſlawa* ortus de domo *Rozæ*, & ea familia, quæ ſe *Porai* nuncupat, *Rozam* rubeam pro inſigni deferens.

1000.

Prutheni corpus Adalberti Boleslao reddere volunt, pro ſimili argenti pondere.

Sentientes *Prutheni* glorioſum *Chriſti* Martyrem *Adalbertum* Illuſtriſſimo Principi *Polonorum Boleslao* tàm in vita quàm morte chariſſimum fuiſſe, & pro eius habendo corpore, & in *Poloniam* tránsferendo ſollicitum eſſe, (tanta enim ipſe Princeps *Boleslaus* erga ſanctum Dei æſtuabat affectione, vt, niſi *Prutheni* corpus ſuum pacto aliquo vel pacis via redderent, decreuerat illos indicto bello grauius quo poſſit, donec ſuum ſacrum corpus redderent, laceſſere.) mittunt ad *Boleslaum* Principem Nun- D cios, qui ſuperba legatione vſi hæc verba faciunt: *Deum tuum Adalbertum, quem interfecimus, tibi cordi audimus eſſe. Pro quo habendo ſuo corpore ſollicitum te eſſe, vt etiam nos armis impetere, & bellum nobis inferre coneris, armis quidem Dei tui corpus obtinere non poteris, ignotum tibi & pluribus inuio obrutum loco. Verum ſi illud habere deſideras, argento opus eſt non ferro, dare tibi illud offerimus, ſi precium argenti, quod appenderit, te conſenſeris ſoluturum.* Boleslaus autem *Polonorum* Princeps, & ſi moleſto acerboque animo legatorum arrogantem denunciationem audiret: ingentis tamen ſpiritus ſui feruore compreſſo, in tempus aliud factum *Pruthenicum* caſtigandum reſeruans, modeſtius quam ferebat natura ſua, quo facilius in poſſeſſionem corporis ſancti peruenire poſſet, Legatis *Pruthenorum* pro tempore reſpondet, offerens *ſe conditionem per eos oblatam impleturum.* Ex pacto itaque inter *Boleslaum Poloniæ* Ducem, & Nuncios *Pruthenorum* inito, mittuntur per *Boleslaum* Eccleſiaſtici & militares in *Pruſſiam* viri, ſufficientemque copiam argenti ex theſauro Ducis magna liberalitate præſtitam ſecum ferunt. Quo cùm perueniſſent, & iuxta pacta Primores *Pruthenorum*, qui ad huiusmodi rem expediendam conuenerant, corpus ſanctum miram ſpirantem odoris fragrantiam de loco abdito attuliſſent, primùm an illud ſit per *Polonos* recognoſcitur, deinde ex vulneribus recentem teſtantibus cædem, aliisque euidentibus ſignis recognitum collocatur in ſtatera, & argentum per Ducem *Boleslaum* miſſum appenditur apud vrbem *Romoue Pruthenorum* Metropolim in tale leuitatis impendulum operante diuinitate corpus illud ſacrum, quo dùm viueret Spiritus ſancti organum, habitaculumque cenſebatur, verſum eſt, vt pæne nullum pondus habens argenti, exiguiſſimæ reſponderet articulo libræ. Omnibus autem tam *Polonis*, quàm *Pruthenis* magno ſtupore repletis, in laudem Maieſtatis diuinæ pro præſtito miraculo & beneficio *Poloni* ora reſoluunt, & cum omni honore deuotioneque Eccleſiaſtici viri corpus Beati *Adalberti* de ſtatera leuant, & in capſam pulcherrimi operis pro hominum vſu & neceſſitate ſecum allatam recondunt, ac ferè vniuerſum argentum, quod pro appendendo ſacro corpore attulerant, in ſcrinio referunt, non ſine *Pruthenorum* magno cruciatu, & qui theſauro viſo & allato ſe fruſtratos mentis anxietate, ingeminatione verborum premebantur. Non audebant autem *Prutheni* concluſa pacta, quamuis aliquorum illis ſuaderet improbitas, retractare, ne & à ſuperna Maieſtate Dei, cuius mirandam potentiam in appendendo ſacro corpore expertam habuerant pœnam, & iuſto bello pro temeritatis pactis vltro oblatis per *Boleslaum* Ducem, & gentem *Polonorum* vexatum eos iri contigeret. Accepto itaque Nuncii *Polonorum* in *Pruſſia* ſancto Dei corpore *Adalberti*, illud cum debita ſolennitate, reuerentia, atque honore in *Poloniam* deferunt, plaudentibus & exultantibus populis *Polonorum*, & gregatim cum cereis accenſis ſancto corpori occurrentibus, per quorum poſſeſſiones rura atque vicinia ferri illud contingebat. Dùm autem *Boleslaus Polonorum Dux* denunciantibus Nunciis in *Pruſſiam* miſſis cognouiſſet omnem ordinem & modum, qui in appendendo corpore beati Martyris *Adalberti* diuino numine habitus eſt, & qualiter videlicet corpus beatum modicum, imò pæne nullum cauſaſſet pondus in ſtatera, & quod Nuncii ſui iam illud intra fines

Boleslaus argentum mittit,

ſed corpus admodum leue deprehenditur,

quod in Poloniam refertur

1000.

1000. fines Regni ſui cum omni ſecuritate detuliſſent, vehementi exhilaratus gaudio, in laudem Saluatoris, qui ſibi & *Polonis* tàm mirifica præſtitiſſet beneficia, prorupit: deinde omnibus Pontificibus, Eccleſiaſticis quoque & ſecularibus viris accerſitis, in grandi & numeroſa multitudine omnium ſtatuum & ordinum ſancto corpori obuiam proceſſit, & dùm illud offendiſſet proſternitur cum clero, populo & vniuerſo comitatu; deinde laudes concinendo, corde & ore excepit, & illud in cœnobium *Trzemeſzno* ordinis Canonicorum Regularium beati *Auguſtini*, quod pater ſuus *Miecslaus Polonorum* Princeps in primordio adſumptæ fidei fundauerat, & mirifica largitate dotauerat, deferens, illic collocauit. Deinde modici temporis interuallo elapſo volens S. *Adalberti* corpus amplius honorare, congregata magna Pontificum Eccleſiaſticorumque & ſecularium virorum multitudine, corpus ſacrum ex *Trzemeſno* in *Gneſnam* ciuitatem ea tempeſtate florentem & populoſam cum magna ſolennitate & pompa 13. Calend. Nouembris deduxit, & in Eccleſia Metropolitana *Gneſnenſi* cuius Sanctus ipſe aliquanto tempore erat Archiepiſcopus, honore excellenti collocauit. Pluribus poſt diebus ſequentibus *Gneſnæ* in memoriam tanti beneficii feſtos dies egit, largiſſimas eleemoſinas egenis diſtribuens, & vniuerſis pro neceſſitatibus ſuis illum interpellantibus munificum & gratioſum ſe demonſtrans. Corpore autem ſancti Dei viri *Adalberti Gneſnam* tranſlato frequenti & aſſidua cœpit vir Dei miraculorum operatione clareſcere, & in variis languoribus ſupplicibus ſuis magnificus adiutor exiſtere, propter quæ non ſolùm ex *Polonia*, ſed ex remotiſſimis *Germanorum*, *Pannoniorumque* finibus ad tumbam corporis S. populorum cateruatim eam adeuntium, ſanctitatisque ſolatia recipientium, cœpit eſſe frequentia & concurſus, miraculorum ab ipſo patratorum ſeriem huic operi non inſeruimus, eò quod in pluribus libris habentur, deſcripta. Multa prodigia is annus habuit, & inprimis terræ motum apud *Polonos*, in regione enim *Polonorum* cometes 19. Calend. Ianuarii apparuit, qui cœlo aperto quaſi facula ardens & faciem in longum protendens adeo ſplendore ſuo cunctos perterruit, vt non hi tantum qui in agris, ſed etiam qui in tectis erant; quaſi quodam fulmine ferirentur.

& primum in Trzemeſzno cœnobio, poſt in vrbe Gneſnenſi deponitur.

Prodigia.

Mortuo *Benedicto* qui ſedit annis octo, menſibus ſex, & ſecundum alios annis decem, ceſſauit Epiſcopatus diebus quinque, & apud Eccleſiam S. *Petri* ſepultus. *Ioannes* XV. qui & *Papienſis* primus Epiſcopus ſuccedens, tenuit cathedram menſibus octo, & in caſtro Angeli per quatuor menſes fame afflictus, mortuus, & in *Vaticano* ſepultus, *Ioannem* natione *Romanum* virum eruditiſſimum, & qui nonnullos libros compoſuit, habuit ſucceſſorem, qui paruo tempore, videlicet menſibus quatuor ſuperuixit, & alium *Ioannem* habuit ſucceſſorem natione Romanum. Hunc *Creſcentius Fabricius* pater *Bonifacii* ſeptimi in tantum afflixit, vt ex vrbe egreſſus pro Imperatore *Ottone* ſecundo, vt vrbem veniret, Nuncios miſit. Quod audientes Romani ipſum reuocant, & vſque ad terram proſtrati, veniam petunt & obtinent, ſedit annis decem, menſibus decem, diebus ſex, & Romæ moritur. 1000.

Benedicto & Ioanni XV Pontificibus

Ioanne XV. Papa abſumpto *Gregorius* V. natione Saxo ad inſtantiam *Ottonis* tertii Imperatoris, cuius erat conſanguineus, in Papam aſſumitur. Hic ante *Bruno* dicebatur, vir venerabilis & ſpectatæ virtutis. Imperatore autem *Ottone* ab vrbe diſcedente, *Placentinus* intruditur à *Creſcentio* propter pecuniam, & *Ioannes* XVI vocatur. Ob quod ſchiſma Imperator *Romam* reuerſus, *Creſcentinum* capite truncat, *Ioannem* verò Anti-Papam exoculari, & in pluribus membris mutilari fecit, nihil eum iuuantibus Ducatibus ſuis, & reddita eſt pax Eccleſiæ. Et nota, quod iſte *Gregorius* cum *Ottone* III. Electores Imperii ordinauit, & inſtituit, qui deinceps permanſerunt vſque nunc. Nec potuerant *Franci*, aut *Itali* illam ordinationem, non propter aliquam culpam *Saxonum*, ſed ad præcauendum pericula futurorum factam, retractare. Vnde verſus:

ſuccedit Gregorius V.

Electorum origo.

Moguntinenſis, Treuerenſis, Colonienſis,
Quilibet Imperii ſit Cancellarius horum.
Et Palatinus Dapifer, Dux portitor enſis,
Marchio Præpoſitus Cameræ, Pincerna Bohemus.
Hi ſtatuunt Dominum cunctis per ſecula ſummum.

Verùm vt quidam dicunt hac occaſione Aquila multas pennas amiſit, & in fine totaliter denudabitur.

1001. Miraculis ſingularibus & ſtupendis, quæ clementia Saluatoris per merita S. *Adalberti Gneſnenſis* Archiepiſcopi operata eſt, & in plures oras longè lateque diffundentibus *Otto* tertius Imperator *Romanorum* æger, & ſuo inſtinctu & aliorum familiarium ſuorum auiſamento permotus ſanctum Dei *Adalbertum* pro ſua liberatione cœpit ſolicitè inuocare, vouensque votum Domino, promiſit eius ſepulchrum perſonaliter adire, ſi illum contingeret priori reſtitui ſanitati, mirum in modum facto voto, ab ea, qua detinebatur infirmitate, ſenſit ſe perfectè ad inuocationem S. *Adalberti* liberatum. Voto itaque ſuo ſatisfacturus ad corpus ſacrum & digna ſancto munera oblaturus, in *Poloniam* verſus ſtipatus multitudine Principum & militum procedebat, ſimul, & vt votum ſuum perſolueret, & Ducis *Boleslai* perſonam, quàm vniuerſorum fama magnis celebrabat laudibus, videret. Conſtabat quoque illum non ſolum pro viſendo corpore beati *Adalberti Poloniam* profectum fuiſſe, ſed etiam *Boleslai* Ducis

Otto III. Imp.

Adalberti merito à morbo liberatus gratias agendi cauſa in Poloniam proficiſcitur,

1001. Ducis *Polonorum* fama pertractum. Cuius aduentum *Boleslaus Polonorum* Dux plurimorum denunciatione præſentiens, ſingularum rerum, quibus tam magnificus hoſpes & eius exercitus excipi, procurarique poſſet, inſtituit apparatum, & venienti Imperatori ad fines *Poloniæ*, eum cum omni excepit reuerentia & honore. In finibus autem ſuis exceptum omnibus neceſſariis, tam ipſum, quam omnes ſuos milites abunde & liberaliter procurat, & per loca directiora vſque ad *Poſnaniam* deducit. Et quoniam *Otto* Imperator in conditione voti ſui habebat ſeptem miliaribus ad corpus ſancti *Adalberti* pedeſtrè iter conficere, ex *Poſnania* (tanto enim ſpatio iter intermedium verſus *Gneſnam* protenditur) ire decreuit. Qua re ad noticiam *Boleslai* perlata, quo omnem poſſibilem ſibi honorem Imperatori exhiberet, omne iter à *Poſnania* vſque *Gneſnam* variorum pannorum coloribus, per quod Imperator *Otto* tranſiturus erat, conſterni diſpoſuit, vt in gradiendo Imperator cum militibus nullibi terram contingeret. Verum etſi Imperator huiuſmodi officio aliquantulum ſe non indigere, & magis ſibi oneri, quam honori eſſe ſignificaſſet, *Boleslai* tamen precibus deuictus, & ne deuotionem ſuam affectionemque repudiatam iri quæri poſſet, voto illius acquieuit, *Boleslao* cum pedeſtri ſimul itinere cum ſuis militibus aſſociante *Gneſnam* peruenit, vbi Archiepiſcopo *Gaudentio*, cæteriſque Epiſcopis, Prælatis, & Baronibus matroniſque nobilibus & virginibus, filiabuſque earum, quas Dux *Polonorum* feſtinanter pro excipiendo Imperatore conuenire mandauerat, cum magna ſuſcipitur reuerentia, deuotione & honore, quos etiam Imperator ipſe pro ſua affabilitate benigne ſuſcipiebat, iamque tunc varios apparatus & cultus diuerſorum ordinum, matronarumque & fœminarum nobilium, variam ex auro gemmiſque & lapidibus, vnionibus pretioſis, ſupellectilem ſuperbam, quibus in occurſum eius ornati, onuſtique deſcenderant, cœpit animo & cogitatione non ſine quadam admiratione metiri, ſingulaſque & vere regias in *Boleslao* Duce dudum apud ſe fama vulgata recognoſcere virtutes, quanta videlicet celeritate conficeret illa negotia, qua polleret induſtria, quem laborem accommodaret negotiis, quam fortitudinem periculis, & quale conſilium in prouidendo vniuerſis, rara inſuper & ſingularis dexteritas, & humanitas, quam de ſe tunc vulgatius, quam alias monſtrauerat, faciebant illum tam Cæſari quam ſuis omnibus chariorem. Tantos inſuper apparatus, tantam auri, gemmarum, purpuræ, & vnionum ſupellectilem, tot militum ordines & cateruas oſtendens, quantas, & quantam nunquam fuerat arbitratus, videns inſuper *Boleslai* egregia & magnifica facinora, non iam auribus ſed vultu, fronte, & oculis perſpecta, maiori admiratione ex conſpectu & præſentia magnis nominibus inimica, quam ex fama, quoniam Princeps ſolertiſſimus atque induſtrius ad faciendum quodcunque niteretur, manu promptus & lingua eſſet excellens. 1001.

a Boleslao excipitur

per ſeptem milliaria pedibus it,

& Gneſnæ deuotionem ſuam peragit.

Boleslaum & eius magnificentiam miratur,

Imperator itaque *Romanorum Otto tertius in ciuitatem Gneſnenſem* perueniens Eccleſiam maiorem ingreſſus ad corpus S. *Adalberti* ſe proſternens, cum magna deuotione gratias Deo egit, & S. *Adalberto* de ſua ad bonam valetudinem reſtitutione. Ad ſepulchrum quoque ſuum digna Imperatore munera in auro & argento obtulit, per dieſque aliquot *Gneſnæ* deuotionem ſuam, quam ad Sanctum Dei habuit explendo permanſit. Curam autem *Boleslaus* Dux ad hoc vnum verterat, intenderatque, vt tam Imperatorem *Ottonem*, quam omnes qui cum illo venerant Optimates, Barones & milites, non ſolum vberrima victualium omnium procuraret adminiſtratione, ſed inſuper excellentium donorum, cæterorumque humanitatis officiorum honoraret largitione, proferebantur itaque ſinguiis diebus Imperatori & Baronibus ſuis noua munera diuerſis gradibus & miniſtrorum ordinibus variata, & hi quidem ferebant vaſa aurea, alii argentea, alii gemmas, alii monilia, cæteri aut equos inſignes, aut peregrinas nobileſq; pelles, aut argento auroque oſtro & purpura ſuperbas veſtes. Imperator autē *Otto* apud quem nomen *Boleslai* Ducis dudum fama vulgatū percelebre erat, & cuius rei experiendæ gratia *Poloniam* ingredi aliquanto tempore cupiebat, tot honoribus, tot donis, & officiis à *Boleslao* ſe victum, magis quàm tractatum apud ſe & ſuorum conſcios ſecretorum querebatur, præſentiaque *Boleslai*, quod rariuſculè contingit maior apud illum habebatur quam fama, propter quod Imperator & Optimates ſui, de fortibus factis, & prudentia, induſtria, factiuitate, liberalitate, cæteriſque Imperatoriis actibus celebratum, oculos conuerterant. Videns inſuper virtutes *Boleslai* diffuſas, famaque ampliores, naturalem quoque prudentiam cum induſtria coniunctam, videns ſingularem prudentiam & ingenium ad res diuerſiſſimas parandas & imperandas admiranda tam factiuitate quàm prouidentia refertum, militum quoque & populorum ſuorum numeroſam frequentiam, & qui illi inæſtimabili obedientia & amore parebant. Conſiderans inſuper ſingulorum militum, & miniſtrorum ordinem vniformem in executione eorum, quæ mandabantur, per prouinciam teneri. Et cum indolem animi ingeniique eius maiorem multò, quàm fama detulerat, raræque inter Principes gerere virtutis ſpecimen, deprehendiſſet, ad incrementa gloriæ ſuæ, decus diadematis regii illi adiicere in animum inducit. Conuocatiſque optimatibus, & Conſiliariis ſuis fertur ſtuporem animi ſui ſuper operibus *Boleslai* tàm inſignibus cœptum, quàm diu celatum animo geſtauerat, publicaſſe. *Nihil*, inquit, *fama quæ de Polo-*

ab ipſo ſplendide tractatur,

1001. *Polonorum Principe Boleſlao ad nos vſque detulerat, mentita eſt, quinimo maiora ſubtraxerat, plurima ſepelierat, quam prodiderat,* A *neque ea quæ experimur, quæque coram metimur & videmus ad liquidum produxerat ſingula operum ſuorum & virtutum præconia, tenaciter, inuide & rauce diffundens. Multo enim minor erat, quam in præſentia conſpicio. Adeo cum prudentia, fortitudine, magnanimitate, iuſtitia, clementia, liberalitate, fide, integritate, cæteriſque animi regii virtutibus experimur indies relucere, vt merito ſublimibus poſteris clariſſimum exemplar proponi poſſit. Turpe itaque, imo ſcelus magnum & grande reor, ſi vir tantus, & tam noſtræ perſonæ, quam Imperii noſtri amiciſſimus, ſub ſola Ducalis tituli modeſtia deliteſcat, & non potius in Regalis culminis euehatur faſtigium, quem & ſuperio-* B *rem non ignoramus inter Duces, & quem prudentia Regi parem facit. Hunc itaque nos ſi & vobis id bonum vtileque videtur pro Dei honore fideique ſanctæ exaltatione & incremento, & barbararum nationum, quæ Polonorum Regioni vicinæ ſunt, exterminio, regio dignaremur honore, hunc in plenitudinem poteſtatis noſtræ aſſumere, & ſceptra Regalis excellentiæ illi deliberauimus conferre, vt tot immenſis honoribus & donis, quibus & nos & vos dietim ab eo obruimur, ſaltem hac viciſſitudine, dum hactenus alia non licet, reſpondeamus.* Vniuerſis autem Principibus, Optimatibus & Baronibus imperialibus, deliberationem & decretum Imperatoris certatim approbantibus, laudantibus, C & extollentibus, & miris laudibus ſermonibuſque in *Boleſlai* Ducis commendationem ora ſoluentibus, conſtanterque aſſerentibus *omnium bonarum artium, omniumque excellentium virtutum in Boleſlao culmen conſediſſe*, Imperator *Otto* ex thalamo egreſſus, cum Duce *Boleſlao* in *Gneſnenſem* Eccleſiam pergit, vtrumque comitante frequentia militum, & vtriuſque ſexus multitudine infinita. Vbi dum peruentum eſſet, mandat Imperator *Otto Gandentio Gneſnenſi* Archiepiſcopo cæteriſque Epiſcopis *Poloniæ Boleſlaum* in Regem *Poloniæ* ſacro chriſmate inungi, & ſingula, quæ in Regum coronationibus & vnctionibus fieri ſolita ſunt, cum orationibus & obſecrationibus con- D ſuetis iuſto ordine perſolui. Quo expleto, in ſellam eminentiorem, ex quo ab omni circumſtanti turba videri poſſet, Imperator *Otto Boleſlaum* perducit, & diademate nobili, quod tunc in capite geſtabat, ex vertice ſuo depoſito, caput eius coronat & inſignit, conſtituens & decernens eum & quemlibet eius poſterum, & ſucceſſorem *Polonorum* Regem, & Imperii *Romanorum* ſocium & amicum, ſubiiciens ſibi, & Regno ſuo omnes *Polonorum* regiones nationeſque, donans vero ſingulos Principatus, terras, & diſtrictus per eum, & ſucceſſores ſuos Reges *Poloniæ* ſub barbarorum infidelibus, & ſchiſmaticis nationibus acquiſitas, & in poſterum munere & ſuffragio

eumque primum Polonorum Regem conſtituit.

diuino acquirendas. Aquilam vero candidam ſibi, & vniuerſo Regno *Poloniæ* pro perpetuo largitur inſigni, ut quemadmodum *Romanum* Imperium ſimile inſigne in atro colore differens nationes omnes *Teutonicas* habet ſubiectas, ita & ipſe eodem inſigni, in rubeo campo, de cætero vſurus, ſubiectas ſibi facere non deſiſtat ſingulas *Slauorum* & barbarorum nationes, hortans, & monens illum, quatenus pro fidei S. catholicæ augmento & dilatatione, barbarorum exterminio, quam maiorem poſſet nauet operam, ſubditos in æquitate & iuſticia dirigat, Eccleſiæ Dei ſua iura, ſuamque honeſtatem, miniſtriſque illius obſeruet, & in fide, ac amicitia ſua Imperiali perſeueret, ampliora Dei, & Imperii beneficia, pro ſuis operibus & virtutibus, tempore ſuccedente, in ſe aut filiis, & nepotibus, ac ſucceſſoribus ſuis propitio Deo accepturus. Et quo donatio ipſa diuturnior eſſet, priuilegio Imperiali auream bullam habente, roborat & communit, Reges, Regnumque *Poloniæ* ſingularibus priuilegiis, libertatibus & prærogatiuis eximens, libertans, & extollens, & à ſua, ſuorumque ſucceſſorum Imperatorum, *Romana* obedientia & ſubiectione perpetuo remittens & abſoluens. *Boleſlaus* autem Rex *Poloniæ* nouellus, modeſta oratione ſuper his, quæ eum admonuerat, reſpondens, & de his, quæ ſibi præſtiterat, gratias ingentes agens, *impleturum ſe omnia pro poſſe cum Dei aſſiſtentia* repromiſit. In hunc itaque modum *Polonorum* Reſpublica in Regum iura redacta eſt, & *Boleſlaus Polonorum* Princeps, ſuper omnes, generis *Slauonici* atque linguæ Duces magnificatus, ad cuius cumulatam omni ex parte felicitatem, cum nihil, præter regium diadema, deeſſe videretur, etiam illud ſibi diuina prouidentia eſt largita, propter hoc, & plurima alia decora apud genus ſuum, & linguam, aurea & argentea ſtatua, & arcu triumphali in æuum glorificatus, quod primus apud *Polonos* regiis inſigniis ornatus fuerit. Dies quoque illa apud *Polonos* habita eſt celeberrima, variis apparatibus in magnificentiam, honorem, & præſentiam duorum Regum, & conferentis, & accipientis, coronam inſignis. Ludorum quoq; magnificentia, & ſpectaculo mirificus, in quo *Boleſlaum* Regem prædictum, ſummus Deus ad culmen Regni *Poloniæ* euexit, & in quo præclaro initio ſalutarem & optabilem *Polonis* vniuerſis diadematis Principatum auſpicatꝰ eſt. Claritatem regii nominis & decoris *Boleſlaus* videns ſibi, & ſuis regionibꝰ, atque *Polonorum* populis, diuinitate propitia, & fauore Imperatorio acceſſiſſe, intellexit ſermonem *Benedicti* Papæ ſeptimi ad patris ſui *Miecſlai* nuncium *Lampertum Cracouienſem* Epiſcopum expreſſum in omnibus adimpletum fuiſſe, & magno exhilaratus gaudio tribus ſequentibus diebus delicatiſſimum conuiuium pro Cæſare *Ottone*, & vniuerſis Principibus, Prælatis,

1001. Prælatis, & Baronibus ſuis mirifico apparatu inſtruxit, in quo gloriam ſui nobiliſſimi, generoſique animi, & diuitiarum ſuarum magnitudinem A monſtrauit. In illo ſiquidem triduo omnium ante ſe Principum liberalitatem adeo ſupergreſſus eſt, vt Cæſaris, ſuorumque Optimatum animos, effuſione magis donorum, quam largitione in cunctos deuicit, vt & præſenti ætati, ipſi præſertim Cæſari, & ſuis, quendam ſtuporem induceret: futuræ vero poſteritati incredibilitatem relinqueret. Omni ſiquidem die illius tridui noua vaſa aurea & argentea, gemmis, lapidibusque præcioſis nitentia conuiuantium menſis inferebantur, quæ ſtatim epulatione, prima die exacta, in vnum aceruum congeſta, Cæſari pro dono præſentabantur, quod & in ſecunda die, deinde in tertia fuit per noua, & pon- B deris preciique altioris, vaſa repetita. Cæſare verò tam munificis honorato muneribus ad Principes, Prælatos, Barones, & familiares Cæſareos proceſſit, & iuxta cuiuslibet conditionem, ordinem, & gradum, vnicuique munera diſtribuit, beneficium in coronatione motu proprio per Imperatorem præſtitum, admiranda cuncta liberalitate, recompenſans. Edebantur autem per ſingulos dies in Cæſaris honorem, haſtarum, chorearum, plauſuumque, & aliorum variorum generum, ludi, & vniuerſa regia, nocte & interdiu, muſicorum concentu, & ludorum inſtauratione, concertabat. Quibus officiis tantum ſui amoris infudit Cæſarianis omnibus, vt plus videatur C meruiſſe, quam accepiſſe, minorque Regni collata poteſtas, quam profuſa in omnes comitas & largitas exiſtimaretur.

Otto III. Imp.

Cæſar *Otto* tertius, vt erat vir nobilis & illuſtris ingenii, turpe ſibi, & ſuis ratus, ſi pro tot iteratis beneficiis, quæ in ſe, & ſuos, *Boleſlaus Polonorum* Rex effuderat, nouo beneuolentiæ genere, non reſponderet cum ſuis. Aliquanto tempore deliberans, cum *Boleſlao* Rege affinitatem iungit, & filio *Polonorum* Regis, cui nomen erat auitum *Miecſlaus*, & qui erat patri vnicus, neptem ſuam *Rixam* filiam primogenitam *Eſonis*, alias *Gotfridi* Comitis, Palatini *Rheni* ex ſorore ſua germana *Mechtilde* ſuſceptam, Principis, D pro ea tempeſtate in ſanguinis nobilitate, prudentiæ claritate, excellentiſſimi, ſolenniter deſponſat in vxorem, & ad illuſtrandam amplius famam nominis, & gloriam Regni *Polonici*, præfato *Miecſlao* Duci charo & vnico *Boleſlai* Regis pignori, conſociat, vt, qui iam Regium decus contraxerat, claritate Imperialis ſanguinis amplius longiusque fulgeret, ſtipulationesque & promiſſiones publicæ, inter Cæſarem & Regem, vice natorum contrahuntur, & literarum inſcriptione inſtruuntur. Maximum enim id, prout erat, cenſebat ſui Imperii ſtabilimentum, ſi affinitate huiusmodi Almanorum & *Polonorum* regiones conglutinaſſet. Nec his Cæſar contentus, donat *Boleſlao* vnum clauum de cruce, perforatione corporis Dominici nobilitatum, & S. *Mauritii* lanceam, cum hac adiectione verborum. *Hunc*, inquit, *clauum, quo nil precioſius, nil charius, nil iucundius, gratias, in omnia mea ſupellectili me habuiſſe, ſed nec habiturum eſſe rebar, tibi amiciſſimo meo affini pro vexillo triumphali dono, deſignans te, tam excellenti munere omnium in circuitu hoſtium, & barbararum præcipue nationum magnificum triumphatorem. Neque enim ampliſſima dona tua mihi, & meis, tributa auro & argento, in quo te video ſatis opulentum eſſe, ſed quod omnes gaſas terrenas ſuperat, clauo Domini rependo. Lanceam inſuper S. Mauritii Thebanæ legionis Principis addo, qua in bello contra barbaras nationes tuo Regno vicinas, tantummodo vti te volo, propitio Deo, & S. Mauritio patrocinante, barbaricam potentiam contriturum.* *Boleſlaus* autem *Polonorum* Rex de affinitate tam ſplendida ac illuſtri, & de muneribus excellentibus, & ratis gratiarum condignam actionem effundens, Cæſari Beati *Adalberti* brachium condonat, cum magna gratitudine, & deuotione à Cæſare ſuſceptum, ſimulque tale Cæſari edit reſponſum. *Cum* inquit, *dietim experior perſonam meam, populumque meum, deinde prolem meam tibi curæ eſſe, conglorificatione mea, & populi mei non contentus, etiam filium meum in generum adoptaſti. Clauo inſuper Dominico, & B. Mauritii lancea regium ſolium meum in quo a te euectus ſum, triumphalibus inſignis, velut firmiſſimo robore, ſanxiſti, enitar pro viribus, vt tanto à te nobilitatus decore, factis potius, quam verbis reſpondeam, & pro te, tuoque Imperio, bella, ad quæ me per te accerſiri continget, prono, fideliquc animo geram, ne à quoquam vinci poſſem, officio gratitudinis certaturus.* Acta autem hæc eſt primi Regis *Polonorum Boleſlai* coronatio, & Regum ſuper *Polonorum* regiones vnctio, præſidente in Cathedra *Petri Ioanne* Papa ſedecimo.

Miecſlao Boleſlai filio Rixam neptem ſuam coniugem dat,

1001. *& Boleſlao clauum de cruce Chriſti, & lanceam Mauritii donat,*

pro quibus a Boleſlao Adalberti brachium accipit.

Otto Imp.

Coronatione primi Regis *Polonorum Boleſlai Otto* Imperator peracta, & affinitate per neptem ſuam *Rixam* contracta, onuſtus auro & argento, donisque multiplicibus *Gneſna* egreditur, magna lætitia exultans, & intrinſeca exhilaratione ouans, quod in Principem tam liberalem, & munificum coronationis & affinitatis officia contuliſſet, & ipſum ſuum, & Imperii amicum effeciſſet. Comitabatur autem Imperatorem ad propria redeuntem *Boleſlaus Polonorum* Rex usque ad terminos regni, in ſingulis locis ſuæ ditioni ſubiectis Imperatorem, & exercitum eius ſplendide procurans & pertractans. In finibus autem Regni ſui, Imperatori gratiis peractis, fœdere perpetuæ amicitiæ percuſſo, & variis pollicitationibꝰ firmato, valedicens in *Poloniam* reuertitur. Imperator quoq; *Otto* in *Almaniam* ſuam diuertens, ſoſpes, & incolumis in *Maideburg* (ibi enim erat ſua familiarior manſio) peruenit

in Germaniam reuertens,

1001 *Rixam Miecslai ſponſam in Poloniam mittit.*

peruenit, & illuſtrem virginem *Rixam* nepotem ſuam Nunciis *Boleslai* Regis *Polonorum* qui eum ex *Polonia* comitabantur, & patri virginis *Eſoni* Comiti *Palatino* magni pretii attulerunt per *Boleslaum* miſſa munera, cum dote tradit *Poloniam* deducendam. Qui illam cum pleriſque *Almaniæ* militibus, per Imperatorem & Patrem virginis Comitem *Palatinum Eſonem* adiunctis, in regiam ad *Gneſnam* afferunt virginem doctam literis, moribus conſpicuam non ſecus forma & genere, quàm fœminea præſtantem grauitate, dotiſque repræſentant munera, & aulicæ domus ornamenta, rogant auunculi patris & parentum nomine, *vt illam in ſolatium fidelitatis, ſocietatis, & thori Miecslaus Dux filius Regius aſſumat, & dulcedine pertractet, ſuauiſſimam habiturus conſortem, modeſtam, tractabilem, & morigeram.* *Boleslaus* autem Rex prudenter attendens fauore diuino & humano conſenſu ſe aſſecutum culmen regni, & diadematis ſolium, multiſque Principibus orbis dignitatis regiæ excellentia, & multifariis aliis donis ſe prælatum iudicio, miſcendo clementiam, iuſticiam dilexit, communiuitque & ſtabiliuit ſuum Imperium, & ſtatu magnifico lætabatur Principatus.

Boleslaus Rex cum Wladimiro Ruſſiæ Duce fœdus init.

Potentiam *Boleslai Polonorum* Regis latiſſimè ſe diffundentem *Wladimirus Ruthenorum* Dux perhorreſcens, & veritus, ne quandoque in ſe, & terrarum ſuarum periculum recideret, mittit ad *Boleslaum Polonorum* Regem nuncios inſignes, petens, ſecum, & terris ſuis iungi fœdus. *Boleslaus* autem amicitiam *Ruthenicam* intelligens Reipublicæ plurimum conuenire, fœdus *Wladimiro Ruſſiæ* Duci conceſſit, & ſub æquis conditionibus illud ſecum iure iurando firmauit. Et quo vtraque terra maxima quiete annis pluribus floruit, & quieuit.

1002. Excellentiam, qua Cæſareo fauore *Boleslaus Polonorum* Rex, & dominia ſua, in donatione regii diadematis, claui Dominici & lanceæ S. *Mauritii* fuerant illuſtrata & inſignita, vicinarum regionum mox inuidiæ liuor excepit.

Bohemi Boleslao regiam dignitatem inuidentes Boleslaum III. Ducem ſuam (cuius genealogia repetitur)

Bohemorum tamen pectora labe illa, vltra cæteras nationes, abundantia, altior de *Boleslai* & *Polonorum* felicibus ſucceſſibus cruciatus inuaſit, qui permoleſtè ferebant ſublimitatem regii culminis, prius regioni *Polonicæ*, quàm ſuæ *Bohemicæ* acceſſiſſe. Regebat pro eo tempore *Bohemicum* Principatum, *Boleslaus* tertius. Sæuus etenim *Boleslaus* S. *Venceslai* germanus & occiſor, cuius filia *Dambrowka* fœmina nobilis & deuota *Boleslaum* primum Regem *Polonorum Miecslao*, vt in ſuperioribus narrauimus, ediderat, duos filios, moriens, reliquit. Vnum *Boleslaum*, qui annis pluribus Ducatum *Bohemiæ* modeſtè & clementer regens, pii *Boleslai* adeptus eſt cognomen. Alterum *Straciquas*, in cuius baptiſterii conuiuio occiſo S. *Venceslai* fuit ſecuta, & ex euentu tàm improbæ necis, nomen illi aptum *Straciquas*, quod ſonat perdens fermentum. 1002. Qui in *Ratiſpona* in monaſterio ſancti *Emerani* ordinis ſancti *Benedicti* ordinem ingreſſus, paternum ſcelus monachico habitu expiabat. Quem etſi beatus *Adalbertus* quodam tempore *Pragæ* offenſum rogaſſet, vt ei in cathedram *Pragenſem* ſuccederet, feliciter eum, germani fratris ſuffragio, impia enormiaque *Bohemorum* ſcelera reſciſurum. et ille tunc abnueret, poſt tamen, quod & vir ſanctus Dei *Adalbertus* ei abnuenti, & oſtio in ouile ingredi detrectanti futurum euenire prædixerat, ambitione, quam aliàs deteſtari videbatur, incenſus, exulante B. *Adalberto*, *Pragenſem* Eccleſiam ſibi, per fratris ſui *Boleslai* interceſſionem, ab Imperatore *Ottone* tertio dari obtinuit. Qui cum de mandato Cæſareo per *Moguntinenſem* Archiepiſcopum in *Pragenſem* Epiſcopum conſecraretur, & in ipſo conſecrationis proceſſu, iaceret in faciem de more proſtratus, ſacris de more induendus Pontificalibus, occulto Dei beneficio, in ſecundam, tertiam, & quartam generationem facinora vindicante, à dæmone inuaſus, tam terribiliter & impetuoſe vexatus eſt, quouſque cunctis, qui aderant, videntibus, ſtupentibuſque, vitam miſerabiliter finiret. *Boleslaus* pius & ſecundus moriens, vnicum filium *Boleslaum* reliquit.

ad bellum contra Polonos inſtigant.

Illum *Bohemi* multis verbis pelliciunt, vt *Poloniam* inuadat, & eam, aut aliquam partem ſibi tributariam faciat, clarius nomen, ſi regni *Poloniæ*, Dux ipſe terras vaſtauerit, expugnaueritque, apud Imperatorem cæteroſque Principes habiturus. Nec deerant inter *Bohemiæ* Barones, qui, & præſertim Nobiles *Vrſchovienſes* & ferè tota *Rauitarum* domus, viri callidi & vaſri, & ea tempeſtate in *Bohemia* potentes, qui inter fratres, ex fratre & ſorore genitos, diſcordiæ, & belli malum ea mente insererent, quatenus ipſi pondus generationis ſuæ, & fortunarum ſuarum ſuppellectilem, quod ſtante pace ſperare non poterant, in guerra augerent.

Proborio Poſnanienſi Ep. ſuccedit Timotheus.

Proborius ſiue *Proborinus* primus *Poſnanienſis* Epiſcopus cum annis viginti ſex ſediſſet, moritur, & in *Poſnanienſi* Eccleſia ſepelitur. In cuius locum *Timotheus* in *Poſnanienſem* Epiſcopum ordinatur, natione *Romanus*, nobilis genere, per *Benedictum* Papam VII. prouiſus.

Otto III. Imp. Creſcentio Romæ tyrannidem uſurpante ſublato

Ex *Polonia* autem *Otto* tertius reuerſus, audiens *Ioannem* Papam XVII. à *Creſcentio Romano* ſtrangulatum, ipſum etiam *Creſcentium*, aſſumpta tyrannide, *Romam* oppreſſiſſe, & *Italia* inuaſa, vniuerſi Imperii occupationem facilem ſibi in animo deſtinaſſe, inſolentiam eius, iuxta, vt dignum erat, indignè ferens, conſtructo in honorem S. *Adalberti* Epiſcopi & Martyris Canonicorum Regularium monaſterio, *Romam* cum frequenti optimatum ſuorum numero contendit, vbi vacillanti turbatæque plurimum *Romanæ* Reipublicæ ſuccurrens, Eccleſiæ S. Dei, ſimul & Imperii ſtatum, indefeſſo labore, & cura ingenti, inſtaurat, & reparat, &

Bruno-

1002. *Gregorium V. Pontificem conſtituit,*

Brunonem quidem Archicancellarium ſuum, qui *Gregorius* V. appellatus eſt in ſedem Apoſtolicam ſurrogat, virum vita, moribus, & ſcientia, inſignem & cognitum. *Creſcentium* vero *Romanæ* ciuitatis & imperii inuaſorem in validiſſima Imperatoris *Adriani*, quæ & *Theodorici* opinatur fuiſſe tyranni, fabrica, quam ſibi in arcis modum muniuerat, ſe continentem, robore millitum oppugnatum, & inde extractum ſuper *Tyberis* pontem capite plectit, & tam vrbi, quam *Italiæ* pacem reddit, habiturus pro tam feſtino ſuccurſu perpetuam laudem, ſi iuxta de vitiis, ac hoſtibus ſibi triumphare contigiſſet. Cernens ſiquidem *Creſcentii* tyranni à ſe deuicti, & damnati, miræ pulchritudinis vxorem, in eius execrabilem incidit amorem, quam nocte ſequenti conſtuprans, ab eadem veneno inficitur, & augeſcente, graſſante per venas veneni, peſte, non multo poſt grauiſſimo languore corripitur, & quinto Calend. Februarii rebus abſumitur humanis, cum annis 18. imperaſſet. *poſt moritur.*

Hereberto autem *Colonienſi* Epiſcopo, cuius tota Imperialis curia parebat conſilio, familiarius eum obſeruante, ibidem moritur. Et mox eodem *Hereberto* Epiſcopo ordinante, ac ſi viuus eſſet, purpura indutus, ſuper equum, velut expeditionem acturus, arte extruitur, & in hunc modum, morte eius *Romanis* celata, quorum nonnullos, occiſo *Creſcentio*, grauiter ſciebat infenſos, cis *Alpes* in *Sueuiam* defertur, ſepultis eius inteſtinis, in ciuitate *Auguſta*, corpus in *Aquiſgranum* delatum, in medio Eccleſiæ B. *Mariæ* honorifice ab eodem *Hereberto* venerando *Colonienſi* Epiſcopo, cæteriſque *Almaniæ* Principibus, extitit tumulatum. *& in Germania ſepelitur,* Et quoniam idem *Otto* Imperator nullos liberos reliquerat, *Henricus* ſecundus Dux *Bauariæ*, octuageſimo quarto loco ab *Auguſto*, in *Romanum* Imperium ſuccedit, *ſuccedente Henrico Bauaro.* à *Viligiſto Moguntino* Archiepiſcopo coronatus, filius *Henrici*, fratris primi *Ottonis*. Huius autem *Ottonis* Imperatoris tertii tempore, Eccleſia Metropolitana *Maideburgenſis* ab auo ſuo Ottone primo fundata & dotata eſt. Habuit Archiepiſcopum nomine *Vdonem*, qui per Beatiſſimam Virginem mirabiliter promotus fuit. Sed poſt, propter deteſtabilem, & ſordibus plenam vitam, per ſolius Dei iudicium, quod in Eccleſia *Maideburgenſi* publice & viſibiliter actum eſt, ſententialiter damnatus, & decollatus eſt. *Vdo Archiep. Magdeburgenſis decollatur.* Cui adhuc viuenti, vt ſe corrigeret, Angelus illud ingeminabat. *Vdo ceſſa à ludo, iam ſatis luſiſti Vdo.*

Bohemiæ Dux Boleſlaus III. in Poloniam irrumpit.

Pernicioſo Dux *Boleſlaus* tertius *Bohemiæ* conſilio ſeductus, guerram, cauſa non præcedente, aut de merito Regi *Polonorum* mouens, in terras *Polonorum* verſus *Klecko* armatus deſcendens, cœpit illas hoſtiliter vaſtare igne, populat one, & gladio, ſuæque ditioni ſubiicere & tributo. Qua nouitate ad *Boleſlaum* Regem perlata, magna percellitur admiratione, quod ab eo, quem fratrem ac amicum in ſuis oportunitatibus experiri crediderat, bello iniuſto, prouocatione nulla intercedente, premeretur. 1002. Legatis ad illum transmiſſis, qui & per ſanguinis, & pacis hactenus obſeruata iura reſtitutionem ablatorum & deformatorum ſolutionem repeterent, & vt pacem ſeruaret, hortarentur. His *Boleſlaus Bohemiæ* Dux auditis, reſpondit, *ſe iniuriis prioribus prouocatum bellum ſuſcepiſſe, coactumque & inuitum bellum, Polonis fines ſuos incurſantibus, intuliſſe: non recuſaturum tamen ſe omnem poſſibilem æquitatem.* Conſentientibus itaque *Polonorum* Regis *Boleſlai* Legatis, treuga interponitur & firmatur. Cuius conditione *Boleſlaus Polonorum* Rex bellum ſuſpenſum aut finitum credens, animum ab expeditione auertit: verum *Boleſlaus Bohemorum* Dux eodem conſilii tenore, quo & prius, perſuaſus, maiori potentia coadunata, ruptis treugis *Poloniam* ingreditur, illamque fortius, quo poteſt, inuadit, ſuggerentibus ſibi *Bohemis*, *Boleſlaum Regem Polonorum ſibi ſuis viribus & copiis reſiſtere nullatenus auſurum.* Quibus verbis Princeps parum ſenſatus credens, bellum eò feruentius promouebat. Quo malo *Boleſlaus Polonorum* comperto, leonino rugitu fremens, ex vniuerſo Regno ſuo celerius, quo poteſt, conuocat fortiſſimos quoſque milites & bellatores & contra *Boleſlaum* Ducem *Bohemiæ* celeri curſu acies producit: verum *Bohemiæ* Dux referentium ſibi exploratorum denuntiatione certior factus *Boleſlaum Polonorum* Regem cum magno exercitu, & ſuo plurimum ſuperiore aduentaſſe, vaſtatione *Poloniæ* omiſſa, in *Bohemiam* ſe recepit. *ſed poſtea re infecta in Bohemiam redit.* Quem dum *Boleſlaus* Rex in locis, quæ vaſtauerat, non reperit, altius fremere cœpit, quod & ille ſubductus eſſet hoſtis, & calamitates, fletuſque, illum, quam maxime, eorum, qui à *Bohemis* bello vexati oppreſſique erant, commouerent, ingentique ſpiritu, calamitate ſuorum coram conſpectu incenſus, fertur *Boleſlaus Rex* dixiſſe. *Quando*, inquit, *nec ſanguinis communio, neque vis fœderum Boleſlaum Ducem Bohemiæ à clade, meo Regno inferenda, potuerunt auertere, de cætero mihi vſque ad interemptionem proſequendus eſt: non prout iuſtus hoſtis, ſed vt inſidiator veneficus.* Comperiens *Boleſlaus Chrobri Poloniæ* Rex Imperatorem illuſtriſſimum *Ottonem* miſerabili & indigna morte peremptum eſſe, cum omni Regno ſuo diebus pluribus, omni lætitia interdicta, in atra veſte illum luxit, & obſequias illi apud *Gneſnenſem* Eccleſiam omni cultu ſumptuoſas & honorificas perſoluit. Cui etiam anniuerſarium vſque ad diem mortis ſuæ quotannis ſolebat pia gratificatione accepti beneficii peragere.

1003. *Boleſlaus Poloniæ Rex,*

Dolorem anxietatemque mentis, quam ſuper Regni ſui vaſtationem per Ducem *Boleſlaum Bohemiæ* factam, *Boleſlaus Polonorum*

1003. Rex conceperat, & hactenus ex bonis affecti-
bus aëris veritus intemperiem, & cætera in-
commoda, milites ad ſuos penates remiſerat, A
amplius tolerare & ferre non valens, expediti-
onem in *Bohemiam*, vltum iri cupiens ſuas in-
iurias, indicit, magnasque tàm equeſtrium,
quàm pedeſtrium ad id bellum felicius geren-
dum copias inſtaurat. Et cum exercitu po-
totam Bohemiam ſubiugat, tenti *Bohemiam* ingreſſus, ſingulas *Bohemiæ*
vrbes reſiſtentes expugnat, cætera verò igno-
bilia oppida & colonias vaſtat & exurit, ſpe-
rans *Boleslaum Bohemiæ* Ducem, ſui Ducatus
ſpoliatione, vaſtatione, & incenſione motum,
ad campeſtre poſſe elici certamen. Erat pro ea
tempeſtate in *Bohemia* maior *Vrſouicenſium*
domus, quæ cæteris genere, familiis, poſſeſſio-
nibus, fama, & valore præcellebat. *Vrſouicen-
ſis* autem familia ideò appellabatur, quòd pro B
inſigni vrſum, virginem coronatam geſtan-
tem, deferebat. Huius autem familiæ maior
& ſenior Baro *Kochan* vocatus, opibus & au-
toritate inter ſuos maior familiaris *Boleslao
Polonorum* Regi erat, liberalitatemque regis
in tranſacto tempore expertus, ſuisque multi-
plicibus beneficiis obligatus, omnes de ami-
ciſſimis & parentela ſua ad fauendum copiis
& actionibus Regis *Boleslai* inducit, quem,
& cognatos fratres ſuos Rex *Boleslaus*, indita
liberalitate, plurimis, crebriſque largitionibus
ineſcatos, in ſuam fidei deuotionem & cultu-
ram magnoperè incendit, illorumque fideli
opera, & auiſamentis vſus conficiendæ feliciter
ſuæ expeditioni accommodatos ad res bene C
gerendas cooperatores habuit, ipſorum ductu
& aſſiſtentia maxima *Bohemorum* regioni in-
ferens continuas cædes, & perniciem, vaſta-
tionemque calamitoſam, longè, lateque *Bohe-
micum* eſt populatus agrum. Cum itaque
Boleslaus Polonorum Rex vniverſam *Bohemi-
am*, præter *Vrſouicenſes* poſſeſſiones, quibus
parci mandauit, cædibus, igne, & ſpoliis con-
triuiſſet, *Boleslaus* verò *Bohemiæ* Dux eius po-
tentiæ reſiſtere non valens, in caſtro *Wiſſograd*
ſe cum filio ſuo *Iaromiro* contineret, ad ipſam
Bohemorum metropolim *Pragam*, & *Wiſſo-
grad* caſtrum, *Boleslaus* Rex copias ſui exerci-
tus admouit; ipſamque obſidione cingens, &
arietibus, cæteriſque propugnaculis quatiens, D
& biennio fame affligens, obtinuit magnificè
& expugnauit, & militibus ſuis dedit in dire-
ptionem & prædam. *Pragam* autem capta non
multò poſt etiam *Wiſſograd* ſtrenuè conquaſſa-
Boleslaum III. cum filio Iaromiro capit, uit, in quo Ducem *Bohemiæ Boleslaum* cum fi-
lio *Iaromir*, (alter enim filius *Vdalricus* ſerui-
tiis Cæſareis applicatus, abſens erat) repetiens
captiuat, & vniuerſam *Bohemiam* in ſuam re-
digit obedientiam, & ditionem, Præfectoſ-
que tàm in *Wiſſograd* & *Praga*, quàm in
cæteris municipiis ſuo nomine præficit, &
ordinat, ſedemque ſuam Ducalem *Pragæ*
collocat, & vniuerſos & nobiles *Bohemiæ*,
qui *Pragenſis* ciuitatis & caſtri *Wiſſogradien-
ſis*, triumphali conquiſitione audita, ad ſe ve- 1003.
nerant, benignè excipit, tractat, & honorat,
qui etiam nullo cogente fidelitatis & obedien-
tiæ ſibi præſtabant iuramenta. Cuius libe-
raliſſimam largitionem pluribus & aſſiduis do-
nationibus experti, deuoti, & fideles, in eius
obedientia permanebant. Redacto *Bohemiæ*
Ducatu *Polonorum* Rex *Boleslaus* in ſuam di-
tionem & poteſtatem in ſingulis ciuitatibus
& caſtris ſuæ ditionis & iuris Præfectos & Ca-
pitaneos, aut ex *Polonis*, aut ex *Bohemis*, quos
ſciebat ſibi, & ſuæ parti magis eſſe pronos atque
fideles, ſtatuit, & locat, & omnibus bono or-
dine compoſitis, recedere in regnum ſuum
Poloniæ, reducereque victorioſum exercitum
parabat. Detinebatur autem ſupplicibus pre-
cibus, & obſecrationibus *Bohemorum*, quate-
nus moram cum illis faceret magis diuturnam.
Quod cum Rex *Boleslaus* nullatenus ſe factu-
rum reſponderet, cùm & regnum ſuum *Polo-
niæ* præſentiam ſuam magnopere deſideraret,
conſultum illi a *Bohemis*, & præſertim ab his,
qui fideliores erant illi *Vrſouicenſibus*, quate-
nus *Boleslaum* Ducem *Bohemiæ*, & filium ſu-
um *Iaromirum* à ſe captos, occidi diſponeret:
quoniam illis viuentibus *Bohemiam* ſciret ſibi
quandoque recalcitraturam, ſed & alterum fi-
lium *Boleslai* Ducis *Bohemiæ Vdalricum* in ob-
ſequiis Imperatoriis *Ottonis* conſiſtentem, cu-
raret extinguere, aut in ſuam redigere capti-
uitatem. Rex autem *Polonorum Boleslaus*
etſi vera illos ſuggerere intelligebat, facinus
tamen atrox in Ducem & fratrem committere
exhorrebat. Stimulatus tandem *Bohemico*
conſilio, Ducem *Bohemiæ Boleslaum* excæcari *& Boleslaum excæcat.*
præcipit, & oculos ei eruendos mandauit, ne
quando vlla rerum conuerſione recurſus illi
pateret ad Principatum. Filium verò eius
Iaromirum in cuſtodiam & captiuitatem *Vr-
ſouicenſibus* tradidit, eoque patrato facinore,
copioſo *Polonorum* militum *Pragæ* & in *Wiſſo-
grad* relicto præſidio, *Poloniam* incolumis re-
diit. Verùm etſi *Boleslaus Bohemiæ* Dux ho-
ſtis ſuus fuerit, & regnum ſuum prior hoſtili
vexatione inuaſerit, fratri tamen amitali, &
propinqua cognatione iuncto, oculos euellere,
& eum in viſu perpetuo orbum facere decre-
uit, niſi forte iuſtiores interceſſiſſent cauſæ no-
bis ignotæ, quibus glorioſiſſimus ille Rex *Bo-
leslaus* pertractus, facinus illud excæcationis
admiſerit, quod non modo ab eo, ſed à geni-
tore ſuo Duce *Polonorum Miecslao* (annales
Bohemici atteſtantur,) licet id temporum or-
dini non videtur eo gruere, patratum. Du-
plex malum grande, perniciem mortalibus *Peſtis & fames in Polonia.*
adferens, peſtis videlicet, & fames, inualuit, &
epidemiæ morbus non *Polonorum* tantùm re-
giones, ſed vniuerſum ferè orbem tam infeſto
languore peruaſerat, vt ſepelientium tædio, vi-
uum adhuc ſpiritum trahentes, obruerentur v-
nà ſimul cum mortuis & ſepeliendis.

Parum autem viſum eſt clariſſimo Principi 1004.
Bole-

1004. *Boleſlao Polonorum* Regi *Bohemiam* habere tributariam & ſubiugalem, niſi illi etiam *Morauiam* adieciſſet. Quapropter habito ex Regni ſui terris delectu, cum militum ſuorum forti & expedita manu *Morauiam* ingreditur, & tàm ciuitates, quàm caſtra *Morauiæ*, quæ Principatum ſuum abnuebant, potenter inuadit, circumuallat, & expugnat. Erat ſiquidem *Boleſlaus Polonorum* Rex ea animi à natura inſiti fretus conſtantia, & magnanimitate, vt nihil ſibi aggrediendum præſumeret, à cuius cœptis temerè deſiſteret. Quapropter obſidionem ciuitatis, tam in *Bohemia*, quàm in *Morauia*, non aliter ſoluit, niſi aut ſponte in ditionem ſuam, aut viribus obſeſſa ciuitas veniret. Qua quidem conſtantia & robore animi ſubſecutum eſt, vt vniuerſa *Morauia*, aut ſpontè, aut armis, aut ſuæ potentiæ viribus ſubacta, ſuo ſe ſubiiceret Imperio & ditioni. In cuius caſtris & ciuitatibus principalioribus Præfectos ſuos ex *Polonis* & aliquibus fidelioribus ſibi *Morauis* conſtituens, multo tempore *Morauiam* & *Bohemiam* tenuit feudalem. Singuli etenim introitus, cenſus, & reditus, ad ducalem fiſcum pertinentes, ex vtroque Principatu *Bohemiæ*, & *Morauiæ*, theſauro regio in *Poloniam* annuis temporibus inferebantur.

Boleſlaus Poloniæ Rex totam Morauiam ſibi ſubiicit.

Henrico per electionem ad Imperium aſſumpto, primum inſtitutum fuit, vt in futurum non per ſanguinis ſucceſſionem duceret Imperium, ſed Archiepiſcopi *Moguntinenſis*, *Colonienſis*, *Treuerenſis*, item Dux *Bohemiæ* Comes Palatinus *Rheni*, Dux *Saxoniæ*, & Marchio *Brandeburgenſis* haberent poteſtatem deligendi Imperatorem. Hic *Henricus*, vir magnæ ſanctitatis, multa bella proſpere geſſit. Vt autem tàm *Bohemiæ* quàm *Morauiæ* poſſeſſio *Boleſlao Polonorum* Regi firma & diuturna eſſe poſſet, & populi regionum illarum, fluxæ & ambiguæ fidei, reſque nouare ſoliti in fide continerentur, miſit *Boleſlaus Polonorum* Rex ad *Henricum* Imperatorem primum, conſobrinum, & amicum ſuum, nuncios ſolennes, liberaliſſima & magnifica dona variorum munerum tranſmittens, per eoſdem, qui inprimis ſibi felices *Boleſlai* Regis ſucceſſus, quos in acquirendis duabus vicinis terris, videlicet *Bohemia*, & *Morauia*, & quas Regno ſuo *Poloniæ* ſubiecit: quantas, quotue expugnauerit ciuitates, & quanta ſpolia ex deuictis in regnum ſuum *Poloniæ* retulerit, ex ordine patefaciunt, & declarant. Vltimò precantur & depoſcunt, quatenus *Vdalricum* filium *Boleſlai* Ducis *Bohemiæ* in curia ſua Imperiali commorantem ſibi tradat & remittat, ſtabilimentum maximi momenti terris *Bohemiæ*, & *Morauiæ*, per eum ſubactis, adiecturus. Cæſar autem *Henricus*, qui intenſo & feruentiſſimo amore *Boleſlaum Poloniæ* Regem, propter eius heroica opera, & ingenuas virtutes, diligebat, cùm eſſet *Bohemis* plurimum iratus, & infeſtus, *Vdalricum* nunciis *Boleſlai Polonorum* Regis tradit. Qui per illos in *Poloniam* ad *Boleſlaum Poloniæ* Regem deductus, & honeſtæ cuſtodiæ traditus, per annos plures aſſeruabatur. Cuius captiuitate *Bohemi* & *Morauí* cognita, ſincerius *Boleſlao Polonorum* Regi parebant, nec vnquam auſi ſunt quicquam aduerſi moliri, aut eius ditioni aduerſari.

Electores eligunt Imperatorem.

Boleſlaus ab Henrico Imp. etiam Vdalricum alterum Boleſlai Bohemiæ Ducis filium impetrat & cuſtodire iubet. 1004.

Gregorio V. qui ſedit annis duobus, menſibus ſex, obeunte, ceſſauit Epiſcopatus diebus quindecim. Cui *Ioannes* octodecimus, natione *Græcus*, in Pontificatum ſucceſſit, & potiùs iuxta aliquarum chronicarum aſſertionem intruſus eſt. Nec computatur inter ſummos Pontifices, & nonniſi menſibus decem ſedit.

Gregorio V. Papæ ſuccedit Ioannes XVIII.

Floruerunt ea tempeſtate in *Poloniæ* regno ſex viri religione & vita inſignes, videlicet *Benedictus*, *Matthæus*, *Ioannes*, *Iſaac*, *Chriſtinus*, & *Barnabas*. *Boleſlaus* ſiquidem *Poloniæ* Rex beati *Romualdi* celeberrimam famam audiens, miſit ad illum, magna rogans inſtantia, quatenus ſibi aliquos ſui Cœnobii fratres in *Poloniam* remitteret, *Polonorum* gentes primitias fidei, fauore diuino, conſecutas, vitæ ſuæ exemplo atque doctrina ædificaturos. Hanc quoque petitionem *Boleſlai* Regis *Henricus* Imperator præſentia perſonali, apud virum Dei *Romualdum*, tunc in *Pirenæo* agentem, promouebat. *Romualdus* autem nullis ſuorum id præcipere, autoritate ſuæ Prælationis, volens tranſeundi in *Poloniam*, aut in monaſterio ſubſiſtendi, in cuiuslibet arbitrio relinquit. Ignorabat ſiquidem in re huiusmodi beneplacitum Dei, propter quod voluntate fratrum illam relinquebat. *Henrico* tamen Imperatore obſecrante, roganteque, duo tantummodo ex omnibus reperti ſunt, qui ſe vltrò ad eundum in *Poloniam* promptos obtulerunt. Quorum vnus *Ioannes*, alter *Benedictus* vocabatur, quos ad ſe per nuncios ſuos perductos *Boleſlaus Poloniæ* Rex, velut Dei Angelos, magna iocunditate excepit, atque illis, & quatuor aliis, *Iſaac*, *Matthæo*, *Chriſtino*, & *Barnabæ* genere *Polonis*, qui ſe iis coniunxerant, linguam *Polonicam* ab illis percepturis, locum, vbi nunc *Cazimierz* oppidum in *maiori Polonia* ſitum eſt, tunc quidem ſiluis & nemoribus vndique obſitum, pro ſuo incolatu aſſignauit, & illic, pro numero habitationibus conſtructis, in abſtinentia arctiſſima anachoricam vitam ducentes, rege illos ſuſtentante, morabantur, & tàm vitæ ſanctimonia, quàm verbo ſanctæ doctrinæ magnum in *Poloniæ* regno facientes profectum, opinione & re celebres habebantur: nulla illis fuit poſſeſſio, nulla habitatiuncula, largitione fidelium, nihil habentes, in communi, aut priuato alebantur. Veſtis groſſa & hiſpida, cibus vilis, & inconditus, qui duntaxat famem excluderent, per ſingulos dies orationibus deuotis & ieiuniis 1005.

Septem viri ſancti & anachoretæ.

1005. iuniis intenti erant, corpus non ſolùm macerabant inedia, ſed inſuper verbere mutuo, cæteriſque diſciplinis coercebant, & ſpiritui ſeruire cogebant. Ad hos, non ſolùm viri eccleſiaſtici, & ſeculares, vulguſque promiſcuum, accedebant, ſed ipſe excellentiſſimus omnium virorum Princeps *Boleslaus Polonorum* Rex illorum domicilia & heremitaria frequentabat, maximaque ex illorum conuerſatione, vita, merito, & doctrina, ad *Polonos* ædificatio promanabat, ſupremus & largifluus remunerator Deus illorum volens præmiare labores, martyrii palmam & lauream, quam quæſiuerant, illis donauit. *Boleslaus* ſiquidem *Polonorum* Rex deuotionis ſuæ morem tenens, cum comitatu regio ad viros deuenit. Et aliquanto tempore in heremitariis eorum pauſans, expletis orationibus & obſecrationibus ſuis, diſceſſurus, viris Dei pro leuanda eorum inopia & neceſſitate, maſſam notabilem auri, comitatu ſuo ſpectante, & vidente, donauit, & obtulit. Quo etſi viri Dei ſe aliquatenus non indigere denunciaſſent, Regemq; vt illam reciperet, & aliis applicaret vſibus, deprecarentur: *Boleslaus* tamen Rex, *aurum ſemel Deo oblatum, humanis applicari vſibus, ineptum, & ſceleſtum eſſe*, reſpondens, auro relicto, commendans ſe, & rempublicam regni ſui *Poloniæ* virorum ſanctorum orationibus, diſcedebat.

quos Boleslaus Rex auri maſſa donauerat,

Inſolitam auri poſſeſſionem viri ſancti abhorrentes, vehementem concipiunt turbationem, & dolorem: turpe ſibi odibileque Deo exiſtimantes, qui mundum, & omnia eius delectabilia in ætate virili reliquerant, cuiuſque concupiſcentias in eam vſque diem calcatas peruicerant, auri portione, in ſenio & tempore decrepito inquinari. Quo pacto, inquiunt, tanto ſuffarcinati auro, poterimus pauperem Chriſtum ſequi? & ſub eleemoſynæ prætextu illius occupabimur vſu, nobis quidem in damnationem, cæteris in pernicioſum ſcandalum & ruinam. Conſultatione itaque ſuper his, quid factu expediens foret, habita, placuit tàm *Benedicto* qui ſenior pater inter eos habebatur, quàm reſiduis fratribus, quàm celeriter, & nulla mora interpoſita, ad Regem *Boleslaum Poloniæ* illud referri, & ſibi illud quamprimùm præſentari. Decreto itaque cæterorum, *Barnabæ*, velut ætate & ordine iuniori, qui exteriores ſolitus erat tractare cauſas, onus illud imponunt. Qui, fratrum parendo iuſſioni, ſumpta auri maſſa, cœpit ad Regem properare aurũ *Polonorum* Regi *Boleslao* redditurus.

quod tamen Regi remiſerant,

Eo autem nec dum medium itineris emenſo, nocte exitum ſuum ab heremitico loco ſubſequenti, nonnulli ex *Polonis* filii Belial ardore auri, quod per Regem fratribus illis oblatum viderant, capti, adſcitis ſibi aliis, in heremum clandeſtine ſub intempeſtæ noctis tempore perueniunt, aurum per Regem præbitum recepturi. Rabie itaque furioſa exagitati, velut furentes habitacula ſeruorum Dei, ante mediam noctem, pridie Idus Nouembris irrumpunt, & *maſſam auri, per Boleslaum Regem pridie oblatam ſibi dari*, *viris Dei in cantu & pſalmodia occupatis*, incunctanter præcipiunt, diram mortem, ni reddatur, vnicuique ex ſeruis Dei interminantur: nec verbis tantum, ſed ſolicita, curioſaque indagine omnes angulos & loca habitationum ſeruorum Dei rimantur & perquirunt. His, cùm à ſeruis Dei reſponſum fidele, & verax, crebro editum fuiſſet, *auro eos non indigere, aurum Regi remiſiſſe*, eò maiori furia inſaniaque concitati, exiſtimantes ſeruos Dei falſa reſponſione, & excuſatione vti, *& aurum illud in ſabulo abdidiſſe*, in viros Dei, iam non probris & contumeliis, ſed ipſis verberibus, deſæuiunt. Et vno quoque comprehenſo, & vario ligamine conſtricto, illos abinuicem ſegregant, & per tormenta varia cuilibet ſigillatim, vario genere cruciatus adhibito, elicere ſe poſſe credunt auri celati confeſſionem. Tantam autem præſtitit Dominus ſeruis ſuis patiendi conſtantiam atque virtutem, vt omnes penè vno ore & conformi reſponſione profiterentur, *aurum eis præſtitum Regi integrum remiſiſſe*, neque illatis pœnis, aut inferendis, poſſe adduci, vt in offenſam Dei ſcienter, mendacii reatu ſe polluerent. *Teſtis*, inquiunt, *eſt nobis Deus, non eo reſpectu nos negare, vt aurum nobis, quo nunquam eguerimus, remaneat, ſed ideò, ne falſa, ac mendax confeſſio crudelitate mendacii reos nos efficiat.* Latrones verò impii in vnum illos exiſtimantes conſpiraſſe, rurſum fortioribus tormentis in viros Dei tàm diu debacchati ſunt, quouſque inter ipſos cruciatus vario modo verberibus, & flammis torti, deficientes ſpiritus ſuos *Chriſto* redderent, cateruis angelicis, in aulas cœleſtes, & in trophæa martyrum, pro *Chriſto* paſſis, etiam ab æuo præparata, inferendos. Theſaurum poſt hæc accuratè perquirunt, & cuncta, quæ cellæ virorum Dei habebant, euertunt. Sed poſtquam nullus labori & facinori reſponderet profectus, ad obtegendum tanti reatus crimen, vtque humana præſumptio non malignitate, ſed cauſali flamma id geſtum exiſtimaret, habitationem ſanctorum Dei incendere, & ipſa etiam cadauera pariter conati ſunt conflagrare. Sed admoti ignes, perditis naturæ viribus, neque cellis, neque corporibus aliquem poterant inferre contactum. Ita enim ſuppoſitos ignes parietum, quamuis lignea materies repellebat, iuxta, ac ſi ſilices duriſſimi haberentur. Quo miraculo latrones exterriti in fugam ſe conuertunt. 1005.

a latronibus interficiuntur.

Wolodimirus Ruſſiæ Dux duodecim filios reliquit, quatuor, videlicet *Viſſeslaum, Iſaslaum, Suatopelkum*, & *Iaroslaum* ex prima vxore, & octo, videlicet *Wſzewoldum, Suentoslaum, Mſciſlaum, Boryſz, Gleb, Stanislaum, Poſwiſd*, & *Sudislaum*, quos ex *Anna* ſorore germana *Baſilii*, & *Conſtantini*, Imperatorum *Græcorum, Bulgara* & *Bohema*, ac aliis, ſuſceperat. Abundè beatus

Wolodimirus Ruſſiæ Dux viuus filiis ſuis

1005.

beatus & felix, dùm annis aliquot *Ruſſiæ* terras, tàm caſtris, quàm oppidis & villis vehementer auxiſſet, veritus ne ſe obeunte inter filios dira certamina ſuper *Ruſſiæ* Principatibus conſurgerent, filiis regnum diuidit, & *Viſſeſlao* quidem natu maiori dat *Nouogrod, Iſaslao Polocko, Suatopelko Turow, Iaroslao Roſtow,* ſed *Viſſeslao* fatis rapto, *Iaroslao Nouogrod, Boryſz Roſtow, Gleb Muromum, Suentoslao Drzewiany, Wſeuoldo Wolodimiriam, Mſciſlao Timutokany,* cæteris verò filiis tribus natu minoribus, videlicet *Staniſlao, Poſuiſd,* & *Sudislao, Kiouienſem* & *Bereſtow* Principatus, non, niſi morte ſua, in eos deuoluendos reſeruat. Verùm *Iaroslaus,* cui *Roſtow* ceſſerat, vnus ex filiis moleſtè ferens, ſe a *Kiouienſi* Principatu, quem ambiuerat, ſequeſtratum eſſe, venit in dolo cum gentibus ſuis, & aliis precio conductis, contra *Kiow,* & creditus in pace voniſſe, caſtrum *Kiouienſe* occupat, & theſauros paternos in ſuam redigit ditionem. Quod pater *Wolidomirus* acerbiſſimè ferens, copias ex omnibus Principatibus, quos inter filios diuiſerat, contrahit, cum *Iaroslao* filio pugnaturus. Quo *Iaroslaus* comperto, mittit & conducit *Pieczyngos,* & *Varabos* patri reſiſtentiam facturos. Interim *Wolodomirus* Dux & pater, propter filii *Iaroslai* rebellionem & hoſtilitatem, ex dolore proueniente, graui languore correptus, filium *Boryſz* exercitui præficiens, contra *Iaroslaum* mittit. Ipſe morbo inualeſcente, paucis poſt in caſtro *Bereſtow* moritur, & in *Kiow* adductus in Eccleſia B. Virginis, quam ipſe viuens ædificauerat, ſub marmoreo lapide ſepelitur. Confluxit autem ad honeſtandum funebria ſua *Ruthenorum* multitudo, quæ in ſepultura ſua planctum magnum edens vociferabatur *patrem, ſe, & liberatorem patriæ, & fidei chriſtianæ in Ruſſia plantatorem immature perdidiſſe.* Ignari patrem ſuum, ſcilicet Ducem *Wolodimirum,* hi duo filii, *Boryſz,* & *Suatopelkus,* è vita exceſſiſſe, certamen cum *Iaroslao* & gente ſua ineunt, & victus *Iaroslaus* cum *Pieczyngis,* & *Varabis* adiutoribus ſuis, fugit. *Suatopelkus* vero occupat *Kiouiam,* & rapit Principatum, altero fratre *Boryſz,* paternæ mortis luctui vacante. Et licet Dux præfatus *Boryſz* in agmine militum, quatenus *Suatopelko* fratre pulſo, Principatum *Kiouienſem* ipſe poſſideat, vrgeretur, militum tamen inſtantias abnuens, reſpondit *Suatopelkum fratrem, patre abſumpto, patris ſe culturum loco, nec quicquam aduerſi illi ſe vnquam moliturum.* Verùm *Suatopelkus* diſparem gratiam fratri referens, ſubornat *Nouogrodenſes* viros Belial, qui *Boryſz* Ducem, in cubili ſuo orantem, lanceis transfodiunt, ſed & armigerum eius *Gregorium,* natione *Hungarum,* Dominum ſuum protegentem, ſecum vnà necant. Mittit deinde *Suatopelkus* ad alterum fratrem *Gleb* in dolo, inuitans eum ad ſe, ſed a fratre *Iaroslao* nuper conflicto auiſatus ad occiſionem ſe vocari, preſſo gradu ſubſiſtit, & magno eiulatu, & patris mortem, & fratris necem plangit. Veniunt tandem alii viri a *Suatopelko* miſſi, & *Gleb* Ducem, abſciſſo capite, interficiunt. Corpora autem tam *Boryſz,* quàm *Gleb,* in *Kiow* deducta, in Eccleſia S. *Baſilii* in vno ſepulchro tumulantur. Colit hos duos fratres *Ruthenica* Eccleſia, *Ruthenicusque* populus pro martyribus & ſanctis, aſtruens illos nonnullis coruſcare miraculis. *Suatopelkus* verò Dux, patricidio duorum fratrum inſignitus, in magnam erigitur ſuperbiam, exiſtimans ſe, & cæteros fratres facilè deleturum, & vniuerſum *Ruſſiæ* Principatum occupaturum. Principalium virorum, qui Duces *Boryſz* & *Gleb* occiderunt, hæc ſunt nomina *Puchsza, Halicz, Lowicz,* & *Lasko.*

regionem ſuam diſtribuit,

ſed hi patre nondum mortuo

ſe inuicem trucidant.

Martialis Plocenſis Eccleſiæ Epiſcopus, cùm annis duobus & viginti in *Plocenſi* Eccleſia ſediſſet, diem obiit, in *Plocenſi* Eccleſia ſepultus, *Martinum* primum, ad petitionem *Boleslai Polonorum* Regis, per *Benedictum* VII. prouiſum, habuit ſucceſſorem, virum conſpicuum nobilitate, natione *Romanum.*

1005.

Martiali Plocenſi Ep. ſuccedit Martinus I.

Celerrima denunciatione ſanctorum Dei martyrum, *Benedicti, Matthæi, Ioannis, Iſaac,* & *Chriſtini* occiſione ad *Boleslaum* Regem *Poloniæ,* qui tunc in regia *Gneſnæ* agebat, in craſtinum perlata, ea enim prouidentia, eoque ordine *Boleslaus Polonorum* Rex regnum ſuum ſtabiliuerat, ordinaueratque, vt ſinguli caſus, ſingulæque contingentiæ, & nouitates propinquæ, & remotæ, ciuiles & forenſes, ad eius, nocti non parcendo, perferrentur notitiam. Plurimum itaque de virorum Dei, quorum interceſſione & merito, regnum ſuum dirigi feliciter, & proſperari credebat, de crudeli nece ingemiſcens, mox cum omnibus militibus, & familiaribus ſuis equos, quam ocius poteſt, conſcendit, & peditum numero, ex rure vicino, in magna copia acceſſito, nemus, in quo ſancti Dei habebant domicilia, in gyrum, & ab omni parte corona circumdat, & conſtringit: intelligens latrones, poſt ſcelus in ſanctos Dei perpetratum, in nemore illo, quod tunc ad milliaria aliquot tendebatur, ad latitandum locum delegiſſe. Obſeſſo autem nemore, equites & pedites frequentes ad perſcrutandum abſconditos immittit, ſolicito ſtudio, per ſeipſum interim, ne quocunque modo effugerent, cautela adhibita. Verùm etſi locus vaſtus, in longumque, vt præmiſimus protenſus, difficilem maleficorum comprehenſionem pollicebatur, tantam tamen Rex curam pro eorum inuentione intenderat, vt ſcrutatores cuneis inſeparabilibus iuncti in cedendo vno paſſu, nihil inſcrutatum relinquerent, & facile ad eorum cubilia peruenirent. Tota ſiquidem nocte per fruteta nemoris, per latitudinem ſaltuum, per opaca ſiluarum viam, qua euaderent, anxii inquirebant, quam

Rex Boleſlaus

in latrones anachoretarum inquirit,

1005. tamen nullatenus valuerunt errabundis veſtigiis reperire, ſed neque mucrones in necem Martyrum exutos, brachiis areſactis poterant A recondere in vaginas. Locus autem in quo Sanctorum corpora iacebant, copioſo lumine viſus eſt ſplendeſcere, modulata quoque angelici cantus ſuauitas, tota nocte illa in teſtimonium ſanctitatis ſeruorum Dei non deſiit reſonare.

eosque inuentos,

Quibus comprehenſis, neque enim facinoris conſcii repugnare auſi, manus dare militibus coacti ſunt. *Boleslaus* Rex mœrorem ſuper necem Sanctorum ingeſtum temperauit. Angebatur autem facinore inaudito, quod ſi aliquo caſu non diuindicatum publica vltione tranſiſſet, indignationem diuinam, & obtrectationem humanam ſibi, & Regno ſuo euenturam formidabat. Quali autem pœna illos mulctaret, non ſatis poterat prouidere. Hoc tandem poſtremo decreuit, vt nequaquam eos, ſicut merebantur, B variis tormentis & cruciatibus extingueret, ſed ferreis catenis vinctos, ad ſepulchra Martyrum deſtinaret, vt illic vinculis conſtricti fame & inedia miſerabiliter perirent, aut, ſi propitiæ diuinitati, & S. Martyribus aliter videretur, ipſi eos ſua miſericordia liberarent.

ad domum Sanctorum alligat,

qui tamen fractis vinculis abſoluti ſunt.

Qui cum ex præcepto Regis ad Sanctorum tumulum fuiſſent perducti, mox, ineffabili diuinitatis benignitate, nexibus vinculorum confractis, abſoluti ſunt. Sanctorum autem Dei corpora, quo amplior honos illis fieret, in Eccleſia Metropolitana *Gneſnenſi* transferri, & omnia in vna tumba, ad id ſpecialiter adornata, recondi diſpoſuit. Reſiduus autem & ſextus virorum Dei ſocius *Barnabas*, C fratres, & ſocios ſuos audiens peremptos, inæſtimabili mœrore anguſtiabatur, fletibusque multis infelicitatem lugebat, quod cum viris Dei ſocietatem martyrii non meruerat. Itaque ſortem increpans ſuam ad heremitarium ſuum plenus dolore remeabat. Quo cum perueniſſet, & fratres ſuos variis affectos tormentis vidiſſet, tum quidem ampliori grauabatur cruciabaturque luctu, quod ſe vnum relictum & deſolatum, & illos palmam, laureolamque videbat iam apprehendiſſe triumphantem. Domini tamen iudicio, & eius benignitati, ſe, & omnia committens aiebat. *Abſque tuo ſiquidem nutu Domine, neque aliquem cadere, neque folium ex ſtipite in terram defluere certum* D *habeo, quanto magis hanc occaſionem fratrum meorum, a qua me, velut immeritum, ſequeſtraſti, ſine tua voluntate nullatenus accidiſſe, perſuaſiſſimum mihi eſt: ſupplex tamen obſecro, vt me a tuo, & Sanctorum tuorum conſortio non ſequeſtres.*

eo loco domum redindegrat, & moritur.

Poſt hæc cella de nouo conſtructa, abſtinentiis & orationibus intentus, vitam in operibus bonis finiens, iuſſu, & ordinatione Regis *Boleslai*, fratribus ſuis & ſociis appoſitus eſt. Extant nunc Eccleſiæ in eodem loco quinque, in cuiuslibet cella, & oratorio, in venerationem, & memoriam ſingulorum deuotione fidelium ædificatæ, quem quisque Sanctorum locum pro oratorio & cella in vita habuerat, proteſtantes. 1005.

Joanni XVIII. Papæ ſuccedit Silueſter II.

Excedente è vita *Ioanne* XVIII. quoniam tantummodo menſibus decem Eccleſiæ *Romanæ* præfuit *Guibertus* natione *Gallicus*, & qui *Silueſter* ſecundus appellatus eſt, in Summum Pontificem promouetur.

& Vrbano Ep. Wratislauienſi

Smogorzouienſis ſeu *Wratislauienſis* Eccleſiæ Epiſcopus *Vrbanus* vita eo anno exceſſit, & in villa *Smogieſzow*, ſecundum aliquos in villa *Riczow*, ſepultus eſt. In cuius locum, *Boleslao* Rege petente, à clero *Wratislauienſi* electus eſt *Clemens* primus, *Italus* genere & nobilis, & a *Benedicto* ſeptimo confirmatur.

Clemens I.

Nepos ex ſorore germana *Adleida Miecslai* olim *Polonorum* Ducis, & frater amitatis *Boleslai* Regis, Rex *Stephanus* in *Hungaria* Principatum tenebat, vir miræ in Deum deuotionis & relligionis, cuius quoque ſanctitas multis & euidentibus prodigiis atque operibus erat illuſtrata, cum ex conſorte legitima *Silla*, *Henrici* primi Imperatoris ſororis germanæ, filium procreaſſet, *Emericus* illi nomen dedit. 1006.

Stephani Regis Hungariæ filius Emericus

Quo ad virilem ætatem traducto, vxorem illi, ne ſucceſſio ſui ſanguinis abſumeretur, coniunxit, ſed hic miro in Deum amore accenſus, non audens patruis recalcitrare imperiis, vxorem quidem ſuſcepit, ſed cœlibem, virgineamque vitam, & corpus ab omni carnali & libidinoſa corruptela purum ſeruare decreuit. Vnde vxorem ſuam pro ſorore ducens, & nunquam C illam attrectatione maritali cognoſcens, non ſolum in virginitate ipſe permanſit, ſed conſortem ſuam virginitatem cuſtodire vsque in diem mortis obtinuit, & merito quisque duo ingenua corpora, delitias, diuitiasque mundanas, & etiam quæ prima mortales ducunt habentia, difficillimo religionis genere, nihil à martyrio diſtante, cœlum ſtupeat rapuiſſe.

vxore & patria relicta

in Poloniam venit

Vir igitur Dei *Emericus* ad priuignum & cognatum ſuum *Boleslaum Poloniæ* Regem, deſerta regia, ſolitus erat crebris vicibus frequentare, & plura tempora in *Polonia* abſumere, vt à viſione, communioneque parentum, & vxoris, ſequeſtratus, facilius ſuggeſtiones diabolicas, & carnis ſtimulos extingueret, & deuotioni ſuæ operam daret. D *Boleslaus Polonorum* Rex ſingulari Ducem *Emericum* nepotem ſuum proſequebatur charitate, & amore, cum non ſolum nexus ſanguinis, ſed & ipſa virtutum clara probitas faciebat illum, tam Regi, quam ſuis militibus amabilem & gratioſum. Quodam itaque tempore, *Boleslao* venationibus, in ſiluis circa oppidum *Kielce* ſuis, inſiſtente, & ſecum Ducem *Emericum* in ſocietate habente, contigit illis in iugum *Alpium*, quæ *Caluariæ* vocantur, & quibus *Poloniæ* Regnum altiores non habet, ceruum inſequentem venando, deuenire. Vbi ceruo omiſſo, ruinas veterum

1006. rum habitationum, quæ & diluuio vniuerſali, & temporum antiquitate in ſaxorum molem qualem & hodie cernimus, defluxerant, cœ- A perunt mirari, locum enim illum ferunt commodam habitationem, & arcem Gigantum ſeu Cyclopum, & virorum fortium fuiſſe, & illic incolatum aliquanto tempore tenuiſſe.

ibique in alto monte

Vir Dei itaque *Emericus* ſpiritu diuino inſtinctus, & vt aliquorum habet credulitas & aſſertio, viſione noctis præcedentis ductus admonitione, loci ſingularitate & vetuſtate delectatus, conuenientiſſimum locum illum, pro ſeruis Dei, ſolitariam vitam profeſſis, aſtruit, & indignum, vt ſine hominum incolatu debeat patens eſſe. Rogat deinde patruum & affinem ſuum *Boleslaum* Regem, quatenus pro Dei honore, & fidei ſanctæ augmento, animarumque remedio, & ſalute, cœnobium il- B lic manachorum, & monaſterium erigat, & conſtituat, ſtabilius, feliciusque Regnum, poſtquam illum a terreno ſolui contingeret in cœleſtibus pro eiuſmodi ſancto opere habiturus. Cumque ad id *Boleslaus Polonorum* Rex facilem & vltraneum liberali & regio animo præbuiſſet conſenſum, Dux *Emericus* ſua ſe petitione & deſiderio videns potitum, in magnam exultationem erumpit &, primum Deo, deinde *Boleslao* Regi gratias agens, mox crucem bifurcatam, portionem notabilem, Dominici ligni continentem, modico argento obductam, parenti ſuo *Stephano Hungarorum* Regi a *Græcorum* Cæſare ex *Conſtantinopoli* pro magno munere tranſmiſſam, quam vir C Dei in pectore ex patris largitione geſtare conſueuerat, exemit, illique loco (ita enim in viſione monitus fertur fuiſſe) donat. *Hoc* inquit *precioſiſſimum lignum Saluatoris noſtri cruore pollutum, & quo charius nihil habui, ſed nec ſum habiturus, huic loco dono propitia diuinitate, virtute ſua, omnibus in neceſſitatibus, preſſuris, anguſtiis, & grauaminibus conſtitutis, plurima beneficia largiturum. Boleslaus* itaque Rex ſponſioni ſuæ ſatis faciens, anno eodem monaſterium S. *Benedicti* illic erexit, & regali munificentia, dotem illi benignam & ſufficientem conſignauit, fratres Deo ſub habitu & regula S. *Benedicti* militaturos inducit. Eccleſiam quoque ſub honore & titulo D S. Crucis ex fundamentis initians, *Græcorum* more ex lapidibus conſtruit, & conſummat, locans & recondens lignum precioſiſſimum Dominicum, per B. Virum *Emericum* largitum in eadem Eccleſia. Cuius conditio & qualitas in hanc diem perdurans longæuam eius teſtatur annoſitatem.

monaſterium ordinis S. Benedicti extruit.

Gaudentio Archiep. Gneſnenſi

Gaudentius qui & alio nomine *Radzin* nominabatur germanus Beati *Aqalberti* Archiepiſcopi *Gneſnenſis* cum annos ſeptem in vitæ ſanctimonia & Pontificatu *Gneſnenſi* exegiſſet apud *Gneſnam* moritur, & in *Gneſnenſi* Eccleſia ſepelitur. Fertur hic moribundus in *Gneſnenſem* ciuitatem ob multitudinem immanium ſcelerum, quibꝰ ſe coinquinauerat, nec eo monente pœnitere voluerat, anathema protuliſſe. Nec in caſſum tranſiit, quod vir Dei prædixerat, à *Bretislao* enim *Bohemiæ* Duce. & ſuo exercitu, vt in ſequentibus narrabimus, *Caſimiro Poloniæ* Rege in *Almania* exulante inuaſa, cladem ingentem pertulit, & nobiliſſima ſua clenodia opesq; pluſimas, quibus ad inuidiam vſque abundauerat aiſit. Huic *Hippolytus* genere *Italus* ſucceſſit.

ſuccedit Hippolytus.

1007. Captiuitati calamitatique *Vdalrici* filii *Boleslai Bohemiæ* Ducis, quam aliquanto iam tempore in *Polonia* pertulerat *Boleslaus Poloniæ* Rex pia miſeratione compatiens, tum quod illi ſanguine & affinitate propinqua iunctus eſſet, tum quod pluribus ſponſioni, a fide deuotione atque officio *Boleslai* Regis ſe nunquam diſceſſurum lachrimis & iureiurando interpoſitus aſſeuerabat, captiuitatem ſoluit, & equis familiaribus, veſtimentis, & plurima regali ſupellectili exornatum veſtitumque in *Bohemiam* remittit.

Vdalricus a Boleslao Rege dimiſſus.

Qui ex carceribus *Boleslai* Regis beneficio in libertatem vindicatus, omnium quæ *Boleslao* Regi ſpoponderat, & beneficii quod illi præſtiterat oblitus, in *Bohemiam* reuerſus, & præſidia quæ a *Polonis* tenebantur, extrudebat, & pleroſque Barones Regi *Boleslao* fidem temerere nolentes, & ſignanter *Vrſouicenſes* quorum genus *Boleslao Poloniæ* Regi fide ſincera adhæſiſſe noſcebat, peremit, bonorum oblatione mulctat & proſcribit, adeoque in *Poloniæ* Regem & ſuos ſæuire cepit, vt lachrimas quas in conſpectu Regis profuderat, gaudio videretur proieciſſe. Nec his contentus, ſuſpectam habens fratris germani *Iaromiri* ſocietatem, nimio principandi flagrans deſiderio, fratrem eundem *Iaromirum* captiuat, captumque innocenter, & nullo intercedente exceſſu, aut merito, quo firma Ducatus in eum *Bohemiæ* ſolum recideret ſucceſſio, vtroque oculo excœdat & priuat. Crudelitatis ſuæ munimenta in fratrem germanum & innoxium deprompta præſenti & futuræ ætati, non ſine ſuo & ſuæ poſteritatis dedecore relinquens.

rebellis fit, Bohemos Regi amicos obtruncat, & fratrem excæcat.

Fames, peſtis, luesque miſerabilis non in Regno tantummodo *Poloniæ*, ſed pene per vniuerſum orbem fuit, quarum clades multos mortales abſumens, multas vrbes & colonias deſertauit.

Fames & peſtis

1008. Forti frequentique exercitu ex *Ruthenis* & *Varabis Iaroslaus Ruſſiæ* Dux comparato; contra *Suatopelkonem* fratrem hoſtiliter procedit, duorum fratrum germanorum, videlicet *Gleb* & *Boryſz*, indigna nece peremptorum ab eo mortem vlturus. Cui cum *Ruthenis* & *Pieczynigis*, *Suentopelkus* circa caſtrum *Lowce* & fluuium *Dniepr* occurrit. Et flumine *Dniepr* vtrumque exercitum diuidente, trimeſtri ſpatio ſtatiua illis, vno alterum propter mediantes vndas inuadere non audente, habita ſunt. *Iaroslaus* autem flumine *Dniepr* cum omni ſuorum exercitu ſuperato,

Iaroslaus Ruſſiæ Dux fratrum mortem vindicat.

1008.

Suentopelki exercitum vincit,

Suentopelcum, & exercitum eius inter duos lacus conſiſtentem, ſubitò & inſperatè inuadit. Exercitus autem *Suentopelki* hoſtium armato- A rum & expeditorum inermis ipſe aduentu perculſus, in lacus frigore hyemali congelatos ex tabernaculis diffugit. Vbi glacie fragili violata, plures numero ſorbentur ab vndis, reliqui à *Iaroslao* & exercitu eius, aut trucidantur, aut capiuntur. *Suentopelkus* autem Dux vix manus hoſtiles euadens, repenti curſu in *Poloniam* aufugit, & ad *Boleslaum Polonorum* Regem ſe conferens, ſupplex ſibi contra fratrem ferri *Iaroslaum* auxilia, plurima offerens, plurima pollicens, expetiit. Capit autem *Iaroslaus* Dux *Suentopelkonem*, & exercitu eius conflicto, caſtrum *Kiow* tradentibus ſe illi *Kiouienſibus*, & ſedit in Principatu *Kiouienſi* habens annos 28.

& Kiouiam cæpit,

Boleslaus Rex

Præcipuis bellatoribus & militibus ex *Poloniæ* regno *Boleslaus Poloniæ* Rex in grandem exercitum coactis, perfectisque, qui ordines ducerent, & millenariis, centurionibus, quinquagenariis & decurionibus, cæterisque qui agminibus præeſſent, legitimè ordinatis, *Setegio* verò *Cracouienſi* Palatino, Principe militiæ conſtituto, terram *Ruſſiæ Suentopelkonem* Ducem expulſum reſtituturus, potenti brachio ingreditur, plures factiones, prædas, ſpolia & iniurias, quibus regnum *Poloniæ Rutheni* crebrius vexabant, vindicaturus. Agmen autem vniuerſi exercitus *Boleslai* Regis in Præfectorum præcipua cura adeo inſtructum regulatumque erat, vt inſtare & ſequi, & in ordines coire, & C quicquid poſceret neceſſitas, agere pronum eſſet. *Ruſſiam* itaque *Boleslaus Polonorum* Rex ingreſſus, vniuerſas eorum ciuitates & oppida ſine reſiſtentia aliqua capit, & conquirit. Neque enim pro ea tempeſtate aliquæ ciuitates munitæ habebantur, rarusque murorum vſus apud *Ruthenos* erat, ſed etſi ciuitates aliquæ principales frequentiam habebant domorum & ciuium, hæc tantum ſolo naturæ ſitu aut lignorum ſtruibus, pro muris & mæniis ædificatis erant debiliter ſtabilitæ. Omnes itaque ciuitates *Ruſſiæ Boleslaus Poloniæ* Rex comprehendens, & militibus tribuens in prædam, arces dimittebat inconquiſitas, videns illas pro ſui conquiſitione non modicum temporis D cuius apud eundem erat magna caritas & æſtimatio, abſumpturas. Celerrimo igitur curſu *Ruſſiam* ſpoliis & incendiis, nullo reſiſtente conſiciens ad *Ruthenorum* terram *Wolinenſem*, quæ *Lucenſis* nunc appellatur, peruenit. Poſtquàm autem *Rusſiæ* Duci *Iaroslao*, qui tunc voluptati & ſolatiis deditus, hamo piſces in fluuio *Dniepr*, quorum fluuius ipſe magnam edit abundantiam, piſcaretur, aduentus *Boleslai Polonorum* Regis citus & velox denunciatus fuiſſet, tunc quidem ſubito pauore perculſus, hamo quem manu geſtauerat in terram proiecto. *Nil*, inquit, *hoc hamo hactenus opus eſt, neque vt piſces*

Suentopelkonem reſtituturus

Rusſiam inuadit

comprehendamus, ſed qualiter hoſti occurramus curandum, ne hoſtis infeſti & potentis, effuſionem ſanguinis noſtri ſitientis, hamo inuoluamur. Congregatis itaque multiplicibus ex *Ruthenis, Varabis*, & *Pieczynigis*, copiis *Boleslao Polonorum* Regi ad fluuium *Bug* occurrit, tranſitum illius ſi poſſet prohibiturus, ſin minus, decertaturus. Abſumptis itaque ad ripas fluminis *Bug* ab vtroque exercitu diebus aliquot, fiebant inter exercitus concurſiones & certationes, mutuaque præludia, tandem ad vniuerſæ dimicationis diſcrimen, primum glebis & improperiis acta re, ad diſceptationem ex paruo, (vt fit) momento excanduit, vt iam à multis per ſaxa, iacula, & ſudes res agi cœpta ſedari nequiret. Erat *Iaroslao Rusſiæ* Duci ſuus alumnus nomine *Budy* plurimum charus, & o- B mnium conſiliorum & negotiorum *Iaroslai* conſultor, moderator, & director, qui in altera ripa conſiſtens, multis improperiis *Boleslaum Polonorum* Regem & ſuum exercitum irritabat, nunc *meticuloſum*, nunc *craſſum Boleslaum Poloniæ Regem* appellans, aſtruens *ſe illius craſſum ventrem, ſi in aciem prodire auderet, confoſſurum.* Quibus contumeliis *Boleslaus Poloniæ* Rex prouocatus, concione aduocata militum prudenti vſus oratione, *ne ſuam, & Regis ſui ignominiam æquo animo ferrent, ſed armis expeditis illicò in prælium prodeant*, hortatur. Vniuerſo itaque exercitu velociſſimè armato, *Boleslaus Polonorum* Rex primus *Bug* flumen inſiliit, quo ſuperato *Ruthenos* trepidantes, & ſuos in arma vocantes inuadit, mirificum hinc inde accenſum eſt certamen, adeò vt ad omnem fortunæ experientiam veniretur. Et quamuis aliquantis horis hinc inde fuiſſet pugnatum, ad vltimum tamen *Iaroslaus* Dux *Rusſiæ* cum vniuerſis ſuis copiis contritus, & profligatus eſt, & cum quatuor tantùm comitibus in *Kiouiam* aufugit. Ingens cædes tunc à iuſta ira edita eſt, ſed & multi ex *Ruthenis, Pieczynigis*, & *Varabis* capti, caſtris etiam hoſtilibus magnæ opulentiæ *Polonicus* exercitus potitus eſt. *Iaroslaus* Dux in *Kiouia* conſiſtens, ne à ſuis proderetur, in paludinoſa loca diuertit, futurum vt erat ratus *Boleslaum Polonorum* Regem ſe perſecuturum, & locum vbi eſſet obſeſſurum. Ab exploratoribus autem & fugitiuis, *Boleslaus* Rex *Iaroslaum Rusſiæ* Ducem ex ipſa Principatus ſui arce *Kiouia* doctus diffugiſſe, tanto velociùs ad *Kiouiam* promouet exercitum, & aliquot ſtatiuis illic applicans vrbem ad vada fluminis famoſi *Dniepr* ſitam, ſitu & populo diffuſam & ampliſſimam, eaque tempeſtate famoſam, cuius magnitudinem opulentiamque, etiam nunc ruinæ, & trecentarum vel amplius Eccleſiarum excellentes muri proteſtantur, vndique cingit, & tam terreſtri, quàm nauali loco eam obſidione coarctat, prouidens omni ſtudio & cautela, ne quid ad illam poſſet importari, ſciens tantæ multitudini, quæ illic erat incluſa, & quæ ex pluri-

Iaroslaum bis vincit,

1008.

pluribus *Ruſſiæ* oris illuc defluxerat, conſiſtere non poſſe, & alimenta propediem deeſſe. Impugnationem itaque vrbis, tenuibus infeſtationibus oſtendens magis quam exequens, finalem eius conquiſitionem in aliquantum tempus differebat, ſperans ſe illam, vel ſola fame absque periculo & interitu militum conſecuturum. Nec eum opinio feſellit, pluribus enim in vrbe obſeſſis, vel fame extinctis, vel inedia maceratis traditur *Boleslao Polonorum* Regi ciuitas, quam in ſplendore armorum equis & enſibus nudatis, cum expeditis militibus aliquot agminibus eum præcedentibus, & ſubſequentibus, ingreſſus in portam, per quam primùm intrabat, & quæ aurea ab incolis vocabatur forti brachio mucronem vibrans impegit, & illam in ſui medio diuidens, & proſcindens ſignum triumphale ſuæ captionis, aut victoriæ illic reliquit, & deinde ad arcem ducalem diuertens eam comprehendit, & vniuerſam ſuppellectilem, & theſauros ducales adeptus, militibus plura in ſolatium dedit, & *Suentopelkonem* Ducem *Ruſſiæ* in ſedem *Kiouienſem*, a qua pulſus erat, reſtituit. Præſtantioribus autem militibus circa ſe *Polonorum* Rex relictis cæteram omnem multitudinem, iam enim hiems appropinquabat, in hiberna diſtribuit, *Suentopelkone Ruſſiæ* Duce *Polonorum* militibus affatim prouidente, & de comitatu, & de veſtitu. Cognoſcens autem *Iaroslaus Ruſſiæ* Dux *Polonorum* exercitum ex *Kiow* in hiberna deductum eſſe, & *Boleslaum* Regem cum paucis in *Kiow* remanſiſſe, congeſto exercitu clandeſtine verſus *Kiow* tranſiit, *Boleslaum Poloniæ* Regem quacunque arte aut ingenio occiſurus. *Boleslaus* autem Rex denunciato ſibi *Iaroslai*, & hoſtium aduentu correptis armis, equum illico conſcendit, *militeſque ſe ſequi, & in ordines ire* iubet, ordinatoque exercitu, & flumine *Dniepr* ſuperato *Iaroslaum* & exercitum eius in altera parte fluminis agentem ſtatiua inuadit, fitque acerrima pugna, & vincitur *Iaroslaus* à *Polonorum* Rege, & omnis militia *Iaroslai*, aut tunc cecidit, aut in poteſtatem *Boleslai Polonorum* Regis viua venit, *Iaroslaus* autem paucis equis in *Nouogrod* fugiens peruenit, vbi ex nimio pauore & dolore conſternatus, non audens conſiſtere (*Boleslaum* enim *Poloniæ* Regem ad ſe expugnandum, illuc verebatur venturum,) vltra mare diſponebat fugere, quem *Nouogrodenſes* non ſolùm retinent, ſed pauentem ac dubium rebus ſuis & ſpe altiori reficiunt: Et vt nouus & recens exercitus contra Regem *Polonorum* inſtaurari poſſit, vt quilibet agreſtis quatuor mardures, nobilis quinquaginta marcas, Capitaneus decem marcas ſoluat, decreuerunt. Certatim itaque magna pecunia congeſta, *Varabos* in ſui ſolatium conducunt, *Boleslao* nouum bellum illaturi. Totus autem ille apparatus bellicus *Iaroslai* ex pauore recentis cladis in auras euanuit. *Boleslaus* deinde

Kiouiamque capit

Rex *Herculem* illum fortiſſimum, qui in finibus *Heſperiæ* duas columnas fabricauerat, imitatus, tres & ipſe in flumine *Dniepr* ex ſolido ferro columnas, quas in eam vſque diem permanere aſſerunt, pro *Gadibus* perpetuis locat in flumine *Sula*, & in occidente tres poſtea locauit triumphales ſuas victorias, & terminos *Polonorum* apud poſteros teſtaturas. Sedit autem *Boleslaus Polonorum* Rex in *Kiow* multo tempore, & parebant *Ruthenorum* Nobiles, Proceres, & vniuerſæ *Ruthenicæ* gentis eius imperio atque ditioni. Verum *Suentopelkus Ruſſiæ* Dux parum ſenſatus, *Boleslai* Regis diuturnam moram moleſte ferens, aliquos *Polonorum* milites, in hybernis commorantes clam aut ipſe interficit, aut interfici à ſuis diſponit. Qua iniuria *Boleslaus Poloniæ* Rex iuſte permotus, militibus ſuis, & vniuerſo *Polonorum* exercitu ex hibernis reuocato, ciuitatem *Kiouienſem Suentopelkone* diffugiente dat militibus in prædam. Caſtra quoque *Ruſſiæ* in ſuam redigens ditionem, rapinis non prius temperari iuſſit, donec omnes *Ruthenorum*, *Kiouienſiumque* fortunæ, felicitate diuturna cumulatæ per *Polonos* fuiſſent digeſtæ. Ex eo autem tempore *Kiouia*, & ſi per varios participes reparata ſit, vrbis quoque ducalis dignitatem obtineat, acceptæ autem tunc ruinæ poſteris ſigna profert. Duas deinde ſorores *Suentopelkonis*, & *Iaroslai* Ducum *Ruſſiæ*, videlicet *Przeclauam*, & *Mſciſlauam*, item Boiaros & Proceres *Ruſſiæ* magis inſignes captiuat, & vinctos vt obſidum loco eſſent, onuſtus *Ruthenorum* ſpoliis, pluresque ordines captiuorum ex *Ruthenis* ſecum ducens in *Poloniam*, pluribus caſtris *Ruſſiæ*, forti militum *Polonorum* præſidio impoſito, remeauit. *Athanaſium Ruthenum* qui ſe illi dolo inſinuauerat, theſauris ſuis in fidelem theſaurariam & ſeruitorem præficiens.

1008.

Verum deficiente ab eo Suentopelko, ne

Ruſſiam omnem diripit,

atque ad ſuos redit.

Silueſter Papa ſecundus, cum annis quatuor, menſe vno, diebus decem ſediſſet, rebus eximitur humanis. Hic primum *Floriacenſis* cœnobii in *Aurelianenſi* diœceſi monachus fuit, ſed relicto monaſterio diabolo promittenti, *ſi ſe illi totum traderet, quod pro voto omnia habiturus eſſet*, homagium facit. Cum dæmone autem ſuper ſuis deſideratis frequenter colloquens, in tantum apud *Hiſpalim* ciuitatem *Hiſpaniæ* ſtudendo profecit, vt maximus in doctrina habitus *Ottonem* Imperatorem, & *Robertum* Regem *Franciæ*, pluresque alios haberet auditores. Ambitiones deinde ſuas dæmone prouehente, primum in *Remenſem*, poſtea in *Rauennatenſem*, poſtremo in *Romanum* Pontificem promouetur. Dum autem à dæmone quærens, *quanto tempore victurus eſſet*, accepiſſet reſponſum: *Quam diu non celebraret in Hieruſalem, tam diu eum victurum eſſe*, ſupramodum gauiſus eſt ſperans ſe longe abeſſe à fine, ſicut longe abfuit à peregrinationis in *Hieruſalem*, vltra mare, voluntate.

Silueſtro II. Papa,

qui cum diabolo pactum habuit,

1008. tate. Et cùm in quadrageſima in Baſilica ſanctæ crucis in *Hieruſalem Romæ* ſacrificaret, & ſtrepitu dæmonum ſenſit ibi mortem adeſſe, & ſuſpirans ingemuit. Et licet ſceleratiſſimus eſſet, de miſericordia tamen Dei non deſperans, reuelando coram omnibus ſcelus ſuum, membra omnia, quibus Deo ſeruierat, iuſſit præcidi, & truncum exanimem ſuper bigam poni, & vbicumque illud iumenta perducerent, & ſiſterent, illic ſepeliri, quod & factum eſt, ſepultusque eſt in Baſilica *Lateranenſi*. Et in ſignum, quod miſericordiam Dei conſequutus fuerit, ſepulchrum eius, tam ex tumultu oſſium, quam ex ſudore præſagium eſt Papæ morituri. Cui *Ioannes* XIX. natione *Tuſcus* ſucceſſit.

ſuccedit Ioannes XIX.

1009. *Boleslaus Rex*

Ex *Ruſſia Boleslao Polonorum* Rege, cum grauibus & inſignibus ſpoliis in *Poloniam* remeante, *Iaroslaus Ruſſiæ* Dux, quem armis & virtute ſuperare deſperauerat, aſtu & dolis vincendum credebat. Notabili autem ex *Ruthenis, Polowcis*, & *Pieczynigis*, & *Varabis*, cæteriſque nationibus exercitu collecto egreſſum *Boleslai* Regis cautiſſimè obſeruabat, ſuaque & ſui exercitus egredientis, pedetentim & latenter inſequebatur veſtigia, in finibus terrarum exercitu *Boleslai* in diuerſas oras diſtracto, irruptionem facturus, arbitrabatur ſiquidem *Polonos* more conditionis humanæ, quod & auro & argento, cæteriſque ſpoliis quàm maximè dotati, & ſubſarcinati erant, ac coniuges, liberos, cæteraque pignora longo tempore non viderant, celeri paſſu domos ſuas petituros, & Regem cum paucis relicturos, callido autem ſatis ſuo ingenio etiam euentus ad ſpem reſpondet. *Boleslaus* autem *Poloniæ* Rex *Iaroslaum* Ducem *Ruthenorum*, qui ſub tanto tempore ignarus erat, quòd ſe in latibulis abſconderat, pro victo reputans ad fluuium *Bug* perueniens, exercitui vt ſua quisque loca peteret, licentiam dedit, iamque ampliſſima pars ſui exercitus defluxerat, cum *Iaroslaus Ruthenorum* Princeps à ſpeculatoribus cum numeroſo & copioſo exercitu nunciatur adeſſe, illic enim *Boleslaum* Regem conſequutus erat, doctus à ſuis exploratoribus exercitum *Boleslai* defluxiſſe, & defluxurum eſſe. *Boleslaus* autem Rex, vt erat vir, animoſitatis & fortitudinis raræ, inſignis, nihil hoſtium aduentu perculſus, pleroſque milites, qui paruum receſſum conſecerant, reuocat, & cum hoſtibus quantacunque potentia præditis decernere ſtatuit, vrgebatur enim *Ruthenorum* impetuoſa inuaſione, fugam autem turpem ſibi & exercitui ſuo magis quàm mortem execrabatur, intelligens *Ruthenos* fuga ſua animatos, interiora regni ſui penetraturos, & hoſtiliter in vniuerſos ſæuituros, ſed & per *Ruthenorum* irruptionem, claritatem, & titulos ſuperiorum ſuarum victoriarum apud gentes & nationes ſubactas, & ſubiiciendas amarius morte ducebat fruſtrari, & præberi illis occaſionem & audaciam contra ſuum Imperium calcitrandi, ſe &

Iaroslaum Ruſſiæ Ducem ſe adgredi audentem,

1009. in eo loco à *Iaroslao* Duce *Ruſſiæ* occupatum videbat, ex quo exercitus ſuus reſiduus non niſi victor recipi poſſet, prius tamen quam ad congreſſum cum *Rutheno* veniret, alloquendos ſibi milites, & ad pugnam incendendos ratus, hæc apud illos facit verba: *Probitatem veſtram, ô milites in pluribus bellis & periculis retroactis frequentius expertus, certamen cum hoſtibus, qui nobis multò plures numero ſunt, eſt ineundum. Cùm aliud agere honeſtas diſſuadet, vos duco, verbis meis, nihil quidem veſtræ virtuti adiecturus, verùm ea quæ imminent, quæque veriſimiliter contingere poſſunt commemoraturus, hoſtem enim cernitis, & ſuapte, & noſtris prouocatum armis infenſum, diſſolutione defluxioneque exercitus noſtri, qui neque colligi, neque reuocari abſque euidenti noſtra clade, & periculo, poteſt, ceruicibus noſtris, & de victoria gloriabundum, imminentem. Itaque ſi viuere honeſtè in libertate volumus, ſi penates noſtros, & coniuges, & liberos ſeruare, ſi partis victoriis gloriari, & ſubiectas nationes ſub iugo & tributo detinere; ſi deinde Ruſſiam ipſam tributariam nobis facere, & optima ſpolia, atque captiuorum mancipia, ex ea relata poſſidere libet, ferro armiſque hoſtis, numero quidem magnus, ſed animo imbellis & ignauus ſummouendus eſt, & inanis ſpes reportandæ victoriæ, qua iam inflatus ſuperbit & tumet, veſtris dextris eripienda. Quid enim proderit Bohemos viciſſe, illosque & Morauos ditionis noſtræ feciſſe, cæteraſque nationes in circuitu debellatas humiliaſſe, ſi Ruthenorum armis victi, & ab hoſte timido fugati, & pauore debellati, ſic ſingulis quæ virtute quæſiuimus exuamur? fines regni noſtri propagaturi, bellum Ruthenis indiximus, niſi nunc hinc victores euadamus, amittimus propagatos. Ego in cœleſtium confiſus auxilio, ſpero me veſtra virtute die hodierna inſignem victoriam ex hac hoſtium multitudine relaturum, meiſque ſuperioribus victoriis famoſum, & clariſſimum titulum huius victoriæ euentu adiecturum, ſpe optima plenus optimè vos ſperare iubeo. Quæ ſi non ſubeſſet, neceſſitas tamen, quæ maximum ac vltimum eſt telum ſtimulare nos deberet. Quocunque enim nos vertamus ô milites, ad extrema peruentum eſt, fugæ enim prædas nobis præſertim hoſtiles vehentibus, nulla facultas circumfuſis vndique hoſtium copiis, & nos impigrè obſeruantibus. Deditio verò hoſtibus, perpetuam vilitatem & turpitudinem nomini meo, atque noſtro generi inureret. Auxiliarias verò ex Polonia præſtolari copias, eorum eſſet, qui certaminis poſſent declinare diſcrimen. At noſtra paucitate hoſtes conſpecta perpeti in prælium armantur feruore. Dum itaque virtute non poſſumus, neceſſitate ſuperiores euadamus; Cura igitur mortis & vitæ præſentis ſpe circumſcripta, vnuſquiſque veſtrum ruat in hoſtem, iugulum hoſti perfracturus, magis quàm præbiturus. Paucorum annorum acceſſio vnumquemque*

milites ſua pulchra oratione adhortans

veſtrum

1009. *veſtrum non moueat, cum etſi nunc ſeruati, poſt tamen nihilominus peſte, morbo, vel caſu aliquo ſumus morituri.* Hac cohortatione incenſi militum animi glorioſam mortem potius ſe ſubire malle, quàm ex prælio pedem referre, magnis acclamationibus proteſtabantur. Quos, vt alacres & plenos bonæ ſpei *Boleſlaus* Rex vidit, extemplo ſigna tolli iubens, ducit in hoſtem, & pugnam conſerit, equis & haſtis velociſſimo curſu concitatis, *Rutheni* vt inferri ſibi prælium contra ac erant rati viderant, plurima admiratione percelluntur, paucitatem in multitudinem circumferri, primos tamen impetus ſuſtinentes, magno & ipſi animo ex ſpe dudum concepta bellum gerunt. Verumtamen tempore procedente videntes *Rutheni* ſuorum numeroſitatem diminui, & *Polonos* ad extremum caſum paratos, maiorem quam pro numero cladem *Boleslao* Rege vnumquemque ex nomine cohortante cecidiſſe ſpe priori extincta, cadentibus enim primis ad ſe quisque cædem non ambigebat peruenturam, pedem referunt. Quanta tamen poſſunt vi abundante multitudine reſiſtunt. Audaciores pugnacioresque *Polonos* faciebat neceſſitas, cùm nullam viderent niſi per ferrum tantis circumfuſi hoſtibus ſpem euadendi, verum *Boleſlaus* territos eos perpendens, ſuis ſi paululum adnitantur, victoriam denunciat, nec Regis atque Ducis officio contentus cum militibus, qui eum obſeruabant, prælio ſe infundit, aciesque hoſtiles cedendo, ad extremum perforat, proſternit, & diſſoluit, manus & copias exhibens prælio, & contra hoſtes fortiter pugnans, prouidentiam tamen boni Ducis non omittebat, ſed vbicunque conſilio opus erat, accurrens bellum, & bellantes adiuuabat. Et cum *Mars* magis, magisque valeſceret, nunc adhortatione, nunc ſtricto gladio, nunc feriendo, nunc ſauciis recentes ſubſtituendo, dubium effecit, plus ne ſapientis Imperatoris artibus, an fortis militis opera, pro conſequenda victoria vteretur? ſuisque celeriorem victoriam largitur, triumphalemque & magnam viri fortis in ea pugna gloriam effectu maiori
vincit, conſequutus, quàm voto. Omnia enim erant tumultus, timoris, & fuga plena. Dux ipſe *Ruthenorum Iaroslaus* ſuos, creſcente pugna deteriori loco, & in fugam verſos conſpiciens, inſignibus ducalibus, ne proderent fugientem, abiectis, equos mutando, perſequentium *Polonorum* manus, fugiendo euadit. Omnis autem illa hoſtilis multitudo, aut prælio occubuit, aut viua in *Polonorum* manus venit, paucis qui in itinera magis abdita ex communi curſu diuerterant, ſaluatis. Tanta autem *Ruthenorum* cædes tunc edita fertur fuiſſe, vt fluuius occiſorum inebriatus ſanguine fluorem ſuum per certa ſpatia rubrum perduxerit, & *Rutheni* ex regionibus longinquis ad reperienda ſuorum charorum corpora, in certaminis locum aduenientes, planiciem vniuerſam ſtratam multitudine funerum videntes crebras congeries eorum contemplati à quærendis iis, quos ſepeliendos aduenerant difficultate quæſitionis arcebantur, capta aliqua ſigna militaria, impedimenta ferè cuncta cum ſarcinis militum, & equorum complura millia comprehenſa, & in deditionem accepta. Memorabili clade & prælio confecto, & cæde, quam maxima in *Ruthenis* & cæteris qui illi auxilia tulerant *Boleſlaus Polonorum* Rex edita, in *Poloniam* non iam ſolum cum prædis & *Ruthenorum* ſpoliis, ſed cum captiuorum cuneis feliciter regrediebatur. Cui per loca tranſitum facienti, proceſſiones & exceptiones omnium ordinum, velut glorioſo athletæ, & victori honor exhibebatur. Ex ſpoliis autem *Ruſſiæ*, primum honorauit Eccleſias omnes regni ſui Cathedrales, dando vnicuique Eccleſiæ magni ponderis clenodia, in Eccleſia tamen *Gneſnenſi*, illic enim coronationis ſuæ agebantur ſolennia, illic & Regina magis vſitatam habebat manſionem, liberalitate erat profuſior. Quæ quidem inſigniter magni pretii clenodia, & in hunc diem *Gneſnenſis* Eccleſia obtinet, trophæa *Boleſlai* Regis per ea ſuccedenti ætati innouans & oſtendens, deinde ex eisdem ſpoliis milites, quos vidit enixius in bello meruiſſe, de publico honorauit, & honoratis ſpolia innata liberalitate diſtribuit, largitione huiusmodi præmians, & animoſa corda in altiora ſtrenuitatis opera inflammans. 1009. *et ſpoliis onuſtus in Poloniam redit, Eccleſias ex iis ditans.*

Ioanne Papa XIX. qui ſedit menſibus quatuor, diebus viginti, mortuo, *Ioannes* XX. patria *Romanus*, è regione portæ Metropolitanæ ſufficitur, & ceſſauit Epiſcopatus XIX. diebus. *Ioanni XIX Papæ ſuccedit Ioannes XX.*

Boleſlaus primus *Poloniæ* Rex *Chabri*, id eſt, *potens*, & *animoſus* appellatus, videns multiplicia diuina beneficia, & in ſe, & regnum ſuum excreuiſſe, beneficiis ipſis munificentia regali pro ſua virili reſponſurus, aliud clauſtrum monachorum nigrorum, ſub regula S. *Benedicti* degentium, in prædio & villagio viri nobilis *Setegi*, à quo & villagium ipſum *Sieciechow* nomen accepit, & de conſenſu ipſius *Setegi* ad fluuium *Wiſla* in terra *Sandomirienſi*, & in loco amœno & ſaltuoſo fundat, erigit, & fabricat, eique in dotem certas villas regias & introitus conſignat, locum autem ipſum & *Wiſla* diues iam aquis non longè à monaſterio præterfluit, & aquæ aliquæ ambiunt, quæ ſtagnando lacus efficiunt. Contulit autem tunc in dotem præfati monaſterii *Setegius* Comes, & fundum, & villas 12. expoſt verò *Henricus* Dux *Sandomirienſis*, item *Iaxa* Comes, item *Martinus* Comes, item Comes *Krzywoſad*, & alii proceres regni plures villas, nemo tamen in dote tàm magnificus, quàm *Boleſlaus Poloniæ* Rex, qui ratione ſupremi iuris obuentiones ex villa qualibet percipiebat. 1010. *Boleſlaus Rex monaſterium ordinis S. Benedicti fundat.*

Superiore anno clade apud fluuium *Bug*

Iaro-

1010. *Iaroſlaus Ruſſiæ Dux*

Iaroſlaus Ruſſiæ Dux accepta, anno inſequenti congerit contra *Suantopelkonem Ruſſiæ* Ducem nouum ex propriis & auxiliariis exercitum, & A vadit contra *Kiow*. Cui *Suantopelkus* occurrens in loco, in quo ſuo iuſſu *Boryſz* occiſus fuerat, initio certamine vincitur, & ſuccumbit. Et non audens ad *Boleslaum Polonorum* Regem pro ſui ſolatio recurrere, ad *Pieczynigos* diuertit, & contractis celerrimè copiis reuertitur. *Suantopelkus Ruſſiam* in fortitudine magna, & occurrit illi *Iaroſlaus* Dux cum exercitu ſuo, & poſitis ſtatiuis circa *Olbam* fluuium, in loco, vbi a *Suantopelkone* occiſus erat *Boryſz*, in alterius diei aduentum certamen differunt. Quo adueniente (erat autem dies *Veneris*) ſole oriente congrediuntur, & præualet *Iaroſlaus* & exercitus eius, & *Suantopelkus* fuit victus, & venit in *Brzeſcie*, quod à *Boleslao Poloniæ* Rege, & ſuo præfecto, atque præſidio tenebatur. Exinde verò clementia *Boleslai* Regis plurimum fidens *Poloniam* procedebat, noua auxilia ad reſtituendas ſuas calamitates à *Boleslao Polonorum* Rege petiturus, ſed in itinere repentino languore correptus moritur, & à comitibus ſuis in loco deſerto & ignoto ſepelitur. Poſt cuius mortem *Iaroſlaus* Dux pacificum apud *Kiouiam* tenuit Principatum, & inter *Ruſſiæ* Duces præſtantior habebatur, *Boleslaum Polonorum* Regem ſuper caſtris *Ruſſiæ*, quæ in poteſtatem ſuam receperat, nullo pacto, potentiam ſuam pertimeſcens, audens quomodolibet impetere vel moleſtare. Poſſedit autem *Boleslaus Polonorum* Rex & ſucceſſores ſui caſtra, oppida, & fortalicia tunc ſub *Ruthenis* conquiſita, & ea per præfectos ſuos & Capitaneos adminiſtrauit, magnamque terrarum *Ruſſiæ* portionem tunc armis quæſitam, propè *Kiow* ſe protendentem, in ſuam ditionem, & regni ſui *Poloniæ* perpetuam poteſtatem ſubegit.

Suantopelkum fratrem vincit, & eo mortuo, Ruſſiæ Ducatum tenuit.

1011. *Iaroſlaus Ruſſiæ Dux Bretislaum Ducem de Polocko prælio, & Rededam Ducem de Koſchochori ſingulari certamine vincit.*

Vno aduerſario, videlicet *Suantopelkone Ruſſiæ* Duce fugato atque extincto, alter *Iaroſlao Ruſſiæ* Duci aduerſarius conſurgit, & pro patre nepos ſuccedit. *Bretislaus* enim Dux, filius *Viſlai* Ducis de *Polocko*, congregato de ſuis *Polocenſibus* & *Varabis* exercitu, vadit contra *Nouogrod*, & occupat illud, & vniuerſo *Nouogrodenſi* Ducatu, in ſuam ditionem & obedientiam redacto, præſidiis illic dimiſſis, in *Polocko* ad ſedem paternam regrediebatur. Cui *Iaroſlaus* Dux *Kiouienſis* hæreditaria ſorte, Ducatu videlicet *Nouogrodenſi*, ſe exutum moleſtè ferens, ad fluuium *Sudomir* occurrit, & certamine duro inter vtrumque inito, præualuit *Iaroſlaus*, & cæſis plurimis, *Bretislaus* victus fugit in *Polocko*, Ducatumque *Nouogrodenſem Iaroſlaus* recuperat, & ſpolia reducit. Vadit poſthæc *Iaroſlaus* Dux *Kiouienſis* contra *Rededa* Ducem de *Koſchochori* ſubiecturus illum ſibi, & ſingulari certamine victum, (ita enim inter Duces, & eorum exercitus conuenerat, vt Duces potiùs, quàm exercitus congrederentur, victusque pareret victori) regionem gentis *Koſchochori* ſubiecit, tributumque genti impoſuit.

1012. *Boleslaus Rex Saxoniam peruaſit.*

Ruthenico bello *Boleslaus Poloniæ* Rex perfunctus ad alia bella obeunda, ne animi militum ex quiete hebetarentur, animum conuertit, indomitisque vſque ad id tempus *Saxonibus* bellum infert. Acturus autem in *Saxones* expeditionem, omnes copias ex ſingulis terris vrbibusque regni ſui dudum, & in primordio regni ſui per illum delectu habito ordinatas, & conſcriptas, conuenire iuſſit, habebat ſiquidem vnaquæque vrbs capitalis regni ſui deſignatum numerum, quot videlicet, & quantos milites in bellum generale miſſura foret, propter quod facilè poterat Rex virium ſuarum æſtimata potentia, aut bellum repellere, B aut inferre. Collecto itaque exercitu numeroſo *Saxoniam* ingreſſus *Saxones* ſibi occurſuros, & certamen ſecum præſumebat inituros, eoq; reſpectu & *milites ire in ordine, & à ſignis nunquam diſcedere* iubet. Poſtquàm autem ab exploratoribus certior factus eſt, *nihil contra ſe hoſtile geri, & Saxones potentiam ſuam veritos, aut in nemorum & ſiluarum luſtra, loca inuia, ſe, & pecus, omnemque ſuppellectilem abdidiſſe: aut in caſtris munitionibusque fortioribus, cæteris debilioribus concrematis, ne hoſtibus præſidio eſſent, ſe continere*, milites in agros, oppida, & villas ſe dedère, & populationem latè longèque extendere, quò amplior terror hoſtibus C accederet, iuſſit. Omnem autem *Saxonicam* oram, vſque ad fiumen *Albam*, quod & *Labia* dicitur perambulans, vaſtansque, & conſumens vniuerſa, nullam expertus reſiſtentiam humiliatis *Saxonibus* regrediebatur. Cùm autem ad fluuium *Sola*, aliàs *Solaua*, qui *Saxoniam* medius interfluit, perueniſſet, columnas ferreas in ripa fluminis illic figens, terminos, *Gadesque* Regni ſui *Poloniæ* poſuit, *Poloniam* à terris *Almanorum* locatione huiuſmodi ferrearum columnarum diſterminauit, quatenus & titulum victoriarum, triumphorumque pacifici, & fines *Polonicalium* Regionum teſtarentur.

Ioanni XX. Sergio IV. & Benedicto VIII. PP. ſuccedit Ioannes XXI.

Ioanne XX. Papa mortuo, qui annis quatuor D & amplius ſedit, in Baſilica S. Petri ſepulto, *Sergius* IV. natione *Romanus*, vir caſtæ vitæ, & conuerſationis ſanctæ ſuccedit, qui ſedit annis duobus, & mortuus, in Baſilica S. *Petri* ſepultus eſt. Cui *Benedictus* VIII. natione *Tuſculanus* ſuccedit. Iſte *Benedictus* pœnis purgatorii afflictus, rogauit per quendam Epiſcopum, cui apparuit, vt *Ioannes* XXI. ſucceſſor ſuus, aperta theca, quandam pecuniam inuentam erogaret pauperibus, eò, quòd prior pecunia de rapinis collecta ſibi non proderat. Quod & fecit.

1013. *Boleslaus Rex*

Domitis humiliatisque *Saxonibus Boleslaus Polonorum* Rex turpe ſibi, ſuoque nomini ratus, ſi ſingulæ regiones olim à *Polonis* poſſeſſæ

1013. poſſeſſæ & populatæ à quoquam alio, quam à ſe poſſiderentur, reuocat in animum regiones ad mare ſeptemtrionale ſitas, *Pomeraniam* quoque inferiorem *Kaſſubienſem*, & cæteros transmarinos tractus, quos etiam nunc *Slaui* incolunt, propter ſuorum Principum indignam necem, per *Popel* tunc *Polonicalium* regionum Monarcham à muribus corroſum, procuratam diuturno iam tempore à corpore Regni *Polonici*, & eius obedientia alienatas abſtractasque fuiſſe. Propter quod exercituum ſuorum potentiam in oras illas deducens, quaſdam ferro & expugnatione, quaſdam beneuolentia & liberalitate, cæteras metu & aliarum exemplo in ſuam redigit potentiam. Principabantur etenim tunc in illis 20. Principum à *Popel* extinctorum nepotes, quos *Boleslaus* Rex de ſanguine regio ſciens creatos, & illos ſibi conſobrinos eſſe, innata tractauit munificentia, & ſingulis liberalitatis ſuæ dona tribuens, nihil ſibi de illorum Principatibus & Regionibus præter feudalem obedientiam & ſubiectionem reſeruauit, rem non contemnendæ honeſtatis ponderisque exiſtimans, ſi Regnum ſuum *Poloniæ*, & ſuam integritatem reſumeret, & frequentiam tot principum haberet feudalium & ſubiectorum.

Septentrionales Prouincias regno ſuo ſubiicit.

Miecslaum filium ſuum *Boleslaus* Rex, & virginem *Rixam* neptem Imperatoris *Ottonis* eidem dudum deſponſatam videns ad annos nubiles perueniſſe, ſolenni curia apud *Gneſnam* indicta, vicinis Principibus, Proceribus, & Satrapis, Primisque *Poloniæ* congregatis, & accerſitis nuptias ſuo filio vnico præfato *Miecslao* celebrat, & virginem *Rixam* illi coniungit, quæ hacten9 in regia a matre *Miecslai Juditha*, iuxta ac filia, materna charitate fouebatur.

Nuptiæ Miecslai & Rixæ

1014. Tertius *Cracouienſis* Eccleſiæ Archiepiſcopus *Lampertus*, cum annis decem & nouem pie modeſteque *Cracouienſem* ſedem gubernaſſet, in ætate matura in horam extremam proueniens moritur, & in Eccleſia *Cracouienſi* ſepelitur. Summus autem Pontifex *Benedictus* octauus, vacanti Eccleſiæ *Cracouienſi*, volens de idoneo paſtore prouidere, *Boleslao Polonorum* Rege inſtante, virum probitatis ſpectatæ licet in lingua *Polonica* parum eruditum *Poponem* nomine, in *Cracouienſem* Eccleſiam ordinauit. Mortuo ſiquidem *Sergio* Papa quarto, qui ſedit annis duobus, & apud S. *Petrum* ſepulto, *Benedictus* octauus natione *Tuſculanus* in Papam electus ſucceſſit, à patre *Gregorio* hic fuit de Papatu eiectus, & in locum alius quidam intruſus, propter quod magnum ſchiſma exortum fuit in Eccleſia Dei, aut propter malam vitam eius, aut prauum ingreſſum. *Henricus* ſecundus *Romanorum* Rex, & *Bauariæ* Dux, collecto notabili exercitu deſcendit in *Italiam* à ciuitatibusque *Italiæ* debito honore ſuſceptus, & nullam reſiſtentiam, aut aduerſitatem paſſus, *Romam* pacificus, & inclytus venit.

Lamperto Cracouienſi Archiep. ſuccedit

Popo.

Schiſma Pontif.

Vbi poſt aliquos tractatus inter eum & Papam *Benedictum* VIII. interpoſitos, in Eccleſia S. *Petri* coronatur, & ab eodem *Benedicto* imperialem accepit benedictionem. Qua perfunctus paucis diebus, in vrbe commoratus, in *Almaniam* eſt reuerſus. 1014.

Henricus II. Romæ coronatur.

Cruſuicienſis ſiue *Wladislauienſis* Epiſcopus *Mauricius*, anno eodem fato extinctus, *Marcellum* per *Ioannem* Papam XXI. ad inſtantiam *Boleslai* Regis *Poloniæ* prouiſum habuit ſucceſſorem.

Mauricio ep. Cruſuicienſi ſuccedit Marcellus

Nonus filiorum *Wladimiri* Ducis *Ruſſiæ Mſcislaus*, Dux de *Tmutokany*, *Kiouienſem* ſedem occupaturus, comparato non mediocri ex *Kozacis*, & *Koſſobochoris* exercitu, vadit contra *Iaroslaum* fratrem ſuum Ducem *Kiouienſem*. Et licet *Iaroslaus Kiouienſis* Dux in ſui ſolatium Ducem *Wolinorum Iakim* accepiſſet, duplici tamen certamine, fortuna tentata, conflictus ſuccumbit, & in *Kiouienſem Mſcislai* victoris ditionem contendit. Is poſt victoriam clementior atque modeſtior ſedem *Kiouienſem*, quam conquiſierat, faſtidire cœpit, miſſisque legatis, qui *Iaroslaum* fratrem promiſſa ſecuritate reducerent, venientem benigne excepit, & complectitur. *Repete*, inquit, *frater quoniam natu maior es, & tibi ex frequentiori reſpectu debetur ſedes Kiouienſis, & ea pro tuo libito quiete vtere, quam iure belli quæſitam, victor victo æquo animo reſtituo.* Itaque pacificatione, reconciliationeque huiusmodi præter ſpem omnium inter fratres celebrata, Dux *Mſcislaus* in *Czernieciow* abiit, Dux vero *Iaroslaus* ſedem *Kiouienſem* repetiit. Quam cum per ſe adminiſtrare auſus non eſſet, per Præfectos adminiſtrauit.

Mſcislaus Ruſſiæ Dux

Iaroslaum fratrem bis vincit

& tamen Kiouienſem ſedem reſtituit

Eodem anno naſcitur apud *Iaroslaum Kiouienſem* Ducem filius & imponitur nomen ſibi *Izaslaus*.

Iaroslao naſcitur filius Izaslaus.

Vicinis regionibus, quas ab origine *Poloni* & *Slaui* populi populauerunt, in ſuam ditionem, & in vnum Regni *Poloniæ* corpus, vnamq; Monarchiam per *Boleslaum Poloniæ* Regem victorioſe redactis, rebantur ſe *Polonorum* milites de cætero ab armis & militia quieturos. Verum *Boleslai* Regis pectus laudis & gloriæ auidum, quietis quoque impatiens nouum bellum orditur, & in *Pruthenorum* gentem ad eam diem intactam, bello expeditionem indicit. Omnes autem veteranos milites in huiusmodi bellum armat, ſed & magnum tironum numerum ex vniuerſo Regno ſuo, & Prouinciis eidem ſubiectis conſcribit, collectoque potenti, & ordinato exercitu, verſus *Pruthenorum* regionem procedit, illamq; per terram Regni ſui *Culmenſem* ingreditur. Eſt autem *Pruthenorum* terra, vt in ſuperioribus narrauimus, ad ſeptemtrionem ſita, quam fluuii *Wisla* & *Oſſa* à Prouinciis Regni *Poloniæ* disterminant. *Oceano* etiam mari in plerisque locis confrontata duobus fluminibus *Wisla* videlicet & *Memel*: quorum alter ex *Polonia*, alter ex *Ruſſia* manat inſignis, in octo regiones diſtincta

1015. *Boleslaus Rex Pruſſos inuadit.*

1015. diſtincta, quarum vna vocatur *Pogeza*, altera *Nauttaga*, tertia *Sama*, quarta *Nadrowasz*, quinta *Solaua*, ſexta *Sudoua*, ſeptima *Galinda*, A octaua *Barta*; Et quidem pro ea tempeſtate pauca habebat oppida, & hæc ipſa tantummodo naturali ſitu aquis videlicet & paludibus circumſepta, caſtrorum inſuper omnis erat ex ligno fabrica, *Boleslaus Poloniæ* Rex facile oppida *Pruſſiæ*, & nonnulla caſtra, in quibus barbari ſe abdiderant, conquirit & *Romam* ſedem *Pruthenicam* principalem, item *Bulgam*, *Radzin* facta oppugnatione capit, captamque iubet, aut dirui, aut incendi. *Pruthenorum* autem Primores videntes ſuis viribus contra *Bolesłai* Regis *Poloniæ* potentiam niti non poſſe, caduceatoribus miſſis, *parci patriæ*, quæ tota ſpoliis & incendiis flagrabat, petunt, *ſe quoque deditionem facturos, & tributum penſuros, ac in poteſtate Regis futuros* repromittunt. *Boleslaus* autem Rex, vt erat animi ad compatiendum calamitati afflictorum proni, petitioni eorum annuens, & præcipuos *Pruthenorum* ad ſe venientes, comiter pertractans, deditionem eorum ſuſcepit, tributumque ſingulis annis fiſco Regio pendendum impoſuit, agrumque *Pruthenicum* vaſtari prohibuit. Tunc primum *Pruſſia* in Prouinciæ formam redacta, & armis *Boleslai* Regis ſubacta, Regno *Poloniæ* cœpit eſſe ſubiecta & tributaria. Poſuit & tunc *Boleslaus* Rex Regni ſui *Poloniæ* in fluuio *Oſſa*, qui *Pruſſiam Poloniamque* diſterminauit, perpetuas *Gades*, ferream videlicet columnam in fluminis medio, quartale C miliaris ab oppido *Rogozno*, inter *Leſzyn* & *Rogozno*, vnde & villa ad *Gades* huiuſmodi ſita *Stup* à columna vocabatur. Et licet Cruciferi temporis proceſſu, occupata terra *Chelmenſi*, ferream etiam columnam, vt *Gades* huiuſmodi abolerent, ſuſtuliſſent, & molendinum muro erexiſſent, *Stup* tamen in eandem diem appellatur. Siquidem *Boleslaus* propagandi fines Regni ſui *Poloniæ*, & ne vnquam propagati confundi poſſent, cupidine ardens, diuturnitatis cauſa, ſtatuas ferreas in oriente, & occidente, ſeptemtrioneque locauit, *Herculis* imitatus morem & exemplum, putans illarum monimentum perpetuo duraturum eſſe.

eosque ſibi tributarios facit.

1016. *Boleslaus Rex domi iuſtitiam obſeruat & adminiſtrat.*

Silentibus bellis externis, & hoſtibus in cir- D cuitu Regni *Poloniæ* armis, & æquis conditionibus ſummotis, *Boleslaus Polonorum* Rex ad res vrbanas & domeſticas Regni ſui bene gerendas, animum intendit. Omnis autem præcipua ſua cura in cauſis pauperum & viduarum audiendis, promouendis, expediendisque, ſi compoſitio ſequi non poterat, per iudicia verſabat, quibus intentus adeo erat, vt ſolus & per ſe, ne fraus in adminiſtranda iuſtitia, aut dilatio, committeretur, in illis præſideret. Quamuis autem tunc rariores extarent iniuriæ, oppreſſiones, & querelæ, quippe metus, fines omnes ſuperiores, iuxta ac inferiores, in æquitate & obſeruantia legum continebat: non patiebatur tamen *Boleslaus Poloniæ* Rex ad audiendas tam maiores, quam minores cauſas ſolos præſidere iudices, ſed illis, aut ſolus præſidere ſolitus erat, aut, ſi illum aliorum negotiorum Regni ſui auertebat cura & expeditio, in locum ſuum viros integros, timoratos, & iuſtitiæ zelatores ſurrogabat, qui ſummopere cauebant, prouidebantque, ne eorum deciſio ſententiaque ab æquitate & iuſtitia abhorreret, cum prudentiſſima ſanctione *Boleslai* Regis ſcirent eum, ſi qua partium quereretur, ſe grauatam eſſe, proceſſum vniuerſum examinaturum, et quod præter æquitatem, aut contra leges pronunciatum fuiſſet, non ſine eorum reprehenſione retractatum eſſe. Omnibus inſuper viduis, pupillis, orphanis, & ruſticanæ, tenuisque ſortis hominibus, præſentiam ſuam cum querelis adeuntibus, Pro- B locutores, Syndicos, & procuratores, ex fiſco ſuo Regio ſalariatos deputabat, rigide mandans & prouidens, *vt cum ſolerti, ſcrupuloſaque diligentia ad curandas promouendasque viduarum, orphanorum, & pauperum cauſas eſſent intenti.* Interim autem cum cauſam huiuſmodi coram ſe, aut iudicibus ſuis tractari contingebat, tam actori, quam reo, & cuiuslibet conditionis homini menſam ſuam regiam patere voluit, & vnicuique iuxta qualitatem perſonæ liberaliter victum miniſtrare. Qua quidem iuſticiæ victusque adminiſtratione ſingulos diuites videlicet, iuxta ac pauperes adeo demeruerat, vt paterno ab omnibus magis, quam regio coleretur affectu, & virtutum ſuarum præconia, latè longeq; manarent. C

Octauo Calend. Augusti, *Rikſcha Poloniæ* Ducissa, conſors Ducis *Miecslai*, infantem pulcherrimum enixa eſt. Cui aui ſui *Boleslai* Regis *Poloniæ* mandato nomen in baptiſmate impoſitum eſt *Cazimirus*, quod idiomate *Polonico* ſignificat *iubens pacem*.

Miecslao naſcitur filius Caſimirus

Sub huius autem anni tempore terræ motus in *Poloniæ* Regno accidens, prodigii loco habitus eſt.

Terræ motus

1017. Exiguam & ſemiplenam virtutem, iuſticiam *Boleslaus* Rex *Poloniæ* ſine miſericordiæ comitatu iudicans, tanto moderamine inter iuſtum ſeuerumque iudicem, & miſericordem Principem ſe partitus eſt, vt damnati, damnan- D dique, & rigorem eius iuſtitiæ extimeſcerent, & clementiam eius crebro experti de ſalute ſua, bene perarent. Et quamuis Rex ipſe in ſingulos miſericordiæ viſceribus defluens, reis, legumq; præuaricatoribus ſe facilem & liberalem præſtaret: legitima tamen conſors ſua *Iuditha* Regina, ſpectatæ virtutis fœmina, clementiam Regis efficiebat ſagacitate induſtriaque muliebri magis celeberem & illuſtrem vt vtriusq; opera notiora forent. Vnum quod illo tempore geſtum manauit ad poſteros memoriæ ſuæ cauſa ſubiiciamus. Nobilium nonnulli filii à patrum inſtitutis moribusque degenerantes, dum facultatibus propriis laſciuius, quam ſat erat, vterentur in paupertatis ſortem fuere delapſi, quam cum moleſte ferrent

Boleslaus Rex præter iuſtitiam miſericordiæ fuit ſtudioſus,

cuius exemplum recenſetur, quod nobilibus quibusdam Latronibus

1016.

1017. ferrent priorem fortunam reſumpturi, ad ſpolia rapinasque intendunt animum. Verum dùm facinus eorum reiteratione aliquanta pro- A ditum, vulgatumque fuiſſet, iuſſu Regis capti, & ſceleris prædationum facile conuicti, ſententia regis, & conſiliariorum capitalem pœnam excepturi neci addicerentur. Quorum immaturæ morti, & viridi ætati prudentiſſima Regina compatiens, Rege nec quidquam petito, perſuaſo, aut conſulto, in ſecreto, abditoque loco, paucis conſciis, aſſeruari illos iubet, opportuno tempore vitam illis reſtitutura. Dum autem iuxta morem *Boleslaus* Rex cum conſiliariis ſuper Reipublicæ negotiis, Regina fortè præſente ſermonem diutius protraxiſſet damnatorum prædonum, ab eo nobilium filiorum, & quos credebat dudum extinctos mentio incidit, ſubeunteque pœnitentia, animum B Regis, cœpit Rex crebra ingeminatione verborum pro deſideratis affligi, aſſerens *dolori non paruo ſibi eſſe, quod tàm inſignes, & ingenuos adoleſcentes, ad obeunda belli munera aptos, & qui patriæ ornamento potuiſſent eſſe, capitali ſententia damnaſſet, & facinus patratum adoleſcentiæ fragilitatique eorum non tribuiſſet, præſertim cum eorum damnatis cæteris ſuperſtitibus de eorum domo & familia ceſſiſſet, in ignominiam, & ſugillationem de poſtremo ſubintulliſſet ſe, non ſolùm damna paſſis ſingula reſarciturum, ſed & largam amplamque donationem ſe præſtiturum, ſi iuuenes huiusmodi mulcta capitali & infelici cruore non damnaſſet*, tùm *Iuditha* Regina propoſitum animi ex- C equutura ſciſcitatur à Rege: *Quantum*, inquit, *eſſet tibi gaudium; & qua id apponderares ſtatera, ſi quis cælicolarum ſuo ſuffragio & merito repræſentaret illos tibi viuificatos.* Ad quam Rex: *Quamuis*, inquit, *id impoſſibile reor fieri, tamen ſi diuinitas, cui hæc, & ampliora licent, quod ſuggeris, concederet, nihil tàm charum, tamque precioſum poſſidere me declaro, quod pro viuificatione occiſor funeratis non largirer, vt non tàm necati viuerent, quàm genus eorum iniuſta ex eorum damnatione infamia careret.* Incenſum ad miſericordiam pectus regium quæſtione regia, & ad parcendum procliue, Regina intelligens Tribunali Regio, cum Baronibus, & Conſiliariis vniuerſis veniam da- D mnatis deprecatura proſternitur, dirigitque ad Regem plurimum admirantem, & quidnam poſt effuſos ſermones rogatura eſſet, hæſitantem, verba: *Nihil*, inquit, *clementiſſimè Rex, ad reddendam vitam damnatis cæleſti opus eſt præſidio, tu ipſe calamitoſis damnatisque clementia tua regia eam præſtare potes. Ex media autem morte raptos, & ne in hanc diem iuxta pronunciationis tuæ decretum ceruices eorum plecterentur, ſeruatos occuluiſſe me profiteor, facinusque meum non temeritate aliqua, ſed muliebri compaſſione admiſſum, primùm mihi ignoſci, deinde vitam damnatis donari ſupplex cum his omnibus, qui mecum vnà prouoluantur, ſcabello tuo depoſco. Eo etenim reſpectu id factum egi, vt haberes, quibus parceres, & quos poſt damnationem & mortem, quaſi ex quodam Acheronte, in vitam, non ſine clementiæ tuæ admirandæ diuulgatione reuocares.* *Boleslaus* autem Rex ſupra modum exhilaratus, & in admirationem quandam verſus ex throno deſiliens, Reginam ex humo eleuat, & in eius ruens amplexus, pietatis furtum per eam ſagaci dolo commiſſum, multipliciter extollit, & commendat. Cunctis autem, qui aderant, huiusce rei nouitate in ſtuporem conuerſis, certatim Reginam de pietate, ſagacitate, probitate, & induſtria laudantibus, Rex iuuenes neci addictos, parum verbis Reginæ fidens, iubet ſibi celeriter præſentari. Ex locis autem, in quibus conditi erant adducti, primum Reginæ per ipſam verbali correptione admoniti, præſentantur, quæ demum illos, velut vitæ eorum conſeruatrix ad conſpectum regium perducens, ignoſci illis, & ipſorum transgreſſiones aboleri ſupplicat. *Boleslaus* autem, qui iam pridem ad ignoſcendum ſe pronum obtulerat, & qui non fuit ad delicti vindictam procliuis, coniugis precibus expugnatus, exorabilem ſe continuò præſtitit ad indulgentiam, pœnamque, cui ex demeritis fuerant obnoxii, illis remiſit: non erat enim apud *Boleslaum* Regem labor iſte difficilis, vt ignoſceret ſupplicanti, verba primùm ad illos facit, *quod, nobilitatis ſuæ obliti, pluribus ſceleribus genus ſuum fœdaſſent, & claris imaginibus ſuorum prædeceſſorum, quos nomine & virtute extollebat, magnam caliginem ſuis operibus obduxiſſent*, & hos, qui ætate prouectiori erant, aſperioribus verbis mulctans, iuniores verò in balneum deductos, & in ſui præſentia virgis leuiter cæſos, tandem, culpa relaxata, veſtibus nouis indutos, quo honoratiores eſſent, in ædes proprias absque labe de cætero victuros remiſit: per expreſſum interminans illis, *ne ſe vllo modo poſt hæc placari poſſe, ſi eos in eadem, vel paria crimina recidere contigiſſet.* His & pluribus aliis munificentiis, pietatis ſuæ operibus clementiam ſuam longè latéque diffundens, plus amore, quàm metu quosque ſuos ſubditos in iuſtitia & æquitate, legumque, & legitimorum inſtitutorum obſeruatione, continebat, conciſè & breuiter obiurgatos, blandè, ac cum miſeratione admonens. Quemadmodum autem *Abigail* eloquentia ab iraſcentis *Dauidis* gladio ſeruauit virum ſuum illæſum, ſic & huius Reginæ prudens induſtria, & nobilium filiis, ne interirent, prouidit, & Rex *Boleslaus* conſortem ſuam pluribus reddidit admirandam & glorioſam, & qui per libram & examen iuſtitiæ plectendi & damnandi vltimo ſupplicio fuerant addicti, clementia *Boleslai* Regis, ad preces & interceſſiones *Udithæ* Reginæ facti fuiſſent iuſti. 10:7.

vitam donauerit.

Iuditha Regina conſors *Boleslai Poloniæ* Regis graui infirmitate correpta, moritur, & in

1017. *Gneſnenſi* Eccleſia iuſto honore tumulatur, fœmina religioſa, benigna, & deuota.

1018. *Iaroslaus Ruſſiæ Dux*

Ruthenorum Princeps *Iaroslaus*, moleſtè ferens terræ ſuæ & metropolis ciuitatis *Kiouienſis*, vaſtationem, expugnationemque ſuperioribus annis per *Boleslaum Poloniæ* Regem factam, ſe quoque, & exercitum ſuum ad fluuium *Bug* grandi ſtrage profligatum, & humiliatum dolens, & latens, tacitum coquebat bellum, tàm proprios milites armans, quam alios finitimos conducens oportuno tempore, illud *Boleslao Poloniæ* Regi ad detergendam cladis ſuæ ignominiam, apud fluuium *Bug* acceptam, illaturus. *Boleslaus* autem, etſi iam pridem de hoſtili in ſe Ducis *Ruthenorum* animo, à Præſidibus, Capitaneiſque ſuis, & ab exploratoribus illuc miſſis certus erat, aliquanto tamen tempore ab armis ſe continuit, Ducis *Ruthenorum* animum exiſtimans poſſe, & tempore, & ſua patientia ſanari. Poſtquàm verò cognouit *Ruthenorum* Principem ad inuadendum regnum ſuum *Poloniæ* arma induiſſe, & cum forti exercitu regno ſuo quotidianis ſtatiuis, propinquiorem fore, copias & ipſe ſuas, quas in euentum hoſtilis, & futuri belli tenebat paratas, mouet, celerique paſſu in *Ruſſiam* contendit, inferendum ſibi a Duce *Ruthenorum*, bellum repulſurus. Itaque ſub vno eodemque tempore, & *Polonus Ruſſiam*, & *Ruthenus Poloniam*, adeò properè latenterque ingrediuntur, vt alteri ignotus eſſet alterius ingreſſus & inuaſio, ad ripam tamen fluminis *Bug*, è regione ſitam vterque conſedit, & caſtris poſitis, alter alterius aduentum cognoſcens, de futuro certamine in craſtinum ineundo conſulebat, & *Boleslaum* quidem Regem, ſacratus Dominicus dies craſtinus à pugna detinebat. Nolebat enim ob illius celebritatem prælium eo die committere, vnde & milites in caſtris detinuit, & ne quid eo hoſtile gereretur, interdixit. Verùm prohibitionis eius exiguæ rei euentus & occaſio, vt plerumque in bello accidit, ordinem violauit. Media ſiquidem die deſuper feruente ſole, & milite quieſcente, familiares *Polonorum* ad ripam fluminis, aut equos balneantes potanteſque, aut occiſorum pecorum carnes abluentes, primùm verbis, deinde miſſilibus cum hoſtili exercitu in altera ripa ſtante, & illos prouocante ſe laceſſunt. Temporis verò proceſſu adeò creuit inter contendentes pugna, vt clamore ab vtriſque ſublato, vterque exercitus ad arma ſe concitus moueret. *Boleslai* itaque Regis exercitus vniuerſus armis celerrimè correptis, equiſque conſcenſis, vniuerſa acie in prælium deſcendebat. Et quoniam hoſtes propter fluminis interiectionem, niſi eo vadato adiri non poterant, periculo quod illis & ab hoſte, & à flumine imminebat, nec quicquam attento, vt erant armati, flumen ingrediuntur, quo diuinitate adiuuante ſuperato, in hoſtes nondum plenè armatos, neque ſub ordinibus conſiſten-

Poloniam infeſtaturus

A B C D

tes, ſub vario pauore hinc illincque vagantes, ſubitus enim eos, viſis *Polonorum* aciebus peruaſerat pauor, irruunt, & primas acies eorum facile diſrumpunt, obtruncant, & proſternunt, ſuorum autem ſtrage ad *Ruthenos* delata, Dux ipſe *Ruthenorum*, ne viuus in *Polonorum* manus veniret, à ſuis fugam capeſſere compellitur, quo ex prælio diſcedente, reliquo agmini altior metus eſt iniectus, propter quod non prælio, ſed fugæ intendentes, *Polonis* victoriam concedunt. Mandante autem *Boleslao* Rege, milites ſuus *Ruthenos* in aliquot milliaria ſequutus, plures autem viuos cœpit, quam gladio extinxit. Dux autem *Ruthenorum*, & multitudo magna fuga euaſit: caſtris *Ruthenicis*, & ſpoliis innumeris *Poloni* potiti, Rege *Boleslao* concedente ea diripiunt. Tandem *Boleslaus Poloniæ* Rex cum ſignis victorialibus, & infeſtis ad interiora *Ruſſiæ* procedens, inſigniora *Ruſſiæ* loca, ferro, igne, & vaſtatione perdomuit, pluraque caſtra *Ruſſiæ*, aut expugnat, aut deditione capit. Tantoque diſcrimine *Ruthenos* tunc humiliauit, & afflixit, vt & pacem petere à *Boleslao* Rege, & intra parietes ſe continere, diffiſi de armis cogerentur. *Boleslaus* autem memorabili victoria potitus, pecore plurimo ex hoſtili terra abacto, aliiſque ſpoliis onuſtus, in regnum *Poloniæ* reuerſus, cum magna lætitia excipitur, & honores illi triumphales, à ſingulis ſtatibus & ordinibus impenduntur. Aſſerunt & alii belli *Ruthenici*, quod anno præſenti per *Boleslaum* geſtum eſt aliam cauſam extitiſſe. Dùm enim *Boleslaus Poloniæ* Rex ex obitu conſortis ſuæ Reginæ *Iuditha* viduatus, procos ad Ducem *Ruthenorum Iaroslaum* petendo, ſororem ſuam in conſortem tranſmiſiſſet, & *Iaroslaus* propter diuerſitatem ritus nuncios vacuos remiſiſſet, *Boleslaus Poloniæ* Rex in magnam indignationem actus bellũ *Iaroslao* indixit, munitionibus ſuis expugnatis, etiam ſorore *Iaroslai* capta, pro concubina abutebatur.

1018. *a Boleslao Rege vincitur.*

Inſigni famoſaque victoria, *Boleslaus Polonorum* Rex ex *Ruthenis* allata, non in aliquam inſolentiam, aut pompam, vt natura qualitaſque victoriæ ſuggerebat, prolapſus eſt, ſed ſolitum humilitatis, & modeſtiæ gradum obſeruans, cunctis ſe exhibebat, & rectus ad audiendum, & in reddenda iuſtitia, impendendaque largitione gratioſum, & benignum, ſed & erga *Ruthenos* victos, tunc & captiuos, patrem ſe magis, quàm victorem egit. Nam & *Ruthenorum* Principi per plurimas legationes eum interpellando, & pacem, modeſto impoſito tributo, reſtituit, & ſingulos captiuos liberaliter remiſit. Qua quidem facilitate corda *Ruthenorum* adeo promeruit, vt virtutem eius, probitatemque efferendo, magnis celebrarent laudibus, & maximum illum Principem, nulli comparandum vocabulo linguagii ſui *Chrobri*, quod etiam illi in multas ſucceſſiones ſuas fuit, & eſt perenne, nominarent. Ab eo inſuper tempore Princeps *Ruſſiæ*, & populi eius

1019. *Boleslaus Rex*

Ruthenorum amorem ſibi humanitate ſua conciliat,

1019. eius ea tempeſtate locupletes & numeroſi, modeſtia, & virtute *Boleſlai* Regis *Poloniæ*, magis quàm armis victi perſeuerabant in fide, & ſingula pacta cum *Boleſlao* inita, accurata cuſtodia explebant, neq; audebant *Boleſlao* ſuperſtite de bello innouando, & iugo ſuperimpoſito abiiciendo quidquam moliri, vniuerſas ſuas artes, & conatus non dubitantes, *Boleſlaum Poloniæ* Regem præſtanti virtute & animo compreſſurum. *Rikſcha* Duciſſa, conſors *Miecslai* filii *Boleſlai Poloniæ* Regis iterum fœcundata, infantem parturit, cui nomen auitum *Boleſlaus* datum eſt, qui tandem pauco tempore viuens, immatura morte diem obiit. Prohibiturus *Boleſlaus Poloniæ* Rex excurſiones clandeſtinas à finitimis nationibus furum & prædonum, in regnum ſuum plures arces in confinibus regni fabricat, eaſque valido præſidio militum firmat, victualiaque pro eorum ſuſtentatione, plurimis villis in circuitu iuxta cuiuslibet villæ conditionem, & qualitatem, imponit annis ſingulis vehenda. Hæc autem datia a *Polonis* appellatur *Stroza*, quod militibus regni fines ab hoſtibus cuſtodiendis ſoluebatur. Decreuit etiam pleraſque villas, coloniſque earum & ruſticis id officium demandauit, vt noctibus ſingulis excubias nocturnas per vices facerent, & voce ſonora, atque cantu fideles excubias ſe facere declararent. Qua quidem prouiſione ab eo prudenti conſilio inſtituta, à ſucceſſoribus verò ſuis parum prudenter abolita, effecerat, vt regni *Poloniæ* fines, & termini militibus, qui illos obſeruabant, egregiè tuentibus nunquam poſſent impunè ab hoſtibus inuadi.

& finibus regni præſidia imponit.

1020. *Boleſlaus Rex*

Multifariis & gratuitis donis Dei ſolium ſuum, & regni ſui *Boleſlaus Poloniæ* Rex videns, propitia diuinitate firmatum, animum in religionem, reſque diuinas conuertit, non ignorabat ſiquidem ex vniuerſis Principibus *Poloniæ* cum præcedentibus aliquem tot, tantaque tuliſſe decora, tantaſque diuitias, ſucceſſus felices & gloriam, talem inſuper induſtriam prudentiamque non habuiſſe, qualia quantaque in ſe vnum contuliſſe, & Principatus ſui fulgorem vltra cæteros Reges & nationes magnificaſſe. Volens itaque de ampliſſimis beneficiis Deo gratum ſe oſtendere, & illis aliquantula viciſſitudine reſpondere, Eccleſiis tam Cathedralibus, quàm aliis inferioribus, à genitore ſuo Duce *Miecslao* erectis, & fundatis, oppida, villas, & prædia pro ampliori illarum ſtabilimento, & dote, munificè & largiter tribuit, & donauit, pluresque Parochiales Eccleſias in villis viciſque, quæ ſub ſuo, & patris ſui tempore conſurrexerant, conſtruxit & fundauit, vaſis quoque aureis & argenteis, in miniſterium & cultum diuinum neceſſariis, Eccleſias ſingulas ſed præſertim Cathedrales adeo ornauit, locupletauitque, vt liberalitatem ſuam in Eccleſias Dei abundè effuſam, multa ſecula teſtarentur. Decimarumque manipularium pro Eccleſiis & miniſtris Dei in vniuerſis Principatibus ſuo imperio ſubiectis, ſolutionem nullatenus paſſus eſt, aut varietate aliqua diminui, aut in dubium aliquatenus reuocari, ſed mandauit, decreuitque illam eſſe perpetuam & perennem, varia diuinæ vltionis flagella, filiis, nepotibus, ſucceſſoribus ſuis interminans, ſi per quempiam illarum præfatarum decimarum contingeret redditionem intercipi, transmutari, vel reſcindi. Gladii inſuper Regalis potentia à Domino conceſſa, non pro ſui ambitione, & in aliorum iniuriam, ſed pro Dei beneplacito molem iniquitatis aſſiduæ, in quibuslibet ſubditis regni ſui euellendo & deſtruendo vtebatur, nonnullorum compeſcentem iniuriam. Exceſſit è vita eo anno *Timotheus* Epiſcopus *Poſnanienſis*, & accepta in *Poſnanienſi* ſepultura, *Paulinum* primum natione *Italum*, a *Bonifacio* ſeptimo *Boleſlao* Rege petente, confirmatum habuit ſucceſſorem. Aliis placet illum non in *Poſnanienſi* Eccleſia, ſed in *Brandeburgenſi* fuiſſe ſepultum.

Eccleſias ſuas magnopere ditat.

1020.

Timotheo Ep. Poſnanienſi ſuccedit Paulinus I.

1021. *Boleſlaus Rex*

Diuinis ſacriſque rebus, *Boleſlaus Poloniæ* Rex religioſa & prouida ordinatione in Dei honorem, & fidei ſanctæ Catholicæ incrementum compoſitis, rebus autem publicis Regni ſui, & præſertim arcibus & caſtris in confiniis dominii ſui poſitis, & hoſtilibus terris confrontatis prouiſurus, qua ratione conſiſterent diuturna, & victualium neceſſariis, ad ſingulos emergentes caſus eſſent prouiſa, pleriſque vicibus deliberabat. Ordinauerat ſiquidem præfatus *Boleſlaus* Rex plura in confiniis caſtra, arces, & munitiones, illiſque exercitatorum militum præſidia impoſuerat, qui ſummo ſtudio, ſummaque ratione diſtrictè id mandante Rege curas intenderent, ne hoſtes clam vel publicè imperium regni ſui graſſarentur, nec militibus fidens frequentibus vicibus caſtra huiusmodi obibat, illicque aliquantum temporis aſſumebat, ſatius iudicans, quamuis paruo & caſtigato contentum victu pro ſubditorum ſuorum tranquillitate tenere excubias, quàm delicatis epulis immerſum diſſolui per diſſidia, & præbere hoſti occaſionem ad inuaſionem. Conſiliariis itaque ſuis probantibus generalem tunc edidit ſanctionem, vt quilibet colonus ſeu Kmeto manſum integrum colens, vnam ſiliginis, alteram auenæ menſuras depurgato grano abſque cunctatione perſoluat, & in propinquiora regalia horrea deducat, in vſum, veſtitum videlicet, & victum militum eorum, qui caſtra commetanea adminiſtrabant, & pro pace regni totius militabant, conuertendas. Solutio autem ipſa cum omni alacritate ab incolis ruſticiſque excepta eſt, & in multa tempora extunc deriuata ab effectu impoſitionis ſuæ etiam in hanc diem *Stroza*, quòd ſignificat cuſtodiam, quoniam in regni & caſtrorum cedebat cuſtodiam, & per effectum eſt ſortita. Quarto Idus Maii, alias feria ſexta poſt Aſcenſionis Domini, in Italiæ, Franciæ, & Hiſpaniæ regnis, magnus

tutelæ & munitioni finium proſpicit

1021. magnus terræ motus exortus, nonnulla loca abſorbuit, quædam vero ruinauit. Incendia inſuper crebra, & ingentia in pluribus contigiſſe locis nunciata ſunt, à quibus omnibus Poloniæ Regiones fuere gratia Dei immunes.

1022. *Boleslaus Rex*

Catholicæ religionis fidem, cultumque Satanæ inuidia, & malignitas in Regno *Poloniæ* & regionibus vicinis videns in breui temporis ſpatio, primum quidem ſub *Miecslao* Duce, deinde ſub filio eius *Boleslao* primo *Polonorum* Rege vehementer germinaſſe, & funiculos tentorii ſui latiſſima propagine diffudiſſe, turbinem & procellam in Regno eodem exciuit, & res fidei extinguere, & quietem ſtabilitatemque viſa eſt perturbare. Nonnulli ſiquidem Nobiles *Poloniæ* Satana ſuggerente oneroſam decimarum manipularium ſolutionem, oneroſos chriſtianæ religionis ritus ducentes, hi præſertim qui in ſpurcitiis gentilitatis enutriti, iugum orthodoxum non facile tolerabant, ad ritus redire prophanos, & vetuſtam ſacrilegamque vitam reſumere, & decimas tempore inſtituto non reddere, nec Eccleſias frequentare, miniſtroſque & Sacerdotes de eorum Eccleſiis pellere, frequenti conſpiratione diſponebant. Id cum ad *Boleslai* Regis Poloniæ notitiam perductum eſſet, non tulit fideliſſimus catholicæ fidei propagator gliſcentem conſpirationem conſurgere, ſed in ipſo ſuo ortu illam mox extinxit, autores enim illius miſſis militibus comprehendit, & capita conſpirationis partim capitali ſupplicio extinxit, partim verberibus mulctauit, cæteris minus reis, & ſola contagione fundatis, aliorum ſuaſionem ſequutis parcendum decreuit.

gliſcentia contra religionem diſſidia diſſoluit.

Cogitanti Beato *Stephano Hungariæ* Regi, & in animo ſuo formanti, vt ab adminiſtratione *Hungariæ* Regni ſe ſubduceret, curam quoque rerum mundanarum à ſe penitus abdicaret, & in oratione, & contemplatione reſtantem traduceret ætatem, atque in Ducem *Emericum* filium ſuum qui illi vnicus erat, faſces regias transferret Dux ipſe *Emericus* continenter, & in virginitate cum ſponſa ſua, quam in ſororem commutauerat viuens, anno eodem moritur, & in Eccleſia *Alba Regalis* coruſcans miraculis ſepelitur, quem Pater B. *Stephanus* magno planxit mœrore, quod & renunciationem Regni quam in animum induxerat interceptam, & ſtirpem ſuæ propaginis per eum videbat extinctam. *Wislaus* miles de nobilitate & armis *Zabawa*, confert in monaſterium S. Crucis *Calui montis* aliquas ſui patrimonii hæreditates, & *Setegius* alius miles de domo bipennium, fundato monaſterio ordinis S. *Benedicti* à *Boleslao Chrobri Poloniæ* Rege, ſub honore decem millium Martyrum in *Sieciechow* ſupra *Wislam* in *Cracouienſi* diœceſi in dotem illi ex hæreditariis ſuis propriis conſignat, pleraſque poſſeſſiones & villas.

Emericus Stephani Hungariæ R. filius moritur.

1023. *Cracouienſis* Eccleſiæ Archiepiſcopus quartus *Popo* Domino vocante infirmatus moritur, & in *Cracouienſi* Eccleſia tumulatur. Ne autem *Cracouienſem* Eccleſiam diutius paſto- A re carere contigiſſet, *Boleslaus Poloniæ* Rex miſſis ad *Benedictum* Papam VIII. tunc ſedi *Romanæ* Præſidentem nunciis *Gomponem* virum literatum, & expedite linguam *Polonicam* ſonare ſcientem, obtinuit præfici, in *Cracouienſem* Archiepiſcopum.

1023. *Poloni Archiep. Cracouienſi ſuccedit Gompo.*

1024. *Boleslaus Rex*

Cum annis prope ſexaginta, *Boleslaus Poloniæ* Rex in aſſiduis occupationibus & curis tempus conſumaſſet, ſæpe illi ab amicis ſuggeſtum fuit, *vt tandem feſſo corpori aliquantulam quietis daret, curarumque tam publicarum, quam priuatarum, molem in filium Ducem Miecslaum deuolueret*, ſed dum id ſibi nulla ratione perſuaderi poſſet, animus enim ad omnia negotia obeunda, vegetus & ferox B corpore ſæpe reluctante vincebat ætatem, tunc tamen naturalem vigorem ſibi profeſſus diminutum adminiſtrationem Regni, & expeditionem querelarum, & cauſarum, ad eius audientiam ex omnibus regionibus confluentium filio ſuo Duci *Miecslao* mandauit, generali quoque conuentu apud *Gneſnam* habito, Ducem *Miecslaum* filium ſuum probantibus, & gratificantibus Prælatis & Baronibus *Poloniæ*, ſibi in Regnum ſucceſſurum deſignauit. Non enim magis præcipua, quam de Regni *Poloniæ* ſui ſtabilimento animo ſuo inſederat cura, quod & Regni gloria, & diuitiarum abundantia, & finitimarum nationum ſubactione, variis quoque triumphis, diſciplina C militari, & domeſticis inſtitutis adeo nobilitauit, effecitque ſplendidum & illuſtre, vt omnem ſplendorem, omnem ornatum, famam, & gloriam, omnem denique Reipubl. ſtatum, diſciplinam, & ordinem ipſe primus Polonorum genti, quaſi quandam animam viuificantem infuderit. Ipſe quidem terminis, quos à Patre & proauis, atauiſque ſuſceperat, parum contentus, *Bohemiam*, *Morauiam*, *Ruſſiam*, bello ſubactas & oppreſſas, & cæde multiplici, excœcationeque *Boleslai* Ducis *Bohemiæ*, cæteraque ſtrage ſanguinaria, humilitas *Poloniæ* adiecit, fecitque ſibi & Polonis *tributarias* & ſubiugales, eaque heroica & ſumma animi virtute reſplenduit, vt inter D *Polonorum* Reges, & Principes ſibi ſuccedentes, neminem hactenus conſtare ſatis potuit, ad ſuorum geſtorum & virtutum arcem pertigiſſe, aut illum gloria, bellicarum, domeſticarumque rerum æquaſſe, ob quam heroica nuncupatione dignus *Chrobri*, id eſt, *vir altæ & heroicæ* virtutis cognomentum ſortitus eſt, à quo & vicus ab eo amatus, ad vada fluminis *Nida* non longe à *Vislica*, vbi & arcem ſibi extruxerat, & in quem negotiis publicis perfunctus pro quiete declinabat, *Chroberz* denominationem accepit. Signum mortis ſuæ haud obſcurum fuit, fulgens face magna cometes, vt plane attenderent homines, magni viri & Regis curam fore cœleſtib9, fratres ordinis S.

Miecslaum filium ſibi ſucceſſorem deſignans

morti vicinus eſt,

Benedicti,

1024. Benedicti, qui in ſpiritu deuotionis, humilitatis, & rigoris obſeruantia monaſticæ diſciplinæ, Domino ſedulo famularunt, cæteris ordinibus ſpecialibus prætulit & amauit, tali ad vtramque fortunam comparatus natura, & arte, vt nec fractus varietate temporum caderet, nec elatus fortuna intumeſceret, qui ſermones ſuos inter ſerium iocumque ita moderabatur, vt illius iocunditate nihil ſeuerius, nil ſeueritate iucundius putaretur, magnanimus diuitiarum contemptor, quas nemo ſapiens concupiuit, & plerique anguſti animi ſic amant Principes, vt eos honoris omnis & officii capiat obliuio. Hunc ego illum Regem & Principem fuiſſe contenderem, cuius ope & opera res diuinæ in *Polonia* auctæ ſunt, & *Poloni* ex agreſti feraque vita, in vrbanum mitemq; cultum deducti. Tantum denique amplitudinis gloria eius in vniuerſo peruagatur orbe, vt quanto inter Principes viros, tantus inter Principes Princeps emineret. De quo illud, quod de *Neſtore* literis proditum eſt, merito dixerim. *Cuius ex lingua melle dulcior fluebat oratio*, ad manſuetudinem, clementiam, miſericordiam, bonitatemq; ſe componens, pro omni tempore, quæ longè ſtabilior, atque glorioſior eſt, quàm regni aut diuitiarum eſt hæreditas. Virtutum autem ſuarum id vnum vel maximum teſtimonium eſt. Nam quamdiu apud *Polonos* rerum ſummæ præerat, proſperè cuncta ſuccedebant, victores exercitus remeabant, res bello paceque feliciter gerebantur, arma *Polonorum* vniuerſam territabant viciniam. Poſteaquàm vero fato ſubtractus eſt, ſpes *Polonorum* retro ſublapſa cœpit referri. Ab iſto Rege, & fidei chriſtianæ in *Polonia* cœpit exordium, & per regalem ſplendorem & gratiam, peruenit *Polonis* diadematum, & vnctionis ſacramentum, per illum ſolum tantæ rei tantique decoris *Polonis* affluit, & acceſſit acceſſio, nec inter Principes ſuæ ætatis alterum fuiſſe, conſtat in quo ampliora benignitatis & humanitatis reluxiſſent officia, ita regnum terrenum adminiſtrans, & taliter actus ſuos diuinis conformando beneplacitis, vt appareret illum in terreni ſolio Regis, non parua ex parte ad cœleſte regnum ſpirare & perficere. Faciles ad eum aditus, facilior allocutio, & cum multos multis in rebus excelleret, tamen ſe ſingulis parem præſtare videbatur, promptus ad ferenda beneficia virtutis ſuæ: ſiue bellum ſpectando, ſiue pacem, ſtrenua apud *Polonos* relinquens præconia, ſed in eo potiſſimum, quod repudiatis falſis diis & erroribus Maieſtatem veri Dei, & cultum eius feliciſſimo auſpicio agnouerit, inchoauerit, ampliauerit, & honorauerit.

Eius laudes prolixe recenſentur.

1025. *Boleslaus Rex*

Grauibus continuiſque laboribus, quibus *Boleslaus Poloniæ* Rex, & inferendis, & in repellendis bellis, & in rerum publicarum adminiſtratione, atque in domeſticis inſtitutis & ordinationibus occupabatur, nam ſine vllis induciis agebat vitam, conſeneſcens & viribus corporalibus ſenſu decidens, grauem & aduerſam valetudinem incurrit, quæ illum menſibus aliquot vexatione aſſidua torquebat medicinis, quæ adhibebantur nullum afferentibus profectum. Inualeſcente itaque morbo, primum prudentiſſimus Rex confeſſione criminum ſuorum aliquoties repetita, & ſalutari ſumpto viatico Prælatos, & Barones *Poloniæ* accerſit, quibus in caſtrum *Poſnanienſe* ad eum conuenientibus, illic enim eum inuaſerat ægritudo, cœpit plures de conſeruando ſtabiliendoque regno *Poloniæ* cum illis conferre ſermones, conteſtans, & per beneficia quæ regno & illis præſtiterat, & per coronam, quam ſua virtute & ſudore quæſiuerat & dilatauerat, obligans illos atque rogans, *quatenus morte ſua ſequuta, ſeruarent concordiam, vnionem & charitatem, & ad filium ſuum, quem in ſpem ſucceſſionis vniuerſi regni Poloniæ, vnicum relinquebat Miecslaum Ducem, nepotemque paruulum ab eodem Miecslao ex Rikſcha genitum nomine Cazimirum, omnem conuerterent fauorem & reſpectum, & illum in regem aſſumentes, regio diademate inſignirent.* Filio quoque Duci *Miecslao* tunc præſenti, & ad grabatum cùm conſorte, & infante *Cazimiro* aſſiſtenti, longo ſermone ſerio præcipiens, *vt, virtutum ſuarum æmulator exiſtens, diuina in primo & præcipuo retinens cultu, Conſiliarios in honore, cæteros ſubditos in iuſtitia & æquitate contineret. Voluptates autem molliciemque quàm maxime fugeret, & in armis tractandis occupatus, heroicum quoq; virum ſe exhiberet, aſſerens nationes finitimas à ſe armis ſubactas, niſi potentia & armis in fide contineantur, facilè iugum detrectaturas, & neruo ſubiectionis & obedientiæ, quo hactenus tenebantur, abiecto, rebellaturas.* Excepta autem ſunt ab vtriſque cum omni manſuetudine huiuſcemodi mandata. Pollicetur imprimis Dux *Miecslaus ſe virtutum paternarum ſectatorem, & operum adiutorem, ne qua occaſione ſibi, regnoq; Poloniæ, ſegniter ſe gerendo nebulas offundat.* Pollicentur deinde Prælati & Barones *concordiam ſe ſeruaturos, & prolem ſuam, ac poſteritatem omnem in regio honore, atque dignitate habituros, ſpe optima pleni, quod in Duce Miecslao*, quem diademate regio ornaturos ſe vltro compromittebant, *& ſua vigere inſtituta; & relucere deberet virtus, & imago eius.* Iſte *Boleslaus* primus Chriſtianæ religionis funiculos in *Polonorum* regionibus dilatauit, propter quod benedictionem filii *Iaphet*, nec immerito hæreditauit, quem pater benedicens: *Dilatet*, inquit, *Deus Iaphet*. Gentilitatis enim errore, & ſuperſtitione idolorum abiecta, fides & religio chriſtiana, in cultu vnius veri Dei per obſequium vnius *Boleslai* in *Polonia* eſt dilatata. Huius enim tempore Eccleſia ſancta in *Polonia* ſumpſit incrementum in rebus, & perſonis, ipſe enim, vt ſuperioribus ſcripſimus, conſtituit nouem Epiſcopatus & Epiſcopos, limitauit & dotauit Eccleſias,

1025. *morbo laborans*

Prælatos Poloniæ

& Miecslaum filium

optima quæque monet.

Laus Boleslai.

1025. ſias, attribuens eis prædia, & caſtra cum pertinentiis earum, ſcilicet ſeruitutes diuerſorum officiorum, prouentus rerum mobilium, & A immobilium, tàm præſentium, quàm futurorum terra naſcentium, ſcilicet ferri, plumbi, ſalis, & argenti ſine exceptione, auri verò cum exceptione, & immunitatem à muneribus, ſeu omnibus ſeruilibus eis liberaliter conferendo, ne angariis & præangariis per officiales regios aut ducales aggrauarentur, ſeu moleſtarentur. Immunitatem autem in priuilegium Eccleſiaſticæ libertatis, & perſonarum ad eam pertinentium, ipſe ſuo tempore Eccleſiæ diligenter exhibuit, & poſteris ſuis ſine ſcrupulo retractationis adhibendum reliquit, Reipublicæ etiam tenorem idem *Boleslaus* ad vnitatem ciuium, & concordiam indigenarum mutuo conſeruandam ſagaciter ordinauit, legesque B ſalutiferas gratia humanæ ſocietatis deſcriptas condidit, & edicto publico promulgauit, vt eorum motu humana coerceretur audacia, & tuta eſſe poſſit inter improbos humilium innocentia, vnde etiam omne genus hominum peſtiferum, ſcilicet fures, prædones, eraptores, concuſſores, ſeu calumniatores, ſacrilegos, plagiarios, abigeos, & cæteros maleficos propulſando, & proſcribendo, prouidè de terra exterminauit. Totam præterea *Poloniæ* terram pertranſiens, erroribus ſuperuacuis ſalubriter purgauit, deorum gentilium culturam, qua in variis erroribus gentilitas deluſa erat, tollebat, & aliarum vanitatum ſuperſtitiones ſuperuertendo penitus aboleuit, & vnius Dei creatoris C cœli, & terræ maieſtatem venerari & adorari, vniuerſali imperioſa & ſtricta iuſſione demandauit, cuius cura, induſtria, & opera, *Poloniam* Deum videmus illuſtraſſe, qua nil luce clarius, quam recta fides in pectore Principis eluceſcit, vnde duo ex militibus eius Barones *Wislaus* & *Setegius*, Regis & ſigniferi ſui exemplum, & documenta ſequuturi, duo clauſtra monachorum S. *Benedicti* fundauerunt. *Wislaus* videlicet in *Liſiec calui montis* in loco alto, ſitu eminenti fundatoris intentione, pro vita ſolitariæ deuotionis fundamenta clauſtri jecit, & erexit, vel, vt verius loquar, iactis dudum, & erectis inſigne augmentum præſtitit. *Setegius* autem in loco plano viatoribus ex di- D uerſis partibus commeantibus, & inſtitoribus nauigantibus competenti, & neceſſariæ hoſpitalitati in *Sieciechow* ſupra fluuium *Wislam* cœnobium aliud fundauit, & ædificauit, & vterque eorum pro ſua poſſibilitate vtrumque eorum ſigillatim, & de facultatibus ſuis dotauit, vt in vno eorum fratrum Deo ſeruientium, & *Mariæ* exemplo vacantium contemplationi conuentus eſſet, in altero verò *Marthæ* exemplo Deo militantium, & in proximi neceſſitate, ſupportanda ſolicitè deſudantium. Ecce nouellæ plantationis felix ſeminarium. Quod enim *Miecslaus* Dux fide catholica ſuſcepta plantauit, hoc *Boleslaus* propagando dilatauit, & affectu charitatis irrigauit. Felix igitur exordium *Miecslai* in fidei catholicæ ſuſceptione, felicior egreſſus *Boleslai* in chriſtianæ profeſſionis propagatione, feliciſſimam præſtolatur pro catholicæ fidei confeſſione, conſumationem in præmii collocatione, præſtante Ieſu CHRISTO in ſeculi regeneratione. Ordinatione inſuper regni *Poloniæ* expedita, rurſus *Boleslaus Poloniæ* Rex animum vrgente valetudine intendit, & quonam pacto continui ſui milites, & familiares præmiari debeant. De nonnullis quoque aliis priuatis rebus Duci *Miecslao* filio mandata, voce iam labente, edidit. Hinc verò conſiliariorum & militum turba in ædem, qua decumbebat admiſſa, charitate, qua illi iuxta, ac parenti afficiebatur, permoti, monere Regem, atque ab eo doceri vehementer expetiit, *quibus honoribus, & qua pompa, quoue ordine, quantis inſuper diebus, quantoque tempore funus ſuum eſſeret ritu & traditione catholica perſequuturi, & terræ ac mutata veſte, lugubrique habitu exceſſum ſuum deplancturi.* Tum ille in vberes lachrimas reſolutus, non de ſepulturæ qualitate, ſed ſtatu patriæ, cuius etiam tunc charitate flagradat, ſolicitus. *Nil*, inquit, *aut parum intereſt mandare mihi, aut eloqui, qua gloria, quauè dignatione à vobis poſt fata debeam funeris officio efferri, ſed neque veſtrum ſuper morte mea mærore finito tempore fas iudicio, quemadmodum veſtra habet ſupplicatio circumſcribi, neque enim adeò anguſtè & ignauiter me ſcio vi-* C *xiſſe; vt operum meorum recordatio aliquando debeat apud vos quacunque limitatione concludi, verùm etſi à vobis ordine fatorum ſubtrahor: conſcientia tamen clariſſimorum operum meorum à me editorum, & ſecundo fauore rerum à me geſtarum ea ſpe plenus decedo: ita me in veſtris pectoribus celebratum iri exiſtimo, vt non à vobis tantummodo, & filiis, nepotibusque veſtris, ſed ab vniuerſa gentis Poloniæ poſteritate, quocunque æuo ſucceſſura coli mirarique debeam memoria ſempiterna, & nouis, atque exquiſitis, tùm cladibus, tùm ſuffragiis à genere Polonico, in regiminis mei honorem apud cæleſtes, & quoslibet mortales attolli. Noſcitis quidem me à puero firmatum, taliter & inſpirati-* D *one diuina, magis quàm humana ſic inſtitutum fuiſſe, vt ad erigendam, ornandam, locupletandam patriam hanc, omnes vires, facultates, & ingenia ſcrupuloſa intentione, conuerterim, ac pro eius incremento nullum laborem, nullumque periculum, vsque in diem hanc exhorruerim, primisque meis partim moribus, partim victoriis, regiam illam dignitatem ſublimare obtinuerim, vt nemo quantumcunque iniquus eorum æſtimator dubitet me è maioribus meis virtute, & bellica laude, domeſticisque inſtitutis adeò perluxiſſe, in patriam quoque tàm frequentia ornamenta, tàm immortalia beneficia contuliſſe, vt ſim mea domus, poſteris notæ excellentiæ & nobilitatis vertex, & re-* 1025.

habitis duabus elegantibus orationibus ad Proceres Imperii

1025. *& regiæ ſtirpis prima & clariſſima propago, patriæ verò parens præcipuus, ſuique ſplendoris autor primarius & origo.* Poſt hos ſermones dum Rex parum conticeſceret, vox à Conſiliariis Proceribusque & militibus *Polonorum* ſublata, non *patrem* eum tantummodo *patriæ*, ſed & *liberatorem, inſtauratorem,* & *alterum à Lechone conditorem, triumphatoremque pacificum* ſucclamauit. Dùm in eis laudibus certatim immorarentur, & vniuerſa regia blando murmure perſonaret, tandem *Boleſlaus* Rex rupto ſilentio ait. *Mihi quidem in præſenti agone conſtituto, non quo loco condar, quibusuè officiis funeri meo iuſta ſoluantur, à vobis inſidet ſollicitudo, quippe qui funebrias pompas, per vos celebrandas, ne quicquam mihi reor profuturas. Altior autem nunc de vobis & veſtra Republ. diſtinet, & ſingulari cruciatu conficit cura. Video ſiquidem, & è longinquo diuinitate mentem meam inſpirante, contemplor Rempubl. Poloniæ quam ſpecioſam, atque florentem relinquo, per ſeditiones, diuiſionesque veſtras ciuiles direptum, & peſſundatum iri, quantumque cruoris domeſticis bellis Polonia fuſura ſit, quantisque cædibus me aſſumpto parentatura, contemplor, iamque hoſtilium caſtrorum, & eorum quorum ceruices vobis ſubiugaueram, fremitum in vos, & patriam hanc graſſantium exaudire mihi videor: video & prolem proſapiamque regiam meam hinc exultantem hoſtibus, quos domaueram ſupplicem fieri, & Monarchiam Regni Poloniæ in varia diuiſionum monſtra ſcindi, & horrenda bellorum ciuilium inuaſione, iuſto Dei permittente iudicio, cuius cultum religionemq; negligentius & tepidè, in luxum, voluptates, & ſeditionem verſi, tractabitis, collidi, ſola quoque hæc doloris anxietas, etiamſi morbus non vrgeret, animam eſſet excluſura, niſi multitudine malorum imminentium ſpes melior temperaret, miſeratione enim cæleſti propitiaturum ſtirpi meæ, & vobis video Deum, prodituruṁque ex lumbis meis ſuſpicor in clariſſimi ſideris morem vnum, qui penè languidam & exanguem Rempubl. Polonicam, & terminos eius à finitimis occupatos reſtituet, qui inſtaurabit diſſoluta, qui ſuperbiam humiliabit hoſtilem, qui gladii mei capulo conteret, ſubiicietque rurſus eas, quæ contra vos recalcitraturæ ſunt nationes, Regno Poloniæ mirificum iubar, priſtinumque fulgorem ſuo ductu, ſuisque virtutibus, auſpiciis, & operibus infuſurus.* Ea voce, eaque denunciatione, rauco & debilitato iam ſono lætas & aduerſas res *Poloniæ* portendente edita, oculorum orbibus clauſis, manibusque defluentibus, agonem ſuum *Chriſto* ſupplici ingeminatione commendare non deſiit, donec anima corpus relinquens, in præparata ſibi, pro operibus in fidei catholicæ ſtabilimentum ſæpènumero exhibitis, habitacula, miniſterio angelico, vt pia habetur credulitas, tertia die menſis Aprilis eſt inuecta. *moritur,* Itaque mortuus eſt *Boleſlaus* Rex *Poloniæ* anno vitæ ſuæ 58. cum annos quinque, & vigin-ti in Regno exegiſſet, in cuius laudem & memoriam vniuerſa *Polonici* generis præſens & futura propago, aptiſſimè illud *Virgilianum* aſſidua modulatione poterit tenebiturque depromere: 1025.

Semper honos nomenque tuum, laudesque manebunt,

& illud *Alexandrinum:*

Si vitæ meritis reſpondet gloria famæ,
Nulla tuos actus poterit delere vetuſtas.

Qui etſi mature deceſſerit, plus tamen luctus & deſiderii, quàm cæteri ante ſe Reges in *Polonorum* pectoribus reliquit, quanto vir magnanimus, & præſenti ſemper fortuna meliorem ſe exhibebat. Mœror deinde ingens, primùm Epiſcopos, Comites, Barones, Nobiles, cæterosque ſuæ mortis ſpectatores, expoſt verò vulgꝰ promiſcuum occupat, luctusq; & lamentatio, non ſolùm in regia, verùm in vniuerſa regionū vicinia continuati increbreſcebat, ſed & coloni morte Regis vulgata rure relicto, & agricultura neglecta caterua tim accurrebant, exanime corpus optimi Regis viſuri, & ſuæ ipſius in firmæ ſortis ſedulitatis officium ſibi impenſuri. Confluxit tandem ad funeris pompam, tàm Eccleſiaſticorum, quàm militum frequens numerus, & corpore regio in aula ſtante, triſti mœrentium militum, & matronarum lamentationes, & eiulatus emittentium frequentabatur officio. Expoſt verò in Eccleſiā *Poſnanienſem* deductum, iuxta magnificentiam regalem à Duce *Miecslao* filio ſuo, per Præfectos Regios ſingula gubernatione dirigenteque, exequiis in dies aliquot prolatis, in medio templi conditum eſt, & funeri ſuo iuſtiſſimus honos perſolutus. *Poſnaniæ ſepultus,* Tantus autem dolor vniuerſis ordinibus, vniuerſisque populis ſuper morte tàm clariſſimi Regis futura mala, quæ illos exceptura erant, vt reor iam tùm ominantibus, ſuaptè ingeſtus eſt, vt anno pluſquam integro, quaſi ex quodam edicto dies luctus ſinguli agerent, matres quoque familias & virgines omnem cultum abiicientes ornamenta ſolita negligebant, ſunt item conuiuationes, ac epulæ abrogatæ, nuptiarum ſolennitates, cætus nobilium, curiarumque celebrationes intermiſſæ, nullus cantus, nullaque ſecularium iubilatio, non plauſus in vrbibus & villis, ſed nec in agris audita ſunt. *cum ingenti omnium ſubditorum mœrore.* Omnis ſiquidem ſexus, omnis ætas, omnis conditio, ſuper morte tàm optimi Regis deplangenda, non ſe vnquam parum illi autumans habiturum, videbantur pro certamine conſpiraſſe, omnes ſiquidem tàm ingenuos, quàm ruſticanos ex *Boleslai* morte magnus dolor peruaſerat, non ſicut aſſolent fictum oſtendentes dolorem in principis funere, ſed vero & fideli cuncti conſumabantur, Regisque ſui mortem propria acriorem iudicabant. Adeo vnum quemque ex Optimatibus, & inferioribus eius mores, & colloquiorum ſuauitas demulſerat. Extat autem carmen à veteribus ſcriptoribus in laudem præfati *Boleslai* editum, quod noſtro præſenti interſeruimus operi, vt expri-

1025. ex priſcorum commendatione Regis præfati amplior reluceat amplitudo. Neminem enim Principem aut Regem ætas illa habuit, A qui diligentius, qui ſincerius, qui ſanctius quam *Boleſlaus* à Polonis cultus extitiſſet, quod maxime fletus & mœror, tam Procerum, quam vulgi in funere honeſtando, & plangendo habitus demonſtrauit. Dolebant ſiquidem quodam animi præſagio, iam futura ominantes, maximis incommodis, ob eius mortem, ſe non tam eſſe affectos, quam afficiendos. Deflebant quoque eum ſibi ſubtractum fore Regem, qui cunctos ſuæ ætatis mortales, liberalitate, induſtria, beneuolentia, morum ſuauitate, humanitate, facilitate anteiret. Qui non ſolum rogatus miſerorum, & calamitoſorum, aut aliqua egeſtate grauatorum ſubueniebat inopiæ, ſed etiam vltro offerebat, quæ B pudor petere prohibebat, mores illius generoſi & illuſtres, & gratiam redolentes, ſpecie decorus, & forma non contemnendus, media ſiquidem pollebat corporis ſtatura, barba copioſa & criſpa, atra tamen, & ſuffultum habens cæſarie caput, publicis & priuatis abſtinendo expilationibus, benignum ſe per omne tempus præſtitit Regem, in ſubditos modeſtus, in hoſpites officioſus; in calamitoſos & delinquentes exoratu facilis; conuerſatione & vita nitidus atque pudicus: optimo temperamento inter pietatem & rationem vſus, ſub eodem tempore, quo deſideria ſentire cœpit, oppreſſus. Cuius ideo virtutes deſcripſiſſe ſuccurrit, vt cæteris omnibus Regibus, & Prin- C cipibus *Poloniæ* futuris, virtutis exemplar, & imago reluceat, quem ſi cæteri, qui rerum ſumma potiuntur imitari vellent, meliori loco ſeſe haberent, Polonorum res minoribus exagitarentur incommodis, inſtructiorem, & magis cautum habituri animum in ſuis actionibus, Regis præfati exemplis firmati, cuius etiam ope & opera *Poloni* homines quondam barbari, ex agreſti feraque vita in vrbanum ciuilemque cultum deducti ſunt, & in mores conciliati ciuiles & nobiles. Quæ cum ita ſint, quis eum Regem non probet? non admiretur? non tollat in cœlum ſummis laudibus? quem intelligit tot immortalia beneficia populo & Regno *Poloniæ* contuliſſe. D

Laudes Boleſlai.

Henricus primus *Bauariæ* Dux, Imperator *Romanorum*, cum annis viginti regnaſſet, & plura bella feliciter confeciſſet, fine beato abſumptus eſt, & in Eccleſia *Bambergenſi*, quam viuens fundauerat, dotauerat, & extulerat ſepultus, ad Sanctorum numerum relatus, cuius feſtum agitur.

Henricus I. Imp. moritur.

Corpore regio cum debito honore Eccleſiaſticæ ſepulturæ mandato, Prælatorum, Comitum, & Baronum, Nobiliumque Poloniæ, in *Poſnanienſi* ciuitate maximus habitus eſt conuentus, ad prouidendum de futuro Rege *Poloniæ* in *Boleſlai* locum ſucceſſuro. Conformis autem tunc frequentis Senatus iuxta ac multitudinis erat ſententia, vt patri optimo filius *Miecslaus* Dux ſuccederet, cum & per patrem futurus Rex deſignatus foret, & propter paternam probitatem virtutes & merita, affinitatem inſuper, quam ex parte vxoris ſuæ *Rikſcha* cum Principibus *Almaniæ* & imperio retinebat, nulli æque, vt ſibi ſucceſſio, & ſolium Regni *Poloniæ* debebatur. 1025. Publico itaque decreto, decorando *Miecslao* Duce concorditer confecto, dies Dominica Pentecoſtes ad coronandum illum eſt indicta, qua adueniente ad Metropolim *Gneſnenſem* Princeps *Miecslaus* cum magna militum cohorte aduenit, & in Eccleſia *Gneſnenſi* die præfata Pentecoſtes, ipſe quidem Dux *Miecslaus* in Regem, conſors vero ipſius Duciſſa *Rikſcha* filiæ Comitis Palatini *Rheni*, & nepotis tertii *Ottonis* Imperatoris, in Reginam *Poloniæ* per *Hippolitum* tunc Archiepiſcopum *Gneſnenſem*, aſſiſtentibus ſibi *Gompone* Archiepiſcopo *Cracouienſi*, *Palatino Poſnanienſi*, *Marcello Wladiſlauienſi*, *Clemente Wratiſlauienſi*, & *Albino Plocenſi*, Pontificibus, Comitibusque Proceribus, Baronibus *Poloniæ* inunguntur & coronantur. Paternis autem inſtitutis *Miecslaus* nouus Rex *Poloniæ* edoctus, tam Pontifices, Principes & Barones, quam vniuerſam militiam & nobilitatem, quæ ad ſuæ coronationis ſolennia, velut ſpectaculum viſura *Gneſnam* confluxerat, & coronationis ſuæ die, & pluribus aliis ſequentibus regali menſa accepit, & oppipare eos tractari, ſingulisque abunde menſis epulas regias inferri diſpoſuit. Diſtribuebantur inſuper ex præcepto & ordinatione *Miecslai* Regis in pauperes eiſdem diebus largæ eleemoſinæ, & ſingulorum prouidebatur egeſtati. Obtulit etiam *Miecslaus* nouus Rex in coronationis ſuæ die & Regina *Rikſcha* inſignia in auro & argento ad maius altare munera, ſed & veſtes ſacras Eccleſiæ *Gneſnenſi* largiti ſunt, in diuinitatis propitiationem, & Eccleſiæ *Gneſnenſis* honorem, ſuæ vero coronationis perennem memoriam. Vrbs eo anno conflagrata Cracouienſis, graue diſpendium & incendium pertulit.

Miecslaus Rex Poloniæ coronatur.

Incendium Cracouiæ

Conradus ex *Almaniæ* Principibus vnus in Regem *Romanorum* diſſidentibus, in eius electione ab Electoribus eligitur. *Lupoldus* vero Dux, cum ad imperium aſpirare vellet, repudiatur inſtinctu *Albini Moguntinenſis* Archiepiſcopi. *Henricus* enim Imperator ſuadentibus Principibus, *Conradum* præfatum Ducem ſibi ſucceſſorem deſignans, diem obierat, cum annis duodecim ſecundum aliquos duobus & viginti imperaſſet, ſecundum vero alios viginti. Iſte *Conradus* multas leges edidit, pacem ſtrictiſſime ſub pœna capitis cuſtodiri præcepit. Quem veritus *Lupoldus* de terra aufugit, & ruſticane in tugurio vixit, a *Gregorio* VI. conſecratus.

Conradus fit Imp.

Benedicto octauo mortuo, qui annis vndecim, menſe vno, diebus tredecim ſedit, *Ioannes VIII.* XXI. natione *Romanus*, ex Patre *Gregorio* ſuccedit, qui annis aliquot nonnullas guerras &

Benedictum Papam ſequitur Ioannes XXI

1025. & controuerſias cum *Romanis* geſſit. Scribit *Petrus Damiani*, quod quidem Epiſcopus vidit præfatum *Benedictum* Papam nigro equo quaſi corporaliter inſidentem, & dixit ei: *Nonne tu es Benedictus Papa, quem iam defunctum eſſe nouimus? Ego ſum*, inquit, *ille Benedictus; & quid eſt tibi*, inquit, *Pater, gratuiter* inquit *torqueor, ſed de Dei miſericordia non deſpero, ſi mihi adiutorium præbeatur. Vade*, inquit, *ad ſucceſſorem meum Ioannem Papam, & dic ei: vt ſummam pecuniæ in tali theca repertam diſtribuat pauperibus, quia quicquid ante pro me dabatur, nihil profuit, quoniam de rapinis fuit*; quod Epiſcopus fideliter implens, & Epiſopatui cedens monaſterium introiuit.

Benedictus damnatus.

1026. *Miecslaus Rex*

Polonorum Rex *Miecslaus* exacto integro anno, in quo patrem ſuum cum omni militia B veſte mutata, lugebat, ex *Gneſnenſi* caſtro, in quo continuum tenuerat domicilium, verſus *Cracouiam*, ducens ſecum *Rikſcham* Reginam proceſſit, vbi aliquot menſibus exactis in fines *Ruſſiæ*, cum militiæ ſuæ frequenti multitudine ſe contulit. *Iaroſlaus* etenim atque *Miecslaus Ruſſiæ* Duces, morte *Boleslai Poloniæ* Regis audita, cum magna tam militum, quam popularium caterua, ac exercitu, fines Regni *Poloniæ* inuadunt, caſtrumque *Czerwiennſko*, & alia caſtra oppugnant, vaſtatiſque aliquibus regionibus *Poloniæ*, captiuos agreſtes ſecum abducunt, & eos prope fluuium *Porszy*, prope *Kiouiam*, ad colendam terram locant. Certum inſuper erat *Ruthenos*, per Patrem ſu- C um *Boleslaum* ſubactos, ſecuta morte eius, ad res nouandas plurimum inflammatos, pleraſque conſpirationes clandeſtinas tenuiſſe, & ad reiiciendum impoſitum iugum animatos eſſe, apparebatque illos in apertam rebellionem aliquando, niſi interim daretur remeditatio, prodituros. *Ruſſiam* itaque *Miecslaus Polonorum* Rex perueniens, principaliores ex *Ruthenis* capit, & captiuos *Cracouiam* per caſtra diſtribuendos transmittit, quos aliquantis annis obſidum loco habuit. Quo facto, & gliſcentem rebellionem oppreſſit, & *Ruthenos* in fide continuit, eiſque nouandi res de cætero opportunitatem ademit. Rebus vero *Ruſſiæ* compoſitis, & caſtris, munitioni- D buſque iuſto militum præſidio, & victualium fulcimento prouiſis, in *Poloniam* remeabat, & primum quidem in *Plocenſem* terram deſcendit, & in illa, audiendis, expediendiſque cauſis & querelis ſubditorum, vacauit. Abinde vero in alios *Lanciticienſis*, & *Cuiauienſis* terræ diſtrictus conuerſus, ad ſolitam habitationem ſuam *Gneſnam* rediit. Et quoniam filius ſuus *Cazimirus* iam ætatis annum ſeptimum agebat; primo pater illum literis applicat & viros graues doctores adoleſcenti adhibet, vt illuſtratus ſcientiarum lumine, ad gubernandam Rempub. *Polonorum* inſtructior, ingenioſiorque euaderet. Hic autem ex Principum *Poloniæ* ſanguine primus deprehenditur qui doctrinam literarum dolabro amplius nobilitauit & poliuit. Cæteros enim priſcos Principes *Poloniæ* in diſcenda literarum ſcientia nuſquam conſtat exercitatos fuiſſe. In ipſo autem regnandi initio apparuit *Miecslaus Poloniæ* Rex tardus ingenio, hebes animo, moribus quoque incultus, conſilio ineptus, actione leuis, ad res dignitatem aut grauitatem depoſcentes, expediendas parum idoneus. Qui abiectis prudentibus, æuo & natura grandæuis conſiliariis, iuuenum ſe, & leuium hominum, permiſit conſiliis. Quæ quidem tam potentiſsima fuit cauſa, cur Regnum *Polonicum* ſub eius tempore plura detrimenta ſenſerit, quod nec ipſe ſapientiæ ſtudere voluit, neque colere ſapientiæ ſtudioſos.

Ruſſos in ordinem redigit,

domi vero iuſtitiam adminiſtrat, filium in literis informare iubet,

ipſe vero in regnando non adeo prudens eſt.

Interim cum *Ruthenorum* rebus *Miecslaus Polonorum* Rex vacabat, *Bohemi* turpe reputantes tributa *Poloniæ* Regibus pendere in rebellionem apertam prodeunt, & *Polonos*, quos in *Bohemia* reperiunt, aut comprehendunt, aut expellunt. Erant pro ea tempeſtate duo Principes, *Vdalricus* & *Iaromir* filii *Boleslai*, per *Boleslaum Poloniæ* Regem excæcati: apud *Vdalricum* tamen Principatus *Bohemiæ* adminiſtratio conſiſtebat, alter enim frater *Iaromir*, ne conſortio ſuo Principatum ſibi adimeret, aut ſaltem truncaret, captus ab eo excæcatus vitam agebat priuatam & calamitoſam. Erat *Vdalrico* Duci *Bohemiæ* filius ex agreſti & ruſticana fœmina, *Bozena*, alias *Beatrice* nomine, ſuſceptus, *Bretislaus* nomine, adoleſcens ferox & impiger. Is rebellionis præfatæ primarius autor exiſtens, non *Polonos* ſolum, ſed & Nobiles *Bohemiæ*, & ſpecialiter *Vrſzouicenſes* cæteroſque *Polonis* fauentes, magno odio proſequebatur. *Vdalricus* ſiquidem genitor ſuus iuramenti *Boleslao Poloniæ* Regi præſtiti ſacramento adactus, temerarie illud infringere non audebat, potentiam etiam *Boleslai Poloniæ* Regis, & pœnam excæcationis, qua pater ſuus *Boleslaus Bohemiæ* Dux, in ea vſque tempora viuens, mulctatus fuit, veritus, *Boleslao* vero *Poloniæ* Rege mortuo, ipſe quidem iuramenti conſcius à rebellione abſtinuit, ſed illam per filium *Bretislaum* conſecit. Et vt à *Polonis* immani ſua excæcatione, atque in paterna captiuitate acceptæ iniuriæ memor foret, adoleſcentem ſuapte in *Polonorum* odium procliuem inflammare non deſtitit. Germano inſuper ſuo *Iaromiro*, ſiue proditoribus ſuis gerentibus, ſiue quod ætatis ſuæ beneficio illum ſibi præferri verebatur effodi oculos iuſſit, ruſticanæ fœminæ, *Bozena* nomine, captus ſpe & amore, quamuis amici aduerſarentur, ille ſibi matrimonio ſociauit, quæ illi *Bretislaum* filium genuit.

Bohemi aduerſus Polonos rebellant.

Gneſnenſis Archiepiſcopus *Hippolytus* moritur, & in *Gneſnenſi* Eccleſia tumulatur, ſucceſſit autem illi per canonicam electionem, *Miecslai Poloniæ* Regis accedente conſenſu,

Hippolyto Gneſnenſi Archiep.

1027. *ſuccedit Boſutta, Clementi Wratiſlauienſi Ep. Lucilius I.*

Boſutta vir prouidus & ſagax, per *Ioannem* Papam XXI. confirmatus.

A Febre graui correptus *Clemens Smogorzouienſis*, ſiue *Wratiſlauienſis* Epiſcopus, annis duodecim in Pontificatu exactis, moritur, & in *Smogorzouienſi* Eccleſia ſepelitur. Cui *Lucilius* primus Canonicus *Smogorzouienſis* à Capitulo electus, à *Miecslao Poloniæ* Rege promotus, per *Siluestrem* ſecundum Papam confirmatus & per *Stephanum* Archiepiſcopum *Gneſnenſem* conſecratus, vir *Italici* generis, ſed *Polonicæ* linguæ ſatis gnarus.

1028. *Bretiſlaus Bohemiæ Dux*

Diuturno iugo, quo *Polonis* tributa *Bohemi* pendentes tenebantur obnoxii, per *Bretiſlaum Bohemiæ* Ducem abiecto, & ſoluto, rurſus *Bretiſlaus* Dux ipſe, diſceſſionem ipſam impune videns ſuccedere, & *Miecſlaum Poloniæ* Regem diſſimulatione, & ſilentio illam B tranſire, auſus altiores ſumit, & exercitu ex equeſtri, & pedeſtri milite collecto, in *Morauiam*, quæ tunc vniuerſa à *Polonis* tenebatur, contendit, ciuitateſque *Morauiæ*, quæ præſidio *Polonorum* in fide continebantur, obſidione cingit, & ad eam oppugnationem curam intendit, eò quidem maiorem, quo ciues obſeſſarum vrbium nouandarum rerum ſtudioſos, & *Polonorum* regiminis pertæſos, deditionem, niſi *Polonorum* Rex *Miecſlaus* velocibus auxiliis obſidione ſoluat, facturos indubie intelligit. Licet autem *Polonorum* milites, in præſidiis huiuſmodi agentes militiam & Præfecti eorum ſæpius nuncium ad *Miecſlaum* Regem mitterent, & in quantis verſaren- C tur periculis, denunciantes, auxilia ſua implorarent: Rex tamen *Miecſlaus*, ſiue aliis curis publicis & priuatis tunc impeditus, ſiue ad tractanda repellendaque bella parum illi animi natura tribuiſſet, ſiue quod militiam pro tenenda, defendendaque *Morauia Poloni* detrectarent, obſeſſis petitum & quam maxime ſperatum ſuffragium ferre diſtulit. Quæ quidem ſua diſſimulatio ad notitiam ciuium *Morauiæ*, qui obſidebantur, (neque enim latere eos poterat, quippe & ipſi per proprios nuncios *Miecſlaum Polonorum* Regem, de ſoluenda obſidione, ſollicitabant) relata, magnam *Polonorum* militibus, præſidio ciuitates de- D fendentibus, perniciem ingeſſit, vltima enim deſperatione, magis magiſque *Bohemorum* quam *Polonorum* malentes ſubiici Principatui, facturos ſe Duci *Bretiſlao* deditionem per clandeſtinos tractatus paciſcuntur, apertiſque portis ſub noctis conticinio *Bretiſlaum* recipiunt, vnius autem & duarum ciuitatum exemplum cæteræ ſequutæ, ſimilem fecere deditionem. Crudelem autem *Bretiſlaus Bohemiæ* Dux victorem ſe gerens, milites *Polonorum*, quoſdam quidem trucidauit, alios in captiuitatem & alia ſupplicia egit, ceteros qui ciues & incolæ *Morauiæ* facti fuerant, exilio, & bonorum confiſcatione damnauit, nonnullos venundedit.

Morauiam Polonis eripit.

1029. *Miecſlaus Rex*

Geminatam iniuriam à *Bretiſlao Bohemiæ* Duce, & in tributi ex *Bohemia* penſi denega- A tione, & in *Morauiæ* occupatione illatam *Miecſlaus Polonorum* Rex etſi diutius, quam ſatis erat, pertulerit: Baronum tamen ſuorum *Poloniæ* crebris impulſionibus exagitatus, expeditionem generalem Regni ſui in *Morauiam* indicit, & collectis copiarum ſuarum exercitibus, in notabili potentia *Morauiam* ingreditur, neque expugnationi ciuitatum, quæ à ſe defecerunt, intendit, obſtinatis enim animis intelligebat, & reatus defectionis conſcios, & præſidio eis à *Bohemiæ* Duce *Bretiſlao* miſſo munitos, & obſidionem toleraturos, ſed igne & ſpoliis mandat ſingula vaſtari. Incendebantur itaque ſuburbana earum ciuitatum, quæ defecerant, incendebantur oppida, villæ B quoque, & rura, & poſt plurima damna *Morauiæ* illata, prædam multam pecoris, & cæterorum ſpoliorum ſecum vehens, *Miecſlaus* Rex *Morauiam* vtramque vltus defectionem; in *Poloniam* ſaluus cum exercitu rediit.

Morauiam vaſtat,

1030. *Germaniæ prouinciæ a Miecſlao deficiunt,*

Exemplum *Morauorum Bohemorumque*, Præfecti caſtrorum & munitionum ciuitatum cis *Albim* ſitarum, ſecuti, ab obedientia, ditioneque *Miecſlai* Regis, Regnique ſui *Poloniæ* deficere ceperunt, ignauia deſidiaque Regis, & *Almanorum* affinitate, qua inuicem dando, accipiendoque vxores, iunxerant, eis defectionis materiam ſubminiſtrante, audiebant ſiquidem, & plures ex illis ab experto nouerant, Regis *Miecſlai* partim molliciem, C partim iniuriam, propter quam pauor, obſequela, & Maieſtas Patri ſuo quondam *Boleſlao Poloniæ* Regi à propriis & finitimis ſeruata, contemptum & deſpectum iri in filio cœpit. Præfati ſiquidem cis *Albim* Præfecti conſpiratione facta, neque ad iuſſum & vocationem *Miecſlai* venire, neque vectigal ſolutum fiſco regio reddere, interpoſitis primum fucatis excuſationibus, quod vexationem hoſtilem proprio ære & milite ſuſtinerent, & reprimerent, cœperunt, ſenſimqu,e & non ſubito defectionem huiuſmodi, quatenus remaneret, vt cætera, impunita callidis, vafriſque, & contectis ſpecie mendacii ingeniis conflabant. Et D quoniam huiuſmodi conditio ſemel concepta ambitione contenta non eſt, ſed ſe in varios deſideriorum & affectuum, ni in ſuo exordio caſtigata & alliſa fuerit, derinat & diffundit reflexus. Præfecti *Polonorum* cis *Albim* ſimplici defectione non contenti, non ſe iam Præfectos Capitaneoſque Regis, & Regni *Poloniæ*, quinimo nec ſubditos, aut feudales, ſed Dominos gerebant & nominabant, ditioniſque & Principatus faſces orarum *Ciſalbinarum*, tam ipſi, quam filii eorum, & nepotes ſuapte, & propria autoritate defectionem leuibus principiis motam, ſed ſucceſſu temporis importunitate altam & auctam, Rege *Poloniæ* tolerante, vſurpauerunt. In eam inſuper præſumtionem elationemque *Ciſalbinorum* Præfecto-

earumque Præfecti ſe ipſos Principes conſtituunt.

1030. Præfectorum excreuit audacia, vt præcedente tempore terras, quas gubernauerant, à *Polonorum* regno & communione ſecernerent, & Ducum atque Principum diademata ſibi imponerent, ex quibus Marchionatus ille *Brandenburgenſis*, qui in *Polonico* vocatur *Zgorzelec*, exortus. Cæteris autem ſubactis & extinctis, ſuperioritatem in Principatu ſortitus in hanc diem perſeuerat, etiam per aquilam rubeam, quam defert pro inſigni *Polonorum* quondam fuiſſe regionem, quorum alba aquila vniuerſale eſt inſigne, ſed ab illorum ditione ſciſſam, & abſtractam niueo colore, in coccineum tranſumpto, conſtans, indicat.

1031.
Deficiunt & prouinciæ ſeptentrionales.

Peruenit tandem *Morauorum, Bohemorum* & *Cis albinorum* Præfectorum ad gentes *Caſſubitarum, Serbinorum*, & eas, quæ inſulas, & oras maritimas incolebant, quas *Boleslaus* Rex *Polonorum* ditioni & imperio ſuo reſtituerat, defectionis contagio. Hæ quidem, vt natura eſt humana, ad res nouandas pronæ, & ſæpius bellis finitimorum *Almanorum* laceſſitæ, crebriſque præliis, & ſpoliis hoſtilibus vexatæ, nihil defenſionis, & præſidii à *Miecslao Polonorum* Rege tulerunt, facile à ſua & *Polonorum* deſciuerunt obedientia, in variaſque ditiones & proprietates ſciſſæ, nonnullæ ad Imperialem obedientiam ſubactæ, cæteræ à finitimis Principibus occupatæ, aliquæ verò ſuis parere præſidibus, & illorum ſuſcipere dominium compulſæ ſunt. Ab eo autem tempore, gentes, oræque prædictæ, diſcerptæ, & à corpore regni *Poloniæ* diſtractæ, varioſque Dominos & Principatus ſortitæ, per tàm longum & diuturnum tempus earum defectionem ſecutæ, nunquam ad integritatem eius potuerunt reduci. Ex quibus famoſa illa & inſignis ciuitas *Bukowiec*, quæ in teutonico *Lubek* appellatur conſurgens, maritimis opibus & terreſtribus, quæ ad illam propter ſitus opportunitatem facilè importantur, aucta, & *Teutonicorum* politia exculta, in illud vſque erigit faſtigium, vt Principum, qui illam occupauerant, abrogato imperio, hactenus ſuis viuat legibus, & commune faſcium ius per ſe conficiat. Inde quoque & Comitatus *Magnopolenſis* erupit, veteris nominis præferens, à magnitudine & latitudine camporum vocabulum, ex duobus integris, licet diuerſis, *Latino* videlicet, & *Polonico* idiomate confectum. *Henricus* ſiquidem *Romanorum* Imperator illius temporis cum *Slauorum* & cæterarum gentium atque orarum Principe, qui *Nicolaus* alias *Nikiel* nominabatur, à quo & caſtrum inſigne *Nikielburg* nomen accepit, bellum gerens, ipſum, tàm terris, quàm caſtris ab eo poſſeſſis, exuit, & quaſdam Imperio adiiciens, quaſdam verò militibꝰ ſuis diſtribuens Comitatum prædictum *Magnopolenſem* aſſeritur primus creaſſe. Cuius in hanc diem ditio & nomen perſeuerat.

1032.
Pomeranos a ſe deficientes vincit Miecslaus,

Excutere iugum, & ab obedientia *Miecslai* Regis & regni *Poloniæ* ſe ſoluere *Pomerani* aliorum defectionem & exemplum ſequuti tentauerunt. Principali enim nobili, & qui apud illos opibus prudentia & factiuitate præſtabat, faſces regiminis deferunt, eumque ſibi in Principem creant, & aſſumunt. Quorum rebellionem defectionemque *Miecslaus* Rex ad eum perlatam moleſtius, quam cæterorum; ferens, indignam illam, vt erat, toleratu iudicans, inſtigantibus illum Conſiliariis & Proceribus *Poloniæ*, *ne tàm manifeſtam iniuriam, dedecus nouum, ſciſſuram verò regno ſuo inferentem inultam ſinat iri.* Itaque expeditione indicta ex omnibus terris, quæ Imperio ſuo parebant, colligit numeroſum & fortem exercitum, & quo magis eſſet glorioſior conſpectiorque & *Pomeranis*, quibus inferendum erat bellum, terribilior, tres Duces *Vngarorum*, *Andream*, *Belam*, & *Leuentam*, *Stephani* Regis *Vngariæ* nepotes, quos ex *Vngaria*, vt ſupra monſtrauimus, fugientes ſuſceperat, & more regio, iureque hoſpitis tractauerat qui ipſe munus huiusmodi belli & militiæ ſibi non negari plurimis inſtantiis depoſcebant, aſſumit, ordinatoque exercitu copiis conuenientibus in *Pomeraniam* exercitum traducit. Collegerat & *Pomeranorum* Tyrannus, & ex *Pomeranis* & finitimis gentibus haud contemnendum exercitum, fortunamque tentare. & cum Rege, ac Domino ſuo *Miecslao* nil conſcientia patrati in eum ſceleris & defectionis motus quamprimùm decernere, ne & a ſuis & auxiliariis, tempore ſuccedente, deſereretur, conſtituit. Itaque nil cunctatus exercitum producit, & cum *Miecslao Polonorum* Rege confligit. Augebat animum *Polonis* iſta ira, quod proprii conſanguinei, familiares, & ſubditi eius vltrò arma inferunt; *Pomeranos* ſceleris in Regem commiſſi recens atrocitas incendebat. Quapropter ab vtraque parte acriter pugnatum eſt. Sternuntur tandem *Pomerani*, & *Miecslaus* Rex felici victoria potitus, autores defectionis capitali mulctat pœna, cæteræ multitudini ignoſcit.

& Belæ Vngariæ Duci fortiter pugnanti filiam tradit,

Et quoniam in huiusmodi pugna virtus *Belæ* Ducis *Vngarorum* ſuper cunctos enituit, *Miecslaus* Rex illum, vt dignum erat, præmians, generum ſibi elegit, & dans ei filiam ſuam in vxorem, etiam vniuerſum cenſum *Pomeranicum* ad tenendum ſtatum Ducalem ſibi conſignat. Qui mirum in modum de tàm ſublimi beneficio, & honore ſibi præſtito exultans, magna deinceps fide, officio, & affectione, tàm *Miecslaum* Regem, quàm *Polonos* coluit, & pluribus annis manſionem ſuam in *Polonia* continuata, ex filia Regis duos filios, illic commorando, *Geyſzam* videlicet & *Wladislaum* infantes ingenuos ſuſcepit.

ex qua naſcuntur Geyſza, & Wladislaus S. Hungariæ Rex

Hic quoque eſt ille *Wladislaus*, qui ad virilem ætatem perueniens, & ſceptra Regis *Vngariæ* tenuit, & ob vitæ ſanctimoniam in Diuorum catalogum translatus eſt. Aliis placet *Belam Vngariæ* Ducem cum tyranno *Pomeraniæ* congreſ-

M 3 ſum,

1032. ſum, ſingulari illum certamine viciſſe, & ob id in generum Regis adſcitum eſſe.

Gomponi Archiep. Cracouienſi ſuccedit Rachelinus.

Abſumptus eſt *Cracouienſis* Eccleſiæ Archiepiſcopus *Gompo* nomine, dum annis nouem Eccleſiam eandem rexiſſet. In locum autem eius *Rachelinus* à Summo Pontifice *Ioanne* XXI. prouiſus ſucceſſit. Per Prælatos vero & Canonicos *Cracouienſes* XXV. die Auguſti ad præſidendum *Cracouienſi* Eccleſiæ in Pontificem via ſcrutinii celebrato generali Capitulo, conformiter electus, vir Italicæ nationis proſapiam habens nobilem, & actionem virtuoſam.

1033. Quietus is annus *Polonis* fuit, neque aut ad inferendum bellum finitimis, aut ad repellendum cogebantur. Quamuis enim, vt ſuperius monſtrauimus, plures regiones & gentes à Regis *Polonorum Miecslai* ditione & imperio defeciſſent: earum tamen defectionem *Miecslaus* Rex *Poloniæ* diſſimulanter ferre, quam armis vindicare, maluit, nec enim paternus illi inerat animus, otioque & quiete marceſcere: quam armis occupari malebat, in luxum inſuper & carnales illecebras, vt aliquorum habet aſſertio, diffluens, ius matrimoniale regiumque nomen pellicum contagione fœdabat. Quapropter nec propriis tam grauis aut glorioſus, neque hoſtibus, æque, vt Pater erat, eſſe poterat formidabilis, ſed neque bella ab eo geſta virtutis conſtat fuiſſe, ſed neceſſitatis, non voluntate, ſed hoſte, aut defectione exigente, ſuſcepta, Rempublicam quoque Regni ſui vt deſidioſus ignauiter adminiſtrabat, vnde & odium à ſubiectis exortum eſt. Concepta autem ex eo *Rikſcha* Regina *Poloniæ* infantem animo eodem progenuit, cui auitum nomen in baptiſmo imponens, *Boleslaum* illum vocauit. Non durauit tamen infans ipſe diuinitate irata, & *Miecslai* Regis, ſucceſſu ſuis tranſgreſſionibus non aſpirante, ſed poſt menſes aliquot tactus infirmitate, non ſine vtriuſque parentis grandi mœrore, occubuit. Nil in *Miecslao* Rege ſanguinis auiti, nil paternæ induſtriæ, nil ſplendoris domeſtici, nil regiæ munificentiæ aut frugalitatis, famam denique ſuam aut exiſtimationem fuſcam & truncam, fecerat, apud proprios & exteros tenacitatis & ſuapte innatæ, & à conſorte Regina *Rikſcha* nutritæ obſcuritas. Graue itaque Proceribus videbatur pondus ſui regiminis, acta ſua ad nutum fœmineum moderans, grauior aliquanto apud exteras nationes tributas pendentes oriebatur ſarcina inuidiæ, dum *Miecſlaum Poloniæ* Regem attenderent, regia quidem dignitate ſplendere, ſed morum & virtutum regiarum non habere lampadem, & ex muliebri pendere arbitrio, qui velut timidus atque iners animum puſillanimitate atque pauore obliterauerat, vacans ventri, ſomno, otio, & voluptati, non ob aliud magis apud proprios & exteros contemptui habitus, niſi quia pro grauitate per iniquitatem & violentiam negligentior ad vindictam extiterat.

Miecſlaus Rex ob varia vitia ſuis incipit eſſe inuiſus.

1032. Cum regimen *Wlatiſlauienſis* Eccleſiæ, alias *Cruſuicienſis*, Marcellus primus annis duobus & viginti adminiſtraſſet; moritur, & in Eccleſia Parochiali in *Dwirezno*, in qua & alii duo ſui immediati Prædeceſſores conditi fuerant, ſepelitur, morbo febrili conſumptus, cui *Venantius* vir *Italicus* à Capitularibus electus, & à *Serbio* Papa quarto prouiſus ſuccedit.

Marcello I. Ep. Wladiſlauienſi ſuccedit Venantius.

Mſcislao Ruſſiæ & Czernieiouienſi Duce, dum venationibus operam daret, abſumpto, & in Eccleſia ſancti Saluatoris, quam ædificauerat, ſepulto, *Iaroslaus Kiouienſis* Dux illi, quia non reliquerat ſucceſſorem, in Principatu ſucceſſit, & Monarchiam totius *Ruſſiæ*, quod lingua *Ruthenica* ſonat *Iednowladec* gerere cepit. *Iaroslao* autem prædicto *Ruſſiæ* Duce apud *Nouogrod* commoranti *Pieczynigorum* gens in grandi multitudine veniens, *Kiow* violauit. Qua nouitate *Iaroslaus* per ſignificationem celeris nuncii accepta, contractis vbique copiis, in *Kiow* aduenit, & cum *Pieczyngis* obuiam ſibi euntibus, congreſſus fortiter depugnat, vtriſque autem pro victoria adnitentibus, cæduntur *Pieczyngi*, & multi, dum fugere contendunt, ſuffocantur in aquis, cæteri aut capiuntur aut fugantur. In ſignum autem victoriæ in loco certaminis Eccleſiam S. *Zophiæ*, ante conflictum votum *Iaroslaus* erigit. Quæ poſt honore Metropolitico inſignita fuit. Eodem anno naſcitur *Iaroslao* Duci *Kiouienſi* filius, & imponitur ſibi nomen *Venceslaus*.

Mſcislao Ruſſiæ Duci ſuccedit Iaroslaus, qui Pieczyngos vincit.

1034. Nondum *Miecslaum Poloniæ* Regem ſenectus grandæua affecerat, nondum morborum aut curarum onere preſſus, diem fato propinquam creditus eſt tenuiſſe. Vegeto ſiquidem tunc & ſtrenuo corpore erat, neque illum quiſquam rebatur moriturum, vt pote annum quinquageſimum ſuper egreſſum, ſiue tamen naturali curſu id agente, ſiue Deo permittente, ſiue aliqua vi morbi, quæ ex lubricitate & petulantia prouenire facile poterat, eum exagitante, in amentiam incidit, qua crebris vicibus non ſine cruciatu corporis vexabatur. Quo quidem miſerando caſu ſuo, & defectio nationum regionumque, quæ à ſuo deſciuerant Imperio, confirmata ſtabilitaque eſt, & rurſum etiam, qui metu continebantur, ad defectionem ſpectare cœperunt. Habebat ſiquidem ſui languoris interdum alleuiationem, & quaſi ſpes lucidi interualli illi adueniebat, rediturusque ad bonam mentem & valetudinem ſperabatur, eaſque ſpes & ſubiectas nationes in fide, & milites in ordine, retinebat. Adminiſtratio interim Regni apud *Rikſcham* Reginam erat, & ſingula ex eius arbitrio & ordinatione gerebantur: verum dum menſibus aliquot, neque medicorum induſtria, neque virtute herbarum graſſantem, in Rege morborum potuiſſet diſſoluere, ægritudine inualeſcente 15. Martii mortuus eſt, in caſtrum *Poſnanienſe*, ad cuius exequias cohoneſtandas Prælati & Barones *Poloniæ* literis & nunciis

Miecslaus Rex in dementiam incidit, & moritur.

Rikſcha

1034. *Rikſchæ* Reginæ accerſiti, conueniunt, & funus regium debito iuſtoque honore proſequuti, in *Poſnanienſi* Cathedrali Eccleſia ſepe- A litur, eidemque exequias peragunt, corpuſque Regis in paterno ſepulchro condunt. Habebat quidem & Reginam, & Primates Regni dolor ingens ſuper *Miecslai* Regis ſui occaſu, ſed dementiæ reſpectus adferebat leuamen. Poſtquam Regis morte ſublatum fuit, tantum moleſtiæ, quo & ipſi, & Regnum, afficiebantur. Opprobrium quidem chriſtianæ religionis cultum gerebat præcipuum, verum paternis moribus longe diſſimilis, ille enim bello promptus, hic ſegnis: ille armorum exercitatione Regni *Polonici* dilatauerat imperium, hic amiſerat: ille & propriis & extraneis gratus, & formidabilis: hic exoſus & contemptibilis: ille in ſingulos liberalis & munificus: B hic tenax & parcus. Subito & vires *Polonicarum* legionum frangi, copiæ profligari, & in deterius diſcrimen ac pauorem verti, & ſingula ad perniciem relabi, propter eius ignauiam, cœpere.

Comparatio eius cum Parente.

Iaroslaus Ruſsiæ Dux monaſteria & templa ædificat & exornat.

A bellis ad religiones *Iaroslaus Ruſsiæ* Dux conuerſus, plura monaſteria non ſolum virorum, ſed & fœminarum, pluresque Eccleſias in *Kiow* fundat & ædificat. Extruit deinde ſumptuoſo muro Eccleſiam S. *Zophiæ*, cuius turrim tabulis deauratis tegit, Eccleſiam vero vaſis aureis & argenteis, libris & veſtibus precioſis dotat, nobilitat, & exornat. Portam inſuper, *Poloniam* reſpicientem, pro ſua, & vrbis magnificentia demonſtranda, largiſſimo C & profuſo ſumptu ædificat, eamque auream vocari iubet, quod portas illius laminas, & cacumen tabulis deauratis ornauerat.

1035. Ad ſubſtituendum, in loco *Miecslai* Regis *Poloniæ* defuncti, nouum Regem *Polonorum*, Proceres apud *Gneſnam* & *Poſnaniam* aliquot tenuere conuentus. Pluribuſque conuentibus, & tractatibus interpoſitis; de firmando ſtabiliendoque nouo Regni ſtatu diſcordabant. Aliis enim placebat filium Regis *Cazimirum*, iam annum 20. ingreſſum, coronare, & in Principatum aſſumere: aliis ætas *Cazimiri* tenera & iuuenilis, Principatuique nondum apta videbatur: Verebantur nonnulli ne paternæ dementiæ redoleret in illo mixtura. Sciſis D itaque Procerum votis, Coronatio *Cazimiri* regii nati dilata & impedita eſt, & in tam grandem periclitationem ac perniciem graſſata, vt Regnum alioquin *Boleslai* primi Regis inſtitutionibus domeſticis & armis glorioſum & inclytum, pene vſque ad internecionem, vt in ſequentibus narrabimus, perduxerit. Coronationem autem & inſtitutionem futuri Regis ſuſpendi & differri placuit, vt circa *Rikſcham* Reginam *Poloniæ*, & certos curatores ex Baronibus *Poloniæ* ſibi adiunctos, regiminis ſumma conſiſteret. Habet & nonnullorum aſſertio *Cazimiri* filii *Miecslai* coronationem tunc ea tenus impeditam magis, quam ſuſpen-

Diſsidia de creatione noui Regis.

1035. ſam fuiſſe, quod genitrix ſua *Rikſcha* Regina maritum ſuum *Miecslaum* Regem, ſuis conſiliis & perſuaſionibus eo duxiſſet, vt tam regalium, quam militarium villarum danias, ſuffragia, collectas & tributa in ſingulis præcipue feſtiuitatibus pro menſa & coquina Regis ſolutionem indixerit, morte quoque *Miecslai* Regis mariti ſecuta, ſolutionem huiuſmodi daniarum, quam Barones & milites ſummopere inſtabant reſcindi, Regina volebat continuari. Nec patiebatur vt filius *Cazimirus* Patri in Regno ſucceſſurus quicquam ex Paternis inſtitutis minueret. Quapropter filio magnam, maiorem ſibi, apud Baronum & militum animos conflauit indignationem, & inuidiam, eo vſque gliſcentem, vt Rempublicam ſuam peſſundatam iri, paſſionibus non temperando, ſinerent, ſed & Proceres, neque dicere neque facere quicquam penſi habebant dummodo Reginam comitante *Cazimiro*, perpellerent; non attendentes, quod expulſione huiuſmodi ſe, & Rempublicam ſuam obſtinatis animis perditum irent.

Ioanne Papa XXI. mortuo, qui ſedit annis vndecim & diebus nouem, ceſſauit Epiſcopatus diebus octo. Cui *Benedictus* nonus, qui & *Theophilactus* natione *Tuſculanus*, ex patre *Alberico* ſuccedit, homo vitæ impuræ, ob quam cuidam in ſpecie vrſina & aſinina apparens damnatum ſe perpetuo ſignificauit.

Ioanni XXI Pont. ſuccedit Benedictus IX.

Poſnanienſem Eccleſiam cum *Paulinus* Pontifex annis XV. pie, prudenter, & ſtudioſe rexiſſet, poſt diuturnam valetudinem febrilem, morbo ſuperante remedia moritur, & in *Poſnanienſi* Eccleſia ſepelitur. Cui *Benedictus* primus natione *Siculus* ex *Neapoli* ortus non ſine grauamine cleri, poſt biennium ſuccedit, ciuili bello electa Regina *Rikſcha* & filio ſuo, ſtridente inter *Polonos*, & pendente Interregno. Anno Domini 1037. à *Benedicto* Papa IX. prouiſus, & à *Stephano Gneſnenſi* Archiepiſcopo conſecratus.

Paulino Epiſc. Poſnanienſi ſuccedit Benedictus I.

1036. Turbatio diſſenſionum & ſchiſmatum quæ ex morte Regis *Miecslai* Baronum & militarium, liuore in Reginam *Rikſcham* inſurgente conflata fuerat, amplius inualeſcere, & vires ſuas plus ſolito extendere cœperat. Omnis ſiquidem culpa in Reginam *Rikſcham* per Barones & militares retorta, primum ſucceſſionem Regni, & ſuſceptionem diadematis *Cazimiro* ademit, deinde & furorem ciuilem ſenſim exemit, nam etſi pluribus tributis, datiis, & honorantiis Reginæ *Rikſchæ* fabrica & ingenio introductis, ſe, ſuoſque homines quererentur militares oneroſa ſeruitute grauatos, amplior tamen illos occupabat amaritudo, quod ſeruitutem ipſam Reginæ *Rikſchæ* autoritas & induſtria non ſinebat, iuxta preces militarium aliquoties apud eam & filium *Cazimirum* repetitas abrogari. His tamen omnibus maxima acerbitas, fatis iam *Poloniam* appetentibus, accedebat, ipſa ſiquidem Regina *Rikſcha*,

Interregnum.

1036. *Rikſcba*, & in Regis *Miecslai* mariti ſui vita, diuturno tempore, & poſtquam è vita ſubtractus erat *Polonos* peroſa, mores eorum & con- A uerſationem faſtidiens, rigida interdum ſugillatione carpebat. Tenebat inſuper & in aula ſua, & in officiis *Almanos*, neglectisque & vt verius loquar, contemptis *Polonorum* Proceribus, & eorum filiis quantumcunque primis & ingenuis quoslibet *Teutonicos* inquilinos ſortis & conditionis tenuis ac infimæ homines in conferendis officiis & in largiendis pecuniis præferebat. Verùm etſi ludibrium huiusmodi in vita Regis *Miecslai* ad grauem iniuriam & contumeliam referrent, reſcindi tamen illud non rati ſe habere poteſtatem æquius ſufferebant. Vbi verò occaſio & facultas diluendæ publicæ ignominiæ oblata eſt, tanto liuore, tantoque reciproco odio in Reginam, ſed B ne tum quidem iuſtæ eorum indignationi morem gerentem vniuerſorum *Polonorum* exarmata ſuccenſaque ſunt pectora, vt primùm omnem obedientiam adminiſtrationemque Regni, tàm Reginæ, quàm filio ſuo ſubtraherent, deinde ſibi, caſtris, & ciuitatibus, cæterisque poſſeſſionibus ademptis, Regno etiam illam excluderent, & poſtremò cum filio Regno *Poloniæ* excedere, & ad *Almanos*, quos tanto dignabatur honore, transmigrare iuberent. Regina ſiquidem *Rikſcba* poſt mortem mariti *Miecslai Poloniæ* Regis regebat Regnum *Polonicum*, nutriens in ſceptra adoleſcentem *Cazimirum*, quem ex *Miecslao* Rege, vt præmiſimus, ſuſceperat, fœmina quidem virilem ge- C rens animum, & in *Chriſti* religione non feriata, pietati, & virtuti dans operam, ſed quæ habenas *Polonici* Regni parum prouidè, & ciuiliter viſa eſt *Polonis* adminiſtraſſe. Virium enim ſuarum & fœmineæ conditionis immemor, felicitatem in ſtultitiam vertit, malo grauiorique conſilio vſa. Primum contemptui habere nomen *Polonicum* cœpit, deſpiciens omnes, & ſola vniuerſa pro imperio agens. Nulli, præterquam *Almano*, ſua credere conſilia, *Polonorum* verò aſpernari potioresque conſueuit Magiſtratus in *Almanos* conferre, *Polonos* abiicere. Quarum rerum indignitate moti Proceres Regni in ſtultitiam Reginæ & filii ſui *Cazimiri*, ſtulti & ipſi conſpirant, viamque D ſcelerati, & ad extremum dementis conſilii arripiunt, Reginam *Rikſcham* cum filio *Cazimiro*, ne quoque adultus morum maternorum foret ſectator, expellunt, damnationeque iniuſta atque indigna, neque ſexui, neque conditioni, neque ætati, parcentes, vtrumque exiliant, nihilque infeſtius vnquam de ſe & patria de templis, de delubris, focis, & pignoribus conſulendo acerbius. Cùm tamen *Cazimiro* infanti, velut iuuenculo & omnis contemptionis atque culpæ maternæ ignaro, etiamſi grauius quicquam deliquiſſet, & propter ætatem, & *Boleslaum* auum fuerat ignoſcendum. Sed nil furore populari ſtultius, nam & *Scipionem*, *Alcibiadem* & *Hannibalem*, non exiliari modò ſed & mori inimicorum iniuria & populi coegit ingratitudo. Crebris itaque iniuriis & moleſtiis *Rikſcba* Regina *Poloniæ* à Proceribus & militibus *Polonorum* affecta, & ne in ſe & filium ſuum *Cazimirum Polonorum* ira grauius quicquam conſuleret, verita, de *Polonia* in *Saxoniam*, in *Maideburg*, & *Brunſuig*, pulſa excedit, filium quoque ſuum *Cazimirum* ſecum educit. Sed neque his contenta, omnem in auro, argento, gemmis, & lapidibus precioſis ſuppellectilem, per *Boleslaum* & *Miecslaum Poloniæ* Reges congeſtam, magnique ponderis, & valoris duas coronas, quibus Reges & vxor *Boleslai* primi Regis, & tandem ipſa *Rikſcba* coronati erant, ſed & plura alia clenodia, monilia, vaſa, & inſignia, caris & præſtantiſſimis gemmis, vnionibus, fulgentia, item pecuniæ regiæ ex theſauro grandem quantitatem aufert, & aſportat, *Poloniæque* regnum ingenti theſauro ſpoliat. In *Saxoniam* autem perueniens Imperatorem primùm adiit, à quo officioſè & venerabiliter ſuſcepta duabus coronis, quas ſecum ex *Polonia* duxerat, Imperatorem honorauit, & de iniuriis, quibus à *Polonis* afflicta fuiſſet, queſta, ſeipſum, & filium ſuum *Cazimirum* in tutelam & gubernationem Imperatoris commendauit. Et Imperator quidem miſſo in fines *Poloniæ* exercitu, iniuriam eius ſuperficietenus vindicare viſus eſt. Ipſa verò pro his, quæ ex *Polonia* detulerat, plurimas & inſignes poſſeſſiones, & ſibi, & filio ſuffecturas coëmit. Vt autem filius ſuus *Cazimirus* ad virtutum ſpecimen poſſit pertingere, in ſtudium cum *Galliarum Parriſios* temporis proceſſu tranſmittit, vbi *Polonico* nomine *Cazimirus*, quod illius expreſſio & ſonus barbarus videbatur, immutato, *Carolus* cœpit deinceps vocitari. Ex Regina autem exul facta, oſtendit prouerbium vulgare verum eſſe, *ſecundam fortunam ſtulto nequaquam poſſe eſſe diuturnam*. Aſſertio inſuper aliquorum habet, quòd *Cazimirus* filius regius, matre ſua *Rikſcba* Regina in *Almaniam* exulante, in *Pannonias* ad *Stephanum Vngariæ* Regem diuerterat, licet *Bohemi* ad ſe illum venire inuitauerint, non ex benignitate, ſed ex liuore, vt facilius ſuum procurarent interitum. A *Stephano* autem *Vngariæ* Rege humanè habitus, & muneribus plurimis onuſtus diſcedens, ad Imperatorem, vbi genitrix ſua morabatur, aduenit, cuius expulſio vniuerſam fermè *Poloniam* impendenti ruina inuoluit. 1036.

Poloni Rikſcham & Caſimirum Miecslai filium in exilium pellunt.

Languore podagrico aliquandiu *Lucillius Smogorzouienſis* ſiue *Wratislauienſis* Eccleſiæ Epiſcopus vexatus, moritur & in *Smogorzouienſi* Eccleſia ſepelitur, annis IX. functus officio Pontificali. Cui *Leonardus* primus *Smogorzouienſis* Decanus, natione Italus, genere nobilis, interregno apud *Polonos* durante, promouente tamen illum *Rikſcba Poloniæ* Regis *Miecslai* relicta, per *Benedictum*

Lucillio Epiſc. Wratiſlauienſi ſuccedit Leonardus I.

IX.

1036. IX. Papam prouiſus,& per *Stephanum* Archiepiſcopum *Gneſnenſem* conſecutus ſucceſſit.

Boleſlao Bohemiæ Duce cum duobus filiis mortuo

Boleſlaus Dux *Bohemiæ* à *Boleſlao Polonorum* Rege excœcatus,& filius ſuus *Vdalricus*, quem præfatus *Boleſlaus Poloniæ* Rex, ex ſuo ergaſtulo liberum dimiſerat, mortem ſubierunt. In quorum locum,quia *Iaromir* à fratre ſuo *Vdalrico* excœcatus, propter carentiam viſus,ſuccedere non poterat,nepotem ſuum germanum *Bretiſlaum Vdalrici* filium,ex ruſticana,vt præmiſimus, fœmina genitum, ſurrogatum in *Bohemiæ* Ducatum,pluribus perſuaſionibus illum commonens,& exhortans,*vt genus Vrſouicenſium Bohemiæ Ducibus ſemper inſidum & infeſtum, quorum excæcatio & ſuo & patris ſuaſu peruenerat, poneret in exterminium ſempiternum.* Quam contumeliam vnus ex genere prædicto, nomine *Koczai*, grauiùs ferens, præfatum *Iaromirum* aluum purgantem,lancea acutiſſima per poſteriora tranſuerberans miſerabiliter extinxit, ſicque ſub vnius anni ſpatio *Boleſlaus* Dux *Bohemiæ*, cum duobus filiis abſumptus eſt, & Regina *Poloniæ Rikſcha* cum filio vnico *Cazimiro*,è *Poloniæ* Regno exiliata. Viſusque eſt annus ille & *Poloniæ* Regibus,& *Bohemiæ* Principibus fatalis extitiſſe,& fuiſſe.

ſuccedit Bretiſlaus.

1037. *Rikſcha Polonorum* Regina cum filio ſuo *Cazimiro* ex *Polonia* ſecedente, gliſcens dudum ciuilis diſſenſio ſerpere amplius, & confeſtim tumultuari Regnum *Polonicum* cœpit, Res quoque omnes publicæ,aut in ſeditionem ſpectare,aut ſola in diſcordia verſari, & quaſi quædam tabes vniuerſum Regnum *Poloniæ* ſcaturientibus vndique commotionibus & guerris, peruaſit. Et primùm quidem inter Proceres, Barones, & militares crebræ clades oriebantur, per quas & præcipui bellatores,& ingenui homines abſumpti, deletique mutua cæde forent, in locum illorum vilia ſeruorum mancipia,præbentibus illis ciuilibus bellis audaciam,ſuccedebant, Baronumque & militarium peremptorum coniuges,& poſſeſſiones,interfectis,ſi qui relinquebantur,liberis, occupabant,& ſuas in illis,cæteriſque ingenuis fœminis,& matronis,explebant libidines & inceſtus. Vbi verò tantorum ſcelerum factio ſuis impuniter,(neque enim iam leges in metu, neq; priores in æſtimatione habebantur)procedebat, illicò ſeruorum ruſticorumque agros & aratra linquentium,maximus numerus conflatus eſt, qui deinde Ducibus à ſe lectis,armis correpti, paſſim omnibus nobilibus, omnibuſque bonis bellum inferrent,& ſingulos, quos vincebant, bonis eorum exturbatis,occupatis,aut direptis, obtruncabant, in cæteros, quos ſubigire non poterant,vicos,villas,& ea omnia, quæ ditionis eorum nouerant eſſe,inflammando crudeliter debacchantur. In hac quoque tempeſtate,neque templis,neque ſacris locis,& miniſtris Dei indultum eſt,ſed rapacibus,& ſacrilegis manibus, templa magis inſignia & locupletia ſpoliata,bona Eccleſiarum direpta ſunt,in ſacerdotes vario mortis genere ſæuitum eſt. Alii enim mucronibus & lanceis perfodiebantur, alii iugulabantur. Cæteri lapidibus, quaſi quædam victimæ,à profanis hominibus, qui non ſolum fidem & religionem,ſed etiam pietatem & humanitatem à ſe abdicauerant, obruebantur. Ad ritus inſuper gentiles & profanos nonnulli redeundum conſentiebant, & ob id contra ius & fas omnia diuina atque humana permixta erant,plures quoque Eccleſiæ deſertæ, ferarum animalium, & beſtiarum erant cubilia. Tantus quoque belli ciuilis fremitus & ſtridor contagione quadam animis multorum iniectus fuerat; vt ſingulæ Regni *Poloniæ* partes,verſo in propria viſcera gladio, aut mutua & cruenta cæde, aut incendiis & depopulationibus agrorum flagrabant.Omnia itinera ſuſpecta & viæ ſpoliantium prædonum, latronumque plenæ. Rarus extabat locus,qui conſpectu & latebris inſidiantium non ſcaturiret,vix ſolis volucribus laceratæ patriæ tuta,& peruia tellus erat. Agreſtes quoque his vexati aſſiduò ſpatio malis,deſertis,quibus in pace inſudare conſueuerant agricultura,& regionibus in prædones rapaciſſimos concreuerant. Maxima quoque rerum *Polonicalium*, tàm commutatio,quàm confuſio inceſſit, remanſitque,terra populis vacua,ſanguine plena,lachrimis madida, orbata matribus, deſtituta filiis, confuſa cædibus, infecta cruore, deſtituta defenſione,& omnium ſuorum ſolatio deſolata, eoque genere cum iniuriæ proceſſu,vt ſeditionibus domeſticis in ſeipſos manus verterent, latrociniis grauibus affligerentur, teterrimis cladibus ſe inuicem abſumerent. Conſurgunt breui latrones & ſicarii, latronumque & ſicariorum duces, qui non finitimorum, ſed propriorum populantur agros,prædantur domos, ſubſtantiam diripiunt, tecta exurunt, pecora abigunt,& in omnia nefanda graſſantur. Prouincia deinde omni turbata, non longinqua ſolùm,ſed etiam interiora Regni & propinqua collidebantur,ipſa videlicet *Plocenſis* regio,in qua *Maſlaus* vnus ex nobilitate,poculorumque regiorum Subpincerna , & ipſe olim Regi *Miecſlao* charus,quod ſcelus in aliorum redargutione abhorrere & vindicare debuerat commiſſum,ſe *Plocenſem* Principem gerere cœpit. Ita *Polonorum* Primores & Proceres non ſentiendo,non videndo, excœcante ira animum, quò dementiæ progreſſi forent, quantum periculi & infamiæ in ſe, quid in patriam, quid in penates,quid denique in Deum & religionem ſuam, eiiciendo *Cazimirum* innocentem, ac omnis culpæ expertem commiſerint, tarda æſtimatione penſare, & ſeriùs facti ſui pœnitere cœperunt. Scelus facilè auſum, facilius patratum, non ſupplicationibus,non hoſtiis,non proprio ſanguine,patriæ inſuper calamitate,& interitu, ac perpetuo tributo expiatum, ſeditiones denique domeſticæ, cædeſque inteſti-

Poloniæ Regnum inteſtinis diſſidiis laborat.

1037. næ,& clandeſtinæ proditiones extemplò apud *Polonos* coauctæ, Rempublicam *Boleslai* magni inſtitutis nondum firmatam peſſundede- A runt. Domeſticis inſuper calamitatibus & malis *Bohemicum* bellum acceſſit, nil domeſtico & ciuili pernicioſius, qui in *Poloniæ* Regnum omni genere crudelitatis graſſati pereuntem ſuaptè *Polonorum* regionem, quo maturiùs periret omnem operam nauarunt.

1038. *Bohemi Poloniam inuadunt,*

Ciuili,& plus quam ciuili,Nobilium videlicet, & popularium furore Regnum *Poloniæ* *Bretislaus Bohemiæ* Dux intelligens dilaceratum & colliſum, & ſuo Rege atque Principe deſtitutum,inuadere illud,velut paratam prædam & amplioribus incommodis afficere, nullam illinc ſciens reſiſtentiam, conſtituit. Ad quod illum non ſolùm acceptæ in excæcatione aui ſui *Boleslai* Ducis *Bohemiæ* per *Boleslaum* B *Chrobri* factæ memoria iniuriæ,ſed liuor & odium,ſimulque occupandi Regni alieni,aut ſaltim exterminandi ſtimulabat ambitio, & praua voluntas. Collecta itaque Nobilium & agreſtium multitudine,*Poloniam* ingreſſus,ciuitates eius magis opulentas & inſignes, *Wratislauiam* videlicet & *Poſnaniam*, oppidaque, vicos,& villas,quas ciuilis ſtridor nondum deleuerat,diripit,& exurit. Ad *Gneſnam* tandem *Polonorum* metropolim perueniens,illam, quæ nec ſitu, nec arte munita erat, ſed neque defenſores habebat,facile capit,& cùm in vrbe tàm vulgata & famoſa Nobilium prædam ſuæ auaritiæ,prout rebatur,ſuffecturam non reperit,neque enim illic niſi vilia mancipia relicta C erant, ad prædanda diripiendaque templa ſacra animum ambitione æſtuantem conuertit. Sed illicò Omnipotentis Dei dignatio, potentiæ ſuæ virtutem oſtendens, mirabili prodigio, ne ſacer locus maximo ſuo & præcipuo prædaretur theſauro, prouidit, & quantum ſacrilegii facinus profanus, & impius *Bretislaus* eſſet admiſſurus, monſtrauit. Dùm enim Dux ipſe *Bretislaus* Eccleſiam *S. Mariæ* metropoliticam *Gneſnenſem* ſpoliaturus aduenisſet, in ipſo limine & aditu, tàm ipſe, quàm omnes milites ſui,& vniuerſa plebs, cæcitate & morbo lethargico, qui illos amplius, quàm triduo detinuit,quoties in Eccleſiã irrumpere,& ſacra diſrumpere tentabant, fuêre per- D cuſſi. Intra autem illorum dierum trium ſpatium, pietate agni cœleſtis, qui *Polonos* verbere ſuæ plagæ mulctari,non ad extremum tamen conſumi permiſit, pauci ex miniſtris Eccleſiæ *Gneſnenſis*, qui cæteris metu belli percuſſis diffugientibus remanſerunt,corpus *S. Adalberti* Pontificis & Martyris in ea conditum,quod veriſimiliter *Bohemos* exiſtimabant ſublaturos,de loco,in quo annis pluribus vniuerſali deuotione quieuerat, abſtrahunt, & in loco vili, ſabulo obrutum, recondunt. Sub illis quoque diebus *Bretislaus Bohemiæ* Dux in quæque propinqua vaſtationem iuſſit extendi,& agreſtes capit. In eam ſpem adductus,vt diſcordia *Polonorum* inteſtina, ſuaque vaſtatione infeſta, Repub. *Polonorum* diſſoluta,*Bohemica* fieret anguſtior. Nam *Bohemos* & Ducem eorum *Bretislaum* exanimatio lethargica, & cæcitas à ſpolio in ſacra perpetrando,trium dierum continuatione deterruerat,reſque apud eos,prout dignum erat, in prodigium & religionem verſa,futuri ſacrilegii facinus in eius magnitudine demonſtrans, conceptum furorem diſſoluebat. *Seuerus* tamen *Pragenſis* Epiſcopus,qui eiuſmodi bello iniuſto ſe miſcuerat, & *Gneſnæ* præſens aderat,*Bohemorum* animos ſuapte in prædam & ſpolia procliues ad proſequendum cœptum ſcelus animat & accendit,aſſerens lethargiæ & excæcationis incommodum, non propter in ſacra Eccleſiæ *Gneſnenſi* per eos committendum ſpolium,ſed propter veteres *Bohemorum* præuaricationes, & ſcelera in catholicam religionem, abutendo illicitis connubiis, perpetrando homicidia, committendo adulteria, ſectando ebrietates,Sabbatha, dieſque feſtos ſeruilibus operibus violando,inceſtuoſè viuendo, ſepulturas mortuorũ in locis profanis, neglectis ædibus ſacris,& cœmiteriis faciendo,& templis ſpolia inferendo, pauperes opprimendo,iniuſta iudicia exercendo, cõmiſſa accidiſſe. Ad quorum expiationem Pontifex *Seuerus Pragenſi* Duci & *Bohemis* triduanum ieiunium indicit. Quo expleto iuriſiurandi execratione ſe adſtringunt, ab omnibus enormibus facinoribus,quibus hactenus ſe inquinauerant,ceſſaturos. Poſt Eccleſiam *Gneſnenſem* ingreſſi,dùm ſolita non ferirentur cæcitate,ad diripienda ſingula ſacra, & omnem Eccleſiæ ſuppellectilem,rapacem animorũ, & manuum ingluuiem,fauere ſibi Diuinitatem credentes,propoſito intendunt. Correptis autem Eccleſiæ *Gneſnenſis*,qui remanſerant,miniſtris, non probris ſolùm, & cruciatibus, ſed etiam ampliſſimis promiſſis illos ſolicitant,vt vbinam corpus *S. Adalberti* Pontificis & Martyris depoſitum ſit,oſtendant. Et illi quidem prudenti & induſtrioſa vafritia vſi, corpus *Gaudentii Gneſnenſis* Archiepiſcopi, & Beati *Adalberti* germani, oſtendunt, illudque eſſe corpus B. *Adalberti* mentiuntur. Creditum eſt illicò à *Bohemis*,nam & ſarcophagi locique & ornamentorum Pontificalium,quibus veſtitum erat corpus *Gaudentii*,qualitas fidem figmentis faciebant. Tollunt itaque *Bohemi* corpus *Gaudentii* & immenſa lætitia,putantes ſe corpus B. *Adalberti* Martyris adeptos eſſe, exultant,& vulgaribus canticis Eccleſiam *Gneſnenſem* replent. Deinde illud magna ſolennitatis pompa de Eccleſia deferunt, & in caſtra ſua traducunt. Quæ quidem ludificatio iuſtiſſima Dei lege & prouidentia eueniſſe *Bohemis* credenda eſt. Qui enim verum Dei, & ſuum tunc Pontificem plurimis probris contumeliis,& iniuriis viuentem affecerant,qui eum geminata vice de ſede ſua ignominioſè eiecerant, qui-

& Gneſnenſem Eccleſiam ſpoliant.

1038.

1038. quique ſæuiſſima cæde fratres ſuos, & vniuerſum genus ſuum odio & liuore necauerant, eius ſacrum corpus *Poloni* qui eum ſuſcepe- A rant, honorificauerant, eius monitis ſalutaribus paruerant, eius corpus ex *Pruſſia* tranſtulerant, auferre diuinitate decernente iudicati ſunt indigni, ſed nec Sanctus ipſe paſſus eſt oſſa ſua ad gentem apoſtatricem referri, quæ, quantum in ea er. t, & in præſentem, & in abſentem, in ſe, ſuosque ſæuiens, ſui nominis memoriam conata eſt, è rerum natura pertinaci animo tollere & abolere, & quorum viuens conſortia viſus eſt fugiendo aſpernari, ab eisdem non tulit corpus ſuum contingi, neque in *Bohemiam* ex *Polonia* auferri. Conuertit poſt præmiſſa *Bretislaus Bohemiæ* Dux animum ad cætera ſacra diripienda, & quinque fratrum, ac Martyrum corpora videlicet *Ioannis, Benedicti, Iſaac, Matthæi*, B *& Criſtini*; quos ſub *Boleslao* primo *Polonorum* Rege, in loco vbi nunc eſt oppidum *Cazimierz* in *Maiori Polonia* eremiticam vitam in arctiſſima conuerſatione agentes monſtrauimus, martyrium p. ſſos, quosque *Boleslaus* Rex primum ex loco eorum paſſionis *Gneſnam* tranſtulerat. Imaginem inſuper crucifixi ex puro auro per *Boleslaum* primum *Polonorum* Regem fabrefactam, & trecentas habentem libras triplici pondere corpus eius appendentem; item tabulas tres, quibus altare magnum adornatum fuerat, auro puro & variis precioſis lapidibus & gemmis ſuperbas, per eundem C *Boleslaum Poloniæ* Regem donatas, cæterasque Eccleſiæ *Gneſnenſis* res, vaſa & clenodia rapit, & ſacrilego facinore Eccleſiam *Gneſnenſem* plurimis ſacris ornamentis, & decoris ſpoliat. Neque his contentus, campanas nobiles, & in magnitudine, valore atque ſono raras aufert, & cum his omnibus, & populi vtriusque ſexus multitudine, quam captam tenebat, in *Bohemiam* reuerſus eſt, & *Pragam* in vigilia S. *Bartholomæi* feliciter ingreſſus, ſacras prædas in Eccleſia maiori *Pragenſi* collocat & deponit, captiuos verò ruſticos *Polonorum*, inter quos & Sacerdotes Miniſtrique Dei videbantur, (tanta enim erat *Bohemorum* crudelitas, vt nec à Chriſtis Domini manum ſuam continerent) in colonias deduci, diſtribuique ordinauit, corpus D Sancti *Chriſtini* ex quinque fratribus, *Morauis* inſtantibus & petentibus, *Olomunceſi* Eccleſiæ, quæ nondum Cathedrali fungebatur honore, donauit, quod apud illam in eum diem ſub tabulis argenteis auro tectis requieſcit, ſuoque titulo & nomine Cathedra *Olomuncenſis* extat dicata.

Stephano S. Hungariæ Rege

STEPHANVS Hungarorum, ſeu vt verius loquar, *Pannoniorum* Beatus Rex, fati ſibi diem inſtare prænoſcens, cùm orbus, & ſine liberis foret, de Regno *Hungariæ*, antequam vita excederet, ne ſchiſmate & ſeditione ciuili illud contingeret, inuolui, ordinaturus, mittit in *Nitriam*, vt *Vazul*, patruelis ſui *Michaelis* filius, quem illic ad honeſtam captiuitatem, reprimendo ſuam inſolentiam, Rex *Stephanus* damnauerat, adducatur, illum enim ſibi in *Hungariæ* Regno deliberauerat ſucceſſurum. Vxor autem *B. Stephani* Regis *Giſla* Regina *Vilhelmi* Ducis *Burgundiorum* filia, & iuxta aſſertionem nonnullorum, ſoror *Henrici* Imperatoris, decretum mariti ſui ſatagens reſcindere, & fratrem ſuum *Petrum*, ex vno quidem Patre, ſed ex altera matre, ſorore videlicet germana *B. Stephani* Regis genitum, & qui in aula *Stephani* Regis, velut nepos ſuus annis pluribus commoratus, & à Rege *Stephano* ex *Venetiis* accerſitus, Princeps creatus militiæ, multorum *Hungarorum* fauores, & beneuolentiam, procurante Regina *Giſla*, ſibi conciliauerat, in Regnum *Hungariæ* præficere, *Vazul* excœcari, auribusq; truncari, & per omnia deformem, mutilum, atque deſpectum effici ſubordinat. Quo malo *B. Stephano* Regi *Hungariæ* nunciato, febri correptus & nimio dolore vexatus, 15. Septembris in vigilia Aſſumptionis Dominæ noſtræ *Budæ*, dùm annos ſex & quadraginta Regnum *Hungariæ* adminiſtraſſet, moritur, & in *Albam Regalem* relatus, flente eum vniuerſo *Hungaricali* populo, ſepelitur, vbi Diuinitate præſtante meritis ſuis varia in languidis prouenire cœperunt miracula, quibus expoſt largiùs crebreſcentibus Rex *B. Stephanus* in cœlicolarum numerum aſcriptus & translatus. Diebus autem planctus expletis, poſtquam omnia ſacro corpori ab *Hungaris* fuiſſent perſoluta, Regina *Giſla*, & *Buda Hungariæ* Barone, cuius tùm inter *Hungaros* magna erat reputatio, procurante, dùm nemo de ſemine regio, filiis *Wladislai* videlicet *Andrea, Bela*, & *Leuanta* in *Poloniæ* Regno exulantibus, & filiis *Michaëlis* obtruncatis, extaret, *Petrus Vilhelmi* Ducis *Burgundiorum* filius, & *B. Stephani* nepos ex ſorore in *Hungariæ* Regem aſſumitur, & in *Alba Regali* per *Strigonienſem* Archiepiſcopum, & cæteros *Hungariæ* Pontifices, conſentiente in eum vniuerſali Baronum *Hungariæ* decreto, coronatur. Qui primus apud *Hungaros* peregrinus Rex perhibetur fuiſſe. Annales autem *Hungarorum* eum non ex *Burgundiorum* genere, ſed ſtirpis *Teutonicæ* fuiſſe teſtantur, Beati *Sigiſmundi Burgundiorum* Regis, germanum ex fratre nepotem. 1038.

mortuo

ſuccedit Petrus Wilhelmi Ducis Burgundiæ filius.

Caſimirus Pariſiis ſtudet.

Quæſitura autem filio ſuo chariſſimo *Cazimiro* Regina *Poloniæ Rikſcha*, dùm iam in *Almaniæ* terris conſiſteret, ampliora virtutum & induſtriæ vltra dotes naturæ ornamenta, ipſum ſtudiis liberalibus imbuendum *Pariſiis*, adiunctis honeſtis pædagogis & ſeruitoribus datis nummariis & ſumptibus, & cætera ſuppellectili transmittit. Qui inſitam habens ab annis teneris virtutis cupiditatem ipſam tandem in actione conſiſtere intelligens, non ideo ſe tantum ſtudioſum & docilem præſtitit, vt ſciret, niſi & ſcita magis magisque operando exerceret, & aliis non ſibi ſoli proficeret.

Cazimirus filius *Miecslai Polonorum* Regis, qui & *Carolus* nominatus eſt, dùm in *Pariſienſi* Scho-

1038. ſchola integro biennio ſtudiis operam, matre Regina *Rikſcha*, impenſas largas miniſtrante, dediſſet, & plures coætaneos ſuos, tàm ingenio A & arte, quam forma excederet, cœpit apud vniuerſos opinione & fama celebris haberi. Erat enim corporis effigie formoſus, ſtatura procerus, membrorum robore inſignis, ſenſuum viuacitatem, atque integram retinens valetudinem, & cui boni mores virtuteſque iuxta atque literæ erant in voluptate. Veritus autem ne aliquando generis ſui & fortunæ, in qua erat tàm conditio, quàm qualitas, quam prudenti & induſtrioſo velamine in eam diem occulebat, proderetur, variis æſtibus mentis & ſpiritus collidebatur, & an ad patriam rediret, aut in *Almania* vel *Galliis* conſiſteret, militiamne an B Eccleſiaſticam ſortem mallet, longo tempore deliberabundus fluctuabat. Quotiens enim naturali, & ingenito ardore patriæ repeteret cogitationem, & deſiderium ſibi inſediſſet, totiens exilii iniuria, Regni, & ciuili, & hoſtili bello ſubſecuta deſolatio & vaſtitas, prauus quoque & liuoroſus in ſe Procerum *Poloniæ* animus, & deſectio, ſuſciperetur ne, an excluderetur, ambiguitas, matris quoque *Polonis* iratæ, diſſuaſiones & conſilia propoſitum huiusmodi reſcindebant. Si vero in *Almania* aut *Gallijs* ſubſiſtendi cogitatio animum ſubiiſſet, ſubitò grandes ſugillationes, & ipſa exilii ab inuidis C obiicenda exprobratio occurrebat. Tantis igitur fluctuationibus quaſſatus pro euitando, detorquendoque opprobrii dedecore, & pro conſequenda cœleſtis Regni ſorte & ſplendore, monaſterium ingredi, & in regulari obſeruantia Chriſto militare, in animum induxit, eaque deliberatione, velut medio optimo, quo ſingulas incommoditates euitare poſſet, aſſumpta, ad beatum *Romualdum*, qui pro ea tempeſtate magnæ ſanctitatis, vt erat, vir habebatur, in *Italiam* ex *Gallijs* deſcendit, donatoque ei pulcherrimo, quem ex *Polonia* habuerat, caballo, & quiſnam, cuiuſnè nationis, generis, Regni & fortunæ eſſet, quouè teneretur deſiderio, innoteſcens, confirmationem ab eo petit, & indumentum monachale recipiens in *Gallias* rediit, atque in monaſterium, quod *Cluniacenſe* vocatur, frequentiſſimo monachorum numero celebre, in ordine *S. Benedicti*, matre ſua Regina *Rikſcha* deſiderio fauente ſuo, ſe recipi, & tonſurari ſuppreſſa generis ſui, & conditionis excellentia obtinuit, habitumque monachicum aſſumens, illic perpetuo deliteſcere, & in propoſito continentiæ & religionis ſanctæ, cuius in loco prædicto diligens & arcta obſeruantia tunc florebat, omne tempus vitæ in obſequiis diuinis abſumere decreuit. Monaſterium autem præfatum *Cluniacenſe* tàm ampliſſima dote per *Galliarum* Reges prouiſum extat, & tanta monachorum multitudine refertum; vt duodecim priores totidem cohortes monachorum ſub ſuo regimine & cura habentes, & Abbatem tredecimum aſſiduè tenere conſueuerit. 1038.

eius laudes,

in Cluniacenſe monaſterium ingreditur.

Iaroslaus Ruſſiæ Dux intelligens *Poloniam* proprio & externo bello implicatam, & plurimum attritam eſſe, collecto forti exercitu, terreſtri, & nauali itinere venit in *Mazouiæ* oram, & eam cæde, igne & ſpoliis patratis, magno inſuper hominum vtriusque ſexus numero capto, in *Ruſſiam* ſe recepit. Inter hæc mala, hæſque ciuiles & externas *Poloniæ* Regno iuſto Dei iudicio inflictas clades, erant *Boſſuta* Archiepiſcopo *Gneſnenſi*, Viro religioſo & optimo, nocte & interdiu pro panibus luctus, lamenta, fletusque, à quibus magnoperè anguſtiatus & afflictus ad horam extremam perueniens, tabefactum ſpiritum, manſionemq; ſuam peroſum emiſit, in Eccleſiaque *Gneſnenſi* tumulatur. Cui *Stephanus* primus per prouiſionem *Leonis* octaui Interregno durante, Nobilis de domo & familia *Poboz*, babatum album tranſuerſaliter cum cruce rotunditati babati ſuperpoſita, in campo rubeo deferens, genere & natione *Polonus* ſucceſſit.

Iaroslaus Poloniam vaſtat.

Boſſutæ Archiep. Gneſnenſi

ſuccedit Stephanus I.

FINIS LIBRI SECVNDI.

IOAN-

IOANNIS DŁVGOSSI
SEV
LONGINI
CANONICI CRACOVIENSIS,
HISTORIÆ POLONICÆ
LIBER TERTIVS.

A.C. 1039. GRauem & enormem *Gneſnenſis* Eccleſiæ deprædationem per impium *Bretiſlaum Bohemiæ* Ducem, & ſuum exercitum, in ſacrarum & Deo dicatarum rerum ſublatione, & in *Bohemiam* aſportatione commiſſam, Metropolitanus *Gneſnenſis Stephanus* primus qui *Boſſutæ* ſucceſſit, moleſto & amaro animo ferens, *Rachelini* Epiſcopi *Cracouienſis*, cæterorumque Epiſcoporum *Poloniæ* communicato conſilio nuntios notabiles *Romam* mittit, coram Summo Pontifice & Cardinalibus de perpetrato per Ducem *Bretiſlaum*, & *Bohemos* ſacrilegio queſturos. Qui cum Vrbem acceſſiſſent, & coram *Benedicto* Papa nono, audientia obtenta, nefanda Ducis *Bretislai* & *Bohemorum* facinora, ſacrilegia in Deum & Sanctos eius, ſpolia in ſacra & templa, cædem & captiuitatem in orthodoxos & fideles, rapinam in omnes, fideli narratione expoſuiſſent, *Seuerum* quoque *Pragenſem* Epiſcopum omnium ſacrilegiorum huiuſmodi participem & conſcium fuiſſe, ſacrilegiaque ſingula eius ſuaſu & conſilio fuiſſe patrata, Pontifex *Romanus* non ſecus quàm iuſtum erat, motus, longam cum Cardinalibus aliiſque qui tunc in Vrbe aderant Prælatis, tenuit deliberationem. 1039. Et cum omnium pari vnanimique ſententia execrabile ſcelus in *Gneſnenſem* Eccleſiam admiſſum, mucrone Eccleſiaſtico vindicandum cenſeretur, diuerſa tamen dabantur de modo vltionis inferendo vota, & alii quidem decernebant *Bretiſlaum* omni Ducali honore, & fidelium communione priuandum eſſe, alii per triennium in exilium agendum, Epiſcopum verò *Pragenſem Seuerum* à Pontificali gradu deiiciendum, & in monaſterium pro expiatione tanti ſceleris perpetuam illic pœnitentiam acturum, trudendum deprimendumque eſſe. Alii tàm Ducem *Bretiſlaum Bohemiæ*, quam *Seuerum Pragenſem* Epiſcopum vſque ad plenam omnium ſacrorum reſtitutionem, anathematiſandos fore. Hæcque vltima ſententia velut mitior & media ab omnibus accepta eſt. Verùm quia ſedes Apoſtolica parte altera non audita decreta ſua promulgare non conſueuit, perſonalis contra Ducem *Bretiſlaum* & *Seuerum* Epiſcopum *Pragenſem* citatio promulgatur, quorum nuntii dùm *Romam* aduenniſſent, & pro ſcelere ſacrilegii diluendo, verba coram Summo Pontifice facerent,

Stephanus I. Archiep. Gneſnenſis & reliqui Epiſcopi Bretislaum Bohemiæ Ducem ob ſpoliatas Eccleſias apud Pontificem accuſant.

1039. *ſcelus illud* de quo per Eccleſiam *Polonicam* accuſabantur, *non diffidenter Ducem Bretislaum & Seuerum Epiſcopum admiſiſſe, non temeritate* inquiunt *improba, ſed deuotione & pietate forſan ſtulta Sanctorum oſſa, cæteraque ſanctuariorum vaſa ex Gneſna ſublata, & in Pragam relata ſunt, belli enim iure, quod Polonicæ genti inferebat, credidit ſe ſpolium illud iuſte Bretislaus Dux noſter, & populus Bohemicus admiſiſſe.* Tùm verò Papa nuntiis correptis *ſtultam etiam & deliram eorum excuſationem* oſtendit, *nec licere quantumcunque iuſto bello Eccleſias Dei ſuis ſanctuariis, & rebus Deo dicatis ſpoliari, aut oſſa Sanctorum de locis Catholicis ſine Sedis Apoſtolicæ ſpeciali autoritate & conſenſu transferri, cum bella hominibus non cæleſtibus, aut ſacris rebus indicere conueniat. Proinde autem ſingula ſanctuaria Eccleſiæ Gneſnenſi, cæteriſque Polonorum Eccleſiis erepta, aut reſtituerent, aut tàm Ducem Bretislaum, quàm Epiſcopum Seuerum Pragenſem Apoſtolico ſcirent rigore excommunicandum.*

qui per legatos ſe rapta reſtituturum promittit.

Legati verò *Bohemorum* omnium ablatorum reſtitutione Ducis & Epiſcopi nomine repromiſſa, tàm Ducem, quàm Epiſcopum ad complendum, quæ verbo promiſerant, obligant, largis ſermonibus promittendo, *tàm Ducem, quàm Epiſcopum decreto Apoſtolico in omnibus deuotè & humiliter parituros.* In hanc pollicitationem, & obligationem dimiſſi, pleròſque Cardinalium *Bohemorum* nuntii adeunt, pluribuſque largitionibus & promiſſis illos ſollicitant, *vt ſuis conſiliis & ſuffragiis decretum Apoſtolicum de reſtituendis ſanctuariis Eccleſiæ Gneſnenſis reſcindant, aut ſi reſcindere non poſſent, reſpectibus aliquibus executionem eius ſuſpendant.*

Verum Cardinales donis corrupti reſtitutionem differunt.

Ineſcati Cardinales præmiis & precibus cœptam in ſacrilegiũ Principemq; ac Pontificẽ *Pragenſem* ſeueritatem, & ipſi remittunt, & Papæ remittunttendam perſuadent, *non conuenire* aiunt, *grauitati Apoſtolicæ Ducem Bohemiæ, qui per nuntios ſuos omnia illicitè recepta reſtiturum, & præceptis Apoſtol. ſe exhibet pariturum cenſuris aliquibus percelli, & in ſugillationem publicam Principem parere paratum adduci, ne iniuſte irritatus ad rebellionem ſe iuſtam conuertat.* Multiſaria tùm erat Sedem *Romanam* ambientium, & de ea contendentium colliſio. Nam *Sabinenſis* Epiſcopus, qui ſe *Silueſtrum* nominabat, & *Ioannes* Archiepiſcopus *S. Ioannis* ante portam *Latinam*, qui & *Gregorius* ſextus, contra *Benedictum* nonum Papatum vſurpabant. Quapropter perſuaſio Cardinalium, cenſurarum promulgatione correpta, mente contra Ducem *Bohemiæ* diſſuadentium tunc facile admiſſa eſt, & iuſtitia *Polonorum*, concertatione huiuſmodi & ſchiſmate de Papatu protelata, impedita, & ſuppreſſa *Polonorum* Pontificibus illam promouere & ſollicitare deſiſtentibus, bello inſuper ciuili *Poloniæ* Regnum premente emarcuit.

1040. *In Polonia omnia turbata ſunt adeo,*

1040. Iam *Poloniæ* Regnum quondam glorioſum & laudabile, iam verò miſerandum & miſerabile innumeris cladibus, belliſque partim domeſticis, partim hoſtilibus & extrinſecis adeò perculſum exhauſtumque erat, vt præcipuis militibus & ciuibus trucidatis aut captis, nihil ibi quam vaſtitas & deſolatio cerneretur. Villæ ſiquidem & oppida colonis & habitatoribus, aut extinctis, aut diffugientibus, raræ poterant reperiri, & hæ ipſæ vel incineratæ, vel ſemiuſtæ, vel veſtatæ, vel collapſæ, agrorum peribat cultura, ſinguli negotiatores exulauerant, fora non frequentabantur, omnia in ruinam & perniciem reciderant, alia exterminata, alia præcipitata, alia languida, alia deformata, alia occupata erant, nulla pars Reipublicæ ab vniuerſali malo immunis & intacta erat. Vicinæ quoque nationes per circuitum *Poloniam* aut lacerabant affligebantque, prædis, direptionibus, & ſpoliis, aut ſubiugabant, & iniuſte dominio ſuo aut iuri oras, & regiones mancipabant. Quo demum periculo hiſque negotiis compertum eſt, in omni Republica Principum præſentiam plurimum valere, & abſentium incommoda perſicere. Complebantur in ſingulis *Boleslai Chrobri* primi *Polonorum* Regis vaticinia, quibus moriturus cecinerat *Poloniam de meritò eius exigente, & conquaſſandam bellis & diripiendam à nationibus fore.* Inter tot autem & frequentia mala, quibus *Polonorum* gens atterebatur, id erat illi vnicum remedium & ſolamen, quod plerique illorum in paludes ſtagnoſaque & ſiluestria ipſis etiam feris vix permeabilia loca intrabant, vbi pecus fortunaſque ſuas abſcondebant. Cæteri verò prædarum & bellorum diuturnitate pertæſi, æſtimantes mala huiusmodi in tempus amplius ſæuitura, cum fortunis & pignoribus in regiones trans flumẽ *Vislam* verſus *Lithaniam* & *Ruſſiam* ſitas diffugiebant, credentes ſe amne tranſito imminens malũ declinaſſe. Et quoniam *Plocenſis* terra intrinſeco malo minus correpta fuerat, fugientium cateruæ in eam quaſi in quoddam firmum præſidium frequentes veniebant.

vt etiam Maslaus quidam ſe Plocenſem Principem haberi voluerit.

Erat ea *tempeſtate* inter *Plocenſes* Proceres vir quidam animo ferox, *Maslaus* nomine, *Miecslai* olim *Polonorũ* Regis Pincerna, qui poſt terræ illi ex ſuo nomine nomen dedit. Is quia cæteris & genere & ingenio præſtabat, & expellendæ *Rikſchæ* Reginæ cum filio ſuo *Cazimiro* autor principalis fuerat, facilè vrgente communi diſturbio ſummam regiminis arripit, purpuram aſſumit, ſeque omnium oram illam inhabitantium, partim diſſimulatione, partim conſenſu Principem erigit, & omnes, primo quidem monendo & exhortando ſingulos, & quæ deformata fuerant blandè corrigendo, dominiũ & ditionem vſurpat, vt ſatis inſuper vndique omnibus, qui pro ingenio prædæ & rapinarum percupidi eſſent, quiuè ſtudio ad evehendũ ſtatum ſuum & dominationem flagrarent, autoritatem breui & nomen apud *Plocenſes* adeptus eſt, & factis

dictiſque

1040. dictiſque omnibus ad fallendum callidus, *Mazouiæ*, populos vanis promiſſis inescatos, in Dominum ſe & Principem recipi obtinet, neque enim tunc difficile erat inuadere Principatum, ſingulis & de ſumma rerum trepidationem deſperationemque animo voluentibus, & ad priuatam ſalutem tuendam, quam ſibi à quocunque præſtari depoſcebant, conuerſis, Regno ſiquidem per clades & calamitates externas & proprias diuiſo, diripientium prædam non potuit effugere. Incanduerat enim ira altiſſimi, nec voluit diutius *Polonorum* quibus prouocabatur tolerare ſcelera, ſed gloriam illorum quam hactenus ſuſtentabat, collidi permiſit, & confundi, fatoque quodam maligno, & vt verius dicam, populorum vitio, & de merito *Polonorum* res ad ſummam perductæ, & rurſus ad infimum velocius quam aſcenderant relabebantur. Omnibus autem in *Poloniæ* Regno Rempubl. per deſperationem deſerentibus, nihilque ſalutare in commune conferentibus, patriæ occaſum cum ſuo exitio propediem venturum arcibus aut locis paluſtribus, & inuiis, Proceres & Primores incluſi operiebantur. Sic Reſpubl. *Polonorum*, vehementi & interno, & externo hoſte deformata, & ad extremam fermè internecionem depreſſa, cum ſinguli quaſi quadam tempeſtate fuiſſent iactati, ſplendor quidam veluti è cœlo demiſſus pectora primorum inſpirauit. Pontifices enim & Barones *Poloniæ*, crebris tractatibus exiguas eius & exangues reliquias ſaluare cupientes, de ſumma rerum, & quonam modo ſtatus prior & facies Reipublicæ reddi poſſet, conſultabant. Et omnium quidem ſententiæ congruebant ſine Rege & Principe, neque mala exorta diſpelli, neque ad debitum ordinem Regnum poſſe deduci, in eligendo tamen & aſſumendo Principe erant varii & diuerſi. Quibuſdam enim placebat, aut ex vicinis Principibus, aut ex propriis militibus Regem eligi. Sed hæc quoque ſententia multas ſecum futuras difficultates & incommoda trahens, cum verendum eſſet, ne eligendus Rex, ſi de Principibus vicinis eſſet, Principatum detrectaret, ſi vero de genere proprio, ne in contemptum faſtidiumque veniret, damnabatur. Aliis placebat expulſum & exiliatum hæredem, & filium Regni *Cazimirum* quærere, & omnibus modis ad Regni reducere regimen. Quo viuente certum eſſet aliquem iuſtum & prudentem Principem Regnum *Poloniæ*, & lacerum & deforme abnuiturum. Neque parui pendendam prolem Regiam cui hæreditas & ſucceſſio debebatur, ſed imò auitam in *Cazimiro* ſperandam eſſe indolem, neque alium extare Principem, qui Reipubl. Regni *Poloniæ* æque poſſit, & abrogare deformitates, & inſtaurare ruinas. Iniquum inſuper eſſe *Boleslai* magni primi *Polonorum* Regis beneficia, & in patriam, & in ſe præſtita obliuium iri, nepotemq; ſuum eo Regno priuari, cuius ille virtutis ſuæ excellentia primus diadema meruit. Hæc ſententia cum ab omnibus collaudata & accepta 1040 foret, decernentibus iudicantibuſque ſingulis A Proceribus regionem *Polonicam*, ſuam dignitatem, ſuumque ſtatum niſi Rege *Cazimiro* recuperato, recuperare & tenere non poſſe, poſt multos itaque tractatus, poſt varias iactationes, ſimultates, & tumultus finem deſidiis in hunc modum placuit ponere, modumque ſtatuere odiis, ſoluſque *Cazimirus* dignus viſus eſt cui Regnum, Legati communi voto eligendi, deferrent, quem Deus Omnipotens in ſuæ indignationis nubilo miſericordiæ ſuæ non oblitus, quaſi ſcintillam modicam pro *Polonorum* reſtauranda gloria voluit conſeruare, Pontificibus interim & Baronibus, ex quibus maximè, Eccleſiaſtico videlicet & ſeculari ſtatu, vniuerſum corpus conſilii apud *Polonos* ad pro- B mouendam Rempublicam concernebant conſilia, nonnulliſque aliis Baronibus, paucis tamen admodum *Gneſnam* Metropolim iterum conuenientibus *Stephanus Gneſnenſis* Archiepiſcopus dicere orſus: *Quo in loco*, inquit, *res noſtra ſint, Proceres, diſſerere non expedit; iuxta mecum omnes intelligetis, eo calamitatis & trepidationis ventum eſſe, vt ſi rem noſtram publicam ſaluam eſſe velimus, apud remotas & ignotas regiones exiliatum à nobis Cazimirum ſollicitis ſtudiis requiramus, ſupplicaturi exuli & ſuaſuri reditum, qui adoleſcenti & innocenti maternarum transgreſſionum noxas parum iuſtè imputabamus.* Finem dicendi Archiepiſcopo faciente circumſpectantibus cæteris omnia alia C conſiliariorum remedia, licet plerique nouum creari Regem, plerique Gubernatorum Regni deligi conſuluerant, nec ſatis inter Pontifices & Proceres de eligendo Rege conueniret, nihil tamen ſalutarius præter vnum tutiſſimum in præſens & futurum ad leuanda celerius mala graſſantia, & graſſatura occurrebat remedium, quam vt pulſum à ſe *Cazimirum* Regni Principem & hæredem, quæſitum irent, repertum reducerent, eiuſque ditioni ſe & defenſioni permitterent, facilè ad eius regreſſum furias omnes, colliſioneſque, & concuſſiones Regni extrinſecas & intrinſecas quieturas, ipſumq; quod tam ſe, quam matrem ignominioſe eieciſſent, maternis prouocati non ferendis iniuriis, vt D ſunt ingenia humana ad leuandam propriam culpam, & ad ſperandum meliora mitioraque nimio plus fœcunda, deprecentur, & exorent. Nam ſi alium Regem aſſumere pergerent, vereri ſe, & ſuam electionem viuente hærede, & renunciationem non faciente repudiatum iri; ſecurius ſe omnia acturos, ſi *Cazimirum* vel fatis ſubtractum, vel iuri ceſſurum, nuntiis reuertentibus conſtaret. Nuntii poſthæc ad *Cazimirum* quærendum deſignantur, & mittuntur, eo mandato & autoritate inſtructioneque fulciti, vt pro illius reductione etiam quæque difficilia ſubeant, cum in illo vno, vnica ſpes miſerabilis patriæ conſiſtat. Nuntii autem *Polonorum* publ. executuri mandata arrepto itinere, primum

Has igitur turbas pertæſi Poloni

de Caſimiro in regnum reuocando ineunt conſilium.

Legati ad hanc rem miſſi

1040.

primum ad *Almaniam* diuertunt,& *Rikſcham Poloniæ* Reginam *Miecslai* olim relictam, In *Brunſuik* degentem offendunt, cui cladium & malorum, quibus *Poloniæ* Regnum preſſum erat, magnitudinem, quam & ipſa ex rumoribus intelligebat, ſingulatim exponunt, rogantque, vt, vbinam terrarum aut gentium filium ſuum *Cazimirum* inuenire poſſent, eis fideliter edicat, & declaret. Regina autem *Rikſcha*, etſi ſuæ, filiique ſui exulationis iniuriam vltam eſſe gaudebat, calamitatum tamen magnitudo etiam muliebrem affectum ſuperabat; propter quod Regno *Poloniæ*, tam miſerabili & afflicto non compati non poterat, ſpiritu compaſſionis impulſa, *viuere quidem filium ſuum Cazimirum, ſed in religionem ſacram B. Benedicti tranſiſſe, & monachalem habitum, & ſtatum in Cluniacenſi monaſterio in Galliis ſito, profeſſum eſſe* demonſtrat, *ſatisq; vereri illum à religionis propoſito Regni terreni cupiditate diſtrahi non poſſe, & ſpe concepta legatos fruſtrandos eſſe.* Terruiſſet relatio hæc quantumcunque viros conſtantes, Legati tamen *Polonorum*, nihil iis quæ à Regina pro indifficultando & ſuccidendo eorum itinere dicebantur, perculſi, honorata Regina *Rikſcha*, de his quæ ſecum ferebant muneribus, in *Gallias* profecti, *Cluniacum* tandem perueniunt, & Oratores *Poloniæ Cazimirum* Ducem ſuum monachali habitu cognoſcunt, obortoque lachrimarum imbre, certatim in eius ruunt amplexus, felices ſe exiſtimant, quia Principem ſuum tanto labore quæſitum, viuum & incolumnem reperiunt, apud quem petita audientia, & de conſenſu Abbatis *Cluniacenſis* obtenta verba fac unt: *Omnium*, inquiunt, *Pontificum, Procerum, & Nobilium Regni Poloniæ nomine ad te venimus Princeps clariſſime, oratum, qui ſolus Regnum noſtrum hæreditarium tuum Poloniæ labefactum attollere, & diſcerptum reintegrare, tuerique enixè & egregiè potes, quatenus ad Regnum Poloniæ per nos te deduci, & illius ſceptra ſucceſſione paterna tibi debita requirere velles, neque preces noſtras, & totius Patriæ, neque fatigationes noſtras, qui te per varias regiones, nationes, & populos diſcurrendo quæſiuimus, deſpectum iri ſinas. Veni igitur ſeditiones ſedaturus Polonicas, & inteſtinas eradicaturus illorum diſcordias, hoſtes abacturus, ab eorum faucibus Regni tui replturus reliquias. Iacet enim infelix Polonia frequenti ſqualore proprio, & hoſtili oppreſſa, olim ſuo imperio, dum illam proauus, auus, & genitor tui adminiſtraret, latiſſima, nunc verò rapinis, incendiis, vaſtitate, ſeditione, templorum direptione, hoſtili vexatione, concuſſa. Noli committere, vt te per tot terrarum ſpatia fatigati quæſiuerimus fruſtra, aduentum enim noſtrum omnes ſpectant, omnes intuentur, tu vnus es, qui noſtræ ſpei reſpondere, qui Regnum Poloniæ multifariè ſciſſum, & deformatum in ſuum decus & gloriam vindicare potes. Si nos deſeris, quem implorabimus? ſi deſpicis, quis ſubleuabit?* Finita deinde ſua, & eorum quorum ſungebantur legatione, iniuſto & graui ſe deliquiſſe fatebantur facinore, ſuppliciter orant, *vt ſe meliorem erga eos, quam erga illum ipſi fuerunt, exhibeat, exoratuque ſe mitem & facilem etſi quondam ingratis, nunc tamen ſupplicibus, vel charitate, vel reſpectu patriæ exhibeat.* Recognoſcit Cazimirus Dux Regni ſui Proceres, & de eorum aduentu iubilo immenſo cordis iocundatur & exultat, quid tamen agat, quem affectum, quem vultum, legatis & Proceribus *Poloniæ*, quorum aduentus cauſam ipſis prodentibus non ignotam habebat, prorſus ignorat. Iam enim regulam *B. Benedicti* proteſſus erat, iam & Diaconatus gradum ſuſceperat, alienique iuris & arbitrii factus etiam communem conuerſationem cum legatis non niſi Abbate permittente, ne dum regreſſionem in ſeculum, ſibi nouerat profeſſionis virtute interdictam. Quæ cum *Polonorum* legati Duce eorum *Cazimiro* recenſente didiciſſent, Abbatem *Cluniacenſem* conueniunt, congruiſque muneribus ſibi præſentatis, cur & vnde venerint, exponunt; *variiſque*, inquiunt, *diuturnis domeſticis, & externis cladibus ob abſentiam Principis ſui Cazimiri in exilium iniuſtum miſſi Procerum odio, Regnum Poloniæ adeò preſſum & vexatum eſt, vt miſerabilis eius ſtatus, & conditio etiam hoſtibus & inuidis commiſerationem excutiat, neque enim per nos eius calamitates & ruinæ ſatis depromi & enunciari poſſunt, quòd primum ciuili diſcordia & furore, deinde hoſtium vndique impendentium inuaſione, priſco ſuo ſplendore & gloria, quibus vſque ad inuidiam abundauerat, exutum eſt, & multifarie deformatum, & direptum, cædibus enim continuis ad conſummationem, vaſtitatemque redactum, ſtupris inquinatum, & libidinibus pollutum, ſpoliis & prædis attritum, diuinis & humanis profanatum, in fide vacillans, in religione aberrans, in moribus & legibus proprios motus ſequens, Eccleſiarum Dei & miniſtrorum eius omniaque Eccleſiaſticæ libertatis iura peſſundans ac proculcans, ac ſacrilego auſu bona ac poſſeſſiones diripiens, in omne ſcelus & nefas non deſtitit graſſari. Et licet pro euitandis reſcindendiſque tot malis plures viæ tentatæ ſunt nulla tamen earum ſpes noſtras impleuit. Omnium itaque Polonorum, tàm Eccleſiaſticorum, quàm ſecularium, qui relicti ſumus, ſententiis declaratum eſt Regno Poloniæ ſalutem aliter prouenire non poſſe, niſi Principis noſtri, quem in tuo monaſterio reperimus, reductione. Quapropter tàm noſtro, quam eorum, quorum legatione fungimur, nominibus exoratum te, Pater Venerande, velimus, quatenus multiplices acerbitates calamitatum, preſſurarum & deſolationum, quibus Regnum Poloniæ attritum erat, attendens, Principem noſtrum, monachum verò tuum reddere, & in Regnum ſuum Polonicum illum remittere*

eum in Cluniacenſi monaſterio monachum & Diaconum offendunt, ipſum tamen alloquuntur

nec non Abbatem Cluniacenſem

1040. mittere non graueris, altius gratiusque Deo ſacrificium in purpura quam in cappa per adminiſtrationem inſtaurationemque paterni & auiti Regni profligationem malorum, præmiationem bonorum, quam per regularem precationem, & obſeruantiam exhibiturum. Abbas autem *Cluniacenſis* vir ipſe eruditus & induſtrius, prudentum tamen & expertorum virorum communicato conſilio, *Polonorum* legatis reſpondit, *ſe quidem ad gerendum petitioni & requiſitioni eorum morem ex compaſsione & affectione ſingulari, vt calamitates Polonici Regni diſpelli, & ſanari poſſent, beneuolum atque pronum eſſe, non tamen huius poteſtatis ſe eſſe, vt & monachum & Diaconum à religione profeſſa emancipet, & interim Regni regimine præuaricato profeſſionis ſuæ tenore ſuccedere permittat. Proinde ſupremum in terris tribunal ſupremamque poteſtatem, ſedem videlicet Apoſtolicam Romanam & Vicarium Chriſti adirent, & neceſſitate publica Polonici Regni, eiusque conditione & ſtatu ſummo Pontifici declarato, Principem Cazimirum reddi depoſcerent, ea benignitate Pontificem ſummum fretum eſſe, vt afflicto calamitoſum precibus non poſſet non moueri, & Regno cui ſuapte debetur miſeratio, propitiationem non præſtare, facile Apoſtolicis mandatis in remittendo abſoluendoque monacho quàm gratiſſimè pro ſalute publica pariturum.*

qui reſpondet ſe non poſſe Caſimirum dimittere,

eosq; Romam ad Pontificem ablegat.

Cluniacenſis Abbatis reſponſo *Polonorum* legati accepto, etſi illos non mediocris haberet moleſtia & amaritudo, quod Principem ſuum, prout animo deſtinauerant regulari profeſſioni & Diaconatui arctè intelligerent irretitum, duplicemque illi nodum non ſine plurimorum laborum & difficultatum interpoſitione ſoluendum, omnia tamen extrema deuouerunt ſe perpeſſuros, dummodo ſalutem poſſent referre patriæ miſerabili & afflictæ. Ex *Cluniacenſi* itaque facto diſceſſu, rectiori, quo poſſunt, itinere *Romam* contendunt. Quò cum incolumes perueniſſent, à *Benedicto* Papa nono benignam audientiam ſortiti, quibꝰ bellis, quibus cladibus, cædibus & ſpoliis *Poloniæ* Regnũ, cum ab extraneis, tum à propriis, propter carentiam & exulationem ſtirpis Regiæ vſque ad internecionem confectum ſit, quibusque ex cauſis reſtitutio Principis eorum *Cazimiri* per *Cluniacenſem* Abbatem negata ſit, declarant. *Difficilis*, inquiunt, *Pater Beatiſſime*, *relata eſt calamitas, qua Polonia Regnum ſuperioribus annis afflictum eſt & hactenus affligitur, hoſtibus & propriis in eius exterminium quodam furore intentis, & exacuatis. Vnico ſiquidem hærede & Principe noſtro Cazimiro, nobiliſſima ſtirpe Regia, ob inuidiam maternam genitore abſumpto, pulſo, omnis pernicies illud inuaſit, longoque bellorum tractu, priuatione pacis varias cladium amaritudines experiri compulſum eſt. Sacra enim & diuina & humana prophanata ſunt, ſacerdotes & miniſtri Chriſti aut pulſi, aut enecati, Primores Regni in parte nobili deleti, matronæ nobiles & virgines ſtupratæ, ciuitates & vici conflagrati, regia omnis ſupellex direpta, multi illuſtres & nobiles viri, multis vulneribus trucidati, multi in prædam & ſeruitutem tracti, multi gladio & fame conſumpti, populus igne & ferro vaſtatur, cultus Dei deſeritur, ciuitates, oppida, caſtra ſpoliantur & euertuntur, iuſtitia exulat, furor augetur, boni premuntur, ſcelerati creſcunt, virtus omnis marceſcit, vitia dominantur, Eccleſiarum, monaſteriorum, cæterorumque locorum Deo dicatorum, quæ deuotione chriſtianorum Principum exacta, conſtructa, dotataque fuere, attentata ſubuerſio, & vt multa paucis complectamur, adeò vehementi bellorum & cladium ſtridore Regnum Poloniæ penè conſumptum, & deletum eſt, vt nullum deſolatius, deſertius, vaſtatiusque eſſe videatur. Ne autem Regnum ipſum à propriis, & à finitimis nationibus proculcatum in barbarorum & ſchiſmaticorum, contra quos hactenus militando ſcuto ſuo, cæteras Chriſtianorum regiones tutabatur ditione concedat*, ſupplici lugubrique magis eiulatu, quàm voce orare Legati cœperunt, *vt Regno calamitoſo & perdito, velut religionis Chriſtianæ parens conſulat, Principemque illis ſuum Cazimirum in Cluniacenſi monaſterio conſtitutum, non obſtante, quod monachum profeſſus, & gradum Diaconatus adeptus ſit, reddat. Ex te enim, Sanctiſſime Pater, noſtra & totius Poloniæ ſalus, & reſtauratio pendet. Tu ſolus patriæ noſtræ potes ſanare diſcrimen, tu bellicum furorem inhibere, te patria noſtra inuocat, te intuetur, ad te fiducialibus precibus recurrit, tua maximè intereſt facili autoritate & decreto ei præſtare gloriam, & quietem, ſalutem, & integritatem, per te regionum noſtrarum ſanari precantur vulnera, quibus nemo præter te mederi poteſt, vt Reſpublica Regni noſtri Poloniæ ſæua diſcordia miſerabiliter prolapſa, in priſtinam poteſtatem pace confecta, vigore reſumpto, diuinitate propitia conſurgat, maturato opus eſſe auxilio, niſi cito ſuccurſum fuerit, de capite, de fortunis inſontium, de totius inſuper Regni Poloniæ corpore actum fore.* Nec ſemel Papam & Cardinales petere contenti, frequentius petere & inſtare perſeuerabant, rogantes, *ne ſe irritos ſpe abire poſt tantos labores fatigationesque paterentur, & triſte reſponſum in Patriam referre cogerentur, compateretur Summus Pontifex, benignitate paterna Polonorum Regno miſerabilibus cladibus obtrito, non aliam habens faciem, niſi ſine capite truncum corpus, ſine oculis frons & facies tenebroſa.* Legatione Polonorum, *Benedictus* nonus audita, quid facto opus foret aliquanto tempore cum Cardinalium collegio, cæteriſque timoratis viris, & iuriſperitis deliberat. Res enim & ſupplicatio noua, & ſine exemplo, ad ſe delata, non parum in vtramque partem 1040.

1040. difficultatis & periculi ſecum trahens, alta longaque indaginis lucubratione eam digerere Summum Pontificem impellebat. Nam ex monacho Diaconoque laicum efficere, ſolenne religionis & continentiæ votum diſſoluere, transgreſſionis in diuinam legem facinus euidens cenſebatur, & laboranti afflictoque Regno non prouidere ſummæ crudelitatis, quæ à Sede Apoſtolica benigna ſe omnium matre vocitante, longe abeſſe debet, erat ſpecimen. Monebant raræ ſanctitatis virum, facies miſeranda Legatorum, vilis & obſoletus habitus, vultus ſupplex, demiſſa ſupercilia, verborum humilitas. Intellexit ſiquidem Vir Apoſtolicus, propter defectum regalis regiminis, multas Poloniæ iacturas accidiſſe, vtpote militum diſſenſionem, populi concuſſionem, Regni deprædationem, fidei ſubuerſionem, Epiſcoporum, & Sacerdotum indignam oppreſſionem, virginum deflorationem, & coniugalis pudicitiæ contaminationem. Itaq; poſt varios tractatus, & conſultationes in hac re habitas, dùm plures viæ *Polonorum* Legatis à Summo Pontifice propoſitæ, velut duræ & intolerandæ repudiarentur, ea tamen & à Summo Pontifice decreta, & à *Polonorum* Legatis accepta eſt, & tunc demum Summus Pontifex Legatorum *Poloniæ* precibus annuit, & *Cazimirum* illis precario Regno donat, nexum religionis, & ſuſceptum ordinis vinculum ſoluit, vxorem ſibi ducere, & liberos procreare concedit. Dona tamen Apoſtolica exemplar non habentia, nec vnquam alicui perſonæ aut religioni conceſſa rara eſſe decernit, ſi illa lex à Polonorum Legatis ſuſcipienda, & perpetuo ſeruanda cohæreat, Princeps *Cazimirus Poloniæ* diſpenſante Summo Pontifice *Cluniacenſi* monaſterio exeat, habituque regula & gradu Diaconi abdicatus, ſolutus & liber paternum & auitum Regnum inſtauraturus illud reſumat, nubendi, & in ſpe *Poloniæ* Regni ſucceſſores generandi habens plenam poteſtatem, ſed tum *Polonorum* regiones, & Regnum in ſignum præſtiti per Sedem Apoſtolicam, acceptique in magno ſuæ neceſſitatis articulo beneficii B. *Petro* & ſucceſſoribus ſuis Romanis Pontificibus de quolibet capite nobilium capitibus circumſcriptis, vſualem nummum annis ſingulis ſoluere cæſariem capitis, & comam barbaro more non nutrire, ſed auribus patentibus ad inſtar Catholicarum & Latinarum nationum, tonſuratum caput geſtare, & in præcipuis Chriſti & virginis matris eius feſtiuitatibus, panno lineo albo in ſtolæ modum, dependente ceruicem exornare perpetuo reddantur aſtricti, quatenus in his tribus ſignis, & ex monacho & ex Diacone Apoſtolica conceſſione & benignitate, dùm aliter concretum periculum diſſolui non poſſet, *Poloni* Regem ſibi creatum & redditum cognoſcentes, tam in Deum, quàm in religionem Chriſtianam conſiſtant gratiores atque deuotiores. Placet aliis non *Benedictum* nonum, ſed *Clementem* ſecundum *Poloniæ* Regem *Cazimirum* reddi iuſſiſſe. Quam diuerſitatem propter plures ſub eo tempore de Papatu contendentes reor prouenisse. *Benedicto* enim eiecto nono, Epiſcopus *Sabinenſis* qui *Silueſter* vocatus eſt ſubſtituebatur, ſed eo quoque eiecto, *Benedictus* ſedem recuperat. Quo altera vice eiecto datur Papatus *Ioanni* Archipresbytero S. *Ioannis* ante portam *Latinam*, qui *Gregorius* ſextus dicebatur. Qui cùm eſſet rudis literarum, alterum Papam ad vices Eccleſiaſtici officii exequendas, ſecum conſecrari fecit. Qui cum multis non placeret, tertius ſuperinducitur, qui ſolus vices duorum impleret. Vno igitur contra duos, & duobus de Papatu altercantibus contra vnum, mortuo *Gregorio Henricus* Imperator contra duos *Romam* accedit, & ex Canonica & imperiali cenſura depoſitis, *Syndegerum Bambergenſem* Epiſcopum, qui *Clemens* ſecundus dictus eſt, in Papatum per vim ſubſtituit, à quo *Henricus* Imperiali diademate ornatur & benedicitur, *Romanis* ſibi promittentibus & iurantibus *ſe ſine ipſius conſenſu nunquam Romanum Pontificem electuros.* Hæc autem tributi perpetui in Regnum *Poloniæ* impoſitio quantum attulit Regno oneris, tantum & contulit, ne Regni fines à quodam iniuſtè occupari, vel mutilari queant, perpetui roboris vociferante ſolutione tùm impoſiti numiſmatis Regnum *Poloniæ* ſub iure religionis fuiſſe, & eſſe, & occupantes atque occupatores aſſidue de mala fide, de prauaque conſcientia obiurgandos fore. 1040.

qui Caſimirum dimittit, ex monaſterio.

Origo tonſuræ capitis Polonorum.

CONRADVS Imperator ſub iiſdem temporibus moritur, & in Eccleſia *Spirenſi* ſepelitur, cui filius ſuus adoptiuus *Henricus* tertius, vt quidam ferunt gener, qui dudum Patre viuente in *Romanorum* Regem electus, & conſecratus erat 86. loco ab *Auguſto* in Imperium ſucceſſit, iocundus & bellator, in ſilua natus erat, & bis ad occidendum traditus, ſed tamen Deo protegente illæſus euaſit, adhuc puer. Cuius beneficii memor conſequutus imperium, in loco natiuitatis ſuæ fabricauit & dotauit inſigne monaſterium.

Conrado Imp. ſuccedit Henricus.

RVTHENORVM Monarchia, & vniuerſali Principatu, *Iaroſlaus Ruſſiæ* Dux non contentus, famam & gloriam apud exteros quæſiturus, finitimis *Græcis* bellum infert; filium *Wladimirum* natu maiorem, grauis iam ipſe ad ſuſtinenda belli munera, cum exercitu frequenti in nauibus contra *Conſtantinopolim* transmittit, ſed tempeſtate ingenti exorta franguntur naues *Ruthenorum*, & claſſe diſſipata milites *Rutheni* cum Duce ſuo *Wladimiro* vix ſemiuiui continentem attingunt, pedeſtrique itinere *Ruſſiam* regrediebantur, quos *Græcorum* nonnulli milites ab Imperatore transmiſſi non deſinebant particularibus certaminibus, clandeſtiniſque bellis & infeſtationibus laceſſere, donec prælio inito *Græcis* fugientibus *Rutheni* euaſere victores.

Rutheni Græcis bellum illaturi naufragio plerique pereunt.

tandem Græcos vincunt.

Ro-

1041. Reſtitutione Principis ſui *Cazimiri*, qui & alio nomine *Carolus* vrbanitatis gratia dictus eſt, *Polonorum* Legati apud *Benedictum* nonum ſeu *Clementem* ſecundum, ſub conditionibus, quas præmiſimus, impetrata, alacres, & cum gaudio magno *Roma* benedictione Papali accepta, egrediuntur, portantes ſecum & deferentes literas, quibus primum *Cluniacenſi* Abbati Principis *Cazimiri* redditio, deinde eiſdem *Gneſnenſi* Archiepiſcopo *Polonorum* Primati, cæteriſque Archiepiſcopis & Epiſcopis *Poloniæ* coronatio imperabatur. Et Legati quidem *Polonorum* concito curſu ex vrbe in *Gallias, Cluniacum* diuertunt, Apoſtolicaſque literas *Cluniacenſi* Abbati præſentant, quibus illicò paritum eſt. Et Dux *Cazimirus Polonorum* Legatis, religioſo veſtitu amoto, ſeculari & regio amictus redditur. Nouum metamorphoſis genus, & nullis vnquam viſum ſeculis, nec ab *Ouidio* in libris decantatum, ex monacho Rex, ex religioſo ſecularis, ex Diacono miles, ex continentiam perpetuam profeſſo maritus, ex paupere diues, ex contemplatiuo actiuus. Qui Abbati & Fratribus monaſterii *Cluniacenſis* valedicturus, verba in cœtu eorum, quæ & ſibi & monachis lachrimas excutiebant, facit, agitque gratias, *quod annis propè quinque magna charitate eorum fotus ſit contubernio, precatur vt tàm ipſum, quàm Regnum ſuum Poloniæ perpetuo habeant commendatum, ſuiſque orationibus cœlicolas precentur, vt ſibi Regnum ſtabilirent, ſe quoque ea mente eſſe, vt tàm loci in quo vixit, quàm ordinis quem profeſſus fuerat, nunquam poſſet obliuiſci*, & his dictis Abbate & fratribus oſculatis ſingulis diſceſſum ſuum comploratione, & in ſpatium remotum deductione certatim cohoneſtantibus, ex *Cluniaco* egreſſus in *Almaniam* ad genitricem ſuam *Rikſcham* Reginam *Poloniæ* in *Seleuold* commorantem peruenit. Apud quam dum diebus aliquibus quieſceret, perſuadere illi molita eſt, *ne ad Regnum Poloniæ propriorum & externorum bellis direptum, deſolatum, & exuſtum, cineribus magis & fauillis, quàm frequentibus vrbibus & vicis inclytum, vbi ſibi prioris exilij & iniuriæ facies pertimeſcenda foret, conſentiret redire: ſed poſtquam Apoſtolica diſpenſatione à religione fortè, clericali ſolutus ſit, in Almania conſiſteret, largas & ſufficientes poſſeſſiones, & per eam comparatas, & fauore Imperatoris Henrici, propinqui ſui auunculi donatas, morte inſuper aliorum conſanguineorum deuoluendas pro tenendo ſtatu Ducali habiturus.* Non mouerunt *Cazimirum* Ducem exhortationes maternæ, quæ fortes ſtimulos adferre ſolent. Verùm matri à filio conuenienter reſponſum eſt, *non eſſe aliquas poſſeſſiones Almaniæ, & Dominia tàm vberibus redundantia diuitijs, quorum gubernatione auitum & paternum Regnum, quamuis ſemiuſtum, deſolatum & direptum, deſerendum negligendumque putaret, pro quo ſolo inſtaurando, abdicatio religionis ordiniſque ſuſcepti ſibi à ſummo tribunali tributa eſſet poteſtas. Cuius quoque calamitas, deſerta religione & ordine animum eius diuinis & cœleſtibus mancipatum obſequiis, ad gubernanda terrena inflexiſſet. Sed nec in vniuerſa Almania tàm glorioſum & illuſtrem eum, & ſemen eius futurum, quantum in vno ſolo Poloniæ Regno, cuius ſibi inſtaurationem per facilem atque inde famam denominationemque percelebrem perfidiæ cuiuslibet fauore circumſcripto fore* demonſtrabat, *cui etiam iure optimoque reſpectu ipſe debeatur, nec diſpenſationem ſedis Apoſtolicæ vlteriorem niſi pro regimine Regni Poloniæ, & pro leuanda eius ruina extendi poſſe: Si in Almania remanendum duceret, ad ordinis & religionis regreſſum iuſte poſſe & oportere cogi.* Confutatam *Rikſcha Poloniæ* Regina in ſua perſuaſione videns, æquiori animo, filium propoſitum exequi paſſa eſt, qui etſi eam ſecum *Poloniam* redire precabatur, nullatenus propter acceptam confuſionis & exilii irrogatam à *Polonis* iniuriam acquieuit, ſed in *Almania* conſenuit, de bonis quoque & poſſeſſionibus dudum à ſe coemptis, duo monaſteria vnum videlicet *Brunſuicenſe* ſub honore *S. Petri* Apoſtoli, & *S. Nicolai* Confeſſoris, aliud in loco vbi *S. Kiliani* ſociorumque eius ſacrum celebratum extabat, monaſterium, fundat, conſtituit, erigit, & dotat, ſuper quo piæ fundationis negotio ipſius Reginæ *Rikſchæ*, priuilegium apud prædictorum ſacrorum locorum cultores, oſtenditur fundationem & dotationem huiuſmodi plenius conteſtans. Plena quoque dierum & bonorum operum apud *Seleueld* defuncta eſt, corpus verò eius religioſæ, tantæque fœminæ exequiarum congruo apparatu *Coloniam* delatum, & in Eccleſia *S. Mariæ*, quæ eſt ad gradus, humatum eſt. Obitum tamen ſuum non tunc, ſed longè poſt lector contigiſſe intelligat, pro ea ſiquidem vice, qua hæc gerebantur, *Rikſcha* Regina redeunti filio *Cazimiro* in *Poloniæ* Regnum plura clenodia in auro & argento, gemmiſque quæ ex *Polonia* contulerat, reſtituit, nonnulloſque milites & equeſtris ordinis viros, quorum vallatus caterua filius, honeſtius *Poloniam* repeteret, ex *Almania* filio adiunxerat, & ne filio eiuſque comitibus quicquam poſſit deeſſe, de viatico ſufficienti materna benignitate prouidet. Expediens autem & ſummè neceſſarium, tàm *Caſimiro* Duci & matri eius *Rikſchæ* Reginæ, quàm *Polonorum* legatis viſum eſt, vt *Henricum* tertium *Romanorum* Regem, & filium *Conradi* Imperatoris adirent, reſtitutionem coronarum materialium Regni *Poloniæ* per *Rikſcham* Reginam *Conrado* Imperatori, vt in ſuperioribus demonſtrauimus, donatarum obtenturi, ſimulque de vaſtatione & ſpoliis per *Bretislaum* Ducem *Bohemiæ* in *Poloniæ* Regnum tempore abſentiæ Principis iniuſtè accepta, queſturi. Mo-

Caſimirus Dux Cluniacenſi monaſterio valedicit

& ad matrem in Germaniam venit, quæ illum ab aſſumenda Poloniæ corona abſterrere voluit.

Caſimirus vero matrem non ſequitur.

ſed potius ab ea 1041.

1041.

& Henrico Imp. viaticum & comites adiunctos accipit.

Morabatur pro eo tempore *Henricus Romanorum* Rex,non in remoto loco, in inſula videlicet S. *Suiperti*, quem cum adiiſſent, gratus fuit *Henrico* Regi eorum aduentus, multamque comitatem nouo hoſpiti & propinquo affini ſuo Duci *Caſimiro*,& *Polonorum* legatis & ipſe præſtitit,& à ſuis mandauit præſtari, & coronas quidem materiales duas Regni *Poloniæ*, quarum petebatur reſtitutio,prona beneuolentia reſtituit, ad Ducem *Bretislaum Bohemiæ* nuncios,qui illum & de iniqua Regni vaſtatione *Poloniæ* arguerent, & vt ablata reſtitueret monerent,miſit,ſeque Duci *Caſimiro* & futuro *Polonorum* Regi contra *Bohemos* in ſingulis auxiliaturum ſpopondit. Quo etiam Ducis *Caſimiri* in *Poloniam* hoſtibus & inuidis terribilior, propriis verò & deuotis gratior eſſet ingreſſus,inſignem militum & curienſium ſuorum numerum *Cazimiro* pro honore ſui & ſolatio adiungit,& profecturum ſecum in *Poloniam*, & partes ſuas contra rebelles, & indomitos adiuturum.

Bretislaus autem *Bohemiæ* Dux à legatis *Henrici Romanorum* Regis *Pragæ* offenſus, & ſuper illicita Regni *Poloniæ* vaſtatione correptus atque ſuper theſaurorum,& clenodiorum in *Gneſnenſi* Eccleſia ſacrilega præſumptione raptorum reſtitutione monitus, graues cum *Bohemis* natura ipſa inſolentibus, & ſuperbis concepit iras,bellum enim ſibi ab *Henrico Romanorum* Rege in fauorem conſanguinei ſui *Cazimiri* Ducis *Poloniæ* inferendum,niſi ablata ad plenum redderet,denunciabatur. Vnde & legatis Cæſareis reſpondet, *Polonis pro veteribus in ſe Ducatumque ſuum Bohemiæ damnis & iniuriis,& ſignanter proaui ſui Boleslai excæcatione iuſtum bellum intuliſſe, nec ad reſtitutionem ſpoliorum cogi per Henricum Regem Romanorum debere. Cui tributo quingentarum marcarum argenti puri,& centum viginti boum electorum de Bohemia ſolito pro Imperio quotannis reddi perſoluto, parere in cæteris nullatenus teneretur, ageret quæ vellet, ſe antequam Polonicalia ſpolia reſtituat, omnia extrema tolerabilius perpeſſurum.* Rebus ſuis

Caſimirus à Polonis cum gaudio excipitur,

Cazimirus Poloniæ Dux apud *Henricum* tertium *Romanorum* Regem pro voto ſtabilitis, licentia à Rege & genitrice ſua *Rikſcha* Regina obtenta ex *Miſnia* verſus *Poloniam* diſcedebat. Dum autem rumor *Poloniam* de ſui Principis & futuri Regis deſiderato aduentu perueniſſet, magna hilaritate & gaudio omnium bonorum Rempublicam ſaluam eſſe cupientium, corda profuſa ſunt, ſinguli enim boni *Cazimiri* reditum ſcientes, anxiè per omnes ſtatus atque ordines operiebantur,hi verò qui raptu & ſcelere viuere aſſueti,quique aut regalia, aut aliena occupabant, non mediocri dolore,& pauore perculſi ſunt. Venienti autem ad fines *Poloniæ Cazimiro*, Pontifices & Barones *Poloniæ* cum quanta poſſunt militia occurrunt,catèruatim obuiam illi effuſi ſummo cordis plauſu illum excipiunt, gratulantur incolumitati, & longo poſt peregrinationem reditui, laudes in illum depromendo concinunt,Principemque ſuum magna deuotione excipiunt, admonentque & precantur, *vt iis quas ſibi,& genitrici ſuæ inconſideratus temerariusque furor irrogarátis iniuri perpetuo obliteratis,ad capeſſendam Rempublicam Regni ſui proſtratam & exanguem animum intendat, & ſui animi brachiis ſe curandos accipiat, nec iram & indignationem habeat virtute potiorem.* Ille *id animo ſuo inſediſſe præcipuum*, reſpondit, *eaque de cauſa dulcem religionis cultum ſe reliquiſſe, & in Poloniam cum Almanorum haud contemnendis copiis ſe rediiſſe docet, vt Respubl. ex calamitate eam detinente, & mediis quoque quibus iactata eſt pæneque merſa fluctibus,in tutum euadat*,declarat *ſe inuitantibus Polonorum Legatis, Papa quoque non permittente ſolùm, ſed & iubente in Poloniam pro Polonici populi & Regni ſalute & inſtauratione aduenìſſe, non ſolùm non repetiturum pœnas à ſuis & genitricis ſuæ eiectoribus, ſed etiam omnibus offenſis perpetuam obliuionem daturum,vt non tàm autoritate; quàm benignitate & facilitate cunctis imperet.* Excepti ſunt & *à Polonis Almanorum*, qui cum *Cazimiro* aduenerant milites,& magnus illis fauor & honor,pro omni tempore, quo militiam agebant in *Polonia*,habitus. Vt autem fama zeli ſui pro inſtauranda Republica concepti diffunderetur,pleraſque munitiones & caſtra in finibus Regni *Poloniæ*, aut per hoſtes intercepta,aut per veſpiliones & prædones domeſticos occupata inuadit,expugnat & conquirit, maleficoſque in illis comprehenſos quoſdam patibuli ſuſpenſione damnat,quoſdam gladio ferit,quoſdam manibus & pedibus in aliorum terrorem mutilat, pœnis & ſuppliciis ſingulos deterret improbos, male acta & deformata reſcindit, delicta vindicat, omne crimen diluit,omne nefas extinguit, omnem arcet iniuriam,quoſdam deinde extollit,quoſdam deprimit; tantus denique tàm hoſtibus, quàm propriis,pauor iniectus eſt,vt & hoſtes ab occupatis excederent,& domeſtici parci ſibi,& transactas præuaricationes remitti,& propria humiliatione, & amicorum ſuffragiis implorarent, neque Nobilis & ſolers Princeps ſæuiendum in ſingulos duxit,ſed pertinacibus maleficis,& qui ſeditionum erant autores,capite mulctatis, cæteris ſe benignum & placatum exhibuit, ne regio ſuperioribus bellis colliſa,in ampliorem etiam rediret vaſtitatem. Itum eſt poſthæc ad Metropolim *Gneſnam* & per *Gneſnenſem* Archiepiſcopum *Stephanum*, cæteris Pontificibus *Poloniæ* aſſiſtentibus *Cazimirus* nominis huius nouus Princeps, ordine vero tertius, acclamatione, & vniuerſali conſenſu Rex *Poloniæ* appellatus,corona quam retulerat, inſignitus,vnctus,& coronatus eſt. Ad coronationem autem huiuſmodi perficiendam, magna

& Gneſnæ coronatur.

ala-

1041. alacritate, gaudio, & exultatione, maximo quoque infimorum ſtudio *Gneſnam* concurſum eſt,ab omni ætate,ordine & natione,vno- A quoque arbitrante ſe *Poloniæ* Regni priuignum non filium eſſe qui coronationi ipſe non intereſſet, qui non plauſu & acclamatione, vultus denique & geſtus ſignificatione fauere ſe non monſtraſſet. Videbant enim duas ſibi & patriæ res præclaras & ſalutares, quarum deſiderio quam maximè tenebantur, & reuerſione *Cazimiri*, & coronatione reſtitutas, pacem videlicet, & Regni fulgorem periocundum. Cernebant inſuper ea tempora rediiſſe, in quibus libertate, fortunis, pace, & otio frui, meliora verò in dies ſperare licebat, permixtæ vndique turbæ ſumma lætitia & plauſu,quocumque iter facerent, *Cazimiro* congratulabantur,& ad reductionis, co- B ronationisque ſuæ ſpectaculum, è feneſtris tectisque cateruatim pendebant,atque ipſum his conueniebant,compellabantque vocibus. *Gratulamur*,inquiunt, *Excellentiſſime Princeps,tuo reditui, tuæque incolumitati, immortalemque Deum precibus obſecramus ſupplicibus, vt pulcherrimis cœptis tuis faueat, vt Regnum Poloniæ tuo ductu, tuiſque auſpiciis reſtituas, amplifices & conſerues, & illius Rempublicam variis exagitatam, pæneque collapſam procellis, quæ te vnicum filium, liberatorem vnicum, ſuæ ſalutis anchoram, & portum amplectitur, erigas, amplies, componas.* Magna inſuper celebritate dies ille coronationis à *Polonis* actus eſt, cum fauore priſtino,tùm gau- C dio inſperato recuperatæ libertatis, Regni & pacis, & quem nuſquam viſurum, & reuiſurum crediderant incolumem, præſentem, & regio fulgentem diademate viderant,laudes illi in theatro canebant, mirificisque honeſtabant præconiis, auitæque illi tributæ & imprecatæ laudes, vt patriæ pater illius iure appellaretur,ampliſſimo honore a populo & Nobilitate vbiq; exceptus.Erat & enim *Cazimirus Poloniæ* Rex moribus ſuis,eloquiis & reſponſis

Eius laudes.

adeò nitidus,& modeſtus, vt impleret *Polonos* ſpe certiſſima inſtaurandi Regni, & deperdita recuperandi, amplius quidem & perfectius, quàm per experimentum rerum ratio ſoleat comprehendere,dando reſponſa fide & maieſtate,prudentia,Legatis multis vicinorum Regum & Principum ſuum reditum condigna gratulatione excipientium, & ſe illis morigeros fore offerentium,& ab omni ferociori verbo alieni. Sumpta regia vnctione & diademate coronationisque ſolenniis ritu iuſtè, & legitimè peracta, id inprimis Pontificibus & Baronibus *Poloniæ* efficiendum curandumque viſum eſt, vt *Cazimirus Poloniæ* Rex, aliquam Nobilem ex Ducali genere virginem ſibi matrimonio copularet, cuius coniunctione prolis fœcunditas & ſucceſſio, Regnique *Poloniæ* inſtauratio & ſtabilimentum ex affinitate & dote poſſit prouenire. Obtinebat ea tempeſtate *Ruſſiæ* Principatum *Iaroſlaus* Dux 1041. filius *Wladimiri*, ſororem habens germanam, ex *Anna* ſorore *Baſilii* & *Conſtantini* imperatorum *Græciæ* genitam,decoram,& virtuoſam, *Mariam* nomine,hanc etſi ritus diſparis erat, *Cazimirus Poloniæ* Rex propter plures reſpectus ipſum & conſiliarios ſuos permouentes, accepit in vxorem.

Filiam Iaroslai Ruſſiæ Ducis Mariam vxorem ducit,

Nuptiæ quoque in apparatu & ſumptu magnifico iuxta exigentiam ſtatus & Principis locantis ſororem, & Regis accipientis vxorem, *Cracouiæ* celebrantur. Accepit autem *Cazimirus Poloniæ* Rex à *Ruſſiæ* Principe *Iaroſlao*, & pecuniæ magnam quantitatem, & vaſa clenodiaque in auro, argento,veſtitum quoque equorum non mediocrem ſuppellectilem in vim dotis,Regnumque ſuum ſplendido matrimonio & diuitiis impleuit,& affinitate ſtabiliuit,nam & Regnũ ſuum verſus oram *Ruthenicam* effecerat quietatum & ſecurum,& ad bella quæ illum pro recuperando reſtaurandoque Regno cum finitimis aut propriis gerere contigit, *Ruthenorum* auxiliis vtebatur.Multa tamen caſtra & regiones *Ruſſiæ*,quæ auus ſuus *Boleſlaus Polonorum* Rex primus,in *Ruſſia* victo & conflicto *Iaroſlao* conſecutus fuerat,& in eam diem tenuerat,poſt contractam affinitatem, in ſignum veri fœderis & ſinceræ affinitatis *Iaroſlao* reſtituit. Non ſolùm autem ritum *Græcorum* in quo educata fuit,*Maria* Regina *Poloniæ* reliquit,ſed de ritu Catholicæ *Romanæ* Eccleſiæ & eius puritate ſufficienter ab Eccleſiaſticis viris edocta,ritum *Græcorum* exoſum habens,ſacro baptiſmatis fonte,deinde in Eccleſia *Cracouienſi* in ſupplementum eorum defectuum, qui per *Ruthenorum* Presbyteros,ſcripturarum & legum diuinarum ignaros perſæpè committuntur,abluta eſt,

quæ religione Græca relicta Catholicam ſuſcepit & rebaptizata eſt.

cumque ritu *Græco* nomen etiam depoſuit, *Dobrognieuaque* extunc,id enim ſibi in Catholico Baptiſmate aptatum fuerat nomen, vocitari cœpit, quam ſucceſſu temporis *Cazimirus Poloniæ* Rex in *Gneſnenſi* Eccleſia in Reginam *Poloniæ* diſpoſuit inungi, & reginali diademate coronari.Similem pænè caſum apud Arragones legimus contigiſſe,qui ſtirpe regia deficiente *Rammirum* filium Regis *Sanctii* fratrem *Alfonſi* defuncti, qui in monaſterio *S.* D *Pontii* de *Tomaricz* ordinem profeſſus, & monachus & Sacerdos habebatur, de monaſterio eductum, Apoſtolica diſpenſatione non quæſita, in Regni ſolio collocarunt, data eidem in vxorem Comitis *Pictauienſis* ſorore: Ex qua cum filiam nomine *Petronam*, quæ poſtea dicta fuit *Wraca* ſuſcepiſſet, quamprimum annos nubiles attigit *Raimondo Barchinonenſi* Comiti deſponſata eſt, & Rex *Rammirus* ſuo monaſterio reſtitutus, quòd immenſis poſſeſſionibus Regnum regens ditauerat.

RESPONSIONEM *Bretiſlai Bohemiæ* Ducis, *Henricus* tertius *Romanorum* Rex moleſtè ferens, & *Cazimiro Poloniæ* Regi affini ſuo

Henricus Imp. Bohemiam bipar-

ſuo

1041.
tito agmine invadit,

ſuo, quemadmodum ſponderat, laturus auxilium, & de contumaci Duce ſumpturus vltionem in *Bohemos* expeditionem indicit, A bipartitoque exercitu, quo *Bohemis* amplior clades accideret ex *Ratiſpona* copias deducens ingredi *Bohemiam* diſpoſuit, & *Otardum* quidem *Saxoniæ* Ducem virum diſciplinæ militaris peritum, & in ſingulis agendis prouidum & induſtrium, cum parte copiarum diuerſo itinere ire iubet, ipſe verò per viam qua itur de *Ratiſpona* ad Ripam fluminis *Brzeſen* cum aliis copiis perueniens, altera die ſiluas *Almaniam* à *Bohemia* diſterminantes, intrauit, neque ſpeculatoribus, neque his, qui caſtris loca ante caperent præmiſſis, exiſtimans ſiluas huiuſmodi & earum denſitatem facile aut nullo negotio ſuperari. Obſtructa autem arborum inciſione, B impeditaque ſingula itinera reperiens, magno militum impedimento, & truncos amouentium labore medium itineris ſiluarum emenſus, ad collem quendam ex quo plana *Bohemiæ* ſpectari poterant, peruenit. Locatis illic caſtris, iubet omnes milites ſumpta leui armatura impedimentis & equis in ſtatiuis relictis, pedeſtri itinere reliquum, quod erat ſiluarum ſpatium conficere, & campeſtria *Bohemiæ* ingreſſos, *Bohemiam* ferro & igne vaſtare, & milites quidem iuxta quod imperatum erat *Henrico* Rege in caſtris cum imbecillibus, & his qui arma ferre non poterant, remanente, per colles & montium iuga, & inuia loca C progreſſi, armorumque pondere & ſolis arboribus plurimum vexati & afflicti, inſolitus enim labor pleroſque laſſauerat, taciti conſederunt, nullumque illic ſuſpicati hoſtem reiectis armis ſecurè & quietè, altoque fatigati ſe committunt ſopori. De quibus omnibus Dux *Bretiſlaus* qui in ſilua huiuſmodi ſe abdiderat ab exploratoribus certior factus, in quieſcentem, & laſſum Imperatoris exercitum magno clangore, magnaque vociferatiòne irruit, & perterritos, magnoque pauore perculſos ſine vllo negotio proſternit & fundit. Paucis autem fuga elapſis magnum robur militiæ Cæſaris illic aut deletum, D aut in captiuitatem acceptum eſt. Qua clade ad ſe perlata *Henricus* Imperator triſtis & gemebundus in *Almaniam* cum reliquiis rediit. *Otardus* verò *Saxoniæ* Dux, qui *Bohemiam* vaſtando vſque ad flumen *Belinum* peruenerat, caſu Regio audito preſſit gradum & exercitum cui præerat, via qua venerat incolumem reduxit *Bohemica* præda onuſtum, cum quo, quia *Procopius* Comes *Belinenſes* parum proſpera fortuna vſus pugnauerat, tanquam pecunia corruptus, effoſſis oculis, manibus & pedibus truncatus, & in fluuio *Belina* demerſus eſt.

quorum alterum a Bohemis vincitur,

alterum cum magna præda redit.

Albino Plocenſi Ep. ſuccedit Paſchalis. 1041.

Albinus Plocenſis Eccleſiæ Epiſcopus, exactis apud *Plocenſem* Eccleſiam annis XVI. labore, ſenio, & frequenti ægrotatione confectus diſſoluitur, & in *Plocenſi* ſepultus quieſcit Eccleſia. Cui *Paſchalis* nobilis genere, natione *Italus Tuſcus*, vir doctus, Canonicus *Plocenſis* per electionem Canonicam, cui facile *Cazimirus Poloniæ Rex Maſlao* tyranno deuicto aſſenſus eſt, per *Benedictum* Papam nonum prouiſus, ſucceſſit.

1042.
Maſovia Maſlao duce rebellat,

Singulis ferè regionibus & prouinciis quas Regni *Poloniæ* complectebatur latitudo, de aduentu & coronatione noui regis & Principis ſui naturalis, immenſo gaudio & gratitudine refertis, promptaque & fideli deuotione, in eius ruentibus obedientiam & ditionem, ſtudiis inſuper omnium circa ſuum Imperium conſpirantibus, ſola *Plocenſis*, quæ nunc mutato nomine *Mazouia* appellatur, prouincia, rebellem ſe præſtitit & communis lætitiæ atque gratitudinis expertem, ad quam illam *Maſlaus* vnus ex Proceribus *Poloniæ*, vir ſpecie & forma magis quàm virtute & gloria inſignis, dominationiſque improbæ cupidus, qui durante interregno, & ſuperiori diſſenſione ciuili, Principem ſe & Principatum in illa creauerat, & falſo nomine Ducales faſces ſibi vſurpauerat, animabat, decertare etiam acie, ſi impeteretur, paratus, *Pruthenicis* addictus ſolatiis, maiora ſibi quàm conditio ſua capere poterat, portendebat, & ſortem ſuam ignorans, pennis præſumebat volitare *Icareis* recordatione eorum beneficiorum, quæ *Miecslaus* Rex *Poloniæ* in eum contulerat, nil inhibitus, quem *Cazimiri* Regis Pater in celebri dignitatis honore (poculum enim in Pincernæ modum Regi miniſtrare ſolitus) collocarat, homo effrænatæ temeritatis intolerabili ſpiritu, in ciuilium bellorum renouandas cicatrices prærumpit, & arma contra *Cazimirum*, *Plocenſibus*, & *Pruthenis* eum adiuuantibus, ſumpſit, ratus facinus ſuum, quod in *Rikſcham* Reginam & *Cazimirum* admiſerat, aliquanto maius fore, quàm cui à *Cazimiro* Rege deberetur ignoſci, neque enim beneficii alicuius eſt plenitudo, quod non vellicare malignitas poſſit. Cuius rei gratia & externa finitorum conducebat auxilia, & non Nobilitatem tantum notabilem, ſed & plebem ſeruoſque in militiam aſciuerat, facilem ſibi victoriam de *Cazimiro Polonorum* Regè pollicendo. Augebat ſpem ſuam vaſtata & ab hoſte, & à propriis Regionibus *Polonorum* conditio, raritatemque & diminutionem eorum qui apud *Cazimirum* Regem militabant: frequentia verò externi & proprii militis à ſe conducti penſata, contemnebat, eaque *Maſlai* rebellio terrorem plurimis, ipſi etiam *Cazimiro* Regi meditationem tyrannis inferebat. Vir enim erat fallax, & maleficus, ac ſupra conditionis ſuæ fortunam altiora ſperare promptus, nulla altercatione mutatus, & cum grandia per liberali-

1042. liberalitatem Regis *Miecslai* accepiſſet, pro frequentibus beneficiis hoſtem ſe in filium egit, indignè tamen & plusquam moleſte *Cazimirus Poloniæ* Rex rebellionem arrogantiamque *Maslai*, prout par erat, tulit, quod ſeruus & ſubditus Patris etiam ſui *Miecslai* beficiis aſtrictus, rebellionem primum deinde arma in illum commouiſſet, omnibus tamen rumoribus, qui ex *Mazouia* afferebantur contemptis, opprimere *Maslaum* priusquam illi externa & finitimarum gentium poſſint peruenire auxilia, ſtatuit. Veteranorum itaque militum ex *Polonia*, & horum quos ſecum ex *Almania* adduxerat, robore tantummodo fretus in *Mazouia* deſcendit iuſtæ deditioni illum ſimul cum *Maslao* ſubacturus. Cui *Iaroslaus* Dux *Ruſſiæ* conſortis ſuæ germanus, cum omnibus *Ruthenicis* copiis in auxilium aduenit. *Maslaus* certior à ſuis de Regis aduentu factus quamuis nondum ſuas copias videbat conueniſſe, ſuperiorem bello ſe ratus futurum *Cazimiro* Regi occurrens, prælium committit, *Mazouitæ* ſeu *Plocenſes* ſceleris inuidia parum penſata, nec aduertentes, quod non in hoſtes, ſed in ciues, non in tyrannum, ſed in legitimum Dominum *Maslai* graſſaretur inuidia & audacia, & Regi naturalique Domino & ciuibus pro tyranno bellum inferunt, manus impias pro cauſa noxia conſerturi, pugnatum eſt ab vtrisque animo pertinaci, iuſtaque Regis ira militibus accenſis addebat vires, vnde *Maslai* exercitus impetum regium non ſuſtinens in fugam verti, & ſenſim defluere cœpit. *Cazimirus* autem fugientibus inſtare ac perſequi ſuos milites iubens, magnam ſtragem effecit in hoſtibus, *Maslaus* fuga elapſus ad *Pruthenos*, vinci acies ſuas videns, diuertens euaſit, *Mazouia* verò in Regis *Cazimiri* ditionem plenè extunc redacta eſt. Regnum quoque *Polonicum*, quaſi ex aliquo flagrantiſſimo incendio *Cazimiri* Regis opera ereptum, qui paſſus non eſt omnem maiorum ſuorum gloriam interire, conatus omnes pro inſtauratione Regni ſollicito ſtudio impendens, à quo omnis iuſtitia, & omnis vetus ſuperiorum Regum & principum diſciplina, ſub tempore ſui exilii & abſentiæ migrauerat.

ſed Maslao victo, Caſimiro ſubiecta eſt,

HENRICVS tertius *Romanorum* Rex clade apud *Bohemicales* ſiluas accepta, irritatus magis quàm fractus, expeditionem omnibus Imperii, & *Almaniæ* Principibus & ſubditis contra *Bohemiam* indicit, & fortem ac potentem exercitum congregans, tripartito exercitu, *Petri* enim *Vngariæ* Regis iuuabatur auxilio, *Bohemiam* ingreditur, eamque & vniuerſas vrbes eius, vicos & oppida, cæde, ferroque atque igne vaſtat, atterit, & ſuccendit, in *Bohemos* quoque & Ducem eorum *Bretislaum* ex ſuperiori victoria tumeſcentem, tanto amplius debachatur & ſæuit, quantò crudelius & ſuperbius ſibi & ſuo nomini non ignorabat

Henricus Imp. tripartito exercitu in Bohemiam ingreditur,

1042. illos poſt ademptum triumphum, vsque ad tempus illud inſultaſſe, in dolis ſiquidem & artibus ſuis *Bretislaus Bohemiæ* Dux confidens plures muſcipulas & laqueos, Imperatori *Henrico* & ſuo exercitui congeſſerat, exiſtimans ſe illum priori ſorte circumuenturum. Verùm *Henricus* Rex & ſuus exercitus accurata prouidentia vſus, *Bretislai* Ducis & *Bohemorum* inſidias partim eluſit, partim confregit. In apertam autem dimicationem *Bretislaus* nullatenus prodire audebat, potentiam hoſtilem, & ſuorum euidens periculum veritus. Quapropter Duce *Bretislao* & *Bohemis* in caſtris, munitionibus, ſiluis aut locis inuiis ſe continentibus, *Henricus* Rex ſuam & ſui exercitus cladem vlturus populationem, & incendia iuſſit latius extendi. Omnibus autem ciuitatibus & vicis per circuitum conflagratis, & conſumptis *Pragam* expugnaturus exercitum admouit, cuius obſidionem *Seuerus* Epiſcopus *Pragenſis* non tolerans, vrbemque capiendam non ambigens, *Praga* elapſus ad Regem *Romanorum* fugitiuus venit, ſeque illius ditioni & decreto in ſingulis pariturum promiſit. Dux autem *Bretislaus Bohemiæ* ex fuga *Seueri* Epiſcopi vrbem *Pragenſem* dedendam ſuſpicatus, caduceatoribus ad *Henricum* Regem miſſis, facinus ſuum recognoſcit, pronam ad deditionem facit, orat *ne vaſallum, & feudalem ſuum exterminet, & pati extrema cogat, ſe omnia quæ iuſſerit impleturum.* *Henricus* autem Rex ſatis ſe vltum ſuas ſuperiores iniurias aduertens oblatam deditionem acceptat, Ducem *Bretislaum Bohemiæ* primum dare obſides, deinde caſtris, & munitionibus, quas in Regno *Poloniæ*, aut occupauerat, aut erexerat cedere, & *Cazimiro* Regi reddere imperat. Poſtremo duobus millibus marcarum argenti puri, & quinquaginta auri mulctat. Quibus omnibus dum *Bretislaus* paruiſſet, *Henricus* Rex humiliatis *Bohemis* obſidionem ſoluens in *Almaniam* eſt egreſſus, Ducem *Bretislaum Bohemiæ Ratiſponam* deditionem innouaturum, & iureiurando fidelitatem præſtiturum ſe ſequi coarctans.

ibi omnia vaſtat, cui ſe primo dedidit Seuerus Epiſc. Pragenſis, deinde Bretislaus, acceptis duris conditionibus

Sed nec in *Vngaria* minores erant bellorum motus, quippe & ipſa proprio bello inuoluenda futuri ſui incendii iam ignes conceperat. *Petrus* ſiquidem *Vngariæ* Rex, quem propinquioribus hæredibus, aut exiliatis, aut excæcatis Reginæ *Giſlæ* relictæ olim *B. Stephani Vngarorum* Regis, & *Budæ* Baronis, ingeniis aſſiſtentia & opera Regnum *Vngariæ* adeptum fuiſſe monſtrauimus, qui in libidinem procliuior, & in *Teutonicos Italosque* caſtra credendo, officia & magiſtratus conferendo, *Vngaris* contemptis & neglectis, eſſet propenſior, vehementer cœpit eſſe *Vngaris* grauis & moleſtus, moleſtiamque ex his duabus quas præmiſimus cauſis in dies gliſcentem, & reſponſio ab eo edita auxit, & *Vngarorum* animos in rebellionem inflammauit, petentibus ſiqui-

Petrus Vngariæ Rex ſuis magnopere moleſtus

1042. ſiquidem *Vngaris* grauamina, quibus atterebantur tolli & in vxorum filiarum & ſororum ſuarum, quas querebantur & à Rege, & à ſuis A curienſibus, aut fœdatas, aut fœcundatas pudicitiam conſeruare, & externos ſibi non præferri, ſuperbum ferunt à *Petro* Rege reſponſum, *ea quæ hactenus egiſſet, nullam habere ſpeciem iniuriæ, & iuxta appellationem regionis Vngariæ Vngariam oppetere, ſe quoque eo propoſito eſſe, & pro ſtabiliendo ſuo Regno, non Teutonicis tantum aut Italicis, ſed & aliis nationibus Vngariam impleturum.* His & aliis cauſis *Vngari*, vt eſt gens ad nouandas res præceps & procliuis, permoti, *Albam* Comitem alias *Ouonem*, qui de ſorore & ſanguine *B. Stephani* genitus fuit, & alii propinquiores aberant, Regem ſibi uniuerſali Eccleſiaſticorum & ſecularium conſenſu conſtituunt, B & in *Albam Regalem* deductum coronant. *Budam* verò Baronem, cuius conſilio *Petrus* Rex vtebatur, lapidibus obruunt, duobus filiis ſuis viſu priuatis. Quo comperto *Petrus* Rex cum paucis fuga elapſus in *Almaniam* ad *Henricum Romanorum* Regem diuertit, *Alba* verò nouus *Vngariæ* Rex & *Teutonicos Italosque* à publicis amouit officiis, & conſtitutiones, edictaque *Petri* Regis gratificando *Vngaris* irrita fecit, Magiſtratus quoque & officia in *Vngaros* diſtribuit.

deponitur, & Alba Rex creatur.

Caſimiro Regi Pol. naſcitur filius Boleſlaus.

Regina *Dobrognieua Poloniæ* primogenitum filium effudit, de cuius exortu *Cazimirus Poloniæ* Rex magna lætitia exultans, auitum C illi nomen *Boleſlaus* in baptiſmo impoſuit, gaudiumque de natiuitate filii celebritate dierum ſequentium monſtrauit.

1043.

Maslaus iterum ſe mouet,

Conatus *Maslaus Plocenſium* ſeu *Mazouitarum* pſeudo Princeps, per ſtragem à *Cazimiro Polonorum* Rege in ſe & ſuis prima congreſſione contra omnium ſpem & opinionem ſuam acceptam dolens recidiſſe in ſui contumeliam, & ruinam, non tamen clade huiuſmodi fractus, adeò illi animus conſtans & ferox erat. Nam quamuis victus, contumax tamen hominis alebatur ſpiritus *Pruthenicis* auxiliis ſubnixus. Itaque *Pruthenos* ad quos confugerat *Iacuingos, Slonenſes*, cæterique *Prutbenici* tractus barbaros, reſarciendum caſum acceptum pluri- D bus blandimentis & perſuaſionibus in bellum ſollicitat, *facili negotio Cazimirum Poloniæ Regem, paucas & has ipſas debiles ſuperiori pugna diminutas copias habentem, fundi vincique poſſe*, aſſeuerans. *Cuius potentiam ſi augeri diffundique ſinerent, noſſent ſe per illum maiorum more in ſuum Regnique Poloniæ Dominium & ditionem ſubacturos, & tributis quæ imponeret ſeruituros.* *Prutheni* cæterique barbari dùm *Maslaum* vera perſuaſiſſe exiſtimaſſent, ſuaptæ tamen & ipſis *Polonis* veluti finitimis, & in chriſtiana religione diuerſis infeſti, in bellum *Cazimiro* Regi rurſus inferendum conſpirant, & non ſolùm ex militibus, & ex his qui arma ſoliti tractare erat, ſed & agreſtibus, & ſeruitiis ingentes copias contrahunt, & conquirunt. Sub ductu quoque *Maslai* in *Mazouiam* ſuæ poteſtati, ſuæque ditioni illam redacturi, deſcendunt, ſpe multa pleni, omnem fortunam experturi. Qua nouitate & rumore, & crebro nuncio ad ſe *Cazimirus* Rex perlata anxiari animo doloreque confici cœpit, quod bellum ſua æſtimatione extinctum viribus redintegratis aduerſus ſe vidit conflatum, ſibique belli nouam fortunam experiendum. Congregatis itaque vtcunque poterat, ſuorum militum potentiis contra *Maslaum, Pruthenos*, cæterosque barbaros exercitum ſuum producit. Clamitabant autem aduerſus *Maslaum Polonorum* Proceres, & milites horridas voces, frequentibusque illum inceſſabant conuiciis, atque opprobriis inquientes: *Omnium mortalium ſceleſtiſſime & impuriſſime, qui primus apud Polonos facinus perfidiæ occupaſti, qui Regnum Poloniæ qui patriam communem copiis adductis barbaricis conaris ſcindere in turpem ſpem, aut Regni occupandi, aut Regis & Principis tui occidendi deliro adductus cerebro.* Non curauit autem *Maslaus*, his ſugillationum verbis, & vocibus auditis, flectere animum ſuum, ne ex mala conſcientia propoſiti ſui maligni habere remorſum: tanta hominem ingens cupido Principatus exagitabat, ad quem capiendum non alia re magis niſi languore Reipubl. & ſeditione exorienda, auxiliisque barbaricis per *Pruthenos* præſtitis incitabatur. Accedebat animus, licet domi modicus, bello tamen ingens, gloriæ, & Principatus auidus pollens ſcientia militari. *Cazimirus* itaque Rex cum hoſtiles copias ſuis multo auctiores ſuperioresque proſpiceret, non animo ſolùm defluere, ſed & futuram ſuam dimicationem minus feliciter ſucceſſuram de ſummaque belli deſperare cœpit. Fluctuatione quoque & vario mentis æſtu obrutus, religionem diſceſſionemque è monaſterio, ſummique Pontificis diſpenſationem irritam, neque adeò probatam, probandamuè eſſe (vt fert ſollicitudo) in memoriam reuocabat, anxiumque illum, & de futuro pugnæ euentu pauidum curæ nimiæ & angores agitabant ingenti ſollicitudine incuſſæ, & ſecreta æſtimatione duro timoris interprete, omnia in aduerſum trahente, penſante, vt aduerſa ſibi potius, quàm proſpera metum euentura auguraret. Hæc etiam illi afflicto & deſperanti cogitatio incidit, facinus deſertæ religionis & ordinis, & ſolium Regni, ſtatumque laicalem rupto continentiæ & religionis voto aſſumendo contraxiſſe, cuius iuſto Dei iudicio vltionem aduenire figurabat, nec ſummum Pontificem ſecum de deſerenda religione & de abdicando Diaconatus ordine diſpenſare potuiſſe, pœnitentiaque multifaria mentem anxiam ſubibat, qui abdita monaſterii cum aula permutaſſet.

1043.

& contra hunc exercitum educit Boleſlaus.

Quem magnopere fluctuantem

Regreſ-

1043. Regreſſurum itaque ſe ad religionem & ordinem, relicto Regno, relicta vxore & ſeculo, tacita cogitatione, temporalem & A imminentem à barbaris, & æternam plagam euaſurus diſponebat, vnde & certamen differre, & pugnam detractare, contra morem ſuum, cunctator magis quàm actor rerum bellicarum eſſe cœpit. Aſtitit autem illi clementiſſimus Deus, & fauoris ſui ſibi accommodat præſidium, præſtatque metum ſuum religionis zelo conceptum, deteriora quoque videbat accidere, nec in periculoſo articulo deſeruit vacillantem Angelica apparatione animatus, & cœleſti ſuffragio corroboratus. Etenim his curis eum diſtractum & anxium ſopor oppreſſit, atque illi per quietem ſtertenti magis quam dormienti vox inſonuit: *Conſurge, conſurge, & omni metu excuſſo age in hoſtes irruptionem, habiturus* B *de hoſtium multitudine cœleſte ſuffragium, & magnificum triumphum.* Erigens itaque ſe, nec dum tamen denunciato ſibi diuinitus oraculo fidens, ad milites ſuos veniens, quam vocem audiuerit exponit. At illi ingenti ſpiritu concepto (nulla enim re magis quàm religione depreſſi, exanguesque animi ſolent multitudinis moueri) arma ocius corripiunt, equos conſcendunt, ordinatisque aciebus in hoſtes non de pugna, ſed de præmio pugnæ cogitantes, alacres procedunt, vociferationeque, qualem animus de euentu futuro ſecurus edere ſolet, ſublata, ineunt certamen cum hoſte acerrimum. Multitudine barbari freti reſiſtunt *Polonis*, & diuina propitiatione, primum voce, deinde cum pugna in feruore eſſet, viſibili ſigno denunciata, iuſtaque ira viros animosque addebat. Viſus enim eſt tunc à *Polonis* ſigna infeſta in hoſtes inferentibus, & prælium capeſſentibus, vir quidam niueo amictus veſtitu, alboque equo inſidens, vexillum quoque candidum geſtans in aere conſiſtere, & continua adhortatione *Polonos* vsquequo certamen durabat ad dimicandum animare, quo effectum eſt, vt *Poloni* omnium quæ cogitari poterant periculorum obliti, plusquam humanis viribus conueniret, in hoſtes inuecti maximam ſtragem paruo ſuorum diſpendio & deſiderio effecerunt, ſed nec prius ferocius graſſari, heroicisque pectoribus hoſtes impetere D deſtiterunt, donec omnes hoſtium phalanges & acies confractæ deletæque ſunt. Reliqui autem eorum in turpem miſerabilemque fugam conuerſi, in qua maior trucidatio fugientium quàm pro numero ſecuta eſt, ſingulis *Polonis* cædi magis quam capiendis hoſtibus intentis. In eo inſuper prælio *Cazimiri* Regis virtus plurimum ſpectata eſt, qui non Ducis ſolùm ſed & militis opera vſus, præliando milites tantis adiuuabat viribus, vt cruore occiſorum hoſtium oblitus & madefactus eſſet. Difficile etiam à ſuis poterat agnoſci ea in ſuper laſſitudine hoſtes inſequendo confectus eſt, vt ſemianimis ad tabernaculum

vox in ſomnis audita confortat,

& vir quidam diuinus hoſtes profligare adiuuat,

per quendam *Gregorium* militem, quem etiam pro fide ſua remunerans, nobilitate extulit, & diuitiis decorauit, in lecticam relatus ſit. Confecto prælio viri acies *Polonicales* diuinitus adiuuantis viſio diſparuit. Victus *Maslaus*, & cum omni ſua potentia debellatus, inclinat mox *Mazouiam*, & cæteras finitimas Regiones ad veteris imperii reſpectum, vt omiſſa pertinacia ac rebellione, ſubmitterent ſe graui neceſſitati *Cazimirumque* potius Regem adorando ſuſciperent, quàm rebellando hoſtem experirentur certificati quod *Cazimirus* Rex *Maslaum* pſeudo eorum Principem, hominem furentem, & tùm ſuis, tum auxiliatorum præſumentem atque exultantem viribus compeſcuit, ferociamque eius atque impetum in omnium ſe graſſantem perniciem oppreſſit; Proceſſit autem triumphus præfatus ex euidenti & manifeſta Dei gratia, quæ rariſſimè patitur quemquam regnare cum ſcelere, cuius quoque dignatio Rempublicam *Polonorum* ad veram & ſtabilem voluit integram perducere. 1043.

quo facto Mazouia ad Caſimirum redit.

Capta ſunt in prælio prædicto, quod ad ripas fluminis *Iſtulæ* in *Mazouia* geſtum eſt, hoſtium duo millia, cæſa quindecim. *Maslaus* tamen bellorum huiusmodi dux incitator, & autor, aciem ſuam inclinatam aduertens, tempeſtiuè prælio excedens, ne in manus *Cazimiri* Regis & *Polonorum* viuus veniret, extremaque quemadmodum ſe meritum eſſe non ignorabat cum ignominia pati cogeretur, in *Pruſſiam* confugit, tutum ſe apud barbaros *Pruthenos*, & nouas copias reparaturum ratus fore. Qui cum reliquias *Pruthenorum*, *Iacwingorum*, cæterorumque barbarorum, ad bellum denuo redintegrandum ſolicitaret, ſpesq; ſuas in effectum prodituras crederet, res longè aliter quam ratus erat euenit. Barbari enim in furorem & iuſtam indignationem verſi, quod illius conſiliis exitium grande paſſi, parentes, fratres, neceſſarios, & omne militiæ ſuæ robur perdiderant, *Maslaum* vincientes diuerſis pœnis, tormentis, & contumeliis (neque enim barbarorum conditio ſimplici genere pœnæ contenta eſt) excruciant, & tandem laceratum in patibulum, in loco eminentiori fabricatum, vt conueniens traditori & impoſtori erat, agunt, denunciantes *eum altitudinem, quam ſanguine & interitu eorum quæſierat, nusquam iuſtius pleniusque quam illic percepturum.* Viuoque & mortuo à barbaris non indignè exprobratum, vt alta teneret, qui ſuæ conditionis vires & modum tranſcendendendo alta petiuerat. Sic *Maslaus* qui pennis præſumpſerat volitare *Icareis*, quàm turpiſſimè diſſolutus decidit. Sic dignum moribus factisque ſuis exitum vitæ, Deo tardè, iuſtè tamen vlciſcente inuenit præuaricationis ſuæ pœnas, quas apud *Polonos* euaſerat, à barbaris, quos ſibi conciliare ſe poſſe credebat, cumulatius excipiens, poſteris ne falſum & in-

Maslaus ex prælio in Pruſſiam confugit,

ibiq; trucidatus & patibulo affixus eſt.

1043. iuſtum principatum vſurpare contendant, ſuo caſu documentum & exemplar eſſe poterit. Poſt eam victoriam diuinitus de *Maslao, Pruthenis, Iacwingis*, cæteriſque barbaris relatam, quæ per finitimas regiones diffuſa, famoſa & celebris vbique habebatur, omnium aut in rebellionem ſpectantium, aut bella *Poloniæ* Regno inferentium, animi adeo domiti ſunt, vt à finitimis regionibus, certa pax & tranquillitas, à propriis verò integra fides & ſubiectio proueniret. *Pruſſia* quoque ipſa parere *Cazimiro* Regi *Poloniæ* coacta in plenam deditionem venit; relaxatione quoque captiuorum ſuorum apud *Cazimirum* Regem *Poloniæ* obtenta, tributis ſeruiens, tributa *Poloniæ* pendens, in fide & iugo permanſit.

Pruſſi ſe Caſimiro dedunt.

Orta deinde eſt ſub regimine *Cazimiri* Regis, propter illius excelſam ſtrenuitatem & gloriam ſingularem, iuſtitia & abundantia pacis, finem accepit ſeruitus, conſolationem lachrymæ, & augmentum fides, fidelis ſecuritatem, patria dilatationem, &c. Sedit in fortitudine arcus eius, gloriam inuenit in conſpectu altiſſimi, magnificauit eum in timore inimicorum. Fugit *Ruthenus*, timuit *Bohemus*, ceſſauit exactor, & Dominus per manum illius impios, in ſua iniquitate fecit corrigibiles & depreſſos. Vniuerſalis quoque & propriorum & externorum appellatione denominatus eſt (quod etiam nomen illi in hanc diem perſeuerat) inſtaurator. In hunc modum *Maslao* debellato, & cæteris in circuitu hoſtibus contritis, libertate recuperata in ſua iura vindicauit *Poloniam*. Omni inſuper memoria tyrannicæ dominationis ablata, ſoliditatem Regni ſolus *Cazimirus* obtinuit, & gratia diuina ſolium illius dirigente, nemo amplius illi reſiſtere auſus eſt. Ex cuius prudenti & modeſta admiratione adeò præſentium rerum bonitas, & tranquillitas permanere cœpit, vt obliuionem præteritorum malorum pareret. Nec abs re pietatis enim opere, *Cazimirus* Deo ſe & hominibus amabilem exhibens, ſummam Regni *Polonici* cum religione pura, & virtute animi ac moderatione procurabat.

Pax & tranquillitas temporibus Caſimiri.

Caſimiro naſcitur filius ſecundus Wladislaus.

Regina *Poloniæ Dobrognieua* ex *Cazimiro* *Poloniæ* Rege fœcundata, alterum filium, enixa eſt: cuius natiuitatem *Cazimirus Poloniæ* Rex à ſingulari ſolennitate & lætitia *Cracouiæ* celebrans, nomen in baptiſmo indidit illi *Wladislaus*.

Fames in Bohemia.

Eo inſuper tempore *Bohemia* magna fame afflicta eſt, dum enim ſuperioribus annis ſemina terræ mandata male proueniſſent, anno autem illo permiſſione diuina omnia ferè germina extincta forent, plures mortales ſolo natiuo deſerto in *Poloniam*, *Vngariam*, cæteraſque finitimas regiones fugere pro euitanda famis pernicie compulſi ſunt. In cæteros qui remanſerant, tam valida fames debachata eſt, vt de populo *Bohemico* pars tertia fame contabeſcens perierit. Quo malo diuina maieſtas propter ſacrilegium in *Polonos* & Eccleſiam *Gneſnenſem* commiſſum credita eſt *Bohemos* afflixiſſe. 1043.

Caſimirus Rex

1044. Experientiis multifariis & felicibus ſucceſſibus *Cazimirus Poloniæ* Rex in rebus arduis & difficilibus, adiutum, auctum, & cohoneſtatum per diuinam propitiationem ſe recognoſcens, egreſſum quoque ſuum de monaſterio & ordine, & aſſumptam Regni natiui gubernationem intellexit, Regum Principi placuiſſe. Satagens itaque crebra reuolutione mentis creatori & propitiatori ſuo pro ſuſceptis beneficiis aliqua facere reſponſura, religionis quondam ſuæ & poſſeſſionis ſacratum D. *Benedicti* ordinem, qui eum in lege diuina erudierat, monaſterium decreuit fundandum.

vocatis ex Cluniaco monachis

Mittens itaque ſpeciales in *Cluniacum* nuncios, multa per illos Abbati & fratribus dirigit donaria, denuncians eis, quantis illum clementia Saluatoris, & in Regni *Poloniæ* adoptione, & in hoſtium profligatione, & in prolis maſculinæ ſuſceptione glorificaſſet, decoris, ſimulque inquirens & rogans, *vt certi de monaſterio Cluniacenſi fratres religionis libros, ceremoniaſque ſecum delaturi ſibi remittantur. Locum & monaſterium ſumptu regio ædificandum, & dotem amplam, & liberalem fundationem accepturi.* Legatione huiuſmodi abbas *Cluniacenſis*, ſimul & fratrum ſacer cœtus exhilaratus, celebrata in Deum gratiarum actione, quod alumnos eorum collapſis & penè perditis Eccleſiæ & patriæ apud *Poloniam* rebus maximum adiumentum, robur & correctionem attulerit, morem ſuis precibus gerendum decreuit, & cum nunciis regiis duodecem fratres, quorum vnus *Aaron* nomine, vitæ maturitate, & prudentiæ ſagacitate præcipuus habebatur, remittit.

duo monaſteria ordinis S. Benedicti fundat & dotat, vnum in monte Tyniec,

Hos *Cazimirus* Rex *Poloniæ* ad ſe venientes, plurimum de illorum aduentu exhilaratus, velut Angelos Dei videre meruiſſet, ſuſpiciens, vnum cœnobium illis in monte *Tyniec* ad fluenta fluminis *Viſlæ* ſitum, & à *Cracouia* duobus miliaribus diſtans, in honorem *S. Petri* Principis Apoſtolorum extruit, & pluribus oppidis, villis, poſſeſſionibus, introitiuis, prærogatiuis, libertatibus adeò dotat, extollit, & locupletat, vt nullus monaſterii in Regno *Poloniæ* ante & poſt hanc diem fundati fundus dotis, tunc à Rege *Cazimiro* præſtitæ, & per eum etiam poſſeſſæ vſque hactenus, æquiparari poterit. Cuius primus Abbas frater natione *Gallus Aaron Cazimiro* Rege ordinante fuit inſtitutus. Cui quidem monaſterio, cætera *S. Benedicti* monaſteria & loca ſub prouincia *Gneſnenſi*, ſub quibuſcunque diœceſibus aliis conſiſtentia ſubiecta ſunt, & eius primariam dignitatem debita obſeruatione profitentur. Extant in eam diem apud *Thiniecenſem* monaſterium nonnulli Regulares & Chorales libri ex *Cluniaco* allati, vocationem fratrum ex *Cluniaco* & fundationem originemq; huius monaſterii te-

te-

1044. teſtantes. Licet & alii ex *Leodio* fratres vo-
catos in *Thiniecenſe* monaſterium commen-
alterum iuxta oppidum Lubens.
tentur. Extruxit & aliud cœnobium eius-
dem ordinis & profeſſiouis ad flumen *Odra*,
in loco qui *Iulij mons* (ſtatiua enim quondam
Iulius Cæſar habuiſſe fertur) *à Polonis* verò
voce *Latina Lubens* appellatur. Regiam quo-
que & liberalem ei aſſignat dotem, donando
eidem monaſterio oppidum *Lubens*, *Nouum-
forum*, *Bogunow*, *Dobrogoſtow*, *Napſtir*, *Ste-
pin*, *Vilſchino*, *Nalibin*, & plures alias vil-
las, poſſeſſiones, reditus, cenſus, telonea &
introitus, atque in flumine *Odra* piſcationes
& naulum, in ſiluis verò mellificia & venatio-
nes. Vtrumque autem monaſterium, & eius
hæreditates atque ſortes, ſingularibus liber-
tatibus & immunitatibus priuilegiat, vtrique
vaſa aurea & argentea, veſtes quoque nobiles
& purpureas, ad miniſterium, & res diuinas
explendas neceſſaria abundè largitur. Et li-
cet monaſterium *Thiniecenſe* centum & am-
plius villis, *à Cazimiro* primo *Polonorum*
Rege fuerit dotatum, in quadraginta tamen
villis, tunc eidem à primario ſuo fundatore
Cazimiro Rege donatis, nequitia & auaritia
humana, negligentia inſuper præſidum di-
minutum fuit. Obtinuit inſuper præfatum
monaſterium à Pontificibus, & à *Cracouienſi*
Eccleſia, & præſertim ab *Aaron* Archiepiſcopo
Cracouienſi notabilium decimarum menſæ
Pontificalis *Cracouienſis* liberalem donatio-
nem, quæ illi quieta & integra in diem hanc
perſeuerat.

1045. Confirmatum & ſtabilitum *Poloniæ* Re-
Pontifici Benedicto IX. petenti
gnum prudentia & induſtria *Cazimiri* Re-
gis, Summus Pontifex *Benedictus* nonus Papa
relatione plurimorum intelligens, gratulatio-
ne ſingulari repletur, liberalem diſpenſatio-
nem *Cazimiro* alias *Carolo* præſtitum profe-
ctum attuliſſe. Miſſo autem ad *Cazimi-
rum* Regem ſpeciali nuntio, requirit illum,
*vt iuxta Legatorum Polonorum, Apoſtolicam
ſedem pro ſui Regis diſpenſatione, plurimis in-
ſtantijs flagitantium, ſponſionem & ſuam ſub-
ſecutam confirmationem, capitis cenſus de
vniuerſis Regni Poloniæ prouincijs conquiſitis,
& conquirendis mandaret pro Beato Petro &
ſuo ſucceſſore Papa Romano collectoribus A-
poſtolicis ſingulis annis exhiberi.* Volens
Cazimirus Rex *Poloniæ* pactis, Summo Pon-
tifici *Benedicto* primum per Legatos *Polono-
rum*, deinde per ſe promiſſis ſatisfacere, ge-
neralem omnium ſuarum Prouinciarum indi-
cit conuentum. In quo & pollicitatio A-
Caſimirus ex Regno ſuo denarium Petri ſoluit,
poſtolicæ Sedi per Legatos *Polonorum* facta
concordi omnium deuotione, & conſenſu,
decreta & innouata eſt, & vniuerſali man-
dato ſolutio vnius vſualis obuli de capite,
tàm ciuitates & oppida, quàm vicos & rura co-
lentium in duabus Prouinciis *Gneſnenſi*, &
Cracouienſi, & diœceſibus eisdem ſubnectis,
videlicet *Poſnanienſi*, *Plocenſi*, *Cruſuicien-
ſi*, *Wratislauienſi*, *Lubiecenſi*, *Culmenſi*, & *Ca-* 1045.
menecenſi, impetrata. Ab eo quoque tempore
A Regnum *Poloniæ* factum eſt *Romanæ* Eccleſiæ,
imò Vicario *Ieſu Chriſti* Summo Pontifici feu-
dale & tributarium, nec vnquam tribuſſ præ-
dicti paſſum eſt ſolutionem quacunque occa-
ſione aut pacto intermitti, aut reſcindi. Vi-
debatur autem cenſus ipſe, qui denarius *S. Pe-
tri* appellabatur, primum *Polonis* onerosus &
difficilis, vtpote qui ſecum perpetuam trahe-
bat in *Polonos* grauedinem, & poſtquam va-
rios profectus & commoda Regno *Poloniæ*
quod tributum abrogari non potuit.
cognitus eſt præſtitiſſe & præſtare, vt non ab
homine, ſed ab ipſo Deo, generi *Polonorum*,
propitiante impoſitio eius credatur profflu-
xiſſe. Quamuis enim per multa annorum
ſpatia impoſitionem præſentem ſequentia Re-
B gno *Poloniæ* in plures Ducatus & Prouincias
ſciſſo, & nonnullis finitimis gentibus & na-
tionibus Regnum *Poloniæ* in ſuis Prouinciis
& pertinentiis, præſertim *à Bohemis* & fratri-
bus domus *Teutonicæ* nigram crucem in al-
bo habitu deferentibus, in ſuis Prouinciis &
pertinentiis fuerit occupatum & direptum,
nullum tamen tam validum, tamque efficax
ingenium, quamuis ad id plurimi interpoſiti
fuiſſent induſtrii labores & conatus, poterat
reperiri, quo proprietas Regno *Poloniæ* in
huiusmodi terris & Prouinciis competens
potuiſſet per huiusmodi occupationem abo-
leri. Quinimò denarius *S. Petri* prædictus
cæteris teſtimoniis ſuppreſſis, aut vetuſtate
C abolitis, & conſumptis, iniuſtam terrarum vo-
ciferat occupationem, & detegit & illas de ſor-
te, titulo, iure, ac proprietate Regni *Poloniæ*
fuiſſe & eſſe demonſtrat. Ab eo ſiquidem
tempore vsque in hanc diem omnes veteres
Regni *Poloniæ* regiones, omnesque Eccleſiæ &
Poloniæ diœceſes, vno & perpetuo iuris tenore
vſurpato, & nunquam intermiſſo, tributum de-
narii *S. Petri* Eccleſiæ *Romanæ* pendunt, præ-
ter *Camenecenſem* diœceſim, ſpeciali Apoſtoli-
co priuilegio ad preces Legati Apoſtolici ca-
pti, & ex diuturna ſeruitute opera *Camenecen-
ſis* Epiſcopi in libertatem reſtituti, exonerata
& exempta, optaſſentq; Reges *Poloniæ* vt & *Ru-
D thenicæ*, *Pruthenicæ*, *Lithuanicæ* regiones, ex-
poſt Regno *Poloniæ*, vnitæ, pari cenſu orna-
rentur futuro ſeculo, futuræque ætati terminos
& iura Regni *Poloniæ* teſtatura.

Rachelinus Cracouienſis Archiepiſcopus,
Rachelino Cracouienſi Archiep.
dum in Pontificatu *Cracouienſi* annos quatuor-
decim exegiſſet, religioſè moritur, & in Eccle-
ſia *Cracouienſi* iuſto honore funeri ſoluto acce-
pit ſepulturam.

Ad ſubſtituendum in locum vacantis *Cra-* 1046.
couienſis Eccleſiæ dignum Pontificem, *Cazi-
mirus Poloniæ* Rex impendere non deſtitit
præcipuam curam. Quamuis enim plures
perſonæ ad culmen Archiepiſcopale ido-
neæ ſe offerebant, omnibus tamen præter-
miſſis & neglectis, ad *Aaron* monaſterii
ſuccedit Aaron.

1046. *Thiniecenſis* Abbatem natione *Gallum* omnem conſiderationem & cogitatum vertit. Nouerat ſiquidem probè, dum vnà in *Cluniacenſi* monaſterio obuerſarentur, eius ſingularem doctrinam, vitæ ſanctimoniam, religioſæ conſeruationis virtutem. Hunc itaque propter raras hominis virtutes obtinuit in Archiepiſcopum *Cracouienſem* poſtulari, poſtulationemque ſuam à *Benedicto* Papa nono confirmari. Præfatus ſiquidem *Benedictus* nonus *Cazimiri* Regis *Poloniæ*, quem in promouenda præfati *Aaron* viri literati, & religioſi perſona habuerat, zelo delectatus, poſtulationem confirmando & pallium decernendo, *Cazimirum Poloniæ* Regem voluit ſpecialiter honorare. His enim verbis legimus eum vſum fuiſſe. *Pro reuerentia Beati Petri Principis Apoſtolorum, ſub cuius velamento te ſtaturum conſtituiſti, & pro amore Regis Poloniæ Caroli, alias Cazimiri Domini veſtri, eiusque coniugis Mariæ, eorumque filij Boleslai, & pro honore totius Regni Poloniæ ſtatuimus, ſtabilimus, dicamus, & benedicimus in perpetuum in Eccleſia & ciuitate Cracouienſi eſſe Archiepiſcopatum & Metropolim. Cui ſubiicimus omnes omnium Epiſcopatuum, qui in toto Regno Poloniæ ſunt, parochias, vt Archiepiſcopali more præſideat vniuerſis. Tibi quoque & ſucceſſoribus tuis pallium de corpore Beati Petri ſumptum concedimus, diebus ſolennibus à iure inſtitutis deferendum.* Operæ precium viſum eſt præſenti operi hæc inſerere, & pro Cazimiri Regis quo eum Summus Pontifex dignabatur honore, & Eccleſiæ *Cracouienſis* excellentia & dignitate. Quam etſi per negligentiam ſuccedentium huic *Aaron* Pontificum retinere deſiit, iuſtum tamen eſt & Reipublicæ *Polonorum* decorum & neceſſarium, vt illam aliquando benignitate diuina & Regum *Poloniæ Gneſnenſium* quoque & *Cracouienſium* Pontificum opera reſumat, *Gneſnenſi* ſiquidem non tenuis ſplendor, ſed amplior honor accederet, ſi potius non ad vnius *Leopolienſis* Archiepiſcopalis Eccleſiæ, ſed ad duarum *Cracouienſis*, videlicet & *Leopolienſis* reſpectum primas vocaretur.

Naſcitur Caſimiro tertius filius Miecslaus.

Tertius filius *Cazimiro Poloniæ* Regi ex *Dobrognieua*, alias *Maria Poloniæ* Regina natus eſt. Cui mandato patris auitum nomen *Mieſzko* datum eſt in baptiſmo, alias *Miecslaus*.

Henricus Imp ſchiſma Pontif. ſedat.

Henricus tertius *Romanorum* Rex *Italiam* ingreſſus, & à *Romanis* magno honore ſuſceptus, tres de Papatu contendentes, videlicet *Benedictum, Silueſtrum* & *Gregorium* indignè conſtitutos ſynodaliter depoſuit. *Romani* ſiquidem *Benedicto* eiecto, *Silueſtrum* conſtituerant, ſed idem à *Benedicto* pulſus, *Gregorius* contra canonum ſucceſſiones ſurrogatur. Omnium itaque trium prædictorum poteſtate ſynodali abrogata, *Singerus*, alias *Swedegerus Bambergenſis* Epiſcopus natione *Saxo*, nimium reluctans, qui & *Clemens* vocatus eſt, in Papam eligitur, & in die Natiuitatis Domini conſecratur, à quo eodem die *Henricus* Rex cum *Agneta* coniuge ſua filia *Vilhelmi Pictauienſis* Principis benedictione Imperiali ſublimantur. 1046.

Clementi Papæ ſucceſſit Damaſus II.

Eodem quoque anno præfatus *Clemens* Papa moritur, cui *Popo Brixienſis* Epiſcopus, qui *Damaſus* ſecundus vocatus eſt, ſuccedit.

Hungari Abbæ Regi ſuo infenſi

Nondum *Abba Hungariæ* Rex, quem *Petro Teutonico* ſuo Rege reiecto *Hungari* Regem ſibi creauerant, quadriennium in Regno exegerat, cum *Hungarorum* primi ab eo auerſi ſunt. 1047. Deinde ſibi adeò infeſti eſſe cœperunt, vt in necem ſuam magnus ordo nobilium & primorum coniuraret. Coniurationis autem prædictæ plures perhibentur fuiſſe cauſæ, quod & *Abba* Rex procedere in Regno *Vngariæ* videris, priſca modeſtia abiecta inſolenter, ſuperbè, & iniuſtè imperium exercebat, in *Vngaros*, ſiue quod cenſuris Apoſtolicis ſuper *Petri* Regis expulſione percellebantur *Vngari*, & bellum ab Imperatore *Henrico* ſibi inferendum verebantur. Ad cuius tutelam & *Petrus* Rex, & plures *Vngari* partes ſuas ſecuti diffugerant. Nouerant enim *Henrici* Imperatoris animum non ſolùm ob expulſionem *Petri* Regis, ſed ob iniuriam grandem per *Abbam Vngariæ* Regem & *Vngaros* recenter illatam, qui *Auſtriam* & *Bauariam* ingreſſus hoſtiliter, vaſtitatem vtrique patriæ intulerat, plurimosque mortalium inde captiuos abduxerat ſibi eſſe plurimum iratum, quem etiam idem *Abba* miſſis nunciis & donis inſignibus, captiuorumque ſolutionem omnem offerens, & ex poſt quòd promiſerat negligens, in ampliorem indignationem exarcebauerat. Et Cæſar quidem *Henricus* aliquoties exercitum contra *Vngaros* congeſtum ſuper impendentibus maioribus imperii curis, & ſignanter bello, quod ſibi *Gotfridus* Dux *Lotharingiæ* inferebat, diſtractus diſſoluebatur. *Abba* verò *Vngariæ* Regi, interim & audacia, & animus ad magis inſoleſcendum augebantur.

propter crudelitatem

Conſpirationis quidem contra ſe factæ ſcelus ab vno coniuratorum habens detectum, dùm in *Chamadino* Quadrageſimam ageret, Principales Barones, & eos præſertim quos contra ſe coniuraſſe intellexerat, quaſi de publicis rebus cum illis conſilia digeſturus conuenire iuſſit, quos conuenientes & in thalamo regio conſilium agentes ab armatis militibus circumdari captiuarique, & tandem confeſſione & viatico negatis quinquaginta ex illis vario carnificio excruciatos necari & obtruncari diſpoſuit. De cætero quoque eos quos fidos & amicos credebat, tenuit ſuſpectos: Pro qua ſeueritate à B. *Gierardo Tanadienſi* pro eo tempore Epiſcopo plurimum correptus eſt, qui etiam finale diſcrimen niſi pœniteret, ſibi denunciabat, pro ſcelere perpetrato imminere. Ea ſeueritate per *Abbam* Regem in Baronibus & coniuratis pa-

pa-

1047. patrata,tantus cæteris qui diffugerant, quique remanſerant,metus iniectus eſt,vt ſinguli voluntario exilio ſe damnantes ad *Petrum* Regem,& ad *Henricum* Imperatorem in *Almaniam* diuerterent, & ſæuitia Regis expoſita; animum *Henrici* Imperatoris ad ferendam *Petro* Regi exuli opem, aſſerentes cæteros *Vngaros Abbam* deſerturos, inflammarent. Itaque Cæſar *Henricus* expeditione indicta in *Vngariam* cum grauibus copiis aduenit. Cui *Abba* Rex circa *Iaurinum* occurrens,& de victoria plurimum præſumens; tertio nonas Iulii prælium conſeruit. Et vtraque parte pro victoria obtinenda plurimum adnitente æquo Marte ad longam diei partem ab vtriſque pugnatum eſt. Turbo interim concitatus vehemens in ora *Vngarorum* ſe coniecit, & vultus *Vngarorum* obſcurans, quaſi elementa viderentur armis Cæſareis fauiſſe Cæſari victoriam præbuit, licet non incruentam. Magna enim *Almanorum* multitudo comperta eſt illic cecidiſſe. *Abba* vero Rex verſus *Thraciam* fugiens in cuiusdam villæ tugurio à ſuis *Vngaris* vociferans ſe indigna perpeti iugulatus eſt. Cæſar triumpho relato benignum ſe omnibus *Vngaris* victorem præbuit,neque pœnam deſerti & exulantis Regis ſumpſit ipſe a quoquam,nec *Petrum* Regem ſumere permiſit,quinimo *Vngaris Petrum* Regem, & *Petro* Regi *Vngaros* reconcilians in *Albam Regalem* venit, & *Petro* inſigniis Regiis induto diadema propriis manibus impoſuit, Regnumque *Vngariæ* omni populo acclamante *Petro* confirmauit,& innouauit,atque *Vngaris* propriis, atque municipalibus legibus, viuere conceſſit, compoſitiſque debito ordine *Vngarorum* rebus, multis honoratus à *Petro* Rege & Baronibus *Vngariæ* muneribus incolumis *Ratisbonam* rediit,& ad res imperii gubernandas dirigendaſque animum intendit.

Petrum ſuperiorem Regem reuocant.

Cui ſuppetias tulit Henricus III. Imp. & Hungaros fudit. Abba in Thracia interemtus,

Petrus vero ſolio reſtitutus eſt.

1048. Non tulit autem *Vngarorum* gens *Petri* Regis diuturno tempore imperium, ſed ad res nouandas pro varietate ingenii animum conuertens,qualiter *Petrum* Regem vel exiliarent,vel occiderent,& *Andream, Belam* & *Leuentam* Principes ſuos filios *Wladislai* Calui, qui apud *Poloniæ* Regem *Cazimirum* exulabant, in Regnum *Vngariæ* adducant, per tractatus varios decoquebant. Qua nouitate,ad *Petrum* Regem *Vngariæ* perlata, principales eorum,videlicet *Viskonem, Budam,* & *Bruſnam* iuſſit comprehendi,& in aculeis ſuſpenſos interfici. Cæteros vero eorum ſocietatis & ſectæ conſocios effoſis oculis tormentari. Non ob id tamen gliſcens contra *Petrum* Regem ſeditio oppreſſa, ſed magis aucta eſt. *Vngarorum* enim fere vniuerſi Proceres ſimilem pœnam, & cruciatus veriti conuentum apud Chamadinum in frequenti numero agunt, exindeque miſſis ad *Andream, Belam* & *Leuentam* celeribus nunciis ſignificant *in quanto vniuerſi, ni celeriter ipſi redeant, periculo verſentur, ſe nunquam ab eorum fide & obedientia* 1048.
iureiurando pollicentur *diſceſſuros*, & *Andreas*
A quidem cum *Leuenta* deſiderio regnandi, & patriæ afflictæ ſuccurrendi permoti ad *Vngariam* cum nunciis redeunt. *Bela* verò pro ea vice apud Regem *Cazimirum* germanum conſortis ſuæ perſeuerandum duxit. Occurrit autem *Andreæ* & *Leuentæ Vngarorum* magna multitudo, & magno gaudio illos ſuſcipiens,id primum ac illis ſibi valido clamore & inſtantia expetit, *quatenus Epiſcopis, & Clericis interfectis, Eccleſiis quoque exterminatis liceret ex priſco ritu viuere gentili, & Deos patrios colere fide chriſtiana totaliter abiecta; cum ſub cultura Deorum patriorum felicem, & beatam vitam quondam occupando varias terras Regna & dominia ſubegiſſent. Alias non ſperarent*
B *rent ſe ab eis aliquam fidem & obedientiam habituros, neque arma pro eis contra Petrum Regem ſumpturos*. Principes autem prædicti *Andreas* & *Leuenta*, etſi petitionem *Vngarorum* intelligerent deteſtabilem & iniquam, non tamen detractauerunt,ſiue id ambitio terreni Regni, ſiue imminens periculum ſuadebat abrogare,ſed vel amentia,vel diſſimulatione perniciosè ſceleri aſſenſi coinquinari *Vngaricum* populum; & à fide ſancta orthodoxa apoſtatiſare permiſerunt. Inter Barones autem & milites *Vngariæ*, *Vacha* de *Belus* deuouit ſe dæmoniis, & ritum ſacrilegum practicare extunc cœpit,ſed & filius ſuus *Ianus* conformans ſe paternæ præuaricationi,magos, aruſpices,& Pithoniſſas ad ſe coaceruarunt,eo-
C rumque exemplo cætera *Vngarorum* multitudo ſeducta,dæmoniis libamina offerre, & tura accendere,& execrabilia quæque ſcelera committere viſa eſt. Nam primum omnes *Latini*, & *Teutonici* Regis *Petri* Præfecti & Officiales vbique locorum quæſiti, & reperti vario genere mortis conſumpti ſunt: Deinde B. *Gerardus Chanodienſis* Epiſcopus bigæ impoſitus, de monte *Kuerenſeludt* præcipitatus, & lancea perfoſſus in pectore, & hi duo alii Epiſcopi *Beſtorus* & *Guldi*, cum plerisque Presbyteris,clericis,& laicis ſaxis obruti, aut vulneribus ſauciati,felici cruore pro nomine *IESV* damnati ſunt. Ipſe quoque *Petrus* Rex *Vngariæ* omni humano deſtitutus auxilio, pericu-
D lum ſibi videns imminere, verſus *Auſtriam* fugam iniit,ſed ex fuga nunciis *Andreæ* & *Leuentæ* verbis pacificis & doloſis reuocatus, in quandam curiam diuertens per triduum cum militibus ſuis impetentibus ſe reſiſtebat viriliter. Militibus tandem ſuis telorum multitudine confectis,ipſe in manus hoſtiles *Vngarorum* vehiens viuus excæcatus eſt, *Albamq́; Regalem* deductus nimio dolore eum intus & extra exagitante mortuus eſt, & in Baſilica *Quinque Eccleſienſi*, quam ipſe fundauerat ſepultus eſt. Conſortem inſuper eiusdem *Petri* Regis, vel potius relictam multis contumeliis & iniuriis afficiunt, inſuper milites in obſe-

Hungari Petrum non ferentes Annam, Belam & Leuentam ex Polonia in Hungariam vocant,

quorum duobus venientibus

omnes ſe gentilitatem aſſumere dixerunt,

quapropter Epiſcopos orthodoxos interficiunt,

Petrum quoque Regem oculis priuant, qui deinde moritur.

1048. quiis *Petri* Regis demorantes, aut propellunt, aut trucidant. Quod facinus *Henricus* Imperator Imperii negotiis occupatus, Italiam A tranſiturus vindicare ea vice non potuit.

1049. Miſerabili morte *Petro* Rege *Vngariæ* defuncto, *Andreas* alter Ducum in Regem *Vngariæ* in *Alba Regali* à tribus Epiſcopis, quos ipſe de morte liberauerat, coronatus eſt, & continuo cultum Catholicum reſumere & inſtaurare, cultoreſque dæmonum & idololatras vehementer proſequi cœpit, perſuadens vniuerſis *Vngaris* ſpurcitias ſacrilegas eſſe relinquendas, & in cultura vnius veri Dei, quam illos B. *Stephanus* primus Rex docuerat; & in qua eos relinquerat, eſſe fideliter permanendum. Infra dies autem illos frater Regis *Andreæ Leuenta* idololatra ipſe, & idololatrarum receptor morte abſumptus eſt, & in loco pro- B phano circa villam *Toxim* ſepultus, qui ſi regimen *Vngariæ* & dies longos ſortitus fuiſſet, vniuerſam *Vngariam* ad inquinamenta ſacrilega, & idololatriam ſequela ſua exemplo & mandato pertraxiſſet, morte tamen ſua & Regis *Andreæ* zelo virus illud, quod ſe multifariæ in perniciem vniuerſalem diffuderat, reſtrictum eſt, & cultus idololatriæ abrogatus.

Andreas Hungariæ Rex creatus catholicam religionem inſtaurat.

Leuenta vero idololatra moritur.

Vndecim annis *Benedictus* primus *Poſnanienſis* Epiſcopus gubernata Eccleſia moritur, & in eadem humatur. Cui ad electionem Canonicam, *Ioannes* Papa XX. à *Cazimiro Poloniæ* Rege primo rogatus, *Marcellum* primum natione *Romanum*, de familia & domo veteri *Marcellorum* ſubſtituit.

Benedicto I. Epiſc. Poſnanienſi ſuccedit Marcellus I.

Vacabant pro ea tempeſtate & *Cazimirus* Rex, & milites ſui a bellis. *Maslao* enim tyranno *Plocenſi* deuicto, & digna morte mulctato neminem vinci, ex his qui ſe Rege abſente in tyrannis erexerant, ſubeſſe puduit. Ipſi quoque *Prutheni, Iaczwingi*, cæteræque barbaræ nationes in fide continebantur. Quapropter *Cazimirus Poloniæ* Rex quietatam patriam ſuperioribus tamen bellis plurimum vexatam, & afflictam, multifario conatu reſtaurabat deformata reparans, & erigens collapſa, diuina quoque clementia illum & facta ſua dirigente, charus erat militibus, & vniuerſis ſubditis, vicinis vero principibus & nationibus, formidabilis & admirandus. Natuſque eſt illi ex *Dobrogniewa* Regina quartus filius, quem *Ottonem* nominauit, vt genus *Ottonum* Imperatorum, de quo ipſe ex ſanguine materno ſatus erat, ſe honorare, & diligere teſtaretur. Infans autem præfatus *Otto* paucis menſibus ab ortu ſuperuiuens, immatura morte diem obiens, vtrique parenti maiorem luctus præſtitit materiam in funere, quàm læticiæ præſtiterit in natiuitate. Humilitatis autem & modeſtiæ ſpecimen, quod ſibi *Cazimirus Poloniæ* Rex in monaſterio agens *Cluniacenſi* familiare fecerat, in culmen Regium euectus, non reliquit, nec vlli malignitatis odio, quod ſuper electione ſua & matris plerique illum habiturum crediderant, ſuccenſuit, ſed ſponſionem ſuam nobilitat, & ad integrum impleuit, quæ omnia contra ſe & matrem geſtorum habere obliuionem fuerat pollicitus. 1050.

Pax in Polonia.

Cazimiro naſcitur filius Otto, qui ſtatim moritur.

Damaſus Papa, qui in *Popo Romæ* moritur, & apud *S. Laurentium* extra vrbem ſepelitur. Poſt quem *Bruno* natione *Almanus, Leucorum* Epiſcopus ab Imperatore *Henrico* electus, & *Romam* miſſus, ſummo honore à Clero & populo *Romano* ſuſceptus, in Pontificem Summum conſecratus, *Leo* nonus appellatus eſt, *Romanis* ſiquidem petentibus ſibi ab *Henrico* Imperatore dari Pontificem, & nullus ex *Almaniæ* Epiſcopis ad aſſumendam *Petri* Cathedram poſſet induci, præfatum *Brunonem* Epiſcopum, ſecundum aliquos *Tulenſem*, virum ſimplicem Cæſar ſurrogauit. Qui ad vrbem veniens, & de acceptatione Summi Pontificatus de manibus Imperatoris conſcientiæ verme remorſus ceſſit Papatui, ſed denuò ab omnibus electus laudabili vita Papatum geſſit.

Damaſo Papæ ſuccedit Leo IX.

Stabilito *Vngariæ* Regno *Andreas* Rex, & morte *Petri* Regis pacificato, miſit præfatus *Andreas* Rex in *Poloniam* nuncios ad *Belam* germanum ſuum, ſignificans ſibi felices ſuos ſucceſſus, & qualiter Regni *Vngariæ* plenam & pacificam adeptus ſit poſſeſſionem rogans, *vt in Regnum Vngariæ æquo iure ſibi propinquum, & hæreditarium redire non recuſet, ſibi in Regno, cum & ipſe orbus eſſet, non in fratris ſolum, ſed & filii loco habendus ſucceſſurus*, aſſe- C rens *non conuenire vtriuſque conditioni, vt poſt diuturnum exilium communiter toleratum felicitate tributa, æqualiter non fruantur.* Hac legatione *Bela* Dux *Vngariæ* perſuaſus *Cazimiri* inſuper *Poloniæ* Regis germanæ, vxoris ſuæ, conſilio communicato, cum vxore præfata & duobus filiis *Geiſa* & *Wladislao*, quos in *Polonia* genuerat, & cum omni familia, ſubſtantia & ſuppellectili in *Hungariam* rediit, & à fratre *Andrea* Rege cum immenſa hilaritate ſuſceptus eſt. Cui etiam præfatus *Andreas* Rex, pro charitate fraterna tertiã partem Regni *Vngariæ* duabus pro ſe reſeruatis conſignauit. Accepit præfatus *Andreas* Rex Principis *Ruſſiæ* filiam nomine *Anaſtaſiam* D pro conſorte, ex qua nati ſunt ei duo filii, videlicet *Salomon* & *Dauid*. *Bela* quoque Duci tertium filium; ex quo in *Vngariam* rediit, Duciſſa ſua peperit, cui nomen aptauit *Lampertus*. Viguit quoque aliquanto tempore fratrum concordia, & charitas inter Regem *Andream*, & *Belam* Ducem *Vngariæ*. *Henricus* interea Imperator indignam necem *Petri Vngariæ* Regis vltum iri cupiens expeditione indicta, & notabili exercitu collecto *Vngariam* ingreſſus, caſtrum *Przesburg* obſidione cinxit, & aliquot menſibus proiectionibus bombardarum quatiens, & *Vngariam* agrorum vaſtatione affligens, expugnatione caſtri eiuſdem imperfecta ad agendum bellum contra

1050.

Bela Vngariæ Dux a fratre ſuo Andrea Hungariæ Rege vocatus; cum ſuis in Hungariam profectus eſt.

Andreæ Regi naſcuntur duo filii Salomon & Dauid.

Henrici Imp. expeditio in Hungariam.

Gott-

fridum, & *Balduinum* in *Almaniam* rediit.

1051. Indixerat & eo anno Cæſar *Henricus* contra *Vngaros*,& Regem eorum *Andream* generalem expeditionem, tam contumeliam Saluatoris noſtri abiecta fide orthodoxa & idololatria repetita, quàm occiſionem *Petri Vngariæ* Regis conſobrini ſui vlturus. Cùm autem tempus procedendi, & traducendi exercitus in *Vngariam* adueniſſet, motus varii Principum, cæteræque Imperiales curæ, ne perſonaliter eidem expeditioni intereſſet, diſtraxerunt. Impedimenta autem occurrentia moleſtè ferens expeditionem in *Vngaros* non omiſit, ſed exercitu collecto *Gilbardum Ratinſponeſem* Epiſcopum ſuum patruum germanum præficiens, cum grandibus copiis ad inferendum bellum tranſmiſit: Ipſe verò in *Almaniam* ad comprimendos motus orientium bellorum, & ad res Imperialis officii bene gerendas remanſit. Et *Gilbardus* quidem *Ratiſponenſis* Epiſcopus; vt ſibi ab *Henrico* Cæſare mandatum erat, *Hungariam* ingreſſus, eam incendiis ſpoliis & rapinis in locis plurimis afflixit. *Hungari* tum non faciebant pugnandi copiam, ſed in caſtris & munimentis, cæteriſque abditis locis ſe continebant, & tàm nocte quàm interdiu ex inſidiis oportunitate conſpecta Cæſaris exercitum infeſtabant, pabulatoreſque & cæteros *Almanos* paſſim per agros pabulantes, aut capiebant, aut trucidabant, propter quod præfatus *Gilbardus* Epiſcopus, nullo memorabili in huiuſmodi expeditione edito opere in *Almaniam* exercitum Cæſareum reduxit. Grandi indignatione *Henricus Romanorum* Imperator contra *Cazimirum Poloniæ* Regem *Bretiſlai* Ducis *Bohemiæ* prouocatus ſuggeſtione, quaſi *Andreæ Vngariæ* Regis partes enixius promouiſſet, & rebellionem contra Imperatorem molitus, imperii regiones bello affligere conaretur, expeditionem contra *Poloniam* parabat, ſed interim graui infirmitate obrutus, Legatis *Polonorum* Regis *Cazimiri* ad eum venientibus, & cauſas accuſationeſque falſas monſtrantibus, & indignationem & apparatum bellicum depoſuit.

Alia expeditio in Hungariam.

1052. Adminiſtrationem belli contra *Vngaros* & *Pannoniam*, per *Gilbardum Ratiſponenſem* Epiſcopum Cæſareo nomine anno ſuperiore factam Cæſar videns ad irritum recidiſſe, maioribus copiis collectis perſonaliter *Vngariam* *Petri* mortem vlturus, & *Vngarorum* contumaciam compreſſurus aduenit, & ipſe quidem terreſtri itinere exercitum duxit. *Gilbardum* verò *Ratiſponenſem* Epiſcopum victualium neceſſaria nauali tranſitu per *Danubium*, ne exercitum ſuum inedia laborare contingeret, ferre ordinauit. Itaque Rex *Vngariæ Andreas*, & *Bela* Dux germanus ſuus, Cæſareo exercitui ſe intelligentes ſine euidenti diſcrimine reſiſtentiam opponere non poſſe, ſingula loca, per quæ Imperator cum exercitu erat iturus, ex induſtria incendiis abradunt, agreſteſq; 1052.
cum pecore & omni ſuppellectili in loca remotiora & abdita ſecedere compellunt, ſed & ipſa terræ germinantia quæque igne conſumunt, interim & *Gilbardus Ratiſponenſis* Epiſcopus, qui nauibus victualia ducebat *Iaurinum* perueniens, & vbinam locorum Cæſar ageret ignorans, tranſmiſſo nuncio, in literis petebat ſe à Cæſare inſtrui, quo ſibi aduertendum eſſet: ſed nuncio ab *Vngaris* comprehenſo, & Regi *Andreæ* præſentato, *Almanus* alius in locum eius ſurrogatus, ad *Gilbardum* remittitur, falſo ſub nomine Imperatoris *Henrici* ad bella in *Almania* exorta ſe *Pannonicum* bellum omiſiſſe, & in *Almaniam* rediiſſe, mandareque, *vt & ipſe quam celerius reuerti feſtinet*, quo vafris mandatis obſequente, Imperatoris exercitum fames vrgere primùm cœpit, ex qua deinde aliud peſtis & dyſenteriæ malum acceſſit. Infeſtabatur inſuper Imperatoris exercitus ab *Vngaris*, qui *Teutonicos* aut pabulatum euntes, aut per agros palantes ſagittis venenatis & inſidioſis, ex occultis locis nocturno præſertim tempore populum affligebant, nemo enim eorum quem ſagitta veneno delinita tetigiſſet, poterat vitæ compos eſſe. Videns itaque Cæſar tantæ multitudini quam ducebat, non animum ad expugnandum, ſed pugnandi copiam & victualium neceſſaria deeſſe, pluresque ex ſuis, aut fame tabeſcentes, aut morbo, aut veneno confectos eſſe, prudenti vſus conſilio exercitum in *Almaniam* reduxit, opportuno tempore expeditionem tùm cœptam reſumpturus.

Tertia expeditio Imp. in Hungariam, non magnopere memorabilis.

Iaroslaus Ruſſiæ Dux

IAROSLAVS Ruſſiæ & *Kiouienſis* Dux graui & diuturno morbo, & qui dietim inualeſcebat, grauatus, ſentiens ſe propediem moriturum, vocatis quinque filiis, quos reliquerat, videlicet, *Zaslao*, *Suantoslao*, *Wſewoldo*, *Gregorio*, & *Venceslao*, longo ſermone monet illos, & perſuaſionibus, & exemplis, *vt morte ſua ſecuta concordiam & vnionem fraternam inter ſe florentem, & diuturnum Principatum habituri, retineant, quod ſi ſciderint, non dubitent hoſtes ſe & ſua vltro inuaſuros.* Diuidit deinde *Iaroslaus* Principatum *Ruſſiæ*, & *Zaslao* quidem, natu maiori *Kiow*, *Suantoslao Czernieiow*, *Wſzeuoldo Pereaslaw*, *Gregorio Wladimiriam*, & *Venceslao Smolensko* cōmittit, mandans, *vt ſinguli filiorum Zaslao magis ſenſato & perito parerent. Zaslaus* verò *vt fratres dirigat, protegat, & eorum curam gerat*, & poſt hæc moritur *Iaroslaus* 7. Nouembris, anno vitæ 76. & in Eccleſia *S. Zophiæ*, quam in *Kiow* ædificauerat à filiis: & magna multitudine ſepelitur, ſederuntque filii eius in ſedibus & Principatibus, quos illis pater eorum *Iaroslaus* moriturus deſignauerat.

Ducatum ſuum filiis diuidit, & moritur.

Imperator *Henricus* expeditionem contra *Pannoniam* reſumens, cum frequenti & numeroſo exercitu, in quo & copiæ gentium à *Cazimiro Polonorum* Rege tranſmiſſæ, & *Bre*-

Henricus Imp. Hungariam inuadit,

tislaus

1452. *tislaus Bohemiæ* Dux cum ſuis gentibus numerabantur, *Hungariam* ingreditur, flammiſque & incendiis vicos & ignobilia oppida conſumit, vaſtationemque & depopulationem agrorum longius iubet extendi. Audiens autem hæc *Vngariæ* Rex, fratris ſui Ducis *Belæ* communicato conſilio decernere integris copiis, cum exercitu Cæſareo periculum veritus ſuperſedit, ſed eisdem artibus, quibus ſuperiori anno vſus fuerat affligere exercitum Imperialem conabatur. Clandeſtinis & nocturnis inſidiis eos qui pabulatum ibant, aut incautè ab ordinibus ſecedebant, impetendo: Verùm dùm inſidiæ *Andreæ* Regis ſæpius tentatæ ſecus acciderant, & *Vngariæ* regiones continuo igne & vaſtitate vrerentur, Legatos ad imperatorem mittit, pacem æquis conditionibus compoſituros. Et Imperator quidem *Henricus*, vt erat vir tractabilis & nobilis ingenii, humiliationem Regis *Andreæ*, & ea, quæ ſuo nomine proponebantur, ad exauditionis gratiam admittens, & commiſſum in *Petrum Vngariæ* Regem mortis, & in ſe rebellionis ſcelus fatentibus & ſupplicantibus, facile remiſit, & à ſpoliis cædibusque ſe continuit, & de cætero induciis interpoſitis agros *Pannonicos* vaſtari, & tecta vri prohibuit, per tractatus inſuper treugarum tempore interpoſitos, pacem Regi *Andreæ* & Regno *Vngariæ* addidit, quæ vt firmior diuturniorque conſiſteret, & ipſe ad cætera Imperii negotia obeunda liberius vacare poſſit, etiam cum *Andrea* Rege affinitatem petitam iungit, filioque eiusdem *Andreæ* Regis, quamuis impuberi filiam ſuam *Zophiam* deſponſat in vxorem. Poſthæc Rex *Andreas* ad Imperatorem veniens, & inſignibus rariſque muneribus *Henricum* munerans, fœdus initum iureiurando firmauit. Imperator verò reconciliato ſibi *Pannonico* Rege & Regno ad *Ratisponam* venit, & *Leonem* Papam eum operientem ibi offendit. Vbi *Leo* Papa V. *S. Wolfangum* de tumulo leuauit, & catalogo Sanctorum adſcripſit. Exinde Papa & Imperator ſub vno comitatu, primum in *Bamberg*, deinde in cæteras *Rheni* partes diuertuntur. Ab eo quoque tempore Imperator *Henricus* Regnum *Vngariæ* laceſſere bello intermiſit.

cum Andrea Rege pacem facit,

& filiam ſuam Sophiam filio eius deſponſat.

Caſimirus Byczynenſem ſ. Smogorzouienſem Epiſcopatum

Wratislauiam transfert.

Conditionem *Smogorzouienſis*, tùm *Byczynenſis* Eccleſiæ, *Cazimirus Poloniæ* Rex ſatagens efficere meliorem, locum *Wratislauienſis* ciuitatis, intelligens propter fluorem *Odræ* habere ſitum multis commoditatibus refertum, illam de *Byczyna* velut loco tùm obſcuro & agreſti, in quem altera iam vice de *Smogorzow* fuerat translata, in *Wratislauiam* tranſtulit, & locum ampliſſimum caſtro ſuo *Wratislauienſi* proximum & cognitiuum, in circuitu quoque cætera loca pro Pontifice & prælatis atque Canonicis aſſignauit, ab eoque tempore nomine priori abrogato & mutato *Wratislauienſis* cœpit vocitari. Primus eiusdem Eccleſiæ Epiſcopus, ex quo de *Byczyna* in *Wratislauienſem* translata eſt, fuit *Hieronymus*, neque alias niſi tunc, nomina Epiſcoporum *Wratislauienſium* cœpta ſunt annalibus inſcribi. Aliorum enim Epiſcoporum nomina, quæ Eccleſiæ eidem dum in *Smogorzow* & *Byczyna* conſiſterent, præfuerunt, & penuria iniuriaque ſcribentium, & duplici Eccleſiæ præfatæ translatione ſuppreſſa ſunt, vſque ad noſtram ætatem, per me verò vtcunque recollecta ſunt, & in ſpeciale Diſtichon redacta. Translata autem Eccleſia memorata, per *Cazimirum Poloniæ* primum Regem & procurata cauſam dedit errori, vt *Cazimirus* ipſe Rex in nonnûllis annalibus & hiſtoriis inſcribatur, & referatur primarius Eccleſiæ *Wratislauienſis* fundator, cùm tantummodo illius fuerit translator. Fundatio enim præfatæ *Smogorzouienſis* ſeu *Wratislauienſis* Eccleſiæ, ſub vno eodemque tempore cum *Gneſnenſi*, *Cracouienſi*, *Poſnanienſi*, *Plocenſi*, *Cruſuicenſi*, *Lubucenſi*, *Culmenſi*, & *Camenecenſi* Eccleſiis, quarum diœceſibus in plerisque locis confirmatis, à *Miecslao* primo *Polonorum* Catholico Principe, & Monarcha cœpta & perfecta eſt. Neque enim *Polonorum* Pontifices, aut aliquos ex illis adeò negligentes & deliros, & ſuarum iniuriarum ignaros repreſſores credi fas eſt, vt intra fines ſuarum diœceſium nouam Cathedralem Eccleſiam, tam diffuſos terminos, quales nunc *Wratislauienſis* obtinere nouimus, habentem erigi, & ſuas diœceſes coarctari, & vſum perceptionemque decimarum manipularium, in quibus Eccleſia ipſa, quamadmodum & cæteræ *Polonicales* Eccleſiæ fundatæ ſunt, adimi paſſi fuerint. Poterat & ad priorem erroris præfati cauſam etiam altera accedere. Dùm *Cazimirus* Rex *Poloniæ* præfatus, in translatione huiusmodi, oppidorum & villarum prædictorum liberalem donationem, priore multo ſuperiorem Eccleſiæ *Wratislauienſi* adiiciens, per donationem munificam, & translationem prouidam à plerisque habitus creditusque eſt, habito ad priſcam tenuitatem Eccleſiæ reſpectu, fundator ipſius verius quàm tanslator. 1052.

Aliquanto igitur tempore, *Leo* Papa & *Henricus* Imperator vnà in Almania commorati, Natalem Domini anni illius *Vormatiæ* Diœceſis *Moguntinenſis* ciuitate ſolenniter celebrarunt, plurimas res deformatas in *Almania* concordi & vnanimi voto componendo. Tandem Summus Pontifex *Leo* ex *Almania* Imperatori valedicens diſceſſit, & frequenti numero militum ex diuerſis Imperii prouinciis, mandante Cæſare congeſto, plerisque etiam *Almaniæ* Principibus & Prælatis ſubſidia ferentibus, cum iuſto exercitu *Apuliam* intrauit, *Normanos* Apoſtolicarum poſſeſſionum in regione illa, & Imperii inuaſores oppreſſurus, & *Robertum Guiſtardi*, qui *Apuliæ* incolas, nunc potentia, nunc dolo affligebat, repulſurus. *Roberto* autem 1053.

Leo Papa

Nortmannos ex Apulia pulſurus

1053. autem prædicto, & *Nortmanis* ad pugnam contra gentes Papæ venientibus, 14. Calend. Iulii, atrox prælium eſt commiſſum.

ab iis vincitur.

Deinde cæde grandi vtrinque facta debilitatis *Almanicis* viribus, *Roberto* & *Nortmanis* ceſſit victoria, roboreque militiæ *Almaniæ* confracto, *Leo* Papa cum paucis fugiens in caſtellum quoddam, quo per hoſtes expugnato in *Beneuentanam* ciuitatem deducitur. Exindeque *Romam* feliciter rediit. Tanta autem fuit vtrinque cædes edita, vt acervus ex oſſibus mortuorum vſque ad hæc tempora perſeuerans, aduenientibus pro admiratione ſoleat oſtendi. Ea autem clades Papæ, & ſuo exercitui ideo accidiſſe credita eſt, quod Summum Pontificem pro rebus caducis, magis oratione & lachrimis, quàm armis belligerare conueniebat, & quod nefarios homines, quam multos ad ſe ob impunitatem ſcelerum, vel quæſtum auarum confluentes ſecum conduxerat.

Fames in Polonia.

Frugum penuria cùm anno ſuperiori *Polonorum* Regiones preſſiſſet, & anno amplius inualeſcens variis incommodis *Polonos* afflixit.

1054. *Leoni IX. Papæ (cuius electio deſcribitur)*

Leo Papa nonus natione *Almanus* de *Lotharingia*, cum ſediſſet annis quatuor, menſibus duobus, & diebus ſex, 16. Calend. Maii *Romæ* moritur, & in Eccleſia *S. Petri Romæ* magnifico ſumptu tumulatur. Cuius ad Apoſtolicæ ſedis faſtigium aſcenſus eo ordine prouenerat, *Romani* ſiquidem *Damaſo* Papa decedente ab Imperatore *Henrico*, iuxta conſuetudinem & ordinem, pro ea tempeſtate ſeruatum, Papam ſibi dari petierunt, Imperator *Henricus Brunonem*, *Fuldenſem* Epiſcopum, virum bonum & ſimplicem, ad regendam Sedem *Romanam* literas tranſmiſit, qui ad Vrbem tranſiturus, in *Cluniacum* peruenit, vbi *Hildebrandus Cluniacenſis* Ordinis *S. Benedicti* Prior illi ſuggerit, *illicitum fore per ſecularem manum gubernationem vniuerſalis Eccleſiæ ſortiri.* Ea admonitione vir conſcientiæ puriſſimæ compunctus, Pontificali habitu ſe ſpolians, habitum peregrini aſſumit, & *Hildebrandum* Priorem *Cluniacenſem* ſecum *Romam* adducens, vrgente conſcientia Papatum reſtituit, ſed à Clero *Romano* denuo electus, regimen Eccleſiæ aſſumere coactus eſt. Hic ſapientia & ſanctitate clarus, cùm ad ſuſcipiendum Apoſtolicam Sedem ex *Almania* verſus Vrbem iter faceret, audiuit cantantes Angelos: *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis.* Hic cùm pauperem leproſum ante fores Palatii vidiſſet, ſe *Chriſtum* in pauperis perſona recepiſſe obſtupuit. Tranſlatus eſt ad priorem ſuam ſedem *Fuldenſem* fato functus, vbi multis claruit miraculis. Surrogatur autem in locum *Leonis IX. Gilbardus Egiſtatenſis* Epiſcopus natione *Almanus*, metu Imperatoris *Henrici*, ſurrogationem ſuam

ſuccedit Victor II.

cauſante, & *Victoris* ſecundi accepit nomen in die Cœnæ Domini conſecratus; quæ circa hæc tempora nimis inualuiſſe viderentur, & deinceps continuata, multumque dolenda ambitione prælatorum & Simoniaca labe, quàm plurimum ſcripta Sanctorum Patrum habentur deteſtantia abuſiones iſtas. Et nota, quod facile inuenti ſunt pauperes, Clerici, & Doctores, qui pluralitatem beneficiorum, & pompam Eccleſiaſticorum apprehenderent, donec offerret ſe occaſio participandi: Qua accepta, grauiter auaritia excæcat eos. Fertur de quodam Magiſtro magnæ literaturæ, qui valde ſubtiliter diſputabat contra diuitias prælatorum, & faſtum eorum, quaſi omninò ſic viuere non liceret. Hæc cùm nunciata Domino Papæ fuiſſent, plauſibiliter reſpondit: *Demus ei Præpoſituram bonam, & hæc, & illa beneficia, & bene pacatus erit.* Factum eſt ita, & ecce protinus ſententiam mutauit, dicens: *Nunquam intellexi materiam hanc, præter modo*, quippè qui de inope diues, de contemptibili repentè glorioſus apparuerat. Hos *B. Hieronymus* velut peſtes quaſdam contagioſas vitandos pronunciat.

Querela Auctoris in auaritiam & alia vitia Clericorum.

Dixit quidam notabile verbum: *Qui habet vnum beneficium competens, & eo legitimè vtitur, recto calle ad patriam tendit, qui vnum ſuperaddit, vno oculo conſcientiæ priuatur, qui adhuc plus acceptat, etiam altero lumine priuatus, totaliter excæcatur, & deinceps quæcunque poterit coaceruat.* Hanc maledictionem inſatiabilis auaritiæ olim præſignauit *Ieroboam* Rex Iſrael, qui, licet diuinitus ad Regnum peruenerat, ſtatim tamen à cultu Dei receſſit, fecitque duos vitulos aureos, ne populus Iſrael ad templum Domini aſcenderet. Factum eſt autem hoc verbum in peccatum, ita, vt omnes ſequentes Reges hunc cultum ſacrilegum obſeruarent in deſtructionem Regni, ita de Eccleſiaſtico ſtatu timendum eſſe S. viri communiter aſſeuerant, & iam in pluribus mundi partibus completum cernimus. Clerici qui nil poſſidere deberent, præter rationalem competentiam, neque ſe de temporalibus intromittere, omnia poſſidere, omnia gubernare volunt. Idcirco vt Bernardus inquit: *Qui ordinem nullum ſeruant, illuc properant, vbi ſempiternus horror inhabitat.* Olim Phariſæi contra auaritiam diſputantem Dominum deridebant, & inſanum iudicabant, ſed nunc Dominus ſubſannat eos. Caueas, Lector, qui multa occupas beneficia, ne idem facias, neque eadem patiaris. Deus non irridetur, ſed quæ ſeminauerit homo, hæc & metet, noli ſequi conſuetudinem periculoſam: noli te per Papæ diſpenſationem excuſare, ad oculum vides quod vituli aurei adorantur, ſed cæteri mactantur, ſed quæ ſanctitas, quæ reuerentia in hoc eſt Deo exhibita, quod de numero miniſtrorum eius propemodùm medietas eſt reſecata. Si enim cuilibet beneficio ſuus permitteretur dari poſſeſſor, numerus ſeruorum Dei eſſet duplex, quod modo eſt ſimplex. Seque-

1054. re conſilium eorum, qui Deo iam in cœleſtibus coniuncti ſunt, ne cum vitulis aureis æterno igni conſleris. Quid prodeſt vltro prohi- A bitos beneficiorum titulos coadunare, cùm etiam ſimplices communiter videmus in frugali honeſtate amplius abundare.

Venceſlaus filius *Iaroslai*, Dux de *Smolensko* moritur, nulla prole relicta, cui germanus ſuus *Gregorius* ſuccedit in Principatum, qui & ipſe paruo tempore ſubſiſtens moritur.

1055. *Caſimiro Regi naſcitur filia Suientochna.*

Noua *Cazimiro* Regi ſuperueniens voluptas, immenſo illum gaudio refecit, conſors enim ſua *Dobrognieva*, quæ iam quatuor maſculos pepererat, & annis aliquot parere deſinens, ſterilis de cætero permanere debuiſſe credebatur, filiam effudit, ad cuius baptiſmum *Cazimirus Poloniæ* Rex, Prælatos & Barones Regni ſui conuocans, ſolennem curiam *Poſnaniæ* celebrauit, & filiæ nuper natæ *Suientochna* nomen dedit.

Synodus Florentina.

Synodus *Florentiæ* celebratur, in qua multi Epiſcopi propter ſimoniam & fornicationem Synodali ſententia damnantur, per *Victorem* Papam ſecundum ob ſcelera præfata puniti, & de ſuis ſedibus eiecti.

Bretislaus Bohemiæ Dux moritur, cui ſucceſſit Spitigneus, qui Germanos, & matrem Iuditham ex Bohemia expellit,

Bretislaus Bohemiæ Dux *Pannoniis* ſeu *Vngaris* bellum illaturus, cum exercitu vſque *Krudzon* alias *Czyndzyn* peruenerat, vbi graui languore correptus, & cœptam contra *Vngaros* expeditionem omittere, & animam exhalare 4. Idus Ianuarii coactus eſt, quinque filios relinquens, videlicet *Spitigneuum*, *Wratislaum*, *Conradum*, *Ottonem*, & *Iaromirum*. Cuius morte ſequuta maior natu *Spitigneus*, ita enim pater ordinauerat moriturus, in Ducatum *Bohemiæ* ſucceſſit, qui primitias ſui regiminis, ſæuitiæ & crudelitati conſecrans. Prima enim die Principatus ſui publico edicto omnes *Almanici* ſanguinis & generis homines, intra triduum *Bohemia* excedere mandauit, capitis pœnam ſubiturus, ſi quiſpiam ex *Teutonicis* intra illud triduum, intra *Bohemiæ* terminos fuiſſet repertus. Cui edicto illicò paritum eſt, & omne *Teutonicorum* genus vitæ conſulens, quam ſibi lapſo triduo *Bohemos* non ignorabant adempturos, tumultuario more poſſeſſionibus, domibus & agris, cæteriſque bonis immobilibus derelictis ex *Bohemia* fugiunt. Et ne quid tam rigido Ducali edicto crudelitatis deeſſet, *Spitigneus* præfatus genetricem ſuam *Iuditham*, quam ſuus Pater *Bretislaus* è monaſterio *Ratiſponenſi Nidermunſter* vocato, filiam *Ottonis* Ruffi Imperatoris rapuerat, & Abbatiſſam S. *Georgij Brunonis* Comitis *Almaniæ* filiam, quod ſanguinis *Teutonici* vtraque erat, in biga pro ampliori contumelia extra *Bohemiam* ordinauit deduci, vel potius ejici, & in *Almaniam* deportari, maternum vterum tàm iniurioſo opere dehoneſtans, ad quam repenſandam vicem mater prædicta *Iuditha*, quamuis ætate confecta, vni *Almano* nupſit, cuius crudelitatem germanus ſuus *Wratislaus* veritus, dùm illum venire in *Morauiam*, in qua ipſe morabatur, audiret, in *Vngariam* ad Regem *Andream Vngariæ* effugit, ſed *Spitigneus in Mazouiam* adueniens, dùm in fratrem *Wratislaum* abſentem ſæuire non poſſet, in vxorem ſuam in *Olomunc* dimiſſam ſæuiens ipſam captiuauit, & ad caſtrum *Leſzczen*, Baroni *Mſcziis* cuſtodiendam, & deportandam tradidit. Vbi dùm menſem exegiſſet, quoniam pronam partui agnouerat, ſolui eam iuſſit, ſed illa de *Leſzczen* egreſſa, & moleſtiis captiuitatis & laborum, quos in itinere ferre cogebatur attrita, in partu periclitata eſt, quam dùm vir ſuus *Wratislaus* inconſolabiliter fleret, *Andreas Vngariæ* Rex hoſpitem B ſingulari humanitate tractatum volens a mœrore ſoluere filiam ſuam *Adleidam* tradidit illi in conſortem, quod *Spitigneus Bohemiæ* Dux audiens, & potentiam fratris noua affinitate adauctam ſuſpectam habens, miſſis nunciis, eum ſibi reconciliat, & omnia, quæ ſui iuris erant, in *Morauia* reſtituit.

1055. *fratriſque Wratislai uxorem captiuam ducit* — *qua mortua,* — *cum fratre reconciliatur.*

Imperator *Henricus Italiam* cum inſigni exercitu & comitatu *Victore* Papa petente & monente aduenit, & ſuper ſtatu Eccleſiæ & *Italiæ* multa ſolerter & ſollicite tractans, & differens, pacem in *Italia* compoſuit, in *Apuliam* quoque contra *Nortmanos* iura Eccleſiæ occupantes militiam miſit, quæ nihil memorabi- C le agens partim hoſtili inuaſione, partim morbis & languore confecta, infelices ſucceſſus habuit. Agente *Henrico* Imperatore, in *Italia Victor* Papa apud *Florentiam* Synodum celebrauit, & multos Epiſcopos Simoniacos & incontinenter viuentes à ſedibus ſuis depoſuit.

Venantio Epiſc. Wladislauienſi ſuccedit Andreas I.

In Pontificatu *Wladislauienſi* ſiue *Kruſuicenſi*, *Venantius* Epiſcopus annis tribus & viginti abſumptis, peſte epidimiæ tactus diem obiit, & in Eccleſia villæ *Parkanie* conditur. Cui *Andreas* primus per electionem Canonicam, *Cazimiro* Primo Rege *Poloniæ* ſuum ad id præbente conſenſum, ſuccedit, à *Leone* Papa VIII. prouiſus.

1056. *Lintici bello Saxoniam inuadunt.*

D Fames valida vniuerſas ferè Chriſtianitatis regiones inuadens, multos mortales afflixit & extinxit, ſerpente quoque dietim penuria & egeſtate, & ſeditiones quoque populi exinde cum bellis tàm ciuilibus, quàm forinſecis coortæ ſunt. *Lintici* quoque populi, genus à *Slauis* & *Polonis* ducentes, quorum regio in finibus *Albæ* fluminis, vbi *Albis* in *Oceanum* cadit, ſita eſt, bello *Saxonibus* cæteriſque conterminis populis moto, prælioque conſerto victores effecti, magnam cædem ediderunt, fugientes verò in aqua ſuffocati ſunt. Tunc quoque *Vilhelmus Saxonum* Marchio, cum aliis maioribus *Saxoniæ* à *Linticis* occiſus eſt.

HEN-

1056. *HENRICVS* tertius *Sueuus* natione Imperator, compoſitis in *Italia* rebus in *Almaniam* veniebat. *Victor* quoque Papa preci- A bus Imperatoris flexus, Vrbe relicta in *Almaniam* vnà deſcendit. Conuentu deinde apud *Traiectum* indicto & celebrato, Imperator *Henricus* morti ſe intelligens, propter valetudinem, qua detinebatur aduerſam, propinquum, de conſilio Summi Pontificis *Victoris* tunc præſentis, & *Almaniæ* Principum ius electionis habentium, filium ſuum *Henricum* ex *Agnete* ſuſceptum, ſeptennem, Regem ordinat & inſtituit, ſenſim quoque ægritudine inualeſcente in *Bothfelden* decumbens, 3. Nonas Octobris moritur.

Moritur Henricus III. Imp.

Cuius corpus *Spiram* relatum, Summo Pontifice *Victore* præſentia ſua eius cohoneſtante funebria, celebrem accepit ſepulturam. Omnibus autem iuſto ordine B funeri perſolutis, & rebus Imperium tangentibus, prout qualitas temporis ferebat, ordinatis, Summus Pontifex *Romam* cum pace rediit. Mortuus autem *Henricus* præfatus tertius, huius nominis Imperator, anno natiuitatis ſuæ 39. Regni 18. Imperii verò 15. Vir inquietus, ſexageſies & bis acie dimicauit, magnus eleemoſinarius, reconciliatus *Gregorio* ſeptimo abſolutionem obtinuit, ſed iterum ei rebellans Antipapam contra eum *Romæ* locauit, à quo de Imperio depoſitus, *Saxoniæ* Dux *Rudolphus* ab electoribus iuſſu Papæ *Gregorii VII.* eligitur, quem *Henricus* cruento bello ſuperauit, ipſe quoque à *Roberto Angliæ Rege Roma* pulſus miſerabili morte à filio, quem in Re- C gnum ſublimauerat, captus, vitam in carcere finiit.

1057. Quartus *Henricus* Imperatoris tertii filius, admodum puer Patri ſuccedens, regnare cœpit ab *Auguſto* loco 88. Hic cùm infantulus adhuc eſſet, ſeptimum ſcilicet ætatis agens annum à primoribus Regni, matri ſuæ Imperatrici *Agneti* ad educandum commendatus eſt.

Cui ſuccedit Henricus IV. ſeptennis, qui a matre Agnete educatur.

Cuius ſororem nomine *Matildam Rudolphus* Dux *Almanorum*, qui & poſtea in perniciem affinis ſui *Henrici* inuaſit Imperium, duxit vxorem, filio autem *Henrico* exiſtente impubere, *Agnes* Imperatrix aliquanto tempore Regnum *Almaniæ* ſub ſua cura tenuit, & ſapienter ac ſtrenuè illud rexit. Plu- D ribus autem incommodis Regiones *Germaniæ* fame videlicet & mortalitate afflictæ ſunt, & in plerisque locis lapides miræ magnitudinis permixti grandine deciderunt, & plures mortales fulminis violentia extincti ſunt.

Victori II.

VICTOR ſecundus Papa *Romanus*, qui & *Gielardus Romæ* moritur, & in Eccleſia *S. Petri* ſepelitur. Pro quo *Fridericus* frater *Gotfridi* Ducis iam monachus factus, & Abbas tunc Monaſterii *Caſinenſis* à *Romanis* Pontifex ordinatur natione *Lotharingus*, & *Stephanus IX.* appellatus eſt.

& Stephano IX. Pont. R.

Poſt quem *Romani* accepta pecunia, *Ioannem*, vel vt placet aliis, *Micium Veltrenſem* Epiſcopum contra canonum inſtituta elegerunt, & *Benedictum* vocauerunt. Qui ſine confirmatione dies aliquot ſedens, à Duce *Gotfrido* fratre *Stephani* noui expulſus eſt. Dùm autem præfatus *Stephanus* Papa 9. menſibus, diebus 25. ſediſſet, moritur, & *Florentiæ* ſepelitur. Quo mortuo *Gilbardus Florentinus* Epiſcopus a collegio Cardinalium apud *Senas*, vel vt aliis placet, apud *Hoſtiam*, canonicè & legitimè electus eſt, natione *Burgundus*, qui & *Nicolaus* ſecundus vocatus eſt. Hic electionem Papæ dedit, quæ habetur diſtinctione XXIII. in nomine Domini. Et *Romæ* apud *Lateranum* concilium celebrans, *Berengarium* circa Sacramentum Euchariſtiæ notabiliſſimè errantem, & aſſerentem, non eſſe Corpus & ſanguinem Chriſti in Sacramento niſi vt in ſigno, reuocare errorem ſuum multipliciter confutatum coegit.

1057. *ſuccedit Nicolaus II. qui Berengarium damnavit.*

1058. *Poloniæ* Regnum, quod ex morte *Miecslai* Regis alto languore & penè morte coniectum erat, optimo *Cazimiri* primi *Poloniæ* Regis regimine & gubernatione ad robur primum pertingebat, tranquillam beatamque ſub Principe illo *Poloni* agentes vitam, miranda celeritate, regiaque benignitate & fauore collapſa, proſtrata ſuperiori tempore & perdita erexerant, ſolidauerant, refecerantque.

Caſimirus Rex (cuius laudes recenſentur)

Ipſe quoque *Cazimirus* Rex timorem Dei ſingulis actionibus ſuis præ ſe ferens ac immiſcens, & ſimplici rectaque via in conſpectu Dei gradiens, iuſtitiam & pacem ſummoperè diligebat, externos motus, qui ſæpenumero conficere ſolent bellum, in ipſis initiis confringens, ac diſſoluens, præcipuus Dei cultor viduarum orphanorumque deſenſor, Eccleſiarum munificus dotator, patriæ ardentiſſimus amator, prædonum & furum hoſtis habebatur. Tanto inſuper ardore, tanta ſolicitudine & charitate extollendi, magnificandique Rempublicam, Regni ſui *Poloniæ* ſtudio continuo & indefeſſo certare, laborareque viſus & notatus eſt, tantamque afflictis & penè perditis Regni ſui rebus indidit coaleſcentiam, & perfectionem, vt vniuerſali appellatione & conſenſu inſtaurator pacificus, & tunc quidem vocitatus eſt, & in hæc vſque tempora vocitatur. Vix autem & vitæ & regiminis tempus dimidium emenſus fuiſſe putabatur, dùm fatis illum appetentibus forti languore correptus, in grabatum decidit, menſemque integrum cum morbo luctatus, cum victa natura moriturum ſe agnouiſſet, Prælatos & Primores Regni ſui *Poſnaniam*, illic enim decumbebat, conuocat, & pluribus limatisque verbis apud eos concionatus, *quatenus concordiam & iuſtitiam ſummopere colerent, vt morte ſua ſecuta primogenitum filium ſuum Boleslaum, prudentia & natu maiorem pro Rege ſuſciperent.* Tandem in aula regia *Poſnaniæ* Dominico corpore,

1058. cæteriſque Sacramentis ſumptis, deuotè, religiosè, vt tanto conueniebat Regi 28. Nouembr. mortuus eſt, & iuſto ac magnifico apparatu in Cathedrali Eccleſia *Poſnanienſi* in ſepulchro aui ſui *Boleslai* primi *Poloniæ* Regis, cum paternis cineribus conſepultus, anno Regni 18. vitæ verò 44. vir ſtatura procerus, forma compoſitus atque comptus, barba promiſſa, capillo copioſo, habitudine vegeta, ſtudio pietatis & inſtaurationis vſque ad exitum vitæ viguit, & cùm ſupremum vitæ diem adeſſe intelligeret, ſucceſſorem, vt præmiſimus, Regni *Boleslaum* natu maiorem filium deſignauit. Stella crinita vitæ ſuæ, ſuoque Regno exitium portendere putata, per continuas & plures noctes apparuit.

moritur.

Et ſuccedit filius Boleslaus.

Gentiles & Barbari vocati *Polowczy*, veniunt hoſtiliter in *Wſzeuoldum* Ducem *Ruſſiæ* de *Pereaſlaw*, & inito certamine, vincunt *Wſzeuoldum* & exercitum eius, 2. die Februarii, obtenta victoria cum Duce ſuo dicto *Sobal*, alias *Siekal*, crudeliſſima vaſtatione in Ducatum ſuum graſſantur. Hæc autem clades primarium fuit malorum, quæ tunc primum, & expoſt paſſa eſt terra *Ruſſiæ* à *Polowcis*.

Polowci Ruſſiæ Ducem Wſzevoldum cum exercitu vincunt.

Reſtricto & inhibito luctu ac mœrore, qui ex immatura *Cazimiri Poloniæ* Regis morte in pectora Primorum *Poloniæ* aſcenderat, neque enim eum Principem & Regem iuſto & fideli dolore lugere ſatis poterant, quia ſua monaſtica quiete deſerta eos à calamitate & luctu, & penè ab interitu vindicauerat, extulerat, honeſtauerat; ſub cuius Principatu hoſtibus in circuitu oppreſſis & exterminatis, ſecuri ac felices fortunis, & rebus aucti quieſcebant, ad ſubſtituendum pro eo alium Regem, vniuerſi Pontifices & Proceres *Poloniæ* tractatus agitabant. Viſum autem eſt Primoribus, & in eam ſententiam Nobilitas vulguſque omnis conſenſit, vt primogenitus Regis *Cazimiri* filius *Boleslaus*, tùm quod maior natu eſſet, tùm quod ſupra ætatem prudentia & facliuitate ſingulari, liberalitate immenſa, cæteriſque regiis dotibus relucebat, tùm quod à Patre deſignatus ſucceſſor eſſet, in Regem promoueretur. Accedebant & maternæ Reginæ preces *Dobrognieuæ*, lachrymis & ſingultibus oneratæ, quæ vnumquemque ex Conſiliariis obteſtans, protelationem quam omnes ſuadebant, velut perniciosam Reipublicæ reſcindi, & *Boleslaum* filium ſuum coronari obſecrabat. Hac concluſione ſtabilita, confirmataque *Gneſnam* Metropolim, is enim locus pro ea tempeſtate, & pro veteri obſeruantia, veneratione & autoritate huiuſmodi pollebat, itum eſt, & in Eccleſia *Gneſnenſi* præfatus *Boleslaus* Dux, & Regis *Cazimiri* primogenitus, tres & viginti annos agens, à duobus Metropolitanis, *Stephano Gneſnenſi*, & *Aaron Cracouienſi* Pontificibus, *Wratislauienſi*, *Poſnanienſi*, *Plocenſi*, *Cruſuicenſi*, & *Culmenſi*, Epiſcopis aſſiſtentibus, magno Baronum & Nobilitatis fauore in *Poloniæ* Regem ad altare maius coronatus & inunctus eſt. Non ſolùm autem coronationis dies, ſed & plures ſubſequentes in lætitia & luſibus abſumpti ſunt, & vniuerſi Prælati & Barones honore menſæ, & magnificis epulis per dies illos tractati, in locumque magni mœroris, ſpe optima ſingulos de prouida adminiſtratione Regni mulcente, lætitiæ viciſſitudo æquè ſucceſſerat. 1058.

Boleslaus coronatur.

Vno de viginti annis & duobus menſibus, Archiepiſcopus *Gneſnenſis Stephanus*, in *Gneſnenſi* Eccleſia Pontificatu geſto 7. Martii moritur, & in Eccleſia *Gneſnenſi* ſepelitur. Cui *Petrus* natione *Polonus*, nobilis genere, de domo *Nalęc*, Decanus *Gneſnenſis*, per electionem canonicam in die Annunciationis B. *Mariæ* celebratam ſuccedit, à Summo Pontifice *Victore* ſecundo, ad interceſſionem *Boleslai Poloniæ* Regis, electionem Capitularem promouentis, ordinatus.

Stephano Archiep. Gneſnenſi ſuccedit Petrus.

1059. Regali ordine poſt obitum *Cazimiri Poloniæ* Regis, & ſubſtitutionem filii ſui *Boleslai* mutato, Sacerdotium etiam immutationem accepit. *Aaron* ſiquidem Archiepiſcopus *Cracouienſis* (quem in ſuperioribus ex *Cluniaco* cum duodecim eiuſdem profeſſionis fratribus, *Cazimiro Poloniæ* Rege vocante veniſſe, & in *Thiniec* locum pro monaſterio dote ſufficienti, à *Cazimiro Poloniæ* Rege præbita cepiſſe monſtrauimus) ex *Thinicienſi* Abbate in Sedem Archiepiſcopalem *Cracouienſem* promotus, & ſenio longæuo, & laboribus confectus vita excedit, cum annis duodecim Eccleſiam *Cracouienſem* Metropolico honore & iure rexiſſet, & in Eccleſia *Cracouienſi*, *Boleslao Poloniæ* Rege ſua præſentia eius cohoneſtante exequias, debito honore tumulatus. Hic creditur, & in Eccleſiam & diœceſim ſuam *Cracouienſem* gradus viuorum induxiſſe, & diœceſim ſuam ad complendum huiuſmodi gradus diebus Quadrageſimalibus obligaſſe & oneraſſe. Ipſe inſuper *Thiniecenſe* cœnobium multis libertatibus, prærogatiuis, & immunitatibus, largitioneque decimarum manipularium, ad menſam Archiepiſcopi *Cracouienſis* pertinentium, extulit & dotauit. Vniuerſos quoque *Thiniecenſis* monaſterii Abbates, eo honore perpetuo priuilegiauit & inſigniuit, vt quilibet *Thiniecenſis* Abbas ſit in Eccleſia *Cracouienſi* Canonicus natus, ſtallumque in ipſa Eccleſia inter Canonicos obtineat, ac in eadem Eccleſia *Cracouienſi* intra diuina officia & horas Canonicas ſuperpelliceatus & amulciatus incedat. Quamuis autem præfati *Aaron* Archiepiſcopi morte ſecuta Canonici *Cracouienſes*, variis vicibus futuri Archiepiſcopi electionem celebraturi conueniſſent, nullatenus tamen poterant ſe de alia apta perſona, votis eligentium in varia vota diuiſis, concordari. Vnde contigit *Cracouienſem* Eccleſiam ex ſciſſura

Aaron Archiep. Cracouienſis moritur, cuius vita repetitur.

tam

1059. tàm deteſtabili integro ferè biennio Epiſcopo vacare.

Połowci Ruſſos iterum vincunt,

Połowcys barbaris terram *Ruſſiæ* irrumpentibus, cum tres Duces, *Zaslaus Kiouienſis*, *Suantoslaus Czernieiouienſis*, & *Wſzeuoldus Pereaſtauienſis*, vaſtationem terrarum ſuarum prohibituri occurriſſent, certamen dirum circa flumen *Olcha* inter ſe committunt, & *Ruthenis* diffugientibus, ceſſit barbaris victoria, qua obtenta barbari, vaſtationem terræ *Ruſſiæ*, quo longius poſſunt extendunt, & in ſingula oppida, villas, regiones vicos, libera cæde, atque ſpoliatione debachantur, non exiſtimantes *Ruthenos* & Duces eorum animos ad pugnam contra ſe de cætero reſumpturos.

& regionem vaſtant,

Cum autem hi duo Duces, *Zaslaus Kiouienſis*, & *Wſzeuoldus Pereaſtauienſis* in *Kiow*, *Suantoslaus* verò in Ducatum ſuum *Czernieiouienſem*, clade apud *Olcham* accepta fugiendo deueniſſent, Nobiles & militares *Ruſſiæ* celebrato apud *Kiow* conuentu, Duces ſuos *Zaslaum* & *Wſzeuoldum*, *quatenus illis equos & arma ſumminiſtrent* conueniunt, *offerentes ſe cum barbaris, qui poſt victoriam per agros paſſim vagantur, & diſcurrunt felicioribus auſpiciis, & cum ſpe certa victoriæ ad detergendum dedecus acceptum, pugnaturos.* *Zaslao* verò & *Wſzeuoldo* militari petitioni, ne noua clades reliquias *Ruthenicas* deleret, non acquieſcentibus, rurſum milites *Ruſſiæ* flagitare cœperunt, *quatenus WSZESLAVS Dux Polocenſis, & duo filii anno ſuperiori in dolo capti, & in eam diem vinculis alligati ſoluerentur.* Quod cum impetrare non poſſunt, in ſeditionem vertuntur, qua Duces *Zaslaus* & *Wſzeuoldus* perculſi & veriti, ne militaris furor graue aliquid in eos moliretur, ex caſtro *Kiow* diffugiunt, milites verò ergaſtulo diſrupto *WSZESLAVM Polocenſem* Ducem, & filios eius ſoluunt, vniuerſam verò *Kiouienſem* ſuppellectilem & ſubſtantiam diripiunt. *Zaslaus* verò Dux *Kiouienſis* ad extrema peruentum ratus, in *Ruſſia* conſiſtere non audens, ſe & ſua ſaluaturus in *Poloniam* ad *Boleslaum Polonorum* Regem fratrem ſuum amitalem germanum fugit, à quo humane & benignè exceptus, & habitus eſt.

quos repellere volentes Primores Ruſſiæ

Zaslaus & Wſzeuoldus non permittunt.

qui poſtea effugiunt in Poloniam,

Połowcy interim dùm vniuerſas regiones ſpoliis & cædibus in girum affeciſſent, contra *Czernieiow* procedunt, quibus *Suantoslaus* Dux *Czernieiouienſis* nil ſuperiori clade deterritus, habens tantummodo, tam ex militibus, quàm ex agreſtibus tria millia virorum, obuiam proceſſit, & cum duodecim millibus hoſtium circa *Snowsko* prima die Nouembr. pugnam committit, in qua multitudo à paucitate victa ſuccumbit, & *Ruthenis* animosè pugnantibus ſternuntur vincunturque *Połowcy*, ſed & Dux eorũ cum primoribus viuus in poteſtatem *Suantoslai Ruſſiæ* Ducis venit, & omnis præda, quam in *Ruſſiæ* terris quæſierant, excuſſa. *Suantoslaus* verò cum magna gloria & militari fauore, in ſuam ſedem *Czernieow* multis hoſtium ſpoliis decorus rediit. 1059.

Połowci poſtea a Suantoslao vincuntur,

Zaslao autem *Kiouienſi* Duce cum filiis ſuis *Mſcislao*, *Suantopełkone*, vxore, & aliquibus militibus in *Poloniam* ad *Poloniæ* Regem *Boleslaum* effugiente, *WSZESLAVS Polocenſis* Dux militari fauore à captiuitate ſolutus, Ducatum & caſtrum *Kiouienſe* occupat, & illic ſedem ſuam ponit. Intuens autem in cælum, his vſus eſt verbis. *O Crux Sanctiſſima & fidelis, qui in te ſperant, non confunduntur, qui te reuerentur, periclitari non poſſunt, maxima eſt virtus tua, tu enim fortiſſimos quoque tuos violatores contemptoreſque debellas, ſternis, & debilitas, tui verò numinis deuotos & obſeruatores protegis, liberas, & glorificas.*

& Wſzeslaus Polocenſis Kiouienſem ducatum accipit.

Quindecima die Maii, *Aaron Cracouienſis* Archiepiſcopus annis duodecim in Archiepiſcopatu *Cracouienſi* expletis rebus humanis eximitur, & in *Cracouienſi* Eccleſia ſepelitur, vacauit Eccleſia *Cracouienſis* aliquanto tempore propter diſcordiam eligentium.

Tranquillitate ſolida in *Vngariæ* Regno conſiſtente, ex paruo, vt fit, fomento grauis commotio & tempeſtas coorta eſt. 1060. *Andreas* ſiquidem *Vngariæ* Rex diuturnam eiuſdem Regni turbationem, & ex morte *Petri* Regis, & ex pace cum Imperatore *Henrico* occiſionem *Petri* Regis vlciſcente compactam penitus ſublatam videns, induxit in animum *Salomonem* filium ſuum impuberem, & nondum ſeptimum annum tranſgreſſum, cui filiam Imperatoris *Henrici Zophiam* deſponſauerat, dùm viueret, coronari, veritus ne ſe abſumpto, ad *Belam* fratrem pro vegetiori ingenio, & charitate *Vngarorum* ſibi iam dudum ſuſpecta, diadema *Pannonii* transferrent.

Andreas Vngariæ Rex

Exequuturus autem propoſitum, diem conſtituit, & fratrem *Belam* ac Prælatos & Barones regni ad coronationem, & inunctionem filii ſui *Salomonis* inuitat & venire iuſſit. Dùm autem iuxta ordinationem *Andreæ* Regis, filius ſuus *Salomon* in *Alba Regali* coronationis & inunctionis acciperet inſignia, & ad paſſum illum per conſecratorem ventum eſſet, *eſto Dominus fratrum tuorum*, *Bela* Dux, qui ſcrupuloſius coronationem nepotis, nunquam antea viſam, in ſingulis penſabat cæremoniis, grauiter ingemiſcens, & coronationem nepotis tàm immaturam in ſui contumeliam, atque probrum confectum dolens, & vultu & lingua mœrorem diſſimulare non valuit, ſed ad Barones aſtantes, ingeminans coronationem nepotis, non tàm iniurioſam, quàm ignominioſam ſibi aſtruxit.

Salomonem filium coronari iubet,

Veritus autem ne frater ſuus Rex *Andreas*, aliquid grauius conſuleret in eum, compreſſo & diſſimulato dolore cum tribus filiis, vxore, familia, fortunis, & omni ſuppellectili in *Poloniam* ad Regem *Poloniæ Boleslaum* affinem ſuum, quanta potuit, celeritate diſceſſit, & quantam qualem-

quo facto Bela Dux ex Hungaria in Poloniam redit.

1060. qualemcuǹe iniuriam & confuſionem à fratre ſuo *Andrea* accepiſſet, coram *Boleſlao Poloniæ* Rege, Prælatis & conſiliariis ſuis deduxit, petens, *ne ſuam, & filiorum ſuorum iniuriam, qui ei propinquo fuerant ſanguine iuncti, ſinant eſſe inultam.* Rex autem *Boleſlaus Poloniæ* magna humanitate & honore, & *Belam* Ducem & materteram ſuam Duciſſam vxorem eius, fratreſque ſuos, filios eorum, excipiens, & omnibus neceſſariis illos munificè & liberaliter tractans, *bono animo eſſe* juſſit, offerens *ſe parentis eorum neceſſitati, & cuilibet ex poſt ingruenti, fido pectore pro viribus conſulturum.*

Lampertus Zula fit Archiep. Cracouienſis, ſed quia Archiepiſcopalia inſignia petere oblitus eſt, ius metropoliticū amiſit.

Opera *Boleſlai Poloniæ* Regis, & nonnullarum perſonarum Eccleſiaſticarum diſſidio, quod in electione & ſubſtitutione *Cracouienſis* Pontificis exortum erat, & biennio prope integro durauerat, ſublato, *Lampertus* vocatus *Zula*, in Sedem Archiepiſcopalem *Cracouienſem*, eo quod vir doctus & literatus eſſet, per *Nicolaum*, vel vt alii aſſerunt, per *Alexandrum* ſecundum promotus eſt, neſcio tamen, quo leuo ſidere petere Archiepiſcopalia inſignia neglexit, & *Cracouienſem* Eccleſiam extunc Metropolitico honore & iure priuauit, & in Epiſcopalem, atque ſuffraganeam redegit. Nec ab eo tempore dignitatis ſuæ fulgore, licet pleriſque Pontificibus ſuis adnitentibus reſumere valuit.

1061. *Spitigneuus Bohemiæ Dux moritur, cui ſuccedit frater Wratiſlaus, qui duobus fratribus Morauiam diuidit, tertium Iaromirum ut in monaſterio maneat, hortatur.*

Annum ſextum in Ducatu *Bohemiæ Spitigneuus* agens, & ſeuerè ac crudeliter, & in fratres germanos, & in Eccleſiaſticas, ſeculareſque perſonas ſæuiens 5. Calend. Febr. *Pragæ* moritur, *Bohemis* exceſſum ſuum gaudio comprobantibus immenſo. Qui cum orbus & ſine hærede abſumptus eſſet, *Wratiſlaus* frater ſuus, qui in *Vngaria* exulabat, inde reuocatus fauore omnium *Bohemorum* Dux principalis conſtituitur. Is modeſtum ſe erga fratres & ſubditos gerens, duobus fratribus, *Ottoni* videlicet & *Conrado Morauiam* diuiſit, perpetua hæreditate poſſidendam. Cognita autem *Iaromirus* frater reſiduus *Spitignei* morte, cuius metus illum in literis & ſtudio continebat, deſerto ſtudio in *Bohemiam* remeauit, arbitrans ſe largitione fratris *Wratiſlai* aliquam portionem Dominii ad inſtar aliorum fratrum accepturum. Caſtigatum autem Dux *Wratiſlaus*, & ſalubri conſilio admonitum, ne ſtatu clericali abiecto in militiam variis grauitatibus refertam abiret, inducit, partimque terret, & impellit inuitum, quatenus ad ſacra conſcendens, in virum Eccleſiaſticū ſe ordinari pateretur, *Pragenſem* Epiſcopatum morte *Seueri* Epiſcopi, quæ propter maturum ſenium eius longè abeſſe non poteſt ſecuta, habiturus, hac ille ſpe & pauore pellectus vſq; ad Diaconi gradum ſe conſentit ordinari, ſed mox animum pœnitentia ſubeunte, nonnullorum *Bohemorum* propoſito ſuo fauentium, perſuaſione ſeductus, in apoſtaſiam verſus, habitu & tonſura clericali abiecta, laicum induit, & militiam ſecularem de cætero in ſtatu militari acturus repetiit. Veritus autem ne per Ducem *Wratiſlaum* aliqua in eum fieret ob deſertam profeſſionem animaduerſio, in *Poloniam* ad *Boleſlaum Poloniæ* Regem, pleriſque *Bohemis* eum comitantibus aufugit, à quo benignè ſuſceptus, & omnibus ſumptibus, & neceſſariis abundè tractatus, adeò fauore, beneuolentiaque *Boleſlai Poloniæ* Regis mulcebatur, vt integrum, in *Polonia* continuando manſionem ſuam, exigeret ſeptennium. Felicem tunc *Poloniam* quis aſſerere dubitabit? quæ *Pannoniorum*, *Bohemorum*, & *Ruthenorum* tres inſignes exules excepit, tractauit, & confouit, & quod his amplius ſtatum eorum dubium, & proſtratum ſuis auxiliis, vt in ſequentibus narrabimus, ſuſtentauit, & erexit. Nec tam felicitatem illi tribuere conuenit, quam clementiam & charitatem, quibus omnium iniuriarum hoſtilium obliterata memoria exules Duces in ſuum ſinum ſuſcepit, & liberales ſumptus abſque omni faſtidio, & nauſea, omnibus miniſtrauit.

1061. *Qui tamen ex eo egrediens, ad Boleſlaum in Poloniam iuit.*

Fugam *Iaromiri* fratris ſui in *Poloniam*, *Wratiſlaus Bohemiæ* Dux irato & moleſto animo ferens, cum ſugillationis & ignominiæ haberet plurimum, & ſuſpicionis non parum. Verebatur enim *Wratiſlaus Bohemiæ* Dux, ne *Poloniæ* Regis *Boleſlai* & *Polonorum* ſuffragiis, *Iaromirus* frater ſuus ſtipatus, *Bohemiam* inuaſurus adueniret, & *Bohemorum* gentem ad defectionem inclinaret; Et cùm a *Iaromiro* pœnas clandeſtini diſceſſus exigere non poterat, omnes iras, quas pro fuga huiuſmodi conceperat, in Regem *Poloniæ Boleſlaum*, & *Polonos* qui *Iaromirum* iure & honore hoſpitii ſuſceperant, vertit. Quapropter cùm omnibus gentium ſuarum agminibus vlturus fugitiui fratris receptionem, *Poloniam* inuadens, eam flammis & ſpoliis affligere cœpit, nulla hoſtilitatis denunciatione præmiſſa, à ſiluis quoque *Hirciniis*, quæ *Poloniam* à *Bohemis* diſterminant, incipiens, oram omnem, quæ nunc *Sileſia* appellatur, vaſtabat. Hoc vbi *Boleſlaus Polonorum* Rex à ſuis notificatum intellexit, correptis armis tumultuaria potius, quam ordinaria acie maiori, qua poterat celeritate *Wratiſlao* obuiam proceſſit, flammantis patriæ ignes ſanguinis profluuio reſtincturus. In quadam autem ſilua, *Wratiſlaum* & *Bohemos* in vlteriora *Polonorum* dominia tranſitum facientes conſequutus, ſtatiua facit, militeſque corpora curare iubet, diluculo adueniente, reſumpto poſt continuam fatigationem vigore cum hoſte certamen initurus: Interim per peditem militem, cuius multitudine abundabat, ſiluam iubet in girum arborum detruncatione, ne hoſtis incluſus euadat, circumſepiri, qua arte ſedendo debellare hoſtes poſſe credebat. *Bohemus* interim dolo vſurus, cùm moram ſibi periculoſam vide-

1062. *Wratiſlaus Bohemiæ Dux Poloniam inuadit, ubi a Boleſlao in ſilua incluſus*

1062. videret, & inde abire & fallere Regem vellet, miſſis ſub occaſum ſolis caduceatoribus, petit in craſtinum colloquendi facultatem, multisq; A ſermonibus, *ſe magis amicum* repromittit *fore futurum, quam hoſtem. Boleslaus* autem Rex *Poloniæ* colloquendi poteſtate, vt erat rogatus, negata, *ſe in craſtino cum eo conuenturum, & non verbis, ſed armis pro accepta iniuria* reſpondet *certaturum.* Quibus cognitis *Wratislaus* Dux *Bohemiæ*, pluribus ignibus

aſtu euadit.

in ſpeciem remanentium latius extructis ſiluam ſecundis vigiliis, hoſtem fruſtratus, tàm ſilenti & compoſito agmine egreditur, vt etiam *Polonos*, qui ſiluam obſederunt, falleret. Omnibus autem impedimentis, & ſarcinis magis vilibus abiectis, concito curſu B feſtinus *Bohemiam* aufugit. Rex illuceſcente altera die abiiſſe hoſtem, & pugnam detractaſſe, cùm ſenſiſſet deluſum ſe, & prædam inſignem ex caſſibus ſuis excuſſam eſſe dolens, & fortunam ſuam increpans, fugientes *Bohemos* pluribus diebus proſequutus eſt, pluresque ex eis præſertim qui aut languore aliquo correpti, aut neceſſitate diſtracti, agmen ſequi diſtulerant, comprehendit. In hoſtilem quoque terram, *Morauiam Bohemis*, qui *Iaromirum* comitabantur, ductum præbentibus

Boleslaus Morauiam vaſtat.

perueniens, magnam eius partem igne conflagrauit, & captiuorum magnum numerum, ſpoliaque plurima in *Poloniam* reduxit.

Hieronymo Wratislauienſi Epiſc. ſuccedit Ioannes.

Hieronymus Wratislauienſis Epiſcopus, cùm annis vndecim Eccleſiam *Wratislauienſem* rexiſſet, infirmatus *Wratislauiæ* moritur, & in C Eccleſia *Wratislauienſi* ſepelitur. Hic cum genere nobilis, & *Romanus* eſſet, pluribus reliquiis & oſſibus Sanctorum, Eccleſiam *Wratislauienſem* in ſuis clenodiis & ſuppellectilibus tenuem, reddidit inſignem. Suffectus autem eſt in locum *Hieronymi Ioannes* Canonicus *Wratislauienſis.* Qui cum eſſet à maiori parte Capituli *Wratislauienſis* electus, *Boleslao Poloniæ* Rege electionem ſuam acceptante approbanteque, ab *Alexandro* II. Papa *Romano* electio ſua fuit confirmata. Et ipſe anno inſequenti in Epiſcopum *Wratislauienſem* ordinatus, & à *Petro* primo *Gneſnenſi* Archiepiſcopo, in *Gneſnenſi* Eccleſia *Boleslao* Rege D præſente conſecratus. Genere hic nobilis de domo Accipitrum, & qui primus ex *Polonis* abrogatis *Italis* Pontificale pedum in *Wratislauienſi* Eccleſia geſſit.

Nicolao II. P.R. ſuccedit Alexander II.

Nicolaus ſecundus, poſtquam annis tribus, menſibus ſex, diebus viginti ſex ſediſſet, moritur, & *Alexander* ſecundus natione *Mediolanenſis*, ante *Anzelmus* vocatus, Epiſcopus *Lucenſis* a Cardinalibus concorditer electus eſt. Contra quem *Candulus Parmenſis* Epiſcopus à *Lombardiæ* Epiſcopis ius Papam eligendi, ad ſe tantummodo pertinere aſſerentibus, fauente & ſuggerente *Henrico* quarto *Romanorum* Rege *Romæ* eligitur. Qui cum bis *Romam* cum magno exercitu, quem Imperator *Henricus* per ſuas gentes augebat, acceſſiſſet, bis à *Matilda* Comitiſſa & *Gottfriedo* Duce *Spoletano*, 1062. qui pro *Alexandro* ſtabant, repreſſus, *Lombardiam* redire coactus eſt. Tandem operante *Henrico* Imperatore, & Papa *Alexandro* in *Lombardiam* deſcendente, & *Candulo* ſuum reatum recognoſcente, pax Eccleſiæ reddita eſt, *Candulo* cum his Epiſcopis, qui eum temerè elegerant, in gratiam ſuſceptis ab *Alexandro* Papa. Hic miro modo *Lucanam* ciuitatem diligens, Epiſcopum eius pallio & cruce, ita vt ante illum deferatur crux, inſigniuit, & *Lucenſibus* plumbea bulla vti conceſſit. Et præfato *Candulo* Epiſcopo *Parmenſi* virilem reſiſtentiam opponens, *Romanæ* Eccleſiæ dudum ancillatæ ſuum decus, ſuamque libertatem reſtituit. Hic ſtatuit, vt nullus audiat miſſam Presbyteri, quem ſcit habere concubinam, ſub pœna excommunicationis.

Exulceratum, & iuſta ira grauidatum 1063.
Boleslaus Poloniæ Rex animum contra *Wratislaum Bohemiæ* Ducem, ob iniuriam ſuperiori anno acceptam geſtans frequentes copias parare, & in *Bohemiam* expeditionem militibus indicere cœpit, querens ſe grauiter offenſum, quod pro humanitate Duci profugo, & penè exiliato *Iaromiro* præſtita, hoſtilitatem & Regni ſui vaſtationem à germano electi Ducis pertulerit, à quo ſe gratiam ſperabat relaturum. *Wratislaus* autem Dux *Bohemiæ* vt erat vir in ſingulis prouidus & oculatus, bellum contra ſe & rumore & pluribus auiſamentis intelligens agitari, per amicos communes cœpit agere de reconciliatione, & de pace, neque enim tutum putabat cum vicino Regno hoſtile gerere bellum, neque ſuis ſatis fidebat, ne eo deſerto pro eo *Conradum*, vel *Ottonem* ſurrogarent, vel ad *Iaromirum* deficerent. Variis itaque tractatibus interpoſitis, pax ægrè *Iaromiro* & ſuis infectionem cauſante, æquis conditionibus, per quas damna illata compenſabantur, & captiui relaxabantur, comparata eſt, quæ vt ſolidior atque diuturnior conſiſteret, violationem enim illius Dux *Iaromir* in *Poloniæ* Regno præſentia, portendebat, affinitate firmata eſt. Abſumpta enim erat ſuperiori anno Duci *Bohemiæ Wratislao* iam altera vxor *Adleides* Regis *Andreæ Vngariæ* filia, duos filios, *Bretislaum* & *Wratislaum*, totidemque filias, *Ludimillam* & *Iuditham* ex *Wratislao* ſuſceptas, relinquens. A gentibus itaque & procurantibus, pacis compoſitoribus, orant *Boleslaum Poloniæ* Regem, vt virgo inſignis *Swiantochna Cazimiri* filia, & *Boleslai* ſoror Regum *Poloniæ* Duci *Wratislao Bohemiæ* detur in conſortem. Nuptiæ quoque *Cracouiæ* magnificentia magna, & ſolennitate celebratæ ſunt. Tunc inſuper Dux *Bohemiæ Wratislaus* perſonali notitia & amicitia cũ *Boleslao Poloniæ* Rege contracta, dotalibus muneribus, liberalitate *Boleslai* Regis plusquam conuentum

In Bohemiam inuaſionem meditatur Boleslaus,

ſed petenti Wratislao pax data eſt,

& affinitas cum ipſo inita.

1063. uentum erat præſtitis, cùm noua ſponſa ſua quam vernacula lingua *Bohemi Suatauam* vocant, in *Bohemiam* alacer rediit, quæ ei tempore procedente quatuor filios, videlicet *Bretiſlaum, Cazimirum, Wladiſlaum*, & *Sobieſlaum* procreauit.

Zaſlaus Kiouienſis, Suantoſlaus Czernieouienſis, Wſzeuoldus de *Percaſtaw*, Duces fratres germani inuidiæ ſtimulati liuore, exercitibus coadunatis vadunt contra *Wſzeſlaum*, Ducem de *Polocko* fratris ſui patruelis *Bretiſlai* filium, volentes illum, & Principatum ſuum ſibi ſubiicere, & conueniunt omnium trium Ducum copiæ circa *Minſko*, & ab nde aciebus ordinatis vadunt, verſus *Polocko*, quibus *Wſzeſlaus* Dux *Plocenſis* circa flumen *Niemca* occurrens confligit cum eis, & cadentibus plurimis hinc inde *Wſzeſlaus* victus aufugit, & miſerunt poſt illum Duces nuncios in dolo perſuadentes, vt conueniret cum illis, fœdusque iungeret, polliciti iureiurando *nihil ſe illi aliquid hoſtile illaturos*. Qui huiuſmodi ſponſione certificatus cum legatis per flumen *Dniepr* aduenit, ſed Duces contra ius gentium iuramento fracto illum captiuant, & concludit illum *Zaſlaus* Dux *Kiouienſis* cum duobus filiis in carcere *Kiouienſi*.

Bellum inter Ruſſiæ Duces.

1064. *Bohemicam* pacem *Pruthenicum* bellum mox excepit. Barbari enim rebellare, & tributa hactenus penſa denegare non contenti, excurſiones crebras in Regiones *Polonorum* faciebant. Fabricato autem caſtro, quod à *Polonis Grodek* vocabatur, validoque ei præſidio impoſito, ad inferenda *Poloniæ* damna, & ſpolia, latius liberiuſque vagabantur. Ea iniuria *Boleſlaus Poloniæ* Rex, vt par erat, commotus, *Grodek* obſidione vallauit. Expugnationi autem illius longo tempore inſiſtens, cùm & natura & arte locus ſatis munitus eſſet, *Prutheni* quoque egregiè illum tutarent, cœptam expugnationem irritam, reliquit. Creuerunt illicò *Barbaris* animi & Rege *Boleſlao* abſcedente magnam *Pomeraniæ* partem deditam ſibi, & tributariam effecerunt; Ad vlteriora quoque quoties Regem in longinquiores oras Regni ſui abiiſſe didicerant, gradum promouebant, omnemque ferè *Pomeraniam* in ius ſuum & proprietatem pertraxerant. Affligebat itaque magna audacia, magnoque ſpiritu Regem *Pomerania* adempta, & ignominia apud *Grodek* accepta. Quapropter quo ordine, quaue ratione *Pruthenos*, qui pugnæ copiam non faciebant, clandeſtinis & furtiuis excurſionibus contenti, in prælium eliceret, agitabat. Itaque cum expeditis militibus *Pomeraniam* ingreſſus *Pruthenorum* aduentum nil minus, quam Regis tunc ingreſſum ſuſpicantium operiebatur. Nec eum opinio fefellit. Exploratorum enim denuntiatione certificatur *barbaros in frequentibus copiis conueniſſe, & ſtatiua vltra fluuium Oſſam tunc aquis inflatum poſuiſſe. Altera die vadato fluuio in Poloniæ confinia ad inferendam vaſtitatem & ſpolia tranſituros.* Rex moræ impatiens, veritus ne hoſtes eius aduentu cognito, in conſueta nemorum & ſtagnorum cubilia refugerent, copias illico ſuas ad hoſtem ducit, cumque amnis profunditas ardorem militum moraretur, primos ordines, vt erant armati, aquas obſtantes Rex tranare, & cæteris metum adimere iubet. Vnde cum plures pondere armorum ab aquis coram ſuffocarentur, cæteri mortem vitaturi armis in ripa relictis, fluuio ſuperato, ſilenti agmine ad hoſtes Rege vnum quemque exhortante perueniunt, paruoque negotio hoſtes ſuperatos & inermes, tàm magna ſtrage fundunt, trucidantque, vt pauci, qui intra tumultum fuga euaſerant, & occupata *Pomerania* excederent, & ſolita tributa Regi penderent.

Pruthení Poloniam ex caſtro Gródek vaſtantes *a Boleſlao vincuntur.*

In *CisAlpina Gallia Parmenſis* Epiſcopus in Pontificem *Romanum* fuit electus, qui bis contra *Alexandrum* armata manu *Romam* vſque profectus eſt. Tandem Imperatore *Henrico* intercedente, Concilium *Mantuæ* indicitur, in quo compoſito ſchiſmate *Alexander* confirmatur.

Sextum iam *Bela* Dux *Vngariæ* cum vxore & filiis in *Polonia* apud affinem ſuum *Boleſlaum Poloniæ* Regem agebat annum. 1065. Dùm illum ardor redeundi in *Vngariam* perſuaſit, neque ad id ſolum naturali ferebatur affectu, ſed Baronum & Nobilium *Vngariæ* dietim ad eum in *Poloniam* confluentium mouebatur rogatu, nonnullorum verò clandeſtinis legationibus ſolicitabatur. Multis autem & variis difficultatibus periculiſque reuerſionem ſuam ſeptam animaduertens, cum & germanus ſuus *Andreas* Rex vniuerſum Regnum in ditione ſua poſſideret, & in *Vngaris*, fluxam fidem habentibus, parum ſpei reponendum exiſtimaret. Terrebat inſuper eum tàm Imperatoris *Henrici* quarti, quàm *Wratiſlai Bohemiæ* Ducis affinitas, cùm alterius filiam filio *Salomoni* deſponſaſſet, alteri ſuam dediſſet, intelligens tàm ſocerum, quàm generum *Andreæ* Regi, quod & euentus rei poſtea monſtrauit, auxilia laturos. His cogitationibus diſtentus *Boleſlaum Poloniæ* Regem aggreditur, orat, precatur, ſollicitat, & per communionem ſanguinis oſtendens tres filios ex matertera ſua ſuſceptos, obſecrat, *vt pro officio fidelis amici & affinis ſui morem gerat, copiiſque & gentibus ſuis, paternam hæreditatem, patrium Vngariæ Regnum reſtituat, ne eum cum filiis in exilio conſeneſcere contingat.* Rex autem etſi rem arduam à ſe exigi per *Belam* ſuum affinem videret, maximo tamen animo & liberalitate, quorum vtroque naturali præeminentia pollebat, motus, ſe illi omni ſua militia ſpondet auxiliaturum, præſertim cum *Bohemis* pacificatis & *Pruthenis* compreſſis, feriatum animum illum habere videret. Itaque in expeditionem *Vngaricam* iturus, ex omnibus

Belam Hungariæ Ducem ſummopere rogantem

1065. *in Hungariam cum exercitu deducit Boleslaus,*

bus Regni ſui terris delectum agit, & tribus agminibus, quibus *Wſzeborius* Princeps militiæ præerat, *Belam* Ducem reſtituendo, *Vngariam* ingreditur, vxore ſua & tribus filiis in *Polonia* relictis. Rex autem *Andreas Vngariæ*, bellum à *Poloniæ* Rege ſibi tàm ex rumore, quam ex *Vngarorum* auiſamento ſciens inferendum, filium ſuum *Salomonem* ad *Henricum* quartum Imperatorem, notabili ſtipatum *Vngarorum* caterua, per *Niechbaldum* Comitem transmittit; rogans, *vt ſi illi aduerſa fortuna accideret, curam eius, velut generi ſui agat, ſibique ſubſidia in gentibus deſtinet.* Iisdemque precibus apud *Wratislaum Bohemiæ* Ducem vſus tam *Almanorum*, quàm *Bohemorum* duos inſignes exercitus ab Imperatore *Henrico* & *Wratislao Bohemiæ* Duce transmiſſos accepit, tertium ipſe, his duobus immenſiorem, ex *Vngaris* conficit. Et *Almanis* quidem duo Duces, videlicet *Vilhelmus* & *Pontianus* præerant, *Bohemos* Dux *Conradus Morauiæ* germanus *Wratislai* Ducis *Bohemiæ* regebat. Tot & tantis ſubſidiis Rex *Vngariæ Andreas* ſtipatus, magis de victoriæ præmiis, quàm de pugna cogitabat. In altera parte rarior erat numerus militum, ex *Polonis* duntaxat in agmine triplici agregatus, ſpem tamen victoriæ augebat exercitatio, nam & in ordines ire, & pedem, quoties neceſſitas expoſceret referre, ſtare, & ire, ad iuſſum Regis dudum aſſueuerant, *Vngarorum*, qui partes *Belæ* ſequebantur, haud contemnenda erat multitudo, & ex his *Boleslaus Poloniæ* Rex quartum agmen conſtituerat. Nam etſi ſingulis ordinibus præfecti ordinati eſſent, ſummæ tamen belli *Boleslaus* Rex, tanta indoles viro iam tunc inerat, præſidebat, ſuo quoque arbitrio cuncta gerebantur. Ad fluuium itaque *Cyſſæ* vterque exercitus conuenit, & quamuis exercitus *Andreæ* auidior, in quo & ipſe Dux & cohortator aderat tàm numero, quàm robore multis partibus exercitum *Boleslai Poloniæ* Regis & *Belæ* Ducis excederet, nil tamen vterque eius multitudine territus ad capeſſandam pugnam agmina deducit, magnis verbis, & animis maioribus ab vtrisque prælium cœptum, & horis aliquot tam acriter pugnatum eſt, vt in ambiguo eſſet, cui populo funeſtus Mars victoriam decerneret, vtrisque autem magna vi pro triumpho adnitentibus deteriori loco pars *Andreæ* Regis eſſe cœpit, nam & magna pars *Almanorum* & *Bohemorum*, aut iam proſtrata, aut obtrita erat, ordinesque eorum principalioribus cadentibus defluxerant. Poterat adhuc pugna reſtitui, ſed *Vngari* qui in exercitu *Andreæ* Regis erant, inclinatam ſuam videntes aciem, veriti ne ſequuta victoria *Bela* in eos quicquam grauius conſuleret, relictis ordinibus, deſertoque *Andrea* Rege & auxiliariis ſuis ad *Belam* diffugiunt. Ex hinc facile *Belæ* plena ceſſit victoria, multique morta-

victoque Andreâ fratre

les ex *Almanis* & *Bohemis* occiſi, Rex *Andreas* ne viuus in manus fratris *Belæ* veniret, fugere in *Almaniam* contendens, in fuga ad portas *Meſon* captus, & in ſilua *Bokui* crudelius quàm ſuæ ætati conueniebat tractatus, exſpirauit, in monaſterio *S. Auiani*, quod ipſe extruxerat, ſepultus, cùm annis paulò amplius, quàm 15. regnaſſet. *Almaniæ* & *Bohemiæ* Ducibus, cum nonnullis militibus captis, *Boleslao Poloniæ* Rege moderante victoriam, & honos ſeruatus, plena libertas donata, quamuis *Bohemiæ* Dux *Vngarorum* decreto, tetræ & miſerabili pœnæ, priuationi videlicet oculorum fuiſſet deſtinatus. Ex loco certaminis *Boleslaus Poloniæ* Rex *Belam* Ducem *Albam Regalem* ducens, cum in Regem *Vngariæ* coronari ordinauit, rebusque *Vngariæ* feliciter compoſitis pluribus donis, tam ipſe, quam exercitus ſuus à *Rege Bela* honoratus *Poloniam* rediit.

1065. *qui paulo poſt moritur,* *in Regem Vngariæ coronari iubet*

Tertio Idus Aprilis, *Boleslaus Poloniæ* Rex apud ſuam Regiam ciuitatem *Plocenſem* agens & in præſentia *Paſchalis*, alias *Alexandri Plocenſis* Epiſcopi, multiplicia diuinæ propitiationis beneficia ſibi in multifariis bellis atque victoriis præſtita, recogniturus, in oppido ſuo Regali *Mogilno Gnesnenſis* diœceſis, monaſterium Ordinis *S. Benedicti*, in hunc enim, quod pater ſuus *Cazimirus Poloniæ* Rex in eo apud *Cluniacum* militauerat, propenſiori ferebatur affectu, fundat, locum dote munifica atque ampla inſigniens, cui & introitus regales infraſcriptos, videlicet nonum denarium, nonum torum, nonum porcum, nonum poledrum, nonum piſcem: Ex caſtris, oppidis, & curiis ſuis regiis, *Grudźiadz*, *Zakrocim*, *Szeroczec*, & mediate teloneí fluuii *Bug*, *Ripin*, *Stetin*, *Sepich Nowe*, *Radzim*, *Oſelch*, *Znuiendzic*, *Ciechanow*, *Stopsko*, *Grobesko*, *Naśilsko*, *Wyſſogrod*, *Plock*, *Dobrzyn*, *Włodysław*, *Prypuſt*, *Flowſt*, in *Laſzyn* vero decem marcas, in *Sbuczymir* ſeptem marcas, in *Roſprza* ſeptem marcas, in *Wolborz* quatuor marcas, in *Zarnow* duo & medium marcas, quotannis percipiendas largitus eſt. Contulit & oppidum *Mogilno*, fundum & locum monaſterii cum villis infraſcriptis, videlicet, *Czerwiensk*, *Chrzanow*, *Bolmo*, *Wielerich*, *Koſſow*, *Krennow*, *Golumbino*, & pleraſque alias villas contulit, & ſeruos adſcripticios ex nomine deſignatos. Donationes inſuper per milites ſuos, *Sbilutum Dobrogoſtium*, *Paulum Ziemian*, *Odolny*, & *Andream* de villis *Boguſzyno*, *Padniewo*, *Liśiec*, *Knapnik*, *Sokolowo*, & *Gorzymowo* factas confirmauit. Ad prædictum autem *Mogilnenſe* monaſterium fratres & monachos, ex monaſterio *Tinecenſi* diœceſis *Cracouienſis* ſumptos introduxit. Cuius primus Rector & Abbas fuit *Mangoſius* Vir religioſus, natione *Gallus*, & ſecundus *Rudgierus* fuit, de *Cluniacenſi* monaſterio cum fratribus recepti

Boleslaus monaſterium ordinis S. Benedicti in Mogilno fundat & ditat.

1065. pti. Fabricauit autem *Boleſlaus Poloniæ* Rex in *Mogilno* Eccleſiam monaſterii, & monaſterium, illamque Beato *Ioanni Baptiſtæ* dedicauit, & murauit in loco horti vnam criptam inferiorem, alteram ſuperiorem.

Marcello I. Epiſc. Poſnanienſi ſucceſſit Theodorus.

Pontificatu *Poſnanienſi* annis decem & ſeptem *Marcellus* primus adminiſtrato, ſcabiem incurrens omnibus Sacramentis deuotè perfunctus moritur. Cui petente *Boleſlao* ſecundo *Poloniæ* Rege à *Nicolao* ſecundo Papa prouiſus, nomine *Theodorus*, genere *Italus*, ſucceſſit.

1066. *Pannonica* victoria ex *Andrea* Rege *Vngariæ* & *Almanis* atque *Bohemis* ſubſidia ſibi tunc ferentibus relata, *Polonicus* exercitus plurimum ditatus, Rex quoque *Boleſlaus Poloniæ* apud vicinas nationes glorificatus eſt, adeò vt prouinciis vicinis eſſet probitas ſua in admirationem & terrorem. Caſus autem aduerſus eo anno ſecutus non mediocrem illi intulit moleſtiam, & proſperos ſucceſſus mœroris caligines obduxit. Germanus enim ſuus Dux *Miecslaus* quem tenerrimo diligebat amore in lectum ægritudinis decidens, vita exceſſit, nullo ſui ſeminis (celibem enim egerat vitam) ſuperſtite relicto, de cuius morte *Boleſlaus* multi doloris oſtendens indicia, vltra quam viro & Regi conueniebat illum viſus eſt luxiſſe.

Miecslaus Boleſlai Regis frater moritur.

Vngaricus inſuper populus ea tempeſtate ſecundam viſus eſt in apoſtaſia diſceſſionem facere à fide chriſtiana, Rege enim *Bela* apud *Albam Regalem* agente conuentum, tanta illuc colonorum & ſeruitiorum confluxit multitudo, vt tam Rex, quam Epiſcopi & Barones trucidationem veriti, in ciuitate ſe recluderent. Creati autem per eos Præfecti, Capitanei, & Præpoſiti, ſpeciem iuſtæ ſeditionis & belli ciuilis effecerant. Horum legati venêre ad *Belam* Regem poſtulantes, *vt Epiſcopis & Presbyteris exterminatis Eccleſiis campiſque comminutis liceret eis ritu vetuſto, & gentili viuere abſque decimarum, quarum eis oneroſam deducebant ſolutionem, redditione.* Conſternatus hac legatione *Bela* Rex, *poſt triduum ſe reſponſurum* ſpopondit, interim Præpoſitis, & Præfectis ruſticorum fidem & religionem chriſtianam blaſphemantibus ac deteſtantibus, gentile vero ritus offerentibus, vniuerſa plebs eis aſſenſa, priſcum ritum & barbarum ſe de cætero ſeruaturum magna cum gratulatione pollicebatur. Rex in tàm periculoſo diſcrimine, & religionem orthodoxam, & ſtatum ſuum, ac Regni, videns verſari, nihil ampliùs cunctandum, ne ſeditio coaleſceret in immenſum, ratus, tertia die, qua daturus erat reſponſum, ſubmiſſis armatis militibus Præpoſitos & Præfectos, cæteroſque illius factionis Principales iuſſit comprehendi, & vario mortis genere excruciatos in conſpectu cæterorum necari. Quo viſo cætera multitudo pauore concepto confeſtim diffugit.

Hungari iterum a vera religione deficere volunt,

ſed Bela Rex primores ipſorū capite plectit, & ita reliquos in ordinem redigit.

1066. In hunc modum orta apoſtaſia, & ſeditio *Belæ* Regis prouiſione & induſtria oppreſſa & extincta eſt.

Cometes ſtella in occidentem facem dirigens apparuit, plura mala, quibus & *Almaniæ* & *Britanniæ* regiones, afflictæ fuerunt, deſignans. In *Britannia* quæ nunc *Anglia* dicitur, Rex *Eraldus* occiditur, & in *Almania* Principes variis cædibus in ſe debachantur.

1067. *Boleslaus II. Rex*

Crebris conſiliiſque Eccleſiaſticorum & ſecularium, *Boleslaus* ſecundus *Poloniæ* Rex ſuperiori tempore & perſuaſionibus, quatenus aliquam illuſtrem virginem ſuo connubio ſociari pateretur, ſolicitatus, tùm quoque non ſollicitari ſolùm ſed vrgeri cœpit, vt legitimò toro initiaretur, ne ſtirps regia ad duos tantum redacta abſumeretur. Exceſſus quoque alterius fratris Ducis *Miecslai* anno transactò ſequutus, & reſidui Ducis *Wladislai* in eam diem cælebs vita, adhæc, & quietum tempus, in quo ſingula in circuitu bella oppreſſa erant, adlegabantur. Rex *Boleslaus* etſi *nondum in eam ſe ætatem pertigiſſe, quæ tædas coniugales magnopere expeteret, ſatis quoque temporis ad onerandum ſe coniugali iugo reſtare, vereri inſuper ne amor futuræ ſponſæ illum acrem, & ad bella gerenda, inferenda, & repellenda ferocem animum efficeret languidum & remiſſum*, reſpondet, ad extremum tamen conſiliis ſuorum cedens, conſenſit ſe matrimonium accepturum. Inquirentibus deinde conſiliariis, quæ fœmina tanto Rege digna eſſet, Principis *Ruſſiæ* filia, & patris ſui vnica, cui magna pars *Ruſſiæ* ex ſucceſſione paterna debebatur, in conſiderationem acceſſit. Hanc *Boleslaus* Rex cæteris, quæ tunc per Conſiliarios vicinorum Regum & principum nominabantur filiabus, reiectis, ſe ducturum conſenſit, quod & pulchritudine, dotibusque animi, & corporis præſtabat cæteris, & quòd *Ruſſiam* iuſtius ſubigeret, de qua inuadenda ſubiiciendaque dudum animum, vt & virtutes auitas æquare poſſet, intenderat. Miſſis itaque ſolennibus procis, præfatam virginem *Wiſzeslauam* in vxorem accipit. Nuptias quoque *Cracouiæ*, pro more regio ſponſa aduecta, celebrat, & per dies plures ludis militaribus, & haſtariis inſtauratis ſolennitatem peragit nuptiarum.

Wiſzeslauã Ruſſiæ Ducisſam vxorem ducit.

Henricus IV. *Romanorum* Rex, *Bertam* hominis priuati *Itali Ottonis* filiam ſibi in vxorem accipiens, nuptias etiam iuxta decentiam Imperialem celebrat apud *Triburias*.

Henricus IV. Imp. Bertam ducit.

Obeunte ſub hoc tempore *Seuero Pragenſi* Epiſcopo, qui ſub omni vita ſua, ex quo fœdam & pernicioſam rem in ſpolium Eccleſiæ *Gneſnenſis* conſentiendo egerat, variis probris, contumeliis, & quod referre pudet, carcere, & compede à Duce *Wratislao* turbatus eſſe, iuſto remuneratore Deo hanc ei pœnam pro ſuis feris factis inferente, non deſtitit. *Conradus* & *Otto* Duces *Bohemiæ*, quibus

Seuero Pragenſi Epiſcopo

Morauiæ

1067. *Morauia Wratiſlao* Duci Principali *Bohemiæ*, & maiore natu concedente ceſſerat, mittunt in *Poloniam* ad germanum ſuum Ducem *Ia-* A *romir*, laici potius quàm ſacerdotis in eam diem, in geſtu, habitu, & moribus perſonam præ ſe ferentis, quatenus relicta *Polonia* ad eos *Morauiam* redeat, conſilio & auxilio eorum ſedem Epiſcopalem Pragenſem adepturus. Qui etſi omnium rerum largitione & abundantia à Rege *Poloniæ Boleſlao* procuratus & magno in honore & charitate habitus, & perpetuus *Poloniæ* ciuis fore in animo deſtinaſſet, cupiditate tamen honoris Pontificalis incenſus, Rege *Poloniæ Boleſlao* adito, & cauſa receſſus patefacta, vt ſe æquo animo redire Bohemiam pateretur, facilè impetra- B uit. Non ſolùm enim Rex licentiam abeundi dedit, ſed pecunias, equos, veſtes, cæteramque ſuppellectilem, quo inſigniter, & non exulis in morem ad ſuos rediret, munificè præſtitit. Quo ad fratres *Conradum* & *Ottonem* in *Morauiam* proueniente, nunciatum eſt Ducem *Bohemiæ Wratiſlaum* in Epiſcopum *Pragenſem*, curiæ ſuæ Presbyterum, *Luckonem* nomine, *Saxonem* genere, literis & induſtria pollentem ſubſtituiſſe. Quare *Iaromirus* vehementer afflictus extemplò in *Poloniam* reuerti ſtatuerat, niſi ægre à *Conrado* & *Ottone* fratribus ſubſtitutionem *Luckonis* ſe reſcindere promittentibus fuiſſet retentus.

ſuccedit Lucko:

& Paſchali Plocenſi Marcus.

Obeunte *Paſchali Plocenſi* Epiſcopo ex inteſtinorum dolore frequenti torto, & regimi- C ne Eccleſiæ *Plocenſi*, 26. annis adminiſtrato, *Marcus*, natione *Lucenſis*, ab *Alexandro* II. Papa prouiſus, *Boleſlao* II. *Polonorum* Rege petente, ſuccedit.

1068. Tacita forſan poſſet quiſpiam mortalium hæc noſtra ſcripta legentium ambiguitate pulſari, an *Boleſlaus Poloniæ* Rex in *Iaromirum Bohemiæ* Ducem, & ſæpe numero ſuum, & Regni ſui infeſtum, ſaltem in progenitoribus hoſtem, & calamitoſum, & exulem, & quod cætera ſuperauerat, ſui ordinis apoſtatam & deſertorem, potuerit eſſe tàm beneficus & liberalis, vt præfatus *Iaromir* exilium *Polonicum* libertati *Bohemicæ* anteponeret: ve- D rùm ſi Regis *Boleſlai Poloniæ* plurimorum literis prodita vulgataque attendatur prodiga liberalitas, facile hæc & quæcunque alia magis difficilis & nodoſa ambiguitas poterit abſolui. Ipſe namque inter omnes Reges & Principes *Poloniæ* ea gloria liberalitatis effulſit, vt neminem ad ſe ciuem, vel externum venientem ſine munere dimiſerit. In honorandis tamen externis militibus, qui ad vulgatam famam eius nominis militiæ, & cauſa viſendi varios Principatus & Regna, ad dominia illius redibant, erat effuſior, propter quod multorum virorum, & militum illuſtrium ad curiam ſuam affatim aduenientium fiebat concurſus, cui naturalis inſtinctus tàm vaſtum, & patentem, ad largiendum animum for-

Boleſlai liberalitas laudatur,

mauerat, vt omnes voluptates, fortunas, felicitatesque & virtutes ſuas in liberalitate numeraret, extremi ingenii, & obſcuræ, ruſticanæque, ac miſerabilis ſortis Principem eum appellans, quem hac virtute carere contigiſſet. Cuius vt ipſa liberalitas fiat notior, vnum ea tempeſtate, eoque anno geſtum, memoriæ cauſa, ſubiiciemus exemplum. Cùm in *Cracouia* regia vrbe *Boleſlaus* Rex in aula ſua conſiſteret, & variarum prouinciarum, quæ ſuo parebant imperio, Præfecti, aut eorum Legati iuxta tempus conſtitutum tributorum, & redituum regalium varias argenti & auri ſpecies, vaſa quoque & clenodia ex his in vſum & pompam regiam, & in largitionem hoſpitum fabrefacta, item gemmas & lapides, diuerſos præferentes vniones, item aliud aurum & argentum denariatum in Regis conſpectu effunderent, Clericus quidam humilis ſortis, admirationis & curioſitatis gratia, aulam argento, auro, gemmis, & pecunia refertam ingreſſus, quantitatem opum regiarum, & ſuæ conditionis tenuem & vilem ſortem, tàm frequenti ſubmurmuratione, & ſuſpiriis ab imo pectore amiſſis cœpit ingemiſcere, vt querelæ quoque eius & murmur a Rege fuerit exauditum. In hunc quoque Rex liberalior, quàm vtrique conueniebat, eſſe volens. *Deſine*, inquit, *fundere in noſtri præſentia ſuſpiria, deſine ingeminare querelas, triſtitia quoque ſepoſita, vtere hac die liberalitate noſtra, & pecuniæ, quantumcunque ferre poteris, tolle ſummam, pauperiem tuam noſtro dono excluſurus.* Qui mox chlamide qua veſtitus erat diffuſè ſtrata, altiùs, quàm ſuis conueniebat viribus, onus tollere aggreſſus, tanta mole amictum ex humeris pendentem de metallo impleuit, vt mole ipſa preſſus, paululum ſpatii conficiens, & pondus cupiditate doni incenſus non remittens, fracta ceruice expiraret, plus ferens, impellente auaritia metalli, quàm quod ſuis viribus potuiſſet moderari. Cuius morte Regi *Boleſlao* nunciata, neque pecuniam in regium ærarium inferri, neque cadauer Clerici inter cætera fidelium corpora humare permiſit, ſed vtrumque in profundo *Viſlæ* fluminis gurgite demergi mandauit, indignè decernens & eam pecuniam vſui humano fore quæ hominem peremiſſet, & eum hominem cæterorum cineribus iungi, qui pecuniæ ardore periculum mortis ipſe ſibi conſciuiſſet, hominis miſeri cupiditatem etiam poſt fata puniens, quatenus cadauer illius piſcium eſca fieret, & metallum, cuius occaſione Clericus mortem ſibi conſciuerat, ab hominum vſu perpetuò interiret. 1068.

Cracouia eiusque exemplum narratur

Dux *Bohemiæ Wratiſlaus* & duorum germanorum *Conradi* & *Ottonis*, & omnium ferè Baronum crebris monitis & precibus, expugnatus variare de *Luckone* ſententiam, & *Iaromirum* fratrem in *Pragenſem* Epiſcopum promouere coactus eſt. Qui ab Hen-

Wratiſlaus Luckone repulſo Iaromirum fratrem Pragenſem Epiſc. creat,

1068. *Henrico* Imperatore de *Pragenſi* Eccleſia inueſtitus à *Gelbardo Moguntinenſi* Archiepiſcopo, & conſecrationem & nominis A mutationem, qui eum *Gelbardum* ſui nominis æquiuoco vocari voluit, in *Moguntino* accepit.

Henricus Romanorum Rex adoleſcentiam ſuam per licentiæ campos vagari permittens, luſibus, venationibus, & aliis tantummodò voluptatibus operam dabat, propter quod res imperii plurimum fluctuare cœperunt, & *Henricus* ipſe multos ſibi hoſtes, & inſidiatores conflauerat.

1069. *Boleslai Regi naſcitur filius Miecslaus.* Vniuerſis *Polonorum* Proceribus, & Primoribus Regni de ſuorum Principum orbitate, ſterilitateque ſollicitis, *Wiſeslawa* Regina *Poloniæ Boleslai* Regis coniunx vterum nunciatur impleuiſſe. Qua nouitate & Rex & Proceres exhilarati, non ſine animorum inter ſpem & metum colluctatione futuri partus euentum ambigui operiebantur. Regina interim variis votis, quatenus & virilem fœtum & incolumem illi edere contingeret, propitiationem diuinam præueniens, conceptu materno filium *Cracouiæ* 11. Aprilis effudit. Qui in Eccleſia *Cracouienſi* à *Zula* ſeu *Lamperto Cracouienſi* Epiſcopo aqua baptiſmatis ablatus *Miecslaus* auitum nomen, Patre Rege *Boleslao* id ei nomen & in auitam & in fraternam, qui nuper exceſſerat, memoriam adoptante, accepit, plures dies in ludis & ſpectaculis ab his qui inuitati confluxerant, abſumpti ſunt. Rex quoque *Boleslaus* nouæ prolis dono exultans effuſas, & ipſe in quoslibet inuitatos donorum ſuorum fecit diſtributiones, tàm perfunctoriam opum regiarum, quæ dietim congerebantur ratus gloriam, vt præter dandi facultatem, nihil illi iocunditatis aut dulcedinis ineſſe aſſereret.

Excepit ſub eodem tempore Regem *Boleslaum* moleſtus caſus, affinis enim ſuus Rex *Bela Hungariæ Rex* *Vngariæ Bela*, dùm ex omni parte pacificato Regno ſecurus & felix conſiſteret, & Regnum *Vngariæ* ſingulari prudentia & induſtria adminiſtraret, inopinato euentu, vsque ad internecionem obrutus eſt. Dùm ſiquidem in *caſu ædium oppreſſus* quodam villagio regali *Gimel* appellato moraretur, ædes quas inhabitabat a ventorum turbine concuſſæ corruerunt, & Regem *Belam* ruina ſua lethaliter oppreſſerunt. Qui etſi imminens mortis periculum ſe euaſurum credens, ex *Gimel* ad riuulum *Kiniſna* quædam negotia regia expediturus ſe duci in lectica ordinaſſet, illuc tamen perueniens fortius cœpit languore premi, qui cum à medicis inhiberi non poſſet, Rex dolore continuo ingra- *& mortuus eſt.* ueſcente extinctus eſt, corpus in locum qui dicitur *Zakſzad* delatum, in monaſterio S. Saluatoris, quod ipſe viuens fabricauerat, cum honore debito ſepulchro traditum eſt.

1070. *Expeditio Boleslai in Ruſſiam.* Affinis ſui *Belæ Vngariæ* Regis, *Boleslaus* Rex mœroris aculeis ex obitu Regis cauſatis necdum hebetatis, animum tamen ad bellum *Ruſſiæ* Principibus inferendum, & ad recuperandam vniuerſam *Ruſſiam* armis quondam *Boleslai* primi *Polonorum* Regis proaui ſui ſubactam, intendit. Primo quoque ætatis tempore omnes milites in armis eſſe, & in expeditionem *Ruthenicam* copias ex vniuerſo Regno, tam equitum, quàm peditum iubet conuenire, ſub ſpecie quidem, quaſi fratrem *Zaslaum* Ducem *Kiouienſem* in Principatum reſtituturus, reuera verò *Ruſſiam* ſibi & Regno *Poloniæ* ſubiecturus. Omnia verò quæ ad futurum belli apparatum nouerat neceſſaria, & per ſeipſum, & per Præfectos, præſertim verò per *Wſzeborium* Principem B militiæ maxima prouidebat cura, magnam pecuniæ quantitatem inter milites equeſtris & pedeſtris ordinis, quo alacrioribus promptioribusque animis in expeditionem irent, partitus eſt. Æſtuabat ſiquidem ferocis pectoris vir proaui ſui *Boleslai* primi *Polonorum* Regis famam & gloriam, in eam vsque diem crebris hominum ſermonibus celebratam, aut tranſcendere, aut ſi minus proueniret æquare, & *Gades* veteres per proauum ſuum inſluminibus *ZVLA* & *Dniepr*, per columnas conſtitutas Regno ſuo adiicere, & innouare. Stomachabatur inſuper omnes terrarum *Ruſſiæ* tractatus, ad eum belli & materno iure deuolutos per *Ruſſiæ* Principes poſſeſſos, & contra ius faſque patre ſuo *Cazimiro* Rege, C vel conſentiente, vel diſſimulante occupatos eſſe, de quorum reſtitutione crebro à *Boleslao* moniti reſpondebant ſe nullatenus illos reddituros. Frequentibus itaque copiis ex omni Regno ad Regem congregatis, aduocata militum multitudine priusquam in hoſtilem agrum ducere pergeret, ita apud illos diſſeruit. *Ea inquit, maiorum noſtrorum erat virtus, ea probitas, is animus, vt quam plurimas vicinas prouincias Regno Poloniæ fecerint tributarias & ſubiectas, fluminaque Sala, Oſſa & ZVLA, fixis etiam gurgitibus eorum columnis, terminos Regni ſui conſtituerent. Nunc ad quam anguſtam ſedem ex colliſione ciuili redacti ſumus, videmus cùm & ipſa Ruſ-* D *ſia & gentium iure & belli, ditionis noſtræ exiſtens, cuius me materno & auito titulo amplior contigit portio, Imperium noſtrum detractat. Eius itaque rebellionem oppreſſurus, & arma ipſe indui, & vos in armis eſſe iuſſi. Magno itaque præſens capeſſite bellum animo, non prius coniuges & liberos, ipſamque quam nunc linquimus patriam noſtram communem, quam Ruſſia ſubacta fuerit, viſuri.* Hæc Regis oratio cum ingenti militum alacritate & aſſenſu excepta eſſet, altero die triplici agmine *Ruſſiam*, habens in comitatu ſuo *Zaslaum Kiouienſem* Ducem & filios eius, ingreſſus eſt, & pluribus quidem diebus, ordinatis

aciebus

1070. aciebus, præcedebat gradum promouendo, & cohibendo milites à populatione illos in caſtris continuit, exiſtimans *Ruſſiæ* Principes, iuſta A acie ſecum congreſſuros. Præerat autem ſummæ rerum in *Polonorum* exercitu *Wſzeborius* Comes, dudum à *Boleſlao Poloniæ* Rege Princeps militum conſtitutus, in quem Rex *Boleſlaus* velut militaris diſciplinæ peritum, magnam partem curarum cogitationumque ſuarum verteret. Congeſſerat autem *Wiſſeſlaus Polocenſis* Dux, & qui *Zaslaum* ex *Kiow* depulerat, haud contemnendum exercitum ex *Ruthenis Pieczyniegys*, & *Wallachis* cum *Boleslao Polonorum* Rege decertaturus, verum dùm *Boleslao* Regi prohibiturus ſuum ad *Ruſſiæ* interiora ingreſſum circa *Bialogrod* occurriſſet, viſa *Boleſlai Polonorum* Regis potentia, concidit cor eius, & non auſus confligere B cum *Boleſlao* & *Polonorum* exercitu, videbat enim ſe multo viribus inferiorem, ignorantibus ſuis deſerto exercitu, paucis conſciis, & ſe ſequentibus diffugit in *Polocko*, ſed & exercitus ſuus fuga Ducis conſternatus, & perculſus in varia loca abiit. Ab exploratoribus autem *Boleslaus Polonorum* Rex certior factus *Ruthenos*, & cæteros hoſtes ad tuendas munitiones dilapſos eſſe gradum vlterius promouebat. Interim miſerunt *Ruthenorum* Primores *Kiouienſes*, ad *Suantoslaum* & *Wſzeuolodum* Duces in *Czernieiow*, Legatos dicentes: *Etſi iniquè egerimus pellendo Ducem noſtrum Zaslaum ex Kiouia: vos tamen venite, & defendite caſtrum Kiow à Polonis &* C *Rege eorum Boleslao, quoniam exercitus ſuus multus eſt, & fortis nimis, cui nos reſiſtere nequimus, quod ſi facere contemnitis, caſtrum Kiow à Polonis & Rege eorum Boleslao occupatum, antequam in Polonorum ditionem concedat, igne comburemus, ſoli verò cum fortunis pignoribus & familiis noſtris trans mare in Græciam migrabimus, iugulum irato hoſti ſubducturi.* Accipiunt autem *Kiouienſes* à Ducibus *Suantoslao* & *Wſzeuolodo*, reſponſum benignum, *nuncios ſe ad Zaslaum Ducem miſſuros rogaturosque, vt ſe, & Polonicum exercitum ab hoſtilitate contineat, pacificusque ad illos ſua omnia rehabiturus introeat. Quod ſi nolit, ſpondent ſe cum* D *potentiis ſuis illi occurſuros, prohibiturosque, ne principalis arx eorum Kiouienſis, & populus occupetur à Polonis & eorum Rege.* Quibus verbis *Kiouienſes* confirmati, voluntate comburendi caſtri omiſſa ſubſiſtunt. Nuncii vero ad *Zaslaum* Ducem extemplò expediuntur, qui cùm illum à *Kiow* haud longe acceſſiſſent, verba apud illum & *Boleslaum Poloniæ* Regem in hunc modum Ducum *Suantoslai*, & *Wſzeuolodi* nominibus faciunt. *In caſſum inquiunt, tàm fortiſſimum exercitum, in tam remota terrarum ſpacia produxiſti, fruſtra duriſſimos impendis conatus, cùm videas Wiſſeslaum Polocenſem Ducem hoſtem tuum, & omnes aduerſarios contabuiſſe. Omiſſis itaq; Polonis quietam ſedem tuam Kiouienſem, non* 1070. *eſt enim qui aduerſeretur tibi, repete, & Polonorum gentem duram à noſtra Ruſſiæ terrarum vexatione auerte. Quod ſi te aliquis furor ad vlciſcendum acceptam à Kiouienſibus iniuriam exagitat, ipſemet potius vltionem & in Kiouienſes, & in arcem, ſine ferro, ſine igne liber, dummodo Poloni in nos & gentem noſtram non debachantur, exerce.* Qua legatione accepta *Boleslaus Poloniæ* Rex cum *Zaslao* Duce & expeditioribus militibus, parte copiarum cum impedimentis relicta, ſe tamen ſubſequi iuſſa verſus *Kiow* celeriori gradu procedunt. Dolum autem & fraudem in verbis Legatorum veriti, *Mſcislaus* filius *Zaslai* in *Kiow* cum nonnullis *Polonis* & *Ruſſiæ* militibus præmittitur, an quietiores apud *Kiouienſes* eſſent, & an inſidiis & fraudibus *Kiouienſes* vti poſſent, exploraturus, atque prouiſurus. Qui illuc pertingens, ſeditionis autores & capita numero 70. partim excæcat, partim trucidat, & ſæuam vltionem, delendo etiam eos qui habebantur inſontes, exercet. Renunciante autem *Mſcislao* omnia ſecura & quieta apud *Kiouienſes* eſſe, *Boleslaus* Rex cum *Zaslao* Duce aduenit, & à *Kiouienſibus* obuiam illi ad ſeptimum lapidem primum occurſum, deinde ampliſſimis muneribus exceptus eſt. Secunda autem die Maii, *Boleslaus* Rex *Kiouiam* ingreſſus, omne æſtatis, autumni, & hiemis tempus illuc cum vniuerſo exercitu ſuo deduxit. Hibernabant autem *Polonorum* milites in oppidis & villis *Zaslao* Duce ſingulis tàm veſtimenta, quàm victualia prouidente. Iuit autem *Zaslaus Kiouienſis* Dux cum *Polonorum* ac *Ruthenorum* militibus, *Boleslao Polonorum* Rege in *Kiow* remanente, contra *Wiſſeslaum* Ducem in *Polocko*, qui potentiam ſuam & *Polonorum* veritus, diffugit. *Zaslaus* verò Arce *Polocenſi* & regione in ſuam ditionem redacta, locat illic filium ſuum *Mſcislaum*, qui dùm infra dies paucos abſumptus eſſet, alterum filium *Suantopelkonem* in locum eius ſubſtituens, *Kiouiam* regreditur.

Salomon Vngarorum Rex patrui ſui Regis *Belæ* audita morte, magnis ſtudiis, & precibus auunculum ſuum Imperatorem *Henricum* deprecatur, *quatenus ſe in Vngariæ Regnum Bela Rege orbatum, & vacuum reſtituat.* Imperator autem & genero & filiæ volens efficere profectum eo quidem anno, cùm iam è vicino hiems aduentaret, ferre illi ſubſidia diſtulit, futura autem æſtate ſe cum eo perſonaliter iturum, & Regnum *Vngariæ* reſtituturum repromiſit. Quapropter ſuæ ditionis militibus expeditionem huiusmodi inſinuans arma illos expedire, & primo veris tempore *Vngariam* ſecum proficiſci mandauit.

Hibernali tempore in *Kiouia* exacto, 1071.
Boleslaus Poloniæ Rex maturè ex hibernis *Boleslaus*
feſtinauit egredi, cùm iam tempus *Rex*

ap-

1071. appelleret, quo res geri poſſent. Maximis autem & ampliſſimis muneribus, tàm ipſe, quàm milites ſui à *Zaslao* honorati verſus *Premyſliam* procedit & quaſdam munitiones, & oppida circa *San* fluuium conſiſtentia, partim voluntaria deditione, partim metu aut vi recepit. Certior deinde factus *Premyſliam* oppidum multorum *Ruthenorum* receptaculum eſſe, qui illic res & fortunas ſuas ex munitionibus, & ruſticis ædibus, velut in locum tutiorem, & præſidio valido munitum contulerant, omnibus id aggredi copiis conſtituit. Erat eo tempore vrbs valida, & multitudine ciuium aduenarum, qui in ipſam confugerant, & omni bellico apparatu inſtructa, foſſis quoque profundis & aggeribus, in altum porrectis, amne quoque *San*, qui vrbem à parte ſeptentrionali præterfluit, munita, admouere copias ad vrbem Boleslao Regi paranti, amnis ipſe *San* imbribus plus ſolito auctus intumeſcens, aliquanto tempore obſtitit. Quo tandem decreſcente omnes copias per fluuium, *Ruthenis* ne quicquam ripas defendentibus, traduxit. Caſtraque non plus mille paſſibus ab vrbe poſuit, inde per occaſionem nunc hac parte, nunc altera milites in hoſtium agros mittebat, præcipiens, *vt quam longiſſimè à caſtris præcederent, inopinatosque hoſtes opprimerent.* Quare hoſtes vndique territi, in ſiluas paludesque & in inuia loca diffugiebant, plerique nec iam egredi extra munimenta caſtellorum, & munitionum ad laceſſenda alia caſtra audebant, pecoris præterea, & frumenti, aliorumque commeatuum magna vis excepta, & intra caſtra regia deducta, magnam omnium victualium abundantiàm in regio exercitu effecerant. Leuia deinde prælia ſine vllo ſatis certo euentu per dies plures inter obſidentes & obſeſſos commiſſa ſunt, vno tamen die erumpentibus maiore caterua ex vrbe *Ruthenis*, & vsque ad ſtatiua regia diſcurrentibus, prope iuſta pugna fuit, adeoque *Rutheni* pauentes in vrbem refugiebant, admodum deuicti, vt in tergis eorum plerique *Poloni* hæſerint, nonnullosque ceperint, aut armis exuerint, excurſionibus hoſtilibus prohibitis, caſtra Rex propius vrbem admouit, & oppidum circumdari a tribus partibus, à quarta enim parte arce tutabatur, diſpoſuit, deinde tribus diebus vrbem ſine intermiſſione oppugnat, in pleriſque locis hoſtes ex ſtationibus per tela & ſagittas ſummouit, & exturbauit, partimque vrbis ad plana camporum ſpectantem defenſoribus nudatam, in ſuam redegit poteſtatem.

Premiſliam vrbem

Quarta die *Ruthenis* in arcem confugientibus vrbe potitur, cuius omnis præda militi conceſſa eſt, ſpatio deinde quietis militibus conceſſo, ſub quo ſaucii ad mœnia expugnatæ vrbis curari poſſent, arcem vallari, & corona cingi iubet. Quam cum enixius *Rutheni* tuerentur, oppugnationem tamen illius quamuis ſibi difficilem cùm & natura loci, & turribus frequentibus egregiè munita fuerit, non remiſit, vniuerſumque æſtatis tempus in arcis prædictæ obſidione abſumpſit, ratus, quod euenit, *Ruthenos* ad deditionem poſſe famis tædio compelli, magna ſiquidem multitudo *Ruthenorum* cum coniugibus & pignoribus vrbe deſerta in arcem confugiens, intolerabili fame, aquæ præſertim penuria dietim tabeſcens, cuius hauſtus moderatus ægrè arcis defenſores ſuſtinebat, nullas enim arx in ſublimi poſita perennes tunc habebat aquas, triſte ſuis ſpectaculum cadente in dies multitudine efficiebat. Huius quoque peſtis contagionem præſides arcis, & milites *Ruthenorum* veriti ad ſe peruenturam, creſcente deſperatione caduceatorem ad Regem *Boleslaum* mittunt, vt eis inde cum ſingulis equis & rebus abire liceret, paciſcuntur, *Boleslaoque* Regi die, quo inter eos conuenerat, arcem tradunt. *Boleslaus* autem Rex arce potitus, mœnia, turres, cæteraque loca *Pramisliæ* vrbis ſua impugnatione debilitata, aut diruta, ordinat, fortius refici, & inſtaurari, militibusque ad hibernandum in vrbem deductis, ipſe cum prioribus Procerum & Baronum in arcem ſe recepit.

& arcem capit.

HENRICVS Imperator promiſſis *Salomoni Vngariæ* Regi genero ſuo ſatisfacturus, cum valido exercitu *Italorum* & *Almanorum* cæterarumque nationum in *Vngariam* à parte, quæ *Auſtriam* recipit, intrauit, ducens ſecum præfatum *Salomonem Vngariæ* Regem. Cuius aduentu *Vngari* comperto, vt eſt gens in fide ſuorum Principum mutabilis & fluxa, *Geiſa* Duce & fratribus eius, *Wladislao* & *Lamperto* filiis *Belæ* Regis, quibus in eam diem debitam obedientiam & ſubiectionem exhibuerant, deſertis, certatim ad *Salomonem* deficiebant. Dux itaque *Geiſa Vngarorum* deſertum ſe ab *Vngaris*, & opprimendum à potentia Imperatoris animaduertens, communicato cum fratribus conſilio cedendum imminenti tempeſtati, & meliori tempori ſe reſeruandum decreuit. Itaque duobus germanis *Wladislao* & *Lamperto*, & paucis quibuſdam *Vngaris*, qui nullo pacto ab illius fide abſtrahi poterant, aſſumptis, in *Poloniam* ad fratres ſuos *Boleslaum* Regem, & *Wladislaum* Ducem *Poloniæ*, tutum illic non dubitans ſibi & ſuis fore in rebus dubiis receptaculum, diuertit. A Duce autem *Wladislao*, & genetrice eorum *Dobrognieva* Regina benignè excepti & appellati. Cum tunc *Boleslaus* Rex bello *Ruthenico* occupatus eſſet, omnibus debitis vitæ neceſſariis abundè tractabantur. Imperator itaque *Henricus* Duces *Vngariæ* intelligens diffugiſſe, ad *Albam Regalem Salomonem* perduxit, apud *Vngarorum* quoque Pontifices & Barones, cæteramque multitudinem, quæ illuc confluxerat, concionatus, ſæpè vanam fidem *Vngarorum* carpens, *Salomonem Vngaris*, & *Vn-*

Henricus Imp.

expulſis Geiſa & fratribus

Salomonem

ga-

1071. *Vngariæ regno reſtituit.*

garos *Salomoni* iuriſiurandi pactione interpoſita conciliauit. Ne quoque prior ſua coronatio in dubium reuocari poſſet, ipſum A in Regem in ſui præſentia coronari ordinauit, abindeque pluribus donis à *Salomone* honoratus in *Almaniam* rediit. Dux autem *Geiſa* aliquandiu *Cracouiæ* moratus, dùm perſenſiſſet *Boleslaum Poloniæ* Regem non facile in *Poloniam* reuerſurum, ad eum ſe contulit, & ipſum in *Præmislia* hibernantem offendens, vt ſibi & fratribus ſuis armis & potentia Imperatoris ex *Vngaria* pulſis, opem ferre non differat, precatur & orat. Cui Rex bonum animum habere iuſſo, eum apud ſe aliquanto tempore fauorabiliter honoratum, & tractatum detinuit, deliberans, an *Ruthenico* bello inſiſtendum eſſet, an eo dilato, *Vngariæ* Ducibus auxilium B ferendum.

Lampertus Epiſc. Cracouienſis moritur,

Lampertus alias *Zula Cracouienſis* Antiſtes cum decennio *Cracouienſem* Eccleſiam rexiſſet, vigeſima quinta die Nouembris mortuus in Eccleſia *Cracouienſi* accepit ſepulturam. Hunc ad deuotam petitionem *Nicolai* de *Mikolaiow* filii *Wſczeklych*, cornu pro armis: *Stanislai* & *Bugufii* de *Zemlice*, caput aſininum: *Petri* & *Jacobi* de *Zbilutowice*, clypeum in clypeo: *Mſcugii* & *Ioannis* de *Iakuſowice*, babatum cum cruce: pro inſigniis deferentium, Eccleſiam Parochialem in minori *Kazimierza* reperio fundaſſe, & certas decimas manipulares adiunxiſſe. In fundationis quoque priuilegio anno Domini 1063. in *Dzierzazna* ſcripto & confecto, cuius memini me legiſſe tenorem, Beatum *Stanislaum* tunc *Cracouienſem* Canonicum, pro primo & principali cum aliis *Cracouienſis*, & *Wratislauienſibus* Canonicis teſtem ſcripſiſſe. Iſte *Zula* fuit vir facetus & liberalis, complexionis ſanguineæ & pro vitæ ſuæ integritate meruit apud Clerum & populum Regni *Poloniæ*, & celebrem memoriam, & ad gradum Pontificalis dignitatis, per conformem electionem aſcenſum. Huic, vnanimi conſenſu Capituli accedente, *S. Stanislaus* Canonicus *Cracouienſis* ſucceſſit.

cui ſuccedit Stanislaus.

1072. *Boleslaus Rex* ...

Bellis duobus, *Ruthenico* videlicet & *Pannonico* illato, & inferendo *Boleslaum Poloniæ* Regem diſtinentibus, quid horum mallet, ad quodue ſe verteret, tacitus ſecum, deinde & in frequenti ſuorum conſilio diſcurrebat, nam neque bellum *Ruthenicum*, & *Zaslai* Ducis *Kiouienſis* in ſedem ſuam reſtitutionem ſecundis auſpiciis hactenus inchoatum & geſtum volebat omittere, neque fratribus ſuis *Geiſæ*, *Wladislao*, & *Lamperto*, omnes ſpes ſuas in ſuo ſuffragio reponentibus, deeſſe. Et quamuis omnium Conſiliariorum *Poloniæ* ſententiæ *Ruthenicum* bellum proſequendum, & à *Pannonico* interim abſtinendum, propriaſque curas potius curandas, quàm alienas, cenſerent, *Boleslaus* tamen turpè ratus fratres ſuos Duces *Vngariæ* in tam periculoſo diſcrimine deſerere, *Ruthenica* expeditione omiſſa, valido præſidio arci & ciuitati *Præmislienſi* impoſito, ad inferendum bellum *Salomoni Vngariæ* Regi cum Ducibus *Geiſa*, *Wladislao* & *Lamperto* & cum propriis militibus pronunciat ſe iturum. Delecta itaque expeditorum militum manu, nouis quoque militibus in horum, quos in *Præmislienſi* præſidio reliquerat ſupplementum, ex *Polonia* accerſitis, fratres ſuos *Geiſam*, *Wladislaum*, & *Lampertum* in *Vngariam* reducit, quæuis extrema pro illis tàm cum *Salomone*, quàm cum alio quolibet eorum hoſte experturus. Neque deerant *Vngarorum* Proceres, quorum iam dominationis *Salomonis* pertæſum erat, qui *Salomone* relicto ad *Geiſam*, *Wladislaum* & *Lampertum* transfugerant. *Salomon* itaque externis *Almanorum* ſubſidiis deſtitutus, cum *Vngarorum* fidem huc illucque labentem probe noſſet, veritus ne à *Polonico* agmine & fratribus interceptus necaretur, præſertim cùm illos iam ſtatiua propè *Budam* ſentiret locaſſe, ex *Buda* fugiens in caſtrum *Muſzur*, arte & natura munitiſſimum ſe recepit. Diu *Boleslaus* Rex & Duces quid agendum eſſet, ventilabant, cum & conquiſitio caſtri, in quod ſe *Salomon* Rex condiderat, eſſet periculoſa & difficilis, & agrorum agreſtiumque nihil reliquerat va- C ſtatio pluſquam triſtis. Interim Pontifices *Vngariæ*, quibus bellum ciuile formidoloſum, & deteſtabile videbatur, ad caſtra Regis & Ducum pacem inter *Salomonem* Regem & *Geiſam*, *Wladislaum* & *Lampertum* Duces, æquis conditionibus compoſituri ſuperueniunt. Quibus in conſilium admiſſis, multis inſtantiis *Geiſam* & fratres ſuos deprecantur, *ne communem patriam, in qua maiores eorum regnauerant, in qua quoque & ipſi eſſent regnaturi, mutuis colliſionibus ſubiicerent, vaſtitati & ruinæ, occupandamque barbaris præberent.* Orant & Boleslaum Regem Poloniæ, *vt Duces fratres ſuos ad capeſ-* D *ſendas æquas pacis conditiones pelliceat.* Et cum à Rege & Ducibus reſponſum eſſet, *pro pace communi nullas ſe conditiones honeſtas, recuſaturos, ſed in Pontificum poteſtate futuros.* Rex enim Poloniæ redire ad bellum *Ruthenorum* magnopere ſatagens *Vngaricum* bellum, aut ſufferentiis ſuſpendi, aut pace componi æſtuabat. Itum extemplo in *Muſzur* eſt, & ſub his conditionibus pax ex vtraque parte conuenta, *vt Salomon quamuis & æquis conatu iunior regio fungatur diademate, titulo ditionibus & honore, & duas partes Pannonici Regni in ſua ditione habeat: Geiſa, Wladislaus & Lampertus, Ducalem honorem, & tertiam Regni partem poſſideant, Boleslaus Polonorum Rex, & ſuus* exer-

1072. *Geiſam & fratres in regnum Vngariæ reſtituturus cum copiis in Hungariam inuadit,*

cum Salomone pacem facit.

1072. *exercitus de communi vtrorumque ærario muneratus abſcedat.* In hunc modum pace compoſita, in qua componenda æſtas integra exacta eſt, *Boleſlaus* cum magna gloria, & vtriuſque partis fauore, neque enim eo abnuente pax componi potuiſſet, in *Præmisliam* rediit, illicque hibernauit: *Geiſa, Wladislaus* & *Lampertus*, in *Quinque Eccleſiis* coram magna *Vngarorum* multitudine *Salomoni* impoſuerunt diadema.

Variæ inter Ruſſiæ Duces turbæ.

Leui ex cauſa inter *Suantoſlaum* & *Wſzeuoldum* Duces *Czernicioujenſes* ab una, & *Zaslaum* Ducem *Kiouienſem* ab altera partibus pro finibus terrarum, & ſpoliis vtrinque ſequutis contentio exorta, etiam illos in arma exciuit. Congregatis itaque exercitibus, *Suantoſlaus* & *Wſzeuoldus Czernicioujenſes* Duces, vadunt contra *Zaslaum Kiouienſem* Ducem. Verùm *Zaslaus* fluxam & fragilem ſuorum militum in ſe fidem perpendens, veritus ne viuus veniret in manus hoſtiles, ex *Kiow* diſcedit. *Suantoſlaus* verò & *Wſzeuoldus* Duces, 22. die menſis Martii *Kiouiam* ingreſſi Principatum occupant, & ſedem *Kiouienſem*, paterna prohibitione temerata, qui ſingulos filios conſtrinxerat, ne alter alterius vſurparet Principatum. *Zaslaus* verò *Kiouienſis* Dux cum vxore & filiis, & pleriſque militibus in *Poloniam* ad *Boleſlaum Poloniæ* Regem aufugit, ducens ſecum aurum, argentum, vaſaque concupiſcibilia, & omnem nobilem ac precioſam ſuppellectilem, quæ omnia aut *Boleſlao Polonorum* Regi donauit, aut inter *Polonorum* milites diſtribuit, ſuppliciter ſe in ſedem ſuam *Kiouienſem*, per *Boleſlaum Polonorum* Regem depoſcens reponi. Decembris 21. *Suantoſlaus Czernicioujenſis* Dux, qui *Kiouienſem* ſedem occupauerat, in *Kiow* moritur, & in *Czerniciow* relatus, in Eccleſia S. Saluatoris ſepelitur. Cui *Wſzeuoldus* frater ſuus in Principatum *Kiouienſem* ſuccedit. Reliquit autem filium vnicum *Gleb*, hic paternum Ducatum, videlicet *Nouogrodek Suantoſlao* obeunte poſſedit.

Ioanni Wratislauienſi Ep. ſuccedit Petrus.

Ioannes Wratislauienſis Epiſcopus cum annis X. cathedræ præſediſſet à calculo correptus, mortuus eſt, & in *Wratislauienſi* Eccleſia ſepultus, *Petrum Wratislauienſem* Scholaſticum habuit ſucceſſorem, & electio ſua quoniam vniformis erat, & illi præſens aderat, à *Petro Gneſnenſi* Archiepiſcopo in *Gneſnenſi* Eccleſia confirmata, & conſecrationis munus fuit illi ab eodem Archiepiſcopo ibidem *Boleſlao Polonorum* Rege, qui electioni aderat conſentiente, impenſum. Nobilis de domo vulpium.

1073. *Boleſlaus Rex Zaslaum Ruſſiæ Ducē reſtituturus*

Ex *Præmislia* valido illic præſidio, vt populares in fide continerentur relicto, *Boleſlaus Polonorum* Rex agminibus ſuorum exercitum eductis, in vlteriores *Ruſſiæ* partes *Zaslaum* Ducem reſtituturus, in ſedem ſuam ire pergit, & itinere, quo verſus *Kiouiam* proceſſiſſe credebatur omiſſo, in terram *Chelmenſem*, quæ prius *Wladimirienſis* vocabatur, nunc vtroque nomine abrogato, *Lucenſis* appellatur, diuertit. 1073. *exercitum in Ruſſiam ducit,* Regio erat in eam diem diues & opulenta, frequentes habens vicos, & oppida, pauca erant munita, facile ſuam expugnationem hoſti præbentia. Pleraque itaque voluntate in deditionem venêre, cætera in quibus præſidia *Ruthenorum* erant, paruo negotio, expugnata. Caſtra regionis erant principalia tria, *Wolyn, Wladimir* & *Chelm*, ſingula tamen ex ligno & trabibus fabrefacta, & in collibus natura ipſa editioribus ſita, hæc magna *Ruthenorum* militum manus tuebatur. Primum itaque *Boleſlaus Polonorum* Rex prædas agere, & nonnullos vicos, & rura incendi iubet, peragrata prædataque regione, cùm plurimum pecoris & ſpolii agreſtium eſſet congeſtum, deduci illud militibus per ſeruos in *Poloniam* Rex permittit, ad caſtrum deinde *Wolhyn* copias admouit, & illud omnibus viribus nocte & interdiu expugnare non deſtitit. *& varia agit.* Verùm dùm à *Ruthenis* caſtrum egregiè defendentibus reſiſteretur, ſpes potiundi caſtri recidebat ſæpius in irritum. Dùm inſuper plerique *Polonorum* milites obſidionem ipſam differendam perſuaderent, nullo pacto perſuaſioni acquieuit, veritus ne caſtro inexpugnato dimiſſo, animi *Ruthenorum* ad faciendam ampliorem reſiſtentiam erigerentur, ſex menſibus in obſidione pertinaciter perſeuerantes, *Ruthenorum*, qui caſtrum tutabantur animi, partim metu, partim ſpe, ex liberalitate, quam nouerant *Boleſlao* ineſſe, franguntur, miſſiſque caduceatoribus, de caſtro cedendo, apud Regem ſermonem faciunt, conditioneſque proponunt, vt ſinguli cum omnibus, quæ ditionis ſuæ eſſent, diſcederent, qui remanere elegiſſent, æquo iure cum *Polonis* in caſtris regiis militarent, Rex inſuper illis duo marcarum millia largiretur. Sub his conditionibus, dùm pax conueniſſet, caſtrum *Wolhyn* Regi deditum. *Boleſlao* autem *Poloniæ* Rege in terra *Wolynenſi* agente, *Wſzeuoldus* Dux decertare cupiens *Ruthenicas* copias illuc adduxerat, ſed *Polonorum* copiis ad liquidum luſtratis manifeſtum periculum, ſi tentaret fortunam, incurſurum ſe videns, retrorſum abiit.

Iaromirus Pragenſis Epiſc.

Iaromirus, alias *Gerhardus Pragenſis* Epiſcopus, moleſtè ferens Epiſcopatum ſuum *Olomonecenſem* diſmembratum eſſe, pro integranda illius vnitate, plures conatus impendit, quos, cùm obſtante *Wratislao* Duce *Bohemiæ*, qui eiuſdem mutilationis, & præfati *Olomonecenſis* Epiſcopi fundationis primarius fuerat inſtitutor, & autor, in irritum iri videret, *Ioannem Olomonecenſem* Epiſcopum clam accedens, pluribus contumeliis, & tandem verberibus per ſeipſum & familiares mulctauit, de qua nouitate *Bohemiæ* Dux *Wratislaus* plurimum conſternatus, querelam ad auditorium *Ioannem Olomonecenſem Ep. contumeliis & verberibus tractans,*

1073. rium Summi Pontificis contra *Iaromirum* *Pragenſem* Epiſcopum, dum primi nuncii vrbem miſſi *Iaromiri* mandato mutilati, A & cæſi in itinere fuiſſent, deduxit. Sceleris magnitudine Papa *Alexander II.* motus, *Rudolphum* Cardinalem ad coërcendam enormitatem ſceleris & transgreſſionis transmiſit. Cui dùm *Iaromirus* obedire, & coram eo citatus comparere contumaciter recuſaret, priuatur Pontificatu etiam diœceſim *Pragenſem* Eccleſiaſtico ſubiicit interdicto, placidius tamen expoſt, ne maiora ſcandala ſuborirentur, agens, & Epiſcopo *Iaromiro* officium Pontificale reſtituit, & interdictum à diœceſi *Pragenſi* tollit, terminum tamen ad comparendum coram Papa *Alexandro* vtrique Epiſcopo deſignat. Quo cùm ambo perue- B nilent, Papa priuationem *Iaromiri* ratam eſſe decreuit. Precibus tandem multifariis Comitiſſæ *Mathildis*, filiæ *Bonifacii* Ducis *Lucenſis* in *Tuſcia*, quæ vniuerſum patrimonium ſuum B. *Petro* perpetuo contulerat & Eccleſiam *Romanam* ab hoſtibus ſtrenuè defendebat expugnatus, omne facinus in ſe, & *Ioannem* Epiſcopum commiſſum condonauit, & *Iaromirum* priſtinæ dignitati reſtituit. Ita tamen quod Eccleſiæ *Olomonecenſis* fundatio de cætero firma & perpetua perſeueret.

A Pontificatu remouetur.

poſt rogatu Mathildis reſtituitur.

1074. *Boleslaus Rex cum Gregorio Wladimiriæ Principe in gratiam rediens*

Primo æſtatis tempore, agmina ſuo- C rum exercituum *Boleslao Poloniæ* Rege ex *Wolyn*, ad conquirendum caſtra duo reſidua, *Wladimiriam* & *Chelm* educere paranti Principis *Wladimiriæ Gregorij*, cuius caſtra ipſa pro ea tempeſtate erant, nuncii adueniunt, hi ad conſilium Regis introducti, petunt, *vt ex terris eorum copias ſuas deducat, terrasque illas vaſtari, & caſtra expugnari non admittat, Principem ſuum Gregorium in poteſtate Regis vna cum cæteris caſtris, & terris futurum, & deditionem facturum, imperanda quæque expleturum* aſſeuerant. Rex *Boleslaus* vt in vlteriora *Ruſſiæ* liberius, celeriusque penetraret, *oblatas pacis conditiones accepturum ſe, ſi obſides darentur*, re- D ſpondit. Quo accepto, & induciis interim firmatis, ad Principem ſuum reuerſi reſponſum exponunt. Graue inprimis & indignum videbatur dare obſides, moleſtius tamen & grauius tecta, & vicos vri. Itaque Princeps ipſe *Gregorius*, & ſui perſonaliter ad Regem *Boleslaum* veniunt, deditioneque facta obſides tradunt, *Boleslaus Gregorium* non ſolum benigne appellatum, ſed etiam liberaliter muneratum domum remittens, agmine citato ad caput & metropolim totius *Ruſſiæ Kiow* ire pergit, non aliter ſe bellum *Ruthenicum* niſi *Kiouia* acquiſita, ratus conſumaturum. Dux *Wſzeuoldus* tunc inter *Ruthenorum* Principes potior, & terrarum multitudine, & militum frequentia habebatur. Is quoque tunc & terram, & ciuitatem *Kiouienſem*, cæterasque vicinas Prouincias, ſub ſua ditione continebat. Qui vt ab exploratoribus, ipſorum more accepit, bellum ſibi à *Boleslao Polonorum* Rege inferri, & in regionem ſuam belli ſedem transferri, omnes ditionis ſuæ homines iubet arma expedire, cæterorumque vicinorum Principum plurima contrahit, conquiritque ſolatia. Multi inſuper voluntarii *Ruthenorum* Proceres & milites, qui ex *Præmislienſi*, *Wolynenſi*, & *Chelmenſi* terris, per *Boleslaum* aut expugnati, aut in fide recepti diffugerant, ſe ſibi coniungentes, exercitum haud ſane contemnendum effecerant. Quorum multitudine & continua acclamatione, vt ex templo ad hoſtem duceret, Dux *Wſzeuoldus* lætior factus, aciebus ordinatis ad caſtra *Boleslai* nouis ſtatiuis, curſu celerrimo profectus peruenit. Altera quoque die ſuos ad pugnam educit. *Boleslaus* Præfectis, Tribunis & Centurionibus, & qui ducebant ordines, ſingulisque militibus conuocatis: *Decernendi*, inquit, *cum hoſte, quod frequentibus votis optaſtis, nunc vobis oblata eſt facultas, virtutem, quam ſermonibus iactabatis, nunc dextris monſtrate, hoſtis ſiquidem & numero & robore ſuperior eſt, omnis ſpes in præſidio cæleſti & virtute reponenda, ſæpe enim hoſtis ipſe à patribus noſtris leui negotio victus fuſusque, & ſubactus eſt, quem & hodierna die magno animo vos firmate fuſurum, maxima præmia victoriæ vrbem opulentiſſimam Kiow, cum finium, quas patres noſtri poſuerant, pulcherrima recuperatione habituri.* Hac cohortatione monitos, & in aciem eductos, pugnam conſeruit. Magna vi ab vtraque parte concurſum eſt, ancipitique marte aliquandiu pugnatum, à dextra parte ægrè *Polonus* reſiſtebat, clamoresque diſſoni, ad incertos ſuorum euentus *fugere hoſtes* proclamantium, à præſenti certamine auertebant animos, turbatisque ordinibus ſuperiores *Rutheni* eſſe cœperunt, niſi *Boleslaus* nouam cohortem laboranti alæ, & propè fugam proſpicienti ſubmiſiſſet. Itaque pugna reſtituta æquis viribus, & propè pari ſpe pugna gerebatur, tandem *Boleslao* Rege fortiorem hoſtium cuneum prorumpente, fuga extemplò *Ruthenorum* ſequuta eſt, fuſosque *Ruthenos* & victos ſequuti, magnum illorum numerum ad caſtra reduxerunt. Dux *Wſzeuoldus* fuga ſaluatus, multi tunc ex *Ruthenis* cecidère. Sed ex *Polonis* propè mille deſiderati ſauciis in quadrigas impoſitis, & his, qui ceciderant, ſepultis, in *Poloniam* ſpolia plurima *Ruthenica* referens, cum victore exercitu *Boleslaus Polonorum* Rex rediit incolumis.

1074.

Wſzewoldum magno certamine vincit.

1074.

S. Stanislaus Ep. Cracouienſis Regem pro adulterio monet,

Commiſſum adulterii & rapinæ facinus, *Stanislaus* Epiſcopus *Cracouienſis*, quod *Boleslaus Poloniæ* Rex in *Criſtina* fœmina militis A *Mſcislaui* conſorte patrauerat, non ferens, dùm Regem paternis monitis corripuiſſet, & extendere in Regem, monita ſalutaria negligentem cenſurarum rigorem decreuiſſet, *Boleslaus* Rex magna percitus ira, pluribus contumeliis & opprobriis Epiſcopum inſectabatur. Verùm inſectari parum contentus ad inferendum Epiſcopo quaslibet aggrauationes, & iniurias animũ intendit. Non facile autem occaſionem, qua viro Dei nocere poſſet, Rex ſcrupuloſa indagine cuncta rimatus, poterat reperire. Vita enim viri Sancti ſincere & innocenter traducta quamlibet calumniam etiam veriſimiliter confictam excludebat. Ad oppreſſionem tandem viri indefeſſo ſtudio Regi anhelanti, modus opportunus oblatus eſt. Coemerat vir Sanctus *Stanislaus* pro ſui Epiſcopatus *Cracouienſis* amplitudine villam in ſua diœceſi, ad fluenta *Visla* in terra *Lublinenſi* ſitam, *Piotrouin* nominatam, apud *Petrum*, qui *Piotrek*, dùm viueret, nominabatur, Nobilem armigerum, pro certa pecuniæ quantitate, venditionique huiusmodi fratres & nepotes, pluresque teſtes vendens & emens adhibuerat, quo ſolidior duraret venditionis contractus. Is foro confecto, & pecunia ad plenum à B. Epiſcopo percepta, triennio, priusquam hæc, quæ narranda ſuſcepimus, gererentur, *Stanislao* Epiſcopo in pacifica poſſeſſione villæ *Piotrouin* notabili parte exiſtente, vita excedens, in Eccleſia Parochiali *S. Thomæ* Apoſtoli, præfata villa *Piotrouin* conſiſtente extiterat tumulatus. Huius nepotes & proximi *Boleslao* Rege mandante, & ſuam illis operam promittente, cœperunt Epiſcopum *Stanislaum* pro villæ propriæ hæreditate *Piotrouin* impetere, aſſerendo hæreditatem ad ſe deuolutam Epiſcopum *Stanislaum* violenter occupaſſe, quo occupationem violentam in regio iudicio negante, & legitimam venditionem & emptionem pro villa homini intereſſe, & *Petrum* mortuum coram teſtibus probatæ fidei celebratam, opponente, decreto iuris deciſorio ex autoritate Regis & Baronum prolato, admittitur *Stanislaus* Epiſcopus velut actor, & diuturnus villæ, pro qua lis pendebat, poſſeſſor ad probandum per teſtes, qui contractui affuerant, legitimam villæ emptionem. Verùm dùm teſtes per Epiſcopum conſcripti & nominati, pro die conſtituta laturi teſtimonium timore *Boleslai* Regis *Poloniæ* conſtricti venire expauiſſent, ſententia quoque peremptoria contra Epiſcopum, vt de villa *Piotrouin* teſtibus deficientibus excederet, inſtaret ferenda, magnus fide *Stanislaus* Epiſcopus, inſpiratione etiam afflatus diuini ſentiens ſe perfuſum: *Video*, inquit, *veritatis, & iuſtitiæ meæ cauſam terreno conſilio, & imperio deprauatam, obnubilatamque, & penè perditam, cæleſti ſuffragio illuſtrari & reparari oportere, & proinde teſtibus veritati & iuſtitiæ meæ ferè teſtimonium detrectantibus, principalem me venditorem Petrum ſtatuere polliceor.*

qui propinquos Piotrik pro Piotrowin villa in eum monet

Stanislaus in defectu teſtium promittit ipſum

1074.

Petrum ſtatuere ante triennium mortuum.

Deliramenta Regi *Boleslao* & Baronibus ſecum iudicio præſidentibus, quæ S. Dei pro releuanda cauſa ſua edixiſſet, viſa ſunt, facilius tamen oblatio ſua quæ Regi & Baronibus impoſſibilior credebat, dum vir Dei infra quatriduum eam expleturam firmaret, accepta & dimiſſa eſt. Iudicium non illius tantummodo Epiſcopalis cauſæ, ſed terreſtre & generale, quod apud *Polonos* colloquii & magnorum terminorum nomine, quadam vſurpatione nuncupatur, in pratis, quæ inter *Solec* & *Piotrouin* in baſſis, & paludinoſis locis, ſiluis etiam obſitis, ſita erant, gerebatur; Mos ſiquidem antiquorum Regum & Ducum in multas æta- B tes obſeruatus erat, generalia iudicia in planiciebus & campeſtribus, pratis, & aquis, quo facilior cuilibet venienti in iudicium, quod non diebus ſolum, ſed aliquod hebdomadis agebatur, præberetur pabulatio, celebrandi. Is iam dudum abrogatus eſt, iudiciaque ipſa in caſtris aut vrbibus non papilionibus, vt olim expediuntur, *Polonis* cultiores, quam nunc eorum maiores habebant, mores & ingenia ſortitis. *Stanislaus* Epiſcopus oblationis ſuæ, ſiue decreto accepto in villam ſuam *Piotrouin*, quæ duodecim paſſibus à loco iudicii vix aberat, ſecedens, omnibus Clericis, qui aderant, & quos feſtinatio rei accerſiri permittebat, triduanum ieiunium indixit, vacareque ſingulos C miſſis, obſecrationibus & orationibus præcipiens, non hæc modo quæ roganda abſumpſerant, ſed his maiora, ſi fidem inſtar grani ſinapis habuerint, facilè apud clementiam diuinam impetraturos perſuadebat. Ipſe in oratorio Eccleſiæ, non diebus, non noctibus, illic ceſſans, lachrymis & fletibus intermixtis excubabat. Quarta deinde die diluculo è oratorio egreſſus, ſepulchrum militis *Petri* mortui ſabulo amoto iubet aperiri, & cadauer triennio putreſcens detegit, tum Clericorum plebisque aſtante multitudine, rigato primum vultu lachrymarum imbre procidens ſupplex ad terram, orationem fundens ad D Deum, ait: *Clementiſſime omnium Deus, qui propitiatione tua immenſa perdito humano generi conſulturus, aſſumpta humanitatis noſtræ ſarcina, deſcendens ad terras quadriduanum Lazarum fœtentem, Archiſynagogi filiam, & filium viduæ de Naim reuocaſti in vitam, credentibus quoque & credituris in te, horum, quæ ipſe geſſeras, maiora te præſtiturum, verbo nunquam transmutabili promiſiſti, reſpice de excelſo ſolio gloriæ tuæ ad fletus, & gemitus ſupplicum tuorum, & multifaria largitate benignitatis tuæ, quam etiam indignis præſtare ſoles, concede, vt Petrus miles cauſæ Eccleſiæ tuæ, quam in tuo nomine confiſus defendenda ſuſcepi, laturus teſtimonium, ab inferis deficientibus à veritate filiis hominum, conſurgat, & potentia*

1074. *tia virtutis tuæ in vitam reuocatus, cauſam Eccleſiæ tuæ caligine iniquitatis humanæ infectam illuſtret, vt promiſſa tua verificentur in cunctis nationibus, & nomen tuum glorioſum clarificetur in ſeculum.* Cùm ab vniuerſo Clericorum & populorum cœtu reſponſum eſſet, *Amen*, ad tumulum accedens, baculo paſtorali cadauer *Petri* militis tangens, dixit: *In nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti. Surge Petre de puluere, & exurge à mortuis, teſtimonium veritati perhibiturus, vt augeatur fides credentium, & caſtigetur corripiaturq́; improba temeritas impugnantium, & opprimentium iuſtitiam & veritatem.* Ad hanc protinus vocem *Petrus* miles conſurgens ſtetit, primusque apud nos ſanctitatis *Stanislai* & virtutum, vel materia, vel teſtimonium fuit. Cui vir Dei *Stanislaus* manum porrigens obſtupente vniuerſa multitudine, & magna vociferatione, clementiam Dei laudante, primum de ſepulchro, & deinde ad *Boleslaum Poloniæ* Regem in cœpto iudicio cum Baronibus perſeuerantem deducens, ait: *En*, inquit, *iuxta pollicitationem meã pridem coram concilio veſtro factam Petrum militem ſiſto, & pro villa Piotrouin, pro qua iniuſtè conuenior, hunc principalem, non mea, ſed diuina virtute, ab inferis ſuſcitatum, & teſtem perpetuæ venditionis, & euictorem cuiuslibet impedimenti, pono, perſona ſua, ſingulis ferè vobis nota eſt, ante triennium vobiſcum ferè conuerſata eſt, non putetis hunc phantaſma eſſe, quem carnem, & oſſa, ſi quis dubius palpare voluerit, inueniet, reſumpſiſſe.* Rege *Boleslao* & vniuerſo Baronum & militum cœtu nouitate miraculi non obſtupeſcente ſolùm, ſed penè exanimato, nec quicquam loqui, aut interrogare auſi. *Petrus* miles à Beato viro ſuſcitatus, rupto ſilentio, ait: *Ego*, inquit, *virtute diuina & precibus huius viri, B. Stanislai Cracouienſis Epiſcopi, à morte ſuſcitatꝰ proteſtor, & clara aptaq́; voce, coram tuo Tribunali Rex profiteor, paternam meam quondam hæreditatem Piotrouin, B. viro Stanislao Epiſcopo, & ſuæ Cracouienſi Eccleſiæ me perpetua & irreuocabili venditione vendidiſſe, & precium, de quo inter me, & B. virum conuenerat, effectualiter tuliſſe, nepotesq́; & conſanguineos meos nihil iuris, aut deuolutionis in ea habentes, virum Dei Stanislaum impiè & calumnioſè pro illius proprietate moleſtaſſe.* Et conuerſus ad nepotes & conſanguineos, qui Epiſcopum impetebant, & eos qui teſtari timuerant. *Quis*, inquit, *auſus vobis hanc dementiam iniecit, vt vos calumniando, veritatem reticendo, graui vos contaminaretis ſcelere? pro quo me denunciante, niſi pœnitentiam condignam egeritis, dira vos ſupplicia tormentorum non dubitetis ſubituros.* Silentio ſcelus his atque illis confitentibus, *Stanislaus* Epiſcopus, regia, & omnium Baronum diffinitiua deciſione vicit aduerſarios, & villam *Piotrouin* cœleſti non terreſtri teſtimonio, ditionis ſuæ & Eccleſiaſticæ fuiſſe, & fore confirmans in pacificam villæ, quam & in

Teſte ex mortuis producto

Stanislaus villam Piotrowin per ſententiam Regis & Procerum in di-

A hanc diem *Cracouienſis* Eccleſia retinet, repoſitus eſt poſſeſſionem. Monſtratur & in hanc diem huius iudicii locus oratorio quoque in eo ſuperædificato, ſingulari deuotione à *Polonis* frequentatur. Ab hoc primum tempore B. viri *Stanislai* nomen mactæ virtutis apud *Polonos* eſſe, & celebrari cœpit, qui Sanctus ab hominibus, potens etiam, & verè Apoſtolicus habebatur. Cui ſacratiſſima anima, & in Pontificatu religio maieſtatis veneratione plena, ſingularis admonitio dulcis, & modeſta, increpatio terribilis, conuerſatio grata, & facilis, geſtus grauis, & Pontifice dignus fuit. Teſtimonii officio, ad quod implendum ſuſcitatus erat *Petrus* miles perfunctus, vir ſacratiſſimus *Stanislaus Cracouienſis* Epiſcopus illum ad Eccleſiam *S. Thomæ* in *Piotrouin*, comitante ſe B omni ferè quæ ad iudicia expedienda conuenerant, multitudine, ita vt hi, qui B. Epiſcopum pro villæ proprietate vexauerant, ex accuſatoribus & aduerſariis veneratores facti ſequerentur, & Rex penè ſolus in tentorio deſertus remaneret, reduxit, quem antequam ſepulchrum reintraret, B. *Stanislaus*, hoc conuenerat ſermone: *Vis*, inquit, *Petre, ſpatium vitæ in aliquot annos protrahere, aut aliud gratum tibi à Domino meo IESV CHRISTO precibus meis conferri?* Cui miles. *Non hanc*, inquit, *vitam, quæ morti magis, quam vitæ ſimilis eſſe perhibetur, Pater Sancte, ſed eam, in qua ſancti ſempiterno æuo felices viſione beatiſſimæ Trinitatis fruuntur, me optare conuenit, quàm* C *me adepturum purgationis tempore, de quo parum adhuc ſupereſt, expleto, certiſſimè confido, quod vt pietate diuina tua interceſſione ad plenum reſcindi, etiam nunc, antequam expleatur, poſſit merito tuo, & prece quæſo efficias.* Quo ſepulchrum reintrante, & animam corpore locato exhalante, B. *Stanislaus* pſalmis traditione Catholica cum Clero ſuo ſuper commendatione animæ deuotiſſimè peractis, tumulum ex more iacto ſabulo compoſuit.

Integra hieme & veris parte *Boleslaus Polonorum* Rex in propriis penatibus conſumpta, maiori quàm antea, exercitu, ex equite pediteque comparato, in *Rusſiam* celeri itinere D contendit, & ad *Kiouiam* metropolim *Rusſiæ* accedens, ipſam obſidione vallauit, dum autem à *Ruthenis* vrbem tuentibus crebræ fierent in Regis caſtra excurſiones, certaminibus leuibus inter partes in maius creſcentibus, ſæpe vniuerſus regius exercitus, ſuis, qui à *Ruthenis* interdum ſagittis eminus emiſſis, propellebantur, laturus auxilium, velut in iuſtam aciem conſurgebat. Fame tandem ciuitas laborare cœpit, rareſcentibusque hoſtilibus excurſionibus, caſtra propius vrbē Rex admouit, doctus quoque à transfugis famem, & apud vrbanos, & apud milites inualuiſſe, itinera omnia obſideri, ne quid ad obſeſſos importari poſſet, ſumma cura & ipſe prouidit, & milites illi ne-

1074. *tionem Eccleſiæ accepit.*

Petrus vero ad tumulum reuertitur.

1075. *Boleslaus Rex*

1075. gotio præfectos partim minis, partim promiſſionibus, vt enixius quamlibet importationem prohiberent, onerauit, ea enim vis animi ingeniique Regi *Boleſlao* inerat, vt non grandia ſolùm, ſed etiam minima per ſe adiret, militibusque & præfectis munera belli & obſidionis demandando, pleraque ipſe, priusquam a milite inchoarentur, perficeret. Vigilias quoque per ſe adeundo & ſegnes corripiendo, & mulctando, ne quid milites de ſolerti & continua diligentia aduentum regium ſemper ſuſpectum habentes, remitterent, diligentes effecerat. Camporum inſuper vrbem corona cingentium, vaſta planicies, ita vt illam viſiua virtus in Pelagi morem terminare non queat, vt quælibet importatio interdiu poterat deprehendi, propoſitum Regis adiuuabat. Vrbs præterea *Kiouienſis*, ea tempeſtate ampliſſima in plures largosque vicos porrecta, nullo ſatis certo murorum robore ſubnixa, facili captioni, militib9 præſertim eam tutantibus continuis vigiliis, & diuturna obſidione fatigatis, ſubiacebat; vniuerſas *Polonis* vias ſtricta cuſtodia obſeruantibus, importationemq; cuiuslibet rei prohibentibus, fames horrida vrbem inuaſit, multique mortales dietim fame cadebant tabefacti. Acceſſit & peſtilentiæ malum, vis quoq; morbi, & in militum, & in locupletum corpora peruaſerat. Veriti itaq; ne viui in *Boleslai* & *Polonorum* venirent manus, legatos de vrbe dedenda ad Regem *Boleslaum* mittunt. Rex legatis rogantibus nihil aliud, quam *vt ſe victis manſuetum victorem præſtaret, & fame, & peſte afflictæ ciuitati parceret*, legatis more ſuo ceruice baſſas inclinationes rogationi adiicientibus, benignè correptis, quod tàm fœda in defendenda vrbe paſſi eſſent, quæ nec irati victores victos pati coegiſſent, propitium ſe & fauorabilem ſingulis futurum reſpondet. Quo ad vrbem relato, non alterius diei aduentu expectato, eodem die vrbem Regi dedunt. Quam *Boleſlaus* cum multitudine armatorum militum ingreſſurus, gladio vibrato conformem triumphum proaui ſui *Boleſlai* primi *Polonorum* Regis impleturus, in portam ferream impegit, geminandoque ictus, foramen verberatę mucrone laminę in porta, & in victoriæ, & deditionis ſignum reliquit. A ciuibus magno honore exceptus modeſtiſſimum ſe, prout ſpoponderat omnibus victorem præbuit. Et ne cuius ædes, corpus, vel fortunæ, à quoquam ſuorum militum violarentur, plectendos violatores capite decernens, effecerat. Qua vna re ciuium *Kiouienſium* pectora adeò ſibi deuinxerat, vt ampliſſima munera, tàm Regi, quàm exercitui ſuffectura, ſponte præſentarent: Quæ Rex paucis ſibi retentis, omnia ferè inter milites, eos præſertim, quorum virtus, aut in dimicando, aut in expugnando oppidorum & caſtrorum, aut in laceſſendo hoſte fuerat conſpectior, diſtribuit. Ea re memorabili confecta, *Kiouiaque* in deditionem ſubacta, cum vniuerſa *Ruſſia* pacata eſſet, vectigalia magna

iterum Kiow capit,

A inſtituit, generisque materni propinquum Ducem *Zaslaum* ſummæ rei præficit, & *Kiouienſis* terræ illi attribuit gubernationem. Magna ex ſingulis *Ruſſiæ* regionibus dietim afferebatur pecunia, magnæ cumulabantur opes, in quibus aggregandis exigendisque reſiduum, quod reſtabat, hiemis effluxit. 1075.

& tributa a Ruthenis exigit.

Suentoslao Ducis *Czernieiouienſis* filio *Chleb*, à ſuis nequiter occiſo, & in *Czernieiow* in Eccleſia S. Saluatoris ſepulto, *Suantopelk* filius *Zaslai* in *Nouogrodenſem* Ducatum ſuccedit. *Wladimirus* verò alter filius *Zaslai* ſedit in *Smolensko*, & *Iaropelk* tertius filius, in *Wiſſogrod*.

Sub ea mora qua in ciuitate *Kiouienſi* hibernatum eſt, vniuerſi *Polonici* exercitus robur & diſciplina languidior facta, in eamque perniciem ex voluptatibus, commeſſationibus, ebrietatibus, & libidinibus, tàm *Boleslaus Poloniæ* Rex, quàm milites ſui paucis exceptis, deiecti ſunt, vt plus nocuerit viciſſe, quam victoria caruiſſe, victoriaque potiri multò magis diſcriminis, quàm commodi ingeſſit. Omnium ſiquidem victualium, quæ cuilibet gulæ ſufficiunt, *Kiouia* ferax eſt, carne, melle, piſce, frumento fœcundiſſima, fœminas habens ſtatura proceras, crine glaucas, & ſpecioſas, ſed laſciuas, earum pulchritudine, tàm Rex, quàm *Polonorum* milites capti, felicitate inſuper victoriarum elati, & rerum omnium abundantia locupletati, in omnem libidinum ſentinam corruerant. Ipſe inſuper *Boleslaus* Rex *Poloniæ* plenam fortunam in victoriis ciuitatum deditionibus, ſpoliis, diuitiis, & impenſis honoribus, videns ſibi perueniſſe, tantum arrogantiæ & laſciuiæ induerat, vt difficiles ad ſe petentibus faceret aditus, & pleriſq; reſponſa & mandata per internuncios daret. Nec ſimplici genere libidinum contentus, in ſpurciſſimum Sodomiæ ſcelus, *Ruthenorum* deteſtabiles mores, apud quos ſcelus illud in vſu erat, imitatus, fœdiſſimè prolapſus eſt, quosque armis vicerat, vitiis eorum victus, vniuerſæ poſteritati ſuæ, ſed & Regno ſuo, & genti ſuæ, grande & diuturnum dedecus ſola propitiatione diuina abolendum inuexit. Quantum autem ſcelere huiusmodi maieſtas omnipotentis Dei, quæ illi tot victorias, tot felices ſucceſſus præſtiterat, offenſa fuerit, euentus, qui in ſequentibus narrabuntur, monſtrabunt. Primum quidem ipſe Rex *Poloniæ* propriis, deinde *Ruthenis*, quamuis eorum laſciuiam æmulatus eſſet, contemptui eſſe cepit, æſtimatioque & charitas regia in pectoribus militum ſucciſa magis, quam diminuta. Nec Rex ſolùm contemptu & odio a propriis & *Ruthenis*, ſed & *Poloni*, verbere diuino, obruti ſunt. Vxores ſiquidem, ſorores, & filiæ eorum, præſertim qui immoderatius libidinibus *Kiouiæ* inſeruierant, longa abſentia virorum offenſæ integro propè ſeptennio ſe orbas, & virorum ſolatio, prolisque fœcunditate querebantur deſtitutas, quas neque facinus, neq; iu-

1076.

Boleslao ex victoria elato

in libidinesque prolapſo,

(Section markers in the gutter: B beside "ebrietatibus"; C beside "tum deditionibus"; D beside "fenſa fuerit".)

1076. *Polonorum vxores ſeruis & aliis ſe miſcent*

iuuentus, neque muliebris conditio meliora ſentire permittebat. Diuturna itaque maritorum expectatione feſſæ, dum inſuper rumor A vulgaſſet, alios diem obiiſſe, alios in prælio occiſos eſſe, alios pellicibus ſe permiſcuiſſe, ad ſeruorum conuolant nonnullæ amplexus, quædam vi pertractæ, cæteræ blanditiis, & falſis deluſionibus, ac figmentis expugnatæ. Hæc proſtitutio paſſim de omnibus *Polonorum* vxoribus ad caſtra regia crebro rumore, crebriſque nunciis fama omnia in maius extollente cùm allata fuiſſet, & ſuper re ipſa ex metu & ſuſpicione plurimæ fingerentur, vulgarenturque opiniones, manaretq; & ſerperet in dies alio alii tradente, mali ipſius contagio, tantus fremitus & indignatio in exercitu ſuborta eſt, vt limphaticorum more vnus ad alterius tabernaculum ſuas iniurias & caſus communicaturi, & B queſturi diſcurrerent. Tantus inſuper nonnullos eorum inuaſit furor, vt Rege ne quicquam permittente, aut conſulto in *Poloniam*, velociori, quo poſſent, curſu excurrerent. Paucorum exemplum magna expoſt multitudo cæterorum militum ſuas iniurias de vxoribus & ſeruis vlciſci, & inhibere anhelantium, ſequuta eſt, qui neque regia caſtigatione, neque blandis ſermonibus poterant inhiberi, quin quibuslibet diebus nocte, & interdiu, ferociam enim Regis nonnulli iam experti fuerant, diffugerent *Boleslao* Rege ſuo in terra hoſtili deſerto. *Polonorum* milites ex caſtris in domos non flagitatione, vt olim accitos, ſed flagitiis vxorum reuerſos nouum & ſeruile bellum (Deo hanc *Polonis* C iuſtè pro libidinibus in *Kiow* admiſſis, immittente vltionem) excepit. Serui etenim, qui vxores eorum temerauerant, pœnarum acerbitatem pro ſcelere ſe à Dominis non ignari ſubituros, non ſuadentibus, ſed adiuuantibus fœminis, quas conſuetudo ſtupri ſeruis deuinxerat, arma corripiunt, & occluſis portis Dominos intrare volentes excludunt, cum potentia ingreſſuris bellum gerunt, quos Domini ægrè & cum ſuorum diſpendio victos, variis & exquiſitis cruciatibus, vnà cum vxoribus adulteris, illis præcipuè, quæ libidinem ſectatæ vltro ſe ſeruis coniunxerant, interimunt, ac ſic de coniugibus & ſeruis adulteris vlti, ſatiato iuſto furore ſtupra exterminant. Erat pro ea tempeſtate ma- D trona quædam nobilis *Margaretha*, vxor Comitis *Nicolai* de *Zemboczyn*, villa propè *Proſzowice* ſita, nobilis de domo & armis *Streporum*, quæ nitorem pudicitiæ conſeruatura, abſq; cuiuslibet contagionis labe, quam alias fœminas viderat proſtituiſſe, in Eccleſiam *Zemboczyn* lateritiam ſe cum duabus ſororibus recludens, & per funem per omne tempus, quo vir ſuus in regiis militabat caſtris, victum ſumens, cuſtoditæ pudicitiæ vſque in diem hanc celebratur commendatione. Regis interim *Boleslai* truculentior ira non in fœminas ſolùm, quæ pietate virorum aut immunitate ſcelerum ſeruatæ erant, ſed in viros ipſos graſſari cœpit.

quo audito Poloni ſubito domos petunt Rege relicto.

Poloni ſeruos adulteros & vxores puniunt.

Margaretha de Zemboczyn pudicitia.

In *Poloniam* ſiquidem *Ruſſia* cum raris agminibus reuerſus, deſertum ſe à militibus propriis, quibus multa bona largitus erat, in medio hoſtilis regionis, & hoſtium expoſitum diſcrimini, fremebundus & calens ira deplangit, militum deſertione penè morte aut infami captiuitate ſe obrutum, diuina benignitate ſeruatum ingeminat. Corripit deinde milites, à quibus transfugiendi principium ortum eſt, capitis pœna, alios, qui ſequela peccauerant, carceris moleſtia, aut bonorum priuatione mulctari iubet. Mulieribus quibus mariti pepercerant fœtu, quem ex ſeruis ſuſceperant, abiecto, catullos ad mamillas in vltionem admiſſorum ſtuprorum applicari mandat, indignas agens eas, prolem humanam, ſed caninam idoneas lactare, quæ humanitatis oblitæ viris militiam agentibus toro violato ſeruis ſe miſcuerant, denique exterminium, & quælibet probra, non vitam promeruiſſe. Ita cor retinens ſaxeum & viſcera geſtans ferrea, matronarum tam dira calamitate & anguſtia, ſuo imperio canes pendentes & admotos ad vbera lactantium, non mouebatur. Calamitoſus tunc, & fœdus in *Polonia* erat Reipublicæ vultus, dum milites, qui inter hoſtium agmina, in ipſis denique conflictibus tuti erant, domum reuerſi, variis incommodis ſuarum vxorum & ſeruorum afflicti, ab ipſo quoque Rege ſeueritatem, quam in hoſtibus vitauerant, & in ſe, & in propinquis, & in ipſis coniugibus, quas ſeruandas decreuerant, experirentur. Hæc cum per ſe deteſtanda eſſent, omnibus tamen his deteſtabilius, quod *Boleslaus* Rex vſurpatum in *Ruſſia* laſciuium & brutalem contra naturam vſum auxiſſe, non remiſiſſe videbatur, ſed neque in tanta virorum Eccleſiaſticorum & ſecularium, quos ambitus Regni *Poloniæ* continebat, turba, aliquis repertus eſt, qui Regem de tanto ſcelere, & de tanta truculentia illius, omnibus ſæuitiam eius pertimeſcentibus, auſus eſſet corripere, ſeu admonere. Propter quod Rex & in flagitium horrendum, & in quælibet alia facinora ſubditorum ſuorum grauiſſimam perniciem, & oppreſſionem ſecum trahentia, nullo monitore caſtigatus licentiis ſuis graſſabatur. Quibus *Stanislaus Cracouienſis* Epiſcopus viſis, & cognitis plurimum indoluit, & velut indulgentiſſimus Pontifex, cura gregis ſui, cura etiam Regis anxiè macerabatur.

Sub eiſdem temporibus celeberrimus & inſignis ordo *Carthuſienſis* cœpit, qui teſte Beato *Bernardo*, inter omnes Eccleſiaſticos ordines & religiones primatum tenet, non ratione temporis, ſed rigoris, vnde vocat ipſum *ſpecioſiſſimam columnam Eccleſiæ*, verùm propter nimiam abſtinentiam paucis portabilis erat, & ne diu paruus maneret, poſt ab Eccleſia moderatus fuit, nec vnquam à ſancto propoſito recedit, ſingulariter à Spiritu Sancto præſeruatus vſq; in hodiernum. Cœpit autem primum in diœceſi *Gratianopolitana à Brunone* Magiſtro in Theo-

1076. *Boleslaus in milites & vxores ſæuit.*

catullis ad mamillas adhibitis

nemine caſtigante.

Carthuſienſis ordinis origo.

1076. Theologia natione *Colonienſi*, & ab aliis ſex venerabilibus viris, & Papa *Victor* III. vidit per ſomnum Deum dignationi ſuæ in ſolitudine Carthuſiæ habitaculum conſtruentem. *Grandimonſtenſis* ordo inchoatur hoc tempore per ſanctum virum *Stephanum* nobilem *Auernorum* ſtirpe progenitum.

Turba in Hungaria. Liuor ingens inter *Salomonem Hungariæ* Regem ab vna, & *Geiſam* ac *Wladislaum*, Duces *Hungariæ* partibus ab altera, primum ex leuibus ſuſpicionibus coortus, procedente verò tempore adeò alitus & graſſatus, vt ſignis collatis inter ſe quaſi crudeliſſimi decernerent. Et licet in prima pugna *Salomon* Rex ſuperior, *Geiſa* verò Dux & *Wladislaus* pro victis abceſſiſſent, expoſt tamen *Wladislaus* cum *Ottone Morauiæ* Duce ferente fratri *Geiſæ* ſolatia, vicit, *Salomon* Rex victus bello, *Poſnaniam* ſe recepit, & *Geiſa* in victoriæ ſignum Eccleſiam *Wacinenſem* Cathedralem, ibi enim pugnatum fuit, ante pugnam voto promiſſam fundat, & fauore *Vngarorum* in Regem *Vngariæ* coronatur. Cui etſi *Henricus* Imperator laturus velut genero auxilium veniſſet, nulla tamen re memorabili geſta, Conſiliariis ſuis a *Geiſa* pleriſque muneribus corruptis, diſceſſionem perſuadentibus in *Almaniam* cœpto irrito rediit. Quapropter Regni *Vngariæ* ad *Geiſam* plena adminiſtratio, regimenque peruenit. *Salomon* verò triſtis gemebundusq; ſuæ infelicitatis deplorat anguſtias, Pontifices *Vngariæ* quibus totum ciuile diſſidium moleſtius viſum eſt, & ſi ſæpè tractaſſent concordiam, & *Geiſam* ad cedendum de Regni faſtigio induxiſſent, effectus tamen illius eorum Baronum, qui partes *Geiſæ* ſequebantur impediente ſtudio, nunquam ad liquidum perduci poterat.

Turba in Lithuania. Liuore & maligno acti ſpiritu *Borys* & *Olech*, alias *Alexius* Duces *Ruſſiæ*, Barbaros *Polowcones*, vt terram *Ruſſiæ* hoſtiliter ingreſſi deuaſtent, inducunt, quibus *Wſzeuoldus* Dux *Czernieiouienſis*, 25. Aug. in loco qui *Ziczce* dicitur, occurrit, prælioque inito ab illis profligatur & vincitur, in quo conflictu miles inſignis apud *Ruthenos Iwan Zirosławic*, item *Tukic*, item *Bokiei* aduerſo pectore concidunt, triumpho obtento *Borys* & *Olech Polowcorum* robore freti, etiam caſtrum *Czernieiow* conquirunt, & plurima execranda facinora fundendo ſanguinem innoxium committunt. *Wſzeuoldus* itaque cum *Wladimiro* filio ſuo & clade, & ſedis ſuæ Principalis proditione anguſtiati, & preſſi, ad fratrem ſuum *Zaslaum* Ducem *Kiouienſem* diuertunt, gemituque & planctu ingenti edito, ſuas illi, & gentis ſuæ calamitates & ærumnas exponunt. Qui illos benignè conſolans, bono animo eſſe iubet. *Ego*, inquit, *vobis in exemplum ſim, qui omnibus ſpoliatus & exutus, in terris alienis ſtipe & fauore Polonorum aliquanto tempore vixi, quorum ſuffragio ſingula expoſt recuperaui.* Nec verbis ſolum, ſed & rebus illos confirmans, pollicetur ſe illis ſolatia contra hoſtes *Borys*, & *Olech*, laturum. 1076.

Coaceruata itaque militia vadit *Zaslaus* Dux *Kiouienſis* cum *Iaropelko* filio, & *Wſzeuoldus* Dux *Czernieiouienſis* cum filio ſuo *Wladimiro* contra *Czerniew*, in quo ſe *Borys* & *Alexius* Duces receperant. Abnuebat autem *Alexius* & *Borys* Duci perſuadebat, ne in vltimum dimicationis venirent diſcrimen, dicens illi: *Non pugnemus contra quatuor Duces paternos, & fratres noſtros, qui ferociores nobis ſunt, ſed miſſis caduceatoribus petamus æquis conditionibus pacem.* Et non acquieuit *Borys*, ſed in ſuperbiam elatus reſpondit: *Non te aliqua de victoria ſollicitudo teneat, ſed tantummodo hilaris & ſpe plenus belli euentum præſtolare.* Et congreſſu facto interficitur *Borys*, filius *Czeslai*, qui pacem abnuebat, & multi hinc & inde ceciderunt interfecti, ſed & Dux *Zaslaus Kiouienſis*, dùm iam prælio confecto, inter pedites ſecurus conſiſteret, ab vno militum *Alexii*, qui ſe proprium ſingens peditibus ingeſſerat, inter ſcapulas percuſſus, & transfoſſus occiditur, & *Alexio*, & exercitu eius fugiente caſtrum *Czernieiow Wſzeuoldus* recuperat. Corpus autem *Zaslai* Ducis in *Kiouiam* delatum, & à filio ſuo *Iaropelko* deplanctum, in Eccleſia *B. Mariæ* ſepelitur. Fuit *Zaslaus* magnus cultor & adminiſtrator iuſtitiæ, & vir excellentis corporis atque ſtaturæ, & ſucceſſit illi frater germanus *Wſzeuoldus* in *Kiouienſi* Principatum, velut natu maior filium ſuum *Wladimirum* locans in *Czernieiow*, alterum verò *Iaropelkum* in *Turow*. *in quibus Zaslaus Dux Kiouienſis interficitur.*

Grauem & intolerabilem *Boleslai Polonorum* Regis continuè exuberantem ſæuitiam, & in ſcelere abominando profundam demerſionem *Stanislaus Cracouienſis* Epiſcopus vlterius non ferens, dùm Metropolitanum *Gneſnenſem Petrum*, cui correctionis & increpationis primarius honos, officium & meritum debebatur, diſſimulantius ſuam in Regem, ad deteriora quælibet in dies procliuum, agere cenſuram conſpexiſſet, ad ſe id officium, hunc honorem & meritum, hanc palæſtram, & palmam pia credulitate exiſtimans pertinere, ſibique & non alteri fauore diuino ſeruatum eſſe, cùm & ſedes ſua *Cracouienſis* negligentia ſui immediati prædeceſſoris *Zulæ*, alias *Lamperti* Archiepiſcopali dignitate recenter fuit orbata, penè nihil a Metropoli *Gneſnenſi* differt, in his præſertim, quæ manû correptionis, & horum, quibus vniuerſa Reſpublica atteritur, & tabeſcit, reſciſionem deſiderant, magno animo nilque ſibi conſcio conſurgens, *Boleslaum Poloniæ* Regem omnibus arbitris excluſis, blandè prius & pietate paterna, manantibus etiam vltrò lachrimis, quas magnitudo compaſſionis & charitas effuderat, & verba interrumpentibus, monet, corripit, & obſecrat, *ne dignitatem regalem, & genus nobiliſſimum fœda peccati contra naturam cogitatione inquinet, ne, vt iumentum in ſuo ſtercore putreſcens, ſe Deo & hominibus odibilem & inuiſum* 1077. *B. Stanislao ob admonitionem paternam*

1077.

uiſum faciat, ne gloriam ſuam, & victoriarum variarum ab optimo Deo largitarum titulos, ignominia ſempiterna ſibi & ſuæ domui inurenda proſtituat & commutet, ſed ſi promiſſa voluptate carnali vti liberet, cum vxore ſua potius procreandorum filiorum cauſa illam expleat, & vt ſæuire in milites & fœminas carnificinia & belluina truculentia deſiſtat, & ſi iniquitate detineantur notoria, libram iuſtitiæ adhibeat, idque primum prouideat, ne plus iracundia quam iuſtitia in eos vſus videatur; vt ſubditis in exigendis ſtationibus, & imponendis exactionibus, & vectigalibus non ſit oneroſus, cùm ſubditorum clamor immoderata hæc à ſe exigi vociferantium, vſque ad thronum diuinum vltionem expedens non dubitetur aſcenſurus, facile Deum ſi quieuerit, ſi ex toto corde ad Deum conuerſus, in corde humiliato & contrito pœnitentiam egerit, omnibus ſuis ſordibus & præuaricationibus, quantumcunque enormibus ignoſciturum. Dùm hæc monita Regem *Boleſlaum Stanislaus Cracouienſis* Epiſcopus videt velut ſtipulam contempſiſſe, Baronibus aliquot coaſſumptis durius Regem, *vt vitam ſuam corrigeret, vt flagitium turpe à ſe penitus abdicaret, vt Prouincialibus & ſubditis neces & grauamina non inferret*, admonuit, *pietatem diuinam ſcelere ſuo læſam & lædendam, ſordes ſuas, propter quas quinque Regna perpetuo exterminio aquis ſupergradientibus, quod non credi ſolùm corde, neque auditu hauriri, ſed viſu quoque, ſi quis diſcederet, poſſet percipi, ob par ſcelus deleuiſſe, nullatenus toleraturam, & tàm ipſum, quàm ſemen ſuum exterminaturam, ſtirpi quoque ſuæ Regium decus & gloriam adempturam, infallibilibus iudiciis edicens ſe inſuper velut Pontificem, & ſpeculatorem vitæ Dei poſitum non quieturum, ſed Apoſtolica virga, quorum eſſet diuina propitiatione ſucceſſor, cenſura Eccleſiaſtica ſuas præuaricationes & vitia pro viribus coerciturum.* Non mouit *Boleſlaum Poloniæ* Regem ſalubris, & medicinalis *Stanislai Cracouienſis* Præſulis ex pectore ſincera charitate, & zelo optimo abundante, profecta correptio, quinimò in vehementem iram contra B. Virum periculum ſibi & ſuo ſemini denunciare ſolitum, in eam bilem accendit, vt & Pontificem Sanctum aula, in qua hæc gerebantur excedentem, probris & contumeliis laceſſeret, tantam eius in ſe admiſſam audaciam, & temeritatem minaci vultu & ſermone ingeminans pro poſſe vlturum, Baronibus nequicquam Præſulem, ne grauius aliquid Rex in eum moliretur, à regia iniuria defendentibus, ſic continuis conatibus ad opprimendum virum Beatum recta ſibi ſuadentem animum intenderat.

Rex iraſcitur.

Alexander Papa II. cum annis 11. menſibus 6. diebus 25. ſediſſet. *Romæ* moritur, in cuius locum *Hildebrandus* natione *Tuſcus*, patria *Senenſis*, propter eius laudabilem vitam, à Cardinalibus proceſſu temporis electus ſucceſſit; vocatusque eſt *Gregorius* VII. Hunc cum *Cintius* Præfecti vrbis filius, in Natali Domini ad *Mariam maiorem* cœpiſſet celebrantem, & in turrim retruſiſſet. *Romani* rupta turri eum liberauerunt, eadem nocte *Cintium* extra vrbem eiecerunt. Ordinante deinde *Henrico* Imperatore, quem *Gregorius* pro inueſtituris Epiſcoporum excommunicabat, *Gibertus Rauenatenſis* Archiepiſcopus, ab Epiſcopis *Lombardiæ* in Papam eligitur, & *Clemens* appellatur. Quem *Henricus Romam* deuectum in ſede *Petri* locat, *Gregorio* cum Cardinalibus capto, & in caſtro S. Angeli recluſo, ſed *Robertus Guiſtardi Apuliæ* Dux *Romam* veniens, *Henricum* Imperatorem ſecedere cogit, & *Gregorium* ac Cardinales liberat, fautoreſque Imperatoris proſcribit, & necat, & *Henricus* Imperator à *Gregorio* deponitur de Imperio. *Rudolphus* verò *Burgundiæ* Dux, ab Imperii electoribus *Gregorio* Papa procurante eligitur. Cui à Papa *Gregorio* corona miſſa, cum hac inſcriptione: *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.* Hunc *Sigifridus Moguntinenſis* Archiepiſcopus benedixit *Moguntiæ* in Regem, & facta à *Moguntinis* ſeditione contra eos, *Rudolphus* cum Archiepiſcopo nocte aufugit, & in *Ratiſponam* ſe recepit, à qua iterum ab *Henrico* Imperatore pulſus eſt. Sub huius *Henrici* regimine Imperium grauiſſimè ſciſſum eſt, parteque Principum & Procerum illi rebellante, tota ferè Regni latitudo, ferro, flamma, cædibus, & ſpoliis inuoluta eſt. Hunc *Gregorius* VII. anathemate ferit, qui hanc nouitatem amariſſimè ferens, Epiſcoporum & Principum ex *Italia, Gallia*, & *Germania*, apud *Brinoram*, quæ nunc *Briſcia, Bauariæ* ciuitatem conuentum congregat. Vbi *Gregorius* à cœtu Clericorum & Epiſcoporum ſibi iam pridem infenſorum, in fauorem Imperatoris deponitur, & *Guibertus Rauenenſis* Archiepiſcopus denuò eligitur, & *Clemens* vel potius *Demens* appellatur. Imperator deinde copioſo milite collecto ad vrbem *Romam* vſque progreſſus, *Romani* populi fauore adiutus *Gregorio* pulſo, *Guibertum* ſedi *Romanæ* præfecit, A quo benedictionem Imperialem *Romæ* ſuſcepit.

1077. *Variæ turbæ in Pontificatu & Imperio Romano.*

Romanus Ruſſiæ Dux conductis in ſui ſolatium *Polowczys*, venit hoſtiliter contra *Wſzeuoldum Kiouienſem* Ducem, Principatum *Kiouienſem* occupaturus. Et licet *Wſzeuoldus Kiouienſis* Dux occurriſſet illi cum ſuis copiis circa *Pereaſtaw*, cōmunibus tamen Baronibus mediantibus, pacificantur 2. die Auguſti Duces, quod *Polowcy* moleſtè ferentes ſeditione in caſtris exorta, *Romanum* interficiunt, quod ipſis inconſultis pacem conſummaſſet.

Gregorius Papa VII. perſecutionem *Henrici* Imperatoris fugiens in *Tuſciam* venit, & à *Mathilde* Comitiſſa benignè ſuſceptus, ſententias maiores contra Imperatorem innouat, & plures Principes *Almaniæ* in eum concitat. *Rudolphum* inſuper Ducem *Sueuorum* ſiue *Saxo-*

Saxonum Romanorum Regem deſignans, ipſum regio diademate inſignit.

1978. Terruerat pauliſper *Boleſlaum Poloniæ* Regem in *Petri* militis reſuſcitatione, à *B. Stanislao* Pontifice editum, & per Regem viſum miraculum, motuſque ſuos prauos, & actiones paululum reſtrinxerat. Poſtea etiam maiora prioribus adiiciens, militibus & ſubditis plus ſolito grauem, & infeſtum, viduis & orphanis, cæteriſque oppreſſis magis infenſum ſe gerere cœpit. Sed quod his omnibus obſcœnius deteſtabiliuſque in cœno fœditatis infandi vitii Sodomitici, non ſine plurimorum ſcandalo & execratione, Rex ſpurciſſimus ſalutaria *B. Stanislai* contemnens monita, volutabatur. Videns itaque *Stanislaus Cracouienſis* Epiſcopus *Boleſlaum Poloniæ* Regem pro eo tempore impium Regem, profunditate ſcelerum demerſum, contemptum, & pertinaciam induiſſe, nil de cætero cunctandum, aut diſſimulandum ratus, communicato virorum ſpiritualium timoratorum conſilio, cenſuram Eccleſiaſticam, ſaluare ipſum, non perire cupiens, in eum extendit, & illum per ſe Pontificalibus indutus (cæteris omnibus metu tyranni, à munere huiuſmodi ſe ſubtrahentibus) monet, & requirit, *quatenus vitium ſordidiſſimæ Sodomiæ à ſe prorſus reiiciat & abdicet, & ab exactione euectionum, quæ Poduodæ nominantur, ſe contineat, militibus bona, quæ tyrannide illicita occupauerat, reddat, à ciuibusque & ruſticis, tàm ſpiritualium, quàm ſecularium perſonarum, ſtationes non exigat, & in cæteris actionibus, Catholicorum Regum, & Principum moribus ſe conformet.* Non tenuit choleram Rex, ſed in præcipitem iram quaſi in quandam rabiem verſus monentem ſe Epiſcopum, &, niſi monitis paruerit, excommunicationis ſententiam proferentem, multis probris & contumeliis aſperſit, nec procul abſuit, vt mitiſſime replicanti Epiſcopo, & benignitate ſuauiſſima eum reprehendenti, manus iniiceret, monitionibus fatalibus decurſis. Nihil regiis minis, & per ſeipſum auditis, & per neceſſarios, crebrius in ſui auiſamentum ad ſe perlatis, deterritus, *Boleſlaum* Regem publicè in Eccleſia *Cracouienſi* denunciauit excommunicatum eſſe, & à fidelium communione, & grege præciſum, quem & in ſingulis Eccleſiis publicè excommunicari, &, ab vniuerſis ſtatibus hominum ſuæ diœceſis mandauit, arctius euitari. Tum demum Rex *Boleſlaus* non ſtomachari ſolùm, ſed fremere contra virum Dei *Stanislaum* cœpit, iuramento ſe obſtringens, quamprimum ſe illum vbilibet compertum, occiſurum, milites inſuper ſicarios, & largitionibus & promiſſis corruptos, in eius pellicit & ſubornat necem. Vir autem Dei *Stanislaus*, non vt imminens mortis declinaret diſcrimen, (tali enim munere ſe beandum, dignificandumque ſe lachrymoſis ſuſpiriis, ſupplicibusque obſecrationibus continuè precabatur) ſed ne ſponſam ſuam venerandam Eccleſi-

S. Stanislaus

Regem prius monitum

excommunicat,

cui Rex in necem inſidias parat.

am *Cracouienſem* tyrannidi Regis & morſibus exponeret luporum, quantum ſciuit & potuit 1078.
A à regio contubernio & communione ſe ſubtrahebat, & in ſecretis abditiſque locis ſe recondens, fletibus immenſis & miſſarum ſacrificiis aſſiduis pro Regis conuerſione, & eius tyrannidis mitigatione vocabat. Sicque Regis & eorum qui regis perſuaſione ac iuſſu in eius necem ſe deuouerant, anno pluſquam integro, ſollicitos conatus dextra Dei protectus eluſit.

Septimo Calendas Maii, *Geiſa Vngariæ* Rex moritur, & in Eccleſia *Wacinenſi*, quam ipſe fundarat ſepelitur, in eius locum *Wladislaus* germanus ſuus ſubſtitutus eſt, & in Regem *Vngariæ* coronatus. Licet *Geiſæ* eſſent liberi, & *Salomon* Rex nondum è vita exceſſiſſet, virtutum tamen mira excellentia in Duce *Wladis-*
B *lao*, iam tunc eradians omnium *Vngarorum* mentes adeò in ſe conuerterat, vt omnes illum renuentem Regnum ſuſcipere diadema, cæteris omnibus neglectis, certatim precarentur, vnctione & coronatione apud *Albam Regalem* ſuſcepta, modeſtiſſimè ſe erga fratrem patruelem *Salomonem* Regem geſſit. Idque ſibi primum curæ fuit, vt *Salomoni* ipſi nihil præter appellationem regiam deeſſet.

Geiſæ Hungariæ Regi ſuccedit frater Wladislaus.

Eodem tempore prælium atrox inter *Henricum Romanorum* Imperatorem, & *Rudolphum* Ducem *Saxoniæ*, qui Imperium *Henrici* inuaſerat, fuit, in quo præfatus *Rudolphus* victus, & plures de ſuis militibus amiſit, incolumis tamen euadens ad inſtaurandum nouum
C exercitum animum intendit.

Henricus Imp. Rudolphum vincit.

Iaropelkus Dux filius *Zaslai* olim *Kiouienſis* Ducis, ad ſuam grandem iniuriam referens *Wſzeuoldum* Ducem patruum ſuum, in *Kiouienſem* Principatum, Patre ſuo *Zaslao* obeunte, ſucceſſiſſe, comparat exercitum, per quem *Wſzeuoldum* bello impetat, & de ſede *Kiouienſi* depellat. Quod dum *Wſzeuoldus* perſenſiſſet frequenti conſilio aduocato, quid facto opus ſit, conſultat. Conſulit autem illi vnus è numero Conſiliariorum, differens in hunc modum. *Comparato exercitu, mitte filium tuum Wladimirum contra Iaropelkum, & me ante illum præmitte, ego enim fallam Iaropelkum, & ſine armis debellabo illum.* Quo
D conſilium huiuſmodi probante, venit fallax conſultor ad Iaropelkum, & dixit ei: *Non confidas Conſiliariis & militibus tuis. Omnes enim cum hoſte tuo Wſzeuoldo ſentiunt, & ſpoponderunt te illi prodituros. Auſculta itaque fideli conſilio meo, fuge ad Boleſlaum Poloniæ Regem, qui quondam Patrem tuum Zaslaum pulſum reſtituit, auxilia illius poſtulaturus.* Credit *Iaropelkus* ſermoni doloſo, & fallaci, ac deſerta *Ruſſia* fugit in *Poloniam*, habens omnes Conſiliarios, & milites ſuos ſuſpectos. Locat autem vxorem matrem, & filios cum familia in caſtro *Lucko*, præcipiens eis, *vt quàm fortiſſimè poſſent, quouſque cum Polonorum exercitu rediret, hoſtibus reſiſterent.* Quo in

Turbæ in Ruſſia.

Pe-

1078. *Poloniam* diſcedente, venit *Wladimirus* filius *Wſzeuoldi* cum exercitu ad *Lucko*, cui protinus nulla facta reſiſtentia caſtrum traditum eſt, in quo matrem vxorem, filios & familiam *Iaropelki* Ducis reperiens, in *Kiouiam* captos pertrahit, & familias venundat. *Boleslaus* autem *Polonorum* Rex, non valens *Iaropelko* ferre perſonale ſubſidium, propter ſchiſma inter illum & milites exortum, copias tamen de gentibus ſuis *Polonis*, mittit cum illo, quorum robore ſtipatus, primum *Lucko* applicat, & *Wladimirus* filius *Wſzeuoldi*, non audens illi & ſuæ potentiæ reſiſtere, miſſis Nunciis pacificatur illi, & non ſolùm *Lucko* & alia caſtra *Iaropelkonis*, quæ receperat, ſed omnia quæ pertinebant ad *Iaropelkonem*, aut tunc reſtituit, aut ſe reſtituturum ſpopondit. Pace autem confecta, *Wladimirus* ſedem ſuam *Czernieiow* repetiit. *Iaropelko* verò exercitu *Polonorum* remunerato, & in *Poloniam* remiſſo; dum ex *Wladimiria* in *Zmigrod* vehiculo veheretur, à familiari ſuo *Nieradzec* 22. die Nouembris quieſcens obtruncatur, & fugit in *Nieradzec* ad Ducem *Burik*. Corpus verò *Iaropelkonis* in *Kiouiam* deductum eſt, cui obuiam à *Wſzeuoldo* & duobus filiis ſuis, *Wladimiro, & Roſcislao*, item, à *Ioanne* Metropolito & Boiaris *Kiouienſibus*, vniuerſiſque *Kiouienſibus* ordinibus itum eſt. Planctu autem magno ſuper nece ſua edito, in Eccleſia *S. Demetrii* ſepelitur, qui viuens crebrius gerebat in votis, vt pari morte, quemadmodum proaui ſui *Boryſz* & *Olech*, quos *Ruthenorum* S nctos colit Eccleſia, excedere illi è vita contingeret, vir manſuetus & fratrum amator, ſoluens decimas de omnibus frumentis, pecoribus, armentis, & de omni ſubſtantia ſua omnibus annis vitæ ſuæ.

1079.
S. Stanislaus

Ruenti *Boleslao Polonorum* Regi, in omne ſcelus nefaſque, & ad quælibet deteriora prolabenti, dum cenſurarum quibus à viro Dei *Stanislao Cracouienſi* Epiſcopo feriebatur, vigorem irridens, diuina ſuo in Eccleſias ingreſſu profanaret myſteria, & ſanctionem authoritatemque Eccleſiæ irriſioni, & contemptui deputaret, vir Dei *Stanislaus* zelo cœleſti, vt alter *Phinees* incenſus pro lege Dei ſui, & pro grege ſibi commiſſo animam poſiturus, Regem ipſum anathematiſat, & Eccleſiam ſuam *Cracouienſem* ingredienti occurrit, prohibens autoritate omnipotentis Dei, & ſua, *ne Eccleſiam anathematiſatus introeat; alioqui cum fœdiori ignominia illius denunciat ſe à diuinis ceſſaturum.* Quam contra prohibitionem viri Dei, Rege cum militibus ſuam temeritatem mulcentibus, irrumpente, illicò Epiſcopo *Stanislao* mandante, Clerus tacens cœptum officium intermiſit. Tum verò Pontifex *Stanislaus* ad Regem accedens, his eum verbis conuenit: *Qua* inquit, *fronte, qua audacia, in altiſſimi conſpectum, & templum, ſpurciſſimo facinore Sodomitico inquinatus, & à me anathematizatus, manus habens ſanguine innocentum pollutas, ingredi non exhorruiſti? Patientia fortaſſe Dei, & meæ humilitatis reſpectus, te ad maiorem pertinaciam inducunt. Sed crede mihi, lentum hunc in te vltionis progreſſum, pœnæ inferendæ grauitate, diuinitatem compenſaturam. Proinde ſi ſapis, ſi nondum omnem à te ſenſum rationis abiecisti, antequam ſuperna in te vindictæ tendatur arcus, acquieſce paternis conſiliis, & monitis meis; & ſceleribus tuis, deprauatiſque actionibus renuncians, te altisſimo, à quo & pietatem, eminentiamque regalem, & ampliſſima in pluribus nationibus trophæa, multaque alia gratuita dona accepiſti, reconcilia facile omnium præuaricationum tuarum in Deum, & ſordium, ſi tantummodo quieueris, & pœnitentiam egeris, relaxationem percepturus.* Tam paternæ & miſericordi *Boleslaus* Rex ne quicquam reſpondens admonitioni, verba ſapientis viri non ſuſtinens ore, & manu viro Dei minitans, & totus furore & indignatione fremens de Eccleſia ſe eiecit, & in caſtrum regium templo vicinum ſe recipiens ad necem viro Dei inferendam animum, & ſingulos conatus intendit. Et diſſuadentibus plurimis Eccleſiaſticis, & ſecularibus proceribus, male fixam animo ſententiam exequi ire pergit. Cuius etſi nota foret tyrannis, nemo tamen credere poterat, quod vſque ad parricidium prolaberetur. Eo audaciæ & temeritatis præſumptione progreſſus & impulſus, vt vertice deſperationis aſcenſo, animi ſui plusquam barbarum & ferinum motum ſequeretur. Tertio Idus Maii, in quintam tunc cadens feriam, illuxerat dies, cùm debitum, vt ſolebat, *Stanislaus Cracouienſis* Epiſcopus, ſatagens exhibere ſacrificium *Chriſto* ad Eccleſiam *de Rupella S. Michaelis*, & *omnium Angelorum* nomini dicatam, miſſarum ſolennia celebraturus, & pro Regis, ac populi peccato interceſſurus (veritus ea per ingreſſum Regis *Boleslai*, ſi ipſis in maiori Eccleſia intendiſſet impediri) comitantibus eum Clericis, deſcendit. Ea tunc in campeſtribus, & pratorum planicie, in editiori tamen rupe, & in coronæ modum, prout & in præſentiarum cernere licet emunita, patentem habens a ſingulis partibus proſpectum, facile B. Virum *Stanislaum* ad eam progreſſum Regi *Boleslao* per crebros nuncios, vbinam locorum *Stanislaus Cracouienſis* Epiſcopus eſſet exploranti, & tyrannidem ſuam eo die in ipſo explere cupienti prodidit, correpto raptim gladio, militibus quoque frequentiori agmine quàm ſolitus erat, ſe ſequi iuſſis, illuc ire obtruncaturus virum Dei pergit. Nondum Pontifex *Stanislaus* Rege locum contingente, miſſarum ſolennia expleuerat, quæ res Regem *Boleslaum* ne præceps in Eccleſiam irrumperet, continuit. Dum tamen illi omnis mora moleſta & prolixa nimis videretur, mittit milites, qui Epiſcopum *Stanislaum* etiam ſacrificantem interi-

1079.
Regem Boleslaum, quia Eccleſiam ingrederetur excommunicatus, corripit

1079.

mant. Affuit illicò virtus diuina, quæ, quantum eſſet cœleſtis potentia terrena ſuperior, demonſtrauit. Carnifices ſiquidem virum Beatum præcepto Regis necaturi in Eccleſiam ingreſſi, dum ſtrictis mucronibus virum Dei nituntur contingere, concidunt retrorſum in terram, & reptantium more ex Eccleſia euoluti à *Boleslao* Rege, quod vacui rediiſſent, caſtigantur, tùm reſumpto ferro, facinus etiam reſumpturi, Eccleſiam reintrant, manus ſacrilegas Pontifici molientes iniicere, pari itidem vt prius caſu vibrati in terram reſupini ruunt. Quos ab Eccleſia cœpto irrito reuerſos Rex *Boleslaus* velut meticuloſos corripit, imperatque atroci verborum virtute, duplici ingreſſu neglectam necem maturare. Mirum in modum, imperata Regis impleturi, Eccleſia repetita vehementiori caſu, quam ante, tertio proſternuntur, nec virum Beatum contingentes pauore nimio correpti, de Eccleſia iterum proſiliunt, & imbelles manus ſuas ad irrogandam necem B. Epiſcopo, ſeque diuina virtute tertio proſtratos, & repulſo tyranno demonſtrant. Indignum, vt arbitror, Dei prouidentia iudicante, vt Chriſtus Domini futuro dignificandus martyrio à quoquam priuſquam à Rege, qui & ipſe Chriſtus Domini erat, deberet contingi. Nihil his, quæ à militibus referebantur *Boleslaus* Rex deterritus, & putans eos ea, quæ de caſu ſuo trino retulerant, pauore conſternatos confixiſſe, vehementiùs illis iratus, obiurgat eos dicens: *ô degeneres & ignaui, non milites, fœminæ, non viri, tanta puſillanimitate & pauore perculſos vos intueor, vt vnum Presbyterum de Eccleſia trahere, & meas graues iniurias in eo vltum iri non audetis.* Gladio itaque euaginato, ſibi & cuilibet alteri Regi, & præcellenti non ad irrogandas, ſed ad propulſandas iniurias & neces innoxias, à ſuperna pietate attributo, furibundus & æſtum vltionis in virum Dei ſpumans, frendens, & euomens, in Eccleſiam, quam ab omnibus oppreſſionibus hoſtium in coronatione ſua tutandam ſe iureiurando aſtrinxerat, inſilit, & non loco, non tempore, non Pontificali ordine deterritus, non diuinam, non Sanctorum præſentem veritus maieſtatem, Pontifici S. miſſarum ſolennia conſumanti, enſe vibrato ſanctum verticem diſrumpit, & Pontificalem cruorem recentibus ſacrificiis permiſcens, Sanctum Dei *Stanislaum* Epiſcopum veniam ſibi, & ſuis cæteris percuſſoribus, & ſatellitibus deprecantem, Rex impius & ſceleratus proſternit, & interimit, Sponſum in gremio ſponſæ: Paſtorem in ſuo ouili: Patrem in filiæ amplexibus, & filium in maternis pænè viſceribus perimens, & obtruncans, & omnes laudes ſuas priores, virtute heroica comparatas, in opprobrium, gloriam in ignominiam, famamque in infamiam, vno illo parricidii facinore commutans, & non tàm ſibi, quàm ſtirpi ſuæ, & Regno ſuo notam perpetui facinoris inurens.

Stanislaus Epiſcopus Cracouienſis occiditur à Boleslao.

Sed neque milites de tribus domibus & familiis, qui ad peragendum ſcelus cum Rege aduenerant, quamuis virtutem diuinam vice triplici experti, abſtinendum ſibi à contagione patrati iam à Rege parricidii cenſuerant, videlicet babatum cum cruce, item ſtreparum, item fluminis *Srzeniawa* cum cruce, qui ab ipſis ſciſi ſunt, ſimplicem fluuium ſine cruce, qui ſe *Druzina* appellant, pro inſigni deferentes, quorum progenies & ſucceſſio in hanc diem in *Polonia* perdurat, quinimò quaſi priorem puſillanimitatem à Rege eis exprobratam deterſuri, corpus viri S. in terram à regio ictu, cerebro rupto, defluens, certatim mucronibus, & pugionibus inuadunt. Et qui in viuum potentia ſuperna prohibiti ſæuire non poterant, in corpus exanime vnus alterum præueniendo, & impediendo, creberrimos ictus edendo deſæuiunt, vt Rege ſcelus tantum inſpectante, is in ſuo fauore haberetur potior, qui crudelius in Sanctum impegiſſet. Vnde factum eſt vt cadauer Sanctum minutatim in mille particulas diſſecaretur, vt à membro quolibet ſingularem ſe exigere voluiſſe pœnam declararet, & tot mortibus quod conciſionibus virum Dei plectendum cenſuiſſet. Hac *Boleslaus* Rex rabie ſolita dehiſcens, neque crudeli nece, neque crudeliori carnificio ſe ſatiatum declarans, in varia, & remotius porrecta loca corpus diſſectum ſpargi, & vt à beſtiis, feris, canibus, vulturibus, coruis, cornicibus, & cæteris alitibus ſanguipetis deuoraretur, memoriam eius nominis deleturus de terra, cuius iam vitam deleuerat, iubet exponi. Moxque milites Rege ſpectatore iuſſa perficiunt, & corporis S. partes per circuitum diſpergunt, & velut aliquod heroicum decus peregiſſent, ſanguine Martyris aſperſi, in regiam aulam cum *Boleslao* Rege reuertuntur. Anima verò beatiſſima *S. Stanislai Cracouienſis* Epiſcopi, tot ictibus & tormentis carnificum à carne excluſa, benedictæ Trinitatis ſpeculum, pro ſui martyrii ſingulari merito profundiſſima acie viſura, & inter primos Martyrum ordines locum perceptura, miniſterio Angelico aduentum eius Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, Martyribus, Confeſſoribus, Virginibus, & vniuerſis animabus, quæ iam ſempiterno æuo fruuntur, ſuo occurſu honorantibus, ſub *Gregorio* VII. Papa in æternas & ſempiternas manſiones euecta eſt. Nobile autem viri Beatiſſimi *Stanislai*, ferro impii Regis conſummatum martyrium, ingentibus & manifeſtis prodigiis Sanctum Dei illuſtrantibus, probantibusque, extunc cœpit vulgari, & eluceſcere, nulla arte vel ingenio obliterandum. Cùm altera poſt occiſionem viri B. *Stanislai* illuxiſſet dies, *Boleslaus Polonorum* Rex, ſuique milites, & in ſcelere in Pontificem S. patrato conſortes, cæterique, qui eorum aſſentiebantur facinori, corpus Beatum à ſe conciſum, & diſperſum, credidiſſent, à feris alitibus,

Milites corpus S. Stanislai lacerant.

&

1079. *Corpus S. Stanislai ab aquilis custoditum.*

& beſtiis conſumptum & deuoratum, è quatuor partibus mundi rari corporis, raræque magnitudinis viſæ ſunt aduolaſſe aquilæ, quæ loca paſſionis, & artuum corporis Beati circumgirando ſublimius, & ſingulari curioſitate, vultures, coruos, cæteraſque beſtias, & alites, à contactu corporis S. abigebant. Viſæ ſunt inſuper à quibuſdam timoratis, & deuotis viris nocte occiſionem Martyris inſequente, miræ rutilantiæ cœleſtis radii in vniuerſas corporis partes deſcendiſſe, & fulgorem ſuum usque in diei ſubſequentis diluculum continuaſſe; totque in ſingulis locis ſupernæ fulſerunt lampades, quot ſacri corporis diſperſæ ſunt partes, euidentiſſimo ſigno demonſtrante altiſſimo, tot militem ſuum coronare *Stanislaum* laureolis, quot illum mortibus tyranni truculentia, quantum in ſe ſæuierat, deſtinaſſe. Biduo itaque hæc prodigia non rumore ſolùm, ſed publica aſſertione vulgata, & in admirationem & religionem verſa, nonnullis deuotis patribus Eccleſiæ *Cracouienſis*, Prælatis & Canonicis, iniecerunt curam, dederuntque auſum, vt partes S. corporis colligerent, & honeſta conderent ſepultura. Nil itaque deterriti atrocitate Regis, quem nouerant Pontificis *S. Stanislai* corpori de ſepultura non fauiſſe, & ne prouenire poſſet, per artuum diſiectionem prouidiſſe, ad locum paſſionis accedentes, partes corporis variis locis diſperſas, & vſque in eorum aduentum ab aquilis ſcrupuloſè cuſtoditas, accurate recolligunt, & dante diuina prouidentia membra laniata, & in roſæ liliorumque morem candentia, & rubentia, apto, & congruenti ordine, partem iungendo ei, a qua exciſa eſſe credebatur, parti corpus lacerum componunt.

redintegratur

Stupendum dictu, ſed ſuperno artificii, & æterno ſuorum athletarum remuneratori facillimum. Vix dum ab artuum compoſitione ceſſauerant, cum ſubdito corpus ſacrum cœleſti medicamine in ſingulis partibus ſolidiſſimè ſine omni cicatricum nota redintegratum conſpiciunt. Cuius rei tam ſpectaculo benigno exhilarati, minus cunctanter corpus ſacrum ad

& ſepelitur.

Eccleſiam *S. Michaëlis de Rupella* in qua ſanctus martyrium pertulerat, veriti, ne in cæteras vrbis *Cracouienſis* Eccleſias Regis *Boleslai* edictum illud vetaret inferri, cum debito honore, & ſumma omnium, qui huic officio adeſſe meruerant, alacritate deferunt; vt ante fores Eccleſiæ in propatulo, & ſub dio; ne ex Eccleſia Regis nondum quietata tyrannis illud mandaret eiici, in tumba aromate referta recondunt. Et quam reintegrationem in S. corpore oculis viderant, reuerſi cunctis ſtupentibus, enarrabant. Varios Sanctos, variis legimus à propitia diuinitate miraculis & virtutibus, pro ſuis actionibus & meritis fuiſſe illuſtratos. Huius autem Viri *S. Stanislai Cracouienſis* Epiſcopi, & in vita, & in morte meritum, & ſanctitas tot prodigiis, & miracu-

lis declarata & illuſtrata eſt, vt penè humanam credulitatem excedant. Quis enim non miretur virum Beatum *Petrum* militem poſt triennales cineres ſuſcitaſſe! & *Boleslai* Regis milites ad mactandum virum S. ter deſtinatos, ter retrorſum abeuntes corruiſſe? cum & *Lazarum* à *Chriſto* Domino reſuſcitatum quatriduanum legimus fuiſſe, & *Iudas Iſcariotes*, cùm *Iudæis* Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM tradens captiuaturus eſſet, ſemel tantummodo retrorſum abiens cecidit? Quis inſuper non ſtupeat martyris *B. Stanislai* corporis ſciſſi millenas partes, non aquilarum ſed Angelorum miniſterio à quolibet ferarum contactu nocte, & interdiu cuſtoditas, ſupernis luminaribus irradiatas fulſiſſe, & S. corpus, tam immenſis conciſionibus diſtractum, perfectam reintegrationem, etiam ſine nota cicatricum reſumpſiſſe? Quapropter pia credulitate obſeruari conuenit, quod martyr *B. Stanislaus* in omni vita ſua vir vitæ angelicæ extitit, & tam mente quàm corpore integram virginitatem gerens, virgo vſque ad conſumationem martyrii permanens, & pro Dei & Eccleſiæ, & populi iniuria, cæteris Epiſcopis Prouinciæ *Polonicæ* diſſimulantibus, omnium aliorum vicem & negligentiam ſuppleturus, in aciem diſcriminoſam ſe ex diuerſo ponens, & vſque ad mortem pro veritate & iuſtitia agoniſans, tam ſublimibus ab omnipotente Deo meruit mirificari prodigiis. Vnde non immeritò vniuerſa Eccleſia Catholica per orbem terrarum diffuſa, in ipſius ampliſſimam decantat laudem: 1079.

Veri ſolis radius, medicus cæleſtis,
Meritorum Martyris autor eſt & teſtis:
In ſplendore corporis caſtitatem ſignans
Quod integrum reddidit, amorem deſignans.

Trabea autem carnis tam inclyto martyrio peracto, athleta Dei inuictiſſimus S. *Stanislaus* ſolutus, & angelicis manibus vſque ad thronum altiſſimi perductus, poterat vnigenitum Dei filium ſuperiorum ciuium ſpectante & admirante agmine, de rebus à ſe in mundo geſtis, diſſerendo his verbis conueniſſe: *Videſne qualia patiuntur (ò verbum Dei) reprehenſores criminum nefandorum? Ecce Boleslaus Poloniæ Rex, increpationem meam non ferens, & Petri militis ab inferis poſt triennium reuocatione, & caſu trino ſuorum militum me occidere ſuo iuſſu venientium, tuæ inſuper maieſtatis potentia, nequicquam deterritus, non loco, non tempori, non ordini, non dignitati ſuæ, & meæ deferens, ſed auſu ſacrilego me ad aram pro ſua, & populi ignorantia immolantem, dextris ſuorum militum tua virtute proſtratis corripiens, ſanguinem meum tuis ſacrificiis miſcuit, & caput meum manu truculenta amputans, corpus etiam in duodecim fruſta diſſecat, & feris deuorandum eiicit.* Accepit autem Regis æterni, cui militauerat, tale reſponſum: *Vidi certamen,*

1079. *vidi agonem tuum, & non ſolùm ſpectator, ſed & adiutor aderam. Et quoniam pro meo nomine & veritate non exorruiſti prælium, victorem & martyrem glorioſum vniuerſo orbi, Polonis verò Protomartyrem, & Patronum magnificum te decerno. Corpus tuum nouis radiis & luminaribus cæleſtibus illuſtratum, abſq; cicatricum nota redintegro, Angelorum illi deputo cuſtodiam, geminata laureola te adorno, virgineo corpore referente ex hoſte triumphum.*

Tam lugubri & crudeli in Sanctum Dei per *Boleslaum* Regem *Poloniæ* deprompta occiſione, ad notitiam Summi Pontificis *Gregorij* ſeptimi, variis nunciis & literis perlata, Summus ipſe Pontifex *Gregorius*, & vniuerſus ſuorum tunc Cardinalium cœtus in flebilem lamentationem ruens, & qua rigiditate *Boleslai* Regis, & militum *Poloniæ*, tàm inſolens parricidium plectendum eſſet, matura deliberatione tempus terens, tandem *Petro Gneſnenſi* Archiepiſcopo, & omnibus *Poloniæ* Eccleſiarum Epiſcopis per ſpecialia ſcripta dedit in mandatis, quatenus in patrati per Regem *Boleslaum*, & ſuos milites facinoris, execrationem & pœnam, generale interdictum in vniuerſa *Gneſnenſi* Prouincia obſeruarent. Regem inſuper *Boleslaum*, & Regnum *Poloniæ* omni honore, dignitate, & excellentia Regali priuauit; & omnes Barones, Milites, Principes, Vaſallos, & ſubditos, ab eius ditione abſoluens, obedientiam, & ſubiectionem ſolitam, ſibi exhiberi vetuit. Filiis inſuper & nepotibus eorum militum, qui *Boleslao* Regi auxilium, conſilium, & aſſenſum in facinus peractum præſtiterant; aſcenſum ad quælibet Eccleſiaſtica officia, beneficia, dignitates, & honores, vſque in quartam generationem interdixit, & beneficiis habitis & habendis, priuauit. Inhibens eidem *Gneſnenſis* Archiepiſcopo, & ſuis Coëpiſcopis, ne aliquam cuiuſcunque gradus, præeminentiæ, & ſtatus perſonam, in *Poloniæ* Regem coronare & inungere audeant, ſede Apoſtolica inconſulta. Archiepiſcopus autem *Gneſnenſis Petrus*, & omnes *Poloniæ* Eccleſiarum Epiſcopi, mandatis Apoſtolicis acceptis, etſi grandia & amara videbantur, præuaricari tamen Summi Pontificis mandatum non auſi, interdictum Summi Pontificis publicant, & in Eccleſiis ſingulis obſeratis, laudum diuinorum organa, non ſine ſuo graui, & populi eiulatu, ſuſpendunt. Reuelatum præterea fuit nonnullis deuotis, & religioſis viris diuino oraculo, pro patrato in virum Dei *Stanislaum* per *Boleslaum* Regem & ſuos milites ſcelere, *Poloniæ* Regnum, & Prouincias ei ſubiectas, in tot diuiſionum monſtra ſcindendum fore, in quot *Boleslaus* Rex per ſe & milites corpus ſacrum, in duodecim fruſta diſmembraſſet, & poſt aliquanta ſecula per populorum humiliationem & contritionem placato & propitio Deo, in morem Præſulis Sancti, omni notamine cuiuslibet cicatricis vacui, redintegrandum. Cuius quidem oraculi denunciationem tunc notitiæ humanæ præſtitam, & verificatam ſuccedens ætas vidit, noſtra quoque nunc videt, & futura præſtante Chriſto Domino eſt viſura.

Ex commiſſione Romani Pontificis

Regnum Poloniæ interdicto feritur,

occiſores B. Stanislai caſtigantur, & Rex ipſe priuatur Regno.

Sciſſio Regni futura reuelatur.

Nouo & diro certamine, *Henricus* & *Rudolphus* pro *Romanorum* Regno in loco qui dicitur *Fladechein* confligunt, & multis hic inde occiſis, victoria *Henrico* ceſſit, *Rudolpho* euadente. Qui nihil ſecunda clade perterritus, arma rurſus in tertiam expediebat.

Licet autem *Boleslaus Polonorum* Rex Summi Pontificis *Gregorij* ſeptimi autoritate & decreto, omni dignitate & honore Regni *Poloniæ* pro ſcelere in Sanctum commiſſo, fuiſſet priuatus, & ſubiectio obedientiaque ſubditorum, eodem Apoſtolico decreto fuiſſet illi adempta, Regem tamen ſe geſſit, & ſingulos ſuis imperiis parere coëgit, quærens ſe, & Regnum ſuum iniuſto decreto perculſum, neque pro occiſione vnius dementis & temerarii Epiſcopi, culpa ſua necati, tot pœnis mulctandum. Adiiciebat quoque his vnà cum militibus, ſceleris ſui conſortibus, & propoſito ſuo fauentibus, in Sanctum Dei conuicia, frequentique vſurpatione ſermonum, crimen commiſſum apud idiotas & ſimplices extenuaturus, Præſulis S. famam lacerare non puduit, agens illum fuiſſe prolificem, non Pontificem: piſtorem, non Paſtorem: oppreſſorem, non Præſulem: Opiſcopum, & opibus deditum, non Epiſcopum: Spiculatorem, non Speculatorem: non cordium, ſed (quod dictu quoque nefas eſt;) renum ſcrutatorem; & pro ſua tegenda nequitia, aliorum libidinibus fræna laxauiſſe. His & aliis criminationibus, licet Sanctum Dei Rex inſectatus fuiſſet, nullam tamen ſanctitati ſuæ obducere poterat, in eorum præſertim pectoribus, qui vitam, & conuerſationem S. nouerant, caliginem, cùm & luminaria ſuperna ad ſepulchrum Viri Sancti, ſæpiſſimè à fidelibus deſcendere viſa, variæque ægritudines & morbi, ad ſui nominis inuocationem depulſi, ab huiusmodi probris & contumeliis Sanctum Dei efficaciſſimè vindicabant. Sed & ipſe *Boleslaus* crebro rumore de luminaribus ſupernis ad tumbam viri Dei deſcendentibus, ad ſe delato percitus, & an verus confictusue eſſet, experturus, in ſpeluncam arcis *Cracouienſis* conſcendens, luminaria ſuperna deſcendere, & corpori Sancto venerationem impendere, claro viſu deprehendens, & Sanctum probris laceſſere deſtitit, & ſibi vehementer pro admiſſo in eum parricidio, molem ſui facinoris tùm primùm recognoſcens, timere cœpit, præſertim, cùm & contemptus in dies gliſcens ſuorum eum affligeret militum, & execratio non ignota exterorum illum torqueret. Qui etſi in primordiis regiminis ſui ſolidum & ſtabile, viſus ſit, in defendenda propagandaque patria, in liberalitate exercenda, qua ſola tantùm valuit, vt ſolus inter *Poloniæ* Reges liberalis, & largus, antonomaſticè nuncu-

1080. *Boleslaus Rex*

S. Stanislaũ contumeliis adficit,

videns tamen luminaria cælitus ſuper eius ſepulchro deſcendere, pœnitentia aliquantum captus eſt.

1080. cuparetur, virtutis feciſſe fundamentum; vitiorum tamen mole, ſingula ſua facta confundens, quod ſtrenuitatis in illo fuit, profunditate flagitii ſpurciſſimi extinxit: quod liberalitatis, altero parricidii facinore deleuit. Et quærens maiorum ſuorum æquare, & transgredi gloriam, adeptus eſt turpem ſibi, & poſteritati ſuæ ignominiam. Et ſatagens Regni ſui propagare terminos, iuſto Dei permittente iudicio perdidit propagatos, & craſſo tenebrarum fuſcatus atramento, gloriam domus ſuæ amiſit, decusq; & nomen Regni eneruauit.

Tertiam pugnam *Rudolphus* cum *Henrico Romanorum* Rege, iuxta fluuium *Eleſtram* conferens, vsque ad internecionem multis *Saxoniæ* Principibus, & militibus interfectis, profligatur; & manus illi amputatur, in *Marsburgũ* delatus, moritur ex vulneribus. Non tamen res Imperii pacificantur eo mortuo & abſumpto. *Hermanus* enim *Lotharingiæ* Dux illi ſuffectus, & ipſi noua militia parabat, ſed à nonnullis *Henrico* fauentibus occiſus, finem tumultibus fecit. *Rudolphi* ſepulchrum cùm aliquando *Henricus* Imperator acceſſiſſet, dicente ſibi quodam milite: *Cur eum, qui Rex non fuerat, tàm decoro ſepulchro fungi permitteret?* Henricus verò reſpondens: *Vtinam,* inquit, *omnes hoſtes mei tàm honorifico conderentur Mauſoleo.*

1081. ***Boleslaus***

Felicem & Regni ſui *Poloniæ* viridem ſuum ſtatum *Boleslaus Poloniæ* Rex, ad magni opprobrii, & improperii ſpecimen, propter S. Præſulis *Stanislai* necem videns recidiſſe, cùm & pleræque Prouinciæ *Ruthenicales*, præſertim ab eo ſubiugatæ, iugo ſubiectionis abiecto, tributa illi & vectigalia conſueta negarent, & à propriis Baronibus dietim ſibi creſceret odium & contemptus. Ad eam inſuper pannoſitatem, & egeſtatem, magnitudo quondam excellentiæ ſuæ defluxerat, tamque miſerabili ſorte, diuinitate illum pro demeritis ſuis feriente, peſſundatus erat, vt Primores Regni in illius & eorum, qui criminis in Sanctum Dei commiſſi participes extiterant, necem, aut captiuitatem coniurarent, non aliter ſe regii diadematis decus, & diuinorum relaxationem habituros, præterquam eo necato aut capto poſſe exiſtimantes. Verùm dùm quod pepigerant, pigrè & cunctanter agunt, coniuratione detecta, *Boleslaus* Rex cum militibus ſuis ſceleris participibus, quorum mors iuxta ac Regis quærebatur, in *Vngariam*, ducens ſecum vnicum filium *Miecslaum* iam annum 12. ingreſſum, veritus ne ſe abſente indignatio Baronum quicquam in illum grauius conſuleret, celerrimo curſu, comprehendi à coniuratis metuens, effugit, & ad *Wladislaum* affinem & alumnum ſuum iam in *Vngaria* regnantem, pleriſque militibus illum comitantibus, & his præſertim, qui necis in Sanctum Dei commiſſæ conſcii fuerant, diuertit. A quo condigno honore exceptus, & aliquanto tempore pro ſanguinis & hoſpitii

ſuorum inſidias timens

in Hungariā confugit,

1081. præſtiti, & præſtandi viciſſitudine (*Boleslai* enim potentia, & impenſis ſe in paternam hæreditatem profitebatur reſtitutum) iuſto fauore tractatus, multa & varia *S. Stanislao* Dei Epiſcopo impingens facinora, & iure illum à ſe cæſum allegans, in Regis *Vngariæ* & ſuorum audientia extenuando magnitudinem ſceleris deducebat. Tandem ſuam excellentiam regiam apud Regem *Wladislaum* & *Vngaros*, propterea quod exul eſſet & parricida, clandeſtina ſubmurmuratione, in ſuas interdum aures penetrante, non ferens diminui, filio, *Miecslao* & militibus, qui ſecum transmigrauerant, illis apud Regem *Wladislaum Vngaria* relictis, ipſe in *Carinthiam* vno tantum ſeruo comitatus, chlamide abiecta, ne prehendi poſſet, diſceſſit, & in quibusdam monaſteriis à ſuis protauis fabrefactis, & fundatis, & ſignanter in monaſterio *Viltbina* propè *Isbrug*, in Prouincia ſuæ regionis *Atheſis* tractu iacentis, in arcta pœnitentia coquinæ ſqualoribus ſe mancipando omnibus ſuam conditionem, & ſtirpem ignorantibus, delituit, & ſcelus, quod in SanctumDei *Stanislaum* admiſerat, ſacramento pœnitentiæ expiauit. A nonnullis verò aſſeritur, dùm in *Vngaria* apud Regem *Wladislaum* conſiſteret, in amentiā verſum, tamdiu cruciatum, & moleſtias dementiæ, donec animam 12. Cal. Aprilis exhalaret, pertuliſſe, à canibusque propriis in ſiluis *Pannonicis* deuoratum eſſe, & pro reatu paricidii pœnam tàm miſerabilem à ſuperno vltore inflictam pendiſſe. Exulatione autem ſua, & morte *Boleslai* ſecuta, fulgor & decor Regni *Poloniæ* ſenſim peſſundari, & extingui cœpit, culmine quoque regio, quod in quatuor tantummodo durauit Regibus, abrogato, *Polonia* a iure Regum, quod illi virtus & probitas *Boleslai Chabri* primi *Polonorum* Regis quæſierat, ſcelere tetro in Præſulem Dei *Stanislaum* admiſſo, quod patrator eius *Boleslaus* defendere, & extenuare, quàm expiare maluit, in iura Ducum detruſa, multò diſparem ſortem ſub Ducibus, quàm ſub Regibus habitura. Non immeritò autem *Boleslaus Poloniæ* Rex in ſuis actionibus, & ſucceſſibus à ſe diuerſus, admiratione quadam me percellit, vt in ea parte, qua iure laudatur, neminem poſt protauum ſuum *Boleslaum* primum *Polonorum* Regem æqualem habeat: In ea verò qua reprehendi meretur nemo fœdius, nemo ſceleſtius inter *Poloniæ* Reges Deum læſiſſe, & Rempublicam peſſundaſſe conuincitur. Dùm enim *Ruſſiam*, *Vngariamq;* trophæis ſuis implet, dùm fines patriæ propagat, dùm in omnes liberalitatem depromit, *Boleslaum Chabri* exprimit: Dùm verò in abominandum Sodomiæ ſcelus lapſus, tyrannidem in fœminas, & in milites agit, dùm reprehendi atque corrigi dedignans, in Sanctum Dei ſæuit, eoque trucidato, ſcelus defendere pergit, alterum ſe *Pompilium Polonis* oſtendit. Et quidquid per transactos Reges & Principes ne-

& poſt cum vno famulo in Carinthiam.

Vbi in quodam monaſterio ignotus ſeruiens, & pœnitentiam agens obiit,

& regnum ad Duces rediit.

1081.

nobilitatis & decoris *Poloniæ* quæſitum fuerat, confundit.

Salomon Vngariæ Rex

Salomon Vngariæ Rex priſcam Regni poteſtatem & gloriam recuperaturus, in necem Regis *Wladislai Vngariæ* moliri inſidias cœpit. Quo deprehenſo, in carcerem *Wiſſogrodenſem* coniectus, & exinde pietate *Wladislai* Regis *Vngariæ* ſolutus, ad *Cunnos*, tùm *Vngaris* infeſtos, confugit. Præerat tùm *Cunnis Kuſtek* Dux, hunc ſibi ad ferendum auxilium *Salomon* pellicit, promittens ſe eius filiam ducturum, & *Tranſiluaniam* regionem iuris ſui effecturum. His promiſſionibus barbarus incenſus, *Vngariam* inuadit, ſed à *Wladislao Vngariæ* Rege certamine inito, amiſſis plurimis, ad extremum & *Salomon* Rex & Dux *Cunnorum Kuſtek*, fugatus fuſusque eſt. Quo malo perculſus ad *Bulgaros* conceſſit. Vbi dùm cum ſuis, qui eum ſequebantur, rapto in dies viuens Prouincialibus moleſtus eſſet, à *Bulgaris* & *Græcis* penè omnibus ſuis trucidatis, fugatus eſt. In qua anxietate poſitus, dùm ad quandam ſiluam fugiens veniſſet, comitibus ſe operiri iuſſis in loca interiora abiens, de cætero nuſquam apparuit, ſed omne reſiduum tempus vitæ in peregrinatione & vita religioſa traduxit. Ad *Polam* deinde *Iſtriæ* ciuitatem, in littore *maris Adriatici* ſitam, in habitu peregrino delatus, illic mortuus requieſcit. Nullum ipſe *Salomon*, ſed nec *Dauid* frater ſuus hæredem femoris ſui reliquit, Deo ſemini *Andreæ Vngariæ* Regis hanc orbitatem iuſto iudicio inferente. Qui pro nanciſcendo Regno & ritus gentiles ac prophanos innouari, & Sacerdotes miniſtroſque Dei trucidari *Vngaris* petentibus conſenſerat.

Cunnorum auxiliis fretus

Wladislaum Regem petit,

ſed fuſus ad Bulgaros fugit,

à quibus etiam pulſus

in peregrinatione vitam finiuit.

A B

Ruſſi Poloniam vaſtant.

Waſillio Roſciſlawic Ruſſiæ Dux pro comperto habens *Boleslaum Poloniæ* Regem, ex *Polonia* profugiſſe, & Regnum *Poloniæ* magna commotione peſſundatum eſſe, inducit in animum ad vaſtandum illud, & conductis mercenariis militibus, tàm ex *Polowcys*, quàm ex aliis nationibus Regnum *Poloniæ* ingreſſus, igne ferroque vaſtat illud, & aliquibus munitionibus conquiſitis, cum præda & ſpoliis *Ruſſiam* reuerſus eſt.


Annus hic apud *Polonos* & *Vngaros* duorum Regum, videlicet *Boleslai* & *Salomonis* fuga inſignis feruoreque ſolis ingenti memorabilis, quo multæ ſiluæ incenſæ, & plura loca paludinoſa, à caumate cœleſti ſiccata arſere.

Andreæ Cruſuicienſi Ep. ſuccedit Baptiſta I.

Andreas Cruſuicienſis Epiſcopus annis 25. *Cruſuicienſi* Eccleſia adminiſtrata, ſenio grandæuo confectus moritur, & corpore prædeceſſoris ſui *Vincentii* additus, in Eccleſia Parochiali in *Parkanie* ſepelitur. Cui *Baptiſta* primus natione *Romanus*, per *Gregorium* Papam VII. electione Capitularium *Wladislauienſium*, & ſuffragio *Wladislai* Poloniæ Regni Ducis & Monarchæ ſubſcribentem, ſurrogatur.

FINIS LIBRI TERTII.

IOAN-



IOANNIS DŁVGOSSI

SEV

LONGINI

CANONICI CRACOVIENSIS,

HISTORIÆ POLONICÆ

LIBER QVARTVS.

A. C. 1082.

REfluxuro mihi ad præſcribendas Reſpublicas à A Regibus in Duces, & ſtilus ex ſe etiam tardus fatiſcit, & ingenium plus ſolito hebetius fieri incipit, moleſtia ſingulari deturbatum. Ab eo ſiquidem tempore, quo Viri B. *Stanislai Cracouienſis* Epiſcopi occiſio per *Boleslaum Poloniæ* Regem, & ſuos milites patrata obuenerat, & honor regius *Poloniæ* detractus eſt, & ipſa in plures B Principatus multipliciter, Ducum ſucceſſione, diuiſa, corporis robuſti & vniti formam amiſit, & in conditionem depreſſam & ſeruilem tranſiit. *Boleslao* etenim *Polonorum* Rege, ſiue metu, ſiue patratæ in virum Dei necis conſcientia agitato, in *Vngariam* decedente, Prælatis & Baronibus, ad formandum Reipublicæ nouum ſtatum conuerſis, *Wladislaus* ex filiis Regis *Cazimiri* reſiduus, & *Boleslai* Regis germanus, cognomento *Hermanus*, conſenſu omnium concordi, in *Boleslai* locum ſuffectus eſt. Qui etſi inprimis, vt Rex habitus & cultus ſit, & licet ab omnibus Regis appelletur nomine, ipſe tamen ſibi titulum & decus regium non vſurpare duxit, ſiue quod maiorum more coronatus & vnctus non erat, Pontificibus regiam illi benedictionem conferre, ne Apoſtolicum præuaricarentur mandatum, detrectantibus, ſiue quod fratrem ſuum *Boleslaum* Regem aliquando ſperabat rediturum, & tamen non Ducem tantummodo *Poloniæ*, ſed Regni *Poloniæ* hæredem ſe titulauit, tanquam faſces regiæ, & decus regium homini, non Prouinciæ tributæ eſſent. Principatum autem Regni *Poloniæ* vniuerſorum approbatione ſortitus, cùm eſſet Vir ſpectatæ deuotionis & religionis, primum id agendum curauit, vt interdictum Eccleſiaſticum, ob non ita pridem à fratre ſuo patratam ſuper B. *Stanislao* Pontifice necem poſitum, à Regno *Poloniæ* & à *Cracouienſi* Eccleſia orbitas & viduitas, qua in eam præmebatur diem, nemine tam digniſſimo Sancto *Stanislao*, in tot rerum fluctuatione ſuccedere auſo, tolleretur. Et quia interdicti cenſura ex ſedis Apoſtolicæ autoritate peruenerat, Nuncios ſolennes Eccleſiaſticos & ſeculares *Romam* ad *Gregorium* VII. mittit. Quorum humillimis, & ſedulis precibus *Gregorius* VII. motus, cùm & *Boleslaum* Regem S. viri occiſorem pro comperto accepiſſet de 1082.

Boleslao Regi ſuccedit

Wladislaus Dux

cuius petitu à Gregorio VII.

Pe-

1082. *Poloniæ* Regno exulaſſe, & fratrem ſuum *Wladiſlaum* Principem raræ deuotionis ſucceſſiſſe, & interdictum hactenus in Eccleſia *Polonica* ſuſtulit, & *Lampertum Polonum* natione, virum ſibi à pluribus annis cognitum, & in negotiis officiisque curiæ *Romanæ* ſincere verſatum, genere nobilem de domo & familia *Habdank*, *Cracouienſem* Canonicum, via ſcrutinii à Capitularibus electum, in *Cracouienſem* Epiſcopum præfecit & ordinauit. Cœpit inſuper *Wladiſlaus* Dux Regni *Polonici* gubernationem in cæteris prudenter dirigere, ſtratas publicas pacificans, & pro imbecillibus defenſionem ſuam contra potentiores opponens. Nonnulla inſuper *Boleſlai* Regis *Poloniæ* fratris ſui germani decreta retractans, & ad mitiorem formam reducens.

Lampertus Cracouienſis Ep. conſtituitur.

Prælium eo anno inter *Wratiſlaum Bohemiæ* Ducem, fratresque ſuos, *Conradum* & *Ottonem* ab vna, & *Leopoldum Auſtriæ* Marchionem partibus ab altera, ob iniuriam ab auſtralibus *Morauis* ſub *Conradi* & *Ottonis* ditione conſiſtentibus, illam, geſtum in *Morauia* eſt. In quo ab vtraque parte multis cæſis & vulneratis, victoria *Wratiſlao* Duci *Bohemiæ* & fratribus ſuis *Conrado* & *Ottoni*, Marchione *Auſtriæ*, *Leopoldo* fuga ſaluato, obuenit. *Wratiſlaus* ſpoliis onuſtus in *Bohemiam* reuerſus.

1083. *Wladiſlaus Dux Iudithàm Wratiſlai Bohemiæ Ducis filiam ſibi matrimonio iungit.*

Stirpe Regum *Poloniæ* ad vnum tantummodo *Wladiſlaum* Ducem *Poloniæ* redacta, vniuerſali Prælatorum & Baronum *Poloniæ* requiſitione, & prece, ne domus & proſapia vetus, & illuſtris, in totum deficeret, *Wladiſlaus* Dux coniugales inire tedas compellitur. Qui in omnibus voluntati Conſiliariorum deferens virginem illuſtrem *Iudithàm* non forma ſolùm, & genere ingenuam, ſed moribus & virtutibus excellentem, & inſignem, *Wratiſlai Bohemiæ* Ducis filiam ex prima vxore *Adleida* Regis *Vngariæ Andreæ* nata ſuſceptam, accepit in vxorem, ſuadente & inſtigante etiam ad id germanum ſuum *Wladiſlaum Poloniæ* Ducem *Swiantochna* Duciſſa *Bohemiæ*, *Wratiſlai* Ducis in altero matrimonio conſorte, quæ probè familiari experientia *Iudithæ* virginis à ſe educatæ, morum honeſtatem nouerat. Qua à patruis ſuis *Conrado* & *Ottone Morauiæ* Ducibus & Primis Baronibus *Bohemiæ* *Cracouiam* deducta, nuptiæ cum magna celebritate peractæ ſunt. Hanc & in mariti Ducis *Poloniæ Wladiſlai*, & Patris *Wladiſlai Bohemiæ* Ducis honorem, & ob virtutum excellentiam, & raritatem Reginam ſermone vniuerſali, & literis comperimus appellatam. Quam adeò & gentem & Regnum *Polonorum* memoria proditum eſt dilexiſſe, vt pro eius amplitudine, atque inſtauratione multos labores ſubiiſſet, vt non in *Bohemia*, ſed in ipſa *Polonia* nata atque educata crederetur.

Peſte ſæuiſſima apud *Ruthenos* & eorum regiones exorta, vtriusque ſexus mortales deleti ſunt. Abſumitur etiam epidimiæ morbo *Wſzeuoldus* filius *Iaroſlai*, & nepos A *Wladimiri Kiouienſis* Dux, 13. die Menſis Aprilis, & in Eccleſia *S. Zophiæ* in *Kiow* per filios *Wladimirum* & *Roſciſlaum*, quos reliquerat, ſepelitur; amator pauperum & ſpiritualium. Cui Pater *Iaroſlaus*, ob illius humilitatem moriturus benedixerat. Poſt mortem autem *Wſzeuoldi Wladimirus* filius ſuus natu maior ea cogitatione agitabatur; *Si accepero Kiouienſem Principatum, ſedem Patris mei, reſtat mihi cum Suantopelkone filio Zaslai bellum gerendum*, quoniam ſedes patris ſui erat. Et differens hæc apud ſe, miſſis nunciis, *Swantopelkonem* accerſit, & ei de ſede *Kiouienſi* ceſſit, ſolus verò iuit in *Czernieiow*, & frater ſuus *Roſciſlaus* in *Pereaſlaw*. *Swantopelkus* autem B dum in conductu Paſchæ *Kiouiam* adueniſſet, à *Kiouienſi* occurſu, & muneribus exceptus eſt, & in ſolio Patris & Patrui extunc conſedit.

1083. *Moritur Wſzeuoldus Ruſſiæ Dux.*

Turpe ſibi & domui, familiæque ſuæ *Wladiſlaus Polonorum* Dux ratus, nepotem ſuum *Miecſlaum* filium fratris ſui *Polonorum* Regis, & *S. Stanislai* occiſoris, in exteris terris, exulis more, contineri, mittit in *Vngariam* ad B. virum *Wladiſlaum* nuncios, qui tam nepotem *Miecſlaum*, quàm cæteros milites cum eo exulantes in *Poloniam* reducant. *Miecſlaus* Dux iam apud affinem ſuum B. virum *Wladiſlaum Vngariæ* Regem, poſt Patris diſceſſionem, integro biennio moratus, donis C naturalibus, gratuitis, & acquiſitis, eum ſibi in Beati *Wladiſlai* Ducis, & fratrum ſuorum *Geiſæ* & *Lamperti* conſpectibus fauoris gradum extruxerat, vt in filii educaretur loco. Agilitate inſuper & robore corporis adeò omnes non coætaneos ſolùm, ſed altioris quàm ipſe fuerit ætatis, homines *Polonos* & *Vngaros* anteibat, vt omnium *Vngarorum* gratiam, & admirationem quocunque ire pergeret, in ſe inclinaret, & chariſſime ab omnibus diligeretur, ac veneraretur affectu; omnes tamen hos & alios nodos, natura & amor reuiſendi patriam potentior expugnauit. Venientibus itaque patrui ſui *Wladiſlai Poloniæ* Ducis ad repetendum & reducendum eum nunciis, il- D licò *Vngarorum* contubernio derelicto, ſe illis iunxit. Et vt cum fauore & gratia remitteretur, nutritorem & affinem ſuum *Wladiſlaum* Regem *Vngariæ*, cui à patre Rege *Boleſlao* commendatus fuerat, quique ſolicitam illius curam in eam diem egerat, flagitare cœpit. Qui etſi adoleſcentem admirandæ virtutis & indolis priuata ſanguinis neceſſitate, ſibi ſtrictè coniunctum, moleſtè pateretur à ſe diſiungi, ad extremum tamen ardore ſuo, quem eum pro redeundo in patriam hauſiſſe viderat, conſpecto, equis, & veſtibus, armisque ac clenodiis muneratum ad patruum eius Ducem *Poloniæ Wladiſlaum* remiſit. Rediit & cum eo *Borzywoy* filius *Mſtæ*, *Sbilutus*, *Dobrogoſtius*,

1084. *Wladiſlaus Dux Miecſlaum Boleſlai filium ex Hungaria reuocat.*

1084. *ſtius, Paulus, Zema, Odolon, & Andreas*, cæterique omnes milites, qui cum *Boleſlao* Rege in *Vngariam* effugerant. Quibus *Wladiſlaus* Dux *Poloniæ* omnia bona eorum immobilia vniuerſali decreto Cameræ fiſco Ducali, propter necem B. *Stanislao* illatam, & propter tranſfugii crimen applicata, ad plenũ reſtituit.

Henricus Romanorum Rex cum coniuge ſua *Berta* in die Paſchæ à *Clemente* Papa, quem ipſemet *Henricus* in Papam conſtituerat, Imperialem accepit benedictionem, verum Papa *Hildebrando* renitente & exulante. Qui *Clemens* ante *Guibertus Rauenenſis* Archiepiſcopus dicebatur.

1085. Rebus publicis quæ ex B. *Stanislai* Epiſcopi occiſione, & *Boleslai* Regis diſceſſione turbine grandi, inuolutæ & incruſtatæ erant, *Wladiſlaus Polonorum* Dux, ordine quo poterat reintegratis & refectis, ſterilitatis vehementius quam ſat erat, cœpit angi incommodo. Duciſſam enim ſuam *Iuditham*, quia tanto tempore vterum non impleuiſſe nouerat, perpetua credebat ſterilitate infœcundam, proſapiamque ſtirpis ſuæ in ſe cruciabatur extinguendum. Duciſſa itaque *Iuditha* infœcunditatis opprobrium euaſura, in religionem verſa, in Eccleſias, pupillos, egenos, viduas, peregrinos, omneſque miſerabiles perſonas profuſas erogat donationes, quotidianis inſuper ſuſpiriis, obſecrationibus, & fletibus dari ſibi fructum boni germinis & maſculinæ prolis à Deo Optimo Maximo precabatur. Crebris eorum ſingultibus & acerbitatibus, *Lampertus Cracouienſis* Epiſcopus, cum natione *Gallus* eſſet remedium præſtiturus, ita apud vtrumq; diſſeruit: *Habet*, inquit, *Franciæ Regnum in prouincia Prouinciæ contra Auſtrum iuxta Maſſiliam, vbi Rhodanus miſcetur Oceano, corpus precioſi Confeſſoris B. Ægidii in monaſterio ſuo nomini ſpecialiter dicato, in quo & deuotorum monachorum ſub Regula B. Benedicti militantium habetur frequentia, tam præſtanti virtute & merito apud altiſsimum refulgens, vt nemo ſalutare & iuſtum aliquid in ſuo nomine petens, repulſam viſus eſt habuiſſe. Illum vobis propitium repromitto, ſi ad eum confidentes recurſum habueritis, pro quo me & vadem pono, deſideratam fœcunditatem, & prolem ſua prece obtenturum.* Hac conſultatione aliquantulum ad ſpem depellendæ ſterilitatis erecti, & imaginem infantis effigiem præ ſe ferentem, & calicem raræ magnitudinis de puro metallo auri induſtria artificum fabrefactam, item B. *Ægidii* auream & ponderoſam effigiem, item vaſa præter hæc aurea & argentea, veſtes quoque aureis laminis, & oſtro intextas, & multa alia, quæ *Lampertus Cracouienſis* Epiſcopus ſuaſerat, aggregabant, & per inſignes nuncios ex ſtatu Eccleſiaſtico, & ſeculari lectos, quorum *Petrus* Canonicus *Cracouienſis* Principalis erat, in *Prouinciæ* prouinciam ad honorandum S. Dei *Ægidium* monaſterio ſuo tradenda, tranſmittunt. Qui cum incolumes ad locum deſtinatum perueniſſent, & monaſterii Abbati, fratribuſque, *Wladiſlai* Ducis *Poloniæ*, & ſuæ conſortis *Iudithæ* nomine oblatis, cum omni deuotione S. *Ægidio* allatis muneribus, poſtulationes, vota, & deſideria, cæteraque mandata expoſuiſſent, triduanum monachis per Abbatem indicitur ieiunium, ſub quo Omnipotentis Dei clementiam inſtantius obſecrari iuſſit, vt præclara ſui Confeſſoris *Ægidii* merita apud peregrinos, & remotas nationes, pro ſui nominis dilatando honore declarans, vota peregre fatigatorum impleret *Polonorum*, & virili prole vterum Duciſſæ *Iudithæ* ſua largiſſima dignitate ac benignitate fœcundaret. Nec dum triduo ad affligendum ieiunio animas inſtituto exacto, vni cæteris relligione & vitæ integritate monacho præſtantiori reuelatum eſt, B. *Ægidium* ſua prece ſterilitatem depuliſſe, & fœcunditatem Duci *Wladiſlao* & conſorti ſuæ *Iudithæ* impetraſſe. Proinde *Poloniæ* legatis per Abbatem certiſſima ſpes facta, omnia, pro quibus S. *Ægidium* precaturi aduenerant, diuinitatem largitam eſſe. Alacres nuncii tam certo & optato reſponſo accepto, efficax & verax fuiſſe denunciatum ſibi per Abbatem oraculum, Duciſſamque *Iuditham* vterum impleuiſſe, & gratiarum actionem in Deum & S. *Ægidium* pro concepto fœtu, celebrare, domum reuerſi comperiunt.

Iuditha Poloniæ Duciſſa.

ſterilitas à S. Ægidio depellitur.

1085. Frequenti exercitu *Polowcy* barbari *Ruthenorum* hoſtes infeſtiſſimi congeſto, ad vaſtandum terras *Ruſſiæ* animum intendunt, præſertim cum didiciſſent *Wſzeuoldo* mortuo *Suatnopelkum Zaslai* filium in Principatum *Kiouienſem* ſucceſſiſſe. Præmittunt tamen nuncios ad *Suantopelkum*, qui monerent, *vt pacem cum illis paterno more obſeruet, & de tributis neglectis illis reſpondeat. Suantopelkus* vero nuncios *Polowconum* legationem eorum moleſte ferens, captiuauit. Quod dum apud *Polovvcos* percrebuiſſet, verſi in furorem terram *Ruſſiæ* crudeliſſime vaſtare cœperunt. *Suantopelkus* vero intelligens ſe nuncios *Polovvconum* captiuando inique egiſſe, ſolutis ac remiſſis nunciis pacem, quam prius reſpuerat, à *Polovvcys* flagitare cœpit. Quam cum negarent, milites in arma cogebat, cum *Polovvcys* ſumme cupiens decernere. Et dum parum ſenſati milites propoſitum animi ſui laudarent, cæteri quibus altior inerat ſenſus, damnabant, aſſerentes, *ſi copiis eorum etiam octo pugnatorum millia accederent, non ſe tuto, cum Polowcys ſigna collaturos.* Suggerentibus autem militibus, mittit *Suantopelkus* ad *Wladimirum Czernieiouienſem*, & *Roſciſlaum* fratrem ſuum *Pareaslauienſem* Duces petens ſibi ſuccurri. Qui coadunatis exercitibus veniunt in *Kiow, Suantopelkonemq;* Ducem acriter carpunt, quod contra Ius gentium nuncios *Polowconum* violaſſet. Conſiliariis vero ſuadentibus, vt poſtquam *Polowcy* ſine ceſſatione terram affligerent, iurgiis aliud reſeruaret

Polowcy Ruſsiam inuadunt.

1085. reſeruaret tempus, & defenſioni terrarum po-
tius vacarent, exercitum in campeſtria contra
hoſtes educunt, & primis ſtatiuis ad *Getropo-
lie* habitis ad flumen *Stuchnia* perueniunt. Vbi
militum animos, ſi decernere vellent, explo-
rant, & ſententiis diuerſificatis *Wladimirus*
Dux ſuadebat, tranſito flumine agere cum ho-
ſtibus de pace. Quod cum multi probaſſent,
Kiouienſibus ſermo diſplicuit, qui negabant ſe
cum *Polowcys* aliquam pacem inituros. Qua
ſententia ab omnibus accepta, flumine *Stuch-
nia* tunc aquis impleto tranſuadato acies ordi-
natas dirigunt contra hoſtes, *Roſcislaus* leuum,
Suantopelk dextrum cornu, *Wladimirus* me-
dium eorum tenebat, & 26. Maii die pugnam
committunt. *Polowcy* ſagittariis ante ſe præ-
miſſis, *Ruthenorum* exercitum inter duo foſſa-
ta conſiſtentē inuadunt. Inprimis autem *Suan-
topelkum* & exercitum eius in cornu dextro
confligunt, cuius militibus in fugam verſis, &
ipſe *Suantopelk* fugiens ſequutus eſt illos. Irru-
unt deinde *Polowcy* in *Wladimirum* & *Roſcisla-
um*, profligantque eos, & fugiunt ambo Du-
ces cum militibus, qui ſupererant, periclita-
baturque *Roſcislaus* in flumine *Stuchnia* aqua-
rum vorticibus illum prementibus. Cui latu-
rus auxilium *Wladimirus*, frater ſuus parum
abfuit, quin & ipſe aquis ſuffocaretur. Et ſuf-
focato *Roſcislao*, & pluribus militibus, *Wla-
dimirus* cum paucis tranato flumine in altera
ripa conſtitit, flens fratrem ſuum *Roſcislaum*,
& milites, qui in prælio & vndis vna ſecum
perierant. Exinde fugit *Suantopelk* in *Korropol*,
& ad veſperam illic vſque commoratus ſub ca-
ligine noctis ſubſequentis peruenit in *Kiow*,
corpusque *Roſcislai* in aquis repertum, in *Ki-
ow* delatum eſt, & in Eccleſia S. *Zophiæ* in pa-
terno ſepulchro ſepultum. *Polowcy* victoria
potiti, populationem quanto longius poſſunt,
extendunt, caſtrumque *Torcz* circumſedent.
Et premente obſeſſos fame, petebant ſibi à
Suantopelkone ſuccurri, aſſerentes ſe diutius ni
ſuccurratur, famem non toleraturos. Et licet
Suantopelk miſerit victualia, non tamen pote-
rant ad caſtrum importari, hoſtibus vndique
obſidentibus vias. Quindecim autem diebus
obſidione ad caſtrum *Torcz Polowcy* bipartito
agmine continuata, conſurgit vna pars, & va-
dit contra *Kiow*, altera in obſidione permanen-
te. Exiuit autem *Suantopelk Polowcys* obuiam,
& commiſſa pugna multis vtrinq; cadentibus,
præualent *Polowcy*, & *Suantopelk* duobus tan-
tummodo comitatus in *Kiouienſem* arcem, mi-
litibus ſuis occiſis aut captis, refugit. Reuer-
tuntur itaque *Polowcy* in *Torcz* cum ſpoliis *Ru-
thenorum* & captiuis, & fit planctus magnus
apud obſeſſos, poſtquam ex oſtentatione ca-
ptiuorum Ducem ſuum *Suantopelkum* intelle-
xerunt, ſuccubuiſſe, & non valentes ſe vltra
propter famem retinere, dum ſpes de ſubueni-
endo nulla foret, dedunt caſtrum *Polowcys*.
Quo *Polowcy* accepto, ſuccendunt illud, ma-

eorumque Duces binis præliis fundunt.

gnumque populi *Ruthenici* numerum in capti- 1085.
uitatem abducunt in regiones ſuas. Vbi plures
A numero hiemis auſteritate extincti ſunt, cæteri
incedunt ſqualidi & ſemiuiui. Factoq; mutuo
ſcrutinio, de qua ſtirpe, regione, aut villa fo-
rent, captiuitatem ſuam & ſeruitutem ploratu
ingenti & lamentis deplangebant. Die 16.
Nouembr. *Roſcislaus* filius *Mſciſlai* nepos *Zas-
lai* moritur, & in Eccleſia S. *Mariæ* in *Deſiebniow*
ſepelitur.

Sub omni autem tempore, quo conceptam 1086.
munere diuino & S. *Ægidii* meritis ſobolem
Iuditha Duciſſa *Poloniæ* geſtabat, ieiuniis, vigi-
liis, deprecationibusque vacans, in Eccleſias
quoque & miniſtros earum egenos, pauperes,
& quoſq; indigentes, poſtulans, vt felicibus au-
ſpiciis partus proueniret, liberalitatis dextram,
B fœnore duplicato intenderat. Nec tam humi-
lem & deuotam Duciſſæ *Iudithæ* ſupplicatio-
nem in caſſum iri pertulit diuinitas. 20. namq;
Auguſti die pulcherrimum filium effundens,
& oraculum à monachis B. *Ægidii* editum im-
pleuit, & fructum ſuorum operum ac largiti-
onum accepit. Ad partum prodigioſum &
optatum Prælatis, & Baronibus confluentibus,
& corrogatis, ataui nomen *Boleslaus* per *Lam-
pertum Cracouienſem* Epiſcopum vnda bapti-
ſmatis regeneratus puer, patre iubente accepit.
Conuiuia inſuper opipare habita, & ludorum
magnifice inſtitutorum apparatus conuiuas, &
inuitatos pluribus diebus detinuit. Magna de-
hinc S. *Ægidius* cœptus eſt in *Polonia* venera-
C tione coli, & à matronis ſteriles vteros haben-
tibus, pro fœcunditate ſobolis inuocari. Hinc
in *Cracouienſi* vrbe ædes illi, certum Canoni-
corum habens dotatum numerum, à Duce
Wladislao Poloniæ, nouam editionem filii gra-
tiſicantis primùm condita eſt: Deinde per v-
niuerſum Regnum *Poloniæ*, in oppidis, villis,
vicis, & villagiis in *Tarſzek* videlicet, *Pkanow*,
Klodawa, *Kcinia*, *Krobia*, *Czernieiow*, *Gebul-
tow*, & *Zborovv* Epiſcopali, & per Ducem *Wla-
dislaum* & milites ſuos templa quæ & hactenus
extant, fundata ſunt. Duciſſa poſt hæc *Iuditha*
filium editū *Boleslaum* tenerrimo affectu edu-
cans, breuiuſculo tempore ſuperueniens in ipſa
Natiuitatis Dominicæ nocte fatis intercepta,
D & in vitam ſempiternam (vt pia ex virtuoſis ſu-
is operibus præſupponi poteſt credulitate)
translata eſt. Cuius exceſſus & *Wladislaum Po-
loniæ* Ducem conſortem ſuum, & Eccleſiaſtici
ſecularisq; ordinis viros quibꝰ admodum chara
extitit, ſingularibus luctus aculeis afflixit. In
ambiguo quoque Dux *Poloniæ Wladislaus* ver-
ſabatur, orbusne conſorte ſuperſtite eſſe malu-
erit, an genitor, tam chara & prudenti vxore a-
miſſa. Puerum autem natum eò teneriori edu-
cari ordinauit cura, quando illum manifeſtiori
diuino munere, de ſterili coniuge ſuſceperat.
Huius fœminæ benedictæ interceſſione & ſuf-
fragio Comitatꝰ *Chropi* in *Siradienſi* terra, quæ
nunc *Pabianice* appellatur, Canonicis *Cracoui-*

Wladislao Poloniæ Duci naſcitur filius

Boleslaus.

Iuditha Poloniæ Duciſſa moritur,

cuius liberalitas laudatur.

enſis

1086. *cenſi* Eccleſiæ perpetuo donatum eſt,& monaſterio *Tinecenſi* villa *Xiaznice* inſcripta ,& Eccleſiæ *Wladiſlauienſi* Cathedrali, Caſtellania *Lagowienſis* cum ſuo diſtrictu in terra *Sandomirienſi* perpetua donatione conceſſa. Surgere quidem fecerat prouidentia diuina & myſtica, *Iuditham Polonorum* Reginam , quæ diuinæ auida viſionis non minus quam *Salomonis* auſtri Regina fuit. Hæc cœlitus diuini muneris largitate aſtitit Eccleſiæ *Polonicæ* beneficiorum varietate. Illa enim exploratrix ſapientiæ *Salomonis*, venit de longe videre induſtriam terrenæ ordinationis, hæc ſolers indagatrix, cœleſtis contemplationis meruit videre, & accipere dona ſalutiferæ operationis. Nam oblita domus paternæ traditionis , & acquieſcens conſiliis Euangelicæ admonitionis, quicquid rerum habuit, ad decorem domus Domini liberaliter erogauit, & loca diuinæ habitationis multipliciter ditando inſigniuit. Canonicis enim Eccleſiæ *Cracouienſis*, vt præmiſimus, contulit Caſtellaniam de *Chropi* cum hominibus aſcripticiis, qui per 30. annos fuerunt in manuali poſſeſſione , vel qui aſtricti ſunt glebæ ſoli propria profeſſione , & originariis, qui ex aſcripticiis nati in ipſo ſolo glebæ coaluerunt, & cum ſeruitutibus eorum & tributis, quæ conſiſtunt in frumentis, melle, pellibus mardurinis. Obſequio igitur tam deuoto ſubſidii temporalis prædicta *Iudith* meruit adiuuari perpetuæ orationis ſuffragiis. Nam prædicti Canonici ipſius Reginæ aſtricti deuotione, horas glorioſæ virginis *Mariæ* peragunt. Monaſterio vero *Tinecenſi* eadem *Iudith* contulit *Xiaznice* cum ſuis appendiciis ſcilicet cum villis ſupra *Viſlokam* fluuium conſtitutis, & cum hominibus eaſdem incolentibus aſcripticiis & originariis, cum ſeruitutibus eorum & tributis. Epiſcopo vero *Cuiauienſi* contulit Caſtellaniam de *Lagow*, cum ſeruitutibus eiuſdem. His igitur & conſimilibus in ſubſidia diuerſarum in *Polonia* Eccleſiarum attributis, quidquid patrimonii vel dotalicii in auro, argento, gemmis, & cæteræ ſuppellectilis ornatu poſſedit, in pios vſus, & conſeruationem pauperum orphanorum, & miſerabilium perſonarum affectu compaſſionis erogauit. Quæ cum tot beneficiis charitatis, theſauros immarceſſibiles in cœleſti patria ſibi cumulaſſet, ad epulas *Chriſti* meruit inuitari. Nono enim Calend. Ianuarii in vigilia feſti Natalis Domini, de ergaſtulo huius carnis ſoluta, ad feſtum æternæ iucunditatis euocata, feliciter migrauit, & diuinæ fruitionis deſiderio non fraudata, in pace felici requieſcens, æternæ beatitudinis præmiis expectat inſigniri.

Varia turba in Ruſsia.

Suantopelkus Kiouienſis Dux poſt cladem geminato prælio acceptam vt cunq; ſerius, quam expediebat, cum *Polowcys* fœdus init. Pro cuius ſoliditate *Tuhortkam* filiam Ducis *Polowconum* accepit in conſortem. Impetrato a *Polowcys* auxilio *Olech Ruſsiæ* Dux caſtrum *Czernieiow*, & eius regionem impugnat, & *Wladimiro* Duce *Czernieiouienſia* mœnia tueri contento, *Olech* monaſteria, Eccleſias, vicos, & rura, in circuitu igne deuaſtat. *Wladimirus* autem videns ſe plurimum anguſtiatum, miſſis caduceatoribus, pacem cum *Olech* concludit, & de caſtro *Cernieiow Olech* excedens, in *Pereaſlaw* ſe recepit. Nec tamen ob id *Polowcy Olech* permittente a vaſtanda *Czernieiouienſi* terra quieuerunt. In qua multi *Ruthenorum* occiſi, multi capti, multi in ſeruitutem abducti. Locuſtæ inſuper in graui multitudine in terras *Ruſsiæ* appulſæ, omnia germina deuorant, & conſumunt, regioque *Ruthenica* hinc vaſtatione & clade barbarica, illinc locuſtarum demolitione ſub vno tempore vehementer afflicta eſt. 1086.

Moritur Maria Regina Poloniæ.

Polonorum Regina *Dobrognieua*, alias *Maria* relicta olim *Cazimiri* primi *Poloniæ* Regis, & Ducis *Wladiſlai* genitrix, quæ vſque in ea tempora vixerat, annis iam matura, & æuo, ſimul quoque de caſu & ruina filii ſui *Boleſlai Poloniæ* Regis occiſoris S *Staniſlai*, deinde & exilio contabeſcens, moritur, & in Eccleſia *Cracouienſi Wladiſlao* Duce matris ſuæ cohoneſtante exequias legitimo honore tumulatur. 1087.

Theodoro I. Ep. Poſnanienſi ſuccedit Dionyſius I.

Poſnanienſis Eccleſiæ Epiſcopus *Theodorus* primus, annis duobus & viginti in Pontificatu *Poſnanienſi* exacto , febrem tertianam lenem, ſed diuturnam perferens moritur, & in *Poſnanienſi* Eccleſia ſepelitur. Cui *Dionyſius* primus *Italicæ* nationis vir , ſed linguæ *Græcæ* gnarus ab *Vrbano* Papa ſuffectus, & Capitulo *Poſnanienſi*, & *Wladiſlao* Principe, & monarcha *Poloniæ* , multipliciter abnuentibus, quorum vterque geſtiebat priſco more abrogato non *Italum* ſed *Polonum* promoueri.

Wratiſlaus Bohemiæ Dux in Regem coronatur.

Henrico quarto Imperatore *Romanorum*, anno eodem ſolennem Curiam Principum *Moguntiæ* per dies plures tenente, *Wratiſlaus Bohemiæ* Dux ad illum acceſſit, & magnæ æſtimationis atque ponderis in auro & argento vaſis cælatis, gemmiſque oblatis muneribus ſe in *Bohemiæ* coronari Regem , & tempora ſua diademate ornari obtinuit. Mandante ſiquidem *Henrico* Imperatore præfato, *Engelbertus Treuirenſis* Archiepiſcopus *Pragam* venit, & in Eccleſia *Pragenſi* 17. Calend. Iunii *Wratiſlaum Bohemiæ* primum Regem , conſortem vero ſuam *Suiantochnam*, filiam *Cazimiri Poloniæ* Regis in Reginam primam, coronis per Imperatorem *Henricum* decretis, ſolenniter aſtante magna *Bohemorum* multitudine, & de ſuæ gentis proſperitate, varia & frequenti modulatione exultante , inunxit & coronauit. Itaque pæne ſub vno & eodem tempore, & *Bohemiæ* Regnum cœpit, & *Poloniæ* Regnum deſiit, vtriuſque Regni continuationem, & progreſſum quaſi natura in vna lingua inuidente.

Marco Plocenſi Ep. ſuccedit Stephanus I.

Octaua Auguſti *Marco Plocenſi* Epiſcopo 19. annis Pontificatu functo, mortem ex ſcabie oppetente, *Stephanus* primus natione *Polonus*, Præpoſitus

1087. Præpoſitus *Plocenſis* a Capitulo, *Italis* neglectis, electus, a *Victore* Papa III. aliquanto tempore cunctante, & *Italum* potius, quàm A *Polonum* promouere cupiente *Wladislao* Duce & Monarcha, crebris literis inſtante ſufficitur.

Olomuncenſis Epiſcopatus Pragenſi vnitur.

Sub idem tempus *Iaromirus Pragenſis* Epiſcopus *Olomuncenſem* Epiſcopatum, cuius tunc ex obitu *Ioannis* Pontificis vacatio interceſſerat, ſuo Epiſcopatui *Pragenſi* reintegrari & vniri, germano ſuo *Wratislao* vnionem ipſam in fraternum fauorem, quam tamen alias deteſtabatur, promouente, ab *Henrico* Imperatore impetrauit. Quæ res adeò illi maioris inſolentiæ contulit fomentum, vt præſente Rege intereſſe diuinis contemneret.

Henricus VI. Imp. cum Gregorio VII. Pont. redit in gratiam,

Cùm multo tempore *Gregorius* Papa VII. cum *Henrico* IV. Imperatore ad inuicem certaſſent, & vnus alium Concilio conuocato de- B ponere, vltimo Imperator ſuum facinus recognoſcens, ad obedientiam *Gregorii* rediit, *Guiberto* quem in Antipapam erexerat, mala morte cum ſuis obeunte. Veniens ſiquidem *Henricus* Imperator in *Italiam* ad Papam *Gregorium*, nudis pedibus ſuper niues & glacies pluribus diebus ſtetit, & ſic veniam impetrauit. Crucem quoque contra *Saracenos*, Eccleſiæ, quam pertinaciter læſerat, pœnitentia ſatisfacturus, aſſumpſit.

qui paullo poſt moritur ſuccedente Victore III.

Exactis autem *Gregorius* in Pontificatu annis 10. moritur *Salerni*, & illic ſepultus eſt, miraculis corruſcando. Quo mortuo, *Victor* III. Abbas *Caſſinenſis*, *Deſiderius* ante vocatus, per electionem Canonicam ſuccedit, & ſub e- C ius Pontificatu ordo *Carthuſienſium* ſub Patre *Brunone* cœpit. Aliis placet, vt verius, *Henricum* quidem Imperatorem, reconciliationem cum *Gregorio* Papa feciſſe, ſed cito poſthæc ad rebellionem rediiſſe, & ſuum Papam *Guibertum* Romam deduxiſſe. Quapropter *Gregorius* VII. *Salerni* in exilio moriturus fertur dixiſſe: *Dilexi iuſtitiam, & odiui iniquitatem, propterea morior in exilio.* Maius deinde diſcrimen in Eccleſia *Gregorio* obeunte, ſecutum eſt, *Guiberto* per vim ſedem *Romanam* occupante.

1088. *Wladislaus Sophiam Salomonis Hungariæ Regis viduam ducit,*

Charæ vxoris *Iudithæ*, *Wladislaus Polonorum* Dux orbatus deſtitutusque ſolatio, alterum matrimonii fœdus abhorrebat. Cre- D bris tandem ſuorum Prælatorum ac Baronum perſuaſionibus expugnatus, B. *Wladislao Pannoniorum* Rege ſuo affine, id quoque & ſibi, & Reipublicæ expedire cenſente, *Zophiam* alias *Zophoniam Vngariæ* Reginam, *Salomonis* Regis *Vngariæ* relictam, & *Henrici* tertii Imperatoris filiam, & quarti *Henrici* tunc regnantis, ſororem deſponſat in vxorem. Hæc in *Vngaria* (*Salomone* Rege poſt infelicem pugnam, quam *Hunnorum* adiutus auxilio cum Duce *Kuſtek* geſſit, in *Bulgariam* primum, deinde *Iſtriam* diuertente) morabatur, omnisque ei honos à B. *Wladislao* Rege ſeruatus eſt, & donatio dotis nomine ſibi de rebus & poſſeſſionibus, per *Salomonem* facta ſincerè, & integrè habita, & propter proſapiæ excellentiam, & ſtatus Reginalis dignitatem. 1088. Eo quoque beneficio B. *Wladislao Vngariæ* Regi obligata minus cunctanter, ipſo B. Rege huiusmodi promouente matrimonium, *Polonorum* Duci *Wladislao* nupſit, & in *Poloniam* frequenti & inſigni comitatu deducta, haud contemnendam nobilium rerum, & clenodiorum ſupellectilem, ſecum in *Poloniam* attulit. Et licet prædicta *Zophia* Regina vxor *Wladislai* Ducis *Polonorum*, viuente primo marito *Salomone* Rege ſterilis ſemper fuerit, ex *Wladislao* tamen *Polonorum* Duce fœcunda eſſe cœpit, tres quoque filias tempore procedente edidit.

& Miecslaus Ruſſiæ filiam Suantopelki Eudoxiam.

Accepit & tunc *Miecslaus* Princeps *Boleslai* Regis *Poloniæ* filius, epheborum ætatem parum iam transgreſſus *Swantopelki Kiouienſis* Ducis ſororem germanam *Eudoxiam* nomine, *Wladislao* patruo ſuo *Polonorum* Duce ordinante, vxorem, quatenus *Ruſſiæ* regiones à patre ſuo ſubactæ hac affinitate magis ſinceriores, & deuotæ in fide perſiſterent, magnusque *Cracouiæ* conuentus Principum & Baronum habitus eſt, & *Wladislao*, & *Miecslao* Ducibus *Poloniæ* celebritatem ſingularem exercentibus, pro accepto matrimonio geminato.

Victori III. P. R.

Victor III. Pontifex *Romanus*; dùm anno vno, menſibus 4. diebus 9. ſediſſet, per amicos *Henrici* Imperatoris ſibi in calice venenum propinatum ſumens, ventris profluuio fatigatus diſſoluitur. Cui *Otto*, vel *Oddo*, qui primus monachus *Cluniacenſis*, poſt Cardinalis Epiſcopus *Oſtienſis* fuit, *Vrbanus* II. nominatus ſuccedit.

ſuccedit Vrbanus.

Qui in *Franciam* vadens, aliquot Conciliis congregatis, Principes *Franciæ*, *Hiſpaniæ*, *Angliæ*, *Nortmaniæ*, *Flandriæ*, ad recuperationem terræ Sanctæ à *Saracenis* occupatæ, & plurimos *Chriſti* fideles crucem aſſumere induxit, & ſub eius Pontificatu, terra Sancta feliciter recuperata eſt. Renouantur autem *Vrbano* aſſumpto inter ipſum & *Henricum* Imperatorem, & *Guibertum* Antipapam ſcandala, vno alium variis cenſuris, & dehoneſtationibus percellente.

Schiſma in Eccleſia.

Grauisque turbatio Eccleſiam Dei vexabat eo tempore, viris Eccleſiaſticis (& quod execrabilius eſt) Pontificali dignitate præditis, ſe inuicem collidentibus, ac per contentiones & zelos carnaliter ſeſe æmulantibus. Nullus nexus ſpiritualis concordiæ, in cæteris inferioribus *Italiæ* prælatis poterat ſeruari. Hic *Vrbanus* II. in Concilio apud *Clarum montem* celebrato ſtatuit, vt horæ B. *Mariæ* virginis quotidie, officium verò Sabbati die ſolenniter implerentur, quod hoc Beata virgo fratribus in *Carthuſia* reuelauit.

1089. *Corpus S. Stanislai,*

Decimi iam anni, ex quo beatiſſimus martyr & Pontifex *Stanislaus Cracouienſis* Antiſtes, *Boleslao Polonorum* Rege felici cruore damnatus erat, tempus agebatur, hominum tam Eccleſiaſticorum, quam ſecularium illius temporis ſua curia, qui & martyrium ſuum coram vide-

1089. viderant, Sanctitatis ſublimitatem nouerant, miraculorum ab ipſo in vita, & poſt patratorum ſcientiam plenam habuerant. Corpus A tamen B. ante fores Eccleſiæ S. *Michaelis* de *Rupella*, in eo cinere, quo primum humatum fuit, patiebatur deliteſcere, donec S. Dei *Stanislaus*, id ſibi præſtari imperauit officium. Dùm ſiquidem Nobilis quædam, & religioſa matrona, ipſo B. *Stanislao* pro excellentia meritorum plurimum deuota, *Swiantoslawa* nomine, ſæpè nocte intempeſta, pro ſuis & aliorum neceſſitatibus ſanctum Dei, à quo iam in frequentibus ſuis obſecrationibus poſtulatam impetrationem acceperat, interpellatura ad ſuæ ſepulturæ locum, crebras ageret excubias, in vnius noctis, quam illic in orationibus & precationibus totam ferè abſumpſerat, diluculo verſa in extaſim, Eccleſiam S. *Michaelis* de B *Rupella* multorum luminarium, atque lampadum fulgore refertam ingreditur, officiorum diuinorum ſolennia auditura. Tùm ad Eccleſiam venerandus, vt illi videbatur, *Stanislaus* Pontifex Pontificali amictu indutus, venerabilium perſonarum munus miniſterii ſecum unà exequentium, in coronæ modum cinctus frequentia magnam quandam celebritatem expleturus aduenerat. Cumque ſingula ritu ſolenni expleta eſſent, ea vox à Pontifice S. ad matronam inſonuit: *Indignum*, inquit, *prouidentiæ diuinæ videtur, & maieſtatis ſuæ oculis ingratum, quòd paucus mihi debitus honos impenſus eſt, & oſſa mea decennio ferè iam exacto, vili conſiſtunt in puluere. Conſurge* C *itaque filia, Deo & mihi deuota, & intrepida, Lampertum Cracouienſem Epiſcopum ſucceſſorem meum, & Canonicos fratres meos adi. His quoque omnium quæ hic agi vidiſti, relatione fideli patefactis, manda illis, vt corpus meum in Eccleſiam maiorem non cunctanter transferant.* Qua relatione *Lampertus Cracouienſis* Epiſcopus audita, cum Canonicis ſolenni proceſſione omnibus vrbis Eccleſiis indicta, corpus ſanctum in Eccleſiam Cathedralem *Cracouienſem* S. *Venceslao* dicatam intulit, & in medio Eccleſiæ nobilem tumbam, auro, & gemmis adornatam, qua & cineres & oſſa condita ſunt, fabricauit, hosque verſus capitalibus literis in auro inſcripſit:

ipſo iubente

In Eccleſiam S. Wenceslai transfertur.

Tumba Stanislai cineres tegit iſta Beati,
Regis Boleslai, quia non fauet impietati,
Martyrio meritas cœli migrauit in ædes.
Felix cui Deitas merces, cui ſidera ſedes.

Omiſit autem *Wladislaus* Regni *Polonici* Dux ſtudioſèque diſtulit, pro S. Dei *Stanislai* laborare canonizatione, quamuis videret illum mirificis fulſiſſe, fulgereque prodigiis, ſilentii latibulo opera S. Dei contegens, ſuo, & generis ſui, qui per canonizationem B. *Stanislai* illuſtrandus, detegendusque fuerat, parſurus pudori, ignominiæ, turpitudini, & dedecori. Exceſſit poſt translationis huius paucos dies è vita Dux *Miecslaus* filius *Boleslai Polonorum* Regis, & S. *Stanislai* occiſoris, nec aliquam prolem ex vxore, quam anno transacto ſuſceperat, reliquit, in quo ſemen *Boleslai* Regis parricidæ deſiit, vt verbum S. Viri *Stanislai*, quo illi in ſcelere perſeueranti orbitatem, & ſemoris ſui perpetuam extinctionem prædixerat, impleretur. Cuius vitæ breuitas nihil habet memoria dignum aliud, niſi quòd caligine ſubitæ & inſperatæ mortis inuolutus, declarauit, non plus certitudinis protrahendæ vitæ habere florentiſſimum adoleſcentem, quam incurium & veteranum ſenem. Habet nonnullorum ſcriptorum aſſertio, factione certorum *Poloniæ* Baronum, eorum præcipuè, quorum autoritate, & obiurgatione *Boleslaum Poloniæ* Regem exulatum iri conſtabat, veneno Ducem præfatum *Miecslaum* ſublatum fuiſſe. Nam cum ſupra ætatem, vegetior illi erat indoles, & tam liberalitatis munificentia, quam militaribus actibus, ſactiuitate, comitate, & induſtria, plusquam illi conueniret ætati, patrem expreſſiſſe videretur, præfatorum Baronum improbitas, verentium, ne paternas iniurias ſtatu & ætate maturante vltum iri pergeret, illam ſibi veneni peſtem aſſeritur procuraſſe. Qua non ipſe tantum, ſed & ſui nonnulli domeſtici familiares infecti, aut exhalabant animas, aut diuturno morbo correpti miſerè langueſcebant. Suſpectum etiam affectati Regni nonnulli ferebant *Wladislao* fuiſſe, ob idque mortem ſuam æquo minus tuliſſe, quod circa eum ingentem totius *Polonici* populi gratiam videret adoleſcere, & ob id de his, qui illi necem ſubminiſtrauerant, neglexit pœnas inquirere. Obitum autem *Miecslai* Ducis tàm miſerandum, quàm miſerabilem, quis iuſtus rerum æſtimator, ſola Dei iuſtitia ſequutum dubitabit accidiſſe? qui ſcelera patrum vsque in quartam puniens generationem, quod in patre ad integrum non puniuerat, in filio vindicauit, & non naturali, aut honeſta morte, ſed turpi, violenta, & veneſica, ſcelus in S. Dei *Stanislaum* digna retributione compenſans, illum occumbere permiſit, vitæque immaturæ iuſtè ſubtractus eſt, cuius parens Pontifici beato vitam iniuſtè ademerat. Quod & temporum viciſſitudine luceſcere poterit, cùm pro eodem tempore D *Boleslai* Regis vnicum pignus occidit, in quo Martyris Dei *Stanislai* nomen & meritum, & translationis honore, & ampliori veneratione à fidelibus cœptum eſt coli & venerari. Immatura autem Ducis *Miecslai* mors, in vrbibus, oppidis, vicis nunciata, omnes ferè *Polonos* in luctum & lachrimas impulerat, magnumque iuuenis deſiderium in *Polonorum* pectoribus accenderat. Dum enim parentis ſui *Boleslai* Regis numerarent victorias: dum ſubactas ab eo præcenſerent prouincias: dùm vultum inſtruentis aciem & milites educentis in prælium, & exhortantis ad pugnam: dùm liberalitatem, ſactiuitatem, induſtriam, & alias dignas Rege virtutes, quas *Miecslaum* filium ſuum

Miecslaus Boleslai Regis filius moritur. 1089.

1089. ũm plenius quàm patrem innouaturum ſperauerant, certatim efferent, non gemere, non anxiari, non vacare mœrori & luctui, & fortunam ſuam non increpare ſibi, & ſtatui ſuo, atque *Poloniæ* Regno, quod per virtutem *Miecſlai* inſtaurandum facile crediderant, non timere, & caſus ſuos in illius occaſu non dolere, non poterant. Quapropter ad funebrias illius in Eccleſia *Cracouienſi* habitas, non militum modò, ſed mechanicorum & agreſtium operibus intermiſſis magna multitudo confluxerat, & quoad licuit feretrum, in quo corpus exanimè portabatur *Miecſlai* ſequuta, inconditum emittebat flendo eiulatum. Miſeram inſuper *Miecſlai* Ducis matrem, & *Boleſlai Poloniæ* Regis conſortem *Wiſſeſlauam* continuatus adeò priuatus, & publicus dolor in funere nati, quàm maximè potens vexauerat, ærumnas ſuas, & pro exilio glorioſi quondam mariti ſui *Boleſlai* Regis, & pro occaſu filii ſui ingeminans, vt velut exanimis, & mortua, de Eccleſia, dùm cadauer filii conderetur elata, finibus quoque matronarum aliquanto tempore fota. Vix tandem Pontificum *Poloniæ*, qui & ipſi officio funeris aderant, aquas frigidas in ora Reginæ exanguis & ſupinæ ſpargentium compos mentis effecta eſt. Non exiguam enim *Miecſlaus* Dux *Polonis* dederat ſpem, magni iuſtique Regis indolem, ſe ſubditis, ſi vita foret extenſior præbiturum, & Regno *Poloniæ* decus ſuum reſtituturum. Et quo fuerat deſiderabilior, eò & mors ſua habebatur ſuſpectior, & periiſſe factione primorum inſimularetur, eo reſpectu veneno ſublatus, ne non grauis fieret Dominator. Genitrix illius nullas conſolatorias, quæ ingerebantur admittens voces, mœſta per omnem vitam & lugubris in funere ſemel impoſita lugubria, nunquam exuit, geminato vexata malo, & mariti exilio, & filii fato, non multo poſt quinto Idibus Martii fato ſubtracta.

Ruſſiæ Duces

Vniuerſis ferè *Ruſſiæ* Ducibus, & regionibus à *Polowcys* aut vaſtatis, aut ſubactis, *Wladimirus* de *Pareaſlaw* Dux ſolus reſtabat Huic quoque & regioni *Polowcy* cum duobus Ducibus, *Kitano*, & *Itlar* inferunt bellum. Qui miſſis nunciis antequam Principatus ſuus ab hoſtibus vaſtaretur, pacem etiam ſub conditionibus iniquis acceptat, obligans ſe *Polowcys* ad annui ſolutionem tributi. Super quo, & filium ſuum *Suantoſlaum*, nec enim aliter pax conueniſſet, dare coactus eſt in obſidem *Polowcys*. Suggeritur interim *Wladimiro* Duci *Pereaſlauienſi*, & a propriis militibus, & à *Slauenta* milite *Kiouienſi*, qui ad illum mandata certa perferens à *Swantopelkone Kiouienſi* nuncius venerat, vt *Polowcios* quietos, & hinc inde diſperſos opprimat & obtruncet. Qui diu reluctatus, aſſerens id ſuo honori & fidei non conuenire, victus tandem acquieuit, & *Slauentæ* ac aliis militibus negotium demandat. Qui primum *Suantoſlao* filio *Wladimiri* obſide, (negligentiùs enim à *Polowcys* aſſeruabatur) furtim ſublato, *Kitanum* vnum ex Ducibus, & omnes viros, qui ſecum una morabantur, interficit. 1089. Alterum quoque *Polowconum* Ducem *Itlar*, apud vnum ex Boiaris *Ruſſiæ*, *Ratibor* nomine, hoſpitantem, miſſis aliis militibus *Wladimir*, cum omnibus ſuis militibus obtruncat.

Polowcos variis prœliis fundunt.

Ea cæde expleta contrahunt *Suantopelk Kiouienſis* & *Wladimir Pereaſlauienſis* Duces, quantò maiores copias poſſunt, Ducem inſuper *Olech* requirunt, vt illis laturus contra *Polowcios* ſolatia adueniat. Quo pollicente, ſed vafro ingenio in aliam diuertente viam, *Suantopelk* & *Wladimir* ſtationes *Polowconum* nil hoſtile veritas inuadunt, & pluribus, qui reſiſtere audebant trucidatis, cæteram imbellem turbam fœminarum, impuberum, paruulorum puerorum, camelorum, pecorum, & equorum captiuant, & in *Ruſſiam* deducunt. Indignati autem vehementer Duci *Olech*, quod promiſſa ſua variando, ferre illis auxilia diſtuliſſet, mittunt nuncios qui eum corripiant, accuſentque, *quod contra hoſtes communes & infeſtos in commune reſcindendum periculum non veniſſet*, deinde rogant, *vt filium vnius Polowconum Ducis Itlar apud ſe aſſeruatum, aut tradat illis, aut necet*, ſed cum *vtrumque non eſſe facturum* reſpondiſſet, odium in ſe graue, tàm Ducum, quàm militum *Ruſſiæ* excitauit. Non quieuerunt poſthæc *Polowcy*, ſed nouo exercitu comparato caſtrum *Vbrow* Ducis *Suantopelkonis* æſtate integra circumſident, & fuiſſet illis deditum, niſi *Suantopelkus* miſſis muneribus *Polowkos* placatos diſcedere feciſſet. Succedunt *Polowcys Prutheni*, & 28. Auguſti terras *Ruſſiæ* in magna multitudine ingreſſi vaſtant illas. *Dauide Suiantoſlauic* Duce *Nouogrodenſi*, ex *Nouogrod* in *Smolensko* diſcedente, *Miecſlaus Wlodimirouicz* petentibus *Nouogrodenſibus* venit ex *Kaſtow*, & *Nouogrodenſem* occupat Ducatum.

Fluxam & dubiam fidem poſt *Boleſlai Poloniæ* Regis in *Vngariam* diſceſſionem terræ 1090.

Rutheni ſe à Poloniæ Regno ſeiungunt.

Ruſſiæ, (quæ & hæreditario, & belli iure ſub regimine eiuſdem *Boleſlai* Regis in *Polonia* regni ditionem conceſſerant) præ ſe ferentibus, & propter Regni *Poloniæ* mutationem, in rebellionem ſpectantibus, Ducis *Miecſlai* morte ſequuta, & apud *Ruthenos* vulgata, cui terræ illæ ex iure conſortis nuper ductæ, & paterno, & materno iure debebantur, in rebellionem prodierunt apertam, ſolutoſque ſe à iugo & fœdere, quo vel *Boleſlao Poloniæ* Regi, vel *Miecſlao* filio ſuo deditos ingenuè fatebantur, in commune pronunciant, armiſque correptis Capitaneos & Præfectos *Polonorum* de caſtris & munitionibus *Ruthenicis*, quæ ſine præſidio fidelium militum tenebantur, exturbant, & depellunt, aliquos pecunia corruptos, alios fame maceratos, de caſtris & munitionibus excedere cogunt. Qui verò dolo, & fraudibus,

aut

1090. aut largitione, peruinci non poterant, longa obſidione *Ruthenorum* victi *Wladiſlao Polonorum* Duce vel diſſimulante, vel negligente, A vel aliis bellis, & Reipub. implicato, opem obſeſſis ferre, dedendis caſtris & fortalitiis cum *Ruthenis* paciſcuntur. Itaque ſub vnius anni tempore terrarum *Ruſſiæ* iuſta, & continuata poſſeſſio propter Principis deſidiam à *Polonorum* ditione ſubducta eſt, *Ruthenis* non tam ex iniuſto & auaro regimine, quam ex ritus in fide diſparitate *Polonorum* imperium quam maximè abhorrentibus.

Wladiſlaus Bohemiæ Rex cum fratre Iaroslao Ep. Pragenſi ſimultates exercet,

Inter *Bohemiæ* Regem *Wladiſlaum* & germanum ſuum *Iaromirum* alias *Gelbardum Pragenſem* Epiſcopum quibuſdam ſimultatibus in dies gliſcentibus, quas aſſentatorum, quibus aures Principum continuò pruriunt, promouebat aſſertio, etiam ſopitum pro Eccleſia B *Olomuncenſi*, repullulat incendium. Viſus ſiquidem *Wratiſlao Bohemiæ* Regi *Iaromirus Pragenſis* Epiſcopus nimium ſuis votis & actionibus rebellis, aduerſus, arrogans, & inſolens, primùm in illius opprobrium & contumeliam *Wiſſegradenſis*, nulli, niſi Apoſtolicæ autoritati immediatè ſubiicienda, fundata eſt Eccleſia, & *Olomuncenſi* Eccleſiæ ſola Regis *Wladiſlai* voluntate diſmembratæ, Presbyterum curiæ regiæ *Wech* nomine, in Pontificem præficitur. Depulſurus & ignominiam & iniuriam *Iaromirus* Epiſcopus *Pragenſis* Pontificem *Romanum* adire conſtituit, & in eundo ad virum B. *Wladiſlaum Vngariæ* Regem ſuis interceſſionibus & auxiliis cauſam ſuam fulciturus declinauit. Quem cum *Strigonii* offendiſſet, ſubito languore correptus, ſub breui tempore dolore graſſante diem obiit, ex quo facilior Eccleſiarum *Olomuncenſis* & *Pragenſis* Rege *Wratiſlao* procurante, ſequeſtratio ſucceſſit. Et in vnius *Iaromiri Pragenſis* Epiſcopi locum, hi duo Pontifices, videlicet *Andreas Olomuncenſis* & *Coſmas Pragenſis* ſuffecti ſunt.

illumq; Pragenſi Epiſcopatu priuat.

1091. *Wladiſlaus Dux Pomeranos & Pruthenos, qui à ſe defecerant,*

Defectio *Ruſſiæ* à *Wladiſlao Polonorum* Duce, cum iniuria tolerata *Pomeranos*, *Pruſſos*, in ſimilem defectionem pertraxit. Qui obedientia ſubtracta, tributa ſolita cameræ Ducali fiſco pendere interdicunt, eosque Præfectos & Capitaneos, qui vna ſecum non ſeruirent, D aut necant, aut contumeliis affectos depellunt. Non ſecùs quam par erat, *Wladiſlaus Polonorum* Dux, huiuſmodi commotus iniuria, bellum contra *Pomeraniam* & *Pruſſiam* indicit, copiasque omnes ſuorum Principatuum pro feſto S. *Ioannis Baptiſtæ* in metis iubet conuenire. Quibus iuxta edictum conuenientibus, terram *Pomeraniæ* ingreditur, & caſtra munitionesque plerasque conquirens, agros eorum depopulatur, vicosque exurit. *Pomerani* cum barbaris *Pruthenicis* iuncti, non placandum ſibi Dominum naturalem & hæredem, ſed bello aggrediendum decernunt, congeſtoque valido exercitu *Wladiſlao* Duci, in feſto

1091. Aſſumptionis B. *Mariæ* circa *Rzececz* occurrunt; aciebusque diſpoſitis Ducis *Wladiſlai* exercitum, propter feſti celebritatem eo die pugnam detrectantem, inuadunt. Ea neceſſitate impulſus *Wladiſlaus* Dux, ſuos & ipſe arma, in grandi ſe verſari conſpiciens periculo, iubet capeſſere. Atrox prælium initur, *Pomeranos* enim & *Pruthenos* male præſumpta accendebat defectio, *Polonos* indigna rebellio. Iam prælium in maiorem diei partem, vtraque parte pro victoria incumbente, extractum erat, cùm ordines *Pomeranorum* & *Pruthenorum* rareſcere, pedem ſubinde referre, & poſt paululum in fugam agi cœperunt. Fugientes, *Polonus* longiſſimo itinere perſecutus eſt; magnaque cædes in fugientes, ab ira edita, cum magna iucunditate reſiduum diei à Duce *Wladiſlao* & exercitu abſumptum eſt. Omnisque tunc obtenta victoria B. Genitricis Dei ſuffragiis deputata. Hac pugna *Pomerani* & *Pruthenı* fracti, ad obedientiam reuerſi, ſe ſuaque omnia *Wladiſlao* Duci tradunt, veniam certatim deprecantur. Quam ille facile eis conceſſit, exiſtimans illos fideles futuros, ſingulas tamen munitiones principales, & caſtra, ab eorum poteſtate, & regimine auferens, ſuis ea probatis militibꝰ regenda diſtribuit, nonnulla verò, ea præſertim, quæ in finibus terrarum conſiſtebant, quo maior adimeretur *Pomeranis* & *Pruthenis* rebellandi occaſio, dirui aut incendi iuſſit, omnibusque debito ordine compoſitis ad ſedes ſuas cum victoria & incolumi exercitu rediit.

vincit, & ſibi ſubiicit.

C Circa eadem tempora, tempore *Cæleſtini* tertii Papæ per operam *Meinhardi* Epiſcopi *Liuoniæ*, *Liuonia* ipſa ad fidem Chriſtianam conuerſa eſt. Cui ſucceſſit frater *Bertoldus* à *Liuonis* occiſus. In cuius locum *Albertus* ſubſtitutus, & reſiduum *Liuoniæ* ad fidei puritatem reduxit, *Rigenſem* Metropolim & ciuitatem *Gottorum*, & aliquot Epiſcopatus in *Liuonia* autoritate Apoſtolica fundat & dotat, & ordinem Canonicorum Regularium in Eccleſia *Rigenſi*, in qua annis 30. ſedit, inſtituit.

Liuonia ad fidem Chriſti conuertitur.

Infeſtum validoque exulceratum odio *Wratiſlaus Bohemiæ* Dux animum, contra germanos ſuos, *Conradum* & *Ottonem* gerens, ea vel maximè ſuſpicione perculſus, quod Regnum *Bohemiæ* ſe moriente filio excluſo, illos rebatur inuaſuros, portionem eorum *Morauiam* graui agmine ingreſſus, *Olomunc* ciuitatem & alia oppida, quæ iuris *Ottonis* fuerant, capit, filioque ſuo *Bretiſlao* tenenda committit. Sub hac contentione *Ottone*, duobus filiis *Suentopelkone* & *Ottone* relictis, morte ſubtracto, in *Conradum* fratrem reſiduum ſæuiens crudeliùs, *Bruniam* ſortem eius obſidere cœpit. Sub qua filius eius *Bretiſlaus* Baronem maiorem *Zderad*, (cuius opera *Wratiſlaus* Rex in bello plurimum vtebatur) ob id quod ſibi ſtationem prope vndas, quibus laſciuè ſe abluere conſueuerat, dari, Regem faceto magis, quàm digeſto ſermone rogauerat,

Variæ turbæ in Bohemia,

1091. rat, doloſè ad ſe accerſitum. *Conrado* etiam patruo, iuuenis ſuapte feruentem exacuente iram, interemit. Sceclereque perpetrato pater- A nam incanduiſſe ſentiens iram, in alteram partem fluminis ſequente ſe magna exercitus parte, ſua transfert tabernacula, & quamuis reconciliatio inter patrem & filium *Vitpurga* vxore *Conradi* agente, fuiſſet ſecuta, filius tamen parum illi fidens, verſus *Grodek* proceſſit. Pro qua re patre altius offenſo, & à *Conrado* fratre, pro nepote ſe opponente, placato, *Bretiſlaus* ipſe non audens de patre amplius confidere, ad B. *Wladiſlaum Vngariæ* Regem confugiens, vſq; ad patris mortem in *Vngaria* prope *Tenczyn*, in diſtrictu *Banow* degit. *Wratiſlaus* quoque Rex de filio vlturus, *Conradum* fratrem ſibi in Regno ſucceſſurum ordinauit.

& Ruſſia Afflictioni terrarum *Ruſſiæ* quam illi *Polow-* B *conum* intulerat ſeueritas, *Suantopelk Kiouienſis*, & *Wladimir Czernieouienſis* Duces prouiſuri, conuentum apud *Kiow* inſtituunt. Miſſiſq; ad *Olech* Ducem nunciis precantur, vt & ipſe illuc adueniat, arbitrio Epiſcoporum, Monachorum, & Boiarorum in ordine ſuper defenſione terræ *Ruſſiæ* à *Polowcys* conſenſurus. Qui Legatorum verba irridens, & contemptui habens: *Non adducetis*, reſpondet, *vt Epiſcoporum, Monachorum, & vilium perſonarum Imperiis caput meum ſubſternam.* Quo reſponſo *Suantopelk* & *Wladimir* Duces offenſi, in *Olech* primum, quam in *Polowcos* arma inferunt, qui à facie eorum ex *Czernieiow* fugiens, in *Starodub* ſe recepit, vbi à *Suantopelkone* & *Wladimiro* C Ducibus vallatus & concluſus, 30. diebus obſidionem tolerauit. Fame tandem illum, & viros, qui cum illo erant, peruincente, pacem petit, offerens ſe in Ducum *Suantopelkonis* & *Wladimiri* pietate futurum. Qua miſericordia Ducum obtenta, & obſidionem ſoluunt, & vt germanum ſuum *Dauid* in *Kiow* abducat, illi præcipiunt. Qui non ſolùm obedienter, ſed & iureiurando cruce deoſculata, obtulit ſe imperata facturum. Interim Dux *Maniak* cum *Polowcys* venit contra *Kiow*, & multis ſpoliis & damnis commiſſis, curiam Ducalem in *Bereſtow* comburit, *Tuhorka* inſuper alter *Polowconum* Dux, & *Suantopelkonis* ſocer, venit cum *Polowcys* contra *Pereaſlaw*, ſed *Suantopelkone* & D *Wladimiro* defenſionem opponentibus, 19. Iulii ad flumen *Trubosza* pugna committitur, & victis *Polowcys* etiam Dux eorum *Tuhortkai* & filii eius occiduntur. *Polowcy* autem nihil hac re territi, nouo inſtaurato exercitu, tàm ſilenti agmine in *Kiow* perueniunt vt parum abeſſet, quin caſtrum *Kiouienſe* negligenter cuſtoditum caperent. Qui ſpe ſua fruſtrati, templa, monaſteria, & rura incendunt. Præuaricato Dux *Olech* iuramento, in conuentum Ducalem venire faſtidiens, exercitu congeſto Ducatum *Moromoſz*, qui ab *Izaſlao* filio *Wladimiri* Ducis *Kiouienſis* tenebatur, aſſerens illum ad ſe, velut paternam hæreditatem peruenire inuadit. Sexta autem die Septembris, *Izaſlaus* cum militia ſua *Olech* occurrens, confligit, & vtroque pro victoria adnitente, *Izaſlao* occiſo, cedit *Olech* victoria, militibusque *Izaſlai* in varia loca diffugientibus, *Olech* Dux in caſtrum à *Moromoſzenſibus* acceptus eſt, & iam *Roſtow* caſtrum dedentibus ſe illi *Roſtouienſibus* & tributa pendentibus, in ſuam retorquet ditionem. 1091. Potentiam autem Ducis *Olech*, eiuſdemque tyrannidem *Mſcislaus* alter filius *Wladimiri*, & germanus *Izaſlai* occiſi, qui in *Nouogrod* reſidebat, veritus, miſſis ad *Olech* nunciis offert ſe, & ſpondet illum, & patri *Wladimiro* Duci *Kiouienſi* & ſibi, non obſtante, quod *Wladimiri* filium & fratrem ſuum *Izaſlaum* occiderit, cum non ſolùm Ducum, ſed & Regum, & Cæſarum ſæpè cædes contingat, reconciliaturum. *Olech* autem *Nouogrodenſem* ambigens Principatum, & ſperans ſe *Mſcislaum* facilè de eo pulſurum, nunciis *Mſcislai* abſque reſponſo remiſſis, hoſtiliter *Nouogrodenſem* regionem inuadit, & *Iaroslao* germano ſuo ad ſpecula præmiſſo, ipſe in *Turow* cum exercitu conſiſtit. *Iaroslaus* autem ſpeculandi gratia longius quàm ſat erat progreſſus, à *Mſcislao*, & eius militibus intercipitur. Quo euentu Dux *Olech* territus ſecedit in *Roſtow*, *Mſcislao* illum perſequente. Cœpit autem *Mſcislaus* caſtrum *Sazdam*, & incendit illud, *Olech* verò ſibi præcauens fugit in *Moromoſz*, cum quo *Mſcislaus* miſſis nunciis, pacem componit, & exercitum ſuum diſſoluit, exiſtimans animum natura tyrannicum, & in cædes procliuem ſua modeſtia ſanaturum. *Olech* intelligens *Mſcislaum* campum ſoluiſſe, fœdere violato, cum ſuo agmine contra illum venit. Qui à facie *Olech* fugiens, militibus ad arma vocatis, *Olech* cum perſequentibus occurrit. Quatuor quoque diebus congredi differens, in caſtris ſe continuit, gentes ex *Kiouienſibus* & *Polowcys*, & fratrem *Miecslaum* in ſui auxilium à patre *Wladimiro* tranſmiſſos, de quo nunciatum erat, præſtolatus. Quibus aduenientibus cum *Olech* militibus *Mſcislai* pedeſtrem pugnam cientibus congreditur, & pugna acerrima inter vtrumque feruente, præualet *Mſcislaus*, & *Olech* victus fugit in *Moromoſz*: Vbi Duci *Mſcislao*, a quo victus erat pèr communes milites reconciliatus, non exiſtimans ſe, de cætero *Ruſſiæ* poſt plures dolos commiſſos tutum fore, cum nonnullis militibus in *Reſanos* profugit. Quem *Mſcislaus* Dux perſequutus, & milites qui ſecum vnà fuerant, & ipſum *Olech* Ducem verbis dulcoratis, plenam ſpem redolentibus, alloquitur: *Turpe eſt*, inquit, *tibi, turpe nobis fratribus tuis, turpe & militibus tuis, vt in alienis terris exules, calamitoſius deliteſcas, fabulam de te hoſtibus, & inuidis, his quoque apud quos commoraturus es, facturus. Reuertere itaque in terram Ruſſiæ, vbi ſecurior poteris habitare. Non adeò maligni ſunt fratres tui*

Duces

1091. *Duces Ruſſiæ, vt tibi omnia mala, quæ in illos & terras eorum commiſiſti, dummodo facinorum tuorum te pœniteat, non ignoſcant.* Quo huiusmodi verbis pellecti, & acquieſcente, ipſum & milites ſuos ex fuga reducit, & reuerſus *Olech Mcislao* permittente, & fauente intrat caſtrum *Nouogrod.*

Petro I. Ep. Wratislauienſi ſuccedit Ziroslaus I.

Wratislauienſis Eccleſiæ Epiſcopus *Petrus* primus, cum annis vno & triginta in Eccleſia *Wratislauienſi* præſediſſet, diem in bona ſenectute obiit, & in Eccleſia *Wratislauienſi* ſepultus, *Ziroslaum* primum *Wratislauienſem* Præpoſitum, genere nobilem de domo *Roza*, in terra *Cracouienſi* ortum via ſcrutinii electum, habuit ſucceſſorem. Cui facile & *Wladislaus*, appellatus *Hermanus*, Dux & Monarcha Regni *Poloniæ* filius *Cazimiri*, & germanus *Boleslai Poloniæ* Regum aſſenſus eſt, à *Martino* primo Archiepiſcopo *Gneſnenſi* in anno ſubſequenti ipſe *Ziroslaus* apud ciuitatem *Kaliſz* fuit conſecratus.

1092. *Wladislaus Dux Pruthenos & Pomeranos iterum impugnat,*

Ferias ſibi *Wladislaus* Dux *Poloniæ* conatibus *Pomeranorum* & *Pruthenorum* oppreſſis agere, anno eo videbatur. Sed extemplo affertur illi nuncium, *Pomeranos* & *Pruthenos* obſtinatius rebellionem induiſſe, & peſte recidiua Capitaneos ſuos ac præfectos, aut ſuppliciis aut mortibus deſtinaſſe, paucis qui ſibi iuſtius benigniusque imperabant, vitam indulſiſſe. Atrocitate iniuriæ permotus *Wladislaus Polonorum* Dux, ea bili incanduit, & ſuorum iniuſtas neces vlturus & *Pomeranorum Pruthenorumque* rebellionem oppreſſurus, cum parua militum, exercitatorum tamen, manu (quoniam alios in tempeſtiuum tempus accerſiri prohibebat) in Februario menſe ad *Pomeraniam* ſe intrepidus contulit; bipartitisque cum *Setegio* Palatino *Cracouienſi*, & militiæ principe agminibus, greſſu citato vniuerſam *Pomeraniam* peragrat, & *Pruſſiam*, ſpoliisque & exuſtionibus vicorum milites iubet intendere. Integra illic fere Quadrageſima moratus, militibus non cuſtodientibus ieiuniorum legitima, magna vi captiuorum pecoris & ſpoliorum congeſta, *Pruthenis* & *Pomeranis* in ſiluis & locis inanibus ſe continentibus, neq; copiam bellandi facientibus, ex *Pomerania Poloniam* ingrediebatur. In locum quoque qui ab incolis *Drzen* dicitur, quem fluuius *Nakel* circumfluit, peruenerat, dum ſpeculatores à tergo relicti denunciant, non contemnendam *Pomeranorum* & *Pruthenorum* multitudinem ſuperueniſſe, nec longius quinque miliaribus à caſtris Ducalibus abeſſe. Paucitas ſiquidem in Ducali exercitu per *Pruthenos* & *Pomeranos* conſpecta, vt arma viriliter corriperent, prædasque ſuas eriperent, & *Wladislaum* Ducem nuſquam aliter oportunius confligerent, illis animos fecerat. Diu ſecum & cum his qui ordines ducebant, *Wladislaus* Dux deliberans, confereretne cum hoſtibus frequenti numero ſuas copias excedentibus manus, an ſe tempori meliori reſeruaret, diuerſis, (vt fit) varia ſentientibus, hæc tandem ſententia vicit, ſatiusque viſum eſt honeſte dimicare, & animas effundere, quam inglorios, & de fuga notatos reuerti. Signis itaque collatis, nonnullis debilioribus ad prædas & ſarcinas relictis, durum inter vtrosque prælium feruebat. Anceps Mars neutra acie inclinata ſpectabatur ambigua ſpe, *Polonisne*, an *Pomeranis* victoriam largiretur. Dum *Pomerani* in locum deficientium, aut ſauciatorum integris ſubmiſſis, pugnam in pluribus locis inclinatam renouant, multitudineque ſuæ parti deſtinarent victoriam. *Poloni* militum peritia, obſtinatisque ad moriendum animis, impetum hoſtilem repellebant. Incredibile id forte quod relaturus ſum, plerisque videbitur, ſed de eo omnes annalium ſcriptores conſentiunt, tantus vtrique parti ad conſequendam triumphi gloriam fuit ardor, vt vsque ad tenebras pugnatum ſit, cum pugna hora tertiarum cœpiſſet. Inſtante crepuſculo *Pomeranorum* acies profligata abiit, nemo tamen abeuntem ex *Polonis* conſecutus eſt, ſauciatis fere omnibus, aut feſſis: Plures quoque erant in tam producta & intenſa pugna deſiderati quam capti; pro triumpho a *Polonis* habitum eſt non ceſſiſſe, neque prædam partam è manibus dimiſiſſe, memorabili pugna edita, diu in prælii loco *Wladislaus Poloniæ* Dux cum ſuis deliberabundus, quid facto opus eſſet, ſubſtitit, pergeretne quo cœperat; itinere in *Poloniam* ire, an remeare in *Pomeraniam*, pauidosque & metu perculſos *Pomeranos* non dato ad reſpirandum, ſed nec ad conſultandum, ſpatio debellaret. *eosq; vincit.* Probatur hæc a ſingulis poſterior via, pecus tamen hoſti ablatum, & frequentes in cæteris rebus prædæ, vulneratorum quoque in proximo certamine numerus, & militantium paucitas, adhæc inſuper inſtans Dominicæ Reſurrectionis dies celebris, & tempus intempeſtum redire in *Poloniam*, inclinarunt. Paucos tandem dies in ſedibus Ducalibus, ſub quibus militum frequentior non ex *Polonia* ſolum, ſed ex *Bohemia* numerus conduci poſſet, immoratus, in *Pomeraniam* cum potenti & numeroſo remeabat exercitu, geſtam pridem periculoſo certamine pugnam, ſi *Pomerani* & *Pruthen*i decernere auſi eſſent, non proprio tantummodo milite, ſed etiam externo (plures enim ſibi milites laturi auxilium donario accepto, ex *Bohemia* aduenerant) illaturus, fidens humano brachio à cœleſti deſertus, *Pomeranis* inter latibula ſe continentibus, & diſcrimine pugnæ prioris fractis, cum nouo & recenti milite congredi faſtidientibus, *Wladislaus*, Dux *Polonorum* inops conſilii, quo ordine hoſtibus bellum inferret (iam enim propinqua, & remota terræ *Pomeraniæ* loca ab hoſte, & propriis vexata, ampliorem vaſtationem non ſumebant) caſtrum *Nakiel*, (ibi enim plures didicerat *Pomeranos*, & ad tuendam munitionē & ad faciendam in *Poloniam* irruptionem conueniſſe) obſidione vallauit. *Poſt cum maioribus copiis caſtrum Nakiel obſidet,*

1092. In qua obſidione *Polonorum* exercitus, noctibus fere ſingulis vmbris quibuſdam armatorum ſpeciem præſeferentibus, ludificatus conſurgere cogebatur in arma, ſomnoque ſoluti milites, de improuiſo turbabantur, quod omnia hoſtibus repleta crederent. Metus quoq; & tenebroſæ noctis caligo non patiebantur ludibrium dinoſcere, & quod metuebat animus, præfigurabat oculus, mentis quoque pauor, fiebat imago viſus. At ego ominor ex nocturno & lunari iubare, quod fere tunc ſemipleno lucebat orbe, nocte concubia, radioſque monſtruoſos funderet, militumque *Polonici* exercitus feriendo terga, longiſſimas præ ſe porrigeret vmbras, vano ſinguli, re ad plenum non diſcuſſa, neque ad liquidum examinata, caperentur errore, crederentque quas ipſi faciebant vmbras, hoſtium iam ſuperuenientium, & eos inuadere geſtientium eſſe turmas. Quo timore acti corripiebant arma, arcus, gladios, tela & ſagittas, quaſi extemplo cum hoſte diſcrimen pugnæ inituri. Cumque diutius hanc ludificationem perferrent, noctium vna eodem pauore expergefacti, hoſtes conſequuntur, ac quidnam rei in ludibrio eſſet, experturi, certatim e caſtris proſiliunt, longiuſque, quam obſidentibus conueniebat, progreſſi, nihil aliud quam vmbras, & vana quædam phantaſmata ſe tandem conſectari agnouerunt. Sub illo tamen eorum improuido de caſtris egreſſu, hoſtes ex caſtro *Nakiel* irruptione facta, igne in ſtationes, & tabernacula, quæ plerumque ſtramine, aut gramine deſiccato operta erant, immiſſo, grande excitarunt incendium, quo homines, aut res, plures periere. Machiniſque & operibus caſtrum quatientibus pernicies illata, inutiles eos de cætero reddidit. Hieme inſuper, quæ in oris illis celerior, aſperiorque prouenit, appetente, cum nonnullos *Bohemos* fames affligeret, quoſdam algor frigoris grauaret, *Wladiſlaus* Dux caſtri *Nakiel* expugnatione, cum a *Pomeranis* egregie defenderetur, omiſſa, irrito cœpto *Gneſnam* rediit. Ex quo mirum in modum *Pomeranis* creuerant animi, in magnamque ſuperbiam erecti, nihil de ſemel arrepta rebellione laxauerunt. Hæc autem ignominioſa vexatio creditur tunc *Polonis* propter Quadrageſimalem ieiunii fractionem guloſius quam temporis ferebat qualitas, in carne, aut lacte edacitate intenſa, prout quibuſdam timoratis, & deuotis viris cœleſti oraculo reuelatum eſt, contigiſſe.

ſed illud relinquere cogitur.

Petro Archiep. Gneſnenſi ſuccedit Martinus I.

Decima nona Auguſti die, *Petrus Gneſnenſis* Archiepiſcopus, dum annis 24. præſediſſet, moritur; & in *Gneſnenſi* Eccleſia ſepelitur, puſillanimis & cunctator. Cui *Martinus* primus Nobilis genere, & religione inſignis, per electionem Canonicam ſuffectus, & ab *Vrbano* Papa ſecundo *Wladiſlao* Duce & Monarcha Regni *Poloniæ* inſtante prouiſus eſt.

Wratiſlao & Conrado Bohemiæ Regibus mortuis, ſuccedit Bretiſlaus.

Febre valida *Wratiſlaus Bohemiæ* Rex correptus, 19. Calend. Februarii *Pragæ* moritur, & in Eccleſia *Wiſſegradienſi*, cuius ipſe prima- A rius fundator extiterat, ſepelitur. Alii non ex febre, ſed ex caſu ferunt illi mortem accidiſſe. Dum enim auidus in venatione feram inſequebatur, cadens de equo, fracta ceruice, interiit. Germanus ſuus *Conradus*, iuxta illius, dum viueret ordinationem filio *Bretiſlao*, qui in exilio *Vngariæ* agebat, neglecto conſenſu Epiſcoporum & Baronum, accepit diadema. Hic quoque cum ſeptem menſibus, & duobus de viginti diebus *Bohemiam* rexiſſet, 8. Idus Septembris eiuſdem anno abſumptus eſt. Vtriuſque itaque morte Patris videlicet & Patrui, *Bretiſlaus* audita derelicta *Vngaria*, *Pragam* adueniens, a Clero & populo debito honore ſuſceptus. 8. Calend. Octobris in regi- B men Regni ſubſtitutus, non tamen in Regem eſt coronatus. Religionis Catholicæ primum ſe deuotum cultorem gerens, omnes ritus, ſuperſtitiones gentiliũ, omnes pythones, pythoniſſaſque, aruſpices, ariolos, & ſacrilegos eraſit de terra, quibus ſub regimine Patris ſui *Wratiſlai Bohemia* abundabat.

VVladiſlaus Dux iterum Pomeraniam vaſtauit, cuius incolæ tandem pacem petere coacti ſunt.

1093. Congeſta equeſtrium & pedeſtrium ex omnibus ſuis Dominiis valida manu, *Wladiſlaus Polonorum* Dux *Pomeraniam* primo æſtatis tempore repetit, & caſtrorum, munitionumque expugnatione omiſſa, agros vaſtans, & tecta, quæ vel relicta, vel deſerta fuerant, exurens, *Pomerania* vniuerſa peragrata, ad *Pruthenos Pomeranorum* auxiliatores diuer- C tit, parique vaſtatione, & incendio *Pruthenos* affligens, magnum & hominum captiuorum, & pecorum numerum illic conquiſitum ſecum adduxit. Ea expeditione *Pomerani* & *Pruthenі* ſingulis fortunis, quæ illis rebellionis ſpiritum ingeſſerant, exuti, adeo fracti, humiliatique ſunt, vt miſſis ad *Wladiſlaum* Ducem nunciis, ſi eorum errori ignoſcerit, ſe plenam obedientiam & deditionem facturos ſe offerent. Dux *Wladiſlaus Poloniæ* Legatis pro tempore benigne reſpondens, *& bonum animum eos, ac cæteros, qui ſeditionis cauſa non extiterant, habere* iubens, iuſſit, *vt ſinguli ad eum conuenirent, reconciliationem illic ſuam cum Domino, & hærede naturali, firmaturi.* Qui- D bus conuenientibus ſeditioſos omnes, & qui rebus nouis inhiabant, aut pœna capitis mulctauit, aut in alios tranſtulit Principatus, cæteræ multitudini pepercit.

Bretiſlaus Bohemiæ Dux Poloniam vaſtat.

Pomeranico bello *Wladiſlaum Poloniæ* Ducem *Bretiſlaus Bohemiæ* Dux occupatum intelligens, atque ad interiora *Pruthenorum* cum omnibus copiis tranſgreſſum, quanto maiori poterat exercitu collecto, Regnum *Poloniæ*, & eius terras hæreditarias, & naturales, *Albæ* fluuio conterminatos ingreſſus illas igne, & ſpoliis vaſtabat. Vacuas quoque eas tunc militibus reperiens, cum hoſtilitatem ſuam *Wladiſlaus* Dux *Poloniæ* minime ſuſpicatus, ex omnibus Principatibus ſuis milites in *Pome-*

1093. *Pomeranicum* bellum aſciuerat, liberius vaſtationi eius intenderat. A caſtro quoque *Grecz* ſupra *Albim* ſito, quod iuris *Polonorum* erat, initium ſumens, vſque ad fluenda *Odræ* graſſabatur. Cauſam licet falſe belli confingens, oram illam datiam quandam debitam non pendiſſe, re autem vera ſpoliis regionis, ea tempeſtate, pecore opulente, ſuam & ſuorum eſuriem, viſa opportunitate impleturus.

1094. *Wladislaus Poloniæ Dux*

Pro temerario & iniuſto bello per *Bretislaum Bohemiæ* Ducem terris *Poloniæ* anno ſuperiori illato, *Wladislaus Polonorum* Dux iuſtas concipit iras, paratque exercitum, ex ſingulis ſuis terris, auxiliarem etiam mercede conductum, ex *Vngaris Bohemisq;* *Bretislao* Duci ſuapte infeſtis comparat manum. Quod bellum illi tractanti, & maius aliud, quod tam *Morauiæ* quam *Bohemiæ* inferre ea æſtate parabat, in animo voluenti, ſubitus obrepſit morbus. Nihil tamen de vice *Bretislao* rependenda remittens, *Setegium*, qui *Sieciech*, Palatinum *Cracouienſem*, & Principem militiæ, virum ea tempeſtate in armis & ſingulis operationibus Reipublicæ magni precii, cum comparatis conuenientibusque equeſtribus & pedeſtribus copiis in *Morauiam* tranſmittit, hæc enim vicinior, magiſque oportuna ad vaſtandum videbatur. *copias in Morauiam mittit,* Committit autem *Wladislaus* Dux *Poloniæ* Principi militiæ *Setegio*, vt caſtrorum impugnatione & ciuitatum omiſſa, obuia quæque igne, & vaſtatione conterreret. Hæc mandata *Wladislao* Duce *Setegio* danti *Boleslaus* filius aderat, ſingulaſque inſtructiones & monita Patre edente ſcrupuloſius quam illi conueniebat ætati, notabat. Cum vero ardorem gerendi belli, quam pectus adoleſcentis in infirma licet ætate hauſerat, continere non valeret, flagitare Patrem cœpit, vt ad bellum *Morauicum* cum *Setegio* vna mitteretur. Patre vero abnuente, vnicus enim & charus erat illi, & difficultates periculaque belli, ad quas perferendas maiorem ætatem requiri declarante: *Satis*, inquit, *& annorum & virium mihi eſt*, (nonum autem annum agebat) *ſi tu optime genitor indulſeris.* *cum filio nouenni Boleslao.* Quo tam faceto dicto expugnatus Pater, promittit illi ad bellum *Morauicum* cum *Setegio* eundi facultatem. Tanta enim *Boleslai* pueri in expeditione illa virtus, tanta diſciplinæ militaris apprehendendæ ſollicitudo, non à *Setegio* Principe tunc militiæ, cui cura iuuenis à Patre mandata fuerat, ſed ab vniuerſo exercitu conſpecta eſt, vt ſæpe inter milites nocturnas obſeruantes excubias, ſomni, æſtusque patiens, integro vigiliarum tempore verſaretur. Et ſi quando ſomno preſſus foret, ſagulo tantummodo militari opertus, nuda humo teneros componebat artus. Si vero quando aut hoſtes propulſandi, aut inuadendi eſſent, ad primos accurrebat dimicaturus, niſi à *Setegio* ſummoueretur, ordines, pugnandique depoſcebat munus, cuius nondum etiam erat ſpectator legitimus. *Setegius*, vt illi à *Wladislao Polonorum* Duce mandatum fuerat, vniuerſa *Mora-* A *uia* igne & ſpoliis vehementer afflicta, magnam ſecum vehens prædam, magnum quoque captiuorum numerum, (quippe in aliquot particularibus dimicationibus de *Morauis* triumphans) in *Poloniam* cum nouo tirunculo *Boleslao*, vniuerſo exercitu certatim tirocinium *Boleslai* efferente, reuerſus eſt. 1094. *eamq; vaſtat & ſpoliat.* Non ſolum enim tunc, ſed & in ipſa mox adoleſcentia Ducale & Regium fulgebat decus in *Boleslao*, euidenterque iam monſtrabat expectationem de ſe futuræ domi & militiæ probitatis. Fortis quoque & heroica natura, ne tum quidem in eo, quamuis ephebo latuit. Quamprimum ex ephebis exceſſit, prima militiæ arma, & graue *Martis* opus ad iuſtum *Polono-* B *rum* Imperium propagandum, regendumque induit, verba, opera, cogitationes, ita moderare ſolitus, quaſi Patrem vſquequaque adeſſe cerneret.

Peſtis in Germania. Horrenda & ſine exemplo eo anno *Almaniam* peſtis inuadens, adeo in ſingulos ſtatus graſſabatur, vt multæ vrbes, vici, villagia, & oppida ſublatis habitatoribus deſerta remanerent. Ea tamen lues propitio Deo à *Polonis* & eorum regionibus non ſentiebatur.

Variæ & miræ turbæ Ducum Ruſſiæ. Ordinem pro defenſione terrarum *Ruſſiæ* à barbaris *Polowcys* plurimum afflictarum poſituri, *Suantopelk Kiouienſis*, *Wladimir*, *Dauid Hreborouicz*, *Waſilko Roſcislawicz*, *Dauid Svvantoslavvicz*, & frater *Olech* Duces *Ruſſiæ* C in *Lubicz* conueniunt, & ſuis ambitionibus, ſuiſque paſſionibus increpatis, quod bello inteſtino ſe collidendo inuicem, barbaros *Polovvcos* efficerent victores, communi concluſione decernunt, quod quilibet paterna ſorte contentus, alterum in ſua portione non moleſtet. Santiunt inſuper, vt *Suantopelk* teneat *Kiovv*, *Wladimirus* cum ſuo fratre *Izaslao* *Wladimiriam*, *Dauid Svvantoslavvicz* & frater eius *Olech Pereaslavv*, *Dauid Hreborovvicz*, & *Waſilko Roſcislavvicz Præmisliam* & *Trebovvliam*. Iuxta quam ſanctionem fœdus ictum, & iuramento firmatum eſt, communis hoſtis habendus, ſi quis illud fuerit præuaricatus. Ingenti gaudio *Ruthenorum* mi- D lites exhilarati, quod Duces ſuos in tam iuſtam & vniformem concluſionem intellexerant conueniſſe, domos regrediebantur, ſed Satan illico nectit inter *Ruſſiæ* Duces nouum diſcordiæ ſeminarium. *Suantopelk* enim *Kiouienſis* Dux, ſuſpectam habens *Waſilkonis Roſcislavvicz* erga ſe fidem, cum *Dauid Hreborovvicz* conſpiratione facta, *Waſilkonem* ad ſe in *Kiow* in pace venientem primum captiuat, & diu lictoribus eum prementibus reluctantem in *Zmigrod* deductum, vtroque oculo cœcat, ratus eo incolumi, non ſe, & filios ſuos tuto ſedem *Kiouienſem* poſſeſſurum. Fleuit autem *Wlodimirus*, qui & *Wolodor*, cœcitatem fratris ſui *Waſilkonis* fletu magno, aſſerens nunquam

1094. tàm execrandum nefas apud *Ruthenos* contigiſſe. Conuentione tandem *Wlodimir* cum *Dauid* & *Olech Suantoslawicz* facta, mittunt A nuncios ad *Suantopelkonem Kiouienſem* Ducem: *Quam grande*, inquiunt, *& quàm horrendum facinus cæcando fratrem noſtrum communem Waſilkonem patraueris, perpendere te non dubitamus. Qui etſi in te quàm grauiſſimè deliquiſſet, coegiſſemus illum apud nos conuentum, & conuictum ad iuſtificationem.* Qui in ſui excuſationem conficto reſponſo, vſus aſtruebat, *pro certa & explorata re didiciſſe, Waſilkonem, & in ſuam necem, & in ſuorum Principatuum occupationem, conſpiraſſe.* Quo reſponſo *Wlodimirus, Olech* & *Dauid* magis irati, quàm molliti, cum copiis gentium ſuarum contra *Kiow*, & Ducem *Suantopelkonem*, procedunt. Non ſuſtinuiſſet eorum aduentum B facinoris conſcientia eum deterrente *Suantopelkus*, fugereque ad *Polowcos* parabat, niſi à Metropolitano & primis *Kiouienſibus* bene ſperare iuſſus eſſet. Qui occurrendo *Wladimiro, Dauid* & *Olech*, Ducibus, & exercitibus eorum humili ſupplicatione depoſcebant, *vt armis depoſitis Suantopelkoni & Dauidi veniam tribuerent, deſinerentque in propria viſcera graſſari.* Fracti autem & expugnati Duces, ſermonibus tàm ſupplicibus nouo cum *Suantopelkone* Duce icto fœdere diſcedunt. Cæcatione autem *Waſilkonis Dauid Hreorowicz* non contentus, parat ſe ad inuadendum eius Principatum, ſed audiens ſibi à *Wladimiro* fratre *Waſilkonis*, ſi progrederetur, tenſas C inſidias paratas, in *Buskos* ſe recepit, vbi à *Wladimiro* Duce illico obſeſſus eſt. *Wladimiro* autem eum increpante, quod poſt facinus in fratre illius admiſſum, non ad pœnitentiam, ſed ad aliud patrandum ſcelus, animum conuertiſſet, licet *Dauid* omnem culpam in *Suantopelkonem* refunderet aſtruebat ſe, *niſi fratem ſuum Waſilkonem, quem cæcauerat, ſolueret, in eum animaduerſurum.* Acquieuit enim *Dauid*, ſoluensque *Waſilkonem* cum *Wlodimiro* pacificatus eſt. Seditque *Waſilko* in *Trebowla, Dauid* in *Wlodimir* ſe recepit. Primo autem vere venit *Wladimirus* cum fratre ſuo *Waſilcone* cæcato, in terram *Wolinenſem* D contra *Dauid*, caſtroque *Wſzeuolos* conqueſito, incendunt illud, & plures numero homines in caſtro *Wſzeuolos* repertos, vlciſcendo facinus in *Waſilkonem* admiſſum, crudeliſſimè peremerunt. Applicant deinde exercitum ad caſtrum *Wladimirienſe*, & obſidione illud conſtringunt, miſſiſque ad obſeſſos nunciis, offerunt *ſe omni multitudini parſuros, & obſidionem ſoluturos, ſi Waſilko & Lazarus eis dedantur.* Qua conditione ab obſeſſis accepta, & impleta, *Dauid* & *Waſilko* obſidionem omittunt, *Waſilkonem* verò & *Lazarum*, quod cauſa cæcationis *Waſilkonis* fuiſſe perhibebantur, in altum ſuſpenſos, frequentiſſimo ictu ſagittarum interimunt. Sumpturus autem *Suantopelk Kiouienſis* Dux de *Dauid*,

qui illum coram *Wolodor*, *Olech*, & *Dauid*, Ducibus de cæcatione *Waſilkonis* inculpauerat vltionem, in *Brzeſcie* ſe contulit, & a *Poloniæ* militibus & Proceribus in caſtro *Brzeſcie* præſidio locatis, ferri ſibi auxilia contra *Dauid* flagitauit. 1094. Qui illo apud ſe in *Brzeſcie* degere, & bene ſperare iuſſo, *Poloniæ* Ducem *Wladislaum* interim, quid facere debeant, conſulunt. *Dauid* autem Dux aduerſarius *Suantopelkonis, Polonorum* ſuffragia præoccupaturus, quanta poteſt velocitate ad *Wladislaum Poloniæ* Ducem ire pergit, præſentataque illi maſſa auri, ſuppliciter orat, ſibi auxilium contra *Suantopelkonem* à *Wladislao* Duce & *Polonis* impendi. *Wladislaus Polonorum* Dux cui præſtiturus ſit, auxilium, ex contendentibus plurimum fluctuans & diſtentus, congregato exercitu ex potioribus militibus, in *Brzeſcie* pergit, ducens ſecum *Dauid* Ducem, ſperans ſe illum Duci *Suantopelkoni* reconciliaturum. Duce autem *Suantopelkone* ſtante in *Brzeſcie* caſtro, *Polonorum* Dux *Wladislaus* ad flumen *Bug* ſtatiua ponens, *Suantopelconem* cum *Dauid* componere & pacificare, per tractatus ſecreto colloquio habitos laborabat. Quod dum facere nequiuiſſet, (in exulcerato enim *Suantopelkonis* animo, odium graue contra *Dauid* inſidebat) honoratus magnis à *Suantopelkone* donis, in *Poloniam* reuertitur, neutri Ducum contententium ſua auxilia præſtaturus. Mox ergo *Suantopelk* in caſtro *Wladimirienſi Dauid* obſidet & oppugnat. Qui etſi obſidionem ſeptem hebdomadis, ſperans à *Wladislao* Duce *Polonorum* auxilia ſuperuentura, toleraſſet, ad extremum tamen caſtro *Suantopelkoni* dedito, ad Ducem *Poloniæ Wladislaum* fugiens, benignè ab illo exceptus, & habitus eſt. Caſtro *Wlodimir* conquiſito, *Suantopelk* Dux *Kiouienſis* exercitum contra *Wlodimirum* & *Waſilconem* producit, nec illi detrectauerunt pugnam, ſed ſuis quoque copiis ordinatis, quamprimum decernere ſtatuunt. Vtroque autem exercitu ad pugnam procedente, mittit *Waſilco* nuncios, qui dicant *Suantopelkoni: Num parum exiſtimas cæcaſſe me, niſi & animam de corpore excludas?* Quo nihil reſpondente, congrediuntur exercitus, & vtroque exercitu acerrimè pugnante, multis hinc inde cadentibus, ceſſit *Waſilconi* & *Wladimiro* victoria. *Suantopelk* cum duobus filiis ſuis, item duobus filiis *Iaropelconis* Ducis, item *Suantoslao* filio *Dauid Suantoslawic*, & aliis militibus, qui eum prælio enixè adiuuerant, non proſequente illos *Wladimiro*, neque *Waſilcone*, neque exercitu eius, (verebantur enim inſidias,) in *Wladimiriam* peruenit, & *Mſcislao* filio naturali ex concubina genito, in *Wlodimir* locato, alterum filium *Iaroslaum* ad *Vngaros*, quæſiturus eorum contra *Wladimirum* & *Waſilkonem* auxilia, tranſmittit, ipſe in *Kiouiam* nouum exercitum aggregaturus contendit. *Colomanus* autem *Vngariæ* Dux, *Iaroslai* filii *Suantopelkonis* tam precibus, quàm pro-

1094. promiſſis expugnatus, venit cum octo milibus pugnatorum, duos Epiſcopos habens ſecum, & caſtris ad flumen *Wiar* poſitis, *Premiſlienſe* caſtrum, in quod ſe *Wladimir* receperat, & expugnare, & obſidere cœpit. Sub eodem autem tempore *Dauid* à *Polonorum* Duce *Wladiſlao*, apud quem cum vxore, & familia hoſpitabatur, *Ruſſiam* reuerſus, vxore apud *Wladimirum* in *Premiſlia* relicta, ad *Polowcos* ſe contulit, ſubſidia, quæ ei contra *Suantopelkonem* à *Polonis* negata fuerant, à *Polowcis* petiturus. Regente autem fortuna obuiam habens *Polowconum* cum Duce ſuo *Boniak* turmam, eos in ſubſidium *Wladimiro*, & his, qui apud *Premiſliam* ab *Vngaris* obſidebantur, conducit. Statiuis autem haud procul à *Premiſlia* poſitis, conſurgens nocte media, *Boniak Polowconum* Dux vadit in propinquiores ſaltus & ſiluas, & vlulatu edito lupis concurrentibus, & viciſſitudinarium vlulatum reddentibus *Boniak* ad ſuos in caſtra reuerſus, armari illos & certa ſperare ex ſigno, quod ex vlulatu luporum acceperat, iubet victoriam. Alteroque die exercitu tripartito ſtatiua, & exercitum *Vngarorum* prima turma, duabus reliquis latentibus inuadit. Quæ congreſſu facto dùm iuxta Ducis *Boniak* inſtructionem victam ſe ſimulans, in fugam agi cepiſſet, *Vngarorum* exercitus debellatum credens, effuſius, illam inſectabatur. Tùm verò *Boniak* cum *Ruthenorum* & *Polowconum* Ducibus, reſiduis turmis in terga *Vngarorum* irrumpens, eos confligit & proſternit. Plurimis autem *Vngaris* aut occiſis, aut in flumine *Wiar* ſuffocatis, cæteri dum in ſiluas, & montes diffugiunt, à *Ruthenis* & *Polowcis* biduo illos perſequentibus, aut occiduntur, aut capiuntur. Inter quos & Epiſcopus vnus *Vngariæ Cupranus* nomine, & plures inſignes milites deſiderati ſunt. *Colomanus* Dux incolumis euaſit, quatuor millia *Vngarorum* eo die, quatuor aliis fugientibus cæſa referuntur, caſtris *Vngarorum Rutheni* & *Polowcy* potiti, *Iaroſlaus* filius *Suantopelkonis* cum paucis fuga euadens, ad *Polonos* in *Brzeſcie*, (neque enim cum *Vngaris* habere pro ea tempeſtate contubernium ſatis tutum putabat) diuertit. *Dauid* autem Dux ex ea victoria animo reſumpto caſtrum ſuum *Wladimirienſe* recuperaturus obſidione vallauit. Vbi dùm inter obſeſſos & obſidentes crebræ excurſiones fierent, *Mſciſlaus* filius *Suantopelkonis*, cui caſtrum *Wladimir* à patre fuerat commendatum, ſagittam in hoſtes ex caſtro emittens, ſub maxilla ab hoſtili ſagitta percuſſus moritur. Cuius mors dùm quatriduo celata fuiſſet, quinto demùm die morte publicata, obſeſſi dedendum caſtrum *Dauid*, neque amplius tabeſcendum fame decernebant. Metu tamen ne à *Suantopelkone* duriùs in eos animaduerteretur, illos deterrente, miſſis ad *Suantopelkonem* nunciis, in quanto & ex morte filii ſui *Mſciſlai*, & ex penuria victualium verſentur diſcrimine, & ni celeriter illi ſuccurrat, dedituros ſe *Dauid* caſtrum ſignificant. *Suantopelk* periculo intellecto *Putatam* Palatinum ſuum ad ferendam laborantibus opem mittit. Qui *Wladimirum* cum exercitu, habens in ſuo comitatu *Swantoſam* filium alterius Ducis *Dauid*, qui de ſingulis, quæ in exercitu *Suantopelkonis* agerentur, ſibi, *Dauid* opportune ſignificabat, aſtrinxerat. Veniens ſtatiuis propè caſtrum poſitis, altero die ſilenti agmine caſtrum ingreſſus, in *Dauid*, & exercitum eius quieſcentem, & nihil prouidentem, faciens impetum vehementem confligit, & peruicit illum, ſtationibusque illius potitus, ſoluit obſidionem, & *Baſilio* in Capitaneum conſtituto, *Putata* in *Kiow*, *Suantoſa* in *Lucko* regrediuntur. *Dauid* verò ad *Polowcos* fugiens, auxiliis eorum impetratis, cum Duce *Polowconum Boniak Suantoſam*, qui eum fallendo cladis acceptæ autor fuerat, in *Lucko* obſidet. Qui fame coactus de caſtro *Lucko* excedens ad patrem ſuum in *Czernieiow* contendit, *Wladimiriam* deinde expugnaturi *Dauid* & *Boniak* procedunt. Quorum aduentu *Baſilius* Capitaneus *Wladimirienſis* perculſus, antequam venirent, caſtro relicto, diffugit, & *Dauid* tàm *Wladimirienſi*, quam *Lucenſi* caſtro facili impendio potitus eſt. 1094.

Initium ordinis Ciſtercienſis.

Ciſtercienſis ordo cœpit per *Robertum* Abbatem, & *Albertum* ſucceſſorem eius, & videntur quaſi ſecundarii reformatores ordinis S *Benedicti*, cuius habent Regulam, iuxta quam ſimpliciter viuere cœperunt, curioſitati & abuſionibus variis abdicatis, creuitque ipſe ordo magnis incrementis in breui tempore. Cuius tertius Abbas fuit *Stephanus*, qui B. *Bernardum* cum fratribus ſuſcepit.

Morauico bello *Boleſlaus* Dux infans, ius & ſcientiam tirocinii ſub *Setegio*, alias *Sieciecho* Palatino *Cracouienſi*, & Principe militiæ *Polonorum* adeptus, dùm nunciatum foret caſtrum *Miedzyrzecz* verſus oram *Saxonum* ſitum, per quoſdam *Pomeranos* fugitiuos interceptum fore, & ex illo vicinam regionem prædis & ſpoliis plurimum afflictam, petit ſibi à Patre *Wladiſlao Polonorum* Duce dari exercitum, ad caſtri intercepti conquiſitionem, non tironis ſolùm, ſed Ducis officio ſe exhibet perfuncturum. Cùm diu patrem nec quidquam reluctantem multifariis precibus flagitaſſet, tandem mitti ſe cum exercitu ad præfati caſtri *Miedzyrzecz* expugnationem peruicit, *Setegio* tamen militiæ Principi parere iuſſus, ne quid temerarium in his quæ ferro adminiſtranda erant, ætas laſciua admiſiſſet. Fauore itaque militari cœpta noui Ducis mulcente, caſtrum *Miedzyrzecz* obſidione vallatum eſt. Quod etſi naturali ſitu egregiè munitum fuerat, amplius tamen id *Pomerani* in eo concluſi, immi- 1095.

Boleſlaus Poloniæ Princeps

Miedzyrzecz caſtrum Pomeraniæ oppugnat.

1095. imminentem fruſtrati expugnationem muniuerant. Imperante autem *Setegio*, Duce vero *Boleſlao* milites adhortante caſtrum, corona, trabibus, lignisque ingentibus vniuerſorum conſenſu ſeptum eſt, & bombardæ propius admotæ. Quarum frequenti tormentatione, & caſtri propugnacula in pleriſque locis diruta ſunt, & plures ex defenſoribus latius procedente ruina, aut in vita, aut in membris mulctati. Creſcente verò in dies obſidentibus ſpe caſtri potiundi, obſeſſis verò deſperatione, conſilium magis neceſſarium, quàm honeſtum à *Pomeranis* initum eſt, de caſtri deditione. Miſſi extemplo à *Pomeranis* ad Ducem *Boleſlaum* & *Setegium* nuncii de deditione, vt *Pomeranis* cum ſingulis equis, rebus, ſarcinisque ſuis incolumibus abire liceat, conueniunt. Caſtro *Miedzyrzecz* in poteſtatem redacto, pace quoque regioni reddita, *Boleſlaus* Dux cum militibus reuerſus à patre *Wladislao* tàm altam & virilem indolem in filio admirante, in hilaritate exceptus eſt. Quem cum tenerrimè diligeret, illius quoque vernantem admirabatur indolem, ſæpius ſecum reputans, quorſum indoles tanta eſſet euaſura. Iam etenim in illo magni ingenii elucebat lumen, cuius poſtea in bellicis rebus, & militari diſciplina ſingularis & rara vigebat diſciplina & induſtria. In illa quoque ætate iam vehemens admodum animi ac ſpiritus plenus elato animo, alta quæque & eximia ſpectare notabatur. Augebatur inſuper in *Boleſlao* in dies virium robur, & animus in feruorem militaris diſciplinæ, & rerum bellicarum, cæterorumque agendorum exæſtuabat.

& capit.

Eius heroica indoles laudatur.

VVladislao Vngariæ Regi ſue cedit

Quarto Calend. Auguſti, B. *Wladislaus Vngarorum* Rex multis religioſis & ſanctis editis operibus, cum *Vngariæ* Regnum annis duodeviginti, ſanctè, & iuſtè adminiſtraſſet, moritur. Duo quoque Regna, videlicet *Dalmaticum* & *Caruaticum Vngariæ* Regno adiecisſet, duplici iure in eum deuoluta. Vltimus enim illorum Regnorum Rex *Zaromarus* propinquus & affinis ſuus ſine liberis decedens, præfata Regina B. *Wladislao* legitima ſucceſſione reliquit. Germana inſuper ſoror B. *Wladislai* coniunx *Zaromari*, quæ marito mortuo ea gubernabat, moritura, ea fratri delegauit, D & in *Waradienſi* Eccleſia magna celebritate ſepulturæ tumulatur, in locum eius *Colomanus* filius *Geiſæ* Regis, Epiſcopatu *Waradienſi*, ad cuius titulum conſecratus erat, derelicto, in Regnum ſuffectus eſt. Beato *Wladislao* non relinquente liberos, & Regnum *Vngariæ* cæteris fratribus morte abſumptis Summo Pontifice diſpenſante gubernabat.

Colomannus.

1096. In *Wladislaum Polonorum* Principem vsque ad ea tempora felicibus ſucceſſibus regnantem, cum & fœcunditate prolis & vitæ diuturnitate, opumque gloria erat ſublimis, & frequentia militum, bellorumque triumphali pompa euaſerat illuſtris, ſubitò aduerſa fortuna coorta eſt. Erat illi naturalis filius ex concubina, priuſquam *Boleſlaus* filius legitimus ex A *Iuditha* naſceretur, ſuſceptus, nomen ex eo, quod Duciſſa *Iuditha* ſcelus, & incontinentiam mariti peroſa, tam pellici, quàm ex ea natæ proli, iuſta indignatione erat infeſta, *Zbigneus*, quod ſignificat iram euadens, ſortitus. Is in obſcuro & ignoto loco alitus & educatus, propter euitandas nouercales iras, *Iuditha* Duciſſa morte abſumpta, literis addiſcendis *Cracouiam* applicatus eſt, in quibus cùm aliquantulum profeciſſet, pro contegenda ſua, & ſpurii ignominia, & ne tempore procedente cum filio legitimo in participationem paternæ hæreditatis veniret, in *Saxoniam* Duce *Wladislao* ordinante, deductus, in monachum tonſus, & monaſterio traditus eſt, minus vituperii & im- B properii patri Duci *Wladislao*, ſi extra *Poloniam* illum verſari, minus impedimenti & obſtaculi filio legitimo Duci *Boleſlao*, ſi monachalis ſortis illum participem fieri contigiſſet, illaturus. Erant præterea ex militibus *Polonorum* plures numero in *Bohemia* fugitiui & exules, qui vel ære alieno, vel in iudiciis pro ſcelere damnati, aut potentia, & liuore *Setegii* Palatini *Cracouienſis* pulſi. Qui autoritate pro ea tempeſtate apud *Wladislaum Polonorum* Ducem ſolus cæteris neglectis pollebat arroganter & ſuperbè erga ſingulos vſus, multos Nobiles, quos ſuæ conditioni obſtare videbat, in iuſtis decretis, & iudiciis grauauerat, aut poſſeſſionibus exturbauerat, *Bohemiam* C impleuerant. Hos *Bretislaus Bohemiæ* Dux vir callidus, in perniciem *Poloniæ*, tàm conſilio, quàm largitione ſubornans, ſuadet illis, & facilis erat apud animos frementes, & exulceratos perſuaſio, quatenus *Zbigneum* filium *Wladislai Polonorum* Ducis in monaſterio non ſua ſponte, ſed imperio patris contrauenire non auſo, deliteſcentem aſſumant, ſibique pro Duce conſtituto, vicinam *Bohemis Wratislauienſem* oram occupant, non aduerſam aliquam impugnationem ex *Bohemia*, ſed fidem & efficax ſui propoſiti ſuffragium habituri. Callida & ſpecioſa pro odio, quod *Bretislaus* in *Polonos* gerebat, magis quàm ſalubria, & tuta danti conſilia (quippe non aliter ſe de *Polonia*, quàm ciuili diſſeminata procella vltum iri arbitrabatur) vniuerſus fugitiuorum & exulum grex facile verbis doloſis ſpe impletus, aſſenſus eſt. Extemploque monaſterio in quo *Zbigneus* manebat, adito, *Zbigneo*, vt verſus *Wratislauiam* ad occupandam ciuitatem oramque illius regionis ſecum conſentiret, ire ſuaſerant, quem tandem perſuaſione huiuſmodi peracta, è monaſterio monachis ne quicquam aduerſantibus, extrahunt, &, vt *Bretislaus Bohemiæ* Dux ſuaſerat, ad *Wratislauiam* perducunt. Tenebant arcem & oram *VVratislauienſem* tunc milites, & Comes quidam *Magnus* nomine à *VVladislao Polonorum* Duce, cùm etiam genus clarum inter *Polonos* duceret, & probitate eſſet conſpecti-

1096.

Zbigneus naturalis Boleslai filius

a parente in monaſterium detruſus

cum Polonis in Bohemiam profugis nouas res molitur,

ſpecti-

1096. ſpectior, ſibi commiſſam. Erat autem in *Setegii* Palatini *Cracouienſis* odium, propter multas ſimultates inter eos iamdudum conflatas & A nutritas, & ipſe feruidus & procliuis. Ad hunc fugitiui & exules *Zbigneum* comitantes nuncium mittunt, verbaque tempori congruentia apud eum faciunt. *Nouimus*, inquiunt, *Comes Magne, & generis maioritate, & virtutum claritate te Setegio præſtantiorem fore, multaq́; indigna ab eo, qui & exilii, & dedecoris noſtri autor eſt, perpeſſum fuiſſe, maiora quoque niſi tibi & nobis, quin enim verò, & vniuerſæ nationi noſtræ Polonicæ, magna calamitate & ſeruitute à Setegio oppreſſæ, & penè ſub iugum miſſæ ſatis proſpexeris perpeſſurum. Eſt nobis Ducalis filius Zbigneus, & huius regionis quam gubernat, & cæterorum Poloniæ Principatuum patre iam grandæuo per conſumptionem proxi*B*mè decedente hæres & ſucceſſor. Hunc vna nobiſcum petimus à te in arcem ſuſcipi, & infami noſtro exilio, ne in eo nos conſeneſcere, aut deſperatione, ſi excluſi fuerimus, concepta, aliquid extremum patriæ, & generi noſtro indignum conſulere contingat, prouideri. Quod ſi te noſtra miſerabilis non mouet calamitas, moueat ſaltem Zbignei Principis conditio, qui & ipſe conſilio Setegii eſt in monaſterium detruſus, non minor nobis calamitate, & perpetuo exilio cenſetur. Cuius beneficio ſi primitiis eius nunc ſuffragia tuleris, poteris extolli, & maior inter Barones haberi. Sed & Setegii, quem tu iuſtè oderis, graſſantes in dies, & multis bonis perniciem afferentes conatus, & furiæ non aliter quàm Ducis Zbignei, & noſtra pro te ſuſceptione poterint aut reſcindi, aut inhiberi.* Hac legatione à fugitiuis, & exulibus, inter quos plures erant, qui ſibi ſtricta neceſſitate coniuncti erant, *Magnus* Comes *Wratiſlauienſis* Capitaneus, accepta, longo tempore quid ageret, hæſitauit. Hinc enim eum vrgebat ſpes & odium, hinc repugnabat fides & honeſtas. In ambiguo itaque rotatus, accitis *Wratiſlauienſis* regionis Primoribus, quid facto ſit opus, ſingulorum conſilia exquirit. At illi, vt erant in *Setegium* nouandarumque rerum ſtudium vehementer incenſi, veriti, ne eorum regioni per *Zbigneum* Ducem, exuleſque & fugitiuos vis aliqua fieret, *Zbigneum* cum exulibus & D fugitiuis ſuſcipiendum vnanimi voto decernunt, iureiurando tamen aſtrictum, vt nihil contra patrem & patriam moliatur. In hunc modum, *Magnus* Comes perſuaſus, vir alioqui fido & humanitate egregius, & multis artibus bonis præditus, partim ſibi, partim patriæ proſpiciens *Zbigneum* & vniuerſos fugitiuos, & exules excipit, & Ducali illum veneratus honore in arce *Wratiſlauienſi* locatus, ſingulorum illi victualium neceſſaria, & his qui ſecum vna venerant adminiſtrant, odio in *Setegium* hanc illi mentem aduerſus auaritiæ vitium, & ſugillationis notam minus prouidè ſuggerente. Suſceptione *Zbignei* Ducis, & fugitiuorum exulumque per *Magnum Wratiſlauienſem* Capitaneum facta, ad notitiam Ducis *Wladiſlai* perlata, vehementes in eum amaritudinis & indignationis concitauit aculeos, ſe contemptum apud ſuos iri, & bellum ſibi a naturali filio, & a fugitiuis, exulibuſque *Bohemorum* auxiliaribus intermixtis moueri depromentem. Altius tamen omnis ira & amaritudo in pectore *Setegii* Palatini *Cracouienſis* inſedit, qui ſui odio & inuidia, & multorum militum fugam exiliumque, & eam, quæ apud *Wratiſlauienſes* contigerat, rebellionem, probè nouerat celebratam. Pro ſingulis quoque huiuſmodi factionis patratis, & patrandis, non inuidiam modo, ſed periculum ſui ſtatus verebatur altius in dies militum in eum excandeſcente iuſta ira & ſeditione protendi. Mittitur ob eam rem in *Wratiſlauiam* à Duce B *Wladiſlao* nuncius, & temeritatem *Magni* Capitanei, nobiliumque, & ciuium *Wratiſlauienſium* pro admiſſo *Zbigneo* in arcem fugitiuis, & exulibus correpturus, & *Setegii* excuſaturus innocentiam. Is dicendi ſibi copia, adſtante ſibi *Wratiſlauienſi* multitudine, facta, *mirari Ducem Wladiſlaum, & magis dolere*, declarat, *cur eius hoſtes, videlicet Zbigneum in externas oras relegatum, & fugitiuos, exuleſque ſuis ſerè factis deprauatos, arce & vrbe exceperint, & domino ſuo naturali, & hæreditario deſerto, ac inconſulto illos ſibi coniunxerint, quærere & ſcire velle : Pro rebellibusne eos, & patriam communem Bohemi hoſtibus infeſtis prodere volentibus, an pro ſubditis & deuotis debeat C æſtimare.* A *Magno* Capitaneo & *Wratiſlauienſi* Comite, reſponſum Ducali nuncio datum eſt: *Non ſe temeritate aliqua aut rebellione, ſed bono reſpectu permotos, neque prodendæ Bohemis patriæ gratia, quorum hoſtilitatem, odium, & vafriciem, ipſi vicini experiri poſſent, Zbigneum filium Ducis naturalem, & exules fugitiuoſque in ſuam communionem, verbenque recepiſſe, non vt Ducales, patriaque hoſtes, ſed naufragii communis per Setegium procurati reliquias, ne in patriæ & generis Polonici vniuerſalem contumeliam, & ludibrium in externis oris ſtipem alienam efflagitare compellerentur. Se quidem ab obedientia & fide Wladiſlai Ducis, & filii ſui Boleſlai D illuſtris, nullo pacto, nulla conditione, diſceſſuros, Setegii tamen improbitatem & arrogantiam Ducis ſui geſta & opera damnantis, & amplius ſuis calliditatibus deprauaturi diutius ſe ferre non poſſe.* Cùm autem Ducalis nuncius, vt ſibi imperatum fuit, factiones *Setegii* conaretur diffuſo ſermone diluere, tantas iras odio *Setegii* in illum multitudo concepit, vt niſi Capitaneus *Magnus* cum primoribus interceſſiſſet, fuiſſet nuncius ipſe à multitudine, quæ iam ad lapidandum nuncium ſaxa corripuerat, fœdè violatus. Nuncio ex *Wratiſlauia* reuerſo, & omnibus, quæ ſecum acta erant, quæque Capitaneus *Magnus* Barones & populus reſpondiſſet, ex ordine narratis, *Wladiſlaus* Dux 1096.

& Magno Comite Caſtellano Wratiſlauienſi ſibi conciliato

Wratiſlauiam occupant.

Wladiſlaus Dux ægre id ferens nuncium Wratiſlauiam mittit, qui de re certiorem eum faceret,

qui in Setegium culpam huius motus coniici comperit.

Verum Wla-

1096.

dislaum ipſo Wratiſlauiam adeunte

Dux quamuis iam annis, militaribus quoque, & ciuilibus muneribus, grauis abſceſſiſſet: vigente tamen in ſenili corpore, animi, conſilijque vi, non vltra cunctandum ratus armis correptis, & expeditione indictâ gliſcentem in dies exulum, & fugitiuorum ſeditionem oppreſſurus, filio *Boleſlao Cracouiæ* relicto, *Wratiſlauiam* contendit, caſtris & munitionibus, & eorum præſidibus in circuitu *VVratiſlauienſis* ciuitatis conſiſtentibus, ad *VVladiſlai* Ducis ſui obedientiam & fidelitatem certatim occurrentibus, cùm poſtremo ad *VVratiſlauiam* ventum fuiſſet, Præſul *VVratiſlauienſis Zeroſlaus* cum ſingulari Eccleſiarum ordinum & ſtatuum proceſſione, *VVladiſlao* Duci velut Domino ſuo, patrono & naturali hæredi, occurrit, & ipſum debito honore vſque ad vrbem deduxit. Patuit & arx, quam *Magnus* Comes tenebat, in eam quoque *VVladiſlaus* Dux cum omni militia ſua à Capitaneo eius *Magno*, cum omni humilitate & deuotione exceptus. Ex qua poſtridie *Zbigneus* ſingulique fugitiui & exules, non tàm *VVladiſlai* Ducis aduentum, cuius pectus clementia refertùm nouerant, quàm truculentiam *Setegii* veriti, omnium *VVratiſlauienſium*, ipſiuſque *Magni* Comitis ſubtracta ſibi videntes ſuffragia, in caſtrum & ciuitatem *Cruſuicenſem* eatenus frequentia ciuium & populorum refertam, ab exulibus & fugitiuis occupatam perfugerunt. Pauco illic tempore *VVladiſlaus* Dux commoratus, *Magno* Capitaneo & Nobilibus, ciuibuſque *VVratiſlauienſibus* quod ſe inconſulto *Zbigneum* & exules fugitiuoſque recepiſſet, clementius obiurgatis. *Magno* Comite à gubernatione caſtri, & Prouinciæ *Wratiſlauienſis* pro commiſſo facinore deſtituto, filio ſuo *Boleſlao* & *Viſlao* eius curatori eam dat tenendam. Citatoque curſu filium *Zbigneum* & fugitiuos, exuleſque perſecuturus, exercitum in *Cruſuiciam* deducit. *Pomerani* ſuaptè *VVladiſlao* Duci infeſti à *Zbigneo* acciti, frequentes *Cruſuiciam* vt ibi bellum gererent, ciuili feruеſcente ſtridore, conuenerant, *Pruthenoſque* & cæteros barbaros ſecum adduxerant. Lætus tanta multitudine *Zbigneus*, certum ſibi de patre ac eius exercitu nihilo ſuo ſuperiore portendebat victoriam.

Zbigneus cum ſuis effugit,

& adiungentibus ſe ſibi Pomeranis & Pruthenis

Quapropter nulla mora facta, patri cum ſeptem fugitiuorum & exulum aciebus, & *Pomeranorum Pruthenorumque* turmis obuiam procedens, ſignis collatis, ad lacum *Goplo Kruſuiciæ* contiguum dimicat. Exulibus autem & fugitiuis pro victoria adnitentibus, tantum cruoris illic fuſum eſt, vt lacus ipſe ſanguine, & cadentium cadaueribus fœdatus, neq; ſe potabilē, neq; piſcem humano generi ad edendū aptū diu præbere potuerit. Paucis ex *Wladiſlai* militibus deſideratis, vulneratis autē plurimis, omne robur *Zbignei* exercitus cæde immenſa confectum eſt. *Zbigneus* ipſe cum paucis in caſtrum *Kruſuicenſe* diffugiens, viuus in poteſtatem patris venit.

cum patre confligit,

vincitur & capitur.

1096.

Vrbs *Kruſuicenſis*, quia *Zbigneo* tulerat auxilium, militi in prædam conceſſa eſt. Ab eo quoque tempore omni opulentia & fortunis ſpoliata, nihil de priſca gloria præter ſolum nomen ſeruat. Ex *Kruſuicia VVladiſlaus* Dux in *Maſouiam* diuertit, *Zbigneum* quoque filium in carcerem coniectum, *Setegio* Palatino *Cracouienſi* in caſtro aſſeruandum in cuſtodiam dedit, pleriſque conſiliariis conſulto id illi ſuggerentibus, prouidere iam tunc magnopere ſatagentibus, ne cum viliſſimo corruptibili pignore, *Boleſlao* filio legitimo æquale fieret commercium. Paterna enim indulgentia in *Boleſlaum* magna extabat, nec minor omnium Optimatum & Procerum *Poloniæ* fauor & affectio ſperantium illum egregii animi virum, domi foriſque euaſurum. Erat enim tunc ferox ingenio, membris robuſtus, frigoris ac caloris iuxta patiens, in inferendo bello non minus quam repellendo auidiſſimus, & vitæ prodigus, mortiſque contemptor, in ferrum vulnuſque præceps. Opportunitatem rei quam conflauerat *Bretiſlaus Bohemiæ* Dux, vt magis coaleſceret, ita enim recedentibus à ſe *Polonorum* fugitiuis & exulibus ſpoponderat, adiuturus, verſus *VVratiſlauiam* exercitualiter proceſſit, & ſub eo tempore, quo ad *Kruſuiciam* inter patrem & filium dimicatum eſt, eam partem *Poloniæ*, quæ circa fluminis *Niſſæ* conſiſtit oram inuadens, ſpoliis & incendiis agreſtes affligebat, & caſtrum *Bardo* ad ripas *Niſſæ* ſitum, (vacuum enim defenſoribus erat,) occupauit, & igne conflagrauit. Reperta autem, haud procul inferius fluuium *Niſſa* deſcendendo, rupe, cuius moles in ſingulis circumquaque locis abrupta, velut turrita conſurgebat. Quæ dum in baſſo larga eſſet, ad ſublimitatem coartata, ſpeciem naturalitatis caſtri effecerat. Hac *Bretiſlaus Bohemiæ* Dux lignorum conſtructione amplius communita, caſtrum in ea extruxit, & *Kamieniec* illud, quod nomen in præſens retinet, cùm in ſaxo ſitum ſit, appellat, præſidioque loco impoſito, quod poſtea virtutem *Boleſlai* filii *Wladiſlai* Ducis *Polonorum* admiratus reſtituit, *Bohemiam* vadit. Locus ipſe monachorum ſub regula S. *Benedicti*, Deo militantium frequentia celebris habetur, & inſignis multis poſſeſſionibus, oppidis, vicis, & villagiis, per *Boleſlaum* alterum *Wratiſlauienſem*, *Legnicenſem*, & *Glogouienſem* Ducem deuotione, qui primus illic fundauit Deo monaſterium, abundè dotauit.

Bretiſlaus Bohemiæ Dux eo locorum veniens

rupem naturali firmitate pollentem exprimit,

ex quo poſtea monaſterium fit.

In *Bohemiam* autem *Bretiſlaus* reuerſus *Marſzynam* & *Koyatam*, generis *Vrſouienſium* erant, qui apud *Polonos Rauitæ* nuncupantur, de *Bohemia* eiicit, inſimulans *Polonorum* rebus contra *Bohemos* ſemper, præſertim tamen in bello, quod tunc inter ſe & *Polonorum* Ducem *Wladiſlaum* agebatur, fauiſſe, & ſua ſingula ſecretò *Polonis* prodidiſſe. Bona inſuper eorum mobilia & immobilia occupat, & ſuæ Cameræ inſiſcat. Hi cùm in *Poloniam* nudi penè, pannoſi,

1096. ſi, & omnibus rebus exuti veniſſent, à *Wladislao Polonorum* Duce benigne excepti, & comiter tractati ſunt, & larga vtrique & familiis eorum poſſeſſio attributa.

1097. *Gneſnenſis Eccleſia dedicatur.*

Gneſnenſis Eccleſiæ *Polonorum* Metropolitanæ, Martinus eiuſdem Archiepiſcopus, dilatam conſecrationem in eam diem moleſtius ferens, ad dedicandam eam primam diem Maii conſtituit. Quæ quo celebrior eſſet, *Wladislaum Polonorum* Ducem & *Zophiam* Duciſſam, *Boleslaum* quoque filium *Wladislai*, & fere vniuerſos Epiſcopos Proceresque, Barones, & Primores Regni *Poloniæ*, vt illam præſentia ſua honorarent, ad illam inuitat. Solita calliditate, quum aperta vi nequirent, *Pomerani* vſuri, in dedicationis præfatæ *Gneſnenſis* Eccleſiæ vigilia, intelligentes propoſito ſuo tempus opportunius non fore, Duce *Wladislao*, & fere ſingulis *Polonis* feſtiuitate dedicationis Eccleſiæ occupatis, caſtrum *Santok* occupaturi (iam enim pleroſque ex *Polonis* qui in eo morabantur, pecunia corruptos, deditionem illius, die ad id conſtituto facere pellexerant,) intempeſta nocte ſilentio adueniunt, & ſigno dato, de quo inter eos, & traditores conuenerant, funibus ad caſtrum inuehuntur. Verum dum ſe caſtro potitos lætarentur, in interiora quoque caſtri eos, quia ſociis proditi quieſcebant, captiuaturi, penetrare pararent, ſubitus illos quo vnuſquiſque eorum velut ſaxum diriguit, occupat terror. Vir namque armatus caballo nitido inſidens, eis viſibiliter apparens gladium dextra geſtatum manu in quemlibet eorum infixurus ni cederet, vibrabat. Diſcurrebant ex tunc miſeri *Pomerani* per ignota & noctis obſcurata caligine loca, quo quemque ſors & imminens ante ceruicem mucro depulerat. Fragorq; & ſtrepitus per gradus & cœca loca à facie proſequentis dilabentium, exiſtimante vnoquoque ex *Pomeranis* ſe tantummodo perſecutore pelli, exortus, etiam ſoporatos Caſtellanos ſuo excitauit tumultu. Qui & ipſi nimio pauore expergefacti, agitare cœperunt, perculſos cœleſti verbere hoſtes, & pleriſque trucidatis, reliquos omnes comprehendunt, ſuam vitam & caſtrum perditum, ſed protectione cœleſti cuſtoditum, meritis B. *Adalberti* Martyris & Pontificis glorioſi, prout dignum erat, adſcribunt. Huncque albi equi inſeſſorem fuiſſe, qui *Pomeranos* caſtrum intercepturos agitabat, veris indiciis coniiciunt, atque in laudem & gloriam ſuam obſecrationes edunt, & vota pro ſeruata vita & caſtro emittunt, ſoluuntque excelſi illum apud Deum coram vniuerſis offerentes meriti, qui ædibus ſuo nomini ſacratis nocte, tàm ſalubrem & neceſſariam opem præſtiterat *Polonis*.

Pomerani caſtrum Santok, per proditionem inuaſuri nocturno terrore a ſuo propoſito auertuntur.

Dedicationis Eccleſiæ *Gneſnenſis* benedictione abſoluta, *Wladislaus Polonorum* Dux *Martini* Archiepiſcopi *Gneſnenſis*, ſingulorumque Procerum & Baronum *Poloniæ*, qui ſolennitati illius diei intererant, multifariis precibus expugnatus, *Zbigneum* de carcere deuotum ſe amplius Patri, & in eius poteſtate futurum pollicentem, relaxat, & vtrumque filium dato illis frequenti exercitu in *Pomeraniam* tranſmittit. Sed cum ex *Pomerania*, nullo memorabili edito opere, diſcordiarum ſeminario inter fratres de primatu & imperio exorto, reuertiſſent, Pater amare filiorum certamen ferens, veritus eos morte ſua ſecuta ampliori diſſidio certaturos, *Poloniæ* Regnum inter eos diuidit, & *Boleslao* quidem legitimo filio *Cracouiam*, *Wratislauiam*, *Sandomiriam*, *Siradiam*, & quæ meliora ceſſura decernit. *Zbigneo Pomeraniam*, partemque *Poloniæ maioris*, *Lanciciam*, *Cuiauiam*, & *Maſouiam* aſſignat, omnium prædictarum terrarum vſu, & adminiſtratione ſibi ad vitam reſeruata ſe abſumpto ſine litigio ſuam quilibet ſortem apprehenſurus.

1097. *Zbigneus ex carcere liberatur.*

Wladislaus Dux duobus filiis regnum partitur.

Wlodimir, *Dauid*, & *Olech* Duces *Ruſſiæ*, *Kiouienſem Ducatum* vaſtaturi copias in campum eduxerunt, quibus ſtatiua apud *Horodecz* agentibus *Suantopelk Kiouienſis* Dux occurrit, fortunam belli tentatus. Communibus tandem Baronibus agentibus de pace inter Duces actum eſt, qua æquis conditionibus confecta, vnuſquiſque in propria rediit cum pace.

Quarta Octobris cometes in occidente facem porrigens apparuit. Nimia aquarum inundatione autumnalis ſatio impeditur, quæ ſterilitatem frugum induxit. *Baptiſta* primus *Cruſuicienſis* ſiue *Wladislauienſis* Epiſcopus annis 15. functus Pontificali officio rebus eximitur humanis, & in *Cruſuicienſi* Eccleſia ſepelitur. Cui *Paulinus* primus natione *Italus* ab *Vrbano* Papa ſecundo ſuffectus eſt.

Baptiſtæ I. Wladislauienſi Ep. ſuccedit Paulinus I.

1098. Diuiſione Regni *Poloniæ Wladislaus Poloniæ* Dux inter *Boleslaum* legitimum, & *Zbigneum* naturalem filium facta in *Maſouienſem* Prouinciam, eius enim ſitus & habitatio cæteris omnibus ſibi placidior videbatur, diuertit, Interim illi velox nuncius allatus, *Bretislaum Bohemiæ* Ducem copias congregaſſe, clandeſtine *Poloniam*, & *Wratislauienſem* regionem inuaſurus. Id cum *Wladislaus* Dux *Boleslao*, *Wratislauiam* & vicinam ei oram paterna indulgentia gubernanti, inſinuaſſet, & arma contra *Bohemos* reſiſtentiam facturus expedienda mandaſſet, paritum illico à *Boleslao* eſt, & exercitus ad confinia Regnorum deductus. In quo cum *Woislai* Pædagogi abſentia notata fuiſſet, ingens ſuſpicio inter milites *Boleslai* primum, ſubſequenter priuatum murmur, & tandem aperta vociferatio coorta eſt: vnoquoque ſemel ortam ſuſpicionem augente, differenſque non abs re *VVoislaum* in ſuo comitatu deeſſe; & alumnum ſuum *Boleslaum* Ducem in tam difficili neceſſitatis articulo deſeruiſſe omniumque conſona voce credebatur *VVoislaus Boleslao* de-

Variis ortis turbis Boleslaus & Zbigneus fratres

1098. deſerto ad *Setegium* Palatinum *Cracouienſem* deſeciſſe,& vtriuſque calliditate & ingenio ad agendum contra *Bohemos* bellum, apud quos A miſſi exploratores quieta omnia nunciabant, *Boleslao* & ſibi *Setegii*, & *Woislai* verſutia, à Patre arma ad proditionem aut interitum *Boleslai* imperata fuiſſe. Grauis eatenus & infeſtus vtrique filio *Setegius*, grauior tamen & infeſtior *Boleslao*, quippe admirandam illius in ſingulis, virtutem, in ſuam tandem perniciem peruenturam Patre mortuo formidabat, nec aliter quam hoſtis ab vtroque eſt habitus fratre, cum omnium fere caſtrorum & munitionum diſtributarum illis Regni *Poloniæ* Prouinciarum, in ſuam ſuorumque fratrum, aut eadem ſecum ſapientium tenutam, *Wladislao* Duce conſentiente rediens, interitum Ducalium filiorum, vt Principatum Regni *Poloniæ* B ipſe ageret, communi aſſertione, & fama ac effectu ingenii vafri, incertum eſt, vel ab inuidia coorta, vulgatus fuerit. Ad cuius fruſtrandos cona us *Boleslaus*,& *Zbigneus* fratres, ſtricto ſe fœdere & iureiurando aſtrinxerant, vnus alteri fideliter & ſincere auxiliaturos. Militibus itaque ſe, & *Boleslaum* non ad bellum gerendum accitos, ſed ad periculum ſubeundum expoſitos ingeminatione continua querentibus, bello ocius pro euitando machinato periculo diſcedere, & auxiliatorem *Zbigneum* placuit accerſire. Quo iuxta pactum cum feſtinatione adueniente, ad *Wratislauienſem* ciuitatem, ne ipſa à *Setegio*, vel ſuis occuparetur, agmine citato itum eſt. Vbi vniuerſis regionis C & ciuitatis *Wratislauienſis* conuocatis militibus, *Boleslaus* Dux ita apud illos concionatus eſt: *Quam late, quamque callide, & vafre Setegii Palatini Cracouienſis graſſaretur temeritas, vnicuique veſtrum patefactum eſſe non ambigo. Qui Patre noſtro, ſiue illud cauſet ſuum grandæuum ſenium, ſiue Setegii dolus, & verſutia ad omnia qualibet pertracto, & bene vincto, & infaſcinato facile ſibi Principatum Regni Poloniæ caſtris & munitionibus ſui iuris & poteſtatis effectis, Patre noſtro abſumpto repromittit. Et quod ſine indignatione rei vix eloqui valeo, lachrimæ quoque ipſæ, quas dolor & acerbitas elicit, vt coram cernitis*, (rigabat autem fletu immenſo genas) *teſtes ſunt, quomodo vterque noſtrum in ſpem Regni huius genitus intereat, magna prouidet cura, iuxtaque noſtra, velut immanium hoſtium, aut barbarorum licitatur capita. In hac Vrbe, quæ nondum ſua tyrannide attacta & infecta eſt, nos ſaluari poſſe propter dudum expertam fidem confidimus, in vobis, ſpes nobis ſuprema videtur relicta, veſtram erga nos fidem percepturi, huc nos ex cæteris locis profligati contulimus, vobis ſinceritatem fidei, nobis ſeruantibus tuti, donec ſuper impendens Setegii furia tonat, quieſcemus, reliquas ſedes Regni Poloniæ declinare cogimur, comparatam nobis necem ſubituri. Si autem nec hic hæredibus manere licet in externas oras abeundum eſt; vitaque quam Setegius eripere contendit, ſaluanda exilio.* Commota erant omnium ad miſericordiam filiis Ducalibus ferendam viſcera, tantumque apud vniuerſos & miſeratio adoleſcentum, & odium *Setegii* valuit, vt clamore ſublato omnem fidem, ſubiectionem, & deuotionem, Duci *Wladislao* Patri eorum hactenus præſtitam in eorum profectus, & commoda pollicentur conuerſuros. Orant deinde vt omni mora circumſcripta eum, quæ contra *Bohemos* collegerant exercitum, amplioribus copiis augendum, ad locum vbi Pater reſidet, ducerent, ad *Setegii* improbam audaciam, antequam fatis occupetur Pater, contundendam. Interim dum hæc *Wratislauiæ* aguntur, *Woislaus Boleslai* comes aduenit, & omnium quæ gerebantur ignarus, mitti ſe in vrbem petit ſedulitatem ſuam ſuo alumno exhibiturus. Sed cum illi propterea, quod *Setegio* propinqua cognatione iunctus eſſet, & ſecum vna necem Ducis moliri, pro ſuſpecto haberetur, acceſſio ciuitatis denegaretur, ille ſe è contra purgare, & non necem, ſed honorem & gloriam alumno ſuo ſummopere cupere, nihilque ſibi commune cum *Setegio* fore differens, iniquis auribus odio *Setegii* callentibus auditus à conſortio quoque huius exercitus, qui ex *Wratislauia* verſus *Zarnowiec*, ibi enim Dux *Wladislaus* manſionem facere nunciatus eſt, procedebat. Cui ſe *Woislaus* ſatagebat coniungere, excluſus non ſine ſui pectoris, nihil eorum quæ in eum popularis ſuſpicio confinxerat conſcii, afflictione, perditum ſuam fidem, ſuoſque labores, & non cogitato ſcelere ſe inſimulatum doluit. Ex *Wratislauia* in *Maſouiam* vniuerſus exercitus ſub *Boleslai* & *Zbignei* ductu penetrans ſtatiua propè *Zarnowiec* vicum ignobilem, curiam illic Duce *Wladislao* tenente poſuit. Res quoque inter patrem & filios non armis, cuncti enim id execrabantur facinus, ſed alternis legationibus agi cœpit. Omnem autem huius litigii molem in eo conſtabat conſiſtere, vt Dux *Wladislaus Setegium Cracouienſem* Palatinum à ſe abdicet, & caſtris munitionibuſque deſtituat, quem hactenus in ſuam ignominiam, & filiorum perniciem perfuſis D largitionibus ſuaptè inflatum in ampliorem ſuperbiam erigentibus, parauerat: *ſe non hoſtes patri, quem omni ſtudio publico & priuato venerati eſſent, ſed Setegii ferocis hoſtis ſui capita eorum dum ferro non licebat, licitantis, vltores aduenisse, obſecrareque patrem ne Setegii dolus & perfidia, qua Reſpublica Polonorum ad internecionem vſque perducta eſt, plus penſi apud illum, quam filiorum & cæterorum Nobilium ſincera fidelitas, & deuotio habeat, ne quoque de caſtris Poloniæ filiis ſuis ſucceſſoribus, minus quam Setegio confidat.* His & pluribus aliis iuſtis rationibus, *Wladislaus* Dux ſuggerentibus id ſibi & magnopere ſuadentibus Pontificibus, 1098.

Setegii potentiam ſuſpectam habentes.

1098. bus, & Eccleſiaſticis perſonis, qui pro tollendo communi diſſidio illuc conuenerunt, animo deliberato cedens, & *Setegium* à ſe protinus abdicat, & ſacramento ſe obligat, nunquam illum ad priſtinum Magiſtratus & officii gradum aſſumpturum. Accedunt Patrem inermes filii, & pronis ceruicibus debito honore patri impenſo, illum venerati, inuicem reconciliantur. Diſcedentem poſt hæc *Setegium* Palatinum, & ad caſtrum *Sieciechow* à ſe erectum, ſuique nominis appellatum vocabulo; & pluribus foſſatis, & propugnaculis egregie munitum, tutumque eſſe illuc conſiſtere ratum, declinantem biduo, fratres *Boleslaus* & *Zbigneus* cum agminibus militum perſequuntur, extra fines Regni *Poloniæ*, ſi manus eorum effugeret, illum propulſuri. Non tulit *Wladislaus* Dux id filiorum & vniuerſorum militum ſuorum decretum, ſed ad labefactandum illud in noctis medio, dum in filiorum caſtris, & ſuo Ducali creditus eſt quieſcere tabernaculo, patris perſona exuta, & priuati induta, tribus tantummodo ſecretioribus ſeruis comitatus, & in vna cymba per alueum *Visle*, cuius illic aquæ inflatiores ſunt, vectus, ad *Setegium* ire contendit, ſua præſentia illius diſcrimen auerſurus. Conſternatum ea nouitate *Boleslaum* & ſuum exercitum, & an ire contra *Setegium* pergeret, an ſubſiſteret conſilii inopem id conſilium, ea cogitatio, militibus probantibus ſubiit, quatenus regionum, ſibi paterno decreto pro ſortibus diſtributarum, arces & capita, tam *Boleslaus*, quam *Zbigneus* curent apprehendere, minus negotii arcibus occupatis, patre mortuo, cum *Setegio*, ſi quid moliri vellet habituri. Et *Boleslaus* quidem *Cracouiam, Sandomiriam, Siradiam*, cæteraſque ſuæ portionis arces illico cepit. *Zbigneum* à *Plocenſi* caſtro, quod magno militum tenebatur præſidio, ignominioſe repulſum, (iam enim & *Wladislaus* Dux ad illud redierat) cætera aggredi puduit. Coniunctis demum exercitibus, *Boleslaus* & *Zbigneus Plocenſem* arcem & vrbem, *Setegium* à patre ſequeſtraturi circumſident. Sed *Martinus Gneſnenſis* Archiepiſcopus, vir licet grandæuus, mediatoris vicem inter patrem & filios aliquanto tempore, non fracti, & ſenilis corporis fatigam gerens, prouidenſque ne ciuilis nubecula grandem aliquam & pernicioſam procellam in commune cieret, cum filiis patrem ſuperiori conditione arctiori ſacramento & cautela obfirmata, de abdicando & nunquam reaſſumendo *Setegio* mitigatis vtrumque guerris pacificat, & patre pacta ſeruante, pellitur à filiis *Setegius* de Regno, & in *Ruſſiam* exulat, *Wladislao* quoque Duci, ſedes à *Boleslao* poſſeſſæ reſtituuntur. Qui quidem *Setegius*, etſi annos plures in exilio delituerat, benignitate Ducis *Boleslai* reſtitui, ſuffragio Pontificum & Baronum obtinuerat, potentia tamen & autoritate, quo vſque ad inuidiam ſub Duce *Wladislao* abunda-

eo tandem rem redigunt, vt ex Polonia in exilium pulſus ſit.

uerat, caruit. *Setegius* hic Palatinus *Cracouienſis*, de genere & familia bipennium erat, habens ingenium callidum, & ad omnia verſatile, factiuitate mixtum, habens & plures proſapiæ ſuæ fratres, cognatos, affines, & nepotes, habens & poſſeſſiones plurimas Ducali fauore & indulgentia ſibi & ſuis donatas. Ob quæ omnia magnam affectati Principatus, (ſiue id faſtus proprius, ſiue inuidia aliena cauſabat) incurrerat ſuſpicionem. Communis autem cuiuslibet Monarchiæ cuſtodia, nulla alia re præſtantior eſt, quam Virum alquem magnum non facere. 1098.

Vexationem quam Eccleſiæ Imperator *Henricus* IV. inferebat, *Vrbanus* Papa ſecundus ſatagens reſcindere, ipſũ omni honore & adminiſtratione Imperiali priuat, mandans electoribus Imperii filium illius *Henricum* Eccleſiæ & ſedi Apoſtolicæ fidelem & deuotum ad Imperium eligi. Qui dum iuxta mandatum Apoſtolicum *Henricum* filium *Henrici* Imperatoris prædicti elegiſſent, electus ipſe ſcandala, quæ in Eccleſiam Dei genitor ſuus induxerat, & inducturus veriſimiliter timebatur, ſummoturus, cum & patre viuente ſuam electionem videbat recidere in deriſum, patrem captiuat, & in carcerem recludit.

Pontifex Henricum IV. Imp. filio ſuccedente depoſuit, *qui patrem in carcerem coniicit.*

Caſtrum *Wlodimir*, & regionem *Wolinenſem* à Duce *Dauid* occupatam, *Suantopelk Kiouienſis* Dux recuperaturus, cum pedeſtribus & equeſtribus copiis, primo vere veniens verſus *Wladimiriam* procedebat. Cuius aduentum *Dauid* Dux veritus, cum & in ſuis ſatellitibus fidei ambiguitatem probe noſſet, caſtro relicto ad *Wladislaum Poloniæ* Ducem cum vxore & vniuerſa ſupellectili diuertit, *Suantopelk* vero caſtro *Wlodimir* potitus, proceſſu temporis caſu lugubri filio ſuo *Suantoslao* 12. Iunii à propriis occiſo, exceptus eſt.

1099. *Pomeranorum* furia ad laceſſendum *Poloniæ* Regnum accurata diligentia ſemper intenta, quamuis illi ſuperiores conatus male ceſſiſſent, quietis tamen impatiens, nouo nocendi genere, aduerſus *Polonos* vſura, contractis vtriſque copiis ad caſtrum *Santok* accedens, intercipere illud primum dolo & fraude, & tandem ſpe non reſpondente, vi aperta expugnare moliebatur. Ac irrito vtroque cœpto, quoniam & firmo præſidio militum, velut portus, & oſtium *Poloniæ* Regni ſeptum erat, & ad humanum firmamentum etiam ſitus naturalis qualitas acceſſerat, nihil aduerſo euentu *Pomerani* deterriti, è regione caſtri aliud caſtrum *Polonis* ex iuſto nequicquam reſiſtentibus, in tam propinqua vicinitate, vt ſe mutuo loquentes exaudirent, & trabibus, & quercinis lignis, cæteraque materia illic ad manum ſuppetente erigunt, & vallis foſſatiſque ingenti celeritate communiunt, maximum momentum rebus adiecturi, ſi tam caſtro neceſſario *Polonis* adempto, incurſiones pro libitu in *Poloniam* extenderent.

Pomeranis in finibus Poloniæ caſtrum ædificantibus,

1099.

Magnitudine periculi, quod à *Pomeranis* tendebatur, *Wladislaus* Princeps ad ſe perlata, motus, mandat filio *Zbigneo*, (ei enim oræ illius portio obuenerat) vt quam celerrimè conſurgat, & *Pomeranorum* abigat inſidias, & munitionem nouam à *Pomeranis* extructam deiiciat, caſtroque *Santok*, & his, qui in illo acriter oppugnabantur, opem ferat. Ille etſi prima iuſſa exequendo illuc cum iuſto exercitu acceſſiſſet, ſegniter tamen in ſingulis, quæ agi cum hoſte oportebat, ſe gerens, re infecta, confirmatis hoſtium animis, ſuorum verò qui obſidebantur plurimum hebetatis, diſceſſit. Quod vbi ferocis pectoris adoleſcens *Boleslaus* filius *Wladislai* Ducis legitimus, præruptæ iam tunc vir audaciæ, intellexit, fraternam deterſurus ignominiam, & patriæ obſeſſiſque ſuccurſurus, cum paucis admodum militibus illuc adueniens, magnos impetus edit. Egreſſos, ſiquidem ipſius paucitate conſpecta, *Pomeranos* paruo negotio fudit, fugatque, & vſque ad portarum limen, tam auidè fugientes proſequitur, vt parum abſuerit, quin cum fugientibus caſtrum irruerit. Pontem deinde à *Pomeranis* fabrefactum, aut diſrupit, aut exurit, obſidentesque paruo ante tempore *Pomeranos*, ponte effracto & ablato, noua terruit conſtrinxitque obſidione. Probitatem & ardorem infirmæ adhuc ætatis *Pomerani* admirati, magno illum certatim celebrant ſermone, dignumque iudicabant, cui ferrum & arma tractanda committerentur, *Zbigneum* velut puſillanimum & hebetem, in ſacerdotii ſortem detracta militia arbitrabantur detrudendum. Caſtro deinde quod erexerant, amiſſionem illius veriti, incenſo; ſub noctis caligine diffugiunt. Auunculus illius germanus *Bohemorum* Dux *Bretislaus*, ſpectata adoleſcentis virtute, coram ſe ſæpius recitata delectatus, miſſis nunciis, eum ad ſe venire inuitauit, chariſſimoque affectu honoratum remiſit, arcemque *Kamieniec* prope flumen *Moiſza* ſitam, ei reſtituit. Ita *Boleslaus* vno egreſſu duplicem hoſtem confecit, *Pomeranum* quidem congreſſu, *Bohemum* verò ſuæ virtutis admiratione. Donis præterea quamplurimis nepotem *Bretislaus* cumulauit, tum propter ſingularem amorem, quo in eum fuerat incenſus, tùm quia procul dubio indole & moribus *Boleslai* contemplatis; ſperabat egregii animi virum domi foriſque euaſurum. Abeuntem longa deductione proſequutus, monuit, vt nepotis erga ſe & Principatum *Bohemiæ* ſeruaret amorem, nihil dubitans ſe ſibi de cætero benigno animo reſponſurum. Ille graui & benigno reſponſo reddito, in propria reuerſus, dona quæ à *Bretislao* auunculo acceperat, ſingula in milites diſtribuit.

Boleslaus, Pomeranos prælio vincit, caſtrum vero exurit, poſtea ad Bretislaum Bohemiæ Ducem proficiſcitur, & ab eo beneuole ſuſcipitur.

Stephano Plocenſi Ep. ſuccedit Philippus.

Stephanus Plocenſis Epiſcopus annis XI. in Pontificatu *Plocenſi* abſumptis, vita & ipſe abſumptus eſt, & in *Plocenſi* Eccleſia ſepultus: Cui *Philippus* Decanus *Plocenſis*, genere nobilis, de familia *Doleuitarum*, per electionem Canonicam via ſcrutinii actum, vir conſilio & æuo maturus ſuccedit, quem ad petitionem *Wladislai* Ducis *Poloniæ* & Monarchæ, *Paſchalis* Papa ſecundus promouit. 1099.

Ruſſiæ Principes pacem inter ſe faciunt.

Generali conuentu Duces *Ruſſiæ* 10. die Auguſti in *Wietice* indicto, quatuor numero, videlicet *Suantopelk*, *Dauid*, *Olech*, & *Wolodar*, cum ſuis ſingulis Conſiliariis conueniunt, habitiſque inter ſe variis tractatibus, pacem mutuam ordinant & concludunt. Ad quos illic agentes *Dauid* Dux literis eorum acceſſitus ex *Polonia* aduenit, & dicendi poteſtate facta quærit *ad quid vocatus ſit*, offerens *ſe cuilibet de ſe querulanti reſponſurum.* Cui Duces per *Wlodimirum* reſpondent: *Tu ipſe per nuncium rogaſti nos, vt liceret tibi conuentui noſtro intereſſe, & de iniuriis, quas pateris queri. En ſedemq, æquis auribꝰ te audituri, ſi quid habes, propone.* Quo ſe ſua hæreditate *Wladimirienſi* videlicet Principatu ſpoliatum querente, ſecedunt Duces, & collatione habita, mittunt ad *Dauid* nuncios ex parte *Suantopelkonis Putatam*, pro parte *Wlodimir*, *Ratibor*, pro parte verò *Dauid* & *Olech Thorcinum*, qui apud illum ita diſſerunt: *Non eſt propoſitum Ducum Ruſſiæ, reddere tibi Wladimirienſem ſedem, eò quòd frequenter terras Ruſſiæ hoſtili gladio, quod nemo alius ante te memoratur egiſſe, vexabas, non intendunt in mortem, aut captiuitatem tuam, aut aliquod nocumentum machinari, & dùm ſat eſt, culpam ignoſcere, etiam beneficentiam, ne in externis gentibus in tui & eorum ludibrium exul & profugus vageris, adiiciunt, Oſtrog, Dobin, & Cartorisk, VVladimir centum marcas annuas, Dauid & Olech alias centum marcas ſimiliter annuas pro ſuis partibus tibi conſignat.* Quo huiuſmodi conditionem acceptante, ſedit *Dauid* in *Borzysko*. Cui expoſt *Suantopelkus* vltra poſſeſſiones priores etiam *Drobobiſch* adiecit, vbi degendo abſumptus eſt. Miſſi etiam ſunt ex eodem conuentu ad *VVolodorum* nuncii qui monerent, vt *VVaſilkone* cœco ad ſe recepto vnum agerent in *Premiſlia* Principatum. Quæ conditio ab vtroque repudiata eſt.

1100.

Quum Boleslaus Poloniæ Princeps baltheo militari cingendus eſſet,

Heroicos actus *Boleslai* Principis ſua animoſa opera etiam apud vicinas nationes iam crebreſcentia, & ſonore vulgata, quibus futuræ ſuæ indolis efficaciam, & virtutem maximis indiciis ſigniſque inſinuauerat, *VVladislaus* Dux *Polonorum* honorare ſatagens, & oriens ex ſuo femore ſidus ampliori rutilantia illuſtrare, non ignorans, nullum alimentum honoris ad exacuandam ſolidandamque virtutem æquè conferre, cingere illum militari balteo, cùm nunc ætatis annum 15. ageret, decernit. Aſſumptionis quoque B. *Mariæ* virginis diem in ciuitate, & in Eccleſia *Plocenſi*, cuius etiam honori Baſilica ipſa dicata eſt, conſtituit, curiam quoque ſolennem pro conferendo militari ſacramento *Boleslao* indicit, ſingulos Præ-

1100.

Præſules, Barones, & Primores *Poloniæ* ad ſolennitatem huiuſmodi corrogans & inuitans. Iam ſolennitati huiuſmodi dies aduentauerat deſtinata, inuitatique & in patris, & adoleſcentis honorem magnitudine apparatus, maximaque pompa ludos celebraturi frequentes confluxerant, dùm ſubitò affertur nuncio, *Pomeranos* ingeniorum calliditate & opportunitate temporis ſemper vſos, etiam ex huiuſmodi opportunitate temporis, caſtrum *Santok* grauibus copiis obſediſſe, ad eius quoque expugnationem omnes ſuos extraneos conatus & curas intendiſſe. Rebantur ſiquidem *Polonos* & *Boleslaum*, & conſtituta ad celebritatem militaris balthei die, & ſubſequentibus occupatis præſenti ſolennitate, & lætitia, & à cura defenſionis auerſis animis, omnem caſtri defenſionem neglecturos, ſe interim caſtra ſubuentione longius dilata potiundos eſſe. Tam audax *Pomeranorum* cœptum omni ratione ſalubriter compoſitum, virtus *Boleslai* potentior diſſoluit. Honore ſiquidem, quo eo die inſigniendus initiandusque erat, neglecto, quo illi poſt craſſior, ornatiorque perueniret, Pontificibus nequicquam eum retinentibus, equo veloci conſcenſo, de ſingulis qui conuenerant, ſequi iuſſis, ad *Santok* peruenit, & *Pomeranos* in tabernaculis quieſcentes ſoporeque in diluculo grauatos inuadit, & inopinato aduentu territos proſternit, fundit, & obtruncat, in paruoque temporis ſpacio omnes *Pomeranorum* copias, paucis per fugam elapſis, aut occidit, aut captiuat, & ſubſequente ſe longo captiuorum ordine in *Plocenſem* ciuitatem patre cum Epiſcopis & grandæuis, atque emeritis ſolennitatem militibus inchoatam continuante, hoſtium cruore madens, aduenit. Prædaq; Patri oblata, primùm ipſe, demùm frequens *Polonorum* numerus, ex ingenuis, & coæuis ſuis viris, his quoque qui vna ſecum militauerant, delectus à ſene patre, & balteo cinctus & ſacramento militari addictus eſt, & dies illa cum ſequentibus progeminata lætitia, cum iuſto gaudio traducta. Laudis ſuper ætatem & modum cupidus, nullos labores, nullum fugiebat diſcrimen, omnia pericula ob gloriæ cupiditatem, & patriæ quietem, decus atque propagationem vilipendens.

Pomerani iterum fines Poloniæ inſeſtant,

quos ille rebus aliis neglectis primo vincit,

& poſt baltheo cingitur.

Ignobili & miſeranda morte, *Bretislaus Bohemiæ* Dux 21. Decembris anni eiusdem decedit. Dum ſiquidem ex venationibus, quibus aliquànto tempore vacauerat, rediret, & prope villam *Stebnam* conſiſteret, venator ſuus *Laurentius Lorek* vocatus *Bozei* ex *Mutinæ* Nobilium de *Vrſzouicenſibus* alias *Ranitis*, qui à *Bretislao* ipſo omnium bonorum mobilium & immobilium mulctati & exiliati, in *Poloniam* diuerterant, largitione & promiſſo corruptus, lancea quam manu geſtabat, Ducem *Bretislaum* adeo lethaliter circa ilia proditoriè percuſſit, vt tertio die ex inflicto vulnere animam exhalaret. Huic frater germanus ſecundo genitus *Bratislai Borzywoi* in *Bohemiæ* Principatum ſucceſſit.

Bretislaus Bohemiæ inter venandum occiditur.

Templariorum ordo ſub hoc tempore cœpit, qui prius albis vſi ſunt mantelis, poſt rubeam crucem ſubpoſitam portarunt. Cuius primi fundatores fuerunt *Hugo* & *Ganifredus*, Beatus quoque *Bernardus* regulam dicti ordinis fertur compoſuiſſe. *Vrbanus* ſecundus cum annos 12. menſibus ſex, diebus 15. ſediſſet, *Romæ* moritur, & in Baſilica B. *Petri* honorificè ſepelitur. Cui *Paſchalis* ſecundus natione de *Bleda Tuſciæ*, qui *Reginberius* tituli S. *Clementis* Presbyter Cardinalis vocabatur, qui tres Antipapas vicit, *Albertum*, *Arnolphum*, & *Theodoricum*, in Cathedram Papalem ſucceſſit.

Templariorum initium.

Vrbano II. P.R. ſuccedit Paſchalis II.

Iaroslaus Iaropelczyc Dux *Suantopelkoni Kiouienſi* Duci inferens bellum, pugna inita ſuperatur. Quem captum & vinctum *Suantopelk Kioniam* adductum includit ergaſtulo, hunc expoſt ad inſtantes petitiones Metropolitæ *Kiouienſis* & monachorum ſolutum, & nihil de cætero moliri *Suantopelkoni* pollicentem dimittit.

15. Septembris *Ruthenorum* Duces, *Suantopelk*, *Wladimir*, *Dauid*, *Olech*, & *Iaroslaus* celebrato in *Stakow*, cum *Polowconum* Ducibus conuentu pacem confiniunt, quæ vt ab vtroq; firmius cuſtodiretur, dati inuicem obſides. Quartadecima die Aprilis, *Wſzeslaus* Dux de *Polocko* moritur.

1101.

Nouam *Boleslai* Ducis militiam nouus & antehac inſolitus hoſtis excepit, *Ruthenorum* namque Duces, *Wlodimir Nouogrodenſis*, *Dauid* & *Olech Pereaslauienſes*, *Wolodor Præmiſlienſis*, & *Iaroslaus Iaropelczyc*, abnuente & detrectante huiuſmodi expeditionem, *Suantopelkone* Duce *Kiouienſi*, ſuperiorum bellorum eis à Regibus *Polonorum* illatorum vltum iri cupientes iniurias, vt quæ conſtaret vires illorum ſic exercuiſſe, vt timendi magis cenſeri debeant quàm timidi, valido congeſto exercitu in *Poloniam* ingrediuntur, & quadrifariam agmine diſpartito, quo & prædatio populatioque maior proueniret, & terror multiplicatorum exercituum diffunderetur, eam omni genere vltionis vaſtaret, prædantur, & affligunt, non paruum quoque locorum ſpatium vſque ad flumen *Viſlæ* emenſi, & prædarum ſpoliorumque & captiuorum maximum conſequuti numerum. Iamq; votis potiti, graui & tardo gradu, grauem trahentes mancipiorum, & pecorum, prædam in *Ruſſiam* remeabant. Cum ſubitò *Boleslaus* Princeps, qui in colligendis accerſendisque in hoc bellum militibus, omne id tempus, quo *Rutheni* in *Polonia* immorati ſunt, abſumpſerat, aduenit. *Ruthenosq;* iam *Poloniæ* regni confinia transgreſſuros, & faſtu immani, atque lætitia, quod expeditionem illam nihil aduerſi experti abſoluiſſent, inflatos conſequitur. Verùm cum ab exploratoribus, & per ſeipſum accepiſſet, vires hoſtium ſuis in notabili excedentia ampliores eſſe, & dimicationem futuram, militibus præſertim ſuis longitudi-

Ruthenos Poloniam vaſtantes

tudine viæ feſſis imparem, oportunitate temporis vtendum, (numero quidem plures hoſtes, robore verò ſuos ſuperiores & pugnandi cupidos ac peritos) ratus, cum omnis cunctatio, ne hoſtes à conſpectu abirent, & in munitiones ſe reciperent, allatura diſpendium videretur, accelerationem optimam ducens, (nam quo iſſent celerius, eo ipſos repertum iri imparatiores,) in noctis conticinio, quam dies Dominica ſequebatur, cum *Ruthenos* in ſoporem verſos haberet exploratum, in illos irruit, iuſſiſque militibꝰ altius clamorem attollere, omnem eorum potentiam inuadit, & trementes atque pauidos, vt in tali caſu ſolet accidere, *Ruthenos*, ne quicquam paucis reſiſtentibus, Ducibus primum, deinde militibus, cæteriſque in fugam verſis, fundit, ſternitque *Polonorum* captiuis cœptam cladem *Ruthenorum* magnopere augentibus. Ingenti ſtrage edita, plurimis captiuis, & ſpoliis onuſtus, ſuis quoque *Polonis* in ſexu vtroque manumiſſione præſtita, reuerſus ad patrem, & agreſtium quos liberauerat, & militum, quos magna hoſtili præda ditauerat, efferebatur ſermonibus: *Felicem fore Rempublicam Polonorum tali Principe, felicem gentem, cui imperauerint, felicia tempora, quibus Poloniæ regno priſca gloria & omnis inſtauratio, decor & amplitudo forent abſque dubio prouentura, felicem & beatum virum, qui tàm ſtrenuum & fortunatum effudit bellatorem.*

vincit Boleſlaus, *& captiuos Polonos liberat.*

Pro *Bohemiæ* Principatu, in quem anno transacto *Borzywoy* filius *Wratiſlai* ex *Suantochna Caſimiri* Regis *Poloniæ* filia genitus ſucceſſerat, res inter eundem *Borzywoy*, & *Vdalricum* filium *Conradi* Ducis quondam *Bohemiæ* filium ad teſtatas inimicitias & arma, re in controuerſiam verſa, prodierat. Is namque *Vdalricus* ſibi velut maiori natu *Bohemiæ* Ducatum vendicans, etiam ab Imperatore *Henrico*, quem *Ratiſponæ* conuenerat, de eodem Ducatu inueſtitus & prouiſus, cum aliquanto *Teutonicorum* exercitu, ſperans plures *Bohemos* ad ſe defecturos, *Bohemiam* acceſſerat. Sed dùm *Borzywoy* fortiori agmine circa riuulum *Wiſzplica* illic occurriſſet, & nulla acceſſio *Bohemorum* ad *Vdalricum* fieret, à *Teutonicis* apertum diſcrimen ſubire detrectantibus, & temeritatis illum arguentibus deſertus eſt, *Borzywoy* nouus Princeps *Bozei* & *Mutinæ* germani ſui *Bretiſlai* percuſſoribus ex *Polonia* reuocatis, oppida eorum *Bozei Sancz, Mutinam,* & *Lewtomorzycz* reſtituit.

Bohemiæ Dux fit Borzywoy.

Vigeſima quinta Nouembris, *Lampertus Cracouienſis* Epiſcopus, & corporis B. *Staniſlai* ex *Rupella* in Eccleſiam maiorem tranſlator, abſumptus eſt, & in Eccleſia *Cracouienſi* ſepultus, cùm annis 20. *Cracouienſem* Eccleſiam rexiſſet. *Balduinum* primum, *Gallum* genere, Summo Pontifice *Paſchali* ſecundo prouidente habuit ſucceſſorem, annis 7. in *Cracouienſi* Eccleſia præſidentem, non tamen immediate *Balduinus Lamperto* ſucceſſit, ſed annis tribus vir venerabilis *Cziaſlaus* tenuit *Cracouienſem* Epiſcopatum per *Wladiſlaum* Ducem *Polonorum* ſibi collatum. Fuit hic *Balduinus* Canonicus *Stobnicenſis*, & *Boleſlao* Duci Monarchæ Regni *Poloniæ* in grandi neceſſitate ſubuenerat, eius itaque patrocinante ſuffragio in Cathedram *Cracouienſem* promotus.

Lamperto Cracouienſi Ep. ſuccedit primum Cziaſlaus, deinde Balduinus I.

Conradus Henrici Imperatoris filius *Florentiæ* moritur, & in altero anno *Henricus* coronam Imperii à *Paſchali* Papa ſumit, nec multo poſt illum cum multis Eccleſiæ Prælatis capit, & carceri includit, vnde parum poſt liberatus euaſit.

1102. *Wladiſlaus Poloniæ Dux moritur,*

Sexageſimum ſuæ ætatis vno minus annum *Polonorum* Dux *Wladiſlaus Hermannus* cognominatus, impleturus, in grauem incidit languorem. Qui cùm illum vexaſſet diutius, *Boleſlaus* tamen filius ſuus nunquam à languentis lectulo, niſi quantum patris curandi vſus poſtularet, diſcedebat. Tandem viribus corporis debilitatus, animam de carne 5. die menſis Iunii excluſit, affuit ſui exceſſui *Martinus Gneſnenſis* Epiſcopus, ipſeque Duci deceſſuro, & ſacratiſſimi corporis Chriſti viaticum, & ſupremam vnctionem præſtitit. Cadauer quoque exanime, donec filii, Præſules, Barones, & milites ad iuſta Ducali funeri exſoluenda conuenirent, vſque in diem quintam aſſeruauit. Scribunt & aſſeruunt nonnulli annalium *Poloniæ* ſcriptores, *Wladiſlaum* Ducem præfatum *Poloniæ* non naturali morte concidiſſe, ſed à filio ſpurio *Zbigneo*, qui & *Zbieg* à *Polonis* cognominatus eſt, occiſum eſſe per fraudem. Sed filiis confluentibus *Zbigneus* non de honore & iure patri ſepeliendo, impendendo, ſed de theſauro à patre relicto curam intenderat. Solita quoque furia vexatus, litem grauem & pro tempore execrabilem, cum Boleſlao fratre fletibus & mœrore occupato, & confecto, inchoauerat. Caſtrum *Plocenſe*, cùm ſuæ ſortis eſſet & iuris, etiam theſaurum illic repoſitum ſibi tantummodo integrum debere cedere. Qua interceſſione *Martini Gneſnenſis* Archiepiſcopi, cæterorumque Epiſcoporum & Baronum ſedata, officio ſepulturæ, per dies plures vacatum eſt. Ducis quoque mortui *Wladiſlai* corpus in Eccleſiæ *Plocenſis* choro, non ſine *Boleſlai* filii legitimi Prælatorum & Baronum *Poloniæ* luctu, debito honore conditum eſt. Theſaurus quoque prout ex dicto *Martini* Archiepiſcopi, & Epiſcoporum *Poloniæ* conuenerat, inter Boleſlaum & *Zbigneum* ex æquo diuiſus; quanquam iure municipali minus perſcriptum eſt, legibus tamen Imperialibus, & communi iure gentium ſancitum, vt naturales filii ſortem hæreditatis in regno non poſſint accipere. *Zbigneo* quoque in *Maſouia* & *Plocko*, ſibi enim ſorte prouenerat, remanente, *Boleſlaus* in ſedes à patre ſibi deſignatas abiit. Tum quoq; primum *Polonici* Regni

& in Plocenſi Eccleſia ſepelitur.

1102. gni Prouinciæ diſcerpi,atque ſcindi cœperunt. Tantam autem charitatem *Boleſlaus* Princeps nobilis parentis, nobiliſſimum veraxque germen in patrem mortuum monſtrauit, vt eius exceſſum quotidie nouarum effuſione lachrymarum, & habitu veſtis atræ integro lugeret quinquennio. Laminam inſuper auream & paternam imaginem, ſimul & nomen inſculptam habentem, ceruici appendit, noctéque & interdiu geſtauit,vt quaſiPatrem coram cerneret, eiusque aduentum ad ſingula ſua agenda figuraret,vtque præſentia ſua in virtuoſis actionibus conſiſteret erectior, crebro id apud ſe lamina aurea ſuggerente ingeminans atque repetens,dictabat: *Sermonem tuum antequam prodeat,* (*pater enim illum exaudit*) *vt honeſtus & cultus ſit, circumcide opera tua, vt iuſtitiam & veritatem redoleat:* (*pater enim ſingulorum inſpector adeſt*) *vt omnia iuſtè adminiſtrentur, via regia vt in ſingulis quæ vel meditando, vel fando, vel operando egeris Deum & parentem magno metu ſapientiam præſtantem, reuerere.* Talibus documentis, quæ ſua ſponte pectus ingenuum ſpirabat, *Boleſlaus* eruditus, breui in virum ſolertiſſimum, & perſpicaciſſimum clementia Saluatoris illum dirigente euaſit. Armorum, & equitandi peritus, laborum vltra fidem patiens,eloquio nitidus,in iudiciis ſtrenuus, pietate præſtantiſſimus, gubernatione regni ſtrenuus & præcipuus, in bellicis actionibus & victoriis ſemper clarus. Vltra autem militaris gloriæ laudes plurimæ in eo fulſere virtutes,fides, prudentia, & induſtria. In omnes charitas, & erga calamitoſos ac inopes miſeratio ſemper prompta,patri *Wladislao* non abſimilis, cæterum diſciplina rei militaris longè peritior, copiis, apparatuque longè opulentior,inſtructiorque, liberalitate animi, facilitate morum, dexteritate ingenii copioſior.

1103. Egregiam operis noſtri partem,in quam diuinitate propitia,vtcunque peruentum eſt, inchoaturus, id mihi primum præfari liceat, quod & pleroſque rerum ſcriptores in vertice ſuorum operum profeſſos memini. Tempora me & bella memoranda egregiæ & raræ felicitatis atque virtutis, Ducis *Boleſlai Polonorum* Monarchæ deſcripturum. Cuius pectus tàm fuit ferox in aggrediendo, animoſitas tàm conſtans in agendo, celeritas tàm prompta in conficiendo, liberalitas in largiendo,induſtria in prouidendo, modeſtia in deuictos, clementia in afflictos, commiſeratio in calamitoſos, vrbanitas in hoſpites, æquitas & pietas in ſubditos,quemadmodum memoriæ multorum autorum literis proditum eſt, adeò ampla ac immenſa,vt inter *Polonorum* Reges & Principes, neque vir melior, neque Dux peritior, neque miles audacior,neque victor felicior,neque patriæ amator feruentior, neque iudex iuſtior illo vnquam memoretur extitiſſe. Septem & quadraginta prælia conſtat illum confeciſſe. In quibus adeo prudenter & animosè

Laus Boleſlai,

verſatus eſt, vt ferè in ſingulis ſua plerumque virtute triumphauerit, inerat illi in oris extre- 1103.
A mitate quædam ad gratiam magis, quam ad deformitatem producta recuruitas, ob quam *Boleſlaus Krywonſty*,videlicet *indirecti oris* eſt agnominatus. Tantas autem præclaras in Principe virtutes ſola credulitas vitiauerat,cui etiam in apertis & expertis rebus tàm ſe obnoxium ſubſtrauerat, vt actionibus ſuis,alioquin glorioſis & magnificis, aut leuitatis notam inuſtam, aut confuſionis ignominiam conſtabat permixtam. Altero poſt obitum patris anno, Prælatis & Baronibus *Poloniæ* diu cunctantem renitentemque, & ætatem nondum maturam opponentem, cogentibus, vxorem Principis maioris *Ruſſiæ* filiam *Suantopelkonis* Ducis *Kiouienſis* nomine *Zbislauam*,virginem
B forma & moribus illuſtrem, (quamuis alter alterum quarto conſanguinitatis gradu æquè contingeret) accepit, verentibus conſiliariis, ne tàm nobile germen, non relictis frondibus, excederet. Nuptiarum celebritatem *Cracouiæ* 16. die Nouembris acturus, *Zbigneum* fratrem naturalem, quem pluſquam germano affectu diligebat, & in quem charitatis & venerationis officium, quod patri præſtare ſolitus erat, contulerat, ad illam inuitat. Qui etſi pro honore fraterno ad illam venire ſe promptum obtulerit, illico tamen pecunia accepta ad *Bohemiam* ſe contulit, & tàm Ducem *Bohemiæ* *Borzywoi*, quàm nepotem ſuum *Suantopelk* & præſenti pecunia, & futura promiſſione ine-
C ſcatos arma contra *Boleſlaum* ſumere, & Ducatus ſuos inuadere induxit, nullum aptiùs tempus,eo quod *Boleſlaus* Dux *Polonorum* nuptiarum ſolennitati vacauerit,de cætero ad inuadendum ſuos Principatus prouenturum. In fines copiæ *Bohemorum* peruenerant, cum murmur *Bohemorum* & indignatio exorta erat querentium ſe ad iniuſta bella, ex quibus ad ſolos Principes locupletatio, ad ſe tenuitas proueniret, cogi. Rem in ſeditionem verti timentes & *Borzywoi* & *Suantopelk* Duces in *Bohemiam* (*Zbigneo* ignominiosè deſerto, vana tamen ſpe impleto alio ſe tempore ſuis deſideriis morem geſturos) reuertuntur. *Boleſlaus* impedimento hoſtili, quod illi inuidia fratris
D exciuerat, *Bohemicorum* militum ſeditione ſolutus, magno ſumptu & pompa nuptias egit, 16. quoque diebus integris quibus nuptiarum celebritas tendebatur, amplitudine ſua digna munera inter conuiuas,& inuitatos diſtribuit, conſanguinitatis impedimentum, quod inter *Boleſlaum* Ducem & nouam ſponſam vertebatur, *Paſchalis* Papa ſecundus *Balduino Cracouienſi* Epiſcopo procurante, Apoſtolica diſpenſatione ſuſtulit. *Bohemica* repulſa *Zbigneus* accepta, ad alias rurſum molitiones animum inducens, *Pomeranos*, *Pruthenoſque* & quoſcunque alios adire feſtinat, in bellum & arma illos contra *Boleſlaum* Ducem *Polonorum* inducturus. Ambitio enim ad

qui cum Zbislava Suantopelkonis Ruſſiæ Ducis filia,

Zbigneo fruſtra Bohemos aduerſus ipſum inſtigante,

nuptias celebrat.

1103. ad occupandum *Poloniæ* regnum vniuerſum, & liuor in Ducem *Boleſlaum*, illos ſibi ſubminiſtrabat ſpiritus, cùm illum iuſta matrefamilias, ſe pellice ortum: illum fauore, & charitate *Polonorum* magnum, ſe inuiſum & contemptibilem eſſe noſſet. Nullam ſibi itaque ſpem ad adeptionem Regni niſi in ſcelere relictam ratus, ad id omnes, quos poterat, conatus intendit, & germanitatis obliterata memoria, non inſidiatoris modò, ſed ganeonis manifeſti perſonam induens, noctes dieſque inſidiari illi cœpit. Callidus enim, & verſutus natura *Zbigneus*, quo ſe inferiorem materno latere cernebat, eò ſtudioſius per fraudes & dolos capitales inſidias non deſinebat extruere *Boleſlao*, non aliter ſe, niſi *Boleſlai* interitu dedecus originarium exiſtimans depulſurum. Videns inſuper fauorem & dignitatem *Boleſlai* apud omnes validam fore, ſibi nullam ſpem Regni niſi in ſcelere ratus, ad id vnum omnes cogitationes curaſque ſuas intendere pergit, nec illum metus à periculo aut ratio à furore reuocabant, furtiua vitiatus ſobole, qui de matre erubeſcere debuerat, Principatum appetebat.

Polowcy Ruſſiam inuadentes

Pacta cùm *Ruſſiæ* Ducibus firmata violantibus *Polowcis*, terraſque *Ruſſiæ* excurſionibus & ſpoliis aſſiduis vehementer vexantibus, conuentu apud *Kiouiam Ruſſiæ* Duces octaua die Aprilis celebrato, expeditionem contra *Polowcos* æſtate non expectata gerendam indicunt. Milites autem *Ruthenorum*, etſi non conuenienter tempore hiberno geri bella aſtruerent, & grauari ſe plurimum per indictam expeditionem quererentur, Duce tamen *Suantopelkone Kiouienſi* diſſerente, *cum eo ipſo hoſte bellum eſſe, qui nec quicquam obſeruatis temporibus aſſiduè illos infeſtet, & cui pro omni tempore reſiſti oporteat*, expeditio huiuſmodi vniuerſali conſenſu accepta eſt. Ad quam communibus viribus & armis *Ruthenorum* Ducum & populorum gerendam, *Dauid* & *Olech* Duces, qui conuentui *Kiouienſi* intererant, cùm vocarentur, *Dauid* quidem vocationi paruit, *Olech* verò ægritudine ſimulata venire contradixit. *Wlodimirum* itaque cum ſuis copiis procedentem *Suantopelk Kiouienſis* Dux, *Dauid Suantoſlawicz*, *Dauid Wſzeslawicz*, *Mſciſlaus* nepos *Hreorii*, *Wiſzeslaus Iaropelczyc*, & *Iaropelk Wlodimirowic* Duces, vnuſquiſque cum gente ſua equis & nauibus vecti, ſecuti ſunt. Egreſſi autem de nauibus conſcenſis equis, & aciebus ordinatis, veniunt in *Schuten*. Quorum apud *Polowcos* percrebreſcente aduentu congregantur *Polowcy* in maxima multitudine, cum *Ruthenis*, quos iam viciſſe & ſubegiſſe crediderant, dimicaturi. Suaſit autem vnus ex Ducibus *Polowconum*, *Ruboſa* nomine, *Polowcis, vt certandi animo omiſſo, pacem potiùs, cuius ipſi violatores extiterant, à Ruthenis in grandi exercitu venientibus, flagitarent.* Qui etſi ſalutaria ſuaderet, arguentibus tamen *Ruboſam* de ignauia, & metu notantibus, cæteris auditus non eſt, profitentibus *ſe & Ruthenos qui aduenerant, debellaturos, & tàm terras, quàm munitiones eorum occupaturos. Nec ſupereſſe quenquam ea potentia præditum, qui Ruthenos ab eorum inuaſione ſit ſeruaturus.* Quo tàm ſuperbo & feroci dicto *Rutheni* & Duces eorum cognito, pro conſequenda ex alto victoria, frequentibus votis promittendo templis & monaſteriis largitiones ampliſſimas Dei clementiam precabantur. *Archonga* autem, vir in armis fortis & ſtrenuus, cum aliis non paucis ad ſpeculandum à *Polowcys* præmiſſus, à *Ruthenorum* ſpeculatoribus interceptus, nullo valente effugere, cum omnibus comitibus ſuis occiditur. Quæ res velut de ſumma belli pronunciaſſet *Ruthenos* victores, *Ruthenorum* animos erexit. *Polowcis* itaque in magna multitudine, quam nemo *Ruthenorum* poterat, aut circumſpicere, aut æſtimare, in aciem prodeuntibus, immiſit diuinitas pauorem & terrorem in illos & occupati pauore & trepidatione antequam in congreſſum cum *Ruthenis* venirent, non ipſi modò, ſed & equi eorum ceſpitare, mœroremque quendam præ ſe ferre cœperunt, *Ruthenis* è contra ordinanter, & cum magna alacritate equis etiam eorum in lætitiam effuſis, frequentius hinnientibus ad prælium prodeuntibus, *Polowcy* ſolo eorum conſpectu perculſi, & debellati, pugna omiſſa, terga vertunt. Cædes itaque non certamen fuit, & fugientes *Polowcos* paſſim trucidant. 20. Duces *Polowconum* eo prælio occiſi, videlicet *Ruboſa*, *Kocza*, *Harslonopa*, *Kikalopa*, *Huniana*, *Chaſupa*, *Kurtaka*, *Czeniehrepa*, *Surboz*, & plures alii, multa millia cæſi, multa capta. Caſtris *Polowconum Rutheni* potiti, ex auro, argento, gemmis, pecoribus, camelis, & alia varia ſuppellectilia illic recepta, *Ruthenicus* exercitus affatim ditatus, onuſtus multis ſpoliis, & multos *Polowconum* captiuos ducens, victor in *Ruſſiam* rediit. Fecitque Deus in die illa magnam ſalutem *Ruthenis*, graues & infeſtos hoſtes *Polowcos* tradendo in manus eorum. Procedente autem tempore eiuſdem anni, terræ *Ruſſiæ* à *Ruthenis* & *Lithuanis* vaſtatæ ſunt. Volunt & nonnulli annalium *Poloniæ* Hiſtoriographi eo primum anno & non 1065. quemadmodum in ſuperioribus narrauimus, *Miecslaum* Ducem filium *Boleſlai Poloniæ* Regis, confirmata apud *Cruſuiciam*, vbi tenebat ſedem, monaſterii in *Mogilno*, per patrem ſuum fundatione ſimul cum *Eudoxia* coniuge ſua 2. Idus Martii vi veneni, quod fortè vna die ſimul hauſerant, extinctum eſſe. Cuius confirmationis apices originales in ipſo *Mogilnenſi* monaſterio in pargameno exaratos, ego legi, vidi, & tractaui.

à Ruthenis magna clade afficiuntur.

Hoſtilitate quam aduerſus ſe *Boleſlaus Polonorum* Dux affines ſuos *Borzywoy* & *Conradum Bohemiæ* Duces, ad *Zbignei* fratris ſui ſuggeſtionem machinatos, ſub diebus nuptia- 1104.

1104.

Zelislaus Boleslai Dux Morauiam vaſtat,

nuptiarum ſuarum agnouerat, vehementer offenſus, nec ſuggeſtori tantum *Zbigneo*, quantum *Conrado* (is enim *Borzywoi* Duce A *Bohemiæ*, bellum *Boleslao* inferendum declinante, ardentius id geri expetebat) iratus, milites magis præſtantes & veteranos in arma euocat. Et valido exercitu ex proprio tantummodo milite congeſto, pœrficiens illi in Ducem & Principem militiæ Comitem *Zelislaum* in *Morauiam*, quam tunc *Suantopelk* velut ſortis ſuæ hæreditatem poſſidebat, transmiſit. Tanto autem ad vlciſcendum *Suantopelkonis* hoſtilitatem ferebatur ardore, vt tempore belli apto non expectato in Quadrageſimæ diebus expeditionem ipſam milites agere iuſſerit. Ne tamen expeditioni huiuſmodi intereſſet perſonaliter, ægre à Conſiliariis exorari potuit. *Zelislaus* itaque Princeps militiæ triplici agmine, B ita enim erat illi a *Boleslao* Duce imperatum, *Morauiam* ingreſſus, incendiis, ſpoliis, & prædis, non in Quadrageſimæ ſolum diebus, ſed etiam feſtum Paſchæ ſequentibus grandi incommodo eam afflixit. Et vniuerſa fere *Morauia* abſque aliquali reſiſtentia peragrata, prædarum & captiuorum magnis turbis, maximoque numero onuſtus in *Poloniam* remeabat, iamque locis quæ *Poloniam* à *Morauia* diſterminant, proximus erat, dum & exploratorum & ſpeculatorum denunciatione certificatus eſt, *Suantopelkonem* cum exercitu frequenti, plus de pedite, quam de equite habente ſe inſectari, nec plus duobus miliaribus à ſe caſtra poſuiſſe. Siſtit illico gradum *Zelislaus* C & imbecillioribus infirmiſque cum captiuis, præda, & ſpoliis præire iuſſis, quatenus futura dimicatio expeditius iniretur, ipſe aciebus inſtructis, milites paucis, *vt cœlitibus iuuantibus fortiter decernerent*, hortatus, in ſtatiuis heſterna die habitis *Suantopelkonis* aduentum cum vniuerſo *Polonorum* exercitu alacer operiebatur. Aduenit tandem *Suantopelk Morauiæ* Dux, & irarum, felliſque pro ſortis *Morauicæ* exuſtione plenus, bellum animo infeſto conceptum conſeruit, ſuæ & ſuorum virtuti plurimum confidens, nihil caſui reſeruabat, ſecundos ſibi deſtinans ſucceſſus, quaſi non & in altera parte viri æque pugnaces fuerint,

cum Morauis æquo Marte pugnat,

magno impetu ab vtriusque concurſum D eſt, maiori tamen vi vsque ad veſpertinam horam, cum in tertiis cœpiſſet pugna, gerebatur. Et vtraque parte pro victoria adintente, fuſo vtrinque multo ſanguine, plurimisq; hinc inde cadentibus, aut vulneratis, æquo Marte vtraque acies, hæc in *Poloniam*, illa in *Morauiam* ex infeſta paleſtra rediit, *Suantopelkoni* & *Morauis* vltra mœrorem, quem pro his, qui in prædicto prælio ceciderant, etiam his, quod prædam à *Polonis* non excuſſerant, acceſſit. In hoc certamine dum *Zelislaus* Princeps militiæ, & Ducis & militis officio egregie functus, in locis aliquot pugnam reſiſtens manum dexteram amiſiſſet amputatorem illius ſua occidit.

& manum dextram amiſit: pro qua ipſi Boleslaus auream fabricari iubet.

1104.

Pro qua illi ob virtutis inſigne, *Boleslaus Polonorum* Dux ſua liberalitate ampla contulit munera. Nec oblatis fides defuit quoniam & donationibꝰ mirificis illum locupletauit, & pro carnea amiſſa, manum illi auream fabricauit. Cuiꝰ ſimulachro vſus fortitudinis ſuæ facinore, magis quam vera manu fiebat conſpectior. Plures & alii *Poloni* in huiuſmodi prælio, aut deſiderati, aut vulnerati ſunt; quæ plaga creditur propterea *Polonis* accidiſſe, quod Quadrageſimam eſu lacticiniorum violaſſent, & in die Reſurrectionis quædam nefanda ſcelera patrauerant, maioremque gloriam eius victoriæ quam lætitiam miles *Polonicus* habuit. Indignum ſiquidem iudicauit, & deforme ſibi *Boleslaus Polonorum* Dux, ſimulachrum manus aureæ *Zelislao* Principi militiæ non reddere, qui pro ſuo imperio fortiſſime dimicans, in acie, veram amiſiſſet. Omnes autem Ducalium ſuorum introituum ſumptus in nullam, vt cæteri, conuertebant, voluptatem, ſed ad equos & arma, & quamlibet aliam militiæ & artis Imperatoriæ ſuppellectilē, pro qua vna adipiſcenda, maxima cura, ſtudio, conatuque adeo flagrauerat, vt nulla ipſum vnquam occupatio auocauerit, labor diſtraxerit, diſcrimen deterruerit, nec *Poloni* ad capeſſenda pericula alio Duce plus audaciæ oſtentarunt.

Suantopelkonem Morauiæ Ducem, *Boleslaus Poloniæ* Dux denuo inſectaturus, ea quæ *Zelislaus* & exercitus ſibi commiſſus egerat, parum probans, alio rurſum coacto exercitu, magis potenti *Morauiam* per *Alpes* confrontatas ingreditur, per quas etſi in eam diem vsque quæuis itineratio fuit, ipſe tamen primus ferro, & igne iter illud patefecit. Ad illius aduentū vniuerſi agreſtes fuga dilapſi, aut in munitiones ſe cum fortunis ſuis conferunt, aut in ſiluis & abditis locis pecus condunt. Intelligebant enim Dominum ſuum *Suantopelkonem* priori certamine ſatis debilitatum, *Boleslao Polonorum* Duci cum recenti & fortiori agmine aduenienti, decernereque æſtuanti, nullatenus occurſurum. Libere itaque vaſtata *Morauia*, ampliori etiam incendio afflicta, incolumis & nullam *Morauorum* reſiſtentiam expertus, cum exercitu nouis ſpoliis ditato, rediit.

Morauia a Polonis iterum vaſtatur.

Gualdo Ep. Baluacenſis Nuncius Apoſtolicus

Summi Pontificis *Paſchalis* ſecundi nuncius cum poteſtate Legati de latere, *Gualdo, Epiſcopus Baluacenſis*, in *Poloniam Boleslao* de *Morauica* expeditione redeunte, venit. Qui à *Boleslao* Duce comiter exceptus, *Polonia* viſitata, prout à Summo Pontifice iuſſus erat, Eccleſia rigore iuſtitiæ in ſceleratos Ducis *Boleslai* illum animante acuenteque aſſiſtentia, duos Prouinciæ *Gneſnenſis* Epiſcopos, culpa exigente, damnauit, & ſuis per ſententiam depoſitionis priuauit ſedibus. Qui tamen ipſi fuerint, & quarum Eccleſiarum Epiſcopi vario & diligenti in quibuslibet annalibus ſcrutinio facto, legiſſe me non meminerim. Reor tamen ex coniectura euidenti, quod vnus Epiſcoporum

1104. rum depoſitorum fuit *Czeslaus*, qui *Cracouienſem* Epiſcopatum nulla Summi Pontificis autoritate, ſed ſola Ducis *Wladislai* donatione detinebat.

Boleslao naſcitur filius Wladislaus.

Editus eſt à Duciſſa *Zbislawa* conſorte *Boleslai* in anni huius fine infans egregius, quem præfatus *Gualdo* Epiſcopus *Baluacenſis* cum aliis *Polonorum* Epiſcopis in *Cracouienſi* Eccleſia de ſacro fonte leuauit. Qui patre iubente, auitum nomen *Wladislaus* accepit.

1105. *Boleslaus Dux*

Secretam & cauteloſam expeditionem paucis conſciis in *Pomeranos* terminos Principatuum ſuorum laceſſentes, *Zbigneo* eos ad id crebris, clandeſtinis tamen auiſamentis & promiſſionibus incitante, *Boleslaus* Dux *Polonorum* acturus, copias equeſtres tantummodo in *Glogow* ſpeciem expeditionis in *Bohemiam*, quo & *Zbigneum* & *Pomeranos* falleret, iuſſit conuenire. Omnibus tandem, quæ illi expeditioni rebantur ſufficere comparatis, exercitum per quinque integros dies, per ſiluarum opaca, & colles inuios, ne propoſitum ſuum prodi poſſit, verſus *Goltberg* ciuitatem ea tempeſtate opibus famoſam duxit. Cumque ſextis ſtatiuis propius eam acceſſiſſet, militibus ex itinere feſſis, quietem aliquam daturus curare illos, primum animas ſacro Euchariſtiæ viatico, demum corpora iubet. Septima die quæ in Sabbato obuenerat, officio B. *Mariæ*, in cuius deuotionem ſingulariter ferebatur, abſoluto diluculo, ad *Goltberg* incautos oppreſſurus accedit, flumenque quod circa vrbem decurrit, tunc inflatiores ſolido vndas habens, pontibus non requiſitis; vt ſuus ab hoſtibus dinoſci non poſſet aduentus, cum vniuerſo exercitu tranat, diuiſoque trifariam exercitu duas cohortes in ſubſidiis locat, ne à *Pomerano* à tergo adoriretur, ſubita inuaſione, ipſe cum tertia vrbem inuadit, aggreditur, & oppugnat.

Pomeraniam inuadit,

Iam plerique milites effractis portis, iter cæteris ciuitatem irrumpendi effecerant, ſe maiori parte militum ad diripiendam ſuburbanam prædam, quam ad vrbis impugnationem magis diſcurrente & intenta, milites qui ciuitatem intrauerant, conſpecta eorum à ciuibus paucitate, obſiſtente ciuium multitudine, retrocedere non ſine grandi periculo ſunt compulſi. *Pomeranorum* Dux qui tunc in *Goltberg* morabatur, ne in *Boleslai* manus viuus veniret, inter hunc tumultum elapſus eſt fuga.

& Goltberg caſtrum, quamuis fruſtra, impugnat.

Magnis expoſt conatibus *Boleslaus Goltberg* expugnare adortus, caſtigatis militibus, qui præda viliori occupati, opportunitatem bene gerendæ rei exequi neglexerant, in pluribus locis impugnationem vrbis inſtaurat, Feſſis autem aut vulneratis, nouos & recentes ſuccedere iubens, circa oppugnationem ciuitatis caſſo labore, vſque ad veſperam ciuibus conſtanter mœnia ſua tuentibus, immoratus eſt. Videns autem conatus ſuos, militibus nequicquam proficientibus, ad vltimum fatigatis recedere in irritum, receptui ſigno dato, ſuos ab oppugnatione vrbis reuocauit, ſuburbioque tunc primum militibus in prædam dato, illoque in locis pluribus in circuitu conflagratis, magnum captiuorum numerum ſecum vehens, in propria rediit, intelligens oppidi *Goltberg* conquiſitionem ſibi fato tunc aduerſo ſubductam. 1105.

ſuburbia tamen eius exſpoliat.

Breui quiete poſtquam à *Goltberg* reditum eſt ad expediendum arma, & curandum corpora militibus à *Boleslao* conceſſa, alteram in *Pomeraniam* cum eodem expedito milite, quo circa *Goltberg* vſus fuerat expeditionem acturus, dum æſtate illa nullo amplius belli munere, vacaturus crederetur, remeauit.

Deinde Suantoborum vaſallum ſuum liberaturus

Suantobor oræ maritimæ Princeps, & *Boleslai* Vaſallus, *Boleslao* quoque conſanguinitate iunctus, a *Pomeranis* in captiuitatem coniectus, (ſui ſiquidem milites, & ſubiecti iniuſtum eius imperium peroſi, illum de Dominio exturbauerant, vinctumq; *Pomeranis* velut hoſtibus infeſtis tradiderant, breui illum exiſtimans apud *Pomeranos* extinctum iri,) expeditioni præfatæ ſecundæ in *Pomeranos* cauſam præſtiterat. Hic ſiquidem longo tempore carcerales apud *Pomeranos* ſuſtineret moleſtias. *Boleslaum* per literas & crebros nuncios ſuppliciter fatigat, *vt ſui miſertus, calamitoſum eum eſſe, & in horrendo carcere mori, per neceſſitatem communis ſanguinis non ſinat*, *Boleslaus* etſi probe nouerat *Suantoborum* maioreſque ſuos & omnem progeniem, ſibi & ſuis progenitoribus nunquam puros, ſed ſemper in fide fluxos & vafros extitiſſe. Sua ſponte tamen *Pomeranis* infenſus, per occaſionem liberandi *Suantobori* ſui Vaſalli *Pomeraniam* ingreditur, miſſis nunciis, qui (niſi *Suantoborus* reddatur,) *Pomeranis* denuncient bellum.

alteram expeditionem ſuſcipit,

Pomerani autem non denunciatione belli, ſed aduentu poſt denunciationem *Boleslai* tam repentino & inſperato perterriti, vaſtationem ſibi, & terræ ſuæ impendentem prouide euitaturi, *Suantoborum* de carcere ſoluunt, & vſque ad caſtra *Boleslai* perductum, *Boleslao* reſtituunt. Qui vitam & libertatem ſibi à *Boleslao* præſtitam, publica voce profeſſus, dignationi ſuæ multiplices gratias agens, fidior de cætero in ſubiectione ſua permanſit.

ſed Pomerani eam non ſuſtinentes Suantobor Duci tradunt.

Henricus V. Imp. cum patre Henrico IV. bellum gerit.

Henricus V. *Romanorum* Rex, mandato & ordinatione Papæ *Paſchalis* ſecundi, *Henrico* quarto Imperatore ob rebellionem in ſedem *Romanam* depoſito, ſuffectus, congregatis pluribus ex Imperii terris bellatoribus, *Saxoniæ* terram ingreſſus, eam ſuæ ditionis facit, & plures Principes, Epiſcopos, & Barones, *Almaniæ*, ab obedientia *Henrici* Imperatoris genitoris ſui auerſos, in ſuam ditionem inclinat, reſiſtentes deſtituit & expellit. Ad quorum reſtitutionem dum Imperator *Henricus* alterum exercitum contra filium comparaſſet, Regno quoque *Almaniæ* miſerabiliter ferro, flammaq; vaſtato, in ripa fluminis *Rheni* parricidale bellum commiſſuri, tam Pater, quam filius conſederunt. intelligens autem *Henricus*

1105. *ricus* Rex patris ſui *Henrici* præcipuas vires in Borzywoy Bohemiæ Duce, & Marchione *Leopoldo* conſiſtere, magnis donis & promiſſis vtrumque corruptum Patrem linquere, & ſibi adhærere coegit. Quibus abſcedentibus *Henricus* Imperator decernendi voluntate omiſſa, in arces, diſſoluto exercitu, ſeceſſit, ab eo quoque tempore res filii proſperari, Patris ſenſim diminui cœperunt. Ad Bohemiæ Principatum obtinendum, dum *Conradus Morauiæ* Dux filius *Ottonis*, filii *Wratislai* primi Regis vehementer aſpirans inducit in animum, vt Patruum germanum Borzywoy eius poſſeſſionem pacificam nactum, ab illo deiiciat, quod illi non ſolum proprius ambitus, ſed quorundam Baronum Bohemiæ, qui rebus nouandis ſtudebant praua perſuaſio ſuggeſſit. Exercitu itaque notabili congeſto in *Bohemiam* ingreditur, pluresque *Bohemi Borzywoy* deſerto, ad illum deficiunt. Quorum defectione elatus, & totius *Bohemiæ* ſibi principatum deſtinans, celerius ad caput *Bohemicum*, ciuitatem videlicet *Pragenſem* apprehendendam feſtinabat. Reſpondiſſet autem ſpei ſuæ plenus effectus, niſi *Borzywoy Pragam* veniſſet, ex præſidio firmo in ea collocato, caſtro quoque *Wiſſegradenſi* fidei *Hermanni* Epiſcopi *Pragenſis* commiſſo, rebus ſuis tempeſtiue prouidiſſet. Quamuis autem *Suantopelk* cum ſex legionibus *Pragam* veniſſet, à *Pragenſibus* tamen portas ei claudentibus excluſus, in *Morauiam* abiit. Quem etſi *Borzywoy* abeuntem fuiſſet conſequutus, diſtulit tamen cum illo, quamuis ſuperiorem ſe numero militum videret, decernere, ambiguitate fidei Bohemicæ, ne deſertus in nepotis manus incideret, deterritus.

Conradus Bohemiæ Ducatum eiecto Boryzwoy occupat,

1106. Vacationem militiæ & bellorum, Conſiliariis impellentibus, *Boleslaus Polonorum* Dux ſuæ tantummodo perſonæ aſſumens, & ciuilia Diuinorum negotia pertractans, *Scarbimirum* tamen nihilominus virum in armis bene ſtrenuum, & expertum, in Principem militiæ creans, ipſum cum equeſtrium & pedeſtrium copiis in *Pomeraniam* tranſmiſit. Qui cum quaſdam munitiones, caſtella & oppida ignobilia munita, primo impetu cepiſſet, magnum tamen inde captiuorum & ſpoliorum numerum congerens, in *Poloniam* deduxit, eodemque itinere, quo venerat *Pomeraniam*, reuerſus, caſtro Bitom, militum magna audacia conquiſito, vicis nonnullis prædatis & incenſis, cum nemo ex aduerſo appareret, magna *Pomeranorum* ſpolia in *Poloniam* intulit, ad Ducem ſuum Boleslaum cum nonnullis militibus, his præſertim qui ordines ducebant de rebus à ſe in *Pomerania* geſtis relationem acturus venit, Boleslaumque ab vno ex ſuis militibus dedicationem Eccleſiæ villagii ſui, & nuptias ſub eius expenſis agente, inuitatum inter conuiuas reperit. *Boleslaus* de *Scarbimiri*, & ſuorum militum felici reuerſione repletus: lætitia prandio expleto ſenibus in conuiuio relictis, ipſo *Scarbimiro*, & cæteris militibus iuuenibus aſſumptis ad ſiluas, (in quibus ferarum multitudinem conſtabat accubuiſſe) venationibus daturus operam, ne virtus ex otio langueſceret, proceſſit, ſed ferociores feris *Pomeranos* illic reperiens, quippe poſt *Scarbimiri* receſſum in interiora *Polonorum* furtim ſe & glomeratim diffuderant, & multos ex *Polonis* incautiores occupabant, in eorum pene agmen ni ex ſignis & equis cogniti fuiſſent, incidiſſet. Aduerſus apparatum tot terribilium cuneorum, tot diſtringendorum gladiorum rectos oculos tenuit, nec aliquid ex vultu & mutauit, quid tamen ageret Dux inuictus, fugeretne, an pugnam cum graui multitudine confereret, quoue gradum verteret, prorſus neſciebat. Cum tandem ferocem ſpiritum ad moriendum magis quam fugiendum deſtinaſſet, paucis comiter, *ne ſe in ea neceſſitate deſererent, ſed potius honeſtam mortem ſecum vna oppeterent, cauerentque ne animas inulti effunderent* adhortatos, ipſe Primus ante ſuos omnem illam *Pomeranorum* tribus millibus hominum conſtantem multitudinem adoritur, turmam perforat, ſcindit, & enſe hoſtium cæde cruentato, vniuerſum hoſtile penetrat agmen. Rem incredibilem auſus, quod niſi adiuuiſſet eum fortuna, plus temeritatis habitura foret, quam gloriæ. Et dum altera vice eandem penetrationem geminaſſet, multosque ex hoſtibus velut leo furibundus ſtrauiſſet, tertio iam ſuis hinc inde aut fractis, aut diſſipatis, & tantummodo quinque militibus ſecum relictis, dum eandem penetrationem vellet repetere, vnus de quinque ſuperſtitum numero, equi Ducalis videns viſcera in terram defluxiſſe, exclamat: *Noli*, inquit, *Clariſſime Princeps, in apertum diſcrimen, non te ſolum, ſed totam Poloniam perditurus, prodire, ſed meliori tempori te reſerua, parce tibi, parce & patriæ, quam ſi nunc tibi peperceris, conſeruas. Integro quoque equo meo conſcenſo, ex manifeſto te ſubduc periculo, me hic morari ſatius eſt, quam te ſidus patriæ, in quo vita ſingulorum incluſa eſt, occumbere.* Hæc vociferantem Ducalis equus moribundus ſeſſorem ſuum inclytum Ducem Boleslaum quaſi nouiſſet, quem tuliſſet, placide depoſuit. Qui equo militis conſcenſo, pedetentim in partem vix 30. militibus, ſauciis tamen ſingulis ad eum confluentibus, declinauit, *Scarbimirum* quoque Principem militiæ vulneribus confectum, & dextro oculo in pugna mutilatum reperiens, in locum, ex quo proceſſerat, totus ad hoſtium cædem anhelans, & fremens, *Pomeranis* abeuntem ſequi non auſis, regrediebatur. Quem omnis turba eorum qui in conuiuio reſidebant, pugna, quæ gerebatur, audita, ex conuiuio raptim armis correptis, ſuo Duci latura auxilium proſiliens, in medio itinere excepit, & cum magna hilaritate, quod ſaluum illum, quem captum, aut occiſum putauerant, recepiſſent, in conuiuii locum perduxit. Sic temeri-

Scarbimirus Boleslai iuſſu Pomeraniam inuadit & vaſtat,

1106. *Pomerani vero Poloniam furtim ingreſſi,*

cum Boleslao & paucis eius militibus confligunt,

Boleslaus tamen eos euadit.

1106. tas victoriam inuenit, & euentus periculum in gloriam vertit. Cùm autem de clade taliter ſequuta rumor quædam falſa veris immiſcens fuiſſet intra *Poloniam* vulgatus, fit ad Ducem frequens omnium ordinum ſaluum eum videre geſtientium concurſus. Cumque ab omnibus certatim temeritatis argueretur (frequentes enim & in galea, & in armis, & in corpore ictus, disruptiones, ruinæ, & fiſſuræ, magnitudinem periculi, in quo verſatus fuerat, eo etiam reticente depromebant) *nihil*, inquiunt, *æſtimamus vilius, quam fortitudinem tuam dimicatione temeraria confundi, & illic eam conſumi, vbi non poteſt oſtendi, indignum facinus & ſeculis relicturus fabulam, ſi in tàm ignobili dimicatione occubuiſſes.* *Aliud*, inquit Dux, *carpendi & obiurgandi me vobis ſuppetet tempus, nunc verò ſi vulneribus, & læſionibus, ſi morte meorum militum & fratrum veſtrorum mouemini, omnes vos non requiſitos modo, ſed rogatos eſſe volo, vt armis quanto celerius induti in Pomeraniam mecum vnà vos conferatis, gaudium ſi quod ex clade meorum perceperant Pomerani, diuinitate propitia illis erepturi.* In hanc vocem cunctis in domos ad induendum arma dilapſis, ſub breuibus diebus ingens tàm pedeſtrium, quam equeſtrium multitudo ad locum à *Boleſlao* deſignatum *Pomeraniam* ingreſſura conuenit.

Bohemi Polonis bellum inferre tentant.

Nunciatur interim *Bohemorum* gentem & Ducem eorum *Suantopelkonem*, qui patruo germano Duce *Borzywoi* iuſſo *Bohemorum* Principe adiuuantibus illum primoribus *Bohemiæ*, profligato ſedem Ducalem occupauerat, ad vaſtandum *Poloniam* armis accinctum eſſe, & tam equeſtribus, quam pedeſtribus copiis in vnum coactis, prope *Kłocko* conſediſſe, *Borzywoi* quippè *Bohemorum* Dux, tutum ſibi apud *Boleſlaum Polonorum* Ducem ſciens credensque exilium, a nepote *Suantopelkone Poloniam* ſe contulerat, benigneque à *Boleſlao Polonorum* Duce cum ſuis omnibus recollectus, magnum odium *Boleſlao Duci*, & *Polonis* in *Suantopelkonis* & *Bohemorum* exciuerat pectoribus, eam quoque iniuriam armis ſe minabantur vlturos.

Borzywoy in exilium ad Boleſlaum venit.

Ad quos igitur hoſtes primum iter *Boleſlaus* faceret fluctuans, cum neque *Pomeranorum* vltionem differre, neque *Bohemis* interim oportunitatem *Poloniam* inuadendi volebat largiri, vtrique negotio ſatisfacturus copias diuidit. Quarum vna parte *Scarbimiro* attributa, illum in *Pomeraniam* deſtinat, ipſe cum altera ad ſiluas *Bohemiam* à *Polonia* ſcindentes, quas *Hercinias* vocamus, accedit, ſed *Bohemi* occurſurum ſibi intelligentes *Boleſlaum*, acie diſſoluta in domos regrediuntur, *Pomerani* à *Scarbimiro* incendiis & ſpoliis aliquot hebdomadis afflicti, iuſtas ſuarum inuaſionum in *Poloniam* pendunt pœnas.

Dionyſio Poſnanienſi Ep. ſuccedit Laurentius I.

Duobus de viginti annis in regimine *Poſnanienſis* Eccleſiæ decurſis, *Dionyſius* Epiſcopus moritur: Cui *Laurentius* primus Præpoſitus *Poſnanienſis*, Capitulo *Poſnanienſi*, & *Boleſlao* Duce & Monarcha Regni *Poloniæ* inſtante, & aliquem ex *Polonis* promoueri geſtiente, ſuccedit, à *Martino* Archiepiſcopo *Gneſnenſi* ad illam prouiſus, confirmatus, & conſecratus. Hic *Laurentius* natione *Polonus* erat, de humili ſtirpe agreſtium procreatus, virtus tamen & vita probe acta illum in nobilitatem coniecerat. 1106.

Moguntiæ Principum *Almaniæ* maximo conuentu, cui & Apoſtolici Nuncii intererant, pro die Natalis Domini celebrato, *Henricus* quartus Imperator, ad euitandum tollendumque ſchiſma, quod ſui occaſione in Sacerdotio Imperioque contigerat, cedere imperio, & Regalia tradere filio aſſenſus eſt. Sunt qui credant, non ad damnationem, ſed probationem eam tentationem accidiſſe, affirmantque ipſum miſericordiæ operibus meruiſſe, vt laſciua eius in Imperio conuerſatio in præſenti puniretur. Imperialia manibus Legatorum ſedis Apoſtolicæ capiti *Henrici* impoſita ſunt, electio quoque ſua a Principibus *Almaniæ* tunc innouata.

Polowcys in terras *Rusſiæ* clandeſtina & ſilenti excurſione irrumpentibus, oramque quæ *Zarzecko* appellabatur vaſtantibus, *Suantopelk Kiouienſis* Dux exercitum ſuarum gentium, præficiens illis *Ioannem*, alias *Iwankonem*, *Zacharzyc*, & *Kozarzyna* in Duces poſt eos mittit. Qui illos apud *Danubium* conſequuti, ſpolia quidem per eos apud *Zarzeczko* rapta excutiunt & referunt, cum *Polowcys* autem non veniunt in dimicationem. *Zbigneus* interim frater naturalis *Boleſlai Poloniæ* Ducis, a facie eiusdem fratris ſui *Boleſlai* propter fraudes & dolos in eum commiſſos, fugiens ad *Suantopelkonem* Ducem *Rusſiæ* in *Kiow* peruenit, ſperans ſe per illum velut *Boleſlai* ſocerum gratiam *Boleſlai* inuenturum. Vbi aliquanto tempore commoratus ad preces *Suantopelki*, venia illi à *Boleſlao* Duce conceſſa eſt. Qua illico abuſus ad *Bohemiam* ſe contulit, nouis dolis & ingeniis *Bohemos* contra fratrem ſubordinaturus.

Boleſlao naſcitur filia Swantoſlawa.

Poloniæ *Boleſlai* Ducis conſors *Zbislawa*, eo anno fœcundata 12. Aprilis die filiam apud *Cracouienſem* Eccleſiam baptizatam, cui nomen datur *Swantoſlawa*, enixa eſt.

1107. *Boleſlaus Dux Albam Pomeraniæ vrbem oppugnat.*

Vniuerſis ferè ciuitatibus, caſtris, & munitionibus *Pomeranorum*, ad faciendam *Boleſlao Polonorum* Duci deditionem, inclinata, dum ſoli *Albenſes* qui *Bialogrodenſes* appellabantur, contumacius reſiſtendo, cæteros etiam à propoſito auertiſſent, *Boleſlaus Polonorum* Dux collectis tàm equitum quam peditum copiis, in *Pomeraniam* proceſſit, & ſolito more tecta vri, agroſque vaſtari, iubens tandem ad *Albam* copias deducens, ipſam obſidione vallauit, ſuperbiamque & contumeliam *Albenſium* ex abundantia exortam, (vrbs enim erat magnis referta diuitiis) ſuo calcaneo compreſſurus. Sperans tamen Albenſes ad dedi-

1107. deditionem compelli poſſe, miſſis caduceatoribus cohortatur illos, *ne ſe ad vltimum reſeruent diſcrimen, ne quoque ſibi neceſſitatem imponant, ſanguine ſuorum militum Alba expugnata, Albanorum ſanguinem diffundere.* Ferre & caduceatores duos ſcuta, rubrum vnum, candidum alterum, iuſſit, *Albenſibusq;* ſi vtro vti velint, dare optionem. In punico excidium ſuum & ſuæ ciuitatis: in niueo & pacem & victoris manſuetudinem percepturi. Nil caduceatorum verbis *Albenſes* moti, in maiorem inſuper pertinaciam eriguntur, ſuperbo quoque caduceatoribus reſponſo edito, eos vrbe excedere iubent, *neutrius ſcuti delectionem ſe* perhibent *facturos*, ſed vtriusque ſignificationem complexi, & in repellendo *Boleslao* à ſua vrbe ſuisque manibus album ſe ſcutum, & in cæde ſuorum militum ſi obſidere perſeuerauerint, etiam ſe rubrum conſequuturos. Tam indigno reſponſo *Albenſium Boleslaus* calefactus, vineas agi, turres & propugnacula parari, & ad mœnia applicari iubet, conquatique turres, & muros ciuitatis, foſſataque ſarmentis impleri mandat. Omnibusque ad expugnandam *Albam* maturè comparatis, copias educens, irrumpere debilitatos & diſiectos muros, ſagittariis in coronæ modum, qui milites vrbem aggredientes, tuentur, iuſſit; & ne quenquam ſegnities aut cunctatio detineat, ipſe ante omnes militum ordines procedens primus ad portam principaliorem accurrit, vallibusq;, & foſſatis ſuperatis (incredibilem vim in vno indiuiduo cernens) ſcuto tantummodo opertus, crebris ictibus portarum valuas ſcindit, milites quoque ſuos huiusmodi ſuo exemplo ad ſimilem operis ardorem accendit. Non illum ſaxorum ſupernè cadentium moles, non ſagittarum denſitas terret, non ciuium reſiſtens, & picem aquamque feruentem capitibus impugnantium ſuperinfundens multitudo, non ante oculos ſuos palpitatio morientium, aut cadentium militum timidiorem fecit, non prius imminenti periculo ſe ſubduxit, donec porta effracta, ciuitatem primus irrumpens, ſanguine interemptorum vbique completus, vniuerſo exercitui ſuo aditum patefacit. *Albenſes* qui primum occurrebant ſternit, alios obtruncat. Ceſſerat ſiquidem hoſtis obſeſſus, miſſilibus excluſus, ſed nec hi, qui tormenta retardabant, diutiùs reſiſtere poterant, & muro terno conuulſo ariete peruium obſidentibus in obſeſſos iter præbuerat. Cædes ingens militi permiſſa permiſcui ſexus fuiſſet, ni *Albenſes* ſagaci conſilio vſi, & terrore Maieſtatis *Boleslai* perculſi, armis abiectis cum matronis & paruulis proni ad pedes *Boleslai*, ignoſci ſibi deprecantes, corruiſſent in terram, neque ſuam necem, ſed coniugum & liberorum, cæterorumque inſontium, & impuberum, deprecantur, ſe pro ſuperbo reſponſo magis cruce quàm vita & venia, definiunt digniſſimos. Quanto ſubmiſſius ſe geſſerunt in recognoſcenda culpa, tanto facilius vita donati ſunt. Cunctis ſiquidem Proceribus & militibus *Polonorum* ad excidium ciuitatis, & omnium permiſcue necem, inſuper & ad delendam vrbem in eorum qui in oppugnatione ceciderant vltionem, vehementi conatu aſpirantibus, *Boleslaus* Dux indulgentiſſima clementia in deuictos ſtatuit vtendum, optimo vltionis genere vſus eſt, cunctos *Albenſes* in gratiam ſuſcepit, cunctis ignoſcit, *Albenſibus* quoque ſuis infeſtioribus hoſtibus, & vitam, & libertatem, & fortunam quæ ad victoris poteſtatem reciderant, ſimul donat, & ne quisquam *Albenſium* à militibus ſuis violetur, aut in fortunis patiatur diſpendium, prouidet. Qua quidem magnitudinis ſuæ in deuictos clementia plures *Pomeranorum* ciuitates cepit, quam armis expugnauit. Is enim ſuus in *Albenſibus* demonſtratus pietatis affectus, ſubita fama & rumore latus diffuſus effecit, vt *Goltbergenſium, Caminenſium, Wolunenſium, Coſſominenſium*, & aliarum cis mare ſitarum ciuitatum, Primores & Præfecti cum amplis donis *Boleslaum* adirent, & venia petita, facileq; impetrata plenam & omnimodam vrbium ſuarum deditionem proſtrati facerent, aſtringentes ſe in illi9 ſubiectione fideliter permanſuros. 1107.

quæ deditionem reſpuit, post capitur, incolis tamen ſupplicibus parcitur.

Philippus Plocenſis Epiſcopus ſedem ſuam annis ſeptem adminiſtrans, febre tertiana vno anno vexatus defungitur vita, & in Eccleſia *Plocenſi* eſt ſepultus. *Simonem* Archidiaconum *Plocenſem*, genere nobilem *Polonorum* de domo *Goſdauidarum*, via ſcrutinii electum habuit ſucceſſorem, à *Martino* primo Archiepiſcopo *Gneſnenſi Boleslao* Duce & Monarcha Regni *Poloniæ* patrocinante confirmatus & conſecratus. Huius Pontificis *Simonis* quanta probitas fuerit, *Vincentius Kadlubkonis* de villa *Karwow* Epiſcopus *Cracouienſis* in Chronica ſua, quam de *Polonorum* geſtis diſerto ſtilo contexuit, monet ita ſcribens: *Zelus nimirum Domus Dei aureo inſcribendus calamo, Simonem & Alexandrum Plocenſem Antiſtites armauerat, qui vtrosque hoſtes peruigili ſolertia ſtudioſiſſime ab arce Dominica arcere ſatagebant.* Et in ſequentibus: *Magnus quidem Alexander Epiſcopus Plocenſis, ſed maior, vt video, Simon Alexandro, qui Patriarchæ Abrahæ, & Legislatoris Moyſi animando Polonos contra barbaros ad prælium, & pro illis feruente pugna aſſiduè orando, donec vniuerſus contritus eſt hoſtis, in ſe virtutem expreſſit.* Et poſt pauca: *Adeſt Antiſtes Simon inſtitis & infulis Pontificalibus inſignis, non tàm luctu quàm precum, & ſuffragiorum miſerabile ſpectaculum proſequutus, qui eminus exclamat: **In vno tantummodo filioli ſpes eſt vincendi, non in multis victoria, nec mortis eſt metuendum diſcrimen, maximè cùm pro ſalute proximorum agitur, quia mors corporis hominem non extinguit, ſed ad præmium virtutis admittit.** Quo dicto ſuos pugnæ, ſeſe orationi committit, nec ceſſat donec omnis illa prædonum*

Philippo Plocenſi Ep. ſuccedit Simon.

Laudes Philippi.

1107. *numeroſitas ſuccubuit, paucis admodum fuga elapſis.*

Kozle caſtrum incendio abſumitur, *Kozle* caſtrum verſus *Morauica* confinia loco magis, quàm arte munitum, *Odra* enim fluuius facit illud ſuo fluore,& ſtagnis robuſtum, dum fortuito conflagraſſet, nuncio conflagrationis *Polonorum* Dux *Boleslaus* accepto, doloſitate *Bohemica* credens incendium proueniſſe,& arcem in *Bohemorum* ditionem ex hoc redigi debere, paucis militibus ſe ſequi iuſſis, illuc accurrit, arcemque à fundamento reficere,adorſus,nulli labori aut fatigæ ſe ſubtraxit. Veritus autem ne *Bohemorum* incurſione in loco aduſto & minus tuto opprimeretur, ad fratrem *Zbigneum* nuncios mittit, vt ſibi cum aliquot militum agminibus in præſidium veniat, vel ſaltem militiam ſuam mittat, milites ſuos in *Albenſium* oppugnatione, & *Pomeranica* expeditione fatigatos, indignum ſibi ſubinferens viſum ad tam paruum negotium obeundum eos accerſiri. *Zbigneus* verò iam tùm odii flammas in *Boleslaum* propter eius vbique ſonoram gloriam, & ſucceſſuum felicitatem, vomens, arroganti dato reſponſo, etiam nuncios ipſos iuris hoſpitii oblitus, minus honeſtè tractat, & probris in fratrem acerbius ſparſis, redeuntes prope violat. *quod breui reſtituit Boleslaus.* Huius tamen contumeliæ fraternæ genus, *Boleslaus* patientia deuincens, & exuſtionem caſtri *Kozle* celeri ſuppoſito ædificio in integrum reſtituit, & ſuam ſuorumque nunciorum iniuriam diſſimulationis tolerantia abſoluit. Videns autem *Zbigneus* fratris ſui *Boleslai* Ducis dignitatem, magno vbique per *Polonos* fauore, & honore coli,ſe verò ab vniuerſis, & ab his, quibus imperabat contemptum iri, frequentius denique, quod ex vulgato corpore genitus foret,nec vllam ſpeciem, aut ſimilitudinem patris præ ſe ferret, ſermone vſurpato carpi ratus, nullam ſpem potiundi Regni, & contumelias & opprobria, quibus diſcindebatur, ſupprimendi niſi in ſcelere ſupereſſe, ad id vnum omnes cogitationes intendit, vt *Boleslaum* quoquo modo enecet, & diſperdat.

Sub eiuſdem temporis tempeſtate,cùm *Polonorum* Princeps & Monarcha *Boleslaus* S. *Ægidii* Confeſſoris præcipuus cultor, vtpote cuius ex parentibus longo tempore ſterilibus & infœcundis parentibus ſuis,&illiꝰ meritis obtentus fuerat ortus,*Pomeranos* in ſuam,& *Regni* ſui *Poloniæ* cogendo ditionem caſtrum & oppidum *Pomeranienſe Sczecino*, poſitus caſtris ſuorum exercituum obſiderat, & omni conatu ad illius expugnationem, quæ tandem & diuina & S. *Ægidii* opitulatione ſequuta eſt, adniteretur. *Setegius Pincerna* Habebat inter alios ſui exercitus homines militem vnum *Setegium* nomine impigrum adoleſcentem, lingua promptum,& manu inter raros milites eorum,& qui apud illum Pincernatus officio fungebatur. Sed cùm primo expugnationis die poſt varia prælia ad mœnia oppidi, ſub oculis Principis *Boleslai* commiſſa, in caſtra ſub veſperam reuertiſſet, 1107.
ſubito languore & terrore, quaſi altero die hoſtili gladio in expugnatione arcis interiturus, correptus eſt, ita apud aures ſociorum non clandeſtinè ſed apertè profiteri cœpit, *non ſe ad expugnationem arcis & vrbis, niſi peccatis pœnitentiam ſuis per prius confeſſis & dilatis remeaturum, ſuam diffe-rens* ſed die altero illuceſcente, dùm in oppugnationem a *Boleslao* Duce & ſuis militibus iretur arcis & vrbis, *Setegius* Pincerna poſtquam ſibi reſtitutus fuiſſet animus, ſponſionis ſuæ facile votum obliterans, in oppugnationem cum cæteris militibus confeſſione inexpleta proceſſit, & rediens eodem metu & valetudine perculſus votum confitendi priuſquam ſubiret mœnia reſumebat, ſicque per dies aliquot aſſidue, dùm ab expugnatione, tortus metu, pellebatur ſe ceſſaturum à facinoribus, & contritione ac confeſſione purgaturum, ſubſequenti die ſponſionem ſuam metu & ægritudine ſubſidente, præuaricatus eſt. Nam miles ille *Setegius*, quod & aliis vſu venit, vt emendationem polliceantur, metu infirmitateque ingruente, ſed redeunte prioris fortunæ indulgentia in eandem mentis inſolentiam,prauoſque mores redeatur. Caſtro expugnato & vrbe, hoſtibus ſubactis, obſidibuſque potioribus ex vrbe receptis, cùm in propria remearent, *Setegius* Pincerna præfatus benignitatem & longanimitatem patientiæ Dei, qua non ſubito ab eo feriebatur, ducens in abuſum, apud commilitones gloriari cœpit, ſe non inutiliter nec imprudenter pœnitentiam&confeſſionem diſtuliſſe, cum dilatione vitam promeruerit,quam acceleratione pœnitentiæ amiſiſſet. Id dictum cùm nonnulli adminiſtrantes adoleſcenti, ad inſolentiam & ipſi procliues laudibus efferrent,viri prudentes & timorati deliramenta ſua peroſi, & aſpernati corripiendo illum abſcedebant. Cumque *Setegius* nocte inſequenti corpori ſe dediſſet, beatus *Ægidius* Abbas canitie veneranda reſperſus illi quieſcenti apparuit, & quamuis nunquam à *Setegio* viſus, inſtinctu tamen ſuperno à *Setegio* recognitus ait: *a S. Ægidio per ſomnium monetur,* *Tu quidem Setegi ex dilatione confeſſionis, orationis & pœnitentiæ mortem euaſiſſe te gloriaris, at ego tibi interitum vicinum iam iamque adeſſe prædico.* Quo dicto & vox & viſio *Setegium* deſeruit, qui etſi viſione oraculi deterritus, etiam in membris ſingulis languidatus foret, non ob id tamen emendatior effectus, *Boleslaum* Ducem poſt dies quinque venationes tractantem in ſaltus de *Vſoſin*, quibus zubronum habebatur copia,eſt ſequutus. Cumque *Boleslaus* Dux mulctatis multis feris zubronem vnum raræ magnitudinis, & ferociæ, aliarum aſpernantem conſortia, & quæ lingua eorum *Odiniec*, vnicus & ſingularis de cubili in quo latebat exturbaſſet, & fera rictus canum, venabulaque militum euaſura, fuga ſe efficaci ex omnium inſidiis eripuiſſet, in *Setegium* forte Pincernam incurrit.

Qui

1107.

Qui cùm fugere aut ſe occultare Duce *Boleſlao*, & cæteris commilitonibus inſpectantib9, turpe ducens, equo deſiliens, venabulo ægrè excipit feram, ſed ferro ne quicquam adacto humi cadit proſtratus, feræ ſæuitiam, vel ea proſtratione euitaturus. Verùm turus, qui ſua natura & more in iacentes obſtinatius graſſatur, *Setegium* primum vngulis, deinde cornibus exceptum, & in aera altius ibidem proiectum iuxta ac quandam pilam frequentius ventilatum; ad extremum in fruteta & ſpineta confractum, & ſemiuiuum proiecit. Qui cùm inde fera diſcedente, familiarium manibus leuatus, pannisque inuolutus & conſtrictus, in proximam ciuitatem relatus, nullo ſenſu ſuum ſatis vigorem retinente, mentis inſuper alienationem, quæ illi ex crebra feræ iactatione prouenerat paſſus, non ſecus à cognitis & familiaribus, quàm prope horam moriturus plangebatur. Verùm illi in extremo agone iam agenti S. *Ægidius* in ſpecie, quæ ſibi prius vigilanti apparuit, blandè ſuper obſtinata mente pœnitentiæque neglectione correptum illi dixit: *Niſi me in aduocatum interpellaueris, mortem impendentem nullatenus euadere poteris.* *Setegius* autem S. Dei *Ægidium* non ſecus quàm cognitum & ſibi familiarem intuens, magno gaudio impletus, maximaque ſpe erectus in hæc verba prorupit: *Supplex obſecro, Sancte Dei, primum bonam mihi valetudinem obtineas, deinde pro me apud clementiſſimum Dominum te vadem & aduocatum ponas, ſpondeasque vitam, mores & actus emendaturum, & pro commiſſo iniungendam acturum pœnitentiam, pedibus inſuper buſtum tuum & cœnobium quamprimum viſitaturum.* Ad quem Sanctus: *Ego*, inquit, *à te rogatus, ſuffragatorem me tibi & miſericordem aduocatum apud altiſſimum, qui neminem perire, ſed omnes ſaluare vult, exhibeo, iamque ex parte ſua Maieſtatis ſalubritatem integram reddo. Tu de cætero caue, ne tuos actus initiaueris, & pondus prioribus addendo te ipſum præcipitem dederis, duriori vltione percellendum.* Mirum dictu, viſione diſparente *Setegius* Pincerna in ſingulis membris confractis, comminutis & colliſis, ſentiens ſe mox ſanatum absque omni humano adminiculo & medela, cunctis familiaribus & cognatis qui aderant, nouitate rei in ſtuporem & admirationem verſis, *Prouinciam* ad monaſterium in quo S. *Ægidius* quieſcit, pedeſtri itinere prouectus, Sanctum Dei donis oblatis, ſupplici veneratione, & ſui periculi curatorem & liberatorem recognouit, ac in propria remeans facinorum ſuorum fœditatem, in puluere corde contrito & humiliato deplangebat.

poſtea à turo in venatione fere vita priuatur,

ſed interceſſione Ægidii reſtituitur.

Boleſlaus Dux cum Zbigneus frater naturalis varia

Moleſte, vt dignum & par erat, *Boleſlaus Polonorum* Dux Legatorum ſuorum, quos ad naturalem fratrem *Zbigneum* pro ſubſidio ſibi in caſtri *Kozle* inſtauratione impendendo miſerat, ferens, illatamque eis iniuriam caſtro perfecto ad animum reuocans, quid in hac re agendum foret ad conſilium retulit. Neque enim primum ea iniuria querebatur ſe à *Zbigneo* fratre ſuo naturali, ſed & aliis pluribus grauibus & enormibus violatum. Iam ſiquidem publica notitia, publicoque rumore proditum atque vulgatum erat, *Zbigneum, Bohemos, Pomeranos* & *Pruthenos*, in fratris ſui *Boleſlai*, & ſuarum terrarum excidium, non verbis ſolùm & falſis ſuggeſtionibus, ſed & fœderibus cum illis iunctis, pecuniis, ſumptibus, donis, & multifariis promiſſis animaſſe. Iam inſuper fama erat *Zbigneum Pomeranis Boleſlai* terras irrumpentibus, auxilia, conſilia, & receptacula dediſſe, & in vnam voluntatem, actionem, & facinus, cum illis conſpiraſſe. *Pomeranos* denique omnes captiuos de terris *Boleſlai* venundaſſe, cæteros omnes de terris *Zbignei* caſualiter correptos, vna cum rebus ablatis ad primum *Zbignei* nuncium aut chartam remiſiſſe. Diſcurrebant inſuper crebri inter *Zbigneum* & *Pomeranos*, aut nuncii, aut tabellarii, aut mutuas ſibi deferentes fabulationes, aut quid ageret *Boleſlaus*, quid quoque contra *Pomeranos* prætenderet, aut vbinam terrarum eſſet, denunciantes. Mittebant inſuper ſibi viciſſitudinaria munera, & omnium ſpoliorum atque prædarum, quas in terris *Boleſlai Pomerani* rapiebant, *Zbigneum* faciebant conſortem. Quoties verò *Pomerani* aut alii hoſtes terras *Boleſlai* inuadebant, toties *Zbigneus* ad alteros hoſtes *Bohemos* vel *Pruthenos* ſe conferens, aut nunciis, aut literis eos inuitans, ad inuadendum ex altera parte terras *Boleſlai* Ducis magnopere ſolicitabat, nefariasque cum *Bohemis, Morauis, Pomeranis, Saxonibus*, pluribusque aliis, ſcelerum pactiones ſocietatesque, excluſurus fratrem à regno, conflabat. Quas hoſtilitates & fraudes contra *Boleſlaum* fratrem & patriam; pro quadam virtute & vſu agitabat, eoquidem crebrius & audacius, quo magis videbat fratrem ſuum *Boleſlaum* omnium facinorum tàm notoriorum ſibi impunitatem & penè occaſionem ad agendum tradidiſſe. Solitus enim erat *Boleſlaus Polonorum* Dux, tam nefanda fratris *Zbignei* ſcelera, dum illi panderentur, vltioni diuinæ reſeruare. Vniuerſis autem Conſiliariis *Boleſlai* Ducis nefanda facinora *Zbignei* execrantibus, & his quæ à *Boleſlao* Duce compendioſè deprompta erant, multò tetriora & maiora adiicientibus, conſenſerunt ſingulorum ſententiæ, *Zbigneum nullatenus in patria quam toties hoſtibus prodiderat, tolerandum eſſe, ſed velut hoſtem publicum & peſtem communem exterminandum, eiiciendum, & vsque in terrarum extrema extrudendum fore, omnibus terris quas ei paterna indulgentia donauerat, ei ablatis.* Nunciatur interim, *Zbigneum Bohemos*, & *Pomeranos*, pluresque alios hoſtes in *Boleſlaum* & ſua Dominia concitaſſe. Intercipiuntur & nuncii *Zbignei* cum literis, ex quarum lectione, & Nunciorum relatione multa conſilia,

1107.

aduerſ9 eum moliretur,

& hoſtibus eius ſe adiungeret,

1107. lia, quibus *Zbigneus* contra *Boleſlaum* vſurus, propoſitum exequi conabatur; reperta ſunt. Quæ res cùm in vnum tempus confluxiſſent, magnam *Boleſlao Polonorum* Duci, & ſuis fluctuationem ingeſſerunt. Dubitat enim, *Bohemis* ne, an *Pomeranis*, aut fratri *Zbigneo* primùm occurreret. Miſit præterea in *Ruſſiam*, *Pannoniamq́;* Nuncios, qui in auxilium ſuum quoſcunque voluntarios aut mercenarios milites accerſerent. Significauit & ſocero ſuo *Suantopelkoni* Duci *Kiouienſi*, in quanto à triplici hoſte circumſeſſus, verſaretur periculo, rogans, vt perſonaliter illi cum quanto amplioribus poſſet copiis, ferret auxilium. Prudentiſſimo autem vſus conſilio, miſſis ad agmen *Bohemicum* Nunciis eos ſibi conciliat, & in *Bohemiam* redire impellit. Ad *Pomeranos* autem cum illis congreſſurus contendit. Qui eius aduentu audito cuncti diſſipati ſunt, timore illius perterriti. Perculſus, & *Zbigneus* magno pauore, cùm intelligeret tàm notoriam, atque tàm grandem noxam, nullatenus ſibi *Boleſlaum* ignoſciturum, ex terris *Maioris Poloniæ*, (illic enim collegerat contra fratrem exercitum,) velut criminis maximi conſcius, in *Maſouiam* confugit, illic ſe ratus tutum aduerſus fratris iram permanſurum. *Boleſlaus* verò Metropolim *Zbignei* Dominii & Principatus *Gneſnam* vna cum arce infra dies paucos obtinuit, deinde *Spiczymierz* & *Lanciciam* caſtra, quæ ditionis *Zbignei* erant, recepit, & ſuos illic Præſides & Capitaneos propoſuit. Quæ illi agenti, exercitus *Vngarorum* & *Ruthenorum* auxilia præſtiturus aduenit, cum quibus *Viſlam* verſus *Maſouienſes* terras transgreſſus, *Zbigneum* velut Principatus ſui perniciem, in illis ſe occultantem, eliminare diſponebat. Tùm verò *Zbigneus* in deſperationem verſus, non tam de retinendo Dominio, quàm vita cœpit eſſe ſollicitus, & mediantibus inter *Zbigneum* & *Boleſlaum Balduino* Epiſcopo *Cracouienſi*, & communibus Baronibus, *Zbigneus* coram adductus eſt. Vbi cùm omnia ſcelera quæ in ſe admiſiſſet, *Boleſlaus* enarraſſet, *Zbigneus* ſuppliciter orare cœpit, *vt ſui miſertus vitam ſibi, & aliquam Regni portionem concederet*, iuramento corporali aſtruens *nunquam ſe illi aduerſaturum, ſed in omnibus, vt miles ſuo Domino & Principi obediturum.* Motus *Boleſlaus* illius precibus & fletibus, *Maſouiam* duntaxat, vt remotior à *Pomeranis* & *Bohemis* conſiſteret, reliquit. Quod *Zbigneus* ad magnam gratiam computauit. Reconciliationeque in hunc modum inter fratres compoſita, vterque exercitus, *Vngarorum* videlicet & *Ruthenorum* in ſua remeauit, aſtruens nihilominus ex confidentia callidi, quod ſortitus fuerat, ingenii, *ſi ſibi facultas tribuatur, purgandi, facile ſe de omnibus, quæ in illum iactabantur ſceleribus, purgaturum.* quamuis ardua & inſueta loquenti, nullam ſibi præſtitum rei fidem notabat, quis eſſet, ad quem ſe conferret, vt non tanquam ad ſcopulum propter ſuas calliditates & figmenta alliderètur, & variis ſellis ſedere ſolitus, nulli fidus, pro transfuga habebatur, plenus dolis & fallaciis, plenus vafriciis, inconſideratiſſimæque ac dementiſſimæ temeritatis audax, callidus, in ſcelere vigilans, manu & lingua promptus. 1107.

omnes eius regiones capit,

ſupplici tamen illi vitam & partem ſuæ regionis, Maſouiam reddit.

In Parochialis Eccleſiæ *Spiczymerz* diœceſis *Gneſnenſis* oratorium, *Martinus Gneſnenſis* Archiepiſcopus auditurus diuina, *Gneſnenſi* Archidiacono *Nicolao* ſecum vna parente, iter *Gneſnenſem* illac faciens deſcenderat, Pontificalique more cum Presbyterio officium miſſæ celebraturo, confeſſionem generalem explebat, dùm ſubito à miniſtris nunciatur, hoſtes *Pomeranos* in vicum illum irruiſſe. Ab exploratoribus ſiquidem docti, *Martinum* illic Archiepiſcopum veniſſe, ex caſtris vicinis ad ipſum comprehendendum, (propterea quod ipſos idololatriam relinquere, & religionem Catholicam ſincerè colere, decimaſque & primitias reddere cogebat,) greſſu concito aduenerant. Pauidum Archiepiſcopum *Martinum*, & quid ageret ceſpitantem, neque enim familiares ſuos multitudini *Pomeranorum*, ſi dimicatio iniretur, pares futuros, qui & ipſi viſis hoſtibus diſperſi ſe occultarant, intellexerat, Archidiaconus ſuus in Eccleſia ſtare perſeuerantem, & Dei pietatem maioribus fletibus, quàm vocibus pro ſua liberatione exorantem, foras prorumpens, ſaluare & ipſe quoque fuga ſatagens, deſeruit. Hunc *Pomerani*, ſplendidè enim veſtitus erat, Archiepiſcopum *Martinum* rati, fugientem comprehendunt, magnoque ouantes gaudio, honeſte & debita veneratione habitum vehiculo imponunt. Ad Eccleſiam deinde ingreſſi, cæteros ſuos comites requirunt, ſed nullum illic reperientes, ociùs ex illa Eccleſia *Spiczymirenſi* ſuis ſacris ſpoliata, & ſpe optata, contenti exeunt, & in *Pomeraniam* citato gradu, ne & ipſi præda *Polonorum* fierent, abeunt. *Gneſnenſis* ſiquidem Archiepiſcopus *Martinus* timore ſubminiſtrante, quas iam ætas grandæua abſumpſerat vires, dùm Archidiaconi ſui *Pomerani* captiuationi intenderent, ſublimius tectum oratorii inter laquearia conſcendit, illicque ſe occultauit, ſacerdos verò officiaturus inter altare & templi frontem ſe abdidit. In huncque modum *Pomeranis*, nullas oratorii partes occultiores, ſcrutantibus, vel, vt pia credulitate ſupponi poteſt, miſeratione diuina & precibus Archiepiſcopalibus lethargica paſſione obcæcatis, manus eorum Archiepiſcopus *Martinus* euaſit. Res ſtupenda, ſed quam fas non eſt ad ſcrupulum incredulitatis redigi, multorum enim ſcriptorum autoritate celebris eſt, accidit. Singuli *Pomerani*, qui aut Eccleſiæ *Spicymirenſis* vaſa contingerant, aut ea inhoneſtis vſibus applicanda diſpoſuerant, aut in inſaniam alienationemque mentis verſi, aut morbo epileptico acti rotabantur, nec ipſi ſolùm, ſed & eorum coniuges, propinqui, affines, & liberi ſimili peſte percuſſi, velut dementes ac deliri,

Pomerani Martinum capturi

Archidiaconum pro eo ſumunt,

& Spiczymirenſem Eccleſiam ſpoliant.

Sed omnes diuina vltione in furorem acti,

nunc

1107. nunc ferro, nunc ſaxis, ſe inuicem obruebant, notos & neceſſarios ædib9 exturbabant. Quos cum contingere non poſſent, ſeipſos dentibus A & vnguibus diſcerpebant, plures ex illis huiusmodi peſte confecti & exanimati ſunt. Hac itaque inflictione pene deterriti, & intelligentes ſibi eam ob ſcelus in ſacra Dei, & in virum Dei commiſſum, inflictam, ferò ſingula ſacra in manus & poteſtatem Archidiaconi reſtituunt, idololatriæ renunciantes, fidem ſanctam ſuſcipiunt, & ipſum ſanum & incolumem libertati & patriæ reddunt. Sed & ſolutionem primitiarum, & decimarum hactenus negatam propenſius, & perpetuo ſe reddituros deuouent. Itaque felicibus auſpiciis eo anno res in *Pomeranos* acta eſt. Duplex quoque triumphus ex *Pomeranis* relat9, licet poſtremum illuſtriorem crediderim, vnus *Boleſlai* armis, alter Archie- B piſcopalibus ſuffragiis, qui tam diu in eodem oratorio fletibus & orationibus vacans perſtitit, donec Archidiaconum ſuum cum ſacris redditis ſaluum accepit.

Archidiaconum & bona Eccleſiæ reſtituunt,

Borzywoy Bohemiæ Ducem iniuria de Ducatu ſuo, factione nepotis ſui *Suantopelkonis*, & quorundam Baronum *Bohemiæ* pulſum, in *Polonia* exulantem frater ſuus germanus *Sobieſlaus*, multique Barones & Nobiles *Bohemorum tyrannicam* & iniuſtam *Suantopelkonis* occupationem peroſi, in *Poloniam* ſecuti ſunt. Quos omnes *Boleſla9 Polonorum* Dux mira benignitate etiam apud quoslibet ſuos hoſtes admiranda ſuſcipiens, & animum illos bonum ha- C bere iubens, ſingulorum neceſſitatibus Ducali munificentia prouidebat. Sumptibus deinde ſuis, & liberali largitione, Dux *Bohemiæ Borzywoi* prouiſus, & aliquorum Baronum prudentia comitatus, fratre *Sobieſlao* in *Polonia* relicto, ad Imperatorem *Henricum* ex *Polonia* profectus eſt. Cui in *Saxonia* reperto occupationem Ducat9 *Bohemiæ* à ſe legitimo iure poſſeſſi, indignum quoque exilium, & quod non ipſe ſolum, ſed & frater ſuus *Sobieſlaus*, pluresque *Bohemiæ* Barones per *Suantopelkonem* pulſi, precario & ſtipe *Polonica* viuant, exponit. Imperatoremque *Henricum* calamitate ſua & promiſſionibus ad miſericordiam flectit. Miſſo itaque vno ex militibus Imperator *Suan*- D *topelkonem* accerſit, qui vocationem ipſam propter occupationis facin9 ſuſpectam habens, collecto exercitu, & in poteſtatem fratris *Ottonis* tradito, ad Imperatorem proficiſcitur. Quē uenientem illico Imperator vinciri iubens, *Borzywoy* in *Bohemiam* (mandans *Bohemis*, qui cum *Suantopelkone* vna venerant, hunc & non alium pro iuſto Principe coli) tranſmittit. Ad caſtrum *Donin Borzywoy* cum ſuis & *Almanis* peruenienti, & verſus *Pragam* tendenti, *Otto* Dux frater *Suantopelkonis* iam de captiuitate fratris certificatus, cum eo, quem habebat exercitu, occurit caſtrumque *Donin* obſidione cingit. Ex quo Dux *Borzywoy* fauore *Bohemorum* cum ſuis omnibus incolumis dimiſſus, & in *Poloniam* rediens *Ottonis* manus euaſit. *Suantopelk* interim, decem milium marcarum argenti quantitate *Henrico* Imperatori promiſſa & reddita, ſponſione quoque, vt cum omnibus copiis Imperatori in *Vngariam* contra *Colomanum*, ad ſubiiciendum illum Imperio, ituro, ſolatia ferret, præſtita, imperiales carceres euaſit, obſidemque *Ottonem* fratrem Imperatori dare coactus eſt. Qui & ipſe dum diſſimulantius aſſeruaretur, fuga elapſus, *Bohemiam* repetiit. Pro exſoluenda vero decem millium marcarum argenti ſumma *Suantopelk*, & Ducale ærarium emungere, & Eccleſias *Bohemicas* ſacris & clenodiis ſpoliare, Clero quoque & populo tributum inponere coactus eſt. 1107.

Borzywoy Bohemiæ Dux a Swantopelkone fratre expulſus ad Boleſlaum in Poloniam,

poſt ad Henricum Imp. venit,

qui eum, capto Suantopelkone reſtituit,

Suantopelkone quoque poſtea liberato.

In autumni huius anni tempore, *Boleſlaus Polonorum* Dux parum contentus, *Albam* & cæteras *Pomeranorum* orarum ciuitates in ſuam redegiſſe poteſtatem, caſtrum & oppidum *Czarnkow*, quod tunc iuris & ditionis *Pomeranorum* erat obſidione aggreſſus, conſtructis in circuitu eius quatuor turribus altitudinem caſtri & oppidi ſuperantibus, tam ſedula & forti impugnatione caſtrum & oppidum non deſtitit impetere, donec obſeſſi caduceatoribus miſſis deditionem caſtri & oppidi facerent. Quo in ſuam poteſtatem redacto, *Boleſlaus* Dux *Polonorum* caſtri *Czarnkow* Dominum & hæredem *Gnieuomirum* nomine, cum omnibus ſuis nondum pura fide initiatis baptiſmum ſumere perſuaſit, ipſoque *Gnieuomiro* de fonte leuato, in ſignum filiationis contractæ, & quo eum ſibi magis fidum redderet, *Czarnkow* caſtrum & oppidum ſibi reſtituit, & noua largitione donat & inſcribit.

Boleſlaus caſtrum Pomeraniæ Czarnkow capit, quod Duci eius ad chriſtianiſmum conuerſo, reſtituit.

Clades ſuas per *Ruthenos* & Duces eorum inflictas *Polowcy* reſarturi, terras *Ruſſiæ* in magna multitudine cum *Boniak Sarukan*, & aliis pluribus Ducibus *Polowkonum*, irrumpentes ſtatiua ſua circa *Lubnia* ponunt. Contra quos *Suantopelk Kiouienſis* Dux *Wlodimirus*, *Olech*, *Suantoslaus*, *Mſtislaus*, *Wiſzeslaus* & *Iaropelk Ruſſiæ* Duces, cum potentiis gentium ſuarum egreſſi, flumine *Sula* tranſito, in *Polowkos*, & ſtationes eorum 12. Auguſti irruunt improuiſe. Qui timore grandi conſternati, neque acies conſtituere, aut expedire, neque in ordines ire poterant, ſed aliqui equis tumultuarie raptis & conſcenſis, alii vero pedeſtres ex caſtris in ſiluas proximas diffugiebant. *Rutheni* in fugientes maiorem quam pro numero ediderant ſtragem, plurimis *Polowconum* captis, quousque ad domicilia illorum perſequebantur. Germanus Ducis *Boniak* Dux *Taſza* cum multis aliis cæſus eſt, caſtris *Polowconum* & omni ſuppellectili *Rutheni* potiti, in ſedes & ciuitates ſuas cùm magna gloria & iucunditate reuertebantur.

Polowcy a Ruthenis vincuntur.

Henricus quartus Imperator Regalibus filio ſuo *Henrico* reſignatis, ex Rege opulentiſſimo & fortiſſimo miſerabile mortalibus relinquens exemplum, egens factus, ad *Coloniam* primum, deinde *Leodium* ſe contulit, & ab

Henricus V. patre mortuo fit Imp.

1107. vtraque ciuitate non vt exul, ſed vt Imperator Cæſareo habitu eſt ſuſceptus, vbi ſe fraude circumuentum, & ad relinquenda Regalia coactum declamabat. Quem collecto exercitu filius ſequutus circa *Moſam* conſedit, ſed inde ab *Henrico* Duce *Belgarum* propulſus, ad inſtaurandum nouum exercitum ſollicitudinem intenderat. Interim vero Pater *Leodii* moritur, & in *Spiram* relatus, iuxta patrem & auum tumulatur. *Henricus* itaque V. patre mortuo, libere regnans, res in *Germania* & *Gallia* per bellum inteſtinum deformatas, ſollicite componit, & plures Epiſcopos a ſuis ſedibus in ſchiſmate pulſos reſtituit. Vnus autem ex Baronibus *Almaniæ* præcipuus; *Henrici* quarti aduerſarius, à muribus in conuiuio repente inuaſus, qui illum per ignes & pelagus ſequebantur, & nulla vi arceri poterant, corroſus eſt. Quod factum ideo hic ſcribere volui, vt propter conuenientiam & paritatem narrationi noſtræ, quam in ſuperioribus de *Pompilio* Duce *Polonorum* ſcripſimus, poſſit adſtipulari. Hic *Henricus* armis ſtrenuꝰ, totum Imperiũ adeo in breui ſuæ ſubiecit ditioni, vt omnes eius ſubditi ſubiectionis iugum æquanimiter ferrent, & vicini metu ab armis quieſcerent.

1108. *Colomanus Vngariæ Rex*

Pannoniorum Rex *Colomanus* ſatis compertam habens *Henrici* Imperatoris aduerſus ſe hoſtilitatem (ſatis etenim fama rumoreque vulgatum erat, & amicorum exploratorumque auiſamento pro certo perditum præfatum Imperatorem *Henricum* magnum ex *Almanorum* nationibus, comparaſſe exercitum, & *Suantopolkonis Bohemiæ* Ducis, cæterorumque vicinorum Principum auxilia aſciuiſſe) arma & ipſe *Pannonica*, quibus Imperatori reſiſteret, expediebat. Belli autem quod *Henricus* Imperator *Colomano Vngariæ* Regi & *Vngaris* mouebat, iuſta cauſa erat. *ob infeſtatos Germanos in terram ſanctam proficiſcentes,* Quoniam *Vngari* multos *Almanos* cruce ſignatos per *Pannoniam* in terram Sanctam, & eius ſubſidium proficiſcentes extinxerant, captiuauerant, afflixerant, ſpoliauerant, variiſque contumeliis aut mortibus quaſſauerant. *Alnius* quoque *Colomani* germanus, ab eo ex *Vngaria* pulſus ad *Henricum* V. ſe contulerat. Cuius reſtitutionem *Henricus* procuraturus in Pannonias ſe proceſſurum parabat. Quæſiturus & *Colomanus Vngariæ* Rex contra potentiam Cæſaream externorum auxilia, cum ſingula in circuitu aut aduerſitate ſuſpecta viderentur, horrerentque vniuerſi contra Cæſarem pro *Vngaris* arma ſumere ſimilem hoſtilitatem, quæ in *Vngaros* edebatur, à Cæſare veriti. *bellum ſibi ab Imp. inferendum timens,* Prælati & Barones *Vngariæ* in tam ardua difficilique neceſſitate à *Ploonis* auxilia imploranda cenſebant, eos enim ſibi ſemper amicos fidos, & puros cæteris vacillantibus nullatenꝰ in eo caſu defuturos. Huic conſultationi *Colomanus Vngariæ* Rex quam maxime aſſenſus, verſus *Poloniam* ſe conferens, & conueniendi colloquendique copiam à Duce *Polonorum Boleslao*, per nuncios petens, in *Scepuſienſi* territorio, prout per nuncios tractatum erat, cum A *Polonorum* Duce *Boleslao* conuenit. Cauſis conuentionis expoſitis, petit *Colomanus Vngarorum* Rex, *vt Boleslaus ſibi contra conatus Cæſareos aſſiſtat, æquam viciſſitudinem in pari neceſſitate ab eo percepturus.* *fœdus cum Boleslao Duce init,* Poſt multos tandem tractatus, per communes Conſiliarios ventilatos, Rex *Colomanus* & *Boleslaus* Dux inter ſe fœdus ineunt, contra quoslibet hoſtes ſibi mutua auxilia præbituri, fœderi etiam affinitatem adiiciunt. *Colomanus Vngariæ* Rex filio ſuo natu maiori *Stephano* filiam *Iudítham Boleslai Polonorum* Ducis deſponſat vxorem, *& filio ſuo Stephano filiam illius Iudítham in matrimonium collocat.* *Prouinciam Scepuſienſem*, quæ tunc iuris *Polonorum* fuerat, & pars eius non modica in terra *Cracouienſi* conſiſtebat, *Boleslaus* filiæ in B dotem conſignat. Ab eo quoque tempore ſequeſtrata a *Polonia* in proprietatem & ditionem *Vngarorum* tranſiit. *Boleslaus Polonorum* Dux, ex dieta huiuſmodi reuerſus, aliam rurſus dietam cum *Zbigneo* fratre tenendam per nuncios componit. Ad quam cum ambo fratres cum Prælatis & Conſiliariis Regni *Poloniæ* conueniſſent, frequentes & doloſæ iniuriæ per *Zbigneum* attentatæ, per *Boleslaum Zbigneo* obiectæ ſunt. *Boleslaus Zbigneum fratrem eiicit.* Quas purgare aut inficiando, aut excuſando aggreſſus, pene in omnibus ſuccubuit, vt prorſus intelligeretur etiam in maioribus, quam de quibus accuſabatur, deliquiſſe. Et dum communes Conſiliarii ad tollendam tam infeſtam peſtem virus ſuum C continue diffundentem maxima vi laborarent. *Boleslaus* omnibus tranſgreſſionibus *Zbignei* amplius ignoſcere non valens, cum & de *Mazouia* precatio illi conceſſa, & de vniuerſo Regno ſuo, quod tunc redintegrationem acceperat, eiicit, depellit, & exturbat, vt fortius ſubſidium *Colomano* Regi *Vngariæ* promiſſum proueniret. *Boleslaus* quoque Dux vt cum potentia & eminentia, tum futura cum hoſtibus gerenda de *Zbigneo* ſuo inſidianti calcaneo, aſſecuratus, felicius obiret bella, potentiarum ſuarum vires domeſticis non diſtrahentibus inſidiis.

D *Henricus* Imperator *Pannoniam* ſibi & Imperio ſubacturus, cum magnis & frequentibꝰ variarum nationum populis ingreditur. *Henricus Imp. cum Suantopelkone Bohemiæ Duce Vngariam inuadunt,* In cuius auxilium *Suantopelk* Dux *Bohemorum* cum gente *Bohemica* ſecundum pollicitationem iureiurando firmatam (duos Barones quibus amplius fidebat *Wackonem* & *Mutinam* pro gubernatione *Bohemiæ* relinquens) aduenerat. Dum autem *Colomanus* Rex *Vngariæ* copiam pugnandi non faceret, ſed imperatoris exercitum in locis opportunis maximis affligeret incommodis, Imperator ciuitatem *Præsburg* obſidione vallauit. Sed cum in eius obſidione tempus inaniter abſumpſiſſet, *Vngariæ* præſidio egregie ciuitatem defendente, copiis diuiſis, *Vngariam* in pluribus locis incendiis, & vaſtatione aggreſſus, eam

1108. *eamque vaſtant.*

eam oram, quæ inter *Danubium* & *Wag* fluuios ſita eſt vaſtam effecit. Nullaque memorabili re patrata in *Almaniam*, multis de ſuis amiſſis, crudelitatem *Vngarorum* expertis, rediit. *Boleslaus* interim *Polonorum* Dux iuxta fœdus cum *Colomano Vngariæ* Rege percuſſum, & augmen nobile de nobilibus militibus egregiis *Colomano* in *Sngariam* miſit, & ipſe cum exercitu expedito & potenti, habens in ſuo comitatu Duces *Bohemiæ Borzywoy* & *Sobieslaum* fratres germanos, & plures *Bohemiæ* Barones & Nobiles, qui propter tyrannidem *Suantopelkonis* exulauerant, *Bohemiam* inuaſit, temeritatem *Suantopelkonis* qui & patruos germanos iuſtos *Bohemiæ* Duces & Barones ſuæ tyrannidi aduerſos expulerat, & Imperatori *Henrico* contra ſuum affinem, & confœderatum *Colomanum Vngariæ* Regem auxilia tulerat, vlturus. *Wacko* & *Mutina* gubernatores *Bohemiæ*, dum in confinibus Ducatuum *Boleslao* in ſiluarum, quæ *Bohemiam* à *Polonia* diſiungunt, medio occurrerent, pugnam conſerunt, paruoque negotio ab ipſo victi fuſique *Pragam* refugiunt. *Polonorum* Dux *Boleslaus* in interiora *Bohemiæ*, ſingulis à conſpectu eius diffugientibus, progreſſus aliquot caſtra & oppida vi capit, & magna parte *Bohemiæ* peruaſtata, frequentem prædam *Bohemicam* ſecum ferens, in *Poloniam* vna cum *Borzywoy* & *Sobieslao* *Bohemiæ* Ducibus, cæteriſque *Bohemis* eorundem fidem ſequutis rediit. Qua nouitate *Suantopelkus Bohemiæ* Dux percuſſus, *Henrico* Cæſare in *Vngaria* deſerto, veritus ne vniuerſa *Bohemia* in ditionem aduerſariorum veniret, ad *Bohemiam Henrico* Cæſare contra *Boleslaum Poloniæ* Ducem magnas iras concipiente, remeabat. In cuius mœroris ſolatium *Henricus* Imperator iureiurando aſtringit, & obligat ſe in Duce *Boleslao Poloniæ* ac *Polonis* eam iniuriam quam primùm vlturum. Reuertenti ex *Vngarica* expeditione *Suantopelkone*, & non tam *Polonis*, quam ſuis vicariis *Wackoni* & *Mutinæ* pro vaſtatione quæ *Bohemiæ* contigerat, irato, *Wacko* omnem culpam in *Mutinam* reiiciens, illum illius vaſtitatis fuiſſe autorem & miniſtrum aſtruit. Comprehenſus itaque a *Suantopelkone Mutina*, & cauſa neque examinata, neque dicta illico capite damnatus eſt, *Vnislaus* inſuper & *Domislaus*, duo filii *Mutinæ*, item *Bozei* cum filio ſuo *Borſzak*, ſinguli de genere *Vrſzouicenſium* captiui, decreto regis truncantur, cæterua *Vrſzouicenſis* cognatio in *Poloniam* (deleri quippe vniuerſam *Suantopelk* iuſſerat, percuſſoribus præmium bona eorum proponens) celeri gradu ſe contulit. Vbi benignum & liberalem Dominum *Boleslaum Poloniæ* Ducem nacta, in magnam & immenſam familiam, & ſui germinis propaginem, & ciuitatum, caſtrorum, atque villarum ampla poſſeſſione ſe diffudit. *Vrſzouienſium* tamen veteri nomine abrogato, *Rauitarum* vocabulum ſortita eſt. *Colomanus*

Boleslaus contra Bohemiam.

Vrſzouicenſes migrant in Poloniam.

inſuper Vngariæ Rex, *Henrico* Imperatore de finibus Regni ſui diſcedente, vltionem de *Suantopelkone* Duce *Bohemiæ* petiturus, *Morauiam* ingreditur, & feroci atque exulcerato animo populationem latius iubet extendi, & cuncta flammis vaſtari. Tam fœdam dominii ſui vaſtationem *Suantopelk* prohibiturus, cum interim copias ægre eduxiſſet in vnius ſiluæ tranſitu, ramo fortiter arboris in oculum ſuum fortuito impingente, violatus atque excœcatus, remeare cum exercitu coactus eſt. *Morauia* quoque tanto ſæuiorem diuturnioremque *Colomani* Regis *Vngariæ* vaſtationem ferre coacta eſt. Redeuntem de *Bohemica* expeditione *Boleslaum Polonorum* Ducem, duplex caſus illi denunciatus, graui mœrore turbauit. Nam & conſors ſua *Zbislaua* Duciſſa fatis intercepta erat, & caſtrum *Vſcie* à *Pomeranis* *Gniewomiro*, quem *Boleslaus* de fonte ſacro leuauerat, cuique caſtro *Czarnkow* expugnato, perceperat, illudque ſibi liberali animo reddiderat plurimum ad id cooperante, (erat enim vir facundia magis quam fide melior,) occupatum fuerat. Sentiens ſiquidem *Pomeranorum* verſutia negligentius illud aſſeruari, & milites pro eius præſidio & cuſtodia relictos in Ducis *Boleslai* abſentia, ex illo ad priuata negotia obeunda diſceſſiſſe, ad obſidendum illud, quaſi ad certam diripiendam prædam vnus alterum cohortati accurrunt. Cumque obſeſſis continua deſperatio propter paucitatem defenſorum creſceret, amplior etiam illis à præfato *Gnieuomiro* ingeſta eſt. Callidi ſiquidem caduceatoris miniſterio vſus, ſuadebat obſeſſis, *ne extrema ſubituri pericula defendendi caſtri ſectentur pertinaciam, ab experto ſe noſſe Boleslaum Ducem illorum, & à Bohemis cum omnibus ſuis profligatum & captum Imperatoris Henrici captiuitati traditum eſſe.* His mendaciis & figmentis obſeſſos ſua ſponte perterritos, *Pomeranis* caſtrum *Vſcie* incolumitate perſonarum & rerum conceſſa, coegit tradere. Fremitu itaque ingenti directiori quo poterat itinere ex *Bohemia* ad illud repetendum, cum paucis voluntariis militibus, cœteris *Bohemica* expeditione fatigatis, in domos diuertentibus *Boleslaus* contendit. Cuius expugnationem etſi ſibi videbat magis impoſſibilem, quam difficilem, *Pomeranorum* tamen pluribus captiuatis, & eorum vicis atque poſſeſſionibꝰ incenſis ſe neque victum, neque captum fuiſſe, ſed magis victorem & incolumem rediiſſe, pœnaſque debitas à *Pomeranis* exacturum fore, certa inſinuatione & eorum, quos comprehenderat, & fauillarum, quæ in ora cæterorum vicis fumantibus recidebant, monſtrauit. Paruo deinde ſpacio, in quo quies militibus data fuit, exacto, illico *Pomeraniam Boleslaus*, vltionem eorum, quæ *Pomerani* in abſentem egerant, nullatenus dilaturus, regreditur, fratre etiam *Zbigneo* cum nonnullis *Maſouiæ* militibus ſibi ferente perſonale ſubſidium comitatus.

1108. *Colomanus Morauiam vaſtat.*

Zbislaua Boleſlai coniux moritur.

Pomeranos Caſtum Vſcie expugnantes

Digitized by Google

1108.

mitatus. Neque caſtrum *Vſcie* recenter per *Pomeranos* interceptum. Nouerat enim valido illud præſidio munitum eſſe, ſed caſtrum *Wielun, Gniewomirum,* (ibi enim ſe abdiderat,) oppreſſurus, aggreſſus eſt, & magno conatu nocte & interdiu ad eius expugnationem intendebat. Sub ipſo autem obſidionis tempore, *Pomerani* obſeſſis opem laturi, *Zbigneo* clandeſtinis auiſamentis eos inſtigante, nocte, exercitum *Boleslai* oppreſſuri adueniunt, *Zbigneo* hoſtilem exercitum præcedente. Qui dùm in exercitum *Boleslai* cum magno impetu irruiſſent, *Boleslaus* in ipſa nocte more ſolito faciens excubias, *Pomeranos* à tergo inuadens diſſipat, ſternit, captiuat, & in fugam vertit. Cùm quoque inter alios *Zbigneus* captus, & galea detracta, quis eſſet cognitus fuiſſet, reſeruatur in craſtinum, ſub quo tempore præparare ſe animo atque colligere cœpit, quibus modis criminationi occurreret, vulgatumque facinus & notorium extenuaret. Tandem cùm dies refulſiſſet; conc one aduocata frequenti, vt fraus & dolus *Zbignei* à ſingulis cognita eſſet, quo genere pœnæ mulctari debeat, conſultatur. Palatinus *Cracouienſis Setegius* ſententiam dicere iuſſus, in hunc modum diſſeruit: *Non expedit,* inquit, *Princeps illuſtriſſime, vosque, viri optimi, qui adeſtis publicam Zbignei, qua nos, & exercitum noſtrum, teque primum Principem delere machinatus eſt, proditionem & malignitatem in dubium reuocare, cùm iniquisſimum facinus illius, quo nos, niſi beneficio Dei & Principis noſtri cura ſeruati fuiſſemus, conſumpturus erat, doli eum maniſeſtisſimè etiam nobis ſilentibus, conuincat. Noctem ſiquidem quietam nos agere pro comperto habens, caſtris noſtris egreſſus, hoſtes nos oppreſſuros induxit, antecesſit, arma, veſtes, & equum mutauit, vt ſi hoſtes viciſſent, gloriam victoriæ ſibi velut præceſſori & Duci vendicaret, ſi vincerentur, aut fuga euaderet incognitus, aut ſi caperetur, denunciaturum ſe præcesſiſſe hoſtium aduentum callidè nobis, prout illum id commenturum reor, mentiretur. Ad hanc amentiam à natura prodiga productus & fornicatoria, paterna beneuolentia, & liberali educatione incitatus, noſtra verò patientia animatus eſt, vt mendaciis & fallaciis non ſecus, quàm præclaris artibus gaudeat excellere, & omnes ſuas colorare ſceleratas actiones. Sed ſi ad originem primùm, & deinde ad omnem vitam ſuam extendatur conſideratio, omnia in illo pesſima intelligemus confluxiſſe, qui & ex fornicatione ſatus, & inter Bohemos Almanosque educatus, adeò malignis fraudibus illic ineſcatus, atque imbutus eſt, vt & patrem plurimis iniuriis laceſſerit, & in fratris Boleslai exterminium, vt ſolus in Regno ſuccedens dominaretur, Bohemos, Almanos, Pomeranos, & Pruthenos, frequentius ſubornauerit, ducens ab impietate & ſcelere ineuntis ætatis commendationem. De quo cùm varia extent teſtimonia, ſolus*

Boleslaus vincit,

& inter alios Zbigneum fratrem capit,

quem quidam capite plectendum volebant,

dies hodiernus, poſtquam cætera ſua maleficia tulimus, ſaltem nos moneat, vt communem peſtem amplius non feramus, non prius quieturam quam cladem, aut excidium noſtrum videat, quod nullo beneficio noſtro infuſo ſanguine vinci poteſt. Cumque omnes *proditorem non ferro ſolùm laniandum ſcindendumque, ſed dentibus diſcerpendum* acclamatione continua depoſcerent, tumultu vbique coorto, à Principe *Boleslao* vix ſedato, & indignum oſtendente hominem inauditum damnari, *Zbigneus* dicere cauſam iuſſus, calidiſſimo figmento facinus ſuum tegere excuſareque & purgare cœpit, *non ſe cum hoſtibus veniſſe aut ſenſiſſe, ſed eorum aduentum nunciaturum præcesſiſſe,* commonens, rogans, & obſecrans, *ne ad delationes calumnioſas & confictas, diſſeminatasq; & vulgatas præſumptiones per eum diluendas, damnationis periculo illum ſubiicerent, obiicerent contumeliæ, dederent exiliationi,* pluribusque aliis pro tempore vtens verbis, quæ illum verſutum, fallacem, doloſum, & vafrum demonſtrabant. Ad quem *Setegius* Palatinus dirigens ſermonem: *Quousq; tandem,* inquit, *Zbignee, noſtra patientia abutere, quàm diu dolis tuis & fallaciis nos laceſſes, quem ad finem ſeſe tua iſthæc temeritas efferet? Quousque noſtra vexatio, direptio, calamitas tibi erit libera & impunita? Quam verò gratiam, & quam indignam, tùm fratri tuo Principi clarisſimo, tùm nobis refers? Attende qui te ex illicito natum connubio prauis ſtudentem actionibus, nulla virtutum commendatione cognitum, maternam redolentem infamiam, ſtirpem, & ſemen malorum hominum, mente ſcelerata ac nefaria præditum de pernicie populi Polonici, de exitio Regni noſtri, acerba & crudelia exquirentem ſtudia, non modo nullis, ac meritus eras, non affecit ſuppliciis, aut in terrarum vltima, velut portentum monſtroſum non detruſit, ſed in participium & communionem Regni admiſit.* Et quamuis ape. tè conſtitiſſet mentitum *Zbigneum* eſſe, non tamen, vt meruerat, morte, ſed perpetuo exilio mulctatus in *Bohemiam* ſe contulit. Fatigati deinde vigiliis & continua reſiſtentia *Pomerani*, & vltima deſperatione feſſi, dùm plures ex ſuis quotidie interfecti aut ſauciati caderent. Nuncii inſuper ad primos *Pomeranorum* a *Wielunenſibꝰ* miſſi, nihil in eis præſidii eſſe retuliſſent, portas *Boleslao* aperiunt, pacti, & in ſignum pactionis chirotheca, de dextera *Boleslai* ſibi dari petita; ne quid hoſtile paterentur, cùm ſigna *Boleslao* mandante in caſtrum referrentur, *parci* quoque *deditis* Dux voce præconis pronunciaſſet, murmur primùm, deinde clamor militum eſt ſublatus, *indignum* querentium *facinus, poſt tot ſuorum indignas mortes cicatricesque, & continuos & aſperrimos, non æſtate ſolùm, ſed hyeme perpeſſos labores, præmio victoriæ fruſtrari, Pomeranorum verò perfidias, vafram & fluxam fidem, & pactorum violationem impunè tranſiri,* omnes paſſim *Pomeranos* in *Wielun* repertos, ipſo Duce

1108.

Boleslaus autem exilio mulctat.

1108. Duce *Boleſlao*, ne quicquam iram militum potentiorem tunc, quàm Imperium caſtigante interimunt,& ſuorum indignis mortibus iuſtiori cæde parentant. Captus & tunc eſt caſtro *Wielun* obtento *Gnieuomirus*, qui Duci & exercitui ſuo,obtentæ victoriæ geminauit lætitiam, iubente quoque *Boleſlao*, & inſpectante exercitu pro perfidia,quam exercuerat,& mendaciis, quibus *Pomeranos* à fide *Boleſlai* alienauerat,fuſte capite decuſſo, interit. Vir improbus,atque in exiguo ponens mendacia, fraudes, & proditiones. Satagebat autem *Boleſlaus Polonorum* Dux ſuo inſtituto miſericordiam exhibere in deuictos, ſed iuſto alioquin militum dolori Imperator clemens reſiſtere nequiuit. Benignus itaque ex ſua natura apparuit, ſed ex inobedientia militum feuerus.

Gnieuomirus capite plectitur.

1109. Omnem culpam male à ſe in *Pannoniis* geſti belli, *Henricus* Imperator in *Boleslaum Poloniæ* Ducem referens, quod & *Colomano Vngarorum* Regi militum ſuorum præſtitiſſet auxilia,& Regem *Pannoniorum* enixius validiusque adiuuiſſet, & per ſe ipſum *Bohemiam* graui vaſtitate afflixiſſet. Duces inſuper *Bohemiæ Borzywoi* & *Sobieslaum* hoſpites receptos Ducatum *Bohemiæ* illis reſtituturus, ſumptibus ſuis& gentibus in Imperialis iuris & dignitatis contumeliam adiuuiſſet, ac præterea *Polonico* Regno graui odio infenſus, in vltionem tantarum iniuriarum, expeditionem *Saxonibus,Bauaris,Sueuis,Turingis,Franconibus, Miſnienſibus* & aliarum nationum gentibus indicit. *Suantopelkone* Duce *Bohemiæ*, & *Sbigneo* fratre naturali *Boleslai Polonorum* Ducis, qui in odium ſuum à *Suantopelkone* fouebatur,ſua ſponte exulceratum Cæſaris animum, amplioribus ſuggeſtionibus inflammantibus. Adiiciente *Sbigneo* quòd plures ex *Polonis* ad ipſum velut legitimum hæredem eſſent defecturi, & caſtra ac munitiones abſque negotio traditúri. Itaque primo æſtatis tempore *Henricus* Imperator cum validiſſimo exercitu *Suantopelkone Bohemiæ* Duce, & in fauorem Cæſaris, & in odium *Boleslai*Ducis,tàm pedeſtri quàm equeſtri milite in magna frequentia Cæſaris exercitum augente, *Poloniam* inuadit, & eam oram *Poloniæ* quæ nunc *Sileſia* & *Saxonia* dicitur incendiis, prædis, & depopulatione contorquet,caſtrum magnum ea tempeſtate & fortè *Lubuſz*, obſidione (id enim ſibi primum ex *Almania* procedenti occurrerat) cingit, ſed cùm & ſitu, & defenſione militum difficilem illius expugnationem animaduertiſſet,obſidione ſoluta,aut iuxta aliquos, expugnato, & perpetua donatione Archiepiſcopo *Maideburgenſi* donato, & inſcripto, in *Poloniæ* vlteriora proceſſit, & continuo gradu ad territorium *Bitomienſe* peruenit. Vbi oppidum *Bitomienſe* plus arte quàm ſitu difficile contemplans ad expugnandum, illud per deditionem conquirere tentabat. Sed militibus qui in præſidio erant, continuas excurſiones & duella adeò, vt etiam Cæſari admirationem iniicerent, contra ſuum exercitum facientibus, toruo oculo *Sbigneum* intuens Cæſar, *Siccine*, inquit, *verificari video promiſſa tua, quibus vrbes, gentes, & caſtra tui contemplatione in meam ditionem ventura promittebas, infeſta quippe nobis & aduerſa omnia video, & ſingulos Polonorum ergà Boleslaum fratrem tuum vnius fidei vniusq; tenoris experior.* Ex eo tempore æſtimatio *Sbignei* in Cæſaris pectore perempta eſt. *Boleslaus Poloniæ* Dux, & ſi de *Polonis* exercitum non ſpernendum collegiſſet, *Bohemorum* quoque milites, qui de *Bohemia* exulauerant, in caſtris haberet, multo tamen & ferocior ac ſuperior exercitus Cæſareus ſibi viſus eſt,qui cùm non poſſet iuſta acie pugnam ſine ſuorum diſcrimine conferre, ſæpè tamen periculi, quod imminebat obiitus, neque ſuis, neque hoſtium penſatis viribus decernere æſtuabat, niſi militum ſuorum graui obiurgatione fuiſſet diſtentus, differentium, *ſuis cæſis militibus, ſuoque exercitu profligato Poloniam externis ſeruituram.* Non quieuit tamen vaſtus ac ferox Ducis *Boleslai* animus, ſed Cæſareum exercitum ab eo tempore quo *Poloniam* ingreſſus eſt, continua infeſtatione nocte & interdiu diuerſis in locis per equites ſuos in hoſtes palantes, qui aut prædatum, aut pabulatum ibant, faciens impetum & incurſiones, laceſſebat. Nam & eos qui agmen paululum deſerebant continuò comprehendebat, & eos, qui paſſim per agros vagabantur, trucidabat. Frequenter inſuper cuſtodibus exercitus Cæſarei vel captis vel inſciis, ad exercitum Cæſareum intempeſta nocte accedens, pluribus interfectis & captiuatis, vniuerſum exercitum tàm graui confuſione diſturbabat, vt Cæſar numerum militum pro cuſtodia exercitus duplicaret. Gentes inſuper Imperatoris gratia pabulandi longius ab exercitu progreſſas dietim inuadens, & vſque ad ipſa caſtra Cæſarea fugans & cædens, non prius ſequi deſtitit, donec vniuerſum exercitum contra ſe vidiſſet proſilire. Et tunc quidem cedens, & in abdita velut locorum peritus ſe recipiens, eandem inuaſionem & exercitus & pabulantium ſæpius non ſine multorum de exercitu Cæſareo diſcrimine, reſumebat. Sed & in exercitum Cæſareum milites nocte deſtinans, plures aluum purgantes intercipiebat. His & multiplicibus aliis excurſionibus inuaſionibusque, adeò exercitum Imperatoris vexarat afflixeratque, vt nemo pabulatum,nemo ſpaciatum, nemo longius à caſtris prodire, ſine frequenti armatura, auderet. Quodlibet nemus, ſiluula, aut rubus ſuſpecta habebatur. In omni vmbroſo & condenſo loco *Boleslaus Poloniæ* Dux ſtare credebatur, vniuerſi quoque milites Cæſarei in aliquod munus militiæ, aut pabulatores protegere iuſſi ire, illius ſibi figurabant 1109.

Henricus Imp. Poloniam inuadit,

Lubuſz obſidet,& ſtatim relinquit,

a Boleslao vero ſubitis incurſionibus maximoperè vexatur.

1109. bant occurſum. Sed nec eos fallebat opinio, quamprimum enim aliquas turmas de caſtris Cæſareis exire agnouiſſet, illicò illas vel conflixit, vel in turpem fugam conuertit, maioremque ſui & timorem, & laudem huiuſmodi clandeſtinis, crebris tamen inuaſionibus diffudit, quam ſi acie iuſta & integra decertaſſet. Nam & in exercitu Cæſareo fames, pabulatione deficiente, coorta, multoſque equnos, multoſque inſuper & homines tabe confecit. De operibus quoque *Boleslai* tam fortibus & animoſis cantilenæ ab *Almanis* compoſitæ in illius gloriam, in Cæſaris verò ignominiam, in vniuerſo Cæſareo exercitu ſonora voce canebantur. In vicis quoque & vrbibus propter maximam ſuæ virtutis gloriam heroico robore partam, canentium vocibus celebrabatur, donec publico edicto Cæſar pœnam capitis & bonorum confiſcationem omnibus interminatus eſt, quicumque carmina ipſa depromere auſi forent. Erat tamen in ore omnium militum Cæſareanorum, atque in ſermone frequenti *Boleslaus Poloniæ* Dux, ſummas in eum laudes accumulantium, & miris laudibus ſuam ſtrenuitatem celebrantium. Nec mirum, hoſtes enim quacunque arte ſibi præſumpſerat capiendos, occultis inſidiis, fraude, dolo, fallendos, furto, rapiniſque exhauriendos, nil denique prætermittens, quo tam fortis exercitus debellari poſſet. Magna parte *Sileſiæ* peragrata, vaſtataque, nonnulliſque munitionibus ignobilibus captis, caſtro etiam *Rzecenſi* expugnato, & per ignem demolito, *Henricus* Cæſar ad vrbem *Polonorum Glogow*, quam *Odra* vnus ex principalibus *Poloniæ* fluuiis præterfluit, cum copiis ſuis in die S. *Bartholomæi* peruenit. Et quamuis *Boleslaus Poloniæ* Dux poſitis militibus vada *Odræ*, & eius ripas vbique communiſſet, obſtruxiſſetque, tranſitum Cæſari omni niſu prohibiturus, Cæſar tamen propè *Glogouienſis* ciuitatis mœnia vadum, nunquam etiam antea indigenis cognitum reperiens, fluuium *Odra* ſuperauit, multam pecorum, hominumque prædam, ſed & nonnullos *Boleslai* milites, qui paſſim vagabantur, inopinatè detinuit. Eam cùm obſidione cinxiſſet, & multorum dierum interuallo, proiectione bombardarum, ciuitatem humiles muros & debiles turres, atque propugnacula tunc habentem conquaſſaſſet: Veriti ciues ne in poteſtatem Cæſaris viui capta vrbe venirent, & excidium ſuum, & ſuorum experirentur, de vrbe dedenda ſub cæteris conditionibus, ſi videlicet Dux *Boleslaus* intra quinque dierum ſpacium obſeſſis non ſuccurrat, miſſis nunciis, cum Imperatore paciſcuntur. Imperator non quinque ſolùm dies, ſed & plures ſe illis conceſſurum reſpondet, certus *Boleslaum Poloniæ* Ducem ſecum decernere nullatenus auſurum,

Poſtea Glogouiam obſidet,

qui tamen eius ciues, obſides licet eorum filios habenti,

rum, dummodo in ſpem futuræ deditionis filios eorum ciuium, qui natu maiores in ciuitate haberentur, pro obſidibus & in pignus futuræ deditionis ſibi conſignent. Neceſſitate vrgente *Glogouienſes* filios ſuos Cæſari pro obſidibus tradunt, & Cæſar certus eos pacta ſeruaturos, ab oppugnatione vrbis milites ceſſare iuſſit. Mittunt interim *Glogouienſes* ad Ducem & Dominum ſuum *Boleslaum, Poloniæ* Regni Monarcham & *in quanto verſentur periculo, niſi ſaniori conſilio pactis vſi fuiſſent*, denunciant, ſupplicantque, *vt aut illos ab oppugnatione obſeſſioneque hoſtili liberet, aut pacta rata habens impleri ea permittat.* Iam *Boleslaus Polonorum* Dux maioribus copiis exercitum refertum habebat, quippe ex *Maſouienſi, Sandomirienſi, & Lublinenſi*, terris, magnus numerus pedeſtrium & equeſtrium ad eum defluxerat. *Ruthenorum* quoque copiæ aduenerant, plenuſque ſpe occaſionem pugnandi cum Cæſare inueſtigabat. Collaudatis itaque *Glogouienſibus* nunciis & ciuibus, *quod prudenti vſi conſilio, ciuitatem maturè perituram, in eam diem ſeruaſſent*, diſcretiſſimè prohibet, *ne quicquam de his quæ cum Imperatore pacti erant, obſeruent, malintque filiis, quam ſe, & patriam libertate orbari, ſe in tempore adfuturum, & obſeſſis opem laturum*, reſpondet. Et quo conſtantiores eſſent, ſi prohibitionem ſuam in dedenda vrbe Imperatori tranſgrederentur, irat *ſe illos & cum filiis Imperatore diſcedente exterminaturos.* Mandato *Boleslai* Ducis *Poloniæ* per nuncios ad *Glogouienſes* relato, dum vniuerſa ciuitas grandi mœrore conſternata eſſet, (nam hinc metus, hinc pietas, hinc charitas pignorum obiecta, quid agerent conſilii inopes collidebantur) publicam tamen pietatem ſingulis approbantibus magis quàm priuatam, *Boleslao* Duci ſe parituros, & mortem potiùs ſubituros, quàm deditionem pactam ſeruaturos, deuouent. Non hoſtium illos terret impetus, non laboris frangit aſperitas, nec filiorum auertit pietas, omnibus in commune vnus eſt animus patriam & vrbem ſanguine tutari. Quapropter ab vniuerſis in commune ad ruinas inſtaurandas tanta cura, tanta diligentia concurſum eſt, tantaque ſedulitas in reſtauratione collapſorum monſtrata, vt intra biduum, quo induciæ à Cæſare datæ nondum expirauerant, omnis neceſſaria inſtauratio abſoluta fuerit. Cæſar cùm die quinta vrbem ſibi iuxta pacta dedi requiſiuiſſet, exiſtimauit ſe ciuibus vltrò portas aperientibus ciuitatem ingreſſurum. Cùm verò offenderet contra, atque ipſe ratus, reſiſti, aduerſarios infeſtos *Glogouienſes* habiturus, quos iam deditos crediderat, more ingenii humani pacta in ſpem meliorum ſucceſſuum variantes, à ciuibus contrarium reſponſum accepiſſet, in indignationem non mediocrem verſus, quia pacta non reſeruaſſent, ad expugnandam vrbem armari vniuerſum exercitum iubet & ab omni parte oppu- 1109.

1109. oppugnationem diſponit, credens & ciuitatem ſe facile capturum, & transgreſſoribus pactorum dignas pœnas illaturum. Magna itaque vi A ab *Almanis* & *Bohemis* ciuitatem vndique Imperatore ſpectante, & adhortante milites, impugnantibus, non minori vi ab oppidanis reſiſtebatur. Credens autem Imperator pietate filiorum nullatenus ciues in ſua pignora telis aut operibus ſæuituros, ſed charitate obſidum obſeſſos magis, quàm armis expugnari poſſe, filios *Glogouienſes* in propugnaculis de aſſeribus ordinatis, quo milites ad oppugnationem tranſituri appetebantur, diſtendi iuſſit. Sed cùm nec ſic *Glogouienſes* molliri poſſe videt, ſed in eos filios qui diſtenti erant ſudes & iacula emittere, & egregie in quoslibet tela contorquere, propter quod Cæſareani temere ad mœnia ſubeuntes de ſuperioribus B locis percuſſi cadebant. Imperator verò innocenti ætati miſertus, illo genere expugnationis velut crudeli & infami omiſſo, milites muros ciuitatis, & turres ſubire, & expugnationi tota die vacare iuſſit. Maximo conatu atque labore vtrinque certatum eſt, Cæſareos milites indignatio ex violatione pactorum orta, & frequens militum continuè ad pugnam profligatis recedentibus, & ſanis ac integris pro ſauciis ſuccedentium numerus, oppidanos extrema deſperatio animabat. Tantus autem vtriſque, his quidem conquirendi vrbem, illis defendendi, ardor iniectus erat, vt nullum genus, vtrinque aut hoſtes expugnandi, aut ciues repellendi omiſerint. Et C cum *Almani* & *Bohemi* audacius ciuitatis mœnia ſubeuntes, proiectione lapidum ſupernè obruerentur, aqua tamen & pice feruenti plures læſuram incurrerant, multi qui ſcalis appoſitis muros conſcenderant, ciuium robore exinde præcipitati; animas (inſpectante Cæſare) exhalabant. *Glogouienſes* ſiquidem erga *Boleſlaum* Principem ſuum tam feruido cordis ferebantur affectu; & tam firmam conſtantiam fidemque monſtrarunt ſinceram, vt maluerint & perſonas & chariſſima pignora grauiſſimis ſubiicere periculis, quàm ad hoſtilem deditionem detorqueri, vnde non immeritò eorum fides & ſincera deuotio, etiam in hanc diem apud *Polonos* honorifico ſydere fulgent. D Dùm autem pluribus diebus huiuſmodi continuaſſet expugnationem, pluresque inſignes ex Baronibus *Bauariæ*, & *Saxoniæ* cecidiſſent, referri eorum cadauera in *Bauariam* & *Saxoniam* Cæſar iuſſit, & pro iuſto honore à ſuis ſepeliri, ab oppugnationeque vrbis quæ cum tot præclaris militibus ſpoliauerat deſiſtere, ne & aliis eſſet in perniciem, coactus eſt. *Bohemi* verò qui circa expugnationem ciuitatis deſiderati ſunt, campeſtrem haud longe à caſtris exceperunt ſepulturam. Rogabant autem *Boleſlaum Poloniæ* Ducem ſui milites, *vt in certamen illos cum Imperatore deducat, omni conatu pro victoria adnixuros, præſtare ſibi aut glorioſè vincere, aut honeſtè mortem oppetere, quàm tot ſuorum tectorum incendia ſpoliaque & dedecora ſub conſpectu perferre.* *Boleſlaus* verò militibus benignè pro opera de victoria nauanda commendatis, ad ſua quemque redire munera, & tempus aptum pro certamine ineundo, dum ſignum ipſe dederit, iubet cum ſilentio operiri. *Se enim conſilio ac prudentia, non animi impetu pugnas gerere conſuetum, pugnam committere, ſi illud & vtilitas maior & opportunitas loci temporiſque ſuaſerit, non neglecturum.* *Glogouienſi* obſidione durante nulla dies abſumpta eſt, ſub qua *Boleſlaus Polonorum* Dux, nunc à dextra, nunc à ſiniſtra, nocturnis pariter atque diurnis horis, graui moleſtia, continua aggreſſione, Imperatoris caſtra non afficeret. Propter quod Imperator nunquam cum vniuerſo exercitu ad vrbem expugnandam potuit intendere, ſed maiorem partem militum in campeſtri ſtatione, ad pugnam ordinatam, ne *Boleſlaus* à tergo caſtra inuaderet, opponebat, certus enim erat, niſi hæc prouidiſſet, ſe à *Boleſlao* diſcrimen incurſurum. Solitus autem erat Imperator huiuſmodi exercitui, *Suantopelkonem* cum gente ſua *Bohemica* adiungere; & eum Ducem vtrique populo, in euentum futuræ dimicationis, præficere. Eodem tempore cum proſpera ac læta in exercitu Cæſareo viderentur omnia, periculum horrendum à *Boleſlao Polonorum* Duce dudum meditatum ſuperuenit, quod ſuo momento robur Cæſareum magna in parte languidauit, *Boleſlaus* enim dum infirmiorem ſe perpenderet quàm qui cum Cæſareanis & *Bohemicis* copiis acie iuſta contendere poſſet, in *Suantopelkonem Bohemiæ* Ducem iras vertit, infeſtior illi quàm Cæſari, inducitque in animum quolibet modo obtruncare illum, ingenio & aſtu ſuo, & ſuorum propulſaturus, poſtquam vis aperta parum procederet, infeſtiſſimo reſpectu ad id impulſus, quod & patruos ſuos iuſtos hæredes de *Bohemiæ* Regno eiecerit, & eorum Dominia occupauerit & quod contra ſe, *Bohemica* matre ſatum ſibi etiam propinqua cognatione iunctum, & contra gentem *Polonicam* eiuſdem pænè linguagii, & eiuſdem nationis arma in auxilium *Almanis* tulerit. Sæpè autem de hac *Suantopelkonis* iniquitate apud ſuos quæſtus percuſſori eius præmia magna proponit, ac multis huiuſmodi munus aggredi, & hoſtem patriæ deleri cupientibus, *Ioannes* miles Nobilis, filius *Czyſtæ* de genere *Vrſzouienſium* ſiue *Rauitarum* ortus facinus præoccupat. Nil eorum, quæ Imperator cum Duce *Bohemiæ*, & ſuis moliebatur, *Poloni* neſciebant. Quippe & per exploratores, & nonnullos in exercitu Cæſaris *Bohemos*, acta ſuorum prodentes progreſſum omnem & ſtatum hoſtilem inueſtigatum habebant. Itaque oppor- 1109.

fortiter reſtiterunt,

donec ab oppugnatione deſiſteret.

Inſtinctu Boleſlai

Ioannes Czyſtes

1109. portuno explorato tempore *Ioannes Czyſtes* miles in Cæſareum exercitum perueniens, Duciſque Bohemiæ *Suantopelkonis* militem ſe fin- A gens, cùm & plures haberet in exercitu *Suantopelkonis* cognatos & fratres tempus ad occidendum *Suantopelkonem* Ducem obſeruabat.

Suantopelkonem coram Imperatore obtruncat,

Cum autem die 12. Septembris *Suantopelk* Dux Bohemiæ, in papilione Cæſaris conſiſteret, *Ioannes* præfatus in Ducem ipſum ſtantem ante Cæſarem lancea acutiſſima tàm fortiter impegit, vt eius vtrumque latus proſcinderet, & *Suantopelkus* Dux in terram illicò palpitans, nec vna voce quidem emiſſa expirauit. Qua nece patrata *Ioannes* miles ex tentorio exiliens, equum ad id apparatum conſcendens, fugere cœpit.

& ſaluus ex caſtris euadit.

Quem etſi nonnulli Bohemi proſequuti fuiſſent, pluribus tamen propenſius perſequentibus aut victis, aut vulneratis, integer B & incolumis ad Ducem ſuum *Boleſlaum* peruenit, & pro auſu tam celeri ab eodem *Boleſlao Polonorum* Duce maximis præmiis videlicet caſtris, oppidis, villis, & poſſeſſionibus, quæ & in hanc diem genus ſuum poſſidet, eſt muneratus. Cadauer autem *Suantopelkonis Bohemiæ* Ducis per ſuos milites ex papilione Cæſareo in caſtra *Bohemica* & in Ducale tabernaculum relatum. Fremitus deinde ingens, & commotio in vniuerſo exercitu Cæſaris coortus omnes milites Cæſaris iuſſu nocte tota inſequenti in armis tenuit. Excubiæ quoque campeſtres crebriores habitæ, ſingulis *Almanis* pro certo deſtinantibus *Boleſlaum Polonorum* Ducem nocte cum ſuis copiis ſuperuentu- C rum, & belli fortunam tentaturum. *Ioannes* miles filius *Czyſtæ* pro patrato in Ducem *Suantopelkonem* facinore, non ſecus, quam *Mutius Scæuola Romanus* & propriorum & hoſtilium militum laudatus eſt, & celebratus ſermone. *Suantopelkone* Bohemiæ Duce totaliter, vt præmiſimus, occiſo, & exercitu Bohemico in Bohemiam remeante *Henricus* Imperator conſilio aduocato, an in obſidione vrbis *Glogouienſis* perſiſtendum eſſet, vel in *Almaniam* redeundum, deliberat. Sed cum ſinguli probaſſent, obſidionem cladibus & funeribus magis quàm victoriis inſignem omittendam eſſe, neque in bello male auſpicato diutius commorandum.

Boleſlaus Imperatori pacem offert,

Nuncii *Polonorum* Du- D cis Boleſlai (miſit quippe illos *Boleſlaus*, ſperans *Suantopelkone* Duce *Bohemiæ* interfecto, facile animum Cæſareum ad pacem inclinaturum) adueniunt, petentes, *vt Romanorum Rex & obſidionem Glogouienſem tollat, & ab agro Polonico exercitum abducat, Ducem ſuum Boleſlaum præter meritum Imperiales hoſtilitates hactenus perpeſſum eſſe, quem contra infidelium nationes continua bella gerentem, conuenientiſſimum erat auxilia Imperialia non expugnationem meruiſſe.* His à Cæſare reſponſum eſt *ſi Polonorum Dux Boleſlaus & Poloni imperio & tributis ſubiecti eſſe volunt, Sbigneumque ad portionem ſuam reſtituere, petitionem eorum Imperator facile eſſet admiſſurus.* Sed cum Nuncii *Ducem ſuum Boleſlaum, & Polonos, nullo pacto ditioni ſuæ ſeruituros, & tributa penſuros, ſed neque Sbigneum velut hoſtem infeſtiſſimum patriæ, in gremium ſuum certam perniciem iterum illi allaturum, aſſumpturos* reſpondiſſent,

ſed non impetrat.

multa *Henricus* Rex coram Nunciis de potentia & diuitiis Imperii diſſerens, etiam illis theſaurum quem ſecum in caſtris habuerat, vaſa quoque & clenodia concupiſcibili auro & gemmis ornata monſtrat, ſubinferens hunc ſolum ſufficere ad eorum Ducem & gentem domandam.

Hiſtoria de Comite Habdank.

Erat huius legationis ſorte Princeps nobilis, quidam Comes *Skarbek* tres tracturas æquales in ſtellæ, quæ ab Aſtronomis *Gaſipia* appellatur, modum, pro inſigni deferens, qui Cæſari theſaurum oſtentanti, & de potentia ſua diſſerenti, reſponſum aliquod conueniens editurus, annulo aureo quem in articulo geſtabat detracto, in eius quem Cæſar oſtentabat theſauri medium proiiciens, ait: *Aurum iungatur auro.* *Henricus* autem Rex cùm eſſet perſpicacis ingenii, facile intelligens, quod legatus *Boleſlai* & proiectione annuli, & adiectione verborum contemptum tantarum gazarum ſignificare vellet, contemptum quem notabat excluſurus, in *Almanico* reſpondit *Habdank*, quod ſignificat *habeo gratias*; quaſi his pauc s verbis exprimeret: *Etſi tu theſauro meo contempto, etiam in ampliorem eius contemptum paruam auri quantitatem adiecisti, & de hac ego quidem tibi habeo gratias.* Legati Ducis Boleſlai à Cæſare infecto negotio dimiſſi, redeuntes, ſingula ex ordine, quæ eis reſponſa fuerunt, exponunt, legatuſque ille, & ſua omnis ſucceſſio, ac poſteritas appellationem ſuorum armorum, & domus *Habdank* in diem hodiernum accepit. Maior in dies in exercitu Cæſareo diſceſſione Bohemica terror augebatur, ob quem in caſtris Imperatoris duplicatæ excubiæ & Imperatori receſſus ab amicis magnopere perſuaſus, ne & ipſum inſidiis Boleſlai circumuentum iri in exercitu ſuo contingeret. Quæ quidem conſultatio facile ab Imperatore accepta eſt, vtpotè in cuius iam pectus altiùs, quàm quiſquam ratus erat, obtruncatio *Suantopelkonis* Ducis *Bohemiæ* ſe infuderat, deteriorique conditione ſe à *Bohemis* querebatur deſertum, hoſtili potiùs fauore nòn neceſſitate, quàm ſi ab initio ſubſidia illi non tuliſſent.

Henricus Imp. Glogouienſem obſidionem ſoluens

Paucis poſt hæc diebus, dùm Boleſlai *Polonorum* Ducis legatos pacem petentes dimiſiſſet, in obſidione *Glogouienſi* Cæſar moratus, obſidionem (victus ſuorum prece & conſilio) diſſoluit, & verſus *Wratiſlauiam* proceſſit, expugnationem *Wratiſlauiæ* ſi forte illic ſibi melior proueniret fortuna, tentaturus. 1109.

1109. turus. Sed dùm ad vnius miliaris ſpatium à *Wratislauia* ſtatiua poſuiſſet, *Boleslaus Polonorum* Dux omnibus potentiis dominiorum ſuorum, quanta potuit celeritate, ordinatis, magna inſuper agreſtium, (vt ſpeciem validi exercitus hoſtibus obiiceret) auctus turba, agmen exercitus ſui curſus magis quam itineris modo perſequendo Imperatorem ducit, adeo, vt nec nocturna quidem quiete à diurnis reficerentur laboribus, *Henricum Romanum* Regem perſequi, & cum illo decernere ſtatuit. Quem cùm in dictis ſtatiuis vno tantummodo miliari à *Wratislauia* diſtantibus conſecutus fuiſſet, ordinatis aciebus, paucis milites adhortatus, *quatenus ſuæ nobilitatis & originis memores, quàm fortiſſimè pro patria ac libertate dimicarent, perpetuam gloriam, ſi orbis terrarum Imperatorem veterem eis libertatem adimere & tributis eos ſubiicere conantem, ſternerent, & de vaſtitate eorum regioni irrogata, ſe vindicarent, & ipſi habituri, & poſteris magno fœnore eam relicturi, hanc diem, qualis cuiusque ſit virtus, oſtenſuram.* Concurrunt validiſſimo impetu & clamore vtræque acies, & vtraque pro victoria adnitente, duriſſimo Marte dùm mane pugna cœpiſſet, vsque ad veſperam certatum eſt. Cadentibus ex vtraque parte pluribus mortalibus ſæpenumero Cæſareani milites cum numero ſuperiores eſſent, etiam in pugna præualebant. Nutabat *Polonica* acies, plerique ex pugnatoribus *Polonis* ſpectabant ad fugam, ni ſollicite *Boleslaus* quælibet loca circumiens, & nouos feſſis ſubſtituens ſuorum in locis aliquot labentem pugnam reſtituiſſet. Et confirmatis ſuis, pulſis aduerſariis, erectis militum animis, prælium ex integro reparaſſet. In ipſo autem feruore pugnæ, *Sileſianorum* militum acies, quam in ſubſidiis *Boleslaus* locauerat eius iuſſu erumpens, in latus exercitus Imperialis, quam fortiſſimè potuit, impegit, & ordines *Almanorum* diſrumpens, cæteris militibus, pugnatoribusque viam ad irrumpendum in hoſtes & ad comprehendendum victoriæ brauium aperuit. Ab hoſtibus enim ex improuiſo conſpectus pectora illorum effecit timidiora, dum cætera omnis multitudo *Polonorum*, non militum ſolum ſed & agreſtium partam victoriam effecit. Cæſar ſuorum aciem inclinatam perpendens, illico ſuorum monitu, in fugam ſe (inſignibus Imperii, ne fugientem proderent, abiectis) conuertit. Poſt hæc magis trucidatio quam pugna fuit. Omnibus *Almanis* vario itinere fugientibus quorum etiam magnus numerus in fuga comprehenſus, *Boleslao* redditus eſt, quos in honore iuſto habuit ſemper magnam in illis exhibuit clementiam, ac humanitatem. Tanta autem fuit in loco certaminis cadauerum copia, vt ex omni propinqua regione multitudo canum illuc ad vorandas humanas carnes concurrens, periculoſum aliquanto tempore omnibus paruo comitatu illac proficiſcentibus iter efficeret, vnde & locus ipſe in hodiernum vsque diem *caninus campus* vocabulum ſortitus, argumentum relatæ tunc per *Boleslaum* de Cæſare tam famoſæ victoriæ ſua nuncupatione renouat & conſeruat. Et quamuis clades ipſa fatalis & ignominioſa extiterit, non ſecus tamen apud illos, & alias finitimas gentes poſt relatum de Cæſare triumphum *Boleslaus* Dux *Polonorum* celebratus eſt, quam *Marcus Marcellus* poſt deuictas *Syracuſas* & diruta *Nolana* mœnia, & *Annibal* poſt pugnas ad *Traſimenum* lacum & *Cannenſem*, ex quo planè conſtat, nil quæſtuoſiùs, nil vberiùs virtute. Hæc quoque *Boleslai* victoria nomen eius glorioſum inclytumque reddidit, gentiſque *Polonicæ* gloriam dilatauit, heroica quoque *Boleslai* vbique vulgata ferebantur facinora. Præclarum enim viſum eſt ſub vno eodemque tempore, & Imperatorem armis, & B*ohemum* aſtu ſuperaſſe. Admirandusque propterea *Boleslaus Polonorum* Dux apud proprios & exteros efulſit, ſapientia præſtans & re militari, pro ſingulari ſua virtute, prudentia, audacia, belli peritia, militari diſciplina, & ſuorum & hoſtium vno ore Dux atque Imperator vigilantiſſimus decantatus. Eo triumpho omnibus locis maximè celebratus, nec in uria, nam ſi ſincero affectu circumſcripto, animaduertes, & non Cæſarem ſolum *Henricum* & eius exercitum, ſed vniuerſos *Almaniæ* populos profligatos fuiſſe, vno illo eximio prælio fatebere. Super nece *Suantopelkonis Bohemiæ* Ducis, dum nocte occiſionem ſuam inſequente planctus veruſnè an ſimulatus à *Bohemis* celebratus, incertum eſt, altera die *Henricus Romanorum* Rex ad tentorium, in quo cadauer Ducis *Suantopelki* iacebat, adueniens, triſtem & ipſe vultum ſuper illius tam improuiſa & indigna morte oſtendit. Et quo mors ſua *Bohemis* minus moleſta eſſet, permittit illi, vt quem velint de natis ſuis duobus, *Henricum* videlicet, vel *Venceslaum*, in Patris locum ſurrogent, aſſerens *ſe in fauorem eorum eam, vel quamcunque aliam eorum electionem confirmaturum.* *Bohemiæ* autem Barones vtroque filio *Suantopelkonis* perterrito, *Ottonem* ſecundo genitum, *Wratislai* germanum dicti *Suantopelk*, temerato iuramento, quo ſe poſt mortem *Suantopelk* non alium quàm *Wladislaum* filium *Wratislai* tertio genitum ex *Swantawa*, & germanum *Borzywoy* aſſumere aſtrinxerunt, in Ducem deligunt, & ſurrogati Ducis gaudium funeſto funeri miſcuerunt. Qui etſi ab *Henrico* Imperatore approbatus fuiſſet, *Pragamque* in poſſeſſionem acceperat, infra tamen paucos dies *Ottone* excluſo & reiecto, præfatus *Wladislaus* à ſingulis *Bohemis* in Ducem aſſumptus eſt, facileque poſſeſſionē totius *Bohemiæ* 1109.

a Polonis magna clade afficitur.

Suantopelkoni in Bohemia Ducatu ſuccedit Wladislaus.

1109. miæ ſortitus. Bohemicus exercitus Duce ſuo *Suantopelkone* occiſo, remitti ſe ad propria magnis inſtantiis expetebat, veritus ne A per exules, Duces B*orzywoi* & *Sobieslaum* res in B*ohemia* nouarentur.

Henricus autem *Romanorum* Rex diſceſſionem B*ohemorum* moleſtè ferens, retinere illos omnimodè æſtuabat, perſuadebatque *vt aliquibus Baronibus* B*ohemiæ cadauer Ducis Suantopelkonis in Pragam referentibus, cæteri omnes in caſtris ſuis ſubſiſterent, & eum in Polonicam gentem agentem expeditionem deſertum iri non ſinerent, plures incurſiones, inuaſionesque & pericula ab eo hoſte, qui neque nocte, neque interdiu nouit quieſcere, perpeſſurum.* Verùm B*ohemis* tàm infelicem militiam, in qua Ducem ſuum obtruncari contigerat, magnopere obtrectantibus, & non ſe B amplius in bello parum auſpicato, ſine Principe, ſine capite, perſeuerare velle reſpondentibus, ſuo illos Cæſar arbitrio relinquere, & in B*ohemiam* diſcedere coactus eſt. Remanere in caſtris Cæſareis, B*ohemicis* copiis diſcedentibus *Zbigneus* frater naturalis B*oleslai* Ducis *Poloniæ*, veritus, quippe qui ſibi omnes *Almanorum* Principes, ipſum quoque *Henricum* Regem nouerat infeſtos, cum B*ohemis* vna diſceſſit, ſortem ſuam intelligens Ducis *Suantopelkonis* occiſione vehementer debilitatam & attritam.

Bobemi omnes ex caſtris Imperatoris diſcedunt.

Balduino Ep. Cracouienſi ſuccedit Maurus.

Septima menſis Septembris B*alduinus* Epiſcopus *Cracouienſis* natione *Gallus* moritur, & in Eccleſia *Cracouienſi* ſepelitur, cum annis ſeptem Eccleſiam rexiſſet. In eius locum per Papam *Paſchalem* ſecundum alias B*laſium* ſecundum *Maurus* ordinatus, B*oleslao Polonorum* Duce eius ordinationem acceptante vir genere *Italus Romanus*, ex familia nobili ducens genus.

1110. Cladem apud *Wratislauiam* in *Pſiepole* vico ignobili *Henricus* Rex *Romanorum* Imperator acceptam, etſi moleſtiſſimè ferret alteram quoque in *Poloniam* meditaretur agere expeditionem, ignominiam ſuorum deterſurus, negotiis tamen Imperii, & itinere quod pro ſuſcipienda Imperiali corona anno futuro *Romæ* faciendum erat, auertebatur, ſimul quod B*oleslai* Ducis *Polonorum* animum expertus probè D nouerat, aut ſecum congreſſurum, aut ſi congredi propter imparitatem metueret, exercitum ſuum grauibus diſpendiis & incommodis clandeſtinis, & ſubitis incurſionibus laceſſiturum. Verebatur inſuper ne ſe abſente B*oleslaus Polonorum* Dux ſuas & Imperii terras naturales Regno *Poloniæ* vicinas, in vltionem belli à ſe contra *Poloniam* geſti inuadens vaſtaret atque exureret. Multorum etiam ſui Imperii nobilium militum, qui ſuperiori bello per B*oleslaum* Ducem *Polonorum* captiuati erant, ipſum vexabat detentio, quos, antequam *Romam* iret, ſoluere magnopere, ne eorum captiuitas in maiorem ſuam ignominiam recideret, ſatagebat. His curis maximè vellicatus atque 1110.
diſtentus, ſecundiorem compendioſioremque partem aſſumens, pacem à B*oleslao Polonorum* Duce ſuperiori anno petitam, & à ſe negatam dare eidem, ſuadentibus id Conſiliariis diſpoſuit. Quod vt honeſtiùs proueniret, per communes egit amicos, *vt* B*oleslaus Polonorum Dux mutatum animum Cæſaris intelligeret, & ad ſe in* B*amberg perſonaliter veniret, neque pacem, neque amicitiam, neque quicquam aliud ſe dignum ſibi negaturum.* Diu ad Cæſarem ire B*oleslaus* Dux *Polonorum* deliberans, multis tamen ſuis & Dominii ſui vtilitatibus, qui ex profectione ſua ſequuturi erant, penſatis, in apparatu ſuo pulcherrimo ad *Henricum Romanorum* Regem in *Bamberg* venit, & verbis honeſtis, atque ad perſuadendum compoſitis, eam pacem petiit, quæ ſibi, & genti ſuæ, non in infamiam, ſed in gloriam & decus verteretur, *ſe de ſanguine Regum Poloniæ* ſatum, *omnia communia cum Regibus præter nomen retinuiſſe. Scire ſe & Poloniam, & eius Reges atque Principes nunquam tributis ſeruiuiſſe, ſed plena ſemper libertate vſos in eam diem fuiſſe, pro qua tenenda conſeruandaque, & arma neceſſitate impulſum ſumpſiſſe, & contra Cæſarem dimicaſſe, prius quoque omnia ſe, & gentem ſuam extrema paſſurum, quam Regnum ſuum & gentem tributis dediturum. Sed nec Cæſarem eam expeditionem contra ſe, niſi falſis Suantopelkonis Bohemiæ Ducis & fratris ſui Zbignei ſug-* C *geſtionibus accenſum, cùm ipſe Imperium Romanum in nulla re offendiſſet, incepiſſe.* Orabat deinde B*oleslaus* Cæſarem *vt illum amicum Imperii ſui potius, quàm hoſtem habere malit. Henricus* Rex B*oleslao* benignè appellato, & *omnem indignationem ab inuidia, contra illum apud ſe concitatam ſe illi* offert *liberaliter remiſſurum, & eum inter Principes Catholicos iuſto honore, velut ſuum, & imperii amicum habiturum, & quæcunque honeſta petere vellet, largiturum.* Ad hanc tàm munificam & fauoroſam *Henrici Romanorum* Regis reſponſionem, B*oleslaus Polonorum* Dux ſororem Regis ſibi in ſponſam, filio vero ſuo *Wladislao* ex *Ruthena* genito, filiam Regis *Henrici Chriſtinam* nomine, virginem forma venuſtam, cœpit petere in vxorem. Quæ omnia *Henricus* Rex ſine cunctatione conceſſit, & celebratis in B*amberg* nuptiis cum ſorore Cæſaris tàm nouam nuptam ſibi, quàm filio *Wladislao* virginem *Chriſtinam* iuuenculam cum dote duplici comitatus militibus Cæſareis, in P*oloniam* deduxit, & omnes captiuos *Almanorum* in prælio & guerra captos *Henrico* Regi *Romanorum* remiſit. Magnaque extunc & deinceps pacis charitatiſque amœnitas inter Dominia Imperii & P*olonorum* terras eorumque ſubditos viguit, & *Henricus Romanorum* Rex caſtris & terris in P*olonia* conquiſitis, & ſignanter

Henricus Imp. & Boleslaus pacem faciunt,

& adſinitate duplici confirmant

caſtro

1110. caſtro *Lubuſz*, quod ab eo in dominationem perpetuam *Maideburgenſis* Archiepiſcopus acceperat, expreſſè renunciauit.

Audiens *Bohemiæ* Dux *Borzywoi* filius ſecundo genitus *Wratislai* primi Regis *Bohemiæ*, quem ex Regina *Suantaua* ſuſceperat, qui cum germano ſuo *Sobieslao* & pluribus *Bohemiæ* Baronibus in *Polonia* apud *Boleslaum Poloniæ* Ducem annis aliquot exulabat, fratrem ſuum natu minorem *Wladislaum* poſt occiſionem nepotis ſui *Suantopelkonis Bohemiæ* Principatum, qui nulli alteri, niſi ipſi *Borzywoi* iuſto iure debebatur, *Ottone* etiam fratre *Suantopelkonis* de eo depulſo, aſſumpſiſſe, ſupplicat, *Boleslao Polonorum* Duci, *vt illi pro recuperatione Ducatus ſui dignetur ferre auxilium, & aut cum eo perſonaliter vadat, aut gentem expeditam transmittat. Boleslaus* autem *Polonorum* Dux conditionem ſuam Ducalem animaduertens, cum robuſta militum ſuorum manu, ipſum verſus *Bohemiam*; comitantibus illum pluribus Baronibus *Bohemiæ*, qui ſecum vnà exulauerant, ſuo ſumptu omnibus prouidens conducit, *Sobieslao* altero fratre in *Polonia* remanente. Et cùm iam in metas *Bohemiæ*, & ſiluam *Herciniam*, quæ *Bohemiam* & *Poloniam* diuidit, deueniſſent, plures *Bohemiæ* Barones cognito *Borzywoi* Ducis ſui aduentu, ei obuiam eunt, ipſumque cum magna lætitia excipiunt, precanturque, *vt Dux Boleslaus Polonorum in Principatus ſuorum redeat, daturos ſe operam, quod ſine bello Dux ſuus Borzywoi Ducatum Bohemicum poſſideat.* Victus itaque *Boleslaus Polonorum* Dux, tam *Borzywoi* Ducis, quam *Bohemiæ* militum precatione in *Poloniam* regreditur, & nihilominus cum *Borzywoi* Duce inſignem ſuorum *Polonorum* militum cohortem deſtinat. *Borzywoi* itaque *Pragam* à ſuis deductus, & ſolenni proceſſione ſuſceptus, illicò eius & caſtri *Wyſſegradienſis* plenam, frater enim ſuus *Wladislaus* in *Pilzno* tunc agebat, nanciſcitur poſſeſſionem, & *Hermannum* Epiſcopum *Pragenſem* comprehenſum damnat in carcerem. *Fabianus* verò Capitaneus *Wyſſegradienſis* omnibus relictis, de manibus *Borzywoi* elapſus aufugit. Plures & alii ciues *Pragenſes* qui ſibi erant conſcii, quique partem alteram tuebantur, relictis vxoribus, filiis & poſſeſſionibus, ad vicinas regiones diffugiunt. Fit magnus in vniuerſa *Bohemia* tumultus, & rumor, villarum vicorumque incenſio, vaſtatio, & prædatio. *Otto* interim *Suantopelkonis* frater cum *Wackone* Barone qui tunc potens in *Bohemia* habebatur, congregatis militibus, *Pragam* ingredi tentant, caſtrumque *Wyſſegradienſe* à *Praga* repulſi, obſidione cingunt. *Wladislaus* Dux occupatam à fratre *Pragam* & *Wyſſegradum* dolens cum gentibus *Pragam* venit, ad quam petenti negatus eſt ingreſſus. Mittit proinde

Boryzwoi Ducatum Bohemiæ appetit,

ſed reiecto

A nuncios ad *Henricum Romanorum* Regem, de expulſione ſua queritur, petens, *vt illi autoritate ſua Ducatum ademptum reſtituat.* Qui in *Bohemiam* duobus Ducibus curiæ ſuæ *Dipoldo* & *Berengario* deſtinatis, *pacem mandauit inter diſſidentes ſuper Ducatu fratres reformari, & omnes diſſidentes, ad ſe perſonaliter venire plenam deciſionem ſuper quæſtione recepturos.* Qui cùm ad eum veniſſent, *Wladislao* quidem *Ducatum Bohemiæ reddendum* decreuit, fratrem verò illius *Borzywoy* in captiuitatem coniecit. *Wladislaus* verò Ducatu *Bohemiæ* ſuffragio *Henrici* Regis *Romanorum* potitus, plurimos Barones nobileſque *Bohemiæ*, & ciues *Pragenſes* quos fauiſſe fratri ſuo *Borzywoy* intellexerat, variis pœnis, exiliis, & tormentis affecit, nepotemque germanum *Ottonem* ſuſpectum habens, ne illum in Ducatu ſupplantaret, ad ſe pacificè in *Saczka* accerſitum captiuat, quem primum in caſtro *Wyſſegradienſi* deinde in *Krzywoklad* triennio detinebat, *Wackonis* Baronis conſilio ad id plurimum animatus & permotus.

obtinet Wladislaus.

B

1076.

Captiuitatem fratris & alumni ſui *Borzywoy Bohemiæ* Ducis per *Wladislaum* fratrem eiusdem *Borzywoy* & Ducatus *Bohemiæ* occupatorem, *Boleslaus Polonorum* Dux moleſtè ferens, validiſſimo congregato exercitu cum *Sobieslao* Duce *Bohemiæ*, Ducis *Borzywoy* fratre apud ſe exulante, *Bohemiam* circa feſtum Sancti *Michaelis* ingreditur, fratres ipſos aliquibus honeſtis conditionibus, per quas & *Borzywoy* Dux à captiuitate abſolui poſſet, pacificaturus. Sed dum *Wladislaus* Dux pluribus nunciis & litteris à *Boleslao* Duce *Polonorum* inuitatus, vt ad ſe ſecurè in pace veniret, deciſionem controuerſiæ iuter ſe, & fratres ſuos *Borzywoy* & *Sobieslaum*, ipſo eorum communi fratre & amico arbitro, ſuper Ducatu *Bohemiæ* recepturus, nullatenus vocationi & inuitationi huiuſmodi acquieuit, ſed in uocatione & inuitatione præiata dolum latere prætendens, & nuncios cum iniuria repellit, & exercitum Ducis *Polonorum* inuadere decernit. Quod cùm *Boleslaus* Dux *Polonorum* ſenſiſſet, omnem oram circa flumen *Albim* multis Primoribus *Bohemorum* diffugientibus, incendiis & ſpoliis vaſtauit, præiatoque *Wladislao* Duci occurrens, ipſum graui cæde 8. Idus Octobris circa flumen *Cydlina*, multis Primoribus *Bohemorum*, aut occiſis, aut captis, conflixit, & fugere in *Pragam* coegit, multiſque ſpoliis & exuſtionibus in *Bohemia* patratis, incolumem, victoremque exercitum ſuum, & *Sobieslaum Bohemiæ* Ducem in *Poloniam* ſanum cum ingenti præda reduxit. Quæ clades *Bohemis* tunc per *Polonos* inflicta, etiam *Bohemorum* annalibus apud incredulos & dubios poteſt oſtendi. Vehementi dolore *Suantaua Wratislai* relicta

1111.

Boleslaus Poloniæ Dux Boryzwoi reſtituturus,

C

D

Bohemos vincit.

IIII.

Bohemiæ Regina *Boleſlai Polonorum* Ducis quondam filia, ſuper filiorum ſuorum *Borzywoi, Wladiſlai* & *Sobieſlai*, colliſione mutua afflicta, dùm vnum captiuum, alterum exulem, tertium victum videat, mediatricem ſe poſuit, & pluribus ſanis & prudentibus tractatibus interpoſitis filium *Wladiſlaum*, quod fratribus ſuis *Borzywoi* & *Sobieſlao* paritatem in Ducatu habentibus, aduerſus & infeſtus eſſet, correctum cum fratre *Sobieſlao* in *Polonia* exulante, verita ne ampliores ſtrages inter ipſos conſurgerent, pacificauit. Reuocatus igitur *Sobieſlaus* tàm maternis quàm fraternis Nunciis, & literis ex *Polonia* in *Bohemiam* venit, & *Zacen*, ciuitatem cum ſuo diſtrictu & prouincia, ita enim inter eos *Szuantawa* mater eorum compoſuerat, in poſſeſſionem & hæreditatem accepit.

& mater Ducem Bohemiæ illos conciliat.

Pontifex Eccleſiæ *Cracouienſis* aliàs *Wladiſlauienſis Paulinus*, cùm eandem Eccleſiam annis duodecim rexiſſet, debitum carnis in ætate matura ſoluens, moritur, & in Eccleſia *Cruſzuicenſi* ſepelitur. In cuius locum *Balduinus Gallicus* de conſenſu *Boleſlai* Ducis *Poloniæ* velut Patroni ordinatur.

Paulino Cracov. Ep. ſuccedit Balduinus.

Victoriis ſuperioribus de *Polowcys* relatis, *Ruthenorum* Duces animati, qui ægrè *Polonorum* bella repellebant, ad inferendum vltro *Polowcys* bellum eriguntur. Expeditione itaque indicta *Suantopelk Kiouienſis* Dux cum filio *Iaroſlao*, *Wlodimir* cum filiis, & *Dauid* cum vno filio, *Ruſſiæ* Duces, ſecunda Quadrageſimæ Dominica copias equeſtres & pedeſtres ſola ſpe in Deo & Angelis eius repoſita, in campum educunt. Superatoque flumine *Sula*, veniunt in *Chorola*, vbi currus inſtruunt, & acies ordinant. Ab inde ad flumen *Olba* peruentum eſt, & aliquod diebus ſtatiuis habitis ex *Olba* ad aliud æquè magnum flumen *Wolba* traiiciunt. Quibus quidem fluminibus ſuperatis ad flumen *Tanais*, quod *Don* appellatur, magnitudine rara priora flumina excedens, exercitus peruenit, illicque arma induens, & ſigna militaria extendens, agmine compoſito, iuxta ac ſi in conſpectu hoſtis eſſet, incedebant. Ad caſtrum deinde *Rukanie* applicans, à viris, qui in illo erant, piſcibus, & vino exceptus, ad aliud caſtrum *Smuron* pertingens, illud exurit, & interim ad flumen *Tanaim* peruenit. *Polowcy* itaque ſuarum regionum vaſtationem non ferentes, *Ruthenorum* Ducibus & agminibus occurrunt, præliumque conferunt. In quo adhortantibus ſe mutuo *Ruthenorum* militibus, & mori potius quam fugere deuouentibus, primis *Polowconum* aciebus cæſis, fuſiſque reliquæ diffugiunt. Poſt paucos verò dies, nouo & fortiori exercitu *Polowcy* ex multis legionibus inſtaurato, fortunam tentaturi, ad congreſſum veniunt. Sed parem priori referendo fortunam, à *Ruthenis* & Ducibus eorum certamine inito, conflicti & victi ſunt, fugienteſque *Polowcos Rutheni* in plurima milliaria perſequuti, quatuor diebus caſtris eorum, equis, pecoribus, camelis, vxoribus, & paruulis, & omnia alia ſuppellectili potiti, duplici prælio victores in *Ruſſiam* reuerſi ſunt, maximo honore & gaudio proceſſioneque à ſuis excepti.

Polowcy à Ruthenis binis præliis funduntur.

IIII.

Quietem, quæ hactenus *Pomeranis* & *Pruthenis Boleſlao* circumuicinis bellis aſſiduè occupato peruenerat, *Pomerani* & *Prutheni* non ferentes clandeſtinis & ſecretis prius habitis inuicem & celebratis conuentibus contra *Polonorum* regionem decoquunt & aſſumunt bellum. Et quoniam *Boleſlaus Polonorum* Dux partes *Poſnanienſes* & *Cuiauienſes* crebrius ſolito tunc incolebat, in *Pomerania* quoque plura caſtra valido præſidio ſuperimpoſito, in ſuam ditionem redegerat, potentiam ſuam reſiſtentiamque barbari velut fulmen veriti in remotiores Prouincias, ad quas non accedebatur, eorum incurſionis aduentus bellum conuertentes, clandeſtina & ſecreta, & nunquam alias denunciata hoſtilitate, Prouinciam *Maſouiæ* inuadunt, prædis, ſpoliis, conflagrationibus, vicorum, villarum, & ædium tumultuario bello patratis, antequam *Boleſlaus Polonorum* Dux noſcere poſſet, eorum incurſionem & irruptionem in ſua cubilia reuerſuri. Aliter tamen quàm illi rebantur, ſpes illis reſpondit, regebat ſiquidem pro ea vice *Maſouienſem* regionem *Magnus* Comes, quem in ſuperioribus *Wratislauienſem* oram rexiſſe monſtrauimus. Is quamprimùm *Pomeranorum* & *Pruthenorum* contra ſe & regionem ſuæ fidei, & regimini commendatam ſenſit aduentum, nullatenus illas prædas & ſpolia ex *Maſouia* efferre, aut incendia & populationes agere permiſit, ſed exemplo cum omnium *Maſouienſium* nobilium & popularium manu, quos ſub tanta celeritate cogere potuit, eis cum ſpoliis & prædis procedentibus occurrit, illoſque quieſcentes, & quieta omnia ſuis exploratoribus denunciantibus eſſe exiſtimantes, inopinatè priuſquam illuceſceret aggreſſus, tanta clade ſoporatos oppreſſit, vicitque, vt pauci, qui aut occiderentur, aut caperentur, euaderent. Subito enim aduentu atque inſperato hoſtes perterriti, neque conſilii habendi, neque arma capiendi ſpacio dato veluti dedecores & inulti, non ſecus quàm pecora trucidabantur, ſexingenti occiſi, mille ducenti capti, eo prælio hoſtes referuntur. *Simon Plocenſis* Antiſtes raræ vir probitatis & deuotionis, victoriæ *Polonorum* ex *Pruthenis* & *Pomeranis* tunc relatæ, maximum creditus eſt adiumentum præſtitiſſe, qui ſub omni tempore, quo hoſtes *Pomerani* & *Prutheni* patriam ingreſſi ſunt, continuis ſingultibus, ieiuniis, precibus, & lachrymis vna cum Clero ſuo obſecrare pietatem diuinam, pro victoria *Polonis* danda non deſtitit, ſed nec prius mentem ac corpus ab oratione, ieiunio, & obſecratione laxauit, donec certificatus eſt *Magnum* Comitem & *Maſouien-*

Pomerani & Prutheni

Maſouiam inuadentes

à Magno Comite vincuntur.

1112. *uienſes* plenam & magnificam victoriam de hoſtibus retuliſſe. Quæ tam feraciter & abundè prouenerat, vt *Pomerani* & *Prutheni* A tunc à *Polonis* victi & debellati, qui ſe in ſiluis & nemoribus abdiderant, fugiendo, pluribus diebus,ne dum à viris, ſed matronis & puellis gratia legendi fraga ſiluas frequentantibus, caperentur, & armis exuti vincti ligatique à tergo in victoris ducerentur conſpectum. Eadem fortunæ facies apud *Sileſienſes* affulſit, qui *Zbignei* milites & ſatellites prædas & ſpolia apud eos agentes & incendia,ſingulari certamine ſuperatos,aut extinxerunt, aut in captiuitatem diram coniecerunt.

Henricus Romanorum Rex inter Imperatores quartus,ſed quantum ad *Henricos* quintus, cum *Tuſciam* cùm magno exercitu triginta videlicet millibus armatorum coronam imperia- B lem recepturus aduenisſet,Nuncios ad *Paſchalem* Papam ſecundum, inueſtituras Epiſcoporum refutando,& illis ſe perpetuo abdicando præmittit, ſciens aliter ſibi Papam munus coronationis nullatenus impenſurum. Expoſt *Romam* veniens,cùm ab omnibus proceſſionibus Eccleſiarum honorificè ſuſceptus eſſet, *Paſchalis* etiam Papa cum Cardinalibus ad gradus ei occurrens, ad portam argenteam eum deduxit,& oſculo dato Imperatorem deſignauit. Verùm poſtquam ad portam Porphiricam ventum fuiſſet,& Papa ſuper abdicatione inueſtiturarum Epiſcopalium iuramentum ab *Henrico* requireret, *Henricus* Rex de C conſilio ſuorum *Paſchalem* Papam cum Cardinalibus,& tota curia ſua captiuauit,& *Vlrico Aquilegenſi* Patriarchæ cuſtodiendum tradidit, & in carcere duobus menſibus,donec petitioni de abdicatione inueſtiturarum renunciaſſet detinuit. Liberatus ergo Papa & ſolutus, in die feſto Paſchæ *Henricum* coronat, & in *Almaniam* redeuntem, noua cenſurarum fulminatione,vt ſe inueſtituris Epiſcoporum abdicet,percellit,*Henrico* Imperatore toto tempore,quo *Paſchalis* Papa vixit in pertinacia perdurante. Captiuitatis *Paſchalis* Papæ autor fuiſſe dicitur *Albertus* natione *Lotharingus*, qui poſtmodum *Moguntinenſis* Archiepiſcopus fuerat,tunc verò Regis Cancellarius, quem D poſt reditum Rex captiuatum, & in carcere poſitum diuerſis tormentis & incredibili famis inedia afflixit, & pro amiciſſimo peſtiferum hoſtem tenuit,diuino iudicio hanc illi iuſtisſimè inferente vltionem. Nonnulli inſuper ſcelerati filii ex Clero *Romano* per Imperatorem inducti poſt liberationem *Paſchalis* tres Hæreſiarchas, videlicet *Arnolphum*, *Albertum*, & *Theodoricum* in Papas eligere præſumpſerunt. Qui etſi *Paſchali* Papæ multas intuliſſent moleſtias, ad extremum tamen ab eo proſtrati & deiecti ſunt.

Henricus Rex à Paſchali Papa Roma coronatur.

Sexta decima die Menſis Aprilis *Suantopelk Kiouienſis* Dux,& ſocer *Boleslai* Ducis *Poloniæ* in *Kiow* moritur,& in Eccleſia S. *Michaelis* in *Kiow*,quam bieñio ante ſumptuoſo opere deauratum ei fabricando verticem, fundauerat, ſepelitur. Cuius morte ſecuta miſſi ſunt à *Kiouienſibus* Nuncii ad *Wladimirum* germanum *Suantopelkonis*,quem monerent *vt veniret*, & *ſedem Kiouienſem paternam & auitam ſuſciperet*. Eo verò in luctu occupato venire tardante,milites in ſeditionem verſi, curiam primum *Putatæ* Palatini *Kiouienſis*,viri ei tempeſtate locupletiſſimi,deinde ſingulos Iudæorum in *Kiow* conſiſtentium inuadunt,& diripiunt. Noui itaque Nuncii ad *Wladimirum vt non mutaret aduentum*,miſſi,quæ ſpolia, quæ mala apud *Kiow* emerſerint, edicunt, ſimulque denunciant *vereri Kiouienſes*, *ſi venire negligat*, *militarem furorem & licentiam in templorum & monaſteriorum*, *& Ducalium curiarum ſpoliationem graſſari*. Quibus rebus *Wladimir* Dux non ſecus quàm par erat motus, cum magna feſtinatione ad *Kiow* perueniens, à *Kiouienſibus*, ſuppliciter ſuſceptus ortam & orituram militarium ſeditionem ſuo aduentu oppreſſit. *Iaroslaus* autem filius *Suantopelkonis*,& germanus *Zbislauæ Polonorum* Duciſſæ, in Ducatum ſuum *Wladimirienſem* diuertit, gentem *Iacwingorum*, moleſtam infeſtamque per frequentes excurſiones *Ruthenis*, *Suantopelkonis Kiouienſis* olim Ducis *Iaroslaus Wladimirienſis*,Dux oppreſſurus, cum exercitu illic ire pergit. Qui illorum Regione in parte notabili vaſtata, copias etiam eorum prælio inito fudit,victorque rediens filiam *Mſcislai* & neptem *Wladimiri* accepit, 11. Maii in conſortem. Gens autem *Iacwingorum* natione,lingua,ritu,religione & moribus,magnam habebat cum *Lithuanis*, *Pruthenis*, & *Samogitis* conformitatem, cultui idolorum & ipſa dedita, cuius principalis & Metropolis arx *Drobiczyn*.

Pomernorum & *Pruthenorum* clandeſtina in *Maſouiam* irruptione *Boleslaus Polonorum* Dux,graui indignatione offenſus, parum putans eos pro ſua ſocordia à *Magno* Præfecto *Maſouiæ* pœnas pendiſſe, expeditionem in *Pomeraniam* indicit. Et copiis equeſtribus & pedeſtribus, in vnum coactis, primùm ad *Cruſuicenſe* oppidum peruenit, vbi vniuerſo exercitu inſpectante,& ſtatiua ſua ex *Cruſuicia* mouente,adoleſcens quidam formæ venuſtisſimæ in pinnaculo oraculi S. *Viti*, quod in vrbe *Cruſuicenſi* conſiſtit,apparens, cuius mirandus ſplendor non oppidum tantummodo *Cruſuicenſe*,ſed etiam eius vicinia campeſtria illuſtrauerat, omnium in ſe, præcipuè verò *Boleslai Polonorum* Ducis conuerterat aſpectum. Cumque miro modo & ſtuperent & mirarentur, adoleſcens ipſe motis caſtris pinnaculo deſiliens exercitum præcedebat,& recto itinere ducens,exercitu vniuerſo ductum illius ſequente ad *Nakiel* peruenit,pomumque aureum, quod in manu geſtabat, vibrans,& verſus vrbem *Nakiel* proiiciens, diſparuit, ca-

1112.

1113. *Boleslaus Dux*

1113. capiendæ vrbis certam ſpem relinquens. Qua fiducia *Boleſlaus* Dux & exercitus eius plurimum animatus,& exhilaratus, caſtrumque & A oppidum *Nakiel*,quod tunc à *Pomeranis* tenebatur, & ex quo plurima Regno *Poloniæ* inferebantur damna,inuaſiones, & ſpolia obſidione vallat,atque expugnanda machinarum proiectione crebra vſus & ariete, cæteriſque expugnationum generibus illa inuadens omnia præſtantia caſtri & oppidi fundamenta aut diruit,aut debilitauit. Cumque Caſtellani & oppidani ſe à *Boleſlao*, quamprimùm exercitum ad mœnia admoueret, comprehendendos vidiſſent,ne cogerentur capta vrbe extrema experiri, poſtquam iam eſſent extrema deſperatione feſſi, promiſſum quoque à Principibus *Pomeraniæ* ſubſidium, tanto tempore præſtitum non eſſet. B Caduceatoribus ad *Boleſlaum* in caſtra miſſis, ſecum paciſcuntur,vt infra dies 15. caſtrum & oppidum, ſi a ſuis Principibus requirendum interim ſubſidium non acceperint,dedant. In hunc modum induciis conceſſis,ab oppugnatione caſtri & oppidi ceſſatum eſt,& nuncii à Principe *Pomeranorum* & *Pruthenorum* miſſi,cum feſtinatione, eos iam paratos,& in armis congregatos laturos obſeſſis ſuffragium conueniunt, in quanto verſentur periculo, edicunt, & quæ cum *Boleſlao* de dedenda vrbe & caſtro ni illis tempeſtiua proueniat ſubuentio, pacta inierunt, ex ordine declarant, magnus illico rumor, fremitus, & indignatio apud *Pomeranos* coorta eſt, quod vrbem & mu- C nitionem tàm vtilem & neceſſariam in hoſtium poteſtatem deuenturam ni feratur auxilium, agnouiſſent,qua amiſſa multa ſibi de ſuis commodis detrahenda,& *Polonis* adiicienda opinabantur. Accedebat ad indignationis cumulum, quod oppidum *Nakiel* ea tempeſtate capitalis principaliſque vrbs apud *Pomeranos* habebatur,qua adempta,ſe graue diſpendium & dedecus Metropoli ſua exuti ſubituros querebantur. His & pluribus aliis reſpectibus incenſi, certatim ſe deuouent ad pugnam. Et quo certior proueniret victoria, tàm à veteranis, quàm à tyronibus nouo ſacramento iuratum eſt,cum magnam multitudinem, non ingenuam ſolùm, ſed agreſtium in id bellum D exarmaſſent,non ſe ex acie pro liberanda patria, niſi victores redituros. Nunciis itaque *Naklenſium* remiſſis,& de ſuffragio illis, priuſquam dies quindecima laberetur,ferendo,bene ſperare iuſſis ipſi de modo & ordine gerendæ cum *Boleſlao* pugnæ conſultant. Et quamuis recenſitis ſuis bellatoribus ſupra quinquaginta millia armatorum ſe habere comperiſſent, in pluribus tamen præliis *Boleſlai Polonorum* Ducis virtutem & felicitatem experti, etiam de tanta multitudine diffidebant, aſtu quoque, dolo,& ſtratagemate non viribus, aut armis de hoſte tàm felici, audaci, & exercitato referendam ſibi victoriam concludebant. Celeritas

& clandeſtina præoccupatio ad id plurimum conferre oſtendebatur,vt & inopinatè & celeriter aduenirent,priuſquam hoſtes illos conueniſſe præſumerent, vt incautos & imparatos hoſtes faciliùs opprimerent. Equos inſuper relinquere domi, & pedeſtri certamine pugnam inire placuit,quatenus adæquato periculo fiducialius pertinaciuſque prælium ab vniuerſis gereretur, & fugæ ſpes nullis ſubeſſet, ſimul quoque ne equorum hinnitu aduentus eorum apud hoſtes prodi poſſet. Silenti itaque & compoſito agmine, ex caſtris media nocte ſigno dato,egreſſi,omni itinere publico,campo & planicie euitato,per ſiluas, boras, & nemora gradientes tandem ad *Nakiel* tàm improuiſè & latenter perueniunt,vt quoſlibet exploratores *Boleſlai* fallerent, & eius cuſtodias circumuenirent,tantò diligentiori explorantes omnia cura, quantò nocturna caligo, (neque enim tunc lucebant ſidera) amplius ſibi prouidenda ademerat. Et quanquam non venit tàm audax inceptum ad deſtinatum finem, tamen haud omninò vanum fuit. Agebatur tunc *S. Laurentii* Martyris glorioſi, qui apud *Polonos* magna colitur veneratione, ſolennis dies, & Dux *Boleſlaus*,vniuerſuſque exercitus ſuus, quod & induciæ eſſent,& hoſtium nulla ſuſpicio,auditione diuinorum occupati,arma exuerant,dùm ſubito exercitus *Pomeranorum*,Duce & *Polonis* ſacerdotali ſuſcepta benedictione,in tentoria diuertentibus conſpicitur, magis quàm nunciatur adueniſſe. Plures tam in opinatus hoſtium aduentus ex *Polonis* terruit, tumultuarioque more ad arma induenda à ſingulis Duce *Boleſlao* cogente, concurſum eſt. Apparebat is inſperatus aduentus *Pomeranos* extemplò fore victores,ſi eadem celeritate, qua cœperant,*Boleſlaum* inuaſiſſent. Verùm quò tutiores aduerſus hoſtes conſiſterent,loco ſatis ſibi tuto & apto,quo decernerent electo, etiam illum vallo foſſiſque communiunt, ſudes inſuper præacutas & oblongas igne in extremitate duratas,tàm in fronte, quàm à lateribus denſo & frequenti ordine terræ infigunt, quæ vniuerſum *Pomeranorum* exercitum egregiè à qualibet inuaſione tutabantur. Eo opere *Pomeranis* occupatis, *Boleſlaus* interim ſpatio dato ægrè ordines, aciemque tumultuariè magis quam deliberatè explicauit, exercitumque ſuum longè hoſtibus numero imparem & inferiorem in duo tantummodo diſtinguens agmina, vnum *Scarbimiro* Palatino *Cracouienſi*,qui & Princeps militiæ ſuæ tunc erat, commiſit, alterum ipſe ducebat, militibus non paucis,qui & machinas,& opera, caſtraque, ne ab obſeſſis infra tempus pugnæ irruptione facta violarentur, cuſtodirent relictis. Pauciſſimis autem verbis pro temporis breuitate milites allocutus : *Non ſubeſt*, inquit, *milites ſpacium,quo vos vt ſolebam pugnaturos, alloqui poſſim,hoſtis enim quem ſæpè viciſtis in conſpectu veſtro præſens, multa me loqui non ſinit.* 1113.

Ani-

1113. *Animo non verbis opus eſt, ſi vincere velimus, nihil me verbis meis vobis additurum reor, ſi probitas veſtra vos deſeruerit. At ego de* A *probitate veſtra dudum mihi cognita & experta certus, certam mihi victoriam repromitto, quam vt eripiatis hoſti in multitudine & feritate ſua confidenti, præſens etiam neceſſitas & amor patriæ monet. Si agrum quem colimus, ſi patriam, ſi penates, ſi vxores, ſi templa, ſi labores, & quæcunque chariſſima ſalua volumus, Pomeranorum & Pruthenorum hoſtium infeſtorum nobis, ſanguine inundare oportet. In ſola diuinitate, & B. Martyris Laurentii, in cuius honore celebramus ſibi dicatum diem ſuffragio ſpes omnis, atque in audacia fingenda nobis eſt. Ego Deo propitio, & B. Laurentio, vel pulcherrima, & inſigni morte pro vobis hodie defungar, vel ſi vos adniti volueritis,* B *glorioſam victoriam de ſuperbo & idololatro hoſte, apud poſteros etiam famam & nomen habituram, reportabo.* Omnibus moriendum eſſe, aut vincendum repromittentibus, nominiſque *S. Laurentii* inuocationem, vt ſuis ſuccurrere dignetur, crebra & varia ſupplicatione ingeminantibus, *Boleſlaus* ad hoſtem ducit. Quem cum vidiſſet vallo foſſatis & præacutis ſudibus, haſtis, lanceiſq; transuerſaliter defixis in terram, & in altum cuſpide porrectis, vndique munitum, antequam ad teli iactum veniret, gradum premere, paululumque ne à ſagittis hoſtium, in quibus hoſtes maiorem vim ſuæ fiduciæ locauerant, violarentur, ſuos iuſſit conſiſtere, cum paucis quoque vbi ad penetran- C dum agmen hoſtile miro modo glutinatum, glomeratum, & preſſum eſſet aditus, conſiderabat, obequitans atque girans. Ingens & euidens periculum, ſi a fronte vel latere hoſtis inuaſio fieret, imminebat, animaduertit tergum hoſtilis exercitus ſudibus, lanceis, & haſtis rectum non eſſe, irruptionique locum patere. Quo non ſine alacritate notato, *Scarbimirum* cum agmine ſibi commiſſo inuadere tergum hoſtile iubet: *Cùm ego,* inquit, *in frontem & in primas hoſtium turmas impetum fecero, & in certaminis ardore me fore ſenſeris, tunc tu quoq; tergum inuade, & perculſis ſigna inter, diſſipatos enim & otioſos raros quibus ferrum in manu ſit, inuenies, quos priuſquam aduertere, & ſe* D *reuoluere poſſint, cæde pauidos, cruentamque illis inuaſionem redde.* Deinde quaſi cum hoſte commiſſurus, aciem ſui agminis in hoſtem reflectit, vt hoſtem à *Scarbimiro* in ſe conuertat. *Scarbimirus* imperata executurus, mira celeritate & curſu ad terga hoſtilia deuectus, quanto maiori potuit impetu, terga penetrans irrumpit, valloque & foſſato ſuperato hoſtes inuadit, truncat, diſſipat, *Boleſlao* frontis aciem, & iacta ab hoſte tela ſuſtinente. Clamor illicò ab his qui à *Scarbimiro* à tergo cædebantur ſublatus, omnes de *Pomeranico* & *Pruthenico* exercitu, qui contra *Boleſlaum* à fronte pugnaturi, iacula ſagittaſque emittebant, vehementer turbauit, diuque quid ageret, quoue ſe verterent, ſuccurrerentnè ſuis laborantibus, an ex vallo foſſiſque contra *Boleſlaum* prorumperent, conſilii inopes detinuit. A *Scarbimiri* interim exercitu magna cædes & trucidatio in *Pomeranos* & *Pruthenos* confuſis ordinibus, vno alterum impediente, facile edebatur, breuiquè ad ſpem euentus reſpondit, poſtquam & imbecilliores tironeſque à tergo locati eſſent, nec ex primis ordinibus poſſent auderentque ad poſtremos laturi auxilium recurrere. Magna iam parte hoſtilis exercitus per *Scarbimirum* cæſa, *Boleſlaus* moræ impatiens, dolens ſe & ipſe in dimicationis parte non eſſe, equo concitato, periculoque ſudium, lancearum, & haſtarum, ne quicquam penſato, in hoſtem à fronte irruit. Vbi ſudibus, lanceiſquè aliquanto tempore non ſine periculo certatum eſt, nonnulliquè milites inſignes, qui ordines ducebant, iniquitate loci & ſudibus haſtiſque ab hoſte de exercitu *Boleſlai* obtriti ſunt, equorumque transfoſſus & necatus numerus, equites in pedeſtrium conditionem redegit. Succedentibus deinde nouis, & recentibus militibus, & periculo ſuperato, dum hoſtes & à fronte, & à tergo circumuenti impeterentur, ſuſtinere vim *Polonorum* non valentes, coniurationis & voti obliti, paſſim in omnes partes, quo quemlibet ſors ferebat, diffugiunt. Omnibus vna cura fuit propinquiores ſiluas petere, & earum velamento vitam ſaluare. Hærebant in tergo fugientium *Poloni*, fugienteſque etiam in nemora perſecuti, magnam ſtragem de hoſtibus peregerunt, plures tamen & locorum præſertim periti, nemore & frondibus tecti, fuga ſaluati ſunt. Quadraginta millia hoſtium *Pruthenorum* & *Pomeranorum* cæſa, & duo capta. Eo die *S. Laurentii* nonnulli in paludibus, ſtagniſquè & limoſis locis, ne in perſequentium venirent manus, periêre. Tàm magnæ hoſtium cædis, tantæquè victoriæ tunc relatæ, congeries, haud paruum collem efficiens, in quam hoſtium cadauera, ne ex fœtore contagio ſequeretur, congeſta & ſabulo obruta ſunt. Extat in hodiernum diem monumentum etiam certaminis ipſius locum demonſtrans, & effectum renouans. Omnis victoria tunc parta propitio Deo & ſuo venerando Martyri *Laurentio* attributa, in quem vniuerſus exercitus pro collato triumpho, & euitato periculo, gratiarum actiones celebrans, cum iucunditate reſonabat. Caſtrum illico *Nakiel* & caſtrum cum oppido & Caſtellanis & oppidanis, qui omne ſuorum robur concidiſſe viderant, in poteſtatem *Boleſlai* Ducis deditum eſt. Traxit & hæc clades in *Pomeranos* tunc edita, ſex alia oppida viciniora in ſimilem deditionem. Strage enim ſuorum audita miſſis nunciis ſe ſuaque oppida & munitiones in ditionem *Boleſlai* & *Polonorum* plenariè dederunt. Caſtrum autem *Nakiel* & oppidum, ſexque alia 1113.

opera, vt putabat, S. Laurentii

Pomeranos fundit,

Nakiel & caſtrum Nakiel capit.

1113.

alia oppida ſibi tunc dedita, *Boleslaus* Dux *Suantopelkoni* Baroni,& Conſiliario ſuo,vni ex *Poloniæ* Primoribus enixius partes ſuas adiuuante in tutelam & gubernationem ſuo nomine tenenda fauorabiliter, ſperans eum ſibi & Regno ſuo purum & fidum fore, conceſſit. Præſtabat enim cæteris non tàm generis nobilitate & diuitiarum opulentia,quàm dexteritate,factis & fide. Nam & generis illi origo ex domo *Griphonum* familia veteri *Polonicæ* gentis,lingua promptus & manu, pluribus ſe probitatis,& virtutum meritis, ipſa quoque dimicandi, & militaris diſciplinæ peritia in frequentibus certaminibus & pugnis *Boleslao Polonorum* Duci charum gratumque effecerat. Nec fraudis & ſuſpicionis venenum in tàm generoſa & probata propagine poterat præſumi, in quam plurimæ bonæ actiones, & artes notabantur concurriſſe. Verùm ille dominandi principandique ſtudio ardentior cœpit confeſtim videri, quàm naturali acceſſui, conditioni, & moribus ſuis conueniret, impatientiusque ſe atque ſuperbius gerere varias exquirens vias, quibus & iugum ſubiectionis excuteret, & in principando, imperandoque neminem ferre cogeretur,poteſtatis ſuæ ſuperiorem vel conſortem.

Sobieslaus Bohemiæ Dux Wackonem Baronem interficiens,

Sobieslaus Bohemiæ Dux ex multorum *Bohemorum* ſibi fauentium auſamento intelligens, *Wladislaum Bohemiæ* Ducem fratrem ſuum,qui tunc in *Bohemia* Principalis habebat,ſibi infeſtum eſſe,& de conſilio & ſuggeſtu *Wacek* Baronis captiuitatem ſuam concluſiſſe, poſitis inſidiis *Wackonem* obtruncat. Veritusque *Wladislai* Ducis pro patrato in *Wackonem* nece vindictam,per *Serbiam* in *Poloniam* cum ſuis omnibus tentauit confugere. Sed cùm per *Ekembertum* caſtri *Donin* Præfectum,quod tunc nomine Imperatoris tenebatur,inuitatus,& in dolo captus eſſet, diffugientibus ab eo in *Poloniam* militibus,ipſe ad *Saxoniam* vinctus delatus eſt. Sed cùm vno lapſo menſe de captiuitate fugiens euaſiſſet, in *Poloniam* ipſe venit, & à *Boleslao Polonorum* Duce cum ſuis omnibus benignè exceptus,& liberaliter habitus,fotus & tractatus eſt.

in Poloniam fugit.

Singularis etiam deuotionis & zeli in Deum & religionem chriſtianam Comes *Michael*. natione *Polonus*,de domo & familia *Habdank* fundato,& dotato,de bonis propriis monaſterio in *Lubien* ordinis *S. Benedicti*, moritur, & in eodem monaſterio ſepelitur. Eodem etiam anno monaſterium de firmitate fundatur.

1114.

Boleslaus Dux Sobieslaum Bohemiæ Ducem reſtituturus eam inuadit,

Ferox *Boleslai Polonorum* Ducis pectus cuiuslibet quietis impatiens, & ad externa à domeſticis ſe conferens *Pomerannis* & *Pruthenis* ſuperiori bello & clade domitis ad *Bohemos* ſe conuertit,quamuis domeſtica neceſſitate externa voluntate bella geſſerit. *Sobieslaum* quidem *Bohemiæ* Ducem affinem ſuum in *Bohemiæ* Ducatum, vnde à fratre natu minore,ſolertiore tamen,& magis militaribus & popularibus grato, expulſus erat, ſuis A potentiis,ſuis impenſis, ſuo brachio reducturus,copias ex militibus,animo,& manu promptis comparat,ac cum illis habens ſecum in comitatu *Sobieslaum Bohemiæ* Ducem,& omnes *Bohemiæ* fugitiuos, in *Bohemiam* deſcendit. Miſſiſque ad fratrem *Wladislaum Bohemiæ* Ducem nunciis,ſollicitat & requirit illum, *quatenus fratrem Sobieslaum in fauorem & gratiam reſumens, portionem etiam illi paternæ hæreditatis iuſta diuiſione ceſſuram largiatur. Wladislaus* Bohemiæ Dux contra reſpondet, *ſe illi amplam gratiam, quam ſeruare neſciuit præſtitiſſe, & notabilem ſortem largitum eſſe,nihilque à ſe aduerſi paſſum, principaliori ſuo Conſiliario &* Barone *ſub ſpecie colloquendi euocato neci impiæ & doloſæ tradito, ex Bohe-* B *mia in Poloniam cum conſortibus facinorum aufugiſſe, & omni gratia & fauore ſe abdicaſſe, & indignum reddidiſſe.* Nunciis verò *Boleslai Polonorum* Ducis iuxta inſtructionem ſcelus *Sobieslai Bohemiæ* Ducis purgantibus, & eum maiori, quàm ante, fauore pro eo, quod eum qui inter fratres ſolii diſcidium ſeminare, & vnum contra alium ſuo ſermone excitare ſolitus erat, iuſta ira prouocatus extinxerit, dignum cenſentibus, reſpondet: *Non magnopere recuſaturum ſe fratrem Sobieslaum in fauorem & gratiam recepturum, ſi & Boleslaus Polonorum Dux Zbigneum fratrem ſuum naturalem apud ſe in Bohemia exulantem, in parem gratiam acceptare con-* C *ceſſerit. Diuiſionem verò Bohemiæ Ducatus Cæſare inconſulto ſibi cum fratre celebrare non licere.* Quo reſponſo Boleslaus accepto,dùm conſtaret *Wladislaum* Bohemiæ Ducem nullam æquitatem exhibere velle, *Boleslaus Polonorum* Dux exercitum in vlteriora Bohemiæ promouit, agroſque vaſtari, vicos, villa, & oppida incendi *Sobieslao Bohemiæ* Duce, ne huiuſmodi conflagratio patriæ ſuæ fieret intercedente oranteque, iuſſit. Eam populationem & exuſtionem *Wladislaus* Bohemiæ Dux prohibiturus, in campum & ipſe copias deduxit. Caſtraque haud longe à caſtris B*oleslai Poloniæ* Ducis poſuit. Subſequuta quoque certa dimicatio inter Duces & eorum exercitus D fuiſſet,niſi flumen *Cibina* limoſum alueum habens,vtrumque ſeparaſſet,cùm *Poloni* illum ſupra & inferius vadare tentantes, profunditatem illius *Bohemis*, qui cum *Polonis* erant, periculoſam aſſerentibus extimuiſſent, eo enim obſtante, nulli parti ſine euidenti periculo patuit tranſitus per illud. Rogabat deinde *Boleslaus Polonorum* Dux miſſis nunciis *Wladislaum* Bohemiæ Ducem, *vt vel cum copiis ſuis eo permittente fluuium ſecurus tranſiret, vel ſibi & ſuo exercitui eandem conditionem præſtaret.* Vtrumque verò *Wladislao* Duce Bohemiæ abnuente, Boleslaus *Polonorum* Dux caſtris motis, verſus *Albim* contendit, nec longe à flu-

& vaſtat,

1114.

1114 flumine *Albâ* fluuiolo *Cibina* ſine iactura ſua & exercitus ſui ſuperato, cum feſtinatione ad loca, vbi ſtatiua *Bohemorum* dimiſerat, perrexit. Sed cum *Bohemos* ex caſtris illis diſceſſiſſe, ſola quoque caſtrorum & focorum veſtigia comperiſſet, denſæ ſiquidem nubes, fulmina & tempeſtates horridæ abſconderant diem, quam oportunitatem *Wladislaus* Dux *Bohemiæ* ſortitus, ſilenti agmine diſceſſerat. Simularitne id *Wladislaus Bohemiæ* Dux, quo improuiſo grauior accederet, an mobilitate ingenii pacem atque bellum mutare ſolitus diffugerit, parum exploratum eſt Sequendine *Bohemi* eſſent, an in *Poloniam* redeundum, vaſtandane *Bohemia* eſſet, frequens conſilium adhibuit. Et cùm ſingulorum ſententiæ requiſitæ variarent, ſenioresque poſt tot Ducatus *Bohemiæ* vaſtationes, poſt tot quæſita & nuſquam requiſita prælia, maturam reuerſionem, iuuenes non niſi vniuerſa *Bohemia* vſque ad *Pragam* vaſtata peragrataque & hoſte contuſo, debellatoque redeundum cenſerent. Aſſenſurus iuuenum conſilio *Boleslaus* videbatur, niſi omnium quæ ſecum ex *Polonia* ferebant commeatuum nunciata defectio, animum *Boleslai* ad ſequendum ſenum conſilia diuertiſſet. Reuertendi itaque ſententiam complexus, licentiam hactenus ad petitionem *Sobieslai Bohemiæ* Ducis ſuſpenſam, populandi agros, & exurendi vicos, permiſit, populationemque & exuſtionem iuſſit quàm latiſſimè extendi. Cùm autem ad oppidum *Klocko* ventum eſſet, portas oppidanis claudentibus, *Boleslaus* ſuburbia eorum incendi iuſſit, ex quorum inflammatione & ciuitas *Klocko* ab igne vicino, vento flante contacta, quamuis oppidani deditionem offerrent, penitus conflagrata eſt, reliquiæ verò eius in prædam militibus datæ. Largitionem ſiquidem prædæ, quam & tunc, & crebro alias *Boleslaus Polonorum* Dux militibus permittebat, comitate inſuper vniuerſis benigna, adeò militum ſuorum animos deuinxerat, vt mira auiditate pugnam certaminaq; ſuis ſub ſuo auſpicio depoſcerent, & ſingulos labores atque pericula impauidi ſubirent, comitate, liberalitateque *Boleslai Polonorum* Ducis ad huiuſmodi labores & pericula accenſi.

oppidum Klocko incendit,

Oppido *Klocko* & villis, vicisque in circuitu igne conſumptis, rectiori via in *Polonia* itum eſt, depopulatioque agrorum & villarum non intermiſſa, militum ſpeciali caterua eos, qui ad populandum agros, vrendumque tecta diſcurrerent, prouidè tutante. Iam ad ſiluas, quæ magnæ vocantur, *Poloniam* à *Bohemia* diſterminantes (ea enim via per quam *Boleslaus* in *Bohemiam* intrauerat, & pleræque aliæ ſucciſis arboribus clauſæ nunciabantur) peruentum erat, dùm noctis conticinio *Boleslao* ſolitis orationibus incumbente, factus coortusque rumor, & ſtrepitus de aduentu hoſtium, vniuerſum exercitum clamore ab vno ſublato in metum trepidationemque quaſi extemplo pugnandum eſſet, concitauit. Ad quem ſedandum *Boleslaus* illico ex papilione, in quo orationi vacabat, proſiliens, & in locum eminentiorem, vt ab omnibus exaudiri poſſet, aſcendens, ſuos milites *bono animo eſſe, pauoreque quolibet falſo magis quàm vere vulgato, ſublato, ſtrenuos & audaces in præſens & futurum imminens cum hoſtibus certamen eſſe* iuſſit, orationeque prudenti & audaci gliſcentem tumultum ſedauit. Cumque altera illuxiſſet dies, appareretque *Bohemos*, & ſuſpitione euidenti, & exploratorum ſpeculatorumque relatione, ſiluarum loca obſediſſe habita opportunitate ex loco æquo *Polonis* iniquo pugnaturos, miſſa B in totius exercitus *Polonici* conſpectu ordinante *Boleslao Polonorum* Duce ſolenni cantu celebrata, & prædicatio vulgaris habita eſt, pluresque milites, tanquam de craſtina pugnaturi confeſſione ſuorum peccatorum facta Euchariſtiæ diuiniſſimo Sacramento procurati ſunt. Tùm quoque exhortatio *Boleslai* Ducis in hunc modum ad exercitum ſubſecuta eſt. *Certos* inquit, *vos arbitror, quibus ex cauſis in Bohemicum bellum, etiam domeſticis interea neglectis, vobiſcum me unà contulerim, vt videlicet Sobieslaus Bohemiæ Dux nobiſcum præſens de portione Ducatus ſui excluſus, me reduci, & vobis illum nanciſci, Bohemorumque ſuperba iactantia, crebro terras noſtras cum Zbigneo fratre meo, patriæ noſtræ* C *hoſte infeſtantium aliquando reprimi, & elidi poſſet. Et quidem ſi verum fateri oportet, is noſter præſens in Bohemiam ingreſſus, eaque quam fecimus agrorum depopulatio, villarumque & oppidorum exuſtio, etiamſi ſuperiora quæ aduerſus illos geſſimus bella non extarent, ſufficienter omnia damna, & iniurias per eos nobis crebris inuaſionibus illatas compenſant, cum nos terras eorum girando, plures diſtrictus, villas, & vicos, vel ſpoliauimus vel exuſſimus, ſignisque collatis, ſi auſi decertare fuiſſent in certamen illos vocauimus. Nunc verò ex iniquo loco vobiſcum pugnaturi feruntur aduenisse, ſiluasque quas tranſituri ſumus obſediſſe. Itaque vnumquemque veſtrum* D *non ſegnem, non cunctatorem, non diſſimulatorem, non ſomnolentum aut pigrum, ſed animoſum, ſtrenuum, & ad ſingula pericula, bellaque ſubeunda paratum eſſe volo. Cùm Bohemi non niſi in veſtra ſegnitie & ſecuritate ſuam victoriam poſitam habeant, ſed & hodierna dies, qui iuſtius arma induerit, velut certiſſimus arbiter diiudicabit. Noſtram erga illos puritatem, humanitatem, beneuolentiam, charitatem, amicitiam, & fidem, illorum verò erga nos parentesque noſtros continuas inuaſiones, odia, deſpectum, faſtum, ſuperbiam, & elationem, vltionemque Deo nobis propitiante, vindicaturi. Sed & prælio inito, conſertoque memores eſtote, oculisque veſtris ob-* 1114.

1114. *obuerſetur, quas prædas in patria noſtra ſæpè egerint, quanto ſpolio Gneſnenſem Eccleſiam matrem & Metropolim noſtram afflixerint? quantis eam theſauris deſpoliauerint, quot captiuos in Bohemiam abduxerint? quantis contumeliis, ſtupris, & violationibus matronas nuptas innuptasque affecerint? quoties nos cum externis hoſtibus pugnaturos à tergo inuaſerint, irritauerint, offerendit. Et dum horum memoria mentem ſubierit, quanto fortius ferociusque illos aggrediemini, tanto glorioſius de infeſto hoſte, aut magnificam referetis victoriam, aut animam effundetis.* In hunc modum cùm apud ſuos *Boleslaus* non ſine amaritudine bileque *Sobieslai Bohemorum* Ducis, eorumque *Bohemorum*, quos hoſpitio fouebat, diſſeruiſſet, *Polonosque* ad ſubeundum quodcunque periculum in vltionem earum iniuriarum, quas à *Bohemis* pertulerant, animaſſet, in interiora ſiluarum itum eſt. Et agmine quidem magno, in quo & fortiſſimi quique milites à tergo & à fronte, & in medio infirmior ætas, & impedimenta locata erant, præcedente, cæterisque ſubſequentibus *Scarbimirus* Palatinus *Cracouienſis* Princeps militiæ, cum expedita cohorte ſiniſtrum latus, *Boleslaus* ipſe dextrum expeditos & ipſe milites habens, à tergo diſtantia aliquali interpoſita tutabantur. Subſtiterat paululum cohors vna, quæ *Gneſnenſis* vocabatur, (milites enim eius regionis ſub ea militabant) maiori parte ſiluæ tranſita, planicieque reperta, Ducis ſui præſtolatura aduentum, pauſam agebat. Quam *Boleslaus* dùm in ea loca perueniſſet, hoſtium ratus, parum abfuit, quin illam extemplo inuaderet, niſi ſigna cognita errorem monſtraſſent. Siluarum extrema pars iam reſtabat, dùm *Bohemi* certi de victoria *Polonos* exiſtimantes in fine ſiluarum ſolitum ordinem & diligentiam remiſiſſe, in *Polonos* in locis variis faciunt impetum, & tàm *Scarbimiri* quàm *Boleslai* cohortes, illudque quod præcedebat, agmen adorti pugnam diuerſis conſerunt locis, magna vi ab vtraque parte bellum geritur & *Scarbimiro* quid apud *Boleslaum* maiusque agmen, *Boleslao* quoque quid apud *Scarbimirum* ageretur, itidem ignorante, vtraque pars pro victoria adnitebatur. In *Boleslai* tamen cohorte *Boleslaus* ante omnes progreſſus, eum, qui primus ex *Bohemis* occurrerat, haſta confodiens interimit. Pincerna Ducalis *Derslaus*, Ducem ſecutus, alterum ante aciem progreſſus ex equo deiiciens occidit. Qua re cæterorum militum ardor incenſus eſt adeò, vt primis & melioribus de exercitu *Bohemico* audaciſſimè confectis, *Boleslai* cohors prior hoſtes deuicerit, inſtrumentumq; vt cæteræ vincerentur fuit. Dùm enim *Wladislaus Bohemiæ* Dux, qui in eo certamine aderat, ſuos tàm fœdè vidiſſet cecidiſſe, veritus eandem fortunam cæteros ſubituros, ſignum receptui dedit. Quo accepto illico vbique fuga, non receptio *Bohemorum* fieri cœpta eſt. Retuliſ-

& Bohemos vincit.

ſe pedem *Bohemos* ex induſtria non ex pauore, nedum fugam ſed ſeceſſionem rati, fugientibus primum non inſtant, conualle quadam inter *Polonos* & *Bohemos*, media, ſuſpicionem magis ſeceſſionis, quàm fugæ apud *Polonos* augente. Poſtquam verò ambiguitate depulſa vera fuga comperta eſt, cùm *Polonorum* primi milites in tergis fugientium hærentes magnum numerum, eorum præſertim, qui equis deficientibus fugere non valebant, occidendo, captiuandoque impleuerunt. Elapſus eſt & tunc hoſtis patriæ ſuæ *Zbigneus*, naturalis frater *Boleslai* Ducis fuga, qui ad interitum occiſionemque *Polonorum* cum his qui eius temeritatem ſequebantur, laturus *Bohemis* auxilium venerat. Dux quoque *Bohemiæ Wladislaus* cum militibus ſuis atque Baronibus ex acie fugiens, fuga ſalutem acquiſiuit. *Boleslaus* ea victoria obtenta, ſauciatos ſecum vehens, *Bohemiam* repetiit, & maximis prædis, ſpoliis & incendiis iterum iterumque patratis, onuſtus præda ingenti, & longum captiuorum ordinem de *Bohemis* ſecum trahens, humiliato ſuperborum faſtu & ceruice, victor glorioſus iubilans Deo cum omni exercitu ſuo, de præſtita ſibi victoria canticum gratitudinis & lætitiæ in *Poloniam* cum *Sobieslao* Duce rediit. 1114.

Tertio nonas Februarii *Colomanus Pannoniorum* Rex moritur, & in *Alba Regali* honore conditus ſepelitur. Hic tantæ crudelitatis perhibetur fuiſſe, vt Ducem & conſanguineum ſuum propinquum *Almum* occidere machinatus, dùm effectus machinationis non reſpondiſſet, & *Almus* in *Poloniam* in exilium abiiſſet, filium eius *Belam* de materno gremio extractum, in infantuli ætate poſitum, ne filiis ſuis in ſucceſſionem Regni *Vngariæ* impedimentum afferat, excæcari iuſſit, vt ineptus & calamitoſus ad ſuſcipiendam Regalem coronam redderetur. Cui filius eius *Stephanus*, gener *Boleslai Polonorum* Ducis filiam eius *Iuditham*, ex prima vxore genitam habens conſortem, ſucceſſit in Regno, & à *Strigonenſi* Archiepiſcopo *Laurentio*, cæterisque Epiſcopis & Baronibus Regni *Vngariæ* coronatio eius apud *Albam Regalem* in Regem & *Iudithæ* conſortis eius, in Reginam perfecta eſt.

Colomanno Vngariæ Regi succedit filius Stephanus.

Ad inferendum alterum *Bohemiæ* Duci *Wladislao* bellum, *Boleslaus Polonorum* Dux expeditionem militibus indixerat, non prius quieturus, donec *Sobieslaus* alter Dux *Bohemiæ* apud eum in *Polonia* exulans, in Ducatus *Bohemiæ* ſortem æquo iure admiſſus eſſet. Quod cùm *Wladislaus Bohemiæ* Dux agnouiſſet, neque enim cum pluribus *Bohemis* in *Polonia* pro exulibus manentibus futuri belli *Bohemiæ* inferendi latere poterat apparatus, mittit ad *Boleslaum Polonorum* Ducem Nuncios, offerens pacis æquas conditiones, & pollicens ſub illis *Sobieslaum* fratrem ſuum, ad certam ſortem Ducatus *Bohemici* admiſſurum, petens poſtremo ſuorum 1115.

Bo-

1115. *Bohemorum*, qui in prælio in ſilua habito capti fuerant, manumiſſionem. *Boleslaus* autem *Polonorum* Dux tractatu cum *Sobieslao* A *Bohemiæ* Duce, & his, qui partes ſuas ſequebantur *Bohemis*, ſuper hac re habito, *pacem ſe* reſpondit *ſuſcepturum, & captiuos dimiſſurum, dummodo Sobieslaum Ducem Bohemiæ certificatus fuerit, portionem ſui patrimonii adeptum.* Quod vt felicius proueniat, Nuncii alii à *Boleslao* in *Bohemiam* ad *Wladislaum*, qui pacem huiusmodi ſub certis conditionibus componant, mittuntur. Gratus fuit *Wladislao Bohemorum* Duci illorum aduentus, honorificeque illis habitis pacem cum illis compoſuit, portionemque iuſtam *Sobieslao* ſe daturum, omnibus odiis, iniuriis, damnisque hinc inde illatis, perpetua obliuione deletis, iuramento firmauit. Ad horum conſummationem, B cum de die & loco inter *Wladislaum Bohemiæ* Ducem & Nuncios *Boleslai Polonorum* Ducis conueniſſet, pro die *S. Procopii* ad flumen *Niſſa*, tam *Wladislaus Bohemiæ* Dux, quàm *Sobieslaus* cum *Boleslao Polonorum* Duce conueniunt, pacemque ſtatuunt, firmant, & corporali interpoſito ſacramento roborant. Accepit tunc *Sobieslaus Bohemiæ* Dux pro ſorte ſibi debita *Hrodecz* oppidum cum aliis quatuor caſtellis, cum eius prouincia & diſtrictu in *Bohemia*, & *Olomuncenſem* prouinciam & ciuitatem in *Morauia*. Reconciliationeque mutua tunc ſolenniter celebrata & peracta, captiuisque omnibus ſolutis, & donis inter ſe largitis, & exulibus reſtitutis cum C magna animorum hilaritate in domos reditum eſt. Rara autem & tenuis, & nonniſi ſub hibernali tempore ab armis interponebatur quies à bellicoſo Duce, nec res vlla amplius ſibi voluptatis afferebat, quàm bellum, vt illum tantummodo ad Martis opera edenda diceres à natura productum.

Pax fit inter fratres Bohemiæ Duces.

& Sobieslaus partem Ducatus accipit.

Ne autem poſt pacem cum *Bohemis* confectam marceſceret otio militum virtus, *Boleslaus Polonorum* Dux hieme huius anni, cum leui militum armatura *Pruſſiæ* oram ingreſſus eſt, cùm propter lacus & paludes, & loca limoſa in æſtate non tàm conuenienter potuiſſet adiri, & primo quidem effuſis populationibus diripi incendique iuſſerat *Pruthenorum* D fines, deinde regionem interiorem ingreſſus, caſtris militem tenuit, dimicandum cum hoſte ratus, audierat enim *Pruthenos* in armis eſſe. Dùm autem vniuerſam *Pruſſiam* peragraſſet, & *Prutheni* in ſiluas, montes, paludes, locaque inuia ſecedentes pugnandi copiam, quam *Boleslaus* magnopere requirebat, non facerent, viderant enim ſe ad decertandum multò *Boleslai* viribus inferiores, *Boleslaus* mutata belli gerendi ratione, incenſionem vicorum & villarum, & agrorum populationem milites iuſſit latius extendi. Cumque nec ſic poſſet barbaros elicere, ad pugnam, aut deditionem, iuſſit milites prædas non pecorum ſolum ſed hominum præcipuè agere. Cumque milites dicto parentes maximum hominum de vtroque ſexu numerum coaceruaſſent, *Boleslaus* cum ingenti hominum & pecorum præda, vniuerſis ferè oppidis, vicis, & villis in *Pruſſia* concrematis, in *Poloniam* feliciter reuerſus, *Pruthenos* tunc captos per colonias ad operandum terras diſtribuit, pluresque villas ex *Pruthenis*, quibus etiam ex nomine gentis appellatio tunc indita, in eam diem manet, populauit. 1115.

Boleslaus Pruſſiam vaſtat.

Imperator *Romanorum Henricus* V. ſumpto diademate ex *Italia* diſcedens & proceſſu dierum *Belgas* ingreſſus *Reginaldum* Comitem in caſtro *Barra* obſidione longa anguſtiatum in deditionem, *Lotargium* vero *Saxoniæ* Ducē nudis pedibus coram eo procumbentem in gratiam ſuſcepit. Curia deinde *Moguntiæ* inſtituta virginem *Matildam Henrici Angliæ* Regis ſibi matrimonio copulauit & regio apparatu nuptias *Moguntiæ* celebrat.

Succiſam vbique ſpem de recuperanda aliqua in *Polonia* ſorte, *Zbigneus* naturalis frater *Boleslai Polonorum* Ducis via belli perpendens, cum omnis inuaſio ex *Bohemia*, in qua tunc degebat, & auxilium à *Bohemis* ferendum, in quibus reſidua ſua ſpes ſita erat per fœdus anno ſuperiori cum *Wladislao* Duce *Bohemiæ* ad *Niſſam* fluuium ictum ſibi noſſet interdictum, *Pomeranos* quoque audierat graui cæde à *Boleslao* debellatos, cæteraſque machinationes, & ſpes ſuas ad irritum videns recidiſſe, ſolam ſpem in clementia & propitiatione fratris ſui *Boleslai Polonorum* Ducis relictam fore, mittit in *Poloniam* Nuncios *Boleslao* pro venia ſupplicaturos. Qui cùm dicendi poteſtate conceſſa verba facerent profunditate miſeriarum, & extrema pauperie, quam *Zbigneus*, poſtquàm in exilium meritum delegatus erat, incurrerat, quamque annis pluribus non ſine ſui & *Boleslai* Ducis grandi ſugillatione pertulerat, declarata ſuppliciter orabant, *vt exilio ſuo finem imponeret, & eo in Poloniam reuocato aliquam portiunculam in Regno Poloniæ, ne pannoſus, inops, & exul, in externis regionibus deliteſceret de mera gratia & pietate, largiri dignaretur,* pollicentes *Zbigneum de cætero in omni ſubiectione, fide, manſuetudine, & humilitate Boleslao Polonorum Duci, velut Domino ſuo gratioſo ſeruiturum.* Veritatem & efficaciam nunciorum verbis ineſſe *Boleslaus* ratus, continuo ad miſericordiam flexit animum, pluribus quoque periuriis, proditionibus, & tradimentis, quibus in eum & gratiam quàm grauiſſimè deliquerat, commemoratis, & coram nunciis illius ex ordine recenſitis, etiam ſub ea vice, Conſiliariis ne quicquam improbantibus & diſſuadentibus, ignoturum, & diſtrictum aliquem in poſſeſſionem, dummodo pœnitentiæ & humilitatis veræ, reconciliationisque & probitatis integra ſigna 1116.

Zbigneus à Boleslao Duce petens recipi

1116. de ſe monſtrauerit, largiturum. In hanc ſpem nuncii dimiſſi, *Zbigneum* de gratia & clementia *Boleslai Polonorum* Ducis ſecurum in *Poloniam* reducunt. Qui ad conſpectum *Boleslai* Ducis acceſſurus, ſiue naturali, ſiue maleuolorum acquieſcens & ſeductus conſilio, omnium eorum, quæ nuncii ſui eum facturum ſpoponderant oblitus, in faſtu & pompa, cum ſuperbiaque arroganti aula præcedente, modulantibus & cantantibus tubis, organis, tympanis, cæterique generis muſicis pſallentibus, modulantibus, ac ſonantibus, glorioſè & magnificè ingreditur, vt prorſus declararet, ſe faſtu tàm elatô, non de exilio, ſed de triumpho, non caſtigatum, ſed erectum, non humiliatum ſed ſtomachabundum, non ſeruiturũ ſed regnaturum, non pariturum ſed imperaturum, non precario ſed neceſſario in *Poloniam* rediiſſe, & ſingulis proditionibus, atque hoſtilitatibus, quibus aliàs *Poloniam* afflixerat, ferocius vſurum eſſe. Geſtus quoque ſui illi non ingrati ſolùm atque deliri, ſed & arrogantes cunctis videbantur. Incertumque erat dignoſcere, an in ſe, an in patriam, an in fratrem ſceleratior extiterit, & extare debuerit in futurum. *Boleslaus* autem *Polonorum* Dux etſi *Zbignei* ſtultam arrogantiam prudenti diſſimulatione tegens, benignè illum excepiſſet, tractaſſet, illicò tamen animo premi dolore ſubeunte cœpit vehementer, quod virum doloſum, & ſuæ vitæ atque fortunæ inſidiatorem, cuius mores, ingenium vafrum, & hoſtile probè multiplici experientia doctus noſſet in gratiam aſſumpſiſſet. Exulceratum ſua ſponte *Boleslai* animum contra *Zbigneum* fratrem Conſiliarii & Barones, quibus *Zbignei* reuocatio ſemper moleſta, acerba, & ſuſpecta erat, accendentes longo ſermone, nacta occaſione ex ſuo ſuperbo & arroganti ingreſſu, ampliùs exulcerati, & inflammati: *En*, inquiunt, *accepiſti fructum credulitatis & clementiæ tuæ qua nobis abnuentibus, Zbigneum in Poloniam reuocaſti, quem potius debueras in vltima terrarum, velut omnium litium, diſſidiorum, proditionum, guerrarum, & tradimentorum ſatorem domeſticum relegaſſe. Qui aſſuetus fraudibus, argutiis, mendaciis, artificio ſimulationis eruditus, veterem in te & nos ſuæ malignitatis morem, donec viuet, obſeruabit. Quieturumne illum à flagitiis quibus hactenus nobilitatus eſt, & furorem quo rapinis, dolis, & omnibus exitiis publicis plurimos perturbauit, & mores ſuos atque ingenium à natura illi traditum depoſiturum credis? qui nec pro eo temporis momento, quo ſe ſibi exulem humilitatis more offerre debuit, poterat illud abdicaſſe. Qua ſpe illum ſub tua ditione, & imperio credis victurum? qui æqualem principatum non tulerit? Nonne eam indolem eum à iuuenta geſſiſſe? iam ſpe & ambitione vniuerſum Poloniæ Regnum complexum, vt in ſenectute te ſuperiorem & dominum laturus*

in Poloniam redit,

ſed mox ſuaſu conſiliariorum

videatur? quid illum, dùm amplius temeritas ſua excreuerit, dùm omnium malignorum A *mentes & animos ſibi conciliauerit, facturum cenſes? Nempe in tuum tuorumq; natorum excidium omne ingenium ſuum clandeſtinè, poſtquam apertè non licet, vt ipſi ſoli Regni tui cedat ſucceſſio conuerſurum, & in tuam necem cuiuscunq; ſortis hominem, qui te veneno aut ferro ex rerum natura tollat, ampliſſimis promiſſionibus te occidente implendis ſubordinaturum, quod bello & aperta vi conſequi non poterat, licitatione conſecuturum. Neque à nobis ſatis dici, & explicari poteſt, quantis ille ſceleribus, quantis exitiis mentem in tuum & patriæ excidium inquinatam grauidatamque exhibeat. Peſtem itaque iſtam, quam hic in te, & in nos omnes iam diu machinatur in ipſum retorquere,* B *& non tàm pernicioſum fratrem, quàm acerbiſſimum hoſtem, furiam & facem luctuoſam, exitioſum prodigium, priusquàm te, & nos ab eius fallaciis oppreſſam iri contingat, ob ſcelera plurima, & in te, & in patriam ab eo edita, opprime, vitamque ſuam iuſtis ac debitis ſuppliciis eripe, & hominem bonorum omnium inimicum, hoſtem patriæ, latronem Poloniæ interfice, à ceruicibusque tuis atque noſtris impendentem facem depelle, idque celerius age, ne per fugam elapſus fiat infeſtior. Nec vt hoſtis modo tibi & nobis habendus eſt, ſed vt veneficus proditor geminato afficiendus ſupplicio, quandoquidem difficilius eſt cauere ab occulta, quam ab aperta peſte, & pernicioſius* C *ſoleat comparare periculum vafer proditor, quàm hoſtis publicus.* His *Boleslaus Polonorum* Dux ſermonibus certatim ineſcatus & coargutus, à miſericordia in iram & indignationem verſus, & procerum ſententia in dolorem accenſus, ira quoque extunc longius eueruescente *Zbigneum*, quod diutius diſtulerat, eo tempore necare ſuadentibus, aſſenſus eſt, & in mortem deſtinat non aliter ſe patriamque ſecuram fore ratus, donec bellua tam immanis & pernicioſa occidiſſet, inſanabile illius pro comperto habens ingenium, vanum, callidum, à nouandis quoque rebus & exercenda perfidia nunquam ceſſaturum. Etſi nonnulli procerum *Poloniæ* viri religioſi & D timorati ipſum deprecarentur, vt naturæ contemplatione leuaret conceptum indignationis furorem, fratrique ignoſcens, ius naturæ pluris quam vltionem æſtimaret, atque neceſſitudini daret, quod debebatur dolori. Quidam exhorrendo ſcelus fratricidii conſulebant, vt in vltimas relegaretur regiones, ſuſcepturus alibi fatum ſuum. Milites itaque quibus negotium mandauerat *Boleslaus*, capta loci & temporis opportunitate, *Zbigneum* aggreſſi, facinoribus, quibus *Poloniam* vexauerat, exprobratis, contentione ſuborta, *Zbigneum*, fidem & defenſionem fratris Ducis *Boleslai* nequicquam implorantem, interimunt. Sunt quidem qui illum non necatum,

obtruncatur

ſed

1116. ſed exoculatum ſcribant, & perpetua caligine damnatum, ab omnibusque deſertum non poſt multos annos diem obiiſſe. *Boleslaus* A poſt *Zbignei* interitum mœrore angebatur ingenti, quod fratris occiſione, & vitæ & rebus à ſe geſtis crediderat non mediocrem maculam, à ſe diutius vitatam iuſſiſſe, feliciorem ſe arbitratus, ſi illud facinus peroſus, mundas manus à fraterna cæde ſeruauiſſet. Itaque parum conſentaneum videtur, parumque ciuile & humanum Principem, alioquin magno animo præditum, tàm tetrum & crudele in fratrem facinus accepiſſe.

Ad vndas fluuii *Olſzei Vngariam* & *Moraniam* diſterminantis dùm *Stephanus Vngariæ* Rex & *Wladislaus*, *Sobieslaus*, *Otto Bohemiæ* Duces, parte ab altera, ex compoſito pro reformandis quibusdam diſſidiis inter ſubditos hinc inde exortis, & pace vtrinque firmanda conueniſſent, Satanæ ſuggeſtione, paucis tractatibus per nuncios habitis, vna pars alterius ſermoni ampulloſo non deferens, in aciem pugnatura armis correptis, tam ſubito venit, quaſi non pro pace conſumanda, ſed pro certamine indicto illo crederes conueniſſe. Dùm autem ſtrage magna plurimi ab vtraque parte cecidiſſent, & *Wladislaus Bohemiæ* Dux ab *Vngaris* profligatus in *Bohemiam* refugiſſet, *Sobieslaus* & *Otto* in altera parte pugnantes præ ium reſtituunt, ac *Vngaris* victis, in fugam verſis caſtra eorum & ſpolia diripiunt. *Stephanus Vngariæ* Rex beneficio ſui Archiepiſcopi *Strigonienſis Laurentii* ſeruatus in *Vngariam* ſoſpes rediit.

Pugna inter Vngariæ Regem & Morauiæ Duces.

1117. Victis *Pomeranis* & *Pruthenis* populis inter ipſos quoque victores bellum exortum eſt, *Scarbimirus* ſiquidem *Cracouienſis* Palatinus & militiæ Ducis *Boleslai Polonorum* Princeps, quo ea tempeſtate inter *Poloniæ* Barones, genere, conſilio, ingenio, & manu nemo maior habebatur, duarum victoriarum, quarum ex *Bohemis* vnam in ſilua magna, alteram ex *Pomeranis* ad *Nakiel* ſub auſpiciis tamen *Boleslai Polonorum* Ducis retulerat, inſolens factus cœpit Domino ſuo Duci *Boleslao* contumax & rebellis eſſe, clandeſtinis ſubmurmurationibus illum ſugillando, gloriam anteactorum triumphorum ſibi vendicando, deducens ſe vno non exiſtente, victoriam de *Bohemis*, *Pomeranis* & *Pruthenis* prouenturam non eſſe. Poſtquam verò *Scarbimirus* Palatinus clandeſtina ſugillatione non contentus, Ducem *Boleslaum* frequentibus probris carperet & aſpergeret, ad teſtatas inimicitias, controuerſias, & odia, res perducta. Adeò quoque *Scarbimiri* aſcenderat intumueratque temeritas, vt in auctoritate ſua & amicorum, fratrum, conſanguineorum & horum quos beneficiis deuinxerat, aſſiſtentia confiſus, in apertam rebellionem & hoſtilitatem contra *Boleslaum* Dominum ſuum prodiret, aperta acie cum his, quos in ſui adiutorium adunauerat, contra *Boleslaum*, ſi quid mouere vellet, dimicaturus. *Boleslaus* autem communem perniciem deuitans, *Scarbimirum* Palatinum *Cracouienſem* iuſſit vincire, & aliquantis diebus ſeruatum in carcere cœcari. Quo facto ſuperimpendens omnis procella, quam *Scarbimirus* factione ſua exercitaturus erat, illicò conquieuit, Magiſtratu inſuper videlicet Palatinatu *Cracouienſi* illum priuat, & pro crimine læſæ Maieſtatis Palatinatus titulum, qui prior fuerat, Caſtellanatui poſtpoſuit.

Scarbimirum Palatinum Cracouienſem noua molientem

1117. *Boleslaus excæcit, & a dignitate ſua remouet*

Quinta die Martii menſis *Maurus Cracouienſis* Epiſcopus dùm annis ſeptem Eccleſiam *Cracouienſem* rexiſſet, moritur & in B Eccleſia *Cracouienſi* ſepelitur, *Radoſz* Polonum genere, à *Paſchali* Papa ſecundo ordinatum habuit ſucceſſorem. Hic Eccleſiæ cœnobioque *Andreouienſi* nondum fundato & dotato, fabricato tamen in conſecratione Eccleſiæ per ipſum factæ contulit decimas manipulares menſæ ſuæ *Cracouienſis* in villis *Mirouice*, *Przemieſtauice*, *Konari*, *Miechowo*, & *Wegielno*.

Mauro Cracouienſi Ep. ſuccedit Radoſz.

Borzywoi Bohemiæ Dux à captiuitate quam apud *Henricum* imperatorem annis octo pertulerat, ſolutus, fratrem *Wladislaum* natu minorem, Principatum *Bohemiæ* occupantem, & qui eius captiuitatem procurauerat, plurimum terruit, ne eum *Boleslai* Ducis *Polonorum* & fratris *Sobieslai*, C qui in *Morauia* Princeps erat, aſſiſtentia, & a Ducatu *Bohemiæ* excluderet, & in ſimilem, quam ipſe ſibi texuerat, conijceretur ſeruitutem ſeu captiuitatem. Ad componendum itaque diſſidium inter eos *Boleslaus Polonorum* Dux, ab vtraque parte arbiter electus, *Bohemiæ* Ducatu inter eos diuiſo, ita vt *Wladislao* ora aquilonaris verſus *Albim* ſita cederet, reliquam omnem ſortem *Borzywoi* Dux adminiſtraret, eos pacificat.

Boryzwoi partem Bohemiæ auxiliante Boleslao accipit.

Wlodimir Ruſſiæ Dux qui germano ſuo *Suantopelkone* Duce *Kiouienſi* obeunte, ſedem *Kiouienſem* acceperat, ſuſpectum habens *Iaroslaum* filium *Suantopelkonis*, nepotem germanum, ne illum ex ſede *Kiouienſi* expelleret, D opprimere illum quamprimum ſtatuit. Et *David Waſilkone*, *Roscislao Wolodorowicz*, filiis quoque *Olech* armorum auxilia ſibi præſtantibus, vadit contra *Iaroslaum*, & in caſtro *Wlodimirienſi*, neque enim cum tot Ducibus tutum putabat decernere, ſe continentem obſidet. *Iaroslaus* autem cùm nihil ſibi conſcius eſſet ex caſtro ad Ducem *Wlodimirum*, cæteroſque *Ruſſiæ* Duces veniens inermis, verbis pacificis & modeſtis *Wladimirum* ſibi aſſentatorum falſa ſuggeſtione infenſum, placat & reconciliat. Qui continuo obſidionem ſoluens, in *Kiouw* reuerſus eſt, *Iaroslao* tamen pluribus ſermonibus prius obruto & obiurgato.

Turbæ inter Ruſſiæ Duces.

Parantem in *Pomeranos Boleslaum* Ducem 1118.

1118. *Polonorum* expeditionem, iam ſiquidem intellexerat *Suantopelkone* Duce, in cuius fidem *Nakiel* caſtrum cum ſex oppidis & munitionibus commiſerat, ad vacillationem temerato, quod ſibi præſtiterat, iuramento contrauenire, imbres & pluuiæ tenuere, dùm enim veris tempore cœpiſſent, etiam nec in æſtate remittebant, continuaque pluitione & deſcenſu, non ſolùm *Poloniæ* Regnum, ſed & vicina Regna, atque prouincias quamplurimis vexarunt incommodis, & inundatio ſine exemplo in vniuerſa terra, ex aſſiduis tempeſtatibus ſequuta, & agros ſeri, & ſata meti in plerisque locis prohibuit. Ea tamen loca huiuſmodi inundatione, quæ fluuii maiores circumfluunt, aquis vltra ſolitum inflatis, & ripas egredientibus fuere oppreſſa & afflicta. Eodem inſuper annò poſt ſolis occaſum cœlum totum in tantam rubedinem verſum eſt, vt velut ignis vel flamma tribus horis colluceret. Quæ res in prodigium & admirationem apud multos verſa, magnum aliquem effectum productura, tunc inſinuaſſe credita eſt. Nec multo poſt tanti imbres deſcenderunt in terram, tantæ coortæ ſunt pluuiæ & tempeſtates, tanta denique creuit fluuiorum inundatio, vt alterum cataclyſmum aliqui pertimeſcerent prouenturum.

Multæ pluuiæ in Polonia.

Martinus primus Metropolitanus, Eccleſiæ *Polonicæ Gneſnenſis* Pontifex, dùm annos ſex & viginti ſediſſet, moritur & in Eccleſia *Gneſnenſi* tumulatur. In eius locum *Iacobus* primus ex oppido *Zwiniacz* parentibus conſularibus ortus, per *Calixtum* Papam ſecundum ſuffectus eſt. *Kiouienſis* Dux *Wladimirus* maioribus ſuggeſtionibus inuidorum, ira graui contra nepotem ſuum *Iaroslaum Wladimirienſem* Ducem, quaſi illi mortem & expulſionem de ſede *Kiouienſi* machinantem, concepta, eum ad ſe in *Kiow* literis & Nunciis accerſit. Qui non aliter ſe venturum denunciat niſi iureiurando *Wlodimirus* firmet, nil ſe hoſtile illi illaturum. Et quamuis *Wlodimirus* huiuſmodi ſuſpenſionem de ſede *Kiouienſi* pro maiori ſecuritate *Iaroslai* feciſſet, *Iaroslaus* tamen Conſiliariis & militibus *Wlodimiri Kiouienſis* Ducis, de periculo & laqueo, qui illi imminebat, vere ne, an ſub dolo incertum eſt, venire in *Kiow* negauit. Deinde falſo & vafro ſuorum militum ſeductus & perſuaſus conſilio, cum vxore, filiis & omni ſuppellectili caſtro *Wladimirienſi* militibus commendato, in *Poloniam* ad *Boleslaum Polonorum* Ducem ſororis ſuæ olim *Zbislauæ* maritum confugit, a quo benignè & humaniter exceptus quadriennio illic manſit, *Boleslao Polonorum* Duce ſingula ſibi ſubminiſtrante neceſſaria. Infra id autem tempus caſtrum *Wladimirienſe Wlodimiro Kiouienſi* Duci per milites *Iaroslai* deditum eſt. Verentibus autem *Ruthenis* ne eo *Poloni* potirentur, ad principandum illic filium ſuum *Romanum* tranſmittit, quo 14. die Ianuarii mortuo, alterum filium *Andream Wladimirus* Dux *Kiouienſis* ad regendum in *Wladimiriam* ſurrogauit.

Martino Archiep. Gneſnenſi ſuccedit Iacobus I.

Iaroslaus Ruſſiæ Dux Wladimiri inſidias timens ad Boleslaum fugit.

A Imperator *Henricus* in *Italiam* reuerſus abſente Pontifice *Paſchali* ingreditur *Romam*, ibique concedente populo & aduerſantibus Primoribus cum ritè coronari non obtineret, *Mauritium* ſuæ partis Archiepiſcopum euocauit, & ab eo ſibi coronam imponi iuſſit. 1119.

Dilatam anno ſuperiori in *Pomeranos* expeditionem *Boleslaus Polonorum* Dux, non obſtante, quòd eo etiam anno tempeſtate inquieta ventorum vis fortiſſima multa diſrumpens & comminuens ædificia flare cœpiſſet, continuaturus, militiam ſuam armari iubet, & copiis conuenientibus in *Pomeraniam* exercituum deducens, quicquid vel reparatum, B vel relictum fuerit, iubet demoliri, & incendi. Congerunt itaque *Pomerani* & *Prutheni* validum exercitum; & vniuerſa iuuentute armata, coactis etiam agreſtibus *Boleslao* occurrunt fortunam tentaturi, nec *Boleslaus*, decertandi auidus, diſtulit pugnam, ſed quamprimum *Pomeranorum* & *Pruthenorum* acies apparuerunt, ſigna canere, & acies ſuas ex aduerſo procedere iuſſit. Et cùm ex vtraque parte magna vi, magnoque animo acies conueniſſent, æquo marte aliquanto tempore pugnatum eſt. *Poloni* pectus iræ plenum habentes ferociam ſingularem in certando deprompſerunt. Verùm dùm *Pomeranorum* primis victis ad iuuentutem deuentum eſſet, acies illi- C cò *Pomeranorum* inclinari cœpit. Quod vbi *Boleslaus* aduertit, nouam militum cohortem, in perculſos induxit, freqeuntiorique pugna *Pomerani* conturbatis ordinibus contriti, in fugam verſi ſunt. Capi autem non cædi fugientes, & parci iuuentuti & agreſtibus, vt eſſent, qui terram incolerent, *Boleslao* mandante plures numero capti, & ad *Boleslaum* reducti, clementiam ſuam experti ſunt, plures ſiquidem dimitti etiam veſtitos iuſſit. Eo prælio *Pomerani* & *Prutheni*, velut fatali, & extremo victi, quod ingentem luctum ſimul & pauorem apud eos concitauerat, quippe in eo quod floris, quod roboris in reſtante iuuentute erat, amiſerant, ſe in gratiam *Bo*- D *leslai* Ducis *Polonorum* dediderunt, nec auſi ſunt vltra calcaneum ſuæ rebellionis contra *Boleslaum* mouere, ex eo quoque tempore Dux usque ad vitæ ſuæ tempora vtramque terram *Pomeranicam* videlicet & *Pruthenicam* poſſedit.

Pomerani & Prutheni a Boleslao victi,

regiones ſuas illi dedunt.

Gente *Pomeranica* & *Pruthenica Boleslaus Polonorum* Dux debellata, ſubacta, & in deditionem accepta verſus *Nakiel ad Suantopelkonem* opprimendum, qui famoſus, & inter ſuos ob temeritatem & flagitia notior, *Boleslao* inſuper Duci, & *Polonorum* Proceribus magis inuiſus habebatur, quod *Pomeranos* aduerſus *Boleslaum* arma moturos incenderat, contendit. *Nakiel* quoque caſtrum & oppidum obſidi-

Boleslaus aduerſus Suantopelkonem vadit,

di-

1119. dione cingens etiam *Suantopelkonem* in eo includit. A feſto autem natiuitatis *S. Mariæ* vſque ad feſtum Natalis Domini, niue, frigore, & pruina crebro militem affligente, obſidionem ipſam produxerat. Nec ſub tanto tempore *Nakiel*, quamuis *Boleslaus* & miles ſuus plurimum adniteretur, poterat, reſiſtente *Suantopelkone* cum ſuis expugnari. Clade enim *Pomeranorum* & *Pruthenorum* audita, & rebellionis, temeritatiſque iuriſiurandi in *Boleslaum* conſcius, viris, armis, & commeatibus in annum & amplius ſuffecturis, peroptimè arcem & ciuitatem communiuerat. Nec ea ſibi ſingula quietem ſecuritatemque præſtabant, quin nocturnis diurniſque meditationibus & angoribus vexaretur, ne aliquo caſu vrbs, & arx in poteſtatem *Boleslai* recideret, & ipſe ſupplicio capitali pro fraude & perfidia in Dominum & benefactorem ſuum admiſſa, meritò mulctaretur. Quod euitaturus frequentibus nunciis fatigabat *Boleslaum*, vt ſui miſertus, gratiam illi & veniam concedere dignaretur offerens de cætero ſinceriori fide maleficium ſuum compenſare, dara quam *Boleslaus* imperaret, pecunia, datis itidem & obſidibus. Abnuebat primum & iterum, iterumque *Boleslaus Poloniæ* Dux *Suantopelkonis* preces, neque ei miſerationem dignum impendi reſpondebat, qui ſemetipſum ea indignum affeciſſet, cum quod proditorem & fidefragum frangi & lacerari, dùm quod ſagitta ipſe de oppido vulneratus, vltum iri vulnus ſuum æſtuabat. Dùm verò ſpes expugnandæ vrbis & arcis effectus non reſponderet, cùm & mœnia munitioneſque, egregiè defenſa eſſent, & machinas, bombardaſque illuc conducere, tempore præſertim hiemali terra ex reſolutione, in locis præſertim paludinoſis limoſis & lubricis dehiſcente, oneroſum & parum vtile videretur, milites inſuper non ſolùm æſtiuo tempore, ſed & hiberno ſe in bella trahi, & multorum diſpendiorum perferre iacturam quererentur, etenim cum multis in ea ipſa obſidione vrgerentur incommodis, nulla tamen res æquè, vt vigiliæ ſub die & noctibus hiemalibus, & protenſis actæ conficiebant. Precibus itaque *Suantopelkonis* aſſiduis, fidem & correctionem aſſerentibus, *Boleslaus Polonorum* Dux expugnatus, magis tamen querela militum ſuorum militum pro eo tempore detractantium fractus, veniam *Suantopelkoni* pecunia, qua illum pro ſcelere perfidiæ mulctauerat, & filio ſuo pro obſide in pignus conſeruandorum promiſſorum pro prius receptis concedit, & obſidionem ſoluit.

qui ſe illi dedidit.

Paſchali Papæ ſuccedit

Cùm *Romanam* ſedem annis decem & octo, menſibus quinque, & diebus decem, *Paſchalis* Papa ſecundus rexiſſet *Romæ* moritur, & in Eccleſia *Lateranenſi* ſepelitur, qui etiam *Albertum*, *Arnolphum* & *Theodoricum*, qui Papatus dignitatem diuerſis temporibus vſurpare nitebantur, & qui poſtea mala interierunt morte, habuit hoſtes, & in Papatu competitores. Et in eius locum *Ioannes* Cardinalis de *Gaieta* natione *Campanus* per electionem Cardinalium eſt ſubſtitutus, & *Gelaſius* ſecundus vocatus. Qui dùm Imperatoris *Henrici* perſecutionem formidaret (conabatur enim ſua electione, cùm tunc in *Italia* agebat, quòd abſque ſuo ſcitu & conſenſu peracta eſſet, irrita facta, alium ſufficere) in *Gaietam* ſe contulit. Quo *Henricus* Imperator audito maiore furore actus, *Hiſpanum* quendam *Burdinum* nomine in Papam aſſumit, & eum *Gregorium* cæteris eum Antipapam vocitantibus, appellat. Quod intelligens *Gelaſius* in *Gaieta* trans mare cum Collegio Cardinalium fugit in *Franciam*, veniensque in *Cluniacenſe* monaſterium illic infirmatur, & moritur, in eodemque monaſterio ſepelitur, dùm anno tantummodo vno, & diebus quinque ſediſſet. 1119.

Gelaſius II.

Contra quem Henr. Imp. creat Gregorium.

Suantopelkone Pomeraniæ Duce & *Naklenſi* præfecto pacta violante, quæ ſe ſeruaturum iureiurando, & filio in obſidem *Boleſlao Polonorum* Duci dato, aſtrinxerat, *Boleslaus* perfidia ſua & tot periuriis motus, ea æſtate exercitum iterum in *Pomeraninm* deducit perfidiam *Suantopelkonis* vlturus. Verùm quia intelligebat hoſtem paruas uires habere, & *Pomeranos* debellatos, & ſub ſua iam ditione conſiſtentes illum non adiuturos, luſtrato exercitu, & infirmis, pannoſis, & tenuibus in domos remiſſis, cum expedita tantummodo militum veteranorum & exercitatorum manu fortalicia, munitiones, & oppida quæ à *Suantopelkone* tenebantur aggreſſus expugnare contendit. Et primum quidem ad oppidum & munitionem *Wiſſegrad* perueniens, & diebus 16. in eius expugnatione moratus, illud vario genere tormentorum, machinarum, & miſſilium, peruincens capit, & in ſuam redigens ditionem octo diebus illic, dando quietem militi circa oppugnationem continuam feſſo ſtatiua habuit. Præſidio deinde militum frequenti *Wiſſegrado* impoſito, ad alia rurſum oppida, caſtra, & munitiones itum eſt, & *Nakiel* caſtrum & oppidum, cuius anno tranſacto expugnatio non poterat expugnari, obſideri cœptum. Dùm autem prima luce mœnia corona cingere aggreſſus eſſet, credens pauore animos oppidanorum & caſtellanorum concutiendos, dedituros ſe eſſe. Conſtantius tamen quam illos *Boleslaus* facturos deſtinauerat, viris mœnia defendentibus, fœminis omnis generis tela, picem feruentem, aquam bullientem, & ſaxa afferentibus, fruſtra deditio tentata eſt. In pluribus itaque locis admotæ bombardæ, muros & ſtructuras quatiebant, nec à *Naklenſibus* quicquam quo aut opera aut hoſtis arceri poſſet, prætermiſſum eſt, aut enim pro dirutis noua reficiebant munimenta, aut eruptionibus ſubitis, in opera hoſtium, ſtationes 1120.

Quum Suantopelko deficeret,

Boleslaus Wiſſegrad

& Nakiel,

1120. 1120

tiones decurrebant. Turres deinde altitudinem mœniorum excedentes, *Boleſlaus* extructas propè muros, foſſis primùm terra lignis- A que completis admovit, hoſtes magna ſagittarum miſſione ex illis afficiens, & ne in mœniis conſiſtere poſſent, ſubmouens, caſtrum & vrbem ſe capturum prætendebat, caſtellani vero & oppidani *Suantopelkone*, qui intus aderant, eos adhortante, ne viui in manus *Boleſlai* venirent, ad diſpellendum imminens periculum, congeriem lignorum pinaticorum & aridorum ad turres comportant, proiectioneque frequenti lardi, picis, butiri, & aliæ materiæ, qua ſolet ignis foueri, ignem ſubiiciunt. Ac ſic *Polonis* ne quicquam incendium ſatagentibus depellere, materia pingui conatus *Polonorum* peruincente, turres conſumuntur. No- B uis in conflagratorum turrium locum *Boleſlai* ſollicitudine & opera illicò ſurrogatis, dùm eodem animo, & adniſu eadem quoque prouidentia & arte à *Pomeranis* ſimili ingenio fuiſſent ſuccenſæ, & exuſtæ, tertiæ rurſum eadem celeritate, qua & primæ, ſecundæque à *Boleſlao* ſurriguntur. Illis quoque per *Pomeranos* igne depaſtis, quartæ rurſum tàm propinqua locatione mœniis admotæ ſunt ut manuale perſonaleque inter obſeſſos & obſidentes fieret certamen. Atrox quoque pugna ſæpiùs coorta *Pomeranis* ignes iniicientibus, *Polonis* prohibentibus turrium conflagrationem, in maiorem diei partem producta vtrarumque partium ſtudio accenſa C feruebat, per quam non parua ſtrages aut vulneratio quotidie in *Polonis*, maior tamen in *Pomeranis* edebatur, tàmque obſtinata à *Pomeranis* reſiſtentia oppoſita eſt, vt plus in dextris, quam in mœniis ſpei eſſe facile appareret. Pax deinde à *Boleſlao*, vt obſeſſis liceret abire incolumibus, petita eſt, quàm dum petentibus abnuiſſet treugæ in dies aliquot magna inſtantia depoſcebantur, ſed cùm has quoque *Boleſlaus* maiori renitentia denegaſſet, *Pomeraniſque* iam vires, iam tela, iam victualia, iam ante omnia animus ex *Boleſlai* conſtantia deficeret, in deſperationem animis omnium ſpectantibus, rurſum nunciis ad *Boleſlaum* miſſis, vt ſal- D tem vitam illis donare dignaretur. Precibus eorum *Boleſlao* acquieſcente deditionem faciunt. *Suantopelkus* verò viuus in *Boleſlai* manus traditus perpetua captiuitate eſt damnatus, *Nakiel* oppidum captum, cætera oppida & munitiones ſpontaneam fecere deditionem. Sancitumque ab eo tempore eſt non caſtra, non oppida, non munitiones aut caſtella *Suantopelkoni*, aut filiis ipſius velut hominibus doloſis, & fluxæ ambiguæque fidei committenda. Ex eo autem tempore in *Boleſlaum* Ducem *Polonorum*, milites propenſiori incitati ſunt amore, quòd viderant illum nullum formidare diſcrimen, nullum laborem, ſed nec bellorum genere fatigari, conſequutum præterea eſſe patientiam in re qualibet adminiſtranda, induſtriam in prouidendo, celeritatem in conficiendo.

Poſt duram obſidionem cum Suantopelko capit.

Exiguo tempore inter *Borzywoi* ab vna & *Wladiſlaum Bohemiæ* Ducem germanos, partibus ab altera, qui Ducatus *Bohemiæ* regimen inter ſe, circa tamen *Borzywoi*, velut natu maiorem Principatu remanente, partiti erant, concordia vigente, rurſus cùm ad priores contentiones, lites & diſſenſiones *Bohemis* odia alterius in alterum, aſſentatione aut ſuggeſtione ſuggerentibus, res rediiſſet, *Borzywoi* de fratris ſui *Wladiſlai* ira feruida iam certus, veritus ne in ſe grauis aliquid improbitate ſuggerentium per fratrem conſuli contingeret, *Bohemia* deſerta, in vetus ſuum hoſpitium *Poloniam* ad Ducem *Boleſlaum* conceſſit. Cumque illic aliquanto tempore moratus, & à *Boleſlao* comiter habitus fuiſſet, in *Vngariam* deducendi temporis cauſa tranſuectus, illic diem obiit.

Borzywoi Bohemiæ Dux in Poloniam & Vngariam fugit, illicq; moritur.

Gelaſio Papa cùm tantummodo vno anno & quinque diebus ſediſſet in *Cluniaco* mortuo, Cardinalium vniformi electione in *Cluniaco* celebrata, *Guido* natione *Burgundus*, Comitis *Burgundiæ* filius, & Archi-Epiſcopus *Vienneſis*, *Calixtus* ſecundus vocatus, in Papam aſſumptus eſt. Qui ex *Cluniaco Romam* cum fauore omnium pergens *Burdinum* pro Papa ſe gerentem in *Sutrio* concluſum capit. Quem ſuper mula averſa ad caudam facie impoſitum, caudamque mulæ pro freno tenentem Romam deductum, & in turrim coniectum, in ſqualido carcere mori fecit. Hic cùm vir animoſus & ciuilis eſſet, & vniuerſis propter ſuam affabilitatem charus, Imperatorem *Henricum* in inueſtituras Epiſcoporum ſe ingerentem, anathemate nouo percellit. Quem cùm videret *Henricus* Imperator, & propter amicorum & populi fauorem vinci non poſſe, inveſtituris Epiſcoporum perpetuò renunciaturus, apud *Wormaciam* concilium frequens *Germaniæ* Principum indicit. Et veritus propter anathema Imperium à ſe deficere, iam enim ſenſerat pleroſque Principes adverſus ſe coniuraſſe patris metuens exemplum, inveſtiturarum Epiſcoporum legato ſedis Apoſtolicæ *Lamberto*, qui poſtmodum in Papam ſuffectus, *Honorius* dicebatur, exigente reſignauit, per eumque anathematis vinculo ſolutus eſt.

Gelaſio P.R. ſuccedit Calixtus II.

Ziroſlaus Wratiſlauienſis Epiſcopus ſoluens naturæ debitum *Wratiſlauiæ* moritur, & in eccleſia *Wratiſlauienſi* ſepelitur, cùm annis octo & viginti Eccleſiam *Wratiſlauienſem* providè & modeſtè rexiſſet, in eius locum per *Calixtum* ſecundum *Heymo* alias *Imiſlaus* natione *Polonus* de domo *Leſczytarum* alias *Aceruorum* ſucceſſit, Duce *Polonorum Boleſlao* eius perſonam per nuncios & literas, velut vnico patrono promouente.

& Ziroſlao Ep. Wratiſlauienſi Imiſlaus.

Apud *Zninam* ordo Præmonſtratenſis cœpit

1120. pit, cuius fundator *Nortberius* vir Dei de partibus *Lotharingiæ* oriundus, genere ac nobilitate clarus, primarius pater atque fundator A extitit, qui in breui tempore magna religione fulgens, multos habuit ex viris illuſtribus fundatores, qui progreſſu temporis dum magnoperè, germinaſſet, tandem noſtris temporibus videmus illum, & præcipuè in Regno *Poloniæ* in magnam ariditatem corruiſſe. Hoc etiam tempore ordo D. *Joannis Baptiſtæ Hieroſolymitani* inchoatur à venerabili viro *Raimundo*, operibus miſericordiæ dedito, & in breui tempore multum creuit.

Origo ordinis Præmonſtratenſis.

1121. Annos nubiles *Chriſtina* filia *Henrici* Imperatoris quinti dùm impluiſſet, quam *Boleslaus Polonorum* Dux filio ſuo natu maiori primi matrimonii *Wladislao* deſponſauerat, quamque in *Poloniam* ex *Almania* deuectam, decennio iam exacto nutrierat, eo tempore B *Boleslaus Poloniæ* Dux diem deſignans nuptiarum, *Stephanum Vngariæ* Regem generum ſuum cum Baronibus *Vngariæ* ac Primoribus, *Iaroslaum* Ducem *Wladimirienſem* ſocerum ſuum, item alios Principes *Ruſſiæ*, ſuique Regni *Poloniæ* Prælatos, Barones & Proceres ad huiusmodi nuptiarum ſolennitatem, nunciis & literis inuitat. Quibus in frequenti numero *Cracoviæ* convenientibus, munificentiam, potentiam & gloriam ſuam *Boleslaus* oſtenſurus, in dies plures protraxit conuiuium, & ſingulos inuitatos neceſſariis omnibus abunde tractauit, ſingulis etiam dona mittentibus digna remiſit. Ludos plures, haſtarum præcipuè & gladiorum, ad lætificandum & honorandum conuiuas præmio victori propoſito inſtituit & cum magna omnium hilaritate & comitate ſolennitatem huiusmodi conſumauit. Præfata autem Ducìſſa *Chriſtina* ex faſtu & ſuperbia communionem ſingulorum *Polonorum* aſpernabatur, à menſa quoque & conuictu illos abiiciens, *Teutonicorum* obſequiis ad ſingula quæque officia vtebatur, aſſerens *Polonos* olidos eſſe & in conſpectu ſuo fœtere, nec habitum & amictus eorum ferre poſſe. Sacerdotes inſuper *Polonicos* non ſecus quàm ſeculares pertæſa, nullo honore illos dignans, nullam illis reuerentiam exhibebat.

Wladislaus Boleslai filius cum Chriſtina Henrici V. Imp. filia nuptias celebrat.

quæ Polonos aſpernatur.

Menſibus tribus continuis Martio, videlicet, D Aprili, & Maio, validiſſima ſiccitas & æſtus terrarum preſſit, propter quam non æſtiuales ſolùm, ſed & hiemales, ſegetes extenuatæ & arefactæ annum illum effecerunt, apud *Polonos* annonæ, caritate, preſſum, & ſterilitatem, vicinæ quoque Prouinciæ & regiones eandem ſiccitatem & ſterilitatem expertæ, fame & inedia aliquanto tempore premebantur.

Magna ſiccitas.

1122 Nuptiarum primæui filii *Wladislai* ſolennitate tranſacta non inferior alia ſolennitas, cumulatura, vel potiùs renouatura gaudia ſequuta eſt. Ducìſſa enim *Athleida* conſors *Boleslai Polonorum* Ducis filia Imperatoris *Henrici* quarti, & ſoror quinti ſterilitate, quam decennio pertulerat, in fœcunditatem commutata filium feria quarta ante feſtum Aſſumptionis B. V. *Mariæ* produxit, de cuius natiuitate miro modo pater Dux *Boleslaus* exultans, in Cracouienſem vrbem pluribus Prælatis & Baronibus conuocatis, ſolennitatem Baptiſmi, magno ſumptu, magnaque pompa exegit, & infante per *Radoſtonem* Epiſcopum Cracovienſem in Eccleſia *Cracouienſi* ſub frequentia multorum Procerum & plebis baptiſato nomen ſuum & auitum cooptans *Caſimiri* nomen impoſuit. 1121.

Boleslao naſcitur filius Caſimirus.

Terminos *Polonorum Wolodor* Duce *Præmislienſi* ex caſtro *Przemiſl* crebro infeſtante, prædamque agente, *Boleslaus Polonorum* Dux miſſis ad *Wlodimirum*, & alios Duces *Ruſſiæ*, nunciis, de iniuriis, quæ Regno *Poloniæ*, per *Wolodor* inſerebantur, apud eos querebatur, ſed videns ſuarum iniuriarum grauamina à *Ruſſiæ* Ducibus diſſimulatum iri, mandat militibus & præfectis ſuis, vt iniurias ſuas amplius inultas eſſe non ſinant. *Wolodoro* itaque *Polonorum* fines ſpolianti, milites, quibus id à *Boleslao Polonorum* Duce munus mandatum fuerat, occurrunt, & prælio inito inſignioribus militibus ſuis occiſis, vincunt, prædam quam ex *Polonia* tulerat, eripiunt, fugientem etiam perſecuti in loco, qui *Wiſſokie* appellatur, comprehendunt, vbi vincula aliquanto tempore ſuſtinuit. Proceſſu autem temporis nuncii *Waſilkonis Præmislenſis* Ducis, *Cracouiam* adueniunt, & cum C *Boleslao Polonorum* Duce, qui pro liberatione *Wolodori* 80. milla marcarum argenti petebat, de ſoluendo *Wolodoro* agentes de viginti millibus marcarum argenti pro ſolutione *Wolodori* dandis conueniunt, datiſque tunc duodecim millibus argenti de ſoluendo reſiduo *Iaroslai* filium obſidem ponunt. Poſtea verò quingentis vaſis argenteis, ſcutellis videlicet, picariis & ſciphis de opere *Græco* allatis, plenam ſolutionem impendunt. *Wolodor* itaque ſolutus *Boleslao Polonorum* Duci reconciliatur, & tàm cum illo, quàm *Colomano* Regis *Vngariæ* fratre fœdere icto, & iureiurando firmato *Wolodor* reuertitur *Præmisliam* 22. die Menſis Iulii.

Wolodor Ruſſiæ Dux Poloniam vaſtans.

Vincitur & Cracoviam ducitur,

poſtea ſoluta pecunia dimittitur.

Grandis commotio in *Bohemia* inter germanos *Wladislaum* & *Sobieslaum* Duces coorta, grandem dimicationis procellam inter utrumque exciuit. Dùm ſiquidem *Sobieslaus Morauiam* obtinens *Wladislao Bohemiam* obtinenti ſubeſſe detrectaret, *Wladislaum* inſuper multis probris & querelis, propter alium fratrem *Borzywoi* in exilium actum, & in exilio iam tunc ſeneſcentem, ſugillaret, carperetque, in apertam hoſtilitatem inter illos creuit commotio æmulationis. Ad arma quoque ab vtroque concurſum eſt, infeſtiſque ſignis, velut inter hoſtes ſæuiſſimos, non ſine interitu multarum perſo- 1123

1123. perſonarum eſt dimicatum, victumque *Sobieſlaum*, & fuga elapſum *Morauiæ* exuit poſſeſſione, & *Morauiam* inter *Lentoldum* quondam filium *Conradi* ſenioris & primogeniti fratris olim *Wratislai* primi Regis *Bohemiæ*, & *Ottonem* atque *Suantopelkonem* filios *Ottonis* fratris prædicti *Wratislai*, conſorte etiam *Sobieslai* fratris in maius odium & punitionem inde eiecta, diuiſit. *Sobieslaus* autem acie à *Wladislao* victus in *Almaniam* ad Imperatorem *Henricum* quintum auxilio ſuo cladem acceptam reparaturus confugit. Verum cum preces ſuas crebro ad Imperatorem fuſas aſpernatum iri aduertiſſet, ſe inſuper in fauorem *Wladislai* fratris, & hoſtis ſui capi, & ab Imperatore detineri pertimeſcente, *Almania* deſerta in *Poloniam* cum ſuis omnibus ad *Boleslaum Polonorum* Ducem diuertit. Qui calamitoſum & profugum Ducem recolligens, & ſingulis rebus neceſſariis, quæ illi & ſuis deeſſe videbantur, munifice reficiens, collapſum erexit, & diffidentem, vacillantemque de auxilio ſibi ferendo repromiſſo confirmauit, peſſima viciſſitudine hæc, & tanta *Boleslai Poloniæ* Ducis ſibi & fratris ſui *Borzywoi* in neceſſitatis articulo præſtita beneficia, vt in ſequentibus narrabimus, penſaturum. Coniunx vero *Sobieslai Almuſa* nomine à *Wladislao* Duce *Bohemiæ* eiecta, cum eſſet *Stephani* Regis *Vngariæ* conſanguinea, in *Vngariam* ſe conferens, illic omne tempus exilii egit.

Sobieslaus e Bohemia eiicitur

& ad Boleslaum in Poloniam fugit

Multæ turbæ inter Duces Ruſſiæ.

Affinem ſuum *Iaroslaum Wladimirienſem* Ducem quadriennio prope in *Polonia* commoratum, *Boleslaus Polonorum* Dux ad Principatus ſuos, & Dominia reſtituturus, exercitu ex *Polonorum* militibus comparato, in *Ruſſiam* ire pergit. Cui circa *Premisliam* ſtatiua agenti, *Colomanus Vngariæ* Regis frater, & ipſe *Iaroslao* exuli contra *Wladimirum Kiouienſem* Ducem auxilia laturus, cum notabili *Vngarorum* exercitu aduenit. Duces inſuper *Ruſſiæ Wolodor* & *Waſilko Premislienſis*, item *Wlodimir Wlodorowicz Iaroslai* partibus ſuffragantes, *Colomano Vngarorum* & *Boleslao Polonorum* Ducibus, ſe adiungunt cum ſuis copiis. Dantur autem *Iaroslao Wladimirienſi* Duci ex *Polonis* & *Vngaris* ſeptem equeſtrium millia, cum quibus exercitum *Colomani* & *Boleslai* quadrigis & impedimentis grauem anteibat. Vallata autem ſunt ab exercitu præfato *Belz, Czerwien, Wladimiria*, & alia caſtra *Iaroslao* per *Wlodimirum Kiouienſem* Ducem ablata, quæ paucis diebus obſidione parum pertollerata *Iaroslao* deduntur. Quibus in poteſtatem ſuam redactis ad Metropolim *Ruthenorum Kiow* ad opprimendum *Wladimirum* omnes copiæ traductæ ſunt. *Iaroslaus* autem *Wladimirienſis* Dux, dum iuxta morem *Colomanum* ad *Boleslaum* cum militibus ſibi adiunctis diebus aliquot in *Kiouiam* præceſſiſſet, cum pedeſtribus ex *Kiow* contra eum egreſſis pugnam committit. Quos deuincens, vſque ad portam, quæ *Polonica* appellatur, illos perſequendo ſternit, capit, & obtruncat. Nouis autem peditibus in eorum, qui ceciderant, ſupplementum, in maiori quantitate occurrentibus, inſtauratur pugna, & pluribus *Polonorum* & *Vngarorum* militibus, qui *Iaroslaum* comitabantur à cohorte peditum *Kiouienſium* occiſis, equus etiam *Iaroslai* Ducis multis telis conficitur, quorum acerbitatem non ferens, *Iaroslaum* Ducem ſeſſorem ſuum deiecit in terram. *Ruthenis* autem capere illum, *Polonis* vero & *Vngaris* de periculo eripere ſatagentibus, dirum certamen feruebat, inter vtroſque præualentibus tum *Polonis* & *Vngaris*, *Kiouienſes* in caſtrum refugere, pugna relicta, coacti ſunt. *Iaroslaus* vero Dux in pugna huiuſmodi aliquot vulneribus confoſſus, paucis poſt diebus moritur, *Colomanus* tamen *Vngariæ* & *Boleslaus Poloniæ* Duces cœptam obſidionem caſtri *Kiouienſis* continuant. Verum *Andreas Kiouienſis* caſtri præfectus à *Wladimiro*, qui in illo conſiſtere non auſus ante aduentum *Colomani* & *Boleslai* ex caſtro egreſſus erat, pacem ſupplex à *Colomano* & *Boleslao* petere cœpit. Quæ *Wlodoro* & *Waſilkone Premislienſi* Ducibus ſuffragantibus illi à *Colomano* & *Boleslao* minus cunctanter, dum *Iaroslaus* Dux gratia cuius id bellum aſſumpſerat, extinctus eſſet, conceſſa eſt. Icto autem fœdere inter *Colomanum Vngariæ*, & *Boleslaum Poloniæ* Duces ab vna, & *Wlodorem* & *Waſilkonem*, & cæteros *Ruſſiæ* Duces partibus ab altera, pollicentibus, in qualibet neceſſitate ſibi inuicem auxiliaturos, *Colomanus* in *Vngariam*, *Boleslaus* in *Poloniam* rediit. *Tartari* circa hæc tempora permiſſione diuina monte exiſſe putabantur, in quo clauſi fuerant per diuturnum tempus in magna miſeria & fame, genus vile & rapax.

Boleslaus Poloniæ Dux

Triennio integro iam ex magna parte exacto, hoſtibus vndique in circuitu laceſſitis, vel ſubactis, dum tranquillæ res apud *Polonos* eſſent, *Boleslaus Polonorum* Dux, qui in tractandis bellis & armis omnia ſtudia ſua, voluptatem & ingenium conuerterat, marceſcere diſfluereque, ſe & milites ſuos otio turpe, & inglorioſum reputans, flore totius militiæ ſuæ collecto, nauibusque apud *Gdannsk*, cæteraſque maritimæ oræ ciuitates, frequenti numero præparatis, impoſito in *Daniam* traiicit proſperoque vento, & proſpera fortuna vſus cum omni claſſe integer & incolumis in *Daniam* peruenit, ſuæ autem in *Daniam* traiectionis non ambitio inuadendi Regni alieni, non prædæ rapiendæ, non opprimendi quenquam, ſed iuſta & neceſſaria cauſa cenſebatur. Dum ſiquidem *Boleslaus Polonorum* Dux, non apud vicinas ſolum, ſed etiam remotius porrectas gentes & nationes cùm fama bellica, tum naturali in cunctos, 1124.

in

1123.

in exteros tamen præcipuè comitate, beneuolentia, dexteritate, & largitione celebris haberetur, multique milites ex oris lon- A ginquis cauſa conſequendæ gloriæ, & diſciplinæ militaris ad eum confluerent, inter alios adoleſcens inſignis ex *Dania* & cunctis *Danis* ea tempeſtate, forma, diuitiis, nobilitate, & ingenio præſtans, quamuis patri, qui & ipſe inter Barones & Proceres *Daniæ* primus, potior omnium Regni *Daniæ* negotiorum moderator, arbiter, & director habebatur, vnicus & charus eſſet, *Petrus* nomine in *Poloniam* aduenerat. Et cum à Rege ſuo *Daniæ* commendationis ſuæ epiſtolas ad *Boleslaum Polonorum* Ducem, quibus eum in familiarem recipi petebat, attuliſſet, & intercedentis reſpectu, & ſui meritò à luxu & leuitate abhorrentibus, magis re, quàm ver- B bis, facilius ſe quam quis poſſet *Boleslao* inſinuauit, breuique effecit, vt pro robore corporis, & ſtrenuitate in armis ſæpè oſtenſa, & pro virtute ingenii ſupra ætatem frequentius deprompta, pro morum placida & benigna conuerſatione in ſingulos demonſtrata, non ipſi ſolùm *Boleslao* Duci & ſuis aulicis, & his cum quibus vnà militabat, ſed vniuerſis Baronibus *Poloniæ* & ſatrapis, omni liuore, quod raro in homine præſertim aduena, & aulico contigit, circumſcripto, charus & gratus habebatur. Adeò autem in addiſcendo idiomate *Polonico* operam dedit, adeò ſe morigerum & tractabilem, cùm res expoſceret præbuit, adeò Rempublicam *Polonorum* C ſibi cordi fore, cùm quid arduum agendum eſſet, monſtrauit, vt non ex *Dania* ortus, ſed in medio *Poloniæ* genitus credi poſſet. Obligare eum amplius *Boleslaus Polonorum* Dux ſibi, Regnoque ſuo & vt patria ſua obliterata perpetuum deinceps in *Polonia* ageret incolatum, ſatagens, multis illi caſtris, oppidis, vicis, villis & poſſeſſionibus, & inter alias oppido *Skrzyn*, & villis, vicinis, & vniuerſo *Skrzynenſi* comitatu donatione perpetua largitus, ſplendido etiam illam coniugio, data illi virgine decora, Duciſſa *Ruſſiæ Maria* nomine, quæ primam *Boleslai* Ducis *Polonorum* coniugem affinitate propinqua contigebat, in vxorem dignificat, & amplius nobilitat, eri- D git, & extollit. Triſti interim & miſerabili caſu, quo *Daniæ* Rex *Henricus* à germano ſuo Regnum *Daniæ* vſurpaturo *Abel* nomine pluribus vulneribus obrutus, & necatus eſt, emergente, ingens theſaurus à Rege *Daniæ* interfecto, à ſuperioribus Regibus *Daniæ* longo tempore congeſtus, in manibus & poteſtate *Petri* Patris de *Dania*, paucis conſciis, relictus eſt. Qui cùm ſe grandæuum & propediem moriturum non dubitaret, veritus ne ſe obeunte tantus theſaurus in tyranni & fratricidæ *Abel* qui fratre *Henrico* occiſo Regnum inuaſerat, poteſtatem recideret, ſecreto, & expertæ fidei nuncio in *Poloniam*

1124.

miſſo, filio *Petro* regium theſaurum ad ſe perueniſſe, & in ſua manu ſitum, nullique alteri quàm ſibi ſe traditurum, denunciat. Daret proinde ordinem, vt ea potentia ſtipatus celerius *Daniam* adueniret, qua & tutus à tyranno Rege conſiſteret & theſaurum ſuæ ſorti à Patre iam deſtinatum in *Poloniam* referret. Arduam ſibi prout erat, & abſque *Boleslai Polonorum* Ducis auxilio nullatenus aggrediendam rem à Patre delatam prudenti diſcurſu ratus eam ad Ducem *Boleslaum* deſert, enixius ſupplicans Duci, *ne occaſione, benè gerendæ rei, qua perſpecta, non ſuus tantùmmodo ſed & Ducalis & totius Poloniæ ſtatus, illuſtrandus dilatandusque eſſet, intermitteret & negligeret*, quo placidiora verioraque à Patre narrabantur, eò magis *Boleslaum* Ducem mouerunt. Erogata itaque in eos milites, qui ſecum transfretaturi in *Daniam* erant, pecunia, cætera omnia, quæ ad claſſem opportuna noſcitabantur, & per ſe, & per præfectos ſumma cura, ſummoque ſtudio adminiſtrabat. Primoque tempore quo felix & tempeſtiua nauigatio patuit, mare, vt præmiſimus, *Petrum*, gratia cuius illam claſſem parauerat in ſuo comitatu habens circa oppidum ſuum Ducale *Gdansk* conſcendens, peregrinationem illam etſi ſumptuoſam, ſibique æquoris faſtidia in experto difficilem aggreſſus, nullum reſpuens pro dilatando inſigniendoque Regno ſuo periculum, vel laborem, in *Daniam* peruenit. Deſtinata autem exequuturus, quo minus ſuſpitionis, plus fauoris & gratiæ aduentus ſuus apud Danos haberet, ad vlciſcendum ſe occiſi innocentis Regis, mortem, amici ſui, aduenifſe ſimulans vniuerſos fermè *Danos* ad induendum contra tyrannum & fratricidam arma, & ad adiuuandum partem ſuam pellexit. Itaque occiſor & tyrannus à ſuis deſertus, ne viuus in poteſtatem *Boleslai* veniret, de Regno, quod ſanguine fraterno effuſo rapuerat, fugitiuus, & triſtis fuga abceſſit, caſtriſque omnibus *Daniæ Boleslaus Polonorum* Dux potitus, ea in ditionem & poteſtatem primorum Daniæ Baronum reſignans, vtque ſibi de Rege legitimo & prouido prouiderent, eoſdem exhortans, ſublato vniuerſo à Patre *Petri* propter quem venerat theſauro, vniuerſam etiam *Petri* cognationem *Petri* ſecum vehens, glorioſus & ſoſpes in *Poloniam* reuerſus, geminato *Poloniam* gaudio, & pro ſuo incolumi reditu, & pro apportato theſauro, exhilarauit. Eo autem theſauro *Petrus Danus*, qui proceſſu temporis magnus Palatinus & Comes *Piotrek* appellatus eſt, & ſeptuaginta ſeptem Eccleſias de ſectis, ac dolatis lapidibus, ignominiam *Poloniæ*, cum tunc in ea infrequentes Eccleſiæ ex muro eſſent, deterſurus, fabrefecit, & monaſteria duo, vnum in *Strzelno*, monaſterium autem Sanctimonialium Præmonſtratenſis ordinis, quod nunc etiam in *Strzelno*

rogatu Petri Dani

claſſe in Daniam proficiſcitur,

& eiecto ibi Abel tyranno


theſauros Petri Dani in Poloniam deduxit.

Petrus multa monaſteria fundat.

cerni-

1124. cernimus, præfatum Comitem *Petrum* de *Skrzyn* conſtat in villa *Kalino* propè *Izdbica* in *Wladienſi* diœceſi fundaſſe, & Eccleſiam ſub titulo & honore *Mariæ Magdalenæ* quadro & molari lapide, quam in diem hodiernum cernimus, illic fabricaſſe. Expoſt verò ad locum magis fœcundum & cultum ex loco ſterili, & parum culto, ex *Kalino* videlicet, in *Strzelno* præfatum cœnobium Sanctimonialium propter identitatem diœceſis transtuliſſe. Aliud S. *Vincentii* extra muros *Wratiſlauienſes* quadrato etiam lapide ſumptuoſè ædificatum de ordine Præmonſtratenſi, qui ſub eo tempore velut nouus multum venerationis habebat, Duce *Boleslao Polonorum* permittente, fundat & munificè dotat. Sed & genus & cognatio *Petri* pro inſigni cignum ſeu olorem in campo rubeo deferens, frequenti germine in plures familias dilatata, in *Polonia* in hanc diem perſeuerat, & nominibus, cognominibus, *Petrum* ſe originis ſuæ habuiſſe & ex Dania ortam eſſe, inſinuat, & deſignat.

Pro ea autem tempeſtate cygnum deferebat ſupra galeam, in clipeo verò pro inſigni & armis in campo albo literam quandam, capitali literæ ſimilem, tribus mediis crucibus, in parte anteriori adornatam geſtabat, quæ iuxta picturam hic expreſſam effigiata eſt.



Wolodor Ruſſiæ Dux Poloniam vaſtat.

Wolodor Præmislienſis Dux intelligens *Polonorum* Ducem *Boleslaum* in *Daniam* transfretaſſe, fœdere, quod cum *Boleslao Polonorum* Duce in *Kiow* pepigerat, & iureiurando firmauerat, violato, filium ſuum *Wlodimirum* cum exercitu ad vaſtandum *Poloniæ* regionem transmittit. Qui illam improuiſè, & nulla denunciatione præmiſſa ingreſſus, vaſtando agros, & vrendo tecta, usque verſus *Biecz* hoſtiliter nullo repreſſionem opponente graſſabatur, captaque & congeſta graui pecorum præda in *Ruſſiam* illam deduxit.

1125 *Incendium Cracouienſe.*

Variis ſucceſſibus felicibus *Poloniæ* Regno, pace tamen foris & infra proueniente, ſub *Boleslai Polonorum* Ducis regimine & auſpiciis multifario decore florente, ordinarium ſuæ felicitatis ſucceſſum, emergens caſus turbauit. Incendium enim fortuitò caſu *Cracouiæ* exortum vrbem prædictam, & ædificiorum ligneorum, pulchritudine tamen & diuitiarum, merciumque, quæ à circumuicinis Prouinciis in eam inferebantur, copia & magnitudine glorioſam & inclitam, depaſtis & conſumptis templis, ſanctuariis, & domibus reddidit deformem, & longo tempore tenuem & pannoſam. Aſſerunt nonnulli incendium ciuitatis *Cracouienſis* non fortuitò, ſed *Bohemorum* hoſtilitate accidiſſe, qui ciuitatem ipſam clandeſtina incurſione ingreſſi, ipſam flammarum dederunt incendio, offenſi, quod *Boleslaus Poloniæ* Dux hoſtem ſuum Ducem *Sobieslaum*, vbique ſpretum, vbique contemptum, & quem nec Imperator *Henricus* in ſuis dignabatur fouere dominiis, calamitoſum, & inopem exceperit. Longa ægritudine *Wladislaum Bohemiæ* Ducem cruciante *Sobieslaus* germanus ſuus, quem in *Polonia* apud *Boleslaum Poloniæ* Ducem exilium egiſſe monſtrauimus, in *Bohemiam* ſumptibus & militibus *Boleslai Polonorum* Ducis illum adiuuantibus reuerſus eſt. Prouida quoque matre eorum *Suantawa* de colliſione filiorum moleſta, & pacificatione ſollicita, operante, inter fratres ipſos diuturno diſſidentes litigio, reconciliatio tandem plena ſequuta eſt, eò magis quidem per *Wladislaum Bohemiæ* Ducem icta, quo ſe ad limen mortis propinquiùs ſentiebat acceſſiſſe. Secundo deinde idus Aprilis dùm *Wladislaus* morbo, quo vexabatur, conſumptus eſſet, *Sobieslaus*, cùm inter *Bohemiæ* Duces nullus eo maior natu relictus foret, cum fauore Baronum & populi, quamuis *Otto* filius ſenior *Ottonis*, nepos ſuus, pluribus calliditatibus illum conſequi niteretur, in *Bohemiæ* Principatum impedimentis quæ ſibi ab *Ottone* ſtruebantur, confutatis, 15. Calend. Maii iure hæreditario ſucceſſit.

Bohemiæ Duces conciliantur.

Vaſtationem Regni ſui *Poloniæ* per *Wolodorum* & filium ſuum *Wladimirum* contra ius faſque & violationem fœderis attentatam, *Boleslaus Polonorum* Dux, iuſta ira eum ſtimulante, vlturus, cum omnibus potentiis ſuis *Wolodorum* & Ducatum ſuum *Præmislienſem* inuadit, & populatione quanto longius poteſt extenſa, oppida, vicos & rura exurit. Cui *Wolodor* Dux cum ſuis & aliorum Ducum *Ruſſiæ* copiis occurrens, in loco, qui *Wilichow* appellatur, pugnam committit, ſed ab exercitu *Polonorum* frequentiſſimo exceptus in ſtipulæ modum plurimis *Ruthenorum* cadentibus, fuſus victusque & caſtris exutus eſt. Duo tunc *Ruthenorum* inſigniores milites, & in armis ſtrenui, videlicet *Nawrotynski* & *Zawſzytinski* cum pluribus aliis cæſi, captiuorum quoque ingens numerus fuit. *Wolodor* Dux ſuos in fugam effuſos inhibere non valens, pariter & ipſe fugit, & usque in *Halicz* ſe conferens, colligebat exercitum, volens denuò cum *Boleslao Polonorum* Duce, qui poſt victoriam regiones *Ruſſiæ* ſingula cæde & igne inuadens vaſtabat, con-

Boleslaus Dux Wolodorum Ruſſiæ Ducem vincit & Ruſſiam vaſtat

cõfligere. Hyems ſæua & horrida, in qua multa pecora, hominesque frigore magno periêre, & quaſſatis frigore frugibus, fames magna in regionibus *Poloniæ* ſubſequuta eſt.

1126. *Boleslaus Cracouienſem Eccleſiam ædificat, & ditat.* Beneficia multiplicia, quibus ſe *Boleslaus Polonorum* Dux propitia diuinitate per frequentes, & inſignes triumphos, & ſubactos hoſtes, gentes, & nationes, glorificatum, Regnum quoque ſuum *Poloniæ* nouerat illuſtratum, ſedulitate qua poterat, & humanitatis ſtudio, gratitudine quoque aliquali recogniturus, Eccleſiam *Cracouienſem* ad quam miro deuotionis ferebatur ardore, vltra cæteras Regni ſui Cathedrales Eccleſias magnificaturus, & muros eius, qui tunc baſſi & humiles erant, altiùs erexit & duas turres à fundamento illas initians adiunxit. Calicibus inſuper, caſſulis, crucibus, ex auro & argento fabricatis, & contextis cæteriſque ornamentis eam decorans, pro ampliori ſuo cultu ſplendore, & gloria, de ſpirituali conſilio & conſenſu *Radoſtonis Cracouienſis* Pontificis, Canonicorum *Cracouienſium* veteri numero, caſtigato quidem tunc & anguſto, viginti CanonicatusPræbendatus de decimis manipularibus per Epiſcopum *Radoſtonem* largitis, & villis aliquibus, ac poſſeſſionibus liberalitate Ducali donatis & villis aliquibus etiam coemptis propè ciuitatem *Cracouienſem* dotatos adiecit. Sua] munificentia, opera, & fauore, magna beneficia in Eccleſia *Cracouienſi*, in eam vſque diem perſeuerantia, reliquit, perpetuò duratura munimenta. Omnium tamen Canonicatuum & Præbendarum tunc à ſe & *Radoſtone* Epiſcopo *Cracouienſi* fundatarum, & dotatarum collationem, etiam ius patronatus voluit in perpetuum, circa *Radoſtonem* Epiſcopum & ſuos ſucceſſores Epiſcopos *Cracouienſes* conſiſtere.

Wolodor Præmislienſis Decimo nono Martii *Wolodor Præmislienſis* Dux moritur, & in Eccleſia S. *Ioannis*, quam ipſe fundauerat, *Præmisliæ* ſepelitur, duos filios *Wladimirum* & *Roscislaum* relinquens. Diuiſione autem celebrata, ceſſit *Wlodimiro Swinigrod*, & *Roscislao Præmislia*, collecto autem qualicunque exercitu, illum (Duces ſoli ire parum auſi) ad vaſtandam *Poloniam* transmittunt. Qui & ipſe pauore perculſus, vix fines *Poloniæ* attingens, aliquot villis circa *Wisloka* crematis, rediit. Decima quoque Maii *Wlodimir* Dux *Kiouienſis* obiit & in Eccleſia S. *Zophiæ* apud *Kiouiam* ſepultus in ſepulchro, cui *Mſciſlaus* filius ſuus ſenior ſuccedit, & in *Kiouienſi* ſolio conſedit. Alter verò frater ſuus *Iaropelk* in *Pereaslaw* tenuit Principatum. Audientes autem *Polowcy* mortem *Wladimiri*, in terram *Ruſſiæ* hoſtiliter irrumpunt, ſed à *Iaropelko Pereaslauienſi* Duce & ſua militia, qui non expectato fratrum ſuorum auxilio conflixit cum eis, victi ſunt, & plures in aquis ſuffocati.

& Wlodimir Kiouienſis Duces moriuntur.

Calixtus Papa ſecundus cùm ſediſſet annis 5. menſibus 10. diebus 6. *Romæ* moritur, & in Eccleſia *Lateranenſi* ſepelitur. Cui *Honorius* ſecundus natione *Bononienſis* per conformem Cardinalium electionem ſucceſſit. Qui ante Papatum *Lambertus* vocabatur *Hoſtienſis* Epiſcopus Cardinalis. Mortem *Calixti* Papæ, mors *Henrici* Imperatoris ſequuta eſt, qui dùm apud *Traiectum Friſiæ* vrbem morbo correptus, curiam in diebus Pentecoſtes celebraſſet, 6. Calend. Junii obiit, nullum filium poſt ſe reliquit hæredem. Quæ illi orbitas ideò iuſta diuina vltione æſtimata eſt accidiſſe, qui Patrem ſuum *Henricum* Imperatorem, quem præcepto Dominico honorare debuerat, captiuans, & in carcerem recludens, eum in carcere mori fecit. In hoc *Henrico* Imperatore quinto *Henricorum* progenies à *Saxonibus* deſcendentium in totum extincta eſt. Obitu eius *Honorius* Papa audito, legatos in *Teutoniam* miſit, electores, apud *Moguntiam* pro electione futuri Imperatoris conuentum agentes pro vniformi electione Principis prudentis, religioſi, & deuoti, Eccleſiæ hortaturos. Itaque electorum conſenſu *Lotharius* Dux *Saxoniæ* eligitur, & à *Friderico Colonienſi* Archiepiſcopo benedicitur, & inungitur. Corpus Imperatoris *Henrici* quinti per *Coloniam Agrippinam* deportatum, in ciuitate *Galliarum Spira*, iuxta Patrem, auum, proauum Imperatores, cultu Cæſareo ſepultum eſt. *Lotharius* autem *Romanorum* Regnum adeptus, omnibus cognatis *Henrici* grauis eſſe cœpit, & omnem *Henrici* progeniem humiliauit, ex quo multorum mortalium periclitatio in anima & corpore ſequuta eſt.

1126. *Calixto II. P. R. ſuccedit Honorius II. & Henrico V. Imp. Lotharius.*

Moritur & Epiſcopus *Wratislauienſis Haimo*, dùm annis propè ſex Eccleſiæ *Wratislauienſi* præfuiſſet, in cuius locum *Boleslao Polonorum* Principe fauente & conſentiente *Robertus* aliàs *Ropertus* Cuſtos *Wratislauienſis* per electionem Capitularem, via ſcrutinii celebratam ſuccedit. A *Iacobo* primo *Gneſnenſi Archiepiſcopo*, *Boleslao* Duce *Poloniæ* & Monarcha in electionem ſuam conſentiente, in *Opatow* confirmatus, & in *Caliſienſi* Eccleſia conſecratus, *Polonus* genere, ex familia Nobili *Korabitarum* ortus.

Haimoni Ep. Wratislauienſi ſuccedit Robertus.

Inter *Bohemiæ* Duces *Sobieslaum* & *Ottonem* pro Ducatus *Bohemiæ* indies gliſcente æmulatione, *Sobieslaus* cum potentia in *Morauiam* veniens, ſorte quam in *Morauia Otto* habuerat, eum eiecit, & eam *Wratislao* filio *Vdalrici* in poſſeſſionem tradidit. *Otto* autem conſpectum *Sobieslai* fugiens, ad *Lotharium Romanorum* Regem confugit, petito ab eo ſubſidio, & obtento, cum rediiſſet habens *Lotharium Romanorum* Regem ſecum circa oppidum *Chlumek*, prælio inito, non victus *Otto* ſolùm, ſed occiſus eſt. Plures de *Almanis*, aut occiſi, aut capti. Ipſe quoque *Lotharius Romanorum* Rex ſuis ex

Otto Bohemiæ Dux in prælio contra fratres cadit.

ex acie cadentibus fugere coactus, primitias Imperii ſui clade inſigni & turpi fuga fœdauit.

Boleſlao naſcitur filius ſecundus Boleſlaus Criſpus.

1127. Conſors *Boleſlai Polnorum* Ducis *Athleida*, & ſoror germana *Henrici* Imperatoris quinti nuper defuncti, alterum infantem *Boleſlao* effudit, & mœrorem de morte fratris Imperatoris *Henrici* conceptum, noua filii natiuitas temperauit. In baptiſmo puer Patre iubente, paternum & auitum nomen ſortitus *Boleſlaus* accipit. Qui ab ipſa infantia cæſariem à natura criſpam nactus etiam ex re adeptus cognomen *Boleſlaus Criſpus* tempore procedente vocitatus eſt.

Tranſlatio S. Adalberti.

Latebant vſque ad ea tempora B. *Adalberti* Martyris & Pontificis *Gneſnenſis* olim *Pragenſis* oſſa in *Gneſnenſi* Eccleſia occultiſſimis locis, ne à *Bohemis*, aut aliis nationibus raperentur, ſcrupuloſè condita, & accuratiſſimè cuſtodita, quorum locum non niſi ſoli *Gneſnenſi* Archiepiſcopo, & paucis Prælatis ac Canonicis ſcire & noſſe conceſſum erat. Verùm Metropolitanus *Iacobus Gneſnenſis* inſpiratione diuina permotus, ſuorum Prælatorum & Canonicorum *Gneſnenſium* communicato conſilio, non tulit, vt oſſa B. viri amplius in occulto deliteſcerent. Et proinde 7. Calend. Martii, primùm caput S. *Adalberti*, deinde vniuerſa ſacri corporis oſſa, ex abditis locis in lucem & in publicum pro conſolatione Regni *Poloniæ* & *Polonorum* vniuerſorum produxit, & ad colendum fidelibus vniuerſis, perinde ac ſi nouiter reperta eſſent oſtendit, & reuelauit.

Laurentio I. Ep. Poſnanienſi ſuccedit Martinus I.

Grandæuus ætate & ſenio confectus *Laurentius* primus *Poſnanienſis* Epiſcopus fato abſumitur, dùm annis vno & viginti ſediſſet, in Eccleſia *Poſnanienſi* ſepultus. *Martinum* primum Decanum *Poſnanienſem* à capitularibus concorditer electum, *Polonum* genere, de obſcura ſtirpe progenitum habuit ſucceſſorem. Quem *Iacobus* primus Archiepiſcopus *Gneſnenſis* poſt conſenſum *Boleſlai* Ducis & Monarchæ *Poloniæ* apud *Lancitiam* confirmat, & ad ordinem Pontificalem conſecrat.

Wlodimirus & Roſciſlaus fratres inter ſe diſſident.

Clandeſtinæ ſimultates & odia inter germanos fratres, *Wlodimirum*, & *Roſciſlaum*, filios olim *Wolodori Præmiſlienſis* Ducis exortæ, ad tàm graues deteſtandaſque prodiêre inimicitias, vt Principatibus ſuis crudeliſſimè vaſtatis, vnus alteri mortem, & exitium machinaretur, & quo id facilius peragerent, exterorum ſubſidia vterque quæſiit, *Wlodimir Pannoniorum*, *Roſciſlaus Ruthenorum*. *Vngaris* autem ſerius *Wlodimiro* auxilia, quæ implorauerat ferentibus, *Roſciſlaus* nactus *Ruthenorum* auxilia, videlicet *Mſciſlai Kiouienſis* Ducis ac *Gregorii* & *Iwanii Waſilkowicz* contra *Wlodimirum*, veniebat. Interim verò per Barones & milites inter fratres de pace componenda agi cœpit. Qui cùm apud *Scirecz* pluribus diebus pacem componere laboraſſent, re infecta, ad arma reditum eſt. Et 1127.
A *Roſciſlaus Præmiſlienſis* Dux, de potentia ſuorum auxiliariorum confidens fraternum caſtrum *Swinigrod* vallat, & oppugnat, facilem eius ratus futuram expugnationem. Sed cùm caſtrum prædictum à tribus millibus virorum, quos *Wladimirus* in eo locauerat, ſtrenuè defenderetur, *Roſciſlaus* aliquot militibus de ſuis deſideratis, ſoluta obſidione diſcedit. Quam licet cum iiſdem potentiis altera vice maiori conatu reſumpſiſſet, ſpei tamen ſuæ videns aduerſum reſpondere effectum, quoniam gentes obſeſſæ *Wladimiri* eruptione è caſtro facta ingentibus ſuis edebant, ſtragem ab obſidione diſcedit.

Contra Lotharium Imp. eligitur Conradus.

B *Lotharii Saxoniæ* Ducis ad Imperium electionem ſuperiori tempore, Summo etiam Pontifice *Honorio* ſecundo id procurante, factam, pauco interpoſito tempore quidam ex electoribus reſcindere conati, *Conradum* Ducem *Sueciæ* ſororinum germanum Imperatoris *Henrici* quinti, in Regem *Romanorum* eligunt, pacificamque *Almaniam* bellorum ſtridoribus inuoluunt, non enim deerant Principes & Barones *Almaniæ*, qui adhæſione ſua ortum ſchiſma nutrirent. Ignominiam autem & iniuriam ſibi præter æquum & meritum illatam *Lotharius* Rex non ferens, ex omnibus *Almaniæ* terris ſuæ ditioni parentibus contrahit exercitum, auxi- 1128.
C liares quoque Principes in ſuum auxilium conducens, contra *Conradum* competitorem ſuum exercitum ducit. Neque *Conradus* alter electus detrectat pugnam, quippe & ipſe ex plurimis Principibus & gentibus ſuas partes ſequentibus, de hoſtilitate *Lotharii* non ignarus, copias ad decernendum parauerat. Prælio magno feruore partium vtrarumque gerebatur & dùm frequentes mortales, & pugnatores nobiles in parte vtraque concidiſſent, ad extremum pars, *Lotharii* præualuit, & *Conrado* in fugam cum ſuis conuerſo, Deo etiam iuſtiorem adiuuante, famoſam victoriam pluribus de parte *Conradi* captis obtinuit. Ea quoque clade *Conradus* fractus amplius ius ſuum proſequi deſtitit, ſed ſuadentibus omnibus arbitris & gentibus ſe *Lothario* reconciliauit. Cuius reconciliationis B. *Bernardus Clare vallis* Abbas fuiſſe ſcribitur principalis mediator.

ſed mox reconciliantur.

Sobieſlaus Bohemiæ Dux poſt adeptum Principatum, & poſt relatum de *Lothargio* Rege *Romanorum* triumphum, in tyrannidem inſolentiamque verſus, nepotibus ſuis filiis fratrum ſuorum intolerabilis eſſe cœpit, & primum quidem *Conradum* filium *Leutoldi* fratris *Vdalrici* captiuans, eum in vincula in caſtrum *Wiſſegradenſe* coniecit. Paulò verò poſt in *Sobieſlaum* & *Bretiſlaum* fratres germanos, filios verò *Conradi* ſenioris fratris quondam

1128. dam *Wratiſlai* primi *Bohemiæ* Regis, cum nec verbo etiam inclementiori, nec facto in eum deliquiſſent, ſola ſuſpicione in eos manum extendit, & vtroque capto, ambos captiuitati in caſtro *Domin* includit.

Boleslaus Polonorum Dux cum notabilibus nunciis ex Regno *Daniæ* ad eum transmiſſis, apud *Wielun* magnificum tenuit conuentum, vbi *Geslaum* ſeditiones, & furta agentem combuſſit, & filiam Regis *Danorum* adductam filio ſuo per Barones *Daniæ* cum magnifica dote accepit in vxorem, nuptiasque ſumptibus profuſis celebrauit. Baronesque & Nuncios *Daniæ*, qui virginem ipſam attulerant, donis plurimis muneratos in *Daniam* remiſit.

Grauem hoſtem & aduerſarium ſuum *Roſciſlaum Premislienſem* Ducem, à quo ſæpius laceſſitus & inuaſus erat *Wladimirus* Dux de *Swinigrod* non ferens, in *Vngariam* cum vxore & familiis tranſit, *Vngarorum* auxilia contra fratrem *Roſciſlaum*, qualibet arte ac ingenio quæſiturus. *Balduino* Epiſcopo *Cruſuicienſi* obeunte *Swidgierus* primus in Pontificatum *Cruſuicienſem* ſuccedit, vir generis *Almanici*, ſuauium morum comis & humanus ab *Honorio* Papa II. miſſus.

1129. *Boleslaus religionis cauſſa ad monaſterium S. Ægidii in Galliam peregrinationem ſuſcipit.*

Facinus ſuum *Boleslaus Polonorum* Dux quod in fratre naturali *Zbigneo* necando, & *Scarbimiro* Palatino *Cracouienſe* excœcando admiſerat, quamuis iuxta conſilium & commiſſum confeſſoris acta pœnitentia expiaſſet, Pontifices quoque Abbates monachi & Sacerdotes in vniuerſis ferè Regni ſui Prouinciis & Eccleſiis hoſtias & obſecrationes pro illius expiatione frequentius obtuliſſent, ampliori tamen pœnitentia diuinam clementiam placaturus, peregrinationem ad monaſterium S. *Ægidii* in *Gallias* aſſumit. Sancti quidem *Ægidii* meritis ex matre ſterili memorans ſe productum, illius etiam ſuffragio reatus ſuos, quàm maximè confidebat deleri. Quo autem pœnitentia ſua atque peregrinatio voluntariè aſſumpta magis efficeret diuinitatem propitiam & placatam, Quadrageſimale tempus omne in magna abſtinentia rariſſimè cibos guſtans, in pane & aqua ieiunans, cilicioque carnem affligens, huiusmodi quoque cilicio tectus ſomno preſſus, quietem capiens, in cinere ſe volutans, in largiendis eleemoſinis, in alendis pauperibus, in abluendis peregrinorum & miſerorum pedibus, in orationibus & vigiliis adeò continuo abſumpſit, vt tam dura pœnitentia ſua plurimis eſſet in admirationem. Priuato deinde habitu, ne agnoſci poſſet indutus, ſacerdotibus verò & clericis, & aliquibus laicis timoratis pro comitibus huius itineris, cujus pauci ex Baronibus erant conſcii, aſſumptis, in *Franciam* poſt Feſtum Paſchæ *Ægidium* Patronum & alumnum ſuum aditurus, perexit. Sed nec in peregrinatione de huiusmodi auſteritate quicquam remiſit, quinimo abſtinentiam ſemel cœptam continuans, etiam A aliquid illi ſuperaddere ſtudebat. Nam & ſingulis diebus hoſpitio egreſſus, horas maiores Canonicas, & horas B. *Mariæ* Virginis minores, deinde Pſalmos pœnitentiales, frequentius etiam vigilias defunctorum adiungendo, pedibus nudatis deuotus pſallebat, nec prius calceis vſus eſt, donec vniuerſum officium horarum prædictarum abſoluiſſet. Ingenti quoque liberalitate in Deum, Eccleſias, & pauperes vſus, nullam Eccleſiam Cathedralem, Abbatialem, Collegiatam, aut Conuentualem, cui donum aliquod in auro, vel argento inſigni non conferret, reliquit, B nullum hoſpitale, nullum egenum ſine conſolatione munifica pertranſiit. Cùm verò ad Monaſterium S. *Ægidii* ventum eſſet, Abbas loci iam de eius aduentu certificatus, proceſſionis honore quem ſibi Dux deferri moleſtè ferebat, eum excepit, deinde ad monaſterium ſiue Eccleſiam ingreſſus, ad locum tumuli S. *Ægidii* cum magna lachrymarum effuſione ſe proſternens, gratiarum actiones S. *Ægidio*, quod eius meritò editus fuerat, quod eius ſuffragiis in multis præliis victor euaſerat, & tanto tempore viuens ſuum venerandum ſepulchrum adierat, celebrabat. Quindecim tandem diebus in maxima deuotione & abſtinentia, ita vt monachos religione vinceret, in monaſterio S. Æ-C gidii magna charitate Abbate, & fratribus eum tractantibus demoratus, dona excellentia S. *Ægidio*, & monaſterio ſuo relinquens, eodem religionis, deuotionis & liberalitatis in redeundo, quem in eundo præſtiterat, tenore ſeruato, ſoſpes in *Poloniam* aduenit & maximo gaudio, maximaque hilaritate ab Eccleſiaſticis & ſecularibus ſaluum illum, votique compotem, ex tam longinqua peregrinatione reuerſum lætantibus, exceptus eſt.

1129. *Mſciſlaus Kiouienſis* Dux, cui frater ſuus *Iaropelkus Pereaslauienſis* Dux in Principatu *Kiouienſi* ſucceſſit moritur, *Kiouienſibus* vltro pro *Iaropelko* Nuncios mittentibus, & illum cum gaudio & honore excipientibus. Na-D ſcitur *Wladislao* primogenito *Boleslai Poloniæ* Ducis ex *Chriſtina* Duciſſa filius, qui *Mietzslaus* nomen ſortitus, etiam *Laskonogi* ob proceritatem tibiarum cognominatur. Septima die menſis Maii *Simon* Epiſcopus *Plocenſis* dum annis vno & viginti ſediſſet hepatis dolorem incurrens, moritur, & in *Plocenſi* Eccleſia ſepelitur. Cui æque bonus vir *Alexander* natione *Polonus*, genere nobilis, de domo & familia *Dolega* per electionem Canonicam ſucceſſit, inſtante & conſentiente *Boleslao Poloniæ* Duce & Monarcha, à *Iacobo Gneſnenſi* Archiepiſcopo confirmatus, & conſecratus ad Cathedram *Plocenem*. Meminit & huius *Vincentiana* Chronica & ſingulari cum laude efferens, ſcribit *Maſouiam conſiliis eſſe* for-

Simoni Plocenſi Ep. ſuccedit Alexander.

1129.

fortem, & vernantiſſimam militiæ flore & Maieſtatis. Inter cuius primores homines Alexandrum Plocenſem Epiſcopum ſumma dignum admiratione duco, qui tàm diuerſis ac ſummis rebus ſufficere potuerit? idem agnus & Leo, idem lupus & Dux gregis, idem Præſul & miles ſimul armatus, & deuotus, vt inter iuges armorum excubias, nil, quod ſuum erat, deuotionis, neglexerit. Magnus quidam Alexander Macedo in præliis, ſed in diuinis obſequiis maior Alexander Plocenſis Epiſcopus. Nam vt extructas ab eo Baſilicas alicuius inuidiæ ſilentio prætercam, irreligioſus quo pacto æſtimabitur, qui tàm conſpicuum B. Virginis templum erexit & conſumauit; quod non ſolum intrinſecis & ſpiritualibus dotauit & locupletauit apparatibus ac ornamentis, ſed etiam armis muniuit materialibus, & neceſſariis vndique comuniuit, & ſopiuit præſidiis.

1130. *Boleſlaus ad B. Stephani corpus in Vngaria,*

Peregrinatione *S. Ægidii* in *Galliis* votiuè obita, in aliud rurſus *Boleſlaus Polonorum* Dux ſcelus ſuum, maiore qua poterat pœnitentia purgaturus & ſuperiori fatigæ aliam rurſus adiecturus, ſe conuertit, & ad ſepulchrum *B. Stephani Vngariæ* Regis, cuius corpus in oppido *Albæ Regalis* diœceſis *Veſperimenſis* requieſcit, pedeſtri itinere ire perexit. Quem ad huiuſmodi peregrinationem pergentem, longus Eccleſiaſticorum & militarium de Regno *Poloniæ* ordo ſequebatur. Adhæc & commeatus, & Ducalis ſuppellex, in quadrigis & euectionibus ducebantur, non enim ſub habitu diſſimulato, vt priore, ſed notiore *Boleſlaus* Dux peregrinationem huiuſmodi peragebat. *Stephanus* autem *Vngariæ* Rex & ſocerum, & rarum ſoſpitem honoraturus, plures milites familiares, & Curienſes ſuos, qui Ducem *Boleſlaum*, cum ſuis omnibus & hoſpitiis exciperent, & omnibus neceſſariis abundè tractarent præmittens, ipſe quoque *Stephanus* Rex ad *Budam* ei occurrit, & magno honore ſocerum ſuſcipiens, in *Albam Regalem* vſque perduxit, pluribuſque donis ſe, & ſocero ſuo dignis, *Boleſlaum* Ducem & comites ſui itineris munerans, etiam eos qui redeuntem iiſdem officiis proſequerentur, in frequenti numero adiunxit. *Boleſlaus* autem *Poloniæ* Dux corpore ſacro viſo & adorato, Eccleſia *Albæ Regali*, cæteriſque Eccleſiis Cathedralibus, Collegiatis, & conuentualibus, per quas tranſitus facere contingerat, Ducalibus & munificis donis largitis in *Poloniam* regrediebatur, Pontificibus & Baronibus *Vngariæ* certatim illum diuertere per multas preces, in ſua domicilia atque loca cogentibus. Quorum petitiones repudiatum iri turpe putans, & in eorum ædes deſcendens ægre ferebat in peregrinatione pro maceratione & afflictione carnis ſuſcepta, ſe ſplendide tractari, cum in excipiendo, Pontifices & Barones *Vngariæ* variis officiis & æmulatione certarent, *Cracouiam* tandem reuerſus, quamuis defatigatus & anhelans, *Gneſnam* tamen reuerſum ad limina Beati *Adalberti* Martyris & Pontificis glorioſi, patronum quoque Regni honoraturus, & viſitaturus contendit. Et quanto vrbi *Gneſnenſi* propinquior erat, tanto nudo pede iter faciendo, maiori ſe deuotione & afflictione, fletibus quoque frequentibus rigans, ora aſtringebat. Quò cùm perueniſſet, multis diebus ad ſepulchrum S. Dei *Adalberti* deuotione ſingulari intentus, dimitti ſibi ſcelus ſuum proſtratus, cum lachrymarum profluuio precabatur. Octuaginta deinde marcis auri puriſſimi, lapidibus inſuper, & gemmis rari pretii, raræque quantitatis dro fabricando ſacrophago corpori ſacio oblatis, Pontificibus quoque Canonicis, & Eccleſiaſticis perſonis Baronibus, militibus, & ſingulis, qui vnà ſecum tunc erant, de nobili indumento veſtitis, omnibus quoque Eccleſiæ *Gneſnenſis* miniſtris, ita vt nec ſanctuarios negligeret, donatis inde diſceſſit.

1130. & deinde Adalberti Gneſnam pedibus it.

Sobieſlaus Bohemiæ Dux in ſuos ſæuit.

Sobieſlaus Bohemiæ Dux plures *Bohemiæ* Barones præſertim de cognatione *Vrſouicenſium* quoſdam etiam familiares & *Curienſes* ſuos, de nece ſibi ſubordinatione nepotis ſui *Bretislai* filii *Conradi*, quem ceperat, & captiuum tenebat, inferenda inſimulatos, vario mortis & pœnarum genere conſumpſit, & *Bretislaum* Ducem nepotem ſuum miſerabiliter excæcat. Adeo inſuper inſimulatio ipſa in plures perducta fuit, vt etiam *Menchardum Pragenſem* Epiſcopum & nonnullos Eccleſiaſticos contingeret.

1131. *Caſimirus Boleſlai filius moritur.*

Primogenitus *Boleſlai* Ducis *Polonorum Caſimirus* ex *Athleida* ſorore *Henrici* quinti *Romanorum* Imperatoris ſuſceptus, cum ex continua ægrotatione debilior ſenſim efficeretur, tandem, morbo ingraueſcente mortuus, magno *Boleſlaum* parentem luctu & dolore confecit. Sed cùm Duciſſa filia *Romanorum* Regis alium peperiſſet infantem, cui in baptiſmo iuſſu paterno *Mieczslaus* nomen datum fuit, dolor parentum alleuiatus eſt. In tantam autem *Mieczslaus* infans tunc natus prudentiam induſtriamque temporis proceſſu euaſerat, vt cunctis compoſitos eius mores modeſtiamque & ſapientiam in ætate nondum matura relucentem, mirantibus cognomen ſenis à maturitate inditum fuerit.

Stephano Hungariæ Regi ſuccedit Bela cæcus.

Stephanus Hungariæ Rex & *Boleſlai Polonorum* Ducis gener, filius *Colomanni* cum annis 18. & menſibus 5. *Hungariæ* Regnum tenuiſſet, moritur & in *Varadino* ſepelitur. In cuius locum *Hungari* filiis *Stephani* iuſto Dei iudicio, cùm auus eorum *Colomannus* in ætatem infantilem deliquiſſet, contemptis, & neglectis, *Belam* cœcum filium *Almi*, quem *Colomannus* Rex ſucceſſurum, neglectis ſuis filiis & nepotibus veritus, de gremio materno, dùm adhuc infans eſſet, ereptum cæcauerat, in Re-

1131. Regem aſſumunt, & *Albam regalem* deductum quarto idus Maii coronant. Hic procedente tempore cum ex *Helena* filia Imperatoris *Conſtantinopolitani* quatuor filios videlicet *Geiſam, Wladislaum, Stephanum* & *Almum* ſuſcepiſſet, inſtigante vxore 68. Barones & nobiles, qui ſuæ cæcationi ſuggeſtionem & conſenſum dediſſe ferebantur capite damnauit, & progeniem eorum exterminari præcepit, bona verò Eccleſiis Cathedralibus diſtribuit.

Honorio II. P. R. mortuo ſchiſma continuatur.

Honorius Papa ſecundus cum annis quinque menſibus duobus diebus tribus ſediſſet, moritur & in Eccleſia S. *Ioannis* de *Laterano* quæ & *Conſtantiana* vocatur, honorificè tumulatur, Poſt cuius mortem grandis in Eccleſia Dei turbatio, propter diſcordem Cardinalium electionem ſequuta eſt. Maior enim & ſenior pars *Innocentium* ſecundum natione *Romanum* ex Patre *Ioanne* pro vero ſummo Pontifice elegit, minore parte *Petrum Leonis*, qui ſe *Anacletum* vocari iuſſit, eligente. Cùm autem *Petrus Leonis* potentior eſſet, dùm & *Romanorum* maior pars & rogans *Siciliæ* Dux partes ſuas promoueret, *Innocentius* cum ſuis Cardinalibus in domibus *Frangepanenſium* in *Coliſeo* ſe tyrannidem *Petri* euaſurus recollegerat. Verùm cum tyrannis *Petri* dietim creſceret, *Petrus* quoque ipſe Eccleſiam S. *Petri* crucifixo aureo, & duodecim coronis reliquoque theſauro, & cæteras vrbis Eccleſias ſpoliaſſet, theſauro quoque ipſo multos *Romanorum* corrupiſſet, veritus *Innocentius* ne ab eo inualeſcente potentia caperetur, in *Franciam* per mare tranſiit, vbi partem *Petri Leonis* in *Claro monte* congregato concilio damnat, & *Lotharius Romanorum* Rex de auxilio ſibi ferendo requiſitus illud prompte & deuotè obtulit ſe præſtiturum, de quo Papam *Innocentium* per ſolennes nuntios videlicet *Conradum Wimanenſem*, & Ekibertum *Monaſterienſem* Epiſcopos certificat.

1132. *Boleslaus filios Stephani Hungariæ Regis reſtituturus, expeditionem ſuſcipit,*

Filii *Stephani Hungariæ* Regis, à ſucceſſione *Hungarici* Regni, *Bela* cæco coronato, excluſi, & ne extremum pati aliquid cogerentur, pauore conſtricti, cum matre ſua *Iuditha* filia *Boleslai Polonorum* Ducis, & nonnullis *Hungaris* partem eorum ſecutis ad auum *Boleslaum Polonorum* Ducem veniunt, vitam, ne eriperetur, ſeruaturi. Quorum pupillari conditioni *Boleslaus Polonorum* Dux conſulturus, & pupillos in Regnum paternum reducturus expeditionem in *Hungariam* parat, eò quidem facilius quò nulla ſuberat vicinæ hoſtilitatis in dominia ſua ſuſpicio, verùm credulitati ſuæ diſpar effectus reſpondit. Potentiam enim ſuam *Bela Hungariæ* Rex veritus cum *Sobieslao Bohemiæ* Duce fœdus contra *Boleslaum Poloniæ* Ducem init. Quod à *Sobieslao* & *Bohemis* eò minus conctanter ictum eſt, quò magis ad bellum *Poloniæ* inferendum procliues erant. Horum omnium quæ contra ſe gerebantur, *Boleslaus Polonorum* Dux ignarus, cum magnis copiis in *Hungariam* ingreditur, & eam vaſtat, exuritque. Cui cùm exercitus *Hungaricus* præſentia *Alberti* Marchionis *Auſtriæ*, qui ſororem *Belæ* habuerat, & ſuorum gentium robore adiutus, vaſtationem & exuſtionem Regni prohibiturus, à *Bela* Rege miſſus in *Sczepuſio* occurriſſet, durum prælium conſeritur inter vtroſque. Feruente deinde pugna, *Hungarorum* & *Almanorum*, res, deteriori loco eſſe cœpit & his, qui in primis ordinibus erant victis, reliqua multitudo, cui *Boleslaus* Dux parci iuſſit, ſine vllo negotio in fugam acta eſt. Ad *Budam* ergo *Boleslaus* Rex *Polonorum* exercitum ſuum ducturus, iam penè medium iter exegerat, cùm *Sobieslaus Bohemiæ* Dux iuris hoſpitii, iuris quoque affinitatis, qua *Boleslaum Poloniæ* Ducem contingebat, oblitus, fœdere cum *Bela Hungariæ* Rege icto, ſatisfacturus, *Poloniæ* Regnum ingreſſus, illud in *Wratislauienſi* regione peruaſtat, depopulatur & exurit. Quod nouum ad *Boleslaum* in *Hungariam* perlatum diu, quid ageret, quoue exercitum verteret, deliberantem in ambiguo tenuit. Vicit tandem vicinior & vtilior cauſa, *Polonis* quoque omnibus ſatius propria, quam aliena tueri conclamantibus, ex *Hungaria* reditum eſt, non ſine filiorum *Stephani* Regis, qui & ipſi in caſtris iam tunc cum eo militabant, magna triſtitia & mœrore.

ſed Sobieslao Bohemiæ Duce Poloniam vaſtante reuerti cogitur.

Ac contra *Sobieslaum Bohemiæ* Ducem, directiori via, *Hungaria* relicta, eundum erat. Sed agmen graue, longum etiam terrarum ſpatium emenſum tardius progreſſum, *Sobieslao Bohemiæ* Duci ſpatium dedit, vt ſe cum ſuis & præda, in *Bohemiam* reciperet.

A *Iaroslao* & Andrea *Ducibus* caſtrum *Kiow* cum gentium ſuarum robore obſidentibus, *Iaropelkus* Dux *Kiouienſis* per tractatus & Conſiliarios communes, pacem init cum eis, & dat *Andreæ Pereastaw*, & *Iaroslao Swientoslawicz Wladimiriam*. Produxit & hoc anno Duciſſa *Polonorum* conſors *Boleslai* filium, qui in honorem & memoriam, & aui *Henrici*, & auunculi ſui *Henrici* Imperatoris *Romanorum*, *Henricus* primus eſt appellatus, eò quod in genealogia Regum & Principum *Poloniæ* id nomen tùm primum inditum eſt, ne ſtirpis Cæſareæ *Henricorum* penitus aboleretur memoria.

Boleslao naſcitur filius Henricus,

1133. *Boleslaus altera vice Hungariam inuadens*

In *Bohemiæ* bellum inferendum *Boleslaum Polonorum* Ducem magno conatu, magnaque & iuſta ira intentum filii *Stephani Hungariæ* Regis, & nonnulli Barones & nobiles *Hungariæ* qui *Bela* Rege deſerto ad filios *Stephani, Hungariæ* Regis ſe contulerant, magnis precibus expugnatum peruincunt, vt cum his gentibus quas contra *Bohemiam* parauerat, in *Hungariam* potius traiiceret. Prouinciæ itaq; *Wratislauienſi* militibus ad oppo-

1134. *tem ſuperiori tempore eam contumeliam metu ferre oportuit, ne Boleslai & Polonorum armis maioribus quàm ante cladibus inuoluti* A *premeremur, nunc tamen Boleslao & Polonis, Bohemico & Pannonico bello occupato cum à tergo & fronte grauis & potens vrgeat hoſtis, ea nobis occaſio quam ſæpè venturam precabamur oblata eſt, per quàm, ſi originis atque ingenuitatis noſtræ reminiſci volumus, facilè iugum excutiemus, & in libertatem nos atque patriam noſtram vindicabimus, neque enim Boleslaum Polonorum Ducem ad tria ſimul bella gerenda ſuffecturum credi fas eſt, ſi Hungarico & Bohemico bello noſtrum tertium acceſſerit, & poſtquam conſtiterit Ruthenos, per quos hactenus tàm Bohemis quàm Hungaris formidabilis fuit, ſibi rebellaſſe, & ex auxiliariis hoſtes factos eſſe. Itaque me* B *autore, me Duce, reſtituite vobis & liberis atque poſteris veſtris libertatem, ne nos qui in libertate geniti ſumus, in ſeruitute conſeneſcere, & hanc ignominioſam ſortem poſteris noſtris relinquere contingat.* Huic orationi cùm facilè omnes Primores aſſenſi fuiſſent, omnes concorditer in rebellionem opportuno tempore patefaciendam conſpirant, & ne prodi intempeſtiuè poſſet, coniurant. Non tamen coniuratio ipſa tàm ſincere ſeruata eſt, quin extemplò ad *Boleslaum Polonorum* Ducem eius vniuerſus tenor & ordo perueniret. Nam vt ſunt *Ruthenorum* fluxa ingenia, facilè perfluunt, & ſecretum inter eos perrarum eſt, quod caſtius ſeruaretur. C Mouit ea nouitas *Boleslaum*, & plurimam illi, ne tot bellis vno & eodem tempore implicitus, periculiſque ſubiaceret, curam excitauit, Conſiliariis itaque celeriter accerſitis, quid agi in tam periculoſo negotio placeret perquiſiuit. Et variis varias ſententias dantibus, a ſingulis tamen *Ruthenorum* gliſcens conſpiratio, niſi celeriter opprimeretur, ingens vulnus ſtatui Reipublicæ allatura concludebatur. Erat inter *Poloniæ* Barones *Petrus Wloſczowicz* de *Xiaz* Comes, in quo inter alios Conſiliarios Ducales vis animi conſiliique ſupra cæteros vigebat. is ſententiam iuſſus dicere, *fruſtra ramos & ſarmenta ab arbore decutienda* aiebat, *ſtipite & radice non ſucciſa, nec poſſe vndas areſce-* D *re riuo & originali fonte defluente. Superfluum*, deinde ſubinſerebat, *cum Prouinciis Ruthenorum rebellionem meditantibus bella ſuſcipi, ſi rebellionis & conſpirationis autor, & omnium malorum commentor Princeps Iaropelkus Wladimirowicz primus obſeſſus non fuerit, tunc enim omnium aliorum Ruthenorum molimenta ceſſatura.* Ei ſententiæ cùm omnes fuiſſent aſſenſi, *Petrus* ipſe negotii conficiendi onus, *Boleslao Polonorum* Principe illum multiplicibus impenſis adiuuante, ſuſcipit. Vt autem negotium, quod conſecuturus erat, faciliùs procederet, & votiuum conſequeretur effectum, calliditate & ingenio vafro opus erat. Itaque *Petrus Wloſczowicz* Comes de *Xiaz* paucis fidis comitibus, & eorum quæ agenda erant, penitus ignaris, coaſſumptis, ad *Wladimirum* Principem cum vultum & habitum gerens, qui triſtem eum, & aliquid paſſum ſignificabat, acceſſit. 1134. *quem Boleslaus aſtu per Petrum Wloſczowicz capit* A quo cum cauſam itineris Princeps *Iaropelkus* curioſius ſciſcitaretur, *exulem ſe, & Boleslai Polonorum Ducis frequentibus iniuriis, & grauaminibus laceſſitum* aſſeruit. *Ad poſtremum autem ne quid grauius in ſe conſultum iri experiretur, voluntarium exilium elegiſſe, ad Principem, cuius ſibi & comitas & humanitas dudum nota eſſet, declinaſſe, precari vt ſe ſuſcipere & conſouere non aſpernaretur.* Gratus fuit *Iaropelko* Duci *Ruſſiæ Petri Wloſczowicz* aduentus, gratus & *Ruthenis*, opportunoque tempore, quo deſtinatam rebellionem executuri erant, illum ſibi velut diuinitus miſſum aſtruebant acceſſiſſe. Suam quoque acceſſionem magnum rebus ſuis præſtare debere adiumentum, vnde & rebellionem conceptam maturius ſemper poſſe perficere prætendunt, *Petri* quoque *Wloſczowicz* exulis & *Boleslai* ac *Polonorum* hoſtis ductu & conſilio, bello ſe accingunt, *Boleslaum* & *Polonos* aggreſſuri. Sæpius autem *Petrus Wloſczowicz* a ſuis familiaribus, quænam cauſa eum in exilium egerit, cum nullam ipſi noſſent, interceſſiſſe ſciſcitantibus, *quietos eos eſſe & nullis amplioribus quæſtionibus ſuper hac re impeti, atque ſub taciturnitate & ſilentio euentum rei a ſe gerendæ operiri* iuſſit, *vt vbi opus facto eſſet, confeſtim armati, paratique exiſterent.* Opportuno itaque tempore, dum Principem *Iaropelkum Wladimirowicz* paucis comitatum pranſum ſediſſe conſpexit, explorato, ſuis, *vt arma capeſſerent*, edixit, *Iaropelkum*, dicto parentibus, atriumque vbi Princeps accumbebat, ingreſſus, hoſtem ſe pro hoſpite profeſſus corripit, & reſiſtere conantem humo ſternit, coniectumque vinculis in *Poloniam* celeri curſu, omnibus fluuiis, quorum ſibi nauigia ante prouiderat, ſuperatis, tranſportat, & pro fatali ac inſigni munere, *Boleslao Polonorum* Duci præſentat. A quo benignè, & in conſiliis, & in concionibus laudatus, quod ſolius ſui capitis periculo grande bellum a patria auertiſſet, multis etiam poſſeſſionibus atque muneribus, pro tàm inſigni facinore nobilitatus eſt, *Wladimirowicz* Principis captiuitas cæteros *Ruſſiæ* Principes & Barones prodita coniuratione & nonnullis aliis, qui cauſam coniurationi præſtiterant, caſtigatis in fide continuit, & bellum magna iam ex parte cœptum ordiri, diſſoluit.

Maioribus copiis, maioreque inſtructione, & apparatu in bellum *Bohemicum Boleslao Polonorum* Duci, vltum ſuas iniurias profecturo, literæ & Nuncii à *Lothario Romanorum* Rege afferuntur, quibus *Boleslaus* ipſe benignè petebatur, *quatenus bello Bohemi-* 1135.

1135. *mico omiſſo ad ſe venire perſonaliter non cunctetur*, offerens *ſe inter eum & Ducem Bohemiæ Sobieslaum æquis conditionibus pacem*
A
compoſiturum. *Lothario* autem *Romanorum* Regi prædicto in *Italiam* ad res Eccleſiæ turbatas ordinandas, & pro adoptione Imperialis coronæ ituro, à *Sobieslao Bohemiæ* Duce ſuggeſtum fuit, vt diſſidium horrendi prius belli inter ſe & *Polonos* tolleret, neque enim modum ſe reperturum, quo *Lotharium* in *Italiam* proficiſcentem debitum è ſuis gentibus ſubſidio iuuare poſſet, bello vicino implicatus. *Boleslaus* autem *Polonorum* Dux *Lothario* Regi *Romanorum* ſuæque fauorabili inuitationi, cum id frequens conſilium *Polonorum* probaret, geſturus morem, in co-
B
mitiua inſigni & notabili ad *Lotharium Romanorum* Regem in *Almaniam* in *Bamberg* tranſiit. Quo cùm vna & *Sobieslaus Bohemiæ* Dux aduenïſſet, pluribus diebus de pace inter *Boleslaum Polonorum* & *Sobieslaum Bohemorum* Duces reformanda, *Lothario* Rege mediante, caſſo labore certatum eſt, neque pax æquis conditionibus, vtroque Duce plus iuſto ſuas æſtimante iniurias componi poterat. Ne tamen negotio infecto, & plus animis his, quæ vtrinque iactata fuerant probris irritatis, quam pacatis diſceſſio Ducum fieret, ipſe quoque *Lotharius* ne *Bohemicali* ſubſidio fruſtraretur, prudenti conſilio vſus, *Boleslaum Polonorum* Ducem inſtantiis & precibus mul-
C
tifariis peruicit, vt bellum triennali treuga, quoàd ipſe ex *Italia* rediret, ſuſpenderet. In hanc itaque conditionem *Boleslaus Polonorum* Dux *Romanorum* Regis *Lotharii* deſideriis pertractus, ſufferentias triennales autoritate *Lotharii* firmatas acceptat. Conſtat inſuper *Petrum* præfatum Comitem *Skrzynenſem* ingentis animi & ſpiritus virum extitiſſe & pro amplificanda exornandaque *Polonorum* regione, charam, & homine magnifico, ac liberali dignam monſtraſſe curam. Qui cùm duas amplas Prouincias *Caliſſienſem* videlicet & *Cruſuicienſem* ſuo Regimini à Duce *Polonorum Boleslao Krzywouſti* commiſſas adminiſtraret, & frequentia itinera de vna in a-
D
liam perageret, longitudinem itineris, qua vna diſtabat ab altera, menſus in earum meditullio columnam è ſaxo, quàm etiam in præſens in cœmiterio Eccleſiæ Prochialis in *Konin* cernimus, locari diſpoſuit, cui etiam ea metra inſculpi iuſſit:

Lotharius Imp. Boleslaum Poloniæ & Sobieslaum Bohemiæ Duces conciliat.

De Caliſz hic medium in Cruſuiciam fore punctum,
Indicat iſta via formula iuſtitiæ,
Quam fieri fecit Petrus Comes Palatinus.

Petri Włoſzowicz de *Xiaz* Comitis vafricies, quanto maiorem rebuspublicis *Polonorum Iaropelko Wladimirowicz* Principe dolo capto tranquillitatem commoditatemque afferre viſa eſt, tantò illas altiori, deinde caſu & præcipitio afflixit & perfundedit, pro iure hoſpitii, iureque gentium, quod à *Petro* Comite de *Xiaz* publico conſilio inito fœdatum, violatumque erat. *Iaropelci* namque *Kiouienſis* Ducis filius *Waſilko* calamitatem paternam leuaturus, & in libertatem illum reſtituturus, omnibus, quos habere poterat, theſauris congeſtis, dato pretio, quod arbitratu *Boleslai* impoſitum fuerat, patris procurat redemptionem. Dum verò apta vi, ſuas, & patris iniurias vlciſci ſe non poſſe cognoſceret, pari dolo, parique proditione, qua pater ſuus præcipitatus fuerat, vſus *Vngarum* quendam inter ſuos genere & dignitate præſtantem, ad peragendum facinus, quo minus ſuſpitionis de homine externæ gentis eſſet, cùm de quolibet *Rutheno* aperta fraus deprehendi facilè poſſet, magnis donationibus, maioribusque promiſſis pellicit, & ſubornat. *Pannonius* itaque ille ad *Boleslaum* Ducem in *Poloniam* confugiens, multis ſe à *Bela Vngarorum* Rege pro eo quod partes nepotum ſuorum filiorum olim *Stephani* Regis conſtantiſſimè proſequebatur, turbatum iniuriis, ad extremum ſingulis bonis quæ in *Vngaria* obtinebat exutum, & niſi fugam præoccupaſſet, neci deſtinatum mentitur ad *Boleslaum* filiorum *Stephani* Regis gratia, quorum hæc illi acciderant, auum & curatorem, dùm ſibi cæteras regiones vicinas propter potentiam *Belæ Vngariæ* Regis videret obſtructas, confugiſſe. Nullam fraudem, nullum dolum in verbis ſuis *Boleslaus Poloniæ* Dux ſuſpicatus, cùm actiones ſuæ transactæ, quibus *Boleslao* Duce rem filiorum *Stephani* in *Vngaria* proſequente partes nepotum eius adiuuerat, fidem dictis aſtruerent, *Vngarum* ſuſcipit, verbisque ſuis virtutem & fidem ſinceram ineſſe ratus. Præſtruit itaque ſibi *Pannonius* fidem in paruis apud *Boleslaum* Ducem, ea tamen calliditate, eo animo, & reſpectu, vt cum operæ precium videret, magna mercede illum fallat, atque circumueniat. Itaque Dux non ſolùm ad gratiam benignitatis, ſed ad conuictum, & ſecretorum arcana illum admittit, quoniam morum ſuorum vitia, ſub vmbra eloquentiæ, & obſequendi promptitudine latentia, non facilè poterant deprehendi, vrbem quoque illi *Vislicenſem* cum villis & poſſeſſionibus circumiacentibus pro manu tenenda, ſtatui ſuo liberaliter conſignat, vrbem ea tempeſtate populoſam & famoſam, cuius naturalem & inexpugnabilem ſitum fas eſt mirari, cùm in medio amnis *Nidæ* iam tunc latiſſimi, & aliorum fluuiorum incurſione augmentati paludinoſi & penè ſtagnantis in coronæ modum in ſaxo poſita, ad omnes hoſtiles impetus facilè repellendos arte naturæ vberrimè ſit munita, exiſtimante *Boleslao* Duce, & Proceribus *Poloniæ*, animo illum gerere, quod, proh dolor, mollibus & melliſluis labiis offerebat. *Boleslao* itaque *Polonorum* Duce in *Almaniam* ad *Lotharium Romanorum* Regem, prout in ſuperioribus mon- 1135.

A Waſilkone Iaropelki filio

Hungarus quidam doloſe ad Boleslaum mittitur,

cui Boleslaus vrbem Vislienſem donat,

1135. monſtrauimus, reformandæ pacis gratia cum *Bohemis* diuertente, *Pannonius* ille nullum aptius tempus ad fraudem commentam exequendam peruenire poſſe ratus, fraudem ipſam exequi pergit, quam tali ordine conſumauit, vulgauit ſiquidem *pro comperto ſe, & ex literis, & ex Nunciis accepiſſe, Duces Ruſſiæ cum omnibꝰ copiis ſuorum populorum patefacta rebellione conſurrexiſſe, & concito gradu Poloniam crudeli cæde & captiuitate peruaſtare, proinde publico edicto, vt omnes nobiles & populares Vislicam, velut locum tutum & ex omnibus viciniis commigrent, & illic fortunas, atque res ſuas magis charas deportent, imperat.* Et quo Imperium ſuum formidabilius ſit, pœnam adiicit *omnium bona qui iuſſa detrectarent in confiſcationem Ducalem ceſſura.* Et hoſtium inuaſione, & pœnæ comminatione ſinguli perculſi, ſine cunctatione, ita enim imperabatur, iuſſa peragunt, & *Vislicam* in frequentiſſimo numero vniuerſa illa regio, populoſa, res ſuas & pignora, & quæque chariora ſecum vehens, confluxit. Dum autem *Pannonius* proditor omnia iuxta ſuum arbitrium vidiſſet, quæ proditioni neceſſaria erant, comparata, ad *Iaropelkum* Principem & filium ſuum mittit *quatenus ad Vislicenſem ciuitatem cum multitudine populi, & fortunis plurimis prodendam; ſexto idus Februarij, cum exercitu maiori, quo poterit venire non negligat.* Qui cùm feſtinatione nimia *Visliciam* adueniſſet, nocturno tempore ſingulis ſecurè quieſcentibus, proditor *Pannonius* portis ſilentio, ita, vt ſingulos falleret apertis, *Iaropelkum* Ducem cum filio & ſuis omnibus in vrbem intromiſit. Quam ingreſſus crudeliſſimè in omnes cæde, nulli parcens ætati, conditioni, & ſexui graſſatur ingentemque ſtragem facit. Et paucis qui inter tumultum fuga in flumen euaſerant, exceptis, ſingulos ciues & incolas, & eos qui illuc confluxerant ſuam rabiem ſatiaturus, aut necat, aut captiuat. Vrbeque deſpoliata, & igne conflagrata ſine vlla reſiſtentia, aut aduerſitate, in *Ruſſiam* reuertitur, prædam rerum & hominum & pecorum ſecum vehens, & ſanguine *Polonico* madens. Ita proditio paribus initiis, quibus à *Petro Wloſczowicz* facta erat, ab *Vngaro* cœpta, eoſdem imò multo triſtiores exitus habuit. Ampliorem autem retributionem, prout ſpoponderat, *Ruſſiæ* Dux *Iaropelkus* proditori largiturus, linguam ei primum præcidit, deinde vtrumque oculum euellit, poſtremò, ne ſeminis proditorii vlla relinqueretur propago, genitalibus caſtrat eumque ſic eneruat. *Boleslaus Polonorum* Dux *Vislicenſi* clade & excidio ad ſe perlato, plurimum indoluit, & fraudem, ac dolum à *Pannonio* commentum admirans, vt quem multis affectum beneficiis, mox ita ſibi & Regno *Poloniæ*, pernicioſum & infeſtum viderat, ſerius intellexit, natura *Pannonios* parum fidos fore.

quem ille collectis in ea plurimorum incolarum diuitiis.

Iaropelko traditur.

Cædem a *Iaropelko Wladimirowicz Ruſſiæ* Principe in *Vislicenſi* vrbe proditoria excidione patratam, digna viciſſitudine *Boleslaus Polonorum* Dux vlturus, non ingenuos ſolùm, ſed etiam populares, & agreſtes arma ſumere iubens, in *Ruſſiam* fremens, & furens ingreditur, *Wladimirowicz Iaropelkum* Ducem & filium eius omni conatu pro commiſſo flagitio puniturus. Qui implacabilem conſcientia patrati facinoris eum exagitante, *Boleslai Polonorum* Ducis ſentiens iram, caſtris & munitionibus, quantumcunque fortibus relictis, in vltima terrarum *Ruſſiæ* abiens, in ſiluis, nemoribusque, paludinoſis, & inuiis locis deliteſcebat. *Boleslaus* ſuorum ſanguini indigna cæde peremptorum parentaturus, cædem paſſim in omnes *Ruthenos* iubet extendi. Itaque trucidatio multorum mortalium tunc ſecuta eſt, & puberibus cæſis, etiam in impuberes & in tecta innocua eſt ſæuitum, & plus cædis aliquanto ab ira quam ab iuſto bello editum. Nemini enim placuit parci, nullam fas erat quantumcumque amplam redemptionem offerentem excipi. Et in compenſationem excidii *Vislicenſis* vniuerſa *Wladimirienſis* regio, cum ſibi adiacentibus crudeli excidio fuit vaſtata, & conflagratione conſumpta, magnaque vis tam captiuorum vtriusque ſexus, quam pecorum in *Poloniam* reducta. 1136.

Boleslaus Ruſſiam vaſtat.

Innocentius Papa ſecundus quadriennio in *Galliis Petro Leonis* Papatum *Romæ* per vim occupante, exacto, à *Franciæ* & *Angliæ* Regibus maximo honore habitus, in *Italiam* comparatis omnibus, quæ ad obterrendum tyrannidem *Petri Leonis* Antipapæ credebantur neceſſaria, ingreditur. Cui *Lotharius Romanorum* Rex in introitu *Lombardiæ*, cum Archiepiſcopis & Epiſcopis occurrit, ipſumque vsque *Romam* honorificè deducit. Potenti quoque exercitu *Romam* intrans, *Petro Leonis* eius conſpectum fugiente, *Innocentium* in ſedem reſtituit, coronamque Imperialem in Eccleſia *Saluatoris* quæ *Conſtantiana* dicitur, quoniam Eccleſia *S. Petri* à *Petro Leonis* præſidio ſuper impoſito occupata erat, ab eo ſuſcipit. Et omnibus *Romanis*, qui partes *Leonis* Antipapæ ſequebantur, extirpatis, *Rogerio* etiam victo, & ab occupatione *Siciliæ* depulſo, pace Eccleſiæ reddita, in *Almaniam* Imperator rediit. Ex *Almania Lotharius* Imperator in *Saxoniam* diuertens, nouam militiam in *Italiam* rediturus comparabat. Quem *Boleslaus Polonorum* Dux apud *Bamberg* offendens, plurimis illum & inſignibus excepit honorauitque muneribus, quibus ab eo acceptis, *Lotharius* Imperator petebat, vt de *Pomeranorum* & *Rugianorum* terris, quæ *Boleslao Polonorum* Duci parebant ſibi faceret omagium, & redderet tributum. Sed *Boleslao Polonorum* Duce *Pomeraniæ* & *Rugiæ* terras ſuas & *Polonorum* natiuas eſſe & nunquam ad Imperium, ſed ad Regnum *Poloniæ* per-

Innocentius Papa ſedi ſuæ reſtitutus

Lotharium Imp. coronat.

tinuiſſe monſtrante, Cæſaris quieuit impetitio.

1137. Boleslaus Dux

Ruthenorum regione in vltionem excidii A Viſlicenſis per Boleslaum Poloniæ Ducem graui durāque quaſſatione contrita & afflicta, Ruſſorum Principes & Primores velut furentes & inſani, vehementi dolore de ſuæ regionis deſolatione torquentur. Frequenti deinde conuentu apud Wladimiriam habito, quamuis omnium ſententiæ ad bellum cum Boleslao & Polonis aperta vi gerendum inclinarentur, Iaropelkus tamen Wladimirowicz Kionienſis Dux & æuo & prudentia grauis, negat id bellum Ruthenis cedere in profectum, quod iuſta acie Boleslao fuerit illatum. Aliamq; de bello cum Boleslao gerendo, ſi ſuperiores eſſe velint, oportere iniri rationem, nec Boleslaum, nec Polonos à ſe niſi latenti & ſimulato dolo vinci poſſe ſpe- B rarent. Deſinerent itaq; de bello cum Boleslao gerendo ſolliciti eſſe, & ſibi munus circumueniendi Boleslaum, cùm id magis ſuæ, quam aliorum proprietati conueniret, relinquerent, imperio quoque ſuo quoties, & quando iuberet, obedientes eſſent. Omnibus operam ſuam nauare enixius pollicentibus Halicienſem Principem Iaroslaum eo, quod eum ſecum non ſenſiſſe, ſed ſingula, quæ apud ſe gererentur Boleslao denunciaturum eſſe, pro comperto habebant, à Principatu Halicienſi turpiter eiiciunt, deturbant, turpiterque expellunt. Qui eorum cedens furiæ, in Poloniam, neque enim quo alibi diuerteret, habebat, confugit, & à Boleslao C Principe benignè exceptus eſt, notabileſque illi poſſeſſiones collatæ ſunt ad manendum. Tempore poſt hæc paulum procedente Halicienſes primi dolis & fraudibus Principis Iaropelki ſufficienter ineſcati & imbuti, ad Boleslaum in Poloniam veniunt, ſupplicantque, vt eis Ducem ſuum Iaroslaum ad ſuam regionem remittat, & quo ſuus reditus ſit honorabilior atq; conſpectior vt illum ſuis gentibus, ſuaq; præſentia in Halicz reducat, & nihil hoſtile verendum cenſeret. Hoſtes enim timore Boleslai, procul velut feras in ſua cubilia refugiſſe, omnia tranquilla & pacata apud Halicenſem Ducatum fore. Magnas poſtremò Duci Polonorum Boleslao depromunt gratias, quod eorum Ducem exceperit, fouerit, & adiuuerit, eamq; gratiam ſuo Principi præſtitam, humilibus & deuo- D tis obſequiis repromittunt ſe penſaturos. Nondum Ruthenis Halicienſibus certo reſponſo reddito Vngarorum nonnulli nobiles & Proceres Halicienſibus confrontati, & vicini, qui & ipſi in fraudem quæ Boleslaum oppreſſura erat, conſpirauerant, adueniunt. Qui Halicenſium legationi, cùm conformia & ſororia retuliſſent, vt cum Halicienſium Principe non cunctetur in Halicz procedere, preces & ſupplicationes adiiciunt, ſe enim ad eius reſtitutionem conficiendam opportunè cum omnibus copiis aſtruunt aduenturos. Dolum & venenum à Ruthenis & Vngaris cum vtriſque potentia Boleslai, & eius

ſe iterum falli ſinens

virtus moleſta, & formidabilis eſſet, conflatum, minimè Boleslaus perpendens, quippe qui cæteris virtutibus clareſcens, credulitatis vitio obnoxius erat, atque his quæ ad eum perferebantur facilius quàm ſat erat, quamque ſuæ grauitati conueniebat, crederet, quo eueniebat, vt armis & potentia inuictus, ſola credulitate doloq; quo impetebatur, non diſcuſſo vinceretur. Vngarorum & Ruthenorum animis laudatis quaſi rem ingenuam peregiſſent, offert ſe, & Ducem Iaroslaum reſtituturum, & ſecum vnà pro die conſtituta perſonaliter aduenturum. Itaque ſinceram, vtrorumque legationem ratus, verſus Haliciam, quaſi illic epulaturus cum inſigni militum agmine, ducens ſecum Iaroslaum Principem exulem contendit, & ad diem de qua inter eum, & Ruthenos conuenerat, venit, Vngarorum catervæ primò venientem, dum excepiſſent, in tergum omnes, & intra poſtremas acies, dilabuntur. Quæ res Boleslao Polonorum Duci iam præſaga mente malum ſuperimpendens ominanti, extemplò ſuſpecta eſſe cœpit. Dùm deinde frequentiores Halicienſium turmæ, quæ & ipſæ ſimulata amicitia, & ſubiectione longius obuiam progreſſæ erant vtroque Duce excepto, in eandem tergi partem, quam iam Vngari occuparant abiiſſent, appareretque ſine tergiuerſatione Boleslaum & ſuam gentem ad inſidias pertractam eſſe, Boleslaus Polonorum Dux in ipſo negotio conſilium à virtute & fortuna capere coactus, Wſzeborio Palatino Cracouienſi, Principe militiæ accito, *Suſpicariſne*, inquit, *Wſzebori eam ſuſpitionem, quæ mea inſidet menti?* At Wſzeborio quid ſuſpicaretur ſcrupuloſius percunctante: *Non vides*, inquit, *omnes, tàm Vngarorum, quàm Ruthenorum turmas, qui nos conſalutatum aduenerunt, officio doloſo peracto, in terga & poſteriora noſtra diuertiſſe, & locum illum eo propoſito ex compoſito præoccupaſſe, vt aliis turmis, quas ex templò ominor aduerſum nos venturas, à tergo & à fronte concluſi, in ferarum & pecudum feriamur & cædamur morem. Quam difficultatem, priuſquam nos conſtringat, erumpendam reor, & antequam fortior & geminatus hoſtis accedat, belli tentanda fortuna, virtuteque & dextris via, qua hinc euadamus, aperienda eſt.* Vbi itaque fallacem gentem, alia agentem, & alia ſimulantem videt, & neque numero ſe, neque magnitudine parem, optimum factu ratus, in tàm neceſſitate periculoſa quamlibet belli fortunam tentare, licet numero inferior ſuis, tamen pro tempore magnificè ac breuiter hortatus manu cum hoſte conſerere priuſquam ab eo inuaderetur, decreuit. Monens ſuos, *vt potiùs animam honeſtè profunderent, quàm miſerabilem captiuitatem ſubirent.* Nec dùm ſermonem finierat, cùm ſubitò acies confertiſſima Ruthenorum, quam Iaropelkus Kiouienſis Dux propero curſu ducebat, apparuit. Itaque non diutius differre certamen, iam

1137.

in Ruſſiam venit,

ibid. à Ruſſis circumuentus eſt,

1137. 1137.

iam enim in conſpectu hoſtis erat,valens,paucis ſuos iterum, *vt ſe viros meminerint, & ne inulti ceruicem præbeant*, hortatus, licet vndique illum circumiacentia vrgerent pericula,ſeptus tamen non modico animo,& victoriæ auido atque à memoria periculi, quod à tergo, & à fronte imminebat,alienato, prius irruit in eum,qui à fronte veniebat,hoſtem,acerrimeque ea ala,quam ſibi aſſumpſerat, cum adiuuante, pugnat contra hoſtes, magnamque *Ruthenorum* cædem edit. Stratis deinde omnibus obuiis,& acie diſrupta,quamuis & à fronte & à tergo ſciebat ſe vrgeri,victoriam tamen ſibi deſtinabat, omnia fortitudinis ſuæ priora opera in ea dimicatione ſuperegreſſus, nec fortunæ tunc ſuccubuit, ſed donec illa volubilem agebat rotam, pro victoria adnitebatur, non permittens illam in ingenioſum ſuum ſpiritum ius vendicare,& neceſſitate humanæ conditionis,quam maximo & præcipuo patrocinio, in tali caſu vtendum ducens,concitatiſſima deſperatione in pugnam extimulatus id egit, hoſtes vbique ſternendo,ne animam inultus profunderet.Pugnatur vtrinq; acriter,fortunaq; in*Polonos* translatura videbatur,benignitate diuina adiuuante,atque certamine in longius extenſo, victoriam. Quamuis *Boleslaus Poloniæ* Dux ex omni parte circumuentus eſſet, victor tamen potuiſſet euidere, breuique ſuæ ſpei reſpondiſſet effectus,niſi unus ex Principalioribus *Boleslai* Palatinus Baro (cuius nomen, conditionem, & originem, omnes *Polonorum* annales neſcio qua ſuppreſſere negligentia) qui & ipſe ordines ducebat,metu territus, acie, & pugna deſerta fugiens, in parem fugæ ignominiam maiorem *Polonici* exercitus partem, pugna remiſſa,ſecum pertraxiſſet,victoriamque *Pannoniis* & *Ruthenis* conceſſiſſet. Tùm demùm *Boleslaus Polonorum* Dux ſe magis victum, quàm victorem gerere cœpit, non tamen pugnam cum his,qui eum comitabantur, remiſit, verùm dùm plurima cæde hoſtes vbique funderet,vnus ab omnibus,iam telis eminus, iam lanceis & gladiis cominus multifarie peteretur,equus,cui inſidebat ingentibus vulneribus confectus corruens, pugnantem deponit, & haud multum abfuit, quin & ipſe opprimeretur. Equo prolapſo & ruente,dùm nihilominus hinc à tergo,hinc à fronte hoſtium impetus ſuſtineret, ſaluti fuit *Gregorius* miles quidam, qui Ducem ſuum pedes pugnantem, dùm agnouiſſet,veritus, ne cum dedecore totius patriæ aut occumberet, aut viuus in poteſtatem veniret hoſtilem,equo raptim deſiliens, vt ſe fuga eriperet Ducem in equum proprium inter volantia tela, atque inter vibratos cominus enſes perrumpens,Principis vitæ, ſua neglecta,conſulens,impoſuit, & voce alta precabatur : *Cape*,inquit,*Princeps clariſſime,hunc equum nondum feſſum,& non tàm tuæ, quàm noſtræ, & communi conſule ſaluti,ne morte,aut captiuitate tua caſum hunc nobis funeſtiorem, hoſtibus autem doloſa & iniquiſſima acie nobiſcum dimicantibus,lætiorem facias, mihi verò* A *viuo aut mortuo gratiam refer, quem vides, tuam ſalutem ſuæ præpoſuiſſe. Huius quoque diei,atq; horæ memineris,maior enim aliquanto cenſeri debet,quàm vt tibi venienti in Regnum tuum incolumi memoria poſſit excidere.* Miles iſte obſcuro quidem genere ortus,cæterum multis fortibus actis in eo, quod tunc agebatur,prælio,ipſa etiam fide in vltimo neceſſitatis articulo expreſſa, in Principem ſuum, animo quoque & ingenio, aliquanto, quam pro fortuna,in qua natus fuerat, inſignior, quibuslibet nobilibus tunc ex prælio Duce ſuo deſerto turpiter diffugientibus,præferendus. Equo deinde à *Gregorio* milite præſtito conſcenſo, Dux inclitus intelligens ad reſtituendam pugnam,nil ratione,nil manu,aut ingenio admi- B niſtrare poſſe, cernens, maximis audaciæ, ac fortitudinis ſuæ in ea pugna editis, vt etiam hoſtes in ſui admirationem conuerteret, operibus,ſaluus propitia diuinitate,ſuis quam plurimis,& ſtrenuis militibus, deſideratis, aut captis,in *Poloniam* mœſtus, & triſtis, de ſuo, & ſuorum,caſu aduenit. Nec mora, Baroni ei, qui de prælio fugerat,quique plurimos in fugam pertraxerat,fugæque cauſa multis extiterat,tria donaria,in præmium ſuæ timiditatis & ignominioſæ fugæ transmittit, videlicet leporis pelliceam,colum,& penſum,fœminam eum in colo,leporem in pellicea,& in penſo verſatilem deſignans, quæ illi maiori fuère, quam mors ſupplicio. Grauius ſiquidem viros tor- C quent probra militiæ, quam necis pernicies. His donariis miſerandus homo receptis cum eorum ſignificationem nullo prodente facilè percepiſſet,tanta mentis anguſtia illico tortus eſt, vt in proprii oratorii campanili funiculæ propriis manibus iniecto ſuſpendio miſerum ſpiritū excluſerit, vir alioquin ex generoſa ſtirpes imaginum ortus,teterrimo illo piaculo ſuo, nobilitatis ſuæ decus, & in præſens,& in futurum grauiſſimè obfuſcauit, vt eſſet domui ſuæ portentum ſordidum, mortis quidem erubeſcendo, ſed iuſto genere pœnæ conſumptus. Cuius tàm horrendus è vita exceſſus, in his ipſis muneribus ſibi miſſis intelligebatur incluſus, in colo patibulum, in penſo verò fu- D nem, & in lepore fugam ſpiritus exprimens. *Gregorium* verò militem, qui & ipſe è loco certaminis viuus euaſerat, pro beneficio ſibi tunc præſtito,nobilitat,locupletat, & extollit, Nobilitateque & iuſtis honoribus adornat, paremque claris viris facit, nec ſolùm villis, ac poſſeſſionibus, ſed & officii, atque magiſtratus honore effecit inter ſuos,cum progenie ſua celebrem & inſignem ex obſcuro & inope clarum, atque opulentum faciens honoribusque inſignibus affecit, viro nobilitatem contulit, & gratiæ ſuæ pignora impartiuit. Ad redemptionem captiuorum, cùm omnes etiam veterum Regum & Ducum *Poloniæ* ſuiſ-

fortiter tamen cum ſuis pugnat,

& vix euadit,

1137. fuiſſent, theſauri erogati, & emuncti, non tamen plena omnium captiuorum ex *Polonis* redemptio poterat prouenire, quin plures & milites nobiles, & alii equeſtris ordinis viri, à barbaris ærario publico deficiente, in ſeruitutem miſerabilem venditi, vitam illic infamem, morte etiam ſubſequente peregerunt. Anxiebatur autem ingentis ſpiritus vir *Boleſlaus Polonorum* Dux ſuper caſu & infauſto dolo *Pannonico* & *Ruthenico*, ac fortunæ iniquitate ſibi iniecto, & graues dolores, aſſiduè grauiora trahens ſuſpiria, ſentiebat, puncturus execrationes plurimas in Palatinum ſuo ſcelere atque nexu ſuſpenſum, ingeminans, qui ſua fuga tot legionum *Polonicalium* cladem effeciſſet. Turpe ſibi exiſtimans, tot rebus geſtis, tot fortibus exercitibus deuictis, tot claris victoriis de hoſtibus in circuitu relatis, acie vaſra & iniuſta a ſimulatis amicis, magis, quam ab hoſtibus ſe verius deceptum, quam victum eſſe, fortunæ ſuæ conditionem obiurgans, quæ poſt plurima beneficia quibus illum extulerat, ad caſum durum & indignum illum ſeruaret. Nunquam alias niſi in illo certamine fortunæ conuerſionem expertum, quæque præclaris & ſplendidis ſuis geſtis, quod plerumque fieri ſolet, infauſtum caſum miſcuerit, & magnarum lætarumque rerum curſum, & ordinem naturæ ſuæ ſeruans conditionem, confunderit. Incertum, eo fuſus prælio, relinquens, vtrum in dimicatione virtus, an caſus præponderet, multis itaque faſtidiis & angoribus nobilis ille & inuictus fatigabatur ſemper animus, qui poſt ſeptem & quadraginta victorias ex hoſte relatas, cladem illam quaſi vulnus vltimum acceperat, fortunæ mores, conſtantiam, conditionemque parum penſans, quæ *Iulium Cæſarem*, quæ *Hectorem*, quæ *Hannibalem*, quæ *Scipionem*, frequentius victores, vltimo tandem diſcrimine damnauit.

Boleſlaus Poloniæ & Sobieſlaus Bohemiæ Duces conciliantur.

Priuſquam triennales treugæ cum *Sobieſlao Bohemiæ* Duce, per *Lotharium Romanorum* Imperatorem confectæ expirarent, communibus Baronibus, tàm *Poloniæ*, quàm *Bohemiæ* agentibus, de pace perpetua inter Regna & Duces firmanda, tractatus haberi cœpti ſunt. Poſt quos vtraque parte in pacem conſpirante, expedire viſum eſt vt Principes perſonalem agerent conuentionem, cui *Kloczko* oppidum conſignatum fuit, vtroque Duce illuc adueniente *Boleſlaus Polonorum* Dux coram communibus Baronibus plurima ſe indigna à *Sobieſlao Bohemiæ* Duce pro multifariis in eum præſtitis beneficiis paſſum deduxit: *Sobieſlao* verò *Bohemiæ* Duce obiecta purgante, in *Boleſlaum Poloniæ* Ducem ſuas quoque iniurias iactante, interpoſitione communium Baronum omnes veteres inimicitiæ, contentiones, querelæ, iniuriæ, & æmulationes, damna quoque hinc inde ſequuta, inter illos ſedantur, complanantur, & compenſantur, & pax perpetua inter eos eorumque Regna & dominia ſtabilitur. Affuit huic pacificationi *Wladiſlaus Boleſlai Poloniæ* Ducis filius maior natu, qui in ſignum fidelis fœderis filium Ducis *Bohemiæ Sobieſlai Venceſlaum* nomine de ſacro fonte leuauit. 1137. In hanc pacem *Boleſlaum Poloniæ* Ducem ideò tam facile conſtabat conſenſiſſe, vt ora *Sleſitica* pacata & bello *Bohemico* extincto, cumulatius contra *Ruthenos* bellum gerere poſſet, cladem apud illos & per illorum doloſam fraudem acceptam, omni modo, & adiumento reparaturus. Cuius eum tantus pudor & verecundia, tantus dolor & amaritudo ceperat, vt & cœtus & colloquia hominum vitando, mœrori de amiſſis & deſideratis militibus ſolitarius deliteſcendo indulgeret, obſtinatum agens ſilentium, & ſurdas ad omnia quæ illi ab amicis ingerebantur, ſolatia, aures obturans. Quæ ſingula non puſillanimitatis aut deiectionis, ſed ingentem vltionem ex feroci & vaſto pectore cientis, apparebant eſſe indicia. Ex omni ſiquidem numero Regum & Principum *Poloniæ*, nemo fuit illo pugnatior, ſed nec pugnando, prius quiſquam in eum diem ipſum æquauit. Alii ſua ætate Reges & Principes nitebant purpura, ac ſatellitum turba, voluptate præterea venandi, aut ventris luxu, aut ſomni ignauia, aut rei domeſticæ cura, aut auri congerie occupabantur, *Boleſlaus* tantummodo armis & virtute pollebat, nauſeam ratus, ſi quando bellum non repelleret, aut non inferret, reuireſcebatque animus, quoties vel pugnandum, vel bellandum erat, inediæ, algoris, & vigiliæ patiens, prælio ſtrenuus, conſilio, induſtrioſa agilitate, & exercitatione corporis nemini cedebat, milites audacia facile omnes ſuperabat.

Mors Lotharii Imp.

Lotharius Saxo Imperator *Romanorum*, dùm vndecim annos in Imperio & Regno exegiſſet, & placidè ac benignè imperaſſet, in *Italia* quoque rebus proſperè geſtis *Italiam* & *Siciliam* pacificaſſet, ex *Italia* diſcedens apud *Tridentum* ægritudine inuaſus, autumni tempore in caſtro ſuo *Rotboburg* moritur, & in *Brunſuig* ſepelitur, plenus fide, & deuotione. Cuius immatura mors, tàm Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus Principibus plurimum fuit execrabilis & moleſta. Credebant enim per ſuam probitatem & induſtriam res Imperii refloreſcere debere & Imperium ſuum decus & gloriam reſumpturum. Aſſerunt alii eum non in *Brunſuig*, ſed in *Luter* monaſterio *Saxoniæ*, quod viuens conſtruxerat, ſepultum. Actus quoque eius vt nulla poſſint aboleri obliuione in plumbeis laminis deſcripti iuxta illum reconduntur.

Boleſlao naſcitur filius Caſimirus.

Duciſſa *Polonorum* & conſors *Boleſlai* Ducis iterum fœcundata filium effudit, qui in baptiſmate *Cazimirus* vocatus eſt, ſed nec hæc filii noua natiuitas languores *Boleſlai* Ducis, quibus vltra iuſtum atque modum pro clade apud *Halicz* accepta affligebatur, & penè deperibat, poterat lenire, quin continuè acerbiori 1138.

ſe

1138. ſe doloris verme pro chariſſimis ſuis militibus, & qui ceciderant,& qui capti fuerant, roderet & conſumeret,præſertim cùm & propter ætatem ſenilem,& caſum,cladem que militum ſuorum,exhauſtionemque ærarii Ducalis,non facilè, vt animo & cogitatione æſtuabat, eum poſſet congerere exercitum, cum quo poſſet de *Pannoniis* & *Ruthenis* debitam ſumere vltionem.

Imperator fit Conradus Sueuus.

At vacans ex morte *Lotharii* Imperium, per Principum electionem concordem conſenſu apud *Confluentiam* celebrato in quadrageſimæ medio *Conradus* ſecundus Dux *Sueuiæ* electus eſt, nonageſimus tertius ab *Auguſto*. Fuit autem *Conradus* ipſe ſecundus reſpectu Imperatoris,ſed tertius quantum ad Reges,nepos germanus ex ſorore germana *Henrici* quinti Imperatoris, in cuius etiam priuatum dominium iure illo,dùm *Henricus* Imperator nullos reliquiſſet filios, ſucceſſit. Secundum alios octuageſimus quintus ab *Auguſto*, qui cum *Lothario* quarto de *Romano* Imperio in principio Regni contenderat. Electionem autem tam conformem, *Theodenainus* Epiſcopus Cardinalis ab *Innocentio* Papa ſecundo in *Confluentiam* deſtinatus effecit. Qui mox ad Palatium *Aquiſgrani* veniens à prædicto Cardinali *Theodeniano* (nam *Colonienſis* Archiepiſcopus,qui id iure facere debuerat, nouiter inauguratus,pallio carebat) cooperantibus *Moguntinenſi* & *Treuirenſi* & aliis Pontificibus in Regem vngitur. Et licet *Henricus Saxoniæ* & *Bauariæ* Dux gener Imperatoris *Lotharii* propter potentiam & diuitias, quibus pollebat,reſiſtentiam *Conrado* in *Almaniæ* Regno oppoſiturus credebatur, ab omnibus tamen deſertus,à *Conrado* quoque Rege proſcriptus, & Ducatu in Palatio *Goslarienſi* priuatus,ſupra hominum æſtimationem humiliatus eſt.

1139. *Boleslaus Dux* *cum morbo conflictans,*

Boleslaus Polonorum Dux ex clade apud *Halicz* accepta,ſpiritum gerens afflictum, generoſus enim ille, & ſemper vincere aſſuetus animus,fraudis & per fraudem relatæ de ſe victoriæ, iuſto grauius ferebat contumeliam, adeoque anxiabatur, vt non aliquid iucunditatis aut ſolatii ab amicis ingerentibus admitteret,dùm mœrorem, ſuadentibus amicis non inhiberet,ſed augeret,& ne in ægritudine quidem quicquam iucunditatis admitteret, ſenſim defluens & tabeſcens, grauem ſibi conſciuit languorem. Is quanquam à medicis ſuccorum virtute diſpelli potuiſſet, *Boleslao* tamen Duce quælibet antidota faſtidiente graſſari cœpit. Atque ita cum propè vnius anni ſpacium *Boleslaus* à morbo in grabato detentus languore ingraueſcente debiliorem ſe indies conſpiceret fatale munus ſoluturus, frequentem ad ſe Prælatorum & Baronum conuocat ordinem. Diſſolutionemque ſibi teſtatus imminere,rogat, *vt ſe mortuo vnionem retinere conentur & conſenſum ne ex ſchiſmate Reipub. ſubſequatur interitus & ruina.* Quinque autem viuos relinquens filios, quod à pleriſque,vt erat, Polonorum applicabatur infortunio,diſcidium Regni cito fore ominantibus, inter tot Principes concordiam non poſſe fieri diuturnam. Sicut neque feſellit opinio,vt in ſubſequentibus narrabimus. Ne inter filios pro Regno, ſe abſumpto, bella,odia,aut contentiones contingant,Poloniæ Regnum cuius ipſe in eam diem vnus fuit Princeps & Monarcha,inter filios diuidit. Et primogenito quidem *Wladislao* ex *Ruthena* ſuſcepto, *Cracouienſem,Siradienſem,Lancitienſem, Sileſiamque* & *Pomeraniam* terras legat. Decernens, vt circa eum primogenituræ iure ſuperioritas, & principandi maior & prima autoritas conſiſtat,omnibus aliis fratribus ſibi parere & intendere iuſſis, aſſerens in *Polonorum* Regno, niſi vnus fuerit, ad quem totius ſummæ cura referatur, vniuerſa in ruinam ſolutum iri, *Boleslao* verò *Criſpo Maſouienſem,Dobrzinenſem,Cuianienſem* & *Culmenſem*, *Miecslao* Seni *Gneſnenſem Poſnanienſem* & *Caliſienſem,Henrico* primo *Sandomirienſem* & *Lublinenſem* terras,diſtrictus & regiones pro ſortibus conſignat. Reſtabat quintus filius *Cazimirus* anno ſuperiori genitus, infantulus, & cunas adhuc obſeruans,cui cum omnibus terris & prouinciis in quatuor filios diſtributis,nullam ſortem reliquiſſet,obliuione hæc illum,aut morbo neglectum feciſſe,omnibus,qui ordinationi ipſi aderant,autumantibus, nomen & memoria quinti filii *Cazimiri* infantuli ſuggeſta eſt, monitusque,vt & illi, velut teneriori æquam inter fratres portionem relinqueret, reſpondet: *Iam dudum illi ſuam ſortem delegaui.* Admirantibus cunctis,& quænam,quinta ſors eſſet,ſcrupuloſè inter ſe ſciſcitantibus. *Non aduertitis*, inquit, *inter quatuor rotas ſedem quintam, quæ in Polonico Waſag appellatur, conſiſtere,& in medio poſitam eſſe partem nobiliorem,& à natura partium appellationem deriuatam vſurpaſſe. Sic & huic infanti inter quatuor Tetrarchas fratres,delegatur ſucceſſio, plus venerationis & amplitudinis, quàm aliqua illarum habitura. Proinde definitè de pupillo ipſo & de meo inofficioſo teſtamento eſſe ſolliciti, quoniam eam curam conuenit tutoribus eius relinqui.* Nonnullos ex filiis præſcientia quadam animi tenens, quemadmodum in opinione ſua falſus non eſt,non fore diuturnos. Sed ſiue inſpiratus,ſiue,vt fit, in mortis articulo,à ratione alienatus ſenſerit, ſiue vt maiorem diuiſionem ſciſuramque Regni abhorrens decreuerit,haud liquido patet, neque noſtro decidetur iudicio. Salutari deinde ſumpto viatico Dux Illuſtriſſimus & ſuæ patriæ amator,defenſorque acerrimus,diem functus eſt, ægritudine potius animi & angore, quàm corporis extinctus,cum ad annum circiter ſexageſimum vixiſſet. Manſuetudinis & clementiæ,tunc maximè gloriam exiſtimationem-

1139. *à filiis Regnum diuidens* *moritur.*

1139. nemque aſſequutus. Quem è vita excedentem vniuerſa gens *Polonica* longo luxit tempore. Corpus eius in *Plocenſem* vrbem relatum in *Plocenſi* Eccleſia iuſto honore ſepultum, & cineribus paternis ſociatum eſt. Mortuus autem anno Regni ſui triceſimo ſexto, ætatis verò, quinquageſimo quarto. Quem ſola afflictione & mœrore ſuper cæde & clade ſuorum ad *Halicz* in dolo ſequuta, mortem tàm immaturam & fati diem pro comperto habitum eſt magis præoccupaſſe quàm ſoluiſſe, cum naturalis vita ſua in multo longius tempus potuiſſet extendi.

Eius laudes. Natura ſtrenuus, & ferox, frequenter oportunitatem bella gerendi, in quibus magnitudinem animi exerceret, affectabat. Ab adoleſcentia bellis exercitatus, nullo vnquam bellorum defatigabatur genere. In ſuſcipiendis & adeundis periculis ſtudioſus, ad captandam honoris & gloriæ magnitudinem cupidus, in tolerandis ſupra vires corporis laboribus patiens. Corporis habitudine fuſcus & mediocris, nimium confidentiæ relationibus tribuens, facilitate credendi leuem ſe plerumque & incautum magis, quàm prouidum monſtrabat. Ad iram & gratiam ex æquo pronus, facile ſuccenſus cholera, ad obiurgandum, ſuccenſendum, & puniendum, hilaritate verò redeunte eodem tenore ad præmia mouebatur. Ad opera Martialia, ab adoleſcentia intentus, corpore robuſtus, brachio validus, ad decernendum ardens, in certaminibus acer & ſtrenuus, viuidus, & vegetus corpore. Natura vir ad dimicandum promptus & ardens, in largitione profuſus, animo magnus, eo ſolo æger, vt credibile duceret, quicquid ad illum afferebatur, pro vero, quodque illius tàm bellica facinora, quàm frequentes pugnæ declarant, animoſus & heroicus, in cæteris verò actionibus ciuilis & benignus. In ipſa autem fatali & mortis die militum, quorum frequens confluxerat numerus, celebrabatur, efferebaturque ſermonibus, neminem eo bellicoſiorem, neminem feruidiorem, ad Martialia edenda opera, Principem apud *Polonos* extitiſſe, neminem tot victoriarum numerum reliquiſſe. Quadrageſies enim & ſepties publica acie cum hoſtibus pro patria pugnaſſe, totidemque trophæa conſtabat illum retuliſſe. Appellabatur autem *Krzywouſti* in vulgari *Polonico*, quòd ſignificat indirecti oris, morbus enim anthrax in adoleſcentia proportionem vultus eius ſua vexatione diſterminans, oris curuitatem à qua cognomen ſortitum eſſe conſtat, illi induxerat. Frequentius acie cum hoſte confligens, nunquam aduerſam niſi tùm, cùm deceptus eſt, expertus fortunam, maxima & honeſtiſſima aggreſſus, & conſequutus facinora. Iſte Princeps *Boleslaus* pluribus villis & libertatibus doniſque monaſterium *Sieciechouienſe* ordinis *S. Benedicti* ſupra *Viſlam* ſitum, ſua liberalitate & munificentia inſigniuit, propter quod in eodem monaſterio ſpecialis illi quotannis innouatur anniuerſarius & memoria. 1139.

Filii *Olech* Ducis *Ruſſiæ Polowconum* quæſitis & obtentis auxiliis, terras *Ruſſiæ* hoſtiliter ingreſſi, circa flumen *Sula*, exurunt oppida & villas, deinde in *Pereaslaw* progreſſi, cædes & multa mala committunt, & *Vſcie* exuſto, diſcedunt in *Supon*, contra quos *Iaropelkus* Dux *Kiouienſis* cum fratribus ſuis filiis *Wladimiri* egreſſus, dimicat cum illis. Et multis vtrinque pertinaciter cadentibus, vincuntur filii *Olech*, & *Polowcy* diffugiunt, quos *Rutheni* perſequendo occidunt & captiuant. Et dùm poſt perſecutionem in certaminis locum redirent, à *Polowcys* inuaduntur & cæduntur. *Iaropelkus* autem captiuitatem euadens in *Kiouiam* diffugit, & *Waſilko* nepos ſuus cum multis Boiaris capitur, *Polowcy* verò *Kiouiam* obſident, contra quos etſi *Iaropelkus* Dux magnum de nouo exercitum congregaſſet, voluit tamen dimicare ſed æquis conditionibus pacificatus eſt cum *Polowcys*. *Turbæ in Ruſſia.*

FINIS LIBRI QVARTI.

IOAN-

IOANNIS DŁVGOSSI
SEV
LONGINI
CANONICI CRACOVIENSIS,
HISTORIÆ POLONICÆ
LIBER QVINTVS.

A.C. 1140. LVgubris & immaturus *Boleslai Polonorum* Ducis è vita exceſſus, qui cum bello, ferro, & armis hoſtilibus conſumi non poſſet, dolore, & mœroré nimio tabefactus, & conſumptus eſt, diu *Polonos*, ne ad ſubſtituendum alterum Ducem & ad prouidendum de Reipublicæ forma, ordine, ſtatuque procederent, tenuit. Mortui etenim principis deſiderio adeò habebantur conſtricti, vt cuiuslibet alterius, illo ſibi, ſub quo tam mirifici, pauendi, & glorioſi euaſerant, ſublato, Principatum faſtidirent. Accedebat altera non diſpar pernicies Regni *Poloniæ* in quatuor partes ſequutura diuiſio, quam velut peſtem quandam, ciuilem colliſionis procellam quandoque excitaturam, & in ciuile malum reciſuram, haud caſſo augurio perhorrebant, ex Regni *Polonici* diuiſione, ſe ad interitum neceſſitate quadam pertrahendos ominati, cùm omnem diuiſionem capiens, interitum quoque capere neceſſe ſit. Poſtquam deinde rerum publicarum vacillatio, Principibus diuerſa ſentientibus, diuerſaque iubentibus, oriri cœpit, & Principes quatuor filii *Boleslai* iuxta A paternam ordinationem ad Ducatus & terras eis deſignatas ſe admitti flagitarent, fit apud *Cracouiam* omnium terrarum generalis conuentus. Vbi poſt varios tractatus, & deliberationes, *Wladislaus* primogenitus & natu maior *Boleslao* Patri in Monarcham, omnium Prælatorum & Baronum aſſenſu & ordinatione, ſucceſſurus decernitur, vtque circa ipſum primæuitas, & ſuperioritas remaneat ſtatuunt. Ipſe quoque cæteris fratribus, videlicet *Boleslao, Miecslao*, & *Henrico* parentibus imperitet. Bella conformiter & ex æquo gerant, ſed aſſu- B mendi ea circa *Wladislaum* autoritas conſiſtat, cæteris non inferendi ſed repellendi poteſtas permiſſa. His taliter ordinatis, tribus Principibus in ſuas ſortes *Boleslao Criſpo* in *Maſouiam*, *Mieczlao* ſene in *Poſnaniam*, *Henrico* primo in *Sendomiriam*, ſecedentibus, *Wladislaus* Dux & *Monarcha* in *Cracouia* relictus eſt, & illic ſtando alios ſuos Principatus & dominia Remquepublicam diſponebat. Apud illũ quoque *Caſimirus* infans, & quintus Dux relictus eſt, ſibique illius cura, tàm à cæteris fratribus Ducibus, quàm à cæteris *Poloniæ* Satrapis & Conſiliariis mandata. In hunc modum corpus *Poloniæ* in plures partes ſciſſum eſt, diſcor- 1140.

Wladislaus fit Monarcha Poloniæ,

quæ diuiditur in quatuor partes

1140. cordantibuſque proceſſu temporis Ducibus, *Polonia* arma contra ſeipſam ſumpſit, ferrumque, quod in hoſtes verſura erat, in propria viſcera conuertit, & furentis inſtar iras concepit, gladios corripuit, corpus ſuum ac membra ciuili bello mutilatura. Tunc quoq; Regni *Poloniæ* decus & fortitudo, quæ in partium conſiſtebat integritate præcipitata fuit, Regnoque quadrifariè ſciſſo, & in monſtruoſam diuiſionem partito.

Monaſteriũ Ciſtercienſium in oppido Andrzeiouienſi fundatur. Cùm illis temporibus *Ciſtercienſis* ordo floridus, & celebris haberetur, Nobiles de domo *Griffonum* videlicet *Ioannes* alias *Ianik*, vir venerabilis, primum quidem *Wratislauienſis* Epiſcopus, deinde *Gneſnenſis* Archiepiſcopus cum germano ſuo *Clemente* eius deuotione attracti, in prædio ſuo *Breznica* vocato in *Cracouienſi* diœceſi monaſterium *Ciſtercienſium* erigunt, & oppidum *Andrzeiouienſe* & ſeptem villas, videlicet *Brzeznica*, *Rakośino*, *Potok*, *Lyſſakow*, *Lanczno*, *Rachowo*, *Tarſzawa*, *Chorzawa*, pro fratrum ſuſtentatione, in dotem illi perpetuò largiuntur. Ex *Morimundo* monaſterio in *Burgundia* ſito fratres accerſiti, primum locum illum cœperunt inhabitare. Vnde & à plerisque monaſterium *Andreouienſe*, eò quod a *Morimundenſibus* originem habuit *Moribundus* vocatum eſt. Plantationem nouellam præfati *Andreouienſis* monaſterii B. *Bernardus* de nobili proſapia Comitum de *Caſtalione* genitus, qui in anno viceſimo ſecundo conſtitutus, cum triginta ſociis monachatum aſſumpſerat, & propter perfectionem vitæ regularis, quam in ſuo oſtenderat ingreſſu, monaſterium *Claræ vallis* regebat, viſurus *Poloniam*, cùm fratrum agmine proceſſerat, fratres qui in *Andrzeouienſi* monaſterio degebant, viſitaturus, & eos in obſeruantia, rigore, verbo, & exemplo confirmaturus. Cùm autem in huiusmodi itinere conſtitutus *Spiram* veniſſet, humillimum propoſitum eius, & monaſterio, ad quod ordinandum pergebat, & *Polonis* profuturum aduerſa, & grauis valetudo damnauit. Ea enim correptus, & eius inualeſcentiam veritus, in *Claram vallem* ad monaſterium ſuum rediit.

Fundatores autem & dotatores præfati *Andrzeiouienſis* cœnobii *Ioannes Gneſnenſis* Archiepiſcopus, & *Clemens* miles, ad nil aliud præfatum monaſterium voluerunt eſſe obligatum, niſi vt in ſignum ſancitæ à ſe dotis oppidani *Andrzeiouienſes* ſibi ſuæque proximiori ſtirpi mactatorum pecorum & pecudum corda, & de ſingulis halecum vaſis in oppido præfato, vendendis, aliquot haleces repræſentarent. Quod quidem tam leue tributum cognatio fundatorum per Abbatem *Andrzeiouienſem* redimi & aboleri conſenſit.

Sobieslaus Bohemiæ Dux Sileſiam inuaſurus *Sobieslaus Bohemiæ* Dux, audiens *Boleslaum Polonorum* Ducem obiiſſe & *Polonorum* Regnum quadrifariam ſciſſum eſſe, pactum & fœdus, quod cum *Boleslao Polonorum* Duce iurisiurandi obſtrictione pepigerat, præuaricatus 1140. Regnum *Poloniæ*, & *Sileſiticam* oram inuadit,
A depopulatur & vaſtat. Sed neque vaſtatione hoſtili contentus cum *Wladislaus Poloniæ* Dux, cui ea ora obuenerat, iniuriæ oportunus videretur, in animum, inducit, vt oram *Sileſiticam* ſibi faciat, aut tributariam, aut proprietariam. Quapropter in vico *Kośćian* vocato, vndique paludibus & lacubus ſepto, & naturali ſitu plurimum munito, oppidum & munitionem conſtruere, & illi ſuum præſidium imponere ſatagens, plures dies in opere moliendo conſumit, verùm vltio diuina, quæ quoslibet fœderum transgreſſores ferire ſolita eſt, illicò illum percuſſit, nam febribus correptus, cœpto abſcedere compulſus, & à ſuis ambitionem ſuam carpentibus, *Pragam* reductus, inualeſcente fe-
B bre 16. Calend. Martii mortuus, & in *Wiſſegradenſi* Eccleſia ſepultus, tres filios, *Sobieslaum*, *Vdalricum*, & *Venceslaum* relinquens, ſucceſſit tamen ei filiis non obſtantibus *Wladislaus*, filius *Wratislai* in *Bohemiæ* Ducatum. *moritur, ſuccedente fratre Wladislao.*

Iaropelkus Dux Kiouienſis moritur, cui ſuccedit Wſzeuoldus. Decima die Februarii *Iaropelkus Wladimirowicz*, Dux *Kiouienſis* moritur, & in Eccleſia *S. Andreæ* ſepelitur, & licet *Wiceslaus* frater ſuus ſedem *Kiouienſem* accepiſſet, *Wſzeuoldo* tamen *Olchowicz* in *Kiow* cum militia ſua veniente, ne dimicare ſecum cogeretur, per medium Metropolitæ pacificantur, & de *Kiow* excedit, & vadit in *Turow*. *Wſzeuoldus* autem *Kiouienſem* in pace ſortitus eſt Prin-
C cipatum.

1141. Regni *Poloniæ* quadrifaria, quam demonſtrauimus ſciſſura, haud multo tempore æquis animis poterat perferri, ſed pene in ipſo ſui initio inteſtinorum bellorum exciuit ſtridores.

Wladislaus Dux aduerſus fratres *Wladislaus* ſiquidem *Polonorum* Dux primogenitus & natu maior, etſi inter fratres potiorem, & magis inſignem portionem *Cracouienſem* videlicet Ducatum accepiſſet, & tam patris, dùm viueret, quàm Prælatorum, Baronum, & procerum *Poloniæ* deſignatione, fratrum inſuper conſenſu ſuperioritas & Monarchia Regni circa eum conſiſteret, omnes tamen eos Principatus & Dominia quæ in fratrum ſortem ceſſerant, detracta & erepta ſibi ratus, multifariis angoribus anxietatibusque ſpiritum geſtabat turbulentum & afflictum,
D frequentesque amicis huius ſuæ ignominiæ & ſpolii repetebat querelas. Animum autem *Wladislai* Ducis ſuaptè huiuscemodi ambitionis & liuoris peſte flagrantem & infectum, ſuperbum & immitem, conſortis ſuæ Duciſſæ *Chriſtinæ* ſororis Imperatoris *Henrici*, ſermones contumeliis & improperiis referti, ad hauriendam ampliorem in facinus bilem inflammabant: *Non in hanc*, inquit, *tam truncatam & tenuem, quæ tibi relicta eſt, portionem, ſed in totius Poloniæ Regni ſpem vnius filia Cæſaris exiſtens, & alterius ſoror, ſponſa ætate viridis tibi tradebar, potentiori & ditiori, niſi hæc ſpes genitorem Cæſarem feſelliſſet, deſpon-* *a coniuge ſtimulatur.*

ſan-

1141. *ſanda. En ad quam vilem & miſeram conditionem, te marito redacta ſum, multo vt perſpicio in peiorem, niſi interea aliquid prouideris, cum prole ex te ſuſcepta redigenda. Ex eo ſiquidem Regno in quo te morituri Patris voluntas, & maior ſanguis, ſplendidumque, quod ex me nactus es, coniugium, hæredem & Monarcham efficiunt, in quartam tantummodo partem es detruſus, lacerato que tuo Principatu, & in tres alios fratres, quos magis tibi ſeruire, & tuo parere imperio, quàm ex æquo principari conueniebat, translato, non niſi ſemiprinceps mereris vocari tribus filiis in ſpem totius Regni Poloniæ genitis, exiguam ſortem, & obſcuriores faſces atque titulos relicturus. Eligibilius mihi fuiſſet fatis abſumi, quàm in tàm ignobile connubium, generis mei ſplendorem obfuſcaturum, prolapſam eſſe. Expergiſcere itaque, & tam fœdam conditionem, tibi & proli tuæ perpetuum dedecus, diſſolue, omnesque Principatus à fratribus occupatos iterum & repete, & tàm tuæ quàm meæ præſenti & futuræ ignominiæ, ſi virum te cenſes non fœminam, dùm licet, conſule. Ad quod ſi te noſtra communis non mouet conditio, ſaltem moueat prolis communis reſpectus, ſortem miſeram, niſi proſpexeris, ſubituræ.* His & pluribus aliis muliebribus colloquiis ſedulò, ægra mens *Wladiſlai* Ducis ſtimulabatur, & tàm animo, quàm vultu, his vocibus illum & frangi & torqueri apparebat. His quoque & aliis pluribus ſuggeſtionibus incendebat virum, donec ipſum affectu germanitatis enecato, in bellum contra fratres pelliceret, & ſuis ſuaſionibus ad ſceleſtas dementiæ tenebras præcipitaret, vt animo obtemperans ſuo germanis excidium inferret, idque quod deteſtabilius eſt, qui curandos illos non exhæreditandos paterno teſtamento ſuſceperat.

Radoſt Ep. Cracouienſi ſuccedit Rопертus Ep. Wratislauienſis, *Cracouienſis* Antiſtes *Radoſt* 19. Ianuarii cùm annis 25. *Cracouienſem* Eccleſiam rexiſſet, tùm demortuus eſt, & in Eccleſia *Cracouienſi* ſepultus. Huic *Robertus* ſeu *Rupertus*, Epiſcopus *Wratislauienſis* in ſedem *Cracouienſem* ab *Innocentio* Papa ſecundo translatus, per ordinationem Ducis *Wladislai*, qui & *Cracouienſem* & *Wratislauienſem* regebat Principatus, ſucceſſit. *& huic Magnus.* Ad Eccleſiam verò *Wratislauienſem* per huiuſcemodi translationem vacantem *Magnus* in Epiſcopum Cuſtos *Gneſnenſis*, *Wratislauienſis* & *Cracouienſis* Canonicus Ducalis Cancellarius genere Nobilis de domo *Zaremba* per *Innocentium* ſecundum eſt promotus.

Bela cæcus Vngariæ Rex moritur cui ſuccedit filius Geiſa. Secundo Idus Februarii *Bela* cæcus *Vngariæ* Rex cum annis nouem, menſibus vndecim regnaſſet, moritur, & in *Alba regali* ſepelitur, & quatuor filios *Geiſam*, *Wladislaum*, *Stephanum* & *Aluium* reliquit. Cui maior natu *Geiſa* in Regno ſucceſſit, biennio poſt mortem Patris in Dominica Inuocauit coronatus. Conſors autem *Belæ* cæci Regis *Helena* filia Imperatoris *Conſtantinopolitani*, ſeptuaginta *Hungariæ* Barones qui cœcationem *Belæ* procurauerant, capite damnauit, & bona eorum Eccleſiis diſtribuit, etiam poſt mortem mariti in cœcationis ſuæ autores, & in omne genus eorum ſæuiens, aut exilio, aut confiſcatione bonorum mulctauit. 1141.

1142. *Wladislao Duci* Ad occupandum germanorum ſuorum *Boleslai*, *Miecslai*, & *Henrici*, ſortes & Principatus, *Wladislaus Poloniæ* Dux animum dietim intendens, dùm iam muliebribus ſuggeſtionibus ineſcatus, ad exequutionem propoſiti ſui procedere decreuiſſet, frequenti numero Prælatorum & Baronum, in *Cracouiam* aduocato, an cogitata per eum proſequenda ſint, cum illis deliberat. Adhibita eſt ad id conſilium, quo in votum Ducalem Conſiliariorum mentes & ſententiæ facilius irent, Duciſſa *Chriſtina*, pleraque ad colorandum ambitionis feruorem callido ingenio propoſita, inter quæ id vnum præcipuum erat, *expedire Reipublicæ Polonorum vnum eſſe Principem, vnum rectorem, vnum Monarcham, diuiſionemque Principatuum inter fratres celebratam, pro ſalute totius corporis reſcindendam, & fratres non Prouinciis, non Principatibus, ſed aliquibus oppidis & villagiis donandos, eosque non pares, ſed ſubiectos, & obſequentes Wladislao velut Monarcha, à patre & vniuerſo conſilio Polonorum deſignato fieri oportere. Secus re acta, & corpore Regni Poloniæ in plures ſortes ſciſſo, & Poloniam perditum euerſumque iri, & in prædam vicinis regionibus oportune virtute debilitata concludebat exponi.* Ad hæc & *Zbignei* fratris naturalis *Boleslai* Ducis *Polonorum* defuncti opera, quibus & in fratris & in totius Reipublicæ crebro graſſabatur perniciem, memorabantur, nec eo viuo & ſuperſtite *Poloniam* à mutua cæde, & colliſione, vicinorumque hoſtium oppugnatione, niſi ſalubri conſilio deperiſſet, quieturam vnquam fuiſſe. *fratres ſubiugare cogitanti* His, & pluribus aliis recitatis, mœſtum & penè obſtinatum ſilentium Conſiliarios aliquanto tempore tenuit, apparebatque iam tùm illos in ſententiam Ducis *Wladislai*, & ſuæ conſortis *Duciſſæ Chriſtinæ* minime tranſituros. Requiſitis deinde Conſiliariorum ſententiis Primores omnes ferè propoſitum Ducale deteſtabantur, *impium aſtruebant & crudele, & ab humanitate alienum, fratres de ſuis ſedibus atque ſortibus exturbari, iuraque gentium, & inſtituta tàm diuinarum quam humanarum legum peſſundari & confundi,* *a Conſiliariis reſiſtitur.* *nil ſancti, nil penſi, nil iuſti inter homines hoc exemplo relinqui. Nec eam rem impunè ceſſuram, ſed diuinitatem parti læſæ contra ius faſque patrocinaturum. Cauſam Zbignei naturalis fratris Boleslai nullo pacto huic conformandam, cum ille ex pellice ſuſceptus, hi iuſta matre familias, ſuâ quidem matertera, & Imperatoria ſorore ſunt producti, nullo facinori earum, quibus Zbigneus de-*

1142. *deteſtandus erat, obnoxii.* Orabant deinde *Wladiſlaum* Ducem. *quatenus à tàm exitiali crimine ſibi & ſuis nociturо, animum auerteret, & germanitatis memoriam ſubire in pectus pateretur, horrendos euentus ſtirpisque ſuæ domus & Principatus euerſionem, clades inſuper quàm plurimas & non ſubditorum ſolùm ſuorum, ſed & forenſium execrationes, & cæteras res ſuo nomine indignas, ſi deſtinata effectui mandare ire pergeret, ſubiturus, pluresque alios ipſis cladibus inuoluturus.* In hanc ſententiam cùm penè omnes Conſiliarii pedibus iiſſent, Dux etiam *Wladiſlaus* illam ſequuturus ſperabatur, naturæ tamen impotentia, & vxoris amor, & paucorum Conſiliariorum reſpectus, qui aſſentando magis, quàm conſulendo in rem ibant, modeſtum eius propoſitum, & labefactauit, & peruicit. Itaque tàm vxoris conſiliis, quàm precibus & improperiis expugnatus, in facinus dudum cogitatum conſentiens, primum quidem ne tyrannis ſua ab omnibus notaretur, ſubiectionem & tributum ab omnibus Principatibus, qui in fratrum ſuorum ſortem ceſſerant, iubet ſibi velut *Polonorum* Monarchæ perſolui. Mox deinde iubet ſibi & nulli alteri per ſingulas regiones parere, rebelles, & contumaces, aut verbere, aut carcere, aut bonorum ademptione percelli. Et quoniam *Polonorum* Proceres, Nobileſque ad id facinus tutò perpetrandum, rebatur ſibi parum fidos, ex *Ruthenis*, cùm & ipſe matre *Ruthena* genitus ſit, quoſdam auxiliares accerſit, eorumque miniſterio occupationem bonorum fraternorum peregit, eò quoque proceſſit iniuriæ, vt ex omnibus poſſeſſionibus fratres deturbaret. Nam cùm eſſet inuidus & ambitioſus, vxoremque ſortitus faſtu arrogantiæ tumidam & procacem, in rebus etiam ad ſe trahendis rapacem, per ipſum quidem vitium inuidiæ, Regnum *Poloniæ* decreuit fratribus ſuis communicandum non debere, ex ambitione verò decreuit fratres ipſos de terra exterminare. Vxor verò ſua faſtu tumens ſuperbiæ conſortia & mores aſpernata *Polonorum*, officiales etiam ſuos, Pincernas & Dapiferos vetabat accedere, dicens ſibi tædium ex eorum aſpectu generari, eò quod anhelitu fæterent, & amictu inculti eius diſplicerent oculis. Vnde & leuiros ſuos dedignabatur, faſtidiebatque. Per auaritiam verò, prætextu palliatæ honorificentiæ, ſibi non immeritò exhibendæ, populo terræ mandabat, vt in magnis feſtiuitatibus pullos gallinarum, porcos, anſeres, mel, triticum, auenam, quilibet pro ſuis facultatibus honorificè ad menſam Ducis liberaliter præſentaret. Quibus aliquot vicibus præſentatis, decreuit vt hæc in poſterum ad fiſcum annuatim perſoluantur, & per hanc aſtutiam populi libertatem, in debiti neceſſitatem, & ſeruitutem obnoxiam conuertit.

Ille tamen fratres poſſeſſionibus ſuis eiicit.

Idem penè furor apud *Bohemos*, qui & apud *Polonos*, ea tempeſtate, ſiue id cœleſtium vis, ſiue ambitionis fomes cauſabat, erat. *Bohemi* ſiquidem Principatum *Wladiſlai* Ducis ſui, propterea quod vegetioris ſenſus erat, & quoſdam eorum officiis ſubmouerat, quibuſdam etiam frena licentiæ remiſerat, non ferentes, *Conradum* Marchionem *Morauiæ* filium *Leutoldi* filii *Conradi* fratris *Wratislai* primi Regis *Bohemiæ*, ad occupandum Principatum *Bohemiæ* vafro & doloſo ingenio ſubornant. *Conradus* itaque Marchio *Morauiæ* prædictus, ferentibus ſibi tum milite, tum præſentiis ſuis auxilia *Ottone Olomonecenſi* Duce, *Wratislao* filio *Vdalrici* fratris dicti *Conradi*, *Wladislao* filio *Sobieslai* filii *Wratislai* primi *Bohemiæ* Regis *Zbigneo* & *Leutoldo* filiis, qui & ipſi *Borzywoi* ſuis ſedibus & Ducatibus pulſi, ad nouandum res, quibus illis ſuus ſtatus reddi poſſet, animum intenderant, cum valido exercitu in *Bohemiam* ingreditur, & illam cædibus, igne, & ſpoliis plurimum velut terram hoſtilem vexat & contorquet. Eam vaſtationem Dux *Bohemiæ Wladiſlaus* non ferens, in monte *Viſoka* 7. Calend. Maii cum nonnullis militibus, qui partes ſuas ſequebantur, occurrens, confligit, & cæde magna, & plusquam ciuili vtrinque edita *Wladiſlaus* ſuccumbit, & in *Pragam* refugit. Sed nec illic ſubſiſtere tutum ratus, ad *Conradum* Imperatorem, cuius ſororem *Giertrudim* nomine in conſortem habuerat, auxilia petiturus, decurrit. *Conradus* interim Marchio *Morauiæ*, victorem exercitum ad *Pragam* admouens, eam *Theobaldo* fratre germano Ducis *Wladiſlai* ad tuendam ciuitatem *Pragenſem* relicto, ne quicquam reſiſtente expugnat, & acquirit, Eccleſiamque Cathedralem & monaſterium S. *Georgii* pluraque alia loca Deo dicata, & profana incendit, atque ſubuertit, magnaque cæde & creudelitate, in Eccleſiaſticos & ſeculares vſus, Ducatum *Bohemicum* ſortitur, à quo poſt paucos dies ſocero ſuo *Wladiſlao* perſonale ferente ſubſidium à *Conrado* Imperatore *Romanorum* deiectus eſt.

1142. *Wladislaus e ducatu Bohemiæ a Conrado Morauiæ Marchione eiicitur.*

Gliſcente indies *Wladiſlai Polonorum* Ducis in fratres ſuos *Boleslaum*, *Mieczslaum* & *Henricum* Duces ſæua tyrannide, cumque iam fratres ii pluribus caſtris, ciuitatibus, oppidis, munitionibus, & poſſeſſionibus, à præfato *Wladiſlao* Duce, quem ſuæ pupillaris conditionis protectorem ſperauerant, exuti forent, quid agant? quo ſe uertant? cuius opem implorent? reſiſtantnè fratri Duci *Wladiſlao*, an ſuos Principatus occupari ſinant, prorſus ignorant. In publicum quidem venire cum fratre certamen, & ætas infirmior, & fratris *Wladiſlai*, potentia, illorũ viribus longe ſuperior, eos & qui ab illorum partibus erant prohibebat. Veriti etiam, ne in victos grauius quicquã Dux *Wladiſlao* irritatus ſtatueret, geri omninò rem armis, & ferro inter fratres, nemini eorum, qui pro

1143. *Fratres Wladislai expulſi*

1143. pro pupillis ſtabant, ſatis placebat. In miſericordia itaque & precibus omnem ſpem reponendam cenſebant, & orandum *Wladiſlaum* Ducem, vt ſua ſorte contentus, fratrem ſe gereret, non hoſtem. Primum tamen conſortem illius Duciſſam *Chriſtinam* omnium eorum, quæ tùm agebantur, commentricem adire ſuadebant. Ea enim placata, & virum pietate flecti poſſe, muliebri verò ira non expugnata, & maritum inexorabilem fore. Eo conſilio primum *Chriſtinæ* Duciſſæ per pupillos ſupplicatum eſt, proſtratique tres Duces in fœminæ conſpectu, non tàm vocibus, quàm fletibus, & lamentis, *per communem ſanguinem, qui illis, cum viro, & ſecum eſſet*, orabant, *quatenus Principatus & poſſeſſiones, quas pro ſuis ſortibus, & Polonorum more, & gentium iure, ipſo etiam Wladiſlao Duce diuiſionem ſacratam tunc habente, acceperant, ſinerentur quiete retinere, ne quoque Dux Wladiſlaus in eos amplius ſæuiret, & dominia eorum per ſcelus & nefas occuparet, vtque iura ſanguinis, æquitatis, & iuſtitiæ, omni Principatu atq; Regno duceret potiora, plus ignominiæ & decoris, quàm honoris, plus damni quam profectus oppreſſis orphanis tandem habiturus.* Non mouit trucem fœminam, neque iacentium ad pedes ſuos Ducum & leuirorum fratrum etiam ſuorum reſpectus, non preces, non lacrymæ, non eiulatus, obſtinato ad hæc omnia pectore, preces pupillorum repudians *Wladiſlaum virum ſuum* reſpondit *iuſtam & neceſſariam rem egiſſe, neque ob id carpendum fore, cùm ſtatus Reipublicæ Polonorum niſi Regno reunito ſeruari & proſperari non poſſit. Sciſſionem eius, ſi & ipſi ſapere poſſent, cunctis exitialem eſſe. Salubrius eos atque magis ſenſate acturos, ſi ſe & ſua arbitrio & voluntati Ducis Wladiſlai velut natu maioris permitterent, rebellionem quamlibet & reſiſtentiam in capita eorum, quique illis adhærerent, reciſuram.* Itaque rigidiore quàm ſperaſſent, Duciſſa *Chriſtina* inuenta, pupilli amariores diſcedunt, quæ nec ſalubres timoratorum hominum conſultationes illam à propoſito reuocantes, nec leuirorum ſubmiſſas preces admittens, nec orari, nec leniri ſe quidem paſſa eſt.

Chriſtinæ Duciſſæ ſupplices ſiunt,

ſed nihil recipiunt.

Duodecima die menſis Aprilis *Robertus Cracouienſis* Epiſcopus tantummodo ** poſtquam de *Wratiſlauienſi* ad *Cracouienſem* Eccleſiam translatus fuit, in eius regimine exacto moritur, & iuſto honore in Eccleſia *Cracouienſi*, quam uiuens dedicauerat, conditur. vir ſingularis probitatis, cuius optimarum virtutum flagrantia effecit, vt *Cracouienſis* Eccleſia potiùs, hunc pro ſuo regimine poſtulans, depoſceret, quàm aliquem de ſuis legeret. *Matthæus* Scholaſticus *Stobricenſis Roberto* ſuccedens ab *Innocentio* ſecundo Eccleſiæ *Cracouienſi* præficitur, *Wladiſlao Poloniæ* Duce eius ſubſtitutionem promouente, eo, quod illi in quadam neceſſitate ſubuenerat pecuniario ſubſidio, ſumptuoſus, prodigus, & in guloſitatem præceps. 1143.

Roberto Cracouienſi Ep. ſuccedit Matthæus.

A Firmato Principatu & ſolio ſuo *Wladiſlaus Bohemiæ* Dux, & aduerſariis ſuis aſſiſtentia, & robore *Conradi* Imperatoris *Romanorum*, ſoceris ſuis ex *Bohemia* effugatis, & deiectis, *Morauiam* cum hoſtili exercitu ingreſſus, primum *Conradi* Marchionis *Morauiæ*, deinde *Ottonis* prouincias crudelibus flammis, ſpoliis, cædibus, vaſtauit. Ducenſque varia ſpolia & prædas, dum Marchiones *Morauiæ* pugnam detrectaſſent, cùm ferè omnem *Morauiam* exuſiſſet, in *Bohemiam* reuertitur.

Wladiſlaus Bohemiæ Dux reſtitutus Morauiam vaſtat.

Repudium precum ſuarum *Boleslaus*, *Miecslaus*, & *Henricus* Duces apud Duciſſam *Chriſtinam Wladiſlai* Ducis *Polonorum* B & Monarchæ conſortem paſſi, ab omni ſpe retinendi ſortes ſuas dilabuntur. Iam enim *Sandomirienſes*, *Lublinenſes*, *maioris Poloniæ*, *Morauiæ*, *Lubucenſeſque* Barones, creſcente indies *Wladiſlai* odio in pupillos, potentioris ſpem adiuuandam iudicantes, nonnulli verò largitionibus & promiſſis corrupti, orphanis deſertis ad *Wladiſlaum* deficiebant. Duo tantummodo reperti *Petrus* de *Dania*, qui etiam *Piotrek*, Magnus Comes de *Skrzyn* appellabatur, & *Wſzeborius Sandomirienſis* Palatinus, qui libera fronte pro pupillis ſtarent, cauſamque eorum, quoad poterant, tutarentur. Et *Wſzeborius* quidem armis & ferro rem gerens, etiam in quibuſdam particularibus cer- C taminibus ſuperior euadebat, ſpemque *Wladiſlai* improbam retardabat. Comes verò *Skrzynenſis Petrus Suantoslai* filius, diuitiis & potentia, cæteriſque eius generis ornamentis clarus, probitate verò, & exiſtimatione quamuis externus & aduena, facile in Regno *Poloniæ* Princeps, ne ab inuidia inuaderetur, quod magnis viris natura quodammodo comparatum eſt, euitare non potuit. Caput autem & origo ſuæ inuidiæ ex hinc cœpit. Quod frequentibus familiaribuſque ſermonibus *Wladiſlaum* Ducem, accedens, tyrannidem cœptam, & hactenus continuatam carpebat damnabatque, oſtendens non verbis ſolùm, ſed exemplis, eum in propria viſcera, & propriam perniciem D graſſari, nec ea tyrannide vniuerſali Regni *Poloniæ* dominium aſſequi illum, ſed & proprium, & legitimum verti in diſcrimen, nullaque re magis, quàm fraterna vnanimitate, & ſociali concordia in altum ſtatum, quem tantopere cuperet, euaſurum. Non ſurdis autem tantum auribus, ſed etiam iniquis quæ a *Petro* Comite dicebantur audita ſunt, tantamque inſuper & tàm feruidam, primùm ſuſpitionem, deinde indignationis flamam *Wladiſlaus* Dux *Polonorum* a *Petro* Comite reprehenſus hauſit, vt in illum iuxta ac in fratres tyrannidem vertendam cogitaret, veritus quàm maximè, ne *Petrus* Comes *Skrzynenſis* qui ea tempe-

1144.

Petrus de Dania Comes Skrzynenſis Wladiſlao diſſuadet ſæuitiam contra fratres,

1144. peſtate, tàm genere, quàm facultatibus clarus & potens habebatur, orphanis adiunctus, & propoſitum ſuum ad irritum dedu- A ceret, & potentiam ſuam, vel confunderet, vel languidaret. Inſenſum ſuapte in *Petrum* Comitem *Skrzynenſem Wladiſlai* Ducis *Polonorum* animum in ampliorem bilem coniunx *Wladiſlai* Ducis *Chriſtina* accendit, cum qua Dux *Wladiſlaus* de rebus quibuſque conſultare ſolitus erat, cùm & ipſa dudum graui ira *Petro* Comiti *Skrzynenſi* infeſta ſit. Ferarum ſiquidem venationes quodam tempore tàm Duce *Wladiſlao*, quàm *Petro* Comite, vnà tractantibus, cum fera curſu ſuo vtrumque in deſertum, & longe à ſtatiuis diſtans nemus abduxiſſet, rugienſque fame ſtomachus, carne comprehenſæ beſtiæ, ægrè faſtidioſèque impletus, ſitim glacie & niue excluſiſſet, ambo B inſuper nuda humo, ſomnum & quietem capturi, delicias ſuas quæ illis ex cibariis potuque & ex parum molli ſtrato, contigerant, familiari confabulatione recenſerent. *Mollius*, inquit *Wladiſlaus* Dux, *coniugem tuam, Petre, cum Abbate Skrzynenſi reor, quàm nos quieſcere.* Huic faceto dicto & ad leuandam præſentem difficultatem à Duce *Wladiſlao* prolato, *Petrus* Comes ſimile reſponſum redditurus. *Quis ſcit*, inquit, *non tantummodo meam cum Abbate ſed & tuam cum Dobieſz molles nunc cepiſſe ſomnos.* Erat autem *Dobieſz* miles à Duciſſa *Chriſtina* amatus, cuius familiaritas, pudicitiam Duciſſæ *Chriſtinæ* in ſugillationem apud pleroſque perduxerat. Con- C cepit illico *Wladiſlaus* Dux ex ea reſponſione iras, cautiùs tamen eas ſupprimens, cùm & ſæuiendi oportunitas, parum tunc tuta eſſet, & *Petrum* Comitem velut affinem ſuum, qui matris ſuæ propinquam ſororem pro conſorte habebat, maiori vltra omnes Barones æſtimatione colens, nollet habere alienatum & inſenſum, ſub ſilentio & patientia rem ad præſens abſoluit. In domum verò reuerſus triſtitiam animi in vultu præſeferens, ſciſcitanti vxori mutationis cauſam, cùm die vno, nequicquam reſtitiſſet, expugnatus tandem ſedula importunitate, ſecretum auida inſtigatione exigentis mulieris, vel indignabundus, vel vt pleriſque placet, iocabundus, ſermones, quos præcedenti nocte cùm *Pe-* D *tro* Comite de vxoribus inuicem confabulaſſent, ex ordine aperit. Qua relatione Duciſſa *Chriſtina*, dum pudicitiam ſuam per illos in dubium reuocari credidiſſet, torta adeò & exacerbata eſt, vt ab illo tempore muliebri more, qualiter eam iniuriam vltum iri poſſet, variis ſtudiis, varioque æſtu mentis certauerit, & iræ impotens neglectam a viro, & nimis leuiter latam iniuriam ſuam indignabunda, qualiter de *Petro* Comite ſumatur vltio, exquiſitius voluebat. Ea itaque occaſione, quam retulimus, oblata, omni conatu, omnique niſu, conſilio, atque ſuaſu, vt de *Petro* Comite vltum

qui, quod pudicitiam Chriſtinæ Duciſſæ infamaret,

iri poſſet, *Wladiſlai* Ducis viri ſui egregium animum pellicit, ſuggerens eo incolumi nullo pacto plenum Regni *Poloniæ* Dominium Ducem *Wladiſlaum* obtenturum. Studioſius quoque deinde compoſitis ſimulationibus, & per ſe, & per alios, quos ſibi ad id ſcelus facilius conficiendum adiunxerat, in necem *Petri* Comitis, quaſi rebellionem, & deiectionem, atque venenum in necem Ducalem meditantis, animum viri vrgere cœpit. Et licèt, ne id ageret, à timoratis viris admoneretur, nil tamen diuinum, nil dignum, nil ſalubre auris admittebat mulieris, maiorique vltionis flagrabat ardore, quæ potius pro debito coniugalis muneris errata viri reprimere, & officiis ſuis flagitiorum etiam inuidiam compenſare debuiſſet. Cæterum cùm ad explendum in *Petro* Comite facinus, quod muliebri animo comparatum erat, fidus miniſter, & vt arcanum illud tuto, ne proderetur illi committi poſſet, neceſſarius quæreretur, cùm appareret rem per ſe execrabilem, & quæ non ſine euidenti illam adminiſtrantis periculo propter *Petri* Comitis, qua pollebat, potentiam confici poſſet, ſingulos quoque aſpernaturos, *Dobieſz* ad id idoneus viſus, priuatam & ipſe contumeliam in *Petro* vlturus, deligitur. Qui etſi onus deteſtandum in Duciſſæ *Chriſtinæ* fauorem, quæ etiam illi in facinoris præmium *Petri* Comitis, quo vigilantius ſtudioſiuſque rem ageret, bona pollicebatur, ſuſcepiſſet, parum tamen ſe validum, vt id conſequeretur, cenſebat, vna ad id commodiſſima muliebri ingenio aperiebatur via, ſi *Petrum* nil ex præparato agentem in alienis ædibus oppreſſiſſe. Tandem *Petrus Skrzynenſis* Comes filiam ſuam *Iaxæ* Duci *Serbiæ* nuptum dat, celebrationemque nuptiarum in *Wratiſlauienſi* ciuitate, vt receptaculum hoſpitibus eſſet, & haſtarum ludos præmio propoſito victoribus indixerat. Illic *Dobieſz* frequentia ſatellitum fultus accedens, *Petrum* Comitem *Skrzynenſem* incautius ſe in hoſpitis morem gerentem captiuat, vinctumque ex *Wratiſlauia* educit, & Duci *Wladiſlao* præſentat, nuptiarumque ſolennitatem perturbans, conuiuium fœdat. Diu in eum *Wladiſlaus* Dux quicquam grauius conſulere cunctabatur, & innocentia viri, & meritorum eius in ſe & Patrem, patriamque recordatione deterritus, verita Duciſſa *Chriſtina*, ne miſericordia viri captiuum *Petrum* abſoluiſſet, non precibus ſolùm, & conſiliis, ſed minis *diſceſſuram ſe ab eo, ſi violatam ſuam honeſtatem à Petro inultum iri ſineret*, conteſtans, perpulit virum, vt ſupplicium de optimo, atque bene merito milite ſumeretur. Miſſi carnifices, qui linguam illi præcidant, & vtroque lumine *Petrum* cœcant. Itaque vir & virtute & opere egregius fœmineo furore pro crimine proditionis affecto, ad pœnas raptus, nobilioribus membris ſpoliatus & exutus, indigna vltione mulctatus eſt. A ſcriptoribus 1144.

oculis & lingua priuatus eſt.

Pa-

1144.

Polonorum tantum vni huic viro tribuitur vt pro inſigni ſuæ innocentiæ atque virtutis memoria referatur, diuina propitiatione & mira- A culo, in quem tot pietatis facinora contulerat, & oculos, plenamque potentiam viſionis, & integram loquelam, lingua inſtaurata illum recuperaſſe, & quinquennio, quo poſt vixit, monaſteriis, Eccleſiis, & piis locis, his præſertim, quæ ipſe fabricauerat, & fundauerat, largas donationes feciſſe. Cætera quoque ſupplenda, quæ locis piis ac monaſteriis prædictis deerant, filiis *Conſtantino* & *Ægidio* in morte mandauiſſe, celebrem decedens habuit in monaſterio S. *Vincentii* extra muros *Wradislauienſis* ordinis Præmonſtratenſis, quod ipſe viuens fundauerat, in chori medio terræ mandatus ſepulturam, magna *Polonorum* frequentia eius honeſtante exequias, ipſisque funebris B monſtrante, quantum viuum amauerant, ſed & in hanc diem *Petri* Comitis *Skrzynenſis* nomen apud *Polonos* extat ſonorum ac celebre. Conſors ſua *Maria* expoſt fatis intercepta, in eadem, qua *Petrus*, vrna mariti conſocianda cineribus condita eſt, duo inſuper verſus huiuſmodi inſcripti ſepulchro vtriusque atteſtantes ſepulturam, qui tales ſunt

Hic ſitus eſt Petrus, Maria conſorte fretus,
Marmore ſplendente, Patre Vilhelmo peragente.

Extant vsque in hæc tempora plures in *Polonia* Eccleſiæ, quæ ab eo feruntur muris ædificatæ. licet earum maior numerus per nouarum conſtructionem demolitus ſit, videlicet ad S. *Vin-* C *centium*, item ad S. *Michaelem* in *Wratislauia* in *Strzelno*, in *Klobuczko*, in vtroque *Skrin*, *Zarnow*, in antiqua *Siewior*, in *Paieczno*, in *Ruda*, in *Chelmce*, in *Wierzycow*, in *Lancitia*, in *Kiie*, in *Opatow*, in *Pkanow*, in *Chelmo*, in *Tyniec*, in *Chlewiska*, in *Koſcielec*, diœceſis *Wratislauienſis* ad S. *Mariam* in arena, ad S. *Martinum* in *Wratislauia*, ad S. *Laurentium* in *Kaliſz*, ad S. *Saluatorem ante Cracouiam*, in *Zwierziniec*, ad S. *Suiridum*, ad S. *Laurentium* in *Cazimiria*, ad S. *Ioannem*, & ad S. *Andream* in *Cracouia*, in *Cazimiria*, ad 5. fratres in *Mſtow*, ad S. *Petrum* in *Hiſza*, in *antiqua Konin*, in *Korow*, in *Numborg*, Sanctimonialium, Prædicatorum in *Rambino*, in *Czerwony Koſciol*, in *Lauin* Conuentualis, & Parochiales duæ in *Tulcze*, in *Gecz S. Ægidii* ante *Crobia*, & in *Iezow*. Conſtat inſuper præfatum Comitem *Skrzynenſem* ingentis animi & ſpiritus virum extitiſſe, & pro amplificanda, exornandaque *Polonorum* regione, raram, & homine magnifico, & liberali dignam monſtraſſe curam. Qui dum duas amplas prouincias *Caliſſienſem* videlicet & *Cruſuicienſem* ſuo regimini a Duce *Boleslao Krzywouſti* commiſſa, adminiſtraret, & frequentia itinera, de vna in alteram peragerat, longitudinem itineris, qua vna ab altera diſtabat menſus, in earum meditulio columnam de ſaxo, quam etiam in præſens in cœmiterio Eccleſiæ Parochialis in *Kowin* cernimus locari diſpoſuit. Cui etiam ea metra inſculpi iuſſit:

Multarum Eccleſiarum fundator.

1144.

De Kaliſz hic medium in Cruſuiciam fore punctum.
Indicat iſta vix formula iuſtitiæ.
Quam fieri fecit Petrus Comes Palatinus.

Innocentio II P. R. ſuccedit Cæleſtinus II.

Innocentius Papa ſecundus cum annis tredecem, ſecundum aliquos quatuordecem, menſibus ſeptem, diebus octo ſediſſet, *Romæ* moritur, & in concha porphirica miro opere fabricata in Eccleſia *Lateranenſi* honorifice ſepelitur. Cui *Cæleſtinus* ſecundus natione *Tuſcus* de *Caſtro Felicitatis* ſuccedit, vir religione & ſcientia præditus, cum magna Cardinalium vnanimitate ad ſedem *Petri* electus.

1145. *Wladislaus Dux*

Petro de *Dania* Comite *Skrzynenſi* deteſtabili crudelitate mutilato cæcatoque, *Wladislaus Polonorum* Dux tyrannidem cœptam, ſuperintendens, non ad occupandum ſolũ fraternos Principatus & ſortes, ſed & ad eliminandum eos ipſos de patria, ſtudia ſua conatusque conuertit cum ad id non ſolum ambitionis ardore, & vxoris irritamento, ſed & impunitate ſcelerum & aſſentatione improborum ferretur, nemine eius tyrannidi poſt crudelitatem in Comitem *Skrzynenſem* depromptam obſtare, aut eius conatus carpere, ſeu quæ vera & legitima eſſent, dicere auſo. Contracto itaque ex omnibus Principatibus & dominiis ſuis exercitu, *Ruthenorumque* auxiliariis frequentiori numero, quam vnquam alias accerſitis, *Wſzeuolodus* enim *Kiouienſis* Dux filium ſuum *Suantoslaum*, item Ducem *Izaslaum*, item Ducem *Wſzeuolodimirum Halicienſem* cum copiis *Ruthenorum* in auxilium tranſmiſerat, Boleſlaum de *Plocenſi*, *Henricum* de *Sandomierienſi* caſtris fratres germanos depellit, cæteraque eorum præſidia eiicit, & omnes eorum Principatus & terras, iuſtis Principibus fugatis ſubiugat. Vnus tantummodo *Miecslaus* ſenex vocatus reſtabat, *Gneſnenſis*, *Poſnanienſis*, & *Maioris Poloniæ* Dux, ad quem hi duo fratres, *Boleslaus Criſpus Maſouiæ*, & *Henricus Sandomirienſis* Duces ſedibus ſuis pulſi diffugerant, arcemque *Poſnanienſem* omnes tres adeuntes etiam viris armisque eam munierant, reſiſtentiam Duci *Wladislao*, ſi il- D lic quoque impeterentur, oppoſituri. Quod vbi Dux *Wladislaus* agnouit, ocius illic ire pergit, celeriori quoque quo poteſt curſu, exercitum admouit, & *Poſnanienſe* caſtrum fortiſſima obſidione vallauit, vniuerſos fratres vno loco, vnaque obſidione debellaturus, & comprehenſurus. Cinxit deinde ſepibus & frequentibus turribus *Poſnanienſe* caſtrum, ne cui de obſeſſis liceret fugere, bombardis quoque & arietibus illud nocte & interdiu quatiebat, omnibus ingeniis artibusque humanis ad eius conquiſitionem intentus. Principes autem *Boleslaus*, *Miecslaus* & *Henricus* videntes ſe per obſidionem illam plurimum coartatos, ne viui in manus hoſtiles venirent, ne quoque in captos quicquam grauius

fratres ſuos eiicit,

præter Miecslaum, ad quem reliqui Poſnaniam fugerunt,

quos Wladislaus obſidet

1145. 1145.

ſtatui contingeret, mittunt nuncios ad *Wladiſlaum Poloniæ* Ducem rogantes, *vt nubilo ſuæ indignationis mitigato, illos hoſtiliter impetere, & Principatus eorum occupare deſineret; ſolueretque obſidionem, & fratrem ſe, atque defenſorem non hoſtem gereret, ſorteque ſua contentus eſſet, neque in exterminium eorum, qui eodem patre eſſent geniti & æquale in Poloniæ Regno ius cum eo haberent, adſpiraret, memor humanarum rerum, & ſuam fortunam modeſte regeret, & aliena ne vrgeret.* Legationem autem huiuſmodi *Wladiſlao* Duce faſtuoſè repellente, & irridente, nil quoque pacati reſpondente, Ducibus *Miecslao, Boleslao* & *Henrico*, & omnibus cum eis obſeſſis maior pauor inceſſit, fortunamque ſuam miſerandam & miſerabilem lachrimoſis ciuiatibus crebro deplorabant. Pro more deinde ingenii humani ad conditiones pacem aliquam laturas verſi, deditionem plerique facere, ceteri de aliqua ſorte Principatuum cedere, & furorem ambitionemque Ducis *Wladiſlai*, vtcumque placandam, decernebant. Sed cum conditio vtraque grauis & intolerabilis videretur, & Dux *Wladiſlaus* non aliter exiſtimabatur quieturus, donec cum fratrum exterminio plenum illi regimen Regni *Poloniæ* proueniret, perſeuerare in obſidione, eamque tolerare, & omnia extrema pati definiunt, ſperantes diuinitatem, quæ pro iuſta cauſa ſtare conſueuit, ſe & ſuam oppreſſionem aliquando reſpecturam. Sub ipſo autem obſidionis tempore *Wladiſlai* Ducis exercitus, auxiliares præcipue *Rutheni*, prædis, ſpoliis, & innumerabilibus maleficiis non contenti, etiam ingenuis matronis & virginibus ſtupra, pleraſque cædes, & corporum cruciatus, cæteraque abominanda, & Chriſtianis indigna rabie barbarica inferebant. Quibus malis venerandus *Iacobus*, tunc ſedis Metropolitanæ *Gneſnenſis* Antiſtes permotus, in caſtra Ducis *Wladiſlai* ingreſſus in quadriga aduectus, iam enim annis exceſſerat, amictu & mitra Pontificali, quo terribilior videretur, veſtitus, & in eadem qua vehebatur quadriga papilionem Ducis *Wladiſlai* intrans, prudenti & digeſto ſermone *vt armis depoſitis, obſidioneque ſoluta, in gratiam cum fratribus rediret, patriamque, quæ illum produxerat ac extulerat, barbarica inuaſione ſtupra, cædes, ſpolia, & incendia, in eius exterminium & ludibrium inferendo, perſequi & vexare deſineret, & ſua ſorte contentus, aliena contra ius faſque non ambiret,* benignius quo poterat, exhortabatur, *certum illum reddens, ea mala quæ egiſſet, non ſibi impune ceſſura, ſed fuſum fundendumque ſanguinem in eius perniciem redundaturum*, huiuſcemodi illum conuenit ſermone: *Venio*, inquit, *ad te Clariſſime Princeps, ſenio quidem graui, ſed anxietate & dolore maiori confectus, rogaturus, vt bello pernicioſo omiſſo, quo fratres eliminare contendis, labem etiam, qua te, & genus tuum fœdare conſtituiſti, attendas, eo quidem maiorem, quo teſtamento patris curator fratrum ſcriptus amplitudinem illorum non ex-* A *terminium procurare debueras. Tu ſiquidem ex curatore inſidiator, ex amico inimicus, ex fratre hoſtis, arma quæ pro fratribus opponere conueniebat, in ipſos vertis, quos tutandos aſſumpſeras, multifarie & collidis, qualis humani generis res, fidem, ſocietatem, fraternitatem, ſanctiſſima fœdera, ipſum denique ſacroſanctum humani generis vinculum violas, ſecuritatis auxilia in metum vertis, malorum omnium vnde minus expectabantur, pericula in fratres & patriam congeris. Optimum crede temperamentum, oppreſſa ambitione, qua tales, depoſita tyrannide, quam exerces, cum fratribus ex æquo viuere, & poſt bella execranda, poſt vultus & actus minime fraternos, ſubituram tan-* B *dem aliquando tibi germanitatis & curationis memoriam. Horrendam hanc exiſtima, quam proſequeris, & pluſquam ciuilem diſcordiam, ſtirpem veſtram ac illuſtre Dominium & Regnum funditus, niſi celerius reſipueris euerſuram. Honorem amplum & fructum cumulatiſſimum, ſi monitis meis parueris, ſin minus, diuinam & humanam vltionem percepturus. Reuolue animo, quam fœdum, quamque plenum dedecoris, & iniquitatis eſt, te hominem Chriſtianum & Principem de ſuo Deo & eius aſſidue pendentem iudicio id agere, quod gentiles à veri Dei & Chriſtiana religione alienos conſtat execrari, vt plus in pectore tuo poſſit cupiditas Regni inanis, quam fraternæ pietatis affectus.* At C *Wladiſlaus* Dux fuga & diſceſſione fratrum in vnam arcem elatus, ſalubres Pontificis monitus, clara voce, ſibi ſucceſſuum varietatem prædicantem aſpernari ſuſtinuit, & proſperitatis ſuæ velocē curſum vana ſibi quædam ominans & pleno velo ſemper ſe nauigaturū confidens, à moderationis contubernio excluſit. Sed renitendo tam optimo conſultationis bono declarauit, quod non in omnes cadit donū prudentiæ ſalutaris, nec quemlibet patitur poſſeſſorem, & ſuperborum atque inſenſatorum Principum auaritia obcæcatorum more in ſua perſiſtendum duxit ſententia. Obſtinato ad ea quæ à Præſule optimo dicebantur, edito à Duce *Wla-* D *diſlao* reſponſo dum appareret illū à rabie concepta, nullo pacto quieturum, *Iacobus* Archiepiſcopus prædictus ſpiritu diuino impletus, ſcutum fidei, & loricam ſpei, velut præliabundus aſſumens, moxq; è ſella, cui inſiderat, altius conſurgens. *Poſtquam*, inquit, *lege diuina & humana prophanata, iure etiam gentium, & naturali præuaricato tantos auſus aſſumpſiſti, vt neq; Dei metus & reuerentia, neq; humanæ perſuaſiones & monita, neq; meæ exhortationes & conſilia, te queunt à prauis & execrandis facinoribꝰ abſtrahere, & ad rectum inclinare, auctoritate Dei omnipotentis, cuius vices in hac parte proſequor, te velut Principatuum fraternorum iniuſtum violentumque inuaſorum, fidei & patriæ hoſtem, legum diuinarum & huma-*

non habita ratione interceſſionis, Iacobi Archiep. Gneſnenſis,

mana-

1145. *manarum tranſgreſſorem, & meorum paternorum monitorum rebellem contemptorem, ad omnia ſalutaria obſtinatum, Pharaonicam cordis duritiem præſeferentem, primum quidem coram præſenti, quæ aſtat multitudine, excommunico, deinde velut pertinacem anatematiſo, & vltimo velut incorrigibilem vltioni diuinæ puniendum relinquo.* Execratus deinde in caput, & exercitum *Wladislai* Ducis ac etiam in auxiliares copias ſuperos, violatæ àb eo religionis & fidei, ſui quoque ſaluberimi ſpreti conſilii teſtes inuocans, anathemateque illas damnans, in vehiculo vectus ex papilione Ducali recedebat, interminans ſtipendia, quæ à fratribus exigebat, à ſe propediem per fratres iuſtius expetenda. Sed neque his ingeſtus terror ſaxeum mouit pectus, nec excruciatam ambitionis igne mentem ſanauit. Non tamen in Præſulem ſe ferientem contumeliis, improperiis, aut comminatione Principum more vtendum duxit, ſed ſingula ſub patientia perferens, nil ſe aut corripiente indignum deprompſit, & motus animi omnes in poteſtate habuit. Egrediente Archiepiſcopo de tabernaculo Ducali, auriga Archiepiſcopi quadrigam & equos incautius agens vltimo axe columnas, quibus papilio Ducalis ſuſtentabatur, euertit, tabernaculum quoque exinde corruens vsq; ad ſolum cecidit, nec longe abfuit, vt ſuo prolapſu *Wladislaum* Ducem opprimeret. Eum quoque caſum Dux *Wladislaus* ira ſubpreſſa, quam moris ſui eſſet, patientius tulit, & non ſibi tantum, ſed & aurigæ obiurgationi indulſit, pluresque ſuæ patientiæ admiratione tenebantur. Nonnulli vero caſum tabernaculi ſcrupuloſius notantes velut præſagium, & euidens futuri caſus aduerſi ſignum augurabantur accidiſſe. In breui ſcilicet temporis ſpatio, poſt eas, quas a Metropolitano ſuo ſalubres admonitiones ſpretum iri permiſerat, poſt fratrū ſuorū, quos præter iuſtum æquumque paterna hæreditate exuere æſtuabat, humiliationem ſupplicem, quam ludibrio habuerat Ducem *Wladislaum* ominantes fuiturum. Vnde & ab aliquibus ſuis Conſiliariis aditus, atque rogatus eſt, *vt feroci animo depoſito pacificari fratribus ſub æquis conditionibus dignaretur, vereri ſe aſſerentibus, ne pro armis iniuſte ſumptis ſecum vna ſimul diuina obruerentur vltione.* Dum obturatas ad omnia ſalutaria monita aures, & obſtinatum animum *Wladislai* Ducis, Principes, *Boleslaus, Mieciſlaus*, & *Henricus*, & Barones Principatuum ſuorum, *Sandomirienſis, Maioris Poloniæ, Maſouiæ, & Cuiauiæ*, qui cauſæ eorum turpe & fœdum deeſſe putarunt ex literis & nunciis *Iacobi* Archiepiſcopi *Gneſnenſis* ſingula ex ordine, quæ pro illis geſſiſſet denunciantis ſenſiſſent, in vltimam deſperationem verſi, etiam in mortem & in omnia quæque indigna, antequam ſe tam impio fratri & iniuſto hoſti dederent, deuouent & deſtinant. Videntes inſuper ſe longa obſidione incluſos & maceratos, vndique inſuper conſtrictos, nec vllum effugii locum eſſe in A miſericordia, & pietate fraterna Archiepiſcopo *Gneſnenſi* illum inflectere non valente, nil amplius reſtare ſpei, ex ipſa deſperatione ſumpſere audaciam, promtioresque in pugnam & in mortem faciebat vltima neceſſitas, & præruptum periculum. Et vnuſquiſque ita animatus accingebatur ad id, quod futurum eſſe debuerat, prælium, vt deuoueret ſe potius telis hoſtilibus, ſi ita fors ferret, quam miſerationi fraternæ ſæpius petitæ, & nunquam obtentæ, caput obiecturum. Vna & ipſa tardior quam tempus poſtulabat euadendi ſpes erat, ſi hiberno tempore ſubueniente, ſolui hoſtilem exercitum inopia pabulorum, & intemperie hyemis contingeret, ſed interim quoque, & apud ſe B neſcebant defutura alimenta. Res itaque ſuas videntes, ad extremum, nocte & interdiu verſas ſuum exitium metiebantur, & creſcebat aſſidue in ſingulorum pectoribus deſperatio. Quoniam nulla ratio tolerantiam amplioris obſidionis, dum nulla ventura auxilia expectare fas erat, afferebat. Complexi deinde ſe inuicem certiſſimum moriendi propoſitum, datis dextris, factisque oſculis, quam primum occaſio ſubierit, aſſumunt. Crebro itaque in opera & ſtationes hoſtiles, inſilientes, magnam ſtragem conficiunt. Sed dum ob eam rem militum numerus pro tuendis operibus duplicaretur, obſeſſorum Principum milites per multiplices inſidias incautos intercipiunt. Sæpius C quoque certamine inter vtroſque accenſo, mirificum prælium ſequebatur, plures tamen de exercitu *Wladislai* Ducis aut capti, aut occiſi, quotidie ſuccumbebant, in *Ruthenos* tamen maior, quam pro numero, in excurſionibus & congreſſionibus huiuſmodi cædes edebatur. Pluribus deinde diebus ab obſeſſis nil mouebatur, Principeſque obſeſſi omnes ſuos intra arcem continebant, cum laceſſendi magis, quam ſuſtinendi hoſtes leuibus certaminibus experientiam accepiſſent, nulla parte viribus hoſtium pares. Dilapſi hoſtes ex ſtationibus cuſtodiaq; operum, ac cæteri *Wladislai* milites, poſtquam ab obſeſſis copia pugnæ non fieret, corpora curabant, aut luxui ebrietatique operam daD bant, omniaque in caſtris *Wladislai*, quaſi victi & expugnati hoſtes forent, ſolutiora, fractos quoque & vltima deſperatione fatigatos Principes, *Boleslaum, Miecyslaum*, & *Henricum*, eoſque qui ſecum vna obſidebantur, ratus, lætus, & gloriabundus, deditionem eorum *Wladislaus* Dux operiebatur. Contemptus deinde hoſtium, negligentia in exercitu *Wladislai*, velut re proſpere ſuccedente, & ſucceſſura haberi cœptus eſt. Paucis ad ſtationes, & opera relictis, cæteri ſe in varia loca ſparſerant, plerique in laſciuiam explendam abierant, pars aut ludo aut comeſſationi, vacabat, quidam heſternam eructantes crapulam ſomno ſtrati, iacebant, inermes inordinati vt quibus 1145.

Wladislaus Dux obſeſſos pro uictis reputans

1145. quibus velut pro comperto erat obſeſſos de cætero, nil hoſtile moturos. Vbi Principes ſatis obſeſſi contemptum ſui viderunt apud *Wladiſlaum* & milites eius inſediſſe, ſcirentque ex captiuis & profugis negligentiora omnia apud hoſtes eſſe, arma ſuos capere, fortunamque tentare iubent, glorioſius aliquanto in pugna aduerſis vulneribus, quam in arce fame & inedia ſtrati, morituri. Omnibus tam equitibus, quàm peditibus ad erumpendum præparatis, ſignum quoque rubrum, in turris cacumine Principum iuſſu erectum eſt. Cuius erectio dùm militibus in exercitu *Wladiſlai*, præſertim Ducibus *Ruſſiæ, Suantoslao, Izaslao,* & *Wſzeuoldimiro* tunc ad latus *Wladiſlai* conſidentibus admirationem ingeſſiſſet, ſignificatum ſigni *Ruthenorum* Principibus operoſius ſciſcitantibus Ducem *Wladiſlaum* reſpondiſſe ferunt *Principes obſeſſos & deditionem offerre, & miſericordiam flagitare.* Cumque *Ruthenus parci victis ſeque dedentibus abſtinerique à fraterna & propriorum cæde ſummopere æquum cenſuiſſet*, ferox *Wladiſlai* pectus, ſiue vltionis, ſiue exterminii fratrum auidum reſpondit: *Clementiæ & reconciliationi locum de cætero non ſupereſſe*, ſub hac confabulatione & ſermone Principes obſeſſi, cum fortiſſimis & exercitatiſſimis militibus, mori potiùs, quàm cedere perſuaſis, adhæc cum promiſcua cuiusque ordinis ætatisque multitudine quæ caſtro claudebatur, media ferme die, dùm magis ſopiti, aut epulis intenti hoſtes eſſent, erumpunt, clamorque ab omni etiam infirma ætate ſublatus diu *Wladiſlaum* Ducem & ſuum exercitum ſuſpenſum & attentum, amentiam enim illam non audaciam plerique rebantur, tenuit. Vbi vero effuſiſſimo & ſubitò curſu eos ad ſe pergere aduertunt, vehementer perterriti, neque conſilii habendi, neque arma expediendi ſpatio dato perturbabantur. Tùm primum trepidatio, ſiue numine occulto metum illis ingerente, ſiue quod ſe nudos impræparatosque & inermes cernerent, ſiue quòd cauſæ ſuæ, & futuro certamini iniuſtis armis tractando parum fiderent, iuxta acſi inſidiis circumuenti forent, coorta eſt, diuerſi diuerſa moliebantur, nulli, quid potiſſimum agendum eſſet conſtabat. Nec homines ſolùm, ſed & equos terror ex tumultu & clamore peruaſerat. Pauci itaque inermes equis vtrinque correptis, dum ordinatis & armatis occurrerent, facilè trucidantur, ſparſi & ferè omnes opprimuntur. Nonnullis res pretioſiores ſeruandi cura erat, adeò diuerſa rerum conſpiciebatur facies, nec quisquam ſibi trepidatione aliquid conſulebat in commune. In caſtra hoſtilia igne ingeſto, incendium late diffundi cœpit, materia arida & ſicca ex culmo & ſtramento, quo caſtra operta erant, alimentum ſubminiſtrante. Fuga deinde paſſim ferrum & flammam euitare conantium, & expoſt cædes erat, ſub modico interuallo validum robur ex *Polonis*, & *Ruthenis* congeſtum, fuſum fugatumque & caſtris exutum eſt. Et dùm in omnes partes capeſſunt A fugam, equites fugientes perſecuti, magnam cædem in fugientibus, *Ruthenis* præſertim ediderunt. Nonnulli ab vndis ſuffocati *Wartam* & *Glowniam* fluuios, ad quos certamen gerebatur, cadaueribus impleuerunt. *Wladiſlaus Polonorum* Dux cum *Ruthenorum* Ducibus & paucis quibusdam effugiens, verſus *Cracouiam* à ſuis deſertus conceſſit, mœrensque, & calamitate plenus, equos mutando *Cracouiam* ſine militum frequentia, perinde atque priuatus foret, aduenit. Documentumque ſuo exemplo, & præſentibus & poſteris dedit, ne quis de potentia confidens in aliorum oppreſſionem cum legis diuinæ & humanæ præuaricatione, & ſalutarium monitorum B obauditione inexorabiliter aſpiret. Principes *Boleslaus, Miecslaus* & *Henricus* victoria modeſte vſi, omnes qui ex *Polonis* capti erant, libertate donauerunt. Ex eoque tempore res eorum contra *Wladiſlaum* fratrem proſperatæ ſunt, & omnia quæ illis abſtulerat breui ſunt recuperata. Caſtris inſuper tam *Wladiſlai* Ducis *Polonorum*, quàm omnium *Ruthenorum* Ducum potiti variis quoque ex manubiis vtriusq; exercitus, *Polonici* videlicet & *Ruthenici*, ditati rebus, plures pro ſui ſolatio, non ex propriis tantummodo, ſed etiam ex forenſibus milites armauerunt. *Ruthenorum* Duces *Suantoslaus, Izaslaus,* & *Wſzeuolodimirus* per fugam *Cracouiam* aduenientes tam C militibus, quàm rebus nudati, exinde cum paucis militibus in *Ruſſiam* rediere.

ab eis vincitur

& caſtris priuatur.

Cæleſtinus ſecundus Papa cùm menſibus quinque, diebus tredecim tantummodo ſediſſet, *Romæ* moritur, & in *Lateranenſi* Eccleſia ſepelitur, cui *Lucius* ſecundus natione *Bononienſis* ex patre *Alberto* ſuccedit, vir pro manſuetudine & humilitate ſui, officio ſummi Sacerdotis dignus. Qui ex Presbytero & Cardinali tituli S. Crucis in Papam aſſumptus, totam illam Eccleſiam & clauſtrum renouauit. Is à *Romanis* grauem perſecutionem paſſus, venire *Conradum Romanorum* Regem ad ſuam defenſionem literis inuitauit. *Romani* enim priſcum fulgorem reſumpturi, creatis Senato- D ribus & patriciis *Lucium* Papam de oblationibus & decimis antiquorum ſacerdotum more viuere cogebant, omnium Regalium intra & extra vrbem ſibi nequiter vſurpando poteſtatem. Horum malorum tædio Papa vexatus breui tempore ſuperuixit. 1145.

Cæleſtino II. R.P. ſuccedit Lucius II.

Henricum Olomuncenſem Epiſcopum Romam proficiſcentem *Conradus* Marchio *Morauiæ* occultè captiuare nitebatur. Qui dum manus ſuas effugiſſet *Conradus* Marchio familiaribus aliquibus Epiſcopi trucidatis, omnique ſua ſupellectili vſurpata, hoſpitio etiam Epiſcopali incenſo receſſit.

Diuinæ propitiationi gratiam humanam *Miecslaus* ſenex *maioris Poloniæ* Dux pro con- *Miecslaus Dux mona-*

ſecuta

1145.
[Mona]ſterium Wagrowiec fundat,

ſecuta nobili & memorabili victoria, quam de germano ſuo *Wladiſlao Cracouienſi* Duce & *Ruſſiæ* Principibus contra ſuam & omnium A ſpem retulerat, redditurus, ad fluenta fluuii *Wartæ* in villa ſua Ducali *Lenda* monaſterium ordinis *Ciſtercienſis* fundat & erigit, & illud Ducali munificentia villis, prædiis & amplis muneribus donat, dotat, & liberat. Ad monaſterium autem hoc & aliud eiuſdem ordinis vocatum *Wagrowiec*, monachi in prima monaſteriorum huiuſmodi fundatione, ex monaſterio quod vocatur *vetus mons* tribus miliaribus à *Colonienſi* ciuitate ſupra *Rhenum* ſita diſtante ſumpti ſunt. Ab eo autem tempore mos erat laudabilis & omni commendatione dignus, vſque ad tempora mea obſeruatus, quod nemo in monaſteria præfata, in regularē obſeruantiam aſſumitur, niſi ſit genere *Colonienſis*. Ex B quo nimirum prouenit, quod monaſteria præfata optimo reguntur ordine, tàm in ſpiritualium, quàm temporalium gubernatione, paſſura illicò & religionis & rei familiaris naufragium, ſi hunc morem quandoque deſeruerint, nec mos ipſe nudè & fortuito, ſed rationabiliter & ex euidenti, & merito præfatis duobus monaſteriis pro iure perpetuo, & lege perhenni ob eam cauſam fuit conceſſus. Viſitante ſiquidem *Miecslao maioris Poloniæ* Duce Eccleſiam *Aquisgrani*, & corpora ſanctorum trium Regum in *Colonia*, dum à *Colonienſibus* maximis certatim celebraretur honoribus, hanc *Colonienſibus* refundit gratiam, ſuper qua & priuilegium ſcripſit, vt in viciſſi- C tudinem officii ſibi à *Colonienſibus* exhibiti, nullus ad præfata duo monaſteria, niſi ſit *Colonienſis*, poſſit aſſumi, aut in eiſdem tolerari.

in quod nemo niſi Colonienſis ſuſcipitur.

1146.
Quum tres fratres Wladiſlaum perſequerentur,

Principatibus propriis *Boleſlaus*, *Miecslaus* & *Henricus*, miro omnium Baronum & nobilium fauore & conſenſu recuperatis, cum præter inſitam inuidiam, & execrationem, qua erga *Wladiſlaum* Ducem occupatorem iniuſtum milites *Poloniæ* tenebantur, etiam in eam partem verſi erant, quo ſe iam fortuna inclinarat, collectis tàm equeſtribus, quàm pedeſtribus copiis, ad *Cracouienſem* vrbem & arcem, in quà *Wladiſlaus* poſt fugam deliteſcebat, procedunt, *Wladiſlaum* inde propulſaturi & ſuas D iniurias damnaque, antequam ex clade apud *Poſnaniam* accepta ſe reficeret, vlturi, rati eo Monarchiam *Polonorum* obtinente, nouis bellis cum *Ruthenorum* aſſiſtentia, ſe quandoque infeſtaturos. *Wladiſlaus* autem Dux clade *Poſnanienſi* perculſus, & tàm militibus, quàm fortunis armiſque exutus, cum & homines omnes, omnia loca, animis ab eo alienatis, ſuſpecta haberet, nec ſatis cuiquam fideret de *Cracouia* in *Ratibor*, & exinde in *Almaniam* per *Sileſiæ* oram ad *Conradum Romanorum* Regem auxilia ſua imploraturus, ne in iratorum, & pro ſuo merito ſibi infeſtorum fratrum manus incideret, confugit, vxore & tribus filiis in

ille ad Conradum Imp. confugit,

1146.

arce *Cracouienſi* relictis. *Cracouienſes* autem ciues, dùm Ducibus *Boleſlao*, *Miecslao* & *Henrico* vrbem obſidentibus aliquantis diebus obſtitiſſent, tandem dùm nil ſpei in *Wladiſlao* & filiis eius ſibi viderent ſupereſſe, portas aperiunt, timentes ne quid hoſtile paterentur. Nec ita poſt multos dies arx cum vxore & filiis *Wladiſlai* dedita eſt, in quam etſi magnitudo acceptæ iniuriæ conſultatioque & inſtantia nonnullorum, & præſertim amicorum *Petri* Comitis *Skrzynenſis* id magnoperè, & depoſceret, & exigeret, neque animaduerſum quicquam, neque ſæuitum eſt, ſed ſine iniuria, ſine contumelia habita eſt, & omnis illi honos ab exacerbatis, iuſtaque ira candentibus victoribus Ducibus & leuiris ſeruatus. Quia tamen liquebat ea in *Polonia* manente, *Poloniam* ſatis pacificam eſſe non poſſe, verebanturque Principes *Petrum* Comitem *Skrzynenſem* aut propinquos & affines eius, ſuam quandoque cœcitatis iniuriam, in ea contumeliis aut occiſione vltum iri, ne futuræ calamitatis, aut mortis euentus ſibi inferendus eſſet, ipſos quoque Duces in ſugillationem adduceret, in *Almaniam* cum tribus filiis ſuis ex *Wladiſlao* ſuſceptis, *Boleſlao alto*, *Mieczslao*, & *Conrado Loripede* ad virum ſuum deducta eſt. Et quæ alienos Principatus ardentius expetiit, iuſtiſſimo Dei iudicio etiam proprios amiſit. Conſortem ſuam *Chriſtinam* cum pignoribus ex *Polonia* propulſam ad ſe venire *Wladiſlaus Poloniæ* Dux conſpiciens, contritione geminata affligitur, quod & Ducatum *Poloniæ* amiſerat, & in externas regiones cum vxore & filiis ſtipe aliena victurus, exulatum ire coactus fuerit. Tunc quoque primum in malis, quæ illi acciderant, reatum ſuum in Deum & fratres recognoſcens, de aſpernata admonitione *Iacobi Gneſnenſis* Archiepiſcopi corpore & animo torquetur, tum quoque primum muliebris conſilii, quod præceps magis quàm neceſſarium ſenſerat illum pœnitere cœpit. Pulſo *Wladiſlao* Duce ex *Polonia*, pulſa tandem Duciſſa *Chriſtina* conſorte ſua, pulſis filiis, dùm integra per omnes Regiones *Poloniæ* quies affulſiſſet, *Boleſlaus Criſpus* cognomine, inter fratres ſecundi matrimonii natu maior, & fratrum Prælatorumque & omnium Baronum militariumque conſenſu, maiorem Principatum & Monarchiam *Polonorum* obtinuit, & ſorte ſua videlicet Ducatu *Maſouiæ* & *Cuiauiæ*, & eius ditione integrè remanente, etiam *Cracouienſis* Principatus, illi, ita, vt fratrem minimum natu *Cazimirum*, cui à patre nulla ſors relicta erat, curaret, adiectus eſt. Qui cupiditatis cauſas & occaſiones, propter quas animaduertebat inter fratres, à *Wladiſlao* procellam grauium cædium & bellorum exortam eſſe, ſuccidens, fratres omnes magna colebat affectione & charitate. Nec ſolum modeſtiam ſummam in eos exercuit, ſed etiam liberalitatem pleraſque poſſeſſiones iuris ſui eis largiens & condonans.

quo etiam capta Cracouia Chriſtina vxor cum tribus filiis miſſa eſt.

Poloniæ vero Monarchiam accipit Boleſlaus, qui in fratres pius eſt.

1146. Qua quidem munificentia & modeſtia effecit, vt illi ſumma fide, ſummaque deuotione ab omnibus pareretur, & fratres abſque querela & A murmure eius obirent iuſſiones & Imperia. Qui etiam *Caſimiri* germani iunioris curam & regimen ſuſcepit. Cuius iam tunc tàm continentes, tam culti & ornati a ſingulis notabantur mores, vt vim ætatis ſuperarent. Sub quo tempore à *Polonis* maximè vulgata experientia notatum eſt quam validiſſima res eſt iuſtitia, eo altius emergens, quo obſceniùs fuerit proculcata, temeratoreſque ſuos atrociori mulcta percellit, grauiorem pœnam infligens in ſe delinquentibus, & criminoſis.

Lucio II. P. R.

Lucius Papa ſecundus cum menſibus vndecim, diebus quatuor, in ſede *Petri* ſediſſet, *Romæ* moritur, & in *Lateranenſi* Eccleſia ſepe- B litur. Poſt cuius mortem Cardinales in Eccleſia S. *Cæſarii* de vrbe in conclaui concluſi, dùm ſuper eligendo futuro Summo Pontifice in vota varia ſciſſi eſſent, aliquantoque tempore concordia inter eos prouenire non poſſet, in *Bernardum* Abbatem S. *Anaſtaſii* extra vrbem ordinis *Ciſtercienſis* B. *Bernardi* conuerſatione filium, & virtutum ſuarum æmulatorem virum reuerendæ ſenectutis, & vitæ ſanctæ, natione *Piſanum*, ex inſperato dirigunt vota ſua, & ipſum in Papam per auſpicationem eligunt. Qui *Eugenius* tertius vocatus eſt in conſecratione, quam dùm *Romæ* non auderet explere, in *Farſenſe* monaſterium ſe transferens, illic eam accepit. C Ad hunc etiam B. *Bernardus* librum de conſideratione, vitia Prælatorum & Clericorum *Romanorum*, euidentiſſimè carpens, ſcripſit. *Iordani* autem patricii & *Romanorum* ſuſcitatam in ſe perſecutionem vitaturus in *Galliam* ſe tranſtulit, & à *Ludouico Franciæ* Rege glorioſe ſuſceptus, concilio *Rhemis* celebrato, prædicari crucem in ſubſidium terræ Sanctæ multipliciter tunc à *Saracenis* afflictæ mandauit. Et multos Principes prædicatio ipſa ad aſſumendam crucem & ad transferendam induxit. Hunc Deus, quia ſimplex, purus, & rectus erat, mirabiliter oſtendit, perfuſum in gratia, in facundia, & ſermone. Sub eius Pontificatu, dùm apud *Viterbium* ageret, ab vltimo pæne oriente ab *Armenorum* D Eccleſia & illorum Patriarcha venerunt ſolennes Nuncii, grate ab *Eugenio* ſuſcepti, omnem illi ſubiectionem & obedientiam offerentes, formamque ſacrificii, pro qua cum *Græcorum* contendebant, à *Romana* Eccleſia velut omnium magiſtra ſibi dari depoſcunt. Quos *Romanus* Pontifex ſuo ſacrificio aſtare, & cunctos ritus ad plenum addiſcere iubens, plenè edoctos remiſit. Princeps autem legationis vnus ex illis Epiſcopus inter ſacrificandum ſummo Pontifice diuina agente, ſplendido fulgore radium ſolis ſuper caput eius coruſcare, & in ipſo duas columbas aſcendentes, & deſcendentes vidit. Quo miraculo in obedientiam *Romanæ* Eccleſiæ accenſus, cunctis quæ viderat, aperuit. 1146.

ſuccedit Eugenius III.

Moritur eo anno *Magnus Wratiſlauienſis* Epiſcopus, cum paulo plus quàm luſtro vno Cathedræ *Wratiſlauienſi* præſediſſet, & *Ioannes* ſecundus vocatus *Ianik* concorditer a capitularibus electus de conſenſu & fauore *Boleſlai Criſpi Polonorum* Ducis & Monarchæ ſuccedens, ordinatur à *Iacobo Gneſnenſi* Archiepiſcopo, natione *Polonus*, & genere nobilis de domo *Griphonum*, quem cum germano ſuo milite *Clemente* in patrimonio ſuo *Brzeznica* monaſterium *Andreouienſe* fundaſſe & dotaſſe in ſuperioribus monſtrauimus.

Magno Wratiſlauienſi Ep ſuccedit Ioannes II.

Venientem ad ſe *Wladiſlaum Polonorum* Ducem *Conradus Romanorum* Imperator, primo benignè comiterque excipiens, cùm aduentus cauſas intellexiſſet, ſpe bona data, animum bonum *Wladiſlao Polonorum* Duci habere iuſſit. 1147. Poſtquam verò *Wladiſlai* Ducis conſors Duciſſa *Chriſtina* cum tribus filiis, à leuiris de *Polonia* expulſa, ſuos, & mariti filiorumque caſus, & ærumnas, longo ſermone *Conrado Romanorum* Regi narraſſet, vt ſui & filiorum ſuorum miſereri dignaretur, & per ius ſanguinis, & per officium Imperatorium, adiectis lachrimis precabatur, *Wladiſlaus* autem *Polonorum* Dux & per ſeipſum, & per aulicos Regis ſedulis precibus *Conradum* Regem, vt ſuæ calamitati præſtaret auxilia, & ſe cum vxore, & filiis in exilio conſeneſcere non fineret fatigabat. Ad Ducem inſuper *Bohemorum Wladiſlaum* perſonaliter ſe conferens, Ducem verò *Ruthenorum* per Nuncios ſollicitans, vt ſe in Regnum ſuum reſtituant, variis conatibus inſtigabat. Rumoribuſque continuis *Boleſlaus Criſpus Polonorum* Dux, & fratres ſui *Miecslaus* ſenex & *Henricus* primus terrebantur, tam *Conradum Romanorum* Regem, quàm *Wladiſlaum Bohemorum* Ducem cum potentiis validiſſimis ad reſtituendum fratrem eorum in Regnum contra ſe ab vna & *Ruthenos* ab altera partibus venturos. Æquo tamen animo vulgatos & iniectos excipiebant terrores, & futuræ reſiſtentiæ atque dimicationi ſe parabant. *Conradus* autem *Romanorum* Rex, etſi precibus *Wladiſlai Polonorum* Ducis, & conſortis ſuæ *Chriſtinæ* Duciſſæ motus, auxiliaturum ſe eorum cauſæ, & reſtituturum in Regnum pollicitus frequentius fuiſſet, rebus tamen Imperii & calamitatibus, quæ terræ ſanctæ, & Chriſtianis in ea habitantibus inferebantur, pluribuſque aliis priuatis & publicis negotiis, ne quam pollicitus fuerat, fidem *Wladiſlao* præſtaret, auertebatur. Expugnata ſiquidem ea tempeſtate fuerat ciuitas *Edeſſa*, quæ in ſacra ſcriptura *Arach* nominatur per Regem *Alaph*, de *Turcarum* genere, qui omnes *Francos*, quos illic inuenit, aut morte aut ſeruitute damnauit. Archiepiſcopum verò ciuitatis cum toto clero in confeſſione *Chriſti* conſtantiſſimè ſe gerentem, felici cruore cœcauit.

Conradus Imp. Wladiſlao ſe auxiliaturum promittit, licet expeditione in terram ſanctam impeditus.

Adhæc

1147.

Adhæc & ſuper aram B. *Ioannis Baptiſtæ* ſpecioſiſſimæ & nobiles matronæ,& virgines ſtupra pati coactæ ſunt & ciuitas, quæ ab *Agabaro* Rege, cui *Chriſtus* ante ſuam paſſionem Epiſtolam direxerat, orthodoxe inſtituta tunc primum a gentibus profanatur. Ex hoc autem caſu Chriſtianitas in partibus orientis plurimum debilitata, ſuccurri ſibi magnopere flagitabat. Ne autem *Conradus Romanorum* Rex cauſam *Wladislai Polonorum* Ducis prorſus deſeruiſſe, & ex animo remiſiſſe putaretur, primùm quidem gentes *Almanorum* illi conceſſit,quorum adiutorio caſtra duo *Niemce* & *Gredis* conſtruens pluribus excurſionibus *Poloniam* laceſſebat, deinde Nunciis & literis apud *Boleslaum Criſpum Polonorum* Ducem & Monarcham, fratreſque inſtitit, *quatenus ſors Wladislaum contingens ſibi redderetur, ſibi quoque adimeretur neceſſitas & affinem & oppreſſum adiuuandi.* Huic legationi à *Boleslao Criſpo Polonorum* Duce & fratribus modeſtum reſponſum editum eſt: *Nil nos vnquam in fratrem Wladislaum Ducem hoſtile moliti ſumus, ſed tyrannicum noſtrorum Principatuum ſpolium ab eo paſſi, mox quoque etiam exterminium, dùm omni humanitate ne dum germanitate exutus, nullis precibus, nulla æquitate, nulla ſubmiſſione flecti poſſe videretur, paſſuri, ex obſidione, qua incluſi, & penè extincti eramus, erumpentes, pro Principatibus & fortibus, pro ſpoliis, pro ipſa quoque vita cum fratre inexorabili, non aliud quàm ſanguinem noſtrum ſitiente, acie decertare compulſi,ipſum propitia diuinitate cum exigua manu vicimus, bellumque illatum & mucronem noſtris ceruicibus impendentem, Deo iuuante, abegimus, & repulimus. Scimus verò nos æque ac magis etiam quàm Wladislaum Conrado Romanorum Regi ſanguine iunctos eſſe, ſcimus quoque ſuam cauſam iuſtiorem fore, & ob id Romanorum Regi quàm maximè intereſt, ne iniuſto bello ſe miſcendo contaminet, & ne affinibus & innocentibus bellum inferat. Cogitet, diſcernat, perpendat, & calculet Imperator, quantus hoſtis noſter Wladislaus,quoties inſidiis nos petiuerit, quod ſuis, quod auxiliaribus potentiis in capitis noſtri periculum vſus fuerit, quanto ſtudio, quanto ardore necem noſtram maturauerit. Habeat potius ipſe iratum, quàm propitium Cæſarem,qui crudeliter nos excarnificare contenderat, quique non inſidiatoris modo ſed cùm inſidiæ parum proceſſiſſent, hoſtis publici,carnificis& percuſſoris,ſpeciem induens contra nos ſe geſſit. Qui etiam prece Archiepiſcopi Gneſnenſis, quibus vitam nobis depoſcebat, repudiauit. Talem eum fuiſſe Imperator ſciat, vt nec quid ageret, nec quid ſentiret, aut diceret, dùm modo nos aut propelleret, aut deleret, quicquam penſi habebat. Et proinde induximus in animum* (ſic poſtremo Cæſaris Nunciis reſpondent) *hoſti potius, quàm fratri conciliari velle,expulit enim illum,non liuor noſter,ſed ſuus,non noſtra ambitio, ſed vxoris,non noſtris eiectus eſt armis, ſed ſuis moribus, quibus nobis Principandi poteſtate ablata exilium & mortem inferre regnandi cupidine, omnem pietatem, & Archiepiſcopalia monita, mulieri ſoli morigerari ardens, peroſus maturabat.* Hac reſponſione *Conradus* Rex adeò mollitus,fractuſque eſt,vt ardor quem ad promouendam cauſam *Wladislai* Ducis *Polonorum* ex ingeminatione querelarum *Wladislai* & ſuæ conſortis hauſerat, prorſus in eodem debilitari notaretur. Exulem inſuper *Wladislaum Poloniæ* Ducem carpens, *iuſtè id illi exilium contigiſſe, iuſtam quoque fratrum ſuorum iram eſſe* dicebat. Qua correctione ipſe amplius quàm exilio tortus, omnem exilii ſui culpam in conſortem *Chriſtinam* tacitis & crebris ſuſpiriis retorquebat. In *Almania* autem conſiſtens, ex honorato contemptus, ex diuite egenus, vſu & proceſſu temporis eſſe cœpit. Vnica ſpes in fratrum miſericordia reſtabat, quam cùm ſibi videret negari, quotidie creſcentis inopiæ vim altiori gemitu perferebat, neque ſe à ſua calamitate breui liberatum iri ſperabat. In ſubſidium autem terræ Sanctæ *Conradus Romanorum* Rex, qui iam à beato *Bernardo* in *Francofordia* circa *Mænum* cum multis Principibus & Baronibus *Almaniæ* ad Paſſagium complendum cruce inſignitus erat, transfretaturus, iter ſuum per *Poloniam*, quod & compendioſior &expers periculorum eſſet via, facere deſtinauit,ſimul quod ſperabat *Wladislaum* Ducem *Polonorum*,& Boleslaum, *Miecslaum* & *Henricum* ſua interpoſitione ſedaturum. Qui cùm ad fines *Poloniæ* cum frequentiſſimo Principum & Baronum numero, equeſtris quoque & pedeſtris ordinis milite, nam & *Bohemiæ* Dux *Wladislaus* cum fratre germano *Henrico*, & *Zbigneo* patrueli ſe illi cum ſuis copiis coniunxerat, acceſſiſſet, *Boleslaus Polonorum* Dux & Monarcha cum vtroque fratre *Miecslao* & *Henrico* illi ad terminos Regni *Poloniæ* occurrunt,& per omnes regiones *Poloniæ* Regno ſubiectas, regio apparatu excepit, omneſque ſumptus & commeatus,quibus exercitus regius indigebat,liberaliter,vt Regi *Romanorum* & ſe conueniens erat,ſubminiſtrauit,& in honorem Cæſaris pontes in fluminibus tranſitu difficilibus conſtruxit. Qua quidem comitate adeò ſe *Boleslaus* Dux & fratres ſui *Miecslaus* & *Henricus Conrado Romanorum* Regi & ſuis Principibus inſinuauerat vt alienatione mentis,quam in illum ad *Wladislai Polonorum* Ducis ſuggeſtionem conceperat,abrogata,miro illis affectu & familiaritate iungeretur. Egit tamen *Romnaorum* Rex *Wladislai* Ducis *Polonorum* apud *Boleslaum* & fratres ſuos *Henricum* & *Miecslaum*, cauſam, inſtareque, quamdiu in *Polonia* moratus eſt, non deſiit, vt *Boleslaus Polonorum* Dux, & fratres ſui præteritarum iniuriarum obliti, cum *Wladislao* Duce in amicitiam redirent. Nec Cæſar ſolùm,

Quum autem nuncios ad Boleslaum & fratres mitteret,

eorum reſponſione plane mutatus eſt.

Poſtea in terram ſanctam per Poloniam proficiſcens

a Boleslao honeſte excipitur,

cum quo de reſtituendo Wladislao agit.

1147. ſolùm, ſed & *Wladiſlaus Bohemiæ* Dux, cæterique *Almaniæ* Principes, vt cum fratre *Wladiſlao* Duce in gratiam redirent, *Boleſlaum* & A fratres eius crebris obſecrationibus perurgebant. *Boleſlaus* contra hæc etſi multis facinoribus, quibus à *Wladiſlao* Duce ipſe & fratres eiꝰ afficiebantur enarratis, *omnem reconciliationem, maiores motus, pernicioſioresque vtriſque ſimultates, liuores, bellorumque ſtridores ſuſcitaturum* reſpondiſſet, in Cæſaris tamen poteſtate poſtquam Paſſagio proſpere acto rediret, ſe & fratres ſuos futurum pollicebatur. Ita Cæſar rebus *Wladiſlai* Ducis *Poloniæ* magis tentatis, quàm ſanatis, nolens tàm munifico & amico hoſpiti moleſtus eſſe, ex *Polonia* per *Ruſſiam* & *Valachiam* procedebat, inde quoque non per *Poloniam* ſolum, ſed per *Ruſſiam* & *Valachiam* proſequente *Boleſlao Polonorum* B Duce, & omnia præparante ad *mare Leoninum* peruentum eſt. Ibi & Cæſar & Principes nauibus ad id præparatis, milite & armis impoſitis, verſus *Conſtantinopolim* nauigarunt, & apud *Iconium* ſe *Ludouico Francorum* Regi, & Principibus *Galliarum* & *Hiſpaniarum* coniungens, res terræ Sanctæ aliquanto tempore proſperè gerens, *Aſcalonam* cœpit, licet multi de peregrinis *Alexio Conſtantinopolitano* Imperatore, & *Græcis* calcem farinæ immiſcentibus infirmati obierint. Sed nec Deus *Alexii* Imperatoris facinus tam horrendum tulit, nam & ipſe peſſima morte, & omne ſuum genus interiit. Ex Baronibus inſuper & militibus *Poloniæ* aliqui voluntarie cruce aſſumpta præmium propoſitum merituri, ſequuti Imperatorem tranſfretarunt, & in ſuo exercitu, donec rediret, militando, verſati ſunt.

Res tamen vſque ad reditum Imp. differtur.

Martino Poſnanienſi Ep. ſuccedit Boguchualus.

Martinus Poſnanienſis Epiſcopus annis 19. Pontificatu adminiſtrato obiit, & in Eccleſia *Poſnanienſi* in choro ſepultus, *Boguchualum Polonum* genere nobilem, de domo *Koſſy* Cuſtodem *Poſnanienſem* apud *Znenam* confirmatum, deinde a *Iacobo Gneſnenſi* Archiepiſcopo in Epiſcopum conſecratum, habuit ſucceſſorem.

Sobieslaus abſente Wladiſlao fratre Bohemiam ſibi ſubiicere tentat ſed fruſtra.

Poſt diſceſſum *Wladiſlai* Ducis *Bohemiæ* in terram Sanctam *Sobieſlaus* filius *Sobieſlai* Ducis *Bohemiæ* ſede patria exulatus ex *Almania* rediit, Ducatum *Bohemiæ* Duce *Wladiſlao* D abſente fauentibus & adiuuantibus nonnullis *Bohemorum* Baronibus, ſpe ſua inuaſurus. Verùm dum pleroſque Barones *Bohemiæ* dulcibus ſermonibus & promiſſis ad votum ſuum inclinare contendit, à *Theobaldo* Duce *Bohemiæ Wladiſlai* germano, cui *Bohemiam* regendam *Wladiſlaus* commiſerat, capitur, & cuſtodiæ carcerali deputatur in *Przemenda*, bellumque inteſtinum in *Bohemia* accendendum captiuitate præfati *Sobieſlai* oppreſſum eſt.

Wſzeuoldo Duce Kiouienſi mortuo varia turbæ oriuntur in Ruſſia. 1147.

Duodecima Iulii moritur *Wſzeuoldus* Dux *Kijouienſis* & Dux *Ior* filius *Wſzeuoldi* occupat ſedem *Kijouienſem*. Quod cùm *Kijouienſibus* moleſtum fuiſſet, Dux *Izaslaus Pereaslauienſis* ab eis acceſſitus, venit in *Kijow*. Contra quem etſi Dux *Ior* cum fratre ſuo *Suantoslao* egreſſus fuiſſet, dimicatione tamen non tentata fugit vterque, & *Izaslaus* in caſtrum *Kijouienſe* introiuit cum fauore & gloria. Poſt quatuor autem dies *Ior* adducitur ad *Izaslaum* captiuus, quem in monaſterio S. *Ioannis* in *Pereaslaw* adhibitis cuſtodibus tenuit in carcere. Cuius cruciatum euaſurus, petiuit, vt ei liceret in ſacerdotem tondi, & permittente *Izaslao*, tonſus eſt. Nec poſt multos dies conſpirantibus fratribus *Ior* Ducibus de *Czernieiow*, ſeditione *Kiouienſium* exorta, quam *Wladimirus* frater *Izaslai* ſedaturus, parum abfuit, quin & ipſe violaretur, de Eccleſia, in qua *Ior* orabat, eductus interficitur.

In Synodo Remenſi Henricus Boleslaum cum fratribus & Epiſcopus propter Wladiſlai expulſionem accuſat.

In Concilio ſeu Synodo generali *Remenſi* pro medio Quadrageſimæ per *Eugenium* celebrato, *Henricus* iunior, qui patri ſucceſſerat, miſſis nunciis cum bulla aurea, & ſublimationem ſuam ad *Romanum* Imperium Papæ ſignificat, & querelam contra tres Duces *Poloniæ*, videlicet *Boleslaum, Miecyslaum* & *Henricum* deponit, quod quartum fratrem ſuum *Wladiſlaum* in Regno diuidendo, forte & portione ſua excluſerint. Querebatur & contra *Iacobum* Archiepiſcopum *Gneſnenſem* metropolitanum *Poloniæ*, & alios *Poloniæ* Epiſcopos illius ſuffraganeos, videlicet *Matthæum Cracouienſem, Magnum Wratiſlauienſem, Suidgerum Cruſuicienſem, Bernardum Lubucenſem, Boguchualum Poſnanienſem, Alexandrum Plocen-* C *ſem*, quod contra iuſiurandum patri ſuo Duci *Boleſlao* præſtitum in excluſionem præfati Ducis *Wladiſlai* conſenſiſſent.

Vix annum cum dimidio in terra Sancta *Conradus Romanorum* & *Ludouicus Franciæ* Reges & Principes qui ſecum vnà illuc laturi Chriſtianis auxilium condeſcenderant, immorati, dùm vt præmiſimus, magna multitudo militum ex pane, calce & farina malitia *Græcorum* & *Turcorum* cocto, infecta deperiiſſet, in Regna & Principatus ſuos variatis magis quam confirmatis rebus terræ Sanctæ, reuerſi ſunt. 1148.

Conradum itaque *Romanorum* Regem ex Paſſagio prædicto reuerſum, *Wladiſlaus Polonorum* Dux exilium in *Almania* agens, accedit, & vt rebus ſuis filiorumque ſuorum conſulat, flagitare cœpit. *Conradus* verò, quia in ſua ad terram Sanctam profectione ex *Boleslai Polonorum* Ducis, verbis, ſpe certificatus erat, ſingula pro arbitrio ſuo *Boleslaum Polonorum* Ducē in ea re obedienter facturū, *Wladiſlaum* Ducem, & ipſe quibus verbis poteſt, eam ſpem *Conradus* ſequi confirmat. Mittuntur itaque à *Conrado Romanorum* Rege ad *Polonorum* Ducem *Boleslaum* Nuncii, qui *Boleslao* apud *Cracouiam* offenſo mandata Cæſarea edicunt, precanturque, *pollicitationi ſuæ præſtita fide Wladiſlaum Polonorum Ducem in ſortem ſuam, Cracouienſem videlicet, & Sileſiticum Principatum reſtituat, commiſerationeq; fratri tanto*

Imp. a Boleslao Wladiſlai reſtitutionem petit.

1148 *tempore cum vxore & filiis exulanti impendat, ſatis, eum pœnæ, pro temeritate, & piaculo ſuo exoluiſſe.* *Boleſlaus* autem *Polonorum* A Dux Legatis Cæſareis magnifico ſumptu magnificisque donariis tractatis, ambiguum dat reſponſum: *Reſtitutionem Wladiſlai Ducis Poloniæ in Regnum, ſibi quidem & fratribus ſuis Miecislao & Henrico agens non aduerſam eſſe, pro honoreque & beneuolentia Cæſaris deſiderio & voluntati ſuæ, ſe & fratres ſuos morem geſturus. Verùm probè ſibi perſpectum ac notum eſſe reditum Wladiſlai Ducis ſtatum Regni Poloniæ hactenus pacificum turbaturum, caedibusque & ſanguine ciuili fœdaturum. Proinde in re tali, cum pari ſanguine omnes fratres Cæſari iungantur, Cæſarem proſpicere æquum cenſebat, ne dùm ſuæ inſtantiæ & decreto paritum ſit,* B *bellicus furor inter fratres altius ſerpens, mutua colliſione Regnum Poloniæ, horrenda pernicie & ipſum Cæſarem miſerabiliter inuoluat.*

ſed ambiguum reſponſum accipit.

Abſumptus eſt eo anno *Iacobus Gneſnenſis* Archiepiſcopus, vir optimus & grandæuus, qui in Eccleſiæ *Gneſnenſis* regimine multas de ſe probitates & virtutes annis 28. uiuens monſtrauerat, in Eccleſia *Gneſnenſi* Pontificali honore tumulatus. Succeſſit autem ei *Ioannes* alias *Ianik*, ſiue *Ianislaus Wratislauienſis* Epiſcopus, de Eccleſia *Wratislauienſi* ordinante *Boleſlao Criſpo Polonorum* Duce à Papa *Eugenio* tertio translatus, *Wratislauienſi* verò Eccleſiæ ex translatione huiusmodi vacante, *Valterus Polonus* genere præfectus eſt, Scholaſticus C Cracouienſis & Canonicus *Wratislauienſis* à *Gneſnenſi Ioanne*, iuxta electionem Canonicam, confirmatus & conſecratus, Nobilis de domo *Zadora* qui Eccleſiam *Wratislauienſem* ad id tempus ligneam muro fabricauit, & Eccleſiæ *Lugdunenſis* ex *Galliis* habitum & cultum in eam introduxit.

Iacobo Archiep. Gneſnenſi ſuccedit Ioannes Ep. Wratislauienſis, & huic Valterus.

1149 Ambiguum *Boleſlai Polonorum* Ducis & fratrum ſuorum *Miecyſlai* & *Henrici* reſponſum, *Conradus Romanorum* Rex ad nauſeam & faſtidium accepit, & ignibus iracundiæ contra *Boleſlaum Polonorum* Ducem & fratres eius, hauſtis etiam per *Wladiſlaum Bohemiæ* Ducem, qui partes *Wladiſlai Polonorum* Ducis in *Boleſlai* Ducis & *Polonorum* D odium promouebat, ad id accendebatur irritamentis. Ipſe inſuper *Polonorum* Dux *Wladiſlaus* in conſpectu *Conradi Regis* aſſiduè verſatus, vt in patriam reſtitueretur, non tantum quotidianis precibus & querelis, ſed ipſo ſolo aſpectu commiſerationem & pollicitum ſuffragium exigebatur. *Conradus* itaque *Romanorum* Rex non amplius differendum ratus expeditionem contra *Poloniam* indicit, ex regionibusque *Almaniæ* Imperio ſubiectis, tàm equeſtribus quàm pedeſtribus copiis collectis, *Poloniam* inuaſurus, & *Wladiſlaum* Ducem exulem ſecum præſentem reſtituturus precedit. Sed & *Wladiſlaus Bohemiæ* Dux, *Polonorum* hoſtis quàm *Almanorum* infeſtior, cum omni ſuorum exercituum ex *Bohemis* & *Morauis* collecto robore perſonaliter adueniens, Cæſareum exercitum ex ſe magnum, frequentiorem effecerat. Creſcebat *Wladiſlao Polonorum* Duci exuli certa indies ſpes, & quanto propinquius Cæſar & exercitus ſuus gradum & ſtatiua promouebat, tanto ampliore fiducia replebatur. Iam ad metas *Poloniæ* peruentum erat, *Odra* quoque fluuius tunc ſolito plus vndis inflatus, & quidam motus ex *Almania* nunciati, *Conradum* Regem & ſuum exercitum ne traiiceret diſtinebant. *Boleſlaus* interim *Polonorum* Dux fratribus ſuis *Miecyſlao* & *Henrico* enixius adiuuantibus, etſi gentes quas hoſtibus, opponeret, ex *Polonis* tantummodo contraxiſſet, non tamen rem fortunæ committere, & in caſum uniuerſæ dimicationis venire, terrente illum confertiſſimo hoſtium numero ex variis nationibus & regionibus collecto, audebat. Sed paternum morem ſequutus, milites locauerat, qui in impeditis & iniquis locis Cæſareum exercitum laceſſerent, & occaſionem bene gerendæ rei non omitterent, plus ſe eo genere pugnæ, quam dimicatione aperta ratus profecturum. Verùm antequam res ad ferrum & arma veniret, ingeniis, verbisque magis, quam acie dimicaturus, & ſuper imminentem bellicam molem cui ſe nequaquam videbat parem, diſſoluturus, in Cæſarea caſtra petita & præſtita ſecuritate, peruenit, in frequentique concilio à Cæſare dato, fraternis facinoribus, Ducis videlicet *Wladiſlai* expoſitis, adeò de iuſtitia ſua atque æquitate diſſeruit, vt Cæſar & Principes reſponſione *Wladiſlai* Ducis ſatis facile à concepto furore leneſcerent, & de pace magis, quàm de bello agendum, componendaſque fraternas diſcordias putarent, ſed & ius hoſpitii quod *Conrado* Regi cum *Boleſlao Polonorum* Duce erat in Cæſareum, ne quid illi hoſtile moliretur, ſubibat pectus, verbis ex templo *Boleſlauus Polonorum* Dus res adiecit, & primum *Conradum* Regem, deinde primores Principum & Baronum, eos præſertim, quorum conſiliis & monitis didicerat Regem agi, ſumptuoſa largitione & donatione peruicit, effecitque, vt diſceſſionem reuerſionemq; frequentes decernerent, nec in eo bello, quod non ſolùm inter domeſticos, ſed etiam germanos gerendum erat, *Boleſlao Polonorum* Duce & fratribus eius, quicquid Cæſar æquum cenſeret acceptare ſe offerentibus, immorandũ. Et licet *Wladiſlaus* Dux *Polonorum* adiutorio etiam *Wladiſlai* Ducis *Bohemiæ* fretus, id decretum quam maximè improbare & auertere conatus fuiſſet, Principibus tamen & militibus *Almaniæ* ad penates ſuos & coniuges redire anhelantibus, nullo pacto poterat infirmari. Motisque altero die caſtris *Conradus* Rex cum ſuo exercitu & *Wladiſlao Polonorum* Duce in ſpe ſua ludificato in *Almaniam* rediit. Sic *Boleſlaus Polonorum* Dux bellũ ingens ſine dimicatione & ſine armis ſolo aſtu & prudẽtia cõficiens

Conradus Imp. Wladiſlaum reſtituturus in Poloniam cum exercitu tranſit,

ſed a Boleſlao mitigatus in Germaniam redit.

1149. ciens magnus & gratus inter ſuos & exteros cœpit haberi.

In Ruſsia Izaslaus Dux a reliquis Ducibus ex Kiouia eiicitur.

Suggeſtione hoſtis generis humani Duces A *Ruſsiæ* videlicet *Georgius, Roſciſlaus, Olech,*& *Suantoſlaus* ſtimulis inuidiæ agitati contra *Izaslaum Kiouienſem* Ducem inſurgunt, de ſede *Kiouienſi* illum excluſuri. Qui collectis copiis vadit contra eos, & quamuis *Metropolitanus Kiouienſis* recipere pacem multifarie perſuaſiſſet, *Izaslaus* tamen in multitudine ſui exercitus confiſꝰ fidei conſultatione reiecta congreditur, & multis hinc inde cadentibus ad extremum ſuccumbit. Et pluribus de ſuis aut occiſis aut captis ipſe fugiens venit in *Kiow*, obſidionemque a victoribus veritus, recepta vxore & filiis, in *Lucko* diuertit. Georgius vero Dux cæteris illum Ducibus adiuuantibus, primum *Pereaslaw* ingreſſus, poſthæc in *Kiow* B peruenit, & in ſede paterna & auita conſedit. *Izaslaus* autem Dux & ſedem *Kiouienſem* recuperaturus, & cladem acceptam correcturus, cœpit in *Polonos* & *Hungaros* donatiuũ erogare, veneruntque illi in auxilium in hieme anni eiuſdem duo germani, videlicet *Boleslaus Cracouienſis* & *Maſouiæ*, & *Henricus Sandomirienſis* Duces cum gentibus & militibus ſuis. Veniunt & *Hungari*, integraque hieme apud eum immorati ad decernendum cum hoſtibus aduerſariis ſuis æſtuabat, poſitis circa *Czerniciow* ſtatiuis. Verum videntes eum cunctanter omnia agere, & virum pauidum eſſe, tam Duces *Polonorum Boleslaus* & *Henricus* quam *Hungarorum* copiæ faciunt ab eo diſceſſionẽ. C Quo Duces *Ruſsiæ* comperto, veniunt contra illum, videlicet *Georgius* Dux *Kiouienſis* cum duobus filiis *Roſciſlao* & *Andrea*, item *Venceslaus* frater *Georgii*, pluresque alii Duces & auxiliatores, obſident *Izaslaum* in *Lucko*, non ſinentes aliquid ad obſeſſos importari. Cum autem *Izaslaus* diutius obſidionem toleraſſet, auferunt illi Duces vſum aquæ. Qua neceſſitate difficultateque *Izaslaus* cum ſuis perculſus pacem quam alias ſpreuerat, per *Wladimirkonem* Ducem cœpit petere. Cuius petitioni *Roſciſlaus* filius *Georgii Kiouienſis* & *Georgius filius Iaroslai* Duces aduerſabantur. *Andrea* vero filio *Georgii Kiouienſis* Ducis pacem petitam dari ſuadente, *Georgius Kiouienſis* Dux cum D cæteris Ducibus *Ruſsiæ* in eius ſententiam vadens, pacem cum *Izaslao* conficit, & eam firmat iureiurando, ſoluenſque obſidionem in *Kiow* reuertitur.

1150. Maximo & periculoſo bello in quod vniuerſam *Almaniam* & *Bohemiam* conſtabat arma ſumpſiſſe a *Poloniæ* Regno ingenio & prudentia Boleslai *Polonorum* Ducis depulſo, tranquillæ apud *Polonos* res erant. Principes quoq; *Poloniæ* aut iura reddebant populis, aut venationes tractabãt. Non quieuit tamen *Wladislai Poloniæ* Ducis inſtantia, quin *Conradum Romanorum* Regem in nouam expeditionem *Poloniæ* inferendam accenderet. Conſecutuſque

Wladislaus fruſtra Conradum Imp. aduerſus Boleslaum excitat.

Wladislaus Polonorum Dux ſuarum molitionum effectum fuiſſet, niſi interim *Conradum* Regẽ valetudo aduerſa oppreſſiſſet, cuius diuturnus languor *Wladislaum* Ducem inſtantiam ſuam remittere coëgit. Nonnullas tamen poſſeſſiones & reditus *Wladislao* Duci Cæſar largitus eſt, quo & æquanimius reſtitutionem ſuam, bellumque contra *Poloniam* inſtaurandum ferret, & honeſtati atque conditioni ſuæ congruum ſtatum ageret. Sed & filium præfati *Wladislai* Ducis minorem natu *Conradum* nomine, propterea, quod in tibia deformis eſſet, & ob id *loripedes* cognomen ſortitus, Abbati *Fuldenſi* aſſeruandum, & tam literis quam moribus imbuendum, ut ſucceſſu temporis relligionis amor eum caperet, commiſit, vterque enim parens eius ob deformitatẽ tibiarum monaſterio magis quam ſeculo ipſum deſtinabat.

Boguphalo Ep. Poſnanienſi ſuccedit Pianus

Boguphalus Poſnanienſis Epiſcopus cum annis duobus ſediſſet, ſenio incertum eſt, an morbo confectus fato abſumptus, & in *Poſnanienſi* Eccleſia ſepultus eſt. Capitularibus diſcordantibus *Pianus Italus* nobilis genere ab Eugenio Papa tertio prouiſus ſuccedit.

1151. *Boleslaus Polonorum* Dux & Monarcha cognomine *Criſpus Poloniæ* Regnum vndique pacatum, & ſolium ſuæ Monarchiæ diuinitate propitia animaduertens proſperatum, volens illi ampliorem pacis amœnitatem, & ſtabilimentum facere cum *Wſzeuoldimiro Ruſſo*, tunc Principe *Halicienſi*, affinitatem iungit, & filiam ſuam *Anaſtaſiam* nomine accepit in vxorem. Quæ cum ampla dote à patre & Principibus *Ruſsiæ Cracouiam* deducta, *Boleslao* præfato copulata eſt, & nuptiarum ſolennitas pluribus diebus *Cracouiæ* habita, Prælatis & Baronibus *Poloniæ* ſua præſentia, militibus vero haſtarum ludo, cæteriſque militaribus actibus eam cohoneſtantibus. Exemplum vero fratris ſui *Miecyslaus* alias *Mieſzko maioris Poloniæ* Dux ſecutus, alteram *Wſzeuolodimiri Ruſsiæ* Ducis filiam, *Eudoxiam* nomine accepit in vxorem, nuptiaſque ex more apud *Poſnaniam* celebrat. Quæ breui tempore ſuperuiuens, maſculini ſexus prole infœcunda obiit.

Boleslaus & Miecslaus duas ſorores Wſzeuolodimiri Ruſsiæ Ducis vxores ducunt

Piano Poſnanienſi Ep. ſuccedit Stephanus.

Pianus *Poſnanienſis* Epiſcopus cum anno vno, menſibus ſex ſediſſet, fato abſumitur, & in *Poſnanienſi* Eccleſia ſepelitur. Cui *Stephanus* genere *Polonus* de domo *Agricolarum*, quæ in campo rubro roſam albam cum tribus vomeribus defert, pro inſigni electus à capitularibus, & à *Ianislao* Archiepiſcopo *Gneſnenſi* confirmatus & conſecratus ſuccedit de *Miecyslai* Ducis conſenſu.

Ioannes de Temporibus moritur.

Hoc anno ferunt *Ioannem de Temporibus* natione *Gallum*, qui cum armiger *Caroli* Magni extitiſſet, communem tamen & vſitatum ætatis & viuendi modum excedens, trecentis ſeptuaginta & duobus annis pro comperto habitus eſt vixiſſe, vt priſcorum ætate perfunctus magnum miraculi ſpecimen, præſenti

&

& futuræ ætati de tam protenſo vitæ ſuæ ſpatio reliquerit.

1152. Ex diutino languore *Conrado Romanorum* Rege ad meliorem valitudinem paulisper redeunte, *Wladislaus Polonorum* Dux in *Almania* cum vxore & filiis exilium agens, nouis precibus Cæſarem, vt ſui & filiorum miſertus, illum amplius exulem non patiatur fore ſagitat. At *Conradus* Rex, etſi ſubueniendum *Wladislao* decreuiſſet, auxiliumque illi crebrò polliceretur, imperii tamen rebus dietim ad ſe confluentibus adeò impediebatur, vt ſperare magis *Wladislao Polonorum* Duci auxilium Cæſareum, quam habere licuerit. Moram itaque tam longam atque continuatam *Wladislaus* non ferens, militiam ſaltem ſibi a *Conrado* Rege dari petiit. Quam cum liberalitate Cæſaris impetraſſet in *Poloniam* venit, & duo caſtra ſuperiori tempore à ſe constructa, videlicet *Grediſz*, & *Niemcz* ex trabibus, roboribusque fortificat foſſiſque & vallis muniuit, & militum præſidio utrique impoſito *Wratislauienſem* ciuitatem, quæ vicinior extabat, cæterasque *Polonici* Regni oras affligere & infeſtare cœpit. Non tulit eam *Boleslaus Polonorum* Monarcha iniuriam, ſed cum utroque germano *Miecslao* videlicet & *Henrico*, exercitu dominiorum ſuorum conſurgens, vtrumque caſtrum obſidione vallauit, populationemque Regni ſui prohibuit. *Wladislaus* Dux ſuperimminentem non ferens, ſed ſtrenuis militibus in caſtris relictis ad *Conradum* pro auxilio militum, quo obſidione ſolui poſſet, rediit. Et quamuis milites *Wladislai* animoſè caſtra ſuæ fidei credita tutati fuiſſent, longa tamen mora obſidionis fracti, dùm ex *Almania* ferendum ſubſidium ſpes eorum fefelliſſet & fames primum, morbi deinde in corpora ſuccreſcerent, caſtra *Boleslao Criſpo* Duci & Monarchæ pacti ne quid hoſtile paterentur, tradunt.

Wladislaus ex duobus caſtris Poloniam infeſtat

quem tamen fratres eiiciunt.

Rediit ex *Francia* in Vrbem *Eugenius* Papa tertius, & tàm à clero, quàm populo, cum tanto humilitatis feruore ſuſceptus eſt, vt vniuerſa concio in laudem ſuam vociferatione alta depromeret: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Romanis omnibus pollicentibus, nunquam ſe de cætero illum, ſed nec ſucceſſores eius in iuribus Eccleſiæ *Romanæ* vexaturos. Secundo Calend. Iunii *Geiſa*, *Vngariæ* Rex filius *Belæ* cœci moritur, cum annis viginti regnaſſet, quatuor filios *Stephanum*, *Belam*, *Arphat*, & *Geiſam* relinquens, cui *Stephanus* filius eius maior natu in Regnum ſuccedit.

1153. *Maioris Poloniæ* Dux *Miecslaus* propter prudentiam ſingulari indole in eo ab ætate tenera relucentem, ſenex appellatus, qui in *maioris Poloniæ* & *Pomeraniæ* regionibus, quemadmodum in ſuperioribus præmiſimus, principabatur, *Ioannis Gneſnenſis* Archiepiſcopi, cæterorumque Prælatorum & Baronum dominiorum ſuorum actus perſuaſione & conſilio, filiam *Belæ* cœci *Vngariæ* Regis *Gertrudim* nomine, virginem & moribus & forma egregiam accepit in conſortem. 1153. Quæ ex *Vngaria* in *Poloniam* traducta ſplendidam & magnificam dotem in vaſis aureis & argenteis, cæteraque ſuppellectili inuexit, nuptiarum quoque ſolennitas in *Poſnanienſi* ciuitate pluribus diebus, ſub frequentia plurimorum hoſpitum habita. Ea verò affinitas ideò expetita & accepta eſt, vt priorum veterumque diſcordiarum, & bellorum inter *Belam Vngariæ* Regem, & *Boleslaum Krzywouſti Polonorum* Ducem, Patrem *Miecslai* initorum, obliteraretur memoria, & inter finitima ſibi *Vngariæ* & *Poloniæ* Regna, quies & animorum identitas atque tranquillitas proueniret.

Miecslaus Dux Gertrudim Belæ Hungariæ Regis filiam ducit.

Vndecimo Calend. Martii *Conradus Romanorum* Rex, Ducum *Poloniæ Boleslai*, *Miecslai*, *Henrici* & *Cazimiri* auunculus, apud *Naimberk*, poſt quam de transmarinis partibus redierat continua infirmitate decumbens, vita decedit, Regni ſui anno 15. ſepultus eſt in eadem *Naimberck* ciuitate. Hic licet Imperialem benedictionem, aſſiduo languore premente, ſortitus non fuerit, nil tamen illi præter ſolum titulum ad Imperialem deerat ſplendorem, cùm & virtute militari fuerat ſtrenuus, & in ſingulis actionibus prouidus, & animoſus.

Conradus Imp. moritur,

Ne autem diutina eſſet Imperii vacatio, Electores Imperii apud *Francfordiam* in Quadrageſimæ medio *Fridericum* primum filium *Friderici* Ducis *Sueuiæ*, & *Conradi* Regis *Romanorum* defuncti nepotem germanum in caſtro nobiliſſimo, quod *Stupha* vocatur, & altitudine ſua æthera tangere videtur, ſummo omnium fauore & conſenſu (magnam enim de ſe atque raram transmarinis partibus ſub *Conrado Romanorum* Rege & patruo ſuo militans, probitatem, comitatemque monſtrauerat) in *Romanorum* Regem aſſumunt, qui ab *Arnolpho Colonienſi* Archiepiſcopo *Aquisgrani* in Dominica Lætare in Regem diademate coronatur. Hic ſucceſſu temporis *Fridericus Barbaroſſa* cognomen, cum aduſti crinis ex cholera eſſet, ſortitus, octuageſimus ſextus ab *Auguſto* ſtrenuus, nobilis & fecundus.

cui ſuccedit Fridericus I.

Tribus *Polonorum* Ducibus *Boleslai Krzywouſti* filiis, *Wladislao* videlicet, *Miecslao* & *Boleslao* & terrenarum actionum occupatione deditis, & matrimoniali iugo alligatis, 1154. *Henricus* germanus illorum in genituræ ordine quartus, cui *Sendomirienſium* & *Lublinenſium* prouinciarum Principatus obtigerat, à ſuorum dominorum Baronibus & Conſiliariis, ad nuptiarum fœdus ſubeundum non poterat impelli. Sublimioris enim animi illum ceperat cura, magnusque animus terrenis & infimis contemptis, magna quotidie quibus & virtus eniteſcere, & Deus placari poſſet, meditabatur. Id tamen in deſiderio ſuo præcipuè verſatum eſt, vt in terræ ſanctæ ſubſidium, cuius pro ea tempeſtate, à Regibus & Princi-

Henricus Poloniæ Dux expeditionem in terram ſanctam ſuſcipit.

1154. Principibus Catholicis recuperatio agebatur, cum militia qua poſſet ampliore ſe conferret, præſidium publicis Chriſtianorum rebus laturus. Quod cùm ſuperiori tempore & per ætatem,& propter bellorum patriam infeſtantium repreſſionem executioni mandare non poſſet, quietis tempus, quo *Poloniæ* Regnum in pacis amœnitate ſiluerat,nactus,voluntariorum militum facto delectu in terram ſanctam cum pulcherrimo militum apparatu terris ſuis *Sandomirienſibus* & *Lublinenſibus* in conditionem & gubernationem *Boleslai Polonorum* Ducis & Monarchæ commendatis, transfretauit. Id ipſo autem profectionis ſuæ articulo Eccleſiam Parochialem in *Iagoſc* villa ſua ad fluenta *Nidæ* ſita in honorem Sancti *Ioannis Baptiſtæ* fundat,& ampla illi dote collata,eam fratribus Cruciferis, Hoſpitalariis, qui & Templarii vocabantur, quorum religio propter defenſionem terræ ſanctæ magna colebatur deuotione, cùm ad illius defenſionem primario reſpectu fuerit inſtituta, commendat in regimen. Poſtquàm verò terram Sanctam incolumis attigit, ſancto ſepulchro adorato, militiæ *Balduini Hieroſolymorum* Regis ſe coniungit,fortiſſimique militis in certaminibus cum *Saracenis* habitis, opera exercens, martyrii palmam ſe ſperabat adepturum. Verùm cum hæc illi ſors tunc obtingere non poſſet, anno integro illic exacto,aliquibus militibus ſuis, partim in conflictibus huiuſmodi occiſis, partim intemperie aëris abſumptis, in patriam ſoſpes rediit, & tàm à germanis ſuis *Boleslao* & *Miecslao*,quàm vniuerſis *Poloniæ* Optimatibus, in maximo honore, & animorum gratulatione exceptus eſt, cuius relatione qualitas,conditio,ſtatuſque terræ Sanctæ, & quàm acerrima, quamque fortiſſima, cum barbaris pro illius defenſione agantur prælia, cœperunt vulgari, & diffundi.

& redit.

Andrzeiouienſe cœnobium varie ditatur.

Cùm *Andrzeiouienſe* cœnobium Ciſtercienſis ordinis, in fundo Nobilium *Griphonum Brzeznica* vocato, *Cracouienſis* diœceſis, tenuibus reditibus prouiſum eſſet, nec numerus fratrum in eo Deo militantium ſubſiſtere illic poſſet, *Ioannes Gneſnenſis* Archiepiſcopus,qui illius primarius, dùm adhuc illum minor haberet ſtatus, extitit fundator, certas illis menſæ Archiepiſcopalis decimas largitus eſt. Cui quidem loco, antequam Conuentualis eſſet, *Maurus* primum, deinde *Radoſt Cracouienſes* Epiſcopi,etiam aliquas decimas menſæ Epiſcopalis *Cracouienſis* Epiſcopi donauerant. Exinde autem locus ipſe amplificatus,extunc quidem cœpit ſubſiſtere, & hactenus propitia diuinitate ſubſiſtit. Contulit autem monaſterio præfato *Ioannes Gneſnenſis* Archiepiſcopus præfatus patrimonii ſui villas, *Brzeznica, Raleſzino, Potok, Lyſſakowo, Lanczyno, Rachowa, Tarſzowa,Turzewa*, contulit & decimas manipulares menſæ ſuæ Archiepiſcopalis *Gneſnenſis* in eiſdem villis conſiſtentes. *Maurus* item Epiſcopus *Cracouienſis* monaſterium præfatum conſecrando, donauit eidem decimas manipulares in villis *Morawice,Przewiclawice,Konary,Miechowo, Wachowo* ſiue *Weglowo,Radoſt* verò alius Epiſcopus *Cracouienſis*, contulit decimas manipulares de menſa Epiſcopatus *Cracouienſis* in villis *Borowa, Przekopa,Liuniewo*,haſque omnes vterque Epiſcopus *Cracouienſis* decimas monaſterio præfato inſcripſit. Item præfatus *Ioannes Gneſnenſis* Archiepiſcopus dedit eidem cœnobio *Andrzeiouienſi* decimam manipularem in *Holuſzy*, menſæ ſuæ Archiepiſcopalis. Item dedit decimam quinquaginta aratrorum, quam poſteà ſpecificè conſignauit in villis *Slatoniki,Skotniki,Rambeſryce,Iaszewice,Zarczyce,Zdanowice, Czacow,Brzeſzna,Brzem*. Item idem *Ioannes* Archiepiſcopus dedit hæreditates iſtas *Viazd, Błonie,Zarzece,Błonica,Skowrodno,Kamiennczyce* ad eum ex parte cognati ſui *Smil* deuolutas. Item villas per eum emptas *Dzierzazna, Buskow, Tropiſow,Biała,Beſt,Mierzawa*. 1154.

Turbæ inter Hungariæ Regem & Ruſſiæ Duces.

Mittit *Izaslaus* filium ſuum *Mścislaum Polonos* & *Hungaros* contra *Wladimirkonem* conducturum, & non venientibus *Polonis*, venerunt *Hungari*, & Rex eorum *Stephanus* cum *Mścislao*, ſed *Wladimirko Galicienſis* Dux viſa multitudine *Hungarorum* non audet confligere cum eis, ſed ex occultis locis laceſſit eos. Et tandem inuaſus ab eis tranſit fluuium, vbi plures ex ſuis occiduntur, alii capiuntur, alii ſubmerguntur. Fugiens autem venit *Przemysliam* ſequente eum *Stephano Hungariæ* Rege, ipſumque obſidente. Et cœpit petere *Wladimirko* pacem, antequam veniret *Izaslaus* ad Regem *Hungariæ* cum exercitibus ſuis. Et relicto fratre ſuo cum *Suantopelkone* & exercitu in terga venit ſolus ad Regem *Hungariæ Stephanum* cum paucis. Et dùm veniſſet ad fluuium *San* offendit obſtaculum, omnia vada quippè fluminis *Wladimirko Halicienſis* Dux, per ſuos equeſtres & pedeſtres occupauerat,& proceſſit *Hungariæ* Rex ad fluuium cum ſuis exercitibus, & *Wladimirko* videns multitudinem magnam, refugit in caſtrum *Przemysl*, multis de ſuis, aut cæſis aut captis. Videns autem ſe in anguſtia magna *Wladimirko* verſari, cœpit petere pacem. Et *Izaslao* Duce concedere pacem abnuente, *Stephanus Hungariæ* Rex pacem inter eos componit, & pace concluſa, diſcedit in *Hungariam*, *Izaslaus* in *Kiow*.

Eodem anno venit *Georgius* cum filiis ſuis, & *Roſtowcis* atque *Szuſdalcis* & cum Ducibus *Reſani*, & vadit in *Ruſſiam* verſus *Kiow*. Quo audito *Izaslaus* egreſſus eſt contra eum & *Wladimirko* reuerſus eſt in *Halicz*. Dùm autem *Georgius* eſſet apud *Hluchow*, venerunt ſibi *Polowcy* in auxilium in multitudine magna, & Dux *Suantoslaus* filius *Olech*, *Izaslaus* autem *Kiouienſis* Dux,miſit fratrem ſuum *Roſcislaum* in auxilium *Izaslao Dawidowic*. Et

venit

1154. venit *Georgius*, & obſedit *Czernieiow*, & fiebant magnæ pugnæ inter obſidentes & obſeſſos. Sed dùm ſenſiſſent *Polowcy* aduenire *Izaslaum Czernieiouienſibus* in auxilium, territi diffugiunt. Quibus diſcedentibus, diſcedit & *Georgius*, & vadit in *Nowogrod Szewioiski*, & relicto filio *Waſilkone*, vadit in *Suſdal*, & *Izaslaus* non inuento *Gregorio* apud *Czernieiow*, vadit verſus *Nowogrod*, illicque dedit pacem petentibus, & reuerſus eſt in *Kiow*, & *Waſilko* iuit ad patrem ſuum in *Suſdal*, filium *Micislaum* mittens in *Polowkos*. Qui ſolus exiſtens vaſtat *Polowcos*, & magna præda equorum & pecorum capta, etiam tabernaculis eorum potitur, & nonnullos Chriſtianorum ſoluit, & reuertitur cum gloria. Eodem anno *Wladimirko Halicienſis* Dux moritur.

Eugenio III. P.R. ſuccedit

Eugenius Papa tertius cum annis octo, menſibus quatuor, diebus nouem ſediſſet, *Tiburi* moritur & per mediam vrbem ferè cum totius Cleri & populi turba, & maximo luctu in Eccleſiam B. *Petri* in *Vaticano* deductus, circa altare ſepelitur. Erat autem vir ſimplex, ſed religioſus, adhærebat namque carni eius tunica lanea, & diebus ac noctibus cuculla, intus habitum monachi retinens, extra ſe Pontificem veſtibus & moribus exhibebat. Cui *Anaſtaſius* tertius natione *Romanus*, primùm *Conradus* dictus ex patre *Benedicto* ſucceſſit.

Anaſtaſius III.

1155.

Henricus Dux monaſterium in Lubin,

Famoſam & celebrem Ciſtercienſium religionem & quæ propter perſonarum in ea Deo militantium, ſanctitatem ſupra cæteras eo tempore relucebat, *Miecyslaus Maioris Poloniæ* Dux in ſuos Ducatus & Dominia introduxit, & in *Lubin* diœceſis *Wratislauienſis* monaſterio conſtructo religionem ipſam primus in diœceſi *Wratislauienſi* plantauit. Ducalique munificentia erga monaſterium à ſe fundatum, vſus, villas, oppida, introitus, & prædia in dotem liberaliter illi contulit, vaſisque & veſtimentis neceſſariis ad ſacra & ornamenta ſpectantibus mirificè inſigniuit. Hunc locum relatio ferebat templum idolorum famoſum quondam fuiſſe, dum *Polonorum* natio gentilibus ritibus & erroribus tenebatur adſtricta.

& Eccleſiam in Kaliſz fundat

In oppido inſuper *Kaliſz Gneſnenſis* diœceſis Eccleſiam, ex dolatis lapidibus in honorem Doctoris Diui *Pauli* fabricans Præpoſitum & aliquot Canonicos in ea conſtituit, & dote ſufficienti prouidit. Ad quæ quidem opera pro laude nominis diuini, & ſalute fidelium inſtauranda, non ſolùm propriæ deuotionis ferebatur ardore, ſed etiam *Ioannis* Archiepiſcopi *Gneſnenſis* incitabatur perſuaſione, qui cultum Dei propenſius in diebus ſuis augendum æſtuabat.

Vdalricus Bohemiæ Dux ad Boleslaum in Poloniam confugit.

Vdalricus filius *Sobieslai Bohemorum* Ducis, dum *Wladislai Bohemiæ* Ducis, qui patri ſuo *Sobieslao* in *Bohemiæ* Ducatum ſucceſſerat, conſpectum fugiens in *Almania* aliquanto tempore manſiſſet, in *Bohemiam* rediit. Verùm *Wladislaum* Ducem non tam ſibi purum ac propitium prout ſperauerat, conſiderans, tyrannidemque ſuam pertimeſcens, cum ſuis ſequacibus in *Poloniam*, cui pater ſuus *Sobieslaus* pro beneficiis acceptis plures hoſtilitates intulerat, diffugit, & à *Boleslao Criſpo Polonorum* Duce, ne dum ſuſceptus & recollectus, ſed etiam propitiè & fauorabiliter tractatus eſt. 1155.

Anaſtaſio III. P.R ſuccedit Adrianus III.

Anaſtaſius Papa tertius cum anno vno, menſibus quatuor, diebus viginti ſediſſet, moritur, & in Eccleſia S. *Petri* in concha porphirica accepit ſepulturam. Poſt cuius mortem *Nicolaus Albanenſis* Epiſcopus, & Cardinalis, natione *Anglicus*, qui *Adrianus* tertius vocatus eſt, in ſummum Pontificem ſucceſſit.

1156.

Miecslao naſcitur filius Otto.

Operum ſuorum bonorum *Miecyslaus* maioris *Poloniæ* & *Pomeraniæ* Dux, quæ in fundando cœnobio *Lubinenſi* & Eccleſiam S. *Pauli* in *Kaliſz* collegiatam erigendo egerat, mercedem & fructum glorioſum excepit. Coniunx etenim ſua *Gertrudis* Duciſſa filium illi peperit, de cuius natiuitate *Miecslaus* Dux exhilaratus in *Poſnanienſi* ciuitate, curia indicta, ſolennitatem baptiſmi diebus aliquot celebrauit, nomenque filio in baptiſmate *Otto* impoſuit. Ne Cæſarum *Ottonum*, ex quibus ipſe materno ſanguine ſatus erat, nomen obliterari poſſet.

Stephano Poſnanienſi Ep. ſuccedit Raduanus.

Luſtro vno *Stephanus Poſnanienſis* Epiſcopus in Pontificatu exacto, paraliſim incurrens moritur, & in Eccleſia *Poſnanienſi* ſepelitur. Cui *Raduanus* Scholaſticus *Poſnanienſis* ſubſtituitur per electionem Canonicam nobilis de domo *Srzeniauitarum*, à *Ianislao Gneſnenſi* Archiepiſcopo confirmatus, & in Eccleſia *Vnitiouienſi* de conſenſu *Miecslai maioris Poloniæ* Ducis conſecratus.

Fridericus I Imp. in Italia res agit.

Fridericus Romanorum Rex vocatus *Barbaroſſa*, collecta *Germaniæ* Principum & militum multitudine, in *Italiam* Imperialem benedictionem accepturus proceſſit. A quo cum *Veronenſes* pro tranſitu pecuniam exigentes iter ſuum retardarent, promiſſa pecunia difficultatem diſſoluit, & 12. *Veronenſium* legatos ad ſe pro pecunia venientes in patibulum egit. *Terridona* munitiſſima ciuitate victa, *Spoleto* verò exuſto *Romam* perueniens, ab *Adriano* Papa cum magno gaudio omnium ſuſceptus, in Imperatorem coronatus eſt. Coronationem autem ſuam ingens ſeditio ſecuta eſt, nam *Romani* in porta S. Angeli, familia ſua inuaſa, dùm plurimos trucidaſſent, clamore facto à Cæſareis militibus victi, & magna cæde adeò domiti ſunt vt *Tiberis* ſanguine interfectorum rubras vndas oſtentaret. Agente tamen *Adriano* Papa, pacificatus eſt Imperator *Romanus*, & plures, qui capti fuerant, *Romanos* abſoluit. Et quamuis Imperator magna fuerit *Adriano* Papæ familiaritate coniunctus, poſt tamen Imperatoris ex vrbe diſceſſum, plures ſimultates inter eos conflatæ, & aliquanto tempore ventilatæ ſunt, cum Papa coronationem ei præſtitam

1156 tam pro beneficio, Imperator pro debito computaſſet.

Suidgero Cruſuicienſi Ep. ſuccedit Honoldus.

Suidgerus Cruſuicenſis Epiſcopus cum annis 23. præfuiſſet eidem Eccleſiæ ex hepatis vitio moritur, & in Cruſuicienſi Eccleſia ſepelitur. Cui Honoldus genere Italus ab Adriano Papa quarto, ad petitionem capitularem, & Boleslai Criſpi Polonorum Ducis & Monarchæ datus ſucceſſit. Sub cuius regimine ſedes de priſco Cruſuicienſi loco Wladislauiam tranſlata eſt.

Boleslao naſcitur filius cognominis.

Anaſtaſia Duciſſa Boleslai Criſpi Polonorum Ducis & Monarchæ conſors primario partu filium effudit, de cuius ortu pater ſingulari lætitia repletus, nomen illi ſuum Boleslaus impoſuit.

Bellum Ducum Ruſſiæ.

Veterem hoſtilitatem Izaslaus Kiouienſis Dux vltum iri ſatagens, contra filium Wladimirkonis Ducem Halicienſem mouet bellum, vtriuſque autem copiis ad fluuium Sereth conuenientibus, fit conflictus, à quo abſtinere, & in Halicz redire Wladimirkonis filius (vnicus enim erat) rogatu militiæ ſuæ, coactus eſt. Vtriſque autem pro victoria adnitentibus, fit cædes ingens, & tanta inuolutio, vt ſe inuicem non cognoſcerent, & vtrique abirent pro victis. Et captiuati ſunt plures ex Halicienſibus per milites Izaslai, & plures Izaslai milites per Halicienſes. Diffugientibus autem fratribus Izaslai Suantopelkone, & Wladimiro, & filio ſuo M'ciſlao, remanſit Izaslaus in loco certaminis cum pauca militia. Sed timens ne interim occuparetur per Halicienſes iuſſit occidi captiuos exceptis notabilioribus quos ſecum deduxit in Kiow.

Alexandro Plocenſi Ep. ſuccedit Vernerus.

Alexander Plocenſis Epiſcopus, cum annis 27. Pontificatum geſſiſſet, obiit, & in Plocenſi Eccleſia ſepelitur. Cui Vernerus Scholaſticus Plocenſis genere nobilis de domo Roza concorditer electus ſuccedit. Cuius electionem Ianislaus Gneſnenſis, Archiepiſcopus, facile de conſenſu Criſpi Ducis Poloniæ, vir enim erat eximiæ religionis & deuotionis in Deum, confirmauit, & apud Lancitienſem Eccleſiam in Plocenſem ordinauit Epiſcopum.

Fridericus Imp. Beatricem in matrimonium ſumit.

1157. Ex Italia & Galliis Fridericus Imperator diſcedens & in Almaniam rediens, omnium Principum Almaniæ in Wiercburg alias Herbipoli pro Pentecoſtes feſto die agit conuentum, in quo & filiam Burgundiæ Ducis Beatricem ſibi in matrimonium iungit, & de bello Mediolanenſibus inferendo, quos conſtabat aperta rebellione erga Cæſarem vſos eſſe, cum Principibus conſultat.

Wladislaus Dux Friderici Imp. implorat auxilium

Inter hæc & Wladislaus Polonorum Dux coram Cæſare & Principibus cauſam ſuã agere cœpit: *Duodecimus*, inquit, *Cæſar optime, labitur annus, ex quo cum coniuge & liberis, per fratrum odium & liuorem patria pulſus ſum in terris tuis indignum exilium ago, nec ſpei meæ pollicitationique Cæſareæ, aliquis effectus reſpondit. Prædeceſſor quidem tuus Conradus, dum crebris legationibus reſtitutionem mei efficere nequiret, armis illam effecturus, legiones in Poloniam duxerat, ſed à fratribus meis Poloniæ Ducibus falſis promiſſis & blanditiis victus, campoque detractus eſt, neque poſt hæc curis Imperii & languore diſtentus arma in mei reſtitutionem, licet id crebro polliceretur, reſumpſit, Non mea iam ſors, ſed filiorum, ne & ipſi in exilio mecum vna conſeneſcant, me perurget. Quos conſulam? Quos deprecer? à quibus commiſerationem ſperem? præter te vnum Cæſar, quem in hanc diem colui, cuius quoque ſubuentione & beneficio viuo, fratribus infeſtum & implacabilem animum gerentibus, non habeo, ſi te conditionis meæ non miſeret, ſaltem ſororis tuæ, coniugis meæ, quæ & ipſa mecum exulat, & nepotum tuorum, filiorum meorum, quos in viros, dum huc pueri allati erant, euaſiſſe vides, miſeria mouearis.* Duxit & tres filios iam adoleſcentiam tranſgreſſos pulcherrimæ & raræ indolis iuuenes, pedibus Imperatoris, quo facilius eum in miſerationem flecteret, admouit, *Extorrem ſe factum habitationis patriæ ſubintulit, terram, in qua ſit natus, negari ſibi, Boleslaum, Miecyslaum & Henricum incubare Principatibus ſuis, qui ſibi, & filiis per ſcelus erepti forent.* Dux deinde Bohemiæ Wladislaus, liuoris magis in Polonos, quam pietatis in exulem reſpectu, ne id ludibrium ferat Cæſar, pertinaciamque Poloniæ Principum ſuo calcaneo aduerſantium domaret, admonuit, vniuerſi deinde Principes Almaniæ, huic petitioni aſſenſi, vt reſtitutionem Wladislai Polonorum Ducis efficeret, Cæſarem conſiliis, precibuſque impellebant. Wladislaus enim Polonorum Dux & ex continuo contubernio, & ex diuturna mora, fere omnium ſibi Almaniæ Principum, & familiaritates, & amicitias meruerat. Fridericus autem Cæſar, cum ſuapte ad ferendum exuli ſubſidium moueretur, frequentibus tamen Principum conſiliis ſententiis & precibus adeo peruictus accenſuſque eſt, vt prius in Polonos, quam in Mediolanenſes expeditionem indiceret, & exulis cauſam citius agi, quam propriam mallet. Verum quia æſtate illa expeditio ipſa minime propter temporis defectum prouentura videbatur, quo iuſtior belli cauſa eſſet, mitti primum ad Duces Poloniæ qui nomine Cæſaris reſtitutionem exulis admonerent, belloque inferendo terrerent, placuit legatos. Hi cum ex eodem conuentu in Wierczburg habito miſſi eſſent, Boleslaum quoq; Ducem & Monarcham Cracouiæ offendiſſent, Imperialia mandata, vt erant inſtructi, & iuſſi, coram eo, & duobus reliquis fratribus Miecyslao & Henrico, quos gratia audiendæ legationis præfatæ Boleslaus Cracouiam acciuerat, edicunt. Orabant autem, vt *Ducis Wladislai fratris ſui errori, veniam, & transgreſſioni tribuerent, mererenturque, etſi non germanitate, ſaltem calamitate hominis, & Cæſarea interceſſione. Satis Wladislaum Ducem, pro delicto pœnarum dediſſe.* Boleslaus autem Polonorum Dux & Monarcha fratrum & Conſiliariorum

quod & ipſi promittitur. 1157.

ſuorum

1157. ſuorum deliberatione legationem Cæſaream expendens, reſpondit: *Nullius ſe fratres ſuos in Wladislaum Ducem admiſſi facinoris conſciós, neque ſe fratri bellum intuliſſe, ſed illatum propulſaſſe. Illum tàm crudelem in ſe fuiſſe, vt non communione ſanguinis non eorum adoleſcentia, non precibus quominus ad exterminium eorum, ſuos omnes conatus intenderet, moueretur. Indignum Wladislaum Ducem venia, indignum miſericordia & interceſſione diſſerunt, qui omnis cognationis, omnis æquitatis oblitus, nec iuris diuini, nec humani, ſed nec iuris gentium ſanctiones, nec patris teſtamento ſcripta legitima Imperia pati, & cuſtodire potuit, ſed nec tunc dum illos ad vnius caſtri Poſnanienſis angulum redegiſſet, Gneſnenſis Archiepiſcopi Iacobi paterna obſecratione placari poterat. Se quidem non tàm impios eſſe, vt non velint fratri tanto tempore exuli miſereri, ſed vereri, ne reſtitutus ad exterminium eorum ardentius, dùm ambitioſo animo exulceratus acceſſerit, intendat. Rogarent proinde Cæſarem, vt erga illos indignationem non moueret, reſtitutionem fratris ciuile bellum, cædemque & exterminium multorum effecturam.* Cum hac reſponſione Imperiales Nuntii, comiter & liberaliter habiti, dimiſſi, cùm rediiſſent, *Fridericus* Imperator reſponſione ipſa magis offenſus, quam mollitus expeditionem contra *Poloniam* in futuram æſtatem *Wladislaum* reſtituturus, *Almaniæ* Principibus & militibus pronunciat, occaſione belli hinc maximè accepta, quod *Poloniæ* Duces, eius Imperio recalcitrabant. Imperatori autem ſacramentum fidelitatis præſtare, & tributum quingentarum marcarum argenti annis ſingulis publico ærario Imperii inſerre, ab eis exigenti negabant, ſatius ducentes mori, quàm *Poloniæ* Regnum ſubiici tributis, apertiſque & euidentibus reſponſis, nunquam ſe ſub Imperio aut tributis fuiſſe, & non clanculariam ſed manifeſtam oppoſitionem ſe pro libertate facturos moliebantur.

Prius tamen de eius reſtitutione ad Boleslaum & fratres nuncii mittuntur, qui vero illam renuunt.

Miecslao naſcitur filius Stephanus.

Effudit hoc anno conſors *Miecslai maioris Poloniæ* & *Pomeraniæ* Ducis Duciſſa *Gertruda* alterum infantem, cui matre obſecrante *Stephanus* nomen inditum eſt. In *Hungariæ* enim Regno *Stephanus* Rex ſuus nepos ex fratre germanus principabatur, nec multò poſt diem puerpera obiit.

1158.

Fridericus Imp. cum magno exercitu venit in Poloniam,

Boleslai Monarchæ Ducisque *Polonorum* & fratrum ſuorum *Miecslai* & *Henrici* reſponſione *Fridericus Romanorum* Imperator irritatus, magnas concepit iras, & ſuo in *Herbipoli* condito decreto ſatisfacturus, expeditionem in *Poloniam* mouet, maximumque tàm ex equeſtribus, quàm ex pedeſtribus copiis menſe Auguſto per *Saxoniam* exercitum traducens illam ingreditur, cui in *Saxoniæ* finibus *Wladislaus Bohemiæ* Dux cum *Bohemis Morauiſque* ſe coniungit, & exercitum Imperatoris per ſe magnum effecit ampliorem. Omnes enim Imperii vires, & omnem *Almanicam* nationem, *Francos, Sueuos, Rinenſes, Bauaros, Saxones* 1158. *Lothoringos, Miſnenſes*, & quod magnæ execrationis poterat videri, ipſos etiam *Morauos* & *Bohemos* vnius penè nationis cum *Polonis* & linguæ contra *Polonos* vidiſſes infeſta arma induiſſe. Imperator itaque *Fridericus* contra *Polonos* exercitum mouens, cum maximis copiis ad fluuium *Odram*, cum magna difficultate penetrauit, & vndecimo Cal. Septemb. *Odram* cùm exercitu præter opinionem transnatauit.

Boleslaus itaque *Miecslaus* & *Henricus Polonorum* Duces, quamuis & ipſi cum ſuorum militum exercitatiſſimo robore Imperatori *Friderico* occurriſſent, vires tamen ſuas metiendo, dùm illas conſtaret hoſtilibus multò inferiores & diſpares, hoſtem ex inſidiis & paludinoſis, & iniquis locis laceſſentes in diſcrimen notorium vniuerſæ dimicationis non veniunt. Turmis quoque militum, & belli muneribus, inter ſe partitis, in loca diuerſa abeunt, atque ex illis hoſtes incautius prædatum, aut pabulatum progreſſos, aut capiunt, aut interimunt. Omnia inſuper loca, per quæ Imperatoris exercitus tranſiturus erat, ab eis viciniora, interque caſtra & oppida munita videlicet *Glogow* & *Bitom* igne iniecto conſumunt, quæ res in magnas difficultates commeatu & pabulo deficiente Imperatorium exercitum induxit. In ſingulis quoque ſtatiuis magnus equorum numerus fame tabefactus ſubſiſtebat, frequenteſque milites ex ordine equeſtri ad peditum numerum redacti erant, nec pabulatione ſine manifeſto periculo ad remotiora loca progredi poterant, quærendi pabuli gratia, periculoſis inſidiis, aut trucidandi, aut capiendi. Crebra quoque priorum mors, & trucidatio reliquos adeò terruerat, vt in ſingulis ſiluis, rubis, àut ſiluetis inſidias *Polonorum* conſiſtere vererentur. Acceſſit & amplior exercitui Cæſareo pernicies, mollia enim & delicata *Almanorum* corpora, & vini & ceruiſiæ ex hordeo coctæ, quorum in *Polonia* vſus non eſt, aſſueta, ex aſſiduo aquarum hauſtu in diſſenteria prolapſa ſunt, adeoque diſſentericus morbus in eorum corpora vulgatus erat, vt maiorem partem Cæſarei exercitus ea peſtis peruaſerit. Cùmque graſſatio eius nulla arte, nulliſque herbis, aut antidotis inhiberi poſſet, omnes à Cæſare reuerſionem flagitabant, neque in malo auſpicato bello cenſebant cum ſua pernicie & interitu immorandum. Cæſar etſi vocibus procacibus, precationibuſque his, ſed & ſuorum mortibus & ægritudinibus moueretur, pudore tamen ne cœptum bellum leuiter omitteret, retrahebatur. Quid tamen ageret, aut quem fructum ex bello huiusmodi ſperare poſſit, cum *Poloni* in aciem non prodirent, aſſidua angebatur perplexitate. Sed nec expugnationi caſtrorum aut vrbium intendere poterat, quippe vrbes raræ & caſtra apud *Polonos* ea tempeſtate habebantur, ſed & pleraſque *Poloni* ſub aduentu Cæſaris, proprio igne deleuerant,

ſed a Polonis ex inſidiis magnopere vexatur,

1158. rant, ad paludinoſaque & inuia loca nonnullis deſertis diuerterant. Sola itaque agrorum populatione tam validus & numeroſus exercitus contentus, tectis innocuis ignem iniicebat. Territoria quoque & diſtrictus *Wratislauienſem* & *Poſnanienſem* incendio & ſpolio vaſtabat. Inter hæc ſolertiſſimus Imperator & expeditionem illam, cuius illum ſæpè pœnitebat, & diſceſſionem ſuam, quam fames & morborum pernicies, militumque clamor & vociferatio exigebat, honeſtaturus, per *Wladislaum Bohemiæ* Ducem, velut communem partium amicum egit, vt *Polonorum* Duces *Boleslaus, Miecslaus*, & *Henricus* pacem à Cæſare expeterent certitudine facta, eos pacem conſecuturos. *Bohemiæ* itaque Ducis pollicitatione Duces *Polonorum* permoti, ſub ſecuritatis conductu in Cæſarea caſtra apud villam *Kriſzogowe* ſtatiua habenti perueniunt & in tabernaculum Imperiale, vbi frequens conſiliariorum numerus conuenerat, deducti, per organum Boleslai verba faciunt: *Si ſcrupuloſius*, inquit, *Cæſar optime, & noſtram & fratris noſtri Wladislai, in cuius reſtitutionem & fauorem bellum nobis infers, cauſam examinaſſes, nequaquam contra nos hoſtilem animum induiſſes, ea enim iuſtitia cauſam noſtram conſpiceres eſſe præditam, vt magis illi defenſio quàm vexatio debeatur. Qui etſi tuus gener ſit, inficiari tamen non potes, & nos de ſanguine tuo ſatos eſſe. Nobis quidem perſuaſum eſt, neque tibi, neque tuorum cuiquam fratrem noſtrum Wladislaum exilii ſupplicio iniuſtè affectum videri, quo tres nos omnes fratres ſuos, niſi iuſto marte concidiſſet, affecturus erat. Et quamuis plurimis damnis patriam noſtram ſine demerito afflixeris, in caſtra tamen tua venimus, ſingulis cauſis & querelis quibus nos iniuſtè coram Cæſarea tua Maieſtate onerauit, in faciem præſentes reſponſuri.* His dictis *Fridericus Romanorum* Imperator Ducibus *Poloniæ* ſereno vultu exceptis benignè reſpondens, ait fratris veſtri *Wladislai* calamitate, cui nullam miſerationem à nobis & prædeceſſore noſtro *Conrado* rogati, præſtare voluiſtis, moti, in præſens bellum deſcendimus. Quod etſi maximo geratur ſumptu, humanitas tamen noſtra tanta eſt, vt facile vobis ignoſcat, ſi frater veſter *Wladislaus* plenam ſuorum Ducatuum ſortem acceperit. Interponuntur poſt hæc de pace & reconciliatione tractatus, inter Imperatorem *Fridericum*, & Duces *Polonorum* ſub duabusque conditionibus pax componitur. Vt videlicet fratrem *Wladislaum* ſuis Ducatibus Duces *Polonorum* reſtituant, & trecentas lanceas Cæſari in bellum *Mediolanenſe* mittant. Et dùm vtraque conditio à Ducibus *Polonorum* *Boleslao, Miecslao*, & *Henrico* accepta eſſet, Imperator *Fridericus* ex agro *Polonico* legiones deducens, in *Almaniam* multis ſuorum amiſſis remeauit, neque ſolùm Ducibus *Poloniæ* pacem ſub conditionibus dedit, ſed etiam affinitatem cum illis iunxit, *Miecslao maioris Poloniæ* & *Pomeraniæ* Duci neptem ſuam *Adleidam* dando cum dote inſigni in conſortem, magis diuturnam exiſtimans pacem, ad cuius æquas conditiones ſanguinis vinculum adiiceret. Purgauit etiam tunc ſe *Boleslaus Poloniæ* Dux cum fratribus iureiurando, quòd fratrem ſuum *Wladislaum* non ad ignominiam Imperii expuliſſet, pollicitus pro die Natiuitatis CHRISTI ad curiam in *Maideburg* perſonaliter venire, & iuxta iudicium & ſententiam *Polonorum* & *Bohemorum* ſuper expulſione fratris ſui *Wladislai* reſpondere & parere. Omnibus tamen quæ promiſerat neglectis, nec ad curiam Cæſaris pro die conſtituto venit, nec ſufficientes pro ſe procuratores miſit. *Italicam* tamen expeditionem adimpleuit, magnificè & animosè. 1158.

& terras tantum vaſtat.

Poſtea Boleslao fratribꝰ pacem petentibus,

dat, qua Wladislaus reſtituitur,

& Miecslaus Imp. affinitate iungitur.

Anaſtaſia Duciſſa *Boleslai Polonorum* Ducis conſors, filio edito, cui nomen *Leſzko* datum eſt, morte abſumpta eſt. Ex cuius obitu *Boleslaus* Dux diuturno cruciatus mœrore alteram ſuperducere aliquanto tempore abnuebat. Eclipſis ſolis notabilis eo anno nona hora apparuit, & *Ieruſalem* Sancta a Zoldano *Babiloniæ* capta eſt, multis Chriſtianorum militibus illic aut occiſis, aut captis. Obſcurationem autem ſolis fames valida, qua pleriſque mortales abſumpti ſunt, ſecuta eſt, quæ *Poloniam* & eius regiones notabiliter afflixit.

Tredecima Nouembris moritur *Izaslaus Mściſławic* Dux *Kiouienſis* & ſepelitur in monaſterio S. *Theodori*, & *Izaslaus Dauidowic* volens intrare *Kiow* non eſt permiſſus à *Wenceslao* & *Mściſlao* filiis *Izaslai*. Et venit *Rośćislaus* ex *Smolensko* frater *Izaslai*, & *Kiouienſem* accepit ſedem. Poſthæc venit *Olech Georgii* cum multitudine *Polowconum* in *Pereaslaw* contra *Mściſlaum*, & *Pereaslauienſes* fortiter reſiſtendo, dimicant ſecum, & diſcedit *Olech* cum *Polowcis* ea nocte ex *Pereaslaw*, & *Rośćislaus* aſſumens ſecum *Suantoslaum Izaslawic*, *Wſzeuoldorowic*, & *Mściſlaum Dauidowic* vadit verſus *Czernieow* contra *Izaslaum Dauidowic*. Et dùm pertranſiſſet, nunciatur ſibi mors patrui ſui *Wenceslai*. Ipſe autem dimiſſis exercitibus ſuis cum *Suantoslao* reuertitur in *Kiow*, & in Eccleſia S. *Zophiæ* ſepelit *Wenceslaum*, & recepta rurſus militia, vadit verſus *Czernieow*. Audiens autem *Izaslaus Dauidowic*, mittit pro *Olech Georgii* qui venit cum *Polowcys* in eius ſubſidium. Et *Rośćislaus* cum ſuis exercitibus ſtetit, circa *Bialawica* & exiuit *Izaslaus* & *Olech* contra eum, & certabant ſagittarii pro ripis. *Rośćislaus* autem videns magnam multitudinem *Polowconum*, territus eſt, & mittit ad *Izaslaum*, dando ſibi pro ſe *Kiow*, & *Pereaslaw* pro *Mściſlao* nepote. Quod audiens *Mściſlaus* indignatus dicebat: *nec ego habeo Pereaslavv, nec tu Kiovv*, & receſſit cum militia ſua. Quod videntes

Turbæ in Ruſſia.

1158. tes omnes alii fugiunt, & *Polowcy* eos perſecuti, plures aut occidunt, aut capiunt, cæteri diſperguntur, & *Roſciſlaus* fugit in *Smolensko*, A *Mſciſlaus* verò & *Suantoſlaus Wſzewoldorowic* procedunt fugientes in *Kiow*. Et captus eſt *Suantoſlaus Wſzeuoldorowic* a *Polowcis*, *Mſciſlaus* verò euaſit, venitque in *Pereaſlaw*, & aſſumpta vxore ſua vadit in *Lucko*, *Kiouienſes* autem plurimum aggrauati, mittunt & recipiunt *Izaslaum* in *Kiow*, qui locat *Olech* in *Pereaſlaw Polowcis*, ibidem patrantibus multa mala circa *Pereaſlaw* Eccleſias comburentibus, atq; villas. Deinde *Georgius* venit verſus *Kiow* & poſt multos tractatus, ceſſit illi *Izaslaus* de *Kiow*, & ſedit in *Kiow* ſe de ſua auita & diſtribuit in vita regiones inter filios, *Andreæ* dat *Wyſſegrod*, *Boryſz Turow*, *Olech Pereaſlaw*, & *Waſi koni Porſzy*.

1159. *Wladiſlaus in Poloniam reuerſus moritur.*

Ad Patriam & Principatus ſuos ex diuturno B calamitoſoque exilio, quod in *Almaniæ* oris annis 13. cum coniuge & liberis ſtipe aliena & precario viuens, *Wladiſlaus Polonorum* Dux pertulerat, quos ſibi fratrum benignitas iuxta fœdus cum *Friderico* Cæſare ictum reſtituendos ſpoponderat, reuerſus, arma, equos, quad rigasque & ſubuectiones cæteras, quibus ſarcinæ deferri poſſent, & reuerſionis in patriam & rehabitationis Dominiorum cupidus expediebat, cùm interim languor grauiſſimus illum occupat, à quo hebdomadis aliquot cruciatus, quarto Nonas Iulii tandem animam exhalat, & in *Aldemburg* accepit ſepulturam. Quem quidem locum & conſors ſua *Criſtina* vſquequo fatis intercepta C eſt, incoluit, cuius perſuaſiones *Wladiſlaus* ſecutus propria perdidit, qui vſurpare nitebatur aliena, primumque exul, deinde hoſtis patriæ habitus eſt. A cuius poſſeſſione in ipſo ſuæ reſtitutionis limite excidit, & temeritatis quondam ſuæ, & in exterminio ſuorum fratrum, & in excæcatione *Petri* Comitis *Skrzynenſis* patratæ pœnas iuſtas dedit, vt in exilio contabeſcens, exuliſque more in alienis ſedibus recumbens, neque propriam patriam, proprioſque Principatus & penates, quamuis reſtitutione patefacta contingeret, quemadmodum *Iacobus Gneſnenſis* Archiepiſcopus maiorem in modum eius vicem dolens, talem rerum ſuarum illi narrauerat exitum euenturum. Poſt D cuius è vita exceſſum, tres filii videlicet *Boleslaus*, *Miecyslaus*, & *Conradus Loripes* Principes ab eo relicti *Poloniam* redire cunctabantur, veriti ne pro paterno facinore à patruis graue aliquid in illos ſtatui contigiſſet, vt non in patrem ſolùm, ſed etiam in filios diffunderetur ſceleris animaduerſio. Eſto quod nonnulli aſſerant *Wladiſlaum* præfatum Ducem in *Poloniam* cum pignoribus, & ſupellectili tunc reuerſum, tria caſtra Imperatoris ſumptibus & ſuffragio, videlicet *Welen*, *Grotecz*, & *Niemcze* ædificaſſe, bellumque fratribus intuliſſe pro quo reſcindendo, dùm ad colloquium *Plocko* cum fratribus veniſſet, veneno extinctum fuiſſe.

1159. *Expeditio Friderici I. Imp. in Italiam.*

Fridericus Imperator cum ex *Almania*, *Italia*, *Bohemia*, cæteriſque nationibus & regionibus frequentem exercitum adunaſſet, trecentæ quoque illi lanceæ viris, armis, equiſque inſignes per Duces *Poloniæ Boleslaum*, *Miecyslaum* & *Henricum*, ita vt vnuſquiſque Ducum centenarium expleret numerum in auxilium ſuæ contra *Medialanenſes* expeditionis miſſæ aduenerunt. Cum validiſſimis itaque legionibus *Italiam* ingreſſi *Brixienſem* primum regionem vaſtat, deinde *Mediolanum* obſidere aggreſſus, cùm plures illic Principes & milites in ciuitatis oppugnatione amiſiſſet, *Mediolanenſibus* & pacem petentibus victis, victus eſt, & ipſe innata miſericordia, pacem dedit, & obſidionem ſoluit, legioneſque in propria redire iuſſit. Sed *Mediolanenſes* mox poſtea dolo vſi, iuſiurandum Imperatori præſtitum præuaricati, magnam ſtragem caſtra ditionis Imperatoriæ conquirendo fallaciter ediderunt. *Wladiſlaus* autem *Bohemiæ* Dux, qui in expeditionem huiuſmodi contra *Mediolanenſes* perſonaliter ſe contulerat, in ſui laboris præmium à *Friderico* Imperatore in *Bohemiæ* Regem coronatus eſt, abrogatiſque veteribus inſigniis, nigra videlicet aquila, nouis videlicet albo Leone inſignitus eſt.

Adriano Papæ ſuccedit Alexander III.

Adrianus Papa cum annis quatuor, menſibus octo, diebus 28. ſediſſet, moritur & in Eccleſia B. *Petri* honorifice ſepelitur, vir ciuilis, ſtrenuus, largus, facundus, & omnibus actibus ſuis glorioſus. Cui *Alexander* tertius, *Rolandus* ante vocatus, patria *Senenſis* patre *Romano* à maiore parte Cardinalium electus, reluctans & indignum ſe hoc honore vociferans ſucceſſit. Eligitur etiam *Octauianus*, qui *Victor* dictus eſt, & graui ſchiſmate Eccleſia turbari extunc cœpit. Octauianus prima Dominica Septemb. *Ronaldus* verò decima octaua Septemb. die, in Papas conſecrantur.

Turbæ in Ruſſia.

Kiouienſis Dux *Georgius* grauem & iratum animum contra Ducem *Miecslaum Pereaslauienſem* Ducem filiũ *Izaslai* gerens, non contentus illum de *Pereaslaw* expuliſſe, ordinatis & congeſtis exercitibus, & in poteſtatem *Georgii Iaroslawic*, & *Iaroslai* Ducum commiſſis ipſos contra *Izaslaum* Ducem in *Przeſopnica* ſe continentem tranſmittit. Qui terrore hoſtili actus cum ſe imparem futuræ dimicationis videret ex *Przeſopnica* fugit in *Lucko* & caſtro *Lucko* in fidem & defenſionem fratris germani *Iaroslai* commendato ad *Polonorum* Duces *Boleslaum*, *Miecslaum*, & *Henricum* confugit intelligens & pro comperto habens, quod *Georgius Kiouienſis* Dux etiam ad excluſionem ſuam de *Lucko* aſpiraret, copiaſque congereret Principes autem *Poloniæ*, videlicet *Boleslaus Cracouienſis*, *Miecslaus Poſnanienſis*, *Henricus Sandomirienſis* exule *Mſciſlao* benignè excepto & omnibus neceſſariis apud ſe prouiſo congregatis Dominiorum ſuorum potentiis verſus *Ruſſiam* hoſtiliter procedebant, *Mscyslaum* Ducem non in

1159. *Peraſlauienſem* tantummodo, ſed etiam in *Kiouienſem* ſedem reſtituturi. Potentiam autem *Polonorum Georgius Kiouienſis* Dux veritus per mediatorem *Roſciſlaum* Ducem *Przemyſlienſem* pacificatur, cum *Msciſlao* Duce & germanis ſuis *Wladimiro* & *Iaroſlao* filiis *Izaslai*, & tàm Ducatum *Pereaſlauienſem*, quam omnia, quæ ad eos pertinebant, eis reſtituit, iureiurando ſe aſtringens nunquam ad occupationem eorum Dominiorum aſpiraturum. Qua reconciliatione inter eos confecta *Msciſlaus* Dux cum magna gloria rediit ad *Ruſſiam* pluribus *Polonorum* militibus eum usque ad *Wladimiriam* conducentibus, & pleriſque remanentibus apud eum.

1160.

Miecſlao naſcitur filius Boleſlaus.

Noua *Miecſlai Maioris Poloniæ* & *Pomeraniæ* Duci nupta *Adleida* Duciſſa, nouum progenuit infantem, qui à *Ioanne Gneſnenſi* Archiepiſcopo in *Poſnanienſi* Eccleſia baptiſatus, vocatus eſt *Boleſlaus*. *Miecſlaus* autem Dux de filii natiuitate plurimum exultans, congregatis plurimis *Polonorum* primoribus diem natalis filii præfati magna celebrauit ſolennitate, & tàm in Eccleſias quàm miniſtros eorum, viduasque & orphanos gratia & liberalitate vſus, multorum precibus & neceſſitatibus benigna conceſſione reſpondit. Affuerunt etiam ſolennitati præfatæ *Boleſlaus Criſpus Polonorum* Dux & Monarcha, in cuius honorem infans ſuo nomine vocatus eſt, & *Henricus Sandomirienſis* Dux, qui plurimis inter ſe viciſſitudine vicaria tranſmiſſis muneribus, in magna animorum charitate & conformitate, in ſedes ſuas reuerſi ſunt. Verùm quia inter ſermones quos inuicem ſecretè Duces habebant & diſſerebant, id præcipuum extiterat, vt *Boleſlaus Criſpus* Dux & Monarcha viduitatis nomine exuto, alterum coniugale iugum acciperet, frequentibus fratrum & Conſiliariorum perſuaſionibus expugnatus *Cracouiam* reuerſus, *Helenam* virginem Principis *Præmiſlienſis Roſciſlai* filiam, accepit in vxorem, nuptiarumque ſolennitas *Cracouiæ* pluribus diebus acta eſt. Ad quam *Boleſlaus* & germanos ſuos & Prælatos, Baroneſque vniuerſi Regni *Poloniæ* nonnullos etiam *Ruſſiæ* Boiaros, ac nobiles inuitatos ſplendidè tractauit, & liberalibus honorauit donariis.

Boleſlaus Dux cum Helena Roſciſlai premyſlienſis Ducis filia nuptias celebrat.

Honoldo Wladiſlauienſi Ep. ſuccedit Rudgerus.

Quatuor annis *Honoldus Wladiſlauienſi* Eccleſia adminiſtrata, moritur, & in ea honorificè ſepelitur, cui *Rudgerus* vir natione *Teutonus* ſuccedit per *Alexandrum* Papam tertium *Miecſlao Maioris Poloniæ* & *Pomeraniæ* Duce conſentiente prouiſus.

Fridericus Imp. Mediolanum obſidet.

Frequentibus & acerbis iniuriis contumeliisq; *Fridericus* Imperator *Romanorum* poſt datam acceptam que fidem à *Mediolanenſibus* irritatus cum illi & Nuncios Cæſareos ad ſe miſſos, probris affectos, in mortem, niſi ſibi fuga conſuluiſſent, deſtinauerant, & caſtris Cæſareis, quæ in circuitu ſuo erant, potenter & celeriter, ipſo *Friderico* in *Italia* adhuc agente, expugnatis, milites ſuos in illis deprehenſos, aut necarant, aut duris coniecerant carceribus. 1160 *Fridericus* ipſe noua expeditione indicta *Mediolanum* fortiſſima militia obſidere cœpit, tantoq; contra *Mediolanenſes* gratia & miſericordia ſua abuſos, feruore incanduit, vt iuraſſet ſe ab obſidione, non niſi victa *Mediolano*, diſceſſurũ.

Boleſlai Wladiſlai Poloniæ Ducis filius

Boleſlaus itaque *altus Polonorum* Dux *Wladiſlai* Ducis & exulis primogenitus, ne otio & deſidia torperet, cùm in patriam & Principatus ſuos, neque ſibi, neque fratribus tutum putaret reuerti, duobus germanis, *Miecſlao* & *Conrado*, ſub cura genitricis ſuæ *Chriſtinæ* in *Almania* relictis, in *Italiam* ſe contulit, & in caſtra Imperatoris *Mediolanum* obſidentis peruenit, militiam ſuam, & animoſitatem, vbi facto opus foret, monſtraturus. Sub ipſo autem obſidionis tempore, miles quidam *Mediolanenſis* & roboris, & ſtaturæ ſingularis, & qui ad *Cyclopum* ſtaturam accedebat, eques ex *Mediolano* prodibat, prouocans Cæſareanos milites de viribus corporis fretus ad ſingulare certamen. Cumque pluribus diebus prouocationem ipſam repeteret, & omnes euidens periculum declinarent, miles ipſe improperiis erga Cæſareanos vſus timiditatem illis & mollitiem pectoris exprobrabat. Quæ res ad demonſtrandam heroici animi virtutem *Boleſlao Poloniæ* Duci, audaciam cum fortunæ ingenio ſubminiſtrauit. Ipſe ſiquidem *Boleſlaus Polonorum* Dux, gloriæ, famæque auidus, cùm & de corporis virtute ſatis fideret, & nulla re alia, quam in huiuſmodi ſingulari certamine audaciam & virtutem ſuam æquè explicari atque apud imperatorem nomen & gratiam mereri poſſe videret, Imperatore etiam *Friderico* inconſulto & iniuſſu eius, in certamen ſingulare cum milite Gigante iturus, equum & ipſe conſcendit magnumque ſpectaculum vtrique exercitui præbuit, cùm & Imperatorii milites ex caſtris effuſi & *Mediolanenſes*, ex turribus & mœniis euentum futuri certaminis cum ſilentio & magna omnium admiratione ſpectaturi conueniſſent. Subibat autem Cæſareanos milites vehemens indignatio atque cura, cur tàm periculoſum, difficile, & diſpar certamen *Boleſlaus Polonorum* Dux iniuſſu Imperatoris & ſuorum Præfectorum ſuſcepiſſet, & ſe aperto inieciſſet periculo, magnum dedecus non tam ſibi, quàm imperatori, & vniuerſo ſuo exercitui, ſi eum vinci contingeret, in iuſſurus. Diſſimulante tamen magis quàm probante Imperiali exercitu ſingulare inter vtrumque ertamen initur, & rapaciſſimoq; equorum curſu, infeſtiſque lanceis primum concurrunt, & *Mediolanenſi* milite fruſtra ſine ictu currente *Boleſlaus Polonorum* Dux, adeò illum lancea excepit, vibrauitque vt lethali vulnere Gigas excepto, moribundus, ex equo in terram cecidiſſet. At *Boleſlaus* nil cunctatus, cum vir raræ agilitatis eſſet, ex equo & ipſe in terram deſilit, & iacentem Gigantem obtruncat armiſque ſpoliatum, cadaver exanime in paleſtræ medio relinquit. Maximus

apud Mediolanum cum ingenti gigante congreditur,

mus

1161. mus deinde clamor à Cæſareanis ſublatus, exultationem magnam, quam vniuerſus exercitus Imperatoris de triumpho conceperat, teſtabatur.

Ad Cæſarem deinde *Fridericum Boleslaus Polonorum* Dux ſpolia occiſi Gigantis, egregium virtutis ſuæ teſtimonium referens, à frequenti militum Imperialium cœtu, certatim eius virtutem, probitatemque efferentium, deductus eſt, omniumque militum vociferatione concinna exoratus Cæſar, quatenus heroicum *Boleslai* opus, in ſuam & ſui exercitus ampliſſimam laudem præſtitam, abſque digna retributione eſſe non fineret. Cæſar autem & pro ſui debito, & pro *Boleslai* merito, militumque precatione ſe gratiſſimo animo obtulit tam nobili facinori reſponſurum, *Boleslaum Polonorum* Ducem tunc quidem coram militibus collaudans. Poſthæc ad ſecretum colloquium paucis Conſiliariis conſciis, euocatum temeritatis arguit, quod iniuſſu ſuo periculoſum diſcrimen adiiſſet: *Ego te*, inquit, *laudo & admiror, Boleslae, probitatique tuæ gratulor, de qua vniuerſi exercitus mei teſtimonio, in acie vir acerrimus celebraris. Ego tamen vno offendor, quia diſcrimen notorium me neque conſulto, neque requiſito, aggredi voluiſti. Qui quanto mihi propinquiore ſanguine iunctus es, tanto maiorem in modum amplior dolor & ignominia, ſi fortuna pro hoſte ſtetiſſet, ad me videbantur peruentura. Nunc quidem tibi, tuiſque auſibus facile ignoſco, admonitum te tamen eſſe volo, ne in poſterum ad ea, quæ cum diſcrimine agenda ſunt, iniuſſu meo cæca temeritate prorumpas.* His verbis increpatum, liberaliſſime tamen muneratum dimiſit, cui & tum & deinceps & à Cæſare & à Principibus ſuis atque vniuerſo exercitu maximus pro deuicto hoſte honos habitus eſt, in altumque gradum ſua creſcere & aſcendere cœpit æſtimatio. Sed & quocumque illum incedere aut verſari contingebat, Gigantis cum admiratione omnium demonſtrabatur victor, heroicaque ſua virtus vniuerſorum ſermonibus celebrabatur. Fugauerat enim in illo ſeculo *Iſraelita Philiſteum* & loricatum *Goliam Dauid* inermis, in funda & lapide ſpectatus eſt occidiſſe.

Geiſa Hungariæ Regi ſuccedit filius Stephanus.

Pridie Calend: Iunii *Geiſa* ſecundus *Hungariæ* Rex cum annis viginti, menſibus tribus, & diebus vndecim regnaſſet, moritur, & in *Alba Regali* honore iuſto ſepelitur, in cuius locum *Stephanus* filius eius coronatur.

1162. *Iaxa de Miechow monaſteria duo fundat.*

Magno in Deum & meritum paſſionis *Ieſu Chriſti* miles nobiles *Iaxa* de *Miechow* armiger diœceſeos *Cracouienſis* actus ardore, vir pro ea tempeſtate magnarum poſſeſſionum atque opum abundantia inſignis, in ſubſidium terræ ſanctæ perſonaliter cum familiaribus atque armigeris ſuis profectus, aliquanto tempore illic moram geſſit, & enixius quo poterat, pro terræ ſanctæ defenſione cum ſuis militauit. In *Poloniam* autem reuerſurus, inter alia ſuæ deuotionis inſignia apud Patriarcham ſacri ſepulchri *Ieroſolimitani Monachum* nomine & eius conuentum, ſub S. *Auguſtini* regula Deo militantem, biſurcatam crucem rubram deferentem, obtinuit, vt ſecum vnus ex Canonicis ſuis in *Poloniam* ordinem prædictum plantaturus mitteretur. Tres itaque villas patrimonii ſui videlicet *Miechow*, *Zagorzyce* & *Komorow* in dotem ordini præfato conferens, in villa principali *Miechow* quam nunc in ciuitatem frequentia populorum & redditunm habente, increuiſſe videmus, Eccleſiam & primum cœnobium de ſpeciali conſenſu & voluntate *Mathæi Cracouienſis* Epiſcopi conſtituit. His quoque non contentus, aliud monaſterium in villa ſua *Zwierzyniec* prope *Cracouiam* ſita pro virginibus Præmonſtratenſis ordinis religionem profitere volentibus, aliquot villis etiam illud dotans erexit. Et ne temporis proceſſu dotatio ſua duobus locis prædictis facta, a ſuis propinquis & cognatis poſſet labefactari, aut infringi, ſuppliciter illam petiit à *Boleslao Criſpo Polonorum* Duce & Monarcha confirmari. Cuius præſtantiſſimis precibus Dux *Boleslaus* permotus, & operi ſancto confirmationem præſtitit, & bona vtriusque monaſterii per *Iaxam* collata à Ducalibus ſeruitiis, oneribus, & tributis liberauit, ſtatuit ſiquidem, vt homines villarum huiuſmodi ad expeditionem contra hoſtes non eant, caſtra non ædificent, *Poradlne* & *Struzne* non ſoluant, monetario non obediant, *Powoz* & *Podwodas* dare non ſtringantur. Ea quidem duo monaſteria, tunc per virum inſignem *Iaxam* in aliquibus villis fundata expoſt Ducum Epiſcoporumque & nobilium *Cracouienſium* donatione, decimis, oppidis, villis, & notabilibus redditibus, amplificata atque impinguata ſunt. Cuius autem ſtirpis aut quorum armorum miles *Iaxa* fuerit parum ex veteribus autoribus & ſcriptoribus conſtat, licet aliqui nobilium eum conentur aſtruere de *Griphonum* domo & genealogia extitiſſe.

Raduano Poſnanienſi Ep. ſuccedit Bernardus I.

Raduanus Poſnanienſis Epiſcopus cum annis ſex ſediſſet, à paſſione iliaca correptus moritur, & in Eccleſia *Poſnanienſi* ſepelitur. Cui *Bernardus* primus Canonicus *Poſnanienſis* via ſcrutinii electus ſuccedit, à *Ianislao* Archiepiſcopo *Gneſnenſis Miecslai* Ducis *maioris Poloniæ* patrocinante conſenſu confirmatus & conſecratus.

Fridericus Imp. Victorem, Antipapam creat.

Pro tyrannide, & ſæuitia, quam in *Lombardos* & *Tuſcos Fridericus* Imperator exercebat, ab *Alexandro* Papa tertio reprehenſus, in magnum furoris molem *Fridericus* Imperator excandeſcens, dum & à pleriſque inſimularetur *Mediolanenſibus* cæteris *Tuſcis* atque *Lombardis* contra Cæſarem fauiſſe, *Octauianum* Cardinalem, qui & ipſe à minori parte Cardinalium electus fuerat, contra *Alexandrum* erigit, qui ſe *Victorem* nominauit, qui fauore Imperatoris facile vniuerſum temporale in *Italia* dominium, vero Papa *Alexandro* ſpoliato, adeptus

1162. adeptus eſt, tantis inſuper perſecutionibus & inſidiis *Alexander*, cùm ab Imperatore *Friderico*, tùm ab *Octauiano* ſuo competitore petebatur, quod coactus eſt *Romam* & *Italiam* relinquere, & in *Franciam* ſe conferre. Quo cum perueniſſet à *Ludouico Francorum* Rege honorificè exceptus, atque humaniſſimè habitus, & tractatus eſt.

Turbæ in Ruſſia.

Fœdere & iuramento, quod *Georgius Wladimirovvic Kiouienſis* Dux cum *Mſciſlao Izaſlavvic* & fratribus ſuis *Wladimiro*, & *Iaroſlao* pepigerat, temerato, bellum intulit ei. Quo dimicare non audente apud caſtrum *Wlodimirienſe* ipſum cingit obſidione. Fiebant autem per omnes obſidionis dies pugnæ horribiles, inter obſidentes & obſeſſos, & ſanguinis humani grandis effuſio à *Polonorum* militibus, qui in *Mſciſlai* Ducis obſequiis erant, egregia facinora edentibus in obſidentes, & triumphos frequentes referentibus ex iiſdem. Paratus autem erat *Georgius* Dux pacem dare *Mſciſlao*, ſi illam petere voluiſſet, ſed eo renitente, dum nil profeciſſet, multis nobilibus de ſuis amiſſis, confuſus in *Kiovv* rediit.

1163. Obſidione propè triennali *Mediolanenſis* vrbs à *Friderico* Imperatore fatigata, fame inſuper & nece frequenti ſuorum in dies occumbentium, pluribusque aliis incommodis vexata, tandem vi capitur & expugnatur, cuius muros, turresque dirui, & ſolo, ſe inſpectante, æquari mandauit, nec fortunis ſolùm, ſed & ſacris ſpoliare vrbem victam agreſſus, corpora trium Magorum, qui infantiam Domini noſtri *Ieſu Chriſti* venerati ſunt, per ſanctum *Aſtorgium* ex *Conſtantinopoli* miraculosè quondam *Mediolanum* tranſlata, item corpora ſanctorum *Felicis* & *Naboris* per *Rudolphum Colonienſem* Archiepiſcopum in *Coloniam* mandauit efferri. *Mediolano* autem diruto cæteræ *Lombardiæ*, & *Tuſciæ* vrbes præter *Papiam*, quæ ſola Imperatori parebat, in deditionem venere. Imperatorque victoria potitus Principes & gentes auxiliares pro maiori parte in domos remiſit, inter quos & *Boleſlaus Polonorum* Dux ſpolia victi à ſe Gigantis, Imperatoriaque dona referens, remeabat. Scripſit autem *Fridericus* Imperator *Boleſlao Criſpo Polonorum* Duci & Monarchæ, ſcripſit & *Miecſlao Henricoque* Ducibus *Polonorum* patruis eius germanis in fauorem *Boleſlai Alti* literas, virtutem eius magnoperè commendans, petens & vigore pactorum ſecum initorum requirens, *vt præfatum Boleſlaum & fratres ſuos Miecſlaum & Conradum ad ſuos Principatus, & dominia reſtituerent, præſertim cùm Pater eorum Wladiſlaus, non exilio ſolùm diuturno, ſed & morte ſcelus in eos admiſſum expiaſſet.* Nec literis ſolùm contentus, etiam nuncios, qui hæc ingeminarent, & ſi preces & adhortationes parum proficerent, terrerent, ad *Polonorum* Duces tranſmittit. Qui Imperatoris nomine apud *Polonorum* Duces ita verba

Mediolanum capitur

Imperator nuncios in Poloniam mittit, vt filii Wladislai reſtituantur,

faciunt: *Quando*, inquiunt, *Cæſar firmo & obſtinato animo noluiſſe vos in gratiam cum fratre viuo redire, cognouit, & frequentius illo ſuperſtite fruſtra vos ſollicitauerit, nunc quoniam ille rebus humanis abſumptus eſt, pignorum ſaltem ſuorum, & veſtrorum nepotum, vos miſerabilis calamitas moueat, pudeatque, qui ſoli patrimonii extorres alienos lares inhabitant.* His verbis *Boleſlaus* Monarcha, *Miecſlaus* & *Henricus Polonorum* Duces permoti, cùm & Cæſaris formidarent iram, & nepotum *Boleſlai* præcipuè maioris natu propter virtutes illius, & decora, miſericordia mouerentur, petitionibus Cæſaris acquieuerunt, veniamque nepotibus ſe daturos, patratum ſcelus ignoſcituros, promittunt, & vt intelligeret illos Cæſar ſuis iuſtis interceſſionibus morigeros, reſpondent, *fratri ideò ſe non ignouiſſe, ne, eo ſuſcepto, bella & ſeditiones peiores prioribus fuiſſent.* Reſponſis huiuſmodi datis facta amicitiora adiiciunt, viaticum conferunt, oram *Sleſiæ*, quam *Odra* fluuius percurrit vſque ad terminos *Saxonicos*, & *Bohemicos* protenſam duas habentem inſignes *Wratiſlauienſem* & *Lubucenſem* diœceſes in ſortem perpetuæ hæreditatis illis attribuunt, certosque milites, qui nepotes prædictos ex *Almania* reducerent, tranſmittunt. Quos aduenientes benignè & comiter appellatos excipiunt, ac vniuerſam *Sleſiæ* regionem vſque ad *Alpes* & ſiluas *Hercinias Poloniam* diuidentes, à *Bohemia* ſe protendentem in perpetuam illis poſſeſſionem atque ſortem tradunt. Vt autem oritura inter ipſos nepotes litis occaſio demeretur, regionem prædictam *Sleſiticam*, partiuntur illis tali ordine, *Boleſlao* ſiquidem *Alto Wratiſlauienſem* & *Kroſnenſem*, *Miecſlao Ratiborienſem* & *Opauienſem*, *Conrado Loripedi Glogouienſem* ciuitates cum ſuis appendiciis largiuntur. Diuiſione autem huiuſmodi inter nepotes celebrata, monet illos *Boleſlaus Polonorum* Dux & Monarcha, *quatenus pacifici, ſibique velut Monarchæ ſubiecti viuant, paternam quoque tyrannidem caueant imitari, ne calamitate paterna inuoluantur, temeritatem, neque Principatus à ſe, & fratribus eius largitos iure, ſed precario ſe arbitrentur adeptos, benignitate patronorum donatam potiùs quàm redditam.* Quod ſe illi cum Patronorum ſinceritate cuſtodituros & impleturos ſpoponderunt, ſed non poſt multa tempora pacto & ſponſione violata, præuaricari quàm ſeruare quæ pepigerant maluerunt. Adhibuit autem Ducum quilibet operoſam diligentiam, vt ſortes ſuorum Principatuum ciuili & externo bello vexatas, & propterea deſertas in frugem meliorem verterent, eorumque induſtria breui regio *Sleſitica* coaluit. *Miecſlaus Opauienſis* Dux ad id dementiæ amore cuiuſdam mulierculæ infaſcinatus venit, vt ſortis ſuæ notabilem ciuitatem *Opauiam* eidem mulierculæ perpetua donatione conferret. *Conradus*

poſt-

1163. ***quod & fit, data ipſis Sileſia.***

1163. poſthæc morte immatura decimo ſexto Calend. Februarii decedens ſine liberis, ſortem ſuam *Glogouienſem* Ducatum inter fratres partiendam reliquit.

1164. Hoſtili metu, qui à Cæſare *Almanisq;* propter Ducis *Wladislai* & filiorum ſuorum propulſionem & exilium ſuperimpendere videbatur, ſublato, cùm & ex reliquis Regionibus *Poloniæ* Regno vicinis, nihil timeretur hoſtile, *Boleslaus Polonorum* Dux & Monarcha, communicato fratrum ſuorum, & nepotum Principum *Poloniæ* conſilio, expeditionem contra *Pruſſiam* gentem, idololatriæ in eam diem deditam, indicit, fidei ſacræ Catholicæ, & ſuæ ditioni illam ſubiugaturus. Conuenientibus itaque omnium Principatuum Regni *Poloniæ* copiis, *Oſſa* flumine, qui terras *Polonorum* a *Pruſſia* diſtinguit, ſuperato, *Pruſſiam* agmine tripartito ingrediuntur. Primo ſiquidem agmini *Henricus* Dux *Sandomirienſis* præerat, ſecundo *Miecislaus* Dux *maioris Poloniæ*, tertiū *Boleslaus* Monarcha ducebat. *Pruthent* cum vires ſuas ad reſiſtendum *Polonorum* multitudini imbecilliores æſtimaſſent, in ſiluas, paludesque & loca inuia diffugiunt, noctibus tamen exercitum *Polonorum*, ſi quando iniquitas locorum occaſionem præbebat, laceſſunt, in apertam vero dimicationem non prodeunt. Iam dimidium eorum regionis *Polonorum* exercitus flammas, vicis & villagiis, populationem agris ingerens, emenſus erat, cum *Pruthenorum* Primores ſecuritate petita, in caſtra perueniunt, pacemque petunt, offerentes ſe obedienter omnia, quæ imperarentur facturos. At *Boleslaus Polonorum* Dux & Monarcha, primùm iubet decernitque, *vt ſi pacem ſalutemque accipere velint, vetuſtis abdicent ſe gentilitatibus atque erroribus, fidemque & religionem profiteantur Catholicæ puritatis, abſque renunciatione idololatricæ caliginis nullam ſe ſperent æquam pacem cum Polonis habituros, abdicatis erroribus, æquis conditionibus ſe pacem daturum,* Ea conditio cùm durior, acerbiorque *Pruthenorum* nunciis videretur, ad ſuos redeuntes, quid opus facto ſit, conſultant. Verùm etſi multitudinis fremitus vbique coortus conditionem propoſitam execrari ſe ſignificaſſet, à maioribus tamen fremitu ſedato perſuaſum eſt, vt conditionem ipſam poſtquam aliter patria liberari nequiret, acciperent, *Polonis* abeuntibus illam reiecturi. Ad *Boleslaum* itaque reuerſi, vafri, callidique homines, ſuperſtitionibus erroribusque gentilibus renunciant, fana idolaque demoliuntur, fidem Catholicam profitentur, vnda baptiſmatis, *Boleslao* & Principibus *Polonorum* compaternitatem & affinitatem cum hiis, qui præſtantiores erant, contrahentibus abluuntur, Eccleſiæ inſtaurantur, & ſacerdotes ad erudiendos neophitos, hi præſertim qui eorum linguam, aut ſonare, aut intelligere nouerant, relinquuntur. Regio quoque *Pruthenica Culmenſi* Epiſcopo committitur cum ſuis populis, in hiis quæ fidem adminiſtrationemque ſpiritualium concernunt, propter propinquitatem gubernanda.

Polonorum Principes expeditionem in Pruſſiam ſuſcipiunt,

& Pruthenos ad chriſtianam religionem conuertunt.

1163. Vniuerſis denique *Pruthenis Boleslai* iuſſu proponitur edictum, omnes fidem Catholicam profeſſos, profeſſurosque liberos fore, qui baptiſmum abnuerent, ſub haſtam venire. Terruit hoc edictum, etiam eos, qui pertinacioris pectoris erant, nemoque venundari pertimeſcens reperiebatur, qui in baptiſmum non prorupiſſet. Maximo vniuerſus *Polonorum* exercitus repletur gaudio, & exultatione, *Pruthenorum* populum videns ad fidem Chriſtianam, quam aliquando perſequi ſolitus erat acceſſiſſe, ex hoſtibus quoque infeſtis, fideles, & deuotos effectos eſſe. Ea ratione & reſpectu *Boleslaus Polonorum* Dux & Monarcha illectus, in fidei ſanctæ, cuius dilatationem principaliter intendebat, modico tributo in ſignum ſubiectionis *Pruthenis* impoſito, exercitum in *Poloniam* reducit.

Eudoxia conſors *Miecslai maioris Poloniæ* Ducis, alterum parit infantem apud *Poſnaniam*, qui baptiſmatus paternum nomen *Miecslaus* ſortitus eſt.

Miecslao naſcitur filius cognominis.

In *Pannoniorum* quoque Regno inteſtinum bellum inter duos fratres *Stephanum* & *Wladislaum* pro Imperio exortum etiam finitimos Reges armis inuoluit. *Wladislaus* ſiquidem moleſtè ferens, germanum ſuum *Stephanum* natu maiorem in *Hungariæ* Regnum, ſe prætermiſſo ſublimatum, ſuggeſtionibus perſuaſionibusque nonnullorum *Hungarorum*, qui res nouare ſoliti erant, inflammatus, Regnum *Hungariæ* inuadit, *Wladislaumque Bohemiæ* Regem multis promiſſionibus ineſcatum in ſui auxilium acceſſit. Cui *Stephanus Hungariæ* Rex debitam reſiſtentiam oppoſiturus, Imperatorem *Græcorum Calo Ioannem*, affinis enim ſuus ex parte vxoris erat, conduxerat. Itaque & à proprio & forenſi milite *Hungariæ* Regnum plurimis ſpoliis & incommodis vexabatur, vterque enim exercitus *Græcus* videlicet & *Bohemicus* prædis & ſpoliis contentus, in publicum certamen non prodibat. Tractatu deinde interpoſito, *Wladislaus* cum *Stephano* Rege *Hungariæ*, Imperatore *Græcorum* & Rege *Bohemiæ* mediantibus pacificatus eſt, & *Tranſiluanenſi* regione contentatus: Iunxit & *Bohemiæ* Rex cum *Græcorum* Imperatore affinitatem, filiam filii ſui *Friderici* nepoti *Græcorum* Imperatoris dando in conſortem.

Turbæ in Hungaria.

Quindecima die menſis Maii *Georgius Wladimirowic* Dux *Kiouienſis* morbo implicatus, apud *Kiow* moritur, & in Eccleſia S. Saluatoris apud *Bereſtow* ſepelitur. Dùm autem poſt mortem ſuam plures *Ruſſiæ* Duces ſedem *Kiouienſem* quam *Georgius* gubernauerat ambirent, *Izaslaus Dauidowic* Dux, fauentibus *Kiouienſibus*, illam adeptus eſt.

1165. 1165.

Vafra ementitaque *Pruthenorum* in fidem Chriſtianam, quam ad retinendam libertatem, vitamque *Boleſlao Polonorum* Duce & Monarcha vrgente ſuſceperant, religio, vix vnius anni durauit ſpatio, & velut vapor ad modicum apparens euanuit.

Prutheni a fide chriſtiana deficiunt,

Prutheni ſiquidem, tùm Diabolica ſuggeſtione, tùm ſua temeritate agitati, dùm illis orthodoxæ religionis iugum aſperum difficileque videretur, tumidaſque & inflatas gererent ceruices, nec dùm frenis fidei aſſuetas ab impoſito nuper iugo religionis Chriſtianæ reſilire cœperunt, ad idololatriæ prophana conuerſi, baptiſmate, quod ſuſceperant, fidei temerato ad prophanos gentilium redeunt ritus, ſacerdoteſque ac miniſtros Dei pro eorum eruditione à *Boleſlao* relictos, morte interminata, ſi ad illos reuertantur, in *Poloniam* remittunt. *Boleſlao* autem *Polonorum* Duci, cùm ab illo nouum ſibi indici bellum vererentur, pro commiſſo apoſtaſiæ facinore ſatisfacturi, bellumque ſibi inferendum auerſuri, nuncios & tributa & munera ferentes, transmittunt, orant, *ne in culpam illis cedat, à fide Chriſtiana auerſio, ſe neque Deos ſuos patrios, quos tantoperè coluerant, neque ſacra, quibus inſueuerant, relicturos, Chriſtianam religionem grauem illis & difficilem fore, neque gentem Pruthenicam eius legibus teneri quouis pacto poſſe. Non ob id tamen de ſubiectione & fide ſemel Boleſlao & Polonis præſtita, & tributis ſibi impoſitis quicquam, aut variaturos, aut diminuturos, ſineret Pruthenos ritibus & ſacris ſuis viuere, ſinatque illos ad vectigalium penſionem, ſolutionem, ad obeunda inſuper pro Polonis bella, & ad ſingula quæ præter fidem Chriſtianam imperarentur, fidos ſibi futuros & ſinceros.* Rupturos quoque ſe minabantur Imperium, ſi non propriis, ſed *Polonorum* & Chriſtianorum ritibus, cogerentur viuere. Nefandum abominandumque *Pruthenorum* apoſtaſiæ piaculum in Deum, fidemque orthodoxam commiſſum euidentemque ſui creatoris iniuriam, ſiue precibus, ſiue muneribus *Pruthenorum Boleſlaus Polonorum* Dux expugnatus, leuius, quàm ſuæ conditioni conueniebat, perferre viſus, neque illud vindicare, neque reſcindere aggreſſus, diſſimulationis torpore in tàm flagranti & enormi facinore vſus, vbi diſtrictiſſimæ coercionis articulum pro expianda ira Dei, honoranda religione eius, & ſcandalo tollendo, celerrimè conueniebat interponi. Legatos *Pruthenorum* in ſua pertinacia & apoſtaſia magis ſolidatos, quàm correctos remiſit,

ferente id Boleſlao,

rerum fidei, rerumque diuinarum, quæ vitæ quoque ipſæ anteponenda erant, omnem à ſe curam prorſus relegans, & cœleſtibus atque æternis præferens caduca & terrena. Nil ſe læſum, nilque ſibi iniuriatum aut ademptum ratus, ſi *Prutheni* in fidei contumeliam, in idololatriam relapſi, cenſum ſe pendere fiſcalium tributorum pollicerentur, rebuſque ſuis priuatis, ſuum ſtatum, ſuumque tenorem retinentibus res fidei æquius lacerare & contaminari patiebatur, in periculoſum diſcrimen iuſto Dei iudicio, cuius religionem vindicare diſtulerat peruenturus. Nec ita multò poſt *Prutheni* ex impunitate neglecti ritus inſolentiore facti ſuoque ingenio vſi, bello rurſus *Polonos* laceſſere cœperunt.

& poſtea Poloniam inuadunt.

Abiicienda illa prorſus peſtifera conniuentia à Ducali autoritate eſſe debuerat, quæ aliis parcendo, ſeipſam ſceleſto facinore, & indignatione diuina irretiit, diuinæ iuſtitiæ exceptura ſententiam, quia ſegni indulgentia, diſſimulauit plectere peccatores, qui Deo & fidei orthodoxæ inferebant ludibria.

Ioanni I. Archiep. Gneſnenſi ſuccedit Petrus.

Ioannes primus alias *Ianiſlaus Gneſnenſis* Archiepiſcopus annis 17. regiminis onere expleto, moritur, & in *Gneſnenſi* Eccleſia ſepelitur, in cuius locum *Petrus* Canonicus *Gneſnenſis* genere nobilis de domo *Srzeniawa* per electionem Canonicam ſucceſſit, ab *Alexandro* tertio Papa prouiſus, à Ducibus *Poloniæ Boleſlao Criſpo Cracouienſi* & *Miecſlao maioris Poloniæ* promotus, & eorum conſenſu ſubnixus.

1166.

Fidei diuiniſque rebus à *Pruthenorum* gente in Saluatoris dedecus & contumeliam, nefaria apoſtaſi violatis, terrenis quoque rebus, quarum ſolam integritatem & ſtatum *Boleſlaus Polonorum* Dux ſibi rebatur ſufficere, addiderunt *Prutheni* præuaricationem. Propriæ enim ſalutis & fidei fœdere impunè diſrupto, in maiores mox auſus ad excutiendum ſubiectionis ſeruitutiſque iugum, dilabuntur.

Pruſſi Poloniam inuadunt & vaſtant.

Nam *Boleſlai Polonorum* Ducis præfectis, vectigales cenſus exigentibus, & tributa, non denegant ſolùm, ſed & præfectos pluribus iniuriis affectos, quoſdam etiam vltimis ſuppliciis enecatos cum dedecore à finibus ſuis diſcedere compellunt, neque his contenti, maximo exercitu, non ex ingenuis ſolùm, ſed etiam ex agreſtibus comparato, in *Culmenſes Maſouiæ* terras, nil tunc hoſtile veritas, celeriori quo poterant curſu deſcendunt, & in plures villas ac oppida populatione paſſim extenſa, pecora, & quæ concupiſcibilia erant diripiunt, cædeque crudeli præſtita frequentem captiuorum numerum in ſeruitutem ſuam transportant. Cuius cladis & fraudis nuncium, dum *Boleſlaus Criſpus Polonorum* Dux accepiſſet, tumultuario more militibus coactis patriam liberaturus, peruicaciter occurrit, hoſteſque præda rapta, in ſua diuertiſſe cubilia, cognoſcens, vehementi dolore cruciabatur, & pergeretne hoſtes inſequi, quos in paludes ſiluaſque conſtabat eſſe dilapſos, an ſubſiſteret conſilii inops, diu mente & ſpiritu afflictabatur. Satius tandem viſum eſt rem in aliud tempus differre, cùm & paucitas militum in hoſte callido, & tàm armis, quàm ingenio bellare ex inſidiis ſolito, parum tuta foret, maioribuſque copiis hoſti bellum inferendum, quibus poſſit, & diſcrimen reſcindi, & hoſtium fraus,

1166 fraus, temeritas, atque rebellio iuſta animaduerſione mulctari. Ea ſententia accepta, pluribus in locis præſidia militum ad fluenta A *Oſſæ* fluuii diſpoſuit, excurſiones ſubitas *Pruthenorum* prohibiturus, bellumque vniuerſo *Poloniæ* Regno aduerſus *Pruſſiam* indixit.

Matthæo Cracouienſi Ep. ſuccedit Gedeon

Decima Octobris *Cracouienſis* Epiſcopus *Matthæus*, cum annis tribus & 20 ſediſſet, moritur, & in ſua *Cracouienſi* Eccleſia honore iuſto tumulatur. Cui per diuinam & humanam vocationem *Gedeon* alias *Getko* nobilis de domo & familia *Griphonum*, *Cracouienſis* Præpoſitus ſucceſſit, ab *Alexandro* Papa tertio in *Galliis* agente confirmatus, & in die S. *Geruaſii* & *Protaſii* conſecratus. Hic autem *Matthæus* B Epiſcopus epulis & vanæ gloriæ intentus, nuncios Ducis *Poloniæ Boleslai*, ſubſidium pecuniarum ab eo Ducis nomine petentes, adiunctis familiaribus ſuis ad cloacæ locum remiſit, mandans vt illic theſauros quærerent. *Hic ſunt*, inquit, *theſauri mei abſconditi*, innuens ſe ſingulos reditus Epiſcopales per gulam & ventrem conſumpſiſſe, & pecuniam aliquam inaniter à ſe poſtulari.

1167. *Poloni aduerſus Pruthenos eunt*,

Comparatis omnibus, quæ in bellum *Pruthenicum* prouidenda erant, *Boleslaus Criſpus* Dux & Monarcha *Polonorum*, primo æſtatis tempore copias equeſtres & pedeſtres verſus *Pruſſiam* educit, tanto quidem frequentiores, quanto à vicinarum regionum, quæ & ipſæ aliis bellis deſtinebantur, hoſtili metu nouerat ſe ſolutum, neque *Boleslaum* Ducem tantummodo, ſed & *Miecslaum Henricumque* fratres, iuſta in id bellum ſtimulabat ira, quippe in quorum Principatus & dominia propter contiguitatem *Prutheni* crebris excurſionibus graſſabantur. Vnde & perſonaliter cum cateruis militum ſuorum aduenerant, omnem operam pro exterminanda gente perfida dolis & fraudibus aſſueta nauaturi. Non latuit tam ſtudioſus grauisque *Polonorum* apparatus *Pruthenos*, & tam conſcientia præſtati in *Polonos* à ſe facinoris, quam aſſiduo rumore & exploratorum relatione ad excidium, graueſque pœnas ſe didicerant deſtinatos. Accuratiſſi- D mis itaque ſtudiis, quomodo *Polonorum* impetus excipi & ſua pernicies euitari poſſet, conſultabant. Et cum tam vires ſuas, quam ea quæ in fidem & contra pacta *Polonis* promiſſa admiſerant, metirentur, maiorem in modum vniuerſorum animos formido ſubibat, ſe quoque neque armis, neque viris, vt qui tantum numerum equitum 16. millia, peditum vero decem millia explere poterant, ad reſiſtendum pares reputantes, omnes conatus ad ingenia dolosque conuertunt, aſtu & fraude *Polonorum* potentiam, cum iuſta nequirent acie, ſuperaturi. Neque illos ſpes opinioque fefellit, ſed callido, vafroque eorum ingenio *Polonos* pro ſuis tranſgreſſionibus iuſte Deo puniente, effectus breui reſpondit. Erant in *Polonorum* exercitu quatuor *Pruthenorum* transfugæ, qui *Boleslai Polonorum* Ducis per moram aſſiduam, familiaritatem, fauoremque meruerant, quibus tanquam locorum peritis, *Boleslaus* terram *Pruthenorum* hoſtiliter ingreſſus, pro ducibus vtabatur, & ex eorum conſtructione, & arbitrio, caſtris eligebantur ſtatiua, & iter, per quod exercitus ducendus eſſet, 1167

ſed a quibuſdam transfugis decepti, & in auia ducti

quæ inſuper loca adeunda, quæ vitanda, monſtrabant. Tantumque ſibi fidei transfugæ ipſi apud Duces vniuerſumque exercitum Polonorum fideliter ſincereque ſingula monenda perſtrinxeranti, vt omnis belli progreſſus, & adminiſtratio, ſalus quoque & periculum exercituum, ex illorum ſententia verſaretur. Hos *Prutheni* magnis muneribus, & maioribus promiſſis corrumpunt, monentque, *vt ſuæ patriæ, nationisque rationem ſaltem nunc habere velint, quoniam non de ſubiectione & tributo Polonis pendendo, quod & ipſum turpe miſerumque foret, ſed de ſuo vltimo excidio agatur. Cogitarent præterea ſe non in Polonia, ſed Pruſſia genitos eſſe, ſuos quoque maiores, & conſanguineos illic degere, non cunctentur excidium illi præparatum auertere & ſalutem, quam ſoli facile præſtare poſſunt, dare, cum officium per eos Polonis impenſum, bello finito, ad obliuionem reciſurum eſſet, beneficium vero genti ſuæ atque nationi præſtandum cum eorum ampliſſima laude perpetuo manſurum.* His verbis, muneribusque transfugæ expugnati C *Polonicum* exercitum prodere conſentiunt, proditionemque pro libito *Pruthenorum* componunt. Iam *Polonorum* Duces & exercitus in *Pruſſiæ* interiora peruenerant, crudelemque tam puberum, quam impuberum cædem edendo, frequentes quoque villas & vicos, flammis dedendo, in vltima *Pruſſiæ*, continuando cædes & incendia tranſire parabant. Compoſitam itaque fraudem & proditionem transfugæ executuri, non prouiſis commeatibus, non exploratis itineribus, ſed per inuia & ſilueſtria loca trahebant exercitus *Polonorum*, ac primum agmen, quod *Henricus Sandomirienſis* Dux ducebat, item & reliqua agmina, quibus *Miecslaus* Dux cæterique præfecti præerant, poſtremum deinde quod *Boleslaus* Monarcha cum exercitatiſſimis militibus ſeruabat, primum in ſaltus ſilueſtres, denſaque ſolitudine rigentes receſſus; deinde in loca paludinibus, limoſique bituminis lubricitate perpetua obſita, paluſtria, deſcenſu inſuper, & congerie imbrium limoſa, & quæ naturales voraginum abyſſus, vernantia graminis ſuperficietenus tectos inducunt, magnum hominum pecorumque numerum, locis huiuſmodi ſuperatis, aſſertione doloſa transfugarum quo minus itineris tædium eſſet, reperturi. Verum dum iam primum *Polonorum* agmen ad anguſtias ſaltusque, fraude ductorum perductum eſſet, Pruthenorum cateruæ in variis locis ex inſidiis proſiliunt, & ſagittis eminus emiſſis, agmen primum pro temporis & loci neceſ-

a Pruthenis magna ſtrage cæduntur,

1167. neceſſitate, aliter quam rei militaris ratio & & ordo poſcebat, inſtructum, neque progredi, neque cedere valens, lethiferis vulneribus ipſi tuti iniquitate locorum freti, facile paruo negotio fundunt conſiciuntque, primis ordinibus in paluſtrem & limoſum incidentibus locum. Celerius quo poterant incumbunt hoſtes, liberius telis confoſſuri eos, qui à locorum detinebantur voragine. Vbi & Princeps celeberrimus *Henricus Sandomirienſis* in acie pugnans vi telorum oppreſſus, cum pluribus inſignibus militibus occiſus, pluribusque vulneribus confectus, prius ſpiritum, quam bellum depoſuit, honeſtius ducens per virtutem mori, quam ad ignominiam viuere, & armis ne quicquam illum tutantibus, transfoſſus in terram moribundus defluxit. Et licet ſecundum, & item tertium, atque quartum agmen primo auxilium laturum miuſſu Ducum& præfectorum accurriſſet, fere tamen ſinguli qui incautius ſtudio ſuis ſuccurrendi erumpebant, aut à cœnoſis ſuffocabantur gurgitibus, aut hoſtilibus haſtis & cuſpidibus in mortem propriam cœca rabie ruentes, quaſi quædam victimæ excepti, confoſſique obtruncabantur. Neque enim relinquebatur viſum, aut cedendi, aut effugiendi in tanta rerum iniquitate ſpacium *Pruthenis*, & à fronte tergoque, & a leua, dextraque vrgentibus, & iacula vibrantibus in incluſos. Inter hæc tamen, limoſa paludium & ſtagnorum vorago, omni hoſte terribilior videbatur, cuius profunditas dehiſcenſque ingluuies armorum pondere preſſos, plures abſorbuit, quam quos hoſtis cepit aut necauit. De extremis agminibus, quos nondum proditorium torcular inuoluerat, *Poloni*, cum ſe in extrema viderent incidiſſe, & hoſtibus nihil impeditum, ſibi nihil tutum eſſe aduerterent, eam tamen tunc præſtitere virtutem, vt cum primi aut ſagittis confecti, aut limo abſorpti caderent, proximi iacentibus ſupergreſſi, ex eorum corporibus, donec & ipſi telis conficerentur, pugnarent, nil aliud ſupereſſe locorum fraude deceptis, quam ſolatium honeſtæ mortis arbitrabantur. Totùm fere illic militiæ decus *Polonicæ* barbarorum obtritum rabie, ſigna *Polonica* ab hoſtibus intercepta, corpus *Henrici Sandomirienſis* Ducis, fœde & miſerabiliter ſuis inſigniis exutum, inter promiſcuas cadauerum ſtrues, à cœno deuoratum eſt, ſi deuoratio & mors dicenda eſt, quam pro patriæ pietate, & populi ſui victoria oppetiit. Vterque Dux *Boleslaus* & *Miecslaus*, cum ordinibus quos ducebant, ſaluus euadens, dum pro maiori parte ſuas copias locorum iniquitate deletas vidiſſent, in *Poloniam* gemebundus, multos gemitus & eiulatus, cum pro charis Ducis *Henrici* fratris ſui, tum pro militum morte, emittens, rediit, reliquias miſeri & laceri exercitus reducens. Nec ſolum tunc, ſed in plures ætates, ſuper tam infelici militum deſideratorum morte lugubres voces, & lamenta, à cognatis, coniugibus, & amicis audiebantur. In ipſa ſiquidem miſerabili & miſeranda clade, *Polonorum* virtus præſtantior confracta & extincta eſt, & robuſtiſſimorum militum flos emarcuit. Nam & relatu perdifficile eſt perſtringere, quot ingenuos adoleſcentes, quot exercitatiſſimos milites, quos equos, quæ arma, quantas ſubſtantias, quantas fortunas, clades illa abſumpſit, cum barbarorum inſatiabilis rabies non in deuictos ſed cœno & voragine limoſa illaqueatos, nulla clementia vſa, paſſim omnes, nulli differens ætati, vel conditioni, trucidabat. pluribus expoſt diebus, interfectorum aut ſuffocatorum barbari legentes ſpolia, & Diis ſuis, ſacrilegoque ritui tanti triumphi aſcribentes euentum, quem clemens & verus Deus, aut ad detergendum purgandumque ſcelera *Polonorum*, aut ad exercendum eos dignatus eſt inſtituiſſe.

in qua etiam Henricus Dux Sandomirienſis vitam amiſit.

Sedem *Kiouienſem Mścislaus Izaslawic Wladimirienſis* Dux ratus ad ſe potius, quam ad *Izaslaum Dauidowic* pertinere, in huius anni hieme copias contra *Kiow* ducit. *Kiouienſibus* autem ſuo propoſito fauentibus *Izaslaum Dauidowic* de *Kiow* effugat & expellit ſedemque *Kiouienſem* apprehendit. *Izaslaus* autem *Dauidowic* ex *Kiow* deſiliens in *Nieczyſe* conſedit, faſtidire autem illico cœpit *Mścislaus Izaslawic* ſedem *Kiouienſem*, & *Rośćislao* Duce *Smolinenſi* patruo germano accerſito, *Kiouienſem* ſub tempore veris reſignat Principatum, ſolus vero in *Wladimiriam* recedit, ſed nec *Rośćislao Smolinenſi* Duci poſſeſſio *Kiouienſis* Ducatus fuit diuturna, quippe & ipſe illius regimen peroſus Duci *Wladimiro Mścislawic* expulſionem veritus reſignauit. *Turbæ in Rusſia.*

Pruthenica clades *Polonorum* regiones longa caligine mœroris inuoluerat, mœſtumque & obſtinatum ſilentium aliquantiſper fuit, dum ad vehementem dolorem pudor male geſti belli accedebat. In ſingulis quoque fere domibus, & regionibus gemitum & complorationem deletorum fratrum & conſanguineorum ſuperſtites intenderant, & quicquid ad lenimen ſolatiumque exulcerati pectoris ingeri poterat, ſurdis & obſeratis auribus excipiebatur. De ordinando tandem duarum terrarum & Principatuum, *Sandomirienſis* videlicet & *Lublinenſis* ſtatu, quorum vacatio ex morte Illuſtris viri *Henrici* inciderat, conuentus per vtrumque Principem, *Boleslaum* videlicet & *Miecslaum*, Prælatoſque & Barones *Poloniæ* apud *Cracouiam* habitus eſt, vt prouideretur, cui eorundem Principatuum deberetur ſucceſſio, cum Dux *Henricus*, cælibem in illud tempus vitam agens, nullam prolem reliquerit. Et quamuis longa concertatio de partiendis huiuſmodi terris, *Boleslaum* & *Miecslaum* Duces tenuerit, id tandem poſt 1168.

multos

1168. multos tractatus ſuper re huiuſmodi interpoſitos, communi conſenſu & decreto, acceptum eſt, vt quintus Ducis *Boleſlai Krzywouſty* filius Princeps *Cazimirus* annum vigeſimum ſupergreſſus, cui pater moriturus in diuiſione filiis facta nullam ſortem inter fratres reliquerat, in vacantes ſuccederet *Sandomirienſem* & *Lublinenſem* Ducatus, qui in id tempus nullam propriam & firmam ſedem retinens, *Boleſlai* Ducis *Cracouienſis* & Monarchæ liberalitate alebatur. Verùm quia præfatus Dux *Cracouienſis Boleſlaus* in adminiſtranda Monarchia querebatur ſe ſingulis ſuis introitibus exhauſtum & multipliciter grauatum extenuatumque eſſe, elegantior pars Ducatus *Sandomirienſis*, ciuitas ſcilicet *Sandomiria* cum ſuis teloneis & diſtrictibus, Duce etiam *Cazimiro* pro fraterna charitate vltro aſſentiente, ſibi decreta, & ad vitæ ſuæ duntaxat tempora donata eſt, eo abſumpto, ad *Caſimirum* reciſura. Fratribus autem & primoribus Regni cogentibus *Caſimirus* Dux Principis *Ruſſiæ Wſzeuoldi* virginem nomine *Helenam*, filiam Principis *Belzenſis* accepit in conſortem, nuptiarum ſolennitas propter cladem nuper in *Pruſſia* acceptam omiſſa eſt. Parit & hoc anno *Eudoxia* conſors *Miecslai maioris Poloniæ* Ducis filium, qui *Wladiſlaus* appellatus eſt.

Henrici Sandomirienſis terras accipit frater Caſimirus,

& nuptias cum Helena Wſzeuoldi Ruſſiæ Ducis filia celebrat.

1169. *Filii Wladiſlai reliquis Ducibus Poloniæ bellum minantur,*

Nondum *Prutbenicæ* cladis inflictum vulnus, re aut tempore curari cœptum erat, dùm *Boleſlaum Polonorum* Ducem & Monarcham nouum, & inteſtinum excipit bellum. Nepotes ſiquidem ſui *Boleſlaus Altus* & *Miecſlaus*, filii *Wladiſlai*, quibus de exilio *Almanico* reuocatis *Sleſiticam* oram partitus erat, & paternas, & ſuas in *Boleſlao Criſpo* Monarcha iniurias vltum iri ſatagentes, arma aduerſus illum expediunt, & bellum indicunt, cauſas iniuriarum & belli exponunt, *quod & Cracouienſem Ducatum ad illos pertinentem detineat, & Monarchiæ Principatum, qui illis ſucceſſione paterna debeatur, vſurpet, & nonnullas in Sleſia vrbes, quas ſibi Boleſlaus Criſpus in ſignum Monarchiæ & ſuperioris Principatus retinuerat, in eam diem teneat occupatos, ſatis equidem ſuperque ſe preſſos & iniurias longi exilii perpeſſos eſſe. Nec poſt tàm diuturnam calamitatem, quod iuſtum atque æquum foret, vllam gratiam ab iniquis patruis percepiſſe, qui etiam ſe in uacatione Ducatuum Sandomirienſis & Lublinenſis neglexiſſent, cum illorum æqua eis contingeret ſucceſſio.* Nec tantummodo propriis militibus ad id bellum gerendum contenti auxiliares quoſdam ex *Almania* propter materni ſanguinis affinitatem eis fauentes, partim prece & beneuolentia, partim pretio acciuerant, iuſtoque exercitu, tam ex equeſtribus, quam pedeſtribus, confecto, ciuile & domeſticum bellum *Prutbenico* pernicioſius oriebatur, *Poſnanienſemque* diſtrictum & regionem vaſtabant, cum ad id præter inſitam animorum irritationem, etiam temporis opportunitate, quod recens *Pruthenica* clades, legiones, fortunas, & vires *Polonorum* abſumpſiſſet, ſollicitabantur. *Boleſlaus* autem *Criſpus Polonorum* Dux & Monarcha cum ſe nuper & militibus & armis exutum noſſet, & eos qui ſuperſtites remanſerant, ægre in militiam cogi poſſe intelligeret, de pace per communes Conſiliarios Eccleſiaſticos & ſeculares agendum duxit, & cùm nepotibus pro die conſtituto conueniens, belli cauſas breui & prudenti extenuauit reſponſione: *Ducatum ſiquidem Cracouienſem extra ſortem fore, & nonniſi à Monarcha obtineri ritè poſſe* declarauit. *Ius verò Monarchiæ, etiamſi pater eorum ab eo deiectus non fuiſſet, illo tamen mortuo, in ſe iure decidiſſe, quod & natu maior eſſet, & vniuerſali conſenſu electus docuit. Vrbes verò in Sleſia propter Monarchiæ ferenda onera legitimè reſeruaſſe. Ducatum Sandomirienſem & Lublinenſem portionem ſoli Duci Caſimiro, quia ſolus in eam diem portionis paternæ expers erat, iuſte ceſſiſſe diſſeruit.* Et quamuis iudicio Conſiliariorum communium *Boleſlai* Ducis reſponſio ſingulas nepotum querelas ita confutaſſet, vt bellum motum & mouendum iniuſtum ſibi videri pronunciaſſent, iiſdem tamen communibus agentibus Conſiliariis *Boleſlaus* Monarcha nepotes quietaturus, de vrbibus, quas in *Sleſia* tenuerat, ceſſit, & eas inter nepotes ſortiri conſenſit. Magna profectò ob eam rem commendatione dignus, qui ne patriam vulneribus ab hoſte inflictis, calentem inteſtino bello inuolueret, etiam de his quæ legitimo iure obtinebat exceſſit, & bellum oriens, ſolerti moderamine extinxit, maximè id moderamine Reipublicæ putauit profuturum, quicquid pro pace & bono ſtatu patriæ ſuis priuatis cenſibus viderat detractum. 1169.

quod tamen benignitate Boleſlai reſtringitur.

Tres ſoles in occidente ſimul viſi ſunt Nonis Septemb. & poſt horas duas deficientibus cæteris, qui medius fuit, ſolus occidit. Simili quoque modo proximis annis Lunæ apparuerunt.

Bellum inteſtinum militum Cracouienſium oritur,

Fraterno & ciuili bello in ipſo ſui primordio, antequam in perniciem aliquam ſerperet, *Boleſlai Polonorum* Ducis & Monarchiæ prudentia induſtriaque oppreſſo, aliud pernicioſius à *Cracouienſibus* militibus in *Boleſlaum* excitari cœptum eſt, ſed iuxta ac ſuperius in ſuo ortu modeſtia *Caſimiri Santomirienſis* Principis ſucciſum eſt. *Iaxa* ſiquidem de *Miechow* & *Suantoſlaus* milites, & penè vniuerſi *Cracouienſes* proceres *Boleſlai Criſpi* imperium ſegniùs, quam Reipublicæ variis calamitatibus pro eo tempeſtate afflictæ conueniebat, adminiſtrantis, peroſi, in eius deſtitutionem conſpirant. Monarchiæque Principatum & regimen *Caſimiro Sandomirienſi* Duci mandandum decernunt.

1170. Ad quod illos non ſolum *Boleſlai* ſegnities, & confracta exuſtaque ætas, ſed ſingularis & admiranda *Caſimiri* probitas, mirificis actibus quotidie ſe diffundens, tùm ne *Boleſlao* abſumpto *Miecslaum* ſenem *Maioris Poloniæ* & *Pomeraniæ* Ducem ſuſcipere, velut natu maiorem cogerentur, inſtigabant. Verùm *Caſimirus Sandomirienſis* Dux à *Iaxo*, *Suantoslao*, cæteriſque *Cracouienſibus* militibus rogatus, vt Monarchiæ regimen vniuerſali conſenſu ſibi delatum, ne *Boleſlai* tempore periclitatum illudiri amplius contingeret, acceptaret, reſpondet: *Iniquum & acerbum ſibi videri ſtrenuiſſimo Principe Boleſlao, non germano ſolùm, ſed ſuæ iuuentutis curatore benigno, & quod his præſtantius eſt, optimè de Republica merito, propu'ſato, & propter grandæuum ſenium excluſo Monarchiæ occupare Principatum. Se quidem illis pro ea propenſione gratias agere, & gratiam quod ſe Principatu dignum iudicarunt, referre velle, ſed nullo pacto in ſcelus tàm deteſtandum quo & patria exturbanda eſſet, & Boleſlaus frater, quem priuato etiam in hanc diem coleret officio violandus, puritas quoque ſua contaminanda eſſet, aſſenſurum. Noſſent præterea ſe ſic inſtitutum qualificatumque eſſe, vt ne dùm Boleſlaum Ducem & Monarcham afficere velit qualicunque iniuria, ſed vitam & fortunas pro eius defenſione oppoſiturum.* In hunc modum *Cracouienſium* militum gliſcens in *Boleſlaum* Ducem ſeditio extincta eſt.

quod tamen à Caſimiro Sandomirienſi ſedatur.

Rudgero Ep. Wladiſlauienſi ſuccedit Wernerus,

Rudgerus, *Wladiſlauienſis* Epiſcopus cùm annis nouem ſediſſet, abſumptus eſt, & in *Wladiſlauienſi* Eccleſia ſepelitur, *Vernerum* natione *Almanum* Canonicum *Wladiſlauienſem* à Capitularibus electum, & per *Alexandrum* Papam tertium prouiſum habuit ſucceſſorem.

& Waltero Wratiſlauienſi Ziroslaus.

Sexto Calend. Februarii *Valterus Wratiſlauienſis* Epiſcopus obiit, colica vexatus. Qui duobus & viginti annis Cathedræ præſidens *Wratiſlauienſem* Eccleſiam ligneam reperiens, pulcherimo muro ſabricauit, & *Lugdunenſis Galliarum* Eccleſiæ ceremonias, ordinem, & cantum in eam introduxit. Huic *Ziroslaus* natione *Polonus* & genere nobilis ſucceſſit via ſcrutinii electus, à *Petro* ſecundo Archiepiſcopo *Gneſnenſi Boleſlai Alti* Ducis *Wratiſlauienſis* accedente patrocinio & conſenſu confirmatus, & in Eccleſia *Kaliſſienſi* conſecratus, ex familia *Rozæ* ducens ortum.

Suantopelkus filius Wladimiri Bohemiæ Ducis in exilium pellitur.

Suantopelk Wladimiri Regis *Bohemiæ* filius ſeditionem in Patrem commouens, Baronem *Viclaum* cuius conſiliis *Wladislaus* Rex regebatur, in manibus *Iuditha* Reginæ conantis illum defendere, transfoſſum occidit. Pro quo facinore in exilium à Patre relegatus, primùm in *Hungariam* deinde in *Almaniam* ſe conferens, vagus, exulque viuebat & in *Bohemia* à neceſſariis *Viſlai* periculum formidans in Almania occubuit.

Turba in Ruſſia.

Grandi indignatione *Mſciſlaus Izaslawic Wlodimirienſis* Dux ſtimulatus *Wlodimirum Mſciſlawic*, quod patruum ſuum *Roſciſlaum* de *Kiow* eiecerat, ex *Kiow* propellit. Quo ad *Poloweos* diffugiente *Mſciſlaus Izaslawic*, poſſidere *Kiow* cœpit. Quod *Andreas* Dux de *Suſdal* non ferens, filium ſuum *Mſciſlaum* cum *Roſtowcis*, & *Wlodimircis* contra illum mittit. Cui auxilium laturi, tantum quippè odium pectoribus multorum contra *Mſciſlaum Izaslawic* inſederat, nouem *Ruſſiæ* Duces conueniunt, videlicet *Olech Pereaslauienſis*, *Romanus Smolienſis*, *Dauid Wyſſegradienſis*, *Wlodimir Andrzeiowic*, *Demetrius Georgii*, *Georgius* & *Slawic* germani, *Olech & Gregorius Swantopelkowic*. Et obſidentibus Ducibus præfatis *Kiow*, claudit ſe *Mſciſlaus Izaslawic* in arce, pluribus diebus tolerans obſidionem, ſed famem non tolerans, ex *Kiow* cum fratre ſuo & paucis comitibus in *Wladimiriam* effugit. Duces autem arce potiti, conſortem *Mſciſlai*, filiumque & milites captiuant, *Kiouienſem* autem ciuitatem dant militibus in prædam, qui non domos tantummodo Canonicorum, ſed & ædes ſacras monaſteriaque diripiunt. Locat autem *Mſciſlaus Andrzeiowic* patruum ſuum *Chleb* in *Kiow*, qui ſedem illius nactus, filio ſuo *Pereaslauienſem* contul t Principatum.

Boleſta Maſouiæ Caſtellanus

Vernerum Ep. Plocenſem, qui ras Eccleſiæ raperet, monuerat,

Obtinebat ea tempeſtate in annum quartum decimum Eccleſiam *Plocenſem* vir mirificus *Vernerus*, & deuotionis in Deum ſingularis, & vitæ nitidæ integræ atque religioſæ, egregia pollens animi virtute atque probitate, doctrina inſuper eleganti, cum ſumma humanitate coniuncta. Iscum villam Eccleſiæ ſuæ *Plocenſis Karſzko* vocatam à Satrapa *Maſouiæ Boleſta* Caſtellano *Wiſnenſi* pro inſigni armorum babatum deferente, tam diuitiis, quàm amicis, potente primùm inuadi, ad extremum occupari ſenſiſſet, perſonali & benigna primùm admonitione, deinde per amicos communes apud illum egit, *vt propriis contentus ſortem Deo dicatam deſiſteret vſurpare, vltionis diuinæ iudicium, ſi in propoſito perſeuerandum duceret, non euaſurus.* At ille exhortatione huiuſmodi inſolentior factus, *eum ne terplura inſuper ſe, ſi imperatur, occupaturum & de Epiſcopo Vernero extrema ſupplicia ſumpturum* reſpondet. Intelligens itaque *Vernerus* Epiſcopus modeſtiam ſuam apud hominem ſenſus reprobi & ambitione cœcati, nulli vſui fore, & admonitionem contemptum iri, in ius illum municipale, quod vocitamus terreſtre, pertraxit, exiſtimans ſuæ auaritiæ ingluuiem, vel iuris rigore poſſe conſundi. Ventilato autem iudicio, dùm in cauſa non dubia iudex tempus teri non paſſus, *Vernerum* Epiſcopum pronunciaſſet victorem

1170. rem, & illum Decreto ſuo in villa *Karſzko* per ſcelus & iniquitatem *Boleſtæ* oblatæ poſſeſſionem miſiſſet, *Boleſta* extunc bilem non A temperans, & plura in Præſulem Beatum iura ſuæ Eccleſiæ defendentem maledicta euomens, ad trucidandum Epiſcopum animum, & omnes conatus deſtinat, oportunitate data, quamprimum propoſitum executurus. Erat *Boleſtæ* cum *Pruthenicis* populis idolatriæ deditis, & ob propinquam vicinitatem, & morum prauitatem, frequens vſus, frequensque familiaritas & communio, in illo enim *Viſnenſis* oræ angulo poſitus, ſummæ rerum à *Boleſlao Polonorum* Duce & Monarcha delegatus præerat, & adeuntibus ſe cum querelis variis, furta, ſpolia, inuaſiones, & nonnullas alias iniurias continentibus *Prutheniicis* populis iura de *Polonorum* regionibus, aut B reddebat, aut bella orientia, adminiſtrabat, aut per pacis, & concordiæ conditiones extinguebat. Nonnunquam legationibus & muneribus, iuxta morem *Pruthenorum* gentis, ſibi allatis duplici fœnore, quo illos ſibi deuinctos magis, & in ſua beneplacita exequenda, commodaque augenda, proniores efficeret, reſpondebat. *Pruthenorum* itaque ad illum grandi multitudine, dùm apud Caſtellaniam ſuæ ditionis *Viſnenſis* ageret, veniente, largitionibus & promiſſis illos ineſcatos, ad domicilium ſuum perducit, & noctem inſequentem, variis eos onerando commeſſationibus, abſumit. Cumque ex longa crapula & ebrietate hilariores videret effe- C ctos, & per exploratores certior factus, didiciſſet *Vernerum* Epiſcopum in *Biskupice* villam ſuam poſtridie aduenìſſe, *Bieniaſium* germanum cum exprobratione compellat dicens: *Cur tu*, inquit, *Sacerdotem neſandum Vernerum Epiſcopum ſub noſtris oculis noſtra occupantem non violas? non extinguis?* Qui fraternas iuſſiones impleturus, omnium *Pruthenorum*, qui tunc aderant, *Boleſta* mandante, comitatus caterua, in *Biskupice* proceſſit, & antelucano tempore illuc, quemadmodum animo geſtiebat, perueniens, *Vernerum* Epiſcopum in dormitorio ſuo quieſcentem, vna cum fratre *Benedicto* ordinis S. *Benedicti* monacho, huius enim & aliorum religioſorum, idem D *Vernerus* Epiſcopus domi & foris, & vbilibet locorum contubernio ad honeſtandum teſtimonium vitæ ſuæ vtebatur, in cubile irruens, ſeris effractis, frequentibus percuſſionibus grauibus vtrumque quarto Februarii die perimit & obtruncat, ſuperiectis deinde in funera tapetiis, & paleis, & ſarmentis abſcedit. Pro parricidio in virum Dei commiſſo à *Boleſta* non ſecus quam ſi hoſtem infeſtum debellaſſet, commendatus. Antiſtitis autem *Verneri* cubicularius, qui ſe metu mortis ſub Pontificalem lectum occultauerat, vniuerſam tyrannidem quam *Bieniaſius* in *Chriſtum* Domini *Vernerum* exercuerat, ſpeculatus, altero die detexit, & publicauit. Ex eo autem tempore, & in poſt carnifex *Bieniaſius* nuſquam apparuit, à nullo vnquam homine viſus. Quapropter vniuerſali æſtimatione creditum eſt, illum tertia die, poſtquam parricidium peregiſſet, terram viuum abſorbiſſe, & neci Pontificis innocentis iuſtiſſimo Dei iudicio parentaſſe. Sed & *Boleſta* Caſtellanus *Viſnenſis*, qui principalis autor extitit, virum iuſtum, ſanctum, & Pontificali dignitate præditum, per ſcelus occidendi, iuſta & digna morte interiit. Corpus Epiſcopale in *Plocenſem* delatum Eccleſiam planctu magno virorum Eccleſiaſticorum honorifica ſepultura terræ mandatum eſt, & in locum illius *Lupus* Canonicus *Plocenſis* ſucceſſit. Principatus autē ſuos & Dominia *Boleſlaus* Dux & Monarcha *Polonorum* vehementer ob Pontificalem necem afflictos & affligendos pertimeſcens. Iam ſiquidem *Petrus Gneſnenſis* Archiepiſcopus in Prouinciam *Poloniæ* vniuerſam Prælatis prius conſultis, generale pertulerat interdictum, miſſis militibus *Boleſtam* captiuat, & *Gneſnam* perductum, conuentu generali indicto, ſub præſentia præfati *Petri Gneſnenſis*, Archiepiſcopi, *Gedeonis Cracouienſis Bernardi Poſnanienſis* Epiſcoporum, & vniuerſorum procerum *Poloniæ* iudicium contra illum, cui ſolus præſidebat, inſtaurat, & pro facinore in Chriſtum Domini *Vernerum* commiſſo, *Boleſtam* in iudicium productum, & ſcelus ſuum inficiare, ſcientem ſe multitudine teſtium conuincendum, non audentem, definitiua ſententia flammis exurendum condemnat. Nec ſimplici cremationis genere in eo contentus tela recenter texta, & cera oblita circumuolutum in circulo ciuitatis præfatæ *Gneſnenſis*, valido ignis incendio, ſe & vniuerſa ſua militia inſpectante, combuſſit, iram quoque diuinam propter ſcelus parricidii in ſe, & gentem ſuam venturam, ſæua quidem, ſed iuſta vltione de reo ſumpta expiauit. *Ipſe autem ab Archiep. Gneſnenſi ad ignem damnatur.* Cœpit autem extunc deinceps vir B. *Vernerus* ſignis mirificis clareſcere, & ad ſui nominis inuocationem exaudire, claudis greſſum, cœcis viſum, leproſis mundationem, paraliticis reſtaurationem, mortuis vitam, pluraque alia, pro quibus interpellabatur, beneficia conferre, ut nil dubitandum ſit virum illum, tùm pro vita laudabili ſanctè & innocenter tranſacta, tùm pro ſanguine in defenſionem ſuæ Eccleſiæ fuſo, laureolam meruiſſe, animarum quoque ſanctarum potitum conſortio, præmio æternæ retributionis, & viſione diuina perfunctum eſſe. Sedit ipſe *Vernerus* in ſede *Plocenſi* annis 14. cui *Lupus* Cuſtos *Plocenſis* poſt monſtruoſam electionem de tribus factam, ſuccedit, nobilis genere de familia *Godziemba* à *Petro Gneſnenſi* Archiepiſcopo *Boleslao Criſpo Poloniæ* Duce & Monarcha eius promouente electionem confirmatus & conſecratus. *Vernero ſuccedit Lupus.* 1170.

Pridie nonas Maii, *Miecslaus* ſiue *Miesko maioris Poloniæ* & *Pomeraniæ* Dux pietatem, *Miecslaus Poſnaniæ Ho-*

1170. *Hoſpitale ædificat.* quam in egenos, & miſerabiles perſonas in ciuitate ſua *Poſnanienſi* degentes geſtabat pectore, expreſſurus opere, de conſilio *Radnani Poſnanienſis* Epiſcopi Hoſpitale in *Poſnania* ad Eccleſiam B. *Michaëlis* fundat, & illius curam & gubernationem fratribus domus hoſpitalis S. *Ioannis Ierozolimitani* committit. Aſſignans & donans eidem hoſpitali in perpetuam dotem villas ſuas Ducales, *Niecbrowy*, *Iagodno*, *Samoczyrska*, *Gorka*, *Gliuka*, *Goſztowo*, *Gleczowo*, *Cerlenino*, *Iarogniewy*, cum omnibus earundem villarum pertinentiis, appendentiis vniuerſis. Pro cuius ſubſiſtentia vberiori *Raduanus* Epiſcopus *Poſnanienſis* decimas in villis præfatis, nec non & decimas in villis *Mieloſtowo*, *Andrzeiowo*, *Wygonowo*, *Wielikie*, *Zuchelecz*, *Obrzel*, *Lipnica*, ad menſam ſuam Epiſcopalem pertinentes dedit perpetuo, inſcripſit, & donauit, pia libertate locum præfatum inſigniens.

1171. *Gedeon Ep. Cracouienſis Eccleſiam Kielcenſem fundat.* *Cracouienſis* Epiſcopus *Gedeon* cultum diuinum in ſua diœceſi ampliaturus, in vaſtis tunc, & ab hominum habitatione longius porrectis nemoribus oppido *Kielce* ædificato, Eccleſiam illic de ſaxo quadrato, & artificis ſubtilitate proportionaliter formatam fabricat, & quatuor dignitates, videlicet Præpoſituram, Decanatum, Cuſtodiam, & Scholaſtiam, ſex quoque Præbendarios, decem inſuper vicarios in ea fundat ac huiusmodi dignitatibus Præbendariis & vicariis, de bonis menſæ Epiſcopalis Capituli *Cracouienſis* communicato conſilio, ſufficientem dotem in villis decimis, cæteriſque introitibus conſignat, ordinans & inſtituens, vt in eadem *Kielcenſi* Eccleſia horæ Canonicæ ad honorem & titulum Dominæ noſtræ glorioſæ virginis *Mariæ* dicatæ, nocturnis & diurnis temporibus horæ Canonicæ explerentur. Felicem hunc Præſulem, & raræ deuotionis & zeli, quis negat fuiſſe? Cui & fabricam Eccleſiæ in qua materiam ſuperat opus, & ſalutarem eius dotationem, pro qua perennem adeptus eſt vitam, videmus ſucceſſiſſe.

Polowcy Ruſſiam vaſtant. *Polowcy* ea æſtate in magna multitudine glomerati in *Ruſſiam* contra *Kiow* adueniunt, vaſtationeque longius, cùm repreſſionem non ſentirent, extenſa, plurimos mortalium vtriusque ſexus cum pecoribus & pecudibus, ſpoliiſque multis captiuant. Et dùm prædam ad ſatietatem vſque raptam reducerent, de mandato *Chleb* Ducis *Kiouienſis Midralko* frater ſuus Dux cum *Ruthenorum* copiis eos perſecutus, bis vna die cum illis conflixit, & victor in vtroque congreſſu euadens, omnem prædam, quam ceperant, liberauit & cum exercitu ſuo incolumis in *Ruſſiam* reuerſus eſt.

1172. *Schiſma Pontificum.* Turbatio Eccleſiæ Dei, quam ex peſtifero ſchiſmate in ſuperioribus ortam monſtrauimus, vniuerſæ ferè Chriſtianitatis regiones armis, cladibus, odiis, & bellicis ſtridoribus inuoluens, pernicatius & magis ignitè, furere atque graſſari cœpit, *Friderico Romanorum* Imperatore materiam & alimentum, ſchiſmate ſuminiſtrante. Nam etſi *Octauiano*, qui ſe *Victorem* nominabat, mortuo, pax Eccleſiæ ſperabatur facile peruentura, Imperator tamen *Fridericus* in *Alexandri* Papæ deſpectum ſchiſmati defluenti & extincto nouas vires adiecit, & in locum *Octauiani Guidonem Fremenſem* presbyterum Cardinalem, qui ſe *Calixtum* nominabat, quo item mortuo *Ioannem Fremenſem* Presbyterum Cardinalem, qui ſe *Calixtum* appellauit, quo ſimiliter pereunte, tertium *Laudonem*, qui ſe *Innocentium* vocitabat, ſurrogabat. *Alexander* autem Papa in *Galliis* exiſtens, tam *Fridericum* Imperatorem, & ſuos in Pontificatu aduerſarios & contendentes, quàm omnes illi adhærentes, velut verus & legitimus *Chriſti* Vicarius graui anathemate percellebat, prohibens *Friderico* à ciuitatibus *Italiæ* obedientiam præſtari. Quapropter ciuitates *Italiæ Friderico* ſua ſponte infenſæ, rebellione facta, grauibus bellis Imperatorem *Fridericum* conquaſſabant. *Expeditio Friderici Imp. in Galliam.* *Fridericus* autem Imperator non tam *Italiæ* ciuitatibus, quàm *Franciæ* Regi *Ludouico*, cuius auxilio, brachioque *Alexander* Papa roborabatur, iratus, in *Gallias* exercitum *Bohemorum* & *Dacorum* auxiliis auctum, *Franciæ* Regnum deſolaturus promouit. Cui *Ludouicus Franciæ* Rex Regis *Angliæ Henrici* adiutus auxilio obuiam proceſſerat decertaturus. Interim tamen *Friderici* Imperatoris exercitum, iam in *Burgundia* agentem, epidimia inuadens miſerabiliter proſternit, & cœpto irrito deſiſtere cogit. Sub hoc autem ſchiſmate in plures annos continuato *Almaniæ Bohemiæq́;* regiones *Friderici* Imperatoris factionem ſequutæ, Antipapas ab eo conſtitutos pro ſummis Pontificibus adorabant. *Polonica* verò Eccleſia & regio omni periculo, quod ſibi ab Imperatore *Almaniſque* imminere poterat, contempto, veri & legitimi Papæ *Alexandri* tertii obedientiam ſectabatur, eiusque mandatis & decretis parendo, Imperatorem *Fridericum*, Reges & Principes, ac Epiſcopos ſibi adhærentes excommunicatos denunciabat.

Boleſlaus Boleſlai filius moritur. Lugubris inſuper caſus *Boleſlaum Criſpum Poloniæ* Ducem & Monarcham eo anno excepit, filius etenim ſuus maior natu *Boleſlaus*, in quem pater propter ingenitam indolem, & virtutes in eo relucentes, tùm quod ætatis prouectioris erat, & ſibi in Regno ſucceſſurus videbatur, maiori afficiebatur charitate, languore correptus diem obiit. Cuius mortem *Boleſlaus* Pater, graui & immodico dolore luctuque perſecutus, nullis conſiliorum perſuaſionumque, quæ illi ingerebantur, remediis, ne fletibus luctibusque indulgeret, poterat auerti, mœrorem ſuum conſolatu difficilem & multiplici neceſſitudinis

1172. nis nomine quam vt verbis leuari poſſet, diſſerens & demonſtrans grauiorem.

Moritur *Chleb Kiouienſis* Dux, poſtquam annis duobus in *Kiouienſi* Principatu ſediſſet, A & in Eccleſia S. Saluatoris in *Bereſtow* ſepelitur.

Andreas autem Dux de *Suſdal* Ducem *Smolienſem Romanum* in eius locum ſubſtituit, & eum ad principandum in *Kiow* tranſmittit. Qui *Kiouienſis* Ducatus regimine ſuſcepto, filium ſuum *Iaropelk* locat in *Smolenſko*, quem proceſſu temporis *Iaroslaus Izaslawic* de *Kiow* expulit, & in ſede *Kiouienſi* conſedit.

1173. *Boleslaus moritur.*

Mœrore pro filii occaſu tempore magis quam ratione in *Boleslao Polonorum* Duce & Monarcha ſanato, repentinus languor *Boleslaum* inuadit. Hunc cum in ſe graſſari ſenſim aduerteret, *Caſimirum Sandomirienſem* Principem fratrem natu minorem Prælatoſque & Barones Regni ad ſe mandauit accerſiri, ſub eorumque præſentia, tam de Principatibus, & terris eũ iure ſucceſſionis contingẽtibus, quam de rebus, theſauris & clenodiis ordinauit. Et filio quidem vnico, quem reliquerat, *Leſzkoni*, *Maſouienſem* & *Cuiauienſem* Ducatus legat, Ducem vero *Caſimirum* germanum ſuum curatorem filii, & *Mariæ* Duciſſæ conſortis ſuæ deſignat, *Cazimirum* obſecrans, *vt eam vicem ſuo filio Leſzkoni præſtet, quam meminit ſibi ab eo in ſuæ orphanitatis articulo præſtitam fuiſſe parentemque magis, quam curatorem & patruum in nepote agat, cum fauore paterno ſemper à ſe tractatus & habitus ſit. Fructum etiam curationis huiuſmodi percepturus. Nam ſi Leſzkonem ſine prole excedere contigerit, Cazimiro fratre tam Maſouiæ, quam Cuiauiæ Ducatus legat legitimam ſucceſſionem, ipſum ſolum teſtamenti à ſe tunc conditi vigore decernens, in vtrumque Ducatum filio Leſzkone obeunte ſucceſſurum.* Deinde theſaurum, vaſa quoque & clenodia Ducalia inter coniugem ſuam *Mariam*, & *Cazimirum Sandomirienſem* Ducem filiumque *Leſzkonem* partitur. Omnibus inſuper Eccleſiaſticis Sacramentis deuote & Catholice perceptis penultima Octob. in arce *Cracouienſi* ſpiritum exhalat, & in *Cracouienſi* Eccleſia, Duce *Sandomirienſi Gazimiro*, *Gedeon Cracouienſi* Epiſcopo, conſorte *Maria*, & filio *Leſzkone* cæteriſque Prælatis & Baronibus Regni iuſta funeri ſoluentibus, ſepelitur, cum in adminiſtratione Monarchiæ Regni *Poloniæ* annos vnum & triginta exegiſſet. 1173. Poſt mortem autem *Boleslai Criſpi Polonorum* Ducis & Monarchæ fit *Cracouiæ* tam *Miecslai Maioris Poloniæ* & *Pomeraniæ*, quam *Cazimiri Sandomirienſis*, item *Boleslai* & *Miecslai Sleſiæ* Ducum pro ſubſtituendo nouo Monarcha conuentus. Et licet *Cracouienſes* ſumma vi, ſummiſque conatibus aniterentur, quatenus in Monarchiæ Principatum *Cazimirus Sandomirienſis* Dux ſuccederet, à Conſiliariis tamen B & Baronibus *maioris Poloniæ, Sleſiæ, Pomeraniæ*, cæterarumque regionum in *Miecslaum*, *ſenem* vocitatum, *maioris Poloniæ* & *Pomeraniæ* Ducem, ſuffragia ferentibus, victi deſiſtunt. Itaque *Miecslaus* Dux & Monarcha *Polonorum* vniuerſali conſenſu Ducum Prælatorum & Baronum *Poloniæ* declaratus, Monarchiæ ſuſcepit Principatum, & *Cracouienſis* arx, ciuitas, & Prouincia, ſuæ traduntur ditioni, neque enim *Caſimirum Sandomirienſem* Ducem propter liuorem & diſcordias inde orituras, Duci *Miecslao*, velut natu maiori placebat præferri. Spes quoque omnium animos ſubibat *Miecslaum ſenem* in adminiſtrando Principatu, iuſta & legitima ſectaturum & C ſuo prudenti regimini ſplendorem, & amplitudinem illi adiecturum.

cui ſuccedit frater Miecslaus ſenex.

Stephanus Vngariæ Rex moritur.

Stephanus Hungariæ Rex a propriis militibus rebellionem & ſeditionem paſſus in die Sanctorum *Geruaſii* & *Protaſii* multis *Hungaris* corruentibus profligatur, & in caſtrum *Zemplin* fugiens, tertio idus Aprilis moritur, cui *Bela* frater eius & filius *Geiſa* furum & latronum perſecutor ſucceſſit.

FINIS LIBRI QVINTI.

IOAN-

IOANNIS DŁVGOSSI

SEV

LONGINI

CANONICI CRACOVIENSIS,

HISTORIÆ POLONICÆ

LIBER SEXTVS.

1174. *Miecslaus Dux,*

MOnarchale ſolium *Miecslaus maioris Poloniæ* & *Pomeraniæ* Dux, ex obitu *Boleslai Criſpi* electione & conſenſu vniuerſali adeptus, opinioni *Polonorum*, beatam & tranquillam vitam, ſub illius præſidentia & regimine ſe ducturos gloriantium, non reſpondit, ſed mox ſui regiminis primitias tyrannide& oppreſſione fœdauit. Qui etſi ob ſingulare,rarumque ſapientiæ ſpecimen ab annis adoleſcentiæ in eo relucens, *Senis* cognomen fuerat ſortitus, res tamen ſecundæ, quibus in ſublime actus fuerat, mentem ſuam à iuſto & recto creduntur auertiſſe. Erat ſiquidem *Miecslaus* præfatus & quinque filiorum, videlicet *Ottonis, Stephani*, *Boleslai*, *Miecslai*, & *Wladislai*, quorum duos primos ex filia Regis *Hungariæ* reliquos tres ex conſobrina *Friderici* Imperatoris ſuſceperat, & plurimarum filiarum coniugio, magnarum inſuper opum affluentia clarus, & inſignis. Cum finitimis enim Principibus affinitatem iungens, *Sobieslao Bohemorum* Duci vnam, *Saxoniæ* Duci alteram, *Friderico Lotharingiæ* Duci tertiam, *Boguslao* maritimæ oræ Duci & filio eius *Boguslao* quartam, & quintam filias locauerat. Filiis inſuper ſuis *Ottoni Halicienſis* Ducis, *Boleslao Pomeraniæ* Ducis & *Wladislao* Ducis *Rugiæ* filias in conſortes ſuſceperat, cum reſidui duo filii *Stephanus* & *Miecslaus* cælibes deceſſiſſent. His & pluribus aliis donis fortunæ onuſtus, omnium mortalium felicisſimus habebatur, verùm vtriusque boni rectæ videlicet mentis & fortunæ largitionem *Miecslaus* diutius non tulit, ſed donis gratuitis abutens, multifarias exactiones, calumnias iniquitate plenas, in ſubditos viſus eſt congeſſiſſe, ad quod non ſolùm ferebatur proprio ardore, ſed etiam peruerſorum conſiliariorum, & ſignanter *Henrici* de *Kietlic*, villa propè *Budryſin* ſita, qui omnium ſuarum actionum monitor & moderator erat, agitabatur inſtigatione. Pro leuibus quoque cauſis, & transgreſſionibus, vrſi, aut damialæ, aut alicuius ſilueſtris animalis interfectione puniebantur tam militares quàm agreſtes, & omni pietate relegata, bona eorum per Ducales miniſteriales, partim in Ducalem fiſcum, partim in priuatos vſus diſtrahebantur, quereliſque grauatorum ad ſe perlatis, aut inclementius Dux *Miecslaus* reſpondit, aut ad clamo-

ſecunda fortuna latus

fit crudelis in ſubditos.

rem

1174. rem miſerorum aures obturauit. Nil denique apud illum, & ſuos erat ſanctum, nil æquum, nil iuſtum, nil charum præter pecuniam & munera. Ac religione diuina neglecta, iureque diuino & humano quaſſato, & turbatis Principatus ſui, tam iudiciis quàm officiis, omnia ad quæſtum commodumque ſuum Ducalem conabatur referre, longè deteriorem ſe ſenem quàm iuuenem gerens. Nilque ad profectum ætas illi profuerat, exactor auarus, punitor crudelis, neque enim quiſque illo ea tempeſtate inter Principes *Poloniæ* amplius grauauit Prouinciam, neque commentus eſt callidiores, ad expilandum fortunas innocentium, vias.

Wladiſlao Bohemiæ Rege electo conſtituitur Dux Sobieſlaus.

Grandæuum & labore atque ætate grauem *Wladiſlaum Bohemiæ* Regem *Fridericus* Imperator curia in *Noremberg* indicta, inſtigantibus eum Baronibus *Bohemiæ*, quibus regimen *Wladiſlai* faſtidio erat, à Regno *Bohemiæ*, deponit, & *Sobieſlaum* Ducem *Bohemiæ* quem ipſe *Wladiſlaus* Rex annis 16. captum, ne res in *Bohemia* nouaret, tenuerat, ſuo iuſſu relaxatum, *Bohemis* præficit Ducem, Regali *Bohemos*, ne aduerſus ſe calcitrarent, priuans honore. *Wladiſlaus* autem *Bohemiæ* Rex in *Bohemia* conſiſtere propter *Sobieſlaum*, quem annis tot vinctum tenuerat, quem quoque cœcare conſtituerat, ne iniuriarum memor grauius in ſe aliquid ſtatueret, non auſus in *Abnaniam* ſecedens, quarto poſt hæc menſe 15. Calend. Februarii moritur, & in *Miſzen* ſepelitur, filius inſuper *Wladiſlai* Regis *Fridericus* patre mortuo *Sobieſlai* conſpectum veritus, *Friderici* Imperatoris curiam exulis morte ſequebatur.

Boleſlaus Pomeraniæ Dux moritur, & in monaſterio *Oliua*, quod fundauerat, ſepelitur, duos relinquens filios *Mſzczugium*, & *Sobieſlaum*.

Thomas Cantuarienſis martyrio coronatur.

Thomas Cantuarienſis Epiſcopus libertatem Eccleſiæ ſtrenuè defendens, ab *Henrico Angliæ* Rege in exilium actus eſt. Quod dùm ſeptennio pertuliſſet, ad Eccleſiam ſuam reuerſus antepenultima Decembris die obiit, apud fores Eccleſiæ ab *Anglis* obtruncatus, feliciſſimum martyrium conſumauit, atque ob tam victorioſam palmam in cœlicolarum numerum translatus eſt.

1175. *Miecslaus fruſtra à Gedeone Epiſc. Cracouienſi monetur.*

Cum grauamen & oppreſſio ſingularum perſonarum, ſingulorumque ordinum *Miecſlai* Ducis, & Monarchæ *Polonorum* crudeli mandato, multifariè & exquiſite à ſuis officialibus, Præſidibusque dietim intenderetur, clamorque & vociferatio gementium, & lacrymæ grauatorum, ſe per calumniam & vim, bonis & fortunis ſuis exutos querentium, in publicum prodiiſſet, nec inter Conſiliarios quiſquam facta Ducis damnare & reprehendere auderet, *Cracouienſis* Antiſtes *Gedeon*, vir conſtantiæ & zeli ſingularis oppreſſorum fletibus motus Ducem *Miecſlaum* adit, & arbitris excluſis cauſam oppreſſorum intrepidè agens, quibus, quantiſque calumniis vaſtetur, 1175.
A opprimaturque Prouincia, innoteſcit, ſingulorumque grauatorum ex ordine iniuria declarata, deprecatur Ducem *vt nouorum tributorum impoſitionem, ſub antiquis Polonorum Regibus & Principibus ignoratam abroget, inordinatas & non neceſſarias euectionum exactiones, quæ in Polonico Poduodarum nomine appellari ſolent, reſcindat, calumnioſam & tyrannicam bonorum confiſcationem à ſuis officialibus, pro leuibus pœnis, & culpis hactenus irrogatam, per quam multorum ſubſtantiæ emunctæ ſunt, & perſonæ in extremam pauperiem redactæ, reſcindat, miſerorumque & calamitoſorum opem, clementiam, & tutelam ſuam implorantium, precibus, & vocibus moueatur. Prouinciæ*
B *quoque in qua illum & maior ætas & voluntas populi Monarcham conſtituit, parentem ſe præſtet propitium, non tyrannum deteſtabilem, & execrabilem, amplam laudem, popularium fauorem, ſi deſtiterit, maximum dedecus & ſui ſtatus periclitationem, ſi perſeuerauerit, percepturus.* Nil admonitione hac ſalutari & paterna *Miecſlaus* Princeps motus, quin etiam vehementi ira vexatus durè Præſuli reſpondet, *iure ſe, non iniuria quicquam egiſſe, & tam tributorum nouorum impoſitionem, quàm euectionum & pœnarum exactionem legitimam fore, nec aliter Regnum & Monarchiam adminiſtrari poſſe. Nil ſibi cum Regibus & Principibus antiquis commune fore, ſe ſuo ſenſu, ſuoque*
C *ingenio duci, & ſuo arbitrio non illorum exemplo actiones ſuas & decreta moderari. Tàm bono inſuper & eleganti ingenio ſe præditum eſſe, vt non vellet ſuis, aut cuiuſcunque admonitionibus indigere. Deſineret proinde ſe laceſſere, & Pontificalibus potius rebus, velut propriis intentus, publica ſibi curanda permitteret. Non enim ſe vlla perſuaſione, aut pacto ab his, quæ agreſſus eſſet, ſciret ceſſaturum.* In hanc ſententiam *Gedeon* Epiſcopus dimiſſus, triſtior quàm venerat abiit.

Prima die Maii *Boleſlaus* cognomine *Altus Wratislauienſis* Dux apud caſtrum ſuum *Grotecz* agens, excluſis fratribus & monachis nigris de monaſterio *Lubin*, quod ad fluenta *Odræ*
D *Cazimirus Poloniæ* Rex olim *Cluniacenſibus* monachis fundauerat, fratres Ciſtercienſis ordinis ex monaſterio *Portenſi* ſupra *Solam* fluuium ſituato ſumptos, in illud introducit, & noua donatione atque inſcriptione locum & eius poſſeſſiones à *Cazimiro* Rege donatas, priuilegiat, aliquas etiam de nouo adiiciens, adhibita ad huiuſmodi transmutationem præſentia & conſenſu, *Zyroſlai* alias *Iuoſlai Wratiſlauienſis* Epiſcopi, *Miecſlai* patrui ſui germani *Poloniæ* Ducis & Monarchæ, item germani ſui *Miecſlai Ratiborienſis*, item filiorum ſuorum *Boleſlai*, *Iaroſlai* & *Miecſlai* Ducum, item optimatum Principatus ſui, & Baronum. Cuius monaſterii primus Abbas *Florentius* fuit.

In monaſterium Lubin Ciſtercienſes ex Porta veniunt.

1175.

fuit. A quo & fratribus ſecum ex *Porta* in *Poloniam* ad præfatum monaſterium venientibus,pomorum genus in *Polonicum* Regnum allatum, quod ex cognomento monaſterii, ex quo ſumptum eſt *Daport*, id eſt *de Porta*, vocitatum eſt, in hanc diem multiplicatum perſeuerat.

Imperator & Papa conciliantur.

Concilio apud *Turonum* in *Galliis* per *Alexandrum* Papam tertium celebrato, Imperator *Fridericus* & cenſura Apoſtolica & rebellione ciuitatum *Italiæ*,& bello,ab eis illato fatigatus, ſtatum ſuum periclitatum iri formidans, nuncios ſuos reconciliationem petens, & culpam recognoſcens, transmittit, quæ tandem *Venetiis Alexandro* Papa illic degente & Imperatore illuc veniente per medium *Ottonis* filii Imperatoris, qui à *Venetis* claſſe ingenti amiſſa, victus & captus fuerat, iuxta beneplacitum Summi Pontificis conficitur, & Eccleſiæ Dei pluribus annis à quatuor Antipapis mala morte pereuntibus, quos *Fridericus* Imperator manu tenebat, vexatæ, pax & libertas reddita eſt. Aliis placet quod *Alexander* Papa Imperatorias vires timens *Venetias* perfugit, à *Venetis* quoque benignè habitus, dùm contra *Venetos* Imperator filium *Ottonem* cum claſſe miſiſſet, & *Otto* ipſe ſuperatus prælio nauali *Venetias* adductus eſſet, tandem euadens captiuitatem ſchiſma inter Papam & Imperatorem ſummo honore *Venetorum* ſuſtulit. Quibus ad perpetuam rei memoriam Pontifex quædam inſignia beneficia donauit.

Bohemi ab Vlmenſibus trucidantur.

Bohemorum exercitus cum *Vdalrico* germano *Sobieslai* Ducis *Bohemiæ* in ſubſidium *Friderico* Imperatori in *Italiam* ab eodem *Sobieslao* transmiſſus eſt, & ſuo more prædas & ſpolia agens, in *Vlma* ab oppidanis iniurias non ferentibus,ſub octaua Natiuitatis *Mariæ* penè deletus eſt. Et *Vdalricus* cum paucis in diſſimulato & ſordido habitu, ne ab *Almanis* obtruncaretur, miſerabili calamitate afflictus, & omnibus exutus in *Bohemiam* refugit.

Bernardo Ep. Poſnanienſi ſuccedit Suantoslaus.

Bernardus Poſnanienſis Epiſcopus exactis in Pontificatu annis 13. moritur, & in *Poſnanienſi* Eccleſia ſepultus eſt. Cui *Suantoslaus* Præpoſitus *Poſnanienſis*, & Canonicus *Gneſnenſis*, nobilitatem ducens de domo Accipitrum per electionem Canonicam ſuccedit a *Petro* Archiepiſcopo *Gneſnenſi* confirmatus & conſecratus, de conſenſu *Miecslai maioris Poloniæ* Ducis & Monarchæ.

1176.

Miecslaus Dux

Tyrannidem *Miecslai* Ducis *Polonorum* & Monarchæ, ſuorumque Capitaneorum, Præfectorum, & Officialium, *Gedeon* Epiſcopus *Cracouienſis* ſummo ſtudio ſummaque cura ſanare inuigilans, nilque ſuperioris iniuriæ repulſa motus, cùm & Pontificali ſuo officio id ſciret congruere, & calamitoſorum oppreſſorumque ſingultibus fletu atque obſecratione vrgeretur, nouo reprehenſionis genere, illo tamen, quod *Nathan* Propheta olim ad *Dauid* habuit ſibi vtendum duxit,quatenus *Miecslaus* Dux exemplo ſimili moueretur, qui verborum efficaciam ante contempſiſſet, & ſua ſaltem ſententia & decreto conuictus à tyrannide reſipiſceret, & in ſuorum reatuum atque erratorum, quibus regio vniuerſa, & viluerat, & perierat, veniret cognitionem. *Miecslao* itaque Duce ſub frequenti Conſiliariorum præſentia, publica negotia tractanti, matrona quædam per Epiſcopum *Gedeonem*, qui & ipſe coram aderat, ſubmiſſa, in tetro & lugubri habitu, mœſtum inſuper & lachrymis obortis, madidum imbre fletuum præſeferens vultum, ex induſtria ante Tribunal Ducale conſtitit, & ſuper graui iniuria & oppreſſione ſua, alta voce audientiam & iuſtitiam ſibi præſtari depoſcens, tàm *Miecslaum* Ducem quàm omnium Conſiliariorum ſuorum, quidnam querelæ, eorum audientiæ allatura eſſet, expectantium, ora conuertit. Hanc *Miecslaus* Dux & pro matronali reuerentia, & ne faſtidioſos ſuis auribus ingeminaret clamores, exauditurus, cùm eminus conſiſteret, propius accedere, & quid rei haberet, à quibusue perſonis offenſionem excepiſſet, omni pauore circumſcripto iuſſit depromere, certiſſima etiam ſpe deuouens expeditam iuſtitiam dilatione qualibet ſucciſa miniſtraturum. Tùm matrona maiori fiducia Ducali ſermone ſubnixa, tribunal Ducale accedens, per capitis demiſſionem reuerentia Principi exhibita, in hunc penè modum propoſitionem ſuam, quemadmodum à *Gedeone* Epiſcopo edocta erat, diſſeruit: *Habebam ego, mi Domine Rex, ancilla tua, copioſum balantum gregem, cuius carne, lacte, & vellere viuens, etiàm opes ex illis, quæ cuiuslibet ambitioni ſufficere poſſent, quæſieram, felicemque & beatam, illo vnico pecore contenta, agebam vitam. Filius interim meus, mercenarios, quos etiam in tuum conſpectum, iuſtius iudicium eis præſentibus exceptura ire coegi, qui oues excelſis & vberrimis locis paſcentes, ad caulas incolumes reducerent, conduxit, & à mercenariis grex meus negligentius habitus, vniuerſus ferè luporum ſæuis morſibus deperiit. Ita, niſi tu ancillæ tuæ auxilium iuſtum tuleris, actum de me eſt, deque fortunis meis, orbaque & miſera neceſſè eſt efficiar, tàm præcipiti damno peſſundata.* Querela matronæ Dux *Miecslaus* exaudita, quærit, *quiſnam ſit filius eius, qui mercenarios quorum negligentia in tàm grande damnum incidiſſet, conduxerat.* Edito nomine ſuo adoleſcens, filium ſe querulantis matronæ profeſſus, in mercenarios omnem culpam abſorpti pecoris retorquet, ſed mercenarii primo loco cauſam ſuam dicere iuſſi, ſic refellunt: *Fruſtra*, inquiunt, *Princeps Illuſtriſſime, perditi pecoris à nobis petitur ſolatium, fruſtra in tuum Conſiſtorium, quaſi pecus commiſſum, negligentius aſſeruando deliquiſſemus, pertracti ſumus, fruſtra ad hæc matrona adoleſcentem filium hunc ſuum, quem tamen conſtat priuignum*

1167. *ſimulata quadam accuſatione*

1176. *uignum ſuum eſſe appellat, à quo etſi nobis paſcendi cuſtodiendique gregis non inficiamur curam fuiſſe, accepta mercede commiſſam, vigilias tamen noſtras peruicit, fregitque eiusdem ipſius adoleſcentis impetus potentior. Ipſe ſiquidem venandi auidiſſimus, frequentes canes non atrocitate ſolùm, ſed rabie plenos, quorum illi vſus non à nobis tantummodo, ſed etiam à viris grauibus & illuſtribus fuerat ſæpenumero exprobratus, vbique ſecum circumducens, ſtragem ouium conuincetur, etiamſi notus fuerit, edidiſſe. Notorium ſiquidem eſt canum ſuorum turbam in gregem ad paſcua per nos eductum, latratu horribili inſiliiſſe, & vniuerſum penè gregem, nobis nequicquam noſtra vociferatione eos abigere volentibus, crebris rictibus laceraſſe, ſtrauiſſe, & necaſſe.* Huic accuſationi adoleſcens reſpondere coactus, lupos ſimul & mercenarios accuſat: *Ego,* inquit, *Princeps Sereniſſime, gregi à me his mercenariis conducto, conſpicatus luporum turmam, cominus imminentem, canes nodatos ſolui iubeo, & per abrupta inuiaque nemorum & Alpium, cum his vnà & mercenariis fugientes inſector lupos. Reuerſa interim, diuerſo itinere luporum pars, deſertum & ſolitarium gregem fundit & exanimat. Non in me itaque, qui lupos abegi, perditi pecoris culpa contorquenda eſt, ſed in hos iniquos mercenarios, & gregis ſibi crediti deſertores.* *Miecslaum* Ducem iuſtam deciſionem partium querellis auditis pronunciaturum, diuque, quænam pars damnanda, quæ abſoluenda eſſet, veriſimilitudo defenſionum perplexum ambiguumq; tenuit. Et quamuis primum mercenarios damnare conſtituiſſet, velut gregis, quem ſeruandum ſuo periculo ſuſceperant, incautos deſertores, quia tamen aſſertio mercenariorum rabidos canes, iuxta eundem gregem denodatos confeſſione adoleſcentis ad liquidum verificata erat, fertur in adoleſcentem, comprobantibus Conſiliariis ſententiam, vt ex occaſione, quà damnum probatus eſt dediſſe, damnum ſiuè matri, ſiue nouercæ reſarciat, cùm & lege diuina Dominus, cuius bos cornupeta, vel equus calcitrans damnum intulerit, ad damni reſarcionem teneatur. Pronunciatione ſententiæ deciſoriè matronæ querela abſoluta. *Gedeon Cracouienſis* Epiſcopus Spiritu diuino repletus, aſſurgens. *Iuſtum,* inquit *Princeps excellentiſſime, diuinæ humanæque congruens legi, protuliſti iudicium, & quæſtionem nodoſam æqua rectaque deciſione abſoluiſti. Sed tùm demum rata tua manebit deciſio, ſi te ipſum velut æquus legislator primum ea conſtrinxeris, cum te tuis factis, tuoque ſignificato fœmina hæc videtur expreſſiſſe, & ad te vnum conuincendum emendandumque arte mea inſtructa eſſe, quod quidem abducto velo facilè poteris accipere. Non vigilanti enim tibi atque ſopito, nocte atque interdiu Polonorum Reſpublica occurrit, cuius cum nitorem, libertatem, & amplitudinem procurare debueras, egiſti, vt eſſet vidua, inops, ſerua, miſera, & penè captiua. Hæc ſiquidem matrona Polonorum Prouincia eſt, regimini commiſſa tuo, tu quod inficiari non potes, eius filius, balantum grex Polonicus populus, cui paſcendo hoſtes & mercenarios non ſollicitos, inclementesque paſtores præfeciſti, ex quo non immeritò filioli nomine abrogato, priuignus infeſtus huius matronæ poſtquàm te illius miſerabilis & calamitoſæ conditionis iuxta ac nouercæ non miſeret, vocitaris. Sed & canes rabidos, officiales, præfectos, & exactores tuos, licentiæ fræno laxato, tuoque iuſſu, & diſſimulatione diſrupto, omnibus oppreſſionum mulctarumquè generibus ſinis debacchari. Quorum atroci & impio morſu grex innocens periit, & tuam defenſionem, nequicquam implorans, in horrendam, te inſpectante, pertrahitur calamitatem, cùm exactores truculentiſſimi adeò etiam in gregem lacerum & confractum deſæuiunt, vt non niſi per cruorem, & iugulum gregis rugientem ſuam eſuriem expleturi, Prouinciam tuam perpetua ſollicitudine atque nece confecerint. Proprio itaque damnatus atque conuictus iudicio, ea exequitor, quæ aliis imperaſti, excuſſoq; negligentiæ torpore, fœdam enim auaritiam in te ſuſpicari nequeo, tandem aliquando conſurge, & tàm honeſtati, quàm ſaluti primum tuæ, tùm perditi atque perituri gregis, & tuæ miſerabili conſule calamitati, nè vltione diuina & humana percellaris, cùm veriſimile non ſit tyrannidem tuam, Deum & homines diuturno tempore laturos, vt enim cæterorum tui ſimilium exempla tranſeam, ſatis tibi documenti B. Dauid in omnes caſus ſit. Quem populum tantummodo numerari, non opprimi, nec iniuſtè exactionari iubentem, ſubitus & diſtrictus vltionis diuinæ vindex perſtrinxit, ſed neque tibi, niſi reatum tuum iuſta pœnitentia expiaueris, parſurus. Expergiſcere, precor, aliquando, & nos omnes miſera ſeruitute preſſos libera, & tanti temporis moram, dùm licet, dum potes, velocitate compenſa, & omni ſtudio virtuti primum, & operationi bonæ, dehinc gloriæ tuæ, & poſteritatis judicio, per ſingulos vitæ paſſus vaca, & animum tuum, ab omni cupiditate obſcœnitate, & prauitate, ne collabatur, aut deuiet, tempera. Alioquin ab vltionum Domino, qui nil impunitum, aut irremuneratum relinquit, in te, & ſtirpe tua, debitas pœnas & orbitatem non euaſurus.* Eam reprehenſionem *Miecslaus* Dux *Polonorum* jam enim ira incanduerat, diutius non ferens, non in correctionem ſed in contumeliam: non ex veritatis origine, ſed liuoris fomite Epiſcopum aſtruit commentum eſſe, atque cum fremitu & ira ingenti, ex concilio ſe euoluens, vltum iri ſuas iniurias, tàm de Præſule, quam de Baronibus, qui aſſenſi fuerant, minabatur. Et Epiſcopum quidem in proſcriptionem & exilium, cæteros in necem aut membrorum mutilationem, confiſcatione etiam bonorum adiecta, & in quæque extrema frequenti vſurpatione ſermonis deſtinat. Ne- 1177.

officii ſui admonetur.

Sed magis irritatur.

1176. que ad tàm ſalubrem, tàm ſuauem, tàmque artificioſam exhortationem animum ſuum ab ea, ad quam naturaliter pronus erat, cupiditate retraxit, nec mores ſuos inconditos compeſcuit, & non tàm ſurdis, quàm iniquis ingeſta à Pontifice excepit auribus.

Suantoſlao Poſnanienſi Ep. ſuccedit Geruardus.

Suantoſlaus Poſnanienſis Epiſcopus cùm anno tantum vno ſediſſet, moritur, & in Eccleſia *Poſnanienſi* ſepelitur. Cui *Geruardus* Cuſtos *Poſnanienſis* genere Nobilis *Polonus* de ſtirpe *Aceruorum* ducens genus, per electionem Canonicam ſuccedit, à Petro *Gneſnenſi* Archiepiſcopo confirmatus & conſecratus.

Suleiowenſe monaſterium fundatur.

Cazimirus Sandomirienſis Dux quarto Idus Auguſti cœnobium in *Suleiow*, *Gneſnenſis* diœceſis ordinis Ciſtercienſis in ſuo Principatu fundat, & monaſterium quidem prædictum in prædio *Ruſtai* Comitis ad fluenta fluminis *Pilcza*, qui abſque liberis decedens *Chriſtum* reliquit hæredem, propter loci amœnitatem & commoditatem locatum eſt. Dux enim *Cazimirus* velut primarius fundator, & patronus & tunc & in omni vita ſua erga locum præſatum magna charitate & fauore affectus, prædia, villas, decimas, & ſales, cœnobio præſato contulit in dotem, & plurima alia in rebus mobilibus & immobilibus largitus eſt, pro eius amplitudine & decore, Ducalique munificentia, omnia bona temporalia à ſe, & monaſterio collata, planè libertauit. Contulit autem monaſterio prædicto villas *Suleiow*, *Strzelce*, *Dambrowa*, *Baldrzikow* montem, *Buczynam*, *Kampa*, *Paczanow*, *Mianow*, *Sczepanowo*, *Piotrow*, *Chemiam*, *Taniow*, tredecim plauſtra ſalis ex teloneo *Sandomirienſi*, item alueum ſalis in *Cracouienſi*, & nouem caſtores ex Camera Ducali recipiendos. Proceſſu verò temporis *Petrus Gneſ.enſis* Archiepiſcopus petitione præfati *Cazimiri* Ducis, & *Fulkonis Cracouienſis* Epiſcopi eiuſdem permotus, eidem contulit cœnobio *Suleiowienſi* decimas manipulares menſæ ſuæ Archiepiſcopalis in *Suleiow*, *Biala*, *Lanczne*, *Milkow*, *Stampin*, *Stibor*, *Domczelan*. Item Eccleſiam in *Baldrzikow* incorporauit loco eidem cum decimis in *Standow*, *Chenna* & *Paſturow*.

Bello inter *Sobieslaum Bohemiæ*, & *Henricum Auſtriæ* Duces exorto, Bohemia per *Henricum*, *Auſtria* per *Sobieslaum* grauibus flammis viciſſim vſta, magniſq; prædis, damnis, & ſpoliis vtraque regio affecta. Qua quidem guerra durante, *Henricus Auſtriæ* Dux pede in pontis progreſſu confracto diem obiit, ex cuius morte imperator *Fridericus Sobieslao* quaſi ipſe mortis affinis ſui *Henrici* occaſionem præſtitiſſet, infeſtus eſſe cœpit.

Primores Poloniæ Miecslai tyrannidem exoſi,

1177. Irritatum & furentem *Miecslai* Ducis *Polonorum*, & Monarchæ animum, *Gedeon Cracouienſis* Epiſcopus, cæterique Proceres pro correctione in ſe habita, videntes, placari & conciliari ipſum inſuper Ducem & à tyrannide cœpta auerti non poſſe, aduertentes, cumulatiores enim in eos, & in cæteros ſubditos iuſſerat, vt ſe inexorabilem demonſtraret, preſſuras extendi. 1177. Cum animaduertiſſent, A animum *Miecslai* in auaritiam depilationemque præcipitem, ac pene inmedicabilem, veriti inſuper, ne iuxta indignationis ſuæ ardorem graue in ſe aliquid conſuleret, quid facto opus ſit, clandeſtinis decoquunt & digerunt conſiliis. *Gedeon* ſiquidem Epiſcopus ſententiam iuſſus dicere, ſic diſſeruit. *Videtis*, inquit, *ô Proceres, quo nos caſu fortuna inuoluit. Preſſuras enim miſerabilis patriæ auerſuri, pro reprehenſione noſtra, iuſta quidem, honeſta, & neceſſaria, velut Maieſtatis violatæ rei, Ducali decreto ſuppliciis addicti ſumus, & niſi interim nobis aliquid proſpectum fuerit, ad cruciatus* B *varios rapiendi, & qui alios preſſura leuare contenderamus, preſſuris, & ipſi opprimemur, neque ſalus patriæ nobis tantummodo ſperanda, curandaque eſt, ſed ſummo ſtudio, ſummaque cura ſalus priuata ſeruanda. Prouidendumque, ne priuata cum publicis vnà pereant, mihi in tàm periculoſo & patriæ & noſtro diſcrimine tyrannum placet deiici, & in locum eius meliorem ſurrogari. Sed anticipationem celeritate etiam admixta factu optimam reor, ne, ſi tyrannus prior ſuppliciis nos affecerit, conatus noſtri nobis damnatis, recidant in irritum.* Ea ſententia facilè ab omnibus accepta, & laudata, tùm demum de ſubſtituendo Duce altero & Monarcha conſultatio habita eſt. Quæ cùm plus difficultatis habere videretur, longius in illa immoratum eſt, præſertim cùm aliquorum ſententiæ variaſſent.

Stephani Palatini Cracouienſis

C Verùm Stephanus Palatinus *Cracouienſis* oratione ſua cæteros in concordiam reduxit: *Non conuenit*, inquit, *Proceres, vt rem ſuapte ſuaſu facilem in difficultatem aduocemus, & tàm patriæ, quam noſtro gliſcente, vel, vt verius eloquar, ſubimpendente periculo, varietate ſententiarum in longiorem trahamus moram. Extat enim in propinquo Princeps ingenuus Cazimirus Sandomirienſis Dux. Cuius probitatem & prudentiam in rebus magnis, & modeſtiam plurimis non tantum iudiciis, ſed ſignis & operibus, & effectibus & videmus ipſi, & continuè experimur, in quem, liberalitatem, ac penè omnes virtutes, iuſtitiam, temperantiam, fortitudinem, prudentiam, induſtriam conſtat confluxiſſe. Blandus alloquio, conuerſatione grauis, aditu facilis, propriis, exteris ciuilis & humanus, miſeris,* D *& aliqua calamitate oppreſſis, gratioſus. In virtute honoranda egregius, in labore præmiando prouidus & in diſtribuendis Reipublicæ muneribus & officiis diſpenſator fidelis, tantam ad omnes exhibens benignitatem & gratiam, vt dubium effecerit, vtrum in illo natura vincat gratiam, an gratia naturam. Et licet ſe omnibus & placabilem, & exorabilem exhibeat, cunctorumque exceſſibus facile deprecatus ignoſcat, calumniatorum tamen tàm ſeuerus & oſor & punitor eſt, vt in perenne eorum confuſionis opprobrium, & vt cæteris labes ipſa terrori fieret, quoſdam in fronte, aut in genis candentis*

ferri

1177. *ferri inſigniuit cauterio, aliis in naſo, aliis in lingua mutilationem impreſſit, pleroſque cæcari, aut fuſtibus cædi mandauit. Frugalitatem vero & liberalitatem in eo commendare non expedit, his enim virtutibus, omnes ætatis noſtræ Principes peruicit. Neque vt pleriſque Principibus mos eſt, aut inhiat acquirendis aut incumbit acquiſitis, ſed vniuerſos cenſus ſuos in Reipublicæ profectus & commoda diſtribuit. Cibum, & quietem, non niſi ad naturam accipit & ſequeſtrato à ſe ocio, iugem ſibi indixit, ne torpeſcant ingenia exercitationis, aut in ſimulachro pugnæ, aut in luctando, aut in ludo haſtarum, cæteriſque heroicis, & militaribus operibus, laborem illum tamen tùm demum perſequitur, dùm publicis & feriis rebus primum plenam expeditionem præſtiterit. Cuius autem probitas vt notior ſit vnum virtutis ſuæ inſigne, commemorabo. Vna ſiquidem noctium Princeps Cazimirus, de quo agimus, cum Ioanne de Konari milite & armigero ſuo ludum alearum ingreſſus, dum in noctis vſque medium ludum protraxiſſent, cum alea aliquando Ducem, aliquando militem pronunciaret victorem, vt tandem celerius diſceſſio pro quiete habenda proueniret, communi conſenſu in periculum vniuerſæ victoriæ unus ludus ſuſceptus eſt. Qui cùm nimio feruore & auida ſpe euincendi brauii, quod in argenti magna quantitate propoſitum erat victori, ab vtroque gereretur, Dux tandem Cazimirus, Ioannem militem peruincens, brauii ſortem accepit. Ioannes interim miles, omnes fortunas ſuas vna palæſtra perditum iri dolens, in eum dolorem, furorem & rabiem, cum & vino immodice ſumpto maderet, verſus eſt, vt ſummo manus vibramine, facie principis maxillata, noctis beneficio de manibus circumſtantium elapſus diffugeret, ſed die altera ſcrupuloſo ſcrutinio comprehenſus, omnium iudicio velut maieſtatis reus damnatus ſupplicium capitis ſubiturus agebatur. Sed Cazimirus Princeps occurrens, damnatum ſiſti iubens: Non committam, inquit, Iudices vt pro alapæ mihi illatæ iniuria, miles hic, cuius opera in Reipublicæ munere, aliquando mihi erit neceſſaria, intereat, facinus enim ſuum, & temporis & ludi qualitas excuſat. Quod ſi quantitatem damni, quo illum fortuna affecerat, ſpectare velimus, abſolui illum non damnari oporteret. Ipſe ſiquidem brauio, in quo omnes fortunas ſuas contineri ſciebat, amiſſo, non mihi, ſed fortunæ iratus erat, furorem tamen ſuum, quem in fortunam depromere non potuit, in me filium fortunæ vltionem ſumpturus effudit. Sed & me conditionis, & ſtatus mei conueniebat, meminiſſe, vt rebus ludicris, quibus labefactatur maieſtas abſtinerem, cùm in illis plures leuitates, probra & contumelias ſæpenumero noueram contigiſſe. Ampliori itaque ego reatui ſubiaceo, qui publicam Principatus mei auguſtatem ludicris inferens ludibrio me addixi, quàm Ioannes, qui primos & fortes motus frenare non valens, ſtimulatus inſuper ebrietate, vltionem amiſſi bravii, qua poterat arte, exegit. Non ſolùm itaque Ioannem à maxillationis meæ facinore abſolutum pronuncio, ſed illi etiam ingentes gratias habeo, quòd mihi vexationem præſtitit, per quam non huius tantummodo, ſed & cuiuslibet alterius ludicræ rei labem à me prorſus relegabo. Continuoque & reum abſoluit, & omnem argenti quantitatem, quam lege ludi quæſierat, ex integro reſtituit, & reſtitutæ propriam in remunerationis ſignum adiecit. Ita ſub uno tempore & in eodem homine grandis contumeliæ ignouit facinus, damnationem remiſit, perdita in integrum reſtituit, & iniuriam ſuam iuxta ac fauorem præmiauit. Poſſem & plura alia in huius Principis commendationem proferre memorabilia, niſi vobis omnibus ea noſſem vulgaria & nota. Omnibus itaque votis is nobis Princeps expetendus eſt, huic & non alteri Monarchiæ faſces deferendæ, ſub quo certum eſt, nos à preſſuris, quibus angimur, reſpirare, & beatum ac felicem vitam poſſe agere. Non cunctemur igitur Proceres, ſed concordi ſententia hunc decernamus & aſſumamus Monarcham.* Itum eſt à reliquis omnibus in hanc ſententiam, & omnes illi aſſenſi Proceres. Ex loco itaque concilii in *Sandomiriam*, vbi Dux *Cazimirus* habebat ſedem, tam *Gedeon* Epiſcopus *Cracouienſis*, quam Baronum primi peruicaci curſu pertingunt. Ducemque *Cazimirum* ſecretò audientia obtenta his verbis conueniunt: (Eminebat ſiquidem in *Cazimiro* Principe *Sandomirienſi* quamuis ætate minor & natura facilior eſſet, ad concilium ciuilemque prudentiam, aptius ingenium, munificentia & comitate conditum, eratque comis & iuſtus, & dùm adhuc iuuenilem & floridam ageret ætatem, ſtatim mores ingenui & Regii in eo collucere viſi.) *Non ignotum tibi putamus, Princeps clariſſime, quam durum & iniquum annorum prope quinque patimur imperium, & in quam vaſtitatem vtilitatemque noſtra regio fratris ſui Miecslai, & præfectorum ſuorum oppreſſione, adducta ſit. Quem etſi precibus, conſiliis, & monitis noſtris ad tollendum publica grauamina & preſſuras, priuatim & publicè obſecrando, & patriæ ruinam demonſtrando, hortaremur, caſſo tamen labore ſudauimus. Conſiliis enim & precibus noſtris repudiatis, tam infeſtus eſſe nobis cœpit, vt omnes nos ſuppliciis exiliiſque afficiendos decreuerit. Ad te itaque omnium ordinum concordi conſenſu oratum venimus, vt Principatum Monarchæ aſſumas, & tàm patriam, quàm nos tyrannide exoluas. Certus, nos tui fratris Miecslai Imperium, velut patriæ & noſtri publici, & infeſti hoſtis, de cætero nullatenus paſſuros.* Sumpto aliquali ad deliberandum ſpatio *Cazimirus* Dux in hunc modum reſpondit: *Non pri-*

Monarchiam Poloniæ Caſimiro Sandomirienſi Duci tradunt,

Hiſt. Polon. Liber V.

1177. *primùm quidem, Proceres, die hodierno de Monarchiæ Principatu ſuſcipiendo à vobis conuenior, dudùm & in vita fratris mei chariſſimi Boleſlai Criſpi, à Iaxa & Suantoſlao Comitibus, pari petitione vrgebar. Sed nunquam rectum putaui, vt alumni & fratris mei turbare ſtatum, aut de iure & dignitate ſua quicquam detrabere, ſed omni Regno atque Imperio præſtantiorem duxi fraternæ pacis & concordiæ, pietatem. Qui itaque tunc vni fratri fidum me & purum præſtiti, qua fronte modeſtiam meam inquinaturus alterius Principatum vſurpabo? præſertim cum illum filiali ſemper deuotione coluerim, & reciprocè ab eo paterna complexus & amatus fui charitate.* Tùm *Gedeon* Epiſcopus & Proceres: *Longe*, inquiunt, *Dux, diſpar verſatur in præſentiarum reſpectus. Boleslaus ſiquidem Criſpus frater tuus æquo iure & iuſto imperabat regimine, at hunc ſucceſſorem ſuum Miecslaum ad omnia Tyrannorum ſtudia, à quibus nullo pacto auelli poteſt, vides diuertiſſe. Ingentem itaque pietatem, ingentem charitatem, non facinus, non ambitionem, credas te monſtraturum, perpetuamque laudem, & cum beatis mercedem habiturum, ſi laboranti, & penè ſuffocatæ, & extinctæ patriæ ſubueneris, ſi illam à tyrannide & oppreſſione vindicaueris. Omnibus etenim quod non Catholicos ſed etiam gentiles ſcimus ſenſiſſe, qui patriam adiuuerint, auxerint, defenderint, certum in cœlo & definitum locum eis fore, vbi beati, ſempiterno fruuntur æuo. In tyrannum quoque iuxta, atque in damnatum licet ſæuire. Tu ſolus & vnicus crederis, qui noſtrum, & patriæ ſanare potes diſcrimen & reſcindere. Ad extremum tibi noſtram ſimul & patriæ ſalutem committimus, in qua poteſtate & manu ſitum eſt, vitam ne nobis, & patriæ, an necem & perniciem, ad quam fratris tui decreto extamus damnati ſis præſtiturus.* His, & pluribus vocibus aliis *Cazimirus* Dux expugnatus, non regnandi libidine, non ambitionis ardore, non odii liuore, ſed ſola patriæ charitate, tandem conſentit ſe Monarchiæ regimen ſuſcepturum. Cum modeſta itaque ſuorum militum manu *Gedeone* Epiſcopo *Cracouienſi* cæteriſque proceribus eum comitantibus *Cazimirus* verſus *Cracouiam* procedit. Quem aduenientem omnes nobilium & militarium excipiunt legiones, omnes occurrunt, fauent, atque gratulantur. Sed & agreſtium turbæ cateruatim ſe effundunt, & ſuum ac patriæ acclamant: *In nomine Domini aduenisse liberatorem.* Aberat tunc à *Cracouia Miecslaus* ſenex, & in *maioris Poloniæ* ac *Pomeraniæ* Ducatus ſeceſſerat, cum vxore & tribus filiis de Principatu *Cracouienſi* eiectus, in *Ratiboriam* ſe contulit, ibique domicilium ſuum fixit: Vnde & arx, & ciuitas *Cracouienſis* abſque omni difficultate & renitentia, *Cazimiro* per Capitaneos & officiales *Miecslai* ſunt præſentata. Singula deinde caſtra, & munitiones in *Cazimiri* vltrò venêre

qui & illum Cracouiam ingrediens ſuſcipit.

deditionem, tantumque odium *Miecslai* Ducis in pectoribus ſingulorum inualuerat, vt vniuerſos crederes in illius deiectionem vna mente & ſpiritu quaſi in quandam communem peſtem conſpiraſſe.

Geruardus Poſnanienſis Epiſcopus breuiuſculo tempore viuens, a peſte epidimiæ correptus moritur, & in *Poſnanienſi* Eccleſia ſepelitur. *Arnoldum* primum *Polonum* habuit ſucceſſorem *Polonum* Nobilem de ſti. pe *Dolega*, à *Petro Gneſnenſi* Archiepiſcopo per electionem Canonicam & *Miecslai maioris Poloniæ* Ducis conſenſu conſecratus.

Gerardo Poſnanienſi Ep. ſuccedit Arnoldus I.

Romanorum Imperator *Fridericus* ſedulis criminationibus, quæ in *Sobieslaum Bohemiæ* Ducem per *Fridericum* Ducem filium *Wladislai* Ducis *Bohemiæ* in curia Imperatoris velut exulem manentem & nonnullos *Bohemiæ* Barones parti *Friderici* exulis fauentes deferebantur, offenſus, (nam & Prouinciam illum ſuperbè & auarè adminiſtrare, & Imperatori minus fidum & rebellem eſſe aſſerebant) eum *Sobieslaus* purgare ſe negligeret, illum Ducatu *Bohemiæ*, & eius regionibus depoſuit, & *Fridericum* exulem filium *Wladislai*, per traditionem vexilli *Bohemici* de eodem inueſtit. Bello inſuper inter præfatum *Sobieslaum Bohemiæ* Ducem & *Conradum Morauiæ* Marchionem exorto, *Sobieslaus* à *Conrado*, cuius Prouinciam hoſtiliter vaſtandam intrauerat, ferentibus *Auſtriacis* auxilia, campeſtri certamine victus in *Bohemiam* effugit. Qua quidem clade *Friderico* aduerſario illius creuit animus, & in certam ſpem erectus, haud dubitat *Sobieslaum* clade huiuſmodi perculſum poſſe de *Bohemia* facile perpelli. Eclipſis ſolis anno eodem ſexta hora Idibus Septembris viſa.

Sobieslaus ex Bohemiæ Ducatu eiicitur.

1178. Deiectionem ſuam à Monarchia & Principatu *Polonorum Miecslaus Poloniæ maioris* & *Pomeraniæ* Dux moleſte ferens, armis ac bello vltionem de fratre ſuo *Cazimiro* cæteriſque ſuis deiectoribus ſumere, & reſtitutionem ſui in Regnum ſummo conatu parat, & contendit efficere, velut is, qui omnium animis graui oppreſſione & tyrannide irritatis, exulceratiſque, nil ſpei in beneuolentia & charitate ſubditorum, in his, quæ ad ſuam reſtitutionem conducerent, ſciebat poſſe reponi. Accerſitis autem conſiliariis *maioris Poloniæ* & *Pomeranorum*, hi enim nondum à ſuo deſciuerant imperio, quid facto opus ſit, conſultat. Et omnium quidem Conſiliariorum vniforme erat votum, *iniuriam à Cazimiro illatam armis vindicandam eſſe, neque vllo pacto deiectionis ferendum opprobrium, vicinorum tamen Principum & generorum ſuorum ad id bellum impetranda auxilia, ſine quibus futura dimicatio cum Cazimiro periculoſa videbatur, cui viris armiſque propriis abundanti, Ruthenorum etiam ſubſidia conſtant acceſſura.* Miſſi itaque extemplò, & ad *Sobieslaum Bohemiæ*, & *Saxoniæ*,

Miecslaus bellum Cazimiro meditatur.

1178. *niæ, Lotharingiæque* Duces Nuncii, iniuriaq; *Miecſlai* expoſita, & quod per fratrem germanum *Cazimirum* de Regno expulſus ſit, declarato, petunt, *vt ſoceri ſui dedecus non patiantur inultum, ſed aut perſonaliter in ſui auxilium adueniant, aut gentem armatam mittere non cunctentur.* Sed *Sobieſlaus Bohemiæ Dux proprio ſe bello* reſpondit *occupatum*, cùm *Fridericus* frater à Ducatu *Bohemiæ* eum eiecturus cum *Almanico* exercitu ſibi immineat. *Saxoniæ* verò, & *Lotharingiæ* Duces pari excuſatione vſi, *in bellum, quo Cæſar in Italiam occupatus erat, militiam ſuam transmiſiſſe, ſed & in aliud bellum, quod pro terræ ſanctæ recuperatione Imperator inſtituit, nouorum militum ſupplementum ſibi imperatum eſſe.* Sic itaque externis & ſperatis auxiliis deficientibus, propriis verò militibus congredi non auſis, æſtas anni illius ſine vllo bellico ſtridore exacta eſt. *Cazimirus* verò Dux ſolium ſui Principatus æquitate & iudicio ſtabiliens, ſplendorem ſui nominis etiam apud exteros & hoſtes diffundebat.

Oliua monaſterium fundatur.

Quindecimo Calend. Aprilis *Samborius Pomeraniæ* Dux monaſterium ordinis Ciſtercienſis in villa ſua Ducali *Oliwa, Wladiſlauienſis* diœceſis fundat, & ſeptem villas videlicet *Oliwam, Salkowice, Glambow, Sterczow, Stawowe, Grancowy* & *Synczynice*, item decimam teloneorum, piſcationum, prædiorum, & pecorum, illi pro dote aſſignat.

Sobieſlaus Bohemiæ Dux a fratre Friderico vincitur.

Certior ab exploratoribus *Sobieſlaus Bohemiæ* Dux factus, fratrem ſuum *Fridericum*, *Wladiſlai* Regis *Bohemiæ* filium, cum *Almanorum* & *Bohemorum* transfugarum, ad ſe ex Principatu deiiciendum aduentare exercitu, copias & ipſe contraxit, & *Friderici* operitur aduentum. Quo callido & vafro conſilio moram agente, *Sobieſlaus* illum de cætero non ſuſpicatus venturum, ſoluit exercitum. *Fridericus* verò ſuam artem proſperatum iri videns, mox *Bohemiam* ingreditur. At *Sobieſlaus* cum paucis, neque enim ad conuocandum exercitum vniuerſum ſpatium temporis poterat adeſſe, illi occurrens congreditur, facileque ſua paucitas à *Friderici* multitudine victa eſt. Fuga tamen *Sobieſlaus* euadens, in *Scalam* ſe cum paucis recepit. *Fridericus* verò *Pragam* in qua *Sobieſlai* conſors morabatur, obſidione cingens, breui illam capit ac protinus magno militum communit præſidio, intelligens illius poſſeſſionem ad cætera ſubiicienda magno fore vſui.

Vernero Wladiſlauienſi Ep. ſuccedit Wonelphus.

Vernerus Wladiſlauienſis Epiſcopus Pontificatu annis ſeptem adminiſtrato, ex humanis abſumitur, & in Eccleſia *Wladiſlauienſi* accepit ſepulturam. Cui *Wonelphus* Decanus *Wladiſlauienſis* per electionem Canonicam ſuccedit ab *Alexandro* Papa tertio, petente *Cazimiro Poloniæ* Duce & Monarcha prouiſus.

1179. *Miecſlao maioris Poloniæ* & *Pomeranorum* Duci pro ſui in Monarchiam reſtitutione bellum aduerſus *Cazimirum* Ducem *Polonorum* & Monarcham maximo æſtu atque conatu ex proprio milite, poſtquam externus non ſuppetebat, apparanti, nouus incommoditatis caſus ingeſtus eſt. Filius etenim ſuus natu maior *Otto*, ex primo coniugio ſuſceptus, graui iniuria a patre, qui blandimentis ſecundæ conſortis perſuaſus, filiis ſecundi matrimonii meliores ſortes Principatuum ſuorum relinquere teſtamento diſponebat, afficiendum ſe dinoſcens, contra patrem cum nonnullis *maioris Poloniæ* Baronibus coniurat opportunoque tempore caſtris & munitionibus paternis in *maioris Poloniæ* Principatu occupatis, patrem de ſua ſede exturbat, & depellit, nunciosque ad *Cazimirum* Monarcham mittit, ſpondens *ſe obedienter, quod imperaret, facturum, & cum omnibus caſtris & munitionibus gentibusque ſuis ſibi parentibus, tàm fide, quàm obſequio ſincerè adhæſurum.* *Cazimirus* autem omnibus aliis terris & caſtris, quæ ditionis *Miecſlai* fuerant, ſub poteſtate & regimine *Ottonis* nepotis ſui relictis, *Gneſnenſe* caſtrum & ciuitatem cum ſuo diſtrictu, propter loci veterem dignitatem & famam fecit ſui iuris. Defectionem autem *maioris Poloniæ*, mox citerior & vlterior *Pomerania*, quæ & ipſa *Miecſlao* parebat, ſequuta eſt. Facinus tamen *Ottonis* in patrem admiſſum peroſa Nobilitas, Primoribus deſtinatis *Cazimiro* Monarchæ plenam facit deditionem. Cuius regimen propter locorum diſtantiam inter duos Præſides, *Cazimirus* partitur. Et vlteriorem quidem *Pomeraniam*, quæ hactenus *Stupsko* vocitatur, Comiti *Boguſlao* de domo & genere *Griphonum*, citeriorem verò, cuius *Gdansk* principalior ciuitas erat, *Samborio* Baroni gerendas commiſit. Quorum vterque proceſſu temporis Duce *Cazimiro* obeunte, ſe Dominum non Præſidem gerens, Principatum prædictarum Prouinciarum, & eorum poſteritas poſt illos aliquanto tempore, conciliato ſibi militarium & ciuium fauore vſurpauit. Tunc inſuper *Boleſlai Krzybouſti* oraculum, quod moriturus Regno in quatuor filios diuiſo, quinto nulla portione relicta, deprompſerat, verificatum fuiſſe notatum, qui in *Cazimirum* tunc quidem infantem, & nullam portionem inter fratres patris ordinatione & teſtamento ſortitum, quatuor tetrarcharum quadrigam ſpiritu ſibi reuelante prædixerat concurſuram. Cui etſi *Sleſitica* regio à filiis *Boleſlai Alti* poſſeſſa, propter ciuilem diſcordiam, minor enim natu *Miecſlaus*, maiorem natu *Boleſlaum* de Ducatu ſuo pepulerat, aliquamdiu parere detrectaſſet: *Cazimirus* tamen Monarcha maturitatis ſuæ, induſtria, pacificatis concordatiſque fratribus, eam ad ſui obedientiam reduxit, *Miecſlaumq;* de *Wratiſlauienſi* Ducatu, cuius eum tenebat ambitio, *Boleſlao*, cui forte obtigerat, cedere coegit, 1179.

Polonia maior & Pomerania a Miecſlao deficiunt.

1179. git, quod vt æquanimius ferret, & ordinatio tunc confecta de cætero rata foret, duos *Miecſlao* diſtrictus à *Cracouienſi* Prouincia abſtra- A ctos, *Bitomienſem* videlicet & *Oſwięcimenſem* de nouo largitus eſt. Cuius filio nouiter nato, ad baptiſteriorum ſolennitatem inuitatus nomen ſuum *Cazimirus* indiderat. *Mazoviæ* etiam & *Cuiauiæ* Prouincias ad *Leſzkonem* nepotem ſuum filium *Boleslai Criſpi* pertinentes, *Zironi* Comiti viro grandæuo & prudenti commiſit gubernandas, & *Leſzkoni* ſuo nepoti illum in directorem & patronum, propter eius ſingularem probitatem præfecit.

Eo inſuper anno *Cazimirus Polonorum* Dux & Monarcha *Breſtenſem*, *Wladimirienſem*, *Premiſlienſem* Prouincias à Regno ſuo diſtractas recuperat, & caſtris Principalibus conquiſitis conſtitutiſque Præſidibus, Prouincias B ipſas per ſe adminiſtrabat, *Miecslaus* autem ſenex *Maioris Poloniæ* & *Pomeranorum* Dux à filio *Ottone* excluſus in *Ratiborienſe* oppidum, quod ſuæ extitit poteſtatis, ſe recepit, & illic cum vxore & tribus filiis cum omni tenuitate & penuria agebat incolatum.

Sedente *Iaroslao Izaslauic* Duce *Ruſſiæ*, annis aliquot in *Kiouienſi* Principatu, felicitati & forti eius *Suantoslaus Czernieouienſis* Dux inuidens, exercitu non paruo congregato, ablaturus illi *Kiouienſem* Ducatum vadit clandeſtinè contra illum, & nulla belli indictione præmiſſa, dum *Iaroslaus Izaslawic* in arce *Kiouienſi* ſecurus conſiſteret, caſtrum *Kiouienſe* pro amico & fratre exiſtimatus ingreditur cum o- C mnibus ſuis copiis, & incautum occupat. Inter tumultum tamen Dux *Iaroslaus* ægrè aufugit. Conſors verò ſua, & filius eius iunior, & omnis militia à *Suantoslao* capta eſt. Omnibus denique theſauris ſuis ampliſſimis, & omni ſupellectili *Suantoslaus* potitus eſt, & tàm captiuos, quàm ſpolia in *Czernieiow* deducens, caſtrum *Kiouienſe* deſertum reliquit. Quo *Iaroslaus Izaslawic* audito, contractis auxiliaribus copiis, duos inſuper nepotes ſuos Duces, filios *Roscislai* habens in ſuo comitatu cum gentibus venit in *Kiovv*, & arcem *Kouienſem* forti præſidio muniens, omnem culpam patrati in ſe per *Suantoslaum Czernieiouienſem* Ducem facinoris in *Kiouienſes*, quaſi eorum D ſpe conſilio & ſubordinatione patratum fuerit, refundens, ditioribus ciuibus ſpoliatis, etiam omnes Abbates, Sacerdotes, monachos, moniales, & quoslibet Latinos captiuat, & grauem cenſum pro eorum liberatione accepit, cæteros vendit, & multa abominanda in *Kiouienſes* committit. Contra *Suantoslaum* denique *Czernieiouienſem* Ducem hoſtem & ſpoliatorem ſuum procedit, & illum in *Czernieovv* obſedit, ſed proficere ſe non videns cum illo pacificatur.

Suantoslaus Ruſſiæ Dux Kiouiam capit.

Ducatum ſuum *Bohemiæ Sobieslaus* Dux à quo per *Fridericum* Regis *Wladislai* filium *Almanorum* ſuffragio deiectus erat, repetiturus, copiis aliquantis congregatis, *Pragam* in *Friderici* abſentia, qui ad Imperatorem vocatus erat, tentauit repetere, ſed dùm ſecus, quàm credebat (magno enim *Almanorum* præſidio *Praga* defendebatur) eueniret, *Fridericum* ex *Almania* cum magno exercitu *Almanorum* reuertentem in lacu quodam deprehenſum, iniquitate loci adiutus inuadit, & exercitum ſuum adeo ſternit, & diſſipat, vt inuicem duo non poſſent reperiri. Verùm dùm *Fridericus Conradi Morauiæ* Ducis, & gentium ſuarum auxilio ex clade accepta erectus in *Pragam* contenderet, *Sobieslaus* ſuperiori elatus victoria propè *Pragam* vtrique occurrit & pugna commiſſa, ſtrage vtrinque edita victus refugit, annoque inſequenti mortuus pacificam *Friderico* Ducatus *Bohemiæ* reliquit poſſeſſionem. Hic in *Almanos* tàm ſæuo & fœdo truculentiæ genere ſæuitiam ſuam *Bohemis* inflammantibus fertur vſus eſſe, vt quoslibet *Almanos* in *Bohemia* repertos, aut ipſe naſo mutilauerit, aut mutilari permiſerit. 1179.

Sobieslaus poſt duas cum fratre pugnas commiſſas moritur.

Gedeon Cracouienſis Epiſcopus fundat, conſtruit & dotat monaſterium in *Wachocko* ordinis Ciſtercienſis ſupra fluuium *Kamiona*, de bonis ſui Epiſcopatus *Cracouienſis* & plures decimas menſæ Epiſcopalis illi donat in dotem, Eccleſiamque ad honorem S. *Floriani* conſecrat. Cui ſingulari affectu famulabatur. Non quidem tunc cum monaſterium fundaſſet ſed cùm opus totum quadro conſummaſſet lapide, corpore B. *Floriani Cracouiæ* vt in ſequentibus docebimus, illato.

Monaſterium in Wachocko fundatur.

Alexander Papa tertius relictis *Galliis*, in quibus annis propè decem & octo demoratus propter turbationem & ſchiſma Eccleſiæ fuerat, ſchiſmate ſublato & quatuor Antipapis ſibi ſucceſſivè ſuccedentibus, mala morte abſumptis, periculo maris ſe committens, *Italiam* & deinde vrbem cum maximo cleri & ſpirituali fauore ſuſceptus aduenit.

Plocenſis Pontifex *Lupus* cum annis nouem ſediſſet, percuſſus paraliſi moritur, & in *Plocenſi* Eccleſia ſepelitur. Cui *Vitus* de *Chotel* ex terra *Sandomirienſi* ortus Nobilis de domo *Ianina* per electionem Canonicam ſuccedit, à *Petro Gneſnenſi* Archiepiſcopo *Cazimiro* Duce *Cracouienſi* & Regni *Poloniæ* Monarcha conſentiente prouiſus, qui tria monaſteria ordinis Præmonſtratenſis fundauit, videlicet in *Witovv*, *Busko*, *Plocko*.

Lupo Plocenſi Ep. ſuccedit Vitus.

Vniuerſis prouinciis Regni *Poloniæ* ad obedientiam ſuam *Cazimirus Polonorum* Dux & Monarcha, mira celeritate, ingenioque redactis, id primum ſibi Princeps clarus virtute agendum aſſumpſit, vt patriam exquiſitis preſſuris & grauaminibus concuſſam in libertatem & æquitatem vindicaret. Omnes itaque quæ à *Miecslao* fratre ſuo eiuſque Præfectis & Officialibus conſtitutæ erant nouæ datiæ, tributa, telonea, & exactiones, diſſoluit, & abrogat, calumnias reſecat, calu- 1180.

Cazimirus Poloniam Remp. reſtituit.

Sobieslaus poſt duas cum fratre

1180. 1180.

calumniatores aut proſcribit aut igne cauteriſat, & omnia iudicia iniqua, quibus ſubſtantiæ hominum abſorbebantur, eliminat, & ad A recti iuſtique libraminis redigit puritatem. Ad maiores deinde abuſus, qui ex veteri conſuetudine, non inter præuaricationes & vitia, ſed inter leges & iura Regni numerabantur, abolendos, operam ſuam omnem conuertit. Qui quoniam ad Principes & Barones *maioris Poloniæ* peruaſerant, difficiliorem ſibi efficiebant curationem, moleſtè ferentibus Primoribus, ſe ſuis prærogatiuis & commoditatibus priuari. Erat etenim *Polonicæ* genti conſuetudinarium & ſolenne, vt nobiles & militares facientes per Regnum tranſitus, & itinera, non fœnum tantummodo, ſtipulam & palcam, ſed annonam & reliquum victum agreſtibus ſibi dari imperarent, & abnuentium po- B tenti inuaſione, domibus & horreis perfractis, ſuam neceſſitatem licentius explerent, & bona agreſtium non tàm depaſcerent, quam proculcarent. Priuata inſuper negotia exilem interdum neceſſitatem habentia, nobiles & militares diſpoſituri, equos agreſtium in ruris vel campis apprehenſos, per ſe aut ſuos ſatellites conſcenſos, citato & pernici curſu, longa interdum terrarum & locorum ſpatia conficiebant, ex quo equis fatigatis aut irremedicabiliter eneruatis ſæpenumero quoque extinctis vel in remota terrarum ſpatia abductis, interdum etiam ſi probati & præſtantes eſſent, vſurpatis, magna pernicies & egeſtas, agreſtes in opere ſuo neglectos, aut equis priua- C tos ſequebatur. Bona inſuper ſpiritualium decidentium, tàm mobilia, quàm immobilia prædæ, & diræ rapinæ patebant, aut Ducali fiſco mandabantur. Magno itaque conuentu apud *Lancitiam* indicto, quanta mala, quanta homicidia, ex præfatis tribus abuſibus conſurgant, quantis Regnum vaſtetur & affligatur incommodis, quantum præuaricatione huiuſmodi gentilem & barbaram crudelitatem redolentem, offendatur, prouoceturque Deus, in Ducum, Epiſcoporum, & militarium frequenti multitudine edicit. Decreuerunt propterea huiuſmodi abuſus exterminandos eſſe, vt clementiam Dei ſibi efficerent propitiam, & ſe Chriſtianorum Catholicorum Regnorum D ſacris legibus conformarent, ſe enim ſic inſtitutum eſſe ſciant, ſub ſua Monarchia & regimine diutius, tam ſceleratas & prophanas conſuetudines offenſam Dei, & iniuriam proximi, ac Sacrorum notoriam continentes, non eſſe paſſuros. Aderant huic concilio Præſules octo, *Zdzislaus Gneſnenſis, Gedeon Cracouienſis, Zyroslaus Wratislauienſis, Onolphus Cuiauienſis, Cherubin Poſnanienſis, Lupus* iam obiit, *Vituſco Plocenſis, Conradus Camenecenſis, Gaudentius Lubucenſis*, tres Principes, *Otto Poſnanienſis, Boleslaus Wratislauienſis, Leſzko Mazouiæ*, Baronum quoq; & militarium multitudo copioſa, quorum frequentes ſententiæ abolendas conſuetudines iniquas, propter quas diuina indignatio variis infortuniis & aduerſis ſucceſſibus credita eſt *Polonos* percuſſiſſe, decernebant.

& in concilio Lancitienſi

Et ne conſuetudines ipſas contingeret à quoquam in poſterum reſumi, & innouari, omnes illarum aut alterius ex iis autores placuit horrendo anathematis chirographo vinciri. Poſtridie itaque tàm *Zdzislaus Gneſnenſis* Archiepiſcopus, quàm omnes *Poloniæ* Epiſcopi Pontificali amictu induti *Cazimiro Polonorum* Duce & Monarcha, vniuerſiſque Principibus, Baronibus, militibus, & communitate, præſentibus, iubilantibus, gratificantibusq;, & tàm ſe quàm cæteros poſteros in legem & vinculum huiuſmodi ſubmittentibus, in hunc modum pronunciant: *Qui colonorum & agreſtium annonam, aut alias res, vi aut aliquo modo tulerit, aut auferri iuſſerit, anathema ſit. Qui legationis aut neceſſitatis publicæ vel priuatæ occaſione, præterquam ad denunciandum hoſtium in patriam imminentem inſultum cuiuſquam quadrupedem, & iumentum in angaria Poduodarum acceperit, vel accipere iuſſerit, anathema ſit. Qui bona Pontificum aut Eccleſiaſticarum perſonarum decedentium rapuerit, occupauerit, vel diſtraxerit, etiamſi ſit perſona illuſtris, & Regali, Ducali, aut quacunq; alia præfulgeat dignitate, anathema ſit. Qui Epiſcoporum ſpoliatorem, reſtitutione non rehabita acceptauerit, aut raptorum, aut diſtractorum relaxationem raptoribus ſatisfactione legitima non ſatisfaciente, vel præcedente impenderit, velut ſacrilegii particeps & conſentaneus, & qui ambitioni ſuæ & commodis inhiando ſacrilegiis occaſionem præſtiterit, anathema ſit.* Et acclamatione concinna à Ducibus & vniuerſo populo reſponſum eſt: *Amen.* Vt autem tàm ſaluberrimæ conſtitutiones perpetuitatis maius haberent duramentum, ſolerti Ducis *Cazimiri* ordinatione Nuncii ex vtroq; ſtatu *Romam* ad Summum Pontificem *Alexandrum* tertium mittendi deliguntur confirmationē Papalem, quæ conſtitutiones ipſas in ſcriptum reductas, & Ducis *Cazimiri*, Pontificumq;, Principum, & Baronum ſigillis munitas Apoſtolica firmitate perennet, & corpus, oſſaq; alicuius Sancti, quo *Cracouienſis* inſigniretur Eccleſia, obtenturi. Et Nuncii quidē *Polonorum* apud *Tuſculanum Alexandro* Papa offenſo benignè habiti & auditi ſunt, gratiæ præſentē Cardinalium cœtu, ab *Alexandro* tertio *Polonis* actæ, quod peſtifero durante ſchiſmate nationibus & Regnis vicinis, aut claudicantibus, aut obedientiam Antipaparum profitentibus, ipſi conſtanti perſeuerantia ab eius obedientia non deceſſiſſent. Conſtitutiones deinde *Polonorum*, velut iuſtas & religione plenas, & commendat, & confirmat. De dandoque ſacro corpore, benè legatos *Polonorum* ſperare, & ſe *Romam* ſubſequi iubet. Confirmationis autem ſuæ pro reſcindendo ambiguitatis ſcrupulo, exemplar ſubnectit. Cuius à nobis originale in Eccleſia *Cracouienſi* conditum ſæpè attractum & viſum eſt.

abuſus quoſdam abrogat, promulgato decreto,

Ale-

1180.
quod Pontifex R. confirmat.

Alexander Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio Nobili Viro Cazimiro Duci Poloniæ ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ex parte tuæ magnitudinis relatum eſt nobis, quòd de Conſilio Archiepiſcopi & Epiſcoporum Poloniæ, & Principum terræ quaſdam abuſiones & ſolitas iniurias ab Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis amputaſti, conſtituens ne bona decedentium Epiſcoporum amplius confiſcarentur. Conſtitutum eſt etiam, vt ſi quiſpiam in res defuncti Epiſcopi manus iniecerit, vinculo anathematis teneatur, nec præſumat vllus raptorum defuncto Epiſcopo ſuccedere, donec abſolutionis beneficium aſſequatur, ablatis reſtitutis, vel oblatorum congrua æſtimatione præmiſſa. Conſuetudinem autem, quæ à principibus terræ ſeruabatur, videlicet, vt quocumque pergerent pompaticè, inuadentes horrea pauperum euacuarent, etſi inter abſentes aliquid negotioli quandoque contigerit, impii ſatellites diſcurrentes raptos quoſcumque caballos, pauperum agreſtium vel eneruarent in curſu, vel omnino deſtruerent, de Eccleſiaſticorum & ſecularium virorum conſilio emendaſti. Vnde quoniam conſtitutionem tuam iuſtam pariter & honeſtam autoritate noſtra poſtulas confirmari. Nos tuis iuſtis poſtulationibus annuentes conſtitutionem præſcriptam, ſicut in ſcripto authentico ſuper hoc facto habetur, autoritate Apoſtolica confirmamus & petentis ſcripti patrocinio communimus. Sub interminatione anathematis prohibentes, ne quis eam violare aliqua ratione præſumat. Nulli ergo homini omninò liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, aut ei auſo temerario contraire. Si quis autem hæc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ſe nouerit incurſurum. Datum Tuſculani Quinto Calendis Aprilis.

1181.
Miecslaus a fratre terrarum ſuarum reſtitutionem petit.

Excluſionis ſuæ à Principatu & Dominio *Miecslaus maioris Poloniæ* & *Pomeraniæ* Dux agitatus moleſtia, dùm reſtitutionem ſuam armis & potentia effici non poſſe aduerteret, omnem ſpem in fraterna miſericordia & compaſſione Ducis *Cazimiri* reponit, & cùm per Nuncios, tùm per Epiſtolas frequentes eum obſecrat, precatur, & fatigat, *quatenus ipſum cum vxore & filiis exulem amplius eſſe, & beneficia à ſe collata dum eum tenera haberet ætas, obliteratum iri non ſinat. Noſſe ſe, & Cazimirum inficiari non poſſe, quanta charitate, & fide adoleſcentiam ſuam fouerit, vtque à patre negatam ſortem aſſequi, fratre Henrico abſumpto, poſſet, quam enixe inſtiterit quàm frequentibus, & cumulatis fauoribus, & beneficiis eum complexus fuerit. Quod inſuper nunquam illi aliquid negauerit, nunquam moleſtus, grauis, faſtidioſus, & arrogans fuerit, & illum non niſi fratris ſolùm, ſed in filii amaſſet loco, Cazimirumque* his verbis compellabat: *Poteſne*, inquit, *eo animo & ſiccis oculis tuis me vnicum ſuperſtitem germanum natura, ac certè clementia parentem tuum exulem vidare? poteſnè beneficiorum à me acceptorum obliuiſci? poteſnè ferre, vt ego, præ ſenio cernis reſperſum albis capillis caput, cum vxore mea glote tua, tuiſque nepotibus, in meum, & tuum, imò domus noſtræ, & generis grande ludibrium ſtipe aliena ſuſtenter? & meos Principatus, me ſuperſtite, infidus & male de me meritus filius Otto, ſub tui patrocinii vmbra poſſideat? ferreone es pectore, aut ex tygride nactus es præcordia? vt neque te meæ, neque nepotum tuorum conditionis misereat? At ſi tibi nulla communione ſanguinis, nullo beneficio, nulla neceſſitudine obſtrictus eſſem, moueri certè vel ſola mea, & meæ conſortis, filiorumque meorum mecum vnà expulſorum tàm iniuria, quàm calamitate debueras. Recenſe & meorum in te beneficiorum collatorum, recenſe & tuarum ſponſionum, quibus nullo pacto, nulla ratione mea in te beneficia moritura ingeminabas, recenſe & poſtremò iniuriarum, calamitatiſque meæ magnitudinem, & frigeſcentem in te charitatem, vel tot igniculis accende, & in exule, in fratre, imo in parente, quàm nemini alteri negare ſolitus es, deprome pietatem. Quod ſi fortaſſe animum tuum Monarchiæ, ne ab illius ſolio, me reſtituto excludaris ſubit reſpectus, at ego cum iam languido & effœto corpore ſim, & ad publica munera obeunda parum mihi videor idoneus, benè mecum & cum noſtra Republica optimè actum reor, quod tu & animo, & manu ad omnia promptus, iure hæreditario, cum ſis filius mortui, & germanus viuentis, legitimo tempore, dùm à me vtiliter adminiſtrari non poterat, occupaſti. Faueo itaque pro benegerendis rebus patriæ noſtræ, regimini tuo non inuideo, & te ſarte Principatus maioris, & Monarchiæ digniorem video, & iudico, tibique viro forti, imbecillis ipſe animo & viribus de ſolio eius, quo in meam reſtitutionem animi æquioris ſis, cedo, iurique omni noſtro in illo competenti tàm in præſens quàm in futurum me abdico atque renuncio.*

Stupenſis Caſtellania Danis eripitur, & Pomerania Duci ſubiicitur.

Proceres & Barones, vniuerſumque vulgus terræ & Caſtellaniæ *Stupenſis* grauiter & iniquo animo ferentes, ab *Euardo Daniæ* Rege aſſerente ſe, ſicut verum erat ex Regibus & Principibus *Poloniæ* per auiam ſuam originem ducere & genus, terram & Caſtellaniam *Stupenſem*, quam tunc *Wladislaus maioris Poloniæ* & *Pomeraniæ* Dux ſub ſuo regimine tenuerat, per potentiam occupari & annis plurimis ipſo *Wladislao* Duce *Poloniæ* ſuam & totius Regni grandem iniuriam reſcindere negligente, iniuſta occupatione detineri, conſpiratione vnanimiter facta, ne proceſſu dierum occupatio ipſa violenta in iuris & iuſtæ ſubiectionis traheretur neceſſitatem, & ipſi in perpetuam Regis & Principum externorum, cum haberent naturales, & proprios, redigerentur ſeruitutem & ditio-

1181. tionem, ſuperbam & iniuſtam præfati *Euardi* Regis *Daniæ* dominationem peroſi ab ipſo deficiunt, & *Suantopelkum Pomeraniæ* Ducem in A Dominum & Principem ſuum aſſumunt. Cœpit extunc terra præfata & Caſtellania *Slupenſis* Regibus & Principibus *Poloniæ* in temporalibus, Archiepiſcopo vero *Gneſnenſi* in ſpiritualibus, ad quos ex ſua primæua fundatione pertinebat, cuius tunc *Henricus Kietlicz* obtinebat ſedem, eſſe obedienter ſubiecta.

Ad intima pectoris *Cazimiri Polonorum* Ducis & Monarchiæ ſupplicatio fratris *Miecſlai* tàm humilis tamque modeſta penetrauerat, lachrimiſque obortis ſe & exuli, & fratri ſuæq; iuuentutis & orphanitatis patrono compaſſurum teſtabatur, ſed & mutabilitatem fortunæ in eo recognoſcendo mirabatur, quæ illi non Monarchiam ſolùm, ſed & naturales, & B hæreditarios Ducatus ademiſſet. In tàm verò grandi re, proprio nolens vti arbitrio, frequens conſilium aduocat, & de reſtituendo fratre *Miecſlao* apud Senatum verba facit. *Nimis*, inquit, *acerbo animo*, *Proceres*, *Miecſlai Ducis*, *qui mihi vnicus frater relictus eſt*, *exilium fero*, *plurimumque ſuæ*, *& natorum ſuorum*, *qui alterum me parentem exiſtimant*, *calamitatis me miſeret*, *à quo crebro*, *vt illum in ſuam hæreditatem Principatuum reſtituam*, *exoror*, *iusq; Monarchiæ penes me relinquens*, *illi cedit*, *atque renunciat*. *Iuſtam ego*, *Proceres*, *petitionem eius exiſtimo*. *Monarchiæ quoque Principatu ſe abdicanti ſortem hæreditario iure eum concernentem reddi illi æquum cenſeo*, *iniquumque reor*, *ſi eo viuo*, *& ſpirante*, *aut filius eius Otto*, *aut cæteri in eius principentur domino*, *& ipſo calamitate atq; exilio affecto*, *illi glorioſi atque ſplendidi reſulgeant*. Faſtidioſis auribus Ducalis ſermo à Conſiliariis exceptus eſt murmurque mox ſubortum, obſtinatum deinde ſilentium omnes aliquanto tempore tenuit. Tum ſpatio ad conſultandum à Duce petito, ſeceſſione in alium locum facta, adeò conſternatis animis tumultuarioque magis quàm ſcrutinii more, ita vt res parum à iuſta ſeditione differrent, deliberant. Multorum enim ſententiis placebat, & *Cazimirum* ſimili expulſione æque ac *Miecſlaum* percelli, mitigato tandem furore in D hunc modum reſpondent. *In euidens*, inquiunt, *Princeps Illuſtriſſime*, *à te vocamur diſcrimen*, *ſermo quoq; à te de reſtitutione fratrus tui Miecſlai habitus*, *capitale portendit ſupplicium*, *nam in omnium noſtrum exterminium reſtitutq Miecſlaus non deſinit graſſari*. *Vehementer angimur*, *vehementer coarctamur*, *qui probe nouimus iratum Miecſlai animum non ſine carnificina in nobis deprompta*, *quieturum*. *Supereſt vt ſi de reſtituendo Miecſlao ſententiam non correxeris*, *nos omnes aut in voluntarium exilium abituros*, *aut aliqua alia ratione nobis & vitæ noſtræ proſpecturos non dubites*. *Nec noſtræ tantummodo*, *ſed & tuæ timemus parti*, *cum promiſſorum Miecſlaus facile oblitus*, *in tuam etiam machinabitur expulſionem*. Tunc *Cazimirus* Dux Conſiliariorum animos in ſeditionem ſpectantes mitigaturus, mutat illicò decretum, & de reſtituendo fratre *Miecſlao* ſententiam abrogat, Conſiliariisque pollicetur non *amplius ſe de hac re quicquam innouaturum*. Gratias inſuper agit ſingulis, *quod tàm ſinceros*, *fidos & conſtantes eorum erga ſe animos expertus eſſet*. *Miecſlaus* itaque ſenex, his quæ de ſe in Concilio erant acta, *Cazimiri* intimatione cognitis, ad *Fridericum* Imperatorem perſonaliter ſe conferens iniuriarum ſuarum conditione declarata ſuffragio Cæſareo ſe in Principatus ſuos reſtitui deprecatur. Verum dùm *Fridericum* Imperatorem tranſmarino bello, quod in terræ Sanctæ ſubſidium agendum ſuſceperat, aliiſq; grauibus imperii negotiis occupatum intelligeret, in *Poloniam* reuertitur, & maritimæ oræ Principi *Mſczugio* locata filia, eius & aliorum ſibi fauentium fultus auxilio, *Cazimiro* inſuper Duce & Monarcha fauente & conſulente *Gneſnenſe* caſtrum intercipit. Ex quo cætera maioris *Poloniæ* caſtra & munitiones, aut vi, aut deditione conquirit. Filius quoque ſuus *Otto* venia petita, per communes amicos Patri reconciliatus ad ſubiectionem redit. Ita breui tempore *Miecſlaus maioris Poloniæ* Dominia & Principatus ex integro recuperans, adeptus eſt, & *Cazimirus* Dux & Monarcha reſtitutionem ſuam, quam publice efficere nequiuit, clande- C ſtino fauore & ſuffragio conflauit.

Caſimirus Proceres ſuos de reſtituendo fratre conſulit,

qui illam non concedunt,

quare Miecſlaus ipſe maiorem Poloniam ſibi ſubiicit.

Wratislauienſis Epiſcopus *Ziroſlaus* ſecundus cùm annis vndecim ſediſſet, tertio nonas Aprilis de febri moritur. Cui *Franciſcus* alias *Franco* ſuccedit fauore *Boleſlai Alti* Ducis *Wratislauienſis*, *à Petro* ſecundo *Gneſnenſi* Archiepiſcopo confirmatus & conſecratus, qui alio nomine *Suanko* appellabatur *Polonus*, genere nobilis de domo & familia *Prawditarum*.

Ziroſlao Epiſc. Wratislauienſi ſuccedit Franciſcus.

Breſtenſis ciuitatis & Prouinciæ ſupra fluuium *Bug*, ſitæ, nunciata defectio, *Cazimirum* Ducem & Monarcham illicò concitauit ad arma, & tàm equeſtribus quàm pedeſtribus copiis in vnum coactis, celerrimo gradu in *Brzeſcie* perueniens, illam oppugnat, & intra dies duodecim vincit & conquirit, percuſſiſque ſecuri defectionis autoribus, municipium illic oppido imminens conſtruit, ac valido præſidio, vt populares contineantur in fide, impoſito, verſus *Halicienſem* ciuitatem & regionem exercitum ducit, affinem ſuum *Mſcislaum* Ducem, quem fratres ſumpta occaſione falſitatis, quaſi non legitimus, ſed ſubductitius & de iniuſto matrimonio ſuſceptus fuerit, de Regno eiecerunt, reſtituturus. Moleſta pleriſque *Polonorum* Proceribus ea expeditio videbatur, & ægrè in eam militiam procedebant, *quod propriis non contentus externa & iniuſta bella parum felicitatis & commodi habitura*, *tractanda aſſumpſiſſet*. Indi-

1182. *Caſimirus Dux Breſtenſem urbem capit,*

1182. *Indignum inſuper eſſe, vt pro ſpurio & ambigui tori homine in acie, longè à domo ſua ſine donatione decertarent.* Has querelas etſi *Cazimirus* noſſet, per milites ingeminari in caſtris, nil tamen militari rumore motus, promouet exercitum in vlteriora: Iam propè *Haliciam* ventum erat, dieque altera obſidio *Halicienſis* parabatur, dùm ſubitò ab exploratoribus nunciatum eſt, *Wſzeuoldum Belzenſem* & *Wladimirum Halicienſem* germanum *Mſcislai*, Duces, cum omnibus *Ruthenorum* Principibus & Boiaris infeſta acie aduentare, tum iam non ſecreta, ſed aperta *Poloni* in Ducem ſuum *Cazimirum* probra exaggerant, ſed & *Nicolaum Cracouienſem* Palatinum Principem militiæ, quaſi huius belli præcipuum auctorem contumelioſius inſectantur ſermonibus, ſeque ad euidens periculum abductos, & penè *Ruthenis* queruntur proditos. Videbant enim *Ruthenorum* exercitum magnis copiis refertum eſſe, & quaſi in *Polonorum* perniciem vniuerſas *Ruthenorum* Prouincias velut ex compoſito conueniſſe. *Ruthenos* præter odium in *Polonos* inſitum, *Polonorum* conſpecta paucitate, ſuorumque frequentia, & conſulti de futuro belli euentu aruſpices, læta omnia ſibi, *Polonis* triſtia nunciantes in prælium accendebant. *Cazimirus* nil aſpectu & multitudine hoſtium territus, ordinatis aciebus, milites animat, docet *in Ruthenorum multitudine paucis exceptis, vilia eſſe mancipia, & ſi parum adnitantur, facilem victoriam præbitura, ſæpiusque multitudinem à paucitate fuſam extitiſſe.* Ac ſic milite animato, & ſpe victoriæ alacri, ſiniſtro cornu *Nicolao Cracouienſi* Palatino commiſſo dextrum ipſe regens, ſignis canere iuſſis cum hoſtibus congreditur. *Rutheni* clamore ſublato vehementi & ipſi impetu capeſſunt pugnam, durumque certamen inter vtrumque populum aliquanto tempore gerebatur. Iam quoque leuum cornu, cui *Nicolaus* Palatinus præerat, a leuis armaturæ ſagittariis, equis aut confoſſis aut vulneratis retrorſum cœperat referre pedem, dùm *Cazimirus* denunciato ſibi periculo turmam vnam militum in leuum cornu ſubducens, pulſis *Ruthenorum* ſagittariis, prælium reſtituit, ac in dextro cornu *Polonorum* phalanx *Ruthenorum* aciebus diſruptis, proculcatiſque, in cæteras *Ruthenorum* turmas gladios ſtringebat, dùm in leuo cornu *Rutheni* à *Nicolao* Palatino fuſi, pulſique in fugam dilabuntur, ſed nec hi, qui contra dextrum cornu pugnam ſuſtinebant, faciunt moram, metu enim fugientium perculſi, in fugam & ipſi vertuntur. *Wſzeuoldus Belzenſis* & *Wladimirus Halicienſis* Duces, ne in poteſtatem *Cazimiri* venirent, viui equos mutando ſequentium ſe manus euadunt. *Ruthenorum* magnus numerus eo prælio aut occiſus aut captus. Caſtra *Ruthenorum* omnis opulentiæ plena, per *Polonos* iubente *Cazimiro* direpta, caſtrumque *Halicienſe* victori deditum eſt. Qui illud *Mſcislao Ruſſiæ* Duci aſſini ſuo, ſacramento per prius adacto,

& Ruſſos magno prælio vincit.

quod nunquam ſe & *Polonorum* gentem in aduerſis & proſperis deſereret, committens, in *Halicienſe* A Regnum & ipſum de integro reſtituit, rebusq; *Ruſſiæ* ordinatis, in *Poloniam* rediit. Et *Wſzeuoldus* quidem *Belzenſis* Dux è prælio fugiens, in *Belz* caſtrum ſuum cum paucis peruenit. *Wladimirus* verò *Halicienſis* Dux in *Hungariam* diuertit à Rege *Hungarorum Bela* ſuffragium, ſupplementumq; militum & impenſarum pro ſua in *Halicienſem* Ducatum reſtitutione petiturus. 1182.

Gneſnenſis Metropolitanus *Petrus* ſecundus cùm annis duobus & viginti *Gneſnenſem* Eccleſiam rexiſſet, moritur, & in *Gneſnenſi* Eccleſia ſepelitur. Cui *Zdzislaus* Canonicus *Gneſnenſis* nobilis genere *Polonus* de familia & de domo *Kozlerogi* per electionem Canonicam B ſuccedit, à ſummo Pontifice *Lucio* Papa tertio *Miecslao maioris Poloniæ* Duce intercedente prouiſus.

Petro II. Archiep. Gneſnenſi ſuccedit Zdzislaus.

Barones & milites *Bohemiæ* imperium & mores Ducis ſui *Friderici* peroſi, tam in ipſum quàm fratrem ſuum *Ottonem*, variis opprobriis & contumeliis deturpatum, ſeditione exorta, de Ducatu eiiciunt, & *Conradum Morauiæ* Ducem in Principem & Dominum aſſumunt. *Pragam*q; quæ pro *Friderico* per militum ſuorum *Almanorum* præcipuè præſidium tenebatur, obſidione cingentes oppugnant, & per deditionem conquirunt. *Fridericus* autem *Romanorum* Imperator, in cuius tutelam *Fridericus Bohemiæ* Dux ab omnibus ſuis deſertum ſe vi- C dens, confugerat, tàm *Conradum* Ducem, quàm Barones *Bohemiæ* ad ſuum tribunal, *Conrado* tamen Duce vocationem abnuente, de iuſtitia *Friderico* reſponſuros vocat, ſed Barones *Bohemiæ* magna trepidatione ad ſe venientes, *Fridericus* Imperator variis ſuppliciis coram poſitis iubet torquere, quorum metu impulſi, deſerto *Conrado Fridericum* in Ducem reaſſumunt, & nouo ſacramento atque fœdere ſe illi obſtringunt.

In Bohemia pulſo Friderico obtinet Conradus, & paulo poſt iterum Fridericus.

Alexander Papa tertius cùm annis vno & viginti, menſibus vndecim, & diebus tredecim ſediſſet, *Romæ* moritur, & in Eccleſia S. *Petri* ſe- D pelitur. Cui *Lucius* tertius natione *Tuſcus* de ciuitate *Luca* ex nobili proſapia originem trahens, Cardinalis, tunc *Hoſtienſis* Epiſcopus, ſuccedit, ad quem *Cazimirus* Dux & Monarcha *Polonorum*, nouos nuncios fatigat oſſa S. alicuius, de quibus dandis à ſuo prædeceſſore *Alexandro* ſpes facta fuerat, pro Eccleſia *Cracouienſi* precaturos.

Alexandro III. P. R. ſuccedit Lucius.

Reſtitutione ſua ad *maioris Poloniæ* Ducatus 1183.
Miecslaus ſenex parum contentus, etiam vt in Principatum Monarchiæ reſtituatur, magnoperè exæſtuat, variisque vafris & ſubdolis machinamentis, nunc hos, nunc illos Conſiliarios, aut pollicitationibus, aut largitione corrumpendo, conueniendoque reditum ſibi ad Monarchiam conatur extruere; ſæpè quoque cum *Cazimiro* Duce & Monarcha ſponſionis & ceſſionis ſuæ oblitus,

de

1183. de Principatu duris & acerbis ſermonibus patrum à iuſta ſeditione abhorrentibus, contendit, & velut ambitus reum carpit, quod ſe & germanum ſuum natu maiorem ex poſſeſſione Monarchiæ detraxerit, & non legitimo iure illam detineat, occupatam. Et verbis quidem induſtria & aſtu oblitis, *Miecslaus* Dux pro Principatu contendens in arma non veniebat, qui etiam *Cazimirum* Ducem contra ſe arma expedientem nouo ingenio atque arte viribus ſe imparem ſciens, ſi res in dimicationem veniret, placabat. Aſtruens iureiurando ab omni Monarchiæ iure & petitione ſe amplius ceſſurum, cum ſors ſuorum Ducatuum ſibi absque Monarchiæ Principatu longè ſit ſplendidior atque præſtantior, interdum inſuper & per ſe, & per communes Conſiliarios apud *Cazimirum* agebat, vt *Leskone* communi nepote abſumpto, cuius ægritudo in annos aliquot procedens moriturum illum propediem nunciabat, in *Maſouiæ* & *Cuiauiæ* Ducatus *Miecslaus* pro ſui iuris, quod in Monarchia habebat contentatione, ſuccederet. Verum *Cazimiro* abnuente & in extrema bella diuertente, reſumpto dolo ad *Monarchiæ* Principatum aſpirat irrumpere, aſſerens coactis ſe ſponſionibus non teneri. Propoſitum autem animi ſui aliquando tandem conſecuturus, communem nepotem *Leſkonem Maſouiæ* aut *Cuiauiæ* Ducem, cuius tutelam pater *Boleslaus Criſpus* moriturus Duci *Cazimiro* mandauerat, ad ſe, quibuscunque poteſt blanditiis pellicit maximam fore acceſſionem virium rebus ſuis profuturam exiſtimans, ſi *Lesko Maſouiæ* & *Cuiauiæ* Dux à *Cazimiro* Monarcha deſerto in ſuam ditionem concederet. Sciens autem *Leſzkonem Maſouiæ* & *Cuiauiæ* Ducem à *Zira* Comite, quem illi *Cazimiri* Ducis autoritas in patronum & alterum curatorem præfecerat, in ſingulis actionibus dirigi, & omnia illius arbitrio *Leskonis* acta moderari, *Ziram* Comitem non largitione ſolùm, ſed ea præcipuè ſpe illectum, quod ex pacto inter *Cazimirum* & *Miecslaum* inito, Ducatus *Maſouiæ* & *Cuiauiæ* poſſeſſio ſibi poſt obitum *Leskonis* eſſet, tanquam hæredi ſcripto obuentura. *Lesko* itaque Dux præfatus, patroni ſui *Ziræ* Comitis perſuaſus victusque conſiliis, primario & præcipuo ſuo Duce curatore *Cazimiro* deſerto, ad *Miecslaum* transmigrat, & ſuæ ditioni tutoriæque tàm perſonam ſuam, quàm vtrumque Principatum ſuum commendat, eumque Ducatuum & rerum ſuarum omnium ſcribit & deſignat ſucceſſorem, in illiusque fidem militares & ſubditos ſuos iurare compellit. Quæ nouitas etſi *Cazimiro* Duci permoleſta fuerit, iuſtaque ira, & in fratrem *Miecslaum*, & in nepotem *Leskonem*, cuius aſtu & ambitione, & in *Ziram* Comitem, cuius præſidio & deceptione rem nouerat conflatam, accenſus. Motus tamen omnes ſagaciter comprimens, neque *Miecslao* fratri,

Miecslaus Leſzkonem Maſoviæ Ducem ſibi conciliat.

neque *Leszkoni* nepoti, ſed nec eius Curatori *Ziræ* moleſtus eſſe voluit, tacitus quoque, quonam tàm improbi & infidi conatus caderent diſſimulans, oportuno tempore huius ſuæ iniuriæ contemptus correctionem deſtinabat. 1184.

Boleslaus Caſimiri filius moritur.

Obruit & alius æque moleſtus Ducem *Cazimirum* ſub eodem tempore caſus, dum enim filius ſuus adoleſcentior *Boleslaus* nomine, arborem quandam, iocandi gratia, conſcenderet, vipera de ſtipite corruens, & in gula tenera & delicata *Boleslaum* lædens, violenter eum ſuffocat & extinguit, adeo quidem præcipitanter, vt de terra a circumſtantibus ſublatus, neque vocem, neque gemitum ediderit. Cuius tàm ſubitam, & non vulgarem mortem pater illius Dux *Cazimirus* diuturno proſecutus luctu, honeſtis eum in *Cracouienſi* Eccleſia extulit funebriis. Filii autem *Boleslai* deceſſum, quod in meliorem vitam translatus, haud absque diuinitatis ordinatione, cui nequit reſiſti, illam oppetierit mortem, facili & æquo animo laturus de præiudicio, quod illi fratris *Miecslai ſenis Maioris Poloniæ* Ducis in occupandis *Maſouiæ* & *Cuiauiæ* terris intulerat, ambitio, animo & ſpiritu, nec tacitus interdum torquebatur. Quod plerique Conſiliarii Ducis *Cazimiri* contigiſſe hæc illi lætabantur, & quibuſdam exprobrationibus in eum vſi iuſte circumuentum à *Miecslao ſene* differebant, vt experiretur eum hoſtem, quem pro ſuo ſcelere exulem pati non poterat, quaſi reſtitutionem illius *Cazimirus Cracouienſis* Dux leuitate potius, & non commiſeratione, atq; indulgentia fraterna procuraſſe videretur.

Variæ mutationes in Bohemia.

Conrado Morauiæ Duce petitionem Ducatus *Bohemiæ* deſerente, *Venceslaus* filius fratris iunioris *Sobieslai*, à Baronibus *Bohemiæ* rerum nouandarum cupidis, ſuffectus eſt in Ducatum *Bohemicum*. Quorum potentia fretus *Pragam* aliquanto tempore obſedit, conatibus tamen ſuis nullus effectus, *Albanis* pro præſidio relictis egregiè vrbem tutantibus, reſpondet. Interim *Fridericus Bohemiæ* Dux collecto in *Almania* exercitu in *Bohemiam* venit, & *Venceslaum* decertare non auſum, (erat enim *Fridericus* & Germani ſui *Adalberti* Archiepiſcopi *Salcburgenſis*, & *Leupoldi* Ducis *Auſtriæ* vallatus auxiliis ab obſidione *Pragenſi* repellit, obſidioneque ſoluta etiam eos Barones, qui a ſe ad *Venceslaum* defecerant, partim beneuolentia, partim metu ſibi conciliat, & ciuiles motus ſedans *Bohemiam* pacificat.

Tutoriam *Miecslai maioris Poloniæ* Ducis *Leſzko* nepos ſuus *Maſouiæ* & *Cuiauiæ* Dux, in quam malo ſeductus conſilio *Cazimiro* Duce deſerto transmigrauerat, diuturno tempore non tulit. Nec abs re, *Miecslaus* enim valetudine *Leſzkonis* attenta, ſuſpicatus illum propediem moriturum, non curatorem ſe, ſed Principem gerere cœpit, & in caſtris ac municipiis *Maſouiæ* deſtitutis antiquis, ſuos præfectos & officiales inſtituit. Ex quo facile *Leſzko* Dux & patronus eius 1184.

1184. *Zira* Comes ſe, & autoritatem ſuam contemptum & diminutum iri perpendit. Mox deinde in vehementem pœnitentiam actus transgreſſionis ſuæ facinus ampliora incommoda veritus, à *Miecſlao* ſuboritura reſcindere curat, & ad *Cazimirum Cracouienſem* Ducem cum *Zira* Comite primiſque *Mazouiæ & Cuiauiæ* proceribus, perſonaliter vſque *Cracouiam* ſe conferens reatum ſuum humi proſtratus ſibi, & ſuis humili ſupplicatione petit ignoſci. *Non ſe amplius* ſpondens *contra Maieſtatem patrui ſui & Patris ordinationem exceſſurum.* Excuſſit ea vox *Cazimiro* Duci lachrimas, nam cum ſuapte clementia præditus eſſet, tùm calamitoſorum & opem ſuam, culpa recognita, implorantium deprecatione facile frangebatur. *Leſzkone* cum ſuis aſſurgere iuſſo, plurimum illum primum quod ſe deſeruiſſet, quod paternam ordinationem temeraſſet, quod tranquillam & felicem vitam pati nequiuiſſet, blanda caſtigatione pene grauatus obiurgat, deinde quod in facinore & exceſſu ſuo non perſeuerauit, ſed peregrinatus magis fuerit, commendat, ac poſtremò omnem ex animo offenſam complectens, & oſculans nepotem relaxat, muneratumque in Ducatuum ſuorum ſedes remittit. Qui ex *Cracouia* reuerſus, inſtitutos à *Miecſlao* Capitaneos & præſides excedere iuſſit ſuoſque inſtituit. Eaque ordinatione, qua ſibi ſucceſſorem *Miecſlaum* Ducem ſcripſerat, reuocata, paternam ordinationem ratam eſſe voluit, illi quoque & ſuæ voluntatis robur, vt nemo præter *Caſimirum* illi ſuccederet, adiecit. Barones quoque & Proceres ſuos ordinationem ipſam caſtè ſeruaturos nouo Sacramento adixit.

Leſko ad Caſimirum redit.

Turba varia in Ruſſia.

Iaroſlao *Izaslawic Kiouienſi* Duce obeunte *Suantoſlaus Czernieiouienſis* Dux ſuccedit. Sub eodem tempore quatuordecima Iunii *Michalko* Dux *Wladimirienſis* obiit. Cui frater ſuus *Wſzeuoldus* in omnes Ducatus ſuccedit. Quem *Mśćiſlaus Rośćiſlawic* à ſedibus, quæ illi obuenerant, turbaturus, cum *Roſtowciis* contra illum inſurgit, & victus a *Wſzeuoldo* in *Roſtow*, & deinde in *Nouogrod* refugit. Ea autem victoria *Wſzeuoldus* erectus, vadit contra Ducem in *Reſſan*, habens in comitatu ſuo non proprias tantummodo gentes, ſed & duos filios *Suantoſlai Wſzeuoldowic Kiouienſis* Ducis *Olbam & Wladimirum*, & nepotem ſuum *Wladimirum Chlebowicz*, Ducem *Pereaslauienſem. Chleb* autem Dux *Reſlanenſis* callido vſus conſilio, aſſumptis ſibi in ſolatium ſuis *Polowciis* in terram *Wladimirienſem* propere acceſſit, & illam incendiis cædibus, & ſpoliis adeò crudeliter afflixit, vt Eccleſias, monaſteria & miniſtros eius, omnibus ſpoliis, & contumeliis affecerit. Ea nouitate ſibi Dux *Wſzeuoldus* denunciata, feſtinè ex *Reſſanis* rediens, cum *Chleb* & *Polowciis* confligit, ipſoque non ſine vtriuſque partis cæde magna deuincit, & *Chleb* Ducem *Reſlanenſem* & filium ſuum *Romanum*, & fratrem vxoris illius *Mśćiſlaum Rośćiſlawic*, & duos nepotes illius *Mśćiſlaum* & *Iaropelkum* & omnem eius militiam captiua. *Polowcos* verò delet, occidit, & trucidat. Proceſſu deinde temporis *Chleb* Ducem *Reſſanenſem* in carcere mori fecit. Nepotes verò illius *Mśćiſlaum* & *Iaropelkum* cœcauit, cæteros liberos dimiſit. 1184.

Lucius Papa tertius aſſiduis ſupplicationibus *Cazimiri* Ducis & Monarchæ *Polonorum*, etiam apud prædeceſſorem ſuum *Alexandrum* tertium, ad exauditionis gratiam admiſſis, volens ſe præſtare morigerum corpus *B. Floriani* eximii Martyris, Duci præfato & *Cracouienſi* Eccleſiæ donandum decernit, cuius donatio etiam miraculo diuinitus oſtenſo comprobata eſt. Summus ſiquidem Pontifex *Lucius*, vt veteranorum etiam vſq; in tempora noſtra deriuata fert relatio, ſacrarium quod plura Martyrum corpora continebat ingreſſus, quis illic quieſcentium Sanctorum *Poloniam* migrare vellet, inquiſiuit. Ad quam vocem, ſeriò ne an ioco, incertum eſt, à ſummo Pontifice prolatam, ex tumba, in qua corpus ſacrum *B. Floriani* conditum erat, manus protenſa, ſummo Pontifici vocitanti deſignantis & indicantis ſe apparuit donarique *Polonis*, & Eccleſiæ *Cracouienſi* huiuſmodi manus protenſione corpus ſuum deſignauit. Quo quidem miraculo tùm ſibi oſtenſo, *Lucius* Papa commonitus, minus cunctanter corpus *B. Floriani* Martyris *Polonis* & Eccleſiæ *Cracouienſi* tribuit, & in ampliorem, tam Sancti quam *Polonorum* honorem oſſa corporis Sancti per *Egidium Mutinenſem* Epiſcopum, Duci *Polonorum Cazimiro*, & *Cracouienſi* Eccleſiæ deſtinauit. Qui *Cracouienſem* vrbem 6. Calendas Nouembris cum ſacro onere perueniens, à Duce *Cazimiro*, & *Gedeone* Epiſcopo *Cracouienſi* omnibuſque ſtatibus & ordinibus obuiam illi, ad ſeptimum lapidem euntibus, ſummo honore, ſummaque iubilatione, & gratulatione exceptus eſt, ouantibus ſingulis, quod *Polonis* nouus ſuffragator & patronus diuina propitiatione acceſſiſſet. Et quia Eccleſia *Cracouienſis* celeberrimi martyris corpore & depoſito fuerit illuſtrata & decora (in eam etenim corpus præfatum ſub frequentia ingenti populorum in locum depoſitum eſt) & altius ſplendido decore funiculos ſui ornamenti, longè latèque extendit, & porrexit. In honorem autem Martyris Beati Baſilica illi pulchro ac ſumptuoſo opere, extra *Cracouienſes* muros à *Gedeone Cracouienſi* Epiſcopo in hanc diem diuinitate propitia perſeuerans, extructa eſt, Et *Egidius* Epiſcopus *Mutinenſis* à Duce *Cazimiro* & *Gedeone Cracouienſi* Epiſcopo magnificis onuſtus muneribus *Romam* remiſſus, ab eoque tempore in S. *Floriani* decus & memoriam cœperunt Poloni tam militares, quàm ciuiles, & agreſtes filios ſuos in baptiſmo hoc nomine inſignire. Fundat & *Cazimirus Poloniæ* Monarcha in Eccleſia præfata in honorem noui hoſpitis B. *Floriani*, nouum Prælatorum & Canonicorum,

Corpus B. Floriani a Pontifice Cracouiam mittitur.

1184. rum, atque Vicariorum Collegium, & illud villis & decimis à *Gedeone Cracouienſi* Epiſcopo precario impetratis dotat. Præpoſituram A ex reditibus Eccleſiæ Parochialis in *Rupella* ordinans, omnes Canonicas horas pſalli in ea, reſque diuinas agi inſtituit.

Fridericus Bohemiæ Dux eò quod *Bohemiæ* Ducatum ſibi nitebatur ſurripere, de *Conrado Morauiæ* Duce vltionem ſumpturus, fratrem ſuum *Premislienſem* dato ſibi ex pedite & equite exercitu copioſo, in *Morauiam*, vt illam flammis & ſpoliis humiliet, & diſperdat, transmittit. Qui ea incendiis & rapinis peruaſtata, *Conrado* ſecum, cum viribus inferior eſſet, congredi non auſo, in *Bohemiam* rediit, ſed & *Theobaldum* fratrem ſuum *Fridericus* ipſe de *Bohemia* in exilium egit, conſortium ſuum abhorrens, & præſentiam ſibi ſuam ſuſpectam exiſtimans ſtatui ſuo turbationem allaturam. B

1185. *Halicienſis Dux a Caſimiro deficit,*

Triennio vix penè exacto *Mſcislaus* Dux *Halicienſis* à *Cazimiro Polonorum* Duce & Monarcha (*Wladimiro* profligato & eiecto, atque in *Pannonias* acto) in Dominium & Principatum *Ruſſorum* reſtitutus, ſuis *Ruthenis* moleſtus eſſe & exoſus eſſe cœpit, quod & eorum non ferebat pleroſque abuſus, & vitia, & in *Polonorum* milites apud ſe conſiſtentes, parum de ſuis confidens, largitione & gratia propenſior, quam in *Ruthenos* videbatur. Primores itaque *Ruthenorum* in eius necem, hi præſertim qui *Wladimiri* exulis partes ſectabantur, conſpirant, quam cum vi aperta diſcrimen ſuum veriti efficere nequirent, (quippe *Mscislaus* C fidis corporis cuſtodibus ſeptus ſine periculo à carnificibus non poterat adiri) veneno clam propinato innocentem extinguunt. *Polonorumq́;* militibus, qui in obſequiis *Mscislai* verſabantur eiectis, arce *Halicienſi* occupata, pro *Wladimiro* in *Hungariam* mittunt, vt adueniret celerius, & aduerſario ſublato Principatum ſuum repeteret. Lætus eo nuncio *Wladimirus* rem ad Regem *Hungariæ Belam* defert, rogatque, vt qui exulem in dubiis & fractis rebus exceperat, tenuerat, aluerat, eundem rebus confirmatis & feliciorem ſortem nactum dignaretur militum equorum & ſumptuum ad repetendum Ducatum releuare præſidio, cum *Cazimiri Polonorum* Ducis ſciret ſibi inſidias & D hoſtilitatem imminere. Qui morte *Mscislai* comperta *Romanum Wladimiriæ* Ducem in eius locum ſubſtituendum ad *Haliciam* transmiſerat. *Bela* autem *Hungariæ* Rex ad vſurpandum pro ſe & *Hungariæ* Regno *Halicienſem* regionem opportunum tempus veniſſe ratus, *Wladimirum* exulem in vincula coniicit, filium verò ſuum *Andream* cum ſuis copiis equeſtribus & pedeſtribus in *Ruſſiam* dato mandato, vt quàm celerrimè arcem *Halicienſem* occuparet, transmiſit. *Rutheni* qui *Halicienſe* caſtrum tenebant, omnium eorum, quæ à Rege *Bela Hungariæ* gerebantur ignari, ſed & captiuitatis Ducis ſui *Wladimiri* expertes *Andream* filium *Hungariæ* Regis, velut rerum ſuarum ſuffragatorem magno plauſu excipiunt, & in caſtrum *Halicienſe*, *Wladimirum* enim ſe præceſſiſſe fingebant, intromittunt. Qui ſuarum gentium multitudine facilè *Ruthenorum* paucitatem vincens, *Halicienſe* caſtrum occupat, excluſiſque *Ruthenis*, nonnullis verò qui ad nouandas res videbantur procliues, capite mulctatis, tàm caſtrum, quàm *Halicienſem* Ducatum in ſuam redegit poteſtatem. Et perſonalem illic faciens reſidentiam Ducalem in *Halicienſes* iuriſdictionem exercet. Omnia tamen officia in *Hungaros*, cùm *Ruthenos* ambiguæ fidei homines diceret, diſtribuit, & omnia per *Hungaros* adminiſtrat, à veneno quoque quam maximè cauet, quo *Mscislaum* nuper nouerat interiiſſe. *Rutheni* vbique ſe oppreſſos, vbique contemptos & perditos cernentes, tacitis & clandeſtinis tractatibus, queruntur, & Duce ſuo *Wladimiro* capto etiam ſe ſub iugum miſſos deplorant, & ſcelus ſuum in *Mscislaum* admiſſum altero ſcelere luunt.

1185. *cius autem regio ab Hungariæ Rege occupatur.*

Vigeſima Septembris *Gedeon Cracouienſis* Epiſcopus vir magnæ religionis, & in ſuam Eccleſiam atque Rempublicam magni zeli, moritur, cum annis viginti ſediſſet, & in *Cracouienſi* Eccleſia ſepelitur. Hic plures decimas manipulares menſæ Epiſcopalis *Cracouienſis* duobus monaſteriis *Andrzeiouienſi* & *Miechouienſi*, perpetua donatione contulit, ſingulari deuotione quoniam vtrumque monaſterium à militibus & nobilibus *Griphonum*, à quibus ipſe genus & originem ducebat, fundatum erat, attractus eſt. Succeſſit autem *Gedeoni Fulko*, qui in *Polonico* vulgari *Pelka* ſolet dici, Canonicè electus, genere *Polonus*, ex nobili ſtirpe & domo, quæ crucem geminatam ſagitta impoſita defert pro inſigni, & de vulpibus appellatur, trahens originem. Confirmatio tamen ſua propter *Lucii* Papæ, qui anno inſequenti diem obiit, deceſſum, & propter nonnullas cauſas vltra annum vnum fuit protelata.

Gedeoni Cracouienſi Ep. — *ſuccedit Fulko.*

Anno eodem monaſterium *Koprzywnienſe* in *Cracouienſi* diœceſi per *Cazimirum Polonorum* Ducem fundatum & dotatum eſt, & fratribus *Ciſtercienſis* ordinis conſignatum, ad cuius ampliorem dotem, nobiles & militares de armis *Bogaria* & *Habdank*, aliiſq; domibus & familiis nonnullas villas, ſortes & prædia deuotè contulerunt. *Cazimirus* quoque Dux primarius fundator, oppidum *Koprzywnica*, iuxta quod monaſterium ſitum eſt, eidem cœnobio contulit, cum omni iure dominio & proprietate, concedens oppido præfato & villis eidem monaſterio collatis & conferendis, ab omni onere & ſeruitute plenam libertatem. Fratres quoq; ordinis Ciſtercienſis ex monaſterio *Morimundenſi* ſumptos, in præfato monaſterio locauit, fabricauitq; Eccleſiā quadro lapide, eamque S. *Floriano* Martyri nouo hoſpiti dicari procurauit. Primarius tamen poſt *Cazimirum* Ducem fuit Comes *Nicolaus Bogoria*, qui frequen-

Koprzywnicenſe monaſterium fundatur.

1185. quentiores villas in præfatum monaſterium contulit.

Pugna inter Bohemiæ & Morauiæ Duces.

In *Conradi* Ducis *Morauiæ* odium *Fridericus Bohemiæ* Dux *Moraniam* altera vice vaſtaturus, *Przemyslaum* fratrem ſuum cum amplioribus copiis transmittit, data commiſſione & mandato, vt *Morauiæ* regionem quàm latius poterit,populatione extenſa exterminet, ſecus tamen,quàm rebatur,ſucceſſit *Conradus* enim *Morauiæ* Dux, & ſuorum *Almanorum* fretus potentia, *Przemyslao* & *Bohemico* exercitui in loco,qui *Ludowicz* appellatur, occurrens, pugnam conſerit. In qua vtraque parte pro victoria adnitente, infeſtis armis longo tempore pugnatum eſt. Strage quoque maxima vtrinque edita,cùm de *Bohemis* & *Morauis* primi Proceres occidiſſent,incerto Marte, cruento tamen diſceſſum eſt.

1186. *Leſzko Maſouiæ & Cuiauiæ Dux moritur, hæredem relinquens Caſimirum.*

Cruciatus & exhauſtus diuturno morbo & languore *Leſzko Maſouiæ* & *Cuiauiæ* Dux filius *Boleslai Criſpi*,neque enim diebus aut menſibus,ſed annis aliquot ægritudo ſua tendebatur,cùm ſe propediem abſumi proſpiceret,pernicibus nunciis miſſis, *Cazimirum* Ducem & Monarcham *Poloniæ*, patruum ſuum germanum ad ſe videndum viſitandumque inuitat. Quo in *Plockum*, vbi *Leſzko* decumbebat, adueniente,vtriusque Ducatus aduocatis Proceribus, eos Duci *Cazimiro* commendat. Caſtra quoque & munitiones ſibi reſignat, ac non multo poſt ſacramentis omnibus,vt Duci Catholico conuenientes erat perfunctus;animam exhalat. Cuius corpus *Cazimirus Polonorum* Monarcha in *Plocenſi* Eccleſia in choro ſepeliens, diebus aliquot funebrem celeritatem ſacrificiis & eleemoſinis proſequebatur. Et quoniam *Leſzko* Dux præfatus nullam ex ſe prolem reliquerat, & *Cazimirus* Dux & Monarcha *Polonorum*, tàm Patris *Leſzkonis Boleslai Criſpi*, quàm *Leſzkonis* teſtamento hæres ſcriptus erat,morte *Leſzkonis* ſecuta,*Maſouiæ* & *Cuiauiæ* Ducatus poſſidere cœpit. *Miecslaus* autem *maioris Poloniæ* Dux, etſi exinde ſe iniuriatum ſentiret, & læſum iri quereretur, cùm ex iure ſanguinis,& iure teſtamenti, dimidia Ducatuum prædictorum portio,ex morte nepotis germani ad illum iuxta atque *Cazimirum* recidiſſet, potentiam tamen *Cazimiri*, & Baronum, atque militarium in ſe odium ſecum reputans, ſola querelarum ingeminatione ſuam iniuriam proſequens, ab armis, quibus ſe inferiorem non ignorabat,abſtinebat. Vnde extunc & vsque ad hæc noſtra tempora, quemadmodum propitia diuinitate in ſubſequentibus monſtrabimus,cùm ex aliis Principatibus & Regionibus *Polonorum* filii & nepotes *Cazimiri* prædicti varia rerum mutatione defectioneque defluxiſſent, in *Maſouiæ* tamen Ducatu *Cazimirus*, per ſuccedentem lineam nepotes etiam in diem hanc retinet Principatum.

Arnoldo I. *Poſnanienſi Ep. ſuccedit Mrokota.*

Decimo octauo Calendis Februarii *Arnoldus* primus *Poſnanienſis* Epiſcopus,cum annos nouem in Pontificatu exegiſſet, à dyſenteria vexatus moritur, & in *Poſnanienſi* Eccleſia ſepelitur. Cui *Mrokota* cuſtos *Poſnanienſis* per Canonicam electionem ſuccedit, ab Archiepiſcopo *Gneſnenſi Zdzislao* confirmatus & conſecratus, *Miecslai maioris Poloniæ* Ducis accedente fauore & conſenſu.

Duces Bohemiæ pacem faciunt.

Fridericus Bohemiæ & *Conradus Morauiæ* Duces, per communes Barones & arbitrios conuentu in *Kunic* habito, pacificati ſunt, & vterque Principatus à ciuili clade ſolutus.

Facta eſt autem eo anno in ſole eclipſis notabilis,quam magna hominum peſtis atq; mortalitas morbo epidimiæ abſorbens multos mortalium, fuit ſubſecuta, quæ in *Polonorum Ruthenorumq;* regiones ſæuiebat.

Lucio III. P. R.

Lucius Papa tertius cùm annis quatuor, menſibus duobus, diebus viginti quatuor ſediſſet *Veronæ* moritur,& illic ſepelitur. In cuius tumba tale Epitaphium, quo ortus proceſſus,& exitus ſuus, deſignanter deſcriptus eſt.

Luca dedit lucem tibi Luci,Pontificatum,
Oſtia, Papatum Roma, Verona mori.

Aduerſæ deinde ſententiæ ponuntur metra & quaſi quoddam primorum apologeticon.

Imò Verona verum dedit tibi viuere,Roma
Exilium, curas Oſtia, Luca mori.

ſuccedit Vrbanus III.

Fuit autem præfatus *Lucius* Papa *Friderico* Imperatore agente & cooperante, *Roma* pulſus, quo in *Veronam* diuertente, multi de ſuis officialibus & familiaribus à *Romanis* capti cœcantur, & mitrati ſuper aſinos auerſis vultibus ligantur. *Lucio* autem *Vrbanus* tertius ex Patre *Ioanne* natione *Lombardus* Epiſcopus *Mediolanenſis Veronæ* electus ſuccedit, qui nonnullas ſimultates & odia cum Imperatore *Friderico* geſſit. Is ante Papatum *Hunbertus* nominabatur.

1187. Carcerales moleſtias *Wladimirus Halicienſis* Dux apud *Belam Hungariæ* Regem, in quas illum iure hoſpitii fœdato, quo tutior filio ſuo *Andreæ* occupatio *Halicienſis* Ducatus proueniret,coniecerat,biennio propè exacto perpeſſus,cùm ſolutionem ſuam difficulter prouenturam metiretur, animum ad ingenia vertit, cuſtodesque ſuos magnis promiſſionibus inescatos corrumpit, & vincula carceris euadens his ipſis cuſtodibus, qui licentiam euadendi præſtiterant fugæ comitibus, & greſſus ſuos dirigentibus, ad Ruſſiam peruenit. Caſtrumque & Ducatum ſuum *Halicienſem* tentans irrumpere, ab *Hungaris*, quorum in caſtro *Halicienſi* validum præſidium cum Rege *Andrea* erat, repulſus, incertis itineribus, non habens ſedem, in qua perſiſteret, per *Ruthenorum* regiones, velut vagus, & profugus rotabatur. Collecta ad eum erat rapto viuere aſſuetorum, aut ære alieno, & pro ſcelere damnatorum manus, tum qua & *Ruthenorum* circumuicinas regiones, prædas

1187. *Wladimirus Halicienſis Poloniam vaſtat.* prædas agens, infeſtabat, ſed nec *Polonorum* regio ab eius tyrannide tutior fuit. Circa feſtum ſiquidem Aſſumptionis *Mariæ Poloniam* A frugum collectione, & meſſe occupatam irrumpens, omnem circa *Premisliam* conſiſtentem oram ſub ditione *Polonorum* tunc conſtitutam inuadit, & ſingulis vim hoſtilem inferens, templa, oppida, vicos, villas, ſpoliat, aut exurit, matronas ingenuas, & nobilium ſponſas, & natas aliquantamque agreſtium multitudinem captiuat, & verſus *Kiow* prædam huiusmodi celeriter transportat, eaque venundata, infelicem ſuam & ſuorum ſuſtentat & explet famem. Non tulit *Cazimirus Polonorum* Dux & Monarcha ſuorum captiuitatem & cladem ſed dato *Nicolao* Palatino *Cracouienſi* exercitu, *Wladimirum* ex *Kiouienſi* ora, nusquam conſiſtere, aut congredi auſum, propellit, ſuosque B captiuos, partim armis, partim pretio exoluit, & in libertatem reſtituit. Non quieuit tamen *Wladimiri Halicienſis* Ducis rabies, ſed in ſilvas *Alpesque* inuias cum ſuis ſe transferens, illis pro præſidio vtebatur, rugientemque ſuam, & ſuorum eſuriem vicinarum regionum ſpoliis, ſuſtentabat.

Tartarorum cum Presbytero Iohanne bellum. *Tartarorum* genus & natio ex *Armenis*, quibus tam in vultus ſimilitudine, quàm linguæ identitate communicat, ortum ducens, priſcis quidem temporibus orbi ignota erupit. Quæ cum propè ciuitatem *Coroczoram*, ad plagam aquilonarem in campeſtribus absque vicis & vrbibus habitaſſent Regi *Bubam*, qui *Ioannes Presbyter* appellabatur, tributum ſoluens, in C gentem maximam ſe videns creuiſſe, proprium Regem de ſua ſtirpe *Tinchis* nomine, virum magnæ induſtriæ ſibi creat, cuius ductu vicinas regiones inuadens ſibi ſubiicit, in eamque virtutem conuenientibus vndiq; qui in variis regionibus ſeruiebant ad famam noui Regis, *Tartaris*, creuit, vt ipſius Regis quandam *Ioannis Presbyteri* filiam cum miſſis Nunciis nouo Regi depoſceret in vxorem. Qui illorum petitionem peroſus dum illos ad ſolitum tributum cogere ſtatuiſſet, indicto bello congreſſus, ab eis victus & occiſus eſt. Ab illo quoque tempore in validiſſimum robur natio *Tartarorum* cœpit protendi.

1188. Nusquam terrarum *Wladimirus Halicienſis* Dux propter recens & iniquum facinus, quo D in *Cazimirum* Ducem & Monarcham regionemque *Polonorum* deliquerat, tuto conſiſtere auſus, vtpote quem *Cazimirus* etiam per inuia loca, & in quæ ſe abdiderat luſtra, ad necem & captiuitatem ordinabat inquiri, ſceleris commiſſi pœnam debitam penſurus, veritus ne in periculum, ad quod quærebatur, incideret, per crebros Nuncios *Cazimirum* Ducem humillimis precibus, & tandem data veniendi ſecuritate, per ſe ipſum proſtratus humi interpellat, *vt facinori ſuo atque errori veniam tribuat, & dementiæ ſuæ propitiationem illi impendat, fidum & obſequioſum ſeruitorem atque amicum, vt qui priorem transgreſſionem geminata fidei puritate reſarciat, habiturus.* Ea humilitate 1188. A & prece *Cazimirus* expugnatus, *Wladimirum* infeſtum hoſtem in amicum ſuſcepit, & ſuæ grandi in *Poloniam*, atque in ſe, præuaricationi facile ignoſcit. Et cum ſatis ſuperque fuerit culpam remittere, adiicit tamen clementiæ, magnam beneficii exhibitionem, frequenti enim congeſto comparatoque exercitu, & in ſidem atque poteſtatem *Nicolai* Palatini *Cracouienſis* commiſſo, in *Ruſſiam* illum deſtinat, exulem *Wladimirum* & prædonem hoſtemque ſuum ad Ducatum *Halicienſem* reſtituturus. In ludibrium ea expeditio apud exteras nationes habebatur, quæ impoſſibile cenſebat *Pannoniorum* Regem *Belam* & filium eius *Andream* ea tempeſtate armis viribusque, & omni rerum B abundantia potentem, ex *Halicienſis* Ducatus poſſeſſione à *Polonis* poſſe depelli. Sed & *Poloniæ* Barones eam expeditionem moleſtè ferebant, militesque ægrè in militiam ibant dolentes amicum & vicinum Regem indigna hoſtilitate percelli, & hoſtem inuiſum amico non ſolùm iuxta poni, ſed præferri. *Nicolaus* itaque Palatinus *Cracouienſis* cum *Polonorum* exercitu *Wladimiro* etiam exule ſecum eunte ad *Halicz* perueniens, caſtrum *Halicienſe*, in quo *Andreas* filius *Hungariæ* Regis ſe cum *Hungaris* incluſerat, obſidione vallauit. Et coactis agreſtibus, caſtella munitionesque in circuitu ædificat & corona caſtrum anguſtat, magna cura prouidens, ne quid ad obſeſſos, nouerat e- C nim caſtrum exiguè victualibus prouiſum eſſe, poſſet inferri. Reficiebat *Hungaros* magna ſpes *Belæ* Regis, quem cum magnis copiis venturum, & obſidionem propediem ſoluturum, cum ad id per aliquot nuncios ſolicitatus fuerit, non ambigebant. Verùm cùm obſeſſi primùm fame marceſcerent, tandem deſperatio tarde ſibi lati à Rege *Bela* ſubſidii animos inceſſit, propter quod ad *Nicolaum* Palatinum *Cracouienſem* Principem militiæ miſſis caduceatoribus, de caſtro dedendo pacem componunt, pacti, vt incolumibus omnibus in perſonis & rebus liceret excedere. In conſtituto quoque die caſtro reddito in *Hungariam* datis D à *Nicolao* Palatino, ne quid hoſtile pati eos contingeret, ductoribus qui ad metas proſequerentur abeunt. *Nicolaus* Palatinus feliciter expeditione perfunctus caſtrum *Halicz* Duci *Wladimiro*, ita enim à Monarcha *Polonorum Cazimiro* iuſſus & doctus erat, reſtituit, iureiurando obſtricto, vt tam ipſe quàm ſucceſſores ſui Ducibus *Poloniæ* ſubiecti, & ſinceriores ſint, & in eorum ſubiectione atque obedientia perpetuo, quicumque arma contra illos ceperint, perſeuerent. Maximam hæc expeditio *Hungarorumque* ex *Halicz* depulſio *Cazimiro* apud *Ruthenorum* nationes peperit laudem, & pauorem ſui Principatus in omnes diffudit, efferentibus cum ſingulis quòd Regis *Hungarorum Belæ* manus euaſit, qui hoſpitem & amicum

Cazimirus cum Wladimiro miro reconciliatur,

quem capta Halicz in Ducatum ſuum reſtituit.

cum

1188. cum cœperit, de Ducatuque ſuo eiecerit, quem *Cazimirus* quamuis infeſtum hoſtem clementia ſua erexerit, atque in ſuum Ducatum fatigatis occupatoribus reſtituerit.

Saladinus Hieroſolyma occupat.

Saladinus cognita Chriſtianorum Regum & Principum, qui ad ſubueniendum terræ Sanctæ transfretarunt, diſceſſione, & eorum qui remanſerant diſcordia, fortiſſimo exercitu congregato *Hieruſalem* obſedit, & quatuordecima obſidionis die Idibus Octobris per deditionem, non enim ſe amplius ciues muris per machinas deiectis ſuſtinere poterant, cepit. Vxores autem & filiæ *Hieroſolimitanorum* militum Chriſtianorum qui in bello capti fuerant, ad *Saladini* præſentiam admiſſæ, ediderunt lugubrem eiulatum. Inquiſita cauſa reſpondent *ſe amiſiſſe viros, ſibique poſſeſſiones ablatas*, petebant *ſibi per miſericordiam ſubueniri.* Ille pietate motus eos qui ſupereſſent captiuos reddi, puellisque pecuniam ex theſauro ſuo dari iuſſit.

Vrbano III.

Vrbanus Papa tertius conſternatus ſuper Sanctæ Ciuitatis *Hieroſalem* captione magna triſtitia & dolore, languoreque graui corripitur, miſſisque Nunciis ad *Fridericum* Imperatorem, qui illum pro recuperatione terræ ſanctæ celerem agere expeditionem monerent. Paucis poſt diebus, cùm anno vno menſibus decem, diebus quindecim ſediſſet, nimio conſternatus dolore, moritur & in *Ferraria* ſepelitur.

& Gregorio VIII. PP. RR.

Cui *Gregorius* octauus natione *Beneuentanus* qui & *Albertus Vrbani* Papæ Cancellarius à Collegio Cardinalium concorditer electus ſuccedit. Qui cum menſem vnum & dies viginti ſeptem ſediſſet, compoſita inter *Ianuenſes* & *Piſanos* pace vt recuperationi terræ Sanctæ potentiis vnitis fortius intenderent, *Piſis* moritur, & ſepelitur.

ſuccedit Clemens III.

Cui *Clemens* tertius natione *Romanus* ex Patre *Ioanne* ſuccedit.

1189.

Expulſionem filii ſui *Andreæ*, *Bela Hungariæ* Rex ex caſtro & Ducatu *Halicienſi* moleſtè ferens, omnem culpam tam acerbæ ſuæ iniuriæ in *Cazimirum* Polonorum Monarcham retorquet, & multifariis querelis dolorem ſuum ingeminat. Aſſerens *ſe ab amico ſuo non diffidato Cazimiro Polonorum Duce vehementi iniuria violatum, & ex poſſeſſione caſtri & Ducatus Halicienſis præter ius, faſque & contra fœdus, quod Hungariæ & Poloniæ Regna vetuſto tempore obſeruabant, detractum.*

Bela Poloniam,

Nec querelis ſolùm ſed & armis iniuriam ipſam pro viribus cenſet vlciſcendam, & exercitum gentium ſuarum ad fines *Poloniæ* tranſmittens, eam vaſtatione & ſpoliis perturbat, præſidiumque militum in caſtris finium pro laceſſendo Regno *Poloniæ* locat.

Caſimirus Hungariam inuadunt.

Sed nec *Cazimirus* Dux ſegnius id bellum à *Bela Hungariæ* Rege motum repellit, nam & per ſe & per præfectos Capitaneosque *Hungariam* ingreſſus, eam viciſſitudinario more per flammas & ſpolia ſubiicit vaſtitati, & prædas magnas ex illa in *Poloniam* deportat. Ad prohibendas quoque ſubitas *Hungarorum* inuaſiones & inſultus, præſidia militum in locis crebris ponit, lento tamen gradu & animo remiſſo id bellum inter *Hungaros* & *Polonos* gerebatur, vitabaturque dimicatio. Sed ſoli mercatores & agreſtes eo premebantur, ægreque *Polonorum* milites hanc militiam, & eius munera obibant, ferebant querelas & murmura, non legitimum bellum Ducem ſuum *Cazimirum*, cum Regno vicino & amico pro hoſte & transfuga nulli Principi fido ſuſcepiſſe. 1189.

Polonicam Eccleſiam *Clemens* Papa tertius in membris & in capite reformaturus, & pro impenſis ad defendendam terram Sanctam, cuius recuperationem magno ardore zelabat, ſubſidium à Clero *Poloniæ* percepturus, *Ioannem* Cardinalem cognomine *Malabranka Poloniam* transmittit. Qui *Cracouiam* primùm perueniens à *Cazimiro* Duce & *Fulkone* Epiſcopo omnibusque ordinibus honore proceſſionis exceptus, ſynodum omnibus Prouinciæ *Gneſnenſis* Epiſcopis in ciuitate *Cracouienſi* indixit, & aliquas conſtitutiones ad reformandum clerum promulgauit, & tàm Epiſcopis, quàm vniuerſo Clero, pro recuperatione terræ Sanctæ decimam impoſuit. Hunc *Cazimirus Polonorum* Dux & Monarcha comiter pertractans, magnificis illum, & ſe dignis honorat muneribus.

Poloni decimas dant pro expeditione in terram S.

Fridericus Romanorum Imperator à tribus Summis Pontificibus ſollicitatus, congregata inſigni & potenti militia & innumerabili Nobilium & vulgarium turba, gubernatione Imperii *Henrico* filio commiſſa, per *Pannoniam*, *Bulgariam*, & *Graciam*, tàm nauali, quam terreſtri itinere verſus terram ſanctam in eius recuperationem proceſſit.

Fridericus I. Imp.

Cumque mari ſtricto, apud S. *Georgii* brachium ſuperato, in *Armeniam* filio Imperatoris *Friderico* Duce *Sueuiæ* in fronte exercitum præcedente perueniſſent, & maxima ſpes recuperationis omnes mulceret, Dominico die Imperator *Fridericus* ſudores loturus, in flumen, quod ab incolis fretum vocatur, tenues vndas habens, prohibentibus eum multis deſcendit, & ſubitò ſine vndarum rapacitate, ſiue quòd veriſimilius eſt neruis frigeſcentibus, militibus, qui ſecum vnà in flumen deſcenderant, nequicquam ſuffragantibus, ſuffocatus eſt.

in Armenia moritur,

Cuius corpus repertũ à filio ſuo *Friderico* in *Tyrum* delatum illic iuſto honore ſepultum eſt. Vir largus, ſtrenuus, facundus, & in decidendis quæſtionibus iuſtitiæ zelator ſeueriſſimus. Chriſtianorum autem, & cruce ſignatorum exercitus in Imperatoris *Friderici* locum filium eius *Fridericum* virum miræ ſtrenuitatis ſubſtituit, & eo Duce primùm *Antiochiam* vbi octo hebdomadis immoratum eſt: deinde *Tripolim*, *Sur*, & *Alkonor* proceſſit, & hoſtes occurrentes victorioſè conflixit: verùm peſte in exercitu graſſante, dum plures nobiles & vulga-

1189. vulgares abſumpſiſſet. *Fridericus* etiam ipſe Imperatoris filius vnica exercitus Catholici ſpes & ſolatium decedit. Ex cuius & aliorum A Principum militum, & peregrinorum morte tàm ſumptuoſa, & inſignis expeditio, & terræ ſanctæ recuperatione irritum. Mortuus eſt autem *Fridericus* Imperator anno Imperii 33. Regni verò 30. Cui filius eius *Henricus* concorditer ab omnibus electus ſuccedit, *Aquiſgrani* per *Colonienſem* Archiepiſcopum 15. Aprilis coronatus.

ſuccedente filio Henrico.

Fridericus Bohemiæ Dux moritur.

Fridericus Bohemiæ Dux eodem etiam anno in *Praga* obiit, & vniuerſorum *Bohemorum* fauore *Conradus Morauiæ* Dux accepit Principatum. Ita ſub vno anno & penè eodem tempore tres *Fridericos* morte immatura vides deceſſiſſe & fatalem illis annum ipſum fuiſſe.

1190. Diſſidium inter *Hungariæ* & *Poloniæ* Re- B gna, ex *Halicienſis* Ducis *Wladimiri* per *Cazimiri Poloniæ* Ducis reſtitutionem exortum, communes Regnorum Barones & Conſiliarii antequam amplius inualeſceret, in metis Regnorum conueniunt, pluresque inter ſe differunt tractatus, vnaquaque partium cauſam ſuam iuſtiorem affirmante. Et *Hungari* quidem ſe, & Regem ſuum *Belam* de *Halicienſis* Ducatus poſſeſſione armis quæſita querebantur depulſos, *Poloni* ex aduerſo *Halicienſem*, & cæteras *Ruſſiæ* regiones ad ſe pertinuiſſe, tributiſque & obſequiis ſuis ſubiacuiſſe refellebant. Concertatioque ſtudiis partium in dies aliquot tendebatur pacisque reformatio difficilis viſa eſt. Quapropter ad reſcindendum vlteriorem diſſidii proceſſum, treuga per trien- C nium ab vtraque parte accepta & firmata eſt, ea conditione interpoſita, vt treuga pendente, noui ineantur de pace reſtauranda tractatus, & communes Conſiliarii in eundem rurſum locum odiis abrogatis pacem ſtabilem compoſituri conueniant.

Induciæ inter Polonos & Hungaros.

Liuoni conuertuntur.

Miciricbardo primo Epiſcopo *Liuoniæ* ad flumen *Dzwinæ*, vbi nunc caſtra *Iokol* & *Dolei* ſituata ſunt, verbum Dei prædicante, gentes *Liuoniæ* fidem Chriſti ſuſcipere cœperunt.

Vnelpho Wladiſlauienſi Ep. ſuccedit Stephanus.

Vnelphus Wladiſlauienſis Epiſcopus, cùm annis decem & paulò amplius *Wladiſlauienſem* Eccleſiam rexiſſet, moritur, & in veteri Eccleſia *Wratiſlauienſi* ſepelitur, cui *Stephanus* natione *Almanus* per electionem D Canonicam, dùm eſſet *Wladiſlauienſis* Præpoſitus ſucceſſit, à *Cœleſtino* Papa tertio *Romæ* Cazimiro Duce & Monarcha *Poloniæ* conſentiente, confirmatus, & ibidem iuſſu Papæ conſecratus.

1191. *Halicienſis* Ducis *Wladimiri*, qui *Poloniæ* fines hoſtili inuaſione vexauerat, per *Cazimirum* Principem & Monarcham *Poloniæ* in Principatum *Halicienſem* reſtitutio ante biennium, vt in ſuperioribus explicauimus, facta, nemini Baronum *Poloniæ*

Caſimiro in Ruſſia degente

ſatis placebat, clandeſtiniſque colloquiis & tractatibus reſtitutionem ipſam frequenti ſugillatione & vſurpatione carpebant, *virum morte dignum non ſolùm punitione aliqua caſtigatum, ſed etiam honore & dignitate auctum, rem pernicioſi exempli fore, & ad capita ſua tandem redundaturam. Ea enim vaſtatione & impunitate cæteros Ruſſiæ Duces in Poloniæ incurſionem accendi, & ſuam vaſtationem, tàm cumulato fauore promoueri, animarique omnium.* Itaque Baronum *Poloniæ*, quorum 70. Principales erant, re huiuſmodi alienatis, offenſiſque animis, ſeditio contra *Cazimirum* Ducem gliſcere, & tandem in rebellionem apertam aſpirare cœpit. Principatumque *Cazimiri* ob præfatum nefas perosi, *Miecslaum ſenem maioris Poloniæ* Ducem, a ſe alias excluſum in *Cracouienſem* Ducatum & Monarchiam, qui & ipſe reſtitutionem ſuam omnibus ingeniis ſollicitabat, reſtituendum decreuerunt, tempuſque componunt. Exceſſerat in id temporis *Cazimirus* Dux in *Ruſſiæ* partes quædam negotia inter *Romanum Wladimirienſem* & *Wſzeuoldum Belzenſem* Duces, de finibus enim ſuorum Ducatuum contenderant, compoſiturus. Id optimum tempus *Cracouienſes* Barones ad exequendum propoſitum rati, *Miecslaum ſenem* literis & nunciis accerſunt, vt inſuper Nobilium & ciuium atque vulgarium animos in reſtitutionem *Miecslai ſenis* facilius inclinent, fingunt *Cazimirum* Ducem in *Ruſſiæ* partibus veneno propinato interiſſe. Sub hac itaque ſpe *Mieslaus ſenex* cum filiis, Baronibus & militibus *maioris Poloniæ* *Cracouiam* adueniens, ab omnibus ordinibus, vniuerſiſque Baronibus, & nobilibus, & ciuibus, debito honore & fauore exceptus eſt, & tàm ciuitas *Cracouia*, quàm omnia caſtra & municipia in circuitu traduntur eius ditioni, vnus ſolus *Fulko Cracouienſis* Epiſcopus cum *Nicolao* Palatino *Cracouienſi* germano ſuo de armis *Vulpium*, à conſiliis & rebellione militum alienus, & reſtitutioni *Miecslai* aduerſus, ne arx *Cracouienſis* in poteſtatem *Miecslai* veniret, prouidebat. Nouam itaque arcem *Miecslaus ſenex*, ex lignis balneatis extruit, & fortiſſimis roboribus breui ſpatio communit, caſtrum etiam in *Bohemia* ædificat, & aliquantum in *Cracouia* perſeuerat. *Cazimirus* autem *Poloniæ* Dux & Monarcha nouitatibus huiuſmodi intellectis, illicò *Cracouiam* cum *Polonorum* paucis, & cum *Romano Wladimirienſi* & *Wſzeuoldo Belzenſi* Ducibus, & *Nicolao* tunc Palatino aduenit. Cuius aduentu *Miecslaus Senex* audito *Poſnaniam* refugit, *Boleslaum* tamen filium & *Henricum Kietlicz* militem, qui illi recuperationem Monarchiæ crebris ſermonibus ingerere ſolitus erat in *Cracouienſi* caſtro, quod nuper erexe-

Miecslaus ad recipiendam Monarchiam aduocatur.

1191. rat, cæteriſque caſtris & municipiis, & militum forte & frequens præſidium reliquit, reſiſtentiam *Cazimiro*, donec ipſe cum nouo A militum ſupplemento præſidium ferret, oppoſituros. Verùm *Cazimirus* Dux pro accepta à fratre *Miecslao* iniuria fremens & frendens, dùm *Cracouiam* adueniſſet, caſtrum à *Miecslao* erectum, concurrente ad eum, tàm militum, quàm agreſtium multitudine, & de ſuo reditu atque bona valetudine gratulante, nocte & interdiu oppugnat, & fatigatis defenſoribus, nonnullisq; peremptis tandem conquirit. *Boleslaus* etenim filius *Miecslai ſenis* parum ſpei in defenſione fratris reponens, & ſeipſum & caſtrum quod tuebatur in poteſtatem & gratiam *Cazimiri* patrui ſui tradit, ſed & cætera caſtra atque munitiones, quæ in ditionem *Miecslai ſenis* conceſſerant, illicò ditioni *Cazimiri* reddita ſunt. B Et *Cazimirus* quidem Dux ea victoria modeſtiſſimè vſus, caſtrum nouum incendit, & funditus exterminat. *Boleslaum* autem nepotem ſuum & omnes militares *Miecslai ſenis* illic captos, ad libertatem reſtituit, & benignè habitos ampliſſimè inſuper muneratos, in propria remittit. Solus *Henricus Kietlicz*, cuius conſilio conſtabat *Miecslaum ſenem* regi, & ad recuperandam Monarchiam impelli, & qui omnis diſſenſionis ciuilis inter fratres fuerat occaſio, ad Eccleſiã maiorem, & in eius criptam, ſceleris ſui conſcius, ibi ſe latere poſſe exiſtimans confugerat, ibique latitabat. Cùmque irrumpentibus *Ruthenis*, ſuper muros Eccleſiæ, animo & intentione res & clenodia Eccleſiæ, C omnemq; ſuppellectilem diripiendi tumultus fieret, clamores à ſacerdotibus & miniſtris Eccleſiæ & *Polonorum* gentibꝰ, attolluntur ad *Cazimirum* Ducem, & eius patrocinium, vt Eccleſiam *Cracouienſem* à *Ruthenorum* inuaſione & expilatione defendat, certatim imploratur. Qui accedens inſultum *Ruthenorum* compeſcuit, & res Eccleſiæ, ne ab eis diriperentur animosè defendit. Interea *Henricus Kietlicz* ex cripta tumultu audito, egreſſus, cateruis vulgi tanquam ignotus permixtus, de caſtro nitebatur, & ſperabatur effugere, quod cùm facere nequiuiſſet, captus ad *Cazimirum* Ducem deducitur, quem Dux probris confuſum & alapis cæſum, Duci *Romano* in captiuitatem tradit, & D ne amplius inter fratres ſeminarium futuri diſſidii eſſet, ipſum in exilium in *Ruſſiam* relegat, vbi conſeneſcens moritur, *Romanum* autem *Wladimirienſem*, & *Wſzeuoldum Belzenſem* Duces cum *Ruthenorum* copiis quoniam ſibi tulerant auxilia in *Ruſſiam* remittit. Vt autem tam clemens tàmque liberalis in *Boleslaum* nepotem cæteroſque deuictos *Cazimirus* eſſet, autor fuit *Zdzslaus Gneſnenſis* Archiepiſcopus, vir præter inſitam facundiam raræ & ſingularis induſtriæ. Qui *Cazimirum* Ducem vt in *Boleslaum* nepotem, & ſingulos *Miecslai* milites, non tàm clemens, quàm munificus eſſet, docens, ſi ſecus ageret, bellum atrox iterum inter ſe, & fratrem *Miecslaum* exoriturum, ſi modeſte ſe gereret, penitus ceſſaturum, facilè peruicit. Nec Pontificem *Gneſnenſem* opinio feſellit, *Miecslaus* enim *ſenex* Dux *maioris Poloniæ*, tanta *Cazimiri* Ducis clementia & liberalitate magis, quàm armis expugnatus, omnium iniuriarum, quas à *Cazimiro* pertulerat, obliterata memoria, in puram & integram mediatoris optimi, præfato *Petro Gneſnenſi* Archiepiſcopo vicem agente, concordiam & reconciliationem rediit, ac ipſum de cætero mira charitate & veneratione coluit, nec eo ſuperſtite ad mouendum bellum pro recuperanda Monarchia poterat induci.

quem tamen ſtatim repellit Cazimirꝰ,

& in captos clemens eſt.

Clemens Papa tertius cùm annos tres, dies ſedecim ſediſſet, *Romæ* moritur, & in *Laterano* ſepelitur. Cui *Cœleſtinus* tertius natione *Romanus* ex Patre *Petro Bubonis* ſuccedit, qui in feſto Paſchæ conſecratus, ſecundo die ſui Pontificatus *Henricum* filium *Friderici* Imperatoris in Imperatorem *Romæ* coronat, accepta Imperiali benedictione, in *Siciliam* diſtracta & occupata recuperaturus, exercitum *Henricus* Imperator tranſmiſit, & *Neapolim* obſidione trimeſtri ſpatio coartat, ex epidimia, quæ exercitum ſuum vexauerat, multis abſumptis, diſceſſit.

Conradus Bohemiæ Dux moritur, & in *Praga* ſepelitur. Poſt cuius obitum *Venceslaus* filius *Sobieslai* ſenioris accepit Ducatum, quem cùm menſibus tribus tenuiſſet, à *Przemislao* filio olim *Wladislai* Regis patruo germano ſuo de ſede Ducali pulſus in confinibus *Serbiæ*, à Marchione *Serbiæ Adalberto* captus, & in vincula coniectus eſt. *Przemislaus* verò, quia & ipſe à militibus *Bohemiæ* ſpretus, & expulſus fuerat, magnam partem *Bohemiæ* ſpoliis & incendiis vaſtauit. Imperator autem *Henricus* notabilibus proceribus & militibus à morbo epidimiæ ſpoliatis, cùm & ipſum languor peruaſiſſet, diſcedere ex *Sicilia* cum paucis in *Almaniam* coactus eſt, *Conſtantia* filia Regis *Siciliæ* in conſortem deſponſata.

Eclipſis ſolis anno eodem nono Calend. Iunii accidens à tertiis vſque in nonas durauit.

1192. Plenam & ſinceram *Cazimirus Poloniæ* Dux & Monarcha reconciliationem cum fratre *Miecslao ſene maioris Poloniæ* Duce, omnium denique terrarum ſuarum, & Principatuum ſtatum pacificum, conſecutus, ad vlciſcendum fratris *Henrici* primi *Sandomirienſis* Ducis, & exercitu *Polonici* fraude à *Prutbenis* locorum iniquitate circumuenti mortem, animum intendit, & contra *Prutbenos*, quibus ad id vſque temporis ſpatium impunita fuerat eorum praua temeritas, omnibus copiis bellum geſturus, omnibus terris & Principatibus *Polo-*

Caſimirꝰ expeditionem in Pruſſiam ſuſcipit,

1192. *Polonorum* expeditionem indicit. *Miecſlaus Senex Poſnanienſis* Dux, filium *Boleſlaum* cum exercitibus in eam expeditionem transmittens A domi remanſerat. *Boleſlaus* verò *Altus Wratiſlauienſis* & *Miecſlaus Ratiborienſis* Duces nepotes *Cazimiri*, & filii olim *Wladiſlai* perſonaliter proficiſcuntur. Cum autem ſingulæ copiæ ad oppidum *Thorun* ſuper *Wiſlam* ſitum conueniſſent, aciebus ordinatis, in *Pruſſiam* cauteloſo & explorato gradu, ne quis dolus à *Pruthenis* iniiceretur proceſſum eſt, flumineque *Oſſa* ſuperato, vsque ad interiora penetratum, ſumma quoque cura, ſumma diligentia, & ſtatiuis eligebantur loca, & ne in pabulatores, irruptiones à *Pruthenis* fierent, ne quis inſuper locus ſua iniquitate detrimento *Polonis* foret, *Cazimirus* Dux tàm per ſe, quam per præfectos prouidebat. *Prutheni* cum *Polonorum* copiis congredi non auſi, aut in paludes, aut in nemorum denſitates, inuiaque loca, quæ ſine periculo non poterant adiri, refugerant. *Polonos* tamen locorum iniquitate frequenter intercipere ſatagebant. Quos cum *Cazimirus* Dux *Polonorum* ad pugnam elicere non poſſet, & vaſtationem agrorum, & incendia vicorum longè lateq; iuſſit extendi, & tàm puberes quam impuberes necari. Ingens itaque trucidatio, vt ſuorũ interfectorum manibus parentaretur, non tàm propter Ducis Imperium, quam ob iuſtam iram edita, Barones pacẽ petere coegit. Venerunt ſiquidem *Pruthenorum* maiores, & ad pedes *Cazimiri* in terram prolapſi miſericordiam precabantur, rogantes, *vt ferro parci mandaret, &* C *miſerandas eorum delere non pergeret reliquias, ſatis ſe pœnarum pro temeritate eorum intuliſſe,* offerentes *ſe, & ſolita & retenta tributa pendere, & quæcunque legitimè imperarentur, implere.* Quorum precibus *Cazimirus* Dux motus, & cædem & exuſtionem iubet reſcindi, retentaque tributa coram offerri, & obſides centum dari, captiuoſque & ſigna intercepta reddi. Nec morantur barbari, ſed omnia imperata perficiunt & mandatis obediunt, *Cazimirumq;* Ducem ſingularibus donis placabilem ſibi effecturi honorant. Ita *Cazimirus* clade ſuorum vlta, obſidibus quoque *Pruthenorum*, & tributis receptis ampliſſima laude militibus eum efferentibus, quod prouidè & proſperè D *Pruthenicum* bellum geſſerit, cum magna ſua & ſuorum alacritate in *Poloniam* finibus Regni recuperatis, remeauit.

ſed Pruthenis ſupplicibus pacem dat,

Saladinus moritur

Saladinus Babyloniæ Rex poſt occupatam, permiſſione diuina, & pro ſcelere humano terram Sanctam, poſt multifariam Chriſtianorum ſtragem, dum apud *Damaſcum* decumbens mortem ſibi ſenſiſſet imminere, vocauit ſigniferum ſuum, dicens. *Tu qui ſolebas ferre vexilla mea in bellorum, quæ geſſi, congreſſibus, fer vexillum mortis meæ, panniculum videlicet vilem, ſuper lanceam clamitando per totum Damaſcum: Ecce Saladinus Rex orientis moriturus, non fert ſecum ex omni gloria ſua niſi hunc panniculum vilem,* & ſic mortuus eſt.

Caſtigata, & ad ſeruitutem tributariamque conditionem *Pruthenica* regione per *Cazimirum* Ducem & Monarcham *Polonorum* redacta, ad res Hungariæ componendas, bellumq; quod treuga ſuſpenſum erat, extinguendum, opera vtrinque nouata eſt, & conuentio primum in regnorum metis, quemadmodum triennio ante, per communes Conſiliarios inter eos conuenerat, celebrata eſt. Pro parte Regni *Poloniæ Fulko Cracouienſis* Epiſcopus, *Nicolaus Cracouienſis* Palatinus, & cæteri *Polonorum* Conſiliarii, pro parte verò *Hungariæ* Regis *Strigonienſis*, & *Agrienſis* Pontifices, cum Palatino *Hungariæ*, & nonnullis aliis B Baronibus conueniſſent, multiplici tractatu irritatos animos pacificant, ſanciuntque, vt *Bela Hungariæ* Rex ſuo ampliſſimo *Hungariæ* regno contentus Regiones *Ruthenorum* ad *Poloniæ* Regnum ſpectare permittat. Conueniunt deinde perſonaliter *Bela Hungariæ* Rex & *Cazimirus Poloniæ* Dux & Monarcha in *antiqua villa*, & omnibus offenſis atque iniuriis hinc inde remiſſis, fœdus dudum inter *Hungarorum* & *Polonorum* Regna ſtabilitum, iureiurando innouant, & amicitias communes ſincerè & integrè coli, & tam proſperos quàm aduerſos ſucceſſus, viciſſitudinaria relatione participare debere decernunt, & eo fœdere inito, muneribus inuicem datis, diſcedunt. 1193.

Pax inter Hungariæ Regem & Poloniæ Ducem.

Pragenſis Epiſcopus *Henricus* Ducalem & ipſe ducens ſtirpem, vt cognati ſui *Præmiſlaus* in *Bohemia*, *Wladiſlaus* in *Morauia* Principatum gererent, apud *Henricum* Imperatorem non precibus ſolùm, & gratia, ſed largitione atque promiſſione obtinuerat, ſeque pro promiſſa Imperatori pecunia vadem poſuerat. Quæ cùm in tempore conſtituto non redderetur, & Imperator cùm ob id, tùm quia *Premiſlaus Bohemiæ* Dux cum ſuis hoſtibus Principibus *Saxoniæ* fœdus contra illum inierat, *Præmiſlao* infenſus eſſet, *Henricum Pragenſem* Epiſcopum tunc apud ſe præſentem de Ducatu *Bohemiæ* inueſtit, & *Bohemiam* ad principandum remittit. Verum etſi Barones *Bohemiæ* ſe conſtanter *Præmiſlao* Duci contra *Henricum* Epiſcopum *Pragenſem*, adhæſuros adſtrinxiſſent, *Henrico* tamen *Pragenſi* Epiſcopo *Bohemiam* cum *Almanis* & nonnullis *Bohemis* intrante, omnes *Præmiſlao* deſerto, ad *Henricum Pragenſem* Epiſcopum deficiunt. Propter quod *Præmiſlaus*, ne à ſuis traderetur in carcerem per fugam ſibi vix conſulere potuit. *Henricus* Epiſcopus *Pragam*, quæ pro *Præmiſlao* tenebatur, obſidione cingens, quinto tandem obſidionis menſe eam per deditionem accepit.

Henricus Ep. Pragenſis fit Dux Bohemiæ

Compoſita ab intus, & extra pace, & ſubactis, quæ dudum auerſa erant, in obedientia & tributum nationibus, *Cazimirus Polonorum* 1194.

1194. Dux & Monarcha celebris & feliciſſimus apud proprias & exteras gentes habebatur, vtpotè, qui atrociſſima bella armis & ingènio proſpere geſſiſſet, vnde illum in felicitate parem genitori ſuo *Boleslao Krzywouſty* nonnulli deſtinabant, quieturum ſe de cætero, & reliquum vitæ tempus in pace exacturum ratus, ad res vrbanas inſtaurandas, quæ ſub curſu præcedentium bellorum, aut deprauatæ, aut neglectæ erant, animum intenderat, omnem operam pro condendis & ornandis caſtris & vrbibus deinceps nauaturus. Sed fatorum inuidia oppreſſus, & propriũ propoſitum, & ſpem ſubditorum, iam de altera felicitatis ſorte nimia alacritate plaudentium non impleuit, ne humanam felicitatẽ ſupergrediens, & triumphator magnificus, & inſtaurator magnanimus cenſeretur. Nam cùm *Cracouienſi* Vrbe iuxta conſuetum morem diem S. *Floriani* patroni loci, & regionis, ſub magna deuotione, feſtiuitateque ſolennes, & ſe dignas oblationes & oſtias offerens, exegiſſet, pauperesque *Chriſti*, & perſonas miſerabiles, Ducali munificentia pauiſſet, in ſubſequenti S. *Gottardi* die Pontifices, Barones, & Primos *Poloniæ* honore menſæ excepit. Vbi inter prandendum ſub magna animorum hilaritate venère in mentem priores expeditiones, laboresque, & priores frequentesque de hoſtibus ſub *Cazimiri* auſpiciis relati triumphi, venère euitata ſuperataquè pericula, & ſubſequuta tempora emerita & tranquilla, ſub quibus ſe, & ſecuros & beatos gloriabantur. Omnium tamen felicitatum & gloriarum ſuarum ſplendorem in *Cazimirum* Ducem & Monarcham ſuum referebant, cuius ductu & auſpiciis tantum felicitatis nacti eſſent, & bella domi foriſque proſpere geſiſſent. Cùm itaque ſinguli magnificis epulis opipare tractati, diſcedere parabant, *Cazimirus* Dux quaſdam pontificibus de ſtatu & immortalitate animæ, de beatorum beatifica fruitione quæſtiones proponens, & ſcrupuloſius quo poterat obſcurarum latentiumq; rerum circumſtantias exquirens, modico exhauſto poculo retrorſum elapſus, ſubita vt ferunt virtute corruptus veneni, amiſſis ſenſibus concidit, & ſub paucis horis ingraueſcente morbo expirauit. Morbo nonnulli extinctum credidere, nonnulli veneno quod illi à quadam *Cracouienſi* muliere, vt illum ad ſui inflammaret amorem & Venerem, ferebant propinatum. Monitus ſiquidem à *Fulkone* Pontifice *Cracouienſi*, quoniam vitare adulterii facinus non horrebat, mortis ſubitæ per venenum incurrit diſcrimen. Ex ſuo autem tàm ſubito & inopinato occaſu, fletus ingens, tùm à conſorte & duobus teneris filiis *Leszkone* & *Conrado*, tùm à Pontificibus & militibus in Regia coortus, etiam in Vrbe exaudiebatur. Illum *Ducem egregium*, illum *victorem propitium*, illum *iuſtum iudicem*, illum *ſeuerum malis, placabilem bonis, exterminatorem grauaminum & abuſionum, latorem optimarum legum, inſtauratorem deniquè & patrem patriæ* crebra ingeminatione, & *comploratu* appellabant. Quarto die comparatis omnibus, quæ ad funebrias illuſtriſſimi Principis neceſſaria viſa ſunt, in *Cracouienſi* Eccleſia regales illi maximo ſumptu atque apparatu exequiæ habitæ ſunt corpuſque ſepulchro, in chori latere ædificato, manibus militum iuſto honore tumulatum. Singulari probitate, modeſtia, frugalitate, cæteriſque id genus animi humani ornamentis conſtat illum in omni vita operam dediſſe, impenſius, ob morum ſuauitatem, felicitatemque naturæ ab vniuerſis ordinibus magno deſideratus affectu.

Caſimirus moritur,

Funeralibus exequiis ritè peractis, ad ſubſtituendum nouum Principem frequens *Cracouiæ* conuentus indictus, & habitus eſt. In quo de ſurrogando Principe diebus aliquot, variis diuerſiſque votis certabatur. Et *Fulko* quidem *Cracouienſis* Epiſcopus ad milites & multitudinem oratione habita, perſuadebat fortiſſima ratione, *nulla cunctatione in eligendo Principe vtendum fore, ſed ex duobus Cazimiri filiis attentis beneficiis, quæ in patriam contulerat, alterum in ſolium paternum quantò celerius, & antequàm caliditas Miecslai ſenis, & aliorum Ducum ſedem Cracouienſem ambigentium, quicquam in aduerſum moliri poſſit, euehendum, pendendaque Cazimiro optimo Principi meritorum ſuorum & in patriam, & in ſingulos viciſſitudo. Qui etſi domino vocante morte præoccupatus ſit, in duobus tamen filiis, etſi non completam, optimam tamen & ſingularem indolèm, & quæ patrem expreſſura, habentibus viuit. Sed neque patriæ ſtatum ſine Principe, velut apud gregem ſine parente duraturam ſtare, neq; ſuas & patriæ res, legesque ſaluas & incolumes fore, ſi proprio Principe, & apud ſe educato contempto, in alterius tranſeant ditionem. Hisq; & aliis eleganter propoſitis, maiorem natu Cazimiri filium Leskonem decernebant ſubſtituendum.* Huius ſententiæ cum & Senatus, & maior pars militum aſſenſi forent, vnus ex Baronibus negauit *rem boni moris & exempli exiſtere, vt ad gubernandum magnas nationes & populos puèr ſurrogaretur, & infantilis, atque inexperta ætas forſitan vel proceſſu temporis deliratura, vel in regimine Principatus erratura, maturis & prudentibus imperet, illiusque imprudenti regimine, ſtatum patriæ, & ea quæ à Cazimiro parta ſunt, euerſum iri, & regiones, quæ tributa pendunt, ad rebellionem reuerti, opportunitate nacta contingat, placere ſibi, vt patriæ magis conſulat, quàm pueris, & pro bene regendis rebus patriæ eiusq; quieti, & ſtabilimento, aut Mecislaus ſenex maioris Poloniæ Dux, qui & ipſe obtinendi Monarchiam potior iure, quàm Cazimirus nuper mortuus cenſebatur, aut Miecslaus Opolienſis & Ratiborienſis Dux ſuffitiatur, cum ſub alterius ex his Principatu & regimine ſperandum ſit patriam meliores, quàm ſub puero effectus habituram.* Probabant

in cuius locum poſt varia vota 1194.

babant

1194. babant nonnulli ſententiam taliter deprom-ptam, & pedetentim in illam ibant & plures veriſimiliter concedebant in illam, prima quæ à *Fulkone* Epiſcopo explicata erat deſerta, ni idem *Fulko* Epiſcopus *Cracouienſis* ſententiam ipſam refellendo demonſtraſſet, *ea, quæ Baro diſſeruiſſet, tùm demùm vera fore, vbi ius electionis, ius ſucceſſionis, non perimeret. In præſenti verò conſilio, quo tantummodo de iure ſuccedendi non eligendi quæſtio ventilatur, rationes & propoſitiones propoſitas, locum legitimum non habere, cùm acerbum nimis durumque ſit, quandam quoque inhumanam redoleret tyrannidem, & crudelitatem, ſi filiorum Ducis Cazimiri ad iuſtam ætatem breui peruenturorum hereditas externo hereditanda traderetur, cùm diuina Canonica & Imperiali lege filiis non adultis ſolùm modo, ſed etiam poſthumis paternæ portionis ſucceſſio debeatur. Pro retinenda verò ſalute patriæ, pro manutenenda eius autoritate, pro benegerendis eius rebus, repellendiſque aduerſitatibus, quid vetat curatores, prouiſoreſque eligi? Et illis tàm filiorum Ducalium, quàm patriæ ſalutem & regimen mandari? Cùm Reges & Principes frequentius per adminiſtratorias poteſtates, & magiſtratus, quàm per ſeipſos etiam virilem ætatem conſecuti, Regna & Principatus adminiſtrent.* Accepta eſt hæc Pontificalis ſententia, & omnibus quæ in contrarium allegabantur, abrogatis, conſurgunt Proceres, & milites, & voce cœlotenus emiſſa acclamant, *viuat, viuat, Leſzko Dux & Rex noſter in æternum.* Ac gradu concito, in talamum ingreſſi, puerum ſplendidè exornatum, alba cæſarie eum venuſtante, propter quam & *Albus Leſzko* nuncupationem ſortitus eſt, in publicum educunt, atque in ſede paterna collocatum Principem conſtituunt, duoſque ſibi & Principatibus ſuis Curatores, videlicet *Fulkonem* Epiſcopum *Cracouienſem* & *Nicolaum* germanum ſuum Palatinum *Cracouienſem* deligunt, & illis ſe, donec Princeps adoleſcat in ſingulis parituros obſtringunt. De hac autem Baronum & militum vniformi concordia, omnium pectora magna exultatio peruaſit, gratulantibus vniuerſis pro mortuo Principe oliuam tàm ſpecioſam ſibi proluxiſſe. Quam *Nicolaus Cracouienſis* Palatinus vir ea tempeſtate plurimum oculatus, & induſtrius amplius firmaturus, (nouerat enim vulgares animos facilè aura frangi, & auerti) primum quidem omnibus in commune gratias agit, pro patriæ, & filiorum Ducalium ratione habita quod dignum ſe & honeſtum Reipublicæ ſtatum formare ſtuduiſſent. Et tandem vt in eo ſeruando, cuſtodiendoque conſtantes eſſent, ne in illius præuaricationem animo fierent procliui, ab vno quoque iuramenti ſacramentum exigit. *Conradus* verò minor natu *Cazimiri* filius *Criſtino* Palatino *Maſouiæ* cooperante, *Maſouiam* & *Cuiauiam* cum ſuis pertinentiis ex integro ſuſcepit.

eligitur filius Leſzko, cui duo curatores dantur.

Ruſſiæ Duces *Ruſſiæ* Principes, conuentu apud *Kiouiam* celebrato, expeditionem contra *Polowconum* regiones aſſidua irruptione vaſtantes indicunt. Itaque quamprimum tempus æſtiuale aduenit, *Suantoslaus Wſzeuoldowic Kiouienſis* Dux, *Rurik Roſciſlawic*, *Chleb Suantoslawic*, *Chleb Iurgieniec Turouienſis*, *Wlodimirus Chlebowicz*, *Mſciſlaus Romanowic*, *Izaslaus Dauidowic*, & *Wſzewoldus Mſciſlawic* Duces *Ruſſiæ*, item milites *Halicienſes*, *Wladimirienſes* & *Lucenſes* per *Romanum* Ducem *Wladimirienſem* transmiſſi in terram *Polowconum* aduenerunt, & die 20. Iunii cum *Polowciis* in maxima & forti multitudine in occurſum eorum euntibus congreſſi *Polowcos* de ſua virtute gloriantes, cæde magna in brachio Dei confligunt, & proſternunt, multiſque cæſis, aut captis, paucis verò effugientibus, caſtris & tabernaculis eorum potiti, prædis & ſpoliis onuſti victores cum gloria reuertuntur. 1194. *Polowcos vincunt.*

Henricus Epiſcopus *Pragenſis* & Dux *Bohemiæ* exercitualiter *Morauiam* ingreſſus, affinem ſuum *Wladiſlaum* de ea excluſit, deinde tàm ex *Bohemis*, quàm ex *Morauis* maioribus copiis adunatis, iuſſu *Henrici* Imperatoris, qui *Alberto* Marchioni *Serbiæ* infenſus fuerat, *Serbiam* ingreſſus, eam vaſtat, & multa relatu indigna, non ſolum in ſeculares & agreſtes, ſed etiam in Eccleſiaſtica monaſteria ac ſeruos Dei committit.

Parem & ampliorem famam & gloriam, quam *Ruſſiæ* Duces in *Polowconum* vaſtatione conſecuti fuerant, *Ior Ruſſiæ* Dux ſibi comparaturus, cum duobus filiis ſuis de *Siewior* & fratre ſuo *Wſzeuoldo Olchowic* & militibus de *Czernieiow* & *Nowogrod* vadit contra *Polowcos*, & quamuis notabiles eorum copias proſtrauiſſent, vna tamen victoria non contenti conſtituerunt ire vltra flumen *Don*, omne genus *Polowconum* deleturi, & tanto inſigniorem laudem habituri, quanto longiorem, & quam nemo ante illos tentare auſus fuerat, exegiſſent viam. Interim tamen *Polowconum* ingens multitudo eis prope *Don* occurrens, cunctos conflixit & deleuit, neminem ex hac clade ſuperſtitem eſſe ſinens. In *Ruſſiæ* poſthæc terras circa *Pereaslaw* irrumpunt, & omnia caſtra in flumine *Sula* comprehendunt. *Alios Duces Ruſſiæ Polowcones vincunt, & in Ruſſiam irrumpunt.*

Sublimationem *Leſzkonis Albi* in *Cracouienſem* Principatum ex morte *Cazimiri* vacantem, per *Fulkonem* Epiſcopum *Cracouienſem Cracouienſeſque* & *Sandomirienſes* milites factam, ſe neque auiſato, neque conſulto *Miecslaus maioris Poloniæ* Dux moleſte ferens, frequenti ſuorum conſilio aduocato, *quantum animo ob id conſternatus ſit, quantis vexetur vraturq; cruciatibus, quantam illi, & ſuis, immaturi pueri in Regnum, quod ſibi debebatur, euectio ignominiæ materiam attulerit, & in poſterum allatura ſit*, edicit, omnem culpam in *Fulkonem* Epiſcopum & *Cracouienſes* milites retorquet, quos *propterea Principatum puero mandaſſe* differit, *vt Principatus totius admini-* 1195.

Miecslaus ægre ferens ad ſe Monarchiam Poloniæ non deferri,

1195. *ſtratio penes illos conſiſtat, & appellatione quidem vana Leſzko Princeps in faſcibus appareat, illi reuera actione imperium gerant, & exerceant, & in tenera quidem ac paruula ætate Leſzkonem* & *Conradum nepotes ſuos blandè tractari, dùm verò ad maiorem ætatem peruenient deleri illos à Cracouienſibus Baronibus veneno, & occupari, ſtirpe Ducali ſublata, aſtruit Principatum. Nec nunc primum Cracouienſes Proceres ſed altera vice ignominioſæ excluſionis notam ſibi inuſiſſe. Et quamuis patienter fratre Cazimiro viuente, vtrumque tulerit, ciuilem cladem ſtragesq; domeſticas vitaturus, eam tamen quæ nuper erupit, nulla ratione paſſurum, cum multiplici reſpectu velut natu maiori* Cracouienſis *ſibi quondam non legitime ereptus debeatur Principatus, & cura puerorum nemini magis, quàm ſibi, qui alter pupillorum parens ſit, contingat, armis eatenus ignominiam, & iniuriam à* Cracouienſibus *ſibi illatam reſcindendam fore, aut glorioſa morte occumbendum, ne ſua deſpectui & irriſioni habeatur ætas,* decreuit, & cum vniuerſi propoſitum animi ſui, velut efficax & neceſſarium commendaſſent, *armari ſuos omnes in id bellum, quantò celeriùs quantoque expeditius* iubet. *Boleſlaum* deinde Ducem *Altum Wratislauienſem* & *Miecslaum Opolienſem*, & Ratiborienſem Duces, nepotes ſuos, filios *Wladislai* exulis, item *Mſczugium* Ducem *Pomeraniæ* generum ſuum, ad ferendum ſibi perſonalia ſubſidia multifaria exhortatione & prece accendit. Iuſtius tamen bellum habiturus, nuncium ad *Fulkonem* Epiſcopum Baronemque *Cracouienſem* mittit, requirens *& ſublimationem nepotis Leſzkonis Lucis velut iniuſtam, & in ſuum præiudicium atq; dedecus redundantem reſcindi, & ſe in adminiſtrationem & Regimen Monarchiæ Polonorum, & Principatus Cracouienſis admitti. Fulkone* autem Epiſcopo & Baronibus Cracouienſibus, quod ſibi ad Monarchiam & Principatum Cracouienſem competere aſtruebat, iuſtiori confutatione refellentibus, *& ſe, antequam ſcita, & decreta ſua abrogari, pupillorumque hæreditates occupari patiantur, honeſta prius morte morituros*, reſpondentibus, *Miecslaus ſenex maioris Poloniæ* Dux contra Cracouienſes milites arma ſumit, habens in ſuo comitatu *Miecslaum Opolienſem* & *Ratiborienſem*, & *Iaroslaum* filium nepotis ſui germani *Boleslai Alti, Wratislauienſem* & *Mſczugium Pomeraniæ* Duces, & filium ſuum *Boleſlaum*, copiiſque tàm equeſtres, quàm pedeſtres, verſus Cracouiam Monarchiam reſumpturus, alacri & ingenti ſpe plenus procedit, auxiliaribus Ducibus gradu tardiori agmen ſuum inſequentibus, nullo autem pacto credebat Cracouienſes milites ſecum in dimicationem venturos, ſed pactis & conditionibus illum pro Principe & Monarcha abrogato *Leſzkonis Albi* Principatu facile accepturos. Non ignari *Cracouienſes* Barones & milites, quanto ſtudio &

Cracouienſibus bellum infert,

cura, qualique animo & apparatu, quantis denique copiis *Miecslaus ſenex maioris Poloniæ* A Dux bellum ipſis indicturus procedebat, arma & ipſi de Principatibus Cracouienſi, *Sandomirienſi, Lublinenſi, Maſouienſi*, Cuiauienſi, *Breſtenſi* ſupra *Bug* fluuium ſito, cæteriſque *Ruſſiæ* oris, quæ *Cazimiro*, dùm viuebat, parebant, expediunt, *Romanum* inſuper *Mſciſlawic Wladimirienſem* Ducem, & filiorum *Cazimiri* Ducis affinem, per *Cazimirum* multis beneficiis obſtrictum in ſui ſuffragium accerſunt. Tribꝰ quoque agminibus, quorum vnum *Nicolaus* Palatinus Cracouienſis, alterum *Gouoritius* Palatinus *Sandomirienſis*, tertium *Romanus Wladimirienſis*, alias *Lucenſis* Dux ducebant, *Miecslao ſeni maioris Poloniæ* Duci, & ſuis auxiliariis obuiam procedunt, populationem agrorum, B & villarum, quibus iam *Miecslaus ſenex* ignem inijci iuſſerat, prohibituri. Iam vſque in *Andrzeiouienſe* cœnobium, & oppidum in Cracouienſi diœceſi ſitum, *Miecslaus ſenex* cum ſuo tantummodo exercitu peruenerat, exinde ad fluuium *Mozgawa*, quatuor à monaſterio prædicto miliaribus decurrentem, ſtatiua poſuerat, dùm Cracouienſium militum nunciatur exercitus hoſtilis aduenisse. In eo itaque loco infeſtis aciebus, vterque exercitus concurrit. *Cracouienſes* enim milites nondum auxiliares Duces *Miecslao* ſcientes aduenisse, ne ſimul cum omnibus pugnare cogerentur, acies *Miecslai* faciliorem victoriam conſecuturi inuadunt. Et ſiniſtrum cornu *Romanꝰ* Dux, dextrum C Palatinus *Cracouienſis Nicolaus* tenebat. *Gouoritius Sandomirienſis* Palatinus in ſubſidiis relictus erat. Ad veſperum diei prælium extractum eſt, cùm in tertiis cœptum eſſet, & miro pugnandi ardore ab vtriſque certabatur, quamuis in vtroque exercitu fratres cognati, affines, ſoceri, generi, variarumque neceſſitudinum homines conſtiterant, nemo tamen animum, nemo feruorem belli remiſit, nemo fratri cognato, aut amico induſit, ſed mutua ſe cæde obtruncantes, iuxta, atque inter infeſtiſſimos. & perpetuo odio diſſidentes hoſtes, bellũ gerebatur. Quapropter neutra parte referente gradum, ſtrages horrenda cadauerum vtrinque edita eſt. Ad Duces quoque ipſos, qui ſuis laturi auxilium, D prælio ſe prælium reſtituturi immiſcuerant, clades peruenit. *Boleslaus* ſiquidem *Miecslai ſenis* filius, ſub patris conſpectu lancea traiectꝰ, ex equo deſiliens expirauit, *Miecslaus ſenex maioris Poloniæ* Dux à *Gregorio* milite vulneratus, in mortem mucrone crebros ictus repetente agebatur, ni galea detracta ſe *Miecslaum* & Ducem, parcique ſibi & miſereri poſtulando exclamaſſet, maieſtatis autem ſuæ, & caniciei terrore, miles *Gregorius* perculſus, non ſolùm ferro abſtinuit, ſed etiam ex acie eductum, ne à quopiam alio violaretur, fuga celeri ſibi conſulere perſuaſit. *Romanꝰ* inſuper *Mſciſlawicz Wladimirienſis* Dux pluribus vulneribus aduerſo pectore acceptis, dùm ſuos *Ruthenos*, partim

tim

1195. tim ſtratos partim fuga dilapſos conſpiceret, è prælio & ipſe periculum vitaturus declinat. Multis denique militibus, de vtraque parte aut occiſis, aut vulneratis, prælium diremtum eſt, quod tàm horrendo, & crudeli marte geſtum eſt, vt vterque exercitus cruenta referens vulnera, pro victo abierit, & nemo in certaminis loco compertus eſt, aliter, quàm pectore aduerſo cecidiſſe. Cognata arma, acies fraternæ, vexillorum ſigna communia, vnius patriæ, vnius linguæ, infeſtis eò primum tum die bellum geſſere animis. Solus *Miecslaus Laskonogi* Dux eadem die cæteris diffugientibus, in certaminis loco permanſit, ſolusque ſibi ſoli ceſſiſſe victoriam gloriabatur, vtroque exercitu ex certaminis loco diffluente & dilapſo. *Miecslaus Opolienſis* & *Ratiborienſis* Dux, qui & ipſe partes *Miecslai ſenis maioris Poloniæ* Ducis inuaſurus, tardius egreſſus, prælio non interfuerat, cum nepote ſuo *Iaroslao Boleslai Alti* filio *Wratislauienſis* Ducis, & ſuis copiis, aduenit, eosq;, qui de *Miecslai ſenis* exercitu diffugerant, recolligens, in certaminis loco conſedit, ac ſignis erectis quaſi victoris in morem conſtitit. Cui *ſed ab iis vincitur & vulneratur.* & eam ipſam exultationem *Gouoritius* Palatinus *Sandomirienſis*, ad quem reliqui diſturbati *Cracouienſis* exercitus ſe applicauerant, erepturus, nulla, ſuorum paucitate & recenti clade perculſus, inita ratione, occurrens, acerrimè pugnat, & potioribus de ſuis amiſſis, cæteris diffugientibus, numeroſitate hoſtium ſuperatus, in hoſtiles manus fugere turpe ratus, viuus venit, & longam captiuitatem apud hoſtes, antequam manu mitteretur, pertulit. *Opolienſis* Dux *Miecslaus* cum nepote ſuo *Iaroslao*, ne iterum à *Cracouienſibus* militibus inſectaretur, veritus, ex prælii loco *Gouoritium* Palatinum *Sandomirienſem*, & nonnullos alios *Cracouienſes* milites captiuos, ſpoliaque relati triumphi ſecum ferens diſcedit. Et ab exploratoribus & nunciis doctus, *Miecslaum ſenem* grauiter vulneratum lectica in *Poſnaniam* deferri, exercitum verò ſuum & nepotis in *Sleſiam* reducit. Sollicitus de futuro belli ineundi euentu.

Fulko Cracouienſis Epiſcopus in villa ſua *Dzierzazna* duobus miliaribus à conflictu diſtante ſubſtitit, & inter ſpem atque metum poſitus, obſecrationibus & lachrimis ſuis victoriã cedere precabatur. Aduenit interea ex prælio aliquis fugiens, & Pontifici de exitu belli auidè ſciſcitanti, reſpondet, magna cæde *Cracouienſes*, *Sandomirienſes*, & *Romanum* Ducem *Wladimiriæ* cum exercitibus eorum per *Miecslaum ſenem maioris Poloniæ* Ducem contritos eſſe, & tàm Palatinos quàm *Romanum* in acie cum primoribus cecidiſſe, *Miecslaumq; ſenem* triumphali pompa inſignitum, & ſpoliis atque ſignis debellatorum à ſe hoſtium onuſtum, celeri curſu ad occupandam *Cracouiam* contendere. Nondum is relationem ſuam abſoluerat, & vnus quidam, itemq; alius & alius diuerſum ferentes ſucceſſiſſe caſu adueniunt. *Fulko* autem Epiſcopus, quid veritas contineat geſtiens agnoſcere, vnum ex Presbyteris ſuis ſub diſſimu- A lato habitu in certaminis locum, ſingulaque, & quali ordine acciderint, & quis ſucceſſus apud Palatinos *Cracouienſes* & *Sandomirienſes*, Ducemq; *Romanum* maneat, exploraturum mittit, iubens eum impigrum, diligentem, & cautum eſſe. Qui cum pedeſtri itinere ad prælii locum ante occaſum ſolis perueniſſet, & ab his qui ſemineces relicti erant, & ab his qui interfectorum, aut exhalantium animas, legebant ſpolia, percunctata reſcitaq; veritate ad Epiſcopum ſuũ *Fulkonem* reuerſus, ſingula eo ordine, quo acciderant, exponit, referens *Miecslaum Senem maioris Poloniæ Ducem, & pro nece filii ſui Boleslai, & pro vulnere accepto, pro victo diſceſſiſſe, Gouoritium Sendomirienſem Palatinum* B *à Miecslao Opolienſi Duce & ſuo exercitu, qui ſuperuenerat, conflictum & captum eſſe, Romanum Mſcislawicz Ducem in Ruſſiam ſauciatum, cæterosq; prout caſus quemq; tulit in loca varia abiiſſe.* Et *Fulko* quidem Epiſcopus mœrore nimio confectus conſternatis pupillis & patriæ conſulturus, nocte ſubſequenti Ducẽ *Romanum* conſequutus, obnixè rogat, *quatenus cum his, quæ illum ſequebantur, reliquiis, Cracouiam redeat, arcemq; & filios Ducales contra ſæuitiam Miecslai ſenis, quem ſperabant ſupplemento militum habito, ad occupandum Cracouiam reuerſurum, defenſurus, ſed Romanus* Dux, *duplici ſe cauſa prepeditum* reſpondet, *& defectu militiæ quæ aut prælio corruerat, aut fuga defluxerat, &* C *acceptis vulneribus in corpore quæ tumeſcebant.* Quærenti deinde Epiſcopo, *quid in tàm periculoſo neceſſitatis articulo agendum pro incolumitate patriæ optimum & neceſſarium fore cenſeret,* reſpondet *de capite omnem curam habendam eſſe, & Cracouiam omnium Prouinciarum Principem & Dominam ab hoſtili inuaſione tuendam, qua ſalua & incolumi cætera omnia felicius ſecutura.* Id conſilium Pontifex *Fulko* ſequutus, dùm altero die *Nicolaus* Palatinus *Cracouienſis* inſtaurato exercitu, magnis auſis *Cracouia aduerſus hoſtes munitur.* ignominiam acceptam ad *Mozgauam* deterſurus, *Miecslaum ſenem*, ne inſequi pergeret prohibuit, & ne arx & ciuitas *Cracouienſis* in aliquod periculum recideret, *Cracouiam* rediit, & D militum præſidio, non ſolùm *Cracouienſem* arcem, ſed & ſingula ditionis pupillorum caſtra, ne nunciata clades aliquam procellam excitet, muniuit, & ne nouandi res quiſquam auſus ſumeret, prouidit.

1196. Fœda inter *Miecslaum ſenem maioris Poloniæ* Ducem & *Cracouienſes* milites pro Principatu ad *Mozgauam* geſta dimicatio, fœda inſuper clades, per quam multi mortales ciuili bello, & nullum referente triumphum abſumpti ſunt, diu partem vtramque ſub quiete diſtinuit, quaſi ex compoſito vtroſque crederes treuga bellum ſuſpendiſſe. *Miecslaum* ſiquidem *ſenem maioris Poloniæ* Ducem acceptæ ignominiæ plurimum puduit, quod in prælio inito

1196. inito multos milites, multaſque fortunas, & ſuper hæc omnia charum filium ſuum *Boleſlaum* perdiderit,&quod ipſe nihil ex prælio præter vulnera, filiique *Boleſlai* cadauer retulerit. Tenebat & *Cracouienſes* milites ingens pudor, quod nonnulli eorum ſignis & locis deſertis in fugam abierint, & partam propè victoriam è manibus emiſerint. Sub hoc autem turbarum publicarum diſpendio ſalutare viſum eſt, Duciſſæ *Helenæ Cazimiri* relictæ,ſupra ſexum muliebrem ſingulari prudentia pollenti, faſces imperii & regimen Principatuum committi, ea conditione adiuncta, vt abſque *Fulkonis* Epiſcopi, & *Nicolai* Palatini *Cracouienſis* conſilio & aſſenſu, nihil in Rebuspub. ſtatuat, innouet, & decernat. Itaque vſque ad filiorum maturam ætatem *Helenæ* Duciſſæ præfatæ arbitrio,& vacantium dignitatum & officiorum magiſtratus perſonis idoneis mandabantur, & Ducales cenſus ac introitus, aut inferebantur in fiſcum, aut in Reipub. diſtribuebantur commoda & profectus, charitate ſiquidem quam erga *Cazimiri* ſtirpem gerebant,milites acti,conditionis ſuæ quodammodo in tempus, quod viri eſſent obliti,muliebri potius ſubiacere imperio, quam Ducales filios deſerere maluerunt.

Helena Cazimiri vidua committitur Reſpubl.

Poſnanienſis Epiſcopus *Mrokota* febri correptus moritur, & in Eccleſia *Poſnanienſi* ſepelitur,cùm decem annis regimini Pontificali præfediſſet,cui per electionem Canonicam 8. Septemb.habitam *Philippus* Canonicus *Poſnanienſis* nobilis *Polonus* de domo *Wieniawa* via ſcrutinii ſuccedit, à *Zdzislao Gneſnenſi* Archiepiſcopo *Miecslao* Duci *maioris Poloniæ* conſentiente confirmatus & conſecratus.

Mrokotæ Poſnanienſi Ep. ſuccedit Philippus.

1197. *Petrus* tituli S. *Mariæ* in via lata Diaconus Cardinalis *Capuanus* vulgariter nuncupatus, à Summo Pontifice *Cæleſtino* tertio, Legatus de latere, ad reformandam Eccleſiam *Polonicam* deſtinatus, venit in *Poloniam*,qui *Cracouienſem* ciuitatem ingreſſurus a *Fulkone Cracouienſi* Epiſcopo & omnium Eccleſiarum proceſſione magno honore ſuſceptus eſt, primam congregationem *Cracouiæ*, alteram in *Lubcza* agens,deinde in *Gneſnenſem*, *Wratiſlauienſem*, *Plocenſem*, *Poſnanienſem*, *Wladicenſem*, *Chelmenſem*, & *Lubucenſem*, diœceſes ſe transferens,id præcipuum in Eccleſia reformanda ſibi curæ aſſumpſerat, quatenus Presbyteri à mulieribus & concubinis abſtinentes, continentem & caſtam,& quæ laicos ædificare poſſet, ducerent vitam,cum plures ea tempeſtate Sacerdotes vxoribus, velut iure legitimo vterentur. Cuius vſus corruptelam Cardinalis ipſe ſummo ſtudio à *Polonica* eliminauit, & abrogauit Eccleſia, & Presbyteris vxores accipere, & tenere ſub grauiſſimis pœnis interdixit, Laicis verò quacunque excellentia pollentibus, connubia ſua in facie Eccleſiæ contrahere inſtituit. Et hæc quidem ſalubris præfati *Petri* Cardinalis conſtitutio, facilè à *Polonorum* Clero, & ab vniuerſa *Polonica* Eccleſia accepta, & accurata diligentia cuſtodita, ſeruataque eſt, à *Bohemis* tamen Cleroque *Bohemico*, apud quos Cardinalis ipſe legationis etiam officio fungebatur, non ſolum repudiata, ſed parum abfuit, quin Cardinalis ipſe conſtitutionem ipſam ordines in Sabbato ſicientes celebraturus, promulgans, & Presbyteros ad caſtitatis votum compellens violaretur. In cuius occiſionem *Bohemici* ſacerdotes graſſari *Praga* cœperunt, niſi illorum improbos conatus Epiſcopus *Pragenſis Henricus* Ducalem tunc obtinens in *Bohemia* poteſtatem oppreſſiſſet. Non ſolùm autem in his ſed in pluribus aliis Cardinalis ipſe prædictus *Polonicam* Eccleſiam Pontificibus & Clero beneuolis ſe præbentibus, ad ſingula reformauit.

Reformatio cleri Polonici.

Wladiſlauienſis Epiſcopus *Stephanus* cum annis ſex ſediſſet,moritur, & in veteri Eccleſia *Wladiſlauienſi* ſepelitur. In cuius locum *Agerius* natione *Italus* per electionem capitularem ab *Innocentio* tertio prouiſus ſucceſſit. Valido languore *Henricus Pragenſis* Epiſcopus & Dux *Bohemiæ* correptus 17. Calend. Iulii moritur. In ægritudine tamen poſitus *Premiſlaum* Ducem conſanguineum ſuum, quem de Ducatu *Bohemiæ* eiecerat,in ſpem mortis ſuæ Ducatum occupare molientem,per gentes ſuas conflixit, & de *Bohemia* fugauit, quamuis & parti ſuæ non incruenta prouenerit, multis cadentibus, victoria. Poſt mortem verò ſuam Dux *Wladiſlaus Premiſlai* Ducis germanus, à vinculis, quibus propter germanitatem *Premiſlai*,velut ſuſpectus detinebatur,ſolutus, fauore militum in Ducem acceptus eſt. Verùm dum Ducatum prædictum menſibus 5. tenuiſſet,*Premiſlaus* germanus ſuus collecto ex *Bohemis* & *Almanis* exercitu, venit in *Bohemiam*, pro principatu certaturus, *Wladiſlaus* autem quamuis maiori potentia gentium fultus eſſet, noluit velut vir pacificus in dimicationem cum fratre venire, ſed miſſis Comitibus & Baronibus pacem & fœdus cum fratre iniit,forteque *Morauiæ* contentus, *Præmiſlao* de Ducatu *Bohemiæ* exceſſit. Qui à *Philippo Romanorum* Imperatore *Friderici* ſecundi fratre, quem *Romana* Eccleſia non accepit, accepit diadema.

Stephano Wladiſlauienſi Ep. ſuccedit Agerius.

Henricq Dux Bohemiæ & Ep. Pragenſis moritur.

1198. *Wladimirus Halicienſis* Dux beneficio,brachioque *Cazimiri* olim *Poloniæ* Ducis & Monarchæ, ad *Halicienſem* Principatum,à quo per *Pannonias* deiectus fuerat, reſtitutus, morte abſumptus, dùm nullum ſuperſtitem reliquiſſet hæredem,magnam inter *Leſzkonem* & *Conradum Polonorum* Duces eorumque curatores, *Cracouienſesq́;* milites ab vna: & *Ruthenos*, *Ruthenorumque* Duces partibus ab altera, diſſidii ſuſcitauit proceliam, iure quidem & æquitatis ordine, fœdere inſuper cum *Cazimiro Polonorum* Duce per *Wladimirum*, dùm reſtitutus eſſet, icto, *Halicienſis* Principatus ad *Poloniæ* Regnum,& ad filios *Cazimiri*, ſuper

Wladimiro Halicienſi Duce mortuo.

1198. ſuper quo & *Halicienſes* milites ſacramento addicti erant, debebat deuolutus cenſeri, multorumque Principum *Ruſſiæ* Ducatum prædictum ſibi in feudum dari depoſcentium ambitio, plures ſeditionum rumores concitatura videbatur. Ad quos antequam latius ſerperent opprimendos, *Nicolaum* Palatinum *Cracouienſem* cum copiis tàm equeſtribus quam pedeſtribus in *Haliciam* ad prouidendum de Ducatus vacantis ſtatu, & vt in formam redigi, Regnoque *Poloniæ* vniri poſſet, ordinandum mitti placuit. In lachrimis illicò *Leſzko* Dux reſolutus, ne ſe deſereret, ſed in illius expeditionis Comitem eum aſſumeret, primum Curatores, deinde Conſiliarios ſingulos blandis hærens amplexibus precabatur.

Leſzko eius Ducatum volebat ſibi iungere,

Et dùm tàm mater duciſſa *Helena*, quàm Conſiliarii reſiſterent & ſatius illum in aula interim manere perſuaderent. *Quantum*, inquit, *refert quod ſigna muta, & animi ſenſu carentia vobiscum itura ſunt, & ego Dux veſter futurus, relinquor. Aſſumite precor me, vt virorum contubernio fortium fortis euadam, quoniam inter fœminarum greges me tædet pudetque amplius eſſe. Quod ſi non impetro ſequar, vel vno tantummodo Comite contentus, veſtra veſtigia.* His aliiſque ſermonibus ſuam indolem futuram exprimentibus vſus, conſiliariis animum Ducalem certatim efferentibus, vt ſe aſſumerent, peruicit. Inſequenti itaque militum numero, dùm in *Halicz* perueniſſet, *Halicienſes* illi primùm occurunt, & velut Dominum ſuum legitimum deuotius ſuſcipiunt & adorant, idque primùm ab eo precantur, *vt ſolus illis imperet, ſolus Halicienſem adminiſtret regatque Principatum, aliorum Ruſſiæ Ducum execraturos ſe, vel honeſta prius morte perituros*, pronunciant *ditionem*. Collaudatos & blandè habitos Dux *Leſzko* præcedere iubet, verùm illi *Leſzkoni* & ſuis curatoribus infenſi, quod rumore vulgato cognouerant, *Romanum Mscislawic* Ducem *Wladimiriæ* ſibi pro Duce & præſide *Leſzkonem* locaturum, armis correptis abuiam *Leſzkoni*, vt hoſti procedunt. Sed cum leui negotio primæ eorum turmæ fuſæ fugatæque, poſtremæ quoque, in quibus erat ingens peditum multitudo, metu perculſæ, fuga dilapſæ eſſent, & *Leſzko* ad oppugnandum *Halicienſe* caſtrum properaret, *Halicienſes* miſſis caduceatoribus, petita obtentaque venia portas caſtri *Leſzkoni* aperiunt, & omnia quæ imperaret, ſe facturos repromittunt. Plenam & caſtri & totius *Halicienſis* Ducatus *Leſzkone Polonorum* Duce poſſeſſionem conſequuto tùm demum inter competitores de Ducatu *Halicienſi Ruſſiæ* Duces in altius certamen res venit, & poſt longa litigia inter eos ventilata, cæteris à propoſito reſilientibus, ſolus *Romanus Mscislawic Wladimirienſis* Dux, mortui *Halicienſis* Ducis nepos germanus, ſibi Ducatum *Halicienſem* conferri ratione & reſpectu multiplici depoſcebat. Hisque cæteros Duces *Ruſſiæ* à petendo Ducatu *Halicienſi*, tùm rogando & perſuadendo, tum terrendo auerterat. Apud Ducem quoque *Polonorum Leſzkonem* & ſuos Conſiliarios in præfato Ducatu *Halicienſi* petendo, multiplicibus ingeniis vſus, ſupplicationem ſuam quotidie nouis adminiculis ſubornabat, iniquum eſſe ducens, vt patrui ſui germani hereditas ad alium, quàm ad ſe perueutura ampliorem ſibi mortis patrui cauſare: dolorem. Neminem præterea vt ſe adeò meritum inter Duces cui beneficium illud præſtari æquum eſſet, cum merita ſua in *Poloniam* & Ducem *Leſzkonem* præſtita, recentia ſtigmata, ad *Mozganam* accepta, & plures ſui milites illic deſiderati teſtarentur. Adiungebat his cauſis minas, iniuriam ſuam, ſi a Ducatu *Halicienſi* & ſorte patrui excluderetur, armis & omni hoſtilitate facultateq; ſe vociferans vlturum. Difficilis apud *Leſzkonem Poloniæ* Ducem & Conſiliarios ſuos huiuſce rei deciſio viſa, conſummatione illius in plures dies (ſub quibus Dux *Romanus* ſubmiſſius ſe gerens *Halicienſem* Ducatum, non iure, ſed precario, non in proprietatem & titulum, ſed in procuratio nem, & regimen temporaneum ſibi petebat mandari) extraxit. Nemo erat ex Conſiliariis *Polonorum*, cui ſatis placeret tàm fœcundum Ducatum *Romano* ſatis inter *Ruthenos* diuiti & potenti, ne in ſuperbiam calcitraret erectus, & ex ſubdito hoſtis infeſtus fieret conferri, ſed Ducatum ipſum *Polonorum* Regno velut neceſſarium, pluresq; allaturum commoditates vniri, *Halicienſium* inſuper Baronum & militum querelis & precibus mouebantur, qui ſibi callidum & verſipellem Principem varia tyrannide in ſe vſurum dari & præfici abhorrebant. Offerebant præterea *Leſzkoni* Duci *Polonorum*, ſi in formam Prouinciæ redacti *Romano* non committerentur, auri, argenti, gemmarum, veſtium, equorum, boum & armentorum certam quantitatem annis ſingulis penſuros. Mouebant illa *Leſzkonem* Principem, & *Polonorum* Conſiliarios, reſpectus tamen futuri cum *Romano*, ſi refutatum iri ſuas preces contingeret, belli, & ſuper impendens a *Miecslao ſene maioris Poloniæ* Duce hoſtilitas, ne pro vno & eodem tempore à fronte & tergo vrgerentur, *Leſzkonem* Ducem & *Polonorum* Conſiliarios peruicit, vt propriis commoditatibus & cæterorum Ducum *Ruſſiæ* & *Halicienſium* militum petitionibus neglectis, *Halicienſem* Ducatum *Romano Wladimirienſi* Principi ſubiectum, illum fidum ſibi putantes futurum, conferrent, ipſumque tunc de Ducatu præfato inueſtirent, & illius poſſeſſionem non ſine *Halicienſium* amaro cruciatu, multiplex malum ſibi ominantium, traderent, *Romano* fidem, deuotionem & obedientiam in Ducem *Polonorum Leſzkonem*, æquitatem verò & iuſtitiam, in *Halicienſes* milites, & ſubditos, ſe iureiurando obſtringente, & vouente cuſtoditurum. In hunc modū *Halicienſium* rebus compoſitis, *Leſzko* Dux cum ſua militia *Cracouiam* repetiit. *Boleslaus* vnus ex filiis 1198.

ſed eum præuenit Romanus Princeps Wladimirienſis.

1198. filiis B. *Heduigis* & *Henrici* cum barba Ducis *Wratislauienſis* ſubſtantiam celebrato cum fratribus *Henrico* & *Conrado Criſpo*, Ducibus *Wratislauienſibus* patre permittente diuiſione, adeptus, Ducatum *Lubucenſem*, qui illi forte obtigerat, arcem cum eius territorio Marchionibus *Brandeburgenſem* pro certa ſumma pecuniæ luxurioſe & prodigaliter viuens perpetuò vendidit, ex quo tempore præfatus Ducatus & Epiſcopatus eius *Lubucenſis* inſignis à *Polonia* Regno abſtractus, & ſequeſtratus, ac perperam, & iniuſtè Marchionatui *Brandeburgenſi* applicatus eſt, non ſine Regni *Poloniæ* notabili mutilatione vſque in noſtra tempora durante. Adeò autem præfati *Boleslai* Ducis malitia & transgreſſio progreſſa eſt, vt in oppido *Stroda* & in cœmiterio Parochialis Eccleſiæ eiuſdem oppidi octingenti homines ipſo cauſam & occaſionem præſtante flammis & incendio perirent.

Cœleſtino III. P. R. ſuccedit Innocentius III.

Cœleſtinus Papa, tertius, cùm annis ſex, menſibus ſeptem, diebus vndecim ſediſſet, *Romæ* moritur, & in Eccleſia S. *Petri* ſepelitur, cui *Lerantius* alias *Lotharius* appellatus *Innocentius* tertius, natione *Campanus* ex patre *Traſimundo*, quamuis ætate iuuenis, ſed ſcientia diuina atque humana acutus, in omnium conſpectu gratioſus, vigeſima ſecunda die menſis Februarii ſuccedit.

Henricus Imp. moritur,

Eodem inſuper anno in die S. *Michaelis Henricus* Imperator cum annis vndecim imperaſſet apud *Panormum* in *Sicilia* moritur, & *Neapoli* inſigniter ſepelitur. Hunc pleriq; annalium ſcriptores aſſerunt in fine vitæ ſuæ magnum hoſtem & aduerſarium Eccleſiæ fuiſſe, & nonnullos Epiſcopos, qui nequitiæ ſuæ aſſentire noluerant, (obquam cauſam graui anathemate Apoſtolico innodatus fuit) trucidaſſe.

de cuius ſucceſſione controuerſia eſt,

In ſubſtituendo Imperatore, cum Principes variaſſent, & *Colonienſis* atque *Treuerenſis* Archiepiſcopi *Ottonem* Comitem *Pictauiæ* filium *Henrici* quondam Ducis *Saxoniæ*, *Moguntinenſis* verò Archiepiſcopus cum aliis *Philippum* Ducis *Sueuiæ* fratrem *Henrici* ſexti Imperatoris elegiſſent, grauiſſimus bellicus ſtridor, & promiſcua atq; miſerabilis vaſtatio, & cædes in *Germania* penè vniuerſa coorta eſt, incendiiſq; *Almania* fumabat. *Philippus* ius electionis de ſe factæ roboraturus, plures *Almaniæ* Principes ſibi conciliat, *Bohemiæque* Ducem *Premislaum* in ſui ſuffragium vocat; quem vt propenſius ſibi obligaret, in Regem creat, & ſub ſui in *Bamberg* præſentia, vel vt quidam ferunt, in *Moguntia* coronari in *Bohemiæ* Regem per Archiepiſcopum *Moguntinenſem* procurat. Cuius fretus auxilio, *Colonienſem* Archiepiſcopatum, & alias *Almaniæ* ſibi aduerſas partes crudeliter deuaſtat.

Innocentius autem Papa odio habens *Philippum*, quod frater ſuus *Henricus* Imperator multis contumeliis & iniuriis apud *Siciliam* Pontifices, & Sacerdotes Dei affecerat, *Ottonis* partes ſtudioſiſſimè promouebat. Cuius etiam mandato ipſe *Otto* corona prima apud *Aquiſgranum* fuit inſignitus, & *Philippus* velut iniuſtus Imperii inuaſor anathematiſatus. 1199.

ſuccedit tamen Otto.

Franciſco Wratislauienſi Ep. ſuccedit Iaroslaus.

Franciſcus aliàs *Franco*, qui alio nomine *Swantko* appellabatur, *Wratislauienſis* Epiſcopus, qui cum annis 17. ſediſſet, moritur. In cuius locum *Iaroslaus* Dux filius *Boleslai Albi* Ducis *Wratislauienſis* patre ordinante & dirigente ſuccedit à *Zdzislao* Archiepiſcopo *Gneſnenſi* confirmatus, & conſecratus. Hic *Iaroslaus* de conſenſu paterno Eccleſiæ *Wratislauienſi* terram *Niſſenſem* perpetua condonatione contulit & inſcripſit in dotem, per communes Barones reconciliatus Patri, quem iuuenili ambitione feruens, & propter odium *Adleidis* nouercæ, cùm filios ex ea ſuſceptos videret à Patre ſibi præferri, nonnullis militibus id facinus nutrientibus, de Ducatu *Wratislauienſi* expulerat. Hic etiam *Iaroslaus* donationem decimarum noualium per *Zeroslaum* prædeceſſorem ſuum monaſterio *Lubenſi* in toto territorio *Legnicenſi* factam, velut menſæ Epiſcopali plurimum nociuam, irritam fecit.

Suantoslaus Kiouienſis moritur

Ruthenorum Dux *Suantoslai Kiouienſis* moritur, & in Eccleſia S. *Cyrilli*, quam Pater ſuus *Czernicowienſis* Dux fabricauerat, ſepelitur. Poſt cuius mortem *Rurik Roſcislawicz* Dux apud *Kiouienſem* principatum cœpit, ſed cùm per *Kiouienſis* temporis proceſſu pulſus eſſet, ad *Polowcos* confugit.

Romanus in Halicienſes tyrannidem exercet.

Halicienſem Prouinciam *Romanus Wladimirienſis* Dux, fauore, liberalitate, & largitione *Leskonis Albi Polonorum* Ducis conſecutus, *Halicienſibus* primum cœpit blandus eſſe, mox infeſtus, & ad extremum truculentus, nec ſua ſponſio, fideſque quam de regendo *Halicienſi* Principatu in iuſtitia & æquitate Duci *Polonorum Leskoni* præſtiterat, fuit conſtans & diuturna; ſed iureiurando & fœdere præuaricato, primos *Halicienſes* nil hoſtile de illo ſuſpicantes, ad ſe vocatos captiuat, è quibus quoſdam publice trucidat gladio, alios infodit mergitque ſabulo, alios membratim diſcerpit, alios excoriat, alios exenterat, plures quaſi lignum ad ſtatuam ligatos miſſilibus conficit, varioque mortis genere interimit. Cùm autem occiſorum militum affines, conſanguinei, & filii, & ferè vniuerſa nobilitas, tàm fœda crudelitate perculſa, in vicinas regiones diffugiſſet, omnem ſuis eiulatibus & querelis in *Leskonem Polonorum* Ducem & *Polonos*, quod ſibi tàm efferum nil præter humanam effigiem humani habentem Principem præfeciſſent, culpam retorquentes, *Romanus* ſuis artibus vſus exquiſitis blandimentis & promiſſionibus illos euocat, & parumper in honore & fauore habitos variis tandem excruciatos interficit tormentis, & fere vniuerſam *Halicienſem* nobilitatem tyrannide ſua necat, & extinguit, ſolitus eo pro excuſando ſuo ſcelere, quaſi ſolenne quo-

1199. quoddam & cœleſte oraculum exiſteret, vti prouerbio: neminem melle apum niſi prius examen oppreſſerit, ſecurè veſci poſſe. Tantum autem terrorem ſua truculentia & tyrannide, non propriis tantummodo, ſed & finitimis ingeſſerat, tantum ſibi famæ & potentiæ breui quæſierat, vt facile omnibus *Ruthenorum* imperaret prouinciis, & ſingulos *Ruſſiæ* Principes haberet tributarios & ſubiectos. Quæ res ne in *Polonorum* perniciem verteretur, ſæpè *Polonos* affligebat *Romani* tyrannidem in ſe quoque ominantes aliquando reciſuram.

Miecslaus terram Cracouienſem occupat.

Miecslaus ſenex maioris Poloniæ Dux, qui poſt cladem ad *Moſgauam* acceptam pacificus conſtiterat, ad res per bellum, & controuerſias gerendas animum inclinat, & in *Cuiauienſem* prouinciam, quæ de *Leſzkonis* & *Conradi* filiorum ſorte *Caſimiri* erat, velut Principatibus ſuis confinem, ex propinquitate & opportunitate occupat, & in ſuam redigit ditionem. Quæ quidem iniuria à *Leſzkone* Duce, & ſuis Curatoribus repreſſa tunc non eſt, quoniam & ciuile bellum verebantur nouas clades iterum pariturum, & atrox concertatio diſſenſioque inter *Nicolaum Cracouienſem*, de domo *Vulpium*, & *Gouoritium Sandomirienſem* Palatinos, de domo *Rauitarum* ab æmulatione & liuore orta interuenerat, in eumque proceſſerat ardorem, vt poſt plura ſeditioſa litigia, *Gouoritius Sandomirienſis* Palatinus hoſtis ſui *Nicolai* Palatini *Cracouienſis* potentiam perhorrens, in *Bohemiam* ad fratres & cognatos domus ſuæ (beneficio Ducis *Bohemiæ* in ſedes ſuas & hæreditates, eo tamen pacto, vt veteribus inſigniis abrogatis in ſignum patratæ fraudis aſciam in *Bohemico* vulgari *Baradaticam*, in Polonico *Oxam* vocatam, pro armis deferrent, reſtitutus) exulare cogeretur.

Zdzislao Archiep. Gneſnenſi ſuccedit Henricus,

Zdzislaus Gneſnenſis Archiepiſcopus cum annis ſedecim ſediſſet, moritur, & in Eccleſia *Gneſnenſi* ſepelitur. In cuius ſucceſſionem, etſi Capitulares *Thomam* Archidiaconem *Gneſnenſem* elegiſſent, *Mieczslao* tamen & *Wladislao* atque *Ottone maioris Poloniæ* Ducibus inſtantibus frater *Henricus* dictus *Kietlicz* ordinis Minorum, monaſterii S. *Iacobi Wratislauiæ* ordinem profeſſus, ex patre *Theodorico* Duce *Bremenſi*, & *Eudoxia* Duciſſa *Poloniæ* genitus, licet renitens eligitur, per *Innocentium* Papam tertium, aut vt aliis placet per *Martinum* quartum prouiſus, *Morauiæ* Principem propinqua cognatione, & B. *Heduigim* gradu tertio contingens.

& Belæ Hungariæ Regi filius Emericus.

Nono Calend. Maii, *Bela Vngariæ* Rex cùm annis viginti & tribus regnaſſet, moritur & in *Alba Regali* ſepelitur, cui filius eius *Emericus* ſucceſſit, communi & conformi Prælatorum & Baronum conſenſu, in ſolium paternum euectus, ſed paruo regnauit tempore.

1200. *Cuiauienſi* Ducatu iniuſtè per *Miecslaum* *Senem maioris Poloniæ* Ducem occupato, 1200.

Miecslaus

Miecslaus ipſe ad occupandum *Cracouienſem* Ducatum & *Polonorum* Monarchiam animum omneſque conatus intendit; & quia arma, quibus id primum aſſequi volebat, minus illi proſpere ceſſerant, aſtu & dolis, quæ omnium armorum potentiam extinguunt, ſperat ſe haud dubiè conſequuturum. *Fulconem* itaque Epiſcopum, & *Nicolaum* Palatinum *Cracouienſem* germanum eius, cæteroſque primi ordinis & dignitatis viros, tùm per ſe magna comitate, tùm per literas & nuncios varia largitione ſollicitat, *quatenus illum, filiis præſertim* Caſimiri *Ducis Leſcone & Conrado, nondum epheborum annos excedentibus, alienatis, in Polonorum Monarcham aſſumant proſperam & tranquillam vitam ſub illius ditione acturi.* Verùm cum animos virorum huiuſmodi blandiciis expugnare non poſſet, quippe magna charitate erga pupillos effecti, quidquid per *Mieczslaum ſenem* ingerebatur, ſurdis auribus excipiebant, ad matrem puerorum Duciſſam *Helenam Caſimiri* relictam, ſe totus conuertit, facilè ſperans, quemadmodum ſucceſſit, ſuis ſe calliditatibus, illam ad vota ſua inclinaturum. Reiiciebant etenim in illam Barones, quos *Mieczslaus* prece aut precio pertentauerat, ſui conſenſus facultatem.

Helena perſuadet, vt ſibi de Monarchia Poloniæ cedat.

Suggerit itaque *Helenæ* Duciſſæ, atque ſuadet, *vt patiatur ſibi Principatus, & Monarchiæ Polonorum faſces deferri, ſtabilitura ex hoc Regnum filiis, & maximas commoditates & profectus perceptura, ſe quidem, ad quem velut natu maiorem Monarchiæ deuolutus cenſetur Principatus, diſſentiente, non poſſe filios Caſimiri neque pacificè, neque legitimè in Principatu Cracouienſi qui ſolio Monarchiæ reſeruatus eſt, conſiſtere, ſed pro illius ademptione iniuſta, nunquam ſe, & filios ſuos quieturum. Vbi tamen* Duciſſa *Helena de Ducatu præfato cedere conſenſerit, velle ſe & filios Caſimiri Leſconem & Conradum nepotes ſuos primum adoptare in filios, deinde illos militari cingere balteo, Cuiauienſem reſtituere Prouinciam & Regnum Polonicum perpetuo illis, vt ſe mortuo, Principatus eorum non poſſit neque à filiis ſuis, neque à quoquam alio reuocari in dubium, ſtabilire, neque aliter poſſe illos iuſtè & tutè in Regnum ſuccedere, neque ſucceſſionem poſſe eſſe ſtabilem & diuturnam, ſi ab ipſo firmata & ſtabilita non fuerit, cùm huiuſmodi ſtabilimenti robur ex eius arbitrio & auctoritate pendeat. Ea verò quæ morte Caſimiri fratris ſui ſequuta, de filiis ſuis ad Principatum & Monarchiam per Fulconem Epiſcopum & Barones electio & ſubſtitutio facta eſt, fragilis & ridiculoſa, nullum penitus duramentum, ſi à ſe ratificata non fuerit, habitura, conſiſtat neceſſe eſt. Attendat præterea ſe ſenem & decrepitum, paruoque tempore victurum eſſe, & pro breuiſſimi temporis ſpatio non cunctetur de Ducatu* Craco-

1200. *Cracouienſi excedere, fructum multiplicis vſuræ filiis adiectura.* His *Helena* Duciſſa crebro expugnata ſermonibus, facilitatę muliebri omnia, quæ in dolo à *Miecslao* diſſerebantur, incredulitatem admittens, *Fulcone* Epiſcopo, *Nicolao* Palatino *Cracouienſibus* cæteriſque Proceribus, nequicquam renitentibus aduerſantibusque, de *Cracouienſi* Principatu cum *Leskone* & *Conrado* filiis excedere, ſub pactis per *Mieczslaum ſenem* propoſitis, dummodo tamen ea ſe iureiurando obſeruaturum aſtringeret, conſentit. Conſtituitur deinde ad hæc confirmanda B. *Bartholomæi* Apoſtolj dies, pro qua dùm *Cracouiam*, prout inter *Helenam* Duciſſam & *Mieczslaum* Ducem conuenerat, frequens Prælatorum & Baronum multitudo conueniſſet, *Mieczslaus ſenex* facta promiſſa reſumit, *Leskonem* & *Conradum* in filios ſe adoptaturum, *Cuiauiam* ſe illis reſtituturum, Regnum ſe abſumpto ſtabiliturum repromittens. Quæ non ſolùm à *Mieczslao* ſene, ſed etiam ab vtriuſque partis Proceribus iureiurando, tunc in manibus Pontificalibus ſancita ſunt. Id vtraque parte laudante addictum, vt ſi aliquis pacta taliter percuſſa præuaricari, violare, infringere, & irritare, aut in earum violationem, & irritationem conſulere, & aſſentiri præſumpſerit, per *Gneſnenſem* Metropolitanum, & quemlibet alium Prouinciæ *Gneſnenſis* Pontificem anathematis innodetur opprobrio, Diuina vltione, per cuius nomen fallaci corde iurauerat, puniendus. Icto huiuſmodi fœdere Duciſſa *Helena* cum *Leſkone* & *Conrado* multis Baronibus eam proſequentibus, ſecedit ex *Cracouia Sandomiriam* reliquos Principatus & ſortes filiorum ſuorum gubernatura, *Mieczslaus* autem *ſenex* Monarcha *Polonorum* effectus, *Cracouienſis* ciuitatis, arcis, & Ducatus accipit poſſeſſionem, & poſt paucos dies in oppido *Bitomienſi* caſtrum forte ædificat, vt *Cracouienſes* milites in fide contineat, & in rebellionis euentum propinquum habeat præſidium, quo tutus diuertat. Tunc etiam *Gouoritius* Palatinus *Sandomirienſis* ex *Bohemia* amicorum literis reuocatus, reuertitur, & apud *Leſzkonem* & *Conradum* primum ſortitus locum, *Nicolai* Palatini *Cracouienſis* Principatibus diuiſis, hoſtilitatem cum vterque ſub diuerſo Principe conſtaret, non verebatur.

Terra motus in Polonia

Quinta die menſis Maii terræ motus in *Polonorum* regione, vicinisque Regnis & terris ſub meridiano tempore exortus, & frequenti dierum ſpatio reſumptus; pluresque turres, domos, & munitiones attriuit. Quæ res raro in *Polonia* contingens, velut prodigioſa, & apud pleroſque in religionem verſa videbatur.

Conſtantinopolis ab Europæis capitur,

Conſtantinopolis Græcorum ciuitas, in qua tunc *Aſcharius* imperabat, à *Venetis* & *Francis* capitur. Cuius captio longo tempore non credebatur, eò, quod fatale fuit, eam non niſi per Angelum capi poſſe, ſed hoſtibus per murum, vbi Angelus pictus erat intrantibus, veritas fati, & æquiuocatio erroris, tùm primum Notata eſt. *Aſcharius* autem *Conſtantinopolitanus* Imperator capta vrbe, verſus *Ponticum mare*, *Terſonam* tranſiit, & abinde poſtea *Galatiam* alias *Halicienſem* Prouinciam, quæ eſt pars *Ruſſiæ* ſub *Polonorum* Regno conſiſtens, peruenit, & à *Romano Ruſſiæ* Duce benigne & humane ſuſceptus, tractatus, atque habitus aliquanto tempore illic permanſit.

Adleida virgo religioſa & filia deuota *Cazimiri* olim *Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Ducis monaſterium Fratrum Prædicatorum ſub titulo S. *Iacobi* in oppido *Sandomirienſi* fundat, & erigit. Quæ in virginitate Deo ſeruiens, cùm anno Domini 1200. octauo Decembris diem obiiſſet, in eodem monaſterio ſepulta eſt.

Emericus Vngariæ Rex moritur.

Emericus Vngariæ Rex cùm vix anno regnaſſet, moritur, 8. Calend. Decembris in Eccleſia maiori *Agrienſi* ſepelitur. In cuius locum filius eius *Ladislaus* ſuffectus eſt, coronatus 7. Calend. Decembris.

Quum Miecslaus pacta cum Helena inita non ſeruaſſet,

Alterum iam annum *Miecslaus Senex* in Monarchia & Principatu *Cracouienſi* agebat, nondum tamen ex multiplicibus promiſſis & pactis *Leskoni* Duci & genitrici illius *Helenæ* Duciſſæ factis aliquod impleuerat, ſed nec *Cuiauienſem* terram ſuperioribus annis iniuſtè occupatam reſtituerat, ſed vafro vſus ingenio interdum publicas occupationes, interdum corporis valetudinem in ſui excuſatione opponebat. Tum primum Duciſſa *Helena Cazimiri* relicta ſe a *Miecslao* ſene circumuentam & deluſam vaniſſimis promiſſis querebatur, tùm etiam cœpit agnoſcere muliebres ſuas actiones & conſilia, quibus in id ludibrii ventum erat, virorum conſiliis, quæ id maximè improbabant, longe inferiora, & minus tuta fore. Nondum tamen omni ſpe, quam ex promiſſis *Miecslai ſenis* conceperat, depoſita, in *Cracouiam* adueniens, *Miecslaum* priuatim primum, deinde publicè conuenit, vt pactorum ſecum & cum filiis ſuis initorum memor *Cuiauienſem* terram eis reſtituat, militari cingulo vtrumq; cingeret & Monarchiæ atque principatus *Cracouienſis* hæredes ſe moriente ſcribat. Verùm *Miecslaus ſenex*, (vt erat vir verſutiarum plenus) placidis primum Duciſſam *Helenam* relictam *Cazimiri*, glotem ſuam habitis ſermonibus ſatis reſtare aſſerit, quo hæc perfici poſſint de tempore, deinde vbi muliebrem importunitatem vidit. Eo reſponſo non contenta fortius de pactorum violatione queri, reſpondet, *pacta ampliorem violationem ſumptura, ſi filiis propriis, & debitam iam non ætatem tantummodo, ſed & prudentiam honeſtate neglecta nepotes immaturos, & ephebos anteferat. Sed nec potuiſſe priuatis pactis filiis ſibi legitimè ſucceſſuris, ius publicum ſucceſſionis tolli, aut eneruari. Abiret proinde, & intelligeret ius publicum iure priuato non paſſe aut conuelli nec à ſe alios creari, aut ſcribi hæredes, quàm eos qui ex lumbis ſuis pro-*

1201. *procedentes, quamlibet aliam creationem minimè forent laturi.* Eo reſponſo *Helena* Duciſſa, & violatum pacta, & preces ſuas repudiatum iri, dinoſcens, triſtis & gemens in *Sandomiriam* reuerſa, plures ex *Cracouienſibus* Baronibus, quorum fida quondam conſilia neglexerat, per nuncios & literas, *ne tàm notoriam iniuriam ſibi, & filiis ſuis illatam, inultam eſſe ſinant, & filios ſuos in Principatum Cracouienſem reſtituant,* obſecrabat, promittens de cætero, *nil ſe, niſi ex eorum arbitrio in rebuspublicis acturam.* Promouebat autem petitionem huiusmodi, non ſolùm filiorum *Caziniri* charitas in pectoribus ſingulorum, ex beneficiis paternis viuens, ſed etiam *Miecslai ſenis* odium, qui vt ſecurius in *Cracouienſi* imperaret Principatu, aliquos Barones ex veteribus poſſeſſionibus ad ſe illas aſſerens, pertinere, deturbauerat, & Nobilibus ex *maiori Polonia,* quaſi magis ſibi fidis, illas, & publicos magiſtratus, atque officia contulerat, pluresque credebatur temporis proceſſu firmato ſolio deturbaturus. In perniciem itaque & excluſionem *Miecslai ſenis* facilè exulcerati, omnium animi conſentiunt, & *Miecslao* in terras *maioris Poloniæ* diuertente *Nicolaus* Palatinus *Cracouienſis* arce *Cracouienſi* occupata, *Leſzkonem album* & matrem eius *Helenam* Duciſſam in *Cracouienſem* Principatum introducit, & omnium illi animos ſtudiaque conciliat, Officiales & Præfectos *Miecslai*, & quoſcunque illi fauere nouerat, iubens poſt illum in *maiorem Poloniam* transmigrare. Et licet omnia caſtra & munitiones *Cracouienſis* Principatus *Leſzkoni* parerent, ſolum tamen *Bitomienſe* caſtrum pro *Miecslao ſene* tenebatur, in quod *Miecslaus* Dux fortiſſimum militum præſidium transmittens, *Cracouienſem* Prouinciam, ſpoliis, prædis, & rapinis, cæterisque incommodis vexare non omittebat.

ipſe à Monarchia Poloniæ deiicitur & Leſzko reſtituitur.

Præmislaus Bohemiæ Rex prima & legitima ſua vxore *Adla* ſorore Marchionis *Miſnenſis* repudiata, *Conſtantiam* Regis *Vngariæ Belæ* ſororem accepit in vxorem.

Decimo Calendas Februarii *Iaroslaus* Epiſcopus *Wratislauienſis* filius *Boleslai Albi* Ducis *Wratislauiæ* moritur, cùm Eccleſiam *Wratislauienſem* triennio vix exacto, gubernaſſet, & in Eccleſia *Wratislauienſi* ſepelitur. Cui *Cyprianus* Epiſcopus *Lubucenſis*, qui Abbas S. *Vincentii* extra muros *Wratislauienſes* exiſtens in *Lubucenſem* Epiſcopum promotus fuerat, Canonicè poſtulatus ſuccedit & ab *Innocentio* Papa tertio confirmatus, & poſt paucos dies *Boleslaus Altus* Dux *Wratislauienſis* filium ſuum *Iaroslaum* ſequutus 8. videlicet Idus Decembris moritur, & in monaſterio *Lubenſi* ſepelitur. Hic cùm duas vxores habuiſſet, videlicet *Venceslauam Ruthenam*, & *Adleidam* ſororem Imperatricis, coniugem videlicet *Conradi* ſecundi Imperatoris, ex *Venceslawa* quidem *Iaroslaum* Epiſcopum *Wratislauienſem* & *Boleslaum* filiamque *Algam* nomine genuit, ex *Adleida* vero *Henricum cum barba* vocatum, *Conradum, Ioannem*, & filiam *Adleidam*, quæ *Dipoldo* Marchioni *Morauiæ* fuit matrimonialiter copulata, ſuſcepit. Sed omnibus filiis *Boleslai Alti* immaturè obeuntibus, & in monaſterio *Lubenſi* ſepultis, ſolus *Henricus cum barba* ſuperſtes exiſtens Patri in *Wratislauienſi* Ducatu, & in aliis Dominiis ſucceſſit. Secundo genitus enim ſinis *Boleslaus*, dum pro militia conſequenda oras & regiones viſitaturus ſe præparaſſet, 15. Calend. Auguſti obiit, *Conradus* tertio nonas Iunii, & *Ioannes* ſexto Idus Martii fatis abſumpti. Erat itaque *Henricus cum barba*, non ſolùm Ducatuum *Poloniæ* à Patre relictorũ integritate conſpicuus, ſed etiam ſplendido, & raro coniugio *Heduigis* conſortis ſuæ, filiæ *Bartoldi Morauiæ* Ducis celebris & clarus, quæ admirandis iam tunc vulgens virtutibus ſanctitatis ſuæ decus longè lateque diffundebat.

Iaroslaus Ep. Wratislauienſis

cum patre Boleslao Alto Duce Wratislauienſi

& reliquis fratribus moriuntur.

Ladislaus Vngariæ Rex cùm exiguo tempore regnaſſet, Non. Maii mortuus, & in *Alba Regali* ſepultus. Poſt cuius obitum *Andreas* filius *Belæ* tertii adeptus eſt Regnum, in die Pentecoſtes fauore omnium coronatus. Huic erat coniunx *Gertrudis* filia *Bartholdi Morauiæ* Ducis, ſoror germana S. *Heduigis*, quæ tres filios videlicet *Belam*, *Colomanum*, & *Andream*, & vnam filiam, videlicet B. *Elizabet* produxit.

Ladislao Vngariæ Regi ſuccedit Andreas.

1202. *Cracouienſi* Principatu *Miecslaus ſenex maioris Poloniæ* Dux graui moleſtia & dolore ſe querens, Baronum *Cracouienſium* dolo & iniquitate exutum ad repetendum illum, animum & cogitationes intendit. Armorum autem via, velut quæ multas ſecum difficultates, modosque, & caſus fortuitos ferebat, obmiſſa, ad ingeniorum viam, plus commodi, minus impenſæ habiturus, ſe totum conuertit. Et Baronum quidem *Cracouienſium* pertentatis exploratisque animis, dum ſpei ſuæ omnibus Principatum ſuum execrantibus non reſponderet effectus, ad nota & trita redit ingenia, & Duciſſam *Helenam Leſzkonis* & *Conradi* matrem, *Caſimiri* relictam, blandioribus quàm ante conuenit ſermonibus. Et primum quidem ſuſpicionis facinus ex transgreſſione prioris fœderis, quantum valet, extenuat, deinde muliebrem animum ampliſſimis promiſſionibus onerat: *Non ex me*, inquit, *glos chariſſima, fœderis inter nos icti conditiones putes neglectas, aut violatas eſſe, ad quarum executionem continuò ferebar, & nunc feror ardore, ſed Cracouienſium Procerum, quod ſeruatæ & impletæ non fuerint, ſcias iniquitate effectum, qui non ſinebant me procedere ad illorum executionem. Nec alia extat mea expulſionis ex Principatu Cracouienſi cauſa, niſi quod me ſenſerant eorum conſiliis neglectis, ad obſeruandum conditiones in fœdere expreſſas, proceſſurum. Fides itaque mea & iuriſiurandi religio, in tuum, & filio-*

Miecslaus Helenam iterum perſuadet, vt ſibi Monarchiam tradat,

1202. *filiorum tuorum profectum peruentura me Cracouienſi exuit Principatu. Quam quidem iniuriam, etſi ego patientiùs, quàm mihi conue-* A *niret, tulerim; te tamen pro filiorum tuorum commodis, quæ interceptum ac neglectum iri vides, non arbitror æquo animo laturam. Vt autem de mea in te, & filios tuos, nepotes meos, fide aliquali ſignificatione certior exiſtas, Cuiauienſem Prouinciam, etiam iam nunc reſigno, de eaque cedo, literasque quantumcunque efficaces volueris, in filiorum tuorum fauorem, Principatum eis Cracouienſem, me obeunte reſignans in hæredes eos inſtituens, ſcribo, tibiq; trado.* His *Helena* Ducisſa liquefacta promisſionibus, *Miecslao* Duci ſe de *Cracouienſi* Ducatu ceſſuram, ſi promiſſas conditiones primùm impleuerit, obligat. Verùm *Miecslaus* Dux veritus, ne noua vis, nouaque conſilia B *Cracouienſium* Procerum, & præſertim *Nicolai* Palatini *Cracouienſis*, cuius nutu ſingula dirigebantur, concluſionem huiusmodi inficiat & irritet, *Helenam* Ducisſam rogat, *vt ſi velit ſingula pacta rata eſſe, Nicolaum Palatinum Cracouienſem & in exilium mitti, & de arcanis ſuorum conſiliis conſentiat eiici, ne de Principatibus & dominiis ſuis ludibria exerceat, ne pro libito ſuo vno deiecto, alterum pro Principe inſtituat. Eo enim in magiſtratu, quem gerit, remanente, neque fœderis impletionem, neque concordiam & quietem inter ſe, & nepotes prouenturam, eo verò exulante, ea omnia quæ aut pacta, aut concordiam inficere poſſent, ceſſatura.* Hæc autem *Miecslaus ſenex* C ideò æſtuabat perficere, vt *Nicolao* Palatino, quem ſciebat *Leſzkonis* & *Conradi* nepotum ſuorum fideliſſimum, & conſtantem amicum & cultorem eſſe, ſublato, faciliùs in filios ſuos *Wladislaum* & *Ottonem* deriuaretur ſucceſſio. Ducisſa autem *Helena Caſimiri* relicta, iam dudum *Nicolao* Palatino *Cracouienſi*, pro variis rebus & ſuſpicionibus, quibus inuidorum liuor eum onerarat, vtpotè virum induſtrium, & iuſto ac legitimo tenore ſingulas Reipublicæ partes adminiſtrante, offenſa, in excluſionem exulationemque facilem præſtitit conſenſum. Quo periculo *Nicolaus* Palatinus intellecto, ad Ducisſam *Helenam Caſimiri* relictam, & filios ſuos *Leſzkonem* & *Conradum* ſupplex D venit, orans *vt fidelium ſuorum obſequiorum, tàm præſtitorum, quàm præſtandorum memores, exulatum ſe iri non patiantur, in eius præſertim hoſtis fauorem, quem non niſi propter fidem in eos, patremque eorum habitam, ſibi grauiter noſſet iratum, ne quoque hoſti communi ſuum deuouerent caput, quod ipſe in certamine ad Moſgauam cum eodem hoſte habito extremo periculo pro eis obieciſſet.* Verùm cùm nihil pacificum à Ducisſa & filiis reſponderetur, quippe tàm graui indignationis nubilo Ducisſa in *Nicolaum* Palatinum efferbuerat, vt ſupplicationes ſuas ſurdis auribus audiret, Palatinus ipſe implacabilem attendens iram Ducisſæ, rebus ſuis proſpecturus, ad *Miecslaum* ipſum *ſenem Poſnaniam* perſonaliter contendit, facilius ſperans ſe apud publicum & iratum *Miecslaum* hoſtem, quàm apud Ducisſam inſenſam, veniam obtenturum. Magna gratitudine & beneuolentia à *Miecslao* Duce exceptus, maximoque fauore & honore habitus eſt. Non dubitauit enim Dux *Miecslaus* principalis & præcipui Baronis aſſiſtentia ſolium ſuum in Principatu *Cracouienſi*, pro ſe & filiis firmaturum. Gaudebat inſuper eum ſui rerum quoque ſuarum habere adiutorem, quem antea infeſtum expertus erat hoſtem, & cuius ſola autoritate de Principatu *Cracouienſi* vice iam tertia exciderat. Omnium itaque offenſarum ſuperiorum culpas liberaliter illi donat & ignoſcit, & ampliſſimis promiſſionibus oneratum, in ſui fidem & amicitiam conciliat, intelligens ſe ad conditiones in fœdere cum *Helena* inito, Palatini aſſiſtentia habita, cogi non poſſe. Nec eum fefellit opinio, eius quidem ductu & conſiliis *Miecslaus* Dux *ſenex* in *Cracouiam* receptus eſt, & tàm arx, quàm vrbs *Cracouienſis*, cæteræque ciuitates & munitiones in Ducatu *Cracouienſi* mandante & dirigente *Nicolao* Palatino *Cracouienſi* in ditionem *Miecslai* conſignantur, totiusque Ducatus *Cracouienſis* plena poſſeſſio *Miecslao*, nulla illarum conditione, quam *Helena* Ducisſæ promiſerat impleta, aſſignatur, & in Ducisſæ *Helenæ* odium ſinguli *Cracouienſes* Proceres *Miecslao* plenam & fidelem faciunt adhæſionem. Ex qua re *Miecslaus ſenex* iureiurando cum Ducisſa & filiis eius ſe ſolutum tenens, cùm non ex ſua reſignatione, ſed ex *Nicolai* Palatini *Cracouienſis* fauore, ſe aſſerit adeptum fuiſſe Principatum, nihil de his quæ promiſerat, ſe cenſet impleturum. Et in hunc modum Ducisſæ & nepotibus de implendo fœdere, in conditionibus eius eam requirentibus, reſpondet; mulcentibusque reſponſionem ſuam *Cracouienſibus* Proceribus, non modò *Cuiauienſem* terram iniuſte occupatam non reſtituit, ſed inſuper *Viſlicienſe* oppidum cum tribus caſtris ad terram *Sandomirienſem* pertinentibus, quæ in ditione *Leſzkonis* & *Conradi* erant, occupat; pro quorum reſtitutione interpellatus reſpondet, *illa iuris ſui eſſe, & iuſtè occupaſſe, & non ad Sandomirienſem, ſed ad Cracouienſem Prouinciam ſpectare debere.* Sed neque tuliſſet cæteras vrbes & munitiones *Sandomirienſis* terræ, ſub ditione nepotum eſſe, niſi illum magno animo de reintegratione vniuerſæ Monarchiæ cogitationibus diſtentum, mors inſperata abſumpſiſſet. Prius enim quàm cogitata perficere cœpiſſet, à morte præuentus, in Eccleſia Collegiata S. *Pauli* in *Kaliſz*, cuius ipſe fundator erat primarius, in ſepulchro filii ſui *Miecslai* ſepelitur. Oppido autem *Caliſſienſi* de veteri loco, in quo tunc conſiſtebat, in nouum locum, in quo nunc eſt ſitum, translato, Eccleſia etiam S. *Pauli* in Eccleſiam S. *Mariæ* Collegiatam translata & trans- 1202.

& Nicolaum Palatinum Cracouienſem deponat.

Qui ad Miecslaum confugit,

ipſiq; Monarchiam reſtituit.

ſed is paullo poſt moritur.

1202. transmutata eſt,& fabrica Eccleſiæ S. *Pauli* labefacta & defluente, Ducale ſepulchrum ſub dio relictum monſtratur potius ab incolis, quàm ſcitur. Reliquit autem *Miecslaus ſenex* duos filios, *Wladislaum* natu maiorem & *Ottonem*, alii enim antequam ad debitam ætatem peruenirent, diem obierunt. Et *Otto* quidem paucis annis poſt ſuperuiuens moritur, filium *Wladislaum* vnum impuberem, *Phvacz* vocatus eſt, derelinquens, propter quod *Wladislaus* frater ſuus, qui magnus & *Laskonogi* vocatus, nepotis tutelam agens, vniuerſum Principatum gubernabat.

Rurik Roſciſlauic Kiouiam occupat. Expulſionem ſuam *Ruric Roſcislauic*, à *Kiouienſi* Ducatu acerbè ferens, *Polowconum* ad quos confugerat, nactus in notabili numero ſuffragia, habens etiam in ſuo comitatu filios, *Olech* venit contra *Kiow*, & nemine aduerſus eum ſtare, aut caſtrum *Kiouienſe* defendere audente, caſtrum *Kiouienſe* 2. Ianuarii capit, barbarorum autem *Polowconum* multitudo & feritas, ciuitatem multifaria clade, crudelitate & ſpoliis affligens, in omnes etiam Eccleſias, monaſteria, ædesque Deo dicatas, ac miniſtros eius deſæuit, ſpoliando Metropolitanam Eccleſiam S. *Sophiæ*, & omnes alias. Vniuerſis autem ſenibus & infirmis partim trucidatis, partim cœcatis, Sacerdotes, monachos, monachas, & omnes *Kiouienſes* Boiaros, ciues, & plebem communem, cum vxoribus, & paruulis, & lactantibus, in captiuitatem & regionem ſuam deduxit. Captiui etiam ſub eodem tempore fuerunt, *Mſcislaus Wladimirowic*, & *Roſcislaus* Dux cum militia ſua per *Polowcos*, quibus malis patratis, *Rurik* in ſede *Kiouienſi* vaſtata & penè deſerta conſedit.

1203. *Poſt varia conſilia,* Ad ſubſtituendam in *Cracouienſem* Principatum, ex *Miecslai ſenis* morte vacantem, alium Principem *Fulco* Epiſcopus & *Nicolaus* Palatinus *Cracouienſes* generalem conuentum comitiorum gratia, apud *Cracouiam* inſtituunt. Quo cùm militarium frequens numerus conueniſſet, ſinguli ad *Leſzkonem Album*, cùm ob paterna merita, tùm ne Principatus *Cracouienſis* ſequeſtrationem à *Sandomirienſi* acciperet, tùm ob indolem Principis cœperunt habere reſpectum, nec inter Principes *Poloniæ* alius æque vtilis videbatur. Aduerſabatur huic voto *Nicolaus* Palatinus *Cracouienſis* & indignum cenſebat parere Principi, cuius ſingulæ actiones ex lenitate fœminea dependerent. (Notabat autem *Helenam* Duciſſam *Caſimiri* relictam, & matrem *Leſzkonis*) cuius bile indignabatur ſe ſuperiori anno fuiſſe proſcriptum. Parua tamen hæc cauſa & meliori ordine reſcindenda putabatur, alia multò acerbior extabat. *Nicolaus* enim Palatinus *Cracouienſis* & *Gouoritius* Palatinus *Sandomirienſis* in tàm teſtatas & vulgatas inimicitias deuenerant, vt vnus alterius nedum fortunis, ſed & capiti inſidiaretur. Superiori quoque tempore *Gouoritius* Palatinus *Sandomirienſis* potentiam *Nicolai* Palatini *Cracouienſis* non ferens, in *Bohemiam* exulatum abierat. 1203. De qua à *Leſzkone Albo*, poſtquam *Miecslaus* Monarchiam & Principatum *Cracouienſem* occupaſſet, reuocatus, in primo honoris gradu, apud *Leſzkonem* & *Sandomirienſes* Proceres habebatur. In huius itaque odium *Nicolaus* Palatinus *Cracouienſis Leſzkonis* magnopere abnuebat Principatum. Difficileq; erat illo diſſentiente in fauorem *Leſzkonis* aliquod concedere decretum, cum & ſui, & *Fulkonis* Epiſcopi reſpectu, cæteri *Cracouienſes* Proceres ex eorum ſententia penderent. Longo itaque tractatu habito, etſi omnium vota pro *Leſzkone Albo* inclinarent, non aliter tamen eum pro Principe ſuſcipere placuit, niſi vt *Gouoritium* Palatinum *Sandomirienſem* à ſe prorſus releget & abdicet, cum ex duorum mutua & infeſta colliſione, neque Rempublicam legitimè poſſe dirigi, neque conſilia tutè tractari, neque fidei & ſubiectioni locum eſſe. In hunc morem dùm *Leſzko Albus* Legatos *Cracouienſium* accepiſſet diu cum ſuis, quid ageret, perplexus manſit, & optabile quidem erat *Cracouienſem* Principatum vltrò delatum ſuſcipere, & execrandis ſchiſmatibus, & bellis propterea orituris ſeminarium auferre. Nemini tamen ſatis placebat virum innocentem absq; demerito exiliationis pœna, quam de illo *Nicolaus* Palatinus *Cracouienſis* petebat mulctari, & in aſſecutionis *Cracouienſis* Principatus bene meritum Conſiliarium proſcribi. Dùm autem in huiuſmodi ambiguitate *Leſzko Albus*, & ſui Conſiliarii verſarentur, nec quale reſponſum *Cracouienſibus* legatis ederent, inuenirent, *Gouoritius* Palatinus *Sandomirienſis* difficultatis prædictæ nodum ſoluturus, ita diſſeruit: *Indignum*, inquit, *clariſſime Princeps, reor, vt propter me vnum cras forſitan aut hodie è vita exceſſurum, publica deſeratur vtilitas, & ob meæ ſalutis vnius reſpectum ſalus infinitorum negligatur, tu quoque à Cracouienſi Principatu, cuius tibi Diuina & humana lege debetur ſucceſſio, excedas portione. Cum in omnibus humanis actionibus optimum ſit, publica priuatis anteferri. De me quidem exiguam, & nullam dùm modo Cracouienſem Principatum aſſequaris, habendam fore rationem, & omnem moram exortæ propter me difficultatis cenſeo reſcindi. Nunquam enim in iuſta acie, horrendum, fideli ſeruo & militi pro Principe & Domino ſuo honeſtam mortem oppetere, quantò magis & mihi glorioſum erit, pro tui Principatus diffundenda amplitudine ad iniuſtum exilium ire, felicem me, & genus meum ratus, ſi quid indignum pro te & pro Republica, cui ſoli vitam debeo, pertulero.* Plus virtuosè loquendo profecit, quàm ſi arroganter ſe geſſiſſet, tàm modeſta enim & humili ſermonis ſuppellectili omnes mouit, vt potius de ſalute ſua ſeruanda, quàm de aſſequendo *Cracouienſi* Principatu cogitaret. *Leſzko* quoque *Albus* Dux Legatis *Cracouienſium* in concilium introductis, ita reſpondet: *Etſi veſtrum*

1203.

ſtrum cæterorumque Cracouienſium Procerum erga me fidem gratam commendatamque habeam, quà me in Cracouienſem Principatum elegiſtis, in quem, & ipſum quoque iure naturali & Diuino mihi competebat ſucceſſio, non ſum tamen terrenorum Principatuum adeò auidus, vt pro illis conſequendis tyrannum me potiùs, quàm legitimum Ducem exerceam, & Gouoritium Palatinum Sandomirienſem, militem probatæ erga me fidei, pro ſola Nicolai Palatini Cracouienſis voluntate & beneplacito à me relegem, & virum innoxium contra fas iusque exulare compellam, & carnificina erga illum potiùs, quàm Ducali autoritate, improbo commercio, caliginem mihi & nomini meo, obſundens Cracouienſem nanciſcar Principatum. Aliis itaq; Cracouienſibus Proceribus eam quam attuliſtis legationem dicatis me ita inſtructum norint, vt mallem priùs honeſtè mori, quàm innoxios iuxta ac ſceleſtos plus iuſto punire. Murmure deinde poſtquam Dux *Leſzko* finem dicendi feciſſet, à Conſiliariis *Leſzkonis* exorto, vexabatur nonnullorum probris *Nicolaus* Palatinus *Cracouienſis*, quod & ſuperbiùs ſe, quàm ſuæ conueniret conditioni gereret, & ſplendore, aliena inuidia & incommodo laboraret, immoderataque cum cupiiſſe ac petiiſſe, parumq; honeſta aſſerebant, quod ſolus contenderet repudiatum iri, quæ cæteri probabant, ac contra omnium decreta, ſuam valere ſententiam. *Cracouienſes* Proceres de voluntate *Leſzkonis Albi* per Legatos ſuos certificati, quid facto opus ſit, altero apud *Cracouiam* conuentu indicto conſultant, & quamuis omnes conditionem improbam de exiliando *Gouoritio* Palatino *Sandomirienſi* tolli, & *Leſzkonem* in Principem aſſumi frequentibus ſententiis decernerent: *Nicolao* tamen Palatino *Cracouienſi* in aduerſum cum *Fulkone* Epiſcopo germano ſuo, & cæteris ſuæ cognationis fratribus nitente, verſus Senatus, qui in bubali morem ab eo quocunque vellet trahebatur, ſententiæ ſuæ aſſenſus, *Wladislaum* Ducem *Poſnanienſem* filium *Miecslai ſenis* nuper defuncti eligit in Ducem. Noui quoque ad illum transmittuntur nuncii, exhortaturi illum, vt *Cracouiam* quàm celerrimè adueniat, geminato iure & ſucceſſionis, & hæreditario, & paterno, & electionis conformis, nuper de eo à militaribus factæ *Cracouienſem* Principatum poſſeſſurus. *Wladislaus* autem *Miecslawic Poſnanienſis* Dux ſciens *Cracouienſis* Proceres priorem electionem de *Albo Leſzkone* Duce *Sandomirienſi* feciſſe, petitioni *Cracouienſium* Legatorum conſentire cunctabatur, bellorum diſſidia, quæ quondam inter Patrem ſuum *Miecslaum ſenem*, & patruum *Caſimirum* viguerant, execratus. Verùm *Cracouienſibus* Legatis id refellentibus, & refutaſſe *Leſzkonem Album* electionem de ſe factam aſtruentibus, *Wladislaus Miecslauic* expreſſam voluntatem *Leſzkonis Albi*, ne ſe & patriam ciuili bello inuolueret, ſciturus, nuncios transmittit per quos & legationem Baronum *Cracouienſium* ad ſe factam inſinuat, & an *Leſzko* factam de ſe electionem ad *Cracouienſem* Principatum proſequi vel relinquere velit, diligentiùs explorat. Offerens *ſe pro debito fraterno, quamuis & ſe iuxta, atque illum, tàm electionis, quàm paternæ hæreditatis reſpectu contingat in præfato* Cracouienſi *Principatu ſucceſſio, iuri & voluntati ſuæ non aduerſaturum.* His *Leſzko Albus* conſilio habito, contra omnium Conſiliariorum vota reſpondet: *electionem ad Cracouienſem Ducatum de ſe factam, dudum propter conditionem de exiliando Gouoritio Palatino Sandomirienſi appoſitam refutaſſe, nunc quoque niſi eadem purgetur conditio, eiusdem voluntatis atq; tenoris eſſe, nec poſſe adduci, vt cum Palatini ſui dedecore & iniuria ſui faſces augeat Principatus. Ageret proinde, quod ſibi & Reipublicæ profuturum exiſtimaret, neq; ſe, neq; fratrem ſuum Conradum ad Cracouienſem Principatum eiꝰ aſcenſum impediturum.* Hæc reſponſio à *Leſzkone Albo* iuuenili potius ardore, quam maturo conſilio facta, pluribus Eccleſiaſticis & ſecularibus illam magnopere execrantibus, gemitus & lachrymas excuſſit, dolentibus & vociferantibus proſapiam *Caſimiri* Ducis optimi a iuſta Monarchiæ ſucceſſione excludi. *Wladislaus* itaque *Miecslawic* de voluntate *Leſzkonis Albi Sandomirienſis* Ducis certior factus etiam Ducis *Opolienſis, Ratiborienſis*, & *Henrici Wratislauienſis* animos ſibi conciliat. Quorum etſi non magnopere ſciebat prodeſſe ſibi fauorem, volebat tamen, vt vir prudens & induſtrius, tollere inuidiam. Quibus omnibus perfectis *Wladislaus Miecslawic* in *Cracouiam* aſcendit, & ab vniuerſis Proceribus exceptus, omnium concordi fauore & conſenſu Monarcha factus, *Cracouienſem* accepit Principatum. in quo ſe mira benignitate omnibus gratioſum geſſit, præbens quibuscunque ad ſe faciles aditus, cauſas iuſto decidens examine, iniurias ab infirmioribus propulſans, & ſingulorum iuſtis & honeſtis petitionibus condeſcendens. Vniuerſa, quæ habere poterat, in milites munifica liberalitate effundebat, formam & fortitudinem nactus a natura egregiam, formæ tamen ipſi crurum obſtabat alta tenuitas, ob quam & ipſe *Laskonogi* appellationem ſortitus eſt.

Wladislaus Monarchiam Poloniæ ſortitur Wladislaus Poſnanienſis.

Henricus Dux *Wratislauienſis* & *Sileſiæ*, frequentibus ſuæ conſortis Duciſſæ *Heduigis* fœminæ deuotiſſimæ & religioſæ precibus, conſiliis & perſuaſionibus, permotus, in Ducatu ſuo, & loco qui nunc appellatur *Trzebnica* tribus miliaribus a *Wratislauienſi* ciuitate diſtante, fundat monaſterium Sanctimonialium ordinis *Ciſtercienſis*, ſub honore & titulo S. *Bartholomæi* Apoſtoli. Pro dote autem monaſterii oppidum *Trzebnicenſe*, itē villas, *Lipnicam, Comeſcham, Breinow, Kotlowice, Tuczmandorff, Hartliptorff, Sudlino, Iawor, Skrankowa, Rozotnice*, & plures alias villas, cenſus & introitus, qui pro mille perſonis ſufficerent, donatione perpetua contulit,

Trzebnicenſe monaſterium fundatur.

1103.

1203. ſit, & donauit, Duciſſa B. *Heduigi* abdicanti ſe iure dotalicii, quod in bonis monaſterio largitis habebat inſcriptum. A fundamentis autem tàm Eccleſiam B. *Bartholomæi*, quàm monaſterium, & eius officinas initians, muro pulcherrimo & ſumptuoſo infra annos 15. conſumauit, & anno 1219. Eccleſiæ ipſius perfecit dedicationem. Compertum autem eſt facto calculo ſumptus Eccleſiæ & monaſterii ad triginta millia marcarum *Polonicalium* aſcendiſſe. Sub omnibus autem 15. annis, quibus opus prædictum perficiebatur B. *Heduigis* nullum maleficum, quantocunque ſcelere inquinatum, ſiue per *Henricum* Ducem, ſiue eius officiales & iudices, capitis damnanti ſententia permiſit notari, ſed quemlibet monaſterii *Trzebnicenſis* applicabat laboribus, vt ſecundum culpæ demeritum duriori vel faciliori labore, diuturno, vel breuiore tempore patratum facinus expiaret. Ex monaſterio autem *Bambergenſi* moniales ad ſuſcipiendum locum illum nouum accitæ primum præfatum monaſterium incolere cœperunt, primaque loci illius Abbatiſſa fuit, vrgo *Petruſza Almana*, ſecunda *Gertrudis Henrici* Ducis & B. *Heduigis* filia, & tàm in primitiis, quam poſt centum moniales in monaſterio ipſo pro vno tempore dote monaſterii abundante immorari & degere conſueuerant. Id circo autẽ locus præfatus pro fundãdo monaſterio prædicto acceptus eſt, licet ſe alii maiori cõmoditate ſubnoxii offerrẽt, quod *Henricus* Dux venationibus operam dans, in eũ ipſum locum, tunc quidem paludinoſum cum equo incidens, non ſe aliter periculum imminens euitaturum exiſtimaret, limoſa congerie inuolutus, vt amplius, niſi inuocaſſet auxilium ex alto familiaribus comitibusque per alia loca ſaltusque diſcurrentibus, ferret opem nemo, niſi ſe voto obſtrinxiſſet, monaſterium Sanctimonialium illic quamprimum fundaturum. Verum vt eſt conditio hominum periculorum articulo multa arduaque polliceri, & promiſſionum vota, facile conſequuto, obliuiſci, *Henricus* Dux ab imminenti voraginis exitio, cum qua diutius luctatus fuerat, ſola ope diuina liberatus, quod ſolenniter vouerat, cœpit negligere, voti ſui cunctatorem ſe magis aliquanto tempore exhibens quàm impletorem. Fœmina autem B. *Heduigis* conſors ſua, & votum huiuſcemodi virum ſuum Ducem *Henricum* ſub præfata neceſſitate emiſiſſe, & in eam diem neglexiſſe per Spiritum intelligens, non prius illũ ſalubribus, tùm precibus tùm monitis ad reddendum votum, quod emiſerat, & cuius emiſſionem, quod abſque arbitris facta eſſet, tàm Duciſſam ſuam *Heduigim*, quàm quoslibet alios celatum iri crediderat, adducere deſtitit, donec ſponſionem ſuam pleno operi mandauit, cuius quidem monaſterii tàm ædificatione, quam dotatione perfecta, cum Dux illuſtris à *Petruſa* Abbatiſſa & Sanctimonialibus quæreret, *ſi qua re adhuc ipſe vel monaſterium ipſarum indigeret, offerens ſe cuilibet indigentiæ Ducali munificentia prouiſurum*, & reſponſo accepto, *dotalia ſibi & monaſterio ab eo præſtita munera plena ac ſufficientia fore, neque monaſterium ampliori prouiſione indigere*, ex reſponſionis euentu loco nomen indidit, & ipſum *Trzebanic*, quod in vulgari *Polonico* ſonat *nullius egens* appellauit. 1203.

Luſtro vno in Pontificatu *Wladislauienſi Ogiorius* Epiſcopus exacto moritur, & in *Wladislauienſi* Eccleſia ſepelitur. Cui *Bartha Italus* Auditor Palatii, ab *Innocentio* Papa prouiſus ſuccedit. *Ogiorio Wladislauienſi Epiſc. ſuccedit Bartha.*

Leuis & parua *Leſzkoni Albo Cracouienſis* Principatus, (in quam omnibus primariis Conſiliariis aduerſantibus prorupit, temere magis quam conſulto) renunciatio, & ceſſio primum videbatur, quæ proceſſu temporis non ſolum illius famam & amplitudinem diminuit, ſed etiam hoſtium, & inuidorum ceruices contra illum ſuſcitauit, & erexit. *Romanus* namque *Wladimirienſis* Dux, qui ex conceſſione & munificentia *Leſzkonis* etiam *Halicienſem* adeptus erat Principatum, cognoſcens illum à Monarchia & Principatu *Cracouienſi* excidiſſe, & tantummodo ad *Sandomirienſem*, *Lublinenſem*, *Maſouienſem*, *Cuiauienſem*q; Ducatus redactum eſſe, contemptui illum, tùm propter diminutam potentiam, tùm propter laſciuam, & nondum ad virilem ætatem pertingentem, & cuilibet iniuriæ opportunam, habere cœpit, in rebellionem quoque verſus, penſa hactenus denegat tributa, & ſe non vaſallum, neque ſubiectum, ſed hoſtem infeſtum *Leſzkoni* & ſuis Ducatibus declarat. Nam & negotiantes in terris ſuis *Polonos* ſingulis fortunis deſpoliat, & commercia illis cum ſuis ſubditis de cætero interdicit. Ad hæc terras *Sandomirienſem* & *Lublinenſem* ſuis finitimis, primum clandeſtinis, mox etiam publicis excurſionibus inuadit, & vexat. In plerisque quoque locis præſidia locat, & milites in frequenti numero illis imponit, terras *Leſzkonis* vaſtaturus. Tulit aliquanto tempore *Leſzko* Dux atroces huiuſmodi iniurias, & miſſis ad *Romanum* Nunciis, redire ad bonam mentem monebat, exiſtimans ſe illius temeritatem, beneuolentia magis, quàm hoſtilitate reciproca ſanaturum. Verùm dùm *Romanus* ex verbis & legationibus *Leſzkonis* inflatus magis quàm correctus nihil pacificum reſponderet, repreſſalibus *Leſzko* vti cœpit, & viciſſitudinariis ordinatis præſidiis, *Ruthenos* temerè progreſſos, & ad ſpolia effuſos, aliquot certaminibus proſperis ſtrauit, eorumque inſolentiam breui compeſcuit. 1204.

Romanus Halicienſis Dux à Leſzkone deficit.

Morauorum Princeps *Dipoldus Præmislao Bohemiæ* Regi & *Bohemis* infeſtus, *Bohemiam* hoſtiliter ingreditur, & pluribus ſpoliis, incendiis, & damnis in ea commiſſis adeo in illam

Moraoorum in Bohemiam expeditio.

1205. illam propter *Præmiſlai* regis abſentiam qui tunc in expeditione in *Almania* conſtitutus *Philippum* contra *Ottonem* pro Imperio diſſidentem adiuuabat, graſſatus eſt, vt etiam *Pragam* graui & diuturna obſidione ſtringeret. Quam *Præmiſlaus* Rex ex *Almania* reuerſus diſſoluit, *Dipoldo* cum ſuis deteſtante certamen.

Excurſionibus priuatis & leuibus *Romanus Mſciſlawic Wladimirienſis Halicienſis* Dux, *Caſimiri* olim *Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Ducis germanus nepos ex ſorore non contentus, quibus hactenus *Polonorum* oras vexauerat, in eam temeritatem graſſatus eſt, vt *Leſzkoni* & *Conrado* Principibus & Dominis ſuis, quibus fidem & ſubiectionem iureiurando ſe ſeruaturum obligauerat, generale bellum inferre, & & Principatus eorum non horreret inuadere. Animum ſiquidem *Romani* magnum ſuapte ferocem opes immenſæ tyrannide quæſitæ, *Ruſſia* ferè vniuerſa ſubacta, equeſtres & pedeſtres copiæ ex ipſa *Ruſſia* coactæ, *Polonorum* imperium laceratum & diſtractum, & in plures ſciſſum Principatus, Procerum Regni ſchiſmata & diſcordiæ, Ducum quoque ipſorum *Leſzkonis* & *Conradi* ſemiplena ætas, ad inferendum bellum magnopere accendebant. Acceſſit & durior reſponſio legationi ſuæ per *Leſzkonem* & *Conradum* facta. Dum enim peteret & moneret pro damnis & impenſis circa dimicationem in *Suchodol*, contra *Miecſlaum ſenem* factam ſibi ſatisfactionem impendi, & omnem oram terræ *Lublinenſis* in perpetuam poſſeſſionem ſibi tradi, reſignari, & inſcribi, reſponſum eſt: *Nihil illum velut profugum & deſertorem meruiſſe.* Quo reſponſo factus iratior, *Poloniam* magnis copiis inuaſit. Prius tamen quàm exercitibus & copiis in vnum congeſtis *Ruſſiæ* fines excederet, mittit *Romanus Mſciſlawic* Dux ad ſui ſchiſmatici ritus *Wladimirienſem* Epiſcopum, nuncios ſpeciales, cum donis, rogans, *vt ſibi in Polonicam expeditionem proceſſuro, & triennio Polonos vaſtaturo, quo felicius bellum tractet, & de hoſtibus trophæa referat, Pontificali autoritate benedicat.* At *Wladimirienſis* Epiſcopus miſſa munera dedignatus, nunciis etiam benedictionem inſtantius flagitantibus reſpondet: *Non ſe Romano Duci impia bella aggredienti, & Polonis, non tàm iniuſtum quàm execrabile bellum inferenti, cùm ſæpenumero Poloni pro Ruthenis contra barbaras nationes pugnantes, capita ſua morti & periculis obiicere conſueuerint, benedicturum.* Super qua reſponſione Dux *Romanus* nimio exagitatus furore, Epiſcopo *Wladimirienſi* remandat, *ſe eam contumeliam capitis Pontificalis truncatione, cùm ex Polonico bello redierit, vlturum.* Sed eius minas Epiſcopus *Wladimirienſis* negligens reintimat, *fruſtra ſe terroribus exagitari, quoniam & mors ſibi nunquam pro veritate pauida fuerit, & Romanus, an ex nefario bello rediturus ſit, ignorat.* Magnitudo fidei etiam in ſchiſmatico Epiſcopo admiranda. Maximis

1205. *Romanus Dux Halicienſis Poloniam inuadit.* itaque & frequentibus copiis ex equeſtri & pedeſtri milite coadunatis, primo æſtatis tempo- A re *Romanus Ruthenorum* Dux in terras *Polonorum* deſcendens, *Lublinenſem* regionem ſibi finitimam primum inuaſit, caſtrumque *Lublinenſe*, quod per præſidium *Polonorum* militum tenebatur, obſidione cingit, & pro eius conquiſitione plures conatus & ſtudia *Polonis* probè arcem defendentibus, integro menſe intendere non deſtitit: Matronas, vxores, filias militum captiuas in quadam indagine vt pecora præcepit detineri, & à ſuis *Ruthenis* permiſit impudice tractari. Interim autem *Leſzkonis* & *Conradi* Ducum iuſſione, ex *Sandomirienſi, Maſouienſi*, & *Cuiauienſi* Prouinciis, grandis confluxerat verſus *Sandomiriam* exercitus, non ſolùm ex militaribus, ſed etiam ex agre- B ſtibus collectus, quem etiam aliqui voluntarii milites ex *Cracouienſi* Ducatu coauxerant. *Romanus* ab exploratoribus factus certior, *Leſzkonem* & *Conradum* exercitibus collectis in armis eſſe, obſidione *Lublinenſi* ſoluta, quam ſibi minus proſperè videbat proueniſſe, in vlteriores *Polonorum* regiones, ſingula rapinis & flammis conſumendo procedit. Minaturque *ſe non ſolùm Poloniæ Regnum vaſtaturum, ſed & paginam Diuinam Latinorum exterminaturum.* Mittitur itaque *Fulko Cracouienſis* Epiſcopus, cum *Vito Plocenſi* Epiſcopo, & cum aliquibus Baronibus ad furiam eius mitigandam, & pacẽ tractandam afferendo ſatisfactionis æquitatem, ſi *Poloni* in aliquo fœdera ſocietatis teme- C raſſent. At ille in pectore verſans, pacem pollicitans, & nuncios circumuentos remittens, graſſari in vlteriora cœpit. Quoſdam quoq; clericos captiuos ictibus ſagittarum iuſſit obrui, vt eliceret fidelem ab eis relationem, vbinam *Leſzko* cum exercitu latitaret. Ad fluuium quoque *Viſlam* perueniens, partim illum nauibus & lembis, partim vadis in aliquot locis repertis, ſiccitate æſtatis aquis illius diminutis ſuperat, & ad oppidum *Zawichoſt* ſtatiua ponit, illic cum conſiſtentem frequentes ſui exploratores de *Polonorum* aduentu auiſant. Quorum cùm irrideret relationes, milites, quos pro excubiis tenendis tranſmiſerat, exploratorum ſententiam confirmant, ſed cùm his quoque *Romanus* D diffideret & *Polonos* nequaquam ſecum pugnaturos crederet, 19. die menſis Iunii, S. *Geruaſii* & *Protaſii* martyrio dicata, ſole oriente, *Leſzko* & *Conradus* Duces cum *Polonorum* exercitibus quorum *Criſtinus* Palatinus *Maſouiæ* erat Ductor, adueniunt, & ordinatas acies decertare parati oſtendunt. *Romanus* ex faſtuoſo trepidus factus, vix primas acies vrgentibus & infeſtantibus eum *Polonorum* ſagittariis explicare, in ſpatio arcto permiſſus, copias & ipſe ſuſa tumultuario magis, quàm legitimo more educit, & ſignis collatis dimicat. Ingenti clamore ab vtroque exercitu ſublato, infeſtis lanceis concurſum eſt, & æquo primum Marte prælium gerebatur, Polo-

1205. *Polonos* quidem indignatio iuſta, quod Vaſallus eorum nulla offenſa læſus, ipſis vltrò bellum inferret, *Ruthenos* libertatis memoria,& Dux ipſe adhortans, vnumquemq; ad ſuſtinendum certamen accendebat. *Polonorum* Duces *Leſzko* & *Conradus*, etſi exercitui præſentes affuiſſent, pugnæ tamen propter ætatem intereſſe prohibiti, paululum à certaminis loco declinantes, exitum rei inter ſpem & metum anxii præſtolabantur, in loca tuta cum cuſtodibus ſuis, ſi hoſtibus ceſſiſſet victoria, diuerſuri. Interim feruente pugna primis *Ruthenorum* ordinibus per *Polonos* contritis & proſtratis, *Polonorum* res meliori, *Ruthenorum* deteriori loco eſſe cœpit. Abundante tamen multitudine, & *Romano* integros pro cadentibus, aut vulneratis, ſubducente, prouidentia & ſolicitudine Ducis *Romani* prælium in pluribus locis inclinatum reſtituitur, *Poloni* non *Ruthenis*, ſed Duci *Romano*, velut proditori fidefrago & transfugæ irati, ad illius occiſionem ardentiſſimè conſpirant, & globo facto, *Romanum* inter primos pugnantem, ex inſignibus cognitum adorti inuadunt. *Romano* Duce grauiſſima cuncta obſeruante oculis manus vniuerſa militum, quæ circa illum conglobata, hactenus illum egregiè defenderat, à *Polonis* deleta, ſtrenui ac fortiſſimi quiq; que pugnatores, ante Ducis ſui os cæſi, mutuoque cadentes fugam & Ducis *Romani*, & cæterorum ſuorum *Ruthenorum* inhibebant. Inter hæc *Romanus* Dux vltimi periculi videns ſibi imminere diſcrimen iam enim & equus cui inſidebat, telis frequentibus confoſſus, excutere illum ſatagebat, per medias acies prorumpens, ad fluuium *Viſtulam* peruenit, vbi equus corruens illum deſeruit. Hinc verò maius obortum periculum, quonam modo manus illorum eſſet euaſurus, & fluuium traiiceret, tandem effœtam vt fertur, equam à ſuis ſibi adminiſtratam aſcendens fluuium ægrè ſuperauit, iumento quoq; illi, quo adiutore fluuium traiecerat, non ſecus quàm parenti ſuo, pro ſua ſalute egit gratias. Mixtus deinde fugientium ſuorum turbæ promiſcuum vulgus à *Polonis* fugientes inſequentibus, & gregarium militem illum exiſtimantibus, obtruncatus eſt. Dum inſuper milites & gentes *Romani* Ducis, qui periculum mortis fugiendo, & tranando *Viſlam* euaſerant, in ripa altera *Viſtulæ* conglobati & denſi, aliorum ſuorum commilitonum proſpectando effugium ſtarent, humus ripæ ab vngulis equorum, & grauitate in ea ſtantium, molem ſuſtinere non valens, diſrupta, dehiſcens radicitus ſuffoſſa corruens, plures hoſtium cuneos in *Viſtulam* præcipitatos abſorbuit. Gloria autem totius triumphi, tunc ex *Ruthenis* relati, in *Criſtinum* Comitem Palatinum *Plocenſem* abſq; controuerſia conferebatur; qui & Princeps militiæ erat, & ſuo aſtu & induſtria pugnam confecerat. *Rutheni* cum dudum in fugam ſpectaſſent, niſi *Romanus* obſtitiſſet, terga vertunt, & in fluuium

magno vero prælio funditur, in quo ipſe moritur.

Viſlam à quo haud longe pugnatum eſt, prout quemq; ſors ferebat, cœci & deſperati deſiliunt, & in gurgites vndarum prolapſi certatim vir virum premens, ſuffocabantur. Plerique etiam ripa *Viſlæ*, vt præmiſſum eſt, ad quam natando fugiebant, ab vngulis equorum contrita, cadente abſorpti ſunt, pauci quos aut natandi ars, aut equorum fortium robur adiuuerat, tranarunt, & hi quoque maiori ex parte à militibus *Polonorum* eos vsque *Wladimiriam* nocte & interdiu proſequentibus, nonnulli ab agreſtibus, dum vel errarent in ſiluis, vel hoſpitarentur in villagiis, trucidati vel capti ſunt, & de *Romani* illo potentiſſimo frequentiſſimoque exercitu pauci admodum euaſiſſe reperti erant, qui ſuis tam ingentem cladem nunciarent. Ad *Viſlæ* ripas cadauerum, complicebantur acerui, illuc enim cunctantibus *Ruthenis* verticibus vndarum ſe condere, aliquanto maior cædes, quàm pro numero edita eſt, adeo, vt fluuius *Viſla* cruore humano tinctus, aliquandiu rubrum colorem cum natiuo commiſcens, cædis magnitudinem intuentibus, teſtaretur. Multos denique imperitos natandi, qui graues erant armatura, aut ſenio hauſere gurgites, caſtris & ſpoliis *Ruthenorum Poloni* potiti, ex opulentiſſima ſuppellectili illic reperta, vaſis quoque aureis & argenteis celatis, veſtibus, equis, armis, admodum ditati & magnificati ſunt. Victoria quoq; ipſa tàm ſonora & famoſa fuit, vt vicinarum nationum gentiumq; crebris celebraretur ſermonibus. *Poloni* quoq; quibus prouenerat, quoſq; fama diuitiis & honore extulerat, variis illam & ſeriem eius proſequebantur carminibus, quæ etiam in hanc diem canora voce in theatris audimus promulgari. Cadauer *Romani* Ducis, quod iam *Sandomiriæ Leſzkonis* iuſſu ſepultum erat, exhumatum per *Ruthenorum* Proceres, omnibus, quos ceperat, ex *Polonis* reſtitutis in libertatem captiuis, & mille marcis argenti ad ſepulturam à *Leſzkone Polonorum* Duce redemptum, & in *Wladimiriam* delatum eſt: *Leſzko* & *Conradus Polonorum* Duces propitiationi Diuinæ & ſuffragiis Sanctorum, eorum præcipuè, in quorum die pugnauerant, omnem adſcribens victoriam, altare in *Cracouienſi* Eccleſia S. *Geruaſio* & *Protaſio* erigunt, & largiſſimis prouentibus illud dotant. Quibus proceſſu temporis adeo caſtratum eſſe conſtat, vt non niſi in Ligatorum platea lapidea, & hæc ipſa deſerta, & ex ſtillicidio ruinata, & locus in poſtico domorum Canonicalium, ex tam dote ampliſſima remanſerit. Cædes *Romani* Ducis & ſuorum exercituum adeo *Ruthenorum* Proceres nationesque attriuerat, atq; humiliauerat, vt vltra non auderent *Polonorum* terras laceſſere. Epiſcopus *Wladimirienſis* maximum ex illa apud ſuos *Ruthenos* clade præconium conſequutus, fama & opinione, quaſi futuri euentus præſcius cladem *Romano* Duci prædixerit, celebris habebatur. Fertur *Romano* nocte præcedente, cladē per quietem ſomniaſſe, quod

1205. paruus auium rubra capita (quos *Sczygielki* appellamus,) habentium numerus ab ea parte, qua *Sandomiria* ſita eſt, adueniens, maximum paſſerum numerum deuorauit. Id cum amicis in diluculo retuliſſet, licet plerique iuuenes felix auſpicium pronunciaſſent, ſenes tamen & prudentes aſtruxerunt ſomnium triſte eſſe, & *Polonis* quidem felicem portendere ſucceſſum, *Ruthenis* verò aduerſum & calamitoſum.

Polowcy a Ruthenis funduntur,

Vaſtationē crudelem, quam in ſe, terriſq; ſuis *Ruſſiæ* Duces à *Polowcys* pertulerant, dolentes in eam diem eis tranſiiſſe impunitam, expeditionem contra *Polowcos* concludunt, & indicunt; Et opportuno tempore adueniente, vadunt Duces *Ruſſiæ* cum copiis ſuis ex pedite & equite collectis contra *Polowcos*, videlicet *Rurik Kiouienſis, Iaroſlaus Pereaſlauienſis*, magni *Wſzeuoldi* filius, *Romanus Mſciſlawicz, Halicienſis* & *Wladimirienſis*, & *Roſciſlaus Mſciſlawic*. Et inuadentes tabernacula, quæ ipſi magis proprio & vſitato vocabulo turres, id eſt *wiece*, appellant, magnos greges hominum, vtriuſque ſexus, ſenibus trucidatis, magnas prædas camelorum, pecorum & pecudum capiunt, & in *Ruſſiam* deducunt. Plerique etiam *Ruthenicæ* gentis captiui prædis, ac ſpoliis multifariis onuſti, nullam ipſis aduerſitatem aut reſiſtentiam paſſi, in *Ruſſiam* alacres reuertuntur, de quo apud *Ruſſiæ* regiones, lætitia immenſa coorta eſt. Et quoniam *Rurik Kiouienſis* Dux *Polowcos* ad vaſtandum *Ruſſiæ* terras conduxerat, & omnium malorum, quæ in terris *Ruſſiæ* patrata fuerant, auctor extiterat, à *Romano Mſciſlawicz Halicienſi* & *Wladimirienſi* Duce, cæteriſque rogantibus & probantibus, dùm ex *Polowcis* redirent, captiuatur, qui illum catenatum in *Kiow* deducens, totondit eum in monachum, & vxorem eius in monacham, filias inſuper eius liberas dimittens, filios ipſius *Roſciſlaum* & *Wladimirum* captiuat, & in *Halicz* deducit captiuatos.

& Lithuani.

Eodem tempore *Lithuani* magna multitudine glomerati, veniunt contra *Ruſſiam*, contra quos Duces *Olechouici* exeuntes, cum illis campeſtraliter congrediuntur. Et licet multi ex *Ruthenis* cecidiſſent, *Lithuani* tamen ad vltimum conflicti ſunt, & ferè vniuerſis captis, aut occiſis, pauci effugiunt. Tùm quoque primum *Lithuanicæ* gentis nomen, quod in eum latebat diem, auditum: Serui enim *Ruthenorum* exiſtentes, annis pluribus periſomata & ſuberes pendebant.

Suantoſlaus Mſciſlawic Dux intelligens *Kiouienſem* ſedem vacuam Principe eſſe, fauentibus *Kiouienſibus* arcem *Kiouienſem* ingreditur, cæteris id minus ſuſcipere tunc metu *Romani Mſciſlawic Halicienſis* Ducis, non audentibus & in illa in morem Monarchiæ Principatum ſuſcipit. Quod cum *Romano Mſciſlawic Halicienſi* Duci moleſtiſſimum foret, quippe qui *Ruthenorum* Monarcha reputari, & ſummam rerum *Ruthenicalium* apud ſe conſiſtere voluit, cum potentiis ſuis in *Kiow* adueniens, *Swantoſlaum Miecslawic* ex *Kiow* cum ignominia exturbat & depellit, in ſedeque *Kiouienſi Roſciſlaum Kurikowic*, quem apud ſe tenebat captiuatum locat. Alterum quoque germanum ſuum *Wladimirum* de captiuitate dimittit, vt fama tàm potentiæ, quàm clementiæ ſuæ magis ſonora fieret, & æſtimatio ſui nominis augeretur, vt quoque expeditionem, quam in *Polonos* eo anno moturus erat, liberius transfigeret. 1205.

Ordo Cruciferorum inſtituitur.

Albertus tertius *Liuonienſis* alias *Rigenſis* Epiſcopus, qui *Bartholdo Liuonienſi* ſecundo Epiſcopo a *Liuonienſibus* propè *Rigam* interfecto ſucceſſerat, ordinem fratrum de militia *Chriſti* nuncupatum, qui gladium & deſuper crucem mantelo inſutam pro inſignibus deferebant, apud *Liuoniam* inſtituit, pro defenſione fidelium contra barbaros, & tertiam partem bonorum *Rigenſis* Eccleſiæ illis in dotem aſſignauit. Quem *Gregorius* nonus ordini *Teutonicorum* vniuit, & vt in iuriſdictione Prælatorum *Liuoniæ* conſiſteret, conſtituit.

Leſzko Albus Dux *Sandomirienſis*, dùm poſt 1206.
relatam de *Romano Ruthenorum* Duce famoſam victoriam, & apud exteras & proprias nationes nominatus & celebris haberetur, *Cracouienſibus* tamen Proceribus, qui pro ſolo *Nicolai* Palatini *Cracouienſis* beneplacito naturali relicto, *Wladiſlaum Miecslauic maioris Poloniæ* Ducem pro Domino & Monarcha aſſumere, & *Cracouiam* illi tradere coacti erant, magis charus magiſque deſideratus eſſe cœpit, cùm multis gradibus, & virtutum morumque honeſtate clarior, & felicitate factiuitateque ſuperior, *Wladiſlao Miecslawic* putaretur, non ſolùm ab his, quos Pater ſuus *Caſimirus* multis beneficiis deuinxerat, verum etiam ab his, qui nouandarum rerum ſtudioſi erant, dignus Principatu & Monarchia *Cracouienſi* iudicatus. Et viuente quidem *Nicolao* Palatino *Cracouienſi*, ſtudia Procerum *Cracouienſium* erga *Leſzkonem Album* conticeſcebant, omnibus autoritate & potentia Palatini *Nicolai*, à rerum nouatione deterritis, quamprimum verò anni huius tempore *Nicolaus* Palatinus *Cracouienſis* ex cuius beneplacito ferè ſingulorum voluntas dependebat, morte abſumptus eſt, illicò ſub *Fulconis Cracouienſis* Epiſcopi præſentia, conuentu apud *Cracouiam* celerius indicto, omniumque *Cracouienſium* Baronum & militarium votis & ſuffragiis *Leſzko Albus Sandomirienſis* Dux, Monarcha & Princeps *Polonorum* decernitur, & omnes in eius aſſumptionem, & in *Wladiſlai Miecslawic* Ducis deiectionem coniurant. Dux interea *Wladiſlaus Miecslawic* præſidio *Cracouienſi* arci, regioni, & vrbi impoſito, fatis abſumitur, & in Eccleſia maiori *Cracouienſi* iuſto honore ſepelitur. Dictus verò fuit *Laskonogi*, eò quòd erat longarum tibiarum proceræ ſtaturæ, pulcher aſpectu, ſolo intuitu gratiam

Mortuo Nicolao Palatino Cracov.

& Wladiſlao Duce Monarchia Poloniæ redit ad Leszkonem.

tiam

1206. tiam in ſe aſpicientium merebatur, militia ſtrenuus, in *Teutonia* à pueritia imò ab infantia nutritus&eruditus,in torneamentis exercitat9, A pro moribus comptis cunctis præeminebat,pauperum,oppreſſorum,viduarum,orphanorum ſagaciſſimus auditor & protector. Cuius morte ſequuta, & impedimento ſublato, miſſi extemplo *Sandomiriam* ad *Leſzkonem Album* Nuncii decretum de eo vniuerſali conſenſu factum publicant,ſimulque orant, *vt ſolium paternum non cunctetur accipere & conſcendere, magis hactenus à Wladislao Miecslawic,potentia Nicolai Palatini* Cracouienſis *cum ſui iniuria occupatum, quàm aliquo iure legitimo poſſeſſum.* Qui tàm *Cracouienſium* precibus, quàm ſuorum Baronum*Sandomirienſium* conſiliis victus,*Cracouiam* adueniens,ab vniuerſis ordinibus ſtatibusque mira fide, deuotione, & B honore exceptus, *Cracouienſem* adipiſcitur Principatum,& *Wladislaum Miecslawic maioris Poloniæ* Ducem & capitaneos, Præfectosq; ſuos,de illo effugat,& exturbat, & omnes ciuitates munitas & caſtra fauentibus ſingulis eius imperio,in ſuam redigit poteſtatem. *Wladislaus* autem Dux, qui *Laskonogi* propter tibiarum longitudinem appellatus eſt,ignominiam & iniuriam ſuam, cùm eſſet vir modeſtus & pacificus,patienter ferens, in *Poſnaniam* cum ſuis ſeceſſit,& Ducatu ſuo contentus *Cracouienſem* Ducatum non repetere ſtatuit.Mittit autem *Leſzko Albus* Dux *Cracouienſium, Sandomirienſium*, & *Lublinenſium* militum exercitum,præficiens illi *Sulislaum*Caſtellanum*Sandomirienſem* C in Ducem & Capitaneum ad vaſtandam *Ruſſiam*. Qui *Suantoslaum* Ducem *Ruſſiæ* Patrem *Agaſiæ*,quæ poſtea*Conrado Maſouiæ* Duci nupta erat, cum quatuor militibus inſignioribus *Ruſſiæ* captiuat,& iuſſu*Leſzkonis* miſerabiliter ſuſpenſos in eculeo interimit, propter quod facinus, reor *Leſzkonem* ipſum etiam occiſum fuiſſe & ſtirpem ſuam non protelaſſe.

Turba in Ruſſia.

Bohemorum & *Morauorum* exercitus ſuperioribus vaſtationibus,hinc inde habitis,& animis irritatis & frementibus campeſtri certamine congreſſi, dùm mutua colliſione plures milites amiſiſſent, *Morauis* cæſis & profligatis, *Bohemi* efficiuntur victores, licet & ipſis, D multis militibus deſideratis,non incruenta ceſſerit victoria. Variis odiorum & diſſenſionum turbinibus *Ruſſiæ* Duces clandeſtinè colliſi, tandem in apertum furorem, diutius illum celare non valentes, prodeunt, & hoſtiliter conuenientes, videlicet *Georgius Wladimirienſis* & *Iaroslaus Pereaslauienſis* ab vna, item *Wladimirus Conſtantinus* & *Mſcislaus* Duces *Smolenſes* & *Nouogrodenſes* fratres germani, partibus ab altera. 12. Aprilis mucrone in propria viſcera verſo, confligunt, & multis mortalibus vtrinque cæſis, captis, aut in vndis ſubmerſis, ceſſit *Conſtantino*, *Wladimiro* & *Mſcislao* victoria. Qui *Georgium Wladimirienſem* Ducem in *Wladimiriam* diffugientem ſequuti, *Wladimirienſem* arcem obſidione cingunt. 1206. Videns autem *Georgius* propter defectum militum ſe caſtrum tueri non poſſe, exit ad victores Duces petens pacem, & conceſſa eſt ei pax ea conditione, vt de caſtro excedat. Quo excedente datum eſt *Conſtantino*, exercitum deinde victores Duces contra *Iaroslaum* in *Pereaslaw* poſt fugam ſe continentem ducunt, qui illicò à victoribus pacem petiuit. Quam cum æquis conditionibus, & quod ſibi *Pereaslaw* retinere liceret, impetraſſet, plurima munera reconciliatis transmiſit Ducibus.Cæſa feruntur eo prælio *Ruthenorum* plusquam decem millia.

Monarchia *Polonorum* & *Cracouienſi* Principatu ad *Leſzkonem Album*Caſimiridem plenè deuolutis, *Conradus* natu minor portionem hæreditatis paternæ ſibi ſequeſtrari efflagitare cœpit. 1207. Epheborum ſiquidem ætatem transgreſſus, iuris eſſe ſui æſtuabat. Ad quod non ſolùm naturali ferebatur affectione, ſed inſuper aliquorum Procerum fortunam ſuam extolli ambientium inſtigabatur perſuaſione. Conuentu itaque ob eam rem apud *Sandomiriam*, propter Duciſſæ *Leſzkonis* & *Conradi* matris præſentiam indicto, cùm *Fulco Cracouienſis*, & *Getko Plocenſis* Epiſcopi, primique ex Baronibus omnium Principatuum conueniſſent, variis tractatibus, per plures dies habitis, diuiſio tandem Principatuum & terrarum inter *Leſzkonem* & *Conradum* germanos, in hunc modum celebrata & ſancita eſt, vt *Leſzko Albus* velut Monarcha, & natu maior, *Cracouienſem, Sandomirienſem, Lublinenſem, Siradienſem,Lancicienſem*, & *Pomeraniæ* terras, & Ducatus obtineat, *Maſouiam* propter amplitudinem diffuſam, cum *Chelmenſi, Cuiauienſi* & *Dobrinenſi* terris *Conradus* natu minor pro ſua ſorte & portione accipiat. Hæc diuiſio, cum ab vtroque Principe accepta & approbata foret, etiam verbali ſponſione a Ducibus & Baronibus interpoſita, firmata eſt, & anathematis execratio in præuaricationem appoſita, rebusque taliter compoſitis, vterque Dux in ſuam ſedem abiit.

Leſzko & Conradus terras ſuas diuidunt.

Lithuanis ea tempeſtate in æſtate terras *Ruſſiæ* vaſtantibus, *Ruthenorum*Duces *Wlodimir Rurikowic Kiouienſis* habens in ſuo comitatu*Smolnenſem* militiam,*Romanus Boryſchouic, Conſtantinus, Mſcislaus, & Roſcislaus* filii *Dauid* occurrunt, & *Lithuanos* magna cæde confligunt, multosque ex Ducibus *Lithuanorum* interficiunt,fugientes autem *Lithuanos* in longum proſecuti, multos in vicis, ſiluis, cæteriſque abditis locis, quibus ſe à facie perſequentium condiderant, occidunt.

Lithuani a Ruthenis cæduntur.

Fulco alias *Pelka Cracouienſis* Epiſcopus, cum annis vno & viginti ſediſſet, vndecima die menſis Septembris moritur, & in Eccleſia *Cracouienſi* ſepelitur, genere nobilis, ſed actio-

Fulconi Cracouienſi Ep.

1207. actionibus nobilior, plures liberalitates, priuilegia, & immunitates Eccleſiæ *Cracouienſi* apud ſedem Apoſtolicam, & ſignanter, vt Epiſcopus *Cracouienſis* omnibus aliis Epiſcopis Prouinciæ, & Eccleſiæ *Polonæ* loco & voce prior ſit, & primus *Gneſnenſis* Archiepiſcopo in conſecrando manum imponat, obtinuit. In locum eius conformi electione Magiſter *Vincentius Kadlubkonis* de *Karwow* vico propè *Opatow* ſito, Præpoſitus *Sandomirienſis*, cum eſſet genere nobilis de domo & familia *Rozæ*, licet aliquam dignitatem aut præbendam in *Cracouienſi* Eccleſia non obtineret, propter excellentiam ingenii & doctrinæ quibus pollebat poſtulatus, & ab *Innocentio* tertio confirmatus. Cui naturæ prægnantis diues, & fœcundus vterus præclarum ingenium contulerat, quem iam benigno lumine aſtra inſpexerant, vt ſine externæ opis adminiculo, nouum condendo corpus, de annalibus Polonorum, hiſtoriæ magnificos per ſeipſum literarum ſenſus expreſſerit, & literarum ſtudiis decus & ornamenta, mores ingenuos, & normam rectè viuendi comparauerat, diſciplinam pro nobilitate, pro patria, pro parente, pro nutrice adoptauerat. Et quamuis ad illa usque tempora Duces & Monarchæ *Poloniæ*, qui apud *Cracouiam* principabantur ad ſuum beneplacitum ſedem *Cracouienſem* contuliſſent, decedentibus Epiſcopis nouos pro ſuo laicali more ſubſtituendo. Quidam tamen Prælati & Canonici *Cracouienſes* viri elegantes, & fortes columnæ, huic abuſioni, & corruptelæ viriliter reſtiterunt, & vnanimiter præfatum Magiſtrum *Vincentium* in Epiſcopum *Cracouienſem* elegerunt, & electionem eius *Innocentio* tertio Summo Pontifici præſentarunt, qui præſentatum confirmauit, & per *Henricum Gneſnenſem* Archiepiſcopum demandauit conſecrari. Fuit autem ex Prælatis *Cracouienſibus* vnus *Ioannes* Archidiaconus, qui liberam electionem Epiſcopi *Cracouienſis* Capitulo obtinuit.

Vincentius Kadlubkonis.

Reſanorum ea tempeſtate Dux *Chleb* nomine, ſtupendæ crudelitatis & auaritiæ homo, integrum apud *Reſanos* Principatum occupaturus, ſex fratres germanos impia cæde ſuſtulit, ſed & plures de Boiaris, quos cœptis & conatibus ſuis obſtare credidit, vario mortis genere deleuit.

Ordo Liuoniæ & Teutonicus uniuntur.

Gregorius Papa nonus anno Pontificatus ſui vndecimo, ad inſtantiam *Rigenſis, Oliſienſis* & *Derpatenſis* Epiſcoporum *Liuoniæ*, ordinem fratrum militiæ *Chriſti* vniuit, & incorporauit ordini B. *Mariæ Teutonicorum*, crucem nigram in albo pallio deferentium, & ab eo tempore cœpit eſſe vnus ordo ordinans, & ſtatuens, quod ordo ipſe ſub iurisdictione Epiſcoporum conſiſteret.

Cypriano Wratislauienſi Ep. ſuccedit Laurentius.

Cracouienſem Epiſcopum *Fulkonem Wratislauienſis* Epiſcopus *Cyprianus*, cùm in ſede ipſa annis ſex ſediſſet, ſecutus eſt, & ſexto Calend. Decemb. diem obiit, in monaſterii *Lubenſis* Eccleſia debito honore tumulatus, *Laurentium* Canonicum *Wratislauienſem* per Canonicam electionem, quam quidem *Henricus cum barba* Dux *Wratislauienſis* ratificauit, electum, habuit ſucceſſorem, nobilem de familia *Doliuitarum* ab *Henrico* Archiepiſcopo *Gneſnenſi* confirmatum, & in *Olobog* conſecratum. 1207.

1208. Occiſo apud *Zawichoſt Romano Wladimirienſi* & *Halicienſi* Duce, qui ſibi ferè vniuerſæ *Ruſſiæ*, partim tyrannide, partim largitione & ingenio vſurpauerat dominationem & principatum, *Ruſſiæq;* Duces in ſuum coegerat obſequium & tributum, plures ſibi aut armis, aut prece, aut pretio, *Ruſſiæ* Dominium deſtinabant. Proceres verò & Boiari *Rusſiæ* in varias voluntates ſciſſi, patriam etiam horrendis bellis impleuerant. Ad finitima itaque Regna vt bellum ciuile tolleretur, cenſebant Primores habendum recurſum, vt alicuius illorum viribus & potentia opprimerentur, exorta mala, & oritura. Et licet aliqui *Polonorum* Ducum ſuaderent petere ſuffragia, & in eorum tranſeundum ditionem, recentis tamen cladis apud *Zawichoſt* acceptæ memoria, ne ad *Polonos* deficerent prohibebat, *Pannonii* aptiores rei huic viſi, per Primores *Ruthenorum* aditi ſunt, & Rex *Vngarorum Andreas* à *Ruthenis* ſuppliciter exoratus, *vt filium ſuum Colomanum illis in Dominum præficeret*, offerentes *ſe illi fide, & deuotione ſincera parituros.* In credulitatem Rex *Vngariæ* legatione *Ruthenorum* admiſſa, filium *Colomanum* cum magnis copiis in *Rusſiam*, & motus inteſtinos compreſſurum, & Regnum *Ruthenorum* apud *Halicienſes* accepturum, transmittit. Qui dùm *Haliciam* perueniſſet à primis *Ruthenorum* Ducibus & Boiaris iuſto honore exceptus eſt, & caſtri *Halicienſis* illi tradita poſſeſſio, & *Mſcislaus Mſcislawic* vnus ex *Rusſiæ* Ducibus de *Halicienſi* Principatu excluſus. Qui ſub eodem, quo ingreſſus erat *Haliciam*, tempore, ſe ab Epiſcopis Catholicis videlicet *Vincentio* Epiſcopo *Cracouienſi* & aliis Epiſcopis, quos ſecum ex *Pannonia* adduxerat, in Regem *Haliciæ* inungi & coronari, Regémque vocari & intitulari *Galatiæ*, & vxorem ſuam *Salomeam* Reginam, ita enim à patre doctus erat, procurauit. Quæ res *Ruthenorum* animos fluxam ſuapte fidem habentium, à *Colomano* cum eis inconſultis confecta coronatio fuerit, & alienauit, & in odium, atque irritationem perduxit, portendentibus coronationem ipſam & ritus ipſorum, & generis exterminium effecturam. Omnes itaque in *Colomanum* conſpirant & exercitibus *Colomani*, qui eum in *Rusſiam* conduxerant, ad *Vngariam* reuerſis, dum ſe *Colomanus* tutum crederet, *Ruthenorum* Principes *Mſcislaus*, ob præſtantiam *Chrobi* appellatus, *Ruthenorum* & *Polowczonum* adiutus auxiliis *Haliciam* perueniens, nonnullis *Halicienſium* fortaliciis & curiis captis, ſpoliatis & incenſis,

Colomannus Hungariæ Regis filius in Regem Rusſiæ coronatur.

1208.

ſis, ad *Halicienſem* quoque arcem obſidionem admouit. In cuius oppugnatione dum *Polowconum Dux Miſſerwica* alias *Miciewnica* ſupernè occiſus eſſet, *Polowcy* in Ducis ſui vltionem multa & execranda mala *Halicienſi* terræ intulerunt, ſcindendo quoſdam *Halicienſes* in quatuor partes, cæteros occidentes, exurendo, mutilando, & plurimos in perpetuam abducendo ſeruitutem. *ſed mox eiicitur.* Expugnata & capta arce *Halicienſi* à *Ruthenis* plurimi *Polonorum* & *Vngarorum* Proceres occiſi aut capti, & qui ſe redimere auro parato non poterant, in ſeruitutem venundati. Nouus etiam *Colomanus* Rex eiectus, per fugam turpem, *Vincentio Cracouienſi* Epiſcopo & *Iuone* Cancellario *Poloniæ* ſimul fugientibus, ſibi conſuluit. Eodem inſuper anno præfatus *Colomanus Salomeam* virginem, ſororem *Leſzkonis* Ducis *Cracouienſis*, accipit in vxorem, cum qua vsque ad mortem cælibem vitam ducens, & ſibi & conſorti, decus virginitatis ſeruauit.

Philippus Dux *Sueuiæ* alter contendentium de Imperio dùm fauorem & aſſiſtentiam multorum Principum contra *Ottonem* Comitem *Pictauiæ* aduerſarium ſuum ſibi vindicaſſet, & ab *Adolpho* Archiepiſcopo *Colonienſi*, qui *Ottonem* elegerat & coronauerat, etiam ſe coronari, prece, & pretio obtinuiſſet potentiaque ſua continuò inualeſceret, contra *Ottonem*, à *Bartoldo* Comite *Palatino* de *Vitkinlinbah*, qui partem tenebat *Ottonis*, ſub pace ſimulata in *Bamberg* occiditur. *Occiſo Philippo Imp. fit Otto.* Ex quo magna orta eſt in *Almania* commotio, ſed per *Innocentium* Papam, qui in odium & deteſtationem domus *Sueuiæ*, propter mala *Henrici*, quæ commiſit in *Romanam* Eccleſiam fauebat *Ottoni*, ſedatur. Ipſe quoque *Otto Philippi* competitoris ſui filia deſponſata, pacificatis rebus *Almaniæ* venit cum magno exercitu *Romam*, & magno honore fauoreque ſuſceptus, pridie Calend. Octobris in Eccleſia S. *Petri* ab *Innocentio* Papa imperialem accepit benedictionem.

1209. *Quum Hungari Polonorum auxilio reſtituere vellent Colomannum*

Eiectionem filii ſui *Colomani* de Regno *Halicienſi Andreas Vngariæ* Rex moleſtè ferens, expeditionem inſignem in *Ruthenos*, magno ſumptu & cura parauerat. Pro comperto enim habebat ferè vniuerſos *Ruſſiæ* Duces, in eius deiectionem conſpiraſſe, & bellum in eam æſtatem maximis apparatibus gerendum decreuiſſe. Duplex malum ſuperimpendens vitaturi. Vnum, ne *Vngari* regionem eorum iuris ſui facerent, ſi *Colomanus* thronum ſuum in *Halicienſi* Regno ſtabiliret, alterum ne pœnas oppugnati & obſeſſi, anno tranſacto in *Halice Colomani*, & pluribus crudelibus & nefariis operibus in *Halice* per ſe & per *Polowcos* patratis, iuſta ſupplicia darent. Intelligens autem *Andreas Vngariæ* Rex *Ruſſiæ* Duces *Polowconum* auxilia in quantitate magna contraxiſſe, & ipſe ad *Leſzkonem Album* Monarcham *Poloniæ* mittens exercitum notabilem, ex *Polonorum* militibus in bellum *Halicienſe* mitti obtinuit. 1209. A In tempore itaque quo inter *Leſzkonem* Ducem & *Andream Vngariæ* Regem conuenerat, & *Vngaricus* & *Polonicus* exercitus ad *Halicz* conuenit, *Vngaricum* Palatinus *Vngariæ Attilia Filnia*, *Polonicum Nicolaus* Palatinus *Cracouienſis* vir in armis egregius, ducebant. Nec *Rutheni* remorantur, quatuor enim Duces videlicet *Miecslaus Mſcislawic*, *Wlodimirus Rurikowic*, *Roſcislaus Dauidowic*, & alter *Roſcislaus Mſcislawic*, cæteris omnibus ſuas copias deſtinantibus adueniunt. *Polowconum* deinde exortus ingens, & *Vngaricum* & *Polonicum* exercitum geminata ſuperans quantitate. Communi autem conſilio *Vngari* & B *Poloni* bellum aduerſus *Ruthenos* geſturi, arcem inprimis *Halicienſem* fortius, quo poſſunt, communiunt, ſed & in ipſa arce ex Eccleſia S. *Mariæ* incaſtellata, alterum caſtellum fortius efficiunt, præſidioque fortiorum, quos inter *Vngaros* & *Polonos* habebant, militum ſuperimpoſito, *Colomano* cum vxore & matronarum fœminarumque, & imbecillium grege relicto, ipſi contra *Ruthenos* & *Halicz* egrediuntur, & aciebus ordinatis prodeunt ad pugnam, *Polonis* dextrum, *Vngaris* & *Halicienſibus* ſiniſtrum cornu tenentibus, leuis deinde armaturæ militibus præmiſſis, exercitum *Ruthenorum* infeſtabant. Duas etiam acies *Rutheni* conſtituerant, vni *Miecslaus Mſcislavvic*, alteri *Wlodimirus* Dux præerat, *Polovvconum* C verò turmæ in loco remotiori conſiſtentes id ſibi conſilii & propoſiti ſumpſerant, vt pugna feruente, quaſi ex inſidiis prodirent. *Mſcislaus* autem *Mſcislavvic* quanta hoſtilis foret potentia conſpecturus, in editiorem locum aſcendit, ſed à *Wlodimiro* Duce argutus vehementer, quod in periculoſo tempore ſpeculatoris magis, quam Ducis officium gereret, & ſuo diſceſſu vniuerſo, *Ruthenorum* exercitui ruinam compararet, illicò deſcendit & ſuos ad congreſſum animans, benè illos in virtute S. Crucis triumphum relaturos ſperare iuſſit. Sub quo tempore *Polonicum* agmen exercitum *Wladimiri* fortiſſimè inuadit, plurimiſque *Ruthenorum* cadentibus, exercitus *Wladimiri* contritus eſt, & in fugam cum *Wlodimiro* & aliis duobus Ducibus, *Roſcislao Dauidovvic*, D & *Roſcislao Mſcislavvic*, qui & ipſi in illo conſliterant, verſus. Fugientes autem in plura miliaria non *Polonicus* tantummodo, ſed & *Vngaricus* exercitus perſecutus eſt, plurimos trucidans, aut captiuans, & iam exiſtimans debellatum. Ea res, eaque tàm longa perſequutio *Polonis* & *Vngaris* victoriam adimens, clade ingenti illos affecit. In terga enim *Vngarorum* & *Halicienſium* qui ſolutis ordinibus incedebant, *Miecslaus* cum *Polovvcis* irruens, ipſos facili negotio fundit & proſternit. Duces inſuper *Roſcislaus Dauidovvic* & *Roſcislaus Mſcislavvic*, dùm *Vngaros* ſeceſſiſſe agnoſcunt, fugam

1209. gam ſiſtunt, & in pugnam redeuntes, latus *Vngarici* exercitus inuadunt, plurimiſque cæſis, Palatinum *Vngariæ Attiliam* capiunt, & A plenam victoriam de *Vngaris* & *Halicienſibus Rutheni* conſequuntur. Palatino enim capto, *Vngari* & *Halicienſes* animos remiſerant, paſſimque à *Polowcis* trucidantur, quoniam neque dimicandi, neque fugiendi facultas illis eſſe poterat, *Ruthenis* & *Polowcys* vndique circumfuſis. Redeunt interim *Poloni* ex cæde & perſequutione *Wlodimiri*, & ducentes ſecum ſpolia, & maximum captiuorum numerum, carmen patrium, ignari cladis quæ *Vngaris* & *Halicienſibus* acciderat, canebant, exiſtimantes ſe plenam victoriam retuliſſe. Verùm a *Roſciſlao Danidowic* & *Polowcys* ab omni parte circumſepti, dùm neque pugnandi, neque euadendi locus eſſet, occiduntur. Locant deinde *Rutheni* & in altum erigunt *Polonicum* ſignum, B ad quod dùm reſiduitas *Polonorum*, qui vel ex cæde diffugerent, vel ex perſequutione *Wlodimiri* redierant credentes illic ſuos conſiſtere, confluxiſſent, omnes paſſim trucidantur. Nec interfectorum poterat numerus æſtimari, adeo vt flumina rubra ex cruore forent, & morientium atque vulneratorum vociferatio in caſtro *Halicienſi* exaudiretur. Iacebant autem interfectorum, velut arena, cadauera inſepulta, nec erat circumquaque *Halicz*, qui occiſos ſepeliſſet. *Polowcy* autem multis nobilibus ſpoliis, equis, armis, veſtibus potiti, etiam plurimos *Vngaros* & *Polonos* in terras ſuas perpetuam laturos ſeruitutem deduxerant. Mandauerat autem *Mſciſlaus Mſciſlawic* victoria potitus, C ſuperbè ea abutens, ſuis *Ruthenis*, ne quenquam *Vngarum* aut *Polonum* viuum eſſe ſinerent. Quapropter non ab hoſtibus tantum *Ruthenis*, ſed etiam *Halicienſibus* gratificationem *Mſciſlao*, & ſuo decreto impenſuris, ad quos confugerant, aut apud quos latitabant, pecorum more ſtrangulabantur, peneque omnis *Polonorum* & *Vngarorum* exercitus deletus eſt. Efferebatur autem tunc *Mſciſlaus Mſciſlawic* Dux, quod & victoriam retuliſſet, & cædem in deuictos *Vngaros* & *Polonos* fieri iuſſiſſet, à *Ruthenis*. Qui in lætitiam effuſi vociferabantur magnis clamoribus dicentes. *O magne Dux & victor Mſciſlae Mſciſlauice, ô fortis accipiter ad* D *conterrendum fortes & robuſtos, armaque illorum transmiſſus à Deo, deſignans ſe glorificare, qui te victo, ſibi deſtinabant victoriam, quoniam à te omnes magnifico & glorioſo Domino noſtro humiliati & conflicti ſunt.* Aſſumpto deinde *Mſciſlaus* Dux Palatino *Vngariæ Atilia*, ad caſtrum *Halicienſe* acceſſit. Ex quo iam *Vngari* & *Poloni*, futuræ obſidioni ſe præparantes *Halicienſi Ruthenos* cum vxoribus & pignoribus eorum perfidiam eorum & victualium defectum veriti, eiecerant. Et dùm non aperiretur illi caſtrum, quod Palatinus *Vngariæ Attilia* aperiendum, nec victori vltra reſiſtendum, apud quem Duces & imperium Regnumque

magno prælio à Ruſſis & Polowcys funduntur,

Halicienſe Deus conſiſtere voluit, ſuadebat. 1209.
Mſciſlaus ad caſtrum reuerſus, iterum ad eos qui caſtrum obſeruabant, caduceatorem *Demetrium*, vnum ex ſuis *Ruthenis* apertionem perſuadens transmittit. Qui dùm vacuus rediiſſet, iterum perſonaliter ad caſtrum acceſſit, & repulſam tertiò paſſus, vniuerſam arcem die altero ſepiuit, aſſerens ſe obſeſſos non pugnando, ſed cædendo tantummodo confecturum. Dùm autem *Colomanus* & hi qui ſecum vna in arce erant, negligenter intra obſidionis tempus, portam caſtri poſteriorem obſeruarent, nocte vna *Rutheni* ſuffoſione facta, in caſtrum irrumpunt, & porta occupata *Mſciſlaum* cum gentibus *Vngaris* & *Polonis*, pauore nimio conſternatis, & ex caſtro partim diffugientibus, partim ſe præcipitantibus, caligine nocturna metum cauſante, omnia maiora viderentur, intromittunt. Caſtro potitus *Mſciſlaus* luce erumpente, ad Eccleſiam S. *Mariæ* & caſtellum in quod *Colomanus* filius *Vngariæ* Regis cum vxore, & potioribus militibus, atque fœminis, ſe irruptione comperta receperat, accedens, illud obſidere cœpit, ſæpiuſque colloquium cum *Colomano* filio Regis *Vngariæ* expetiit. Quod cum ſibi militibus *Vngaris* & *Polonis* ſuadentibus negatum fuiſſet, perſeuerandum in obſidione duxit. Siti deinde *Colomanum* & ſuos premente, vas aquæ illis à *Mſciſlao* transmiſſum eſt, quod pro magno munere acceptum, & in capita per menſuram diſtributum, vix dimidiæ parti ſatisfecit. Fame deinde premente obſeſſos, vitam tantummodo pacti ſe *Mſciſlao* dedunt, oſtiaque aperiunt. Mandante autem *Mſciſlao* educebantur *Vngariæ* Barones, & vxores eorum, & plures inſignes perſonæ, fœminæ & matronæ, nonnullique *Polonorum* milites, quos omnes aut *Polowcys* diſtribuit, aut curienſibus ſuis donauit. Vltimus omnium *Colomanus* filius *Vngariæ* Regis cum vxore ſua eductus, à *Mſciſlao* acceptus eſt, & in *Torczsko* transmiſſus, mandante *Mſciſlao* vt ſub diligenti cura & cuſtodia aſſeruetur, licentiatiſque exercitibus *Mſciſlaus* in *Halicz* conſedit. Dùm autem nuncius tantæ cladis ad *Vngariæ* Regem perlatus fuiſſet, nimio mœrore conſternatus, & manu frontem verberans, lachrymis indulgebat, dolens ſe tàm turpiter conflictum. Quibus ad conſolationem conſortis abſterſis, militem ſuum *Iaroſz* ad *Mſciſlaum Ruſſiæ* Ducem mittit, monens *vt filium ſuum, & vxorem eius, cæteroſque vinctos ſolueret, denuncians ſe ni id fecerit, cum omni potentia contra Ruſſiam venturum.* Quo terrorem huiuſmodi nihili pendente, & aſſerente, *non in ſua poteſtate, ſed in Diuina victoriam conſiſtere, & ſe illum ſi venerit, excepturum, & in virtute Dei conflicturum: Hungariæ* Rex *Andreas* ea reſponſione magis magiſque conſternatus, cùm & Conſiliarii illum de ſuperba legatione coarguerent, & niſi gratiorem ei intimaret, filium non eſſet

& Colomannus capitur.

1209. eſſet viſurus, meliora conſilia ſequutus, manſuetiorem legationem per eundem *Iaroſz* ad *Mſcislaum* æquis conditionibus offerendo A pacem, & ſolui petendo filium transmittit. Conſors inſuper *Andreæ* Regis ſpecialem legationem ad *Mſcislaum* mittens, ſubmiſſius quàm Reginæ conueniebat, pro relaxatione filii ſupplicabat. *Miecislaus* autem veritus, ne, ſi *Colomanum* dimitteret, de nouo contra illum reintegraretur bellum, *Colomanum* relaxare negauit, ſed propriis præfectis in caſtro *Halicienſi* poſitis, in *Kiow* ad *Mſcislaum Romanowic* Ducem *Kiouienſem* tranſiit, & pluribus diebus illic in ſolatiis & voluptate exactis, in *Halicz* rediens, illic regebat Principatum.

Monaſterium in Koſciol fundatur.

Prima Auguſti, *Mſcislaus* filius *Boleslai* victorioſi Dux *maioris Poloniæ* fundat mo- B naſterium S. *Benedicti* in *Koſciol* ante *Kaliſz*, monaſterio *Tyncenſi* illud ſubiiciens. Cui donat pro dote villas *Koſciol*, *Gora*, *Koriciowo*, *Krankowo*, *Glogow*, *Krzywoſandowo*, *Kliſowo*, *Piotrovvo*, *Nadzierzovvo* cum molendino ante *Kaliſz*, & *Liſciec* ante *Konin*, libertando eaſdem villas & earum bona ab omnibus angariis, tributis, & ſeruitutibus *Polonicalibus*, in præſentia Ducum *Wladislai Opolienſis*, *Wladislai* filii ſui *maioris Poloniæ*, & *Herkembaldi* Caſtellani *Caliſſienſis*.

Philippo Poſnanienſi Ep. ſuccedit Paulus I.

Philippus Poſnanienſis Epiſcopus poſt annos tredecim, quibus *Poſnanienſem* rexit Eccleſiam, hominem exuens, in *Poſnanienſi* Eccleſia ſepultus, *Paulum* primum *Poſnanienſem*, Cancellarium, ex Capitularibus Canonicis electum, & ab *Henrico Gneſnenſi* Archiepiſcopo, de *Wladislai Miecslavvic Maioris Poloniæ* Ducis conſenſu, confirmatum & conſecratum habuit ſucceſſorem.

1210. *Leszko Pomeraniæ res ordinat.*

Singulis terris & Prouinciis, quæ in ſuam ſortem & portionem obuenerant, *Leſzko Albus* Dux & Monarcha *Polonorum* prouiſurus, ſingulas eorum ſpecialiter & ſeriatim adibat, calamitatem mœſtitiamque cordis, quæ pectori ſuo ex clade *Ruthenica* apud *Halicz* accepta grauiter inſederat, exterminans, reſtaurans deformata, violentos & calumniatores puniens, & quæſtiones, litesque ſubditorum diſſoluens. Sed & terram *Pomeraniæ* ſub ſuam ſortem cadentem adiit, cum ampliore Baronum & militum quam ſolebat frequentia, in ipſam deſcendit, & tàm à militibus quàm ciuibus honore debito ſuſceptus, omnem æſtatem, & autumnum in ea exegit. Caſtra & ciuitates illius, videlicet *Nouoslupsko*, *Gdansk*, *Gnievv* viſitando, ordinando, & iura populis reddendo, adhibitis Palatinis, Caſtellanis, & cæteris, qui Magiſtratus publicos gerebant terreſtres. Verùm quoniam terra ipſa remotius, quàm quæcunque alia à ſede *Cracouienſi* porrecta eſt, & difficile erat ſuper omnibus quæſtionibus & iniuriis ortis & oriendis, ad Ducem *Leſzkonem*, & eius tribunal habere *Pomeranis* recurſum, *Pomeranorum* igitur aſſiduis precibus, & inſtantiis motus *Lesko Albus*, & de pacifico tranquilloque terræ *Pomeraniæ* ſtatu, prouiſurus, *Suantopelkoni* natu maiori genere nobili de domo *Griphonum* filio *Mſciugii* Ducis *Pomeraniæ*, prudentia & ingenio præſtanti, *Pomeraniæ* Capitaneatum committit, & ei in totum in adminiſtranda iuſtitia, in regendo defendendoque Ducatu, in decidendis quæſtionibus, vices ſuas plenariè committit, illique Principatum in *Pomerania* confirmat, neglectis aliis Principibus, Comitibus, & Baronibus, æque claris, moderatis, & inſignibus, credens eum ſingula non inſolenter, nec infideliter, ſed modeſtè & ſincere adminiſtraturum. Vtrumque autem Palatinum, tàm *Gedanenſem*, quàm *Svvecenſem* & cæteros dignitarios, ac officiales, Capitaneos ac tenutarios illius iubet parere ditioni, recepto ab eo iuriſiurandi ſacramento corporali, quod terram præfatam *Pomeraniæ* pro Duce *Leſzkone* filiiſque & ſucceſſoribus ſuis Ducibus *Polonorum* fideliter tenebit, & ipſos colet, & venerabitur fide, obſequio, & obedientia pura, nunquam ab illorum ſubiectione & dominio ſe ſequeſtrando. Præſtabit etiam annis ſingulis marcas mille argenti, & in fiſcum Ducalem *Cracouienſem* curiam inferet, & pro illorum amplitudine & commodis intendet toto poſſe, nunquam illos deſerendo in proſperis, aut in aduerſis caſibus. Verùm *Suantopelkus* præfa- C tus, breui poſt fidem cum tempore varians & mores cum dignitate permutans, fluxa variaque fide eſſe cœpit, & malignitatis aculeum contra proprium calcitrando Principem exacuit, ſitum terræ, & callida eorum, quibus præfectus fuerat, imitatus ingenia, Principi & Domino ſuo *Leſzkoni Albo* vice qualibet tantò illudens acerbius, quanto operoſius vberiorem ſpem fidelitatis ſuæ & obſequii repromittebat. *Pomeraniæ* enim gubernationem ſortitus, inſolenter ſe gerere, & in ſumma totius *Pomeraniæ* Principatum appetere cœpit. Metuens autem *Pomeraniæ* Principatum, quem auaritiæ zelo, & multo malignitatis ſpiritu occupandum cenſuerat, amittere, multis ſe a- D ctionibus teterrimis vt illum quoquo modo retineret, implicabat.

Filium ſuum *Colomanum* & vxorem eius *Salomeam* alias *Salonicam Andreas Vngariæ* Rex de captiuitate ſoluturus, plures cum *Mſcislao Mſcislavvic* per Barones & Conſiliarios ſuos egit tractatus, & conuentus. In vltimo autem conuentu in finibus *Vngariæ* habito, pax perpetua his conditionibus inter *Vngarum* & *Ruthenum* conuenit, vt alter filiorum *Vngariæ* Regis *Bela*, filiam *Mſcislai Mariam* in conſortem habeat: *Mſcislaus* de *Halicienſi* Ducatu *Colomano* poſt triennium cedat, & tam ipſum *Colomanum* quàm vxorem ſuam, & omnes ſuæ poteſtatis captinos

Pax inter Ruthenos & Hungaros.

1211. uos liberet, quæ omnia eo anno fuere conſumata.

Ruſſi Poloniam infeſtant,

Secundorum euentuum certaminumque A proſperitate, quibus *Colomanum Vngariæ* Regis filium de *Halicienſi* Regno primum eiecerant, deinde inſigni pugna fuderant, *Ruthenorum* Duces elati, plures faciebant in regiones *Polonorum* excurſiones. A *Lithuanis* inſuper, & adiuti & docti, rapta præda cum celeri feſtinatione in propria recurrebant, & nuſquam conſiſtere auſi, magnis incommodis & vaſtationibus *Poloniæ* Regnum affecerant, iamque eam inflationem pompamque induerant, vt *Polonos* contemptui, & ludibrio haberent. Quibus rebus *Leſzko Albus Polonorum* Dux & Monarcha permotus, B habito cum Conſiliariis maturo tractatu, *Sulislaum* Caſtellanum *Sandomirienſem* cum expeditis militibus in *Ruſſiam* talionem *Ruthenis* refuſurum, & incurſiones eorum oppreſſurum tranſmittit. *Sulislaus* autem Caſtellanus *Sandomirienſis Ruthenorum* terras ingreſſus, flammis illas vaſtat, & cædibus, magnoque numero captiuorum congeſto, illos in *Poloniam* vinctos remittit. *Ruthenorum* autem Duces vaſtationem tàm crudelem regionum ſuarum non ferentes, illi occurrunt, & pugnandi copiam faciunt quàm ſuperioribus annis vafro vſi conſilio, detrectauerant. Pugna autem commiſſa *Rutheni* facili negotio, dùm primas acies *Poloni* ſtrauiſſent, victi, fugatique ſunt, & *Suantoslaus Mſcislawic*; & quatuor alii Duces, videlicet *Georgius*, *Iaroslaus*, *Wladimirus* & *Conſtantinus*, multusque militum & nobilium *Ruſſiæ* numerus captus eſt. Sed non minor erat deſideratorum, in quos ab ira *Poloni* gladios ſtrinxerant, numerus. Et milites quidem, nobileſque *Ruthenorum Sulislaus* Caſtellanus *Sandomirienſis* in vinculis habuit in *Poloniamque* deduxit. Quorum plerique aut liberalitate *Leſzkonis* Ducis manu miſſi ſunt, aut a ſuis redempti. *Suantoslaum* verò Ducem & quatuor Duces alios ſecum captos, propter furtiuas excurſiones, quibus *Poloniam* plurimum vexauerant, attriuerantque, vindicandas, & in futurum D prohibendas vinctos tenuit, victoremque exercitum de victorum ſpoliis ditatum & onuſtum, non ſine ſui ampliſſima laude in *Poloniam* reduxit. Proceſſu deinde temporis Duces *Ruthenorum Suantoslaum Mſcislawic*, *Georgium*, *Iaroslaum*, *Wladimirum*, & *Conſtantinum Polonorum* Dux *Leſzko* à captiuitate abſoluit.

ſed a Polonis vincuntur.

Cometa viſus eſt.

Cometes ſtella in menſe Maio eo anno apparuit, quæ caudam & faucem ab oriente dirigens in occidentem 18. diebus durauit, regionibus *Ruſſiæ* magis propinqua, cladem, quam in anno ſequenti à *Tataris* pertulerant, portendebat.

Miecslaus I. Dux Ratiborienſis moritur.

Miecslaus Dux primus *Ratiborienſis* & *Opolienſis* filius olim *Wladislai* exulis, & circa *Poſnaniam* à fratribus conflicti, 13. Maii moritur. 1211. Agilis multum & procerus ſtatura, peritus artis gladiatoriæ, multas pugnas duelli & torneamẽtorum in *Almania* non ſine multorum admiratione animoſè exercens. Cui filius eius vnicus *Caſimirus* ſuccedit in Principatibus. Fundauit autem præfatus *Miecslaus* Dux monaſterium Sanctimonialium ordinis Præmonſtratenſis in *Ribniki*, & ſufficientem illi dotem præſtitit, quod poſtea filius ſuus *Caſimirus* in *Carnowaſz* ad fluenta fluuii *Malpadenſis*, qui illic de prope *Odræ* miſcetur, tranſtulit. Conſors autem eius *Ludimilla* obiit tredecimo Calen. Octobris.

cui ſuccedit Caſimirus filius.

Natalem *Chriſti* huius anni *Leſzko Albus Polonorum* Dux & Monarcha, *Cracouiæ* cum genitrice ſua *Helena* Duciſſa, & *Vincentio* Epiſcopo *Cracouienſi* Baronibuſque in magna egit ſolennitate, & aliquot diebus ſplendidis conuiuiis Conſiliarios tenuit. Et quia eo anno res omnes ad tranquillitatem reciderant, ſingulis hoſtibus in circuitu aut quieſcentibus, aut debellatis, rebus vrbanis & ciuilibus vacatum eſt, & iudiciis particularibus, & generalibus in ſingulis diſtrictibus inſtauratis, iura populis reddebantur. Sed nec ea tranquillitas ad integrum tuta fuit, nam ſuperna vexatio acerbitatem ingeſſit. In menſe ſiquidem Iulio fulminis ictu ærarium *Cracouienſis* Eccleſiæ de cœlo tactum eſt, cuius virtute tignis & roboribus tectum, ſuſtentantibus incenſis, etiam flamma ad interiora ærarii, nemine ardorem reſtinguente, peruenit, ſcriniaque & ciſtas corripuit, & caſulas, cappaſque, & multa *Cracouienſis* Eccleſiæ ornamenta atque decora, largitione & liberalitate Regum, Principum, Pontificum, & *Chriſti* fidelium donata, quæ in ciſtis ipſis condita erant, diſſoluit & deuorauit. *Cracouienſem* Eccleſiam ſuis precioſis & charis indumentis, pignoribuſque, quibus vltra cæteras Polonicas Eccleſias dotata erat, priuauit. Quod quidem factum prodigii loco habitum, etiam apud miniſtros Dei, & alios timoratos viros in religionem verſum eſt, autumantibus conflagrationem ipſam ſolius Dei nutu propter facinora illum prouocantia proueniſſe. 1212.

Eccleſia Crac. de cœlo tangitur.

Irruentes Tatari Ruſſos & Polonos magna clade adficiunt.

Potentiam ſuam *Tatarorum* gens in eam diem ignorata, & vix audita, ad partes ſeptemtrionales extenſura, *Polowcys* ex illa parte magis conſiſtentibus, & pluribus aliis nationibus conflictis, deletis aut ſubiugatis, etiam ad terras eorum, qui citra mare *Ruthenis* confinanter degebant, venit, *Polowcy* de potentia ſua diffiſi, periculũ quod illis à *Tataris* imminebat, petentes ſe vniuerſis potentiis *Ruthenorum* adiuuari inſinuant, denunciando par diſcrimen, ſi victi à *Tataris* fuerint *Ruthenis* imminere. Veniunt & ſub idem tempus ad *Ruſſiæ* Duces *Tatarorum* nuncii, exorantes eos *ne ſe bello Polowczonum implicent, nec ſe iungendo Polowcys, neceſſitatem Tataris bellum contra Ruſſiam mouendi imponant, ſed ſi ſapiunt, de ſuis finibus* Po-

1212. 1212.

Polowcos hactenus plurima mala Ruſſiæ terris inferentes, exterminent, cum de aliis regionibus Tatari ſint illos veriſimiliter exterminaturi. Duces autem Ruſſiæ parum prouido vſi conſilio, & nulla ſuper his matura deliberatione præmiſſa, gentium iure violato, Tatarorum interfectis nuntiis vadunt exercitualiter contra Tataros auxilium Polowcys laturi, videlicet Mſciſlaus Romanowic cum militia Kiouienſi, item Mſciſlaus Mſciſlawic cum Halitienſi militia, item Wladimir Rurikowic, cæterique Ruſſiæ, item Duces Smolenſes, item Duces Czernieowienſes, item omnis terra Polowconum, & omnes Duces eorum, & aliquibus Ducibus & militibus Ruſſiæ in equis euntibus, aliquibus in nauibus perueniunt vſque ad Protoce, & inde ſinguli accenſis equis duodecim ſtatiuis ad flumen Kulcza perueniunt, quo iam Tatari caſtra ſua poſuerant, & illicò Tatari reſpirandi ſpatio non dato, in Ruthenos & Polowcos irruunt, Polowcis autem contritis & diffugientibus, etiam acies Ruthenorum turbantur, & hi duo Duces Mſciſlaus Kiouienſis & Czernieouienſis captiuantur, plurimaque cæde edita, multis aut captis, aut necatis, cæteri diffugiunt, ſed in fugientes aliud æque horrendum diſcrimen à ſociis Polowcys in quorum terras fugam maturabant editum, nulli enim ætati aut conditioni parcendo Polowcy agreſtes, Ruthenos, ſi equites, propter equos, ſi pedites, propter veſtes, trucidabant. Qui verò ex Ruthenis in montes fugerunt, fame moriebantur, plerique in aquis ſuffocantur, horrendumque malum in illa die ſequutum eſt, quale nuſquam in terris Ruſſiæ viſum fuit, neque auditum. Mſciſlaus autem Mſciſlawic Halicienſis Dux, dùm fugiendo ad naues perueniſſet, ſuperatis fluuiis, naues, perſequutionem Tatarorum veritus diſrumpi mandauit, abindeque fugax in Halicz pauore & trepidatione plenus peruenit. Dùm verò alia omnis Ruthenorum multitudo ad naues fugiendo perueniſſet, & eas offendiſſet violatas, in mœrorem verſa, dùm vndas tranare non poſſet, fame contabeſcens illic conſumpta eſt præter Duces & aliquos eorum milites, qui in lembis fluuios traiecerant. Wladimirus autem Rurikowic fuga & ipſe ſaluatus, in Kiow perueniens, ſedem accepit Kiouienſem, eaque prima clades extitit quam Rutheni pertulere à Tataris.

Ottone Siciliam inuadente

Otto Imperator omnibus inſignibus Imperialibus functus, & nullum ſibi ſciens in Imperio competitorem ſupereſſe, inſolenter ſe gerere, & Innocentio Papæ tertio, cuius fauore profectus & adiutus ad Imperium conſcenderat, rebellis & aduerſarius eſſe cœpit, vnde & Regnum Siciliæ prætendens illud pertinere ad Imperium, Innocentio Papa ne quicquam prohibente & obſtante inuadit, & magnam illius partem dedentibus ſe aut expugnatis vrbibus Friderico abſtulit, propter quam cauſam Innocentius tertius videns ſe ſe deceptum ab Ottone ipſum excommunicat, & ab Imperio deponit, & omnes Principes ac Barones à fidelitatis iuramento abſoluit, mandans Principibus & Electoribus, vt ad electionem alterius procedant. Qui Apoſtolico patentes mandato, Fridericum ſecundum Siciliæ Regem ex Henrico quinto, & Conſtantia monacha vetula genitum, in Imperatorem eligunt. Fridericus autem in Regem Romanorum declaratus, in Almaniam deſcendens, & conuentus aliquot celebrans, beneuolentiam ſibi conciliat Principum, & à Seyfrido Moguntinenſi Archiepiſcopo, Apoſtolicæ ſedis tunc Legato, Aquiſgrani coronatus eſt, & Almania bellis & ſchiſmatibus inteſtinis feruere cœpit.

Fridericus II. Imp. eligitur

Aſſerunt annales Vngariæ Regis conſortem, & B. Helizabeth genitricem, vxorem Bankbani in curia ſua obſeruantem fratri ſuo ad illudendum tradidiſſe, & Bankbanum de genere Bor ortum ducentem, in vltionem ſtupri vxoris ſuæ Reginam Gertrudim occidiſſe, in genus quoque Bankbani varia cæde ſæuitum eſſe.

Miſeranda & miſerabili caſu Pannoniorum Regnum ea tempeſtate afflictum, & apud Polonos ſibi conterminos, variiſque neceſſitatibus coniunctos, & apud vicinas exteraſque nationes ſonorum ſuæ lamentationis edidit eiulatum, cuius Rex Andreas filius Belæ tertii etſi ſplendido coniugio & prolis multiplicitate felix & inſignis eſſet, & de conſorte ſua Gertrudi filia, Bartoldi Morauiæ & Carinthiæ Ducis ſorore germana S. Heduigis Duciſſæ Wratiſlauienſis, & Henrici cum barba conſortis, tres filios, Belam, Colomanum, & Andream, quartam verò B. fœminam Helizabeth Landgrauio Turingiæ Ludouico Hermani Principis primogenito in ætate tenera deſponſatam, & multa ſanctitate refulgentem, ſuſcepiſſet. Tantæ tamen ſuæ felicitatis fulgorem fortuna nihil ad plenum tribuens caliginoſo euentu repente confudit. Præfatam ſiquidem Reginam Gertrudim, vnus ex maioribus Vngariæ Baronibus Bankbanus vocatus, Bor ortus de genere, mucrone transuerberans funeſta occiſione 4. Calend. Octobr. necauit. Cuius quidem necis duæ à ſcriptoribus feruntur fuiſſe cauſæ, vna quidem, quod præfata Gertrudis Regina vxorem præfati Bankbani, in ſua curia conſiſtentem, cuidam fratri ſuo aduenæ & hoſpiti illudendam conſenſerat, in cuius ſceleris vltionem Bankbanus ſtuprati coniugii pœnam, quam à patratore non potuit, a conciliatrice exegit; ſed abſurdum videtur, vt fœmina alioqui per ſe pudica & caſta, & quæ ſanctam filiam progenuerat, genuſque ab ingenuis, & religioſis parentibus ducebat, ſtupra & adulteria procuraſſe credenda ſit. Alia vero, quod cùm Andreas Vngariæ Rex ad conſilium conſortis ſuæ Gertrudis plures Almanos in Vngariam accerſiſſet, &

Bankbanus Gertrudim Vngariæ Reginam interficit

1213. cum illis *Vngarorum* caſtra & munitiones expugnaret, Magiſtratus quoque Reipublicæ *Vngaris* neglectis *Almanis* mandaſſet, *Vngari* contemptum iri ſe dolentes, ad occidendum Regem *Andream* conſpirant. Et cum præbente illis animum, & ductum *Bankbano* conſpirationem completuri, in curiam Regis aduenissent, *Andreas* quidem Rex à *Gertrudi* Regina auiſatus fugiens, mortem euaſit. *Bankbanus* verò Rege non comperto, *Gertrudem* Reginam ſupplices manus porrigentem pro vita, lanceis & haſtis perfoſſam obtruncauit. In cuius necis tam horrendæ vltionem, *Andreas* Rex *Bankbanum*, & omne genus ſuum ad interemptionem vſque & exterminium deleuit, corpus Reginæ occiſæ in monaſterio de *Pilis* iuſto cum honore ſepultum eſt. Hæc dùm viueret, in Eccleſiam *Wratislauienſem* liberalem ſe exhibens & munificam, nobilem coronam auream quam pro ornamento diebus ſolennibus geſtare conſueuerat, eidem Eccleſiæ *Wratislauienſi* transmiſit, qua conflata, calix aureus, iuxta eiuſdem *Gertrudis* Reginæ voluntatem & deſiderium eſt fabricatus.

& ob id cum ſuis interemtus.

Monaſterium in Olobok fundatur & dotatur.

Tredecimo Calend. Nouemb. *Wladislaus Ottonis* Dux *Caliſſienſis* fundat monaſterium in *Olobok* Sanctimonialium ordinis *Ciſtercienſis* in terra *Caliſſienſi*, & diœceſi *Gneſnenſi*, & illud ſumptibus Ducalibus ex fundamentis extruit, cui in dotem villas & hæreditates infraſcriptas aſſignauit; videlicet *Olobok*, *Kitbadlowo*, *Zydowopole*, *Wrosle*, *Rablany*. Item, *Wierzbieta* filius *Clementis* militis, contulit quatuor villas paternas monaſterio præfato, videlicet *Konarowo*, *Grzybowo*, *Mislakawo*, & *Druſzkowo*. Item, idem Dux *Wladislaus* contulit eidem loco villam *Staw*, commutatam à filiis *Laurentii*, *Dobrogoſtio* & *Creſzacha*, pro tribus villis, *Chotnino*, *Golikowo*, & *Pieniaſzkowo*. *Henricus* autem Archiepiſcopus *Gneſnenſis* ad petitionem *Wladislai* Ducis, conſecrauit in *Olobok* Baſilicam, monaſterio vero contulit decimas Archiepiſcopales de conſenſu ſui Capituli, in villis quæ ſunt incluſæ inter *Olobok* & *Barycz* fluuios.

Diſſidia inter filios Henrici Wratislauienſis Ducis,

Tàm virili ætate quàm viridi *Henricus Wratislauienſis* & *Sleſiæ* Dux cum felici & B. *Heduigi* fœmina conſorte ſua, in proſpera & æquabili fortuna traducta, magna vterque coniugum tempeſtate ſub media pace, dùm iam in occiduam vergerent ætatem, obrutus eſt. Duorum ſiquidem filiorum, videlicet *Henrici* & *Conradi*, qui *Criſpus* vocatus eſt, qui vſque in virile robur euaſerat, dùm iam tertius *Boleslaus* fato ſubtractus eſſet, liuoroſo inter illos ſerpente, collidebantur odio, alterum *Eſau*, alterum *Iacob* ex euentu & conditione crederes, cum pro vno pater *Henricus*, pro altero genitrix ſtaret *Heduigis*. *Henricus* ſiquidem Dux pater minorem natu *Conradum* ſingulari affectione complectens, Ducis *Saxoniæ* illi filiam deſponſat, & *Lubucenſem* terram, *Luſatiaque* regionem perpetua illi conſignat portione. *Henricum* autem natu maiorem B. *Heduigi* perſuadente, *Sleſitis* & *Wratislauienſibus* Ducem deſtinat. Id cum moleſto & irato animo *Conradus* ferret, & ex naturali inſtinctu *Polonis* amicus facilis & blandus, *Teutonicis* vero hoſtis infeſtiſſimus foret, parentum ordinationem armis reſcindere, dum preces inualidæ eſſent, conſtituit, exercituque notabili ex *Polonorum* & *Lubucenſium* militibus & agminibus comparato, fratrem inuaſit. Et licet vterque parens tollere diſſidium fratrum, & quietare maximis conatibus laboraſſent, videntes tamen labores ſuos in caſſum recidere, vtrumque filium propoſitum ſuum (Dux *Henricus Glogouiam*, & Duciſſa *Heduigis* in *Neptz* ſecedens) exequi paſſi ſunt. Non tulit & *Henricus* natu maior fratris *Conradi* inuaſionem, ſed exercitum ex *Polonis* & ex *Teutonicis* colligens, *Conrado* inter *Legnicam* & aureum montem in loco qui dicitur *Studnica*, ſeu *Ruffa Eccleſia* occurrit, vbi dùm congreſſu facto, fortiter ab vtraque parte pugnatum foret, plurimis in ore gladii cadentibus, *Henrico* ceſſit victoria. *Conradus Criſpus* cum multis ſuorum amiſſis, ex prælio diffugiſſet, ad patrem *Henricum* in *Glogouiam* diuertit, ratus, prout euenit, & ſe illic tutum conſiſtere. Verùm cùm dierum proceſſu in ſiluas *Tarnouienſes* venandi gratia proceſſiſſet, feram agitans ex equo corruit, fractiſque cruribus exſpirauit, in monaſterium *Trebnicenſe* delatus, operante ſorore *Agneta* Abbatiſſa *Trebnicenſi*, quæ eum tenerrimè viuentem dilexerat, in Capituli loco ſepelitur. Quo ſic abſumpto fraternum & domeſticum bellum, quod quandoque reſumi & reintegrari nemo dubitabat, conquieuit. Ne autem matri religioſiſſimæ *Heduigi* Duciſſæ mors filii *Conradi Criſpi* præcordia dolore ingenti repente denunciata ſauciaret, non ad funerias filii, ſed ad viſitationem ægroti venire rogata eſt. Illa autem & cladem primum, & mortem filii dudum in ſpiritu præcognoſcens, & illum iam extinctum eſſe ſciens, nuntiis reſpondit: *Quare*, inquit, *languidum Conradum filium meum ſimulantes, viuere illum confingitis, cuius occaſus dudum ante mihi fuit cognitus, quoniam ſua temeritate ſanguis funderetur plurimorum.* Iuit deinde ad exequias filii, & iuſta illi pro Ducalis dignitatis excellentia, & pro maternæ charitatis affectu impendit. 1213.

quæ tamen morte Conradi ſtatim ſedantur.

Nondum pubertatis annos *Wladislaus* Dux (qui ex poſt cùm eſſet in ſputu nimius *Plwacz* agnomen ſortitus erat) filius *Ottonis* filii *Mſcislai ſenis* Ducis *maioris Poloniæ* transgreſſus curatorem ac tutorem ſuum *Wladislaum maioris Poloniæ* Ducem, & *Ottonis* fratrem ab aliquibus, ob proceritatem ſtaturæ ma- 1214.

1214.

Turbæ in Polonia maiore.

magnum, ab aliquibus verò ob proceritatem & excellentiam tibiarum *Laskonogi* vocitatum, qui velut patruus ſuus germanus, ipſius tutoriam aſſumpſerat, faſtidiebat, Principatumque *maioris Poloniæ* partiri, & ſibi illius dimidium à patruo conſignari depoſcebat, vehementer ad principandum aſpirans, & diſciplinam patrui ſui magnopere abhorrens. Prauam autem ſuam intentionem non ſolùm innata prouehebat ambitio, ſed nonnullorum nobilium & adoleſcentum, qui ſecum vnà creuerant, nutriebat, incendebatque perſuaſio: Verùm cùm *Wladiſlaus* magnus *Laskonogi* partim ingeniis, partim autoritate iuuenilem ætatem fruſtraretur, *Wladiſlaus Plwacz* moræ cuiuslibet impatiens, ſatellitibus aliquibus cinctus, *Caliſſienſe* caſtrum ſubintrat, & patrui ſui Officialibus expulſis, tam caſtrum, quàm ciuitatem occupat, & ſe in caſtro recludit, reſiſtentiam pro viribus ſi impeteretur, *Wladiſlao magno* patruo ſuo oppoſiturus. Quod cùm *Wladiſlao magno* nunciatum fuiſſet, magnas copias ex militibus & agreſtibus ſubitò contrahens, caſtrum *Caliſſienſe* obſidione cingens, nepotem etiam in eo concludit. Qui dùm quindecim diebus obſidionem continuaſſet, victualiaque obſeſſis ſcirentur propediem defectura, veriti obſeſſi, ne ſi caſtrum per violentiam caperetur, iratus *Wladiſlaus magnus* in eos aliquid grauiùs ſtatueret, caduceatoribus miſſis, vt & incolumes eos eſſe, priſcumque honorem & fauorem retinere liceret, de dedendo caſtro paciſcuntur. *Wladiſlaus* verò *Plwacz* de fauore patrui diffidens, carceris ſe deputandum pertimeſcens ſqualoribus, cum ſeptem tantummodo comitibus nocturno tempore ex caſtro *Caliſſienſi* dilapſus, verſus *Cracouiam* ad *Leſzkonem Album* contendit, & inde ad *Andream Vngariæ* Regem perueniens, cauſis itineris expoſitis, humanè amiceque ab illo fotus, exceptus, honoratus, & habitus eſt.

1215.

Vincentius Ep. Eccleſiam ſuam Cracouienſem ditat.

Nobilem & illuſtrem *Cracouienſem* Eccleſiã *Vincentius Cracouienſis* Epiſcopus ſui Pontificatus tempore amplius illuſtraturus, pro habendis quotidianis refectionibus vndecim decimas manipulares, & ſeptem pecuniarias in villis circumcirca *Czehow* oppidum ſitis ad menſam ſuam Epiſcopalem pertinentibus, donatione perpetua contulit & donauit. Ex quarum introitibus in vino, luminaribus, cæteriſque ſuis neceſſitatibus, procuratur *Cracouienſis* Eccleſia, & Prælatis Canonicisque Eccleſiam ipſam frequentantibus, diſtributiones frequentes ac quotidianæ largiuntur. Nimium fortunatus, nimiumque liberalis Epiſcopus, æterna in laude verſandus, quòd & Eccleſiæ ſuæ prouidit neceſſitatibus, & plurimum illi contulit ſtabilimenti & decoris, ampliſſimam ſui doni compenſationem, per gratiam pontificis & remuneratoris ſuperni, abundè iam conſequutus. Ne autem de nominibus villarum decimas huiuſmodi afferentium, a quopiam ambigi poſſet, etiam nomina earum inſerui. Primo quidem manipularium, *Gnoynik, Golpridowa, Tymowa, Twerkowa, Iurkow, Viazd, Opatowice, Lucslawice, Iazceſchowa, Konczyská, & Zdania*. Item pecuniarum, *Brzozowa, Olszowa, Slona, Bieznik, vel Bruznik, Polichta, Poſzna*. Item in oppido *Caſimirienſi Cracouiæ* vicino, ita vt candela inextinguibilis nocte dieque ardeat in altari, reliquum Canonici in ſuos vſus conferant. Aſſerunt alii decimas ipſas, non menſæ Epiſcopalis, ſed Eccleſiæ Parochialis in *Czehow* extitiſſe.

Concilium Lateranenſe.

Actum eſt eo anno in menſe Nouembre apud *Lateranum* concilium celebre & famoſum, per *Innocentium* Papam tertium congregatum, quod tanta frequentia illuſtrium perſonarum fuit inſigne, vt ex Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque præſtantibus Prælatis mille ducenti quindecim numerarentur, in quo & pro generali ſubſidio terræ Sanctæ ferendo enixius laborauit, & plures ordinationes vtiles pro reformanda Eccleſia Dei, & tollendis abuſibus edidit. Cui etiam Concilio B. *Dominicus* Pater & Inſtitutor ordinis Prædicatorum interfuit, & illic ſui ordinis confirmationem ab *Innocentio* Papa fieri petiuit. Quem in *Toloſanis* partibus verbo & exemplo contra hæreticos prædicando inſtituerat. In eodem inſuper *Lateranenſi* concilio, præfatus *Innocentius* Papa deſiderio animæ ſuæ potitus, quo æſtuans in ſermone in Concilio propoſito, quam quaſi Propheticè inchoauerat, *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum*, obiit. Cui *Honorius* tertius ſucceſſit, à quo B. *Franciſcus* poſt multos labores per multam inſtantiam ordinem ſuum obtinuit confirmari. Beatus inſuper *Dominicus* ex *Hiſpaniis* iterum *Romam* reuerſus, vbi Magiſtrum *Rimaldum* Decanum *S. Aniani Aurelianenſem* de peregrinatione terræ Sanctæ reuertentem offendens, ad aſſumendum ordinem ſuum induxit. Quo aſſumpto, cum B. *Dominico* aduenit *Bononiam*, & cœpit prædicare & commendare ordinem Prædicatorum, & eundem ordinem Domino cooperante per totam *Lombardiam* & *Venetiis* in breui tempore feliciter diſſeminauit. Quaſi enim tuba ſonora, vox prædicationis eius corda audientium percutiebat, & pectora indurata efficaciter liquefaciebat.

Innocentio P.R. ſuccedit Honorius III.

Barthæ Wladiſlauienſi Ep. ſuccedit Michaël.

Bartha Epiſcopus *Wladiſlauienſis*, cùm annis prope duodecim *Wladiſlauienſem* Eccleſiam rexiſſet, rebus excipitur humanis, dolore calculi correptus. Quo apud Eccleſiam *Wladiſlauienſem* tumulato, *Michael Polonus* nobilis de familia *Godziemba* per electionem Canonicam ab *Honorio* Papa tertio, *Conrado Maſouiæ* & *Cuiauiæ* Duce eius electionem promouente prouiſus.

1216.

Duobus de Imperio, videlicet *Friderico* & *Ottone* contendentibus, durus bellorum ſtridor *Almaniam* premebat, magnæ etenim atque frequentes pugnæ cum cæde & interitu mul-

1216. multarum inſignium perſonarum inter *Fridericum* & *Ottonem* habitæ ſunt, & nunc vni, nunc alteri obueniebat victoria. Nec dubium quin *Otto*, qui plures amicos & fautores in *Almania* habebat, ſuperior euaſiſſet, niſi *Innocentius* Papa tertius duram ſententiam tuliſſet contra omnes *Ottonis* fautores. Quo ſuffragio *Fridericus* adiutus contra *Ottonem* præualuit. Et *Otto* ad *Philippum* Regem in *Gallias*, qui ſuæ parti fauebat, diuertit. Et quamuis *Innocentio* Papæ non placuiſſet electio *Friderici*, diſſimulauit tamen propter odium *Ottonis*, quia durum erat tot Principes perturbare, coronare tamen *Fridericum* diſtulit, iuuenilem illi ætatem obiiciens, quæ dilatio ab electione *Friderici*, vſque ad mortem *Innocentii*, quod fuit ſeptennale ſpatium, tendebatur. *Innocentius* autem tertius Papa poſt concilium apud *Lateranum* celebratum, in *Tuſciam* deſcendit, ad pacificandũ *Piſanos* & *Genuenſes*, quatenus vnitis potentiis facilius terræ Sanctæ poſſent ferre ſuffragia. Sed cùm veniſſet *Peruſium*, infirmatur, & moritur, cùm annos 17. menſes 10. dies 23. ſediſſet, & in Eccleſia *S. Laurentij* in *Peruſio* honorificè ſepelitur. Procurantibus autem *Peruſinis* claudi collegium Cardinalium, Epiſcopus *Hoſtienſis Romanus* natione, in ſummum Pontificem concorditer electus eſt, & *Honorius* tertius vocatus, qui eodem promotionis ſuæ anno ordinem Prædicatorum, quem *Innocentius* quidem confirmare decreuerat, ſed morte præuentus neglexerat, confirmauit.

Bellum inter Lathuanos & Ruſſos.

Lithuani cùm in anni huius hieme *Ruſſiæ* regionem prædatum veniſſent, raptaque præda more ſuo diffugerent, à Duce *Iaroslao Wſzenoldowic*, & *Nouogrodenſi* conſecuti, prælio inito confliguntur. *Ruthenis* quoque non incruenta ceſſit victoria, quoniam & Dux *Dauid Choropecki*, & plures alii *Ruſſiæ* milites deſiderabantur, ſequenti quoque tempore, dùm alius *Lithuanicus* exercitus ciuitatem & regionem *Polocko* vaſtaret, Dux *Mſciſlaus Dauidowic* cum *Smolenſi* militia celeri curſu in *Polocko* adueniens, *Lithuanos* incautos offendens, abſque numero ſternit & occidit. Pluresque verò qui in curias aut domos occultandi gratia confugerant, inde extractos vario ſupplicio necat, alios etiam in lacubus ſubmergit, & paucis euadentibus ferè omnes deleuit.

Premiſlaus Bohemiæ Rex excommunicatur.

Andreas Pragenſis Epiſcopus, tàm à *Przemislao* Rege, quàm a militaribus & nobilibus *Bohemiæ* plures iniurias & oppreſſiones, cùm in villarum calculationibus, & tributorum exactionibus, tùm in decimarum denegationibus, quas & ſibi, & monaſteriis, & piis locis, ac vniuerſo Clero irrogabant, perpeſſus, dùm videret Regem & nobiles inexorabiles, in ampliora Eccleſiarum grauamina graſſari, & plus ſolito ad facinora legi diuinæ contraria procliues eſſe, & nec precibus, nec admonitionibus ſalutaribus acquieſcere velle, ſed deteriora indies ſectari B. *Adalbertum*, quondam *Pragenſem* Epiſcopum imitatus, cui meritò ſucceſſiſſe ſe ſciebat, primum *Præmislaum* Regem & Barones *Bohemiæ* excommunicationis ſententia percellit. Deinde cùm Rex & ſui cenſuras irridentes contemnerent, vniuerſum Regnum *Bohemiæ* Eccleſiaſtico ſupponit interdicto. Et furorem Regium extimeſcens atque militum quarto Idus Aprilis deſerta ſede ſua, ne contaminaretur ſordibus ſceleratorum, *Romam* aliquibus Eccleſiaſticis & timoratis viris eum comitantibus, ſeceſſit, nec ad plebem obſtinatam, cuius duram & irrefragabilem ceruicem nouerat, difficulter domari, quanquam Metropolitanus ſuus Archiepiſcopus *Moguntinenſis* pluribus inſtantiis elaboraſſet eum reducere, vſque ad diem mortis ſuæ redire acquieuit. Adeò enim grauamina Regis, & militum in Clerum efferbuerant, vt in quibuslibet teloneis, in quibus *Iudæus* nonniſi pro capite nummum reddebat, Presbyteri & clerici ratione coronæ ſiue tonſuræ triginta ſoluere cogebantur. Neque ea tantummodo, ſed & plura alia ferè barbara adeò, vt pleroſque tæderet viuere, ſubire impellebantur, cum *Chriſti* Domini ſacerdotes viliorem contemptibilioremque apud *Bohemos* quàm *Iudæi* obtinebant locum.

1217. *Conradus Maſouiæ Dux*

Tyrannidem qua *Conradi Maſouiæ* & *Cuiauiæ* Ducis, germani *Leſzkonis Albi*, pectus refertum erat, quam in ætate iuuenili effudit, quamque ex poſt effuſſurus erat, horrendus ſuarum Prouinciarum caſus monſtrauit. Erat illi Baro & miles inſignis *Criſtinus* nomine, hæres de *Gozdowo Plocenſis* Palatinus, genere nobilis de domo & familia, quæ pro inſigni Lilium defert *Gozdouitarum*, ſed opere & virtute, quoties quid agendum aut expediendum erat, nobilior, per quem ſalutem *Polonis* Deus dederat in prælio *Zauichoſtenſi*, cum *Romano* Duce *Ruſſiæ* habito, ſub cuius ordinatione & regimine, & Ducatibus *Maſouiæ*, & *Cuiauiæ* tranquillitas prouenerat, & Ducales prouentus magnopere augebantur, plectebantur ſcelerati, & honorabantur virtuoſi. Qui dùm effœminatos & laſciuos mores ad quæque turpia deuiè procliues Ducis ſui *Conradi* corripit, cùm illum primùm ſecretè, demum coram Conſiliariis, vt quoſdam abuſus prauos & illecebras reſcindat, virtutibuſque det operam, reprehendit & inducit. Non tulit *Conradus* correptiones huiuſmodi ſalutares, nec non frugiferas, ſed in furorem nefandum excandeſcens, præfatum *Criſtinum* Palatinum *Maſouiæ*, ſui honoris & ſalutis ſincerum zelatorem & ſeruatorem, adoleſcentiæ inſuper ſuæ præceptorem, pædagogum, & inſtitutorem captiuat, & ſqualido carceri includit. Sub quo quidem tempore hoſtes & inuidi ſui, plures de eo criminationes & figmenta apud aures *Conradi*, ſingula ad crudelitatem recipientis, & ſignanter *Ioannes Czapla* Cancellarius ſuus Duca-

ca-

1217. *Criſtinum Maſouiæ Palatinum excæcat & interficit,* cæcis,ingerebant. Quibus *Conradus* Dux incenſus & ineſcatus,præfatum *Criſtinum* Palatinum,primum in villa *Kouale* excœcari præce- A pit. Sed neque hoc genere crudelitatis contentus,peſſimis aſſentatoribus ſuggerentibus, cœcatum iugulat, & militem ſtrenuiſſimum, totiusque *Maſouiæ* florem,virum clarum & heroicis ſplendentem operibus,dùm æquare non potuit,per eleuationem ſuſpicionis & inuidiæ, ſalutaria monita peroſus,indigna morte truculenta tyrannide & improbo conſilio *Ioannis Caple*,Scholaſtici *Plocenſis* vſus necauit. Poſt cuius exceſſum *Maſouiæ* & *Cuiauiæ* Ducatum ſpecioſus ſtatus plurima caligine obductus eſt & variis iactatus caſibus,ſenſim in præcipitem ruinam innocentem ſanguinem vindicante *non ſine ingenti ſuo damno.* Deo,ferebatur. Hunc ea ſtrenuitate & animoſitate præditum annales perhibent fuiſſe,vt B *Pruthenis*, *Lithuanis*, cæterisque gentibus deuictis,atque domitis,& ſub iugum coactis,cenſuales illos atque tributarios *Polonorum* Ducibus fecerit,victriciaque arma ſua vltrà mare proferens,id ſibi nomen eamque famam à propriis & exteris,quæſierat, vt magnus *Maſouiæ* Palatinus à propriis & finitimis vocitaretur. Quem ſplendorem Dux *Conradus Maſouiæ* impatientius ferens,ſuum & filiorum ſuorum ſtatum ab eo depreſſum,aut eneruatum, iri veritus, ipſum iniuſto & crudeli mortis genere conſumi mandauit. Corpus tamen ſuum in maiori *Plocenſi* Eccleſia debito honore tumulari paſſus eſt. In fortiſſimum ſiquidem & ſibi fidum militem, ſæuiebat etiam in occiſum C duplici genere mortis in eo non contentus, per quem hoſtibus in circuitu fuerat formidabilis. Truculentum profectò, & plusquam barbarum tyrannidis ingenium, quod tam nobilem & inclytum militem tam inſignem Ducem & victorem, tàm neceſſarium bellatorem extinguere potuit. Ab eo quidem *Titus Romanorum* Imperator *Veſpaſiani* filius habuiſſe ſcribitur diuerſiſſimũ, qui duos patricii generis in affectatione Imperii conuictos,à reatu & pœna nobiliter abſoluens, nihil amplius, quàm vt deſiſterent à propoſito monuit, dicens *Principatum fato dari, ſi quid præterea poſcere ab eo vellent*, promittens *ſe tributurum.* Nec tantæ præſumptionis iniquitas contenta, ſuis D finibus prolem eius perſequitur, & proſcribit. Diuinæ verò prouidentiæ iuſtitia, reddens vnicuique pro opere iuſtam mercedem, nec permittens tantam iniquitatem præſumptionis impunitam tranſire, vt iuſto Dei iudicio idem Dux *Conradus* puniretur, in quo deliquit, barbaras nationes *Pruthenorum* terrarum ſuarum conterminas, morte audita *Criſtini*, in lætitiam permiſit, prorumpere,dicentium. Honor nobis & facilis ad terram *Polonorum* aggreſſio, poſt quam ipſi Deum,& liberatorem ſuum occiderunt. *Criſtinum* appellantes Deum. Ipſe enim virtute ſua heroica & adiutorio Dei ſuffultus,totam terram protegebat & defendebat. Quo occiſo idem Dux *Conradus* Dei adiutorio ob ſcelus crudelitatis deſtitutus, terras ſuas à modo reliquit indefenſas. Vnde euenit,vt cùm per frequentes *Polowczonum* incurſus terra eius deuaſtaretur, & depopularetur impunè, coactus eſt inuocare auxilium *Henrici* Ducis *Wratislauienſis*,ad cuius perſuaſionem barbaris repreſſis,& terra *Chelmenſi* in ſuum ſtatum reſtituta, Fratres Cruciferos in ſui auxilium aduocat, & ipſis terram *Culmenſem* à *Pruthenis* defendendam aſſignat. Et rectè auaritiam *Conradi* præfati Ducis iuſtitia puniuit diuina. Nam qui *Criſtinum* Palatinum felicitati & amplitudini eius inuidens propter prædiorum & fortunarum,tam apparatuum, quàm ornamentorum & rerum copioſam abundantiam cœcauit, & iugulauit, & prolem eius proſcripſit, ipſe non ſolùm prædia, & poſſeſſiones, ſed etiam Principatuum ſuorum terram inſignem coactus indebitè alienare,& poſteritatem ſuam ac reliquos Principatus, graui vexatione reliquit crudeliter impugnandam.

Plocenſis Eccleſia caſuali incendio in caſtro *Plocenſi* exorto,grauem percepit in rebus ſuis, & ſuppellectili conflagrationem.

Statum ſuum Pontificalem *Vincentius Kadlubkonis Cracouienſis* Epiſcopus intelligens di- 1218. *Vincentio Ep. Cracov. reſignanti* uerſis curis & periculis implicitum eſſe, ex pelago multifariorum naufragiorum euaſurus, cùm eſſet vir raræ doctrinæ,& relligionis immenſæ, Epiſcopatu, quem annis iam prope duodecim geſſerat, cedere decreuit. Id dudum longo ante tempore perficere nequiuit, aduerſantibus eius ſancto propoſito *Leſzkone Albo* Duce, & *Cracouienſi* Capitulo, qui & Rempublicam & Eccleſiam perſona tàm egregia,& inſigni ſpoliatum iri vehementer dolebant,tandem frequentibus precibus & humilitate profunda,& Ducalem & Capitularem renitentiam expugnauit. Cui dùm ſucceſſor idoneus quæreretur, *Iwo* filius *Saulis* Comitis *ſuccedit Iwo.* de *Konskie*,genere nobilis de domo *Odrowaz* & natione *Polonus* Cantor *Gneſnenſis*, Canonicus *Cracouienſis*, & *Leſzkonis Albi Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Ducis Cancellarius, inter cæteros Duci & Capitulo dignior videbatur. Qui vt propter literarum peritiam, & prudentiæ humanæ fulgorem, *Vincentio* in Epiſcopatu ſuccederet. Verùm dùm in admittenda *Vincentij* ceſſione per ſummum Pontificem difficultas timeretur, *Iwo* aſſumpto ſibi in Comitem & Conſultorem *Iackone* de *Opolienſi* Prouincia & villa *Lanka*, Canonica *Cracouienſi* viro ſenſato & induſtrioſo, ad *Honorium* tertium in vrbem ſe contulit, & tàm *Vincentij* ceſſionem admitti,quàm ſuam nominationem confirmari,& in *Cracouienſem* Epiſcopatum ſe promoueri, perſonam ſuam *Vgolino* Cardinali,Epiſcopo *Hoſtienſi* propter familiaritatem præcipuam, quam inuicem in ſtudio *Pariſienſi* contraxerant, coram Papa & Cardina-

1218. nalium collegio altis efferente laudibus, facilè obtinuit. Qui dùm *Romæ* promotionis ſuæ pertractans negotia moraretur, B. *Dominicum* A magnis iam prodigiis, initia ſuæ Sanctitatis & religionis declarantem videre, eiusque familiari conuerſatione vti prædicationi ſuæ coram intereſſe promeruit. Et dùm die quadam *Stephanus* Cardinalis ad *S. Sixtum*, vbi vir Dei *Dominicus* cum fratribus ſuis morabatur, veniſſet, nepos Cardinalis præfati equo in foueam præcipitatus, plangentium manibus exanimis efferebatur vir Dei *Dominicus*, obſecrante illum fratre *Tangredo*, viro magnæ religionis atque dicente: *Quid agis Pater? caſus iſte tuæ virtutis experimentum expectat.* De ſuperna autem *Dominicus* certus virtute, defunctum oratione fuſa, vitæ priſtinæ incolumem reddidit. Quo quidem miraculo *Iuo*, B *Cracouienſis* Epiſcopus, qui omnibus quæ circa reſuſcitatum agebantur, aderat, prouocatus in *Poloniam* rediturus, fratres à B. *Dominico* petiit. Alios autem obtinere non valens, tres ſuos comites & familiares, videlicet *Lickonem* Canonicum *Cracouienſem*, qui & ipſe de domo *Odrowaz* erat, item *Ceslaum Polonum*, *Henricum Morauum*, & *Hermanum Teutonicum*, ad ordinem per B. *Dominicum* aſſumi obtinuit, & illos ſecum in *Poloniam* deducens, primus ordinem Prædicatorum in *Polonia* B. *Dominico* adhuc ſuperſtite plantauit. *qui ordinem Prædicatorum in Poloniam introducit.* Et *Iwo* quidem ex *Roma* reuerſus, ab *Henrico Gneſnenſi* Archiepiſcopo, in Epiſcopum *Cracouienſem* conſecratus eſt, *Vincentius* verò in *Andrzeouienſe* monaſterium, vbi tunc ſacra *Ciſtercienſium* religio, magnis fratrum ſtudiis colebatur, ſe conferens, & habitum & ordinem ſuſcepit, & ex bono optimus effectus, nudus Chriſtum ſequi, & in vitæ auſteritate Deo ſuo militare cœpit. Vndoſum hoc, quod inter nos & Deum peccatis interlatrantibus ſeparat, præſentis vitæ ſalutem Pontificali exutus amictu, & cura expeditius tranaturus. Cuius generoſus ſpiritus ad ſuperna & cœleſtia, ſummique boni verticem ſemper anhelans, haud tolerare poterat, in terrenis ſicut in vmbra prorſus educari, niſi ad cœleſtes radios in ſanctæ religionis, auſteritate D mentis ſuæ aciem attentius dirigeret.

Colomanus ad Halicienſem Ducatum redit. *Colomanus* filius *Andreæ* Vngariæ Regis in *Ruſſiam* cum *Vngarorum* copiis adueniens, & ab *Halicienſibus* & à Duce *Mſcislao Mſcislawic* magno honore ſuſceptus eſt. Ducatum autem *Halicienſem* & arcem *Mſcislaus* Dux iuxta fœdus cum Patre ſuo *Andrea* initum, reſignans, & de illis excedens, in *Iorek* ſe contulit, & anno ſequenti rebus humanis exutus, in Eccleſia S. Crucis in *Kiow*, quam fabricauerat, ſepelitur. Cœpitque extunc *Colomanus Halicienſem* Ducatum pacificè poſſidere, non tamen diuturna fuit illi huiuſmodi pacifica poſſeſſio.

Ducibus *Cernicouienſibus* copias ſuarum gentium contra *Kamienies* ducentibus, Dux *Mſcislaus Smolnenſis Polowcos* in ſubſidium transmittit. Cui potentiæ *Camenecenſes* dùm non poſſent reſiſtere, regio eorum variis calamitatibus afflicta ſubiacuit. 1218

Otto quartus *Romanorum* Imperator, qui cum *Philippo* annis vndecim, ſolus verò annis decem regnauerat, 14. Calend. Iunii apud *Arconburg* fluxu ſanguinis moritur. *Otto IV. Imp. moritur.*

Andreas Vngariæ Rex patris ſui *Belæ* votum redempturus, in ſubſidium terræ Sanctæ transfretat cum Duce *Auſtriæ*, & aliis diuerſarum nationum Cruce ſignatis, & cum *Saracenis* fortiter pugnant, ferè totam terram Sanctam recuperant. *Terra S. recuperatur.* Rex verò *Vngariæ* breui illic tempore commoratus, cum magno damno terræ ſanctæ, Patriarcha nequicquam admonente, & ex poſt excommunicante, receſſit, plures peregrinos arma & galeas atque iumenta ſecum trahens.

Gneſnenſis Eccleſiæ Metropolitanus *Henricus*, cùm in Archiepiſcopali ſede annis decem & nouem ſediſſet, ad horam extremam perueniens, ſalutari ſumpto viatico, 22. Martii moritur, & in Eccleſia *Gneſnenſi* iuſto honore ſepelitur. 1219. *Henrico Archiep. Gneſnenſi ſuccedit Vincentius,* Poſt cuius mortem Prælati & Canonici *Gneſnenſes* capitulo celebrato, *Vincentium* genere nobilem, natione *Polonum* eligunt. Qui tandem probante electionem ſuam *Wladislao Magno Laskonogi maioris Poloniæ* Duce, ab *Honorio* tertio in Archiepiſcopum *Gne-* C *ſnenſem* confirmatur. Iſte Archiepiſcopus *Henricus* cùm eſſet animi generoſi in beneficiis diſtribuendis, & funiculis in Eccleſiæ libertatibus *Polonorum* dilatandis, multos labores ſubiit, & ſuſtinuit, pro Eccleſiæ *Polonæ* libertate acquirenda & dilatanda. Nam cùm Cleri & Sacerdotes ad iudicia Iudicum ſecularium, etiam pedaneorum indifferenter traherentur, *qui multa bene ordinat.* etiam inuiti, ipſe de conſenſu & decreto vnanimi Ducum *Poloniæ*, per eius ſolertiam & induſtriam ad eam ſententiam inductorum, vniuerſos Clericos, monachos, Eccleſiaſtici fori, priuilegio fecit gaudere, nempè vt non poſſint conueniri, niſi coram ſuis Prælatis, videlicet Archiepiſcopo, Epiſcopis, Abbatibus, Archidiaconis, & aliis Officialibus Eccleſiaſticis, nec per conuentionem, aut aliquam exceptionem ad forum laicorum poſſint compelli, ſed nec coram ipſis Ducibus, aut eorum officialibus reſpondere. Et eandem libertatem obtinuit originariis & aſcripticiis Eccleſiarum. Deinde cùm pro hac libertate confirmanda, *Romam* ſe perſonaliter conferendo, aſſiduo conatu & pio ſtudio laboraſſet, & ibidem rebus omnibus pro libito apud ſedem Apoſtolicam ac pro voto obtentis, & confirmatis, accepto legationis officio, in *Gneſnenſem* Prouinciam, & in Regnum *Poloniæ* rediiſſet, cum magno honore à Ducibus *Poloniæ* receptus, Priuilegium Eccleſiaſticæ libertatis in multis articulis, quibus

1219. bus vim Eccleſiaſticæ libertatis gnauabatur, petiit & obtinuit confirmari, Tandem Synodo Prouinciali congregata, Clericos in A ſacris ordinibus conſtitutos, vxoribus priuauit. Et quia ex conſtitutione Petri *Capuani* Cardinalis ſedis Apoſtolicæ legati ſuper vxoribus dimittendis, nullus fructus hactenus prouenerat, ne vaga licentia eis admitteretur, ſpecialiter omnes Clericos, tactis Sacroſanctis Euangeliis, vxores deinceps, & quaslibet concubinas, fecit abiurare & ab eis contineri.

1220. *Leszko*

Proceres *Cracouienſes* veriti, ne propriis Ducibus *Leſzkone Albo* & *Conrado* ſine liberis obeuntibus, in peregrinorum Ducum ditionem deuenire cogerentur, *Leſzkonem* Ducem ſuum, duo & triginta annos habentem, coniugium aſſumere compellunt, varia B tamen apud Conſiliarios erant vota, alii enim cum *Vngaris*, alii cum *Almanis*, alii cum *Bohemis*, cæteri cum *Ruthenis* futuram affinitatem præſtantiorem indicarant. Vicit tandem ea pars, quæ cum *Ruthenis* amicitiam ſuadebat. Pro illaque tempeſtate *Ruthenorum* amicitia potior iudicata eſt, cùm vt dominium *Polonorum* latius poſſet porrigi, tùm vt cum *Ruthenis* pax plurimis bellis & ſimultatibus infecta poſſet reformari. Itaque ex Conſiliariorum ſententia, *Leſzko Albus* virginem genere & moribus, formaque ingenuam *Grzimislauam*, filiam *Iaroslai* Ducis *Ruſſiæ*, accipit in vxorem, & nuptiæ, ſumptu & apparatu magnifico, in vrbe *Cracouienſi* celebrantur. Quarum celebritas per actus militares & haſtarum ludos in dies plures fuit protracta. ea demum affinitate, tàm *Polonis* quàm *Ruthenis* certa & optima pax effulſit, iugi bello, quo ſe vtrinque collidebant penitus ſublato, & ſuperioribus inimicitiis obliteratis, captiui quoque in bellis tranſactis capti, tàm ingenui, quàm agreſtes manumiſſi.

Grzimislauam Ruſſiæ Duciſſa vxorem ducit.

Chriſtinus fit Ep. Culmenſis

Chriſtinus, alias *Chriſtianus* Frater ordinis *Ciſtercienſis*, per *Conradum Maſouiæ* Ducem in *Culmenſem* Epiſcopum aſſumptus eſt, & per *Honorium* Papam tertium prouiſus. Huic *Conradus* præfatus, propter ſuas virtutes & probitatem, & quia Ducem *Sleſiæ Henricum Michaëlem Wladienſem*, & *Laurentium* D *Lubucenſem*, Epiſcopos, aliosque plures milites cruce ſignatos ad reparandum caſtrum *Culmenſe* à *Pruthenis* ſolo æquatum, & deſolatum induxit, plus quam centum villas in terra *Culmenſi* donauit.

Fridericus II. Imp. a P. R. coronatur.

Fridericus ſecundus *Romanorum* & *Siciliæ* Rex, *Henrici* quondam Imperatoris filius, morte *Ottonis* Imperatoris ſequuta, rebus Imperii miro modo pacificatis, cùm magno apparatu *Romam* veniens, honorifice à Papa *Honorio* & Senatu receptus eſt, & in Baſilica S. *Petri* vigeſimum ſecundum agens annum, Imperiali benedictione ab eodem *Honorio* ſublimatus.

Magno liuore acti *Ruſſiæ* Duces, quod *Colomannus Vngariæ* Regis filius, pacifice arcem & regionem *Halicienſem* hactenus poſſediſſet, *Danielem Romanowic* Ducem ſuapte ad id procliuem, quod regionem ipſam pater ſuus habuerit, incendunt. Qui illorum adiutus ſuffragiis in *Halicz* adueniens, & omnia neglecta offendens, arcem occupat, & *Colomannum* una cum *Vngaris* expellit. 1220.

Colomannus ex Halicienſi Ducatu expellitur.

Motibus exterioribus atque bellis quietatis, nouum diſpendium *Poloniam*, ſiue id cœleſtis faciebat ira, ſiue fatorum neceſſitas, peruaſit. A feſto ſiquidem Paſchæ vſque ad tempora autumalia pluuiarum & imbrium continuus deſcenſus, tantam fluuiorum inundationem cauſauit, vt aquis ſupra modum creſcentibus & inflatis, quidam particularis cataclyſmus terris timebatur accidiſſe, vndarum autem tàm horrenda & inſolita eruptio, pleraſq; villas in baſſo ſitas demolitione perpetua abſorbuit, vernalia frumenta, ſeri prohibuit, & quæ terræ per autumnum inſerta erant, vorauit, præter pauca loca, quorum agros collium aut montium altitudo à peſte huiuſcemodi defenderat. Germina itaque frugum huiuſmodi alluuione depaſta, multis incommodis non ſolùm *Poloniam*, ſed & omnes finitimas regiones, in quibus æque prouenerat vexauere. Nam & domeſticorum animalium pabulis deficientibus, mors primum obuenit, deinde fames valida, & ſpatio triennali continuata, etiam plurimos mortales, agreſtes præ- C cipue, victualium inedia tabeſcens, adeò abſumpſit, vt plures villæ & oppida habitatoribus conſumptis, vacuæ deſertæque remanerent. Malum autem huiuſmodi ex imbrium multiplicitate proueniens, hiems grandis & ſine exemplo ſubſecuta, ingrauauit, ſub quo etiam tempore pecorum & pecudum magna mortalitas ſequuta eſt. 1221.

Multæ pluuiæ in Polonia.

Fridericus ſecundus *Romanorum* Imperator & *Siciliæ* Rex, quamuis in principio ſui imperii ſincere & religioſè ſe erga ſummum Pontificem geſſiſſet, velut filius ab Eccleſia educatus, & quæ illum cæteris præteritis in culmen Imperiale ſuo fauore, opera & auctoritate euexerat, verum in proceſſu temporis morte matris ſequuta, ab iniquis conſultoribus ſubuerſus, in *Sicilia* Eccleſias grauare, & in ſeruitutem redigere cœpit. Quamobrem *Honorius* Papa paterne primum illum monet, vt à talibus deſiſtat. Quo non obtemperante, contra ipſum procedit per ſententiam excommunicationis. Et cùm magis rebellem contumacemque aduerteret, manum ſuam contra illum aggrauat, & omnes ſubditos tam Regni *Siciliæ*, quàm Imperii à iuramento fidelitatis abſoluit. A quo quidem tempore *Fridericus* prædictus magnam tyrannidem in Eccleſiam & omnes ſibi deuotos & adhærentes exercuit, & illam vſque in diem mortis ſuæ non remiſit.

Fridericus II. Imp. a P. R. excommunicatur.

1221. *Leſzkoni naſcitur filius Boleſlaus.*

Vndecimo Calend. Iulii apud oppidum *Korczyn Grzimiſlawa* Duciſſa, conſors *Loſzkonis Albi Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Ducis infantem pulcherrimum enixa eſt, qui patre iubente *Boleſlaus* nomen accepit. De cuius ortu pater vehementer exultans, cùm illum magnis votis expetiiſſet, & celebritatem magnificam diebus aliquot *Cracouiæ* tenuit, & in Eccleſias, monaſteria, pia loca, & miſerabiles perſonas, multos liberales ſumptus gratificaturus dono ſibi cœlitus præſtito, effudit.

Andreas Vngariæ Rex iniuriam ſuam & filii ſui *Colomanni* per *Danielem Romanowic* Ducem irrogatam, vltum iri ſatagens, duos filios ſuos *Colomannum* & *Belam* contra *Danielem* & *Halicienſes* cum magnis copiarum exercitibus & Baronibus præcipuis transmittit. Qui etſi *Halicienſe* caſtrum tribus hebdomatis obſidione & impugnatione vexaſſent, & propediem illius conquiſitio ſperaretur, duplex tamen malum, videlicet diſenteriæ peſtis, & fames in exercitum & equos eius ſæuiens, ipſos cœpto irrito redire in *Vngariam* plurimis deſideratis coegit, plures etiam pabulandi gratia longius progreſſi aut capiebantur, aut à *Ruthenis* obtruncabantur.

1222. *Monaſterium Dominicanorum Cracouiæ.*

Singulari erga *B. Dominicum* & nouum ordinem ſuum iam ab *Honorio* Papa tertio confirmatum, *Iwo Cracouienſis* Epiſcopus flagrans deuotione, aliquanto tempore, ex quo de *Italia* cum fratribus ſibi per *B. Dominicum* conſignatis *Cracouiam* aduenerat, deliberatio illum tenuit, quonam in loco primitias ſeruorum Dei locaret. Communicato autem ſuper hac re cum *Leſzkone Albo Cracouienſi* & *Sandomirienſi* Duce, nec non Capitulo & Conſulatu *Cracouienſi* conſilio, Eccleſiam SS. Trinitatis, quæ mater & origo Parochiarum erat, & locum ſpecioſum pro conuentu & officinis monaſterii fratribus *Dominicanis* aſſignauit, locumque præfatum calicibus, caſſulis, libris, cæteriſque ad cultum monaſterii neceſſariis dotat, fratribus habiracula conſtruit, & eorum defectibus prouidendo, tàm habitum, quàm victum adminiſtrat. Quorum vitam & religionem *Iacek* de Prouincia *Opolienſi* Canonicus *Cracouienſis* æmulatus, ordinem eorum cum pluribus aliis, quorum pectoribus clementia diuina terrenorum contemptum inſuderat, aſſumit. Erigit extunc *Iwo* Epiſcopus, in circo vrbis *Cracouienſis* nouam Eccleſiam, & eam in honorem Beatæ *Mariæ* Virginis dedicat, & in eam ius Parochiæ, quæ alias apud S. Trinitatis Eccleſiam conſtiterat, transfudit, ac transfert.

Eodem tempore atque anno *Iwo Cracouienſis* Epiſcopus præfatus, feruido erga Deum, & cultum nominis ſui augendum æſtuans ardore, in vico patrimonii ſui hæreditario *Kaczyce* vocato, prope oppidum *Slomniki*, in ſua *Cracouienſi* diœceſi ſito *Ciſtercienſis* ordinis monaſterium de nouo erigit atque inſtituit, eique pro dote villam eandem *Kaczyce*, & villas *Prandocin*, *Mankowice*, *Cholewice*, nec non decimas manipulares menſæ Epiſcopalis, in eiſdem quatuor villis prouenientes, conſignat, donat, & inſcribit, locumque vaſis & veſtimentis neceſſariis exornat.

1222. *Ciſtercienſium in Kaczyce inſtituitur.*

Plocenſis ciuitas per *Pruthenos* & *Pomeranos* vaſtatur, & comburitur, magnaque clade, tàm ciuitas *Plocenſis*, quàm regio *Maſouiæ* à barbaris obruitur, ſed neque in ſolo Pontifice *Cracouienſi Iwone* amor Dei viguiſſe conſpectus eſt, quin etiam in aliorum cordibus flammam ſuæ dilectionis accendit. *Nicolaus* ſiquidem de *Henrichowo* Ducis *Wratislauienſis Henrici cum barba* ſecretorum Notarius, genere & actione Nobilis, dùm annis pluribus in obſequiis eiusdem *Henrici* Ducis *cum barba* verſatus, non paruam rerum & pecuniarum ſupellectilem collegiſſet, Dominæ ſuæ Duciſſæ S. *Heduigi* & conuerſatione ædificatus, & exemplo, quod cœleſti amore totam viderat mancipatam, de conſenſu & annuentia Ducis *Henrici cum* barba in villa patrimonii ſui *Henrichow Wratislauienſis* diœceſis propè oppidum *Niſſam* ſita monaſterium ordinis *Ciſtercienſis* fundat, & tàm villam eandem, quàm alias ad illum locum ſpectantibus dotat. Neque ſua omnia Deo donaſſe contentus, locū etiā ipſum ſpreto ſeculo ingreſſus, aſſumpto habitu, in ordine vſque ad mortem felix fundator militauit.

Colomannus Haliciam recuperat.

Andreas Vngariæ Rex nouo exercitu in eum annum comparato filium ſuum *Colomannum* contra *Halicienſes* transmittit, qui magis quam anno transacto vſus proſpera fortuna *Daniele Romanowic* Duce non vltra audente ſe ſibi potentiæque ſuæ opponere, abſque omni reſiſtentia *Halicienſi* potitus eſt regione & arce.

1223. *Iwo Cracouiæ Hoſpitale exſtruit.*

Miſerabilium perſonarum quarum in *Cracouienſem* ciuitatem frequens concurrebat multitudo ſtatui & conditioni *Iwo Cracouienſis* Epiſcopus prouiſurus in villa *Pradnik* ante fores *Cracouienſes* ſita, de conſilio & aſſenſu capituli ſui *Cracouienſis* Hoſpitale, vt eſſet omnium miſerabilium perſonarum vtriuſq; ſtatus receptaculum, erigit & fundat, quod *Fulco* Epiſcopus *Cracouienſis* fundare & dotare ni morte abſumptus fuiſſet, decreuerat, & villa *Krovvodrza*, item villis vtraque *Wronin*, item decimis nonnullis manipularibus de menſa ſua Epiſcopali ſufficienter dotat, & in hoſpitali huiuſmodi fratres hoſpitalarios, qui de *Saxia* nominantur, duplatam crucem albam, in pallio nigro deferentes ſub Regula B. *Auguſtini* militantes, inſtituit. Verùm perpendens ſitum in villa *Pradnik* hoſpitali huiuſmodi à ſe erecto, velut à frequentia & communicatione hominum longius diſtante parum conuenire, hoſpitale præfatum *Cracouiam* de *Pradnik* transfert, & in Sancti Spiritus honorem Eccleſia dedicata tàm pro fratribus hoſpitalariis, monaſterium & monaſterii officinas, quam

1223. quam pro infirmis & miſerabilibus perſonis habitacula conſtruit, vtrorumque inopiam de menſa ſua ſuſtentans, & defectus propter famem, quæ altero iam anno *Poloniam*, ſegetibus aquarum imbribus abſumptis, vehementius premebat. In tranſlatione autem huiusmodi anno Domini 1244. ſexta die Aprilis facta *Iwo* Epiſcopus præfatus, hoſpitali huiusmodi duas Eccleſias Parochiales, vnam videlicet S. *Crucis* in *Cracouia*, alteram S. *Martini* in villa Epiſcopali *Piskupice*, ſupra *Wieliczkam* ſita, cum earum decimis, & prouentibus, pro eiuſdem hoſpitalis ſubſiſtentia vniuit.

Vinc. Kadlubkonis moritur.

Vincentius Kadlubkonis olim *Cracouienſis* Epiſcopus cùm annos quinque in ordine monaſterii *Andrzeionienſis* religioſè exegiſſet, octaua die menſis Martii laborum ſuorum immarceſcibilem coronam à *Chriſto*, propter quem omnia deſeruerat, percepturus, carnis ergaſtulo ſolutus eſt, & in eodem monaſterio in chori medio ſepultus eſt. Qui dum Epiſcopalem *Cracouienſem* adhuc rexiſſet cathedram, viuacitate ingenii qua pollebat, ſuper rebus geſtis, patriæ, diſcreto, politoque ſtylo, quæ incipit, *Tres tribus ex cauſis theatrales odere ſolemnitates* edidit Chronicam, quam ſic accurate, cogitateque perſcripſit, vt ad priſcorum laudem maximè acceſſerit, quos tantopere admiramur. Multa de exteris geſtis, plura quàm de propriis perſtringens, per varia hiſtoriarum, quidquid concinnum & aptum *Polonis* fuit, pulcherrima varietate intexuit, quæ à multis *Polonorum* celebrantur & leguntur, & ob varietatem, tam domeſticæ, quam peregrinæ hiſtoriæ, & ob elegantiam ſcriptionis grauitate verborum non vulgarium referta, licet carpatur a quamplurimis, quod verboſus fuerit, alienarum hiſtoriarum diligens, propriarum negligentior ſcriptor. Hic decem Præbendas in *Kielcenſi* Eccleſia, fundaſſe & dotaſſe aſſeritur, decimas quoque manipulares iuxta *Cchow* conſiſtentes ab Eccleſia Parochiali in *Brzezie* abſtractas Capitulo & Eccleſiæ *Cracouienſi* pro adminiſtratione vini & olei contuliſſe.

Wladislaus Ottonis maioris Poloniæ Dux, cùm annis ferè nouem metu patrui ſui germani *Wladislai* magni *Laskonogi* apud *Pannonios* exulaſſet, in *Poloniam* clandeſtine ſub habitu monachali, ne agnoſci à *Polonis* poſſet, reuertitur, icto prius per internuncios affinitatis fœdere cum *Suantopelkone Pomeraniæ* Præfecto, quod illius ſororem germanam *Helingam* nomine ſibi matrimonialiter ſociaret. Qui ſibi in ſpem amplæ dotis ſuffragia, quibus paternam à patruo repeteret ſortem, obligarat ſe laturum. In primo itaque *Wladislai Ottonis* ex *Vngaria* reditu, *Wladislaus* ipſe ferente ſibi *Swantopelkone Pomeraniæ* Capitaneo, opem, ſuaſu & ingenio caſtrum *Vſcie* ſitu & arte fortiſſimum, quod duo fluuii, videlicet *Noteſz* & *Cuida* ambiunt, negligentius à Capitaneo aſſeruatum, ſeptima die Octobris irrupit, occupat, & acquirit, & vicinas ex illo vexare extunc cœpit regiones. 1223.

Legatus Pontificis venit in Poloniam.

Gregorius de *Creſcentia* Cardinalis & *Honorii* Papæ tertii de latere legatus, venit in *Poloniam*, & tam à *Leſzkone Albo*, quàm *Iwone* Epiſcopo, & vniuerſis ordinibus *Cracouienſibus* cum magno honore ſuſceptus eſt, vbi & pluribus diebus immoratus, & quoſdam Clericorum reſcidit abuſus, & nonnullas edidit pro Cleri regimine conſtitutiones. Sub cuius præſentia *Iacobus* eiuſdem Cardinalis Secretarius natione *Romanus*, ordinem Prædicatorum in monaſterio S. Trinitatis *Cracouiæ* aſſumpſit, ſeculo renunciando, familiaribus eiuſdem Cardinalis ingreſſum ſuum fletu & lachrimis proſequentibus, & Eccleſia S. Trinitatis in die S. *Gregorii* per *Iwonem* Epiſcopum conſecrata, in cœnobialem ex Parochiali mutata eſt.

Goslao Plocenſi Ep. ſuccedit Ioannes

Goslaus alias *Gredka Plocenſis* Epiſcopus cùm annis decemſeptem ſediſſet, moritur & in *Plocenſi* Eccleſia ſepelitur. Prælatis autem & Canonicis *Plocenſibus* monſtruoſam & diſcordem electionem de aliquot perſonis celebrantibus, vacatio *Plocenſis* Eccleſiæ in biennium producta eſt. Quo tandem concordia reſciſſa, *Ioannes* ſuccedit, cedente de iure ſuo *Guntero*, qui ſe gerebat pro electo Epiſcopo *Plocenſi*, cùm diſcordia inter eum & *Ioannem* alterum electum in biennium extracta fuiſſet. Fuit autem hic *Ioannes Polonus* nobilis de domo & familia *Gozdauitarum*, ætatis iam tunc infirmæ & fractæ.

1224. *Peſtis in Polonia.*

Maceratis aut abſumptis in *Polonorum* regionibus biennali fame pluribus mortalibus, annus tertius duobus tranſactis, ſeuerior aduenit, qui non ſolùm domeſticis animalibus, ſed & hominibus extitit fatalis, & ampliorem ſtragem peſtemque quam duo præteriti, in hominibus & beſtiis cauſauit. Non ob id tamen Legum ſeueritate quicquam detractum aut remiſſum eſt, ſed iura populis in fame iuxta atque vbertate reddebantur. Colloquia autem, quod *Polonis* generale, & ſacroſanctum iudicium eſt, nullam admittens prouocationem, in *Rezegrod* inſtituta, *Leſzko Albus Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Dux ac *Polonorum* Monarcha ſolus per omnes dies, quibus iudicium tendebatur, iudicio præſedit, & non ſine omnium admiratione cauſarum nodos prudentiſſimè diſſecuit. Cum autem eum illic *Cletus Agrienſis* Epiſcopus ab *Andrea Vngariæ* Rege miſſus legatus offendiſſet, cuius legationis ſumma erat, *Andream Vngariæ Regem de transmarinis partibus*, *in quas pro defenſione terræ Sanctæ paternum votum redempturus, tranſfretauerat, alacrem & incolumem, & nonnullis Sanctorum oſſibus onuſtum in Vngariam rediiſſe.* Subinferendoque petebat, *vt motus nonnulli inter eos*

Legatio Hungariæ Regis.

1224. qui Regnorum finitima incolunt, per ſui abſentiam exorti ſedarentur, paſſiſque damnum & iniuriam reſtitutio proueniret. Orabat deinde, vt ſi illum Bohemis bellum inferre contingeret, in ſui auxilium, vel perſonaliter veniret, vel militiam ſuam transmitteret. Et de reditu quidem vicini atque amici Regis à Leſzkone Duce amico more congratulatum eſt, correctio iniuriarum & reſtitutio damnorum inter ſubditos accepta, & ob id dies certa iuxta obſeruantiam, in Regnorum metis inſtituta, ſed & ſuffragium in Bohemicum bellum per ſe aut milites ferendum promiſſum.

Prutheni Poloniæ terras vaſtant.

Prutheni barbari facta irruptione, in monaſterium Oliua Abbatem cum fratribus & vniuerſo eius conuentu captiuant, & verſus Gdanſk deductos, omnes crudeli morte, interemerunt, & extunc Culmenſem & Lubucenſem terras per inſultus & excurſiones clandeſtinas vaſtare cœperunt. Ad quorum compreſſionem Conradus Dux Maſouiæ fratres Cruciferos, qui dicebantur milites Chriſti, rubeo enſe & cruce ſignatos, accerſiit, & caſtrum Dobrzyn, vt contra Pruthenos debellarent, eis tradidit, ſed illis non proficientibus, & tenuem reſiſtentiam barbaris opponentibus, terræ prædictæ Culmenſis & Lubucenſis fuerunt penitus deſolatæ & deſtructæ.

Leſzkoni naſcitur filia Salome.

Duciſſa Grzymislawa Leſzkonis Albi conſors, partum fœmineum edidit. Qui etſi Patri Leſzkoni ſemiplenè gratus eſſet, eo tamen vno incundabatur, quod filia tunc genita, & ſterilitatis opprobrium conſortis ſuæ abſtulerat, & ſpes certiſſima futuræ maſculinæ prolis erat. Quæ in baptiſmo patre iubente Salomea vocata eſt.

1225. *Henricus Sileſiæ Dux Monarchiam Poloniæ occupare voluit.*

Ad notoriam ſuam ignominiam & offenſam Henricus cum barba Sleſiæ & Wratislauienſis Dux, exiſtimans pertinere, quod Leſzko Albus Caſimiri filius Monarchiam Polonorum & Cracouienſem Ducatum, qui ſibi velut Duci ſeniori & natu maiori debebatur, occupaſſet, exercitum tàm de ſuis, quàm exteris gentibus pretio conductis, comparat, & verſus Cracouiam procedit, Leſzkonem Album de Monarchia amoturus Marci Palatini Cracouienſis & aliorum militum ſuæ factionis perſuaſione inductus. Orta enim diſſenſione inter Ivvonem Cracouienſem Epiſcopum, Hoſtaſium Comitem, & eorum ſocietatem, qui erant de armis Odrovvaſz ab vna, & Marcum Palatinum Cracouienſem Magiſtrum Andream filium Clementis, & eorum cognatos, de domo Griphonum partibus ab altera, pro eo quod Dux Leſzko Cracouienſis Ioannem militem fratrem germanum præfati magiſtri Andreæ Canonici Cracouienſis & nonnullos eius cognatos, habitis officiis dignitatibus & magiſtratibus, ex ea cauſa priuauerat, quod cùm in Maſouia in cuſtodia cum Derslao filio Abrahæ, & Budeslao filio Crzeslai fuiſſent, ad defenſionem terræ poſiti, facto incurſu Pruthenorum, prædictis Marci Palatini cognatis, per fugam ſibi conſulentibus, Derslaus, Budeslaus & alii multi pro defenſione patriæ in conflictu ceciderunt. Vnde cùm vidiſſent ad honores ſe non poſſe reſtitui, machinantur Ducem Leſzkonem de Cracouia eliminare, & Henricum Ducem Wratislauienſem ſubſtituere. Quapropter Marcus Palatinus cum ſuis cognatis & ſociis exulando, ad Henricum Ducem Wratislauienſem proficiſcitur. Qui congregato exercitu, venit Cracouiam & ſtitit ibidem octo diebus. Sui autem præpoſiti Leſzko non ignarus, & gentes plurimas de Dominiis ſuis contra Ducem Henricum armauerat, & Conradum Maſouiæ Ducem germanum ſuum, ad repulſionem huiusmodi iniuriæ, cum omnibus Maſouienſium & Cuiauienſium militum copiis in adiutorium ſuum accerſiuerat, inferendum ſibi ab Henrico bellum, duplatis viribus & conatu omni atquè ad niſu propulſaturus. Iam Henricus cum Barba Dux Sleſiæ vſque ad fluuium Dlubnia, non longè à Cracouienſi ciuitate peruenerat illicque ſtatiua habebat, dùm vterque Dux Leſzko Albus & Conradus ordinatis aciebus illum excipiunt, ad decernendum parati, & accincti. Henricus autem Sleſiæ Dux, cùm & ſuaptè eſſet vir ingenii pacifici & modeſti, & à coniuge ſua B. Heduigi crebro admonitus foret, vt ſede ſua Wratislauienſi contentus, ſtatum ſuum, & ſuorum quæritando Monarchiam, non adduceret in diſcrimen, cum & Leſzkonis Conradique copias ſuis multò fortiores ſuperioreſque non ignoraret, & milites ſuos grandi pauore, paucitate ſua conſpecta, & hoſtilibus viribus penſatis, intelligeret perculſos miſſis caduceatoribus, colloquium & tempus expetiit. Quod cùm à Leſzkone & Conrado Ducibus, quippè, vt qui ipſi ciuile & fraternum certamen magnopere abhorrebant, conceſſum eſſet, in tabernaculo in medio vtrorumque caſtrorum ad id defixo, cum certo & æquali Conſiliariorum numero, conueniunt, Vbi primum Henricus Dux dicere iuſſus, longum de iure ſuo, quod ſibi in Monarchia Polonorum competebat, ſermonem diſſeruit. Cui cum Leſzko Albus reſpondendo rationes ſuas diſſoluiſſet, Ivvonis Epiſcopi Cracouienſis & communi Baronum interpoſitione pacificuntur, & in eam concordiam reducuntur. Quod Henricus Wratislauienſis & Sleſiæ Dux de omni iure & titulo Monarchiæ Polonorum Leſzkoni Albo cedat, & omne ius in Monarchia ſibi competens, in Leſzkonem transfundat. Initum eſt & à Ducibus ſpeciale fœdus, & iureiurando firmatum, vt vnus alterius paocuret honorem, & commoda, & occupationem terrarum & Ducatuum, quos ſortiti fuerant, non aſpiret. Datis deinde inter ſe muneribus, celebratis etiam conuiuiis, in magna animorum identitate & amore, ex hoſtibus facti amiciſſimi, in ſuos Ducatus reuertuntur. Leſzko ſiquidem Albus icto fœdere tam Henricum Sileſiæ, quam Conradum Maſouiæ Duces Cracouiam inuitaue-

ſed hæc turba ſtatim ſopiuntur. 1225.

1225. tauerat,& tàm ipſos quàm eorum milites magnificis tractauit neceſſariis. *Conrado* tamen in *Maſouiam* diuertente, *Henricus* Dux *Sleſiæ* A octo diebus *Cracouiæ* moratus eſt,ſplendidè & humaniſſimè à *Leſzkone* habitus, etiam amplis donis ab eo ſibi datis,onuſtus,lætus in *Sileſiam* remeabat, cum apud *Cracouiam* ſtando, octo dies abſumpſiſſet.

Colomanno mortuo de Halicienſi Ducatu fiunt inſidiæ.

Colomanus Andreæ Vngariæ Regis filius, dùm annis tribus in Principatu *Halicienſi* ſediſſet,apud *Halicienſem* arcem morbo,an veneno, incertum eſt, correptus, moritur. Poſt cuius mortem *Daniel Romanowic* Dux,*Ruthenis* fauentibus,arcem & regionem *Halicienſem* occupauit, in eaque conſedit. Sed *Izaslaus* Dux *Halicienſem* Ducatum ſibi vendicaturus, B fretus *Polowconum* auxilio, contra illum venit, & pugna commiſſa,*Daniel* victus, ſuccumbit. Duxque *Wladimirus* & frater ſuus,qui *Danieli* auxilia tulerant,captiuantur,propter quod arx, & regio *Halicienſis*, in ditionem *Michalconis* Ducis,fauente *Izaslao* conceſſit.

Ærarium Eccleſiæ Cathedralis *Cracouienſis*, item turris monaſterii Sanctimonialium in *Zwierzyniec*,item dormitorium fratrum Prædicatorum in *Cracouia*, fulmine tacta, accenſa & exuſta ſunt,hominibus illæſis & incolumibus.

Turba in maiori Polonia.

Wladislaus Ottonis maioris Poloniæ Dux ſuffragio filiorum *Ioannis Alberti*,& *Laurentij* adiutus, monaſterium *Mogilno* deuaſtat, & deprædatur. Anno verò inſequenti, idem C *Wladislaus* Dux,*Dobrogoſtonem*,& alios multos nobiles *Poloniæ* occidit,& horrea *Wladislai Laskonogi maioris Poloniæ* Ducis in *Miedzwiec*, & in aliis pluribꝰ villis deprædatur & incendit, & *Poloniam* magnæ ſubiicit vaſtitati. Eiectus enim fuerat potenti brachio per *Leſzkonem* Ducem *Cracouienſem*,& per *Wladislaum ſenem* patruū ſuum deſuis Principatibus, videlicet *Caliſſienſi*,& *Rudenſi*, nec in Poloniæ Regno conſiſtere auſus, in *Vngaria*, *Bohemia*,& *Almania* annis aliquot exilium agebat, ſed affinitatem & ſuffragia *Suantopelki Pomeraniæ* Præfecti,ducendo ſororem eius in vxorem, nactus,pœnas exiliationis ſuæ vlturus in ſingula quæcunque nefanda maximo conatu graſſabatur. D

1226. Iniuriam *Wladislaus Magnus* aliàs *Laskonogi*, *Maioris Poloniæ* Dux, per nepotem ſuum *Wladislaum Ottonis* illatam, vindicaturus, & caſtrum *Vſcie* quod interceperat, recuperaturus, omnium ſuarum terrarum colligit exercitum, & *Vſcie* caſtrum obſidione vallans, etiam nepotem ſuum *Wladislaum Ottonis* in eo concludit,omnibusque expugnationum generibus vſus, nunc bombardis illud quatit, nunc turres admouet, nunc militum manu ad eius conquiſitionem intendit. Sed cùm à *Wladislao Ottonis* & ſuis caſtrum ſtrenuè defenderetur,ipſe etiam ſitus loci, conatus *Wladislai Magni* facilè diſſolueret,& ſpes ſua recideret in irritum, obſidio in diem *S. Margarethæ* extracta eſt, cùm primo vere cœpiſſet. 1226. Remittebant itaque milites animum, & negligentius obſidionis munera illis diſtributa,ſiue dùm ad ſtationes & excubias eundum eſſet, ſiue cum hoſtibus dimicandum, ſiue ne quid ad obſeſſos importari poſſet, prohibendum obibant. Sed & obſeſſi huiusmodi obſidentium negligentiam ceſſando ab eruptionibus, & laſſos peneque victos ſe fingendo, amplius nutriebant. In Apoſtolorum itaque diuiſionis die, dùm ſoluta omnia in caſtris obſidentium *Wladislaus Ottonis*,quoſdam etiam ſtationibus deſertis, longius à caſtris progreſſos, quoſdam ſomno ſtratos,alios inermes,nonnullos per ebrietatem temulentos,ſupernè ex arce conſpexiſſet,ſuos ad bellum paucis cohortatus, promittens illos, ſi paululum adniti vellent, ea die poſſe fieri victores,in caſtra hoſtilia cum omnibus, qui ſecum obſidebantur, irruit,& tumultuariè inermes agreſſus, omnes ſternit aut fugat,maioremque quàm pro numero ſtragem cunctis pauore perculſis, aut diffugientibus, edit, ſed & Palatinum *Poſnanienſem Dobrogoſtium*, cum pluribus aliis inſignibus militibus obtruncat, donec clamore & cohortatione Ducis *Wladislai Magni* milites globo facto,ipſum de caſtris, nonnullis etiam ſuis, aut ſauciatis, aut cadentibus, in caſtrum retro cedere compellunt. Qua quidem clade *Wladislaus Laskonogi* deterritus,altera die motis caſtris obſidionem ſoluens abiit. Sed *Wladislaus Ottonis* & *Suantopelkonis* affinis, ſui & aliquorum militum, qui ſuæ parti fauebant, fretus potentia, patruum inſequutus, *Poſnanienſe* & *Caliſſienſe* caſtra & ciuitates, quæ ſuæ ſortis erant, dedentibus ſe Caſtellanis & ciuibus comprehendit,& omnia quæ ſuæ ditionis erant,recuperat,horreaque in *Miedzwiec* & in aliis pluribus locis vaſtat, prædatur & incendit, & *Maioris Poloniæ* terras pluribus incurſionibus & ſpoliis affligit.

Leſzkoni naſcitur filius Boleslaus.

Grzimislawa conſors *Leſzkonis Albi*, Ducis & Monarchæ Regni *Poloniæ*, filium pulcherrimum apud arcem nouæ ciuitatis *Korczyn* enixa eſt,cuius natiuitas in magnum gaudium ceſſit. Baptiſatus autem a Fratre *Herardo* Prouinciali ordinis Prædicatorum, & Fratre *Artungo* eiuſdem ordinis & Satrapis Regni, *Boleslaus* vocatus eſt, Patre *Leſzkone* iubente.

Monaſterium Kaczyce transfertur in Mogilam.

Cracouienſis Epiſcopus *Iwo* monaſterii in *Kaczyce* ordinis Ciſtercienſium, quod nuper fundauerat,conditionem meliorem effecturus, cùm intelligeret ſitum loci parum idoneum pro monaſterio fore,de ſui Capituli *Cracouienſis* conſilio & aſſenſu, in villam paternæ ſortis *Mogilam* propè fluenta fluminis *Vislæ*, locum vberiorem & egregium,& pluribus commoditatibus refertum,illud transfert, nonnullasque decimas manipulares menſæ Epiſcopalis in oppido *Dobczyce*,& villa *Viniari*, aliisque villis cir-

1226. circa *Dobczyce* ſituatis, eidem monaſterio donat, pulcherrimoque opere partim ex dolata petra, partim ex cocto latere, tàm Eccleſiam, quàm Monaſterium ædificat, & honori B. *Pauli* Apoſtoli illud dedicat, & intitulat. Quod quidem ſalutiferum opus, cuius tunc iacta ſunt fundamenta, non ſine ampliſſima præfati Pontificis laude temporis ſucceſſu proſperatum, etiam in diem hodiernam, propitia diuinitate, in religionis cultura & temporalium affluentia perſeuerat, præfatus inſuper *Ivo* Epiſcopus, anno eodem ſecundum monaſterium ordinis Prædicatorum, ſub titulo B. *Iacobi Sandomiriæ* erigit, & fratribus loco conſignato, etiam Eccleſiam, cellas, & monaſterii officinas, fratribus conſtruxit.

Synodus Gneſnenſis

Celebrauit & hoc anno *Vincentius* Archiepiſcopus *Gneſnenſis* Synodum, in Eccleſia *S. Blaſii*, vbi contentione, de prima ſeſſione inter *Iwonem* Epiſcopum *Cracouienſem*, & *Laurentium* Epiſcopum *Wratislauienſem*, exorta, *Iwone* Epiſcopo *Cracouienſi* ius ſuum per priuilegia Apoſtolica probante, *Laurentio Wratislauienſi* Epiſcopo nil opponente, aut producente, de loco tamen cedere nolente, *Ivo* ex Synodo receſſit.

Vigeſima tertia Ianuarii, *Suantopelkus Pomeraniæ* Dux, de conſilio & aſſenſu *Michaelis Wladienſis* Epiſcopi, fundat & erigit monaſterium ordinis Prædicatorum, ſub titulo & honore *S. Nicolai* in ciuitate ſua *Gdansk*, & locum prædictum libertatibus & priuilegiis inſigniuit.

Ioanni Plocenſi Ep. ſuccedit Gunterus,

Ioannes Plocenſis Epiſcopus cum annis quatuor ſediſſet, à podagritica vexatus paſſione, obiit. Cui per electionem Canonicam *Gunterus* Canonicus *Plocenſis* ſucceſſit, nobilis de domo *Pruſſorum*, à *Vincentio Gneſnenſi* Archiepiſcopo apud *Znenam*, *Conrado Maſouiæ* & *Cuiauiæ* Duce conſentiente, confirmatus & conſecratus.

& Honorio III. P. R. Gregorius IX.

Honorius Papa tertius, cùm annis vndecim, menſibus duobus, diebus tredecim, in Pontificatu *Romano* ſediſſet, *Romæ* moritur, & in Eccleſia *Mariæ maioris* ſepelitur. Cui *Hugolanus* Epiſcopus Cardinalis *Hoſtienſis*, natione *Campanus*, frater ordinis Prædicatorum, *Gregorius* nonus appellatus, apud *Septiſolium* electus, nona Martii ſuccedit. Qui multas à *Friderico* Imperatore pertulit aduerſitates.

1227. *Suantopelko Pomeraniæ Præfectus*

Affinitate quam cum *Wladislao Ottonis Maioris Poloniæ* Duce, per ſororem habebat *Suantopelkus Pomeraniæ* Capitaneus, & plurimis opibus terra marique in Præfectura *Pomeraniæ* quæſitis, nec non & ſucceſſuũ felicitate, qui ſibi & *Wladislao Ottonis* prouenerant, in ſingularem pompam elatus, Dominum & Principem ſuum *Leſzkonem Album Cracouienſem* & *Sandomirienſem* Ducẽ, cuius vice & autoritate honore præfecturæ apud *Pomeranos* fungebatur, per ſe & crebras legationes ſollicitare cœpit, quatenus illum in Ducem *Pomeraniæ* creare 1227. & ſibi vſum purpuræ, titulumque Principatus *eiuſdem Du-* A *Pomeraniæ*, ſuperiore dominio ſibi reſeruato, *catum am-* concedere dignaretur. Hic de armis *Gri- bieus,* *phonum*, quem inferiori *Pomeraniæ* & *Kaſzubiæ* liberalitas *Boleslai Krzywouſti Polonorum* Ducis, filii *Wladislai*, ex Barone in Principem creauerat. Sed dùm *Leſzko Albus* petitionem ipſam velut friuolam & temerariam damnaret, & plurimum ob id contra *Suantopelkonem* irarum conciperet, *Suantopelkus* repulſa irritatus ad defectionem ſpectare cœpit, tributaque ex *Pomerania Leſzkoni Albo* ſolui ſolita, mittere intermiſit. Cuius rebellionem & contumaciam *Leſzko Albus* antequam altius ſerperet, coaleſceretque, in ipſis initiis oppreſſurus, communicato cum *Henrico cum barba Sleſiæ* B & *Wratislauiæ* Duce (in quo rerum & actionum ſuarum ex familiaritate pridem contracta ſumpſerat locaueratque fiduciam) conſilio, apud *Zanzauam* prædium monaſterii *Trzemeſznenſis* prope oppidum *Znenam* ſitum, pro die *S. Martini* indicit celebratque conuentum, iubens *Suantopelkonem* Præfectum *Pomeraniæ* perſonaliter illic intereſſe, ſpecie quidem, vt Reipublicæ, velut Monarcha *Polonorum* prouideat, & ſtabilimentum firmitatemque imponat, re autem vera, vt *Suantopelkonem* illuc ſine ſuſpicione aduenientem opprimat, corripiatque, & terris *Pomeraniæ* in quibus ſe admodum firmauerat, in ſuumque nomen milites C iurare impulerat, ſine bello & armis exueret. Verùm *Suantopelkus Pomeraniæ* præfectus, vt erat vir & calliditate & prudentia rara pollens, conuentum apud *Ganzauam*, non contra alium, niſi ſe & ſuum periculum, prout erat, indictum ratus, omni humanitate abiecta, cum affine ſuo, *Wladislao Ottonis* in *Leſzkonis Albi*, *& cum Wladis-* *Henrici cum barba*, quem cum *Leſzkone Albo* *lao Ottonis* venturum agnouerat, caput conſpirant, clande- *conſpirat,* ſtinasque conſtant inſidias. Ad quas perpetrandas *Wladislaus Ottonis maioris Poloniæ* Dux, quamuis *Leſzkoni Albo* & *Henrico cum barba* propinquo conſanguinitatis gradu coniunctus, compertus eſt aſpiraſſe *Suantopelkone Pomeraniæ* præfecto ad permulcendum animum eius, vniuerſi Regni *Poloniæ* Principatum *Leſzcone* & *Henrico* ſublatis, deſtinante. D Cùm itaque ad diem S. *Martini* conſtitutam *Leſzko Albus* fraudem & dolum abeſſe putans, conficiendæ quoque rei, & recuperandæ *Pomeraniæ* ſtudio captus, & *Henricus cum barba Sleſiæ*, & *Conradus Mazouiæ* Duces in *Ganzauam* pro tenendo conuentu cum Baronibus, militibus, & frequentia hominum conueniſſent, & diebus aliquot cum *Wladislao Ottonis, Maioris Poloniæ* Duce, in continuis de ſtabilienda inter eum & *Wladislaum Magnum Laskonogi* patruum ſuum *Gneſnenſem* Ducem, pace verſarentur tractatibus, in inſidias præcipitati ſunt. Dum enim præfati Duces à *Pomeranis* ſatisfactionem de graſſatu-

ris

1227. ris & damnis, quæ per frequentes inſultus cum *Wladiſlao Ottonis* in terris *Maioris Poloniæ* fecerant, peterent, alioquin iniurias propulſando A minarentur terras *Pomeraniæ* ſe hoſtiliter inuaſuros, *Suantopelkus Pomeraniæ* præfectus venire differens, aduentum ſuum Duci & Domino ſuo *Leſzkoni Albo* intimabat, frequentibus nunciis magis explorandæ rei, quæ in *Ganzaua* gereretur, gratia, quam pro ſui excuſatione transmiſſis. Iam quarta, ex quo in *Ganzaua* Duces conuenerant, agebatur dies, & plurimarum rerum expeditione perfecta, balnea ad curandum, abluendumque corpora intrauerant, cum *Suantopelkus Pomeraniæ* Capitaneus opportunitatem temporis, per exploratores ſibi declaratam in ſuffragium ſui doli habiturus; nuſquam magis ſe Duci *Leſzkoni* nocere ratus, quam cum amicus putaretur, cum gen- B tium ex *Polonis* & *Pomeranis* collectarum multitudine ſuperuenit, & hoſtiliter tam hoſpitia, quam tabernacula Ducalia & militaria irrumpens, ſingulos ſibi reſiſtentes obtruncat. Cuius rei periculo Duces in balneo exiſtentes, intellecto, *Leſzko* quidem *Albus*, velut corpore iuuenili vegetior, de balneo exilit, & equo à ſuis ſibi miniſtrato, conſcenſo, verſus villam *Marcinkowo*, paucis illum comitantibus fugere cœpit. Quem *Suantopelkus* omnibus aliis præteritis, velut prædam diu concupitam inſectatus, ſuos omnes in illius necem exhortabatur, aſſerens omnem triumphum ſuum in illo vno corpore conſiſtere. Itaque pauci à multis vndique coarctati, quamuis diu ſatiſque C ſtrenuè luctarentur, ad extremum tamen omnes vnà ſimul cum Duce & Domino ſuo *Leſzkone Albo* à nefario perimuntur. Tanta autem fuit *Suantopelkonis* & ſuorum ad delendam ſtirpem Regalem & eorum, qui ſecum vnà venerant, rabies, vt non ſolùm in milites & armatos, ſed etiam in nudos & hos qui in balneo conſiſterent, ſæuirent. *Henricus* enim *cum barba Wratislauienſis* & *Sleſiæ* Dux à carnificibus in balneo comprehenſus, aliquot ſauciatur vulneribus, qui & ipſe tunc occubuiſſet, niſi quidam miles ſuus vocatus *Peregrinus* de *Weſzemberg* mira fide, miraque deuotione in Dominum & Principem ſuum vſus, corpus Ducale ſuo tegens obſtitiſſet, qui tandem mul- D tis vulneribus confoſſus, in terramque procidens, etiam cadauer ſuum exanime in corpus Ducale ſuperiecit, & vterque mortuus creditus, ſæuitiam carnificum remiſit. Maximæ profectò, & plus quam raræ miles iſte in Principem ſuum fidei, qui occidendi Principis in ſe necem tranſtulit, ſpontaneum ſe pro vita domini ſui conſtituit vicarium. Poterat & *Leſzko Albus* Dux *Cracouienſis* mortem euadere, ſi æque fortem, æque fidum in ſua cohorte iuxta ac Dux *Henricus* nactus foret militem, cuius quidem militis peregrini fidem æſtimare verbis arduum eſt, qui ſe primum vulneribus deinde morti, ipſe pro ſuo Principe obie-

& Leſzkonem Album interficit.

cit, ſeque quàm Ducem ſuum occidi paſſus eſt, meritus vt per omnium ora extenſa laudationis materia caneretur. Magna & in alios ea die quæ fuit 14. Nouembris ſtrages edita eſt quaſi illico *Suantopelcus* cum *Wladislao Ottonis* in *Polonia* eſſent regnaturi. Corpus *Leſzconis Albi* in *Cracouiam* per ſuos, qui ſuperſtites remanſerant, relatum, in Eccleſia *Cracouienſi* cum maximo luctu planctuque ſepulturæ mandatum eſt, *Suantopelcus* non ſecus quam hoſte Principe & Domino ſuo cæſo, neque ſceleris pœnituit, neque aliqua re funus ſuum honorauit. Ab eo quoque die ſe *Pomeraniæ* Principem legitimum gerere cœpit. *Henricus* lectica vectus *Wratislauiam* reuertitur, de vulneribus inflictis breui curatus, militem ſpectatæ fidei peregrinum ſemper commendans, prolem ſuam larga extulit donatione. Interfuerunt autem huic colloquio in *Gonſaua* habito *Vincentius Gneſnenſis* Archiepiſcopus, *Iwo Cracouienſis*, *Laurentius Wratislauienſis*, *Michael Wladiſlauienſis*, *Paulus Poſnanienſis*, *Laurentius Lubucenſis*, Epiſcopi, *Gunterus* electus *Plocenſis* & Barones quàm plurimi. 1227.

Crudeli & infauſta nece *Leſzconis Albi* per *Suantopelkonem Pomeraniæ* præfectum de ſcitu & annuentia *Wladislai Ottonis maioris Poloniæ* Ducis ſequuta, mox nouum bellum, nouaque arma inter ſuperſtites, *Conradum* videlicet *Maſouiæ* germanum *Leſzkonis Albi* ab vnâ, & *Henricum cum barba Sleſiæ* & *Wratislauienſem* Duces, partibus ab altera concitatur, vtroque Monarchiam *Polonorum* & *Leſzkonis* puerorum curam ad ſe rapere feſtinante. Et *Conradum* quidem *Maſouiæ* Ducem *Leſzkonis* defuncti germanum, *Henricum* verò *Sleſiæ* Principem annoſitas, quod natu maior eſſet & Duciſſæ *Grzymislauæ* relictæ *Leſzkonis Albi*, & nonnullorum *Cracouienſium* Baronum, & ſignanter *Marci Cracouienſis*, *Paccoslai Sandomirienſis* Palatinorum, ac cognatorum eorum, partes Duciſſæ *Grzymislauæ* ſequentium, crebro ingeminatæ preces, concitabant. Quæ *Conradi Maſouiæ* Ducis tyrannidem peroſa, ſe filiumque paruulum *Boleslaum* & filiam *Salomeam*, & eius Principatus atque terras in tutelam & gubernationem *Henrici Sleſiæ* Ducis, commendabat, petens *ſe & paruulos à gubernatione Conradi eripi, & vindicari.* Ex hac itaque occaſione & cauſa ciuili & domeſtico inter Duces præfatos bello ſubſequuto, vterque cum gentibus ius ſuum armis defenſurus, verſus *Cracouiam* aduenit, factaque eſt Prouincia *Cracouienſis* ſedes belli. Et arcem quidem & ciuitatem *Cracouienſem Grzymislaua* cum filio obtinebat, non permittens *Conradum* & ſuos contingere illam. *Henricus* verò *Sleſiæ* Dux, duas nouas munitiones, vnam prope oppidum *Scalam* in colle, quam *Pradnik* fluuius præterfluit, & cuius in hanc diem oſtentantur reliquiæ, alteram in *Merbore* erexerat, & forti præſidio militum impoſito, etiam vniuer

1228. Poſt varias in Polonia turbas

uer

1228. uerſam *Cracouienſem* Prouinciam occupaturum ſe ſperabat. *Conradus* itaque *Maſouiæ* Dux, maximi momenti fore, & ad victoriam ſpectare credens, ſi nouas munitiones per *Henricum* erectas deiiceret, ad oppugnandum munitionem prope *Scalam* ſitam copias ducit, vbi illi *Henricus Sleſiæ* Dux occurrens, durum prælium ſecum committit, & plurimis hinc inde cadentibus filius quoque *Conradi Maſouiæ* Ducis *Przemiſlaus* adoleſcens inter primos pugnans occubuit. *Conradus* ſigno receptui dato, pro victo abiit, & laus victoriæ penes *Henricum* remanſit, cladem autem & ignominiam tunc acceptam, *Conradus Maſouiæ* Dux correcturus, verſus alteram munitionem *Merbore*, fortunam belli ex loco tentaturus aduenit, ſed fortuna ſua cum loco mutata non eſt, maiori enim cæde ab *Henrico Sleſiæ* Duce, & ſuis prope villam *Wroeirzyſz* conflictus, cum ſuis in proximas ſiluas & colles refugit, & vtramque munitionem inexpugnatam pluribus de ſuis aut occiſis, aut captis reliquit. Duobus aduerſis præliis *Conradus Maſouiæ* Dux ab *Henrico Sleſiæ* Duce fuſus, fugatusque in *Maſouiam* ſeceſſerat, ad reintegrandum de nouo bellum milites in ſupplementum lecturus, verum cùm in eam militiam, ægrè & minus obedienter ſuos tranſire, tempus quoque æſtatis transfluxiſſe animaduerteret, omnem apparatum bellicum ad dolos & ingenia conuertit, facilius illis quàm armis ratus *Henricum* aduerſarium ſuum oppreſſurum. Iam ſiquidem *Henricus Sleſiæ* Dux debellatum, pro Monarchia & *Cracouienſi* Principatu, hoſtem credens, filium ſuum *Henricum* cum copiis in *Sleſiam*, colonis ab vtroque exercitu vexatis compaſſus, ſecurus & tranquillus in *Cracouienſi* Ducatu, fidos ſibi & puros ſingulorum animos reputans obuerſabatur. De quo *Conradus Maſouiæ* Dux ab exploratoribus certior factus in *Cracouienſem* Prouinciam aduenit, & fauentibus illi nonnullis *Cracouienſibus* militibus ad innouandum res procliuis, *Henricum Sleſiæ* Ducem in *Spytkowice* conſiſtentem, & auditioni miſſæ deditum, in Eccleſia captiuat, & in *Maſouiam* ad caſtrum *Plocenſe*, &, vt alii aſſerunt, in *Czyrsko* deportat captiuatum. Verùm cùm *Henricus* filius ſuus, qui *Annam Othocari* alias *Przemiſlai* Bohemiæ Regis filiam ex ſecunda uxore *Conſtantia*, & filia *Vngariæ* Regis nomine genitam habebat in vxorem, & quatuor filios, videlicet *Boleſlaum*, *Wladiſlaum*, *Henricum* & *Conradum*, & quinque filias, videlicet *Heduigim*, *Agnetem*, *Conſtantiam*, *Elizabeth*, & *Gertrudim* ex eadem ſuſcepiſſet, paternam liberationem effecturus, grandem exercitum tam ex propriis quàm mercede conductis militibus congregaſſet, hoſtili vexatione *Maſouiam* & *Cuiauiam*, ni Pater in libertatem reſtauraretur, inuaſurus. Beata *Heduigis* plurima mala, clades, videlicet, neces, ſanguinis Chriſtiani profluuia, deſolationes, exuſtiones, vaſtationesque terrarum, & agreſtium pauperumque hominum oppreſſiones & anguſtias, exinde orituras euerſura, in *Maſouiam* ſe perſonaliter contulit, & *Conradum Maſouiæ* apud *Plocko*, vel vt aliis placet, apud *Kruſwiciam* & *Czyrsko* adiens, funeſtum martem iam tonantem extinxit, ad eius ſiquidem conſpectum *Conradus Maſouiæ* Dux omnem qua flammabat ferocitatem depoſuit, & quaſi victus, quodamque terrore correptus, omnibus ſuis votis & precibus ſe morem geſturum repromiſit. At illa Deo inſpirata non ſolùm *Henricum Sleſiæ* Ducem virum ſuum, & *Conradum Maſouiæ* Duces diffidentes prudentia qua pollebat reconciliauit, ſed etiam affinitatis iura, quo in poſt quietiores eſſent, inter ipſos connexuit. Ceſſit ſiquidem *Henricus cum barba Sleſiæ* Dux de iure Monarchiæ & tutoriæ *Conrado*, renuncians iuri, quod ſibi in illis quæſierat, captiuosque *Conradi* libertati reſtituit, renunciationemque ipſam corporali firmauit iuramento. Duas verò Neptes ſuas, *Henrici* videlicet filii ſui filias, ex *Anna* filia Regis *Bohemiæ* ſuſceptas, videlicet *Conſtantiam* & *Gertrudim*, filiis *Conradi Caſimiro* & *Boleslao* deſponſat in vxores, *Caſimiro Conſtantiam* & *Boleslao Gertrudim*. His itaque pactis & conditionibus, & B. *Heduigis* fœminæ iam tunc in operibus famoſæ meritis, bellum acerrimum geſtum & gerendum ſublatum eſt, & *Henricus Sleſiæ* Dux ex captiuitate liberatus, in *Sleſiam* rediit, *Conradus* verò *Maſouiæ* Dux ſe & Monarcham, & puerorum *Leſzkonis* tutorem *Grzymiſlaua* matre eorum ne quicquam aduerſante repugnanteque gerere cœpit. *Gregorius* tamen Papa nonus *Henricum Wratiſlauienſem* Ducem, ab huiuſmodi iuramento, tanquam per vim exacto abſoluit. 1228.

Conradus Maſouiæ Dux adminiſtrationem Regni ſuſcepit.

In magna multitudine, & quæ vix æſtimari poterat, *Tatari Ruſſiæ* terras ingreſſi, plurima mala, cædes & flammas in illis committunt, & vniuerſam terram *Rzeszanska* vaſtant, ſpoliant, Ducemque *Rzeſzanorum* occiſo, etiam ſenes & impuberes necant, cæteram multitudinem captiuam in ſeruitutem abducunt, caſtraque conquiſita incendunt, neque his contenti, iterum in anni huius hyeme in terram *Suſdali* adueniunt, & terra vniuerſa peruaſtata, etiam *Georgium* Ducem & filios eius, pluresque alios *Suſdalorum* Duces interficiunt, & *Wladimiro* Duci caſtrum *Roſtow* auferentes incendunt, & captiuis plurimis atque prædis pro libito potiuntur.

Tatari Ruſſiam vaſtant.

Pramiſlaus, alias *Otocarus Bohemiæ* Rex valetudinarium & morti proximum ſe intelligens, filium ſuum *Venceslaum* ex *Conſtantia* ſorore *Belæ Vngariæ* Regis, quam legitima & priore vxore *Adla* viuente ſuperduxerat, ſuſceptum, in Eccleſia *Pragenſi* in Regem, conſortem verò eius *Cunegundim*, *Philippi* Ducis *Sueuiæ* in Regem *Romanorum* in diſcordia ele-

Wenceslaus fit Rex Romanorum.

1228. electi, filiam in Reginam per *Sifridum* Archiepiſcopum *Moguntinenſem* in Dominica Quadrageſimæ, ordinauit ſe ſpectatore A inungi & coronari.

Eliſabeth Vngariæ Regina canoniſatur.

Gregorius Papa nonus B. *Helizabeth Andreæ* Regis *Vngariæ* filiam, & *Ludouici Landgraphi Turingiæ* relictam, canonizat, cuius ſacrum corpus *Fridericus* Imperator *Romanorum* in *Margburg* hoſpitale, quod viuens fundauerat, & munifica largitione dotauerat, de tumulo aſſociatis plurimis Pontificibus, & Principibus, cum ſolennitate & gloria leuat, & pro teſta capitis ſui ornanda, corona aurea donat.

In *Brzesko* villa, oppido *Brzesko* propinqua ad fluenta *Viſlæ*, monaſterium Fratrum B ordinis Præmonſtratenſis fundat, & in dotem illi conferuntur villæ & decimæ manipulares cum *Brzesko* oppido.

1229. Concordia inter *Henricum Sleſiæ*, & *Conradum Maſouiæ* Duces apud *Plockam*, per B. fœminam Duciſſam *Heduigim Henrici* conſortem, & eius ſolertiſſimam interpoſitionem celebrata, grauique & infauſto bello ciuili extincto, rurſus aliud bellum inter *Maioris Poloniæ* Duces, *Wladislaum Laskonogi* patruum, & *Wladislaum Ottonis* nepotem exarſit. Proprio ſiquidem, & externo milite *Wladislaus Laskonogi* adiutus, venit contra *Wladislaum Ottonis*, iniuriam ſibi anno ſuperiori illatam vlturus. Nec *Wladislaus Ottonis* prioribus fidens ſucceſſibus detractauit bellum, ſed aduenienti patruo cum ſuis militibus occurrit, & quamuis acriter pugnans, cùm eſſet & robore & numero militum inferior, à *Wladislao Laskonogi* patruo ſuo victus, pluribus ſuis deſideratis, aut captis, etiam ipſe *Wladislaus Ottonis* è prælio fugere turpe raptus, captus eſt, & a Patruo *Wladislao Laskonogi* in vincula coniectus. Sed cùm proceſſu temporis fauentium ſibi ſuffragio captiuitatem euaſiſſet, in *Pomeraniam* ad *Suantopelkonem* vxoris ſuæ fratrem, qui *Leſzkone Albo* apud *Ganzawam* occiſo, totius ſibi *Pomeraniæ* dominatum vſurpauerat, auxilia ab eo inſtaurandi contra *Wladislaum Laskonogi* belli quæſiturus, diuertit. Qui non ſolum illi gentes ſuas *Pomeranicas* conceſſit, ſed etiam perſonaliter cum eo contra *Wladislaum Laskonogi* venit. Quorum aduentu *Wladislaus Laskonogi* deterritus, cùm in ſuis erga ſe fluxam & ambiguam noſſet fidem, qui illum propter libidines & ſpurcitias ſuas, ceterasque actiones Principe indignas in liuore & contemptu habebant, decertare cum adueniente nepote & hoſte infeſto, ne à ſuis deſertus, captiuitatem incideret, non auſus, caſtris & munitionibus in maiori *Polonia* relictis, diſceſſit, & in caſtrum *Ratibor* ſe recepit, à *Caſimiro Mieſzkowic Ratiborienſi* Duce amice habitus, & exceptus. Propter quod *Wladislaus Ottonis* militibus & caſtris ſe illi prona & obſequenti voluntate dedentibus, & propriam ſortem obtinuit, & patruelem occupauit. Habebat & aliorum aſſertio, quod *Wladislaus Laskonogi* quindecima Iulii fortiter dimicans, ſuccubuit, & fugere turpiter coactus eſt, Palatino *Poſnanienſi* cum multis aliis interfecto.

Bellum inter Wladislaum Laskonogi & Wladislaum Ottonis maioris Poloniæ Duces.

quo ille captus eſt, ſed paulo poſt euaſit.

Iwo Cracouienſis Ep.

Iwo Cracouienſis Epiſcopus aliquot monaſteriorum in ſua diœceſi, videlicet *Mogila*, *Dlubnia*, in *Mſtow*, item Hoſpitale pauperum in *Cracouia*, item Eccleſiarum Parochialium in *Dzierzazna*, *Wawrzynczyce*, & *Daleſzyce*, Sancti *Pauli* in *Sandomiria* fundator & dotator, ſplendorem Metropolicum Eccleſiæ ſuæ *Cracouienſi*, ab aliis Prædeceſſoribus ſuis neglectum, ſatagens reſtituere, optimum & oportunum tempus ratus, quo reſtitutio ipſa poſſit prouenire, in *Italiam* ad *Gregorium* Papam nonum ſibi multipliciter propter communionem familiaritatis & amicitiæ in ſtudio *Pariſienſi*, dùm ambos minor haberet ſtatus, contractam, fauorabilem, & affectum ſe contulit. Tyrannidem etiam *Conradi Maſouiæ* Ducis, qui in *Cracouienſi* & *Sandomirienſi* Ducatibus, tutorio nomine principabatur, cum quo tum pro Eccleſiæ, tùm pro iniuriis militarium in plures ſimultates deuenerat, declinans. Et cùm Papam *Gregorium*, cuius erat in ſtudiis *Galliarum* apud *Pariſios* charus ſocius, & ſingulari familiaritate obſtrictus, in *Peruſio* reperiiſſet, maximo honore obuiam illi multis C Prælatis mandato Papæ euntibus, & exceptus & habitus eſt, dignitasque & præeminentia Metropolica Eccleſiæ *Cracouienſis* facile *Gregorio* Papa precibus ſuis morem gerente, reſtituta. Verùm dùm deuotione feruenti prouocatus, obtenta à *Gregorio* licentia *Romam* ad viſitandum Sanctorum limina veniſſet, febribus correptus eſt. A quibus nondum liberatus *Roma* egreſſus, & itineris labore, & ſolis ardore ingrauauit ægritudinem. Et cùm in *priſtinum Burgum* deueniſſet 21. Iulii, exactis 12. in Pontificatu annis, moritur, & in *Mutinenſi* maiori Eccleſia à familiaribus ſuis iuſta funeri ſoluentibus, ſepelitur, oſſa tandem eius poſt aliquot annorum ſpacium, per Fratres D Prædicatores domus *Cracouienſis*, quam vt ſupra narrauimus, ipſe fundauerat, ex *Mutina Cracouiam* afferuntur, & in medio chori monaſterii S. Trinitatis reconduntur.

Metropoliticam dignitatem Eccleſiæ ſuæ reſtituit,

& paullo poſt in Italia moritur.

Frequens *Tatarorum* multitudo in *Smolnenſem* & *Czernicioulenſem* regiones adueniens, eas crudeliſſimè cæde & ſpoliis, nulli parcens ætati, quatit, & peruaſtat. Caſtris autem & fortaliciis plurimis, ex quibus & Duces, & milites diffugerant, conſiſtere in illis non auſi, potita ea incendit. Et nullam reſiſtentiam ſentiens, ſingulis à facie eorum in paludinoſa & inuia loca ſe ſubducentibus, onuſta captiuorum multitudine atque præda, in ſua reuertitur.

Optimo & heroicæ conditionis viro *Iwone* Eccleſia *Cracouienſis* deſtitua viduataque Pon-

1230.

Diſſenſio propter electionem Ep. Cracouienſis.

Pontifice, cum propter illius mortem, ſingulari confecta eſſet anxietate & mœrore, duplicem ſuper hæc miſerandum & deteſtabilem caſum excepit, diuiſionis vnum, conflagrationis alterum. Quamuis enim Capitulum *Cracouienſe* de ſubſtituendo altero Epiſcopo *Viſlaum* Canonicum *Cracouienſem*, natione *Polonum*, genere nobilem, de armis *Zabawa*, vitæ quoque ſpectatæ & doctrinæ elegiſſet, *Rudolpho* tamen Cantore *Romano*, & Magiſtro *Andrea* Canonico, electioni ſuæ quamuis Canonicæ, aduerſantibus, ingens & monſtruoſa diuiſio in Eccleſia *Cracouienſi* integro biennio vigebat. Præfatus enim Magiſter *Andreas*, qui cum *Iwone* Epiſcopo in *Italiam* tranſierat, aſſiſtente ſibi *Rudolpho Romano*, obtinuit ſibi de Epiſcopatu *Cracouienſi* per Papam prouideri, & ob hoc, cauſa *Viſlai* & per biennium pendente, differtur conſecratio. Sed *Henrico* Duce *Cracouienſi* & *Wratiſlauienſi*, qui *Cracouienſem* Ducatum abſolutus à Papa de iuramento recuperauerat, interpoſitionem ſuam apud Papam faciente, electio confirmatur *Viſlai*, prouiſione Magiſtri *Andreæ* caſſata. Propter quam & confirmatio *Viſlai* apud ſedem Apoſtolicam & conſecratio ex huiuſmodi cauſa fuit per biennium non ſine maximo *Cracouienſis* Eccleſiæ diſpendio, & ſubſtantiarum euiſceratione impedita & protelata. *Viſlaus* præfatus Epiſcopus de domo *Zabawa* fertur fuiſſe, & Eccleſiam Parochialem in *Koſcielec*, prope *Proſzowice*, pulchro lapide petræ tabulatæ, quod villa ipſa patrimonium ſuum fuerat, ædificaſſe. Cuius progenitores, quia ex terra *Pomeraniæ Cracouiam* aduenerant, pro aduenis habebantur, & maior inuidia *Viſlao* in ſua electione propterea origebatur. Dùm inſuper ſub hac contentione turris Eccleſiæ *Cracouienſis* ſumptibus *Iwonis* Epiſcopi, & ſui teſtamenti exequutorum ſollicitudine, plumbo tegeretur, operario negligentius ignem tractante, carbo ignitus ex loco ſorruito decidit, & proxima laquearia arida reperiens, facile nocte incendit, vniuerſamque Eccleſiam, roboratum ignem pluribus mortalibus ne quicquam reſtinguere aut inhibere audentibus, exuſſit.

Eccleſia Cracouienſis igne abſumitur.

Wladiſlaus Dux filius *Ottonis* ſumptis ſibi in auxilium quibuſdam *Poloniæ* militibus, & ſignanter *Albrechto* & *Laurentio* filiis *Ioannis* monaſterium inſigne *Mogilno* ſpoliat, prædatur & deuaſtat, oſtendens ſe & à ſanguine, & a maioribus moribuſque priſcorum Regum, Principum, & Heroum *Poloniæ* magnopere degeneraſſe, cum monaſteria ab ipſis fundata ipſe deleret.

Ottocarus Bohemiæ Rex moritur.

Decimo Calend. Ianuarii, *Przemiſlaus* alias *Ottocarus Bohemiæ* Rex moritur, & in *Pragenſi* maiori Eccleſia ſepelitur, cui filius ſuus *Venceſlaus* biennio ante, Patre iubente, coronatus ſucceſſit.

Pruſſiæ populis in Regnum *Poloniæ* barbaricam feritatem per clandeſtinas & ſubitas inuaſiones & incendia, abductioneque perſonarum vtriuſque ſexus, in ſeruitutem perpetuam euomentibus, *Conradus Maſouiæ* Dux, cum terras ſuas haberet cum eiſdem barbaris vicinas & conterminas, multipliciter grauatus & afflictus, ſeptem Fratres Cruciferos de domo *Teutonica* Ordinis Sancti Sepulchri Dominici *Hieroſolymitani*, quorum *Hermanus Ballie* de *Salca* Primicerius & Magiſter habebatur, in ſui auxilium ex *Almania* de conſilio *Chriſtini* Epiſcopi *Culmenſis* viri religioſi de ordine *Ciſtercienſi* accerſiit. In primario quoque eorum aduentu in caſtro *Dobrzin*, à quo Fratres *Dobrzinenſes* appellati ſunt, ipſos locat. Proceſſu verò temporis eis caſtrum & oppidum *Nieſzow*, cum villis *Murzynow*, *Orlow*, & cum ſuis attinentiis donat, largitur, & conſignat. Cùm autem aliquot ſecundis præliis vſus adiuuantibus illum Fratribus Cruciferis ſtragem ingentem in *Pruthenos* edidiſſet, precibus aſſiduis *Henrici cum barba Wratiſlauienſis* & *Sleſiæ* Ducis perſuaſus de conſilio conſortis ſuæ Duciſſæ *Agaſiæ*, & filiorum ſuorum *Boleſlai*, *Caſimiri*, & *Semouiti*, nec non Prælatorum & Baronum terrarum ſuarum, videlicet *Gunteri* Epiſcopi *Plocenſis*, *Michaelis* Epiſcopi *Cuiauienſis*, *Criſtini* Epiſcopi *Culmenſis*, *Pacoſlai* Comitis *Derſouienſis*, terras *Chelmenſes* & *Lubauiæ* infra fluuios *Oſſam*, *Drwancam*, & *Wrolam* ſitas, in quibus barbari *Rogow* caſtrum & oppidum, & alias munitiones occupauerant, eis inſcribit, & donat, licet de facto, non de iure, cùm in præiudicium Regni *Poloniæ* donationem ipſam *Conradus* Dux non poterat aliquatenus feciſſe. Quæ quidem donatio, etſi pro ea tempeſtate videbatur ſalutaris, ex poſt tamen Cruciferis ad occupandum terras reſiduas Regni *Poloniæ* ſemper anhelantibus, maxima Chriſtiani ſanguinis *Polonis* ſedes ſuas naturales defendentibus, ſequuta ſunt profluuia, & cædes etiam relatu horrendæ commiſſæ. Nec inter Reges & Duces *Poloniæ* præter præfatum *Conradum* extat alius, qui per donationem terrarum prædictarum *Nieſzouienſis* & *Chelmenſis*, & vocationem Cruciferorum, maiorem cladem aut peſtem ad *Poloniæ* Regnum inuexerit, maioribuſque bellis *Polonos* inuoluerit. In ea autem terrarum *Culmenſis* & *Lubauiæ* per *Conradum Maſouiæ* & *Cuiauiæ* Ducem donatione Fratribus Cruciferis facta id primum & præcipuè fuit cautum, & ad id ſe tàm Magiſter *Hermanus*, quàm Fratres Cruciferi patentibus literis aſtrinxerant, quod *Pruthenicæ* terræ & cuiuslibet alterius ſub barbaris conquirendæ poſſeſſio debebat inter *Conradum Maſouiæ* & *Cuiauiæ* Ducem, ſuoſque filios, & ſucceſſores *Poloniæ* Principes, & Magiſtrum atque Ordinem Cruciferorum ex æquo partiri & terrarum *Culmenſis* & *Lubauiæ* donatio, terra *Pruthenica* conquiſita, irritari, &

1230.

Cruciferi vocantur in Poloniam.

1230. & ad *Conradum* Ducem ſuoſque ſucceſſores pleno iure deuolui. Ordinatio quoque ipſa & conditiones ei appoſitæ, literarum apicibus fuerunt firmatæ, & per nonnullos fide dignos viros apud *Plocenſes* Duces & eorum cameras viſæ ſæpius & tractatæ. Reliquit autem *Hermanus* de *Salca* Magiſter Ordinis in locum ſuum Fratrem ſuum de *Landisberg Conradum*, qui cum auxilio Ducis *Conradi Maſouiæ* & gentium ſuarum in littore *Viſlæ* in loco edito ædificauit caſtellum, quod vocauit *Fogelſang*, ex quo cœpit *Pruthenos* impetere, & eorum ſubitas incurſiones prohibere. Conſultanti autem ſuper donatione terræ *Culmenſis* Cruciferis facienda, *Conrado Maſouiæ* Duci, fabula à *Trogo* deſcripta, & penè in ſimili euentu, dùm *Maſſilienſis* fundaretur ciuitas, ab vno Regulorum in coniectura perſpicaciſſimo à Conſiliariis *Polonicis* in detractationem eorum, quæ conceperant obiicienda erat. *Canem aliquando partu grauidam, locum à paſtore precario petiiſſe, in quo partum effunderet. Quo obtento, iterum ſollicitaſſe, vt ſibi educare in eodem loco teneros partus liceret. At poſtremo adultis catulis, fultam domeſtico præſidio, proprietatem loci Hero ſuo excluſo, vendicaſſe. Nec ſecus Cruciferos egiſſe, qui ſuos fundatores ſedibus excluſos, eorum terras per fas & nefas occupare non pudebat.*

1231. Moram ſuæ expulſionis & exilii, quæ in quartum iam annum tendebatur, à *Wladiſlao Ottonis Caliſſienſi* Duce germano nepote patratam, per quam & Ducatu ſuo, & rebus quibuslibet exutus erat, *Wladiſlaus Laskonogi Poſnanienſis* Dux moleſtè ferens, & propriorum militum, qui ad eum ſub exilii tempore defecerant, & aliquorum voluntariorum, aut ære alieno, aut iudiciis damnatorum nactus auxilia, ex *Ratiborienſi* oppido, in quo miſerabile illud exilium hactenus egerat, diſcedens, verſus *maiorem Poloniam* contendit, & caſtrum *Gnezna*, quod ſui iuris, ſuæque fortis erat, obſidione vallauit, ſperans non illud ſolùm, ſed & caſtra reliqua per deditionem breui recepturum. Verùm cum ſpes non reſpondiſſet, ſtrenue militibus *Wladiſlai Ottonis* caſtrum *Gneſnenſe* defendentibus, obſidio in duos menſes protracta eſt. Intra quos nemo ex militibus & ſubditis *Wladiſlai Ottonis* notatus eſt ad *Wladiſlaum Laskonogi*, omnibus turpes & fœdos mores ſuos abhorrentibus, defeciſſe. Fama quoque non temere orta vulgatum proditumque foret, *Wladiſlaum Ottonis* cum *Suantopelkone Pomeraniæ* Duce ſocero ſuo, & validis ſuis & exterorum copiis, pro ferenda obſeſſis ope, propediem aduentare, triſtis & gemens, fortunamque ſuam carpens, inexpugnato caſtro *Gneſnenſi*, pro cuius expugnatione tàm vires quàm ingenia intenderat, aliquot de ſuis militibus amiſſis, obſidionem ſoluens diſceſſit, & in ſolitum exilii ſui locum *Ratiboriam* remeauit, & anno eodem 15. Calend. Septembris in oppido *Sroda*, tàm mœrore quàm conſcientia actorum facinorum grauatus, fato ſubtractus eſt, & apud *Ratiboriam*, vel vt aliis placet, in monaſterio *Lubucenſi* ſepultus, nulla ſtirpe relicta. Ex cuius morte, plena ſui Principatus poſſeſſio ad *Wladiſlaum Ottonis*, velut nepotem germanum tranſiit. Ipſe quoque *Wladiſlaus Ottonis* Dux vtrumque Ducatum *Poſnanienſem* videlicet & *Caliſſienſem* & omnem *maioris Poloniæ* oram pacifice & abſque omni inſidiarum & defectionis reſpectu poſſidere cœpit.

Wladiſlaus Laskonogi fruſtra Gneſnam impugnat,

1231. *& poſt moritur.*

Conradus Maſouiæ Dux cum fratribus Cruciferis, & nonnullis peregrinis in ſui auxilium aduenientibus, vt amplior, & efficacior *Pruthenis* barbaris opponeretur reſiſtentia, in arbore quercus caſtrum ædificat, & præſidio tàm fratrum Cruciferorum quàm propriorum militum impoſito, *Pruthenos* cœpit à vaſtatione terrarum ſuarum cohibere. Locauit & tunc ciuitatem *Torun*, quam poſtmodum in aptiorem tranſtulit locum. *Pruthenì* verò barbari in eorum præſidiorum, quæ *Conradus* Dux erexerat, deſtructionem, duo caſtra erigunt, vnum iuxta *Viſlam* vltra *Torun*, quod vocatur *Rogow*, aliud iuxta *Torun*, in eo loco, vbi nunc antiqua *Culmenſis* ciuitas extat. Fabricat & tertiam munitionem in lacu *Pipinus Pruthenus* Chriſtianis infeſtiſſimus, qui etiam in diem hanc lacus *Pipini* dicitur. Omnia tamen caſtra prædicta infra paucos dies per Fratres Cruciferos & *Polonorum* milites fuerunt expugnata, & *Pipinus* captus. Qui ventre aperto ad quercum per circuitum vſquequo euiſceraretur, agitatus, vecordiæ ſuæ pœnas dedit.

Cruciferis caſtrum ædificatur.

qui Pruthenos vincunt.

Fridericus Auſtriæ Dux vltum iri ſatagens iniurias, quas patri ſuo & Ducatui *Auſtriæ Venceſlaus Bohemiæ* Rex intulerat, cum potentia exercituum ſuorum *Bohemiam* inuadit. Quem in id bellum proficiſcentem ſecutus *Przemiſlaus* Marchio *Morauiæ*, germanus *Venceſlai Bohemiæ* Regis cum eodem *Friderico Auſtriæ* Duce confœderatus, item *Otto Morauiæ* Dux, item *Henricus* germanus Ducis *Morauiæ*, *Marchio* de *Werdt*, item *Herebrebardus* Epiſcopus *Bambergenſis*, item *Bartoldus* Patriarcha *Aquilegienſis*, etiam germani Ducis *Morauiæ*, filii *Bartoldi* Ducis *Morauiæ*, & fratris germani B. *Heduigis*, conſortis *Henrici Wratislauienſis* & *Sleſiæ* Ducis cum ſuis gentibus comitabantur. Tantus autem & tam fortis exercitus, cui *Bohemiæ* Rex *Venceſlaus* imparem ſe videns, reſiſtere, & cum illo decertare non audebat, cum ex *Bohemis* plures ſibi ſciret parum fidos, & *Przemiſlai* Marchionis *Morauiæ* partibus fauentes, vno duntaxat caſtro vetero expugnato, & nonnullis damnis irrogatis, propter infirmitatem *Friderici Auſtriæ* Ducis, qua ſubito cor-

Friderici Auſtriæ Ducis expeditio breuis in Bohemiam.

1231. correptus eſt, in propria parum operatus, rediit.

Andreæ Vngariæ Regi ſuccedit filius Bela,

Andreas Vngariæ Rex & B. *Helizabeth* pater, cum annis triginta *Vngariæ* Regnum ſub tranquillo & felici regimine tenuiſſet, moritur, & in monaſterio de *Egrus* ſepelitur. Cui *Bela* filius eius maior natu ſucceſſit, pridie Idus Octobris in *Alba regali* diademate inſignitus.

Vndecimo Calend. Nouembris *Paulus Poſnanienſis* Epiſcopus cum conſenſu Capituli ſui fundat monaſterium fratrum Prædicatorum in *Srzodka* ad ſiniſtram viæ, quæ ducit de *Srzodka* in *Glogouiam*, è regione Eccleſiæ Sanctæ *Margaretæ*.

Guntero Ep. Plocenſi Petrus.

Gunterus Epiſcopus *Plocenſis*, cùm ſediſſet annis quinque, in *Vienna Auſtriæ Romam* pergens moritur, & illic ſepelitur. Cui *Petrus* dictus *Romanus* Canonicus *Plocenſis* ſucceſſit, per electionem Canonicam de domo *Polukoſa*.

Viſlaus electus *Cracouienſis* conſecratur in Epiſcopum *Cracouienſem*, per *Vincentium* Archiepiſcopum *Gneſnenſem* in Eccleſia *Cracouienſi*, ſublato diſſidio, quod biennio inter eum, & filium *Clementis* Magiſtrum *Andream Cracouienſem*, de natione *Griphonum* viguerat. *Gregorius* enim Papa nonus eidem *Andreæ Romæ* præſenti, iure ſuo de *Cracouienſi* Epiſcopatu prouiderat. *Henrico* tamen *Wratislauienſi* & *Cracouienſi* Duce interpoſitionem faciente, ad Papam electio *Viſlai* confirmatur, prouiſione *Andreæ* caſſata.

1232. *Wladiſlaus Ottonis Eccleſias Gneſnenſem & Poſnanienſem ditat.*

Beneficia Diuina *Wladislaus Ottonis*, qui & *Plwacz* cognomen à nimio ſputamine ſortitus eſt, *maioris Poloniæ* Dux, frequentius in eum, & in diræ captiuitatis euaſione, & in hoſtium debellatione collata, repenſurus, cùm & ex obitu patrui ſui Ducis *Wladiſlai Laskonogi* quies optima, & Principatuum amplitudo, & ex conſorte legitima *Suantopelkonis Pomeraniæ* Ducis ſorore, duo elegantes filii *Przemiſlaus* primus, & *Boleslaus* Pius, rarum quidem, ſed multiplex bonum prouenisset, duabus Eccleſiis Cathedralibus, *Gneſnenſi* videlicet, & *Poſnanienſi*, ſub ditione ſui Ducatus conſiſtentibus, magnas immunitates, libertates, & priuilegia donauit, & conceſſit, abſoluendo Eccleſiarum præfatarum villas habitas & habendas & earum incolas, ab omni ſolutione, ſeruitute, datia, & onere, quæ olim Duci, & eius cameræ præſtabantur, & ab omni ſua ſuorumque Palatinorum, Caſtellanorum, Iudicum, & officialium, à qualibet ordinaria & extra ordinaria iuriſdictione, & omne Ducale ius, quod ſibi in bonis Eccleſiarum præfatarum hactenus competebet in *Petrum* Archiepiſcopum *Gneſnenſem*, & *Paulum Poſnanienſem* Epiſcopum, eorumque ſucceſſores conferens, & transfundens. Poteſtatem etiam monetam fabricandi, & venationes in bonis Eccleſiarum exercendi, quod ſibi tunc Principi congruebat, vtrique Pontifici attribuens. Donauit præterea *Poſnanienſi* Eccleſiæ, & eius Epiſcopo *Paulo* villam *Sulkowa Krobia*, largos præbentem introitus. Quapropter paternum corpus *Ottonis* Ducis & *Boleslai* magni primi Regis, & aliorum Regum *Poloniæ* cadauera in ea condita, in qua & ipſe ſepulturam ſibi deſtinabat huiusmodi, ſingulari donatione voluit amplius aſſerere. 1232.

Laurentio Ep. Wratislauienſi ſuccedit Thomas,

Laurentius Wratislauienſis Epiſcopus cùm annis 25. ſediſſet, 7. Idus Iulii in *Prichow* moritur, & in Eccleſia *Wratislauienſi* ſepelitur. In cuius locum *Thomas* natione *Polonus*, & genere nobilis, per electionem Canonicam ſubſtitutus eſt, & per *Vincentium* Archiepiſcopum confirmatus. Qui non ſolùm propter nobilitatem generis, de ſtirpe enim *Kozlerogi* ducebat genus, ſed etiam propter ſcientiæ & prudentiæ raras, quibus clareſcebat, dotes, opinione & fama apud proprios & finitimos celebris, in arcem Pontificalem ſublimari promeruit. Accedit autem præfato *Laurentio* mors non vulgaris, ex aſſiduo ſiquidem & nimio roſarum odoratu, morbum rheumatis incurrens, curari non poterat.

Vincentio Archiep. Gneſnenſi Petrus

Vincentius Gneſnenſis Archiepiſcopus cùm annos prope 12. ſediſſet, moritur, & in *Gneſnenſi* Eccleſia ſepultus, per electionem Canonicam *Petrum* habuit ſucceſſorem. Eadem etiam *Petrus* mortis conditione.

Deuotio & liberalitas *Wladiſlai Ottonis Maioris Poloniæ* Ducis, in *Gneſnenſem* & *Poſnanienſem* Eccleſias exhibita, mentes & pectora Baronum & Satraparum *Maioris Poloniæ*, tam ingenti anxietate & liuore exacerbauit confecitque, vt primum occiſionem illius conſpiratione clandeſtina multifarie molirentur. Sed cùm inſidiæ in illum inſtructæ ſpei eorum & intentioni non reſpondiſſent, *Wladiſlao* Duce machinationes illorum ſolertiſſimè deuitante, in apertam rebellionem verſi ad *Henricum cum barba Wratislauienſem* & *Sleſiæ* Ducem, quem ſciebant *Wladiſlao Ottonis* Duci ſuo, propter vulnera apud *Ganzauam* in occiſione *Leſzkonis Albi Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Ducis accepta hoſtem infeſtum, adueniunt, & ſibi Principatus *Maioris Poloniæ* tradituros, in eiusque ditionem & obedientiam ſe vniuerſaliter tranſituros, caſtraq; & munitiones conſignaturos, repromittunt. Deditionem autem terrarum *Maioris Poloniæ* tunc ſibi impenſam *Henricus cum barba Sleſiæ* Dux, vir alioquin deuotus, religioſus, & iuſtus, quamuis nouiſſet iniuſtam, & ex iniqua & iniuſta liuoris radice coortam, contra fœminæ S. *Heduigis* conſortis ſuæ perſuaſum, non eſt aſpernatus, vt per occaſionem ipſam iniuriarum ſuarum, & vulnerum à *Wladislao Ottonis*, quem illius ſtragis & tradimenti, in *Ganzawa* commiſſorum, conſtabat principalem fuiſſe commentatorem, poſſet commodius pœnas meritas exigere. Quapropter exercitu non mediocri ex propriis & auxiliariis congeſto, hoſti- 1233.

Henricus cum barba

liter

1233. *terras maioris Poloniæ occupat.*

liter terras *Maioris Poloniæ*, eas vtcunque occupaturus, ingreditur. Sciens autem & probè noſcens, *Wladislaus Ottonis* animos ſuorum militum à ſe alienatos, ſibique aduerſos & infeſtos eſſe, cum *Henrico* Duce *Sleſiæ* velut cum potentiori congredi veritus, ne à reſiduis militibus, qui in partibus ſuis remanſerant, aut proderetur, aut deſereretur, in caſtris ſe continuit, & caſtris *Bnin* & *Srzem*, ne per *Henricum* occuparentur crematis, caſtrum *Gneſnenſe* forti & fideli militum præſidio communiuit, & ad ſocerum ſuum *Suantopelkonem* Dominum *Pomeraniæ*, in *Pomeraniam* diuertit. Quapropter caſtra & ciuitates principales *Maioris Poloniæ*, *Poſnanienſis*, *Caliſſienſis*, *Pyzdrenſis*, *Sredenſis*, item caſtrum *Biechow*, per Barones & milites *Maioris Poloniæ*, Duci *Henrico cum barba* deduntur, & conſignantur. Qui illorum poſſeſſionem nactus, etiam caſtra demolita & conflagrata, videlicet *Srzem* & *Bnin* reficit & reparat, milibusq; & defenſoribus fortiſſimis communiuit, datque caſtra ipſa nepoti ſuo germano ex ſorore filio *Dipoldi* Marchionis *Morauiæ Borzywoio* in tenutam, vt ex illis quoſcunque rebelles & inobedientes in terris *Maioris Poloniæ* cogeret in ſuam ditionem, obedientes verò & deditos in fide contineret. Præfatus ſiquidem *Dipoldus Morauiæ* Marchio à *Venceslao Bohemiæ* Rege, & cognomine *Monoculo* fratre ſuo ex *Morauia* pulſus, in *Vngaria* conſeneſcens obiit. Mater verò eorum *Adleidis* ſoror *Henrici cum barba*, poſt mortem mariti ex *Morauia*, per eundem *Venceslaum* Regem *Bohemiæ* eiecta, in paternam domum cum quatuor filiis, videlicet *Borziwoio*, *Boleslao*, *Premislao*, & *Wladislao* reuerſa eſt. Et Marchioniſſa quidem *Adleidis* in monaſterio *Trzebnicenſi* degens, mortua eſt. Cuius cineribus alter filiorum *Premislaus* breui matrem ſequutus, appoſitus eſt, vltimus filiorum *Boleslaus* ſortem Clericalem optimam ducens, Canonicus *Maideburgenſis* effectus, reliqui duo *Wladislaus* & *Borzywoius*, apud auunculum ſuum *Henricum Wratislauienſem* & *Sleſiæ* Ducem, militabant.

Wladimirus Kiouienſis Dux veritus ritum ſuum *Græcum* per Fratres Prædicatores, videlicet *Martinum* de *Sandomiria* Priorem *Kiouienſem*, & alios Fratres eius, vtpote viros Religioſos, & exemplares peſſundari & confundi, præfatos Fratres de Eccleſia *S. Mariæ* in *Kiow* ordini præfato conſignata, & circa quam habebant ſuum conuentum, expellit, redeundi facultatem eis interminans.

Epheborum ætate, *Boleslaus*, qui *Pudicus* appellari meruit, *Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Dux, filius *Leſzkonis Albi* tranſacta, annum prope 15. attigerat, & tàm ſuæ Duciſſæ genitricis *Grzymislauæ*, quàm *Cracouienſium* & *Sandomirienſium* Procerum, præcipuè tamen *Viſlai Cracouienſis* Epiſcopi inſtigatione frequenti & perſuaſu, tutoriam patrui ſui *Conradi Maſouiæ* Ducis, ſibi, & Ducatibus ſuis plurimum pernicioſam & damnoſam excutere, & A ſe in libertatem vendicare deſtinabat. Verùm *Conradus Maſouiæ* Dux, tutoriam ſibi à nepote eripi, & conſuetis introitibus ſe plurimum dolens ſpoliari, tàm Duciſſam *Grzymislawam*, quàm nepotem Ducem *Boleslaum Pudicum* ad colloquium amicabile, quaſi de Rebuspublicis ſuorum Principatuum tractaturus, inuitans, eos captiuat, & in *Maſouiam* deductos, primum in *Czyrsko* caſtro ſuo forti includit, exprobrans, tàm matri, quàm filio præcipitanter nimis & immaturè ad principandi auctoritatem aſpiraſſe. Deinde illos in *Sieciechouienſe* caſtrum ſupra fluuium *Wisla* in diœceſi *Cracouienſi* ſitum tranſportat, & arctæ deputat cuſtodiæ, è theſauris ſuis omnem ſibi diripit ſuppellectilem, & ad Principatus ſuos B occupandos, & ipſum è vita exterminandum, magno conatu animum intendit. Vnde & illum arctæ apud *Czyrsko* includit cuſtodiæ, & Principatum eius cœpit occupare. Interim *Wladislaus Gneſnenſis* Dux petitione & conſilio *Marci* Palatini *Cracouienſis* inductus, perſuadet Duci *Conrado*, vt animo lenitatis nepotem pertractet, nec aliquid in vitam ſuam aut ſuorum præſumat machinari. Qui, vt erat conſiliis tractabilis, in cœnobium *Sieciechouienſe* eos tranſmittit, ſub diligenti cuſtodia ibidem detinendos, donec deliberet, quem finem præſenti negotio imponat.

1233. *Conradus Maſouiæ Dux Boleſlaum Cracouienſem cum matre captiuat.*

Interea *Boleslaus* filius ſenior *Conradi Mazouiæ* Ducis terram *Sandomirienſem* potentia- C liter ingreditur, & tanquam vacantem occupat, Fratres quidem muneribus demulcens, & promiſſis, contradictores verò emiſſo edicto proſcribens, bona eorum diripens & diſſipans, coegit exulare. Quorum quidem in *Ruſſiam* alii, alii in partes alias, timore mortis fugientes, diuerterunt, miſericordiam Dei implorantes vt tyrannidem *Boleslai* Ducis deprimeret, orphaniſque & deſolatis miſereatur.

Gregorius Papa nonus B. *Dominicum* Ducem & inſtitutorem ordinis Prædicatorum *Bononiæ* ſepultum, pluribus coruſcantem miraculis *Reatæ* canoniſat, & Sanctorum adſcribit catalogo, anno à morte eius vndecimo.

D *Hermanus* Magiſter Cruciferorum caſtro altero *Kwidzin* in terra *Culmenſi* ædificato, caſtrum *Wilna*, quod in vicino ſitum erat à *Pruthenis* occupatum, & ædificatum ſucceſſu temporis expugnat & conquirit, & milites *Pruthenorum*, qui in præſidio illius fuerant, captiuat.

1234. *Expeditio Conradi & aliorum in Pruſſiam.*

Infidelium *Pruthenorum* terras vaſtaturi, & barbaricam illam nationem & genus ad cultum religionis noſtræ adducturi, *Conradus Mazouiæ* & *Cuiauiæ* Dux, non ex propriis ſolùm *Cuiauienſibus* & *Mazouienſibus*, ſed ex *Cracouienſibus* & *Sandomirienſibus*, quas pupillari & tutorio nomine *Boleslai Pudici* ne-

1234. potis ſui tenebat terris, Henricus *Wratislauienſis* filius S. Heduigis, *Wladiſlaus Ottonis Maioris Poloniæ*, *Suantopelk* & *Sambor* germani A *Pomeraniæ* Duces, validum exercitum, validasque equeſtres & pedeſtres copias, nunquam alias in terris *Pruſſiæ* viſas congregantes, in terram *Pruthenorum Oſſa* flumine ſuperato comitantibus & adiuuantibus illos magiſtro *Hermano*, & Fratribus Ordinis *S. Mariæ Teutonicorum*, quos vt in ſuperioribus præmiſimus, *Conradus* Dux ipſe in ſui auxilium contra præfatos *Pruthenos* clandeſtino & tumultuario bello terras ſuas affligentes acciuerat, Summi Pontificis *Gregorij* noni ſpecialibus literis admoniti, hyemali tempore *Suantopelkoni* Duci cura totius exercitus commiſſa, deſcendunt, & duobus menſibus terram *Pruthenicam* in girum, ignibus, flammis, & ſpoliis, deuaſtantes, B cum *Pruthen*i decernere non auſi, pugnandi copiam non facerent, cæde de quinque millibus barbarorum edita, & caſtro *Radzin*, quod magis Catholicis imminebat, ſub *Pruthenis* conquiſito, & propriis militibus locato, ciuitate quoque *Kwidzin* locata, in propria redeuntes multitudinem captiuorum & ſpoliorum reduxerunt. Sub ipſo verò tempore, quo *Conradus Mazouiæ* Dux bello *Pruthenico* occupatus erat, *Boleſlaus Pudicus Cracouienſis* Dux, qui vnà cum genitrice ſua *Grzymiſlawa* Duciſſa *Leſzkonis Albi* relicta, captiuitatis moleſtias in *Sieciechouienſi* caſtro anno vno & paulò amplius pertulerat, beneficio *Nicolai Gallici* Abbatis *Sieciechouienſis* ordinis *S. Benedicti* C euaſit. Qui caſtrum *Sieciechouienſe* vigilibus, cæteriſque capti Ducis *Boleſlai* cuſtodibus, tàm pecunia, quàm promiſſis corruptis, Ducem *Boleſlaum* & Duciſſam *Grzymiſlawam* ſolui obtinuit. Gratia ſiquidem Dei quæ ſubuenit in periculis, & in neceſſitatibus laborantibus, oppreſſionem duræ captiuitatis, præfati *Boleſlai* cum matre miſericorditer proſpiciens, conſilium inſpirat *Nicolao* Abbati & quibuſdam aliis eos liberandi. Nam cùm quadam nocte cuſtodes epulis delibati, potu repleti, ſecuritate diſſoluti, ſolitarum vigiliarum excubias intermiſiſſent, *Boleſlaus* Dux cum matre intempeſtæ ſilentio noctis euectionibus D clanculè præparatis, clauſtro egreditur. Cui captiuitatem euadenti, duo caſtra *Sandomirienſe* videlicet & *Zauichoſtenſe* vltro tradita ſunt. Quibus forte imponens præſidium, non audens in terris propriis conſiſtere, nec alteram captiuitatem experiri (Dux enim *Conradus* principaliora in *Cracouienſi*, *Sandomirienſi*, & *Lublinenſi* terris caſtra in ditionem *Maſouitarum* tradiderat,) cogeretur, in *Sleſiam* & *Wratislauiam* ad Ducem *Henricum cum barba*, tertio affinitatis gradu per lineam directam, ſibi coniunctum, refugit. Qui exulem & fugitiuum blandè & comiter ſuſcipiens, omni honore & humanitate tractauit, omniaque de ſe bene ſperare iuſſit. Qui

Boleſlaus cum matre ex carcere profugus,

dùm ſe iuuari, & in Principatus ſuos reſtitui, ſummopere expetiiſſet, *Henricus* quidem Dux in omnibus ſe ſibi morigerum fore repromiſit, *quæ tamen præmia laborum & impenſarum, & quis fructus penes illum manere deberet*, quæſiuit. Tunc *Boleſlaus Pudicus* omnes expenſas & labores ſe refuſurum, aut aliquas ſortes Principatuum ſuorum ſibi largiturum pollicebatur, de quo fuere fœdus & pacta inita. Interea filius *Conradi Boleſlaus* collectis quibuſdam *Sandomirienſibus* militibus & ſuis, terram *Cracouienſem* ingreſſus, furioſè in populum debachabatur, afflictaque ea deprecationibus & graſſaturis, in terram *Sandomirienſem* reuertitur. *Cracouienſes* verò huiuſmodi iniuriam non ferentes, *Viſlicienſem* terram frequentibus incurſibus ſpoliabant, ſicque mutuis viciſſitudinibus vtramque terram crudeliter vaſtantes, in deſolationem miſerabilem redegère. Auditis & intellectis omnibus iniuriis, quas *Boleſlaus* præfatus *Cracouienſibus* hoſtiliter intulerat, *Wratislauienſis* Dux *Henricus cum barba*, cum omnibus potentiis ſuis verſus *Cracouiam* vna cum *Boleſlao Pudico* contendit, & à ſingulis ferè Baronibus *Cracouienſibus* & *Sandomirienſibus* exceptus eſt, & tàm vrbs, quàm arx *Cracouienſis* reliquæque omnes ciuitates, & caſtra, Præfectis *Conradi* Ducis eas deferentibus, facile in ſuam & Ducis *Boleſlai* venère ditionem. Adeò enim dominatum Ducis *Maſouiæ Conradi* aſpernabantur, vt ad aduentum Ducis ſui naturalis *Boleſlai* ſinguli in eius obedientiam & ſuſceptionem confluerent. *Henricus* autem *cum barba Wratislauienſis* Dux, *Cracouienſis*, *Sandomirienſis*, & *Lublinenſis* Principatuum poſſeſſionem nactus, benignum ſe tutorem & curatorem *Boleſlao pudico* præbuit, & tàm *maioris Poloniæ*, quàm *Cracouienſem* & *Sandomirienſem* ſe Ducem geſſit & titulauit, præſertim ne Dux *Boleſlaus* per ætatem Ducalia bona inter milites diſtraheret, omnes tamen regiones ex integro *Boleſlao* reſtituit, & eum cum matre fecit gaudere plena & quieta omnium ſuorum Principatuum poſſeſſione. 1234.

auxilio Henrici cum barba

terras ſuas occupat.

Singularis feruoris & religionis in Deum miles *Theodoricus* Palatinus *Cracouienſis*, genere, fide, & nobilitate inſignis, de domo & familia *Griphonum*, quem difficultate nominis *Græci*, *Polonorum* lingua volens eum *Theodorum* appellare, *Cedronem*, & omnes eiuſdem nominis appellationem ſortitos, appellauit & vocauit, cultum ampliaturus diuinum, & ſibi viam ſtructurus in cœlum, in villa ſua hæreditaria *Ludzimierz* prope oppidum *Nowytarg* ſub *Alpibus Pannonicis* ſita, monaſterium ordinis Ciſtercienſis, ſub titulo *S. Mariæ* ſub Pontificio *Viſlai Cracouienſis* Epiſcopi, & de eius ſpeciali conſenſu fundat, & tàm præfatam villam *Ludzimierz* quàm alias plures ſibi pro perpetua dote conſignat. Cui etiam præfatus *Viſlaus Cracouienſis* Epiſcopus decimarum

Theodoricus Palatinus Cracov. monaſterium in Ludzimierz fundat,

1234. rum manipularium poſt omnes villas in poſſeſſione & terra monaſterio attributa locandarum, donatione adiecit. Verùm cum Fratribus monaſterii prædicti in *Ludzimierz* ex *Italia* accerſitis, varia à viris Belial prædam agentibus, vidiſſet impedimenta, & ſpolia inferri, decennio lapſo, poſteaquam in *Ludzimierz* fundationem huiuſmodi conſummauerat, in villam *Schyrzyc* à *Suliſlao Ioannis* militis filio Canonico *Cracouienſi* pro centum marcis argenti comparatam illic tranſtulit, vbi in hodiernam diem perſeuerat. Liberalitatem *Viſlai* Epiſcopi, *Prandota* Epiſcopus *Cracouienſis* immediatus eius ſucceſſor, ſupergreſſus de conſenſu Capituli, decimas manipulares menſæ ſuæ in villis *Boznanowice*, *Goſtachow*, & *Dlichow*, & in *Nigra ſylua*, poſt centum manſos *Franconicos*, loco prædicto & cœnobio inſcripſit perpetuò & donauit.

quod poſtea in Schyrzyc transfertur.

Decimo Calend. Februarii, *Dionyſius* de *Gozdzikowo* Comes Palatinus nobilis genere, de domo & familia *Vieniawa*, caput zubronis deferente, miles & Domicellus *Poſnanienſis*, feruorem deuotionis ſuæ, quo in Deum & redemptorem ſuum æſtu magno flagrabat, vberius effundere ſatagens, & cultum nominis ſui propenſius agere, in villa ſua præfata *Gozdikowo*, quæ extunc & in hodiernum diem cœpta eſt appellari paradiſus, monaſterium Fratrum ordinis Ciſtercienſis, ſub honore & titulo glorioſæ virginis *Mariæ* fundat, & primum villam ſuam præfatam *Gozdzykowo*, item & alias villas ſuas videlicet *Liuiam*, *Klodawam*, *Gorzykam*, & *Polenc*, ipſi cœnobio & Fratribus in illo militantibus, & militaturis, quos primum de monaſterio *Leuinenſi* eiuſdem ordinis per *Hermannum* eiuſdem *Leuinenſis* monaſterii tunc Abbatem mitti obtinuerat in dotem perpetuam donat & aſſignat.

Monaſterium in Gozdikowo fundatur.

Quarto nonas Ianuarii, *Warmienſes Pruthenj* clauſtrum *Oliua* incendunt, & ſeptem conuerſos & triginta quatuor monaſterii ſeruos igne, & gladio miſerabiliter interimunt. Sub eodem tempore Fratres Cruciferi cum auxilio Marchionis *Myſnenſis*, victis *Pruthenis* de territorio *Pomeraniæ* in ædes ſuas cum præda euntes, fidem *Chriſti* illos coegerunt ſuſcipere. Caſtrum *Plocenſe* per *Henricum* Marchionem *Myſnenſem* capitur, ſed per Ducem *Conradum* & filios eius *Boleslaum* & *Caſimirum* reacquiritur, & *Almani* alii miſerabiliter trucidantur, alii cum Eccleſia Cathedrali comburuntur: alii per pedes ſuſpenduntur. Anno quoque eodem per Ducem *Conradum Maſouiæ*, ordo & monaſterium Fratrum Prædicatorum fundatur in *Plocko*.

1235. *Pruthenica* expeditione *Conradus* Dux *Maſouiæ*, quam etiam anni huius æſtate facturus erat, omiſſa, omnes vires, omneſque conatus & ſtudia contra *Boleslaum Pudicum Cracouienſem* Ducem, eiuſque tutorem *Henricum cum barba Sileſiæ* Ducem, non ſecus quam in propria viſcera conuertit, & alta trahens ſuſpiria, vehementi ſtomachatione vexabatur, quod *Boleslaus Pudicus Cracouienſis* Dux, & *Grzymislawa* Duciſſa mater eius manus & captiuitatem euaſerant, quod *Henricum cum barba* in ſuum auxilium acciuerant, quod ei tutoriam, & *Cracouienſis*, *Sandomirienſis*, & *Lublinenſis* Principatuum poſſeſſionem abſtulerant. Cum copiis itaque tàm propriis quàm auxiliaribus in terram *Cracouienſem* adueniens, defectionem aliquorum caſtrorum & ciuitatum ad ſe ſperans, plures ex Baronibus & Capitaneis, vt *Henrico* & *Boleslao* Ducibus deſertis ad ſe deficerent, tùm largitione, tùm promiſſis ſollicitabat. Sed dùm omnes illum, & eius promiſſa aſpernarentur, maioribus ignibus, vt erat vir in bilem procliuis, agi cœpit, & Eccleſiam *S. Andreæ* ſub caſtro *Cracouienſi*, quæ nondum tunc ambitu murorum ciuitatis *Cracouienſis* erat incluſa, pro ſuburbana habebatur, item Eccleſiam in *Prandocin*, item Eccleſiam Collegiatam *Scarbimirienſem*, item monaſterium *Andrzeouienſe* incaſtellauit, quatuor quoque loca ipſa valido militum præſidio impoſito, armis & victualibus communiuit. Primuſque extat inter *Polonorum* Duces, qui ædes ſacras prophanare & vſibus bellicis applicare auſus, deteſtabilem illum morem ſuis ſucceſſoribus pernicioſo dereliquit exemplo. Quamuis autem *Henricus cum barba Conradum Maſouiæ* Ducem, & eius exercitum, dum huiuſmodi nefandas incaſtellationes committeret, aut per inſidias, aut per locorum iniquorum occaſionem, plurimum laceſſiſſet, in congreſſum tamen vniuerſæ dimicationis, quoniam facilius illum frangi cunctando, quam decernendo rebatur, non venit. Sibi quidem, & caſtrorum, ciuitatumque munitiones, ſibi militum deuotionem & fidem, ſibi ſupplementum militum, ſibi victualium omnium abundantiam videbat ſuppetere, ea verò breui hoſtibus defutura. Multis ſiquidem difficultatibus *Conradus Maſouiæ* Dux adductus, multa ſui exercitus parte amiſſa, magnis tamen populationibus & damnis terris *Cracouienſibus* & *Sandomirienſibus* irrogatis, in *Maſouiam* mœrore tabeſcens, rediit. Poſt cuius diſceſſum Eccleſia *S. Andreæ* per *Henricum cum barba*, & *Boleslaum Pudicum*, eorumque milites, tàm arcta & dira obſidione conſtricta, & menſibus aliquot anguſtiata eſt, vt milites *Conradi* pacti ne quid hoſtile paterentur, in deditionem cum caſtello venirent. Contra autem tria reliqua caſtella in *Prandocin*, *Scarbimiria*, & *Andrzeiow* per *Conradum* diſpoſita, alia rurſum tria caſtella ex lignis & blancis è regione, & in vicinio eorum, per *Henricum cum barba* & *Boleslaum Pudicum* Ducem erecta, atque ædificata ſunt. Et miro bellandi ſtudio, vtriſque pro victoria adnitentibus particularia certamina hinc inde ſæpius celebrata fuere ab *Henrici cum barba*, & *Boleslai Pudici* militibus, ne quid ad *Conra-*

Conradus Maſouiæ Dux bellum Boleslao illaturus,

1235.

quaſdam Eccleſias munit,

ſed infecta re diſcedit.

ra-

1235. *radi* milites importari poſſit, magna cura prohibentibus. *Conradi* verò militibus excurſiones nocturnas & clandeſtinas, exuſtioneſque earum villarum, quæ tributa repromiſſa exoluere neglexiſſent, irrogantibus. Inter hæc tamen coloni & à propriis, & ab hoſtibus vexati intermittebant agriculturam, & agris coloniiſque deſertis, in loca tutiora ſe conſerebant, calamitaſque & deſolatio dietim augebatur. Irrepſit & aliud malum in *Poloniæ* Regnum quæ priorem perniciem duplicauit, Frumentis namque tàm æſtiualibus, quàm hyemalibus, cùm per aſperitatem hyemis, tùm per imbrium frequentem inundationem conſumptis, ingens fames vniuerſam *Poloniam* longo tempore oppreſſit, neque facile tantum malum, bello ciuili durante, poterat reſtingui.

Fames in Polonia.

Andreas Vngariæ Rex pater B. *Elizabethæ*, cùm annis triginta regnaſſet, moritur, & in *Varadino* ad pedes *S. Ladislai* Regis ſepelitur. Cui filius eius *Bela* ſucceſſit pridie Idus Octobris in Regem *Hungariæ*, in *Alba regali* coronatus.

Andreæ Vngariæ Regi ſuccedit Bela.

Borzywoi maioris Poloniæ miles multo tempore cum *Paulo Poſnanienſi* Epiſcopo, pro villarum terminis, cæteriſque iniuriis Eccleſiæ *Poſnanienſi* irrogatis, diffidens, cùm in *Srzem* oppidum ad componendum differentias, per amicos communes, data acceptaque ſecuritate veniſſet, *Paulum* Epiſcopum *Poſnanienſem*, nil tale ſuſpicatum in dolo captiuat, ſed captiuitatem ſuam præfatus *Paulus* Epiſcopus euadens, ipſum excommunicat, fuitque prædictus *Borzywoi* per vniuerſam Eccleſiam, pro excommunicato habitus, & in ſingulis Eccleſiis publicè denunciatus. Dum quoque pertinaci contumacia cenſuram tolerans Epiſcopo ſatisfacere, à ſe per fraudem violato, contemneret, apud *Srzem* captus, & necatus ſuæ vecordiæ pœnas dedit. *Wladislaus* ſiquidem *Maioris Poloniæ* Dux caſtro *Srzem* conquiſito, illud incendit, & tam *Borzyuoium* quam *Sandiuogium* auxiliatorem eius occidit.

Paulus Poſnanienſis Ep. capitur & euadit.

Wladislaus Ottonis Maioris Poloniæ Dux fundationem Hoſpitalis & monaſterii ordinis *S. Ioannis Hieroſolymitani* in *Poſnania* per *Miecslaum* auum, & *Wladislaum* patruum ſuum, Duces *maioris Poloniæ*, nec non & dotationem præfato monaſterio, per dictos Duces factam, innouat, & ſub præſentia *Pauli* Epiſcopi *Poſnanienſis*, plurimorumque tàm Eccleſiaſticorum quàm ſecularium donationem, per præfatos Duces ante annos plures de villis infra ſcriptis factam confirmat, videlicet *Obiezierze* cum aſcriptitiis; *Wierzbucino*, *Drozin*, cum foro & taberna, *Wielkie*, *Kurzecino*, *Wyganowo*, *Miloſtowo*, *Ondregowo*, & *Pogorzelica* cum naulo, libertans hæreditates & bona prædicta ab omni ſeruitute, onere, datiis, & tributo, ordinans, vt ex bonis monaſterii prædicti horæ Canonicæ, reſque diuinæ expleantur, alantur pauperes & peregrini. Quicquid verò reſiduum fuerit, in ſubſidium terræ A ſanctæ domui *Ieroſolymitanæ* transmittatur.

Hoſpitale Poſnanienſe ditatur.

1236. Ad obtinendam vniuerſi Regni *Poloniæ* Monarchiam, *Henricus cum barba Sleſiæ* & *Wratislauienſis* Dux aſpirans, dum ætate transacta *Conradum Maſouiæ* Ducem de tutoria Ducis *Boleslai Pudici* exuiſſet, & Principatuum *Cracouienſis*, *Sandomirienſis* & *Lublinenſis* poſſeſſionem, velut tutor *Boleslai Pudici* nactus eſſet, rurſum contra *Wladislaum Ottonis Maioris Poloniæ* Ducem expeditionem mouet, & caſtrum *Gneſnenſe*, quod iam vnicum pro *Wladislao Ottonis* tenebatur, cæteraque omnia in Ducalibus *Maioris Poloniæ* ſuperbam & iniuſtam dominationem *Wladislai Ottonis* aſpernantia in ditionem *Henrici cum barba* ceſſe- B rant, obſidione firma cingit, plenam Ducatuum *Maioris Poloniæ*, & pacificam poſſeſſionem, arce illa, quæ ſola reſtabat, conquiſita, habiturus. Magnis itaque viribus & conatibus, ad illius conquiſitionem æſtuando, plura tormenta & machinationes contra caſtrum admouit, & obſeſſos proiectione frequenti tormentorum, & ſagittarum ignitarum, ſperans ſe caſtrum, quod pro maiori parte ex materia lignea fabricatum erat, aliquando incenſurum affligebat. Oppugnabat etiam illud crebra inuaſione & impetu militum, qui ſupernè ab obſeſſis ſaxis obruti mortuos & vulneratos plures deferentes, ſegnius munera obſidionis C & expugnationis conatibus eorum ſingulis recidentibus in irritum obibant. Interim cùm & longum tempus in obſidione arcis præfatæ fruſtra abſumptum eſſet, & arx ipſa præſidio militum valido ſepta, qui etiam ad caſtra *Henrici cum barba* per eruptiones continuas laceſſentes, pleroſque milites de hoſtibus ceperant, inexpugnabilis videretur. Noua etiam pernicies *Henrico cum barba* acceſſit, tres namque machinæ, quæ potiores habebantur, ex vehementi & continua proiectione fractæ & ruinatæ ſunt. Ex qua re, neque enim apud obſeſſos ex arce omnia ſpectantes ignota eſſe poterant, obſeſſis creuit audacia, obſidentibus verò deſperatio. Itaque *Henricus cum barba* Dux, deditionis ac expugnationis ſpe omiſſa, obſidionem ſoluens, multis damnis in *Sleſiam* D rediit. Poſt cuius diſceſſum *Wladislaus Ottonis* cum gentibus & militibus, qui illius partes ſequebantur, caſtra & munitiones, quæ per milites *Henrici* in *Maioris Poloniæ* Ducatibus tenebantur, laceſſere, impugnare, inuaſiones, exuſtioneſque villarum, & oppidorum, quæ à ſe defecerant, facere non deſiit. Inter quæ caſtrum *Szrem*, quod *Borzywoio Dipoldi* Marchionis *Morauiæ* filio, & *Henrici* ex ſorore nepoti commiſſum erat, corruptis vigilibus, nocturna irruptione inuadens, & *Borzywoium* Marchionem *Sandiuogiumque* militem, cæteris metu perculſis diffugientibus, ſibi reſiſtentes occidit. Caſtriſque ſpoliato, ne ab hoſtibus

Henricus cum barba Gneſnenſe caſtrum fruſtra obſidat.

1236. bus iterum locaretur, illud incendit, & in *Pomerniam* ad *Suantopelkonem* ſocerum ſuum diuertit. Deinde in caſtra *Nakiel* & A *Vſcie*, quæ in fide ſua manebant, ſe recepit, hoſtilitatem & periculum veritus, intelligens *Maioris Poloniæ* Barones & milites, in fide & obedientia *Henrici cum barba* conſtantes & perſeuerantes fore.

Penultima Iunii conuentus Principum *Poloniæ* apud *Dankow* habitus eſt. In quo Domicillæ *Henrici* Ducis *Sleſiæ* iunioris *Conſtantia* & *Gertrudis* illic perſonaliter aduectæ & adductæ per *Michaelem Wladislauienſem* & *Petrum Plocenſem* Epiſcopos, in facie Eccleſiæ ſolenniter filiis Ducis *Conradi Mazouiæ*, *Boleslao* & *Caſimiro* actualiter deſponſantur. Nuptiarum tamen ſolennitas in aliam diem virginibus in *Wratislauiam* deductis, dilata eſt. B Secunda autem die Iulii, *Conradus Mazouiæ* Dux præfatus, fecit diuiſionem Principatuum ſuorum, inter duos filios præfatos, & ceſſerunt Duci *Boleslao* Ducatus *Maſouiæ*, *Caſimiro* vero *Lancicienſis* & *Cuiauienſis* Ducatus, & ambo iureiurando in præſentia *Wladislauienſis* & *Plocenſis* Epiſcoporum & plurimorum Baronum terrarum prædictarum, promiſerunt ſe diuiſionem huiuſmodi ſeruaturos.

Caſimirus Dux Opolienſis moritur.

Sexto Maii *Caſimirus Opolienſis* & *Ratiborienſis* Dux, filius *Mieſzkonis*, filii *Wladislai Ottonis Sleſiæ* Ducis, frater patruelis germanus *Henrici cum barba*, in *Opole* moritur, & in Eccleſia ſui monaſterii *Czarnowas* ordinis Præmonſtranenſis, à ſe illic ex *Rybniki* pro- C pter loci commoditatem tranſlato, vnà cum filia ſua eiuſdem loci & ordinis Sanctimoniali virgine, pluribus virtutibus & mira deuotione inſigni ſepelitur. Qui duos filios videlicet *Miecslaum* & *Wladislaum* reliquit. *Miecslaus* itaque maior natu exiſtens, virginem *Iuditam* filiam *Conradi Maſouiæ* & *Cuiauiæ* Ducis in ſponſam accepit, ſed ſterilitatis opprobrium paſſa, nullam prolem reliquit. Suſcepit autem præfatos filios *Caſimirus* ex *Wenceslawa* Duciſſa, quæ & ipſa tertio Idus Martii diem obiit.

1237.

Pax inter Boleslaum Pudicum & Conradum Maſouiæ Ducem

Regionibus aliquot & coloniis ex ciuili & domeſtico bello, quo ſe inuicem *Henricus cum barba Sleſiæ* & *Wratislauienſis*, & *Boleslaus Pudicus Cracouiæ* & *Sandomirienſis* Duces ab D vna: & *Conradus Maſouiæ* Dux partibus ab altera ferè integro biennio collidebant, vehementer quaſſatis, & afflictis, per Barones, & Conſiliarios communes agitari de pace cœptum eſt. Et aliquot dietis ob eam rem celebratis, tandem execrabili & funeſto bello abrogato, damnis hic inde illatis, compenſatis, & captiuis vtriuſque partis abſolutis, pax in hunc modum concluſa eſt: *Vt Boleslaus Pudicus Cracouienſis & Sandomirienſis Dux, ex quo annos pubertatis ſcitus eſt tranſcendiſſe, Ducem Maſouiæ Conradum non teneatur tutorem ferre, ſed liber & ſui iuris vir Dux & Dominus*

cenſeatur, & pro arbitrio ſuo ſibi curatorem & prouiſorem conſtituat. Qua quidem pace, 1237. pactis, & iureiurando firmata, *Boleslaus Pudicus* ſub omnium præſentia *Henricum cum barba* Ducem *Sleſiæ* ſibi in curatorem depoſcit & aſſumit, ſeque illi & ſuis ſalubribus conſiliis directionibusque repromittit pariturum, germanum patruum *Conradum Maſouiæ* Ducem, non ſecus quaſi acerrimum hoſtem vitans. Qui etſi ob id vehementer ſe quereretur iniuriatum & confuſum, pactis tamen & iureiurando conſtrictus compoſitioni paruit, & præſidia ex Eccleſiis incaſtellatis, videlicet *Scarbimirienſi*, *Andrzeiouienſi*, & *Prandocinenſi* deduxit. Itaque ex eo tempore *Henricus cum barba* ſe Monarcham Regni *Poloniæ* geſſit, & tàm ſolertia, quàm natu & principalioribus, qui in eum confluxerunt, inter *Poloniæ* Duces maior habebatur, nam etſi propter amorem, quo in *Boleslaum Pudicum* flagrabat, à titulo Ducatus *Cracouienſis* & *Sandomirienſis* abſtinuit, ſed duntaxat ſe *Maioris Poloniæ* & *Sleſiæ* Ducem & Dominum nominauit, in ipſis tamen Ducatibus *Cracouienſi* & *Sandomirienſi* magis illi & ſuis Imperiis, quàm proprio & naturali Duci *Boleslao Pudico* poſt fœdus cum *Conrado Maſouiæ* Duce ictum parebatur. Sed & Dux *Boleslaus Pudicus* gratificari *Henrico* curatori ſuo volens, & impenſas, quas pro ſe & ſuis Ducatibus de manu *Conradi Maſouiæ* Ducis eripiendis fecerat, refundere, nobiles Duci *Henrico cum barba* reditus ac introitus, tàm in *Cracouienſi* & *Sandomirienſi* Ducatibus, quam in zuppis *Vielicienſibus*, teloneiſque conſignauerat, Monarchali autem poteſtate, præſertim in *Cracouienſi* & *Sandomirienſi* terris *Henricus* obtenta, bona monaſterii *Opatowienſis*, *Cracouienſis* diœceſis, videlicet oppidum *Opatow* cum ſexdecim villis, & aliquot manipularibus decimis, templariis excluſis, quorum inſigne illud erat cœnobium, annuente & vltro conſentiente votis ſuis *Boleslao Pudico* Eccleſiæ *Lubucenſi* ſui dominii applicat. Nec his contentus in terris *maioris Poloniæ* oppidum *Caſimierz* cum ſuo diſtrictu, cum 14. villis & totidem decimis, item in terris *Sleſiæ* oppidum *Borek* cum decimis, cum villis & lacubus, præfatæ *Lubucenſi* Eccleſiæ donat.

Henricus Sleſiæ Dux ſe Poloniæ Monarcham gerit.

Miecslaus Cuiauienſis Dux a muribus deuoratur.

Dux *Miecslaus* propter mentem capitis parum ſanam appellatus *Choſciſko*, Ducatum *Cuiauienſem* ex patris ſui *Maſouiæ* Ducis *Conradi* conceſſione inter fratres ſortitus, dùm quaſdam viduas & orphanos præter æquitatem & iuſtitiam ſpoliaſſet, & vaccis earum mactatis, ſubſtantiiſque occupatis, ſplendidum conuiuium ex illis optimatibus & militibus *Cuiauienſibus* præparaſſet, & in illo opipare vſurus conſediſſet, inter prandendum & conuiuandum, iuſtiſſimo Deo, enormia ſua facta præſentia & tranſacta puniente, mures infiniti conueniunt, ipſumq; deuorare cœperunt. Qui

1237. imminens periculum euitaturus, nauim conſcendens, ad aquas & flumina perrexit. Quibus nec quicquam ſuffragantibus, à muribus A illum per omnes vndas & maria inſectantibus, miſerabiliter conſumptus & deuoratus eſt. Documentum non inutile iniuriæ viduis & orphanis inſerendæ poſteris præſtiturus.

Nuptiæ Boleslai Ducis Maſouiæ cum Gertrudi filia Henrici.

Reconciliationi inter *Henricum cum barba maioris Poloniæ* & *Sleſiæ*, & *Conradum Maſouiæ* & *Cuiauiæ* Duces confecta, nuptiarum etiam ſolennitas *Wratislauiæ* acta eſt: In qua iuxta ordinationem B. *Heduigis* & pacta in *Plocko* per medium eiuſdem B. matronæ inita, *Boleslaus* filius *Conradi Maſouiæ* Ducis maior natu, virginem *Gertrudim* filiam filii *Henrici cum barba*, neptem B. *Heduigis* accepit in vxorem. B Nam etſi vt in ſuperioribus præmiſimus, matrimonium huiuſmodi dudum fuiſſet contractum, non tamen poterat, cùm propter minorennitatem contrahentium, tùm propter bella orientia, niſi eo anno conſumari. Celebritati autem huiuſmodi Beata fœmina *Heduigis*, vt perſonaliter intereſſet, nulla poterat prece & ſupplicatione moliri, ſed in monaſterio *Trzebnicenſi* ſe continens, contemplationi & orationi ſanctæ iugiter inſiſtebat. Quæ etiam cum viro ſuo *Henrico Wratislauienſi* Duce continentium ſe lege perpetua vincientes, per annos triginta gratiam coniunctionis non repetebant.

Boleslaus Pudicus Cracouienſis & *Sandomirienſis* Dux precibus & conſiliis genitricis ſuæ C *Grzymislawa* Duciſſæ, fœminæ religioſæ & deuotæ, perſuaſus, fratres minores ordinis S. *Franciſci Cracouiam* ex *Praga* vocat, illiſque pro Eccleſia & monaſterio in ciuitate *Cracouienſi* locum amplum donat, Ducalibuſque impenſis, tàm Eccleſiam, quàm cœnobium pulchro opere ex latere cocto inchoat, & conſumat, quamuis in annis pueritiæ conſtitutus.

Gregorius Papa nonus ciuitatem inſignem *Conſtantinopolim*, quæ vetuſto nomine *Biſantium* vocabatur, de captiuitate liberaturus, *Vilhelmum* Epiſcopum *Mutinenſem*, adiungens ei fratrem *Martinum* de *Sandomiria* ordinis Prædicatorum *Polonum* natione virum prouidum & doctum, ad *Ludouicum Franciæ* D Regem tranſmittit.

Premislaus Marchio *Morauiæ*, germanus *Venceslai Bohemiæ* Regis, ſciens ſibi præfatum fratrem ſuum *Venceslaum* multipliciter infeſtum eſſe, in *Hungariam* effugit, caſtris ſuis *Morauiæ* præſidio fidelium militum commendatis. Qui tandem à Rege *Bohemiæ Venceslao* obſeſſi, caſtra ipſa reddere ſibi coacti ſunt. *Præmislaus* verò Marchio *Morauiæ* à *Bela Hungariæ* Rege benignè habitus, etiam interpoſitione ſua Marchionatum *Morauiæ* rehabuit.

Hermannus Cruciferorum Magiſter domus *Teutonicæ*, *Conradi Maſouiæ*, *Suantopelk* & *Samborii Pomeraniæ* Ducum fretus auxiliis, in *Pruſſiæ* terram deſcenſu per aquam, & terram facto, caſtrum & oppidum *Elbing* in *Pogoſimo* diſtrictu ædificat, militum valido præſidio communit, ciuitati dato nomine à fluuio *Elbing*, qui illuc decurrens, ſtagno magno, quod *Hab* dicitur, ſe miſcet. 1237.

Elbinga ædificatur.

Fratres Prædicatores, videlicet Frater *Martinus* de *Sandomiria*, cum aliis monaſterii S. Trinitatis in *Cracouia* fratribus, miſſi in *Italiam*, oſſa *Iwonis* Epiſcopi *Cracouienſis* ab Epiſcopo *Mutinenſi* impetrata, *Cracouiam* referunt, & in monaſterio præfato S. Trinitatis in Chori medio condunt.

Boleslaus Pudicus Cracouienſis & *Sandomirienſis* Dux cum matre ſua *Grzymislawa*, dolos & inſidias *Conradi Maſouiæ* Ducis, & filii ſui *Boleslai* perhorreſcens, & in terra *Sandomirienſi*, quam pro ſuo domicilio, & ſtatu Ducali tenendo conſignauerat, non audens remanere, petit ab *Henrico cum barba* in aliqua munitione *Cracouienſis* terræ collocari, donec furor aduerſariorum ſuorum conquieſcat, & Baronibus ſuis congregatis & adunatis, ſtatus Principatuum ſuorum vires reſumens, aduerſus eos inualeſcat. Dux itaque *Henricus* Curator ſuus munitionem rupis, quæ dicitur *Skala* in *Przegimia*, eis concedit ad habitandum, & certis reditibus prouidet ad veſcendum. Vbi collocati ferè quinquennio delituerunt, ipſo verò *Henricus cum barba* Dux cum omnibus prouentibus reditibuſque *Cracouiam* ad vſum ſuum retinens, habito communi conſilio Epiſcopi & Baronum, Rempublicam prouide ordinauit, leges, quibus humana audacia coerceretur, inſtituit & conſcripſit, viros induſtrios & prouidos præfecit beneficiis ac magiſtratibus, peſtiferum genus hominum videlicet maleficos & calumniatores exterminauit, leges concuſſionis eliſit, videlicet *Pomocne*, virginale & viduale, et ſi quæ ſunt ſimilia, peroſus extirpauit. Libertatem inſuper Eccleſiæ confirmauit, ſicque in eo ſtatu terra poſita, eoque regnante, quaſi per decennium creuit rerum incrementum & profecit, mutuo vinculo connexa ſocietatis.

Monarchiam Regni *Poloniæ Henricus cum barba Maioris Poloniæ* & *Sleſiæ* Dux adeptus, 1238.
ad felicem tranquillumque ſtatum *Poloniæ* ſub regimine & Principatu tàm iuſti & celebris Principis viſa eſt perueniſſe. Sed & *Henricus* Dux præfatus in *Maioris Poloniæ* Ducatu, ſolium ſuum quietum credebatur firmaſſe, cùm ſubito nouum diſpendium, nouaque pernicies Regno *Poloniæ* acceſſit. Dux namque *Henricus* ad partes inferiores Ducatum ſuorum, *Kroſnam*, propè terminos *Bohemiæ* deſcendens, languere grauiter cœpit. Et quamuis de languore ſuo conſors ſua B. *Heduigis* per celerem nuntium certior facta fuiſſet, viſitare tamen illum, quamuis precibus viri multipliciter rogata intermiſit, ne quam ſcintillã coniugalis mœroris viſo ægro-

to

1238. to marito contraxiſſet, quem infra annos triginta, quibus vterque cælibem agebat vitam rariſſimè, & non niſi in neceſſitate ineuitabili, quum pro neceſſitatibus egenorum, viduarum, pupillorum, monaſteriorum, Eccleſiarum, & miſerabilium perſonarum intercedendum erat, adibat. Ingraueſcente itaque infirmitate, omnibus Eccleſiaſticis ſacramentis ritè & religioſe perfunctus ſex luſtris, vt præmiſimus, in cœlibatu, conſorte in ſororem commutata exactis, 14. Calend. Aprilis in oppido ſuo *Kroſno* feliciter expirauit. Qui ob id *Henricus cum barba* appellationem ſortitus eſt, quoniam à tempore, quo cœlibem vitam ad inſtigationem conſortis ſuæ B. *Heduigis* agere cœpit, barbam in conuerſorum morem creſcere permiſit, ſplendidisque indumentis auro & oſtro nitentibus abiectis, laneo, & humili amictu vtebatur. Cùm autem ad monaſterium *Trzebnienſe* per ipſum fundatum, & liberaliter dotatum, in quo B. fœmina *Heduigis* arctiſſimam agebat inter ſanctimoniales *Ciſtercienſes* vitam, funus ſuum illic ſepeliendum ductum fuiſſet, omnibus monialibus, & pluribus aliis, tàm nobilibus, quàm ruſticanis hominibus vtriusque ſexus, qui ad cohoneſtandum funebrias ſuas ex *Maiori Polonia* & *Sleſiæ* Ducatibus in maxima multitudine obuiam corpori mortuo conuenerant, effuſis, ſola fœmina B. *Heduigis* in monaſterio *Trebnicenſi* ſubſtitit, & honorem illum impendere corpori mariti neglexit. Sed ſanctimonialibus, cæterisque tàm viris, quàm matronis mortem *Henrici* Ducis viri ſui magno eiulatu, magnisque lamentis & vociferatione incondita, deflentibus, hæc ſola ſiccos tenuit oculos, neque in omnium fletu viſa eſt lachrimaſſe. Sed & nonnullas ſanctimoniales obitum *Henrici* Ducis præfati, tàm ingenti mœrore, vt penè mortuæ viderentur, perſequentes corripuit, aſſerens *iniquum & ſceleſtum eſſe, tàm inconuenienti & immoderato mœrore voluntati diuinæ, & eius beneplacito aduerſari.* Succeſſit autem optimo viro *Henrico* Duci, in vtroque Ducatu, Dominio *Cracouienſi* & *minoris Poloniæ* videlicet, & *Sleſiæ*, filius ſuus *Henricus*, qui illi, cæteris filiis morte ſublatis, vnicus remanſerat. Neque *maioris Poloniæ* Prælati Barones, & Nobiles quicquam diminuere aut variare, ex præterita obedientia & ſubiectione, quam patri *Henrico cum barba* præſtiterant, in filio dignum ducebant, quamuis ſciebant ſe alium iuſtiorem Ducem, & hæredem *Wladiſlaum Ottonis*, qui morte *Henrici cum barba* ſequuta, pleroſque eorum magnis promiſſis & precibus, vt de ſe recogitarent, ſibique Ducatum proprium & paternum redderent, ſollicitare non deſiit, firma certitudine freti *Henricum* ſecundum ex Beata *Heduigi* genitum, & paternos & maternos mores optimos ſectaturum.

Henricus cum barba moritur,

ſucceſſore filio Henrico.

Apud *Halicienſem* ciuitatem monaſterium fratrum ordinis Prædicatorum fundatur, & fratres Prouinciæ *Polonicæ* domum illic accipiunt. *Petrus* Epiſcopus *Plocenſis* cum annis ſex ſediſſet, ex vitio pulmonis moritur, & in Eccleſia *Plocenſi* debito honore tumulatus, *Andream* habuit ſucceſſorem a *Gneſnenſi* Archiepiſcopo *Fulkone*, *Conradi Maſouiæ* & *Cuiauiæ* Ducis conſenſu accedente, confirmatum. Hic *Andreas Cracouienſis* Eccleſiæ Scholaſticus, Nobilis genere de domo & familia *Griphonum*, de terra & regione *Cracouienſi* ex villa *Brzeznica* ortus, filius *Marci* Palatini *Cracouienſis*. 1238.

Petro Ep. Plocenſi ſuccedit Andreas.

Wladiſlaus Ottonis Maioris Poloniæ Dux, vniuerſali annuentia & conſpiratione de Ducatu ſuo pulſus, mortem *Henrici cum barba* hoſtis & competitoris ſui nullam videns rebus commoditatem, quam ſperauerat attuliſſe, graui dolore & moleſtia actus, apud *Suantopelkonem* in *Pomerania* exulans, languorem contrahit, & infra paucos dies, rebus exuitur humanis. Corpus exanime, ita enim moriturus rogauerat, in *Poſnaniam* adductum, in ſepulchro patrum & auorum ſuorum, Regum & Principum *Poloniæ*, in Eccleſia maiori *Poſnanienſi*, permittente *Henrico Pio maioris Poloniæ* Duce, Beataque matre *Heduigi* mandante, exequiis iuſto honore peractis, humatum eſt. Poſt cuius mortem caſtrum *Gneſnenſe* militibus, qui in eius præſidio erant, longa ſpe fatigatis, in plenam deditionem *Henrici Pij* venit. Reliquit autem *Wladiſlaus Ottonis* duos filios ex ſorore *Suantopelkonis Helinga*, qui ſibi Ducatum *Pomeraniæ* filio vſurpauerat, genitos, videlicet *Boleſlaum* & *Przemiſlaum*, duorum tantummodo caſtrorum cum eorum attinentiis, videlicet *Nakiel* & *Vſcie*, quæ ſibi vnica dùm moreretur, ſupererant. Nam alia omnia in ditionem & ſubiectionem *Henrici Sleſiæ* Ducis conceſſerant poſſeſſores. 1239.

Wladiſlaus Ottonis moritur.

Ex morte *Henrici cum barba Polonorum* Principis & Monarchæ, *Conradus Maſouiæ* Dux faſtuoſus & inſolens eſſe, magnasque iras contra *Boleſlaum Pudicum Cracouienſem* & *Sandomirienſem* Ducem, quod ſe contempto *Henricum cum barba* in ſuum tutorem acciuerat, & eo Duce ac adiutore præliis aliquot ſecundis, contra eum vſus fuerat, euomere cœpit. Quapropter haud longe poſt *Henrici cum barba* obitum fœdus ictum irritauit, & clandeſtinis primum deinde publicis inuaſionibus, *Cracouienſes*, *Sandomirienſes*, & *Lublinenſes* terras vaſtabat. Ad cuius inſolentiam compeſcendam *Boleſlaus Pudicus Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Dux, notabilibus Baronibus, videlicet *Clemente* de *Klimuntow* Caſtellano, *Ianuſſio* Palatino *Cracouienſibus* ad *Belam Vngariæ* Regem miſſis, filiam eius *Kunegundim* qua *Kinga* dicta eſt, quam ſoror *Boleſlai Salomea*, conſors *Colomani Halicienſis* Regis & filii *Belæ*, de pro-

1239. *Nuptiæ Boleſlai Pudici.* præſtantia virtutum & morum commendauerat, precatus, accipit in vxorem, virginem ea tempeſtate ſingularis formæ & virtutis, cuius futuram optimam indolem ipſa etiam crepundia præmonſtrauerunt. Quamprimum ſiquidem anno incarnationis Domini noſtri 1204. apud *Pannonias* matris aluo primis in lucem infantula edebatur horis, non ab eiulatu & lachrymis vt cæteri infantes, ſed à *Gabrielica* denunciatione ſuos auſpicata eſt ortus, claram enim articulatam & ſonoram, *Aue Regina cœlorum*, in idiomate *Vngarico*, edidit vocem. Quartis inſuper & ſextis feriis ſemel tantummodo vbera ſugere contenta, Præſulem Beatum *Nicolaum* in ipſa infantia æmulabatur. Deducta eſt autem præfata virgo *Kinga* cum magno apparatu ferens ſecum amplam quadraginta videlicet millium marcarum dotem *Cracouiam*, vbi & ſolennitas nuptiarum 12. diebus acta eſt. Ex eo tamen tempore, & deinceps *Kunegundis* Duciſſa præfata, Celſitudinis ſuæ nomen & meritum ea celebritate per pietatis opera apud regiones *Polonicas*, diffundebat, vt non ſecus quàm altera egregiæ virtutis B. *Heduigis* Duciſſa *Trebnicenſis*, cuius & ipſa *Kunegundis* neptis ex ſorore germana fuerat, in populo *Polonico* videretur ſurrexiſſe, & ab omnibus mundanis abhorrens officiis, & ab omni ambitione auerſa, hoc vnum concupiſcens, nil præter cœleſtia deſiderauit. Feruntur autem ambo in æuum virgines permanſiſſe, & primo nuptiarum die, primo quidem ad vnum annum, quo lapſo, ad alterum, & deinde in tertium, quo effluxo, felici *Kunegundi* operante, & inſtigante, in omne æuum Domino cœli cœlibatum ſpontanee vouiſſe & ſeruaſſe. Ex quo *Boleſlaus Pudicus* Dux meruit appellari. Splendidum autem matrimonium *Conradus Maſouiæ* Dux videns nepotem ſuum *Boleſlaum Pudicum* ſortitum, laceſſere illum deſtitit, & pacificatus eſt illi.

Conradus Maſouiæ Dux Ioan. Czapla necat. Externis bellis *Conradus Maſouiæ* Dux paululum quietatis, horribilem & deteſtabilem rem perpetrans, in proprios & domeſticos furere cœpit, diabolico vexatus inſtinctu, *Ioannem Czapla* appellatum, & in iure Canonico peritum, Cancellarium Ducatus ſui, Scholaſticum *Wladiſlauienſem* & *Plocenſem*, in ordine conſtitutum Presbyteriali, & filiorum ſuorum *Boleſlai* & *Cazimiri* Pædagogum temerarie per *Semouitum* filium captiuat, & ſqualido carcere diebus aliquot maceratum, tandem in eculeo tortum, velut furem in publicum patibulum egit, extinctum quoque, & ex priori ſuſpendio ſublatum, cùm eum aliqui fratres Prædicatorum depoſitum in ciuitatem ferrent ſepeliendum, Duciſſa *Agafia* plena furia eis ablatum, non ſecus quam altera *Iezabel* ſanguinem ſacerdotalem ſitiens, ſuper currum poſitum, duobus bobus vectum, in altero rurſus patibulo, ſtudioſe ad id circa Eccleſiam S. *Dominici* fabricato, ſupra *Viſlam* è regione Eccleſiæ *Plocenſis* maioris, ſuſpenſum, vt eſſet tam tremendum quam ignominioſum ſpectaculum, alligauit. Quem frater *Martinus* Prior *Plotenſis* Ordinis Prædicatorum, miſſis fratribus de patibulo ſecundo depoſitum, in Eccleſia maiori ordinauit ſepeliri. Leuiſſima cauſa ad patrandam tam horrendam tyrannidem, ſibi & domui ſuæ ſempiternam ignominiam inuſturam permotus, *Caſimirus* ſiquidem alter filiorum præfati *Maſouiæ* Ducis *Conradi*, anno eodem virginem *Conſtantiam* filiam *Henrici Pii Wratislauienſis* Ducis dudum ſibi per B. *Heduigim* relictam *Henrici cum barba* deſponſatam, acceperat in vxorem. Et nuptiis pro magnificentia celebratis tam ſoceri quàm generi *Wratislauiæ*, *Caſimirus* nouæ ſponſæ captus amore, in domo ſoceri *Wratislauiæ* longum tempus morabatur. Et licet Pater Dux *Conradus* illum tam nunciis quàm literis redire in *Maſouiam* iuberet, obauditis tamen paternis imperiis diutius, quàm ſat erat, redire tardauit. Credens prædictus *Conradus Maſouiæ* Dux permiſſu & licentia præfati *Ioannis* Scholaſtici velut Pædagogi & Magiſtri ſe & ſuas iuſſiones à filio *Caſimiro* contemptum iri, & veritus ne in vindictam captiuitatis idem *Henricus* aliquam vexationem terræ ſuæ inferre moliretur, præfatum *Ioannem* Cancellarium & Scholaſticum promiſſa omni ſecuritate, per ſe & vxorem ſuam blande reuocat, quaſi conſilium ab eo de filii reuocatione petiturus. Verùm omnem culpam & bilem in Magiſtrum *Ioannem* Scholaſticum & Cancellarium retorquens, furori indulgens, non diſcuſſa, non examinata veritate, crudele & deteſtabile facinus in virum innocentem admiſit, & Palatini *Plocenſis Criſtini* de *Gozdowo* viri optimi, & bellatoris eximii, iniuſtæ morti, aliam iniuſtiorem addidit, & truculentiam ſuam altero facinore ingeminauit, propter quod *Andreas* Epiſcopus *Plocenſis* eum & vxorem eius publice excommunicauit.

1239. Reconciliatione celebrata *Conradus Mazouiæ* Dux, caſtrum *Bidgoſtienſe* quod à *Suantopelkone Pomeraniæ* Duce interceptum & occupatum fuit, recuperat. *Suantopelkus* verò in vltionem amiſſi caſtri cum exercitu aliquanto ex equite & pedite congeſto, *Cuiauienſem* terram Ducatui ſuo vicinam ingreſſus, tumultuario more igne vaſtat, & oppido *Inowladislauienſi* & pluribus villis exuſtis, in munitiones ſe recepit. Eodem anno caſtrum *Santok* per *Polonos* negligentius cuſtoditum, per *Saxones* intercipitur. *Maideburgenſis* Archiepiſcopus *Vilebrandus* forti collecto exercitu contra *Poloniam* venit, caſtrumque *Lubus* obſidione cinxit, aſſerens illud per *Henricum* quintum Imperatorem *Romanorum* ſub *Boleſlao Krzywouſti* expugnatum, Eccleſiæ ſuæ *Maydeburgenſi* perpetuo donatum fuiſſe. Dùm autem aliquot hebdomadis obſidionem continuaſ-

nuaſ-

1239. nuaſſet, *Henricus Maioris Poloniæ & Sileſiæ* Dux cum copiis inſignibus aduenit, & exercitum hoſtilem ſolutum & incautum aggreſſus, A facilè fudit, & in turpem fugam egit, obſidionemque ſoluit. *Maideburgenſis* verò Archiepiſcopus *Vilebrandus* pluribus de ſuis amiſſis, triſtis & mœrens incolumis tamen euadit.

Cruciferorū geſta contra Pruſſos.

Pompinus Cruciferorum ſecundus Magiſter, copias ſuas a *Pruthenis* barbaris eo anno ad internecionem deletas vlturus, in earum ſupplementum nouas ſurrogans, caſtrum *Balgam* ſub *Pruthenis* conquirit. Quod repetendum barbari, duobus caſtris in circuitu erectis, tanta vexatione & fame, non ſinendo aliquid importari, Cruciferos ſtrinxerant, vt parum abfuit, niſi *Otto* Dux de *Brunſwig* cum noua militia adueniens, barbaros repuliſſet, quin in hoſtium vnà cum caſtro venirent poteſtatem. B Eius enim potentia *Prutheni* barbari conflicti ſunt, & duo caſtra barbarica, videlicet *Portegal*, & *Schrandin*, quæ in editioribus locis ædificauerant, & ex quibus *Balgam* & Fratres in eius relictos præſidio penè vſque ad deditionem coanguſtiauerant, expugnatam, frequenti *Pruthenorum* præſidio, aut occiſo aut capto. Sub eo quoque tempore idem *Pompinus*, alias *Pompo Pruſſiæ* Magiſter, conuentum & monaſterium Fratrum Minorum in *Thorun*, ſub titulo *S. Mariæ* Virginis erigit, & fratribus minoribus aream ad habitandum aſſignauit.

1240.
Conradus cum Plocenſi diœceſi anathemate percutitur.

Horrendam & execrabilem necem in virum bonum & innocuum *Ioannem* Cancellarium *Maſouiæ*, *Wladislauienſem* & *Plocenſem* Scholaſticum C per *Conradum Maſouiæ* & *Cuiauiæ* Ducem miſerabiliter patratam, in vniuerſo Regno *Polonorum* diuulgatam vox mœroris & lamentationis eſt ſubſecuta. Quæ *Petrum Gneſnenſem* Archiepiſcopum ad mulctandam iniquitatem patrati ſceleris permouit; *Andrea* pontifice *Plocenſe* pauore, qui in virum conſtantem cadere poterat, ne Ducale facinus in Scholaſticum ſuum admiſſum, virga Apoſtolica feriret, mortis reſpectu conſtricto. Communicato itaque virorum prudentum, & iuris diuini atque humani peritorum conſilio, *Petrus Gneſnenſis* Archiepiſcopus vniuerſas Eccleſias in *Plocenſi* diœceſi ſitas, & vniuerſam *Plocenſem* diœceſim miſſis proceſſibus D publicis quibus tam ab Epiſcopis, quàm clero & populo *Plocenſi* paritum eſt, Eccleſiaſtico ſupponit interdicto. Furori primum hæc res apud *Conradum* Ducem fuit, poſt terrori, dum comperit *Petrum Gneſnenſem* Archiepiſcopum acriori cenſura in ſe vſurum, ſubitò ergò ad pœnitendum conuerſus, miſſis nunciis conuentum ſibi dari petit. Quo apud *Lanciciam* conſtituto, *Conradus Maſouiæ* Dux illuc perſonaliter cum *Andrea* Epiſcopo *Plocenſi*, & Conſiliariis adueniens, ſigna pœnitentiæ de admiſſa in Chriſtum Dei necem, dedit, ſe quoque prò diluendo apud Dominum facinore quamlibet pœnitentiam ſalutarem laturum aſtrinxit. Definitum tandem, Duce *Conrado* taliter humiliato, & ab omnibus laudatum & acceptum eſt, vt in expiationem & expurgationem commiſſi parricidii, villam *Lowic* cum ſiluis & nemoribus eam in circuitu ambientibus, quæ quondam Ducalis venatio habebatur, Eccleſia *Gneſnenſis* & eius Pontifices perpetuo iure poſſideant, Ducem tamen *Maſouiæ* vnam marcam auri ſoluendo recognoſcant. 1240.

quod tamen ipſi pœnitentiam agenti ſoluitur.

Et quilibet *Gneſnenſis* Antiſtes Eccleſiæ, Canoniam Præbendatam in *Plocenſi* Eccleſia obtineat, & Canonicus natus *Plocenſis* cenſeatur. Eccleſiis verò *Wladislauienſi* & *Plocenſi* certas libertates, iura, donationes conferat perpetuo duraturas. Definitione itaque huiuſmodi probata; donatione etiam villagio *Lowicz*, & eius attinentiis Eccleſiæ *Gneſnenſi* per Ducem *Conradum Maſouiæ*, verbo & literis roborata, *Petrus Gneſnenſis* Archiepiſcopus Ducem *Conradum*, & à reatu parricidii, ad cautelam abſoluit, & interdictum ſuſtulit, diuinaque in *Plocenſi* Eccleſia reſumi, & Ducem *Conradum* pleniorem abſolutionem apud Summum Pontificem petere mandauit. Verùm Summus Pontifex *Gregorius* nonus, abſolutionem, quam *Petrus* Archiepiſcopus *Gneſnenſi* Duci *Conrado* impenderat, pronuncians irritam & inanem *Thomæ Wratislauienſi* Epiſcopo; & *Gerardo Cracouienſi* Scholaſtico dedit in mandatis, vt recepta à Duce *Conrado* condigna ſatisfactione, abſolutionis beneficium eidem impenderent. Qui priorem ſatisfactionem *Gneſnenſi, Wladislauienſi,* & *Plocenſi* Eccleſiis per *Conradum* Ducem factam approbantes, Ducem præfatum à reatu parricidii exacta prius à filiis præfati Ducis *Conradi, Boleslao Maſouiæ*, & *Caſimiro Cuiauiæ* Ducibus, omnium eorum quæ *Conradus* Dux Eccleſiis præfatis *Gneſnenſi, Wladislauienſi* & *Plocenſi* contulerat, confirmatione, prout hæc omnia in literis originalibus præfati Ducis *Conradi*, quas *Wladislauienſis* Eccleſia obſeruat, à nobis frequentius viſis & tractatis continentur, abſoluerunt. Quorum tale eſt exemplar:

Literæ Conradi.

Cum piarum ſit mentium ibi culpam agnoſcere, vbi culpa minimè reperitur, multò magis vigilare is debet ſollicitè & ſtudioſè, quem culpa deprimit manifeſta, & euidentia patrati ſceleris, ab Eccleſiæ excludit vnitate, qualiter valeat & poſſit matris Eccleſiæ in gremium reuocari, ac gratiam deperditam conſequi ſui conditoris. Penſatis igitur his & aliis exhortationibus patrum beatorum, & in corde nocte, dieque reuolutis, ego Conradus Dux Lanciciæ penſans, me Deum & Eccleſiam ſcilicet Wladislauienſem & Plocenſem enormiter offendiſſe, ex hoc quidem quod in calore indignationis intemperatæ, ductus conſilio peruerſorum, Dominum Ioannem Scholaſticum earundem Eccleſiarum ſuſpendij morte abſque deliberatione iuſſi interire; Eccleſiam Romanam de neceſſitate ſuper hoc dùm conſuluiſſem; ab ipſa munus abſolutionis, per venerabilem patrem meum Petrum Gne-

1240. *Gneſnenſem Archiepiſcopum mihi impartiri petendo confirmationem, quam abſolutionem ſedes Apoſtolica reddens irritam & inanem venerabili viro Domino Thomæ Epiſcopo Wratislauienſi,& diſcreto viro Domino Gerardo Scholaſtico Cracouienſi delegauit, vt recepta à me condigna ſatisfactione mihi impenderent manus abſolutionis. Prædicti vero Patres mei in negotio ſibi commiſſo ratione præuia incedentes, rigorem iuris erga me miſericorditer temperando, ad abſolutionem meam proceſſerunt, ſuſcepta à me eadem ſatisfactione, quam in acceſſu abſolutionis primo facta ad inſtantiam Domini Archiepiſcopi Eccleſiis prænominatis meo deteſtabili facto læſis,& dehoneſtatis, contuleram, humiliter & deuotè. Verùm quia in ſatisfactione exhibita aſſenſum meorum filiorum Dominus Epiſcopus Wratislauienſis & Scholaſticus Cracouienſis ſupradicti, non inuenerant ad hoc acceſſiſſe, negotium abſolutionis meæ aliquantulum extitit propter hoc prorogatum, & me extunc pia monitione ac paterna exhortatione ſollicitauerunt, quatenus filij mei, ſcilicet Boleslaus Maſouiæ,& Caſimirus Cuiauiæ Duces, in ſuis Ducatibus Eccleſiis nominatis ſatisfactionem impenſam, & libertatem perpetuò indultam ſuo gratuito aſſenſu ſolidarent. Videntes autem filij mei nominati hæc Eccleſiæ Sanctæ cedere ad honorem,& animæ meæ eſſe ad ſalutem, ſatisfactionem iam datam,& libertatem impartitam, ratam habentes, inclinati paterna petitione, Domino Thomæ Epiſcopo Wratislauienſi proprijs ſigillis inſtrumentum communitum, in quo libertas Eccleſiarum prædictarum plenius continetur ſpecificatum tranſmiſerant. Vt autem hæc donatio robur ſortiatur perpetuæ firmitatis, & à meis ſucceſſoribus inuiolabiliter conſeruetur, ſine omni concuſſione patribus meis Reuerendis Domino M. Cuiauienſi, & Domino P. Maſouienſi Epiſcopis præſens inſtrumentum conferendum duxi, ſupplicando, quatenus has meas collationes, non ſolùm in armario Eccleſiæ Wratislauienſi fideliter & diligenter faciant conſeruari, ſed per Sedem Apoſtolicam meis temporibus procuretur etiam confirmari, vt zelus ambitionis nullum meorum ſucceſſorum, dùm clauſero diem extremum, flectat & inducat, ad facti tàm pii perturbationem.*

Gregorio IX. P.R. ſuccedit Cæleſtinus IV.

Gregorius Papa nonus cùm annis 14. ſediſſet, per *Fridericum* Imperatorem multis tribulationibus pro zelo & defenſione Eccleſiæ concuſſus, tandem bono fine menſis Auguſti 14. die ad Dominum tranſiit,& in Eccleſia *S. Petri* ſepultus, *Cæleſtinum* quartum Epiſcopum *Sabinenſem*, natione *Mediolanenſem*, non ta- A men immediata poſt mortem *Gregorij*, ſed biennio prope transacto, *Friderico* Imperatore diſcordiæ & zizaniarum ſemen ſerente, habuit ſucceſſorem. Cui *Fridericus* Imperator talibus verſibus miſſis minabatur.

Roma diu titubans varijs erroribus acta
Corruet,& mundi deſinet eſſe caput.
Fata docent, ſtellæq; volunt, auiumq; volatus,
Quod Fridericus ego malleus orbis ero.

Cui taliter Summus Pontifex reſpondit:

Niteris incaſſum Petri ſubmergere nauem,
Fluctuat, aſt nunquam mergitur ipſa ratis,
Aſtra ſilent, nil fata monent, nil prædicat ales.
Solius eſt proprium ſcire futura Dei.


Hic Papa cum ſediſſet 18. diebus, moritur, & in Eccleſia *S. Petri* ſepelitur. Poſt cuius mortem vacabat ſedes Papalis 22. menſibus,& B diebus 14. Sub quo tempore *Fridericus* Imperator hoſtis Eccleſiæ, multa in Eccleſiæ turbationem ampliorem molitus eſt, fideles quosque & deuotos Eccleſiæ opprimit, deprædatur, & vexat.

Henricus ſecundus *Wratislauienſis* Dux, & B. *Heduigis* ac *Henrici cum barba* filius, momente eadem Illuſtriſſima matre *Heduigi*, fratres minores *Wratislauiam* aduocat, & Eccleſiam *S. Iacobi* Apoſtoli de nouo erectam,& locum pro monaſterio illis donat. Sed dùm cum *Tataris* pro fide & religione noſtra ac fidelium defenſione fortiſſimè pugnans occubuiſſet, *Anna* Duciſſa relicta ſua,& Eccleſiam *S. Iacobi* & monaſterium, quæ maritus imperfecta reliquerat, conſummationi mandare curauit.

C Fratres Cruciferi caſtro *Balga* ſub *Pruthenis* conquiſito, valido illud munierant præſidio, contra quos generatio vna de *Varmien* potens & valida, quæ *Bogietina* dicebatur, duas munitiones, quarum vnam *Portegal*, alteram *Schrando* appellabant, extruxit, ex quibus in tantum Fratres Cruciferos coanguſtiauerant, quod de *Balga* fugere diſponebant. Interim verò *Otto* Dux de *Brunſuik*, cùm ſuis militibus ſuperuenit, & *Pruthenos Balgam* obſidentes profligauit, munitiones verò eorum expugnatas confregit, ſub idem tempus Magiſter *Liuoniæ* Frater *Volquinius* ordinem ſuum, qui dicebatur, ordo militum *Chriſti*, cum ordine Cruciferico nigræ Crucis vniuit. Et poſt hæc eodem anno in congreſſu cum *Lithuanis* habito cum quinquaginta Fratribus,& multis ſui ordinis pugnans interficitur. 1240.

FINIS LIBRI SEXTI.

IOAN-



IOANNIS DŁVGOSSI
SEV
LONGINI
CANONICI CRACOVIENSIS,
HISTORIÆ POLONICÆ
LIBER SEPTIMVS.

A. C. 1241. 1241.

PRouocatus clementiſſimus & optimus Deus A Polonorum fœdis ſpurcitiis, & impiis execrandiſque facinoribus,quibus contra ſuam Maieſtatem per plurimas iniuſtitias, iniquitates & abuſus præuaricando deliquerant,ſuſcitauit *Tartarorum* ferocem & barbaram gentem contra illos. Et qui ſuperioribus annis, aut exteris, aut domeſticis & ciuilibus bellis eorum delicta caſtigârat,ſolitâ manſuetudine & pietate contra percuſſos,& contemnentes ad percuſſorem benignum conuerti,fortis indignationis ſuæ mucronem vibrauit, grauiſſimè ſe *Polonorum* transgreſſionibus offenſum deſignans, dum iram ſuam non peſte,non fame, non Catholicorum hominum hoſtilitate, ſed barbarorum permiſit deſæuire in *Polonos* rabie & ferocitate. *Bathi* ſiquidem *Tartarorum*, ex quo regno exortus erat, tertius Rex,plurimis Regnis orientalium, & Regibus atque Tyrannis eorum ſubiugatis,ſupra modum, ſupraque æſtimationem & ſpem, tam multitudine gentium ſubiugatarum,quàm opibus auctus,quaſi ſedes orientales ſibi & populo *Tartarico* anguſtæ eſſent, in occidentem & partes boreales arma vertit,ſperans ſe tum propter innumeras gentium propriarum & auxilia ferentium copias, tum propter Catholicorum Regum (de qua ab exploratoribus certior factus erat) & ſignanter Eccleſiæ *Romanæ* cum Imperio diſcordiam, occidentem occupaturum. Primùm itaque *Ruſſorum* ampliſſima Regna cum *Tartaris* (antequam in innumerabilem gentem creſcerent) bellare, *Tartaroſque* vincere & fugare ſolitam, *Tanaim*, *Volgam*, *Dniepr*,*Dnieſtr* amnes profundiſſimos; item B montes *Sarmaticos*, quos & ſyluas magnas appellamus,ſuperans, inuadit, illaque obterit & deuaſtat, nonnullos quoque *Ruthenorum* Principes decernere auſos,facili negotio deuincit: mirâ deinde celeritate in *Poloniam* venit,& duo oppida in *Polonia* ea tempeſtate populoſa *Lublin* & *Zawichoſt*, vicinoſque illis diſtrictus & regiones prædatur & deuaſtat. Videnſque ſe ingenti prædâ captiuorum vtriuſque ſexûs ex *Polonis* & *Ruthenis* captâ onuſtum, per viam qua venerat in *Ruſſiam* redit, captiuiſque in loca ſecura deductis,in *Poloniam* feſtinanter reuerſus, *Bug* & *Vilba* fluminibus *Poloniæ* tranſitum per glaciem præben-

Tartari Ruſſia deuicta.

Poloniam ingreſſi, eam latiſſime vaſtant.

1241. bentibus, *Sandomiriam* venit, & tàm caſtro
quàm oppido *Sandomirienſi* vndique obſidio-
ne coarctato, & tandem expugnato, *Koprziwni-*
cenſem Abbatem, & omnes fratres domus *Ko-*
przywnicenſis ordinis Ciſtercienſis, & ma-
gnum tàm Eccleſiaſticorum quàm ſecularium
virorum, matronarum, nobilium & plebeio-
rum vtriusque ſexûs, qui illuc gratia conſeruan-
dæ vitæ, aut defendendi loci confugerant, nu-
merum occidunt, maximamque ſtragem in ſe-
nes & impuberes edunt, paucis puberibus par-
cunt, quos & ipſos velut viliſſima mancipia di-
ris conſtringunt compedibus. Excidio tam im-
mani apud *Sandomiriam* acto, per *Visliciam* &
Scarbimiriam, nemine reſiſtere auſo, verſus
Cracouiam (ducatum illis *Polonis* qui capti
fuerant monſtrantibus) pergebant. Sed ex *Scar-*
bimiria gratiâ deducendæ in die Cinerum,
quam ex nobilibus & ingenuis agreſtibusque
perſonis ceperant, prædæ, in *Sandomiriam* redi-
re cœperant, prædam captam verſus metas *Tar-*
taricas conducturi, *Boleslao Pudico Cracouienſi*
& *Sandomirienſi* Duce, & per ætatem & imbe-
cillitatem tam forti hoſti reſiſtere non valente,
ſed continenti ſe cum *Grzymislaua* matre ſua
Ducisſa in *Cracouienſi* arce, *Vladimirus* Palati-
nus *Cracouienſis*, apud villagium *Kalina* mili-
tum & nobilium conuentum agit, quem pauor
& ſubita trepidatio diſcurrentium, & a facie
Tartarorum diffugientium, omniaq; plus iuſto
de eorum ſæuitia & potentia differentium, ali-
bi agi non ſinebat, tot & tam inſperatis horren-
disq; malis, in tam præcipiti hominum diſcri-
mine & conuerſatione vtcunque valeret, proui-
ſurus. Audiens itaque *Tartaros* ex *Scarbimiria*
reuerſos eſſe, omnes arma ſumere & ſequi ſe iu-
bet, & ad futurum prælium cum *Tartaris*, pro
patria, pro coniugibus, pro liberis capeſſendis
ſingulos alloquens incendit, aut glorioſam vi-
ctoriam, aut felicem mortem illos deducens re-
laturos. Iam *Tartari* oppidum *Połaniecz* ad
flumen *Czarna* ſitum attigiſſent, & apud villam
quæ *maior Tursko* vocatur ſtatiua habebant,
Quibus Vladimirus Palatinus Cracouienſis occurrens, dum illos *Vladimirus Cracouienſis* Palatinus
cum cæteris *Cracouienſibus* militibus, paucis ta-
men admodum, ſed aut vincere, aut mori per-
ſuaſis, conſecutis, ſubitò aggreſſus, prælium au-
daciſſimè conſerit. Verùm etſi propter ſubitam
inuaſionem *Vladimirus* magnam cædem in
Tartaros ediderit, & ſtrenuiſſimè cum illis pu-
gnam geſſerit, tandem tanta paucitate *Tartari*
conſpecta, ſe inuicem cohortati, turma ingenti
etſi vincere non poteſt facta, aciem *Polonorum* frangunt, *Polonosq;* de-
uincunt. Adoleſcens tunc clarus & ſpectabilis
occubuit. Palatinus *Vlodimirus* non ſibi ſed
patriæ conſulturus, vt eſſet qui illam tutaretur,
euaſit. Inter pugnandum tamen omnis ca-
ptiuorum multitudo in propinquas & conti-
guas ſiluas diffugiens, ſe recepit. Poterat tunc
Polonis plena victoria de *Tartaris* proueniſſe,
ſed dum primis aciebus proſtratis *Tartarorum*,
Poloni auidius ſpoliis inhiant, remiſſius tra-
ctando pugnam, gloria orbati ſunt. *Tartari* 1241.
etſi apud ſe victoriam remanſiſſe viderant, ſtra-
A ge tamen multiplici, tanquam victi & debellati *cedere tamen cogit.*
eſſent, perculſi, non amplius (ne à nouo & re-
centi inuaderentur exercitu) conſiſtere in *Polo-*
nia, aut prædas agere auſi, citato agmine, mo-
rientium ſuorum *Tartarorum* ex vulneribus
ſecus viam proiicientes cadauera, in *Zawichoſt*,
& exinde in *Sieciechow* ſine cuiuslibet mole-
ſtia perueniunt. Vbi in ſylua magna, quæ
Stremech in *Polonico* dicitur, aliquot diebus &
noctibus (vt inſequentes fallerent, finalem ſtra-
gem & excidium, quæ diuina propitiatione, ſi
quis vincere & congredi auſus eſſet, proueniſ-
ſet, veriti,) latuerunt. Exploratoribus deinde
ſuis nihil hoſtile, ſed omnia pacifica renuncian-
tibus, ſylua *Stremech* egreſſi in *Ruſſiam* rede-
unt, & ampliori in ſupplementum eorum qui
B apud *Tursko* ceciderant accerſito exercitu, repe-
tunt *Poloniam*, magno fremitu magnaque ira
vltionem de *Polonis* pro edita in ſe ſtrage
ſumpturi, & partes quas ſuperiori tranſitu
vaſtauerant pacificè prætergreſſi, dum apud
Sandomiriam duobus diebus ſtatiua habuiſ-
ſent, exercitum ſuum, conſiderata eius mul-
titudine, bifariè diuidunt; & minorem
quidem partem, cuius *Kaidanus* ductor &
Princeps erat, verſus *Łanciciam* & *Cuiauiam*
(*Ruthenis* quibusdam *Polonis* infeſtis greſſus
eorum & itinera dirigentibus) transmittunt,
qui regiones illas ſine aliquo obice crudeliſ-
ſimè igne & cædibus vaſtarunt. Maior pars
in qua ſolus præſidebat *Bathi* verſus *Craco-*
C *uiam* populatione latius extenſa contendit,
& omnem oram verſus *Ilzam* oppidum &
flumen *Kamiona* ſitam cæde & incendio per-
uaſtat. Cuius & in hodiernum diem mon-
ſtrantur & extant veſtigia. Strata enim in
villas *Prandoczin* & *Rzechow* Epiſcopales pro-
pè *Ilzam* exiſtentes, per quam *Bathi Tarta-*
rorum Imperator ducebat exercitum, via *Bathi*
in hodiernum appellatur. Creuerant etiam
ſuperiori certamine cum *Tartaris* & *Tursko*
inito *Polonis* animi, & *Tartarorum* quantam-
cunque multitudinem contra ſe inſtauratam
vinci poſſe, aut ſi id minus procederet, feli-
cius in bello honeſta morte defungi, quàm
domi aut in arce, aut inuiis ſyluis collibus-
D que turpiter, hoſte vaſtante patriam, delite-
ſcere rati, in campum copias educunt, & Du-
ce ſuo *Boleslao Pudico* cum matre *Grzimisla-*
ua & conſorte *Kinga* apud *Cracouienſem* arcem
relicto, *Vlodimirus* Palatinus, *Clemens* Ca-
ſtellanus *Cracouienſes*, *Pacoslaus* Palatinus, *Ia-*
cobus Racziborowicz Caſtellanus *Sandomirien-*
ſis Ducatuum, cum *Tartaris* & eorum potentiis
in *Chmielik* villa prope *Schidłow* oppidum ſita
concurrunt, & nihil *Tartarorum* multitudine,
quam & ab exploratoribus cognouerant, & o-
culis ipſi præuiderant, deterriti, feria ſecunda in
craſtino Dominicæ Iudica, alias XV. Cal. Apri-
lis in ſolis exortu cum *Tartaris* congrediuntur. *Qui redeuntes*

Tar-

1241.

Tartari tamen in duas turmas ingentes diuiſi, vna tantummodò cum *Polonis* congreſſi, alteram paratam ſtare, & pugnanti laborantique ſuccurſum facere iuſſerant; *Poloni* vna acie vnaque turma glomerati, nullam in ſubſidiis quæ laboranti ferret opem, propter gentium ſuarum paucitatem, reliquerant. Cum prima itaq; *Tartarorum* turma, acies *Polonorum* (cuius leuum cornu Palatinus & Caſtellanus *Cracouienſes*, dextrum Palatinus & Caſtellanus *Sandomirienſes* tenebant) fortiſſimè aliquot horis dimicans, fortioribus *Tartaris* & his qui ordines ducebant cæſis, eam primo loco cedere, deinde pedem referre, vltimò terga dare coegit. Verùm *Tartaris* ex prima turma in ſecundam ad ſubſidia facilè ſe recipientibus; ſecunda *Tartarorum* turma, in qua præſtantiores bellatores erant, certamen illico iniit, & *Polonos* priori certamine aut feſſos, aut vulneratos plurimos obterrere cœpit. Adnitebantur optimi Duces, *Vlodimirus* Palatinus, *Clemens* Caſtellanus *Cracouienſes*, *Pacoſlaus* Palatinus, *Iacobus Racziborowicz* Caſtellanus *Sandomirienſes* pro victoria, & non tàm Ducum quàm militum agendo officium, prælium in locis aliquot reſtituerant. Sed tandem & ipſi vt fortiſſimis & optimis militibus conueniebat, multis vulneribus pugnando pectore aduerſo confoſſi, cadunt. Quorum occaſus à *Polonorum* militibus aut conſpectus aut vulgatus, animos illorum primùm perterruit, poſt fregit. Vnde ab equitatu *Tartarico* etſi multi ſyluis & notitiâ itinerum tecti euaſerint, maior tamen pars exercitûs *Polonici* in prælio illo glorioſam mortem pro fide, pro patria oppetiit. Inter deſideratos verò cecidêre *Chriſtinus Sulkowicz* de *Niedzwiedz*, *Albertus Stampoczic*, *Nicolaus Witowicz*, *Zementha*, *Grabina*, *Suliſlaus* milites & adoleſcentes ſtrenui, & alii multi, qui in acie animoſè & fortiter pugnauerunt, & quorum laudem & conſtantiam vniuerſos *Polonos* commemorare & efferre conuenit. A flumine autem *Thartar* in regione *Tartarica* decurrente, genus hoc atque lingua ad expiandas præuaricationes, culpas, & ſcelera *Polonorum*, & cæterorum Chriſtianorum in conflatorium deputata, *Tartarorum* nomen ſortitum eſt. Prius enim gentes ipſæ *Mangoli*, a multitudine plerique eos *Tartaros* vocitari perhibent; lingua enim eorum multitudo *Tartar* appellatur. Sunt autem *Tartari* homines impii, & tàm animo quàm factis crudeles, breues ſtaturâ & tibiis, naſo plano & adunco, facie latâ & imberbi, oculis breuibus & perſpicacibus, pectore diſtenſi & largi, colore tetri & nigri, corpore robuſti, lacte equino, carne & ſanguine, cibiſque & carnibus crudis, & præſertim milio cruore equino immixto paſcuntur, panis, ſalis, & omnium deliciarum oſores. In omnem tamen libidinem & illecebram carnalem procliui & præcipites, frigoris iuxta atque caloris patientes, parco ac parabili contenti cibo, in ſe ciuiles, beneuoli, fideles, veraces, & humani, in extraneos primùm quidem blandi, ſed temporis proceſſu vaſri, callidi, & mendaces, ad petendum importuni, ad dandum tenaciſſimi.

Palatinum cum ſua multitudine opprimunt.

1241.

Strage & occiſione fortiſſimorum militum apud *Chmielik* iuſto Dei occulto ſuo iudicio permittente ſecuta, in cæterorum qui in Ducatibus *Cracouienſi* & *Sandomirienſi* relicti fuerant pectora, tantus pauor & hebetudo mentis irrepſit, vt plures in *Hungariam*, alii in *Almaniam* diffugerent, cæteri & præſertim agreſtes cum coniugibus, pignoribus, & pecore, in paludes, ſyluas, & in auia loca ſe conderent, ac ſinguli prout quemque ſors ferebat, latebras quæſitum diſcurrerent, ſcientes *Tartarorum* rabiem nulli ætati vel conditioni parſuram. Sed & Dux *Cracouienſis* & *Sandomirienſis Boleslaus Pudicus* ſuorum cæde apud *Chmielik* audita, ex arce *Cracouienſi*, quaſi illic minus tutus foret, cum matre & coniuge ſua felici *Kinga*, cæteriſque charioribus corporibus atque rebus, & vniuerſa Ducali ſupellectili ad ſocerum ſuum *Belam* Regem in *Hungariam* effugit; & *Tartaris* expoſt *Hungariam* vaſtantibus, per *Morauiam* in *Poloniam* rediit, longo tempore in caſtro propè *Sandecz* ad fluenta *Dunaiecz* ſito, commoratus. *Tartari* autem poſt cladem apud *Chmielik* patratam, *Cracouiam* in die Cinerum perueniunt, & eam vacuam hominibus (omnes ſiquidem in abdita loca diffugerant,) reperiendo, tàm in Eccleſias quàm domos, & quælibet loca ſæuientes, die feſto Paſchæ eam flammis incendunt. Et licet Eccleſiam Sancti *Andreæ* tunc extra muros ciuitatis ſitam, in quam homines pauperes & valetudinarii cum ſuis pignoribus, ſarcinis, & fortunis in magno numero ſe receperant, *Tartari* expugnari contendiſſent, credentes illic omnes fortunas & opes vrbis illatas eſſe, *Polonis* tamen Eccleſiam magna vi, magnoque animo defendentibus, ab eius oppugnatione *Tartaros* cœpto irrito recedere, pluribus ex *Tartaris* ſupernè occiſis, coegerunt. Feria verò ſecunda Paſchæ, exercitus alter *Tartarorum* ex *Sandomiria* verſus *Lancitiam* & *Cuiauiam* directus, regionibus illis & locis per quæ ibat ferro & igne vaſtatis, & tàm puberibus quàm impuberibus interfectis, *Cracouiam* rediit, & ſuo Regi *Bathi* & altero exercitui (de quo inter *Tartaros* magnus celebratus fuit plauſus & exultatio, quod incolumibus vtriſque & victoribus perſonalem viſionem reſumere licuit) ſe coniunxit. Vaſtauit & tunc *Tartaricus* exercitus verſus *Lancitiam* directus *Vithouienſe* monaſterium, & omnes Sanctimoniales, præter tres quæ in ſyluas diffugerant, barbarica occidit rabie. Propter quod proceſſu temporis Sanctimoniales prædicti monaſterii tranſlatæ fuerunt in *Busko Cracouienſis* diœceſis, quaſi in locum ma-

Tartari Cracouiam vaſtant & incendunt,

excepto templo Andreæ quod capere non poterant.

1241. 1241.

magis tutum. Abbatia verò *Buſcenſis* ex *Buſko* translata in *Vithow*. Hac igitur plaga iuſto Dei iudicio in populum Chriſtianum cœlitus permiſſa, tremor corpora percuſſit, timor & hebetudo mentis vniuerſos occupauit, ita vt pauidi & ſtupidi ad inuicem ſe contuentes, & tanquam amentes, remedio conſolationis ſibi mutuò non poſſent ſubuenire. Fuga igitur qua nihil tutius arrepta, alii in *Hungariam*, alii in *Sileſiam* & in alias Prouincias abierunt, pauperes verò in ſyluas fugerunt. Et *Boleslaus* quidem filius *Leskonis* cum matre ad Regem *Hungariæ*, cuius filiam anno gratiæ MCCXXXIX acceperat in vxorem, diuertit. Sed cum propter Paganorum potentiorem inſultum, triſtiorem ſtatum inueniſſet, in *Morauiam* fugiens, in clauſtro Ciſtercienſium commoratur.

Wratislauienſis ciuitas & ora à Tartaris vaſtatur,

Vrbe *Cracouienſi* exuſtâ & vaſtatâ, *Bathi Tartarorum* Rex cum agminibus ſuis verſus *Vratislauiam* (hanc quippe ſecundam *Polonorum* vrbem magis famoſam & inſignem didicerat) contendit, & per oppidum *Ratiboriam* ducens agmina, fluuium *Odram*, illic pontes ſingulos diſruptos & exterminatos reperiens, aut vado, aut nauigatione qua *Tartari* vltra omnes nationes orbis pollent, ſuperauit. Vnam autem turmam *Tartarorum Odram* transgreſſam, & diſcurſiones prædandi gratia incautius agentem, *Meczlaus Kazimirides Opolienſis* Dux inito certamine ſuperauit, & vſque ad internecionem deleuit. Sed cum vniuerſum *Tartarorum* agmen necem ſuorum vindicaturum celerrime ſuperueniſſet, Dux *Opolienſis Meczlaus* multitudine eorum conterritus, ad fratrem ſuum *Henricum Vratislauienſem* Ducem, filium Ducis *Henrici cum barba*, quem & ex propriis, & ex auxiliariis contra *Tartaros* parare exercitum cognouerat, in *Legniczam* vbi *Henricus* cogebat exercitum, diffugit, ſatius vnitus *Henrico* contra *Tartaros* quàm propriis viribus dimicaturus. *Ratiborienſibus* ſtatiuis *Tartari* citato curſu ad *Vratislauiam* applicant. Quam cum ciues pauore ſimili quo & *Cracouienſes* vnumquemque peruadente, adeò vt magis pretioſis tumultuariè & raptim comprehenſis, ciuitatem non ſolùm victualibus ſed & opibus pluribus refertam, certatim quaſi *Tartari* coram adeſſent, diffugiendo reliquiſſent. Milites & gentes *Henrici* de arce quam tutandam aſſumpſerant egreſſi & opes & victualia magna celeritate in caſtrum inuehunt, & tum demum euacuatam vrbem, ſolerti conſilio vſi, ne *Tartari* eius conflagratione gloriari vel illic figere ſtatiua poſſent, iniectis flammis incendunt. Exuſtam autem, & tam hominibus quàm rebus quibuslibet *Tartari* reperientes *Vratislauienſem* vrbem vacuam, caſtrum *Vratislauienſe* circumuallant. Verùm cum obſidionem in dies aliquot expugnatione non tentata protraxiſſent, Frater *Czeslaus* ordinis Prædicatorum natione *Polonus*, & monaſterii A *S. Adalberti* in *Vratislauia* primus Prior, qui & ipſe in caſtrum *Vratislauienſe* cum Fratribus ſui ordinis & aliis *Chriſti* fidelibus confugerat, oratione cum lachrymis ad Deum effuſa obſidionem depulit. Eo ſiquidem in oratione perſiſtente, columna ignea de cœlo diuinitus ſuper caput eius deſcendit, & vniuerſum territorium atque locum ciuitatis *Vratislauienſis* ſtupendo atque inenarrabili fulgore illuſtrauit. Quo prodigio *Tartarorum* pectora adeò in pauorem ſtuporemque conuerſa ſunt, vt obſidione ſoluta fugerent magis quam diſcederent. Interim *Tartari*, qui in *Cuiauiam* iuerant, cum his qui de *Cracouia* venerant, in territorio *Vratislauienſi* feria B ſecunda Paſchæ conuenientes, terram igne deuaſtantes, populum ſagittis & rompheis perimentes, in *Legniczam* proficiſcuntur.

& arx eorum prodigio viſo obſidione liberatur.

Tartari & ab exploratoribus propriis, & ab agreſtibus, qui in illorum manus incidebant docti, apud *Legnicenſem* ciuitatem plures Catholicorum gentes conueniſſe, illuc ire pergunt, & a *Vratislauia* verſus *Legnicenſe* oppidum, omnia in circuitu dando in flammas, reflectunt iter. Fœmina Beata *Heduigis*, quæ in monaſterio *Trzebnicenſi* cum virginibus virginitatem & religionem Ciſtercienſem profeſſis morabatur, non tam ſibi metuens quam Sanctimonialibus, ex *Trzebnicenſi* loco neque naturâ neque arte munito, in *Croſnam* caſtrum in C confluentia fluuiorum *Odræ* & *Bobr* ſitam, tam ſe quàm ſorores, & vniuerſa quæ monaſterii erant; item *Annam* Duciſſam filii ſui *Henrici* conſortem, & plures alias nobiles fœminas & matronas traduci procurauit, & in illo per omne tempus, quo *Sleſiæ* ora à *Tartaris* quaſſata eſt, quieuit. *Henricus* Dux *Vratislauienſis* filius ſuus, dum hæc aguntur, tàm *maioris Poloniæ* quam *Sleſiæ* milites & armigeros, ſed & ruſticos & agreſtes homines, ſpe potiundæ de *Tartaris* victoriæ quam maximè fretus, in arma coegerat, nonnullosque dato donatiuo conduxerat, plures voluntarii & cruce ſignati (iam enim auctoritate Apoſtolica in multis regionibus crux contra D *Tartaros*, velut communes & publicos Chriſtianæ religionis hoſtes prædicabatur) ſe illi coniunxerant, item *Meczlaus* Dux *Opolienſis*, item *Boleslaus* Marchio *Morauiæ* filius *Dipoldi* expulſi, & nepos germanus *Henrici cum barba* ex ſorore germana *Adleida*, qui *Schepolka* cognominatus eſt, cum militibus ſuis, item *Pompo* de *Hoſtern* Magiſter Generalis Cruciferorum de *Pruſſia*, & fratres militiæ ordinis ſui, laturi in id bellum ſolatia *Henrico*, aduenerant. Quem non duplex clades in *Turſko* & *Chmielik Polonis* per *Tartaros* inflicta, non *Tartarorum* fortiſſima, & quæ dinumerari vix poſſent agmina, non ſuarum gentium paucitas à futuro certamine reuocabant, in quamcumq; par-

Tartari Legniczam veniunt,

contra quos Henricus exercitum colligit.

1241 partem euentus futuri certaminis recideret, ſe tam ſpe & animo, quàm voce & ſonora in cunctos declamatione portendebat, *pluris eam victoriam maioriſque celebritatis, maioriſq; muneris* exiſtimans *eſſe debere, per quam illum occidi in corpore, triumphare in anima contingeret, veriorem hunc & immortalem triumphum & ſibi ducens, & militibus differens, ſi tam ſe quàm illos in prælio pro fide & religione Chriſtiana occumbere feliciter, quàm relatâ victoria viuere, & labe aliqua pollui contigiſſet.* Cum *Tartaris* itaque dimicaturus, priusquam copias ex *Legnicza* vbi conuentus militum agebatur educeret, tàm ſe quàm vniuerſos Barones, Milites, & eos qui ordinum erant ductores, miſſa ſolenniter & deuotè in Eccleſia *B. Mariæ* virginis *Legnicenſi* decantata, viatico ſacro, confeſſione præmiſſa, procurauit ſaginari. Deinde à matre optimâ & Benedicta *Heduigi* Duciſſa, vt id bellum fortiſſimè & conſtanter ageret, animatus eſt. Quæ quamuis illum occiſurum, & omnem ſuum exercitum clade grandi in futuro certamine ruiturum ſpiritu reuelante cognouiſſet, & tam filii necem, quàm ſui exercitus ruinam vni ex ſanctimonialibus nomine *Adleidi*, & magis religioſæ, & ſibi magis familiari prædixiſſet, non tamen filium ab incepto opere reuocabat, aut diſtinebat; ſed neque aliquem mœrorem, aut fletum emiſit, vel mœſtum & turbatum geſſit vultum, quinimo talem hilaritatis tenorem, & in pectore, & in vultu retinuit, iuxta acſi illum & ſuum exercitum victorem & incolumem reuerti præſciuiſſet, conformans ſe in ſingulis & geſtu & animo diuino beneplacito, & eius irrefragabili, & ſemper in optima quæque dirigentis, voluntati.

Ex *Legnicenſi* oppido *Henrico* Duce cum ſuis agminibus in bellum cum *Tartaris* gerendum egredienti, lapis de vertice Eccleſiæ *B. Mariæ*, in qua pridie, pro ſua & exercitus ſui incolumitate Maieſtati Diuinæ libamina oblata erant, prolapſus, iuxta caput *Henrici* Ducis, in ſplendore armorum ſuorum obequitantis procidit, parumque abſuit quin teſtam capitis Ducalis non rumperet. Quæ res apud omnes aut in religionem verſa, aut pro infeſto omine, quemadmodum erat ſumpta, futuri diſcriminis periculum, in quod Dux *Henricus* & ſuus exercitus ex conflictu reciſurus erat, infallibili argumento, oſtentabatur. Suburbana oppidi *Legnicenſis* prætergreſſus, in planis & campeſtribus, quæ fluuius *Niſſa* circumfluit, exercitum & acies ordinat, & quadrifariam agmina partitur. Agmen primum tenebant cruce ſignati voluntariique milites ex variis linguis nationibuſque collecti. Ad quorum ſupplementum, quatenus denſiores fierent ordines, cum peregrini milites ad id parum ſufficientes eſſent, auri foſſores ex oppido *Goltperck* (illic enim auri fodinæ erant) adiuncti ſunt, id *Boleſlaus* Marchionis *Morauiæ* filius ducebat. 1241 Alterum *Cracouienſis* & *maioris Poloniæ* milites, his *Sulislaus* frater *Vlodimiri* Palatini olim *Cracouienſis* præerat. Tertium agmen, milites *Opolienſes* & *Pompo* de *Hoſtern* Magiſter *Pruſſiæ* cum fratribus & militia ſua tenebant, hos *Meczlaus* Dux *Opolienſis* ducebat. Quartum ſolus Dux *Henricus* ducebat, in quo *Sleſitæ* & *Vratislauienſes* erant armigeri, & meliores præſtantioreſque ex terris *maioris Poloniæ* & *Sleſiæ* milites, & nonnulli alii mercede conducti. Totidem erant *Tartarorum* agmina, ſed multò viribus, robore, & frequentiâ pugnatorum præſtantiora, & quorum quodlibet per ſe omnia *Polonorum* agmina excedebat. In campo itaque, qui *Bonus campus* ſiue a ſoli vbertate, ſiue quod in omnes partes porrectus & latus eſt, dum vterque exercitus V. Idus Aprilis, alias feria ſecunda poſt octauas Paſchæ conueniſſet, crucce ſignatorum & voluntariorum militum, & aurifoſſorum exercitus primus pugnam (id enim munus magno ſtudio efflagitatum, permittente Duce *Henrico*, conſecutus fuerat) cœpit; magno impetu ab vtraque parte concurſum eſt, & cruce ſignati & peregrini milites primos *Tartarorum* ordines lanceis confecerant, gradumque promouebant. Sed cum gladiis cominus agi res cœpiſſet, cruce ſignatorum & peregrinorum militum à *Tartarorum* ſagittariis vndique circumacta acies, adeò vt illi per cæteras *Polonorum* acies ſuccurri ſine diſcrimine non poſſet, labefactata, & deinde multitudine ſagittarum (cum in ea plures nudi & inermes eſſent) non ſecus, quàm ſi teneræ ariſtæ à grandine percuſſæ, obtrita eſt. Vbi *Boleſlao Dipoldi* Marchionis *Morauiæ* filio, cæteriſque primorum ordinum militibus cadentibus, reſidui qui & ipſi *Tartarorum* ſagittis confecti erant, ad *Polonorum* agmina refugerunt. Duo deinde agmina *Polonorum* ſub *Sulislai* militis, & *Meczlai Opolienſis* Principis conſiſtentia Ducatu ſuccedunt in pugnam, quam cum tribus agminibus *Tartarorum* incolumes pro ſauciis ſubire facientium, feliciter & conſtanter geſſiſſent, ſtragemque ingentem in *Tartaros*, cum a *Tartarorum* ſagittis, *Polonorum* baliſtariis ea defendentibus, tuta eſſent, ediſſent, *Tartarorum* acies primùm pedem referre, & *Polonis* acrius contra perculſos inſtantibus, mox etiam verti in fugam coactæ ſunt. Quidam interea de *Tartarorum* agminibus, & an *Ruthenicæ* vel *Tartaricæ* nationis eſſet incertum habetur, celerrimo & vago paſſu hinc inde citraſq; acies diſcurrens, terribilem vtrûq; exercitum diſſonâ adhortans lingua, edebat clamorem, & *Polonica* quidem lingua vociferabatur, *Biegayczie, biegayczie*, id eſt, *fugite, fugite, Polonis* ingerens formidinem & pauorem, *Tartarica* verò lingua *Tartaros* ad pugnam & per-

1241. perſeuerantiam hortabatur. Ad hanc vocem Dux *Opolienſis Meczlaus*, non hoſtem ſed proprium & amicum ex compaſſione non vafricie A credens iſta eſſe vociferatum, deſerto prælio fugit, magnamque militum, eorum præcipuè qui ſibi in tertio agmine parebant, cateruam, in ſimilem fugam traxit. Quo & oculis viſo, & aliorum relatione ad ſe perlato, *Henricus* Dux ingemiſcens, lamentari cœpit dicens: *gorze ſię ſſtáło:* id eſt, *magna afflictio accidit nobis.* Nihil tamen *Meczlai* fuga & eorum qui ſub agmine erant ſuo deterritus, quartam ſuam aciem ex melioribus & fortiſſimis pugnatoribus compoſitam in prælium ſubducit, & tres acies *Tartarorum* à prioribus *Polonorum* duabus aciebus debellatas, & diſiectas, fortiùs quò poteſt proſternit & obtruncat, fugamque capeſſere impellit. Sed B quarta *Tartarorum* acies, in qua Rex *Bathi* erat, omnibus tribus maior ſuperuenit, pugnamque integram reſtituit, & laborantibus atque diſiectis *Tartaris* opem fert, terribilique impetu in *Polonos* inuehitur. Sed non referentibus *Polonis* pedem, pro victoria quoque conſequenda adnitentibus, bellum acerrimum aliquanto tempore durabat inter vtroſque, in quo primoribus *Tartarorum* magna ex parte cæſis, non longè abfuit, vt *Poloni* plenâ victoriâ potirentur, iam ſiquidem *Tartari* ordinibus eorum rarefactis ſpectare cœperant in fugam. Erant in *Tartarorum* exercitu inter alia ſigna vexillum perimmane, in quo tale ſignum X depictum videbatur. In ſummitate C verò hoſtilis vexilli, imago capitis tetri & nigerrimi cum mento barbato habebatur. Signifer itaque illius vexilli, *Tartaris* ad vnius ſtadii ſpatium pedem referentibus, in fugamque procliuibus, caput quod haſtili ſupereminebat fortius quo poterat quatire cœpit, de quo illicò vapor, fumus, & nebula tam fœtidiſſimè exhalauit, in totumque *Polonorum* exercitum ſe ſuperfudit, vt præ horrendo & intolerabili fœtore pugnantes *Poloni* penè exanimes & extincti, & ad pugnandum imbelles & inualidi redderentur. Conſtat ſiquidem *Tartaros* ab origine ſua, & vſque præſens in tempus diuinandi, augurandi, ariolandi & incantandi arte & ſci- D entia ſemper in bellis & extra vſos fuiſſe, & illam etiam in certamine cum *Polonis* tunc geſto exercuiſſe, nec inter barbaras altera reperitur, quæ de ſuis ſortilegiis, diuinationibus, incantationibusque, quantum hæc cum quid agendum eſt, magis confidat. *Tartarorum* itaque exercitus intelligens *Polonos* iam pene victores, ex nebula, fumo, & fœtore, magno pauore, & quaſi quadam deſperatione percuſſos eſſe, clamore horrido ſublato in *Polonos* ſe vertit, & aciebus eorum quæ in id tempus integræ erant diſruptis, ſtrage magna, in qua *Boleſlaus* Dux *Dipoldi* Marchionis *Morauiæ* filius dictus

Henricus Dux cum Tartaris alacriter congreditur, vbi dum iam pene victor eſſet, Tartarorum inſaſcinatione exercitus eius debilitatus adeo cæditur,

Schepolka cum multis aliis inſignibus militibus, felici cruore necatus eſt, & *Pompo* Cruciferorum Magiſter de *Pruſſia* cum ſuis magna clade obrutus, *Polonorum* reſiduum agmen in fugam vertit. *Henricum* tamen Ducem fortiſſimè pugnantem nondum ſuus exercitus deſeruerat. Cæteris tamen fuga lapſis ita à *Tartaris* coronâ cinctus erat, vt à tergo & fronte cæderetur, non ob id tamen pugnam omiſit, ſed obuios quoſq; interimendo *Tartaros*, penetrare eorum multitudinem nitebatur, facilè tamen paucitas à multitudine abſumpta & obtrita eſt. Iam circa Ducem *Henricum* nonniſi quatuor milites verſabantur, *Suliſlaus* frater *Vladimiri* Palatini *Cracouienſis* apud *Chmielik* occiſi, *Clemens* Palatinus *Glogouienſis*, *Conradus Cunradowicz*, & *Ioannes Iwanowicz*. Aliis itaque certamini intentis, hi quatuor Ducem *Henricum*, ne in diſcrimen necis incideret, quanta poſſunt vi & conatu ex acie & prælio educunt, & penetratis hoſtilibus ordinibus, principem incolumem ſeruaturi, quo minus acerba minuſque fœda Principe ſeruato clades eſſet, ad fugiendum ſe diſponunt. Reſpondiſſet forſitan eorum propoſito effectus, ſed Ducalis equus plurimis ſauciatus vulneribus ſubſiſtebat. Dux itaque *Henricus* ex inſignibus cognitus per *Tartaros*, veloci concurſu conſecutus, cum tribus militibus, quarto *Ioanne Iwanowicz* ab illis ſegregato, vallatus eſt, cum quibus ſuis tantummodo tribus ſtipatus militibus, aliquanto tempore decertabat. Et licet *Ioannes Iwanowicz* equum recentem à *Roſcislao* cubiculario Ducali repertum, Duci penetratis hoſtium cuneis exhibuiſſet, Dux quoque *Henricus* illo aſcenſo *Ioannem Iwanowicz* qui ſibi viam inter hoſtes præparabat ſecutus, euadere adnixus eſſet, *Ioanne* tamen *Iwanowicz* in ipſo curſu vulnerato, & nihilominus euadente, Duci *Henrico* curſus & euaſio intercipitur, & tertiò à *Tartaris* vallatur. Omni itaq; ſpe quatenus euaderet deſtitutus, iterum atq; iterum nunc læuâ, nunc ſiniſtra contra *Tartaros* audaciſſimè dimicat. Verùm dum manu dextra eleuata *Tartarum* ſibi obuium ferire vellet, ab altero *Tartaro* lanceâ ſub aſcella transfixus, ex equo demiſſo brachio moribundus defluxit, quem *Tartari* clamore ingenti & vocum inconditarum ſtrepitu ſublato capiunt, & extra certaminis locum quantum geminatus eſt baliſtæ iactus, pertractum, framea caput abſcindunt, corpus inſignibus omnibus detractum, nudum relinquunt. Sed & magna Baronum & nobilium *Poloniæ* multitudo in prælio huiuſmodi pro fide & defenſione religionis Chriſtianæ felici martyrio conſumpta, inter quos vt ſuperius retulimus, *Suliſlaus* frater *Vladimiri* Palatini *Cracouienſis*, *Clemens* Palatinus *Glogouienſis*, *Cunradus Cunradowicz*, *Stephanus* de *Vierbna*, & *Andreas* filius ſuus, *Clemens Andreæ* filius de *Pelcznica*, *Thomas Piotrkowicz*, *Petrus Kuſza*, hi 1241.

vt ne ipſe quidem Henricus ſeruari potuerit.

1241. hi fuerunt magis clari & inſignes. Quam quidem vniuerſam cladem & filii necem Beata Heduigis in Croſna degens, per Spiritum ea qua acciderat hora cognoſcens, Adleidi virgini reuelauit. *Ioannes Iwanowicz* conſequentibus cum nouem *Tartaris*, dum fugiendo cum duobus ſuis armigeris, *Luzmanno* militi duos ſimiliter familiares habenti, iunctus & aggregatus, in nouem *Tartaros* ſuos perſecutores, in quodam rure à loco prælii vno miliari diſtante ſe reficientes, quamuis duodecim vulneribus transfoſſus, irruit, & octo ex illis occiſis, nonum pro captiuo ſeruauit. Ordinem quoque Prædicatorum procedente tempore ingreſſus, religioſè & deuotè (quòd tam in grandi diſcrimine a Domino cœli protectus fuerit) vitam egit. *Meczlaus* verò *Dux* de *Opol* cum paucis euadens, in caſtrum confugit *Legnicenſe*, indignus cui laurea martyrii cum tot militibus pro fide *Chriſti* contigiſſet.

Maxima victoria de Duce *Henrico* & ſuo exercitu, cæteriſque Ducibus ſuis auxiliatoribus *Tartari* potiti, lectis ſpoliis, & vnicuique occiſo (quatenus numerus interemptorum ſciri poſſet) vna auricula abſciſſa, nouem grandes ſaccos vſque ad ſummum auriculis replent, & Ducis *Henrici* capite in haſtam longiorem erecto, ad *Legnicenſe* caſtrum (oppidum enim metu *Tartarorum* exuſtum fuerat) applicant, caputque *Henrici* Ducis caſtrenſibus oſtentant, & per interpretem, *quatenus ſibi Duce ſuo Henrico victo & occiſo caſtrum aperiant*, mandant. Sed à caſtrenſibus conuenienti reſponſo edito, *quòd pro vno interfecto Duce plures illis Duces filii optimi Ducis Henrici ſupereſſent*, vaſtatis & incenſis his quæ circa *Legniczam* villis, in *Othmuchow* ſe conferunt. Vbi quindecim dies continuando ſtatiua, omnem per circuitum regionem vaſtant & incendunt. *Ratiborienſem* oram adeunt, & in *Boleszisko* diebus octo demorati, in *Morauiam* cum magna cæde ſecedunt. Corpus Ducis *Henrici* poſt dies plures, *Tartaris Ratiboriam* abeuntibus, ad ſepulturam quæſitum, dum inter cadauera, eò quòd teſta truncum eſſet, & dinoſci non poſſet, relicta ſua Duciſſa *Anna* ſignum dante, quòd in pede læuo ſex digitos haberet, tandem repertum eſt, & *Vratiſlauiam* deductum in Eccleſia *S. Iacobi* apud Fratres minores, ſolutis omnibus, quæ tanti Principis & athletæ Dei funeri ſoluenda erant, in chori medio ſepultum. In eodem inſuper *S. Iacobi* monaſterio corpora *Pomponis* Magiſtri *Pruſſiæ* & Fratrum, *Clementis* Palatini *Glogouienſis*, *Cunradi Kunradowicz*, *Stephani* de *Vierbna* & filii ſui *Andreæ Clementis*, *Thomæ Piotrkowicz*, *Petri Kuſza*, & aliorum humata ſunt. Fœmina benedicta *Heduigis Henrici ſcum barba* Ducis *Vratiſlauienſis* relicta, dum ad ſe nuncius triſtis, occiſionem filii *Henrici* & totius ſui exercitus denuncians, perlatus eſſet, omnem animi motum in poteſtate habuit, & ne

Tartari ad Legnicenſe caſtrum,

& poſtea in Morauiam abeunt.

Dux Henricus & alij occiſi ſepeliuntur.

dum lachrymas emiſit, ſed nec triſtem vultum geſſit. Duciſſam inſuper *Annam* filii ſui A *Henrici* relictam, & ſanctimoniales tam ingenti dolore afflictas, vt penè mortuæ crederentur, à fletu & lachrymis cohibebat, aſſerens *caſum cladis illius ex Dei voluntate quæ ſibi ante innotuerat procedentem, gratè potius quàm moleſtè ferri oportere.* Tunc quoque exultans ſpiritu, eleuata in Deum deuotione depromebat: *Glorifico te*, inquit, *clementiſſime Deus, quod talem filium te donante genuerim, qui in omni vita ſua debitum ſemper mihi præſtitit honorem, charitatem, & famulatum, neque vnquam præſtitit ſe mihi aut moleſtum aut infenſum. Quem etſi pro conditione mortalis huius & caducæ vitæ optarem ſemper mihi* B *viuere & incolumem eſſe, magis tamen diligo, glorior & exulto, quòd per eius ſanguinem pro te & tua religione effuſum, redditus eſt tibi ſuo creatori, cuius animum ſupplex & proſtrata tuæ Maieſtati commendo.* Corpus *Boleslai* filii *Dipoldi* Marchionis *Morauiæ* in *Lubenſi* monaſterio in conuerſorum choro ſepultum eſt, ſuper cætera corpora fidelium, quæ in prælii loco ſepulturæ mandata ſunt, Eccleſia in hanc etiam durans diem conſtructa. Cladis autem *Tartaricæ* magnitudo & acerbitas, etiam ex literis ſummi Pontificis poteſt deprehendi. Ita enim in literis Apoſtolicis, crucem datam pro ſubſidio *Poloniæ* contra *Tartaros* ſcriptum reperimus: *Porro varia ſunt & diuerſa & admodum grauiſſima, quæ ſine inter-* C *poſitione animum noſtrum premunt, videlicet, vrgens negotium terræ ſanctæ, inſtans tribulatio Eccleſiæ, & miſerabilis ſtatus Imperii Romani. Sed vt verum fateamur, iſtorum omnium & noſtri obliuiſcimur, dum perſecutionem Tartaricam cogitamus. Nam penſando ne per huiuſmodi Tartaros pereat (quod abſit) nomen Chriſtianum noſtris temporibus, conſideratio ſola omnia oſſa noſtra confringit, medullas exſiccat, corpus macerat, ſpiritus & virtutes extenuat, tantumque nobis affert anguſtiæ & doloris, quod in extaſi quodammodò poſiti, neſcimus quò nos vertere debeamus.*

Non minor cædes & ſtrages fidelium D per *Tartaros* in ipſo eorum in *Morauiam* ingreſſu ſecuta eſt, Rege ſiquidem *Venceslao Bohemiæ* in caſtris & tutis locis ſe continente, *Tartari* per omnem *Morauiam* liberè graſſati, vno & amplius menſe, tàm incendiis quàm cædibus, & variis cruciatibus (nemine aut reſiſtere, aut ferre audente auxilium) in *Morauos* debacchati ſunt. Statiua autem illis iuxta *Olomuncz* habentibus, Dux vnus *Tartarorum* apud ſuos tàm genere quàm armis vir magni nominis, cum paucis ſuis ad mœnia vrbis incautius progreſſus, à militibus *Morauiæ* ſuis eum deferentibus captus eſt. Captiuatori eius ob virtutis inſigne, ſtella pro armis, & caſtrum *Sternburgk* à *Venceslao*

1241.

Morauiam Tartari vaſtant.

Horum Dux vnus inſignis capitur,

1241. 1241.

Duce *Bohemiæ* donata. Cuius captiuitas dum in exercitu *Tartarorum* vulgata eſſet, magnus rumor & eiulatus de captiuitate tanti Ducis in caſtris coortus, etiam ab *Olomucenſibus* exaudiebatur. Cuius liberationem dum nec terroribus, nec aliorum captiuorum relaxatione efficere valuiſſent, deſertoribus & ſui corporis cuſtodibus *Olomucenſibus* traditis, (quaſi *Olomucenſes* magis in eos quàm *Tartari* animaduerſuri eſſent) ab *Olomuncz* diſcedunt, & ſeptimis caſtris in *Hungariam* perueniunt, ac illam flaminis & incendiis atque cædibus crudeliſſimis peſſundant.

pro quo recuperando quum diu fruſtra laboraſſent, tandem in Hungariam abeunt.

Tartari in Hungariam veniunt,

Audiens *Bela Hungariæ Rex Tartarorum* Duces *Batthi* & *Kandanum* cum pluribus legionibus, & innumerabilibus cateruis *Tartarorum*, bigas, quadrigas, vxores, pignora, & imbellem ætatem, pluraque impedimenta ſecum ducentibus, Regnum ſuum *Hungariæ* introiſſe, & illud in magna iam parte peruaſtaſſe, ex omni Regno ſuo militibus & bellatoribus verſus flumen *Cziſſa*, tam ex equite quàm pedite conuenire iuſſis, in campum vnà cum *Colomanno* nepote ſuo germano, & curienſibus, militibusq; ſuis deſcendit. Ad quem cum frequens Baronum & pugnatorum numerus in magna multitudine, item Magiſter Templariorum cum fratribus ordinis ſui confluxiſſet, etiam *Pannonici* Pontifices, videlicet *Matthias Strigonienſis*, *Vgrinus Colocenſis* Archiepiſcopi, *Gregorius Iaurienſis* Epiſcopus, & ferè vniuerſi *Hungarorum* Epiſcopi, cum aciebus & turmis armatis, ſigniſque extenſis (quaſi ad bella armaque gerenda, non ad ſacrificia pro delictis hominum expiandis offerenda, ordinem ſuſcepiſſent) conueniunt. Inuaſionē autem nocturnalem *Bela* Rex a *Tartaris* veritus, exercitum ſuum omnem in ſpatiū coarctauit anguſtum, & plures dies illic tenuit ſtatiua. Sub quibus *Tartarorum Batthi* Princeps tabernacula *Hungarorum* (denunciantibus exploratoribus) compreſſa & coarctata intelligens, primoribus exercitus ſui conuocatis, nullam induſtriam, nullam prudentiam, nullam militaris diſciplinæ peritiam in *Hungaris*, qui ſe tàm arctis ſpatiis in ſtando compreſſerant, docet, ipſoſque in pugnam craſtina die ineundam animat, corporaque curare iubet. Cumque altera illuxiſſet dies, ordinatis aciebus in *Hungaros* irruit, & quamuis aliquanto tempore *Hungarorum* acies primæ reſtitiſſent & fortiſſimè dimicaſſent, ad extremum tandem abundante *Tartarorum* multitudine conflictæ & cæſæ ſunt. Quibus cadentibus cætera omnis multitudo *Hungarorum* in fugam dilapſa eſt. Maior autem fugientium pars, *Tartaris* perſequentibus in paludem intrare coacta, aqua & luto ſuffocata periit Vbi duo Archiepiſcopi *Strigonienſis* & *Colocenſis*, & *Gregorius Iaurienſis* Epiſcopus, cum magna multitudine Sacerdotū extincti, quibus ſatius fuit ſe ſuumque populum piis votis, lachrymis & precibus, in ſacris ædibus commorando commendare tremendæ Maieſtati Diuinæ, quàm accingi armis, & cbuerſari noctes dieſque in caſtris. Vnde factum eſt, vt qui vno agmine ibant ad vetitam pugnam, vno interitu inuoluerentur ad pœnam. Non ſolùm autem Pontifices & ſacerdotes, cæteroſque Eccleſiaſticos viros, ſed & pleroſque milites & pugnatores mortis metu fugientes, palus huiuſmodi limoſa (dum nec progredi, nec ſtare, aut fugere, ſed nec in hoſtes conuerti & honeſtè fundere animam luto oblitis & captis liceret,) extinxit in clade. Magiſter templi cum pluribus militibus ſui ordinis; item Baronum & militum *Hungariæ* inſignis ordo, occiſi. Ambo tamen Principes, dum ſuos cecidiſſe, & *Tartaros* præualuiſſe animaduerterent, ex prælio diffugiunt. Et *Bela* quidem Rex fugiendo in *Auſtriam* diuertit, & illic in caſtro quodam ſe per plura tempora condidit. *Colomannus* vero nepos Regius, fugiendo in oppidum *Peſth* peruenit, vbi notabilem exercitum ex *Hungaris* & aduenis collectum offendens, magnopere illis diſceſſionem diſperſionemque (aſſerens eius aduerſus *Tartarorum* potentiam tenues eſſe vires) perſuaſit. Verùm cùm ſuadere non poſſet, (agreſtis enim & inculta multitudo nulla ſana conſilia accipiebat) in *Auſtriam* & ipſe diuertit, & in quodam caſtro latuit, expoſt verò in *Zagrabiam* venit.

quibus Rex Bela cum Colomanno reſiſtere volens

caſtris imprudenter poſitis,

exercitum ingentem perdidit. Vbi etiam duo Archiepiſcopi & Epiſc. vnus interierunt.

Bela & Colomannus in Auſtriam fugerunt.

Victoria de Rege *Bela* & ſuis exercitibus *Bathi Tartarorum* Rex relata, in magnam ſuperbiam audaciamque erectus, victorem exercitum verſus *Peſth* ducit. Illic enim maxima aduerſum ſe Chriſtianorum agmina ab exploratoribus ſuis conueniſſe didicerat. Prælio autem inito ab vtriſque tribus diebus acerrime pugnatum eſt. Et quamuis *Hungari* cæterique Chriſtiani pro victoria adnixi fuiſſent, tertia tandem die ad veſperam ceſſit *Tartaris* ex occulto Dei iudicio victoria, & reliquiæ miſerabilis & miſerandi exercitus à *Tartaris* abſque vllo pietatis reſpectu deletæ. Centum & amplius Chriſtianorum millia eo prælio per triduum interfecta. Ad oppida, vicos, & rura per *Tartaros* diſcurſum eſt & omnis ſexus, omnis conditio, omnis ætas trucidata. Et licet ſacerdotes & monachi cæterique Eccleſiaſtici cum proceſſibus Sanctorum, illorum placaturi furiam eorum aduentum, exciperent, *Tartari* tamen omnibus Eccleſiaſticis & miniſtris Dei crudeliſſimè enecatis, vaſa Eccleſiæ concupiſcibilia ſuis nefariis vſibus applicando, reliquias Sanctorum paſſim per terras diſpergebant, Eccleſiaſque incendebant. Oppidum etiam *Peſth* ſpoliatum ignibus ſubiiciunt. Et dum nonnulli oppidani, cæterique qui ſe ex fuga receperant, in multitudine decem millium hominum ad monaſterium Prædicatorum confugiſſent, & illic ſe tutos defenſione interpoſita putarent, *Tartarorum* rabies monaſterium impugnare aggreſ-

Centum & amplius millia Chriſtianorum prælio per triduum habito a Tartaris occiſa.

1241.

greſſa,faciliter illud conquirit, & omnia illa decem hominum millia permiſcui ſexus inuoluit igne & extinxit.Dum deinde in caſtra *Tartarica* plura captiuorum millia ex fœminis eorum & *Hungaris* adducta fuiſſent, mulieres *Tartaricæ* ſæuiſſima crudelitate in omnes mulieres *Hungaricas*,quæ ſpeciem aut formoſitatem aliquam habere videbantur, vſæ, aut illas interficiebant, aut naſo & labiis,auribusque,vt deformes efficerentur, truncabant, veritæ ne viri earum ſpecie & forma capti, ipſis contemptis alienigenis adhærerent. Sed & pueri *Tartarorum*,matribus eorum informantibus & inſtigantibus,in pueros & adoleſcentes captorum *Hungarorum* ſæuiebant,fuſte ſemel atque iterum capita eorum vsque ad cerebri effuſionem verberando. Iſque *Tartaricus* puer efficiebatur commendabilior, qui fortius & vno ictu Chriſtianum puerum vsque in mortem cæcidiſſet.

Clade *Hungarica* vulgata, adeò vicinas *Almanorum* regiones terror peruaſerat, vt etiam *Romanorum* Imperator *Fredericus* a ſummo ſollicitatus (vt ferret opem Chriſtianis) Pontifice, non de reſiſtendo, ſed de transfugiendo & latitanto cogitationes verſaret.

Rex Bela Sanctorum reliquias & ornatum Eccleſiæ ex Alba Regali, item coniugem & filium Spoletum mittit.

Rex *Bela* de oſſibus Sanctorum curam gerens,miſit in *Albam regalem*, & corpus *B. Stephani* cum aliorum Sanctorum oſſibus & clenodiis, veſtibus ornamentiſque Eccleſiæ per conſortem ſuam *Mariam* Reginam & filium paruulum biennem, ad regiones maritimas ad *Spoletum* transmiſit. Reginam multæ nobiles matronæ ſequutæ ſunt ex *Hungaria*. Sub hoc tempore Rex *Colomannus* moritur, & in monaſterio Prædicatorum apud *Czuſzma* ſepelitur.

Colomannus moritur.

Boleslaus caluus in locum Henrici patris Dux eligitur.

Poſt obitum *Henrici* Ducis *Cracouienſis* & *Wratislauienſis* ac *maioris Poloniæ*, à *Tartaris* in prælio *Legnicenſi* occiſi, Barones & milites *Cracouienſes*, *Sandomirienſes* & *Lublinenſes*, qui cladi *Tartaricæ* ſuperfuerunt, terras præfatas *Boleslao caluo* filio *Henrici* commendauerant, ſubiicientes ſe & terras præfatas eius ditioni & poteſtati. Qui earum poſſeſſionem nactus, *Clementem* filium *Sulislai* de *Ruſcza* Palatinum *Cracouienſem* conſtituens, cæteras quoque dignitates, officia, & Magiſtratus in alios milites & Barones diſtribuit. Ægre id ferens *Cunradus Mazouiæ* Dux, & ſpretum ſe a *Cracouienſibus* militibus dolens, vlciſci iniuriam ſuam quamprimum ſtatuit, ob idque aſſumptis tribus filiis *Boleslao*, *Caſimiro*, *Semouito*, aſſumpto & *Andrea Plocenſi* Epiſcopo,cæteriſque conſiliariis & primatibus ſuorum Principatuum, conuentum perſonalem cum *Swanthopelkone Pomeraniæ* Duce agit, implorans illius contra *Boleslaum caluum*, *Vratislauienſes* & *Cracouienſes* milites ſolatia. Is etſi ſe de perſonali auxilio ferendo variis allegatis cauſis excuſaſſet, gentium tamen ſuarum agmen ſe miſſurum ſpopondit, & in tempore conſtituto miſit.

Qua res Cunradum Maſouia Ducem offendit.

1241.

Hungarorum Rege *Bela*, & exercitu eius conflicto & profligato, vniuerſoque Regno *Hungarorum* peruaſtato, *Tartari* ſedes ſuas, quaſi regionem illam in perpetuam hæreditatem accepturi, in *Hungaria* ponunt, & in campeſtribus inter *Strigonium* & *Iaurinum* ſitis, planitiem proportionatam, & in omnes partes æqualiter porrectam habentem, ſtatiua figunt, tabernaculaqua in morem ſuum egeſta humo, & pro quolibet tabernaculo ſpeciali fouea diſpoſita conſtituunt. Vbi prope biennium commorati, *Hungariam* pro parte maiori, agreſtibus tyrannidem eorum ferre non valentibus, redigunt in ſolitudinem & deſolationem. Sed nec furor Domini in *Cracouienſem* vrbem quieuit,ſed manus adhuc eius ſuper eam extenta. *Bela* ſiquidem Rege debellato,agmen *Tartarorum* per *Scepuſienſem* oram citato & celerrimo curſu *Cracouiam* venit,& habitatores ciueſque illius inermes & impræparatos reperiens,grauiorem priore cædem tam in eos quàm in *Polonos* reſiduos, nulli conditioni vel ſexui deferens, fecit. Vnde & quendam Sacerdotem incluſum,cui *Bathi* Rex in Palmis vitam conceſſerat,occiderunt,& ſpoliatis reliquiis vrbis, per *Oſſwecimenſem* regionem in *Hungariam* ad ſtatiua quæ in hanc diem cernuntur rediit: quorum numerus magnitudo etiam ex ipſis ſtatiuis poteſt æſtimari. Ad *Tartarorum* rabiem, etiam beſtiarum rabies acceſſit; aquilæ,lupi, & vulpes in *Hungaria* grege facto homines ſolitarios gradientes inuadunt, & victos crudelibus rictibus deuorant, & diſcerpunt. Adeo inſuper *Pannonicas* terras *Tartari* per biennalem manſionem ſuam,& prædas ſpoliaque in ſolitudinem redegerant, vt præ famis anguſtia matres puerorum ſuorum carnibus veſcerentur, & plerique puluere cuiuſdam montis pro farina vtentes miſerabilem vitam vtcunque producerent. Tantus autem timor cecidit ſuper omnes poſthac Prouincias, vt quilibet exiſtimaret ex eorum inſultu, qualibet die ſibi mortem imminere, & terram omni populo perituram. Et hic timor annis multis nobiles & ignobiles ſatis angariauit & afflixit.

Tartari in Hungaria biennio commorantur & regionem totam vaſtant: Cracouiam inopinate adgrediuntur, & ibique ſæuiunt.

Beſtiarum interim rabies & fames horrenda Hungariam affligit.

Cunradus Maſouiæ Dux

Altera *Cracouienſis* vrbis per *Tartaros* facta vaſtatione *Cunradus Maſouiæ* Dux cognita, ſciens nepotem ſuum *Boleslaum Pudicum Cracouienſem* Ducem in *Hungariam*, deinde in *Morauiam* a facie *Tartarorum* transfugiſſe,& præſtantiores *Cracouienſes*, *Sandomirienſes*, *Vratislauienſes* & *Opolienſes* milites, ipſum quoque *Henricum Vratislàuienſem* Ducem,Ducis *Boleslai pudici* auxiliatorem in bellis cum *Tartaris* geſtis occubuiſſe, & *Cracouienſes* ac *Sandomirienſes* prouincias penè vacuas eſſe,occaſione temporis irritatus,maximo quoque afflictus dolore *Boleslaum caluum* filium

Hen-

1241. *Henrici* Ducis *Vratiſlauienſis* in dictos Principatus ſucceſſiſſe, inducit in animũ, vt illas iuris ſui faciat. Exercitu itaque ex *Maſouiæ* militibus, A item ex militibus *Pomeraniæ* ſibi per *Swantopelkonem* Ducem *Pomeraniæ* miſſis, item ex auxiliariis *Pruthenis* & *Lithuanis*, quanto fortiori poterat congeſto, aduenit, & vtramque Prouinciam, *Cracouienſem* videlicet & *Sandomirienſem*, omneſque arces & munitiones illarum, omnibus ſe vltro illius poteſtati & regimini (cum Ducem ſuum *Boleslaum* pudicum amplius non crederent reuerſurum) dedentibus, occupauit. *Zegotha* ſiquidem de *bipennibus* cum ſua ſocietate & genealogia illi adhæſit. *Clemens* vero de *Ruſcza* Palatinus *Cracouienſis* ſupradictus & alii, caſtrum quod *Skała* dicitur B intrauerunt, volentes illud defendere nomine *Boleslai* Ducis *Vratislauienſis*. *Cunradus* vero omiſſa caſtri *Skała* expugnatione, caſtrum *Cracouiæ* ædificat, incipiens ab Eccleſia S. *Venceslai*, a ſanctuario altaris B. *Thomæ* tendens ad Eccleſiam S. *Gereonis*, & inde vſque ad Eccleſiam B. *Mariæ* rotundam. Rebuſque taliter diſpoſitis, in *Maſouiam* eſt reuerſus. Interim *Boleslaus caluus* iniuriam reſciſſurus, congregatis ſuis & nonnullis *Theutonicis*, *Cracouiam* accedit. Dumque caſtri expugnare non poſſet munitionem, *Conradus* cum exercitu validiori ſuperuenit, cum quo non auſus pugnare, receſſit, *Clemente* Palatino in caſtro *Skała* relicto.

Poloniam maiorem ingreditur eamque ſibi ſubiicit.

Caſtrum tamen Skała pro Boleslao caluo defenſum eſt.

1242. *Cunradus duriſſimus in Polonos eſſe cœpit.*

Poſſeſſionem plenam *Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Ducatuum *Cunradus Maſouiæ* & *Cuiauiæ* Dux nactus, graues illico vniuerſis imponit exactiones, eaſque & per ſe & officiales ac præfectos ſuos omni miſeratione neglecta exigit & extorquet, & non ſolum ciues & oppidanos, agreſteſque colonos, ſed & clerum militeſque inſolitis tallis & tributis affligit. Ad ædificationem quoque nouorum caſtrorum & inſtauratione veterum omnes paſſim impellit, ratus occupationem præfatorum Ducatuum nonniſi per ſubditorum (ne ad calcitrandum prorumperent) afflictionem & tyrannidem ſibi poſſe fieri diuturnam. Quapropter vociferatio & clamor tribulatorum per ſingula loca audiebatur, querentium ſe poſt miſerabilem vaſtationem & cædem, poſt clades & ſtrages frequentes per *Tartaros* factas, miſerabilius & calamitoſius opprimi & grauari. Miſſique extemplo in *Hungariam* & *Morauiam* crebri perquiſitores & nuncii qui *Boleslaum pudicum Cracouienſem* & *Sandomirienſem* Ducem reperirent, & repertum reducerent, afflictæ & oppreſſæ multipliciter patriæ ſubuenturum. Interim vero *Cunradus* ipſe Dux caſtrum *Skała*, quod *Clemens* Palatinus cum ſuis defendebat, obſidere & expugnare cœpit. Sed *Clemens* Palatinus videns ſibi & ſuis periculum imminere, & nullum auxilium *Boleslai calui* ſupereſſe, reconciliationem & gratiam eius petiuit

Oppreſſi Poloni Boleslaum Pudicum per legatos requirunt.

& obtinuit, & caſtro *Skała* ei tradito, eius ſe dominio ſubiecit. Quo tradito & ſucceſſo, & omnium militum *Cracouienſium* ſocietate ad ſui ditionem fide interueniente adiuuata, caſtrum *Cracouiæ*, quod idem *Cunradus* erexerat, funditus eſt diſiectum. Talibus rebus geſtis, & huiuſmodi ordine compoſitis, & Magiſtratibus atque beneficiis in milites diſtributis, in terram ſuam reuerſus per annum in pace quieuit. 1242.

Interim Cunradus caſtro Skała expugnato, & rebus diſpoſitis, in Maſouiam redit.

Sed nec in *maioris Poloniæ* & *Sleſiæ* terris res quietæ erant, ob ſæuitiam *Boleslai calui*, filii *Henrici* occiſi a *Tartaris* primogeniti, militibus in defectionem & rebellionem verſis. Reliquerat ſiquidem *Henricus maioris Poloniæ* & *Vratislauienſis* Dux a *Tartaris* occiſus quatuor filios, videlicet *Boleslaum*, *Henricum*, *Cunradum*, & *Vladislaum*; & quinque filias, videlicet, *Heduigim*, *Agnethem*, *Conſtantiam*, *Heliſabeth*, & *Gertrudim*, ex eadem matre *Anna*, videlicet filia *Przemislai* alias *Ottokari Bohemiæ* Regis ſuſceptos, occiſioneque Patris *Henrici* apud *Legnicz* ſecuta, duo natu minores *Cunradus* & *Vladislaus*, procurante optima & ſolerti eorum auia *B. Heduigi*, literis apud *Peruſios* operam dabant, *Boleslaus* & *Henricus* natu maiores militiam agebant. Verum cum *Boleslaus caluus* vocatus, plurimas & intolerabiles oppreſſiones in militares & ſubditos *maioris Poloniæ* C ageret, & quoslibet *Theutonicos* & aduenas quantumcunque pannoſos & viles, *Polonorum* optimatibus præferret, Barones, milites, & nobiles *maioris Poloniæ* vniuerſi, & ſignanter *Bogumilus Dirſſicraius* Palatinus *Poſnanienſis*, *Secundus Gneſnenſis*, *Thomas Poſnanienſis* Caſtellani, *Domaratus* Iudex *Poſnanienſis*, eius Principatum & dominium ſæuum quidem & crudele, & quod ſe ab eo contemptum & in largitionibus, donationibus, & magiſtratuum atque dignitatum diſtributionibus neglectum iri, cum tamen in *Almanos* effuſus & liberalis foret, aduerterent, pertæſi, conuentu apud *Poſnaniam* habito, ad *Przemislaum* & *Boleslaum* Duces, filios *Vladislai Ottonis*, D Dominos ſuos & hæredes naturales in caſtro *Vſczie*, quod vnicum illis reſtabat (*Nakiel* enim per *Swantopelkonem Pomeraniæ* Ducem, eorum auunculum, fraude paullo ante interceptum tenebatur) hactenus demoratos reſpiciunt, & *Boleslao Vratislauienſi*, fratribuſque ſuis filiis *Henrici* occiſi a *Tartaris* deſertis, *Przemislaum* & *Boleslaum* filios *Vladislai Ottonis*, in Principes & Dominos reaſſumunt, durum iugum & non ferendum, quo eos *Boleslaus* filius *Henrici* occiſi a *Tartaris* affecerat, excutiunt, & omnia caſtra, munitiones, atque ciuitates illis præſentant. Sed & caſtrum *Przemanth*, cuius præfectus cum illis ſolus ſentire diſtulerat, conquirunt, & Ducibus *Przemislao* & *Boleslao* conſignant. Quam quidem

A Boleslao caluo maior Polonia deſicit,

ad filios Wladislai Ottonis;

qua defectio-

ma-

1242.

ne Boleslaus Caluus nihil offenſus

maioris Poloniæ terrarũ defectionem *Boleslaus Caluus Sleſiæ* Dux vna cum fratribus ſuis, *Henrico, Conrado* & *Vladislao*, filiis *Henrici à Tartaris* occiſi, iubente & perſuadente optima auia *B. Heduigi* (quæ terrarum illarum nouerat virum ſuum *Henricum cum barba* poſſeſſionem non legitimè vendicaſſe) non ſolum æquo animo tulit, ſed & ſucceſſu temporis cum *Przemislao* cui Ducatum *Gneſnenſem*, & *Boleslao* cui *Caliſſienſem* tenere contigerat, affinitatem iunxit, & ſororem ſuam germanam in monaſterio *Trzebnicenſi* ſe continentem, non tamen profeſſam *Heliſabeth* nomine, matrimonio copulauit.

affinitatem etiam cum Ottonis filio iunxit.

Svantopelch. Pomeraniæ Dux Cruciferorum in Pruſſia potentiam metuens,

Svantopelkus Pomeraniæ Dux, vir plurimum verſutus, vafer & callidus, & qui dolis (cum eſſet ex *Cracouienſi* Ducatu de genere *Griffonum* oriundus) ſibi *Pomeraniæ* Ducatum (præfecturam tunc illic nomine *Leſconis Albi, Cracouienſis, Sandomirienſis*, & *Pomeraniæ* Ducis agens) falſò quæſierat, conſiderans fratres *Cruciferos*, per *Cunradum Maſouiæ* Ducem contra *Pruthenos* gentiles & *Polonis* infeſtos & graues hoſtes accerſitos, & quibus *Nieſchouienſem* & *Chelmenſem* terras donatione conditionali, vt ſibi & ſuis poſteris *Pruſſia* ſubrogata redderetur, contulerat, ſub breui tempore creuiſſe, & ciuitates atque caſtra, videlicet *Thorun, Chelm, Cherſtbark, Elbing, Balgam, Viſſenburg, Barthenſtein, Brunzberg, & Helzberg*, cæteraſque munitiones cum ſuffragio & adiutorio Ducis *Cunradi Maſouiæ*, & filii ſui *Caſimiri*, qui in omnes expeditiones cum ſua gente cum Cruciferis ibat, ædificaſſe, & primoribus *Pruthenorum* deletis, reliquos *Pruthenos* ad ſuſcipiendum lauacrum regenerationis & baptiſmi coëgiſſe, vehementer ſibi & Ducatui ſuo *Pomeraniæ* per tyrannidem & dolum occupato, ne & ipſe aliquando illo per Cruciferos exueretur, timere cœpit, & multis cogitationibus vexatus & diſtentus, aduerſari Cruciferorum profectui & fortunæ, dum teneræ adhuc eſſent eorum vires, conſtituit.

Pruſſos ad idololatriam pertraxit,

Et quò id facilius conficiat, omnes *Pruthenorum* nationes, tam *Neophitas*, quam *Idololatras* ad ſuum propoſitum inclinat, baptiſatoſque ritus nefarios reſumere inducit. Propter quod vno die, omnes *Neophiti* ad idololatriam reuerſi, tam *Polonos* quàm *Almanos*, & quoſlibet Catholicos in *Pruſſia* demorantes, iubente *Swantopelkone*, nefariè exterminant, & ſtrage miſerabili edita, omnia caſtra & munitiones, præter *Bagam* & *Elbing*, quæ Cruciferi ædificauerant, interfectis defenſoribus conquirunt, ac Ducem *Swantopelkonem*, in Ducem & Dominum aſſumunt, aſtringentes ſibi ſe in omnibus quæcumque iuberet pariturus. Obſeſſa itaque erant & terreſtria & aquatica ſupra *Viſtam* per *Swantopelkonem* itinera, & omnes tranſeuntes, hi præſertim qui ditionis Crucife-

Chriſtianos deinde exterminat, Cruciferorum caſtra conquirit

rorum erant, aut trucidabantur aut captiuabantur. Et licet nuncius Apoſtolicus *Guilhelmus* Epiſcopus *Mutinenſis* per *Innocentium IV.* ad ſedandum huiuſmodi malum miſſus auctoritate Apoſtolica *Swantopelkonem* crebris literis & nunciis monuiſſet, quatenus tam execrabile cœptum omitteret; ſed ille maiori obſtinatia inductus, cum exercitu *Pomeranico* & *Pruthenico* in terram *Chelmenſem* adueniens, omnem igne & ſpoliis vaſtauit, & quatuor millia hominum aut gladio extinxit aut cepit, nihilque in terra *Chelmenſi* integrum, præter tria caſtra, *Thorun, Chelm* & *Kadzin*, quæ conquirere non potuit, reliquit. Pro eodem inſuper tempore, per præfatum *Guilhelmum* Epiſcopum *Mutinenſem* (qui poſtea in Summum Pontificem promotus *Alexander IV.* nominabatur) vniuerſam terram *Pruſſiæ* in tres Epiſcopatus, videlicet *Varmienſem, Zambienſem*, & *Pomezanienſem* diſtinxit. Numerus Chriſtianorum *à Swantopelkone* Duce *Pomeraniæ* vix poterat æſtimari. Itaque ſub eiuſdem anni ſpatio & *Tartarica* & *Pruthenica* clades prouenerat. Et quod *Tartarus* attingere non potuit, *Pruthenus* deleuit. 1242.

Chelmenſem terram vaſtat, fruſtra illum Legato Pontificis dehortante.

Dux *Auſtriæ Fridericus* diſtrictum *Snoinenſem* cum valido exercitu vaſtans, & conflagrans incendiis, magnam ex *Morauia* prædam in *Auſtriam* detulit, illamque omnem inter milites diſpartiit, nullam paſſus ob id moleſtiam aut aduerſitatem.

Fridericus Auſtriæ Dux Morauiam vaſtat.

Cum integro ferè biennio ſedes Apoſtolica vacaſſet, Cardinales apud *Ananiam* vtcunque collecti, *Simbalez Leodienſem* Archidiaconum in Papam eligunt, qui *Innocentius IV.* appellatus eſt. Qui annò ſecundo Pontificatus ſui, conatus *Friderici* Imperatoris, quos benignitate Paterna ſanare non poterat, oppreſſurus, in *Franciam* ſe contulit, & *Lugduni* Concilium celebrauit.

Innocentius IV. Papa eligitur, & Concilium contra Imp. Lugduni celebrat.

Idibus Martii. *Vislaus Cracouienſis* Epiſcopus cum annis duodecim in Cathedra *Cracouienſi* præſediſſet, & ad promouendam Canonizationem *B. Stanislai Cracouienſis* Epiſcopi, multa miraculorum ſublimitate iam tunc refulgentis, ſegnis & tardus foret, moritur, & in Eccleſia *Cracouienſi* ſepelitur. Cuius etiam torpor & ſegnicies *Falislao* & *Dominicello* militi *Cracouienſi* per quietem monſtrata eſt. Videbatur enim ſibi, quòd ad Eccleſiam maiorem *Cracouienſem* gratiâ audiendi Diuinorum properans; *Vislaum* Epiſcopum in pede montis induuiis Pontificalibus ſe ſpoliantem offendiſſet; vehementer miratus, quid ſibi exſpoliatio ipſa vellet, tacitus cogitabat. Cuius occultis cogitationibus *Vislaus* Epiſcopus reſpondens, inquit: *Non mireris ſi Pontificalibus exſpolior, & ingredi Eccleſiam meam vetor: Quoniam cum annis XII. Pontifex eius fuerim, nunquam*

Vislaus Cracouienſis Ep. moritur.

quam

1242. *quam Canonizationem B. Stanislai promouere curaui. Et ne in hanc muſcipulam Succeſſor meus Prandotha Archidiaconus Cracouienſis &* A *Canonicus Sandomirienſis* de domo *Odrovvaſch* & villa *Białaczow* ortus ab omnibus eligentibus, quòd nusquam vel raro contigit, via ſcrutinii concorditer electus, & in die *B. Vrbani* conſecratus, à *Fulcone Gneſnenſi*, mandato *Innocentij Papæ IV.*

Præfatus *Vislaus* Epiſcopus cum eſſet vir prouidus & diſcretus, controuerſiam, quæ inter tres Epiſcopos *Cracouienſes* Prædeceſſores ſuos, & quosdam milites, occaſione villæ *Kunow* annis multis durauerat, coëmpta ab eisdem militibus villa vicina *Bukowno* pro ſexaginta marcis argenti, & ſex bobus, & vno herpicario, perpetuo ſopiuit & terminauit. Reditus Epiſcopatûs *Cracouienſis* vtiliter inſtruxit, B erexit, & auxit. Libertatem Eccleſiæ defendit, & tranquillam conſeruauit. Principes terræ in concordia cuſtodiuit. Turres tres Eccleſiæ *B. Venceslai* erexit, & plumbo texit. Centum marcas argenti Capitulo *Cracouienſi* legauit. In villa patrimonii ſui *Kościelec*, Eccleſiam de muro in honorem S. *Adalberti* ſumptuoſè fabricauit. Fratribus ſuis germanis ſubuentionem facturus, & eorum releuaturus neceſſitatem, in ſyluis & mericis *Radłouienſibus* duas villas *Zabawam* & *Drohczam* locari, non ſine mutilatione bonorum Eccleſiæ conceſſit. Quorum nepotes ex huiusmodi duabus villis precariò illis largitis, ius vniuerſarum ſyluarum *Radłouienſium* C ſibi vendicabant, vendicaſſentque, niſi *Zbigneus Cracouienſis* Epiſcopus eorum pertinacem inſtantiam iure terreſtri reſcidiſſet, perpetuorum limitum diſterminatione.

Tartari Strigonium expugnant.

Batthi Duce *Tartarorum* in ſtationibus *Strigonienſibus* cum media parte exercitus remanente, *Kandanus* recepta altera parte exercitûs, iuit contra *Strigonium*, & tam arcem quàm ciuitate expugnatâ, multos illic mortales peremit, & quàm plurima tulit ſpolia. Ad *Albam Regalem* applicans, *Hungaris* egregiè vrbem tutantibus, excluſus diſcedit, & in partes *Zagrabienſes* procedit. Quo audito *Bela* Rex, ex *Zagrabienſi* regione diffugit, comitantibus illum *Stephano Zagrabienſi*, D & *Stephano Vatienſi*, *Bartholomæo Quinqueeccleſienſi*, Epiſcopis, & aliis Eccleſiaſticis, & Baronibus primoribus, videlicet *Dioniſio Bano*, *Vladislao* Comite *Curiæ*, *Matthæo* Magiſtro *Cauernicorum*, & *Orlando* Magiſtro *Agazonum*, & peruenit in *Spoletum*. Sed nec ibi ſibi tutum putans conſiſtere, peruenit cum vxore & omnibus ſuis in *Tragurium*. *Kandanus* autem *Belam* Regem *Hungariæ* in omnia loca, quocumque diuerteret, inſecuturus, *Sclauoniam* primùm (magnam captiuorum ex *Hungaris* multitudinem, quam in eundo ceperat, crudeliſſimè ſe inſpectante, in plana deductam, necari fecit) & exinde *Croatiam* ingreſſus, ad *Spoletum* peruenit, & quoscunque extra mœnia vrbis reperit, A trucidauit.

Bela Rex Spoletum & deinde Tragurium venit, quem Tartari inſequuntur.

Hungari autem qui in ciuitatem confugerant, & quorum multitudinem vix ciuitas capiebat, actum de ſe putantes, maximo metu perculſi, ſuam & coniugum & pignorum mortem, quaſi extemplo capienda foret vrbs, deplorabant. Sed *Tartarus* parum illic moratus, intelligens Regem *Belam* quem quærebat in vlteriora diſceſſiſſe, in *Tragurium* proceſſit. Sed cum illic quoque repulſus foret, apud *Croatiam* & *Dalmatiam* aliquot menſibus immoratus, in *Boſnenſe* Regnum, iunctus ſimul cum *Batthi*, & his *Tartaris* qui cum eo remanſerant, aduenit. Expoſt *Seruiam* & *Bulgariam* intrant, & data licentia omni captiuorum multitudini, vt redirent in ſua, glomeratos omnes, & iam caſtra exeuntes, crudeliſſimè velut oues perimunt. *Bela* Rex ab exploratoribus certior factus, *Tartaros* ex *Hungaria* diſceſſiſſe, in *Hungariam* cum ſuis reuerſus eſt. Sed cladem *Tartaricam* biennalem, mox fames horrida in annum tertium, famem verò luporum rabies cateruatim diſcurrentium, & obvios quosque etiam armatos & repugnantes inuadentium & deuorantium ſecuta. Qui cadauerum, quæ *Tartarica* immanitas occiderat ſollicitati illecebrâ, eſuriem ſuam cadaueribus non extantibus per viuos homines explebant. Sicquè integro triennio *Hungarorum* regiones ferro, fame, & luporum rictu vehementiſſimè attritæ ſunt, & in eam C neceſſitatem adductæ, vt bobus, equis, cæteriſque pecoribus deficientibus, aratri iugo ſe homines ſubiicerent, & ſic agriculturam exercerent.

Inde in Dalmatiam, Croatiam, Boſniam, Seruiam & Bulgariam veniunt, & captiuos crudeliter trucidant.

Bela Rex in Hungariam redit.

Fames & luporum rabies in Hungaria dominantur.

Pridie Calend. April. Paulus I. Epiſcopus *Poſnanienſis*, annis tribus & triginta ſede *Poſnanienſi* adminiſtratâ, moritur, & in *Poſnanienſi* Eccleſia ſepelitur. Poſt cuius obitum *Boguphalus* Cantor *Poſnanienſis* & Canonicus *Cracouienſis*, Nobilis *Polonus* de domo *Roſarum*, per electionem Canonicam ſubſtituitur Calend. Maii. Cuius electio Idib. Iunii per *Fulconem* Archiepiſcopum *Gneſnenſem* fuit confirmata, in craſtino in Presbyterum promotus, in die verò *S. Laurentij* per *Fulconem* D Archiep. *Gneſnenſem* ad Pontificii ordinem in Eccleſia *Gneſnenſi* conſecratus.

Paulo I. Poſnanienſi Ep. ſuccedit Boguphalus.

Przemislaus primus, *maioris Poloniæ* & *Poſnanienſis* Dux cultum diuinum in ſuis Principatibus aucturus, in villa ſua Ducali *Owięnska* prope fluuium *Wartha* ſita, monaſterium ſanctimonialium ordinis Ciſtercienſis fundat, & lateribus coctis tam Eccleſiam quàm monaſterium, & habitationes pro ſanctimonialibus fabricat, Eccleſiamque monaſterii in honorem *B. Virginis Mariæ*, & *S. Ioannis Baptiſtæ* dedicari procurauit. Monaſteriumque prædictum villis & introitibus Ducalibus dotat. Fluuius autem qui vocatur *Struga Owienska*, per medium monaſterii decurrit, fluens

Monaſterium in Owienska fundatur & dotatur.

1242. fluens ad coquinam & alias monaſterii officinas, in quo ſunt duo molendina, vnum intra ſepta monaſterii, aliud in parte ſuperiori ante monaſterium. Cuius nunc Abbatiſſa eſt *Catharina* de *Oborniki*, filia *Nicolai Skoræ* Caſtellani olim *Caliſſienſis*, Nobilis de domo *Habdank*.

1243. *Conradus Dux Maſouiæ Polonos Boleslaum Pudicum expectare præſentiens,*

Omnium *Cracouienſium* & *Sandomirienſium* Baronum atque militum *Conradus Maſouiæ* Dux dinoſcens à ſe alienatos animos eſſe, & in Ducis *Boleslai Pudici* nepotis ſui obedientiam & ſubiectionem, cum propter ſui oppreſſionem & tyrannidem, tum propter *Boleslai Pudici*, quòd verus & legitimus hæres eſſet, affectionem & charitatem, gliſcentem defectionem, intellexerat ſiquidem *Boleslaum Pudicum* cum nonnullis *Hungarorum* militibus reuerſurum eſſe, ſatagens reſcindere, in menſe Iulio *Cracouiam* aduenit. Vbi honeſtè & obedienter ſuſceptus, primos & præcipuos *Cracouienſes* & *Sandomirienſes* Barones, & ſignanter *Clementem* Palatinum *Cracouienſem* de domo *Griphonum*, captiuare inſtituit.

conuentione indicta,

Conuentum apud *Scarbimirienſe* oppidum (quaſi Rebus publicis prouiſurus, commenta doli in pectore verſans, quomodo militibus *Cracouienſibus* exterminatis, *Cracouiam* poſſit iure perpetuo ſine ſcrupulo retractationis poſſidere) tertio Calend. Iulii indixit. Vbi cum omnes conueniſſent, ſecundum occultam malitiæ diffinitionem, dat ſuis ſignum milites *Cracouienſes* captiuandi.

Barones minoris Poloniæ captiuat,

Nec mora, *Przibislaus Wawrzynczowicz*, *Withek Bieniowicz*, *Andreas Sulkowicz* de *Niedzwiedz*, *Nicolaus Iaſtko*, *Sandek* de *Chodzcza*, & alii ſimplices cum eis captiuantur, & vinculis conſtricti in *Maſouiam* deducuntur, & in arctam cuſtodiam retruduntur.

Clemens tamen Palatinus Crac. effugit.

Clemens verò Palatinus *Cracouienſis*, cum fratribus, *Sulkone*, *Theodoro*, & aliis, de medio captiuantium, in *Hungariam* aufugerunt, à Rege protegendi.

Poſt duos menſes & captiui effugientes, & Clemens Palatinus

Captiui autem, & diris incluſi ergaſtulis, cum menſibus duobus captiuitatem præfatam perpeſſi fuiſſent, compedibus ferreis confractis, ſub noctis intempeſtæ caligine, illam ſinguli euadunt. Et *Clemens* Palatinus *Cracouienſis* ex *Hungaria*, captiuorum ſolutione audita reuertitur. Diuina enim miſeratio non deſerens præſumentes de ſe, prædictos viros captiuos, prima die Auguſti à vinculis abſolutos, illæſos fecit abire. Qui omnes cum *Clemente* Palatino *Cracouiam* venientes, tam arcem quàm ciuitatem, expulſis & eiectis inde *Conradi* Præſidibus, in ſuam redigunt poteſtatem.

Boleslaum Pudicum aduenientem alacres ſuſcipiunt.

Aduenienti quoque *Boleslao Pudico* Duci ſuo cum conſorte ſua *Kinga* ex *Hungaria* & *Morauia*, cum magno plauſu & iucunditate occurrunt, & conſentiente atque rogante *Prandotha Cracouienſi* Epiſcopo, ipſum in Ducem & Dominum, iureiurando illi præſtito, aſſumunt. Quorum exemplum cæteri nobiles & Armigeri *Cracouienſes*, quibus caſtra & munitiones *Conradus* Dux *Maſouiæ* commiſerat, ſecuti, ſibi caſtra & munitiones, pacti vitam & veniam, reddunt. 1243.

Quo irritatus Conradus cum exercitu aduenit.

Quo rumore *Conradus Maſouiæ* Dux excitus, verſus *Cracouiam*, ſtipatus gentibus multis, *Maſouitis*, *Lithuanis*, *Iaczwingis*, & cæteris barbaris, proceſſit. Et dum pugnandi copiam *Boleslaus Pudicus* non faceret, mœnia defendere contentus, *Conradus* Dux *Maſouiæ*, *B. Andreæ Apoſtoli* Eccleſiam extra muros *Cracouienſes* ſitam, & *S. Georgii* in caſtra incaſtellat, & foſſatis vallisque diſpoſitis, valido impoſito præſidio caſtello *S. Andreæ*, *Boguthæ* militi *Cracouienſi*, hic Armiger erat, commendato, in *Maſouiam* cum potentiori exercitu, mox rediturus diſcedit. Poſt cuius diſceſſum caſtellum *S. Andreæ* per *Bogutham* eius Præſidem *Boleslao Pudico* redditum eſt, & omnis hoſtilitas, quæ *Cracouienſi* vrbi imminebat, amota. Vocato itaque Duce *Opolienſi Mieczslao*, qui *Henricum Vratislauienſem* Ducem in prælio *Tartarico* deſeruerat, vocato *Przemislao Poſnanienſi* Duce, vocatis *Lithuanis* & *Iaczwingis* in ſui auxilium, *Conradus* præfatus *Maſouiæ* Dux, & filius ſuus *Caſimirus*, terram *Sandomirienſem* hoſtiliter ingrediuntur. Quibus *Boleslaus Pudicus Cracouienſis* Dux, cum ſuis militibus *Cracouienſibus* & *Sandomirienſibus*, & ſignanter *Clemente* Palatino *Cracouienſi* iam ex *Hungaria* reuerſo, & *Floriano* Palatino *Sandomirienſi*, & nonnullis *Hungarorum* militibus, in *Suchodol* occurrit, & VIII Calend. Iunii prælium committit.

Cum quo Boleslaus congreſſus eum fundit & ſuperat.

In quo etſi *Conradus Maſouiæ* Dux tàm numero quàm robore militum ſuperior eſſet, *Boleslaus* tamen *Pudicus*, qui iuſtius arma induerat, & pro quo ſine intermiſſione ſacrificia & ſupplicationes fiebant ab Deum, *Conradum* Ducem & ſuum exercitum Diuinitate propitia confregit & debellauit, & pluribus occiſis, pluribusque vulneratis, ipſum etiam Ducem *Conradum* Eccleſiæ *Cracouienſi* & ſuo Antiſtiti *Prandothæ*, quòd eius conſilio & induſtria Ducatum *Cracouienſem* ſibi querebatur ademptum, ſeuera & crudelia minitantem, & filium ſuum *Caſimirum*, item *Mieczslaum* Ducem *Opolienſem*, *Przemislaum Poſnanienſem* Ducem, in turpem fugam egit. *Boleslaus Pudicus* Dux, obtentâ victoriâ modeſtè vſus, plures captiuos ſoluit, cæteris munificum ſe præſtitit. Exercitus ſuus magna prædâ variarum nationum ditatus, victor reuerſus, reſiduas munitiones, quæ pro *Conrado* Duce *Maſouienſi* in *Cracouienſi Sandomirienſique* Ducatibus tenebantur, aut deditione accepit, aut vi expugnauit. Videsnè qualis fuerit fides in pectore *Conradi Maſouiæ* Principis? qui priori crudelitate tyrannideque olim in *Criſtino* Palatino *Plocenſi* cæcato & iugulato, item in *Arnoldo* milite occiſo, item in *Ioanne* Cancellario ſuo & Scholaſtico *Plocenſi* & *Vladislauienſi* crudeliter ſuſpenſo, parùm con-

1243. contentus, nullas exhorrebat carnificationes, dummodo pupillum & nepotem ſuum germanum ex ſua ſorte & hæreditate deiiceret. Turpis hæc & peſtifera lues & pernities exempli; vt vnde manſuetudo diſciplinæ debuerat prodire,& fidei puritas eluceſcere, ibi fides & æquitas naufragium patiebantur. Diſcant itaque poſteri abſtinere a Principe, cuius fides ſorduit tot ſignis, totque indiciis euidentibus prodita ſuppliciorum, ſibi & poſteris ſuis inurens ignominiam & labem ſempiternam. Victorioſo huiusmodi triumpho ſecuto, milites *Cracouienſes* priori aſſumptione *Boleſlai Pudici Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Ducis non contenti, iterum illum in Ducem ſuum aſſumunt, & *Prandotha* Epiſcopo *Cracouienſi* cooperante, cum in Eccleſia *Cracouienſi*, ſolenniter re diuina expleta, argento circumfuſum, introuiſant.

Cruciferorum ordo Swantopelkonem vlturus,

Theodoricus Cruciferorum de *Pruſſia* Marſchalcus, conſiderans potentiam *Swantopelkonis Pomeraniæ* Ducis ex aſſiſtentia *Pruthenorum* roboratam, & connexione mutua ſe & ordinem ſuum fractum & penè exterminatum fore, vocatis Senioribus de ordine, quid facto opus ſit, conſultat. Et nemini quidem placebat aperta vi, cum multam gentem haberet, cum illo in dimicationem venire, periculumque euidens incidere. Itaque conſenſu omnium decretum eſt, vt particularibus præliis & inuaſionibus vexaretur, primumq; caſtri ſui, quod *Zarthawicza* vocabatur, clandeſtina & nocturnalis tentaretur interceptio. Itaque iuxta eam deliberationem præfatus *Theodoricus* in vigilia *B. Barbaræ*, cum viginti quatuor tantummodò viris, ad caſtrum *Zarthawicza* perueniens, ſcalis appoſitis, cum negligentius cuſtodiretur, illud conſcendit,& firmioribus locis atque turribus occupatis, captis vigilibus, cum cæteris quinquaginta numero viris, erat illis à noctis medio vſque ad Solis ortum certamen. Quos cum partim occidiſſent, partim in deditionem accepiſſent, reliquo etiam omni quod illic *Swantopelkus* ſeruabat depoſito, ſed & corpore quodam Sancto (quod quidem *S. Barbaræ* ferunt) potiti ſunt. Quam etſi nonnulli aſſeruant eam fuiſſe, quæ in *Antiochia* martyrio conſummata eſt, alii tradunt in *Pomerania* alteram eiuſdem nominis fuiſſe, & tam virginitate quam cæteris virtuoſis operibus ſanctitatem meruiſſe. Quæ res, vt cæteræ, ſcriptorum penuria, in caliginem vel potius obliuionem verſa, quid veritatis contineat, parum conſtat. *Swantopelkus* etſi tam ſuorum quàm *Pruthenorum* fultus ſuffragio, caſtrum *Zarthawicza* obſidione cinxiſſet, ſub ipſo tamen obſidionis tempore, dum expugnatio illius non procederet, in *Chelmenſem* terram cum medietate exercitus deſcendens, medietate apud *Zarthawiczam* relicta, per *Theodoricum* Marſchalcum, & *Caſimirum Cuiauiæ* Ducem filium

caſtrum illis Zarthawicza clam noctu capit.

Conradi Maſouiæ Ducis victus, & caſtris vtriſq; exutus eſt. Dux inſuper *maioris Poloniæ Przemiſlaus*, *à Theodorico* Marſchalco, & *Caſimiro Cuiauiæ* Duce rogatus, cum potentia gentium ſuarum advenit, & potentiis vnitis, primùm ad caſtrum *Vſzegrad*, in terra *Pomeraniæ* ſitum, proceſſum eſt. Quo expugnato, etiam omnis terra *Pomeraniæ* vaſtata, atque flammis exuſta eſt, & magna multitudo virorum & fœminarum in captiuitatem ducta. Exinde ad caſtrum *Nakiel*, quod *Swantopelk* ſub Ducibus *maioris Poloniæ Przemiſlao* & *Boleſlao* interceperat, ventum. Quod illicò *Pomerani*, vitam tantummodò cum paucis rebus pacti, *Przemiſlao* & *Boleſlao* Ducibus tradiderunt. A quibus tandem Ducibus caſtrum *Zbąźin* eo anno erectum & conſtructum eſt. *Swantopelk* autem & *Polonorum* & Cruciferorum potentiam veritus, nè potentiis vnitis ſua ſequeretur ex *Pomerania* expulſio, cum *Theodorico* Marſchalco & Cruciferis, per operam *Gwilhelmi* Legati Apoſtolici in concordiam rediit, filiumque ſuum *Mſczugium*, item *Weyat* Comitem, & *Vimarum* Burgrabium obſides dedit. Qua celebrata *Cruciferi* omnibus captiuis *Swantopelko redditis*, caſtrum *Zarthawicza* nullatenus reddere voluerunt, propter cuius reſtitutionem, concordia per *Swantopelkonem* fuit principaliter acceptata. 1243.

Tum Caſimirus Cuiauiæ & Przemiſlaus maioris Poloniæ Duces Vſzegrad & Nakiel capiunt, & nouum caſtrum Zbąźin erigunt.

Opera tandem Legati Apoſtolici obſidibus datis Swantopelkus Duci Polonorum & Cruciferis conciliatur.

Przemiſlaus maioris Poloniæ Dux cum fratre ſuo iuniore *Boleſlao*, & genitrice eorū *Helinga*, *Miechouienſi* Præpoſito & monaſterio ac ordini S. Sepulchri Dominici *Hieroſolymitani* hoſpitale *S. Ioannis* in *Gneſna*, de conſenſu *Fulconis* Archiepiſcopi & ſui Capituli *Gneſnenſis* ſubiiciunt & conferunt. Curam & adminiſtrationem egenorum, & regimen temporalium eiuſdem hoſpitalis committendo, ordinando & ſtatuendo. Vt in præfata hoſpitalis domo cunctæ languidæ & miſerabiles perſonæ foueantur, & aliqui Scholares pauperes, & quòd ſingulis Magiſter præfatæ domus teneatur prouidere de neceſſariis & expenſis.

Hoſpitale S. Ioannis in Gneſna monaſterio Miechouienſi commendatur & ſubiicitur.

Plocenſis ciuitas altera vice per *Pruthenos*, ciuibus in caſtrum *Plocenſe* euadentibus, vnà cum monaſterio & domo Fratrum Prædicatorum: ſed & terra *Maſouiæ* in circuitu ciuitatis *Plocenſis*, in magna parte per eoſdem *Pruthenos* depopulatur & vaſtatur.

Prutheni terram Plocenſem iterum populantur.

Fœmina nobiliſſima & Illuſtris *Hediuigis* Duciſſa *Vratislauienſis Henrici cum barba* relicta, magna & euidenti in vita pollens ſanctitate, ſeptimo Idus Octobr. moritur, & in *Trzebnicenſi* monaſterio à ſe & viro ſuo fundato & dotato ſepelitur. Cuius corpus, quod in vita croceum & exangue, abſtinentiis & ieiuniis confectum erat, in morte ſplendidum apparuit, ſpeciem habens corporis glorificati. Quæ *B. Stanislai Martyris* canonizationem in ſpiritu præuidens futuram, & in loco monaſterii *Trzebnicenſis*, in parte ſiniſtra Chori, altare illi dicandum fore præ-

Diuæ Hediuigis Duciſſæ mors,

1243. prædixerat, monens ſorores, vt locum illum magna deuotione incolerent, aſſerens maximo Sanctorum illum conſecrari oportere. Quæ A omnia prout prædixerat euenerunt. Hæc per annos octo & viginti cœlibem vitam ducens, ab omni illecebra carnem & ſpiritum cuſtodiuit. Et quod humanis ſtupendum eſt ſenſibus, inter ſpinas thori maritalis, vnà cum eodem Illuſtriſſimo marito ſuo *Henrico*, ſicuti lilium germinauit, & tanquam aurum in medio incendiorum probata, voluptatum ignibus per totum tempus prædictum æſtuata non eſt.

& vitæ eius commendatio.

1244. Cladem ſuam apud *Suchodol* acceptam, *Conradus Maſouiæ* Dux vlturus, *Lithuanos*, *Pruthenos* & *Iaczwingos*, contra nepotem ſuum *Boleſlaum Pudicum Cracouienſem* B Ducem, à quo conflictus fuerat, & contra terras ſuas, prece & pretio ſubornat. Qui terram *Lublinenſem* in copioſa multitudine equitum & peditum ingreſſi, ipſam vſque ad flumen *Viſla*, nullo ferente opem, barbarico more crudeliter, omnes Catholicas inflammando Eccleſias: item *Sieczіechouienſem* & *Lukouienſem* diſtrictum vaſtarunt, & prædam ingentem tàm hominum, quàm pecorum & rerum in terras ſuas transportarunt & abegerunt. Ab eo quoque tempore terra *Lublinenſis*, tam nobilibus & militibus, quàm agreſtibus & colonis optimè locata & poſſeſſa, cœpit redigi in ſolitudinem & deſertationem. Sed & in cæteras vicinas regiones, ne ſimilem vaſtationem barbaricam experirentur, tantus pauor iniectus eſt, tantaque trepiditas *Sandomirienſes* milites cepit, vt *Boleſlaò Pudico Cracouienſi* Duce, ſuo proprio Domino & naturali hærede deſerto, deditionem, vniuerſorum voluntate accedente, Duci *Conrado*, quem nouerant barbaros in *Lublinenſem* terram ſubduxiſſe, vltrò facerent. In *Prandotham* vero *Cracouienſem* Epiſcopum, quod cum cæteris militibus *Sandomirienſibus* ſentire noluerit, & *Boleſlao Pudico* Duci *Cracouienſi*, puro, fideli, & vniformi tenore adhæſit, *Conradique* Ducis conatibus perſeueranti conſtantia reſtitit, *Conradus* ipſe furorem vehementem euomens, miſſis armigeris, curias Epiſcopales in terra *Sandomirienſi* conſiſtentes, videlicet *Tharſenſem*, quæ nunc *Bodzacinenſis* appellatur, *Kieleenſem*, *Kunouienſem* primum ſpoliatas incendit, & villas præfatorum trium diſtrictuum, multiplici ſpolio afflixit, & omnem prædam ex Curiis & villis Epiſcopalibus congeſtam, in *Maſouiam* abegit. *Prandotha* autem *Cracouienſis* Epiſcopus vir pectoris heroici, nihil huiuſmodi incendiis & ſpoliis conſternatus, à fide & ſubiectione *Boleſlai Pudici*, auelli non potuit, quin etiam Ducem *Maſouiæ Conradum* prædictum, cenſuris Eccleſiaſticis & anathemate, ſua auctoritate, ſuoque proceſſu excommunicari & anathematizari, ab vniuerſa *Polonorum* Eccleſia mandauit. Cuius proceſſum & cenſuras, *Fulco* qui &

Conradus Maſouiæ Dux rurſus cum exercitu Poloniam inuadit, & terras Lublinenſem & Sieciechouienſem vaſtat & incendit,

vt & prædia Epiſcopatus Cracouienſis.

Hunc Prandotha Ep. Cracov. publice excommunicat.

Pelka Gneſnenſis Archiepiſcopus, indicta ob id apud *Lancitiam* Synodo confirmans, mandauit Ducem *Maſouiæ Conradum*, velut violentum bonorum *Cracouienſis* Eccleſiæ raptorem & incendiarium, atque iniuſtum inuaſorem, omnibus Prouincialibus Epiſcopis conſentientibus & laudantibus, anathematizatum in ſingulis Eccleſiis denunciari, & pro excommunicato & anathemizato haberi. 1244.

Ordinem Prædicatorum *Conradus Maſouiæ* Dux in Dominiis & terris *Maſouiæ* plantaturus, fratribus Ordinis eiuſdem ex conuentu & domo *Cracouienſi Sanctiſſimæ Trinitatis* petitis & acceptis, Eccleſiam & monaſterium ſub titulo *Sanctiſſimæ Trinitatis* in ſuburbanis ciuitatis *Plocenſis* fundat, illicque Fratres Prædicatores locat.

Fratres Prædicatores Plocżkam introducti.

Ruthenorum & *Kiiouienſis* Princeps *Daniel*, terræ *Lublinenſis* ſolitudine & deſertatione comperta, exercitualiter in *Lublin* adueniens, tàm caſtrum quàm ciuitatem capit, & vniuerſam terram *Lublinenſem* ſibi appropriat & vſurpat. Et quò ſibi & poſteris ſuis diuturnior ſit illius occupatio, turrim rotundam ex coctis lateribus in caſtri medio, habentem in ſummitate circuitum & propugnacula, mira celeritate ædificat, caſtrumque & ciuitatem foſſis & vallis profundis fortificat, & omnes *Lublinenſis* terræ milites ſibi parere cogit.

Daniel Ruthenorum Dux ciuitatem Lublinenſem & arcem eius capit.

Przemiſlaus maioris Poloniæ Dux, cum fratre ſuo Duce *Boleſlao*, & matre *Helin-* C *ga*, monaſterium Fratrum Prædicatorum transfert de *Srzodka* in ciuitatem *Poſnanienſem*, ad Eccleſiam Parochialem *S. Gothardi*, de conſenſu *Boguphali* Epiſcopi *Poſnanienſis*. In cuius recompenſam, Eccleſiam *B. Adalberti*, contulit Epiſcopo *Poſnanienſi*, cum iure patronatus. Qui etiam *Przemiſlaus* Dux, filiam Ducis *Sleſiæ*, ſibi iungit matrimonio.

Conradus Maſouiæ Dux, vaſtatione terræ *Lublinenſis* parum ſatiatus, *Cracouienſem* terram, forti iterum deducto exercitu, noua caſtra, nouaſque munitiones erigendo, illiſque præſidia imponendo, affligit. Quæ dum eo diſcedente per *Cracouienſes* milites, pulſis præſidiis, aut ſponte ſe dedentibus, fuiſ- D ſent occupata; *Conradus Maſouiæ* Dux iterum rediens, nonnulla expugnauit, & diruit expugnata, *Boleſlaum Pudicum Cracouienſem* Ducem nepotem ſuum, & terras ſuas, tàm per ſe, quàm per barbaras gentes, multifariè conquaſſando. Miſerabiliſque tunc erat terrarum *Cracouienſis*, *Sandomirienſis*, & *Lublinenſis* conditio, externo à barbaris, & domeſtico à propriis, bello vexatarum.

Conradus rurſum terram Cracouienſem turbat affligitq;

Ad indignationem, apertamque hoſtilitatem *Prutheni* barbari, contra *Conradum Maſouiæ* Ducem verſi, quaſi illis pro aſſiſtentia & labore, quibus illum in deuaſtatione terræ *Lublinenſis*, contra nepotem ſuum *Boleſlaum Pudicum Cracouienſem* & *Sandomirienſem* Ducem ad iu-

Prutheni terras Maſouiæ Conrado abſente inuadunt,

1244. iuuerat, parum iuſta retributione reſpondiſſet: Equeſtri exercitu comparato, terras ſuas (*Maſouiæ Swantopelkone Pomeraniæ* Duce ad id illos pellicente) ſcientes *Conradum* Ducem cum præſtantioribus militibus, in terræ *Cracouienſis* conquiſitione occupatum eſſe, inuadunt, & cædibus ſpoliiſque agreſtes affectos, etiam oppida & rura incendunt, & vſque ad *Ciechanow* graſſantur. Cumque iam multiplicem prædam hominum pecorumque ſecum vehentes, regredi diſponerent, a militibus *Maſouienſibus* & *Lancicienſibus* circa *Cziechanow* tertio Idus Iulii inuaſi, & prælio conſerto, licet acriter reſtitiſſent, conflicti, & oppreſſi ſunt. Et noningentis cadentibus, ducentis captis, cæteri effugerunt. Præda omnis hoſti excuſſa, agreſtibus qui & ipſi ad vincendum ſuas operas nouarunt, reddita eſt.

ſed dum onuſti præda redeunt, a Maſouienſibus opprimuntur

Quatuor filii Ducis Henrici Wratiſlauienſis hæreditatem paternam inter ſe diuidunt.

Beata *Heduigi* relicta olim *Henrici* cum barba Ducis *Vratiſlauienſis* in cœleſtes manſiones migrante, nepotes eius, filii *Henrici* a *Tartaris* occiſi, cum eſſent quatuor numero, & duo militiæ, & duo literis intenderent, Principatum *Vratiſlauienſem* in duas tantummodo ſortes diuidunt, videlicet *Vratiſlauienſem* & *Legnicenſem*, ea ſpe & conditione: vt quoniam *Conradus* & *Vladiſlaus* natu minores in ſortem clericalem, (iam enim *Conrado* in Subdiaconum promoto Epiſcopatus *Bambergenſis*, *Vladiſlao* Archiepiſcopatus *Salczburgenſis* deſtinati fuerant) credebantur tranſituri, *Conradus* in ſorte & portione quæ *Boleſlao*, *Vladiſlaus* in ſorte quæ *Henrico* obueniret, includerentur, ex morte aut reſignatione ipſorum ſortes præfatas perpetuo poſſeſſuri. Miſſis itaque ſortibus, *Boleſlao Wratiſlauienſis*, *Henrico Legnicenſis* portio contigit. Qua quidem diuiſione celebrata, & tandem literis firmata, Duciſſa *Anna* præfatorum Ducum genitrix, *Thoma Vratiſlauienſi* Epiſcopo aſſumpto, *Boleſlaum* in *Vratiſlauienſem*, *Heuricum* in *Legnicenſem*, Principatus, induxit. Sed *Boleſlaus* vocatus *caluus* illico diuiſionis taliter celebratæ pœnitere cœpit: & *Legnicenſem* ſortem exiſtimans præſtantiorem, certuſque iam exiſtens *Conradum* ſuæ portionis ſortem velut Subdiaconum, & in *Bambergenſi* Epiſcopum breui promouendum, nuſquam eſſe repetiturum, ſortes cum fratre *Henrico* commutat, & *Legnicenſi* ſorte accepta, cedit de *Vratiſlauienſi Henrico*. De quo iterum prioribus literis irritatis, nouæ confectæ ſunt. Verum interim *Conradus* clericalem ſortem faſtidiens, ſtudio & Epiſcopatu deſerto, in patriam rediit, & de ſorte *Legnicenſi* alteram cum *Boleſlao* expetebat diuiſionem celebrari. Cui etſi *Boleſlaus Caluus* primum blanda dederit reſponſa ſperans illius animum temporis proceſſu conſilio meliori ſanari. *Conrado* tamen perſeuerante in propoſito, illum a ſe negata portione excluſit. Qui ad alterum fratrem *Henricum* ſe contulit, a quo benignè habitus & tractatus eſt. *Wladiſlaus* verò, qui in conſortem *Henrico* ceſſerat, in A *Salczburgenſem* Archiepiſcopum promotus, Ducatum *Vratiſlauienſem Henrico* fratri integrum & immutilatum reliquit. 1244.

Templariorum ordo deſtruitur.

Ordo Templariorum ſubito in variis regionibus Chriſtianorum deſtruitur, mirantibus vniuerſis, quomodo tam magni Domini ſic inſperate poterant opprimi & extingui. Qui ordo annis centum octuaginta quatuor durauerat.

Swantopelkus in terram Chelmenſem Cruciferorum ingreditur,

Temerata concordia, & iureiurando, quod *Swantopelkus Pomeraniæ* Dux cum fratribus *Cruciferis* pepigerat, violato, venit *Swantopelkus* cum *Lithuanis*, *Iaczwingis*, & *Pruthenis*, magno exercitu glomeratus in *Culmenſem* terram, illamque affecit cæde, B incendio, & præda horribili, & animas innumeras pecorum more, in *Culmenſi* terra captas, perpetuam ſeruitutem experturas ſecum duxit. *Cruciferi* verò deliberabant, qualiter poſſint & prædam de hoſtium manibus excutere, & victoria potiri. Et *Theodorico* quidem antiquo Marſchalco, ſuas & hoſtium metiente vires, placebat, certamen ex iniquo loco & callide agi, & nonniſi medietatem hoſtium paludem transgreſſam, reliquam medietatem a tergo, ne primi extremis adiutorio eſſe poſſint, inuadi. In quam ſententiam omnes prudentiores ibant. Verùm nouus Marſchalcus *Berlwinus* non probabat id, aſſerens *barbaros ſi adorti in fronte non* C *fuerint, omnes captiuos, omnemque prædam facilè abducturos.* Quod conſilium a maiori parte approbatum, cæteris tamen renitentibus, dum exequi pergunt, barbaroſque iam flumen *Oſſa* transgreſſos conſequuntur, ad quorum conſpectum plerique barbari in arces & munitiones cum captiuis & prædis ſe recipiunt, verùm *Swantopelkus* cum cæteris, Cruciferorum paucitate conſpecta, pugna inita ad paludem quæ *Reuſin* dicitur, Cruciferos confligit, Marſchalcoque interempto, vix viginti effugientibus, cæteros omnes trucidat. Sed & exercitum qui Cruciferis in auxilium poſt *Thorun* venerat prima victoria potitus, aggreſſus, vincit & proſternit, magnaque hilaritate & D tripudio ouans, prædis & ſpoliis interfectorum onuſtus, in propria victor redit.

& ſe inſequentes Cruciferos prælio fundit, Marſchalco quoque eorum interemto.

Swantopelkus per ciues Chelmenſes corruptos, obſides datos, & filium liberare conatur.

Non ſecus barbarorum victoria ex Cruciferis relata, quam propria *Swantopelkus Pomeraniæ* Dux exhilaratus, ad *Remkam* Aduocatum, nonnulloſque *Culmenſes* ciues nuntios mittit, literaſque ſcribit, rogans, præmiumque promittens, *vt caſtro Chelmenſi irrupto, ad quod illis pro beneplacito patebat introitus, filium ſuum Mſczugium, cæteroſque obſides ſoluerent, ſibique redderent.* Quod cum ſe *Remka* Aduocatus cæterique ciues *Chelmenſes* facturos ſpopondiſſent, vnus ex ſeruitoribus Cruciferorum *Ioannes* vulneribus in prælio confectus, proditionē intelligens,

cru-

1244. Crucifero caſtrum *Chelm* tenenti indicat. Quo auiſamento Capitaneus ſumpto, *Remkam* Aduocatum & ciues caſtrum ingredi volentes, excludit, & in caſtrum *Zarthawicza* nocte *Mſczugium* filium *Swantopelkonis*, & alios obſides vinctos, omnibus ſi mutire auderent interminatus mortem, tranſportat. Intelligens autem *Swantopelkus* dolos ſuos, quos in liberationem filii & obſidum machinatus fuerat, detectos eſſet, *Culmenſem* ciuitatem & *Zarthauicam*, miſſis quibusdam clandeſtine ſatellitibus, procurauit igne immiſſo conflagrari. Vallatus quoque *Prutbenorum, Lithuanorum*, & *Iaczwingorum* multitudine, in *Cuiauienſem* terram venit, & eam fideleſque Chriſtianos, ſuo & barbarorum brachio (quibus æque ac *Polonis* propterea magis quam Cruciferis infeſtius erat, quod *Caſimirum* Ducem *Cuiauiæ* filium *Conradi Maſouiæ* Ducis omnes expeditiones contra ſe ac ſuos, cum Cruciferis frequentare nouerat) vaſtat & opprimit, pluribusque interfectis, plures etiam in miſerabilem captiuitatem deduxit, & vniuerſam terram *Cuiauiæ*, per incendia & ſtragem barbaricam perdidit & vaſtauit. Cumque Legatus Apoſtolicus *Wilhelmus* Epiſcopus *Mutinenſis* & ſcriptis & nunciis *Swantopelkonem* ſuper his corriperet, ille ſtomachando reſpondit, *ſe a perſecutione hoſtium ſuorum, & præſertim Cuiauiæ Ducis & Polonorum, nedum propter Apoſtolicum Legatum, ſed nec propter ſolum Papam ceſſaturum: & niſi ſibi filius obſes cum cæteris reddatur*, comminatus eſt *ſe omnibus conatibus tam Polonos quam Cruciferos bello vexaturum.*

Quod cum non ſuccedit, vi id extorquere tentat. Cruciferos varie affligit.

Et continuo in *Chelmenſi* terra ædificauit caſtrum *Zantbir* ad ripas *Viſtæ*, & nullam naue inſpoliatam reliquit. *Cruciferi* tot malis anguſtiati, *Samborio* fratri germano *Swantopelkonis*, caſtrum *Zarthawiczam* per eos interceptum (ſi *Swantopelkus* pacta cum eis inita ſe ſeruaturum, & barbaris ſuffragia non miniſtraturum aſſecuraret) offerebant reſignaturos. Sed dum *Swantopelkus* & caſtri *Zarthawicza*, & filii reſtitutionem requireret, *Cruciferi* filium *Swantopelkonis* in *Auſtriam* per triginta armigeros, quos illis *Fredericus Auſtriæ* Dux in auxilium miſerat, tranſmittunt. *Svvantopelk* liberationem filii effecturus, quieſcere non valens in terra *Pomeraniæ* caſtrum nouum *Svvieczie*, ad fluenta *Viſtæ*, vbi *Viſta* fortiſſimos & rabidos edit vortices, vt nauigationem omnem impediret, conſtruere cœpit. *Caſimirus* vero Dux *Cuiauiæ*, & *Popo*, alias *Pipinus* Magiſter cum Cruciferis & gentibus non paucis, *Svvantopelkonem* ab operis noui conſtructione repulſuri, in nauibus adueniunt, & multa in deſtructionem nouorum ædificiorum, ædificando, inſuper aliud caſtrum *Putbirborgk* è regione *Svviecziæ* moliti, cœpto irrito diſcedunt, *Svvantopelkus* & caſtrum *Svviecziæ* conſummat, & *Zantbir* militibus & victualibus implet.

Et caſtra duo ad Viſtam locat, & Cuiauiam populatur

1245. Ad libertatem, Eccleſiis *Gneſnenſi* & *Poſnanienſi* per *Wladislaum Ottonis* Ducali munificentia largitam, reſcindendam, Barones & Militares *Poloniæ* vniuerſi, ſolo liuore acti, conſpirant, magnisque illam ſtudiis & interpellationibus, apud *Przemislaum* & *Boleslaum maioris Poloniæ* Duces, precantur caſſari. Quæ etſi nulli eorum afferebat præiudicium vel grauamen, offendebantur tamen quam maximè, Eccleſiaſticas ſortes, villas, & prædia liberas eſſe, ſuis conſiſtentibus ſub graui ſeruitute & tributis. Altius tamen libertati Eccleſiæ *Poſnanienſis* erant infeſti, in quam nonnulla iura Ducalia, de moneta iure ſuo & imagine fabricanda, erant transfuſa. *Przemislaus* vero & *Boleslaus Maioris Poloniæ* Duces, Baronum & militarium ſuorum, nullis precationibus, nullis inſtantiis frangi, & ad propoſitum eorum molliri poterant: turpe rati Principis & parentis ſui Priuilegium in Dei honorem & Eccleſiaſticam libertatem donatum, violatum iri, cum violatio ipſa & Diuinitati contumeliam, & ipſis inureret dedecus ſempiternum. Confutatis itaque & reiectis eorum friuolis inſtantiis, libertatem Eccleſiis a genitore eorum *Wladislao Ottonis* donatam, ne quoquam poſſet in poſterum reuocari in ambiguum, ſuis ſpecialibus literis innouant & corroborant, & in foris ciuitatum & caſtellorum Præconum voce iubent illam firmam & illabatam cenſeri, ab omnibusque ſuis ſubditis intemerate cuſtodiri. Conuentu deinde generali, & Curia ſolenni apud *Gneſnam* indicta, *Przemislaus* Dux natu maior, fratrem ſuum iuniorem *Boleslaum*, in craſtino *B. Adalberti*, in *Gneſnenſi* Eccleſia, *Fulcone* Archiepiſcopo miſſam ſolemniter decantante, ſub præſentia *Boguphali Poſnanienſis* Epiſcopi, & multorum *maioris Poloniæ* Procerum, militari cinxit baltheo, & variis ludis atque choreis celebratis, Athletis Ducalia largitus eſt munera.

Priuilegia libertatum Eccleſiarum Gneſnenſis & Poſnanienſis Barones Poloniæ tollere contendunt, eo magis eas ipſas libertates confirmantibus.

Caſimirus Cuiauiæ & *Lanciciæ* Dux, filius *Conradi Maſouiæ* Ducis, copiis maioribus, quibus poterat, contractis, in terram *Culmenſem* aduenit, & cum fratre *Popone* Crucifero, nonnullisque aliis Cruciferis, item cum *Henrico Lichterſteyn*, item *Druſzeliſſ* (Pincerna hic Ducis *Frederici Auſtriæ* erat) & paucis quibusdam aliis peregrinis, qui ex *Auſtria*, Cruciferis opem laturi, gratia prædicatæ Crucis venerant, ordinatis aciebus in *Pomeraniam* ingrediuntur, vaſtationem de *Chelmenſi* & *Cuiauienſi* terris *Svvantopelkoni* digna viciſſitudine refuſuri. Et *Svvantopelk* quidem cum ſuis *Pomeranis*, cum *Caſimiro* & *Cruciferis* decernere non auſus, *Pruthenos*, quos in auxilium acciuerat, præſtolabatur. Interim *Caſimirus* Dux cum Cruciferis & peregrinis militibus, plurima oppida & vicos nouem diebus in *Pomerania* exurens, prædam magnam ex ea ducebat. Quem *Svvantopelkus*, *Pruthenis* aduenientibus, conſecutus, & a fronte

Caſimirus Cuiauiæ Dux nouem diebus Pomeraniam libere vaſtat.

&

1245.

& a tergo inuadit. *Henricus Lichterſteyn*,& *Druſzeliff* Pincerna, præda in *Pomerania* capta præcedente, ante ſigna ibant, quos *Pomerani* & *Pruthenì* facili negotio fundunt fugantque. *Svvantopelkus* cum tribus cohortibus in *Caſimirum* & *Cruciferos* adeo animoſe & conſtanter inuectus eſt, vt nonnulli deſertis ordinibus, in præcipitem ſe darent fugam. Erat Duci *Caſmiro* miles quidam ſignifer *Martinus Cruszuicienſis*, hic ſua adhortatione milites in locis continuit. Conſerta itaque pugna, acerrimè pugnatum eſt, & neutra parte pedem referente, *Henricus Lichterſteyn* cum nonnullis de *Auſtria* ſuperuenit, (*Druſzeliff* enim Pincerna nonniſi in *Thoruň* fugam ſiſtere potuit) & *Svvantopelkoni* exercitum a tergo inuadit. In momento itaque *Svvantopelkus* cum ſuis contritus eſt, & mille quingentis occiſis, cæteri aut capti, aut fuga dilapſi ſunt. Sub eo quoque tempore monaſterium de *Olivva* cum ſuis grangiis ſpoliatum & vaſtatum eſt a *Pomeranis* & *Pruthenis* barbaris.

quem Swantopelkus Dux ſed infeliciter, inſequitur.

Innocentius IV. Concilium Lugduni celebrat,

Innocentius Papa IV. *Lugduni* concilium celebrat. Quod dum in feſto *S. Ioannis Baptiſtæ* inceptum eſt, ad Octauam Natiuitatis *B. Mariæ Virginis*, quæ tum primum illic inſtituta eſt, durauit, in quo multa vtilia condita ſunt. In proceſſu autem Concilii, hoc eſt XVI. Calend. Auguſti, *Innocentius* Papa, approbante Concilio *Fredericum Romanorum* Imperatorem velut hoſtem Eccleſiæ condemnauit, ipſumque tam ab Imperio, quam a Regno *Siciliæ, Apulegiæ*, & *Calabriæ* depoſuit & priuauit, & omnes vaſallos à iuramento fidelitatis abſoluit, ſicut apparet *in Sexto, Extra. de ſententia a re iudi gran. Sacro præſente*, & *1. ad Apoſtolicæ* &c. Depoſitionis autem iſtius quatuor aſſignantur cauſæ. Vna fuit periurii, quia non ſeruauit iuramentum quod Eccleſiæ fecerat, tam de Imperio, quam de Regno *Siciliæ*, ratione feudi. Secunda cauſa fuit ſacrilegii, quia procurauit capi Cardinales, & Prælatos, venientes ad Concilium. Tertia, quia notatus fuit de hæreſi. IV. Quia ſex annis non ſoluit cenſum Eccleſiæ *Romanæ* de *Siciliæ* Regno. Idẽ etiam Papa *Innocentius*, Regem *Portugaliæ*, Baronibus petentibus, ab adminiſtratione depoſuit, quia negligens erat de iuſtitia facienda, vnde Regnum peribat. Et ſubſtitutus eſt loco eius frater ſuus *Alphonſus*, qui erat Comes *Bolonienſis*. Sicut patet in *ſexto extra. de ſupplendo negligentia Prælatorum*.

in quo & Fridericum Imp.

& Regem Portugalliæ dignitate ſua priuat.

Chriſtino Ep. Chelmenſi ſuccedit Henricus.

Chriſtinus Chelmenſis Epiſcopus, cum annis quinque & viginti *Chelmenſem* rexiſſet Eccleſiam, moritur, & in *Culmenſi* Eccleſia ſepelitur, nobilis de domo & familia *Ravva*. Cui *Innocentius* Papa IV. tunc in *Lugduno* agens, nunciis & literis *Conradi Maſouiæ* Ducis rogatus & ſollicitatus, *Henricum* Epiſcopum *Armatenſem* titularem Fratrem ordinis Prædicatorum, virtute & probitate illius delectatus, V. Idus Ian. Pontificatus ſui anno tertio, ſubſtituit.

1246.

Conradus Maſouiæ Dux rurſum Cracouienſem terram inuadit,

Grauem & iratum animum *Conradus Maſouiæ* Dux, contra nepotem ſuum *Boleſlaum* A *Pudicum Cracouienſem* Ducem gerens, cùm quod ab eo in *Suchodol* conflictus & fugatus fuerat, tùm quod illum a *Cracouienſis* Ducatus poſſeſſione detraxerit, magnis æſtibus & vindictam & viciſſitudinem rependere aſpirabat. Exulceratum quoque ſuapte animum conſors ſua Duciſſa *Agaſia*, muliebribus prouocabat exacerbationibus, ſuadens & inſtigans, vt opprobrium cladis in *Suchodol* acceptæ, propter quam authoritas ſua elanguerat, excuteret, & non ſineret eſſe inultum. *Lithuanis* itaque barbaris ſibi ſolatia præbentibus, terras & Principatus nepotis ſui *Boleſlai Pudici Cracouienſis* Ducis, & ſuarum terrarum & *Lithuanicarum* ſtipatus auxilio, B inuadit. Cui *Boleſlaus Pudicus* nepos ſuus reſiſtentiam facturus, cum *Cracouienſibus* & *Sandomirienſibus* militibus in *Zariſzovv* alias *Iaroſzyn* occurrit. Et licet copias ſuas inferiores quàm hoſtiles aduerteret, pugnam tamen conſerit; & forti ac diro inter vtroſque durante prælio, *Conradus Boleſlaum* ſuperat & confligit. Multiſque de *Cracouienſibus* & *Sandomirienſibus* militibus aduerſo pectore cadentibus, multi a *Conrado* capti ſunt. *Boleſlaus* Dux *Pudicus* cum paucis, ne viuus in poteſtatem patrui ſui Ducis *Conradi*, a quo ſe extrema paſſurum non ignorabat, incideret, fuga elapſus eſt. Et *Conradus* vaſtata vicina regione, opprobrium acceptum C reſarcire contentus, in *Maſouiam* cum præda rediit. Paruo quoque tempore tranſacto, cum gentibus tantummodo ſuis, ſciens vires *Boleſlai* a ſe fractas eſſe, in *Cracouienſem* terram, habens in comitatu ſuo filium ſuum *Caſimirum Cuiauiæ* & *Lanciciæ* Ducem, item generum ſuum *Mieczslaum Opolienſem* Ducem, aduenit, & tantum loca (nolens expugnationem caſtrorum & ciuitatum vocare) ciuibus *Cracouienſibus* ſibi deditionem facere aſpernantibus, incaſtellat. Et primum quidem caſtrum contra *Cracouienſem* arcem & ciuitatem, in loco vbi *Rudavva Viſlam* ingreditur, aliud propè monaſterium *Thinecenſe* ſupra ripam *Viſtulæ*, & hæc duo ſuis mi- D litibus præſidio commendat: tertium in *Lelow* ædificat, & illud *Mieczslao* Duci *Opolienſi* genero ſuo dat in tenutam. Sed *Conrado* ex *Cracouienſibus* oris in *Maſouiam* diuertente, *Boleſlaus Pudicus Cracouienſis* Dux cum militibus caſtrum in *Thinecenſi* rupe expugnat & conquirit. Aliud verò quod in faucibus *Rudavvæ* & *Viſlæ* erectum erat, per deditionem accepit: militibus qui in præſidio eius erant verentibus, ne iuxta ac illi de *Thinecenſi* rupe viui in poteſtatem *Boleſlai* Ducis venirent. Contigit non longe poſt *Mieczslaum Opolienſem* Ducem generum *Conradi*, liberis non relictis mori. Cuius morte vulgata, caſtrum *Lelouienſe*, quod

cum quo congreſſus Dux Boleſlaus vincitur,

Conradus victor caſtra quadam extruit ac firmat;

quæ tamen Boleſlaus expugnat & capit.

Mieczslai

1246. *Mieczslai* nomine tenebatur, *Boleslao Pudico Cracouienſi* Duci illico redditum, & omnes *Conradi Maſouiæ* Ducis labores & machinamenta reciderunt in irritum. In ſortem autem *Mieczslai Opolienſis* Ducis *Wladislaus* germanus ſuus ſucceſſit, Ducatumque *Opolienſem* ex integro poſſidere cœpit. Ad ſuggeſtionem autem & petitionem *Conradi Maſouiæ* Ducis *Lithuani* terram *Sandomirienſem* ſilenti agmine ingreſſi, oppidum *Opatow* & vicinia eius prædantur.

Opiſo Legatus Apoſtolicus Swantopelkum a cenſuris liberat.

Opiſo Abbas de *Meſſano Innocentii* Papæ IV. in *Poloniam* & *Pruſſiam* Nuncius, ex *Lugdunenſi* Concilio miſſus, pluribus Apoſtolicis fultus facultatibus, *Cracouiam* aduenit, & exinde *Pruſſiam Pomeraniamque* tranſiit. *Swantopelkonem Pomeraniæ* Ducem *Caſimiro Cuiauienſi* Duci & *Cruciferis* fratribus iureiurando pollicentem, cum *Pruthenis* & barbaris contra Chriſtianos non ſentire, neque vlla publica vel occulta inire commercia, a cenſuris, quibus erat per Epiſcopum *Madenſem* etiam Apoſtolicum Nuncium ligatus per annos aliquot, abſoluit, & pecunias denarii S. *Petri* in ſingulis diœceſibus Eccleſiæ *Polonicæ* per annos aliquot recollectas accipiens, ad Papam *Innocentium* rediit. Qui anno eodem *Lugduni S. Edimundum* Confeſſorem *Canthuarienſem* Archiepiſcopum de *Anglia* canoniſat. Ipſius inſuper *Innocentii* Papæ Electores Imperii parentes mandato, *Henricum Landtgrauium* Ducem *Thuringiæ* cognominatum *Aſpe* filium *B. Helizabeth* in Imperatorem eligunt. Cui electioni obuiat & aduerſatur *Conradus Frederici* Imperatoris depoſiti filius, quem Pater ante in *Almania* Regem ordinauerat.

Denarium S. Petri in Polonia exigit.

Edimundus canoniſatur,

& Henricus Thuringiæ Landgrauius fit Imp.

Claritatem & præeminentiam Regalis nominis atque faſtigii *Daniel* Ruthenorum *Kiiouienſis* & *Drobicienſis* Dux, & qui pro ea tempeſtate diuitiis, terris, gentibus, factiuitate, & induſtria pollens, inter *Ruthenorum* Principes celebrior habebatur, adepturus, intelligens *Opiſonem* Legatum Apoſtolicum in *Poloniam* aduenisse, largiſque facultatibus Apoſtolicis præditum eſſe, miſſis ad illum notabilibus nunciis, etiam munera magnæ importantiæ per illos ſibi tranſmittit, rogans *vt ipſum in Ruthenorum Regem auctoritate Apoſtolica eueheat, coronet atque inunget.* Offerens *ſe cum omnibus Ruſſorum terris ſuæ ditioni ſubiectis Græcorum ritu derelicto, in obedientiam & communionem vniuerſalis Eccleſiæ Romanæ & ſui Summi Pontificis tranſiturum, & tam Ruthenorum quàm aliorum Catholicorum terras, à Tartarorum inuaſione, potenter & animoſè protecturum.* Exhilaratus admodum his Nunciis eaque legatione Legatus Apoſtolicus, & credens vehementer rebus fidei & religionis Chriſtianæ conducere, ſe quoque beatè & feliciter Legationis ſuæ officium obiturum fore, ſi *Daniele Ruthenorum* Principe in *Ruthenorum* Regem euecto, plures & inſignes Prouinciæ atque Regiones, innumerabiles quoque animæ, ex caligine *Ruthenica* ereptæ, in Catholicæ fidei reducentur puritatem. Itaque Nunciis *Danielis* Ducis benignè appellatis, & benè de negotio ſuæ legationis ſperare iuſſis, illos ad *Danielem* Ducē remittit, pollicens *ſe propè diem venturū, & illum, ſi erroribus Græcorum deſertis, veram Catholicam Religionem cum terris & populis ſuis complexus fuerit, in Ruthenorum Regem coronaturum.* Et licet Pontifices *Poloniæ*, & ſignanter *Prandotha Cracouienſis* Antiſtes promiſſum tam temerarium *Danieli* Duci & ſuis nunciis factum, reſcindere *Opiſonem* Legatum Apoſtolicum multis argumentis perſuaderent (quippe probè naturam & mores *Danielis* Ducis, & eius fluxam vaframque fidem optimè dinoſcentes, certo certiùs ſciebant *Danielem* Ducem ſuis illuſionibus, temeratis & promiſſionibus, & religioni noſtræ, & Summo Pontifici, ac ipſi Legato *Opiſoni*, faciliter illuſuram) Legatus tamen Apoſtolicus *Opiſo*, ſiue fidei & religioni Chriſtianæ optimè conſulturus, ſiue Legationem ſuam ex coronatione huiuſmodi illuſtraturus, ſiue quod Pontifices *Poloniæ* parum fideliter & magis ex inuidia, exiſtimabat diſſuaſionem ingeſſiſſe, à ſententia dimoueri non potuit. Sed in *Drobiczyn*, quæ tunc Ducis *Danielis* principalis erat, perueniens, Ducem præfatum *Danielem*, aſtante Principum & Baronum *Ruſſiæ*, ad id ſpecialiter inuitata & accerſita, multitudine, in caſtro *Drobiczyn* Regem ſuper *Ruſſiam* coronat & inungit. Præfato Duce *Daniele* ſolenniter promittente, & ſe iureiurando in manibus præfati *Opiſonis* Legati aſtringente, cum omnibus Baronibus & Principibus, terris & Dominiis ſuis, fidem, ritum, & cærimonias *Romanæ* Eccleſiæ, de cætero fideliter & ſyncere ſectaturum, & *Innocentio IV.* Summo Pontifici *Romano* eiuſque ſucceſſoribus pariturum. 1246.

Daniel Ruthenorum Dux in Regem ab Opiſone Legato Innocentii coronatur.

Miſit ſub iiſdem temporibus Summus Pontifex *Innocentius* IV. ad gentem *Tartarorum* conuertendam, & a ſua furia mitigandam fratres *Prædicatorum*, & Minores, zelum Dei habentes, inter quos duo erant principales, ex Prædicatoribus: Frater *Azelinus Lombardus*: ex Minoribus frater *Ioannes* de *Plano*. Iam ſiquidem præfati *Tartari* totam *Perſidem* & *Aſſyriam*, item totam *Turchiam*, quæ ante dicta eſt *Armenia maior*, vbi & *Aſia minor*, armis & crudeli tyrannide occupauerant, antiquis tyrannis & habitatoribus, partim necatis, partim eiectis, aut in ſuū ritum & linguagiū traditis, & traductis.

Fame miſerabili *Culmenſem*, *Pomeraniæ*, & *Pruſſiæ* terras premente, adeò vt plerique *Cruciferi* inedia extinguerentur, miles *Vidzga Gzyorſthin* ex *Cracouienſi* terra, de domo & nobilitate, quæ *Ianina* dicitur, ortum ducens, Ordinem Cruciferorum ingreſſurus, tres naues magnas, vino, medone, tritico, lardo, frumento, butyro, cæteriſque victualibus oneratas, per aquas *Viſtæ*, trecenta vero pecora, boues,

Miles Cracouienſis Vidzga in grani fame Cruciferos ſubleuauit.

1246. ues, vaccas, item armenta, item equos, per terram vſque in *Thorun* tranſmiſit, gratiſſimum fame laborantibus munus. Solus A poſthæc aduenieus, in ordinem comiter & benignè ſuſceptus, laudabiliter in eo perſeuerans, defunctus eſt. Attulit etiam tum ſecum magnum pondus auri, in montibus *Polonicis* verſus *Hungariam* ſitis, & ſupra villam *Łanczko* poſitis quæſitum, & totum in ordinem contulit.

ac ſe ordini eorum addixit.

1247. *Maioris Poloniæ* Duces, *Przemislaus* & *Boleslaus*, conuentu apud *Poſnaniam* ſuis Conſiliariis indicto, terrarum *maioris Poloniæ* celebrant æquam diuiſionem. Ceſſit autem iuniori natu *Boleslao Caliſſienſis* Ducatus, a fluuio *Proſzna* vſque ad *Przemandt*. Caſtro B etiam *Przemandt* incluſo, & ab inde vſque ad fluuium *Wartha* & *Moſzinam* & paludem quæ *Sempno* vocatur, & fluuium *Odra*. *Przemislao* vero natu maiori, *Gneſnenſis* & *Poſnanienſis* ceſſerunt terræ, cum ſuis caſtris & oppendiis Diuiſioque ipſa, etiam iureiurando interpoſito, & anathemate per *BoguphalumPoſnanienſem* Epiſcopum in violatorem, Duce vtroque petente & ſubmittente ſe lato, quaſi quodam duplici funiculo difficulter rumpendo, firmata eſt.

Maioris Poloniæ Duces hæreditates inter ſe partiuntur.

Boleslaus Legnicenſis Dux *Maioris Poloniæ* Ducatus, quos Pater ſuus *Henricus* tenuerat, velut ſui iuris eſſent, repetiturus, ſuper *Odram* nouum caſtrum *Kopaniczam* ædificat, contra C quem *Przemislaus* & *Boleslaus maioris Poloniæ* Duces exercitualiter, ædificationem caſtri *Kopanicza* prohibituri, egreſſi, per communes Barones, ne inter fratres affines propinquos horrendum interueniret certamen, pacificantur. Et caſtris *Santhok*, *Miedzirzec*, & *Zbaſzin Boleslao Legnicenſi* Duci datis, noua munitio caſtri *Kopanicza* demolita eſt.

Boleslaus Dux Legnicenſis maioris Poloniæ imperium repetit.

Sed datis aliquot caſtris quieſcit.

Barwin Slauorum ſeu *Caſſubitarum* Dux, caſtrum *Santhok*, quod tunc a *Boleslao Caluo Legnicenſi* Duce tenebatur, prætendens ſui iuris eſſe, collecto exercitu obſidet, & vehementer oppugnat. Succeſſiſſet quoque illius expugnatio propter paucitatem defendentium, & victualium defe-D ctum, niſi *Przemislaus Gneſnenſis* & *Poſnanienſis* Dux, qui *Boleslai* Ducis *Legnicenſis* ſororem germanam habebat pro conſorte, feſtinus cum gentibus accurriſſet, tuliſſetque laborantibus & in deditionem caſtri procliuis, opem. Accelerauit & *Boleslaus Caluus Legnicenſis* Dux, cuius caſtrum erat, aduentare cum copiis. *Barwin* Dux *Caſſubitarum* vtriusque veritus potentiam, obſidione ſoluta diſceſſit, nec appoſuit amplius redire. *Boleslaus* autem Dux *Legnicenſis*, Ducis *Przemislai Poſnanienſis*, & *Gneſnenſis* commendata fide & probitate, etiam ſibi caſtrum *Santhok* perpetua largitione donat, vel potius reddit.

Barwin Dux Caſſubienſis caſtrum Santhok oppugnat,

a quo facile repulſus eſt.

Caſtrum vero Przemislao donatur.

Non tulit & *Boleslaus Caliſſienſis* Dux frater *Przemislai* ignominiam & iniuriam ſuæ ſortis, quam illi *Caſimirus Cuiauienſis* & *Łancicienſis* Dux filius *Conradi Maſouiæ* Ducis, 1247. monaſterium *Landenſe* ad flumen *Wartha* ſitum incaſtellando, intulerat, ſed cum militia ſua illud aggreſſus, conquirit, præſidioque quod *Caſimirus* impoſuerat depulſo, & vallis foſſatisque, ac vniuerſis propugnaculis diſiectis & demolitis, locum monachis reſtituit.

Boleslaus Caliſſienſis Dux monaſterium Landenſe recuperat.

Matura ætate & continua frequentatione bellorum *Conradus Maſouiæ, Cuiauienſis, Łancicienſis* & *Syradienſis* Dux confectus, (qui in omni vita ſua ad conſequendam *Poloniæ* Monarchiam aſpirauerat, & ob id nepoti ſuo *Boleslao Pudico Cracouienſi* Duci iniuſta bella mouerat) moritur, & in *Plocenſi* maiori Eccleſia ſepelitur, duos filios *Caſimirum* & *Semouitum* relinquens. Inter quos ſubita concertatio, ſuper relictis paternis Principatibus, exoritur. Vix enim patris corpore ſepulturæ mandato, dum adhuc funeri relicta ſua *Agaſia*, & filius natu iunior *Semouitus* iuſta perſoluerent, *Caſimirus* natu maior, *Siradienſe* caſtrum, item *Spiczimierz* & *Roſprzam*, ex improuiſo occupauit, & occupata detinuit, moleſtè ferens, quod *Conradus* Pater propenſiori charitate affectus, *Plocenſem* illum ſedem & *Maſouiæ* Ducatum viuens obtinere iuſſerat.

Conradus Maſouiæ Dux moritur.

Secundo Magiſtro Cruciferorum *Popone* alias *Pipino* abſumpto, tertius *Henricus* de *Vida* ſucceſſit. Qui in *Pomeraniæ* terra caſtrum *Chriſtburg* conſtruens, illud fratribus & militibus communit, conatus temerarios *Swantopelkonis Pomeraniæ* Ducis facilius repreſſurus. Verum *Swantopelk* tempore opportuno explorato, caſtrum *Chriſtburg* per inſidias nocte intercipit, & *Cruciferorum* partim necato partim captiuato præſidio, ſuum illi imponit. Violatis inſuper pacis ſufferentiis, plurimos ex Cruciferis circa *Golub* cepit aut extinxit. Suo denique & barbarorum exercitu congregato, terram *Cuiauienſem Caſimiri* Ducis hoſtiliter ingreſſus, neque impuberibus neque fœminis miſerendū duxit: ſed ferro & incendio omnia deuaſtans, magna præda onuſtus in caſtrum ſuum *Szwiecie* ſe recepit. Eo autem *Cuiauiam* vaſtante, aliud caſtrum a Magiſtro *Henrico* & fratribus e regione caſtri *Chriſtburg* extructum eſt. Ad quod oppugnandum conquirendumque cum exercitus ſuus cum curribus & propugnaculis accedens, certamine inito ſuperatus, & in fugam verſus, *Cruciferi* curribus & commeatibus, rebusque plurimis potiti. Eam cladem vltum iri *Swantopelkus* ſatagens, nouo exercitu congregato, nonnullos copias ad laceſſendum *Cruciferos*, qui erant in caſtro *Chriſtburg*, tranſmittit. Quæ certamine cum *Cruciferis* inito, a *Cruciferis* ex caſtro *Chriſtburg* victi, dum ad *Swantopelkonis* caſtra refugerent, clamore incondito quem fugiendo edebant, adeò *Swantopelkonis* perterruerunt exercitum, vt tabernaculis relictis, trans alteram ripam *Viſtæ*, abſorbentibus nonnullos vndis, diffugerent.

Swantopelcus bis a Cruciferis profligatur.

Exer-

1247. Exercitus verò *Cruciferorum*, in terram *Pomenniæ* deſcendens, grauem vaſtationem per cædes & ignes infert. Sub qua vaſtatione, omnibus horreis & bonis monaſterii de *Oliwa* concrematis, & tam equis quàm pecoribus abductis, monaſterium prædictum extrema egeſtate damnatum eſt.

1248. *Mortuo Conrado cum filio Boleslaus tranquille regnat in Polonia.*

Magna tranquillitas certaque pax, *Conrado Maſouiæ* Duce è vita excedente, terris *Cracauienſi, Sandomirienſi*, & *Lublinenſi*, qui illas & per ſe, & per barbaricas gentes *Lithuanos* atque *Pruthenos* infeſtare ſolitus erat, reddita eſt. Ducis quoque *Boleslai Pudici*, præcipuo hoſte & aduerſario ſublato, firmatus eſt thronus. Cœpitque extunc *Boleslaus Pudicus Cracouienſis* Dux, collapſa & deformata erigere, & inſtaurare diruta. Et tam apud *Polonorum* Duces, quàm vicinas nationes & Regna, propter probitatem ſuam, morum elegantiam, & virtutum præſtantiam, magnus & celebris haberi. Secutus eſt autem parentem ſuum *Conradum Maſouiæ* Ducem, filius eius *Boleslaus*, & rebus abſumitur humanis.

Boleslaus Caluus Dux Legnicenſis germano ſuo bellum iniuſte infert.

Cracouienſibus & *Sandomirienſibus* oris quietatis, atrox & ciuile bellum in *Sleſiana* ora erupit, *Boleslaus* enim *Caluus Legnicenſis* Dux, magno furore actus, quod & de portione meliori Ducatus *Vratislauienſis*, quæ ſibi ex ſorte debebatur, (*Legnicenſem* ratus meliorem) *Henrico* fratri ſponte ceſſerat, & quod *Conradus* alter frater ſuæ portionis conſors, Subdiaconatu ad quem promotus, & *Bambergenſi* Epiſcopatu ad quem promouendus erat deſertis, militari ſtatu induto, portionis *Legnicenſis* dimidium repetebat; *Henrico* qui *Vladislaum* Archiepiſcopum *Salczburgenſem* habebat conſortem, ex integro ſortem retinente, bellum *Henrico Vratislauienſi*, & *Conrado* fratri apud ſe hoſpitato, Ducibus, mouit. Et *Saxonibus* ſtipendio conductis, in auxiliumque accerſitis, *Vratislauienſem* Ducatum, (*Henrico Vratislauienſi* Duoe, quod vires ad decernendum illi tennes erant, vitante conflictum) ſpoliis & incendiis, & qualibet hoſtilitate vaſtat & incendit. Apud *Nouum* quoque *forum* plebe promiſcua ad Eccleſiam confugiente, quingentos homines edaci flamma conſumit. Deinde ad ciuitatem *Vratislauienſom* (quæ tum primum *Henrici* Ducis induſtria a *Theutonicis* diſponi, & iure *Theutonico* locari cœperat) accedens, eam tribus menſibus continua obſidione premebat. Quæ etſi tunc in propugnaculis languida atq; nouella exſtitiſſet, obſidionem tamen *Boleslai Calui Legnicenſis* Ducis, non ſolum fortiter tulit, ſed etiam per frequentes eruptiones exercitum ipſius multifariis damnis moleſtauit, adeò, vt *Boleslaus* ab illius obſidione cœpto irrito recedere cogeretur.

Iacobus Leodienſis Archidiaconus ex *Lugduno* a Papa *Innocentio IV.* in *Poloniam, Pomeraniam* & *Pruſſiam* Nuncius miſſus, aduenit in *Poloniam*, & negotia ſibi a Sede Apoſtolica commiſſa confecturus, Synodum apud *Wratislauiam* agit. 1244. Ad quam cum *Fulco Gneſnenſis* Archiepiſcopus, *Prandotha Cracouienſis, Boguphalus Poſnanienſis, Thomas Wratislauienſis, Michael Wladislauienſis, Andreas Plocenſis, Naukerus Lubucenſis, Henricus Culmenſis, Polonicæ* Eccleſiæ, & *Gneſnenſis* Prouinciæ Epiſcopi, cum ſuarũ Eccleſiarum Capitulis conueniſſent, *Iacobus Leodienſis* Archidiaconus Nuncius Apoſtolicus, *quantis Sedes Apoſtolica & eius Præſul Innocentius IV. ex diuturna guerra, inter ipſum & Fredericum Imperatorem, pro defenſione libertatis Eccleſiaſticæ, afflicta ſit calamitatibus, in quantas difficultates & debita prolapſa, & quantis circumdata anguſtiis*, longo ſermone edicit: nomineque Romanæ Eccleſiæ & *Innocentii IV. medietatem omnium redituum, per tres annos continuos pro ſubuentione* ab Eccleſia *Polonica*, magno ſtudio flagitare cœpit. Aſſerens *impium & crudelem fore, qui tam euidenti neceſſitati afflictæ & anguſtiatæ matri ſubuenire detractet.*

Clerus Polonicus concedit quintam partem omnium redituum Sedi Apoſtolicæ ad triennium.

Pontifices autem *Polonicæ* Eccleſiæ, variis conſultationibus habitis, ad ſubueniendum Eccleſiæ *Romanæ* & *Innocentio IV.* de quinta parte ſuarum Eccleſiarum, & beneficiorum ſui Cleri per triennium (medietas enim onerоſa videbatur) ſe ſubmittunt. Et quo ſubuentio ipſa in Summi Pontificis conſpectu gratior foret atque commendabilior, pro vniuerſo triennio ſubuentionem ipſam quintæ partis, in conſtituto die celerrimè conferunt, & Summo Pontifici per *Gothfridum* Pœnitentiarium Apoſtolicum, collectam pecuniam & in aurum redactam, transmittunt. Pro quo Pontificibus & Clero *Poloniæ* ab *Innocentio IV.* gratiæ in publico ſunt actæ. Habebatur autem in vniuerſo *Poloniæ* Regno obſeruantia vetus & conſuetudo ab exordio ſuſceptæ fidei, in eam vsque diem, in morem primitiuæ Eccleſiæ & ritum, quem Orientalis Eccleſia obſeruare non deſiit, pro legitima ſanctione cuſtoditum, ieiunium Quadrageſimale, a Dominica *Septuageſimæ* incipere, & in diem *Paſchæ* continuare.

Tunc primum Quadrageſima a die cinerum incipit, quæ prius a Septuageſima.

Quæ a pluribus ſæpenumero præuaricata perſonis, multarum diſcordiarum inter Clerum & laicalem populum afferebat ſeminarium & fomentum, aut publica aut graui pœnitentia, aut cenſura mulctantibus, aut Eccleſiæ ingreſſum denegantibus; Laicis è contrario opponentibus, conſuetudinem & obſeruantiam præfatam ab Eccleſia *Romana* contraria conſuetudine & obſeruantia in ſingulis Regnis, terris, & Prouinciis *Romanæ* Eccleſiæ ſubiectis abolitam fore, & ſe ad illam more aliorum Catholicorum non teneri. Pluribus itaque diebus in præfata *Wratislauienſi* dieta, per *Iacobum* Apoſtolicum Nuncium & Pontifices *Poloniæ* eorumque Clerum, nodo huiusmodi rei ventilato, prædictus *Iacobus* Apoſtolicus Nuncius, de conſilio & aſſenſu Pontificum & Cleri Eccleſiæ *Polonicæ*, conſeruantiam

1248. & conſuetudinem, prædictas multas difficultates & ſcandala parientem, auctoritate Apoſtolica ſuſtulit, & tàm Eccleſiaſticis quàm ſecularibus perſonis, vſum carnium ad Cinerum diem excluſiuè, contraria conſuetudine Eccleſiæ *Polonicæ*, neque inſtitutione primitiuæ Eccleſiæ obſtante, conceſſit. Ab eo quoque tempore *Septuageſimæ* Dominica à *Polonis* vetus Carnispriuium denominationem, quam hactenus retinet, accepit.

Przemislaus Bohemiæ Regis filius, patrem Regno exuit.

Venceſlaus Bohemiæ Rex, qui ob ſiniſtri oculi defluxum & carentiam *Monoculus* appellatus eſt, ſenio & æuo grandæuus, tam hoſtili odio & liuore (procurantibus & ferentibus huiuſmodi odia Baronibus *Bohemiæ*, & ſignanter *Stiborio*, cognominato ob ſingularem induſtriam *Mudra hłowá*, id eſt, *ſapiens teſta*) inſectatus, quàm à filio ſuo *Przemiſlao* anguſtiatus & conſtrictus eſt, vt Regnum illi reſignaret, tribus tantummodò caſtris, videlicet *Szwiekow*, *Łokieth*, & *Ponthe*, ſibi reſeruatis. Verùm dum nec ſic furor filii *Przemiſlai* & conſulentium ſibi quieſceret, ſed *Przemiſlaus* ipſe *Barſzonem* de *Osziek* alias *Kiremburg* (eo quòd cum Patre contra illum ſenſiſſet) capitali perſequeretur odio, caſtrum etiam *Ponthe*, quod *Barſzo* à Patre tenebat, obſidione vallaret, *Barſzo* cum Baronibus de *Szwemberg*, & *Lemberg*, & aliquibus de *Miſſna*, caſtra *Przmiſlai* nocte inuadens, percuſſit, pluribusque interfectis, *Przemiſlaum*, & omnes ſuos in turpem fugam egit.

Qui tandem à Patre captus eſt,

Rex autem *Venceſlaus* & *Bohemorum* & *Auſtrialium* adiutus aſſiſtentia, occupatum à filio Regnum recuperat, & filium ad ſe in *Thirſzow* venientem captiuat, & carceri includit, ſuorum verò Conſiliariorum capita, in monte petrino, trabe iuſſit decuti. Inter quos etiam caput *Stiborij Mudra hłowá* de *Szumberg* & *Thowaczow* (qui in ſua ſapientia adeò confidentiam habuiſſe aſſeritur, vt Deum poſſe ſe in conſilium ſuum vocare gloriaretur) trabe decuſſum eſt.

eiq; reconciliatus Morauiam accepit.

Przemiſlaus verò filius poſt humiliatus, & per Barones Patri reconciliatus, calcitrare erubuit, & patre concedente, in *Morauia* ad patris mortem geſſit Principatum.

1249. *Przemislaus & Boleslaus iterum maiorem Poloniam diuidunt.*

Diuiſionem terrarum & Ducatuum *maioris Poloniæ Przemiſlaus Gneſnenſis* & *Poſnanienſis* Dux, inter ſe & *Boleſlaum* germanum ſuum Ducem *Caliſſienſem*, ſuperiori tempore celebratam infecturus, caſtrum & ciuitatem *Poſnanienſem*, iuxta Eccleſiam maiorem *Poſnanienſem*, magna diligentia atque expenſa, variisque ædificiis foſſatis & propugnaculis extruxit & conſummauit. Et fratre ſuo Duce *Boleſlao Caliſſienſi* accerſito, conſignato ei *Gneſnenſi* Ducatu, ac caſtris oppidiſque *Bnin*, *Grodecz* ſeu *Giecz*, *Biechow*, *Oſtrow*, *Nakiel*, *Vſczie*, *Czarnkow*, & *Srzem*, caſtrum & Ducatum *Caliſſienſem* ab illo in perpetuam poſſeſſionem accepit, nouamque diuiſionem inter ſe, & fratrem *Boleſlaum* non ex æquo aut Conſiliariorum arbitrio, ſed ex ſenſu proprio, priori irrita (*Boleſlao* natu minore aduerſari non audente) multis viris improbantibus, celebrauit, meliora quæque in ſuam ſortem approprians, & infœcunda & quæque deteriora *Boleſlao* fratri relinquens. Coniecit & in vincula præfatus *Przemiſlaus Poſnanienſis* Dux *Thomam* Caſtellanum *Poſnanienſem*, & *Thomiſlaum* Pincernam, & filium eius *Sandziuogium* Nobiles de domo *Nałencz*: aſtruens *illos ad ſe & fratrem ſuum Boleſlaum* de *maioris Poloniæ Ducatibus eiiciendum, & ad tradendum Ducatus ſuos præfatos Boleſlao Duci Legnicenſi, conſpiraſſe*. Quos in caſtro *Gneſnenſi* aliquanto tempore ferreis catenis tenuit conſtrictos. 1249.

Boleslaus Caluus Legnicensis Dux, iterum Henricum fratrē oppugnat,

Boleſlaus Caluus Legnicenſis Dux, ſortem quæ ſibi prius obtigerat, & de qua ſponte *Henrico* germano ſuo ceſſerat, Ducatum videlicet *Wratiſlauienſem* repetiturus, *Saxonibus* & *Theutonicis*, cæteriſque peregrinis militibus, quos pretio in ſui auxilium conduxerat, adiutus, alteram in *Wratiſlauienſem* terram agit expeditionem. Et fratre ſuo *Henrico* detrectante certamen, & caſtra tantummodò & munitiones tueri contento, *Boleſlaus Legnicenſis* Dux, fortem & numeroſum ducens exercitum, oppida & rura vaſtat & incendit, & prædam magnam pecorum & captiuorum in terram *Legnicenſem* abducit. Terra autem peruaſtata, etiam ciuitatem *Wratiſlauienſem* ſecunda obſidione conſtringit. Aliquanto autem tempore in eius obſidione commoratus, pluribus damnis per eruptiones & inuaſiones eorum, qui pabulatum ſe conferebant, exceptis, in *Legnicenſem* Ducatum fremens & triſtis, quòd duabus expeditionibus nihil proſperè egiſſet, rediit. *ſed ſuo malo.* Quem in *Legniczam* redeuntem, Barones & milites ſui captiuant, & incarcerant, poſthæc de ſinceritate facienda ſponſionem faciens, dimiſſus in libertatem, caſtra *Theutonicis* tradit, vt liberius proprios vaſtaret, ſuam captiuitatem ſatagens vltum iri. Donat inſuper caſtrum *Lubuſcz* Archiepiſcopo *Maydeburgenſi* ea conditione, vt ſibi in gentibus tranſmittat auxilia. Quibus cognitis *Przemiſlaus Poſnanienſis* Dux gener ſuus, qui ſororem ſuam germanam habebat in conſortem, ipſum velut delirantem detinuit, & ſub honeſta cuſtodia ſeruauit captiuatum.

Nicolaus Pragenſis Epiſcopus, apud *Venceſlaum Monoculum Bohemiæ* Regem per æmulos famæ & nominis ſui accuſatus, quòd & ipſe cum filio Regis *Przemiſlao* ſenſiſſet, & ipſum ad rebellandum Patri ſubordinaſſet, iuſſu *Venceſlai* Regis captus eſt. Propter quod Interdictum Eccleſiaſticum in vniuerſa *Pragenſi* diœceſi, quouſque in libertatem rediit, obſeruatum fuit.

Bruno Ołomunecenſis Epiſcopus, dignitate Sacerdotii neglecta, oppidum *Ratiborienſe*, ob quaſdam ſimultates & inimicitias cum *Vla-*

1249. *Vladislao* Duce *Ratiborienſi* ſuſceptas, obſidione cingens, expugnat, & tàm Eccleſias quàm monaſteria & oppidum incendio abſumit. Ad caſtrum etiam *Ratiborienſe* machinas admouet, ſed inde repulſus, turpiter abiit. Poſt tractatus autem varios pro pace componenda hinc inde habitos, *Wladiſlaus* Dux oppidum *Ratiborienſe* tribus millibus marcarum *à Brunone* redemit.

Expeditio per Ludouicum Regem Franciæ contra Saracenos male geſta.

Francorum Rex *Ludouicus*, pro libertatione terræ Sanctæ ſumpta cruce, cum ſuis Epiſcopis, Baronibus & Principibus, transfretaturus iter transmarinum, & in die Aſcenſionis Domini ex *Cypro*, vbi integra hyeme hybernauerat, nauem conſcendens, nauigansque, portum & ciuitatem *Damiata* capit. Vltrà verò ad expugnandum *Saracenos* procedens, obuiam habuit multitudinem Saracenorum in paſſibus ſtrictis, vbi multi de ſuis occiduntur, inter quos fuit frater ſuus *Robertus*, cuius nimia celeritate clades ipſa acciderat. *Ludouicus* verò *Franciæ* Rex cum pluribus ſuis capitur, & cum captiuitatem annis quinque pertuliſſet, data pecunia ſe ipſum & omnes in libertatem vendicauit.

Andrea Plocenſi Ep. ſuccedit Petrus.

Andreas Plocenſis Epiſcopus, dictus *Cracouienſis*, cum annis vndecim ſediſſet, febribus maceratus decima ſeptima Ianuarii moritur, & in *Plocenſi* Eccleſia ſepelitur. Cui *Petrus*, cognominatus breuis, Canonicus *Plocenſis*, per electionem Canonicam via compromiſſi celebratam, ſuccedit. A *Fulcone Gneſnenſi* Archiepiſcopo apud *Caliſz*, *Caſimiro* & *Semouito* Ducibus *Maſouiæ* illum promouentibus, confirmatus & conſecratus eſt.

Claruit ſub hoc tempore in *Lombardia*, vita, doctrina, atque miraculis *B. Petrus* de ordine Prædicatorum, natione *Veronenſis*, ſed in territorio *Mediolanenſi* ab hæreticis, Deum tantummodo viſibilium, dæmonem inuiſibilium creatorem aſtruentibus, velut ſectæ eorum damnator, occiſus, magnis cœpit coruſcare miraculis.

Innocentius Papa IV. Albertum Epiſcopum olim *Armanacum*, tunc verò in Archiepiſcopum *Ruſſiæ* promotum, ad *Danielem Ruſſiæ* Regem, obedientiam ſibi & *Romanæ* Eccleſiæ ab eo præſtitum iri requirens, mittit. Sed Rex callidus & rebellis, neque requiſitioni Apoſtolicæ paruit, neque ſe fidum, ſed hoſtem *Romanæ* Eccleſiæ egit, Legatumque Apoſtolicum *Albertum* ſine honore dimiſit.

Henrico Imp. ſuccedit Wilhelmus.

Henricus Landtgrauius & Dux *Thuringiæ*, cognominatus *Aſpe*, filius *B. Heliſabeth*, mandato *Innocentij* Papæ, ab Electoribus Imperii, poſt *Frederici* depoſitionem, in Regem *Romanorum* electus, moritur, & mandato eiuſdem Summi Pontificis *Innocentij*, Electores ad electionem alterius Regis procedentes, *Guilhelmum* alias *Vilkinum* Comitem *Hollandiæ* in Regem & Imperatorem *Romanorum* eligunt.

Cruciferos Pruthenicædunt. 1249.

Adunato *Cruciferi*, qui *Balgam* & *Elbing* caſtra & oppida in *Pruſſia* obſeruabant, non mediocri ex propriis & forenſibus militibus exercitu, *Pruthenorum* regionem *Nactaga* ſiue *Managa* hoſtiliter ingreſſi, tàm flammis quàm cædibus crudeliter vexauerunt. Vaſtatione autem peracta, dum redirent, *à Pruthenis* iniquorum locorum opportunitate circumſepti, dum neque effugiendi, neque iuſta acie dimicandi ſpatium foret, barbaris qui & ipſi plures numero erant, inſtantibus, ſe hoſtibus (Marſchalco Duce exercitus, & *Henrico* Crucifero necquicquam improbantibus) dedunt. A quibus omnes ad vnum trucidati ſunt atque deleti, circa villam vocatam *Vitke*. Vbi etiam non mediocris alia cæſa eſt à barbaris Chriſtianorum multitudo.

Creſcentibus ſtupendis & magnificis miraculis, quæ clementia Saluatoris, per *B. Staniſlai* Pontificis *Cracouienſis* glorioſa merita, *Polonorum* genti in earum cladium & afflictionum, quibus & à *Tartaris* & à ciuilibus bellis attrita eſt, leuamen, operari dignata eſt: *Boleſlaus Pudicus* Dux, & *Prandotha* Epiſcopus, *Cracouienſes*, feruentis ambo deuotionis viri, Nuncios, Magiſtrum *Iacobum* Decretorum Doctorem Decanum *Cracouienſem* ortum de *Skarzeſzow*, humilis quidem ſortis, & ſtaturæ infimæ & exiguæ, ſed magnæ & raræ doctrinæ, prudentiæ & faciuitatis virum; & Magiſtrum *Gebhardum* Canonicum *Cracouienſem*, & Fratrem *Boguſlaum* Ordinis Prædicatorum Subpriorem domus *Cracouienſis*, *Lugdunum* ad *Innocentium* Papam, miracula ipſa expoſituros transmittunt. Quæ etſi ſummo Pontifici *Innocentio* in facie Conſiſtorii publici per Magiſtri *Iacobi* de *Skarzeſzow* Decani *Cracouienſis* organum, grauiter & diſertè enarrata forent, Summus tamen Pontifex, grauitatem in rebus ſimilibus à Sede Apoſtolica cuſtodiri ſolitam obſeruans, Archiepiſcopo *Gneſnenſi*, *Wratiſlauienſi* Epiſcopo, & Abbati de *Lubens*, examen miraculorum *B. Staniſlai* per literas ſpeciales mandat & committit, iubens illis & ſingulariter iniungens, quatenus propter diuturnam & longæuam earum rerum, quæ de paſſione & martyrio *B. Staniſlai* Epiſcopi *Cracouienſis* ferebantur, protelationem, quendam militem centenarium (*Gethko* hic erat) cum omni diligentia ac ſollicitudine examinent. Qui etſi *S. Staniſlaum* non nouerit, eos tamen qui illum nouerant, pro comperto habebatur nouiſſe, & illis referentibus, vitæ beati viri puritatem & conuerſationem, innocenter & religioſè per omne æuum traductam, ordinem denique & cauſam martyrii, & miracula quæ in vita & morte operatus eſt, didiciſſe. Cuius Commiſſionis tale exſtat exemplar. 1250

Nuncij Romam miſſi pro ſollicitanda canoniſatione S. Staniſlai

& Papa proprium commiſſarium mittit ad examen.

Commiſſio Papæ pro canoniſatione S. Staniſlai.

Innocentius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Dilecto filio Iacobo Velletrenſi Ordinis fratrum minorum, Salutem & Apoſtoli-

1250. *licam benedictionem. Licet venerabili olim fratri noſtro Epiſcopo Cracouienſi, & dilectis filiis Capitulo & Clero Cracouienſis ciuitatis & diœceſis, ſuis nobis literis intimantibus, quòd mirabilis Deus in Sanctis ſuis, piæ memoriæ Stanislao Epiſcopo Cracouienſi tot & tantis dat coruſcare miraculis, vt illius ſanctitas apertis indiciis comprobetur, & ipſius inter alios Sanctos non inuocari ſuffragia eſt indignum, venerabilibus fratribus noſtris Archiepiſcopo Gneſnenſi, Epiſcopo Wratislauienſi, dilecto filio Abbati de Lubens, Ciſtercienſis Ordinis Wratislauienſis diœceſis, dederimus noſtris literis in mandatis, vt aſſumptis ſibi viris religioſis & Deum timentibus, de virtute morum, & veritate ſignorum, operibus videlicet & miraculis, diligentiſſimè inquirentes, quæ inuenirent, Nobis ſuis literis fideliter intimarent. Ipſiſque in negotio huiuſmodi procedentibus, & reſcribentibus Nobis, Nos fidem adhibeamus, vt conuenit, propoſiti eorundem: quia tamen in tanto negotio eſt grauitate & maturitate præuia procedendum, te ad partes transmittentes, eaſdem diſcretioni tuæ auctoritate præſentium, in virtute obedientiæ diſtrictè iniungimus, vt à dictis inquiſitoribus, ſi ſuperſtites & præſentes in Prouincia fuerint, an ſic proceſſerint, ſicut ipſorum ſigillis recepimus, perſcruteris, & ipſorum actorum exempla, ad maiorem certitudinem tecum portes, faciens tibi præſentari eos, qui dicuntur à diuerſis infirmitatibus fuiſſe liberati, quos & quot potueris. Ac illos duos centenarios ſi ſuperſtites fuerint, de quibus mentio eſt in actis: quæ dicuntur ab aliquibus accepiſſe, vel eorum alterum, quòd Sanctum nouerunt eundem, & de ipſius clara & honeſta conuerſatione, dum viueret, audierunt: inquiſiturus ab ipſis & inſpecturus an ita ſit. Nihilominus deuotionem populi, & famam communem ſuper Martyrio & cauſa Martyrii, nec non ſanctitate ipſius inquiras. Inſuper vtrùm Cracouienſis diœceſis Paganis & Ruthenis Schiſmaticis ſit confinis, vt per hoc ex ipſorum confinio lucrum prouenire valeat animarum. Ad hoc librum Chronicorum, quoad capitulum pertinens ad negotium memoratum, ex Archiuo Ducis Poloniæ editum, & etiam librum Annalium & Epitaphium conſidera diligenter. Et his ſummatim ſub obteſtatione iuramenti, vbi tibi viſum fuerit, coram prioribus inquiſitoribus præſtiti, plenius intellectis, ſi aliqui teſtes ſuper prioribus vel nouis articulis fuerint, eos iuratos ſecundum formam recipiendorum teſtium prudentum recipias, & diligenter examinare procures. Et ſic inſtructus ad Nos, vt per te ſuper his inſtruamur plenè, reuertaris. Datum Peruſii. Septimo Calend. Iunii. Pontificatus Noſtri anno IX.*

Henricus Danorum Rex ab Abele fratre vita & regno priuatur.

Henricus Danorum Rex Illuſtris, cum velut natu maior patre mortuo in Regnum & paternum ſolium ſuffectus, annis aliquot illud iuſtè, piè, & religioſè adminiſtraſſet, à fratre iuniore *Abel* nomine, Regnum & Dominationem ambiente, tàm Regno quàm vitâ priuatur. Cum nonnullis ſiquidem ſceleſtis viris, in necem Regis & fratris ſui, teterrimo illum diligentis affectu, conſpirans, ipſum capit, captumque marinis ſuffocat vndis, Regnumque illicò inuadit. Facinus tamen deteſtandum vlciſcente Deo, neque Principatus neque vitâ fuêre illi diuturna. *Friſonibus* enim, ſub iugum illos cogi ſatagens, bellum anno inſequenti inferens, prælio inito ab illis occiſus, & vitam & Regnum amiſit. 1250.

Dux Boleslaus fratrem tertio infeliciter inuadit

Duabus expeditionibus contra *Henricum Legnicenſis* Ducem *Wratislauienſem* germanum, ſuumque Ducatum, ſuperioribus annis indictis, *Boleslaus Caluus Legnicenſis* Dux tertiam adiecit, & æſtate anni huius ſtipendio conductis militibus, tertiò & Ducatum *Wratislauienſem* vaſtauit, & ciuitatem obſedit, pluribuſque conatibus ad eius oppugnationem curam & cogitationem impendit. Sed tàm militum Ducis *Henrici*, quàm forti ciuium reſiſtentia, tertiò repulſus, in *Legnicz* fremens rediit, & ſingula vaſtauit igne. A militibus *Teuthonicis*, quos conduxerat, pro mercede promiſſa vexatus, omnibus equis, armis, fortunis, & clenodiis ſe exuit, & mercenariis militibus ſemiplenè ſtipendium perſoluit. Propter quod & in ſuo *Legnicenſi* & *Wratislauienſi* Ducatibus, plura fuerunt noua loca per prædones & eos quibus ſolutio facta non fuerat, incaſtellata. Multis autem *Boleslaus Legnicenſis* Dux preſſus incommodis, caſtrum ſuum *Lubecenſe Ioanni* & *Othoni* Marchionibus *Brandenburgenſibus* in leui pecuniarum quantitate (ea etiam ſpe illectus, quòd *Brandenburgenſes* Marchiones illum ſuis gentibus contra fratres *Henricum* & *Conradum* adiuuare ſe aſtrinxerant) obligat. Ab eoque tempore caſtrum & diſtrictus ipſe, à *Polonorum* Regno alienatus, ad Marchionatum *Brandeburgenſem* tranſiit. Verùm dum nec ſic longo bello rebus ſuis, debitis & ære alieno inuolutus, prouidiſſet, à propriis militibus deſertus & contemptus, à mercenariis verò, quibus non exſoluerat, cæteriſque prædonibus caſtra noua occupantibus, adeò exinanitus, & in egeſtatem penè extremam detruſus eſt, quòd frequentius pedibus, quàm equo vectus, omnibus deſtitutus familiaribus, vno tantummodo *Surriano Figellatore* miſerrimè aſſociatus, & ſtipe aliena nutritus, paſſim vagaretur. Ab *Henrici* quoque fratris ſui militibus captus, & in vincula apud *Wratislauienſe* caſtrum coniectus, iubente *Henrico* fratre, & calamitatem ignominiamque fraternam, non ſecus quàm propriam piis abhorrente præcordiis, dimiſſus, in *Legnicz* ſe recepit, & contra fratres ſuos *Henricum* & *Conradum* machinari non deſtitit. Et pro excutienda egeſtate qua tenebatur, oppida *Zithauiam* & *Gierliczam* in ſua forte conſiſtentia, in ſummis grauibus Baronibus & ſub-

& caſtrum Lubucenſe à regno alienat.

1250. ſubditis ſuis tradidit & inſcripſit,Ducatumq; ſuum truncatione enormi diſcerpſit. Quæ omnia Beata auia ſua *Heduigis* dum viueret, A nonnullis timoratis perſonis prædixerat Ducatibus *Sleſiæ* & fratribus per *Boleslaum Legnicenſem* Ducem fore inferenda.

Fridericus Imp. moritur.

Fridericus IV. Romanorum Imperator, ab Imperio,& *Siciliæ* Regno,per *Innocentium IV.* ſententialiter depoſitus, ex *Italia*,vbi plures clades & infortunia pertulerat, in *Neapuliam* veniens graui ægritudine apud *Feremſolem* preſſus, ſine pœnitentia & in anathematis vinculo moritur. Quem fertur *Manfredus* filius eius naturalis (Regnum *Siciliæ* & theſauros paternos ambiens) vno Secretario Imperatoris conſcio, ne ex infirmitate qua detinebatur conualeſceret, cuſſino ſuper faciem eius poſito, ſuffocaſſe. Qui etiam *Manfredus* morte *Frederici* ſecuta, dominium Regni *Siciliæ*, vſurpare & occupare cœpit. A quo illum *Conradus* Rex filius legitimus *Frederici* de filia *Ioannis* Regis *Hieroſolymitani* ſuſceptus, & quem *Siciliæ* Barones ſingulari proſequebantur fauore, deiecit. Hic *Fredericus Petrum* de *Vineis* Cancellarium ſuum, & omnium rerum ſuarum fidelem & ſolertiſſimum curatorem, viginti notabilibus Curienſibus, coniuratione contra illum ex liuore facta Imperatori *Frederico* illum de certis & enormibus criminibus pari relatione vnoque tenore ſeparatim accuſantibus, fidem præſtans, vtroque lumine excœcauit. Accuſatione tandem diſcuſſa, cum illum innocentem comperiſſet, vehementer doluit. *Petrus* verò de *Vineis* priuationem luminum impatientius ferens, caput ad petram allidens, miſerabiliter expirauit. Qui poſt cæcitatem Imperatori reconciliatus in dolo conſuluit, vt ad reſcindendam egeſtatem qua laborabat extremè, omnium clenodiorum in Imperio & Regno *Siciliæ* conſiſtentium Eccleſiarum acciperet medietatem. Qui cum id conſilium fuiſſet executus,exprobrauit illi in faciem *Petrus* de *Vineis*,quòd non ſincerè ſed liuoroſè & vafrè illud ſibi præſtitiſſet conſilium,præcipitaturus illum ad Dei indignationem & furorem, & ſupplicium ſuæ cœcationis de eo ſumpturus.

Is Petrum de Vineis falſo accuſatum cœcauit.

1251. *Opolienſis* Dux *Vladiſlaus*, glotem ſuam germanam Duciſſam *Iudithbam* relictam olim fratris ſui *Mieczslai Ratiborienſis* Ducis, & filiam *Conradi Maſouiæ* Ducis, orbam & ſterilem, pro quingentis marcis argenti, quas in *Ratiborienſem* Ducatum pro dote à *Conrado Maſouiæ* Duce Patre ſuo intulerat, ſoluturus, quatenus villas & poſſeſſiones in *Ratiborienſi* Ducatu,occaſione dotis & dotalitii eidem *Iudithæ* Duciſſæ inſcriptas,ab obligatione & eiuſdem Duciſſæ tenuta abſolueret,& terram *Rudenſem* à principali caſtro & ciuitate *Ruda* denominatam,quæ nunc *Vielunenſis*,ad amœnos, irriguos & perennes fontes, in baſſo & fœcundo ſolo translocata,cum *Ruda* in editiori loco conſiſtens,ſterilis & inaquoſa eſſet, appellatur. 1251. A Quam tempore exilii, quo *Przemislaus* & *Boleslaus* filii *Wladislai Othonis*, ab *Henrico cum barba Sleſiæ* Duce de terris *maioris Poloniæ* cum Patre pulſi, de conuenientia eiuſdem Ducis *Henrici cum barba*,occupauerat, intelligens ſibi poſſeſſionem eius fieri non poſſe diuturnam, præfatæ *Iudithæ* Duciſſæ gloti ſuæ fratris *Mieczslai* relictæ (Duce *Caſimiro Cuiauienſi* & *Lancitienſi* rem gratificante) tradere diſponit in dotis ſuæ poſſeſſionem. Cum autem dies, de quo inter *Wladislaum Opolienſem*, & *Caſimirum Cuiauienſem* & *Lancitienſem* fratrem relictæ *Mieczslai*,Duces,conuenerat,aduenieſſet, *Przemislaus Poſnanienſis* & *Caliſſienſis* Dux,de his certior per amicorum auiſamenta factus,ne notabilis portio hæreditatis B ſuæ,ex contractu eiuſmodi,ampliorem alienationem contraheret, cum expedita militum manu verſus *Rudam* caſtrum aduenit, & tardantibus nunciis & gentibus *Caſimiri* Ducis *Cuiauienſis* & *Lancitienſis* ad poſſeſſionem illius apprehendendam tempeſtiuè venire, *Poſnanienſis* & *Caliſſienſis* Dux *Przemislaus* caſtrum *Rudenſe* vacuum reperiens (gentes enim Ducis *Opolienſis Wladislai* iam de illo diſceſſerant,ſolo tenutario,cum paucis,ad tradendum illud *Caſimiro Cuiauienſi* & *Lancitienſi* Duci, relicto) in poſſeſſionem illius intrauit. Et in obedientiam & ſubiectionem eius ſingulis militibus terræ *Rudenſis* ſponte ruentibus,terram C *Rudenſem* extunc pacifice,velut ſortem ſui patrimonii legitimam,poſſidere cœpit. Quo cognito gentes *Caſimiri Cuiauienſis* & *Lancitienſis* Ducis,qui tardiuſculè pro caſtro *Rudenſi* poſſidendo aduenerant, abierunt retrorſum concito curſu, veriti ne *Przemislaus Poſnanienſis* & *Caliſſienſis* Dux illos inuaderet. Dux etiam *Opolienſis Wladislaus* ademptum ſibi *Rudenſem* Ducatum æquo animo tulit,nec illum iure aut iniuria à *Przemislao* (ſciens ſe illum violenter & præter æquitatem poſſediſſe) repetiit. Gloti autem ſuæ Duciſſæ *Iudithæ Mieczslai* relictæ,dotis ſummam argento parato *Henrico Wratislauienſi* Duci qui illam in conſortem acceperat, & filium *Henricum* fili- D amque *Heduigim* ex ea ſuſceperat,exſoluit. Sed & cum *Przemislao Poſnanienſi* & *Caliſſienſi* Duce affinitatem iunxit, & ſororem eius *Euſemiam* accepit in conſortem, nuptiis cum magna ſubditorum hilaritate in *Poſnania* celebratis.

Przemislaus Poſnanienſis Dux caſtrum Rudenſe recuperat.

Miraculis Beatiſſimi *Stanislai* Epiſcopi *Cracouienſis* & martyris per Commiſſarios Apoſtolicos, *Gneſnenſem* videlicet Archiepiſcopum, *Wratislauienſem* Epiſcopum & Abbatem de *Lubens* cum magna & exacta grauitate examinatis,& in publicum ſcriptum redactis,priores huius negotii Nuncii,videlicet Magiſter *Iacobus* de *Skarzeſzewo* Decretorum Doctor, Decanus,& Magiſter *Gerrhardus* Canonicus, *Craco-*

Iterum nuncii pro S. Stanislai canoniſatione Romam mittuntur.

1251. *couienſis*, canoniſationem Beati viri, apud *Innocentium IV.* Papam ſollicitaturi, ad curiam *Romanam* per *Prandotham* Epiſcopum & Capitulum *Craconienſe* ſumptibus datis prouiſi, altera vice tranſmittuntur: & vt res ipſa facilius tranſigi & obtineri poſſet, Nunciis præfatis nonnulli Fratres Prædicatores, & Minores de monaſteriis & domibus *Craconienſibus* in literis Diuinis eruditi, & zelum Dei habentes, adiuncti ſunt.

Sal in rure Bochnia inuenitur.

In villagio & rure *Bochnia*, quinque *à Craconia* miliaribus diſtante, *Sal* durum & compactum, quod extrahitur in peciebus groſſis, in pleriſque locis adeo candidum, vt criſtalli ſpeciem viſentibus præbeat, cuius & hactenus vberrimus vſus, repertum eſt, & oppidum locatum. Eccleſia quoque Parochialis in honorem Sancti *Nicolai* Confeſſoris erecta, & *à Boleſlao Pudico* liberaliter dotata eſt. Quæ quidem ſalis repertio, Beatæ fœminæ *Kunegundis* Duciſſæ *Boleslai Pudici* conſortis meritis, iam tunc fulgentis virtutum iubare, aſſcripta eſt.

Boleslaus Caluus Legnicenſis Dux, filius *Henrici à Tartaris* occiſi, bellum ſibi *à Conrado* fratre germano, ob non præſtitam contingentem comportionem, ratus quandoque imminere, *Hinkonem* filium *Mirszonis* Caſtellani *Groſnenſis*, quamuis ſibi inter paucos eorum ſpe exigendæ pecuniæ in *Almanos* & externos, cum quibus omnia ſua agenda communicare conſueuerat, diſtribuendæ, qua parentē ſuum *Mirszonem* abundare ſperauerat, capit, & captum *Almanis*, quibus pecuniam debebat, pecunia mulctandum tradit. Quare adeò omnium *Poloniæ* Baronum, in ſuo *Legnicenſi* Ducatu, animi ab eo alienati, & ſibi infenſi facti ſunt, vt caſtrum & oppidum *Croſnam*, cæteraſque quæ in eorum poteſtate erant munitiones, *Conrado* fratri & aduerſario ſuo traderent, & in illius ſe conterrent, *Boleſlao Caluo* deſerto, (tyrannidem ſuam in dies amplius graſſantem perosi) ditionem.

A Boleſlao Caluo ſubditi ad fratrem Conradum deficiunt.

Viola genere & natione *Bulgara*, Duciſſa de *Opol*, moritur.

Spoliaturi fines *Polonorum* quidam ex caſtro *Luboſz* latrunculi, in campeſtria caſtri *Zbaſchin* perueniunt, & gregem pecorum haud mediocrem nacti, etiam paſtorem, ne facinus fugiens denunciaret, ſimul apprehendunt. At ille tam ſe quam pecus à ſe cuſtoditum in libertatem vendicaturus, *ſi huc*, inquit, *prædaturum veniſtis, ampla poteſt vobis præda, ſi pecus meum inuiolatum fuerit, meo iudicio contingere.* Lætis illis, & incolumitatem tam ſibi quam pecori pollicentibus, *caſtrum*, ait, *Zbaſchin, grauioribus ad illius excubias pro ſua* [illegible] *per vices enim cuſtodiri ſolitum* [illegible] *à tribus tantummodò & his paucis & inermibus, cuſtoditur: illo ſi quid audaciæ vobis eſt, facilè potiri poteritis.* Qui capta præda [illegible], e veſtigio ad caſtrum perueniunt, & pro cuſtodia caſtri ſe venisse, quemadmodum à paſtore docti fuerant, mentiti, ad caſtrum cum fauore intromiſſi, caſtrum occupant, & eos quos ibi reperiebant vinciunt. Cuius facti noctu nouitas, cum ad *Przemislaum Poſnanienſem* & *Caliſſienſem* Ducem, altero ex quo contigerat die, feſtinantiſſimè delata fuiſſet, nihil rei atrocitate, quæ alium pauore perculiſſet, territus, feſtinus & ipſe cum pauca ſuorum Curienſium tantum manu, tam nobilibus quàm agreſtibus, ſe celerrimè ſequi iuſſis, ad *Zbaſchin* peruenit, & ſpeciem obſidionis occupatoribus monſtrauit. Qua illi exterriti, cum & caſtrum victualium inops eſſet, & nemo obſeſſis opem laturus ſperaretur, vita tantummodò à Principe impetrata, caſtrum dedunt. Prius quoque deditio ipſa facta eſt, quàm illud milites, veram obſidionem effecturi, conſequerentur. Sed & gratiæ illi à latrunculis ingentes actæ ſunt, quòd illis vitam ſcelere eorum demeritam, ſua propitiatione donauerit.

Caſtrum Zbaſchin à latronibus occupatum Przemislaus recuperat. 1251.

In maxima egeſtate & penè deſperatione *Cruciferis*, ex clade apud *Nactagam* regionem ſuſcepta, conſtitutis, Marchio *Brandeburgenſis*, item Epiſcopus *Mersburgenſis*, item Comes *Henricus* de *Szwarczburg*, cum gentium armatarum auxiliis adueniunt, & *Pruthenos* ſuperiori victoria exultantes, ſtrage frequentius edita adeò atterunt domantque, vt quinque *Pruthenicæ* regiones armis ſubactæ, videlicet *Pomerani*, *Erminii*, *Pogezani*, *Barthini*, & *Nactangini*, etiam fidem *Chriſti* profiteri, & idola relinquere coactæ ſunt. Sub quo tempore quarto Magiſtro *Pruſſiæ Hermano* de *Zalcza* obeunte, frater *Conradus* Landtgrauius *Thuringiæ*, in Magiſtrum ſuffectus eſt.

Cruciferorum cladem pii Principes in Pruſſia vlciſcuntur.

Henricus alias *Heidenricus*, qui & *Albertus*, olim *Armacanus*, tunc verò *Culmenſis* Epiſcopus, Eccleſiæ ſuæ bonum regimen, & reſidentiam Canonicorum aſſiduam ordinaturus, cum eſſet Frater ordinis Prædicatorum, Eccleſiam prædictam *Culmenſem* in die *B. Mariæ Magdalenæ* de ſeculari in Regularem transfert, & Canonicis Prælatiſque ſecularibus amotis & conſentientibus, Collegium Canonicorum Regularium in illa inſtituit. Qui bona temporalia habentes in communi, etiam domicilium haberent vnum, & menſam communem.

Seceſſione militarium & ſubditorum ſuorum *Boleslaus Caluus Legnicenſis* Dux, quod ſe deſerto, fratri & aduerſario ſuo *Conrado* adhæſerunt, *Croſnamq́;* & alias munitiones tradiderunt, vehementer furore irritatus, non a deſertoribus tantummodò ſuis, ſed etiam à *Conrado* fratre, pœnas ſeceſſionis huius & contemptus exigere cogitat, *Conradumq́;* fratrem, nihil aliud quam ſortem ſuam ab eo repetentem, primùm captiuare, deinde occidere deſtinat, (pacificus enim erat Princeps *Conradus*, & cum ob manſuetudinem tùm ob paupertatem iniuriæ opportunus) carnificeſque quibus id munus delegat, prece & promiſſis ſubordinat. *Conradus* autem Dux inſidias, ſibi à fratre *Bo-* 1252.

Conradus per fratrem Bo- les-

1252. *leslaum expulſus ad Przemislaum Ducem Poloniæ fugit,*

leslao Legnicenſi Duce comparatas, declinaturus, ad *Przemislaum Poſnanienſem* & *Caliſſienſem* Ducem (neque enim in altero germano A *Henrico Wratislauienſi* Duce plus quam in *Boleslao* ponebat ſpei) diuertit, petens ſui miſereri, & ſe in patrimonii ſui ſortem ſuo brachio reponi. A quo non ſolùm benignè ſuſceptus, ſed etiam comiter & honeſtè habitus eſt, & benè de reſtitutione ſua in ſortem & portionem ſuam ſperare iuſſus. Primùm itaque *Przemislauus Poſnanienſis* & *Caliſſienſis* Dux ad *Boleslaum Caluum Legnicenſem*, & *Henricum Wratislauienſem*, Duces, Nuncios mittit, qui rogarent, *vt iuſtam, germano eorum Conrado, ex paternis Principatibus ſortem tribuerent, ipſumque de cætero in commune omnium ludibrium, exulem, & ſtipe aliena victum queritantem, non ſinerent.* *Henricus* autem *Wratislauienſis* Dux, etſi de ſorte *Conradum* contingente nihil ſe habere reſpondit, obtulit tamen *ſe apud Boleslaum Caluum Legnicenſem Ducem, qui & ſuam & Conradi portionem occupauit, enixius quò poſſet, de reddenda Conrado portione, interceſſurum.* *Boleslaus* verò *Legnicenſis* Dux, cum huiuſmodi *Przemislai* Legationi aſperum & iniquum dediſſet reſponſum, aſſerens *Conradum fratrem ſuum, quòd tonſurâ & Officio Clericali Subdiaconatus relictis, Epiſcopatu etiam Bambergenſi relicto, in ſecularem militiam migrauerit, indignum cui ſors paterna debeatur: Przemislaus Poſnanienſis* & *Caliſſienſis* Dux, tàm de ſuo quàm fratris ſui *Boleslai* Ducis *Gneſnenſis* Dominio, C collecto pedeſtri & equeſtri exercitu, in Ducatum *Legnicenſem* & terras à *Boleslao Caluo* poſſeſſas, habens ſecum *Conradum* Ducem, venit, & caſtrum *Bithom* ſupra flumen *Odram* propè *Glogouiam* conſtruxit, illudque forti militum ſuorum impoſito præſidio, foſſatis quoque vallis, ac turribus muniens, Duci *Conrado* tradidit, non prius à vexatione totius Ducatus *Legnicenſis*, donec ſibi æqua per fratrem *Boleslaum* reddatur portio, quieturus. Sub ipſius autem caſtri conſtructionis tempore, *Boleslaus Caluus* Dux *Legnicenſis* incautiùs ſpeculatum, quid *Przemislai* exercitus ageret, progreſſus, à militibus *Przemislai* excubias agentibus captus, & Duci *Przemislao* præſentatus, in vincula coniectus eſt, qui poſtea cuſtodibus corruptis euaſit. Conſummato autem caſtro *Bithom, Przemislaus* Dux incolumis *Poſnaniam* reuerſus, ſororem ſuam *Salomeam Conrado* Duci præfato deſponſat in vxorem, & magnificas *Fulcone* Archiepiſcopo *Gneſnenſi*, *Boguphalo Poſnanienſi* Epiſcopo, & Baronibus terrarum ſuarum præſentibus, celebrat nuptias. Vbi *Thomam* Caſtellanum *Poſnanienſem*, *Thomislaum* Pincernam, & filium eius *Sandziuogium*, accepta cautione, quòd dolo quolibet circumſcripto, ſibi & fratri ſuo Duci *Boleslao Gneſnenſi* ſinceros fideleſque ſe præſtabunt, à captiuitate abſoluit. In die autem *S. Stephani* Protomartyris anni eiuſdem, præfatus *Przemislaus* Dux, generum ſuum *Conradum* in *Poſnanienſi* Eccleſia, *Boguphalo* Epiſcopo Diuina agente, baltheo inſigniuit militari, & plura illi in Clenodiis aureis & deauratis contulit decora.

a quo in caſtro Bithom reponitur, ipſiq; ſororem Salomeam iungit in matrimonium.

1252.

Nuncii *Cracouienſis* Eccleſiæ, videlicet Magiſter *Iacobus* de *Skarzeſzow*, Decanus, & Magiſter *Gerhardus* Canonicus, *Cracouienſes*, ad procurandam Canoniſationem *B. Stanislai Cracouienſis* Epiſcopi in *Lugdunum* (illic enim *Innocentius IV* tenebat ſedem) miſſi, etſi grandia miracula ſtupendaque opera viri Dei *Stanislai* coram Papa *Innocentio*, & in Conſiſtorio publico, organis propriis, diſertè & ſplendidè enunciaſſent, examen inſuper teſtium per Apoſtolicos Commiſſarios factum, & in ſcriptis redactum oſtendiſſent, curâ quoque & ſolB licitudine ingenti, & *Ioannem Gaietanum* tituli *S. Nicolai* in *carcere Tulliano*, Diaconum Cardinalem, ad videndum examen teſtium deputatum, & *Innocentium* Papam de conſummando Canoniſationis munere vexarent, pluribus tamen Cardinalibus, propter vetuſtatem & longinquitatem temporis, de veritate eorum miraculorum hæſitantibus, maiora quoque ſanctitatis *B. Stanislai* experimenta poſcentibus, Nuncii negotio infecto in *Poloniam* redire ab *Innocentio* iuſſi, noua mandata Commiſſariis Apoſtolicis afferunt. Quibus mandabatur, vt ſcrupuloſius vitam, genus, martyrium *B. Stanislai*, eius quoque miracula, & ab his quos iam examinauerant, & aliis inueſtigarent, & per noua ſcripta Sedem Apoſtolicam certiorem redderent. Non intulit huiuſcemodi dilatio viro excellenti & optimo *Prandothæ Cracouienſi* Epiſcopo, quæ alium deſperare coëgiſſet, faſtidium, ſed plenus feruore & zelo, & proprios teſtes, & plures alios nouos, *Gethkam* tamen præcipuè militem centenarium, ad Commiſſarios Apoſtolicos induxit, & altiori indagatione illos examinari, dictaque illorum in ſcripta redigi procurauit, & dimidium ferè anni in conficiendo huiuſmodi examinationis negotio, ſingula per ſe curans & adiens, abſumpſit. Diſcedit etiam *Innocentius* Papa ex *Lugduno*, vbi annis nouem fuerat commoratus, & in *Italiam* veniens, apud *Peruſium* conD ſedit, & *B. Petrum* Martyrem ab hæreticis in *Lombardia* occiſum, illic canoniſauit. Et ad intrandum Regnum *Neapolitanum* contra *Naufredum* eius occupatorem, magnum exercitum comparabat.

Commiſſio alia de canoniſatione S. Stanislai, quæ tandem peragitur.

Fratribus *Cruciferis* terram *Pomeraniæ* vaſtantibus, dum illis *Pomeranorum* exercitus, ſuas depopulationes prohibiturus, occurriſſet, prælio conſerto victus ab illis eſt, & monaſterium *Oliva* grauibus ſpoliis affectum. Cogebaturque Dux *Pomeraniæ Swantopelkus* per pacis ſufferentiam bellum ſuſpendere. Poſtea verò idem *Swantopelkus* videns ſe & ætate & bellis attritum fore, per medium *Iacobi Leodienſis* Archidiaconi Apoſtolici Nuncii, pacem

Swantopelko cum Cruciferis pacem facit.

1252.

cem perpetuam cum *Cruciferis* de *Pruſſia* firmauit.

Caſtrum Drdzen à Pomeranis occupatum Przemislaus recuperat.

Sleſiano bello, *Barwin* Dux *inferioris Pomeraniæ*, cognoſcens *Przemislaum*, *Poſnanienſem* & *Caliſſienſem* Ducem, occupatum, caſtrum *Drdzen*, quod in ſorte *Przemislai* tenebatur, inuadit, & ſopitis nocte vigilibus comprehendit. Sed *Przemislaus* rebus *Sleſiæ* ordinatis & compoſitis, poſt vnius menſis ſpatium cum forti exercitu adueniens, illud oppugnat, & fauore diuo conquirit, milites quoque pro eius defenſione & cuſtodia relictos, rebus omnibus quæ habebant in prædam militibus ſuis datis, captiuat.

Bela Rex Hungariæ Morauiam, Auſtriam & Styriam vaſtat.

Hungariæ Rex *Bela*, valido ex *Hungaris* & *Cumanis* (qui genus *à Tartaris* ducunt, quique *Tartaris* in regiones ſuas ex *Hungaria* abeuntibus in *Pannoniis* conſederant) collecto exercitu, *Morauiam*, *Auſtriam & Styriam*, ſui illas iuris aſſerens eſſe, vaſtat. Et multa ſtrage in populo edita, maximam multitudinem vtriuſque ſexus hominum ex terris prædictis in perpetuam abducit ſeruitutem, *Bohemiæ* Rege *Venceslao Morauis* non ferente opem. Cuius filius *Przemislaus Margaretham* filiam *Leupoldi* Ducis *Auſtriæ*, relictam *Henrici* filii *Frederici* Imperatoris, ducit vxorem. Quæ cum ſterilis eſſet, vnam de virginibus eius ſequacibus filiam Baronis de *Kunring*, nomine * * * * * accepit in concubinam. Ex qua filium generans, nomen illi *Nicolaus* impoſuit, & illi *Opalienſem* Ducatum (quem *Mieczslao Ratisborienſi* Duce mortuo violenter occupauit) dat in ſortem: ex quo *Opalienſes* & *Ratiborienſes* moderni Duces traxerunt ſuum ortum.

Ducum Opalienſium & Ratiborienſium ex concubina origo.

Lithuanorum Dux Mendog Chriſtianum ſe ſimulans, in Regem coronatur.

Mendog Lithuaniæ Dux conſilio fratrum Ordinis Cruciferorum Domus *Theutonicæ* inductus, & qui præfatis fratribus Cruciferis de *Pruſſia*, aliquot terras *Lithuanicas* donatione perpetuâ inſcripſerat, fidem ſimulatè recipit Chriſtianam, & nuncios ad *Innocentium* Papam IV mittit, Nunciis Magiſtri & Cruciferorum de *Pruſſia* adiunctis, petens coronam, & profitens ſe Catholicam accepiſſe puritatem. In cuius fauorem Papa *Innocentius* fratrem *Henricum* alias *Heidenricum* quondam Prouincialem *Poloniæ* & Officialem *Armacanum*, tunc verò Epiſcopum *Culmenſem* mittit in *Lithuaniam*. Qui veniens cum aliis Epiſcopis de *Riga*, *Mandogonem* in Regem conſecrauerat.

1253.

Miſſi nuncij pro canoniſatione S. Stanislai.

Secundario examine ſuper vita, cauſa, & ordine Martyrii, & magnificis famoſiſque miraculis, ac aliis omnibus, quæ ad conſummationem Canoniſationis viri *B. Stanislai Cracouienſis* Epiſcopi conducere videbantur, ritè & iuſtè expeditis, priores Nuncii, Magiſter *Iacobus* de *Skarzeſzow* Decanus, & Magiſter *Gerhardus* Canonicus, *Cracouienſes*, per *Prandotham* Epiſcopum & Capitulum *Cracouienſe*, ad Summum Pontificem *Innocentium IV*, iam ex *Galliis* egreſſum, & in *Italia* conſiſtentem, ſuis & totius Cleri diœceſis *Cracouienſis* 1253.

A (qui in id opus gratuitò quoties requirebantur conferebant) ſumptibus, qui negotio ipſi ſufficerent, abundè prouiſi, tertiò reuertuntur. Qui cum *Innocentium* Papam in *Peruſiis* inueniſſent, nouum illi de vita, miraculis, & Martyrio *B. Stanislai* ſuorum Commiſſariorum exhibent examen, noua omnium Prælatorum *Polonicæ* Eccleſiæ afferunt ſcripta & teſtimonia. Et pro illorum ampliori firmitate, etiam teſtes viuos & præſentes viros inſignes inducunt. In quos aut per merita *B. Stanislai* collata fuerant miracula, aut qui eos, quibus conferebantur, viderant & nouerant, à pluribus languoribus illos detinentibus ſanatos. Iam plures, Nuntii *Cracouienſis* Ec-

B cleſiæ in ſollicitando negotio, dies exegerant, & veluti omnibus difficultatibus & impedimentis functi, alacres, laborem ſuorum fructum glorioſum propediem, de quo illos *Ioannes Gaietanus* Cardinalis Commiſſarius, certos faciebat, percepturi, degebant, cum ſubitò, eodem *Ioanne* Cardinali referente, audiunt, *rem certam & claram, nullaque fuſcam caligine*, (de quo Cardinalis ipſe grandi admiratione & indignatione commouebatur) *ad infectum & penè deſperationem recidiſſe, Reginaldo, Epiſcopo Cardinali Hoſtienſi, vitæ magnæ grauitatis & prudentiæ, cui & nonnulli Cardinales, auctoritatem illius non iudicium ſecuti, aſſentiebantur, Canoniſationem viri Dei Sta-*

Et dum Cardinalis Reginaldus reſiſteret,

C *nislai, propter diuturnitatem & moram temporis à die Martyrij ſui transfluxi, perſeueranter obſiſtente, & indignum atq; incredibile iudicante, vt claritas tam illuſtris Martyrij, & tam inſignis ſanctitatis, ſi vera & non ſimulata exiſteret, tanto tempore Sedem Apoſtolicam, & Eccleſiam vniuerſalem latuiſſet.* Commiſſarium itaque ſuum *Ioannem Gaietanum* Cardinalem Nunciis Eccleſiæ *Cracouienſis*, quid facto opus eſſet conſultantibus, inſpiratus ipſe (licet, vt poſtea referre ſolebat, fortuitò ſe loqui credens) reſpondit: *Neceſſarium habet veſter S. Stanislaus, poſt tot quæ eum egiſſe compertum eſt, vnum fina-*

D *le, ſi Canoniſationem ſuam perfici velit, operari miraculum, vt diſcordes in vnam concordem impellat ſententiam. Hi enim qui obſiſtunt, nonniſi nouo ſigno (cum ſingula alia quaſi vetuſtate obſoleuiſſent in dubium reuocant) ad conſenſum induci poterint.* Quid agerent Nuncii *Cracouienſis* Eccleſiæ & Procuratores Canoniſationis viri Dei *Stanislai*? quò gradum verterent? quid ad conſummationem operis adderent? quo Summus Pontifex & Cardinales moueri in Canoniſationem poſſent? neſciebant. Reſtabat vnum, vt deſeri ſe à *Chriſto* & viro Beato *Stanislao* pro illius Eccleſia & veritate paſſo, non poſſe, tenaciſſimè confiderent: qui ideò glorioſi Martyris ſui *Stanislai* Canoniſationis gloriam indifficultari permi-

1253. miſit, vt illam illuſtriorem nouis prodigiis declaratam efficeret. Re itaque Canoniſationis viri Dei languidata, & penè ab omni cura excidente & elapſa, *Reginaldus* Epiſcopus *Hoſtienſis* prædictus, Canoniſationis viri Dei *Stanislai* præcipuus hoſtis & aduerſarius, cuius etiam ſententiis & conſiliis, propter notam hominis in vtraque ſcientia ſolertiam & prouidentiam, probitatemque, *Innocentius* Papa differebat, graui adeò morbo correptus eſt, vt tam ſuo quàm Phyſicorum iudicio, propinquam ſibi mortem imminere ſperaret. In qua cum dies aliquot laboraret, vigilanti illi, & in camera priuata exiſtenti ſolitario, *B. Stanislaus* in Pontificali amictu cum magno ſplendore apparuit, & in grabato iacenti, de viſioneque ignotæ perſonæ & inſoliti fulgoris ſtupenti, vir Dei *Stanislaus* ait; *Agnoſcisnè me?* Qui tremens ac ſtupens, & verba vix formans, *Non agnoſco* reſpondit: *quæſo tamen quis ſis, qui cum tanta luce, clauſis etiam ianuis, cubile meum intraueris, edicas? Ego ſum*, ait, *Stanislaus Cracouienſis Epiſcopus, pro nomine IESV Chriſti, eiuſque Eccleſia & veritate glorioſo Martyrio à Boleslao Rege Polonorum damnatus. Cui tu te aduerſarium, non rectè de vita, & miraculis martyrioq; meo, propitia Diuinitate à me patratis, ſentiendo, conſtituiſti.* Ad quem *Reginaldus* ſpiritu reſumpto, *ignoſce*, ait, *mihi; & ignorantiæ meæ, Præſul Sanctiſſime, & veniam præſtare digneris meo errori, fortiorem promotorem Canoniſationis tuæ, quàm impeditorem pertuleras, habiturus.* Cui vir Dei *Stanislaus, vt me*, inquit, *in conſpectu Dei & Sanctorum, glorificationem & ſanctificationem, martyrio quod accepi, conſecutum eſſe cognoſcas, à grabato & ægritudine, quibus detineris, valens & incolumis illicò conſurge. Caueque non Canoniſationi meæ de cætero aduerſeris, quam non tantummodò in meam amplitudinem & gloriam, qua ego iam pleniſſimè in videndo Deo perfruor, ſed in omnium fidelium ſalutem & profectum, Diuina decreuit conſummare clementia.* Cardinali *Reginaldo* omnia quæ iubebantur expleturum ſe pollicente, viſio diſparuit. Qui accerſitis ſeruis ſuis, ſterni ſibi equum, quo ad Palatium Papale vehatur, imperat. Qui etſi illum primùm delirare credidiſſent, eo tamen ſine adiutorio & de lecto conſurgente, & equum aſcendente, in magnam & ipſi extaſim, de ſubita Domini ſui conualeſcentia, verſi, illum vsque ad Papale Palatium iucundi comitantur. *Innocentius* denique Papa, *Reginaldum* Cardinalem veniſſe, & plenè ſanum, quem propè horam moriturum ſperauerat, intelligens, etiam aduenienti occurrit, & *quo modo ad bonam valetudinem tàm ſubitò redierit*, ſollicitè inquirit. Cui *Reginaldus* Cardinalis, *Beatiſſimus*, inquit, *Martyr Dei Stanislaus Cracouienſis Epiſcopus, cuius ego Canoniſationis apud Tuam Sanctitatem fui impeditor, hac eadem hora mihi cum claritate vix ferenda apparuit, & ignorantiæ meæ facinore benignè correpto, etiam mihi in euidentiſſimum ſuæ Sanctitatis ſignum, ſanitatem, qua me, ex homine paullò ante infirmo, & ad mortem iudicato, pollere vides, reſtituit, & beneficium pro iniuria rependit. Interminatus etiam vltionem, ſi illius Canoniſationi obſtitero. Scelere itaque ignorantiæ meæ apud Te recognito, & in viri Beatiſſimi Stanislai Canoniſationem pronus eo, & pro illa ſupplex ad pedes Tuos, ne diutius illam differras, procumbo. Interceſſionem etiam ſuam prolapſu in terram teſtatus.* Id miraculum dum in *Peruſiorum* Vrbe grandi & celebri ſermone vulgatum eſſet, & omnium mentes ac pectora, *Polonorum* præcipuè, & Nunciorum atque Procuratorum Canoniſationis viri Dei, gaudio immenſo repleuiſſet, omnes virum Dei *Stanislaum* certatim Canoniſatione digniſſimum depromebant. Sed & Papa *Innocentius*, cœtus quoque Cardinalium, miraculi, quod in *Reginaldo* Cardinali acciderat, prodigio permoti, omnibus impedimentis quæ imponebantur circumſcriptis, & quaſi quodam ſole ſiccatis, virum Dei *Stanislaum* in ſua ſanctitate glorioſum & magnificum, Canoniſandum decernunt, & diem Natiuitatis *B. Mariæ Virginis*, quæ tempori quo ea agebantur vicinior erat, in *Aſſiſio* (illuc enim *Innocentius* Papa verſus *Neapulim* exercitum deducens venturus erat) conſtituunt. Ita verbum *Ioannis Gaetani* Cardinalis ad Nuncios *Cracouienſis* Eccleſiæ fortuitò prolatum, in effectum prodiit. Verificari autem & defendi ea res poteſt, ſi quis eam fabuloſam aut commentitiam putet, per literas originales, per præfatum *Ioannem Gaietanum* Cardinalem *Prandothæ* Epiſcopo *Cracouienſi* & ſuo Capitulo, in pargamæno ſcriptas, per nos frequentius viſas & tractatas, in Scriniis Eccleſiæ *Cracouienſis* repoſitas. Quarum tale eſt exemplar.

miraculoſe æger factus, demum ſanatus, mox conſentit in canoniſationem.

Venerabili in Chriſto Patri & amico chariſſimo Epiſcopo Cracouienſi, & eiuſdem Eccleſiæ Capitulo, Frater Ioannes miſeratione Diuina tituli S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis, Salutem, & Polonorum Regem glorioſo laudum venerari præconio, qui finitimum gregem ouilis Dominici de inſigni decorauit Martyre Stanislao. O iucundum Diuinæ pietatis indicium, quòd Boleslaus vincendo vincitur, dum ex eius crudeli miniſterio Protomartyr Polonis egregius mirificè miniſtratur. Gratuletur Eccleſia ſe tantis prodigiorum feliciter illuſtratam ſplendoribus, & ita inſignitam coruſcantibus vndique miraculis, quorum multitudinis ſufficiens eſt aceruus. Lætetur Eccleſia Cathedralis Cracouienſis, cui iuſtus titulus & bona fides glebam Sancti pretioſam totaliter appropriauit cum præſcriptione longi temporis: ex cuius felici præſentia, non ſolùm accreſcit loco ſanctitas, ſed etiam ex crebra populi frequentia & confluentia, famæ fœcunditas &

Litteræ Cardinalis Gaëtani de dignitate S. Stanislai ad Ep. & Capitulum Cracouienſe.

1253. *& honoris. Gaudete vos & exultate ſpecialiter, qui quadriennio iam elapſo pro tanti Patris Canoniſatione totis viribus laboraſtis, vt* A *aſſcriberetur Sanctorum catalogo: conſiſtentes Procuratorem ad hoc Eccleſiæ veſtræ Præpoſitum, virum oculatæ diſcretionis, & omni circumſcriptione prouidum, qui conſtanter laborauit, & fideliter in Curia proſequens negotium, toto niſu, ſed quot afflictionibus & anguſtiis affectus extiterit, in ipſa proſecutione cum Collega ſibi deputato, non eſt nobis facultas præſentibus exprimere, quoniam lingua deficeret nec calamus ſufficeret, nec Ælgorithmus inuentor Algorithmi, cum ſuis radicum extractionibus, aduerſitates quas paſſi ſunt, poſſet efficaciter exarare. Nam ſi liceret, obuiantium negotio per aculeos obices & dentatas obiectiones ſeminatim* B *& per ordinem, prout ſe habet veritas, diſtinguendo, deſcribere, vix haberetur numerus in millenario. Tantas difficultates audientium, qui pro monſtruoſis rerum perplexitatibus, vellet fiduciam narrantibus adhibere. Frequenter enim contigit, quòd conſummatum, vel quaſi coniecturie probabilibus æſtimabatur negotium, & tunc ex abrupto inuenit tempeſtas impeditiua proceſſus habiti, quæ de facto conſumpſit, quod ratio prædixerat conſummatum. Sic Saturni motus experti ſunt per effectum, qui Planeta dicitur maliuolus, procedens & recedens ordine retrogrado. Et ſic longanimiter exercuerunt Curiæ ſtudium, quòd multi profecti ſunt, & parum profecerunt intra terminum, non habente breuium* C *curſu ſuo. Tandem verò cum rediiſſet Frater Iacobus Legatus fidelis, & negotii firma ſanitas, vix obtenta fuit ad referendum particularis audientia: quamuis ipſe vidiſſet curatos, & examinaſſet inquiſitores primarios, qui proceſſerant in omnibus bona fide. Nos verò finaliter ſtupefacti de tanta congerie probationum non admiſſa, Præpoſito Procuratori diximus quaſi parabolicè: Neceſſarium habet Sanctus veſter, vnum finaliter operari miraculum, quod diſcordantes in miraculis mirabiliter faciat concordare. Et factum eſt ita, quòd vbi peſtis grauior, ibi ſalus eſt ſuborta propinquior, & ſubito prius* D *diſcordes conuerſi ſunt vnanimiter ad concorditatem concordiæ, decernentes vniformiter talem virum Canoniſationis munere digniſſimum, & per ea quæ fecit miracula, quorum extat luculenta probatio, veraciter eſſe Sanctum. Sanè præfatum Procuratorem & Collegam ipſius, pro ſua multiplici diligentia, veſtræ dilectioni recommendamus diligenter. Nam noſtra intereſt, quòd honorentur qui Nobis aſtiterunt, in agone certaminis, & quòd tractentur per Vos tanquam benè meriti, ſaltem pro noſtro nomine reuereantur. Quicquid enim honoris, fauoris, vel gratiæ dilectis amicis noſtris, cùm pro ſua probitate, tùm pro noſtro precamine, per Vos exhibitum fuerit, nobis impenſum eſſe generaliter æſtimabimus, & ad Eccleſiæ Veſtræ defenſionem & conſeruationem in ſuis iuribus, noſtram vobis exilem potentiam, ad diligentem ipſorum inſtantiam, liberaliter præſentamus. Valete in Domino IESV CHRISTO.* 1253.

Natali Dominæ noſtræ excellentiſſimæ *Virginis MARIÆ* adueniente die, Pontifex *Innocentius*, cum Collegio Cardinalium, & multitudine Prælatorum, ad Baſilicam *S. Franciſci* in *Aſſiſio*, in qua ſuum & ſuorum ſociorum corpora recondita ſunt, ex Palatio, Canoniſationem Beati viri *Stanislai* Epiſcopi *Cracouienſis* expleturus, deſcendit, illamque multitudine plebis, quæ, futura viri Dei canoniſatione vulgata, penè ex omni *Italia* confluxerat, refertam reperit. Quo in Eccleſia præfata miſſarum agente ſolenniter diuina, etiam pietas *Agni* cœleſtis, ipſi ſummo Pontifici *Innocentio*, quanti meriti Sanctus canoniſandus apud ſe eſſet declarauit. Adoleſcens enim quidam ex *Aſſiſio*, in ipſo articulo canoniſationis præfatæ defunctus, ad Eccleſiam *S. Franciſci*, parentibus, fratribus, & neceſſariis magno eiulatu mortuum eum lugentibus, inferebatur, aut tumulandus, aut meritis Sancti canoniſandi viuificandus. Propinquis itaque & cognitis, pro eius, obſecrationes & voces emittentibus, reſuſcitatione, *Innocentius* Papa ante altare cui inſiſtebat proſtratus, fudit cum fiducia orationem in hæc verba: *O Pater & clementiſſime Domine, ſi ea, quæ de Beato Stanislao Cracouienſi Epiſcopo Martyre tuo in noſtro conſpectu ſunt enarrata, vera per omnia, quemadmodum humana habet credulitas, probantur, declara quæſo hodierna die nouum Sanctum à me canoniſandum, nouo ſigno.* Vix Pontifex Summus orandi fecerat finem, & mortuus nunciatur illi ſurrexiſſe. Tunc itaque mirum in modum, & ſtupentibus & gaudentibus, ardenteſque cereos & luminaria accenſa, vt Eccleſiam arſiſſe putares, geſtantibus, Summus Pontifex miſſarum ſolennia proſequitur. Quibus expletis, ſermone in longum de vita, martyrio, & miraculis *B. Stanislai* recitato, ambona conſcenſa, virum Beatiſſimum *Stanislaum* glorioſum Martyrem *Cracouienſem* Pontificem canoniſat, & Sanctorum catalogo aſſcribit: mandans eius feſtum VIII Idus Maii ab vniuerſa Catholica Eccleſia, inter præclaras Martyrum feſtiuitates cum debita veneratione venerari. Præſentibus autem omnibus vnum annum & dies quadraginta de Indulgentiis largitus eſt, & orationem de *S. Stanislao*, tangens in ea ipſius ſanctitatis merita, edidit, & per ſe publicè pronunciauit, quæ incipit: *Populum tuum, quæſumus Domine, intercedente Beato Stanislao &c.* Fabricata inſuper eſt, & in Sancti *Stanislai*

Canoniſatur S. Stanislaus in Eccleſia Aſſiſienſi,

& in ea canoniſatione mortuus reſuſcitatus eſt.

1253. *lai* honorem, & in illius Canoniſationis memoriam, in latere Sancti *Franciſci* Eccleſiæ in edito loco Capella, a nobis aliquoties viſa, in qua glorioſum martyrium ſuum deſculptum eſt. 1253.

Literæ Canoniſationis Sancti Stanislai Epiſcopi Cracouienſis.

Innocentius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Venerabilibus fratribus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, dilectiſque filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris, & aliis Eccleſiarum Prælatis, ad quos literæ iſtæ peruenerint, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Olim a gentilium oculis tenebrarum deterſa caligine, & ab eorum cordibus infidelitatis gelida hyeme ſecedente, vernalis ex eo ſucceſſit amœnitas, redolentium florum venuſtate decora. Quod Eccleſiæ prius deſertæ ac ſterili, filii deuotione præcipui, valloque conſtantiæ præmuniti naſcuntur. Qui vt flores primæui, & diffuſam ſpirant ſuauitatem odoris, & vberioris, per Dei gratiam, fructum ſibi proferunt honeſtatis. Sicque filiorum ſibi multitudine proueniente, innumera, ſuique loco a mari vſque ad mare tentorii dilatato, infra ipſius inualuit terminos vox turturis, gemitus & doloris, dum ſæua mitiſcens tyrannorum crudelitas, idolis exterminio traditis, ad lamenta pœnitentiæ ſuffragante illo, cuius ſtupenda ſunt opera, mirificè ſe conuertit. Gaudeat itaque ob hoc ipſa Eccleſia, quæ probroſæ ſterilitatis detrimenta abiiciens, ſalubris incrementa fertilitatis ſuſcepit, ac nuptiali fœdere nunc illi gratioſa coniungitur. A quo priuſquam aſſumpta eſſet de gentibus, inuenerat ſe deſertam. Lætetur igitur, æmulaque ſua de terreſtri eiectæ Hieruſalem Synagogæ, videlicet, dudum ſibi huiuſmodi ſterilitatis incommoda impingenti, ſecum res pendeat, quod iam ſuæ prolis fœcunditate cœleſtis muri Hieruſalem cicatrix obducitur. Et quæ antiqui habitatores vacua domicilia reliquerunt, ipſa ſuæ vniuerſitatis illuſtrabit præſentia, felici poſtmodum refectione ſui atque integritate gaudente. Porro ne huiuſmodi exuberante lætitia, in valle miſeriæ morientium, terra requiem poſſet ſibi polliceri continuam: exterorum caſtra, militia ſuper terram; ac ne prædicta Eccleſia quæ mater eſt cunctorum fidelium, maternæ conditionis expers exiſteret, ſi ſolitas in partu quorundam filiorum ſuorum, matrum parientium moleſtias non ſubiret, interdum inſtauratur quodammodo ſibi aduerſitas opportuna, ſicut in paſſione piæ memoriæ Beati Stanislai Cracouienſis Epiſcopi, cuius meritis præfata refulget Eccleſia, patuit euidenter. Cum enim idem in ſortem Pontificalis miniſterii digne vocatus a Domino, ſuper gregem ſibi commiſſum prudenter cuſtodiret, hoſtium ſagaciter explorauit inſidias, malignantium anticipauit conſilia; æmulique noſtri deprehendens laqueos, ipſius caute retiacula diſſoluebat. Hic nempe pro ſuis ouibus, cor ſuum tradiderat ad vigilandum diluculo, vt ſi quem graui forte deprehenderet tempore concuſſum, mox vbere conſolationis adhibito, eum erigeret deſolatum. Et quem in bono proficientem aduerteret, gratulationis vbere confortaret, vt non minus per hoc deficientibus ſubditis, ſe claris indiciis oſtenderet eſſe Martyrem. Verùm cum non ſine internæ mentis anguſtia, Regem Polonorum nomine Boleslaum intentum horrendis voluptatibus ſubiici, carniſque nefandis illecebris cerneret eneruari, vt in paſſiones ignominiæ traditus, & in humanis contumeliis afficiens corpus ſuum, mulierum mamillis, auulſis exinde propriis liberis, catullos apponeret miſerabiliter educandos, ne execrandam fouere malitiam, & iniquitati eiuſdem videretur præfatus Pontifex per diſſimulationem fauere, poſtquam à præmiſſis flagitiis, ſedula & paterna correctione, auocare non potuit, in ipſum conſulto medicinalem Petri gladium exeruit, & in ſpiritu leuitatis, ſperans vt percuſſus dolens, ad percutientem ſe in humilitate conuerteret, Dominum exercituum ſuppliciter requirendo, percuſſit. Sed ipſe corde indurato medicinam exhorrens, & increpationem abominans diſciplinæ, immo malleum velut ſtipulam reputans, non ſolum nulla pœnitudine correxit ſe ipſum, verum etiam ad peiora, in ſuæ damnationis cumulum, prouocatus, iuxta aram, non ordini, non loco, nec tempori deferens, iuſſit Pontificalibus indutum Antiſtitem per ſuos ſatellites, diris corporis cruciatibus deputari. Sed ipſi quoties in eum irruere tentant, toties compuncti, toties manſueſcunt proſtrati. Et tunc idem Rex ſuæ inſeruiens impetuoſius tyrannidi, manus in eum conuertit ſacrilegas, Sponſum è gremio ſponſæ, Paſtorem abſtrahit ab ouili, Patrem inter filiæ amplexus, & Filium in viſceribus maternis penè obtruncauit: iubens irritatus atrocitate ferali, ipſius, proh dolor, corpus inhumaniter in fruſta concidi, velut ſingulis membrorum partibus pœna inflictio deberetur. Sed ille apud quem patientia pauperum non peribit in finem, non ſolùm rutilantibus huiuſmodi Sanctiſſimi corporis partes ſplendoribus illuſtrauit, verum etiam ipſum, nullo in eo cicatricis apparente veſtigio, integritati reſtituens, aquilarum ſuarum præſidio miraculoſè a ferarum morſibus preſeruauit. Guſtato denique acerrimo ob zelum iuſtitiæ calice paſſionis, cum ab eodem tyranno totaliter putaretur conſumptus, ecce vt lucifer oritur, & quaſi meridianus fulgor in firmamento conſurgit. Propterea eius faciem, in ſuis nonnulli neceſſitatibus deuotiſſime de-

1253. *deprecantur. Ipſe quidem defoſſus ſecurus dormit, requieſcit, & non eſt qui iam ipſum exterreat. Nec mirum, quia ciuitatem illam, honoris & coronæ gloriæ inſignitus, inhabitat, vbi eſt manſio ſecura, populus ſine murmure, ac patria totum id continens, quod delectat. Verum ne militans Eccleſia de tali ac tanto Patrono ſibi ſubtracto inconſolabiliter quaſi gemitus ſingultuoſos emitteret, ſi beneficiorum ipſius affluentia, eam non contingeret ſæpius irrigari delectabiliter. Ecce glorioſus in Sanctis ſuis Dominus, volens eiuſdem Patris plenitudinem gloriæ indiciis exprimere manifeſtis, & præſtolanti Eccleſiæ grata conferre ſuper hoc recreationis remedia, & tot & tantis fecit ipſum famoſis miraculis coruſcare. De quibus facta nobis & fratribus noſtris prout debuit, per teſtes idoneos plena fides exſtitit, quod eius inter Sanctos cæteros implorare fiduciam & ſubſidium reputauimus merito non indignum. Nam mortuis vita, lumen cæcis, auditus ſurdis, verbum mutis, claudis greſſus, epilepticis cerebri robur, & dæmoniacis, immundis ab eis eiectis ſpiritibus, corporum requies, ad eius inuocationem nominis, cœleſti dextra ſubito conferuntur. Propter quod ne huiuſmodi rutilantem lucernam ſub modio periculoſe abſcondi contingeret, quam idem Dominus tot mirificis ſignis rectè diſpoſuit ſuper Eccleſiæ candelabrum honorifice collocari, præſertim cum ex hoc ignorantium Deum propellantur tenebræ, confundatur peruerſum hæreticorum dogma, & fidelium beata credulitas augeatur, eorundem fratrum, nec non Prælatorum tunc apud Sedem Apoſtolicam exiſtentium, communicato conſilio, prædictum Sanctum Stanislaum Epiſcopum dignè Sanctorum Catalogo duximus aſcribendum. Quocirca Vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus VIII. Idus Maii, die videlicet quo mortis abſolutus vinculo, victurus perenniter, ad fontem ſupernæ prodiit voluptatis feſtum eiuſdem, prout miranda meritorum ipſius magnitudo exigit, celebretis, & faciatis ſolenniter celebrari: vt id vobis de theſauris cœleſtibus, eius pia interceſſione proueniat, quod ipſe præſtante Chriſto percepiſſe dinoſcitur, & poſſidere perpetuo gloriatur. Cæterum vt vniuerſitati fidelium inuiſibilis aulæ conſequendi delitias, ex conceſſa nobis poteſtate deſuper, propitiante Domino ſit facultas, quinimo & vt nomen Domini exaltetur Altiſſimi, ſi ſponte ſuam venerabilem ſepulturam fidelium procuremus acceſſibus frequentari, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui ad dictam ſepulturam in memorato feſto, & vſque ad Octauas ipſius, cauſa deuotionis acceſſerint annuatim, ipſius ſuffragio petituri, de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli eius auctoritate confiſi, vnum annum & quadraginta dies; accedentibus vero annis ſingulis ad prædictam ſepulturam, infra eiuſdem feſti quindenam, quadraginta dies, de iniuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus. Datum Aſſiſii, XV. Calendas Octobris. Pontificatus Noſtri Anno XI.* 1253.

Przemislaus Dux Poſnanienſis fratrem e carcere ſoluit, & nouam cum eo hæreditatis diuiſionem conficit.

Przemislaus *Poſnanienſis* & *Caliſsienſis* Dux, a *Fulcone Gneſnenſi* Archiepiſcopo frequenti caſtigatione argutus, ne germanum ſuum *Boleslaum*, quem quaſi vitæ & Principatus ſui inſidiatorem captiuauerat, diutius detineret, ipſum in die feſto Paſchæ a captiuitate ſoluit. Et reconciliatione plena per *Fulconem* Archiepiſcopum celebrata, noua etiam diuiſio Principatuum inter illos, per medium eiuſdem Archiepiſcopi & Baronum, communi conuentu apud *Giecz* caſtrum habito, confecta eſt, per quam *Gneſna*, *Caliſz*, terra *Rudenſis* alias *Wielunenſis*, *Pyzdry*, *Srzoda*, *Bnin*, *Biechow*, *Giecz* & *Bobiedziska*, *Boleslao* Duci largitis, *Poſnanienſem* ciuitatem & terram cum cæteris eius appendiis, ſolus ipſe *Przemislaus* Dux poſſedit. Ab eo quoque tempore in vnione & concordia fraterna, vnus alteri deferens, vterque vixit.

Monaſterii in Staniatki fundatio & approbatio.

Innocentius Papa IV. monaſterium Sanctimonialium in *Staniatki* Ordinis *S. Benedicti* in diœceſi *Cracouienſi* ſitum, quod *Clemens* de *Klimuntow* Comes, de domo & familia *Griphonum*, Caſtellanus *Cracouienſis*, ex facultatibus propriis muro coctili condiderat, fundauerat, & dotauerat, confirmat. Cuius quidem *Clementis* Comitis Caſtellani, & ſuæ conſortis *Raczkaue* corpora, in Sacriſtia dicti monaſterii, ſpecialibus diſtincta manſeolis, ſepultura requieſcunt.

Boguphalus Ep. Poſnanienſis moritur,

Quinto Idus Februarii *Boguphalus Poſnanienſis* Epiſcopus, vir doctus & literarum amator, libris inſignibus, quorum multitudine abundabat, Eccleſiæ ſuæ præfatæ *Poſnanienſis* largitis, in prædio Epiſcopatus ſui *Solecz*, cum annis decem, hebdomadis ſex, & diebus nouendecem vixiſſet in Pontificali ſede, moritur, & in Eccleſia *Poſnanienſi* ſepelitur. Cuius opera chorus, priori propter varias rimas depoſito, nouus & pulcherrimus muro a fundamentis, largiori Stemmate, ſecundo Pontificatus ſui anno erectus eſt. Poſt cuius mortem Capitulares congregatione pro die Dominico Oculi indicta, facto in *Petrum* Præpoſitum, *Petrum* Decanum, *Gerbardum* Scholaſticum, *Poſnanienſes*, compromiſſo, prædictum *Petrum* Decanum, genere nobilem de domo *Prawditarum*, virum pium, & religione ac deuotione rarum, per viam compromiſſi eligunt in Paſtorem. Cuius electionem *Fulco* Archiepiſcopus *Gneſnenſis* confirmare negauit, erat enim ſibi ab *Hugone* Cardinali, & Apoſtolicæ Sedis per vniuerſam *Germaniam* & *Poloniam* Legato, Epiſcoporum confirmatio interdicta. Ca-

cui Petrus Decanus ſuccedit.

1253.

Capitulum verò *Poſnanienſe* Nunciis ad *Hugonem* Cardinalem, etiam altera vice, dum primi capti & ſpoliati eſſent, miſſis, licet & mandatum *Gneſnenſi* Archiepiſcopo de confirmando ſuo electo,& literas,quibus prohibitionem ſuam de non confirmandis Epiſcopis Eccleſiæ *Polonicæ* reuocabat, retuliſſent,in termino tamen ad confirmandam eorum electionem eis in *Stawno* per *Fulconem* Archiepiſcopum *Gneſnenſem* præfixo, *Theophilo* de *Kuſzak* Archidiacono *Gneſnenſi* & Canonico *Poſnanienſi*, *Ioanneque* Archidiacono *Poſnanienſi*, electioni ſuæ,quoniam ſpreti & non vocati eſſent, ſe opponentibus,confirmatio ipſa fuit tunc intermiſſa. *Opiſo* tamen Abbas de *Meſſano* Apoſtolicæ Sedis altera vice in *Polonia* Nuntius, partes diſſidentes ad ſe in *Wratislauiam* euocans,pacem & concordiam inter illos compoſuit,& *Petrum* Decanum *Poſnanienſem*, cuius electionem etiam aduerſarii præfati, agente *Opiſone* Apoſtolico Nuntio, probauerant, *Fulconi* Archiepiſcopo confirmandum & conſecrandum transmiſit. Qui confirmatione illi impenſa,etiam ipſum & *Vitum Polonum* fratrem Ordinis Prædicatorum pro *Lithuanis* in Epiſcopum nominatum, apud villam *Kozlow* conſecrat.

Petro Plocen*ſi Ep. ſuccedit Andreas.*

Petrus Plocenſis Epiſcopus, *Poſnanienſem* Epiſcopum *Boguphalum* ſecutus ,morte abſumptus, *Andream* Præpoſitum *Plocenſem* *Ciolek* cognominatum, habuit Succeſſorem: cum annis quinque in Pontificatu *Plocenſi* ſediſſet. Præfatus autem *Andreas* genere nobilis erat de domo *Taurorum*, a *Fulcone Gneſnenſi* Archiepiſcopo,Ducibus *Maſouiæ Semouito* & *Caſimiro* electionem illius approbantibus,apud *Gneſnam* confirmatus & conſecratus eſt.

Bela Rex Hungariæ Morauiam ſecundo vaſtat,

Bela Pannoniorum Rex,alteram in *Morauos* cum *Hungaris* & *Cumanis* agens expeditionem, vniuerſam *Morauiam*, fortioribus caſtris & ciuitatibus exceptis, incendiis, cædibus, & ſpoliis, nullo reſiſtentiam opponente, vaſtauit; & pluribus Sanctorum oſſibus, campanis, ornamentis, & aliis Eccleſiarum decoribus ipſas ſpolians, in *Hungariam*, optima ſecum ferens ſpolia, rediit.

& Bohemis magnum metum iniicit.

Quo quidem nouo vulgato, tantus *Venceslaum* *Bohemiæ* Regem,& vniuerſos *Bohemos* crudelitatem *Cumanorum* perhorrentes, metus inuaſit, vt in ſingulis caſtris & ciuitatibus munitis, duplicarentur cuſtodiæ, & *Pragenſis* ciuitas nouis muris, nouiſque reficeretur munitionibus. Suburbiis etiam, ne hoſti adiumento eſſent, demolitis, & eorum habitatoribus in ciuitatem *Pragenſem* translatis, tam caſtrum *Pragenſe* quàm ciuitas, ad tolerandum anguſtias obſidionis, victualium copia certatim fulcirentur.

Boleslaus Pudicus in gratiam Belæ

Boleslaus Pudicus Cracouienſis Dux & *Polonorum* Monarcha, *Bela Hungariæ* Rege ſocero ſuo ſollicitante, & deprecante, cum potentiis gentium equeſtrium & pedeſtrium, habens in ſuo comitatu *Danielem* Regem *Ruſſiæ*, & auxilia *Ruthenica*, *Morauiam* ingreſſus, ipſam populatur ſpoliis & incendiis. Et magna multitudo captiuorum vtriuſque ſexus ex *Morauia* & regione *Opauienſi*,quæ amplius vaſtabatur, in *Poloniam* & *Ruſſiam* deducta eſt.

1253. *Regis Morauiam populatur.*

Reliquiæ D. Stanislai Bohemorum Regi donantur.

Decimo Calendas Octobris *Venceslaus Bohemiæ* Rex cognominatus *Monoculus*, alterum enim oculum,cum eſſet venandi cupidus, feram agitando, ramo arboris euulſum, perdiderat, apud *Pragam* moritur, cum annis quatuor & viginti, menſibus octo regnaſſet, moritur, & in monaſterio S. *Franciſci*, quod viuens fundauerat, ſepelitur. Cui etſi vnicus filius *Przemislaus* ſucceſſiſſet, non tamen ſe *Bohemiæ* Regem, ſed Ducem aliquanto tempore nominauit. Hic magni ardoris & deuotionis in Sanctum Dei Martyrem *Stanislaum Cracouienſem* Epiſcopum exiſtens, cum illius Canoniſationem audiſſet, miſſis ad *Prandotham Cracouienſem* Epiſcopum nunciis, eius reliquias nondum ex tumulo leuatas ſibi donari magna precatione obtinuit, & *Pragam* allatas, ſolenni omnium Eccleſiarum & ordinum proceſſione,ſolus illis ad lapidem ſeptimum obuiam eundo, cum magna reuerentia excepit, ac in maiori Eccleſia *Pragenſi* locatas, argento veſtiuit.

Magna inundatio in Polonia.

Annus hic apud *Polonos*,& Beatiſſimi Martyris *Stanislai Cracouienſis* Epiſcopi, quæ ab annis multis neglecta erat, Canoniſatione, & duorum ſub vno fere tempore *Poſnanienſis* videlicet & *Plocenſis* Pontificum morte, & nunquam alias apud *Polonos* viſa alluuione, inſignis. Nocte ſiquidem & interdiu, a feſto Paſchæ vſque ad diem vigeſimam quintam Iulii, cœlo imbres & continuas effundente in *Polonorum* regiones pluuias, tanta aquarum moles & inundatio erupit, vt in quibuslibet baſſis & humilibus locis, aut amnibus proximis, frumenta cooperiret, & agri atque campi iuxta atque amnes nauigabiles forent. quærebantur editiora loca, quæ frumenta collecta ſuſciperent. Ea quoque inundatione, & *Lithuanorum* infeſtatione, *Viſnenſis* terra in ſolitudinem & deſolationem redacta eſt.

Poſt reditum nunciorum Polonicorum ex Aſſiſio.

Cracouienſis Eccleſiæ Nunciis,videlicet Magiſtro *Iacobo* de *Skarzeſzow* Decano, & *Guelhelmo* Canonico, *Cracouienſibus*, fratribus etiam Prædicatoribus,& Minoribus,ex Curia Romana redeuntibus,& Literas Canoniſationis Beatiſſimi *Stanislai* ſecum afferentibus, *Cracouienſem* vrbem ingreſſuris,omnis plebs effuſa eſt: *Prandotha* quoque *Cracouienſis* Epiſcopus,& vniuerſus Clerus,proceſſionem omnium vrbis *Cracouienſis* Eccleſiarum honore, illos excepit.Digni prorſus,quibus honor ille,velut athlethis & triumphatoribus,& longa peregrinatione feſſis,publicumque cōmodum referenti-

1254.

tibus, impenderetur. Feliciſſimi certe, quibus labor ille & premiorum fructus, in eorum diem & tempora ſeruatus, obtigit. Ad leuandum autem oſſa *S. Stanislai* de tumulo, octauam diem Maii, qua feſtum eiusdem a Pontifice *Romano* celebrari ſancitum eſt. *Prandotha Cracouienſis* Epiſcopus indixit, & per vniuerſam *Polonicam* Eccleſiam prædicari & diuulgari ordinauit. Quo quidem die adueniente, ex omnibus *Polonorum* regionibus, ſed & ex *Hungariæ* Regno tanta multitudo plebis vtriusque ſexus in *Cracouienſem* vrbem conuenit, vt homines aduenas vrbs tanta non caperet. Sed & in campis, quaſi quidam greges, turbæ conſiſterent. Conuenerant inſuper ad huiusmodi ſolennitatem eleuationis oſſium Sanctorum explendam, plures *Polonicæ* Eccleſiæ Sedium Antiſtites, videlicet *Fulco Gneſnenſis* Archiepiſcopus, *Opiſo* Abbas de *Meſſano* Apoſtolicus Nuncius, *Prandotha Cracouienſis*, *Thomas Wratislauienſis*, *Volmirus Wladislauienſis*, *Andreas Plocenſis*, *Gerbardus Ruthenorum*, *Vitus Lithuanorum*, Epiſcopi; item Abbates, Præpoſiti, Canonici, cæterique Prælati, & Eccleſiarum Parochialium Rectores, & vniuerſi Religioſi, ex *Cracouienſi* ciuitate & diœceſi, & aliarum *Polonicæ* Eccleſiæ diœceſum. *Petrum Poſnanienſem* aduerſa valetudo, *Chelmenſem* vero, *Lubucenſem*, & *Camenecenſem* Epiſcopos, occupatio retraxerat. Conuenerant & Principes *Polonorum* videlicet *Boleslaus Pudicus Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Dux, qui tunc velut Monarcha *Polonorum* habebatur, *Przemislaus Maioris* Poloniæ & *Poſnanienſis*, *Caſimirus Cuiauiæ* & *Lancitienſis*, *Semouitus Maſouiæ*, & *Wladislaus Opolienſis*, Duces. Sub quorum præſentia, & populorum, multitudine infinita, oſſa viri Sancti *Stanislai* ex tumulo prope portam meridionalem in Eccleſia *Cracouienſi* conſiſtente, a Pontificibus qui conuenerant, vino lota, leuata, & populo plaudenti atque vociferanti & patrocinium *Sancti Stanislai* imploranti, oſtenſa ſunt, & in Eccleſias Cathedrales, & alias principaliores Collegiatas, Conuentuales & Parochiales Eccleſias, portio illorum, capite, brachiis, & aliis inſignioribus apud *Cracouienſem* Eccleſiam, cum cineribus ſacri corporis, membris remanentibus, diſtributa ſunt.

octaua die Maii corpus S. Stanislai exhumatur,

& oſſa pro reliquiis in veneratione habentur.

Varia extorta bella inter Duces Polonorum.

Boleslaus Pudicus Cracouienſis & *Sandomirienſis*, & *Wladislaus Opolienſis* & *Ratiborienſis* Duces, moleſtè ferentes *Opauienſe* oppidum & diſtrictum à *Bohemis* & Rege eorum *Venceslao* mortuo occupatum eſſe, exercitu & de proprio & extremo milite collecto, *Ruthenorum* etiam Principibus *Boleslao Pudico* ferentibus auxilia, terram *Opauienſem* hoſtiliter ingreſſi, eam totam ſpoliis flammis, & cædibus vaſtauerunt. Et omnibus oppidis atque villis exuſtis, cum præda tam hominum vtriusque ſexus, quàm pecorum & variarum rerum, ad propria incolumes reuertuntur. Sed & inter cæteros *Polonorum* Duces, aut odia, aut bella conſerta erant. Nam *Caſimirus Cuiauienſis & Lancitienſis* Dux fratrem ſuum germanum *Semouitum Maſouiæ* Ducem, & vxorem eius *Gertrudim* captiuat, captosque in *Siradia* detinet. Et *Przemislaus Poſnanienſis*, & *Boleslaus Caliſſienſis*, germani, & *Conradus Sleſiæ*, gener eorum, Duces, terram *Wratislauienſem Henrici* Ducis, hoſtiliter, & cum exercitibus terrarum ſuarum (quod *Henricus* Dux *Wratislauienſis* mediam ſortem Ducatuum olim *Henrici* a *Tartaris* occiſi obtinens, *Conrado* fratri ſuo, neque illius portionem aliquam dabat, neque vt ab altero fratre *Boleslao Caluo Legnicenſi* Duce daretur, inſtabat; item quia *Przemislaum* Ducem *Poſnanienſem* de quinquaginta marcis argenti, pro quodam *Theutonico* capto & dimiſſo, ſolui obligatis, non contentauerat) vaſtabant. Omnibus autem villis & oppidis circa *Oleſznicam*, *Siczow*, *Trzebniczam*, *Czerequiczam*, & circa omnia montana vſque ad flumen *Widawa*, vno a *Wratislauia* diſtante miliari, peruaſtatis, & in prædam expoſitis, etiam vado in flumine *Odra* reperto, in alteram ripam fluminis *Odræ* transgreſſi, magna vi & numero pecorum & ſpoliorum potiti, ſingula nullo obſiſtente in *Maioris Poloniæ* terras deducunt. In hac autem vaſtatione omnibus Eccleſiarum & monaſteriorum villis & oppidis, Ducum ſeuero mandato, ſuus honos ſuaque libertas ſeruata eſt. Prouiderant quoque Duces adhibitis cuſtodibus, ne quiſquam de militibus, villas Eccleſiarum & monaſteriorum, aut eorum homines ac poſſeſſiones, in aliquo vel offenderet, vel contingeret. Læſum ſe eo bello eaque expeditione & vaſtatione *Opiſo* Abbas de *Meſſano* Apoſtolicus Nuncius vehementer queritans, quod eo in *Wratislauia* agente & demorante, ſpoliatio & vaſtatio terræ prædictæ *Wratislauienſis* in ſui & Apoſtolicæ Sedis vituperium & contumeliam tentata fuerit, in *Przemislaum Poſnanienſem* Ducem excommunicationis ſententiam promulgat; nec ea contentus, etiam terram *Poſnanienſem Przemislai* Ducis Eccleſiaſtico (fines non ſolum iuriſdictionis, ſed & modeſtiæ ſuæ transgreſſus) ſupponit interdicto. Quod cum ſex & viginti diebus continuatum fuiſſet, tandem Nuncius ipſe Apoſtolicus *Opiſo* Abbas, a nuntiis *Przemislai* Ducis requiſitus, & eorum allegationibus conuictus, & ſententiam in Ducem latam ſuſtulit, & interdictum veritus ne ad notitiam Summi Pontificis deduceretur per appellationem, quæ ſibi nomine *Przemislai* Ducis intimabatur, relaxat.

Contagione quadam bellica, nec *Sleſiæ* Duces quieti erant. *Conradus* namque *Sleſiæ* Dux in caſtro *Bithom* per *Przemislaum Poſnanienſem* Ducem ſibi ædificato conſiſtens, &

1254.

& portionem patrimonii ſui, neque à *Boleſlao Legnicenſi*, neque ab *Henrico Wratiſlauienſi* Ducibus, exigere valens, *Henricum Wratiſlauienſem* Ducem fratrem germanum, per prædia & Curias ſuas incautius deambulantem, captiuat. Quem etſi honeſtè ſeruauerit & magis ſe erga illum germanum quàm hoſtem egerit,non tamen ab eo prius dimiſſus eſt, donec obſides dedit, quòd aut portionem ſuam à *Boleſlao Caluo* Duce *Legnicenſi* repetet, aut ſi id efficere non poterit ſui Ducatus *Wratiſlauienſis* portionem ſibi bona fide præſtabit.

Monaſterium in Krzyzanowice fundatur,

Quarto Calend. Iunii *Boleſlaus Pudicus Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Dux, in villa ſua Ducali *Krzyzanowice* ſupra *Nidam* ſita, *Cracouienſis* diœceſis, monaſterium ſanctimonialium ordinis Præmonſtratenſis fundat, Eccleſiamque de petra alba fabricat, conferens eidem monaſterio in dotem, villas, *Krzyzanowice*, *Konary*, *Leſznica*, *Kowale*, *Sarpkow*, *Kliczanovv*, *Kobylniki*, *Solnik*, *Wola*, *Grochowiſka*, *Swieborowicze*, *Koſtrz*, *Biernatowicze*, & *Innowidz*, libertans hæreditates præfatas ab omnibus datiis, expeditionibus & tributis.

Petro Poſnanienſi Epiſc. ſuccedit Boguphalus III.

PETRVS *Poſnanienſis* Epiſcopus vir religioſus & deuotus, dum VIII. Calend. Maii apoplexia graui laborare cœpiſſet, V. Idus eiuſdem menſis moritur, & in Eccleſia *Poſnanienſi* iuſto honore ſepelitur, cum anno vno, menſibus duobus ſediſſet. In cuius locum *Boguphalus* tertius de *Czurnelin* nobilis genere *Polonus* de domo *Ruſiæ* per electionem Canonicam via compromiſſi VI. Idus Iunii celebratam, quam *Fulko* Archi-Epiſcopus *Gneſnenſis* confirmauit in *Kurzelow*, ſuffectus eſt, & anno ſequenti in *Landenſi* monaſterio ab eodem Archi-Epiſcopo *Gneſnenſi* conſecratus.

Apud *Poſnanienſem* ciuitatem *Helinga*, *Swantopelkonis Pomeraniæ* Ducis ſoror, & *Przemiſlai* ac *Boleſlai maioris Poloniæ* Ducum genitrix, diem obiit, & in Eccleſia maiori *Gneſnenſi* ſepelitur. Conſors verò *Przemiſlai* Ducis *Poſnanienſis Eliſabeth*, filia *Henrici Sleſiæ* Ducis à *Tartaris* occiſi, geminas filias vno partu enixa eſt.

Innocentio IV. P. R. ſuccedit Alexander IV.

Innocentius Papa IV. cum ex *Peruſio Neapolim* cum exercitu, Regnum *Neapolitanum*, contra *Manfredum Friderici* perſecutoris Eccleſiæ filium naturalem, illud poſt mortem *Conradi* occupantem defenſurus adueniſſet, & tempore aliquanto *Neapoli* conſtitiſſet, infirmatus, celeriter VI. Idus Auguſti moritur, & in maiori Eccleſia S. *Laurentii* honore debito ſepelitur, cum annis vndecim, ſex menſibus Papatum geſſiſſet. Poſt cuius mortem *Reginaldus* Cardinalis Epiſcopus *Hoſtienſis*, qui canoniſationi Beatiſſimi *Stanislai Cracouienſis* Epiſcopi & Martyris glorioſi aduerſatus fuerat, & quem idem Sanctus de languore grauiſſimo ſubitò curauerat natione *Campanus* de Anania, in Summum Pontificem aſſumitur, & *Alexander IV.* nominatur.

1255.

Boleſlaus Caluus fratri Conrado hæreditatis eius ſortem reſtituit.

Frequentes & inſidioſas vexationes per *Conradum* Ducem, *Henrici* Ducis *Sleſiæ* à *Tartaris* occiſi filium, ob negatam portionem patrimonii, cum per ſe ex caſtro *Bithom* tum per *Przemiſlaum* & *Boleſlaum maioris Poloniæ* Duces, & eorum gentes pro *Conrado* Duce, veluti genero ſuo interpoſitas *Boleſlaus Caluus Legnicenſis*, & *Henricus Wratiſlauienſis* Duces, cum à propriis militibus ſæpe numerò ob eam iniuriam carperentur, ſedaturi, apud *Glogouiam*, vocato *Conrado* Duce fratre, conuentum agunt. Vbi poſt aliquot tractatus, pro pace & concordia interpoſitas, cum cauſa Ducis *Conradi* ſuapte iniuſtitia clara eſſet, *Thomæ Wratislauienſis* Epiſcopi & Baronum communium arbitrio, Dux *Boleſlaus Legnicenſis*, quamuis multipliciter detrectans & reſiſtens, & *Henricum Wratislauienſem* iuxta ac ſe ad dandam æquam *Conrado* ſortem deberi aſtruens, conuincitur, vt ſolus ipſe *Legnicenſem* Ducatum cum *Conrado*, velut portionis ſuæ conſorte diuidat, *Henricum* verò *Wratislauienſem* Ducem, cum frater alius germanus *Salczburgenſis* Epiſcopus *Wladislaus*, cum quo illi conſortium Principatus contigit, viuus exſtet, ad largiendum aliquid de ſua ſorte *Conrado* non teneri. Quo quidem decreto *Boleſlaus Legnicenſis* Dux adductus, Ducatum *Legnicenſem* cum *Conrado*, data ei *Glogouia*, ſibi verò *Legnicza* reſeruata, non ſine anxietate & exacerbatione vehementi ex æquo diuidit. *Conradus* itaque *Glogouiam* ſortitus, & tributa in variis villis & oppidis in *Legnicenſi* & *Wratislauienſi* Ducatibus impoſita relaxat, & obſides *Henrico* Duci reſtituit.

Mendog Rex Lithuaniæ oppidum Lublin exurit.

Mendog Dux in Regem *Lithuaniæ* operâ fratrum Cruciferorum, authoritate *Innocentii* quarti Papæ, eo anno euectus, oppido *Lublin* tunc ligneo exuſto, factiſque in eius circuitu multis prædis & ſpoliis, plurimos captiuos deducens, in *Lithuaniam* remeauit. Euectio autem in *Lithuaniæ* Regem, dolo & aſtu fratrum Cruciferorum ex radice auaritiæ procurata, breuiuſculo durans tempore diſperiit, poſtquam Magiſter *Pruſſiæ* & Ordo terras *Lithuaniæ* & *Samogitiæ* ab eo ſibi donatas & inſcriptas dari expetebant.

Caſtrum Nakiel Pomerani ſubita & inopina irruptione capiunt.

Ora *Sleſitica* vix quietata, rurſum in *Pomerania* bellum reluſit, Dux ſiquidem *Pomeraniæ Swantopelkus* pacem pati non valens, *Mſczugium* filium ſuum, qui apud Cruciferos fratres de *Pruſſia* aliquot annis obſes erat, cum exercitu verſus *maiorem Poloniam*, terras nepotum ex ſorore infeſtaturum tranſmittit. Qui in nocte diem S. *Michaelis* præcedente ad *Nakiel* perueniens, quod caſtrum in ſua ſorte à *Przemiſlao* Duce *Poſnanienſi*, pacificè tenebatur, & quod *Swantopelkus* aſtruebat, intra

Hiſt. Polon. Liber VI.

1255. tra terminos *Pomeraniæ* conſiſtere, minus probè (neque enim ab auunculo germano quicquam hoſtile *Przemislaus* aut ſui verebantur) cuſtoditum, aggreſſus comprehendit, vno ex baliſtariis & defenſoribus caſtri, pecunia à *Swantopelkone* corrupto, tradimento & ingenio ſuo pro comprehenſione caſtri præfati operam nauante. Quod cum *Przemislao* Duci nunciatum eſt, paucis interpoſitis diebus, cum fratre *Boleslao* Duce *Caliſsienſi*, & gentibus vtriusque Ducatus illuc ire pergit, & caſtrum *Nakiel* obſidione cingit. Cui in ſubſidium *Caſimirus* Cuiauienſis & *Lancitienſis* Dux cum gentibus terrarum ſuarum perſonaliter venit & *Semouitus Conradi Maſouiæ* Dux octingentos, *Boleslaus* verò *Pudicus Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Dux mille milites in auxilium miſerunt. Verùm cum caſtrum *Nakiel*, & ſitu, & munitione difficilem ſui expugnationem portenderet, *Pomeranis* ad defenſionem illius à *Mſczugio* in multiplicato numero relictis, ſtrenuè reſiſtentibus, *Przemislaus* Dux *Poſnanienſis* ſano fretus conſilio, aliud caſtrum è regione caſtri antiqui verſus occiduum intra dies paucos ædificat, & vallis foſſatisque ac copia victualium fulcitum, fortiſſimum de ſuis militibus, qui egreſſum & ingreſſum *Pomeranorum* ex caſtro antiquo arcerent, ratus, vt erat, facilius illius conquiſitionem prouenire, præſidium imponit, & ſoluta obſidione, etiam auxilia remittit. Crebri itaque inter *Polonos* & *Pomeranos* agebantur conflictus & fere diebus ſingulis ab utriſque eruptiones facientibus certamina diuerſo Marte, nunc *Polonis* nunc *Pomeranis* cadentibus, inibantur. *Poloni* inter ſe duos deſideratos milites *Pacoslaum Friderici*, & *Hermanum* velut magis inſignes, amiſerant.

Bohemiæ Dux

Bohemiæ Dux *Przemislaus* alias *Othokarus*, treugarum inducias cum *Bela Hungariæ Rege*, ſibi & terris ſuis hoſte infeſto nactus, exercitu de *Bohemis* & *Morauis* comparato, habens in comitatu ſuo *Brunonem Pragenſem* Epiſcopum, item Marchionem *Brandemburgenſem*, item Marchionem de *Merano*, item Ducem *Auſtriæ*, item *Henricum Culmenſem*, *Anſelmum Hermelienſem*, & *Olomucenſem* Epiſcopos, in *Pruſſiam*, quam veteres *Vlmigiriam* vocauêre, contra Barbaros militiam acturus, aduenit. Ad quam & cruce, per Summi Pontificis mandatum, per *Opiſonem* Abbatem de *Meſſano* Apoſtolicum in *Poloniæ* & *Pruſſiæ* partibus Nuncium, prædicata, & menſa, quam callido & vafro fratres Cruci ingenio, locando in illa Duces, Comites, Proceres, milites, pro cuiusque præeminentia, & illorum acta & ſtirpes, per *Aroldos* ſub omni tempore, quo ad veſcendum reſidebant, plus vero & iuſto efferendo, prouocatus erat. Et barbaris in abditiora loca ſecedentibus, & decernere non auſis, Dux ipſe *Przemislaus*

Pruſſiam cum exercitu ingreſſus

Pruthenos in *Samenſi* regione propter vaſtationem igne & gladio illatam, deditionem A facientes, per *Pragenſem* Epiſcopum *Brunonem*, ſuum illis nomen imponens, baptiſat. In ipſius inſuper præſentiæ memoriam Cruciferi nouam ciuitatem propè *mare Balteum*, & in flumine *Pregor*, quam *Regium montem*, in *Przemislai* Ducis *Bohemiæ*, (quamuis tunc non Rex ſed filius Regis exſtiterat) item aliam *Brunsberg*, in qua Eccleſia Cathedralis *Varmienſis* ſita eſt, in memoriam *Brunonis Pragenſis* Epiſcopi, conſtituunt. *Przemislao* autem *Bohemiæ* Duce cum ſua comitiua ex *Pruſſia* diſcedente, reliquarum regionum *Prutheni* in *Samenſes Pruthenos*, quod iniuſſu eo- B rum hoſtibus ſe dediderant, magno debacchantur furore, & terram *Samenſem* hoſtili & valido agmine ingreſſi, incendiis & cædibus cuncta fœdant, atque è regione caſtri *Kinsberg* nouam munitionem quæ à Cruciferis, *Wilow* vocata eſt, erigunt. Tunc quoque Magiſtro *Pruſſiæ* nono *Conrado* Calendis Auguſti obeunte, *Gerhardum* de *Herczborg* in officium aſſumunt, ſecundum verò alios *Poponem* de *Oſterna*. 1255.

multos ad Chriſtianam adegit religionem.

In cuius memoriam mons Regius & Brunsberg conſtruuntur.

IACOBUS Archi-Diaconus *Leodienſis*, Apoſtolicus Nuncius & Legatus, qui in *Romanum* Pontificem poſtea promotus *Vrbanus IV.* vocabatur, in *Pruſſiam* veniens, atrox bellum vndecim annis inter *Swantopelkonem Pomeraniæ* Ducem & Cruciferos fratres geſtum C intercepit, & per æquas conditiones, pacem perpetuam ordinat, quæ ab vtraque parte fuit deinceps & cuſtodita & ſeruata.

Tardius quàm animo deſtinauerat *Przemislaus Poſnanienſis* Dux, caſtri *Nakiel* à *Suantopelkone* Duce *Pomeraniæ* intercepti expugnationem videns ſucceſſiſſe, altera ob eam rem expediendam, ſuis & *Boleslai Caliſſienſis* Ducis Germani ſui terris expeditione indicta, *Caſimiro* inſuper *Cuiauienſi*, *Lancitienſi* & *Siradienſi* Duce *Swantopelkoni* oppidò infeſto, perſonale ſuffragium ferente, ad *Nakiel* peruenit, expugnationem caſtri *Nakiel* intercepti maturaturus. Stragem autem militum ſi impugnare pergeret, aut ignominiam, ſi cœpto irrito reſiliret, veritus, itineribus nocturnis ad D caſtrum *Raciaſz*, quod à *Swantopelkone* tenebatur, & in quod plures militares, ciues, & agreſtes, ex *Pomeranis*, cum perſonis, rebus & fortunis, pro comperto habebat confugiſſe, antelucano tempore peruenit, & caſtrum illicò *Racziaſz*, ſingulis qui in illo erant in ſopore exiſtentibus, oppugnare cœpit. Quibus à ſomno expergefactis, tantus pauor, aliis *caſtrum captum*, aliis *hoſtes iam intra caſtrum*, aliis *iam turres & optima quæq; loca occupaſſe* vociferantibus, iniectus eſt, vt militibus *Przemislai* & *Caſimiri* ignes caſtro in locis frequentibus adhibentibus, ad ſtationes Ducum per medias flammas exilientes, ſe in poteſtatem eorum traderent. Cæteri igne inualeſcente dum

1256. *Przemislaus Dux Poſnanienſis.*

caſtrum Racziaſz Pomeraniæ capit & comburit.

1256. dum pergunt fugere, à flammis miſerabiliter fuere ſuffocati. Caſtrum omne, præter res quæ foueis & cellariis mandatæ fuerant, A conflagratione periit. Clade ſuorum & caſtri *Racziaſz* conflagratione irritatus *Swantopelkus*, vices Duci *Przemislao* repenſurus, ad ſuosque qui in caſtro antiquo *Nakiel*, à militibus *Przemislai* in caſtro nouo *Nakiel* conſiſtentibus obſidebantur, victualia illaturus, in Quadrageſimæ medio, cum omni potentia gentium ſuarum, Duces *Przemislaum* & *Boleslaum Maioris Poloniæ* & *Caſimirum Cuiauiæ*, poſt caſtri Racziaſz conquiſitionem, in ſua remeaſſe cognoſcens, in quadrigis victualia ferens, verſus *Nakiel* aduenit. Et victualibus non ſine ſuorum euidenti diſcrimine ad ſuos in caſtrum antiquum illatis, omnes vires & induſtriam ad conquiſitionem caſtri B noui *Nakiel*, licet illud valido militum præſidio fulcitum noſſet, interponit. Primumque lignis aridis & pinoſis comparatis, foſſata huiusmodi lignis implere, & aggeres ex lignis conſtituere, ligna quoque ipſa incendere, & per illa flamma creſcente, nouum caſtrum *Nakiel* conflagrare nitebatur. Verum cum vna lignorum ad foſſata importatio, vix ſuperficietenus foſſata impleſſet, cœptum perfecturus, gentes ſuas ad comportandum ampliorem, & ad opus perficiendum ſuffecturam, lignorum materiam, in ſyluam propinquiorem transmittit. Sub quo tempore, ſpatio requieſcendi dato, milites *Przemislai* ex caſtro nouo certatim deſcendentes, igne adhibito omnes ſtrues iniectas, antequam aliæ adiicerentur, conſumunt, C & longum *Swantopelkonis* laborem inflammatione huiusmodi diſſoluunt. At ille milites in ſtationes eo die diſcedere, corporaque curare, altera verò die ad tertiam horam armatos adeſſe iubens, cum milites dicto paruiſſent, ab omni parte nouum caſtrum expugnare adorſus eſt. Milites ſui ex ſcutis teſtudine facta, foſſatis transgreſſis, etiam ad latera caſtri perueniunt, illudque proſcindere, & ignem ſupponere, cæteris illos telis, bombardis, machinis, & fundis ligneis quæ *Proki* vocantur, protegentibus, & caſtrum nouum eiusque defenſores laceſſentibus, conantur. Sed non minor fuit *Przemislai* militibus ardor pro defenſione, quam *Swantopelkonis* pro impugnatione. Ita- D que viginti ex eis qui propius acceſſerant occiſis, & pluribus vulneratis, cæteri ne prælio inuoluerentur, fugere & expugnationem intermittere coacti ſunt. *Swantopelk* ex impugnatione tentata, cædem ſuorum referens, vario æſtu mentis excruciatus, dùm nulla ſpes propoſito ſuo affulſiſſet, gemens, triſtis, & confuſus ad *Pomeraniam* rediit. Altero deinde exercitu *Swantopelk*, congeſto, in *Nakiel* clam & noctu aduenit, apertis & iuſtis pugnis non proficientibus, arte & aſtu in *Polonos*, &, eos qui nouum caſtrum *Nakiel* obſeruabant, vſurus. Se itaque cum eo quem ſecum adnexerat equitum & peditum exercitu, in mon-

Swantopelkus caſtrum prope Nakiel ædificatum dum non poſſit acquirere,

tanis locis, quæ haud longe à caſtro nouo ſita erant, velut in inſidiis collocans, quid fieri velit, per ſidum nuncium nocte in caſtrum antiquum penetrantem, ad ſuos, & eos qui in caſtro antiquo erant, demandat. Primo itaque manè diei ſubſequentis, milites *Swantopelkonis* eruptione ex *Nakiel* facta, militibus *Przemislai* ex caſtro nouo in pugnam prouocatis, certamen cum illis conſerunt, & veluti victos fugere ſe ſimulantes, *Polonos* milites, velut deuictis hoſtibus vsque ad inſidias perducunt. Ex quibus *Swantopelkus*, cum omnibus his copiis, quæ ſecum aduenerant conſurgit, & *Polonorum* militibus ſe oſtendit: extemplo & hi, qui ſe ſimulauerant fugere, ex fuga conuerſi in *Polonos* inuehuntur, & *Poloni* à tergo & fronte circumuenti, velut quædam victimæ, nunc ab his, nunc ab illis cæduntur. Sed nec tunc *Polonis* animus defuit; ex deſperatione ſiquidem in furorem verſi, magna ſtrage in hoſtibus edita, ad extremum omnes aut trucidati aut capti ſunt, non incruentam hoſti reliquerant victoriam. Captus eſt autem inter alios miles *Mſcziſlaus* qui multæ probitatis oſtenſis decoris, incumbentem vndique proſternendo hoſtem, *Swantopelkone* iubente, *vt ſui ferro parcerent*, comprehenſus, & cum aliis in *Pomeraniam* deductus. Clades autem hæc cæterorum *Przemislai* militum, qui in caſtro nouo reſidui erant, quamuis illam ſuperne ſpectarent, animos non imminuit, quinimò caduceatoribus à *Swantopelkone* miſſis, *vt caſtrum dederent*, ferox dederunt reſponſum: Plures captis & deſideratis, qui lætitiam de clade fallaciter quæſita inultam fore non ſinent, in caſtro *Przemislai* ſupereſſe. *Swantopelk Pomeraniæ* Dux, etſi victoria potitus ex *Nakiel* remeaſſet, fortius tamen & crudelius bellum pro vnius caſtri iniuſtè poſſeſſi occupatione, ratus inter ſe & nepotes ſuos ex ſerore, eorumque auxiliatores ſerpturum, per Fratrem *Poponem* (*Polonus* hic natione erat, genere nobilis, & *Cracouita*, qui Ordinem Cruciferorum aſſumpſerat, *Swantopelkoni* & *Przemislao* per maternam lineam ſanguine iunctus) egit, vt *Przemislaum* Ducem ad reconciliationem mutuam ſecum induceret. Sed neque *Przemislaus* Dux, monente illum *Popone*, reconciliationem cum *Swantopelkone* aſpernatus, conuentum apud villam *Kcyniam* in vigilia Beati *Iacobi* Apoſtoli cum *Swantopelkone* tenuit. Vbi in prædictum *Poponem* à Principe utroque pleno facto compromiſſo, frater *Popo* prædictus, exploratam habens *Swantopelkonis* voluntatem, pronunciauit compromiſſi auctoritate ſententiam, vt *Swantopelkus Pomeraniæ* Dux caſtrum *Nakiel*, velut iniuſte nepoti ſuo *Przemislao* Duci *Poſnanienſi* interceptum, ſecutura die Sancti *Iacobi*, reſtituat, & omnes captiuos liberos dimittat. *Przemislaus* verò Dux *Poſnanienſis*, *Swantopelkoni* quingentas marcas argenti, pro expenſis factis, & caſtri *Racziaſz* demolitione 1258.

præſidium illius dolo euocat & profligat.

Tandem per Poponem Cruciferum Duces inter ſe paciſcuntur.

1265. in certis terminis daturus, interim obſides ſoluat. Qua pronunciatione ſententiæ, ab vtroque Principe acceptæ, ad *Nakiel* itum eſt, & A iureiurando interpoſito, quòd alter in alterius terrarum & caſtrorum occupationem aſpirare non debeat, auunculus & nepos oſculo facto reconciliantur, & caſtrum antiquum *Nakiel* per *Swantopelkonem Przemislao* Duci, cum ambo illud pacificati iunctis dextris ingreſſi fuiſſent, reſignatur, nouum vero per *Przemislaum* Ducem incendio deletum eſt. Accepit & tunc *Swantopelkus* à Duce *Przemislao* nouem adoleſcentes nobiles pro obſidibus, *Dirſicraium* videlicet & *Dobrogoſtium* filios *Vincentii*, *Wlodimirum Prandothæ*, *Iacobum Boguphali* de *Czirnelin*, *Ianusſium* de *Pnievv*, *Samſonem Gnievvomirovvicz*, *Derslaum Iaroczevvicz*, *Mroczkonem Przeczlavvicz*, & *Sandi*- B *uogium Sbilutovvicz*, qui apud illum comiter tractati demoratique ſunt, quouſque ſibi de quingentis marcis argenti a Duce *Przemislao* præſtita eſt effectualis ſolutio.

Pomeranico bello, quod pro caſtro *Nakiel* à *Svvantopelkone Pomeraniæ* Duce intercepto, tàm animis quàm odiis infeſtis, integro fere biennio inter proprios geſtum eſt, per compoſitionem extincto, in *Sleſia* rurſum bellum auſu ſacrilego Duci *Legnicenſis, Boleslai Calui* renatum eſt. Qui quaſi iacturam, quam *Conrado* fratri Duci *Glogouienſi*, dimidium *Legnicenſis* Ducatus dare coactus, pertulerat, inſtauraturus, Patrum ſuorum nonnullorum Regum & Principum *Poloniæ* itinera praua ſe- C ctaturus, dum minus proſpere bella cum ſecularibus acta ſucceſſiſſent, cum Eccleſiaſticis ea plus vtilitatis, minus impenſæ & diſpendii habiturus, gerere cœpit. *Thomam* ſiquidem *Wratislauienſem* Epiſcopum, virum & pro Pontificali excellentia, & pro vitæ ſanctimonia, qua inter cæteros *Polonicæ* Eccleſiæ Pontifices ſplenduit, & publico & priuato officio ſibi venerandum, in *Gorka* prædio Abbatis Sanctæ *Mariæ* de *Arena*, in quod nouam Eccleſiam dedicaturus aduenerat, quieſcentem, nocte cum ſuis *Teuthonicis*, quorum ſuaſu & conſilio in id facinus ferebatur, ſuperueniens, cum *Boguphalo* Præpoſito, & *Hecardo* Canonico *Wratislauienſibus*, ſexta Octobris die D captiuat, omneſque res, equos, veſtimenta, & fortunas Epiſcopales illic ſecum conſiſtentes diripit, & nonniſi camiſiolà vnâ, in qua dormitauerat, tectum, equo imponit. Quem cum Satrapæ ſui *Theutonici* didiciſſent, equitandi, iam enim vir grandæuus erat, vſum non habere, equo cui inſidebat transmutato, in alterum equum grauius portantem, illum, ampliorem laborem & dolorem ſibi adiecturi, transponunt. Vnus deinde latrunculus, cæteris omnibus *Theutonicis Boleslai* Satrapis, nuditatem ipſius, & dentium, qui ex frigida cauſa auræ cauſatus eſt, ſtridorem irridentibus, miſertus, vetuſta & virgulata tunica, veteribuſque ſuis ocreis, ne rigore hiemis conſumeretur, illum veſtit. Ac ſic tectum in caſtrum *Boleslai*, *Vlay* nomine, perducunt, & tam Epiſcopum quàm Præpoſitum & Canonicùm ſecum vnâ captos, Duce *Boleslao* iubente (qui decimarum manipularium quæ Epiſcopo & vniuerſo Clero *Wratislauienſi* more patriæ *Polonicæ* in campis manipulatim de omni grano ſoluebantur, in fertonalem transmutationem, & decem millium marcarum ſolutionem, quem decem à *Thoma* Epiſcopo exigebat) in carcerem & millibꝰ marvincula coniiciunt. Id ſcelus horrendum, carum taxat. dum nemo inueniretur qui reſcinderet, (Dux enim *Wratislauienſis Henricus*, ſiue manſuetudo ſiue puſillanimitas id faciebat, nam & à nonnullis de conſenſu ad capiendum Epiſcopum dato inſimulatus eſt, à Capitulo *Wratislauienſi*, quatenus de liberando Epiſcopo nauaret operam, rogatus, rem ſilentio & diſſimulatione abſoluit) *Fulco Gneſnenſis* Archiepiſcopus, Prouincialibus *Poloniæ* Epiſcopis, ad Synodum in *Lancitia* indictam, conctis celerrimè, ſumpta deliberatione, & *Alexandrum* Papam de facinore in *Thomam* Epiſcopum, *Boguphalum* Præpoſitum, & *Hecardum* Canonicum *Wratislauienſes*, per *Boleslaum Legnicenſem* Ducem patrato, literis totius Eccleſiæ *Polonicæ* & veloci nuncio auiſat, & quid Apoſtolica Sedes agendum cenſeat, conſultat, & nihilominus contra *Boleslaum Legnicenſem* Ducem, & ſui ſceleris complices, cenſuras grauiores promulgat, *Wratislauienſemque* diœceſim Eccleſiaſtico ſupponit interdicto. In omnibus itaque Eccleſiis Prouinciæ *Gneſnenſis*, infra miſſarum ſolennia communione finita, & Pſalmus *Deus laudem meam ne tacueris &c.* procidentibus miniſtris Dei in terram, & Oratio *Exaudi quæſumus Domine Eccleſiam, non ſolùm Paganorum percuſſionibus attritam, ſed etiam Chriſtianorum prauitatibus afflictam, &c.* vſque ad finem, ſonantibus in vnam partem campanis, agebantur, & Dux *Boleslaus Legnicenſis*, recitata ſua crudelitate, denunciabatur anathematizatus. Sed & Papa *Alexander*, literis Epiſcoporum *Poloniæ*, & nuntii relatione, in vehementem turbationem, ſuper nouitate quæ acciderat, motus, Archiepiſcopo *Gneſnenſi*, & *Cracouienſi* ac *Wladislauienſi* Epiſcopis, dedit in mandatis, vt *Boleslaum Legnicenſem* Ducem, de relaxando *Thoma Wratislauienſi* Epiſcopo, autoritate Apoſtolica requirerent, & abnuentem, perſonam ſuam & facinoris complicum cenſuris, terram verò ſuam Interdicti ſententiis, percellerent. Qui omnia vt iubebantur, exequuti ſunt. 1265.

Boleslaus Caluus Thomam Epiſc. Wratislauienſem cum Præpoſito & Canonico captiuat.

Propter quod ipſe & Ducatus Legnicenſis interdicto ſupponitur.

Michael Epiſcopus *Wladislauienſis*, annis 40. in Pontificatu exactis, ſenectute bonâ plenus, octaua menſis Auguſti moritur, & in Eccleſia veteri *Wladislauienſi* ſepelitur. In cuius locum *Wlodimirus* Præpoſitus *Cruſzwicienſis*, Canonicus *Wladislauienſis*, Ducum *Semouiti*

Michaëli Ep. Wladislauienſi ſuccedit Wlodimirus.

1256. uiti & Caſimiri Maſouiæ Cancellarius, per electionem Canonicam ſuffectus eſt, & per Alexandrum quartum Papam, Ducibus præfatis illum promouentibus, confirmatus, nobilis genere de domo Boleſtarum.

Boleslaus Cracouienſis Dux Belæ Regis Hungariæ filiam accipit in vxorem.

Boleſlaus Gneſnenſis & *Caliſienſis* Dux, & frater *Przemiſlai Poſnanienſis* Ducis, *Belæ Hungariæ* Regis, fratris germani Beatæ *Helizabeth* filiam, nomine *Iolentam,* quæ à *Polonis Helena* nuncupabatur, conciliante nuptias huiuſmodi *Boleſlao Pudico Cracouienſi* & *Sandomirienſi* Duce, ducit vxorem. Et ſolennitas nuptiarum huiuſmodi *Cracouiæ* habita, (præfata enim *Iolenta* in Curia Duciſſæ *Kingæ*, conſortis Ducis *Boleſlai Pudici*, ſororis ſuæ germanæ, ex *Hungaria* traducta nutrita erat) pluribus diebus ſub præſentia multarum inſignium perſonarum acta eſt.

Guilhelmus Romanorum Imp. occiditur. De eius ſucceſſore diſſenſio inter Electores.

Romanorum Rex *Guilhelmus* alias *Wilkinus* Comes *Hollandiæ*, in *Friſones* detrectantes imperium expeditionem agens, ab eiſdem *Friſonibus*, ſubiectionem & imperata ſe facturos pollicentibus, occiditur. Dum autem Electores pro alterius electione conueniſſent, diſcordem celebrârunt electionem. Vna ſiquidem pars elegit *Alphonſum* Regem *Caſtellæ*, altera *Richardum* Comitem *Cornubiæ*, & fratrem Regis *Angliæ*, qui cum eſſet ditiſſimus, ab Archiepiſcopo *Colonienſi* ſuo Electore coronatus, Regnum *Almaniæ* pro magna parte obtinuit. Durauit autem quæſtio huius ſchiſmatis multis annis, nec terminata fuit, niſi amborum morte ſequuta. Pro qua re, infinita pecunia ab vtroque expenſa eſt, ſed præcipuè à Rege *Alphonſo* viro animoſo, & honorem omnibus præferente. Qui Regnum ſuum *Caſtellæ*, diſſidio huiuſmodi durante, multis theſauris, exinaniuit. Ambo hi de imperio contendentes, ſed & *Guilhelmus* Comes *Hollandiæ* pro breuitate temporis quo regnauerunt, nihil egerunt memoria dignum, & omnes caruerunt Imperiali benedictione.

1257. *Thomas Ep. Wratislauienſis*

Captiuitatis ſuæ continuos languores ſqualloresque *Thomas Wratiſlauienſis* Epiſcopus aliquando finiri deſiderans, cum à *Boleſlao ſæuo* (id enim cognomen poſt facinus in Epiſcopum patratum ſortitus erat) ex caſtro *Vlay* in *Legniczam* deductus, & in terram proiectus, arctioribus compedibus vinciretur. Cumque cenſuræ Eccleſiaſticæ, tam auctoritate Summi Pontificis, quàm Epiſcoporum *Polonicæ* Eccleſiæ in virum peſſimum *Boleſlaum ſæuum Legnicenſem* Ducem, ob id latæ, quas ille velut ſtipulam reputans, ſeuerius in Epiſcopum, & ſuæ captiuitatis conſortes, debacchabatur, nullam eliberationem effecturæ ſperarentur, cum *Boleſlao ſæuo*, captiuatore ſuo, paciſcitur. Et commutationem decimarum manipularium, non in ſua tantummodo *Legnicenſi* ſorte, ſed & in vniuerſa *Wratiſlauienſi* diœceſi, in fertonales, Capitulo ſuo *Wratiſlauienſi* irrequiſito, Archiepiſcopo inſuper *Gneſnenſi* Metropolitano ſuo, & Epiſcopis *Polonicæ* Eccleſiæ cum Prouincialibus ſuis, qui pro illius libertate & ſubſtantias & ſanguinem parabant ſe effuſuros, inconſultis, duorumque millium marcarum argenti ſolutionem, præter pannos ſarlaticos, à *Boguphalo* Præpoſito, & *Hecardo* Canonico *Wratiſlauienſi* exactos, pollicitus, medietate pecuniæ per prius ſoluta, de reſidua verò medietate, & promiſſo de tranſmutandis decimis manipularibus in fertonales implendo, filiis nobilium & Scultetorum ſuorum datis obſidibus, in feſto Paſchæ, à captiuitate, cum ſuæ captiuitatis conſortibus *Boguphalo* Præpoſito, & *Hecardo* Canonico ſolutus eſt. Sæuitiam autem tam fœdam in *Thomam* Epiſcopum, *Boguphalum* Præpoſitum, & *Hecardum* Canonicum, *Wratiſlauienſes* depromptam, apud obtrectatores ſuos leuaturus, non in *Henricum* ſolummodò *Wratiſlauienſem*, ſed & in *Conradum Glogouienſem* Duces germanos, eorumque Conſiliarios & Proceres, iurenè an iniuria incertum eſt, retorquebat, licet decimarum manipularium in fertonales tranſmutatio, etiam pro eorum terris obtenta, patrati ſceleris reos, vehementi ſuſpicione argueret. Nihil itaque mirum, ſi prouidentia Diuina vlciſcens ſcelera Patrum in tertiam & quartam generationes, Principes *Sleſiæ*, id eſt Regni *Poloniæ* hæredes, ex lumbis & ſtirpe Regum *Poloniæ* procedentes, de Regno ipſo fecit extorres, qui ſe variis ſceleribus, & præſertim cæde & captiuitate ac ſanguine Pontificum ac Sacerdotum, decimarumque vſurpatione inquinauerunt, & alienigenas eiuſdem Regni fecit hæredes. Recenti ſcelere, quo in Chriſtos Domini, *Thomam* Epiſcopum, *Boguphalum* Præpoſitum, & *Hecardum* Canonicum, *Wratiſlauienſes*, *Boleſlaus Legnicenſis* Dux, ſacrilegas manus iniiciens, vſus fuerat, aliud adiecturus, germanum ſuum *Conradum Glogouienſem* Ducem, ad ſe in *Legniczam*, verbo quidem vt ſecum conueniret, re autem vt captum Ducatu *Glogouienſi* exueret, inuitat. Qui etſi a nonnullis *Boleſlai ſæui* ſatellibus certior factus, ad quam iucundum & oppiparum conuiuium vocaretur, venire repromittens, plures numero Proceres & milites ſecum in *Legniczam* aſſumit. Quorum maiori parte in ſylua *Legnicenſi* oppido vicina relicta, ipſe cum expedita aliorum manu, quibus inſidias ſibi a *Boleſlao ſæuo* ſtructas, patefecerat, & quid eos agere vellet, inſtruxerat, in *Legniczam* peruenit, a *Boleſlao* quoque *ſæuo* benignum demonſtrante vultum, exceptus, & in *Legnicenſe* caſtrum perductus, videns *Theutones Boleſlai ſæui* milites, turres & quæque ſuperiora mœnia & cacumina occupaſſe, facinus in ſe per *Boleſlaum ſæuum* committendum anticipauit, & *Boleſlaum ſæuum* antequam ad ſuperna veniret, vbi capi *Conradus* debuerat, aſcenſus captiuat, & extra portam caſtri, ante-

tranſmutatis decimis, 1257. *& datis duobus millibus marcarum argenti à captiuitate liberatur.*

Poſtea volens Conradum fratrem ſuum captiuare,

1257.

antequam milites *Boleſlai* ex ſupernis poſſent decurrere, deductum, ad eos qui ſe in ſylua operiebantur, militibus *Boleſlai* ſequi non audentibus, transportat, & ab inde illum lento paſſu in *Glogouiam* deducit, & arctæ cuſtodiæ mancipat, nec prius dimiſit, donec omnem pecuniam per *Thomam* Epiſcopum *Wratislauienſem* datam & dandam, ab eo, prædantem prædatus, exigeret.

Ipſe per eum raptus Glogouiam defertur.

Prandothæ Cracouienſis, & *Volmiri Wladislauienſis*, Epiſcoporum, literis *Alexander* Papa quartus, certior factus *Boleslaum ſæuum Legnicenſem* Ducem, & monita Apoſtolica contemptui, & cenſuras ab eis fulminatas ludibrio habuiſſe, neque *Thomam* Epiſcopum *Wratislauienſem*, & *Boguphalum* Præpoſitum, *Hecardumq;* Canonicum relaxare (adhuc enim tunc illos *Boleslaus ſæuus Legnicenſis* Dux carcere clauſos & compedibus ſtrictos tenebat) à captiuitate voluiſſe, zelo Dei in Eccleſiaſtica libertate, & miniſtris eius defendendis accenſus, inſolentiam & temeritatem *Boleslai ſæui Legnicenſis* Ducis, virga Apoſtolica compreſſurus, vexillum crucis contra præfatum *Boleslaum ſæuum*, & terras ſuas, velut ethnicum, & fidei ac religionis Catholicæ hoſtem decernit. *Gneſnenſi* quoque & *Maydeburgenſi* Archiepiſcopis, dedit per ſpeciales literas, facinus in *Thomam Wratislauienſem* Epiſcopum per *Boleslaum ſæuum* admiſſum declarantem, in mandatis, quatenus per *Poloniam* & *Germaniam*, crucem huiusmodi prædicarent, & omnes Catholicos Reges, Principes, Comites, Barones, & quoslibet fideles, in præfati *Boleslai ſæui Legnicenſis* Ducis, & ſuorum ſubditorum exterminium inuocarent & animarent. Quo mandato *Fulco Gneſnenſis* Archiepiſcopus accepto, altera apud *Łanciciam*, pro die Sancti *Calixti* Synodo Prouinciali inſtituta, *Prandotha Cracouienſi*, *Thoma Wratislauienſi*, qui iam tunc per pacta captiuitatem euaſerat, *Boguphalo Poſnanienſi*, *Wolmiro Wladislauienſi*, *Andrea Płocenſi*, & *Vilhelmo Lubucenſi*, Epiſcopis, multisque Abbatibus, & Prælatis Eccleſiæ *Polonicæ* conuenientibus, mandatum Apoſtolicum omnibus intimat, crucemque contra *Boleslaum ſæuum* prædicat, & illam mandat auctoritate Apoſtolica ab omnibus Epiſcopis ſuæ Prouinciæ prædicari. Argutus eſt & tunc *Thomas Wratislauienſis* Epiſcopus prædictus ab omni Eccleſia *Polonica*, quòd pactionem fœdam tam exemplo peſſimo quàm re, in transmutatione decimarum manipularium in fertonales, violando & libertatem Eccleſiaſticam, & laudabilem *Polonicæ* patriæ, quæ propterea apud exteras nationes celebris habebatur, morem exterminando, fecerit. Qui & *metum, qui in virum conſtantem cadere poterat, & multiplices paſſiones ſuas quas pertulerat*, allegans, ſpoponderat ſe, *licet non impleuerit, promiſſa, de transmutandis decimis manipularibus in fertonales, nullo unquam tempore ſeruaturum.* Apoſtolicarum autem literarum Archiepiſcopis *Gneſnenſi* & *Maydeburgenſi*, de prædicanda contra *Boleslaum ſæuum* cruce, ſcriptarum, quarum Originales apud Eccleſiam Beatæ *Mariæ Sandomiriæ Cracouienſis* diœceſis nos retinemus, tale extat exemplar:

Alexander Papa ob detentionem Ep. Wratislauienſis cruciatam mittit ad Germaniam & Poloniam.

Alexander Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Venerabilibus Fratribus Maydeburgenſi & Gneſnenſi Archiepiſcopis, eorumque Suffraganeis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem, &c. Non absque multa cordis amaritudine iam dudum accepimus, quod venerabili Fratre noſtro Epiſcopo Wratislauienſi, ad villam Gorka ſuæ diœceſis, vbi quondam Eccleſiam erat conſecraturus, diuertente, Nobilis Vir Dux Sleſiæ aſſociatis ſibi quibusdam iniquitatis filiis, eundem Epiſcopum, Præpoſitum, & Hecardum Presbyterum Canonicum, Wratislauienſes, capere vſu ſacrilego non expauit. Epiſcopum ipſum ad quoddam caſtrum ſuum, reuerentia Pontificali poſtpoſita, ferè nudum abducens; deguſtaturum ibidem anguſtias carcerales. Propter quod de ipſius Ducis, prout ad noſtrum ſpectat officium, ſalute ſolliciti, per Venerabiles Fratres noſtros, Archiepiſcopum Gneſnenſem, nec non Cracouienſem & Wladislauienſem Epiſcopos, moneri eum mandauimus, vt ipſum, ac etiam alios cum eo captos, absque difficultate aliqua, priſtinæ reſtituens libertati, eos liberè abire permitteret, & de ablatis rebus & irrogatis iniuriis, ipſi Epiſcopo & Eccleſiæ reſtitutionem & ſatisfactionem plenariam impenſurus. Verùm eodem Duce tam ſalutaria parui pendendo monita, ac eligente in ſuo ſcelere perire potius quàm parere, præfati Archiepiſcopus & Epiſcopi, prout à nobis in mandatis acceperant, ipſum & omnes eius in hac iniquitate conſiliarios & fautores, excommunicatos facientes publicè nunciari, ſuppoſuerunt terram ipſius, nec non & locum ad quem ipſum declinare contingeret, quamdiu ibi eſſet, Eccleſiaſtico interdicto: ſpe tam eis quàm nobis per hoc appoſita, quòd ipſe ſic percuſſus, dolens, ad percutientem ſe, cum deuotione recurreret: congrua culpæ ſuæ requirendo remedia, præſertim cum ſalubrem nonnunquam ſibi doloris immenſitas inueniat medicinam. Porrò idem Dux malleum Eccleſiæ velut ſtipulam reputans, adhuc in ſua perſeuerat obſirmatus malitia, omninò contempta Eccleſiæ diſciplinâ, & quod ad cumulum ſuæ damnationis magis accedit, eos nunc validioribus quàm prius, afficit pœnis & tormentis; pedes enim ipſius Epiſcopi, qui calceati eſſe debent in Euangelium pacis, ferreis nexibus alligantur. Et qui gregem ſuum ſacræ prædicationis vbere deberet reficere, nunc in diri carceris ergaſtulo detinetur, interdicto ſibi Capellani ſui ſuffragio, cui in confeſſione conſcientiam ſuam pandere valeat, & cum quo poſſit interdum ſaltem miſſarum officia celebrare. Equidem cum & nos talis iniuria vulnerat, & non leuem nobis impreſſura mœſtitiam, ad procedendum contra Ducem ipſum acrius nos inuitat. Nam veriſimilitudo non tolerat,

Literæ cruciatæ contra Boleslaum caluum Legnicenſem Ducem.

vt

1257. *vt patiente tanto Eccleſiæ membro, caput non langueat, aut expers doloris exiſtat. Si ergo commiſſum eſt nobis, licet indignis, & curam gregis* A *Dominici ſollicitam gerere, & medelam ſauciati vulneribus adhibere, quomodo Ducem ipſum per mortales campos, per iter mortis vltra patiemur diſcurrere? quin ipſum ad paſcua ſalutis reducamus. Cumque infirmus ſalutaria reſpuat, quærat noxia, & plerumque deſideriis contrarius vrgeamus: Quomodo Ducem ipſum tanquam laborantem freneſi, impiæ relinquemus voluntatis arbitrio? quin ipſi quantumcunque inuito, amara ſalutis pocula propinemus? vt id ad curam ſanus fuiſſe cognoſcat, quod infirmus non poterat præſentire. Sanè poſtquam idem obſtinatus ſpiritualem medicinam reſpuit, poſtquam Petri gladium prout congruit non attendit: quid ſupereſt, niſi vt extrahatur materialis gladius contra* B *ipſum? Et ad quod leui medicamine voluntarius induci non potuit, pœnæ ſaltem formidine pertrahatur inuitus. En habitatores Poloniæ filios ſpeciales relinquemus expoſitos illi diſcrimini, quod ex tam deteſtabili facto ipſorum imminet regioni? Erat enim in tam enormi exceſſu patientia noſtra tanta, vt & negligentius nomen aſſumat, & verè patientius nomen perdat. Et quidem quantumcumque ob generoſitatem ipſius, & ſuorum progenitorum merita, hactenus detuliſſemus eidem, id tamen vlterius non patitur prædicti criminis magnitudo. Accuſat enim ipſum carcer, arguunt vincula, ac contra ipſum Deum ac homines, prouocat ad vindictam. Cæterum more pii Patris, qui ſententiam citò con-* C *uertit in veniam, & redire non perire cupit filium, adhuc experiri volentes, ſi de fragmentis conſcientiæ ſuæ, quæ velut lagena figuli eſt, grandi contritione confracta, aliqua teſta permanſerit deuotionis igniculi retentiua, Vniuerſitatem Veſtram rogamus, monemus & hortamur attentè, in virtute ſanctæ obedientiæ vobis diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus præfatum Ducem ſuper liberatione ipſius Epiſcopi, & aliorum, nec non & ſuper præmiſſis omnibus moneatis, & moneri & induci efficaciter faciatis. Quod ſi monitis veſtris (quod abſit) pertinaciter aures obdurauerit cordis ſui, extunc ſinguli veſtrum in ſuis ciuitatibus & diœceſibus, pro liberatione eiuſdem Epiſcopi, contra Ducem ipſum, iuxta datam vo-* D *bis à Deo prudentiam, per ſe, vel per alios viros ad hoc idoneos, prædicetis Verbum Crucis. Nos enim omnibus verè pœnitentibus, contritis & confeſſis, qui ad prædicationem Veſtram eam ſuſceperint, & in propriis perſonis liberationem huiuſmodi fuerint proſecuti, illam ſuorum peccaminum veniam elargimur, quæ in terræ Sanctæ ſubſidium perſonaliter accedentibus in generali Concilio eſt conceſſa. Debent enim ad liberationem huiuſmodi fideles Chriſti non remiſſi, ſed feruentes & voluntarii reperiri, quin per detentionem ipſius, illi grauis irrogatur iniuria, cuius legatione fungitur, & qui in ſuis miniſtris honorari ſe aſſerit, atque ſperni. Datum in Laterano, tertio Calend. April. Pontificatus noſtri anno tertio. Anno verò Natiuitatis Domini, Milleſimo Ducenteſimo Quinquageſimo Septimo.* 1257.

Vrbem ſuam *Cracouienſem, Boleslaus Pudicus Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Dux, ad incrementa, quæ ſub *Polonis* & iure *Polonico* aſſequi non poterat, perducturus, Ius illi largitur *Srzedenſe* ſeu *Theutonicum,* Aduocatumque in ea conſtituit, qui vrbis ſitum & domus, paſſim & ſine lege, ſine ordine conſiſtentem transloсat, & transmutat. Et circo vrbis primùm ordinato, etiam plateas ipſius proportionaliter & ex æquo diſtinguit.

Cracouiæ ius Theutonicum & Aduocatus inſtitutus eſt.

Alexander Papa quartus nouam religionem mendicantium de Pœnitentia Beatorum Martyrum intitulatam inſtituit. Cuius fratres & Profeſſores *Cracouiam* aduenientes *Boleslaus Pudicus Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Dux, benignè appellatos ſuſcipit. Et Eccleſia in ſancti *Marci* Euangeliſtæ honorem de nouo fundata, illis locum *Cracouiæ* contulit, & ſumptus pro monaſterii ædificatione atque etiam Eccleſiæ, dari liberaliter iuſſit.

Cracouiæ monaſterium S. Marci fundatur.

Pridie Nonas Iunii, in *Poſnanienſi* caſtro nobilis & illuſtris Princeps *Przemislaus Poſnanienſis* Dux, filius *Wladislai Othonis* Ducis *maioris Poloniæ*, poſt quindecim dierum decurſum, quibus ab ægritudine preſſus languerat, triceſimum & ſextum annum tantummodò agens, moritur, funusque ſuum in Eccleſia maiori *Poſnanienſi*, cum cineribus Regum & Principum *Poloniæ*, iuſto honore, & lugubri omnium militum comploratu, ſepultum eſt. Hic inter *Poloniæ* Principes mitiſſimus, ſui temporis & ſupra ætatem prudens, duas præcipuè virtutes, continentiam videlicet & iuſtitiam, ſumma cura ſummoque ſtudio ſectatus, cilicina veſte in diebus Quadrageſimæ, vt caro ſeruiret ſpiritui, & ceruiſia parum ſapida, aut vino lymphato, vtebatur. In pronuncianda vero ſententia, & lite dirimenda, tam modeſtus, tam iuſtus, vt vtraque pars eius probaret decretum. Nemo illum vidit vnquam aut ebrium, aut iratum, aut geſtu, indumento, ſermone aut opere ſuperbum. Sacro Cœnæ die duodecim pauperum ablutis & oſculatis pedibus, quemlibet nouo panno veſtiebat. Media nocte, quod illi cerimoniale iam, & quaſi ex debiti neceſſitate conſuetudinarium factum fuerat, dum à familiaribus quieſcere putaretur, conſurgens, curſum horarum Virginis glorioſæ, quibus finitis Pſalmos aliquos, & orationes quas didicerat, depromebat. Contulit Eccleſiæ *Gneſnenſi* villam *Czirnelin, Poſnanienſi Buk*, præter libertates, quibus vtramque Baronibus ei aduerſantibus, magnis prærogatiuis extulerat. Quatuor ex conſorte ſua *Eliſabeth* filias, videlicet *Conſtantiam, Veronicam, Ophkam,* & *Euphroſinam* reliquit. Ea tamen conſorte ſua *Eliſabeth*, dum in morte viri grauida eſſet, filium poſthumum in die Sancti *Calixti*, omnibus ſubditis

Przemislaus Dux Poſnanienſis moritur, vno filio eiuſdem nominis poſthumo relicto.

1257. tis de virili prole magna iucunditate ouantibus, effudit. Cui in Patris charitatem & memoriam, *Boguphalus Poſnanienſis* Epiſcopus nomen Paternum in Baptiſmo *Przemislaus* indiderat. Hunc Principem *Baſzko* Cuſtos *Poſnanienſis* in ſuis ſcriptis & annalibus plurima laude celebrat.

Cracouiæ & in vniuerſis *Polonorum* vrbibus & regionibus, terræ motus apud *Polonos*, rei huiuſcemodi inſuetos, pro monſtro & religione habitus, pridie Calend. Februar. editus eſt, tertiarum hora.

Przemislaus Bohemiæ Dux Bauariam ingreſſus, cæditur.

Bohemiæ Dux *Przemislaus Bauariam* hoſtiliter, multis Baronibus *Bohemiæ*, expeditionem ipſam, cum cauſas iuſtas non haberet, improbantibus, ingreſſus, cum eam vſque in *Lanczuth* prædis & rapinis vaſtaſſet, vix Duce *Przemislao* cum modica parte exercitus pontem in flumine *Eunio* transgreſſo, milites qui ſequebantur, ponte confracto, in flumen proiecti, ab vndis, paucis, natare ſcientibus, euadentibus, vorati ſunt. Omnis verò reliquus exercitus ſuus, qui nondum pontem & flumen ſuperauerat, à *Bauaris*, paucis fugientibus deletus eſt, & *Bauari* tam victoria, quam omnibus ſpoliis & impedimentis potiti. Dux verò *Przemislaus* cum paucis (nam & illi qui pontem tranſierant, à *Bauaris* inſectati aut trucidabantur aut capiebantur) incolumis fugiendo euaſit. Nonnulli ex *Bohemis*, qui in oppidum *Melendorff* Archiepiſcopi *Salczburgenſis* diffugerant, tam diu à *Bauaris* illic obſeſſi, donec æquis conditionibus inter *Przemislaum Bohemiæ*, & *Bauariæ* Duces, pax ſancita eſt.

B. Iacinthus Cracouiæ moritur.

Quindecima menſis Auguſti, nonarum hora, Beatus *Iaczko* Ordinis Prædicatorum, genere nobilis *Polonus* diſtrictus *Opolienſis* ex villa *Lanka*, poſt multos labores & opera, & in dilatatione fidei Chriſtianæ, & ſalute animarum apud *Poloniam* & *Ruſſiam* aſſiduè exhibita, & patratione multorum & ſtupendorum miraculorum, (inter quæ illud extat inſigne, quod apud *Vyſzegradenſe* oppidum, deficiente nauigio, ſtrata ſuper vndas cappa, atque conſcenſa, cum tribus fratribus ſui Ordinis, videlicet *Floriano*, *Goduino*, & *Benedicto*, vniuerſo populo *Wyſzegradenſi* inſpectante, *Viſlam* fluuium ſicco veſtigio tranauit) famoſus, in cœnobio *SS. Trinitatis Cracouiæ*, religioſiſſimè deuotiſſimeque vitâ excedit. Ad patriam claritatis æternæ, à Matre miſericordiæ canente, *Ibo mihi ad montem myrrhæ*, & Angelico cœtu proſequente, (quemadmodum virgini deuotæ religioſæque ſanctimoniali *Sromislaux* in *Zwierzynecenſi* monaſterio profeſſæ, per viſum, in mortis præfati Sancti *Iaczkonis* articulo, monſtratum eſt) deductus, à *Prandotha Cracouienſi* Epiſcopo & populi multitudine in eodem cœnobio SS. Trinitatis ſepelitur. Tantis autem & tam frequentibus prodigiis illum in vita & poſt mortem inſignire & glorificare dignatus eſt Altiſſimus, vt non ſolùm dignus, ſed etiam digniſſimus (ſi ipſa prodia neglectum a *Polonis*, & a notitia Pontificis maximi ſuppreſſum iri non contigiſſet) Canoniſatione videatur. Quinque monaſteriorum ſui Ordinis, videlicet in *Friſak*, vbi fratrem *Hermanum Theutonem* reliquit, in *Cracouienſi* vbi ſolus præerat, in *Praga* vbi fratrem *Hieronymum* præfecerat, in *Wratislauia* quod fratri *Creslao* & fratri *Godnio*, in *Gdansk* quod fratri *Benedicto*, commendauerat, primarius fundator. 1257.

Boleslaus Caliſſienſis Dux Caſtellaniam Landenſem a Caſimiro Cuiauienſi & Lancitienſi Duce recuperat.

1258. *Landenſem* Caſtellaniam à *Caſimiro Cuiauienſi, Lancitienſi*, & *Siradienſi* Duce, qui illius annis aliquot iniuſtus occupator extiterat, *Boleslaus Gneſnenſis* & *Caliſſienſis* Dux (ad illius enim Ducatus ſortem dinoſcebatur pertinere) repetiturus, poſt multas altercationes, inuaſiones, & terrarum hinc inde vaſtationes, per quas agricultura deperibat, & damna inualeſcebant, ſolitudinem terris illatura, expeditionem contra *Cuiauiam* indicit, & de omnibus terris *maioris Poloniæ*, etiam fratris ſui *Przemislai* pridem mortui, quæ obeunte fratre ſuo, velut Curatoris parebant imperio, in notabili equeſtrium & pedeſtrium multitudine conuenientibus, *Boleslaus* Dux *Cuiauiam* inuadit, & oppidum caſtrumque *Innowladislauienſe*, quod primum ſibi *Cuiauiam* ingredienti occurrebat, obſidione cingit, & fortius quo poteſt omni genere & ingenio impugnat. Cui veluti confœderato *Wratislaus Boguphali Slauiæ* & *Caſzubitarum* Dux, cum potentia gentium ſuarum perſonaliter laturus auxilia, aduenit. Quod *Caſimirus Cuiauienſis* Dux conſiderans, vaſtationem Principatus ſui, & periculum quod oppido & obſeſſis cum caſtro imminebat, auerſurus, (neque enim, ſi cum *Boleslao* decerneret, parem ſe fore conſiderabat, copiæ inſuper gentium ſuarum adhuc in arma cogendæ erant) miſſis caduceatoribus, pacem a *Boleslao* depoſcit, offerens ſe & Caſtellaniam *Landenſem* malè occupatam redditurum, & caſtrum *Landenſe* quod ſuperædificauerat, deducto præſidio militari, demoliturum. Ad quæ exequenda, *Boleslao Caliſſienſi* Duce oblatas pacis conditiones velut æquas non abnuente, dies conſtituitur, & pactum literis & ſigillis, ſtipulationeque manuali firmatur. *Boleslaus* quoque *Caliſſienſis* Dux credens hoſtem ſuum *Caſimirum Cuiauienſem* Ducem pactis ſtaturum, & caſtrum & oppidum obſidione ſoluens, in propria redit. Verùm *Caſimirus Cuiauienſis* Dux, hoſtem ſe feſelliſſe, & ex agro obſidioneque deduxiſſe gloriatus, nihil eorum, quæ pactus fuerat, impleuit.

Fulco Gneſnenſis Archiep. moritur,

Quinta die Aprilis, *Fulco Gneſnenſis* Archiepiſcopus, vir grandæuus, literatus, & religione plenus, cum annis quatuor & viginti in Sede Metropolitica ſediſſet, poſt menſem ex quo languerat, *Lanciciæ* moritur, & in Eccleſiam *Gneſnenſem* deductus, iuſto honore tumu-

1258. *Cui Januſſius ſuccedit.*

tumulatur. Ad ſubſtituendum autem alterum Archiepiſcopum, dum Capitulares, XX. Maii indicta, conueniſſent, *Ianuſſium* Præpoſitum *Gneſnenſem*, genere *Polonum* & nobilem, concordibus votis eligunt in Paſtorem. Qui pro obtenta electionis ſuæ confirmatione, *Henricum* Decanum *Poſnanienſem*, *Ægidium* Archidiaconum *Lancitienſem*, & *Przibislaum Gneſnenſem*, Canonicos, ad Vrbem transmiſit. Intelligens autem propter conſtitutionem nouam, Eccleſiis Cathedralibus oneroſam, niſi perſonaliter veniret, promotionem & confirmationem ſuam ſequi non poſſe, ad *Alexandrum IV. Romam* ſe perſonaliter fatigauit, confirmationemque ſuam faciliter, feria ſexta ante Dominicam *Inuocavit*, obtinuit. Atque in ipſa Dominica *Inuocavit Romæ* conſecratus, in *Poloniam* incolumis rediit, *Henrico* Decano *Poſnanienſi*, & *Przibislao* Canonico *Gneſnenſi*, comitibus ſui itineris, in *Lombardia* peſte abſumptis.

Boleslaus Pudicus Cracouienſis & *Sandomirienſis* Dux, ſexto Nonas Martii, apud villam *Korczin*, omnium terarrum ſuarum agit conuentum. Ad quem non ſolum *Prandotha Cracouienſis* Epiſcopus, & Barones ac Proceres *Cracouienſis* & *Sandomirienſis* terrarum, ſed etiam *Caſimirus Cuiauienſis*, *Lancitienſis*, *Siradienſisque*, & *Semouitus Maſouiæ*, Duces, *Boleslai Pudici* fratres patrueles germani, perſonaliter cum ſuis Conſiliariis rogati aduenerant. Tractatus autem illic diſſerendi, non de bello hoſtibus inferendo, non de finibus propagandis, non de quæſtu augendo, ſed de rebus honorem Dei concernentibus, erant. Tractauit ſiquidem pius Princeps, & id ſe in ſummis deſideriis, quæ in eo felix ſua conſors *Kinga* accenderat, longo geſtaſſe tempore aſſeruit, vt monaſterium virginum, cum nullum in terris ſuis haberetur, honorem Diuinum aucturus, & Baronum ac nobilium ſuorum filiabus, conditionis infirmæ vel pannoſæ, aut connubia aſpernaturis, prouiſurus, ſatisfacturus inſuper ſororis ſuæ *Salomeæ Gallatiæ* quondam Reginæ precibus, fundaret, petens ſe & propoſitum ſuum *Caſimiri* & *Semouiti* Ducum fratrum ſuorum, *Prandothæ* Epiſcopi, & Baronum congregatorum conſiliis iuuari. Omnibus autem intentionem ſuam magna laude magnaque commendatione certatim efferentibus, *Zawichoſtenſis* oppidi locus aptiſſimus viſus eſt, qui rem deſtinatam, & ab omnibus laudatam expleat. Oppidum itaque *Zawichoſtenſe*, & villas Ducales quinque & viginti, ad illud pertinentes, & nonnullas alias *Sandomirienſi* oppido vicinas, prædia inſuper, lacus, & telonea, quæ pro ſexaginta virginibus poſſent ſufficere, nouo virginum monaſterio in dotem donat, literiſque Ducalibus donationem perpetuat. Decernens oppidum & villas a ſe donatas, ſempiterno tempore debere eſſe liberas, & ab omni Regum, Ducum & Dominorum temporalium iuriſdictione, exa-

Monaſterii primi monialium in Zawichoſt fundatio.

1258.

ctione, & tributo immunes. Suis deinde ſumptibus, & Eccleſiam & monaſterium, & habitationes famulabus Dei ædificat & conſumat, atque religionem monialium Sancti *Damiani*, Ordinis Sancti *Franciſci*, quam in præſens Sanctæ *Claræ* vocitamus, in locum a ſe fundatum & dotatum inducit. Quam quidem Sanctam *Claram*, *Alexander* Papa quartus, anno immediatè præcedenti, Sanctorum catalogo aſcripſerat, religioque ipſa nomine mutato, Sanctæ *Claræ* appellata. Ideò autem *Boleslaus Pudicus* fratres ſuos patrueles *Caſimirum Cuiauienſem*, & *Semouitum Maſouiæ*, Duces, ad id conſilium adhibuit, vt fundatio & dotatio monaſterii prædicti *Zauichoſtenſis*, eorum approbatione & conſenſu, validior atque ſolidior fieret. Cum enim ſterilis atque orbus eſſet, & ſuorum Ducatuum, ſe abſumpto, *Caſimiro Cuiauienſi*, & *Semouito Maſouiæ* Ducibus, & filiis eorum ſucceſſio deberetur, operæ pretium viſum eſt, ſucceſſores in rem approbationem facturos, ne irritari aut reſcindi, ſterilitatis, aut quocunque alio colore, poſſet, acciri. Quo ſiquidem negotio confecto, pia mater *Boleslai Pudici Grzimislaua*, quæ & ipſa fundandi monaſterii præfati *Zauichoſtenſis* ardorem ſedula monitione iniecerat, defuncta eſt, & in monaſterio fratrum Minorum in *Zawichoſt* ſepulta, duobus & triginta annis in viduitate exactis.

Anno eodem, motus terræ per vniuerſam *Poloniam* exortus eſt. Ex quo proceſſu temporis, guerris, diſſenſionibus, & plurimis incommodis vexata eſt *Polonica* regio. Idem quoque motus terræ in *Bohemia*, *Ruſſia* & *Hungaria* fuerat.

Stroinatus Lithuaniæ Dux, partem terræ *Maſouiæ* circa *Czirnin* deprædatus eſt, & caſtrum *Orzimow* conquirens, viros & puberes occidit, impuberes vero concremauit, & plures fœminei ſexus perſonas in captiuitatē abduxit, maximam crudelemq; plusquàm barbaricam in Catholicos exercens tyrannidem & impietatem.

1259. *Varczislaus Dux Slauorum Pomeraniam populatur.*

Varczislaus Slauorum & *Caſzubitarum* Dux iniurias ſuas, frequentius a *Swantopelkone Pomeraniæ* Duce, ſibi & ſuis terris irrogatas, vlturus, congeſto ex omnibus ſubditis ſuis exercitu, habens inſuper *Boleslai* Ducis *Caliſſienſis* ſibi confœderati, gentium & militum expeditorum auxilia, pro præſenti neceſſitate ſua ei tranſmiſſa, habens inſuper in ſuo comitatu Epiſcopum *Cuiauienſem Volmirum*, qui iniurias ſibi tam in villis Epiſcopatus ſui illic conſiſtentibus, quàm in manipularibus decimis illatas, æquè propulſaturus, aduenerat, in terram *Pomeraniæ* dicti *Swantopelkonis* hoſtiliter ingrediuntur, eamque incendiis, cædibus, & depopulationibus vaſtare cœperunt. In *Slup* autem *Varczislaus* Dux perueniens, vt expeditius vaſtationem terræ hoſtilis promoueret, impedimenta & ſarcinas, ac pro cuſtodia illarum Epiſcopum *Cuiauienſem* cum aliqua parte copiarum in ſtatiuis *Slupenſibus* relinquens, ipſe cum delectis & expeditis mili-

Bbb

1259. militibus ad vaſtandum ire pergit. Quo *Swantopelk* ab exploratoribus comperto, *Varczislaum* quidem *Caſzubitarum* Ducem, reputans A cum illo decernere periculoſum, graſſari in ſubditos, & recta vri, prædasque & ſpolia agere permittens, ipſe in Epiſcopum *Cuiauienſem*, & milites ad impedimentorum & ſarcinarum cuſtodiam a *Varczulao* relictos, cum gentibus irruit, & incautos opprimens & debellans, Epiſcopo *Cuiauienſi* cum paucis fugâ elapſo, cæteros omnes aut occidit aut captiuat, omnibusque ſpoliis potitus, priusquam a *Varczislao* & eius exercitu opprimi poſſet, in caſtra & munitiones, plus lucri ex ſpoliis, quam ex hoſtili vaſtatione damni conſecutus, ſe recepit.

Caſimirus Cuiauiæ Dux Caliſsienſem Ducatum vaſtat.

Vicem vaſtationis terræ ſuæ *Cuiauienſis*, per *Boleslaum Caliſsienſem*, & *Varczislaum Caſzubitarum*, Duces, infortunio eiusdem *Varczislai* B Ducis, quod ad *Slupenſes* ſtationes a *Swantopelko* pertulerat, accepto, *Caſimirus Cuiauienſis*, *Lancitienſis*, & *Siradienſis* Dux repenſurus, terram *Caliſsienſem* cum omnibus potentiis clandeſtinè ingreſſus, quanta poteſt ampliori ſæuitia in eius deuaſtationem debacchatur. Quod cum per celerem nuncium *Boleslaus pius Caliſsienſis* Dux, ex *Caliſz Poſnaniam* iter faciens, comperiſſet, ex medio itinere reuerſus, triginta tantummodò militibus in locis quæ præteribat recollectis, cum Curienſibus & familiaribus ſuis, agreſtibusque, quibus pecus ereptum erat, *Caſimirum* Ducem, & exercitum ſuum prædâ onuſtum, & pecus abigentem, inſectatur. Quem in pinoſo nemore, C quod *Saliecz* dicitur, inter *Opathowek* Archiepiſcopalem, & *Kalinam* alias *Clomeam* militarem villas, ſitum, conſecutus, neque ſuam paucitatem, neq; hoſtilem multitudinem penſi habens, in *Caſimiri Cuiauienſis* Ducis exercitum, concione perprius & in pugnam & in mortem ſuis animatis, a tergo irruit. Et poſtremis aciebus debellatis, primas quoque (fortem & numeroſum exercitum *Boleslai Caliſsienſis* Ducis, cum tegmen opponentibus arboribus, quantus fuerit, dinoſci non poſſet, exiſtimantes) facilè in fugam vertit. Multis itaque cæſis, multis inſuper captis, Duce *Cuiauienſi* per fugam euadente, & præda omnis hoſti excuſſa, & agreſtibus reddita eſt, & *Boleslai Caliſsienſis* D Ducis exercitus trecentis equis, cæterisque ſpoliis hoſtilibus potitus. Sed & Palatinus *Cuiauienſis Martinus*, licet ſaucius, viuus tamen in poteſtatem *Boleslai Caliſsienſis* Ducis, cum cæteris nobilibus fugam execrantib9, venit. Referebat poſtea miles *Caſimiri Cuiauienſis* Ducis, tanto ſe pauore, dum illos *Boleslaus Caliſsienſis* Dux inuaderet, correptos fuiſſe, vt circa ſingulas nemoris arbores ingentes hoſtiles copias arbitrarentur conſiſtere. Non quieuit tamen hac clade perculſus *Caſimirus Cuiauienſis* Dux, ſed *Hercobaldum Gneſnenſem*, & *Nicolaum Caliſsienſem*, Palatinos, *Simonem* Presbyterum fratrem *Hercobaldi* Palatini

Quem Boleslaus a tergo aggreſſus profligat,

Gneſnenſis, pluresque alios nobiles in colloquium euocatos, captiuos ſuos in *Solieczenſi* clade captos liberaturus, captiuat, & in oppido *Pakoſcz*, ad Ducatum & Dominium *Boleslai Caliſsienſis* Ducis pertinente nouum caſtrum ædificat, & per milites in illius præſidium a ſe locatos, vicinam oram ſpoliis & direptionibus infeſtat. Non tulit autem *Boleslaus Caliſsienſis* Dux tot & tantas *Caſimiri* in ſe & ſuos deprōptas iniurias, ſed die ſexta Octobris cum *Boleslao Pudico Cracouienſi* & *Sandomirienſi* Duce patruele, *Ruthenorum* & *Cumanorum* habente auxilia, & *Semouito Maſouiæ* Principe, germano eiusdem *Caſimiri Cuiauienſis* Ducis, fratribus, ob laceſſitos eorum Ducatuum iniuſtè fines, meritò illum infeſtum & exoſum habentibus, & qui contra *Caſimirum Cuiauienſem* Ducem, velut communem peſtem & publicum hoſtem, fœdus & ſocietatem pepigerant, item cum *Romano Danielis* Regis *Ruſsiæ* filio, quem in ſui auxilium *Semouitus* Dux *Maſouiæ* cum *Ruthenorum* exercitu adduxerat, terram *Lancitienſem* eiusdem *Caſimiri* Ducis *Cuiauienſis* ingreſſus, in eius exterminium & vaſtitatem, tàm incendiis quàm ſpoliis & cædibus ſæuiebat. Vniuerſa autem *Lancitienſis* terra, in miſeram ſolitudinem & calamitatem, etiam hoſti complorandam, redacta. Caſtrum in illa ædificant, & vallis foſſatisque munitum, & victualibus impletum, illud in fidem & poteſtatem *Semouiti Maſouiæ* Ducis commendant. Quibus rebus *Caſimirus Cuiauienſis* Dux, qui alias & in factis & in verbis ſuperbo faſtu tumebat, adeò humiliatus eſt, vt miſſis Legatis, ſufferentias pacis ad diem Beati *Andreæ* Apoſtoli duraturas, à Ducibus præſtandas expeteret, & in eodem Sancti *Andreæ* die, iuxta communium Baronum arbitrium, decretum, & caſtris occupatis & finibus ſe ceſſurum, & impetrata à Baronibus ſe iureiurando ſpopondit impleturum. 1259.

& cum magna potentia iterum Caſimiri terras inuadit.

& Lancitienſem terram vaſtat.

Heduigis Duciſſa, conſors *Boleslai Legnicenſis* Ducis, & filia Comitis de *Hanhaldt*, duodecimo Calendas Ianuarii obiit.

Exemplum *Boleslai Pudici Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Ducis, *Boleslaus pius Caliſsienſis* Dux ſecutus, alterum in ciuitate *Gneſnenſi* fœminarum monaſterium Minoriſtarum, ſeu Sanctæ *Claræ*, fundat, & villis, prædiis, & introitibus ex fiſco Ducali liberaliter dotat & libertat.

Monaſterium ſanctimonialium Gneſnæ fundatur.

Principatibus ſuis, *Lancitienſi*, *Cuiauienſi*, *Siradienſiq;*, *Caſimirus* Dux non contentus, caſtrum *Raciaſch* cum ſuo diſtrictu ab Eccleſia *Vladislauienſi* & Epiſcopo *Volmiro* auferens, per iniuriam occupat, & ſuæ applicat ditioni. *Volmirus* autem Epiſcopus *Vladislauienſis*, tam grauem iniuriam non ferens, *Caſimirum Cuiauienſem* Ducem excommunicat, & terras ſuas Eccleſiaſtico ſubiicit interdicto. Confeſtimq; ne per Ducem *Caſimirum* impe-

Caſimirus Cuiauiæ Dux, caſtrum Raciaſch Ep. Vladislauienſi eripit.

1259. impeti poſſet, diœceſi ſua egreſſus, in *Cracouienſi* diœceſi apud *Łagow* morabatur. Dux autem *Caſimirus*, cum in Epiſcopum non poſ- A ſet, in bona ſæuire cœpit, & plures curias ſuas cum horreis & frumentis, ſub tempore Quadrageſimæ, igne conſumpſit.

Ianuſſius in Archiep. Gneſnenſem Romæ conſecratur.

Gneſnenſis Eccleſiæ electus Archiepiſcopus *Ianuſſius*, literis nunciorum ſuorum, *Henrici* Decani *Poſnanienſis*, *Ægidii* Archidiaconi *Łancicienſis*, & *Przibislai*, Canonicorum *Gneſnenſis*, doctus, confirmationem ſuam, ob ſtatutum *Alexandri* Papæ quarti, quo cauebatur, *quemlibet in Sedem Metropolitanam electum, conſpectui Summi Pontificis præſentari oportere, ſubſequi non poſſe, in Curiam perſonaliter tranſiit.* Vbi præſentatione Summo Pontifici feria ſexta ante Dominicam *Inuocauit* facta, & electio ſua confirmata eſt, & ipſe mandato Papæ, illic die Dominico *Inuocauit*, con- B ſecratus, tarditatem priorem celeritate ſubſequenti, Papa *Alexandro* præſente, compenſauit. In redeundo verò eo incolumi euadente, nuncios ſuos *Henricum* Decanum *Poſnanienſem*, & *Przibislaum* Canonicos *Gneſnenſes*, in *Lombardia* peſtis abſumpſit.

Expertes erant *Cracouienſis* & *Sandomirienſis* terræ, ciuilium, quæ inter Principes *Poloniæ* agebantur, bellorum, ſed hæ quoque rurſus in bellum atrox, & plusquam ciuile (maximè pacis bonum, ſiue actiones ſceleratæ humanæ, ſiue fatorum inuidia id cauſet, rarum & caducum eſt, perturbauerunt) pertractæ ſunt. Aduenit enim in illas, ſtatim poſt feſtum Beati

Tartari Poloniam per tres menſes populantur.

Andreæ Apoſtoli, *Tartarorum* ingens exerci- C tus, plures de ſolis *Tartaris*, quorum *Nogai* & *Thelebuga* erant Duces, continens legiones, hunc *Ruthenorum* & *Lithuanorum* Duces, gentes, & copiæ, ingentiorem fecerant. Qui dum *Viſtam* & cæteros fluuios, gelida hyeme & glaciebus induratos facilè tranſiſſent, ſubitò *Sandomiriam* perueniunt, & oppido *Sandomirienſi* incenſo, Eccleſiiſque conflagratis, *Sandomirienſe* caſtrum, in quod ferè vniuerſa *Sandomirienſis* regio, cum coniugibus, pignoribus, & fortunis, *Tartarorum* aduentu vulgato, confugerat, corona cingunt, & nec ad quieſcendum aut colligendum animos, ex ſubito pauore, ſpatio dato, illud nocte & interdiu oppugnant. A quo dum militum *Poloniæ* brachio & reſiſtentia repulſi forent, *Waszilko* Dux, fra- D ter *Danielis* germanus, *Leo* inſuper & *Romanus*, filii *Danielis* Regis *Ruſſiæ*, videntes caſtri *Sandomirienſis* difficilem & periculoſam expugnationem exiſtere, Caduceatores ad *Petrum* de *Krampa* militem *Sandomirienſem* tunc Capitaneum mittunt, perſuaſuros, *vt ſi ſe cum vniuerſis qui ad caſtrum confluxerant, ſeruari incolumes velit, humiliatus potius in Tartarorum caſtra ſecurus, & tributum a Tartaris imponendum penſurus, quàm reſiſtentiam de cætero facturus, adueniat.* Neq; ea per caduceatores depromere contenti, etiam ipſi perſonaliter *Petrum* de *Krampa* Capitaneum conueniunt, & iisdem quæ a caduceatoribus dicta erant, & amplioribus illum, velut virum ſimplicem, & *Ruthenicæ* doloſitatis atq; fraudis parum gnarum, promiſſis ineſcatũ & circumuentum, tam ſibi quàm omnibus, qui in caſtro erant, ſecuritate data, & quò magis illi fidei ineſſet, treuga in dies aliquot pacta, in ſtatiua tandem *Tartarorum*, haud procul a caſtro conſiſtentia, germanum fratrẽ *Sbigneum*, & alios *Poloniæ* milites magis inſignes illũ comitantes perducunt. Vbi etſi *Tartarorum* Ducibꝰ adoratis tributum ſe illis, quemadmodum inter eum & *Ruthenorum* Duces conuenerat, penſurum obtuliſſet, neq; tamen oblatione *Tartari* ad miſericordiam moti, tam *Petrum* de *Krampa* Capitaneum *Sandomirienſem*, quàm *Sbigneum* fratrem ſuum, & omnes milites *Polonorum*, qui ſecum aduenerant, ſerò ſe à *Ruthenorum* Ducibus querentes proditos, hoſpitali violata fide captiuant, & ſpoliatos verberatoſque ad vltimum cæſos capite obtruncant. Cum valido deinde concurſu & clamore ad caſtrũ inuecti, quo vel ſolo imbellis agreſtium, infantium & matronarum turba, Capitaneum ſolum & alios milites & defenſores, audiens crudeli ſupplicio enecatos perterrita, caſtrum facilè (non enim a quoquam defendebatur) irrupit, & omnes penè illic repertos, virginibus tantummodò & ingenuis matronis, pro explenda libidine reſeruatis, ſæuiſſimè trucidant, caſtroque rebus omnibus ſpoliato & incenſo, pleroſq; homines, quibus aliquorum feritas pepercerat, ad vndas fluminis *Viſtæ* grege facto impulſos, quaſi iam dexteræ cæde defatigatæ eſſent, aquis ſuffocant, ſed & homines languidos & valetudinarios ad Eccleſiam Sanctæ *Mariæ* confugientes, laceratos necant. Fertur tantum tunc Chriſtiani & *Polonici* cruoris barbaricà rabie fuſum, vt ex colle in quo arx ſita erat, in *Viſtam* fluuium arci vicinum, quaſi quodam torrente defluxerit. Ea cæde *Cracouiam* perlata, *Boleslaus Pudicus Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Dux, vehementi dolore, manantibus lacrymis, affectus, dum ad reſiſtendum *Tartarorum* potentiis imparem ſe noſſet, arce *Cracouienſi* in cuſtodiam & defenſionem *Clementis* Caſtellanei *Cracouienſis*, & militum atq; ciuium *Cracouienſium* (qui omnes ſe in illã cum vxoribus, infantibus, & quibuslibet rebus contulerant) commendata, cum *Kinga* Duciſſa conſorte ſua in *Hungariam* abiit, illicq; aliquanto tempore degit, quouſq; intellexit *Tartaros* in ſua rediiſſe. *Tartari* verò clade & ſpoliis *Sandomirienſibus* non contenti, Ducibus *Ruthenorum* & hominibus ductum præſtantibus, *Cracouiam* adeunt. Quam etſi reperiſſent vacuam, in tecta tamen & homines valetudinarios, qui fugere non poterant, ferro ſæuiunt. Multis quoq; ex agreſtibus vtriuſque ſexus in eundo & redeundo occiſis aut captis, multo inſuper pecore, multiſq; ſpoliis onuſti, miſerabilẽ ſecum deducentes captiuorum turbam, miſerabiliores fletus & eiulatus emittentem, quod parentes, patriam, & pe- 1259.

Sandomiriam cum caſtro acquirunt & comburunt.

Boleslao in Hungariam fugiente Cracouiam capiunt.

1259.

Tandem nullo reſiſtere audente cum magna præda ad ſuos reuertuntur.

& penates ſuos amplius non eſſent viſuri, in *Tartariam*, nullam reſiſtentiam experti, onuſti præda ingenti, tribus menſibus *Poloniam* populati, ſub quibus plurimi captiui fuerant apud illos redempti, reuertuntur. Multò maiori clade, maiorique cæde & ſpolio in *Polonos* debacchati, quam quo milites *Cracouienſes* & *Sandomirienſes* ad *Turſko* & *Chmielik*, & *Henricum* Ducem *Sleſiæ* ad *Legniczam*, non ſine ſuorum ſtrage & incruenta victoria, ante annos circiter decem & octo conflixerant. Corpora eorum qui in caſtro *Sandomirienſi* fuêre cæſi, in Eccleſia & cœmiterio Beatæ *Mariæ Sandomirienſi* condita ſunt, & Eccleſiæ illi, nunciis *Boleſlai Pudici Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Ducis, *Prandotha* Epiſcopi, Eccleſiæque *Cracouienſis*, videlicet *Bodzanta* Decano, & *Alberto* Canonico *Sandomirienſibus*, interpellantibus, & quanta fidelium cædes per *Tartaros* illic edita fuerit, declarantibus, par indulgentia, quam Eccleſia Sanctæ *Mariæ* ad Martyres de Vrbe habet, per *Alexandrum* quartum conceſſa. Quam *Polonicus* populus magnam Indulgentiam vocat, & tanto cultu tantaque veneratione, extunc & modò proſequitur, vt ad merendum illas pro die ſecunda Iunii, quaſi etiam reliquias Martyrum, tunc a barbaris occiſorum, honoraturus, ſingulis annis, quod nemini alteri Eccleſiæ in *Polonia* reor contingere, in multitudine frequentiſſima accurrat.

1260.

Mendog Dux Lithuaniæ baptiſatus

Mendolphus, alias *Mendog*, ſiue *Mindak*, *Lithuanorum* Princeps, & quem fratres Cruciferi de *Pruſſia*, frequentibus in *Lithuaniæ* oram expeditionibus vſi, primùm fidem Catholicam cum nonnullis *Pruthenis* & *Lithuanis* ſuſcipere, deinde ſe Regem gerere induxerant, ſub eodem anno, quo baptiſmi lauacro renatus erat, cum omnibus baptiſatis ad vomitum & idololatriam rediit.

ad idololatriam rediens,

Huius *Mendolphi* fratres Cruciferi de *Pruſſia*, plures habent literas, quibus illis & illorum ordini, multipliciter ſe ab illis honoratum & adiutum, ſimulatè & fictè magis, quàm iuſtè & verè aſtruens, plures terras, quæ ditionis ſuæ erant, videlicet *Curouienſes*, *Iaczwingorum*, *Samogitarum*, *Vczizenſem*, & deinde totam terram *Lithuaniæ*, donatione perpetua & irreuocabili largitur, donat, & inſcribit. Poteratque ſuæ in idololatriam reuerſionis, vel principalis vel acceſſoria eſſe cauſa, doloris magnitudo & pœnitentiæ, quod à Cruciferis ſiue coactus ſiue circumuentus, tot terrarum donationem, quam auerſione reſcindere conabatur, fecerat. Valido deinde exercitu, ex *Lithuanis*, *Ruthenis*, *Iaczwingis*, *Samogitiſque*, ac aliis infidelibus nationibus, ſecum ſentientibus, qui triginta millia pugnatorum habuiſſe æſtimatus eſt, congeſto, *Maſouiæ* terram hoſtiliter depopulandam, clandeſtinè & inſperatè ingreditur.

omnem Maſouiam vaſtat,

Et *Semouito Maſouiæ Duce*, qui nec ſpatium ad cogendum milites ſuos in arma habere poterat, pugnam cum tot barbarorum millibus committere, propter euidens periculum, de- A trectante, *Mendog* præfatus, & ſuus exercitus, in omnem *Maſouiæ* terram & eius incolas crudeliſſimè graſſatus, & caſtrum *Plocenſe* a militibus, & ciuitatem à ciuibus & defenſoribus deſerta eſſe reperiens, ſuccendit.

caſtroq; & ciuitate Plocenſi exuſta

Cætera deinde oppida & villas totius terræ *Maſouiæ*, incendiis, ſpoliis, & cædibus vaſtauit, & plures vtriuſque ſexus homines captiuos, in ſeruitutem, cum ingenti pecorum præda in *Lithuaniam* remiſit. Terra autem *Maſouiæ* peruaſtata, in *Pruſſiam* abiit, vbi Cruciferis caſtra tantummodò & munitiones tueri contentis, vrbes quas Cruciferi exſtruxerant, flamma & cæde delet & euertit, & Catholicos omnes illic repertos, cæde promiſcua lacerat & ob- B truncat, ſtrageque horribili & ingenti in hominibus, quorum etiam (crudelitatem ſuam & furorem demonſtraturus) aſpernabatur captiuitatem, edita, pecus tantummodo & ſpolia in *Lithuaniam* reduxit.

& tandem Pruſſia tota depopulata,

rediit cum præda.

Boleſlaus Pius Caliſſienſis Dux, vna maiore ex quatuor filiabus *Przemiſlai* olim Ducis *Poſnanienſis* germani ſui, nomine *Conſtantia*, *Conrado* Marchioni de *Brandeburg* alias *Zgorzelecz*, matrimonialiter deſponſata, pro dote, quam ſecum virgo *Conſtantia* latura erat, caſtrum & caſtellaniam *Santhocenſem*, non ſano vſus conſilio & integritate, Regno *Poloniæ*, cuius ea re ſciſſura agebatur, parum propitius, donat, obligat, & inſcribit. Ab eo quo- C que tempore caſtri & caſtellaniæ præfatorum *Santocenſis* alienatio orta, longam palæſtram *Polonis* & *Saxonibus*, vtriſque pro illius adeptione & proprietate adnitentibus, ex qua & multum ſanguinis fuſum eſt, & diſpendia hinc inde ſecuta, in hanc uſque diem reliquit. Reliquæ tres ſorores filiæ *Przemiſlai*, connubia peroſæ, duæ videlicet *Veronica* & *Eufroſina Trzebicenſe* monaſterium ordinis Ciſtercienſis, primùm ſorores, deinde propter morum & virtutum præſtantiam Abbatiſſæ; *Offka* verò *Gneſnenſe* Sanctæ *Claræ* à *Boleſlao pio Caliſſienſi* Duce fundatum monaſterium, ingreſſæ, feliciter illic, obſequiis Diuinis mancipatæ, abſumptæ ſunt.

Caſtrum Santhok a Regno Poloniæ alienatum.

D *Tartarorum* validus exercitus in *Poloniam* magna velocitate ingreſſus, caſtro & ciuitate *Sandomirienſi* conquiſitis, multa hominum vtriuſque ſexus millia illic reperta, barbaricè trucidat, cæteros pecorum more in *Viſlam* impellendo, aquis ſuffocat. Fœminas ſpecioſas & adoleſcentes in ſeruitutem abduxit. Monaſterium *Zauichoſtenſe* & *Calui Montis* vaſtant, ad *Cracouiam* vſque & *Bithom* agendo prædam & ſtrages, captiuitateſque hominum, graſſantur. Et duobus menſibus integris in *Polonia* commorati, factis multis incendiis, cum maxima hominum captorum & rerum præda, ad propria per *Rusſiam* (*Ruthenis* & eorum Ducibus eis auxilia ferentibus) reuer-

Tartari in Sandomirienſes cæde edita,

duo monaſteria & alias terras minoris Poloniæ impunè vaſtant.

1260. reuertuntur, nullo multitudini *Tartaricæ* audente reſiſtere. Dux enim *Boleſlaus Cracouienſis* in *Hungariam*, *Prandotha* Epiſcopus *Cracouienſis* in caſtrum *Ratiborienſe* ſeceſſerant, milites & nobiles in arcibus & ſyluis degebant. Ad hanc vaſtationem *Caſimirus Cuiauiæ* Dux *Tartaros* inſimulatus eſt induxiſſe, quem *Poloniæ* Duces delere conati ſunt, & multas ei iniurias & contumelias irrogârunt.

Treugis inter *Belam Hungariæ* Regem ab vna, & *Przemiſlaum Bohemiæ* Ducem, partibus ab altera, expirantibus, ab vtroque in nouum bellum, occaſione *Stiriæ*, quam vterque ſibi vendicabat, itum eſt, & magnis copiis variiſque nationibus geſtum. *Belam* ſiquidem *Hungariæ* Regem *Boleſlaus Pudicus Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Dux, velut gener ſocerum, item *Leſzko niger Siradienſis* Dux, *Caſimiri Cuiauienſis* & *Lancicienſis* Ducis filius, quem ſecum vna *Boleſlaus Pudicus* in ſoceris auxilium adduxerat, item *Daniel Ruſſiæ* Rex, & filii eius *Leo* & *Romanus*, *Bulgari* inſuper, *Raczones*, & *Boſnenſes*: *Przemiſlaum* verò *Bohemiæ* Ducem *Henricus Wratiſlauienſis*, *Wladiſlaus Opolienſis*, *Vlricus* Dux *Corinthiæ*, *Otho* Marchio *Brandeburgenſis* Duces, adiuuabant. *Belæ* autem *Hungariæ* Regi *Morauiam* ingreſſuro, & tam illam quàm *Bohemiam* vaſtaturo, populationem ſuorum prohibiturus, quarto Idus *Iulii Przemiſlaus Bohemiæ* Dux cum auxiliaribus prope *Theben*, vbi *Morawa* fluuius miſcetur *Danubio*, occurrit, & vnam ripam *Morauæ Hungaris*, alteram *Bohemis* obſeruantibus, ſtatiua illic vtriuſque exercitus, vſque ad diem Beati *Ioannis* Baptiſtæ, laceſſentibus ſe inuicem *Hungaris* & *Bohemis*, habita ſunt. A quibus *Przemiſlaus* Dux *Bohemiæ* ſecedens, verſus oppidum *Lawa* ire pergit, quem *Stephanus Belæ* Regis filius, aliqua parte copiarum à patre impetrata, facilius in itinere oppreſſurus aggreditur. Vbi certamine inito, *Stephani* exercitus, cum inferior quàm *Bohemicus* eſſet, cum vniuerſis Ducis *Przemiſlai* potentiis decernens, fuſus fugatuſque eſt, & ad reliquum exercitum, quem *Bela Hungariæ* Rex cum Ducibus auxiliaribus in caſtris continebat, accurrens, in flumine *Morauæ* plures quam prælio amiſit. Treuga deinde aliquot dierum interpoſita, pax inter *Belam Hungariæ* Regem, & *Przemiſlaum Bohemiæ* Ducem, per communes Barones tractata, & æquis conditionibus, *Bela* Rege iure cedente *Stiriæ*, compoſita & concluſa eſt, adiecta etiam affinitate quò diuturnior foret.

Pax inter Belam Hungariæ Regem, & Przemiſlaum Bohemiæ Ducem.

Andreas Epiſcopus *Plocenſis* vocatus *Cziolek*, cum annis ſex ſediſſet, moritur, & in *Plocenſi* Eccleſia ſepelitur. Cui à Capitulo electus, & à *Ianuſſio Gneſnenſi* Archiepiſcopo confirmatus, *Petrus* dictus & cognominatus *Niedich*, nobilis de domo *Serpentum*, Canonicus *Plocenſis*, de *Semouiti* & *Caſimiri* Ducum *Maſouiæ* conſenſu, ſuccedit.

Andreæ Ep. Plocenſi ſuccedit Petrus.

Caſtri *Karſzouin* in monte Sancti *Georgii* erectione, per Magiſtrum & Cruciferos *Pruſſiæ* facta, *Prutheni* & *Lithuani* barbari vehementer irritati, pro illius exterminio, cum quanto maioribus poterant copiis, ire pergunt. Duobus autem exercitibus, *Pruſſiæ* videlicet & *Liuoniæ*, qui in defenſionem caſtri aduenerant, offenſis, in die Sanctæ *Margarethæ* iuxta fluuium *Durom* in *Curlandia*, confligunt, & magna ſtrage edita, & *Henrico* de *Horuſchbuſzen* Magiſtro *Liuoniæ*, item *Henrico* Marſchalco *Pruſſiæ*, & pluribus aliis Cruciferis occiſis, cæteris verò in fugam verſis, victoria barbari potiuntur, & tam caſtrum *Karſzouin*, quam *Heilsburg*, maceratis fame defenſoribus, conquirunt. Ad caſtrum deinde *Kinsberg* obſidione promota, in ponte quem ſuper flumen *Pregor* conſtruxerat, plures numero à Cruciferis trucidati, obſidionem reſidui ſoluere coacti ſunt. 1260.

Prutheni & Lithuani Cruciferos in Pruſſia inuadunt.

Ex huiuſmodi autem victoria *Prutheni* Neophiti in ſuperbiam verſi, ad idololatriam fide Chriſtiana relicta, in vigilia Sancti *Matthæi* Euangeliſtæ apoſtabant. Et conſtituto ſibi *Glippino* pro Duce & Capitaneo, correptis armis, in omnes Chriſtianos, qui intra illorum fines habitabant, crudeliſſimè ſæuiunt. Sacerdotes & miniſtros *Chriſti*, & quoslibet Chriſtiano charactere inſignitos, obtruncant, Eccleſias quaslibet igne conſumunt, ſacramenta contaminant, ſacris vaſis ac veſtibus abutuntur.

Prutheni ad idololatriam reuerſi chriſtianos necant.

Lithuanicam & *Pruthenicam*, eorumque Principis, quem Cruciferi Regem appellare ſoliti erant, *Mendolphi*, enormem populationem & vaſtationem terris *Maſouiæ* & *Pruſſiæ* illatam, vlturus exercitus Catholicus, de terris Regni *Poloniæ*, Cruciferis & *Almanis*, aliiſque cruce ſignatis, collectus, ad inferiores terras *Pruſſiæ* ad diſtrictum *Nactangorum*, in feſto Purificationis Sanctæ *Mariæ* (hoc enim aptius tempus, ſtagnis, fluminibus, & paludibus, quibus ora *Lithuanica* ferax eſt, cæteriſq; lubricis locis frigore duratis, pro conſumando deſtinato opere, viſum eſt) conuenit. Et aciebus ordinatis, terras *Lithuanorum*, *Samogitarum*, *Iaczwingorum*, & aliorum gentilium idololatrarum intrauit, terras ipſas vaſtitati & cædi, deſolationique per incendia ſubacturus. His autem qui in principio occurrebant, in ſtragem & flammas datis, cum reſiduum iter, quo in interiora *Lithuanorum* & aliarum nationum peruerſarum penetrandum erat, viſcoſum, & pluribus difficultatibus refertum eſſet, fames quoque pabulorum, barbaris frumenta pauca ferentibus, & hæc ipſa in ſyluis & paludibus occulentibus, crederetur tanto exercitui occurſura, quadrigis & impedimentis cum parua militum manu, qui ea tuerentur, relictis, ad meditullium barbarorum itum eſt. Sed *Lithuani*, *Prutheni*, & alii barbari, in armis & potentia ſua diffiſi, animos ad fraudes & dolos 1261.

Prutheni & Maſouitæ Lithuaniam ingrediuntur.

1261. 1261.

vbi fuſi & profligati ſunt à Lithuanis.

los conuertunt: & ab exploratoribus ſuis edocti, quæ eſſet exercitus Catholici facies, quis tenor, qui ordo, milites qui ad impedimenta & ſarcinas relicti erant, omnibus copiis inuadunt, reſiſtentesque paruo negotio (cum Catholici reſpectu barbaricæ multitudinis pauci forent) fundunt, & in ore gladii ferè omnem turbam illic conſiſtentem perimunt & delent, ſarcinisque potiuntur. Quod dum Chriſtiani, paucis qui fuga euaſerant, nunciantibus, perſenſiſſent, ad locum ſarcinarum celerrimè, barbaros occupaturi, reuertuntur. Erat & barbaris par animus pugnam conſerendi, propter quod & chriſtianorum reditum, in ſarcinarum loco operiebantur. Conuenientibus Chriſtianis & barbaris, fit durum certamen inter vtroſque, & pluribus horis, Ducibus ſuos adhortantibus, æquo Marte pugnabatur. Et licet magnæ turmæ barbarorum cecidiſſent, Chriſtianis tamen primum pedem referentibus, mox etiam terga vertentibus, barbaris prouenit, iuſto Deo facinora Chriſtianorum plectente, victoria. Qui viciſſe contenti, & locum inſidiarum incidere veriti, profugientes perſequi ſubſtiterunt, quo factum eſt, vt clades aliquantò minor, * quàm pro numero ederetur. Cecidit autem in huiuſmodi prælio miles inſignis & bellicoſus, *Schinkel* de *Rythen* genere *Veſtphalus*: qui barbarorum cuneos tranſuerberans, antequam medietatem attigiſſet, barbaricis frameis obtritus eſt. Cecidit & Comes de *Keiderer*, & plures alii militaris & equeſtris ordinis viri. Sed & non parua multitudo viua in manus barbaricas venit. Ex quibus dum iuxta ſuas nefarias ſuperſtitiones, Diis ſuis pro conſecuta victoria oblaturi libamina, vnum ſorte depoſcerent flammis cremandum, & ſors in *Hirczhals* ciuem *Maydeburgenſem* cecidiſſet, beneficio quoque aliquorum barbarorum illum noſcentium bis liberatus foret, tertia demum vice, dum illum ſors depoſceret, ſua ſponte ſe obtulit, & ſacrilego ritu cum equo cui inſidebat, flammis crematus eſt.

Caſtellaniam Landenſem Boleſlaus Caliſsienſis Dux bello recuperat.

Pacto & ſponſione, de reſtituenda Caſtellania *Landenſi* iniuſtè occupata, *Caſimiro Cuiauienſi*, *Lancitienſi*, & *Siradienſi* Duce, de quibus inter illum & *Boleſlaum Pium Caliſſienſem* Ducem contractu duplici conuenerat, non ſeruatis, præfatus *Boleſlaus Pius Caliſſienſis* Dux, cum *maioris Poloniæ* militibus, hoſtiliter circa feſtum Sancti *Bartholomæi* terras *Cuiauiæ* intrauit, & illas vaſtare ac ſpoliis afficere cœpit. Ad quem etſi *Caſimirus Cuiauienſis* Dux, nunciis miſſis Caſtellaniæ *Landenſis* reſtitutionem obtulit, *Boleſlaus* tamen *Caliſſienſis* Dux, illuſum ſe iam altera vice reſpondens, non prius ex *Cuiauia* copias deduxit, donec medietas caſtri *Landenſis*, & caſtrum quod *Caſimirus Cuiauienſis* Dux ædificauerat, ſibi & ſuis Officialibus fuêre reddita, & medietas *Volmiro* Epiſcopo *Vladiſlauienſi* poſt ſibi æquè tradenda, fuit reſignata. Pertulit & aliud *Caſimirus Cuiauienſis* Dux præfatus, ſub eodem tempore infelicitatis eulogium: duo etenim filii ſui, *Leſzko niger*, & *Ziemomisl*, quos de prima vxore ſuſceperat, nouerca ſua altera patris ſui vxore, filia *Swantopelci Pomeraniæ* Ducis, falſone an verè, pro incomperto habebatur, quòd illos veneno tollere conaretur, inſimulata, patre deſerto, *Ziemomisl Lancitienſis*, *Leſzko niger Siradienſis*, terras & caſtra, munitionesque eorum, Baronibus & militibus terrarum prædictarum, vniuerſali aſſenſu & fauore, tyrannidem & iniuſtitiam Patris eorum peroſi, in eorum ſubiectionem concedentibus, occupant, & detinebant longo tempore occupata.

Cruciferorum quatuor caſtra capiuntur.

Succurſum facturus Chriſtianis, in clade, cum barbaris pugnantibus, plurimùm debilitatis & perculſis, in *Pruſſia* militantibus, Comes de *Barboigæ* cum ſua militia in *Pruſſiam* aduenit, & *Zambienſes* cædibus & ſpoliis afficere cœpit. Quem *Zambienſes* in die Sanctæ *Agnethis* aggreſſi, deuictis ſuis copiis, Comitem ipſum, pluribus ſuis occiſis, captiuant. Et poſthæc caſtrum *Heilsburg*, obſident, quod magis a fame quàm ab eorum armis expugnatum, Cruciferis ex eo ſaluis diſcedentibus, conſequuntur. Tria deinde caſtra, nomen Chriſtianum eraſuri de terra, circumſident, videlicet *Kruczeberg*, *Kinsberg*, & *Gartenſteyn*, quæ obſeſſi tanta fame macerati, vt etiam dentes amitterent, barbaris dedunt. Quartum verò dictum *Keyſzil*, antequam obſideretur, periculum quod alii in tribus caſtris pertulerant veriti, Cruciferi exuſtum deſerunt.

Flagellatorum ſecta in Polonia.

Flagellatorum ſecta quædam, quæ primùm ex *Galliis* & *Pariſiis* manaſſe ferebatur, errores & prauitates multiplices continens, in *Almania* mox coaleſcens, & funiculos ſuæ peruerſitatis dilatans, etiam ad *Poloniæ* regiones peruenit. Incedebant ſiquidem homines ſectam huiuſmodi profeſſi, proceſſionaliter velatis capitibus, in clauſtralium morem, corpore vſque ad vmbilicum denudati, flagellis quoque quadruplici corrigio connodatis, & nodos habentibus in extremitatibus, vnus alterius dorſum acriter cædebat. Agebant inſuper ſtationes, venias, genuflexiones mirabiles, canendo carmen, quilibet iuxta diſtinctionem ſuæ linguæ, inconditum, cum ex variis linguis & nationibus colluuies ipſa contracta eſſet. Mutuò inſuper ſe, quamuis non ordinati ſed laici eſſent, de quantumcunque enormibus peccatis, confeſſione audita abſoluebant, & pœnitentes ſolenniter introducebant, aſſerentes ſectam ſuam a Deo placidam exiſtere, & animabus propinquorum ſuorum, etiam damnatorum in inferno exiſtentium & cœlos poſſidentium, & ſuis dum obirent adferre magnas conſolationes & profectus. Dum autem ſecta hæc primùm *Cracouiam* adueniſſet, Eccleſiis viſitatis, & velut pœnitentiis expletis, illicò de

Cra-

1261. *Cracouia, Prandotha* Epiſcopo, ni celeriter inde recederet, carceres illi comminante, ſe euoluit. Sed & in cæteris *Polonicæ* Eccleſiæ diœceſibus, *Ianuſſio* Archiepiſcopo *Gneſnenſi*, & aliis Epiſcopis *Poloniæ* eorum errores detegentibus, & Principibus *Poloniæ*, ne quis *Polonorum* errores huiuſmodi ſectaretur, ſub graui pœna & bonorum confiſcatione mandantibus, ſecta ipſa irriſa & ſpreta eſt. Apud alia verò Regna, igne & gladio deleta: errorque cæteris eius ſectatoribus, illum deſerentibus, & quod laudabatur, execrantibus, ſubitò diſperiit.

Caſimirus Cuiauiæ Dux terram Lelouienſem occupat, quam mox Boleſlaus Pudicus recuperat.

Caſimirus Cuiauienſis, Lancitienſis, & *Siradienſis* Dux, vno bello cum *Boleſlao pio Caliſſienſi* Duce, reſtituendo illi *Landenſem* caſtellaniam, iniuſtè à ſe detentam, vix perfunctus, repentè aliud æquè temerarium *Boleſlao Pudico Cracouienſi* & *Sandomirienſi* Duci mouit, *Lelouienſemq́;* diſtrictum, ſibi vſurpans, & aſſerens iuris ſui eſſe, caſtrum in colle oppido *Lelouienſi* propinquo ædificat. Quod eo diſcedente *Boleſlaus Pudicus* conquirit, & in ſuam redigit ditionem. Et quoniam *Caſimirus* Dux rapere & occupare ſolitus erat aliena, iuſto Dei iudicio promeruit, vt perderet propria. Quapropter duo filii ſui, *Leſzko niger* & *Ziemomiſl* in illum conſurgunt, & machinati hoſtilia, *Siradienſe* caſtrum ſub eo intercipiunt, quibus milites vniuerſi *Siradienſes*, ſpreto Patre eorum *Caſimiro*, conſtanter adhæſerunt, tyrannidem Patris peroſi.

Przemiſlaus Bohemiæ Dux regiam accipit dignitatem.

Quindecimo Calendas Nouembris *Przemiſlaus Bohemiæ* Dux *Margaretham* Duciſſam contoralem ſuam, cum qua annos plures in matrimonio exegerat, & propter ſterilitatis opprobrium, & quia votum de ingrediendo monaſterio feciſſe viro primo mortuo inſimulata eſt, dimittit & repudiat, & *Kunegundim* filiam *Roſczislai* Ducis *Bulgarorum* neptem *Belæ Hungariæ* Regis, accepit in vxorem, nuptiis ſolenniter in *Poſonio* celebratis. Octauo verò Calendas Ianuarii, die qui in Natalem Domini cadebat, ſe in Regem *Bohemiæ*, & præfatam *Kunegundim* nouam nuptam in Reginam per *Vernerum Moguntinenſem* Archiepiſcopum procurauit *Pragæ* coronari. Vocatus per Electores ad Imperium, venire renuit, palam apud ſuos iactitans, *pluris Bohemiæ Regnum quàm Imperium fore.* Nondum enim tum *Pragenſis* ſedes excellentiam conſecuta erat Metropolitanam, ſed erat *Moguntinenſi* Archiepiſcopo ſubiecta, & *Bohemiæ* Rex, quoties Regnum vacare contingebat, precaria & emendicata Archiepiſcopi *Moguntinenſis* coronabatur & inungebatur manu.

Papa Alexander IV. moritur, cui Vrbanus IV. ſuccedit.

Octauo Calendas Iunii, apud *Viterbium Alexander* Papa IV. moritur, cum annis ſeptem, & menſibus duobus ſediſſet, & in Eccleſia Sancti *Laurentii* Cathedrali *Viterbii* ſepelitur. Cui *Vrbanus IV.* natione *Gallicus*, *Tricenſis*, Patriarcha *Hieroſolymitanus*, ex terra Sancta reuerſus, & a Cardinalibus concorditer electus, in dieque decollationis Beati *Ioannis Baptiſtæ*, ſuccedit. Qui exercitum *Saracenorum Siciliam* deuaſtantem, a *Manfredo* in Patrimonium Eccleſiæ immiſſum, per cruceſignatorum exercitum fugat, & Regnum præfatum *Siciliæ*, *Carolo* Comiti *Prouinciæ*, fratri Regis *Franciæ*, vt illud a *Manfredo* recuperet, confert. 1261.

Lithuani cum Ruthenis iterum Maſouiam ingreſſi

Conglutinati in vnum *Rutheni* & *Lithuani*, iam inter ſe pactis & liga fœderati, cum omnibus potentiis, & gentis vtriuſque copiis, hoſtiliter per ſyluas & nemora, ſilenter & clandeſtinè, quò facilius incautos fallerent & opprimerent, in *Maſouiæ* terras veniunt, Ducem quoque *Maſouiæ Semouitum Conradi*, in villa & curia ſua *Iaſzowsko*, alias *Iazdow* vel *Iazden*, ſe tunc continentem, antequam fama eorum hoſtilis ingreſsûs denunciari illi poſſet, nocte in vigilia Sancti *Ioannis Baptiſtæ* aggreſſi, occupant, & tam ipſum *Semouitum* Ducem, quàm filium eius *Conradum*, & milites vnà præſentes captiuant, Ducalemque ſupellectilem diripiunt. Tantum autem *Ruthenorum* in *Polonos* odium tunc expromptum eſt, vt etiam ſæuirent in victos & deditos. 1262.

Ducem Semouitum interficiunt, & filium eius capiunt,

Dux enim *Swamirus Ruſſiæ*, ſiue *Swarro*, nepos ex ſorore *Danielis Ruſſiæ* Regis, in *Semouitum* Ducem *Maſouiæ*, truculentia pluſquam carnificina debacchatus, captum & ligatum (in *Ruthenorum* enim ceſſerat ſortem) capite miſerabiliter obtruncat. Pari cæde & carnificio in filium ſuum *Conradum* vſurus, niſi forte *Mendog* Duci & *Lithuanis* (a quibus ſeruatus, & anno eodem pecunia redemptus eſt) obueniſſet. Barones & milites *Maſouiæ*, caſu ſuorum Ducum, & terræ ſuæ hoſtili deprædatione, ad quam peragendam *Rutheni* & *Lithuani* ex *Iaſzowsko* egreſſi ſe diffuderant, & nouitate & atrocitate rei expergefacti, animos tamen non omittunt, ſed tam militaribus quàm agreſtibus in arma coactis, alterius Principis indignam cædem vlturi, alterius liberationem effecturi, populationemque agrorum, & tectorum ſuorum exuſtiones prohibituri, in campum deſcendunt, etiam cum periculo ſuo (neque enim reſpectu multitudinis hoſtilis, iuſtam & æquam habebant aciem) parati decernere. Hoſtibus itaque *Ruthenis* & *Lithuanis*, nonis Auguſti, in prædio & rure, cui nomen *Dlugoſziedle*, conſecutis, pugnam ineunt, certamineque feruente inter vtroſque, quamuis *Maſouiæ* milites adnitendo pro victoria magnam in hoſtibus edidiſſent ſtragem, ad extremum tamen abundante hoſtili multitudine, *Maſouitis* fugere coactis, *Ruthenis* & *Lithuanis* ceſſit victoria, pluribus inſignibus militibus *Maſouiæ* aut occiſis aut captis.

nobilitateq́; profligata & omnibus exuta.

Poſthæc & captiuitate Ducum & victoria elati, vniuerſam *Maſouiæ* oram, & maiorem partem *Cuiauiæ*, in plures turmas & cuneos effuſi, peragrant, & hominibus cuiuſcumque conditionis,

1262. nis, partim necatis, partim captis, immenſas prædas ex pecore & aliis rebus agunt, & tam oppida quàm rura ſuccendunt, onuſtique præda captiuorum & rerum maxima, in terras ſuas redeunt.

ad propria reuertuntur.

Conditionem miſerabilem terræ *Maſouiæ*, in ſolitudinem pene duplici attritione barbarica redactam, *Boleſlaus pius Caliſſienſis* Dux miſeratus, & precibus *Gertrudis Maſouiæ* Duciſſæ, relictæ olim *Semouiti* Ducis *Maſouiæ*, frequentius repetitis, peruictus, cum equeſtri & pedeſtri exercitu, architectorumque variæ artis numero, & propugnaculorum atque victualium abundantia, ad illam in feſto Sancti *Michaelis* venit, reliquiasque eius ad ſe concurrentes colligit, ſolatur, & quibus poteſt largitionibus & donatiuis reficit. Ad *Plocenſem* deinde ciuitatem perueniens, caſtrum a barbaris exuſtum & deletum, forti & ingenioſo opere ædificat, foſſatiſque & vallis communit. Et omnibus ritè conſumatis, relictæ Ducis *Semouiti*, & filiis eius *Boleſlao* & *Conrado*, illud præſentat. Non mediocriter ob id efferendus tam laude quàm memoria, quòd opprobrium *Polonicæ* gentis abſtulit, & ne natio & ora *Maſouiæ* a barbaris aut occuparetur, aut prorſus deleretur, ſua liberalitate & benigna fatiga, & impenſa prouidit.

Boleſlaus Pius caſtrum & ciuitatem Plocenſem reædificat.

Canoniſationis B. Heduigis procuratio incipit.

Signis variis & prodigiis, ſanctitatem, fauorem, & ſplendorem, quibus Beatam *Heduigim Sleſiæ* & *Poloniæ* Duciſſam, *Henrici cum barba Sleſiæ* & *maioris Poloniæ* Ducis relictam, pro ſuis operibus & meritis inſigniuit Altiſſimus, in *Poloniæ* Regno & Prouinciis vicinis, longè lateque ſe diffundentibus, Principes *Poloniæ* atque *Sleſiæ*, *Wladislaus Salczburgenſis* Epiſcopus, *Conradus Glogouienſis*, *Henricus Vratislauienſis*, nepotes illius, *Thomas Vratislauienſis* Epiſcopus, cum Clero & Eccleſia ſua permoti, ad procurandam canoniſationem, impenſa collata, *Salomonem* Archidiaconum *Cracouienſem*, Magiſtrum *Nicolaum* Scholaſticum *Cracouienſem*, & *Abengebertum* Decanum *Wiſzegradenſem*, Canonicos *Wratislauienſes*, ad *Vrbanum* Papam quartum transmittunt. Quorum propoſitione, per organum *Salomonis* Archidiaconi *Cracouienſis* in Conſiſtorio publico facta, qua genus, vitam, meritum, & miracula, in vita & poſt mortem edita, Beatæ *Heduigis* explicabantur, *Vrbanus* Papa quartus audita, grauitatem ſolitam ſeruaturus, *Volmirum* Epiſcopum *Wladislauienſem*, & fratrem *Simonem* Ordinis Prædicatorum Prouincialem *Poloniæ*, pro examinatione vitæ & prodigiorum fœminæ Beatæ deputat, & examen huiuſmodi ſpecialibus literis demandat. Continuatum autem fuit examen huiuſcemodi, per *Volmirum Wladislauienſem* Epiſcopum, & *Simonem* Prouincialem *Poloniæ*, vſque ad annum Domini milleſimum ducenteſimum ſexageſimum quartum, cum anno milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſecundo, ſeptimo Calendas Nouembris cœpiſſet. 1262.

A *Ruthenorum, Tartarorum, Lithuanorum*, cæterorumque gentiliũ frequentibus & clandeſtinis in Ducatus ſuos irruptionibus, *Boleslaus Pudicus Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Dux permotus, ſummoque prouidens & præcauens opere, ne barbaris in Dominia ſua ex improuiſo irruentibus, ancillæ *Chriſti* ſanctimoniales, in monaſterio *Zauichoſtenſi* a ſe fundato & dotato, aliquo à barbaris probro vel ludibrio tractarentur, *Zauichoſtenſe* monaſterium, & ſanctimoniales in eo degentes, de conſilio *Prandothæ* Epiſcopi *Cracouienſis* & Baronum ſuorum, in tutiorem locum, qui *Skalá* alias *Lapis Sanctæ* B *Mariæ* appellatur, tribus miliaribus à *Cracouienſi* vrbe diſtantem, tranſtulit. Et oppido *Skala*, in loco qui *Stankon* vocitabatur, pro nouo monaſterio erigendo, adiecto, etiam priorem donationem, de oppidis, villis, decimis, lacubus, cenſibus & libertatibus factam, nouis priuilegiis & literis, ſexto Nonas Martii apud *Korczyn*, germanæ ſuæ *Salomeæ* Reginæ olim *Gallatiæ*, habitum & profeſſionem prædicti monaſterii & ordinis ſortitæ, precibus deuictus, innouat & confirmat. Et incraſſaturus priorem dotem, villam *Zarnowicze*, & tria telonea, item Eccleſiam ventroſam, cum decimis in *Zarnowicze* illi annectit.

Monaſterium Zauichoſtenſe in Skalam transfertur.

Ex commiſſione Legati Apoſtolici

Frater *Guido* tituli Sancti *Laurentii* in *Lucina* Presbyter, Cardinalis, Summi Pontificis C *Clementis* Papæ quarti, in *Polonia* Legatus, anno eiuſdem Pontificatus ſecundo, committit Abbati & Cuſtodi Sanctæ *Mariæ Wratislauienſi* ordinis Sancti *Auguſtini* Canonicorum Regularium, longam litem & quæſtionem periculoſam, intur *Volmirum* Epiſcopum & ſuam Eccleſiam *Wladislauienſem* ab vna, & *Caſimirum Cuiauienſem*, *Lancitienſem*, & *Siradienſem* Ducem partibus ab altera, occaſione caſtri *Racziaſz*, quod idem Dux *Caſimirus* occupauerat. Hic autem Abbas & Cuſtos Sanctæ *Mariæ Wratislauienſis*, quatuordecima Aprilis, tribunali apud *Wladislauiam antiquam* poſito, partibus auditis cauſæ per compoſitionem, adiudicando caſtrum *Racziaſz*, quod idem Dux *Caſimirus* occupauerat, cum ſuo D diſtrictu, *Volmiro* Epiſcopo, & ſuæ *Wladislauienſi* Eccleſiæ. Duce quoque *Caſimiro* abſoluto, interdictum tollunt & relaxant, propter quod occupationem dicti caſtri obſeruabant, anno Domini, milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſeptimo.

caſtrum Racziaſz Eccleſiæ Wladislauienſi adiudicatur.

Nouam calamitatem, nouamque deprædationem *Lithuani* & *Rutheni* terris *Maſouiæ* anno ſuperiori, & clade apud *Dlugoſziedle*, nec non captiuitate Ducum & militarium, atque ſpoliis & incendiis afflictæ, illaturi, iterum illuc adueniunt, ſed dum deſideriis, & ſpei eorum non reſponderet ſpoliorum, quæ ſe conſecuturos non dubitabant (omnibus ſuperiori anno incolis *Maſouiæ*, vel in ſeruitutem abductis, 1263.

1263. Lithuani Lowicz prædantur,

ductis, vel in loca ſylueſtria & munita cedentibus) effectus, in Caſtellaniam *Lowicenſem*, ad Archiepiſcopum *Gneſnenſem* pertinentem, quam ab exploratoribus & transfugis didicerant integram eſſe, ſe conferunt. Atque illuc concito gradu peruenientes, tam villas, quàm Archiepiſcopales curias, hominibus & iumentis ſpoliatas, incendunt, & igne conſumunt, & prædam ſatis multiplicem, nemine defenſionem ferente, in terras ſuas ſtomachando & ſuperbiendo abducunt. Eadem penè huius fratrum Cruciferorum de *Pruſſia* fuit fortuna, quos *Prutheni* barbari in caſtro *Weyſzenburg* aggreſſi, in *Maſouiam* caſtro potiti fugere compellunt. Quos licet perſequi perſeueraſſent, Duce tamen eorum *Dway* vulnerato, perſecutionem omittunt.

& fugant Cruciferos Prutheni in Maſouiam.

Propitiaturus Clemens Dominus *Polonis* in terris *Maſouiæ* conſiſtentibus, multifariè a barbaris iuſto ſuo permittente iudicio, ob multiplicata & nuſquam pœnitentia deleta ſcelera, afflictis, *Lithuanorumque* & barbarorum in ſuæ virtutis dextera gloriantium, ſuperbam & deliram temeritatem compreſſurus, diminuium inteſtinum, ciuileſque diſcordias inter illos gliſcere primum, mox etiam ſuccreſcere & adoleſcere permiſit. Moleſta enim & grauis fuit cæteris *Lithuaniæ* Principibus *Mendolphi* aliàs *Mendog Lithuanorum* Regis, qua ſibi rerum ſummam vſurpare conabatur, potentia, rati illam, ni abrogaretur, in ſuam calamitatem recidere. Quem primum conuiciis apud vulgum, quòd veteri ritu relicto, in Chriſtianorum fidem conceſſerat, quod terras naturales *Lithuanorum*, æque ſibi & illis communes, Cruciferis inſcripſerat, lacerant, deinde conſpiratione facta, *Stroinath* alias *Trognath*, ſecundus poſt *Mendog* loco, nepos ſuus, dominationem & Principatum apud *Lithuanos* occupaturus, illum quieſcentem per inſidias obtruncat, & omnes filios eius in dolo tyrannicè delet, & rapit per vim Principatum.

Mendog Lithuanorum Rex a ſuis occiditur.

Monaſterium Prædicatorum in Thorun fundatur.

Quarto Nonas Aprilis, frater *Hanno* de *Sangerhauſen*, octauus Magiſter *Pruſſiæ*, fundat monaſterium Sancti *Nicolai* Ordinis Prædicatorum in noua *Thorun*, ſupra fluuium *Makra*, qui non longe a ciuitate erupit, conferens pro dote fratribus præfatæ domus, in omnibus fluuiis, ſtagnis, lacubus, & paludibus pro ſuo vſu piſcandi facultatem.

Eclipſis ſolis.

Solis Eclipſis eo anno in die Beati *Dominici* proueniens, multos triſtes in nonnullis regionibus, in *Bohemia* præſertim, cauſauit effectus vbi a grandine & ſiccitate, tanta eſt orta frugum cariſtia, & tandem fames, vt multi homines ſexus vtriuſque, famis inedia perierint.

Petro Ep. Plocenſi ſuccedit Thomas.

Petrus Plocenſis Epiſcopus, cum in ſede *Plocenſi* annis duobus & medio ſediſſet moritur, & in *Plocenſi* Eccleſia tumulatur. Cui *Thomas* ſuccedit *Thomka* vocitatus, nobilis genere, de familia & cognatione *Pruſſorum*, ortum ducens a *Ianuſſio Gneſnenſi* Archiepiſcopo, apud Eccleſiam Gneſnenſem (fauentibus & conſentientibus *Boleſlao* & *Conrado* Ducibus Maſouiæ) confirmatus, & benedictus in ordinem Pontificalem.

1264.

Boleſlaus Pudicus gentem Iaczwingorum,

Boleſlaus Pudicus Cracouienſis & *Sandomirienſis* Dux, contra *Iaczwingos* barbaros, Ducatibus ſuis propter immediatam vicinitatem infeſtiores, & quod Principatus ſuos frequentius laceſſerent, bellum acturus, expeditionem omnibus terris ſuis literis indicit. Et omnibus copiis apud *Zawichoſt* conuenientibus, & ipſe perſonaliter in bellum huiuſmodi ire pergit. Eſt autem *Iaczwingorum* natio verſus aquilonarem plagam, *Maſouiæ*, *Ruſſiæ*, & *Lithuaniæ* terris contermina, ſita, cum *Pruthenica* & *Lithuanica* lingua habens magna ex parte ſimilitudinem & intelligentiam, populos habens immanes & bellicoſos, & tam laudis quam memoriæ auidos, vt decem ex illis cum centum hoſtibus decertarent, ea ſola ſpe illectos, quòd poſt mortem & caſum, ſcirent carminibus de fortibus factis ſe laudandos. Quæ res illis in eam pernitiem verſa, cum pauci a multis facilè ſuperarentur, vt ſenſim natio ipſa fere vniuerſa, cladium interiret exterminio, nemine illorum aut iniquam detrectante pugnam, aut conſertâ fugere perſuadente.

quæ ubi locorum fuerat, & quibus moribus prædita recenſet,

Boleſlaus itaque *pudicus Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Dux, fines illorum ingreſſurus, & acies ordinat, ſumma cura omnia quæ diſciplinam exigunt militarem prouidens, & milites pro concione vocatos in pugnam animat: Pluribus ante certaminibus per ſuos milites commiſſis, quòd cum hoſte pertinaci, aut vincere aut mori deſtinato, pugnam propediem (neque enim *Iaczwingos* laturos, vt agri eorum ipſis incolumibus popularentur) eſſet initurus. Adhibuit & *Boleſlaus* Præfectos, qui & vltimum cogerent agmen, & milites a ſignis & locis diſcedere vetarent, tam compoſito ſemper incedens agmine, quaſi hoſtes ſemper in conſpectu forent. Neque illum opinio feſellit, *Iaczwingi* enim, apud quos tunc maior inter Duces *Comath* Princeps erat, *Polonorum* audito aduentu, in arma alacres conſurgunt, & populationem ſuam prohibituri, *Polonis* obuiam eunt. Decimo itaque Calendas Iulii, exploratores *Boleſlao* denunciant hoſtes adeſſe, & eodem die ſole illuceſcente, adhuc *Boleſlao* tenente ſtatiua, *Iaczwingorum* ſe acies ad pugnam paratæ oſtendunt. Quibus viſis & *Boleſlaus Pudicus* acies ſuas educit, & pugnam, alteris in alteros cœca & obſtinata mente ruentibus, committit, & æquis viribus æquaque ſorte, pugna in horas aliquot prolata, cum *Iaczwingi* vincendi mira pertinatia pro victoria adniterentur, *Poloni* multitudine freti, recentes & incolumes, in feſſorum aut deſideratorum locum ſubducentes, acies tan-

1264. *profligatam in toto delet,*

tandem *Iaczwingorum* ſuccumbit. Vbi Princeps eorum *Comath*, pugnam reſtiturus, animoſius pugnans, a *Polonis* exceptus, pugionibus confoditur. Neque tam ſui Ducis *Comath* caſus, neq; proſtrata rareſactaque acies, reliquos *Iaczwingos* a prælio diuertere coëgit, ad extremum enim cæſi & obtriti ſunt. Neque *Polonis* incruenta victoria fuit, pluribus aut deſideratis, aut vulnera grauia perpeſſis. Eo vno prælio, omnis ferè gens, omniſque natio *Iaczwingorum*, adeò deleta & extincta eſt, vt cæteris, & his quidem paucis & agreſtibus, aut valetudinariis, in ditionem *Boleslai* concedentibus, aut *Lithuanis* ſe coniungentibus, hactenus ne nomen quidem *Iaczwingorum* extet. Terrâ eorum omni, & pecore, quo plurimùm abundabant, cæteraque eorum ſupellectili *Boleslaus Pudicus*, & ſuus exercitus potitus, omnes baptiſmum ſuſcipere, & fidem Chriſtianam profiteri iuſſit, detrectantes capite mulctari. Papæque *Vrbano* ſupplicauit, vt in reliquiis gentis illius, religionem Catholicam profeſſis, Epiſcopum conſtitueret, pro *Neophitarum* confirmatione & ſtabilimento. De quo ne de commento argui poſſimus, mandatum Apoſtolicum *Gneſnenſi* Archiepiſcopo ſuper ea re factum, habes infraſcriptum:

reliquis ad baptiſmum converſis.

Mandatum Papæ ad Archiep. Gneſnenſem, vt Iaczwingis Epiſcopum conſtituat.

Alexander Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Venerabili Fratri Archiepiſcopo Gneſnenſi, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Ex parte dilecti filii, nobilis viri Boleslai Cracouienſis & Sandomirienſis Ducis, Eccleſiæ Romanæ deuoti, fuit nobis humiliter ſupplicatum, vt cum contra paganos Iaczwingos, qui terræ ipſius Ducis confines exiſtunt, per Te, ac Suffraganeos tuos, prædicari mandauerimus Verbum Crucis, & tam per hoc, quàm etiam per exhortationem dilectorum filiorum minorum fratrum, quaſi pro firmo ſperaretur, quod iidem pagani ad fidem conuerti debeant Chriſtianam, ipſorumque terra paganorum, eidem Duci ſit, vt aſſerit, ab Apoſtolica ſede conceſſa, præfici ibidem aliquem Epiſcopum faceremus. Ideoque Fraternitati Tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi ita eſt, eiſdem paganis, poſtquam ad fidem Chriſtianam conuerſi fuerint, dummodò terra ipſorum infra alicuius Epiſcopatus limites non exiſtat, aliquam perſonam idoneam, auctoritate noſtra, ſine alieni iuris præiudicio, in Epiſcopum ſtudeas deputare. Datum Romæ &c.

Nominis Diuini & Ordinis Prædicatorum religionem, *Caſimirus Cuiauienſis, Lancicienſis & Siradienſis* Dux, in ſuis Principatibus aucturus, in fratres prædictos a Prouinciali *Poloniæ* petitos, ex *Cracouienſi* conuentu aſſumptos in illo locat, curamque illorum Ducali munificentia gerens, Eccleſiam pro illis erectam, calicibus, caſſulis, cæteriſque clenodiis adornat.

Culmenſis Epiſcopus *Henricus* Ordinis Prædicatorum frater, Eccleſiam ſuam *Culmenſem*, quam ſecularem reperierat, in regularem Canonicorum Regularium Beati *Auguſtini* tranſtuliſſe non contentus, iterum illam in Cruciferorum ordinem, Metropolitano ſuo Archiepiſcopo *Gneſnenſi* ignorante & inconſulto, tranſmutat, & ritu Canonicorum Regularium atque habitu abiecto, habitum atque ritum Cruciferorum ordinis *Theutonicorum* Sanctæ *Mariæ*, vnà cum Capitulo ſuo *Culmenſi* aſſumit, Generali tunc Magiſtro *Pruſſiæ Helmerico* & fratribus ſui Ordinis, ipſum ac capitulum ſuum, ad tranſmutationem hujuſmodi, tam prece quam perſuaſione impellente, adhibitâ gratificatione & conſenſu *Anſelmi* Epiſcopi *Varmienſis*, tunc Apoſtolicæ Sedis in *Pruſſia* Legati, in Calend. Febr. 1264. *Eccleſia in ordinem Cruciferorum commutatur.*

Culmenſis

Caſtrum *Bergfridt Pruthenis* barbaris obſidentibus, Cruciferorũ exercitus adueniens, in barbaros ſomno preſſos irruit, & mille trecentis occiſis, reliquos in fugam egit, caſtrumque *Bergfridt*, ne eo barbari aliquando potirentur, igne deleuit. Reparato nouo fortiori exercitu *Prutheni*, terram *Culmenſem* ingreſſi, ſpoliis, igne, & cædibus peruaſtant, contra quos *Helmericus Pruſſiæ* Magiſter, cum *Theodorico* Marſchalco dimicans, occiſus ſuccumbit, & barbaris præualentibus, vires Cruciferorum, quadraginta etiam fratribus cum Magiſtro & Marſchalco cadentibus, attritæ ſunt. In locum occiſi Magiſtri *Helmerici*, ſeptimus Magiſter *Ludouicus* de *Kaldenſchein* ſuffectus. *Cruciferos Prutheni cadunt.*

Boguphalus Poſnanienſis Epiſcopus, miſerabilium perſonarum pia miſeratione calamitati compaſſus, in ciuitate *Poſnanienſi* hoſpitale infirmorum, ſub honore & titulo Sancti *Spiritus*, extra muros ciuitatis *Poſnanienſis* iuxta fluuium *Wartha*, fundat, cui & dotem aliquam de menſa Epiſcopali largitur. Tunc etiam Eccleſia Parochialis in ciuitate *Poſnanienſi* fundata in honorem & titulum Beatæ *Mariæ Magdalenæ*.

Non defuit & hoc anno inter *Lithuanos* & *Pruthenos*, furor & clades ciuilis, & inteſtina ſeditio. Nam cum *Mendog* Rex *Lithuaniæ* cum filiis ſuis a nepote *Stroinath* occiſus eſſet in dolo, *Woyſzalk* filius, & *Theophilus* conſobrinus *Mendolphi* alias *Mendog Lithuanorum* Ducis occiſi, necem *Mendolphi* vlturus, in *Stroinath* Principem, qui *Mendolpho* occiſo, ſummam rerum, & maiorem apud *Lithuanos* Principatum rapuerat, conſpirant. Et venationes tractantem aggreſſi, pluribus ante tormentis illatis, & *Mendolphi* cæde exprobrata, enecatum interimunt, Principatum, quem morte *Mendolphi* amiſerant, recuperant. Quamuis autem præfatus *Woyſzalk* in monachum *Ruſſiæ* tonſus foret, deſerta tamen religione, aſſumptis & in auxilium ſibi adiunctis *Lithuaniæ* Ducibus, patris necem vltum iri cupiens, *Stroinath* occidit, & ſe Ducem *Lithuaniæ* gerere cœpit. *Stroinath Lithuanorum Dux a filiis Mendog occiditur.*

Pro firmiori fœderis, inter *Belam Hungariæ*,

1264.

riæ,& *Przemiſlaum* alias *Othokarum Bohemiæ*, Reges icti, glutinio, *Bela* Dux, filius *Belæ Hungariæ* Regis, *Kunegundim* filiam *Othonis* tertii Marchionis *Brandeburgenſis*, ex *Beatrice* filia *Venceslai*,& ſorore *Othokari* ſiue *Przemiſlai Bohemiæ* Regum, ſuſceptam, accipit in vxorem, ſed ſponſo *Bela* poſt biennium mortuo, præfata *Kunegundis* Duci *Luneburgenſi* nupſit. Alterius germanæ ſuæ *Mechtildis* coniugium *Barwin Slauorum* Dux ſortitus eſt.

Cometes apparuit,

Cometes, ſiue ſydus accenſum & ignitum, tam largus & mirabilis, qualem nullus mortalium tunc viuens ante viderat, apparuit. Ab oriente enim cum fulgore ſurgens, vſque ad medium cœli verſus occidentem, comam perlucidam protrahebat; durauit autem aſpectus illius citra tribus menſibus. Primoque ortûs ſui die *Vrbanus* Papa languere cœpit, & vltimo cometis die, vltima Septembris occidit, cum annis tribus, menſe vno ſediſſet. Vt non aliud cometes ipſe, quam Summi Pontificis vicinam mortem, præcinuiſſe videretur, in Polonia tamen alium effectum produxit. Eo enim deſinente, animalium quadrupedum mortalitas ſecuta eſt. Sepulturam autem *Vrbanus* Papa apud *Peruſium* in maiori Eccleſia, iuſta funeri Cardinalibus ſoluentibus,accepit. Qui celebritatem de Corpore Chriſti a Prædeceſſoribus ſuis neglectam inſtituit, Beato *Thoma* de *Aquino* Doctore Officium illius tam cognatis adaptante verbis, vt omnes veteris Teſtamenti figuras, Sacramentum Corporis *Chriſti* repræſentantes, contineat, licet inſtitutio ipſa morte *Vrbani* tunc imperfecta remanſerat.

quem mors Vrbani Papæ,

& quadrupedum in Polonia ſecuta eſt.

Iterum nuncii ad procurandam B. Heduigis canoniſationem mittuntur.

Nuncii priores ad procurandam Beatæ *Heduigis* Duciſſæ *Poloniæ* & *Henrici cum barba* relictæ, canoniſationem, videlicet *Salomon* Archidiaconus, *Nicolaus* Scholaſticus *Cracouienſes*, & *Abengebertus* Decanus *Viſzegradienſis*, cum Regeſtro examinis teſtium, & literis Commiſſariorum Apoſtolicorum, *Volmiri* Epiſcopi *Wladislauienſis*, & fratris *Simeonis* Prouincialis *Poloniæ*, in fine Auguſti *Peruſium* venientes, *Vrbanum* Papam quartum abſumptum offendunt, de quo non mediocri conſternati dolore, cum omnia ad maiorem difficultatem ſua negotia viderant morte *Vrbani* recidiſſe; ſubſtitutionem tamen alterius præſtolari coacti ſunt.

Boguphalus Poſnanienſis Epiſcopus, quindecima Decembris, in villa ſuæ Eccleſiæ *Cziazim* alias *Czirmna* moritur, & in Eccleſia *Poſnanienſi* ſepelitur, cum annos decem in Pontificatu exegiſſet, virtutibus, quas ſibi Deus optimus, & natura contulerat abuſus.

1265. *Ruthenos terram Sandomirienſem ingreſſos,*

Multus & frequens *Ruthenorum* exercitus, de ſingulis fere Principatuum variorum *Ruſſiæ* Ducum collectus, *Swarnone* tamen *Ruſſiæ* Duce cæteros in arma & ſollicitante & cogente, terras *Sandomirienſes* Ducis *Boleslai* inuaſit, eaſque diebus aliquot ſpoliis, rapinis & incendiis afflixit. Interim autem *Sandomirienſes* Barones (Duce etiam ſuo *Boleslao*, ne hoſtis rapta præda euaderet, non conſulto) in aciem cum agreſtibus, vt ſpeciem maioris exercitus *Ruthenis* oſtenderent, deſcendunt. Et opportunitate captata,cum *Ruthenos* ſparſos & palantes per agros, prædationibus & ſpoliis operam dantes,animaduerterent,in illos irruunt & facili negotio, paucos pugnam cientes, fundunt & proſternunt; cæteros metu nimio perculſos, & in fuga conſecutos, captiuant aut interimunt, magnaque cæde in hoſtibus edita, omnibus quæ rapuerant recuperatis, inſignem de *Ruthenis*, omnibus eorum rebus, & caſtris direptis potiti, victoriam referunt.

1265.

nobilitas profligat & captiuat.

Leſzko niger Dux, a patre ſuo *Caſimiro*, *Cuiauienſi* & *Lancicienſi* Duce, emancipatus, Ducatumque *Siradienſem*, patre *Caſimiro* concedente, pro ſua portione ſortitus, a *Boleslao Pudico Cracouienſi* & *Sandomirienſi* Duce, velut fratris patruelis germani nepos, adoptatur in filium. Qui illum ſpeciali priuilegio & gratia, ſuorum omnium Principatuum hæredem inſtituit, & ipſum tantummodo ſibi,in omnes terras ſuas,Ducatus & Dominia,(mactæ enim virtutis ſibi & Conſiliariis ſuis apparebat Princeps) ſucceſſurum decreuit. Qui etiam niger *Leſzko*, virginem *Griphinam Roſcislai* Ducis *Ruthenorum* filiam, Duce *Boleslao Pudico* huiuſmodi affinitatem conciliante, quò terræ ſuæ quietiores eſſent, accepit in vxorem. Apparatuſque nuptiarum cum magna ſolennitate in caſtro *Cracouienſi* exactus eſt, quod *Boleslaus Pudicus* ſub eo tempore nouis & firmiſſimis ædificiis, uniuerſum montem complexus, inſtaurauerat.

Boleslaus Pudicus Leſzkonem nigrum adoptat ſibi ſucceſſorem.

Heliſabeth relicta olim *Przemislai Poſnanienſis* Ducis,filia *Henrici* Ducis *Sleſiæ* a *Tartaris* occiſi, nona Ianuarii,in villa ſua dotali *Moderz* defuncta & *Poſnaniam* relata, in maiori Eccleſia ſepulta eſt,fœmina raræ religionis & ſanctimoniæ in Eccleſiam Dei, & in perſonas religioſas munifica & liberalis.

Conuerſionis Beati *Pauli* Apoſtoli, pro eligendo altero *Poſnanienſi* Epiſcopo, inſtituta adueniente die, *Petrus* alias *Pietrzyk* Præpoſitus *Poſnanienſis*, nobilis genere, filius militis *Drogoslai* de *Skorew*, de domo & nobilitate *Habdanck*, via ſcrutinii in Epiſcopum *Poſnanienſem* concorditer electus eſt. Qui etſi electione ſua *Ianuſſio Gneſnenſi* Archiepiſcopo in *Znina* præſentata, eam petiuiſſet confirmari, *Ianuſſius* tamen *Gneſnenſis* Archiepiſcopus fauens *Falutæ* Decano *Gneſnenſi*,quem *Boleslaus Pius* Dux *Caliſſienſis* & *Gneſnenſis*, & conſors ſua Duciſſa *Helena*,ad Epiſcopatum *Poſnanienſem* magnis inſtantiis promouebant, *Pietrzikoni* electo,ignorantiam literarum, & præſertim Canonum imperitiam obiecit. Propter quod Decanus *Poſnanienſis Ioannes*, *Veſzkonis*, militis filius, veritus, ne a *Gneſnenſi* Archiepiſcopo *Pietrzikonis* electio caſſaretur, in appellationem prorupit. Sed infra paucos dies,

Poſt varios competitores

1265. & ſuo electo, & appellatione deſertis, *Falutæ* Decano *Gneſnenſi* adhæſit. Inter hæc Capitulum *Poſnanienſe Pietrzikone* electo, languidè ius electionis proſequente, aliam electionem (quod ipſum quoq; parùm ſenſatè factum videbatur, iam enim eligendo *Pietrzikonem* iure ſuo erat perfunctũ) *Pietrzikone* electo de iure electionis cedente, celebrans *Ioannem* Archidiaconum *Poſnanienſem*, virum literatum & virtuoſum elegit. Is quoque *Gneſnæ Ianuſſium* Archiepiſcopum, pro ſuæ electionis confirmatione interpellans, repulſam (ſed iuſtam) paſſus eſt, allegante Archiepiſcopo alium electum exſtare. Tum demum noua appellatione interpoſita, cauſa ad curiam *Romanam* deuoluta eſt. Qua non obſtante, *Ianuſſius Gneſnenſis* Archiepiſcopus, *Falutam* Decanum *Gneſnenſem*, in oppido *Pyzdri*, altera appellatione, quam Capitulum *Poſnanienſe* a confirmatione & conſecratione præfati *Falutæ* interpoſuerat, & *Ianuſſio Gneſnenſi* Archiepiſcopo per *Nicolaum* Vicarium *Poſnanienſem*, vocatum *Collecta*, inſinuauerat, reiecta, confirmauit & benedixit. Verùm cum *Clemens* Papa quartus, & *Falutæ* confirmati per *Gneſnenſem* Archiepiſcopum, etiam apud ſe præſentis, & *Ioannis* Archidiaconi *Poſnanienſis* electionem diſcuteret, vtraque, quoniam tantummodò merum factum & a iure Canonico abhorrens continebat, caſſatâ, *Nicolaum* Scholaſticum *Cracouienſem*, Canoniſationis negotium Beatæ *Heduigis* tunc proſequentem, extulit & promouit in *Poſnanienſem* Epiſcopum, & in *Viterbio*, vbi tunc agebat, mandauit conſecrari. Sic tribus de Epiſcopatu *Poſnanienſi* contendentibus, quartus, & ipſe inſuſpicabilis, vt Prophetalis compleretur ſcriptura, rapuit diadema, nobilis & natione *Polonus*.

Ep. Poſnanienſis fit Nicolaus.

Caſtrum *Santhok*, neglectu vulgato, à *Poloniæ* militibus cuſtoditum, *Saxones* ingreſſu comprehendunt, & *Conrado* Marchioni *Brandeburgenſi*, velut conſortis ſuæ *Conſtantiæ Przemiſlai* Ducis olim *Poſnanienſis* filiæ, munus dotale repræſentant. Sed *Boleſlaus Pius Caliſſienſis* Dux, grauiter ſe captione caſtri præfati aſtruens iniuriatum, collecto exercitu, ad expugnationem illius contendit. Verùm antequam illuc pertingeret, per communes Barones mediatio interponitur. *Conrado* Marchione cum *Boleſlao Pio* conueniente, ea captatur concluſio, vt *Boleſlaus* Dux *Caliſſienſis* caſtrum ſuum *Santhok*, *Conradus* verò Marchio alterum caſtrum *Drdzen*, velut ſibi diſpendioſa, raptoribus verò & furibus profectum afferentia, demoliat. Quod tandem vterque, prout inter illos conuenerat, executus eſt.

Caſtra Santhok & Drdzen demoliuntur.

Vrbano IV. P. R.

Romana Eccleſia dum poſt obitum *Vrbani IV*, menſibus quinque ob diſcordiam Cardinalium vacaſſet, tandem quinta Februarii *Guido Fulcodii* natione *Prouincialis* de villa Sancti *Ægidii* Cardinalis, Epiſcopus *Sabinenſis*, licet abſens, electus eſt, & quartus *Clemens* vocatus. Vir magnæ probitatis & exempli, qui omnem ſtatum mundi expertus fuerat, & in quolibet gratioſè & virtuoſè ſe geſſit. Primò quidem vxoratus, coniuge verò defuncta, *Onixenſis* Epiſcopus, deinde *Narbonenſis* Archiepiſcopus, per *Vrbanum* quartum in *Sabinenſem* Epiſcopum promotus, ad pacificandam *Angliam*, bello aſpero, inter *Henricum* Regem, & *Simonem* Comitem *Montisfortis*, concitato, feruente, miſſus, ab inde ſub diſſimulato habitu, *Peruſium*, propter guerroſa itinera, reuerſus, vix cum lachrymis Cardinalium vinci potuit, vt Papatum aſſumeret. Quo aſſumpto in *Viterbium* cum Curia conceſſit, ſic vigiliis, ieiuniis, & orationibus, ac aliis bonis operibus intentus, quòd multas, quas tunc Eccleſia Dei ſuſtinebat tribulationes, Deus ſuis meritis creditur exſtinxiſſe.

1265. *ſuccedit Clemens IV.*

1266. Iniuſtam indignamque necem fratris ſui patruelis germani *Semouiti Maſouiæ* Ducis, in *Lyſzowsko* per *Swarnonem Ruſſiæ* Ducem, nepotem ex ſorore *Danielis* Regis *Ruſſiæ*, factam, carnificino more irrogatam, *Boleslaus Pudicus Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Dux vlturus, frequentes quoque eiuſdem *Swarnonis* in terras *Poloniæ* inſultus & inuaſiones repreſſurus, expeditionem omnibus terris ſuis, contra *Ruſſiam* indicit. Quam per *Petrum* Palatinum *Cracouienſem*, Conſiliariis ſuis id conſentibus, adminiſtrat. Copiis itaque apud *Ropczyce* conuenientibus, in terram *Swarnonis* itum eſt. Veritus autem Palatinus *Cracouienſis* Dux belli, ne, ſi qua clades exercitui accideret, aut minus proſperè belli ſucceſſus reſpondiſſet, ſua id temeritate & negligentia accidiſſe inſimularetur, nil niſi de ſententia conſilii egit, & cum Dignitariis vnà præſentibus, & ſignanter *Ianuſſio* Palatino *Sandomirienſi*, his quoque qui ducebant ordines, ſingula communicauit; curam quoque exactam, tam de ſtatiuis, quam de progreſſu & pabulatione præſtitit, quam quouſque feliciter reditum eſt, non remiſit. Ingredienti *Ruſſiam Polonorum* exercitui, & ſecundas ſtatiuas agenti, Dux *Swarno* cum magno *Ruthenorum* & *Tartarorum* exercitu, in loco qui *Piatha* dicitur, feria ſexta, decima octaua menſis Iunii occurrit, caſtraque ſua haud longè à caſtris *Polonorum*, ſpeculatus eorum potentiam, locat. Et in illo quidem die, exercitus *Polonicus* à prælio, craſtinum operiens, abſtinet, credens diem illum, in quem Sanctorum *Geruaſii* & *Prothaſii* Martyrum cadebat glorioſa celebritas, ſalubrem & felicem, *Ruthenis* verò fatalem (eo ſiquidem die cum *Romano Ruthenorum* Duce, ſuiſque ingentibus copiis, ad oppidum *Zawichoſt*, feliciter ſuperioribus annis pugnauerant) fore. Sabbato itaque Sanctorum *Geruaſii* & *Prothaſii* die illuceſcente, & Palatinus *Cracouienſis Polonos*, & *Swarno Ruthenos*, in aciem producunt. Et *Ruthenis* quidem ſagittarum imbrem,

Boleslaus Pudicus exercitu miſſo contra Swarnonem Ducem Ruſſiæ

1266. 1266.

maximum exercitum Ruthenorum profligat.

brem, *Polonis* tela primùm iacientibus, infeſtis animis concurſum, & acriter ab vtriſque pugnatum eſt: ſuperior tandem acies *Polonorum* eſſe cœpit, & in medios hoſtes inuecta, maximam in hoſtibus ſtragem edidit. *Swarno* etſi non Ducis ſolùm, ſed & militis operâ vſus, prælium & labantes ſuorum acies in aliquot locis reſtituiſſet, ad extremum tamen & ipſe, cæſas & rarefactas acies ſuorum videns, in fugam, ne in *Polonorum* viuus veniret manus, proſiliit. Paſſim deinde cædes fieri, omnibus *Ruthenis* in fugam verſis, cœpta eſt, & non pauciores in fuga, quàm in certamine (fugientes enim, *Poloni* in aliquot miliaria perſequebantur) interempti, magnus & captiuorum fuit numerus, quibus *Poloni*, ſatiati cæde, pepercerant. Caſtra poſthæc *Ruthenorum* omnis opulentiæ plena, direpta ſunt, & biduo in certaminis loco ſtatiuis habitis, *Swarnonis* terrâ populatâ incenſâque, victorem exercitum, & multiplicem ſpoliorum variæ ſupellectilis prædam referentem, ex qua locupletatus eſt, Palatinus *Cracouienſis*, ouans & ipſe, quòd res ductu ſuo & auſpiciis feliciter geſta fuerit, in *Poloniam* reduxit. Hæc autem clades adeò *Ruthenos* exterruit, domuitque, vt *Polonorum* terras poſthæc annis multis, nunquam auderent contingere. Omnium autem hominum iudicio, triumphus iſte tunc de *Ruthenis* relatus, non humanis viribus, cum hoſtes plusquam in quadruplo excedentes habuerint, ſed ſola propitiatione Diuina, & ſuffragiis Eccleſiæ pro gente *Polonica*, ſedulius & impenſius tunc, ſacrificiis, precibus, lachrymis, & obſecrationibus interpellante, maximè tamen meritis Beatæ *Kingæ Boleslai* Ducis conſortis, creditus eſt proueniſſe. Cui oranti, & incolumitatem victoriamque *Polonorum* genti de cœlo dari interpellanti, duo viri in albis veſtimentis aſtiterunt, quorum oraculo de futura victoria, *Polonis*, propter ſuas interceſſiones, conferenda, certior facta eſt, & hi Sancti *Geruaſius* & *Prothaſius* à nonnullis æſtimati.

Caſtrum Santhok, quod contra pacta Boleslaus ædificauerat,

Pactis & ordinationi, quæ *Boleslaus Pius Caliſſienſis* & *maioris Poloniæ* Dux, de caſtro *Santhok* demoliendo, & de cætero non reædificando, cum *Conrado* Marchione *Brandeburgenſi* genero ſuo inierat, contraueniens *Boleslaus Pius Caliſſienſis* Dux, caſtrum minus Ducale, altero, quod militum & agreſtium pro conſeruando pecore largioris ſpatii erat, neglecto, habens ſecum ſuarum terrarum equeſtrium & pedeſtrium copias, *Saxonum* & *Conradi Brandeburgenſis* Marchionis inſultum & interruptionem veritus, ædificat, & infra vnius menſis ſpatium, affatim omni exercitu materiam architectoribus, qui & ipſi frequentes erant, præbentibus, conſumat, præſidioque militum caſtro impoſito, & victualibus propugnaculiſque prouiſo, diſcedit. Sed abeuntem *Conradus Brandeburgenſis* Marchio proſecutus, caſtrum *Santhok* obſidione vallauit, & ad illius expugnationem magna vi magnoq; ardore animum intendens, adeò illud glebamque illius recentem & crudam, tormentis & bombardis contriuit, vt, ni ſuccurreretur, expugnatio caſtri propediem erat futura. Certamen itaque *Boleslaus Pius Caliſſienſis* Dux cum vicino & genero abhorrens, militumque ſuorum, qui caſtrum defendebant, ſaluti & libertati prouidens, miſſis ad *Conradum* Marchionem Baronibus, pacta ſe ſpondet & reſumpturum & ſeruaturum. Et *Conrado* Marchione conditionem acceptante, caſtrum *Santhok*, deducto præſidio, mandato Baronum *Poloniæ*, & *Conrado* Marchione eiuſque exercitu inſpectante, exuſtum eſt.

exuritur.

Maſouiam Lithuani & Prutheni vaſtant.

Lithuanorum, *Pruthenorum*, & aliarum barbararum nationum exercitus in vnum congeſtus, dum alias *Polonorum* terras timeret attingere, in *Maſouiam* rurſus venit, & eam partem *Maſouiæ*, quæ inuaſtata remanſerat, vaſtant, ſpoliiſque & incendiis affligunt. Magnaque capta præda, *Boleslao* & *Conrado* Ducibus exiguas habentibus vires, & tantummodò caſtra & munitiones tueri contentis, reſiſtentiam non facientibus, in terras ſuas, facto etiam in *Płoczkam* inſultu, abeunt.

Prandotha Ep. Cracouienſi

Vigeſima prima die menſis Septembris, *Prandotha* Epiſcopus *Cracouienſis*, vir vitæ venerabilis, & Canoniſationis Beati *Stanislai* præcipuus effector & promotor, omnibus ſacramentis, audiendo miſſam, procuratus, religioſè & deuotè circa noctis crepuſculum moritur, & in Eccleſia *Cracouienſi*, apud capellam Sancti *Petri* & *Pauli* ſepelitur, cum annos decem & octo in ſede *Cracouienſi* abſumpſiſſet. Electione autem per Prælatos & Canonicos *Cracouienſes*, ſuper eligendo futuro Pontifice celebrata, *Paulus* Canonicus *Cracouienſis* nobilis genere de domo *Polukoſza*, filius Comitis *Iazdonis* de *Przemakow*, *Boleslai Pudici* Cancellarius, concordi electione per viam compromiſſi inita, ab arbitris, videlicet *Gerhardo* Præpoſito *Vislicenſi*, Magiſtro *Stephano*, & *Viſzon*, Canonicis *Cracouienſibus*, ſeptimo Idus Octobris, in Epiſcopum ſuffectus eſt, anno eodem à Metropolitano *Ianuſſio Gneſnenſi*, in die Sanctorum *Simonis* & *Iudæ* Apoſtolorum in *Vniejow* confirmatus. Anno verò ſequenti in *Lelow* Dominica *Reminiſcere* in Epiſcopum per eundem Archiepiſcopum conſecratus. Cupiebat autem præfatus *Prandotha* Epiſcopus *Cracouienſis*, vir ſanè optimus, & multis virtutibus clarus & celebris, dudum diſſolui, & ex hac malorum ſentina ad Creatorem ſuum, vbi æuo fruatur ſempiterno, proficiſci.

ſuccedit Paulus.

Wratislauienſis Ducatus ob fratrum diſcordiam diuiditur.

Henricus Sleſiæ & *Wratislauienſis* Dux, filius *Henrici* a *Tartaris* occiſi, etſi pro omnibus annis, ex quo diuiſio ſecuta erat, paternorum Ducatuum, cum germano ſuo *Wladislao Salczburgenſi* Archiepiſcopo, quem ſuæ portionis habuit conſortem, concordem egiſſet vitam, nonnullis tamen militibus, qui & *Henrico*

1266. *rico* præfato toxicum miniſtraſſe inſimulati ſunt, diſcordiam ferentibus, in eam animorum offenſam irritationemque proruperant, vt Ducatum *Wratislauienſem* bifariè ſcinderent. *Henricus* autem Dux, propinquam ſibi ex diuturno languore & veneno ſentiens mortem adeſſe, fratre *Wladislao Salczburgenſi* Archiepiſcopo accito, duplicem prolem, quam ex *Juditha* filia *Conradi* Ducis *Maſouiæ* prima conſorte ſuſtulerat, videlicet *Henricum* filium, & *Heduigim* filiam, nondum pubertatis annos transgreſſos, & conſortem ſecundam *Saxoniæ* Ducis filiam, quam prima abeunte ſuperduxerat, vna cum *Wratislauienſi* Ducatu, obſecrans eorum geri curam, commendat, omnibusque ſacramentis procuratus decedit, & in monaſterio Sanctæ *Claræ* ſepelitur, Nonis Decembris abſumptus.

quorum vnꝰ Henricus moriturus fratri Wladislao reconciliatur.

Daniel Rex Ruſſiæ moritur, qui corona accepta ad errores priſtinos redierat.

Abſumptus eſt ferè ſub eodem tempore ſchiſmaticus Princeps *Daniel Ruſſiæ* Rex, duos filios relinquens, *Leonem* & *Romanum*. Qui dum ſcelere perfidiæ in Deum fuerat inquinatus, nam ſpondens ſe *Ruthenico* ritu abiecto, veram religionem & vnionem atque dogma Catholicæ & Romanæ Eccleſiæ cum omni gente ſua ſectaturum, adeptus coronam, qua fuit ob eam fidem & deuotionem mandato Apoſtolico inſignitus, & Rex appellatus, ad vomitum rediens, in *Ruthenicum* ritum, a Catholica fide apoſtatans, rediit. Extant in Eccleſia *Cracouienſi*, *Alexandri* quarti, quibus illum de hac apoſtaſia arguit, originales literæ. Quarum tenor talis eſt.

Monitorium Pontificis ad Danielem Ruſſiæ Regem.

Alexander Epiſcopus Seruus ſeruorum Dei. Danieli Regi Ruſſiæ timorem Diuini nominis, & amorem &c. Inter alia quæ nobis ex iniuncto Apoſtolatus incumbunt officio, animarum nos præcipuè conuenit inuigilare ſaluti, vt eas Regum Regi, qui nos illarum (licet immeritos) voluit præeſſe regimini, lucrifacere, ſua nobis cooperante gratia, valeamus. Verùm quia Deo non eſt acceptum obſequium, quod ſine fide præſtatur, nec peruenit ædificatio operum ad ſalutem, quod ſupra fidei firmitatem non conſurgit, ad propagandam & corroborandam eam in mentibus omnium, & ſpecialiter Regum & Principum, intentione tota, omniq; ſollicitudine, ac verbi & operis efficacia laborare debemus, vt Chriſtiana Religione plenius diffuſa per orbem, Patris æterni Filius, multiplicatis ſeruitoribus, plenius honoretur. Sanè tu olim cupiens de infidelitatis tenebris, quæ poſtquam etiam renatus fuiſti fonte Baptiſmatis, oculos tuæ mentis inuoluerant, ad lumen Catholicæ fidei, ſine qua nemo ſaluatur, & ad obedientiam Eccleſiæ Romanæ, nonniſi Diuina inſpiratione redire, iuramento præſtito, promiſiſti, Eccleſiæ prædictæ tanquam fidelis eius filius obedire, ac fidem Catholicam, prout alii Orthodoxi mundi Principes, ſeruare. Propter quod Eccleſia eadem, volens te in ſui deuotione congruis firmare fauoribus, & condignis gratiis confouere, perſonam tuam ad Regalis dignitatis apicem ſublimauit, faciendo te inungi ſacri chriſmatis oleo, tuoque imponi capiti Regni diadema. Sed tu, ſicut ad audientiam noſtram non ſine cordis turbatione peruenit, tam ſpiritualium quàm temporalium beneficiorum ipſius Eccleſiæ immemor, tantæq; gratiæ prorſus ingratus, præſtiti iuramenti religione contempta, id quod circa obedientiam eiuſdem Eccleſiæ, ac prædictæ obſeruationem fidei, promiſiſſe dinoſceris, obſeruare poſtmodum non curaſti, in animæ tuæ periculum, ipſius iniuriam fidei, Eccleſiæ prædictæ contemptum, & opprobrium Ieſu Chriſti. Super quo tantò vehementiùs contriſtamur, quantò feruentius, ſuper omnia cordis noſtri deſiderabilia, cupimus, vt cultus eiuſdem fidei longius latiusq; diffuſus, continuum auctore Domino ſuſcipiat incrementum. Volentes igitur Apoſtolicis apud te ſuper hoc inſiſtere monitis, & ad veritatem, quæ Chriſtus eſt, paternis te perſuaſionibus reuocare, ac ſperantes, quòd te grauiter contra Deum ac eius Eccleſiam deliquiſſe conſiderans, condignè pœniteas, & errorem tuum corrigere ſtudeas per te ipſum, magnitudinem tuam monendam duximus attentius & hortandam, quatenus ad tuam memoriam reuocans, quanto ſtudio quantaque ſollicitudine circa exaltationem tuam Sedes Apoſtolica laborauerit, conſiderans etiam quod non Eccleſiam ſed te ipſum decipis, tuum in hac parte promiſſum damnabiliter non ſeruando, perditionis viam qua gradieris non differas abiurare, & id quod de ipſius obſeruatione fidei, & prædictæ Eccleſiæ obedientia, iuramento præſtito promiſiſti inuiolabiliter obſeruare procures, ita quod nos tuorum laudabilium operum odore percepto, multa exinde perfuſi lætitia, dulcia ipſius Eccleſiæ vbera, quæ dudum copioſè, in multorum beneficiorum perceptione ſuxiſti, tibi, tuis exigentibus meritis, affectuoſius porrigamus. Alioquin Venerabilibus Fratribus noſtris Olomucenſi & Wratislauienſi Epiſcopis, literis præſentibus iniungimus, vt te ad id per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remota, compellant, inuocato nihilominus contra te auxilio brachii ſecularis, non obſtantibus aliquibus literis Apoſtolicis, cuiuſcumq; tenoris exiſtant, per quas effectus præſentium impediri vel differri valeat, & conſtitutione de duabus dietis edita, & Concilio generali. Datum Laterani. Idibus Februarii. Pontificatus noſtri anno tertio.

Poloni Ruſſiam vaſtant.

Sub eodem tempore & anno, *Poloni* in magna multitudine glomerati, vaſtant terras *Ruſſiæ*, & *Ruthenorum* Principes atque exercitus, cum illis decertare audentes, confligunt.

Cruciferi a Pruthenis cæduntur.

Fratres Cruciferi a *Pruthenis* barbaris hoſtiliter inuaſi, grandi cæde confliguntur, & Dux exercitus fratrum *Henricus*, dictus *Stange*, Commendator in *Kirczburg*, occiditur.

Cano-

1266. 1267.

B. Heduigis Duciſſa Poloniæ canoniſatur.

Canoniſatione Beatæ *Heduigis* Duciſſæ *Poloniæ*, & relictæ *Henrici cum Barba* Ducis *Wratislauienſis*, & propter immutationem A vacationemque Sedis *Romanæ*, & emergentium rerum occupationem, in annos aliquot dilata, dum nuncii ad id miſſi inter ſpem & metum poſiti, ob varias difficultates interpoſitas identidem, quâdam diſtinerentur triſtitia & deſperatione, apparuit vni eorum, *Salomoni* videlicet Archidiacono *Cracouienſi* per quietem Beata *Heduigis*, & blandè conſolatum, de expeditione canoniſationis ſuæ, hilarem ac certum eſſe iuſſit, & diem, quo prouentura erat prædixit. Qua viſione cæteris recitata, cum impenſius negotium ſollicitare cœpiſſent, & non tam teſtimonio hominum abſentium, per Commiſſarios Apoſtolicos receptorum, verùm etiam multorum in Curia Pontificum B vſi, frequentiùs Papam *Clementem* & cœtum Cardinalium de ipſius canoniſatione fatigarent, conſentientibusque Cardinalibus ferè omnibus, ſolus Papa *Clemens* cum maiori maturitate grauitateque negotium acturus, rem in dies extrahendo differret, Sanctitatem Beatæ *Heduigis* nouo aliquo ſigno experturus. Suſceperat autem ex legitima coniuge, dum fortis adhuc laicalis eſſet, filiam, quæ debilitate oculorum contracta, lumine perdito, per annos plures cœca erat. Inter miſſarum itaque ſolennia, & ſuas ad Deum fuſas obſecrationes, *Clemens* Papa orare non deſiit, vt ſi Beata *Heduigis* tam percelſi meriti, quemadmodum narrabatur, eſſet, filiam eius cœcam, ſanam & C videntem efficeret. Euidentiſſimo certificatus ſigno, filiam ſuam non multis poſt lapſis diebus, accepto nuncio, puritatem videndi percepiſſe, fœminam Beatam *Heduigim Poloniæ* Duciſſam, miro deuotionis & flagrantiſſimi in Deum amoris viduam, in Eccleſia Fratrum Prædicatorum, *Viterbii* decimo octauo Calend. Decembris, Sanctorum adſcribens catalogo, canoniſat, die, quam Sancta prædixerat *Salomoni* Archidiacono *Cracouienſi* per viſum. Cuius canoniſatione ſecuta, Pronepos Beatæ *Heduigis Wladislaus Wratislauienſis* Dux & *Salczburgenſis* Archiepiſcopus, Capellam in monaſterio *Trzebnicenſi* in parte auſtrali penes chorum ſumptuoſo opere ex muro D ædificat & exornat.

1267.

Cardinalis Guido Legatus in Polonia,

Guido Ciſtercienſis Ordinis, Sanctæ Eccleſiæ *Romanæ* tituli Sancti *Laurentii* in *Lucina* Presbyter Cardinalis, & Sedis Apoſtolicæ de latere Legatus, à *Clemente* quarto in *Poloniam* miſſus, primùm *Cracouiam* quinto Idus Iulii veniens, à *Boleslao Pudico Cracouienſi* & *Sandomirienſi* Duce, item *Paulo* Epiſcopo *Cracouienſi*, & proceſſionibus omnium Eccleſiarum, honore legationis exceptus eſt. Ex *Cracouia* verò *Wladislauiam* diuertit, vbi Synodum generalem Prouincialem in feſto Purificationis Sanctæ *Mariæ* tenuit. Ad quam cum *Ianuſſius* Archiepiſcopus *Gneſnenſis*, Paulus *Cracouienſis*, *Thomas Wratislauienſis*, *Volmirus Wladislauienſis*, *Nicolaus Poſnanienſis*, *Thomas Plocenſis*, *Vilhelmus Lubucenſis*, *Henricus Culmenſis*, & alii *Polonicæ* Eccleſiæ Epiſcopi & Eccleſiaſtici conueniſſent, *Guido* Cardinalis & Legatus Apoſtolicus, terræ Sanctæ oppreſſionem longo ſermone exponens, & ſuccurri illi celerrimè dignum deducens, ſubuentionem à Clero *Poloniæ* dari ſibi, & laicalem populum ad contribuendum de facultatibus ſuis, & anni Iubilei gratiam percepturum, pro huiuſmodi opere ſancto animari expetiit. Crucem inſuper contra *Saracenos* terram Sanctam occupantes, in omnibus Eccleſiis prædicari mandauit, & ſingula tam expetita quàm mandata obtinuit. Conſtitutæque fuerunt per maiores Eccleſias archæ, in quas pecunia per eos qui Iubileum mereri volebant, inferebatur. Omnes Pontifices *Polonicæ* Eccleſiæ benignè appellans, & multipliciter honorans, in *Paulum* tamen *Cracouienſem* Epiſcopum fauore & gratia vtebatur propenſiori.

contra Saracenos cruciatam publicat.

Leo Rußiæ Dux Voyſchalcum Lithuaniæ Ducem circumuencum obtruncat.

Nona die Decembris, *Leo Rußiæ* Dux, filius *Danielis* olim *Ruthenorum* Regis, cum in Principatum *Rußiæ* patre abeunte ſucceſſiſſet, & tam opibus à Patre relictis, quàm gentibus ſuis potens eſſet, cum *Voyſchalco Mendolphi* alias *Mendog* filio Duce *Lithuaniæ*, pro terris *Rußiæ*, quas idem *Voyſchalcus* ſui iuris facere nitebatur, in ſimultates & odia perueniens, præfatum *Voyſchalcum* in quodam rure ſe continentem, circumuentum obtruncat.

Cziechanow caſtrum *Maſouiæ* per *Pruthenos* barbaros capitur & comburitur.

Thomæ Wratislauienſi Ep.

Tertio Calendas Iunii, *Thomas Wratislauienſis* Epiſcopus, in ætate grandæua conſiſtens, exactis in Pontificatu annis quinque & triginta, ſub quibus bona Epiſcopatus ſui notabiliter auxit & ampliauit, moritur, & in Eccleſia *Wratislauienſi* ſepelitur. Cuius ea erat apud Canonicos & Prælatos *Wratislauienſes* reminiſcentia & charitas, vt nepotem ſuum ex ſorore *Thomam*, qui & ipſe de nobili proſapia militum *Poloniæ* erat, eligerent, rati illum auunculo, quemadmodum loco ita & merito ſucceſſurum. Impedita tamen fuit eiuſdem *Thomæ* ſecundi confirmatio circa annis tribus. *Wladislaus* enim *Wratislauienſis* Dux filius *Henrici* à *Tartaris* occiſi Archiepiſcopus *Salczburgenſis*, per multas interceſſiones, a *Clemente* quarto obtinuerat, vacantem tunc *Wratislauienſem* Eccleſiam, cum vſu & perceptione omnium eius fructuum, ad tempora vitæ ſuæ conferri in commendam.

ſuccedit Wladislaus Archiep. Salczburgenſis.

Frater *Guido*, tituli Sancti *Laurentii* in *Lucina* Presbyter Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Summi Pontificis *Clementis* Papæ quarti in *Poloniam* Legatus, anno eiuſdem *Clementis* Pontificatus ſecundo, committit Abbati & Cuſtodi Sanctæ *Mariæ* monaſterii *Wratislauienſis*, ordinis Sancti *Auguſtini* Canonicorum Regularium, longam litem & quæſtionem periculoſam,

1267. *Lis inter Wladiſlauienſem Epiſc. & Caſimirum Cuiauiæ Ducem ſedatur.*

loſam, inter *Volmirum* Epiſcopum & ſuam Eccleſiam *Wladiſlauienſem* ab vna, & *Caſimirum Lancitienſem* & *Cuiauienſem* Ducem partibus A ab altera, occaſione caſtri *Ráciąſz*, quod idem Dux *Caſimirus* occupauerat. Prædictus autem Abbas & Cuſtos Sanctæ *Mariæ Wratislauienſis*, quarta decima Aprilis die tribunali apud *Wladiſlauiam antiquam* poſito, partibus auditis, cauſam per compoſitionem, adiudicando caſtrum *Ráciąſz* cum ſuo diſtrictu *Volmiro* Epiſcopo & ſuæ Eccleſiæ *Wladiſlauienſi*, dirimunt. Duce quoque *Caſimiro* abſoluto, interdictum tollunt & relaxant, quod propter occupationem dicti caſtri ſeruabatur.

Oſſa B. Heduigis ex tumulo leuata in veneratione habentur.

Quindecima Septembris die, ad leuandum oſſa Beatæ *Heduigis* Duciſſæ *Poloniæ*, ſuperiori anno canoniſatæ, ex tumulo, indicta, ad- B ueniente, confluente numeroſa vtriusque ſexûs, ad *Trzebnicenſe* monaſterium, in quo corpus eius ſacrum conditum erat, fidelium multitudine, *Nicolaus* Abbas de *Lubens*, & *Mauritius* Abbas de *Kamięn*, cum Prælatis & Canonicis *Wratislauienſibus*, oſſa ſacra Beatæ *Heduigis* de ſuo ſarcophago efferunt, & iota vino, nonnulla & inſigniora in thecam ſpecialem, in eodem *Trzebnicenſi* monaſterio præparatam, reponunt, alia in *Wratislauienſem* Eccleſiam, cæteraque in *Polonicas* Eccleſias diſtribuunt. Teſta capitis ſacri leuata, cerebrum nulla putredine tabefactum, ſed omni ex parte ſanum & integrum, quod in hanc diem in *Trzebnicenſi* habetur monaſterio, eundem C tenorem integritatis obſeruans. Item tres digiti dextræ manûs à corruptione ſalui, paruulam ex ebore Virginis Benedictæ *Mariæ* geſtantes imaginem, reperti ſunt. Eam ſiquidem imagunculam viuens Beata fœmina *Heduigis* in veneratione habens, & cultu ſingulari proſequens, vbique eam ſecum circumferre inſueuerat. Lapſam deinde fortuitò & amiſſam, magno ob id gemens, cum vario ſcrutinio requiſita reperiri nequiret, anxiata dolore, dum ſus repertam dolabro oris eam geſtans, fœminæ Beatæ in æde ſacra oranti relatam porrexiſſet, tantâ demum illam cura, tanta ſedulitatis tractabat obſeruantia, vt vigilans, dormiens, cibans, & quicquid operis agens, tri- D bus digitis, ne quo caſu iterum excidiſſet, eam compreſſerat. In morte denique articulis, a quibus in vita geſtabatur, adeò infixa adhæſit, vt nequaquam ex his, repetito ſæpius & irrito labore, diuelli poſſet, Genitrici Dei, cui omnia viuunt, membris etiam exanimatis, geſtus officio in ſepulchro, quo corpus cum imagoncula claudi neceſſe erat, ſeruitura. Eleuationi autem oſſium Sacrorum, vnus tantummodò nepos ſuus germanus ex filio, *Conradus Glogouienſis* Dux, cum tribus filiis *Conrado*, *Henrico*, & *Przemislao*, cum præter hunc duo alii, videlicet *Wladislaus Salczburgenſis* Archiepiſcopus, & *Boleslaus ſæuus Legnicenſis* Dux, ſuperſtites forent, interfuit. Quos nedum ex vicina, ſed ex remotiſſima ora, iuſtum erat, & pro auiæ honore, & conſequendo merito, tanto celebritatis ſpectaculo interfuiſſe.

Antiochia à Saracenis capitur, vbi fœde Christiani tractantur.

Antiochia ciuitas inſignis, vna ex Apoſtolicis Sedibus, cum per *Zoldanum Babyloniæ* longâ obſidione premeretur, tabefactis fame defenſoribus, capitur. Cum ante aliquot annos *Hieruſalem*, iam non ferentibus Regibus & Principibus Catholicis, laboranti intus populo Chriſtiano, ſubſidia, capta fuiſſet. Et ſic ſenſim conſumitur terra Sancta à *Saracenis*, in ciuitatibus & caſtris Chriſtianis poſſeſſis. De populo autem Chriſtiano præfatæ *Antiochiæ* ciuitatis tunc captæ, horrendum & nunquam auditum factum eſt per Saracenos exterminium & ludibrium, nullo crudelitatis genere omiſſo.

1268. *Salomea Halicienſis Regina moritur, & inter ſanctos computatur.*

Decima Nouembris die, *Salomea* Virgo Illuſtris *Gallatiæ* ſeu *Halicienſis* Regina, ſoror germana *Boleslai Pudici Cracouienſis* Ducis (quæ ſponſo ſuo *Colomanno Gallatiæ* ſeu *Halicienſi* Rege, cum quo omni carnis illecebra profligata, in virginitate & ſumma continentia conuixerat, obeunte, religionem & ordinem Sanctæ *Claræ* profeſſa, in *Zawichoſtenſe* monaſterium ſe contulerat, & *Zawichoſtenſi* monaſterio ad lapidem Sanctæ *Mariæ* aliàs *Skałám* propè *Cracouiam* translato, in obſeruantia regulari & rigore vitæ, Virginum Domino, annis duobus & triginta, nunquam à carne cilicium amouens, ſeruierat, Abbatiſſæ officium gerens in *Zawichoſtenſi* & in *Lapide Sanctæ Mariæ* monaſteriis) moritur. Quæ licet diebus ſeptem iacuiſſet inſepulta, pro fœtore qui cadaueribus ineſſe conſueuit, ſuauis odor ſanctimoniales, corpus ſuum frequentantes, afflabat. Quarto demum Idus Nouembris in eodem monaſterio de *Lapide* ſepultum: anno ſequenti, quarto Calend. Iulii *Cracouiam* transuectum, in Eccleſia Sancti *Franciſci* Fratrum minorum in chori medio, honore congruo humatum. Sed nec tum quidem, quamuis exæſtuante Sole, ex cadauere poterat, a quoquam illud comitantium, fœtor ſentiri. Sed & quædam ex Sanctimonialibus cœnobii præfati *Martha* nomine, virgo religioſa & grandæua, pro conſtanti aſtruebat veritate, etiam tunc ex corpore ſuo, & ſuauitatem fragrantiamque odoris, & ſtillicidium olei manaſſe, quo multi ægrorum peruncti, integram ſe ſanitatem recepiſſe teſtati ſunt. Animam eius benedictam, cœlos in magno fulgore petentem, in viſione vidit frater *Boguslaus* ordinis Minorum, vir deuotus & religioſus, & Angelicum cœtum canentium ſuauitate inenarrabili carmen: *Fronduit, floruit Aaron virgula.* Quæ in carne poſita, frequentibus ſuſpiriis, lachrimis & obſecrationibus, cœleſtem ſplendorem cognatumque deſiderabat, illic degendi normam, piorumque conuentum ſitiens.

Caſi-

1268. *Caſimirus Cuiauiæ Dux moritur.*

Caſimirus Conradi, Cuiauienſis, Łancitienſis, & *Siradienſis Dux*, morbo magis quam ſenio vexatus, humanis eximitur, & in *Wladislauienſi* Eccleſia ſepelitur; duos filios, videlicet *Leſzkonem nigrum*, & *Ziemomislum* aliàs *Semouitum*, ex *Conſtantia* Ducis *Wratislauienſis Henrici* ſecundi a *Tartaris* occiſi filia, ſuſceptos, relinquens. Et *Leſzko* quidem *niger*, a patre dum viueret, Ducatu *Siradienſi* emancipatus, *Ziemomislum* fratrem reſiduos Ducatus duos, videlicet *Łancitienſem* & *Cuiauienſem*, (quamuis ſors ſua inferior eſſet) paſſus eſt poſſidere. Deſponſauerat autem, vitam agens *Caſimirus* Dux præfatus *Cuiauienſis*, *Semouito* filio ſuo natuminori vxorem, virginem *Salomeam*, filiam *Swantopelci Pomeraniæ* Ducis, ex qua ſucceſſione temporis tres filios, videlicet *Leſzkonem*, *Przemislaum*, & *Caſimirum* Duces *Cuiauiæ* & *Łancitiæ*, & duas filias, *Feminenam* quæ Regi *Hungariæ Stephano* nupſerat, & *Conſtantiam Trzebnicenſis* monaſterii Abbatiſſam, ſuſcepit. Mortem *Caſimiri* Ducis *Cuiauienſis*, etiam caſtri *Bidgoſcza*, quod ad flumen *Brda*, in ſorte *Semouiti* & *Cuiauienſi* Ducatu ſitum eſt, defectio ſecuta eſt. Tenutarius enim illius *Theodoricus* genere *Ruthenus*, & qui idololatria relicta, fidem rectam profeſſus erat, nulla neceſſitate actus, tantummodò ſperans ſe largitionem grandem conſecuturum, caſtrum præfatum *Bidgoſcza* fidei ſuæ creditum, *Boleslao Pio Caliſſienſi* Duci tradidit. Serò tamen ſe perfidiam admiſiſſe dinoſcens, in deſperationem verſus, de conſciſcenda morte ratione inita, accito familiari, *vt ſe interficeret* imperauit. Qui iuſſa temeraria exequens, ſponte ceruicem tendentem, mucrone, alieno ſe inquinans ſcelere, præcidit.

Caſtri Bidgoſcza proditor ſuo juſſu occiditur.

Erexit præfatus *Boleslaus Pius Caliſſienſis* Dux tria alia caſtra ſub eo tempore, vnum quidem in villagio Comitis *Scedrici*, quod appellauit *Dupin*, aliud in villa *Gniewomiri* filii *Trzebislai*, quod vocauit *Nieſtuch*, tertium in terra *Rudenſi* ſiue *Wielunenſi* ſuper *Przoſnam*, cui ex nomine ſuo *Boleſlawiecz* cognomen dedit: quod ſolum prioribus duobus diſſolutis, videmus a *Caſimiro* ſecundo *Poloniæ* Rege cocto latere firmatum, tantummodo ſupereſſe.

Clemens IV. Papa moritur.

Vltima Decembris die, vir vitæ ſanctiſſimæ *Clemens* Papa quartus, inſignis Iuriſta & Prædicator egregius, diu carnibus abſtinens, aſperrimo lecto, veſtibus vero lineis, & carne nunquam in Papatu vtens, *Viterbii* moritur, cum annis propè tribus ſediſſet, & in Eccleſia fratrum Prædicatorum *Viterbii* honorificè ſepelitur. Poſt cuius mortem ſciſſis in varia vota Cardinalibus, ſtetit Eccleſia *Romana*, non ſine ſuo & totius populi Chriſtiani grandi diſpendio, annis circiter tribus Paſtore viduata.

Swantopelkus Pomeraniæ Dux moritur.

Quatuordecima menſis Iulii die, *Swantopelkus Pomeraniæ* Dux moritur, & in monaſterio apud *Oliuam* ſepelitur, quatuor filios, videlicet *Meſthuinum* alias *Mſczugium*, *Warczislaum*, *Samborium*, & *Ratiborium*, relinquens. Quibus in extremis agens, dedit mandata, quatenus a guerra Cruciferis mouenda, quantum poſſent, ſe continerent. In Principes vero *Poloniæ*, omnem charitatem gererent, & in ſuis neceſſitatibus eorum auxilia expeterent. Hi Ducatum *Pomeraniæ* inter ſe quadrifariè partiti ſunt: circa *Mſczugium* tamen natu maiorem, conſenſu Baronum *Pomeraniæ*, omnis ſuperioritas & iuſſio relicta.

1268.

1269. *Zemomisl Cuiauiæ Duce Cruciferos magni æſtimante*

Zemomisl aliàs *Semouitus* filius *Caſimiri*, *Cuiauienſis* & *Łancitienſis* Dux, Principatum ex morte Patris adeptus, mores & politiem *Theutonicorum* fratrum, videlicet Cruciferorum, vehementer æmulatus (apud illos enim iuuentam tranſegerat) omnia quæ ſibi agenda erant, cum illis communicabat, eorum ſententiæ & arbitratui ſingula permittens. Barones autem & milites *Cuiauienſes* & *Łancicienſes*, cum ſe contemptum & ſpretum iri a Duce ſuo *Zemomislao* acriter ingemiſcerent, & nunc blandis nunc aſperis verbis vſi, contemptum ſuum reſcindi frequentius caſſo labore interpellarent, *Zemomislao* Duce nequicquam a communione Cruciferorum auerſo, militari murmure primùm, deinde ſeditione gliſcente, mox etiam ſæuior defectio coorta eſt. Ad vnum omnes, ne ludibrio forent, *Zemomislao* Duce ſuo deſerto, & omni obedientia atque ſubiectione eidem ſubtracta, a ſuo ſe Principatu & dominio abdicant; & quo diuturnior ſolidiorque eſſet eorum defectio, ad *Boleslaum Pium Caliſſienſem* Ducem faſces deferunt, & illius, reddita defectionis cauſa, profitentur ditionem, non ſe hoſtem infeſtum, pro Principe & Domino, qui illos multiplici opprobrio vexauerat, de cætero habituros.

Poloni deficiunt,

Serius quàm ſibi expediebat *Zemomislaus* Dux ſuæ tranſgreſſionis temeritate in milites diſcuſſa, *Boleslaum Pium Caliſſienſem* Ducem, magnis fatigatum obſecrationibus, donato inſuper illi caſtro notabili ſortis & Ducatûs ſui *Cruſzuicienſis*, peruincit, quod & deditionem militum *Cuiauienſium* & *Łancitienſium* abnuit, & eos *Zemomislao* Duci, eo tamen pacto, vt Cruciferorum conſiliis abiectis, eorum velut fidiora & probatiora ſectaretur, reconciliauit.

quos tamen ei Boleslaus Pius conciliat.

Lithuani Cuiauiam prædantur.

Audientes *Lithuani* inter *Zemomislaum Cuiauienſem* Ducem, & milites ſuos ſeminarium diſcordiarum irrepſiſſe, *Iaczwingis* cæteriſque barbaris accerſitis, terram *Cuiauiæ* quarto Nonas Septembris inuadunt, & pluribus ſpoliis commiſſis, rapta præda hominum & quadrupedum, illam, nemine obſtante, in *Lithuaniam* deducunt.

Diuturna concertatio, quæ inter *Plocenſem* & *Chelmenſem* Epiſcopatus, & eorum Pontifices ſuper finibus diœceſum agebatur, per medium *Volmiri Wladislauienſis* Epiſcopi, & fratris *Meinkonis* de *Guer Dinuorth* Magiſtri *Pruſſiæ* generalis, octauo Idus Decembris intercepta & extincta eſt. *Thomas* ſiquidem *Plocenſis* Epiſcopus, ex ſententia prædictorum arbi-

1269. arbitrorum, parte diœceſis ſuæ, poſſeſſionibuſque & decimis, quam & quas obtinebat in terra *Chelmenſi*, cedens, a *Vernero Culmenſi* A Epiſcopo pro compenſatione & viciſſitudine villam *Orzechow*, cum menſuris Epiſcopalibus & Iure patronatus, item triginta manſos in terra *Lubauiæ* ſuæ diœceſis *Płocenſis* contigua, nondum tunc cultos recepit, ex quibus proceſſu temporis villæ locatæ ſunt, *Płocenſis* Eccleſiæ ditioni ſeruientes.

Otho Marchio Brandeburgenſis caſtrum Salienez ædificat,

Santhocenſem Caſtellaniam *Otho Othonis* Marchio *Brandeburgenſis* in proprietatem & ditionem ſuam redacturus, caſtrum *Sulencz*, inter oppidum Regni *Poloniæ Miedzirzecz* & *Lubuſz* properè de lignis, adaptata perpri*us* lignorum materia, ne ſtructura ipſa a *Polonis* diſſolueretur, extruxit. *Boleslaus* autem *Pius Caliſſienſis* Dux, etſi conſumatam iam ſtructuram caſtri præfati *Sulencz* grauiter ferret, intelligens ex ea ſibi terriſque ſuis guerram neceſſario eventuram portendi, abolitionem illius in aliud tempus differens, oppidum ſuum *Międzirzecz* foſſis & vallis, ligneiſque propugnaculis, quæ *Blanki* apud *Polonos* vocantur, per circuitum communire cœpit. Apparari aduerſùm ſe a *Boleslao Pio Caliſienſi* Duce *Otho* Marchio bellum, & illius gratia *Międzyrzecz* muniri ratus, cum hoſtili exercitu in *Międzyrzecz* irruens, & opus munitionis ſemiplenum offendens, ſpoliato oppido, & ſuis in prædam dato, tam illud quàm cœptum munitionis opus, caſtro *Międzyrzecz* necquicquam expugnato, quamuis ad illius C conquiſitionem ampliſſimè niteretur, incendit. Diſcedentem a *Miedzyrzecz*, mox *Boleslaus Pius Caliſienſis* Dux, cum potentiis gentium ſuarum perſecutus, dum conſequi nequiret, terram omnem *Lubucenſem* ſeu *Lubuſanam* præfati Marchionis, igne & ſpoliis in gyrum vaſtauit. Qua pervaſtata, ad caſtrum nouiter a Marchione erectum *Sulienez* copias deduxit. Milites autem *Polonorum* ex ſcutis teſtudine facta, quamuis ſupernè crebris ſaxis obruerentur, vſque ad parietes caſtri irrumpunt, & glebatione ſecuribus perfracta, lignorum congerie pinola & igne admotis, caſtrum ſuccendunt, & conquirunt. In quo fere omnibus *Saxonibus* quos *Otho* Marchio pro præſi-D dio illic reliquerat, igne conſumptis, *Sabel* Capitaneus cum paucis viuus in manus *Polonorum*, inhibentibus *Polonorum* militibus ignem, cui paullò ante nutrimenta addebant, venit. Præda omnis armorum, equorum, & victualium, in caſtro reperta, militibus partita eſt.

poſtea ciuitatem Międzyrzecz capit.

Boleslaus vero Pius caſtrum Sulienez capit.

Duæ acies in aere concurrentes viſæ.

Prodigium eo anno in *Poloniæ* regione frequenter viſum nunciatum eſt. Duo enim exercitus armati & equeſtres, aciebus hoſtilibus & infeſtis inter ſe in aere & nubibus concurrere, & durum certamen gerere conſpecti ſunt. Quod ne perniciem Reipublicæ *Polonorum* portenderet, & deuotis & religioſis viris mo- nentibus, Deo omnipotenti ſupplicationes & obſecrationes habitæ ſunt. 1269.

1270. In caſtri *Sulencz* a *Boleslao Pio Caliſienſi* Duce expugnati & demoliti, vltionem, *Otho Brandenburgenſis* Marchio, obſeruato tempore, quo præfatus *Boleslaus Caliſienſis* Dux, *Cracouiam*, Ducem *Boleslaum Pudicum* viſitatum abierat, caſtrum *Santhok* de lignis circa Eccleſiam Sancti *Andreæ* Februarii diebus ædificat & conſumat, validoque militum præſidio impoſito, foſſis & vallis diſpoſitis, diſcedit. *Boleslaus* autem *pius Caliſienſis* Dux ex Cracouia a *Boleslao Pudico* reuerſus, *Othonem* Marchionem & pacta temeraſſe, & hoſtem ſe iam per ædificationem & occupationem caſtri *Santhok* profeſſum eſſe comperiens, caſtrum *Drdzen*, vallatus ſtipatuſque forti militum a- B gmine, ædificat. Et cum in die Sancti *Georgii* inchoaſſet, infra dies octo, abundante artificum multitudine, opus cœptum abſoluit, locatque militibus, caſtrum *Santhok* eliſurus. Verùm militibus *Boleslai Pii* tardius & negligentius munera præſidii obſeruantibus, caſtrum *Drdzen* a *Saxonibus* nocte, vigeſima ſeptima Decembris die, intercipitur, & pulſo inde *Boleslai* præſidio, *Otho* Marchio *Brandeburgenſis*, caſtrū vtrumque nactus, occupauit.

Otho Marchio Brandeburgenſis caſtrum Santhok readificat.

Boleslaus Pius itidem caſtrum Drdzen extruit, quod Otho cepit.

Longo & aſſiduo languore *Wladislaus* Dux *Wratislauienſis* Archiepiſcopus *Salczburgenſis*, filius *Henrici* a *Tartaris* occiſi, vexatus, (nonnulli enim *Wratislauienſes* milites, inſimulati ſunt toxicum illi per eſcam, dum morte fratris *Henrici* ſecuta, Ducatum *Wratislauienſem*, in nepote relicto patrem & patruum agens, adminiſtrat, præbuiſſe,) vigeſima tertia Aprilis die, in *Salczburg* obiens diem, in Eccleſia *Salczburgenſi* ſepelitur. Quo aſſumpto, *Henricus* quartus pubertatem iam egreſſus, in ſortem patris & patrui ſuccedens, *Wratislauienſis* Ducatûs, optimè a patre locati vtroque parente orbatus (iam enim & mater ſua *Iuditha* diem obierat, & in *Trzebnicenſi* monaſterio ſepulta erat) ſuſcipit gubernacula. Et *Thomas* electus à Capitulo in Epiſcopatum *Wratislauienſem*, quem idem *Wladislaus* Archiepiſcopus *Salczburgenſis* adminiſtrabat, ſuccedit, & a *Ianuſſio* Archiepiſcopo *Gneſnenſi Siradiæ* confirmatur & benedicitur. Danti huic *Wladislao* in adoleſcentia apud *Patauinum* aliàs *Padwam* literis operam, virgo decoræ formæ a patre *Paduano*, ciue quondam diuite, tunc verò inope, quæſtûs turpis gratia, adducta eſt, cuius ille conditionem miſeratus, facinuſque peroſus, & egenti patri ſubuenit, & virgini pudore ſeruato, etiam dotem contulit. Pro quo quidem opere, a ſingulis *Paduani* ſtudii Scholaribus, celebratus eſt inſigni fama.

Archiep. Salczburgenſis moritur,

cui in Ducatu Wratislauienſi Henricus IV.

in Epiſcopatu vero Thomas ſuccedit

Multa monſtra eo anno in *Poloniæ* regionibus accidiſſe, nunciata ſunt. In terra *Cracouienſi* matrona quædam nobilis *Margaretha*, conſors Comitis *Viroboslai* de villa *Nakieł*, triginta ſex pueros uno partu, viuos

Vno partu 36. pueri eduntur.

1270.

viuos quidem, ſed eodem die mortuos, effudit *Cracouiæ*, tredecimo Calendas Februarii.

Varia prodigia.

Die Lunæ, octauo Idus Decembris, prima A noctis hora, cœlo patulè in crucis modum aperto, lux immenſa, ſpeciem lunæ præferens, apparuit, & tam vrbem quam regionem *Cracouienſem* vniuerſam, nouo fulgore illuſtrauit.

Apud *Caliſz* oppidum, infra natalis *Chriſti* octauas, natus eſt vitulus habens dentes caninos, & duo capita canina, quorum vnum maius in loco ſuo, aliud minus ad caudam ſitum erat, & ſeptem pedes vitulinos, pelle etiam vitulina contectus, cuius cadauer nec canes nec alites volebant contingere.

In *Sleſia Odram* & *Niſſam* fluuius tribus diebus rubra & ſanguineâ aqua fluxiſſe. B

In eadem regione apud villam *Michałow* æſtiuo tempore, cœlum ſanguine pro aqua pluiſſe.

Hæc prodigia non in admirationem ſolùm, ſed & religionem verſa, ne in perniciem *Polonici* populi verterentur, aſſiduè à Sacerdotibus, religioſiſque & deuotis viris ac fœminis, ſuppliciter obſecrantibus, propitiatio diuina exorabatur.

Nec prodigiis tantummodò, ſed & tempeſtatibus & diluuiis annus hic apud *Polonos* fuit inſignis. A vigeſima ſiquidem & ſecunda die Iunii, vſque propè dimidium Auguſti, continuos nocte & interdiu cœlo fundente C imbres, adeò inflati aquis fluuii ripas exceſſerant, vt non ſolùm ſegetes, agros, prata, & campos, ſed etiam villarum faſtigia operirent. *Viſla* inſuper fluuius in tantum exceſſerat, vt vniuerſum ſpatium inter montem *Laſſotinum*, & Eccleſiam Sancti *Stanislai* de *Rupella*, poſitum, occuparet, rabidoque ſuo curſu, & homines & domos plures, pecora, pecudes, iumenta & quæque reptilia, ac molendina abſorbendo, vomeret, & agris ſyluiſque induceret exterminium & orbitatem, non agros ſolùm, ſed & villas culminaque earum, & villarum incolas ſorbens, & demerſos tunc D agros, ad longa tempora ſteriles & inutiles efficiens. Scelere humano diluuium huiuſmodi *Polonis* contigiſſe creditum eſt, vt qui tunc multis & nouis peruerſitatibus clementiam Dei offenderent, noua & inſolitâ punitione a iuſto Deo mulctarentur.

Pomeraniæ Dux terras Pruſſiæ

Facilè paternarum iuſſionum *Mſczugius Pomeraniæ* Dux oblitus, fretus *Pruthenorum* infidelium auxiliis, bellum mouens Cruciferis, terram *Culmenſem* vniuerſam, & partem *Pruſſiæ*, Epiſcopatum videlicet *Pomeſanienſem*, ex oppoſito oppidi *Nowe*, ſpoliis, cædibus, & ignibus vaſtauit, & plures Chriſtianos deleuit, quindecim inſuper naues oneratas victualibus, Cruciferis abſtulit. Quo campum & exercitum diſſoluente, *Ludouicus Pruſſiæ* Magiſter, exercitum de fratribus ordinis ſui, & aliis auxiliaribus colligit, in die Beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum, *Pomeraniam* circa oppidum *Nowe* ingreſſus, eam igne & ſpoliis afflixit, pluresque ſuos captiuos ſoluit. Nec eâ vaſtatione contentus, aliam expeditionem in *Pomeraniam* in die Sancti *Bartholomæi* egit, & circa oppidum *Thczow*, ſingula ſpoliis & flammis compleuit. Quod malum *Mſczugius Pomeraniæ* Dux mitigaturus, per communes arbitros cum Magiſtro *Ludouico*, & ordine, agere cœpit de pace. Quæ tandem damnis hinc inde compenſatis ſtabilita eſt, & à parte vtraque parum inuiolabiliter cuſtodita.

1270.

deinde Cruciferi Pomeraniam vaſtant, tandem inter ſe pacem componunt.

Quinto Nonas Maii, alias die Veneris, Inuentionis Sanctæ *Crucis*, *Bela Hungariæ* Rex, Socer *Boleslai Pudici Cracouienſis* Ducis, genitor felicis *Kunegundis* conſortis *Boleslai Pudici*, moritur, cum annos triginta nouem regnaſſet, & *Strigonii* in fratrum monaſterio Minorum, quod ipſe Regali ſumptuoſoque opere inchoauerat, corpus eius ſepelitur. Quod licet *Philippus* Archiepiſcopus *Strigonienſis*, de monaſterio huiuſmodi per potentiam abſtuliſſet, & in Eccleſiam ſuam *Strigonienſem* tranſtuliſſet, reddere tamen illud, querelam coram Apoſtolica Sede fratribus minoribus facientibus, mandato Summi Pontificis *Gregorii* tertii conſtrictus, ad primæuum locum coactus eſt. Cui filius eius maior natu *Stephanus*, frater *Kunegundis Cracouienſis* Duciſſæ, conſortis *Boleslai Pudici*, in Regno *Hungariæ* ſucceſſit.

Bela Hungariæ Regi ſuccedit Stephanus.

Decimo Calendas Octobris habita eſt Synodus Prouincialis in oppido *Siradienſi* de mandato & vocatione *Ianuſſii* Archiepiſcopi *Gneſnenſis*, qui in illa perſonaliter præſidebat. Ad quam *Paulus Cracouienſis*, *Thomas Wratislauienſis*, *Nicolaus Poſnanienſis*, *Thomas Płocenſis*, *Vilhelmus Lubucenſis*, Epiſcopi, conuenerant.

Ludouico Pruſſiæ Magiſtro ſuccedit Theodoricus.

Obeunte *Pruſſiæ* Magiſtro *Ludouico* de *Baltenſzteyn*, octauus Magiſter *Theodoricus* concorditer electus ſuccedit; & *Meſtbuinus Pomeraniæ* Dux *Ludouici* morte audita, cum notabili ſuarum gentium exercitu, terram *Culmenſem* ingreſſus, eam ferociter, ſpecialiter tamen bona Epiſcopatûs *Pomeſanienſis* ferro, ſpoliis, & incendiis deuaſtat. Quo cum captiuis & præda diſcedente, *Theodoricus Pruſſiæ* Magiſter, illum cum gente ſua inſecutus, magnam *Pomeraniæ* partem, *Meſtbuino* viciſſitudinem referens, populatur igne & armis.

Meſtbuinus terram Culmenſem, Theodoricus Pomeraniam vaſtat.

Thomæ Płocenſi Ep. ſuccedit Goslaus II.

Thomas qui & *Thomka* Epiſcopus *Płocenſis*, cum annis octo in Eccleſia *Płocenſi* ſediſſet, à paralyſi vexatus moritur, & in Eccleſia *Płocenſi* ſepelitur. Cui per electionem Canonicam *Goslaus* ſecundus Canonicus *Płocenſis*, nobilitatem de domo & familia *Griphonum* ducens, ſuccedit. A *Ianuſſio Gneſnenſi* Archi-

1270.

Archiepiſcopo, fretus *Semouiti* & *Conradi* Ducum *Maſouiæ* fauore & conſenſu, confirmatur, & in Epiſcopum *Ptocenſem* benedicitur.

Stephanus Hungariæ Rex Cracouiam venit,

Stephanus Hungariæ Rex, limina Beatiſſimi *Stanislai Cracouienſis* Epiſcopi adoraturus, affinemque ſuum *Boleslaum Pudicum*, & Duciſſam eius *Kingam*, ſororem ſuam germanam viſurus, in celebri comitatu, *Cracouiam*, ſeptimo Calendas Septembris, aduenit, & proceſſionum honore ab Eccleſiis, à Duce vero *Boleslao Pudico*, ſingulis neceſſariis, ex quo Regnum *Poloniæ* & terras ſuas intrauit, tractatus & prouiſus, digna congratulatione obuiam illi cum conſorte ſua *Kinga* ad ſeptimum lapidem eunte, exceptus eſt. Aduentum autem noui & grati hoſpitis *Stephani* Regis *Boleslaus Pudicus* Dux, ampliori gratulatione honoraturus, curiam indixit, & haſtarum ludos, & multifarios varii generis aſſiduè fecit, quibus expletis, victoribus propoſita dedit præmia. Multiſque diebus *Stephanum* Regem, & omnes milites ſuos, ſplendidis conuiuiis & menſis, & omnium neceſſariorum abundantia, munificè & liberaliter ſingula adminiſtrans, feſtinauit. Innouatum eſt extunc inter *Hungariæ* & *Poloniæ* Regna vetus fœdus, vtriuſque Regni Conſiliariis id optimum & ſalutare pro quiete Regnorum cenſentibus, & in verba ſacra ſuper lignum Crucis Dominicæ, a *Stephano Hungariæ* Rege, a *Boleslaoq; Pudico Cracouienſi* & *Sandomirienſi* Duce, Prælatis quoque & Baronibus *Hungariæ* & *Poloniæ* iuratum. Impendentes & euenturas neceſſitates, communibus propulſarent viribus, eoſdem amicos, eoſdemque hoſtes, manente vno & eodem tenore quietis & amicitiæ, inter eos & Regna habituri. Donatum deinde *Stephanum* Regem *Hungariæ*, & ſuos Primores, muneribus magnificis, *Boleslaus Pudicus Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Dux, vſque, in *Pannonias* reuertentem, in *Sandecz*, cum *Kinga* Duciſſa conſorte ſua, eſt proſecutus.

vbi à Boleslao Pudico optime habitus,

fœdus inter Hungariam & Poloniam renouant.

1271.

Caſtrum Santhok Boleslaus pius recuperaturus

Duplicis pacti præuaricatione *Boleslaus Pius Caliſſienſis* Dux a Marchionibus *Brandeburgenſi* offenſus, quòd videlicet & caſtrum ſuum *Santhok* occupauerant, & aliud *Drdzen* muniuerant, expeditionem contra illos indicit. Et ex omnibus terris *maioris Poloniæ*, tam ſuis quàm nepotis ſui Ducis *Przemislai*, ſed & ex terris *Cuiauiæ*, in eius ditionem concedente *Zemomislao* Duce *Cuiauiæ*, copiis equeſtribus in vnum adunatis, diſtincto in acies & turmas propter numeroſitatem exercitu, in Caſtellaniam *Santhocenſem*, villis & oppidis, per Marchiones iure *Theutonico* optimè locatam deſcendit, & populationem, incendia, vaſtationemque tam ædium, quàm agrorum & villarum latius iuſſit extendi, hoſtes ad pugnam fumorum ſaltem irritatione eliciturus. Verùm cùm aduerteret illos, tradentibus idipſum exploratoribus, decertandi voluntate omiſsâ, in caſtra & munitiones ſe recepiſſe, mœnia tantummodò tueri contentos, ad oppidum *Soldin*, quod magis permunitum erat, copias aduxit, & ſcalis appoſitis illud capit, & inter milites ſpoliis partitis, incendit. Omni tandem *Santhocenſi* prouincia peruaſtata, demolita, & euerſa, prædarum frequentes greges, & ſpoliorum ſuppellectilem cum captiuis vehens, in ſua rediit, caſtroque *Cruszuicienſi* nepoti ſuo *Zemomislao* Duci *Cuiauienſi* reſtituto, illud, ne a quopiam hoſtium intercipi contingeret, igne adhibito iuſſit deleri.

omnem oram illius populatur,

1271.

ſed caſtro Santhok irrecuperato rediit.

Gliſcente primùm inter *Mſczugium* ab vna & *Varczislaum* partibus ab altera, de Principatu diuidendo diſcordia, *Pomeraniæ* Duces, fratres germanos *Swantopelci* filios, mox etiam odium hoſtile alterius in alterum coortum eſt, maiore natu *Mſczugio*, & ſuperbè & arroganter ſe erga *Varczislaum* fratrem natu minorem gerente, & Principatûs *Pomeraniæ* differente ex æquo partitionem, quam milites *Pomerani*, quibus *Varczislaus* fuerat in odio, fieri diſſuadebant, Principatum *Varczislai* quàm maximè peroſi. Ob quam rem veritus in ſe *Mſczugius* aut ſeditionem aut guerram a *Varczislao* excitari, *Varczislaum* nihil hoſtile ſuſpicantem, à militibus ſuggeſtus & inductus, capit, & in vincula conijcit. Qui apud *Redzk* aliquanto tempore tenebatur captiuus & vinculatus, quique, fauentibus illi militibus, *Mſczugii Pomeraniæ* Ducis carceres euadens, confluentibus ad illum plurimis *Pomeranis*, nouarum rerum ſpe ſollicitis, fratri *Mſczugio* bellum infert. Sed certamine cum *Mſczugio* inito, dum *Mſczugius* probatos & exercitatos milites, aciem inſuper magis inſtructam & frequentem haberet, *Varczislaus* tyrones, & hos quidem raros, paruo negotio à *Mſczugio* fuſus, in ſyluas refugit, moxque de alio exercitu inſtaurando animum intendit. Verùm omnibus *Pomeranis* ſtragem mutuam execrantibus, & in militiam ægrè euntibus, *Mſczugius* placitare cum fratre *Varczislao* compulſus, indicta ob id die, *Pomeraniæ* Ducatum ex æquo cum fratre *Varczislao* in præſentia militum partitus, reconciliatione mutua habita, ciuile abrogat bellum. Non quieuit tamen *Varczislai* animus, in *Mſczugium* magnoperè exulceratus, ſed captiuitatis ſuæ dedecus, magno furore magnaque indignatione proſecutus, militibus etiam ſuis ſuaptè ignito animo ampliores flammas adiicientibus, bellum in *Mſczugium* tam proprio quàm externo milite id geſturus, anxius & ſollicitus apparat, non quieturus primum, donec vel *Mſczugium* captum ea quæ ipſe pertulerat, vincitum pati cogat, aut ex *Pomerania* effugiat. Quod vt maturiùs expleat, *Conradum* Marchionem *Brandeburgenſem*, filiam *Przemislai Poſnanienſis* olim Ducis matrimonio habentem, ad ferendum ſibi contra fratrem *Mſczugium* ſuffragia, enixiùs non tam precibus, quàm præmiorum ſollicitabat oblatione. *Conradus* autem *Brandeburgenſis* Marchio, vir & ambitioſus

Ducibus Pomeraniæ Mſczugio & Varczislao de diuiſione diſcordibus,

fratrem Mſczugius capit,

cui reconciliatus, partem dat Ducatus.

Qui vlturus iniuriam, à Conrado Marchione Brandeburgenſi ſuppetias petens,

1271.

tioſus & induſtrius, Caſtellania *Santhocenſi* in vim dotis ſibi data iam ineſcatus, ad alias quoque terras *Polonorum* occupandas ſpem & animum porrigit, & laturum ſe *Varczislao* contra *Mſczugium* auxilia non abnuit, dummodò vel oblata præmia, vel certitudinem ſuper ipſis acceperit. *Varczislaus* autem Dux, pecuniæ & ipſe ac donatiui inops, conditionem tamen *Conrado* Marchioni *Brandeburgenſi* de præmio dando (tantus fuit vlciſcendi de fratre *Mſczugio* ardor) impleturus, caſtrum ciuitatemque *Gdansk*, quæ ſibi in ſortem ceſſerant, *Conrado* Marchioni *Brandeburgenſi* præfato, donec ſummam, de qua inter illum & *Conradum* prædictum conuenerat, exolueret, obligat. Caſtroque *Gdansk* fortiſſimo *Conrado* Marchioni *Brandeburgenſi* tradito, in caſtrum aliud *Viſzegrad*, bellum *Mſczugio* fratri mouendum apparaturus, ſeceſſit, & graui valetudine ac morbo correptus eſt, & poſt paucos dies deceſſit, in *Iunioremq; Wladislauiam* delatus, a militibus apud fratrum minorum monaſterium ſepelitur. Reintegratum ſibi Dux *Mſczugius* morte *Varczislai* fratris ratus Principatum, etſi tam *Viſzegrod* quàm *Toſczow*, *Gniew*, *Szwiecie*, & aliæ munitiones atque caſtra, quæ pro ſorte ſua *Varczislaus* acceperat, morte *Varczislai* ſecuta, in ſuam ditionem ſponte concederent, caſtri tamen & oppidi *Gedanenſis* poſſeſſionem repetenti, à *Saxonibus Conradi* Marchionis nomine illud occupantibus, reſponſum eſt, *caſtrum & oppidum Gdansk, ad ius & proprietatem Marchionis ſui Conradi, ex pactis cum fratre ſuo Varczislao initis, & graues impenſas ob id factas, recidiſſe, proinde abiret, & ſua in quiete poſſidere ſineret.* Quo reſponſo offenſus & irritatus, quid agendum expediret conſultabat. Et nonnullis quidem videbatur caſtrum *Gdansk* obſidione & impugnatione continuâ à *Saxonibus* euincendum eſſe: ſed locus, & natura & arte ſatis munitus, longam obſidionem & difficilem expugnationem portendebat. Occurrebat & hoſtium reſpectus, ne *Conradus* Marchio fortiori fretus potentia, obſidentes obterreret. Implorandum igitur omnes *Boleslaum pium* Caliſſienſem Ducem, ex matertera *Mſczugii* genitum, Principem ea tempeſtate tam animo quàm militia pollentem, vt fratri ſuo *Mſczugio* opem ferat, & portionem tam inſignem *Pomeraniæ* Ducatûs, in quem ipſe *Mſczugio* mortuo, & ſucceſſorem non relicturo, ſucceſſurus erat, abrumpi dolis & vafricie *Saxonum* non permittat. Ea ſententiâ ab omnibus comprobatâ, ad *Boleslaum Pium* Caliſſienſem Ducem itum eſt, & auxilia ſua in recuperationem caſtri *Gdansk* expetita. Quæ etſi, deliberatione cum ſuis habita, *Boleslaus Pius*, veteribus obliteratis offenſis, conditionem *Mſczugii*, fraude *Saxonum* violati, miſeratus, ſe edixit præſtiturum: hyeme tamen appetente, anni ſequentis tempus, ad obeundam rem huiuſcemodi

caſtrum & ciuitatem Gdansk illi tradit,

tandem moritur.

1271.

conſignat: facilius aut induratura glacie aqua, aut Solis feruore calidata, quàm caduca & fragili, vicesque varias mutante aura, expugnationem caſtri præfati perfecturus.

Conſors *Leſtkonis Nigri Siradienſis* Ducis, Duciſſa *Griphina*, filia *Roſcislai Ruſſiæ* Ducis, quamuis propè ſex annis in viri ſui *Leſtkonis Nigri* contubernio degeret, virginem tamen ſe geſſit in eam diem, nec à viro ſuo cognitam, impotentiam & fragilitatem illi obiiciens, Baronum & militarium, matronarumque concione aduocata, agente etiam *Leſtkone* Duce coram, & accuſationem ſilentio profitente, deduxit: peplo, quo caput obuoluere vt nupta ſolebat, in monaſterio fratrum minorum in *Cracouia*, ſub multorum præſentia, detracto, virginem ſe deinceps, intecto capite deambulans, gerere, *Leſtkoniſque* Ducis conſortia euitare cœpit, coniugii huiuſmodi diuortium quæſitura.

Leſtkoni nigro in corona Baronum impotentia obiicitur à coniuge, quæ poſtea in monaſterium abit.

Bela Hungariæ Rege fatis abſumpto, & in locum eius filio *Stephano* per inſignitionem diadematis ſurrogato, bellum inter *Hungaros* & *Bohemos*, pactis & affinitate compoſitum, mox redintegratum eſt. Idibus ſiquidem Aprilis *Bohemiæ* Rex *Przemiſlaus* alias *Othokarus*, caſtrum *Preſzburg* ad fluenta *Danubii* ſitum hoſtiliter inuadens, illud conquirit. Capit & *Tarnauiam* & *Nitram*, & eis ſpoliatis in cæteras munitiones & regiones igne & ſpoliis ſæuit. Habita quidem ſunt inter ſuos & *Hungarorum* milites particularia certamina, variam ſortem partibus adferentia, in congreſſum tamen vniuerſæ dimicationis venire vterque Regum diſtulit, ponteque in flumine *Raab* abrupto, *Przemiſlaus Bohemiæ* Rex prædis & ſpoliis onuſtus, in *Auſtriam* quæ tunc in ſua ditione conſiſtebat, multis militibus amiſſis, rediit. Quæ eo ex *Hungaria* diſcedente, multis & variis tam ſpoliis quàm incendiis, per *Hungarorum* milites vexata atque laceſſita eſt.

Bellum inter Hungaros & Bohemos repetitur,

in quo ſuperior fit Bohemiæ Rex.

Prima Septembris die, Cardinales Eccleſiæ *Romanæ*, qui, ſatore zizaniæ ſerente inter illos diſcordiam, de eligendo Summo Pontifice, pluſquam biennio, identidem conclaue ingredientes (quamuis a *Philippo Francorum*, & *Carolo Siciliæ* Regibus perſonaliter aditi, de expedienda electione ſollicitarentur) conuenire non poterant. De *Simbaldo* Archidiacono *Leodienſi* abſente agentes conclaue, conueniunt, qui natione *Lombardus* de ciuitate *Placentina* & domo *Vicecomitum* erat, etiam de Archidiaconatu ſuo *Leodienſi* ab Epiſcopo *Leodienſi* (quem poſtea iuſtius ſede ſua priuauit) expulſus, in Sanctam terram ex deuotione transfretauit. Et electione ſibi præſentata, *Viterbium*, vbi adhuc degebat, Collegium Cardinalium venit, Papatuque accepto, *Romam* petiit, ibique coronatur & conſecratur. Vir miræ in ſæcularibus experientiæ, quamuis modicæ literaturæ. Non pecuniarum lucris, ſed eleemoſynarum in

Electio Papæ in biennium producitur,

tandem Gregorius X. eligitur.

pau-

1271. pauperes largitioni operam dans. In conſecratione autem *Gregorius* decimus nominatur.

Conradus Glogouienſis Dux ducta alia coniuge,

Orbatus vxore prima *Salomea*, filia *Wladislai Othonis maioris Poloniæ* Ducis, *Conradus Glogouienſis* Dux, aliam ſuperducit *Brigittam*, filiam *Theodorici* Marchionis *Miſnenſis*, relictam quondam *Conradi* nepotis ſui, ex filio *Conrado Romanorum* Imperatoris *Friderici*, a *Carolo Siciliæ* Rege victi, & in *Neapoli* capite cæſi, magnam & in pecunia & in ſupellectili ſecum dotem ferentem. Cui ratione nuptiarum pro dotalitio & dote accepta, *Conradus Glogouienſis* Dux, *Croſnam, Greiſenſtein*, & caſtra & oppida, obligauit & inſcripſit. Rememoratus autem captiuitatis ſuæ *Boleslaus ſeuus* Dux *Legnicenſis*, quam à germano ſuo *Conrado* pertulerat, oppidum eius *Glogow* intercepit, vbi ſe pariter & *Conradum* Ducem intercepturum rebatur, parum quoque abfuit vt *Conradus* caperetur. Quieſcebat enim in eo oppido ſuo ſecurus, ſed de aduentu hoſtili *Boleslai* fratris ſui paullulùm ante præſcius, cum paucis exiliens, euaſit.

eidem tria caſtra dotis nomine legat.

Volmirus Wladislauienſis Epiſcopus, cum annis tribus & viginti ſediſſet, moritur, & in Eccleſia *Wladislauienſi* ſepelitur. Cui *Albertus* Decanus *Wladislauienſis*, concorditer electus, nobilis de domo & familia *Perſtina* ſiue *Wieniawa*, ſuccedit, per *Gregorium* decimum prouiſus.

Paulus Epiſc. Cracouienſis, vir malus

Ad illicitos & ſtatui culminique Pontificali aduerſos abuſus, *Paulus Cracouienſis* Epiſcopus, Epiſcopali grauitate peſſundata, conuerſus, laſciuiam primùm & voluptates ſectatus, ſanctimoniali quadam ex lapide Sanctæ *Mariæ* violenter abſtracta pro concubina abutebatur, violentus tandem & intolerabilis ſubditis & vicinis, Principi verò ſuo *Boleslao Pudico*, *Cracouienſi* & *Sandomirienſi* Duci, & iudiciis, contumax & rebellis. Aſſiduus in ſyluis, venationibus operam dando, rarus in officio & Eccleſia, Diuinam & humanam contra ſe prouocabat vltionem. Neque ſolùm cum aduerſariis Ducis *Poloniæ* Baronibus, ſed & cum *Lithuanis* & barbaris, connubiis & affinitate ſibi allicefactis, quo aduerſus Ducem & leges tutus & impunis conſiſteret, ſentire cœpit. Conſiſtentem autem illum in villa & Curia Epiſcopali *Kunow*, & tam ſalutaria monita Ducis *Boleslai* & Prælatorum Canonicorumque *Cracouienſium*, quàm Legum iudiciorumque ſcita contemnentem, duo militares *Otha* & *Zegotha* de domo *Bipennium*, conſentiente & mandante *Boleslao Pudico*, an iniuſſu eius, incertum eſt, aggreſſi, captiuant, & rebus ſuis inter ſe partitis, captiuum Epiſcopum in *Siradienſe* caſtrum, per ſyluas & nemora, amicorum, fratrum, conſanguineorum, & familiarium Epiſcopi, vim & aduerſitatem veriti, tranſportant. Vbi à Duce *Leſtkone nigro Siradienſi*, & eius officialibus ſuſceptus, ſub honeſta cuſtodia captiuus, menſe integro detinebatur. 1271.

capitur, & in Siradienſi caſtro detinetur.

Quod maiorem ſuſpicionem & coniecturam A in *Boleslaum Pudicum* auxit, captiuitatis Pontificalis ipſum fuiſſe auctorem, cum *Leſzko niger Siradienſis* Dux, neque ſuſceptorem, neque obſeruatorem ſe captiui, niſi voluntatem *Boleslai Pudici* habuiſſet exploratam, præſtitiſſet. Captiuitatem illius, *Ianuſſius Gneſnenſis* Archiepiſcopus, vt par erat, deteſtatus, omnem *Gneſnenſem* Prouinciam Eccleſiaſtico Interdicto ſubiicit. Ea neceſſitate & probris populorum *Boleslaus Pudicus Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Dux affectus, *Paulum* Epiſcopum à captiuitate ſoluit, & in Quadrageſima cum illo per mediatores & arbitros, videlicet Magiſtrum *Derſiczugium* Præpoſitum, & *Valterum* Canonicum *Cracouienſes*, ſub certis conB ditionibus concordauit. Quarum fuere hæ inſigniores; vt captiuatores Epiſcopi *Otham* & *Zegotham* puniat, & a ſuo conſilio & communione ſequeſtret, vt ducentas marcas argenti ſoluat, vt ſortem Ducalem in *Dzierzna* illi donet. Quæ ſingula *Boleslaus Pudicus Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Dux executus, etiam *Otham* & *Zegotham* captiuatos in vincula coniecit, ac per menſem vnum vinctos tenuit. Qui tandem amicorum & fratrum ſoluti ſuffragiis, & pudorem illis illatum, & Epiſcopi, & fratrum ipſius impendentes inſidias euaſuri, hæreditatibus, quas in *Cracouienſi* & *Sandomirienſi* Ducatibus obtinebant, venditis, ad *Wladislaum* Ducem *Opolienſem* commigraC uêre, & in *Opolienſi* regione acceperant incolatum.

Inde emiſſus per concordiam, caſtigatis captiuatoribus & magna pœna per Boleslaum Epiſcopo ſoluta.

1272.

Mſczugius Pomeraniæ Dux auxilio Boleslai Pii

Saxonicam & Marchionis *Brandeburgenſis Conradi* affinis ſui perfidiam, in occupatione caſtri & oppidi *Gdanſk* depromptam, *Boleslaus Pius Caliſſienſis* Dux repreſſurus, delectu expeditorum militum ex *maioris Poloniæ* & *Cuiauiæ* terris habito, primùm in *Pomeraniam*, vbi ſe illi Dux *Pomeraniæ Mſczugius*, cum vniuerſo *Pomeranico* exercitu coniungit, quindecima menſis Ianuarii venit, ex inde aciebus inſtructis ad *Gdanſk* applicat, & caſtrum *Gdanſk* tam aqua quam terrâ graui obſidione conſtringit. Quod cum diebus aliquot tormentis & bombardis fruſtra quaſſaſſet, proiectionem torD mentorum ſtructuris caſtrum ſua firmitate elidentibus, nona demum die ad expugnationem caſtri milites educit. Et teſtudinibus ex aſſeribus frequentibus, ne ſubeuntes ſupernè obruerentur, diſpoſitis, caſtrum milites aggreſſi, variè illud impugnant. Et hi quidem teſtudinibus caſtro applicatis, ſecuribus parietes violant, alii ignes parietibus adhibent, defenſores flammâ & fumo repulſant, alii ſcalis appoſitis mœnia conſcendunt, ſagittarii mira pertinacia tela in *Saxones* iacientibus in ſuorum tutelam. Neque *Saxonibus* minor animus inerat, tam ſe quàm caſtrum ex impendenti periculo tutandi, quin & ipſi ſaxis in grandinis modum emiſſis, feruenti aqua & pice, *Polonos* & *Pomeranos*

1272.

ranos acrius inſiſtentes, ferirent & proſternerent. Expugnatione tandem in longum diei protracta, cum in ſauciorum & deſideratorum locum *Boleslaus Pius* Dux, ſingula oculis & diligentia luſtrans, nouos & recentes milites ſuccedere iuberet, *Saxones* telis ſaxisque deficientibus pugnam & defenſionem remittunt. Propter quod *Polonorum* & *Pomeranorum* milites ſpatio dato, caſtrum in locis aliquot perforant & perſtringunt, clamoreque valido quem victores edere ſolent, ſublato, caſtrum irrumpunt, & obuios quosque *Saxones*, cum perfidiæ, tum acceptorum vulnerum memores, ſuis parentaturi deſideratis, obterunt & obtruncant. Pauci in turrim editiorem euadunt, qui vitam tantummodò pacti, armis & quæ obtinebant deditis, compedibus & captiuitati miſeræ addicti ſunt. *Poloni* & *Pomerani* caſtro fortiſſimo, præter ſpem, in cuius oppugnatione longum tempus ſe abſumpturos portendebant, breui potiti, etiam ſpoliis *Saxonum* potiuntur. Caſtro expugnato, & oppidum quod à ſolis ciuibus ſine militum præſidio tenebatur, Duci ſuo *Mſczugio*, deditionem fecit. In hunc modum perfidia *Saxonum* vlta, & caſtro *Gdansk* Duci ſuo *Mſczugio* reſtituto, *Boleslaus Pius Caliſſienſis* Dux, proſequente illum *Mſczugio* Duce, & ſe in eius fide, obſequio, & clientela, perpetuò vnà cum terra *Pomeraniæ*, manſurum repromittente, in Ducatus ſuos, exercitu licentiato, abiit. *Mſczugius* autem *Pomeraniæ* Dux, in nonnullos ciues ciuitatis *Gedanenſis*, & ſignanter in *Arnoldum* & *Iacobum*, eorumque cognatos, fratres & affines, vltionem exercens, ipſos capite damnauit, bonaque eorum ſingula redegit in fiſcum, quoniam hi & in mortem ſuam, & ſuorum Baronum conſpiraſſe, propenſiusque Marchioni *Brandeburgenſi* adhæſiſſe, & maiorem hoſtilitatem Duci *Mſczugio* ferebantur monſtraſſe. Duas autem villas quæ ad illos pertinebant, *Skrobotow* & *Vichomino* Eccleſiæ *Wladislauienſi*, & tunc ſuo Epiſcopo *Alberto*, perpetuò donauit, beneficia Diuina recogniturus.

caſtrum & oppidum Gdansk recuperat.

Stephano Hungariæ Regi ſuccedit Wladislaus.

In maiori inſula *Budenſi* in *Begmarum* loco, *Stephanus Hungariæ* Rex, germanus *Kunegundis Craconienſis* Duciſſæ, cum annis duobus tantummodò regnaſſet, moritur, & apud *Albam Regalem* ſepelitur, duos filios *Wladislaum* & *Andream* relinquens. Cui celebratis ex more exequiis, *Wladislaus* maior natu in Regnum ſucceſſit, ſeptima die poſt obitum paternum Prælatorum & Baronum *Hungariæ* fauore ad Regium culmen ſuffectus. Alter verò germanus ſuus *Andreas* cum minor annis eſſet, Ducale tantum nomen ſortitus, ſub Regis ditione fouebatur.

Boleslaus Pius

Quiete militibus ad expediendum arma, curandaque corpora, quatuor menſium conceſsà, *Boleslaus Pius Caliſſienſis* Dux, alteram rurſus omnibus paſſim terris ſuæ ditionis expeditionē in *Saxones* & *Brandeburgenſes* Marchiones, iniuriam occupationis caſtri *Santhok* proſecuturus, indicit. Ad quam, ſexto Calendas Iunii copiis equeſtribus & pedeſtribus conuenientibus ire aſpernatus, in locum ſuum *Przemislaũ* Ducem *Poſnanienſem* ſedecimum iam agentem annum ſurrogat. Curam tamen traducendi & regendi exercitûs, & omnem iubendi poteſtatem, *Przedpolkoni* Palatino *Poſnanienſi*, & *Ioanni*, qui *Ianck* appellatus, Caſtellano *Caliſſienſi*, & ingenio & manu promptis, & quorum æſtimatio apud cæteros ſupereminebat, demandat. His itaque Ducibus exercitus *Polonicus*, terras à *Saxonibus* occupatas, vltra *Drdzen* ſitas, ingreſſus, caſtrum *Strzelce*, nouiter a *Conrado* Marchione *Brandeburgenſi* fabrefactum, quod primum terras hoſtiles ingredientibꝰ occurrebat, oppugnare aggreſſus, impetu & feruore expugnandi ingenti adhibito, capit. Et ferè omnes *Saxones* ad præſidium illic relictos cædit interemitque: paucis vita tributa eſt, quibus vt parceretur, *Przemislaus Poſnanienſis* Dux furentes milites aſſiduâ interpellatione vix peruicit. In tecta deinde & in agros, igne & ſpoliis ſæuitum eſt, & omnis ora *Saxonica* citra *Odram* ſita, hoſtiliter exuſta, & populatione vexata. In *Poloniam* denique cum præda pecorum & ſpoliorum reuerſuro, & iam exercitu iuxta caſtrum *Wieliun* agente ſtatiua, nunciatur, caſtrũ *Drdzen* paruo militum præſidio teneri, à *Caſzubitis* quoque, qui in *Polonico* exercitu erant, nauigio caſtrum aggreſſis, & primam portam adortis, igne appoſito incenſum eſſe: militibus, quibus iam diſcedendi in penates facta erat per Duces licentia, ex itinere reuocatis, ad caſtrum *Drdzen* admouit exercitum. Sed *Saxones* ad præſidium illius relicti, extrema, quæ ſuis in caſtro *Strzelcze* acciderant, ſe paſſuros caſtro conquiſito veriti, vitam tantummodò & libertatem pacti, *Przemislao* Duci de caſtro *Drdzen* deditionem faciunt. Quod illicò, excedentibus de illo *Saxonibus*, & ne violarentur, ſpecialibus militibus ad terminos terrarum conductis, à Duce *Przemislao* firmo militum præſidio locatum eſt. Dux ipſe *Przemislaus Poſnanienſis* tyrocinii ſui primitiis duorum caſtrorum conquiſitione inſignitus, ad obeunda cætera bella, proſpero ſucceſſu initiatus, ouans rediit.

1272.

miſſo Przemislao Poſnanienſi Duce

cum copiis omnem oram Brandeburgenſem vaſtat, & capit caſtrum Strzelce

& caſtrum Drdzen

Prutheni à Cruciferis vincuntur.

Duobus Comitibus de *Iulich* & *Marka* in *Pruſſiam* cum gentibus die Sancti *Vincentii*, in auxilium fratrum Cruciferorum, qui iam biennio integro, graues & aſſiduas clades à barbaris *Pruthenis* pertulerant, venientibus, aciebus ordinatis in terram *Sambienſem* fit deſcenſus. Nec *Sambienſes* detrectauêre pugnam, occurrentesque Chriſtianorum exercitui, acerrimè dimicant, ad extremum tamen multis hinc inde cadentibus vincuntur barbari, & ad villam *Skluuen* diffugiunt, vbi certamine innouato, reſidui confliguntur, & Cruciferis plena ceſſit victoria.

Gneſnenſi Archiep. mortuo

Ianuſſius Gneſnenſis Archiepiſcopus, cum annos duodecim in Pontificatu exegiſſet, vigeſima ſexta die menſis Auguſti moritur, & in Eccleſia *Gneſnenſi* ſepelitur. Poſt cuius mortem licet Capitulum *Gneſnenſe* electionem celebrando,

1271. do, *Philippum Gneſnenſem* Præpoſitum concorditer & canonicè elegiſſet, electio tamen ſua, & propter Sedis Apoſtolicæ frequentes & diuturnas vacationes, & propter alias cauſas non fuit confirmata. Quapropter Eccleſia *Gneſnenſis*, annis circiter ſex, ſub quibus magna in ſuis bonis pertulit diſpendia, viduata extabat paſtore.

Sex annis ſedes vacauit.

Glogouienſi Duci altera vxor moritur.

Breuiuſculam & non diuturnam *Conradus Glogouienſis* Dux voluptatem altero matrimonio expertus, *Brigittam* ſecundam ſponſam ſuam *Theodorici* Marchionis *Miſſnenſis* filiam ſuperiori anno traductam, fato interceptam amiſit. Genitor autem illius *Theodoricus* Marchio *Miſſnenſis*, morte filiæ cognita, dotalia illius bona, per *Conradum Glogouienſem* Ducem inſcripta, videlicet *Kroſnam*, *Greiſenſteyn*, & *Przin*, miſſis Officialibus, *Conrado Glogouienſi* Duce nequicquam prohibente, occupat. B Et illorum nactus poſſeſſionem, *Conrado* Archiepiſcopo *Maydeburgenſi* dicto de *Steymberg*, ea in decem millibus florenorum obligat; & ipſum Archiepiſcopum & ſuam Eccleſiam *Maydeburgenſem*, præfatorum bonorum, eo iure quod ſibi competebat in illis, inſtituit Dominum, hæredem, & Succeſſorem.

Cuius dotalitia bona parens occupat, & Archiep. Maydeburgenſi vendit.

1273.

Przemiſlaus Rex Bohemiæ & Boleſlaus Pudicus, de Ducatu Opauiæ concordaturi conueniunt,

Veteres ſimultates, differentias, & odia *Przemiſlaus Bohemiæ* Rex ab vna, & *Boleſlaus Pudicus Cracouienſis* Dux partibus ab altera, quæ occaſione Ducatus *Opauienſis*, à *Przemiſlao Bohemiæ* Rege perperam occupati, inter illos annis ſuperioribus geſtæ ſunt, æquitatis via complanaturi, in *Opauia* conueniunt. Et Baronibus communibus agentibus, plures viæ pro pacificandis Principibus, & tollendo diſſidio tentatæ ſunt. Verùm cum nulla earum procederet, quoniam neque *Bohemiæ* Rex *Przemiſlaus* de occupato Ducatu *Opauiæ*, aſſerens *illum poſt Mieczislai Ducis Opolienſis mortem, teſtamento ſibi legatum & relictum, ad ſe legitimè deuolutum eſſe*, cedere, neque *Boleſlaus Pudicus Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Dux, tam notabilem portionem terrarum Regni *Poloniæ* abrumpi, & altero Regno appropriari, vellet aſſentire, Barones communes & Conſiliarii Regnorum, bella in eorum capita & pericula reciſura, pro poſſe euitaturi, Principes quidem inuicem reconciliant, & amicitiæ vinculum inter eos firmant. D Quæſtionem autem de Ducatu *Opauiæ* in annos viginti per ſufferentias pacis, in illud tempus duraturas, ſuſpendunt.

quam concordiam relinquunt ſuſpenſam.

Redeuntem ex *Opauienſi* dieta *Boleſlaum Pudicum Cracouienſem* & *Sandomirienſem* Ducem, ciuile bellum, & nonnullorum militum ſuorum ſeditio, dudum quidem gliſcens, ſed tum primùm erumpens, excepit.

Interim autore Paulo Epiſc. Cracouienſi milites multi rebellant

Author illius principalis *Paulus Cracouienſis* Epiſcopus inſimulabatur, quem per licentiæ campos iam tunc gradientem, & grauitate Pontificali omiſſa, venationes per ſe tractantem, cum *Lithuanis* quoque & fidei *Polonorum* hoſtibus, iungentem publicè, quò aduerſus proprium Ducem & Dominum *Boleſlaum Pudicum* ſecurior eſſet, affinitates & connubia. Eccleſiam ſuam *Cracouienſem* rariſſime officiantem, & conuentus nonnullos cum A militibus rapto aut furto viuere aſſuetis, aut iudiciis damnatis, vel ære alieno grauatis, agentem, Dux *Boleſlaus* vel capiendo vel exiliando, reſtinguere decreuerat. Erant & plerique milites *Boleſlao Pudico* ſuapte infenſi, quod quoſdam illorum pro demeritis, bonis hæreditariis, quoſdam capite, nonnullos carcere & captiuitate, mulctauerat. Rebellaturi itaque *Boleſlao* ſuo Duci, & ſeditionem aduerſus illum atque bellum excitaturi, *Wladiſlaum Opolienſem* Ducem per nuncios ſecretè primùm conueniunt, & ſuis grauaminibus illi expoſitis, & eo præſertim, quod illis inconſultis & diſſentientibus, *Boleſlaus Pudicus Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Dux, ſibi ſucceſſorem *Leſzkonem nigrum*, Ducem *Siradienſem*, Principem eis ingratum, deſtinârit, deditionem illi terrarum *Cracouienſis* & *Sandomirienſis* offerunt, precantes *vt illam non abnuat ſuſcipere, gratius ipſum quàm Leſzkonem nigrum in Ducem & Dominum propter multos reſpectus, & vicinitatem connexionemque terrarum, & commoda inde ſequentia, habituri.* Elatus hac deditione & oblatione *Wladiſlaus Opolienſis* Dux, eam parum deliberatus acceptat, ſperans ſe *Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Ducatuum Dominium, & propter *Boleſlai* Ducis orbitatem & ſenium, quo propediem moriturus deſtinabatur, facili negotio aſſecuturum. Mandat quoque *Cracouienſibus* & *Sandomirienſibus* militibus, C *vt ad ſe perſonaliter pro die certo in Opoliam veniant, deditionem ipſam iureiurando & literis firmaturi.*

1273.

Wladiſlaum Opolienſem Ducem vocantes ad Ducatum.

Ad rem itaque huiuſmodi componendam, de conſilio & ſuaſu prædicti *Pauli Cracouienſis* Epiſcopi in numero frequenti, & ferè omni ſua & ſuorum potentia (inuaſionem enim a Duce *Boleſlao Pudico*, re plurimùm vulgata verebantur) progreſſi, vſque in *Bogebim* villam monachorum peruenerant, vbi illos *Boleſlai Pudici* Ducis exercitus, ex Curienſibus & militibus nobilibusq; qui fidem Duci ſuo promiſſam temerare impium & nefas ducebant, collectus, die Veneris quarto Nonas Iunii conſequitur.

Qua re Boleſlaus cognita

Fit itaque durum certamen inter vtroſque, & tam atroci pugna certatum eſt, vt ferè nemo loco ceſſerit, propter quod multi mortales ab vtraque parte cæſi, omnes pectore aduerſo, loca quæ ceperant, mortui occupabant.

miſſo exercitu omnes profligat.

Inter deſideratos *Swantoſlaus* filius *Wladimiri*, *Rathiborius* Caſtellanus de *Lukow*, & alii plures numerati ſunt. Ceſſit tamen militibus *Boleſlai* victoria, licet non incruenta. Pauci qui euaſerant, ad *Wladiſlaum* Ducem *Opolienſem* ſe recipiunt fugâ. Sed poſt victoriam, & in viuos, & in deſideratos rebelles, per *Boleſlaum* Ducem animaduerſum eſt, & bona eorum ſingula confiſcata, & aut vſibus attributa Ducalibus, aut victoribus diſtributa. Extabant aliæ magis principales, magiſque vrgentes & verificæ ſeditionum cauſæ, calumniarum enim

virus

1273. *Item vitia Boleſlai Pudici enumerantur.*

virus *Boleſlao Pudico* Duce & diſſimulante & tolerante, per omnia Principatuum ſuorum loca, adeò diffundebatur graſſabaturque, vt plures militares numero viri ſimplices & iuſti, per calumniatorum aſtus & dolos, iudiciis damnati, & pœnis innocenter addicti, aut exuerentur ſuis patrimoniis, aut iudiciales transgreſſiones, quas culpas vocitamus, tam Duci & Iudicibus, quàm actoribus ſoluere coacti, grauiſſimis diſpendiis ſubiacerent. Querulantium inſuper, & ſe ſuper ſuis offenſis & iniuriis adeuntium, parùm iuſtus parumque finalis deciſor, munerumque & largitionum ſectator, modico accepto munere, facilè in partem vtramque, cum vnius tamen læſione & præiudicio, præceps ferebatur. His accedebat, quòd canum nimius & immoderatus amator & fotor, venationum quoque exceſſiuus & intempeſtiuus tractator, tam Eccleſiaſticis quam ſecularibus viris, crebra irrogans & ingeminans grauamina, vniuerſis ſuis ſubditis, qui pro ea tempeſtate ad tractandum & proſequendum Ducales venationes, ad nutriendũ quoq; Ducales canes, erant obnoxii, oneroſus & importabilis cenſebatur.

Lithuani terram Lublinenſem prædantur.

Oppreſſo ciuili bello, aliud æquè horrendum & deteſtabile barbaricum emerſit. *Lithuani* ſiquidem gentiles, *Pruthenorum* etiam & *Samogitarum* coacti auxiliis, hoſtili & graui exercitu in terram *Lublinenſem* prima die Iulii deſcendunt, & *Boleſlao Pudico* Duce tum propter diminutam ex ciuili bello potentiam, ſuis non ferente opem, congraſſabantur barbari paſſim in omnes, & maiorem partem terræ præfatæ *Lublinenſis*, velut in vltionem eorum, qui ad *Bogebim* ceciderant, peragrando, & incendia & ſtragem miſerabilem edunt, & multos mortales cum ſpoliis & pecore in ſeruitutem abducunt.

Quod etiam Paulo Ep. Cracouienſi attribuitur.

Inſimulatus eſt etiam & hanc cladem *Paulus Cracouienſis* Epiſcopus, inſimulatione vulgata & notoria, *Cracouienſi* Duci *Boleſlao* ſuo aduerſario, & terræ *Lublinenſi*, velut in vltionem illorum, qui ad *Bogebim* cæſi ſunt, procuraſſe, & *Lithuanos* ſuapte fidei Chriſtianæ & *Polonis* hoſtes, ad inferendum *Polonis* & Ducatibus *Boleſlai Pudici* bellum, tam literis quàm nunciis, tanquam confœderatos & affines ſuos, incendiſſe. Occiſorum quoque ad *Bogebim* domeſtico bello, & in *Lublinenſi* terra externo, ſanguis adeò illi imputatus eſt, vt circumſtantibus illum in monaſterio *SS. Trinitatis* Ordinis Prædicatorum in *Cracouia* tunc commorantem ſeptuaginta viris, vox ex aëre ad eum, bonine an mali Angeli, incertum, prolata ferebatur, eo ipſo in tempore ſonuiſſe. *Væ tibi Paule Epiſcope, ſatiùs tecum actum eſſet, ſi natus non fuiſſes.* Viſus eſt & a quodam Religioſo per quietem lupus, erectis prioribus in ſurſum pedibus, voce humanâ contra *Paulum* Epiſcopum exclamaſſe. *Væ tibi Paule Epiſcope, quoniam cepiſti & occidiſti.* Quâ voce & relatione conterritus, plurimùm contritus erat, cum fletibus & lamentis ſua ſcelera in cubiculo ſolitarius deplangeret, audiuit alteram vocem, *Ne timeas*, inquit, *Paule Epiſcope, age* A *quodlibet, in anno ſeptimo moriturus.* Cui voci reſpondit: *Optimè*, inquit, *aget mecum Diuina pietas, ſi vitam mihi usque in ſeptennium protelauerit, infra illud tempus de factis meis digna pœnitentiâ expiationem obtenturus.* Hæ voces adeò fuerunt ſonoroſæ, vt etiam ab his, qui fores cubiculi obſeruabant, patenter exceptæ ſunt. 1273.

Terra Poleſitarum & Pruthenorum a Ducibus chriſtianis populatur.

Lithuanis terræ *Lublinenſis* vaſtationi intendentibus, *Leſtko* & *Conradus Cuiauiæ* & *Maſouiæ* Duces, terras *Poleſitarum* & *Pruthenorum* forti potentiâ ingreſſi, ipſas igne, ſpoliis, & cædibus populantur. Nullam quoque à barbaris experti reſiſtentiam, magnum captiuorum & ſpoliorum numerum in propria B deducunt, & viciſſitudinem dignam in *Lithuanos*, pro terræ *Lublinenſis* vaſtatione, fœnore geminato reddunt.

Boleſlaus Pudicus cum magnis copiis Opolienſem Ducatum deprædatur.

Cladium quas pertulerat ad *Bogebim* & in *Lublinenſi* ora, *Boleſlaus Pudicus Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Dux, magnam & principalem occaſionem *Wladislaum Opolienſem* Ducem, quòd militibus *Cracouienſibus* rebellionem, & nouas res molientibus fauerat, & rebellionis eorum acceptator extiterat, fore ratus, omnem iram in illum, velut ſuorum Principatuum ambitorem vertit, contractisque ex omnibus ſuis Prouinciis copiis, ferentibus illi perſonalia auxilia, *Boleſlao Pio Caliſſienſi Maiorisque Poloniæ*, & *Leſtkone nigro Siradienſi*, C Ducibus, terram *Opolienſem* infeſto agmine in die Sanctorum *Simonis* & *Iudæ* Apoſtolorum, ingreditur, & vaſtationem latiùs quò poteſt, vicos & oppida vrendo, extendit. Ad ipſam quoque ciuitatem *Opolienſem* accedit, & omnia ſuburbana eius peruaſtat & inflammat: ab expugnatione & obſidione abſtinet, vrere tantummodò tecta & depopulari agros contentus. Non poterant multiplices fumi & flammantes ædes *Wladislaum Opolienſem* Ducem elicere ad pugnam, euidens enim periculum, cum tribus ſimul Ducibus, expeditos & probatos milites habentibus, ſi ipſe cum paucis decertare ſtatuiſſet, metuebat, in pabulatores tamen & milites, qui longius a caſtris progreſſi agebant D prædas, ſæpius irruens, & palantes paſſim per agros, milites deuincens, multis incommodis cædibusque *Boleſlai* exercitum & cæterorum Ducum, ſecum vnâ militantium affecerat, vt multos aut obtriuerat aut cœperat. Ab *Opolienſi* oppido continuato itinere, verſus *Kozle* & *Ratiboriam* itum eſt, nec ante vaſtationi finis datus, donec omnes terræ *Wladiſlai Opolienſis* Ducis dominio parentes peruaſtatæ ſunt.

Nicolao Poſnanienſi Ep. ſuccedit Ioannes I.

Nicolaus Poſnanienſis Epiſcopus, cum annis nouem Pontificatum exercuiſſet, *Poſnaniæ* moritur, & ibidem ſepelitur. Cui *Ioannes* primus dictus *Wiſzkowiecz* Canonicus *Poſnanienſis* per electionem Canonicam ſucceſſit, a *Gregorio* Papa decimo, per fauorem & interceſſionem

1273. *Boleslai Pii Caliſſienſis* Ducis, & *Przemislai Poſnanienſis* & *Maioris Poloniæ* Ducis, prouiſus, nobilis genere *Polonus*.

Przemislaus Poſnanienſis Dux Nicolai Caſzubitarum Ducis filiam ducit.

Matrimonium propter relinquendum ſucceſſorem, *Przemislaus Poſnanienſis* Dux (vnicus enim erat, a *Boleslao Pio Caliſſienſi* Duce, qui & ipſe, quoad virilem ſexum infœcundus, perſuaſus & inſtigatus) cum annum tunc ſedecimum expleuiſſet, contracturus, in *Slauorum* terras & ad oppidum *Stetin*, ad Ducem *Slauorum Barwin*, neptem ſuam, filiam videlicet filiæ, natam *Henrici* Ducis de *Wiſczimicz*, vel quemadmodum aliis placet, *Nicolai Caſzubitarum* Ducis, nomine *Lukierdem*, viſurus, deſcendit. Et cum tam mores quam forma virginis illi placuiſſet, accepit illam in coniugium. Celebratiſque in oppido *Stetin* nuptiis, illam in *Poſnaniam* ſeptima die Iulii aduehit. Quæ & Proceſſionis honore a Cathedrali *Poſnanienſi* cæteriſque Eccleſiis, & à *Boleslao Pio Caliſſienſi* Duce, nec non Baronibus & Optimatibus *Maioris Poloniæ*, obuiam illi euntibus, digna reuerentia excepta eſt.

1274. Recrudeſcebant inter *Boleslaum Pudicum Cracouienſem, Sandomirienſemque*, & *Wladislaum Opolienſem*, Duces, anno ſuperiori cœptæ diſſenſiones, & geſtum bellum, & alter in alterius perniciem copias expediebat, & arma, vicinoſque Principes, & vicinas gentes, aut neceſſitatis vinculo, aut donatiuo, contrahebat, maioribus propè odiis quàm armis bellum geſturi. Cum *Wladislaum Opolienſem* Ducem exuſti ſpoliatique Principatûs, & recentes cineres atque fauillæ, in ſua & Baronum ora recidentes; Ducem verò *Cracouienſem Boleslaum Pudicum* indignitas facti, quòd *Wladislaus Opolienſis* Dux in ſuarum terrarum occupationem aſpirauerat, & a nonnullis *Cracouienſibus* militibus iniuſtam deditionem acceperat, ad inferendum bellum ſtimularent. *Boleslaus* interim *Pius Caliſſienſis* Dux, quamuis partium *Boleslai Pudici Cracouienſis & Sandomirienſis* Ducis eſſet, diſſidentes Duces cœpit ad pacis & æquitatis viam reducere, & vtrique pacem perſuadere. Quorum, per plures tractatus & fatigas, flamma tandem reſtricta, æquis conditionibus, quod apud nonnullos vix poſſibile videbatur, redditis hinc inde captiuis, & damnis compenſatis, pacem compoſuit.

Boleslaus Pudicus & Wladislaus Opolienſis reconciliantur.

Quarto Nonas Ianuarii, *Mſczugius* Dux *Pomeraniæ* in caſtro ſuo *Szwiecie* agens, monaſterium in *Polpin* in terris *Pomeraniæ* & territorio *Tunauienſi*, ſub titulo & honore Beatæ *Mariæ* Virginis, ordinis Ciſtercienſis, olim *Nowin Dobrani* appellatum, fundat vel potius transfert. Dudum enim *Samborius* Dux *Pomeraniæ* patruus germanus dicti *Mſczugii* illud fundauerat, & bona *Pogotkow*, *Kobylow* & *Koſzmin* donauerat. Quod propter inhabilitatem loci *Mſczugius* in *Polpin* transtulit, & ampla dote ac libertatibus magnificauit.

Puer recens natus dentes habet, & loquitur.

In *Cracouienſi* territorio prodigium nunciatum, plures in admirationem ſui conuertit. Puer enim natus maſculus, ipſo natiuitatis ſuæ die & hora, dentes habere, verbaque articulatè A proferre compertus eſt, & vtrumque illi tam dentes quàm ſermo ad baptiſmum manſit. Quamprimùm verò fonte ſacro renatus exſtitit, illicò excidentibus dentibus, etiam ſermo & loquela intercidit, triennio tandem expleto, vitam quoque amiſit.

Lugduni concilium celebratur, in quo Græci cum Latinis vniuntur, Tartari vero conuertuntur.

Gregorius Papa decimus, pro vtilitate terræ Sanctæ, cuius recuperationi decreuerat perſonaliter intendere, ex vrbe & *Italia* in *Gallias* deſcendit, & in *Lugduno* Calend. Maii Concilium, quod ante biennium indixerat, celebrauit, in quo *Græcorum* & *Tartarorum* celebres interfuere nuncii. Et procurante *Pallialogo*, qui tunc *Conſtantinopoli* imperabat, *Græci* ad vnitatem fidei redire promittunt. In cuius ſi- B gnum, *Symbolum* alta voce & cum ſolennitate decantauerunt, profitendo *Spiritum Sanctum à Patre & Filio* procedere. Nuncii verò *Tartarorum*, infra Concilium baptiſati, ad propria redierunt. Numerus autem Prælatorum, qui interfuerunt huiuſmodi Concilio, fuit quingentorum Epiſcoporum, ſeptuaginta Abbatum, & aliorum Prælatorum mille. In quo Concilio multa ſalubria in ſubſidium terræ Sanctæ ſancita ſunt, & tam transfretantibus in illius recuperationem, quàm conferentibus ſuas ſubſtantias, gratia anni *Iubilei* conceſſa, & trunci in Eccleſiis Cathedralibus *Poloniæ*, ad colligendas eleemoſynas inſtituti.

Rudolphus Imp. a P. R. confirmatur.

Sub idem tempus *Rudolphus* Comes de *A*- C *nesburg*, circa partes Baſilicæ, homo inter *Almanos* humilis fortis & generis, ſed animi magni & celebris, in Regem *Romanorum* eligitur. Quam electionem *Gregorius X.* in fauorem terræ Sanctæ confirmat. Et pro eiuſdem Regis quiete in Regno & ſubſiſtentia, *Alphonſum Caſtellæ* Regem, de iure Imperii, pro quo deducendo multos ſumptus & fatigas impenderat cedere, & in ſuis manibus, renunciare, prece & perſuaſione impellit. Qui quietatus & confirmatus in Regno, Cruce illicò cum Principibus & Baronibus *Almaniæ* ſe inſigniuit.

Prutheni Culmenſi terra vaſtata, Henricum Magiſtrum Pruſſiæ vincunt.

Culmenſis terræ grauem vaſtationem, quam illi *Prutheni* barbari *Natangenſes* per cædes va- D rias, prædas, & ignes inferebant, *Henricus* Magiſter *Pruſſiæ* prohibiturus, congeſta omni ſua potentia, barbaros prædam ingentem vehentes, inſectari cœpit. Quos apud *Lubauiam* offendens, illorum agmen inuadit. Verùm barbari fuga ſimulata in vicinum nemus abeunt, ex quo fortius Cruciferorum exercitum, viciſſe ſe ratum, & ob id ſolutis ordinibus diſperſum inuadunt. Et licet durum & longum certamen inter vtroſq; commiſſum foret, *Prutheni* tamen *Henrico* Magiſtro, & *Theodorico* Marſchallo, pluribuſque aliis de exercitu Crucifero occiſis, euaſere victores, ſed & prædam quam tulerant, in ſuam regionem transuexerunt. Et licet in ſubſequenti tempore Dux *Brunſzuicienſis*, item Landtgrauius *Thuringiæ*, item

1274. item Rex *Bohemiæ*, item Marchio *Brandeburgenſis* cum filio, cum ſuis potentiis, Chriſtianis veniſſent in auxilium, nullâ tamen re memorabili, propter hyemis mollitiem & intemperiem, edita, in regiones ſuas abierunt. Marchio tamen *Brandeburgenſis* caſtrum & oppidum conſtituit, quod *Brandeburg* appellauit.

Thomas de Aquino moritur.

Clariſſimus & raræ excellentiæ vir, tam in doctrina quàm in vita *Thomas* de *Aquino* ordinis Prædicatorum, Doctor inſignis, poſt multos ſcripturarum ſacrarum, quibus Eccleſiam Dei multipliciter illuſtrauerat, labores, ad *Lugdunenſe* Concilium per *Gregorium* Papam decimum vocatus, dum ex *Neapoli*, vbi degebat, *Lugdunum* perrecturus, in *Campaniam* perueniſſet, graui languore correptus, cum ſui ordinis monaſteria de propè non extarent, ad monaſterium Ciſtercienſis ordinis, quod *Noua foſſa* appellatur, diuertit. Et ingraueſcente ægritudine, & cum ingenti deuotione, mentis quoque & corporis, qua ſemper ſplenduit, puritate, moritur, & in Presbyterio altaris maioris, monaſterii prædicti, honeſtiſſimè ſepelitur. Cuius ſanctitatem Clemens Dominus multis miraculorum illuſtrauit ſplendoribus.

1275. *Griphina conſors Leſtkoni nigro per Boleſlaum Pudicum reconciliatur.*

Separationem, qua ſe *Griphina* Duciſſa, *Leſtkonis nigri* Ducis *Siradienſis* conſors, obiectâ illi frigiditate & impotentia, quadriennio iam transacto, ſeiunxerat, *Boleſlaus Pudicus Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Dux, moleſtè ferens, ignominiam, & dedecus, propterea fratri ſuo Duci *Leſtkoni nigro* inuſtam, abſterſurus, in *Siradiam* perſonaliter deſcendit, & tam per ſe quàm per Barones *Cracouienſes*, qui illum comitabantur, tractatibus interpoſitis, *Griphinam* Duciſſam Duci *Leſtkoni nigro* ſexta menſis Auguſti conciliat, & altercationes inueteratas & iurgia inter illos, prouida ordinatione reſcindit, & coniugalem vtrinque inſtaurat & ordinat charitatem, quæ extunc ab vtroque ſyncerè & cuſtodita, & vſque in diem mortis ſeruata eſt.

Heduigis filia *Henrici* Comitis de *Anhalth*, vxor *Boleſlai Calui* ſeu *Saui*, *Legnicenſis* Ducis, moritur, & in monaſterio fratrum prædicatorum in *Legnicza*, per præfatum *Boleſlaum* Ducem *Legnicenſem* fundato ſepelitur. Quamuis autem ex illa prolem, tàm virilis quàm fœminei ſexûs ſuſcepiſſet, in alteras tamen nuptias conuolat, & *Adleydam* virginem filiam *Samborii* Ducis *Pomeraniæ*, ſibi aſſumit, læuo & infelici auſpicio, in vxorem. Hæc etſi honeſtis moribus fuerit, propter conſuetudinem tamen ſtupri, quod cum muliere adultera virum habente *Boleſlaus* habuerat, illam habuit multipliciter infenſam & exoſam. Qui viri contumelias & pellicis indignitatem non ferens, *Boleſlao* deſerto, in domum paternam, dum aliter nequiret, peditando rediit. Adeò enim præfatæ concubinæ & adulteræ *Boleſlaus* ipſe, per incantationes & carmina infaſcinatus & illaqueatus ferebatur amore, vt alioquin vir naturâ ſeuerus & ferox, libidine illius domitus, omnia ex ſuo arbitrio egerit. Ex cuius etiam concubitu filium ſpurium ſuſceptum, *Iaroſlaum* vocauit. 1275.

Boleſlaus caluus alteram ducit vxorem, qua adulterium illius peroſa ad patrem regreditur.

Gregorius X. P. R. moritur, & fulget miraculis.

Lugdunenſi Concilio in *Galliis* exacto, *Gregorius* Papa decimus ex *Lugduno* in *Viennam* venit, abinde *Lauſanum*, conſequenter in *Lombardiam* diuertit, ex *Lombardia Tuſciam*, *Aretium* perueniens, infirmatur, & ex languore continuo quarto Idus Ianuarii moritur, & in Eccleſia maiori *Aretii* ſepelitur. Cui etiam gratia cœleſtis illam virtutem præſtitit, vt per inuocationem ſui nominis, operetur in pleriſque locis miracula. Sedit autem annis quatuor, diebus decem, accipiendo tempus quo Pontificio vſus eſt, non quo fuit creatus; inter creationem ſiquidem & acceptationem tres menſes effluxerant.

Puer ſemeſtris Tartarorum aduentum Cracouia prædixit.

Prodigium eo anno nunciatum, multos pauore nimio concuſſit. Apud *Cracouienſem* ſiquidem vrbem, puer vix ſemeſtris in vocem articulatam prorumpens, *Tartaros ſuperuenturos, & Polonorum capita præciſuros* prædixit. Quæſitus ab aſtantibus *vnde id noſſet; Diuino oraculo ſe fretum iſta noſſe* reſpondit. Interrogatus deinde, *an & ipſe Tartarorum aduentum pertimeſceret? Quàm maximè ſe timere* adiecit, *cum etiam inter alios ſuam forent ceruicem præciſuri.*

1276. *Caſtra ad Maydeburgenſem Eccleſiam deuoluta*

In graue & moleſtum faſtidium caſtrorum & oppidorum *Kroſna*, *Greifenſteyn*, & *Przin*, in manus externas deuolutio, apud Ducum *Sleſiæ* pectora aſcendens, ne caſtra & oppida huiuſmodi a *Polonia* alienarentur, per ſuccedentia tempora, Regno aſſiduam ſollicitudinem, ſcrupulumque, non Ducibus ſolum, ſed & Baronibus militaribusque *Sleſiæ*, iniecit. Magnitudo quoque & grauitas ſummæ, ſed & conditio ſpiritualis & Eccleſia, cui per obligationem addicta erant, quoties recenſebantur, & anxietatem ampliorem, pauoremque pro alienatione, & deſiderium altius pro rehabitione, accendebant. Quis tamen foret liberandi caſtra & oppida obligata modus, non ſatis proſpici poterat, & *Conrado Glogouienſi*, de cuius proprietate & ſorte erant, & *Boleſlao Legnicenſi*, Ducibus, & tenues facultates habentibus, & alieno ære grauatis, *Henrico* itaque quarto, *Henrici* ſecundi à *Tartaris* occiſi, ex filio *Henrico* tertio nepoti, *Wratiſlauienſi* Duci, munus id deſtinabatur: quòd & ſorte ſui Ducatûs præſtantior, & pecunia in pubertatis tempore à Curatoribus collecta, opulentior cenſebatur. Is itaque & conſiliis Baronum ſuorum, & ſpe dilatandi finium ſui Ducatûs inſtigatus, *Conrado Maydeburgenſi* Archiepiſcopo, decem millia florenorum exoluit, & caſtra atque oppida *Kroſnam*, *Greifenſtein*, & *Przin*, de obligatione liberans, ſui iuris fecit. Quod quantum commoditatis Rebuſpubl. *Polonorum* præſtitit, tantum diſpendii præfati *Henrici* Ducis *Wratiſlauienſis* priuatis cauſauit, vtroque Duce, &

per Henricum Wratiſlauienſem ab obligatione liberantur.

1276. *Boleſlao Legnicenſi* & *Conrado Glogouienſi*, iam tunc felicitati & incrementis rerum ſuarum vehementer inuidente.

Mors militis cuiuſdam Poloni infelicißima.

Miles quidam *Polonus* ſæuus & impius, in proprios ſubditos & exteros, de vita futura nihil penſi gerens, cum aſſiduis præuaricationibus contra Deum peccaret, confiteri & pœnitere pro ludibrio ducens, etiam iras in ſe cœleſtium coaceruaſſet, in grauem incidit languorem. Sed nec tum quidem ſcelerum conſcientia actus, quicquam ſibi de impetranda propitiatione Diuina, ratus ſe ſuperuicturum, & ſuas transgreſſiones reſumpturum, proſpexit. Inualeſcente tandem morbo, Fratres Prædicatores, per conſortem illius pro ſananda ægra mente acciti, militem ad pœnitendum multifariè per ſalutaria monita inducebant. Quibus miſer homo commotus, *ſerius*, inquit, *ad pœnitendum me impellitis, ſeriùs confeſſionem iudicato iam & damnato ſuadetis, cum pœnitentiæ & gratiæ tempore effluxo, confeſſionis & pœnitendi ſpatio mihi ſubrepto, iuſto Dei iudicio in poteſtatem Spirituum tenebrarum traditus ſum.* Vrgentibus deinde maiori inſtantia ægrum fratribus, & ne qua deſperatione commiſſorum facinorum a confitendo & pœnitendo abſtraheretur, opem Diuinam, ſi confiteri & pœnitere vellet, pollicentibus, extremam edidit vocem. *Fruſtra*, inquit, *ingeritis de confitendo monita, proprio exuto & ſpoliato arbitrio, etiam in Dæmonum poteſtate conſiſtenti, a quorum cateruis ſupereminentibus torquendus & flagellandus appetor.* Auditæ illicò ſunt percuſſiones horrendæ, ictus frequentes, & atrociſſima ex ſonitu & colliſione atque reciprocatione flagellantium verbera, & in ægri corpore liuores, plagæ, & vulnera à fratribus, & aliis circumſtantibus viſibiliter, ab inuiſibilibus tortoribus illata, conſpecta. Inter quæ ille infelix & execrandus homo, nec vocem nec gemitum edens, miſerabiliter expirauit. In quo Beatiſſimi *Auguſtini* ſermo pro Diuino oraculo cuilibet peregrinanti retinendus, impletus eſt. *Hæc eſt*, inquit, *iuſtiſſima lex Dei, vt qui viuendo obliuiſcebatur Dei, moriendo obliuiſcetur ſui.*

Hiems inſueta tempore inſolito Cracouiæ.

Frigore immenſo & ſine exemplo *Cracouienſem* Prouinciam in fine Septembris premente, ſexta deinde Octobris die tanta niuium congeries deſcendit, *Alpibus Sarmaticis*, qui *Poloniam* & *Hungariam* diuidunt, & aliis quos *Tatri* appellamus de *Kezmark* ſitis, inſolitum cœli rigorem augentibus, vt omnem regionem ſpiſſitudine groſſa veſtiret, & pro autumno gelidam hyemem induceret.

Helena alias *Iobeleth* Duciſſa, conſors *Boleſlai Pii Kaliſſienſis* Ducis, partum fœmineum, dum maximè deſideraretur virilis, apud caſtrum *Caliſz* peperit. Ob quod quidem puerperium *Boleſlaus Pius Caliſſienſis* Dux, ſolennitate baptiſmati inſtituta, plures dies in hilaritate deduxit, & natam filiam *Annam* nominauit.

1276. *Romanorum* Rex *Rudolphus*, *Auſtriam*, *Stiriam*, *Carinthiam*, *Portum Naoniæ*, & *Forum*
A *Iulii*, quæ à *Przemiſlao* alias *Othokaro Bohemiæ* Rege, propter matrimonium cum *Margaretha Leupoldi Auſtriæ* Ducis filia contractum, licet temporis proceſſu diſſolutum erat, poſſidebantur, aſſerens ad Imperium pertinere, mittit nuncios qui requirerent, vt faceret huiuſmodi terrarum ceſſionem. Quo ſuperbius reſpondente, *Rudolphus Romanorum* Rex, potentiis Imperii coadunatis, armis terras negatas proponit ſe quæſiturum. Ad cuius tranſitum prohibendum, dum *Przemiſlaus Bohemiæ* Rex exercitum de ſuis, ſolus ipſe venationes domi tractaturus, verſus *Teplam* tranſmiſiſſet, *Rudolphus* Rex *Romanorum* per alteram partem *Danubii Auſtriam* ingreſſus, multas ciuitates & caſtra, aut per vim, aut per deditionem conquirit.

Rudolphus Imp. quarundam prouinciarum repetendarum gratia in Auſtriam venit,

B Qua re *Przemiſlaus Bohemiæ* Rex permotus, & ipſe perſonaliter in campum deſcendit. Et *Rudolpho* Rege circa *Lincz* ſtatiua habenti, ipſe in altera parte *Danubii* caſtra ponit. Vbi per Imperii & *Bohemiæ* Barones, pax inter Reges tractata & concluſa, affinitate etiam, quò diuturnior foret, firmata eſt, vt *Rudolphus* filio ſuo filiam Regis *Bohemiæ Agnetham*, & filius Regis *Bohemiæ* filiam Regis *Romanorum Gutham*, vxores deſponſent, *Bohemiæ* Rex terris, pro quibus bellum natum eſt, cedat. Qua quidem pace ordinata, vterque exercitus regiones ſuas repetiit.

cum Przemiſlao tandem reductus in gratiam.

Ad Sedem *Romanam* ex morte *Gregorii X.*
C vacantem, vigeſima prima Ianuarii die, frater *Petrus* de *Tarantaſio* Ordinis Prædicatorum natione *Burgundus* Cardinalis Epiſcopus *Oſtienſis*, vir magnæ religionis & doctrinæ, apud *Aretium* Conclaue celebrantibus Cardinalibus, electus, & *Innocentius* quintus appellatus eſt. Qui poſt electionem de *Aretio* cum curia recedens, venit *Romam*, vbi in Eccleſia Sancti *Petri* coronatione ſuſcepta, in *Lateranum* ſe transfert, ibique quinque tantummodò menſibus, & duobus diebus in Papatu exactis, cum multa & inſignia in animo facere deſtinaſſet, præter ſuam & aliorum ſpem, vigeſima ſecunda die Iunii moritur, & in magna gratia Collegii, præſente *Carolo Siciliæ* Rege, in *Laterano* ſepelitur. Deinde vigeſima octaua die Iunii, *Othobanus* Diaconus Cardinalis, natione *Ia*-
D *nuenſis*, & *Innocentii* quarti nepos in Palatio *Lateranenſi* in Papam aſſumitur, & *Adrianus* quintus vocatur, qui ſolùm in Papatu vno menſe & nouem diebus viuens, antequam ordinaretur in Sacerdotem, ſine coronationis & conſecrationis munere, *Viterbii* moritur, & ibidem in monaſterio Fratrum Minorum ſepelitur. In cuius locum in fine menſis Septembris *Petrus Iuliani* dictus *Hiſpanus*, Cardinalis, Epiſcopus *Tuſculanus*, natione *Portugalienſis*, de ciuitate *Vlixbona* ortus, & *Ioannes XXI.* nominatus, ſuffectus eſt. Clericus vniuerſalis, ſed in ſermone præceps, & parùm in moribus grauis,

Gregorio X. P.R. ſuccedit

Innocentius V, & huic

Adrianus V,

illi iterum Ioannes XXI.

1276. grauis, religioſis quoque minus fauorabilis, doctrina medicinæ multos antecellens.

Vigeſima pars prouentuum per Papam à clero Poloniæ exigitur.

Nondum *Innocentio* Papa quinto rebus humanis abſumpto, miſit præfatus *Innocentius* V. fratrem *Gothfridum Theutonicum*, Ordinis Prædicatorum, vnum ex Pœnitentiariis minoribus, in *Poloniam*. Qui ab Epiſcopis & vniuerſo Clero Eccleſiæ *Polonicæ*, vigeſimam partem redituum, iuxta veterem Eccleſiarum & beneficiorum taxam, pro ſubſidio Eccleſiæ *Romanæ* exegit, quam *Innocentio V.* mortuo, ſucceſſori ſuo *Adriano V.* præſentauit.

1277.

Boleſlaus Caluq incrementis Henrici probi inuidens,

Amplitudinem, tam Principatuum quàm opum, qua *Henricus* quartus *Wratiſlauienſis* Dux vocatus *Probus*, cum ex paterna & patrui ſucceſſione in vniuerſum *Wratiſlauienſem* Ducatum, tum ex coëmptione diſtrictuum *Croſnenſis, Greifenſteinenſis,* & *Przin*, ad inuidiam vſque creuerat, *Boleſlaus Caluus*, ſeu *Sæuus Legnicenſis* Dux, patruus ſuus germanus non ferens, cum nonnullis *Wratiſlauienſibus* militibus, his præſertim, qui *Henricum* tertium, patrem *Henrici* quarti, & patruum *Wladiſlaum* Archiepiſcopum *Salczburgenſem* inſimulabantur veneno ſuſtuliſſe, in captiuitatem *Henrici Probi Wratiſlauienſis* Ducis, verentibus militibus facinus in patre & patruo patratum a filio vltum iri, conſpirat. Aſſerens *Henricum Probum nepotem, ex morte Wladiſlai Archiepiſcopi Salczburgenſis, portionem Ducatus Wratiſlauienſis, æquè ad ſe & Conradum Glogouienſem Ducem alterum fratrem deuolutam, præter æquum & iuſtum vſurpaſſe.* Opportuno itaque tempore, quo deſtinata perficeret, explorato, *Henricum probum Wratiſlauienſem* Ducem, nihil minùs quàm patrueles verentem inſidias, ſecurius in villa & curia ſua *Ielczbe* quieſcentem, iuſſis ſatellitibus & latrunculis, feria quinta ante Dominicam Quadrageſimæ *Reminiſcere*, duodecimo Calendas Martii, in nocte ſoporatum à lecto abſtrahit, & captum in caſtrum ſuum *Leben* deductum, in dira vincula coniicit, ratus onere & grauamine vinculorum *Henricum* nepotem ad cedendum de certis caſtris, oppidis, & diſtrictibus impelli poſſe.

illum per inſidias captiuat.

Contra quem Wratiſlauienſes

Captiuitatem Ducis ſui *Henrici Probi*, Barones & milites *Wratiſlauienſes* vlturi, & illius liberationem procuraturi, bellum contra *Boleſlaum Caluum Legnicenſem* Ducem indicunt, & pro illo gerendo, quo maiore poſſunt vi & conatu, armantur. De propriis autem viribus diffiſi, a *Boleſlao Pudico Cracouienſi* & *Sandomirienſi, Boleſlao Pio Caliſſienſi, Przemiſlao Poſnanienſi* & *Gneſnenſi, Conrado Glogouienſi*, & *Wladiſlao Opolienſi*, Ducibus, variis ſupplicationibus interpoſitis, obtinent ſe iuuari.

auxilio Ducum Polonorum arma ſumunt,

Duces enim præfati, ſcelus *Boleſlai Sæui Legnicenſis* Ducis in nepote contra ius faſque admiſſum magna execratione deteſtati, *Wratiſlauienſium* petita, & promiſſa gentium ſuarum ſubſidia deſtinarunt. *Boleſlaus* autem *Sæuus Legnicenſis* Dux, ſentiens aduerſum ſe per *Wratiſlauienſes* magnum apparari bellum, & quinque *Poloniæ* Duces ſuis gentibus *Wratiſlauienſes* adiuturos, cœpit & ipſe enixius apparare bellum, & *Miſnenſes, Bauaros, Sueuos* donatiuo in ſui auxilium induxit. Tuliſſet & *Ioannes* Marchio *Brandeburgenſis* cum ſua gente *Boleſlao* Duci *Legnicenſi* ſuffragium, ſed *Wratiſlauienſes* Barones à ferendo ſubſidio illum auerſuri, quatuor millia marcarum dare illi paciſcuntur. Et cum parato ære pacta ſeruare non poſſent, caſtrum & oppidum *Kroſnam* in ſumma promiſſa illi obligant. *Boleſlaus* itaque *Legnicenſis* Dux, ne conducta ex *Almanis* gens copioſa fruſtra ſtipendium perciperet, primus copias ſuas, adiuuantibus illum filiis ſuis, *Henrico* videlicet, *Boleſlao*, & *Bernardo*, eduxit, & terram *Wratiſlauienſem* hoſtili vaſtatione aggreſſus, ſpoliis & incendio vexare cœpit. Contra quem *Wratiſlauienſium* copiæ, populationem ſuorum agrorum prohibituræ, egreſſæ, in campeſtribus inter *Skorolcz* & *Proczanum* concurrunt. Sabbato quoque in feſto Sancti *Georgii* infeſtis ſignis committunt. Magnis viribus ab vtriſque certabatur, tantuſque fuit vtriſque pugnandi ardor, vt penè vſque ad interemptionem partis vtriuſque, neutra parte pedem referente, conflictus duraret. Cæde quoque ingenti *Boleſlaus Legnicenſis* Dux ſuorum conſpecta, ad extremumque ſuos ſuſpicatus vincendos, cum vno tantummodò comite, ne in *Wratiſlauienſium* veniret manus, è prælio diffugit. Filius tandem ſuus maior natu *Henricus*, & Ducis & militis officium gerens, pugnam in locis pluribus vel deſtitutam vel labantem reſtituit. Animo deinde pertinaci, conſtantem ſe exhibens, *Wratiſlauienſes* & eorum auxiliares *Cracouienſes, Sandomirienſes, Caliſſienſes, Poſnanienſes, Glogouienſes*, & *Opolienſes* milites, peruicit & debellauit, atque plures de militibus auxiliaribus, turpe fugere ratis, capit.

& à filio eius ſuperantur,

Strages in eo prælio maior quàm pro numero edita eſt, vt *Legnicenſes* quamuis victores, cruenta victoria obtenta, victis inſultare nequiuerint. In eo prælio *Przemiſlaus Poſnanienſis* Dux capitur, & plures milites ſuæ ditionis.

capto Duce Poſnanienſi

Perculſi ea clade *Wratiſlauienſes*, ad *Przemiſlaum* alias *Othokarum Bohemiæ* Regem auxilia petituri diuertunt. Et quò fidior parti eorum eſſet, cum velut auunculus germanus *Boleſlaum Legnicenſem* Ducem arctiori affinitate contingeret, caſtrum & oppidum *Kloczko* morte ſua in *Henricum* quartum Ducem *Wratiſlauienſem* reuoluendum, tradunt.

Tandem donata ciuitate Kloczko Regi Bohemiæ pax fit

Cuius interpoſitione & operâ conſtituto apud *Kloczko* placitorum die, pax inter *Boleſlaum Legnicenſem*, & *Henricum Probum Wratiſlauienſem*, Duces, ſub his conditionibus, licet *Henrico* quarto *Probo* parùm æquis, (iam enim *Boleſlaus Legnicenſis* Dux ex victoria inſolentior factus fuerat) componitur. *Vt Boleſlaus Legnicenſis Dux nepotem ſuũ Henricum Pro-*

1277. *Probum Ducem à captiuitate ſoluat, Duci quoque Przemislao Poſnanienſi, & militibus apud Skorolcz captis, captiuitatem remittat. Henricus Probus patruo ſuo Boleslao Legnicenſi Duci de caſtris & ciuitatibus Strzegom, Nouo foro, Stroſſa, Greiſenberg, Przin, & Geſwindorff, perpetuò cedat.* Quibus ſtabilitis, & ab vtroque Duce acceptatis, *Henricus* quartus libertati priſtinæ reſtitutus, *Kroſnam* a Baronibus ſuis *Ioanni Brandeburgenſi* Marchioni, ne arma contra eos ferret, obligatam, volens redimere, coactus eſt præfato *Ioanni* Marchioni damna, ſumptus & expenſas iniuſtas computanti, ſex millia marcarum perſoluere, cum tantummodò in quatuor millibus extiterat obligata. Nonnullos verò ſuos milites, & ſignanter *Ianuſſium* de *Miſch, Thomam, Ioannem, Zerzucham,* & alios, qui cum *Boleslao Legnicenſi* Duce contra eum ſenſiſſe inſimulati ſunt, captiuat, & graui carcere mulctat. Ex eo autem tempore arx & oppidum *Kloczko,* in *Bohemiæ* Regis *Przemislai,* vſque ad obitùs ſui diem, conſiſtebat poteſtate, & in proprietatem Regni *Bohemiæ,* quantùm ad temporale Dominium, in ditionem verò & diœceſim *Pragenſem,* per vim & nefas vſque ad noſtra tempora conceſſit; a Regno *Poloniæ* quantum ad temporalia, a diœceſi autem *Wratislauienſi,* quantum ad ſpiritualia, *Thoma* ſecundo Epiſcopo *Wratislauienſi,* iniuriam huiuſmodi & ſuæ diœceſis mutilationem notabilem ferente magis quam reſcindente, abſtracta.

& Henricus liberatur.

Cladi ex ciuili Ducum *Poloniæ* bello accidenti, alia æquè fœda, quaſi vna ſuper alteram, in eum annum cumulante fortuna, clades acceſſit. *Lithuani* enim gentiles, in multitudine graui terram *Lancitienſem*, quæ tunc a Duce *Zemomislao*, filio *Caſimiri* Ducis olim *Cuiauienſis*, fratre germano *Leſtkonis nigri* Ducis *Siradienſis* tenebatur, ſubitò & inopinatè in feſto Sancti *Lucæ* Apoſtoli & Euangeliſtæ ingreſſi, eam graui cæde, grauique ſpolio, tecta etiam vrendo, peruaſtant: ad ſatietatem quoque, nemine opponente reſiſtentiam, in eius depopulatione graſſati, cæſis ſenibus & impuberibus, magnum vtriuſque ſexûs numerum mortalium, ad quadraginta millia animarum æſtimatum, ſimul cum pecore & ſuppellectili, in ſeruitutem miſerabilem abducunt.

Lithuani terram Lancitienſem impune vaſtant.

Apud *Cracouienſem* vrbem in Circumciſionis Domini nocte media apertum cœlum luce ingenti reſplenduit, & non ſolùm *Cracouienſem* ciuitatem, ſed & vniuerſam, delectabiliter iuxta ac in media die, *Cracouienſem* regionem illuſtrans, breuique decidens, prodigii loco habitum eſt.

Cœlum media nocte apertum.

Ioannes Papa XXI, cum menſibus octo, & diebus aliquot ſediſſet, & in *Viterbio* cum Curia conſiſteret, ingreſſus cameram, quam præter Pontificale Palatium *Viterbii* ſplendidè nimis ipſe ædificauerat, reſpiciebat ſe ipſum, ac totus ſoluebatur riſu, quaſi glorians in ſeipſo. Tunc ſubitò camera ſuper eum collapſa, ipſum oppreſſit, qui inter lapides & ligna colliſus, ſexta die poſt caſum expirat, ſua intentione fruſtratus, quoniam credebat, in ſua confidens cùm arte, tùm prudentia & doctrina (quemadmodum multoties ipſemet aſſerere ſolebat,) longo ſe tempore in Papatu victurum. Vir etſi paruæ ſapientiæ, humilis tamen, & qui cum ſingulis quantumcunque tenuibus, dummodò literati eſſent, conuerſari non dedignabatur. Sepultus autem eſt *Viterbii* apud Eccleſiam Sancti *Laurentii* & vacauit Sedes propter diſcordiam eligentium per ſex menſes, videlicet ab hebdomada Pentecoſtes, vſque ad feſtum Sanctæ *Catharinæ.* In quo feſto *Ioannes Gaiethani* tituli Sancti *Nicolai* in carcere *Tulliano* Diaconus Cardinalis natione *Romanus*, de domo *Vrſinorum*, electus eſt, & *Nicolaus* tertius appellatus. Qui ſtatim *Viterbio* egreſſus, & *Romam* veniens, in Baſilica Sancti *Petri*, in die Beati *Stephani* Protomartyris, in Presbyterum ordinatus, & ſubſequenti die Dominico coronatus eſt. In moribus vir multum compoſitus, vnde & apud multos appellabatur **** de pulchrioribus mundi Clericus vnus, de magna prudentia & matura reſponſione commendatus. Religioſorum, ſed præſertim Minorum & Prædicatorum, ſingularis fautor & amator, præcipuus Eleemoſynarius. Qui conſtitutionem *Gregorii* X, de non aſſumendis de domo *Columnarum* Cardinalibus reuocans, *Iacobum* de familia *Columnarum* creauit in Cardinalem.

Ioannes Papa dum in ſe ipſo delectatur, ab ædificio collapſo oppreſſus, Nicolaum III. habuit ſucceſſorem.

Abſumpto Magiſtro *Pruſſiæ* octauo *Theodorico* de *Gatirsleue*, *Conradus* de *Thirberg* nouus aſſumitur. Sub quo Duces *Pruthenorum*, vnus *Henricus* de *Naktaga*, alter *Clippe* dictus de *Sczenawa*, regionibus, capti, à Cruciferis in patibulum acti, vitam iugulo conſumunt. Tertius *Diuan* de *Barthena* duorum necem miſerabilem vlturus, terram *Culmenſem* cum copiis tam equeſtribus quàm pedeſtribus ſubintrans, graui exterminio ſub paucis diebus in illam graſſatus, à *Conrado* Magiſtro *Pruſſiæ* & eius exercitu inuaſus eſt. Pugna autem conſerta, licet Cruciferi pro referendo triumpho operam nauaſſent, duodecim tamen Cruciferis & quingentis Chriſtianis cæſis, cæteris cum *Conrado* Magiſtro in fugam verſis, barbaris victoria obtigit. Nec multo poſt tempore effluxo, *Prutheni* barbari caſtrum nouum, quod inter *Culmenſe* & *Pomeſanienſe* oppida, a Magiſtro *Conrado* magnis ſumptibus erectum erat, item caſtrum *Radzim*, item caſtrum *Wartemberg*, fortiſſima & conſtanti impugnatione vſi, conquirunt, & omnes Cruciferos & Chriſtianos in præfatis caſtris repertos, rabie barbarica interimunt. Caſtra verò conquiſita, neque tenere, neque tueri auſi, igne conſumunt, & in propria remeant.

Theodorico Pruſſiæ Magiſtro ſuccedit Conrado. Sub quo dum duo Duces Pruſſiæ ſuſpenderentur, tertius terram Culmenſem vaſtat, & Cruciferos vincit.

Caſtri *Santhok*, quod in eam vſque diem a *Brandeburgenſibus* Marchionibus detinebatur, iniuſtam extructionem, *Boleslaus Pius Caliſſienſis* Dux vlturus, frequentes inſuper iniurias, quibus *Saxones Poloniæ* fines laceſſebant, reſtricturus, 1278.

Boleslaus Pius Caliſſienſis D.

1278. ſturus, bellum contra *Brandeburgenſes* Marchiones indicit, & non ſolùm ex proprio *Caliſſienſi*, ſed & nepotis ſui *Przemiſlai Poſnanienſis* Ducis Principatibus, equeſtres & pedeſtres copias ad id bellum armat. Sed & *Mſczugium* fratrem ſuum *Pomeraniæ* Ducem, cum omnibus *Pomeranicis* gentibus, perſonalem ſibi facere aſſiſtentiam requirit. Omnibus tandem copiis, *maioris Poloniæ* & *Pomeranicis* conuenientibus, *Boleſlaus Pius Caliſſienſis* Dux, *Przemiſlao Poſnanienſi* Duce in Ducatibus ad omnes caſus relicto, ipſo Duce *Pomeraniæ Mſczugio* comitatus, in terras, quas *Brandeburgenſes* Marchiones citra *Odram* occupant, deſcendit, & illas igne & ſpoliis vaſtare cœpit. Cum autem vſque *Soldinum* proceſſiſſet, *Otho Longus*, filius *Othonis* tertii, cum *Saxonibus* & aliis ſuis auxiliaribus illi occurrit. Vbi prælio commiſſo, cum multò inferior viribus eſſet, facile à *Boleſlao* & ſuo exercitu victus, in caſtra & munitiones refugiens, fortunam belli amplius tentare diſtulit. *Boleſlaus* Dux & ſpoliis & victoriâ multiſque captiuis potitus, omni terra citra *Odram* fluuium peruaſtata, & ſufficienti pro ſuis iniuriis reddita vltione, in terras ſuas, ſpoliis ex æquo cum *Mſczugio* Duce & *Pomeranis* partitis, remeauit.

terras Brandeburgenſes depopulatur,

& Marchionis copias frangit.

Samborius Dux, frater *Swantopelci* & filius *Mſczugii*, perſecutionẽ graue nepotis ſui *Mſczugii* pertulit, quẽ illi Deus aduerſariũ ſuſcitauerat. Qui ab eo fugatus de terra, & a Cruciferis recollectus, in *Thorun* aliquanto tempore ſtetit. Ab inde verò ſub diſſimulato habitu, intercipi ſe enim à Cruciferis verebatur, diſcedens, ad filiam ſuã *Cuiauiæ* Duciſſam confugit, & illic defunctus, apud *Iuniwladislauiam* extat tumulatus.

Boleſlaus Caluus moritur,

Breui & modica ex caſtris, oppidis, & poſſeſſionibus, quæ *Boleſlaus Caluus Legnicenſis* Dux, a nepote ſuo *Henrico Probo Wratislauienſi* Duce, poſt victoriam de eius gente obtentam, exegerat, voluptate & vſu potitus, ex languore & ſenio apud *Legniczam* moritur, & in monaſterio fratrum Prædicatorum a ſe fundato ſepelitur. Vir violentus in proprios & exteros, fœdo pellicis amore, vſque ad mortem vincitus, adeò corrupti & velocis ſermonis, vt plerumq; audientes in riſum & cachinnum ſolueret. Tortuoſus in factis & moribus, & in iudicando non cognita iuſtitia, in cauſis, præſertim, ſanguinis, præceps, vnde non ſolum ſæuus, ſed & *Rogatka*, quod in *Polonico cornutus* ſignificat, a pleriſq; vocitatus. Tres filios ſuperſtites, quarto *Conrado* in pueritia mortuo, ex *Heduigi* filia Comitis de *Hanhalt* ſuſceptos, relinquens, videlicet *Henricum Legnicenſem*, qui *Craſſus* & *ventroſy*, quaſi abdominis pinguis, appellatus, *Boleslaum Swidnicenſem*, & *Bernardum agilem*. Tanta ſiquidem inerat illi agilitas, vt quatuordecem robora in aliquo ædificio in ſurſum locationis ordine erecta, curſu præpeti conſcenderet, & reſiliens in pedibus fixus ſtaret. Habuit ex præfata *Heduigi* de *Hanhalt* vxore ſua quatuor filias.

cuius mores & vitia explicantur.

Quarum *Agnethem* vnam ex eiſdem filiabus Comiti de *Wartemberg*, tradidit, alteram A *Hedwigim Conrado Maſouiæ* Duci filio *Semouiti* filii *Conradi* deſponſauit, tertia *Anna* in *Trzebnicenſi* monaſterio Ordinem profeſſa, & tandem Abbatiſſa, quarta *Catharina* in iuuentute mortua, apud Prædic. in *Legnica* ſepulta. 1278.

Boleſlaus Dux *Maſouiæ*, anni huius æſtate, habens ſecum in auxilio & comitiua *Wladislaum Siradienſem* Ducem, *Henrico Glogouienſi* Duci bellum infert, & circa caſtrum *Czerwin* ſecum confligit, omnemq; potentiam *Henrici* Ducis proſternit. A *Martino* Abbate *Lubenſi* & *Ieſzouienſi* de hoſtium clandeſtina irruptione auiſatus. Cuius beneficii Dux *Maſouiæ Boleſlaus* memor, præfato monaſterio ſuo *Lubenſi* & *Ieſzouienſi* de conſenſu *Semouiti* & *Troiden*, B plures libertates priuilegio ſuo contulit.

Boleſlaus Maſouiæ Dux Henrici copias vincit.

Nicolaus Papa tertius, quamuis ad prouidendum vacanti Eccleſiæ *Gneſnenſi* de Paſtore, per literas *Boleſlai Caliſſienſis*, & *Przemiſlai Poſnanienſis* Ducum *maioris Poloniæ*, de perſona *Philippi* Præpoſiti *Gneſnenſi* ſollicitaretur, ipſe tamen cum eſſet in fratres Prædicatores enixi fauoris, fratri *Martino* ordinis Prædicatorum genere *Polono*, vni ex minoribus Pœnitentiariis de illa prouidit Sed is vrbe, in Archiepiſcopum conſecratus, egreſſus, dum in *Poloniam* pergeret, in *Thuſciæ* partibus apud *Bononiam* infirmitate correptus, fato abſumptus eſt, & in *Bononienſi* conuentu fratrum Prædicatorum, propè ſacriſtiam ſepultus.

C Apud *Cracouienſem* diœceſim, lacus quidam & in longum & in latum notabili ſpatio porrectus, & infeſtatione Dæmonum, à piſcatura & vſu illius homines variis terroribus & impedimentis arcentium, infamis habebatur. Cum itaque eo anno hyems ſolito aſperior proueniſſet, piſcaturam lacus præfati tentaturi viciniores, quinque Crucibus & Sanctorum reliquiis atque vexillis aſſumptis, lacum accedunt. Et laxatis retibus in capturam, primâ quidem vice magna adnitentia & labore, ſagenam velut grauidam trahentes, tres tantummodò piſciculos percipiunt. Altera laxatione ſagena in orbem contorta contractaque, caſſo labore ſudarunt. In tertia verò, quæ & D ipſa maximam ingerebat trahentibus fatigam, captum & extractum monſtrum terribile apparuit, cuius oculi rubri, ignei, & flammigeri, ceruix in caprarum caput deſinebat. Quo viſo vniuerſi qui conuenerant, ingenti pauore attoniti ſunt, vt crucibus & vexillis relictis, pallati & tremebundi, quo quemque ſors ferret, diffugerent. Quorum nonnulli morbidis vlceribus fuere attacti. Monſtrum autem terrore hominibus ingeſto, in aquam ſubtus glaciem deſiliens, & per lacus amplitudinem, quaſi pennigero volatu diſcurrens, ſtrepitum etiam & ſonitum horribilem edebat.

Monſtrum in lacu apud Cracouiam captum.

Pactis & fœdere, quibus *Przemiſlaus* aliàs *Othokarus Bohemiæ* Rex pacem cum *Rudolpho Romanorum* Rege compoſuerat, irritatis, vexabant

Przemiſlaus Bohemiæ Rex

1278. bant enim *Przemiſlaum* cordacis ſpiritus virum, *Auſtria, Stiria, Carinthiaque*, Prouinciæ ademptæ, bellum ex integro, ſpe recuperandarum ademptarum terrarum, à nonnullis etiam Baronibus *Bohemiæ*, callido magis quàm ſano conſilio id id bellum incendentibus, renouans, cum omni Regni ſui potentia in *Auſtriam* venit, & eam rapinis & incendiis vaſtare cœpit. Admoto deinde exercitu ad caſtrum *Droſſzendorff*, illud celerrimè expugnat. Quo *Rudolphus Romanorum* Rex comperto, exercitum & ipſe ex omnibus Imperii terris congregat, & *Danubio* tranſito, *Przemiſlaum Bohemiæ* Regem, ad flumen *Morawa* ſtatiua agentem, occupat, & multitudine exercitus fretus, coronâ cingit. Erat *Przemiſlao Bohemiæ* Regi quidam Baro *Bohemus Milotha* de *Dziedzicz*, & ex inueterato odio, & rancore infeſtus, cui nihil hoſtile *Przemiſlaus* ſuſpicatus, *Morauiæ* gubernationem commiſerat. Is cum nonnullis aliis ad nouandas res aſpirantibus proditoriè ſe gerens, *Rudolphum Romanorum* Regem de ſingulis quæ apud *Bohemicum* exercitum agebantur, auiſabat, ſpondens ſe etiam in fauorem ſuum, proprium Regem *Przemiſlaum*, ſi decernendum duxerit deſerturum. *Rudolphus* interea *Romanorum* Rex, cædem Catholicorum horrens, mittit ad *Przemiſlaum* Regem nuncios, qui monerent, *vt ad bonam mentem rediens, cum fortiori, ſuorum etiam inſidiis ſeptus, ſigna conferre omitteret.* Sed *Przemiſlaus* eo nuncio inflatior, altera die illuceſcente, quæ fuit vigeſima ſeptima Auguſti, cum Rege *Rudolpho* dimicat, & multis in conflictu hinc inde cæſis, *Rudolphus* præualet, & *Przemiſlaus* à *Milotha*, & aliis eiuſdem factionis *Bohemis* deſertus, fortiſſimè vt labantem reſtitueret pugnam dimicans, occiditur, & *Pragam* reductus, in maiori Eccleſia ſepelitur. Cui in *Bohemiæ* Regno *Venceslaus* filius quinque annorum puer ſucceſſit, cuius & Regni tutelam *Brandeburgenſis* Marchio *Otho Longus*, ita enim pater viuens diſpoſuerat, geſſit, & tam paruulum *Venceslaum*, quam matrem eius Reginam *Kunegundim*, ex *Praga* in caſtrum *Bezdzie* deducit, & *Bohemis* amotis, *Saxones* in eorum obſequia ſurrogat. Ex tutoria tamen huiuſmodi, prementibus *Saxonibus Bohemos*, ad miſerabilem conditionem *Bohemia* redacta eſt. Graſſari in *Bohemiæ* Regnum poſt victoriam *Rudolphus* Rex diſponebat, ſed precantibus *Bohemis*, & pax & affinitas iuxta pacta ſuperiora reintegrata, filiam ſuam *Gritham*, occiſi Regis filio deſponſante.

Auſtriam cum exercitu ingreſſus,

per Rudolphum Imp. ſternitur, & occiditur.

Cui filius ſuccedit.

Occiſione & morte *Przemiſlai Bohemiæ* Regis ſecuta, *Henricus* quartus vocatus *Probus Wratiſlauienſis* Dux, caſtrum & oppidum ſuum *Kloczko*, quod ſui Barones *Wratiſlauienſes Przemiſlao* Regi, pro danda parti eorum contra *Boleſlaum Rogatkam Legnicenſem* Ducem aſſiſtentia & fauore, ad vitæ tempora contulerant, & inſcripſerant, repetiit. Et ne ab aliquibus poſſeſſio per *Przemiſlaum* Regem temporaliter habita ad perpetuitatem traheretur, non *Wratiſlauienſem* ſolùm ſe Ducem, ſed etiam Dominum de *Kloczko*, pro reſcindenda omnium ambiguitate futurorum, titulauit. Accepit & tunc in conſortem *Mechthildim* virginem filiam *Othonis longi Brandeburgenſis* Marchionis, qui propter gubernationem Regni *Bohemiæ* famoſus & celebris ea tempeſtate habebatur.

Henricus IV. Kloczko repetit,

& vxorem ducit.

Filius Ducis *Lithuaniæ*, vocatus *Trinothe*, copiis *Lithuanorum* & *Pruthenorum*, quæ triginta millia pugnatorum explebant, recenſitis, trifariam eaſdem diuidit. Hæ autem turmæ quibus *Culmenſis* terra obtigerat, caſtro *Bergelow* ſub Cruciferis conquiſito & incenſo, omni terra *Culmenſi* peruaſtata, multas Chriſtianorum animas in ſeruitutem abducunt. Eodem anno *Pruthenі* barbari *Sandouithæ*, cum Duce ſuo *Skomanth*, *Culmenſi* terra repetita, duo oppida illius *Lubaw* & *Chelm* obſeſſa & bombardis expugnata conquirunt, & terram *Cuiauienſem* circa oppidum *Kowalie* prædantur. Sed & *Lanciciēſis* ciuitas anno eodem à *Lithuanis* ſubita irruptione venientibus, perpeſſa eſt ſpolia & damna.

Lithuani & Pruthení terram Culmenſem prædantur,

caſtraq; aliquot conquirunt.

Magnæ charitatis in patriam, magnique animi Princeps *Boleslaus Pius Caliſſienſis* Dux, febribus correptus in languorem incidit, quem cum in dies augeri ſenſiſſet, nepotem ſuum germanum *Przemiſlaum Poſnanienſem* Ducem accerſit, eique *Caliſſienſem* Ducatum ac conſortem *Helenam*, & tres filias, videlicet *Heduigim*, *Heliſabeth* & *Annam*, ex ea ſuſceptas, commendat, omnibus tandem ſacramentis deuotè perceptis, apud caſtrum *Caliſſienſe* die Veneris ſeptimo Idus Aprilis moritur, & *Poſnaniam* relatus in maiori Eccleſia in Patrum ſuorum tumulo, *Przemiſlao* Duce nepote iuſta funeri ſoluente, ſepelitur. Poſt cuius mortem in *Caliſſienſem* Ducatum *Przemiſlaus Poſnanienſis* Dux ſucceſſit, & *Maioris Poloniæ* Principatum nactus, tam relictam *Boleſlai Pii Caliſſienſis* Ducis, quàm filias, datis ſumptibus & dote abundanti, emancipauit. Et relicta quidem *Boleſlai Pii Caliſſienſis* Ducis *Helena* alias *Iobeleth*, parum apud *Caliſz* morata, omnibus rebus & ſupellectili, quæ ad eam pertinebant, ſumptis, *Cracouiam* ad ſororem germanam *Kiogam*, deuotionis & religionis ſingularis fœminam, *Boleſlai Pudici Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Ducis conſortem, Deo de cætero famulatura, conceſſit. *Przemiſlaus* autem *maioris Poloniæ* Dux, neptium ſuarum curam gerens, *Heduigim* ſeniorem *Wladiſlao*, qui ob nimiam breuitatem corporis cubitalis, in *Polonico Loktek* appellatus, filio *Caſimiri Cuiauiæ* Duci *Brzeſtenſi*, alteram *Heliſabeth Henrico Legnicenſi* Duci, *ventroſo* appellato, filio *Boleſlai Calui* vulgo *Rogatka*, locat in conſortem, tertia *Anna* in virginitate diem obiit.

1279. *Boleslaus Pius Dux Caliſſienſis moritur.*

Cui in Ducatu ſuccedit Przemiſlaus Dux Poſnanienſis.

Exceſ-

1279. *Boleſlaus Pudicus moritur,*

Exceſſum *Boleſlai Pii Caliſſienſis* Ducis è vita, alter *Boleſlaus Pudicus Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Dux ſecutus eſt, quaſi annus A hic Ducibus *Poloniæ*, id nomen *Boleſlaus* ſortitis, fuiſſet fatalis. Qui cum libertatibus pluribus, priuilegiis, præeminentiis, & gratiis Eccleſiam *Cracouienſem* multipliciter extuliſſet, & nonnullas Eccleſias, monaſteria, & pia loca fundaſſet, corpore ſuo ab omni illecebra cuſtodito, & pudicitia tam ſibi quam coniugi ſuæ *Kingæ*, per omnes annos, ex quo ſuum connubium nactus fuerat, ſeruata, ob quod inſigne virtutis meritum, *Boleſlaus Pudicus*, quod nemini aliiPrincipum *Poloniæ* reor contigiſſe, cognomen ſortitus, cœlebs & virgo, die Solis, quarto Idus Decembris, deuotiſſimè apud *Cracouiam* cum annis ſeptem & triginta regnaſſet, moritur, & in monaſterio Sancti *Franciſci* B fratrum minorum, quod ipſe primus fundauerat, in choro Eccleſiæ ad aquilonarem partem ſepelitur. Pompam funeris ſui *Leſtko niger Siradienſis* Dux ab eo in filium & ſucceſſorem adoptatus, *Paulus Cracouienſis* Epiſcopus, *Kinga* ſua, & *Helena Boleſlai Pii* Ducis, relictæ, *Griphina* conſors *Leſtkonis nigri, Barones* & milites ſinguli, Clerus & populus magna frequentia & concurſu, nec ſecus atque in domeſtico luctu, mœrentibus publicè cunctis, honorarunt, efferentes laudibus mortuum, quantis ne viuum quidem & præſentem extulerant. Nec a propriis tantummodo, ſed a vicinis quoque populis per lugubres fletus & lamenta, ob probitatis & modeſtiæ opera, in o- C mni vita exhibita, deſideratus. Non tulit relicta ſua Duciſſa *Kinga* amplius mundanis actionibus ſe miſcere, ſed corpore mariti Ducis *Boleſlai Pudici* vix funerato, cum *Helena* germana, *Boleſlai Pii Caliſſienſis* Ducis relicta, in Eccleſia Sancti *Franciſci* ordinem Sanctæ *Claræ* profeſſa, caput velauit, oſtendens ſe ad eam perfectionis religionem dudum aſpiraſſe, & quamprimum coniugali vinculo iugoque ſolutæ licuit, illico culmen illius apprehendiſſe. Nec fluere aliquam lachrymarum permiſit, ſed ſolum ſponſum *Chriſtum* cogitans, gratiarum actiones in illum aſſiduè celebrabat, quod illam onere grandi liberaſſet. Pluribus quoque vtriusque ſexus hominibus, exceſſum *Boleſlai Pu*- D *dici* deplorantibus, ſola *Kunegundis* nullum triſtioris animi argumentum oſtendit, ita ſe conuertens ad Deum, vt videretur mortem optaſſe. Omnem corporis cultum & veſtium, adhuc calente corpore mariti, proiiciens, vilibus ſe induit, & omnibus pretioſis, gemmis, vnionibus, & clenodiis venditis, in viſcera egenorum recondidit. Succeſſit *Boleſlao Pudico*, nepos illius ex fratre patruele germano *Caſimiro* Duce *Cniauienſi Leſtko niger Siradienſis* Dux, tam *Pauli Cracouienſis* Epiſcopi, quàm omnium Baronum militariumque vniformi concordia, & quod Ducem *Boleſlaum Pudicum* ſtrictiori conſanguinitate contingeret, & quod ab eo adoptatus & deſignatus ſucceſſor fuerat, & quod Princeps frugi conſiſque Principatuque dignus habitus, electus eſt.

cuius uxor cum ſorore Boleſlai Pii uxore vitam monaſticam complectitur.

Huic Leſtko niger Siradienſis Dux in Ducatu ſuccedit.

1279

Duciſſa *Kinga Boleſlai Pudici* relicta, & a *Leſtkone nigro* Duce, & a Baronibus magnis impetebatur ſupplicationibus, vt *Cracouiæ* reſidendo, ſummam adminiſtrandæ Reipublicæ aſſumeret. Sed cum nullis precibus poſſet expugnari, geminatus dolor apud Eccleſiaſticos & milites coortus eſt, querentium *ſe pro vno tempore & optimo Principe, & optima coniuge ſua orbatos eſſe*. Quamuis ſiquidem mortem mariti moleſtè ferret, eo tamen vno ſolabatur, quòd liberius eſſet Domino cœli de cætero ſeruitura. Quapropter aſſumpta ſorore ſua *Iobeleth* Duciſſa *Caliſſienſis*, in Cœnobium Sanctimonialium *Sandecenſe* abiit, & reſiduum illic in operibus ſanctis, multa ſanctitatis oſtendendo prodigia, exegit ætatem, caſtitatis & religionis exemplo prouocans tam virorum quàm fœminarum ſtudia. Erat autem *Boleſlaus Pudicus* vir moribus clemens, ſed in deciſione cauſarum varius, & a corruptela munerum parum purus, & a Venere contactuque fœminæ prorſus alienus, vultu placidus, ſobrius, venationum pro tempore ſectator, vitæ nitidæ atque caſtæ. Propter cuius præſtantiam, vniuerſali ſententia *Pudici* cognomen ſortitus, vir bonus, ingenii ſimplicis, neque vlla ſimulatione fucati.

Subſtituturi, in locum *Martini Gneſnenſis* Archiepiſcopi, ſuperiori anno mortui, alium Præſulem Prælati & Canonici *Gneſnenſes*, electione apud *Gneſnam* celebrata, *Wloſtiborium* Decanum *Gneſnenſem*, moribus & genere nobilem, in Archiepiſcopum per ſcrutinii formam eligunt. Qui licet Principis *maioris Poloniæ Przemiſlai* aſſiſtentia, fauore, & interceſſione adiutus, enixius ſuam electionem per Sedem Apoſtolicam confirmari laboraſſet, pluribus tamen impedimentis illum obruentibus, perditum iri ſuas impenſas & conatus videns, negotii ſui proſequendi & feruorem & voluntatem omiſit. Videbat enim & ſentiebat *Leſtkonem Cracouienſem* & *Siradienſem* Ducem, qui cognominabatur *niger*, iam tunc Regni *Poloniæ* Monarcham, infeſtum ſibi aduerſarium fore, cum quo & cæteris Ducibus *Poloniæ*, qui cum *Leſtkone* ſentiebant, quamuis optimo iure fretus, cum eſſet vir modeſtus & manſuetus, ducebat indignum litem trahere.

Wloſtiborius in Archiep. Gneſnenſem eligitur.

In particulari quodam certamine & congreſſu, Cruciferi de *Pruſſia* de domo *Theutonica*, a *Lithuanis* gentilibus deuicti, cum inter alios captiuos duos quoque offendiſſent Cruciferos, vtrumque exquiſitis cruciatibus deſtinarunt necandum. Propoſitum itaque executuri, primum in editiori arbore proprio equo alligatum, viuum cum equo vna cremandum, altero coram in ſpectaculum adducto, diſtendunt. Et igne ingenti extructo, equus qui-

Miraculum de duobus Cruciferis a barbaris Lithuanis editum.

1279.

quidem illico torrente igne videbatur voratus & conſumptus, ſuper Crucifero vero aperto cœlo ſplendor cœleſtis demiſſus, ignis ardorem A in varias partes reſtringens, corpus Cruciferi reddidit inuſtum. Cœlum tandem ſplendor ille, ex quo prodierat repetiit, cum quo ſimul & corpus Cruciferi in ſimilitudine virginis pulcherrimæ, mirantibus & ſtupentibus cunctis barbaris adeo, quod nec vllum corporis illius relinqueretur veſtigium, conſcendit. Verum cum perfidia *Lithuanica*, non virtute Diuina id actum, ſed carminibus & incantationibus procuratum cenſeret, alter ſuperſtes Crucifer, in arboris rimam, per ſecures & cuneos violenter introductam, includitur, eliſisque & excuſſis cuneis, arbore in ſuam B naturam redeunte, duriſſima preſſione ab arbore tortus, pyra extructa viuus vrebatur. Hunc quoque auis quædam niueo candida colore, nunquam alias conſpecta, de flammæ medio ereptum, deferre (attonitis ſupra modum barbaris, & Chriſtianorum Deum magnum, ſuisque cultoribus benigna & propitia dona largientem, profitentibus) viſa eſt in cœlum.

Boleslaus Maſouiæ Dux, filius *Semouiti*, accepit in vxorem virginem *Zophiam* de *Lithuania* filiam Ducis *Lithuaniæ Troideni*, & nuptiarum ſolennitatem in *Plocenſi* ciuitate egit.

Kunegundis Regina Bohemiæ nupſit nobili.

Kunegundis Regina *Bohemiæ* ex caſtro *Bezdzieſz*, in quo cum filio ſuo *Venceslao* ſeruabatur, C quaſi anniuerſarium mortuo marito actura, *Pragam* venit, & ab inde ad *Nicolaum Opauiæ* Ducem filium mariti ſui naturalem diuertit. Eo quoque precante *Zawiſzium* de *Krumlaw* de genere *Vitkonidum* ſeu de *Rozemberg*, accepit in maritum, ex quo grauidata filium genuit, paterno nomine *Zawiſza* vocitatum. Quod ſingulis fere *Bohemiæ* Baronibus, & militaribus execrantibus, & pro ludibrio ducentibus, in ſingulare faſtidium & liuorem ceſſit.

Terræ motus in Italia,

Vigeſima quinta Aprilis, ex repentino & graui terræ in *Italia* motu, ſeptem oppida ſimul cum habitatoribus abſorpta ſunt, audiebanturque voces quatriduo vociferantium D identidem ex abyſſo, *Miſericordiam Deus miſericordiam.* Eodem etiam terræ motu, qui in quindecim dies tendebatur, nonnulla caſtra ſimul cum montibus in quibus ſita erant, euerſa, montes excelſi ad planitiem, non ſine ſtrage proximorum vicorum, deducti, & ſolo æquati, monaſterium ſanctimonialium *Ciſtercienſis* ordinis exanimatis quinquaginta ſororibus deleuerunt. Ipſe inſuper terræ motus duos montes, flumine inter fluenta diſtinctos, commiſit, & vndis fluuii retrorſum conuerſis, & agros & villas ſubuertens, inundatione vaſtauit. In *Alpibus* quoque *Bononienſibus* ros ſanguineus inſolitæ quantitatis decidit.

& nubes rorant ſanguine.

Pruthenos multos Elbingenſium ciues necant.

Glomerati *Pruthenì* barbari in aliquot cuneos, pro conquirendo caſtro & oppido *Elbiag*, adueniunt, ſed cum difficilis expugnatio videretur, molendinum *Elbingenſe*, in quod principaliores ciues *Elbingenſes*, defenſuri illud ſe contulerant, obſidione coarctant. Non ferentibus autem Cruciferis quod ſe ſpoponderant laturos præſidium, eo neceſſitatis ventum eſt, vt datis viginti quinque obſidibus ex pacto, reliquis ciuibus in molendino concluſis, patere debebat & vita & libertas. Sed caduca & fluxa eſt apud barbaros, dum proſpera fortuna vtuntur, fides. Obſidibus enim contra ius gentium enecatis, crudeliter etiam vniuerſos, qui in molendino conſliterant, vario carnificio extinguunt. In quorum vltionem *Pruſſiæ* Magiſter *Conradus* regiones *Pruthenorum* ferro & igne aliquot hebdomatis vaſtans, caſtrum *Elsberg* etiam conquirit.

1280.

Succeſſionem nouam noui Ducis *Leſtkonis nigri*, in *Cracouienſem, Sandomirienſem* & *Lublinenſem* Ducatus, noui motus, nouique bellorum ſtridores, ab externis & propriis illico ſunt conſecuti, dum fortunæ *Leſtkonis nigri*, & in tot Principatus pro vna vice ſucceſſioni, a domeſticis iuxta ac forenſibus inuideretur.

Leo Dux Poloniæ Regnum cum exercitu ingreſſus

Primum itaque *Leo Ruthenorum* Dux, *Danielis* olim *Ruſſiæ* Regis filius, qui inter *Ruthenorum* Duces ea tempeſtate tam militia quam terris & Dominiis potior habebatur, & multitudine gentium & opum fretus, ad occupandum *Cracouienſem, Sandomirienſem*, & *Lublinenſem* Ducatus, in animum induxit. Conductoque ex *Tartaris, Lithuanis*, & *Iaczwingis*, cæteriſque gentibus, & voluntario & mercenario milite, tribus exercitibus, & pedite & equite refertis, in graui multitudine terram *Lublinenſem* ingreſſus, eam vaſtare intempeſtiue & hyberno tempore, tanta vis animum ſtimulabat bellandi, cœpit. Qua peruaſtata, terram *Sandomirienſem, Viſta* ex hyeme glaciebus gelata præbente iter, introiit, & quæque obuia corripiens & affligens, ad *Sandomirienſe* caſtrum & oppidum peruenit. Cuius expugnatione tentata, militibus *Polonis* egregiè mœnia tuentibus, dum ſecus quam ſperauerat proueniſſet, ad prædandum & vaſtandum vicos & oppida, vrendumque tecta ſe conuertit. Quo apud villam *Goſzlicze*, duobus a *Sandomiria* miliaribus poſitam, habente ſtatiua, exercitus *Polonicus*, quem *Warſzius* Caſtellanus *Cracouienſis*, *Petrus* filius *Alberti Cracouienſis*, & *Ianusſius Sandomirienſis*, Palatini ducebant, in raro & infrequenti numero; iuſſu enim *Leſtkonis nigri* Ducis, copiæ in alium locum conuenerant, occurrit. Et in ſolo cœleſti præſidio ſpe poſita, cum hoſtiles copias multifario numero ſe excedere viderent, cum *Leone* & eius exercitu die Veneris tertia Februarii confligunt, temere magis quàm animosè dicerem, niſi pro *Polonis* & eorum facto tam audaci quàm inſigni fortuna ſtetiſſet.

a copiis Leſtkonis profligatur,

Certamine ſiquidem inito, iis qui apud *Ruthenorum* exercitum ordines ducebant cæſis, reliquos repente tanta trepidatio Diuinitus in barbaros immiſſa conterruit, vt

velut

1280. velut lymphatici, proiectis armis, fugam omnes paſſim inirent. *Tartari* parua & breui oppoſitione facta, mox & ipſi in fugam aguntur. *Poloni* per multa miliaria fugientes inſecuti, paucis captis, reliquos necabant. Octo millia cæſa, duo capta, ſigna militaria ſeptem eo prælio intercepta referuntur. Leo principalis Dux cum paucis itinerum expertis fugiens, & confuſus euaſit. *Leſtko niger* repellere bellum niſi inferret, parum ratus, poſt dies quindecim exercitibus adunatis & recenſitis, cum triginta millibus equitum & duobus peditum, magis expeditorum, *Leonem* inſecutus, terras *Ruſſiæ* inuadit, multaque caſtra a *Ruthenis* deſerta, aut minus iuſto præſidio locata, occupat, expugnat, & euertit, & vſque ad *Leopolim* terra populata, prædam frequentem tam hominum quàm pecorum, *Leone* in vlteriora *Ruſſiæ* diffugiente, & decertare non audente, in *Poloniam* adduxit. In populatione ipſa quinque millia cæſa, quatuor millia in captiuitatem abducta ſcribuntur.

qui illum vsque ad Leopolim ſequitur, & magnas prædas reportat.

Thomas alias *Thomka*, Epiſcopus *Plocenſis*, cum annis octo ſediſſet, moritur, & apud *Plocenſem* Eccleſiam ſepelitur. Cui *Goslaus* per conformem capitularem electionem via ſcrutinii, nobilis genere de domo *Griphonum* ſucceſſit, a *Martino* quarto Summo Pontifice *Romano*, Ducibus *Maſouiæ* conſentientibus, confirmatus, & propter *Gneſnenſis* Eccleſiæ diuturnam vacationem prouiſus.

Nicolaus Papa tertius cum annis duobus, menſibus nouem, diebus tribus ſediſſet, ad caſtrum *Szurianum* ſupra *Viterbium* ad vnius leucæ diſtantiam ſitum, quod cuidam nobili, ſub prætextu hæreticæ prauitatis abſtulerat, & conſanguineis donauerat, ſe transferens, ſingulari & noua moritur morte, priuatus omni ſenſu ſubito, atque etiam motu, vigeſima tertia Auguſti. Cuius corpus *Romam* translatum, in Baſilica Beati *Petri*, & in capella Beati *Nicolai*, quam ipſe ædificauerat, ſepultum eſt. Poſt cuius mortem variæ ſeditiones *Romæ*, inter *Vrſiones* & *Hannibaldenſes*, fieri cœptæ ſunt.

Nicolaus III. P.R. moritur.

Decimus Magiſter *Pruſſiæ Poppo* de *Oſtiria*, *Conrado* de *Thirberg* vel per *Pruthenos* occiſo, vel excedente è vita, ſucceſſit. Quo moriente *Haimo* ſubſtituitur, ſed cum is quoque abſumptus eſſet, *Hermanus* de *Hoderage* in officium aſſumptus, duodecimum ſortitur locum. Cui *Conradus* de *Vnchtenange* ſucceſſit, quo libere cedente, *Manegolde* Commendator *Kinsbergenſis* ſuffectus eſt. Sub cuius regimine in loco caſtri & oppidi *Czantrin*, veteri nomine abrogato, *Mariemburg* erectum eſt.

Breui tempore quatuor Pruthenorum Magiſtri moriuntur.

Marienburg ædificatur.

1281. Cruciatus quondam & paſſiones ſuas, quas in captiuitate apud *Boleslaum Saxum Legnicenſem* Ducem vocatum *Rogatka*, *Henricus* quartus, *Probus* appellatus, *Wratislauienſis* Dux, pertulerat, omnibus conatibus expetens vltum iri, cum apertè id ſe conſecuturum parum & difficile ſperaret, ad fraudes & dolos animum intendit. Et quo facilius cogitatum, & diuturno tempore iam in ſe agitatum facinus perficiat, conuentum in villa *Baricz* inſtituit, & tam *maioris Poloniæ* quàm *Sleſiæ* Duces, literis & nunciis illic conuenturos, & de pace ac bono ſtatu, & ordine Principatuum, deque nonnullis rebus arduis per ipſum proponendis, bonum & profectum publicum concernentibus, tractaturos, inuitat. Et cæteris quidem Ducibus, varias occupationes pro excuſatione allegantibus, *Przemislaus maioris Poloniæ*, *Henricus Legnicenſis*, *Conradus Glogouienſis*, in Dominica Septuageſimæ, (is enim dies ab *Henrico Wratislauienſi* Duce ad conueniendum indictus erat) nullam fraudem ab *Henrico Wratislauienſi* Duce ſuſpicati, cum omnes tres arcta affinitate contingeret, cum modeſto familiarium & militum numero, conueniunt. *Henricus* autem *Wratislauienſis* Dux, etſi dolore ingenti angeretur, quòd pauciores quam animo deſtinauerat Principes ad ſuam capturam conueniſſent, non diſtulit tamen cogitatum exequi facinus. Sed præfatos *Maioris Poloniæ*, *Legnicenſem*, & *Glogouienſem* Duces, & iure hoſpitii, & iure gentium, iure quoque Diuino & humano profanato, primo aduentus eorum die, locum conſilii ingreſſos, ſcelerate per ſe & milites ſuos, quos in grandi numero ſecum adduxerat, captiuat, & captos in *Wratislauiam* deductos, arctæ cuſtodiæ & vinculis ſigillatim includit. Quos cum vſque ad feſtum Pentecoſtes vinctos obſeruaret, & multis Principibus pro eorum relaxatione fatigas & inſtantias ſuas interponentibus, nihil modeſti reſponderet, *Leſtko niger*, *Cracouienſis*, *Sandomirienſis* & *Siradienſis* Dux, fratris ſui *Przemislai* liberationem, quam precibus & interceſſionibus obtinere nequiuerat armis effecturus, cum omnibus ſuis & terrarum ſuarum potentiis, in terram *Wratislauienſem* deſcendit. Cui *Mſczugius Pomeraniæ* Dux, item omnes milites *maioris Poloniæ*, auxilium præſtituri, aduениunt. Triplici itaque agmine *Wratislauienſem* terram ingreſſus, eam ſpoliis & incendiis afficit, & omnium *Polonorum* pectore, iuſta, pro Ducis ſui *Przemislai* indigna captiuitate, efferueſcente ira, plura crudelia eduntur facinora. Nulli ſiquidem vico, nulli oppido, quod ſub *Henrici Wratislauienſis* Ducis ditione conſiſtebat, parſum eſt, ſed vniuerſo Ducatu *Wratislauienſi* flammis dato, etiam in ſuburbana *Wratislauienſia* ſæuitum eſt. Saxeum tamen *Henrici Wratislauienſis* Ducis, & obſtinatum pectus, neque tot incendia in conſpectu ab eo viſa, neq; ſuorum militum & ſubditorum fruſtra opem ſuam flagitantiũ fletus & lamenta, vel ad opponendũ reſiſtentiã, vel ad componendam pacẽ, & relaxandũ captiuos, liqueſcere potuerunt, quin in propoſito ſuo te-

Henricus Probus Wratislauienſis ... *Dux captiuitatem ſuam vlturus ſub ſpecie conſilii Poſnanienſem Glogouienſem & Legnicenſem Duces captiuat.*

Leſtko autem niger fratris Przemislai captiuitatem dolens

1281. mere perſeuerans,neque cum hoſte decertare, potentiam hoſtilem & ſuorum caſum veritus, neque ſuorum militum non tàm lachrymis, A quàm variis contumeliis,& increpationibus illum pro iniuſta Ducum captiuitate inceſſentium, potuit ad compaſſionem aut æquitatem inflecti. Quo in ſua obſtinatia perſeuerante, *Leſzko niger Cracouienſis* Dux, vniuerſo Ducatu *Wratislauienſi* in fauillam redacto, & præda ingenti de pecore & aliarum rerum ſupellectili congeſta, in terras ſuas, *Henrico Wratislauienſi* Duce in caſtro *Wratislauienſi* ſe continente,rediit. Duces autem qui captiui ab *Henrico* tenebantur,moleſtias captiuitatis diuturnæ euaſuri,cum illo per pacta de liberatione ſua conueniunt. Et à *Przemislao* quidem *Maioris Poloniæ* Duce, quamuis frater ſuus B amitalis fuerit, terram *Rudenſem*, quæ nunc *Wielunenſis* appellatur, aſſerens *illam ſui iuris eſſe, & ad ſe pertinere, ſuis quoque prædeceſſoribus iniuſtè ablatam* extorquet & depactat. Ab *Henrico* quoque *Legnicenſi*, & *Conrado Glogouienſi*, Ducibus, cum exactionare aliquas ſortes terrarum non poſſet, ſeruituros ſe ſibi cum lanceis triginta, contra quemlibet hoſtem, & in qualibet neceſſitate, obligauit, datiſque per Duces de implendo pacto obſidibus,& iuramento ab omnibus exacto, ne occaſione ſuæ captiuitatis quicquam contra illum per ſe vel alios hoſtile molirentur,tum primùm illos ex captiuitate laxatos, in Principatus ſuos remiſit.

terram Wratislauienſem populatur.

Tandem per pacta Duces dimittuntur.

C *Pruthenorum* Primates & animoſiores milites,in forti exercitu terras *Maſouiæ* ingreſſi,& caſtrum *Plocenſe* ſubita expugnatione adorti in magnæ temeritatis ſuæ ſuperbia, capere illud,& terras *Maſouiæ* cædibus,ſpoliis,& flammis affligere nitebantur. Sed à Duce *Maſouiæ Boleslao* & gentibus ſuis inuaſi, paucis euadentibus,conflicti, temeritatis ſuæ penderunt pœnas.

Pruthenì à Maſouitis fundantur.

Semeſtri ſpatio à vacatione Eccleſiæ *Romanæ* effluxo, vigeſima prima Februarii *Simon Thuronenſis* Sanctæ *Cæciliæ* Presbyter Cardinalis,in *Viterbienſi* Palatio in Papam eligitur, & *Martinus IV* appellatur, *Thuronenſis* dictus, quia inde tradunt hiſtoriæ originem eum traxiſſe, vel quia ibi nutritus referebatur. D In ſumptibus magnificus,& religionum amator. Poſt electionem autem ex *Viterbio* diſcedit, *Viterbienſem* manſionem peroſus: quod Cardinalem *Matthæum* in priuata camera tempore electionis ciues *Viterbienſes* per contumeliam recluſerant, & venit in vrbem veterem,& illic coronatur,reſidentiaque biennio facta,in *Pariſium* tranſiit.

Martinus IV fit Papa.

Hungarorum Rex *Wladislaus* ad laſciuiam & illecebras ſe reſoluens,cum *Comanorum* tunc gentilium habitu & moribus, vnà cum militia ſua vteretur, etiam & vitiis eorum ſe capi & fœdari permiſit. Vxore ſiquidem filia *Caroli Siciliæ* Regis contempta, *Andanam*, *Ruptek*,& *Mandalam*,pluresque alias *Comanorum* mulieres forma præſtantes, accepit in concubinas,& ritu barbarico illis cœpit abuti. Periculum fidei *Martinus IV* Papa veritus, *Philippum* Epiſcopum *Firminum*, virum magnæ prudentiæ & doctrinæ, in *Hungariæ* & *Poloniæ* Regna Nuncium, cum poteſtate Legati de latere deſtinat. Qui in *Pannonias* primùm perueniens, Rege *Wladislao* adito, multifariis & ſalutaribus conſiliis, precibus,& monitis illum obſecrat, *vt habitum & mores Comanicos deſerens, Catholicis ſe Regibus non ſolùm in habitu & moribus,ſed & in vita conformet,& repudiatis concubinis barbaris,ne cor illius à puritate Catholicæ fidei deprauent & ſeducant,legitimam vxorem reſumat,& in caſto pudicoque thoro iuſtæ conſortis viuat. Comanos inſuper, quorum conſiliis regebatur, à ſe abdicet, & Catholicorum potius Baronum conſilia ſectetur.* Qui ſalutarem doctrinam, mulierum & concubinarum deuinctus amore,irridens & contemnens, Nuncium Apoſtolicum parum honeſtè tunc tractauit,expoſt verò in conſpectum non admiſit. Ille grauitatem & rigorem, ſe & Apoſtolica Sede dignam obſeruans,duos Epiſcopos, qui Regis opera fœda mulcebant,& aut diſſimulatione, aut conſenſu nutriebant, de eorum Sedibus deponit. Regem autem primò, ſecundò, & tertiò commonitum,dum deſiperet, & aurem ad corripientem ſe obturaret, excommunicatione primùm, deinde anathemate, velut Ethnicum & Ethnicis conſentientem inuoluit. Qui ob id inſolentior factus, Apoſtolicum Nuncium præfatum *Philippum* Epiſcopum *Firminum*, miſſis ſatellitibus impiis & *Comanis* captiuat,& aliquibus illi contumeliis irrogatis, in curru illum extra Hungariæ fines educit,interminans illi necem ſi redeat. Barones autem Regni *Hungariæ*, temeritatem Regis ſui,& illius varias in Deum & homines præuaricationes compreſſuri,illum capiunt,& omnibus ſuis concubinis cum ignominia relegatis,in caſtro *Viſzegrod* illum cum vxore legitima ponunt,& claudunt ; certis Baronibus ſua & caſtri cuſtodia commiſſa, vt vel ſic lubricitate ſua inhibita, ad iura matrimonii cuſtodienda animum intenderet, dareturque Reginæ fœcunditas,& Regnum iuſto hærede & ſucceſſore non fruſtraretur. 1281.

Wladislaus Hungariæ Rex relegata vxore Comanas concubinas accipit,& ſe earum moribus accommodat.

A quibꝰ cum per nuncium Papæ retrahi non poſſet,

à ſuis capitur,& cum vxore in caſtro Viſchegrod includitur.

Maiorem *Pragenſem* Eccleſiam *Otho Brandeburgenſis* Marchio & *Bohemiæ* tutor,certo certius cognoſcens,multis opibus, & varia ac pretioſa rerum ſuppellectili, quam ciues & agreſtes , Eccleſiaſtici & ſeculares, velut in locum tutum illic depoſuerant, refertam eſſe, mittit *Saxones*, qui omnibus ſerris perfractis, opes & clenodia, omneſque nobiles & pretioſas ſarcinas auferunt,& in *Saxoniam* deportant. *Bohemiam* fere omni auro, argento, margaritis, gemmis, & quicquid pretioſum aut concupiſcibile in ea erat, facili negotio ex-

Pragenſis Eccleſia à Marchione Brandeburgenſi ſpoliatur.

1281. exuunt & denudant. Sed nec repertus eſt aliquis ex *Bohemis*, qui tam grandis iniuriæ genus, ſingulis nec muſcitare audentibus, peteret A reſcindi, omnibus ea tempeſtate *Saxonum* formidine conſtrictis.

Prutheni in terra Culmenſi quinq; caſtra conquirunt.

Pruthenorum exercitus pedeſtri & equeſtri ordine collecto, terram *Culmenſem* ingreſſus, tanta cæde, tantisque flammis & ſpoliis in eam, Magiſtro & Cruciferis neque decertare neque reſiſtere audentibus, graſſatus eſt, vt quinque caſtris, videlicet *Grudziandz*, *Marieuerder*, *Czartyrn*, *Chriſtburg*, & *Clement* expugnatis & conquiſitis, ſingulos homines permiſcui ſexus, quos in eisdem reperierant, nulli conditioni, ſexui, vel ætati parcendo, miſerabiliter trucidarent.

1282. *Lithuani cum Iacz wingis Lublinenſem terram vaſtant.*

Iaczwingorum reliquiæ, quæ ſe *Lithuanis* iunxerant, cladem ſuam & exterminium, à *Polonis* B propitia Diuinitate inflictam, vlturæ, cum *Lithuanorum* copiis, quæ ad quatuordecem equitum & peditum millia æſtimabantur, in terram *Lublinenſem* clandeſtinis itineribus & ſubitò, vigeſima quarta Septembris die perueniunt, & illam cædibus & ſpoliis, exercitu tripartito, & populatione latius extenſa, vaſtant, occiſisque ſacerdotibus & miniſtris *Chriſti*, & duobus fratribus ordinis Prædicatorum, ſenibusque & lactantibus, maximum hominum & pecorum numerum congerunt. Et quindecim diebus in eius vaſtatione & prædatione demorati, prædam ingentem in *Lithuaniam* ſecum deferebant. Agebat pro ea vice *Leſtko niger*, *Cracouienſis*, *Sandomirienſis*, & *Siradienſis* C Dux *Cracouiæ*, iura reddens populis. Quamprimùm verò nuncius inuaſionem barbaricam in terram *Lublinenſem* denuncians, ei allatus eſſet, illicò cæteris rebus poſtergatis, cum militibus qui ſecum vnà *Cracouiæ* morabantur, ex *Cracouia* egreſſus, verſus terram *Lublinenſem* celerrimo curſu, conquirens & colligens in itinere milites, procedebat, exiſtimans barbaros in *Lublinenſi* terra ſe reperturum, vel hoſtes vincere, vel mortem oppetere exæſtuans. Verùm in *Lublinenſem* terram perueniens, nil præter miſerabiles reliquias (iam ſiquidem barbari prædâ onuſti de illa exceſſerant) offendit. Quid itaquè ageret, perſequereturnè hoſtes, numero & potentia ſuperiores, in ſyl- D uas & lacus, cæteraque loca, nullam pabulationem ſibi, militibusque ſuis præbitura, progreſſos, & an ſubſiſteret vel rediret, ſugillationem & inſectationem multiplicem ſuæ expeditionis ſubiturus? Fluctuantem illum conſiliique inopem, viſio Angelica, quæ ſe *Archangelum Gabrielem* profitebatur, per ſoporem monſtrata monet, *vt quolibet reſpectu & cunctatione abiectis, non differat perſequi hoſtes*, certamque illi futuram victoriam promittit. Ea viſione vniuerſis militibus in concione vocatis expoſita, etiam timidos & meticuloſos, perſequique barbaros detrectantes, exhilarat. Nihil enim æquè animos militum & popularium confirmare ſolet, quam denunciata religio.

Quos Leſtko niger per Angelum hortatus

Sumptis itaque tàm cibariis quàm armis, impedimentis verò, quæ eſcas & pabula ferebant, ſe ſubſequi iuſſis, recentia barbarorum veſtigia intuentes, qua ampliori poſſunt celeritate vecti, barbaros inſequuntur. Et licet illos *Bug* & *Narew* flumina prætergreſſos comperiſſent, certi tamen de oraculi viſione, & ipſi iiſdem fluminibus ſuperatis, barbaros inter *Narew* & *Niemen* flumina conſiſtentes, (neque enim propter prædarum multitudinem facilè agmen barbarorum mouebatur) tredecima die menſis Octobris conſequuntur. Terruit ſupra- *conſecutus* modum omnes barbaros *Polonorum* conſpectus, & multò maiorem quàm pro numero exercitum, eundemque audacem & animoſum, mori aut vincere deſtinatum, animo & cogitatione metiebantur, paucos & timidos in tam abdita & remota loca, nullatenus penetrare poſſe. Habebat *Leſtko niger* Dux in ſuo co- *cum parua manu* mitatu, ſex *Polonorum* de equite & pedite, inter quos plures equites erant, millia, haud copias contemnendas, omnes tamen in vnum agmen coactas. Neque enim locus in quo certandum erat, plus ſyluarum quàm camporum habens, diuidi copias in plures acies patiebatur. Quibus adhortatis, vt non tam pro patria, coniugibus, & liberis, quam pro fide *IESV Chriſti*, de cœleſti ſecuri præſidio, viriliter pugnarent, maximo impetu in barbaros, metu & ſubito *Polonorum* conſpectu attonitos, inſiliit. Et quamuis barbari primos *Polonorum* impetus excepiſſent, & aliquanto tempore toleraſſent, primis tamen & ſecundis ordinibus obtritis, reliqui referre pedem, poſtea verò verti in fugam cœperunt. Cædes deinde non pugna *profligat*, in omnes paſſim fugientes edebatur, quam non ſolum milites *Polonorum*, ſed à barbaris capti *Poloni*, quos ex *Lublinenſi* terra, in vtroque ſexu abduxerant, operosè promouebant. Terruerat & barbaros canum, quos ſimul cum captiuis duxerant, viſo *Polonorum* exercitu, vlulatio & vociferatio, exultantium ſpeciem præferens, ſublata, qui & in certamine durante, & in fuga, diris morſibus, quaſi noſſent quos inſectari deberent, laceſſebant. Cæde ingenti, & vſque ad ſatietatem edita, nox ſuperueniens, proſequendi fugientes, finem dedit. Reliquias *Iaczwingorum* ea clade vſque ad internemptionem deletas eſſe vltimam, hi enim pertinacius reſtiterant, certum eſt. Plures inſuper tàm ex *Iaczwingis* quàm *Lithuanis*, qui fuga euaſerant, pudore acti, dum in penates proprios aut erubeſcunt reuerti, partim laqueo, partim aquarum ſuffocatione, mortem ſibi conſciſcunt, vt ex illo frequenti barbarorum exercitu, pauci fuerint ſuperſtites, qui aut *Polonorum* gladiis non ceciderunt, aut ſibi ipſis mortem miſerabilem non conſciuerint. Mirum dictu & vix credibile, apud *nullo ex ſuis Polonorum* exercitum ſcrupuloſius recenſi- *amiſſo*, tum nemo repertus eſt, in eo prælio & in per-

1282. perſequendo, cecidiſſe. Quæ res oraculum *Leſtkoni* Duci per quietem factum, non phantaſticum, non humanum, ſed Diuinum & cœleſte, eo prodigio monſtrauit. *Leſtko* Dux, & de hoſtium ſtrage, & ſui exercitûs incolumitate, ſuorum inſuper, quos gentiles ex terra *Lublinenſi* captiuos duxerant, liberatione, DEI Omnipotentiam glorificans, eiusque laudes cum omni ſuo exercitu identidem reſonans, ſpoliis etiam hoſtium potitus, ouans in ſuos Principatus rediit. Ab eo quoque tempore Beatum *Michaelem* ſui triumphi & ſucceſſuum felicium auctorem, ſingulari proſequebatur veneratione & cultura. Ex *Lithuanorum* quoque clade reuerſus, in *Lublin* Baſilicam Parochialem Sancto *Michaeli* fundat, & eius nomini dicari procurat, quæ etiam in diem hanc beneficia Angelica, tunc *Polonis* collata, & cladem barbaricam atteſtatur.

& reuerſus Eccleſiam Parochialem Lublinenſem fundat.

Ex *Lithuanica* & *Iaczwingorum* expeditione, *Leſtkonem nigrum Cracouienſem* & *Sandomirienſem* Ducem *Cracouiam* reuerſum, & pauliſper illic commoratum, militum *Sandomirienſium*, quorum *Ianuſſius* Palatinus, *Chriſtinus* Caſtellanus, *Sandomirienſes*, erant Duces & capita, cum quibus & *Paulus Cracouienſis* Epiſcopus aſtruebatur ſenſiſſe, rebellio excepit. Qui ad nouandum res dudum proclini, *Conradum Maſouiæ* Ducem, & *Leſtkonis nigri* patruelem germanum, quaſi ille poſt *Boleslai Pudici Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Ducis obitum, tàm iure quàm ætate, ad ſuccedendum potior cenſeretur in terram *Sandomirienſem* inducunt, & tàm *Sandomirienſem* & *Zauichoſtenſem*, quàm aliorum terræ *Sandomirienſis* caſtrorum & ciuitatum illi tradunt effectualem poſſeſſionem. Nihil ea rebellione & nouitate *Leſtko niger* Dux territus, exercitu de curienſibus & terræ *Cracouienſis* armigeris, raptim & tumultuario more congeſto, verſus *Sandomiriam* proceſſit, cum Duce *Conrado* patrueli fratre pugnaturus. *Conradus* autem & de cauſa, & de militum animis fluxis & ambiguis diffiſus, *Leſtkonis nigri*, fratris ſui aduentum per exploratores ſibi nunciatum ſentiens, in *Maſouiam* excedit, cum ampliori potentia & copiis reuerſurus. *Leſtko* interim & caſtra ſingula, quæ *Conrado* dedita erant, recuperat, ac *Ianuſſium* Palatinum, *Chriſtinum* Caſtellanum, *Sandomirienſes*, cæterosque milites defectionis authores ſibi conciliat, & prudenti induſtria ſine armis vicit, & omnem ſubmouet & opprimit rebellionem. Aſtruunt nonnulli authores *Leſtkonem nigrum* Ducem, ob ſeditionem militarem, in *Hungariam*, ſeditionum authoribus eum propellentibus, diffugiſſe, & poſt aliquantulum temporis, quo illic moratus eſt, reconciliatione inter Ducem *Leſtkonem* celebrata, *Cracouiam*, & ſuorum & *Hungarorum* agmine comitatum, feliciter reuerſum fuiſſe.

Sandomirienſes Conrado Maſouiæ Duci terras ſuas tradunt.

Is tamen audito aduentu Leſtkonis ad ſua reuertitur,

& Leſtko Dux omnibus conciliatur.

Ad inteſtina & externa bella, fames horrenda, non ſolùm in *Poloniam*, ſed etiam in *Bohemiam* & *Almaniam*, cæteraſque horribiliter deſæuiens regiones, acceſſit. Quæ adeò ſui A atrocitate agreſtes, & plures è plebe integro biennio afflixit, vt pernitiem famis vitaturi, laribus, vxoribus, & pignoribus relictis, aliqui in *Hungariam*, nonnulli in *Ruſſiam*, ſtipem quæſituri, diffugerent. Sed vtrobique illos crudelior peſtis & pernities poſſedit, qui enim in *Hungariam* diuerterunt, ab *Hungaris*, *Comanis* tunc barbaris, venundati ſunt. Qui verò ad *Ruſſiam*, traditi *Tartaris* pro tributo: vt aliquando ſatius fuerit, famis morte in *Polonia* defungi, quàm miſerabilem & perpetuam ſeruitutem apud barbaras nationes experiri. Nefanda tamen & execrabilis *Ruthenorum* magis quam *Hungarorum*, qui verum ritum obſeruant, conditio, quòd in ſuam ditionem & fi- B dem fugientes vicinos, calamitate afflictos, ampliori calamitate (nulla commiſeratione, quæ etiam brutis & pecoribus ineſſe ſolet, oſtenſa) iure hoſpitij, iure gentium peſſundato, non indignum putârunt inuoluere. Sæuior aliquanto fames *Bohemos* vexabat, qua preſſi, matres pietatis oblitæ, quam etiam belluæ non ſunt ſolitæ negligere, fœtus ſuos, famem excluſuræ, manducabant. Famis malum vulgatis in corporibus, eſurie, aut herbis, arborumque foliis, & ſuperfluitatibus nociuis cibis, morbis tabefactis & infectis, ſæuiſſima omnium epidimia ſecuta eſt.

Fames in Polonia, Bohemia & Almania, 1282. *quam peſtis ſequitur.*

Philippus Epiſcopus *Firminus*, & Apoſtolicus in *Poloniæ* & *Hungariæ* Regna Nuncius, à C *Wladislao Hungariæ* Rege & ſuis ignominioſè tractatus, & excluſus, in *Poloniam* aduenit, & tàm à Duce *Leſtkone nigro*, quam ab vniuerſis Eccleſiis, cum magno honore exceptus eſt. Et per omne tempus, quo in *Poloniæ* Prouinciis demorabatur, omnibus neceſſariis à Pontificibus abundè procuratus, maximis laudibus *Poloniæ* Duces, Pontifices, & nationem vniuerſam *Polonicam*, *Romam* reuerſus, extulit & celebrauit, munificam liberalitatem & ciuilitatem *Polonorum* prædicans coram vniuerſis.

Apoſtolicus Nuncius in Poloniam veniens humaniſſimè tractatur.

Oldamir Comanorum Dux, in ſuperbam iactantiam eleuatus, & credens ſe vniuerſum D *Hungariæ* Regnum, propter *Wladislai* Regis *Hungariæ* prauos & leues mores, ſubacturum, *Hungariam* inuadit. Cui *Wladislaus Hungariæ* Rex circa lacum *Hood* occurrens, ſecum confligit. Et prælio acri inter vtroſque durante, tempeſtas ingens coorta, ora & vultus *Comanorum* verberans & obcæcans, magno adiumento *Hungaris* fuit, vt vincerent. Victus tandem eſt ab *Hungaris Oldamir*, & omnis ſuus exercitus, paucis, qui fugiendo ad *Tartaros* euaſerant, exceptis, deletus.

Comani à Wladislao Hungariæ Rege profligantur,

Exacerbati ad *Narew* fluuium, clade accepta, *Lithuani* dolore continuo vexabantur, ſtimulabanturque, ad referendam *Polonis* vicem & talionem. Decreta autem & indicta expeditione, id pro ſui deſiderii faciliori conſum- 1283.

Lithuanos terras Sandomirienſes vaſtantes

ma-

1283. matione ponebant in proſpectum, quatenus *Polonos*, in intempeſtiuo & non proſpecto tempore, velut incautos inuaderent. Quam A ſententiam & conſilium ſecuti, æſtate transfluxa, multò maioribus copiis quam ante, reſiſtentiam veriti, quarta Octobris, *Sandomirienſem* terram per *Lukouienſem* regionem, & ſyluas in ea conſiſtentes, ſubitò & improuiſè irrumpunt, & multa cæde paſſim patrata, per vicos & oppida diſcurrunt. Interfectisque ſenibus & impuberibus, viros & fœminas, cæterosque puberes, pecus quoque & armenta capiunt, & citra ſex millia *Polonorum*, cum nobilium & ciuium, tum agreſtium, pluribus trucidatis, in ſeruitutem abducunt. Milites autem *Sandomirienſes*, etſi non paruo numero *Sandomiriam* conueniſſent, tueri tantummodo caſtrum & ciuitatem contenti, Duce *Leſtkone nigro*, qui B tum *Cracouiæ* & colloquium & conuentum agebat, de *Lithuanorum* hoſtili irruptione per celerem nuncium auiſato, à certamine, propter ſui paucitatem & hoſtium numeroſum multitudinem, abſtinebant, propter quod barbari liberius in cædes, ſpolia, & prædas graſſabantur. *Leſtko* itaque *niger*, *Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Dux, de ſuorum Principatum vaſtatione plurimùm anguſtiatus, cum omnibus Baronibus, militibusque, qui illic confluxerant, armis correptis, de *Cracouia* exilit, & tàm nocte quam interdiu gemebundus & triſtis, alta pro captiuis qui abducebantur cum ſuis militibus edens ſuſpiria, iter quàm celeriùs poteſt, rectiori greſſu verſus barbaros conficit, præmiſſis C nunciis, qui & eos, qui in arcem *Sandomirienſem* confugerunt, & cæteros milites in caſtris & munitionibus ſuis conſiſtentes, ſe ocyus ſubſequi iuberent, ſciens barbaros rapta præda velociter diſceſſuros. Adunato itaque & hiis qui illum ex *Cracouia* comitabantur, & ex hiis qui *Sandomiriam* obſeruabant, militibus, qualicumque exercitu, aſſumptis inſuper agreſtibus, vt ſpecies iuſtioris exercitus videretur, ſciens omnem victoriam non in multitudine, ſed in ſolius Dei poteſtate & arbitrio conſiſtere, exercitum vniuerſum confeſſionis & Euchariſtiæ Sacramento, ſe quoque primum communit. Propitiato quoque Deo, qui illi anno ſuperiori non ſperanti, de eodem hoſte trophæa contulerat, & militibus in concione animatis, hoſtes, D qui nondum metas Principatûs ſui ab exploratoribus nunciabantur exceſſiſſe, proſequitur, ratus exercitum ſuum, ſpiritualibus & materialibus inſtructum armis, audaciſſimè & feliciter cum barbaris, pro patria, pro templis, pro focis, proque gente & natione ſua in captiuitatem ducta, pugnaturum. Quos cum in *Lukouienſi* regione conſecutus eſſet, graues præda, eoque impeditiori agmine procedentes, *Lithuani* perniciem ſuperioris cladis vitaturi, ne ſimul & cum *Leſtkone* Duce eiusque exercitu, & cum captiuis quos ceperant, pugnare cogerentur, in ſyluas proximiores, vaſtas quidem & denſas

Leſtko niger parua manu comitatus

limoſasque ſecedunt, vbi illos *Poloni*, veluti in munimento forti conſiſtentes diſtulerunt inuadere, magnaque ob id anxietate acti, quòd hoſtem è conſpectu emiſiſſent. Eadem penè anxietas apud barbaros verſabatur, nam & obſideri ſe à *Polonis* in ſylua, in qua deliteſcebant, & ſi hinc euaderent, *Polonos* ſe vsque in *Lithuaniam* ſecuturos portendebant. Captiuis igitur, ne *Polonis* adiumento forent, in ſylua duriſſimè alligatis, ac ſarcinis & impedimentis illic ſub cuſtodia paucorum & imbecillium relictis, è ſylua glomerati, aciebus ordinatis prodeunt, & ad ſtationes *Polonorum*, qui in loco Rowne appellato conſiſtebant, vociferationes barbaras & inconditas emittentes, perueniunt. Terruit *Polonos* ſubitus eorum aduentus, & quos fugere putauerant, bellum ſibi vltrò inferre videbant; magis tamen multitudine hoſtili, ad ſuam paucitatem comparata, mouebantur, propter quod timidiores & inexercitati in fugam ſpectare cœperant, niſi *Leſtko niger* Dux prudenti oratione pauorem militarem excuſſiſſet. Aſtruens *nullum mortis genus ſanctius præſtantiusque fore, quam quod pro fide & Penatibus ſuſceptum eſſet. Gauiſuros illos potius, quàm trepidaturos, quòd ea occaſio pugnandi illos teneret, per quam honeſtiſſimè apud futura ſecula, ſiue vincerent viuerentque, ſiue interirent, verſarentur, dicens: Recolerent inſuper anni transacti victoriam è cœlo ſibi præſtitam, & nunc quoque eadem & ampliori ſpe, pro victoria adniterentur, poſtquam cum eodem hoſte recenter & identidem ab illis victo, eſſet certandum. Mouerentur captiuorum miſerabilibus ſingultibus, qui in eorum dextris, fiduciam ſuæ liberationis reponunt. Se inſuper nil ſaluti ſuæ parſurum, ſed pro exercitu ſuo & gente, gratiſſimè ſe cuique morti expoſiturum.* In duas tandem alas exercitu partito, quarum vnam *Zegothæ* Palatino *Cracouienſi*, alteram *Ianuſſio* Palatino *Sandomirienſi* committit, in hoſtes inſiliit, & obuios quosque proſternit, primasque hoſtium acies adeò obterit, vt ſi cæteræ in eadem pugnandi conſtantia aliquanto tempore conſtiterint, *Poloni* tamen iam, quaſi ſe putabant, primis ordinibus debellatis, victores. Durante prælio, *Zegothæ* Palatini *Cracouienſis* ala (in ea enim curienſes Ducis & exercitatiores milites erant) primùm vincere cœpit, à qua tandem ad aliam eadem ſors peruenit. Fuſi itaque *Lithuani* fugatique, & plura eorum millia eo prælio in ſtragem data ſunt, quamuis & de *Polonis* aliquot inſignes milites conciderint. Prælio obtento ad ſyluas captiuosque *Lithuanorum* & ſarcinas itum eſt, & ſolutis captiuis, ſarcinis quoque *Lithuanorum* in milites diuiſis, omnis præda, quam ex *Sandomirienſi* terra tulerant, relata eſt. Legebantur & per plures dies captiui *Lithuani* & ſpolia, qui locorum ignari fugiendo oberrauerant. In hunc modum 1283.

profligat, & omnem prædam recuperat.

1283. dum propitia diuinitate,& hoſtis funeſtâ clade obtritus,& omnis præda erepta. Sed nec cognitu facilè erat, prudentiſſimine Imperatoris,an ſtrenuiſſimi militis in pugna, *Leſtko niger* Dux, opera ediderit.

Duodecima menſis Auguſti, *Thomas* monaſterii *Thinecenſis* Abbas,in oppido ſuo *Opathowiecz*,*Cracouienſis* diœceſis,cooperante & inſtante *Leſtkone nigro Cracouienſi,Sandomirienſi*, & *Siradienſi* Duce, monaſterium Fratrum Prædicatorum fundat & erigit, & ipſis fratribus agros nonnullos, & terram donat ac largitur pro prædio & cultura, cum omni libertate.

Przeislawa Duciſſa genere *Ruthena*, conſors *Semouiti Maſouiæ* Ducis moritur ſecundo Idus Aprilis, & oppidum *Goſtinin* per *Conradum Maſouiæ* Ducem vaſtatur.

Zophia Duciſſa conſors *Boleslai Maſouiæ* Ducis filium enixa eſt, cui nomen dum baptizaretur, iubente Patre, *Semouitus* datum eſt.

Paulus Cracouienſis Ep. iterum captiuatur.

Inuaſionem *Lithuanorum* eo & ſuperiori anno patratam,*Paulus Cracouienſis* Epiſcopus procuraſſe,multorum aſſertione inſimulatus, mandato *Leſtkonis nigri, Cracouienſis*, *Sandomirienſis*,& *Siradienſis* Ducis,per milites,dum in oppido *Łagow* ageret,capitur,& vinctus altera vice in caſtrum *Siradienſe* deportatur. Vbi aliquanto tempore honeſtè & humanè habitus eſt,neque ob ſui captiuitatem,vacabat enim tunc *Gneſnenſis* ſedes, Prouincia *Gneſnenſis* cenſuris interdicti ſubiacuit.

Pridie Calend. Ianuarii, *Przemislaus* ſecundus,*maioris Poloniæ* Dux,fundat hoſpitale ante portam oppidi *Caliſz*, pro recollectione infirmorum & miſerabilium perſonarum, & illud cum dote ei collata libertat, fratribus *Ioannitis* illud dans in curam & regimen.

Lukerdis vxor Przemislai maioris Poloniæ Ducis à pediſequis interficitur.

Quatuordecima Decembris die, *Lukerdis* Duciſſa, conſors *Przemislai Maioris Poloniæ* Ducis,& filia *Nicolai Caſſubitarum* Ducis, in *Poſnanienſi* caſtro diem obiit, à propriis familiaribus & ancillis iugulata. Quam etſi maritus ſuus *Przemislaus* Dux fleuerit, & Ducales illi funebrias celebrauerit,inſimulatus tamen eſt,in mortem ſuam,quoniam ſterilis eſſet, & infœcunditatis gratia, & prolis virilis deſiderio, nonnullas perſonas ſubordinaſſe. Auxit quoque ſuſpicionem diſſimulata vltio,& præſtita authoribus indignæ necis impunitas. Sed & carmina publica, vſque in ætatem noſtram decantata, teſtabantur Duciſſam *Lukierdim*, dum ſe à marito præſenſiſſet deſtinatam in mortem, flebilibus obſecrationibus rogaſſe,ne vitam & fœminæ & conſorti innocenti pateretur eripi; ſed & pro Dei reuerentia,& honore tam coniugali quàm Ducali, permitteret eam in paternam domum, etiam in vnius carnificæ tegmento deduci: æquo animo fortem quantumcunque inopem, dummodò relinqueretur vita, laturam. Facinus ſuum *Przemislaus* Dux occultum, perpetuoque tegendum ſilentio crediderat, velut à paucis A conſciis, & obſcurè actum. Quod tamen Deo efficiente,publico & vulgari carmine, in ſuum dedecus audiebat cantari, quod etiam in noſtram vſque ætatem conſtat pertigiſſe,noſtrique ſeculi illud concinunt theatra. Trahebaturque præfatus Dux *Przemislaus* in facinoris prædicti vulgari quidem ſed veridico iudicio culpam,& à plurimis carpebatur,quòd mors præfatæ *Lukierdis*, alieno quidem miniſterio,ſed ſuo mandato & iudicio patrata fuerat,neque Ducali reuerentia,neque prohibitione diſtricta, potuit qualitatem ſui facinoris de ore & pectore hominum abſtuliſſe. Qui etiam occiſione conſortis ſuæ ob ſterilitatem, cœleſtium firmiſſimum & irretractabile decre- B tum impedire fruſtrateque conatus, & ſcelere ſe fœdauit teterrimo, & prole virili,altera vxore ſuperducta,non potuit potiri.

Iac. Swinka fit Archiep. Gneſnenſis.

Prælatis & nunciis *Gneſnenſis* Eccleſiæ Electi ſui *Wloſtiborii* Decani *Gneſnenſis*, electionem ſuam per Sedem Apoſtolicam confirmari petentibus,*Martinus* quartus Papa, electione eius caſſata, *Iacobo Swinka Polono* & genere nobili de domo *Porcaria*, quæ apud *Polonos Swinka* id eſt *Sus* vocatur,propter familiaritatem, qua illi in minoribus agenti coniunctus erat,prouidit. Qui anno eodem, die Saturni decima nona Decembris, in oppido *Caliſz* in monaſterio fratrum minorum ordinatur in Presbyterum, & ſubſequenti die Solis conſe- C cratur à quatuor *Poloniæ* Epiſcopis, videlicet *Thoma Wratislauienſi*, *Ioanne Poſnanienſi*, *Goslao Płocenſi*, & *Volmiro Lubucenſi*, in Archiepiſcopum. Quam ſolennitatem conſecrationis *Przemislaus* Dux *maioris Poloniæ*,exequiis ſuæ conſortis peractis, ſua cohoneſtauit præſentia, & nouo Archiepiſcopo *Iacobo* annulum, gemmâ & opere inſignem pro munere obtulit.

Sexto Calend. Ianuarii, *Przemislaus* ſecundus *Maioris Poloniæ* Dux,fundat monaſterium ſanctimonialium ordinis Prædicatorum *Poſnaniæ*. Cui tres villas videlicet *Pianthkow*, *Rudnica*, & *Zaparczice*, item lacum *Goſtinino* dat in dotem. Coronatus autem in *Poloniæ* D Regem, confirmat donationem per *Vincentium* Cancellarium, ac fratres eius *Nicolaum* Palatinum, & *Miroslaum* de villis *Donathowo* & *Grzimisław*: item *Nicolai* Palatini *Caliſſienſis* de villis *Koſczinino, Białekozy*, & *Sokolniki*,ac molendino ante *Poſnaniam*; item *Ioannis* Scholaſtici de villa *Popowo* factam, libertando hæreditates prædictas.

Alberto Ep. Wladislauienſi ſuccedit Vislaus.

Albertus Wladislauienſis Epiſcopus Nonis Decembr. cum annos duodecem in Pontificatu exegiſſet, moritur, & in Eccleſia *Wladislauienſi* tumulatur. Vir ſpectatæ virtutis, & in pauperes religioſoſque ac quoslibet inopes, liberalitatis profuſæ. Cui *Vislaus* Canonicus *Wladislauienſis*, Præpoſitus *Płocenſis* 1283.

ſuo-

1283. ſucceſſit, anno ſubſequenti XIV. Calend. Aprilis à *Iacobo Svvinka Gneſnenſi* Archiepiſcopo in monaſterio *Strzelnenſi* ordinis Præmonſtratenſis *Wladislauienſis* diœceſis, prouiſus & conſecratus, nobilis genere de domo & familia *Zabavva*.

Variis & externis *Bohemiæ* Barones & nobiles vexati incommodis, Principem ſuum *Venceslaum*, ſub cura & tutela *Othonis longi* Marchionis *Brandeburgenſis* conſtitutum, ſibi reddi depoſcunt. Sed *Otho* Marchio præfatus, callida ad differendum ingenia conquirens, *Bohemorum* expectationem, quam crebris identidem ſpebus implebat, illudebat, donec *Bohemi* terræ ſuæ diſpendiis dietim ingraueſcentibus prouiſuri, paciſcuntur *Othoni* Marchioni *Budiſſenſem* Marchiam cum nonnullis caſtris & oppidis, in perpetuam hæreditatem & poſſeſſionem, nec non triginta quinque millia argenti, ſe daturos. His duabus conditionibus *Otho* Marchio motus, poſtquam ſibi à *Bohemis* effectualiter impletæ ſunt, Ducem *Venceslaum* illis nono Calend. Iunii in *Pragam* adductum, reſtituit. Sed hunc ipſum demum genitrix ſua *Kunegundis* conſors *Zavviſſii* de *Rozemberg*, adeò blandimentis maternalibus deuinxit, vt totius *Bohemiæ* regimen & gubernationem vitrico ſuo *Zavviſſio* committeret. Qui faſtuoſius ſe erga *Bohemiæ* Barones gerens, multorum in ſe liuores & odia conuertit. Contumelioſiusque tunc *Bohemia* ſub eo, quam ſub *Othone Marchione* diſpendiis plurimis afflicta & preſſa eſt.

Venceslaus fit Dux Bohemiæ.

Tres Mſczugii Pomeraniæ Ducis fratres ordinem Cruciferorum ſubeunt, donatis ordini ſortibus ſuis,

Germanus *Mſczugii Pomeraniæ* Ducis, & vnus ex filiis *Svvantopelci Varcziſlaus*, tenuitate paternæ ſortis, quæ illi obtigerat, conſiderata, mundo relicto, Ordinem Cruciferorum de *Pruſſia*, conferens eidem Ordini ſortem ſui Principatus, aſſumit. Cuius exemplum duo alii fratres *Samborius* & *Ratibor* ſecuti, ſortes ſuas ea conditione Ordini donant, vt ordo illos ſtatu & habitu laicali permanentes, & ſeruitores eorum, expenſis & ſumptibus decentibus procuret. Non tulit eam alienationem *Mſczugius Pomeraniæ* Dux maior natu, ſed omnes tres, trium germanorum ſortes in ſuam ditionem redigens, miſſo ſpeciali nuncio, apud Summum Pontificem *Martinum* quartum, de Magiſtri & Ordinis Cruciferici notoria ambitione, qua ſortes fratrum ad ſe reciſuras occupare nitebantur, querebatur. Qui ad rem inſpiciendam *Philippum* Epiſcopum *Firminum*, Legatum in *Pruſſiam* transmiſit. Legatus autem is, auditis vtriusque partis propoſitionibus & reſponſis, donationem per tres *Mſczugii* fratres, *Varcziſlaum*, *Samborium*, & *Ratiborium*, Ordini factam, velut iniuſtam & iniquam, retractauit & reſcidit. Ducem vero *Mſczugium* ad donandum donatione perpetua Magiſtro & Ordini oppidum & diſtrictum

quod per Legatum Papæ infirmatur.

Gnievv, cum quindecim tantummodo villis, inducit. Quo ſic firmato, Magiſter & Ordo, 1283.
A caſtro *Puterberg* demolito, caſtrum & oppidum *Gnievv* muro ædificauit.

Ineſcatus *Henricus* quartus *Probus* cognominatus, *Wratislauienſis* Dux, ſuarum fraudum, 1284.
quas in *Przemislao maioris Poloniæ, Henrico Legnicenſi, Conrado Glogouienſi* Ducibus captiuandis nequiter commiſerat, proſpero ſucceſſu, terra *Rudenſi* alias *Wielunenſi*, de qua pro liberatione ſui *maioris Poloniæ* Dux *Przemislaus* illi ceſſerat, parum contentus, rurſus (vt eſt natura hominum, qui ſe cupiditati & auaritiæ ſemel permiſerint, auidiori pectore aliena appetere) ad occupandos cæteras *maioris Poloniæ* Principatus animum intendit, & nonnullos ſibi ex *maioris Poloniæ* Baronibus, eos præſertim qui rerum ſummæ præerant, cum muneribus, tum promiſſis ampliſſimis, allicit & conciliat, opportuno tempore eorum opera, ad conſequendas ambitionis ſuæ fructus, vſurus. Inter quos cum *Sandiuogium Ioannis* Palatini *Poſnanienſis* ſpe & largitione corrupiſſet, *Sandiuogius* ipſe, caſtrum *Caliſſienſe* habens a *Przemislao maioris Poloniæ* Duce in ſua fide, & tenuta, ob nonnullas inſuper ſimultates *Przemislao* Duci, & quod in conferendis Magiſtratibus & officiis publicis doleret ſe ab eo præteritum, infenſus, vltima Septembris caſtrum *Caliſſienſe* (ciuitas ſiquidem paullulum ante, ſeptimo videlicet Calend. Septembris, proprio incendio conflagrarat) *Henrico* quarto Duci *Wratislauienſi* tradit, omnis humanitatis & honeſtatis ſuæ oblitus. Qua nouitate, non ſecus quam par erat, *Przemislaus maioris Poloniæ* Dux permotus, vniuerſis militibus ſuorum Principatuum in arma coactis, verſus *Caliſz* procedens, caſtrum *Caliſſienſe*, in quo iam frequens ex *Sleſia* militum *Henricus Wratislauienſis* Dux præſidium locauerat, & tam victualium prouiſione, quam propugnaculis muniuerat, ab omni parte in coronæ modum cinxit, & vallauit, ſperans ſe aut tractatibus interpoſitis, fame vrgente per deditionem, aut per violentam expugnationem caſtrum habiturum, caduceatoribus autem ad milites caſtrum obtinentes miſſis, qui perſuaderent, vt caſtro reddito, incolumes omnibus ablatis, abirent. Cum nil reſponderetur pacati, *Przemislaus maioris Poloniæ* Dux, caſtris propius admotis, in diem tertium pronunciauit, *vt milites pro expugnando caſtro parati eſſent.* Quo adueniente, magna vi, magnoque conatu & impetu ad illius expugnationem, vniuerſo ferè die, caſſos labores impendit: & loci natura, & arte militumque manu, conatus illius fruſtrante. Inclinata tandem die, cum iam inſignes milites expugnatio huiusmodi aut abſumpſiſſet, aut vulneribus confeciſſet, ſigno dato receptui, illam plus dedecoris & damni ex ea quàm vtilitatis referens, omiſit. In-

Caſtrum Caliſſienſe Henrico Probo Wratisl. Duci traditur.

1284. Interpoſiti tandem ſunt per communes Barones pro pace tractatus, inter bellantes & diſſidentes Duces; & poſt plures fatigas & labores, ſub his tandem conditionibus, *Przemiſlao Maioris Poloniæ* Duci parum honeſtis, pax conuenit. *Vt Dux Wratiſlauienſis Henricus de caſtro Caliſz occupato cedat, & illud Przemiſlao Maioris Poloniæ Duci reddat: Przemiſlaus vero in Olobok caſtrum ſuis ſumptibus ædificet, & illud cum regione quæ circa Olobok conſiſtit Henrico Wratiſlauienſi Duci conſignet.* In hunc modum pace confecta, obſidio ſoluta eſt.

> *Quod Przemiſlaus oblato pro eo caſtro Olobok, recipit.*

> *Henricus Probus*

Guerra humana & ſociali, licet admodum temeraria & iniuſta *Henricus Wratiſlauienſis* Dux, *Probus*, per antiphraſim appellatus, cum illi magis improbitas conueniret, perfunctus, ad ſacrilegam & magis deteſtabilem, ſiue pectus rerum auidum & inſatiabile, ſiue inflatus, plusquam humana ſuperbia animus id cauſabat, arma vertit: & notabiles pecuniarum ſummas & ſubuentiones, a *Thoma* Epiſcopo & Clero *Wratiſlauienſi*, ſibi dari ſtricto mandato imperauit. Quæ cum non præſtarentur, magna furia actus, *Otbmuchovv* caſtrum Epiſcopale primum, deinde oppidum *Niſſa* Eccleſiæ capit. Et quaſi ea parua eſſent, omnium aliorum caſtrorum, oppidorum, villarum, quæ ad Epiſcopum *Wratiſlauienſem* aut eius Clerum pertinebant, poſſeſſionem, per ſatellites ſuos, expulſis inde tenutariis & Officialibus Epiſcopalibus & Eccleſiaſticis, apprehendit. Decimas inſuper vniuerſas in ſuo Principatu (quæ ſoli Deo in ſignum vniuerſalis Dominii noſcuntur reſeruatæ) ſub graui interminatione & pœna, iuſſit ſibi præſtari. Habebat inſuper Epiſcopus & Eccleſia *Wratiſlauienſis* caſtrum *Eudelſten*, in certa pecuniæ ſumma ſibi obligatum, ad illud quoque rapaces manus extendens, in ſuam redegit ditionem. Tot aduerſitatibus & perſecutionibus ſub vno tempore in Eccleſiam *Wratiſlauienſem* in cuiusdam tempeſtatis & procellæ modum coortis, *Thomas Wratiſlauienſis* Epiſcopus prouiſurus, honeſtos nuncios ex Prælatis & Canonicis *Wratiſlauienſibus*, ad *Henricum* Ducem *Wratiſlauienſem* mittit, pro reſtitutione bonorum rogaturos. Qui etſi humiliter & ſubmiſſe legationem ſuam illi denunciaſſent, ſuperbum tamen & minarum plenum retulerunt reſponſum. Miſſi & alii, itemque alii, & cum in eodem ſuperbiæ & furoris tenore perſtare Ducem *Henricum* monſtraſſent, ad extremum *Thomas* ipſe *Wratiſlauienſis* Epiſcopus, ad mitigandum ſæuum & trucem animum, ire pergit. Sed à Duce *Henrico*, quamuis blandè & manſuetè iuſtas preces ingeminaſſet, aſperius obrutus, *Iacobo Svvinka Gneſnenſi* Archiepiſcopo ſuo Metropolitano, per literas & nuncios, ſuas & Eccleſiæ ſuæ *Wratiſlauienſis* preſſuras, prouiſionem flagitans, intimat. Qui calamitatibus Eccleſiæ *Wratiſlauienſis* paterno & benigno affectu compaſſus, pro ſacra Epiphaniarum die anni ſubſequentis, neque enim temporis qualitas celerius patiebatur rem obiri, Synodum Prouincialem *Lanciciæ* inſtituit, & omnes Prouinciales Epiſcopos ad illam inuitat, tam deteſtabili rei, ne in effectum procederet, occurſurus.

> *bona Eccleſiæ Wratiſlauienſis, vi capit*

> *& decimas ſibi dari iubet.*

> *Quæ cum requiſitus non reſtitueret,*

> 1284. *Synodus prouincialis Lanciciæ indicitur.*

Quarto decimo Calend. Iunii *Przemiſlaus Sprotauienſis* Dux, in *Zegano* oppido ſortis ſuæ monaſterium ordinis * * * * ad petitionem & inſtantiam *Alberti* Plebani *Zeganenſis* fundat & erigit, & condignam illi dotem de villis & introitibus Ducalibus largitur.

Mortuo *Manegoldo* Cruciferorum Magiſtro, *Burcardus* de *Svvanden* ſurrogatur. Qui illius probitatis exſtitit, vt etiam ciuitati *Accon* in terra Sancta, diuturna obſeſſione *Saracenica* laboranti, depulſis barbaris ſuccurreret. Poſt paucos verò dies de Officio Fratribus nequicquam flexis genibus rogantibus, cedit, & *Ioannitarum* Ordinem aſſumit. In quo parum grauidè & prouidè habitus, Officium in *Pruſſia* repetere conatus, repulſam paſſus eſt. In cuius locum *Mamer* de *Querinuorth*, natione *Saxo*, ſubſtituitur.

> *Saraceni ex Acco depelluntur.*

1285. Epiphaniarum feſto adueniente, *Gneſnenſis* Archiepiſcopus *Iacobus Svvinka* in *Lanciticienſi* oppido Synodum tenuit Prouincialem. In qua *Paulo Cracouienſi*, *Ioanne Poſnanienſi*, *Viſlao Wladiſlauienſi*, & *Volmiro Lubucenſi*, Epiſcopis, cæteriſque inferioribus Prælatis & Abbatibus in notabili multitudine conuenientibus, cauſa *Wratiſlauienſis* Eccleſiæ, per *Henricum* quartum *Wratiſlauienſem* Ducem anguſtiatæ & oppreſſæ, tractari & agi coepta eſt. Et quoniam omni modeſtia erga tyrannum *Henricum*, *Thomas Wratiſlauienſis* Epiſcopus docuit ſe ſubmiſſius, etiam qua Pontificalem dignitatem decuerat, vſum fuiſſe, *Iacobus Svvinka Gneſnenſis* Archiepiſcopus, de Cœpiſcoporum ſuorum votis & conſilio, Proceſſu ſummario contra tyrannum inſtaurato, ipſum & omnes ſuos ſatellites, familiares, & adhærentes, & ſingulos qui eidem præſtarent conſilium, auxilium, & fauorem pro violentia & oppreſſione, quam Eccleſiæ *Wratiſlauienſi* intulerat, cenſuras Eccleſiaſticas extendit & aggrauat, & tam *Wratiſlauienſem* ciuitatem, quam omnia loca alia Principatus ſui *Wratiſlauienſis*, Eccleſiaſtico ſupponit Interdicto. Quod etſi mandatis ſui Metropolitani iuſtiſſimis parendo, vniuerſæ Eccleſiæ, vniuerſaque monaſteria *Wratiſlauienſis* ciuitatis & diœceſis obſeruaſſent, & organa Diuinæ laudis ſuſpendiſſent, ſoli Fratres *S. Franciſci* ordinis Minorum in monaſterio Sancti *Iacobi Wratiſlauiæ*, illud obſeruare contempſerunt. Sed pro Ducis *Henrici* & ciuium *Wratiſlauienſium* fauore & beneplacito, non compatiendo quemadmodum cætera nobilia & iuſta membra, capiti, publicè & notoriè profanabant. Eiectus eſt igitur tam Epiſcopus, quam omnis clerus *Wratiſlauienſis*, eiecti & Fratres Prædicatores (quos honoris & virtutis cauſa nomino) de *Wratiſlauienſi* ciuitate & aliis op-

> *Henricus Probus eiusque terræ Eccleſiaſtico ſupponuntur interdicto.*

> *quod fratres Minores Wratiſlauiæ non obſeruant.*

1285. oppidis, atque villis, per Ducem *Henricum* & ciues *Wratislauienſes*, qui ſecum vna ſentiebant, & ſuam fouebant mulcebantque contumaciam & tyrannidem. Et omnes in exilium acti, in *Poloniæ* diœceſes ſeceſſerant, & illic per omne tempus, quo perſecutionis detonabat procella, a *Polonicæ* Eccleſiæ Pontificibus, Prælatis, & Clero, benignè & humanè recollecti, & habiti, morabantur. Soli Minores Fratres humana & temporalia lucra ſectati, non ſine ſua & ordinis ſui nota & ignominia ſempiterna, non apud illa ſolùm, ſed etiam apud præſentia & futura ſecula, deteſtabilem memoriam habituri, reperti ſunt, qui Eccleſiaſticæ doctrinæ neruo temerato, miſerabiliter ſe inquinauerant, & tyranno *Henrico* Duci, eiusque ſatellitibus, & ciuibus *Wratislauienſibus*, per aſſiſtentiam addixerant. Apud quos plus valere viſa ſunt humana quàm Diuina, & iuſſis ſalutiferis præſtantiores victimæ. *Thomas* autem Epiſcopus *Wratislauienſis* ſuam & Cleri iniuriam repreſſurus, ad *Lugdunenſe* Concilium ſe perſonaliter contulit, ſed cum quoque illic ſperatum non offendiſſet remedium, Dux quippe *Wratislauienſis Henricus*, miſſis Procuratoribus, abſolutionem a cenſuris & interdicto *Gneſnenſis* Archiepiſcopi, obtinuit, nulla ſatisfactione de damnis & malis, quorum non erat numerus, *Thomæ* Epiſcopo impenſa, in *Poloniam* & *Lugduno* mœſtus rediit, & in *Ratibor* a Duce *Wladislao Opolienſi* recollectus habitauit.

A quo Dux abſoluitur, nulla ſatisfactione Epiſcopo data.

Sedata paullulum, ſiue potius per externa & barbarica bella dilata & condita, militaris contra *Leſtkonem nigrum Cracouienſem* & *Sandomirienſem* Ducem, ſeditio atque rebellio, quieſcentibus bellis, maiori rurſus turbine erupit, & tam *Paulo Cracouienſi* Epiſcopo, quam *Warſzio* Caſtellano, *Zegotha* Palatino, *Cracouienſibus*, *Ianuſſio* Palatino, *Criſtino* Caſtellano, *Sandomirienſibus*, cæteriſque Primoribus Baronibus terrarum *Cracouienſis* & *Sandomirienſis*, in illius deiectionem, & *Conradi Maſouiæ* & *Czirnenſis* Ducis inſtitutionem vno voto vno quoque tenore conſpirantibus, *Conradus* præfatus *Maſouiæ* & *Czirnenſis* Dux, notabilibus fretus copiis, primum *Zavvichoſt*, deinde *Sandomiriam*, *Paulo Cracouienſi* Epiſcopo, qui captiuitatis ſuæ vltum iri parans moleſtias, eam procellam exciuerat, ab omnibus aliis Baronibus, obuiam illi euntibus, aduenit. Vbi diebus aliquot, magno celebrato conuentu, in verba ſua ab vniuerſis *Cracouienſibus*, *Sandomirienſibus*, & *Lublinenſibus*, militibus iuratum eſt, & omnium caſtrorũ, ciuitatum, & munitionum facta deditio. Vna ſola *Cracouienſis* arx & vrbs reſtabat, in qua ſe *Leſtko niger* Dux cum *Griphina* conſorte, & paucis admodum familiaribus, a cæteris, ne illis perfidiæ eſſet ſi ſecum ſentirent, deſertus, continebat. Ad eam quoque comprehendendam, *Conradus Maſouiæ* & *Czirnenſis* Dux, ex *Sandomiria* cum copiis, a *Paulo Cracouienſi* Epiſcopo, & Baronibus, & militibus *Cracouienſibus* &

Deiecto Leſtkone nigro imperium Conradi Maſouiæ Duci defertur.

Sandomirienſibus conſultus, ire pergit, vnam victoriam in vno ſolo *Leſtkonis nigri* Ducis corpore, ſi capi poſſet, autumans conſiſtere. 1285. Pernicioſa difficultate vndique *Leſtko niger* Dux coarctatus, vario æſtu mentis fluctuans, quid ſibi agendum reſtaret, mœſtus & conſilii inops, deliberabat, deliberationem autem metus, & denunciatio hoſtilis aduentus, intercipiebat. Arcem quidem *Cracouienſem*, forti defenſorum & militum præſidio locandam eſſe, & ratio & neceſſitas ſuadebant: quatenus ea velut capitali retenta, cætera facilius in ditionem redirent. Sed id quoque conſilium militum defectio & eorum qui remanſerant paucitas, difficilius faciebant. Salubri tandem conſilio *Leſtko niger* B Dux inſpiratus, ad *Cracouienſes* ciues *Teutonicos* ſe conuertit, & tam Duciſſam *Griphinam* ſuam conſortem, quàm arcem in eorum fidem & tuitionem committit, pollicitus *fidem eorum in neceſſitatis articulo præſtitam, debellatis hoſtibus, abundè ſe præmiaturum*: ipſe cum paucis, arce ciuibus *Cracouienſibus* tradita, ſuæ deiectionis iniuriam amplexatus, in *Hungariam* ad *Wladislaum Hungariæ* Regem, auxilia quæſiturus, quantò celeriori poteſt curſu, quatuordecima die Iulii ex *Cracouia* egreſſus, contendit. *Cracouienſes* autem ciues aduerſus *Conradum Maſouiæ* Ducem, aduerſus quoque priores Barones & proprios milites defendere ciuitatem, quòd & humiles illius tunc muri, & parum C prouiſa mœnia eſſent, & tam arcis quàm ciuitatis tuitio, pro vno eodemque tempore, periculoſa videretur, diffiſi, ciuitate deſerta, cum vxoribus, pignoribus & fortunis, ſe in arcem recipiunt, contra quoslibet impetus eam tutaturi. Aduenit tandem cum exercitu *Conradus Maſouiæ* Dux, & vrbem vacuam offendens, in eam ſe recepit. Mittit deinde Barones ad ciues *Cracouienſes Teutonicos* arcem obſeruantes, familiares & notos illis milites, qui monerent, *vt arce reddita, & ipſi in Conradi, quem vniuerſale & concors Baronum & militarium decretum pro Duce delegiſſet, ditionem venirent, neque a communi voluntate militum deſiperent, iuſtum & fauorabilem Ducem Conradum, in eorumque* D *votis ſi quæ poſtulare vellent, clementem & propitium, iuxta & amplius quam Leſtkonem nigrum, ſi ſecum vnà ſentire cœperint, habituri, præſentis quoque facinoris impunitatem perpetuam; ſin minus, iratum & formidabilem relaturi.* Paruo temporis ſpatio ciues *Cracouienſes* ad deliberationem ſumpto reſpondent: *non licere illis propter iuſiurandi Sacramentum, quod omnibus Baronibus Cracouienſibus & Sandomirienſibus Leſtkoni nigro Duci præſtantibus, & ipſi præſtiterant, nouo ſe polluere periurio, & Leſtkone viuente, in Conradi ditionem concedere, non eſſe rem ſuæ conditionis ſuique iuris, obedientiam ſemel præſtitam, Leſtkone ſuperſtite, variare. Deſinerent eos ad rem illam adſciſcere velle, quam integram, cum illi primum non deliberaſſent, ſi nihil de fide ſemel*

1285. *Leſtkoni nigro Duci & Domino ſuo præſtita, etiamſi extrema vrgerentur pericula, mutaturos.* Ea ciuium *Cracouienſium* reſponſione, tam *Conradus Maſouiæ* Dux, quam *Cracouienſes* & *Sandomirienſes* Barones exacerbati, cum arcis *Cracouienſis* impugnatio, & conquiſitio, non minus difficilis quàm periculoſa videretur, conceptas reſponſione ciuium *Cracouienſium* iras, in tecta eorum innocua vertunt, & igne in locis pluribus adhibito, *Cracouienſem* vrbem ſæuiſſimo incendio conflagrant: cuius quondam ſtructuras & ornatum magnopere a Deo, animorum vices verſante fortuna, fulſiſſe optabant. Interim dum ea *Cracouiæ* agebantur, *Leſtko niger* Dux cum *Hungarorum* & *Comanorum* exercitu, ex *Pannonia* redibat, *Wladislaus* quippe *Hungariæ* Rex, afflictæ fortunæ ſuæ compaſſus, & præſtantiores ex Curienſibus ſuis tam *Hungaros* & *Comanos*, auxilium & reſtitutionem in Principatus ſibi præſtituros, ſecum transmiſit, & inſuper hortatus eſt, ad bellum capeſſendum propere incumbere. Huius quoque rei gratia *Conradus Maſouiæ* Dux ſibi occurſurus, & prælium cum eo conſerturus, ex *Cracouia* mouit caſtra, ratus ſe cum frequentibus ſuis copiis facile *Hungarorum* & *Comanorum* paucitatem oppreſſurum, ſpei tamen ſuæ aduerſus effectus reſpondit. In campis ſiquidem villæ *Boguczice*, haud procul a flumine *Raba*, cum *Leſtkone nigro* Duce, & *Hungaris Comanisque* ſuis adiutoribus collatis ſignis, ſecunda die Auguſti, cum occaſio ipſa nec differendi nec retardandi occaſionem daret, pugnans, ſuperatus atque victus eſt. Et ſtrage magna vtrinque proueniente, *Leſtkoni nigro*, qui iuſta arma induerat, ceſſit victoria. *Conradus Maſouiæ* Dux, in aliquorum ſuorum militum paucitate, quam in hoſte contempſerat, effugiens, non prius fugam ſiſtere voluit, donec in *Maſouiam* & caſtra eius ſe recepit. Errorem autem ſuum, ea clade, quam Diuinitus prout erat, rebatur accidiſſe, perculſus, recognoſcens, impetitionem *Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Principatuum, velut iniuſtam & deformem, omiſit. *Leſtko niger* Dux, *Hungaris & Comanis*, a quibus vsque *Cracouiam* deductus eſt, pro opera quam in prælio nauauerant, munifice remuneratis, & in *Pannonias* remiſſis, victoria modeſtiſſime vſus, & captos Barones in libertatem reſtituit, & profugas veniam deprecantes, in priorem ſtatum & gratiam admiſit. Expertus tunc in ſe *Leſtko niger* Dux *Cracouienſis*, quod quisque qui Reipub. adminiſtrationem ſuſceperit, inuidias, obtrectationes, odia, ſeditiones, repulſas, exilia cædesque ſubeat, oportet. Ciuibus autem *Cracouienſibus*, qui & arcem illi conſeruauerant, & nulla aduerſitate ab illius fide poterant diuelli, multas libertates præſtitit, & *Cracouienſem* ciuitatem, foſſatis, vallis, turribus, & muris muniri, & a ſolis *Theutonicis* illius regimen & gubernationem obtineri & dirigi, (Baronibus & militibus magna execratione & ſtomachatione rem improbantibus, ne quando aduerſus ſe calcitrarent,) illis permiſit. Tanta denique charitate *Leſtko niger Teutonicos Cracouienſes* ciues ab eo tempore extulit & coluit, vt ſe tam coma, quam habitu & moribus conformaret illorum.

Sed Conradus a Leſtkone vincitur, & in terram ſuam redit.

1285. *Boleslaus Maſouiæ* Dux, filius *Semouiti*, potentiis gentium ſuarum, tam ex equite quàm pedite contractis, terram *Ruſſiæ* ingreſſus, illam ſpoliis, igne, & cædibus vaſtat, & magna ſpolia in *Maſouiam* refert. Cuius exercitu ad propria dilapſo, *Rutheni Maſouiam* repentina irruptione ingreſſi, illam vaſtant, & *Boleslao Maſouiæ* Duce detrectante pugnam, ſpolia & ipſi frequentia in *Ruſſiam* referunt.

Ruſſiam Maſouita, deinde Rutheni Maſouiam vaſtant.

Nondum vna tyrannide *Henricus* quartus *Wratislauienſis* Dux perfunctus, alteram orſus. *Ioannem Niemczicz*, & germanum ſuum *Petrum*, item *Sbilutonem*, militares & innocentes viros, quod de violentia Eccleſiæ *Wratislauienſi* illata ab eis reprehenſus fuerit, trucidat. *Sandiuogium* vero *Ioannis* Palatini *Poſnanienſis* filium, qui illi *Caliſſienſem* arcem tradiderat, item *Beniamin* militem captiuat, & in carcerem atque vincula coniicit. Quos omnium æſtimatione exſtinxiſſe creditus, vitæ tandem & libertati reddidit.

Henricus Dux Wratislauienſis in ſuos ſæuit.

Succeſſorem & hæredem *Przemislaus Maioris Poloniæ* Dux exæſtuans relinquere, cuius rei contemplatione & reſpectu, *Lukierdim* conſortem ſuam, velut ſterilem, inſimulatus eſt per ſatellites ſuos iugulo ſuſtuliſſe, *Rikſam* virginem filiam *Sueciæ* Regis accipit in vxorem. Et vndecima Octobris die adductam, *Poſnaniæ* nuptiarum celebrat ſolennitatem. De iugulatione autem vxoris præfatæ Ducis *Przemislai Lukierdis*, quæ erat ex proſapia Marchionum *Brandeburgenſis* progenita, in execrationem tam fœdi ſceleris, Deo permittente, carmina vulgaria, ab agreſtibus ruditer compoſita, lingua *Polonica* vsque ad noſtra tempora canebantur. In quibus præfata *Lukierdis* obſecrabat Ducem *Przemislaum*, ſibi vitam non eripi, ſed in paternam domum etiam in pannis vilibus deduci.

Przemislaus Poſnan. Dux filiam Regis Sueciæ ſumit vxorem.

Peſtiferi vermes, caudas velut cancri habentes, in terra *Pruſſiæ* in magna multitudine in fine menſis Iunii ebulliunt, & plures mortales ſuo tactu extinguunt, adeo enim eorum tactus lethalis extitit, vt quemcumque roſtro pupugerint, altero aut tertio die exanimabatur.

Vermes in Pruſſia peſtiferi.

Maiori pernicie *Hungaria* à *Tartaris*, quam *Pruſſia* a vermibus afflicta eſt. Hi ſiquidem a *Comanis*, quos *Hungari* vicerant, inſtigati, in *Hungariam* infra octauas Epiphaniarum adueniunt, & cædibus ſpoliisque eam

Tartari Hungariam vaſtant.

1285. eam vſque ad *Peſth* & *Budam* peruaſtant, tanta freti multitudine, vt *Wladiſlaus Hungariæ* Rex congredi cum illis timuerit. Diutius autem A *Tartari* in *Pannoniis* vſque poſt feſtum Paſchæ commorati, tantum *Hungaris* diſpendium intulerant, vt pecoribus & iumentis deficientibus, homines bigas & aratra trahendo, vicem pecorum ſupplerent. Grandis tandem mortalitas, quæ multa eorum millia extinxit, ſecedere illos ex *Pannoniis* coëgit. Inuaſerunt eo anno *Tartari* Imperium *Conſtantinopolitanum*, multaſque terras Imperii, cæde ingenti in hominibus facta occupârunt.

& quaſdam Imperij CP. terras occupant.

Martino IV Papæ ſuccedit Honorius IV.

Feria quarta infra octauas Dominicæ Reſurrectionis, quinto Calend. Aprilis, *Martinus* quartus Papa, apud *Peruſium*, tribus annis ſedens, moritur, & in maiori Eccleſia ſepelitur. B Cui *Iacobus* de *Sabello* Diaconus Cardinalis, natione *Romanus*, de domo *Sabellorum* antiquo genere, *Honorius* quartus vocatus ſuccedit. Vir ſapiens & nulli nociuus. Qui poſt creationem *Romam* recedit, & iuxta Sanctam *Sabinam* in monte *Auentino* fabricat Palatia; pridie menſis Aprilis apud *Peruſium* in Papam electus. Quarta verò die menſis Maii per *Latinenſem Hoſtienſem* Cardinalem, primùm in ſacerdotem promotus, & tandem in Summum Pontificem conſecratus eſt.

Kunegundis Regina *Bohemiæ*, relicta *Othokari* Regis, & conſors *Zawiſzij* de *Rozemberg*, nona Septembris diem obiit, & apud Sanctum *Franciſcum Pragæ* ſepulta.

1286.

Conradus Maſouiæ Dux caſtrum Goſtinin conquirit.

Indigne & moleſtè ferens *Conradus Maſouiæ* & *Czirnenſis* Dux, caſtrum & diſtrictum C *Goſtinin*, à ſua ſorte & Ducatu ſequeſtratum eſſe, & in ditione atque ſorte *Wladiſlai Łoktek*, fratris patruelis *Brzeſtenſis* & *Cuiauienſis* Ducis, conſiſtere, captus illius ambitione, *Lithuanos* & *Ruthenos* in eius captionem ſubducit & ſubornat. Cuius vt captio facilius proueniret, nonnullos ex ſuis in *Goſtinin* caſtrum, tradimentum & fraudem opportuno tempore, de quo inter ipſum & *Lithuanos Ruthenoſque* conuenerat, patraturos, ſubmittit. *Lithuanis* itaque & *Ruthenis* ad conſtitutum diem clanculò & ſilenter aduenientibus, nauantibus *Conradi* Ducis ſatellitibus pro tradimento operam, *Lithuani* & *Rutheni* caſtrum *Goſtinin*, D fraude magis *Conradi* Ducis & ſuorum ſatellitum, quam robore expugnant & conquirunt, & tanta ſtrage in milites, quos in caſtro reperierunt, graſſati ſunt, vt in ore gladii trucidarent plurimos, reliquos in miſerabilem ducerent ſeruitutem. Sexcenti & amplius de ingenuis & agreſtibus ea clade aut necati aut capti, caſtrum *Goſtinin* cæde & innocenti Catholicorum ſanguine, à barbarorum truculentia effuſo, dotatum, *Conradus Maſouiæ* & *Czirnenſis* Dux accepit. Qui etſi cupidine ſua potitus ſit, ab vmbris tamen eorum, quorum ſtragem effecerat, reor illum per quietem identidem vexari. Sed nec diuturna *Conrado Maſouiæ* Duci atque militibus ſuis fuit ea lætitia, hi enim *Lithuani* atque *Rutheni*, qui illum in conquirendo caſtro *Goſtinin* adiuuarunt, ſub eiuſdem anni ſpatio *Maſouiam* ingreſſi, & caſtrum *Sochaczow* conquirunt, & caſtrum *Płoczko* negligentius cuſtoditum intercipiunt & exurunt, trucidatis vtriuſque ſexûs hominibus, nonnullis verò in captiuitatem abductis. 1286.

Boleſlao Duci Poſnan. naſcitur filia.

Magna ſpe, magnaque expectatione, *Przemiſlaum maioris Poloniæ* Ducem, de futura virili prole, Duciſſa & conſorte ſua *Rikſcha* porrigente in dies vterum, exultantem, fœmineus partus ab ea, prima Septembris die editus, à ſpe & hilaritate deiecit. Baptiſmalium tamen ſolennitatem *Poſnaniæ* celebrans, à Prælatis & Baronibus quos inuitauerat, etiam virilem ſexum ſperare iuſſus, coniugis nomen nouæ filiæ *Rikſcha* impoſuit.

Wladiſlaus Łoktek caſtrum Płoczko expugnat, & Goſtinin recuperat.

Stragem ſuorum militum & hominum in caſtro ſuo *Goſtinin*, per *Lithuanos* & *Ruthenos* patratam, *Wladiſlaus Łoktek Brzeſtenſis* & *Cuiauienſis* Dux vlturus, ſimulque caſtrum *Goſtinin* à *Conrado Maſouiæ* Duce occupatum recuperaturus, iuſtâ irâ iuſtâque indignatione in *Conradum Maſouiæ* Ducem ſuccenſus, qui primùm fratrem ſuum germanum *Leſtkonem nigrum* Ducem de *Cracouienſi* & *Sandomirienſi* Ducatibus exturbare & deiicere conatus eſt, ſe denique ex caſtro *Goſtinin* deturbaſſet, collecto ex pedite & equite exercitu, in *Maſouiam* ſilenti & latenti agmine veniens, caſtrum *Płocenſes* ſub intempeſtæ noctis ſpatio aggreſſus, vigilibus trucidatis & comprehenſis expugnat & conquirit, & in ſuam redigit ditionem. Quod non prius *Conrado* Duci, cuius erat, reſtituendum duxit, donec Baronum communium, ciuile & domeſticum bellum moleſtius ferentium, & exſtinguere pro viribus ſatagentium, interpoſitione, & damna ſingula circa interceptionem caſtri *Goſtinin* illata, ſibi ſoluta ſunt, & caſtrum *Goſtinin* redditum.

Ioannes appellatus *Viskowiecz Poſnanienſis* Epiſcopus, cum propè annis vndecim ſediſſet, moritur, & in Eccleſia *Poſnanienſi* ſepelitur. Cui eiuſdem nominis, ſed alterius appellationis vir *Ioannes*, cognominatus *traditor* aliàs *Herbut* vel *Gerbiſch Poſnanienſis* Canonicus, per electionem Canonicam via ſcrutinii celebratam ſucceſſit. Quam *Iacobus Swinka* Archiepiſcopus *Gneſnenſis* confirmans, præfatum electum in *Landa* monaſterio Ciſtercienſis ordinis, in Epiſcopum conſecrauit.

Lithuaniæ Dux Peluſa

Grauiter & iniquo animo *Peluſa Lithuaniæ* Dux ferens iniurias, quæ illi à Principali Duce *Lithuaniæ*, propinquo ſanguine ſibi iuncto, inferebantur, eaſque vltum iri æſtuans, ad Commendatorem in *Kinsberg*, *Albertum de Miſſen* ſecretò veniens, dari ſibi per Commendatorem viginti viros, quorum duo erant principales, *Martinus* de *Golin*, & *Conradus* de *Tunil*, in armis exercitatos, ad inferendum moleſtias Lithuanis, obtinuit. Dumque cum

1286. *Principalem Ducem nuptias agentem cum ſponſa captiuat, reliquos trucidat.*

complicibus ſuis præfatis in interiora *Lithuaniæ* perueniſſet, in caſtrum Principalis Ducis, in quod nuptias ex more celebraturi principaliores *Lithuani* conuenerant, nocte irruit, & omnes per ebrietatem & crapulam ſoporatos inueniens, ſeptuaginta Duces & maiores natu, plurimamque aliam multitudinem hominum permiſcui ſexus occidit. Sponſum verò & ſponſam cum multis matronis & virginibus, captiuos, onuſtos ſpoliis & clenodiis inſignibus, in *Kinsberg* deducit.

Bernardus Legnicenſis Dux, ob corporis agilitatem & robur, *agilis* appellatus, filius *Boleslai Saui Rogalki* moritur, & in monaſterio *Legnicenſi* fratrum Prædicatorum in ſepulchro paterno ſepelitur.

Tertio Nonas Iulii, *Venceslaus Bohemiæ* Rex, *Iudithan* filiam *Rudolphi Romanorum* Regis, & Patris ſui *Othokari* occiſoris, quam neceſſitate ductus dudum deſponſauerat, accepit vxorem, & pro dote ciuitas *Egra* illi à *Rudolpho* pignori data eſt. Sororem verò ſuam *Rudolpho* primogenito filio præfati *Rudolphi Romanorum* Regis vice verſa tradit in conſortem. *Iuditha Venceslai* coniunx viro cautior, inimicitias quæ inter *Venceslaum Bohemiæ* Regem, & *Albertum Romanorum* * * * * conſurrexerant, magno labore & ſtudio interpoſito diremit.

1287. *Diſtrictus & caſtrum Olobok à maioris Poloniæ militibus recuperatur.*

Maximum & notorium dedecus, prout erat, milites *maioris Poloniæ* rati eſſe, quòd *Henricus Wratislauienſis* Dux, pro reſtitutione caſtri *Caliſſienſis*, quod ſuo tractatu & blandimentis pollicitationibusque, fraude verò *Sandiuogii* filii *Ioannis* Palatini *Poſnanienſis* interceperat, diſtrictum & caſtrum *Olobok* occupat, iniuſſu Ducis ſui *Przemislai*, facto agmine, illuc ire pergunt. Et die quatuordecima Iunii, caſtrum *Olobok*, quod ex conditione fœderis *Przemislaus maioris Poloniæ* Dux ædificare ſuo ſumptu coactus fuerat, expugnare adorti, aliquot de ſuis deſideratis, aliquot vulneratis, magna vi & contentione conquirunt. Et nonnullis militibus *Sleſiæ*, qui illuc pro præſidio relicti erant, trucidatis, cæteros omnes in vincula coniiciunt, & tam caſtrum *Olobok* quam diſtrictum eius, quod *Henricus* quartus ſuo *Wratislauienſi* Ducatui iniuſtè annexuerat, in priſcam reducunt formam, & ſuæ Prouinciæ ſuoque *maioris Poloniæ* Principatui reſtituunt. Eam autem conquiſitionem etſi *Henricus* quartus *Wratislauienſis* Dux acerbè tuliſſet, miſſisque ad *Przemislaum maioris Poloniæ* Ducem fecialibus, caſtrum & diſtrictum *Olobok* ſibi reddi petiiſſet, *Przemislao* tamen reſtitutionem abnuente, ab armis abſtinuit, ſperans ſe dolo non ferro iniuriam ſuam aliquando vlturum.

Huius inſuper anni tempore, vigeſima octaua die menſis Decembris, prædictus *Przemislaus* ſecundus *Maioris Poloniæ* Dux, dum apud *Gneſnam* ageret, *Conradum* Epiſcopum & ſuam Eccleſiam *Lubucenſem*, notabilibus libertatibus donat, ac bona eiuſdem Eccleſiæ *Lubucenſis*, ſub ſuo Principatu conſiſtentia, ab omni ſeruitute & angaria *Polonica* libera eſſe decernit. 1287.

Dobrzinenſem terram, quam *Semouitus* Dux quintus, & vltimus *Caſimiri*, *Cuiauienſis*, *Lancitienſis*, & *Siradienſis* Ducis filius, quemadmodum in ſuperioribus narrauimus, in ſortem acceperat, *Lithuani*, *Pruthenì*, *Samogitæ*, cæterique gentiles, & barbaræ nationes, furtiuo & ſilenti agmine ingreſſæ, primùm principalem ciuitatem *Dobrzin*, die Dominico, ciuibus nihil hoſtile ſuſpicantibus, & Diuinorum officiorum auditione occupatis, comprehendunt. Spoliata deinde & incenſa ciuitate, trucidatis ſenibus & lactentibus, cæteros & in ciuitate & in rure comprehenſos, in miſerabilem captiuitatem abducunt. Cæſorum & occiſorum numerus, ad tria hominum vtriusque ſexûs creditus eſt aſcendiſſe millia.

Vicini barbari Dobrzinenſem ciuitatem ſpoliant.

Leſtko niger.

Recentem *Dobrzinenſem* cladem & vaſtationem, ſuas inſuper veteres atque transactas inuaſiones, & iniurias, quæ & *Lublinenſibus* & *Sandomirienſibus* terris, à *Lithuanis*, *Pruthenis* & *Samogitis*, cæteriſque barbaris inferebantur, *Leſtko niger*, *Cracouienſis*, *Sandomirienſis*, & *Siradienſis* Dux vltum & reſtrictum iri ſe ſimulans, generalem expeditionem omnibus ſuis Principatibus indicit, & tam ſe, quam milites ſuos & ſatellites, cruce ab Apoſtolica Sede, contra *Lithuanos*, *Pruthenos*, & cæteros barbaros prædicata & conceſſa, ſignat & communit, quaſi in barbaricum bellum, cum copiis equeſtribus & pedeſtribus, profecturus. Congeſto itaque & recenſito exercitu, barbaris omiſſis, in Catholicos ire pergit, & terram *Maſouiæ* Ducis *Conradi*, hoſtis & aduerſarii ſui, fratris patruelis germani, qui illum de Ducatibus *Cracouienſi*, *Sandomirienſi*, & *Siradienſi* exturbauerat, triplici agmine ingreſſus, crudeli ferocitate eam cædibus, igne & ſpoliis vehementer, omni clementia & pietate exutus, vaſtauit, prædasque pecorum & pecudum plurimas, *Conrado Maſouiæ* Duce neque decernere audente, neque aliquam reſiſtentiam faciente, ex *Maſouia* in Principatus ſuos aduexit. Pro ludibrio autem & ſimultate, quibus in Deum & Catholicos vſus, arma a barbaris in fideles verterat, adeo illum Diuina vltio perſecuta eſt, vt omni felicitate, quam illi propitiatio Diuina, in bellis & actionibus ſuis largiri conſueuerat, amiſſa, cladibus magis quam victoriis inſignior eſſet. Nam & in ea, quæ contra *Conradum Maſouiæ* Ducem egerat, expeditione, plures inſignes milites & bellatores fluuiis, dum eos ſuperare conantur, ſuffocatos, amiſit. Grandem deinde *Tartarorum* inuaſionem, poſtremò peſtem & epidimiam in vniuerſos graſſantem, item famem, agrorum & frumentorum alluuionem, mortalitatem quadrupe-

cruce ſe & exercitum ſuum ſignans,

Maſouiam multis cadibus & ſpoliis afficit.

Quem tamen Deus vltus eſt.

1287. pedum,mordacitatem beſtiarum & luporum, varias inſuper plagas Dei ſubinuicem ſuccedentes pertulit, vt tam ſibi quàm poſteris documento ſit,ne quis de cætero Deo & ſuæ religioni mentiatur & illudat, & quod ſine religione arma, quantumcunque potentia, non vincant.

In annum quintum *Thomæ* Epiſcopi, & ſui Cleri *Wratislauienſis*, patrata per *Henricum* quintum *Wratislauienſem* Ducem exiliatio, & tàm ciuitatum,oppidorum,& villarum, quàm decimarum & introituum Eccleſiaſticorum, execranda occupatio tendebatur, tanti tamen temporis ſpatio, ſatietas ſuæ cupiditatis non poterat expleri. Sed nec Eccleſiaſtico interdicto,à *Iacobo Swinka Gneſnenſi* Archiepiſcopo, in terras atque Principatus ſuos promulgato, ambitio ſua & tyrannis nequiuerat reſtringi. Statum denique ſuum Pontificalem *Thomas* Epiſcopus *Wratislauienſis*, & virorum Eccleſiaſticorum, qui ſecum vna acti erant in exilium, de cenſibus, introitibus, & decimis,in aliorum Ducum *Poloniæ* terris & ditione conſiſtentibus, quos *Henricus Wratislauienſis* Dux occupare non poterat,ſuſtentans,& in oppido *Ratiborienſi* ſuæ *Wratislauienſis* diœceſis domicilium agens,quod tunc a *Wladislao Opolienſi* Duce tenebatur, exilii ſui & ſuorum moleſtias æquanimus perferebat. Conatus illum *Henricus* quartus Dux *Wratislauienſis*,etiam de ſede illa deiicere,multis nunciis & literis *Wladislaum* Ducem ſollicitat, *ne hoſtem & aduerſarium ſuum Thomam Epiſcopum cum Clero Wratislauienſi in oppido ſuo manere ſinat: hoſtem infeſtum, ſi ſecus agendum duxerit,ex ſe habiturus.* Verum cum à *Wladislao Opolienſi* Duce denunciationes ſuas & terrores contemptum & irriſum iri videret, grandi exercitu tam de proprio milite,quam d natiuo ex pecunia,quâ Eccleſiam *Wratislauienſem* mulctauerat, conducto, terram *Wladislai* Ducis *Opolienſis* hoſtiliter ingreſſus, oppidum *Ratiborienſe*,propter præſentiam *Thomæ* Epiſcopi, & ſui Cleri *Wratislauienſis* obſidione vallauit. Quam etſi ciues ditiores *Ratiborienſes* aliquanto tempore pertuliſſent, & ampliori ſe ſponderent laturos,vulgus tamen permiſcuum in ſubſtantiis & victualibus tenuum, fame maceratum,continuas lacrymas & voces, gemitusque ſuſpirioſos, execrationibus & improperiis refertos, contra *Thomam* Epiſcopum, & ſuum Clerum *Wratislauienſem*,dum fames & deſperatio in dies creſcerent, & præſidium *Wladislaus Opolienſis* Dux,potentiam *Henrici* veritus, ferre cunctando negligeret,emittebat. Quibus *Thomas*, benigna pietate, qua ſemper affluere viſus,commotus. *Satius*, inquit, *eſt me & Clerum meum incidere in manus tyranni, quàm hos innocentes fame conſumi; liberemus extemplò obſeſſos, metu & fame morituros, periculo, & loci huius, qui nos longo tempore ſuſtinuit & aluit, impendentem perniciem, noſtra captiuitate, aut ſi in viſum cœleſtibus fuerit, morte ſoluamus.* Induit deinde veſtes ſacras, nonnullos quoque ex Clero iubet amici eiſdem, ac ſic tiarà & Pontificalibus inſigniis, cum Clero ſuo vniuerſo exulante, oppido egreſſus, ad caſtra pergit tyranni, iras ſuas ſupremo humilitatis genere placaturus. Cuius tyrannus viſo à longè aduentu, tanto metu diuinitus perculſus eſt, vt de tabernaculo ſuo exiliens,in occurſum Pontificis ocyus procurreret, & corruens pronus in terram,quaſi Diuinum aliquod numen in Epiſcopo videns, & in ſpem illius æternum Pontificem venerans,transgreſſionum ſuarum veniam precaretur. Quem *Thomas* Epiſcopus ex terra eleuans, omnem ſe illi præuaricationem transactam,dummodò in ea contritione & deuotione perſiſteret, obortis lacrymis, ſpondet indulturum. Et poſt flebiles amplexus & oſcula hinc inde vtrinque præſtita, proximam ædem Beato *Nicolao* ſacratam, Dux atque Pontifex abſque arbitris ingreſſi,longis & mutuis habitis tractatibus,his demum conditionibus, eoque pacto,pax & reconciliatio, & omnium offenſarum & iniuriarum obliteratio conuenit: *Vt Henricus Dux Wratislauienſis caſtra, ciuitates,oppida,villas,decimas, & quaſcumque fortes Eccleſiaſticas,quas occupauerat, Thomæ Epiſcopo & ſuo Clero Wratislauienſi redderet, & pro perceptis ſatisfactione condigna impenſa, amplas libertates & immunitates Eccleſiæ Wratislauienſi,ſcelus commiſſum expiando, conferret.* Ea reconciliatione ſecuta, ſublato & relaxato per *Gneſnenſem* Archiepiſcopum *Iacobum Svvinka* interdicto, & Dux *Henricus* abſolutus eſt,& Diuina Officia in eius Principatu reſumi cœpta. *Thomas* denique Epiſcopus *Wratislauienſis* beneficii & hoſpitalitatis, à *Wladislao* Duce *Opolienſi*, exiliationis tempore, ſibi & Clero ſuo præſtitorum memor, Eccleſiam Collegiatam ſub titulo *S. Thomæ Canthuarienſis*, in caſtro *Ratiborienſi*,à *Wladislao* rogatus fundat, eamque decimis menſæ Epiſcopalis *Wratislauienſis* dotat. Quæ proceſſu temporis ex arce in oppidum transuecta eſt, & plures Præbendæ largitione Ducum *Ratiborienſium* in ea circa translationem fundatæ. 1287.

Reconciliatio inter Henricum Probum & Ep. Wratislauienſem.

Ferociſſima gens *Tartarorum*,*Pſeudo-Machometi* ſpurciſſimos & deteſtabiles ritus profeſſa, tam actione quàm nomine Chriſtiano nomini inimica, dum in ſedibus ſuis fame & inediâ vexaretur, in graui multitudine in terras *Polonorum*, famem ſedatura, Ducibus *Nogay* & *Thelebuga*, proceſſit. Et *Ruthenorum* quidem terris, per quas iter agebat, tributa illi iam tunc reddentibus, aliquantiſper victualium receptione, vt famem excluderet, vexatis,primùm in *Lublinenſem* & *Maſouiæ*, expoſt in *Sandomiriæ*, *Siradiæ*, & *Cracouiæ* oras & terras, in locuſtarum numerum & morem, pluribus agminibus diſpartita,

Tartari in Poloniam irrumpunt, eamq; vaſtant.

XI

1287. XI Decembris die, quamuis fortiſſimis & maximis frigoribus, & denſiſſimis niuibus, oras omnes *Polonicas* prementibus, peruenit. Et pluribus monaſteriis, Eccleſiis, & munitionibus in quas ſe homines abdiderant, conquiſitis & incenſis, à caſtro & ciuitate *Sandomirienſi*, in cuius conquiſitione dies aliquot immorabantur, cum ignominia & ſtrage repulſa eſt, militibus qui in præſidio erant, arcem & ciuitatem ſtrenuè protegentibus. A monaſterio inſuper Sanctæ *Crucis*, *Calui montis* exercitus *Tartaricus* ſe continuit, neque illum locum, ſuadentibus *Ruthenis* qui in eorum comitatu erant, violare, ſed nec attingere, ſi ſecus facerent, non euaſuri, præſumpſit. Applicauerunt poſthæc in vigilia *Natiuitatis Chriſti Cracouiam*, & illam expugnare orſi, dum aliquot inſignes pugnatores amiſiſſent, magno vlulatu edito ab ea diſcedunt, & populationem ac ſpolium latiùs per vicos & rura, neminem credentes ſuæ multitudini poſſe aut audere reſiſtere, extendunt. Potuiſſet *Leſtko niger Cracouienſis* Dux, palantes per agros, *Tartaros* æquo loco, viſa opportunitate, inuadere, ſed & multitudo niuium, & militum fractus animus, obſtabant. Metu itaque nimio *Leſtko niger* Dux correptus, & de viribus ſuis & militum ſuorum diffidens, in *Hungariam* ſeceſſionem, cum coniuge *Griphina*, & nonnullis Baronibus, fecit. Propter quod *Tartari*, ex captiuis Ducem *Leſtkonem* in *Hungariam* ſeceſſiſſe docti, omnem *Cracouienſis* terræ oram, verſus *Sandecz* ſitam, & vſque ad *Alpes Pannonicas* licentiùs vaſtabant. Sub quo quidem tam miſerabili tempore, felix Duciſſa *Kinga*, *Boleslai* olim *Cracouienſis* Ducis, vocati *Pudici*, relicta, cum ſeptuaginta monialium *Sandecenſium* cœtu, nec non & duabus germanis ſuis *Iolenta Boleslai Pii Caliſſienſis* Ducis, & *Conſtantia Danielis Ruſſiæ* Regis relictis, quæ & ipſæ ſacram religionem & habitum induerant, multiſque Sacerdotibus & militibus, in caſtrum *Pieniny*, quod ſupra fluuium *Dunaiecz*, & propè oppidum *Kroſczienko*, conſiſtens, ſitum habet natura & arte munitiſſimum, vno tantum anguſto tranſitu adibile, ſe contulit, & illic per tempus vaſtationis *Tartaricæ* ſecura manſit. Ad quod licet *Tartari* applicuiſſent cum exercitu, non tamen illud audebant, nedum impugnare, ſed nec contingere, Diuinitate illis immittente pauorem. Sed nec monaſterium ſuum quod deſeruerat, fuit à barbaris aut incenſum aut violatum, efferatam barbariem, prece & merito felicis Duciſſæ *Kingæ*, reſtringente. Terris itaque nominatis, populo Chriſtiano & pecore enormiter ſpoliatis, ſenibus, Sacerdotibus, & lactantibus trucidatis, tam ingentem hominum vtriuſque ſexus, generis *Polonici*, prædam cepiſſe comperti ſunt, vt prædâ apud ciuitatem *Wladimirienſem* partitâ, viginti vnum millia de virginibus iuuenculis, nondum nuptis, fuêre numerata. Ex quo vno magnitudo cæterorum virorum, fœminarum, & paruulorum in captiuitatem abductorum, poterit, iuſtiori habitâ æſtimatione, cenſeri. Genus autem pugnæ, quo *Tartari* in bellis vtuntur, à cæteris nationibus diuerſum eſt. Pugnant ſiquidem eminus, in gyrum iaciendo ſagittas in hoſtes, præcurrentibus equis aut terga dantibus. Sæpè etiam fugam ſimulant, vt incautè perſequentes, aut vulneribus, aut oppreſſione circumueniant. Timpanis non tubis vtuntur. Plerumque in ipſo certaminis ardore, prælia ideò deſerunt, vt paullò poſt repetant, vt cum te maximè viciſſe putes, tunc tibi diſcrimen ſubeundum ſit grauius. Ingenia genti tumida, ſeditioſa, fraudulenta, procacia. Prædarum, ſpoliorum, & largitionum auidi, natura taciti, ſed in externos aut domeſticos motus inquieti, in libidinem & crapulam cæteraſque voluptates proiecti. Fides dicti promiſſiq; nulla, niſi quatenus expedit. 1287.

Zemomisl Cuiauiæ Dux moritur.

Zemomisl Cuiauiæ alias *Wladislauienſis* Dux, filius *Caſimiri Cuiauienſis*, *Lancitienſis*, & *Sandomirienſis* Ducis, annis duodecim eximium de Ducatu ſuo, quòd *Polonos* odire, *Almanos* fouere, & illos *Polonis* præferre ſolitus erat; iura militarium temerare, hæreditates eorum occupare, & genus *Polonicum* eliminare de terra, perferens, primâ Octobris die mortuus, nullos liberos relinquens. Cuius Ducatûs portio, ad poſſeſſionem fratrum ſuperſtitum peruenit.

Honorius IV Papa moritur.

Idibus Aprilis, *Honorius* Papa quartus, cum annis duobus & diebus aliquot ſediſſet, *Romæ* apud Sanctam *Sabinam* moritur, & in Eccleſia *S. Petri* ſepelitur. Incluſis autem pro alterius electione Cardinalibus, & ſeptem ex eis, propter temporis qualitatem calidam, mortuis, cæteris qui ſupererant in varia loca abeuntibus, ſubſtitutio Papæ in annum alterum erat intermiſſa.

Furoris & indignationis facibus dudum contra *Conradum Maſouiæ* Ducem patruelem fratrem, *Leſtko niger*, *Cracouienſis*, *Sandomirienſis*, & *Siradienſis* Dux, exæſtuans, alteram in illum & terras ſuas expeditionem, dum ſuperior parùm proſperè ceſſiſſet, moliebatur. Verùm *Cracouienſibus* & *Sandomirienſibus* militibus, quòd & bello eodem iam perfuncti, & clade *Tartaricâ* plurimùm vexati erant, militiam huiuſmodi detrectantibus, *Leſtko niger* Dux, iras ſuas in *Conradum Maſouiæ* Ducem ſatagens explere, Palatinum *Siradienſem Mathaeum*, & terræ tantummodò *Siradienſis* milites, qui minùs vaſtationis à *Tartaris* pertulerant, contra *Conradum Maſouiæ* Ducem deſtinat. Qui etſi Ducis ſui *Leſtkonis nigri* mandata tàm fideliter quàm feliciter exequens, vniuerſam ferè *Maſouiam* ſpoliis & incendiis peruaſtaſſet, *Conrado Maſouiæ* Duce, vel ex induſtria, vel ex impotentia, incertum eſt, defenſionem & repreſſionem negli- 1288.

Siradienſis Palatinus iuſſu Leſtkonis nigri Maſouiam impunè peruaſtat.

1288.

gligente,& belli quod gereret, *Matthæum* Palatinum *Siradienſem* ſinendo fortunâ defungi, ad extremùm tamen grandis periculi & infelicitatis diſcrimine *Matthæus Siradienſis* Palatinus,& ſuus exercitus perculſus eſt. *Maſouiæ* ſiquidem terra peruaſtata, agmine ex præda & pecore onuſto, & incompoſito ordine procedente, *Maſouiæ* Dux *Conradus*, cum militum & agreſtium, damna & incendia paſſorum, multitudine, opportunitatem benè gerendæ rei multifariè inueſtigans & explorans, per inuia & abdita loca, quò facilius hoſtes falleret, ſectabatur. In confinio tandem *Maſouiæ* præfatum *Matthæum* Palatinum *Siradienſem*, & exercitum eius, ſtatiua agentem, apud quem per crebros exploratores, didicerat omnia, vt fit, à re benè geſta, in negligentiam verſa & ſoluta, ſecurè, & cuſtodiis non prouiſum, quieſcentem, in diluculo, ſeptimo Calend. Iulii, inuadit, ſtratosque ſomno & fatiga milites, repentinâ inuaſione adeò perterruit, vt pauci rationis & memoriæ compotes correptis armis, velut lymphantes & attoniti diſcurrerent, cæteri pauore perculſi fugam maturarent. *Matthæus* Palatinus *Siradienſis*, Dux exercitûs, cum paucis militibus qui ad ſe confluxerant, conſtanter ſe certamini ingerens, multæ probitatis ſignis editis, pugnans occiditur. Eadem & militum ſuorum erat fortuna. *Conradus Maſouiæ* Dux, facili negotio *Siradienſi* exercitu fuſo & debellato, & hoſtium caſtris, fortunis, armisq; potitus eſt, & omnem prædam de terris ſuis abactam, nonnullis etiam *Siradienſibus* militibus captis, recuperauit.

quem Conradus Maſouiæ Dux inuadit, occidit, & multis captis prædam excuſſit.

Zophia genere *Lithuana*, conſors *Boleſlai* filii *Semouiti Maſouiæ* Ducis, fœmina raræ pietatis & deuotionis in Deum, moritur, & in *Plocenſi* Eccleſia ſepelitur.

Peſtis in Ruſſia.

Ingens peſtis & mortalitas in pleriſq; *Ruſſiæ* terris inualeſcens, plurimos mortales in ſexu vtroque extinxit: quæ non ex cœleſtium influentia, neque contagione aut auræ afflatu cauſata, ſed ex aquis, malignitate *Tartarorum*, quos *Rutheni* ſuperiori anno in vaſtandis *Polonorum* regionibus adiuuerant, ſeque illis aſſociauerant, infectis, ſcita eſt iuſtiſſimo Dei iudicio proueniſſe, vt *Rutheni* peſſimi ſui obſequii *Tartaris* in debellatione præſtiti, condignam reciperent mercedem, peſſimo genere exitii ab his conficiendi, quibus contra Catholicos, qui & ipſi Catholici æſtimari volunt, præſidium tulerant. *Tartari* ſiquidem poſt partitam, & in varias nationes venundatam, ex captiuis *Polonis* ſexûs permiſcui prædam, terris *Ruſſiæ* exceſſuri, & *Ruthenis* clandeſtinam, dum apertam, prohibentibus ſuis Ducibus, nequirent, perniciem irrogaturi, vndas eorum & flumina hoc modo inficiunt. Corda ſiquidem Chriſtianorum hominum *Polonorum*, ex captiuorum grege, quos pro ſortilegiorum, diuinationum, incantationum, & auguriorum officiis, quibus gens illa magnoperè dedita eſt, peragendis, plus quam centum numero occiderant, de cadaueribus occiſorum extracta, fortiſſimis venenis inebriant & inficiunt, & tam in profluentes & A ſtagnantes aquas, verubus & lignis in longum proiectis, vt diutius durarent, impoſita, immergunt. A quibus aquæ infectæ, adeò in *Ruthenos* qui aquas illas quocumque vſu contingebant, venenum & morbos vulgauerant, vt ſubitò procumbentes, nullis antidotis profectum afferentibus releuati, occiderint. Serò tandem & plurimis per tabem in corpora ingeſtam conſumptis, latens malum deprehenſum eſt, & aquarum vſus velut fatalis & peſtifer à *Ruthenis* faſtiditus.

Vigeſima ſecunda Februarii die, Cardinales, qui ex infectione apud conclauium proueniente, mortem euaſerant, iterum conclaue, viribus reſumptis, pro eligendo Summo Pontifice ingreB ſſi, fratrem *Hieronymum* ordinis Minorum Presbyterum Cardinalem, virum religioſum, & ab omni carnalitate in nepotes & conſanguineos ſecretum, ex *Marchia Anchonitana* ex ciuitate *Extulo* ortum, *Nicolaum* quartum appellatum in Papam eligunt. Qui illicò ex vrbe ſe *Reatam* contulit, & vno anno illic immoratus, *Romam* reuerſus ad Sanctam *Mariam* maiorem reſidentiam vſque ad obitum egit.

Nicolaus IV. in Papam eligitur.

Quarto Calend. Maii, in die videlicet *S. Vitalis* Martyris, *Wislaus Wladislauienſis* Epiſcopus, ſub tempore & regimine *Engelberti* Abbatis *Biſſouienſis*, tranſtulit monaſterium *Biſſouienſe* de *Biſſouia* loco ſuæ fundationis primario, in locum & villam *Schmeiſſe*. Quam appelC lari voluit *Felicem vallem*, quæ hodie vocatur *Koronow*. Monaſterium autem præfatum, primùm cœpit in Hoſpitali in villa ſupra *Viſtam*, è regione ciuitatis antiquæ *Wadislauienſis*, inde *Biſchouiam* translatum. Vbi cum annis ſeptuaginta duraſſet, in *Koronow*, velut locum cultiorem, plures commoditates ob fluuium *Obra*, qui illum præterfluit, habentem, transfertur.

Henricus Probus Wratiſlauiæ Eccleſiam S. Crucis erigit.

Henricus quartus *Wratiſlauienſis* Dux, Diuinitatem, quam conſcientia meliori mente illuſtrata & diſcuſſa, deprehendit, exiliando *Thomam* Epiſcopum & Clerum *Wratiſlauienſem*, bonaque Eccleſiaſtica tyrannicè occupando, ſe vehementer offendiſſe, placaturus, Collegiatam Eccleſiam, in ſummo *Wratiſlauienſi*, ſub D Sanctæ *Crucis* honore & titulo, pulcherrimam & inſignem, ædificat, fundat, & erigit, ac certum Prælatorum & Canonicorum numerum, Vicariorumque in eadem, qui iugiter laudes Deo concinerent, & ſacrificia offerrent, inſtituens, dotem vnicuique munificam, de villis & introitibus ſuis largitur & conſignat. In craſtino verò huius fundationis, fratres ſuos patrueles germanos, *Henricum Legnicenſem*, vocitatum *Craſſum*, & *Boleſlaum Swidnicenſem*, militari baltheo accinxit. In eam inſuper religionem præfatus *Henricus* quartus *Wratiſlauienſis* Dux, ſiue præteritæ præuaricationis in Deum, & Eccleſiam recordatio & gehennæ metus, ſiue orbitas id efficiebat, per-

1288. perductus eſt, vt ciuitatem *Wratislauienſem* cum ſuis ſuburbiis & attinentiis vniuerſis, Eccleſiæ & Epiſcopatui *Wratislauienſi*, perpetuâ & irreuocabili donatione decreuiſſet conferre, niſi *Thomas* Epiſcopus *Wratislauienſis* donationem ipſam, veritus ſe ciuitatem proceſſu dierum, ab hoſtili inuaſione tueri non poſſe, patenter & expreſſè abnuiſſet.

1289. Variis cladibus & bellis ſub triennii ſpatio infeliciter geſtis, cæteriſque tam domeſticis quàm externis caſibus, ſub idem tempus accidentibus, *Leſtko niger Cracouienſis, Sandomirienſis*, & *Siradienſis* Dux vexatus, graui mœroris & mentis anguſtia angi cœpit adeò, vt ſenſim in viribus deflueret. Altiori deinde morbo & ægritudine correptus, vltima Septembris die, in caſtro *Cracouienſi*, ſacro percepto viatico, animam exhalat, & in monaſterio ordinis Prædicatorum, in parte chori ſiniſtra, quem locum viuens delegerat, iuſto & Ducali honore ſepelitur. Poſt cuius mortem, quoniam non hæredem, non ſuperſtitem, non ſucceſſorem, propter ſimultates, dudum inter illum & Barones, ac militares exortas, reliquerat, bellicus illicò ſtridor, & ciuilis commotio inter *Poloniæ* Principes ebuliuit, dum *Cracouienſis, Sandomirienſis, Lublinenſis*, & *Siradienſis* Principatuum, qui cæteris in *Poloniæ* Regno præſtant, vacantem ex morte *Leſtkonis nigri* ſucceſſionem, ſibi, alius potentia, alius opibus fretus, alius germanitatem, alius conſanguinitatem, alius electionem, alius deſignationem, prætendens, deſtinant. Paulus interim Epiſcopus *Cracouienſis*, Baroneſque & militares Principatuum, *Cracouienſis Sandomirienſis*, & *Lublinenſis*, (iam ſiquidem *Siradienſi* ſequeſtrato à tribus cæteris, facto in *Wladislai Łoktek Cuiauienſis* Ducis ditionem conceſſerat) de futuro Duce ſibi prouiſuri, conuentum apud *Sandomiriam* agunt, & *Boleslaum Maſouiæ* Ducem, faſtidio germano ſuo *Conrado*, pro quo toties periculis ſe, cum proprio Duce *Leſtkone nigro* pugnando, addixerant, & cui identidẽ iureiurando ſe aſtrinxerant, mores illius peroſi, & ne quid grauius Principatu adepto, pro vaſtatione hoſtili ſuo *Maſouiæ* Ducatui irrogata, in eos conſuleret, in Ducem eligunt & aſſumunt. Quem pro gerendo Principatu honeſtis nunciis a *Maſouia* accerſitum, *Cracouiam* deducunt, & tàm arcis quàm ciuitatis *Cracouienſis*, ſibi aſſignant poſſeſſionem. *Boleslai Maſouiæ* Ducis electionem & ſubſtitutionem, per *Paulum* Epiſcopum & Barones, militareſque *Cracouienſes* & *Sandomirienſes* factam, ciues *Cracouienſes* velut ſibi pernitioſam, nè, Baronibus ſuadentibus, *Boleslaus* nouꝰ Princeps in eos, pro *Conradi* fratris ſui repulſa animaduerteret, irritaturi, *Henricum* quartum *Wratislauienſem* Ducem *Cracouiam* accerſunt, ſpondentes ſe illi arcem & vrbem *Cracouienſem*, cæteraſq; munitiones conquiſituros, qui confeſtim congeſto exercitu, verſus *Cracouiam* ire pergit. Aduenienti verò eo, *Cracouienſis* ciuitas per ciues, carnificum maximè operâ, qui

Leſtkone mortuo

Barones Boleslaum Maſouiæ Ducem eligunt,

& Cracouiã ducunt.

Ciues autem Cracou. Henricum IV. Wratislau. vocantes præualent.

tunc inter cæteros mechanicos præſtabant, patefactis portis, quas *Boleslaus Maſouiæ* Dux occluſerat, tradita eſt. *Boleslaus Maſouiæ* Dux a caſtro *Cracouienſi* prorumpens, ad *Cracouienſes* & *Sandomirienſes* milites, facturus Duci *Henrico* quarto *Wratislauienſi* reſiſtentiam, ſe recepit, & in caſtro *Sandomirienſi* paruo tempore commoratus, non illic perſeuerandum diutius ducens, altera die, militibus acies inſtruentibus, & ne ſe deſereret, ſummoperè precantibus, operamque ſuam pro repulſione *Henrici* quarti *Wratislauienſis* Ducis pollicentibus, furore & indignatione plenus, quòd ſe non ad Principatũ, ſed ad bellũ, cuius incertus euentus foret, accerſiſſent, diſcedit. Cuius diſceſſu Barones & militares *Cracouienſes Sandomirienſesq;* perculſi, ad *Henricum* quartum *Wratislauienſem* Ducem *Cracouiæ* conſiſtentem, cui etiam arcem *Cracouienſem*, *Boleslao Maſouiæ* Duce recedente, didicerant conſignatam, inſignes nuncios mittunt, certaſq; illi, ſi apud illos Principari velit, proponunt conditiones. Quibus ab *Henrico* quarto *Wratislauienſi* Duce, nihil enim præter æquum continebant, approbatis, vniuerſorum pari conſilio, voto, & conſenſu, *Henricus* quartus *Wratislauienſis* Dux, in *Cracouienſem*, *Sandomirienſem*, & *Lublinenſem* Principem electus eſt & aſſumptus. Qui rebus ap. *Cracouiã* compoſitis, *Wratisl.* reuertitur.

Quam pluribus largitionibus, donis & promiſſis, *Caſimirus Opolienſis* & *Bithomienſis* Dux, *Wladislai* quondam *Opolienſis* Ducis filius, à *Venceslao Bohemiæ* Duce pellectus, & ſuæ Regiæ ſtirpis, & proſapiæ nobiliſſimæ, quàm à Regibus *Polonorum* ducebat, oblitus, non bello victus, non eruptionibus hoſtilibus fractus, non deniq; aliqua probabili aut euidenti neceſſitate proſtratus, ſed temerariam & auaram ſecutus mentem, ſe dominio & ditioni præfati *Venceslai* Ducis *Bohemiæ*, necdum enim in Regnum euectꝰ erat, ſubiicit, ſe illius & *Bohemiæ* Regni, non in ſui ſolum, ſed & ſtirpis ſuæ & Ducum *Poloniæ* dedecus, Regniq; *Poloniæ* enormem iniuriã & offenſam, vaſallum & ſubiectum profeſſus.

Caſimirus Opolienſis Dux Bohemiæ Duci ſe ſubiicit.

Octaua Maii, *Mſczugius* tunc *Pomeraniæ* Dux, pro die illa agens in ciuitate ſua *Swieczie*, de conſenſu *Viſlai Wladislauienſis* Epiſcopi, in titulum & honorem glorioſiſſimæ *Virginis Mariæ*, fundat monaſterium ordinis Prædicatorum in *Thſczow* ſ. *Derſchaw*. Donans monaſterio & fratribus monaſterii præfati arcem & inhabitationem à pede montis propè fluuium *Viſla* ſiti verſus orientem, vſq; ad cimiterium Parochiæ verſus occidentem. A meridie autem à platea ciuitatis, quæ à foro directè tendit verſus *Viſlã*, vſq; ad aggerem inter duo foſſata poſitum inter aquilonem. Dans inſuper eis poteſtatem & licentiam in vniuerſo Principatu ſuo ligna, lapides, cementum recipiendi, ſcindendi & comburendi, nec non *Viſla*, & in riuulis, fluuiis, torrentibus, & quibuslibet aquis, circum ciuitatem fluentibus, liberam piſcaturam, item per *Viſtam* nau-

Monaſterium in Thſczow fundatur.

1289.

naulum & tranſitum liberum, abſque omni thelonei & nauli ſolutione.

Victricum ſuum Dux Bohemiæ captiuat & obtruncat.

Victricum ſuum *Zawiſſium* de *Rozemberg*, matris videlicet ſuæ *Kunegundis* maritum, multorum *Bohemorum* ſimultate & inuidia, partim iuſta partim ficta, *Venceslaus Bohemiæ* Dux apud ſe inſimulatum peroſus, etiam illum de Capitaneatu *Bohemiæ*, in quem illum euexerat, deiicit. Qui nouiter editi à ſe de filia *Wladislai Hungariæ* Regis, quam nonnulli monialem profeſſam aſtruunt, & quam ſecundo matrimonio duxerat, filii ſolennitatem baptiſmalium acturus, *Venceslaum Bohemiæ* Ducem ad illam, ſimulque ſocerum ſuum *Vladislaum Hungariæ* Regem, & *Henricum* quartum *Wratislauienſem* Ducem inuitat. Verùm antequam ſolennitas huiuſmodi aduenisset, *Venceslaus Bohemiæ* Dux *Zawiſſium* de *Rozemberg*, quaſi cum *Wladislao Hungariæ* Rege ſocero ſuo, & *Henrico* Duce *Wratislauienſi*, in ſuum interitum, in baptiſmalibus futuris efficiendum, conſpiraſſet, captiuat, & biennio in *Pragenſi* caſtro vinculis & carcere excruciatum, ante caſtrum ſuum *Friburg*, vt de illo *Venceslao* Duci cederet, perductum, renitentem, capite truncauit.

Lithuani Sambienſem oram ſpoliant.

Lithuanorum Dux & exercitus, in numero octo millium hominum, *Sambienſem* regionem ingreſſus, cædibus, flammis, & ſpoliis eam vaſtauit. Cruciferis autem decertare cum hoſtium multitudine non audentibus, exercitus *Lithuanicus* ſpoliis onuſtus in propria rediit, quinquaginta tamen de ſuis deſideratis, qui per Cruciferos ſunt intercepti.

1290.

Wladislaus Loktek

Oppreſſum, per ſubſtitutionem *Henrici* quarti *Wratislauienſis* Ducis, in *Cracouienſem*, *Sandomirienſem* Ducatus, & *Boleslai Maſouiæ* Ducis ceſſionem, ciuile bellum, rurſus erupit, per *Wladislaum Loktek Cuiauienſem* Ducem, & qui iam *Siradienſem* Ducatum obtinebat, reintegratum. Qui grauiter & irato animo ferens, *Leſtkonis* germani ſui Ducatus, ſe, qui & germanus, & propinquior cenſeri debebat, præterito, per *Henricum* quartum *Wratislauienſem* Ducem occupatos, omnibus viribus, omnibusque conatibus ad conſequendum illos, & ad excludendum *Henricum* quartum de *Cracouienſi* ſede intendit. Ad quod non ſolùm ſuapte, qui naturâ ferox, manu & lingua promptus erat, ſed omnium *Maſouiæ*, *Lanciciæ*, & *Maioris Poloniæ*, item *Pomeraniæ* Ducum, ſolatia ſua illi ad rem pollicentium mouebatur. Primo itaq; vere, ex propriis & acquiſitis terris congeſto exercitu, *Caſimiro Lanciciæ*, *Boleslao* & *Conrado Maſouiæ*, Ducibus, in propriis perſonis, *Przemislao* verò *Maioris Poloniæ*, & *Mſczugio Pomeraniæ*, Principibus, per milites illi auxilia ferentibus, verſus *Cracouiam*, præſidium *Henrici* quarti deiecturus, contendit. De hac hoſtilitate *Henricus* quartus *Wratislauienſis* Dux, & nunciis *Cracouienſibus*, & rumore certior factus, nequiens propter valetudinem quâ iam corripiebatur, belli impendentis munꝰ obire, *Henricum Legnicenſem*, *Przemislaum Sprotauienſem*, Duces, cum gentium ſuarũ copiis, ad *Cracouiam* tuendam tranſmittit. Quos, rebus ad *Cracouiam* benè ordinatis, relictiſque nonnullis militibꝰ, qui ciues & populares in fide continerent, in *Sleſiam* reuertentes *Wladislaus Loktek Cuiauienſis* Dux, cum cæteris Ducibus, circa oppidum *Sziewior* ſtatiua agentes inuadit, illis quoque in arma ruentibus, atrox prælium inter fratres & milites, quanto Calend. Martii, committitur. Et poſt multam ſtragem, vtrinq; prouenientem, *Wladislao Loktek*, & his qui illũ comitabantur, ceſſit, licet non incruenta, victoria, pluribus *Sleſianorum* militibus cæſis, aut in fuga captis. In eo prælio *Przemislaus Sprotauienſis* Dux, filius *Conradi Glogouienſis* Ducis, vix adoleſcentiam pertingens, occiditur, & in *Sleſiam* relatus, in monaſterio *Lubenſi*, cui ad id, in quo concidit, bellũ iturus, duas villas, videlicet *Lioſſoskowicze* & *Zirkow* donauerat, ſepelitur. *Boleslaus Opolienſis* Dux capitur vulneratus. Duo quoq; certamina, alterũ apud *Skalam*, alterum apud *Swietnicz*, per milites edita, duas quoq; ſtrages in *Sleſiæ* militibus effecerant. *Wladislaus Loktek Cuiauienſis* Dux, victoria & ſpoliis hoſtium potitus, maiori ſpe & fiducia potiundi *Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Principatꝰ, ex *Sziewior Cracouiam* diuertit; cui velut victori, & tam *Pauli* Epiſcopi quàm Baronum & militum *Cracouienſium*, adhærentiam ſortito, *Cracouienſes* ciues aduerſari non auſi, portas aperiunt, & tam arce quam vrbe *Cracouienſi* ſuſceptus, Princepſq; *Cracouienſis* declaratus, in caſtro *Cracouienſi* conſedit, Baronibus & militaribus magis, quàm ciuibus *Cracouienſibus*, propenſiori illum colentibus fide & deuotione. Nihil ſua & ſuorum clade, quam apud *Sziewior* pertulerat, *Henricus Wratislauienſis* Dux perfractus, nouas copias *Cracouiam*, ſpem deditionis haud ambiguam nonnullis ciuibus *Cracouienſibus* afferentibus, ſub *Henrici* Ducis *Legnicenſis* ductu, cum ſolus aduerſa valetudine detineretur, tranſmittit. Exercitus itaq; Ducis *Wratislauienſis Henrici*, latenter *Cracouiam* adueniens, à ciuibus *Cracouienſibus*, partes *Henrici* Ducis *Wratislauienſis* ſectantibus, nocte in vrbem exceptus, parùm abſuit vt *Wladislaum Loktek* inter præſidia militum in ciuitate obuerſantem, viuum non caperet. Qui cum nonnullis militibus, pedeſter hoſtium manus, quorum aduentum tardiùs perſenſerat, in fratrum Minorum S. *Franciſci* habitu, illum per murum, ſuo cœnobio coniunctum, demittentium, ægrè effugit. Plures tamen ſui milites dum reſiſtunt repugnantque, aut cæſi aut capti à *Sleſitis* ſunt. Sed neque *Paulo* Epiſcopo *Cracouienſi* parſum, qui & ipſe velut præcipuus *Henrici* Ducis *Wratislauienſis* adverſarius, rebus omnibus exutus, captus & abductus, & aliquanto tempore velut captiuus habitus eſt, captiuitatis calamitatem tertia iam vice expertus. In bona deinde rebellium militum, & qui

1290.

fuſo Henrici exercitu

pro Principe à Cracouienſibus ſuſcipitur

Breui tamen Cracouiam Henricus recuperauit.

1290. *Wladiſlao Loktek* Duci *Cuiauienſi* ſe addixerant, aut qui in ditionem *Henrici Wratiſlauienſis* Ducis detrectabant concedere, per *Sleſiæ* A & *Henrici Wratiſlauienſis* Ducis milites & exercitum animaduerſum eſt; & agri eorum peruaſtati, & Curiæ eorum ædeſque incenſæ. Quibus malis militares attoniti, *Henrico* Duci *Wratiſlauienſi* ſe rurſus ſubiiciunt, qui Epiſcopum *Cracouienſem Paulum*, & omnes milites captos relaxans, præſidium forte militum in *Cracouia* iuſſit conſiſtere, quod & *Wladiſlaum Loktek* Ducem *Cuiauienſem* ab inuaſione arceret, & deſciſcendi à ſe occaſionem militibus præcideret. Fratribus Minoribus, qui *Wladiſlaum Loktek*, & ſuos nonnullos milites ſeruauerunt, peracto bello, gratiæ habitæ, eorumque cœnobio tam largitiones quàm immunitates Ducales conceſſæ.

Henricus IV. Probus moritur.

Valetudinem aduerſam ex veneno, ſibi per ſuos *Sleſitas* ſubminiſtrato, à quo plus quam ſemeſtri detinebatur ſpatio, *Henricus* quartus *Probus* alias *Pius Wratiſlauienſis* Dux, intelligens ſenſim inualeſcere, & vim veneni augeri & diffundi, *Thoma Wratiſlauienſi* Epiſcopo, & Primoribus Baronibus accerſitis, cum nullum ſuperſtitem relinqueret, *Wratiſlauienſem* Ducatum Patruo ſuo *Conrado Glogouienſi*, *Cracouienſem* verò & *Sandomirienſem Przemiſlao maioris Poloniæ*, Ducibus, teſtamentali ordinatione conſignat. Cæteras res ſuas, partim Eccleſiæ, partim conſorti ſuæ *Methildi*, partim miſerabilibus perſonis partitus, vndecimo Cal. Auguſti in caſtro *Wratiſlauienſi* decedit, & in Eccleſia S. *Crucis* à ſe nouiter erecta & dotata ſepelitur.

Wratiſlav. Ducatum Conrado Glogov. Cracouienſem vero Przemiſlao maioris Poloniæ Duci relinquens.

Poſt cuius obitum *Conradus Glogouienſis* Dux, cum ſe ab *Henrico* quarto hæredem, & in *Wratiſlauienſem* Ducatum ſucceſſorem noſſet declaratum, *Wratiſlauiam* aduenit, ſperans ſe *Wratiſlauienſem* Ducatum pacificè & abſque competitore poſſeſſurum. Principatum autem illius nonnullis tam militaribus, quàm ciuibus *Wratiſlauienſibus* magnoperè, quod & in guerras bellaque & diſſenſiones procliuus, & in ſermone parum verax foret, faſtidientibus, quibuſdam verò approbantibus, re ex altercatione & iurgiis iam in ſeditionem ſpectante, *Henricus Legnicenſis* Dux, filius *Boleſlai Sæui Rogatká*, moribus & virtute inter *Sleſiæ* Principes ſpectatior, per maiorem & ſaniorem militarium & ciuium *Wratiſlauienſium* partem accerſitus aduenit, & *Conradum Glogouienſem* Ducem Patruum germanum, in *Wratiſlauienſis* Ducatûs poſſeſſione aliquanto tempore permanentem ex *Wratiſlauia* diſcedere coëgit. Veritus ſiquidem *Conradus* Dux *Glogouienſis*, ne ab *Henrico* Duce *Legnicenſi* vinciretur, per vnam portam *Wratiſlauienſi* ciuitate egreditur, dum per alteram *Legnicenſis* Dux *Henricus*, militaribus & ciuibus in obuium illi effuſis, ingrederetur. Militari itaque & ciuili fauore *Henricus Legnicenſis* Dux, in *Wratiſlauienſem* Ducatum

Sed Wratiſlauienſes Conradum peroſi, Henrico Legnicenſi ſe ſubiiciunt.

ſuccedens, plenam & pacificam illius obtinuit aliquanto, non tamen diuturno tempore, propter inſidias, quas illi pro deiectione ſua *Conradus Glogouienſis* Dux molitus eſt, poſſeſſionem. 1290.

Methildis relicta *Henrici* quarti, ad patrem ſuum *Othonem Longum* ex *Wratiſlauia*, ſolutione dotis habita, diuertens, & in viduitate Domino ſeruiens, moritur, & in monaſterio *Leninenſi* ſepelitur.

Andreas Hungariæ Dux inſidias fratris fugiens in Poloniam fugit.

Germanum fratrem *Andream* Ducali tantummodò nomine in eam diem contentum, *Wladiſlaus Hungariæ* Rex, de Regni ambitu, habens delatum & ſuſpectum, cum & ingens in ſe propter execranda facinora Primorum *Hungariæ* odium, & in *Andream* fratrem, ipſum ad ſuccedendum, fratre depulſo aut capto, in Regnum, notorius fauor, ſuſpicioni B delationique fidem faceret, ad occidendum illum clandeſtinè carnifices deſtinat, & ſubornat. Quo periculo *Andreas* cognito, cum non reperiret in *Hungaria* locum, in quo ſecurus à fraternis inſidiis conſiſteret, cum paucis conſciis in *Poloniam* contendit. Et primùm ad materteram ſuam *Kunegundim Cracouienſem* Duciſſam, in monaſterio ſanctimonialium in *Sandecz* antiqua, conſiſtentem, peruenit, à qua per ſigna in corpore demonſtrata, recognitus, cauſis itineris & fugæ expoſitis, benignè diebus pluribus habitus eſt. Qua etiam intercedente, manſio illi per *Przemiſlaum Cracouienſem* & *Maioris Poloniæ* Ducem, apud Curiam Regalem *Chroberz*, conſignatis C introitibus aliis, qui ſuæ conditioni ſuppeterent, conceſſa eſt. Verùm quo vitam tutatum ſeruatumque venerat, illic ibi ei breui erepta eſt. Nonnulli ſiquidem *Hungari* à *Wladiſlao Hungariæ* Rege corrupti, & immiſſi, ad *Andream* Ducem in *Chroberz*, quaſi ſui fidiſſimi, per *Wladiſlaum Hungariæ* Regem, niſi aufugiſſent, vltimo ſupplicio propter fauorem in *Andream* depromptum, ſe ſimulantes plectendos, perueniunt. Qui chariſſimo affectu ab *Andrea* Duce, velut compatientes & vnanimes, licet pectus proditione refertum geſtarent, tractati, viſo opportuno tempore, Ducem *Andream* comprehenſum, in flumine *Nida*, qui villam *Chroberz* circumfluit, nihil præſentem D & hoſpitalem veriti Deum, ſubmergunt, ſceléreque huiuſmodi patrato, antequam vulgaretur, in *Hungariam*, carnificii ſui meritum, ab *Hungariæ* Rege *Wladiſlao*, cuius mandato illud egerant, percepturi, diffugiunt. Corpus *Andreæ* Ducis à nautis in flumine *Nida* repertum, primùm apud monaſterium Fratrum Minorum in *Korczin*, poſt paucos verò dies, prouidente deuotiſſima fœmina *Kunegundi Cracouienſi* Duciſſa ſua matertera, ad monaſterium *Sandecenſe*, decima octaua Nouembris die, deductum eſt. Pro cuius à morte reſuſcitatione Sanctimonialium importunis precibus deuicta feruentiſſima ſupplicationis oratione in pri-

Poſtea iuſſu Wladiſlai aquis immergitur.

1290. in priuato oratorio inſtante, tres moniales variis & vicariis exauditis vocibus, videlicet *Gertrudis, Aldegundis*, & *Grzimiſlawa*, ad oratorium prædictum, in quo & corpus præfati *Andreæ* Ducis iacebat exanime, accurrunt. Et videntes fœminam Beatam *Kunegundim* ſplendore cœleſti illuſtratam, etiam illam cum quibusdam perſonis, quarum neque eſſentiam neque perſonam videre poterant, colloquentem, quærentem quoque & reſponſa accipientem, percipiunt. Vident & in corpore *Andreæ* Ducis filii *Stephani Hungariæ* Regis, pridem vndis apud *Chroberz* ſuffocati, viuificationis & reſurrectionis ſigna. Ad quod Beata fœmina *Kunegundis*, cum religioſis & deuotis ſororibus accedens, & pedes illius tangens, ſurgere illud prohibuit. *Quieſce*, inquit, *quieſce, quoniam ita Clementiſſimo tuo & meo Saluatori beneplacitum eſt, & tuæ ſaluationi congruum, in pace.* Et illicò ſignis vitæ ad imperioſa verba euaneſcentibus, funeri ſua & mortis ſigna reddita ſunt, corpusque ſepulchro mandatum. Cum autem fœmina benedicta *Kunegundis*, per religioſas ſui ordinis ſorores, cur mortuum corpus nepotis ſui Ducis *Andreæ* reſurgere non ſiuiſſet, quæreretur, ſilentio multifariis vicibus abſoluit quæſtionem. A ſororibus autem identidem vexata, rupto ſilentio, quærentium moleſtias euaſura, tres fuiſſe cauſas diuinitùs ſibi reuelatas, propter quas mortui Ducis *Andreæ* cadauer, ad preces ſuas viuificatum non exſtitit, edixit. *Vnam, quòd mors illi ſalubris, & nullo peccato mortali pro ea vice irretito, acciderat, cui ſi vita donaretur, pleriſq; ſcitus erat inquinandus ſceleribus. Secundam, quia multus Chriſtianorum ſanguis ſui occaſione veniebat fundendus. Tertiam, quòd viuificatio illius in vulgarem gloriam apud Polonici & Hungarici generis populares homines, quæ meritum præteritorum operum Benedictæ fœminæ mutilaſſet, verteretur.*

Mſczugius Pomeraniæ Dux Przemiſlaum ſucceſſorem deſignat.

Videns *Mſczugius Swantopelci* filius *Pomeraniæ* Dux, ſe filiis & filiabus orbum eſſe (vixerat enim incontinenter & lubricè, fouendo pro concubina ſponſam *Chriſti* ſanctimonialem de monaſterio *Stolpicenſi Sulkam* nomine) *Przemiſlaum* ſecundum, *maioris Poloniæ* Ducem, propter identitatem & propinquitatem ſanguinis, ſibi deſignat hæredem & ſucceſſorem, & ei de Principatu *Pomeraniæ* cedit. Cui milites vniuerſi Principatus prædicti *Pomeraniæ*, iubente Duce eorum *Mſczugio*, fidelitatis & omagii præſtiterunt iuramenta.

1291. Funeſto Marte, per funeſtas concertationes & prælia, inter cognatos & propinquos *Polonorum* Duces geſta, apud *Cracouienſem* & *Sandomirienſem* Ducatus, & pro illorum conſecutione & ambitu, ferociter detonante, cum *Wladiſlaus Loktek Cuiauienſis* Dux, cui iam *Siradiam* & *Sandomiriam* obtinenti, ſola *Cracouia* deerat, à *Przemiſlao maioris Poloniæ* Duce occupata, multifariè *Przemiſlaum* præfatum *maioris Poloniæ* Ducem pro illius ceſſione, armis & bello laceſſitum iri, contenderet, amplior quoque Ducatibus ipſis pernicies acceſſit. Duciſſa namque *Griphina, Leſtkonis nigri, Cracouienſis*, A *Sandomirienſis & Siradienſis* Ducis relicta, ſiue eiectionem & expulſionem de dotalitii ſui bonis, ſi *Wladiſlaus Loktek Cuiauienſis* Dux conſequeretur Principatus, verita, ſiue guerris inteſtinis, quæ poſt mortem mariti intumeſcebant, & damnis ex illorum continuatione prouenientibus, afflicta, ad *Venceslaum Bohemiæ* Ducem, nepotem ſuum ex ſorore *Cunegunde* genitum, nuncios mittit, donans illi donatione perpetua, ex auctoritate, quam in ſe per *Leſtkonem nigrum* maritū olim ſuum, literis etiam publicis atteſtantibus, aſtruebat transfuſam, *Cracouienſem* & *Sandomirienſem* Ducatus, & rogans *vt vel per ſe veniat, vel gentes ſuas mittat, ad capeſſendum Ducatuum præfatorum, antequam ab aliis iniuſtis Dominis occupentur, poſſeſſionem.* 1291.

Donatione iniuſta Griphina Leſtkonis viduæ

B Ludibrio & cachinno alius hanc donationem excepiſſet, cum monſtro perſimile foret, matronam *Bulgariæ* ortam, *Polonorum* Principatus donandi & conferendi poteſtatem nactam eſſe, quam falsè ſibi a *Leſtkone nigro* Duce viro ſuo ementiebatur, literis, ſi quæ extabant, vitiatis, & præter mariti voluntatem falsè ſignatis, attributam. Quamuis nec *Leſtko niger* Dux præfatus, orbus ipſe, & ad principandum in *Cracouienſi* & *Sandomirienſi* Ducatibus, accitus, poterat in fratrum ſuorum germanorum, & cæterorum *Poloniæ* Ducum, ſtricta illum affinitate contingentium, præiudicium, *Griphina* Duciſſæ huiusmodi facultatem contuliſſe. *Venceslaus* tamen *Bohemiæ* Dux, qui ad occupandum *Polonorum* Principatus vehementer flagrabat, & C qui anno ſuperiori ſuum conſobrinum & fratrem *Nicolaum*, de Ducatu *Opauienſi* per iniuriam eiecerat, tenuiſſima hac occaſione, quaſi iure iuſto & legitimo pellectus, temerariam materteræ ſuæ *Griphinæ Leſtkonis* relictæ, caduco & labili, & plusquam arundineo fundamento innixam, acceptat de *Cracouienſi* & *Sandomirienſi* Ducatibus donationem, & *Thobiam Pragenſem* Epiſcopum cum exercitu *Cracouiam* deſtinat. Poterat *Przemiſlaus maioris Poloniæ* Dux, in cui9 ditione *Cracouia* conſiſtebat, *Thobiam* Epiſcopum *Pragenſem* & exercitum *Bohemicum* a *Cracouienſi* vrbe, arce, & Ducatu excludere, copiis & milite, & omni apparatu bellico *Bohemis* ſuperior & inſtructior, liuore tamen, quo in *Wladiſlaum Loktek Cuiauiæ* Ducem, agebatur, D ne *Cracouienſis* illi ad reliquos, quos obtinebat, Principatus accederet, peruſtus, *Thobiæ Pragenſi* Epiſcopo de arce atque *Cracouienſi* Ducatu cedit, & illius ſibi, *Griphina* Duciſſa *Leſtkonis* relicta, & nonnullis militibus & ciuibus *Cracouienſibus*, *Wladiſlao Cuiauiæ* Duci infeſtis, procurantibus, & fauentibus, tradit poſſeſſionem. *Cracouienſi* autem arce & vrbe in poſſeſſionem recepta, pro conſequendo *Sandomirienſi* Ducatu, *Bohemicus* exercitus verſus *Sandomiriam*, militibus aliquibus *Cracouienſib9* auctus, progreſſus, *Visliciam* oppidum, natura & ſitu, flumine inſuper *Nida*, longo & porrecto ambi-

& conceſſione Przemiſlai

Ducatus Cracov. in Wenceslai Bohemiæ Ducis poteſtatem venit.

Digitized by Google

1191.

ambitu circumquaque illud ſtagnante, forte, deditione capit. Caſtrum inſuper *Oblekom* propè fluenta *Viſtæ* ſitum, in quo præſidium *Polonicum* habebatur, expugnat. A *Sandomirienſi* verò caſtro & oppido per *Wladiſlaum Loktek* Ducem *Cuiauienſem* & eius milites, dum illud expugnare, deditione non proueniente, contendit, turpi repulſa & ignominia, ſtrageque, plurimis *Bohemis* militibus, partim deſideratis, partim vulneratis & captis, diſcedens, *Cracouiam*, & deinde in *Bohemiam*, præſidio militum *Bohemiæ* in caſtro & ciuitate *Cracouienſi* relicto, redit. *Griphinam* etiam Duciſſam *Leſtkonis* relictam, ne quo pacto donatio de Ducatibus *Cracouienſi* & *Sandomirienſi*, *Venceslao Bohemiæ* Duci per eam facta, ad irritum recideret, ſecum ducens. Quæ apud *Bohemos Pragæ* annis aliquot contemptui & ludibrio habita, tandem moritur, & in monaſterio Minorum Sancti *Iacobi*, iuxta ſororem ſuam *Cunegundim*, matrem *Venceslai Bohemiæ* Ducis, ſepelitur. Ex eo tandem tempore *Venceslaus* præfatus *Bohemiæ* Dux, ſe Ducem *Cracouienſem* & *Sandomirienſem* geſſit & titulauit. Exercitu *Bohemico* & eius Ductore *Thobia Pragenſi* Epiſcopo ex *Cracouienſi* ora diſcedente, continuò *Wladiſlaus Loktek Cuiauiæ* Dux, armis & potentia adeo ſuperior in *Bohemos* euaſit, vt & præſidium *Bohemicum* de *Viſlicenſi* oppido expelleret, & *Viſlicenſi* oppido in ſuam ditionem redacto, cæteras à *Bohemis* poſſeſſas munitiones & præſidia, euerteret expugnaretque, & vſque ad *Cracouienſis* ciuitatis ſuburbia, cuncta aut vaſtaret, aut ſuis cogeret ſeruire tributis. Propter quod militibus & ciuibus *Cracouienſibus* querelis de ſua oppreſſione *Venceslaum* Bohemiæ Ducem fatigantibus, *Thobias Pragenſis* Epiſcopus cum nouo exercitu in *Poloniam* ad *Cracouienſem* Ducatum transmittitur, auxilium grauatis pace per treugam compoſitâ, aut defenſionem laturus. Sed *Wladiſlao Loktek Cuiauienſi* Duce omnem compoſitionem & ſufferentiam aſpernante, & continuas in rebelles & *Bohemos* apud *Cracouiam* agentes, excurſiones & congreſſus edente, *Thobias Pragenſis* Epiſcopus re infectâ *Pragam* reuertitur, denuncians *Wladiſlai Loktek Cuiauienſis* Ducis potentiam inſolentem & fortem, cui à ſe reſiſti non poſſe, & ad illius oppreſſionem dominationemque fortioribus copiis, quàm quæ ſibi mandatæ fuerant, opus fore.

Cuius exercitus apud Sandomiriam fugatur, & Wladiſlaꝰ Loktek omnia à Bohemis capta præter Cracouiam recuperat.

Rudolpho Imp.

Sedecima menſis Iulii die, *Rudolphus Romanorum* Rex, ægritudine & ſenio grauatus, Imperiali benedictione non habitâ *Erfordiæ* moritur, & in *Spiram* ciuitatem *Alſaciæ* deductus, propter ſtrenuitatem in ſepulchris Imperatorum condigno honore ſepelitur. Qui quamuis Comes de *Anuberg*, tenuis & modicæ ſubſtantiæ fuerit, ex ſua tamen probitate Regnum *Almaniæ* in magna pace, annis decem ſeptem, recuperatis etiam nonnullis terris ab Imperio alienatis, poſſedit. Electores Imperii tam Eccleſiaſtici quàm ſeculares, celebrato conuentu, *Adolphũ* Comitẽ de *Anaxone*, virũ ſtrenuum in armis, ſed in potentia debilẽ eligunt A in Imperatorem. Paucos ſiquidẽ habebat introitus, & parũ in parentella radicatus; in corde tamen fuit magnificꝰ, & virtute plenꝰ; qui reſpectꝰ Electores Imperii ad eligẽdũ eũ pertraxerat.

1291.

ſuccedit Adolphus.

Nona menſis Iulii die, *Wladiſlaus* Rex *Hungariæ*, *Andreæ* Ducis germanus & occiſor, in tabernaculo ſuo, propè caſtrum *Kirilſztegi*, quieſcens, à *Comanis*, & ſignanter à *Barbuſis*, *Trantek* & *Kementhe*, eorumq; cognatione, quorum ritui & moribus, Eccleſiæ prohibitionem habens oſtentui, ſe addixerat, diris vulneribus multipliciter ſauciatus, occiditur, & in *Canadmo* ſepelitur: iuſtò atque innoxio *Andreæ* Ducis B filii *Stephani Hungariæ* Regis ſanguine, ad Dei tribunal de terra vociferante, ſanguini innocenti *Andreæ* Ducis parentatur. In cuius locum, quoniam orbus moriebatur, *Andreas* de *Venetiis*, ex ſemine Regum *Hungariæ* ducens genus & originem, decimo octauo poſt *Wladiſlai* necationem die, in Regnum ſubſtituitur & coronatur. Cuius ea fertur fuiſſe, quam ſuperficietenus attigiſſe ſat erit, originis propago. Cum *Hungariæ* Rex *Andreas*, huius nominis ſecundus, quarti *Belæ* Regis & *Colomani* Ducis vxore primâ *Gertrudi*, Beatæ *Heliſabeth* genitrice, aſſumpta, facto in terram Sanctam paſſagio, in reuertendo, hoſpitio per Marchionem *Eſtenſem* exceptus, filiam ſuam raræ pulchritudinis illic oſtendiſſet, accepit illam in coniugem, & in *Hungariam* deducit, tractatq; vt Reginam. Verùm C *Andreæ* Rege rebus humanis exempto, Regina in paternam domum, priuignis cogentibus, reuerſura, ſe grauidatam Epiſcopis & Baronibus *Hungariæ* ſignificans; & ad patrem reuerſa, edidit infantem, nomen Regum *Hungariæ Stephanus* illi imponens. Qui ad ætatem legitimam perueniens, auum Marchionatu *Eſtenſi* priuare nititur, à quo pulſus, ad *Iacobum Aragonum* Regem, ſororem ſuam ex primo matrimonio, filiam *Andreæ Hungariæ* Regis habentem pro vxore, ſe contulit. Vbi aliquanto tempore exacto in *Italiam* redit, & à *Rauennatibus* in poteſtatem aſſumitur; ſed inde iterum pulſus, *Venetias* ſe confert, & à potente ac diuite *Venetiarum* ciue, qui illum ſanguinis Regii fuiſſe nouerat, colle D ctus, etiam in generum aſcitus eſt, filia ſua illi deſponſata. Ex qua filium ſuſcipiens, auitum nomen *Andreas* illi optauit. Qui cum adoleuiſſet, ſuffragio amicorum matris in pulcherrimo comitatu in *Hungariam* venit ad *Wladiſlaum* Regem, & tam moribus quam virtute, quis & vnde eſſet, ſe & Regi & Baronibus inſinuans, *Pannoniorũ* diadema *Wladiſlao* occiſo, cũ nemo alius de ſanguine Regio ſuperſtes foret, adeptus. Qui anno ſecundo Regni ſui *Auſtriam* cum exercitu valido ingreſſus, ipſam vaſtauit. Contra quem *Boniſacius* Papa octauus, à *Ioanne* & *Henrico Hungariæ* Baronibus frequenti ſtudio ſollicitatus, *Carolũ* vndecim annorum adoleſcentem, à Regibus *Hungariæ* per lineam maternam deſcendentem, adiungens Legatum

Wladiſlaus Hungariæ Rex occiditur:

cui ſuccedit Andreas Venetus.

qui la-

1291. de latere in ſubſidium, transmittit in *Hungaria* regnaturum. Sed reſiſtentiam faciente *Andrea* Rege, nullo profectu habito, excluſus eſt. A

Conradus Glogov. Dux, incurſionibꝰ DucatumLegnic. affligit,

Deiectione ſua à *Wratislauienſi* Principatu *Conradus Glogouienſis* Dux, per *Henricum V. Legnicenſem* Ducem irrogata, cuius ſibi fuerat ab *Henrico* quarto vocato *Probo Wratislauienſi* Duce in extremis agente, ſucceſſio demandata, graui exacerbatus irritatione, omnes cogitatus conatusque ſuos, ad guerram & hoſtilitatem, *Henrico* quinto *Wratislauienſi* & *Legnicenſi* Duci opportuno tempore inferendam, intendit. Quam propalam & vi aperta, quod *Henricus* tam gentibus quam opibus excelleret, perficere deſperans, verſutiis & dolis agendum duxit. Nam Ducatus *Wratislauienſem* & *Legnicenſem*, per nocturnas clandeſtinasq; excurſiones, prædationes, captiuationes, & incendia B plurimùm & multifariè vexauit, afflixitque.

& cum fratre Henrici Lignic. conſpirat.

Et cum *Boleslao Swidnicenſi* Duce, *Henrici* quinti germano, qui & ipſe in *Henricum* fratrem felicitati illius magnoperè inuidens, iniquo erat animo, occultis conglutinatus fœderibus, captiuitatem aut necem *Henrico* quinto moliebatur. Conſpiraſſe fratrem ſuum *Boleslaū Swidnicenſem* Ducem aduerſus ſe & in ſuam perniciem ignorans *Henricus*, ferri ſibi præſidium, & ſe ab illo tam armis quàm conſiliis, contra *Conradum Glogouienſem* Ducem, iuuari & defendi, crebris nunciis precibusque optat: faciliùs mutuo & fraterno auxilio *Conradi* inſidias ſuperaturus. Quo operam ſuam, dummodò ſibi aliquam ſortem de *Wratislauienſi* Ducatu, iuxta ſe ac illum contingente, donare conſentiat, deuouente, fœdus ſecum paciſcens, duas illi ciuitates *Lawor* & *Strzegom* ex pacto donat. Qui donatione huiuſmodi ſuſcepta, aſtringit ſe iureiurando, omnem defenſionem & aſſiſtentiam *Henrico* quinto, contra *Conradum Glogouienſem* Ducem præſtiturum.

Sed fratres conciliati Conrado ſiunt infeſti.

Saraceni reſiduum Regni Hieroſolymitani conquirunt.

Sub hoc tempore, *Tripolis, Achon,* & *Tyrus*, ciuitates terræ Sanctæ munitiſſimæ, & à Chriſtianis in eam diem, licet *Hieruſalem* amiſſa, poſſeſſæ & defenſæ, vi prælii a *Zoldano* captæ ſunt, triginta millibus Chriſtianorum & amplius à *Saracenis*, qui de illis varia & inenarrabilia conſtituebant ludibria, occiſis. Quibus conquiſitis, nihil de Regno *Hieroſolymitano* remanſit, quod non fuerit a *Saracenis* occupatum.

Cruciferi Lithuaniam,

Cruciferi Sanctæ *Mariæ* de *Pruſſia*, Duce Fratre *Bartholdo* de *Brunhauin* Commendatore *Kinsbergenſi* vſi, terras *Lithuaniæ* prædatum ingreſſi, caſtro *Kolein* conquiſito, & exuſto, multis *Lithuanis* peremptis, & ſeptingentis captis, in *Pruſſiæ* oram reuertuntur. Inuaſionem autem Cruciferorum *Lithuani* in terras ſuas prohibituri, caſtrum *Mingedin* extruere cœperunt. Cuius extructionem Commendator *Kinsbergenſis Bartholdus* auerſurus, nouo comparato exercitu, illuc ire pergit. Sed *Lithuanorum* multitudine, quæ ædificantes obſeruabat, deterritus, in alia loca diuertens, caſtrum *Lithuanicum Mederabe* conquirit. Vbi omnes Catholicorum ſoluit captiuos, barbaros verò obtruncat, aut captiuitati reſeruat. 1291. Vix dum *Bartholdꝰ* Commendator *Kinsbergenſis* ex *Lithuania* redierat, cum continuò Magiſter *Pruſſiæ Memer*, cum forti & numeroſo exercitu *Lithuaniam* aggreſſus, duos diſtrictus *Poſtbonow* & *Gierſchow* in cinerem redigit, & cum multa præda captiuorum & pecorum reuertitur. Agit & tertiam, Magiſtro reuerſo, *Henricus* Commendator de *Balga* in *Lithuanos* expeditionẽ, & mille quingentis vigintiq; militibus aſſumptis, duos diſtrictus *Okain* & *Mingedin* igne & cædibus vaſtat.

Lithuanorum Dux Cuiauiam vaſtat.

Poſt paucos deinde dies *Lithuanorum* Dux *Vithenenſem*, hoſtiliter terram *Cuiauienſem* ingreſſus, ſpoliis & cædibus circa oppidum *Brzeſczie* patratis, hominum & rerum prædam non paruam ſecum abduxit. Et licet *Wladislaus Loktek*, & *Caſimirus*, *Cuiauiæ* & *Lanciciæ* Duces, cum militibus ſuis eos fuiſſent inſecuti, Magiſter quoq; *Pruſſiæ Menhardus* accerſitus, tempeſtiuè adueniſſet, re tamen memorabili nulla editâ, omnes abiere retrorſum. Communi naturæ vitio, vt reor, *Lithuanorum* inſultu, tumultuario quidem & repentino, quod illos tunc *Lithuanorum* latebat tenuis & incognita conditio, territi, eos perſequi, ac cum illis decertare deſtiterunt.

Venceslaus Bohemiæ Dux cum ingenti exercitu

Crebra ac identidem repetita militum ſuorum, qui *Cracouiam* obſeruabant, *Venceslaus Bohemiæ* Dux querela & prece, de ferendo anguſtiatis & oppreſſis per *Wladislaū Loktek Cuiauiæ* Ducem, ſuffragio victus, quam maioribꝰ copiis ex *Bohemis* & *Morauis* conuenire iuſſis, verſus *Poloniam*, ad ferendum ſuis opem, ire pergit. 1292. C Et cum propriæ copiæ ad id bellum gerendum languidæ viderentur, *Othonem longū Brandeburgenſem* Marchionem, ſuum in pueritia curatorẽ, in ſui auxilium conducit, bipartitoq; exercitu, per *Opolienſem* Ducatum, traductis copiis, poſt Aſſumptionis Dominæ noſtræ diem, *Cracouiam* perueniunt.

Cracouiam venit.

Vbi à *Cracouienſibus* militibus & ciuibus honore iuſto exceptus, aliquot hebdomadis illic, de ordine belli contra *Wladislaū Loktek Cuiauiæ* Ducem gerendi conſultando, commoratus eſt. D Et nonnullis verſus *Sandomiriam*, cæteris verſus *Siradiam* (ambæ enim arces & ciuitates à *Wladislao Loktek* tenebantur) exercitum promouendum cenſentibus, *Viſlicienſi* oppido, itineri verſus *Sandomiriam* afferente & obiiciente diſcrimen, verſus *Siradiam* itum eſt, & agri tantummodò villarum & oppidorū, quæ *Wladislao Loktek* parebant, populati vtiq; *Wladislaus* enim *Loktek Cuiauienſis* Dux in pugnam vniuerſæ dimicationis cum *Venceslao Bohemiæ* Duce, & exercitu eius, prudentiſſima conſultatione non veniens, in ſingulis locis & ſtatiuis, quoties ſe offerret occaſio & opportunitas vtilis, *Bohemicū* & *Almanicum* exercitum nocturnis inuaſionibus laceſſebat. Sed & milites pabulatoresq;, longius pabulandi aut populandi gratia à caſtris progreſſos,

1291. greſſos,obterebat fundebatque. Tantumque metum hoſtibus locorum imperitis,peritus ipſe iniecerat,vt vigiliæ in caſtris *Bohemicis* & *Almanicis* duplicarentur,& nemo pabulatum auderet,niſi ſub forti militum conductu, prodire.Sub tot & tantis difficultatibus *Venceslaus Bohemiæ* Dux,cum *Othone Longo Brandeburgenſi* Marchione, *Siradiam* perueniens oppidum *Siradienſe* obſidione cingit,& in die Sancti *Venceslai* conquirit. Arcem vero *Siradienſem* conquirere ſe poſſe deſperans,palude enim & vndis vndique conſepta, præſidio inſuper forti munita, aut impoſſibilem aut diuturnam ſui conquiſitionem portendebat, in *Bohemiam* parum proſpere re geſta militibus aliquibus *Cracouiam* pro tuendis ſubiectis remiſſis, ex ſtatiuis apud *Siradiam* habitis, gloriabundus,quòd oppidum *Siradienſe* nec arte nec natura munitum cepiſſet,redit. Quo diſcedente,*Wladislaus Loktek Cuiauienſis* Dux in *Siradienſi* & *Cracouienſi* Ducatibus principari non deſiit, pertinaciusque in *Bohemos* & rebelles graſſatus.

Poſtea oppido Siradienſi capto in Bohemiam redit.

Kinga Duciſſa Cracouienſis moritur.

Magnæ ſanctitatis & religionis,miræque deuotionis in Deum,fœmina & virgo Duciſſa *Kinga Boleslai Pudici Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Ducis relicta & filia *Belæ Hungariæ* Regis,cum annos tredecim in monaſterio *Sandecenſi* in magna abſtinentia, & proprii corporis mortificatione exegiſſet, graui infirmitate anno propè vno vexata,vigeſima quarta Iulii deuotiſſimè moritur,& in monaſterio *Sandecenſi* ſepelitur: diem & horam mortis ſuæ habens multo ante tempore diuina reuelatione patefactam. In hora tranſitus ſui felicis, *Chriſtianus* Canonicus *Vislicienſis*, vir religioſus & deuotus,*Vislíciæ* in oratione poſitus, vidit animam eius ex corpore egreſſam,niueo candore in cœlum,canentibus agminibus ſanctis, *Regnum mundi*, deferri.Quod cum admiratione magna cerneret,dictum illi eſt, *animam Beatæ Kunegundis eſſe in illo momento a corpore ſolutam.* Quæ quidem viſio etiam pluribus aliis deuotis perſonis monſtrata eſt. Et quemadmodum pietas agni cœleſtis in vita ſtupendis miraculis eam extulerat,ita & poſt felicem obitum amplioribus prodigiis,varios curando languores coruſcabat. Ab anno ſiquidem mortis ſuæ vſque ad annum Domini milleſimum trecenteſimum vigeſimum nonum, meritis ſuis octingenti mortui vitæ priſtinæ redditi ſunt, ſexaginta cæci illuminati,15 captiui a vinculis ſoluti, ſeptingenti inſuper homines vtriusque ſexus à variis ægritudinibus curati, vt ſatis mirandum ſit, ætatis illius Prælatos & Principes *Poloniæ*, canoniſationem tam ſanctæ tamque venerabilis Duciſſæ, propter candorem virgineũ quem annis multis in thoro coniugali ſeruauit, inter martyres computandæ, non procuraſſe. Tantam ſiquidem circa illam Regis æterni benignitas magnitudinem ſuæ gloriæ, conſolidando contractos, reſtaurando paralyticos, ſuſcitando mortuos, mundando leproſos, liberando energumineos,illuminando cæcos, erigendo claudos collapſosq;,& multiplices ægritudines ſuis ſanando meritis, multipliciter noſcitur effudiſſe,vt ex illis præſtetur certa & euidens fiducia,quòd quæ in vita præſenti dignitate præfulgebat Regia,per gratiam Regis cœleſtis, glorificationem ſit ampliſſimam inter ſuperos conſecuta. Nec mirum,coluit enim & cuſtodiuit aſſiduè integritatem mentis, & nobiliſſimo pudore integerrimæ virginitatis caſtimoniam, ſub nimio & arduo labore tranſegit. Expers palmæ non credenda martyrii, quæ puritate mentis duplici cum mortificatione, carnis ſuæ videlicet & mariti; aſſiduè cum oculis,cum naribus,cum cæteris ſenſibus,cum quiete & otio,cum ſilentio & ſolitudine,cum ipſo deniq; faſtu & apparatu Regio,cum cibis & po- B tibus opipare conditis,cum rerum temporaliũ affluentia,& ſucceſſuum felicitate, veſtiũ,gemmarum,& vnionũ purpura,nocte atq; interdiu confligens,momentisq; ſingulis animi & corporis perferebat cruciatus, ſanguineam roſam præſeferens,centeno fructu&geminata laurea, virginitatis videlicet & ſanguinis meruit coronari. Virginitatẽ enim magnopere cuſtodiens, mente & ſpiritu hoſtẽ ſæuũ, quocumq; ſe verteret,ſecũ ferebat,aſſiduo premebatur certamine,ſine iuduciis bellũ gerens,non veſperè, non nocte,non diluculo,non meridie,non manè reſpiraſſe permiſſa.Sed ſingulis diebus atq; horis, fornacis medio ſuccenſa, auri inſtar probata, purior prodibat.Cogita quanti officii labor ſit C & fatiga.Hæc conſtante matrimonio vixit modeſtè,caſtigatè & abſtinenter. Non cultus in ea luxurioſior,non conuerſatio cum viris, ſed nec cum viro licentioſior, non conuictus ſplendidior. De qua ſanè & eius virtutibus atque ſanctis operibus tanta dici poſſunt, vt ad longum vsque volumen excreſcerent. 1292.

Repreſſurus graues excurſiones & incendia *Henricus* quintus *Wratislauienſis* & *Legnicenſis* Dux, quæ ſibi & Ducatibus ſuis per *Conradi Glogouienſis* Ducis ſubminiſtrationem irrogabantur,germanum ſuum *Boleslaum Svvidnicenſem* Ducem,cuius mentem largitione duorum oppidorũ, *Iavvor* videlicet & *Strzegom*, ſe crederat ſibi in totum conciliaſſe,de ferendo contra *Conradum Glogouienſem* Ducẽ,quemadmo- D dum iureiurando pollicitus erat,auxilio,requirit. Qui nunc languorem,nunc militum renitentiam,nunc intemperiem aeris allegans,cunctando,tempusq; extrahendo, *Henricum* fratrẽ *Wratislauienſem* Ducem fallebat. Pro exploranda itaq; & ſananda *Boleslai Svvidnicenſis* Ducis mente,alter inſtituitur conuentus. In quo *Boleslao Svvidnicenſi* Duce tenuem ſe ſortem ab *Henrico Wratislauienſi* Duce recepiſſe cauſante, recuſanteque ſuccurſum, *Henricus Wratislauienſis* & *Legnicenſis* Dux,tria rurſum illi oppida,videl. *Reymchembach, Frankeſten*,atque *Strzelin*, ad priora adiicit,nouũq; & iteratũ iusiurandũ accepit,pollicentẽ ſe omnibꝰ viribus & potentiis, re-

1292. rebus atque fortunis, & proprio corpore, *Henricum* contra *Conradum* adiuturum. Parem tamen altero iuxta ac priori ſacramento dans A virtutem: præuaricato vtroque, cunctatorem ſe magis, quam adiutorem negotiis *Henrici* præſtabat.

Paulo Cracouienſi Ep. ſuccedit Procopius.

Paulus Cracouienſis Epiſcopus cum annos duos & triginta *Cracouienſem* obtinuiſſet Sedem, penultima menſis Nouembris, in Curia ſua Epiſcopali in *Tharſchek*, moritur, & in *Cracouienſi* Eccleſia tumulatur. In cuius locum *Procopius* ortus de *Ruſſia*, Cantor *Gneſnenſis*, Præpoſitus *Sandomirienſis*, Canonicus *Cracouienſis*, & *Leſkonis* nigri *Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Ducis Cancellarius, & ipſius *Leſkonis* Ducis, ex parte matris cognatus, & Canonica electione, & Principum *Wladislai Loktek*, & *Venceslai Cracouienſis* & *Sandomirienſis* Ducum, conſenſu & fauore, nobilis de ſtirpe *Cyphorum*, ſuccedit, per B *Iacobum Svvinka Gneſnenſem* Archiepiſcopum confirmatus. Hic autem *Paulus* Epiſcopus, in tantam venationis feruore ferebatur erupiſſe inſaniam, vt conditionis Pontificalis oblitus, tractando in diſtrictu *Kielcenſi* venationes, venatorem qui feram incautius, ne vſque ad caſſes procederet, diſpulerat, lancea manu geſtata, indignabundus transfoderet, non veritus hominem pro beſtia perdere, quem vnigenitus Filius Dei pretioſiſſimo ſanguine ſuo redemit.

Nicolaus IV. P. R. moritur.

In Paraſceue die, *Nicolaus* Papa quartus, cum annis quatuor, menſibus citra duobus ſediſſet, *Romæ* moritur, & apud Sanctam C *Mariam* maiorem ſepelitur. Cardinales autem de communi conſenſu *Peruſium* ſe transferunt, & illic conclaue ingreſſi, diſcordibus votis vſi, nullatenus de futuro Summo Pontifice concordare potuerunt, & vacauit Eccleſia integro biennio.

Terræ motus in Italia.

Quo quidem tempore magni fuerunt in *Italia* terræ motus, ſed maximè verſus *Neapolim* in valle de *Bisuano*. Ruerunt enim illic caſtra & villæ multæ, perſonæque plurimæ cum illis corruendo perierunt.

Thomæ II. Ep. Wratislauienſi ſuccedit Rhomka.

Idibus Martii *Thomas* ſecundus Epiſcopus *Wratislauienſis* cum annis viginti duobus ſediſſet moritur, & apud maiorem Eccleſiam D *Wratislauienſem* ſepelitur. Cui *Ioannes* vocatus *Rhomka* vnanimem electionem ſortitus ſuccedit, de annuentia & conſenſu *Henrici Wratislauienſis*, *Boleslai Svvidnicenſis*, & *Conradi Glogouienſis*, Ducum, ægre ab illis obtento, qui potius Ducem *Zegam*, filium *Conradi Glogouienſis* Ducis Præpoſitum *Wratislauienſem* ſuccedere maluiſſent. Ab Archiepiſcopo *Gneſnenſi Iacobo Svvinka* confirmatus & conſecratus. Nobilis *Polonus* de domo *Sulima*.

Meinhardus Pruſſiæ Magiſter fere occiditur.

Pruſſiæ Magiſter *Meynhardus*, dum exercitu non paruo collecto, *Lithuaniam* populaturus, ad fines illius perueniſſet, coniuratione per vnum de *Pruthenis*, de qua inter *Lithuanos* barbaros, & *Pruthenos* quamuis baptiſatos conuenerat, detecta, & ad notitiam perlata, celerrimè in *Kinsberg* nocte & interdiu, reuertitur. Et coniuratione oppreſſa, ingens periculum depulit: quoniam & per *Lithuanos* a fronte, & per *Pruthenos* proprios, qui ad gentilitatis errorem relabi ſtatuerant, a tergo, niſi ſibi celerrimè conſuluiſſet, debebat inuadi. 1292.

1293. Intelligens *Conradus Glogouienſis* Dux conſpirationes, quas cum *Boleslao Svvidnicenſi* Duce, contra *Henricum* quintum *Wratislauienſem* & *Legnicenſem* Ducem, in eius captiuitatem vel mortem congeſſerat, cunctatione & aſtu callido *Boleslai Svvidnicenſis* Ducis, qui ſuis tantummodò conſulebat profectibus, & per hoſtilitatem *Conradi Glogouienſis* Ducis, caſtra ciuitates, & oppida ab *Henrico Wratislauienſi* & *Legnicenſi* Duce, ſub prætextu ferendi auxilii pro ſuo libito emungebat, retardatas & neglectas eſſe, exquiſito continuoque ſtudio, quonam pacto cogitata perficeret, intentus, *Boleslao Svvidnicenſi* Duce omiſſo, qui eum crebris fallacibus promiſſis deluſerat, Conſiliarium quendam *Henrici* quinti *Wratislauienſis* & *Legnicenſis* Ducis *Luthkonem* nomine, inter paucos *Henrico* quinto charum, & inter Conſiliarios præcipuum in illius captiuitatem aut necem incendit.

Luthko

Erat in obſequiis & conſilio Ducis *Henrici* quinti, priuſquam ex morte *Henrici* quarti *Probi Wratislauienſis* conſequeretur Ducatum, miles quidam *Pakoslaus Luthkonis* parens, de ſtirpe & genealogia *Habdank*, qui & famulatu & induſtria factiuitateque adeo ſibi *Henricum* quintum deuinxerat, vt cæteros ſuos Conſiliarios fauore & authoritate anteiret.

(Cuius parentes Pakoslaum Henricus V multis bonis ſibi deuinxerat)

Is cum quendam militem vicinum ſuum, ſiue caſu, ſiue arrogantia, incertum eſt, occidiſſet, fratres & conſanguinei occiſi, quorum multitudine occiſus præſtabat, *Pakoslaum* occiſorem, coram *Henrico* quinto, mœſto nimium, & pro caſu qui *Pakoslao* acciderat anxio ſollicitoque, & eius tribunali, conueniunt. Cauſam itaque *Pakoslaus* a Duce *Henrico* quinto, flentibus, querentibus, & iuſtitiam expoſtulantibus amicis occiſi, dicere iuſſus, inſolenti & ſuperba reſponſione vtitur. Et in fauore Principis, amicorumque multitudine, inſolentiam ſuam nutrientium confidens, tumide & iactanter reſpondet, *ſe militem occidiſſe, & occiſionem ſuam patratam, nullo pacto à ſe inficiari velle.* Amicis occiſi iuſtam pronunciationem poſt confeſſata ferri petentibus, *Henricus* quintus *Pakoslao* correpto, monet *vt amicis conſultis, aliter de ſe factæ querelæ reſpondeat.* A iudicio itaque digreſſus, conſultis amicis, arrogantius edit reſponſum, profitens *ſe obiectum homicidium perpetraſſe*, & haud multum a magnitudinis Ducalis faſtigio ſe diſtare credens, inficiari noluit cri-

1293. crimen. Ea reſponſione *Henricus* quintus Dux turbatus, partibus iudicis omiſſis, partes amici aſſumit, & *Pakoſlaum* obiurgat. *Stultiſſime*, inquit, *virorum, quis te ſpiritus exagitat, vt proprio ore propriaque confeſſione in necem tuam debacchatis? Secede itaque a Tribunali meo, & ſaltem pro vice tertia, tibi tuæque vitæ, dum licet, conſule, poſitaque dementia, ad bonam mentem redi, de cætero me magis iuſtum iudicem, quam miſericordem Ducem, niſi tibi mitiori reſponſione proſpexeris, experturus.* Non mouit *Pakoſlaum* tam clemens & repetitus monitus, ſed deliberatione cum conſultoribus habita, occidiſſe ſe vicinum gloriabundus & ſtomachans fatebatur. Expetentibus itaque amicis occiſi, *Henricus* Dux in *Pakoſlaum* B ſententiam pronunciat, & ex propria confeſſione in mortem damnat, atque ex atrio per ſcalas in *Legnicenſis* caſtri, vbi iudicium agebatur, medium, deductum, capite obtruncat: & quem plurimis beneficiis ornauerat extuleratque, hoc vno fatali & extremo caſu damnat. Sed nec *Pakoſlao* perempto fauorem remittit, vnum enim filium *Pakoſlai*, vigeſimum agentem annum, qui *Lutbko* vocabatur, pro familiari continuo ſuſcipit, & propenſiori gratia pertractat. Verùm a Conſiliariis identidem, ne a ſe damnati *Pacoſlai* filium, verſari apud ſe & in camera ſua patiatur, ne in vltionem paternam quicquam moliretur aduerſi, argutus, *Vehementer*, inquiunt, *ſuſpicamur Luthkonem, necem* C *Patris iniquo animo laturum, & eius interitum tibi imputaturum fore, cogitaturumque omni tempore & hora, quo pacto illam tuo periculo vindicet, maiore in te quam caput auſurus.* Aſpernabatur *Henricus* Dux ſibi fideliter ſuadentium, & periculum ſuum portendentium, conſilia, tutiorem ſe factum ratus, & gratia quam Patri viuo præſtiterat, & beneuolentia quam in filium depromebat. *Luthkonem* tamen aduocat, & præſentibus Conſiliariis in hunc alloquitur modum. *Vidiſti*, inquit, *quantis deſideriis & laboribus æſtuauerim, quantoſque conatus adhibuerim, vt parentem tuum Pakoſlaum ex morte, quam ipſemet ſibi, & occidendo innoxium, & homicidii in iudicio profitendo crimen, conſciſcebat, eriperem,* D *nouiſti quoque patrem tuum ſua ſuperbia arrogantique dementia, damnationem ſibi nexiſſe. Ex duobus itaque vnum infra tempus bimeſtre elige, aut damnationem patris iuſtè a nobis factam perpetuo obliuiſcere, aut ex curia noſtra, nunquam ad illam reuerſurus, ſecede.* Lapſo tandem conſtituto ad reſpondendum ſpatio, *Lutbko* adueniens, & *iuſtè legitimeque patrem damnatum, necique interiiſſe*, publica voce prohibet, & *ſe illius necem, non verbo, non facto, non publicè, non occultè, ſed neque nutu memoraturum, aut vlturum, moleſteque laturum* iureiurando confirmat, obſecrans *Henricum* Ducem, *ne ſe & ſuam fidem ſuſpectum iri permittat, ſe ea conditione eaque mente factum eſſe, vt fideliſſimè conſtanterque & ſincerè, obliuione paterna nece, ſit illi famulaturus.* Excuſſit hæc *Lutbkonis* vox *Henrico* Duci lacrymas, & complectens illum ait: *In parentis me habebis loco, ea* A *ſumpturus ex me beneficia, pro quibus & tu, & cognati neceſſarii tui, perpetuas mihi gratias agere poteritis.* Nec ſermoni Ducali virtus veritasque defuit, nam & *Luthkoni* pleraſque donationes liberaliter contulit, & ipſum ſuis intimis Conſiliariis inſeruit, breuique effecit, vt auctoritate & fauore ferè ſingulos excederet. Igitur hunc *Conradus Glogouienſis* Dux, tam promiſſis, quàm blanditiis, in captiuitatem aut necem ſui Domini & benefactoris *Henrici* quinti, aſſerens non eſſe ferendum, vt ſui parentis indignæ non compateretur morti, ſubornat. Qui opportunum tempus, ad exequendum ea, quæ cum *Conrado* Duce *Glogouienſi* pepigerat, obſeruans, in Dominum ſuum *Henricum* quintum, in balneo ad fluenta *Odræ* prope *Wratislauienſe* caſtrum corpus curantem, cum ſatellitibus armatis aduenit. Cuius etſi a miniſtris *Henrici* quinti præuiſus fuerit, & *Henrico* Duci denunciatus aduentus, *bonum tamen & quietum eos habere animum, & omnem ſuſpicationis pauorem deponere* iuſſit, *cum Lutbko ſuus familiaris Curienſis, & Conſiliarius exiſtat, & impoſſibile ſit quicquam ſiniſtri illum moliri.* Verùm *Lutbko* omnium beneficiorum, & parenti & ſibi præſtitorum oblitus, balneum in quo Dux lauabatur, circumdat, & familiaribus Ducis fugientibus, & reſiſtentiam nudis contra armatos, iniquum enim foret certamen, facere nõn audentibus, *Henricum* Ducem & Dominum ſuum, nona Octobris captiuat. Quem etſi vnus ex familiaribus defendere niſus fuiſſet, & ſuo corpore Ducale prætexiſſet, a *Luthkone* tamen & ſuis, vulneribus variis confoſſus, interiit. *eum Henricum captiuat,* Captus itaque *Henricus* quintus Dux, & ex balneo ignominioſè nudo corpore tractus, in equum imponitur, & vili palliolo ſuperiniecto, tota die & nocte illa ſubſequenti, qua captus eſt, equitare curſu vehementi coactus, in *Sandvvoth* abducitur, & Duci *Glogouienſi* per *Luthkonem* præſentatur, infœlicitate ſua ab eo proditus, cuius parentem in ſummum gradum prouexerat, & ipſum quoque proditorem promouere maturabat. *& hoſti Conrado Glogouienſi tradit.* Quem illico *Conradus Glogouienſis* Dux *Glogouiam* perducens, in dira coniecit vincula, vinctum quoque & catenatum, non ſolum horrendo carceri, ſed in vas ferreum anguſtum, & ex omni parte coarctatum, duo tantummodo foramina, & hæc ipſa plurimum breuia & ſtricta, habens, vnum quo eſcam excipere ſpirareque poſſet, aliud, quo aluum purgaret, & in quo non ſedendi, non ſtandi aut iacendi, ſed vix ægrè hærendi, relicta erat facultas, includit. *Quem Conradus tam diro genere carceris premit,* Vbi per ſex menſes, adeò tortus vexatusque eſt, vt de ſcapulis & femore eius, & ſanies & multitudo vermiũ ſcaturiret. Mortem itaque & crudeles paſſiones euaſurus, dum videret germanum ſuum *Boleslaum Svvidnicenſem* Ducem pro ſua liberatione nullam operam nauaſſe, triginta marcarum millia in pontis medio, ſupra flumen *Czarna*, qui *Legnicam* 1293.

Vt ei multa in ſui liberationem dederit.

1293. *zam* circumfluit, ex compoſito primum ſoluit, deinde infraſcriptos diſtrictus, caſtra, & oppida, videlicet *Namiſlouiam*, *Berelebovv*, A *Kruczborg*, *Byczynam*, *Kunczeſtadt*, *Rozemberg*, *Hainouiam*, & *Boleslauiam*, cum terminis & diſtinctionibus ſuis, *Conrado* Duci *Glogouienſi* donat & inſcribit, illiſque perpetuo renunciat. Poſt liberationem continuo languore affligebatur, quem illi feralis captiuitas cauſauerat, nec ad diem mortis ad vigorem priſtinum poterat reſtitui. Balneorum fomenta *Polonorum* Principibus inimica & execrabilia, & ſub illorum vſu, ſcrupuloſiori, ad ſui cuſtodiam, vtendum illis cura. Tres enim conſtat *Polonorum* Principes ſub balneandi tempore periclitatos fuiſſe. Vnum de quo modo narrationem abſoluimus, *Henricum* quintum in valetudine. Item *Leſtkonem* B *Album Cracouienſem, Sanodmirienſem* & *Pomeraniæ* Ducem, *Poloniæque* Monarcham, in vita. Tertium *Henricum cum barba Wratislauienſem* Ducem in corpore, propè ad mortem vulneribus lacerato.

Wladislaus Loktek plures de Bohemis refert triumphos.

Apud *Cracouienſem* & *Sandomirienſem* oras, cœptum inter *Wladislaum Loktek Cuiauienſem*, & *Venceslaum Bohemiæ*, Duces, pro Principatibus ipſis bellum acerrimè gerebatur, & per *Venceslai Bohemiæ* Ducis abſentiam, qui ſub eo tempore cum *Rudolpho Romanorum* Rege in *Miſna* apud *Grunbain* agebat conuentum, & affinitatem modico duraturam tempore, dando filiam ſuam *Agnethem Ruperto* filio Regis, iungebat; pars *Wladis*- C *lai Loktek Cuiauienſis* Ducis, plures ex *Bohemis* referebat triumphos. Superuenit tandem ingens *Tartarorum* multitudo, & exercitus in aliquot agmina diuiſus, & nonniſi ad *Sandomiriam* graſſatus, correpta præda & hominum vtriuſque ſexus magna multitudine capta, & ſeruituti mancipata, in *Tartaricos* campos, vnde ebullierat, rediit. Quæ res vires & potentiam *Loktekonis* Ducis, cui circa oram *Sandomirienſem* parebatur, plurimum hebetauit.

Cuius potentiam Tartari diminuunt.

Cruciferi caſtrum Mingede occupant.

Conradus Stange Commendator de *Ragnetha*, circa feſtum Sancti *Iacobi* Apoſtoli, in *Lithuaniam* cũ gentibus ſuis, licet paucis, veniens, D caſtrum *Mingede*, quamuis multiplici præſidio *Lithuanorum* ſeptum, impugnans comprehendit, & magnam multitudinem *Lithuanorum*, paucis diffugientibus, aut capit aut occidit. Quorum ſecutus eſt veſtigia *Vithenen* Dux *Lithuaniæ*, & cum multitudine *Lithuanorum Ruthenorumque Pruthenicam* oram diebus octoginta vaſtat. Infra quos a Cruciferis inuaſus, victus ſuccubuit, & pluribus de ſuis amiſſis, cum paucis fugiens, euaſit.

Lithuani Pruſſiam vaſtant.

1294.

Vithenem Dux Lithuaniæ Lancitiam clam ingreſſus,

Non defuit & hoc anno Diuina indignatio, per rabiem barbaricam deſæuiens in *Polonos Vithenen* enim *Lithuaniæ* Dux, cum mille octingentis militibus, ex *Lithuanis*, *Pruthenis*, & *Samogitis* collectis in *Lancitienſem* terram impetum fecit. Quam dum feria quinta Pentecoſtes per ſyluas & nemora, Duce *Boleslao Maſouiæ* permittente & fouente, tam ſilenti & ignoto agmine, vt quoſlibet prætereuntes fallerent, ingreſſi fuiſſent, primum ad Eccleſiam Collegiatam accurrunt, populique vtriuſque ſexus præſentiam, qui illuc gratia celebrandi feſti confluxerat, aut trucidant, aut captiuant. Prælatos, Canonicos, & Sacerdotes Domini miſerabiliter captiuant, veſtes ſacras, vaſa, & clenodia diripiunt, cæteros qui ad Eccleſiam confugerant, & in illa ſe viriliter defendebant, vicinis domibus quæ Eccleſiam circumſtant, incenſis, in Eccleſiam *Lancitienſem* incendium inferentibus, ſuffocant & extinguunt. Ad rura deinde & vicos diſcurrunt, & præda plurima ex hominibus & pecore comparata, citato curſu redibant. Non tulit & ſuam & gentis ſuæ calamitatem *Caſimirus Lancitienſis* Dux, ſed cum ſingulis terræ *Lancitienſis* militibus, barbaros perſequi cœpit. Quos cum in villa *Zakovv*, propè oppidum *Sochaczovv* ſupra fluuium *Bzura* ſitum, ſecundum alios circa villam *Troianovv* conſecutus fuiſſet, paucitate ſui agminis & hoſtili multitudine minime penſata, in barbaros irruit. Et magna ſtrage edita, multiſque captiuis feruente prælio elapſis, à multitudine barbarica victus, ſuccumbit, & inter confertiſſimos & primos hoſtes audaciſſimè pugnans, nobilem excipit mortem. Quo occidente, fuga paſſim per *Polonos* fieri cœpta eſt, & plures ex *Polonis*, dum mortem honeſtam vitant, & in mortem turpem incidunt, & in flumine *Bzura*, vltra quod pugnatum eſt, aquis plus tunc ſolito ex imbribus inflatis, ſubmerguntur. *Lithuani* & præda & victoria potiti, eam tunc ex captiuis *Polonis* prædam aſſeruntur retuliſſe, vt cuilibet barbaro viginti Chriſtiani *Poloni* in ſorte ceſſerint. Non reliquit *Caſimirus Lancitienſis* Dux aliquem ſuperſtitem, propter quod *Lancitienſem* terram *Wladislaus Loktek Cuiauienſis* Dux germanus ſuus, legitimè in ſe deuolutam accipit.

1294. *Eccleſiam Collegiatam ſpoliat & conflagrat,*

Prælio conſerto moritur Caſimirus Dux Lancitiæ,

cui ſuccedit frater Wladislaus Loktek.

Conradus Dux Maſouiæ moritur,

Duodecimo Calend. Nouembris, *Conradus* Dux *Maſouiæ* & Dominus *Czirnenſis* filius *Semouiti* in *Iazdovv* a *Lithuanis* occiſi, in monaſterio Fratrum Canonicorum Regularium in *Czirwiensko* moritur, & in eodem monaſterio iuſto honore ſepelitur. Conſtruxit hic monaſterium in *Blonie*, & tam introitibus, quàm clenodiis, & ornamentis, munificentia Ducali dotauit.

Biennio & amplius, Cardinalium Collegio, ſuper electione Summi Pontificis, per varias voluntates diuiſo, ad perſuaſionem *Latini Hoſtienſis* Epiſcopi, Fratrem *Petrum* de *Marrone*, Eremiticam vitam Ordinis Sancti *Damiani*, ſub Regula S. *Benedicti* agentem, virum maximæ orationis, totum Deo conſecratum, in partibus *Aprucii*, in magna vitæ auſteritate in eremo habitantem, ſeptima die Iunii eligunt in

1294. *Cæleſtinus V Eremita fit P. R.*

in Papam. Qui ex eremo *Aquilam* veniens, in die Decollationis Beati *Ioannis* Baptiſtæ, in Eccleſia *S. Mariæ* de *Colomadio* in A Papam conſecratur, & *Cæleſtinus V* vocatur. Vbi & Curiam ſuam aliquanto tempore tenuit, & Cardinales illùc ex *Peruſio* venire fecit. Verùm licet opera viri Sancti fecerit, & à primi ſtatûs innocentiâ non receſſerit, eandem humilitatem, eandem puritatem obſeruando, decipiebatur tamen, velut vir in regimine Pontificali inexpertus, & ob impotentiam ſenectutis, cum ætatis decrepitæ foret, in gratiis & ſignaturis, non ſciens verſutiis & fraudibus Curiæ occurrere. Propter quod ferè à ſingulis Cardinalibus, periculo, in quo Status Eccleſiæ verſabatur, intellecto, editâ conſtitutione, vt Papa poſſet cedere Papatu, in vigilia *S. Luciæ* Neapoli, B in præſentia Cardinalium cedit Papatu. Et

cui cum Papatu ceſſiſſet,

Papatûs deponens inſigniâ, præbuit humilitatis, ſtupendum cunctis, imitabile paucis exemplum, cum à ſeptima die Iulii, vsque ad decimum nonum vel citra Decembris diem ſediſſet. Cardinales deinde ad electionem alterius procedentes, *Benedictum Gaiethani*, tituli *S. Martini* in montibus Presbyterum Cardinalem, natione *Campanum* de *Anania* oriundum, longo tempore Curiæ experientiam habentem in Papam eligunt,

ſuccedit Bonifacius IIX.

quem *Bonifacium VIII* appellant. Qui prædeceſſorem ſuum *Cæleſtinum*, ad eremum latenter fugientem, ſchiſmati præcauens, cum ab aliquibus dubitabatur, an cedere Papatu C potuiſſet, capit, & in caſtro *Fumonis* ſub honeſta cuſtodia includit, vbi viuens, tandem quatuordecimo Calend. Iunii, anno vno, menſibus quatuor, diebus viginti exactis & octo, moritur, & in monaſterio Sancti *Antonii* de *Ferentino*, Ordinis ſui, milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſexto anno, ſepelitur. Multis deinde coruſcans miraculis, à *Clemente V.* ſub nomine *S. Petri* canoniſatur. *Bonifacius* ex *Neapoli* Curiam in Vrbem transferens, illic ſuam manſionem aliquanto tempore agens, ſextum librum Decretalium compoſuit. *Idem Cæleſtinus*, vt aliqui aiunt, in Eccleſia Sancti *Petri*, vbi crucifixus refertur, in monte trans *Tyberim* D extra Vrbem, poſt ceſſionem Papatus, ſanctiori vitam ſolitariam ducere deuotione cupiens, inhabitauit. Quem *Bonifacius* ſucceſſor, ſuſpicatus & veritus, ne vnquam alio ſpiritu ductus, Papatum repeteret, comprehendit, & vinctum ſquallore carceris miſerabiliter extinguit. Hic ſucceſſor, ceſſori tyrannicam pro beneficio reddit vicem. Quo metu poſteri docti, in ſua vocatione cum diuturniori vita conſultiùs manere deligunt, quàm ea contemptâ, intempeſtiuam ſibi conſcire mortem, & ex benefactoribus facere tyrannos.

1294. *Iudæis diem ſuæ redemtionis expectantibus,*

In quarto menſe, qui apud *Iudæos* vocatur *Chamicz*, vltima die ipſius menſis, in qua die prædixerant Rabi *Iudæorum*, *quòd Iudæi debebant habere ſignum redemptionis ſuæ à Deo miraculosè factum.* Ad quorum proclamationem, omnes *Iudæi* fecerunt ſuas pœnitentias in ieiuniis multis, cum ſatisfactionibus, eleemoſynis, quaſi ad Deum reuerſi, orantes vt ſibi prædictum ſuæ ſalutis oſtenderet. In quo anno, die, & menſe aſſignatis, intrauerunt ſynagogas ſuas, ad orandum Deum, induti ſyndonibus albis lineis ſeu ſericis, prout eſt moris apud eos, in die expiationis, ſcilicet in die decima menſis ſeptimi. Et tunc altiſſimo DEO cooperante, qui nullum tempus ſine bonitatis ſuæ teſtimonio reliquit, in ſyndonibus

in omnium ſyndonibus crux apparet,

quæ ſeruabantur, apparuerunt ſigna crucis in omnibus, & vbicumque erant, etiam in illis ſyndonibus, quæ condebantur in ſuis apothecis. Quo ſigno viſo, multi eorum fuerunt turbati. Quorum quidam dicebant, quòd hoc fuerat factum Diabolica arte, nimirùm cum prædeceſſores eorum de *Chriſto*, maxima miracula faciente, *in Belzebub eiicit Dæmonia Matth. cap. 9.* id ipſum dicebant. Nonnulli dubitabant, non audentes loqui, nec aliquid circa hoc iudicare. Alii verò crediderunt hoc ſignum fuiſſe veri *Chriſti crucifixi*, & diſpoſuerunt ſe ad eius fidem cum baptiſmo recipiendam, iſti tamen fuerunt pauci, iuxta illud *Hierem. cap. 111. Aſſumam vos, vnum de ciuitate, & duos de cognatione.* Et attendendum, quòd inter duos prædictos terminos, qui per prædictos Rabones, in ſuis libris & tractatibus aſſignati fuerunt, fuit terminus alius à duobus *Iudæis* in *Hiſpania*, qui Prophetæ dicebantur, aſſignatus. Quorum vnus erat in ciuitate *Abulenſi* prouinciæ *Compoſtellanenſis*, & alius in villa quæ dicitur *Aylon*, *Saguntinenſis* diœceſis, *Tholetanenſis* Prouinciæ. Qui quidem duo tam magnalia loquebantur ſemper Prophetæ, vt quandoque futura prognoſticabant, & occulta reuelabant: ſecundum morem eorum honeſtè viuebant, quòd ab omnibus *Iudæis* regionis, reputabantur ſemper Prophetæ. Et iſti duo aſſignauerunt tempus, ad videndum ſignum ſuæ redemptionis, in anno à creatione mundi, videlicet milleſimo quinquageſimo quinto, ſecundum eorum computationem. Qui quidem annus concurrit cum anno Domini, milleſimo ducenteſimo nonageſimo quarto, præſenti.

Meinhardus Pruſſiæ Magiſter varia caſtra in Lithuania

In fine hyemis *Pruſſiæ* Magiſter *Meinardus* hoſtilibus armis, terras *Lithuaniæ* inuadens, duos diſtrictus *Paſſhow* & *Gierſzow* iterum vaſtat, & caſtrum *Lithuanicum Mingedin*, bombardis quatit & impu-

1294\. pugnat. Duobus autem caſtris inferioribus conquiſitis & exuſtis, dum tertii expugnatio difficilior videretur, captiuis *Lithuanorum* A in *Pruſſiæ* caſtra remiſſis, ad caſtrum *Viznenſe Boleslai Maſouiæ* Ducis exercitum ducit, illudque iuxta ac barbaricum & hoſtile, propterea quòd *Lithuani* in eo habebant receptaculum, & frequentiùs etiam ex illo terras *Poloniæ* & *Pruſſiæ* infeſtabant, oppugnat, nec *Boleslaus Maſouiæ* Dux, legationibus ac nunciis fatigatus, facinus id reſcindere volebat, conquirit & exurit. *Lithuanorum* caſtro *Kimel*, *Ludouicus* de *Ragnetha* Commendator, armis ſub idem tempus conquiſito, eandem incenſionis infert ſortem.

& Viznenſe Maſouiæ expugnat.


Octauo Calend. *Mſczugius Pomeraniæ* Dux moritur, & in monaſterio *Oliwa* in Prædeceſſorum ſuorum ſepulchris ſepelitur. Poſt cuius mortem *Przemislaus* Dux *Maioris Poloniæ*, ad quem ſucceſſio Ducatûs *Pomeraniæ*, tàm ſanguinis quam deſignationis iure pertinebat, venit *Gedanum*, & totius Ducatûs *Pomeraniæ* accepit plenam & pacificam poſſeſſionem. 1294.

Mſczugio Pomeraniæ Duci ſuccedit Przemislaus maioris Poloniæ Dux.

Ciuitatemque *Gdansk* primus blancis muniri procurauit.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

IOAN-



IOANNIS DŁVGOSSI
SEV
LONGINI
CANONICI CRACOVIENSIS,
HISTORIÆ POLONICÆ
LIBER OCTAVVS.

1295. BEnignitas agni cœleſtis, ex inſcrutabili prouidentiæ ſuæ arcano cuncta proſpiciens, cunctaque ratione gubernans, multifariis ſciſſuris, calamitatibus & guerris, quæ in Regno *Poloniæ* à tempore, quo vir Sanctus & Protomartyr *Poloniæ* inclytus *Cracouienſis* Epiſcopus *Stanislaus*, ab impio Rege *Boleslao*, felici tenore membratim truncatus eſt, miſeratione ſolitâ compatiens, & propitiam atque placatam de ſcelere in Sanctum ſuum commiſſo, ſe demonſtrans, lacerum, & ex eorum qui in regionibus *Polonorum* principabantur malitiâ monſtruoſum, & deforme Regni *Poloniæ* corpus, reintegrare, & priſcam illi gloriam, priſcumque tribuere diſponens ſplendorem, parua illi primùm, quò altior eius futurus notari poſſet profectus, indidit initia, quod ſæpe in rebus ad ſummum prouenturis, humile exordium habentibus, videmus contingere. Suſcitauit namque ſpiritum viri heroici, & ea tempeſtate illuſtris,

Przemislai Poſnanienſis Ducis, qui ex Patre eiuſdem nominis *Przemislao, maioris Poloniæ* 1295. *Przemislaus Poſnanienſis Dux*
A Duce, de vetuſta Regum *Poloniæ* domo ducente originem, viro ſpectatæ pietatis & virtutis, & feruentiſſimi Chriſtianæ religionis cultoris, & ex *Eliſabeth* Duciſſa, fœmina religioſa atque deuota, editus, eiuſdemque matris ſolerti ſtudio & cura ab ineunte ætate, virtuoſis moribus, (Pater enim ante natiuitatis ſuæ diem obierat) eruditus, ad hoc vnum ſollicitum ſtudium animumque intenderat, vt reliquias patriæ non tam miſerandæ, quàm miſerabilis ſeruaret, ſimulque illam ad culmen Regium, & ad vnam Monarchiam redigeret, ſanctam illam felicemque futuram ratus, ſi ſuo
B Ducatu ſuiſque conſiliis & auſpiciis, pro pluribus Principibus vnum Regem & Monarcham ſortiretur. Irritabant ingentis ſpiritûs virum, *Pruſſia, Sleſia, Saxonia, Wratislauiaque* ademptæ, lugebat *Cracouiam*, cæteraſque Regni *Poloniæ* Prouincias, obeunte ſine liberis *Leſtkone nigro, Cracouienſi, Sandomirienſi*, & *Siradienſi* Duce, quinto conſanguinitatis gradu eum contingente, mutuis cladibus collidi, & plusquam ciuili gladio belli, in propria viſcera conuerſo, diſcerpi. Grandi itaque & ſupra vires ſupraque ætatem animo fretus, quamuis varios & frequen-

1295. quentes videret naturales Dominos, in Regni *Poloniæ* Prouinciis principari, non cupidine tamen terreni imperii, non ambitione terrenorum Dominiorum & Regii faſtus, ſed ſola pietate charitateque in patriam, permotus, magnis auſibus, vniuerſi Regni *Poloniæ* Diuinitate inſpirante, ſe conſtituit in animo & deſtinat Monarcham. Ad quod conſequendum non ſolùm illum proprius & diuinitùs infuſus agitabat inſtinctus, ſed etiam Prælatorum & Baronum *Poloniæ* & *Pomeraniæ* inuitabat mira affectio,& conſenſus. Paternis enim clariſſimis moribus, & maternis inſtitutis non contentus, adiectione propriorum radiabat; vnde facilè in ſe tàm primorum quàm inferiorum fauorem conuerterat: illeque vnus inter *Poloniæ* Principes dignus viſus, habitusque, cuius tempora inſigni Regio adornarentur. Iam annum ætatis agebat trigeſimum octauum, iam *Pomeraniæ* Ducatum, mortuo *Mſczugio* ſine liberis, iuxta pacta inter eos in vita ſtabilita, obtinebat,iam matrimonii iure virginem *Rickſcham* filiam Regis *Sueciæ*, fœminam honeſtis moribus plenam, conſilio & ordinatione *Boleslai* Ducis *Caliſſienſis* patrui ſui germani, copulauerat,ex qua vnicam filiam,nomen ei maternū imponens *Richſcham* genuerat, cum vniuerſorum Prælatorum & Baronum *Poloniæ*,concordi voto, deliberatione, & pari conſenſu diadema decretum, qui cæteris religione, innocentia,fide, iuſtitia, integritate, clementiaque præſtaret. Itaque cum præclaras maiorum ſuorum imagines, tùm res a ſe feliciter iuſto bello paceque geſtas,tùm denique omnibus in rebus modeſtiam ſuam ſuſpicerent, par omnibus viſum fuit,ſibi vni genus *Polonicum*, ſalutemque illius committere. Et vt cunctis ordinatio ſua innoteſceret, Regiaque veneratione à ſingulis coleretur, anno natiuitatis Domini noſtri, milleſimo ducenteſimo nonageſimo quinto,die Solis vigeſima ſexta Iunii, aliàs die Dominico, id feſto Sanctorum *Ioannis* & *Pauli* Martyrum,celeberrimus Pater *Iacobus Swinka Gneſnenſis* Archiepiſcopus, in Eccleſia Metropolitana *Gneſnenſi*,celebratis ex more de Sancto Spiritu miſſarum ſolenniis, præfatum Ducem *Przemislaum* in Regem, Duciſſam verò & conſortem ſuam *Richſcham Poloniæ*, inungit, ſublimat, & diademate Regio, quod, mirum dictu, ſtudio arteque virorum Eccleſiaſticorum,per plures tranſactas ætates, ſeruatum cuſtoditumque eſt,coronat: aſſiſtentibus ſibi *Ioanne Gerbis Poſnanienſi*, *Ioanne Romka Wratislauienſi*, *Goslao Plocenſi*, *Conrado Lubucenſi*,Epiſcopis, Palatiniſque & Baronibus *Poloniæ* principalioribus,ac multitudine copioſa. *Procopius* autem *Cracouienſis*,& *Vislaus Wladislauienſis*, Epiſcopi, cæteriſque partium *Cracouienſes* Barones, etſi coronationi præfatæ non aderant,expreſſè tamen & concorditer in illam conſenſerant,& de eius

in Regem Poloniæ inungitur.

conſumatione feſtos lætosque ducebant dies. In hunc itaque morem ſceptra regalia, honosque Regius,& dignitas *Poloniæ*,fauente Diuinitate, reddita ſunt, quibus per annos propè ducentos caruerat. Celebris quoque dies ille,& annus mirum in modum inſignis habitus eſt,in quo quaſi quadam deteſtanda, & pernitioſa Principum pluralitate diſpulſa,& vulnere veteri curato, *Poloniam* clementia Saluatoris, ad florentem tranquillumque ſtatum, & ad vbertatem pondusque culminis Regii perduxit. 1295.

Ratiborienſi Duci ægroto

Przemislaus Ratiborienſis Dux raræ in Beatiſſimum *Stanislaum Cracouienſem* Præſulem vir deuotionis,& monaſterii Sanctimonialium in *Ratibor* ordinis Prædicatorum fundator & dotator,cum in omni vita ſua Sanctum *Stanislaum* mira deuotione coluiſſet,in honorem ſuum annis ſingulis,in die ſui natalitii, à *Ratiborienſi* caſtro,vſque ad monaſterium Prædicatorum, cereum grandem vires ſuas excedentem deferre ſolitus; apparuit ei in extrema ægritudine laboranti *B. Stanislaus*, & benignius conſolatum, *vt ſe ad feſtum ſuum celebrandum præparet*, admonuit. Cui reſpondenti, *quomodo potero id facere, cum ſim valetudinarius, & graui ægritudine oneratus?* Sanctus Dei adiecit; *Ego te*, inquit, *adiuuabo, præſtaboque vires.* Dux *Przemislaus* ſe id facturum deuouens, in vigilia Beati *Stanislai* moritur,nulla prole relicta, & in die ſuo feſto, quamuis & duo germani ſui, videlicet *Caſimirus Bithomienſis* & *Mieczlaus Theſſnenſis*, Duces & *Ratiborienſes* Barones,diutiùs in aduerſum niterentur,corpusque in alium diem ſepeliendum ſeruari vellent, in monaſterio Prædicatorum in *Ratibor*,Ducibus & Baronibus ſententias mutantibus,ſepelitur; feſtum Beatiſſimi *Stanislai* non annuè,ſed continuè de cætero celebraturus.

S. Stanislaus apparuit, à quo ad celebrationem feſti eius inuitatur, & in vigilia S. Stanislai moritur.

Coronationis ſolenniis ritè magnificeque peractis, *Przemislaus* Rex *Poloniæ*, cum Prælatis & Baronibus ſuis voluebat agitabatque deliberationes,quatenus ægrum lacerumque ſui Regni corpus, debita ſoliditate componeret,& terras ab eo abſtractas, & per *Almanos* occupatas, eidem reuniret. Maior tamen & præcipua omnibus cura fuit,ne ex inteſtina *Varczislai* & *Mſczugii Pomeraniæ* Ducum diſcordia, *Pomeraniæ* Ducatus, & præſertim ciuitas cum caſtro *Gdansk* in Cruciferorum ditionem perueniret. Licet enim per Ducem *Boleslaum Caliſienſem* germanum patruum *Przemislai* Regis, præfati Cruciferi, non ſine ſtrage plurimorum ex caſtro *Gdansk*, cuius occupatio in magnum tunc illis diſcrimen ceſſerat, fuiſſent eiecti, ciuitatis tamen prædictæ *Gdansk* ſitu contemplato,quòd maritima eſſet,& facilè opibus mari importandis excelleret, continuis ſtudiis ad eius occupationem anhelabant. Quid tamen *Przemislaus* Rex primùm ageret, quouè ſe verteret, igno-

Przemislaus Rex Regnum reintegraturus, inteſtina mala componit.

1295. ignorabat: cæteris Regni Prouinciis, mutuis aut exteris ſtragibus laborantibus, & ſuffragia per Legatos implorantibus, diſtentus. Placuit A tamen Conſiliariis & Regi, per conditiones pacis, nonnulla minores morbos habentia componi, vt fortior ad expedienda cætera poſſet præſtari vacatio: placuit & bella cum finitimis ſiue propriis gerenda in longum, quò tenerum & molle Regni *Poloniæ* corpus coaleſceret, & in virile robur euaderet, differri. Verùm licet cunctis in circuitu finitimis tyrannis, & nationibus, *Przemislai* Regis in ſolium Regale ſublimatio fuiſſet inuiſa & moleſta, & varii ad reſcindendum eam, tam inter *Poloniæ* Duces, qui fremebant ſe gloria Regali per *Przemislaum* anteiri, quàm inter finitimos, quibus mox terribilis & ſuſpecta cœpit eſſe Regalis poteſtas, concurrerentur rumores, Marchionibus tamen de *Zgorzelecz*, alias de *Brandeburg*, videlicet *Othoni Longo*, & alteri *Othoni*, & *Ioanni*, maioris ſuſpitionis & odii ſubminiſtrauit ardorem, verentibus, ne Regia dignitate, & acceſſione multarum terrarum, ipſius regimen ſponte ſubeuntium, auctus, eos de Marchionatu prædicto, captatâ opportunitate temporis, exterminet, quos priuatus, & vix decimum ſextum agens annum ex munitionibus *Strzelcze* & *Drdzen*, malè per eos poſſeſſis, exturbauerat, periculum ſibi & ſuis Dominiis, niſi per eos Rex *Przemislaus*, cuius clariſſimam indolem adhuc in puero habebant perſpectam, morte ſubita tolleretur è medio, euenturum rati, in necem eius Diabolica inſpiratione C & inſtigatione conſpirant, propoſitum ſceleſtæ rei, antequam prodi poſſet, executuri.

externa bella prorogat.

Cui inuidentes Marchiones Brandeburgenſes

in eius necem conſpirant.

Procopio Craconienſi Ep. ſuccedit Io. Muſcatha.

Craconienſis Epiſcopus *Procopius*, cum annis duobus, menſibus tribus in *Cracouienſi* Sede ſediſſet, moritur, & in Eccleſia *Cracouienſi* ſepelitur. Cui *Ioannes Muſcatha* Magiſter artium, Archidiaconus *Lancitienſis*, nobilis genere, natione *Wratislauienſis*, deferens pro armorum inſigniis, in campo cœleſtino nouem lilia glauca, in die Sancti *Benedicti* Confeſſoris, concorditer electus.

Cruciferorum Magiſter caſtri noui conſummationem Boleslao Maſouiæ Duci prohibiturus colligit exercitum, ſed conſpiratione domeſtica ab incepto reuocatur.

Moleſtè ferens *Boleslaus Maſouiæ* Dux caſtri ſui *Wizna* deſtructionem per Magiſtrum Cruciferorum factam, aliud rurſum caſtrum D cœpit fabricare. Cuius conſummationem *Menhardus* Cruciferorum Magiſter prohibiturus, omnes homines *Pruſſiæ* ſeruos & liberos cogit in arma; ſub quo tempore *Zambienſes* & *Noctagenſes Pruteni*, clandeſtinâ conſpiratione inita, apoſtatando à fide, fratres Cruciferos in *Bertenſten*, nihil tale ſuſpicantes, comprehendunt & occidunt. In aliis quoque locis populationes, cædes, & ſpolia in Cruciferos & cæteros Chriſtianos vtriuſque ſexûs peragunt. Quo malo Commendator *Kinsbergenſis* cognito, expeditione contra *Boleslaum Maſouiæ* Ducem omiſſâ, in *Pruſſiam* reuerſus, gliſcentem ſeditionem oppreſſit, & capita conſpirationis inſtaurato iudicio puniuit. In *Lithuaniam* deinde traducto exercitu, munitionem quandam, ex qua *Lithuani* diffugerant, exurit. Caſtrum verò *Kimel* à quo ſæpius Cruciferi repulſi fuerant, occiſis multis *Lithuanis*, qui illud defendebant, conquirit. 1295.

Natalem Domini, qui in diem Dominicum cadebat, & ſequentes ſolennitates, *Przemislaus* Rex *Poloniæ*, circa Eccleſiam *Poſnanienſem*, exegit, & celebri ac deuota religione in veneratione Diuinitatis vſus, in erogandis pro *Chriſti* nomine eleemoſynis, ſupplendiſque quorumlibet egentium neceſſitatibus, munificum ſe vniuerſis atque liberalem præſtabat. Primitias regiminis ſui in adminiſtranda iuſtitia, in defendendo pupillo & vidua, cæteriſque ſanctis operibus, cœlorum Regi, vt ſuum ſtabiliretur imperium, & ſuis cœptis aſſiſteret Diuinitas, deuouens atque conſecrans, ampliori cultu & veneratione in Deum, largiori dextera in egenos, & propenſiori pietate in patriam, niſi fatis appetitus fuiſſet, vſurus. Ne autem pietas ſua, quam in erigendo Regno *Poloniæ*, & ex iure Ducali ad faſtigium Regale vindicando, monſtrauerat, proceſſu temporis decideret, in ſigillo Maieſtatis, ordinatione ſua pulcherrimè fabricato, literis capitalibus in gyrum circa aquilam hunc textum inſcribi in parte vna iuſſit: *Reddidit ipſe ſolus victricia ſigna Polonis.* In altera autem parte, ſedebat in throno Regio imago Regalis, tenens in manu dextra ſceptrum, in qua etiam conſiſtebat galea cum inſigniis *Polonicalium* armorum, In leua verò tenebat pomum cruce ſignatum, cum titulo literis capitalibus inſcripto: *Sigillum Przemislai Polonorum Regis, & Ducis Pomeraniæ.* 1296.

Przemislaus Rex ſigillum Regale conſici iubet

Celebrato autem Catholico & patrio ritu Saluatoris Natali, *Przemislaus* Rex *Poloniæ* primùm ex *Poſnania Gneſnam* contendit, vbi aliquanto tempore, quantum expeditio rerum publicarum permittebat, commoratus, pro diebus Carniſpriuii in *Rogozno* deſcendit, & Curiam Regalem illic celebrans, & victoribus certaminum præmia proponens. Cognito autem per exploratores *Otho longus*, & alius *Otho*, & *Ioannes Conradi*, Marchiones de *Brandeburg*, *Przemislaum* Regem in *Rogozno* ſolatiis deditum, abſque cuiuslibet hoſtilitatis ſuſpicione conſiſtere, & vitæ ſalutiſque ſuæ cuſtodiam, pro explorato habentes neglectum iri, loci inſuper, qui nullo vallo aut muro ſeptus erat, debilitate prouocati, non propriis ſolùm, ſed aliunde quæſitis, gentibus glomerati, per noctium latebras & ſyluarum abdita, ne à quoquam conſpecti, temeritatis pœnas ſoluerent potius quam inferrent, feria quarta Cinerum, ſexto Idus Februarii, quæ fuit dies Sanctæ *Dorotheæ* virginis, in *Rogozno*, die illuceſcen-

Przemislaus Rex

per Marchiones Brandeburgenſes

1296.

ſcente, tam inopinatè & latenter, vt ſingulos fallerent, (ita enim inter illos conuentum ſancitumque erat) perueniunt, atque in Regem *Przemiſlaum* in cubiculo Regio quieſcentem, proditoriè & fallaciter, nullis enim illi literis aut nunciis diffidauerant, in ſuoſque milites variis hoſpitiis & locis diſiunctos, & ex heſterna crapula & mero graui ſopore merſos, ebrietate graues, omnes certè inermes, incompoſitos atque imparatos, inſiliunt & irruunt. Et quamuis rei atrocitate nouitateque Rex *Przemiſlaus* perculſus, à quibus quantiſq; hoſtibus peteretur, penitus exiſteret ignarus, diſpulſo tamen pauore, vt erat vir animi roboriſque præclari, cum ſuis, quos pro facienda hoſtibus reſiſtentia, exhortatione, ſermone, opereque animabat, in hoſtes inſilit. Et congreſſione facta, multos ex illis aut vulnerat, aut proſternit. Militis autem magis quàm Regis aut Ducis *Przemiſlaus* Rex officiis aduerſus hoſtes vſus, abundante hoſtium multitudine, pluribus ſagittarum gladiorumque ictibus petitus ad extremum fortiſſimè, vt ſtirpi ſuæ conueniens erat, dimicans, cadit: corpore ex multitudine vulnerum in terram defluente.

interficitur.

Ab hoſtibus autem ſemiuiuus exceptus, grandem illis voluptatis iucunditatiſque materiam præbuit. Satagebant enim illum, in triumphi ſpeciem, in penates ſuos & terras deducere viuum, magnum ſuis & cæteris populis ſpectaculum, ſimulque maximum famæ & nominibus ſuis monimentum, apud *Alemanorum* nationes præbiturum. Verum dum ex lethalium vulnerum multitudine languidatum ac penè iam mortuum *Saxones* ſeruare, & in regionem eorum ducere conati equo impoſuiſſent, & imbecillior foret, quàm qui equo inſidere, aut curru vehi poſſit, moribundus titubante corpore defluxit in terram. Dum inſuper nulla vitæ Regiæ ſpes in craſtinum duraturæ poſſet portendi, in rabiem furoris conuerſi, in corpus captiuum & ſaucium ſuapte moriturum ſæuiunt, & illud pluribus pugionibus confodiunt, & crudeliſſima nece ſexto Idus Februarii extinguunt: eo vno illos ad tantum ſcelus irritante, quòd *Przemiſlaus* Rex non incruentam illis victoriam, dum plures & notabiles de ſuis deſiderarent, reliquiſſet. In hoc autem tam nefando execrandoque ſcelere, etſi *Teuthonicorum* erga *Polonos* malignus inuidusque perſpici poſſit animus, qui orientem gloriam Regni *Poloniæ*, quantum in ipſis erat, extinguere reſcindereque ac peſſundare conati ſunt, tamen crudelitas *Ioannis* Comitis *Brandeburgenſis* præfati, non ſatis admirari poteſt. Qui cum eſſet præfati *Przemiſlai* Regis nepos germanus ex ſorore ſua germana *Conſtantia*, patris ſui filia, quam *Conradus* Marchio *Brandeburgenſis* deſponſauerat, ſuſceptus, in necem tamen auunculi germani, & Chriſti Domini, priuato etiam officio ſibi venerandi, dextram extendere, & ſanguinis ſui parentem cruento mucrone, de rerum natura tollere, non expauit, pietatis violator acerrimus, & honoris ſui atque famæ proditor malignus. Habet & nonnullorum aſſertio, quoſdam *Poloniæ* Barones & milites, de armis *Nalencz* & *Zarembi* necis præfati *Przemiſlai* Regis fuiſſe contubernales & conſocios, & præfatorum *Othonis Longi*, & alterius *Othonis*, atque *Ioannis Brandeburgenſium* Marchionum conſiliorum participes, & patrati ſceleris adiutores: ſiue quod Rex ipſe *Przemiſlaus* velut vegetioris vir ingenii, queſtus eorum & lucra abrogauerat, aut veriſimiliter credebatur abrogaturus: ſiue quod in eos, aut, eorum affines, pro quibuſdam exceſſibus animaduerteret: ſiue quòd eo ſublato, alium, cuius fauore & ſtatum & fortunas ſuas auctum iri ſuccedere ſperabant. Neque enim tanti Regis occiſio prouenire credenda eſt, niſi hoſtium machinationem, domeſticorum & familiarium adiuuiſſet acceſſio. Fama inſuper eſt, vſque ad tempora *Caſimiri* ſecundi & optimi *Poloniæ* Regis, nobiles domorum & familiarum prædictarum, in horrorem patrati ſceleris, ea pœna & mulcta notatos eſſe, vt neque inter equeſtrium Ordines aciebus inſtructis conſiſterent, neque rubeo colore in veſtibus vti auderent. Quæ tandem per præfatum Regem *Caſimirum*, quum cum *Ruſſiæ* Principibus pugnatum fuit, abolita eſt. Funeſtum autem *Przemiſlai* Regis corpus exanime, dum ex *Rogozno Poſnaniam* duceretur, plurimas tam Eccleſiaſticis quàm ſecularibus perſonis excuſſit lacrymas. Lamentantibus cunctis, tam optimum Regem & Reip. Regni *Poloniæ* reſtauratorem atque parentem, tam crudeli & ſubita nece concidiſſe, & *Polonorum* Prouinciis nouam orbitatem induxiſſe. Sepultus autem eſt in Eccleſia Cathedrali *Poſnanienſi*, in ſepulchro Prædeceſſorum ſuorum & Regum *Poloniæ Ioanne* Epiſcopo, Prælatiſque & Canonicis *Poſnanienſibus*, nec non Baronibus *Poloniæ* eius cohoneſtantibus exequias, & omnia funeralia, iuſta illi lege atque ordine, iuxta magnificentiam Regio corpori debitam, ſoluta. Vixit annos triginta octo, menſes tres, dies viginti quatuor. Regnauit verò menſibus ſeptem, diebus vndecim, vir à *Polonica* gente ſummis per omnes ſucceſſiones, & ætates celebrandus efferendusque laudibus, qui patriam proſtratam & exanguem erexit, & vicinarum regionum Dominam reddidit, ac ſpiritum vitalem per multa ſecula feliciter victuræ, lucem quoque ex caligine, & libertatem ex ſeruitute, ex mœrore gaudium primus infudit. Quamobrem vt olim prompemodum infeliciſſimi habebamur, colliſi omnibus ſcopulis, naui fracta hinc inde fluctuabamus, & illud *Herculis* verbum, nobis veriùs ac ipſi accidiſſet, *Finis vnius mali, gradus erat futuri:* Ita beati nuncupari poſſumus, qui omnes

1296.

procellas Dei clementia, & *Przemiſlai* Regis prouida ordinatione, nedum placatas, ſed in leuem placidumque zephyrum aſpicimus conuerſas. Habuit habetque nonnullorum, ſcrupuloſius ſingula rimantium æſtimatio, quòd tam crudelis ſubitaque mors *Przemiſlao Polonorum* Regi, ob necem in *Lukierda* prima conſorte ſua patratam acciderit, facinus deteſtabile pari pœna Diuinitate vlciſcente, quam ipſe malè ſuſpectam habens, vel vt aliis placet, ob ſterilitatis opprobrium exoſam ducens, iugulari procurauerat. Poſt cuius mortem a *Pomeranis* accerſitus, aliquanto tempore *Pomeraniæ* tenuit Principatum.

Marchiones Brandeburgenſes Præpoſitum Santhocenſem

Non quieuit poſthæc Marchionum *Brandeburgenſium* præfatorum furor, ſed in altiorem facem excandeſcens, ab humanis ad Diuina iura perturbanda prorupit. Præpoſituram enim Sancti *Andreæ Santhocenſis*, villa *Kiovvo* cæterisque redditibus inſignem, cuius Præpoſitus in Clero ac populo, & in ſingulis Eccleſiis infra *Odram*, *Iuam*, *Drauam*, *Warthам*, & *Noteſz* fluuios conſtitutis, iuriſdictione ordinaria vtebatur, ad collationem, prouiſionem, & omnimodam diſpoſitionem *Poſnanienſis* Epiſcopi pertinentes, abſtrahunt. Et ne quid commune cum *Polonis* habere viderentur, Præpoſituram prædictam & eius iuriſdictionem, Capitulo Eccleſiæ *Soldinenſis* attribuunt & applicant. Ex quo deinde magnam diœceſis *Poſnanienſis* in *Santhocenſi* Caſtellania, & quicquid gentium infra flumina prædicta ſitum eſt, paſſa eſt ſui corporis ſequeſtrationem. Pro qua reſcindenda tam *Andreas Simonovvicz*, quam *Domancus Poſnanienſes* Antiſtes, nullum diligentiæ humanæ in Apoſtolico Conſiſtorio, diſtracta & alienata repetens, genus omiſit. Sed his *Ioannes Lodzia* ſuccedens, rem optimè actam, & vſque ad fines victoriæ, magnis ſumptibus & fatigis propè deductam, proſequi deſtitit, diſſimulatione ſua & neglectu, ſciſſuram & iniuriam Eccleſiæ ſuæ nutriens, & tam parta quàm paritura confundens.

Capitulo Soldinenſi attribuunt.

Ne autem Regnum *Poloniæ* per occiſionem *Przemiſlai* Regis, diuiſionum guerrarumque laqueis contingeret inuolui, & per Principes tyrannoſque vicinos, in prædam direptionemque exponi, Prælati Baroneſque *Poloniæ* Regni, & Ducatûs *Pomeraniæ*, conuentione generali *Poſnaniæ* pro die Sancti *Adalberti* celebrata, id primum ſibi agendum præcipuum exiſtimarunt, vt aliquem Principem prudentem, animoſum, & maturum in Regem ſubſtituant: attento quòd Rex *Przemiſlaus* nullum virilis ſexus, præter vnicam filiam *Rubſcham* nomine, reliquerit hæredem. Et quamuis aliquorum haberet aſſertio, iniquum iniuſtumque fore, filiam *Przemiſlai* Regis a ſorte Regni excludi, & hæreditatem paternam ſibi auferri, beneficiaque plurima Regis *Przemiſlai*, per ſurrogationem externi Principis, ſimul cum ſtirpe Regia obliteratum extinctumque iri: periculorum tamen ingentium moles, qua, niſi probatæ virtutis vir ſubſtitueretur, Regnum *Poloniæ* verebantur peſſundari, & filiæ Regis *Przemiſlai*, quæ octauum tunc agebat annum, iuuenilis ætas, a cœpta ſententia illos deſiſtere coëgit. Votis igitur ſingulorum ſcrutatis, omnium deliberatione, conſilio, & aſſenſu *Wladiſlaus Loktek*, *Cuiauiæ* Dux, *Caſimiri* Ducis *Cuiauienſis*, filii *Conradi Cuiauiæ* & *Maſouiæ* Principis, ſextum a *Boleslao Poloniæ* Rege, Sancti *Stanislai* interfectore, conſanguinitatis ducens gradum, cum eſſet inter fratres ſuos, *Leſtkonem nigrum*, *Cracouienſem*, *Sandomirienſem*, & *Siradienſem*, *Zemomiſl*, *Caſimirum*, & *Semouitum*, *Lanciciæ*, *Cuiauiæ* & *Dobrzinenſem* Duces, tertius natu, in Regem & Dominum *Poloniæ* eligitur, aſſumitur, & nominatur: cùm quod Princeps eſſet raræ & ſingularis animoſitatis & prudentiæ, tùm quòd illi poſt mortem germani ſui *Leſtkonis nigri*, *Cracouienſis*, *Sandomirienſis*, & *Siradienſis* Ducis, item ratione ſuæ conſortis *Heduigis*, filiæ olim *Boleslai Pii*, *Caliſſienſis* & *Poſnanienſis* Ducis, dictorum *Poſnanienſis* & *Caliſſienſis* Ducatuum, iure iuſto & legitimo debebatur ſucceſſio. Hic quoque vnus credebatur, qui diſtractum in plures Ducatus *Poloniæ* Regnum, ad vnius corporis reduceret compaginem, & adunaret illud in veræ ſtabilitatis vnitatem. Conſtituuntur & in terra *Pomeraniæ* tres Capitanei, *Petrus Svvancza* Cancellarius *Pomeraniæ*, *Laurentius* & *Iaſchko* de *Slavv*, eiſque & gubernatio & defenſio terræ illius, interim quo Dux *Wladiſlaus Łoktek* aliter diſpoſuerit, mandatur. Auctoritate igitur electionis huiuſmodi de ſe factæ, tam *Cracouienſis*, *Sandomirienſis*, *Lancitienſis*, *Siradienſis*, quàm *Maioris Poloniæ* & *Pomeraniæ* Ducatuum, ſortitur poſſeſſionem, & omnes in illius obedientiam & ditionem accedunt: caſtraque omnia Ducatuum prædictorum in poteſtatem ſuam traduntur, præter aliqua caſtra in *Sandomirienſi* & *Cracouienſi* Ducatibus, de quibus ſe *Venceslaus Bohemiæ* Rex, poſt mortem *Leſtkonis nigri*, *Cracouienſis*, *Sandomirienſis*, & *Siradienſis* Ducis, intromiſerat, & ratione illorum, ſe non ſolùm *Bohemiæ* Regem, ſed *Cracouienſem* & *Sandomirienſem* Ducem, & Marchionem *Morauiæ* intitulabat.

Wladiſlaus Loktek Dux Cuiauiæ eligitur in Regem Poloniæ.

Conuerſationem, & omnem communionem *Polonorum*, Magiſter & Cruciferi Sanctæ *Mariæ* de *Pruſſia*, peroſi, *Culmenſem* etiam Eccleſiam a Metropolitani ſui *Gneſnenſis* ditione, ſub qua annis pluſquam trecentis conſtiterat, ſequeſtrant, & Eccleſiæ *Rigenſi* eiuſque Archiepiſcopo in *Liuonia* illam ſubiiciunt. Neque puduit illos pro acceptis beneficiis referre iniuriam,

Cruciferi Eccleſiam Culmenſem Rigenſi Archiep. ſubiiciunt.

&

1296. & ex iuſto *Gneſnenſis* Eccleſiæ corpore, in corpus adulterinum, per remotiſſima terrarum mariumque ſpatia, *Culmenſem* Eccleſiam transferre. Eam iniuriam *Iacobus Svvinka Gneſnenſis* Archiepiſcopus moleſtiùs ferens, cauſam *Culmenſi* Epiſcopo ſub ſubiectione Metropolitica, coram *Debegneo* Decano, Præpoſito, & Scholaſtico *Wladislauienſibus* mouet, auctoritate reſcripti Apoſtolici, cuius talis extat tenor. *Bonifacius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Dilectis filiis Decano & Prapoſito, ac Scholaſtico Wladislauienſis Eccleſiæ, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Sua Nobis Venerabilis frater noſter Iacobus Archiepiſcopus Gneſnenſis petitione monſtrauit, quòd Venerabilis frater noſter Epiſcopus Culmenſis eius Suffraganeus de Prouincia Gneſnenſi ſe non eſſe prætendens, ab ipſius Archiepiſcopi iuriſdictione, in his quæ ad legem Metropoliticam pertinent, ſe abſtrahere nititur, ſibique tanquam Metropolitano ſubeſſe, indebitè contradicit. Quocirca Diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus partibus conuocatis, audiant cauſam, & appellatione remota, decidant fine debito: facientes quod decreueritis authoritate noſtra firmiter obſeruari. Teſtes autem qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione ceſſante, cogatis veritati teſtimonium perhibere.*

Poſt electionem de ſe ad Regnum *Poloniæ* factam, Dux *Wladislaus Loktek* in partes *maioris Poloniæ* ex *Cuiauia* domicilio ſuo, Nunciis & literis Prælatorum & Baronum partium illarum euocatus, poſt feſtum Paſchæ aduenit, & in *Poſnania*, ille enim locus tunc inſignior habebatur, manſionem ſuam figens, omne illic tempus expendit æſtatis: expoſt verò in *Caliſz*, & deinde in *Pomeraniam* diuertit, de caſtris & Dominiis ad ſe deuolutis, diſponens, & nouos Capitaneos ſubſtituens. Benè meritos de ſe nobiles, donatione villarum & poſſeſſionum remunerans, & iudicia iuſta querulantibus decermens. Et in *Gdansk* perueniens, a Duce *Leſtkone* filio Ducis *Zemomisl*, nepote ſuo germano, qui terram ipſam ratione materni generis, vt propriam & hæreditariam vſurpare moliebatur, item a Baronibus & nobilibus vniuerſis, item ab omnibus ordinibus & ſtatibus, cum ſolenni proceſſione, quæ illi ad medium miliare occurrerat, ſuſcipitur, & claues caſtri *Gdansk* per Ducem *Leſtkonem* ſibi traduntur. Egreſſus autem ex *Pomerania* Nobilem *Voislaum* terræ *Pomeraniæ* Capitaneum generalem conſtituit, & ſibi illius terræ omnimodam gubernationem & ordinationem committit. *Leſtkone* Duce nepote proprio inde, ne res ſtatum terræ perturbantes moueret, ſecum educto. Quamuis autem omnium terrarum *maioris Poloniæ* & *Pomeraniæ*, nactus fuiſſet plenam & pacificam poſſeſſionem, diademate tamen Regio, occupante Rege *Bohemiæ Venceslao Cracouienſem*, *Sandomirienſem*, & *Siradienſem* Ducatus, diſtulit inſigniri, ſuccedere tempus ratus, quo prædictis Ducatibus in ſuam obedientiam redactis, eius coronatio poſſet, circumſcripta qualibet ambiguitate tergiuerſantium, expleri. Vnde non ſe regem *Poloniæ* ſed Ducem & hæredem Regni eiuſdem ſcribere & gerere contentus, ſua cunctatione magnum & ſuis & publicis rebus, vt in ſubſequentibus narrabimus, diſpendium attulit & iacturam. 1296.

Wladislaus ſe in Regni Poloniæ iactaturam non Regem ſed hæredem Regni ſcribit.

Goslaus Epiſcopus *Plocenſis*, dum annos ſedecim ſediſſet, moritur, & in *Plocenſi* Eccleſia ſepultus, *Ioannem longum* habuit ſucceſſorem, ex patre *Alberto* & genere nobili ortum ducens, ob proceritatem corporis *Altus* cognominatus, a *Iacobo Svvinka* Archiepiſcopo *Gneſnenſi* confirmatus & conſecratus, nobilis de domo *Sulima*.

Goslao Plocenſi Ep. ſuccedit Ioannes.

Decimo ſeptimo Calend. Nouembris, *Ioannes Poſnanienſis* Epiſcopus, de Eccleſia Parochiali in *Glaſchin* ſuæ diœceſis, fundauit Collegiatam Eccleſiam, Præpoſitum & tres Canonicos in ea inſtituendo, & certas decimas, redditus, & prouentus eiſdem aſſignando.

Moleſtiis & tormentis transactæ captiuitatis Dux *Henricus Wratislauienſis*, filius *Boleslai*, ſe in corpore & valetudine debilitatum & confectum intelligens, & ſenſim ſe ad portas mortis appropinquare agnoſcens, accerſito germano ſuo Duce *Boleslao Svvidnicenſi*, huiuſcemodi verba facit: *Quamuis*, inquit, *anguſtiarum & acerbitatum mearum, huius quoque mortis, quæ aduentat, te cooperatorem nouerim, exceſſurus tamen è vita, & tribunal æterni iudicis petiturus, ſingula tibi indulgeo, & trium natorum meorum, Boleslai. Henrici, & Wladislai*, tot enim relinquebat, *tibi curã & tutelã mando, rogans, vt te fidelem & propitium nepotibus tuis patruum geras.* Qui etſi ad id ſe pronum offerret, tutoriam tamen ſubire, niſi ſibi de caſtro *Sobotha* perpetuo cederet, recuſabat. Qua re vehementius Dux *Henricus* quàm conueniebat incenſus, adiecit: *Prioribus*, inquit, *malis quæ a te pertuli, non contentus, etiam quæ reſidua ſunt, auferre conaris.* Dum itaque re infecta *Boleslaus* Dux *Svvidnicenſis* diſcederet, Nobiles & ciues *Wratislauienſi* perſuaſerunt Duci *Henrico*, etiam de caſtro *Sobotha*, ratione tutoriæ cedendum eſſe: ne ex orphanitate plura amittere cogerentur. Duce itaque *Svvidnicenſi Boleslao* reuocato, ſic illum Dux *Henricus* eſt allocatus: *Ex quo*, inquit, *abſque caſtri Sobotha renunciatione, tutoriam puerorum meorum abnuis ſuſcipere, non ſolum caſtrum Sobotha tibi reſigno, ſed & natos meos, deinde vniuerſos Nobiles, Vaſallos, ciues & ſubditos, & vniuerſa quæ ditionis meæ ſunt, tuæ fidei ſimpliciter trado.* In hunc itaque modum tutoria cura, Dux *Boleslaus Svvidnicenſis*, in ſe ſuſcepta, Dux *Henricus Wratisla-*

Henricus Wratislauienſis Dux

Boleslao Svvidnicenſi tutoriam liberorum ſuorum tradit.

1296. *moritur.*

tislauienſis poſt triduum, octauo videlicet Martii die moritur,& in monaſterio ſanctimonialium ſanctæ *Claræ* ſepelitur, tres filios, vt A præmiſimus, & quinque filias relinquens. *Heduigim*, quæ deſponſata fuerat Marchioni *Brandeburgenſi*, quo mortuo intrauit ordinem Sanctæ *Claræ* in *Wratislauia*, *Annam* in virginitate mortuam, *Helenam* & *Eliſabeth*, ordinem Sanctæ *Claræ* in *Gneſna* profeſſas, & *Eufemiam* aliàs *Ofkam*, *Othoni* Marchioni *Carinthiæ* deſponſatam.

Lithuani & Prutheni mutuis ſe cædibus afficiunt.

Withenen Lithuaniæ Dux,terram *Culmenſem* in frequenti exercitu ingreſſus, Magiſtro *Pruſſiæ* detrectante pugnam, eam ſpoliis, cædibus, & igne, & præſertim *Golubienſem* diſtrictum affligit, deinde in *Liuoniam* copias ducit. Quo comperto *Siffridus* Commendator, & alius Commendator de *Kingsberg*,*Lithuaniam* ingreſſi, caſtrum *Garthin* obſident. Quo non quæſito, cædibus, ſpoliis, & exuſtionibus factis, dum comperiſſent Ducem *Lithuaniæ*, *Liuoniæ* non vaſtata, in propria reuerſum eſſe, quam celerrimè redeunt, mille animas captiuorum ſecum ferentes.

1297.

Pomeraniæ terra, eiuſque caſtris & ciuitatibus, *Wladiſlaus Łoktek*, hæres & Dominus Regni *Poloniæ* vnicus, ordinatis, & vtcunque poterat, bono modo compoſitis, in partes *maioris Poloniæ*, & deinde in terras *Cracouienſes* diuertit. Plures enim in oris illis habebat Barones, qui illum nimia colebant affectione. Sed & in *Cracouiam* liber patebat ingreſſus, vniuerſis in ſuum Principatum & regimen, quàm in *Venceſlai Bohemiæ* Ducis, propenſiori fauore inclinatis, magiſque ſibi in Ducatibus *Cracouienſi, Sandomirienſi*, & *Siradienſi*, quam Duci *Bohemiæ Venceslao*, vbicumque diuertebat, præter municipia quæ per Barones tenebantur, parebatur. Sed neque *Bohemiæ* Ducis Præfectos,aut eos, quoſcumque ſciebat de *Polonis* partium *Venceslai* Ducis eſſe,ſinebat pacificos conſiſtere ; ſed continuis inuaſionibus, per ſe & gentes ſuas,quas prædarum & ſpoliorum aſſiduitate ſibi illexerat, laceſſabat. Animaduertens autem *Sleſiæ* Principes de eius in Regnum *Poloniæ* aſſumptione facere iocos, fabulas, & deriſiones, tàm ex *Polonis*, quàm ex *Hungaris*, qui ſecum voluntariè militabant,& quos, vt præmiſimus, ſpoliorum impunitate alebat, iuſto collecto exercitu contra *Sleſiam* inſtituit expeditionem,

Łoktek Duces Sleſiæ inuadit, & depopulatur.

cùm vt Duces *Sleſiæ*,tanquam totius Regni *Poloniæ*, cuius ipſi extant membra, Domino parere induceret, tum ne ſuum & gentium ſuarum militare robur, pacis voluptate langueſceret. *Sleſiam* autem ingreſſus, maiorem partem æſtatis illic abſumpſit, & *Sleſiæ* Ducatuum plurimas oras igne & ſpoliis, præſertim tamen Ducatum *Wratislauienſem Henrici* mortui vaſtauit,vltum iri cupiens iniuriam, quam ſibi prædictus *Henricus Wratislauienſis* Dux poſt mortem *Leſtkonis nigri* germani ſui, *Cracouienſem* ciuitatem & Ducatum occupando, irrogauerat, atque plurimis prædis, ſpoliis,& captiuis onuſtus, ad propria cum omni ſuo exercitu,rediit ſanus & incolumis.

1297.

Boleſlaus Swidnicenſis Dux Conrado Glogov. bellum indicit,

Varii etiam diſſenſionum & deinde bellorum motus,inter *Boleſlaum Svvidnicenſem*, & *Conradum Glogouienſem*, Duces, ſuborti ſunt. Dux enim *Swidnicenſis Boleſlaus*, moleſtè ferens germanum ſuum *Henricum*, Ducem *Legnicenſem* & *Wratislauienſem*, captiuitatis moleſtiis vexatum & extinctum, & notabili portione Ducatûs *Wratislauienſis* exutum,moleſtare illum cœpit. Et tracta- B bus pacis interpoſitis, duo oppida videlicet *Haynow* & *Boleſtaw* quidem pro ſe & filiis retinuit, & in diſtrictu eius caſtrum *Kliczdorff* erexit. *Haynouiam* verò pueris *Henrici Wratislauienſis* Ducis,fratris ſui, ſeruauit. In cuius etiam limitibus caſtrum *Koczonow* conſtruxit. Iuſtitiâ autem & modeſtia ſuos & nepotum ſuorum Principatus gubernans,ſub breui tempore magnas opes habuiſſe creditus eſt. Vnde caſtra & ciuitates *Bregam*, *Nyempcz*, *Grodkow*, muris notabilibus erigens, præcipuus inter Duces illarum partium habebatur. Vnde & Duci *Bohemiæ Venceslao*, terris ſuis vaſtationem minitanti, congregato Principatuum ſuorum exercitu, occurrere,vſque ad lo- C cum *Landshute* gradiens,cum eo decertare paratum ſe oſtendit. Ad ciuitatem quoque *Wratislauienſem*,rebellionem ſibi tanquam tutori nepotum molientem,cum notabili exercitu accedens,& obſidione eam ſtringens,non prius ſupplicibus ciuibus,temeratam mentem ignoſcere, aut ciuitatem *Wratislauienſem* ingredi conſenſit, donec altitudo ciuitatis quatuor cubitis fuit detruncata.

quod breui ſopitur.

Variæ turbæ inter Liuonos & Lithuanos.

Prima Iunii die, *Liuoniæ* Magiſter *Bruno*, circa flumen *Credim* cum *Lithuanis*,*Liuoniam* hoſtiliter vaſtantibus, pugna conſerta, mille quingentis occiſis, reliquos egit in fugam, & de ſuis tria millia per *Lithuanos* capta, & coniecta vinculis,in libertatem vindicat. Dece- D dit eo anno *Pruſſiæ* Magiſter *Meyner*, & *Ludouicus* de *Schippin* ſufficitur. *Lithuani* poſthæc *Liuonitarum*,à quibus victi fuerant, paucitate comperta,in pugnam redeunt ; Et Magiſtro *Liuoniæ Brunone* occiſo,omnem eius exercitum deleuerunt. Qua victoria *Rigenſes* ciues,cum Cruciferis graui odio & armis diſſidentes, in quorum auxilium *Lithuanorum* Dux *Vithenen*,cum gentibus ſuis acceſſitus,venerat, plurimùm exhilarati ; quoniam ſperabant ſe Cruciferos de *Riga* eiecturos,qui etiam propriis armis,abſque *Lithuanorum* adiutorio Cruciferos,*Liuonitas* verò certamine conflixerant, petito poſthæc & accepto *Lithuanorum* ſuffragio, obſident *Rigenſe* caſtrum nouum mo-

1297. molendinum, & fortiter illud impugnant. Proueniſſetque illius conquiſitio, niſi Magiſter Generalis Ordinis *Gothfridus* de *Hoenlech*, exercitum ſub Ducatu fratris *Bruhan* miſiſſet. Qui vltima Iunii cum *Rigenſibus* & *Lithuanis* congreſſus, & obſidionem ſoluit, & *Rigenſes* & *Lithuanos* cæcidit.

Dux Bohemiæ in Regem coronatur.

Quarto Nonas Iunii in Penthecoſtes feſto, Dominico die, *Venceslaus Bohemiæ* Dux ſe in Regem, & coniugem ſuam *Iuttham* in Reginam, in *Pragenſi* Eccleſia, per *Maydeburgenſem* Archiepiſcopum, procurauit coronari, & extunc ſe *Bohemiæ* Regem gerere cœpit. Poſt triduum verò noua Regina, ſed vetus coniunx *Iuttha* defuncta eſt.

Albertus Auſtriæ Dux Adolphum Imp. occidit, eiq; ſuccedit

Nonnullorum Electorum Principum Imperii, qui conditionem *Adolphi Romanorum* Regis deſpectum iri moliebantur, *Albertus* Dux *Auſtriæ*, filius *Rudolphi Romanorum* Regis, fultus præſidio, contra præfatum *Adolphum Romanorum* Regem conſurgit, & propè *Varmatiam* in loco qui dicitur *Hazenpul*, exercitibus vtriuſque magna pugna, tertio Nonas Iulii concurrentibus, *Adolphus* Rex ſuccumbens occiditur, & in locum eius *Albertus Auſtriæ* Dux victor, ab Electoribus *Maguntiæ* electus ſurrogatur. Cuius electionem etſi *Bonifacius IIX* reieciſſet, & approbare negaſſet, conſurgentibus tamen inter Papam *Bonifacium*, & *Philippum Franciæ* Regem guerris, Papa non ſolum electionem ſuam approbauit, ſed & Regnum *Franciæ* illi ſubiiciendum decreuit. Quæ res multorum malorum quæ ſecuta ſunt, fuit ſeminarium & origo.

Ob deſidiam Łoktek magna prædonum licentia.

1298. Siluit terra *Poloniæ* anno illo, nec cum externis per circuitum hoſtibus bella geſſit. *Wladislaus* quoque Łoktek Dominus Regni *Poloniæ*, ab expeditionibus in vicinas hoſtileſque terras, quieuit. Milites autem ſui, ſpoliis & rapto viuere aſſueti, externis deficientibus, in proprios & domeſticos manus conuertunt, & in terris *Maioris Poloniæ*, in quibus *Wladislaus* Łoktek frequentius manere conſueuerat, maior oppreſſio pauperum, & bonorum Eccleſiaſticorum direptio creſcebat. Et quamuis hæc iniuſſu *Wladislai* fierent, expers tamen culpæ putari non poterat, qui huiuſmodi oppreſſiones & & ſpolia, ſua diſſimulatione alebat.

Peſtis animalium.

Acceſſit & alia Regno *Poloniæ* tunc pernicies, nam in animalium, brutorum, & pecorum corpora, peſtis ſiue ex inclementia cœli, ſiue in expiationem humanorum ſcelerum, diuinitus immiſſa, tantum debacchata eſt, vt plurimi etiam ex locupletibus, ad inopiam redigerentur, & in variis locis agrorum intermitteretur, ex mortalitate & penuria iumentorum & boum, cultura. In *Pomerania* quoque terras, *Saxones*, & alii hoſtes ſæpius graſſati, prædis & ſpoliis eas vehementer premebant: domeſticorum quoque prædonum terrebantur continua vexatione. Adeoque, Duce *Wladislao* Łoktek maleficorum & prædonum negligente coërcere exceſſum, furor proceſſit, vt terra *Pomeraniæ* ad quandam vaſtitatem videretur redacta. Diſſolutum enim ſe tunc Dux *Wladislaus* agebat Principem, & in mulieres malè temperatum. 1298.

Lithuani vincuntur.

In feſto Sancti *Michaelis*, *Lithuani* irruptione in terram *Culmenſem* facta, nouæ fundationis oppidum *Strasburg* vaſtant, cædunt, & diripiunt, vaſa ſacra contaminant. Quos *Conradus* de *Szak* Commendator cum *Culmenſibus* militibus in nemoribus conſecutus proſternens confligit, & omnem prædam hominum, rerum, & pecorum reduxit.

Henricus Pomeraniæ Dux Poloniæ Regnum ambit.

Henricus Dux Regni *Poloniæ*, *Pomeraniæq́;* & *Sleſiæ* hæres ac Dominus *Glogouienſis*, in feſto Sancti *Ioannis* apud *Coſthan* agens, patentibus literis ſe obligat & inſcribit: quòd ſi Regias infulas Regni *Poloniæ* fuerit aſſecutus, Cancellariatus Regni *Poloniæ* apud *Poſnanienſem* Epiſcopum perpetuò remaneat, promittens illi aſſignare reditus, iuxta quaslibet ciuitates, vbi frequentius cum Curia illum demorari contingeret. At ego felix & auſpicatum Regnum *Poloniæ* dixiſſem, ſi eius diademata *Henricum* Ducem *cum barba*, & ſuam nobiliſſimam & Beatam conſortem *Heduigim* ſortiri contigiſſet, cuius præfatus *Henricus Glogouienſis* Dux extabat pronepos.

Glogouienſis Dux Conradus Diaconus veneno interficitur.

Glogouienſis Dux *Conradus*, quem in ſuperioribus Diaconi gradu, ex ſpe conſequendæ *Bambergenſis* Eccleſiæ inſignitum monſtrauimus, a nonnullis ſuis miniſtribus venenatus, apud *Glogouiã* moritur, & in Eccleſia Collegiata *Glogouienſi*, quam cum *Thoma Wratislauienſi* Epiſcopo communiter fundauerat, ſepelitur, duos filios ſuperſtites ex *Salomea* filia *Wladislai Othonis Maioris Poloniæ Ducis*, cum tribus filiabus, *Anna*, *Euſemia*, & *Heduigi*, ſuſceptos, relinquens. *Henricum Glogouienſem*, *Conradum Stinauienſem*, qui & gibboſus corpore, ob eam deformitatem Dux *Kokirlenſis* nuncupatus, in Præpoſitum *Wratislauienſem* proceſſu dierum, quo deformitas ipſa minus haberet probri, promotus poſt obitum patris, & in vita huiuſmodi Ducatus ſortitos. Tertius verò *Przemislaus Sprothauienſis* Dux, in prælio apud *Sziewior* habito, ætatem iuuenilem agens, occiderat.

Sedecimo Calend. Martii, *Wladislaus* dictus Łoktek Dux Regni *Poloniæ* fundat monaſterium Fratrum Minorum in *Radzieiow*, in diœceſi *Wladislauienſi*.

Ioanni Poſnanienſi Ep. ſuccedit Andreas.

Ioannes Gerbiſz Epiſcopus *Poſnanienſis*, cum annis duodecim ſediſſet, moritur, & in *Poſnanienſi* Eccleſia ſepelitur. Cui *Andreas* Canonicus *Poſnanienſis* ex patre *Simone* vocatus *Simonowicz*, nobilis genere de familia *Zaremba*, per electionem canonicam ſuccedit: à *Iacobo Swinca Gneſnenſi* Archiepiſcopo confirmatus & conſecratus.

Wladislaus Loktek Poſnanienſem Ep. vexans.

1299. Inualeſcente dietim oppreſſione, creſcentibusque grauaminibus, quibus Eccleſia *Poſnanienſis*, nonnullique militares, per *Wladislaum* Lok-

1299. Łoktek, ſuęſque milites & Curienſes, erant aſfecti, eò malignitatis deuentum erat, vt iuribus Diuinis & humanis nefariè violatis, etiam ab A ædibus ſacris non abſtineretur. Sed & ipſe *Wladislaus Łoktek* Dux in vitia militum prolapſus, virginum, & ingenuarum matronarum pudicitiam violenter proſtituebat. Cerneréſque quaſi contagione quadam, & impunitate ſcelerum ſingula vel iam deformata eſſe, vel propè deformanda. Quapropter *Andreas* Epiſcopus *Poſnanienſis*, Eccleſiæ ſuæ, Clerique & populi ſuæ diœceſis, iniurias & oppreſſiones, pro quibus apud *Wladislaum Loktek* ſæpè literis & Nunciis, tandem perſonaliter queſtus, nullam poterat correctionem, emendam, & iuſtitiam referre, in animum inducens, tollerantiamque tot malorum Maieſtatem ſupernam credens offenſurum, defenſionem ſuæ dexte- B ræ extendens, generali diœceſim ſuam *Poſnanienſem* ſupponit interdicto. Et in omnibus locis, in execrationem horum quæ gerebantur malorum, prohibet celebrari Diuina. Quæ res *Wladislaum Loktek*, & in eorum quæ geſſit, & geri non prohibuit pœnitudinem, & ſi quæ gerenda meditabatur cautelam, induxit. Vnde & per certas Eccleſiaſticas ſæculareſque perſonas, reconciliari Eccleſiæ, & *Andreæ Poſnanienſi* Epiſcopo, & Eccleſiaſticum tolli interdictum, reſtitutione ablatorum per prius impenſa, obtinuit. Huius autem anni maiorem partem præfatus *Wladislaus Loktek* in partibus *Maioris Poloniæ* abſumpſit, dirigendo & ordinando negotia publica, & pro hyemis tempore in oras *Cracouienſes* remeauit.

interdicto ſupponitur.

Cui reconciliatus Loktek omnia reſtituit.

Sexingenti *Lithuani* equeſtres, terram *Pruſſiæ* ingreſſi, illam barbarica vaſtabant tyrannide. Contra quos Commendator de *Brandeburg*, collecta equeſtri & pedeſtri ſuorum multitudine egreſſus, apud *Noctagenſem* regionem aliquandiu latuit, *Lithuanos* illuc aduenientes facilè ex improuiſo obtriturus. Verùm *Lithuanis* venire tardantibus, gentes Crucifericæ ad propria dilabuntur. *Lithuani* interim ſuperueniunt, & *Noctagenſes* vaſtant ac prædantur: Ducentos quoque & quinquaginta de Chriſtianis aut occidunt, aut captiuant. 1299.

Lithuani Pruſſiam vaſtant.

Ioannes dictus *Zwerin* Archiepiſcopus *Rigenſis*, per Magiſtrum *Liuoniæ* & fratres Cruciferos domus *Teutonicorum* Sanctæ *Mariæ*, quia ipſorum crudeli propoſito, in ſubiicienda ipſis fratribus ciuitate *Rigenſi*, aut funditus delenda, renuebat conſentire, captiuatur. Quod malum non ſolùm in perſona ipſius *Ioannis Zwerin*, ſed etiam in aliis duobus, videlicet *Ioanne Veclita*, & *Alberto* Archiepiſcopo, anteceſſoribus ſuis, attentauerunt. Superioribus quoque annis *Fredericum* de *Hazeldappe* Epiſcopum *Darbacenſem*, à ſuo Epiſcopatu proiectum excluſerant.

Archiep. Rigenſis per Cruciferos captiuatur.

FINIS LIBRI OCTAVI.

IOAN-

IOANNIS DŁVGOSSI

SEV

LONGINI

CANONICI CRACOVIENSIS,

HISTORIÆ POLONICÆ

LIBER NONVS.

1300. PRælati & Barones *Poloniæ*, grani amaritudine & odio contra *Wladislaum Loktek* concepta, quòd in quandam inconſtantiam tyrannidemque conuerſus, non defenſioni & amplitudini Regni *Poloniæ*, ſed oppreſſioni & rapinis ſubditorum vacabat: & quia deprauatas actiones ſuas, à quibus ſe ceſſaturum, à Primoribus correptus, ſpoponderat, reſumebat; conuentum apud *Poſnaniam* omnium terrarum agunt. Vbi poſtquam grauamina, oppreſſiones, cæteræque afflictiones per *Wladislaum Loktek* aut ſuos illatæ, recenſita ſunt, ſubiit ſingulorum pœnitentia & deſperatio animos, de Duce *Wladislao Loktek* aliquando electionem celebraſſe, & Regni *Poloniæ* Principatum ei mandaſſe; qui regiminis ſui primitias, præter ſpem opinionemque de illo habitam, indignis mancipaſſet abuſibus, & ab inſtitutis moribusque Catholicorum Principum degenerans; maioribus altioribusque transgreſſionibus & tyrannide, præſumebatur ſuccedente tempore vſurus, qui nondum ſtabilito confirmatoque, nondum ornatus diademate Regio, inſoleſcens, ad plures deformitates nullatenus tolerabiles proruperit. Dans demonſtransque ingenii & propoſiti ſui monimenta haud dubia, qualiter Regnum adminiſtraturus erat, ex his quæ in ipſis initiis nouauerat. Feliciterque actum ſecum putant, quòd coronationis & vnctionis decoris nondum inſignitus, facilius eius imperium & Principatus poterat reſcindi. Abrogandum itaque & finiendum eius regimen, tanquam inutile ſibi, vniuerſali ſententia omnes decernunt. Et quò magis eorum ratum validumque ſit decretum, & minus poſſit aut ab ipſo *Wladislao Loktek*, aut quocumque alio infirmari, *Venceslaum Bohemiæ* Regem, & qui ſe *Cracouienſem* & *Sandomirienſem* Ducem, propter *Griffinæ* relictæ *Leſſkonis nigri* donationem, de eisdem Ducatibus, vt in ſuperioribus præmiſimus, factam, gerebat, eligunt in Dominum & Regem. Perſpicaci ad id reſpectu permoti, quatenus & reintegratio Regni *Poloniæ*, quod præfata ſcindere conabatur *Griffinæ* Duciſſæ donatio, & iuſtius modeſtiusque illius proueniret regimen. 1300.

Poloni Wladislao Loktek regimen abrogant, & Venceslao Bohemiæ Regi tradunt.

De-

1300. Decreto huiuſmodi nullo diſcrepante condito, & ab vniuerſis approbato & laudato, Nuncii ſolennes nomine Prælatorum & Baronum Regni *Poloniæ Pragam* ad *Venceslaum* Regem *Bohemiæ* deſtinantur. Qui illuc venientes, omni dignatione & honore excepti ſunt, & in conceſſa audientiæ die, mandata Prælatorum & Baronum *Poloniæ* exponunt, ac *Venceslaum Bohemiæ* Regem deprecantur, *quatenus electioni de ſe ad Regnum Poloniæ concorditer factæ, benignum præbeat aſſenſum, & illius acceptet imperium & regimen, neque ad aſſentiendum ſcrupulum prioris electionis, de Duce Wladislao Łoktek factæ, animum ſuum perturbaret, cum electio ipſa reintegra, & ipſius Ducis Wladislai exigentibus demeritis caſſata ſit, & eius imperium atque regimen conſenſu vniuerſali abrogatum, exiguoque laboris & fatigæ impendiolo Venceslaum Bohemiæ Regem, ſi Regnum Poloniæ acceptauerit, & illuc perſonaliter acceſſerit, cunctas aduerſitates & oppoſitiones Ducis præfati Wladislai diſpulſurum.* Quæ vt faciliùs iuſtiuſque proueniant, ſuggerunt *Polonorum* Legati *Venceslao Bohemiæ* Regi, quatenus virginem illuſtrem *Richſcham* aliàs *Elſabeth*, filiam olim *Przemislai Polonorum* Regis, veram ac vnicam *Poloniæ* Regni hæredem, & generis nobilitate, & virtutum claritate, formæque venuſtate plurimùm celebrem, accipiat in conſortem, felix iuſtumque Imperium Regni ex huiuſmodi connubio habiturus. Rex autem *Bohemiæ Venceslaus* huiuſmodi *Polonorum* legationem, cum conſilio Prælatorum & Baronum ſuorum diebus plurimis dirigens, & intelligens eam in ſuam cedere amplitudinem, & profectum, electioni de ſe ad Regnum *Poloniæ* factæ, publicum & expreſſum præbet conſenſum. Ac Legatis *Poloniæ* eum conducentibus, *Poloniam* in pulcherrimo magnificoque apparatu ingresſus eſt, primùm *Caliſz*, & tandem *Gneſnam* pertingens, & in Eccleſia *Gneſnenſi* per *Iacobum Swinka Gneſnenſem* Archiepiſcopum, aſſiſtentibus ſibi *Vislao Wladislauienſi, Andrea Poſnanienſi, Ioanne Romka Wratislauienſi*, Epiſcopis, Palatinorumque, Baronum, & Nobilium Regni *Poloniæ* multitudine copioſa, in Regem *Poloniæ* cum vnctione debita & ſolenni, ac vniuerſorum Statuum alacritate & fauóre, vngitur & coronatur.

Nuncii Polonorum Venceslaum ad ſuſcipiendum regnū,

& ducendam Richſcham Przemislai Poloniæ Regis filiam inducunt,

qui Gneſnæ in Regem coronatur.

Venceslaus Rex Richſcham ducit in vxorem.

Coronationis peractis ſolenniis, *Venceslaus Poloniæ* & *Bohemiæ* Rex, ex *Gneſna* in *Poſnaniam* diuertit, & virginem excellentem raræ formæ *Richſcham* alias *Elſabeth*, filiam olim *Przemislai* Regis *Poloniæ*, & eiuſdem Regni *Poloniæ* vnicam hæredem, quæ curâ ſollicitudineque Baronum *Poloniæ Poſnaniæ* educata, iam ad annos nubiles peruenerat, præſentibus Conſiliariis *Poloniæ* & *Bohemiæ* Regnorum, in conſortem deſponſat, matrimoniumque cum ea in facie Eccleſiæ contrahit, & tandem conſumat. Vbi nuptiis Regio more celebratis, & haſtiludiis cæteriſque ſpectaculis iuxta magnificentiam peractis, munera Prælatis & Baronibus *Poloniæ* partitur. Iam enim præfati *Venceslai Poloniæ* & *Bohemiæ* Regis prior ſponſa *Britta* filia *Rudolphi* Regis *Romanorum*, & ſoror *Alberti Auſtriæ* Ducis, vnico filio *Venceslao* edito, diem obierat. Nuptiis autem huiuſmodi ritè peractis, omnium terrarum Regno *Poloniæ* ſubiectarum, ſed & terræ *Pomeraniæ*, plenam nanciſcitur poſſeſſionem, quarum gubernationem præfectis ſuis committit. In caſtris tamen principalioribus, quò ſolidius eius Regnum conſiſteret, *Bohemorum* Barones locat, & *Hinconi* de *Duba Bohemiæ* Baroni, *Maioris Poloniæ* committit Capitaneatum. Ducem verò *Wladislaum Łoktek*, collecto *Polonorum* notabili exercitu, non ſolùm terris *Cracouienſi, Sandomirienſi, Siradienſi, Maioris Poloniæ* & *Pomeraniæ* priuat, & omnia caſtra & præſidia, quæ nomine illius tenebantur, in ſuam redegit ditionem: ſed etiam patrimonio ſuo Ducatu *Cuiauienſi* & *Lancitienſi* exuit, & exutum de Regno *Poloniæ* expellit: non paſſus illum in aliquo loco conſiſtere: Diuinitate hanc ſibi reddente iuſtiſſimè vicem, qui in Principatum Regni *Poloniæ* magis fauore Diuino, quàm ſuo merito euectus, animum aſſentatorum artibus inescatum, in Eccleſiarum & ſubditorum oppreſſionem intenderat. At *Wladislaus Łoktek* magna animi conſtantia vſus, dum vrgebatur ſtabat, dum vrgebatur fidebat, aſſurgebat dum premeretur. Eaque animi moderatione & patientia fortunam ſuperabat aduerſam, & mittebat ſub iugum. Sub huius autem *Venceslai* regimine, *Boreslaus* Prior heremi in *Szwarnógacz*, cum fratribus ſuis in monaſterium *Oliwam* ſe transferens, habitum & profeſſionem Ciſtercienſem vnâ cum fratribus ſuſcepit. Rex quoque *Poloniæ Venceslaus* præfatus, omnes poſſeſſiones & reditus, quas heremus prædicta donatione *Poloniæ* Principum habuerat, monaſterio *Oliuæ* donauit & vniuit. Tranſiit autem præfatus *Venceslaus Poloniæ* & *Bohemiæ* Rex in *Maſouiam* ex *Pomerania*, & poſitis caſtris circa *Goſtinin*, *Płoczkam* conquirere & obtinere nitebatur. Sed cum conatus ſui non haberent effectum, pluribus prædis & ſpoliis factis, inde diſceſſit.

Occupato autem *Venceslao Poloniæ* & *Bohemiæ* Rege in ordinatione rerum publicarum *Poloniæ*, & expeditionem aduerſus caſtra, quæ pro Duce *Wladislao Łoktek* tenebantur, cum militia *Polonica* agente, Principes *Ruſſiæ* motis exercitibus, & congregato omni exercituum ſuorum robore, Regnum *Poloniæ* inuadunt, ac interim in terram *Sandomirienſem*, hæc enim illis erat vicinior, arma vertunt: inteſtinum Regni *Poloniæ* diſ-

Rutheni Poloniam libere vaſtant.

1300. diſſidium & bellum,quo Rex & *Poloni* occupati erant, omnium actorum & agendorum ſuorum, rati ſuffragium & fortunam. Nec A opinione ſuâ fruſtrati ſunt: primùm enim *nouam Ciuitatem*, quæ tunc humili lignorum conſtructa erat congerie,comprehendunt, deinde vniuerſam terram vacuam tunc militibus, in bello Regio militantibus percurrentes, prædas agunt, & aut cæde in homines, aut igne in tecta ſæuiunt, ac pluribus damnis illatis, ingenti præda tàm captorum hominum,quàm pecorum onuſti, in regiones ſuas, nulla impetitione ex aduerſo læſi, reuertuntur. Carptim enim & torrenter huiuſmodi prædas agebant & ſpolia, reſiſtentiam & inuaſionem veriti. Nam adeò ſubito concitoque curſu graſſati ſunt,vt perprius ſuos penates poſt raptam prædam repeterent, quam B eorum repentinus inſultus ad notitiam Regis *Venceslai* & *Polonorum* poſſet deferri. Ab eo autem, quo *Venceslaus* in Regem *Poloniæ* coronatus eſt,tempore, dies aut nox, tempuſque vllum Duci *Wladislao Łoktek*, quietum nunquam fuit, neque loco, neque mortali cuiquam, præter paucos, ſatis fidere *Polonos*, *Bohemosque* in ſuſpicione habere, circumſpectare omnia,doctus frigora & caumata, imbres ac ſolem iuxta pati, humi requieſcere,inediam & quemlibet laborem, egeſtatemque contra decus Regium tolerare,& in paludibus,denſis quoque ſiluis,& auiis locis noctu, raro ſub tecto deliteſcere. Itaque vagus incertuſque, poſt longam exagitationem, dum perfidiam C ſuorum expaueſceret,*Pannonias* petere ſtatuit, ex *Pannoniis* autem *Romam* in habitu priuato iuit, [illegible] quicquid in Regnum *Poloniæ* deliquerat, expiauit. Ordinato autem, *Venceslaus Poloniæ* & *Bohemiæ* Rex, Regni *Poloniæ* ſtatu, vniuerſiſque terris & caſtris eiuſdem Regni ſuæ ditioni ſubiectis,Prælatis & Baronibus *Poloniæ*,Præfectiſque ſuis Regni *Poloniæ* gubernatione commendata, quod ſibi de cætero neque ad illud redire contigit, in Regnum *Bohemiæ* cum *Eliſabeth* alias *Richſcha* noua nupta & Regina regreditur.

Łoktek nullibi ſatis tutus, Romam vadit,

Venceslaus vero cum conſorte in Bohemiam.

Viſlao Wladislauienſi Epiſc. ſuccedit Geruardus.

Abſumptus eſt anno eodem *Viſlaus Wladislauienſis* Epiſcopus vigeſima ſeptima die menſis Nouembris, & in Eccleſia *Wladislauienſi* ſepultus, cum annos ſedecim in Pontificatu exegiſſet, & in locum eius *Geruardus* Canonicus *Wladislauienſis* vir conſilii & ingenii ſingularis, ac zelator Reip. feruentiſſimus,nobilis genere de ſtirpe & genealogia *Aceruitarum*,quæ & *Laska* appellatur, per electionem Canonicam, & de conſenſu ac fauore *Venceslai Poloniæ* ac *Bohemiæ* Regis ſurrogatus eſt,& per *Iacobum Swinka* Archiepiſcopum *Gneſnenſem* confirmatus, ac in *Strzelenſi* monaſterio in Pontificem benedictus.

Anacephalæoſis anni peracti.

Annus hic inſignis & coronatione Regis *Venceslai* in Regem *Poloniæ*, & Ducis *Wladislai Łoktek* expulſione, & multarum pluuiarum & imbrium continua tempeſtate atque deſcenſu. Et quod omnia præmiſſa ſuperat, Iubilei celebratione. Pro quo merendo,de vniuerſis Chriſtiani orbis regionibus, maxima peregrinorum in Vrbem concurrebat frequentia. Iniuriam autem ſui exilii adeò forti tulit Dux *Wladislaus Łoktek* animo, vt calamitati ſuæ compaterentur plurimi, modeſtiam verò mirarentur vniuerſi. Cui inſuper exilium ſuum non delicti ſupplicium, ſed illuſtrandæ virtutis occaſio & materia extiterit.

Elingo Cruciferorum Magiſtro ſuccedit Conradus.

Succeſſit hoc anno apud Cruciferos in Officium Magiſterii *Elingus* de *Golcbach*, natione *Duringus*, *Ludouico* de *Schippen* abſumpto. Sed paucis diebus ſuperuiuens, *Conradum* dictum *Szak* habuit ſucceſſorem. *Lithuani* ſpoliis in *Pruſſia* commiſſis, in anguſtiis ſyluarum quas præterire non poterant, in redeundo à Commendatore de *Brandeburg* occupati, tribus tantummodò ex illa cohorte euadentibus,occiduntur. *Drojko Lithuanus* caſtro *Onkaim* Cruciferis prodito in *Lithuania*,fidem *Chriſti* ſuſcepit.

Lithuani cæduntur.

1301. Sedente *Venceslao Poloniæ* & *Bohemiæ* Rege in *Praga*, & Regnum *Poloniæ* per Præfectos & Capitaneos adminiſtrante, (Deſtituto enim *Hinkone* de *Duba*, *Nicolaum Oppauiæ* Ducem, Capitaneum Regni *Poloniæ* in terris *Cracouienſibus*, *Friczonem* verò *Sleſitam* genere in terris *Maioris Poloniæ* & *Pomeraniæ*, *Thaſzam* de *Viſchemburg* in terris *Cuiauiæ* creauerat) etſi quidem abſentia Principis, & quòd alienis forenſibuſque, & præſertim *Bohemis*, naturali ſuperbia inflatis, ſibique inuiſis, parere cogebatur,plurimas illis moleſtias anxietateſque produceret, æquis tamen animis inſuetum iugum, propter pacis, quæ largius ſolito prouenerat, reſpectum, ferebant, & amœnitas largitaſque pacis vberior, plurimorumque grauaminum ſublatio diſſoluebat, præ hæredis naturale deſiderium, & anguſtiatis ſuper iugo alienigenarum animis, afferebat leuamen: cùm, vt fit frequentiùs, externi iuſtius modeſtiuſque, quam proprii D Principes imperitent. Contigit autem anno eodem *Andream Hungariæ* Regem quatuordecima die menſis Ianuarii in caſtro *Budenſi* excedere ex hac vita. Qui cum nullum hæredem in maſculino aut fœminino ſexu reliquiſſet, inter Prælatos & Barones *Hungariæ*, tractatu de ſurrogando altero Rege celebrato, grauis diſſenſio exorta eſt. Et aliis quidem placebat *Venceslaum Poloniæ* & *Bohemiæ* Regem, quòd auia ſua, ſoror Regis *Hungariæ Andreæ* extiterat: aliis *Carolum Marcelli* Regem *Siciliæ*, cuius genus & ſtirpem in ſubſequentibus explicabimus, quòd is Regem *Hungariæ Andream* ſtrictiori affi-

Polonia per Bohemos & Morauos iuſte gubernatur,

1301. aſſinitate, velut nepos ſuus germanus ex ſorore *Maria* genitus, contingebat, in *Hungariæ* Regni regimen aſſumi. Qui viuente *Andrea* Rege, ad Regnum *Hungariæ*, dum vndecim eſſet annorum, procurante *Bonifacio* octauo Papa, introductus, nutriebatur, tanquam Regi *Andreæ* ſucceſſurus. Tali quoque monſtruoſa electione celebrata, vtraque pars electionem ſuam proſecuta, & alterius irritata, ad quoslibet modos & ſuffragia recurrebat. Vnde hi qui *Venceslaum* *Poloniæ* & *Bohemiæ* Regem elegerant, miſſis vsque in *Pragam* ſolennibus Nunciis, videlicet *Ioanne Kołoczenſi* Archiepiſcopo, *Andrea Agrienſi*, *Henrico Wamdienſi*, *Haab Vacienſi*, *Anthonino Conadienſi*, *Nicolao Bolnenſi*, Epiſcopis; *Dominico* filio *Stephani* Magiſtri *Tauernicorum*, *Demetrio* & *Henrico*, Regem *Venceslaum* de acceptanda corona *Hungariæ* ſollicitant. Sed *Venceslaus* Rex ſenem ſe & morti proximum attendens, omniaque filio quàm ſibi mallens, *Venceslaum* filium vnicum ex *Britta* priore ſponſa genitum, in duodecimo anno conſtitutum, *Hungariæ* Legatis, id nomine aliorum & petentibus & approbantibus, in *Hungariam* ſtipatum inſigni militum robore, transmittit. Qui à Prælatis & Baronibus *Hungariæ*, partem ſuam ſequentibus, magna hilaritate exceptus, in *Albam Regalem* deductus, & illic ex more per *Ioannem Colocenſem* Archiepiſcopum, (vacabat enim tunc *Strigonienſis* Sedes) coronatur, & nonnullorum caſtrorum & prouinciarum nanciſcitur poſſeſſionem. Altera parte quæ *Carolum Marcelli Siciliæ* Regem elegerat, ingenti ſollicitudine & ſtudio opponente reſiſtentiam, & intendente ad ea, quæ præfati *Venceslai* Regis *Bohemiæ* cauſari poſſent regiminis in Regno *Hungariæ* eneruationem. Quorum factionem *Bonifacius* Papa octauus, mittendo in *Hungariam Nicolaum* Cardinalem *Hoſtienſem*, Fratrem Ordinis Prædicatorum pro Legato de Latere, adiuuabat.

& filius Venceslai in Regem Hungariæ eligitur.

Boleslaus Dux Swidnicenſis moritur.

Vtroque Ducatu, *Swidnicenſi*, videlicet & *Wratislauienſi*, annis pluribus in rigore & iuſtitia gubernato, Dux *Boleslaus Swidnicenſis*, alter filiorum *Boleslai Legnicenſis* Ducis, qui primus exactiones Principatibus ſuis & nepotum impoſuit, & nobilium ſubditorum ſuorum ſeruitia, quanta videlicet quisque arma in bellum laturus eſſet, habendo ad bona hæreditaria reſpectum, conſcripſit, qui & monaſterium ordinis Ciſtercienſis in *Griszow* dotauit & fundauit, moritur, & in eodem monaſterio *Griſzouienſi* ſepelitur, tres filios relinquens, *Bernbardum* cui Ducatus *Swidnicenſis* ceſſit; *Henricum* qui *Iaworenſem*, & *Boleslaum* qui *Sambicenſem* alias *Minſterbergenſem* ſortitus eſt Principatum.

Abſumitur anno eodem, decimo tertio Calend. Decembris, *Romka Wratislauienſis* Epiſcopus, cum annis nouem ſediſſet. Cui *Henricus* de *Virbna* genere *Polonus*, nobilis de domo & familia *Działoſſa*, ſuccedit, à *Iacobo Swinka Gneſnenſi* Archiepiſcopo confirmatus. Cui ob induſtriam probitatemque ingenii, poſt mortem *Boleslai Swidnicenſis* Ducis, filiorum *Henrici* quinti *Wratislauienſis* & *Legnicenſis* Ducis, qui nondum annos maturitatis impleuerant, Baronum & militarium *Legnicenſium* & *Wratislauienſium* concordi conſenſu, gubernatio & tutoria mandata eſt. Qui ſumptus profuſos faciens, theſaurum puerorum in *Legnicza* à *Boleslao* Duce *Swidnicenſi* conditum, ad ſexaginta millia marcarum ſe extendentem, pro magna parte conſumpſit. Pro quo à Ducibus & Baronibus *Wratislauienſibus* magnas perſecutiones expoſt pertulit.

1301. Romka Epiſc. Wratislauienſi ſuccedit Henricus de Virbna.

Autumnali tempore, ſtella crinita in occidentali parte in Scorpionis ſigno apparuit. Quæ per vnum menſem durans, facis ſuæ radios aliquando ad orientem, aliquando ad meridiem emittebat.

Cometa.

Lithuanorum exercitus, ad ſex millia pugnatorum habere æſtimatus, terram *Dobrzynenſem* magna vaſtitate afflixit eo anno, & tàm truculentia quàm ſpoliis in eam debacchatus eſt. Et licet *Polonici* milites eos fuiſſent inſecuti, non tamen illis poterant raptam prædam, & in abdita ſyluarum conditam, excutere. Interim *Lithuanicus* exercitus maioris prædæ auiditate ſtimulatus, in *Culmenſem* terram deſcendit, & prædas atque cædes agere cœpit: quem fratres Cruciferi aggreſſi fundunt, & ſeptuaginta occiſis, cæteros in fugam vertunt, captiuasque virgines & matronas *Dobrzinenſes*, eripiunt atque ſoluunt.

Terram Dobrzinenſem Lithuani vaſtant, & à Cruciferis funduntur.

Quietato *Poloniæ* Regno ſub *Venceslai Poloniæ* & *Bohemiæ* Regis regimine & gubernatione, Barones, Proceres, & Nobiles *Cracouienſis* & *Sandomirienſis* terrarum, pudoroſum & ignominiæ plenum exiſtimantes, quòd caſtrum & terram *Lublinenſem Rutheni*, pendentibus inteſtinis in Regno *Poloniæ* guerris & ciuilibus diſſenſionibus, annis aliquot impunè occupauerant, & à corpore Regni *Poloniæ* abſtractam, ſuæ illam facere conabantur ditionis, expeditionem pro reſcindenda huiusmodi infamia indicunt. Et exercitu de terris duntaxat *Cracouienſibus* & *Sandomirienſibus* congregato, verſus *Lublin* exercitum perducunt *Ruthenorum* autem Principes id ſemper venturum veriti, quò fortiorem poſſent *Polonis*, de quorum aduentu tàm rumore quàm viſione perſonali certificationem acceperant, reſiſtentiam opponere,

1302. Poloni.

Li-

1302. *Lithuanos* & *Tartaros*, cæterasque nationes barbaras in ſui auxilium tàm prece quam pretio adſciſcunt, & copioſum ex ſuis exter-A niſque auxiliatoribus, *Polonicoque* multò & viribus & numero ſuperiorem exercitum conficiunt. Vnde & *Polonis* aduenientibus propè *Lublin* occurrunt, & aciebus inſtauratis prælium committunt. In quo cum aliquandiu ancipiti Marte traheretur pugna, & *Poloni* robore, *Rutheni* numero vincere ſperarent, omnipotente tandem Deo iuſtiorem adiuuante aciem, omnis fortitudo *Ruthenorum*, *Lithuanorum*, & barbarorum contrita eſt, & in fugam verſa. Plures numero aut cæſi, aut ſunt capti: nonnulli verò qui fuga dilapſi in caſtrum *Lublinenſe* ſe receperant, à *Polonis* obſeſſi, cum fame cæteriſque difficultatibus contabuiſſent, recentis quoque fugæ & cædis pauor animis oculiſque eorum obuerſaretur, nec aliquid ſpei de ferendo à ſuis auxilio ſupereſſet, tam caſtrum quàm ſe ipſos *Polonis* dedunt. *Poloni* alacres, & victoria & ſpoliis, recuperationeque caſtri & terræ *Lublinenſis* inſignes, reuertuntur. In hunc modum terra *Lublinenſis* à *Ruthenorum* inuaſione, propitia Diuinitate, vindicata eſt.

Fuſis Ruthenis & Lithuanis Lublinenſe caſtrum recuperant.

Gothfrido Magiſtro *Pruſſiæ* ſponte ex officio cedente, *Siſridus de Vnchwange* ſubſtituitur.

1303. Exutus & naturalibus & quæſitis terris *Wladislaus Łoktek* Dux & Dominus Regni *Poloniæ*, & de omnibus caſtris, fortaliciis, & munitionibus, quæ pro eo tenebantur, non ſolum potentia & viribus *Venceslai Poloniæ* & *Bohemiæ* Regis, qui illum & omnes ſibi adhærentes odio proſequebatur hoſtili, ſed etiam vniuerſali Baronum & Nobilium Regni *Poloniæ* conſpiratione & conſenſu eiectus: clandeſtinè tamen aliquorum Baronum Regni *Poloniæ*, in quorum pectoribus ſinceræ fidei & deuotionis erga ſe relictam credebat conſtantiam, præſentiam & domicilia in priuato & diſſimulato habitu adibat, petens & obteſtans *ne ſe deſerent, neuè in ignominiam ſui generis, & Polonicæ gentis, eum exulem & errabundum & vagum in oris externis verſari paterentur:* illi tamen ſiue potentiam & indignationem *Venceslai Poloniæ* & *Bohemiæ* Regis, ſiue ne commune edictum Regni præuaricarentur, & ob hoc in illos & familias eorum aliquid conſuleretur grauius, pertimeſcentes, nihil in eum præter nudam verborum ſupellectilem, & promiſſionum blandarum vmbram, in cuiusdam compasſionis ſpeciem, conferebant, alienoſque reperit, quos beneuolos crediderat: fidem enim, ingenii humani more, mutauerant cum tempore. Qui ſtatum & conditionem ſuam, etiam ab his, quos ſibi nun-

Łoktek timens potentiam Venceslai Regis

quam defuturos fallaci ſpe præſumebat, deſertum ſpretumque iri agnoſcens, cedendum tempori, communi furore vbique ſpiranti, optimum ducens, in ignota abditaque loca, ſyluarum denſitate conſita ſeceſſit. Ibi quoque ſe prodi, & a Præfectis Regis *Venceslai*, & ſignanter ab *Vlrico* de *Boskowicz*, tum *Cracouienſi* & *Sandomirienſi* Capitaneo genere *Bohemo*, cui ſuæ captiuitatis per Regem *Venceslaum* mandata erat cura, comprehendi metuens, in *Hungariam* cum paucis, qui ab illius latere nulla aduerſitatum rabie poterant auelli, perniciem periculumque capitis deuitans, ſeceſſit; Et longis erroribus exul, ad *Amadeum* Palatinum *Hungariæ*, Baronem ea tempeſtate potentiâ & diuitiis clarum, peruenit. Apud B quem deploratis ſuis & domeſticarum rerum & ærumnarum neceſſitatibus, ex tanta rerum conuerſione *Amadeum* ad miſericordiam flexit, quòd & potens & diues Princeps, ſupplex ad illum, & omnium rerum egens, exilio inſuper calamitoſus aduenerit. Qui Regiam in eo magis, quàm exulis veneratus Maieſtatem, benignè illum excipit, proſequitur, & tractat. Ac *bono animo eſſe* iubet, diffidentemque rebus & fortunis ſuis erigit & confirmat: pollicitus illi *non ſolum iura hoſpitii, ſed etiam in Regni ſui recuperationem quæque auxilia opportunè præbiturum.* Cui profundiori compaſſus charitate, liberaliorem ſe in il-C lum agens & munificum, quo magis intelligebat illum indignum illa ſortis iniuria. Erexit autem anno eodem *Venceslaus Poloniæ* & *Bohemiæ* Rex ciuitatem nouam *Sandecz* in confiniis *Hungariæ* ſitam, & in loco villæ *Kamienica* ad *Cracouienſem* Epiſcopatum pertinente, ſitu enim loci, dum in *Poloniæ* Regno ageret, contemplato, quod editiorem collem ſortitus, duobus etiam fluminibus, paruo videlicet *Danubio* & *Biała*, in vtrumque latus cingeretur, ad conſtituendam futuram ciuitatem, aptiſſimus videretur, dato caſtro & ciuitate *Biecz*, *Ioanni Muſchata* tunc *Cracouienſi* Epiſcopo, locum cambiuit: Iurepatrona-D tus Eccleſiæ Sanctæ *Margarethæ* velut filiæ, & Sancti *Adalberti* velut matris, Epiſcopo *Cracouienſi* reſeruato: de quo & Priuilegium eius extat ſpeciale. *Wladislaus* autem *Łoktek Polonorum* Dux, in externis poſitus oris, patientia admirabili exilium ſuum tulit, iuſtiſſima lege Dei recognoſcens ſe perculſum eſſe, & multò minora, quàm demerita ſua exigebant, pertuliſſe. Cumque ſuarum transgresſionum in Deum & legem ſuam facies ante oculos obuerſaretur, ſubibatque grauis pœnitudo animum eius, quòd mandata Diuina prævaricatus, Eccleſias Dei & miniſtros eius per deſcenſus, ſtationes, & tal-

1303. *ad Amadeum Palatinum Hungariæ venit.*

Noua Sandecz ædificatur.

1303. taliis grauauerit, quòd matronis & virginibus ingenuis ſtupra intulerit, quod viduarum & orphanorum & grauatorum cauſas parùm diligenter audiuerit, nec pro illis defenſionem oppoſuerit, quòd ſalubri ſpreto auxilio, & arbitrio proprio, multa Deum & Rempublicam offendentia egerit: vouens & deſtinans in corde ſuo, & id etiam apud milites proprios & familiares, ſui exilii comites, crebrius ingeminans: quòd ſi propitiatio Diuina illi in Regnum ſuum reditum largiretur, alium ſe vellet agere hominem, aliis ſtudiis & obſequiis legem colere Diuinam, aliis operibus ſe inſinuare Deo, alium ſe vniuerſis ſubditis præſtare, rectorem. Virginis inſuper glorioſæ *Mariæ*, & Sanctorum omnium, præſertim tamen Sancti *Stanislai* Martyris atque Pontificis implorabat patrocinia, & non tam precibus, quàm lachrymis & ſuſpiriis ſe eorum interceſſioni commendabat. Sedulus etiam in oratione perſiſtens, etiam eleemoſynarum largitioni, vtcumque poterat, vacabat: vota vouens Domino, ſi illi hæreditatem patrum ſuorum reſtituere dignaretur, ingenii humani vitio & more clarius quam præſentia perpendens transacta; & quantum voluptatis Patriæ conſpectus & fruitio afferat, profundius intelligens carendo quàm fruendo.

Venceslaus Rex conſortem ſuam Pragæ coronat

In feſto Pentecoſtes anni eiuſdem die, *Venceslaus Poloniæ* & *Bohemiæ* Rex, conſortem ſuam Illuſtriſſimam *Richſcbam Eliſabeth*, *Przemislai* olim Regis *Poloniæ* filiam, & ob nobilitatem generis, & reſplendentiam probitatis, chariſſimo diligens affectu, volenſque illi ampliora venerationis inſignia, & apud externos & proprios procurare, de ſpeciali & expreſſo conſenſu *Moguntinenſis* & *Gneſnenſis* Archiepiſcoporum, eam in Reginam *Poloniæ* & *Bohemiæ* Regnorum in Eccleſia *Pragenſi*, per *Henricum* de *Virbna Wratislauienſem* Epiſcopum, coronari & inungi, ſub plurimorum Baronum frequentibus diſpoſuit, Curiamq; Regalem illo & ſubſequentibus diebus celebrans, haſtarum & aliorum generum ludos inſtaurauit. *Nicolao* inſuper *Oppauiæ* Duce à tenuta & Capitaneatu Regni *Poloniæ*, propter querelas & oppreſſiones, quæ de illo afferebantur, amoto,

Et Polonis [illegible] dat [illegible]ium.

Friczkonem de *Schaſchowicz Bohemum*, in Regno *Poloniæ*, & terrarum *Pomeraniæ* & *Cuiauiæ* Gubernatorem & Capitaneum ordinat & conſtituit.

Conradus Dux *Stinauienſis*, ob gibboſitatem à natura productam, *Kokirlenſis* appellatus, filius *Conradi Glogouienſis* Ducis, Præpoſitus *Wratislauienſis*, in *Salczburgenſem* Archiepiſcopum concorditer electus, poſſeſſionem eiuſdem Archiepiſcopatus accepturus, notabilibus Prælatis & Baronibus *Poloniæ*, ipſum conducentibus, illuc pergit. Verùm ad *Viennam* vſque pertingens, dum cognouiſſet *Salczburgam* vinum tantummodò, & non cereuiſiam triticeam, qua ab infantia nutritus erat, habere, relicto Archiepiſcopatu, ex *Vienna* in *Poloniam* in Ducatum ſuum *Stinauienſem*, iam à fratre ſuo *Henrico* poſſeſſum & occupatum reuertitur. Quem armis repeteret, capitur à Duce *Henrico*, & in *Glogouiam* captus deportatur, turrique & compedibus vincitur. Qui ſuorum vaſallorum & militum, videlicet Nobilium de *Rudna* & *Lubin*, ſollicitudine & cura, de ergaſtulis nocturno tempore ereptus, Ducatum ſuum plenè repetens, anno ſubſequenti, quinto Idus Octobris moritur, & in *Lubinenſi* monaſterio ſepelitur: & vniuerſus *Glogouienſis* Ducatus, ad ſolum *Henricum*, qui *Mechtildim* filiam *Alberti* Ducis *Brunſuicenſis* habuit vxorem, deuoluitur. Tenui impedimento à titulo & conſecutione culminis Pontificalis Archiepiſcopatûs *Salczburgenſis*, ob tenuitatem, vt reor, ſenſus, & ingenii, tam leuiter auerſus, qui potis erat ex proprio frumento & extero, genus cuiuslibet cereuiſiæ ſibi ordinare, & Pontificale petalum legitimè ſibi quæſitum non contemnere. 1303.

Philippus Francorum Rex

Irritatus exacerbatusque *Francorum* Rex *Philippus*, quòd *Bonifacius* octauus, conſilio contra ipſum *Romæ* conuocato, ipſum excommunicauerit & Regno priuauerit; conuentu maximo apud *Pariſium* indicto, tam ab Eccleſiaſticis quàm ſecularibus ſui Regni, petiturus contra *Bonifacium* Papam conſilium & auxilium. Et obiecta fuerunt Papæ crimina, & titulus hæreſis, & Prædeceſſore ſuo *Cæleſtino* viuente, intruſio & ingreſſus illegitimus ad Papatum, & quòd ei non erat parendum. Fuitque contra ipſum facta prouocatio ad Concilium generale. Deinde præfatus *Philippus* Rex, præfatum *Bonifacium* Papam in vigilia Natiuitatis *B. Mariæ*, in *Anagnia* ciuitate ſuæ originis reſidentem, per *Gwilhelmum* de *Nogaretho*, & nobiles de *Columna*, captiuat, & theſaurus diripitur. Qui captiuitatem die tertia euadens, vrbem rediit. Vbi propter magnitudinem iniuriæ ſibi irrogatæ anguſtiatus, quinto Idus Octobris moritur, & in Eccleſia Sancti *Petri* ſepelitur, cum annos octo, menſes decem, ſediſſet. Cui frater *Nicolaus* ordinis Prædicatorum *Hoſtienſis* Epiſcopus, natione *Lombardus* de *Teruiſo*, vndecimo Calendas Nouembris electus, qui *Benedictus* vndecimus vocatus eſt, ſuccedit. In ea autem captiuitate *Bonifacius* Papa, præpoſita ſibi Cruce & Sanctorum reliquiis, *Philippum Franciæ* Regem, vſque in quartam generationem fertur maledixiſſe, & dictum *Guilhelmum* hæreticum & hæretici filium oſtendiſſe, nec in manibus inimicorum ſuorum territum fuiſſe, in magnam arrogantiam erectus: vt ſe ipſum in ſpiritualibus & temporalibus Dominum totius orbis aſſereret. De quo ſcriptum eſt:

Bonifacium VIII. P. R. captiuat.

Qui captiuitatem euadens moritur,

ſuccedente Benedicto XI.

1303. eſt: *Intrauit vt vulpis, regnauit vt Leo, moritur vt canis.*

Duplex Cruciferorum in Lithuaniam expeditio.

Frequenti numero peregrinorum militum in *Pruſiam* confluente, duplici agmine in *Lithuaniam* itum eſt. Et vnum quidem agmen, cuius Commendator de *Brandeburg Conradus* erat Capitaneus, in diſtrictum *Gartim*; alterum, quod *Bernardus* Commendator de *Kruczborg* regebat, in diſtrictum *Pogradum* irruens, cæde & igne omnia vaſtauit. Et ſtrage magna in *Lithuanis* commiſſa, cum ſpoliis & magno numero captiuorum rediit. Egit & alteram in *Lithuanos*, ſub Quadrageſimæ tempore, Commendator de *Kingsberg* expeditionem, & ſpoliis ac exuſtionibus villarum patratis, plures ducens captiuos, triginta tantummodò de ſuis deſideratis, rediit incolumis.

1304. Licet ſuperioribus annis, & à tempore, quo ex obitu *Andreæ* Regis Regno *Hungariæ* prouenerat vacatio, inter *Venceslaum* filium *Venceslai Bohemiæ* & *Poloniæ* Regis, & eorum Baronum *Hungariæ*, qui partes ſuas ſequebantur ab vna, & *Carolum* filium *Roberti* Regis, in ætate pucrili tunc conſtitutum, & aliorum Baronum ſuæ parti adhærentium, partibus, ab altera, guerrarum vigerent & tractarentur diſcidia: altiori tamen flammà tunc agi & frequentari cœpta ſunt. Cœpit quoque & pars *Venceslai* ſenſim languidior hebetiorque eſſe: deſciſcentibus præcipuis Baronibus ab eo, & in partem *Caroli* Regis facientibus ſeceſſionem, quod & *Carolus* ad ſuccedendum Regi *Andreæ* erat propinquior, ſingularique ingenio & indole, atque venuſtate morum præclarus, *Hungarorum* mentes in ſui venerationem & culturam inflexerat, & *Venceslaus* deſidia & ſuperbia, cæteriſque corrùptis moribus & flagitiis, odium in ſe & alienationem animorum prouocabat. Quo effectum eſt, vt caſtra municipiaque obedientiam *Venceslai* Regis profeſſa, Regi *Carolo* dederentur, & in perſonæ ſuæ clandeſtini celebrarentur tractatus, quò facilius ciuile bellum intercipi poſſet, expulſionem vel diſcrimen. Barones inſuper *Hungariæ*, nulli partium fidi, nutrire magis diuiſionem quàm extinguere viſi ſunt, vt caſtrorum & introituum Regalium impunis illis eſſet detentio. Quare ad *Venceslaum Bohemiæ* & *Poloniæ* Regem in Pragam literis & nunciis perlata, grandi fremitu & colera incandeſcens, comparato ex Regnis Dominiiſque ſuis numeroſo exercitu, *Hungariam* ingreditur, eamque militibus ſuis imperat diripi, & deuaſtari. Ciuitatem quoque *Strigonienſem* aggreſſus capit, & militibus exponit in prædam. A *Strigonio* verſus *Budam* procedens, filium in mortis magis periculo, quàm regiminis ſolio conſtitutum eripit, & pluribus grauibuſque damnis in *Hungaria* commiſſis, in *Bohemiam* reuertitur, coronamque materialem Regni *Hungariæ* ſecum

Quum occupatus eſſet Venceslaus bello Hungarico,

aſportat & abducit. Non magnoperè pen- 1304.
dens Regnum *Hungariæ* à filio ſuo alienan-
A dum fruſtrandumque eſſe, cum & vnicus illi fuerit, & Regni *Bohemiæ*, patre obeunte, illi debebatur ampla largaque & certa ſucceſſio. Superuacuum ratus, externa Regna bello quærere, cum propria & hæreditaria, nullumque diſcrimen habitura ſuppetant. Inter hæc *Wladislaus Loktek Poloniæ* Dux, aduerſarium ſuum *Venceslaum Bohemiæ* & *Poloniæ* Regem, bello *Hungarico* implicatum intelligens, *Amadei* hoſpitis ſui fretus ſuffragiis, in *Poloniam* contendit, & caſtrum Eccleſiæ *Cracouienſis Petrziska*, *Wslicienſi* oppido imminens, occupat, & exinde fauentibus ſibi indigenis, præſidium *Bohemorum* ex *Vislicia* diſturbat, & expellit. *Vislicienſe* oppidum, ſitu pluri-
B mùm munitiſſimum, item caſtrum & oppidum *Lelow*, in ſuam redigit poteſtatem, Regionemque circumquaque poſitam compellit ad præſtandum ſibi deditionem & tributum.

Loktek cum gentibus Poloniam ingreſſus aliquot caſtra & ciuitates capit.

Venceslao Bohemiæ & *Poloniæ* Rege, cum filio ſuo de *Hungariæ* Regni poſſeſſione & iure excedente, filii *Henrici*, & cæteri *Hungariæ* Barones, ad nouandum res procliui, *Othonem Bauariæ* Ducem, vt factionis ſuæ parti contra *Carolum Roberti* prodeſſet, introducunt. Vbi in *Alba Regali*, corona legitima, prece vel pretio ſibi per *Venceslaum Bohemiæ* & *Poloniæ* Regem reſtituta, per *Benedictum Veſperiminenſem*, & *Anthoninum*
C *Conadienſem*, Epiſcopos inungitur in Regem *Hungariæ*, & coronatur. Exindequè primùm *Budam*, deinde in *Septem caſtrenſem* regionem procedens, à *Wladislao Waiewoda* captiuatur: & poſt miſerabiles carceres, quos aliquanto tempore ſuſtinuit, de Regno *Hungariæ* cum dedecore propulſatur. In qua etiam captiuitate corona materialis Regni *Hungariæ*, per præfatum *Wladislaum Waiewodam*, a præfato *Othone Bauariæ* Duce, fuit extorta & recepta.

Venceslaus Rex filium à Regno Hungariæ reuocat,

in cuius locum creatur Otho Bauariæ Dux.

Sub eodem tempore *Leſchko Michałouſenſis* & *Gniewkouienſis* Dux, filius *Semomislai Cuiauiæ* Ducis, *Wladislai Loktek* nepos germanus, volens moleſtiam captiuitatis, in
D quam, pro *Carolo* Rege *Hungariæ* militando, in manus *Venceslai Bohemiæ* & *Poloniæ* Regis inciderat, euadere, terram ſuam & fratrum ſuorum *Przemislai* & *Caſimiri*, communem *Michalouienſem*, ipſis etiam fratribus *Przemislao* & *Caſimiro* indiuiſis reclamantibus & inuitis, *Conrado Hzaac* Magiſtro *Pruſſiæ*, in centum & octoginta marcis *Thorunenſibus*, pignoris nomine, pacto & conditione legis Commiſſariæ obligat, videlicet quòd intra biennium habeat poſſe eam, reddito mutuo, liberandi: alias lapſo biennio, & pecunia non ſolutâ, Ducatus ipſe *Michalouienſis*, ad Magiſtrum & ordinem Cruciferorum cenſeatur deuolutus. De quo &

Leſchko Dux Michałouienſis terram ſuam obligat Cruciferis.

Ma-

1304.

Magiſter *Conradus* prædictus literalem dedit recognitionem. Quamuis autem in proceſſu temporis tam ipſe Dux *Leſchko*, quàm fratres ſui *Przemislaus* & *Caſimirus* & per ſe, & per Nuncios, & ſignanter per *Ioannem* de *Plomikovv* Palatinum *Wladislauienſem* plenam & integram mutuatæ pecuniæ Magiſtro *Conrado* prædicto & ordini obtuliſſent ſolutionem: nullatenus tamen ad recipiendum mutuum, & ad relaxandum & reddendum terram *Michałouienſem*, quibuscumque precibus poterat induci. Propter quod Duces prædicti, à patrimonio & hæreditate ſua, ludificatione prædictorum Cruciferorum, tam miſerabiliter excluſi, *Wladislai Loktek* ſolatiis & expenſis fouebantur. Terra quoque prædicta *Michałouienſis*, tam turpi & fœdo commercio, à Magiſtro & Ordine Cruciferorum, cœpta eſt damnabiliter detineri. Vt autem hæc poſteris præbeant notitiam, clariorem copiam obligationis Magiſtri *Conradi* in maiorem euidentiam eorum, quæ narramus, ſubnexui Quæ talis eſt.

Quæ poſtea repetita fratribus Leſchkonis negatur.

Tenor obligationis terræ Michałouienſis Magiſtro Pruſſiæ.

Vniuerſis præſentium inſpecturis, Nos frater Conradus Saccus, Magiſter Fratrum domus Teutonicorum per Pruſſiam, notum volumus eſſe. Quòd cum de conſenſu Fratrum noſtrorum, Illuſtri Principi Domino Leſkoni Duci Cuiauiæ, & Domino iunioris Wladislauiæ, ad inſtantiam ipſius, centum & octuaginta marcas Thorunenſes denariorum, ac demum centum & viginti marcas denariorum eorundem fideliter mutuaſſemus, ipſe Nobis & noſtris fratribus, pro eadem pecunia territorium ſuum Michałouienſe, cum omnibus terminis ſuis nomine pignoris obligauit, ita videlicet: quod ſi idem territorium à proximo feſto Natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti intra biennium per ipſum aut fratres ſuos Przemislaum & Caſimirum inclytos Duces & Dominos Cuiauiæ a Nobis & Fratribus noſtris per ſolutionem ſupradictæ pecuniæ non fuerit exolutum, cum nullus alius exoluere debeat, extunc Nobis & Ordini noſtro præſtiterunt, & ſic ad Nos & Ordinem noſtrum deuolutum perpetuò poſſidendum. Si autem intra præfatum biennium, quocumque tempore fuerit, nobis prædictus Dominus Leſtko, aut fratres eius Principes prædicti, pecuniam ſoluerint prædictam, ex tunc ipſis ſupradictum territorium, prout ad ipſos pertinet, reddemus, & tenebimur reddere bona fide. Promiſimus etiam & promittimus prædicto Domino Leskoni interim, quod tenemus & habemus nomine pignoris prædictum territorium, in eo contra voluntatem eius, nullam faciemus taxam, nec ſumptus aliquos, ad quorum ſolutionem faciendam, ipſum poſtmodum compellere deberemus. In quorum omnium memoriam & tutelam, ſigillum Noſtrum præſentibus eſt appenſum. Teſtes ſunt Frater Guntherus de Svvarczburg Prouincialis terræ Culmenſis, Frater Henricus de Dubin Commendator in Thorun, Frater Otho Commendator in Scheuen, Frater Henricus de Wederth Commendator in Heſzovv, Frater Goſuinus Vice Commendator, Frater Petrus Commendator in Redino: & plures alii Ordinis noſtri fratres. Datum Thorunii. Anno Domini milleſimo tricenteſimo quarto. Calixti Papæ & Martyris.

1304.

Vernerus comes de *Hohenberg*, *Adolphus* cum germano ſuo de *Vintbuel*, & *Theodorus Elner*, plures quoque alii *Rinenſes* milites *Pruſſiam*, Cruciferis contra *Lithuanos* auxiliaturi, adueniunt. Itaque *Pruſſiæ* Magiſter *Conradus Szak* exercitu bipartito *Lithuaniam* ingreſſus hyemis tempore, illam circa territorium *Garthin* cædibus & flammis vaſtat, ſpoliaque in hominibus & pecoribus ſecum refert. Sub tempore deinde Quadrageſimæ, Commendator de *Kinsberg* vocatus *Svvirtil*, in ampliori gentium turma venit in *Onkaim*, vbi *Lithuanus* quidam iuxta clandeſtinam pollicitationem Cruciferis factam, caſtrum præfatum, cuius erat Burgrabius, Cruciferis aperit. Qui illud nocte ingreſſi, omnes paſſim mares & fœminas, ſenes & paruulos interimunt, caſtrum flammis tradunt. Et diſcurrendo in vicinas regiones, congeſta præda, eam in *Pruſſiam* deducunt.

Conradus Mag. Pruſſiæ terras Garthin depopulatur.

Commendator de Kinsberg caſtrum Onkaim conquirit.

Quinto Idus Octobris, *Conradus* Dux *Zeganenſis* & Præpoſitus *Wratislauienſis* primogenitus *Conradi* Ducis *Glogouienſis*, obiit, in monaſterio *Lubenſi*, in medio chori ſepultus.

Benedictus XI. cum menſibus tantummodò octo, diebus decem & ſeptem ſediſſet, Nonas Iulii in *Peruſio* moritur, & in Eccleſia fratrum Prædicatorum, ante maius altare ſepelitur, qui plurimis miraculis aſſeritur coruſcaſſe. Poſt cuius mortem Cardinalibus ſuper futuri Pontificis electione diſcordantibus, vacauit Sedes *Romana* menſibus decem, viginti nouem, Cardinalibus ſtantibus incluſis. Et licet multis artatis a Pe * * * non valentibus concordare, in duas enim ſe partes Cardinales ſcinderant, vna *Gallica* pro Rege *Franciæ*, altera *Italica* hoſtis illi & infeſta nimis, & quæ partem *Bonifacii* fouebat octaui. Cardinalis itaque *Nicolaus* de *Prato* Ordinis Prædicatorum Epiſcopus *Hoſtienſis*, vir ſolertis ingenii, voluit ſe ad partem *Bonifacii* inclinare, & perſuaſit vt *Burdegalenſis* Archiepiſcopus Regis *Franciæ* hoſtis *Bernhardus* eligeretur. Quod cum effeciſſet, ſignificauit occultiſſimè Regi *Franciæ*. Qui illicò Archiepiſcopum *Burdegalenſem* ſibi reconcilians, iureiurando illum aſtrinxit, quòd in *Francia* reſideret, & decimas ſibi per decem annos remitteret, ac *Columnenſes* ad Dignitatem reſtitueret. Quæ

Benedicto XI. P.R ſuccedit

1304. *Clemens V.* Quæ omnia impleuit, & vocatus eſt *Clemens V.* genere vaſto. Et ſedit in *Auinione*, coronatus in *Lugduno*, decimo octaua Calend. Decembris. Cumque de loco coronationis cum frequenti populorum turba procederet, concurrentibus & comprimentibus ſe turbis, & Papam coronatum videre geſtientibus, cuiusdam muri ruinata materia cecidit, & *Ioannem Britanniæ* Ducem cum aliis vndecem collidens extinxit, Papæ etiam coronam de capite decerpens, & ex corona carbunculum pretii ſex millium florenorum auellens. Ex quo plurimis admirantibus, varii ſucceſſus ominabantur prodituri.

Iacobo Svvinka Gneſnenſi Archiep. Quarta menſis Martii, *Iacobus Svvinka Gneſnenſis* Archiepiſcopus in *Vniciovv* moritur, & in Eccleſia *Gneſnenſi* nona menſis eiusdem Martii, funeri ſuo omnibus legitimè perſolutis ſepelitur. Prima autem die menſis Maii, pro electione futuri Metropolitani *Gneſnenſis* conſignata, *Borzislaus* Archidiaconus *Poſnanienſis* & Canonicus *Gneſnenſis*, per formam compromiſſi concorditer eligitur. *ſuccedit Borzislaus.* Qui non per Nuncios, ſed per ſe ipſum negotium electionis celeriori volens conſumationi demandare, in *Peruſium*, vbi *Benedictus* vndecimus cum curia reſidebat, proceſſit. Quò perueniens, & *Benedictum* Papam rebus humanis abſumptum reperiens, confirmationis ſuæ dilationem integro ferè biencio pertulit. *Cardinalibus* enim Eccleſiæ *Romanæ* poſt mortem *Benedicti* vota varia in conclaui fundentibus, electio *Romani* Pontificis tanto tempore fuit protelata. Ad *Clementem* deinde *V*, qui *Benedicto* ſucceſſit, in *Auimonem* venit, & illic electionis ſuæ confirmationem non ſine difficultate obtinuit.

Lancitienſem terram Rutheni vaſtant; In die Sancto Pentecoſtes, *Lithuanorum* exercitus, *Lancitienſem* terram furtiuè & nullo denunciante ingreſſus, eam ſpoliis & cædibus deuaſtat, ciuitatem quoque *Lancitienſem* accedens, & ſine reſiſtentia capiens, eam ſuccendit. Cui cum præda graui onuſto, impeditiori quoque & pigro agmine incedenti, *Caſimirus Dobrzinenſis* Dux & *Wladislai Loktek* germanus, cum gentibus ſuis, reuertenti occurriſſet, durum certamen in villa *Troianovv* committitur inter vtroſque. *quibus Caſimirus Dux prædam eripit,* Licet autem fauore Diuino cedentibus fugientibusque *Lithuanis*, & in tergis eorum hærentibus *Polonis*, ceſſiſſet victoria, & omnis præda *Lithuanis* partim cæſis partim captis, fuiſſet erepta; *victoriaque Polonis, amiſſo Duce ceſſit.* Dux tamen ipſe *Caſimirus*, non ſolùm Ducis, ſed & militis occupans officia, & in ala quæ laborare cœperat pugnans fortiter, multitudine telorum lancearumque confoſſus, generoſo ſpiritu fuſo, glorioſum quidem & celebrem, ſed non incruentam *Polonis*, mortem ſuam miro affectu lugentibus, dereliquit victoriam. Declinaſſent autem *Lithuani*, eo ipſo A tempore omni niſu ingenia ſua ſecuti, certamen, niſi illos *Polonicus* exercitus, in loco apto conſecutos, decertare coegiſſet. Gens enim prædociniis aſſueta, & propter inopiam domeſticam, explendamque eſuriem, vicinorum agros incurſare ſolita, pugnæ diſcrimen magnoperè deuitabat. Tentauit ſub hoc tempore, dum in *Poloniam Lithuani* prædatum iiſſent, caſtrum *Garthin* per fratrem *Albertum* de *Hayn* Magiſter *Pruſſiæ* intercipere, ſed cum ſecus res ceſſiſſet, venit ſolus, tandem in caſtro validum præſidium reperiens, retrocedit. Quem *Lithuani* aggreſſi, vsque ad meridiem cædendo & inuadendo ipſum laceſſabant, & multi hinc inde occiſi, vulneratique. 1304.

Conſiſtente *Venceslao Bohemiæ* & *Po-* 1305.
B *loniæ* Rege in *Praga*, vnà cum filio ſuo *Venceslao* ex *Hungaria* pridem reducto, valetudo aduerſa ſiue ex morbo, ſiue ex ſenio, ſiue, vt quorundam habuit aſſertio, ex veneno illum cœpit impetere, & ſenſim inualeſcere & graſſari. *Albertus* interim *Romanorum* Rex *Bohemiam*, filius vero ſuus *Rudolphus Morauiam*, duplici agmine ingreſſi, hoſtiliter populantur, & circa montes *Kuthnenſes* vtroque coniuncto exercitu, maiori vaſtitate & ſpoliis *Bohemiam* per incendia & rapinas ſubiiciunt. *Marchionatus Morauiæ ab Alberto Imp. & filio vaſtatur.* Ea belli nacta occaſione, quod morte *Grittæ* conſortis ſuæ, & eiusdem *Alberti Romanorum* Regis ſororis, ſecuta, *Ven-*
C *ceslaus* Rex de *Egra* ciuitate & *Miſnenſi* prouincia excedere, ac de montibus *Kuthnis*, qui in diebus præfati *Venceslai* Regis argenti fodinam cœperant producere, de octoginta millibus argenti, pro Imperiali camera debitis, pendere recuſaret. Et quamuis *Venceslaus* Rex ex gentibus Dominio ſuo ſubiectis, & ex Marchionatibus *Miſnenſi* & *Brandeburgenſi*, moliretur comparare exercitum, reſiſtentiam *Alberto Romanorum* Regi, & filio ſuo *Rudolpho* Duci *Auſtriæ* oppoſiturus: tardius tamen, & in pauciori numero, quam ſat erat, auxiliis propriis & externis conuenientibus, exercitus *Romanorum* Regis, patratis in Regno *Bohemiæ*, & Marchionatu *Morauiæ*,
D pluribus incendiis, rapinis, & ſpoliis, ad propria incolúmis rediit: præter aliquos, quos infectio aquarum, ex virulenta decoctione purgamentorum argenti, & ſordibus latrinarum, aquis per ciues *Kuthnenſes* immiſſa & procurata, ſub obſidionis tempore extinxerat. Ingraueſcente autem morbo, præfatus *Venceslaus Bohemia* & *Poloniæ* Rex, nono Calend. Iulii ex phthiſi in *Pragenſi* ciuitate abſumptus eſt, & in monaſterio aulæ Regiæ ordinis *Ciſtercienſis*, quod ipſe viuens erexerat, fundauerat, & dotauerat, iuxta Regalem magnificentiam ſepulturæ traditus anno Regni *Venceslaus Bohem. & Poloniæ Rex moritur.*

Bo-

1304. *Bohemiæ* ſexto, *Poloniæ* quinto. Poſt cuius mortem *Boleslaus Wratislauienſis* Dux filius ſenior *Henrici* quinti *Wratislauienſis* Ducis, qui in quindecimo anno exiſtens, filiam *Venceslai Bohemiæ* Regis *Margaretham* nomine, ex prima vxore *Iuttha* genitam deſponſauerat, & poſt deſponſationem quadriennio, in domo & curia ſoceri morabatur, in *Poloniam* ex *Bohemia* cum ſponſa ſua *Margaretha* reuertitur.

Venceslaus II. patri in Bohemia ſuccedit,

Erectus eſt in *Bohemiæ* Regem, atque in ſolio locatus paterno, morte *Venceslai Bohemiæ* & *Poloniæ* Regis ſecuta, & funebriis ſuis iuſto honore celebratis, filius ſuus vnicus *Venceslaus*, & conſenſu vnanimi Prælatorum & Baronum *Bohemiæ*, in Regem *Bohemiæ* coronatur. Qui etiam expletis huiusmodi coronationis inſigniis cum tunc eſſet adoleſcens annorum decem & ſeptem, vxorem accipit virginem *Filiolam* nomine, natam Ducis *Mieczslaui*, Ducis *Theſchenſis*, & vinculo matrimonii contracto, tertio Nonas Octobris, nuptiæ ex more celebrantur. Præfatus inſuper *Venceslaus* ſecundus *Bohemiæ* Rex, nihil de his, quibus Pater principabatur, minuendum ducens, etiam ſe *Poloniæ* Regem quamuis nondum de illo inueſtitus & coronatus fuiſſet, & gerebat & ſcribebat, cum nonnulla caſtra & municipia pro eo in *Polonia* per ſuos Præfectos adminiſtrata tenerentur. Non tamen res hæc *Wladislaum Loktek Poloniæ* Ducem pauidum in agendis fecit. Sed morte *Venceslai* primi Regis ad eum perlata, ad ſubiiciendum ſibi *Sandomirienſe* caſtrum, & cæteras terræ *Sandomirienſis* munitiones, exercitum magis agreſtibus, quàm militaribus refertum habens, proceſſit: & dum tenuem languidamque reſiſtentiam inueniſſet, (ex morte enim *Venceslai* primi Regis, ferè ſinguli in Ducis *Wladislai Loktek* obedientiam & regimen, quam in *Bohemorum*, quorum iam illos ſatietas & faſtidium cœperat, *Poloni* erant procliuiores) non ſolùm caſtro, ſed vniuerſa terra *Sandomirienſi* potitur: mira fide & deuotione ſuum ſingulis aſpirantibus regimen & Principatum. Vnde & præſidia *Bohemorum*, in quibuscumq; locis terræ *Sandomirienſis* conſiſtentia, tunc aut exterminata ſunt, aut fugata. Res quoque præfati *Wladislai Loktek*, ab eo tempore in proſperitatem conuerſæ, meliori ordine & loco cœperunt conſiſtere: quoniam Barones & milites, atque Optimates *Cracouienſium* & *Sandomirienſium* terrarum, videlicet *Wierzbiatha* Caſtellanus, *Albertus* de *Zmigrod* Palatinus, *Cracouienſes*, *Zegotha* Palatinus, *Prandotha* Caſtellanus, *Smil* Iudex, *Sandomirienſes*, *Clemens* Cancellarius & Canonicus *Cracouienſis*, & plures alii in ſuam ditionem conceſſerant. A quibus & pluribus aliis cum gaudio ſuſceptus, fides promiſſa, effuſus fauor. Plures enim ſe illi ex *Polonis* iunxerant, more quodam ingenii humani, exilium longo tempore paſſo, & quem periiſſe plerique crediderant, ad miſericordiam adſtipulabantur, quam etiam *Bohemorum* ſuperbia & auaritia coauxerat, quos exterminatum iri, & de *Polonia* pelli, incredibili odio omnes flagrabant. Et licet *Wladislaus Loktek* debile, & penè nullum ærarium habuerit: in conuentu tamen abundabat armis & equis. Quoniam ſinguli ferè *Poloni Cracouienſes* & *Sandomirienſes*, ad aduentum ſuum, mortuo *Venceslao* primo, *Bohemiæ* & *Poloniæ* Rege, officia intenderant. 1305.

& Poloni plerique Bohemis expulſis ad Loktek deficiunt,

Conflagratione villarum, & captione hominum apud *Lithuaniam* Frater *Philippus* de *Balanth* patrata, præda & captiuis cum aliquanta parte copiarum ſe præcedere iuſſis, à Duce *Lithuanorum* & ſuis gentibus conſecutus, belli certamine excipitur. In quo dum & ipſe & alii quatuor Cruciferi, qui ordines ducebant, cecidiſſent, clamore ad ſe qui præceſſerant cum captiuis perlato, accurrunt, & *Lithuanos*, Ducemque eorum, iam victoria exultantes, metu perculſos, magna cæde edita, in fugam vertunt, & male partam victoriam, *Lithuanos* cogunt euomere.

Terra *Sandomirienſi* in ſuam obedientiam atque ditionem Dux *Wladislaus Loktek* redacta, in *Cracouienſem* terram, non iam cum tenui, ſed cum iuſto & notabili exercitu (omnes enim partium *Sandomirienſium* Nobiles, ad ſecum militandum coegerat) aduenit. Vbi non ſolum primorum Baronum, ſed *Ioannis Muſchatæ* Epiſcopi *Cracouiæ*, quem ſibi promiſſa reſtitutione caſtri *Biecz*, per *Hungaros* intercepti, reconciliauerat, & *Adalberti* Aduocati, atque ciuium *Cracouienſium* fauore, ſummam rerum adeptus eſt, & in *Cracouienſem* Vrbem, caput & metropolim Regni *Poloniæ*, cum gentibus ſuis, prima die Septembris, admiſſus, caſtrum etiam *Cracouienſe*, quod tunc per *Bohemos* tenebatur, per deditionem accepit: *Bohemis* nec quicquam reſiſtere auſis, cum & victualium premerentur inopia, & *Bohemiæ* Regem *Venceslaum* nullatenus ſperarent ſibi ſucceſſurum. Rex autem *Bohemiæ Venceslaus* ſecundus, & ſuorum, qui ex *Poloniæ* caſtris deiecti fugatique turpiter fuerant, continuis querelis, & his, quæ per Ducem *Wladislaum Loktek* gerebantur, prouocatus, expeditionem in *Poloniam* parat, & vt *maioris Poloniæ* partes, quæ nondum à Duce *Wladislao Loktek* ſubactæ fuerant in fide contineat, & ipſum Ducem *Wladislaum* de terris *Cracouienſibus* & *Sandomirienſibus*, ac de vniuerſo Regno *Poloniæ*, cuius ſe Regem intitulabat & ſcribebat, excludat. Occupaturum ſe Regnum *Poloniæ*, & iure ſucceſſionis paternæ, & beneficiis armisque præſentibus facilè apud *Polonos* regnaturum crediderat. Sed fatum ineuitabile quo appetebatur, ſpes cogitationesq; illius veluti inſanas, irridebat. Comparato autem ſatis valido ex propriis & auxiliariis exercitu, ver- 1306.

Venceslaus II. ſentiens Poloniam occupari per Loktek,

congregat exercitum,

1306.

verſus *Cracouiam* procedit. Et dum in *Olmuncz* conſiſteret, recenſendo pugnatorum propria & externa auxilia, vbi ad illum nonnulli ex militibus *Poloniæ*, parti ſuæ fauentibus aduenerant, & in domo Decani *Olomucenſis* in meridie, vna duntaxat camiſia propter intemperiem aeris velatus, ſe ſopori dediſſet, a quodam milite, qui huiuſce rei dudum curam ſuſceperat, pluribus vulneribus, quod ebrietati, & turpiſſimæ parti corporis dies noctesque indulgebat, aliorum bona diriperet, aliorum vxoribus illuderet, tertia die Auguſti confoſſus & obtruncatus eſt, omnibus quibus cuſtodia corporis Regii mandata erat minime id ſentientibus, & aut propriorum negotiorum actioni, aut ſopori tunc deditis & occupatis. Vnde & facinus huiuſmodi ea obſitum erat caligine, vt quis autor necis huiuſmodi extiterit, quauè de cauſa patratum ſit, & præſentes & futuros latuerit. Inſimulatus tamen de vitio huiuſmodi miles quidam *Conradus* de *Potenſtein*, natione *Duringus*, quod à quibusdam ex Curia Regis, & de domo Decani *Olomucenſis* currere, & gladium cruore aſperſum ferre viſus ſit, furore eorum qui Regem lamentabantur occiſum correptus, & repentina rabie, cauſa non digeſta nec diſcreta, trucidatus eſt: cadauerque ſuum canibus proiectum & ab eiſdem deuoratum eſt. Et funeri, occiſi *Venceslai* Regis, iuſtè an iniquè, certum eſt, vnius duntaxat militis capite parentatum. Illic quoque furor militum, in cædem paſſim & vltionem Regis prorumpentium conquieuit. Aſſertio nonnullorum habet, *Albertum Romanorum* Regem tres *Sueuos* milites ad Curiam *Venceslai* Regis *Bohemiæ* miſiſſe, & huiuſmodi necem procuraſſe. Altera die, videlicet quarta menſis Auguſti, corpus Regis fauore militum in Eccleſia maiori *Olomucenſi* ſepultum eſt. Quod poſtea per ſororem ſuam *Eliſabeth*, in monaſterium aulæ Regiæ *Pragenſis* translatum eſt. Habet & nonnullorum aſſertio, *Venceslaum* Regem prædictum conſpiratione propriorum militum necatum eſſe, quod & parum grauitatis Regiæ in ſe habens, leuia quædam, & hæc ipſa magnum inconſtantiæ & variationis fluxum habentia, tractare ſolitus fuerit, & quod caſtra Regia & introitus in ipſis mox Regni ſui primitiis, prodiga largitione diſtraxerit; veriſimili coniectura, ampliora, niſi ſublatus morte fuiſſet, diſtracturus. Nonniſi vno plus minusuè anno regnauit, & in eo ſoboles maſculina *Bohemiæ* Regum deleta prorſus & extincta eſt. Cœpitque ab eo tempore *Bohemia* externis & alienis principibus ſubiecta eſſe, plus incrementi an peſſundationis, incertum eſt, ex eorum regimine ſuſceptura. Barones etenim *Bohemiæ*, conuentum apud *Pragam* in octaua Aſſumptionis *B. Virginis Mariæ* ſuper eligendo futuro Rege habentes, in varia vota ſciſſi fuère: cum nonnullis placuiſſet *Henricum* Ducem *Carinthiæ* tunc *Pragæ* præſentem, qui filiam Regis *Venceslai* primi, A & ſororem ſecundi, *Margaretham* ſeniorem habebat in conſortem, in Regem aſſumi *Bohemiæ*. Tandem Primoribus, Baronibus, id pluribus & euidentibus rationibus magis probantibus, *Rudolphus* Dux *Auſtriæ* filius *Alberti Romanorum* Regis, *Henrico Carinthiæ* Duce ex *Praga* excluſo, concorditer eligitur, & in Regem *Bohemiæ* aſſumitur & coronatur. Et quò iuſtius ſolidiusq; ſuum eſſet imperium, *Eliſabeth* quæ *Richſcha* vocabatur, vxor *Venceslai* primi *Bohemiæ* & *Poloniæ* Regis, filia *Przemislai* Regis *Poloniæ*, ſibi matrimonialiter copulatur: quamuis filiæ Regis *Bohemiæ* & *Poloniæ Venceslai* primi, & ſorores ſecundi, videlicet *Margaretha* conſors *Henrici* Ducis *Carinthiæ*, B & *Anna* conſors *Boleslai* Ducis *Glogouiæ*, ac *Eliſabeth* virgo innupta, Barones *Bohemiæ*, *ne ſe deſererent, neuè de patrimonio ſuo exhæreditarent, & notis ac propriis externos & indignos præponerent*, flexis genibus, non tam precibus quam lacrymis, fuiſſent aliquoties deprecatæ. Præfata inſuper *Richſcha*, *Przemislai Poloniæ* filia, & *Venceslai Bohemiæ*, Regum, olim conſors, ſecundo marito *Rudolpho* Duce *Auſtriæ* & Rege *Bohemiæ* mortuo, tertium, videlicet *Hiſpaniarum* Regem, ſortita eſt. Ex qua filiam, *Sanciam* nomine, ſuſceptam, *Aldiſonſus Aragonum* Rex accipiens in vxorem, tres filios ex ea progenuit, videlicet *Petrum*, *Aldiſonſum* & *Fernandum*, & tres filias, C *Conſtantiam*, *Cleonoram*, & *Sanciam*.

ſed paulo poſt occiditur.

Cui in Bohemiæ regno ſuccedit Rudolphus Dux Auſtriæ.

In *Poloniæ* quoque Regno, *Venceslao* Rege prædicto occiſo, etiam viſcerarium ſchiſmatis non defuit. Nam licet *Cracouienſis*, *Sandomirienſis*, *Siradienſis*, *Lancizienſis*, *Cuiauiæ*, & *Dobrzinenſis*, terræ conuentione in *Cracouienſi* ciuitate in die Sancti *Ægidii* celebrata, Duci *Wladislao Loktek* tunc præſenti innouaſſet Regnũ, ac in eius Principatum & regimen, nemine diſcrepante conſenſiſſent: terræ quoque *Pomeraniæ* Barones & milites, *Bohemorum* Capitaneis & præfectis eiectis, morte *Venceslai Bohemiæ* Regis cognita: non enim ea tempeſtate vir in armis melior, & Regnum *Poloniæ* facilius adiuuaturus reperiri credebatur; D Prælati tamen, Barones & milites *maioris Poloniæ*, videlicet *Poſnanienſes* & *Caliſſienſes*, inueterato odio contra eum vſi, quod illis nimis auarè ſuperbeque ſuperiori tempore imperitaſſet, poſuerunt tunc nefandam abominabilemque ſciſſuram. Nam *Henricum Sleſiæ* & *Glogouiæ* Ducem, filium *Conradi* Ducis *Glogouienſis*, eò quòd ex ſorore germana Regis *Poloniæ Przemislai Salomea* genitus eſſet, in ſuum Principem & Dominum eligentes, eius Principatu & Regimine aliquot annis vſi ſunt. Et ipſe Dux *Glogouienſis Henricus*, per omne tempus quo vixit, ſe *Dominum & hæredem Regni Poloniæ* ſcribebat & nominabat, licet,

Loktek ab omnibus fere in Dominum aſſumitur;

ſoli Barones maioris Poloniæ Henricum Glogouiæ Ducem accipiunt.

1306. altero videlicet *Wladiſlao Łoktek* in *Cracouienſi* & aliis Ducatibus Regni *Poloniæ* principante, benedictionem & vnctionem Regalem nunquam fuerit ſortitus. In adminiſtranda iuſtitia nimis ſeuerus & infeſtus *Polonis*, mores & conditiones eorum plurimùm faſtidiebat. *Mechtildim* filiam *Alberti* Ducis *Brunſzwicenſis* habens in vxorem, furum, prædonum & ſpoliatorum, cæterorumque malefactorum, præcipuus perſecutor & mulctator. Propter quod ſub regimine ſuo terra *maioris Poloniæ* ſecura, pace & quiete abundabat. Quo effectum eſt, vt Ducis *Wladiſlai Łoktek* truncato & diuiſo Principatu, etiam eius in Regem *Poloniæ* per annos plures protelaretur coronatio: cum & Archiepiſcopus *Gneſnenſis Borziſlaus*, vnctionem & coronationem Regi impoſiturus, alterius ditionis & obedientiæ Principis, nondum ex *Auinione* rediiſſet: & corona cæteraque inſignia Regalia in *Gneſna*, vbi tunc *Henricus Sleſiæ* & *Głogouiæ* Dux principabatur, conſiſterent. Vt autem terræ *Pomeraniæ* vbique hoſtibus circumſeptæ firma ſibi duraret poſſeſſio, eam duobus Ducibus, *Przemiſlao* & *Caſimiro* nepotibus germanis, filiis olim Ducis *Zemomiſl* germani ſui cum vniuerſis caſtris dat in tenutam, caſtro duntaxat & ciuitate *Gdanſk* excepto, quod Nobili, *Boguſſio* videlicet *Pomeraniæ* Iudici, in gubernationem commendat. Et his taliter compoſitis, collecto ex *Cracouienſi*, *Sandomirienſi*, *Siradienſi*, *Łancitienſi*, *Pomeraniæ* & *Cuiauiæ* terris, exercitu, expeditionem contra aduerſarium ſuum *Henricum Głogouiæ* Ducem mouit, & multum æſtatis tempus, populando Dominia ſua, abſumpſit: *Henrico* Duce prædicto, cum inferiorem ſe conſpiceret, in caſtris & fortalitiis ſe continente. Expeditione autem feliciter peracta, in terram *Pomeraniæ* deſcendit, & in ea ordinando negotia publica vniuerſa, hyemis tempus morabatur, omnibus *Pomeraniæ* militibus plurimùm lætantibus de ſuo Principatu & ſibi deuotam exhibentibus obedientiam & ſubiectionem. Ipſe inſuper *Henricus* ſecundus *Głogouiæ* Dux, propter *Wladiſlai Łoktek* Ducis impedimentum, in Regem *Poloniæ* coronari nullâ ratione valuit. Quam coronationem ſuam *Gneſnenſis* Archiepiſcopus *Borziſlaus* nondum ex *Auinione* reuerſus, ſi eam præſtitiſſet, multa incommoda cauſaturam verebatur. Vnde præfatus *Henricus* non ſe Regem ſed *hæredem Regni Poloniæ, Ducem Sleſiæ, & Dominum Głogouienſem, Poſnanienſem, & Caliſſienſem* ſcribebat & gerebat. Deſcenderat autem *Wladiſlaus Łoktek* perſonaliter in *Gdanſk*, maximo honore tam militum quàm Ciuium, de ſuo Principatu exultantium, receptus. Vbi a *Swyancza* Palatino *Gedanenſi*, *Voiſlao* Caſtellano de *Puczki*, *Petro* Succamerario *Stolpenſi*, *Boguſſio* Iudice *Pomeraniæ*, *Petro* & *Laurentio* filiis *Swyancze*, *Petro* de *Polnow*, 1306.
A *Iaszkone* de *Slawa*, *Laurentio Rugimuolda*, nec non vniuerſis Baronibus *Pomeraniæ*, fidelitatis & homagii accepit iuramenta. Comitabantur autem Ducem *Wladiſlaum Łoktek* in *Gdanſk*, & ibi ſecum notabili morabantur tempore, *Geruardus Wladiſlauienſis* Epiſcopus, *Wierzbiętha Cracouienſis*, *Kelcius Poſnanienſis*, *Broniſſius* Cuiauienſis, Palatini, & *Clemens* Caſtellanus *Siradienſis*.

Durante Regni ſciſſione

Ad inteſtinam monſtruoſamque Regni *Poloniæ* diuiſionem, geminatum aliud malum eidem Regno, ſuperna permittente iuſtitia acceſſit. *Lithuani* enim tunc gentiles, audientes Regnum *Poloniæ*, taliter vt præmiſimus ſciſſum eſſe, per ſyluarum & nemorum
B luſtra & inuia intrantes, in *maiorem Poloniam* ſubitam faciunt irruptionem, & oppida *Caliſch* & *Stawiſchin*, & villas in finibus eorum ſitas inuadunt. *Lithuani maiorem Poloniam,* Ac ſenibus & impuberibus trucidatis, multiſque mortalibus permiſcui ſexûs captis, plura millia, nullo defenſionem aut reſiſtentiam faciente, ſecum in ſeruitutem abducunt. Principibus *Poloniæ* & *Maſouiæ*, per quorum terras & Dominia captam abigebant prædam, diſſimulantibus genti ſuæ liberationem impendere, & conſurgere in hoſtes, nullâ re quàm nomine metuendos. Intelligens Magiſter *Pruſſiæ* frater *Henricus* de *Płoczk*, eo anno in officium aſſumptus,
C natione *Saxo*, *Lithuanos* ad vaſtandum terras Regni *Poloniæ* deſcendiſſe, & *Lithuaniam* defenſoribus vacuam eſſe, ad vaſtandum eam exercitum tranſmittit. Qui ad caſtrum *Lithuanicum Garthin*, forti *Lithuanorum* præſidio munitum, ſub tegmine nebulæ accedens, & illud apertum reperiens, *Lithuanos* omnes ſubito hoſtium aduentu perterritos, nullam facientes reſiſtentiam, aut capit, aut trucidat. Et ſpoliato caſtro atque incenſo, in propria remeabat. *& Cruciferi Lithuaniam vaſtant impune.* Commendator autem de *Kingsberg*, moleſtè ferens ſuos caſtrum *Garthin* ſitu forte deſeruiſſe, neque in eo militum poſuiſſe præſidium, cum eodem exercitu illuc ire pergit. Sed præoccupatum locum à *Lithuanis* offendens, impugnationem factam recidere videns in irritum, nouis irrogatis ſpoliis diſceſſit.
D Multis deinde militibus peregrinorum *Pruſſiam* aduenientibus, nouum infertur *Lithuanis* bellum. Qui cum ad pugnam elici non poſſent, diſtrictu *Karſchouin* ſpoliis & igne vaſtato, Chriſtianorum exercitus in *Pruſſiam* remeauit. Sub idem tempus Commendator de *Ragnetha* caſtrum *Lithuanicum Puthemken* impugnare adorſus, caſtrum inferius conquirit: & *Lithuanis* illic repertis peremptis, ſuperioris caſtri, quod probè à *Lithuanis* viderat defendi, conquiſitionem omiſit. Quem in *Ragnetham* redeuntem, *Lithuanorum* nonnulli perſecuti, dum in

ſpoliis

1306. ſpoliis dant operam, omnes, tribus tantummodò fugientibus trucidantur. *Lithuanorum* vnus *Spudo* nomine, caſtro *Lithuanico*, cui præfectus erat, *Puthemken* vocato, in poteſtatem Cruciferorum tradito, fidelis efficitur. Caſtrum à fundamento illic disiectum eſt, ſpolia caſtri, & captiui, in *Pruſſiam* adducta. Incendio quoque caſuali in *Cracouienſi* ciuitate, propè Parochialem Eccleſiam Sanctorum omnium erumpente, carbo ignitus vento flante octaua menſis Maji in Cathedralem Eccleſiam laminis plumbeis tectam delatus, non ſolùm tectum eius, a plumbo magis alitus quàm reſtrictus, abſumpſit, & muros parietesque colliſit: ſed & vniuerſum caſtrum *Cracouienſe*, cum ſuis turribus, cum ſuis Palatiis, domibus, & ſtructuris, ex lignorum materia fabrefactis, ſua voragine perpetuo exterminio diſſoluit: ſatis documenti & cautelæ poſteris tribuens, ne in tegendis Eccleſiis, magis ſplendidis & nitorem præ ſe ferentibus plumbi laminis, quàm in coctis lateribus minus ſplendoris habentibus, confidant. Ciuitas inſuper *Cracouienſis*, in pluribus domibus ſuis, & in hoſpitali, demolitionem tectorum, & grauem iacturam ex huiusmodi incendio perpeſſa eſt.

Incendium Cracoviæ.

Semouitus filius *Boleslai* Ducis *Maſouiæ*, monaſterium *Lubenſe*, & domum *Ieſzouienſem*, amplioribus gratiis, quàm genitor ſuus *Boleslaus* libertat. Sed in recompenſam libertatis datæ, quaſi mercato, & in putidam mercedem villam *Kroſznoua* a *Paulo* Abbate *Lubenſi*, & *Benedicto* Præpoſito de *Ieſzow* recepit.

Regnum inſuper *Hungariæ* ſimili diſcidio, ſed breuiorem durationem habituro, quaſi quadam peſte ſerpente, contagionatum eſt. Dux enim *Bauariæ Otho*, in locum *Venceslai Bohemiæ* Regis, quem *Hungari Ladislaum* vocabant, contra *Carolum Siculum* adoleſcentem, per aliquos Barones *Hungariæ*, qui rebus nouis ſtudebant, ſurrogatus, nouis *Hungariam* inuoluerat diuiſionum & guerrarum ſtridoribus. Accitus autem in Regnum *Hungariæ Otho* præfatus *Bauariæ* Dux, coronam materialem Regni *Hungariæ*, quam *Venceslaus Poloniæ* & *Bohemiæ* Rex, reducendo ex *Hungaria* filium *Venceslaum*, ſecum in *Pragam* detulerat, a *Rudolpho* tunc Rege *Bohemiæ*, ſibi reddi obtinuerat, & illam ſecum in *Hungariam* vaſculo ſubtiliter incluſam, ne præualente hoſtium multitudine capi poſſet, ferebat: maximum rebus ſuis, apud *Hungaros* efficere credens proſperamentum, ſi corona ipſa, quam *Hungari*, velut ſacroſanctum inſigne ſpeciali venerabantur ſcripturarum cultura, inſigniretur, & *Hungaris* per eum dictæ coronæ proueniret redditio. Sed quod ordinatum erat in ſalutem, id penè in perniciem verſum eſt. Intempeſta enim nocte, iter *Othone* prædicto faciente, vaſculum cum corona decidens, tam *Othonis* quàm ſuorum animos, quaſi quoddam fatale ſupereminens malum turbauerat, vt ab omni ſpe excidiſſe viderentur. Illuceſcente autem die, vaſculum coronam continens repertum, nouá iucunditate, mœrore diſpulſo, *Othonem* & ſuos refecit. In *Albam* autem *Regalem* perueniens, per *Benedictum* Epiſcopum *Veſprimienſem*, & Fratrem *Anthoninum Conadienſem* Epiſcopum, in Regem *Hungariæ* coronatur & inungitur. Et ex inde *Budam* veniens, & in capite coronam geſtans, inſpectante populo, *Budenſis* caſtri & ciuitatis nanciſcitur poſſeſſionem. Non poſt multos verò dies, in inſulam *Czyepel* iter faciens, vacat venationibus, a Voieuoda tandem *Transſyluaniæ Ladislao* capitur, coronaque Regni *Hungariæ* materialis, quam etiam ſecum ferre ſolitus erat, aufertur, & ipſe in vincula eſt coniectus. Qui captiuitatem beneficio cuiusdam effugiens miniſtri, & terram ſuam *Bauariæ* pertingens, Ius Regni *Hungariæ*, ingenium gentis fluxum ac variabile expertus, proſequi deſtitit. Ab eoque tempore res *Caroli Marcelli*, meliori loco eſſe cœperunt, & Baronum *Hungariæ* fides ſincerior illi præbita. Cuius etiam firmandi ſolii cauſa, Summi Pontifices *Romani*, *Bonifacius* octauus, & *Clemens* quintus ſibi ſuccedens, mittendo Legatos de Latere, videlicet *Nicolaum* Epiſcopum *Hoſtienſem Gentilem* tituli Sancti *Martini* in montibus Presbyterum, Cardinales, & alios Nuncios, plurimùm exhortationibus & conſiliis, nonnunquam etiam cenſuris Eccleſiaſticis cogendo Barones, ad bonorum Regalium, quæ detinebant, reſtitutionem, magnoperè adiuuabant. Qui etiam pro ſui ſtatûs ampliori robore, *Mariam* virginem ſpecioſam, filiam *Caſimiri* Ducis *Teſchnenſis*, accepit in vxorem. 1306.

Dux Bauariæ Otho

in Regem Hungariæ coronatur.

Poſtea a Voieuoda Transſyluaniæ captiuatur.

Qui tandem effugiens, Regno cedit, & Carolus eo potitur.

Obtenta *Borzislaus Gneſnenſis* electus, a *Clemente* quinto, poſt diutinam præſtolationem ex vacatione biennali Sedis Apoſtolicæ cauſatam, & poſt diligentem rigidamque examinationem ſuæ electionis confirmatione, in qua neminem habuit contradicentem; Accepta inſuper à *Petro* Cardinali & Epiſcopo *Hoſtienſi*, de mandato Sedis Apoſtolicæ conſecratione, dum in *Auinionenſi* Curia ſummi Pontificis, negotia Regni *Poloniæ* & Eccleſiæ ſuæ, & præſertim cauſas iniuriarum, contra Magiſtrum & Ordinem Cruciferorum, ſuper *Culmenſis* abſtractione Epiſcopatûs, promouendo & ſollicitando conſiſteret, correptus ægritudine, vltima die Iunii occubuit, & in Eccleſia Sancti *Ioannis* Euangeliſtæ Fratrum Prædicatorum, *Auinione* ſepulturam accepit. Poſt cuius mortem, *Clemens* Papa quintus

Archiep. Gneſnenſis Auinione moritur,

1306. *cui ſuccedit Ianuſſius.*

quintus *Ianuſſio* Archidiacono *Gneſnenſi*, viro Nobili de domo *Sulima*, & probatæ induſtriæ, tunc in *Auinione* præſenti, quem *Borzislaus* Archiepiſcopus, pro benè gerendis & expediendis rebus ſuis ſuæque promotionis, in ſuis tenebat obſequiis, non expectata Capitulari electione: cum prouiſio Eccleſiæ in Curia ſummi Pontificis accidens, diſpoſitionis ſolius A Sedis Apoſtolicæ effecta eſſet, de ipſa Eccleſia *Gneſnenſi*, ſeptima die Nouembris prouidit. Qui etiam illic conſecratione accepta, ad Sedem *Gneſnenſem* reuerſus, miro omnium fauore & hilaritate exceptus, & poſſeſſionem eiusdem Eccleſiæ nullo obice interueniente nactus, Sedem Gneſnenſem annis pluribus gubernabat.

Iudæi ex Gallia pulſi.

In feſto Beatæ *Mariæ Magdalenæ*, in *Galliarum* Regno, mandante & ordinante *Philippo Francorum* Rege, omnes *Iudæi*, in quibuscumque ciuitatibus & oppidis, aut locis commorantes, vna die fuère per ſatellites & Officiales Regis capti. Et bonis eorum ſingulis confiſcatis, vniuerſi ex Regno *Franciæ*, ſine ſpe B redeundi, expulſi.

1307.

Nondum vno aduerſario, videlicet *Henrico Glogouiæ* Duce debellato, nondum terris *Maioris Poloniæ*, quæ eiusdem *Henrici* Ducis *Glogouienſis* regebantur imperio, quietatis, nouus in terra *Pomeraniæ* Duci *Wladislao Łoktek* aduerſarius eſt exortus. *Petrus* enim *Swyancza* Cancellarius *Pomeraniæ*, filius *Szwyancze Gdanenſis* tunc Palatini, Principatum eiusdem *Wladislai Łoktek*, & ſuorum Capitaneorum moleſtè ferens, ſeque ab eodem Duce *Wladislao* negligentius, quàm ſorti ſuæ C conuenire præſumebat, indigniusque tractari dolens, & in magnarum pecuniarum quantitate, quam in tuenda *Pomerania* expendiſſe aſſerebat, ſolutione a Duce *Wladislao* petitâ, repulſum ſe iri dolens, nouare res, & Principatum eiusdem Ducis *Wladislai* in terris *Pomeraniæ* turbare, proſapiâ generis & poſſeſſionum copia ſibi ſubminiſtrante audaciam: a patre inſuper ſuo *Szwancza* Palatino *Gdanenſi* ſuggeſtus, in animum induxit, Marchionibusque *Brandeburgenſibus Woldemaro* & *Ioanni*, multiplici reſpectu Duci *Wladislao* hoſtibus infeſtis, adhærens, tradere illis terram *Pomeraniæ* repromittit, & ad occupandam eam, corda eorum cupiditatis & hoſtilitatis ardore D flammantia, facilè, dum eſſet nouem caſtrorum in terra *Pomeraniæ* Tenutarius & poſſeſſor, & inter Barones & Nobiles terræ *Pomeraniæ* natu & conditione maior, perlicit. Machinamentis autem præfati *Petri* Cancellarii, cognitionem *Wladislao Łoktek*, à fidelibus ſuis celerrimè, vt conditio & rei neceſſitas expoſtulabat, perlatis, *Wladislaus Łoktek*, nouitate acerbitateque rei, non ſecus quàm dignum erat, permotus, in terram *Pomeraniæ* in frequenti & potenti exercitu veniens, præfatum *Petrum* Cancellarium in *Pomerania* comprehendit & in *Cracouienſi* caſtro captiuitati includit.

Petrus Swyancza Cancellarius Pomeraniæ

vocat Marchiones Brandeburgenſes ad occupandam Pomeraniam.

Quem captum,

1307.

Quem ſi in captiuitate huiusmodi detinere perſeueraſſet, neque Regni *Poloniæ* per alienationem terræ *Pomeraniæ* truncatio, neque Regni eiusdem per crebras guerras à Cruciferis motas turbatio, deſolatioue proueniſſet. Verum duobus germanis dicti *Petri* Cancellarii, cum aliis Baronibus Regni *Poloniæ*, pro liberatione præfati *Petri* Cancellarii, ſollicito ſtudio laborantibus, & in fratris locum ſubire captiuitatem, ipſumque *Petrum* Cancellarium, in fide & poteſtate *Wladislai Łoktek* futurum, varia ſponſione repromittentibus, Dux ipſe *Wladislaus* debita rigiditate omiſſa, petitionibus eorum condeſcendens, *Petrum* Cancellarium à captiuitate ſoluit: in locum quoque eius, duos germanos eius, *Nicolaum* & *Ioannem*, non parem vicem habiturus, in vincula pro obſidibus conicit. Sed hi aliquanto tempore carceres & captiuitatem perpeſſi, cuſtodibus pecuniâ corruptis, ſiue quod verius puto, incautius aſſeruati, ruptis vinculis, captiuitatem euadunt, & in *Pomeraniam* ad fratrem *Petrum* Cancellarium, de liberatione ſua plurimum ouantes, perueniunt. In publicam autem & apertam rebellionem mox conuerſi, Marchiones præfatos de *Brandeburg* alias de *Zgorzelecz*, *Voldemarum* & *Ioannem*, multis promiſſionibus ad inuaſionem terræ *Pomeraniæ* inducunt. *Volmarus* ſiquidem præfatus, & propriis, & *Ioannis* nepotis ſui, cuius tunc tutoriam agebat, gentibus fretus, in *Pomeraniam* exercitualiter aduenit. Et cum præfati *Petri* Cancellarii, fratrumque ſuorum & conſanguineorum aſſiſtentia & conſilio, quædam loca & municipia expugnat & intercipit, quædam incendiis & ſpoliis deuaſtat. Deinde ad caſtrum & ciuitatem *Gdanske*, velut ad caput terræ *Pomeraniæ*, quod tunc per *Boguſſium* Iudicem terræ *Pomeraniæ Wladislai Łoktek* nomine tenebatur, exercitu admoto, illud obſidione vallatum, fortius quò poteſt impugnat: ciuibus *Gdanenſibus*, quorum præſtantior pars ex *Almanis* iam tunc erat, aperto fauore & aſſenſu, in dominationem & obedientiam Marchionum *Brandeburgenſium* inclinatis, dedentibus Marchionibus ciuitatem. In his itaque periculis *Boguſſius* Iudex *Pomeraniæ* & Capitaneus *Gdanenſis*, vnà cum *Alberto*, *Voislao*, & pluribus militibus & Nobilibus terræ *Pomeraniæ*, qui in defenſionem caſtri ſuo mandato vocati confluxerant, videns ſe circumdatum, cum & victualia ſciebat ſibi in breui defectura, & non tam hoſtium impugnatione, quàm ciuium *Gdanenſium* defectione, & patenti dolo atque rebellione premeretur, plurimorum virorum, qui ſecum militabant, concilio congregato, Ducem *Wladislaum Łoktek*, in quantis periculis & anguſtiis ipſe & ſui, caſtraque & fortalitia terræ *Pomeraniæ* vniuerſa verſentur, auiſandum, & vt cele-

acceptis duobus fratribus illius obſidibus, dimittit.

Illi aufugientes

iterum reuocant Marchiones.

1307. celerius laborantibus ſuccurrat, orandum, decreuit. Et quò celerius neceſſitati huiuſmodi poſſit conſuli, & imminens periculum A depelli, caſtro *Gdansk* aliorum fidei Baronum commendato, ipſe cum altero Barone, inter cæteros natu & conditione præſtante, *Nyemiera* vocato, aſſumpto, ad Ducem *Wladislaum Łoktek* celeriori quo poteſt curſu pergit. Quem cum in *Sandomiria* tunc agentem offendiſſet, *quanta hoſtilitas & oppugnatio, caſtro, ciuitate Gdanenſi amiſſa, & toti terræ Pomeraniæ a Marchionibus Brandeburgenſibus, inſtigatione maliuolâ Petri Cancellarii & fratrum ſuorum concitatis, & in quantis verſentur anxietatibus*, ex ordine edicit, & *vt celerem ſuccurſum rebus laborare incipientibus impendat*, ſummè precatur & orat. Dux autem *Poloniæ Wladislaus*, vt erat vir ad ſingula B agenda & conficienda non impiger, & animo ac manu promptus, *ſe perſonaliter venturum, & celerrimum laturum auxilium* reſpondet. Verum dum præfati Nuncii *Boguſſius* & *Nyemiera*, *ſaniori eum conſilio vſurum* deducerent, *ſi Magiſtrum & Ordinem Cruciferorum de Pruſſia, ſingulari tunc amicitia & beneuolentia ſibi cuniunctum adſciſceret, & eius ſuffragio, quod ex vicinitate continuò prodire poſſet, in hoſtium repulſam vteretur. Se quoque non ſolùm benè ſperare, ſed certos exiſtere, Magiſtrum & Ordinem Cruciferorum, quòd & eleemoſynarii ſui eſſent, & pluribus beneficiis obligati, pronis animis deſideriis Wladislai Łoktek geſturos, & neceſſitati præſenti, quamprimùm requirerentur, omni potentia ſuccurſuros*, humaniſſi- C mum propoſitum ſuum variauit fato impellente; exiſtimans ſe ſuccurſum, quem locorum intercapedine per ſe difficile ferre potuit, per Cruciferos compendioſiùs laturum. Hæc enim Nunciorum *Pomeraniæ* ſententia probabilis & compendioſior, & Duci & Conſiliariis viſa, & tandem, vt eſt omnium hominum, & præſertim *Polonorum* natura, vt maluit ea quæ ferro adminiſtranda ſunt, per alios diſponi, accepta eſt, & præfato *Boguſſio* Iudici *Pomeraniæ* & Capitaneo *Gdanenſi*, omnis huius negotii diſpoſitio & ordinatio, per *Wladislaum Łoktek* Ducem mandata. Is autem cum rediiſſet, illicò Magiſtrum *Pruſſiæ Henricum* de *Ploczski* & Ordinem conuenit, & D omnia, quæ, vt Ducis *Wladislai Łoktek* Legatus, ferebat, fideliter exponens, ſuffragium per Magiſtrum & Ordinem Duci *Wladislao*, & terræ *Pomeraniæ*, ab hoſtibus afflictæ, & præſertim caſtro *Gdansk*, ne in hoſtium dederetur manus, commemoratis plurimis beneficiis, per auum ſuum *Conradum Maſouiæ* & *Cuiauiæ* Ducem ipſorum primarium fundatorem, Ordini præſtitis, expetiit: dignam viciſſitudinem & meritum pro opere impendendo, fauore & brachio Ducis *Wladislai Łoktek*, pollicetur in futurum. Magiſter autem *Henricus* & Præceptores, ad occupandam terram *Pomeraniæ*, cuius cupidine dudum inteſtinâ ambitione flagrabant, aptam illis credentes viam, in omnia Ducis *Wladislai Łoktek* poſtulata, non ipſius Ducis, ſed propriis conſulturi profectibus, quemadmodum in proceſſu temporis experientia apparuit, ad liquidum certitudo, conſentiunt, & pactis quibuſdam, & ſignanter quod caſtrum *Gdansk* pro ſui medietate, altera medietate dicto *Boguſſio* Iudici, & *Polonis* remanente, vno anno integro cuſtodirent, & viriliter defenderent propriis fatigis & impenſis, nullo reſpectu, nullouè caſu in debitum aut pignus *Wladislao* Duci, aut caſtro *Gdansk*, & terræ *Pomeraniæ* computandis. Quo lapſo, expenſas illic in ſubſequenti tempore faciendas, computare inciperent, de medietate caſtri *Gdansk*, ſolutione expenſarum poſt lapſum vnius anni ſpatium compenſandarum & computandarum, a Duce *Wladislao* habita, nudè & ſimpliciter abſque damnorum aut aliarum difficultatum interpoſitione, ceſſuri. Sub his pactis, fide & literis firmatis, Magiſter *Pruſſiæ Henricus* dolo & verſutia plenus, ſubſidiorum ſuorum mittit auxilia: ſpecie quidem iuuandi *Łoktek* Ducem, & propellendi Marchionem, re verâ autem acerbiſſimâ occupandæ terræ *Pomeraniæ* cupiditate, mentem iam circumferens. Cuius gentes medietatem caſtri *Gdansk* a *Boguſſio* Iudice *Pomeraniæ* Capitaneo *Gdanenſi* accipiunt, & Fratrem *Guntherum* de *Szwarczburg* Cruciferum, cum aliis Cruciferis & gentibus, in notabili numero, ad gerendum bellum contra Marchiones *Brandeburgenſes* & *Saxones*, cum victualium congruenti prouiſione transmittunt; In alteram medietatem *Boguſſio* præfato cum Baronibus ſuccedente, reſidenteque. Is quoque *Polonorum*, de terra *Pomeraniæ* alienanda, primarius fuit prolapſus, difficulter & anxiè per multas ætates erigendus. Cruciferis autem taliter, vt præmiſimus, in caſtrum *Gdansk* introductis, & caſtro victualibus in parte vtraque referto, *Saxones*, *Polonorum* & Cruciferorum vnitis potentiis, a caſtri *Gdansk* mœnibus ſæpè repellebantur confuſi, ſæpe plures ex eis, vltronea *Polonorum* & Cruciferorum inuaſione, cadebant trucidati, adeoque *Polonis* & Cruciferis creuerant auſus, vt etiam crebri in caſtra fierent incurſus: quos vitaturi, in ciuitatem ſe recipiunt. Sed dum quoque illic impeterentur, Marchiones *Brandeburgenſes* videntes de conquiſitione caſtri *Gdansk* omnem ſpem ademptam, cum ſitu, & aquarum paludumque confluentiâ eſſet munitiſſimum, & præſidium eſſet duplicatum, famis quoque ſublatum eſſet, in qua vna omnis ſpes eorum de conquirendo caſtro verſabatur, diſpendium, cum etiam iam æſtate nequicquam & inaniter conſumpta, hyemis rigor plus ſolito illas oras premens, exercitui eſſet onerofus, obſidi- 1307.

Vnde Magiſter Pruſſiæ vocatus in auxilium Łoktek,

recepto exercitus ſui agmine,

& repulſo hoſtili,

1307.

obſidionem ſoluunt, & tam ciuitati *Gdanenſi*, quàm aliquibus locis præſidiis impoſitis, de *Pomerania* excedunt. Poſt quorum exceſſum, illicò ciuitas *Gdanenſis* per *Polonos* & Cruciferos capta & expugnata eſt, & occiſi quàm plurimi milites præſidii. Quorum corpora *Rudgerus* Abbas de *Oliwa*, ad monaſterium ſuum deducta, in cœmiterio Sancti *Iacobi* ante clauſtrum ſepeliuit. Ciueſque defectionis autores capite cæſi. Ad mulctam tandem *Petri Swaneze* & fratrum ſuorum *Wladislaus* Dux procedens, eos & fratres eorum duobus caſtris, videlicet *Treziel* & *Zbaſchin*, & duobus oppidis *Babimoſth* & *Zbaſchin*, quæ adhuc in *Polonia* obtinebant, exuit, & illa ſuo fiſco Ducali applicauit.

Incipit ordini ſuo vſurpare Pomeraniam.

Ducis *Henrici* de *Bauaria*, & ſuarum gentium comitatus caterua *Theodoricus* de *Aldemberg* Magiſter *Pruſſiæ*, expeditionem in *Lithuanos* barbaros agit; & in vicinio caſtri vocati *Vielunya*, *Lithuanorum* duo caſtra noua, nomen vni imponens *Fridberg*, id eſt, *Mons pacificus*, alteri *Beier*, id eſt *Bauariæ*, erigit, & frequens ac forte, tam Cruciferorum, quàm militum aliorum præſidium, eiſdem imponens, eaque armis, bombardis, pro magna parte per *Henricum Bauariæ* Ducem derelictis, & victualibus fulciens, diſcedit: ratus & caſtrum *Lithuanicum Vielunya* ad deditionem & *Lithuanos* oræ illius, in ſuam obedientiam cogi poſſe. *Gediminus* autem, *Lithuaniæ* Dux ſupremus, impendens periculum diſpulſurus, Magiſtro *Theodorico* in *Pruſſiam* abeunte, caſtra noua cum forti exercitu circumdat; & pro illorum conquiſitione duos & viginti dies magnâ curâ & ſtudio intendit, & multiplici inuaſione obſeſſos quatit. Erat inter obſeſſos *Pruſſiæ* vnus Crucifer ſagittandi peritus, & qui ob id Sagittariorum Magiſter vocabatur, qui igneis ſagittis barbaros vexans, dierum vnâ, Ducem *Lithuaniæ Gediminum* igneâ ſagitta in dorſum per corpus transfixit, a quo vulnere moribundus, animam illico exhalauit. Cuius morte ſecutâ, exercitus *Lithuanicus* obſidionem ſoluit, & in propria abiit. Magiſter verò *Pruſſiæ Theodoricus*, alteram vno anno in *Lithuanos* expeditionem reſumens, *Henricum Pruſſiæ* Marſchalcum in *Lithuaniam* cum exercitu miſit. Qui diſtrictu vocato *Wiedukki*, tam cædibus quam flammis vaſtato, ſpoliis & captiuis onuſtus, in *Pruſſiam* rediit.

Magiſter Pruſſiæ contra Lithuanos duo noua caſtra exſtruit.

Dux Lithuanorum interficitur.

Duplex expeditio in Lithuaniam.

In die Sancti *Galli*, *Lithuani* irruptione clandeſtina in Regnum *Poloniæ* facta, terram *Siradienſem* & *Caliſſienſem*, ferocius quam cæteras, inuadentes ſpoliant, & cæde igneque plurimùm vexatam, prædam ex ea ingentem rapientes, antequam robur *Polonici* exercitûs in defenſionem adunatum eſt, in *Lithuaniam* concito greſſu deducunt.

Lithuani Siradienſem & Caliſienſem terras vaſtant.

Obſidionem ciuitatis *Horaſzdziegiowicz*, *Rudolphus Bohemiæ* Rex anno eodem faciens, & duorum Baronum *Bohemiæ*, videlicet *Bauari* de *Strakowicz*, & *Vilhelmi* de *Haſzemburg*, qui ſuo aduerſabantur imperio, rebellionem punire & abrogare volens, diſenteriâ percuſſus, quinto Nonas Iulii interiit, & Regnum *Bohemiæ*, quod vno anno poſſederat, ſine hærede reliquit. Cuius corpus cum in Eccleſia *Pragenſi* ſepultum eſt, *Eliſabeth* ſiue *Richſcha* conſors ſua, olim *Venceslai* ſecundi *Bohemiæ* Regis relicta, & *Przemislai Poloniæ* filia, altare ſub titulo Sanctorum *Simonis* & *Iudæ* Apoſtolorum, ad tumulum ſuum erexit, & vt ſacrificia pro ſalute viri ſui prædicti agerentur, Miniſtros cum dote ſufficienti inſtituit. Barones autem *Bohemiæ*, in congregatione, pro eligendo futuro Rege in *Pragenſi* ciuitate indicta, in ſeditionem verſi, *Dobeſſium* de *Bethin* & nepotem eius, qui *Frederici* Ducis *Auſtriæ*, & nuper mortui *Rudolphi Bohemiæ* Regis partem promouens, *Fredericum* prædictum ſurrogandum in fratris locum aſtruebat, crudeliter obtruncant. Et hac nece patrata, rumore altius conſurgente, clamorem attollunt, clamitantes *Auſtrales Duces aſpernandos eſſe, & ad propaginem Regum Bohemiæ redeundum.* Qua ſententia comprobata ab omnibus, *Henricus Stirigiæ* Dux, qui *Annam Venceslai* primi *Bohemiæ* Regis filiam habebat pro vxore, eligitur, & in Regem *Bohemiæ* præficitur & coronatur. Qui non longo tranſacto temporis ſpatio, celebrata apud *Pragam* curia ſolenni, Barones principales, quos ambiguæ & ſuſpectæ erga ſe ſuggeſtione ciuium *Pragenſium*, reputabat fidei, aut obtruncat, aut captiuat. Seditione quoque creſcente, ſæpe præfatus *Henricus* Rex, *Miſnenſem* Principem cogebatur ad tutelam ſui capitis inuocare. Suſpectiorem autem conſortis ſuæ germanam virginem *Eliſabeth* habens, ne aliquis Princeps connubio ſuo potitus, ei *Bohemiæ* Regnum ſurriperet, ipſam non alicui illuſtri, ſed cuidam ſortis humilis nobili Baroni de *Bergow* deſponſare deſtinabat. Rogata autem à Rege, *vt huic deſponſationi conſentiret*, petebat *ne in ignominiam generis ſui inferiori iungeretur, aut daretur ſibi libertas ad ingrediendum, quatenus ſuſpicio omnis conquieſceret, religionem.* Verùm preces repetente Rege, & ipſa abnuente omnem precem, charioremque tali matrimonio ducens mortem, in captiuitate, iuſſu Regis, recluſa eſt.

Rudolphus Bohemiæ Rex moritur.

Cui ſuccedit Henricus Stirigiæ Dux.

Marchionibus *Brandeburgenſibus* & *Saxonibus* a caſtro *Gdanſk* expulſis, viribus etiam & potentia *Petri* Cancellarii & fratrum ſuorum contractis & debilitatis, ciuitate inſuper *Gdanſk* quæ rebellauerat, ſubacta, & in obedientiam ſubiectionemque Ducis *Wladislai Łoktek* redacta, Cruciferorum præſidium, quod in primordiis ingreſſus ſui in *Gdanſk* tenue, pannoſum, & humile erat, frequenti ſubingreſſione gentium, ad id ſtudioſe per Magi- 1308.

1308. Magiſtrum *Henricum* directarum, adeò auctum dilatatumque eſt, vt cum *Boguſſa* Iudice *Pomeraniæ*, & alterius partis caſtri *Gdansk* Capitaneo, ſæpe ad lites & controuerſias apertas inflato ſpiritu deſcenderit, tantaque in pietatis & defenſionis locum, eorum ſucceſſit ambitio, & impietas, vt præfatum *Boguſſam*, & Barones militeſque *Pomeraniæ* principales, in captiuitatem coniicere, cum eſſent numero & robore ſuperiores, & vniuerſi caſtri *Gdansk* poſſeſſionem ſibi vſurpare non horruerint. Præfatus autem *Boguſſa* Iudex, ſuæ & eorum qui ſecum detinebantur conſulturus libertati, noua pacta & ordinationes cum Magiſtro *Pruſſiæ* & ordine conficit, literiſque confirmat. His cauebatur, vt Iudex præfatus *Boguſſa*, de altera caſtri *Gdansk* medietate cum ſuis excedat, & illud gubernandum & defendendum Magiſtro & ordini relinquat: Magiſter verò & Ordo teneantur de illo ad requiſitionem Ducis *Wladislai Łoktek* pure cedere & illud dicto *Wladislao* Duci *Łoktek* reſtituere & reſignare: habita tamen omnium expenſarum, quas pro conſeruatione & cuſtodia caſtri præfati deinceps facturi eſſent, plenaria & integrâ ſolutione. Verùm etſi ordinationem prædictam dolum fraudemque continere conſtaret: à prædicto tamen *Boguſſa*, & cæteris *Pomeraniæ* Baronibus, & in libertatis ſuæ, & in caſtri *Gdansk* qualemcumque retentionem Duci *Wladislao Łoktek*, improbè & inconſultè acceptâ eſt: & ſub huiuſcemodi pacto *Boguſſa* Iudex *Pomeraniæ* prædictus, cum *Stephano* de *Pniſcze*, & *Nyemiera*, aliiſque Baronibus *Pomeraniæ*, ex caſtro *Gdansk* eiectus magis, quàm dimiſſus eſt, & Cruciferi præfati cœperunt ad occupandam terram *Pomeraniæ* intendere ardentius.

Eiecto Boguſſa Cruciferi ciuitatem Gdansk occupant.

Lithuani Pruſſiam vaſtant,

Et necem paternam, & patriæ vaſtationem, *Olgerth Lithuanorum* Dux, qui *Gedimino* patre extincto ſucceſſerat, vlturus, forti exercitu ex *Lithuanis* & *Ruthenis* congregato, *Pruſſiam* hoſtiliter ingreſſus, eam cæde & ignibus vaſtat; populationeque latius extenſâ, capta hominum & pecorum præda, in *Lithuaniam* remeabat. Quem *Henricus Pruſſiæ* Marſchalcus quatuordecima Auguſti die, apud nemus quod *Galebonke* nominatur conſecutus, quamuis ſe hoſti videbat imparem, confligit: vtriſque autem pro victoria adnitentibus, tanta cædes vtrinque edita eſt, vt pars vtraque pro victa diſceſſerit. Maior tamen aliquanto clades in *Lithuanis*, qui mille ducentis & viginti ex ſuis deſideratis, etiam captiuas animas & pecus relinquere coacti ſunt.

quibus Pruſſiæ Marſchalcus prædam eripit.

Eliſabeth Venceslai filia Nembergam confugit.

Berengarius quidam ſenex Sacerdos, Regis quondam *Venceslai Bohemiæ* ſeruitor, prolem Regiam, *Eliſabeth* videlicet virginem, & Domini ſui filiam, malè tractari, & in captiuitatis cuſtodiâ aſſeruari dolens, eam, *Ioanne Viſchegradenſi* Præpoſito, quem *Venceslaus* Rex ex concubina ſuſceperat, adiuuante, à captiuitate ſoluit, & ſolutam in oppidum *Nemburg* ſuper *Albam* poſitum deducit. Quæ A ciuibus eiuſdem oppidi conuocatis, *quæ eſſet, & qua neceſſitate impulſa in eorum fidem confugiſſet*, aperit. Ac demum ad eos concionata, multa beneficia Patris ſui ciuitati præſtita, *quòd eam ex vico ruſticana in ciuitatem haud contemnendam erexerit, quòd eam muro forti cinxerit, quòd eam pluribus libertatibus & priuilegiis inſignem famoſamque reliquerit:* ac demum ſuos caſus, & *Henrici* Regis *Bohemiæ* crudelitatem in ſe depromptam commemorat; & *quod duabus ſororibus ſuis, alteri Henrici Regis prædicti, alteri Boleslai Glogouienſis Ducis felix & fauſtum coniugium ſortitus, ſibi indignitatem coniugii, quod illam Rex Henricus ſuſcipere compellebat, aſpernanti, in* B *libertate & perpetuo caſtitatis voto conſiſtere non licuerit;* orans *ne ſe in eorum præſidium confugientem excluderent, ne Patris beneficia in ea mori & extingui ſinerent, ne quoque eam in ludibrium conditionis ſuæ & generis, vagari per externas regiones paterentur.* Omnium autem animis huiuſmodi oratione in miſericordiam flexis, cura eius à ciuitate ſuſcepta eſt, & omnis ſecuritas atque fidelitas illi repromiſſa. Ea autem illic exiſtente, cœpit ad illam Baronum *Bohemiæ*, eorum præſertim, quos *Henricus* Rex in ipſis aut cognatis violauerat, fieri concurſus, vbi & frequentes tractatus de abrogatione Regni, contra *Henricum* habiti ſunt. Ex quibus nec in *Praga* C quietus paſſus eſt conſiſtere. Sed ab his qui partes *Eliſabeth*, ab eo deficientes, ſequebantur, pluribus inſultibus per caſtri *Pragenſis*, in quo reſidebat, impugnationem, eo etiam inſpectante, laceſſitus. Omnium etenim *Bohemorum*, ad nouandum res, quamprimùm ſe occaſio offert, aut lucri vel liuoris reſpectus ſuggerit, animus eſt naturaliter procliuus. 1308.

Romanorum Rex *Albertus* Dux *Auſtriæ*, nepotis ſui germani *Ioannis Sueuiæ* Ducis, propter iuuenilem eiuſdem ætatem, curam gerens, illum in curia ſua donec adoleſceret, detinuit. Verùm ille ex fauore patrui inſoleſcens, conſpiratione facta, patruum ſuum *Albertum Romanorum* Regem, nihil tale ſuſpicantem, cum D egrederetur è naui, tranſito *Rheno*, obtruncat, & interficit. Cuius occiſione patefacta, Electores Imperii concorditer *Henricum* de *Lucemburg* in *Romanorum* Regem *Frankfordiæ* in die Sanctæ *Catharinæ* eligunt. Qui ab *Henrico Colonienſi* Archiepiſcopo *Aquiſgrani* Epiphaniarum die coronatus, corpora ſuorum prædeceſſorum *Adolphi* & *Alberti* in locis occiſionum tumulata effodiens, *Spiram* deduxit, & honeſtiſſimè ſepeliuit. Et miſſis ad *Clementem* quintum in *Auinionem* duobus Epiſcopis, & tribus Comitibus, electionem ſuam confirmari, & pro benedictione Imperiali *Romæ* ſuſcipienda, tempus & diem, biennio videlicet elapſo, conſignari, obtinuit.

Albertus Imp. occiditur, cui ſuccedit Henricus Comes Lucemburgenſis.

Exclu-

Digitized by Google

1309. Excluſione Iudicis *Pomeraniæ Boguſſæ*, & aliorum militum de caſtro *Gdanſk*, ad Ducem *Wladislaum Łoktek* in terris *Cracouienſibus* tunc agentem perlata, magnâ cœpit vnà cum Prælatis Baronibuſque & Conſiliariis torqueri anxietate: intelligendo Cruciferorum velatam dolis fidem in perfidiam verſam eſſe, & in Marchionum *Brandeburgenſium Saxonumque* locum, magis callidos, magiſque duros & fallaces hoſtes ſubiiſſe. Vehementique tunc primùm cœpit pœnitudine vrgeri, quòd Marchionum *Brandeburgenſium* & *Saxonum* impetus, non ſuis repuliſſet armis, ſed animi & propoſiti ſui ſententiâ mutata, Cruciferis frangendos mandaſſet, vtroſque pro infeſtis hoſtibus, cum multarum difficultatum acceſſione, habiturus. Nondum tamen in Magiſtro *Henrico* & Cruciferis *Pruſſiæ* omnem extinctam eſſe ratus fidem, credens quoque per tractatus mutuos, eorum perfidiam poſſe reſtringi, honeſta Legatione Magiſtrum præfatum *Pruſſiæ Henricum*, per Nuncios requirit, quatenus ſecum in aliquo loco competenti conueniat, iniuriam quam ſibi in *Boguſſæ* Capitanei *Gdanenſis*, & militum ſuorum de caſtro *Gdanſk* eiectione querebatur illatam, in beneuolentia animorum diſcuſſurus. Annuente Magiſtro, in villa *Kray*, alias *Krajowicze* prope *Radzieiow*, in terra *Cuiauienſi* ſita, Magiſtro perſonaliter cum aliquot Commendatoribus accedente, conueniunt. Vbi in præſentia *Gerwardi Wladislauienſis* Epiſcopi, aliorumque *Poloniæ* Baronum, & eorum præcipuè, qui de caſtro *Gdanſk* per Cruciferos excluſi fuerant, *Wladislaus Poloniæ* Dux querimoniam exorſus, commemoratis pluribus beneficiis, per eum & Prædeceſſores ſuos præſtitis, iniuriam eiectionis militum ſuorum de caſtro *Gdanſk*, longa oratione diſſeruit: petens & requirens eam cùm caſtri *Gdanſk* reſtitutione reſcindi. Iniquum & acerbum, apudque ætates futuras infame nimis & deteſtandum cunctis ſeculis ſcelus, ſi ex auxiliatoribus hoſtes, ex eleemoſynariis perſecutores, & ex amicis & ſociis infeſtos ſuos & ſuarum terrarum impugnatores debeat experiri. Magiſter autem *Pruſſiæ Henricus*, verbis competentibus ad diluendum patratum facinus vſus, *non ad iniuriam ſed ad profectum Ducis Wladislai Łoktek, excluſionem Boguſſæ & militum Pomeraniæ, vt ſeditio ſæpius inter diſſidentes & rixantes Ducis Wladislai Łoktek & ſuas gentes, euitaretur*, aſtruit egiſſe. *Se quoque in fide data & pactis cum Boguſſa Iudice Pomeraniæ percuſſis, manſurum eſſe, nihilque de eis diminuturum: offerens ſe de caſtro Gdanſk excedere, & illud Duci Wladislao Łoktek, ad cuius dominium & iuriſdictionem non diffitebatur illud ſemper pertinuiſſe, ac ſpectaſſe, reſignare, dummodò ſibi & Ordini promiſſa per pacta, impenſarum illic factarum per Ducem Wladislaum Łoktek im-*

Dux Łoktek ſuper expulſione Boguſſæ ex caſtro Gdanſk cum Magiſtro Pruſſiæ conuenit.

pendatur refuſio. Tali reſponſo Dux *Wladislaus Łoktek*, nullam ei reputans ineſſe va- A friciem, exhilaratus, *omnem expenſarum quantitatem, etiam cum gratiis*, offert *ſe reſtituturum, & pacta per Boguſſam Iudicem, quamuis eo ignorante, inita, ſeruaturum: ediceret tantummodò quota eſſet huiuſmodi impenſarum de vno duntaxat anno factarum quantitas.* Magiſter verò *Henricus*, latens virus effundere coactus, *centum millia marcarum latorum groſſorum*, reſpondet *ſe in caſtri Gdanſk defenſionem, cuſtodiam, & conſeruationem expendiſſe, multoſque inſignes milites, quorum non poſſet dari æſtimatio, in gerendo bello contra Saxones, perdidiſſe: non tamen* B *aliud quàm ſolutionem impenſarum flagitare, ſine qua reſignationem caſtri Gdanſk, nullo colore, nulloue ingenio ſecuturam.* Dux autem *Wladislaus Łoktek*, etſi immoderatiſſimam expenſarum taxam pluribus & euidentibus rationibus refelleret, & quicquid iuſtus æquuſque arbiter decerneret, ſe refuſurum promitteret; Magiſtro tamen perſeuerante in ſententia, & arbitrariam abnuente deciſionem, dum nihil aliud quàm fraus & dolus ex verbis reſponſionibuſque Magiſtri elici poſſent, re infecta, animiſque irritatis magis quàm pacatis, ex huiuſmodi rure diſceſſum eſt. Suſpectam deinde habens Magiſter Crucifericus ciuium *Gdanenſium* fidem, ſuperbiam quoque eorum quæ ſe efferre cœperat humiliaturus, tædebat enim iam illos iniuſti & vſur- C pati Dominii, munitiones præfatæ ciuitatis, ne in Ducis *Wladislai Łoktek* legitimum redirent imperium, demoliri penitus procurauit, atque frangi. 1309.

Qui impenſas in Gdanenſi caſtro factas ad centum millia æſtimat,

quibus negatis diſceſſum eſt.

Clemens Papa quintus ad *Ruthenorum* Regem Nunciis inſignibus miſſis, hortatur & requirit eum, vt iuxta pollicitationem ſuam per Nuncios & literas factam, ad obedientiam & vnionem Eccleſiæ *Romanæ* venire non negligat. Qui Nuncios Apoſtolicos vacuos remittens, in ſchiſmate inueterato perſeuerauit, & errorum *Græcorum* potiorem duxit Catholicâ pietate.

Papa Nuncios ad Regem Puſſiæ pro abnegando ſchiſmate mittit.

Caſtro *Gdanſk*, ordine eo, quo præmiſimus, in ditionem poteſtatemque ſuam, Magi- D ſter & Cruciferi *Pruſſiæ* redacto, dum Ducem *Wladislaum Łoktek* & occupatione belli *Lithuanici* & *Ruthenici*, & ex diuiſione inteſtina Regni *Poloniæ*, cum alius in terris *Maioris Poloniæ* imperitaret, pluribus & difficilibus curis diſtentum eſſe viderent, & ad ſufferendam illatam, & inferendam iniuriam opportunum, plures *Almaniæ* partibus gentes donatiuo conducunt, vniuerſam terram *Pomeraniæ*, ex quo eis caſtri *Gdanſk* aliquanto tempore impunè ſubactio prouenerat. Valido itaque & potenti exercitu congeſto, cum apparatu bellico repentino aduentu terram, quæ tunc, vt præmiſimus, per *Przemislaum* & *Caſimirum Gniewkouienſem* & *Michalouienſem* Duces, nomine 1310.

Magiſter Pruſſiæ capto caſtro Gdanſk,

1310.

nomine Ducis *Wladiſlai Loktek* gubernabantur, ingrediuntur, & ciuitatem *Gdanſk*, quæ in obedientia Ducis *Wladiſlai* tunc conſiſtebat, ipſo die Sancti *Dominici*, pro quo ibi Nundinarum dies, & populi ad forum frequentior concurſus eſſe conſueuit, obſidione circumuallat. Hæc cum pluribus diebus obſidionem toleraſſet, militibus & nobilibus *Pomeraniæ* eam ſtrenuè animoſeque defendentibus; ad vltimum fraude aliquorum ciuium *Gdanenſium Teutonicorum*, qui de prodenda ciuitate per tractatus clandeſtinos, cum Cruciferis conuenerant, nocte tradita eſt, & hoſtes per portam vnam intromiſſi, ciuitatem comprehendunt. Omneſque milites & Barones ac Nobiles *Pomeraniæ*, & quod crudelius eſt, vulgus permiſcuum occidunt, & vario mortis genere extinguunt, nec vlli *Polonicæ* gentis parcunt conditioni, ſexui, aut ætati. Sed tam puberes quam impuberes, & ætatem infantilem & lactantem, abſque vllo miſerationis reſpectu extinguunt: vt fama crudelitatis tantæ diffuſa corda cæterorum perculſa, ad faciendam in aliis ciuitatibus & munitionibus reſiſtentiam, paueſcerent, vtque deletis Nobilibus & Baronibus, militibuſque regionis, ſecurior illis occupatio dictæ terræ proueniret. Raro cædes inhumanior, raro vnquam *Polonici* ſanguinis in alicuius loci conquiſitione plus effuſum, nec vllum iniuriæ aut crudelitatis genus omiſſum, per quod hoſtilis manus in *Polonorum* exterminium debacchata non fuerit. Indignum facinus atque teterrimum, nulli barbaro quantumcumque tyranno comparandum, ingeminare auſi. Primum quidem ad defenſionem caſtri *Gdanſk*, a Duce *Wladiſlao Loktek* implorati, mox expulſis cum dedecore his, quibus opem tulerant, caſtrum interceperunt. Paullatim deinde procedente tempore, ciuitatem *Gdanſk* militibus, qui ad Nundinas venerant, iuxta ac quibuſdam victimis trucidatis, occuparunt: quippe vt *Polonis* optabilius fuerit, ſuperatum ſe iri a *Saxonibus*, quam cum Cruciferis *Saxones* ſuperaſſe. Nam ſiue victoribus victorum iure ſeruiſſent, ſiue de ſedibus ſuis pulſi eſſent: non tamen inter dormiendum & quietem, inter ſacros aditus & patrios focos, pecorum more miſerabiliter trucidati, ſceleſtiſſimis ſuffragatoribus omnia bona ſua mobilia & immobilia, longo tempore parta, omnes denique fortunas longo tempore cumulatas, ipſas inſuper coniuges, filios, & pignora, calamitoſè ſeruituras reliquiſſent.

ciuitatem per deditionem capit,

& omnes Polonos necat.

Conquiſita ciuitate *Gdanſk*, & Baronibus Nobilibuſque *Pomeraniæ*, vulgo quoque & lactantibus, feritate pluſquam barbarica trucidatis, Magiſter *Pruſſiæ Carolus* de *Lucemburg*, ad conquirenda cætera caſtra *Pomeraniæ*, exercitum ſuum promouit, & verſus *Tczovv*, contendit, incendiis, cædibus, & ſpoliis vniuerſa quaſſando. Quod dum *Caſimirus* Dux *Gneuvkouienſis*, qui caſtrum & ciuitatem *Tſczovv*, nomine Ducis *Wladiſlai Loktek*, patrui ſui germani, gubernabat, agnouiſſet, ad exercitum Magiſtri & Cruciferorum, non longè iam à *Tſczovv* tenentem ſtatiua, aſſumpto ſecum *Vincentio* Decano *Gneſnenſi*, tunc apud eum præſente, & duobus Baronibus, proceſſit. Et illuc perueniens, ad tabernaculum Magiſtri deductus, poſt miſſæ auditionem, qua Magiſtrum reperit occupatum, verba facit, orat, precatur, *vt armis depoſitis, à terræ Pomeraniæ, fidei & gubernationi ſuæ commiſſæ, conflagratione ſe temperet, vt illam contra ius faſque capere, & ſibi vſurpare deſiſteret; vt ex auxiliatore maiorem pernitioſioremque ſe hoſtem, quàm contra quem inuocatus ſit, cum ſui & Ordinis ſui infamia ſempiterna non conſtitueret, vt promiſſionum & pollicitationum multiplicium eidem Duci Caſimiro crebrius ingeminatarum meminerit, quibus tam ſibi, quam Duci Przemiſlao germano ſuo pollicebatur; vt ſi terram Pomeraniæ eos tenere contingeret, nullam ſe illis hoſtilitatem, ſed ſecuritatis & auxiliorum ſolatia deuouebat præſtiturum.* Et quò Magiſter & Commendatores ſibi aſſiſtentes facilius ad compaſſionem & miſerationem flecti poſſent, ſupplicationem ſuam genibus flexis, manibuſque complicatis, ad Magiſtrum repetiit. Magiſter autem Cruciferorum *Carolus*, humilitatem preceſque aſpernatus Principis, illiſque magis ad ſuperbiam, quàm in pietatem pertractus, reſpondit. *Non diffiteor*, inquit, *te fratremque tuum Przemiſlaum Ducem, ad terræ Pomeraniæ ſuſcipiendam gubernationem, meam Ordiniſque mei repromittendo aſſiſtentiam & fauorem animaſſe, & vtrique veſtrum bonam ſpem feciſſe. Vos enim duos, quàm aliquem alium grauem mihi & potentem Principem in dictæ terræ Pomeraniæ gubernationem malebam ſuccedere. Nunc verò promiſſo meo non variato, ſed mutato in melius, de terræ Pomeraniæ magis mihi & Ordini meo, quam tibi aut cuicumque alteri faueo. Id autem habebis a me & frater tuus Przemiſlaus humanitatis præſtitum, vt cum gentibus, rebuſque omnibus tuis quocumque libuerit excedas, & caſtra terramque Pomeraniæ, per me & Ordinem meum de cætero poſſidendam, relinquas, aut ſi id tibi conuenire minimè aſtruis, defenſionem opponas.* Quo dato reſponſo, Ducem *Caſimirum* prædictum & ſuos omnes prandii honore excepit. Inter prandendum autem exercitus Magiſtri, motis caſtris verſus *Thczovv* proceſſit, & tam caſtrum quàm ciuitatem vallauit. Dux autem *Caſimirus* prandio peracto, triſtis gemenſque abſceſſit, & verſus *Thczovv* properans, caſtrum-

Ad Magiſtrũ Pruſſiæ obſidentem ca-

1310.

ſtrũ Thczovv, Caſimirus Dux gubernatore ſupplex venit,

obſidionem orans ſolui.

Vix autem obtinuit, vt cum ſuis caſtro relicto ſolus euaderet.

1310.

ſtrumque obſidione cinctum videns, gradum continuit, ne mortis aut captiuitatis periculum incideret; & è veſtigio *Vincentium* Decanum *Gneſnenſem* ad Magiſtrum remittit, petens, *vt libertas ei & ſuis de recedendo, ſaluis rebus perſoniſque ſeruaretur, & quod Dux Caſimirus ſecurus poſſet caſtrum Thczow accedere, & gentes ſuas atque res de illo auferre.* Cui Magiſter reſpondens aiebat. *Credidit fortè Dominus tuus nos ſomno & dormitione occupatos eſſe, & ab expugnatione caſtrorum terræ Pomeraniæ quieuiſſe. Non in ſomnum, ſed in laborem, tam valido & potenti exercitu comparato egreſſi ſumus: non prius, donec vniuerſam terram Pomeraniæ ditioni noſtræ ſubiiciemus, quieturi. Non igitur Dominum tuum falſa ſpes decipiat: Sed ſi ſapit, celerius cum ſuis omnibus excedat, aut ad opponendam exercitui noſtro reſiſtentiam ſe coarmet.* Dux autem *Caſimirus* videns ſe & viribus imparem eſſe, & caſtrum *Thczovv* nec arte nec loco munitum, ſed nec victualibus prouiſum eſſe, & ſuo & ſuorum prouidens periculo & indemnitati, de caſtro *Thczovv* cum omnibus excedit, & poſſeſſionem illius Magiſtro tradit. Quod illicò a Magiſtro & exercitu ſuo incenſum incineratumque eſt: & ipſe Dux *Caſimirus*, deducentibus eum gentibus Magiſtri, ſaluus in perſona & rebus in caſtrum *Szvviecie* conceſſit.

Magiſter Pruſſiæ obſidet caſtrum Szvviecie,

Redacto in ditionem ſuam caſtro *Thczovv*, *Carolus Pruſſiæ* Magiſter exercitum ſuum in partes vlteriores terræ *Pomeraniæ* promouit. Et aliquot oppidis & vicis ignobilibus, videlicet *Choynicza*, *Novve*, & aliis captis, partimque exuſtis, verſus caſtrum *Szvviecie* aduenit. Id enim adhuc vnum in terra *Pomeraniæ* per milites & duos Duces *Przemiſlaum* & *Caſimirum Gnievvkouienſes*, pro *Wladiſlao Lokutek* Duce tenebatur: cætera omnia aut expugnatione, aut deditione, in poteſtatem Magiſtri & Cruciferorum deuenerant. Id quoque gentibus militaribus & victualium abundantia refertum, obſidionem & impetum hoſtilem tolerare, & ne vniuerſa terra *Pomeraniæ* in Cruciferorum ſubiectionem veniret, reſiſtentia ſua efficere credebatur. Vnde & Cruciferi ampliori cura & ſtudio eius oppugnationem adorſi, quatuor validis bombardis caſtri ſtructuras tunc humiles & ligneas, interdiu & nocte validiſſimè quatiebant. Duobus quoque patibulis contra faciem caſtri erectis, denunciabant *Przemiſlao* & *Caſimiro* Ducibus, aliiſque militibus caſtri defenſoribus, *niſi caſtrum dederent, ſe patibuli ſupplicio, expugnato caſtro*, quod propediem euenturum rebantur, *punituros.* Et quo maiori percellerentur defendentes caſtrum terrore, ſingulis diebus duos aut tres vel plures homines agreſtes in rure captos ſuſpendebant. Durante inſuper obſidionis tempore Crucifer quidam *Ziffridus*, quem Commendatorem oppidi *Gnievv* titulabant, genti *Polonicæ* infenſiſſimus, aduerſus eam hanc crudeliſſimam tyrannidem depromebat. Caſtris ſiquidem manè egreſſus, & funibus corpori equi, cui inſidebat, alligatis onuſtus, deuouebat *ſe die illa non prius comeſturum, donec in Polonorum ſuſpenſione omnes chordas illas conſumeret.* Quo quidem immaniſſimo ſcelere efficiebat, vt agreſtes & miſerabiles, atque valetudinarii homines, qui in vrbes munitas non refugerent, per præfatum *Ziffridum* Commendatorem ſuſpenſione immerita, etiam crudeliſſimis barbaris deteſtanda, tormentarentur. His facinoribus, Magiſtro nequaquam prohibente, immò magis vel diſſimulante vel probante, dum præfatus *Ziffridus* haberetur in exercitu Magiſtri *Pruſſiæ* inſignis militari fauore, vt eſt belligerantium genus in commendationem eorum quæ crudeliter aguntur procliuum, nobilitante & efferente ſua flagitia, ſubita & conuenienti vltione a Diuinitate percuſſus eſt. Dum etenim dierum vna ad focum artus reficiens conſiſteret, à Dæmone repente correptus & iugulatus, & tandem in ignem deiectus eſt. Dignas profecto operum ſuorum pœnas pendens, vt qui alios iugulando innocenter perimerat, beneficiumque ſepulturæ ſuſpenſis abſtulerat, iugulatus & ipſe Sathanæ miniſterio, non in terra, quam mortibus innocentum hominum inquinauerat, ſed ignis abſumeretur incendio. Non mouit autem horum omnium quæ agebantur, milites caſtrum defendentes, de propinquo monſtratus conſpectus, nec alicui eorum pauiditas iniecta eſt; ſed pari fortitudine atque animo omnes tolerandam obſidionem, & quoſcunque caſus decernebant. Magiſter autem præter ſpem opinionemque ſuam obſidionem trahi, & oppugnationem ſuam nihil profectus afferre videns, veritus, ne conatus ſui ad irritum reciderent, cum & caſtrum ſitu eſſet forte (abluit enim illud & circumfluit pro magna parte *Viſla* fluuius aquis illic inflatus) & munitiſſimum, militum quoque magna defenderetur ſtrenuitate, animum in dolos, viribus nequicquam proficientibus, conuertit, & vnum ex militibus caſtri, vocatum *Andream Czedrovvicz* de armis & familia *Gryphonum* ducentem genus, auro corrumpit. Qui tradimentum, ad quod conuentus erat, executurus, chordas baliſtarum & omnia inſtrumenta bellica, intempeſtæ noctis ſilentio violat, frangit, & præcidit. Et militibus caſtri, dum nouarum chordarum & rerum, ac inſtrumentorum ad defenſionem ca-

1310 caſtri ordinatorum, non poſſet prouenire inſtauratio, præcipuum genus impetendi hoſtes, & refellendi eorum conatus, eneruat, ex adiutore quoque factus transfuga, miniſterium quod præſtiterat, Magiſtro patefacit. Qua nouitate Magiſter & vniuerſus exercitus exhilaratus, maiori auſu in expugnationem caſtri contendit, & turribus caſtri mœnia vincentibus extructis, eisdemque ad vicinium caſtri, ab ea parte, qua caſtrum flumine nudum eſt, promotis, continua ac valida impugnatione, a telorum ictu, experientia etiam prodente, videns ſe ſecurum, cœpit impetere. Caſtrenſes autem, etſi diebus aliquot impugnationi tantæ corporibus oppoſitis reſtitiſſent, in periculum tamen ingens videntes ſe detruſos, ne grauius in ſe, caſtro conquiſito, per Cruciferos conſuleretur, cum Magiſtro & Cruciferis paciſcuntur, vt Dominum ſuum Ducem *Wladiſlaum Loktek* de repellenda obſidione per ſpecialem Nuncium eis requirere & implorare liceat. Quæ ſi intra menſem non prouenerit, ipſi caſtro ſaluis omnibus rebus & perſonis, excedant. Verùm Nuncio tanti periculi ad Ducem *Vladiſlaum* perlato, quamuis Dux *Vladiſlaus* ſuccurrendum, obſeſſorum periculo animum intendiſſet, Baronum tamen ſuorum ſaniori conſilio, qui vires hoſtiles ſuperiores ſuis nouerant, & ſummam rerum in diſcrimen adduci, delirum putabant, reuocatus, Nuncium ad *Svviecʒenſes, vt ſibi qualicumque poterint ratione, ſi repulſa intra menſem non interuenerit, conſulant*, remittit. *Andream* vero Caſtellanum *Roſpergenſem*, gentibus ſuis in Ductorem præficiens, laturum obſeſſis ſuffragium, iubet quam celeriter accedere. Qui negligentius iuſſa agens, retrorſum, non laceſſito, nec viſo exercitu hoſtili, abiit. Menſe itaque elapſo, dum petitum & promiſſum non apparet ſubſidium, caſtrum *Szvviecie* poſt decem hebdomadas, ex quo obſideri cœpit, Magiſtro & Ordini deditum eſt, & ambo Duces germani *Przemislaus* & *Caſimirus*, *Bogumil* Capitaneus, *Otho* Caſtellanus, *Lekxik* inter Barones præcipuus, aliaque multitudo Baronum & Nobilium *Pomeraniæ*, fortunam ſuam increpantium, quæ illis læuo ſidere, & fraude deteſtanda *Andreæ Czedrovvicz* acciderat, cum rebus omnibus excedunt, & ad Ducem *Wladislaum Loktek* non ſine profluuio multarum lacrymarum profecti, ab eoque benigne ſuſcepti, domiciliis & hæreditatibus ſtatui cuiuslibet congruis donati ſunt. In hunc modum per eum ordinem, quem in auxilium contra exteras & barbaras gentes *Poloni* aduocauerant, quem quoque ex inope & pannoſo, largitione & donatione Principum ſuſtulerant & erexerant, *Pomerania* primum Regno *Poloniæ* cum ſtrage & interitu multorum militum hominum *Polonici* generis adempta eſt. Tales quoque fructus ex aduocatione & fundatione Ordinis præfati referre cœpimus.

quod proditione capit.

Henrici Glogouienſis exercitus profligatur.

Maioris Poloniæ Baronum animos, *Henricus maioris Poloniæ* & *Glogouiæ* Dux, a ſe alienatos, & ſibi primùm infenſos, propter nonnullorum rituum & iurium violationem, intelligens, ſeditionem dietim gliſcentem compreſſurus, *Ianuſſium* Comitem dictum *Beberſtein*, cum forti exercitu, non ex propriis tantummodò, ſed etiam ex *Almanis* collecto, in partes *Maioris Poloniæ* transmittit. Qui cum caſtrum *Kleczko* primum obſidere cœpiſſet, *Dobrogoſtius* de *Schamotuli* cognominatus paruus de domo *Nalencz*, filius quondam *Thomislai* Palatini *Poſnanienſis*, congregato ex *Polonis* notabili exercitu, venit contra *Ianuſſium Beberſteyn*, & congreſſu inito, multis vtrinque cadentibus, præfatum *Ianuſſium Beberſteyn* conflixit, & caſtris ac omnibus ſpoliis ſuis potitus eſt.

Wladislaô Loktek naſcitur filius Caſimirus.

Secundo Calendas Maii in oppido *Kovvalye* terræ *Cuiauienſis*, Duciſſa & conſors *Wladislai Loktek Heduigis*, filium *Caſimirum* enixa eſt. Cuius ortum & natalem ſingulari commemoratione, dignum futuræ tradere ætati ratus ſum. Per illum enim ad legum inſtituta, abrogatis abuſibus *Polonicis*, redacti ſumus, & florentem atque beatum ſtatum eius ope & prudentia, quæ etiam in puero reluxit, ſortiti. Eius etiam cura, ſumptu & animo munifico, Regnum *Poloniæ* pulcherrimorum murorum fabrica exornatum eſt.

Poſt mortem Henrici Ducis,

Quinto Idus Decembris, *Henricus maioris Poloniæ* & *Glogoniæ* Dux in *Glogouia* moritur, & in *Lubenſi* monaſterio ſepelitur, quatuor relinquens filios, videlicet *Henricum* cui *Zegan*, *Conradum* cui *Olſzna*, *Ioannem* cui *Stinauia* & *Gora*, & *Przemiſlaum* cui *Glogouia*, cum ſuis pertinentiis in diuiſione ceſſerunt. Terrarum autem *maioris Poloniæ* nulli illorum contigit portio. Prælati enim & Barones *maioris Poloniæ* morte *Henrici* Ducis ſecuta, receſſerunt a filiis ſuis, quos videbant conſiliis & regimine *Teutonicorum* inſtinctos ad id inflammari & conduci, vt vniuerſam gentem *Polonicam* exſtinguerent, & delerent. Quo factum eſt, vt *Gneſnæ* conuentione generali habita, Ducem *Wladislaum Loktek* in Dominum & Regem eligerent, Principatu & Dominio filiorum Ducis *Henrici* in totum abrogato: quatenus deprauato ſchiſmate, quo ſe a cæteris *Poloniæ* terris ſequeſtrauerant, ſublato, facilius totius Regni *Poloniæ* adunatio proueniret. Ea autem concluſione & decreto Prælatorum & Baronum *maioris Poloniæ* non obſtante ciues *Poſnanienſis Przemek* ciuitatem *Poſnanienſem* Duci- 1310

Polonia maior ſe Lokietkovi dedidit.

ſed Poſnanienſes turbas mouent.

1310. cibus *Głogouienſibus*, velut hoſtibus patriæ tradidit; & Eccleſiam maiorem *Poſnanienſem* incaſtellauit, præſidiumque in ea hoſtile admiſit, per quod crudeliter nimis in Prælatorum & Canonicorum *Poſnanienſium* domos fuit ſæuitum, fueruntque omnes ædes eorum exuſtæ, & *Nicolaus* dictus *Schamotula* interfectus. Multa quoque damna alia & ſtrages commiſſæ. Præſidio autem huiusmodi per milites *Polonicos* depulſo, & pace reddita, in pœnam criminis per *Przemkonem* ciuem *Poſnanienſem* commiſſi, fuit ſancitum & laudatum, quod nemo ex filiis ciuium *Poſnanienſium* ad dignitates aut Præbendas Eccleſiarum Cathedralium Regni *Poloniæ* debeat promoueri vel aſſumi.

Ioanni Epiſc. Plocenſi ſuccedit Io. Abrabæ.

Ioannes Altus Epiſcopus *Plocenſis* moritur, dum annos quatuordecem ſediſſet, moritur & in Eccleſia *Plocenſi* ſepelitur: cui *Ioannes Abrabæ* ſuccedit, & Prælatis & Canonicis *Plocenſibus* via ſcrutinii electus, & per *Ianuſſium* Archiepiſcopum *Gneſnenſem* confirmatus & benedictus, nobilis genere & actione de domo & familia *Nałęcz*.

Poſt varias ſeditiones, diuiſionesque inteſtinas; quibus *Hungariæ* Regnum poſt mortem *Andreæ* Regis afflictum eſt alia quoque pernicie premi cœpit. Frater enim *Gentilis* de ordine Minorum *S. Martini* in Montibus Cardinalis per Sedem Apoſtolicam, cui tunc *Clemens* quintus præſidebat, procurante *Philippo Francorum* Rege, cui ſtricta affinitate iungebatur, ad pacificandum Regnum *Hungariæ*, & ad ſtabiliendum thronum *Caroli Marcelli* miſſus, annis tribus & amplius ſalutiferas admonitiones ſuas, quibus Barones *Hungariæ* ad reſtituendum occupata per eos, & longo tempore poſſeſſa Regalia inducebat, contemptum & perditum iri animaduertiſſet, Principales Barones Regni *Hungariæ*, & hos præſertim, qui maiorem rebellionem ſuis monitis opponebant, auctoritate Apoſtolica damnat anathemate, & eorum terras & Dominia Eccleſiaſtico ſubiicit interdicto. Quo effectum eſt, vt multa corpora morientium Baronum & Nobilium *Hungarorum*, extra ædes ſacras & cœmiteria terræ prophanæ mandarentur. Quo malo *Hungari* perculſi, conuentum in *Peſt* agunt. Vbi in primis *Wladislaum Woieuodam Tranſyluanienſem*, coronam materialem, quam capto, vt præmiſimus *Othone Bauariæ* Duce, nactus fuerat, qui & ipſe per Cardinalem prædictum, quod cum *Stephano Seruiæ* Rege ſchiſmatico, data ei filia, affinitatem iunxerat, excommunicationis vinculo innodatus erat, & omnes Barones, reddere Regalia *Carolo Marcelli*, & ipſum veneratione Regia & cultu proſequi compellunt. Quibus compoſitis, & omnibus Regalibus redditis, & interdictum cum cenſurarum relaxatione ſublatum eſt, & *Carolus* prædictus in *Alba Regali* tunc primum ab ipſo Cardinale vnctus, & in Regem *Hungariæ* coronatus, ſolidum & pacificum Regni *Hungariæ* regimen, ſublatis competitoribus & diuiſionibus ciuilibus, adeptus eſt. Qui etiam proceſſu temporis, *Mariam* filiam *Caſimiri Poloniæ*, *Theſznenſis* Ducis *Bithomienſisque* accepit in conſortem, virginem tunc forma rara præſtantem.

Hungari interdicto vniuerſali coacti

Carolum Marcellum in Regem eligunt.

In Italia & Sarmatia tota, inundatio & fames maxima.

Eo anno in *Italia*, *Polonia*, *Bohemia*, & *Almania*, maximis tempeſtatibus coortis, tanta inundatio ſubſecuta eſt, vt multa oppida, villæ, & rura ſimul cum hominibus & pecoribus perpetua alluuione abſorberentur. Sol quoque vltima Iunii paſſus eſt eclipſim, ex qua ſubſecuta eſt magna ſterilitas vini & bladi, qualem nemo meminerat à Prædeceſſoribus audiſſe. Præ inopia quoque panis & bladi, herbas & radices ad trahendum vitam homines manducare compulſi ſunt.

Boleslaus Wratislauienſis Henrico Glogouienſi bellum infert;

Paternas iniurias *Boleslaus Wratislauienſis* Dux filius *Henrici* quinti in filio *Conradi Głogouienſis* Ducis *Henrico* vlturus, mouet illi bellum, & terram ſuam crebris inuaſionibus vaſtat. *Henricus* verò *Głogouienſis* Dux ſatis animi ad reſiſtendum habens, cum *Boleslao* confligit, & multis hinc inde cadentibus, ſuccumbit. Ea victoria *Boleslaus Wratislauienſis* Dux elatus oppidorum & villarum militibus ſuis donationes facit. Curias inſuper, choreas, & haſtiludia celebrare cœpit. Et ad famam ſuæ libertatis multis concurrentibus militibus, grandi ære alieno ſe inuoluit. *Henricus* autem *Głogouienſis* Dux præfatus, qui & ipſe Regnum *Poloniæ* obtinere nitebatur, cum eſſet a Prælatis & Baronibus *Maioris Poloniæ*, velut nepos ex ſorore *Salomeæ Przemislai* Regis *Poloniæ* ad *Poſnanienſem* & *Caliſſienſem* Ducatus aſſumptus, & ob id ſe non ſolum *Głogouienſem* Ducem, ſed & Regni *Poloniæ hæredem* titulabat, quinto Idus Decembris apud *Głogouiam* moritur, & in *Lubenſi* monaſterio ſepelitur, quatuor filios ex *Melchide* filia *Alberti* Ducis *Brunſzuicenſis* relinquens, videlicet *Henricum* cui pro ſorte ceſſit *Zeganum*, *Conradum* qui *Olſznam*, *Przemislaum* qui *Głogouiam*, & *Ioannem* qui *Stinauiam* & *Goram*, ſortiti ſunt. *Poſnanienſis* enim & *Caliſſienſis* Ducatus, patre eorum *Henrico* abſumpto, alios, qui *Teutonicorum* tantummodo ſecuti conſilia, ab illis regebantur, pertæſi, illicò in *Wladislai Loktek* conceſſerunt obedientiam, vt facilius reintegratio corporis Regni *Poloniæ* efficeretur. Inter filios autem præfati *Henrici Głogouienſis* Ducis, cum *Przemislaus Głogouienſis* Dux vegetioris eſſet ingenii, & prius eligeret mori, quam *Ioanni Bohemiæ* Regi, ad id illum, & fratres ſuos ſtringenti, ſubiici, veneno apro-

Eoque mortuo, bona inter filios quatuor partiuntur.

1310. à propriis vaſallis toxicatus, nullam ex ſe relinquens prolem, interiit, & apud *Lubenſe* monaſterium requieſcit. Ceſſit autem *Henrico Zeganenſi*, & *Ioanni Stinauienſi*, Ducibus, in commune *Glogouia*, *Conrado* per *Stinauiam* contentato. Sed illicò *Ioannes Stinauienſis* Dux, *Ioanni* Regi *Bohemiæ*, mediam partem oppidi *Glogouienſis* ſe concernentem, non eo quidem anno, ſed proceſſu temporis vendidit, & *Henrico* fratri venditione huiuſmodi multa diſpendia ſubminiſtrauit. *Ioannes* enim *Bohemiæ* Rex, alterius partis, quæ Ducis *Henrici* erat, Capitaneo largitione corrupto, exercitualiter verſus *Glogouiam* aduenit, & *Glogouienſes* ciues detrectantes eum ad poſſeſſionem totius ciuitatis admittere obiurgatos, ciuitatem à Capitaneo *Henrici* Ducis ſibi traditam ingreditur, & vniuerſum *Glogouienſe* oppidum perperam in ſuam redigit ditionem. Sub hac oppreſſione & grauamine *Henricus Zeganenſis* Dux abſumptus, & in monaſterio *Lubenſi* ſepultus; filius eius vnicus eiuſdem nominis *Henricus*, adeò paternam iniuriam moleſtè tulit, vt pro recuperatione mediæ partis *Glogouienſis* oppidi, *Ioannem Bohemiæ* Regem, & filium ſibi in Regno ſuccedentem *Carolum*, continuis guerris & inuaſionibus vexaret. Neceſſeque haberet *Carolus Bohemiæ* Rex, cum notabili exercitu aduenire, & *Glogouienſibus* ciuibus ferre opem, longo iam tempore ab *Henrico* laceſſitis. Patris autem occupationem alterius partis *Glogouienſis* Oppidi ratus, prout erat, iniuſtam, eam *Henrico Zeganenſi* Duci, ſuam ditionem & ſubiectionem profitenti, reſtituit, & diuturnam concertationem, meliori compoſitione extinguit. Obeunte inſuper *Ioanne Stinauienſi*, & oppido *Gora*, inter *Conradum Olſznicenſem* Ducem patruum, & nepotem ſuum *Henricum Zeganenſem* & *Glogouienſem* Ducem partito, *Conradus* præfatus *Olſznicenſis* Dux, ad grandæuam ſenectutem perueniens moritur, & in *Trzebnicenſi* monaſterio ſepelitur, vnicum filium *Conradum* relinquens.

Bohemiæ Rex Glogouia potitur.

1311. Vniuerſa terrâ *Pomeraniæ*, & caſtris eius Magiſter *Carolus Pruſſiæ*, & Cruciferorum Ordo, dolo armiſque expugnatâ; Baronibus quoque & Nobilibus eius partim necatis partim expulſis, Magiſter *Carolus* prædictus pro eius ampliori occupatione animum ſimul & curam intendit, & per Nuncios literaſque Ducem *Wladislaum Loktek* precatur, *vt ſecum in loco competenti conueniat, ſuper terra Pomeraniæ & eius occupatione concordiam initurus.* Dux autem *Wladislaus Loktek*, terræ *Pomeraniæ* prædictæ reſtitutionem, & damnorum refuſionem ſperans, per aliquos tractatus & conditiones poſſe melius quàm per bellum componi, in conuentionem cum Magiſtro & Ordine ob huiuſmodi cauſam tractandam conſentit. 1311. Tandem in *Brzeſczie Cuiauienſi* oppido, dum tàm Dux *Wladislaus* cum Prælatis & Baronibus Regni *Poloniæ*, quàm *Carolus* Magiſter cum Commendatoribus ſuis conueniſſent, cœpit *Wladislaus Poloniæ* Dux, commemoratis primum multifariis beneficiis à Principibus *Poloniæ* Ordini impenſis, per quæ ab humili ſorte ac tenui, in eam amplitudinem atque ſubſtantiam perueniſſent, graues ſuas iniurias à Magiſtro & ordine ſibi illatas queri; *quòd videlicet Patrimonium ſuum & hæreditatem, terram Pomeraniæ hoſtiliter, denunciatione belli non præmiſſâ, oppidis & villis exuſtis, occupaſſent: & quod in Baronibus & Nobilibus, aliiſque fidelibus ſuis crudelem cædem aut excluſionem egiſſent. Attenderent religionem ſuam, attenderent & vocationem, recentiaque ſui aui Conradi beneficia, qui eos primùm in regiones has accerſiit, & donationes largas contulit, obliteratum iri non ſinerent: neuè eum prædicta hæreditate Pomeraniæ, in cuius defenſionem adſciti fuerant, ſpoliare dignum ducerent: Diuinam vltionem, ſi humana deficeret, quandoque contra ſe in compenſationem tot malorum effundendam habituri.* *Carolus* autem Magiſter, nihil horum quæ obiiciebantur ſciens, valenſque defendere, omnia enim ſonora, & nulla caligine aut excuſatione velari, nulloque ingenio humano poterant refelli, ſupplicare Duci *Wladislao*, & Prælatis Baronibuſque Regni *Poloniæ*, quàm obiecta purgare nefanda adorſus, magno ſtudio maiorique calliditate flagitans, *vt terram Pomeraniæ, circa Ordinem ſinerent conſiſtere: vtque ab eo & Ordine, tàm terræ Pomeraniæ, quàm damnorum illatorum, refuſione in auro & argento accepta, ius illius, proprietatem & titulum per patentes literas ſe profiterentur in perpetuum vendidiſſe & reſignaſſe.* Offerebat ad hæc Magiſter & Ordo *Cœnobium*, *cuiuſcunque Wladislaus Dux mallet Ordinis, de numero quadraginta Monachorum, pro ſua ſuorumque progenitorum ſalute, data ſufficienti dote, fundaturum; caſtrum quoque Nyeſchaw, cum villis Orłow & Murzinow, reſtituturum: & pro qualibet ſuâ & Regni Poloniæ neceſſitate, quadraginta lanceis ſuis damnis & expenſis propriis ſeruiturum.* Non mouit autem hæc ſupplicatio oblatioque Ducem *Wladislaum*, ſed ad indignationem choleramque accendit, dum contra ſuam & Conſiliariorum ſpem, non terræ *Pomeraniæ* reſtitutionem, ſed quædam in-

Conuenit Magiſter Pruſſiæ cum Loktek ſuper terris Pomeraniæ tractaturi.

1311.

indigna & leuia videbat offerri; & proinde edito ad hanc ſupplicationem reſponſo, *quòd nulla ſupplicatio nullauè oblatio ad venditionem terræ Pomeraniæ poſſet eum peruincere: Iniquas* differens *eleemoſynas, iniqua ſacrificia prouocatum Deum in deterius, quæ de raptis & contumeliis illi contigerit offerri*, triſtis & furibundus, & de recuperatione terræ & hæreditatis ſuæ *Pomeraniæ*, ſecum & Conſiliariis ſuis multa voluens, ex *Brzeſczie* diſcedit. Tenuitque ab eo die, vſque ad tempora *Caſimiri* tertii *Poloniæ* Regis, & vſque ad annum Domini milleſimum quadringenteſimum ſexageſimum ſextum, Ordo Crucifericus *Pomeraniam*, tyrannicè & per iniuriam occupatam: vltra, quam tanta Ordinis conditio, & Chriſtianitatis Religio poſtularet, donec miſeratione Diuina operante, propriis militibus, ciuibus, & ſubditis, contra Ordinem conſurgentibus, & annis quindecim *Caſimiro* tertio *Poloniæ* Rege, aſſiduè bello Ordinem premente, Regno *Poloniæ* reddita & reunita eſt.

Quærens Magiſter Pruſſiæ aliquid iuris ad terras Pomeraniæ,

Repulſum ſe, & in petitione ac ſpe ſua Magiſter *Pruſſiæ Carolus* ſpretum videns, magno tamen ardore ad occupandam terram *Pomeraniæ*, propter portum maris, cuius iam ineſcatus erat largo introitu, feruens, curam & ſtudium, vt quocumque titulo etiam phantaſtico & colorato, eam ſibi ac Ordini appropriet & vſurpet, intendit. Ad *Waldemarum* itaque Marchionem *Brandeburgenſem*, & nepotem ſuum *Ioannem*, deſtinata animo executurus, Nuncios mittit, & vt ſibi terram *Pomeraniæ* pro decem marcarum millibus latorum groſſorum vendat, & perpetuâ venditione inſcribat, donet, & reſignet, paciſcitur. Nihil veritus, ab eo ſe terram *Pomeraniæ* petere, quem non longo tranſacto tempore, *Polonorum* & ſuis armis ab eius iniuſtà occupatione fugauerat. *Waldemarus* autem Marchio *Brandeburgenſis*, pecuniam decem millium marcarum ſibi per Magiſtrum oblatarum, pro lucro inſperato & votiuo gaudens offerri, cum ſciret ſe & præfatum *Ioannem* nepotem ſuum, nihil iuris, proprietatis, & tituli habere, in venditionem & reſignationem huiusmodi, velut in rem non ſui iuris, vltrò annuit & conſenſit. Et pecuniâ, decem millium marcarum ſibi in latis groſſis oblatarum, in *Słupsk*, vt verò alii aſſerunt, in *noua Caliſch*, per Nuncios & homines ſuos, videlicet *Peczkonem* de *Leſzow*, & *Ludkonem* de *Wel*, à Magiſtro & Ordine acceptâ & numerata, terram *Pomeraniæ* Magiſtro & Ordini, per certi tenoris literas, ſe vendidiſſe & reſignaſſe profitetur. Illarum tenorem inſerere libro huic, operæ pretium viſum eſt, vt ſumma ambitio, ſummaque iniquitas, ſcelerata voluntas & vendentis & ementis appareat; ſimulque conſtet, quàm nefariis & exquiſitis dolis, fraudibus, & ingeniis, ad occupationem terræ *Pomeraniæ* Magiſter & ordo aſpirârit. Literarum itaque Marchionum *Brandeburgenſium* huiusmodi venditionem & reſignationem teſtantium, tenor eſt talis.

illas à Waldemaro Marchione Brandeburgenſi emit.

Cuius venditionis tenor inſeritur.

In Nomine Domini. Amen. Quoniam iuxta verbum viri ſapientis, generatio præterit & generatio aduenit: nihil ſtabile, nihilque permanens eſt ſub Sole, ſed vanitati atque mutabilitati ſubiacent vniuerſa: Et ne cum labentibus annis, rerum magnificè geſtarum & perutiliter, pariter labatur & aboleatur memoria, munificentias & libertates, præſertim in pias cauſas & loca religioſa collatas, ſcripturâ conuenit perpetuari. Nos igitur Waldemarus Dei gratia Brandeburgenſis, Luſatienſis Marchio, tutorque Illuſtris Ioannis Marchionis Brandeburgenſis, ad vniuerſorum notitiam præſentium & futurorum cupimus deuenire. Attendentes, quæ, quanta, & qualia virtutum, religionis, ac deuotionis beneficia per religioſos viros Chriſti milites Magiſtrum, & fratres Ordinis Hoſpitalis S. Mariæ Teutonicorum Hieroſolymitanenſium Eccleſiæ Chriſti, in ſuis membris in Pruſſiæ partibus, maximè in plantanda extenſione fidei Chriſtianæ, ac eiusdem plantatæ defenſione, continuè impendantur: quemadmodum tam eorum ſanguis, qui pro Chriſti nomine ſigna ſuæ militiæ, proprio ſanguine rubricantes, ad Dominum emigrârunt, quàm eorum vita, qui in negotio fidei adhuc fruentes ſpiritu, ſub continua expectatione Martyrij, pro æterno gaudio, gladios & tormenta infidelium ſubire non metuunt, quotidiana facti euidentia ſatis perlucidè manifeſtat. Proinde ad brachium fortitudinis paganorum conterendum, & ob ſalutem & proſperum atque pacificum ſtatum Chriſti fidelium terræ Pomeraniæ incolarum, de noſtrorum Conſiliariorum ſano conſilio & conſenſu, ad laudem & honorem Dei, & glorioſæ matris eius Virginis Mariæ, & in remiſſionem noſtrorum, & progenitorum noſtrorum, peccaminum, ac etiam vt præfatorum Fratrum bonorum operum nonnihil participentur, eisdem Chriſti militibus, quorum ſpes verus Deus eſt, videlicet Magiſtro & Fratribus, ac eorum Ordini, partem prædictæ terræ noſtræ Pomeraniæ, videlicet caſtra & ciuitates, Danczik, Derſchouiam, atque Szwyecam, nec non omnem terram circumiacentem, quæ ad dicta caſtra ab antiquo pertinebat, pro decem millibus marcarum Brandeburgenſium argenti & ponderis, purè, ritè, ac rationabiliter vendidimus ac vendimus, cum caſtris, caſtellis, villis, monetis, teloneis, vectigalibus, foris, cum agris cultis & incultis, viis & inuiis, paſcuis, ſyluis: nemoribus, lacubus, paludibus, venationibus, piſcationibus, borris, mellificiis, cum omni vtilitate & fructibus, quæ de dicta terra in præſenti percipi poterint in his quæ ſuper terram humano ſe repræſentant conſpectui, aut qui percipiendi ſub terra futuro tem-

1311. *tempore apparebunt, videlicet in ſale, plumbo, ſerro, cupro, argento, auro, aut in cuiuslibet generis metallo, quocumque nomine cenſeatur, & ſi in ea quomodolibet poterint reperiri, cum omni iure, dominio, indicio, ac proprietate in perpetuum liberè poſſidendam. Quam nominatam pecuniam nobis recognoſcimus eſſe ſolutam, integraliter ex toto, & ad vſus noſtros & inclyti Ioannis Marchionis Brandeburgenſis, cuius tutelam gerimus, eſſe conuerſam. Sepedictam verò terram, præfatis Magiſtro & Fratribus, ac ipſorum Ordini voluntariè reſignamus, ipſosque ac ipſorum Ordinem in poſſeſſionem eiusdem quietam & pacificam inducimus, cum omni pleno dominio, & integrali libertate & proprietate: renunciantes nihilominus pro nobis, ac pro Illuſtri Ioanne Marchione Brandeburgenſi ſuperius nominato, ac pro noſtris ſuisque ſucceſſoribus & hæredibus legitimis in perpetuum omni actioni, impetitioni, defenſioni, exceptioni, omnibusq; priuilegiis ac literis gratiam & iuſtitiam continentibus, iam impetratis ſeu impetrandis, ſeu iam habitis vel habendis, ac omnibus quæ in poſterum quocumque iure canonico vel ciuili cautelis, contra præſens inſtrumentum de facto vel de iure poſſent obiici vel opponi; nihil prorſus iuris, dominij, vtilitatis, aduocatiæ, patronatus, vel cuiuslibet alterius iurisdictionis vel poteſtatis, quocumque nomine poſſit appellari, nobis ſeu Inclyto Ioanni Marchioni Brandeburgenſi, & hæredibus ſeu ſucceſſoribus noſtris, in omnibus contentis in parte prædictæ terræ noſtræ ſic venditæ, retinentes: Sed omnia & ſingula cum libertatibus ac pleno iure, proprietate, poſſeſſione, & dominio, in prædictos Magiſtrum & Fratres, ac ipſorum Ordinem in perpetuum transferentes. Inſuper profitemur & recognoſcimus, nos ſæpedictis Magiſtro & Fratribus, à Sereniſſimo noſtro Domino Henrico Dei gratia Romanorum Rege ſemper Auguſto, ſuper huiuſcemodi noſtro contractu confirmationis literas impetraſſe. Vt autem hæc omnia piæ donationis noſtræ facta rata permaneant, & inuiolabilia perpetuo tempore perſeuerent, præſens ſcriptum ſuper his confectum, noſtri ſigilli appenſione duximus roborandum. Quod etiam dictus Marchio Ioannes, ſui etiam ſigilli patrocinio, cum ad annos ætati legitimæ deputatos peruenerit, confirmabit. Teſtes autem huiusmodi contractus ſunt noſtri fideles, Domini, Henricus de Regeſtein, & Vlricus de Lindow Comites, Ludolphus & Haſzo de Vedele, Bernardus de Ploſzek, Henricus & Fredericus de Heluensleue, Droyſeco de Chnache, Henricus, Heningus, & Henricus de Slegeli, Bernardus de Bruk, & Henricus de Verbin, Milites: Henricus de Gradzon Præpoſitus, Slateto noſtræ Curiæ Prothonotarius, & quàmplurimi alij, nihilominus fidei teſtimonio decorati. Actum & Datum in Curia Bredenſi, in vigilia B. Iacobi Apoſtoli. Anno Domini. milleſimo tricenteſimo vndecimo.* 1311.

Creſcente in dies Baronum *Bohemiæ*, contra Regem ſuum *Henricum Carynthiæ* Ducem indignatione & odio: ſeditione inſuper militum & rebellione populi ſenſim gliſcente, ſæpe Rex ipſe *Henricus* inuaſione hoſtili laceſſitus, pluresque de ſuis *Auſtralibus* pro eo militantes, aut cæſos aut captos videns, in caſtro *Pragenſi* ſupernè proſpectans, ſuorum & hoſtium certamina intra ſe concludebat: accipiens in ſui tutelam & defenſam nouorum militum ex *Auſtria* ſupplementum. Non enim aliter etiam intra proprios parietes conſtitiſſe a fraude *Bohemicâ* rebatur ſecurus. Barones autem *Bohemiæ*, dum aperta rebellio doli quoque contra *Henricum* Regem ſæpe tentati ſecus acciderent, ad alia ingenia aliosque dolos rurſum conuerſi, *Henricum* ſeptimum *Romanorum* Regem, Comitem de *Lucemburg*, qui propter præſtantiam morum, virtutum & actionum ſuarum, quibus alios Illuſtres & in Principatu conſtitutos anteibat, *Alberto Romanorum* Rege & Duce *Auſtriæ*, ſcelere & impietate germani nepotis *Ioannis* occiſo, ad Imperium fuerat concorditer ſurrogatus, in ciuitate *Spirenſi* tunc agentem, adeunt. Et cauſis aduentus ſui, diſcriminibus quoque Regni *Bohemiæ*, quibus colliſione inteſtina attritum eſt, expoſitis, precibus & perſuaſionibus plurimis pelliciunt, *vt filium ſuum Ioannem, quatuordecimum annum tunc agentem, Eliſabeth virgini, filiæ olim Venceslai ſecundi, & ſorori Venceslai tertij, Regum Bohemiæ, ad quam Regni Bohemiæ ex pluribus reſpectibus venit ſucceſſio & hæreditas, matrimonialiter coniungat, & de Regno Bohemiæ inueſtiat Imperiali iure & vxoris ſorte; Henrico Carinthiæ Duce, vniuerſis Bohemis infeſto & exoſo, eiecto, illic regnaturum. Henrico* autem *Romanorum* Rege ad ſingula quæ *Bohemi* depoſcebant perſuaſo, *Eliſabeth* virgo vigeſimum ſextum annum agens, in *Spiram* adducitur: & nuptiis iuxta magnificentiam Regalem celebratis, præfatoque *Ioanne* de Regno *Bohemiæ* Iure Imperiali inueſtito, ipſum cum ſponſa noua & gentibus armatis, adiungens illi *Petrum Maguntinenſem* Archiepiſcopum, & quosdam Comites & Barones *Almaniæ*, pro faciliori *Henrici Bohemiæ* Regis exterminio, in *Bohemiam* remittit. Qui cum *Pragam* perueniens, illam obſidione cinxiſſet, *Henricus* quoque *Bohemiæ* Rex reſiſtentiam opponeret, fraude tamen ciuium *Pragenſium*, Nonis Decembris, portis ciuitatis apertis, *Ioannes* Comes *Lucemburgenſis* cum omni gente ſecum militante, in *Pragam* receptus eſt. *Henricus* autem Rex *Bohemiæ*, videns fraudibus & dolis *Bo-*

Bohemi eiecto Rege ſuo Henrico

be-

1311. *bemicis* vbique ſe ſeptum, altiora diſcrimina & ſui ſtatûs dedecus veritus, è caſtro *Pragenſi* cum *Margaretha* conſorte, & ſuis omnibus, intempeſtæ noctis ſilentio excedit, in penatibus ſuis *Carinthicis* ſecurius de cætero manſurus. *Pragenſis* autem ciuitatis cæteræ exemplum ſecutæ, omnes deditione factâ in *Ioannis* Comitis *Lucemburgenſis* obedientiam venêre. Ipſe quoque *Ioannes* Comes, Baronibus *Bohemiæ* id procurantibus & ſollicitantibus pridie Nonas Februar. in Regem *Bohemiæ*, conſors verò *Eliſabeth* in Reginam, per *Petrum Colonienſem* Archiepiſcopum inungitur in Eccleſia *Pragenſi*, & coronatur. Qui à tempore coronationis prædictæ, Baronibus *Bohemiæ* ad id illum inſtigantibus, ſe non ſolùm *Bohemiæ*, ſed & *Poloniæ* titulabat & gerebat Regem, quamuis nullum ius Regni *Poloniæ* electione, vocatione, aut ſucceſſione, quantumlibet remota, ſortiri illum contigerat. Ex eoque tempore vſque ad *Sigiſmundum* Imperatorem, *Bohemia* per annos fermè centum & viginti ſex in poteſtate *Lucemburgenſium* fuit. Sub illis quoque, & præſertim ſub *Venceſlao* quarto, in varias, hæreſes & errores prolapſa eſt, quos ſub diuerſis Regibus & annis multis, vt in ſequentibus narrabimus, tenuit, practicauit & dogmatiſauit.

Ioannem Comitem Lucemburgenſem eligunt.

Lithuani Pruſſiam duplici,

Primarius *Lithuanorum* Dux *Vichtenen*, omnibus ſuarum gentium copiis collectis & ordinatis, terras *Pruſſiæ* ſub Carniſpriuii tempore ingreſſus, magnam partem per cædes & flammas redegit in deſolationem & fauillam. Captis autem quingentis hominibus, in *Lithuaniam* proſperè, prædâ ſpoliorum & captiuorum onuſtus, reuerſus; idolis ſuis de fortuna, quæ illi apud *Pruſſiam* contigerat, gratias agens, quaſi hæc illi eorum propitiatione contigiſſet, holocauſta & libamina offerebat.

Pruthenivero atq; Cruciferi triplici expeditione Lithuaniam vaſtant.

Commendator interim de *Kingsberg*, vno agmine, & quinque Commendatores altero agmine diuerſoque itinere in *Lithuaniam* furentes & bilem geſtantes ingreſſi, ſingula quæ occurrebant, nulli deferendo ætati, conditioni, vel ſexui, aut occidunt, aut exurunt: Et tam Ducem *Lithuanorum Vichtenen*, quàm gentem ſuam poſt actam expeditionem, vacantem in comeſſatione & voluptatibus, grauiſſimè perturbant & laceſſunt. *Lithuanis* autem decertare non auſis, magno captiuorum numero potiti, in *Pruſſiam* abſque incommodo reuerſi ſunt. Eam vaſtationem Dux *Lithuanorum Vichtenen*, vltum iri ſatagens, quatuor millibus pugnatorum, facto ex cæteris delectu, comparatis, in vigilia Ramis Palmarum *Pruſſiæ* oram intrat, & cuncta ferro & igne, cædendo, prædasque agendo, vſque ad *Brunsberg* graſſatus, Eccleſias Dei, vaſis & clenodiis ſuis ſpoliatus, dat in flammam; Diuiniſſimum quoque *Euchariſtiæ Sacramentum*, in terram cum ignominia proiectum, ore conſpuit, & pedibus

Illi SS. Euchariſtiæ Sacramentum

obterit, & conculcat; exprobrans captiuis Chriſtianis Deum eorum, cui cultum & honores Diuinos exhibent, ſe diſperdidiſſe. Maxima itaque cæde & incendiis in Catholicos debacchatus, Magiſtro & Cruciferis pugnam detrectantibus, in *Lithuaniam*, pellens captiuorum magnam multitudinem, & ſpoliorum ſupellectilem, regrediebatur. Dum autem ſtatiua in vna ſyluarum ad collem in limitibus terrarum conſiſtentem locaſſet, recogniturus & inter ſuos diuiſurus, captiuos adducit, & virginibus atque ancillis, quæ ſolæ abſque viris & matronis mille quadraginta numerum explebant, cœpit illudere: quærens *an noſſent vbi eorum Deus* conſiſteret. Iubens autem ſacrarium in *Pruthenorum* terris, in quo *Sacramentum Corporis Ieſu Chriſti* claudebatur, receptum afferri, fracto Sacrario, prophana manu Diuiniſſimum *Euchariſtiæ Sacramentum* exertum, ante pedes virginum & aliorum captiuorum proiecit: Quod nefando ore conſpuens, & ſpurciſſimis pedibus calcans atterebat, cum ea contumelia atque probro: *En Deum quem colitis & inuocatis, ſub veſtris oculis contero, non valentem neque mihi reſiſtere, neque vobis ſuis cultoribus aut ſibi auxiliari; Iam Deus veſter, me illum conculcante & conterente diſperiit. Dii mei potentiores ſunt, quorum adiutorium proſperor, & quorum nutu vos captos & vinctos detineo: ſatius eſt honorem & cultum Diuinum iis, quàm veſtro exhiberi.* His improperiis & contumeliis ſauciati, necquidquam contra barbari Principis rabiem hiſcere velut captiui auſi, ſuſpiriis & fletibus immenſis, quos magnitudo doloris pro iniuria ſui conditoris eliciebat, barbari ſuperbam arrogantiam contundi tacitè precabantur. Non tulit ſuperna Maieſtas diutius blaſphemari nomen ſuum. Altera ſiquidem die diluculo; octauo videlicet Idus, die Martis, menſis Aprilis, *Henricus* de *Płoczk*, cum octoginta militibus Fratribus de Ordine, & forti aliorum gentium propriarum & exterarum numero, Ducem & exercitum *Lithuanicum*, in eiſdem ſtatiuis, quibus nomen blaſphemauerat Diuinum conſecutus, pugnam acriter conſerit. Et licet *Lithuani* aliquandiu fortiter reſtitiſſent, ad extremum tamen omnes victi fugatique ſunt. In fugientes verò & victos acriter ſæuitum, neminem ſeruari placuit, ſinguli captiuorum aut in patibulum acti, aut vndis ſuffocati. Ex tanto *Lithuanorum* numero, nemo præter Ducem & eius Comites duos, qui & ipſe in capite vulneratus, aufugit. Cruciferi tam victoria, quàm caſtris & ſpoliis hoſtium potiti, ſolutis etiam ſuorum captiuorum agminibus, alacres in domos reuerſi, in memoriam tam famoſi triumphi, Monaſterium ſanctimonialium in *Thorun* fundant, fabricant, atque dotant. Egit & alteram Commendator de *Brandeburg* in *Lithuanos* expeditionem, & vaſtato diſtrictu 1311

blaſphemant & proculcant:

hi victores monaſterium in Thorun fabricant & dotant.

Pe-

1311. *Pogrodne*, ne cum Duce *Lithuanorum* tam *Lithuanos* quam *Samogitas* continente in armis confligere cogeretur, citato agmine diſcedit. Egit & tertiam eo anno in *Lithuanos*, Magiſter *Henricus* de *Płoczk* expeditionem, & ſecunda Iulii *Lithuaniam* ingreſſus, ferro & igne diſtrictum *Salſemkey* vaſtans, etiam tria caſtra illic conquirit & incendit. Datis autem multis militibus *Lithuanorum* in ſtragem, ſeptingentos in captiuitatem ducens, ſuperato *Memel* flumine, duodecim Fratribus deſideratis, qui per inſidias *Lithuanorum*, dum Cruciferi *Memel* fluuium traiicerent, occiſi ſunt, regreſſus eſt. 1311.

Ad inquirenda Cruciferorum ſcelera Papa Legatos deſignat

Clemens Papa quintus in *Auinione* tunc agens, Magiſtrum & Fratres, totumque Ordinem Domûs *Teutonicorum* Beatæ *Mariæ* de nigra Cruce in *Pruſſiæ* & *Liuoniæ* partibus conſtitutos, plures crudelitates, in varias Catholicorum prouincias perpendens perpetraſſe, *Ioanni* Archi-Epiſcopo *Bremenſi*, & Magiſtro *Alberto* de *Mediolano* Canonico *Rauennatenſi* Capellano ſuo, tam horrendorum facinorum per literas Apoſtolicas committit inquiſitionem & examen.

per literas,

In quibus cædem per ipſos fratres in ciuitate Regni *Poloniæ Gdansk* factam, & alia teterrima ſcelera commemorat. Quarum literarum tale habetur in Eccleſia *Rigenſi* originale, in quo triginta & vnus articuli contra eoſdem Fratres conſcripti deducuntur.

quarum tenor inſeritur.

CLEMENS Epiſcopus Seruus Seruorum DEI. Venerabili Fratri Ioanni Archi-Epiſcopo Bremenſi, & dilecto Filio Magiſtro Alberto de Mediolano Canonico Rauennatenſi, Capellano noſtro, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. In vinea Domini licet immeriti cultores poſiti & Cuſtodes, ſic in ipſius culturæ ſalubriſque cuſtodiæ nos debemus miniſterio exercere, vt in ipſa infatigabiliter operantes, extirpandis vitiorum ſpinis, & peccatorum tribulis, quæ ſuperficiem eius interdum obumbrare conantur: nec non plantandis virtutum germinibus, in quibus Altiſſimus delectatur, feruore Spiritûs & diligenti ſollicitudine intendendo, ipſam ab illis præſertim oppreſſionum diſcriminibus tueamur, quæ ſub pietatis ſpecie cautius ſubintrantes difficiliùs præcauentur. Sanè tam Prædeceſſorum Noſtrorum Romanorum Pontificum, quàm noſtris continuatis ſucceſſiuè temporibus, ex clamore valido & inſinuatione famoſâ, ad audientiam Sedis Apoſtolicæ eſt deductum, quòd Præceptores & Fratres Hoſpitalis Sanctæ Mariae Teutonicorum, ad hoc ſolum per Sedem eandem, in Rigenſi, Liuonienſi, & Pruſſiæ Prouinciis, conſtituti, vt Eccleſias ac perſonas Eccleſiaſticas, alioſuè Catholicæ fidei profeſſores, vallo fortitudinis munientes, ipſos à paganorum & ſchiſmaticorum tueantur incurſibus, & ad dilatandum ibi Catholicæ fidei nomen & cultum, iugiter elaborent: in grauem (prôh dolor) noſtri Redemptoris iniuriam, fidelium cunctorum opprobrium, & eiuſdem fidei detrimentum, facti ſunt hoſtes domeſtici, & familiares ſunt redditi inimici. Non inſurgentes pro Chriſti nomine aduerſus hoſtes fidei, ſed in eorundem fauorem (quod ſtupet auditus) variis calliditatum generibus dimicantes, potius contra Chriſtum. Ad id præcipuè, prout euidentia facti oſtendere dicitur, intendentes, vt Eccleſiis omnibus, earumque facultatibus, & aliis bonis fidelium, dictarum partium, earum vſibus applicatis, in rerum amplitudine contabeſcant. Propter quod dimiſſâ Chriſti militiâ, imò contra Chriſti fideles, armis nequitiæ, bellum miſerabile conſerentes, nonnullos Archi-epiſcopos qui fuerunt pro tempore, alioſque Prælatos & perſonas in dignitatibus conſtitutas, illarum partium, non abſque iniectione manuum in ipſos, timore Dei poſtpoſito, temerè, violento, deteſtabili & ſacrilego auſu capere, diris mancipare carceribus, & alias eis graues corporales afflictiones inferre, damnabiliter præſumpſerunt. Sic de quatuordecim Eccleſiarum Suffraganeis, quas Eccleſia Rigenſis Metropolis partium earundem habere conſueuerat, ſeptem totaliter deleuerunt, ſeptem aliis in tali ſtatu dimiſſis, vt plus ſint dedecori & pudori decentiæ paſtoralis, quàm ſi penitus non adeſſent. Nam de quatuor earumdem Eccleſiarum eiectis Canonicis, in eis Canonicè inſtitutos fratres ſui Ordinis, pro Canonicis in dictis Eccleſiis locârunt, quos in eiſdem de facto inſtituunt & deſtituunt ſicut volunt. Et tales eorum Confratres, pro Canonicis ſe gerentes eligunt in ipſos, quos iidem Præceptores fratres mandant de ſuis confratribus eligendos. Electi verò taliter falſâ, imò veriùs confirmatione aliqua non obtenta, in Epiſcopos ſe faciunt conſecrari, nullam obedientiam eidem Rigenſi Eccleſiæ locorum Metropoli facientes. In reſiduis autem tribus Cathedralibus Eccleſiis vacantibus, intrudunt perſonas quas volunt, etiam minus dignas: De quibus per potentiæ ſuæ abuſum electionem faciunt celebrari, ac de modo & forma electionum huiuſmodi, nulla examinatione præmiſſâ, per antedictos Fratres ſui Ordinis pro Epiſcopis ſe gerentes, Electos huiuſmodi in Epiſcopos faciunt conſecrari; omnia bona earumdem Eccleſiarum, quæ inſignes conſueuerunt habere Pontifices, cum ſolennibus Capitulis, la-

1311. *tis & magnis facultatibus & redditibus abundantes, proprijs vſibus, non abſque pernitioſo earundem Eccleſiarum diſpendio, enormiter applicant; ſeque, vt liberiùs in prædictam Metropolim & Eccleſias, cæteroſuè Prælatos, & fideles partium prædictarum valeant deſæuire, eorumque munitiones, caſtra, terras, iuriſdictiones, & iura propria ſubiicere ditioni; eiſdem Paganis nequam amicitiæ fœdere vnientes, ac publicum eis aduerſus dictos fideles impendentes auxilium, conſilium, & fauorem, ferrum, arma, equos, & alia mercimoniorum genera, per quæ dicti pagani fideles eoſdem poſſint acerbiùs impugnare, vendunt, & per alios ipſis vendi permittunt. Quodque grauiùs eſt, iidem Præceptores & fratres, non ſolum à confinibus eorumdem paganorum, in quibus contra illorum incurſus debuiſſent ſe murum defenſionis opponere, in detrimentum fidelium receſſerunt, ſed quoddam caſtrum Rigenſis Eccleſiæ, eiſdem paganis pro certa quantitate pecuniæ venundârunt. Regnum Płoczech, quòd quondam Rex Płochenſis, ad fidem Chriſti conuerſus, prolem non habens legitimam, eidem Eccleſiæ Rigenſi contulerat pro animæ ſuæ ſalute, dictis paganis, non abſque iactura multitudinis numeroſæ fidelium dimiſerunt. Cuius occaſione duæ ſolennes Cathedrales, Zelouienſis videlicet & Ruthenenſis Eccleſiæ, conſiſtentes in Regno prædicto, totaliter ſunt deletæ: Quibus caſtro & Regno prædicto, ad manus dictorum infidelium taliter deuolutis, dicti pagani à locis confinium repulſis fidelibus, magnam partem dictarum prouinciarum, tunc fidelium multitudinem populoſam, in ſolitudinem redegerunt, eiſdem fidelibus partim peremptis gladio, partim eorumdem paganorum miſerabili iugo ſuppoſitis perpetuæ ſeruitutis. Quodque deteſtabilius eſt, ſi quando iidem Præceptores & fratres offendendi paganos ſub cuiuſdam vmbræ pallio velint oſtendere ſe gerere voluntatem, illos fraudulenter impugnant, vt ex eorum facto fideles atrocius impugnentur, eoſdem Paganos ex tenuis prædæ damno modico, ad deſtruendum reliqua caſtra eiuſdem Rigenſis prouinciæ, prauis nocendi artibus irritantes. Fertur etiam de ipſis execrabile facinus, quòd cum Rex paganorum cum ſuis ſubditis fuiſſet ad fidem Chriſti conuerſus, ac diuerſos Epiſcopos ſucceſſiuè & Presbyteros ſeculares, ac fratres Prædicatorum, & Minorum Ordinum, in toto Regno ſuo ordinaſſet, ad extirpationem errorum, & illuminationem plantationemque fidei Orthodoxæ permanſuros, iidem Præceptores & fratres prædicti, pròh pudor, velut eiuſdem fidei ſubuerſores, quoſdam eorundem Epiſcoporum & fratrum ex inde deiici, quoſdam verò interfici, latentibus & occultis ſtudiis procurârunt: & taliter pagani etiam ad fidem conuerſi, lumine veritatis abiecto, errores, pròh dolor, priſtinos reſumpſerunt. Et ſic quondam Lechouienſis Eccleſia Cathedralis in dicto Regno conſiſtens, cum ſua ciuitate & diæceſi, non abſque multorum fidelium animarum & corporum deplorando periculo, miſerabiliter fuit deleta. Populum etiam Chriſtianum terræ Semigalliæ, habentem Epiſcopum & Presbyteros Orthodoxos, qui eis Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrabant, iidem Præceptores & fratres totaliter deleuerunt. Nobiliores eiuſdem terræ, quos ad conuiuium inuitârunt, proditionis nefandæ & miſerandæ ſæuitiâ, mutilatione capitum peremerunt: Reliquam multitudinem dictæ terræ vltrà quàm centum millia populi vtriuſque ſexûs, ad terras paganorum crudeliter profugârunt, dictique fideles eorundem paganorum, in depreſſionem fidei, perpetuæ ſunt redditi ſeruituti. Propter quod & Epiſcopatus Semigalliæ, qui per ſeptem dietas amplam diœceſim obtinebat, totaliter de medio ſublatus fuerat. Et vt omninò impediatur ampliatio fidei, & proponendi Verbum Dei facultas qualibet ſubducatur, ex eo quòd Fratres Ordinis Minorum caſtri Brunsberg eiuſdem Rigenſis prouinciæ, prædicationi dictorum paganorum inſiſtentes, verbum Dei continuè diffundebant, ac quidam Frater dicti Ordinis, iugiter per Paganos diſcurrens, virtute verborum & operum coruſcando, die quolibet multos paganos cognitione veræ fidei illuſtratos, ſacro regenerationis lauacro innouabat; eiſdem fratribus Minoribus de dicto loco ignominioſè eiectis, eundem locum funditus deſtruxerunt: nullos omninò eiuſdem verbi prædicationi inſiſtere permittentes, Eccleſias quoque, oratoria, & capellas ædificare pro Neophitis non permittunt: ita quòd dicti Neophiti in rudimentis fidei non inſtructi, ac in Eccleſiis cum Orthodoxis participium non habent, nec in fide nec in moribus fidelibus ſunt conformes: peſſimum etiam vitium eorundem paganorum ſectantes, confratres ſuos, ſi quos contigit interdum in hoſtili congreſſu vel conflictu aliquo vulneribus ſauciari, contra morem eiuſdem fidei Orthodoxæ, priuſquam expirent, impietate quadam ſæuiſſima feritatis extinguunt, eorum corpora flammarum incendio concremando. Ac vt præmiſſa & alia eorum deteſtabilia ſcelera eiuſdem ſedis effugiant notionem, vniuerſos fideles clericos & laicos, cuiuſcumque dignitatis & ſtatûs exiſtant, ad exponendum querelas de ipſis tantarum perſecutionum, neceſſitate cogente, ac Sedem Apoſtolicam accedentes, crudeliter perſequuntur, mortem eis per ſe & alios inferendo. Sicut hæc in perſonis quondam Magiſtri Alexii Doctoris Decretorum, & aliorum quàm plurimorum, quos redeuntes de Romana Curia, ad quam venerant contra eos, crudeliter occiderunt,* 1311.

1311. *runt, dicuntur liquidò apparere. Nec dum finem præmiſſis enormitatibus imponentes, ſed mali eſſe, boni credi, ſub pallio ignoratæ nequitiæ cupientes, paſſus & itinera debita, per quæ de ciuitate Rigenſi exitus & reditus ad eandem quadam neceſſitate ineuitabili peraguntur, ſub ea faciunt cuſtodia detineri, vt nonniſi perſonis, quas volunt, greſſus ex ea pateat vel regreſſus. Sicque dicta ciuitas exitum & reditum non habendo liberum, eiuſdem obſidionis & anguſtiæ diſpendia cogitur deplorare. Ad quam quidem obſidionem, præcluſis itinerum quorumcumque veſtigiis, fortiùs anguſtandam, quoddam caſtrum à ſuperiori parte ad portum monaſterij Dimimundenſis, Ciſtercienſis ordinis eiuſdem ciuitatis ac diœceſis Rigenſis, in quo eadem Eccleſia Rigenſis ius obtinet patronatûs, ab inferiori parte eiuſdem ciuitatis Rigenſis conſiſtens, abſque quibus ciuitatem eandem, nec per terram, nec per maris veſtigia vllus poteſt ingredi, vel exire, quodam illicito emptionis titulo, cum monaſteriis alienatio ſit prohibita ſacris Canonibus, & etiam ipſius monaſterii Dimimundenſis propitiæ memoriæ Gregorij Papæ noni Prædeceſſoris noſtri priuilegio ſpeciali cuiuslibet alienationis contemtus foret ſpecialiter interdictus, temeritate propria occuparunt, & detinent occupata. Propter quæ in eiſdem prouinciis, in quibus Eccleſiam ſuam fœtu nouæ prolis ad fidem conuerſæ Dominus ampliabat, familiari peſte inteſtinam exercente ſæuitiam, non ſolùm fides radicata & fundata non proficit, ſed etiam perſecutione domeſtica, & niſi celeri occurratur remedio, nomen ibi deperit Chriſtianum. Nouiſſimè ad noſtrum peruenit auditum, quòd dicti Præceptores & fratres Hoſpitalis eiuſdem, dilecti Filij Nobilis viri Wladislai Cracouienſis & Sandomirienſis Ducis terram hoſtiliter ſubintrantes, in ciuitate Gdańsko vltra decem millia hominum gladio peremerunt, infantibus vagientibus cuiuſuis mortis exitium inferentes, quibus etiam hoſtis fidei pepercilſet. Iidem quoque Præceptores, & Fratres, quàm plura alia deteſtanda dicuntur committere, quorum ſeries ſe nimis extenderet, ſi ſingulariter ſingula præſentibus clauderentur. Nos igitur, qui diſponente Domino, eiuſdem Dominicæ vineæ regimini præſidemus, deſiderantes vt in ea virtutes & virtutum palmites conualeſcant, ſuccisis vitiorum tribulis: Attendentes quoque quòd præmiſſa quæ de dictis Præceptoribus & fratribus referuntur, vt potè pernitioſa, & noſtræ fidei contraria, imò Chriſti fidelium cunctorum cordibus inimica, ſub diſſimulatione tranſire ſaluâ conſcientiâ nequeamus: Conſiderantes etiam, quòd in talibus debitum correctionis referre remedium, nihil eſſet aliud, quàm licentiam ſceleribus indulgere, diſcretionem Veſtram, de quorum circumſpectionis induſtria, plenam in Domino fiduciam obtinemus,*

hortandum attentè duximus & monendum, Vobis per Apoſtolica ſcripta diſtrictè præcipien- 1311.
A *do mandantes, quatenus ad partes illas, ſeu loca illarum partium, quæ vobis pro executione huiuſmodi negotij videri poterunt magis apta, vos perſonaliter conferentes, & habentes præ oculis ſolum Deum, contra prædictos Præceptores eiuſdem Hoſpitalis, in dictis prouinciis & partibus conſiſtentes, ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis, nec non ſuper articulis, quos ſub bulla noſtra Vobis deſtinamus incluſos, ac ſuper aliis criminibus & exceſſibus, ſuper quibus eos inueneritis publicè diffamatos, inquiratis diligentiùs veritatem: eaque diligenter ac ſollicitè inquiſitâ, quæcumque inueneritis, in ſcriptis redacta & ſufficienter inſtructa, nobis ſub ſigillis Veſtris pro-*
B *curetis fideliter intimare. Cæterùm, caſtrum & monaſterium Dimimundenſe, quòd dicti Præceptores & Fratres, vt permittitur, ſub cuiuſdam emptionis colore retinent, occupatum, per eoſdem Præceptores & Fratres, facientes expeditum & liberum dimitti, & illud vſque ad noſtrum beneplacitum præfatæ Sedis nomine teneri, ac per perſonas idoneas atque fideles, quas ad hoc eligendas induſtria veſtra perſpexerit, faciatis cum diligentia cuſtodiri. Vt autem ad præmiſſorum executionem eò liberius intendere valeatis, quo maiori fueritis per nos auctoritate muniti, vobis inuocandi auxilium & ſuccurſum, ad præmiſſa omnia & ſingula exequenda, vbi &*
C *quando expedire cognoueritis, tàm Prælatorum, quàm etiam Principum, & alium ſecularium cuiuſcumque conditionis vel ſtatûs exiſtant, vel quacumque dignitate præfulgeant, contradictores quoque & rebelles, nec non teſtes, quos ad hoc duxeritis conuocandos, per excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, nec non priuationis priuilegiorum eiſdem conceſſorum à Sede prædicta, ſententias compeſcendi, tàm de duabus dietis, in Concilio generali, quàm de aliquo extra ciuitatem & diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & illis vltra vnam dietam à fine ſuæ diœceſis ad iudicium vocando, & aliis quibuſcumque*
D *conſtitutionibus, quæ veſtræ poſſent iuriſdictioni vel poteſtati, eiuſque libero exercitio quomodolibet obuiare, aut ſi teſtes quos ad hoc euocari contigerit fuerint, Prædicatorum vel Minorum Ordinum quorumcumque, vel ſi prædictis Ordinibus à prædicta Sede indultum exiſtat, quòd prædictorum Ordinum Fratres ad perhibendum teſtimonium in quibuſcumque cauſis vel negotiis compelli non poſſint: ſeu ſi dictis Præceptoribus & Fratribus ab eadem ſit Sede indultum, quòd excommunicari, ſuſpendi, vel interdici non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem, & quibuslibet aliis indulgentiis, & literis Apoſtolicis quibuſcumque, in quacumque formâ*

1311. *verborum conceſſis, per quæ præſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta præmiſſorum executio poſſet quomodolibet impediri, nequa-* A *quam obſtante, plenam vobis concedimus tenore præſentium facultatem. Quòd ſi non ambo his exequendis potueritis intereſſe, alter veſtrum ea nihilominus exequatur. Datum Auinione tredecimo Calendas Iulii. Anno Domini, milleſimo tricenteſimo vndecimo. Pontificatûs noſtri quinto.*

1312. Mutilato Regno *Poloniæ* in magna & notabili ſui corporis, terræ videlicet *Pomeraniæ* portione, Duce quoque *Wladiſlao Loktek* ſpiritum ob id gerente mœſtum & afflictum, altera quoque afflictio illi ſubminiſtrata eſt.

Albertus Aduocatus Cracouienſis cum ciuibus

Albertus namque *Cracouienſis* Aduocatus, cum ciuitatis *Cracouienſis* Conſulatu & Magiſtrati- B bus, regimen & Principatum Ducis *Wladiſlai* moleſtè ferens, quòd & taliis exactionibusque grauibus pro adminiſtrandis bellis quibus impetebatur, eos premeret, & furum prædonumque flagitia, per quæ ſtratæ ſolitam ſecuritatem amiſerant, non coerceret, cum *Boleſlao Oppolienſi* Duce, miſſis Nunciis, & habitis clandeſtinis tractatibus, de dedenda *Cracouienſi* ciuitate componunt.

vocat Ducem Oppolienſem,

Is namque quæ ſecum decocta compoſitaque erant executurus, congeſto notabili exercitu *Cracouiam* poſſeſſurus aduenit, & ab Aduocato Conſulatuque, & vniuerſa *Cracouienſi* ciuitate, portis apertis, ſuſceptus eſt, cum omni ſubiectione & C honore.

& dat illi ciuitatem,

Caſtrum tamen *Cracouienſe*, quod in fide Ducis *Wladiſlai* manebat, quamuis molientibus ciuibus, nullâ arte aut ingenio poterant redigere in ſuam ditionem. Propter quod in domo *Alberti* Aduocati prædicti recollectus, aliquanto tempore *Cracouiæ* manſionem firmauit. *Wladiſlaus* autem Dux periculi damnique grauitate plurimùm anguſtiatus, quid ſibi in tam pernitioſa nouitate, exterminium Status ſui redolente, acturus eſſet, conſultabat. Omnibus autem, quamprimùm periculum reſcindendum, & congregatis tam militarium quàm agreſtium copiis, *Cracouienſem* vrbem obſidione arctandam ſuadentibus, Dux ipſe *Wladiſlaus* ſaluberrimo D vſus conſilio, exercitum quidem fortem, *Cracouiam* obſeſſurus congregare non negligit; Legatos tamen ad *Boleſlaum Oppolienſem* Ducem *Cracouiæ* conſiſtentem mittendos, de pace tractaturos, cum certis mandatis, quibus ſuaptè æger in occupanda aliena vrbe animus ſanari poſſet, plurimùm cenſuit: cum notabili exercitu eos ſubſequens, vrbem & occupatorem, niſi ciuitas redderetur, obſeſſurus. Hi cum ad præſentiam *Oppolienſis* Ducis *Cracouiam* aduenissent, & mandata Ducis *Wladiſlai*, quibus cum ad excedendum de hæreditate ſua requirebat, exponerent, petentes, *vt ſorte ſui Ducatûs contentus, infame turpeque ſibi putaret, ad leuem ciuium Cracouienſium auram, Cracouiam veniſſe, & eo ſuperſtite, filio inſuper ſuo Caſimiro in ſpem ſucceſſionis procreato, illam vſurpare poſſe. Corrigeret, dum nondum funeſtus Mars inter vtroſque deſæuiret, & cœpta mutaret in melius: ſibique documento eſſet quam irato moleſtoque animo ſui patrimonii occupationem eſſet laturus. Sin verò in ſententia perſiſteret, pro maiori ſe illum, quam Albertum Aduocatum & ciues Cracouienſes, per quos in id ſcelus adſcitus ſit, hoſte habiturum.*

Qui per Wladiſlaum monitus

1312. *Boleſlaus* autem *Oppolienſis* Dux, eorum omnium quæ in eiectionem oppugnationemque ſuam compoſita erant non ignarus, ſubmiſſè ac modeſtè Nunciis reſpondit: Aduentûs quoque ſui *Cracouiam* & occupationis eiuſdem, cauſas in *Albertum* Aduocatum, & ciues *Cracouienſes* retorquet, aſſerens *ſe nihil hoſtile, aut moribus ſuis indignum egiſſe, & Cracouienſem vrbem ad perſuaſiones Aduocati & ciuium Cracouienſium veniſſe. Cuius dum ſibi iuxta ſpem præmiſſam iuſtum non ſentit prouenire imperium, ſe de illa ſine cuiuſcunque læſione & iniuriâ ad penates ſuos exceſſurum.* Nec reſponſionis remoratur effectum, veritus, ne à Duce *Wladiſlao* & exercitu ſuo occupatus, captiuitatis aut fugæ dedecus exciperet.

recedit cum Aduocato,

Sed *Alberto* Aduocato *Cracouienſi*, & aliquibus ciuibus *Cracouienſibus*, qui ſe nouerant pro ſuis fore factis puniendos, metu graui illos premente, cum ſe noſſent per defectionem maiora commiſiſſe, quàm quibus poſſet ignoſci, aſſumptis, in *Oppol* regreditur, fremens dolenſque, quòd eiuſdem Aduocati & ciuium verbis fide præſtita, ſe occupationi *Cracouienſis* ciuitatis, non ſine grandi obtrectatione & infamiâ miſcuerat. *Wladiſlaus* autem Dux *Cracouiam* frequentiori numero, quàm ſolitus erat, ingreſſus, Aduocatiæ *Cracouienſis* omnes reditus, & introitus molendinorum, camerarum, macellorum, domorum, & aliorum locorum, habentium largam ſupellectilem, ſuæ Ducali menſæ attribuit & infiſcat.

cuius bona confiſcantur

Aliquos autem ciues *Cracouienſes*, ſeditionis præfatæ auctores, in horrorem patrati ſceleris, vt eſſent pro exemplari & cautela futurorum, comprehendit, & equis per vicos tractos, in patibulum aut rotam egit. Ex domo autem Aduocati arcem erigit, & in valua *S. Nicolai* turrim extollit, atque illic militum collocat præſidium: Vacillantem cæterorum ciuium *Cracouienſium* fidem, arce illâ & præſidio fidam ſibi de cætero effecturus. Inſimulatus eſt etiam, licet falſè, *Ioannes Muſcbata* Epiſcopus *Cracouienſis*, eò quòd natione *Wratiſlauienſis* & *Sileſita* eſſet, tradimenti prædicti conſcius fuiſſe, & in *Wladiſlai* Ducis excluſionem, *Boleſlai* quoque *Oppolienſis* admiſſionem, cum *Alberto* Aduocato, & ciuibus *Cracouienſis* formaliter & expreſſè, conſenſiſſe & ob id plures perſecutiones & odia in perſona & bonis Eccleſiæ ſuæ crebro, & captiuitatem per *Wladiſlaum* Ducem intentatam pertulit, nec caſtri & diſtrictus *Byecenſis* pos-

Et Epiſc. Cracouienſi proditionis iniuſtè inſimulato

Byecenſis di-

1312. *ſtrictus adimitur,*

poſſeſſionem & reſtitutionem, de quo per *Hungaros*, regente illud Abbate *Thinyecenſi*, ſpoliatus fuerat, poterat promereri. Præfatus autem *Albertus* Aduocatus *Cracouienſis*, nec in *Oppolienſi* oppido ſibi tutum conſiſtere ratus, cum & illic ſæpius tam à Duce, quàm à Nobilibus & ciuibus pro fraude in Dominum ſuum naturalem commiſſa, non probris ſolùm variis, ſed & captiuitate ſqualida, & diuturno tempore perpeſſa afficeretur, triſtis & mœſtus *Oppolia* excedens, in *Pragam* ſe contulit; atque illic cum coniuge & liberis, pannoſam & miſerabilem vitam, ſcelus quod in Dominum ſuum Ducem *Wladiſlaum Loktek* commiſerat, frequenti ſermone & memoria increpans & damnans, duxit.

Ordo Templariorum aboletur,

Concilio generali *Clemens* quintus apud *Viennam* congregato, Ordinem *Templariorum*, qui annis circiter centum octoginta quatuor durauerat, propter inauditam, & quam nec dici fas eſt præuaricationem & infamiam, aboleuit & deſtruxit: bonaque temporalia eiuſdem Ordinis, Hoſpitali Sancti *Ioannis Hieroſolymitani*, & aliis religionibus conceſſit. Anno verò ſequenti, in duorum Cardinalium ad id ſpecialiter miſſorum præſentia, Magiſter *Templariorum* cum nonnullis eiuſdem Ordinis Commendatoribus *Pariſiis* igne publico, vndecima menſis Martii crematus eſt. Cuius cauſa poſt publicata eſt, quæ fuit prophana profeſſio, cum abnegatione *Chriſti*, & expuitione ſuper Crucem in opprobrium Crucifixi, prout plures eorum confeſſi ſunt.

& Magiſter eorum cum aliquot fratribus publicè crematur.

Henrico Pruſſia Magiſtro ſuccedit Carolus.

Henrico de *Ploczk Pruſſiæ* Magiſtro officio cedente, *Henricus* de *Trirquin*, qui & *Carolus* appellatus, ſuccedit. Qui caſtro *Chriſtmemel* propè *Ragnetam* in confinibus *Lithuanorum*, ad fluenta *Memel* ædificato, ad fulciendum illud, naues & homines quadringentos cum victualibus transmittit, quorum plures coorta tempeſtate periere. Duæ expeditiones eo anno in *Lithuaniam*, vna quidem per Magiſtrum contra caſtrum *Biſen* ſe itinere terreſtri, altera per *Bernerum* Commendatorem de *Ragneta*, nauali claſſe per fluuium *Memel*, contra caſtrum *Mergiſt* actæ, parùm attulere profectus. Nam præter paucos captiuos & ſpolia nullo effectu vterque exercitus potitus eſt. Egit & tertiam *Henricus* Marſchalcus, ſed cum ſua & exercitus ſui pernicie ingenti. Nam caſtro *Biſenſi* inconquiſito relicto, in tres diſtrictus, videlicet *Miedniki*, *Crmuicin*, *Trzumicani* abiit. In quibus caſtro ignobili *Sirdithin* expugnato, hominibus ſingulis in abdita ſyluarum dilapſis, in tecta innocua per dies plures ſæuiebat. Sub quibus exercitus ſuus nuſquam locorum victualia reperiens, magna fame cœpit vexari. Qua in dies inualeſcente, redire per ſpatium centum & amplius miliarium coactus, de ſuis multos inedia extinctos amiſit. Sed & hi, qui domos vna die, viginti miliaribus iter agendo, attigerant, auidius, quàm ſtomacho debili conueniebat eſca ſumpta, extinguebantur.

Tres expeditiones in Lithuaniam.

Miſerat & Dux *Lithuaniæ* Præfectum ſuum *Surminum* virum ingenioſum & callidum, cum centum nauium claſſe contra caſtrum *Chriſtmemel*, qui naues Cruciferorum vacuas in flumine *Memel* reperiens, incendit. Tandem à Cruciferis ex caſtro cum eo confligentibus victus, tricentis quinquaginta de ſuis amiſſis, cum reliquis eadem claſſe vectis, in *Lithuaniam* refugit.

1313. *Caſtigatis ciuibus Cracovi. Loktek multitudini parcit.*

Fraude & furore *Alberti* Aduocati, & reliquorum ciuium *Cracouienſium*, qui ſceleris patrati erant ſuſcitatores & capita, condigna animaduerſione expiata, cæteræ multitudini, quæ magis contagione quàm deliberata voluntate inſanierat, à Duce *Wladislao Loktek* parſum eſt. Cum nonnulli eorum ne tunc quidem noſſe videbantur, quo audaciæ progreſſi fuerant, quidque facinoris in Principem, quid in patriam, quid inter parentes & liberos moliebantur. Veritus autem *Wladislaus*, ne furoris extincti aliquando ſcintilla in flammam proditura reſurgeret, potentiam ciuitatis in eligendo conſulatu & Magiſtratibus reſtrinxit, vt quò truncatior illis eſſet auctoritas, eò minus in Principem rebellionis, calcitrationiſque ederent. Mulctat itaque *Wladislaus* Dux ciuitatem *Cracouienſem* iure eligendi conſules, quæ in illam diem erat illi perennis, & eam Palatino *Cracouienſi* pro tempore exiſtenti attribuit. Ordinans atque conſtituens, vt non ſolùm in decedentium Conſulum locum, viros ſpectatæ & ſingularis virtutis, ex ciuium *Cracouienſium* numero deligat: ſed etiam decernendi poteſtas circa illum conſiſtat. Qui Conſules annis ſingulis vrbem regere, & in Conſulatu præſidere, reſque vrbanas adminiſtrare quotannis debeant. Eo itaque modo Conſulum *Cracouienſium* creatio & ciuitati adempta, & in *Cracouienſis* Palatini ditionem tranſlata eſt. Graſſabatur & aſſiduè furor *Wladislai* Principis incrudeſcebat in *Albertum* olim *Cracouienſem* Aduocatum, in eam coleram progreſſus, vt vltionem de abſente, quam non poterat, fuga interueniente, à præſente, exigeret. Villam enim optimam *Lauthkovvice*, non longe à fluuio *Srzeniavva* ſitam, & vberem glebam habentem, per vxorem *Gnievvomiri*, & filium eius monaſterio *Miechonienſi*, in primordio fundationis eius donatam, nullo alio interueniente demerito, niſi quia idem *Albertus* à fratre ſuo germano tunc præpoſito *Miechouienſi* temporali donatione obtinebat, violenti & iniuſto brachio a monaſterio *Miechouienſi* abſtulit, & fiſco Ducali appropriauit. Ab eoque tempore monaſterium *Miechouienſe* villa præfata caſtratum eſt.

Sed ciuibus facultatem eligendi Conſules adimit & Palatino attribuit.

Octauo Calend. Maii, Dux ſæuiſſimus,

1313. *Boleslaus Maſouiæ,*

ſed iuſtus & prudens, furum, prædonum & maleſactorum præcipuus perſecutor & hoſtis, *Boleslaus Maſouiæ* Dux, filius *Semouiti* filii A *Conradi Maſouiæ*, frater patruelis Ducis *Wladislai Loktek*, in *Viſchegrod* moritur, & in Eccleſia *Plocenſi* ſepelitur: tres ſuperſtites filios, videlicet *Semouitum*, *Troydenum*, & *Vankonem*, qui ſibi in Ducatu *Maſouiæ* ſucceſſerunt, derelinquens. Duas in vita vxores ſortitus, vnam *Lithuanam* multùm honeſtam, ex qua *Semouitum* & *Troydenum*, alteram *Bohemam*, ex qua vnicum filium *Venceslaum*, qui & *Vanko* appellatus eſt, & vnam filiam ſuſcepit. Quem *Boleslaus Oppolienſis* Dux ſecutus, diem & ipſe in *Oppolienſi* caſtro obiit, XII. Maii in monaſterio Minorum ſepultus.

& Boleslaus Oppolienſis Duces moriuntur

In Apoſtolorum Sanctorum *Petri* & *Pauli*, B quod in diem Dominicum eo anno cadebat, feſto, *Henricus* ſeptimus *Romanorum* Rex, & Comes de *Lucemburg*, ſumpta corona ſecunda apud *Mediolanum*, duabus ciuitatibus *Verona* & *Cremona* expugnatis, murisque earum & turribus demolitis, vxore quoque ſua *Margaretha* filia Ducis *Brabantiæ* apud *Ianuam* obeunte, apud Minores ſepulta, *Romam* veniens, per *Hoſtienſem* Epiſcopum *Nicolaum*, & alios duos Cardinales ex *Auinione* per *Clementem* quintum Papam miſſos, in Eccleſia Sancti *Ioannis* de *Laterano*, *Roberto* interim *Siciliæ* Rege potenti gentium manu Eccleſiam Sancti *Petri*, & burgum ei contiguum, in illius ignominiam & aduerſitatem occupante, in *Romanorum* Imperatorem benedictus, vnctus, & coro- C natus eſt. Sub ipſo autem coronationis die, & aliis ſubſequentibus diebus, quibus *Henricus* Imperator *Romæ* demoratus eſt, crebro inter Imperatoris *Henrici*, & Regis *Siciliæ Roberti* gentes prouenieBant ſtrages & certamina, nonnullis *Romanis* partes Regis *Roberti* enixius adiuuantibus. Vnde euenit, vt & *Leodienſis* Epiſcopus, & Abbas *V.zumbergenſis*, & plures alii de parte Imperatoris inſignes milites, in ſeditionibus huiuſmodi ſanguinem profunderent, & ſi qui caperentur *Romani*, paſſim gladio aut aquarum ſuffocatione plecterentur. Tandem *Henricus* Imperator *Roma* egreſſus, *Florentiam* D ſuum detrectantem Imperium obſidere contendit. Cuius dum impugnationi intenderet, obſeſſique, præſertim de vulgari populo, fame premerentur, in ſacro Aſſumptionis Dominæ noſtræ die Veneris, pro deuotione ſua Sacramento altaris volens refici, per hoſtiam ſibi pro Sacramento, per quendam fratrem Ordinis, vt fama fert, Prædicatorum miniſtratam, venenatus, ſiue vt aliorum habet verior aſſertio, naturali ægritudine de puſtula ſub dextri cruris genu exorta, quæ anthrax vocatur, vexatus, apud *Bonum Conuentum* pagum, duodecim miliaribus à *Senis* diſtantem, occubuit. Cuius morte ſecuta, *Florentiæ* ciuitatis obſidio ſoluta eſt, & cadauer ſuum *Piſas* delatum, in *Piſarum* maiori Eccleſia, magnifico & Excellentiæ Imperiali conuenienti cultu, ſepulturæ mandatum eſt. Poſt cuius mortem varia gerebantur in terris Imperii diſturbia. Vir nunquam elatus proſperitate, nunquam deiectus aduerſitate. Imperauit annis circiter quatuor, menſibus octo, & diebus decem & octo. *Ioannes* inſuper filius ſuus *Bohemiæ* Rex, ex eo tempore inſanire & inſoleſcere, *Bohemiæ* Barones, Proceres, milites, & Nobiles contemptui habere cœpit; præferens illis quoslibet *Almanos*, & vniuerſos *Bohemos* habens ludibrio, conferens officia & Magiſtratus in *Sueuos* & *Rinenſes*, *Bohemos* ab eis excludens. Eam contumeliam *Bohemi* iniquo animo vt par erat ferentes, ipſum de Regno *Bohemiæ* turpiter eiiciunt & propulſant, Regina *Bohemiæ Eliſabeth* in *Praga* apud ſe retenta.

Henricus VII. Imp. *Romæ coronatur:* *Qui Florentiam obſidens,* *hoſtia venenata accepta moritur.*

1313. *eiusque filius a Bohemis Regno pellitur.*

Apud caſtrum *Maurum* ſupra *Rhodanum*, *Clemens* Papa quintus moritur, & inde corpus ſuum tranſportatum fuit *Carpentoratum*, vbi curia fuit; & exinde *Vaſconiam* tranſuectum, ſepultum eſt in Eccleſia *S. Mariæ* de *Vyeſta Vaſzatenſis* diœceſis, in villula minus inſigni. Sedit annis octo, menſibus decem, diebus quindecem. Qui *Petrum* de *Morono*, olim *Cœleſtinum* Papam ſub nomine Beati *Petri* canoniſauit. Et vacauit ſedes annis duobus, menſibus tribus, diebus ſeptemdecem. Nam licet Cardinales numero viginti tres morte *Clementis* ſecuta, apud *Carpentoratem* ciuitatem conclaue ingreſſi, ad Electionem futuri Pontificis procedere ſtatuiſſent, diſcordiis tamen ſubortis, electionem irritam reliquerunt. Et vacauit ſedes annis duobus, menſibus tribus. Hic compoſuit *Clementinas*.

Clemens V. Papa moritur, *& ſedes vacat biennio.*

Non contentus *Carolus Pruſſiæ* Magiſter, & Ordo Cruciferorum temporali Dominio terræ *Pomeraniæ*, Duci *Wladislao Loktek* contra ius faſque violenter ablato: in ea quæ Diuinitati & Eccleſiis dicata ſunt, fameſcentem ambitionem extendit, & decimas quidem omnium frugum, quæ iuxta conſuetudinem Patriæ vetuſtam in manipulis Archiepiſcopo *Gneſnenſi* & *Wladislauienſi Poſnanienſique* Epiſcopis, cæterisque monaſteriis, Prælatis, & Beneficiatis diœceſum prædictarum, annis ſingulis ſoluebantur, abrogat, & in pecuniales, vix viceſimam partem eorum, quæ prius importabant, valentes, reducit. Prohibens de quolibet manſo culto & poſſeſſo, de quo ante occupationem ſuam decima manipulatim ſoluebatur, nonniſi duos ſcottos vſuales pro decima per colonos reddi. Sua verò & omnium Commendatorum, atque terrigenarum prædia, à ſolutione cuiuslibet decimæ etiam pecunialis decernit eſſe penitus libera & exempta. Quaſdam inſuper villas Eccleſiarũ, & monaſteriorũ diœceſum prædictarũ proprietati & Dominio ſuo applicat & vſurpat. Ex quo nimirum Archiepiſcopales, & monaſteriorum, aliorumque beneficiorum in-

1314. *Magiſter Pruſſiæ prohibet dari decimas manipulares,*

1314. interiorum introitus plurimum extenuati, & in perpetuam quandam maciem redacti ſunt. Nonnulla quoque beneficia cum titulis ſuis periêre. Verùm etſi *Gneſnenſis* Archiepiſcopus, *Wladislauienſis* Epiſcopus, in cuius diœceſi ferè vniuerſa terra *Pomeraniæ* conſiſtit, *Poſnanienſis* etiam Epiſcopus, & alii monaſteriorum & beneficiorum rectores, defenſione eccleſiaſtica vſi, Magiſtrum & Ordinem in genere & ſpecie, villarumque ruſticos, pro tam enormi iniuria, & beneficiorum ſuorum læſione, cenſuris Eccleſiaſticis percellerent, ſubiiciendo etiam quædam loca Eccleſiaſtico interdicto: Magiſter tamen & Ordo appellationibus ad Sedem Apoſtolicam interpoſitis ſe tuebantur, & rigorem cenſurarum eludebant. Atque ſub huiuſmodi appellationum præſidio, continuatis auſibus, in vſurpationem eorum, quæ iuris Diuini & Eccleſiarum erant, vehementius graſſabantur: non cum hominibus tantummodò, ſed cum ipſa quoque Diuinitate & Cœlicolis in explementum ſuæ auaritiæ bellum geſturi. Ea quoque tempeſtate *Culmenſis* Eccleſia in pluribus & notabilibus villis, quæ illi Regum & Principum *Poloniæ* munificentia donauerat, per Magiſtrum & Cruciferos damnabiliter ſpoliata eſt.

Duo Romanorum Impp. eliguntur, Electores Imperii, pro eligendo Imperatore, poſt mortem *Henrici*, agentes in *Frankford* ſupra *Magum* conuentum, in diuerſa vota ſciſſi, diſcordem electionem conficiunt. Et Archiepiſcopus quidem *Colonienſis*, *Henricus Rudolphus Palatinus Rheni* & *Saxoniæ* Dux, *Fridericum Auſtriæ* Ducem, *Alberti* olim *Romanorum* Regis filium; altera vero pars, videlicet *Ioannes Bohemiæ* Rex filius *Henrici* Imperatoris, *Petrus Moguntinus*, *Balduinus Treucrenſis* Archiepiſcopi, & *Voldemarus Brandeburgenſis* Marchio, *Ludouicum* Ducem *Bauariæ* in Regem *Romanorum* eligunt. Et *Ludouicus* quidem *Bauariæ* Dux, per Electores partis ſuæ *Aquiſgranum* deductus, a *Moguntinenſi* Archiepiſcopo *Petro* coronatur. *Fridericus* autem *Auſtriæ* Dux ab *Henrico Colonienſi* Archiepiſcopo *Bunæ* coronationis ſuæ accepit inſignia. Ex quo Imperii Principibus in duas partes diuiſis, & vnoquoque ſuam partem enixè promouente, varia hinc inde inter partes conſurgebant bellorum diſcrimina. Prælio autem campeſtri inter *Ludouicum Bauariæ*, & *Fredericum Auſtriæ* propè *Moludorff* commiſſo, quamuis à parte vtraque acerrimè æquo Marte aliquantulum pugnatum eſt, (nam vtraque pars cum magnis copiis in prælium deſcenderat) *Ludouico* tamen Duci *Bauariæ*, quem *Ioannes Bohemiæ* Rex cum gentibus ſuis *Bohemis* perſonaliter adiuuabat, ceſſit victoria adeò inſignis, proſpera & famoſa, vt etiam *Fredericus Auſtriæ* Dux competitor ſuus in *Romanorum* Regem electus, captus, & viuus in ſuam poteſtatem veniret. *obtinet tamen Ludouicus Bauarus.* Ab eo quoque tempore *Ludouicus Bauariæ* Dux poſſeſſionem eorum, quæ Imperio debebantur, ſortitus, *Romanorum* Regnum ſecuriùs liberiusque adminiſtrauit. 1314. *Fredericum* autem *Auſtriæ* Ducem, competitorem ſuum, de iurè Regni, & munitionibus, quæ ſuæ obedientiæ erant cedentem, iuramento fidelitatis & ſubiectionis ab eo exacto, a captiuitate abſoluit.

Circa Natale Domini cometes apparuit, *Duo cometæ* curſumque ſuum circa polum in nocte faciens, longam comam ſuam nunc in occidentem, nunc in orientem, aliquando verò ad auſtrum & aquilonem porrigebat: durauitque vſque in finem menſis Februarii. Paulo poſt apparauit & alter cometes in parte orientali, qui ſicut erat priori loco par, ita & duratione. Tres etiam ſimul Lunæ in cœlo apparuere. *& tres lunæ apparuere.*

1315. *Fames in Polonia.* Bellis externis & commotionibus domeſticis pauliſper in Regno *Poloniæ* ſedatis, fames omni bello atrocior *Poloniæ* regiones inuaſit. Dum etenim, niuibus vltra ſolitum terram occupantibus, dies veris ſuperueniſſent, fruges terræ mandatæ, a calore vernali paludamento niuis opertæ, depaſtæ & extinctæ ſunt. Ex qua cœli inclementia, contagio famis ad vniuerſos perueniens, plures ex agreſtibus afflixit, plures atrocitate ſua confecit, tam ſenes quàm impuberes.

Henrici Ducis Wratislav. filii Ducatus inter ſe partiuntur. Annos pubertatis *Henricus* & *Wladislaus* Duces, filii *Henrici* quinti Ducis *Wratislauienſis*, transgreſſi, ſeniorem fratrem ſuum *Boleslaum* ſcientes cœptam prodigalitatem in donando & expendendo non remiſiſſe, *Wratislauienſem* Ducatum magna importunitate obtinuerunt ſibi partiri, quatenus fraterna prodigalitas in ſoliùs *Boleslai* verteretur, non in commune diſcrimen. Iuxta autem numerum Ducum, tres deſignatæ ſunt partes, vna *Wratislauienſis* ſecunda *Legnicenſis*, tertia *Brigenſis*: ea tamen conditione appoſitâ, quod is qui *Wratislauienſem* portionem ſortiretur quadraginta octo marcarum: is vero qui *Legnicenſem*, triginta duo Marcarum millia, ei ſoli, cui *Brigenſis* obtingeret, propter inæqualitatem portionum, eſſet ſuperadditurus. Quod cum à Ducibus probatum fuiſſet *Boleslaus* ad habendas pecunias aſpirans, *Brigam* præter ſortem accipit. Reliqui duo *Henricus* & *Wladislaus* ſortiri deſignatas portiones iuſſi, *Henrico* obuenit *Wratislauienſis*, *Wladislao Legnicenſis*. Et *Henricus* quidem *Wratislauienſis*, Dux, pecunia apud militares & ciues *Wratislauienſes* mutuata, fratrem ſuum *Boleslaum Brigenſem* Ducem, quadraginta octo millibus marcarum iuxta ordinationem diuiſionis contentauit. Dux verò *Legnicenſis Wladislaus* natu iunior, & qui in Eccleſiaſticam ſortem aſpirans in Subdiaconi gradum erat promotus, non valens pecuniam acquirere, *Legnicenſem* ciuitatem

1315. tatem *Boleslao* fratri Duci *Brigenſi* in triginta duobus millibus marcarum obligat. Cum quo velut germano & manere, & cibum capere, & conuerſari vnâ ſimul in *Legnicza* cœpit.

Samogithæ

Exercitu forti & numeroſo *Samogithæ* congeſto, ſubito *Ragnetham* aggreſſi, obſidione cingunt. Pro quorum repulſione etſi Cruciferi & cæteri *Ragnethæ* defenſores, vario congreſſu adniterentur, victi tamen & cæſi à *Samogithis*, dimicationem, tueri tantummodò mœnia contenti, omittunt. *Samogithæ* etſi longum tempus in obſidendo exegiſſent, cum caſtri expugnationem intelligerent, quod probè a Cruciferis defenderetur, difficilem, conculcatis ſegetibus, quæ vſque ad maturitatem pertigerant, omnia etiam in circuitu vaſtant & exurunt, ac in domos regrediuntur.

& Lithuani Pruſſiam,

Samogiticum cœptum *Lithuaniæ* Dux *Vithenen* adiuturus, cum frequenti *Lithuanorum, Samogitarum*, & aliarum gentium numero in *Pruſſiam* veniens, caſtrum *Chriſtimemel* obſidione vallauit. Ad cuius expugnationem proiectione bombardarum decem & ſeptem diebus varios conatus intendit. Dum autem ducenti milites ab *Henrico Pruſſiæ* Magiſtro miſſi penetrare, & ad obſeſſos ingredi omni ingenio contenderent, à *Lithuanis* cæſi, & vſque ad vnum omnes obruti ſunt. Id vbi Magiſter *Henricus* comperit, contractis tam equeſtribus quàm pedeſtribus copiis ſex millium armatorum, aduerſus illum ire pergit. Sed *Lithuanorum* Dux certior ab exploratoribus factus, Magiſtrum *Pruſſiæ* aduentare, obſidione ſolutâ, in ſua ſe recepit.

Pruſſi vaſtant Lithuaniam.

Quem Magiſter *Henricus* conſequi non valens, in terras nihilominus hoſtiles *Lithuaniæ* ſe contulit, & plures de *Lithuanis* aut occidit aut capit. Regreſſuſque ad caſtrum *Chriſtimemel*, quicquid per barbaros erat ruinatum inſtaurat.

1316. Maturum & longa expectatione digeſtum tempus, diuiſione præſertim inteſtina, ex morte *Henrici Sileſiæ* & *Glogouienſis* Ducis ſublata, & terris *Maioris Poloniæ*, videlicet *Poſnanienſi* & *Caliſſienſi*, in vnam Monarchiam, a qua viuente *Henrico* Duce *Glogouienſi* prædicto, peſtifero ſchiſmate exciderat, reductis,

Wladislaus Loktek

Wladislaus Loktek Dux, Dominus & Monarcha Regni *Poloniæ* aduenisse ratus, quo eidem Regno ſui decoris & excellentiæ poſſit reſtitui imago. Simul quoque de recuperatione terræ *Pomeraniæ*, de qua ſuper Eleemoſynarios ſuos fratres Cruciferos de *Pruſſia* ſpoliatum gemebat, ſollicitus, communicato Prælatorum & Baronum Regni

Wladislauienſem Epiſc. ad Papam, mittit,

Poloniæ conſilio, *Geruardum Wladislauienſem* Pontificem, virum ſingularis & raræ prudentiæ, & feruentiſſimum patriæ, ad cuius commoda ſeſe natum educatumque depromebat, amatorem, ad Summum Pontificem *Ioannem* vigeſimum ſecundum, in *Auinione* tunc tenentem Sedem (qui poſt biennalem Sedis Apoſtolicæ, propter diſcordiam inter Cardinales exortam, vacationem eo anno electus fuerat) decreuit mittendum; ſuapte legationis huiuſmodi munus, ad reſcindendas & patriæ & ſuæ *Wladislauienſis* Eccleſiæ graues atroceſque iniurias à Cruciferis de *Pruſſia* illatas, & dietim exuberantes, depoſcentem. Huic in inſtructionibus mandatum eſt, vt Ducem *Wladislaum Loktek*, cui ferè omnium Ducatuum Regni *Poloniæ* ceſſit ſucceſſio, ſtrenuitate & animoſitate ſublimem, induſtria verò, prouidentia, diſciplinaque militari, cæteros ſuæ ætatis Duces excellentem, Summus Pontifex, Statui Regni *Poloniæ* multipliciter collapſo, ex coronatione huiuſmodi contra barbaros & vicinas nationes illud infeſtantes, priorem reſumpturo vigorem.

petens coronã regiam.

Item vt Magiſtrum & ordinem Cruciferorum de *Pruſſia*, terram *Pomeraniæ* nuper per violentiam a Regno *Poloniæ* abſtractam & temerè occupatam, reddere, & de illa cedere Apoſtolica authoritate compelleret. Hæc enim via, Regno *Poloniæ* ſuperioribus guerris & inteſtinis diſſidiis debilitato & quaſſato, nondumque in robur virile erecto, pro recuperatione terræ *Pomeraniæ*, aptior commodiorque viſa eſt: nec occupatio dictæ terræ, dum armis & materiali gladio expediri reſcindique pro illa tempeſtate non potuit, ſaltem in Eccleſiaſtico gladio, præſertim ne per diuturnitatem ſeneſceret, reſcinderetur. Cruciferi quoque noſſent acceptam iniuriam, & terræ *Pomeraniæ* occupationem *Polonis* curæ eſſe, & ex cordibus animiſque eorum nunquam abolendam. Inſtructionibus autem verbo datis, etiam literæ Prælatorum & Baronum Regni *Poloniæ*, ad Summum Pontificem & Cardinalium cœtum titulatæ, ſuperadditæ ſunt, vt magnitudinem earum rerum, pro quibus *Gerwardus Vladislauienſis* Epiſcopus mittebatur, & feruorem mittentium, ſermonis & ſcripturæ geminatio teſtaretur.

Quamuis poſt obitum *Clementis* quinti Cardinales ad ſubſtitutionem Summi Pontificis proceſſuri, conclaue apud *Carpentoratum* ingreſſi fuiſſent, ob grandem turbationem illic exortam inde receſſerant, & in diuerſis ciuitatibus aut villis amplius quàm annis duobus ſtabant: Diligentia tamen *Philippi* Comitis *Pictauienſis* fratris Regis *Franciæ*, qui ſuper his anno & dimidio laborauerat, apud *Lugdunum* congregati, & in conuentu Fratrum Prædicatorum, in vigilia S. Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* incluſi, quadrageſima die, videlicet ſeptima menſis Auguſti, ab incluſione *Iacobum* de *Caturco*, ex Patre *Arnoldo* Epiſcopum *Portuenſem* Cardinalem, concorditer eligunt, qui *Ioannes XXII* eſt appellatus; Nonis Septembris in *Lugdunenſi* Eccleſia coronatus, ex *Lugduno* curiam in *Auinionem* traiecit, & Sanctum *Ludouicum* Epiſcopum *Theloſanum* Ordinis Minorum, filium *Caroli* ſecundi *Siciliæ* Regis, & patruum germanum *Ludouici Hungariæ* & *Poloniæ* Regis canoniſat ſeptimo Idus April. apud *Auinionem*.

Ioannes XXII Papa eligitur.

An-

1316. Anno quoque ſequenti Prædeceſſoris ſui *Clementis* conſtitutiones ordinat publicari, & ad ſtudia generalia tranſmitti. Anno verò milleſimo tricenteſimo vigeſimo, quindecimo Calendas Maii, Beatum *Thomam Euſodenſem* Epiſcopum, Theologiæ & Canonum Doctorem canoniſat. Huius tempore *Ludouicus* Dux *Bauariæ* in *Romanorum* Regem electus, miſſis ad *Ioannem* Papam Nunciis, rogabat vt *Romam* ad coronandum eum perſonaliter venire dignaretur. Sed Papa *Ioanne* iuſtam excuſationem opponente, *Ludouicus* ipſe in coleram, de conſilio ſuorum & quorundam *Romanorum*, abſentiam Papæ moleſtiùs ferentium, Antipapam alium creauit, appellauitque *Nicolaum*. Quem *Ioannes* Papa legitimus, propter ſcandalum & errorem ſchiſmatis, ex malignitate inductum, anatematiſauit, vnà cum præfato *Nicolao* Antipapa & ſequacibus ſuis: *Bauariæ* terram Eccleſiaſtico ſubiiciendo interdicto.

Cui Ludouicus Imp. Antipapam conſtituit.

Variæ vaſtationes Pruſſiæ & Lithuaniæ.

Marſchalcus *Pruſſiæ Henricus* de *Plock*, *Saxo* genere, ex proprio tantummodo milite exercitu collecto, *Lithuaniam* ingreſſus, diſtrictum *Paſzow* vaſtat & exurit. Et quingentis *Lithuanis* captis, in *Pruſſiam* regreſſus, plures milites ex *Rheno* in *Kinsberg*, gratia exercendæ in barbaros militiæ, offendens, alteram illicò in *Lithuaniam* expeditionem egit; diſtrictumque *Medeniki* ingreſſus, caſtro *Biſen* conquiſito & exuſto, octoginta quoque *Lithuanis*, qui illic reperti erant, necatis, etiam diſtrictum *Myednicenſem* continuà vaſtatione & incendiis redegit in fauillam. Magiſter deinde *Pruſſiæ Henricus* cum maioribus copiis *Lithuaniam* repetens, caſtro inferiori *Gedemin* expugnato & exuſto, cum ſuperius probè defenderetur, dum *Lithuanos* ad congreſſum intelligeret elici non poſſe, exercitu quadrifariam diuiſo, populationem, vaſtationem, & incendia, iuſſit latiùs extendi. Quo effectum eſt, vt plures numero diſtrictus *Lithuanorum* ad eam diem intacti, & incenſi ſunt, & captiuorum longus ordo congeſtus. Dum autem ſpoliis & captiuis Chriſtianorum exercitus ſubſarcinatus ex *Lithuania* rediret, *Pruſſiæ* Marſchalcus pedibus iter, quo propoſitum ſuum fieret ſecretius, conficiens, ad *Indegin* caſtrum diluculo perueniens, illud ſe arbitrabatur facilè, ob torporem & neglectum *Lithuanorum* intercepturum. Sed dum ſpe ſua fruſtratus, caſtro tantummodo inferiori exuſto, regrederetur ad ſuos, à *Lithuanis* illum perſequentibus inuaſus eſt. Multis autem vtrinque occiſis, hi qui de parte Marſchalci fuerant, denſitate ſyluarum tecti, manus *Lithuanorum* effugiunt. Frugibus autem ad maturitatem pertingentibus, intrat iterum Marſchalcus *Lithuaniam*, & duobus caſtris *Piſtbin* & *Indegin* expugnatis & exuſtis, omnia etiam ſata aut conculcat, aut adurit. Eam vlturus moleſtiam *Dauid* Præfectus caſtri *Lithuanorum Garthin*, cum octingentis armatis *Pruſſiam* inuadens, diſtrictum *Vonſtorff*, agendo cædes, ſpolia, & captiuitates hominum, deuaſtat. Hunc Commendator de *Capiow*, dum rediret, conſecutus, certamine inito, & captos ab eo liberat, & quinquaginta quinque occiſis, cæteros in fugam agit. 1316.

1317. Cognito Magiſter & Ordo Cruciferorum de *Pruſſia Geruardum Wladislauienſem* Epiſcopum, ad Summum Pontificem, & pro decernenda corona Duci *Wladislao Loktek*, & ad querendum de eorum temerariis auſibus & malefactis *Auinionem* tranſiſſe, cœperunt vehementer ſolliciti eſſe, vt vtriusque rei impedirent conſumationem. Et exactione quidem vniuerſis terris, quas occupauerant, conſtitutà, pro adminiſtrandis & exequendis his, quæ aduerſus miſſionem *Geruardi* præparauerant, de vnicà terrà *Pomeraniæ*, quamuis ex recenti bello languida & pannoſa, ſcotum vſualem a marca exigendo, triginta millia marcarum feruntur habuiſſe. His quidem & aliis pecuniis ex portu *Gdanenſi* & mercibus naufragio periclitatis, quas lege, quæ appellatur *Rhodia*, ex tunc vſurpare cœperunt, ſub breuiuſculo tempore res eorum coaluerunt, creueruntque in immenſum. Creſcentibusque opibus, animus ſuapte temerarius & inſolens, in maiorem ſuperbiam erigebatur. Miſſis itaque in *Auinionem* Nunciis, qui propoſitiones & querelas Regni *Poloniæ* friuolis & ſiniſtris reſponſis eliderent, alios Nuncios ad *Ioannem Bohemiæ* Regem, cum donariis & largitionibus magnæ importantiæ tranſmittunt, eumque pretio & precibus ſollicitant, & facilè inclinant, *ne in Regno Poloniæ patiatur Wladislaum Loktek in Regem erigi, hoſtem illum ſuum & Regni ſui futurum habiturus, præſertim cum & ipſe poſſit ius Regni Poloniæ iuſtius quàm Wladislaus petere, ratione conſortis ſuæ Eliſabeth, quæ erat filia Venceslai Bohemiæ & Poloniæ Regis, illum legitimè contingente.* In hanc ſententiam Nuncii Regis *Bohemiæ Ioannis*, *Auinionem* miſſi, petitionem Regni *Poloniæ* per *Geruardum Wladislauienſem* Epiſcopum factam, priuatim & publicè impediunt, & pluribus reſpectibus Regnum *Poloniæ* ad *Ioannem Bohemiæ* Regem, qui etiam illius titulo in hanc diem fungebatur, aſtruunt deuolutum: offerentes *ſe loco & tempore, ſingula quæ propoſuerant, & allegauerant, probaturos.*

Magiſter Pruſſiæ

Ioannem Bohemiæ Regem ad petendam Poloniæ coronam inſtigat.

Electus propter multiplices tranſgreſſiones iuſtas & legitimas, *Ioannes* Comes de

Ioannes Comes Lucemburg

1317 *Lucemburg Bohemiæ* Rex, à Baronibus & Militibus *Bohemiæ*, eiectionem ſuam ignominioſam vlturus, contractis *Almanorum* & ſignanter *Sueuorum* auxiliis, adiuuante etiam illum *Boleſlao Brigenſi* & *Legnicenſi* Duce, *Bohemiam* ingreditur, & eam igne, ſpoliis & cæde peruaſtat. Cui *Guilhelmus Zaiacz* occurrens, primùm *Sueuos* conflixit: deinde & *Ioannes Bohemiæ* Regem auxiliis *Sueuorum* nudatum, expellit. *Ioannes* ipſe Rex pro hoſte *Bohemorum* iudicatus, qui *Teutones* in primis haberet acceptos, Regnumque *Bohemiæ* multis expoſt calamitatibus ſubiacuit, & omnium ferè *Bohemorum* odiis in eum concitatis, pluribus contumeliis & probris, auditio ſua & nomen per *Bohemorum* Proceres lacerabatur. Subibat quoque animos *Bohemorum* magna pœnitudo, quòd virum *Almanici* ſanguinis, ſuapte ſibi & linguagio eorum *Slauonico* infeſtum, ſcabroſis quoque moribus plenum, in *Bohemiæ* Regem delegiſſent, iam tunc in eorum perniciem graſſantem, & amplius, niſi ſibi conſuluerint, graſſaturum.

Bohemiam vaſtat. Sed a Guilhelmo Zaiacz profligatus eiicitur.

Fames in Polonia.

Tanta eo anno fames *Poloniam* & *Bohemiam* inuaſit, vt matres filios anguſtiatæ comederent. Lupi inſuper famem cauſuri, in obuios quoſque etiam tenſas portantes baliſtas, irruerent, & peruictos edaciſſimè deuorarent.

Quindecima die menſis Decembris, *Maria* conſors *Caroli Hungariæ* Regis, & filia *Caſimiri Poloniæ* Ducis *Theſ:nenſis* & *Bithomienſis*, in *Themeſzwar* moritur, & in *Alba Regali* ſumptu Regio tumulatur. Cuius morte ſecutâ *Carolus Hungariæ* Rex, *Beatricem* filiam *Henrici Romanorum* Imperatoris, & germanam *Ioannis Bohemiæ* Regis, in ſecundum matrimonium ſuperduxit. Quæ & ipſa vix vno anno vitam producens, fatis intercepta, apud *Varadinum* ſepelitur.

1318. *Wladislaus Legnicenſis Dux Ducatum ſuum recuperaturus, expeditionem parat*

Tactus grandi & intrinſeco dolore *Wladislaus Legnicenſis* Dux, filius *Henrici* quinti *Wratislauienſis* Ducis, quòd ſortem ſuam & Ducatum *Legnicenſem*, germano ſuo Duci *Boleſlao Brigenſi* in triginta duobus marcarum millibus, vigore diuiſionis inter fratres celebratæ, debitarum obligaſſet, cum eo pannoſo & egeno exiſtente, *Boleslaus* & *Legnicenſem & Brigenſem* ſortem haberet poſſeſſam, guerrandum contra *Boleſlaum Brigenſem* Ducem fratrem ſuum, iniquorum conſultorum ſeductus conſilio, duxit: ratus per guerram fratrem *Boleſlaum*, & debitum relaxaturum pecuniarum, & fratri de *Legnicenſi* Ducatu ceſſurum. Quantis itaque poteſt amplioribus, & *Legnicenſem* proprium, & *Brigenſem* fraternum Ducatus, rapinis, ſpoliis, incendiis, & prædis deuaſtat. Cuius temeritati *Boleſlaus Brigenſis* Dux validam reſiſtentiam opponens, 1318. cum milite præſtaret, ſumptu & armis, conatus ſuos perfringit. Et ſæpius fuſum fugatumque, tandem comprehendit, & in carcerem in *Legnicenſi* caſtro coniectum, dimidio anno in pedibus & manibus alligatum, detinet captiuum. Agentibus deinde communibus amicis, fit reconciliatio inter eos, eo pacto & conditione, *vt Boleſlaus Brigenſis Dux, Legnicenſem Ducatum in pecunia ſibi decreta teneat, & Wladislao fratri annis ſingulis octingentas marcas, quibus ſtatum ſuum ducere poſſit, ſoluat.* In hoc fœdus à captiuitate *Wladislaus Legnicenſis* Dux ſolutus, de his quæ pepigerat ſeruans, *Boleſlaum Brigenſem* Ducem, aſſerens illum largas & multiplices largitiones promiſiſſe, grauiter & moleſtè impetit. Quo promiſſionem negante, coactus eſt *Boleſlaus Brigenſis* Dux, arbitris & Baronibus communibus decernentibus, per triplex iuſiurandum facere purgationem. Dum itaque *Wladislaus Legnicenſis* Dux, ſecus ſibi omnia ceſſiſſe quàm ſperauerat vidiſſet, freneſim hauſit, & delirans, militi cuidam, qui caſtrum *Horusberg* ſitum in montibus habebat, ſe adiungit, & ex caſtro huiuſmodi cum exiliatis, profugis, & ære alieno grauatis, prædas agere in *Legnicenſi* & *Brigenſi* Ducatibus cœpit. Sed dum in villas *Iankow* & *Virbin* in terra *Brigenſi* ſitas, ſpoliaturus illas, impetum feciſſet, à ruſticis, qui pro ſuâ ſecuritate centum armatos conduxerant, captus eſt cum viginti complicibus, & *Boleſlao Brigenſi* Duci præſentatus. Qui cum illum in vincula truſum anno integro in *Legnicenſi* caſtro detinuiſſet, tantam tamque ingentem freneſim induit, vt ſe ipſum & ſingulos ſibi miniſtrantes conaretur occidere, nemoque illi auderet appropinquare. Mitigata tandem freneſi, à vinculis dimiſſus, nunquam ſtabilem tenuit gradum, ſed delirantis in modum, cum vno vel duobus comitibus, nunc apud Eccleſiaſticos, nunc militares aut Sculteros hoſpitatus vehebatur: Sub hac quoque mentis alienatione & inſania aliquanto tempore verſatus, ad animi tandem ſui competentiam redierat.

Opponente *Geruardo Wladislauienſi* Epiſcopo in Curia *Romana* tunc in *Auinione* conſtituta, ſuper iniuriis Eccleſiæ ſuæ, à Magiſtro & Ordine de *Pruſſia*, debitam defenſionem, & prædictos Magiſtrum & Ordinem cum propoſitionibus publicis, in Apoſtolico conſiſtorio editis, tum monitoriis pœnalibus à Sede Apoſtolica in reſtitutionem eorum, quæ in decimis & villis, menſam *Wladislauienſem* contingentibus in terra *Pomeraniæ* occupauerant, decretis, debitâ animaduerſione

1318.
Magiſter Pruſſiæ Procuratorem Epiſc. Wladislau. captiuat, quem trecentis marcis acceptis a captiuitate ſoluit.

ſione percellente, Magiſter & Cruciferi, cum in Epiſcopum ſæuire non poſſent, in ſuos conceptam depromunt crudelitatem, & *Paulum* eiuſdem *Geruardi* Epiſcopi in terra *Pomeraniæ* Procuratorem in villa *Sokowo* captiuant, & carcerali deputatum cuſtodiæ, longo tempore tormentant. Qui diros cruciatus & captiuitatis moleſtias volens euadere, trecentas marcas pro ſui liberatione iuxta depactationem, numerata Magiſtro perſoluit. Conceperat enim Summus Pontifex *Ioannes* vigeſimus ſecundus, & ex *Geruardi Wladislauienſis* Epiſcopi, & aliorum multorum inſtructione graue odium in Crucifericum Ordinem, pluribus præuaricationibus laborantem: adeoque illum execrabatur, quòd illum iuxta ac Templariorum exterminare diſponebat.

Io. Abrahæ Plocenſi Ep. ſuccedit Florianus.

Abſumitur eo anno *Ioannes Abrahæ Plocenſis* Epiſcopus: octo annis in Pontificatu exactis, & iuſto ordine apud *Plocenſem* Eccleſiam ſepultus, *Florianum* de *Koſcielecz* natione *Cuiauienſem* habuit ſucceſſorem: ex peſte epidimiæ infectus, quæ vniuerſum *Polonicum* Regnum grandi infeſtatione vexabat. Erat autem *Florianus* ipſe genere nobilis, de ſtirpe & domo *Aceruorum*, electione Capitularium ſubſtitutus, & a *Ianislao Gneſnenſi* Archiepiſcopo confirmatus & conſecratus, de ſpeciali annuentia & fauore *Venceslai* aliàs *Vankonis Maſouiæ* Ducis.

Solutio denarii S. Petri.

Solutio denarii *Petri* pro lampadibus, per *Caſimirum* primum Regem *Poloniæ*, *Romanæ* Eccleſiæ & eius Pontifici repromiſſa, quæ in id tempus perfunctoriè reddebatur, Collectoribus Apoſtolicis agentibus, innouata eſt. Licet enim ab exordio inſtitutionis ipſius de domo & familia qualibet tres tantummodò denarii vſuales, & auenæ cribrum, ſoluerentur, huiusmodi tamen conſuetudine abrogatâ, ſancitum eſt, vt de quolibet capite, coloni & ruſticani homines, vnum denarium vſualem annuatim exoluant. Quæ etiam in diem hanc, & vsque in ætatem noſtram continuatur.

1319.
Pontifex Rom.

Concertatione ſuper iure & titulo Regni *Poloniæ*, coram *Ioanne* Papa vigeſimo ſecundo, & Conſiſtorio Apoſtolico, per *Geruardum Wladislauienſem* Epiſcopum, pro *Wladislao Poloniæ* Duce & Monarcha; & Nuncios *Ioannis* Regis *Bohemiæ*, in longum progreſſa; quamuis allegationes pro parte *Ioannis* Regis *Bohemiæ* præpoſitæ, fuiſſent per *Geruardum Wladislauienſem* Epiſcopum ſufficienter ad plenum confutatæ, & præfatus *Geruardus* Epiſcopus, etiam poſt Nunciorum Regis *Bohemiæ* ex *Auinione* diſceſſum, ſolicito ſtudio Summum Pontificem & Cardinales de decernenda ſibi pro *Wladislao*

propter obiecta Ioannis

Loktek corona ſollicitaret; Papa tamen nolens eſſe *Ioanni* Regi *Bohemiæ*, qui cum

1319.
Bohemiæ Regis

Francorum Rege *Philippo* affinitatem iungens, filiam eius filio ſuo *Venceslao* acceperat, & in Curiam *Francorum* Regis educandam tradiderat; vbi mutato nomine, *Caroli* nomen eſt ſortitus; moleſtus, a decreto quidem, ſuper quo nomine Regni *Poloniæ* inſtabatur, abſtinuit, literas

Wladislaum nolens promouere

tamen, quibus Prælatorum & Baronum *Poloniæ* animi, dubietatis caligine diſpulſa, in coronationem Ducis *Wladislai* prouocarentur, eisdem *Poloniæ* Prælatis & Baronibus *Poloniæ* ſcripſit: Se quidem de non dato de-

ſcribit literas ſatis honeſtas.

creto excuſans, Prælatorum verò & Baronum *Poloniæ* mentes ad celebrandum coronationem *Wladislai* Ducis, ſubtilius celaturis, & quid fieri vellet redolentibus, inflammans. Super quo & *Geruardus Wladislauienſis* Epiſcopus, negotii præfati feruentiſſimus promotor, ſchemate largiori Apoſtolicam habens exploratam voluntatem, Ducem *Wladislaum*, Prælatosque & Barones *Poloniæ*, per literas & Nuncios commonefecit, cùm ſuam reſidentiam apud curiam *Romanam*, donec negotia Regni & Eccleſiæ votiuum ſortirentur effectum, ipſe firmauerat, quatenus ſine cunctatione aliqua coronationem Regiam felicem habituram exitum expediant & peragant. Super autem terræ *Pomeraniæ* occupatione, Papa reſcriptum Archiepiſcopo *Gneſnenſi*, *Poſnanienſi* Epiſcopo, & Abbati de *Mogilno* tranſmiſit. Mandans *vt ſummariâ informatione acceptâ, ſi Magiſtrum & Ordinem Cruciferorum terram Pomeraniæ occupare repererint, eos ad reſtitutionem per cenſuram eccleſiaſticam, cum brachii ſecularis inuocatione compellant.* Quæ omnia vt ad liquidum poſſint à ſuccedentibus ætatibus agnoſci, & nullo pacto aut ingenio in dubium reuocari, vtriusque Reſcripti Apoſtolici continentiam, fidem his, quæ referimus, daturam, adiecimus. *Ioannes Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Venembilibus Fratribus, Archiepiſcopo Gneſnenſi, eiusque Suffraganeis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Dudum Venerabilis Frater noſter Geruardus Epiſcopus Wladislauienſis, Veſter, & dilectorum filiorum veſtrorum Abbatum, monaſteriorum, Priorum, Prædicatorum, & Gardianorum Minorum Ordinum, & conuentuum eorundem: nec non Capitulorum, Eccleſiarum, ac nobilium virorum, Ducum, Comitum, Baronum, ac Vniuerſitatum, ciuitatum, & caſtrorum, per Regnum Poloniæ conſiſtentium, Nuncius, ad hoc ſpecialiter depumtus, & deſtinatus, ad præſentiam noſtram accedens, Nobis Veſtras, & eorum literas præſentauit: per quas Apoſtolatui noſtro inter cætera ſignificare curaſtis, quòd ab olim poſt obitum claræ memoriæ Regis Poloniæ, qui tunc ſeditionibus ac diſſidiis, ac*

1319. *guerrarum diſcriminibus inteſtinis, inter ipſius habitatores Regni, peccatis exigentibus, ſuſcitatis, Regni Status eiusdem, quod ſolebat florere diuitiis, tam propter hoc, quàm etiam propter crebros Tartarorum, Lithuanorum, Ruthenorum, & aliorum Paganorum incurſus, qui Polonorum gentem quaſi nonnullam deſidem, captiuam diuerſis vicibus abducentes, in miſerabilem redegerant ſeruitutem, & lumine fidei derelicto, in noſtri contumeliam Redemptoris, Idololatriæ ſeruire cogebant; nec non propter occupationes diuerſarum Regni eiusdem partium, & locorum deſenſore carentium, quæ nonnulli alienigenæ violenter inuaſerant, erat grauiſſimâ depreſſione collapſum. In Eccleſiis verò, monaſteriis, & aliis Deo dicatis locis, fidelium deuotione conſtructis, in quibus deuotis laudibus colebatur omnipotens, cultus Diuini Nominis neglectui tradebatur; quorum aliqua ſpeluncæ latronum effecta, aliqua ſolitudini derelicta, & ipſorum multæ ruinæ vaſtatibus ſubiacebant. Adiicientes nihilominus in literis ſupradictis, quòd niſi per prouidentiam Sedis Apoſtolicæ, & circumſpectionem ſuper his occurreretur celeriter remedio opportuno, veriſimiliter poterat formidari, ne terra ipſa ad exinanitionem irrecuperabilem deueniret. Propter quod tam vos per Epiſcopum, & literas ſupradictas, quàm idem Epiſcopus per ſe ipſum, cum multa inſtantia nobis ſupplicaſtis: vt cum Regnum ſupradictum eſſet nobis & Romanæ Eccleſiæ, nullo mediante ſubiectum, & in ſignum ſubiectionis huius, cenſus qui denarius Beati Petri vocatur, nobis & eidem Eccleſiæ deberetur eiusdem Regni, aperientes viſcera pietatis, & eius calamitatibus ac preſſuris, paterno compatientes affectu, & illud clementis propitiationis oculis intuentes, de tali Rege prouideremus, eidem qui ſe patenter oſtenderet exemplum, qualiter ſubditos oporteret per iuſtitiæ ſemitas ambulare, quique in potentia virtutis Altisſimi dirigeret indirecta, inſolentes reprimeret, & reſtauraret deperdita, dictumque Regnum tantæ calamitatis anguſtiis, quibus ſubiicitur inceſſanter, Deo auxiliante ſubductis, ſtatum reſumeret quietis & dulcedinis primitiuæ, dilectum filium nobilem virum Wladislaum, Cracouienſem, Sandomirienſem, Siradienſem, Łancicienſem, Cuiauienſem, Regni Poloniæ ac Pomeraniæ Ducem & hæredem, ac etiam poſſeſſorem, ſtrenuitate ſublimem, induſtriâ, militiâ ſtipatum, multitudine vaſallorum onuſtum, munitionibus, diuitiis, & fortalitiis præpotentem, promouendum per nos in Regem Poloniæ concorditer nominando, ſupplicantes inſtanter; vt præfatum Ducem in Regem dignaremur ipſius Regni Poloniæ de benignitate Apoſtolicà promoueri, & coronari diademate Regio mandaremus. Quia verò Nobis ex præmisſis firmæ ſpei fiducia ſuggerebat, quòd præfatum Regnum per promotionem huiusmodi ad virium ſuarum potentiam reſtauratam, fortius dictorum paganorum præualeret incurſibus, & faciliùs peſtiferos conatus reprimeret eorundem, vbertate pacis, cultu ſeruato iuſtitiæ frueretur libertas Eccleſiaſtica, ex præmisſis disſidiis conculcata, ſuum reſumeret Deo propitiante vigorem, Eccleſiaſticæ quoque perſonæ dicti Regni, ipſis & Eccleſiis eorundem, ab oppresſionibus releuatis, poſſent vacare commodius, circa cultum Diuini Nominis ampliandum, ipſiusque Regni fideles, in Diuinis beneplacitis proſequendis, & eiusdem Eccleſiæ Romanæ, quam ipſi Matrem eorum & Dominam recognoſcunt, fidelitatis & deuotionis firmiùs ſtabiliri conſtantia, prædictos Epiſcopum & literas benignè recepimus, & ea quæ idem Epiſcopus ſuper eiusdem promotionem Ducis proponere voluit coram nobis, libenter audiuimus, dictarumque literarum tenorem, cum multa iucunditate perſpeximus diligenter. Demum autem chariſſimi in Chriſto filii noſtri, Ioannis Regis Bohemiæ illuſtris, ſuperuenientibus Nunciis, per eos fuit Apoſtolatui noſtro humiliter ſupplicatum, vt, cum eidem Regi, in dicto Regno Poloniæ ius competeret, quod ſe offerebant ſuo loco & tempore probaturos, abſtinere ab eiusdem promotione Ducis dignaremur. Sed idem Epiſcopus poſt Nunciorum ipſorum inſtantiam, ſicut prius, crebris vicibus contrarium certitudinaliter affirmando propoſuit, quòd Rex præfatus in dicto Regno Poloniæ nullum ius proprietatis ſeu poſſeſſionis ſibi poterat vendicare, cum plenum ius prædicto Duci, tanquam ipſius Regni Domino naturali, & hæredi legitimo, cui ſucceſſit iure naturæ a ſuis progenitoribus, debebatur, in Regno competeret ſupradicto, pro huius ſæpe dicti Ducis promotione, tam pro parte veſtra, quàm per ſe ipſum ſuppliciter inſiſtendo. Nos igitur volentes vnicuique iura ſua ſeruare, ab huiusmodi promotione ipſius Ducis petita, ad præſens prouidimus abſtinendum: non intendentes per hoc iuri veſtro & aliorum ſupplicantium prædictorum, præiudicium aliquod generari, quin illo ſic vti, ſi & quando vobis expedire videbitur, valeatis, quòd ius cuiusuis alterius non lædatur. Datum Auinione, tredecimo Calend. Septembris. Anno Domini milleſimo tricenteſimo decimo nono. Pontificatûs noſtri tertio.* 1319.

Ioannes Cognomes Lucemburgenſis

Duplici malo, expulſione videlicet de Regno *Bohemiæ* turpi, & clade pernitioſa, *Ioannes* Comes de *Lucemburg Bohemiæ* Rex inſperatè obrutus, quid ageret ignarus, neque enim opes neque vires ſibi ſuppetere, ad humiliandam *Bohemorum* rebellionem, videbat, ad Summum Pontificem *Ioannem* vigeſimum ſecundum, & ad Eccleſiaſticum auxilium confugit, & cenſuras, vt vxor ſua *Eliſabeth* ſibi redderetur, dari obtinuit. Sed cum Proceres *Bohemiæ* cenſuras & interdictum nihili pendendo contemnerent, ab Eccleſiaſticis *Bohemiæ* rogati, ire Reginam *Eliſabeth* ad Regem *Ioannem* in *Lucemburg* decernunt, dantque

1319.

que libertatem & licentiam abeundi, conducentibus illam *Almanis* à *Ioanne* Rege miſſis. Vſque ad *Pilznam* cum perueniſſet, Proceres *Bohemiæ* pœnitentiâ acti, illam inſequuntur, & propè *Tachow* conſecuti, *Almanis* repulſis, ad *Pragam* reducunt. Ab eo quoque tempore, nullâ ratione poterant induci, vt reddere Reginam Regi, quàm ſuſtinere cenſuras animo contumaci & obdurato mallent. *Ioannes* autem Comes *Lucemburgenſis* & *Bohemiæ* Rex, armis omiſſis, dolis vtendum potius ratus, ad quos illum etiam ſuapte vafra natura, & callidum ingenium adiuuabat, per communes amicos agit cum *Bohemis* de pace, illoſque ſibi, morum ſuorum & actionum correctionem per iuſiurandum pactionem & fœdus repromittens, conciliat, Regnique *Bohemiæ* annis aliquot intermiſſam adminiſtrationem aſſumit. Ardens tamen pro contumeliis, vituperiis, & cladibus quas ſuperioribus annis ſuſceperat, in *Bohemicam* vltionem, clandeſtine illam effecturus, cum aptè non poſſet, nec auderet, amœniſſimum pratum muro circumdat, & in eius circuitu turres locat, ludumque torneamenti *Bohemis* indicit; per *Almanos* milites in huiuſmodi turribus includendos clandeſtinè, Barones & Proceres *Bohemiæ* ſub medio certamine torneamenti diſtentos occiſurus. Id malum, hanc quoque fraudem, dum *Eliſabeth* Regina *Bohemiæ* præſenſiſſet, gentis ſuæ tam miſerabilem necem auerſura, *Bohemiæ* Baronibus, quæ in eorum capita comparata ſunt mala, denunciat. At illi citato agmine exercitualiter congregati, ad torneamenti pratum conueniunt, & tam circularem murum quàm turres in eorum diſcrimen magno ſumptu fabricatas, à fundamentis ſubruendo diſſoluunt. Qua nouitate perculſus *Ioannes Bohemiæ* Rex, veritus ne quandoque fraudes ſuæ & doloſitates in caput ſuum reciderent, non appoſuit amplius fraudes pernicioſas ſtruere, & contra *Bohemos* debacchari.

Henrico Epiſc. Wratislau. mortuo.

Mortuo ſub hoc tempore *Henrico* de *Wyerzbno Wratislauienſi* Epiſcopo, nono Calend. Octobris, & in Eccleſia *Wratislauienſi*, ſepulto, *Wratislauienſe* Capitulum electionem de futuri Pontificis ſubſtitutione celebrans, biſariam diuiſum eſt. Quidam enim *Vithum*, alii *Lutholdum* Canonicos *Wradislauienſes* eligunt. Et diſcordia peſtifera tam inter Electos, quàm eligentes, liuoroſâ æmulatione conſurgit. Neutra autem parte de iure cedente, fidebat enim vterque Electus iuri ſuo, quæſtione ad tribunal Summi Pontificis delata, annis propè ſeptem litigatum eſt, & grandes ſumptus inutiliter emuncti. Licet enim poſt multas altercationes *Vitho* ceſſiſſet victoria, octo tamen tantummodò diebus, poſt relatum ex aduerſario *Lutholdo* triumphum ſuperuiuens, morte ſubtractus eſt.

ſedes ſeptem annis vacat.

1319.

Boleslaus Legnicenſis Dux iniuriam patris vlturus

Amaro & exulcerato *Boleslaus Brigenſis* & *Legnicenſis* Dux ferens animo, & patris ſui *Henrici* quinti captiuitatem depactationemque, & nonnullarum ciuitatum & oppidorum alienationem, in *Conradi* Ducis *Glogouienſis*, patris ſui captiuatoris & depactatoris nepotes ſæuit, & *Conrado* filio *Henrici Glogouienſis*, cui *Olſchna* & ciuitates a patre ſuo depactatæ obtigerant, bellum mouet. Quod tam infeſto tractat peragitque animo, vt *Conradi Oleſznicenſis* aduerſarii ſui Principatu incendiis & ſpoliis peruaſtato, & per aliquot certamina fuſo, *Conradum* ipſum ad fundum egeſtatis redegerit, vt potè, qui equum tantummodo retinens vnum, pallio lineo amiciebatur. Bello tamen huiuſmodi Baronum communium interpoſitione ſedato, coactus eſt *Conradus Oleſchnicenſis* Dux, ex fœdere tunc icto, *Namislauiam, Berothow, Kruczborg, Piczen,* & *Kuncenſtad*, Duci *Boleslao Brigenſi* & *Legnicenſi* reſtituere, & perpetuam de illis ceſſionem facere. *Volouiam* autem atque *Lubens*, etſi ad *Legnicenſem* Ducatum pertinuerint, & à patre ſuo *Henrico* quinto iniuſtè abſtractæ fuerint, *Boleslaus Brigenſis* & *Legnicenſis* Dux, *Conrado Oleſchnicenſi*, ſuæ compaſſus egeſtati, dimiſit & donauit. Acceſſione autem tot bonorum ditatus, *Sleſiæ* Principes, gloria & famâ anteibat. Quam amplius cumulaturus, in milites, clientes & vaſallos, liberalius quàm ſat erat ſe gerere; ſumptus inſuper prodigos & damnoſos facere rurſum cœpit. Ex quo multifariis ſe debitis, per vſurarios contractis, inuoluens, oppidum *Nyeptz* cum ſuo diſtrictu, Duci *Bernardo Swidnicenſi*, item *Haynouiam*, & *Aureum Montem*, in pluribus marcarum millibus creditoribus ciuibus *Wratislauienſibus* obligat.

Conrado Oleſchnicenſi bellum infert, atque eo ad ſummam egeſtatem redacto omnium potitur.

Fames Polonos adegit corpora humana vorare.

Famis malum cum annis duobus tranſactis *Poloniæ* Regnum variis & execrandis vexaſſet incommodis, etiam in annum tertium ebulliens, & ampliori quàm ante ſæuitia vniuerſos percellens, adeò pleroſque affecit, macerauitque, vt parentes filios, & filii parentes, pro excludenda fame, occiderent, & illorum nefandis carnibus veſcerentur. Nonnulli inſuper cadauera in patibulum actorum raperent, vt ventrem rugientem illis implerent. Erant qui cibo immoderatiùs ſtomacho debili & exangui commiſſo, in ipſo comeſtionis articulo, aut cito poſt, cadebant extincti.

Prælati & Barones, Proceresque & Nobiles vniuerſi Regni *Poloniæ*, Summi Pontificis *Ioannis* vigeſimi ſecundi auditis literis, & his quæ tacitè ſuadebant, digeſtione ſingulari recenſitis, auiſamentis inſuper *Geruardi Wladislauienſis* Epiſcopi perſuaſi, Ducem *Wladislaum Loktek*, expreſſiori decreto Papæ non expectato, in Regem *Poloniæ* coronandum, vniuerſali acclamatione, fauore, conſenſu decernunt, & diem Dominicum Sanctorum *Fabiani* & *Sebaſtiani*, ad eam rem conficiendam indi-

1320. inducunt. Vt autem coronationis prædictæ feliciora & magis decora eſſent auſpicia, placuit à *Gneſnenſi* Eccleſia, honorem coronationis *Poloniæ* Regum reſcindi, & illum *Cracouienſi* Eccleſiæ, quæ & ipſa quondam Metropolica fungebatur excellentiâ, applicari. Dignum & iuſtiſſimum exiſtimantibus Patribus & Proceribus vniuerſis, *Cracouienſem* Eccleſiam & vrbem, quæ cum ſitu, tum frequentia & cohabitatione hominum, tum murorum ſtructuris, & omnium rerum, quæ illi à circumuicinis porriguntur prouinciis, celeberrima, variis etiam decoris, præſertim tamen S. *Stanislai* Martyris, & Sanctorum plurimorum corporibus extat miro cultu, & veneratione nobilitata, prærogatiuâ illa amplius illuſtrari. Die itaque Dominico, feſto Sanctorum *Fabiani* & *Sebaſtiani adueniente*, ad *Cracouienſem* vrbem ab omnibus ſtatibus Ordinibusque Prælatorum & Baronum itum eſt, & Dux *Wladislaus Loktek* in *Cracouienſi* Eccleſia per *Ianislaum Gneſnenſem* Archiepiſcopum miſſam de Spiritu Sancto ſolenni officio celebrante, aſſiſtentibus ſibi *Ioanne Muſchata Cracouienſi*, *Domarato Poſnanienſi*, Epiſcopis, & *Thynicenſi*, *Mogilenſi*, *Andrzeiouienſi*, *Brzezenſi*, Abbatibus, in pluuialibus & mitris infulatis, ac multitudine Procerum, Baronum, & Nobilium copioſa, in Regem, Duciſſa verò *Heduigis* conſors ſua, Ducis *Boleslai Poſnanienſis* filia, in Reginam *Poloniæ* innunguntur, & diadematibus Regiis, quæ etiam ex *Gneſna* cum pomo & ſceptro, aliiſque inſigniis Regalibus *Cracouiam* tranſlata ſunt, coronantur; & dies illa cum omni celebritate, & hilaritate omnium traducta. In craſtino verò coronationis, *Wladislaus* Rex faſtigiis veſtitus, in vrbem *Cracouienſem* ad thronum ſibi præparatum, cum Prælatis & Baronibus deſcendens, gyrata prius vrbe, à ciuibus *Cracouienſibus*, vltrò illud præſtantibus, omagium & fidelitatis iuramentum accepit. Ab eo autem tempore *Cracouienſis* Eccleſia iure coronandi *Poloniæ* Reges, primùm dotata, inſignita, & priuilegiata eſt, perpetuis temporibus illo fruitura. Communique edicto ſancitum, vt in *Cracouienſi* caſtro, velut arce firmiſſima, corona, aliaque deponantur & obſeruentur Regalia, quæ in rure *Gneſnenſi*, hoſtilem inuaſionem nequicquam prohibere valente, tutè ſeruari non poterant; & in Eccleſia *Cracouienſi* Regum & Reginarum *Poloniæ* de cætero coronationes expediantur; quod & *Cracouienſis* vrbs ſit multorum hominum capaciſſima, & in procurandis alendiſque eiſdem, in omnibus rebus ad vſum hominum pertinentibus, fœcunda, tam propriis quàm forenſibus aduenis, voluptates & delicias, pulcherrimumque & ſecurum ſui ſpectaculum præbitura. Ab ea autem die *Wladislaus Poloniæ* Rex, ab omnibus ſubditis Regni *Poloniæ*, magna reuerentiâ, timore, & charitate cultus eſt: & cuius fata

Wladislaus Loktek Cracouiæ in Regem coronatur.

dum in *Pannoniis* errabat irriſerant; illius poſtea thronum ſupplices ſumma veneratione A adorabant. 1320.

Correptus aduerſa valetudine *Ioannes Muſchata Cracouienſis* Epiſcopus, dum illam hebdomadas aliquot ferret, tandem ſeptima Februarii, Sacramentis omnibus procuratus, religioſè & deuotè de vita mortali, cum *Cracouienſem* Eccleſiam annis ſex & viginti rexiſſet, exceſſit. Cuius corpus in monaſterium *Claræ Tumbæ* delatum, illic in choro in latere ſiniſtro, iuxta ordinationem, quam viuus fecerat, conditum eſt, & funeri iuſtæ honeſtæque ſolutæ exequiæ. Poſt cuius mortem Prælati & Canonici *Cracouienſes*, qui tunc pro feſto Purificationis S. *Mariæ* recenter elapſo, generale *Cracouiæ* iuxta morem agebant Capitulum, *Wladislao Poloniæ* Rege inſtigante, vocatis B abſentibus, ad electionem futuri Pontificis procedentes, *Nankerum* Canonicum *Cracouienſem*, genere nobilem de domo *Okſcha*, ex prouincia *Oppolienſi* ortum, propter virtutum & morum ſingularium, quæ in illo iamdudum perlucebant, redolentiam, in Epiſcopum *Cracouienſem*, per formam ſcrutinii concorditer eligunt. In quem & *Wladislaus Poloniæ* Rex, à Capitulo *Cracouienſi*, & ipſo *Nankero* electo, rogatus, Regium vt Patronus præbuit aſſenſum. Fuit autem electio ſua per *Ioannem* vigeſimum ſecundum confirmata, & ipſe per *Ianislaum Gneſnenſem* Archiepiſcopum in Epiſcopum *Cracouienſem* ordinatus. Quanti autem pretii vir, & quantæ religionis Pontifex fuerit, in ipſo ſuæ aſſumptionis primordio C mox monſtrauit. Nam Eccleſiam ſuam *Cracouienſem* ſitum anguſtum habere perſpiciens, quæ opere veteri, iuxta opes illius temporis, ex humillimis conſtans ſtructuris, recenti etiam erat deformata incendio, nouam demolitâ veteri, opere ſumptuoſo ex quadrata petra initiauit, latitudinem eius atque longitudinem, quantum ſpatia loci patiebantur, extendens. Hinc quoque ſubſecutum eſt, vt multa inſignia ſepulchra Principum & Pontificum, noua ædificatione ſuperueniente obruta perierint. In ædificationem autem tam nobilem tamque ſumptuoſam Eccleſiæ Cathedralis *Cracouienſis*, non ſolùm *Nankerus Cracouienſis* Epiſcopus duas partes, & Capitulares tertiam, ſed & Clerus totius diœceſis *Cracouienſis*, D ſubuentionem charitatiuam contulit & cuiuslibet beneficii & Parochialis Eccleſiæ de collatione Regia & laicali vacantis, primi anni fructus, in ſumptus fabricæ exigebantur & reddebantur.

Io. Muſchatæ Cracou. Epiſc.

ſuccedit Nankerus,

qui Cracouienſem Eccleſiam ædificauit.

Poſt peracta coronationis ſolemnia, *Wladislaus* Rex *Poloniæ* de rebus publicis, præſertim de ſtratarum publicarum pacificatione, furumque & prædonum exterminio, Prælatis & Baronibus *Poloniæ*, ſuis conſiliis, certatim cum reuelantibus, varias conſtitutiones & edicta decreuit, & vt executioni omnia tempeſtiuè

1320. ſtiuè mandarentur, prouidit. Quoniam autem de amiſſione terræ *Pomeraniæ* & eius occupatione, vehementi angebatur dolore, de eius occupatione quam potuit tunc curam intendit. Ordinauit itaque Conſiliariis ſuis id laudantibus & probantibus, vt iuxta commiſſionem Apoſtolicam, Archiepiſcopo *Gneſnenſi*, Epiſcopo *Poſnanienſi* & Abbati de *Mogilno* factam, iudiciarios contra Cruciferos inſtaurare proceſſus, reſcriptumque Apoſtolicum in ſua præſentia, *Ianislao* Archiepiſcopo *Gneſnenſi*, & Epiſcopo *Poſnanienſi* iubet exhiberi, vigore cuius citatio contra *Fridericum* Magiſtrum & Commendatores Cruciferorum de *Pruſſia*, ad inſtantiam præfati *Wladislai* Regis eſt decreta, & Pontifices præfati pro adminiſtratione iuſtitiæ rogati, omnem operam enixè ſe ad id nauaturos obtulerant. Quibus taliter confectis, Pontificibusque & Baronibus pro cuiuslibet merito præmiatis, ex *Cracouia* diſcedens, & in *Sandomiriam* ſe cum Illuſtri *Heduigi* Regina conferens, tempus Quadrageſimale illic exegit; vbi *Philippum* Cancellarium, *Sbigneum* Vice Cancellarium Regni *Poloniæ*, & *Ioannem* Canonicum *Rudenſem* Capellanum ſuum, in Procuratores, & cauſæ contra Cruciferos, ſuper terræ *Pomeraniæ* occupatione defenſores & tractatores conſtituit, & eos ad procurandum & promouendum cauſam cum ſufficientibus inſtructionibus & impenſis, remittit. Dans eis & cuilibet eorum in mandatis, vt cauſam prædictam feruenti ſollicitudine, quàm celerius poſſent procurent, & ad debitam conſumationem producant. Cœpit & ex tunc *Wladislaus* Rex vota, quæ in exilio poſitus vouerat, Domino reddere. Iuſtitiam quoque & pietatem cunctis præferre, iura reddere, viduis, orphanis & aduenis benignus eſſe, facilem aditum ad ſe præbere. Potentes iuxta ac inopes in decernendis iuſtis iudiciis æſtimare, & ſingulas ſuas actiones ad morem legis Diuinæ referre, adeo vt felix cenſeri potuit ſuum exilium, in quo legi Diuinæ & mandatis eius obſequi didiciſſet. Sed & rebus publicis magnum affert profectum, Reges & Principes fuiſſe calamitoſos & miſeros, & alienum manducaſſe panem. In propria enim anguſtia cognoſcunt, quales ſeſe Diuinitati, quales ſe ſubditis debeant exhibere.

Wladislaus Loktek præſentat commiſſionem iudicibus Apoſtolicis, & Magiſtrum cum Ordine de Pruſſia citans

Procuratores mittit,

ipſeque iuſtitiæ intentus eſt.

Intermiſſam hactenus *Lithuanorum* vaſtationem, Marſchalcus *Pruſſiæ Henricus* de *Ploczk* reſumpturus exercitu tam de equite quàm pedite inſtructo, habens ſecum quadraginta fratres Ordinis, qui ordines ducerent, *Lithuaniam* inuadit, & *Myednicenſem* diſtrictum quàm protenſius poteſt, in partes ſingulas conflagratione & cæde peruaſtat. *Lithuani* interim ſe & *Samogithæ*, nihil eà vaſtatione deterriti, armis accingunt, & anguſtias vnius ſaltus, quem Cruciferi in redeundo tranſituri erant, occupant, & maioribus arboribus circumquaque ſaltum ſucciſis, Marſchalco *Pruſſiæ* & eius exercitui inſidias ſubornant. Dum autem Marſchalcus *Pruſſiæ*, & exercitus eius inſidiarum ignarus, ſaltum ingreſſus eſſet, à *Lithuanis* circumuentus, in primis ipſe, deinde primores milites ſtrangulantur, & quaſi laqueo capti, ad vnum omnes aut deleti, aut capti ſunt. *Lithuani* & victoria & ſpoliis hoſtium potiti, Diis ſuis pro præſtita victoriâ litando thura, ingenti pyra extructa, vnum ex Cruciferis fratrem Aduocati de *Samlenth*, cum equo & armis in holocauſtum incendunt, *Gerhardus Rude* nomen eius.

Henricus de Ploczk

Myednicenſem Lithuaniæ diſtrictum lacerat.

1320. *Tandem in redeundo a Lithuanis captus, & ad vnum cæſus eſt.*

Iudiciario proceſſu contra Magiſtrum *Pruſſiæ Fridericum*, & Commendatores, totumque Cruciferorum Ordinem per Procuratores *Wladislai* Regis *Poloniæ* inſtaurato, citatione a Iudicibus delegatis Apoſtolicis, videlicet *Ianislao* Archiepiſcopo *Gneſnenſi*, Domarato *Poſnanienſi* Epiſcopo, & fratre *Nicolao* Abbate de *Mogilno Gneſnenſis* diœceſis, Ordinis S. *Benedicti* decreta, & debitæ executioni mandata, Magiſtroque Commendatoribus, & Ordine perſonaliter, per *Potentianum* Archidiaconum *Vnieiouienſem*, & *Laurentium* Plebanum, in *Brzescye* apprehenſis & citatis, primus terminus in *Brzeszie* præſidentibus, omnibus tribus Iudicibus ſeruatus eſt. In quo Procuratoribus Regiis propoſitiones & articulos contra Magiſtrum & Ordinem Cruciferorum offerentibus, *Ziffridus* de *Papow* Presbyter, nomine Procuratorio *Friderici* Magiſtri & Ordinis Cruciferorum comparens, mandatumque ſufficiens ad cauſam coram Iudicibus reproducens, contra eorum iuriſdictionem verbo excepit: cuius cauſa fuiſſent replicationes repulſæ; appellationem nomine Magiſtri & Ordinis, a grauamine præſenti, & omnibus inde ſecuturis ad Sedem Apoſtolicam interpoſuit, & *Brzeszcye* exceſſit. Iudices autem Apoſtolici friuolâ appellatione Magiſtri & Ordinis non obſtante, decreuerunt, inſtantibus Procuratoribus Regiis, ad vlteriores actus & terminos procedendum. Tribunal quoque ſuum ex *Brzeszcye Iuniuladislauiam* tranſtulerunt, per annum fere integrum ad omnes actus & terminos eſſentiales, in contumaciam Magiſtri & Ordinis, per Procuratores Regios, coram Iudicibus præfatis fuit proceſſum. Et pro verificatione articulorum pro parte *Wladislai* Regis *Poloniæ*, contra Magiſtrum & Ordinem Cruciferorum oblatorum, teſtes notabiles, Pontificali, Abbatiali, & Militari dignitate inſignes, fuerunt inducti, & ſufficienter examinati, quo proceſſus ipſe Iudiciarius, plus ſoliditatis contraheret per proceſſus Iudicum, & publica edicta in valuis Eccleſiarum in *Thorun* fuerunt affixa, quibus Magiſter & Ordo ad omnes & ſingulos actus vocabatur gradatim & ſucceſſiuè.

In cauſa Pruthenica, poſtquam a friuolo grauamine per Procuratorem Magiſtri fuit appellatum,

Iudices in Iuniuladiſlauia per edictum procedunt.

Hunga-

1320.

Carolus Hungariæ Rex

Hungariæ Rex *Carolus*, ſuperatis extinctiſque bellis inteſtinis, quibus non à vicinis hoſtibus, ſed a propriis Baronibus, & ſignanter à *Matthæo* de *Tranczin* Palatino *Tranſyluanienſi*, ea tempeſtate opum & gentium multitudine potente premebatur, rebellibuſqve Baronibus partim exterminatis, partim bello occiſis, aut ſub iugum miſſis, ipſo etiam *Matthæo* Palatino *Tranſyluanienſi* morte abſumpto, dum glorioſus & pacificus victor, in throno Regni *Hungariæ*, ex triumphis ſuperioribus de aduerſariis ſuis relatis, firmatus conſiſteret, lætabatur qvidem pacis amœnitatem vbiqve ſibi proueniſſe: orbitatis tamen ſuæ reminiſcentiâ ſecretis cruciabatur ſuſpiriis. Nam etſi duas illuſtres matronas, videlicet *Mariam Caſimiri* Ducis *Bithomienſis* & *Theſchnenſis* filiam; & ea obeunte *Beatricem Henrici* de *Lucemburg* Comitis, *Romanorum* Regis filiam, & *Ioannis Bohemiæ* Regis ſororem, ſibi matrimonialiter iunxiſſet, fructus tamen filiorum in ſpem *Hungariæ* Regni generandorum, ex vnius ſterilitate, ex alterius verò in partu periclitatione, orbus eſt. Cuius ſterilitatis opprobrium, & orbitatis ſuæ dedecus volens excutere, ad *Wladislaum* Regem *Poloniæ* procis notabilibus miſſis, filiam eius virginem *Eliſabeth*, formâ & moribus præſtantem & decoram, ſibi in conſortem dari expoſcit. Cuius preces de Prælatorum & Baronum *Poloniæ* conſilio *Wladislaus Poloniæ* Rex, dum ad gratiam exauditionis admiſiſſet, firmantur literis & promiſſis ſponſalia, & virgo prædicta *Eliſabeth*, à Baronibus & Proceribus *Poloniæ*, cum ſufficienti dote & Regali apparatu *Budam* deducta, *Carolo Hungariæ* Regi, die Dominico in Octaua Sanctorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum, copulatur. Quam, celebratis ex more nuptiis, procurat coronari in *AlbaRegali* in *Hungariæ* Reginam. Cui tanta a Diuinitate collata fuit fœcunditas, ut qvinque illi pulcherrimos maſculos, videlicet *Carolum*, *Wladislaum*, *Ludouicum*, *Andream*, & *Stephanum*, per ſucceſſiones & interualla annorum produceret. Quæ cum tanta filiorum numeroſitate eſſet ſublimis; humilitatis tamen excellentiâ & largâ liberalique pietate & erogatione in omnes, & præſertim in Eccleſias, & earum miniſtros, orphanos, & pauperes, adeò ſibi omnium ſtatuum & ordinum homines deuinxerat, vt vniuerſi illam miris efferrent laudibus, & ſingulari colerent velut parentem veneratione.

petit connubium Eliſabeth Poloniæ Regis filiæ,

quo impetrato,

eam in Hungariæ Reginam coronari iubet.

Duodecima Martii *Domaratus Poſnanienſis* Eccleſiæ Epiſcopus, vir nobilitate & virtutibus clarus, de domo & familia *Grzimilitarum* ſtirpem ducens, cum in *Poſnanienſi* Eccleſia * * * * annis ſediſſet, moritur, & in *Poſnanienſi* Eccleſia ſepelitur: Cui *Ioannes* tertius dictus *Doliwa*, nobilis de genere *Doliuitarum*, Præpoſitus *Poſnanienſis*, ſuccedit: a *Gneſnenſi* Archiepiſcopo *Ianiſlao*, de conſenſu & annuentia *Wladislai Polouiæ* Regis, confirmatus, & in Eccleſia *Poſnanienſi* conſecratus.

Domarato Ep. Poſnan.

ſuccedit Ioannes III.

1320.

Grauatus & preſſus ære alieno *Boleslaus Brigenſis* & *Legnicenſis* Dux, in *Henricum* ſextum germanum ſuum *Wratislauienſem* Ducem, virum mitem & ſimplicem, & ex moderatione locupletem, liuoris ſtimulum conuertit, dolens illi *Wratislauienſem* portionem, velut inter ſortes præſtantiorem obtigiſſe. Vnde ipſum per certos Barones pulſat, & requirit, *quatenus Legnicenſi Ducatu, qvod hæredes maſculini ſexus non relinquebat, recepto, ſibi qui abundabat filiis cederet de Wratislauienſi.* Verùm dum *Henricus VI. Wratislauienſis* Dux id facere recuſaſſet, maiori bile *Boleslaus* excandeſcens, Ducatum ſuum *Wratislauienſem*, ordinauit clandeſtinis ſpoliis, rapinis, inuaſionibus, ex *Marczinkowice*, cæteriſqve *Bregenſis* diſtrictûs curiis & munitionibus, fingens ſe omnium quæ fieri mandauerat ignarum, affligi & vexari. Sed cum has quoque vexationes *Henricus VI. Wratislauienſis* Dux partim patienter ferret aut diſſimularet, partim per milites ſuos reprimeret, *Boleslaus Bregenſis* & *Legnicenſis* Dux, iam non fratri *Henrico*, ſed Conſiliariis ſuis iratus, *Nicolaum* de *Bancz* Canonicum *Wratislauienſem*, *Henrici* Ducis Conſiliarium de Eccleſia Sancti *Ægidii* trahi per ſatellites ſuos mandauit, & in *Ielcze* deduci. Vbi aliquanto tempore vinctus, tandem amicorum & fratrum interceſſione, vix abſolutus. Alium inſuper *Henrici* Ducis Conſiliarium, ciuem *Wratislauienſem* vocatum de *Molensdorff*, de Eccleſia Sanctæ *Eliſabeth* per Curienſes extrahi ordinauit: & Canonico & ciui pro culpa imponens, quòd in *Henrici* Ducis conſilio perſonam ſuam ſugilaſſent. Qui equo impoſitus, valido clamore ferri ſibi præſidium per ciues petiit, captiuatoribus niſi ſileret, occiſionem ſibi minantibus. Sed cum in clamore perſeuraret, veriti captiuatores per concurſum populi periculum, de equo proiectum occidunt, & de ciuitate celerrimè ſe, ne apprehenderentur, euoluunt: Duciqve ſuo *Boleslao Bregenſi* & *Legnicenſi*, qui ante portam illorum operiebatur aduentum, ſeriem geſta per eos rei exponunt. Ille autem plurimâ perturbatione afflictus, quòd ſpe ſua in ſingulis fruſtrabatur, viuum enim & incolumem ciuem *Wratislauienſem Molensdorff* optabat accipere non cæſum: quoniam per illum credebat ſe ab *Henrico* Duce aliquam concordiam ſuæ ambitioni profectum allaturam extorſiſſe; alias rurſum vias quibus cogitata perficeret, moliri non deſit.

Boleslaus Legnicenſis ambiens fratris Henrici VI. Wratislav. Ducatum,

& eo potiri nequiens, obſtante Henrico,

in Conſiliarios ſuos ſæuit.

Cauſa ſuper terra *Pomeraniæ* & eius occupatione, contra Magiſtrum & Ordinem Cruciferorum de *Pruſſia*, anno integro per Procuratores *Wladislai Poloniæ* Regis, coram *Gneſnenſi* Archiepiſcopo, Poſnanienſi Epiſcopo, & Abbate *Mogilnenſi* ventilata, & omnium termi- 1321.

Obſeruatis omnibus terminis Iudices

1321.

terminorum eſſentialium obſeruatione, literarum, priuilegiorum, & munimentorum exhibitione, teſtiumque notabilium inductione, ad plenum & ſufficienter fundata & inſtructa, dum adeo maturata & perfecta eſſet, vt non niſi finalis deciſio, & ſententiæ diffinitiuæ prolatio in ea reſtaret agenda, petentibus Procuratoribus Regiis, per Iudices Apoſtolicos in ea concluſum eſt, & dies decima Februarii menſis ad ferendam diffinitiuam ſententiam pro termino peremptorio in *Iuniuladiſlauia* aſſignata. Cum autem dies prædicta adueniſſet, Procuratores Regii citatione, ad ferendum ſententiam diffinitiuam, contra Magiſtrum & Ordinem, per affixionem patentem in valuis Eccleſiæ *Thorunenſis*, & in aliis Cathedralibus & Collegiatis Eccleſiis, per organum & publicam denunciationem Vicariorum & Hebdomadariorum, debitam executionem demonſtrantium, reproducta, ſententiam diffinitiuam ferri inſtantiùs expoſcebant. Iudices autem Apoſtolici, Magiſtro & Ordine diutiùs expectato, & ſæpius citato, dum *Ziffridus* de *Papow* gerens ſe Procuratorem Magiſtri & Ordinis, compareret, & priores replicationes, prioremq; appellationem verbo & ſcriptis interponeret, replicationib9 & appellab9 huiuſmodi, tanquam friuolis & temerariis reiectis, & refutatis, concluſerunt in cauſa, & ipſo *Ziffrido* procuratore Magiſtri & Ordinis præſente, ad ſententiam diffinitiuam in Eccleſia *S. Nicolai*, in circulo *Iuniwladiſlauienſis* oppidi ſita, tribunali poſito, proceſſerunt.

tulerunt ſententiam diffinitiuam de reſtituenda Pomerania contra Magiſtrum & Ordinen Cruciferorum,

Ipſamque per organum *Ianiſlai* Archiepiſcopi *Gneſnenſi*, ſub ratihabitione aliorum duorum, videlicet *Domarati Poſnanienſis* Epiſcopi, & *Nicolai* Abbatis de *Mogilno*, vt ab omnibus populis aſtantibus intelligeretur, promulgauerunt; Magiſtrum Cruciferorum & Ordinem, ad reſtitutionem terræ *Pomeraniæ* illicitè occupatæ, & ad ſolutionem triginta millium marcarum monetæ & numeri Regni *Poloniæ*, ratione fructuum perceptorum, & damnorum; & ad ſoluendum centum quinquaginta marcarum latorum groſſorum *Bohemicalium*, ratione impenſarum in cauſa huiuſmodi factarum, aſtante Cleri & populi multitudine, condemnârunt. Cuius quidem ſententiæ tenor, pro maiori elucidatione eorum quæ narrauimus, talis eſt.

cuius tenor inſeritur.

In nomine Domini Amen. Exorta coram Nobis Ianiſlao Diuinâ & Apoſtolicæ Sedis prouidentia, Sanctæ Eccleſiæ Gneſnenſis Archiepiſcopo, Domarato Dei gratia Poſnanienſi Epiſcopo, fratre Nicolao Abbate de Mogilno diœceſis Gneſnenſis Ordinis S. Benedicti, à Sede Apoſtolica delegatis, inter Inclytum Principem Wladiſlaum Poloniæ Regem Illuſtrem parte ex vna: religioſos viros Magiſtrum & Fratres domus S. Mariæ Teutonicorum parte ex altera, ſuper terra Pomeraniæ, materia quæſtionis: Sanctiſſimus Pater Dominus Ioannes Sacroſancta Romanæ Eccleſiæ Summus Pontifex ſuas nobis direxit literas in hæc verba. Ioannes Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Venerabilibus fratribus, Archiepiſcopo Gneſnenſi, & Epiſcopo Poſnanienſi, ac dilecto filio Abbati monaſterii Sancti Benedicti de Mogilno, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Grauem dilecti filii Nobilis viri Wladiſlai Ducis Poloniæ querelam accepimus, continentem, quòd Magiſter & ordo domus Sanctæ Mariæ Teutonicorum, non attendentes, quòd quondam Conradus Dux Poloniæ auus eiuſdem Ducis, eoſdem Magiſtrum & fratres, quos veros credebat Catholicæ fidei defenſores, & ad partes illas pro defenſione ipſius fidei primitus aduocauit, & nonnulla mobilia & immobilia bona liberaliter conceſſit; eoſdem alias dictus Conradus, & ſucceſſores ſui benignè & fauorabiliter proſequendo. Sed ipſi dicto Duci ſe reddentes ingratos, & ad bona ipſius rapacitatis manus extendentes, illicitè Ducem ipſum terrâ ſua Pomeraniæ Wladiſlauienſis diœceſis, quæ de Regno Poloniæ fore dinoſcitur, temeritate propria ſpoliantes, illam cum hominibus, vaſallis, caſtris, villis, poſſeſſionibus, & bonis exiſtentibus in eadem, contra iuſtitiam occupârunt & detinuerunt iam per octo annos & amplius, ſicut adhuc detinent violenter, fructus, prouentus ac redditus prouenientes ex illa percipientes indebitè & iniuſtè, illam ſibi reddere contradicunt, in ipſius Ducis graue diſpendium, & Regni prædicti diminutionem enormem, & ſcandalum manifeſtum. Quare Nobis Dux præfatus humiliter ſupplicauit, vt prouideremus ſibi de remedio ſuper hoc opportuno. Nos igitur nolentes eidem Duci in ſuo iure deeſſe, in quo ſumus omnibus debitores, diſcretioni Veſtræ per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus Vos, vel duo Veſtrum, vel per alios, ſuper præmiſſis, auctoritate Noſtra, ſummariè de plano, ſine ſtrepitu & figura iudicii procedentes, ſi rem inueneritis ita eſſe, Magiſtrum & fratres prædictos, ad reſtituendum dicto Duci terram, homines, vaſallos, caſtra, villas, poſſeſſiones, & bona prædicta cum fructibus, redditib9, prouentib9, medio tempore perceptis, per cenſuram Apoſtolicam, appellatione poſtpoſita, compellatis, inuocato ad hoc, ſi opus fuerit auxilio brachii ſecularis. Non obſtantib9 de duab9 dietis editis in Cōcilio generali, & felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri, per quas Iudices a Sede deputati prædicta, extra ciuitatem & diœceſim, in quibus deputati fuerint, & alibi quàm in ciuitatibus & locis inſignibus, procedere, aut vires ſuas committere, vel aliquos vltra vnam dietam, à finibus ſuæ diœceſis trahere prohibentur, & aliis contrariis conſtitutionibus quibuſcumq;, dummodò vltra tertiam vel quartam quis extra ſuam diœceſim ad iudicium non trahatur: ſeu ſi dictis Magiſtro & fratribus, vel quibuſuis aliis communiter vel diuiſim, à ſede Apoſtolica ſit indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra vel vltra certa loca trahi, vel ad iudicium euocari non poſſint Literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum, de indulto huiuſmodi mentionem: Et quibuslibet priuile-

1321. 1321.

giis, indultis, & literis Apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus, eiſdem Magiſtro & fratribus ac Ordini conceſſis, communiter vel diuiſim, quorumcunq; tenorum exiſtant, per quæ Veſtræ Iuriſdictionis explicatio poßit hac in parte quomodolibet impediri, & de quibus quorumcunq; tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Datum in Auinione, tertio Idus Septembris, Pontificatûs noſtri anno quarto. Nos igitur iuxta formam mandati nobis directi, præfatos Magiſtrum & fratres, ad noſtram præſentiam fecimq; euocari. In termino itaq; peremptorio, ipſis partibus per nos aſsignato, diſcreti viri, Dominus Philippus Cancellarius Regni Poloniæ, & Sbigneus Cancellarius Siradienſis, tunc Vice Cancellarius, ac Magiſter Ioannes Rudenſis, Procuratores eiuſdem Domini Regis, nomine Procuratorio ipſius comparuerunt coram nobis, ſuum Procuratorium exhibentes; ex parte verò dictorum Magiſtri & fratrum, frater Ziffridus de Papow eiuſdem Ordinis, Procurator eorum, ſimiliter cum Procuratorio comparuit. Petitione autem pro parte præfati Regis Poloniæ accepta, & diligenter diſcuſſa, conſiderantes iuxta tenorē literarum Apoſtolicarum, quòd in cauſa eadem poſſet, lite non conteſtata, procedi, teſtibus pluribus idoneis, pro parte dicti Regis, & eis ſecretò & ſigillatim examinatis, atteſtationibusq; ipſorum apertis & publicatis, ac ipſius cauſæ meritis plenè diſcuſsis, parte dictorum Magiſtri & fratrum citatâ, ad audiendum ſententiam diffinitiuam, & præſente ipſorum procuratore prædicto, coram nobis in termino ad hoc præfixo conſtituto, & præhabita nobiſcum deliberatione ſufficienti, & communicato ſapientum conſilio, Procuratoribusq; præfati Regis præſentibus, & ſententiam proferri cum inſtantia poſtulantibus; Dei Nomine inuocato; Quia iidem Procuratores Domini Regis intentionem ſuam clariſsimè comprobauerunt, prædictum Magiſtrum & Fratres Domus S. Mariæ Teutonicorum, ac dictum Ziffridum Procuratorem ipſorum præſentem, eorum nomine, & Commendatorum de Gdansk, Gniew, & Szwieczie, qui dictam terram Pomeraniæ poſſident, ad reſtitutionem eiuſdem terræ cum ſuis pertinentiis, & ad ſolutionem triginta millium marcarum monetæ & ponderis Regni Poloniæ, ratione fructuum perceptorum, & qui percipi potuerunt ex illa, prout Procuratores de violentia illatâ, probata per teſtes, quantitatem prædictam fructuum per ſuum iuramentum legitimè comprobauerunt, & ad ſatisfactionem expenſarum in cauſa factarum, præfato Domino Regi Poloniæ, ſeu Procuratoribus eiuſdem prædictis faciendam, in his ſcriptis ſententialiter cōdemnauimus. Quas quidem expenſas ad centum quinquaginta marcas groſſorum Pragenſium taxamus, eo quòd Procuratores dicti Regis præfati, ſe eas dixerunt in hac cauſa expendiſſe, prout ſuis declarauerunt iuramentis. Lata eſt hæc ſententia in Eccleſia Sancti Nicolai in Iuniwladiſlauia Wladiſlauienſis diœceſis, poſt miſſam, quarto Idus Februarii. Anno Domini milleſimo tricenteſimo vigeſimo primo. Præſentibus Fratribus noſtris Nico- A *lao Decano, Gerlibo Scholaſtico, Gneſnenſibus. Ioanne Archidiacono Poſnanienſi. Petro Cantore Wladiſlauienſi, Michaele Præpoſito Kruſzwicenſi, Venceslao Caliſienſis, Potentiano Vniciouienſis Eccleſiarum Archidiaconis. Vincentio & Alberto Gneſnenſis, Voiſlao Poſnanienſis, Ioanne Plocenſis, Eccleſiarum Canonicis. Et Religioſis viris Franciſco Priore Poſnanienſi Ordinis fratrum Prædicatorū, Wyerzchoslao Cuſtode Prouinciali, Michaele Guardiano Wladiſlauienſi fratrum Minorum, & aliis quàm plurimis ſecularibus & religioſis. In quorum omnium teſtimonium, & euidentiam certiorem, prædictam ſententiam per ſubſcriptum publicum noſtrum ſcribi, & in publicam formam redigi fecimus. Et ad maiorem cautelam, noſtrorū ſigillorum appen-* B *ſione muniri. Et ego Boguslaus de Sandomiria, & ego Nicolaus quondam Ludouici de Strigonia, Clerici Poſnanienſes.*

Diffinitiua ſententia per Iudices Apoſtolicos, ſuper terræ *Pomeraniæ* occupatione, & damnis ac ſumptibus inde ſecutis, pro *Wladislao Poloniæ* Rege obtenta & promulgata; Nuncio quoq; Magiſtri & Ordinis *Ziffrido* de *Papow*, refutatoriis Apoſtolicis conſignatis, ſententia ipſa, quia non tenebatur aliqua legitima appellatione ſuſpenſa, petentibus Syndicis Regiis, per Iudices prædictos Apoſtolicos, executioni mandata eſt, & proceſſus executoriales, cum omni cenſurarum fulminatione, interdicto etiam Eccleſiaſtico in terras & loca, in quibus C Magiſter & Commendatores demorarentur adiecto, decreti vigore. Quorum in vniuerſis terris & Dominiis Regno *Poloniæ* & Prouinciæ *Gneſnenſi* ſubiectis, Magiſter & Ordo Cruciferorum, ſingulis diebus feſtiuis coram populi multitudine denunciabantur excommunicati & anathematizati. Et in eorum præſentiâ & aduentu, Eccleſiaſticum interdictum tenebatur. Et licet vigore appellationis a ſententia diffinitiua pro *Wladislao Poloniæ* Rege per Iudices Apoſtolicos lata, cauſa amiſſa pro abſolutione, multis variiſq; fatigis & impenſis, apud Sedem Apoſtolicam adhibitis, etiam fauoribus & promotionibus variorum Principum deſudaſſent, nullâtenus tamen illam, Regiis Procuratoribꝰ D impedientibus, & quaſlibet eorum propoſitiones & allegationes elidentibus, donec in totum rei parerent, iudicatæ, potuerunt impetrationem eius peruincere.

Magiſter & Ordo Cruciferorum Eccleſiaſtico interdicto ſubiicitur.

In feſto Exaltationis Sanctæ Crucis, *Lithuani* terram *Dobrzinenſem*, quæ tunc à Ducis *Semouiti* relicta tenebatur, irruentes, improuiſe eam vaſtant. Et oppido *Dobrzin* prædato & exuſto, raptis vtriuſque ſexûs hominibus, nonnullis verò trucidatis, veloci fugâ diſgrediuntur.

Lithuani terram Dobrzinenſem ſpoliant.

Dantes Alegiheri Florentinꝰ Poëta, *Rauennæ* in exilio moritur, ætatis ſuæ anno quinquageſimo ſexto. Qui in vulgari ſuo *Italico* opere inſigni in quo de cœleſtibꝰ ſphæris, & inferni atq; ante-

inferni

Digitized by Google

1321. inferni cameris curioſiſſime tractat, perſonas virtuoſas & ſceleſtas inducẽs) edito, memorabilis apud Italos habetur & inſignis atq; celebris. A

Die Veneris vigeſima ſexta Iulii eclipſis Solis notabilis, a tertiis vſque ad horam ſextam perſeuerans, apparuit.

1322.

Ioannes Bohemiæ Rex ambiens Wratislau. Ducatum,

Conſiderans *Iohannes Bohemiæ* Rex, & Comes de *Lucemburg* Principes *Poloniæ* & *Sleſiæ*, & eos præcipuè qui Regno *Bohemiæ* per vicinitatem erant proximi & confrontati, viros ſimplices & parum induſtrios exiſtere, iam enim & ex conuerſatione, & aliorum relatione, qualia ſortiti eſſent ingenia, quibusque vterentur moribus, habebat exploratum, eorum Principatus, caſtra, ciuitates, & dominia, iuris ſui & proprietatis facere in animum induxit. Vnde & aliquos ex illis ad maiorem conuerſationem, & familiaritatem ſuam plurimis largitionibus, ſimulque & affabilitate adſciſcit & B perlicit, & pluribus artibus calliditatem vafram redolentibus, tanquam vicinos & notos ſibi conciliat & deuincit. Ea enim eſt callidorum natura, vt in paruis & exiguis fidem aſtruant, quò facilius in magnis & arduis fallant. Primùm itaque *Boleslaum* Ducem *Zambicenſem* alias *Monſterbergenſem Bernardi* Ducis *Swidnicenſis* germanum, ſuorum ingeniorum hamo comprehendit, & cum pecuniis & largitionibus, tum liberalibus & ampliſſimis promiſſionibus ineſcatum, ad ea quæ moliebatur, inclinat. Caſtrum quoque & oppidum *Kloczko*, quod in *Poloniæ* Regno ſitum, vtriusq; Regni, videlicet *Poloniæ* & *Bohemiæ*, claudebat confinia, ab eo ſibi reſignari, & pro leui tenuique pecunia vendi, faciliter velut ab homine pa- C rum prouidentiæ & ſenſûs habente, diſponit. Cuius poſſeſſionẽ & proprietatem ſortitus, homines illic prædæ & rapinis aſſuetos, in quantitate notabili locat, mandatque vt Duces *Poloniæ* & *Sleſiæ* ſibi contiguos, ſpoliis, rapinis, aliisque incommodis laceſſere non intermittant. Filium deinde *Carolum* Marchionem *Morauiæ* mittit, qui obſidione *Frankſten* cingat & ad feudum *Boleslaum Falkembergen* cogat. Sed inde repulſus, etiam pecunia apud filium ſuum *Nicolaum*, *Frankſten* coemit munitionem. Inter ipſos quoque *Poloniæ* & *Sleſiæ* Principes, diſcidiorum germen facit, & in cædes guerrasque mutuas illos coarmat, vt ciuilibus domeſticisque colliſionibus attriti, ſua ſuffragia & arma expetere cogerentur, aut ipſe D pro dirimendis litibus arbiter electus, decernendi quæ vellet, imperium nanciſceretur, faciliimè in Principum diſcordiâ, cupiditatem ſuam expleturus. *Wratislauienſis* inſuper ciuitatis ambiens dominium, vario æſtu mentis, quòd id aſſequeretur, nocte & interdiu flagrabat, omnesque ſuas curas præcipuè ad id vnum efficiendum intenderat. Vnde *Boleslaum* alterum, *Legnicenſem* & *Bregenſem* Ducem, filium quondam *Henrici Wratislauienſis* Ducis, in fratrem germanum *Henricum*, cui *Wratislauienſis* Ducatus ſorte obuenerat, pecuniarum &

Boleslaũ Legnicenſem ad bellum fratri inferendum animat,

1322. clenodiorum, rerumq; concupiſcibilium, profuſa donatione ſubornat. Qui cum ab eodem fratre *Boleslao* guerrarum & iniuriarum ſpoliorumque multiplici genere, vt in ſuperioribus præmiſimus, premeretur, cum eſſet vir pacificus, & bellis inconſuetus; ſed nec poſſet Ducatũs ſui, propter pauperiem, facere contra germanum, Regis *Bohemiæ* ſumptibus bellum ſibi inferentem, liberationem & repulſam, ad *Wladislaum Poloniæ* Regem, ſciens illum virum bonum & iuſtum, propinquo affinitatis gradu ſibi coniunctum, ſe totum conuertit, & *Wratislauienſem* ciuitatem & Ducatum ſibi perpetuò conceſſit & reſignauit, mallens illum a *Polonis*, quàm à *Bohemis* poſſeſſum iri. *Wladislaus* autem *Poloniæ* Rex, etſi poſſeſſionem Ducatûs & ciuitatis *Wratislauienſis* apprehenſam, aliquanto tempore illam gubernaſſet, & Ducis *Boleslai Legnicenſis* compeſcuiſſet conatus, expoſt tamen eiusdem *Henrici* Ducis paupertati compaſſus, Ducatum & ciuitatem *Wratislauienſem* ſibi reſtituit, vt & ſuæ fratrisque germani *Wladislai*, qui iam in Diaconum promotus erat, nubilibusque iam quatuor ſororibus, de dotibus & neceſſitatibus prouideat, & debitæ fidei ac beneuolentiæ viciſſitudinem rependat.

Henricus autem non potens ſe defendere

Regi Poloniæ Ducatum Wratisl. inſcribit,

quem tamen ille reſtituit.

Ioannes itaque *Bohemiæ* Rex, *Henricum* Ducem *Wratislauienſem* Ducatum recuperaſſe audiens, plurimùm gaudii & voluptatis ex hoc cœpit, qui de *Wladislai* Regis *Poloniæ* in *Wratislauienſem* Ducatum ſucceſſione ſpiritum amarum & anxium geſtauerat. Non igitur bellis & impreſſionibus contra illum, ſed callidis ingeniis & blanditiis vtendum ſatius putat. Propter quod illum ad ſe acceſſitum, multiplici honore & largitione pertractat, & tam liberalitate ſuâ, quàm aſtutiâ, ad reſignandum ſibi ciuitatem & Ducatum *Wratislauienſem*, inducit. Præfatus enim *Henricus Wratislauienſis* Dux, in *Boleslaum Legnicenſem* & *Bregenſem* Ducem grandi odio æſtuans, eius quoque impreſſiones & grauamina euitaturus, facilè in reſignationem & alienationem ciuitatis & Ducatûs *Wratislauienſis* militaribus & ciuibus etiam *Wratislauienſibus* ſuis conſiliis ad id eum impellentibus conſenſit. Recepto itaque à *Ioanne Bohemiæ* Rege oppidi *Kloczko* ſolùm ad vitæ tempora vſu & tenutâ, ciuitatem & Ducatum *Wratislauienſem* ſibi perpetuò reſignat, & de illo excedit perpetua donatione, licet cum graui Regni *Poloniæ*, de cuius corpore Ducatus & ciuitas *Wratislauienſis* ſemper fuerat, iacturâ & iniuriâ, Ducatum prædictum *Ioanni Bohemiæ* Regi inſcribendo. Venditio autem prædicta, non ſolùm in Regni *Poloniæ*, ſed etiam in duorum fratrum ſuorum germanorum, videlicet *Boleslai Legnicenſis* & *Bregenſis*, qui illum a Rege *Bohemiæ* pecunia corruptus, bello in ſuam pernitiem vexauerat, & *Wladislai* Diaconi, & trium filiarum, *Agnetis*, *Margarethæ*, & *Eliſabeth*, cedens diſcrimen; nec Diuino & humano iure, ſed ſola iniquitate, violentiâ, & impreſſione

Tandem aſtu Ioannis Bohemiæ Regis ſeductus

hunc ipſum Ducatum Bohemiæ Regi inſcribit.

1322. one. conſtat eſſe confecta. Quippe *Henricus* ipſe Dux *Wratislauienſis*, nullam poſteritatem ſui femoris virilem relinquens, nullâ arte iuſtâ aut ingenio reſignationis aut donationis huiuſmodi perpetuæ, poterat celebrare contractum. Qui cum eſſet tam ſceleſtus & iniquus, poterat, niſi potentia Regis *Bohemiæ*, & fauor militarium, & ciuium *Wratislauienſium*, qui in ſortem Regis *Bohemiæ* ſe lætabantur translatos, obſtitiſſet, quolibet iure per fratres *Boleslaum* & *Wladislaum* Duces, quibus eiuſdem ciuitatis & Ducatûs, obeunte *Henrico* Duce, debebatur ſucceſſio, reſcindi. Ab eo itaque tempore Ducum *Wratislauienſium* ceſſauit ſucceſſio, & ciuitas *Wratislauienſis* obedientiam Regis *Bohemiæ* profeſſa à *Poloniæ* Regni corpore ſe velut apoſtatatrix curauit ſubducere, & alterius ditionis apparere. Sed cenſus denariusque Sancti *Petri*, qui ex illa vniuerſa *Wratislauienſi* diœceſi præſtatur Summo Pontifici, & Eccleſiæ Cathedralis *Wratislauienſis*, per *Boleslaum* primum Regem *Polonorum*, & patrem ſuum Ducem *Myeſchkonem* fundatæ, *Gneſnenſi* Archiepiſcopo iure Metropolitico ſubiectio, multaque alia inſignia & decora, quorum obliteratio ſæpius tentata nunquam prouenit, ſed magis proluxit, clamant & demonſtrant *Wratislauiam Polonorum* Regni prouinciam fuiſſe, propitia Diuinitate ad corpus & vnitatem Regni *Poloniæ*, abrogato iniuſto ſuperboque imperio, quandoque rediturum, poſtquam Dominus *Polonicæ* plebi propitiatus fuerit, & *Poloni* ſordes ſcelerum ſuorum, ob quæ huiuſmodi mutilatio Regni eorum ſecuta eſt, dignis contributionibus abſterſerint.

Ab eoque tempore Ducatus iſte a regno Poloniæ alienatus eſt.

1323. *Boleslaus Legnicenſis a Ioanne Bohemiæ Rege Ducatum Wratislau. repetit,*

Wratislauienſis Ducatûs & ciuitatis donationem & alienationem nefariam & temerariam, ex cauſa ſceleſta, & contra ius faſque confectam, *Boleslaus Bregenſis* & *Legnicenſis* Dux, in cuius principaliter præiudicium redundabat, reſcindere adorſus, *Ioannem Bohemiæ* Regem monet precaturque per affinitatis iura, duas enim ſorores germanas vxores habuerant, *ne patrimonium ſuum, & ſortem hæreditariam, ad ſe & natos ſuos, morte Henrici ſexti Ducis Wratislauienſis ſecutâ, deuoluendam, Ducatum videlicet & ciuitatem Wratislauienſem, occupare iniuſtè contendat. Memor iuſiurandi, quod ſibi ſuper Diuiniſſimo Euchariſtiæ Sacramento præſtiterat, nunquam ſe ad terras & Dominia eum quomodolibet contingentia aſpiraturum, & contra quamlibet perſonam Eccleſiaſticam & mundanam ſe ſibi auxiliaturum. Repeteret inſuper ſuperiora tempora, ſub quibus in difficili & periculoſo temporum articulo, contra nonnullorum Bohemorum hoſtilitatem, vitæ & ſtatui ſuo inſidiantium, arma cum notabili ſuorum militum cateruâ, proprio ære, proprioque periculo, nullam conſecutus viciſsitudinem aut præmiationem, pro eo, & in ſui defenſam tulerit, quod illum propè ex Bohemia ignominioſè pulſum, per ſe & gentes ſuas reſtitueret; & pro tot officiis, deſiſteret ſaltem in eius grande damnum & præiudicium graſſari.* 1323.

A *Ioannes* verò Rex *Bohemiæ*, omnibus ferè quæ *Boleslaus* Dux *Bregenſis* commemorabat, ſilentio abſolutis, id vnum refellendum duxit. *Fateor*, inquit, *me tibi contra quamlibet perſonam auxilia deuouiſſe, ſed non contra me ipſum, quem promiſſione ipſa circumſcribebam.* Dum itaque irritatis magis, quam quietatis animis, alter in alterius odium inflatior inuicem diſcederent, *Ioannes Bohemiæ* Rex ciuibus *Wratislauienſibus*, iam ditionem ſuam & obedientiam profeſſis, mandauit, *quatenus ſibi Haynouiam, & Aureum Montem, quæ illis Boleslaus Bregenſis Dux pignori obligauerat, præſentarent:* comminatus *ſe ea per potentiam, niſi dicto parerent, recepturum.* Rediit inter- B ea ex *Maſouia Wladislaus* Subdiaconus, *Legnicenſis* Dux, germanus *Boleslai* Ducis *Bregenſis*, vbi veteri virgine filia *Boleslai Maſouiæ* Ducis, in matrimonium propter dotis quantitatem ducta, certo tempore, donec dotali pecuniâ conſumpta, etiam conſortem peroſus, inde remearet, immoratus fuerat. Is quoque Regem *Bohemiæ* accedens, *Legnicenſem* ei Ducatum, quem *Boleslaô Bregenſi* Duci in triginta duobus marcarum millibus obligauerat, venalem exhibuit: aſtruens Ducatum præfatum *Legnicenſem* ſortis ſuæ fore: de quo & ciuium *Legnicenſium* literas patentes produxit. *Rex* autem *Bohemiæ Ioannes*, ſolitâ vafriciâ vſus, literas quidem *Legnicenſium* ad ſe C recipiens, *deliberaturum ſe* Duci *Wladislao* reſpondit, *Boleslao* verò *Bregenſi* Duce in cameram paucis arbitris adhibitis accerſito, literas *Legnicenſium* ciuium monſtrat: monens *vt ipſe exemplum fratris Henrici Wratislauienſis Ducis ſequens, in ſuam & Regni Bohemiæ ditionem concederet, ablaturum ſe illi Ducatum Legnicenſem minitans, ſi calcitraret.* Territus *Boleslaus Bregenſis* Dux huiuſmodi denunciatione, & propter facultatum ſuarum diminutionem, ex prodigo ſumptu & largitione ſecutam, parum animi ad reſiſtendum habens, periculum & altius, alienationem quoque *Legnicenſis* Ducatûs veritus, *Ioannis Bohemiæ* Regi ſe ſubiecit, & aliena illicitè appetens, pri- D uatur propriis, & tam ſibi, quam filiis, fratribus, & poſteris connectit iugum, & catenam miſerandæ ſeruitutis.

dolo tamen malo eundem cum iiſdem Ducatibus in ſuam ditionem Rex redigit.

Notabili militum ex *Poloniæ* Regno *Bohemia*, & *Miſchna*, numero, videlicet *Bernardo* Duce *Swidnicenſi* cum gente ſuâ, item Domino de *Sueuia*, item duobus de *Rheno*, in *Pruſſiam* pro agenda in barbaros militia, aduentante, Chriſtianorum exercitus, Cruciferis illum dirigentibus, in *Lithuaniæ* & *Samogithiæ* oras deſcendens, primum diſtrictum vnum *Varken*, deinde alios duos *Ruſcigen* & *Erlogen* vaſtat, & caſtrum *Piſten* conquirit. Barbaris autem diſtrictuum præfatorum callido & vafro ingenio facientibus deditionem, & ſe ſingula obedienter implere pollicentibus, à cæde

Chriſtianorum vna in Lithuanos,

1324. à cæde & captiuitate eorum temperatum eſt, neque in vicos eorum ſæuitum. Sub idem autem tempus *Lithuaniæ* Dux in *Liuoniam* expeditionem agens, Epiſcopatu *Darbatenſi*, & aliis diſtrictibus vaſtatis concrematiſque, quinque millia Chriſtianorum apud *Liuoniam* captorum, cum cætera præda & ſpoliorum multitudine in Lithuaniam deduxit. Eam moleſtiam Chriſtianorum exercitus vindicaturus, etſi alteram iam appetente hyeme, in *Lithuanos* & *Samogithas* expeditionem egiſſet; aſperitate tamen hyemis preſſus, nullo memorabili edito opere, in *Pruſſiam* remeat. Verùm *Dauid* caſtri *Lithuanorum Barthin* Præfectus & Capitaneus, nihil frigoris intenſione motus, cum frequentibus copiis in *Pruſſiam* ingreſſus, diſtrictum *Keuel* in *Liuonia* vaſtat. Et pluribus Chriſtianorum interfectis, Eccleſiis quoque incenſis, & ſacris vaſis receptis, Sacerdotibus quoque Domini aut cæſis aut captis, quinque millia captiuorum ſecum ferens, in ſua ſe recepit, cum prædâ ingenti. *Lithuani* deinde & *Samogithæ*, ſub eadem hyeme ciuitatem *Memel*, & tria caſtra in eius vicinio oppugnant & conquirunt. Et multis Chriſtianorum illic cæſis, aut captis, multiplicibus etiam ſpoliis potiti, tam ciuitatem quàm caſtra exurunt. Poſthæc diſtrictum *Wilow* adeunt, & ſtrage magnâ editâ, Commendatorem de *Kapiow* cum ſuo exercitu occidunt & confligunt, & cum multitudine captiuorum & ſpoliorum in *Lithuaniam* reuertuntur. Vaſtauit & *Dauid* Capitaneus *Lithuanorum* de *Barthin Maſouiæ* Ducatus, & pluribus villagiis, Eccleſiis, & vicis ſpoliatis & incenſis, hominibuſque aliquibus cæſis, etiam plures agreſtes in *Lithuaniam* deduxit.

& quatuor borum in illos expeditiones.

Lithuani Pruſſiam & terram Dobrzinenſem vaſtant,

Lithuanorum Princeps de ſuis aliiſque gentibus exercitu collecto, videns ſibi ſuperiores terrarum *Poloniæ* vaſtationes impunè, vaſtationem verò *Pruthenicam* proſperè & votiuè ſucceſſiſſe, furtiuis clandeſtiniſque itineribus in terram *Dobrzinenſem*, quæ tunc a Duce *Wladislao Semouiti* filio, *Wladislai Poloniæ* Regis germano nepote tenebatur, inſiliunt. Ad oppidum autem *Dobrzinenſe*, caput terræ, in die Conuerſionis Sancti *Pauli*, vel ſecundum alia annalia, in die Exaltationis S. *Crucis*, oppidanis impetum eorum & ſubitum aduentum non præſentientibus, irruentes, illud primò comprehendunt, & illo ignis voragine conflagrato, terram *Dobrzinenſem* diebus aliquot, ſenes & impuberes occidendo, variis complent ſpoliis & cædibus. Deinde more ſuo certatim & feſtine iiſdem ſyluis & latebris, quibus venerant, ducentes ſecum hominum grandem numerum ad nouem millia æſtimatum, & ſpoliorum prædarumque magnam ſupellectilem, in ſua tuguria *Lithuanica* redierunt. Duplici tamen agmine a militibus, qui ex *Rheno* & *Bohemia Pruſſiam* aduenerant, & a Cruciferis inuaſi, multa, non faciendo locum pugnæ, pertulerunt incommoda, igneque in tecta, & in barbaros ferro ſæuitum eſt, multiſque profligatis & cæſis, non mediocris numerus ſpoliorum & captiuorum in *Pruſſiam* relatus. 1323.

quibus maxima pars ſpoliorum eripitur.

Valetudine aduerſa *Geruardus Wladislauienſis* Epiſcopus, in Curia *Romana*, quæ tunc ſub *Ioanne* vigeſimo ſecundo in *Auinione* conſiſtebat, infirmatus, dum illic annos ſeptem, iura Epiſcopatûs ſui *Wladislauienſis*, quæ Magiſter & Ordo Cruciferorum de *Pruſſia* peſſundare moliebantur, heroico ſpiritu defendendo, exegiſſet, ad vltimum inualeſcente ægritudine, ad extremam horam perueniens, prima die menſis Nouembris, ſpiritum Chriſto reddidit, & in Eccleſia S. *Ioannis* Euangeliſtæ fratrum Prædicatorum requieſcit tumulatus; in Pontificatu *Wladislauienſi* tribus & viginti annis exactis. *Ioannes* autem Papa prædictus, Capitulari electione non expectatâ, cum vacatio Eccleſiæ *Wladislauienſis* reſeruatione in corpore iuris clauſa, eſſet ſolius Sedis Apoſtolicæ prouiſioni reſeruata, *Matthiæ* de *Golanczeuo* Decano *Wladislauienſi*, tunc in *Auinione* præſenti, de Epiſcopatu, tertia menſis Decembris, & Pontificatu *Ioannis* Papæ prædicti anno ſeptimo, prouidet, & ipſum Eccleſiæ *Wladislauienſi* præficit in Paſtorem. Qui de mandato Summi Pontificis, a *Petro* Epiſcopo *Peneſtrino* Cardinali in Epiſcopum Idus Ianuarii anni ſubſequentis conſecratus, in *Poloniam* ad Sedem ſuam rediit, & fauore *Wladislai Poloniæ* Regis ſuam prouiſionem & conſecrationem gratificante, à Clero & populo proceſſionaliter exceptus, pacificam Eccleſiæ ſuæ adeptus eſt poſſeſſionem. Cognominatus autem eſt præfatus *Matthias* Epiſcopus *Páluká*, vir Nobilis de domo & familia *Bipennium*, de villa *Rozniathani*, ex Patre *Sławnik* Caſtellano *Naklenſi* ortus. Cuius mater dum duodecim filios partu prodigioſo & vno effudiſſet, cæteris omnibus eodem die quo geniti & baptizati fuerant extinctis, *Matthias* præfatus ſolus ſuperuixit, qui de illorum numero vnus aſſeritur extitiſſe.

Geruardus Epiſc. Wladislauienſis moritur, cui ſuccedit Matthias.

Ludouicus Bauariæ Dux, *Romanorum* Rex, competitore ſuo in *Romanorum* Regno *Friderico Auſtriæ* Duce, cum auxilio *Ioannis Bohemiæ* Regis deuicto, & deinde ſibi pacificato & reconciliato, *Italiam* ingreditur, & obſeſſa *Piſa* ac deuicta, *Romam* aduenit, magnâ populi lætitiâ ſuſceptus. Vbi in contumeliam *Ioannis* Papæ vigeſimi ſecundi, quoniam *Friderico Auſtriæ* Duci contra ipſum fauerat, fratrem *Petrum* de *Cronaria* Ordinis Minorum in Papam eligit. Qui illicò vt ſuæ inſaniæ nihil deeſſet, nouos Cardinales creat, & *Ludouicum Romanorum* Regem in Imperatorem in Eccleſia S. *Petri* coronat. Et ab illo die ſchiſma magnum in Eccleſia Dei inualuit, *Ioanne* Papa cum Curia ſua in *Auinione* conſiſtente. Intelligens autem *Ludouicus Romanorum*

Ludouicus Imp. Romam veniens, & ab eo coronatur. Tandem cum Papa & Car-

1323. *dinalibus in Almaniam rediit*

norum Imperator *Italorum* animos fluxos & variabiles fore, & tradimentum à *Romanis* veritus; *Ioannes* enim Papa ingeniis vtens, duos Cardinales, vnum de domo *Columnenſi*, alium de domo *Vrſinenſi*, creauit; relictâ *Româ* & *Italiâ*, ducens ſecum Papam & Cardinales ab eo creatos, in *Almaniam* rediit, & quadraginta duos annos imperans, & cenſuras Apoſtolicas nihili pendens, dum venationi daret operam, cadens ex equo colliſus, ceruice fracta, expirauit.

Wladislaus Dux Dobrzinenſis Lithuanis non valens reſiſtere,

Dobrzinenſis terra per *Lithuanicam* inuaſionem, & per Cruciferorum de *Pruſsia* continuam vexationem, qui illam prædis & ſpoliis, partim publicis, partim ſecretis, non ſinebant quietam eſſe, vehementer afflicta, & penitus deſolata, *Wlatislaus Dobrzinenſis* Dux, & *Wladislai Poloniæ* Regis germanus nepos, videns quòd prædictam terram non valeret aduerſus duos aduerſarios potentes defendere, veritus etiam ne terra ipſa in Cruciferorum venire cogeretur ditionem, ſano vſus conſilio, ad *Wladislaum Poloniæ* Regem, *Cracouiæ* tunc agentem, perſonaliter venit, illumque obſecrat & rogat, *quatenus ſibi & genitrici ſuæ Anaſtaſiæ, relictæ olim Semouiti Ducis Dobrzinenſis, in magno anguſtiarum diſcrimine conſtituto, ſubueniat, & aliquod Dominium, in quo cum matre ſua prædicta, honeſtum ſtatum ducere poſsit, conſignet; poſt mortem ſuam, cum orbus ſine liberis eſſet, ad ipſum & Regnum Poloniæ reuerſurum: quodque terram Dobrzinenſem cum caſtris & municipiis illius ab eo acciperet reſignatam, ne eam à barbaris, vel cruciferis occupari contingat.* Profitens *ſe non poſſe intendere ad illius defenſionem.* *Wladislaus* autem *Poloniæ* Rex, communicato Conſiliariorum ſuorum conſilio, precibus præfati *Wladislai* Ducis *Dobrzinenſis*, & iure permotus ſaguinis & neceſſitatis, ampliora quàm petebat, terram videlicet & Ducatum *Lanciciensem*, tam vberi glebâ, quàm introitibus, aliiſque conditionibus optimis, terrâ *Dobrzinenſi* multò ſuperiorem, ſibi, & matri ſuæ Duciſſæ *Anaſtaſiæ*, ad vitæ duntaxat tempora concedit, largitur, & inſcribit, & ſibi illius dat plenam poſſeſſionem; terrâ nihilominus *Dobrzinenſi* ab eo receptâ. Cuius deſolationibus & ruinis *Wladislaus* Rex *Poloniæ* plurimùm compatiens, ad eius defenſionem, locationem, & refectionem, plurimos ſumptus & curas (ſingulari enim ad illam afficiebatur charitate, tanquam eam, quæ auitâ ſucceſſione illum contingebat) impendit.

terram Dobrzinenſem Regi Poloniæ perpetuo titulo donat.

Ad componendam differentiam & litem, annis iam aliquot inter Archiepiſcopum & ciues Rigenſes ab vna, & Magiſtrum *Liuoniæ* fratreſque ſuos, partibus ex altera, graui odio vigentem, duo Apoſtolici Nuncii *Rigam* perueniunt. Qui Ducem *Lithuaniæ Gediminum* adeuntes, relinquere idola, & fidem Chriſti perſuadebant ſuſcipere. Omnes tamen eorum conatus reciderunt in irritum.

Nuncii Pontificii Ducem 1324. ***Lithuanorum conuertere nituntur.***

Sub quo tempore *Dauid* de *Garthin* Capitaneus, A iuſſu eiuſdem Ducis *Gedimini*, terram *Maſouiæ* hoſtiliter inuadens, oppidum *Poltowsko* Epiſcopi *Plocenſis*, & centum triginta villas in circuitu, in die Sanctæ *Eliſabeth* inuadens, cædibus, flammis, & ſpoliis vniuerſa vaſtauit, & triginta Eccleſias Parochiales igne deleuit, & quatuor millia hominum in captiuitatem duxit. Alius quoque *Lithuanicus* exercitus in *Liuoniam* deſcendens, & eam in aliquot locis vaſtans, prædam cum captiuis reduxit.

At ille ſub idem tempus Maſouiam & Liuoniam vaſtare iubet.

1325. ***Wladislaus Rex propter Lithuanorum potentiam***

Sollicito ſtudio & ſedulâ meditatione perpendens *Wladislaus Poloniæ* Rex, plures terras Regni ſui *Poloniæ*, *Lithuanorum* furtiuis & clandeſtinis inuaſionibus, abductis colonis & inhabitatoribus, vacuatas & deſertas eſſe: B *Lithuanoſque* raptâ prædâ, pugnandi facultatem non facere, ſed in terras ſuas ſyluis denſis, fluminibus, lacubus, & paludibus ſtagnoſis clauſas, lupino & ferali more reuerti. Quas ſi illum cum exercitu ingredi, ad refellendas propulſandaſque iniurias contingeret, verebatur ne exercitus ſuus fame, defectuque victualium, (neque enim terra illa tunc ferebatur; ſed *Lithuani* ſylueſtribus feris, & piſcibus aquaticis contenti, agriculturam, & cætera ad vſum & voluptatem hominum pertinentia negligebant) contabeſceret, vel cum pudore iacturaque ſui ampliori, quàm hoſtili rediret, vel hoſtili impugnatione languidatus, C fame periret, aut in ſyluis ignoratis circumuentus, turpem deditionem aut ignominioſam mortem ſubire cogeretur. His igitur crebra deliberatione cum Prælatis & Baronibus ſuis calculatis & digeſtis, dum efficax remedium pro reſcindenda *Lithuanorum* lupinâ inuaſione diu quæſitum reperiri non poſſet, illud captum & tractatum eſt, quatenus affinitates & parentelæ cum illis iungerentur, ſi quo modo homines ferales ad manſuetudinem victumque humanum poſſent deduci. *A Gedimino* itaque *Lithuanorum* pro ea tempeſtate Principe ſupremo, miſſis procis *Wladislaus Poloniæ* Rex filiam in coniugem filio ſuo Principi *Caſimiro* dari optat: non aurum, non argentum (expertes enim horum omnium tunc *Lithuani* erant) ſed omnium captiuorum, qui D ſuperioribus annis in *Poloniæ* regionibus per *Lithuanos* capti & abducti erant, reſtitutionem, pro dotalibus muneribus ſecum laturam. Cum magnâ gratulatione *Gediminus Lithuaniæ* Dux, procis auditis, in affinitatem huiuſmodi vltroneum, iuxta conditionem interpoſitam, præſtat conſenſum: & Nunciis Regiis filiam ſuam tradens, omnes *Polonorum* captiuos, cuiuſcunque ſexus, ſtatus, & conditionis, relaxat, & in Poloniam ad ſedes ſuas, incolumes remittit. Relaxatione itaque captiuorum dotata nupta, *Cracouiam* perueniens, *Nankero Cracouienſi* Epiſcopo de fide

Filiam Gedimini eorum Ducis filio ſuo Caſimiro deſponſat

de

1325.

de inſtructa, gentili errore depoſito, & barbaro nomine abrogato, in *Cracouienſi* Eccleſia ni vigilia *SS. Petri & Pauli*, baptiſmatis A vndâ abluta eſt, & *Anna* nominata. Quam *Caſimirus* Princeps filius Regius, qui iam annum ſedecimum attigerat, in parentis vtriusque, & Prælatorum Baronumque præſentiâ, in eadem *Cracouienſi* Eccleſiâ, agente *Nankero Cracouienſi* Epiſcopo, miſſarum ſolennia, deſponſat, & nuptiæ iuxta magnificentiam Regalem *Cracouiæ*, cum magna omnium hilaritate & tripudio celebrantur. Pace autem per huiuſmodi affinitatem inter *Polonos* & *Lithuanos* compoſitâ, hi qui ex *Lithuania* ſoluti erant, & alii *Poloniæ* inhabitatores, ſecuritate bona præſtita, terram diutius ferentem ſterilitatis opprobrium, colere adorſi, ſub breui tempore mirum in modum, non veteres ſolùm, ſed & nouas, in crudaque radice locatas villas, fecerunt habitabiles: & multorum hominum locatione, Diuinitate præſtante fœcunditatem tam hominibus quàm *Lithuanis*, locupletem & refertam, tam *Polonis* quam *Lithuanis*, a bellis, quibus ſe impetere conſueuerant, quieſcentibus, & magnam inter ſe obſeruantibus vnionem & charitatem.

Qua ex re denuo Regnum florere cœpit.

Cracouienſes & *Sandomirienſes* milites iuſſione *Wladislai Loktek Poloniæ Regis Maſouiam* hoſtiliter ingreſſi illam magnâ depopulatione vaſtant. Et ciuitate *Plocenſi* conquiſitâ, flammis ipſam tradunt, pluribus ſpoliis illic potiti. *Venceslaus* enim, aliàs *Vaniek Maſouiæ* Dux, conditionis ſuæ oblitus, & felicibus ſucceſſibus Regni *Poloniæ* tortus, cum Cruciferis de *Pruſſia* fœdere inito, eorum hoſtilitatem infeſtam, contra Regnum *Poloniæ*, omnibus ſuis conatibus & ſtudiis adiuuabat. In cuius vltionem expeditio ipſa cum colliſione gentis propriæ acta eſt.

Poloni Plocenſem ciuitatem conquirunt.

Hoſtili lupinoque impetu, qui à *Lithuanis* terris Regni *Poloniæ* ſolebat inferri, ſublato, & propter quem in cæteros aduerſarios & rebelles crebro diſpoſitam expeditionem intermitti oportebat, *Wladislaus Poloniæ* Rex, reuocatis in animum ſuum plurimis ſcandalis & iniuriis, quibus Regnum *Poloniæ* Rex, per Marchiones *Brandeburgenſes* ſuperiori tempore, & interfectione doloſâ *Przemislai* Regis, & in vaſtatione terræ *Pomeraniæ*, ac eiuſdem iniquâ venditione, fuit multifarie laceſſitum, expeditionem eâ æſtate contra *Marchiam Brandeburgenſem* & *Voldemarum* eius Marchionem indicit. Et contractis magnis ſuarum gentium copiis, auxiliis etiam vicinorum populorum, videlicet *Ruthenorum*, *Valachorum* & *Lithuanorum* ſtipatus, *Marcham Brandeburgenſem* citra & vltra *Odram* ſitam, poſt feſtum *S. Ioannis* Baptiſtæ ingreditur, & a *Brandeburg* vſque ad *Franckfordiam*, quantò latius fieri poterat, populationem iuſſit extendi; neque expugnationi caſtrorum aut vrbium intendit, ſed omnia rura & villæ

Wladislaus Rex memor iniuriarum, quos Regno Poloniæ Brandeburgenſes Marchiones intulerant,

1326.

dabantur in deprædationem & flammam. Et cum vniuerſam *Marchiam* complendo omnia ſpoliis, cædibus, & flammis, ſine reſiſtentiâ aliquali plurimum itineris conficiens pertranſiſſet, pedeſtribus copiis firmauit caſtra, equitibus in hoſtium agrum nondum violatum excurſionem facere iuſſis. A quibus dum præda omnis generis, hoſte nunquam reſiſtere audente, adducta fuiſſet, (neque enim Marchiones *Brandeburgenſes* in patulum prodire, aut acies conſerere cum potentiis ſuis auſi erant) ditatus prædâ ingenti & ſpoliis, magniſque rerum copiis, cum vniuerſo exercitu ſuo, ſanus & incolumis, *Saxonibus* humiliatis & debellatis, pluribusque eorum in captiuitatem abductis, talione redditâ, in B *Poloniam* felix & ſoſpes triumphator rediit. Multa fœda in ea expeditione, & in Eccleſias Dei, & monaſteria ac miniſtros eorum, in virgines quoque & matronas, a barbaris, cum *Polonis* vna militantibus, *Wladislao* Rege *Poloniæ* nequicquam auſus ſacrilegos & nefarios inhibente, commiſſa ſunt, & impuberes atque ſenes cæſi. In captiuitatem verò miſerabilem à *Polonis* & *Lithuanis*, plusquam ſex hominum millia abducta. Sanctimonialis quædam, ne ſtupri vim à barbaro pateretur, *inſtructuram ſe illum, ſi ſe ab ea abſtineret*, ſpopondit, *quo pacto nullo vnquam ferro poſſet violari: experimentum promiſſi, feriendo ceruicem eius primùm ſumpturus.* Id dum barbarus exequitur, virgine occiſâ ludificatus, C didicit ſeruandæ vindicandæque pudicitiæ gratia, in id facinus ab ea ſe acceſſitum: morte ipſâ exemplum relinquens, menti honeſtæ atque Deo dicatæ, magis pudicitiam curæ eſſe, quàm vitam. Miles quidam *Polonus Andreas* ex *Maſouia*, iniurias ſuas & gentis ſuæ a *Dauid Lithuano* Capitaneo in *Garthin* illatas, æſtuans vltum iri, in *Lithuanicum* exercitum, iam tunc à *Rege Poloniæ* licentiatum, venit, & præfatum *Dauid* in omnium conſpectu obtruncans, perſequentium illum *Lithuanorum* manus effugit. Centum quadraginta villæ, totidem Eccleſiæ igne conſumptæ. Duo Griſeorum, & duo Monialium monaſteria D exuſta.

omnem Marchiam depopulatur & vaſtat,

& cum maxima præda redit in Poloniam.

Sexta Maii *Bernardus Sleſiæ* & *Swidnicenſis* Dux, gener propter filiam *Wladislai Poloniæ* Regis obiit. Cuius filius vnicus *Boleslaus* ſibi ſuccedens, fidelitatem incontaminatam erga Regnum *Poloniæ* ſeruans, aliis omnibus Ducibus *Sleſiæ* a Regno *Poloniæ* apoſtatantibus, & ſe in ſeruitutem Regis & Regni *Bohemiæ* dedentibus, in fide & obedientia Regis & Regni *Poloniæ* ſolus durauit, furore & inſania plenum ducens, propriis & naturalibus Regibus neglectis, *Bohemicos* præponere.

Bernardo Sleſiæ & Swidnicenſi Duci filius Boleſlaus ſuccedit.

Sub hoc anno & tempore *Nankerus Cracouienſis* Epiſcopus, per Ioannē Papam vigeſimū ſecun-

Nankerus Ep. Cracoui-

1326. ſecundum, ad Eccleſiam *Wratislauienſem*, per mortem primùm *Henrici* de *Wyerzbna*, deinde *Viti* vacantem, translatus eſt. Translationis autem ſuæ ea potiſſimum fuit cauſa, quòd dum Eccleſia *Wratislauienſis* per mortem *Henrici* de *Wyerzbna* Epiſcopi *Wratislauienſis* viduata extitiſſet, fuit ſuper ea integro ferè ſeptennio & amplius, per duos, *Vitum* videlicet & *Lutoldum*, in diſcordia electos, in Curia *Romana* litigatum. Et licet *Vitus* triumphaſſet, vix tamen octo diebus poſt victoriam ſuperuiuens, morte, vt monſtrauimus, fuit ſubtractus. Ne igitur præfatam Eccleſiam *Wratislauienſem*, lite ſuperiori depreſſam, nouis litibus & iacturis inuolui contigiſſet, Epiſcopus *Nankerus* poſtulationi de ſe per *Wratislauienſe* Capitulum, quòd Eccleſiam *Wratislauienſem* prouidentiâ & ſagacitate ipſius *Nankeri* inſtaurari & refici credebat, conſenſit: alapæ etiam contumelia, quam a *Wladislao Loktek Poloniæ* Rege, pro executione iuſtitiæ, & defenſione iurium Eccleſiæ ſuæ *Cracouienſis*, conſtanter ſe opponens, patienter pertulit, ipſum impellente, dum in Eccleſia *Cracouienſi* ſex annis cum dimidio perſediſſet.

uienſis fit Epiſc. Wratislau.

cui ſuccedit Io. Grotho.

Nankero autem *Cracouienſi* Epiſcopo in *Wratislauienſem* Eccleſiam translato, *Ioannes Grothonis* de *Stupcza*, nobilis de domo *Rauitarum*, ſuccedens, à *Ioanne* vigeſimo ſecundo Papa in Epiſcopum confirmatur *Cracouienſem*. Et licet *Wladislaus Poloniæ* Rex alium, videlicet *Othonem* Præpoſitum *Gneſnenſem*, Cancellarium Regni *Poloniæ*, in Epiſcopum *Cracouienſem*, miſſis etiam ob id ſpecialibus Nunciis, promoueri inſtituiſſet: *Ioannes* tamen Papa, de conditione *Ioannis Grothonis*, & an viueret (in ſtudio enim *Bononienſi* alter alterius familiaritatem contraxerat) inquirens, Nunciis Regiis eum de moribus, prudentia, & ſcientia, ignorantibus, id negotio ſuo nociturum, efferentibus: Papa *Ioannes* precibus *Wladislai Poloniæ* Regis neglectis, *Ioannem Grothonis* de *Stupcza*, velut ſuum notum & contubernalem, pronunciat & promouet in *Cracouienſem* Epiſcopum, motu proprio, & ipſo *Ioanne* penitus ignorante. Qui decima octaua Iunii, in anno ſubſequenti, in *Cracouienſem* Epiſcopum conſecratur per *Ianislaum Gneſnenſem* Archiepiſcopum. Is erat nobilis genere, ex patre *Grothone*, & matre *Anna*, de domo & familia *Rauitarum*.

1327. Principes *Poloniæ Sleſiam* iure ſucceſſionis paternæ obtinentes, *Bohemorum* Regno vicini, & ſignanter *Oppolienſis*, *Teſchnenſis*, *Glogouienſis*, *Legnicenſis*, *Zeganenſis*, *Oleſchnicenſis*, *Stinauienſis*, *Falkembergenſis*, & *Bregenſis*, in acerbam inuidiam, moleſtamque amaritudinem prouocati, quòd *Wladislaus Loktek* ſibi impoſuerat Regni *Poloniæ*, ipſis inconſultis & inuitis, diadema: quòd ſe *Poloniæ* Regem vocitabat & gerebat; cum *Poloniæ* Dominia potiora ſub eorum Ducatibus conſiſterent, minorque & inferior portio, in qua *Wladislaus* Rex *Poloniæ* imperitabat eâ, in quibus ipſi principabantur, videretur. Vnde illum non *Poloniæ* Regem, ne appellatio ipſa in ignominiam vulgata, amplitudinem eorum priſcam diminueret, titulisque eorum detraheret & aboleret fulgorem; ſed *Cracouienſem* Regem & ipſi vocitabant, & a ſuis ſubditis mandabant vocitari. Veriti tamen ne *Wladislaus* Rex *Poloniæ*, aut aliquis eius in Regno *Poloniæ* ſucceſſor mactæ virtutis adeptus potentiam, illos aut eorum filios, vel nepotes, ſibi in Regno *Poloniæ* faceret feudales & ſubiectos; pluribus congregationibus mutuò habitis, & quid illis pro euitando iugo, per parem quondam Principem, ſed etiam nunc vix dimidiam & humiliorem partem Regni *Poloniæ* obtinentem, imponendo facere expediat, crebris tractatibus decoquunt. Inuidia autem, qua *Polonorum* genus enixius, quam cæterarum nationum vigere, prout in initio operis præfatus ſum, operante, ad id Ducum præfatorum, & eorum Conſiliariorum peruenit maligna conſpiratio, & conſenſus, vt ad *Ioannem Bohemiæ* Regem, tunc ſuaptè *Wladislao Poloniæ* Regi hoſtem infeſtum deficiant, & in illius iugum & feudum, nulla amplius re quàm liuore impellente, & nonnullis cauſis, quas expreſſimus, ſe transferrent. Abrogata itaque nobilitatis ſuæ libertate, qua in eum vsque diem perfuncti erant, tam ſtirpi ſuæ vetuſtæ, qua ex Regum *Poloniæ* Illuſtriſſima domo originem acceperant, quam poſteritati ſuæ futuræ impium dedecus, pectore inuidia deprauato, inuſturi; ad prædictum *Ioannem Bohemiæ* Regem, liberalitate & largitionibus etiam eos ad ea quæ animo deſtinauerant, inuitantem, *Pragam* accedunt; & ſtirpis, conditionis, atque nobilitatis ſuæ obliti, in iugum feudumque *Bohemicum* ſe ſupponunt, & præfato Regi *Bohemiæ* præſtant cum ſuis Baronibus & nobilibus homagium, & fidelitatis atque obedientiæ iuramentum. Neque tanti mali patratione contenti, in aliud facinus prorumpunt: candidam enim *Aquilam*, quæ eſt Regni *Poloniæ* vniuerſale inſigne, & quam ipſi quoque pro armis & Ducalibus ornamentis geſtare conſueuerant, immutant. Et hi quidem albam in nigram, alii glaucam, cum camporum varietate & permixtione, transmutant, ne quid commune cum *Poloniæ* Regno habere viderentur. Procurante autem humani generis hoſte, & ſuperſeminante in optima quondam terra lolium, Principes & nobiles *Sleſiæ* adeò *Polonos* contemptos & exoſos habere dehinc cœperunt, vt de eorum felicitate, amplitudine, & gloria, mordeantur & doleant; in eorum verò caſibus & infortuniis, magnoperè lætentur & exultent. Nec vlla gens in vicinatu Regni *Poloniæ* conſiſtens, fertur eſſe *Polonis*, quantum gens *Sleſitica*, magis aut inuida, aut infeſta. Qua in re etiam ſuam

Omnes Sleſiæ Duces ægre ferentes Wladislaum ſe Poloniæ Regem ſcribere,

ab eo ad Ioannem Bohemiæ Regem deficiunt,

eique homagium præſtant,

inſignia etiam ſua mutant.

1327. ſuam demonſtrat apoſtaſim, corrodendo vterum ſuum, a quo excidit, licet ab ea pietatis charitatiſque maternæ vbera, quibus quoslibet *Sleſiæ* Principes & alumnos, ad ſe in ſuis neceſſitatibus & preſſuris confugientes, iuxta ac proprios ſolatur & reficit, nunquam fuerint auerſa: ſperans aliquando in tam præcipitem errorem lapſos filios, ex regione diſſimilitudinis ad ſe ſuumque gremium, recognito excuſſoque errore, quandoque propitiatione inſpiratos ſupernâ, reuerſuros. Factionem autem præfatam Illuſtris Princeps *Boleſlaus Swidnicenſis* Dux, filius *Bernardi* Ducis, execratus, & reliquos *Sleſiæ* Principes ne eâ contaminarentur, prudentiſſima perſuaſione admonuit, & ipſe ne in eam prolabatur, quantumcunque altis Regis *Bohemiæ* oblationibus potuit peruinci, *Poloniæ* ſe Ducem clamitans, & à *Poloniæ* Regni vnitate & corpore nunquam diſceſſurum, fratribus, conſanguineis, & nepotibus ſuis, in vita & morte, ne in diſceſſionem ſequeſtrationemque huiuſmodi trahi ſe permitterent, interminans.

Vanko Dux Maſouiæ cum Pruthenis vaſtat Poloniam.

Vltima menſis Iulii, Cruciferorum exercitus, quem *Otho* Crucifer Prouincialis ducebat, & *Vanko Maſouiæ* Dux, qui eiſdem Cruciferis præbebat perſonalia auxilia, in terram *Cuiauiæ* facto hoſtili deſcenſu, vaſtant illam ſpoliis & flammis, caſtrum quoque *Kowale* circumuallantes expugnant, & concremant. Nec erubuit præfatus *Vanko Maſouiæ* Dux, vipereo more vteri ſui, nationis & gentis corroſor & vaſtator, cum gente *Maſouitica* exiſtere, & perfidiam grandem, nullo vnquam tempore abolendam, hircino fœtore olidiorem, de ſe, & genere *Maſouitico* relinquere poſteris: communione & conſanguineitate, identitate quoque ſanguinis, & idiomatis tam Dux ipſe, qui erat *Wladiſlai Poloniæ* tunc Regis nepos propè germanus, ex patre *Boleſlao* patruele fratre germano, Duce *Maſouiæ*, genitus, quàm ipſa gens *Maſouiæ*, quæ debebat excidium & Regni proprii, & gentis *Polonicæ*, non ſecus quam pernitioſam peſtem abhorrere, minimè attenta.

LithuaniSaxoniam vaſtant impune.

Nona menſis Martii, *Lithuanorum* Princeps, collecto ex propriis gentibus, aliis finitimis notabili exercitu, itineribus ſecretis & inuiis *Saxoniam* ingrediuntur, & circa *Francfordiam* ſupra *Odram* ſtatiuis poſitis, vniuerſam terram *Saxoniæ*, quamuis ſuperiori anno per *Wladiſlaum Poloniæ* Regem bello vexatam & attritam, in ſuis reſiduitatibus & reliquiis, barbarico furore inuadunt, *Saxoneſque* aut trucidant, aut capiunt. Et nemine aduerſante, raptâ præda, feſtinaque fuga, in *Lithuaniam* reuertuntur.

1328. Obſtinatos, & cenſurarum Apoſtolicarum rigorem contemptui habentes, Magiſtrum & Ordinem Cruciferorum de *Pruſia*, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex perpendens, actuſque nimiâ cordis anxietate, quòd patrimonium ſuum & hæreditatem, terram *Pomeraniæ* annis iam propè viginti occupaſſent, & eam detinerent occupatam, caſtra & fortalitia muris fortiſſimis erigendo in eadem, & omnia iura Diuina & humana, quibus eos *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, ad reſtitutionem dictæ terræ *Pomeraniæ* ſtringi inducique ſperabat, ducentes in ludibrium & abuſum: Sciens videnſq; ſibi patrocinium cenſurarum Apoſtolicarum, in quibus ſordeſcere quàm occupata reddere malebant, in nullo profuturum; quin imò Cruciferos rebellionis & maioris pertinaciæ animos induiſſe, expeditionem contra illos indicit, & auxilia à genero ſuo *Carolo Hungariæ* Rege, cæteriſq; vicinis Principibus contrahit, armis iniuriam ſuam, & Cruciferorum improbam temeritatem vindicaturus. 1328. ***Wladiſlaus Rex*** Ordinatis itaq; exercitibus, qui ex propria gente, & ex ſolatiis auxiliatorum, in grandi numero conuenerant, potenti virtute *Chelmenſem* terram ingreditur. Neque expugnationi caſtrorum aut vrbium intendit, ſed omnem terram *Chelmenſem* vsque ad *Oſſam* vaſtant, & omnes villas eius atque curias flammis conſumunt. ***Cruciferorum terras vaſtat.*** Peruagataque terra *Chelmenſi* & exuſtâ, nullam reſiſtentiam reperiens, (Cruciferi enim mœnia tantummodò tueri contenti, occaſionem pugnandi non faciebant, nolentes in apertum prodire diſcrimen: Itaque omnis regio nullo reſiſtente, facilè patuit direptioni) cum omni prædâ, & vniuerſis illic comprehenſis & quæſitis ſpoliis, ſanus & incolumis in *Poloniam*, deinde *Cracouiam* eſt feliciter regreſſus. Vbi præbitis donatiuis his, qui ſecum vnâ militauerant, externis auxiliis, eos plurimum pro virtute & merito cuiuslibet, honoratos & ornatos in propria remittit. In Ducem autem *Maſouiæ Venceſlaum* alias *Vankonem*, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex iuſtam iram gerens, quòd Cruciferos hoſtes ſuos publicè & clandeſtinè gentibus ſuis & victualibus in eo bello iuuerat, miſſo exercitu, omnem Ducatum ſuum igne & ſpoliis vaſtauit. In cuius vltionem viciſſitudinariam Crucifericus exercitus cum præfato *Vankone Maſouiæ* Duce & gentibus ſuis, terram *Cuiauiæ* hoſtiliter ingreſſus, eam ſpoliis & igne vaſtabant. Militibus autem *Poloniæ*, vaſtationem ſuam repreſſuris, in aciem prodeuntibus, duro certamine inter vtroſque commiſſo, frangitur Cruciferica & *Maſouitica* acies. ***eoſque cum Duce Maſouiæ vincit.*** Et Duce *Maſouiæ Vankone* per fugam ſibi & ſuis conſulente, Commendator *Thorunenſis*, Ductor Cruciferici exercitûs, ferè cum ſuis omnibus occiditur, & vniuerſus hoſtilis in exterminium datur exercitus.

Ioannes Bohemiæ Rex Cruciferis auxilio veniens.

Diſgreſſo *Wladiſlao Poloniæ* Rege ex terra *Chelmenſi*, & in *Cracouia* quieſcente, *Ioannes Bohemiæ* Rex Comes de *Lucemburg*, ſollicitatus multis Cruciferorum largitionibus & promiſſis, cum exercitu ex *Bohemis* & *Almanis* mercenariis militibus congeſto in *Pruſſiam* aduenit, Cruciferis auxiliũ contra *Wladiſlaum Poloniæ* Regem laturus. Cuius aduentu *Vernberus* de *Orſzela Pruſſiæ* Magiſter, qui poſtea ab vno de Ordine miſerabiliter interfectus occubuit, 1329.

1329. buit, & Ordo Cruciferorum in magnam ſuperbiam erecti, in *Dobrzinenſem* terram eodem *Ioanne Bohemiæ* Rege & exercitu ſuo comitatus, aciebus ordinatis, æſtate nunquam expectata, in Quadrageſimæ tempore deſcendit. Et caſtro *Dobrzinenſi* vallato, illud machinis proiectionibusq; lapidum, aliquot ſeptimanis nocte & interdiu quatiebat, gentibus Regiis ſtrenuam & animoſam opponentibus defenſam. Tandem montibus, propugnaculis, & munitionibus demolitis & dirutis, caſtrum *Dobrzinenſe* Magiſter prædictus, per deditionem *Pauli* de *Spiczimir* dicti *Ogon*, Palatini *Lancicienſis*, qui in illo tunc erat Capitaneus, & aliarum gentium Regiarum, qui nullatenus ad eius defenſionem poterant ampliùs intendere, comprehendit, & totam terram *Dobrzinenſem*, Præfectibus & Tenutariis Regiis, & his nobilibus, qui violare fidem Regi promiſſam nefas ducebant, excluſis, in ſuam redegit poſſeſſionem atque poteſtatem. Committebant autem Regii milites cum gentibus Cruciferorum particularia certamina, & multos ex illis, & præſertim qui frumentatum pabulatumque ibant, referebant triumphos. Sed, & naues, in quibus flumine *Visla* vehebantur pro Rege *Bohemiæ* & Cruciferorum exercitibus victualia, ſuffocatis gentibus eas ducentibus, intercipiebant, & Cruciferorum agmina quàm maximè laceſſebant. Occupatione autem terræ *Dobrzinenſis* & caſtri non contenti, nono Calend. Maii in ciuitatem *Wladislauienſem*, frater *Kerſtang* Crucifer, qui caſtrũ *Dobrzinenſe* tenebat, cum multitudine exercitûs ex eodem caſtro improuiſe adueniens, Eccleſiam Cathedralem & ciuitatem *Wladislauienſem*, & ſingulas Canonicorum domos ſpoliat, & ipſam Eccleſiam, cui ſæpè barbari pepercerant, cum ciuitate & domibus Canonicorum, igne ſuppoſito exurit: Sanctorum reliquias quæ ſeruabantur in ea, nouo quinimò nefando ſacrilegii genere, cum omni decore & ornatu eorum, & nonnullos homines, Eccleſias quoque & villas in circuitu, ignis incendio concremârunt, & quamplures etiam alios in cœmiterio eiusdem Eccleſiæ, crudeliter occiderunt. *Matthiæque* Epiſcopo & Canonicis eiusdem Eccleſiæ, ac aliis Clericis, laicis, & inhabitatoribus ciuitatis *Wladislauienſis*, poſt combuſtionem ipſius, ſub pœna capitis, & mutilatione membrorum prohibentes expreſſe, ne domos ſeu quoduis aliud ædificium ædificare illic quouis modo præſumerent. Territorium inſuper *Czechocin*, ad menſam Epiſcopalem pertinens occupantes, nulli alii, niſi Magiſtro & Ordini cenſus & datias, ac tributa mandabant ſolui, & in omnibus deferri & obedire. Deducit poſthæc & *Ioannes Bohemiæ* Rex, & Magiſter *Pruſſiæ Vernherus* ſuos exercitus in *Maſouiam*, & ciuitate *Plocenſi* per plures dies impugnata & obſeſſa, maximis ſpoliis & incendiis *Maſouiam* afficiunt: Duce autem

caſtrum & terram Dobrzinenſem,

deinde Wladislauiam occupat, Eccleſiaque illic combuſta,

etiam Ducem

A

B

C

D

Maſouiæ obligante ſe *Ioanni* Regi *Bohemiæ*, vt ei tanquam *Poloniæ* Regi ſubeſſet, obſidio ſoluta eſt. Crudelitatem corde geſtatam, & odium in *Polonos* depromens, dum non in humanas ſolùm, ſed etiam in ſacras ædes, & ei virgini, cuius ſe falsò Regulares profitentur, dicatas, flammis & ſpoliis graſſaretur: violentam inſuper, & quandoque perituram ſciens ſe Magiſter & Ordo habere terræ *Pomeraniæ* poſſeſſionem, à *Ioanne Bohemiæ* Rege prædicto, qui ſe, vt ſuperiùs memorauimus, non ſolùm *Bohemiæ*, ſed & *Poloniæ* Regem & gerebat & titulabat, data grandi argenti aurique pecuniarum ſummâ, petit terram *Pomeraniæ*, velut per Regem *Poloniæ*, & plenam ad id poteſtatem habentem, de nouo conferri, donari, & inſcribi venditionem & reſignationem: *Voldemari* & *Ioannis* Marchionum *Brandeburgenſium*, qu.m ſuperius commemorauimus ratus, prout erat, inanem & irritam, & absque viribus eſſe, nullitatem iuris magis quam efficaciam oſtenſuram. *Præfatus* autem *Ioannes Bohemiæ* Rex, & ſacra auri cupiditate, & liuore, quo in *Wladislaum Poloniæ* Regem flagrabat, illectus, prædictam terram *Pomeraniæ*, nullo iure, titulo, vel proprietate eundem contingentem, præfato Magiſtro *Pruſſiæ Vernhero* & Ordini Cruciferorum, donat, largitur, reſignat, & inſcribit; ab omni poſtera ridendus ætate, qui ad eam leuitatem temeritatemque, ſe prece & pretio trahi permiſit, vt alienas terras & Dominia vſurpatione nefariâ venderet; & ementium improbâ inſtantiâ & largitione pellectus, ſortes hæreditatesque alienas, pro libito donaret & conferret. Poteſt etiam in præmiſſis maximus ambitionis Cruciferorum Ordinis ardor notari, qui, vt terræ *Pomeraniæ* occupatio eis poſſet licentiùs prouenire, donationem præfati *Ioannis Bohemiæ* Regis, de prædicta terra, quam ſciebant verum & legitimum patrimonium Regis *Poloniæ Wladislai* exiſtere, & vnam inſignem ex prouinciis Regni *Poloniæ* eſſe, non ſunt veriti petere, donatione ipſa violentam occupationem terræ *Pomeraniæ*, apud homines duntaxat non Deum, qui non operum ſolùm, ſed mentium inſpector & retributor eſt, contecturi. Sed ne his, qui rerum harum & meritorum cauſæ prædictæ ignari ſunt, vana quædam & deliramenta in patriæ fauorem videamur ſcripſiſſe, copiam donationis *Ioannis Bohemiæ* Regis prædicti, pro verificatione præmiſſorum, quæ talis eſt, annectimus.

Nos Ioannes Dei gratia Bohemiæ & Poloniæ Rex ac Lucemburgenſis Comes, ac Elisabeth per eandem gratiam eorundem Regnorum Regina ac Comitiſſa Lucemburgenſis contoralis ſua: Ad vniuerſorum notitiam tam præſentium quàm futurorum, tenore præſentium in perpetuum volumus peruenire.

Quod

1329. *Maſouiæ ſuæ ditionis facit:*

& ſcribens ſe Poloniæ Regem,

Pomeraniam Cruciferis donat.

Litteræ Ioannis Bohemiæ Regis, quibus Pomeraniam Cruciferis donat.

image
not
available

1329. *teſtimonium & cautelam, præſentia ſcripta fieri, & ſigillis noſtris iuſſimus communiri. Actum & datum in Thorun Dominica Inuocauit. Anno Domini milleſimo tricenteſimo vigeſimo nono. Præſentibus Spectabilibus & Nobilibus viris fidelibus noſtris, Ioſrido Comite de Lunigi, Henrico Comite de Wilnow, Vlrico Domino de Hanow, Petro de Hezeburg, Henrico de Lippa iuueni, Vilhelmo de Lankſteyn, Cunone de Kolurz, Othone de Bergaw, Bernardo de Sumeburg, & aliis plurimis fide dignis, quos in omnium ſupradictorum, teſtes duximus requirendos.*

1330. Feſtiuitate Sancti *Ioannis* Baptiſtæ proximante, cum ex nimio feruore ſolis, ſegetes in maturitatem debitam vltra ſolitum curſum productæ eſſent: *Vernberus* de *Orſzela Pruſſiæ* Magiſter, mercenario milite ex *Almanis* & *Bohemis* conducto, ad oppugnandum cæteras Regni *Poloniæ* prouincias, ex aſſiſtentia & inſtigatione *Ioannis Bohemiæ* Regis auſus ſumens, in frequenti & numeroſo exercitu, ad caſtrum *Nakyel* veniens, illud die nona Iulii capit & exurit; Vbi & capitaneum eius *Henricum* militem, cum aliis defenſoribus comprehendit. Ab inde autem abducit, & in terram *Cuiauienſem* ad caſtrum *Viſchegrad* deſcendens, illud conquiſitum exurit. Ne autem caſtro *Radzieiow* potiretur, & Regnum ex illo prædis & ſpoliis afficeret, gentes Regiæ, antequam Magiſter ad illud pertingeret, igne ſponte adhibito, illud ſeptima die Iulii conſumunt. Applicat poſthæc exercitum ad caſtrum Epiſcopi *Wladiſlauienſis Raciaſz*, & illud pluribus diebus, machinis, cæteriſque inſtrumentis fortius quo poteſt quatit & oppugnat. Et licet plures nobiles & vtriuſque ſexus homines, qui fortunas ſarcinaſque ſuas illuc depoſuerant, viriliter defenſioni caſtri intendiſſent, non tam caſtro, quàm perſonis, coniugibus, liberis, pignoribuſque & ſubſtantiis ſuis, quæ illic congeſſerant, conſulturi: crebra tamen bombardarum proiectione, omnibus propugnaculis aut confractis aut debilitatis, dum nec quiſquam poſſet defenſionem oppoſiturus conſiſtere; puteus quoque ex quo caſtrenſes aquâ reficiebantur, eſſet illis Cruciferorum potentiâ ademptus, multique tam ſenes quàm paruuli ſiti periclitarentur, quatuordecima die menſis Iunii, patefactis vndique introitibus, caſtrum *Raciaſz* conquiritur: Et Magiſter *Pruſſiæ*, eiuſque exercitus, pluribus pecuniis, armis & theſauris, variarumque rerum & ſpoliorum ſupellectili potitur: Plurimos etiam homines, nobiles, & plebeios illic captiuat. Quos *Matthias* Epiſcopus *Wladiſlauienſis*, compaſſus eorum calamitatibus & miſeriis, ſolutis ex pacto quadringentis marcis *Polonicalibus*, à Magiſtro redemit, & priſtinæ libertati reſtituit. Et quoniam in caſtrorum conquiſitione milites multos inſignes amiſerant, (neque enim ceſſit illis ſine multa ſanguinis effuſione victoria, vt ſtrages cladeſque tunc accepta, magna illos pœnitudine & amaritudine pro deſideratis, quorum numerus in decuplo ſtrage hoſtili ſuperior erat, afficeret) in rabiem quandam verſi, ſuorum parentando funeribus, omnes *Polonici* generis homines, tam ſenes, quàm adultos, viros & mulieres, & quod horrendum eſt, Sacerdotes & Miniſtros Dei, paruuloſque & ſugentes vbera, miſerabiliter perimebant; ſpoliiſque & cædibus huiuſmodi non contenti, etiam in tecta innocua, & in villas circumiacentes, quæ poſt ſuperiora incendia paucæ remanſerant, & quæ aliquantulum fuerant refectæ, flammis ea demoliendo ſæuiebant. His autem patratis, in domos, pluribus ſuorum amiſſis, reuertuntur, cum magna ſpoliorum & pecorum prædâ. Capti autem fuerunt in conquiſitione caſtri prædicti, *Swantoslaus* frater *Matthiæ* Epiſcopi *Wladiſlauienſis* germanus, *Vincentius* Caſtellanus de *Starogrod*, *Nicolaus Zabłotny*, *Nicolaus* de *Wolya*, & alii quàm plurimi. Interfecti verò *Paulus* de *Kruſzino*, Iudex *Gniewkouienſis*, *Zira* de *Klobia*, *Demeter* Succamerarius *Breſtenſis*, *Bogutha* filius *Criſtini* Iudicis *Wladiſlauienſis*, *Albertus* de *Trzaskowo*, *Czoło* de *Smarzowyce*, *Iacobus* de *Ráciąsz*, & alii quam plurimi. Quindecima quoque menſis Septembris, caſtrum *Gniewkouienſe* per eoſdem Cruciferos conquiritur & crematur. Ad ſoluendum autem fratrem ſuum *Swantoslaum*, cæteroſque captiuos, & ad retrahendum caſtrum *Racziąsz*, cæteraque bona in *Pomerania* per Cruciferos occupata, *Matthias* Epiſcopus *Wladiſlauienſis*, tanto ferebatur, ſiue id puſillanimitas quædam ſiue carnalitas efficiebat, affectu, vt iniuſſu *Wladiſlai Poloniæ* Regis, & ſui conſilii, habito cum Magiſtro *Pruſſiæ Vernbero* apud *Thorun* in die S. *Bartholomæi* conuentu, ignominioſum fœdus, ſuis & Capituli ſui *Wladiſlauienſis*, firmatum literis, pepigerit: omnes decimas terræ *Pomeraniæ* manipulares, qui ſibi & Clero ſuo iuxta morem vetuſtum Regni *Poloniæ* & prouinciæ *Gneſnenſis* manipulatim de quolibet grano ſolui conſueuerant, remiſerit in ſex tantummodo groſſos, obligando ſe præfatæ remiſſionis primùm Metropoliticam, deinde Apoſtolicam confirmationem infra vnum annum expediturum; menſam ſuam Epiſcopalem, & Cleri ſui beneficia vehementer mutilando.

Cruciferis autem in *Pruſſiam* diuertentibus, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, qui ſub illo anni tempore, quo Cruciferi terras ſuas hoſtiliter inuaſerant, magna cura & ſtudio exercitum de propriis & externis gentibus conquirebat, volens cum Cruciferis, niſi celerius exceſſiſſent, decernere. In ſui quidem & *Hungarorum* exercitus, cui *Vilhelmus Auſtriæ* Dux præerat, à *Carolo Hungariæ* Rege miſſus, & *Gedemin Lithuaniæ* Dux cum *Lithuanorum* & *Samogitarum* exercitu aduenerant perſonaliter, terram

Vernerus Magiſter Pruſſiæ

caſtra Nakyel

Viſchegrad

& Raciaſz cum multis hominibus capit & incendit.

Matthias Epiſc. Wladiſlau. cum Cruciferis fœdam conuentionem paciſcitur.

Wladiſlaus Rex

1330. *omnem fere Pruſſiam populatur*

ram Cruciferorum in forti robore ſui exercitus ingreditur, & terram *Culmenſem* paſſim vrit & depopulatur. In vltionemque ſuorum, A qui per Cruciferos inhumaniter cæſi, cædes in omnes iubet latè extendi, nec vlli ſexui aut conditioni indulgere. Clauſerant autem Cruciferi Regi *Wladiſlao* iter & ripas vtraſque fluuii *Drwancza*, in quo & *Pruſſiæ* Magiſter *Vernherus* de *Orſzela*, & *Liuoniæ* Magiſter perſonalem præſentiam agebant, Regium operiebantur aduentum: tranſitum ſibi per fluuium *Drwancza*, & bombardarum proiectione, & campeſtri prælio, confiſi de viribus gentium ſuarum, robore, & arte, qua fluuium muniuerant, prohibituri. Rex autem *Wladiſlaus*, ad fluuium *Drwancza* perueniens, pluribus diebus illic conſiſtere coactus eſt. Quocumque enim ſe Rex cum exercitu vertebat, illic Cruciferorum copiæ è re ione ſua B aduentabant, & ne Rex cum gentibus ſuis fluuium *Drwancza* in locis præſertim languidiorem vndam habentibus, ſuperaret, ſummâ vi, ſummâque cura, bombardis atque telis adnitebantur. Rex autem vnius agreſtis inſtructione vado fluminis comperto, à flumine *Dzrwancza*, motis ſtatiuis iter retrogradum flectit, verſus *Brodniczam* ſe ſimulans iturum, vt hoſtes à defenſione ripæ auertat. Locat autem in ſyluis, abditiſque locis, gentium ſuarum expeditarum aliquot millia: hiſque mandat, vt quàm celerius poſſint, hoſtibus à ripa auerſis, fluuium ſuperent, fumoque ſignum præſtent. Quæ omnia dum iuxta ordinationem Regis proueniſſent, & omnis exercitus Cruciferorum ad *Brodniczam* diuertiſſet, C credens & illic Regem venturum: milites Regii ex ſtatione prodeuntes, fluuium *Drwancza* abſque impedimento & prohibitione aliquali tranſeunt, & fumo, iuxta quod erat imperatum, Regi, qui ad tria miliaria verſus *Brodniczam* iter confecerat, ſignum oſtendunt. Quo rex accepto, reflexo itinere & gradu concito, ad fluuium *Drwancza* ex heſterna ſtatiua ſua perueniens, flumine præfato *Drwancza*, circa molendinum *Lubicz* facilè ſuperato, molendino conquiſito & incenſo, & his qui erant in præſidio cæſis, aliquibus captis, acies ordinat, conflictumque cum hoſtibus magno æſtu, magnaque auiditate præſtolatur. Iuſtis enim armis indutus, & copias tam pedeſtres quàm equeſtres habens exerci- D tatas & pugnaces, nihil auidius quam cum hoſtibus pugnam conſerere, & aut glorioſam victoriam ex hoſte tam infeſto & improbo referre; aut honeſtam mortem, ſi ita fatis datum fuiſſet, obire æſtuabat. Cruciferi autem præter ſpem & opinionem ſuam exercitum Regium mactæ virtutis ſuo multò ſuperiorem fore videntes, cum & exercitum haberent ex nouo & mercenario milite, & multis generibus collectum, nec illis ſatis fidere auderent; venire in certamen, & aperta acie decernere diſcrimino-ſum putantes, diſſoluto campeſtri exercitu, in munitiones & caſtra diſcedunt. Rex autem deſiderio pugnæ fraudatus latius mandat vaſtationem extendi. Milites autem imperata Regis exequendo, omnem terram *Culmenſem*, igne, cæde, & ſpoliis infra quindecim dies conficiunt, & quoslibet vicos & ciuitatum ſuburbana exurunt. Fretus quoque multitudine & militum numero abundans, multas paſſim manus in *Pruſſiæ* regionem, & in extrema quæque finium prædandum mittebat, prædamque & magnam vim pecorum aliquoties coactam in *Poloniam* remittebat, agros vaſtans, vicos exurens, oppida funditus demoliens, multa illic fortiter egit, multos agros hoſtiles incendiis & populatione vaſtauit, & tempeſtatis inſtar, multa ſolo ſtrauit. Deſcendit poſthæc in *Dobrzinenſem* terram, & caſtrum *Dobrzinenſe* expugnare aut intercipere ſatagens, aliquot diebus in eius expugnatione immoratus, dum videret illud ſtrenuè defendi, in *Culmenſem* terram reuertitur, & circa caſtra *Schonſcze* & *Lipno* aliquantulum immoratus, in vlteriora exercitum producere parabat. Caduceatores ex parte Magiſtri & Cruciferorum apud *Grudzac* exiſtentium, cum blandis oblationibus de pace miſſi, Regem a propoſito auertunt. Qui cum potuiſſet cum tam potenti exercitu, etiam terram *Pruſſiæ* vltra *Oſzam* poſitam, quemadmodum in animo deſtinauerat, poſuiſſe in deſolationem & exterminium, ſuaſque iniurias vltum iri, reſtitutione terræ *Dobrzinenſis*, & omnium caſtrorum ac munitionum, quæ in illa aliiſque locis Cruciferi locauerant, prius percepta, de campeſtribus ſtatiuis excedere, & ab ampliori vaſtatione terræ abſtinere, firmatis inſcriptiſq; treugis, ad diem SS. *Trinitatis* anni futuri duraturis, conſentit. Ea tamen conditione interpoſitâ, vt ſuper occupatione terræ *Pomeraniæ*, & damnis inde ſecutis, durantibus treugis, *Carolus Hungariæ* Rex pro parte *Wladiſlai* Regis *Poloniæ*, pro parte verò Cruciferorum *Ioannes Bohemiæ* Rex, arbitri tunc electi, haberent plenum poſſe iuſtum pronunciandi arbitramentum, & compellendi vtramque partem ad ſuæ deciſionis obſeruationem. Hæc etenim conditio *Wladiſlaum Poloniæ* Regem amplius mouit, vt armis depoſitis, treugas acciperet, ſperans per illas ſuæ hæreditatis & patrimonii, abſque effuſione ſanguinis Chriſtiani, reſtitutionem prouenire. In hunc modum pace in die S. *Ioannis* Baptiſtæ per ſufferentias compoſita, guerra atrox intercepta eſt, & *Wladiſlaus* Rex *Poloniæ*, cum omni exercitu ſuo incolumis & alacer in Regnum ſuum, *Lithuaniæ* Duce *Gedimino* in *Lithuaniam* diuertente, reuerſus eſt.

1330.

Magiſter vero videns ſe inferiorem.

promiſſa reſtitutione terræ Dobrzinenſis

ad annum fœdus parauit:

Et de Pomerania in Bohemiæ & Hungariæ Reges compromittunt.

Carolo Hungariæ Rege, pluribus iam annis ſtatum agente in *Hungariæ* Regno beatum & tranquillum, ab omni bellico fremitu interno & externo circumſcriptum, dum & pulcherrimorum filiorum numero

1330. putaretur inter mortales feliciſſimus, & raræ prudentiæ dote, qua plures ante ſe Reges anteibat, tam ſubditis quàm aduenis eſſet ſpe-A ctabilis & admirandus, ſubitò in tam clara ſtabilique ſerenitate, grandis tempeſtas coorta, penè eius & filiorum ſtatum euertit, & in miſerrimam ſortem eius felicitatis curſum, niſi Diuiua propitiatio prouidiſſet, mutauit. Erat quippe inter Barones *Hungariæ* quidam Nobilis *Felicianus* nomine, vir primùm ſortis mediocris, & qui ſuperiori tempore in *Matthiæ* de *Tranczyno* Palatini *Tranſſyluanienſis* obſequiis moratus, ab eo in gradum potiorem & præcipum fuit euectus. Quo relicto ad Regis *Caroli* obſequia ſe conferens, fauore largitioneque Regis celebris inter Barones primores habebatur. Regis inſuper *Caroli* animum ſedulitatis & obſequiorum officio adeò B deuinxerat, vt quæque Regis abdita & penetralia, pro quolibet tempore ſibi paterent pro ingreſſu. Cæca itaque cupidine occupandi Regni, magnis auſibus inflammatus, tàm Regem, quam Reginam, & prolem eorum, cæde cruenta ſummouere in animo deſtinat, & ad perficiendum temerarium ſcelus, ſæpè de loco & tempore, quo id aptius exequeretur ſecum tacitus pertractat. Dum autem *Carolus* Rex feria tertia poſt Octauas Paſchæ, que erat dies Martis decima octaua Maii in Curia ante caſtrum *Viſchegrad* ſita, cum conſorte ſua Regina *Eliſabeth*, & duobus filiis *Lodouico* & *Andrea*, inter prandendum conſiſteret, nulluſque ex militibus & cuſtodibus corporis, C præter miniſtros tabulæ deſeruientes, & hos quidem paucos in numero, adeſſet; *Felicianus* filio & familiaribus aliquot comitatus, ſolita licentia, Rege veſcente, ingreſſus, acutiſſimum macronem, quem ſub chlamyde tectum geſtabat, vehementiſſimo impetu, & qualem ſpes & extrema deſperatio cauſabant, in Regem vibrat & Reginam. Quibus ſubitò periculo perculſis, contra mucronis tamen ictum dextras, pro capitum incolumitate opponentibus, *Carolo* Regi in manum ſiniſtram cruentum, leue tamen inflictum vulnus eſt. *Eliſabeth* verò Reginæ dextra, quâ orphanos & pauperes alere, miſerabilibus perſonis miniſtrare, veſtes ſacras & ornamenta ſarcire, & a-D lia pietatis opera ſolita erat exercere, amputatis quatuor digitis, mutilata. Ad pueros deinde Regios, fratres duos, conuerſus, in eorum necem toto niſu, priorem in parentibus admiſſum correcturus errorem, velut furibunda præda graſſabatur: ſed Curatoribus & Pædagogis puerorum periculum in ſe excipientibus, conatus *Feliciani* recidunt ad irritum. Ferueſcente autem huiuſmodi rumore, *Ioannes* filius *Alexandri* de Comitatu *Potoken* adoleſcens ingenuus, qui Dapiferi officio tunc fungebatur, *Felicianum* in pueros crudelitatis & necis opera edere anhelantem, primus aggreſſus eſt, ſic, vno ictu inter collum & ſcapulas inflicto, depreſſit debilitauitque, vt corruens defflueret præceps in terram. In quem cæteri milites & ſerui Regii certatim pro fide declaranda irruunt, & corpus multis pugionibus attritum, in partes diſcerpunt. Capitur & tunc *Feliciani* filius, qui familiaribus pro magnitudine periculi & ſceleris in fugam verſis, vt patris fieret deſertor, nequaquam poterat induci. Comprehenduntur & in fuga *Feliciani* ſatellites, & tam ipſi, quàm infelicis *Feliciani* filius, ad caudam alligati equorum, tamdiu per vicos & plateas tracti ſunt, donec oſſibus nudatis miſerrimè expirarent: quorum cadauera paſſim per vicos iacentia, dum illis ſepulturæ officium exhiberi cenſeretur indignum, à canibus diſcerpta atque depaſta ſunt. Teſta capitis *Feliciani*, *Budam*, manus verò & pedes, cæteraque cadaueris membra, in principaliores Regni *Hungariæ* ciuitates diſtributa, in horrorem & notionem tanti facinoris, portarum valuis affigenda, translegabantur. Ad filiam tandem miſeri *Feliciani*, *Claram* quidem nomine, ſed ſorte ei proueniente obſcuram, furor militum enixius in vltionem tentatæ mortis & vulnerum Regiorum operam nauantium peruenit. In curia Reginæ *Eliſabeth*, inter virgines Nobilium Reginam concomitantium morabatur, pulchritudine & forma excellens, facilè aliarum omnium decorem peruincebat. Sed calentibus adhuc militum animis, nec formæ delatum eſt; de grege coæuarum extracta, quoniam factionis paternæ credebatur fuiſſe conſcia, in naribus, labiis, & vtriuſque manus digitis truncata, per ciuitates vicinas, & villas, in ſpectaculum ſemianimis & miſera ducta, vociferare crimen ſuum & paternum confeſſione publicâ compellitur. Iuſtè illi truncationem membrorum, propter ſcelus in Regem, Reginam, & prolem eorum, non cupiditate Regni, ſed iniuriæ magnitudine tentatam accidiſſe. Hâc excruciata, altera filia *Feliciani*, *Zeba* nomine, natu maior, & cum marito *Kopay*, cui nupſerat, in exilium acti. Plures denique alii præfati *Feliciani* fratres & cognati, aut morte, aut exilio mulctati ſunt. Nonnulli in *Poloniam* venientes, illic perpetuum agunt incolatum, vocitanturque *Amadeiones*, aquilam albam ſine pedibus pro inſigni Nobilitatis deferentes. Quorum ſucceſſio & genus, quamuis ex humili & vix notâ ſorte, etiam & hactenus perdurat. Habet & nonnullorum aſſertio, *Felicianum* militem in eam rabiem lapſum ideo fuiſſe, quod *Eliſabeth* Regina *Hungariæ*, filiam ipſius *Feliciani*, *Claram*, apud ſe demorantem, germano ſuo *Caſimiro* filio *Wladislai Poloniæ* Regis, tunc in *Hungaria* agenti, eius decore capto, proſtituendam tradiderit, vel vt proſtitueretur, diſſimulatum vultum & animum geſſerit. Valetudinarium enim ſe præfatus Dux *Caſimirus*, quò facilius facem ſuæ libidinis impleret, fingens, velut 1330.

Carolus Rex Hungariæ cum coniuge inter prandendum

a Feliciano vulneratur.

Quo facto ille cum omni ſua progenie miſere occiditur.

Proſtituta autem erat filia Feliciani Clara Caſimiro Poloniæ Regis filio.

1330. velut languens lecto iacere cœpit. Ad quem viſitandum, cum ſoror germana *Eliſabeth* Regina *Hungariæ*, a qua plus quam germano diligebatur affectu, introiſſet, & cordis illi non corporis ægritudinem, quâ ſuper virginis *Claræ* cruciabatur amore, probe noſſet, familiaribus qui ægrum obſeruabant, quaſi ſecum nonnulla ſecreta tractatura, de cubiculo eiectis, ſola illic nonniſi cum præfata virgine *Clara* eam comitante remanſit, & verbis aliquot in ſpeciem factis, diſceſſura, virginem *Claram* apud Ducem *Caſimirum* proſtituendam reliquit: rata proſtitutionem huiuſmodi, parui aut nullius momenti culpam fore, & nec prodituram ad publicum, neque aliquot cauſaturam diſcrimen. Diuinitate autem ſcelus proſtitutionis exhorrente, ſecus omnia quàm Regina *Eliſabeth* rebatur prouenere. Virgo enim *Clara* a *Caſimiro* Duce pro libito oppreſſa proſtitutaque, proſtitutionis ſuæ dedecus, *Feliciano* parenti ſecretè, vltum iri obſecrans, ſtuprum ſuum inſinuat. Qui indignitate rei & iniuriæ permotus, ad obtruncandum *Carolum* Regem Dominum ſuum, & *Eliſabeth* Reginam, eorumque pignora, ſciens *Caſimirum* Ducem ſe ex *Hungaria* in *Poloniam* euoluiſſe, animum deſtinat, & obtruncationis facinus, ordine, quem deſcripſimus attentans, ſibi & vniuerſæ ferè domui ſuæ miſerabiles cruciatus innexuit. Aſſerunt *Pannoniorum* Proceres, ex eo die, quo huiuſmodi facinus apud illos patratum eſt, omnem felicitatem ab illis & Regno eorum defluxiſſe, & innumeras clades & vaſtationes a Barbaris, etiam vſque ad noſtra tempora deriuatas, in illos recidiſſe. *Eliſabeth* etiam *Hungariæ* Regina, opprobrium miniſterii ſui in vita & morte ferre coacta, *Kikuthana* Regina, in vulgari *Polonico*, quod ſignificat *manu manca*, vocitabatur. *Caſimiri* vero Ducis, expoſt *Poloniæ* Regis ſemen, paruo tempore durans, vltio Diuina deleuit. Sororinum ſuum, ſed alioquin exitu crudelius in *Hiſpanorum* annalibus legimus accidiſſe: *Gothorum* enim Rex *Rodericus*, filiæ *Iuliani* Comitis *Spartanorum*, apud Curiam ſuam demoranti, vim inferens, ab eodem *Iuliano* Comite, *Arabibus*, illum adiuuantibus circa flumen *Videlac*, octo continuis diebus dimicans, conflictus & occiſus eſt, & vniuerſis ferè *Hiſpanis* ab *Arabibus* occupatis, *Gotthorum* gens *Aſiæ*, *Europæ*, & *Aphricæ* inclyta triumphis, vnius hominis peſſundata flagitio, propè in excidium exterminiumque acta, armis *Arabicis* incuruata ſuccubuit.

Carolus Hungariæ Rex Caſuali & extraordinario periculo *Carolus Hungariæ* Rex euitato, in aliud æquè ingens, voluntarium quidem & deliberatum, non tam ſibi, quam ſuis exitiale, eſt prolapſus. *Bazarado* enim *Valachiæ* Voieuodæ, ſuggerentibus, & ad id eum multiplici ſuaſu pellicentibus, *Thoma* Voieuoda *Tranſyluanienſi*, & *Dionyſio* Baronibus, bellum, belli cauſa non *dum fine* extante, indicit: *Thoma* & *Dionyſio* præfatis, *Valachiæ* ambientibus Principatum. *Seuerino* autem expugnato, & *Dionyſio* tradito, Legati *Bezaradi* veniunt ad *Carolum*, petentes *vt ab armis diſcederet: Bazarad ſeptem millia marcarum argenti, & Seuerinum, dato filio pro vade, ei largiturum, & in poteſtate ſua futurum: vlteriorem in terras ſuas expeditionem, ſine Regis & exercitûs ſui periculo, tranſigi non poſſe.* Rex autem *Carolus*, æquæ humilique legationi ſuperbè reſpondens, comminatus eſt *Bazaradum velut vnum ex bubulcis & paſtoribus ouium ſuarum, de tuguriis per barbam extracturum.* Et licet a Conſiliariis, rogatus, *vt mitius reſponſum, ſuſceptis quæ offerebantur, ederet*, à ſententia & priori reſponſo non poterat dimoueri, & promoto exercitu, non prouiſis commeatibus, neque itineribus exploratis, *Alpes* & inuias ſyluas; arentiaque intrauit loca, illas quoque diebus aliquot peragrans, famis inedia, antequam eas ſuperaret, exercitus laborare cœpit. Ad quam reſtringendam, ampliora etiam Regem veritum diſcrimina, treugæ pacis a *Bazarado* magis petitæ quam dam datæ ſunt. Ea conditione appoſita, vt à *Bazarado* darentur ſcioli & fideles itineris Duces, Regem *Carolum* & copias exercitus eius, compendioſiori via, in plana Regni *Hungariæ* reducturi. Sequebatur itaque *Carolus* Rex & ſuus exercitus Duces a *Bazarado* datos, iter monſtrantes: nullum dolum pace data hoſti reconciliato ineſſe præſumens. Duces autem itineris, iuxta inſtructionem & mandata, quæ à *Bazarado* acceperant, Regem & exercitum eius ad ſtricta & concaua montium perducunt. Vbi *Valachi* & a fronte, & a tergo, Regis exercitum inuadunt. Cæteri autem ſupernè tela & ſaxa iacientes, plures mortales, cum nec pugnandi, nec reſiſtendi præſtaretur facultas, tuti ipſi ab omni inuaſione, paſſim miſerabili morte conficiunt. *Carolus* Rex ſerò ſuperbæ reſponſionis, & ſpretæ oblationis & Conſilii pœnitens, cum videret fortiſſimos quoſque milites ſuos, abſque dimicatione, ante conſpectum ſuum & oculos, morte indigna confectos eſſe, induuiis inſignibuſque Regalibus, ne agnoſceretur, abiectis, & in filium *Dionyſii*, *Deſzow* nomine, collatis, qui & ipſe poſtea Rex creditus, ſaxis & telis obtritus eſt, fugam capeſſit, & cum paucis ignominioſam mortem, aut calamitoſam captiuitatem ægrè euadit. Reliquus exercitus Regius, aut miſerabili morte, aut turpi captiuitate vel fugâ confectus. *Valachi* omnium rerum quæ tantus habere conſueuit exercitus, ſine bello potiti, reliquias miſerabilis exercitus, Sacerdotibus etiam Domini, qui Regem comitabantur, non parcendo, aut crudeliter trucidabant, aut pro voto depactabant. *Carolus* Rex fugâ cum paucis ſaluatus, in *Viſchegrod* priuato ſordidoque habitu, plurimos lugubres eiulatus & lachrymas de

1330. *cauſa Valachum inuadit*

ac æquas conditiones oblatas ſpernit,

per ipſum funditus dolo profligatur,

ipſo Rege vix euadente.

1330. de ſtrage & ruina ſui exercitus vociferans & effundens, pervenit: præſentibus & poſteris abutendi humili oblatione, & conditiones hoſtis inflato ſpiritu aſpernandi, efficax præbiturus remedium.

Decimo ſexto Calendas Iunii, *Venceslaus* alias *Vanko*, filius iunior *Beleslai Maſouiæ* Ducis ex *Bohema* ſuſceptus, crudelis & ſeuerus in milites & ſubditos, in *Viſchegrod* moritur, & in *Plocenſi* Eccleſia ſepelitur, filium vnicum *Boleslaum*, quem ex filia *Gedimini Lithuaniæ* Ducis ſuſceperat, relinquens.

Fratres S. Mariæ de nigra Cruce Rigam occupant.

Sub Pontificatu *Ioannis* vigeſimi ſecundi, Archiepiſcopo *Rigenſi* tunc in *Romana* Curia agente, fratres domus *Teutonicorum S. Mariæ* de nigra Cruce, poſt varias oppreſſiones, violentias, & damna, fundatoribus ſuis Epiſcopis *Liuoniæ*, & eorum ſubditis illatas, Ciuitatem *Rigenſem*, a primæua eius fundatione ad *Rigenſem* in temporalibus & omni dominio pertinentem Eccleſiam, obſident, occupant, & expugnant, ac ſui iuris faciunt: eo nimirum in Archiepiſcopum *Rigenſem* fundatorem ſuum vſi officio, quo & Cruciferi de *Pruſſia* in Reges & Principes *Poloniæ* fundatores ſuos in occupanda terra *Pomeraniæ* vſi fuerant.

Vernbero Magiſtro Pruſſiæ ſuccedit Lutherus.

Decima nona Octobris, in caſtro *Marieburgenſi Vernherus* de *Orſzeda Pruſſiæ* Magiſter, ab vno ſuorum fratrum Cruciferorum *Ioanne* de *Gindorff*, in cœnaculo multis vulneribus confoſſus interiit, & pœnas occupatæ terræ *Pomeraniæ* dedit. In cuius locum *Lutherus* de *Brunſzmik* ſucceſſit.

Antipapa a Ludouico Imp. conſtitutus captiuatur, & in carcere moritur.

Piſani Petrum Corbarienſem, fratrem Ordinis Minorum, falſum *Romanum* Pontificem, quem Imperator *Ludouicus* in *Germaniam* tranſiens *Piſis* reliquerat, captiuant, & ad *Ioannem* Summum Pontificem in *Auinione* tunc agentem, tranſmittunt. Apud quem errorem ſuum confeſſus, vitam tantummodò ſibi concedi ſuppliciter exorabat. Sed iuſſu Papæ in carcerem honeſtum truſus, & triennio moleſtias captiuitatis perpeſſus, interiit. Præfatus ſiquidem *Ludouicus* Imperator, moleſtè ferens ſe a *Ioanne* Papa vigeſimo ſecundo excommunicatum nunciari, præfatum *Petrum Corbarienſem*, vnitatem Eccleſiæ ſciſſurus, in Antipapam erexerat, ſchiſmaque vigeſimum primum introduxerat. Quod paruo tempore durauit, eodem *Petro Corbarienſi* capto decedente.

Wladislaus Rex a Papa petit crucem & pecuniam contra infideles.

Wladislaus primus Rex Poloniæ miſſis ad *Ioannem* vigeſimum ſecundum Papam, in *Auinione* tunc agentem, notabilibus, oratoribꝰ & expoſito quanta bella, inuaſiones, depopulationes terrarum Regni ſui, à *Tartaris* & *Lithuanis* barbaris, interdum ſimul coniunctis, interdum ſparſa manu & clandeſtinis inuaſionibus Regnum *Poloniæ* atterant, prædaque citato agmine raptà, ſenibus & impuberibus necatis, puberibus verò in ſeruitutem miſerabilem redactis, fugientes abducant; petebat ſe paſſagio vniuerſali ſiue Cruce, contra *Tartaros* & *Lithuanos* danda, a *Ioanne* Papa, & conſignatione aliquot millium florenorum, quo facilior barbaris fieret reſiſtentia, iuuari. Summus autem Pontifex interpoſitis quibuſdam rationibus & excuſationibus, vtrumque negauit. Ne tamen Nuncios Regios vacuos a ſe remiſiſſe, abſq; aliquà conſolatione videretur, *Iubilæi* anni gratiam in feſto Sancti *Stanislai* in Maio tribus diebus, & in translatione eiusdem *S. Stanislai* in autumno, aliis tribus diebus, in Eccleſia maiori *Cracouienſi* agendam conceſſit: ea conditione, vt quilibet illam meriturus duos aureos in capſas imponeret, in defenſionem contra tartaros, *Lithuanos*, & barbaros a *Wladislao Poloniæ* Rege conuertendos. Agebatur itaque *Cracouiæ* in vtroque feſto S. *Stanislai* annus Iubileus. Et multitudine magna non ſolum ex vniuerſo Regno *Poloniæ*, ſed & Regno *Hungariæ*, *Sleſiæ* ori, vicinisque partibus concurrente, non mediocris ſumma auri collecta eſt, & pro defenſione Regni *Poloniæ* per *Wladislaum* Regem fideliter conuerſa.

Et accepto Iubilæo magnam pecuniæ ſummam colligit.

1331. Bellum per *Wladislaum* Regem Cruciferis illatum, & cum illis geſtum, etſi anno ſuperiori, prout demonſtrauimus, per treugam aliasque conditiones, pacem perpetuam effecturas, fuiſſet dilatum, Cruciferis tamen conditionem in treuga appoſitam negligentibus, & *Ioannem Bohemiæ* Regem iuxta obligationem ſuam pro decidenda quæſtione, & lite ſuper terra *Pomeraniæ* exorta, non adducentibus, nec pollicitationi aut conditioni huiusmodi in aliquo parentibus, licet *Wladislaus Poloniæ* Rex *Carolum Hungariæ* Regem ad diem & locum conſtitutum, ſatisfacturus compactatis, adduxiſſet; mox de integro renouatum; maximo Regni *Poloniæ* periculo, ſummam rerum (niſi propitiatio Diuina tuliſſet remedium) euerſuro, bellum geri cœptum eſt. Id autem ex re & occaſione, vt fit, tenui ortum, maximum parturiuit confecitque incendium. *Wladislaus* enim *Poloniæ* Rex, ab obeunda belli imminentis munera, & ad expediendas res publicas Regni ſui, quæ corporalem requirebant præſentiam, videns ſe grauem & ſenio grandæuum eſſe, in feſto *SS. Trinitatis* in oppido *Chenczini*, quarta decima die Iunii menſis, generalem omnium terrarum ſuarum agit conuentum. Vbi & de bello cum Cruciferis gerendo, & de rebus publicis expediendis, Prælatorum & Baronum ſuorum ſano vſus conſilio, certas facit ordinationes & edicta. Inter quas filium ſuum *Caſimirum*, viginti & vnum annos natum, cæterùm adoleſcentem ea indole, vt iam tum appareret eum Regnum opulentius, quam in quod à Patre ſucceſſurus eſſet, facturum, terris *maioris Poloniæ* præficit, & plenam illarum gubernationem, & adminiſtrationem ſingularum rerum, vt domeſtica rectè curarentur, & quietior

Senex iam Wladislaus

Caſimirum filium maiori Poloniæ præficit.

1331.

depoſito Vincentio de Schamotuli.

tior ipſe, curis magis longinquarum terrarum ſolutus, *Cracouiæ* conſiſtat ad reliqua, abrogato deſtitutoque *Vincentio* de *Szamotuli Poſnanienſi* Palatino a *maioris Poloniæ* Capitaneatu, de mandat: pluribus monitis & interminationibus illum obſtringes, *vt iuſtum in ſubditos ageret imperium, & pro recuperanda terrá Pomeraniæ, cæteriſque Gadibus Poloniæ Regni, a Cruciferis, Saxonibus, & Bohemis occupatis, omnes conatus, labores, & ſtudia conferret. Inuaſiones quoque Pruthenicas, pubeſcentibus tunc lacertis patrium imitatus morem, & militum robore refelleret. Habiturus in omnibus, ſi metum & amorem Diuinum in pectore ſyncerè geſtauerit, & a ſubditis ſubiectionem deuotam, & in ſingulis actionibus ſuis continuam proſperitatem.* His mandatis filium ſtabilitum & inſtructum, & munia patris exequi pollicentem, in *Maiorem Poloniam* cum militum caterua, non ſine lachrymarum effuſione remittit, ipſe *Cracouiam* ingreditur, ſeniles annos in quietis dulcedine de cætero abſumpturus. Sed quod in Statû Regni erat ordinatum ſtabilimentum, id illicò ſæuam perniciem produxit. *Vincentius* enim de *Szamotuli* Palatinus *Poſnanienſis*, de nobilitate & familia, quæ *Faſciam* defert pro inſigni, & in vulgari *Polonico* domus *Nalencz* vocitatur, ademtum ſibi *Maioris Poloniæ* Capitaneatum, & lucris ex illo prouenientibus, quibus eius æſtimatio in ſublime tendebatur, ſe priuatum, grauiter & iniquo animo ferens, magno furore indignatus, non ſecus quam aliquam hæreditatem naturalem amiſiſſet, qui non conſueuit alicui niſi precario, quo & ipſe, modo, illum conſecutus fuerat, concedi: ſimulque quòd quædam ſua fore facta poſt deſtitutionem ſuam plurimum patefactionis & inuidiæ habitura, metuens vltum iri, crimen prodendæ patriæ, ſed non ad vltimum exitiale, opus non ſanè legitimum, ſed ſpiritu malignitatis auſum, in animum inducit. Nec in illo exequendo aut ſecum, aut cum aliquo fido amico quidquam deliberationis aut conſilii capiat, ſed ſine omni cunctatione, quâ poteſt celeritate, ſpe nouandarum rerum, & cupiditatis ac ſuperbiæ effrenata temeritate incenſus, ad Magiſtrum *Pruſſiæ Lutherum* aduentat. Quem cum in *Marienburg* offendiſſet, pluribus verbis, & promiſſionibus eum perlicit, *vt armis ſumptis Poloniam maiorem inuadat; nunquam præceſſiſſe tempus, ſed nec affuturum eſſe* aſtruit, *in quo vberioribus donis fortunæ Magiſter & Ordo, ni id velint ſuapte negligere, potiri poſſunt, & Ordinis ſui efficere dilatationem, cum tam ipſe, quàm genus ſuum, quo nullum aliud ea tempeſtate in illis oris oſtendebat præſtantius, partes Magiſtri & Ordinis eſſent enixius adiuturi, ſe Ducem belli, ſe exploratorem, ſe omnium quæ expeditio illa requireret adminiſtratorem, ſe denique caſtra & municipia maioris Poloniæ, adhuc ſub ſua poteſtate conſiſtentia,*

Qui ægre illud ferens,

ad Magiſtrum Pruſſiæ fugiens

1331.

reſignaturum, & filium Regis Ducem Caſimirum in manus Magiſtri viuum pollicebatur traditurum. Tam amplæ oblationis & benè gerendi belli, quod propediem cum *Poloniæ* Regno geſturus erat, occaſionem Magiſter *Pruſſiæ Lutherus* nequaquam ſibi negligendam duxit, ſed ſatis potenti & frequenti exercitu, qui ex *Almaniæ* regionibus donatiuo conductus aduenerat, collecto, illum, duos Capitaneos eidem præficiens, videlicet *Theodoricum* de *Aldemburg*, Marſchalcum, & *Othonem* de *Lutenburg*, ex ſententia Commendatorum & *Vincentii* Palatini *Poſnanienſis* cuncta geſturos, in Poloniam quam ſecretius poteſt traſmittit: in *Thorun* ipſe Magiſter ſub expeditionis tempore moraturus. Exercitus itaque Magiſtri, ſuperato circa *Thorun* flumine *Viſla*, ad caſtra & oppida *Brzeſczie* & *Iuniuladiſlauiam* primum, *Vincentio* de *Szamotuli* Palatino Ducatum præbente, in die *S. Mariæ Magdalenæ* applicat, & oppidanis remiſſe vigilias obſeruantibus, pro propriis & amicis crediti hoſtes, ad ipſas portas quæ patebant inſiliunt: parumque abfuit, vt tam caſtris quam oppidis prædictis potirentur, donec per ſigna armaque hoſtes cogniti, per ciues militeſque in caſtris conſiſtentes, plurima cæde in his, qui laxius portis mœnibuſque acceſſerant, edita, ignominioſe repelluntur. Accepta in *Brezeſczie* & *Iuniuladiſlauia* non mediocri Cruciferi ſuorum clade & repulſa, in *maioris Poloniæ* interiora furtiuis itineribus, concito gradu, antequam eorum hoſtilis ingreſſus vulgaretur, & prius quam *Wladiſlao* Regi tumultuarios milites colligendi eſſet vlla facultas *Vincentio* Palatino *Poſnanienſi*, ad euertendam concremandamque patriam dirigente monſtranteque viam, perueniunt, & oppidum *Slupczam Poſnanienſis* Epiſcopi, nil tunc hoſtile veritum, facto repentino inſultu, capiunt. Quo omnibus ſpoliato fortunis & incenſo, principalioribuſque ciuibus in vincula coniectis, properè in *Pizdri*, ibi enim filium Regium Ducem *Caſimirum* conſiſtere ab exploratoribus *Vincentius* Palatinus didicerat, perueniunt. Ea ſibi ſpe propoſitâ, quòd illic eſſent præfatum Ducem *Caſimirum*, aduentum eorum & irruptionem minimè ſuſpicantem, occupaturi. Vehementi itaque inuaſione oppidum *Pizdri* aggreſſi, facilè illo, cum adhuc omnia neglecta, nulla prouiſa in defenſionem forent, potiuntur. Dux tamen *Caſimirus*, periculo quod imminebat, parum ante denunciato, ex *Pizdri* cum fidelibus militibus diſcedens, & in loca ſylueſtria velut tutiora ſe conferens, ſpes hoſtiles fauore Diuino fefellit. Cruciferi itaque nobilem & præcipuam prædam ſe amiſiſſe dolentes, maiori furore & colera in ciues *Pizdrenſes* debachantur, & pluribus captiuatis, cæteris cæſis, aut tortis, oppidum *Pizdri*, cum Eccleſiis & monaſteriis ſuccendunt,

cum exercitu uſque ad Pizdri omnia comburit

1331. dunt, ſpoliis non modicis illic ditai. Conflagrato autem & ſpoliato oppido *Pizdri*, omnem oram oppido vicinam, citra vel vltra *Vartham* ſitam, ſpoliis & incendiis (*Vincentio* Palatino *Poſnanienſi* in omnia huiusmodi facinora pauidos & repreſſionem verentes erigente) hoſtili animo corripiunt. Demolitis autem & igne paſtis plurimis oppidis & villis, nullam experti, iuxta aſſecurationem à *Vincentio* Palatino præſtitam, reſiſtentiam, in *Thorun*, multorum oppidorum & villarum *Maioris Poloniæ* ſecum vehentes prædam, *Vincentio* Palatino *Poſnanienſi* etiam illos comitante, reuertuntur. Cruciferi ſiquidem, vitii magis quam ingenii humani more, in cupiditatem, quo plura per iniuriam occupauerant, ampliorem incenſi, nec acceſſione *Pomeraniæ* contenti, totius Regni *Poloniæ* Imperium affectare, aut ſaltem illud, ne alicui vſui foret, delere, ſin minus, languidare ex mala conſcientia, digna quandoque ſibi per illud euentura cœperunt: diuturnam earum terrarum, quas oppreſſione & ſanguine occupàrunt, poſſeſſionem non habituri.

& cum victoria ad Thorun redit

Succeſſibus, & ſpoliis ex Polonia, per exercitum ſuum *Lutherus* de *Brunszwik* Magiſter *Pruſſiæ* relatis primum exhilaratus, commendato *Vincentio* de *Szamotuli* Palatino *Poſnanienſi*, quod fidem promiſſam ſyncerè cuſtodiendo, ea ad quæ iuerat executus fuiſſet, maiores auſus, maioresque ſpiritus, ipſo etiam Palatino *Vicentio* illos, & fide præſtitâ, & in poſterum præſtanda verbis augente, aſſumit: multoque mercenario milite ex *Rheno*, ex partibus *Almaniæ* conducto, etiam copias non ſolum ex propriis gentibus, ſed etiam ex *Liuoniæ* regionibus, per Magiſtrum *Liuoniæ* miſſas, in frequenti numero contrahit, & exercitum ingentem ordinat; præficiensque illi *Theodoricum* de *Aldemburg* Marſchalcum in Capitaneum, *Othonem* Prouincialem, *Zigardum Egilperpegenſem*, *Ioannem Dobrzinenſem*, item omnes Commendatores ſingularum terrarum, videlicet *Culmenſis*, *Michalouienſis*, *Pruſſiæ*, & *Pomeraniæ*, quas ſuperioribus annis dolo & fraude occupauerant, omniumque conuentuum pugnatores & milites, vt exercitus eſſet auctior; illi adiungit: & ad vaſtandum vniuerſum Regnum *Poloniæ*, ſub ductu *Vincentii* Palatini *Poſnanienſis*, quem largitionibus & promiſſis, præſentibus & futuris, ad fidem æquè præſtandam obligat, tranſmittit: Adueniſſe rarum tempus, & nullatenus negligendum ratus, in quo vaſtatio Regni *Poloniæ*, & illius quæque direptio, impunè poſſet prouenire: Regem quoque Poloniæ derenunciando iuri Pomeraniæ terræ poſſe impelli. Grauem itaque equitum, ſed & peditum

Vincentius de Schamotuli

1331. inſignem numerum, & milites expeditos, & armis excitatos habens, exrercitus, *Pruthenicus* circa *Thorun*, cuius *Otho* de *Lucemburg* Commendator Prouincialis Ductor fuerat, *Viſlam* traiicit, & terra *Cuiauiæ* nulla vaſtatione propter commeatus violata, (illam enim iuris ſui & proprietatis in redeundo facere deſtinauerant) in terram *Lancicienſem* perueniunt, & ciuitatem principalem eiuſdem terræ *Lancicienſis*, caſtro per milites Regios egregiè defenſo, conquiruut, & omnes villas eiuſdem terræ atque oppida, diſcurrendo gyrum ſuccendunt. Ex *Lancicienſi* terra ad oppidum *Caliſz* iter vertunt, & caſtro conquiſito, ab oppido cum multa ſuorum ſtrage repulſi, quinque diebus *Ioannis Bohemiæ* Regis, qui ſe in illorum auxilium cum *Bohemico* exercitu venturum ſpoponderat, præſtolando aduentum, ſtatiua agunt. Sed aduentu *Bohemiæ* Regis fruſtrati, a *Caliſz* promoto exercitu, verſus *Znenam* & *Gneſnam* peruenientes, etiam Eccleſiæ Metropolitanæ *Gneſnenſi*, cum ſuo oppido *Znena*, *Nakiel*, *Srzoda*, *Pobiedziska*, *Kleczko*, *Koſtrzin*, & villis atque oppidis, paſſim diſcurrendo, flammas iniiciunt. Flagrabant autem omni ſtudio corpus Sancti *Adalberti* in *Gneſna* reperiendum inde auferre. Primum itaque Eccleſiam *Gneſnenſem* adorti, & ſpe ſuâ fruſtrati, corpus ſanctum diutius quæſitum nec repertum, cætera Eccleſiæ *Gneſnenſis* ornamenta, vaſa ſacra & clenodia, non ſecus quam barbari diripiunt. A *Gneſna*, *Vincentio* Palatino greſſus eorum regente, verſus *Vniciow* & terram *Siradienſem*, dando ſpoliis & incendiis, violentisque virginum & mulierum deflorationibus & corruptionibus operam, procedunt, & caſtrum principale *Siradienſe* caſtrumque *Vnieiouienſe*, & oppida cis annexa capiunt. Item oppida *Vartham*, *Schadek*, *Staw*, & villas circumquaque conſiſtentes, monaſteria quoque & Eccleſias, in dictis oppidis & villis conſiſtentes, ablatis omnibus concupiſcibilibus, & rebus quas illic reperire poterant, ignis conflagratione demoliuntur. Priori autem monaſterii *Siradienſis* ordinis Prædicatorum *Nicolao*, genibus curuatis prouoluto apud *Hermannum* Commendatorem *Elbingenſem*, cuius notitiam bonam, dum eſſet conuentus *Elbingenſis* Prior, contraxerat, ſupplicanti, *vt à cæde hominum innocentum, & præſertim à ſpolio monaſterii eorum & Eccleſiæ, concremationeque, in quod ſe plures cum bonis & fortunis contulerant, abſtineret, & ædibus ſacris parceret*, deſpectis prioris precibus Pruthenico linguagio pro maiori ſuperbia demonſtranda reſpondit: **Ne preſth**, id eſt *non intelligo.* Monaſteriumque irruens, ſingulas res Diuino nomini in calicibus, crucibus, ornamentis, caſulis dicatas, & fortunas diuerſorum hominum

terras Lanciciæ

Siradiæ

1331. minum, fractis concuſſisque ſcriniis & ciſtis, abſtulerunt. Monachos quoque Sancti *Dominici* quotquot in conuentu erant cappis, homines vero vtriusque ſexus induuiis, vsque ad extremam denudationem ſpoliore non horrebant. *Siradienſi* terrâ ſpoliata & exuſta, iterum ad oppidum *Caliſz* exercitus hoſtilis applicuit. Quod dum aliquot diebus ſine aliquo profectu (locus enim alueo fluminis *Proſzna*, qui in pluribus partibus ſtagnat, munitiſſimus) impugnaſſent, facile, naturâ enim & ſitu fluuii *Proſzna* ubique ſeptum, inacceſſibile eſt, eorum impugnationes, conatus, & ſtudia irriſit; & plures de exercitu eorum propius portas & mœnia, pro demonſtranda animoſitate audentes accedere, interceptos, iuſta nece extinxit. In quorum vltionem Cruciferi in oppidum *Konin* & in villas, & oppida tectaque innocua, multifarie diuiſi, complendo omnia ſpoliis, incendiis, & cædibus, ſæuiebant: cum agris magis quam cum hominibus, vrendo populandoque, impium trahebant bellum. Nunquam tot incendia, tamque late manantia facinora committere auſi, niſi illos *Vincentii de Szamotuli* Palatini *Poſnanienſis*, patriæ propriæ proditoris, obſtinata iniquitas ad ea peragenda & incendiſſet & adiuuiſſet. Quapropter maledictus furor impii *Vincentii* Palatini, quia pertinax, & indignatio eius, quia dura, veſanus furiâ, animoſus indignatione, impetuoſus furore, oblitus fidelitatis, immemor religionis, contemptor honeſtatis, crudelis in ſe, homicida in proprios, proditor in Dominum, hoſtis in domeſticos, vaſtator in Patriam, reus in omnes, ſibi & domui ſuæ improperium ſempiternum, omnia pectora *Polonorum* ſua memoriâ prouocaturus in amaritudinem, & ſe ſuamque progeniem fœdo notaturs cauterio.

& Poloniæ maxima crudelitate

Milites & Nobiles Poloniæ per ſeptem milliaria aggere facto ſe & ſua tuentur

Tam graui autem & tam horrenda vaſtatione milites & nobiles *Poloniæ*, qui ad lacum *Niezamiſl*, & in circum eius habitant, cognita, arcturi hoſtes, ne ad ſe quoque penetrarent, ſeptem miliaribus in longum aggerem a *Zwolna* & *Kempa* villis incipientes, vsque ad oppidum *Gluſcbino* extruunt, foſſaque profunda cingunt, lacusque à ſe diſtantes foſſato huiusmodi committunt, rati hoſtes trans aggerem penetrare non auſos. Verum cognito ad lacum prædictum plures milites & agreſtes conueniſſe, & pecus frequens, ex regionibus quas vaſtauerant, illic conditum eſſe, tria equeſtrium millia illuc *Prutheni* tranſmittunt, nobilem & frequentem prædam conſecuturi. Milites autem & Nobiles *Poloniæ*, qui ſe illic abdiderant, certiores de aduentu hoſtium, denunciantibus agreſtibus, facti, *Wladislaum Poloniæ* Regem properè auiſant: Qui illis Marſchalcum ſuum, cum aliquot centenis Curienſium ſuorum trans mittit. Quo auxilio erecti, hoſtibus ad aggerem occurrunt. Et agreſtibus copias eorum augentibus, hoſtes tanta cæde confligunt, vt pauci admodum cruentam mortem (neminem enim capi, aut captum ſæuientibus agreſtibus ſeruari licebat) euaderent. Cladem tunc Cruciferis inflictam, etiam oſſium humanorum multitudo in palæſtræ loco conſiſtens, in eam vsque atteſtatur diem.

Quo cognito Prutheni tria millia eo mittunt pugnatorum,

1331. *quos omnes Poloni occidunt.*

Wladislaus Rex, quamuis iam decrepitus,

Quamuis autem *Wladislaus Poloniæ* Rex, cognito Cruciferorum in terras ſui Rgeni in forti multitudine altero ingreſſu, in ætate plenè decrepita eſſet conſtitutus, & in diebus ſuis longius progreſſus, quæ Martis opus omne & bellicos ſtridores, mollitis ac temperatis affectibus, refugeret, & rugoſa iam fronte ſenex tepeſcens viribus, & corpus gerens in mortem, ſenecta corporis ad munera belli inualidus, ſeniles & languidos artus ſuperioribus bellis & annis ſentiret exhauſtos: virtute tamen vicit naturæ incommodum, difficultates & labores bellicæ adminiſtrationis, iuſtâ ira, viuacitatem ſubminiſtrante & vires, & cum exercitu plurimorum ſuorum ex *Cracouienſibus*, *Sandomirienſibus*, *maioris Poloniæ* terris collecto hoſtibus præfatis Cruciferis, tunc terræ *Lancicienſi* imminentibus occurrit: ſtatuens cum illis quamprimum decernere, & tam ſæuam Regni ſui vaſtitatem reprimere & propulſare. Grauis enim licet, non militaribus ſolum ſed domeſticis quoque abſceſſiſſet muneribus, in corpore tamen decrepito vigebat vis animi conſiliique. Pluribus autem gradibus copias hoſtiles ſuis videns ſuperiores, plurimum ſub ſignis equitatum in ordinibus ſtare, a quo, ſi pugnam inire contingeret, poſſit ſua acies interrumpi, in diſcrimen vniuerſæ dimicationis, quemmadmodum animo deſtinauerat, non ſatis ad obſiſtendum ſibi virium ratum, venire eum infirmiore robore veritus, exercitum hoſtilem, in omnia ad quæ diuertebat loca ſequendo, ex abditis & inſidioſis locis, datâ opportunitate, grandi & crebra ſtrage & irruptione aſſidua afficiebat, eos præſertim qui pabulatum frumentatumque ibant, aut ad ſpoliandas incendendasque villas diſcurrebant. Conſtituerunt autem Cruciferi, dum apud *Konin* in redeundo agerent, prælio Regem inuadere, ordinatisque aciebus perlicere eum credebant ad pugnam. Sed Rex tunc ſuas vires metiens, & de ſtatiuis propere ſecedens, diſtulit certamen. Hinc effectum eſt, vt hoſtes ſua inuaſione territi, aut prodire longius ad inflammanda rura pertimeſcebant, aut prodeuntes obterebantur, nec late manare potuit ab vniuerſo hoſtili exercitu patratum incendium, huiusmodi repreſſione & pauore ſæpius reſtrictum. Rex interim *Wladislaus* corpore cruciabatur & ſpiritu, dum & ſui Regni prædam & incendium intueri cogeretur, fumo & fauillis ſæpius oculos eius & exercitus ſui implentibus & ſtrepentibus clamoribus plorantium ſubditorum, opemque ſuam non tam vocibus quam fle-

bellum tamen meditatur,

Videns antem ſe imparem viribus

congreſſu omiſſo,

1331.

fletibus, expoſcentium, ad miſerationem moueretur: ad certamen tamen ineundum, & ſuorum paucitate diſſuaſioneque, & aperta periclitatione prohibeatur. Fluctuans igitur multa ſpiritus anxietate, inopsque conſilii, & quid in tot malis ſibi reſtaret agendum ſecum voluens, mira dudum exercitati intellectus eruditione inſpiratus concipit, deficientibus viribus, iuſtis dolis vtendum eſſe, & eo inſtrumento vires hoſtium contundendas fore, quo ipſi quam maxime in gerendo bello præſenti valebant. Ad *Vincentium* itaque de *Schamotuli* Palatinum *Poſnanienſem*, hoſtilem exercitum ſuo ductu ſuaque induſtria gubernantem, expertæ fidei Nuncios ſecretè mittit, monetque illum, *vt miſeræ afflictæque patriæ, ſua proditione in deformitatem etiam hoſti lugendam perductæ, reliquiis conſulat, ſtudia quoque ſua & ingenia, pernitiem & interitum patriæ afferentia, in eius ſalutem & ſtabilimentum conuertat. Nec cunctetur hoſtes ſua proditione traducere ad ruinæ laqueum, qui patriam hoſti prodere duxit non indecorum: habiturus perpetuam impunitatem patratæ in Regem & Patriam proditionis, ſi, ſcelus ſcelere compenſando, Cruciferos perduxerit ad metam ſtragis, & iuſtæ ultionis.* Motus his verbis infelix proditor *Vincentius*: iam enim furori ſuo, pro deſtitutione ſua à Capitaneatu *maioris Poloniæ*, patria in fauillam & cineres redactâ, & eius miſerabilis imago ſatietatem præſtiterat, pœnitentia animum ſubibat, in tam horrenda execrandaque opera, ſibi & poſteritati ſuæ perpetuæ infamiæ notam inurentia cecidiſſe; offert *ſe ad omnia, quæ ſalutem Patriæ afferre poſſent, fidelem operam nauaturum: pariturumque in omnibus Regis Wladislai ordinationi.* In conſpectu quoque Regis nocte, præbita occaſione Cruciferis quaſi exploratum iret, perueniens, paucis conſciis in ſecreta colloquia admiſſus, primum ſibi per Regem & filium ſuum *Caſimirum* Ducem, tunc etiam præſentem, petit *de his, quæ in Regem, filiumque ſuum, & patriam admiſerat, ignoſci.* Quo minus cunctanter obtento, *hoſtilem exercitum, numero quidem magnum, re autem ipſa tenuem & languidum, impedimentis magis quam viris refertum, facile ſi quis inuadere audeat vincendum, magis ad fugam quam ad pugnam procliuum, & ipſo ſarcinarum ſpoliorumque onere ſibi ipſi grauem, ſemper ne quæſita amittat, pauidum: vaſtam & tumultuariam multitudinem paucitati expeditæ ceſſuram,* plurimis verbis ſententiiſque ad erigendum *Polonorum* animos aſtruit & declarat. Et quo minor de relatione ſua trahatur ambiguitas, *ſe ad ciendum pugnam & inuadendum a fronte hoſtem primoſque hoſtiles impetus, qui feroces & validi conſuerunt eſſe, excepturum* pollicetur. Magna oratione perſuaſioneque ſua & Regi & militibus audaciam futuri triumphi formauerat, in magnoſque au-

prius ad Vincentium de Schamotuli mittit,

eum ſibi conciliat,

ſus animos perculſos erexerat. Neque enim magis poſſe prodeſſe amicum in bello, quam A cum ſe hoſtem fingeret, neque magis nocere hoſtem, quam cum amicus putaretur. *Wladislaus Poloniæ* Rex, quod magnopere optauerat, adeptus, rem ſpei permittit, opportunitatemque tribuente fortuna, congreſſionis cum hoſte, facinus gnauiter adimpleturus. In hanc ſpem concluſionemque dimiſſus, datâ acceptaque fide, monitus magis, quam rogatus, ſyncerè eaquæ ſpoponderat exequendi, ad Cruciferos regreditur, pacata omnia referens *per explorationem didiciſſe. Wladislaus* autem Rex *Poloniæ*, etſi probe noſſet, neque magnitudine ſe neque numero parem eſſe futuræ dimicationis, fortunæ tamen rem committendam, & altero die prælium cum hoſte conferendum decreuit. Præſtare enim viſum eſt omnia extrema perpeti, quam prælium cum hoſte, qui patriam in fauillam redegerat, omitti. Filium tamen *Caſimirum* ex ipſa pene B acie iubet in caſtrorum fortiorum loca diſcedere, *Gregorio Nekanda* militi, illius ſalute & cura commiſſa, de genere hic erat *Bipennium*, Regno & patriæ, ſi hoſtes potiri victoriæ ſorte contigerit, ſuo tempore ſuccurſurum. Iam exercitus *Fruthenicus* in *Pruſſiam* redibat, iam in Regium villagium *Plowcze*, quod alio nomine *Blewo* dicitur, vicum ignobilem, ſed futuræ cladis emerſurum magnitudine, prope *Radzieyow* oppidum ſitum, in ſua ſtrage inſigniendum peruenerat: opportunum ad explicandas ac ordinandas acies vaſtam & expeditam habens planitiem, locum liberum; nihil enim ſylueſtre circa eſt, C etiam ad ea quæ in remotioribus ſunt, habens proſpectum. Iam illic hoſtis ſtatiua fixerat, dum ſubitò Rex & ſuus exercitus, qui retrorſum abiiſſe creditus fuerat, aciebus ordinatis, infeſtiſque ſignis, illuceſcente vigeſima ſeptima Septembris die, ſole primum oriente, cum exercitu inſtructo, & ordinibus ad pugnam paratis ſe oſtentans, Cruciferos diu, an apparere aut decernere auderet diſcredentes, donec ſtrepitus armorum & hinnitus equorum fidem feciſſet, in ambiguitate detinuit, vehementem & ſubitum pauorem in *Pruthenicis* caſtris exciuit, & in tantam turbationem terroreſque conieci t, vt vix cum D magno clamore & tumultu ſe colligendi, atque acies & ordines conſtituendi, ſpatium daretur: Obiectis tamen ne *Poloni* in pauidos & inpræparatos penetrarent, catenis ferreis, tumultuario magis quam iuſto ordine Cruciferi aciem conſtituunt. Correptis itaque Cruciferi armis, aciebus vtcunque extructis, obuiam Regi & ſuo exercitui procedunt. *Wladislaus* Rex paulisper, vt interim caligo nebulæ, quæ adeo denſa erat, vt vix vir virum cerneret, diſſolueretur, ſuos continens, pro adhortatione militum, breui & abſciſſa oratione, prout temporis qualitas patiebatur, vſus: *Hiccine*, inquit, *prodire auſpiciis*

hoſtes

1331. *hoſtes, in quos pergimus, aui mei Conradi beneficio eleemoſynaque, ad eam vſque furiam, quæ pro delendo meo Regno, pro veſtroque ſempiterno graſſatur exterminio, perductos: qui pro impartitis a Regno noſtro & gente beneficiis, furioſum ſequendo Palatinum, patriam noſtram, cuius beneficio hactenus creuerant, ademptione & occupatione iniuſtâ terræ noſtræ Pomeraniæ, & militum meorum fratrum veſtrorum in ea degentium, cæde & exterminio parum contenti, ſpoliis & incendiis delere conati ſunt, deputantes pudori, quòd fundationis & originis eorum ſupereſt memoria. Quos niſi ſuperbiæ, & inexpletæ auaritiæ terras noſtras reſiduas occupare geſtientes, exagitaret furor & facinus, reſpicerent profectò, ſi non Deum cæleſteſque ſuperos, ſuæque quàm ſolo habitu deferunt, religionis normam, beneficia certè & ſuam vocationem in has oras Conradi Ducis Polonorum aui mei, & obligationis ſuæ manu propria ſcriptæ, tenorem, quo ſe & de Chelmenſi terra, conquiſita Pruthenica, exceſſuros, medietatem impartituros, & contra barbaros Principibus Poloniæ auxiliaturos, inſpicere & reminiſci deberent. Qui horum omnium obliti, ingenuas virgines & matronas, cæteraſque generis noſtri fœminas, libidinibus ſuis polluere, templa Deo ſacrata violare, cæde mares & mulieres innocentes perimere, omnia denique Diuina & humana peſſundare non ſunt veriti. Incredibilis auiditas in illis Regni noſtri aut occupandi aut euertendi, inſatiabilis ſanguinis noſtri profundendi ſitis. Iuſtis itaque contra tam nefarios homines induti armis, ferociùs quò poſſumus pugnemus: neminem in loco vbi conſiſtimus ignauum eſſe licet; hauriet hoſtis tuum, ſi ſuum ſanguinem fundere detrectaueris. Vnuſquiſque noſtrum non ſe, ſed coniugem, ſed liberos, ſed patriam, cæteraque pignora defendere cogitet. Idque in animo & in reſpectu habeat, qualis noſtra virtus in præſenti certamine enituerit, talem deinde fortunam & patriæ, liberorum, & pignorum noſtrorum fore. Iuſto noſtro certamini ferre Diuinitatem opem certos vos facio, quæ & pro iuſtiori conſueuit ſtare acie, & hoſtili agmini pro execrandis facinoribus in hoc impio bello admiſſis, ſe monſtrabit infeſtam: pœnas debitas ab illo per veſtras dexteras exacturas. Diſpar præterea pugnandi nobis & illis ratio: Illi enim mercenario milite oppugnatum nos veniunt, pleni ſpoliis cædibuſque prophanis, nobiſque iniuſtum bellum inferunt: nos bellum non tàm gerimus quàm repellimus; multifariiſque iniuriis prouocati, pro reliquiis miſeræ patriæ, pro coniugibus & liberis, pro templis, & ſacris in hac acie ſtamus: hoſtes compellunt nos, vim & arma inferentes, ſubditi nos & amici, quorum voces exaudire mihi videor, in ſubſidium vocant. Illic variarum gentium colluuies, & onuſtum nefariis ſarcinis, flagitiis, & ſpoliis agmen, geminatis ſpoliis ſi viceritis potituri.* Orabat poſtremò nonnullos ex nomine appellans, *ferrent opem adiuuarentque, ſuaſque & patriæ iniurias pro agro & incenſo & adempto* A *vltum irent, nullo alio in loco æquè ſibi gloriam paraturos.* Sic fatus, videns milites ſuâ adhortatione in certamen accenſos, canere ſigna iubet. Primamque cohortem ex quinque vnam, in qua Curienſium & veteranorum militum robur fuit, cunctis pro locis, ordinibuſque muneris ſui pollicentibus operam, in medios hoſtes inducit. Concurrente autem vtraque acie infenſis animis, numero hoſtis, virtute ſuperabat *Polonus*, variaque tunc manuum & animi à *Polonis* edebantur facinora, ex quibus plures hoſtium contingebat aut occumbere aut vulnerari, raros capi, paucos enim parcendi aut B miſerandi *Polonorum* tangebat cura, ſinguli ad vincendum aut vlciſcendum intenti. Anceps prælium aliquanto tempore ſtetit: in cadentium enim aut ſauciatorum numerum, multitudine abundante, Cruciferi vegetas & integras iubebant ſuccedere acies. *Poloni* tunc iuſta irâ ſtimulante, heroica edendo opera, obſtinauerant animos vincere aut mori: Vnde nec referebant pedem, ſed quodam indiſſolubili glutinio glomerati, in eorum quos ſtrauerant locum gradum promouebant. Præſentia quoque Regis, non animoſis tantummodo, ſed & ignauis cunctationem auferebat. Accedebat ſolis dieique, diſpulſis nebulis, quæ maiori ex parte in autumno ſuſcitari ſolent, ſerenitas, mirificũ & aptum pro conſerendo prælio & alacritate animis pugnantium infundendo tempus. C Curam tamen iniecerat tam Regi quam militibus *Vincentii* de *Schamotuli* Palatini *Poſnanienſis* doloſitas, ne fallaci verſutiâ ſuâ exercitum *Polonicum* in cladem occultam adduceret, qui patriam communem incendiis conflagraſſet. Ipſe verò *Vincentius* de *Schamotuli* Palatinus *Poſnanienſis*, qui in illam diem in caſtris Cruciferorum obuerſatus fuit, *Wladiſlaum Poloniæ* Regem non fefellit: ſed in perturbatos hoſtes cum gentibus ſuis irruens, fidior Regi & patriæ poſt fugam, quàm Magiſtro & Cruciferis poſt beneficia, plurimam in hoſtibus ſtragem fecit: & ad purgandam extenuandamq; ſuæ proditionis infamiam, multa ſuæ fidelitatis & ſtrenuitatis decora, inſpe- D ctante Rege & vniuerſo exercitu, demonſtrauit, præliumque in aliquot locis remiſſius geſtum, acclamando adhortandoque, non militis ſolùm, ſed & Ducis munere fungens, reſtituit, atque notorio euidentique experimento pollicitationis ſuæ conſtantiam ſolidauit. Conſcientiâ quippè contractæ culpæ, in prodenda patria obiurgatus, illam quoque, vt ſibi fides & honos apud ſuos poſſet reſtitui, detruſurus, vltima audere, mortemque oppetere in animum induxerat: morte honeſta turpem actionem exornaturus, quam quantò fuit crudelius committi, tantò glorioſius adhibita pietate reſecari. Cæſis interea proſtratiſque principalioribus hoſtium aciebus, quas milites de Ordine aut mercede conducti ducebant, & ſub 1331.

1331.

quibus *Hermannus Elbingenſis*, & *Albertus* Comendatores, Cruciferorum inſuper longus ordo ceciderat, dum ad reliquas copias minus animi, minuſque roboris habentes *Polonorum* agmen pugnando perueniſſet, perculſæ ſuorum ſtrage, parumper reſiſtunt; *Poloniſque* ferocius inſtantibus cedunt, & auerſæ vt ſemel dedêre terga, etiam certiorem capeſſere fugam. Plenam *Wladiſlao* Rege victoriam ſe conſecutum fuiſſe autumante, nouus exercitus, quem magnus Commendator *Petrus* de *Plawen* ducebat, & qui ad obſidendum oppidum *Brzescie* diuerterat, aduenit. De cuius aduentu Rex certior à ſpeculatoribus factus, *Theodoricum* de *Aldemburg* Marſchalcum, *Othonem* de *Brundsdorff* Commendatorem, & quinquaginta ſex alios ex Cruciferis potiores, in ſuperiori certamine captos, iuſſit obſeruari. Militeſque monuit ne labori ſuccumberent, ſed fortibus animis pugnarent, eundem fructum ſuæ dimicationis, eamque fortunam in ſecundo, iuxta atque in primo bello percepturi. Commendatoris itaque magni exercitu veniente, prælium ex integro reſumptum eſt, Commendatore magno, qui de aliis cædem fieri iuſſerat, inprimis, & *Hermanno* de *Elbing*, ac *Alberto in Gdansk* Commendatoribus, cum plurimis aliis cæſo, hoſtibuſque pro magna quantitate obtritis, tumultu turbationeque repletis, etiam in fugam ſpectantibus, plenior *Polonis* prouenit victoria: Cruciferis in fugam conuerſis; inde iam non pugna, ſed fugientium cædes permaxima fuit. *Polonus* enim ſuorum, quos iniuſtâ cæde hoſtis extinxerat, parentando funeribus, magis cædi quàm captiuitati fugientium inſiſtebat. Rex nullum ſpatium perculſis & fugientibus dari oportere exiſtimans, milites cohortatur magna voce, vt hoſtes a tergo circumueniant fugientes, fortunam illis præclari facinoris opportunitatem dare, vt fortunæ beneficio vſi, fugientes capere cædereque non deſiſterent. Qui etſi magno labore fatigati, quantum tamen eorum vires ad perſequendum, laſſæque manus ad cædendum, valebant, animo ad omnem laborem parati, pariturí Regis Imperio, quantum equorum vires ad currendum, & dextræ ad necandum valebant, cædendo, animo vegeto, obedientes Regio Imperio, fugientes perſequebantur: Memores ſiquidem *Poloni*, quanta ſuperioribus & præſentibus guerris ſtupra fœminis intuliſſent, quàm crudelibus incendiis patriam eorum deformaſſent, nulla parcendi aut miſerandi cura tangebantur, ſed deditionem offerentes, paſſim trucidabant. Ad horam enim nonam durauit pugna, cum in ortu ſolis cœpiſſet: adeò fuerat vtrique parti ad vincendum pertinacia. Quadraginta & amplius hoſtium millia cæſa ea pugna feruntur, pauca capta, ſterni enim & extingui *Polonus* fugientes malebat, multumque cædis a iuſta ira editum. De *Polonis* duodecem tantummodò nobilitate inſignes, inter quos hi præcipui, *Zegotha* de *Morawicza* Vexillifer A *Cracouienſis*, *Criſtinus* de *Oſtrow* Vexillifer *Sandomirienſis*, filius *Prandotha* Caſtellani *Cracouienſis*, & *Iacobus* de *Schumsko* Caſtellanus *Zarnouienſis*, quingenti de vulgo communi deſiderati: vt non mirandum ſolum, ſed ſtupendum ſit, tam inſignem triumphum, tam paucorum impendio ſtetiſſe. Diuini muneris nullus ambigat præſentem victoriam benignitate, & Beatiſſimi *Stanislai* Patroni & Protomartyris *Poloniæ* ſuffragiis & meritis proueniſſe, cum & in dicata Sancto *Translationis* die mirificus ille triumphus acciderit, & tam pauci ex *Polonis* ceciderint. Caſtris hoſtilibus omni genere ſpoliorum refertis, exercitus *Polonicus* potitus, magnas illic diuitias opeſque comperiens, vehementer ditatus eſt. Captiui omnes B inſigniores, & inter alios nobiles *Petrus* de *Plauen*, qui ſe ad portas vrbis *Cracouienſis* exercitũ adducturum comminabatur, *Cracouiam* cum ſignis hoſtilibus perducti, locum quem animo metiebatur, in diſpari tamen ſorte, & fortuna applicuit. Tum primum Cruciferi cum *Polonis* gerere ſe bella ſentire cœperunt. Superiori enim tempore Cruciferi adeo *Polonorum* militiam agminaque contempſerant, vt nunquam ſe robur ſuum à *Polonis* vinci poſſe aſtruebant.

diuoque auxilio hoſtes maxima cæde proſternit

Victoria *Cracouiæ* aliiſque locis Regni *Poloniæ* nunciata, lætum ſpiritum ex admodum triſti in hominibus, & pro incendio Regni afflictis, & pro futuro euentu pugnæ, ne in diſcri- C men caderet, ſollicitis creauit. Poſtero die vbi primum illuxit, *Wladislaus Poloniæ* Rex, in certaminis locum ad legenda ſuorum corpora, fœdamq; etiam hoſtium ſpectandam ſtragem, deſcendit. Vbi dum ſuorum legit recognoſcitque cæſorum cadauera, offendit illic vnum de militibus ſuis, qui in pugnâ egregiè dimicans, multis confoſſum ſpiculis habebat corpus, inter cæſos & mortuos ſupinato corpore iacere viuum, vtraque manu, patefacto ex vulnere ventre, viſcera atque inteſtina propria attrectantem, *Florianum* nomine, cognominatum *Schari*. Quem diligentiùs intuitus, & pia illi miſeratione compaſſus, ad milites illum comitantes conuerſus; *quàm atrox*, inquit, *eſt hu- D ius noſtri militis quem contemplamur, pœna?* Tum ille ſpiritu reſumpto; *Atrocior eſt*, reſpondet, *ſi quis durum vicinum in vna villa conſiſtentem, qualem ego ſum expertus, tulerit.* Tum Rex, *æquo animo*, inquit, *eſto, & ſi ex præſenti vulnere incolumis euaſeris, ſcito te liberatione mea duri vicini ſocietate cariturum.* Sublatus inde poſtea, & perfectam curationem adeptus; Regia quoque largitione in feliciorem gradum euectus, ſtirpi ſuæ, quæ tres lanceas defert, pro inſigni ex ipſo rei euentu, Proclama nouum, abrogato vetuſto *Kozlierogi*, indidit *Iclitha*. Oſſium humanorũ acerui, etiam in præſentẽ diem in *Plowcze* conſiſtentes, cladis magnitudinẽ teſtantur. Quæ *Matthias Wladislauienſis*

Florianus Schari in pugna vulneratus,

nouum inſigne accipit.

1331.

lauienſis Epiſcopus, ædificato illic Oratorio contexit. Eam pugnam magnificè glorioſeque geſtam ſcriptores, *Polonicalium* rerum annales, vt ferè cæteras omnes, abſciſſo ſcribendi genere, mandarunt memoriæ. Quam nec ego ſcripſiſſem extenſius, niſi à nonnullis, qui dum gereretur interfuerant, ad mea vſque tempora ſuperſtitibus, incorruptam illius ſeriem agnouiſſem. In qua plura quàm quadraginta millia hoſtium deſiderata traduntur; ex *Polonis* tantummodo quingenti. Heroicâ ſpectataque virtute *Wladiſlaum Poloniæ* Regem fulſiſſe eo bello notatum eſt, maxima enim iuxta ac minima per ſe adminiſtrabat & adibat. Nec prouidebat aut imperabat modo quæ in rem eſſent, ſed pleraque per ſe conficiebat, nec labori aut vigiliis indulgens, ad ſingula belli munera operam nauabat, non minoris in his quæ Marte expedienda forent, vir animi quàm conſilii, quo prouidebat, vt milites munia ſua fidentius atque alacrius obirent. Omnium quoque oculi tunc in eum coniecti, admiratione percellebantur, eò, quòd vir abſciſſæ ætatis & decrepitæ, cui ſat erat ſpectatorem ſe tantummodò certaminis præbuiſſe, ardua & periculoſa adiiſſet inuaſiſſetque facinora, & audentiæ fortitudiniſque ſingularia opera edidiſſet. Quanta autem in Rege ipſo fuerit virtus, quantus in defenſionem & vltionem patriæ ardor, hinc cognoſci poteſt, quòd membris frigeſcentibus, calore penè extincto, & corpore gelido & effeto, imbecillitatis ſuæ oblitus, periculoſam dimicationem aſſumpſit. Tantò tamen glorioſior, quantò per maiora obſtacula erumpens, hoſtili ſanguine patriæ incendia reſtrinxit, & ſuis deſideratis clade ingenti parentauit. Ab ortu ſiquidem ſolis, vſque ad veſperam vegeto corpore conſtitit in acie. Et quoties impendebat diſcrimen, aduerſus hoſtem dextra læuaque acinacem & clypeum opponebat, feſſis & laborantibus ſubueniens, & ſauciis integros ſubducens. Nunquam notatus eſt mœſtum & conſternatum, ſed ſub vnius hilaritatis tenore erectum ſemper vultum habuiſſe. Quæ quidem ſenectute egit graui affectus. Cuius tamen & imbecillitatem naturæ virtus animi, & bellicas ſuperabat difficultates; prona libidine effuſurum animam, dummodo vlciſcendi cupidine potiretur, neque ignauiæ aut negligentiæ quicquam admiſit. Nihil ſenectute de priſco vigore flammaque militari notatus remiſiſſe, quamuis neruis æger, corporeque difficilis. Non minor autem erat omnium Cruciferorum, & eorum præcipuè qui exercitum ductabant, & eorum qui ordines ducebant, imò & omnium militum mercede conductorum, pro conſequenda ſuæ parti victoria, pertinax prouidentia atque cura; ſinguli enim propugnatores, qui non ſolum in primis aciebus, ſed etiam qui in ſequentibus Ordinibus collocati fuerant, ne acies eorum diſſoluerentur à *Polonis*, aut milites ſuo loco diſcederent, & reſilirent a pugna, longis catenis ad inuicem per baltheos coniugati atque connexi, dimicabant. Sed militum *Poloniæ* furioſus animus, à iuſtâ irâ coortus, aſſiſtente illis propitiatione Diuina, & præſidio Beati *Stanislai*, facile omnia eorum machinamenta contriuit & diſſoluit.

Laus Wladiſlai Regis.

Strage huiuſmodi tam rumore quàm Nunciis per *Pruſſiæ* Magiſtrum deſtinatis, ad *Ioannem Bohemiæ* Regem tunc *Wratislauiæ* agentem, perlata, Rex de ſtatu Ordinis & caſu eius plurimum ſollicitus, triſtis & anxius: veritus ne *Poloniæ* Rex grauius quicquam in Ordinem poſt victoriam conſuleret, aut de euertendo Ordine, & recuperandis terris per Ordinem occupatis curam operamque nauaret, altero bello ſibi inferendo auertendum diſtinendumque illum ſtatuit. Et proinde celeritate nimia cum copiis, quas vndecumque contrahere potuit, in *Poloniam* deſcendens, *Poſnanienſem* ciuitatem obſidione cingit. Quâ nouitate ad *Wladiſlaum* Regem prælatâ, *Pruſſia*, in quam vaſtandam proceſſerat, omiſſa, verſus *Poſnaniam*, cum *Bohemiæ* Rege congreſſurus, exercitum ducit. Sed Rex *Bohemiæ* & victorem exercitum, recentique hoſtili cæde madentem, & ſuis copiis multò ſuperiorem pertimeſcens, auertiſſe quoque *Pruſſiæ* vaſtationem, quod tantummodò intendebat, contentus, de ſuis quingentis militibus amiſſis, & bombardis cæteriſque inſtrumentis conquirendarum vrbium relictis, citato curſu fugæ ſpeciem habente, ne præoccuparetur, *Wratislauiam* rediit.

Bohemiæ Rex Poſnaniam obſidet, ſed ſtatim relinquit.

1331.

Ampliores autem clades inter Regem *Poloniæ Wladislaum* & Cruciferos, duo Reges, *Hungariæ Carolus*, & *Ioannes Bohemiæ*, prohibituri, in die Sancti *Martini* ſimul conueniunt, & pacificare *Wladislaum* Regem cum Cruciferis ſtudiis ſuis conati ſunt. Verùm pacum de *Pomeraniæ* terra Regem *Poloniæ* nullâtenus ceſſurum conſtaret, conatus Regum fuit irritus. Cruciferi vocatis ex *Almania* ſtipendiariis, inter quos principaliores erant, Comes de *Bergow*, & *Popo* de *Kokerzicz*, circa diem S. *Eliſabeth*, *Cuiauienſem* terram ingreſſi, eam igne & ſpoliis vaſtant, & quatuordecem diebus in ea abſumptis, cum ſpoliis in Pruſſiā redeunt.

Hungariæ & Bohemiæ Reges dum Cruciferos cum Polonis pacificare nequeunt,

Cuiauia à Cruciferis igne vaſtatur.

Boleslaus Dux *Maſouiæ* & *Ruſſiæ*, filius Ducis *Troydeni Maſouiæ* vxoratur, & accipit in vxorem filiam *Gedimini* Ducis *Lithuaniæ* gentilem & barbaram. Quâ fonte baptiſmatis a ſordibus idolorum ablutâ, nuptiæ ex more apud *Płoczkam* celebrantur.

Dux Maſouiæ ducit vxorem filiam Ducis Lithuaniæ.

Cladem ſuam Cruciferi ad villam *Płowcze* habitam, in triſti & amaro recenſentes ſpiritu continuo ſtudio, meditationeque admirebantur intendebantque caſum tam notorium & acerbum, per quem apparebat & famam, opinio-

1332. opinionemque potentiæ eorum, apud exteras nationes plurimùm celebrem & vulgatam, diminutam obſcuratamque eſſe, & robur nervuumq; eorum militiæ elanguiſſe, miſſis in *Baſſam Almaniam* & *Bohemiam*, crebris Nunciis literiſque, nouos milites in ſupplementum eorum, qui ſuperiori ſtrage ceciderant, conducunt, ad occupandamque terram *Cuiauiæ*, & expugnandum eius munitas vrbes, exercitum poſt diem Circumciſionis Domini traducunt, oppidumque *Brzesczie* obſidione cingunt. Quod dum Cruciferieus exercitus, vsque ad Paraſceue, ſola obſidione contentus, fame conſtrictum ſibi dedendum putârit, iratus, ſpe non reſpondente, in die Veneris ſancto, deuotione tanti temporis, quam etiam agreſtis colluuies non præterit, neglecta, impugnat, & illud cum caſtro infra dies quinque bombardis fortiſſimis vexatum, dedentibus ſe oppidanis, conquirit. Et præſidio illic locato, *Iuniwladislauiam* per ſpontaneam deditionem capit, illud ſimiliter præſidio forti militum locato, reliquit. Ad caſtrum deinde *Gniewkow*, quod tunc à *Caſimiro* Duce *Gniewkouienſi* tenebatur, perueniens, ad eius expugnationem intendit, quatitque crebris arietibus, & proiectionibus bombardarum mœnia. Dux autem *Caſimirus* videns ſe reſiſtentiam facere non poſſe, paciſcitur cum illis, vt ſaluis rebus, perſonis ſuis atque fortunis caſtro excedat, & illud incendat. Sub hoc pacto promiſſus excedere, hoſte ſpectante, caſtrum ſuum quod vnicum pro ſuo Principatu habebat, flammante incendio, in naturam cineris redactum, conflagratumque eſt, & Cruciferi tam terram *Cuiauiæ* quàm *Dobrzinenſem* occupantes, caſtra, ciuitates, & municipia, in locis principalioribus & ſitu naturàque munitis, ex coctis lateribus fabricare, quò terræ prædictæ faciliùs ſolidiusque in ius proprietatemque eorum concederent, cœperunt. Milites autem & Nobiles terrarum prædictarum, de villis hæreditatibusque ſuis, rebus fortunisq; omnibus primùm ſpoliati, eiecti, in *Cracouienſem* terram cum vxoribus pignoribusque ſuis ſe conferentes, in conſpectum *Wladislai* Regis admiſſi, prouideri ſibi non tam precibus quam fletibus precabantur. Quorum calamitati *Wladislaus* Rex piâ miſeratione compaſſus, Regales villas, prædia, & oppida illis conſignauit. Hanc autem calamitatem *Albertus* de *Koſczielecz Brzeſtenſis* Palatinus magno deuitans animo, vnus ſolus repertus eſt, qui in caſtro *Pakoſcz* ſe recludens, & egregiè illud tutatus eſt, & ſæpè hoſtibus fuſis, deuinci, arctarique non potuit in deditionem. Conſiderantes autem Cruciferi oppidum *Brzescie* languidum habuiſſe & habere ſitum, illud demoliuntur & ruinant; ne Rex *Poloniæ* opportunitate quæſitâ, illud aliquando conquirat, ipſoque potiri poſſit; & in loco alio apto & idoneo arcem & ciuitatem locant, murisque coctilibus ac foſſatis profundis communiunt, quæ etiam in hodiernum diem vsque perſeuerat. 1332.

Cruciferi terram Cuiauienſem & Dobrzinenſem vaſtant.

Terræ *Cuiauienſis* occupationem, ſuorumque militum & Nobilium de ſuis ſedibus indignam excluſionem, *Wladislaus Poloniæ* Rex, magna anxietate animi & ſpiritûs, vt par erat, excipiens, velut cui inter cæteras prouincias Regni ſui, incunabula & priſcæ ſortis ſuæ recentia veſtigia præferenti, magis peculiari afficiebatur charitate, ad illius recuperationem omni niſu, animo ætatem repugnantem peruincente, intendere decreuit. Et contractis & propriis & auxiliaribus copiis, cum & *Carolus*, Rex *Hungariæ* gener ſuus, qualitate neceſſitatis ſoceri penſatâ, aliquot millia militum pro illa expeditione, illi pro ſuffragio præſtitiſſet, circa feſtum Aſſumptionis S. *Mariæ*, exercitum in hoſtiles terras, perſonaliter habens ſecum filium Ducem *Caſimirum* in virile robur tendentem pro comite, & quo ad obeunda belli munera, quaſi quodam inſtrumento, pro exercitio illius, & militiæ fauore vtebatur, per terras *Maſouiæ* deſcendit. Hoſtes autem, cum pugnandi facultatem, ſuperiori clade adhuc pauidi, non facerent, ſpoliis & incendiis terram *Chelmenſem* vaſtat, & omnes vicos villaſque eius incendit. Quibus *Lutherus* Magiſter excitatus, copias educit, decernere ipſe ferox animo æſtuans. Verùm ab aliquibus Commendatoribus & ſtipendiariis correptus, quòd ad effuſionem Chriſtiani ſanguinis tam præceps eſſet, non intelligens Martem vtriſque eſſe communem, & Regem milite & armis præſtantiorem fore. Itaque ne in terras cæteras promoueretur incendium, Caduceatores à Magiſtro & Ordine mittuntur, qui pacem perſuadent, pacem petunt: pollicendo *Magiſtrum ſub æquis conditionibus & pacem accepturum, & ea quæ bello occupauerat redditurum.* Hac oblatione ſeductus magis Rex quàm motus, bellum treuga, ad feſtum SS. *Trinitatis* alterius anni duratura ſuſpendens, ad *maiorem Poloniam* armatus, cum vniuerſis copiis remeabat; *Poloniæ* Ducibus, qui ab eo ad *Ioannem Bohemiæ* Regem deſciuerant, in eo quod reſtabat æſtatis autumnique tempore, ne in caſſum militiæ robur comparaſſe videretur, bellum illaturus, qui terras ſui Regni furtiuis & clandeſtinis inuaſionibus laceſſebant. Quinquaginta autem & amplius Ducum ipſorum munitionibus fortalitiisque expugnatis, & incenſis, Principatus inſuper ipſorum & terras, igne & ſpoliis conſumens, exterminans, ad caſtrum & oppidum *Koſczian*, quod pro Rege *Bohemiæ* tenebatur, peruenit, & illud cinxit obſidione. Sed dum *Bohemi*, *Sleſitæ* & *Almani*, qui caſtrum tuebantur, loci naturæ, qui paludibus & ſtagnis vbique ſeptus

Wladislaus Rex terram Chelmenſem vaſtat.

a quo Magiſter inducias obtinet.

Wladislaus defectionem Ducum Poloniæ caſtigat.

1332. ſeptus eſt, confiſi, obſidionem ſuam irriderent, filius Regius *Caſimirus*, tam proprios quam externos milites cohortatus, ad impugnandum caſtrum iniuſſu patris proceſſit. A Quo viſo, vniuerſus exercitus mirâ celeritate accurrens, non prius oppugnandi finem fecit, donec conſcenſis mœnibus, & defenſoribus ſuperatis, caſtrum obſtinatis ad moriendum animis, in ſuam poteſtatem mirabili virtute redegit. Nec oppidum capto expugnatoque caſtro moram fecit: ſed ex templo per ciues in Regis *Poloniæ* ſubiectionem, cuius ditionis ſe & locum eſſe meminerant, procliuos, deditum eſt. In eorum autem, qui expugnationi caſtri intentendo cæſi vel affecti vulneribus fuerant, vicem, *Caſimirus* Dux neminem ex his, qui caſtrum defendebant, hoſtibus, vitæ reſeruatum permiſit. Iuſſu etenim ſuo ſinguli, vt deſideratis parentaretur, mucrone percuſſi ſunt. His taliter geſtis, *Caſimirus* B Dux ore omnium ac ſermone, ſummas in eum laudes depromentium, celebris habebatur; creditus in virum egregium tam domi quam foris euaſurus. Ab eo autem tempore caſtrum & oppidum *Koſczian* Regno *Poloniæ*, beneficio & brachio *Wladislai* Regis & filii ſui *Caſimiri* redditum, in eius fide & ditione perſeuerat. Hoc tanquam fatali & vltimo Imperatorio militarique *Wladislaus* Rex edito opere, exercitum in Regnum, ſanum & incolumem reducens, copias diſſoluit, & ipſe cum *Hungarorum*, & *Cracouienſium* militum equitatu, ac cum filio *Caſimiro* Duce *Cracouiam* remeauit. Cui redeunti omnium Eccle- C ſiarum proceſſiones, & omnium ordinum atque ſtatuum homines, vltrò obuiam egreſſi, illius felicem regreſſum deuotione & fauorre cohoneſtârunt. Singulis autem militibus, auxiliariis præſertim, pro eorum merito expeditis, cum & grandæuus ſenio ætateque *Wladislaus* Rex, & bellicis fatigis ſudoribusque fractus eſſet, debilitari atque langueſcere cœpit, & in grabbatum decidit, omnemque rerum publicarum adminiſtrationem a ſe ex tunc abdicauit.

Siccitas magna in Polonia. Ingens adeo ſolis ardor æſtusque in *Poloniæ* regionibus eo anno prouenerat, vt ante feſtum Beati *Ioannis Baptiſtæ* fruges debitam D maturitatem nactæ, ad quemlibet vſum aptæ forent, & vndis deſiccatis, alueos ſuos flumina desererent. Et tam feruida ignitaque ſiccitas, apud homines veteranos, ſine exemplo accidens, ſummâ cum admiratione, prodigii monſtrique loco habebatur.

Vincentius de Schamotuli interficitur. In feſto Beati *Ioannis* Baptiſtæ, *Vincentius* de *Schamotuli* ſeu *Pomorzani* Palatinus *Poſnanienſis* cuius proditionis facinora in ſuperioribus declarauimus, dum iuxta fidem a Rege ſibi præſtitam in ea patria, quæ ſuo ductu ſuisque conſiliis perierat & flagrauerat: Regio etiam tutus edicto, ne violaretur, neue deſideraretur eorum quæ in patriam admiſerat, vix quicquam aut paruum penſi habens, conſiſteret, eorum qui vaſtationis ſuæ & incendii angebantur incommodis, conſpiratione, telis confoſſus & obtritus, teterrimæ proditionis, per quam templis delubriſque, facultatibus atque tectis, & Numinum cœleſtium, & ciuium ſociorumque, ſceleratas faces & expilationes acerbas tutulit, pœnas dedit, incertum morte ſuâ relinquens, proditane an adiuta patria magis inſigne facinus admiſerit. Sera quidem ſed digniſſima morte mulctatus, qui vitam, & decus, a patria acceptum, ad illius perniciem calamitatemque conuerterat, qui templis & adytibus ſuperum horridas faces iniecerat, qui in tecta innocua, & in facultates fratrum & contribulum ſuorum incendiis & rapinis ſæuierat, qui ordinibus vniuerſis ſceleratas & acerbiſſimas intulerat explicationes, qui denique omnia Diuina atque humana ad explendum truculentum cupiditatis ſuæ genus inquinauerat, qui prodendæ & exterminandæ patriæ rationem & ſocietatem cum hoſtibus coniunxerat. Cuius facinus inauditum, hominum memoria atrox, nefarium, pernicioſum, abhorrens ab omni natura & ciuilitate, ex peſſimo opere, peſſimum ſortitus finem, dignum moribus factisque ſuis exitum vitæ inueniſſe arbitratus.

1333. *Wladislaus Poloniæ Rex* Languore *Wladislai Loktek Poloniæ* Regis, ſenſim & dietim gliſcente, cum naturalis vigor ſuffragio ſuo illum desereret, Calendis tamen & temporibus menſis Martii, qui ſenibus mœſtior infeſtiorque eſſe conſueuit, proximantibus, valetudo aduerſa mortem imminentem infallibili argumento denuncians, magis perſpecta. Quam cum & Rex ipſe breui affore deficientibus viribus agnouiſſet, fratre *Helia* ordinis Prædicatorum, religioſo, & tam vitæ conuerſatione quam doctrinæ lumine conſpicuus, accerſito, in humiliato & contrito corde, plenam ſuorum facit ſcelerum confeſſionem. Singulari autem auctoritate Apoſtolica in mortis articulo Regi præbita, abſolutus, Diuiniſſimum *Euchariſtiæ Viaticum*, & olei ſacri vnctionem, circumſtantibus illum Prælatis & Baronibus, exceſſumque ſuum fletibus & ſuſpiriis proſequentibus, excepit. Quem his quæ ad animæ ſalutem pertinebant, ſalubriter perfunctum, *Spiczimirus* Caſtellanus, & *Iaroslaus* de *Skotniki* Archidiaconus, *Cracouienſes* quibus in admonendo ſe plenam Rex poteſtatem admiſerat, propius adeuntes verba faciunt. *Quam prona*, inquiunt, *& deuota militum ac ſubditorum tuorum erga te voluntas & affectio fuerit, & teſtantur teſtabunturque opera, & tu ipſe plane noſti.* *Nec ab re. Multifariis enim probitatis benignitatiſque tuæ fauoribus, vt te tam fideli pectore, locupletes iuxta ac pauperes, ſenes & iuuenes, colerent, pro tuorum commodis ac periculis, fortunas corporaque negligendo, illos merueras. Relicturus tamen eos, filium*

1333. *lium tuum Illuſtrem Caſimirum Ducem, illorum pietati deuotionique commenda: Exhortare eos, vt quem ſuperſtitem dimittis, Regem ſibi Dominumque conſtituant, fidemque & deuotionem, quibus te proſequi ſoliti ſunt, in eum vertant.* Rex etſi morbo implicitus, animam ægre traheret, hanc tamen admonitionem ſalubrem & neceſſariam ratus, rauca voce ad Prælatos, Barones, vniuerſumque populum vtcunque poterat, eſt concionatus. *Expertam* inquit, *Proceres & Commilitones mei erga me veſtram habentes fidem, nulla ambiguitate, ſeceſſurus è vita, diſtineor; ſed voluptate ſingulari credulitateque afficior, illam vos filio meo Caſimiro æque ac mihi præſtituros. Quem non ſolum ex charitate beneuolentiaque, quæ a me vobis ſeruata eſt, in vos vſurum ſcio; ſed etiam ampliora vobis Patriæque decora adiecturum. Meis enim moribus, meis diſciplinis inſtitutus, nemo illum ambigat me in operibus non expreſſurum: cuius iam in vos & patriam plura extant plena fauoris, plena officii merita. Illum itaque in ſpem huius, quod hactenus lacertis periculiſque meis defenſaui protexique, Regni, genitum, commendatum facio vobis. Voſque quorum recentia in me ſunt merita, deprecor & obteſtor, vt præſentem hunc filium Caſimirum, in ſolium Regnumque meum ſurrogetis, & veſtram fidem, ſubiectionem, & beneuolentiam erga eum, quem magnæ virtutis eſſe, niſi me fallat affectio, auguror, augeatis. Te quoque, Caſimire fili, adhortor, vt gentem Polonicam, cuius te Regem præſidemque relinquo, pietatis ſtudio & iuſtitiæ legibus gubernes, & pro illius commodis vigiles, lucubres, & intendas, & hoc præcipuum in animum inducas, vt hæreditates terraſque Poloniæ Regni per Cruciferos occupatas, & ſignanter Pomeraniæ terram, recenter mihi & doloſe ſubreptam, reſtituas. Nec vllo pacto vllaue neceſſitate adducaris, vt de illa cedas, aut gloriam æternam, ſi quæ iubeo egeris, aut dedecus ſempiternum, ſi neglexeris, habiturus.* Tam filio quam milite, quæ monuerat & imperauerat, ſe cuſtoditurum deuouente, Rex ipſe inter precationes ſolennes, inter coniugis ſuæ *Heduigis* Reginæ, fœminæ illuſtris & deuotæ, cuius curam iam filio ſuo Rex mandauerat, & inter Prælatorum Baronumque manus, vti Catholico & religioſo Principi conueniens erat, reddito Chriſto ſpiritu, ſecunda die Martii, quem tunc in diem Dominicam *Reminiſcere* cadebat, in caſtro *Cracouienſi* obdormiuit. *moritur.* Inter virtutes præcipuas, quæ etiam in priuatis admirabiles ſunt, humilitate, clementia, & patientia ſpectandus. Faciles aditus ad ſe præbens, nec geſtu nec ſermone cuiquam ſuperbus aut grauis extitit. Talem ſe erga noxios iniuriatoreſque ſuos gerens, vt damnari eum intelligerent. Quapropter remunerator omnium Deus, corpori ſuo exanimi eam gratiam contulit, vt quamuis pluribus iaceret cadauer inſepultum diebus, non olebat tamen; ſed cum magna omnium admiratione gratulationeque, decorem ſpeciemque quaſi viuentis & ſpirantis hominis præferebat. Frequentiori autem Regis morte vulgata, nobilium militumque numero *Cracouiam* aduentante, in Eccleſiis ciuitatis *Cracouienſis* Conuentualibus & Parochialibus primum, deinde in Cathedrali maiori *Cracouienſi*, ſolennes iuxta magnificentiam cultumque Regalem aguntur exequiæ, & iuſta debitaque lege, omnis honeſtas funeri tanti Principis, & tam clari Regis, perſoluta. Cuius ne dum memoriæ, ſed & cineribus plurimum deberi *Poloniam* certiſſimum extat: qui pro illius ſalute & defenſione crebros agones & certamina ſubire non deſiit: Sed nec vnquam bellorum impreſſionibus, cæteriſque iniuriis aut damnis per Cruciferos illatis, ſed nec oblationibus multifariis frangi inducique potuit, vt iuri patrimonii ſui, terræ *Pomeraniæ* renunciaret. Qui tunc in extremis laborans, quanto dolore terræ *Pomeraniæ* iniuſtam abſtractionem pertulerit, qui moriturus etiam filio ſuo *Caſimiro*, ne vnquam ſuper eius dimiſſione, ingenium & mores ſuos imitatus, cum Cruciferis licitaret, interdixit. Sepultum eſt corpus ſuum, in Eccleſia maiori *Cracouienſi* è regione altaris ſummi in parte leua, albaque petra per ſculpturas & teſtudinem adornatum, ante Sancti *Wladiſlai* Regis altare; quod ipſe viuens erexerat & dotauerat. Ibi enim vt coronari, ſic & tumulari Reges *Polonos* mos eſt, nec alium æque inſignem Regum buſtis apud *Polonos* locum reperiri fas eſſet. Regnauit annis duodecem, menſe vno, diebus ſedecim: ſuperiori tempore regiminis ſui, quod ante coronationem effluxerat, dum Dux priuatuſque eſſet, non computato. Vir manu & animo ferox, non ex habitu corporis, quem illi anguſtiorem natura donauerat, ſed ex heroica anima, in ſuccincto quidem ſed vegeto corpore habitante, æſtimandus. Vir ab adoleſcentia ſua vſque ad decrepitam ætatem animo robuſtus & manu. Quem ſi ex habitu corporis æſtimare quis voluiſſet, ne militis quidem ſpecie dignum iudicaſſet. Verum corpus exiguum (ob cuius diminutionem & ſtaturam breuiorem, cognomentum *Lokiek*, quaſi *cubitalis*, ſortitus) anima nobilitabat heroica, truncatam habitudinem anguſtioribus viribus compenſans. 1333.

De nouo Rege in *Wladiſlai Poloniæ* Regis nuper morte abſumpti locum ſurrogando, Prælati & Barones, Nobileſque *Poloniæ*, præſertim propter impendens a Cruciferis bellum ſolliciti, conuentum omnium terrarum apud *Cracouiam* agunt, futuri Regis electionem celebraturi. Ad quos in re huiuſcemodi occupatos, Nuncii *Caroli Hun-*

gariæ

1333. *gariæ* Regis perueniunt. Qui facta dicendi poteſtate ad concilium intromiſſi, orant, precantur, & ſuadent, A *vt Ducem Caſimirum filium Regium in patris ſolium, quacumque cunctatione & mora omiſſa, ſubſtituant. Neminem alium Principem extare, qui ad id magis idoneus aptusque eſſet, & ad quem ſucceſſionis iure Regnum pertineret, præſertim cum & morituri patris voce preceque, Rex teſtamento deſignatus ſit, eam indolem habeat, cui Principatus, ſi imago ſucceſſioque paterna non mouerent, deberet vltro inſerri.* Quoque gratior eſſet precatio, offerunt *Carolum Hungariæ* Regem affini ſuo Duci *Caſimiro* in neceſſitatis articulo, quæque poſſibilia ſuffragia, gentibus, equis, & armis, laturum. Qvamuis autem ſuapte omnium *Polonorum* animi in Ducis *Caſimiri* coronationem eſſent proni, feruidi, & procliui, res tamen in conſilium & deliberationem refertur. Vbi dum omnium vota rogata ſcrutataque eſſent, non alium ſe, quam *Caſimirum* Ducem, B qui in hanc ſpem genitus ſit, tam Primores, quam cætera nobilitas, iuxta preces paternas, vnanimi non voto ſed vociferatione Regem declarant. Quo facto feſtum *S. Marci* Euangeliſtæ, quod in diem Solis cadebat, pro ſua & conſortis ſuæ *Annæ*, *Gedimini* Ducis *Lithuanorum* filiæ, coronatione, conſtituitur. Sed à ſeniore Regina *Heduigi* relicta *Wladiſlai* Regis & *Caſimiri* Ducis genitrice, quæſtio ſuborta, pleraſque difficultates de coronanda *Anna* conſorte *Caſimiri* iniecerat: negabat enim, *ſe ſuperſtite, in præiudicium iuris, alteri fœminæ legitime diadema poſſe imponi.* Tandem filii præfati Ducis *Caſimiri*, C quem plus quam genitricis diligebat amore, precibus expugnata, non ſolum conſortem ſuam æquiori animo coronandam fore permittit; ſed ſatis ſe felicem, filium in throno & diademate Regio viſura, rata, in cœnobium Sanctimonialium in antiquam *Sandecz* excedit. Et illic habitum Sanctimonialium induens, Regulam etiam *S. Franciſci* profeſſa, religioſe viuens, reliquum ætatis, ieiuniis & orationibus intenta, expleuit.

Caſimirus in Regem coronatur,

Illuceſcente autem Beati *Marci* die, *Caſimirus* Dux in aula per Pontifices indumentis Regalibus indutus, & ad Eccleſiam *Cracouienſem* perductus, per *Ianiſlaum Gneſnenſem* D Archiepiſcopum, aſſiſtentibus ſibi *Ioanne Cracouienſi*, *Ioanne Poſnanienſi*, *Matthia Wladiſlauienſi*, *Stephano Lubucenſi*, Epiſcopis, & Principum, Baronum, ac Nobilium *Poloniæ* copioſa frequentia, multitudine, & fauore, in Regem *Poloniæ*, conſors vero ſua *Anna*, in Reginam *Poloniæ*, cum ingenti celebritate, ſolennitate & gloria vncti & coronati ſunt, & dies ille cæterique ſubſequentes, in magna omnium lætitia & hilaritate, in choreis, haſtiludiis, & ſolatiis deducti. Et quoniam *Caſimirus Poloniæ* Rex nouus nondum ad annos maturæ & digeſtæ ætatis peruenerat, *Iaſchko* de *Melſchtin* Caſtellanus *Cracouienſis*, vir frugi, induſtrius, & in Rempublicam magni & experti zeli, in Gubernatorem illi adiunctus eſt, ex cuius ſententia & ordinatione adminiſtratio cotius Regni ſalubriter dirigebatur. Cuius quoque prouidentia magnæ opes breui congeſtæ, ærarium locupletatum. 1333.

cui Iaſchko de Melſchtin datur gubernator.

Floriano Epiſc. Plocenſi ſuccedit Clemens.

Cum annis quindecem *Florianus* de *Koſzielecz* Epiſcopus *Plocenſis* perſediſſet, moritur. Cui *Clemens* Præpoſitus *Plocenſis*, vigeſima quinta die menſis Iulii, Canonice electus, ſuccedit. Mortuus autem præfatus *Florianus* Epiſcopus in *Pultowsko*, die vigeſima prima Iunii, & in *Plocenſi* Eccleſia in die *B. Ioannis Baptiſtæ* ſepultus. Fuit autem *Clemens* ipſe Nobilis genere *Polonus*, de domo & familia *Pierzchálá*, quæ *Marſchalcum Skakálem* defert pro inſigni, alias *Rochum*. Cuius electio a *Ianiſlao* Archiepiſcopo *Gneſnenſi*, obtento a *Caſimiro Poloniæ* Rege, licet ægre, conſenſu, aliquem enim de ſuis aulicis præfici in Epiſcopum *Plocenſem* æſtuabat; apud *Gneſnam* fuit confirmata, & Pontificalis conſecratio etiam fuit ei illic impenſa.

Suſcepto adeptoque Regni *Poloniæ* regimine *Caſimirus* Rex, duo ſibi præcipue in primitiis, quibus Regnum ſuum augeri firmarique poſſet, duxit prouidenda. 1334. Primum, vt Regnum ſuperiori guerra & incendio per Cruciferos afflictum, vexatumque, & ad grandem exinanitionem perductum, pace reddita, reſpiret. Alterum, vt furum prædonumque, quorum patris ſui *Wladiſlai* Regis diſſimulatio frequentiam gigni ſiuerat, exterminio Regnum purgaret, ſtrataſque publicas & priuatas, & quæque itinera tuta præſtaret. Et primum quidem efficere conatus, bellum cum Cruciferis de *Pruſſia* gerendum, cum cæteræ omnes partes eſſent quietæ, continuatione firmationeque vlterioris treugæ ad feſtum *S. Ioannis Baptiſtæ* anni ſubſequentis ſuſpendit.

Caſimirus Rex inducias cum Cruciferis prorogat,

Et quo certior pax & terrarum quas Cruciferi occupauerant, prouenire poſſit, duobus Arbitris (quorum vnum videlicet *Carolum Hungariæ* Regem, *Caſimirus* Rex pro ſua, & *Ioannem Bohemiæ* Regem alterum, quem Magiſter & Ordo Cruciferorum pro ſua parte eligunt) omnem quæſtionis & differentiarum molem decidendam committunt, ac in eos plena voluntate compromittunt. Ea tamen conditione appoſita, vt treugis pendentibus caſtrum & oppidum *Brzeſtenſe*, in manu *Semouiti* Ducis *Maſouiæ*, vel eo refutante, in *Matthiæ Wladiſlauienſis* Epiſcopi poteſtate conſiſteret; caſu quo pax per Reges arbitros ſequi non poſſet, Magiſtro & Ordini reddendum. Nondum enim *Caſimirus* Rex *Poloniæ* tantum ſe virium habere arbitrabatur, vt cum Cruciferis, *Ioannis Bohemiæ* Regis aſſiſtentia, & ſuis viribus pollentibus, poſſet in apertam guerram dimi-

1334. cationemque, Regno ſuo adhuc cineres, fauillas & carbones ſpirante, prodire. Alterum verò, quod ex auctoritate ſua dependebat, mox A præſtitit, & multos mortalium tam ex Nobilibus, quam ex Baronibus, communiq; populo, nullam conditionem reueritus, furtis, rapinis, & ſpoliis, ſuperiori more imbutos, ſtudentes, patibulo, partitione, rotatione, ſuffocatione, cœcatione, mutilatione, exilio, gladio, aut extinxit, aut mulctauit: paucis qui ſcelere minus ſe inquinauerant, importuno Prælatorum & Baronum ſuffragio, venia tributa. Ex quo nimirum ſubſecutum eſt, vt ſentina prædonum ſublata, proprii & aduenæ frequentiam in viribus ex ſolitudine efficerent, & breui Reſpublica coaleſceret. Rex quoque *Caſimirus* ſpectatæ prudentiæ ſpecimen in ſe oſtendens, cunctis eſſet admirationi & terrori.

Regnumque a prædonibus liberat.

Nix grandis cadit.

In die Sancti *Adalberti* ingenti mole nix cum gelu in Regno *Poloniæ* deſcendens, cum quinque diebus duraſſet, pauoremque grandem, ne per illam fruges depaſci abſumique contingeret, in æſtimatione hominum, præſertim agreſtium produxiſſet, tandem quinta die diſſoluta, præſtitit humo & frugibus ſuo imbre & roratione inſolitam fœcunditatem, qualem nec ſtercoris ſatio contuliſſet.

Ioanni XXII P. R.

Ioannes Papa vigeſimus ſecundus, cum annos decemocto, menſes quatuor apud *Auinionem* ſediſſet, die Solis quarta Decembris in *Auinione* moritur, & in maiori *Auinionenſi* Eccleſia ſepelitur. Et ceſſauit Epiſcopatus diebus quindecem. Poſt cuius mortem Cardi- C nales conclaue ingreſſi, *Iacobum* de *Toloſſa*, aliàs de *Furno*, fratrem Ordinis Ciſtercienſis, Magiſtrum Theologiæ, tituli Sanctæ *Priſcæ*, Presbyterum Cardinalem vigeſima Decembris concorditer in Papam eligunt, qui *Benedictus XII* eſt appellatus. In crapulam aliquantulum procliuis, rigoroſus, & vix conſanguineos cognoſcens: Quibus & dicebat Papam conſanguineos non habere. Ab infantia ad mortem bonæ vitæ; qui & ordinem Ciſtercienſem reformauit. Feruidus fidei zelator, cenſuras Prædeceſſoris ſui *Ioannis* innouans, *Ludouicum Romanorum* Regem & *Bauariæ* Ducem anathematiſatum & interdictum denunciauit. Moriebatur autem D præfatus *Ioannes Romanus* Pontifex anno ætatis ſuæ nonageſimo, relinquens in theſauris ſuis ingentem numerum auri & argenti. Cuius recta computatio fuit, aurearum dragmarum viginti quinque millia: quod ſcripſiſſe arduum & penè incredibile videtur. Sed nec legitur aliis vnquam temporibus Eccleſia *Romana* fuiſſe locupletior.

ſuccedit Benedictus XII.

1335. Pro guerra & differentia occaſione terrarum Regni *Poloniæ* per Ordinem Cruciferorum occupatarum, per *Carolum Hungariæ*, & *Ioannem Bohemiæ*, Reges, poteſtate arbitraria decidenda, tempus appetebat: Conueneruntque inter ſe Reges, vt pro die Sanctæ *Eliſabeth*, in *Hungaria* in caſtro *Viſchegrad* coirent, illicque de iuribus partium cognoſcerent, & pronunciationem arbitrariam ferrent. Rex itaque *Poloniæ Caſimirus*, de cauſa ſuâ ſolicitus, quamuis conditio in treuga expreſſa, de tradendo caſtro & oppido *Brzeſczie* in manus tertii, videlicet Ducis *Maſouiæ Semouiti*, aut *Matthiæ Wladislauienſis* Epiſcopi, ſibi per Cruciferos nuſquam fuerit ſeruata, ad informandam illam perſonaliter adueniens, cauſam ſuæ iniuriæ, & quo ordine, ex quaue cauſa, primum terra *Pomeraniæ*, deinde *Cuiauiæ* & *Dobrzinenſis* occupatæ, & à Regno *Poloniæ* per Magiſtrum & Ordinem Cruciferorum, non ſine clade & interitu multorum mortalium, & reliquarum terrarum Regni *Poloniæ* deſolatione, abſtractæ B ſint, & ſuo & Aduocatorum organo clariſſimè deducit, & articulos inſtructioneſque in ſcriptum redactas, præſentibus Regibus ordinat. Nec Magiſter & Ordo ſatisfacere compactatis negligunt. Miſſis enim *Henrico Rutheno*, Prouinciali *Culmenſi*, *Manquardo* de *Sparerubertb Thorunenſi*, & *Conrado* de *Bruneyſtein Szwieczienſi*, Commendatoribus, qui in comitiua Regis *Bohemiæ* aduenère, datis in ſcriptis articulis, cauſam & ipſi ſuam pluribus coloribus, figmenta potius quàm reſiſtentiam redolentibus, iuſtificare inſtruereque contendunt. Re autem & controuerſia huiuſmodi, in Regum deliberationem, & eorum Conſiliariorum, quos ſibi vterque Rex ad conſultandum aſciuerat, adductâ, apparuit *Ioannem Bohemiæ* Regem, Aduocati magis quàm arbitri Officio fungi, & calliditate eloquentiaque quâ pollebat, partem Cruciferorum, quorum erat arbiter, quorumque expenſis adductus, largitionibuſque & muneribus ineſcatus, præſumebatur enixè defendere. Eo etiam præſertim reſpectu motum, ne donatio vel potius venditio per eum, velut Regem *Poloniæ*, Magiſtro & Ordini Cruciferorum de terra *Pomeraniæ* in *Thorun* facta, cuius ipſe ſe conſtituerat euictorem, & pro qua notabilem in auro, argento, & pecunia ſummam dinoſcebatur accepiſſe, recideret in irritum. Vnde & *Carolum Hungariæ* Regem ſuoſque Conſiliarios facilè perlicit, vt ea prorſus, quæ in *Bohemia* cum Cruciferis digeſſerat, punctaueratque, ſecum ſentiant, *Cuiauienſique* & *Dobrzinenſi* terris Regi *Poloniæ Caſimiro* adiudicatis, terram *Pomeraniæ*, quæ pluribus gradibus illis Ducatibus opulentior feraciorque eſt, iuris & proprietatis Magiſtri & Ordinis eſſe decernat. *Caſimirus Poloniæ* Rex, etſi patrimonio hæreditateque ſua terra *Pomeraniæ* arbitramento huiuſmodi ſpoliatum ſe iri animo mœſto amaroque duceret: depreſſis tamen viribus ſuis, etſi bellum recrudeſcere contingeret, ampliùs deprimendis, cum etiam aliunde hoſtium ſupereſſet, & ipſe animo bellum *Ruſſiæ* inferendum geſtaret, paterno

1335. *Pomerania Cruciferis, Dobrzinenſis vero & Cuiauienſis terra adiudicatur Regi Poloniæ ab arbitris.*

terno præuaricato imperio, in conditiones huiuſmodi, & terræ *Pomeraniæ* abrogationem, cupidine reſtituendarum ſibi *Cuiauienſis* & A *Dobrzinenſis* terrarum: & perſuaſione precéque ſollicita vtriuſque Regis pellectus, conſenſit. Caſtro nihilominus *Nyeſchow*, quamuis de ſorte terræ *Cuiauienſis* eſſet, circa Magiſtrum & Ordinem, vt vtriuſque ripæ fluminis *Viſlæ* facultas, & nauigii emolumentum apud eos conſiſteret, remanente. Vigeſima itaque die menſis Nouembris, *Caſimiro* Rege *Poloniæ* pro ſe, & prædictis *Henrico* Prouinciali *Culmenſi* & *Thorunenſi*, *Szwecenſique* Commendatoribus pro Magiſtro & Ordine, præſentibus, in caſtro *Viſchegradenſi* profertur ſententia: ſuperioribus, vt monſtraui, qualificata conditionibus. Cuius in euidentiam futurorum, tenor talis exſtat.

Tenor ſententiæ arbitrariæ.

In Nomine Domini, Amen. Nos Carolus, & Ioannes, Dei gratia, Hungariæ, & Bohemiæ, Reges, perpetuæ memoriæ tenore præſentium notum facimus, quibus expedit, vniuerſis &c. B *Cum Magnificus Princeps Caſimirus eadem gratia Rex Poloniæ ex vna, & Religioſi viri, Magiſtri generales, Præceptores, & fratres vniuerſi Ordinis Cruciferorum, de domo Teutonica, parte ab altera, ſuper terris, prouinciis, ſeu diſtrictibus, Culmenſi, Dobrzinenſi, Cuiauiæ, Pomeraniæ, & Thorunenſi, ſuper quibus a multo retroactis temporibus, adhuc inter Excelſum Principem Dominum Wladiſlaum quondam eiuſdem Poloniæ Regem, & tandem ipſo feliciter migrante ad Dominum, inter ipſum Dominum Caſimirum Regem, & dictos Cruciferos, materia diſſenſionis & quæſtionis ſuborta, dinoſcebatur in nos Reges Hungariæ & Bohemiæ, tanquam communiter arbitratores, & amicabiles compoſitores, per eoſdem iamdudum &* C *nunc, mediantibus legitimis inſtrumentis, & literis compromiſſariis efficacibus, electos, pacis alumni & amici fore inuicem cupientes, ſe ſponte & liberaliter commiſiſſent, & purè compromiſiſſent: Nos inter cætera, huius rei cauſâ circa feſtum Omnium Sanctorum anno Domini milleſimo tricenteſimo trigeſimo quinto, in alto caſtro Viſchegrad in Hungaria ſimul in vnum conueniſſemus, tractaturi de præmiſſis, & prædicto Domino Caſimiro Rege perſonali præſentia, & pro memoratis Magiſtro generali, Præceptoribus, & vniuerſitate fratrum Cruciferorum dictæ domus Teutonicæ, fratre Henrico Rutheno Prouinciali eiuſdem Ordinis de terra Culmenſi, & Marquardo de Spaneberg Thoru-* D *nenſi, & Conrado de Bruneſtein Szwecenſi, dicti Ordinis Commendatoribus & Confratribus, cum plenis & legitimis, & ad infraſcripta cum plenè ſufficientibus Procuratoriis literis, comparentibus, aſſumptis nobiſcum Prælatis & Baronibus noſtris, quos communiter voluimus, quibuſdam diebus continuatis, vtriuſque partis, ium etiam infraſcripta, quæ habere dinoſcebantur, diligenti & fideli perſcrutatione examinaſſemus. Tandem fauente Domino, aciem mentium noſtrarum æquo libramine dirigentes, taliter arbitrandum duximus, & pronunciando diffinimus inter partes. Quòd Dominus Caſimirus Rex Poloniæ, terras Cuiauiæ & Dobrzinenſem, cum prouinciis ac diſtrictibus, ac quibuſuis vtilitatibus & pertinentiis vniuerſis ab antiquo ad eaſdem ſpectantibus, iuxta limites ac metas ſui antiquas, cum plenitudine iuris & titulo pleni dominii, prout ad progenitores & prædeceſſores ſuos, & per conſequens ad ipſum, iuſto & vero ac hæreditario titulo, ab olim pertinuiſſe & pariter pertinere cognouimus, & ſpecialiter in eadem terra Cuiauienſi, cum portione Ducis Caſimiri quæ ipſum contingit, cum pertinentiis in eadem, debeat poſſidere, tenere pacificè, quietè, perpetuo, & habere in filios filiorum, & ſucceſſorum hæredes, ſaluo, quòd omnia bona & poſſeſſiones, quæ & quas in terris Cuiauiæ, Dobrzinenſique, ante motam guerram, pacificè & quiete Cruciferi poſſiderint, ita & nunc, prout antea eas, & ea cum omnibus iuribus, iuriſdictionibus, & pertinentiis quibuslibet, poſſideant, habeant, & teneant, ſub veris metis & terminis antiquitus obſeruatis. Magiſter verò generalis, & fratres Cruciferi domûs Teutonicæ prænominati, terram Pomeraniæ, cum ſuo diſtrictu iuxta antiquos limites ſuos, cum pertinentiis ſimiliter & vtilitatibus eiuſdem vniuerſis, quam eiſdem fratribus, & idem Dominus Caſimirus Rex Poloniæ cauſâ Diuinæ retributionis, & ob remedium animarum prædeceſſorum ſuorum & progenitorum, ac ſuæ ſalutis in perpetuam eleemoſynam, nec non propter perpetuæ pacis bonum, coram nobis, renunciando omni iuri, actioni, impetitioni, & repetitioni, quod vel quæ eidem Domino Regi Poloniæ, in eadem terra Pomeraniæ ab antiquo competebat, vel competere poſſet, etiam ipſe promiſit, iuxta ipſam noſtram arbitrariam pronunciationem vel diffinitionem, eodem iure & modo, quo terræ Culmenſis & Thorunenſis, eiſdem fratribus per progenitores & prædeceſſores ſuos fuerunt legatæ & donatæ, eandem legationem & donationem, eo iure & modo, quo fuerat tunc facta, ratam habendo, quietè, pacificè, & perpetuò tenere debeant, haberé pariter & poſſidere. Ordinauimus ad vltimum diffiniendo arbitrando, quòd omnia damna, iniuriæ, & quæcumque moleſtiæ, quocumque modo hinc inde illatæ, vel Regi Poloniæ, vel eius ſubditis; ſiue Cruciferis vel eorum ſubditis, compeſcantur & tollantur in totum: ſic quòd de cætero inter ipſos, ſuper eiſdem nulla petitio & quæſtio oriatur. Ne autem quicunque feudales, vel Regis Poloniæ, ſeu fratrum Cruciferorumque, qui guerris pendentibus inter ipſos, a bonis ſuis facti ſunt profugi, ſiue de Cuiauiæ ſeu Dobrzinenſi, vel de Culmenſi Pomeraniæque, a noſtra diffinitione videantur excluſi: ordinauimus & diffinimus,*

1335.

1335. *finimus, quod huiusmodi omnes profugi, bonis ſuis omnibus & gratiis Dominorum ſuorum ſint præſentibus reformati: ſic quòd vel ad bona ſua liberè reuertantur, ſi velint, aut eiſdem liberè venditis, ſe transferant, quò placebit. In quorum omnium teſtimonium atque robur, ſigilla noſtra præſentibus ſunt appenſa. Actum & datum in Viſchegrad in Hungaria. Præſentibus R. R. in Chriſto Patribus, ac Magnificis & nobilibus viris infraſcriptis: videlicet Chanadino Strigonienſis, loci eiusdem Comite perpetuo, & fratre Ladislao Colocenſis, & aulæ Regis eiusdem Regni Hungariæ Cancellario, Eccleſiarum Archiepiſcopis, Villerino Drugenſi Palatino Regni Hungariæ, Demetrio Magiſtro Tauernicorum, Thoma Voieuoda Tranſyluano Comite de Zunnen, Mimethbano totius Slauoniæ Comite, Paulo Iudice Curiæ Regis Hungariæ. Nec non Vithgone Miſsnenſis, & Ioanne Olomucenſis, Eccleſiarum Epiſcopis, Rudolpho Duce Saxoniæ, Carolo Marchione Morauiæ, Boleslao Sleſiæ & Domino Legnicenſi, Thymone de Coldich, Henrico de Lippa: Et quàm plurimis aliis fide dignis ad præmiſſa rogatis ſpecialiter & vocatis. Anno Domini milleſimo tricenteſimo trigeſimo quinto, Dominica proxima poſt feſtum Sanctæ Elizabeth.* Qui pace compoſitâ, datis inter ſe magnificis donis, & fœdere perpetuæ pacis icto, ad propria disgrediuntur.

Io. Doliwa Epiſc. Poſnanienſi

Decima ſeptima Martii, *Ioannes Doliwa Poſnanienſis* Epiſcopus, vir ingenuus de domo *Doliuitarum*, & religione & deuotione conſpicuus moritur, & in *Poſnanienſi* Eccleſia tumulatur. Sedit annis in Eccleſia *Poſnanienſi* circiter quindecim, ſolatioſus & hilaris. Huic per electionem Canonicam *Ioannem* vocatum *Łodzya*, nobilem de armis *N.ucm* deferentium, ex quo & cognomen ſortitus erat, *Poſnanienſe* Capitulum, *Caſimiro* Rege vt Patrono conſentiente, ſurrogat, & eleganti diſpoſitione corporis, & ſingulari ſcientiæ munere præſtantem.

ſuccedit Io. Łodzya.

Vigeſima octaua menſis Martii, *Anaſtaſia Semouiti* Ducis *Łancicienſis*, quondam *Dobrzinenſis*, fratris germani *Wladuslai Łoktek* Regis *Poloniæ*, relicta, *Łanciciæ* defuncta eſt, forte quam tenebat ad *Caſimirum* Regem *Poloniæ* recidente.

Tredecima Iulii, *Boleslaus* Dux *Poloniæ* & Dominus *Bregenſis*, in oppido ſuo Ducali *Brega*, fundat monaſterium fratrum Ordinis Minorum. Quod *Nankerus* Epiſcopus *Wratislauienſis* in anno ſubſequenti, vigeſima nona Iunii, auctoritate *Ioannis* Papæ vigeſimi ſecundi confirmat.

Multæ locuſtæ,

Pertulit eo anno *Poloniæ* Regnum, acerbum & rari exempli diſpendium. Locuſtarum enim ingens multitudo, per turmas & exercitus diuiſa, in *Poloniam*, frumentis & ſegetibus in ſpicas luxuriantibus, eo numero, frequentiâ, & ſpiſſitudine, vt ſolis radios adumbrarent, aduenit, tantaque altitudine ſuper terræ faciem proſtrata eſt, vt equorum vngulas excederent & cooperirent. 1335. Quæ tam frumenta quàm herbas, & ſingula germina in locis, ad quæ illam deſcendere contigit, morſu ſuo aſſiduo eraſit & conſumpſit. Locuſtas verò validiſſimus ventus, vigeſima nona Septembris accidens, & multas domus atque arbores euertens, ſecutus eſt. Qui etiam longo tempore perdurans, mortales pluribus affecit moleſtiis. Validaque tempeſtas & venti horribiles, ferè vniuerſum Regnum *Poloniæ* concutiebant & vexabant.

& validus ventus in Polonia.

Luthero de *Brunſzwik* Magiſtro *Pruſſiæ* mortuo, *Theodoricus* de *Aldemburg* Marſchalcus, *Saxo* genere, iam tunc a *Polonica* captiuitate ſolutus, in Magiſtrum ſuccedit.

1336. Sententia arbitraria in *Viſchegrad Hungariæ*, ab *Hungariæ* & *Bohemiæ* Rege confecta & pronunciata, vtraque parte emologante, approbante, & acceptante, Nunciis quoque & Procuratoribus Magiſtri & Ordinis, reſtitutionem terrarum *Cuiauiæ* & *Dobrzinenſis*, iuxta arbitramenti ordinationem, crebris ſermonibus pollicentibus, per Reges ex *Viſchegrado* diſceſſum eſt. *Caſimirus* tamen *Poloniæ* Rex, detinente eum genero *Carolo Hungariæ* Rege, & *Eliſabeth* ſorore germana *Hungariæ* Regina, illic vsque ad feſta Chriſti permanſit, & diem Natalis Domini *Budæ* celebrauit. Quo exacto, genero valedicens, in *Poloniam* rediit; ac deinde per Nuncios & literas *Theodoricum* de *Aldemburg* Magiſtrum *Pruſſiæ*, & Ordinem, monet & requirit, quatenus iuxta *Hungariæ* & *Bohemiæ* Regum decretum & ſententiam, de terris *Cuiauiæ* & *Dobrzinenſi* excedant, & illarum ſibi poſſeſſionem reſignent. Magiſter autem & Ordo ſolitâ calliditate & vafricie vſi, quamuis in ſuum fauorem pronunciatam fuiſſe perſpicerent; veriti tamen ne ſententia Regum aliquando poſſet in dubium reuocari, præſertim Prælatis, Baronibus, Nobilibus, ciuibus, & communitate Regni *Poloniæ*, expreſsè non conſentientibus in eius emologationem, ſine quorum conſenſu omnis alienatio Re.ni cenſetur irrita & inanis, reſpondent: *Se quidem ſententiæ & deciſioni arbitrali parituros, dummodò Rex cum Principibus Prælatis, Baronibus, Nobilibus, ciuibusque Regni Poloniæ, per patentes literas, terris Pomeraniæ, Chełmenſi, & Michałouienſi, corporali etiam præſtito iuramento, renunciet, & deciſionem huiusmodi, literis ſe ſeruaturum obliget. Interim enim huiusmodi non extantibus, nihil ſe* Magiſter & Ordo reſpondet *de priori tenore mutaturum, nec terras Cuiauiæ & Dobrzinenſem gladio & potentia quæſitas, caſtra quoque pluribus ſumptibus cocto latere in eis erecta, minimè reſtituturum*.

Theodoricus Pruſſiæ Magiſter Cuiauiæ & Dobrzin. terræ reſtitutionem negat, niſi Baronum Poloniæ literis fuerit roborata concordia.

Regis

1336. Regis enim *Caſimiri* & ſuas vires menſi, ſupremum fortunæ orbem ſe tunc comprehendiſſe, & illius ludum apud ſe conſiſtere rati. Animaduertentes inſuper Regem *Caſimirum*, ad pacem plurimum cupidum, feruidum, & anhelum, omnia quæque dura & difficilia Regi, ſibi verò vtilia & accomoda, & violentam poſſeſſionem terrarum occupatarum firmantia, interponebant; rati (vt tandem euenit) *Caſimirum* Regem ſingula de eorum voto & ſententia impleturum.

Duces Lithuaniæ Maſouiam depopulantur.

Sexto decimo Calendas Nouembris, *Olgerth, Keyſtuth, Coributh, Patrikig, Lubardus, Suriwil, Guthaw, Lithuanorum* Duces, filii *Gedimini*, & patricius filius *Dauid Ruthenus*, cum *Lithuanorum* & *Ruthenorum* cohortibus, per fraudem & clandeſtinè Principatus *Maſouiæ* ingreſſi, quamuis cum *Maſouiæ* Ducibus & affinitates iunxerint, & pacem perpetuam firmauerint, illos hoſtiliter prædantur, vrunt & deuaſtant, & plusquam mille ducentos Catholicos homines, & pecoris prædam in *Lithuaniam* abducunt.

Monaſterium in Ratibor fundatur.

Przemislaus Ratiborienſis & *Oppauienſis* Dux, deuotione ſpeciali actus, fundat monaſterium Sanctimonialium Ordinis Prædicatorum in Eccleſia S. *Spiritus* in *Rathibor*, & dat illis pro dote villas Ducales, molendina, & alios introitus; libertans omnes donationes ſuas priuilegiis inſignibus, & Diuinam vltionem contra turbatores inuocans. Proceſſu autem temporis *Offka* Duciſſa *Maſouiæ*, coëmit pro eodem monaſterio oppidum *Banorow* cum ſeptem villis, quod & quas *Nicolaus* Dux *Rathiborienſis*, filius *Ianuſſii* violenter occupans, ſibi appropriauit. In cuius vitium filii ſui *Venceslaus* & *Ianusſius* ſuccedentes, bona præfata non ſecus quàm hæreditaria, Apoſtolicis cenſuris, quæ extendebantur in illos, ſpretis & contemptis, inter ſe diuiſerunt.

Boleslaus Legnic. Dux helluo bonorum ſuorum,

Filios etiam pro vadio donare non eſt ueritus.

Mortua tamen conſorte,

ſuperducta altera conditionem ſuam nonnihil releuat.

Sumptibus & donationibus diffuſis *Boleslaus Bregenſis* & *Legnicenſis* Dux, quos ſui ferre nequiuerant Principatus, ſe in dies ſuamque ſubſtantiam inconſultè & prodigè deuorans & conſumens, cum & *Legniczam* caput & principaliorem ſui Dominii partem, item *Haynouiam*, itèm *Aureum montem*, in notabilibus pecuniarum ſummis, ad plura marcarum millia ſe extendentibus, ſuis creditoribus obligaſſet; filios inſuper duos, *Venceslaum* & *Ludouicum*, ex *Margaretha* filia *Venceslai Bohemiæ* Regis ſuſceptos, terrenis & hæreditariis bonis non extantibus, pro obſtagio in *Wratislauia* mercatoribus pro magna debitorum quantitate dare non ſine nominis ſui dedecore, eſt compulſus. Tanta denique actus eſt egeſtate, vt omnibus ferè conſumptis aut obligatis, quonam terrarum diuerteret, aut quibus ſumptibus de cætero ſe aleret, non haberet. Moritur interea conſors ſua *Margaretha*, & ipſe diebus luctûs expletis, aliam de *Cracouia Catharinam* ſuperducit: doteque per eam allatâ, *Bregam* & *Olauiam* a pignore quo tenebantur abſoluens, domicilium ſuum in *Brega* conſtituit. Filiis verò *Venceslao* & *Ludouico* terram *Legnicenſem*, ſed variis pecuniarum ſummis, & ære alieno grauatam, ceſſione perpetua reliquit, vt ſibi ſuæque conditioni, quantum ſcirent, prouiderent. Qui ſuffragio a militibus & agreſtibus petito & obtento, *Legnicenſem* terram a creditoribus liberant & exoluunt, nonnullis creditoribus, eorum conditioni miſerantibus, ſummarum pecuniariarũ remittentibus portionem.

Pruthenicaſtrum Pullen conquirunt.

Numeroſo exercitu ex *Almaniæ* & *Auſtriæ* oris, ad ferendum Magiſtro & Ordini Cruciferorum contra barbaros ſubſidium, in *Pruſſiam* adueniente, inter quos Margrabius *Brandeburgenſis*, Comes de *Namen*, & Comes de *Hamenberg*, numerabantur principales, in *Lithuanorum* terras itum eſt, & caſtrum pluribus diebus oppugnatum *Pullen*, in quod *Lithuani* ex quatuor diſtrictibus ſe, ſuasque coniuges, pignora, liberos, fortunas, atque pecus, quod locus tam natura quàm arte munitus erat conferendo, quatuor millium hominum numerum expleuerant. Et quamuis *Lithuani* in caſtro prædicto concluſi, probè, ſaxis ſupernè feriendo impugnatores, reſtitiſſent; in pluribus tamen locis caſtro ex arietatione bombardarum diruto & patefacto, videntes caſtrum ab hoſtibus capiendum, pyrâ in medio caſtri extructa, omnes fortunas ſuas & ſubſtantias, ne hoſtis illis potiretur, incendunt, coniugibus quoq; & paruulis trucidatis, iugulum Præfecto caſtri omnes præbent, ne viui in hoſtium manus venirent. Interim a Chriſtianis caſtrum conquiſitum eſt. Et irruentibus in illud militibus, pauci ſuperſtites ex tanto numero *Lithuanorum* aut necantur aut captiuantur. Caſtro autem præfato funditus incenſo & demolito, regione in circuitu vaſtatâ, in *Pruſſiam* Catholicus exercitus rediit.

Caſimirus Rex celebrato conuentu generali ſuper literis Cruciferorum ordini dandis: dum Poloni eam pacem ſuſcipere nolunt,

Nullum profectum *Caſimirus Poloniæ* Rex ex arbitrali duorum Regum pronunciatione & ſententia ſibi & rebus ſuis videns acceſſiſſe, quinimò Magiſtrum & Ordinem in maiorem pompam animos induraſſe, generalem terrarum Regni ſui agit conuentum: deliberaturus, an ad ea, quæ Magiſter & Ordo Cruciferorum, ſuper terrarum *Pomeraniæ, Chelmenſis* & *Michalouienſis*, renunciatione & titulo, & iuramento præſtando, concedendisque literis ad præmiſſa, a Rege expetit, annuendum, vel quid opus facto foret. In deliberationem autem re perductâ, omnium Prælatorum & Baronum vota ſententiæque, euidentiſſimis rationibus reſpectibusque concludebant, nullatenus Cruciferorum petitioni, deciſionem Regum excedenti, ne in poſterum ad debiti & coactionis neceſſitatem poſſit referri, & iuris Regno *Poloniæ* in terris prædictis, *Pomeraniæ, Chelmenſi*, & *Michalouienſi*, 1337.

compe-

1337. competentis, abdicatio cauſari, aſſentiendum. Ad extrema ventum fore & peiora ominari, ſi ſub am iniquis acerbisque conditionibus, non per electos arbitros Reges, quod id quoque graue eſſet, ſed per hoſtes victorum ſpeciem præferentes, quod non graue ſolum, ſed & turpiſſimum toleratu eſſet, dictatis, pax debeat non confici ſed appendi. Seruitutem itaque omnes clamant non pacem, belli futuri ſeminarium, & animorum in guerram & odium irritationem, non quietem. Negantque *ſe vllo pacto in conditiones ipſas conſenſuros.* Sed dum de gerendo bello, quod pace infectâ impendebat, ad conſultandum ventum eſſet, placuit bellum non inferri, ſed ſi inferretur, repelli: & Sedi Apoſtolicæ queſtum iri, eiusque ſuffragium implorari. Ad hanc rem cum Legatus tanto oneri aptus quæreretur, *Ioannes Grothonis* de *Slupcza Cracouienſis* Epiſcopus propter plures reſpectus electus eſt, quòd & vir præſtantis eſſet ingenii, & pro gubernandis rebus publicis magnæ experientiæ, prudentiæque & ſingularis valoris. Is anno eodem ſufficienter de meritis cauſæ inſtructus, in *Auinionem* ad *Benedictum* Papam duodecimum profectus eſt; & iniurias Regni *Poloniæ*, & pertinaciam Magiſtri & Ordinis, cenſurarumque Eccleſiaſticarum vilipendium, & contemptum, Summo Pontifici & collegio Cardinalium expoſiturus. Onus autem iterque illud, propterea minus cunctanter ſuſcepit, quoniam ſperabat ſe per perſonalem præſentiam Metropolicum honorem Eccleſiæ ſuæ *Cracouienſis*, Prædeceſſorum ſuorum *Cracouienſium* Epiſcoporum diſſimulatione & negligentia ademptum, facilius reddi poſſe: præſertim cum ad id *Caſimirum Poloniæ* Regem compertum haberet ſuam operam, ſuosque fauores impenſurum.

Rex nuncium ad Papam mittit pro ſuffragio contra Cruciferos.

Polonorum Principibus, qui *Sleſianam* oram incolunt, *Ioannes Bohemiæ* Rex, partim dolis, partim blanditiis, & promiſſis ſubactis, *Wratislauienſi* inſuper ciuitate & Ducatu, nonnullisque caſtris, oppidis, & munitionibus, quæ ad *Sleſiæ* Duces, deuolutionis & ſucceſſionis iure, peruentura erant, neque iuſto, neque legitimo iure occupatis, ad ſpoliandam quoque *Wratislauienſem* Eccleſiam, quam *Sleſiæ* Principes dotare & ornare inſueuerant, animum intendit. Et caſtrum *Mielicz* iubet ſibi per Epiſcopum *Wratislauienſem Nankerum* & Capitulum præſentari. Quo velut viro magnanimo iuſſa Regis irridente, aſpernanteque, *Bohemiæ* Rex *Ioannes* exercitu valido, quem & ciues Conſulesque *Wratislauienſes* ſuâ præſentiâ coauxerant, congeſto, caſtrum *Myelicz*, quod tunc *Henricus* de *Wirbna* Archidiaconus & Canonicus *Wratislauienſis*, nomine Capituli *Wratislauienſis*, tenebat & poſſidebat, expugnare cœpit. Expugnationem autem illius longam & difficilem, propter caſtri fortitudinem (fluuius enim *Baricz* ab omni parte caſtrum cingens, difficultatem adiicit loco) *Ioannes Bohemiæ* Rex ratus, doctus

Ioannes Bohemiæ Rex

A a ſciolis *Henricum* de *Wirbna* Archidiaconum & Canonicum *Wratislauienſem* ad potationes vinorum auidum & procliuum fore, mittit nonnullos *Sleſianos* milites illi familiares, qui & *Henricum* Archidiaconum, lagenarum vinis varios ſapores habentibus, quas in frequenti numero ſecum ferebant, inebrient, & tam terroribus, quam blanditiis ad reſignationem caſtri inclinent. Quibus imperata exequentibus, vir ſimplex & pauidus *Henricus* Archidiaconus & minis peruictus & mero, caſtrum *Myelicz*, nullâ illum neceſſitate, aut defectu, ſtringente, reſignat, & de illo cum familiaribus excedit. Cuius oppugnationem *Nankerus* moleſtè ferens, primum per literas & Nuncios apud *Ioannem* Regem egit, *vt caſtrum* B *Eccleſiæ ablatum reſtitueret.* Quo abnuente, diœceſim omnem *Wratislauienſem*, Eccleſiaſtico ſupponit interdicto. At vbi *Ioannes* Rex *Wratislauiam* adueniſſet, plures ſuper caſtri *Myelicz* reſtitutione interponebantur tractatus. Quos dum videret *Nankerus* Epiſcopus ad irritum recidere, Prælatis Canonicisque ſuis mandat, *vt ſecum vnà ad Regem tranſeant; perſonaliter illum, ſi caſtrum non reddiderit, excommunicaturi.* Sed ferè omnibus illum tyranni timore deſerentibus, verentibusque ne in ſe grauius quicquam conſuleret, cum quatuor tantummodò, quorum Deus perſeuerantiæ vigore firmauerat corda, videC licet *Apeczkone* Scholaſtico, qui poſt in *Lubucenſi* Epiſcopum fuerat promotus, *Othone* de *Donin*, *Cunczkone* de *Schalkow*, & *Petro* de *Bithkow*, Canonicis *Wratislauienſibus*, ad monaſterium Minorum S. *Iacobi*, Regem in ſtubella parua, refectorio proxima, ſe continentem, intrepidè acceſſit, & fores ſtubellæ pulſare cœpit. Cui cum a Rege reſponderetur, *non poſſe, alijs occupatum, illi audientiam præſtare*, in pulſando perſeuerauit, donec a Principibus *Sleſiæ* Conſiliariis, & Conſulibus *Wratislauienſibus*, qui intus vnà erant, perſuaſum eſſet Regi, vt intromitteretur. Geſtans itaque in collo ſtolam, & in pectore crucem, D habitaculum Regium ingreſſus, ait: *Moneo te Domine Rex primò, item ſecundò, item tertiò & peremptoriè, vt caſtrum Mielicz à te violenter occupatum, mihi & Eccleſiæ meæ Wratislauienſi reddas.* Negante Rege reſtitutionem, & aſſerente *ſe illud iuſte acquiſiuiſſe, iuſteque poſſidere:* Tum *Nankerus* Epiſcopus, Cruce in manum cum ligno Dominico accepta, *Auctoritate*, inquit, *omnipotentis Dei, te velut Eccleſiaſticorum bonorum inuaſorem, excommunico, excommunicatumque denuncio, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Stupentibus Principibus *Sleſiæ*, Conſiliariisque Regiis, & ne quicquam muſitare audentibus, *Ioannes* Rex in furorem verſus: *Quam procax*, inquit, *& temerarius eſt Pop, id eſt Sacerdos* 1337.

caſtrum Myelicz Epiſcopi Wratisl. capit,

cuius cauſſa diœceſin Wratiſlau. Eccleſiaſtico interdicto ſupponit,

ipſumque Regem perſonaliter excommunicat,

1337. *cerdos iſte, & quam temere aſpirat mori. Quærit quis trucidet eum, vt Martyris conſequatur aureolam. Prouocat me verbis, aſt ego a ſuo ſanguine continebo me. Alium tyrannum & perſecutorem, ſi eſſe Martyr cupit, quærat neceſſe eſt.* Egredientem a conſpectu Regis Epiſcopum *Nankerum* Conſules *Wratislauienſes* circumſtant, arguuntque *quod Regem in faciem, modeſtioribus viis neglectis, excommunicauerit.* Quibus Epiſcopus inquit: *Satagite Regem veſtrum inducere, vt quæ illicite Eccleſiæ meæ abſtulit, reſtituat: cum & vos ipſi oppugnationem ipſam veſtra præſentia & armis adiuuiſtis.* Illis ſe eam poteſtatem habere diffitentibus, ſubintulit Epiſcopus *Nankerus: Ego vos Conſiliarios & adiutores ſuos eadem Auctoritate Dei Omnipotentis, qua & Regem veſtrum, excommunico & excommunicatos decerno. Sed neque Rex veſter ſe glorietur fore Regem, cum magis Regulus quam Rex putandus & exiſtimandus eſt.* His verbis fortius duriusque quam cenſurarum denunciatione, perſtrepentibus Principibus *Sleſiæ* & Conſiliariis *Bohemicis* & *Wratislauienſibus*, iniuriamque in maius extollentibus, motus Rex, mittit ad Epiſcopum *Nankerum*, *vt edifferat quo reſpectu, quaue ex cauſa Bohemiæ Regem putet Regulum non Regem appellandum.* Quibus Epiſcopus: *Notoriam*, inquit, *& quæ inficiari nequit, æſtimo & confirmo me veritatem promulgaſſe: Indignum ſiquidem eſt, vt is Rex & non potius Regulus putari debeat, qui proprio in Regno ſuo carens Metropolitano, in Coronationem ſui prece & pretio aliarum nationum Archiepiſcopos conducit. Cum omnes Catholici Reges, ſed & vicini nobis, Poloniæ, Hungariæ, Daniæ, Archiepiſcopos habeant: Veſter vero Rex in omni ſuo Regno, Metropolico priuatus honore, aut Moguntinenſem aut Colonienſem Archiepiſcopum, ad coronandum ſe, quod & de eo ipſo experti ſumus, precario conducit.* Sugillatio autem huiusmodi tunc obiecta, *Iohannem Bohemiæ* Regem adeo mouit & irritauit, vt ex *Pragenſi* Eccleſia *Moguntinenſi* ſuffraganea Eccleſiæ, Metropolitanam creari, pro obolenda huiusmodi nota, proceſſu temporis procurauerit. Epiſcopus deinde *Nankerus*, cum nil pacati, nil æqui a Rege obtentum ſe iri cerneret, poſt triduum ex *Wratislauia* diſcedens, in *Niſſam* cum omni Clero Regulari & ſæculari, quem Rex quia appellationi a ſe factæ non adhærebat, eiiciendum mandauit, ſeceſſit, & omnes Eccleſias Epiſcopus obſerari iuſſit. Rege tandem mandante, & *Wratislauienſibus* ciuibus Eccleſiæ, *S. Mariæ Magdalenæ*, *S. Eliſabeth*, & *S. Spiritus*, per violentiam patefactis, officiari per Presbyteros vagos & diſcolos cœptæ ſunt. Quas dũ communis populus faſtidiret, ingredi compellebantur a lictoribꝰ & recuſantibꝰ veſtes detractæ. Maioribꝰ itaque cenſuris *Nankerus* Epiſcopus, & Regem Conſiliariosque ſuos, & ciues *Wratislauienſes*, feriendum ratus, mandauit eos velut excommunicatos & contemptores cenſurarum, arctius a ſingulis euitari: mandans illis ſubtrahi & negari Sacramenta Eccleſiaſtica, & eorum participes pro excommunicatis cenſeri. Poſt quæ in vehementiorem furorem Rex verſus, omnia bona temporalia tam Epiſcopi quam monaſteriorum, & quarumcunque Eccleſiarum occupat, & *Sleſiæ* Ducibus mandat occupare. Sed omnibus aliis iuſſionem deteſtantibus, *Boleslaus Bregenſis* Dux, egeſtati & inopiæ ſuæ ſuccurſurus, exequitur imperata, & omnes Eccleſiarum villas, oppida, decimas, cenſus & introitus, in Ducatu ſuo *Bregenſi* inuadit, & dripit. Pro quo tam ipſe excommunicatione graui innodatus, & terra ſua fuit, quod longo tempore pertulit, interdicto. Denunciante autem *Nankero* Epiſcopo *Wratislauienſi* per literas & Nuncios, Sedi Apoſtolicæ, illatas ſibi & vniuerſo Clero ſuo per *Ioannem Bohemiæ* Regem oppreſſiones, ſpoliationes, & grauamina, Summus Pontifex *Benedictus* duodecimus, in *Auinione* agens *Nankerum* Epiſcopum commendans, & bono ac conſtanti animo eſſe iubens, ſententias ſingulas per ipſum in *Ioannem Bohemiæ* Regem & *Wratislauienſes* ciues latas, confirmat & aggrauat, Regemque & ciues *Wratislauienſes* anatematizat. *Quæ omnia Papa confirmat.* Quamuis autem præfatus *Ioannes Bohemiæ* Rex frequenter apud Papam pro abſolutione inſtiterit, non prius tamen Summus Pontifex *ſe illi abſolutionem impenſurum* reſpondit, *donec & de caſtro Miclicz cederet, & omnium quæ Eccleſiis & Clero Wratislauienſi abſtulerat, plenam faceret reſtitutionem.* Sed Rege in propoſito perſeuerante annis aliquot, Clerus & Eccleſia *Wratislauienſis* ſpolia & direptionem Eccleſiarum, & earundem introituum pertulit, & *Ioannes Bohemiæ* Rex cum ciuibus *Wratislauienſibus* anathema. 1337.

In feſto Sanctæ *Heduigis Lithuani* terram *Maſouiæ* furtiuis itineribus ingreſſi *Pultowsk* & *Cziechanow* oppida, eorumque vicinia peruaſtant, & plures de vtroque ſexu mortales captos, in terras ſuas abducunt. *Lithuani Maſouiam vaſtant.* Quos *Maſouitæ* milites inſecuti, prædam raptam & captiuos ab eis excutiunt. *quos Maſouitæ ſpolijs exuunt.* Certamen autem detrectantibus, ſolito more in fugæ præſidio ſalutem ponunt. Sed fluuium *Narew* ſuperaturi, dum alter alterum præceſſurus ſe impediunt, ab vndis plures ex eis, hi præſertim qui ſarcinas non abiecerant, ſuffocati.

Audita Summus Pontifex *Benedictus XII.* *Regis Caſimiri* & totius Regni *Poloniæ* querela, per *Ioannem Grothonis Cracouienſem* Epiſcopum prudenter matureque propoſita, vix creditum præſtare potuit, Magiſtrum & ordinem Cruciferorum, in tam ſæuam Chriſtiani ſanguinis effuſionem, & Catholicarum terrarum occupationem, quæ coram eo deducta 1338. *Benedictus XII. Papa.*

1338. cta eſt, Magiſtrum & Ordinem Cruciferorum, ad contraria horum quæ egerant inſtitutum, perpetraſſe, niſi *Ioannes* Epiſcopus A *Cracouienſis* pro verificatione propoſitorum, euidentibus documentis Papæ & Cardinalium ambiguitatem, docendo ſingula, quæ propoſuerat, ampliora per crudelitatem Magiſtri & ordinis eueniſſe, diſſoluiſſet. Tunc quidem Summus Pontifex veritate comperta, altiori cura, maiorique miſeratione, de ſcelere Ordinis indagando, & Regni *Poloniæ* calamitati prouidendum, quam cœperat, in animum duxit. Miſſiſque duobus ſpecialibus in *Poloniam* Apoſtolicæ Sedis Nunciis, videlicet *Gathardo* de *Carceribus Titulenſ.* Præpoſito *Colocenſi*, & *Petro Geruaſii* Canonico *Atticienſi*, per literas & commiſſiones Apoſtolicas, largas prærogatiuas & conditiones, iu- B riſdictionem poteſtatemque eorum plurimum perpetuantes ac firmantes, iniunxit & mandauit: quatenus Magiſtrum & ordinem, ac omnes illis adhærentes, vel præſtantes auxilium, conſilium, vel fauorem, tanquam maleficos & incendiarios, auctoritate Apoſtolica in ſingulis terris Regno *Poloniæ* ſubiectis, & aliis vicinis Regnis nunciarent, nunciarique mandarent; pro tam enormibus ſceleribus, coram Sede Apoſtolica deductis & verificatis, excommunicatos. Et nihilominus ſummaria informatione, de occupatione terrarum Regni, & damnorum illatione inde ſecutorum recepta, compellerent Magiſtrum & ordinem Cruciferorum, ad omnium terra- C rum occupatarum, & damnorum illatorum, plenam & effectualem, per excommunicationis, ſuſpenſioniſque in perſonas, & interdicti in terras & Eccleſias, communitates, & vniuerſitates, ſententias, promulgationem, reſtitionem, & ſi in his contumaces apparerent & rebelles, aut perſonaliter, aut per edictum illos præſentiam Sedis Apoſtolicæ citare curarent, rigidiorem correctionem & mulctam pro rebellione & contemptu ſubituros. Præfati autem *Galhardus* & *Petrus* Apoſtolici Nuncii in Poloniam venientes, ad executionem literarum Apoſtolicarum, iuris ordine in omnibus ſeruato, procedunt. Tribunalique, quominus eorum proceſſus poſſit a Magiſtro & D Ordine cruciferorum carpi, & Iuriſdictio inculpari, in *Varſchouia*, tuto loco, & Cruciferis propinquo, poſito, *Theodoricum* de *Aldemburg* tunc Magiſtrum *Pruſſiæ*, & Ordinem Cruciferorum, ad quartam diem Februarii, per certi tenoris literas, in *Wladiſlauienſi* Eccleſia Cathedrali, & in *Iuniwladiſlauienſi*, per *Nicolaum* Præpoſitum *S. Crucis Oppolienſem Wratiſlauienſis* diœceſis, per edictum citare procurarunt. Dum autem præfata dies, quarta videlicet Februarii, aduenisset, Magiſter *Bertholdus*, *Alberti* de *Rathibor*, Syndicus *Caſimiri* Regis *Poloniæ*, petitionem in ſcripto Iudicibus obtulit. Pro parte vero Magiſtri & Ordinis Cruciferorum, 1338. Magiſter *Iacobus* Plebanus de *Arnoldi villa Culmenſis* Diœceſis, comparens, Iudicibus Apoſtolicis pro tribunali ſedentibus, appellationem ab eorum iuriſdictione interpoſuit, eaque relicta, diſceſſit. Iudices autem Apoſtolici, intelligentes ex cauſis diffugii, & declinatoris, fruſtratoriis & commentatis, appellationem interpoſitam eſſe, in præſentia *Ianiſlai* Archiepiſcopi *Gneſnenſis*, & *Ioannis Poſnanienſis* Epiſcopi, aliarumque perſonarum grauium, Iudices ſe, datis Procuratori ordinis Apoſtolicis refutatoriis, pronunciarunt competentes; & deinceps in prædicto oppido *Varſchouienſi* poſitionibus & articulis, pro parte *Caſimiri Poloniæ* Regis oblatis, receptis, & notabilium ac inſignium teſtium inductioni & examinationi, pro eorundem articulorum verificatione, per vnum ferè annum intendebant.

duos nuncios mittit in Poloniam.

Qui Varſoviæ iudicant

parte Magiſtri Cruciferorum appellante..

1339. Eſſentialibus terminis in cauſa, inter *Caſimirum Poloniæ* Regem ab vna, & *Theodoricum* de *Aldemburg* Magiſtrum, & ordinem *Pruſſiæ*, partibus ab altera, occaſione terrarum Regni *Poloniæ*, per Magiſtrum & ordinem Cruciferorum occupatarum, vertente, per Commiſſarios & Iudices Apoſtolicos *Galhardum* & *Petrum* in loco oppidi *Varſchouiæ*, cum omni maturitate & diligentia, rite & legitime conſeruatis, commiſſarii & Iudices prædicti, cauſam ſufficienter, per productionem literarum & priuilegiorum, inductionemque inſignium teſtium, videntes fundatam & inſtructam, aduenisse tempus maturum rati, concluſerunt in cauſa, & ad ferendum diffinitiuam ſententiam, quintam decimam menſis Septembris diem *Warſchouiæ* partibus aſſignauerunt. Ad quam rem ſolidius conficiendam, *Caſimirus Poloniæ* Rex *Ianiſlaum Gneſnenſem* Archiepiſcopum, *Ioannem Poſnanienſem*, *Clementem Plocenſem*, & *Stephanum Lubucenſem*, Epiſcopos cæteroſque præcipuos, Eccleſiaſtici & Secularis ſtatus viros, curauit pro illo tempore perſonaliter deſtinare. Qua quidem die quinta decima Septembris adueniente, Iudices & Commiſſarii Apoſtolici præfati ad pronunciandum ſententiam, Magiſtro & ordine Cruciferorum perprius ad hunc actum legitime ſpecialiter citatis, proceſſerunt, & in Eccleſia Parochiali *S. Ioannis* Baptiſtæ *Warſchouiæ* ſententiam ſuam in ſcriptis protulerunt: adiudicandoque *Caſimiro* Regni & Regno *Poloniæ*, *Pomeraniæ*, *Culmenſem*, *Michalouienſem*, *Cuiauiæ*, *Dobrzinenſem* terras, tanquam veras dicti *Caſimiri* Regis & Regni *Poloniæ* hæreditates, & ratione damnorum perceptorum, ad centum nonaginta quatuor millia & quingentas marcas

Sententia pro Polonis contra Cruciferos pronuntiatur,

Polo-

1339. *Polonici* ponderis, & ad 1600. marcas ratione impenſarum Magiſtrum & Cruciferos condemnando, prout hæc omnia in copia ſententiæ, quæ talis eſt, latiùs continentur. 1339.

Cuius tenor inſeritur.

In Nomine Domini, Amen. Nouerint vniuerſi, quòd Nos Galbardus de Carceribus Præpoſitus Titulenſis Colocenſis diœceſis, & Petrus Geruaſii Canonicus, Auicienſis, Eccleſiarum, Apoſtolicæ Sedis Nuncii & Executores, & Iudices in cauſa, quæ vertitur, inter Magnificum Principem Dominum Caſimirum Dei gratiâ Regem Poloniæ Illuſtrem ex vna parte, & Venerabiles ac Religioſos viros Magiſtrum & fratres Ordinis B.Mariæ Teutonicorum, in partibus Pruſſiæ, parte ab altera, ab eadem Sede Apoſtolica, ſpecialiter deputati, pridem literas Apoſtolicas veras & integras, ac omni ſuſpicione carentes, bullâ plumbea Sanctiſſimi Patris & Domini noſtri, Domini Benedicti Diuinâ prouidentia Papæ duodecimi, in filo canapi, more Romanæ Curiæ bullatas, vt prima facie apparebant, cum ea qua decuit reuerentia accepimus, de verbo ad verbum tenorem, qui ſequitur continentes. Benedictus Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Dilectis filiis Magiſtro Galbardo de Carceribus Præpoſito Titulenſi Colocenſis diœceſis, & Petro Geruaſii Canonico Auicienſis, Eccleſiarum, Apoſtolicæ Sedis Nunciis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Querelam grauem pro parte Chariſſimi in Chriſto filii noſtri Caſimiri Regis Poloniæ Illuſtris, in Conſiſtorio coram Nobis & fratribus noſtris propoſitam, audiuimus, continentem. Quòd olim Magiſter & Fratres domûs B. Mariæ Teutonicorum, qui tunc erant in Pruſſiæ partibus commorantes, nonnullas terras & Dominia infra Regnum ſuum Poloniæ conſiſtentes, videlicet Culmenſem & Pomeraniæ dudum, nec non à paucis citra temporibus, Magiſter, qui tunc erat, & fratres dictæ domûs, Wladislauienſem, Brzeſtenſem, Dobrzinenſem, & Michalouienſem, terras, ad Regem & progenitores eius de iure ſpectantes, infra Regnum ipſum conſiſtentes, non ſine magna ſtrage Chriſti fidelium, & concrematione centum Eccleſiarum vel citra, hoſtiliter inuaſerunt, & per violentiam occupauerunt, & adhuc de facto detinent occupatas, in animarum ipſorum perniciem, ipſius Regis (ad quem ratione dicti Regni ſui dictæ terræ, vt præmittitur, ſpectare noſcuntur, ſicut etiam per ſententiam latam ſupra dicta terrâ Pomeraniæ per certos Iudices delegatos, per felicis recordationis, Ioannem Papam vigeſimum ſecundum prædeceſſorem noſtrum, dum adhuc ageret in humanis, ad inſtantiam claræ memoriæ Wladislai Regis Poloniæ tunc viuentis, genitoris Caſimiri Regis prædicti, deputatos, ab olim dicitur liquidè apparere, ac dicti Regni (quod eſt Romanæ Eccleſiæ cenſuale, quodque poſt Deum, nullum, præter ipſam Eccleſiam, recognoſcit ſuperiorem in terris, nec non & eiuſdem Eccleſiæ Romanæ, quæ propterea A *cenſu, qui denarius B. Petri dicitur, eidem Eccleſiæ, in ipſo Regno debito, multipliciter extitit defraudata, in graue præiudicium atque damnum. Supplicatum igitur nobis eſt prò parte dicti Regis, vt prouidere ſuper his de opportuno remedio curaremus. Nos apud Sedem Apoſtolicam informari volentes, an Magiſter & fratres prædicti ſuper præmiſſis laborarent infamia, delecto filio noſtro Petro, tituli Sanctæ Praxedis Presbytero, & bonæ memoriæ Ioanni S. Theodori Diacono, tunc viuenti, Cardinalibus, commiſimus oraculo viuæ vocis, vt ſuper hoc apud Sedem ipſam plenius ſe informarent, nobiſque referrent, quæ per informationem huiuſmodi reperirent. Ac* B *deinde per eos ſuper huiuſmodi infamia informatione recepta, dictoque Ioanne poſtmodum, ſicut Domino placuit, de hac luce ſubtracto, ipſoque Petro, Cardinalibus, ſe de ſpeciali mandato noſtro, de Romana Curia, pro certis arduis negotiis abſentante. Demum Venerabilis Frater noſter, Ioannes Epiſcopus Portuenſis, de ſpeciali mandato ſibi facto, de informatione huiuſmodi, per dictos Cardinales, vt præfertur, recepta, cuius Acta ſibi fecimus aſſignari, fecit in conſiſtorio coram nobis, ac dictis fratribus noſtris relationem plenariam & fidelem. Et quia per relationem huiuſmodi nobis conſtat, quòd Magiſter & Fratres prædicti ſuper præmiſſis noſcuntur* C *infamia laborare; Nos nolentes nec valentes illa ſi vera ſint, ſalua conſcientia, conniuentibus oculis pertranſire, contra inuaſores, occupatores, incendiarios, ſacrilegos, & malefactores huiuſmodi, prout prædictorum exceſſuum enormitates expoſcunt, ne ipſorum impunitas, aliis in exemplum tranſeat, debitè procedentes, Diſcretioni veſtræ, de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus vos & alter veſtrum, per vos vel alium ſeu alios, incendiarios Eccleſiarum prædictarum, cuiuſcunque ſtatûs, ordinis, & conditionis exiſtant, auctoritate noſtra in Eccleſiis, & locis aliis, vbi* D *expedire videbitur, generaliter excommunicatos publicè nuncietis, & faciatis per alios nunciare. Quorum abſolutionem Sedi Apoſtolicæ duximus ſpecialiter reſeruandam. Ac deinde de prædictis inuaſionibus, occupationibus, & incendiis, ſiue damnis ſimpliciter & de plano, ſine ſtrepitu & figura iudicii vocatis, qui fuerint vocandi, informari curetis. Et ſi vobis conſtiterit legitimè de inuaſionibus, occupationibus, damnis & incendiis ſupradictis, ac perſonis quæ talia perpetrârunt, eoſdem incendiarios nominatim excommunicatos, publicè nuncietis, diebus Dominicis & feſtiuis, et per alios in locis vbi*

1339.

expedire videritis, nunciare faciatis, & ab omnibus arctius euitari, & tam eos quam alios inuaſores, occupatores, nec non damnorum huiuſmodi illatores, & ad reædificationem Eccleſiarum, vel occaſione ipſorum, vt præmittitur, deſtructarum, & ſatisfactionem, & emendationem aliorum bonorum mobilium, nec non ad reſtitutionem plenariam dictarum terrarum, cum fructibus inde perceptis, & rerum mobilium ex inde ablatarum, ſeu amiſſarum ſolutionem, æſtimationem ipſarum rerum mobilium ſeu emendationem, damnorum ſuper dictis bonis mobilibus illatorum, taxatione prius per vos facta, de dictis bonis mobilibus, pro perſonarum & negotii qualitate, ac valore ſeu æſtimatione ipſorum ablatorum mobilium, ſeu incenſorum, & diſperditorum, vbi ipſorum mobilium valor ſeu æſtimatio aliter probari non poterit, iuramento eiuſdem Regis, & aliorum qui pertulerunt damna huiuſmodi, declaranda, eidem Regi & aliis damna paſſis, integraliter faciendam, nullo ſuper hoc eiſdem inuaſoribus, occupatoribus, incendiariis, raptoribus, & damnorum huiuſmodi illatoribus, appellationis ſuffragante remedio, condemnetis, huiuſmodi ſententiam, quam ſuper præmiſſis proferri contigerit, executioni debitæ demandandum. Contradictores quoſlibet & rebelles, cuiuſcumque Status, dignitatis, & ordinis vel conditionis extiterint, per excommunicationes & ſuſpenſiones in perſonas, ac interdictum in terras, ſeu Eccleſias earundem terrarum, ac vniuerſitates ſeu communitates earundem terrarum, & alia iuris remedia, prout expedire videritis, compeſcendo. Inuocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtante felicis recordationis Bonifacii Papæ octaui, prædeceſſoris noſtri conſtitutione: qua cauetur, ne aliquis extra ſuam ciuitatem & diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis vltra vnam dietam, a fine ſuæ diœceſis, ad iudicium euocetur: Seu ne Iudices a Sede deputati, prædicta, extra ciuitatem & diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, ſiue alii vel aliis vices ſuas committere, vel, aliquos vltra vnam dietam, à fine diœceſis eorum trahere præſumant. Ac de duabus dietis in Concilio generali, ac aliis quibuſcumque conſtitutionibus, à prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, tam de Iudicibus delegatis, quam de perſonis vltra certum numerum ad iudicium non vocandis, Aut aliis editis, quæ veſtræ poſſent in hac parte iuriſdictioni aut poteſtati, eiuſque libero exercitio, quomodolibet obuiare. Seu ſi eiſdem Magiſtro & fratribus, vel quibuſuis aliis, communiter vel diuiſim, ab eadem Sede ſit indultum, quod excommunicari, ſuſpendi, vel eorum, Eccleſiæ, ciuitates, caſtra, & quælibet loca, Eccleſiaſtico ſubiici interdicto, ſeu quod vltra vel extra loca ad iudicium euocari non poſſint, per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi, eorumque locis, perſonis, ordinibus, & nominibus propriis, mentionem. Ac quibuſuis aliis priuilegiis, indulgentiis & literis Apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta veſtræ iuriſdictionis explicatio in hac parte quomodolibet valeat impediri, & de quibus, quorumque totis tenoribus, de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Cæterum volumus, & auctoritate Apoſtolica decernimus, quod quilibet veſtrum proſequi valeat articulum, etiam per alium inchoatum, quamuis ille inchoans, nullo fuerit impedimento Canonico præpeditus. Quodque vobis & vtrique veſtrum a data præſentium, ſit in præmiſſis omnibus, & eorum ſingulis, perpetua poteſtas & iuriſdictio attributa, vt eo vigore, eaque firmitate poſſitis, in præmiſſis omnibus & ſingulis, & proprædictis procedere, acſi prædicta omnia & ſingula coram nobis cœpta fuiſſent, & iuriſdictio veſtra ſuper præmiſſis omnibus, & ſingulis eorum, per citationem, vel modum alium legitimum perpetuata extitiſſet, quacumque conſtitutione contraria non obſtante. Quod ſi præfati Magiſter & Fratres in hac parte proceſſibus veſtris efficaciter parere non curauerint, ac etiam obedire, eos ex parte noſtra peremptorie citetis, & intra ſemeſtris temporis ſpatium, poſt citationem veſtram huiuſmodi, cum omnibus, & eorum, & dictæ Domus exemptionum priuilegiis, ſi qua habent, idem videlicet Magiſter & fratres, quos per informationem huiuſmodi principales, & præcipuos repereritis prædictorum exceſſuum patratores, perſonaliter, alii vero per Procuratorem vel Procuratores idoneos, plenum & ſufficiens mandatum, ac plenam & liberam poteſtatem habentem ſeu habentes, ad obediendum & ad parendum eorum nomine, & pro parte ſua ſuper præmiſſis, iudicio, vel concordia iniungenda & ſtatuenda duxerimus, plenarie parituri, & alia facturi & recepturi, quod de Sedis eiuſdem proceſſerit beneplacito voluntatis. Alioquin niſi comparuerint, & dicta priuilegia portauerint, illa dictæ Sedi Apoſtolicæ oſtenſuri, extunc priuilegia ipſa ſuſpendimus, & ipſos interim ſuis ordinariis volumus eſſe ſubiectos, Ac nihilominus contra eos, vt iuſtum fuerit & expedire viderimus, procedemus: eorum abſen-

1339. *abſentia non obſtante. Cæterum ſi forte præfatos Magiſtrum & fratres, per vos, vel alium, ſeu alios, auſi non fueritis in domibus ſeu domiciliis eorundem citare, vel ipſi impedimentum præſtiterint ne citari valeant, in eiſdem volumus & decernimus, vobis & cuilibet veſtrum præſentium auctoritate, licere ipſos diebus aliquibus Dominicis & feſtis, cum populus conuenerit ad Diuina, vt ſic facta citatio ad eos peruenire veriſimiliter præſumatur, citare vel citari facere publicè, in Eccleſiis ciuitatum, vel locorum inſignium magis vicinorum, in quibus poſſitis tute morari, & deinde procedere contra illos, ſiue citati taliter, ſtatuto ipſis peremptorio termino competenti, coram vobis compareant, ſiue comparere contemnent, iuxta formam præſentium, acſi citati legitime extitiſſent. Quem quidem citationis modum vobis ſit licitum obſeruare, etiam in aliis citationibus faciendis, de illis ſeu contra eos, & vt coram vobis debeant, vt præmittitur, comparere. Quas quidem citationes ita volumus & decernimus eoſdem arctare citatos, acſi eos perſonaliter comprehendiſſent, & in eorum præſentia factæ eſſent, quacumque conſtitutione contraria non obſtante. Diem vero citationis, per quam prædicti Magiſter & fratres citati fuerint, vt coram nobis debeant, vt præmittitur, comparere, ac formam, & quicquid ſuper præmiſſis duxeritis faciendum, nobis per veſtras literas, aut inſtrumentum publicum, harum ſeriem continentem, intimare curetis. Datum Auinione, quarto Nonas Maii. Pontificatus noſtri anno quarto. Quarum quidem literarum Apoſtolicarum auctoritate, ad inſtantiam dicti Regis, ſeu Procuratoris eiuſdem, prædictos Magiſtrum & fratres dicti Ordinis, ac ſpecialiter & nominatim Aduocatos & Commendatores eiuſdem ordinis, videlicet Commendatorem generalem, Aduocatum Culmenſem, ac Commendatores de Thorun ac Grudzancz, Lipanienſem, Radinenſem, Ehilpelgenſem, Golubenſem, Strosbergenſem, Papouienſem, Wyeczslauienſem, ac de antiquo caſtro Thorun; & in terra Cuiauienſi, Nieſchouienſem, Orlouienſem, Murinenſem, Brzeſtenſem, Kowalienſem, Radzieiouienſem: & in terra Pomeraniæ, Suecenſem, Gdanenſem, Derſchouienſem, & Camenſem: in terra autem Pruſſiæ, Marieburgenſem, Stumenſem, Laſzinenſem, Elbingenſem, de Lesk, & Rigenſem: ac quoſcumque dictarum terrarum Aduocatos, atque Commendatores, coram nobis in iudicium, iuxta mandatum Apoſtolicum, ad certum locum & terminum fecimus euocari. Comparente igitur in iudicio coram nobis, loco & termino peremptorio ſupradictis, Magiſtro Bartholdo de Rathibor, Iuriſperito Procuratore dicti Domini Regis Poloniæ, nomine procuratorio*

ipſius, qui de mandato ſuo ſeu procuratorio, fidem fecit per publicum inſtrumentum 1339.
A *ſcriptum, & ſignatum per manum publici notarii, & ſigilli dicti Domini Regis appenſione munitum. Dicto igitur Procuratorio producto, idem Procurator libellum ſiue petitionem ſuam obtulit in ſcriptis, petens contra Magiſtrum & fratres, ac Commendatores prædictos, vel perſonam aliam pro ipſis legitimè interuenientem, procedi per nos iuxta tenorem petitionis ipſius, ac literarum Apoſtolicarum continentiam prædictarum. Quibus propoſitis & oblatis, comparuit etiam diſcretus vir Dominus Iacobus de Arnoldi villa Plebanus,*
B *Culmenſis diœceſis, Procurator, & nomine Procuratorio Magiſtri & fratrum prædictorum, qui de procuratione ſua fidem fecit, per publicum inſtrumentum, ſcriptum & ſignatum, per manum publici Notarii, & dicti Magiſtri ſigilli appenſione munitum. Prædicto etiam producto Procuratorio, dictus Procurator proteſtatione præmiſſa, quod non intendebat in nos conſentire, tanquam in iudices ſuos, ſeu Dominorum ſuorum, nec comparere, alias coram nobis ex cauſis friuolis & minus rationalibus, a nobis ad Sedem Apoſtolicam appellans, à præſentia noſtra confeſtim illicentiatus receſſit. Nos vero attendentes, quod in dicta cauſa prædictorum Magiſtri & fratrum, ac Commendatorum, ſeu Procuratorum, eorum abſentia non obſtante, de iure & vigore Apoſtolici reſcripti procedere poteramus, inſtante*
C *Procuratore dicti Domini Regis, per nos quoque procedi in cauſa prædicta petente, petitionem oblatam ipſius pro parte dicti Domini Regis recepimus. Qua recepta, præſtitoque iuramento de calumnia & veritate dicenda, litem animo conſtanter conteſtandi, per dictum Procuratorem dicti Domini Regis, in contumaciam partis aduerſæ, datis etiam articulis & teſtibus prædictis, productis & examinatis, ipſiſque & eorum atteſtationibus publicatis, productis etiam inſtrumentis, quibus vti voluit idem procurator; tandem in cauſa prædicta, pro parte dicti Domini Regis Poloniæ, per dictum Procuratorem ipſius, renunciatum exſtitit & concluſum, & nos in partis alterius*
D *contumaciam habuimus pro concluſo. Nos igitur viſis & auditis informationibus ac probationibus, ac aliis in dicta cauſa productis & allegatis, iuribuſque cauſæ ipſius, & meritis iuſtitiæ lance diſcuſſis, & diligenter examinatis, deliberatione præhabita diligenti nobiſcum, ac etiam cum peritis, dictiſque Magiſtro & fratribus, ac Commendatoribus citatis, ad audiendum noſtram diffinitiuam ſententiam ad diem præſentem, dictoque Magiſtro Bartholdo Procuratore dicti Regis Poloniæ, ad hoc in noſtra præſentia conſtituto & præſente, & proferri per nos diffinitiuam ſententiam poſtulante, præfatis Magiſtro & fratribus, ac Commendatoribus contumaciter abſentibus, quorum abſentiam*

1339. Dei præſentia repleat, Sacroſanctis Dei Euangeliis poſitis coram nobis, vt noſtrum de vultu Dei prodeat iudicium, & oculi noſtri videant æquitatem: Sedentes pro tribunali, in loco partibus ad hoc aſsignato, Dei nomine inuocato, qui præcepit iuſtè filios hominum iudicare, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Quia conſtat nobis, informatione præhabitâ plenariâ & diligenti, ex productis & probatis, ac actiatis coram nobis legitimè pro parte dicti Domini Caſimiri Regis Poloniæ Illuſtris, & Procuratoribus ipſius, in prædicta cauſa, quòd Frater Theodoricus de Aldemburg, nunc Magiſter Ordinis domûs Hoſpitalis B. Mariæ Teutonicorum, tunc Marſchalcus fratris Lutheri de Brunſzwik tunc Magiſtri Ordinis ſupradicti, ac Commendatores & Aduocati, Culmenſis, de Thorun, de Grudzancz, Lipanenſis, Radinenſis, Egilpergenſis, alias dictus de Brodnicza, Papouienſis, Venceslauienſis, ac de antiquo caſtro Thorun; atque de terra Cuiauiæ, Nieſchouienſis, Orſouienſis, Murinenſis, Brzeſtenſis, Kowalienſis, Radzieiouienſis, & Moſburgenſis, alias dictus de Przedecz; ac de terra Pomeraniæ Swecenſis, Gdanenſis, Derſchouienſis, Camenſis; nec non de terra Pruſſiæ, Marieburgenſis, Stumenſis, Laſzinenſis, Elbingenſis, de Lesk, ac Rigenſis, nec non fratres dicti Ordinis, prædictorum ac aliorum locorum, partium prædictarum, qui tunc erant cum valido & hoſtili exercitu, & vexillis erectis, timore Dei poſtpoſito, & Diabolo ſuadente, Regnum Poloniæ deuaſtando, Eccleſias videlicet de Nakieł, de Wartha, de Schadek, de Baldrzichow, de Konin, de Słup, de Pobiedziska, de Kaczewo, nec non fratrum Minorum & S. Crucis in Pizdri, igne incenderunt, & ablatis per eos inde primitus libris, calicibus, theſauris, & aliis depoſitis dictarum Eccleſiarum, eas cum ſanctuariis, & Sanctorum reliquiis & imaginibus, penitus combuſſerunt, & quorum occaſione incenſæ & combuſtæ fuerunt, Auctoritate Apoſtolicâ nobis in hac parte commiſſâ denunciamus his ſcriptis excommunicatos, ac per Epiſcopos & Prælatos, & Eccleſiarum rectores, ciuitatum & diœceſum, Gneſnenſis, Poſnanienſis, Wladislauienſis, Plocenſis, Cracouienſis, Lubucenſis, Wratislauienſis, & Culmenſis, ſub pœnâ ſuſpenſionis ab eorum officiis, in Eccleſiis ſuis, diebus Dominicis & feſtis, dum populus ad Diuina conuenerit, mandamus publicè nunciari. Abſolutione ipſorum, fratris Theodorici de Aldemburg Magiſtri, & Commendatorum, ac fratrum prædictorum, aliorumque dictarum Eccleſiarum incendiariorum, Sedi Apoſtolicæ tantummodò reſeruata. Prædictoſque Magiſtrum, Commendatores, & fratres locorum & partium prædictarum dicti Ordinis, domûs B. Mariæ Teutonicorum de Pruſſia, ad reædificationem prædictarum Eccleſiarum, per eos vel occaſione eorum deſtructarum & combuſtarum, ad reſtitutionem & emendationem aliorum bonorum immobilium, his ſcriptis ſententialiter condemnamus. 1339. Præterea quia A conſtat nobis, præhabitâ informatione plenaria & diligenti prædicta, ex productis & probatis legitimè acticatis, coram nobis ex parte dicti Domini Regis Poloniæ, in cauſa prædicta per procuratorem ipſius Domini Regis, quòd terræ Culmenſis, Pomeraniæ, Wladislauienſis, Brzeſtenſis, Dobrzinenſis, & Michałouienſis, cum ſuis ciuitatibus, caſtris, oppidis & villis, ac ſuis iuribus pertinentiiſque vniuerſis, ſitæ ſunt infra metas Poloniæ, & infra Regnum ipſum, & tanquam de Regno, & ad ipſum Regnum pertinentium, & Reges ac Principes B Regni Poloniæ, progenitores dicti Domini Regis Caſimiri Poloniæ Illuſtris, qui pro tempore fuerunt, eas poſſiderunt, & tenuerunt: Conſtatque nobis etiam ex prædicta informatione, productiſque ac probatis, & acticatis coram nobis, quòd prædicti, Magiſter, Commendatores, & fratres qui pro tempore fuerunt domûs ſæpedictæ Ordinis B. Mariæ Teutonicorum de Pruſſia, ſæpe dictas terras, Pomeraniæ, Brzeſtenſem, Wladislauienſem, cum ſuis caſtris, villis, ſpectantes & pertinentes ad dictum Dominum Regem, & Progenitores ipſius, conſiſtentes infra Regnum Poloniæ, cum magna ſtrage fidelium in Dei offenſam, ac ipſius Domini Caſimiri, ac claræ memoriæ Domini Wladislai patris ipſius, Regis Poloniæ, in iacturam grauem & læſionem, hoſtiliter inuaſerunt & occupârunt; & adhuc dictus C Magiſter qui nunc eſt, & Commendatores fratreſque prædicti Ordinis, violenter terras Culmenſem & Michałouienſem, cum ſuis ciuitatibus, caſtris, & villis, ac iuribus & pertinentiis vniuerſis, infra dictum Regnum Poloniæ conſiſtentes, & ad Regem ipſum pertinentes, iniuſtè & indebitè detinent occupatas. Conſtat nobis etiam, quòd idem Magiſter, Commendatores, & fratres dicti Ordinis, terram maioris Poloniæ, ad ipſum Dominum Regem ſpectantem, cum valido exercitu hoſtiliter & vexillis erectis intrantes, & inuadentes, terram ipſam, caſtra, villas, ciuitates, & oppida, igne penitus combuſſerunt, vaſtauerunt, & deſolauerunt, videli- D cet Gneſnenſem ciuitatem Metropolitanam dicti Regis Poloniæ, Znenam, Nakieł, Lanciciam, Vnieiow cum caſtro, Siradiam cum caſtro, ibidemque Wartham, Schadek, Baldrzichow, Charłupia, omnes villas in territorio ſeu diſtrictu Caliſſienſi, Pizdri cum caſtro & clauſtro ſeu monaſterio fratrum Minorum, ibidem Konin, Słup, Kleczow, Pobiedziska cum caſtro, ibidem & Koſczien, ciuitates ſeu oppida munita, cum omnibus villis ſibi adiacentibus, & eorum diſtrictibus & territoriis, conſtitutis, ipſis primitus ſpoliatis omnibus bonis mobilibus & ſe mouentibus, & multis hominibus interfectis, & pluri-

1339. & pluribus ex dicta terra in captiuitatem deductis, denudatiſque mulieribus & oppreſſis, igne penitus combuſſerunt, vaſtauerunt, & deſolauerunt, & alia damna dicto Domino Regi, & Regno ſuo, ſuiſque ſubditis, plurima intulerunt. Eapropter ad reſtitutionem dictarum terrarum, Pomeraniæ, Wladislauienſis, Brzeſtenſis, Dobrzinenſis, Culmenſis, & Michalouienſis, plenariam & integram faciendam, dicto Domino Regi Poloniæ, ac fructuum, redituum, & prouentuum inde perceptorum, & bonorum ablatorum, incenſorum, & deperditorum: Nec non emendationem damnorum ſuper bonis immobilibus & mobilibus illatorum, ſeu veram æſtimationem, valorem omnium, tam fructuum perceptorum, quàm bonorum mobilium ablatorum, perditorum, & incenſorum, & damnorum ſuper bonis mobilibus illatorum, quæ omnia taxamus ad centum nongenta quatuor millia, & quingentas marcas Polonici ponderis & monetæ, prout etiam dictus Dominus Rex, in noſtris manibus proprium iuramentum, ſacroſanctis Dei tactis Euangeliis, ipſa damna, in præfata ſumma declarauit, præſtando. Inſuper & ad reſtitutionem expenſarum factarum in dicta lite, & occaſione ipſius, per dictum Dominum Caſimirum Poloniæ Regem, ſeu Procuratorem ipſius, faciendam dicto Domino Regi, quas in mille ſexingentis marcis prædictorum ponderis & monetæ taxamus, prout dictus Procurator in noſtris manibus, tactis prædictis ſacroſanctis Euangeliis, aſſeruit dictum Dominum Regem fecisse & expendiſſe. Et etiam declaramus prædictos, Magiſtrum generalem, Commendatores, & fratres domus Ordinis B. Mariæ Teutonicorum, prædictarum terrarum illicitos detentores, & occupatores, dictorum damnorum illatores & exceſſuum patratores, dicto Procuratore ipſius Domini Regis Poloniæ, nomine procuratorio eiuſdem, bis eiſdem ſcriptis, per hanc eandem noſtram ſententiam diffinitiuam, ſententialiter condemnamus. In quorum omnium teſtimonium, euidentiam, & certitudinem pleniorem, præſentem ſententiam diffinitiuam, vnà cum inſertione Reſcripti Apoſtolici, ac duorum Procuratorum ſupra inſertorum, & conſcriptorum ſcribi, & in hanc formam publicam redigi mandauimus, per Notarios publicos, ſcribaſque noſtros infraſcriptos, & ſigillorum noſtrorum appenſione muniri. Et vt fides plenaria & indubitata tranſcripto reſcripti Apoſtolici, ac Procuratorum prædictorum ſuperius tranſcriptorum, adhibeatur vbicumque, & coram quibuſcumque in iudicio vel extra, ac ſi originalia apparerent: Ac omnibus aliis, & ſingulis ſupradictis, ſcriptis, & narratis, noſtram auctoritatem iudiciariam interponimus & decretum. Acta fuerunt hæc Varſchouiæ Poſnanienſis diœceſis, intra Eccleſiam S. Ioannis Baptiſtæ, dicti loci, anno a Natiuitate Domini milleſimo tricenteſimo trigeſimo nono, Indictione ſeptima. Pontificatus Sanctiſſimi Patris 1339.

A & Domini noſtri, Domini Benedicti Diuinâ prouidentia Papæ duodecimi, anno quinto, & die quindecima Septembris, circa horam veſperarum. Præſentibus Reuerendiſſimis in Chriſto Patribus & Dominis, D. Ianislao Archiepiſcopo Gneſnenſi, D. Clemente Płocenſi, D. Ioanne Poſnanienſi, & D. Stephano Lubucenſi, Epiſcopis, ac Venerabilibus patribus, fratre Guillino de Sulkow, fratre Ioanne de Mogila, Abbatibus; & D. Nicolao Agrienſi, Gregorio Czeſznenſi, Zagobrenſis diœceſis, & Petro Lancicienſi, Præpoſitis; & pluribus aliis tam Clericis quàm laicis, in magna multitudine, teſtibus fide dignis, ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Et

B ego Petrus de Montilio Clericus Auxicienſis, auctoritate Apoſtolica & Imperiali Notarius publicus, prolationi huiuſmodi præſentis ſententiæ diffinitiuæ, dum ad ſupradictum Dominum Galbardum de Carceribus, de voluntate & expreſſo conſenſu, præfati Domini Petri Geruaſii Collegæ ſui recitabatur & legebatur, perſonaliter interfui, vnà cum Notario publico ſubſcripto, & teſtibus ſupraſcriptis, & de mandato eorum prædictas commiſſionis literas Apoſtolicas vidi & tenui, cum vera bullâ plumbea in filo canapi pendente, non cancellatas, non vitiatas, nec abolitas in aliqua ſui parte, ac Procuratoria libellumque, & earum tenorem de verbo ad verbum, in hac ſententia diffinitiua appoſui & tranſcripſi, nil addens vel minuens, quo rei veritas immutetur, & diligenter etiam auſcultaui, vnà cum Notario publico ſubſcripto. Et quia diligenti facta auſcultatione cum originalibus, & præſenti publico inſtrumento ea concordare inueni,

C hîc me ſubſcripſi, & ſignum meum appoſui requiſitus conſuetum, & præfati Domini Iudices, ad ipſius præſentis ſententiæ diffinitiuæ, & omnium & ſingulorum ſupradictorum & ſcriptorum confirmationem & robur, eorum auctoritatem iudiciariam interpoſuerunt, & decretum, & eorum ſigillis mandauerunt appenſione muniri, ad euidentiam & certitudinem omnium præmiſſorum. Et ego Albertus Criſtini Clericus, Cracouienſis diœceſis, publicus Apoſtolica & Imperiali

D auctoritate Notarius, prolationi præſentis ſententiæ diffinitiuæ, dum ſupradictum Dominum Galbardum de Carceribus, de voluntate & expreſſo conſenſu præfati Domini Petri Collegæ ſui recitabatur & legebatur, vnà, cum Notario publico & teſtibus ſupraſcriptis præſens interfui, & de mandato eorum prædictas commiſſionis literas Apoſtolicas vidi & tenui, cum verà bullâ plumbeâ, in filo canapi pendente, non cancellatas, non vitiatas, nec abolitas, aut in aliqua parte ſui ſuſpectas, & ea omnia vnà cum Notario publico ſupraſcripto diligenter auſcultaui. Et quia facta diligenti auſcultatione cum originalibus, & præſenti publico inſtrumento, ea concordare inueni, hîc me ſubſcripſi, & ſignum meũ conſuetum appoſui requiſitus.

Orbum

1339. *Caſimirus Rex filiis orbus*

Orbum ſe & ſterilem fore, nullumque marem ſucceſſorem relicturum *Caſimirus Poloniæ* Rex dinoſcens, ſollicito ſtudio curam gerens de ſtatu Regni *Poloniæ*, vt morte ſua ſecuta, euaderet direptionem, omnium terrarum Regni ſui *Cracouiæ* agit pro feſto Sancti *Stanislai* in Maio generalem conuentum. Ad quem cum frequens multitudo Prælatorum & Baronum Regni *Poloniæ* conueniſſet, & per dies plures, quis tam pio Regi in *Poloniæ* Regnum ſuccederet, conſilia varia & tractatus ſub præſentia Regis agitarentur, cum plerique Conſiliarii *Semouitum* Ducem *Maſouiæ*, alii *Ianuſſium* etiam *Maſouiæ* principem, alii *Wladislaum Oppolienſem* Ducem, dignos diademate *Polonico*, tanquam ex ſemine & proſapia veteri Regum *Poloniæ* ſatos, pluribus laudibus & commendationibus efferrent. Indignum & miſerabile rati, vt cum ſemen Regum *Poloniæ*, & in *Maſouia* & *Sleſia* germinis ſui propaginem late diffunderit, notis præponant ignotos, & propriis peregrinos. Hæc ſententia & plurimorum Conſiliariorum, & totius erat vulgi, quod ſibi ægre Regem exterum dari patiebatur. Abhorrebat *Caſimirus* Rex *Poloniæ*, & plerique ſecum ſentientes Conſiliarii ſtomachabantur ferocius, diſſerendo, ne ex *Sleſiæ* Ducibus quiſquam depoſceretur in Regem, qui ſe abſque neceſſitate & oppreſſione, in ditionem Regis *Bohemiæ*, proprio peſſundato, ſubtraxerant, reddiderunque ſe indignos, in quos talis honos, tantaque dignitas debeat, tanquam in deſertores & apoſtatas ſuæ gentis, ſuæque linguæ, ſuæque patriæ, conferri. Ex *Maſouiæ* vero Ducibus, nihil amplitudinis, nihil incrementi, quippe qui Regno feudales homagialesque ſunt, acceſſurum Regno. Quærendus talis Rex taliſque ſucceſſor, per quem & defenſio, & amplitudo Regno *Polonico* proueniat. Nominatque *Caſimirus* Rex, & qui ſecum ſentiebant Conſiliarii, *Ludouicum Hungariæ* Regis *Caroli* tertio genitum, adoleſcentem ingenuum, & pluribus virtutibus pollentem, qui & ſuus nepos ſecundum carnem ex ſorore ſit, & alterius Regis filius. Hæc ſententia ab omnibus Proceribus *Poloniæ* tandem laudata, & accepta eſt, & Rex *Caſimirus* aſſumptis ſecum duobus Epiſcopis, *Ioanne Cracouienſi*, *Matthia Wladislauienſi*, & aliquot ſecularibus Baronibus, videlicet *Ioanne* Caſtellano *Cracouienſi*, *Mſczigneo* Caſtellano *Radomienſi*, *Paulo* Iudice *Sandomirienſi*, *Sbigneo* Præpoſito *Cracouienſi* & *Ioanne* Regni *Poloniæ* Cancellario, ac aliis, contulit ſe perſonaliter in *Hungariam*, & ſeptima die menſis Iulii in *Viſchegrad*, ad generum ſuum *Carolum Hungariæ* Regem perueniens, præfatum *Ludouicum* nepotem ſuum a ſorore, in *Poloniæ* Regem, ſub certo fœdere tunc coram icto, & conditionibus vtilibus & neceſſariis, rem huiuſmodi qualificantibus, accepit & deſignauit, in *Poloniæ* Regem, ſe abſumpto ſibi ſucceſſurum. Fœduſque huiuſmodi literis & priuilegiis publicis fuit hinc inde ſancitum & firmatum.

de conſilio ſuorum

Ludouicum Caroli Hungariæ Regis filium ſibi ſucceſſorem ordinat, quam ob rem Caſimirus in Hungariam proficiſcitur.

1339.

Caſimirus Poloniæ Rex ſingularem habens ad Beatum *Stanislaum Cracouienſem* Epiſcopum deuotionem, fratrum minorum monaſterium, ſub titulo & honore præfati Martyris in oppido ſuo Regio *Caliſch* fundauit, & muro coctili erexit, vel potius vetus monaſterium innouauit & tranſtulit. Erat enim monaſterium prædictum Fratrum minorum dudum alias in veteri ciuitate *Caliſſienſi* fundatum. Sed ciuitate veteri in alium locum magis commodiorem, in meditullium videlicet amnis *Proſznæ* translata, etiam monaſterium prædictum transferebatur.

Monaſterium Caliſſienſe in nouam ciuitatem Caliſcho transfertur.

Vigeſima octaua menſis Iunii die, Princeps *Anna* Regina, conſors *Caſimiri* Regis *Poloniæ*, & filia *Gedimini Lithuanorum* Ducis, in grauem infirmitatem incidens, in *Cracouienſi* caſtro diem obiit: & in *Cracouienſi* Eccleſia ſepulturam, quæ in funeris decus pertinebant, ſolutis, accepit: vnicam filiam ex *Caſimiro* Rege *Eliſabeth* ſuſceptam relinquens. Fœmina honeſta, & viro ac Regi morigera, & in religioſos pauperesque liberalis & benefica: ſed choreis, ſolatiis, & mundanis lætitiis dedita. His enim artibus & moribus a pueritia apud barbaros parentes imbuta, Chriſtianitatis ritu ſuſcepto, illas non reliquerat. Quinimo *Caſimiro* diſſimulante magis quam probante, ſiue equo, ſiue curru vehebatur, timpana, ſambuce, fiale, & varii generis harmonia modulando canendoque, illam præcedebat. Vnde in horum quæ egerat deteſtationem, fato portentoque terribili & monſtruoſo fertur exceſſiſſe e vita.

Anna Poloniæ Regina moritur.

Conſulum & ciuium *Wratislauienſium* obſtinatam pertinaciam & cordis duritiem, neque ordinariis, neque Apoſtolicis cenſuris domitam, in qua anno plus quam vno efferueſcebant, *Nankerus* Epiſcopus *Wratislauienſis*, rigidiori virga domiturus, præſertim cum eorum rebellio in dies altius ingraueſceret, & vniuerſæ *Wratislauienſi* Eccleſiæ grandem procuraret afflictionem, & iacturam; Inquiſitorem hæreticæ prauitatis, ſeu *Wratislauienſis* diœceſis, fratrem *Ioannem* de *Schwenkenfelth* Ordinis Prædicatorum in Theologia Magiſtrum, virum vitæ innocentia conſpicuum, & abſque reprehenſione, ad ſe in *Niſſam* accerſit, conſulum quoque & ciuium *Wratislauienſium* mentem obſtinatam detegit: petens contra illos velut cenſurarum contemptores, & in hæreſi ſuſpectos, per ipſum procedi. Qui cum ſingula in quibus Conſules & ciues *Wratislauienſes* deliquiſſent, & quæ vir Dei *Nankerus* Epiſcopus cum clero ſuo perferret, probe noſſet, obtulit ſe ſeruato moderamine, in eos ſui officii auctoritate animaduerſurum. *Wratislauiam* itaque ingreſſus, Dominicali die Cathedra ante Prætorium locata, ad vniuerſum populum, qui in magna multitudine confluxerat

Hæreticæ prauitatis Inquiſitor per Nankerum Epiſc. Wratislauiam mittitur.

rat

1339. rat, prolixo ſermone concionatus, Conſulum & ciuium *Wratiſlauienſium*, tam profanationem Diuinorum a ſe ſubminiſtratam, quam cordis duritiem increpans, vt ad Eccleſiæ ſanctæ reuerterentur obedientiam & gremium, magnopere perſuadebat. Citans in fine ſermonis omnes & ſingulos Conſules & Duces *Wratiſlauienſes* & iuratos, iubensque *vt coram ſe die craſtina comparerent, articulis ex officio proponendis reſponſuri.* Quibus parere contemnentibus, *Ioannes* Inquiſitor præfatus, Spiritus fortitudine indutus, vsque in Prætorium perſonaliter venit, Conſulesque & iuratos *Wratiſlauienſes* tunc congregatos, iterum monuit, *vt non contentur diutius ad ſinum Eccleſiaſticum conuerti, Diuinam & humanam vltionem ſi ſecus agerent, in ſe propediem, pro tam obſtinata mente & patratis ſceleribus, experturi. Se quoque ſic ſtabilitum eſſe, omni virtute adniti per officium ſuum velle, quatenus eorum ſuperbia & pertinacia ſenſim aſcendens domaretur.* Et licet plurimo ſermone inter Inquiſitorem & Conſules certatum fuerit, Inquiſitor tamen caſſo ſe labore ſudaſſe perſpiciens, Prætorio excedit, & maledictis contumeliiſque, & dentium ſtridore a nonnullis inſectatus, parum abfuit, ne vir ipſe conſtans & animoſus, aut deſideretur, aut violaretur.

qui nihil profecit

Magiſter Pruſsiæ ter Lithuaniam vaſtat.

Forti exercitu *Theodoricus* de *Aldemburg* Magiſter *Pruſsiæ* congregato, habens in ſuo comitatu Comitem Palatinum *Rheni* & *Almanos Lithuaniam* ingreſſus hyeme, caſtrum *Wielunya* obſidione cingit, & multiplici infeſtatione oppugnat. Verum cum omnes ſuos conatus recidere videret in irritum, quippe & locus egregie natura munitus, etiam probe a barbaris tutabatur. Frigore etiam gelidiſſimo premente exercitum, redire in *Pruſsiam* coactus eſt. Æſtate vero adueniente, cum multis forenſibus & peregrinis militibus ter in *Lithuaniam* expeditionem egit, & pro maiori parte ſingulos eius diſtrictus vaſtans, mortalium multos ex *Ruthenis* & *Lithuanis* captiuos duxit. Tres quoque aggeres, & totidem alueos & aquæ ductus, quibus barbarorum ſubita & clandeſtina in terras *Pruſsiæ* arceretur inuaſio, diſpoſuit.

1340. *Leopolienſem* terram, cæteraſque *Ruſsiæ* prouincias Regno *Poloniæ* vicinas, *Boleslao*, filio *Troydeni* (ex *Lithuano* & *Ruthena* matre Duciſſa *Maria* filia *Gedimini* ſuſcepto) *Maſouiæ* Ducis, gubernante (mortuo enim Duce *Ruſsiæ*, videlicet *Leopolienſi*, & *Wladimirienſi*, *Lombardo*, filio Ducis *Lithuaniæ Gedimini*, auunculo ſuo germano, Principatum & regimen, Baronum *Ruſsiæ* nobiliumque conſenſu, & iure ſanguinis propinquitatiſque nactus adeptusque fuerat) Primorum *Ruſsiæ* contra illum liuor indignatioque grandis, & tandem in necem machinatio, & vehemens feruidaque conſpiratio conſurgit. Et licet in dies gliſceret, viresque aſſumeret; multi tamen reſpectus in apertam rebellionem prodire, & Principi ſuo patulam moliri mortem vetabant. Dolis itaque vtendum decernunt, veneno in potu propinato, in die Annunciationis *S. Mariæ*, alias nono Calendas Aprilis, illum extinguunt. 1339.

Boleslao Ruſsiæ Gubernatore veneno extincto,

Odii autem & necis cauſas varias plerique aſtruunt, quod videlicet ritus eorum ſchiſmaticos abrogare, & fidei Catholicæ duritatem, ritumque & obedientiam *Romanæ* Eccleſiæ introducere, firmareque illic plurimo ſtudio quæſiuerit; ſiue quod tributis datiisque crebro illos exactionauerit grauaueritque, ſiue quod coniuges filiaſque eorum ſua incontinentia fœdauerit; ſiue quod Præfectos ſuos & Officiales Curienſeſque ex *Polonis* & *Bohemis*, & *Almanis* collectos, probris & iniuriis eos afficere non prohibuerit. Quæcumque tamen harum cauſarum, *Ruthenos* in extinctionem Principis mouerit, pro ſatis comperto nequit affirmari. Ea tamen mihi præcipua viſa eſt, fidei rituſque diſparitas, quæ ſub pietatis religioniſque ſpecie animos *Ruthenorum*, his, quas expreſſi, & aliis cauſis, ſuapte violentatos & incenſos, in Principis extinctionem, quaſi quoddam ſacrificium gratum Deo præſtituros, ne in *Latinum* tranſire ex *Græco* ritum cogerentur, perſtrinxit. Eius morte *Caſimirus* Rex *Poloniæ* in ſui notitiam deducta, ex Curienſibus ſuis & Baronibus, aliquibus copiis contractis, *Ruſsiam* concito curſu poſt Octauas Paſchæ ingreſſus, ciuitatem *Leopolienſem* obſidione cingit.

Caſimirus Poloniæ Rex omnem Ruſsiæ terram ſibi ſubiicit.

Quæ cum aliquanto tempore obſidionem tolerasſet, preſſa tandem & afflicta nimia fame, vna cum Proceribus *Ruſsiæ*, qui vtrumque caſtrum, altum & baſſum, ciuitatemque defendebant, caduceatores ad Regem mittit, deditionem non abnuens, dummodo Rex ritum fidei eorum non ſe violaturum aut mutaturum, repromittat. Quo in hanc conditionem conſentiente (ſciebat enim, ſi conditionem repelleret, *Ruthenos* obſtinatis animis obſidionem toleraturos, & extrema quæque paſſuros,) apertis portis, Regem cum exercitu in ciuitatem ſuſcipiunt; eique vtroque caſtro tradito, fidelitatis præſtant homagium, & debitæ ſubiectionis iuramentum. *Rex* caſtris & ciuitate *Leopolienſi* potitus, plura antiquorum *Ruſsiæ* Principum, magni valoris in auro, argento, gemmis, lapidibuſque clenodia & depoſita illic reperiens, inter quæ duas cruces aureas, notabili portione ligni Dominici inſignes, duoque diademata lapides & graues cenſu vniones habentia, tunica & ſella auro & gemmis ſuperba, monſtrabantur, in ſuum redigit ærarium. Acceſſit deinde & *Wladimiriam*, & tam arcem quam oppidum, & totam terram *Volhinenſem*, in ſuam redigit ditionem. Caſtris quoque *Leopolienſi* & *Wladimirienſi*, quæ tunc ex materia lignorum fabrefacta erant, & quæ ad ſui tutelam cuſtodiamque, magnum gentium numerum & armorum requirebant, ne ad rebellionem eo diſcedente

1340. ſpectarent, crematis, conſtituto ex militibus ſuis terræ & ciuitati *Leopolienſi* Capitaneo, & aliquibus gentibus ſuis, vt ſaltem metu nouiter dediti in fide continerentur, relictis, in *Poloniam* incolumis & victor, atque ſpoliis largitionibuſque, & donis *Ruthenorum* magnificatus, remeabat, ocyus illic, theſauro ſpoliiſque *Cracouiæ* depoſitis, cum maiori potentia reuerſurus. Parum autem temporis *Cracouiæ Caſimirus Poloniæ* Rex moratus, quo ſolummodo de copiis in *Ruſſiam* tempeſtiuo tempore traducendis conſulto diſponeret, tranſacto, Natiuitatis *S. Ioannis* Baptiſtæ die, exercitum ex omnibus terris contractum, in *Ruſſiam* producit, & tam *Przemislienſe*, quam *Halicienſe*, *Luczenſe*, *Wladimirienſe*, *Sanocenſe*, *Lubaczow*, *Trabowla*, caſtra & ciuitates, cæteraſque *Ruſſiæ* munitiones & fortalitia expugnat, nonnullis vltro ſe dedentibus, & in ſuam redigit poteſtatem, ac vniuerſam terram *Ruſſiæ*, ſub vno anno, vnaque æſtate & expeditione, pleriſque Nobilibus & Boiaris *Ruſſiæ* Principatum ſuum vltro expetentibus, ſibi & Regno *Poloniæ* ſubiicit, & illam in formam prouinciæ redactam, Regno *Poloniæ* perpetuo applicat, incorporat, vnit, & annectit. Nec ab illo tempore a Regis & Regni *Poloniæ* ſubiectione & obedientia viſa eſt diſceſſiſſe, ſed ſemper in illius fide, ſincera integritate & deuotione permanſit. Quamuis autem nonnulli ex *Ruſſiæ* Nobilibus, Principatum *Caſimiri Poloniæ* Regis aſpernantibus *Tartarorum* ſuffragiis freti, reſiſtentiam *Caſimiro* Regi facere crebris excurſionibus tentaſſent, pluribus tamen certaminibus (cum vniuerſum dimicationis euentum, magnopere potentiam Regis veriti, extimeſcerent) fracti ac vſque ad interemptionem deleti, fugatique ſunt, & vniuerſus *Polonicus* exercitus poſt multorum caſtrorum & munitionum expugnationem, & poſt ſubactam *Ruſſiæ* terram, victor & incolumis ad propria reductus.

Eccleſia denuo Wladislauiæ fundatur.

Vigeſima quinta Martii, fundatur nouus chorus in *Wladislauia* antiqua in monte, in medio antiquæ ciuitatis, per *Matthiam* Epiſcopum *Wladislauienſem*. Cui in temporis proceſſu, addidit & corpus, & nouam Eccleſiam, opere pulcherrimo & munifico, Cathedrali titulo dignam conſumauit.

Lithuani vaſtant Maſouiam.

Octaua Septembris, *Lithuani* cum ſuis Ducibus in magna multtiudine *Maſouiæ* terras ingreſſi, illas barbarico more vaſtant, & nullo opponente reſiſtentiam, multos captiuos & ſpolia inde abducunt, ſeptem quoque Sacerdotes interficiunt.

Heduigis conſors Loktek moritur.

Heduigis Poloniæ olim Regina relicta *Wladislai Loktek*, & genitrix *Caſimiri* ſecundi *Polonæ* Regum, moritur, & in *Sandecenſi* monaſterio tumulatur. *Caſimiro Rege* iuſſa funeri ſuo ſumptu magnifico perſoluente.

1341. *Caſimirus Rex* *Adleydam Landgrauii Heſſiæ filiam ducit uxorem.*

Opprobrium viduitatis ſterilitatiſque ſuæ, *Caſimirus Poloniæ* Rex volens excutere, & ſolutam ceruicem a coniugali iugo, per noui matrimonii contractum Diuinæ legi ſubiicere, & ne per incontinentiæ, laxatis habenis, vagetur campos, altero thori conſortio coercere, miſſis ad *Henricum Heſſiæ* Landtgrauium Nunciis, filiam eius virginem *Adleydam*, de virtutum morumque præſtantia, & formæ dote plurimorum ſermone & relatione celebratam, ſibi expetit dari in conſortem. *Henricus* autem Marchio *Heſſiæ*, de affinitate tanti Regis vehementer lætatus, Nunciis Regiis magno honore tractatis, precationi eorum vltroneum præbet conſenſum, & filiam ſuam præfatam *Adleydam* eis tradens, ipſam nihilominus vſque *Cracouiam* perſonali præſentia, pro maiori & Regis, & ſua filiæque honeſtate perduxit. Quo cum peruentum fuiſſet, gratus fuit *Caſimiro* Regi, & *Henrici Heſſiæ* Landtgrauii, & nouæ ſponſæ virginis *Adleydæ* moribus, venuſtiore quam forma aduentus. Vnde illis obuiam ab Eccleſiarum proceſſionibus, & ſingulorum Statuum ordinibus, ex *Cracouienſi* ciuitate itum eſt, & nuptiæ cum magna ſolennitate, & maiorum Prælatorum & Baronum Regni *Poloniæ* confluentia, pro die *S. Michaelis*, & diebus ſequentibus peractæ. In dotem autem filiæ ſuæ *Henricus Heſſiæ* Landtgrauius, duo tantummodo ſexagenarum latorum groſſorum *Pragenſium* millia ſe daturum Regi *Caſimiro* genero ſuo inſcripſit. Quantitate tam tenui, quæ etiam inter Barones moderni temporis, ſolui darique pro dotalibus muneribus ſolita eſt, vel modeſtiam illius ætatis, in qua Reges ea dote contenti erant, quam nunc mediocres Barones faſtidiunt, vel ſuam tenuitatem, cum terra *Heſſiæ* in ſterili loco ſita ſit, teſtatus. Nuptiarum ſolennitate tranſacta, *Henricus Heſſiæ* Landtgrauius, magni ponderis donis a *Caſimiro* Rege, cum ſuis omnibus militibus muneratus, in propria, omnibus neceſſariis, in locis Regni *Poloniæ*, per quæ ibat, abunde per Regios Officiales tractatus, remeauit. Cohabitauit autem huiuſmodi ſponſæ ſuæ *Adleydæ*, *Caſimirus Poloniæ* Rex, annos quindecim, habens illam & oſtentui & deſpectui: aliarum, vt æſtimabatur, plurimarum concubinarum, conſuetudine peſtifera, a legitima vxore auerſus & diſtractus, vel potius infaſcinatus. Quapropter illam a ſe relegauerat, nec faciem Regis, nec contrectationem aut affectionem maritalem, per annos illos aut ſenſit, aut vidit. Sed in curia Regia oppidi *Zarnowiecz*, omnibus procurata abunde neceſſariis iuxta ac vidua degebat. Opprobrium ſuum ac contemptum patientia ſingulari perferens, & ab omni illecebra carnali ſe præſeruans.

quam exoſam habens, in Zarnowiecz ſeruauit.

Ianislao Archiep. Gneſnenſi

In die Sanctæ *Barbaræ*, quæ fuit quarta Decembris, *Ianislaus Gneſnenſis* Archiepiſcopus

ſenio

ſ: io & laboribus confectus, in ægritudinem incidens, procuratus omnibus Sacramentis, in Curia Archiepiſcopali *Lanciciensi*, circa A Eccleſiam Collegiatam ſita, plenus bonorum operum, & magnus Reipub. Regni, Eccleſiæque *Gneſnenſis* amator & defenſor, moritur, & in Eccleſia *Gneſnenſi* accepit ſepulturam. Huic per electionem Canonicam, quatuordecima Februarii *Gneſnæ* concorditer anno ſequenti celebratam, *Iaroſlaus* de *Skotniki*, genere nobilis de domo *Bogoria, Sandomirita*, Archidiaconus *Cracouienſis* & Canonicus *Gneſnenſis*, cooperante *Caſimiro Poloniæ* Rege, ſuccedit, per *Benedictum* Papam duodecimum confirmatus. Qui extunc & deinceps, ad decorandum *Gneſnenſem* Eccleſiam, & ampliandum eius introitus, ſollicito ſtudio, cœpit intendere, & tam curias Epiſcopales quam caſtra muro primum ædificare. Sed & diſtrictum *Lowicienſem*, quem tenuem & exanguem reperit, vicorum & villarum locatione, caſtrique *Lowicz* conſtructione, vberrimum & fœcundum effecit.

ſuccedit Iaroſlaus,

& Nankero Epiſc. Wratiſlauienſi

Decima menſis Aprilis, quæ tunc in diem Paraſceue cadebat, in oppido *Niſſa*, *Nankerus Wratiſlauienſis* Epiſcopus quem de *Cracouienſi* Eccleſia translatum in *Wratiſlauienſem* fuiſſe, prout in ſuperioribꝰ deſcripſimus, vir ſingularis conſtantiæ & religionis, plenus operibus ſanctis, moritur, & in Eccleſiam *Wratiſlauienſem* eductus, in ea ſepulturæ mandatur. Fertur autem ſubordinatione & iuſſu *Ioannis Bohemiæ* Regis & Comitis de *Lucemburg*, veneno ſibi clam propinato, mortem violentam ſuſcepiſſe, quod præfatum *Ioannem* Regem, caſtrum *Myelicz* Eccleſiæ *Wratiſlauienſis* occupantem, monuerit, & publicè excommunicatum nunciauerit; cenſuraſque vilipendentem, in maiorem ſui ſceleris deteſtationem, in ciuitate, & diœceſi *Wratiſlauienſi* vniuerſa, interdictum poſuerit, & Clerum *Wratiſlauienſis* ciuitatis appellationi ſuæ adhærere, & Diuina in præſentia ſui *Wratiſlauiæ* agere detrectantem, de ciuitate *Wratiſlauienſi* turpiter eiecerit, & excluſerit. In exitu autem animæ *Nankeri* Epiſcopi *Wratiſlauienſis* de corpore, ſuauiſſimus cantus, a quadam religioſa fœmina auditus eſt. Quæ cum admirans ad ſonum cantus conſiſteret, reuelatum eſt illi animam *Nankeri Wratiſlauienſis* Epiſcopi in cœlos ab Angelis deferri. Miræ deuotionis, ſanctæ ſimplicitatis, & magnæ abſtinentiæ, corpus ieiuniis & orationibus nocte interdiuque affligentem, conſtat illum fuiſſe, & hac inter alias conditione celebrem, vt omnes miſſas, quotquot in Eccleſia, in qua aderat, legi poterant, audiret, & ad quamlibet illarum ſpecialem oblationem offerret. Singulis quoque annis, poſtquam *Wratiſlauiam* tranſlatus fuerat, certam ſummam pecuniæ, Vicariis Eccleſiæ *Cracouienſis*, pro columbationis dono mitteret. Sedit in Eccleſia *Wratiſlauienſi* annis quindecem.

1341.

Przeczlaus.

Cui per electionem canonicam *Przeczlaus* de *Pogorzelecz* Canonicus *Wratiſlauienſis*, Polonus natione, & nobilis de armis & domo *Grzimalitarum* tres turres deferentium, abſens licet, & in ſtudio *Bononienſi* agens, quinta Maii electus ſuccedit. Cuius electionem cum *Iaroslaus Gneſnenſis* Archiepiſcopus, *Caſimiro* Rege *Poloniæ*, qui aliquem ex ſuis *Polonis* æſtuabat promouere, impediente, cunctaretur confirmare, ad *Benedictum* Papam duodecimum tranſiit, & ſe tam confirmari quam conſecrari, eodem reuoluto anno, quo electus fuerat, quinta menſis Maii die, obtinuit. Sedit autem *Nankerus* præfatus ſex annis cum dimidio in *Cracouienſi* Eccleſia, in *Wratiſlauienſi* vero annis circiter quindecem, ſyncere & B religioſe in vtraque obſeruatus.

De *Nankeri* Epiſcopi *Wratiſlauienſis* exceſſu, Conſules & ciues *Wratiſlauienſes*, non ſecus quam ſi de Eccleſia *Wratiſlauienſi* triumphaſſent, exhilarati, ad *Ioanem Bohemiæ* Regem, de *Ioanne* Inquiſitore *Wratiſlauienſi* queſtum veniunt, & multis ſe ab eo probris & contumeliis violatos confingentes, Regem etiam in illius odium accendunt. Qui *Henrico* de *Barib* Præpoſito, & *Apeczkoni* Scholaſtico, *Wratiſlauienſibus*, Epiſcopatus *Wratiſlauienſis*, Sede vacante, Adminiſtratoribus ſcripſit, *quatenus Ioannem Inquiſitorem plenam ſecuritatem habiturum, ad ſe Pragam mitterent, quatenus illum Conſulibus Wratiſlauienſibus faceret reconciliatum.* Quo illuc ſub conductu C *Conradi* de *Falkenbain Wratiſlauienſis* Capitanei aduentante, illico eidem inſidiæ paratæ fuere. Conſiſtente enim eo in camera apud monaſterium Sancti *Clementis* Ordinis Prædicatorum, duo ſceleſti, quorum vnus *Knauſel*, adueniunt, & audiri ſe confeſſionem, pulſata camera, inſtantius depoſcunt. Quo in aliud tempus petitionem eorum differente, reſpondent, *niſi celerius audiantur, dum in eis contritionis vigeret ardor, ſe poſtmodum deſperaturos.* Qui ex camera, qua, ſermonem ad Clerum habiturus ſtuduerat, egreſſus, a viris Belial in dolo ſuum egreſſum expetentibus, tribus gladiis confoſſus occubuit. De cuius nece Rex capitaneum & Conſules *Wratiſlauienſes* habens ſuſpectos, cepit: ſed ſuſpicionem D iuramento purgantes abſoluit. *Knauſel* tamen & ſocius eius poſt annum & dimidium capti, & capite damnati, referebant ſe per *Merkelinum Schertelczan* & *Hellenbolden Wratiſlauienſes* Conſules, triginta marcis corruptos, & ſubarratos, in flagitium & cædem viri Dei conſenſiſſe.

Inquiſitor hæreticæ prauitatis Wratiſlauiæ occiditur.

Duciſſa *Czirnenſis Maria* moritur vxor *Troydeni Maſouiæ* & *Czirnenſis* Ducis, natione *Ruthena*: quam anno eodem vir ſuus *Troydenus Czirnenſis* Dux fato ſimili ſecutus eſt. Ambo in Eccleſia *Plocenſi* iuſtis funeribus humati ſunt.

Quindecima Iunii *Theodoricus* de *Aldemburg Pruſſiæ* Magiſter moritur. Cui *Lutherus Pruſſiæ*

Theodorico Pruſſiæ

1341. *Magiſtro ſuccedit Lutherus.* maior Commendator natione *Saxo* ſuccedit, alias *Ludolphus Konik* dictus. Aduenerat ſiquidem *Carolus* Marchio *Morauiæ*, filius *Ioannis* Regis *Bohemiæ* ſub eodem tempore in *Pruſſiam.* Et dum aliquanto tempore commoraretur in *Thorun*, *Theodoricus* quoque præfatus Magiſter *Pruſſiæ* ad honorandum & procurandum eum illic deſcendiſſet, graui morbo correptus, ſub præſentia eiusdem *Caroli* moritur, & in *Mariemburg* relatus, in capella Sanctæ *Annæ*, quam ipſe fundauerat, ſepelitur.

1342. Poſt miſerabilem cladem in terra *Moldauiæ*, aſtu & dolo *Bezaradi* Voieuodæ, *Carolo Hungariæ* Regi & ſuo exercitui, permittente Deo, inflictum; In qua, vt præmiſimus, robur exercitûs *Hungariæ*, ad concaua montium perductus inſidiis, periclitatum obrutumque eſt, *Carolus* Rex, ſiue dolore acceptæ ſtragis, ſiue naturali deficiente vigore, crebris variisque morbis implicitus, in repellendis aut inferendis bellis vacationem de cætero captare conctus eſt, doloribus ſuis, præſertim podagriticis vexationibus conſulturus. Ingraueſcente tandem valetudine aduerſâ, ſenſimque illum vitali potentiâ deſerente, feria tertia proxima poſt feſtum S. *Margarethæ*, decimo *Carolo Hungariæ Regi* ſeptimo Calendas Auguſti, in caſtro ſuo *Viſchegradenſi*, ſalutari procuratus viatico, cæteriſque Sacramentis Eccleſiæ rite perſunctus, rebus exutus eſt humanis, cum annis triginta duobus regnaſſet, cæteris annis qui in diſcordia cum *Venceslao Bohemiæ* Rege, & *Henrico* Bauariæ Duce competitoribus ſuis, tranſacti fuére, non computatis. Cuius corpus in *Albam Regalem* delatum, ab Illuſtri Regina *Eliſabeth* conſorte ſua, tribuſque filiis, *Ludouico*, *Andrea*, & *Stephano*, quos ſuperſtites reliquit, Prælatiſque & Baronibus *Hungariæ*, Regio honore tumulatum. Ne autem Regni *Hungariæ* vacatio protelata, aliqua ſchiſmata aut bella forinſecus & intra poſſet excire, Prælati & Barones *Hungariæ*, quamprimum Regio funeri debitum honorem ſoluiſſent, ad prouidendum de futuro Rege curas vertunt, & vnanimi voto ac conſenſu, *Eliſabeth* Regina *ſuccedit filius Ludouicus.* præſente, ſeniorem filium *Caroli* mortui Regis *Ludouicum*, decimum ſeptimum ætatis annum agentem decernunt coronandum. Dominico itaque die, feſtum S. *Iacobi* Apoſtoli immediatè antecedente, duodecimo Calendas Auguſti, *Ludouicus* Dux per *Chanadium Strigonienſem* Archiepiſcopum, aſſiſtentibus ſibi *Wladislao Quinqueeccleſienſi*, *Nicolao Agrienſi*, *Mieczslao Veſprimienſi*, *Colomanno Iaurienſi*, *Petro Sirmienſi*, *Vito Nitrienſi*, & *Laurentio Boſnenſi* Epiſcopis, Baronumque & Nobilium multitudine copioſa, in Regem *Hungariæ* in Eccleſia *Albæ Regalis*, iuxta ritum & obſeruantiam veterem vnctus & coronatus eſt, cum magno omnium aſſenſu & fauore. Ab inde *Budam* veniens, honore proceſſionum & occurſu ſingulorum Statuum exceptus, 1342. compoſitis quibusdam rebus publicis celeriorem A expeditionem poſcentibus, in *Viſchegrad* patris morem ſequens, moraturus illic diuertit. Cogitabat autem *Carolus Hungariæ* Rex dum viueret *Stephanum Hungariæ* Regno præficere, qui *Ludouici Romanorum* Regis & *Bauariæ* Ducis filia traducta, vnicam ex ea filiam ſuſceperat, *Andream* autem Regno *Siciliæ*: ſed vtroque immaturâ morte abſumpto, ſolus *Ludouicus* cui *Poloniæ* Regnum a patre deſtinabatur, ſuperuiuens, & *Pannonico* & *Polonico* Regno proceſſu temporis potitus eſt. Poſtquam autem *Caſimiro Poloniæ* Regi, obi-B tus *Caroli Hungariæ* Regis, per literas *Eliſabeth Hungariæ* Reginæ, & frequentes Nuncios *Ludouici* noui Regis *Hungariæ*, innotuit, venit perſonaliter cum multo comitatu Epiſcoporum & Procerum Regni *Poloniæ* in *Viſchegrad*, & magnificas ſub præſentia *Eliſabeth Hungariæ* Reginæ, & nepotis ſui *Ludouici Hungariæ* Regis, exequias celebrauit, viduitatem conſolatus ſororis, promotionē gratificans nepotis.

Cum magno omnium fauore, grandique exultatione, de *Pogorzelecz Wratislauienſis* Epiſcopus *Przeczslaus*, ex Curia *Romana* reuerſus, a Clero populoque ſuæ *Wratislauienſis* diœceſis exceptus, in *Niſſam*, (perdurante *Wratislauienſi* ciuitate in ſuæ mentis obſtinatione) diuertit, illicque conſedit. Vbi ad illum *Carolo* Marchio *Morauiæ*, filius *Ioannis* Regis *Bohemiæ*, venit, & reconciliationem per plures C tractatus, cum *Przeczslao* Epiſcopo Cleroque ſuo habitos, æquis conditionibus, quibus & ablata, & illicitè percepta reddebantur, compoſuit. Ex *Niſſa Przeczslaus* Epiſcopus cum Clero ſuo, *Carolo* Marchione eum concomitante, *Wratislauiam* ſedem ſuam aduenit, & Conſules iuratoſque *Wratislauienſes*, pedibus nudatis & capitibus, palliis quoque & cingulis amotis, ex Prætorio vſque ad monaſterium Sancti *Adalberti* ad ſe venientes, & ſuppliciter *Wratislauienſes cum* proſtratos, culpa quoque ſimpliciter recognita, veniam humili ſupplicatione depoſcentes, & *Przeczlao* per plures execrationes aſtringentes *ſe nunquam ſimili rebellione Eccleſiam Wratislauienſem moleſtaturos*, *nouo Epiſcopo reconciliantur.* ad gratiam reconciliationis D admiſit, ſuſtulitque interdictum. Quibus omnibus *Poloniæ* Principes adhibiti ſunt, videlicet *Boleslaus Bregenſis* & *Legnicenſis*, *Wladislaus Bithomienſis*, *Conradus Olieſznicenſis*, *Boleslaus Falkembergenſis*, & *Boleslaus Oppolienſis*; Baronumque & militarium multitudo, vt celebrior eſſet huiusmodi reconciliatio. Et quamuis *Carolus* Marchio *Morauiæ* polliceretur *Boleslao Bregenſi* & *Legnicenſi* Duci, pro damnis & ſpoliis, ac iniuriis, quibus Eccleſiam & Clerum *Wratislauienſem* affecerat, parem reconciliationem ordinaturum: nulla tamen interpoſitione facta, ex *Wratislauia* diſcedens, *Boleslaum* Ducem *Bregenſem*, magnis anxietatum ſuppliciis nodiſque, & quid ageret conſi-

1342. conſilii inopem, illaqueatum dimiſit. Quia tamen Epiſcopus *Wratislauienſis Przeczslaus* ex Ducatu ſuo oriundus extabat, & in guerra à *Conrado* Duce *Olеſznicenſi* ſibi mota, adiuuabatur per Ducem *Bregenſem Boleslaum*, beneuolentia inter Epiſcopum & Ducem propterea ſecuta, modeſtius de cætero cum illo ſingula agebantur. Non poterat tamen Dux, negantibus his, quos annis pluribus de eorum introitibus ſpoliauerat, ſibi & terris ſuis abſolutionis & relaxationis beneficium obtinere. Ciuibus autem *Wratislauienſibus*, poſt reconciliationem huiusmodi, ſe iuſtificatos & purificatos exiſtimantibus, & in commeſſatione lætitiaque dies & tempora ducentibus, Diuina plaga, & expulſionem indignam Pontificis & Cleri, Diuinorumque prophanationem, & cædem *Ioannis Wratislauienſis* Inquiſitoris, vltura, repente aduenit. Caſuali enim igne, *Wratislauia* in feſto Sancti *Staniſlai* Martyris, octaua videlicet menſis Maii, die exorto, licet ad reſtringendum illum vniuerſi operam ſuam enixius impendiſſent, non prius tamen ſedatus eſt, donec tota ciuitas fuit conflagrata. Viſus eſt inſuper à quadam religioſa fœmina apud Sanctum *Mauritium* extra muros *Wratislauienſes* incluſa, ſub ipſo incendii tempore ſupra *Wratislauienſem* ciuitatem Angelus, vibratum & contra ciuitatem *Wratislauienſem* extenſum geſtans gladium ſtare, & viuis ardentibusque carbonibus ferire ciuitatem & incendere, & incenſæ ampliores flammas, quo periret, maturius adhibere.

Incendium Wratislauiæ.

Lithuani in frequentibus copiis, & exercitu numeroſo in *Pruſſiam* ingreſſi, ferè vniuerſam ſpoliis, cædibusque, & captiuitatibus hominum impleuerunt: Magiſtro *Pruſſiæ Luthero* non ferente ſuis defenſionem, & in expeditione contra Catholicorum terras, videlicet *nouam Marchiam*, quam ſibi geſtiebat ſubiicere, ſuſcepta occupato. Qui ex ea reuerſus, tanta animi conſternatione de ſuorum cæde & captiuitate per barbaros facta vexatus eſt, vt ſenſu amiſſo, delirus & amens fieret. In cuius locum *Henricus Duſemer* in Magiſtrum ſuffectus eſt.

Lithuani Pruſſiam vaſtant, quare Lutherus Magiſter turbatus mente capitur cui ſuccedit Henricus Duſemer.

Vigeſima tertia Aprilis, *Benedictus* Papa duodecimus, cum annis ſeptem, menſibus quatuor, diebus quatuordecem ſediſſet, moritur, & in *Auinionenſi* Eccleſia tumulatur. Et ceſſauit Epiſcopatus diebus decem & ſeptem. Electionem autem de futuro Summo Pontifice Cardinalibus in conclaui incluſis celebrantibus, *Lemonicenſis* frater Ordinis Sancti *Benedicti* Archiepiſcopus *Rotomagenſis*, tituli Sanctorum *Nerei* & *Achilei* Presbyter Cardinalis, Prouincialis de *Emanſo*, in die præfatorum Sanctorum *Nerei* & *Achilei*, quæ fuit duodecima Maii, concorditer eligitur, & in feſto Pentecoſtes in Papam conſecratur, *Clemens* ſextus appellatus. Qui ſuorum Prædeceſſorum *Ioannis* & *Benedicti* innouando cenſuras, *Ludouicum Romanorum* Regem & *Bauariæ* Ducem, ab omni Regali & Imperiali & Ducali dignitate, propter eius obſtinatiam, depoſuit, & eius filios ac nepotes, ad omnes dignitates tam Eccleſiaſticas quàm mundanas inhabilitauit; terras ſibi parentes Eccleſiaſtico ſupponens Interdicto. Iſte nomine & re *Clemens*, totusque virtuoſus, multa per *Benedictum* rigoroſè acta mitigauit, & quosdam priuatos reſtituit. Laudabilis fuit ſtrenuitas *Benedicti* duodecimi: ſed amabilior *Clementis* benignitas; Sermocinator egregius, nullum inconſolatum a ſe abire permiſit.

Benedicto XII. Papa ſuccedit Clemens VI. 1342.

Tolerantibus *Ludolpho Konik* Magiſtro *Pruſſiæ* & Ordine Cruciferorum Cenſuras Eccleſiaſticas, per *Galhardum* & *Petrum* Nuncios & Iudices Apoſtolicos, contra illos ſuper reſtitutione *Pomeraniæ*, *Chelmenſis*, & *Michalouienſis* terrarum, iniquè & iniuſtè per illos occupatarum, vsque ad ſententiam interdicti incluſiue latas, & ſub prætextu vmbraque appellationis per eos interpoſitæ, rigorem illarum eludentibus, terrasque occupatas detinentibus, *Caſimirus Poloniæ* Rex bello *Ruthenico Lithuanicoque* ſe implicatum videns, veritus ne ſub vno & eodem tempore cum triplici hoſte belligerare cogeretur, in conditiones a Magiſtro & Ordine Cruciferorum petitas, Pontificibus licet omnibus reluctantibus, & graues atque oneroſas demonſtrantibus, conſentire, pacemque ſub tam iniquis conditionibus, cum Magiſtro & Ordine conficere & inſcribere, in animum induxit. Animus enim ſuus a patrio plurimùm degenerans, ea quæ bello armisque adminiſtranda erant abhorrens, componi res etiam cum iniuria malebat. Nunciis itaque Magiſtri & Ordinis ad ſe in *Caliſz* pro die Sancti *Procopii* aduenientibus, pacemque cum prioribus conditionibus afferentibus, conſenſurum ſe in conditiones, tam ſibi quàm Regno plurimùm graues & funeſtas, reſpondet. Et quò res certior ſolidiorque exiſtat, literis ſuis in die Sancti *Kiliani* ſcriptis firmat: In quibus eò vel neceſſitatis vel dementiæ ſe monſtrauit progreſſum, vt non ſolùm de iure & proprietate terræ *Pomeraniæ*, duarumque aliarum terrarum, *Chelmenſis* videlicet & *Michalouienſis* cederet, ac illam in poſterum petitioni & actioni renunciaret: Sed etiam titulo Ducatûs *Pomeraniæ* nunquam vti, & de ſigillo Maieſtatis illum eradere ſe obligaret. Diſſimillimus patri viſus, qui diutius bellicis in rebus verſatus, prius & ſenecta & morte ſe opprimi paſſus eſt, quàm in ali-

1343.

Caſimirus cum Cruciferis pacem facit, terrisque Pomeraniæ, Chelmenſi & Michalouienſi cedit.

1343. 1343.

in aliquam ex his conditionibus poſſet induci: exiſtimans ſe rei militaris exercitio plures diuitias, maximas opes, exquiſitos A honores, amplitudinem ſibi & Reipublicæ abundè per bella cum hoſtibus indeſinenter geſta, apud præſentem & futuram ætatem parauiſſe. Conuentionem inſuper cum Magiſtro & Ordine, in *Iuniuladislauia* pro die Sanctæ *Mariæ Magdalenæ* tenendam indicit: Principum, Baronum, & ciuium Regni *Poloniæ*, literas de tenenda ſub huiuſmodi conditionibus pace, ſigillatim à quolibet Statu dandas, acceptis reuerſalibus, redditurus. Conuentionis autem die aduenientе, dum & *Caſimirus* Rex cum Prælatis Baronibuſque, & Magiſter *Pruſſiæ Ludolphus Konik* cum Commendatoribus ſuis per præſentiam corporalem conueniſſent, pacem iniquam *Caſimirus* Rex facit, ardens terrarum naturalium *Cuiauiæ* & *Dobrzinenſis*, ſibi per Cruciferos ereptarum deſiderio, B & pacis perpetuæ fœdus, & corporali per vtramque partem præſtito iuramento, & *Semouiti Viznenſis*, & alterius *Semouiti Czirnenſis*, *Boleslai Plocenſis Maſouiæque*, *Caſimiri Gniewkouienſis*, & *Wladislai Lanciciæ*, Ducum, Baronumque *Cracouienſium*, & *maioris Poloniæ*, item ciuitatum, *Cracouienſis*, *Poſnanienſis*, *Sandomirienſis*, *Sandecenſis*, *Caliſſienſis*, *Wladislauienſis*, & *Brzeſtenſis* literis firmatum, ictum, & initum eſt; Solis Præſulibus, videlicet *Iaroslao Gneſnenſi* Archiepiſcopo, *Ioanne Cracouienſi*, *Matthia Wladislauienſi*, *Ioanne Poſnanienſi*, & *Clemente Plocenſi*, Epiſcopis, à tam turpi C fœdere, quamuis præſentes eſſent, auerſis. Quæ res ſola peremit pereptura que eſt hoſtis funiculos, quos Magiſter & Cruciferi ad vſurpandum ſibi terræ *Pomeraniæ* ius, proprietatem, & iuſtum Dominium, exquiſitis ingeniis conati ſunt texuiſſe. At ego verò non ſatis *Caſimiro* Regi *Poloniæ* ſubiraſci poſſum, qui a belli muneribus ad quietis conſilia animum diuertens, vt certaret ſumptuoſius, vt in theſauris maius auri pondus conditum poſſidere ſe gloriaretur, vt ſomno indulgeret, ventrique & Veneri; vt quietiorem & voluptatibus famoſam vitam abſque labore ageret. Epiſcopis & ſacra tractantibus ſe monſtrauit in defendenda patria, neglectis mandatis patriis, magis puſillanimem D & deſidem, animoque quietis, & vtinam non ignauiæ auido inferiorem. Quem non animo ſolùm, ſed induſtria, actione, labore, & ſudore omnibus reliquis præſtare oporteret, longam & diuturnam *Polonis*, & ſucceſſoribus ſuis Regibus *Poloniæ*, pro terra *Pomeraniæ* palæſtram, breui pacis compendio, cras etiam ſi ita caſus ferret, pro minima quaque iniuria violandæ, relicturus.

Caſimirus Rex *Zeganenſem Ducatum vaſtat,*

Pace cum Magiſtro & Ordine Cruciferorum compoſitâ, terriſque *Dobrzinenſi* & *Cuiauiæ* in poſſeſſionem plenariam receptis, *Caſimirus Poloniæ* Rex æſtate eadem, contra *Henricum Zeganenſem* Ducem, & fratres ſuos expeditionem inſtaurat, & cum omnibus terrarum ſuarum militibus, aliiſque gentibus mercede conductis, magno armorum, equitum, & peditum apparatu (*Ioannis* cum Regis *Bohemiæ* repreſſionem verebatur) contra *Zeganenſem* Ducem procedit: fortunam belli & cum *Ioanne Bohemiæ* Rege, & quocumque altero ſecum decernere volente, repoſita primùm à Deo, deinde in cauſa belli, quam iuſtam ſe habere rebatur, fiduciâ, tentaturus. Belli cauſa ea extabat: Occupauerat ſiquidem *Henricus* ſecundus *Glogouienſis* & *Zeganenſis* Dux, huius *Henrici* auus, pluribus annis *Wladislao* Rege *Poloniæ*, pluribus guerris, & his præſertim quibus a Cruciferis premebatur, diſtricto, oppidum & territorium ei annexum *Wſchoua*, ad Regnum *Poloniæ* pertinens ex antiquo, cuius detentio erat illi annis aliquot impunita. Pro cuius reſtitutione, crebris Nunciis & literis *Caſimiri* Regis requiſitus, ſuperba & faſtidioſa edebat reſponſa: aſſerens *ſe extrema quaque prius, quàm ceſſionem eius faceret, experturum.* Primum itaque *Caſimirus* Rex oppidum *Wſchoua* obſidione cingens, & illud pluribus diebus omni expugnationum genere quatiens, militibus pro eius defenſa per Ducem *Zeganenſem* miſſis, nequicquam reſiſtere valentibus, ruptis & demolitis muris conquirit, & ab oppidi quidem prædatione milites abſtinere iuſſit, ea tamen quæ defenſorum oppidi erant, militibus ſuis conceſſit: non pauco illic captiuorum numero habito, oppidoque & vniuerſo territorio in ſuam recepto ditionem. *ciuitatem & territorium Wſchouenſe recuperat,*

In Ducatum deinde *Zeganenſem* copias produxit, & caſtrum atque oppidum *Stinauiam*, *Polonicè* appellatum *Czieniawa*, quamuis murorum altitudine & ſitu ſatis munitum, expugnat, & omnes muros eius ſolo æquat. *Stinauiam expugnat.* In agros inſuper, vicos, & villas, & oppida quæque ignobilia populationem latiùs iuſſit extendi, & omnes villas, oppida, & municipia, ſpoliis & incendiis conſumari. Serò itaque *Zeganenſis* Dux *Henricus* ſuæ temeritatis ſe pœnas pendiſſe aduertens, caduceatores de pace rogaturos ad Regem mittit. Iam enim Rex, depopulata conflataque in cineres *Zeganenſi* vniuerſa regione, ad ipſam quoque principalem ipſorum ciuitatem & arcem *Zeganenſem*, obſeſſurus & oppugnaturus illam, promouebat. Offerebant autem Nuncii Ducales preces humiles Regi, deprecantes illum, *vt nubilo indignationis ſuæ reſtricto, reliquiis funeſtis & miſerabilibus parcere dignaretur, Ducem Henricum Zeganenſem, & fratres, Conradum Oleſchnicenſem, Ioannem Stinauienſem, & Przemislaum Glogouienſem, iuri poſſeſſionique terræ & oppidi Wſchowa, & actioni offenſarum iniuriarumq;* *Petenti autem Duci*

1343. rumque renunciaturos, offerentes & cæteras conditiones per Caſimirum Regem dicendas ſuſcepturos. Flexus Rex tanta hoſtium humiliatione, illos ad ſe iubet accedere. Quibus perſonaliter venientibus, *Animi*, inquit, *æquioris eſtote, verbis enim ſubmiſſis veſtris, expugnaſtis & viciſtis iram meam; Zeganenſem patriam ſucceſſione quidem veſtram, iure verò belli meam, precibus veſtris ſubmiſſis vobis dono; iniuriam quam a vobis in occupatione oppidi & territorii Wſchowa pertuli, remitto, pacemque æquis conditionibus, quæ duntaxat & vos erga me, & Regnum meum odia depoſuiſſe, & ea quæ geſſimus, irrogauimus, & intulimus, bella obliteraſſe, & vos nihil vnquam iuris & proprietatis, aut tituli in territorio Wſchoua habuiſſe, teſtentur, compono. Vos tantummodo cautiores eſtote, ne fœderum præſentium violatores vos conſtituatis, & cœleſtes meaſque iras in vos vertatis.* In hunc modum pace etiam literis firmata, agros *Zeganenſes* & ſtatiuis & populatione ſoluit, & in Regnum ſoſpes rediit. Territorium autem & oppidum *Wſchoua*, corpori Regni *Poloniæ* reſtitutum, quædam iura ſingularia prærogatiuaſque, & ſignanter monetam cudendi ſpecialem, quibus tunc vſum eſt, etiam *Caſimiro* Rege eas non abrogante, in hanc diem cum fidei ſinceritate obſeruat. Gloriam & voluptatem ſingularem adeptum ſe iri gaudens, quòd ab iniuſtis poſſeſſoribus, ad veros & naturales hæredes, & in vnitatem legitimi corporis Regni *Poloniæ* rediit: ſub quo & hactenus perſeuerat.

pacem dat.

Eliſabeth vidua Caroli Hungariæ Regis Neapuliam & Romam inviſat,

Hungariæ Regina *Eliſabeth Caroli* relicta, filium ſuum *Andream Neapuliæ* Regem viſitatura, & *Romam* viſura, galeis aſcenſis pelago vecta, in *Neapuliam* peruenit, cum celebri & magnifico comitatu; & a filio *Andrea Neapuliæ* Rege, conſorteque ſuâ *Ioanna* Regina, plurimo honore ſuſcepta eſt. Faſtu & moribus *Ioannæ* Reginæ plurimùm offenſa, aliquanto tempore in *Neapulia* commorata, *Romam* viſitauit. Et reliquiis templiſque Sanctorum adoratis, ad *Clementem* ſextum tunc in *Auinione* agentem, Nuncios miſit, coronationem *Andreæ* filii ſui obtenturos. Quam non aliter, niſi promiſſis quadraginta quatuor millibus argenti poterant obtinere. Quibus peractis, filio ſuo *Andreæ* plurimum timens, videbat enim illum apud *Ioannam* Reginam, fœminam ſuperbam, ambitioſam, trucem, & lubricam, contemptui & odio eſſe; conſumptis viginti ſeptem millibus marcarum argenti, & decem & ſeptem millibus anni, triſtis & mœſta in *Hungariam* rediit, iam tunc periculum grande ſcelere *Ioannæ* Reginæ filio ominata.

& cum Clemente P. R. de corona Neapuliæ pro Andrea filio obtinenda agit.

Boguſlao Stetinenſi Duci filia Caſimiri Poloniæ Regis copulatur.

Crebris procis, & nunciis inſignibus *Boguſlai Stetinenſis* Ducis, *Caſimirus Poloniæ* Rex, pro affinitate & matrimonio filiæ ſuæ virginis *Elizabeth*, quæ iam ad annos nubiles peruenerat, ſollicitatus, habitâ Prælatorum & Baronum ſuorum deliberatione, credenſque præfati Principis *Boguſlai* affinitatem ſibi & Regno *Poloniæ* vtilem futuram, admiſſis procorum obſecrationibus & precibus, qui vſque *Cracouiam* ſuam excellentiam, huiuſmodi precando matrimonium, adibant, affinitatem cum Duce *Boguſlao* prædicto iungit, & filiam ſuam virginem *Elizabeth*, quæ tunc vnica illi erat ex *Anna* prima coniuge ſua, filia *Gedimini Lithuanorum* Ducis, ſuſcepta, illi deſponſat. Ea primùm conditione interueniente & contractu, quod præfatus *Boguſlaus* Dux *Stetinenſis* cum duobus germanis ſuis *Barwin* & *Varcziſlao*, per patentes literas, etiam corporali ſubſecuto iuramento firmatas, aſtrinxit ſe & obligauit *Caſimirum* Regem contra quoſcunque hoſtes, & ſignanter contra Magiſtrum & fratres Cruciferos de *Pruſſia*, in qualibet neceſſitate & belli articulo, fideliter vt patrem & Dominum adiuuaturum, eique pro quolibet bello cum quocumque hoſte gerendo, quadringentis galeatis armatorum, & coronæ *Poloniæ* perſonali auxilio adfuturum. In hanc itaque ſpem & concluſionem in ciuitate *Poſnanienſi*, pro feſto S. *Matthiæ* Apoſtoli, quod in Carnispriuium cadebat, nuptiæ per *Caſimirum Poloniæ* Regem cum magna ſolennitate celebratæ actæque ſunt, & pro dotalibus muneribus eidem virgini *Elizabeth*, & ſponſo ſuo *Boguſlao* Duci, viginti millia marcarum latorum groſſorum *Pragenſium*, & ſuppellex in vaſis aureis argenteis, veſtibus, equis, cæteriſque rebus & clenodiis, pro magnificentia tanti Regis filiam locantis, ſuperba & ditiſſima, in prompta & numerata pecunia, aſſignata. In cuius quidem dotis reuerſalem & vicariam viciſſitudinem, præfatæ virgini *Elizabeth*, certa caſtra, ciuitates, & villæ, in terra ſua *Pomerania*, duo millia marcarum cenſuum puri argenti ſingulis annis reddentes, fuêre per Ducem *Boguſlaum* donatæ, firmatæ, & inſcriptæ. 1343.

Reges Hungariæ & Bohemiæ expeditionem in Lithuaniam agunt.

Militiam in *Lithuanos* tunc barbaros acturi, *Ludouicus Hungariæ* Rex, *Ioannes* de *Lucemburg Bohemiæ* Rex, *Carolus* Marchio *Morauiæ*, Comes de *Hallis*, & alii quam plurimi viri Illuſtres, in *Pruſſiam* cum eorum potentiis aduenerant. Magiſter autem *Pruſſiæ Ludolphus Konik*, tantam conueniſſe videns potentiam, ſignificauit Magiſtro *Liuoniæ*, vt non timeret inuadere *Samogithas*, videlicet *Barchones*, *Eiſckones* & *Oſſolienſes*, qui a fide apoſtatantes, etiam proprios Præſides, & quoſlibet Chriſtianos ſecum commorantes occiderant.

1343. derant. Et cum Magiſter *Liuoniæ* in prædicta territoria deſcendiſſet, Magiſter quoque cum Regibus in *Lithuaniam* deſcendit, eam vaſtaturus. *Lithuani* interim cum omni potentia, & interim cum eorum terra vaſtabatur, deſcenderunt in prouinciam *Zambienſem*, & vaſtabant eam. Propter quod Magiſter *Ludolphus* cum Regibus, *Lithuaniæ* vaſtatione omiſſa, voluit eis occurrere, ſperans ſe pugnaturum. *Lithuani* vaſtatione *Zambienſis* prouinciæ potiti & ſpoliis, in *Liuoniam* quoque deſcenderunt; quam cum vacuam inueniſſent, multis irrogatis ſtragibus & prædis, rediêre cum ſpoliis incolumes. Quæ rerum varietas adeò Reges afflixit, vt Magiſtrum conuiciarentur, huius tam peſſimi euentûs & ſui dedecoris auctorem, per prauum conſilium fuiſſe. Quod *Lutherus* grauius ferens, in amentiam incidit. A qua cum annis aliquot ſolui non poſſet, reſignauit officium. In cuius locum Frater *Henricus Duſemer* ſuccedit.

Lithuani Zambienſem & Liuonienſem terram depopulantur.

Semouitus Maſouiæ & *Sochaczouienſis* Dux, filius *Boleslai* moritur, & apud *Plocenſem* Eccleſiam ſepelitur.

1344. *Zegarenſi* expeditioni, & rerum publicarum ordinationi *Caſimiro* Rege vacante, nonnulli *Ruſſiæ* Barones, quibus Principatus Regis *Caſimiri* erat inuiſus & moleſtus, longa ſua diſtantia & abſentia a terris *Ruſſiæ* contemplata, clandeſtinos facientes conuentus, crebris ſermonibus tractatibusque inueſtigabant ordinem, vt nouum ſibi ſuperimpoſitum iugum, quo ritum ſuum ſchiſmaticum ſenſim portendebant extingui, poſſent excutere. Id quacumque ratione efficerent, nihil penſi, nihil proſpectûs habebant. Vires autem proprias, & depreſſas & diſtractas eſſe videntes, plures enim ex illis ad Catholicæ & *Romanæ* Eccleſiæ puritatem nouo baptiſmo renati acceſſerant, plures cum *Caſimiro* Rege militabant, pluribusque & præſertim fidem Catholicam profeſſis, officia, dignitatesque publicæ collatæ erant, quos omnes certum erat in rebellionis ſententiam pertrahi non poſſe. Duo duntaxat ex Primoribus, videlicet *Daſzko*, quem *Caſimirus* Rex Capitaneatui & terræ *Przemiſlienſi* præfecerat, & *Daniel* de *Oſtrow* cum paucis, bellum & rebellionem coquebant. Secretis itaque Nunciis ad *Tartarorum* Imperatorem miſſis, declarant *Caſimirum Poloniæ Regem, in recenti tempore terras Ruſſiæ, ex quibus Tartaris tributa pendebantur, occupaſſe, iuriſque ſui feciſſe, & omnes datias & tributa, quæ Tartaris cedere ſolebant, vſurpaſſe.* Suggerentes poſtremò, *ne Imperator ipſe tantam offenſam & contemptum ſui, tributorumque ſuorum abrogationem, ſineret feneſcere, & Regi Caſimiro ac Polonis inultam fore: ſed cum aliis Ruthenis in eius fide & obedientia perſiſtentibus, operas ſuas quamprimum exercitus Tartaricus in Ruſſiæ partes accederet, ad reſcindendum Caſimiri Regis Poloniæ imperium, nuper Ruthenis impoſitum, nauaturos.* Hac legatione *Tartarorum* Cæſar, quoniam & vera & amica nunciare videbatur, permotus, validum exercitum Regnum *Poloniæ* vaſtaturum, & terras *Ruſſiæ* ſuo Imperio reſtituturum, transmittit. Rumore noui & inſperati belli *Caſimirus* Rex *Poloniæ* non ſecus quàm vt par erat perculſus; doctus enim ab exploratoribus & aliis fidelibus ſuis erat, *Tartarorum* copias ſuapte numeroſas & fortes, & *Daskonis* & *Danielis* de *Oſtrow*, plurimorumque aliorum *Ruthenorum* nouas res molientium acceſſione auctas eſſe. Quamuis autem tantis potentiis inferiorem ſe ſciret: non tamen intra parietes aut ſyluas deliteſcendum duxit; ſed omnium terrarum ſuarum peruicaciter & raptim copiis acceſſitis, hoſtibus obuiam proceſſit, & caſtra in vna fluminis *Viſtæ* ripa oppoſita, ne hoſtis flumen ſuperare poſſet, infeſtaturus locat. Ab exploratoribus enim pro comperto habebat, hoſtes ad flumen, traiiciendi illud gratia, peruenturos. Prohibere itaque tranſitum hoſtium contentus, & a certaminibus abſtinere: ſi verò ſe ſuperiorem agnoſceret, vrgere in hoſtem, & bene oblatam occaſionem non negligere. His itaque, vt Rex ſperauerat, euenientibus, *Tartarorum Ruthenorumque* agmina ad *Viſtam* perueniunt, ad caudas equorum, vt mos *Tartarorum* eſt, vndas tranſituri. Dum verò alteram ripam, viris, equis, armiſque completam vndique conſpiciunt, & exercitum Regium ad reſiſtendum paratum, ab vlteriori tranſitu, notorium vitaturi diſcrimen, deſiſtunt. Dies tamen aliquot circa ripas vtriſque copiis perſeuerantibus, fiebant per arcus & baliſtas, bombardarumque proiectiones, vtroque inſpectante exercitu, præludia ſub quibus vir nobilis *Albertus Czieley* de *Wrzaui* & *Sepnycza* Palatinus *Sandomirienſis*, de domo familiaque *Habdank*, *Tartarico* telo fortuitò percuſſus, cæteris omnibus incolumibus, occubuit. Videns autem *Tartarorum* & *Ruthenorum* exercitus flumen *Viſtæ* traiici non poſſe, per viam qua venerat regreſſus, prædas agebat & ſpolia. Ad caſtrum autem *Lublinenſe*, quod pro illa tempeſtate de lignis conſtructum erat, perueniens, pluribus diebus illud impugnabat. Sed militibus Regiis ſtrenuè illud defendentibus, ſpe potiundi caſtri amiſſa, ducens ſecum magnam captiuorum hominum vtriusque ſexus in terra *Lublinenſi* comprehenſam prædam, in propria diuertit.

Tartarorum exercitus a Ruthenis euocatus Poloniam depopulatur, *ſed Viſtam tranſire non audet.*

Sugillationis opprobrium, quod *Ioannes cæcus Bohemiæ* Rex, a *Nankero Wratiſlauienſi* Epiſcopo pertulerat, qui illum Regulum iuſtiùs quàm Regem nominari debere aſtruebat, proptereà, quòd ab exteris Metropolitanis munus conſecrationis ſumere, Sede Metropolitana in *Bohemia* non extante, *Bohemiæ* Rex cogeretur, à ſe & *Bohemiæ* Regno excuſſurg, *Pragenſem* Eccleſiã, hactenus Epiſcopalẽ & Archiepiſcopi *Moguntini*

Pragenſis Eccleſia ex

1344. *Cathedrali in Metropoliticam erigitur.*

giuntinenſis Suffraganeam in Archiepiſcopalem & Metropoliticam; *Lutomiſlienſem* verò, quæ Abbatialis & Conuentualis erat, mo- A nachis *S. Benedicti*, in quorum vſum & religionem dicata & fundata erat, excluſis, in Cathedralem, ne altera *Pragenſis* Eccleſia, ſi ſuffraganea illi deeſſet, notaretur confuſionis ludibrio, procurauit pluribus precibus & interceſſionibus, *Philippo Francorum* Rege enixius factum adiuuante, per *Clementem* Papam ſextum, vltima die menſis Aprilis in *Auinione* erigi, creari, & ſublimari. Et *Arneſtum Pragenſem* tunc Epiſcopum Archiepiſcopali & pallii honore inſigniri, & *Olomucenſem* Eccleſiam in Suffraganeam adiici.

Terræ motus, peſtis, & fames in pluribus Regnis

Terræ motus maximi fuerunt, & peſtilentiæ, & fames in variis Regnis & terris Catholicis, & ciuitas *Baſilea* terræ motu B quaſi tota cum pluribus caſtris in circuitu corruit. Tunc homines in ſyluis cum beſtiis morabantur, nec ciuitates introire audebant. Vigebant enim pro illa tempeſtate iniquitates & peccamina multa ac plurima, & hæreſes ſectæque inter Chriſtianos, ita, vt Beata *Brigitta* de *Scotio* diceret: *Mundum rigore iuſtitiæ Diuinæ meritò iam perire debere, quia deterior eſſet quam tempore diluuii.* Sed Dei miſericordia, & Sanctorum precibus ſibi parceretur, ſupplex orabat.

1345. *Ioannem Bohemiæ Regem*

Tartarico Ruthenicoque bello *Caſimirus Poloniæ* Rex perfunctus, a *Ioanne Bohemiæ* Rege, qui in oculorum nobili membro ſemper languidus, ad extremum extunc C iam cœcus, cognomen *cæci* ſortitus fuerat, nouo bello laceſſitur. Dolens ſiquidem & pro magna iniuria atque dedecore frequenter recenſens, quòd *Caſimirus Poloniæ* Rex, terram *Zeganenſem*, quam ipſe Regno *Bohemiæ* feudalem aſtruebat, in fauillam cineremque redegerat, quodque Duci *Zeganenſi* oppidum & territorium *Wſchoua*, quod proprietatis & ſortis Regni *Poloniæ* erat, occupanti, potentiæ ſuæ viribus abſtulerat, & quòd *Boleslaum Svvidnicenſem* Ducem, *Caſimiri* Regis *Poloniæ* ex ſorore germana nepotem, in fide & deuotione Regni *Poloniæ* mira conſtantia perſeueran- D tem abſtrahere, & ad feudum homagiumque ſibi & Regno *Bohemiæ* præſtandum, licet id pluribus ingeniis & callidis repromiſſionibus tentauiſſet, nequiret, *cum maximo exercitu Poloniam ingreſſum,* cum magnarum copiarum exercitu ex *Alemanis*, *Bohemis*, & *Sleſitis* collecto, contra *Poloniam* perſonaliter aduenit. Cœcusque exiſtens, & ſenio laboribusque confectus, arma tamen tractare etiam tunc non deſtitit. Tanto namque cum liuore in perniciem Regni *Poloniæ* adductum incenſumque ferunt, vt mori vitaque excedere ſibi glorioſum putaret, ſi illum cum exercitu ſuo ante *Cracouiam* figere ſtatiua, muroſque ciuitatis *Cracouienſis* manu cœcus palpare, & *Poloniæ* vaſtationem aliquam inferre contigiſſet. Omnium autem ſuperbarum mentium & actionum violentarum inſpector vltorque Deus, paſſus non eſt ſua ſcelerata intentione, quam pro exterminio Regni *Poloniæ* agitabat, potiri. Quinimo *Caſimiro* Regi & genti ſuæ, quos ipſe *Bohemiæ* Rex cogitatione & facto contemnebat, conceſſit ex *Bohemis*, maxima cæde tunc deuictis, glorioſam & magnificam victoriam referre. Quamuis enim iuxta intentionis ſuæ deſtinatum propoſitum *Ioannes Bohemiæ* Rex, per *Oppauienſem*, *Teſchnenſem*, & *Oſſzvvięcimenſem* diſtrictus, Regnum *Poloniæ* ingreſſus, primum ad *Cracouienſem* vrbem, duodecima menſis Iulii, in *Czerzin* ante *Cracouiam*, duobus diebus totidemque noctibus caſtra metatus fuiſſet, & partem Regni *Poloniæ* ad *Sleſiam* verſam, ſpoliis & incendiis afficeret, *Caſimirus* tamen *Poloniæ* Rex & exercitus ſuus, quem ad reſiſtentiam *Ioanni* Regi *Bohemiæ* contraxerat, aut in caſtris, aut in locis abditis occaſionem benè gerendi certaminis, ſi quæ daretur ſors, benè, & pro voluntate rei explendæ, callidè & ſolicitè explorans, ſe continebat. Dum itaque præfatus *Ioannes Bohemiæ* Rex, a *Cracouia* repulſus, diſcedens, verſus *Bohemiam* cum paucis remearet, omnem exercitum ſuum reliquum bifariè diuidens, vnum verſus *Lieliovv*, alterum verſus *Ilkuſz*, maiori latiorique vaſtitate & damnis *Poloniam* affecturus, tranſmittit. Milites & gentes *Caſimiri Poloniæ* Regis, videntes ſcienteſque diuertiſſe *Bohemicum* exercitum diuiſim, ad vaſtandum *Poloniam* procedere, armis correptis, celeri curſu poſt illum contendunt, & eum quidem qui verſus *Ilkuſz* in villa *Pogonia*, eum verò qui verſus *Lielovv* procedebat, in villa *Byała* conſequuntur, tergaque exercitus *Bohemici* clamore valido inuadentes, optimos quoſque milites & bellatores faciliter deiiciunt & obtruncant, ac proſternunt. *Caſimirus Poloniæ Rex profligat.* Acies autem primæ, periculo ſubito perculſæ, non ad pugnam, (iam enim vltimas acies ſuas omnes fractas, ruptaſque eſſe, fama omnia, vt fit, in maius extollente, & pauore omnia in deterius augurante, crediderant,) ſed ad fugam ſpectabant. Pauci autem quibus altior honoris fuit cura, & hi præſertim qui ducebant ordines, cæteris omnibus in fugam lapſis, ad locum vbi pugna latius creſcebat, accurrunt, & prælium aliquanto ſpatio reſtituunt, à *Polonis* tamen *Bohemos* confuſos, & acies eorum debilitatas fugæ conſpicientibus, animo creſcente facilè vincuntur. Strages tamen non modica in duplici congreſſu in *Pogonya* & *Byała* habita; Diuinitate ſuperbiam *Bohemicam* conterente, in palantes & fugientes habita eſt & edita, & multi inſignes Barones *Bohemiæ*, inter quos *Hinek* de *Damb*, *Zaięcz*, *Phtaczek*, *Alſo* de *Strumberg* & plures alii capti & vincti, & vulneribus in his quidam acceptis, ad *Caſimirum Poloniæ* Regem perducuntur. Qui poſt vulnera mederi a Rege iuſſa, longo diuturnoq; tempore capti-

1345.

captiuitatis moleſtias in *Polonia* perferebant. Rex *Bohemiæ Ioannes*, aliam viam tenens, diſcrimen cladis præfatæ vitauerat. Qui A fuga & ſtrage ſuorum audita, in magnos dolores & eiulatus ruens, cum reliquis qui ſe fuga ſaluauerant, in *Bohemiam* triſtis & confuſus rediit. Armis, ſpoliis, & impedimentis omnibus, tam interemptorum quam captiuorum & fugientium *Polonus* potitus. *Polonorum* Rex *Caſimirus Praudotham Galkam* de *Niedzvviedz* de domo *Odrovvaſz* militem, quo Duce contra *Bohemos* feliciter pugnatum fuerat, cæteroſque *Polonorum* milites, quos conſtabat fortia opera in pugna edidiſſe, ex præliis huiuſmodi reuerſos, munificè remunerat, & baltheo inſigniuit militari. Milites de domo *Bipennium* in ſignum relati triumphi, & *Hinkonis* de *Damb* a ſe capti memoriam, pluribus in ſuo genere filiis & nepotibus, *Hinkonum* nomen indidere.

Pruſſi expeditionem agunt in Lithuaniam.

In Calendis Martii menſis, Magiſter *Henricus Duſemer* Cruciferorum de *Pruſſia*, habens in ſuo comitatu *Hungariæ* & *Bohemiæ* milites, item Marchionem *Holandiæ*, & nonnullos ex *Almania* milites & nobiles, in *Lithuaniam* & eorum terras expeditionem agit. Et licet exercitum haberet fortem & frequentem, ac omnium victualium & neceſſariorum abundantia refertum; parua tamen vaſtatione terræ *Lithuaniæ*, *Lithuanis* in caſtris & nemoribus deliteſcentibus, perfunctus, de *Lithuania* excedere, propter glacierum diſſolutionem, & terræ lubricitatem, ac in *Pruſſiam* redire, nullo edito memorabili facto, coactus eſt.

Semouitus Maſouiæ Dux, & Dominus *Vizenſis* diem obiit, apud *Plocenſem* Eccleſiam ſepultus.

Andreas germanus *Ludouici*, & filius *Caroli* Regis *Hungariæ*, nepos ex ſorore *Caſimiri* Regis *Poloniæ*, à *Roberto Siciliæ* Rege, qui patrem eius *Carolum*, & fratrem ſuum germanum & primogenitum, a Regno *Siciliæ*, fraude, dolo, & potentia, vt ſoli principari liceret, excluſerat, in *Siciliam* accerſitus, & ordinatione eiuſdem *Roberti*, qui ſe videbat per mortem vnici filii ſui *Caroli Ducha*, duas tantummodò filias *Ioannam* & *Mariam* relinquentis, ad orbitatem redactum eſſe, *Ioannam* filiam fratris ſui *Caroli* patruelis germani, vt ſucceſſio Regni *Siciliæ* in domo *Francorum* continuaretur, & in externum non tranſiret genus, diſpenſante *Benedicto* duodecimo, accepit in conſortem. Quæ etſi biennio cum eo commorata, filium ex eo *Ioannem* ſuſcepiſſet, maligno tamen agitata ſpiritu, ſericeum funem ſoporato iniicit, & ſuſpenſum atque ingulatum in ciuitate *Auerſa* per feneſtram de thalamo præcipitat. Cuius indignam mortem *Ludouicus Hungariæ* Rex vlturus, cum magnis copiis *Siciliam*

Ioanna Siciliæ Regina Andream maritum ſuffocat,

intrat, & pleraque loca vaſtat, caſtraque conquirit. Cuius aduentum *Ioanna* malefica non ferens, verſus *Gallias* abiit, & in prouincia *Prouinciæ*, in caſtrum firmiſſimum ſe recepit. Ita coniugium ſanctæ conſanguineitatis, peſſimo exitu ſolutum eſt. Fertur autem præfata *Ioanna* Regina, ob lubricitatis & laſciuiæ ardorem & ſtupri, quod cum milite *Loyzo* alias *Ludouico* de *Tarento* habebat conſuetudinem, & æſtuans illum potius, quàm *Andream* habere in maritum, tam immane & horrendum facinus in maritum & fratrem admiſiſſe, & cum eodem *Loyzo* in *Franciam* diffugiſſe. *Ludouicus* autem *Hungariæ* Rex, cum in *Neapoliam* veniſſet, & primo impetu ciuitatem *Cariæ* à *Venetis* tunc obſeſſam liberare conſtituiſſet, B parum tamen proficiens, pluribus ſuſceptis incommodis, in *Hungariam* regreſſus eſt, nulla re memorabili geſta: *Poloniæ* pleroſque milites, qui ſecum illam expeditionem obierant, munificè remunerans. Fuit autem *Ioanna* præfata, inter cæteras fœminas, origine, potentia, & moribus, æuo ſuo illuſtris mulier, *Caroli Calabriæ* Ducis, & primogeniti *Roberti*, *Hieruſalem* & *Siciliæ* Regis, ac *Mariæ Philippi Francorum* Regis filia, prima ſceleſtos homines dominiorum ſuorum tanto afficiens ſupplicio, vt omnes vultum ſuum horrerent. Scelus autem huiuſmodi, opera *Conradi* de *Cathantiis*, aſſeritur fuiſſe patratum.

& in Galliam fugit.

C

1346.

Ioannes Bohemiæ Rex fruſtra Boleſlaum Ducem Svvidnicenſem a Regno auertere tentans,

Ad ignominiam & ſugillationem tam ſuam, quàm Regni ſui *Ioannes cæcus Bohemiæ* Rex, reputans ſingularem, quod ſingulis ferè *Sleſiæ* Ducibus, ditionem & obedientiam ſuam profeſſis, ſolus *Svvidnicenſis* Dux *Boleslaus*, nepos *Caſimiri Poloniæ* Regis ex ſorore, ſibi ſubiici faſtidiens, & detrectans, *Poloniæ* potius Regno, quàm *Bohemiæ* ſe adhæſurum ſubecturumque omnibus viribus conatibuſque adniteretur; variis & frequentibus guerris & infeſtationibus, cœpit illum & Principatus ſuos, percellere & vexare. Sed cum nagno animo bella ſua & hoſtilitates refellere, magno exercitu congeſto, verſus *Svvidniczam* D adueniens, eandem obſidione vallauit. Sed conatus ſuos intelligens recidere, militibus *Boleslai Svvidnicenſis* Ducis, ſtrenuè in defenſionem ciuitatis operas ſuas nauantibus, ad irritum, ſoluta obſidione diſceſſit, & *Landishutham* cepit, præſidioque impoſito, cum cæcutiret, & ad munera bellica obeunda parùm idoneus eſſet, in *Bohemiam* rediit. Poſt cuius diſceſſum *Boleslaus* in quadrigas milites armatos imponens, ad *Landishutam* illos ire iuſſit. Quæ cum ad oppidum *Landishutam*, merces enim non milites ferre rebantur, admiſſæ fuiſſent, proſilientibus ex improuiſo militibus, recuperatur op-

1346. oppidum, præſidio *Bohemicali* partim capto, partim expulſo. Armis itaque *Boleſlaus Svvidnicenſis* Dux inuictus, a vitiis, cupiditate videlicet & ambitione, victus eſt. Succedens enim *Ioanni cæco* patri ſuo *Carolus Bohemiæ* Rex, non bellis ſed ingeniis & largitione ſibi *Boleſlaum Svvidnicenſem* Ducem concilians, prima vxore, quam ex *Francia* duxerat, mortua, cum *Boleſlao* Duce *Svvidnicenſi* affinitatem iungit neptemque ſuam *Annam* germanam, filiam *Henrici Iavvrienſis* Ducis, vnicam, accepit in conſortem. Eo fœdere primum ſancito, vt pro dotis vice tam *Iavvrienſem* quam *Svvidnicenſem* Ducatus, *Boleſlao Svvidnicenſi* Duce, qui orbus erat, excedente, ſuccedit: euidentiſſimam iniuriam patruo ſuo *Boleſlao* Duci *Zambicenſi*, alias *Monſterbergenſi*, & filio ſuo *Nicolao*, filiiſque *Nicolai*, *Boleſlao* & *Henrico*, & ſuis nepotibus *Nicolao*, *Henrico*, & *Ioanne*, Ducibus *Monſterbergenſibus*, fœdere huiuſmodi irrogans, & Principatus præfatos ab eorum ſucceſſione dirimens & ſequeſtrans: quibus illorum ſucceſſio debebatur. Ex præfato ſiquidem *Boleſlao* Duce *Zambicenſi*, *Nicolaus* filius patri ſuccedens natus, oppido *Frankſteyn* Regi *Bohemiæ* vendito, ad Sepulchrum Domini tranſiit. Et in redeundo apud *Hungariam* mortuus, in *Henrichovv* relatus, illic ſepultus. Qui cum duos filios *Boleſlaum* & *Henricum* reliquiſſet, *Henricus* Cruciferorum Ordinem in *Pruſſia* profeſſus, poſt longam apoſtaſiam, qua factus erat vagus ſuper terram, in Ordinem rediit, illicque diem abſumpſit, *Boleſlaus* verò germanus ſuus, ſecundo Idus Iunii, anno Domini milleſimo tricenteſimo duodecimo decedens, *Nicolaum*, *Henricum*, & *Ioannem* filios, & quinque filias, *Dorotheam* alias *Offkam*, *Heduigim*, *Elizabeth*, & *Agnethem*, *Catharinamque*, dereliquit.

moritur. Cuius filius Carolus eidem Boleſlao neptem ſuam copulans, Ducatum Svvidnicenſem ſibi ab eo inſcribi obtinet.

Voldemarus Marchio *Brandeburgenſis*, qui putabatur ante annos nouem & viginti mortuus & in *Cherin* ſepultus, rediit, & ſe in forma pauperis & peregrini atque heremitæ, pœnitentiam tanto tempore egiſſe aſtruxit, pro eo quod cognatam in ſecundo gradu indiſpenſatus in vxorem duxerat. Et dum Marchionatum *Brandeburgenſem* a *Ludouico Bauariæ* Duce, filio quondam Imperatoris occupatum repeteret, multos habuit ſuæ cauſæ ſuffragatores, videlicet *Saxoniæ* & *Magnopolienſem* Duces, Epiſcopum *Maydeburgenſem*, & alios. Ego autem credo, eam ſibi aduerſitatem & hunc caſum Diuinitus fuiſſe immiſſum, pro eo, quod terram *Pomeraniæ* ad Regnum *Poloniæ* pertinentem, iniuſtiſſimè Cruciferis de *Pruſſia* vendiderit, nullum habens in ea ius, titulum, aut proprietatem.

Voldemarus Marchio Brandeburgenſis, qui 29 annos latuit, rediens Marchiam repetit.

Ioannes Lodzya Epiſcopus *Poſnanienſis*, in aduerſam valetudinem incidens, ad horam extremam perueniens, vita exceſſit mortali, & in Eccleſia *Poſnanienſi* ſepultus requieſcit. Qui viuens, etſi pro tempore ſolatiis & hilaritati operam daret, ſingulariter tamen Virgini Beatæ deuotis famulabatur obſequiis. Vnde & in illius honorem, canticam, quam Eccleſia *Polonica* poſt completionem Primæ canere conſueuit, videlicet, *Lux clareſcit in via*; & Sequentiam de eiuſdem Virginis Aſſumptione, quæ incipit, *Salue ſalutis ianua*; item Sequentiam de *S. Adalberto*, in laudem Sacro Præſuli; item Sequentiam de *S. Petro, Tu es Petrus*, item Sequentiam de *S. Paulo* compoſuit, magnumque ſui monimentum apud Eccleſiam *Poſnanienſem*, quæ Sequentiarum prædictarum vſum ſonora voce obſeruat, reliquit. Sedit annis vndecem. Cui per Canonicam electionem *Albertus Paluka* Præpoſitus *Wladiſlauienſis* & Canonicus *Poſnanienſis* de domo & familia *Bipennium* ſucceſſit. Paſſus tamen plures inſtantias & impedimenta, confirmationem ſuæ electionis, & deinde conſecrationem nonniſi poſt biennium potuit ſortiri, videlicet vigeſima octaua Ianuarii, anno Domini milleſimo tricenteſimo quadrageſimo ſeptimo.

Io. Lodzya Epiſc. Poſnanienſi ſuccedit Andreas Paluka.

Philippo Francorum Regi affini ſuo, *Ioannes cæcus Bohemiæ* Rex, contra *Eduardum Angliæ* Regem, *Franciæ* Regnum crebris expeditionibus oppugnantem, laturus auxilia, forti ex *Bohemis* & *Almanis* exercitu congeſto: item Reges *Maioricæ*, *Nauarræ*, & *Arragonum* in *Franciam* adueniunt. Prælio autem inter *Franciæ* & *Angliæ* Reges duriſſimo commiſſo, quamuis *Franciæ* Rex & robore & numero militum præſtaret, (æſtimatus enim eſt ad centum millia pugnatorum habuiſſe) ceſſit tamen *Anglis* victoria. Quod cum *Ioannes Bohemiæ* Rex eueniſſe à referentibus intelligeret, in locum quo conſertior erat hoſtis & pugna validior ſe duci iubet. Et in hoſtes inſiliens, fortiterque dimicans, *Philippo Franciæ* Rege cum filio, & *Nauarræ* Rege terga vertentibus, occiditur, & in *Lucemburg* relatus, in Eccleſia maiori tumulatur. Et quoniam clades hæc in die Sancti *Ruffi* prouenerat, dies ea apud *Bohemos* atra atque abominabilis habetur. Ceciderunt in ea pugna de exercitu Regis *Franciæ* militum viginti millia equitum, & peditum quadraginta millia, Comites & Duces circiter quinquaginta. De exercitu Regis *Angliæ* ceciderunt ſagittariorum ſedecem millia, & decem milites. Victoria autem huiuſmodi *Angliæ* Rex modeſtè vtens, omnes captiuos *Bohemorum*, *Almanorum*, *Hiſpanorum*, & forenſium, liberaliter ſoluit. Fertur autem pugna hæc ab hora diei prima, vſque ad quartam noctis duraſſe. *Gallicos* verò duris compedibus clauſos depactans, aliquot caſtra notabilia in *Anglia*, auro depactationis ſoluto fabricauit.

Philippus Franciæ Rex ab Eduardo Angliæ Rege vincitur, quo prælio Ioannes Bohemiæ Rex occiditur.

1346.
Magiſter Pruſſiæ Lithuaniam inuadens

Henricus Duſemer Pruſſiæ Magiſter, valido exercitu ex propriis & aduenis congeſto, hyeme *Lithuaniam* ingreſſus, infeſto agmine ad quadraginta millia æſtimato, eam vaſtare cœpit, adeò crudeliter ſæuiri in barbaros iubens per milites, vt nec fœminis nec impuberibus parceretur. *Olgerdus* autem *Lithuaniæ* Dux, habens ſecum non ſolùm *Lithuanorum*, ſed & *Smolenſium, Polocenſiumque* & *Ruthenorum* cæterorum auxilia, in die Purificationis Sanctæ *Mariæ* cum Magiſtro & exercitu ſuo confligit. Et maximâ cæde vtrinque editâ, *Lithuani* & *Rutheni* ſuccumbunt, Magiſtro autem & Cruciferis cedit victoria. Duo & viginti millia *Lithuanorum* & *Ruthenorum* cæſa referuntur. Magiſter & Cruciferi multis ſpoliis & captiuis potiti, in propria reuerſi, in ſignum obtentæ victoriæ, monaſterium virginum in *Kinsberg*, quod ſe *Pruſſiæ* Magiſter ante conflictum, ſi victoriâ potiretur, deuouerat fundaturum, dotant & conſtituunt. Æſtate verò adueniente, nouo inſtaurato exercitu, alteram in *Lithuanos Henricus Duſemer Pruſſiæ* Magiſter expeditionem agit, & caſtrum *Wyelunia* obſidione cingit. Cuius conquiſitione per deditionem obtentâ, populatis vicis & villis, atque incenſis, caſtro etiam *Wyelunya* conflagrato, ſpolia ferens & captiuos, in *Pruſſiam* rediit. Audiens autem Cruciferorum Magiſter *Henricus Duſemer*, quòd *Olgerdus Lithuanorum* Dux, valido congregato exercitu, terram *Zambienſem* parabat intrare, collecto ex propriis & mercenariis militibus exercitu, in campeſtria & ipſe deſcenderat, & confinia obſeruabat, populationem barbaricam prohibiturus. Verùm cum tædio feſſus campum ſoluiſſet, exercitus in terram *Zambienſem Lithuanicus* ex improuiſo irruit, & aliquot Chriſtianorum millia permiſcui ſexûs capta in ſuam terram deducit.

Olgerdum Ducem vincit,

& ex voto monaſterium in Kinsberg erigit.

Lithuani Zambienſem terram vaſtant.

Contra Ludouicum Bauarum Carolus Imp. eligitur.

Romanorum Regem *Ludouicum* & *Bauariæ* Ducem, ſuas & Prædeceſſorum ſuorum cenſuras, *Clemens* ſextus intelligens habuiſſe oſtentui, duriori vltionis genere in pertinacem vſurus, *Carolum* Marchionem *Morauiæ*, & filium *Ioannis cæci Bohemiæ* Regis, ordinat, per Electores Imperii, in *Romanorum* eligi Regem, in *Ludouici* adhuc tunc viuentis ignominiam & diſcrimen. *Philippo* deinde *Francorum* Rege, cuius præfatus *Carolus* filiam, *Blankam* nomine, habebat in conſortem, & in ſolatium patris in bello *Anglico* occiſi, procurante, *Carolus* prædictus in *Auinione* per *Clementem* ſextum in Regem *Romanorum* anno eodem fuit coronatus: guerrâ acerrimâ, quæ vniuerſam conquaſſabat, ex diſſidio contendentium de Imperio, *Almaniam*, coronationem huiuſmodi ſubſequente.

1347.
Caſimirus Rex iura ſcripta & leges primus dat Poloniæ.

Deteſtabilem & abominabilem abuſum, vario calumniarum & iniuriarum genere refertum, quo vniuerſum Regnum ſuum *Caſimirus Poloniæ* Rex, omnium ſuorum prædeceſſorum Regum & Principum *Poloniæ* tempore nouerat in proferendis iudiciis, & decidendis litibus, quæſtionibus, & differentiis, peſtifero nimis grauamine laboraſſe, in eo videlicet, quòd iudicia terreſtria, non ex legum aut conſtitutionum ſcriptarum auctoritate & declaratione, ſed ex iudicantium & præſidentium ſenſu & capite, paſſionem, affectionem, & corruptelam plerumque redolente, accipiebant deciſionem, volens reſcindere, & vniuerſum Regnum ſuum æquis & iuſtis legibus regulare: ſenſerat enim, & multifaria experientiâ ab ineunte ætate doctus erat, *Polonicalia* iudicia, & ea præſertim quæ aut ex conſuetudine vitioſa, aut ex ingenio paſſioni aut libidini obnoxio, definiebantur, variis calumniis & exquiſitis dolis & calliditatibus abundare: nouerat dolis & calumniis huiuſmodi non potentes aut noxios, ſed tenues, & de ſorte humili, in cauſa iuſta percelli & oppreſſum iri. Ipſa quoque iudicia pro libito iudicantium in vna eademque perſona, aliter & aliter pronunciari, & ferè quibuslibet in iudiciis, aut retractationes priorum deciſionum fieri, aut contrarias & diuerſas ſibi ſententias, paſſione ſuggerente, aut amore proferri, adeò vt in eiuſmodi iudiciis, nihil ſtabile, nihil ſolidum, æquum aut iuſtum poſſet deprehendi. Ex quo (próh dolor) rixantium & diſſidentium creſcebant litigia, & per prouocationes grauatorum tribunal Regium aut Ducale, pluralitate & confluentiâ appellationum, à quibus pauperes licet iuſtitiam habentes, premente illos impenſarum defectu, aut difficili Palatii aditu, reſilire cogebantur, extabat continuè oneratum. Erant præterea & alia his ſororio in iudiciorum exercitio grauaminum & abuſium genera, quibus & iuſtificatus & condemnatus, primùm Regi aut Duci, deinde Palatinis, Caſtellanis, Iudicibus, Subiudicibus, & quibuslibet iudicio præſidentibus, ſed & ipſi Miniſteriali, aut pro pœnis, aut pro ſententia obtenta, in grauibus pœnis & ſolutionibus condemnabantur, in quarum exactione, ſuperuacuum fuit cuiuſpiam gratiam, præſertim inopi & miſero implorare. Accedebat ad hæc omnia, quam gentilitatis iniquitas horrenda introduxerat, barbara conſuetudo, nec apud ipſos Scythas vnquam audita, quòd tenor iuramenti actori aut reo dabatur in ſcriptis per illum in vulgari præſtandus. Qui ſi in eius pronunciatione in vno verbo, idem etiam ſignificatum habente, aut erraſſet, aut variaſſet, aut titubationem mutilationemque verborum aut ſyncopationem admiſiſſet, illicò cauſa ſua quantumcunque ponderoſa & grauis, ac in omnibus aliis iuſtitiâ & veritate ſubnixa, in periculum & caſum perpetuum recidebat, & malè aut incongruè, aut ſemiplenè, aut non in eo tenore, licet in eadem ſignificantia & intellectu, quo iuramentum deciſorium ſcriptum erat, proferens, iuxta ac reus & iniuſtus

1347. ſtus veniebat condemnandus, vt Iudicia ipſa *Polonica* chaos quoddam, & omnium monſtruoſarum iniuriarum ſentinam, rectiùs quiuis quàm iuſta iudicia potuiſſet vocitare. Vbi iuſtus & innocens non ex defectu aut iniquitate cauſæ, ſed inſcitiâ & palpitatione ſuccumbebat linguæ, & nocens atque reus profectum ac commodum ſuæ, pro qua meritò plecti & mulctari debebat, reportabat culpæ. Tot itaque & tantis preſſuris & grauaminibus, hominum ſortis tenuis & humilis, contra quos iniqua plerumq; edebantur iudicia, *Caſimirus* Rex *Poloniæ* conſulens, & tam ſceleratas calumnias & abuſus, volens in perpetuum à gente ſuâ eneruare & tollere, & thronum Regni ſui veris & iuſtis legibus & iudiciis roborare, generalem & grandem apud *Viſliciam* oppidum terræ *Sandomirienſis* pro die Dominico *Lætare* conuentum indicit. In quo conuenientibus omnibus Pontificibus, videlicet *Iaroslao Bogoria Gneſnenſi* Archiepiſcopo, *Ioanne Grothone Cracouienſi*, *Alberto Paluka Poſnanienſi*, *Matthia Wladiſlauienſi* Epiſcopis, nec non Palatinis, Caſtellanis, Officialibus, & Dignitariis omnium terrarum, tàm *Cracouienſis*, quàm *Maioris Poloniæ* partium, *Rex Caſimirus* perſonaliter in huiuſmodi conuentione præſidens, adhibitis viris doctis, in lege Diuina & humana peritis, ſuper omnibus quæſtionibus, differentiis, litibus, cauſis, cum maxima maturitate, ſagacitate, induſtria, pondere & menſura, miſcendo Diuina cum humanis, nonnulla verò ex æquo iuſto rectoque vſu temperans, leges condit Polonicales, & iura Regni municipalia, perpetuam durabilitatem ſtabilitatemque habitura, conficit, ordinat, pronunciat, & decernit. Et longo diuturnoque examine digeſta, ne à quoquam poſſint abrogari, mutari, variari, vel refelli, ea diſponit, pro perenni perpetuaque memoria, facilibus & planis verbis, quominus poſſet eorum ſenſus & verba ſubtilitate ingeniorum ad aliquam calumniam pertrahi & retorqueri, in ſcriptum redigi & exemplari. Quæ à prædeceſſoribus ſuis incondite conſtituta fuerunt, vigilanti ſtudio corrigens, plurimas verò leges ab eis prætermiſſas ſalubriter adiiciens, pleraſque verò ſuperfluas reſecans. Mandatque conſtitutione diſtrictâ, & decernit, vt veteribus Iudiciis, Statum Regni & iuſtitiam perturbantibus, in omnibus ſuccifis, reiectis, & abrogatis, in omnibus iudiciis, & terminis particularibus & generalibus, ac generaliter in omnibus cauſis, forum ſeculare contingentibus, in vniuerſo Regno *Poloniæ* per Iudices quacumque fulgentes dignitate, conditione & ordine, tàm ordinarios quàm extraordinarios iuxta leges tunc ſcriptas, conditas, & promulgatas, celebrentur teneanturque iudicia, & ſententiæ, deciſioneſque cauſarum, quæſtionum, & litium, iuribus huiuſmodi, & ex eorum tenore & demonſtratione, proferantur: Licereque vnicuique quantumcumque miſero aut tenui, iniquam & legibus contrariam ſententiam pertimeſcenti, ad ius ſcriptum ſe referre, & prouocatione ferendam ſententiam, donec liber legum, & cauſa ſuper qua actio eſt digeſta fuerit, protelare. 1347. Publicatæ autem fuerunt leges & conſtitutiones huiuſmodi, ſub eodem tempore & anno, & ab omnibus Regni *Poloniæ* incolis & ſubditis, cum magna deuotione, commendatione, & obedientia ſuſceptæ. Ex tunc quoque & Diuinitas generi *Polonico* iuſtas leges habenti, & illas practicanti, propagationem ampliorem contuliſſe, & in dies conferre, euidentibus inſigniis deprehenſa & credita eſt: cuius Maieſtati priora iudicia barbara, præuaricationes legum Diuinarum & humanarum, oppreſſioneſque pauperum continentia, creduntur plurimùm diſplicuiſſe; & Regnum *Poloniæ* tàm in vrbibus, quàm in vicis & rure, per *Almanos* & forenſes, cultum & habitabile effectum, & hominibus *Polonis* mitia, magiſque iuſta & modeſta prouenêre ingenia. Quis hunc Regem felicem, quis omni laude & ſempiterna commemoratione dignum non iudicet? quis eius animæ, imò cineribus illius ſe, dummodò vir *Polonici* generis & amator iuſtitiæ ſit, plurimùm debere non fateatur? qui *Polonos* profeſſione quidem Catholicos, inſtitutionibus & actione barbaros, ad iuſtè, æquè, & religioſè viuendum traduxit, & eorum Rempublicam ſanctis & iuſtis legibus, magis quàm caſtrorum, ciuitatum mirificâ extructione, & terrarum deperditarum reſtitutione, & nouarum adiectione extulit & dignificauit, primus iuſtarum legum conditor apud *Polonos* extitit, & ſibi illud venerandum ſpectabileque nomen, quod nullus ſucceſſor eripiet, nulla vetuſtas conficiet, nulla obliterabit ætas, promeruit. Amplioribus extollendus celebranduſque carminibus, quàm apud *Athenienſes Solon* celebratus ſit, apudque *Lacedæmonenſes Lycurgus*. Quid enim præclarius, quid excellentius, quid ſanctius, quid vtilius, quid felicius, ſi animo ſingula humanorum actuum opera luſtraueris, *Polonis* poterat afferri? quam ſolidæ iuſtitiæ ſemitas offendiſſe? Quid tàm præcipuum, quàm iuſtas leges edidiſſe? Quid tàm *Polonico* generi aut magis neceſſarium, aut ſalutiferum, quàm calumnioſis & vafris iudiciis abrogatis, recta & eiuſdem tenoris iudicia præſcripſiſſe, & potentes inferioribus exæquaſſe? pro inopibus, pro infirmioribus, pro viduis, orphanis, pupillis, proque omni conditione, ætate, & ſexu, ſcutum & defenſionem oppoſuiſſe? nullam ciuilem viuendi normam, nullam ſolidam laudem, nullam politiem, nullam denique libertatem Regno ſuo ineſſe exiſtimans, ſi non illud optimis & æquis legibus inſtitutum reliquiſſet: tum verò florere atque augeri Rempublicam *Polonorum* credebat, ſi ſuarum legum guberna-

1347. naculis niteretur: Occaſuram verò, & non ſecus ac cœcam & errabundam, atque omnium auxilio deſtituendam, defluxuram, collapſuramque, ſi eas à *Polonis* abrogatum & præuaricatum iri contigiſſet. Expedire autem videtur in præfatis *Caſimiri* Regis legibus, debito aut reſeruationis, aut mutationis, aut additionis informare aliquo remedio: cum nonnulla in legibus ipſis reperiantur non ſolùm improuida, ſed etiam reprobanda.

Deteſtabili auri fame plerique mortales in ciuitate *Cracouienſi* acti, Dæmone accenſi, in Omnium Sanctorum Parochialem Eccleſiam, ſub Sacratiſſimis *Corporis Chriſti* Octauis, furtiuè & clandeſtinè ingreſſi, ſacrario clauibus adulterinis reſerato, Diuiniſſimum *Euchariſtiæ* continentem *Sacramentum* monſtrantiam cupream, pulcherrimâ elaboratam arte, & cuius materiam ſuperabat opus, craſſo & fuluo illitam auro, auferunt & furantur. Comperto deinde quòd ærei metalli monſtrantia foret illam in paludem *Mathe* arbuſtis plenam, non remotè ab Eccleſia *S. Laurentij* diſtantem, quæ tunc Parochialis erat in villa *Bawol*, ad proprietatem Capituli *Cracouienſis* pertinente, in qua poſtmodum *Caſimirus* ſecundus *Poloniæ* Rex oppidum *Kazimierz* locat fundatque: ne deprehenſi graui pœnâ afficerentur, proiiciunt. Erat pro tempeſtatis illius tempore palus illa profunda & cœni plena, alitibus tantummodò non mortalibus, aut beſtiis quadrupedibus peruia. Luminaria tamen cœleſtia nocte & interdiu in ea relucebant. Id cum plures mortales pro comperto cognouiſſent, prodigioſum (vt erat) rati, ad Pontificem *Cracouienſem Bodzantam* eiusque Venerabile Capitulum, ac deinde ad *Caſimirum Poloniæ* Regem ſecundum, Principem deuotiſſimum, rem perferunt. Qui tot & tantarum lucernarum cœleſtium otioſam nullatenus putantes apparentiam, proceſſionibus totius vrbis ordinatis, locum paludinoſum, triduano primùm ieiunio indicto & exacto, cum hymnis & cantibus, ac vexillis adeunt; myſterium candelarum diligenti ſcrutantur indagine. Vbi dum furto ablatam de Eccleſia omnium Sanctorum monſtrantiam *Corpore Chriſti* Sacratiſſimo illuſtratam comperiſſent, illam ad Eccleſiam omnium Sanctorum proceſſionis honore, omnium vrbis Eccleſiarum referunt, Eccleſiæque reſtituunt. Excellentiſſimus autem *Caſimirus Poloniæ* Rex, prodigium huiusmodi tam memorabile, & ſanctum atque inſigne, ad ſe & propter ſe ratus accidiſſe, in loco inuentionis tam ineffabilis *Sacramenti*, quamuis paludinoſo & cœnoſo, deuouet ſe inſignem Eccleſiam in titulum & honorem *Corporis Chriſti* & fundaturum & muraturum. Nec mora, anno altero votum, quod anno transacto nuncupauerat, ſoluit. Et Eccleſia in palude inuentionis *Corporis Chriſti* Parochiali fundata, & Parochia quam Eccleſia *S. Laurentii* ex antiquo habebat, ei adiuncta, chorum & ſacriſtiam cocto latere initiat & conſumat: calicibus, crucibus, caſſulis, cæterisque *Clenodiis*, munificentia Regia exornat. Quo parùm contentus, titulum *Corporis Chriſti*, quo Eccleſia Sancti *Franciſci* à primæuâ ſua fundatione clarificata illuſtrataq; fuerat, Fratribus Minoribus prece pretioque contentatis, vt ſolidior ſua fundatio, vetuſto titulo abrogato permaneret, procurat extingui. Villâ quoque *Bawol* in ſuam ditionem & poteſtatem traductâ, oppidum populoſum muris communitum, temporis proceſſu, monaſteriumque inſigne in decus & titulum Sanctæ *Catharinæ*, ordinis Fratrum heremitarum *B. Auguſtini* illic, vt coram cernere licet, conſtituit. Chorum quoque eiusdem monaſterii, magnifico & liberali ſumptu, vsque ad integrum, muro coctili & excelſo cum ſacriſtia locauit. Cui expoſt deuotio fidelium corpus, laterali muro, capellis ampliatum, adiunxit. Quam *Wladiſlaus* ſecundus *Poloniæ* Rex, *Caſimiro* & *Ludouico* ſuccedens, in Regularem Beati *Auguſtini* Canonicorum Regularium, quemadmodum inferius narrabimus, procurauit transferri.

Monſtrantia cum Euchariſtia Cracouiæ ſurrepta, *inuenitur, & Eccleſiæ ſuæ reſtituitur,* *ac ibidem Eccleſia corporis Chriſti erigitur.*

Quinta die menſis Auguſti, *Ioannes Grothonis* Epiſcopus *Cracouienſis*, in oppido ſuo & curia *Wawrzynczycze*, poſteaquam ex *Auinione*, vbi negotia Regni *Poloniæ* contra Cruciferos apud Summum Pontificem promouerat, redierat, more *Catholici* Præſulis, omnibus Eccleſiæ Sacramentis perfunctus, moritur, & in Eccleſia *Cracouienſi* in capella *S. Ioannis* Euangeliſtæ tumulatur, tàm patriæ, quàm Eccleſiæ ſuæ *Cracouienſis* amator defenſorque mirificus. Nam ne ſui priſci fulgoris per ſucceſſionem temporis, quo Metropolitico iure negligentia prædeceſſorum ſuorum interrupto præeminebat, fruſtraretur, decore eam rationali, quod *Pallium B. Petri* appellatur, in *Auinione* exiſtens, per Summum Pontificem *Benedictum* Papam duodecimum innouari, ornarique ordinauit. Cuius vſum *Cracouienſis* Eccleſia ab illo tempore in hanc diem obſeruat. Quâ quidem prærogatiuâ & cæteras Eccleſias *Poloniæ* priuilegio & vſu antecellit, & dignitatis iuriſque Archiepiſcopalis propitiâ Diuinitate ſibi reddendæ ſe fuiſſe futurumque eſſe debere dignam, atteſtatur. Molienti *Caſimiro* Regi *Poloniæ* in fundo & villa *Cracouienſis* Eccleſiæ *Sokolniki*, nouum oppidum, ex quo *Scarbimirienſe* oppidum propter propinquam vicinitatem deſertum iri conſtabat, erigere publicè reſtitit. Cenſuriſque Eccleſiaſticis Regem à cœptis deſiſtere coëgit, ita, vt Rex ipſe enormi iniuriâ diſcuſſâ, ab erectione præiudiciali ciuitatis ceſſandum, & ſortem quam nondum Eccleſia *Cracouienſis* in villa *Sokolniki* habebat, adiecit, præſtans per literas ſuas oppido *Scarbimirienſi* amplas libertates, & Epiſcopum *Cracouienſem* Eccleſiæ *S. Ioannis* Baptiſtæ *Scarbimirienſis*, Patronum ſe- 1347.

Ioanni Grothonis Epiſc. Cracov.

1347. ſuccedit Petrus Schirzik.

fecit. Sedit annis decem & nouem. Huic *Petrus Schirzik* de *Falkovv* genere Nobilis, de domo & familia *Dolivva*, Regni *Poloniæ* Vice Cancellarius, Præpoſitus *S. Floriani*, & Canonicus *Cracouienſis* per electionem Canonicam, voto vnanimi de eo celebratam, ſuccedit.

Ludouicus Hungariæ Rex necem fratris vlturus

Frequentiori robuſtiorique exercitu, pro vindicando germani ſui *Siciliæ* Regis ſanguine *Andreæ*, & ad vlciſcendum atrox facinus, *Ludouicus Hungariæ* Rex comparato, & cum nonnullis *Italiæ* Principibus, & ſignanter *Maſtino* de *Laskala* Domino *Veronenſi*, amicitiæ intelligentiæque firmato fœdere, de menſe Nouembri per *Veronam*, *Ferrariam* & *Romandiolam*, itinere terreſtri *Neapuliam* ingreſſus, cæde, igne, & gladio, illam plurimùm afflixit. Et omnibus *Siciliæ* Baronibus & ciuitatibus ſe illi, in deteſtationem ſceleris per *Ioannam* Reginam patrati, apud *Narbonenſem* prouinciam ſe cum viro altero *Loiſzo* continentem, dedentibus, *Ludouicus* Rex fratris ſui necis authoribus interfectis aut proſcriptis, regimen *Siciliæ* pluribus menſibus in pace obtinuit, donec ſequeſtro Romano Pontifice *Clemente* ſexto, qui Legatum ad litem dirimendam, *Guidonem Portuenſem* Epiſcopum Cardinalem miſit, pax his legibus dicta eſt, vt *Ioanna* Regnum recuperet. Aduerſari autem Apoſtolicæ ordinationi *Ludouicus* Rex turpè ratus, cum & peſtis *Neapuliam* peruaſiſſet, *Trinacriam* relinquere coactus, in *Hungariam* rediit, & *Ioanna Siciliæ* regimen fauore Apoſtolico reſumpſit. Filium tamen *Andreæ Ioannem* nepotem ſuum ex *Ioanna* ſuſceptum ſecum in *Hungariam* deduxit; qui ſub paucis diebus fato abſumptus eſt. *Ioanna* Regno excedens, *Florentiam* primùm, ob antiquum ius amicitiæ, inde in *Prouinciam* confugit; mox in Regnum, abeuntibus *Hungaris* reſtituta eſt; fortunam ſecundam ad extremam vſque ætatem experta: Regnumque tenuit ſumma pace, ſupra prudentiam muliebrem, adeò, vt nullo ſub Rege floruerit magis.

Siciliam occupat.

Beneficio tamen Papæ Ioannæ Reginæ regnum reſtituitur.

1348.

Henrico Duſſemer Magiſtro Pruſſiæ ſuccedit Winrich de Kniprode, qui Lithuaniam inuadit,

Luſtro duntaxat vno, Magiſterio *Henricus Duſſemer Pruſſiæ* Magiſter exacto, rebus eximitur humanis, & in Epiphaniarum de *Vinrich* de *Kniprode* Commendator generalis ſubſtituitur in Magiſtrum. Qui primitias officii ſui magis celebres & gratas effecturus, in exercitu copioſo *Lithuaniam* ingreſſus, *Paſtrim* diſtrictum cæde, flamma, & ſpoliis vaſtat. Cæteros diſtrictus *Lithuanicos* adire molitus, aſſiduis imbribus prohibitus, cum captiuis & ſpoliis in *Pruſſiam* reuertitur. Cuius veſtigia *Olgerdus Lithuaniæ* Dux cum fratribus *Keyſtutho*, *Patrikig*, & aliis ſecutus, in terram *Pruſſiæ* exercitu Catholico diſperſo irrupit, & crudeli ac magna cæde in Chriſtianos, nullo ferente ſubſidium, debacchatus, patratis multis ſpoliis & exuſtionibus, ſeptingentas inſuper Catholicorum animas captiuas ducens, in *Lithuaniam* ſpoliis onuſtus reuerſus eſt. Nec multò poſt, Dux de *Smolensko*, cum nouis *Lithuanorum* & *Ruthenorum* copiis, *Pruſſiam*, circa caſtrum *Labiovv* ingreſſus, ſingula in circuitu complet ferro & vaſtitate. Commendator autem de *Labiovv*, belli fortunam tentaturus, copiis ſuis, quamuis longè imparibus, in aciem eductis, cum eo confligit. Cadentibus autem ex parte vtraque plurimis, cedit Cruciferis victoria, & *Lithuani* cum ſuo Duce *Smolnenſi* acti in fugam, dum flumen, ad quod pugnabatur, more tumultuario ſuperare contendunt, plures illic ab vndis, quàm ab hoſtibus in pugna, ſuffocantur. Sed & *Smolnenſis* Dux in eodem flumine ſubmerſus, celebriorem victoriam apud hoſtes, ſed infeſtiorem cladem apud ſuos effecit. Cadauer illius ex inſignibus cognitum, *Lithuanis* ad caſtrum *Wyelunya* per Commendatorem de *Labiovv* remiſſum eſt, & incendio ritu patrio crematum.

& Lithuani Pruſſiam.

1348.

Peſtis in Polonia,

Grauis epidimiæ peſtis apud *Poloniæ* Regnum ſæua mortalitate in vniuerſos irruens, non *Poloniam* tantummodò, ſed & *Hungariam*, *Bohemiam*, *Almaniam*, *Daniam*, *Franciam*, & fere vniuerſa Chriſtianitatis, & barbarica Regna, horrenda lue quaſſauit. Quam cum nonnulli ex occaſione *Iudæorum* venena ætheri miſcentium ortam fuiſſe commentarentur: *Iudæi* in pluribus locis trucidati & combuſti ſunt, alii ſuſpenſi, nonnullis vt Chriſtianorum manus euaderent, ſe, vxores, filios, filias, & propinquos necantibus, præter paucas prouincias & ciuitates, quæ illis propter auaritiam pecuniis corruptæ pepercerant. Ad peſtis quoque malum, terræ motus ingens, die Veneris Conuerſionis *S. Pauli* ortus, & per omnes Catholicorum & barbarorum nationes diſcurrens, multis inſignibus ciuitatibus corruentibus, nonnullæ etiam funditus deletæ & abſorptæ ſunt, vt vix illarum diſcerni poſſint fundamenta. Cœpit autem peſtis prædicta epidimiæ in menſe Ianuario, in Pontificatu *Clementis* ſexti, anno eius ſexto, & durauit per ſeptem menſes continuos, duobus modis agitata. Primus quidem tendebatur duobus menſibus per febrem continuam & ſputum ſanguinis, moriebanturque patientes intra triduum. Secundus tendebatur quinque menſibus per febrem ſimiliter continuam, apoſtemata & antraces, quæ in exterioribus potiſſimè ſub aſcellis, & inguinibus erumpebant: qui patientes intra dies quinque extinguebat. Tantæ vterque contagionis, vt non ex conuerſatione tantummodò & anhelitu, ſed ex ſolo aſpectu infectio peſtifera ſequeretur. Horrebantque & fugiebant parentes curare natos, & nati parentes, execrati alii alteros. Videbaturque charitas mortua, ſpes proſtrata. Ab oriente in occidentem ſe portendens, totum ferè mundum infectione ſua attriuerat, vt vix quarta pars mundi hominum putaretur relicta.

& terra motus.

Quamuis electionis ſuæ confirmationem

Pe-

1348. *Petrus Schirzik electus Cracouienſis*

Petrus Schirzik, Cracouienſis Epiſcopus electus potuiſſet per Nuncios, non enim aliquis reperiebatur competitor, expedire, beneplacito tamen *Caſimiri* Regis deferens, qui nonnulla ardua publicè & priuatim, apud Sedem Apoſtolicam impellebatur petere, perſonaliter ſe in *Auinionem* contulit: & Regni & ſua negotia expediturus. Electionis autem ſuæ à *Clemente* Papa ſexto confirmatione faciliter obtentâ, dum anno integro in obeundis expediendiſque rebus Regiis & Regni, quæ plus difficultatis grauitatiſque, quàm ſuæ habe e noſcebantur, *Auinione* verſaretur, preſſus ægritudine, ſexta die menſis Iunii moritur, & *Auinione* tumulatur. *Auinione moritur,* Cuius morte ſecuta, *Clemens* Papa prædictus, Capituli *Cracouienſis* electione non expectatâ, *Bodzantæ* de *Iankowo*, territorii & diſtrictûs *Gneſnenſis*, Nobili de domo *Roſa*, Decano *Cracouienſi*, qui præfatum *Petrum Schirzik* Epiſcopum in *Auinionem* comitabatur, de Eccleſia *Cracouienſi* prouidit, & conſecrari in *Auinione* mandauit. *cui ſuccedit Bodzanta.* Qui prouiſionem & conſecrationem præfatas ſortitus, in *Poloniam* reuerſus, à clero & populo *Cracouienſi*, fauente etiam *Caſimiro* Rege *Poloniæ*, cum omni reuerentia ſuſceptus, plenam & pacificam poſſeſſionem Epiſcopatûs *Cracouienſis* apprehendit.

Ludouico Imp.

Ludouicus Romanorum Rex venationem pertractando, & agitando feras, equo ceſpitante, vel iuxta aliorum aſſertionem, per quandam Duciſſam venenatus, in terram collapſus, poſt paucos dies moritur, & in Eccleſia ſepelitur. Nonnulli autem ex Electoribus, electione *Caroli Bohemiæ* Regis, quam fecerant, & coronatione non obſtante, *Guntherum* Comitem de *Sworcburg* in *Romanorum* Regem eligunt. *ſuccedit Guntherus,* Recrudeſcebatque bellum inter *Guntherum* & *Carolum* hactenus agitatum, quod morte *Ludouici* credebatur extinctum; cum & *Guntherus* & *Carolus* cum magnis exercitibus pararent ſe ad guerram. Interim autem *Gunthero* humanis abſumpto, *Carolus* Imperium pacificè poſſedit. *& huic Carolus.* Electoribus, quos ſibi infeſtiores nouerat, per munera placatis.

Nona Februarii *Elizabeth* filia *Bernardi Swidnicenſis* Ducis, neptis germana ex ſorore *Caſimiri Poloniæ* Regis, & conſors *Henrici Oppolienſis* Ducis primi moritur, & apud fratrum minorum, in *Oppol*, monaſterium ſepelitur.

1349. *Caſimirus Rex terras Luczkouienſem,*

Frequenti & numeroſo *Caſimirus Poloniæ* Rex, ex equite & pedite comparato ordinatoque exercitu, terras *Ruſſiæ* reliquas, quæ nondum ſuo parebant imperio, ad ſubiiciendum eas ſibi, ingreditur, & primùm ad terram *Luczko*, quam tunc *Lubardus Lithuanus*, filius *Gedimini*, eiectis antiquis *Ruſſiæ* Principibus, cum nonnullis aliis pertinentiis occupabat, applicat, & obſidione caſtra *Luczko* & *Wladimiriam* cingens, ea manu robuſtâ conquirit. Deinde ad terram *Brzeſtenſem* promoto exercitu, infra paucos dies totam terram & caſtrum *Brzeſtenſe*, in ſuam redigit ditionem: cæteræ enim munitiones minus fortes, per ſuos poſſeſſores ſponte dedebantur. 1349. *Brzeſtenſem & Chelmenſem à Lithuanis acquirit, & Regno incorporat.* Ad *Chelmenſem* poſthæc terram deſcendit, & caſtro principali *Chelm* crebris proiectionibus bombardarum expugnato, multis fortunis & clenodiis nobilibus illic potitus eſt. Cætera omnia poſt caſtri principalis acquiſitionem, in obedientiam Regiam venere. Nonnullorum autem Ducum *Ruſſiæ* (plures enim ea tempeſtate extabant) precibus placatus, eos in gratiam & feudum ſuſcipit, & iuramento fidelitatis & homagii ſuſcepto, omnia quæ iuris eorum eſſe dinoſcebantur, reſtituit. Terris itaque prædictis tribus per eum conquiſitis, debitoque ordine compoſitis, à Capitaneis *Poloniæ* in caſtris principalioribus, locatis, glorioſus triumphator, cum militari & totius populi fauore, quo per ora omnium ſtatuum ſua prouidentia in ordinandis, & celeritas in conficiendis negotiis celebrabatur in *Poloniam* redibat. Cui *Cracouiam* venienti, & tot triumphos, multipliciaque hoſtium ſpolia ſecum referenti, à proceſſionibus omnium Eccleſiarum, & à ſtatibus omnium ordinum, obuiam itum eſt; & Rex ipſe cum magna pompa & gloria, præcedentibus eum militaribus copiis, & ſubſequentibus captiuis, *Cracouiam* ingrediebatur, in omnium conſpectu & admirandus & glorioſus. Multos enim habebat admiratio ſimul & voluptas, quòd Rex ipſe, tres terras notabiles, facili & breui conquiſitione ſui Regni *Poloniæ* adieciſſet imperio, præſentiumque rerum exitus, futurorum euentuum, & conſumationem eorumque finem, ad quæ operationes ſuas dirigeret, portendebat. Nec ſpes & opinio, eorum iudicium feſelliſſet, ni Rex ipſe, vt naturale & penè proprium eſt fortunato victori, & ſucceſſibus ſecundis inſoleſcere cœpiſſet. *Elatus vero victoria.* His ſiquidem elatus, auferente ſibi curſu proſpero rectum modeſtumque, quo alias vigebat, ſenſum, ad incontinentiæ, impatientiæque peſtem diuertit, quibus adeò immoderatè vſus eſt, vt fulgorem ſui Principatûs magnâ caligine obfunderet, & glorioſorum operum ſuorum famam celeberrimam, in ignominiam confuſionemque præcipitaret. Dum etenim coniugali reuerentia peſſundata, per licentiæ campos diſcurreret, & conſorte ſua Regina *Heduigi* alias *Adleyda*, fœmina tam forma quàm moribus honeſta, ſpreta & contempta, concubinarum amplexibus publicè & priuatim frueretur, quarum greges in *Opoczno* & *Czchow*, in *Krzeczow*, & aliis pluribus locis, quaſi turpitudinis officinas locauerat: *reliquit vxorem, & multas concubinas fouet.* dum quoque & Pontificum & Baronum ſuorum ſalubria monita & conſilia, ſæpius illum carpentia, negligeret; Summi Pontificis *Clementis* Papæ ſexti rigoroſo proceſſu, Pontificum Eccleſiæ *Polonicæ* ſtudio impetrato, *De quo per*

1349.

Pontificem monitus ſpiritualibus fit infeſtus, & villas Zlotenſes Ep. Cracov. occupat.

to, moneri iuſſus eſt, *vt concubinis omnibus à ſe ſequeſtratis, & circumſcriptis, in toro continentiaq; coniugali de cætero permaneret*, terrenas illecebras, & carnales petulantias, neque Diuina neque humana falce in ſe ſuccidere permittens, ad violandum quoque Eccleſiaſticas libertates animum impellens, villas *Zlotenſis* tenutæ Epiſcopalis, quæ propè *Sandomiriam* conſiſtunt, per *Othonem* de *Pilcza* Palatinum & Capitaneum *Sandomirienſem*, de domo *Bipennium*, tributis, laboribusque ſeruire cogebat. Quam iniuriam *Bodzanta* Epiſcopus *Cracouienſis* moleſtè ferens, primùm *Othonem* de *Pilcza* Palatinum Capitaneumque *Sandomirienſem*, deinde illo obſtinatiùs ſe gerente *Caſimirum Poloniæ* Regem cenſuris Eccleſiaſticis & proceſſibus percellit. Ad quos exequendos, *Martinus Bariczka* Vicarius Eccleſiæ *Cracouienſis*, cæteris metu Regio ſe ſubtrahentibus, per *Bodzantam Cracouienſem* Epiſcopum directus, intrepidè Regem adiens, mandatum Epiſcopale monendo perſonaliter expleuit. *Caſimirus* autem Rex, etſi tunc in iram verſus, pluribus contumelioſis verbis *Martinum Bariczka* obruiſſet, manus tamen ab eo continuit. Expoſt verò militum & ſatellitum ſuorum, animum ſuum ſuapte furentem inflammantium, & eum qui Regem Epiſcopalibus mandatis percellere auſus, mortali mulctâ dignum iudicantium, in facinus enorme, dando impatientiæ manus, conſentit, & præfatum *Martinum Bariczka* in die *S. Luciæ* diſponit & mandat comprehendi: & ſequenti nocte in flumine *Viſla*, per *Cochanum* ſeruitorem & familiarem ſuum, facinoris huiusmodi præcipuum adminiſtratorem, & directorem, ſuffocari. Quo quidem facinore, patrum ſuorum menſuram partim impleuit, partim exceſſit, *Boleslaum* ſecundum Sancti *Stanislai Cracouienſis* Epiſcopi interfectorem exprimens: Parentem verò ſuum *Wladislaum Loktek* Regem, *Nankeri Wratislauienſis* Epiſcopi maxillatorem excedens. Nihil itaque mirandum, ſi Diuina iuſtitia ipſum & ſtirpem eius peroſa, de ſolio Regni *Poloniæ* eiecit; ſed neque aliquem ſtirpis ſuæ ſuperſtitem, ſingulos enim, qui ex lumbis eius deſcendère, extinctos nouimus, viuere permiſit. Inuidia itaque hoſtis humani operante, ſuperſeminata tunc fuit apud *Polonicum* Regnum in poteſtate ſuperbia, in pace diſcordia, in abundantia luxuria, & inter Clerum & populum liuor, odium, atque diſcordia, peſſimò quoque & deteſtabili officii genere Rex ipſe *Caſimirus*, pietati Diuinæ, pro mirificis beneficiis, in ſe & Regnum ſuum collatis reſpondit. Qui & ſeruitute Eccleſiam grauauit, & in Chriſtum Domini diram truculentiam peregit.

Pro quibus per Vicarium Cracov. monitus,

Vicarium iuſſit ſuffocari.

Magiſter Pruſſiæ Lithuaniam vaſtat.

Vigeſima quarta Ianuarii, Magiſter Cruciferorum de *Pruſſia*, *Henricus*, cum quadraginta millibus armatorum, qui de *Francia* & *Anglia* venerant, terram *Lithuanorum* ingreſſus, eam cædibus paſſim, omnem ſexum occidens, & ætatem, vaſtat. Et dum ſpoliis onuſtus rediret, Dux *Lithuanicus Keyſtuth* cum *Lithuanis* & *Ruthenis*, pugnam cum eo conſeruit, in ea ſtrages vtrinque facta eſt. Et ceciderunt de *Lithuanis* & *Ruthenis* decem & octo millia: de Cruciferis *Gerhardus* de *Stegin* Commendator *Gdanenſis*, item Commendator *Bobienſis*, ſex fratres de Ordine, quinquaginta milites, & plures alii equeſtris & pedeſtris Ordinis pugnatores.

Peſtifer hic annus etiam apud *Polonos* fuit, morboque epidimiæ paſſim graſſante, multi mortales tàm de nobilitate, quam de plebe conſumpti ſunt. Dum quoq; nullum diuturni mali eſſet remedium, & plures non domos ſolùm, ſed oppida & villas peſtis deſertaſſet, homines ad religionem conuerſi, credentes id malum propter indignationem Diuinam, ſceleribus hominum prouocatam, accidiſſe, conuerſi, flagellis virgisque ſe mutuò verberabant, aliisque pœnitentiæ generibus ſe affligebant, donec propitia Diuinitas peſtiferam auram ſuſtulit, & mortalitatis molem ceſſare fecit.

Eccleſia in Clara tumba conſumatur.

Eadem æſtate *Caſimirus Poloniæ* Rex, ſpeciali deuotione & religione accenſus, moleſtè quoque ferens monaſterium *Claræ tumbæ* alias *Mogila*, Ordinis Ciſtercienſis, propè *Cracouiam* ſitum, à ſuo fundatore *Iuone* de *Konskye* Epiſcopo *Cracouienſi*, fragmentatum & inconſumatum relictum fore, Regiam munificentiam in illud extendens, murum Eccleſiæ monaſterii prædicti, verſus meridiem porrectum conſumat, tectumque illi ſuperimponit. Teſtudinibus etiam Eccleſiam ipſam exornat; inchoans teſtudines ipſas à turri Eccleſiæ ab oriente, vſque ad finem verſus occidentem perficiens, & teſtudines tranſuerſales, & ad Aquilonem & ad meridiem.

Funeſtam ac ſceleratam *Martini Bariczká*, Eccleſiæ *Cracouienſis* Vicarii, necem, mandato *Caſimiri* Regis *Poloniæ* patratam, Diuina clementia, & ſibi diſplicibilem, & ſuper hæc cunctis execrabilem, monſtrauit, iraſque ſuas non ſolùm in *Caſimirum Poloniæ* Regem, ſed etiam in populum ſuum *Polonicum* vertit, & veterem aduerſarium, videlicet populum *Lithuanicum*, non in arcu aut gladio confidentem, aut certaminis facientem copiam; ſed in clandeſtinis & furtiuis ſpem ponentem itineribus, raptá prædá fugere aſſuetum, ſibi ſuſcitauit. Ea ſiquidem æſtate, tandem & hyeme, *Lithuani* plures fecerunt in Regnum *Poloniæ*, primùm quidem in terram *Lukouienſem*, deinde in terram *Radomienſem*, & poſtea in *Sandomirienſem*, ſubitos & citatos incurſus. Et patratis pluribus & deteſtandis cædibus, rapinis, & ſpoliis, raptam hominum prædam vtriusque ſexûs & pecorum, in *Lithuaniam* deducebant. Excurſionesque ſubitas & inſperatas, crebris & interpellatis vicibus facientes, Regnum *Poloniæ* magna vaſtitate & calamitate affecerant, vt vulgus promiſcuum &

Lithuani Poloniam vaſtant.

1350. & commune, non tàm crudelitate efferata, quàm pauore & ſubito ingreſſu, & raptu concuſſerant. Et licet milites & nobiles *Poloniæ*, A *Lithuanorum* non ferentes incurſiones, copiis equeſtrium & pedeſtrium in vnum coactis, iuſto exercitu & æqua acie, cum illis in particularia deſcendiſſent certamina, volentes chara ſuorum colonorum, ruſticorum, & amicorum, tàm corpora quàm pignora, per eos rapta, de illorum poteſtate excutere: in huiusmodi tamen particularibus congreſſibus, ſequebatur, permittente Dei occulto iudicio, *Polonorum* fuga, & *Lithuanis*, licet non incruenta, cedebat victoria. Abſtulerat enim Deus, in vindictam Chriſti ſui, & aliorum facinorum, à Rege *Poloniæ Caſimiro*, & populo ſuo, omnes felices ſucceſſus, ſpoliatumque donis gratuitis, pluribus caſibus obruebat aduerſis, B & omnia quæ agebat, agereque diſponebat, aut in contrarium recidebant, aut in irritum. Et populus ſuus cum *Lithuanis* aut *Ruthenis*, prælia aut certamina particularia exercens, victus in manu cadebat hoſtili. Rex quoque ipſe cum actionibus & molimentis ſuis, apud vicinos & hoſtes, patebat contemptui, & iuſtis ludibriis, vt tam ipſe quàm omnes ſui, tot infelicibus ſucceſſibus fracti, tot funeſtis cladibus obruti, manum Domini ſuper ſe, pro ſcelere Presbytericidii commiſſo, & nondum dignà pœnitentiâ expiato, vociferarentur vibratam.

Pro Epiphaniarum die, *Iaroslaus* Archiepiſcopus *Gneſnenſis* Synodum Prouincialem apud oppidum *Caliſch* tenuit. In quam *Bodzanta Cracouienſis*, *Albertus Paluka Poſnanienſis*, *Sbilutus Wladislauienſis*, *Clemens Plocenſis*, *Ioannes Lubucenſis*, *Przeczlaus Wratislauienſis*, Epiſcopi, cum ſuis quiſque Capitularibus conuenerant.

Ludouicus Hungariæ Rex Siciliam vaſtat, Fraternæ necis & iniuriæ recordatione, quæ retractando alitur, *Ludouicus Hungariæ* Rex, iterum exercitu comparato, cum gentium propriarum, & mercenariorum robore, contra *Ioannam Siciliæ* Reginam ire pergit. Et circa diem *S. Georgii*, *Senis* egreſſus, per mare *Neapuliam* ingreditur, quam igne & cædibus vaſtat, caſtra conquirit, vrbes euertit, vltionem in plures extendit, donec rogatu *Clementis* Papæ ſexti, furore indignationis temperato, quieſcens, *Romam* venit; *ſed ſuaſu Papæ quieſcit.* vbi iuſto honore exceptus & tractatus, exinde *Pannonias* reuertitur. Quieſcere tamen non valens, *Carolum Roberti* filium cum exercitu in *Neapuliam* remittit, qui pœnas interfecti viri ex *Ioanna* repoſceret. Et hic deletis *Ioannæ* copiis, & capta *Neapoli*, *Siciliæque* Regno in ſuam poteſtatem redacto, *Ioannam* in noua arce obſedit. Sed *Ludouico Andegauenſi* ad eam liberandam cum non exiguâ manu veniente, ad exhortatio- *Carolo tamen Roberti commiſſo ſuo exercitu eandem populatur.*

nem Papæ, ne ſanguis *Francorum* collideretur, obſidionem ſoluit. Paulò tamen poſt, præfatus *Carolus Durachinus Vrbani* Papæ, cuius ſtultitia, ne dicam furore, ſchiſma tunc in Eccleſia excitatum eſt, cohortatione & ſolatiis adiutus, vnico prælio Reginæ exercitu fuſo, & deleto, Reginam annis confectam, puluillo ori ſuperiecto, ad mortem compulit. 1350.

Quarto Nonas Septembris, *Carolus Romanorum* Rex, & Marchio *Morauiæ*, Patri ſuo *Ioanni* cœco in *Bohemiæ* Regno, tàm naturali iure, quàm omnium Prælatorum & Baronum Regni *Bohemiæ*, vltroneo aſſenſu, & approbatione ſuccedens, in *Pragenſi* Eccleſia per *Arneſtum* primum *Pragenſem* Archiepiſcopum, coronatur & inungitur in *Bohemiæ* Regem, & conſors ſua *Blanka* filia *Francorum* Regis, in Reginam. *Carolus Imp. in Regem Bohemiæ coronatur.*

Sub titulo & honore Beatæ *Heduigis* electæ, in oppido *Bregenſi*, Collegiata Eccleſia per Principes *Legnicenſes Ludouicum* & *Venceslaum*, filios olim *Boleslai Legnicenſis* & *Bregenſis* Ducis, fundatur, dotatur, erigitur, & dos congrua pro Canonicis & Vicariis, illìc Diuina miniſteria nocte & interdiu expleturis aſſignatur. Felices nepotes, quos primùm Deo, deinde protauæ ſuæ Beatæ *Heduigi*, id ſacrificium, huncque honorem impendere contigit. *Bregæ Eccleſia S. Heduigis fundatur.*

Crebram terrarum Regno *Poloniæ* ſubC iectarum, *Lithuani* Principes videntes vaſtationem ſibi impunè proueniſſe, ad attentandum maiora auſus ſumunt. Et exercitu haud contemnendo, tàm ex *Lithuanis*, quàm *Tartaris* & *Ruthenis*, his quoque gentibus, quas ad ſeruitutem abduxerant, congregato, verſus *Leopolim* procedunt, & ab expugnatione quidem ciuitatis & caſtrorum *Leopolienſium* (iam enim illa *Caſimirus* Rex *Poloniæ* muris fortibus & altis, foſſatiſque profundis muniuerat) abſtinent: Omnes tamen villas in circuitu & oppida ignobilia ſpoliant, & quoſdam ex hominibus & habitatoribus trucidant, aliquos in ſeruitutem abducunt & deinde paſſim incenD dia diffundunt. Ex *Leopolienſi* terra verſus *Belz* diuertunt, & caſtro *Belzenſi* conquiſito, etiam ad caſtrum *Wladimirienſe*, & *Brzeſcie* applicato exercitu, diuturno tempore illa impugnantes, vtrumque, non ferente *Caſimiro* obſeſſis opem, per deditionem accipiunt, & terras quatuor notabiles & fœcundas, videlicet *Belzenſem*, *Wladimirienſem*, *Chelmenſem*, *Brzeſtenſem*, à Regno *Poloniæ* abſtrahunt, & earum ſe conſtituunt Dominos & poſſeſſores. Ex caſtris autem huiusmodi, quorum vnum, videlicet *Brzeſzie*, *Caſimirus* Rex cocto latere firmare cœperat, *Lithuanis* patebant in *Poloniæ* Regnum crebræ excurſiones. Antequam enim caſtrum *Brzeſczie* ſui iuris fecerant, difficiles illis & periculoſi in Regnum *Poloniæ* adi- *Lithuani terras Leopolienſem, Belzenſem, Chelmenſem & Brzeſtenſem depopulantur.*

1351. aditus erant, & ſæpe illic, aut de propè, aut ſtragem de ſuis, aut raptorum reſtitutionem, perferre cogebantur. Situm enim illud caſtrum optimum habet, paludinibus longè verſus *Poloniam* protenſis, & limoſis gurgitibus, alueoque fluminis *Bug*, qui in illo loco vada raro præbet, aliiſque qualificationibus plurimis natura conſitum & munitum, vt quaſi quidam portus & ianua in terras *Lithuaniæ* & *Ruſſia* poſſit æſtumari. *Caſimirus* tandem *Poloniæ* Rex, habens in ſui ſolatio *Ludouicum Hungariæ* Regem, in *Lithuanos* grandem expeditionem agit, & *Wladimirienſem* terram caſtrumque eius conquirens, etiam Ducem *Keyſtuthonem Lithuaniæ*, in quodam ſingulari certamine, cæſis & ſtratis *Lithuanis*, capit. Qui cum omnibus fratribus, *Lithuaniæ* Ducibus, & ſuis terris ſe fidem Chriſtianam & baptiſma ſuſcepturum iureiurando promittens, a Regibus comiter & honeſtè habitus eſt. Sed violato iuramento Reges deludens, noctis tempore effugit.

Quos poſtea Rex profligat, & Ducem eorum capit.

Sub ea quoque tempeſtate, & flagello, ob ſcelera *Polonorum* Diuinæ vltionis vindice gladio in *Polonos* immiſſo, non deerant ſcelerati *Poloniæ* impoſtores magis quàm filii, latrones quàm milites, & in propriam patriam proditores. Qui cum *Lithuanis* barbaris iungerent ſocietates & commercia, & deteſtabili mercede accepta, ductum illis per ſaltus, ſtagna, paludes, & flumina, quo inopinatiores Regno *Poloniæ* accederent, præberent. Inter alios autem *Petrus Pſchonka* de *Babin*, & de *Radovviecz* terræ *Lublinenſis* terrigena, de armis *Ianina*, & *Otha* de *Szekarzovvicze*, de armis *Bipennium*, proditores & ductores inſigniores habebantur. Is & locorum & vadorum peritus, cum aliquoties rem nefariam, inducendo *Lithuanos* in propriæ patriæ perniciem, peregiſſet, & pro voto illi cuncta ſuccederent, nec ſcelere, nec metu Dei, neque crudelitate, qua *Lithuani* in genus ſuum, & in contubernales ſuos graſſabantur, auri & donorum cupidine, & quod prædiis ſuis & villis a *Lithuanis* parcebatur, ineſcatus, reuocaretur, contigit vltionem, Domino amplius teterrimum facinus ſuum non ferente, vt iuxta morem ſolitum à Ducibus *Lithuaniæ Iagyellone* & *Skirgalone*, ad explorandum vada fluminis *Viſta*, & quid hoſtile à *Polonis* in ea, quam tunc agebant, incurſione paterentur, præmitteretur. Is cum exploratis & prouiſis ſingulis *Viſtam* inflatam vndis inueniſſet, haud longe tamen a *Zauichoſtenſi* oppido vado clam nocte ægrè reperto, virgis altioribus infixis, illum quàm diligentiſſimè conſignans, ad *Lithuanos* reuertebatur. Interim vero piſcatores *Poloni*, virgis & ſignaculis, proditore abeunte deprehenſis, & quid ſignificarent, facilè intellectis, in fundum profundiorem *Viſtæ* illas inſigunt, & tranſponunt. Venit poſt noctis ſilentio, quo facilius *Polonos* falleret & opprimeret exercitus *Lithuanicus*, & *Petro Pſchonka* vadum intrepidè iuxta ſigna irrumpere, & ſuperare flumen, quaſi vadoſum, iubente, a vorticibus *Viſtæ*, illum facilè haurientibus, in aliliquod millibus abſorptus & ſuffocatus eſt. Quo malo Duces *Lithuaniæ Iagyello* & *Skirgyello* deterriti, & proditori *Petro Pſchonce*, exiſtimantes illum dolum in ſe admiſiſſe, irati, explorata fraude, caput gladio in ripa auferunt, & per dies in latibulis ſaltuum quieſcendo, noctibus tantummodò, ne a *Polonis* præoccuparentur, promoti, poſt tam inſignem ſuorum cladem, turpi fuga in *Lithuaniam* à *Polonorum* proditore iuſtiſſima pœna exacta, reuertuntur. Proceſſu autem temporis *Iagyello* Dux *Lithuaniæ*, in Regem *Poloniæ* aſſumptus, vtrumque proditorem pœna inſigni mulctat. Et *Petri* quidem *Pſchonce* hæredibus aufert villam *Krzczonovv*, quæ & in hodiernum diem fiſco Regio applicata, ſub caſtro *Lublinenſi* manet. Hæredibus vero *Othonis* ſiue *Othæ*, aufert *Szczekarzovvycze*, quam in extrema ætate agenti, *Zaklicæ Tarto*, eiuſdem *Othonis* nepoti, multis interceſſionibus, & *Zaklicæ* meritis fatigatus, ægrè reſtituit.

Pſchonka & Otho Poloni ſoliti Paganos per latebras in Poloniam deducere

dum Iagyellonem cum exercitu per Viſtæ vada traducere volunt,

aſtu decepti,

multa millia Lithuanorum ſuffocant,

& proditionis pœnas luunt.

Abſumptus eſt ex vita in ea expeditione XIII. Calend. Septembris *Boleſlaus Maſouiæ* & *Plocenſis* Dux, filius *Vankonis*, & in Eccleſiam *Plocenſem* relatus, illic ſepultus. Vir optimorum morum, & ea præcipuè virtute inſignis & clarus, quòd iura libertateſq; Eccleſiæ non ſinebat a quoquam lædi aut offendi. Sed illarũ acerrimus exiſtens propugnator & defenſor, Pater & amicus Eccleſiæ meruit vocitari.

Boleſlaus Maſouiæ & Plocenſis Dux moritur.

Pauore peſtis & mortalitatis, quæ multos mortalium præſertim apud *Hungariæ* Regnum ſubito inuaſit & extinxit, plerique homines perniciem illius vitaturi, glomerati ex vtroque ſexu, de *Hungaria* in *Poloniæ* Regnum adueniunt. Ex vexillis eorum procedentibus, proceſſionaliter quaſque Eccleſias obuias, & præſertim in ciuitatibus & locis inſignioribus ingreſſi, corpora vſque ad vmbilicum denudant, & flagellis virgiſque vſque ad ſanguinis effuſionem verberant, carmen quoddam inconditum, in linguagio ſuo & lamentatione decantantes. Et quamuis ſecta huiuſmodi fuerit aliquanto tempore per Epiſcopos Eccleſiæ *Polonicæ* tolerata, credita à nonnullis aliquam religionem continere, tamen cum pro comperto illuſtratum eſſet, ſectam præfatam & erroribus quibuſdam, dum ſe paſſim & mutuò ab enormibus peccatis abſoluerent, & illecebris carnalibus (plures enim fœminæ inter illos verſatæ vteros porrexerant) fore inquinatam, conformi Pontificum *Poloniæ* Eccleſiæ præcepto, videlicet *Iaroslai* Archiepiſcopi *Gneſnenſis*, *Bodzantæ Craconienſis*, *Przeczlai Wratislauienſis*, *Alberti Paluka Poſna-*

Ex Hungaria Flagellatores in Poloniam veniunt,

qui ſtatim diſſoluuntur,

nienſis, & *Sbiluti Wladislauienſis*, ſecta ipſa ex finibus *Poloniæ* depulſa eſt, & tandem etiam Apoſtolico interueniente mandato, diſſoluta. A

1352. *Caſimirus Rex ad Papam pro iniungenda ſibi pœnitentia mittit.*

Expiationem grandis ſceleris in nece *Martini Bariczka* Vicarii Eccleſiæ *Cracouienſis* contracti, ex quo vltionum, Domino permittente, plures clades, & aduerſi caſus & ſucceſſus, continuè emergebant, *Caſimirus Poloniæ* Rex volens efficere, *Albertum* Cancellarium *Dobrzinenſem* & Plebanum *Bochnenſem*, ad Summum Pontificem *Clementem* Papam in *Auinionem*, culpam ſui facinoris eius nomine ſimpliciter recogniturum, & pœnitentiam per Apoſtolicam Sedem infligendam, cum omni promptitudine, manſuetudine, & contritione ſuſcepturum, & cætera ſua & Regni *Poloniæ* negotia expediturum. Simul quoque ne *Wratislauienſis* Eccleſia a ſuo *Gneſnenſi* alienaretur Metropolitano, quam *Carolus* tunc *Romanorum* & *Bohemorum* Rex, miſſis ſolennibus & ſpecialibus nunciis, *Pragenſi* Archiepiſcopo ſubiici iure Metropolitico magnis inſtantiis depoſcebat, impediturum transmittit. Qui illicò adueniens, a *Clemente* Papa benignè auditus, facinore Regio in occiſione *Martini Bariczka* patrato, Papæ expoſito, & abſolutionis beneficium, & modificationem pœnitentiæ obtinuit. Conditiones autem pœnitentiæ ſibi impoſitæ, in omnibus *Caſimirus Poloniæ* Rex deuotè ſuſcipiens, in corde amaro & contrito illas ſuſcepit & peregit. Primùm enim ius libertatis vniuerſis Eccleſiæ *Cracouienſis* villis reddidit. Deinde Eccleſiam *Visliclenſem*, ad quam ſpeciali afficiebatur deuotione, (nam parenti ſuo *Wladislao Poloniæ* Regi, multis calamitatibus afflicto, imago Virginis Benedictæ in lapide deſculpta, ipſa Eccleſia *Wislicienſi* adhuc apparens, ad quam ſæpè mediis noctibus proſtratus, pro ſuis neceſſitatibus explendis, lachrymoſis ſuſpiriis recurrebat, ſubuenire, & poſtulatum ferre præſidium, vulgata eſt.) quadra & polita petra ſumptuoſo opere, priori Eccleſia, quæ anguſtos & humiles muros habebat demolita: itemque Eccleſiam *S. Mariæ Sandomirienſem*, item *Stobnicenſem*, *Schidlouienſem*, in *Zagoſcz*, & in *Gargow* Eccleſias, in ſatisfactionem ſceleris, & ſupplementum pœnitentiæ, pulcherrimis muris formauit, ædificauit, & erexit, & cæteras pœnitentiæ partes, digna ſatisfactione, nihil remittens, perfecit & abſoluit. Obtinuit etiam *Albertus* præfatus a Summo Pontifice, vt *Caſimiro* Regi contra ſubitos *Lithuanorum* inſultus, pro ea vice (vt in ſuperioribus demonſtrauimus) plurimum Regnum *Poloniæ* afficientes & affligentes, per decimam quadriennalem vniuerſus *Poloniæ* ſubueniret Clerus. Eccleſiam inſuper *Wratislauienſem* a corpore *Gneſnenſi* Metropolitico ſcindi, & *Pragenſi* Eccleſiæ ſubiici, per publicas concertationes in Conſiſtorio Apoſtolico, ſuper hac ſæpius re ventilatus, prohibuit, clariſſimis & euidentiſſimis teſtimoniis oſtendens, *Wratislauienſem* Eccleſiam per Reges & Duces *Poloniæ* fundatam, dotatam, & fabricatam eſſe, & *Gneſnenſi* Archiepiſcopo iure Metropolitico ſemper fuiſſe & eſſe ſubiectam. Et valdè iniquum & acerbum, vt Ducatibus *Sleſiæ* a Regno *Poloniæ* præter æquitatem abſtractis, iura *Poloniæ* Eccleſiæ nefaria mutilatione truncarentur; & Eccleſiæ *Pragenſi* iniuſtus & adulterinus honor; cum maximo *Gneſnenſis* Eccleſiæ præiudicio & grauamine proueniret. Dum certum eſſet Eccleſiam *Wratislauienſem*, & iuris, & dotationis, atque gremii Regni *Poloniæ*, ac *Gneſnenſis* Eccleſiæ eſſe, ſola denarii Sancti *Petri*, ſi de cætero euidentiſſima documenta ſilerent, præſtatione. His ſiquidem & aliis pluribus propoſitionibus magno veritatis teſtimonio ſubnixis, optimo iuri fauores ceſſerunt immenſi. Et *Clemens* Papa prædictus Eccleſiam *Wratislauienſem* ſub Metropoli *Gneſnenſi* conſiſtere, & nullo vnquam tempore *Pragenſi* applicari cenſuit, ſanxit perpetuò, & decreuit. B

Qui varias Eccleſias erigit,

1352. *Wratislauienſem Eccleſiam Gneſnenſi ſubditam obtinuit.*

Sub eo quoque tempore *Caſimirus Poloniæ* Rex per vniuerſam diœceſim *Cracouienſem*, de ducendis in horrea Eccleſiaſticarum perſonarum manipularibus decimis, inhibitionem, quam ſola indignatione permotus fecerat, meliori ſaniorique ductus conſilio, XIII. Calend. Iulii *Cracouiæ* non ſolum abrogauit, reuocauitque, ſed certo priuilegio Eccleſiæ & diœceſi *Cracouienſi* conceſſo, omnes colonos & ruſticos ad ducendum manipularem decimam ad loca per eos electa, decimarum Dominis C & poſſeſſoribus, decreuit perpetuo eſſe aſtrictos & ſubiectos.

Tartari per Olgerdum conducti vaſtant Poloniam.

Tartari magna glomerati multitudine, & ab *Olgerdo Lithuaniæ* Duce donis & promiſſionibus variis illecti, terram *Podoliæ* Regno *Poloniæ* ſubiectam, varia cæde & ſpoliis vaſtarunt. Grandi enim præfatus *Olgerdus* Dux *Lithuaniæ* cruciabatur ſpiritu, quod *Caſimirus Poloniæ* Rex, plenam *Leopolienſis* terræ poſſeſſionem, mortuo *Boleslao*, filio *Troydeni* Ducis *Maſouiæ* nactus fuiſſet. Is *Olgerdus* genitor fuit *Wladislai* ſecundi expoſt *Poloniæ* Regis, qui in gentilitate poſitus, *Iagyello* D vocabatur.

Clementi VI. P. R. ſuccedit Innocentius VI.

Clemens Papa ſextus, cum ſediſſet annis decem, menſibus ſex, diebus ſedecim, moritur, & in maiore *Auinionenſi* Eccleſia ſepelitur. Cui per electionem Cardinalium ſucceſſit *Innocentius* Papa ſextus *Leonicenſis*, amator religioſorum. Qui monaſterium Carthuſienſe propè Sanctum *Andream* in *Francia*, fundat & dotat, eidemque ordini, ſpecialem ad illum gerens fauorem, plura & ſingularia priuilegia concedit. Canonum peritiſſimus.

Fremitu magno & furore *Lithuanorum* Duces, *Olgerth*, *Keyſtuth*, *Skyrgello* ſuccenſi, quod 1353.

Ca-

1353. *Caſimirus Poloniæ* Rex,cum nepotis ſui *Ludouici Hungariæ* Regis aſſiſtentiâ perſonali, terras,& diſtrictus *Ruſſiæ* ab eis occupatos hoſtiliter vaſtauerat, & *Wladimirienſem* terram in ſuam redegerit ditionem : ſatagebant continuè de ea inuaſione ſe vltum iri. *Lubardus* itaque *Lithuanorum* Dux,fortiori quò poterat exercitu congeſto, ſecretius ad *Halicienſem* ciuitatem, quæ iam tunc per *Caſimirum Poloniæ* Regem tenebatur, ſeptima die menſis Iulii perueniens, treugiſque inter *Caſimirum* Regem & *Lithuanos*, quæ iureiurando firmatæ fuerant, fraudulenter & iniquè violatis, eam comprehendit, & magna ciuium & mercatorum multitudine occiſa, ferali etiam ſtrage in fœminas & pueros, qualem barbarica gens edere ſolet, factâ, plurimis ditatus & onuſtus ſpoliis, non audens illic conſiſtere, ciuitatem ſuccendens,veloci fuga in *Lithuaniam* effugit. Præda autem apud *Halicz* capta,in ſuis munitionibus,caſtris & tuguriis depoſitâ,maioribus copiis auctus, verſus *Zawichoſt* nona die Septembris venit,& villas atque rura in quatuor miliaribus,à ſingulis partibus conſiſtentia,ſpoliis,cæde,& igne vaſtauit. Et antequam milites *Polonorum* arma ſumerent,raptam prædam ſuſtulit, & in ſyluarum latibula deduxit. Ne autem in cæteras regiones & Principatus *Poloniæ* excurſiones furtiuas *Lithuani* conuerterent, *Caſimirus Poloniæ* Rex, caſtrum & ciuitatem *Plocenſem*, muro coctili communiuit eo anno.

Lithuani magna damna inferunt Polonis, contra quos Plocenſe caſtrum & vrbs muro cingitur.

Congeſto ex *Lithuanis* & *Ruthenis*, *Olgerth*,*Keyſtuth*,& *Patrikig*, *Lithuaniæ* Duces, exercitu,in *Pruſſiam* ire pergunt: cladem apud *Labyow* acceptam, & ſubmerſionem *Smolenſis* Ducis vlturi. Quam circa diſtrictum *Reſil* ingreſſi,ſeueritate barbaricâ paſſim in ſingulos tàm ſenes quàm impuberes ſæuiendo vaſtant. Populatione autem latiùs extenſa,multis mortalibus trucidatis, & plurimis captis (inter quos quingenti Nobiles præter vulgum & agreſtes numerabantur) nullam paſſi reſiſtentiam,in *Lithuaniam* redierunt.

Duces Lithuaniæ Pruſſiam impune vaſtant.

Vigeſima die menſis Iunii, *Ludouicus Hungariæ* Rex, nepos *Caſimiri Poloniæ* Regis, virginem *Eliſabeth*, filiam *Stephani* Regis *Boſſnæ*,quem *Hiſupuſban* vocant, elegantis formæ fœminam deſponſat : & Summo Pontifice permittente, matrimonialiter ſibi coniungit : celebratis ex more apud *Budam* nuptiis. Genuerat ſiquidem præfatam *Eliſabeth Ludouici* nuptam,*Eliſabeth* filia *Caſimiri Gniewkouienſis* Ducis, ſoror patruelis Reginæ *Hungariæ Eliſabeth* ſenioris germana *Caroli* relictæ, & *Ludouicum* quarta conſanguinitatis linea contingebat.

Ludouicus Hungariæ Rex Eliſabeth filiam Regis Boſſnæ ſibi iungit.

Euenit in *Poloniæ* Regno anno eodem Sabbatho in vigilia Pentecoſtes, prodigioſum, & nunquam antea viſum,ac ſine exemplo portentum. Nam dum menſis Martius, Aprilis, & maior pars Maii calida, manſueta, & apta tempora edidiſſent,frugeſque ſolis & temporis A ſuauitate, in culmos & ariſtas ſuccreuiſſent, in vberem frugem prouenturæ,ſubito frigoribus immenſis coortis,gelu terram vehementer premebat. Quo aliquantulum reſtricto, valida nix & immenſa, duorum cubitorum altitudinem faciens, inſperatè & ſubitò deſcendit,omneſque regiones Regni *Poloniæ* ſuâ mole corripiens,homines,præſertim agriculturæ deditos,violento & groſſo ſuo deſcenſu, plurimum exterruit, præſertim quòd vſque in ſextam diem ſine aliqua reſolutionis ſpe, perduraſſet : veritos ne ſub tam graui mole & ſtatera,frumentorum genera imbre huiuſmodi & niuibus exterminatum deuoratumque iri contigiſſet. Verùm vniuerſis colonis ad tam B inauditum ſpectaculum pauentibus, & fortunas ſuas atque labores perditum iri fletu & lamentis vociferantibus, pietas agni cœleſtis affuit. Et quod humanus intellectus & ratio ad interitum credebat deſcendiſſe & perniciem, id Diuina propitiatio, quæ ex inſolitis operibus viléſcentibus, & nullam rationem afferentibus quotidianis, vult laudari, vertit in augmentum & ſalutem. Niuoſus ſiquidem ipſe imber,ſexta die reſolutus, non ſolùm fruges vernales & hyemales,quibus inſidebat, non læſit, nec perculit, imò illas ſuâ placidâ infuſione, quaſi quodam rore ſuauiſſimo adeò rigauit,viuificauitque,vt nullum humanum ingenium, per ſtercoriſationem proueniens, tantam fœ-C cunditatem & vbertatem agris & frugibus afferre potuiſſet. Vnde ex admodum terribili & triſti anno,fœcundus & hilaris, omnium abundantiam & locupletationem ſecum ferens, apparuit, & colonos euentu feliciſſimo refecit.

Nix valida circa finem Maii decidit, quæ magnā fertilitatem effecit.

Copiis in frequentiori quo poterant numero *Olgerth*,*Keyſtuth*,*Patrikig*, & *Skirgyello*, *Lithuaniæ* Duces, in expeditionem coactis, *Ruthenorum* inſuper vſi auxiliis, in *Pruſſiæ* terram deſcendunt, & regionem circa *Wartemberg* aggreſſi, in homines & tecta ſæuiunt. Necatiſque ſenibus & impuberibus, vicíſque incenſis, neque Magiſtro *Pruſſiæ Vinricho* de *Kniprode*,neque aliquo ex Commendatoribus D decernere cum barbarorum multitudine audente, in *Lithuaniam* regrediuntur,tàm cum pecore & ſpoliis, quàm cum vtriuſque ſexus captiuis, in miſerabilem ſeruitutem tractis. 1354.

Lithuaniæ Duces Pruſſiam vaſtant

Maſouiæ Dux *Caſimirus*, filius *Troydeni* Ducis *Maſouiæ*,vigeſima ſexta Nouembris abſumptus,& in Eccleſiam *Plocenſem* ad ſepeliendum relatus.

Vetus & diuturna,iamque longo tempore agitata, inter *Caſimirum Poloniæ* Regem ab vna,& *Semouitum Maſouiæ* Ducem, Ducatuſque & terras ſuas, partibus ab altera, quæſtio differentiaque conſurrexerat. Exigebat enim *Caſimirus Poloniæ* Rex & requirebat,vt ſi- 1355.

Semouitus Maſouiæ Dux recuſat Caſimiro homagium præſtare.

1355. bi tanquam *Poloniæ* Regi, de terris & Ducatibus *Maſouiæ* præſtaret ſolenne homagium, & per patentes literas profiteretur & recognoſceret ſe terram huiuſmodi & Ducatus habere, tenere, & poſſidere, titulo & iure feudali. Differentiaque huiuſmodi ad teſtatas & notorias iniurias peruenerat, adeò, vt *Caſimirus Poloniæ* Rex, reſiſtentia & contradictione *Semouiti Maſouiæ* Ducis irritatus, & veritus, ne Dux ipſe in alterius alicuius Regis, & præſertim *Bohemiæ* transiret, per Ducū *Sleſiæ* ſequelam, ditionē. Vbi monita, perſuaſiones, & requiſitiones ſuas, perditū iri videbat, altioribꝰ rigidioribuſq; remediis vtens, tam caſtrum & ciuitatem *Plocenſem*, quam *Rauam*, & cætera omnia, quæ iuris & proprietatis Ducum *Maſouiæ* erant, in ſuam proprietatem, dominium, & ius pertraheret, & his tanquam propriis vteretur, ad eum poſt mortem *Caſimiri Maſouiæ* Ducis, abſque prole aliqua defuncti, iure feudi deuoluta. Sub ſuo quoque regimine & gubernatione, tam *Plocenſe* quàm *Rauenſe* caſtra, fortibus & inſignibus muris perfecta ſunt, pluresque libertates & obſeruantiæ ſalubres, veteribus ſeruitutibus abrogatis, Ducatibus & terris *Maſouiæ* ſub ſua præſidentia acceſſerant: Omnibus Baronibus & Nobilibus *Maſouiæ*, imperium & regimen Regis *Caſimiri*, propter ſuam iuſtitiam & æquam gubernationem magnoperè probantibus. Sano itaque & prudenti Dux *Maſouiæ Semouitus* vſus conſilio, priori reſiſtentiâ, quâ cum *Caſimiro Poloniæ* Rege (turpe ratus antiquam ſuæ ſtirpis nobilitatem & libertatem, alicuius feudi & ſubiectionis iugo contaminare) certauerat, depoſitâ, in præſtationem homagii & ſuſceptionem feudi conſentit. Ad quod perficiendum, cum & locus oppidi *Caliſch*, & dies Sancti *Ioannis* Euangeliſtæ dicta fuiſſet, venit perſonaliter Dux præfatus *Semouitus*, cum *Nicolao Plocenſi* Epiſcopo, & vniuerſis maioribus *Maſouiæ* Baronibus, & in prædicto oppido *Caliſſienſi*, tertia die poſt Natiuitatem *Chriſti*, *Caſimiro* Regi Regalibus veſtito, & diademate ornato, & Regno *Poloniæ* ſolenne & publicum homagium, cum ſuis *Maſouiæ* Baronibus, Banderia cum inſignibus & armis, ad pedes *Caſimiri* Regis in throno & ſolio Regio conſiſtentis, proiiciendo, & ſibi fidelitatis & ſubiectionis debitæ, tanquam vnico naturali Domino, corporale iuramentum, iuxta morem præſtando, exhibuit, & per literas patentes & publicas, omnes terras, Ducatus, Dominia, & diſtrictus terrarum *Maſouiæ*, recognouit, pro ſe & ſuis ſucceſſoribus, habuiſſe & habere à *Caſimiro* Rege & Regno *Poloniæ* in feudum, & iure ac titulo feudali. Promittens ſeque obligans cum terris & Ducatibus prædictis tunc habitis, & in poſterum quocumque iuſto titulo habendis, in omni caſu, neceſſitate, & guerra, *Caſimiro* Regi & Regno *Poloniæ* aſſiſtere, & nunquam ipſum *Caſimirum* Regem & Regnum *Poloniæ* deſerere in

A quo dum Plocenſi & Rauenſi terris priuatur,

homagium & iuramentum præſtare coactus eſt.

aduerſis. Ad reſcindendum autem cuiuſlibet ſuper præmiſſis ambiguitatis & incredulitatis ſcrupulum, copiam literarum prædictarum inſerendam duxi, ex originalibus, quæ *Cracouiæ* in Regio aſſeruantur theſauro, fideliter tranſſumptam. Et hæc eſt talis. 1355.

Nos Semouitus Dei gratia Dux Maſouiæ, & Dominus Czirnenſis, vniuerſis tenore præſentium ſignificamus, & publicè proteſtamur; ab Excellentiſſimo Principe Caſimiro Dei gratia Illuſtri Rege Poloniæ patruo noſtro dilecto, omnes terras, villas, ſeu munitiones, quas vel quæ olim Dux Caſimirus piæ memoriæ frater noſter habuit, & quæ ex ipſius morte ratione feudi, quod ipſi Domino Regi præſtiterat, iure obuenerunt, ſimiliter in feudum recepimus, videlicet Varſchouiam, Sochaczow, Wiskitki, Ciechanow, Nowigrod quod iacet ſuper fluuium Piſz, & Nowidwor, cum eorum diſtrictibus & Dominiis, ſecundum quod ſunt in eorum limitibus ſituatæ pro nobis & noſtris genitis habendas & poſſidendas, eo iure, quo feudales ſimilia dominia ſponſione homagij Domino præſtita tenere conſueuerunt. Innouamus inſuper feudum per nos olim Domino Regi factum, cum noſtris terris ſeu caſtris, videlicet Czirsko, Raua, Liw, & Goſtinin, quæ caſtra ſiue terras, ab ipſo Domino in feudum recepimus, & homagium ſibi debitæ fidelitatis præſtamus. Promittentes pura fide, & abſque dolo cuiuſlibet fraudis, cum potentia noſtræ gentis, tam in illa gente, quam in antea habuimus, tam cum ea modò ex feudo lucrata, pro noſtro poſſe ipſum Dominum Regem noſtrum Poloniæ in omnibus guerris, expeditionibus, & controuerſiis, habitis & habendis, cum omnibus gentibus, Paganis, vel Chriſtianis, & contra quaſlibet perſonas, Reges, vel Principes, cuiuſlibet ſtatûs vel conditionis exiſtant, fideliter adiuuare, & ipſum non deſerere in aduerſis. Spondemus inſuper, quòd nullam concordiam, aut contractum cum aliquibus hominibus, & præcipuè cum Lithuanis inire volumus, præter præfati Domini Regis ſcientiam & bonam voluntatem. Et quia caſtrum Ploczko nobis nec non fratri noſtro bonæ memoriæ Duci Caſimiro præmortuo, per eundem dictum Dominum Regem in duobus millibus marcarum Polonici ponderis extitit obligatum, ipſum exnunc à ſolutione præfatæ pecuniæ, ſolutum purè facimus & quietum, idem caſtrum Ploczko ad poſſeſſionem ipſius Domini Regis reſtituendum, tantum tempore vitæ ſuæ tenendum, habendum. Poſt exitum verò animæ ſuæ, etiam prole ſua maſculina exiſtente, nihilominus ad nos, & ad noſtros filios ſeu ſucceſſores, prælibatum Plocenſe caſtrum, cum tota terra ſimiliter in feudum, à ſuis tantum liberis, ſi quos habebit, tenebimus, ſicut & alias terras, à præfato Domino Rege, obtinemus. Præterea volumus, quòd illa bona, quæ tenet Sereniſſima Princeps Domina relicta Vankonis, poſſeſſiones & hæreditates ſitas in diſtrictibus Sochaczouienſi & Goſtinenſi, poſt de-

1355.

decurſum vitæ ſuæ ad nos in totum pertinebunt. Illa autem quæ ſunt ex illa parte fluminis Viſla, ad ipſum Dominum Regem, poſt mortem ipſius, ad Plocꝫko volumus pertinere. Volumus etiam, quòd ſi quam donationem Dominus Rex fecerit in terra Plocenſi, tam in villis quàm molendinis, ratam obſeruare. In cuius rei teſtimonium præſentibus ſigillum noſtrum duximus appendendum. Actum & datum in Caliſch die S. Ioannis Euangeliſtæ. Anno Domini MCCCLV.

Alberto Poſnan. Epiſc.

Pridie Calendas Iunii *Albertus Paluka Poſnanienſis* Epiſcopus, cum aliquanto iam tempore infirmitatis moleſtias paſſus eſt, Domino illum vocante, in villa ſua Epiſcopali *Soliecz*, mortuus eſt, & exinde *Poſnaniam* relatus, in Eccleſia Cathedrali accepit ſepulturam; cum annis ſeptem Eccleſiæ *Poſnanienſi* præfediſſet. Capitulum autem Eccleſiæ *Poſnanienſis* die pro electione futuri Pontificis indictâ & publicata, *Ioannem* Præpoſitum *Poſnanienſem*, de domo *Doliwa* elegit, à *Iaroſlao Gneſnenſi* Archiepiſcopo confirmatus.

ſuccedit Ioannes.

Carolus Romanorum & *Bohemiæ* Rex, pacificatis & conciliatis per ſolertem induſtriam prudentiamque Tyrannis *Italiæ*, aſſumpta ſibi ſocietate & conducta Comitum de *Mediolano*, cum exercitu magno ex *Bohemis, Polonis*, & *Almanis* comparato, *Italiam* profectus, & ab omnibus ciuitatibus *Italiæ* comiter habitus & exceptus, tandem *Romam* peruenit. Vbi in die Paſchæ per Cardinalem *Oſtienſem* ab *Auinione* miſſum, de mandato *Innocentij* Papæ ſexti, cum conſorte ſua *Anna*, filia *Henrici*, & *Iawrienſis*, & *Lubauiæ* Ducis, & nepte *Boleſlai* Ducis *Swidnicenſis*, ex qua iam filium *Venceſlaum* apud *Norenbergam* XXIII Februarii MCCCLI ſuſceperat, & quam primâ mortua *Blanca*, ſuperduxerat, coronatur & benedicitur in Imperatorem. Qui benedictione Imperiali perfunctus, per plures ciuitates tranſitum faciens, & ab eiſdem tam cenſum Imperio debitum, quàm munera emungens, congregato ſatis grandi theſauro, multa florenorum millia, Ducibus *Auſtriæ*, propter dotes filiarum ipſum affinitate propinquâ contingentium, largitur. In *Bohemiam* deinde reuerſus, filium *Venceſlaum*, vix quadriennem, in *Bohemiæ* Regem obtinuit coronari.

Carolus Imp. coronatur,

& Wenceſlaum filium in Regem Bohemiæ coronat.

Ordinante, & id tunc optimum cenſente, *Caſimiro* Rege *Poloniæ*, mittuntur in *Hungariam* ad *Ludouicum Hungariæ* Regem, germanum ex ſorore *Caſimiri* Regis nepotem, ſpeciales nomine totius Regni *Poloniæ* Legati, videlicet *Ioannes* Caſtellanus *Woynicenſis*, *Florianus* Præpoſitus & Cancellarius *Lancitienſis*, *Petrus* Tribunus, & *Pełka* Subagaſo *Cracouienſes*. Hi cum *Ludouicum* Regem *Hungariæ Budæ* offendiſſent, legationem eis impoſitam eis exponendo, rogant Regem, *vt cum Caſimirus Poloniæ Rex auunculus ſuus orbus filiis declinet, & in ſenectam & diſſolutionem, & ſibi vigore pactorum, dudum inter Caſimirum Poloniæ, & Carolum Hungariæ Reges initorum, & per ipſum Ludouicum Regem innouatorum, Regni Poloniæ debeatur ſucceſſio, Regni Poloniæ Prælatos, Barones Militares, Nobiles, & ciues, in euentum ſucceſſionis huiuſmodi, de obſeruandis & manutenendis priuilegiis, libertatibus, iuribusque eorum, & ſignanter quòd Regnum Poloniæ nullis taliis, exactionibus, & collectis; ſed nec Stationibus aut deſcenſibus in loca Eccleſiaſtica vel ſecularia grauabit, ſed ſumptibus Regiis ſibi comparabit neceſſaria. Et ſi ipſum & nepotem ſuum germanum Ducem Ioannem, prole maſculina non extante, decedere contigerit, vt Prælati, Duces, Barones, Militares & Nobiles Regni Poloniæ eo ipſo pactis, promiſſionibus, iuramentis & homagijs, ſibi & fratribus ſuis, in euentum mortis Caſimiri Poloniæ Regis præſtitis, intelligantur ſoluti, per ſuas patentes literas in Regnum Poloniæ referendas, certificet & aſſecuret.* *Ludouicus* autem *Hungariæ* Rex, cum Legatos *Poloniæ* iuſta omnia & æqua poſtulaſſe cum Conſiliariis ſuis digeſſiſſet, ſingulos articulos benigniter concedendos, & ſpecialibus literis roborandos decreuit. Quarum tale eſt exemplar.

Legati Polonorum ad Ludouicum Regem Hungariæ miſſi,

1355.

obtinent iura & libertates confirmari iuxta Priuilegium.

Nos Ludouicus Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Rauiæ, Seruiæ, Gallatiæ, Comaniæ, Bulgariæque Rex, Princeps Gallernianus, & honoris montis ſancti Angeli Dominus. Significamus quibus expedit vniuerſis, præſentium per tenorem. Quòd cum Ioannes Caſtellanus Woynicenſis, Florianus Præpoſitus & Cancellarius Lancitienſis, Petrus Tribunus, & Pełka Subagaſo Cracouienſes, ad noſtram accedentes præſentiam, nobis ex parte vniuerſorum Regnicolarum Regni Poloniæ ſuper concedendis eiſdem clementer articulis infraſcriptis, humiliter ſupplicaſſent: Nos eorum, imò verius ipſorum Regnicolarum petitionibus gratioſè inclinati, promittimus & aſſumimus bonâ fide, abſque omni dolo & fraude, verbo noſtræ Regiæ Maieſtatis, vt ſi, diſponente Domino, in ius & regimen Regni Poloniæ prænotati, iuxta formam compoſitionis, ſeu ordinationis, inter Sereniſſimos Principes, Dominos, Carolum quondam Regem Hungariæ genitorem noſtrum, ipſiusque ſororinum, in noſtri & fratrum noſtrorum perſonis, dudum initæ & firmatæ, ac nobiſcum nouiſſimis temporibus innouatæ, proceſſu temporis ſuccedere nos contingat; nullas collectas ſeu exactiones nos & Succeſſores noſtri, & eorundem regiminis in prædicto Regno tempore, exigi faciemus à Regnicolis prænotatis; quos recolendæ memoriæ Dominus Pater ipſius Domini Regis, aut idem Dominus Rex, aliquibus ex cauſis, vltra conſuetam & ſolitam libertatem, ab eiſdem Regnicolis, & præſertim Prælatis & perſonis Eccleſiaſticis, eorum villis & populis ſeu incolis, Nobilibus, ac eorum villis & populis, ſeu ciuibus Regni eiuſdem, cuiuſcumque ſtatûs & conditionis, exigi ſeu extorqueri feciſſent, ſed

Tenor libertatis Polonorum

hit

1355. *his contenti erimus, quæ ipſi conſueuerunt ſoluere ab antiquo, vel quæ ad cameram Regiam, ſeu ius Regale conſtiterit pertinuiſſe ſeu conſtabit. Sed ſi ciues, exceptis tamen Nobilibus dicti Regni Poloniæ, ac aliqui dictorum ciuium de eodem Regno, occurrente aliquo neceſſitatis ſeu opportunitatis tempore, contribuere voluerint, ad id faciendum ſeu ſoluendum nullo modo eos compellemus. Item ſi per Regnum illud quocumque tempore nos procedere contingat, deſcenſus ſuper Prælatos, Eccleſias, Monaſteria, ipſorumque populos ſupradictos, ſeu Regni antedicti Nobiles, & eorum Iobagiones populos vel inquilinos, non faciemus contra eorum voluntatem, nec aliquid occaſione deſcenſus exigi faciemus ab eiſdem. Quod ſi aliàs pro faciendo deſcenſu diuertere non poſſemus, extunc pro noſtris ſumptibus & pecuniis nos procurari in victualibus, & aliis neceſſariis faciemus. Cæterum ſi in noſtri & ſucceſſorum regiminis tempore pro aliqua expeditione facienda, vltra fines Regni procedere nos contingat & expediat, vel eoſdem de damnis, ſi quæ Regnicolæ eiuſdem Regni, in eadem expeditione nobiſcum, aut aliquo noſtrorum ſucceſſorum, exiſtentes in noſtris aut ipſorum ſeruitijs, ſubierint, plenariè eiſdem ſatisfactionem impendemus, & ipſi ijdem impendere teneatur. Demum ſi (quod abſit) nos aut Dominum Ioannem nepotem noſtrum, Ducem abſque hærede maſculini ſexûs decedere contingat, extunc omnia pacta, conuentiones, diſpoſitiones, ordinationes, iuramenta fidelitatis & homagij, & obligamina quælibet confecta ſuper facto Regni Poloniæ ſupradicti, quæ nos aut noſtros & ipſius hæredes contingebant, eo ipſo annihilentur, irritentur, & viribus maneant caritura, nec alij Succeſſores noſtri, præterquam hæredes memorati, horum pactorum occaſione, ad liquidum iuris in eodem valeant vlterius vendicare. Sed Regnicolæ ipſi Regni Poloniæ ſuper ipſis liberi ſint penitus & exempti, ac per omnia expediti; ſaluis ſolutionibus quinque millium ſexagenarum groſſorum Bohemicalium, inclytæ Dominæ, filiæ ſeniori eiuſdem Domini Regis, tempore maritationis ipſius, prout per prædictum Dominum genitorem noſtrum aſſumptum fuerat, per nos plenè & integrè eidem perſolutis, de quibus in prædictorum compoſitionis & irritationis, ordinationis & annullationis euentu, volumus vt noſtris ſucceſſoribus ſeu hæredibus ſatisfactio impendatur per illum, qui præfato Poloniæ Regno præſidebit. Sic tamen, ſi prædictum Regnum in noſtras, vel dicti Domini Ioannis Ducis, noſtrorumque vel ipſius hæredum manus deuenire non contingat. Quod ſi deuenire contigerit, eo ipſo præfati, Rex & Regnum à debito dictorum quinque millium ſexagenarum ſint per omnia expediti. Pacta autem, conuentiones, diſpoſitiones, & ordinationes quaſcumque & inſtrumenta confecta ſuper ipſis temporibus quibus ſupra, cum omnibus ipſorum obligationibus ac promiſſionibus & firmamentis quibuscumque præſentibus, ratificamus & approbamus, & illibata iuxta conuentionum contentorum in eiſdem, formam ſub eiuſdem ſacramenti vinculo promittimus omnibus temporibus obſeruare. Inſuper omnes Duces, Prælatos, Eccleſias, Eccleſiaſticaſque perſonas, Barones, Proceres, Milites, Nobiles, ciuitates, villas, eorumque populos & inquilinos, in eorum libertatibus promittimus conſeruare, nec eos contra illas intendimus aggrauare, vel per alios patiemur aggrauari modo aliquali. In quorum omnium teſtimonium atque robur, præſentes conceſſimus literas noſtras duplicis ac pendentis ſigilli noſtri munimine roboratas. Datum Budæ vigeſima quarta menſis Iunij. Anno Domini milleſimo tricenteſimo quinquageſimo quinto.* 1355.

In vigilia Purificationis Sanctæ *Mariæ, Henricus* de *Kniprode Pruſſiæ* Magiſter, cum Cruciferis peregriniſque & propriis militibus *Lithuaniam* ingreſſus, diſtrictum *Myedniki*, & vniuerſam *Samogitharum* regionem populatur & vaſtat. Incenſis autem villis tectiſque ac impuberibus ſenibuſque cæſis, cum captiuorum multitudine ac ſpoliis *Ragnetham* rediit. Vbi caſtrum *Ragnetha* fortuito igne conflagrauit, & *Henricus* Magiſter equo prolapſus, in dextra manu confractus eſt.

Cruciferi Lithuaniam depopulantur.

Sublatis abrogatiſque iudiciis legibuſque iniquis, quibus *Caſimirus Poloniæ* Rex, vniuerſum Regnum ſuum *Poloniæ*, premi, grauari, & peſſundari, quoad militares & Nobiles, proſpexerat, ad abrogandum quoque grauamina, quibus ciues, Aduocati, & Sculteti, cæterique vſum iuris *Maydeburgenſis* non habentes, magna & continua mole affligebantur, animum intendit, vt tam in militari quam ciuili ſtatu, omnium grauaminum & abuſuum onere ſublato, vterq; ſtatus iuſto æquoque iure & obſeruantia viuens, ſub auctore & moderatore tam ſollicito, & in moribus, & in ſubſtantiis poſſet reflorere. Quamuis ſiquidem iudicia ciuilia, ex æquo & iuſto tenore, ſecundum *Maydeburgenſes* leges, in ciuitatibus, oppidis, & villis celebrarentur; quia tamen à ſententiis deciſionibuſq; Iudicum, crebras contingebat prouocationes, appellationeſque, per partes ſe grauatas exiſtimantes, interponi: Appellationumque articuli, cum vtriuſque partis propoſitione & reſponſo in *Maydeburg* (vnde iura *Srzedenſia* ſeu *Theutonica* habuêre ortum) expenſis & periculis prouocantium, velut ad ſupremum tribunal deferebantur, & quicquid illic reſponſum ſancitumque fuiſſet, id pro perpetua obſeruabatur deciſione. Suorum itaque ſubditorum grauamini, ſuique Regni commodo & honeſtati *Caſimirus Poloniæ* Rex conſulens, cum turpe indignumque cenſeret, vt ciuibus & ſubditis ſuis, iure *Srzedenſi* litigantibus, *Maydeburgenſes* ferrent iura, obſeruantiam huiuſmodi, communicato Prælatorum & Baronum ſuorum conſilio, velut perniciosam, nociuam, & 1356.

Caſimirus Rex caſſat appellationes ad ciuitatem Magdeburg interponi ſolitas.

1356. & ſubditorum ſuorum fortunas & ſubſtantias deuorantem, abrogauit, prouocationesque & appellationes ad *Maydeburg* amplius prohibuit fieri, aut factas admitti. Ne tamen rigor & proceſſus iuris & iudicii *Srzedenſis*, abrogatis appellationibus, cedere poſſet grauatis in diſpendium aut læſuram, ius ſupremum *Theutonicale* & eius tribunal in caſtro principali *Cracouienſi* conſtituit, & Aduocatum per ſolum Regem legendum, ſeptem verò Scabinos ex certis ciuitatibus & villis *Cracouienſi* vrbi vicinis, de ciuibus, Sculteтis, & Aduocatis, per Procuratorem generalem *Cracouienſem* legendos, & quoties aliquis tam exceſſu vel obitu vacaret, aſſumendos, in iure *Srzedenſi* peritos conſtituit, ordinans, vt hii in caſtro *Cracouienſi* ſupremum tribunal iuris *Maydeburgenſis* teneant, iudiciaque iuſta exerceant, & reſponſa ac iura appellantibus & prouocantibus, iuxta iuris *Srzedenſis* ordinationes & tenores, in vniuerſo Regno *Poloniæ* reddant. Quod ſi aliqui reſponſum & ſententiam, pro iure ſupremo per Aduocatum, & ſeptem Scabinos prædictos ferendam improbauerint, & ſe grauatos per illam crediderint, ad tribunal Regium prouocationem ſuam interponant, deciſionis ſex ciuitatum, videlicet *Cracouienſis, Sandecenſis, Bochnenſis, Vielicienſis, Ilkuſchienſis*, & *Caſimirienſis*, finalem ſententiam, a qua deinceps nulli licebit appellare, recepturi. Aduocatum autem & Scabinos huiuſmodi iudicio ſupremo præſidentes, *Caſimirus Poloniæ* Rex, quò onus iudicandi beniuolè ſubeant, & in iudicando exactam & ſolicitam diligentiam oſtendant, pluribus libertatibus priuilegiauit, & ſingularibus extulit prærogatiuis, per patentes literas, infraſcriptum habentes tenorem.

& ius Teutonicum tranſfert ad caſtrum Cracouienſe.

Tranſſumptum ordinationis ſuper tranſlatione iuris Maydeburgenſis ad caſtrum Cracouienſe.

In Nomine Domini. Amen. Quoniam humana conditio dominantis ſibi iugo libenter caruiſſet, & homines libertatem minimè abdicaſſent, ſi non impunita vita graui pernicie ſcelerum venundaſſent: Ideò Diuina ſcientia dati ſunt Reges populo, & Domini ſubiectis, vt neceſſario iuſtitiæ & iudicio ac imperio Regum ſubeſſent vniuerſi, cuilibet vero æquo libramine, ſtatera, lance, appenſa, ipſi Reges iuſtitiam miniſtrarent. Et proinde Nos Caſimirus Dei gratia Rex Poloniæ, nec non terrarum Cracouiæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ Pomeraniæque Dominus, & hæres Ruſſiæ, ad extollenda iuſtorum præconia, & tranſgreſſorum inſolentias reprimendas, animaduertentes noſtro Regno contra decorem & honorem illibatas, eiuſdem Regni noſtri, præter ſcientiam noſtræ Regiæ Maieſtatis verſaſſe corruptelas. Quia cum Aduocati, Stulteti, Scabini iurati iudiciorum bannitorum iuris Teutonici, dant litigantibus, in iudiciis eorum bannitis contendentibus, ſententias interlocutorias & diffinitiuas, in cauſis quam pluribus promulgant, dicti contendentes, ad partes remotas Rinenſes, in Maydeburg ciuitatem, cui nullo iure ſubſint, & vltra fines Regni noſtri appellationes & prouocationes interponunt, noſtræ Maieſtatis proprio A *Tribunali & Solio, nec non proprij Principis & Domini iure & iuriſdictione omiſſis & contemptis, & in detrimentum Regni noſtri, & Regnicolarum noſtrarum grauamen. Aduocati quoque Sculteti, Scabini, Iurati, prædicti Regni noſtri à contendentibus eiſdem, pro emendis ſententijs à Sculteтis in Maydeburg, per nouem ſertones latorum groſſorum Pragenſium, & nonnullas ſummas pecuniarum pro expenſis exigant, & extra Regnum noſtrum in Maydeburg, pro prædictis ſententijs emendis tranſmittunt: Per quæ honori, decori, iuriſdictioni, ſolio, tribunali, illibatis noſtris prædictis detrahatur, & turpitudo reſeruatur. Et quod deterius eſt, dicti* B *Aduocati, Scabini, Sculteti, Iurati, Iuriſdictionum Theutonicalium, cum inter litigantes iuſtitiæ reddere deberent complementum, difficiles ſe in hac re reddentes, ad ciuitatum nonnullarum dicti Regni noſtri Conſules, Aduocatos, Scabinos, Iuratos, quibus nulla à nobis ſuper iure ſupremo, & dandis ſententijs iure Maydeburgenſi, à noſtra Maieſtate Regali, nulla prorſus fuit vel eſt eis ſpecialis, ad aliqua loca ipſorum, extra eorum loca conſtituta, vltra terminos iuriſdictionis eorum, attributa poteſtas, & ad vendendum ius ſummum, noſtro Solio & tribunali duntaxat annexum, & ſententias aliquas dandum, extra fines eorum iuriſdictionis, ad illas ciuitates, villas, & loca, auctoritas conceſſa.* C *Sed ex quadam temeritate, contendentes coram eis, in cauſis tam paruis quàm magnis, pecunias compulerunt ponere non paucas, pro quibus ſententias à dictis ciuitatum Regni noſtri Conſulibus, Aduocatis, Scabinis, Iuratis, nullius prorſus ad hæc auctoritate fungentibus, ſententias extraxerunt, & ius emerunt. Quod viribus caruit, & non ſubſiſtebat, inſonteſque contendentes deludebant, ſumptibus, laboribus, impenſis, & in expenſis, ac earum pœna, fatigando minus iuſtè, contra quæ in noſtro Regno clamor aſcendit, & inſinuatio manifeſtat: quod Maieſtas noſtra, fama deferente, & clamore incitante, ſine periculo pertranſire, & ſine ſcandalo tolerare, & per noſtram Serenitatem oculis conniuentibus tranſ-* D *gredi non poteſt. Itaque cum Reuerendis in Chriſto Patribus Iaroſlao Archiepiſcopo Gneſnenſi, Bodzanta Cracouienſi, Sbiluto Wladiſlauienſi, Ioanne Poſnanienſi, Nicolao Plocenſi, & Ioanne Lubucenſi, Epiſcopis; nec non Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, cæteriſq; Prælatis & Canonicis tàm Cathedralium quàm Collegiatarum, & aliarum Eccleſiarum Capitularibus & Beneficiatis, tàm ſecularibus quàm Regularibus, exemptis, & non exemptis, Magnificis Caſtellanis, Palatinis, Camerarijs, Succamerarijs, Iudicibus, Subiudicibus, Baronibus, Militibus, Nobilibus, Conſulibus, Aduocatis, Scabinis, Iuratis, ciuitatum Sculteтis, & Officialibus villarum, & locorum ſingulorum vniuerſis,* 1356.

1356. *Synodum, Concilium, & Conuentionem celebramus. De quorum omnium & ſingulorum conſilio, appellationes, prouocationes, in dictis iudiciis faciendas, à litigantibus prædictis, pecuniaque prædicta ementes, exercentes, admittentes, ſententiasque prædictas in Maydeburg ementes, & ad ciuitatum aliquarum dicti Regni noſtri, Iudicibus, Aduocatis, & Scabinis Iuratis, ius aliquot abſque noſtra ſpeciali auctoritate per quoſpiam Iudices, Aduocatos, Scabinos, Iuratos, litigantes, ementes & recipientes, ſententias aut ius aliquod, & receptis aliqualiter ſtantes, aut ea pro iure habentes, ſub pœna amiſſionis omnium bonorum ipſorum, auctoritate noſtræ Maieſtatis Regiæ inhibemus. Volenteſque noſtris prædictis Regnicolis, damna, grauamina, fatigas & ſumptus remouere, profectum quoque & vtilitatem eis, noſtrique Regni & Regiæ Maieſtatis honorem & decorem ampliare, libros iuris Maydeburgenſis ordinamus, & in theſauro noſtro caſtri Cracouienſis depoſuimus. In eodem quoque caſtro noſtro Cracouienſi, conſtituimus ius ſupremum Theutonicale Prouinciale, vice & loco iuris Maydeburgenſis, de libris eiuſdem promulgari debere, ſententias & iura per Aduocatum noſtrum, & ſeptem ſcultetos ſeu Aduocatos, dicti Iuris Prouincialis peritos, quos noſtræ Maieſtatis Procurator generalis qui pro tempore fuerit dicti caſtri & terræ noſtræ Cracouienſis, vna cum Aduocato noſtro prædicto de locis infraſcriptis, inter Aduocatos & Scultetos ſeu alios Scabinos Iuris peritos, duxerit recipiendos, nominandos, eligendos, & ad tempora iura eorum iudicio noſtro Summo Prouinciali, caſtri Cracouienſis, banniendo more conſueto, temporibus competentibus & locis, videlicet de Bochnia, Wieliczka, de Dobrzyce, de Lipnicza, de Miſlinice, de Ilkuſch, de Volbram ciuibus, Aduocatis, de Lipniki, de Sulſzovva, de Irzmanovvicze, Scultetis noſtræ Regiæ Maieſtatis, de Bodzanovv, de Calonna, de Iapſchicze, de Skavvina, de Ribna, de Biſchki Tbincienſis, de Brzesko, de Kunovv Brzeſtinenſis, de Glogovviecz Sczirzicenſis Abbatum, de Lubocza, de Pobiednik, de Bibice Zvvierzynenſis Præpoſiti, monaſteriorum, Aduocatis & Scultetis, nec non aliis locis Scabinis, honeſtis & circumſpectis viris in dicto iure Maydeburgenſi peritis, & qui Sede Scabinali ſunt digni, qui ſint ſeptem in numero, ſemper præſidentes perpetui, & quod ſeptennalis numerus non excedatur. Ad quod quidem iudicium in numero, numerum ſummum, Prouinciale caſtri noſtri Cracouienſis, & Aduocatum noſtrum, nec non Aduocatos, Scultetos, & alios ſeptem præſidentes, eidem iudicio lato, prædictarum prouocationum, & ad appellationem in Maydeburg prorumpi conſueuerunt, licitum erit eis ab his omnibus Iudicibus, Aduocatis, Scultetis tam ciuitatum quam villarum, quibuſcumque contendentibus & litigantibus, appellare & prouocare, & coram eiſdem proſequi, & finire, decidereque ſuam appellationem, ſeu ſuper eiſdem, & alias per ſimplices propoſitiones, ſine appellationibus, ius & ſententias poſtulare de libris noſtris prædictis, iure Maydeburgenſi. Quibus ſententiis & iuri ex eiſdem promulgatis, auctoritate noſtræ Regiæ Maieſtatis decernimus, velut legi ſtandum, & tanquam legem obſeruandum, niſi aliqui contendentium prædictorum duxerint ſuper ſuis quæſtionibus & cauſis, ius melius & ſententias proponentes, & ex eiſdem ab ipſis ad tribunal, & in alium noſtræ Maieſtatis promulgatorum iuris & ſententias licebit eis appellare, & infra tempus dum ius Maydeburgenſe librorum noſtrorum a nobis, ſuper eorum prouocatione obtinere certos Commiſſarios, quos volumus & decernimus fore Conſules ciuitatum, vnde ipſos appellantes nominauerint, alteri parti non ſuſpectos, de qualibet ciuitate per duos Conſules, videlicet de Cracouia, Sandomiria, de Bochnia, de Wieliczka, de Caſimiria, de Ilkuſch, qui ex noſtra ſpeciali commiſſione decident appellationem, & finem negotii appellationis cauſæ imponent. Et ne præfati Aduocatus noſter, & alii Aduocati, Sculteti, & Scabini, ſeptem prædicti perpetui præſidentes, circa iudicium noſtrum & iura prædicta dando & laborando, ſuper eiſdem dies in vanum exponant, vt litigantes prædicti laboribus, fatigis, & expenſis more priſtino non grauentur, conſtituimus obſeruandum in antea, pro quolibet ſententia danda, duntaxat per ſeptem ſcotos, videlicet medietatem pro fiſco noſtro, & medietatem alteram prædictis præſidentibus ſeptem Scabinis inter ipſos pro labore ipſorum diuidendam, per Notarium memorialia & Priuilegiorum literas eorum dandas. De quibus iuxta eorum moderationem diſponere habent ratione onerum leuandas & dandas. De pœnis autem dicti Iudicii noſtri, pro nobis Aduocatus noſter quatuor pœnas, & quintam pro Scabinis prædictis exigere debebit. Et vt præfati Scabini dicti noſtri Iudicii ſupremi, eo fortius, & cum exacta diligentia, Iudicio ſummo prædicto noſtro, & ſententiis promulgandis diligentius inſiſtant & contineunt, ipſos ſeptem Scabinos & quemlibet eorum, Maieſtas noſtra extollere volens prærogatiua, fauore, & gratia ſpeciali, ipſos & eorum quemlibet, eximimus ab omnibus exactionibus, tributis, contributionibus, & aliis collectis, laboribus, ſeruitiis, expeditionibus, ad quaſcumque partes per nos & ſucceſſores figendis, & obedientiis quibuſcumque, tam noſtris, quam ipſorum Dominorum; nec non a iudiciis & iuriſdictionibus ipſorum Dominorum, nec non & Caſtellanorum, Palatinorum, Iudicum, Subiudicum, Camerariorum, Succamerariorum, cæterorumque Officialium terreſtrium, nec non Aduocatorum, Conſulum, Scabinorum, & quarumcunq; poteſtatum, quilibet nulla ratione obediet. Neque citati in magnis vel paruis cauſis, coram nobis aut Officiali ipſo comparere & reſpondere tenebuntur, ſed duntaxat ad præſentiam noſtram, & ſpeciale Sigillum noſtrum, coram nobis aut ſpeciali Commiſſario noſtro ad hoc deputato reſpondere te-* 1356.

1356. *tenebuntur, & quilibet eorum reſpondebit. Vt autem præmiſſa omnia robur obtineant perpetuæ firmitatis; præſens Priuilegium de conſilio & conſenſu prædictorum omnium Dominorum Aſſeſſorum noſtrorum ſcribi, & Sigilli Noſtræ Maieſtatis Regalis maioris appenſione fecimus communiri. Actum & datum Cracouiæ, anno Domini milleſimo triceenteſimo quinquageſimo ſexto, in craſtino S. Franciſci. Præſentibus præfatis Archiepiſcopo & Epiſcopis; nec non Magnificis viris Dominis, Luca Caſtellano, Imramo Palatino, Andrea Iudice, Cracouienſibus; Vilezkone Sandomirienſi, Raphaele Viſlicienſi, Petro Sandomirienſi, Caſtellanis, & aliis quàmplurimis.*

Fulgore plurimarum virtutum, & præ- B ſertim iuſtitiæ & æquitatis, quamuis *Caſimirus Poloniæ* Rex non ſolùm intra fines Regni & Dominii ſui, ſed etiam apud exteras nationes celebris & inclytus haberetur, vt fama & odore eius, variæ nationes, & præſertim *Almanicæ*, quas ſpeciali proſequebatur beneuolentia, & prærogatiua, attractæ natiuo ſolo & propriis ſedibus derelictis, ad Regnum *Poloniæ* ſe transferrent; & in eius dominio perpetuum cum pignoribus & fortunis eligerent incolatum. Nonnulli quoque Barones & Nobiles Regni *Poloniæ*, quos à grauamine & iniuſta deroboratione propriorum emethonũ coercuerat, dum priſcas ſuas paſſiones facere per Regem vetarentur, illum ſibi grauem, moleſtum, C & inuiſum quererentur, blanda tamen labe, & humani generis acerrima peſte luxuria, carere non potuit. Sed vt in ſuperioribus commemorauimus, plures pellices pro ſocietate libidinis explenda, ex variis locis lectas, in variis locis & curiis ſeruans, vxore propria *Adleyda* Regina, fœmina deuota & religioſa, contempta, & derelicta, illarum contubernio & cohabitatione publica & notoria, ſe nomenque ſuum Regium plurimum adeò fœdauit, vt cæteras quoque virtutes ſuas obſcuratum iri pateretur. Regina itaque præfata *Adleyda*, quæ in Curia *Zarnovviecz* pulcherrimo muro & cocto latere per *Caſimirum* Regem conſtructa, quaſi quædam relegata & vile mancipium ſeruabatur, raro vi- D dens faciem Regis, quamuis omnibus neceſſariis ſufficienter & abundè procuraretur; opprobrii tamen ſui moleſtias, quas annis propè quindecem tulerat, pertæſa, grauiter ferens ſe contemni, & pellices ſuo honeſto & caſto thoro præferri, ac loco ſuperiori haberi, parentem ſuum *Henricum* Landgrauium *Heſſiæ* (adhuc enim viuebat) literis & Nunciis compellebat, precabaturque *vt ſe à calamitate opprobrioque eriperet, & eam in domicilium paternum, ne videre cultum & pompam pellicum cum ſuo contemptu & ignominia cogeretur, transferret. Caſimirum* enim *Poloniæ* Regem maritum ſuum illecebras carnales, nedum iuxta admonitiones & conſilia Pontificum & Conſiliariorum abdicaſſe, ſed effuſius in illas præ-

Regina Adleyda in Zarnovvlecz

diu pellices Caſimiri Regis ferens,

obtinet a patre ſe in Heſſiam reportari.

cipitatum fuiſſe conſtabat. Qui ſollicitis precibus non contentus, *Bohemam* quandam No- A bilem *Rokiczianam* nomine, forma rara & præſtanti, ex *Praga* (in quam ſæpè deſcendere, & illic immorari conſueuerat) abductam, ea tempeſtate ſibi iunxerat; & eius cohabitatione, quam nonniſi per deſponſationem Abbatis *Thynietenſis* Pontificalibus indutum, muliere Epiſcopum *Cracouienſem* credente, in ſuos tranſire amplexus pellexerat, inſignior in facinore apud proprios & exteros cenſebatur. *Henricus* itaque Landtgrauius *Heſſiæ*, precibus filiæ victus, *Poloniam* ingreſſus, & in *Zarnovvtecz* perueniens, Reginam *Adleydam* cum omnibus quæ ad illam pertinebant, & omni ſupellectili ex *Zarnovviecz* educit, & in *Heſſiam* Rege *Caſimiro* & Capitaneis ſuis non prohibentibus, XVIII. Calend. Octobris transfert & traducit. Vbi præfata Regina *Adleyda* non poſt longum tempus, quam præter ſcientiam & licentiam mariti ſui *Caſimiri Poloniæ* Regis diſceſſerat, diem obiit. *Caſimirus* deinde *Poloniæ* Rex, quamuis concubinam ſuam præfatam, ſpecie illius captus, *Rokiczianam*, ardenti diligeret amore, relatione tamen vnius cubicularii ſui doctus, & tandem relationi parum fidens, oculis propriis iudicium permittens, dum comperiſſet quod in capite calua & ſcabioſa foret, eam illico repudiauit; & *Iudaici* generis fœminam, *Heſter* nomine, propter formæ elegantiam, in concubinam aſciuit: ex qua duos filios *Niemierzam*, & *Pelkam* ſuſcepit. Ad preces quoque præfatæ *Heſter Iudææ* & concubinæ, exorbitantes prærogatiuas & libertates per literas ſingulis *Iudæis*, in Regno *Poloniæ* habitantibus, quæ falſo ſcriptæ ab aliquibus inſimulabantur, & quibus Diuina Maieſtas contumeliatur & offenditur, conceſſit: quarum fœtor olidus etiam in diem hanc perſeuerat. Et alter quidem filiorum, ex *Iudæa* ſuſceptorum, Regiorum, *Pelka*, naturali morte & immatura diem obiit: *Niemierza* verò, morte *Caſimiri* ſecuta, in obſequiis *Wladislai Lithuani*, poſtea *Poloniæ* Regis, obuerſatus, oborta contentione propter Padvvodarum exactionem, ab oppidanis in *Koprzivvnicza* occiſus eſt. Id quoque abominabile & execrandum, quod filias ex eadem *Iudæa Heſter* ſuſceptas, in ritum *Iudaicum* transferri aſſeritur permiſiſſe.

1356. *Rex Bohemam quandam ſecrete ducit in vxorem,*

poſtea Iudæam pellicem accipit,

cuius gratia multas Iudæis libertates donat.

In Vigilia Sanctæ *Agnetis Lithuanorum* Duces, *Olgyerth, Kyſtuth, Patrikig*, in magno & forti exercitu terram *Pruſſiæ* ingreſſi, pluribus diebus tam in longum quam in latum eam cædib9, igne, & ſpoliis populantur. Adeò quoque tunc in illam (Magiſtro & Cruciferis non prodeuntibus in aciem, ſed tueri tantummodò caſtra contentis) graſſati, & ferè vniuerſam *Pruſſiam* crediti ſunt hoſtiliter peruagaſſe. Cæde autem barbarica in ſenes & impuberes edita, cum plurimis & penè innumerabilibus tam captiuis quam ſpoliis in *Lithuaniam* rediere.

Lithuani omnem Pruſſiam depopulantur.

1357.

Venceſlaus Bregenſis Dux ſua ſorte non contentus, in Ludouici fratris ſortem aſpirat.

Anxiatus mente & corpore *Venceſlaus* filius natu maior, *Boleſlai* olim *Bregenſis* & *Legnicenſis* Ducis, quod *Legnicenſis* ciuitas, & terra, fratri iuniori *Ludouico*, in diuiſionis ſorte ceſſiſſet, quæ ad ſortem in eum cadentem, *Haynouiam* videlicet, *Golthberg*, & *Lubin*, multis gradibus potior, propter mineram auream, in montibus *Legnicenſibus* exortam (de qua ſingulis hebdomadis centum quadraginta marcæ auri, pro ſorte, lucro, & decima Ducali proueniebant) cenſebatur, graues guerras diſſenſiones, & odia, in *Ludouicum* Ducem *Legnicenſem*, germanum ſuum, cœpit mouere; ratus illum ad ineundum alteram diuiſionem magis æquam, de prioris iniquitate & circumuentione multa queſtus, cogi poſſe. Sed *Ludouico Legnicenſi* Duce contractum & ordinem celebratæ ſemel diuiſionis nolente infringere, & fraternas in ſe guerras per patientiam excipiente, *Venceſlaus* maiori odio in *Ludouicum* fratrem æſtuans, quòd in nullo voto vellet illi eſſe morigerum, *Carolum* tunc adhuc Marchionem *Morauiæ*, in abſentia Patris ſui *Ioannis Bohemiæ* Regis, apud *Francorum* Regem in *Galliis* agentis, *Bohemiæ* adminiſtrantem Regnum accedens, ſortem omnem quæ ei obuenerat, ſibi exhibebat venalem, *Ludouico* fratri *Legnicenſi* Duci, & filiis eius ſucceſſionem (ſe, qui tunc infœcundus extabat, moriente, liuore illum exagitante,) præcluſurus. Non abnuente autem *Carolo* Marchione *Morauiæ* oblatam ſibi per *Venceſlaum* Ducem emptionem, concluſionem tamen facere in tempus differente aptius, *Venceſlaus* Dux ex *Praga* reuerſus, apertis deprædationibus & rapinis, fratrem ſuum Ducem *Ludouicum*, & ſuum Principatum *Legnicenſem* laceſſebat. Communes itaque Barones & militares, diſcordias fraternas extincturi, prouiſurique ne ex venditione per *Venceſlaum* Ducem, de ſorte ſua *Carolo* Marchioni fienda, exhæreditatio *Ludouico* & filiis eius, iam de filia *Henrici Glogouienſis* & *Zeganenſis* Ducis ſuſceptis proueniat, *Ludouicum* Ducem *Legnicenſem*, demonſtrando quòd germanus ſuus *Venceſlaus*, homo languidus, & propediem moriturus eſſet, ad cedendum de ſua ſorte *Legnicenſi*, & ad ſortem recipiendam *Venceſlai*, pretio & largitione corrupti, inducunt. Priore itaque diuiſione, in ſpem quòd ſors vtraque debeat ad *Ludouicum* ex morte propinqua *Venceſlai* deuolui, irritata, nouus celebratur contractus, *vt videlicet Venceſlaus Dux Legnicenſem ſortem habeat, Ludouicus Haynouienſem & Venceſlao obeunte, etiamſi liberos eum relinquere contingat, Ludouicus vtramque Principatus, ad vita tempora poſſideat, nec poſſint filii Venceſlai, eo viuente, aliquam obtinere, portionem. Sed decedente Ludouico, noua ex æquo inter Venceſlai & Ludouici filios diuiſio celebretur.* Contractu huiuſmodi literis & iureiurando firmato. *Ludouicus* Dux in tenuem ſortem redactus, Sedem ſui Principatus in villa *Buchvvalt*, caſtris non extantibus, apud quæ conſiſteret, ponere coactus ſtatum ſuum Ducalem nonniſi quadringentis marcis, quæ erant ſortis ſuæ totales introitus, vtcunque ſuſtentabat. *Venceſlaus* autem *Legnicenſis* Dux, quaſi cum exoſa ſorte etiam languorem reliquiſſet, ex debili fortis, ex claudo, baculorum ſuſtentaculis reiectis, ſanus effectus, largitionibus & ſumptibus vacare diffuſius cœpit. Quibus adeò exinanitus, & ad egeſtatem (aureis mineris prodigam vitam ſuam explere non valentibus; quæ & ipſæ, poſt annos octo ex quo cœperant, aruerunt) perductus eſt, vt nec vilem expenſam ducere, tamen ſæpè pati coactus, potuerit.

Quam etſi eſſet aſſecutus,

ſe tamen ab egeſtate vindicare non potuit.

1357.

Caſimirus tertiam ducit vxorem.

Coniugem alteram, *Adleydam* Reginam, *Caſimirus Poloniæ* Rex, rebus exceſſiſſe humanis cognoſcens, tertiam ſuperduxit. Et miſſis ad *Henricum Glogouienſem* Ducem procis, filiam eius *Heduigim*, virginem tam forma quàm moribus ſpectabilem, accepit in conſortem, & nuptias *Cracouiæ* ex more celebrat.

Vigeſima ſexta menſis Aprilis, *Cunegundis* filia *Caſimiri* Regis, & vxor *Romani* Ducis *Saxoniæ* moritur.

Clemente Plocenſi mortuo

eligitur Ianiſlaus Wronsky,

Graui & diuturna ægritudine *Clemens Plocenſis* Epiſcopus vexatus, cum annos quatuor & viginti ſediſſet, moritur, & in Eccleſia *Plocenſi* ſepelitur. Et licet Capitulum *Plocenſe*, electione ſeptima Aprilis die celebrata, conformiter & canonicè *Ianiſlaum Wronsky* Canonicum *Plocenſem* elegiſſet, Summo tamen Pontifice, Duce *Maſouiæ Semouito* conſentiente, electionem eius variis modis impediente, confirmatio ſua fuit protelata. Quam cum aſſecutus eſſet, a *Iaroslao* Archiepiſcopo *Gneſnenſi* confirmatus, & conſecratus, poſſeſſio tamen illius per Ducem *Semouitum* fuit negata. Præfecerat enim Sedes Apoſtolica, electione Capitulari non obſtante, in *Plocenſem* Epiſcopum Fratrem *Bernhardum* de ordine Prædicatorum, natione *Maſouitam*, qui & per Ducem *Maſouiæ Semouitum*, & Capitulum prohibitus & impeditus, ad poſſeſſionem Eccleſiæ non poterat peruenire; durauitque controuerſia ipſa annis ſeptem. Tandem anno ſeptimo, lite pendente, præfatus *Ianiſlaus* in Epiſcopum conſecratus eſt, & tum primùm bonorum Epiſcopalium poſſeſſionem adeptus, *Caſimiri Poloniæ* Regis interceſſione adiutus. Quæ omnia Bullæ Summi Pontificis exemplar, quod ſubſcribitur, declarat.

Papa autem eligit Bernardum.

Obtinet tandem poſt annos ſeptem Ianiſlaus.

Tenor bullæ P. R. ratione Epiſcopatus Plocenſis.

Innocentius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Gneſnenſi, & Wladiſlauienſi ac Poſnanienſi Epiſcopis Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Nuper chariſſimus in Chriſto filius noſter Caſimirus Poloniæ Rex Illuſtris, per ſuos Ambaſiatores & Nuncios, ſuper his & ceteris aliis ipſius Regis negotiis, ad noſtram præſentiam deſtinatos, coram Nobis fecit reuerenter proponi. Quòd licet Eccleſia Plocenſis, quæ in ſuo Regno Poloniæ exiſtit, ſecundum qualitatem illius regionis, nobilis & ſolennis, & in finibus Chriſtianitatis,

in

1357. *in frontario infidelium Lithuanorum conſtituta, & per ipſius Regis progenitores dotata & fundata exiſtat: nonnullaq; ipſius caſtra, munitiones, & loca fortia & inſignia pro defenſione Chriſti fidelium, in confinio infidelium fore noſcantur: eiſdemque Chriſti fidelibus eſſet expediens & neceſſarium, talem eidem Eccleſiæ præeſſe Paſtorem, qui gratus & fidelis eſſet prædicto Regi, ac omnibus fidelibus & incolis dicti Regni, & in quo idem Rex confideret, quique caſtra, munitiones, & loca prædicta, ſecuritatemque eiuſdem Regni, contra incurſus hoſtium crucis Chriſti, vellet & valeret fideliter præſeruare: ac genitor Venerabilis fratris Noſtri Bernardi Epiſcopi Plocenſis, pro eo quòd ciuitatem Sandomirienſem, quæ in dicto Regno exiſtit, in manus infidelium, hoſtium Regis & Regni prædictorum, proditoriè, etiam læſæ Maieſtatis ex hoc, & alias damnabiliter incurrendo crimen, traduxerat, exinde conuictus, de huiuſmodi Regno, cum dicto Bernardo, & aliis deſcendentibus ab eodem Patre, vſque ad tertiam generationem, perpetuò bannitus & proſcriptus fuiſſet: Ipſeque Bernardus propterea eiuſdem Regis & Regni inimicus, & eis ſuſpectus exiſteret, ipſiuſque Eccleſiæ fructus, reditus, & prouentus, ſex millium florenorum auri ſummam excedere dinoſcerentur; ac olim dicta Eccleſia per obitum bonæ memoriæ Clementis Epiſcopi Plocenſis, qui in partibus illis diem clauſit extremum, vacans, dilectus filius Ianislaus, eiuſdem Eccleſiæ Plocenſis Canonicus, in Epiſcopum Plocenſem, per dilectos filios, Capitulum ipſius Eccleſiæ concorditer electus, eiuſque electio auctoritate Metropolitanâ confirmata fuiſſet: tamen præfato Bernardo de præmiſſis penitus mendaciter ſuggerente, Nobis prædictam Eccleſiam modicum, eiuſque fructus, valoris anni trecentorum florenorum auri vel citra exiſtere. Nos ſuggeſtione & taciturnitate huiuſmodi circumuenti, de perſona dicti Bernardi eidem Eccleſiæ, cuius prouiſio antea fuit diſpoſitioni Apoſtolicæ reſeruata, prouideramus, eumque illi præfeceramus in Epiſcopum & Paſtorem. Idemque Bernardus tanquam ſibi malè conſcius, & mala quæ contra dictum Regem gerebat, in mente per actus exteriores oſtendens, cum literis quæ ſuper prouiſionem huiuſmodi ad dictum Regem iuxta morem dirigebantur, non ad præſentiam eiuſdem Regis, à quo caſtra & loca huiuſmodi, & omnia bona temporalia dictæ Eccleſiæ in feudum teneri noſcuntur, neque ad Eccleſiam ipſam per ſe vel per alium, vt fidelis & diligens adminiſtrator, ſed velut ipſius manifeſtus hoſtis & mercenarius, non diligens oues ſibi commiſſas, ad quoſdam notorios inimicos dictorum Regis & Regni ſe transferens, multos inibi per ſe, vel per alios, de dicto Regno Clericos & laicos, proceſſus excommunicationis, ſuſpenſionis ſententias, & alias cenſuras & pœnas continentes, fecerat, & etiam publicauerat, in magnum dictorum Regis & Regni, præiudicium, ac ſubditorum & Eccleſiæ prædictorum non modicam læſionem: ſeque cum eiſdem dicti Regni inimicis confœderauerat & coniunxerat, habitans cum eiſdem, & ex his atque aliis ita infidum & ſuſpectum dictis Regi & Regno ſe reddiderat, quòd idem Rex de maiori contra ſe & dictum Regnum, per ipſum Bernardum facienda, quàm prædicta, alia proditione, dubitabat. Nos dilecto filio noſtro Franciſco, tituli Sancti Marci Presbytero Cardinali, commiſimus viuæ vocis oraculo, vt ſe de præmiſſorum infamiâ informaret: quæ exinde reperiret, nobis deinde delaturus. Cumque poſtmodum idem Cardinalis, huiuſmodi informatione per eum recepta, nobis retuliſſet, ſe præfatum Bernardum reperiſſe ſuper his diffamatum, Nos vobis noſtris dedimus literis in mandatis, vt vos, vel vnus veſtrum, vel vos per alium ſeu alios, eundem Bernardum ex parte noſtra citare curaretis, vt infra trium menſium ſpatium, poſt citationem huiuſmodi computantes, noſtro ſe conſpectui repræſentaret, facturus & recepturus pro præmiſſis, quod iuſtitia ſuaderet. Et deinde omnes prædictos, & propter præmiſſa, & eorum occaſione, etiam literarum noſtrarum factos proceſſus, extunc vſque ad quinque menſes, à data præſentium computandos, auctoritate Apoſtolica ſuſpendimus. Eidemque Bernardo diſtrictius inhibemus, ne interim occaſione præmiſſorum proceſſus per ſe vel per alium, ſeu alios, vſque ad huiuſmodi finem dictorum quinque menſium, ſeu prætextu dictarum literarum, vel alias fieri faceret vel procuraret, extunc decernimus irritum & inane; ſi ſecus ſuper huiuſmodi negotio, vel quocumque alio, ſcienter vel ignoranter contingeret attentari, prout in diuerſis noſtris inde confectis literis plenius continetur. Nos igitur ipſius Regis ſupplicationibus inclinati, fratribus veſtris per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos aut duo aut vnus veſtrum, per vos, vel per alium, vel per alios, huiuſmodi ſuſpenſionem, inhibitionem, & decretum, vbi & quando vobis expedire videbitur, auctoritate noſtra ſolenniter publicare curetis. Contradictores auctoritate noſtrâ, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, non obſtante, ſi aliquibus communiter vel diuiſim, à Sede Apoſtolica ſit indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas, non facientibus plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto huiuſmodi mentionem. Inſuper cum pro parte dictorum Regis, Clericorum, & laicorum aſſecuratur, prædictas excommunicationis ſententias ſecundum præmi-*

1357. *miſſa fore nullas, Nos ipſorum Clericorum & laicorum animarum ſaluti & ſtatui vberius prouidere cupientes, Vobis & veſtrum cuilibet, per vos vel per alium ſeu alios, prædictos Clericos, & laicos, ab huiusmodi excommunicationum ſententijs, ſi hoc humiliter petierint, & de ſtando iuri ſuper præmiſſis cautionem præſtiterint; ad cautelam abſoluendi, & cum ipſis ſuper irregularitate, ſi quam ſic ligati, non tamen in contemptum clauium, celebrando Diuina, vel immiſcendo ſe illis, contraxerint, diſponendi; plenam & liberam eadem auctoritate, concedimus tenore præſentium facultatem. Datum apud Villam Nouam Auinionenſis diœceſis, ſecundo Idus Auguſti, Pontificatus noſtri anno octauo.*

Pruſſiæ Magiſter in Lithuaniam agit expeditionem

Crudeli clade & vaſtatione *Pruthenicæ* terræ per *Lithuanos* anno ſuperiori irrogatâ, *Almanorum* Principes & milites, poſtquam Magiſtri & Cruciferorum Nunciis eam eueniſſe accepiſſent, permoti, in frequenti numero & multitudine, de *Franconia*, *Anglia*, *Sueuia*, inter quos Dux *Nurumburgenſis* principalior habebatur, Catholicis contra gentiles laturi auxilium, adueniunt. Quapropter *Pruſſiæ* Magiſter *Vinricus*, ex eorum aduentu magnos auſus ſumens, expeditionem ſuis contra *Lithuaniam* indicit. Et exercitu notabili ex forenſibus, & propriis armato, cuius *Zifridum* de *Dawelth Pruſſiæ* Marſchalcum conſtituit Ductorem, in *Lithuaniam* veniens, Barbaris non facientibus dimicationis copiam, in agreſtes, (quorum præcipua pars in ſyluas & in loca paludinoſa & inuia ſe condiderant) in tecta item & rura, omne genus ſæuitiæ iuſſit depromi. Et peragrata vniuerſa ferè *Lithuania*, atque flammis in cineres & fauillam redacta, cum ſpoliorum multitudine & captiuorum magno numero, nullam hoſtilitatem & reſiſtentiam expertus, in *Pruſſiam* rediit.

1358. Singulas deordinationes, ſpolia tamen præſertim & furta, *Caſimirus Poloniæ* Rex abhorrens, pro eorum eliminatione præcipuam curam intendere non omittebat, nulli deferens conditioni, auctoritati, ſtatui, vel ætati. Erat ea tempeſtate Baro quidam in *Poloniæ* Regno, & generis nobilitate & opibus inſignis, ex domo quæ caput ceruinum, cornibus in altum porrectis, & intra cornua lupum pro inſigni deferre conſueuit, & vulgare proclama habet *Napiuowye*, ortus, *Matthias* nomine, qui apud *Polonos* vulgari appellatione *Maczko Borkowicz* dicebatur.

Matthias Borkowicz

Hunc *Caſimirus Poloniæ* Rex, etiam Magiſtratu publico, Palatinatu videlicet *Poſnanienſi* extulerat, æſtimans illum Reipublicæ plurimum profuturum. Is autem furum & prædonum in oris illis, in quos animaduertere debuerat, cœpit eſſe primum clandeſtinus receptator: expoſt verò ipſorum furtorum & ſpoliorum præcipuus auctor. 1358. *propter furum & prædonum conſeruationem* Quem *Caſimirus* Rex *Poloniæ*, correctione benignâ primum obiurgans, deinde pœnarum denunciatione decernens atque deterrens, non poterat à propoſito reuocare, nec conſuetudinem radicatam aliena rapiendi, in viro propriis abundanti, euellere. Quamuis enim per literas patentes ſigillo ſuo munitas, ſe *Caſimiro* Regi pariturum, & à ſingulis factis ceſſaturum promiſerit, in generis tamen ſui præeminentia & dignitate Palatinatûs confidens, ad ea quibus ſe abdicauerat, quibus ſe quoque nunquam amplius vſurum iureiurando aſtrinxerat, relabebatur. Querelis ſubiectorum crebro Regem hac in re impetentium, ipſa quoque indignitate rei Rex *Caſimirus* motus, *Matthiam Borkowicz* Palatinum *Poſnanienſem* prædictum ad ſe in *Caliſz* venientem captiuat, & pro ſuis notoriis facinoribus, decreto Regio in mortem condemnat, ac catenatum in caſtrum *Olſchtin* transmittit, & in fundum horridi carceris deponit. Nec ſimplici morte mulctare illum contentus, fame & inedia excruciatum iuſſit conſumi. *fame necatur,* Iuſſu enim Regis nonniſi manipulus fœni, & ſcyphus aquæ ſibi appoſitus, in eam rabiem hominem vertit, vt proprias carnes quoad poſſet, ſatiando famis voraginem, ex manibus cæteriſque locis detraheret. Denunciatus fuit germanus ſuus, *Ioannes* hæres in *Czacz*, in vltionem mortis fraternæ, ſeditionem, rebellionemque contra Regem ſuſcitaturus; ſed & hunc *Caſimirus* Rex corripiens peremit. *vna cum fratre,* Caſtra quoque eorum & fortalitia, videlicet *Kozmin* & *Czacz*, & vniuerſa quæ iuris erant illorum, abſtulit, & proprietati Regali adiecit. *& bona coru confiſcantur.* Habet & nonnullorum aſſertio, *Caſimirum* Regem in *Matthiam* Palatinum, pro eo, quòd de ſtupro Reginæ inſimulatus fuerit, tam ſæuam ſententiam exercuiſſe; Propter quod quadraginta diebus fame tabeſcens mori non potuit, donec ſacro viatico procuratus, condignam ſe mortem pertuliſſe in ipſo agone vniuerſis denunciauit. Filius autem ſuus in *Saxoniam*, in *Brandeburgenſem* Marchionatum, ſæuitiam *Caſimiri* Regis veritus, diuertens, clandeſtinis inuaſionibus Regnum *Poloniæ*, ſpoliis, igne, & captiuatione nobilium & mercatorum, aliquanto tempore affligebat. Proceſſu verò temporis in oppido *Koſtrzazow*, dum prædas ageret, à ruſticanis hominibus inuaſus, cum ſuis omnibus occiſus, temeritatis ſuæ pœnas pendit.

Maſoniæ Duces & ſubditi decimas Po-

Quindecimo Calend. Februarii, *Caſimirus Poloniæ* Rex, apud oppidum Epiſcopa-

1358. *[Poſ]nan. Epiſc. reddere coguntur.* pale *Racziąſz* agens, *Ioannem Poſnanienſem* Epiſcopum, cum *Semouito* Duce *Maſouiæ* & *Varſchouiæ* componit, & magnam ſedat differentiam. Mandando per ſententiam diffinitiuam, vt Dux *Semouitus*, & ſui ſubditi, decimas in villis noualium conſiſtentes & conſurgentes, Epiſcopo *Poſnanienſi*, & ſuæ menſæ reddant, & reddere ſint aſtricti. Proferens huiuſmodi ſententiam ſub præſentia *Matthiæ* Epiſcopi *Wladislauienſis*, *Wladiſlai* Ducis *Gniewkouienſis*, & aliorum plurimorum.

Monaſteriũ ex Mąką in Caliſch transfertur. Feria tertia infra Octauas Sanctorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum, *Caſimirus Poloniæ* Rex ſecundus, monaſterium vel potius cellam fratrum Canonicorum Regularium Sancti *Auguſtini*, quod primariè fuerat in villa *Mąká*, medio miliari à *Siradienſi* oppido fundatum, de conſenſu *Conradi* Abbatis *S. Mariæ Wratislauienſis* de Arena, ſub cuius tunc conſiſtebat ditione & obedientia, transfert in *Caliſch*, & fratribus dicti Monaſterii, Eccleſiam Parochialem *S. Nicolai* in *Caliſch* aſſignat, quæ tunc per fugam ſui Rectoris immediati *Martini* vacabat. Præfatus enim Plebanus, parum modeſtè iniuriam cocæ ſuæ, quam nonnulli adoleſcentes filii ciuitatis, in dolium aqua ſordida plenum, iocando proiecerant, vnum ex illis gladio transfoſſum occidit, & ex *Caliſch* fugiens, amplius redire non præſumpſit. Tulit autem *Caſimirus* Rex à monaſterii præfati fratribus, quatuor villas, videlicet *Mąkam*, *Polkowo*, *Węglowo*, & *Luboradzice*, & eas Regiæ menſæ applicauit. In quarum recompenſam monaſterio *Caliſſienſi* villam optimam *Kuchari*, cum prædio, item duas vineas, circa *Caliſch* contulit. Cuius monaſterii ſic tranſlati, Præpoſitus fuit primus, frater *Matthias*.

Ludouico Hungariæ Regi nata eſt filia *Catharina*, ex Regina *Eliſabeth*, filia *Stephani* Regis *Boſſnæ*, ſuſcepta. Quæ paucis annis ſuperuiuens, in virginitate diem obiit.

1359. *Turbæ variæ feliciter ſedantur.* Crebris Baronum, Nobilium, & militarium inſtantiis, & querelis *Caſimirus Poloniæ* Rex petitus & vexatus, qui ſe à Pontifice & Clero *Cracouienſis* diœceſis in pluribus articulis, perceptione ſcilicet decimarum, & iudicio ſpirituali, exactioneque medietatis omnium fructuum beneficii vacantis pro primo anno, pro Eccleſiæ *Cracouienſis* fabrica, aliiſque nonnullis plurimùm grauari & opprimi querebantur, conuentum in *Cracouienſi* ciuitate, pro die *SS. Trinitatis*, ad reformandum huiuſmodi grauamina, nec non ad reſcindendum *Baronum*, Nobilium, & militarium oppreſſiones atque abuſus, quibus in redditione & emptione decimarum, ſe Clerus *Cracouienſis* ab illis afflictum, vociferabatur, inſtituit. Per *Nankerum* ſiquidem, tunc *Cracouienſem* Epiſcopum, Capitulo *Cracouienſi* conſentiente, ſancitum decretumque erat, vt pro fabrica Eccleſiæ Cathedralis, quam præfatus *Nankerus* opere pulcherrimo inchoauerat, cuiuslibet beneficii in diœceſi *Cracouienſi* vacantis, medietas prouentuum iuxta rerum valorem, primo vacationis anno applicaretur. Quod cum ab anno Domini milleſimo tricenteſimo vigeſimo, quo Eccleſiæ *Cracouienſis* cœpit fieri fabricatio, vſque ad annum Domini milleſimum tricenteſimum quinquageſimum nonum fuiſſet practicatum, petebant illud & militares & Nobiles, ac Clerus, (iam enim Eccleſiæ *Cracouienſis* plena prouenerat conſumatio) tolli & abrogari. Vt autem differentiæ partis vtriuſque iuſtiùs faciliuſque poſſent decidi & componi, *Iaroslaus Gneſnenſis* Archiepiſcopus ſollicitatus *Cracouiam* aduenit. Vbi dum pluribus diebus inter *Bodzantam* tunc Epiſcopum & Clerum ſuum *Cracouienſem* ab vna, & Barones, Militares, ac Nobiles partibus ab altera plures tractatus agitati fuiſſent, tandem *Caſimiro Poloniæ* Rege, & *Iaroslao Gneſnenſi* Archi-Epiſcopo, fideliter mediatorum vicem agentibus, ſingulæ differentiæ, tam in perceptione, vſu, & redditione, quam in exactione decimarum & tractandis Iudiciis Spiritualibus, in tenendis interdictis, in erigendis de nouo Eccleſiis, & quibuſcumque aliis articulis, æquâ iuſtâque ordinatione prouiſæ & compoſitæ ſunt, iuxta quam Clerus Eccleſiæ & diœceſis *Cracouienſis*, erga ſeculares, & viceuerſi Seculares erga Clerum, ſuas extunc regulare cœperunt actiones. Exactio quoque medietatis fructuum beneficii vacantis primi anni pro fabrica, tunc ſublata eſt, & per triginta annorum ſpatium, libertas terris *Lublinenſi*, *Siecziechouienſi*, & *Łukouienſi*, per *Tartaros* & *Lithuanos*, ſuperioribus annis deſolatis & vaſtatis, vt earum poſſet prouenire locatio, à decima manipulari per *Bodzantam Cracouienſem* Epiſcopum ad preces *Caſimiri* Regis conceſſa. Quæ quidem ordinatio vt perpetua & ſincera in futura duraret tempora, in ſcriptum & priuilegium digeſta, ſigillis *Bodzantæ* Epiſcopi & Capituli *Cracouienſis* communita. Hæſitantibus autem, aut exquiſitiorem illius indaginem habere cupientibus, per copiam quam inſerui, proſtans talis eſt. 1359.

In Nomine Domini. Amen. Nouerint vniuerſi, præſentium notitiam habi- *Copia Priuilegij ſuper tu-*

1359. *Modo ſoluendi decimas.*

turi. Quòd Nos Bodzanta Epiſcopus Cracouienſis, attendentes, quod terræ Lublinenſis, Szieczieehouienſis, & Łukouienſis Noſtræ diœceſis, per inſultum infidelium Tartarorum & Lithuanorum, peccatis exigentibus, ſunt plurimùm deſolatæ: volentesque vt ad poſſidendum eaſdem, populus Chriſtianus feruentiùs inuitetur, ad petitionem inſtantem Sereniſſimi Principis & Domini noſtri, Domini Caſimiri Dei gratia Poloniæ Regis Illuſtris de voluntate & conſenſu fratrum noſtrorum Capituli Cracouienſis, omnibus & ſingulis, qui in terris prædictis ſe locauerint, aut hactenus ſunt locati, in villis, prædijs, & poſſeſſionibus, in quibus ad menſam noſtram Epiſcopalem decimæ pertinebant, à ſolutione decimæ, triginta annorum ſpatio, à data præſentium, plenam & omnimodam concedimus libertatem. Ita tamen, quod ſi dicta durante libertate, præfatus Dominus Rex, aut Procuratores ſui vel Nobiles, quicumque in bonis ſuis ſitis, in terris prædictis decimam à ſuis colonis receperint, vel pro ſuis vſibus voluerint vſurpare, extunc libertate non obſtante, decima bonorum eorundem ad Nos & ad menſam noſtram, ſine conditione aliqua reuertatur. In alijs autem bonis, in quibus decima recepta non fuerit, libertas permaneat ſic conceſſa. Per hanc autem libertatem noſtram, monachis & Clericis ſecularibus quibuscumque, qui in terris prædictis ratione ſuorum monaſteriorum, aut beneficiorum Eccleſiaſticorum poſſederunt aut poſſident decimas, nullum volumus præiudicio grauare: quinimò ipſorum quilibet circa ius ſuum permaneat ſicut prius. Ceterùm ordinamus, annuente ad id Domino noſtro Rege prædicto, vt vbicumque per totam noſtram diœceſim, in ciuitatibus, caſtris, oppidis, villis, prædijs, & poſſeſſionibus quibuscumque, decimæ manipulares hactenus in campis manipulatim tollebantur; ibi adhuc eodem modò, eædem decimæ in poſterum tolli debent, conditione cuiuslibet non obſtante. Verùm Sculteti & Aduocati ciuitatum, oppidorum, ſeu villarum, in quibus decimæ manipulatim perſoluuntur, quatuor manſis Aduocatiæ ſeu ſcultetiæ ſuæ, quos coluerint proprijs laboribus, & expenſis, de quolibet manſorum prædictorum in feſto Sancti Martini menſe Nouembre, quatuor ſcottos groſſorum Pragenſium pro decima nobis ſoluent. Sed ſi plures manſos quàm quatuor colere voluerint, aut dictos quatuor alteri vendiderint, locauerint, aut tradiderint ad colendum, de ipſis dabunt decimam manipulatim in campo, prout alij incolæ eorum vicini ſoluere conſueuerunt. Et ne labores hominum propter decimarum deſidiam retardentur, decernimus, vt quilibet in octaua Sancti Iacobi, ad recolligendum ſuam decimam per ſe vel Nuncium idoneum ſit paratus. Aliàs depoſitis & relictis in campo quinque manipulis, de qualibet quinquagena, frumenta hominum liberè conducantur. In noualibus autem exortis, vltra Viſlam, verſus & citra metas Ruſſiæ, & Hungariæ progreſſiuè, vsque ad limites terræ Oſſżwiancimenſis, in quibus nobis hucusque manipulatim decima non dabatur, libertate expletâ, de quolibet manſo paruo ſiue magno, locato ſiue locando, ferto groſſorum Pragenſium in feſto Sancti Martini prædicto, annis ſingulis nobis pro decima prædiali, à ruſticis ſolui debet. Aduocati verò & Sculteti noualium prædictorum, de quatuor manſis Aduocatiæ, vel Scultetiæ ſuæ, quos colunt proprijs laboribus, vt præfertur, de quolibet manſorum prædictorum, tres ſcottos groſſorum ſoluant illi Eccleſiæ pro decima, vbi audiunt Diuina, & percipiunt Eccleſiaſtica Sacramenta. Sed ſi plures manſos, quam quatuor, colunt, ſiue illos quatuor, aut ipſorum aliquem alijs vendiderint, locauerint, aut tradiderint ad colendum, de quolibet ipſorum vnum fertonem groſſorum, ſicut alij ruſtici, in feſto prænotato nobis pro decima ſoluant. Et inſuper pro gratia, quam eis facimus, in ſolutione decimæ, vt præfertur, ijdem Sculteti & Aduocati, fertones noſtros decimales, in feſto S. Martini ſuperiùs nominato, ſub iuramento fidelitatis ipſorum, à ruſticis exigere, nobisque vel Procuratori noſtro, infra quindecem dies, dictum feſtum immediatè ſequentes, præſentare fideliter & integraliter tenebuntur. Sed tamen vbi in prædictis noualibus nobis antea manipulatim decima ſoluebatur, adhuc futuris temporibus perpetuò ſolui debet, nec ipſam propter hoc remittimus ad fertones. Verùm quia in diſtrictibus circa Dlugiepolye & Czorſtein, ſub ea limitatione, videlicet inter viam, quæ currit de Miſlinice verſus montem, qui dicitur Obidowa, vsque ad Dunaiecz, vt intelleximus, ſunt agri ſteriles, & frigora grandia diutius terram premunt, ita, quòd paruo tempore anni inibi laboratur, volentes gratioſiùs agere cum incolis diſtrictuum prædictorum, ſtatuimus, quòd incolæ prædicti, qui iam ibi locati ſunt, vel in poſterum locabuntur, in feſto S. Martini prædicto pro decima prædiali, de manſo quolibet tres ſcotos groſſorum Pragenſium, annis ſingulis nobis ſoluant. Quam pecuniam Sculteti locorum prædictorum colligent, nobisque vel Procuratori noſtro præſentabunt, prout in caſu ſimili ſuperiùs eſt expreſſum. Hanc autem limitationem de ſolutione fertonum pro decima in locis ſuperiùs iam expreſſis, taliter cum Caſimiro Rege prædicto ordinauimus permanere, quod deinceps ad ciuitates, oppida, & villas, prædia, & poſſeſſiones quaſcunque totiùs noſtræ diœceſis, vbi manipu-

1359.

1359. *pulatim decima ſoluitur ab antiquo, nullo vnquam tempore extendatur. Item decernimus, quod vbicumque aliquis nobilis alteri nobili ſibi æquali, neceſſitate cogente, hæreditatem ſuam obligauerit, & creditor agros coluerit, in eadem decimam frugum de agris ſuis ſoluat illi Eccleſiæ, cui is qui obligauit ſoluere conſueuerat ab antiquo. Sed ſi fortè labores ſuos dictus creditor voluerit ampliare cmethones repellendo & eorum agros excolendo, de agris cmethonum, quos colet, decimam in Gonithwam ſoluere teneatur. Præterea ne propter cauſam decimalem Iudex Eccleſiaſticus de Nobilitate nobilium iudicare contendat, quod vbi quis Clericus petens decimam illiberam ab aliquo qui ſe dicit Nobilem, ipſum propter hoc ad iudicium Eccleſiæ curauerit euoc*[illegible]*, volumus vt cauſa nobilitatis, coram nobis vel Officiali noſtro, per ipſum propoſita, clypeoque ſuo & parentela nominatis, per nos vel Officiales noſtros, nullatenus iudicetur, ſed remittatur ad iudicium ſeculare, vt ibi nobilitatis quæſtione primitùs expeditâ, doceat Eccleſia, quo iure talis cenſeri debeat, circa ſolutionem Decimæ Prædialis. Demum ſtatuimus & ordinamus, voluntate & conſenſu Domini Regis prædicti ſpecialiter ad hoc accedente, quòd vbicumque ab antiquis agris progreſſiuè quiſpiam, ſyluas, rubeta, vel mericam extirpauerit, ille decimam percipiet de noualibus huiuſmodi, ad quem antiquorum agrorum decima pertinebat. Verùm ſi à dextris vel à ſiniſtris, ab antiquis incolæ aliqui fuerint collocati, extirpauerintque ſyluas, rubeta, nemora, vel mericas, prædicti incolæ de agris ipſorum taliter extirpatis, nobis & noſtris ſucceſſoribus decimam ſoluere tenebuntur. Inſuper volumus, quòd collumbatio illibera per Rectores Eccleſiarum, à ſuis Parochianis non exigatur de cætero: ſed quod quis ſponte petenti offerre voluerit, cum gratiarum actionibus tolli debet. Prohibemus etiam Archidiaconis, Præpoſitis, noſtræ diœceſis, iurisdictionem habentibus, vt in viſitando non excedant numerum euectionum, à iure diutiùs inſtitutum, neque ratione viſitationis pecuniam à ſubiectis exigant, Plebani, Rectoreſque Eccleſiarum pro Sacramentis Eccleſiaſticis, quæ gratis adminiſtranda ſunt, nihil exigant, aliàs ipſos grauiter puniemus. Clerici verò cuiuſcumque gradûs, ſtatûs, vel conditionis exiſtant, bona patrimonialia poſſidentes, ad expeditionem cum Domino Rege de ipſis tranſeant, iuxta ipſius omnimodam voluntatem. Et vt Diuinus cultus noſtris partibus augeatur, promittimus, quod vbicumque quis Nobilis congruam ſuſtentationem Clerico & Presbytero aſſignare curauerit, eandem Eccleſiam in bonis ſuis fundabimus citra dilatationem. Præterea volumus, quòd laici deinceps pro debitis, & in alijs cauſis ciuilibus, per Clericos ad forum Eccle-* A *ſiaſticum non trahantur, niſi fortè ſit cauſa ſpiritualis, vel ſpirituali annexa, vel debitum decimale fuerit. Quod etiam pro fabrica Eccleſiæ noſtræ Cathedralis medietas redituum primi anni à Clericis exigi conſueuerat, hoc eiſdem tenore præſentium ſit remiſſum. Vt autem prædicta noſtra ordinatio, conſtitutio, ſeu decretum, temporibus perpetuis inuiolabiliter perſeueret, ipſam conſcribi iuſſimus, noſtrique ac Capituli noſtri prædicti Sigillorum appenſione muniri. Actum & datum Cracouiæ, die XIV. Iunij. Anno Domini, milleſimo tricenteſimo quinquageſimo nono. Præſentibus & Ordinantibus, Venerabili in Chriſto Patre, Domino Ia-* B *roslao Diuinâ prouidentia Sanctæ Gneſnenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo; ac Honorabilibus Viris, Dominis, Othone Præpoſito Gneſnenſi, Ianuſſio Decano, Floriano Præpoſito, Nicolao Cuſtode, Cracouienſibus: Sweslao Viſlicienſi, Nicolao Scarbimirienſi, Præpoſitis: Nec non Vilczkone Sandecenſi, Caſtellano, Andrea Succamerario, & Petro Tribuno Cracouienſibus, & alijs. Per manus Nicolai Licentiati in iure Canonico, Plebani Luborzicenſis, Curiæ noſtræ.* 1359.

Stephano Moldauiæ Voieuodæ, apud *Valachos* mortuo, quorum maiores & aboriginarii de *Italiæ* Regno pulſi (genus & natio *Volſcorum* eſſe fuiſſeque creduntur) veteribus Do- C minis & colonis *Ruthenis*, primùm ſubdolè, deinde abundante in dies multitudine, per violentiam expulſis, illam occupârunt, in *Ruthenorumque* ritus & mores, quo facilior proueniret occupatio, à propriis degenerantes, transmigrarunt. Dura inter duos filios mortui Palatini, videlicet *Stephanum* & *Petrum*, contentio de Principatu & illius ſucceſſione, ſuboritur. Petro enim, quamuis minori natu, quòd ingenii liberalioris eſſet, maior pars *Valachorum* fauebat. Is quoque & induſtria quâ pollebat, & Prouincialium *Hungarorum* fauore, pulſo *Stephano* & Boiaris, quos in ſuam partem pellicere non poterat, ſolus occupat *Mol-* D *dauiæ* Principatum. *Stephanus* autem natu maior, cum ſuarum partium Boiaris, & indignitatem ſuarum iniuriarum non ferens, & veritus, ne *Petrus* frater, nactus Principatum, crudelius in ſe quicquam conſuleret, ad *Caſimirum Poloniæ* Regem, & theſauris & milite abundantem confugit, petens *ſe per illum in Principatum reſtitui, & ſuæ neceſſitati propitiâ ſubuentione miſereri*: Spondens & obligans tam ſe, quàm vniuerſos ſuos Succeſſores Palatinos, & terram *Moldauiæ*, in fide, obedientia, & ſubiectione *Caſimiri* Regis, & ſuorum ſucceſſorum Regum *Poloniæ*, perpetuò manſuros. Quæ quidem con-

Stephano Valachiæ Palatino contra fratrem

1359. *auxilia mittit.* conditio, cum à *Caſimiro* Rege, Conſiliariis Regni probantibus, accepta eſſet, mittit *Caſimirus* Rex, ex *Cracouienſibus*, *Sandomirienſibus*, *Lublinenſibus*, & *Ruſſiæ* militibus exercitum, cum *Stephano*, qui illum in Sedem *Moldauiæ* reſtituat. Is poſt diem SS. Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, ex penatibus egreſſus, dum terram hoſtilem attigiſſet, pluribus ſecundis ſucceſſibus vſus, aliquot etiam particulares conflictus, feliciter cum hoſte, in plenam & vniuerſalem dimicationem non veniente, reportauit. *Petrus* autem minor natu, dum cum *Stephano* & *Polonorum* exercitu apertè decernere ſibi periculoſum vidiſſet, aſtu & dolo rem tentare aggreſſus eſt. Syluæ erant vaſtæ, & in longum porrectæ, *Płonyni* à ſolitudine, & quòd profectum non afferunt, nec cultæ ſunt aut arabiles, in terra *Sepenicenſi* ſitæ, quas, vt præmiſimus, *Płonyni Valachi* vocant, quibus exercitus *Polonicus*, vt gradum ad interiora & plana promoueret, tranſiturus erat; Earum ſyluarum dextrà læuaque ſecus viam *Valachi* de parte hoſtili, ita ſerris arbores inciderant, vt immotæ ſtarent, ictu facilè impulſæ prociderent, easque accuratiſſimè, ſabulo contecti & gramine, obſeruabant. *Polonis* itaque ſaltum intrantibus, *Valachi* extrema arborum ſucciſarum impellunt, aliam in aliam cadentem & ruentem, atque viciniorem præcipitantem, & ſtrage ancipiti viros, equos, armaque ſine bello obruunt & deuincunt. *Quæ aſtu Palatini in ſiluis arboribus occiduntur.* Arborum ſiquidem truncis, & ramorum fragmentis, milites inſignes exanimati & oppreſſi ſunt, plerique in pedibus, aut manibus, aut aliqua parte corporis mutilati. Cætera omnis multitudo inopinato malo perculſa, ſub iugum & deditionem venit: maiorque aliquanto captorum, quàm cæſorum numerus fuit. Præda omni & ſpoliis hoſtes potiti, tantò hoſti gratior, quantò integrior. Nam etſi equorum magna pars ſtrage arborum conciderit; arma tamen, veſtes, & cæteræ res; quoniam per fugam euadere quiſquam, nec referre quicquam valuit, à victoribus occupatæ. Ad eas inſidias *Polonorum* exercitus, *Valachorum* parte, cui ferebat ſuffragia, prodente, præcipitatus eſt magis, quàm ſuâ negligentiâ aut ignauiâ, quæ cum parte aduerſa reconciliatione & intelligentia habitâ, auxiliares ſuos *Polonos*, inſidias huiuſmodi & laqueos, malignâ vafricie perferre coëgit. Ea clade *Caſimiro* Regi nunciatâ, illicò miſit, qui omnes captiuos redimerent. Et *Valachis* poteſtatem redimendi captiuos facilè facientibus, omnes milites, & omne vulgus permiſcuum, facili ære redemptum eſt. Captus fuit in clade huiuſmodi, *Sbigneus* de *Oleſchnicá* miles, de domo *Dambno*, *Sbignei* Cardinalis & Epiſcopi *Cracouienſis* auus. Qui in diem mortis claudicare coactus, propter tibiarum violationem, quæ tunc illi prouenerat. *Nauogius* de *Thacin*, filius *Andreæ* de *Thacin Cracouienſis* Palatini, cum inter tumultum manus *Valachorum* effugiſſet, patris & amicorum deuitans conſpectum, ex cladis loco *Romam* abiit, & ſe fieri Presbyterum (iam enim vnica conſors quam duxerat diem obierat) ordinauit. Qui poſtea in patriam reuerſus, in Decanum *Cracouienſem* fuit promotus. 1359. Syluarum huiuſmodi denſitas, temporis proceſſu in culturam & camporum planiciem redacta. Vndecim ſigna ea clade capta, quorum tria Regia ſiue terreſtria, *Cracouienſe*, *Sandomirienſe*, & *Leopolienſe*, nouem militaria, videlicet *Bipennium*, quod præfatus *Nauogius* erexerat, alterum de *Leliwa*, tertium *Vulpium*, quartum *Rauitarum*, quintum *Gryphonum*, ſextum *Srzeniauitarum*, ſeptimum *Habdancorum*, octauum *Polucoſarum*, & nonum *Streparum* erant.

Cladem apud *Valachiam* acceptam, grauior clades, tolerabilior tamen, & quæ ſenſibus humanis non poterat refelli, inſecuta eſt. 1360. *Peſtis ingens in Polonia.* Peſtis enim epidimica, ſiue à Diuinitate propter multiplices hominum transgreſſiones, in vltionis locum immiſſa, ſiue à ſyderum diſpoſitione, conſtellatione, & coniunctione ſiue ex quacumque alia ignota cauſa accidenti, in vniuerſa ferè occidentis Regna, prouinciasque eis ſubiectas & vicinas, ebulliens, etiam *Poloniæ*, *Hungariæ* & *Bohemiæ* Regna infecit. Adeò quoque in ciuitates, oppida, vicos & rura Regni *Poloniæ* graſſata eſt, vt partem maiorem hominum de ſingulis ſtatibus, in ſexu vtroque per menſes ſex, quibus continuè diffundebat virus ſuum, abſumpſerit. Apud *Cracouienſem* verò ſolam vrbem, viginti millia hominum peſte huiuſmodi deceſſiſſe comperta ſunt. Apud nonnulla verò oppida, vicos, & rura, tam ingentem ſtragem dedit, vt omnia ad ſolitudinem redegerit. Sed nec extabant, qui cadentibus & deficientibus ſepulturæ impenderent. Abſque exemplo mortalitas ipſa ferebatur proueniſſe, quoniam maiori parte mortalium deleta, oppida & rura vacua habitatoribus cernebantur. Cœpit autem peſtis prædicta circa feſtum Sancti *Michaelis*, quæ per febres acutas, bocios, carbunculos, & antraces, magnam ſtragem edidit, & interpellatim, non tamen ſine augmento ſerpendo, vſque ad medium anni inſequentis, & poſtea ita furioſè vſque ad tres menſes ſuas dilatauit fimbrias, quæ in plerisque locis vix dimidietatem reliquit gentium. In eo vel maximè à ſuperiori, quæ ante annos duodecem prouenerat, differens, quod prior plures ſua rabie abſumpſerat è medio plebis populares, hæc verò plures nobiles & locupletes, item pueros & mulieres.

Prus-

1360. *Pruſſiæ Magiſter tres expeditiones in Lithuanos agit,*

Pruſſiæ Magiſter *Vinricus* de *Kniprode*, aduentu Marchionis *Brandeburgici*, & aliorum ex *Almania* militum animatus, in *Lithuanos* expeditionem agit, & exercitui proprio & peregrinorum Marſchalcum vocatum *Schindekop* in Ducem præficiens, terras *Lithuaniæ*, cædibus, flammis, & ſpoliis vaſtat, & ſpolia captiuoſque in *Pruſſiam* reducens, alteram expeditionem hyeme iam appetente, in *Lithuaniam* reſumit. Quâ non contentus, tertiam eadem hyeme egit. Quibus tandem tribus expeditionibus *Lithuaniam* vehementer adeò afflixit, vt pro maiori parte eam vaſtam & deſertam reliquerit. Expeditio tertia duabus reliquis Ducis *Keyſtuth* captiuitate, viſa inſignior. Qui datis pluribus Catholicorum captiuis, apud *Pruſſiam* captis, eodem anno à captiuitate ſolutus & dimiſſus eſt.

& Ducem Keyſtuth capit.

1361. *Diſcordiæ inter nobilitatem Cracouienſem & clerum de decimis & cenſuris*

Satore zizaniarum Sathanâ ſuggerente, durum peſtiferumque ſchiſma & diſſidium inter *Bodzantam* Epiſcopum *Cracouienſem*, & Clerum ſuæ diœceſis eiuſdem Epiſcopatûs, Nobileſque & militares terrarum, *Cracouienſis*, *Sandomirienſis*, & *Lublinenſis*, eiuſdem diœceſis, iure ordinario ſubiectarum, occaſione decimarum manipularium, & tarda eorum decimatione, venditione, & raptu, ac ſeminibus, frugibusq; quæ in hortis in fraudem decimarum ſerebantur, aliiſque pluribus coortum iterum eſt. Ad quod ſedandum *Caſimirus Poloniæ* Rex, velut Eccleſiæ Aduocatus, Patronusque, ſuas partes interpoſuit, & *Iaroslaum Gneſnenſem* Archiepiſcopum, tunc officio viſitationis in diœceſi *Cracouienſi* incumbentem, accerſiit. Qui cum certum tempus, ad rem componendam decidendamque partibus conſignaſſet, *Cracouiam* aduenit, & parte vtraque audita, compromiſſo *Caſimiri* pro parte Nobilium & militarium ex vna, & *Bodzantæ Cracouienſis* Epiſcopi, pro parte Eccleſiæ & Cleri, omniumque Beneficiatorum *Cracouienſis* diœceſis in ſe facto & ſuſcepto, cum per aliquantos dies deliberabundus *Cracouiæ* ſtetiſſet, communicato virorũ prudẽtum & timoratorum, iuriſque Diuini & humani peritorum conſilio, tandem in *Wieliczkam* propter præſentiam *Caſimiri Poloniæ* Regis, qui tunc illic agebant, deſcendens, ſententiam ſuam deciſoriam, octauo Idus Nouembris, in *Caſimiri* Regis & Baronum *Poloniæ* præſentia, tulit & pronunciauit; Decernens diffiniensque, vt pro raptu decimæ per hæredem villæ facto, etiam excommunicentur cmethones; caſu quo raptor per tempus ſemeſtre cenſuras tolerauerit. Emere quoque volens hæres decimam, ante feſtum *S. Iacobi* cum Domino decimæ forum contractumque perficiat, aliàs poterit cuilibet alteri liberè vendi. De frugibus autem ſiue in horto ſiue in campo ſeminatis, cuiuscunque generis exiſtant, decimam reddendam mandauit, prout eæ, & plures aliæ ſuper obſeruatione interdicti ordinationes diffinitioneſque latiùs in copia priuilegii, quod hic inſerimus, continetur. Cuius talis tenor extat.

per Gneſnenſem Archiep. ſedantur.

1361. *Tenor ſententiæ arbitralis.*

Nos Ianislaus Diuinâ prouidentia Sanctæ Gneſnenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, in Cracouienſi diœceſi, & officio viſitationis conſtituti, vniuerſis ad quos præſentes peruenerint, volumus fore notum. Quòd cum inter Sereniſſimum Principem Dominum Caſimirum Dei gratia Regem Poloniæ & Patronum noſtrum, ex vna, & Dominum Bodzanta fratrem noſtrum chariſſimum Epiſcopum Cracouienſem parte ex altera, quædam dubitatio ſuper decimis, & aliis articulis inferiùs contentis fuiſſet hinc inde exorta, demum eædem partes, volentes ad calculum concordiæ ſine ſcrupulo conferentiæ peruenire, in nos voluntariè, & ex certa ſcientia, nec per errorem, nec aliquo dolo & fraude circumuenti, ſuper articulis infrapoſitis, pro ſe ſuiſque Succeſſoribus omnibus concorditer conſentientes, compromiſerunt, tanquam in arbitrum compromiſſarium arbitratorem, laudatorem, diffinitorem, ſeu amicabilem compoſitorem. Dantes & concedentes nobis liberam & omnimodam facultatem, vt poſſimus de plano ac ſine ſtrepitu & figura iudicij, ſuper ordine non ſeruato, qualitercunque & quomodocunque, prout nobis meliùs videbitur, expedire. Nos itaque Dei nomine inuocato, & conſilio ſapientum communicato, nobiſcum etiam habitâ deliberatione ſufficienti, pro bono pacis, & vtilitate Eccleſiæ Cracouienſis, ex vigore compromiſſi prædicti, Chriſti nomine inuocato, laudamus, ordinamus, & diffiniendo arbitramur, inter Dominum Regem & Epiſcopum prædictos, videlicet, pro raptu decimæ prædialis alicuius nobilis, vel pro cauſa qualicumque rationabili, talis raptor vel malefactor, monitione præmiſſâ excommunicetur. In qua excommunicatione, ſi infra ſex menſes perſtiterit, extunc incolæ in eadem vil-

1361. *villa degentes, cum teneantur decimare, excommunicentur cum raptore decimæ eiuſdem. Vbi autem vxor alicuius Nobilis, viro abſente, decimam rapuerit, per cenſuram Eccleſiaſticam ad ſatisfactionem vſque condignam contra ipſam procedatur. Si verò infra ſex menſes in eadem excommunicatione perſtiterit animo indurato, tunc cmethones in eadem villa, vbi decima ſit rapta, cum Domina eadem excommunicentur. Præterea vbi Clericus vel Presbyter ordinati, eſſet occiſus, vulneratus, captus, vel detentus fuerit, illius loci Eccleſia vel Eccleſiæ ſi ſint plures, à iure ſint interdictæ, & ideò non debet in eis officium Diuinum celebrari, quouſque malefactor Domino Epiſcopo tradatur. Quòd ſi deprebendi non poterit, tunc habitatores eiuſdem loci præſtabunt iuramentum, quod malefactorem detinere nequiuerunt, nec occaſionem effugiendi dederunt. Demum Ordinarius tollat interdictum à iure ſtatutum, & nihilominus malefactor ſit proſcriptus, & per quemcumcumque capi poterit, Domino Ordinario impunè tradatur, & excommunicetur. Item quicunque Dominus villæ, in ipſa villa ſua decimam emere voluerit, ante feſtum Beati Iacobi cum Domino decimæ foriſare procuret, alioquin Dominus decimæ, liberè decimam vendet, impedimento à Domino villæ ceſſante. Item vbicumque aratro in hortis vel campis aratum fuerit, decima plenariè exoluatur, exceptis rapis, papauere, caulibus, cepis, allio, & his ſimilibus, quæ in hortis ſuis quis ligoniſando plantat, decima ab eo de prædictis nullatenus repetatur. Pro decima verò canapi taliter ſtatuimus, quòd quicumque cmetho arat cum integro aratro, quotcunque boues habuerit ſiue equos, det quatuor ligaturas canapi parati, iuxta conſuetudinem terræ antiquam. Qui verò cum medio aratro arat, duas ligaturas dare teneatur. Qui autem non arat, à decima canapi, debet eſſe & liber ſolutus. Item ſuper interdicto ſeruando ita decernimus, quod cum ex caſu qualicunque euenerit in ciuitate Cracouienſi interdictum Eccleſiaſticum teneri & obſeruari, ciuitas Caſimiria iuxta fluuium Viſlam eidem interdicto non debet ſubiacere, & è conuerſo. Statuimus inſuper, quòd vbicumque & ad quemcumque locum Eccleſiaſticum excommunicatus à iure vel homine venerit, & Eccleſiam vel cimiterium fuerit ingreſſus, tunc ceſſetur à Diuinis, ipſo tamen de Eccleſia vel cimiterio recedente, Diuina licitè reſumantur. Inter cætera decernimus & ſtatuimus expreſſè, quòd interdictum triduanum, quod alias ſeruabatur per omnes Eccleſias propter aduentum alicuius excommunicati, exnunc per quempiam nullatenus teneri debeat nec obſeruari: ne pluralitas plebis deuotæ, propter crimen vnius obſtinati, ſalutaribus Diuinis officiis, & ſuâ orbetur deuotione. Vbi autem ſententia ſedis Apoſtolicæ fuerit, cui nos legem dictare non poſſumus, volumus quòd forma mandati in ſcripto poſita, diligenter ſeruetur & exequatur: clauſulâ ſuperius de interdicto triduano præmiſſâ non obſtante. In cuius rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus duximus appendendum, in teſtimonium præmiſſorum omnium. Actum & datum in Wieliczka octauo Idus Nouembris, ſub anno Domini milleſimo tricenteſimo ſexageſimo primo. Præſentibus honorabilibus viris, Dominis, Martino Archi-Diacono, Nicolao Cancellario, Gneſnenſibus, Svveczlao Officiali Cracouienſi, Sbiluto Præpoſito Plocenſi, & aliis pluribus fide dignis.* 1361.

Innocentius Papa ſextus, cum annis decem ſediſſet, apud *Auinionem* moritur, & in monaſterio Carthuſienſi, propè Sanctum *Andream*, quod ipſemet fundauerat & dotauerat, ſepelitur. Cardinales autem conclaue ingreſſi, fratrem Monachum ordinis Sancti *Benedicti*, Abbatem *Maſſilienſem*, Decretorum Doctorem, virum raræ ſanctitatis eligunt: qui *Vrbanus* quintus vocatus eſt. Crucem prædicari ſtatuit contra *Turcas*, & ordinauit paſſagium. *Innocentius VI.* *ſuccedit Vrbanus V.*

Brigitta de *Scotia* vidua ſanctiſſima claruit. Quæ habuit multas reuelationes, omnem ſtatum inſtruentes. Prædicens Cruci- *S Brigitta claret.*

1361. ciferis de *Pruſſia* clades, Regibus vero *Poloniæ* victorias. Hæc Ordinem nouum inſtituit, & pro confirmatione Regulæ ſuæ, A a *Chriſto*, ad *Vrbanum* Papam quintum miſſa eſt. Eius feſtum agitur die vigeſima ſecunda Iulii.

Rector quidam ordinis Prædicatorum in *Cracouia* frater *Paulus* nomine, negans Beatam *Mariam* virginem conceptam fuiſſe ſine peccato originali, coram omni Clero & populo, ad quos tunc in maiori *Cracouienſi* Eccleſia in vulgari *Polonico* declamab t, cecidit & expirauit, priuſquam prædicationem ſuam compleuiſſet.

Studium vniuerſale Pragæ inſtituitur.

Studium vniuerſale *Pragæ*, a *Carolo Romanorum* & *Bohemiæ* Rege inſtituitur & dotatur. Quod *Innocentius* Papa ſextus ad inſtantiam *Caroli* Regis confirmauit. Id cum annis vix quinquaginta duraſſet, a peſte hæretica exterminatum periit.

Caſimirus Rex vniuerſitatem Caſimirienſem fundare cœpit.

Caſimirus Poloniæ Rex, volens Regnum ſuum *Poloniæ* ſtudio generali *Cracouienſi*, ad inſtar aliorum Regnorum magnificare & decorare, in oppido *Caſimirienſi* ab eo circa *Cracouienſem* ciuitatem, in villa Capitulari vocata *Bavvol* fundato, ſtudium generale iecus murum, in loco amplo & ſpatioſo, ad mil- C le & amplius paſſus, in omnes partes ſe protendente, domoſque pulcherrimas, cameras, lectoria, & primas officinas ex lapideo muro, pro cohabitatione Doctorum & Magiſtrorum, dictæ nouæ Vniuerſitatis, pulcherrimo opere ædificat. Miſſis autem notabilibus Nunciis, & Oratoribus ſuis Eccleſiaſticis & Secularibus in *Auenionem*, ad *Vrbanum* Papam quintum, fundationem huiuſmodi a Sede Apoſtolica admitti obtinuit. *Gneſnenſis* enim Archiepiſcopus *Iacobus* ſecundus, dictus *Szvvinka*, à Summo Pontifice præfato *Vrbano* quinto, iuſſus per ſpeciales literas, præfatum ſtudium *Caſimirienſe* ſiue *Cracouienſe* confirmat. Quod tamen morte *Caſimiri* Regis in- D terueniente, non fuit proſperatum, nec donatio ipſa & dotatio fuit ſortita effectum. Sed procedente tempore, *Ioannes Dlugoſch* Senior Canonicus *Cracouienſis*, anno videlicet Domini, milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo octauo, voluit illic de conſenſu *Caſimiri* tertii *Poloniæ* Regis cœnobium Carthuſienſe erigere & fabricare. Verùm contradixerunt inſenſati *Caſimiritæ*, propter locum, quem tanto tempore vacuum domibus & hortis, nullo eis Regio iure ſuffragante, occupauerant, nec permiſerunt, proſcriptione allegata, opus & clenodium pulcherrimum, toti Regno *Poloniæ* profuturum; quamuis ipſe *Ioannes Dlugoſch* offerebat ſe omnia iura eorum ciuilia reſarciſurum, ædificare. 1361.

Incendium Wratislauiæ.

Vigeſima quinta menſis Iulii, caſuali in *Wratislauienſi* ciuitate incendio exorto, cum primùm flammarum impetus ciuium deſidia non forent oppreſſi, in fortem, & nullo ingenio humano reſtringendam virtutem ignis inualeſcens, vniuerſa ferè vrbis habitacula conſumens & deuorans, ciuitatem *Wratislauienſem* in cinerem & fauillam redegit. *Wratislauienſes* autem pro damno ingenti, quod ignis permiſſione Diuina intulerat, in *Iudæos* (quorum tunc apud illos frequens erat numerus) iras vertunt, & ipſos, B nulli deferendo ætati, ſexui, & conditioni, quaſi ipſi machinatores incendii extitiſſent, ſæua inuaſione trucidant, ſubſtantiiſque eorum direptis, eos è *Wratislauia* eliminant.

Pruſſi Lithuaniam vaſtant,

Regionem *Lithuanicam Vinricus Pruſſiæ* Magiſter, & ſuapte ſterilem, ſyluiſque nemoribus, & paludinibus, frequentiorem quam vicis & vrbibus, & vexatione hoſtili afflictam, deſertam fore dinoſcens, exercitum ex aduenis & propriis collectum, præficiens illi *Henricum Kramſelth* generalem Commendatorem in Ducem, in *Ruſſiæ* terras, quæ & *Lithuanis* parebant; quod & *Lithuanos* armis gentibuſque iuuerant; & propter ſoli vbertatem (diues enim eſt illic tam pecoris, quam cæterarum rerum ſuppellex) ad vaſtandum illas transmittit. Sed propoſitum tam ſuum quam exercitus, aſſiduus imbrium deſcenſus damnauit, quorum obſtaculo exercitus *Pruthenicus*, a cœpto verſus *Ruſſiam* itinere reuerti coactus, ne fruſtra arma induiſſe videretur, *Lithuaniam* deſcendit, & in *Lithuaniæ* oram ignibus & cæde vaſtare cœpit. Quod *Lithuanorum* Principes, *Olgyerth*, *Keyſtuth*, & *Patrikig* moleſtè ferentes, clandeſtinis itineribus, cum ſuis copiis aduenientes, *Pruthenicum* exercitum, nihil aduerſi ſuſpicantem, inuadunt, duroque certamine commiſſo, plures hinc inde concidunt interfecti. Sed Cruciferis tam numero, quam equis, armiſque pollentibus, ceſſit, deuictis barbaris, victoria, eo quidem gratior quo inſperatior. Auxit autem triumphi gratitudinem *Keyſtuthi* Ducis captiuitas, qui ab *Henrico* de *Ekkersberg* Crucifero, equo deiectus, viuus in manus hoſtiles venerat. Alter verò Ducum *Lithuaniæ Patrikig*, ex equo & ipſe a *Conrado* de *Hoberg* præcipitatus, a ſuis protectus defenſuſque periculum euaſerat. Cruciferorum exercitus, tam victoria quàm ſpoliis potitus & captiuis, in propria rediit. Dux autem *Lithuanorum Keyſtuth*, in caſtrum *Mariemburgenſe*, velut præda nobilis, delatus, & illic in teſtudine forti vinctus, catenatus, & concluſus, moleſtias ca-

& Keyſtuth Ducem capiunt.

pti-

1361. ptiuitatis biduo tantummodò perferens, vnius *Lithuani* neophiti, apud *Mariemburg* demorantis adiutus ſuffragio, euadit. Et pallio albo cum cruce nigra ſe amiciens, omnes obuios tam Cruciferos quam ciues, habitu huiuſmodi, equo vectus, fallendo, euaſit. Is ſyluam deinde vaſtiorem perueniens, equo relicto, in palude diebus aliquot, perſecutionem euaſurus, latuit. Noctibus deinde pedeſtri itinere gradum promouens, dum ſe verſus *Lithuaniam* ire credidit, in *Maſouiam* peruenit. Vbi a filia germana *Anna* alias *Danutha* Duciſſa, conſorte *Ianuſſii Maſouiæ* Ducis cognitus, & ab ea cum magno gaudio exceptus, in *Lithuaniam*, datis equis & armigeris, deductus, magno ſolatio tam fratribus quàm genti fuit. Congeſto autem exercitu captiuitatem ſuam vlturus, in *Pruſſiam* irrupit; & caſtrum S. *Ioannis* primùm oppugnans, conquirit & incendit. Ab inde ad caſtrum *Danczik* venit, & illud conquirens, & Commendatorem *Ioannem Collin*, cum multis aliis capiens, exurit. Applicat poſthæc ad caſtrum *Ekkersberg*, & conquiſitum incendit. Multiſque ſpoliis, multis incendiis & cædibus commiſſis, præda ingenti oneratus redibat. Quem duo Commendatores de *Roſtemberg* & *Barthenſteyn*, cum exercitu perſecuti, confligunt, ſpoliaque & captiuos repetunt. Dux ipſe *Keyſtuth* in eo certamine, equo a *Vernero* de *Vindeken* deiectus, pedes audaciſſimè pugnans, deiectoris ſui equo interfecto, per commendatorem de *Nieſchoua* vulneratur, & a Commendatore de *Barthenſteyn* capitur. Sed parùm prouidè dum rediret aſſeruatus, iterum Cruciferos fallens, de quo apud eos magni morſus habebantur, captiuitatem euaſit, & in *Lithuaniam* peruenit.

Sed is captiuitate aſtu liberatus, Pruſſiamque inuadens iterum capitur, & euadit.

Caſimirus Rex Leopoli Metropolim erigit.

Amplitudinem religionis Chriſtianæ, *Caſimirus* ſecundus *Poloniæ* Rex, in terris *Ruſſiæ* ſuo deditis imperio effecturus, per Nuncios & Oratores ſuos in *Auinionem* miſſos, Eccleſiam Metropolitanam in ciuitate Principali *Leopolienſi*, per *Vrbanum* Papam quintum octauo Idus Aprilis obtinuit, ad dotationem ſuam ſufficientem, erigi & fundari. Præfatus enim *Iacobus Szvvinka Gneſnenſis* Archiepiſcopus literis Apoſtolicis ſibi præſentatis, à *Caſimiro Poloniæ* Rege requiſitus, iuit perſonaliter *Leopolim*, & ex Parochiali Eccleſia *Leopolienſi*, Metropolitanam, inſpectante *Caſimiro* Rege, & vniuerſa militia eius, & dotem ſufficientem largiente, erexit, & in primum Archiepiſcopum dictæ Sedis *Chriſtinum* virum nobilem inſtituit & conſecrauit.

1362.

Fames in Polonia, vbi Caſimirus ſubditis ex proprio horreo ſubuenit, multaque ædificia extruit.

Exterarum guerrarum, & differentiarum ciuilium, ſedato oppreſſoque motu, peſte quoque ſæuiſſima mitigata, cariſtiæ & famis pernicioſum malum, ſubito in Regno *Poloniæ* & partibus vicinis, (demeritis hominum vltionem Diuinam prouocantibus) coortum eſt. Licet ſiquidem fruges pro hyemali & vernali tempore terræ mandatæ, ſpem fructuum percipiendorum cum vbertate, per germen ſecundo tenore vſque ad Iunium menſem progreſſum, cultoribus præbuiſſent: frugibus tamen ipſis de menſe Iunio, & ſequentibus florere incipientibus, validiſſimorum ventorum, cum pluuiis & tempeſtatibus ab aquilone coortorum flatus adueniens, & curſum ſuum longo continuans tempore, omnes paſſim fruges percuſſit, & ablatis a ſpicis floribus extinxit, deleuit, & corrupit, granorumque coaleſcentiam à frugibus auferens, ſteriles & aridos culmos, & inanes paleas meſſoribus reliquit, & in Regnum *Poloniæ* parteſque vicinas, famem validam & horrendam induxit. *Caſimirus* itaque *Poloniæ* Rex, qui per omne tempus ſui regiminis & Principatus, curam ad ferendos ſuorum prædiorum, per colonos & factores ſuos, agros, intenderat, & cui annis ſingulis plura aceruorum in vario frumentorum genere millia, proueniebant, gentem ſuam *Polonicam*, nationeſque vicinas, videns fame atroci laborare, horrea ſua in ſingulis terris Regni ſui, frugibus redundantia, aperuit, & de illis quibuslibet fame confectis, ſagaci prouiſione, ſubueniri mandauit. Et aduenis quidem & forenſibus frumenta per Regios præfectos moderato pretio vendebantur, proprii vero pecunias ad emendum non habentes, aut rerum commutatione, aut labore, præſtatum illis frumentum merebantur. In ſingulis ſiquidem ſui Regni terris & diſtrictibus, *Caſimirus Poloniæ* Rex præfatus, cum caſtrorum & ciuitatum fabricas & muros, tum aquæ ductus, & ædificiorum variorum ſtructuras, extendi & initiui, non tam pro neceſſitate aut viu, ſed pro releuanda omnium mechanicorum & emethonum inopia iuſſit. Concurrebant itaque ad ſubeundos, perficiendoſque inceptos & incipiendos labores, omnium hominum genera, & pro excludenda fame, etiam mulierum puerorumque infirmus ſexus, & languida ætas, operas ſuas in laboribus, ad merendum frumentum, enixius, quam eorum ferebat conditio, edebant. Singulis autem affatim, aut pecuniæ pro labore, aut iis præſtantius frumentum ſoluebatur. Qua quidem frumentariæ rei largitione, *Caſimirus Poloniæ* Rex, maxima a propriis & forenſibus celebratus eſt laude. Et in theſauro Regio argento & auro ex pluribus locis importato, & in murorum, ædificiorum, piſcinarum, & foſſatorum opere, vehementer auctus, ex qui-

1362. quibus illud inſigne & memorabile foſſatum, quod à *Cracouienſi* vrbe verſus *Bochnyam* tendi, & flumine *Viſla* in illud immiſſo, ligna per illud ſalque traduci deſtinabat, adhuc eminet; Pater & reſtaurator patriæ creditus & appellatus eſt.

Prutheni multa Lithuaniæ caſtra, inter quæ & Kovvno, capiunt.

Numeroſo & potenti exercitu, ex peregrinis & domeſticis *Vinricus* de *Kniprode Pruſſiæ* Magiſter, congeſto, primo veris tempore ingreditur terras *Samogithiæ* & *Lithuaniæ*. Et remotioribus regionibus vaſtatis, caſtrum *Kovvno* tam muris & arte, quàm ſitu & natura (duo enim non ſpernendi amnes, *Nyemen* & *Viſla* illud circumfluunt) obſidione cingit. Obſidionem autem huiusmodi, *Olgierth*, *Keyſtuth*, & *Patrikig*, *Lithuaniæ* Duces repulſuri, cum ſuis copiis adueniunt; & certamine cum Magiſtro *Pruſſiæ* & ſuo exercitu, feria quinta ante Dominicam *Reminiſcere*, inito, victi, refugiunt. Quibus fugatis, Magiſter *Vinricus*, ſtrictiori obſidione caſtrum *Kovvno* coarctans, munera obſidionis inter Commendatores & milites diſpartitur: caſtrumque bombardarum crebra concuſſione, & ignitorum telorum proiectione, nocte & interdiu quatit. Et quamuis *Voydath* filius Ducis *Keyſtuthi*, cum tribus millibus *Lithuanorum* caſtrum probè defendiſſet, & in exercitu Cruciferorum plures clades faceret, & ſubeuntes milites ad murum perimeret: pertinacia tamen & perſeuerantia Cruciferorum, aut mori illic, aut caſtrum ſe conquiſituros deuouentium, caſtrum ad conquiſitionem ſpectabat. Cui *Lithuani* laturi auxilium, etſi nouas copias reparaſſent, & cominus in colle, ex quo ſingula, quæ Cruciferi agebant, ſpeculari poterant, conſiſterent; in exercitum tamen Magiſtri & Cruciferorum, vallo & foſſis profundis & amnibus facto, aquæ ductibus repletis, non audebant inſilire. Colloquio tandem *Keyſtuth* cum Magiſtro *Pruſſiæ* petito, petit ſolui obſidionem. Quod cum impetrare non poſſet, ſuperbo ſermone vſus, iactabat ſe, ſi ad obſeſſos in caſtrum penetrare poſſet, caſtrum à qualibet expugnatione tutaturum. Sed cum illi a Magiſtro non per ſe ſolum, ſed quibuscumque vellet, caſtrum intrandi poteſtas facta eſſet, rogaretur inſuper, vt non cunctaretur confligere, offerente Magiſtro ſe ſuum exercitum ex foſſis & aggeribus ad plana, & æqua loca, ſi decernere vellet, deducturum, *Keyſtuth* ſilentio rem abſoluens, re infecta diſcedit. Et Magiſter cum ſuo exercitu feria ſecunda poſt Dominicam Palmarum, inceſſabili irruptione nocte & die, vsque ad Paraſceue, cum caſtrum laceſſiſſet, tandem Sabbatho in vigilia Paſchæ, caſtrum, *Lithuanorum* Ducibus ex editiori colle, non ſine lachrymarum effuſione inſpectantibus, muro ſuffoſſo, qui ruens, plures mortalium de Cruciferorum exercitu oppreſſit, & caſtro igne accenſo, quo magna multitudo *Lithuanorum* periit, capit, cum illud in Dominica Reminiſcere oppugnare cœpiſſet: magnamque in captos & deuictos cædem edit. Tria millia *Lithuanorum* in ea obſidione cæſa & mortua referuntur. *Voydath* verò filius *Keyſtuthi*, cum triginta ſex potioribus captiuitati reſeruatus. Dies *Reſurrectionis* Dominicæ, miſſa per *Bartholomæum Sambienſem* Epiſcopum expleta, feſtiuata eſt. Die verò ſubſequenti, murorum parietibus ruinatis, & omnibus foſſatis ſolo æquatis, ad caſtrum *Piſten* Magiſter exercitum applicat; quod à *Lithuanis* deſertum reperiens, incendit; & ad caſtrum *Wielunya* veniens, quarta die per impugnationem illud conquirit, & multis *Lithuanis* occiſis, quingentos capit. Caſtrum autem *Wielunya* funditus euertens, cum multitudine captiuorum & ſpoliorum, in *Mariemburg* rediit.

Cometa apparet

Vndecima menſis Martii, & poſt, pluribus diebus, cometes ſtella crinita, in fine aquarii, & prope Venerem apparuit; caudam ſeu facem in loco Mercurii, & in Piſcibus verſus orientem retorquens: quæ curſum ſuum vsque in quinque hebdomadas produxit. Sub quo tempore *Anna* conſors *Caroli Romanorum* Imperatoris & Regis *Bohemiæ* ſecunda obiit, & *Carolus* ipſe tertiam, virginem videlicet *Mecellinam* de ſanguine Barbarorum ſibi iungit. Filio verò ſuo *Venceslao*, *Ioannam* filiam *Alberti* Ducis *Bauariæ*, Comitis *Holandriæ* atque *Haynouiæ*, quam idem Dux *Albertus* ex *Margaretha* filia *Ludouici* Ducis *Bregenſis* ſuſceperat. Patruo verò *Sobeslao* Marchioni *Morauiæ*, neptem *Roberti Ruffi* Comitis Palatini *Bauariæ* deſponſat. Connubia cum *Bauariæ* domo eo propoſito ingeminans, vt ſeminario & fomite odii, quod *Carolus* Imperator Regnum *Romanorum* ſub *Roberto* Duce *Bauariæ* viuente occupandum acceptauerat, per huiusmodi affinitates abolito, fidam ſibi & amicam, ex hoſtili & infeſta, domum *Bauariæ* efficeret.

Anna conſors Rom. Imp. moritur.

Ad reſcindendas componendasque quasdam inter *Hungariæ* & *Bohemiæ* Regna differentias, quas Nobiles & ſubditi Regnorum, inter ſe rapinis, ſeditionibus & furtis, cæteriſque mutuis factionibus & iniuriis, laceſſendo ſe inuicem conflauerant, Legatis *Ludouici* Regis *Hungariæ*, ad *Carolum Romanorum* Imperatorem & *Bohemiæ* Regem queſtum ambulantibus, & reformationem iniuriarum fieri poſtulantibus, ex *Caroli* Imperatoris, & Regis *Bohemiæ* ſuperbo probroſo ver- 1363.

1363.

Propter iniuriam Reginæ Hungariæ a Legatis Imp. illatam

verbo, quo paſſione & ira, ea quæ *Hungariæ* Legati detulerant, refellendo, incenſus, matrem *Ludouici Hungariæ* Regis, parum pudicam aſſerendo protulerat, maior flamma ſubito prodire, & vehementer oriri cœpit. Legati enim *Hungariæ* faciem & præſentiam *Caroli Romanorum* Imperatoris & *Bohemiæ* Regis, parum veriti, pro tuenda ſui Regis, & genitricis eius *Eliſabeth* honeſtate, contumeliam tantam non ferentes, reciproca contumelia, quantum poſſunt, refellunt, & purgant. *Quamuis*, inquiunt, *eadem temeritate, qua Sereniſſimi Regis noſtri, & matris eius Illuſtriſſimæ Eliſabeth Reginæ honorem, & glorioſum nomen & famam probro tuo violare non erubuiſti, & nos eiuſdem Legatos videmus, & præſumimus, te violaturum eſſe, omnia tamen pro honore Regis noſtri & matris eius paſſuri, leuia exiſtimantes, aſſertioni tuæ, qua genitricem Sereniſſimi Regis noſtri, & conſequenter Dominum noſtrum Ludouicum Regem, de impudicitia notaſti, publica, clara, & libera voce contradicimus, & te in verbo huiuſmodi Regio, noſtro & Illuſtriſſimæ atque honeſtiſſimæ Matri, iniuriatum vehementer eſſe, iterum atque iterum aſſeueramus: parati æquo Marte & loco, pro honore Regis noſtri & matris eius, ſiue tecum, ſiue alio tuum ſermonem defendere volente, ingredi duellum & certamen. Et nihilominus pro huiuſmodi grandi iniuria, quæ à te, cum ſis primus Regum, nec nominari debuit, te & Imperium tuum, & Regnum Bohemiæ, & omnia Dominia tua, nomine Regis noſtri, & omnium Regnorum ſuorum, ex nunc diffidamus.* *Carolus* autem Imperator, & ſua conſcientia, intellectuque, ac Conſiliariorum Eccleſiaſticorum & Secularium, circa illum præſentium, correptione remorſus, nihil durum Legatis *Hungariæ*, (videbat enim illos iuſtiori, quàm ſe, adductos ira, in viciſſitudinarias contumelias prorupiſſe) reſpondendum duxit; ſed mitigare animos *Hungariæ* Legatorum, & verbum probroſum quod in dedecus *Heliſabeth* *Hungariæ* ſenioris Reginæ protulerat, verbis extenuare cœpit; proteſtans *ſe illud ioco non ſerio dixiſſe.* Legati autem *Hungariæ*, *facinus tam atrox, in ſui Regis, & matris eius redundans infamiam, parum verbis extenuari poſſe* reſpondent: *ſed ſanguine dilui & expiari oportere: nec tam ſua, ſed Regis ſui intereſſe, vt infamiam ſuam & matris ſuæ, ſupplici & veniam poſtulanti remittat.* Atque ita irritatis magis quàm pacatis animis ex *Praga*, vbi *Carolum* Imperatorem offenderant, diſcedunt, & ad Regem ſuum *Hungariæ* in *Viſchegrad* peruenientes, ſingula quæ illis apud *Carolum* Imperatorem acciderant, & quota qualique criminatione *Eliſabeth* Reginam ſeniorem *Hungariæ* genitricem ſuam, carpſerat, ex ordine referunt, & declarant. Rex autem *Hungariæ Ludouicus*, probitate & fide, in defendendo ſuo & matris ſuæ honore, Legatorum collaudata, etiam quòd *Carolum Romanorum* Regem, pro huiuſmodi probro, ſuo nomine diffidauerint, & verbis commendat, & largitione munifica extollit, ac bellum ingens, vlturus ſuam, & matris ſuæ iniuriam, ſollicita aſſiduaque meditatione, *Carolo* Imperatori & *Bohemiæ* Regi, per patentes literas, verbali diffidatione Legatorum non contentus, indicit. Exercitus itaque ex omnibus Regnis & Dominiis ſuis comparat, ſubſidiaque & ſolatia vicinorum Regum & Principum, miſſis variis Nunciis, contrahit. Et primum quidem ad auunculum ſuum germanum *Caſimirum Poloniæ* Regem Nunciis miſſis rogat, *vt ſororis ſuæ Eliſabeth Reginæ probrum multum eſſe non ſinat, ſed ſecum commune bellum geſturus, cum omnibus potentiis Dominiorum ſuorum conſurgat.* Et *Caſimirus Poloniæ* Rex, communicato Prælatorum & Baronum ſuorum conſilio, *non ſolum gentibus & potentiis ſuis, ſed etiam perſonali præſentia, bellum cœptum ſe adiuturum, & auxilia Lithuanorum, Ruthenorum, & Tartarorum ſe adducturum* repromittit. Deinde ad *Sigiſmundum Daniæ* Regem Nuncii, tam *Ludouici Hungariæ*, quàm *Caſimiri Poloniæ*, Regum, aduenientes, ipſum ad ferendum eis omnium potentiarum ſuarum auxilia (erat enim is *Boguſlai* Ducis *Stolpenſis* generis *Caſimiri Poloniæ* Regis conſanguineus) expoſitis cauſis & iniuriis belli, perliciunt & inducunt. *Carolus* autem Imperator, & rumore & Nunciis, auiſamentiſque ſubditorum & amicorum, bellum grande confici, & varias nationes atque Regna armari contra ſe intelligens, Electores Imperii, & ſingulos Principes *Auſtriæ* & *Almaniæ*, ad ferendum ſibi exercitualia auxilia, literis & crebris Nunciis inuitat, corrogat, & inclinat. Vtraque itaque pars ſe armis, gentibuſque, robore & numero ſuperiorem futuram eſſe magnoperè ſatagens, varias gentes, Catholicas & barbaras, in ſua auxilia, precibus & donatiuo conducebat, vt hinc orientem, illinc occidentem videres ad funeſtum bellum inuicem gerendum, commotos & concitatos. *Vrbanus* itaque Summus Pontifex appellatus Papa quintus, & tantos Reges intelligens inconſulto iracundiæ calore prouocatos, & odiorum impulſu, ex vno duntaxat probro incenſos, in atrox bellum parari, ad intercipiendum illud, ne furor bellicus poſtquam inciperet, altius ſerperet, & grauiores cauſaret occaſiones, mutuis armis ſe inuicem collidendi, more pii patris de interitu filiorum ſolliciti, omnes conatus ſuos

1363.

Ludouicus Hungariæ Rex ingentem comparat exercitum.

1363. os & ſtudia conuertit ad componendum Reges taliter furore colliſos: raræ prudentiæ & ſingularis doctrinæ virum religioſum, fratrem *Ioannem* ordinis minorum, prudentia & eloquentia pollentem, cum certis inſtructionibus & mandatis, in aliis agendis ſuam expertus induſtriam, factiuitatem, & ingenium, transmittit. Et hoc illi ſpecialiter iniungit, *vt quibuscumque poteſt honeſtis artibus & ingeniis, congeſtum & gerendum bellum diſſoluat.* Qui mandata Apoſtolica ſollicito executurus ſtudio, primùm ad *Carolum* Imperatorem ad *Pragam*; hinc ad *Ludouicum Hungariæ* Regem in *Budam*, poſtremò ad *Caſimirum Poloniæ* Regem *Cracouiam*, concito gradu adueniens, Sedis Apoſtolicæ mandata exponens, vnumquemque Regem ſingulari prece, perſuaſioneque ad reſcindendum impium bellum, plus cladis quàm victoriæ, plus dedecoris, quàm honoris, plus damni quàm commoditatis habiturum, & innumeras animas extincturum, Barbariſque nationibus in Catholicas terras debacchandi, animos & occaſionem aucturum, cohortatur & inducit. Nec precibus & perſuaſionibus contentus, vtramque partem, magis tamen *Carolum* Imperatorem, à quo belli omnis gerendi manauit initium & origo, terret, & nomine Summi Pontificis denunciat, per vtram partem ſtetiſſet, quominus diſcederetur ab armis, eam ſe, cum altera pacem non abnuente, conſiliis & auxiliis enixè Pontificem maximum adiuturum. Hac denunciatione, dum *Carolus* Imperator, qui bello præfato ſe cauſam dediſſe, & illud ſuſcitaſſe non ignorabat, plurimùm pauoris concepiſſet, veritus, ne Sedis Apoſtolicæ mandatum & auctoritas, *Almaniæ* Principes, ſuapte de aſſumpto iniuſto bello, querelam & iniuriam ingeminantes, ab eo auertiſſet, in omnes pacis conditiones, per Nuncium Apoſtolicum dictandas, ſe pro bono Chriſtianitatis, & ſanguinis Chriſtiani euitando profluuio, accepturum, in Summique Pontificis poteſtate futurum eſſe reſpondendo, ſpopondit. Nuncius itaque Apoſtolicus, *Carolo* in partem ſuæ intentionis perducto, ſæpius, iam *Ludouicum Hungariæ*, iam *Caſimirum Poloniæ*, Reges, adibat, & maxima inſtantia precabatur & orabat, *vt paſſione animi frenata, ſe, populoſque ſuos, & Regna, propter vnius verbi, leuitate prolati, quod iuſta compenſatione expiandum ſe Imperator Carolus offerebat, probrum, non ponerent in diſcrimen, nec ad iniuſtum bellum, & nullos ſucceſſus felices aut triumphos habiturum, ſuæ iniuriæ, eis oblatâ ſatisfactione contempta, prorumperent illud geſturi.* Dum quoque

Sed Pontifex per Nuncium pacem componit,

Hungariæ & *Poloniæ* Reges *æquas & iuſtas conditiones ſe non abnituros* reſpondis- 136
A ſent, decerpto vlcere ex cordibus frementium contra ſe Regum, & animis eorum modeſtiæ tenore qualificatis, ex arbitro procus factus, cœpit *Ludouicum Hungariæ*, & *Caſimirum Poloniæ*, Reges, & Summi Pontificis auctoritate viceque, & *Caroli* Imperatoris nomine deprecari, *vt pro ſtabilienda inter eos pace, & eo lolio quod Sathanæ ſuperſeminauerat calliditas euellendo, iungerent inter ſe affinitatem, & Illuſtrem Virginem Eliſabeth, Boguslai Ducis Stolpenſis filiam, & Caſimiri Regis Poloniæ ex filia Eliſabeth neptem, ac Ludouici Hungariæ Regis conſobrinam, ex amitali ſorore ſuſceptam, dignarentur Carolo Romanorum* B *Imperatori, cui tunc ſecunda vxor Anna Imperatrix, filia Henrici Ducis Iawrienſis, ſed & tertia Mecellina, breui tempore coniugio ſuo potitæ, diem obierant, deſponſarent in vxorem.* Reges autem prædicti, mutuis tractatibus habitis, communicato Prælatorum & Baronum vtriuſque Regni conſilio, procationi huiuſmodi, pro Sedis Apoſtolicæ honore, & Chriſtianitatis pace, fideique Catholicæ exaltatione, ſuum præbent conſenſum. Erat enim Regis *Hungariæ Ludouici*, *Carolus Romanorum* & *Bohemiæ* Rex ſocer, filiam enim eius ex prima vxore *Blanka*, filia Regis *Franciæ* ſuſceptam, primùm C in vxorem *Ludouicus* duxerat, & reconciliationem prioris amicitiæ non abnuebat, & quem habebant habiturique erant inuiſum hoſtem, hunc in generum & affinem deligunt & aſſumunt, diemque nuptiarum *Cracouiæ* pro tempore & diebus Carnispriuii edicunt; & conſtituunt. Ita enim Nuncius Apoſtolicus, per *Carolum Romanorum* & *Bohemiæ* Regem, & iusſus & rogatus erat, vt huiusmodi affinitate petita & obtenta, etiam & diem nuptiarum, quò faciliùs bellum cœptum, & eius totalis ſuſpicio tolleretur, concluderet. Omnibus itaque iuxta *Caroli* Imperatoris votum, per Nuncium Apoſtolicum, apud D *Hungariæ* & *Poloniæ* Reges ordinatis & confectis, omnique hoſtilitate per contractum nouæ affinitatis ſublatâ, pace quoque inter Regna tria reformata, Apoſtolicus Nuncius *Pragam* rediens, Regi *Romanorum* labores ſuos & ſudores *Carolo*, quos in conficienda pace, & affinitate concludenda habuerat, declarat. Qui Deo, & Summo Pontifici *Vrbano* magnas gratias per literas & Nuncios agens, inſinuauit, ſe armis depoſitis, mandatis & ordinationibus Apoſtolicis in omnibus paruiſſe, & affinitatem cum his Regibus, quos hoſtes experturus erat,

qua affinitate roboratur.

1363. contraxiſſe. Quo nouo ad aures Summi Pontificis, & *Almaniæ* Principum perlato, magna exultatio & animorum iucunditas, vbique A apud ſingulos eſt infuſa.

Ad futuram itaque nuptiarum ſolennitatem, quarum ſibi curam procurationemque *Caſimirus* Rex, velut auus virginis ſuſceperat, magnifico & excellenti ſumptu gerendam, præfatus *Caſimirus Poloniæ* Rex, vicinos Reges & Principes, videlicet *Ludouicum Hungariæ* nepotem ſuum, *Sigiſmundum Daniæ*, & *Petrum Cypri*, Reges; *Othonem Bauariæ*, *Semouitum Maſouiæ*, *Boleslaum Swidnicenſem*, filium ſororis ſuæ, *Wladislaum Oppolienſem*, & cæteros *Poloniæ* Principes, per ſpeciales Nuncios corrogat, & inuitat. Qui omnes dum ad conſtitutum diem conueniſſent: Rex enim *Cypri Petrus*, *mari Leonino* vsque in *Valachiam* vectus, tandem per continentem, terras videlicet *Valachiæ* & *Ruſſiæ*, abunde omnibus neceſſariis, per *Caſimiri* Regis *Poloniæ* Præfectos, procuratus: *Sigiſmundus* verò *Daniæ* Rex, in *Stolpenſem* Ducatum mari Oceano adueniens, cum *Boguslao* Duce *Stolpenſi* affine ſuo, & virgine *Eliſabeth* noua nupta, *Cracouiam* in ſumptibus & expenſis *Caſimiri Poloniæ* Regis aduenit. Tandem & *Ludouicus Hungariæ* Rex, compendioſiorem ſtratam habens, per *Sandecz* & *Bochnyam*, cum notabili apparatu, & frequenti Baronum ſuorum comitatu, aduenit. *Carolus* verò *Romanorum* & *Bohemiæ* Rex per *Sleſiam* adueniens, à Præfectis *Caſimiri Poloniæ* Regis in *Bithom*, in eius occurſum miſſis, exceptus, & in *Badzin*, *Ilkuſz*, cæteriſque locis Regni *Poloniæ*, cum omnibus Principibus & Baronibus ſuis copioſè procuratus, aduenit. Cui obuiam quatuor Reges, *Hungariæ*, *Poloniæ*, *Daniæ* & *Cypri*, cum Principibus & Baronibus in multitudine copioſa, ad vnum miliare egreſſi, ipſum cum omni benignitate & honore excipiunt. Et Rex quidem *Carolus*, nunciato ſibi Regum aduentu, equo cum Principibus & Baronibus ſuis deſcendens, longum ſpatium pedeſtri itinere, antequam cum Regibus conueniret, præcedente Reges longo turmarum ordine, confecit. Quo Regibus nunciato, deſcendentes & ipſi de equis, *Carolo Romanorum* Regi occurrentes, dextras cum fletu & effuſione multarum lachrymarum, amplexibus & oſculis, præſente *Ioanne* fratre Nuncio Apoſtolico, iungunt. Magnitudo ſiquidem lætitiæ, de tot Regum in vnum diem & locum mutuá conuentione, & eorum reconciliatione, tàm Regibus, quàm eorum Principibus & optimatibus, lachrymas quaſi quoſdam cordis indices, excutiebat. Reſumptis autem equis, cum vrbi appropinquarent, virgo *Eliſabeth* cum patre Duce *Boguslao Stolpenſi*, multis comitata virginibus, in Regio apparatu *Carolum* futurum ſponſum ſuum excepit. Proceſſiones deinde omnium Eccleſiarum & ſtatuum *Cracouienſis* ciuitatis ſubſecutæ, exceptione ſua diem traxerunt in veſperam: Regibus omnibus ſpeciales habitationes & thalami, purpuris & cortinis, auro & oſtro, gemmiſque ſuperbæ, in caſtro *Cracouienſi* aſſignatæ, cæteriſque Principibus, Baronibus, & familiis eorum, honeſta hoſpitia, ad vſum voluptatemque hominum omnibus neceſſariis plena, diſtributa. Quamuis autem cuilibet Regi, Principi, & Baroni, ſpeciales Prouiſores & Miniſtri, ex Baronibus & Nobilibus *Poloniæ*, per *Caſimirum Poloniæ* Regem deputati fuiſſent: omnes tamen *Vinrzikoni* Conſuli *Cracouienſi*, is genere Nobilis & natione *Rinenſis* de domo & armis *Lágodá*, parere iuſſi. Vnus enim hic aulam *Caſimiri Poloniæ* Regis, & omnia officia in Curia Regis gubernabat: idem, quod præcipuum eſt, introituum & pecuniarum Regalium receptor & diſpenſator: idem conſiliorum omnium particeps, moderator & auctor. Illi vni *Caſimirus Poloniæ* Rex, propter notam hominis induſtriam, fidem, prouidentiam, & factiuitatem, curam & ſummam adminiſtrandorum omnium, quæ in tam celeberrimo & frequenti Regum conuentu, rerum eſſent neceſſaria, mandauerat. Qui *Caſimiro Poloniæ* Rege iubente, tantam Regibus Principibus, Baronibus, & quibuslibet hoſpitibus & aduenis, tàm inuitatis, quàm ſuapte venientibus, monſtrauit in procurandis illis pluribus diebus, magnificentiam, opulentiam, & liberalitatem, vt ſingulis non ſolùm victualia largiſſima & expenſæ præberentur, ſed etiam quæ poſtulaſſet cuiuſque priuata neceſſitas & vſus, in abundantia vltrò largirentur. Et ne quiſquam de quocumque defectu poſſit queri, vltra neceſſaria omnium rerum, in hoſpitia Regum, Principum, Baronum, nobilium, & hoſpitum importata, in circo ciuitatis *Cracouienſis*, crebris in locis dolia, vaſaque raræ magnitudinis, plena vino optimo, & quædam grano auenæ locari, & pro quolibet tempore in plenitudine conſiſtere *Caſimirus Poloniæ* Rex ordinauerat. Ex quibus ſinguli hoſpites & inuitati, ne dum pro neceſſitate, ſed pro libidine hauriebant. Tertia aduentùs in *Cracouiam Caroli Romanorum* Imperatoris & *Bohemiæ* Regis die, ipſe *Carolus Romanorum* Imperator, virginem *Eliſabeth* Ducis *Boguslai* filiam, & *Caſimiri Poloniæ* Regis neptem ex filia, in Eccleſia maiori *Cracouienſi*, Regibus, Pontificibus, Principibus, & Baronibus præſentibus, *Iaroslao Gneſnenſi* Archiepiſcopo dictante verba, deſponſat. Cui *Caſimirus Poloniæ* Rex, centum florenorum millia, dat in dotem. Inſtaurantur poſtea haſta- 1363.

Carolus Imp. atq; Hungariæ, Daniæ & Cypri Reges Cracouiã veniunt ad nuptias.

B C D

1363. ſtarum, chorearum, & plauſuum ludi, & pluribus continuantur diebus. Victoribus quoque & athletis propoſita præmia, per *Caſimirum Poloniæ* Regem liberaliter largiuntur. Opulentiam autem & diuitias, & Regni ſui & ſuas, *Caſimirus Poloniæ* Rex, quibus ſupra omnes ſuperiores *Poloniæ* Reges abundabat, demonſtraturus, ſingulis diebus, quibus illa nuptiarum durabat ſolennitas, Reges, Principes, & Barones, qui conuenerant, delicatis excipiebat conuiuiis, opiparè vnumquemque pertractans. Nec his contentus, poſt ſingula fercula, diebus omnibus, ſingulis Regibus & hoſpitibus, magni pretii mittebat munera, quorum valor & frequentia, Regibus, Principibus, & hoſpitibus, magnam admirationem pariebat. Nec *Winrzinek* Conſul *Cracouienſis*, Regiarum opum, vt præmiſimus, adminiſtrator, vicem ſuam negligendam duxit: Verùm quinque Regibus, & vniuerſis Principibus, Baronibus, & hoſpitibus, in domum ſuam ad prandium inuitatis, impetratâ à Regibus licentiâ, vt iuxta proprium arbitrium loca Regibus diſtribueret, *Caſimirum Poloniæ* Regem primum & ſuperiorem locum, ſecundum *Carolum Romanorum* & *Bohemiæ* Regem, tertium *Hungariæ*, quartum *Cypri*, & vltimum *Daniæ* accipere iuſſit, ratione redditâ, quòd nulli magis quàm Domino ſuo *Caſimiro Poloniæ* Regi, pro immenſis beneficiis, quibus illum, quamuis forenſem & aduenam extulerat & ditauerat, ad fauendum de ampliſſimo honore obligaretur. Quos cum cibariis delicatis pauiſſet, etiam vnicuique excellentia munera inter prandendum obtulit. Verùm ea quæ *Caſimiro Poloniæ* Regi, aliis Regibus inſpectantibus obtulit, tanta fuiſſe perhibentur, vt ſummam centum millium florenorum excederent. Nec in admirationem ſolùm, ſed etiam in ſtuporem pluribus mortalibus eſſent. Diebus autem conuiuii, qui vſque in vigeſimam diem tendebantur, peractis, firmata inter ſe Reges & Principes amicitiâ, & icto perpetuæ pacis fœdere Sacramenti iuramento confirmato, miſſis inter ſe muneribus, multa gratiarum & laudum, in *Caſimirum Poloniæ* Regem certatim pro honore eis impenſo, & muneribus in ſe & ſuos collatis, celebrata actione, in Regna, Principatus, & Dominia ſua, *Caſimiro* Rege *Poloniæ*, ſingulis per præfectos & Prouiſores, vſquequo proprias regiones contingerent, adminiſtrante neceſſaria, diſgrediuntur. Et *Carolus* quidem *Romanorum* Imperator & *Bohemiæ* Rex, amplioribus gratiarum actionibus, quam cæteri, & pro Illuſtri ſponſa, & munifica dote vſus, multis precibus *Caſimirum Poloniæ* Regem conſtringit & obligat, vt aliquando in *Pragam* ad ſe venire, & illic pro libito ſtare dignaretur, neptem ſuam, & prolem ex ea ſuſcipiendam viſurus. Ac ſic noua ſponſa recepta, cum magna animorum hilaritate, cum Principibus & Baronibus ſuis, de munificentia, prudentia, & opulentia *Caſimiri Poloniæ* Regis, continuos ſermones edentibus, rediit. Pro ea autem tempeſtate *Caſimiri* Regis *Poloniæ* famoſum & celebre nomen erat, in ſingulas partes ex eo tempore diffuſum, & in omnia Regna Catholica & barbara, munificentiâ actionum ſuarum, per ora populorum diuulgabatur. 1363.

Pruſſi vaſtant Lithuaniam.

In die Sanctæ *Agnethis Vinricus* Magiſter *Pruſſiæ*, videns Comitem *Bauariæ Lupum*, aliàs *Wolff*, & plures alios armigeros de *Almania*, ad militandum contra barbaros conueniſſe, motis caſtris, vadit contra *Lithuaniam* & *Samogithiam*. Eam grauiſſimè in multis locis, & præſertim in diſtrictibus *Parunen*, *Eroglem*, *Labima*, cædibus, flammis, & ſpoliis affligit. Cui Magiſter de *Liuonia* cum altero exercitu, in duo agmina (quorum alterum Magiſter, alterum Marſchalcus regebat,) diſpartito, in auxilium aduenit. Iunctiſque potentiis, per vniuerſam *Lithuaniæ* Regionem, *Lithuanis* decernere non auſis, graſſabantur. Et quoniam fluuius *Nyemen* glaciebus erat permeabilis, fluuio tranſito, maximis calamitatibus *Lithuanos* trans fluuium *Nyemen* habitantes, afficiunt. Et multis captiuis onuſti, alter in *Pruſſiam*, alter in *Liuoniam*, nullâ hoſtilitate laceſſiti, redeunt. Reſumpſit & alteram in *Lithuanos* & *Samogithas*, Marſchalcus *Pruſſiæ Schindekop* expeditionem, & caſtrum *Garthin* expugnare aggreſſus, à Duce *Lithuanorum Patrikig*, qui illud probè tuebatur, repulſus, ſpoliato diſtrictu *Garthin*, in *Pruſſiam* cum captiuis remeauit.

1364. *Ludouicus Haynouienſis & Venceslaus Legnicenſis Duces contendunt.*

Sterilitatis opprobrio, quod *Venceslaus* Dux *Legnicenſis* annis propè viginti, cum conſorte ſua, filia *Teſchnenſis* Ducis pertulerat, abrogato, expetita magnoperè fœcunditas ſuccedit. Nati ſunt enim illi ſuccedentibus temporibus, quatuor filii, videlicet *Rupertus*, *Venceslaus*, *Boleslaus*, & *Henricus*, & vna filia *Heduigis*. Tot itaque pignoribus præter ſuam & omnium hominum ſpem, *Venceslaus* Dux *Legnicenſis* ſuſceptis, magnis æſtuabat conatibus, quatenus pacta, inter eum & fratrem Ducem *Ludouicum* ſuper Principatûs deuolutione & diuiſione ſuperiori tempore celebrata, reciderent in irritum, & filii ſui Ducatum *Legnicenſem* pro hæreditate perpetuâ poſſiderent. Propter quod nonnullos militares, & Nobiles *Legnicenſes*, pacta inita recuſantes temerare, de Sedibus & hæreditatibus eorũ expellit, ciuesque *Legnicenſes*, vt non alios quàm Natos ſuos pro hæredibus, ſuâ morte ſecutâ, tenerent, coarctat. Tunc primùm *Ludouicus* Dux *Haynouienſis* ſe deluſum & circumuentum intelligens, graui torqueri acer-

1364. bitate, ſe de ſorte *Legnicenſi*, ſibi legitimè prouueniente, ob ſpes inanes exceſſiſſe, & in eam ſortem ſucceſſiſſe, quæ nullam munitio- A nem, nullum fortalitium, vbi tutus conſiſteret, haberet. Modeſtia itaque vſus, ſuppreſſo quem geſtabat dolore, *Lebin* oppidum, ſitu & arte munitum, in *Legnicenſi* Ducatu conſiſtens, per *Venceslaum* fratrem obligatum, blanditus fratri, & de eius conſenſu redimit, & in ſuam redegit ditionem, liberiùs de cætero alienationes fraternas, & iniurias repreſſurus. Plures itaque alienationes, & obligationes per *Venceslaum* Ducem fiendas reſcindit, & *Iudæum* quendam, cui *Aureus mons* obligatus erat, in *Legnicz* captum, & in *Lebin* deductum, ad reſtituendum ſingula quæ tenebat, compellit. Iratus ob id *Venceslaus* Dux *Legnicenſis* fratri *Lu*- B *douico*, grauiter illum opprimere cœpit, & vniuerſas villas, quæ ditionis ſuæ erant, in terra *Legnicenſi*, incendit. Mortua denique patris eorum *Boguslai* relicta, Duciſſa *Catharinâ* & *Bregenſi* Ducatu ex æquo inter eos partito, *Venceslaus* Dux *Legnicenſis*, fratrem *Ludouicum* grauaturus, ſortem ſuam in *Bregenſi* Ducatu, *Boleslao Swidnicenſi* Duci vendidit. A quo *Ludouicus* Dux nouis & grauibus guerris, quemadmodum *Venceslaus* Dux *Legnicenſis* animo geſtiebat, fuit laceſſitus, quatenus & reſiduam ſortem *Bregenſis* Ducatûs vendere cogeretur. Agente deinde *Carolo* Imperatore & *Bohemiæ* Rege, C pacificantur fratres præfati ea conditione & fœdere, vt vniuerſum Ducatum *Bregenſem Ludouicus* obtineat, & medietatem eam, quæ *Svvidnicenſi* Duci *Boleslao* vendita fuerat, habeat, *Swidnicenſi* Duce mortuo, liberandi poteſtatem, fratrique *Venceslao Legnicenſi* Duci, *Haynouiam* cum *Legnicenſi* Ducatu perpetuò relinquat. Nec multò poſt, *Venceslaus* Dux *Legnicenſis*, & egeſtate & ære alieno grauatus, moritur, & in Eccleſia Collegiata *Legnicenſi*, quam fundauerat & dotauerat, ſepelitur. *Ludouicus* verò *Bregenſis* Dux, germanus ſuus, filiorum ſuorum curam & tutelam, concorditer ad id electus & rogatus, ſuſcipiens, tàm ſollicitè, fideliter, & pro- D uidè eorum adminiſtrauit rexitque Principatum, vt in breui plurima, à fratre *Venceslao* contracta debita, abſolueret, & Principatum *Legnicenſem*, ſuâ prouidentia reduceret in vberem conditionem & frugem. Proceſſu denique temporis, duobus filiis *Venceslai Legnicenſis* Ducis, videlicet *Ruperto* & *Boleslao*, in ſeculari militiâ, & ſtatu permanentibus, *Venceslaus* primùm *Lubucenſem* Epiſcopatum adipiſcitur, & exinde translatus, ad *Wratislauienſem* promouetur. Nec *Henrici* inferior ſors extitit: ex *Wratislauienſi* enim Decano, *Wladislauienſem* fuit Eccleſiam conſecutus. Soror eorum *Heduigis*, matrimonium ſenioris Ducis Henrici *Zeganenſis* ſortita.

quos Carolus Imp. reducit in gratiam.

Nec multo poſt Venceslaus moritur.

Matthias Epiſcopus *Wladislauienſis*, dum Pontificatûs ſui adminiſtratione fulgeſcens, annos duos & quadraginta in Pontificatu exegiſſet, & Eccleſiam *Wladislauienſem* in ciuitatis loco (quoniam prima Eccleſia ante caſtrum ſita, parùm auguſta, parumque celebris habebatur) à fundamentis initians, item caſtrum *Wladislauienſe*, item caſtrum *Racziąſz*, item Eccleſiam Sancti *Vitalis* in *Wladislauia*, pulcherrimo opere & muro coctili principiaſſet, ordinaſſet, & conſumaſſet, ſenio & labore confectus, cœcitate inſuper grauatus, Epiſcopatum *Wladislauienſem* in fauorem *Sbiluti* de *Golanczà* Præpoſiti *Wladislauienſis*, nepotis ſui germani, nobilis de domo & familia *Bipennium*, ſiue *Thopor*, cedit. Fuitque præfato *Sbiluto* de conſenſu *Caſimiri Poloniæ* Regis velut Patroni, per Summum Pontificem *Vrbanum* quintum, ſexta die Decembris prouiſum, qui ex patre *Sbiluto* Caſtellano *Poſnanienſi*; & matre *Philomena* ortus erat, anno Domini, milleſimo tricenteſimo ſexageſimo ſexto, de prædicta *Wladislauienſi* Eccleſiâ prouiſus & conſecratus. Præfatus autem *Matthias* olim Epiſcopus, quatuor annis poſt reſignationem ſuperuiuens, & frequentes querelas non in priuato tantummodò, ſed & in publico, contra nepotem ſuum, quaſi illum parùm honeſtè prouideret, ingeminans, anno Domini milleſimo tricenteſimo ſexageſimo octauo, ſedecima May obiit, & in ſacriſtia Eccleſiæ maioris *Wladislauienſis* ad auſtrum, in loco lauatorii ſepultus. 1364.

Matthias Epiſc. Wladislauienſis

Pontificatum Sbiluto reſignat.

Fundat eo anno *Caſimirus Poloniæ* Rex in terra & diœceſi *Cracouienſi*, oppidum nouum *Krzepicze* iuxta fluuium *Wartha*, arcemque fortem non longè ab oppido, in loco paluſtri & limoſo fabricat ex muro coctili. Cuius quidem oppidi Parochialem Eccleſiam, *Bodzanta Cracouienſis* Epiſcopus de *Iankowo*, de domo *Roſæ*, cum à *Caſimiro* Rege rogatus dotare recuſaret de menſâ ſua, *Iaroslaus Gneſnenſis* Archiepiſcopus, de domo *Bogoria*, interpellationibus Regiis acquieſcens, duas decimas manipulares menſæ ſuæ, in villis Regiis, vtraque videlicet *Zâyączki*, non longè à fluuio *Wartha* ſitis, item decimam pecunialem, in præfato oppido *Krzepicze*, cuius ius & dotatio non ad eum, cum non in ſua, ſed in *Cracouienſi* diœceſi, vt potè, quia vtriusque diœceſis fluuius *Wartha* limes perpetuus erat, conſiſteret oppidum præfatum, pertinebat, in dotem confert. Et *Caſimiro Poloniæ* Rege conſentiente, limites diœceſum confundens, præfati oppidi iuriſdictionem iniuſtè oc-

Krzepicze oppidum fundatur.

1364. occupauit, & in ſuam violenter traxit diœceſim. Eamque violentiam & iniuriam, *Bodzanta Cracouienſis* Epiſcopus ſenectute & cœcitate affectus, & tandem morte præuentus, reſcindere vt tenebatur non valuit.

Prutheni caſtrum Kowno per Lithuanos reparatum

Caſtrum *Kowno* ſuperiori tempore à Magiſtro *Pruſſiæ Vinrico* expugnatum & demolitum, refecturi Principes *Lithuanorum*, *Olgiert*, *Keyſtuth*, & *Patrikig*, conueniunt, & infra dies paucos per ligna & robora illud inſtaurant pro magna parte, ruinas. Sed & pontem, maximum pro tuendo caſtro munimentum, in flumine *Nyemen*, pro ſuo graui, propter fluminis tàm profunditatem quam rapacitatem, labore conſtituunt. Quam quidem ædificationem inſtaurationemque Cruciferi abrogaturi, in non paruo exercitu, quem Commendator de *Ragnetha* ducebat, adueniunt: Ponte primùm in flumine *Nyemen* exuſto, *Lithuanis*, qui caſtrum *Kowno* reficiebant, diffugientibus, opera ſingula quæ erexerant, flammis exurunt, & caſtrum funditus euertunt diſiiciuntque.

diſiiciunt, & alia multa conquirunt.

Interim *Vinricus Pruſſiæ* Magiſter, cum magno exercitu ad caſtrum *Piſtow* venit, quod vacuum, fugientibus *Lithuanis*, reperiens, incendit. Deinde ad caſtrum *Wyelunya* exercitu admoto, illud oppugnat. Congeſtaque magnâ lignorum ſtrue & incenſa, validiſſimo vento adiuuante, caſtrum *Wyelunya* incendio conquirit. In quo etſi, multis *Lithuanis* flammâ pereuntibus, caſtri Capitaneus *Gaſtawdus* captus fuerit: inter ducentium tamen illum ad tabernaculum Marſchalci manus, ab *Almanis* occiditur. Cruciferorum autem exercitu ad propria redeunte, Dux *Lithuaniæ Keyſtuth* clandeſtinis itineribus *Pruſſiam* cum exercitu ingreſſus, omnem regionem circa *Iorgemberg* vaſtat, ſpoliat, & incendit: & multâ prædâ, in *Lithuaniam* reuertitur.

Dux Lithuaniæ Pruſſiam vaſtat.

Commendatore de *Iorgemberg* paucos quoſdam ex *Lithuanis*, qui tardius agmen ſequebantur, in deſerto captiuante. Marſchalco deinde *Pruſſiæ Samogithiarum* terram vaſtante, *Keyſtuth* Dux *Lithuaniæ* occurrens, extremum agmen ſui exercitus inuadit & ſternit: prædaque recuperatâ, & ſtrage aliquantâ editâ, Marſchalcum cum reliqua parte in fugam egit.

Romanorum Imperator *Carolus* & *Bohemiæ* Rex, quamuis *Vrbano* Papæ quinto in *Auinione* perſonaliter viſitato ſpopondiſſet, illum *Romam* reducere; *Vrbanus* tamen Papa, *Carolo* cunctante implere promiſſum, ſolus *Romam* rediit. *Carolus* deinde Imperator *Italiam*, ad pacificandam illam, exercitualiter ingreſſus, parum profecit propter peſtem, quæ exercitum eius inuaſerat. Ex qua *Boleslaus Poloniæ* & *Swidnicenſis* Dux, & quingenti *Bohemi* mortui ſunt, & apud *Mantuam* ſepulti. 1364. *Carolus* poſtea *Romam* veniens, *Eliſabeth* conſortem ſuam tertii matrimonii, neptem *Caſimiri Poloniæ* Regis, procurat in die Omnium Sanctorum per Papam *Vrbanum* quintum coronari in Imperatricem.

Carolus Caroli Imp. coronatur in Imperatricē.

Annus hic apud *Polonos* magnitudine auſteritateque hyemis, quæ ſolito intenſior & ſine exemplo prouenerat, inſignis, multis mortales affecit incommodis. Frigoris ſiquidem immenſitas, aſſiduas niues fundens, & longo tempore perdurans, non domeſtica tantummodò animalia, ſed & ſylueſtria, plerumque etiam aues, ſua aſperitate extinxit, & plurimas frugiferas arbores emarceſcere faciens, perpetuâ ariditate necauit.

Aſpera biems.

Eliſabeth conſors *Vankonis* Ducis *Maſouiæ*, & filia *Gedimini Lithuaniæ* Ducis, rebus abſumitur humanis, & in *Plocenſi* Eccleſia tumulatur.

Semomislao Gniewkouienſi Duce, fratre germano *Wladislai Loktek* Regis *Poloniæ* obeunte, Ducatus ſuus *Gniewkouienſis*, inter tres filios, *Przemislaum*, *Leſtkonem*, & *Caſimirum*, quos reliquerat, in hunc modum partitus eſt. 1365. *Przemislao* ſiquidem ceſſit *Bidgoſtia*, *Leſtkoni Iuniuladislauia*, & *Caſimiro Gniewkow*. Verùm *Przemislao* & *Leſtkone* non relinquentibus hæredes, cum ſolus *Caſimirus* natu maior in ſortes fratrum ſucceſſiſſet, & plures filios & filias procreaſſet, ferè ſingulis morte abſumptis, vnicus tantummodò ſuus filius *Wladislaus*, à candida cæſarie cognominatus *Albus*, & vnica filia *Eliſabeth* ſuperſtites relicti ſunt. Et filiam quidem *Eliſabeth* præfati *Caſimiri* Ducis, cum formæ præcellentis & raræ eſſet, *Eliſabeth Hungariæ* Regina conſors *Caroli Hungariæ* Regis, velut conſobrinam, tertio affinitatis gradu ſibi coniunctam, in Reginam aſſumens, eam Regi *Boſſnæ Stephano Hiſzubusban* deſponſat. A qua pulcherrima filia edita, & ingenuè educata, à *Ludouico Hungariæ* Rege filio *Caroli* in coniugium, prima vxore filia *Caroli* Imperatoris & *Bohemiæ* Regis obeunte, accepta eſt. Ex qua *Ludouicus Hungariæ* & *Poloniæ* Rex, quemadmodum in ſequentibus narrabimus, duas filias, *Mariam* & *Heduigim* noſcitur ſuſcepiſſe. Filius verò *Caſimiri* præfati Ducis, *Wladislaus Albus* Dux, cum ex filia *Alberti* Ducis de *Strzelcze*, quæ illi vnica erat, nullam prolem generaſſet, inſolentiùs ſe erga milites Regni *Poloniæ* gerens, *Stanislaum Kiuálá* Iudicem *Cuiauienſem* opprimeret in ſolo ſuæ hæreditatis, à *Caſimiro* quoque *Poloniæ* Rege cauſam diſtinguendarum hæredi-

1365. ditatum, pro qua a Iudice conuentus, coram tribunali Regio erat, dicere iuberetur, ad inſanam mentem verſus, de caſtro & ciuitate *Bidgoſtienſi*, quod & quam patruo ſuo germano *Przemislao*, abſque liberis mortuo, & *Caſimiro Poloniæ* Rege in feudum acceperat, quaſi ſuum, quod iura reddendo, decreuerat, non ferens imperium, excedit, & caſtrum atque ciuitatem *Bidgoſtienſem*, inordinato actus furore, reſignat. A cuius poſſeſſione tunc excedens, nullis conatibus ad eam *Poloniæ* Rege *Caſimiro* omnes ſuas preces abnuente, poterat habere regreſſum.

Wladislaus Albus Gnievvkonienſis Dux Ducatum ſuum Regi Caſimiro reſignat,

Conſorte ſua tandem obeunte, quam ardentius quam ſat erat amauerat, omnem Principatum *Gnievvkonienſem*, *Caſimiro Poloniæ* Regi tradidit, ſuſceptis ab eo mille florenis. Et ſepulchro Crucifixi Domini noſtri viſitato, in Curia *Caroli* Imperatoris & *Bohemiæ* Regis aliquanto tempore obuerſatus, anno ſubſequenti, videlicet milleſimo tricenteſimo ſexageſimo ſexto, ex *Bohemia* per *Cuiauiam* non facto deſcenſu in caſtrum aliquod, quod ſuæ ditionis erat, *Pruſſiam* ſe contulit, & illius anni hyeme cum Cruciferis contra *Lithuanos* & barbaros, militauit. Ex *Pruſſia* autem eodem itinere quo venerat ſub diebus Quadrageſimæ, iterum *Bohemiam* properè repetiit, feſtoque Paſchæ *Pragæ* exacto, in *Auinionem*, vbi *Vrbanus* Papa quintus tunc reſidebat, cum Curia, venit. Ab inde poſt XIIII. dies, nullo *Polonorum*, cum quibus in *Auinione* hoſpitatus & conuerſatus fuerat conſulto aut conſcio, in *Ciſtercium* abiit.

& in monaſterium ingreditur.

Et habitu monachali ſuſcepto, profeſſionem in ordine fecit. Sed tam locum quam religionem breui pertæſus, *Diuionem* ciuitatem *Burgundiæ* adiit, & in monaſterio *S. Benigni*, ordinis *S. Benedicti* in *Diuione*, griſeo habitu in atrum commutato, alteram profeſſionem faciens, annis quatuordecim pro monacho & profeſſo illic manſit. Sub quo quidem tempore & *Caſimirus Poloniæ* Rex, & Regina *Hungariæ Eliſabeth*, conſors *Ludouici*, neptis ex ſorore germana præfati *Wladislai Albi*, in ſuum, & monaſterii apud quod degebat, ſumptuum ſolatia, ſummas illi pecuniarum frequentes mittere conſueuerat.

Henrico Lubucenſi Epiſc. ſuccedit Petrus.

Vniuerſali fato *Henrico* Epiſcopo *Lubucenſi* abſumpto, *Petrus* Canonicus *Lubucenſis*, in Comitiorum die, a Capitularibus concorditer electus, per *Vrbanum* Papam quintum, tunc in *Auinione* tenentem Curiam, ſexto Idus Iunii, Pontificatus anno quinto, prouiſus & confirmatus eſt.

Eccleſia & monaſterium in Vnieiovv fundatur.

Iaroslaus Archiepiſcopus *Gneſnenſis*, caſtro pulcherrimo *Vnieiovv* ad flumen *Wartha* coctili muro perfecto, Eccleſiam Collegiatam in oppido *Vnyeiovv* ſimili muro fundat, erigit, & conſumat; duoſque Prælatos videlicet Præpoſitum & Archidiaconum, item quinque Canonicatus & Præbendas, ſeptem quoque vicarios in ea creans, dotem ſufficientem cuilibet adiungit. Eccleſiam quoque ipſam *B. Virgini Mariæ* dedicat. Fundat & in eodem oppido *Vnyeiovv* monaſterium & Eccleſiam S. *Nicolai* ordinis S. *Benedicti*, ſubiiciens illud *Thincienſi* monaſterio diœceſis *Cracouienſis*. Cui contulit in dotem villam *Beldrzichovv* cum omni iure, ſuper flumen *Nothes*, vbi *Ovvnya* fluuius ſibi miſcetur.

Pruteni & Lithuani vtrinque regiones ſibi vaſtant. 1365.

Lithuaniæ Dux *Keyſtuth*, pedeſtribus & equeſtribus copiis *Lithuanorum* & *Samogitharum* collectis, per ſyluarum inuia & latebras, quoſlibet excubitores Cruciferorum fallens, *Pruſſiam* ingreſſus, caſtrum *Angerborg* impugnat, & per vim conquirit. Vaſtataque vicina regione, in *Lithuaniam* prædam & ſpolia ducens, reuertebatur. Secutus eum Aduocatus *Schumenſis*, & aliqui ex Commendatoribus, dum prædam raptam excutere nequeunt, regionem *Lithuaniæ* & diſtrictum *Eroglenſem* vaſtant, ſpoliaque in *Pruſſiam* referunt. *Lithuaniæ* deinde quatuor Duces, videlicet *Olgyerth*, *Kieyſtuth*, *Patrikig*, & *Alexander*, magnis potentiis, quas ex *Lithuanis* & *Ruthenis* collegerant, freti, quadripartito agmine *Pruſſiam* ingrediuntur, eamque crudeli vaſtatione & cæde barbarica affligunt. Expugnato autem caſtro *Raguetha* & aliis, incenſiſque multis vicis, etiam illic Diis ſuis patrio ritu victimas & libamina de pecorum ſanguine agunt, & tandem nulla reſiſtentia reperta, octingentos captiuos ex Chriſtianis, item ſeptuaginta equos maiores, quos vocant ſpadones, referentes, in *Lithuaniam* remearunt. Magiſter deinde *Pruſſiæ Vinricus*, barbaricam vaſtationem ſibi illatam reſarturus, proprio milite tantummodo contentus, *Lithuaniam* intrat, & eam in multis locis prædatur & vexat. Amnem quoque *Nyemen* transgreſſus, cædes in ſenes & impuberes, & flammas in tecta, iuſſit latius, *Lithuanis* in ſyluis & munitionibus ſe continentibus, extendi. Et multis damnis patratis, ducens non paruum numerum captiuorum, in *Pruſſiam* rediit.

Duo Duces Lithuani fidem Chriſtianam amplectuntur.

Sub eo tempore *Surivvil* & *Buthavv* germani *Olgyerdi* & *Keyſtuthi* Ducum, cum nonnullis *Lithuanorum* Boiaris & Nobilibus, in *Pruſſiam* venientes, fidem Chriſtianam, baptiſmo apud *Kinsberg* ſuſcepto, profeſſi ſunt. Et Magiſter *Vinricus* alteram expeditionem in *Lithuaniam* agens, aliquot munitiones eorum capit & incendit, & cum præda ac captiuis in *Pruſſiam* regreditur. Quo reuertente, *Lithuani* per itinera occulta, in *Pruſſiam* circa *Nordenberg* ingreſſi, maxima damna hominibus incautius ſe gerentibus committunt, & cæde magna edita, cum ſpolis

liis

1365. liis & captiuis euadunt. *Keyſtuth* quoque *Lithuaniæ* Dux, etiam expeditionem contra *Pruſſiam* reſumit, & caſtrum *S. Ioannis* impugnat & conquirit, ſpoliatumque incendit. Necatiſque plurimis fidelibus, cæteros ligatos in *Lithuaniam* traxit.

Ianislao Epiſc. Plocenſi ſuccedit Nicolaus.

Quarta die menſis Iulii *Ianislaus Wronsky* Epiſcopus *Plocenſis*, de Pontificatu exceſſit & de vita; apud *Plocenſem* Eccleſiam ſepulturæ mandatus. Cui *Nicolaus* de *Golczeuo* Cantor *Plocenſis* genere Nobilis de domo & familia *Pravvditarum* per Canonicam electionem ſuccedit, ſeptima auguſti electus, & Idibus Decembris in Curia *Romana* in Epiſcopum conſecratus.

Eliſabeth Hungariæ Regina conſors *Ludouici* filiam progenuit. Quæ dum regeneraretur, *Mariæ* nomen accepit.

1366. *Terras Ruſſiæ per Lithuanos occupatas*

Abſtractionem occupationemque terrarum *Braeſtenſis*, *Lucenſis*, & *Chelmenſis* atque *Belzenſis* per *Lithuaniæ* Duces ſuperiori tempore factam, *Caſimirus Poloniæ* Rex, iniurioſam grauemq; ſibi, ex tolerantia tanti temporis, quod tranſactum fuit, nimis probroſam & pudoroſam (prout erant,) in animum reuocans, generalem expeditionem Regni ſui vniuerſi indixit, & apparatus bellicos ordinauit. Copiiſque tam equeſtribus quàm pedeſtribus conuenientibus, ad recuperandum terras occupatas, & ad reddendum *Lithuanis* ſuperiorum vaſtationum Regni *Poloniæ* viciſſitudinem, in valido & potenti exercitu, poſt feſtum Sancti *Ioannis* Baptiſtæ ingreſſus in terras prædictas, ad conquiſitionem earum omnes curas & ingenia intendit. Et Duces quidem *Lithuaniæ* impares ſe viribus, comparatis vtrinque potentiis deprehendentes, dolis fraudibuſque magis quam armis & reſiſtentia decernunt vtendum. *Georgius* itaque Dux, qui terram *Belzenſem* (ad quam *Caſimirus Poloniæ* Rex primum exercitum promouerat) occupabat, *Caſimiro Poloniæ* Regi terram *Belzenſem* intranti, occurrit, & blandis verbis humilibuſque ſermonibus in dolo Regem exorat, *ne quid hoſtile in illum & terram Belzenſem fieri permittat: ſe non hoſtem ſed ſubditum, non aduerſarium, ſed feudalem & ſubiectum, & omnia imperata facturum, perpetuamque, purum, & fidelem Caſimiro Poloniæ Regi, & Regno ſuo Poloniæ ſeruitutem, fidem & obedientiam, perpetuo non ſolum cum terra Belzenſi, ſed & cum terris habitis & habendis exhibiturum pollicetur* Petens poſtremò, *vt terra Belzenſis ſibi precario, in iure feudali conceſſa, ipſum ſeruitoribus ſuis adnumeret; fidum & ſtudioſum curatorem & adiutorem contra quoslibet hoſtes & aduerſarios terrarum ſuarum illum de cætero habiturus.* *Caſimirus* autem *Poloniæ* Rex, verbis tam humilibus & compoſitis, nihil putans fraudis aut vafriciei ineſſe, ac ſimulatione veri fractus, venia illi de primoribus factis tributa, ipſum in ſeruum & homagialem Principem ſuſcepit, & ſibi terram *Belzenſem* feudali iure, ad vitæ duntaxat tempora tenendam, conceſſit. Exercitumque ſuum ex agro terræ *Belzenſis*, nihil in illum agens hoſtile, abducit, & verſus terram *Lucenſem* contendit. *Lubardus Lithuaniæ* Dux, illius tunc erat occupator, vir ambiguæ fidei, & doloſitatis plurimæ; *Caſimiro* Regi inuiſus exoſuſque, quippe qui ſuperioribus bellis captus, & ad cautionem fratrum ſuorum verbo & literis præſtitam, dimiſſus, Regem, non redeundo ad conſtitutam diem fefellerat, primuſque cum caſtro *Luczko*, & terra *Wladimirienſi*, ſibi poſt primam expugnationem per *Caſimirum* Regem factam, conceſſo, rebellionem oſtentauerat. Nulla itaque verbo & oblationibus ſuis, deditionem pollicentibus, fides data, Rex & in agros ignem, populationemque latè iuſſit extendi, & ipſe cum reliquo exercitu, & bombardis, cæteriſque apparatibus, caſtra *Luczko*, *Wladimiriam*, *Olesko*, & cæteras omnes munitiones in terra *Wladimirienſi*, quæ etiam vetuſto nomine *Volenska* appellatur, conſiſtentia, aggreſſus, in forti brachio capit, comprehendit, & expugnat; & vniuerſam terram *Wladimirienſem*, cum caſtris ſuis, munitionibus, & præſidiis, *Lubardo* inde effugato, in ſuam redigit ditionem. Duobus autem caſtris principalioribus, videlicet *Luczko* & *Wladimiria* ſibi reſeruatis, quæ Baronibus *Poloniæ* dedit in tenutam, reliquam terræ *Wladimirienſis* portionem Duci *Alexandro Lithuaniæ*, filio *Michaelis* alias *Koriath*, Ducis *Lithuaniæ*, & nepoti *Olgyerdi* & *Keyſtuthonis*, viro expertæ ſinceræque fidei, quo ab inuaſione Ducis *Lubardi* & cæterorum *Lithuanorum*, tuta pacificaque conſiſteret, in gubernationem commendat. Caſtrum vero *Wladimirienſe* ligneum, & in pluribus locis putridatum, vt proprietas eius, & terræ *Lucenſis* fibi & Regno *Poloniæ* eſſet perpetua, atque diuturna, forti muro ex cocto latere, extunc & annis ſequentibus, ſumptuoſo opere cœpit extruere. Poſtremo ad terram *Chelmenſem* deſcendens, quæ etiam per *Lubardum* & gentes eius tenebatur, caſtro principali conquiſito, cætera omnia in deditionem venere; eam cum capitali caſtro *Georgio Belzenſi* Duci committit in tenutam. Ac ſic præda onuſtus, & victoria glorioſus, terris *Ruſſiæ*, quarum occupationem, defectionemque annis quindecem tolerauerat, feliciter recuperatis, victorem exercitum in *Poloniam* reduxit. Et Dux quidem *Alexander*, cui *Wladimirienſis* terra commendata fuerat, in promiſſa fide perſtitit, verbo, pariter & opere ſe purum & ſub-

Caſimirus recuperat,

& Wladimirienſe caſtrum muro format.

1366. ſubiectum erga *Caſimirum Poloniæ* Regem demonſtrans: Dux vero *Georgius Betzenſis*, crebris calliditatibus vſus, ſæpe rebellionem A facere tentauit, in vtramque partem notatus eſt claudicaſſe.

Caſimirus Rex Pruſſiam luſtrat,

Recuperatione terrarum *Ruſſiæ* facta, *Caſimirus Poloniæ* Rex exercitum ſoluens, in *Lancicienſem* & *Cuiauienſem* terras ſe conuertit, exinde vero in *Culmenſem* & *Pruſſiæ* terras tranſiit, & vſque ad *Mariemburg* caſtrum, ordinem & politiem Cruciferorum ſpeculaturus, peruenit. Vbi a Magiſtro *Pruſſiæ Vinrico* cum magno honore & gloria exceptus, per triduum quo illic morari voluit, ſumptuoſe & opiparè, cum omni militum ſuorum caterua, procuratus eſt. Ex *Mariemburg* vero in terram *Pomeraniæ* deB ſcendit, & ex ea in *maioris Poloniæ* terras rediit. In omnibus autem locis, ſub ditione Magiſtri *Pruſſiæ* conſiſtentibus, per quæ ibat, & ad quæ diuertebat, per ſpeciales Commendatores ad id ſpecialiter deputatos, ſingula illi fuerunt, & ſuis omnibus, neceſſaria præbita.

& a Cruciferis honorifice excipitur.

Bodzantæ Ep. Cracouienſi

Bodzanta Epiſcopus *Cracouienſis*, cum annis decem & octo *Cracouienſi* Cathedræ præſediſſet, viſu ante mortem aliquot annis debilitato, & tandem perdito, cœcitatis aliquanto tempore patiebatur anguſtias. Vnde a cmethonibus Epiſcopalium villarum, *ſlepy Biskup* cognomen ſortitus eſt; duodecima C die Decemb. in Curia ſui Epiſcopatus *Kielcenſi* moritur, & *Cracouiam* adductus, in Eccleſia maiori, in capella Corporis Chriſti, cum debito honore ſepelitur. Hic oppido *Bodzancenenſi* & ſitum & nomen indidit, & plures ſalubres ordinationes Eccleſiæ *Cracouienſi* reliquit. Poſt cuius ſepulturam *Florianus* de *Mokrsko* Præpoſitus *Cracouienſis*, nobilis genere de terra *Sandomirienſi*, ex patre *Petro* Caſtellano *Sandomirienſi*, & matre *Chriſtina* de domo *Ielithonum*, tres haſtas pro inſigni deferentium, per Prælatos & Canonicos *Cracouienſis* Capituli, via ſcrutinii electionem pro die Purificationis Sanctæ *Mariæ* celebrantes, anno Domini 1367. electus eſt, & D vigeſimum octauum locum inter *Cracouienſes* Epiſcopos adeptus, ac per *Gregorium* Papam vndecimum in *Auinione* confirmatus & conſecratus. Perſonali enim præſentia, iuxta conſtitutionem tunc practicatam, *Gregorium* Papam vndecimum adiens, & confirmari ſuam electionem, & ſe conſecrari illic obtinuit: *Caſimiri Poloniæ* Regis, tanquam Patroni, adiutus interceſſionibus & conſenſu. *Bodzanta* autem Epiſcopus *Cracouienſis* præfatus, annis aliquot, priuſquam morte abſumeretur, limites inter bona Epiſcopalia ab vna, & bona monaſterii *Caui Montis*, conficiendo, cœcitatem, de qua in ſuperioribus ſcripſimus, incurrerat. 1366.

ſuccedit Florianus.

Terna Pruthenorum in Lithuanos expeditio.

Peregrinorum & forenſium militum *Pruſſiæ* Magiſter *Vinricus* motus aduentu, duplicem eo anno in *Lithuanos* egit expeditionem. Et magna vaſtatione per cædem & ignem facta, captiuis pluribus *Lithuanorum* onuſtus in *Pruſſiam* reuertitur. Quem Dux *Lithuaniæ Keyſtuth* inſecutus, tam ſecreto & ſilenti agmine *Pruſſiam* ingreſſus eſt, vt parum abfuit, quin caſtrum *Iſterburg* intercipere, & Commendatorem prandio ſe reficientem captiuaret: ægrè tamen & caſtrum defenſum & Commendator ſaluatus. Omnibus tamen equis & rebus, quæ ad Commendatorem pertinebant, receptis, duobusque diſtrictibus ſpoliatis, vaſtatis, & incenſis, cum pecorum & captiuorum præda, in *Lithuaniam* euaſit. Propter quod Magiſter *Pruſſiæ Vinricus* tertiam in *Litduanos* mouet expeditionem. Et longius progreſſus, vaſtando ſingula, etiam ſupra fluuium *Nyemyen*, caſtrum & pontem ædificat, *Lithuanorum* clandeſtinas irruptiones reſtricturus. Eam ædificationem *Keyſtuth* Dux *Lithuaniæ* impedire conatus, vice bina cum gentibus ſuis exercitum *Pruthenicum* laceſſebat; ſed fugatus inde & repulſus, in congreſſum vniuerſæ dimicationis venire veritus eſt.

Bithomienſes ciues Plebanum ſuum interficiunt.

Montibus & foueis *Bithomienſis* oppidi in terra & diœceſi *Cracouienſi* ſitis, plumbum argento permixtum, in abundanti copia fundentibus, oppidanis quoque *Bithomienſibus* vberrimo lucro ex montibus huiuſmodi aſſiduè prouenienti vehementer ditatis, cœpit animus eorum ex rerum & diuitiarum affluentia ſuperbire & intumeſcere. Quo timore elati, *Petrum* de *Kozlie*, virum Iuris Canonici peritum Plebanum *Bithomienſem*, frequenter quoties quid graue conſultandum erat, in Prætorium per bedellum, non petitione ſed imperio accibant: Qui id ad notoriam referens iniuriam, dum vno dierum, vt in Prætorium iret a bedello iuberetur, *Nicolaum* de *Piſkovvicze* Prædicatorem, cum diuiniſſimo Sacramento, dum ſe ipſe in domo propria contineret, ire iuſſit. Qui dum illuc perueniſſet, Conſulibus rei nouitatem mirantibus, cœnaculum in quo conſiſtebant, introiit. Et ſupercilii quo tegebatur, parte abſciſſa, menſam ſternens, Sacramentum locauit, & tandem reſumptum Sacramentum in Eccleſiam reportauit. Acti ob id in furorem ciues *Bithomienſes* auctore *Laurentio*, alias *Lorencz*, Conſule, ſecunda die Septembris in Plebanum & Prædicatorem manus ſacrilegas & violentas iniiciunt. Et ignominioſè in eorum habitationibus comprehenſos, & vſque in Prætorium, ligatis poſt ter-

gum

1367. gum manibus, in latronum & furum morem pertractos, ſuis legibus deteſtabilibus, Actores ipſimet & Iudices, iudicant, & ad indignam mortem, nulla legitima defenſione conceſſa, condemnant. Verberati deinde bipennibus, & frequentibus vulneribus cruentati, affecti, & obruti, educuntur ex Prætorio, & in piſcinam propè Eccleſiam Sanctæ *Margarethæ* ſitam proiecti, in vndis ſuffocantur, breui mortis impendio coronam immarceſcibilem conſecuti. Corpore autem *Nicolai* Prædicatoris viuo ſupernatante, iuſſit *Laurentius* carnifex illud per lictorem profundius ſubmergi, & continuo oculi eiuſdem *Laurentii* ex orbibus elapſi erupuerunt. Mortua tandem corpora, in Eccleſiam Parochialem relata, in choro B Eccleſiæ ſepulta ſunt. Facinore tam immani & horrendo, ad Epiſcopum *Cracouienſem Florianum* perlato, *Laurentium* carnificem primiductorem ſceleris, cæteroſque *Bithomienſes* Conſules & ciues Presbytericidii huiuſcemodi patratores, ad tribunal ſuum euocat, & crimen ſuum confitentes, omni honore, dignitate, & officio priuat, filioſque & nepotes eorum, ad ſuſcipiendos ordines ſacros, & ad obtinenda Eccleſiaſtica beneficia inhabilitat; & oppidum *Bithomienſe* cum Eccleſiis & Parochiis ſibi vicinis, Eccleſiaſtico ſupponit interdicto. Et licet cenſurarum huiuſmodi interdictique opprobrium excutere apud Summum Pontificem, quem ſibi placabiliorem, quàm ſuum Ordinarium fore rebantur, C tentauiſſent: vix tamen biennio elapſo, magna auri quantitate cameræ Apoſtolicæ ſoluta, & altari in Eccleſia *S. Mariæ Bithomienſi*, in remedium peremptorum; cuius vnicus *Cracouienſis* Epiſcopus eſt Patronus, ſub titulo *S. Sigiſmundi* fundato, & duodecim marcis latorum groſſorum annui cenſus è Prætorio *Bithomienſi* ſoluendorum dotato, multis ſumptibus & fatigis meruerunt ab excommunicatione, & Interdicto abſolui. Ex eo autem tempore plumbi & argenti venæ in montibus *Bithomienſibus*, ob facinus in Chriſtos Domini patratum, arefactæ & ſucciſæ, & omnis minerarum prædictarum vſus, & ſtillicidium fertur deſiiſſe. Ne D autem facilem pro ſuo nefando reatu veniam ciues *Bithomienſes*, apud Summum Pontificem conſequerentur, *Martus* Præpoſitus *S. Vincentii extra muros Wratislauienſes*, qui Eccleſiæ *Bithomienſis* collator eſt, & cuius monaſterium plures decimas & introitus Eccleſiæ *Bithomienſis* tenet incorporatas, per ſuos Procuratores & impenſas, apud Cardinalem Sancti *Petri* obſtitit. Cui prædicta cauſa audienda & expedienda a Sede Apoſtolica fuit commiſſa.

Ab eoque tempore argenti & plumbi vena apud eos aruit.

Pruſſiæ Marſchalcus Lithuaniam vaſtat.

Henricus Pruſſiæ Magiſter ex propriis duntaxat militibus comparato exercitu, & in gubernationem *Henrici Schindekop* Marſchalci generalis tradito, illum in terras *Lithuaniæ* vaſtandas tranſmittit. Qui terras *Lithuaniæ* ingreſſus, nullam reſiſtentiam reperiens, ferociter illas, & gradu concito vaſtat. Quinque autem diſtrictibus celeriter peruaſtatis, & cæde ſenum & impuberum facta, vſque ad *Kovvno* graſſatus eſt, octingentoſque captiuos, & plures equorum & pecorum greges in *Pruſſiam* adduxit. 1367.

Nicolao Epiſc. Plocenſi ſuccedit frater Stanislaus.

Nicolaus Plocenſis Epiſcopus, cum annis propè duobus ſediſſet, moritur, & in Eccleſia *Plocenſi* ſepelitur. Cui *Stanislaus* primus *Wladislauienſis* Eccleſiæ Præpoſitus, per electionem Canonicam ſuccedit: Frater germanus *Nicolai* abſumpti de *Golzcuo*, villa, & ſtirpe *Pravvditarum* ducens genus, a Summo Pontifice *Vrbano* quinto confirmationem, a Cardinali verò *Oſtienſi* conſecrationem ſortitus.

Robore, ac ſolicita ſedulaque repreſſione, *Caſimiri Poloniæ* Regis, *Lithuanorum* Principes, rapto bellare quondam aſſueti, perterriti & perculſi, nunquam enim ſine ſua graui clade & incommodo vexare terras Regni *Poloniæ* Capitaneis & præfectis Regiis, magna cura, iuxta quod a *Caſimiro* Rege docti iuſſique erant, obſeruantibus quæque itinera, ac illorum agmina laceſſere, prædaſque raptas excutere non deſinentibus contingebat. Recenti inſuper bello, quo terris *Ruſſiæ* eos exuerat & eiecerat, atterriti macera-tique, cum terras Regias inuadere, aut prædas ex illis agere ſibi periculoſum formidoloſumque putarent, in terras *Maſouiæ* ex vicinitate ſibi propinquiores, vbi minus reſiſtentiæ cautelæque rebantur, (prout erat,) prouiſum, diuertunt. Et facto ingenti agmine, Duce *Kieyſtutho* vſi, (illi enim omnem curam illius profectionis mandauerant) clandeſtinis itineribus per inuias ſyluas, ad *Pultovvsko* caſtrum & oppidum Epiſcopi *Plocenſis* inſperatè perueniunt. Et oppido quidem hominibuſque in eo degentibus, & fortunis eorum, cum munitum non fuerit, illico potiuntur. Caſtrum autem cum enixius a Caſtellanis, & ab his qui fuga diſſipati in illud confugerant, defenderetur, crebris lignorum pinaticorum ſtruibus, mœnibus ad propinquũ appoſitis, incendunt. Ex quo quidem incendio ſerpente flamma, & caſtrum & homines in eo concluſi non valentes quoquomodo virtutem ignis reſtringere, conflagrarunt. In vicinas denique villas populatione extenſa, multa hominum & pecorum aliarumque rerum præda capta, antequam *Semouitus* Dux *Maſouiæ* iuſtum poſſet ex gentibus ſuis congregare exercitum, celeriori curſu, quàm venerant, in *Lithuaniæ* terras diffugierunt. Id bellum *Lithuanis* apud *Maſouiam* agentibus, *Pruthenicus* exercitus Duce *Henrico* Marſchalco *Pruſſiæ*, ingreſſus in *Lithuaniam*, multas cædes, multa in- 1368.

Lithuani caſtrum & oppidum Pultovvsko comburunt.

1368. incendia peregit: & cum captiuorum ac prædarum multitudine in *Pruſſiam* reuerſus eſt.

Quindecima menſis Maii, *Matthias* olim *Wladislauienſis* Epiſcopus, annos tantummodo quatuor, ex quo Pontificatui, propter cœcitatem quæ acciderat illi, ceſſerat, ſuperuiuens, moritur, & in Eccleſia *Wladislauienſi*, quam in omnibus partibus ſuis muro erexerat & conſumauerat ſepelitur. De ſucceſſore ſuo & nepote *Sbiluto* querelas dum viueret, apud aures Prælatorum & Canonicorum *Wladislauienſium*, cum *Sbilutho* Epiſcopo recumbentium, ingeminare ſolitus, quod negligentius ab eo, ſibi beneficii præſtiti oblitus, tractaretur: obteſtans omnes, ne de ſedibus ſuis vel beneficiis cuiquam, quantumuis charo vel proximo, cederent, caſus ſui documento affectiones ſuas moderaturi.

Multa bella ciuilia in Europa.

Stridor grandis bellorum ciuilium, dura quoque ſeditionum & commotionum afflictio & tempeſtas, in terris & regionibus *Brandeburgenſibus*, *Lubucenſium* Marchionum, item in terris *Svvantoborii* Ducis *Stetinenſis* & *Pomeraniæ*, alias *Stolpenſis* item in regionibus *Vedlenſium* & *Sczegloczonum* Baronum: in terris item Comitum de *Novvigrod*: item in terris *Caſſubitarum*: item in regione Epiſcopatui *Kamyenenſi* ſubiecta, exorta eſt, & adeò graſſata, vt Principes & primores dictarum terrarum, in viſcera propria mucrone conuerſo, ſe inuicem conſumerent, vt præter caſtra & oppida munita, nullum remaneret villagium, nullus vicus, qui non ignis voragine deleretur.

Stetinenſis Ducatus a gentibus Ianuſſii Vedelski vaſtatur, ſed non impune,

Octaua Decembris, gentes *Ianuſſii Vedelski*, tam equeſtres quam pedeſtres, ex caſtro *Cztopenſi*, eidem *Ianuſſio Wedelski*, per *Ioannem* Iudicem *Poſnanienſem* & germanum ſuum *Vincentium* obligato, egreſſæ, pedeſtrium etiam de *Thuczin* & de *Cztopenſi* diſtrictibus, copiis adiutæ, terram *Stetinenſis* Ducis *Svvantoborii* inuadunt, ſpoliant, vaſtant, & exurunt. Cum autem die tertia cum multiplici præda reuerterentur, *Svvantoborius* Dux, cum gentibus *Wratislai* Ducis, de *noua Stetin* patrui ſui, & cum auxiliaribus ciuitatum aliquarum, & ſignanter oppidi *Stargard*, circa quoddam ſtagnum, (fugere enim, dulcedine prædæ illecti, licet poterant, nolebant) conſecutus, fortiori ipſe *Svvantoborius* Dux fretus exercitu, conflixit; & pluribus occiſis, prædam omnem recuperauit & reduxit.

Mortuo Duce Svvidnicenſi Boleslao Ducatus eius ad Imp. deuoluitur.

Vigeſima ſeptima Iulii, *Boleslaus Svvidnicenſis* Dux, nepos ex ſorore *Caſimiri Poloniæ* Regis, nullam prolem de *Agnethe Auſtriæ* Duciſſa conſorte ſua ſuſcipiens, in *Szvvidnicz* moritur, & in monaſterio *Griſſouienſi* ſepelitur. In hoc *Svvidnicenſium* Ducum deficiente ſtipite, & A *Svvidnicenſis* & *Iavvrienſis* Ducatus, ad *Bohemiæ* Regem *Carolum*, ratione conſortis ſuæ ſecundæ *Anna* filiæ vnicæ *Iavvrienſis* Ducis, *Henrici*, fratris germani *Boleslai Svvidnicenſis*, eſt deuolutus. Qui extunc Duces habere deſinens, in prouinciæ formam redactus eſt. Ex hac ſecunda conſorte *Anna Carolus Bohemiæ* Rex, vnum filium *Venceslaum*, morte patris ſecuta, *Romanorum* & *Bohemiæ* Regem, & vnam filiam, * * * Duci *Auſtriæ* deſponſatam ſuſceperat.

Henricus I. Dux Opolienſis moritur,

Svvidnicenſem Ducem *Boleslaum*, *Henricus I. Oppolienſis* Dux ſecutus, apud *Opoliam* vltima Decembris moritur, & apud monaſterium fratrum minorum ſepelitur, duos B filios *Wladislaum* & *Boleslaum* relinquens, ex *Eliſabeth* filia *Bernardi* Ducis *Svvidnicenſis*, & nepte germana *Caſimiri* Regis *Poloniæ*, ſuſceptos.

Inundatio in Polonia.

Quindecima Auguſti, grandis aquarum inundatio ex aſſiduo pluuiarum imbre in Regno *Poloniæ* proueniens, in frequentibus locis frumenta, fructus terræ, oues, boues, pecora & iumenta ſubmerſit.

Stanislao Epiſc. Plocenſi ſuccedit frater Boleslaus

Stanislaus primus *Plocenſis* Epiſcopus, ex vrbe, confirmatione & conſecratione ſua obtenta, reuerſus, biennio, ex quo promotus fuerat, non impleto, paralyſi ex- C cruciatus, moritur, & in *Plocenſi* Eccleſia ſepelitur. In cuius locum Capitulares electione pro prima die Ianuarii celebrata, *Boleslaum Sovvka* de *Golczevvo* Nobilem *Pravvditam* Canonicum *Plocenſem*, & duorum immediatè præcedentium Epiſcoporum, videlicet *Nicolai* & *Stanislai* germanum, via ſcrutinii eligunt; a *Ianuſſio Gneſnenſi* Archiepiſcopo, de fauore *Semouiti* & *Ianuſſii* Ducum *Maſouiæ* confirmatum & benedictum.

Bellum inter Duces Sileſiæ.

1369. *Bregenſis* Ducatus partem dimidiam, per *Venceslaum* Ducem *Legnicenſem*, in liuorem fratris *Ludouici*, *Boleslao* Duci D *Svvidnicenſi* venditam, *Ludouicus* præfatus *Bregenſis* Dux, iuxta fœdus, quod *Carolus* Imperator & *Bohemiæ* Rex, inter diſſidentes fratres, *Venceslaum Legnicenſem*, & *Ludouicum Bregenſem*; concordando, pepigerat liberaturus, *Oppolienſibus* Ducibus *Wladislao* & *Boleslao*, quibus partem ipſam *Boleslaus Svvidnicenſis*, velut conſanguineis ſuis, moriturus donauerat, duo millia ſoluit marcarum, & ciuitatum eiuſdem ſortis, videlicet *Grodkovv*, *Piczczen*, & *Cruczborg* principalium, accipit poſſeſſionem. *Oppolienſes* autem Duces *Wladislaus* & *Boleslaus*, ad grandem reuocantes iniuriam, quod de ſorte Ducatus *Bregenſis* dimidia, fuerunt per *Ludouicum* Ducẽ *Bregenſem* excluſi & redemti, multiplicibus guerris, damnis, &

1369. & inuaſionibus Ducatum *Bregenſem* inuadunt, & afficiunt. Quorum inuaſionem *Ludouicus Bregenſis* Dux non ferens, opponit illis reſiſtentiam, & ex parua odiorum ſcintilla, in vniuerſalem dimicationem per vtramque partem ventum eſt. Certamine autem propè *Cruczborg* inito, edita vtrinque ſtrage, ceſſit *Ludouico* Duci *Bregenſi*, iuſtius bellum & arma tractanti, victoria. Magna extunc pace vſus, *Bregenſe* oppidum, fundatam illic a ſe, & fratre ſuo *Venceſlao* Duce, ad honorem *S. Ioannis* Baptiſtæ, & *S. Heduigis*, quorum meritis & ſuffragio ſe aduerſarios profitebatur viciſſe, Collegiatam Eccleſiam, & certum numerum in ea inſtituens, impetrato a Sede Apoſtolica priuilegio, vt Decanus illius diebus ſolennibus, mitra vtatur Pontificali, item fundatis Manſionariis, qui Beatæ Virgini *Mariæ* horas annis & diebus ſingulis pſallerent, nobilitat, & oppidum *Bregenſe*, de multiplicibus debitis, vſuris, obligationibus, cenſibusque, quibus illud pater ſuus *Boleſlaus Bregenſis* Dux inuoluerat, eximit, libertat, & exoluit. Duobus filiis, videlicet *Henrico* & *Venceſlao*, ex quibus *Venceſlao* immaturè mortuo, *Henricus* ſolus ſortem paternam poſſedit. Item idem tribus filiabus inclytus. Prima erat *Margaretha*, *Alberto Bauariæ* Duci deſponſata, altera *Heduigis* quæ Duci *Wſzvviczimenſi*, nupſerat; *Catharina tertia*, in *Trzebnicenſi* monaſterio Abbatiſſa.

Caſimirus Rex auream crucem Cracov. Eccleſiæ donat.

Duodecima die Februarii, *Caſimirus Poloniæ* Rex crucem magnam de auro puriſſimo, margaritis & lapidibus pretioſis, diſtinctam, ligno inſuper Dominico glorioſam & magnificam, Eccleſiæ *Cracouienſi* donauit. Et quamuis *Cracouienſis* Eccleſia pluribus clenodiis, liberalitate Regum & Principum atque Pontificum refulgeat inſignis, non habuit tamen, nec in hanc diem habet clenodio crucis præfatæ quicquam vel nobilius, vel excellentius.

Henricus Dux Glogouienſis moritur.

Henricus Zeganenſis & *Glogouienſis* Dux, quem à *Carolo Bohemiæ* Rege mediam partem *Glogouienſis* oppidi, contra ius faſque per *Ioannem Bohemiæ* Regem occupatam, exegiſſe monſtrauimus, *Caſimiri Poloniæ* Regis, propter tertiam vxorem *Eliſabeth*, ſocer, moritur, & in *Zegano* apud Canonicos Regulares iuxta paternum ſepulchrum ſepelitur; tres filios, videlicet *Henricum* ſeniorem, *Rudolphum* & *Henricum* iuniorem, relinquens. Inter quos Principatus *Zeganenſis* taliter partitus eſt. Nam *Henrico* ſeniori ceſſit *Zegan*, *Groſzna*, *Neuemburg* & *Svviebodzin*. *Rudolpho* media pars *Glogouiæ*, *Goræ*, & *Stinauiæ*, ac *Heytendorff*. *Henrico* vero iuniori, qui *Sperling* cognominatus eſt, *Freyſtath* & *Sprotauia*.

1369. *Vrbanus* Papa quintus, cum annos octo ſediſſet, veneno intoxicatus, obiit. Poſt cuius mortem Cardinales conclaue ingreſſi, *P. R. Gregorium* vndecimum eligunt: qui ante vocatus eſt *Petrus* de *Belle*, Diaconus Cardinalis. Poſt eum ſequitur tribulatio Eccleſiæ, quam Beata *Brigitta*, propter peccata hominum futuram prædixit.

Vrbano V. ſuccedit Gregorius XI.

Auxiliis militum peregrinorum, qui ex *Almaniæ* oris venerant, *Vinricus Pruſſiæ* Magiſter exhilaratus, in *Lithuaniam* hoſtiliter ire pergit. Et quo efficacior ſua foret expeditio, lapides, cæmentum, & lateres*, caſtrum conſtructurus, ſecum vehit. Ad fluuium itaque *Nyemyen* perueniens, multam materiam pro erigendo muro a *Lithuanis* in exſtructionem caſtri congeſtam reperiens, & proſperari ſuum deſiderium agnoſcens, caſtrum a fundamentis, nomen ei *Gothuvverder*, id eſt, *Inſula Dei*, imponens, initiat, & infra tempus ſemeſtre conſumat. Præſidioque forti militum impoſito, reuertitur in *Pruſſiam* pro feſto Pentecoſtes: terra *Lithuaniæ* circumcirca populata, prædata, & exuſta. *Lithuanorum* autem Duces *Olgyerth* & *Keyſtuth*, ſuper extructione caſtri, & patriæ ſuæ occupatione furore & indignatione pleni, Magiſtro *Pruſſiæ* diſcedente, cum potentiis ſuis contra caſtrum *Gothiſvverder* adueniunt, & quinque hebdomadis illud aſſiduè nocte & interdiu impugnando, Cruciferis diſſimulantibus, neque probè illud tuentibus, conquirunt. Et maiori parte præſidii trucidata, cæteros in dira vincula coniiciunt. Et quamuis poſtea de vtriusque partis beneplacito commutatio captiuorum acceptata fuerat, in dieta tamen ad id exequendum indicta, Duce *Keyſtuth* contra *Pruſſiæ* Marſchalcum *Henigum Schindekop* ſuperius loquente, re infecta diſceſſum eſt. Quapropter *Henigus* Marſchalcus in *Pruſſiam* reuerſus, magno exercitu comparato, intrat *Lithuaniam*, & caſtrum *Beiern* circumdat, & vehementi impetu expugnatum conquirit. Requiſitus autem per Nuncios Ducis *Keyſtuth*, vt caſtrum conquiſitum, antequam in eum graſſaretur, reddat; in indignationem verſus, & caſtrum, & centum nouem *Lithuanos* cum caſtro conflagrat, cæteros vincit. Dux itaque *Kieyſtuth* manſuetiori animo vſus, colloquium petit: Vbi captiuorum hinc inde permutatio ſecuta eſt. Sed nec Dux *Kieyſtuth* modeſtiam ſeruare potuit, ſed comminatus eſt pro anno futuro ſe in *Pruſſiam* aduenturum. Ea comminatione Magiſter *Pruſſiæ Vinricus* motus, duplicem iterum eodem anno hyeme in *Lithuanos* expeditionem per Marſchalcum *Henigum Schindekop*, in vulgari *Polonico Odrzygłovvá* egit, & in vtraq; feroci cæde & flamma in *Lithuanos* de-

Magiſter Pruſſiæ caſtrum in oris Lithuanorum ædificat.

Quod cum Lithuani conquirerent, iterum ac tertio in eos agit expeditionem.

1369. debacchatus, caſtrum *Paſtow*, Capitaneo illius, *Gerdo* nomine, effugato, conquiſiit, & magnam prædam captiuorum & ſpoliorum A retulit.

1370. Natalem Domini noſtri IESV CHRISTI, *Caſimirus Poloniæ* Rex diem cum debita ſolennitate & veneratione *Cracouiae* peragens, inde dum iam Quadrageſimales dies propinquaſſent, in terras maioris *Poloniæ* cum curia ſua diuertit. In quibus cum veris & æſtatis tempora exegiſſet, verſus terras *Sandomirienſes* & *Ruſſiæ*, autumnum & partem hyemis, vacando ferarum capturis, illic exacturus, iter ſuum reflexerat. Iamque in curiam Regii oppidi *Przedborz*, pulcherrimo muro per eum conſtructam, perueniens, diem Natiuitatis Sanctæ *Mariæ* illic feſtiuabat: B Vbi inſperato morbo & aduerſa valetudine vehementer obrutus eſt. Aſcenſuro ſiquidem Regi currum iam aptatum præparatumque in tantæ feſtiuitatis die, & in venationem ceruorum in ſyluam propinquam tranſituro, per viros timoratos & deuotos conſultum eſt, *ne in dicata Virgini glorioſæ die, venandi aggrederetur opus, ſupereſſe plures dies, quibus id licentius poſſe aiebant ſuppleri, diemque illam ſeruili opere non violare.* Vera & ſana Rex illos ſuggeſſiſſe ratus, animum à venando reuocauerat, aliorum tamen ſuſurratione incenſus, variato priori ſaniorique conſilio, curru aſcenſo, ad nemus venatum C perrexit. Vbi dum die altera venationi dans operam, fugientem ceruum auidius inſequitur, gradario cui inſidebat, propter obſtacula & inuia, in curſu veloci cadente, Rex ipſe velut homo carnoſus & ſenilis, adeò vehementer concuſſus colliſusque eſt, vt nonniſi in curru, ad hoc vix in villa propinquiori reperto veheretur. Febri deinde correptus, induſtriaque medicorum ab ea ſolutus, verſus *Sandomiriam* contendit: ſpretisque medicorum, & præſertim Magiſtri de *Colonia*, viri in arte illa ſolertis, & experti, conſiliis, in crapulam & balnea, vtendo fructibus, inordinatè ſe reſoluit. D Ex balneo autem *Sandomiriæ*, cuius vſum Magiſter *Henricus* ſibi, quaſi cuiusdam veneni vim, vitandam iniunxerat; mox graui recidiua, iuxta quod medicus pronunciauerat, vexari cœpit. Sentiensque morbum inualeſcere, verſus *Cracouiam* redeundum ſatiùs eſſe duxit. Et *Sandomiria* egreſſus, flammam febris credens reſcindere, medico nequicquam inhibente, gelidam aquam bibit, quæ illi acriores ignes illicò incendit. Illo itaque die in *Chrobrzani* ad militem Curiæ ſuæ *Goworkonem* perueniens, grauiſſimâ febri, tot incommoditatibus, quas ſibi ipſemet conflauerat, affectus, torquebatur adeò valido dolore, vt tam milites quàm medici illum nocte ſubſequenti animam exhalaturum exiſtimarent. Verùm altera die febrium flammis aliquantulum arte medici reſtrictis & inhibitis, ex *Chrobrzani* diſcedens, ad vehiculum impoſitus, per milites certatim rhedas ſubeuntes, & viciſſim ſubcollantes, vsque ad monaſterium *Kopriuiacenſe* ordinis Ciſtercienſis, lento & pedeſtri gradu vehebatur. In quo grandis erga Regem militum charitas pietasque monſtrata eſt, qui in iumentorum morem pro efficienda Regis ſui ſalute, miniſterium rhedariorum implere non horrebant. In monaſterio autem *Kopriwnicenſi*, quieſcens octo diebus, ad religionem votaque conuerſus, templi *Płocenſis*, in quo caput *Sigismundi* Regis & Martyris, ſingulari ſeruabatur veneratione, ruinas ſe reparaturum; & pro Vicariis eiusdem *Płocenſis* Eccleſiæ, pro Dei & Matris eius honore, quotidianas diſtributiones, quæ quartæ appellantur, ſe ordinaturum deuouit. Et pro illo exequendo Capellanum Curiæ ſuæ *Ioannem* de *Skrzin* in *Płoczkam* transmittit, vtriusque rei effectum celerrimè, vt Rex ipſe mandauerat, plenariè executurum. Alleuiationem autem ægritudinis ſuæ præſentiens, ex *Kopriwnicenſi* monaſterio, in *Oſziek* perueniens, & Magiſtri *Matthæi* alterius medici permiſſu, cæteris omnibus medicis improbantibus, medonem bibens, in ampliorem recidiuationem deuenit. Ex *Oſziek* in caſtrum pulcherrimum & nobile nouæ ciuitatis *Korczin*, quod opere ſumptuoſo fabricauerat, aduectus, aliquantam moram, donec virium reſtaurationem & ægritudinis diminutionem ſentire cœpit; in eo immoratus, verſus *Cracouiam*, Magiſtro *Matthæo* inſtigante, contendit. Mox quoque in primo nocturno, ſiue intempeſtiuo motu, ſiue virtute morbi, validis cœpit febribus, non ſimplicibus quidem, ſed erraticis, & nunc quartanis, nunc tertianis, interdum quotidianis agitari. Et dolor quidem errante febre, tolerabilis putabatur. Verùm dum prima die Octobris *Cracouiam*, febre coadunata, adductus, validius à languore premeretur, altera die, prima videlicet Nouembris, mandauit per interpretem à medicis perquiri, *num iam Cracouiam perueniſſent.* Quibus interrogationem ſuam velut delirantis irridentibus, adiecit: *Non ignoro ſiquidem me Cracouiam adueniſſe, ſed veſtrorum promiſſorum inquiſitione mea inſcitiam vanitatemque coarguo, qui curari me quamprimùm Cracouiam ingrederer, ſiccis herbis, & cæteris apothecarum contentis, quæ in rure minimè haberi poterant, promittebatis.* Medicis autem rubore perfuſis, & ope-

Caſimirus Rex venatum iturus

febri corripitur

1370.

1370. operas ſuas in eius curatione pollicentibus, exigere ab illis deſtitit, quatenus omni pauore circumſcripto, quid de conualeſcentia ſua ſentirent, plenè & intrepidè panderent. Et ſi mors propinqua immineret, quatenus domui ſuæ tempeſtiuè conſuleret, denunciare non dubitarent. Medicis autem non ſolùm conualeſcentiam ex præſenti morbo, ſed & longam vitam, copioſis dilatisque ſermonibus portendentibus; Rex altiori ſenſu ſe intelligens debilitari, quamprimùm tertia dies Nouembris illuxit, *Floriano Cracouienſi* Epiſcopo, & *Wladislao* Duce *Oppolienſi* nepote ſuo, & *Eliſabeth* Ducißa *Swidnicenſi*, *Boleslai* germana, filia ſororis *Caſimiri* Regis, quem *Ludouicus Hungariæ* Rex, ad viſitandum Regem transmiſerat, & præſtantioribus Prælatis & Canonicis *Cracouienſibus*, & militibus ſuis, in cubiculum accerſitis, primum fidei Catholicæ articulos Symboli oratione profeſſus, teſtamentum condidit. Per quod duabus filiabus ſuis virginibus, *Annæ* & *Heduigi*, ex filia *Henrici* Ducis *Glogouiæ* tertia vxore ſuſceptis, omnia ornamenta lectorum, cortinas, & velamenta, byſſo, purpurà, gemmis, margaritis, & lapidibus pretioſis rari operis fulgentia, item omnium vaſorum iocalium & clenodiorum de argento medietatem, reliquam medietatem *Heduigi* conſorti ſuæ. Item nepoti ſuo ex filia *Eliſabeth* primi matrimonii *Caſimiro* filio *Bogulai* Ducis *Stetinenſis*, *Siradienſem*, *Lancitienſem*, & *Dobrzinenſem* Ducatus, & quatuor caſtra, *Kruſzwiciam*, *Bidgoſtiam*, *Balachow*, & *Walcz*. Item Eccleſiæ *Cracouienſi* crucem magnam auream, pluribus gemmis & lapidibus ornatam, notabilem portionem Dominici ligni habentem, quæ decem millibus florenorum appenditur. Item Eccleſiæ *Gneſnenſi*, monſtrantiam argenteam deauratam & inſignem, reliquiis Sanctorum refertam, & Bibliam. Item brachium Sancti *Coſmæ* in ciborio argenteo deaurato Eccleſiæ *Poſnanienſi*. Item duobus filiis ſuis naturalibus *Nyemyerze* quem ex *Iudæa* ſuſceperat, & *Ioanni Bogudzæ*, villas *Kuthaw*, *Iurzincz*, & *Drugnya*. Item *Sbigneo*, & *Przedborio*, atque *Pakoſſio*, filiis *Sbignei* de *Brzeſczie*, oppidum *Włodziſław* Regium, cum aliquot villis. Item *Ioanni Zaklikà* caſtrum *Międzigorze* in terra *Sandomirienſi*, *Laſczkoni Zorawski Podgaio*. *Paulo Złodzi Nieklay*. Et pluribus aliis Curienſibus, militibus, & ſeruitoribus ſuis, villas, oppida, Aduocatias, poſſeſſiones, domos, pecunias, in certo numero & quantitate dedit, contulit, & legauit. *Ioannem* de *Strzelcze* vocatum *Suchiwilk* Decanum *Cracouienſem*, & Cancellarium Regni *Poloniæ*, huiusmodi teſtamenti ſui, conſtituens legitimum executorem. His itaque & aliis multis, memorabili ordine compoſitis, Diuiniſſimo Euchariſtiæ, cum magna deuotione & lachrymarum effuſione, percepto viatico; ſacro etiam oleo; confeſſione ſuorum ſcelerum perprius vicibus aliquot facta, delinitus, vt Catholico Principi conueniebat, religioſiſſimè in *Szala baſza* magna in caſtro *Cracouienſi* ad meridiem ſita, feria tertia proxima ante feſtum Sancti *Leonardi*, quæ fuit quinta Nouembris, Spiritum ſuum, vt piè credendum conuenit, Chriſto reddidit, & in pace feliciter obdormiuit, humanæ ſorti ſubtractus maiore *Polonorum* damno quàm ſuo. Rumore autem, qui in tali re etiam velocitatem Nunciorum præire ſolet, mortem ſuam diuulgante, ad vicinos Prælatos & Barones Regni *Poloniæ* perlato, *Iaroslaus Gneſnenſis* Archiepiſcopus, quæ & ipſe ad compatiendum Regi ſuper ſua infirmitate *Cracouiam* veniebat, item *Petrus* Epiſcopus *Lubucenſis*, & magna Baronum, militarium, atque popularium, ex terris, præſertim vicinioribus, *Cracouienſium*, & *Sandomirienſium*, multitudo ſuapte, ad cohoneſtandum funebrias chari Regis, conuenit. Tertia itaque mortis die, quæ fuit ſeptima Nouembris, à tribus Pontificibus, *Gneſnenſi*, videlicet, *Cracouienſi*, & *Lubucenſi*, à Duce *Wladislao Oppolienſi*, & Baronum, militarium, & popularium frequenti numero, in omnibus Eccleſiis & monaſteriis vrbis *Cracouienſis* exequiis celebratis; poſtremò dum ad maiorem Eccleſiam ventum eſt, *Iaroslaus Gneſnenſis* Archiepiſcopus, aßiſtentibus ſibi cæteris Epiſcopis, miſſam defunctorum peragens, cætera omnia quæ vel ſalutis, vel honeſtatis eſſe credidit, lege iuſtiſſimâ perſoluit. Corpus deinde exanime, non in paterno ſarcophago, ſed in ſpeciali loco, in latere dextro propè maius altare, terræ mandatum eſt. Arbitrantibus vniuerſis ſtatibus, ſingulari eum decorandum mauſeolo, qui ſingulari in patriam & Eccleſiam *Cracouienſem* vſus eſt charitate. Quod ſucceſſu temporis ſumptu Regio, tabulis imaginibusque marmoreis, faciem etiam Regis *Caſimiri*, qualis viuus apparere ſolebat exprimentibus, ornatum eſt. Tantus autem in funere Regio, corpus ſepeliendo, coortus erat Eccleſiaſticorum & Secularium, militarium & popularium, diuitum & pauperum, ploratus & luctus, vt non ſolùm *Cracouienſis* Eccleſia, ſed vniuerſa vrbs *Cracouienſis*, vocibus, pium Regem deflentium, & ſibi immaturâ morte ademptum querentium, reſonaret: vt vnumcumque mœrori & fletibus indulgentem, parentem crederes filium, aut matrem

& varijs varia legans

moritur. 1370.

trem

1370. trem vnigenitum, amiſiſſe. Silentium deinde apud omnes obſtinatum, & ſurdæ ad omnia ſolatia aures, quæſtionesque crebræ variæ, quid deinde futurum eſſet? & & cæteræ lamentationes, quales in tali caſu dolor ſuggerit, mœroris quoddam oſtentabant producebantque certamen. Dolor inſuper nuper amiſſi & perditi Regis, cuius charitas & virtus, priuatione magis quàm fruitione notata, percepta & cognita eſt, vniuerſos in luctu continuo verſari cogebat. Annum tunc ætatis ſexageſimum, cum exceſſit, impleuerat. Non ſecus propter charitatem in patriam, & iuſtitiam in ſingulos, quàm quod in florenti & viridi deceſſiſſet ætate, à ſuis omnibus Eccleſiaſticis & ſecularibus, locupletibus & inopibus, deſideratus.

Semouitus Maſouiæ Dux quædam caſtra ſui iuris fecit.

Semouitus Maſouiæ Dux, *Caſimiri Poloniæ* Regis morte per filium, quem ob id in Curia Regis tenebat, nunciata, caſtra illicò *Płoczko*, *Rawa*, *Viſchegrod*, *Goſtinin*, & *Sochaczow*, adiit, & ea extunc iuris ſui fecit: Capitaneis & Tenutariis eorum, & ex præcepto *Caſimiri* Regis, quod viuens illis fecerat, & ex pretio, quod illis datum & promiſſum à *Semouito* Duce *Maſouiæ* fuerat, in ditionem illius vltrò ſpectantibus.

Laudes Caſimiri.

Ex omnibus ſiquidem Regibus & Principibus, quos vnquam Regnum *Poloniæ* ſuperioribus temporibus habuit, *Caſimirus* ſecundus *Poloniæ* Rex, meritò à *Polonis* plangendus deſiderandusque erat, præſertim cum nullum lumborum in ſexu virili legitimum ſuperſtitem reliquiſſet. Is enim inter Reges *Poloniæ* vnus extat, qui Regnum ipſum non ſolum viuificauit, ſed & amplius magnificauit; & variis caſtrorum, templorum, ciuitatum, & curiarum muris, pulcherrima ſtructurà & opere extulit. Nam primùm caſtrum *Cracouienſe*, palatiis, thalamis, turribus, foſſatis, ſculpturis, picturis, tectis; item ciuitatem *Caſimiriam* iunctam *Cracouienſi* vrbi, item *Wieliczkam*, *Skawinam*, *Ilkuſz*, *Będzin*, *Lublin*, *Caliſch*, *Pizdri*, *Lelow*, *Sandomiriam*, *Viſliciam*, *Schidłow*, *Radom*, *Opoczno*, *Wawelnicza*, *Stawiſzin*, *Wielun*, *Conin*, *Piortkow*, *Łanciciam*, *Płoczko*, *Inowłodz*, *Leopolim*, *Sanok*, *Chroſnam*, *Czchow*, ciuitates, caſtella, & oppida; item caſtra & curias, *Poſnanienſe*, *Caliſſienſe*, *Sandomirienſe*, *Płocenſe*, *Niepołomicenſe*, *Lublinenſe*, *Leopolienſe*, *altius & inferius Pizdrenſe*, *Siradienſe*, *Wielunenſe*, *Lancitienſe*, *Coło*, *Schidłow*, *Przedborz*, *Brzeznica*, *Bolesławiec*, *Oſtrzeſzow*, *Przemislienſe*, *Lanczkoronenſe*, *Będzinenſe*, *Lelouienſe*,

Quid per ipſum ſit ædificatum.

Czorſchtin, *Ocziec*, *Krzepicze*, *Sieciechow*, *Solecz*, *Zawichoſt*, *Noua Ciuitatis dictam*, A *Korczin*, *Conin*, *Nakieł*, *Velen*, *Międzirzecz*, *Cruſzwicza*, *Złotoria*, *Bidgoſtia*, *Lubaczow*, *Trębowla*, *Halicz*, *Coſten*, *Opoczno*, *Schidłow*, *Prziſzow*, *Rauam*, *Viſchegrod*: Item templa & ædes ſacras, videlicet duas Eccleſias Collegiatas in caſtro *Cracouienſi*, videlicet *S. Michaelis* & *S. Georgij*, item hoſpitale in *Stradomia*; item *Sandomirienſem*, & *Wiſlicienſem* Collegiatas; item in *Stobnicza*, *Schidłow*, *Łapſchice*, *Gargow*, *Niepołomicze*, *Solecz*, *Opoczno*, *Corczin*, Sancti *Stanislai* in *Rupella*: Item monaſteria, in *Piotrkow*, *Lancitia*, *noua Ciuitate Korczin*, muris, ſtructuris, picturis, tectisque ſumptuoſis conſtruxit. Ac eisdem Eccleſiis & mona- B ſteriis, cruces, calices, libros, iuxta magnificentiam Regiam, in auro, argento, & gemmis, donauit. Ac ne ſingula in longum proſequar, haud vllum facilè præteriit Regni *Polonici* locum, vetuſtarum arcium atque vrbium, in quo nouos muros non erexerit, labantes non renouauerit, aut quæ deeſſe videbantur, appoſitis non extulerit. Ad cætera verò caſtra, curias, Eccleſias, & domos ſub ſuo regimine, ex muro per militares, ciues, aut populares erecta, petentibus liberalia præſtabat ſuffragia, & ad perfectionem cœptorum operum, illos verbo & exhortatione animabat. Tantus enim illi ad ma- C gnificandum, locupletandumque Regnum *Poloniæ* inerat amor, vt grauiſſimos & notabiles ſumptus, in erigendis ex muro Eccleſiis, caſtris, ciuitatibus, & curiis, faciendo ad id omnem ſolicitudinem, curamque intenderat, vt *Poloniam*, quam luteam, ligneam, & ſqualidam reperierat, lateritiam, glorioſam & inclytam, ſicut euenit, relinqueret. Nam quicquid *Polonia* in caſtris, Eccleſiis, ciuitatibus, curiis, & domibus murorum continet, id pro maiori parte ab ipſo *Caſimiro* Rege, & ſuis Regiis ſumptibus eſt perfectum. Et licet, vt ſuperiùs perſtrinximus, procliuis in libidinem fuerit; Clericos tamen, quos ſciebat pudicos & continentes, factinoſque, D vel in aliqua parte peritos & excellentes, etiamſi ſortis humilis & obſcuræ originis fuiſſent, ſingulari illos proſequebatur honore & fauore: & neglectis prætéritiſque nobilibus, ſuis ſeruitoribus & familiaribus, eos in beneficia ſuæ collationis, & ad regimen caſtrorum, curiarum, & bonorum ſuorum, motu proprio promouebat. Id quoque in peculiari habebat cura, vt Prælati, Canonici, & Eccleſiarum Parochialium Rectores, circa ſuas Eccleſias, reſidentiam facerent perſonalem. Et cmethonibus coloniſque, vt à militaribus & Nobilibus non fierent oppreſſiones & iniuriæ: quo factum eſt, vt cmethones & co- 1370.

1370. coloni, ſub militaribus & Nobilibus degentes, quotieſcumque per ſuos Dominos & hæredes grauabantur, toties ad illum habebant fidum A reſponſum atque recurſum, ipſeque pro illis & eorum iniuriis, effectualem oppoſitionem ſeuerè & rigidè interponebat, vt nemo, quantumcumque magnus, potens, & diues, auderet in ſuos eſſe emethones violentus, grauis, & iniurius: Rege *Caſimiro*, vnumquemque pro ſua factione, exceſſu, aut demerito, dignà mulcta coercente. Ob quam rem aſperius, (vt militaribus apparebat) in eos practicatam, ſugillationem vitare non potuit, quin *ruſticorum Rex* a Nobilibus & militaribus vocitaretur. Quam notam patienter & æquo animo ferens, in defendendo pupillo, aduena, vidua; in adminiſtranda cuilibet iuſtitia, in plectendo fure, prædone, oppreſſore, latrone, nihil rigoris, nihil B animi remittebat: eundem tenorem in paupere iuxta ac diuite demonſtrans, virtutibus præmia, ſceleribus ſupplicia compenſans. Bonos in pretio haberi, peſſimum quemque calcari, florere iuſtitiam, honorem eſſe viris fortibus, exulare malos Nobiles & ciues ex rapto viuere aſſuetos, bonos autem atque honeſtos in ſuum Regnum ſuique Regni vrbes vndecumque transferri: in conſtruendis, reparandis, ornandiſque Sanctorum Baſilicis, munificus, & ſtudioſus: Vir ſtatura eleuata, corpore craſſo, fronte venerabili, crine circino & abundanti, barba promiſſa, voce aliquantulum balba ſed ſonora. Præceps in comeſſationes, venationem, Venerem, & cæteras voluptates. In C patriam clemens, in ſubditos modeſtus, in amplianda ornandaque patria, & Republica, cupidus, comis, & frugi, cuilibet conditioni, generi, atque ætati, facilis ad eum patebat acceſſus: ſummæ humilitatis, per quam pauperi iuxta ac opulento, ſe impartiebatur, & propter illam, offenſionem militum vitare non potuit, propenſiorem curam ruſticorum, quàm ſat Regi erat, eum habuiſſe criminantium. Tanto ſanè iuſtitiæ cultu & moderamine in omnes, tam nobiles quàm agreſtes propenſus, vt colonis proprios Dominos & hæredes iniquitatem & iniuriam inferre prohibuerit. Ipſoſque iuxta ac peculiares tutatus eſt; exem- D ptoque interdum maiori nummo, homini de hærede ſuo querenti, monens vt ignili mercato & ſilice in campo reperto (ſi aliter non daretur) incendio ſe vltum iret, illum tradebat. Eaque licentia multorum hominum militarium; fortunas ſubiectorum ſuorum expilantium, aut illos grauantium refrenauit. Craſſus & medius corpore, vultu plenus, comeſſationis cupidus, ad diligendum patriam naturali inſtinctu promptus, vt nihil magis quæreret, quam illi prodeſſe, & ornare illam decoribus quàm plurimis. Cuius ea charitas in patriam, ea munificentia, ea liberalitas, ea ſolicitudo, ad ornandam illam, vt ſuperiores omnes *Poloniæ* Reges, & qui illum ad noſtram ætatem ſecuti ſunt, charitate vicerit. 1370. Per promulgationem edictorum & iurium, per diſtinctionem ſtratarum, per conſtructionem & locationem artium & vrbium, marmorea mole aut petroſa lucentium, per ædificationem Eccleſiarum; Certo rectoque iudicio ſtatum Regni, ordines, Magiſtratus, & officia ſtabiliens; ornatum ſuum, ſtabilimentum, & ſplendorem, ſub inerti licet & inculto gubernatore, ex *Caſimiri* ordinatione retentura. In popinam ventremque procliuis. Non exigua illi cura fuit, quid eſſet, quid quoque biberet, per omnem ætatem, teſtimonio eorum qui nouerant illum viridem, & poſtea iam ſenem: redimens vitia virtutibus; plura habebat quæ meritò laudari debuerant, quàm quibus debebat ignoſci. Erat inſuper in eo fides ſincera, pietas domeſtica, & par quædam in omnes æquitas: Regius denique ſplendor atque munificentia. Lubricus tamen, vt præmiſimus, & intemperantis in mulieres ingenii. Tutelam pro vniuerſis opponens ſuæ defenſionis & iuſtitiæ, quibus minus reſiſtentia potentiæ ſuffragabatur. Exacta diligentia quoslibet calumniatores graui mulctâ afficiens. Moleſtè enim tulit, dum nocentem adumbrata liberabat veritas, & innocentem ingenioſa falſitas obruebat. Inter Reges & Principes ſui temporis manſuetiſſimus. Per annos quadraginta Regni *Polonici* Principatum obtinens, facilitate ac manſuetudine faſtum temperans Regiæ dignitatis. Pro augenda exornandaque Republica Regni ſui *Poloniæ*, feruidi animi. Nec prudentiæ vulgaris, ſed in ædificando, quod Principes egregios decet maximè, ſumptuoſus. Adeò iuſto iure imperans, vt nihil ferè ad iuſtorum Principum modum deſideraretur: omniumque ab eo initiata ſunt in *Polonia*, ſtudia murorum.

Duces Lithuaniæ Pruſſiam vaſtant,

Comminationes ſuas contra Cruciferos de *Pruſſia* anno ſuperiori prolatas, *Kieyſtuth Lithuaniæ* Dux impleturus, *Tartarorum, Ruthenorum*, & cæterorum barbarorum quæſitis auxiliis, cum ingenti equitatu peditatuque in *Pruſſiam*, vnà cum *Olgyerdo* germano ſuo *Lithuaniæ* Duce aduenit, & diſtrictum *Sambienſem*, bipartito exercitu ac populatione latiùs extenſâ, vaſtat, incendit, & prædatur. Quo in ſolitudinem & vaſtitatem redacto, ad caſtrum *Ortelsberg* ducit exercitum, & illud conquirit & incendit. Ab inde verſus *Rudow* aliàs *Kodwin*, caſtra ponit. Vbi *Pruſſiæ* Magiſter *Vinricus*, cum omnibus potentiis, ad quas (peregrinis militibus deficientibus) augendas, etiam ciues & agreſtes armauerat, aduenit, & barbaros in Dominica *Exurge quare obdormis &c.* inuadit. Vtriſque autem magno im-

1370. impetu cientibus, atrox ſtrages commiſſa eſt. Et multis hinc inde, videlicet *Henigo Schindekop* Marſchalco *Pruſſiæ*,& fratribus viginti de ordine,centum armigeris de parte Cruciferorum, mille verò barbaris cadentibus, Duces *Lithuaniæ*, dato ſigno receptui, pro victis abeunt,& proximis ſyluis ſe committunt. Quibus tumultuario labore inciſis, ne finali clade ſuperari poſſent,ſe tutantur: Multis tùm tàm rebus quàm captiuis eorum *Pruthenus* potitus eſt: Multi ex vulneribus, plerique ex frigore & fame, in ſiluis errabundi intereunt *Lithuani*.

& à Magiſtro Pruſſiæ vincuntur.


Aduenit poſthæc *Ludolphus Auſtriæ* Dux, Ordini in auxilium, cuius ſuffragio Magiſter & Ordo freti, in *Samogithiæ* terram quadripartito agmine deſcendentes, ferè vniuerſam *Samogithiam* ſubiiciunt incendiis & vaſtitati. Cæſis autem ſenibus & impuberibus,puberes in magno numero captiuos, præfatus *Auſtriæ* Dux & Ordo, in *Pruſſiam* deduxit. Quem abeuntem Dux *Lithuaniæ Kieyſtuth* ſecutus, caſtrum & diſtrictum *Gogelanken* inuadit & expugnat. Et multis vtriuſque ſexûs hominibus cæſis, aut captis, properiter in *Lithuaniam* refugit. Commendator verò de *Inſterberg*,*Vigandus* de *Belderſteyn*,eo diſcedente, in *Lithuaniam* cum ſuis ingreſſus, villas nondum vaſtatas inuadit, & multis captiuis atque ſpoliis potitus,in *Inſterberg* regreditur. 1370.

Samogithia & Lithuania per Cruciferos.

& hæc iterum per Lithuanos vaſtatur.

FINIS LIBRI NONI.

IO. DŁVGOSSI HIST. POLON. LIBER DECIMVS.



IOANNIS DŁVGOSSI
SEV
LONGINI
CANONICI CRACOVIENSIS,
HISTORIÆ POLONICÆ
LIBER DECIMVS.

1370

Caſimiro Rege Poloniæ mortuo,

CLARISSIMO *Polonorum* ſidere, & qui immenſa ferruentiſſimaque charitate Regnum & gentem *Polonorum*, erexerat, extulerat, amplificaueratq; Illuſtriſſimo videlicet *Caſimiro* ſecundo, *Polonorum* Rege, occidente, ad occupandum Regni *Poloniæ* terras, munitiones, confinia, & caſtra, multorum hoſtium inuidorum Regni eiuſdem, qui metu *Caſimiri* Regis, dum viueret, continebantur, flagrare coepit ambitio. Et quaſi ſigno dato, morte Regis *Caſimiri* ad ſui notitiam perlata, in occupationem *Poloniæ* Regni, graſſabantur. Nam *Haſſo* miles de *Huchteribayn*, filius *Sonis* de *Vedel*, *Othonis* Marchionis *Brandeburgenſis*, filii *Ludouici* olim *Romanorum* Regis, Capitaneus, duobus *Saxonibus*, qui in caſtro *Santok* morabantur, per tertium ſibi, & paucitatem gentium & victualium, & abſentiam *Sandivogii* de *Wirſch* Caſtellani *Bninenſis*, & eiuſdem caſtri *Santok* Capitanei, ſignificantibus caſtrum *Santok* cum paucis, quorum maior pars ex agreſtibus erat, obſidione cingens, expugnare coepit, violato foedere de obſeruandis pacts ſufferentiis, recenter cum Baronibus maioris *Poloniæ* icto.

Haſſo de Huchteribayn

vi caſtrum Santok.

1370

A

Opponente autem *Sandiuogio* de *Sleſſino* iuuene acerrimo & audaci continuam reſiſtentiam, fuit caſtrum per plures dies defenſum. Quo vigiliis & labore continuo, tribus *Saxonibus*, qui ſecum vnà in caſtro erant, nulla ſubſidia ferentibus, fatigato, cum & *Przeczlaw* de *Gołuchowo* Palatinus *Caliſſienſis*, & maioris *Poloniæ* Capitaneus, expeditione indicta, tardius cum gentibus, pro ferendo obſeſſis ſubſidio, adueniret, caſtrum *Santok*, *Haſſoni* deditum eſt. *Kieyſtuth* inſuper *Lithuanorum* Dux, cum *Lubardo*, cæteriſque Ducibus *Lithuaniæ*, morte *Caſimiri* Regis comperta, *Wladimirienſe* caſtrum, quod a *Caſimiro* Rege *Polonorum*, & ſuis Præfectis tenebatur, valida obſidione illico conſtrinxit. Poterat autem obſidio ipſa non ſolum fortiter, ſed & lætanter tolerari & obiri, omnibus ad tolerantiam ſuppetentibus, ſi tantummodo bona mens *Petraſſio Turſki*, (*Lancicitha* hic erat) affuiſſet, & ſuis. *Caſimirus* ſiquidem *Poloniæ* Rex, *Wladimirienſem* terram ſolum fœcundum & craſſum habere conſpiciens, pro retinenda ea, nobili & ſumptuoſo opere, ex coctis lateribus, caſtrum *Wladimirienſe*, ligneo, ne opus a *Lithuanis* præpediri poſſet, ſtante, erigere cœperat, & prope finem perduxerat. Eam cœpto operi adhibens curam, ut tricenti homines, & multa iuga

B

Lithuanorũ vero Duces

proditione Petraſſii Thurſki.

Wladamirienſem arcem

1370 boum, calcem, lateres, lapides, ligna, & quæ in opus neceſſaria erant, conducentia, integro biennio iam exacto, tam nocte quam inter- A diu; ad conſumationem operis ſolicito ſtudio intenderent. Infra quod tempus plus quam tria millia marcarum latorum groſſorum, in opus huiuſmodi Rex *Caſimirus* expendiſſe compertus eſt. Sed & moriturus, caſtri eiuſdem curam egit; & quarta die priusquam excederet, *Venceſlao* de *Thaczin* Presbytero, qui operi præerat, ſexcentas marcas latorum groſſorum conſignauerat, ad perficiendum caſtrum impendendas. Quæ pecunia Rege mortuo in theſaurum relata eſt. Poterat autem obſidio caſtri præfati, per milites *Polonorum* auerti, & exercitus *Lithuanicus* illud obſidens, vel B debellari, vel depelli: ſed ſegnities & negligentia *Polonis* naturaliter inhærens; cum & inter Barones reperiretur nemo, qui id munus aſſumeret, magno parta labore facile amiſit. *Eliſabeth* quidem Regina *Hungariæ* ſoror *Caſimiri* Regis *Poloniæ*, & mater *Ludouici Hungariæ*, quæ *Caſimiro* Rege defuncto *Cracouiam* feſtine aduenerat, miſſis ad Ducem *Kieyſtuth* nunciis, quorum miſſio a Baronibus *Poloniæ*, non verbis ſed armis obſidionem cenſentibus reſcindi oportere, diſſuadebatur, obſidionem ſolui monebat. Sed tam ille, quam cæteri *Lithuaniæ* Duces, legatione pro ludibrio habita, & amplius legatione ipſa animati quam fracti, in obſidione C perſeuerabant, maximis continue *Petraſſium* Capitaneum, & ſuos laceſſendo, ni caſtrum dederet, terroribus. Quibus infelix & formidoloſus homo ille conterritus, nulla illum neceſſitate ſtringente, parum honori ſuo, parum patriæ & Reipublicæ conſulens, abſente etiam *Alexandro*, filio *Michaelis* alias *Coriath* nepotis *Olgyerdi* Ducis Lithuaniæ, tunc in *Cracouia* agente, cui caſtrum & terra *Wladimirienſis*, a *Caſimiro* Rege erant commendata, & *Petraſſius* ipſe ſibi parere iuſſus, cum *Lithuanis* miſerabiliter paciſcitur: & cum ſingulis quæ caſtrum obtinebat exire permiſſus, caſtrum *Lithuanis* vtrumque tradit. At illi caſtro ligneo contenti, præſidio D forti impoſito, caſtrum nobile a *Caſimiro* Rege pulcherrimo opere prope perfectum, demoliuntur, & vſque ad fundamenta in perpetuam redigunt ruinam. In hunc modum vir improbus *Petraſſius Thurſky*, clenodium Regni *Poloniæ* nobile, fidei ſuæ creditum, hoſtibus & fidei & regni tradidit, ac proſtituit; turpem famam integra vita potiorem ducens. Nec his contenti *Olgyert* & *Kieyſtuth* Duces *Lithuaniæ*, vexaturi Regnum *Poloniæ*, per *Lublin* intrant *Sandomirienſem* terram. Quam cum ad *Calvi Montis* vſque monaſterium vaſtaſſent, audito quod *Polonorum* milites contra illos procedunt, cum illis prælium conferturi, citato agmine cum captiuis & ſpoliis regrediebantur. Ceperant autem tunc *Lithuaniæ* Duces Sanctæ 1370 *Crucis* in monaſterio *Calvi Montis* lignum viuificum. Et dum fines Regni *Poloniæ* vellent egredi, currus, in quo lignum Dominicum vehebatur, repente ſubſtitit, neque ab equis, bobus, hominibusque poterat moueri: ſed equi, boues, cum hominibus auxiliantibus, ſubita morte concidebant. Quæ res cum Duces *Lithuaniæ* in extaſim & terrorem verteret, Flamines *Lithuanicus* reſpondit, Lechicam crucem, alias *Laczki Krzyż*, in quadriga conſiſtere: nec prius poſſe currum, niſi ea in locum ſuum reddita, moueri. Paritum eſt illico Flamini; & Crux glorioſiſſima in *Caluum Montem*, per vnum *Polonum* Nobilem, *Chorabalam* dictum, captiuum, qui ob id etiam libertati donatus eſt, remiſſa; & ſtatim lues omnis a *Lithuanis* conquieuit. Ob quod prodigium tunc in conſpectu *Lithuanorum* patratum, in ſumma, lignum viuificæ Crucis apud *Caluariæ* montem conſiſtens, habetur veneratione.

interceptam

demoliuntur.

Et redeuntes in Lithuaniam terram Sandomirienſem vaſtant.

lignumque S. Crucis a monaſterio Calvi Montis auferunt.

Quod tandem ſubſiſtente curru finibus Regni remittere coguntur.

Avunculum ſuum germanum, *Caſimirum Poloniæ* Regem, *Ludovicus Hungariæ* Rex ex frequentibus literis & nunciis diem obiiſſe comperiens, multa ſecum & conſiliariis, fluctuans animo, verſabat; iretnè cum *Hungarorum* copiis in *Poloniam*: ne motus novos & impedimenta, tum à duabus filiabus *Anna* & *Heduigi*, quas *Caſimirus Poloniæ* Rex, ex *Heduigi* filia *Henrici Glogouienſis* Ducis genuerat, tum a nepotibus *Caſimiri* Regis Ducibus *Maſouiæ* & *Cuiauiæ*, item *Caſimiro* Duce *Stetinenſi*, nepote germano ex filia, quibus ſucceſſio iuſtior debebatur, veritus, oppreſſurus, ac in *Hungaria* ſubſiſteret: donec exploratum haberet, quid *Polonorum* Proceres de illo ſentirent. Venerant tandem Regni *Poloniæ* Oratores ad illum, videlicet *Florianus* Epiſcopus *Cracouienſis*, & *Ianuſſius* Regni *Poloniæ* Cancellarius, petentes, ut Regni *Poloniæ* ſceptra aſſumeret. Diu cunctatus eſt. Inſtantibus vero *Polonorum* Oratoribus, vrgentibus deinde Regni *Hungariæ* Conſiliariis, tam eccleſiaſticis quam ſecularibus, aliquanto tempore recuſavit, ignorare aſſerens vtrosque quid ſuaderent, ſatis dubitans, ne vtrumque Regnum ad periculum illâ ſuaſione traherent. Aſtruens non convenire duos greges, locis diſtantibus, ab vno paſtore probe a morſibus luporum ſeruari: nec vni viro duas vxores legitime poſſe coniungi: nec duos Pontificatus in vnum rite conferri: *Romam* vix deſpectum tugurium habentem, duos ſimul Reges ferre non potuiſſe. Pertimeſcendum ne meum diſtractum regimen vtrumque Regnum peſſundaret: et quæſiturus profectum Regni, exitio illis ſim. Ad extremum vtrorumque petitione victus, ſuſcepit Regnum *Poloniæ*. Quod ſi illum tam *Poloni*, apud quos regnaturus erat, quam *Hungari*, apud quos iam regnabat, ſuis ingeniis vti

Ludovicus Hungariæ Rex

per legatos Polonorum vix inductus

Regnum Poloniæ ſuſcipit.

paſſi

1370 gaſſi fuiſſent, latius & tunc & hactenus Regnum *Poloniæ*, quod eo regnante, in pluribus Provinciis & theſauris ac clenodiis ſpoliatum A & mutilatum fuit, præſidentiæ ſuæ funiculos extendere valuiſſet. Cui novam *Sandecz* intranti, multitudo Prælatorum & Baronum *Poloniæ*, Proceresque, & natu majores occurrunt, & verſus *Cracoviam* vrbem regiam & caput regni perducunt. Itum eſt autem illi a proceſſionibus Eccleſiarum, & ab omnibus ordinibus civitatis *Cracouienſis* obviam: præcedenteque vexillo civitatis *Cracouienſis*, in quo arma civitatis picta erant, omnium mechanicorum cuiuslibet artis ſubſequebantur. Quibus per ſigniferos *Ludouico* Regi deditionem & ſubiectionem ſignificantibus, oblatis, B Rex ipſe cum maxima pompâ & honore *Cracouiam* & Eccleſiam *Cracouienſem* introiuit, caſtrumque *Cracouienſe* conſcendit.

Qui Cracoviam veniens bonorifice excipitur.

Altera autem adventus ſui die *Ianuſſius Suchiwilk* Decanus *Cracouienſis* & Regni *Poloniæ* Cancellarius, teſtamenti Regis *Poloniæ Caſimiri* Executor, *Ludouicum* Regem perquirit, an ſingula quæ, avunculus ſuus *Caſimirus Poloniæ* Rex, per teſtamentum ſuum fieri iuſſerat, & donationes ab illo de Ducatibus, terris, caſtris, oppidis, & villis factas, rata mauere cenſeret. Quo vniuerſa ſe probaturum & admiſſurum reſpondente, ſuggeſtum eſt illi parum prouidam & cautam reſponſionem dediſſe, cum *Caſimiri* Regis teſtamentalis ordinatio, plures dona- C tiones & alienationes, Regno *Poloniæ* pernicioſas, ſecum ferens, falſis ſcripturis & codicillis ſignata foret.

Tandem a Conſiliariis doctus

Correcto itaque Rex *Ludouicus* reſponſo, donationes ipſas, etiam iam literis & ſigillis maioribus munitas, ad conſilium Prælatorum & Baronum *Poloniæ* reiicit, committens vt inueſtigent decernantque, ſi donationes huiuſmodi admittendæ ſint, vel irritandæ. Et illi quidem omnes donationes *Caſimiri* Regis robur habere, duas tantummodo, quarum vna *Caſimiro* Duci *Stetinenſi*, de terris *Siradienſi*, *Lancicienſi*, *Dobrzinenſi*, & caſtris *Cruſicenſi*, *Bidgoſtienſi*, *Wlothowo* & *Walcz*; altera filiis naturalibus *Caſimiri* Regis, *Nye-* D *myerze* & *Ioanni*, de nonnullis villis; quoniam in ſciſſuram & diſmembrationem Regni *Poloniæ* & in illius grave præiudicium factæ noſcitabantur, reſcindendas & penitus abolendas, decernunt.

duas donationes per Caſimirum Regem olim teſtimonialiter inique factas eſſe,

Mittitur tandem & a *Ludouico* Rege *Wladislaus Oppolienſis* Dux, ad Prælatos & Barones *Poloniæ*, vt per ſententiam ſuam pronuncient, quid iuris ſit, ſi licuit *Caſimiro* Regi *Poloniæ*, & propinquis, & Prælatis, & Baronibus ſuis *Poloniæ* inconſultis, terrarum & Ducatuum notabilium facere alienationes. Sed Prælatis & Baronibus *Poloniæ*, odia horum, quibus donationes a Rege *Caſimiro* in morte factæ fuerant, & præſertim *Caſimiri* Ducis *Stetinenſis*, vitantibus, & quæſtionem diſſimulatione aut ſilentio abſoluentibus, nuncio Regis Duce *Oppolienſi* inſtante, determinationem huiuſmodi ad Iudices terreſtres reiiciunt. 1370

Locati igitur extemplo ad Iudiciarium Tribunal *Petka Zamb* Iudex *Sandomirienſis* & *Wilczko* de *Naborowo* Subiudex *Cracouienſis*. Qui a Procuratoribus *Ludouici* Regis rogati, pronunciant donationes *Caſimiri Poloniæ* Regis in morte factas, tanquam in læſionem notabilem Regni, & præiudicium proximorum, irritandas & reſcindendas fore. Gratus ea pronunciatione *Ludouicus* Rex, petit, vt Prælati & Barones *Poloniæ* huic pronunciationi & decreto iudiciario ſe ſubſcribant, ſigillisque communiant. Quibus abnuentibus, *Ludouicus* Rex cum Duce *Stetinenſi*, *Caſimiro* agere cœpit, vt *Gniewkouienſi* Ducatu accepto, de iure cæterorum ſibi per *Caſimirum Poloniæ* Regem legatorum, excedat. Quo conditionem reſutante, ſciebat enim *Gniewkouienſem* Ducem *Wladislaum* Album, *Caſimiri* filium, verum hæredum illius, quamuis monaſticam vitam agentem, ſupereſſe: *Ludouicus* Rex cum eo denuo placitat: Et *Caſimiro* præfato gratificante & aſſentiente, *Dobrzinenſem* Ducatum cum caſtris & oppidis, *Bidgoſtienſi*, *Wlatouienſi*, & *Walcz*, illi donat.

moderando alteram earum, Caſimiro Duci Stetinenſi terras Dobrzinenſes donat:

Neque enim *Ludouico* Regi ſecurum viſum eſt, *Caſimiro Stetinenſi* Duci, ſingulos Ducatus a *Caſimiro* Rege *Poloniæ* donatos committere, ne illorum poſſeſſione nacta, etiam *Poloniæ* Regnum (cuius erat iuſtior, quam *Ludouicus Hungariæ* Rex, hæres) cum *Caroli* Imperatoris *Romanorum* & *Bohemiæ* Regis, qui ſororem germanam *Eliſabeth Caſimiri Stetinenſis* Ducis habebat in conſortem, auxilio, ſubriperet. Donatione itaque *Caſimiri* Ducis *Stetinenſis* truncata, filiorum vero naturalium *Caſimiri Poloniæ* Regis *Nyemyerzæ*, & *Ioannis* in totum reſciſſa, cæteræ omnes donationes Regis *Poloniæ Caſimiri* in morte factæ, pronunciatione iudiciaria non obſtante, effectus ſuos ſortitæ ſunt, quamuis adulterinis codicillis ferebantur conſcriptæ.

alteram vero, qua certa bona duobus ſuis naturalibus filiis Caſimirus Rex contulerat, penitus irritat.

Ex aduentu autem *Ludouici Hungariæ* Regis in *Poloniam*, mediocris tenuisque, & pene nulla dulcedo & voluptas tam militarum quam popularium animos inuaſerat, *Caſimiri* quippe nuper defuncti Regis radicata charitas prohibebat, & *Ludouico*, & cuicumque alteri moderato Regi, ei ſuccedenti, fauorem impendi. Cuius etiam imperium, reſpectu deſiderati & adempti ſibi Regis permoti, aſpernabantur. Lugebaturque & deſiderabatur mirum in modum, & magis quam in funere Rex illuſtris, quod & patriam primus muris arcibusque ornauerat, & ſpecimen iuſtitiæ illi infuderat; quodque non in vltimis laudum ſuarum ſcribendum eſt, omnibus indigentibus & grauatis, facilem ſe aditu præbuit. Aures illius ad querimoniam agreſtium, egenorum, viduarum, & quorumlibet oppreſſorum, adeo ſemper intentæ, vt nec vnquam tenuis cuiusque vel calamitoſi colloquium, aut propoſitionem repudiaret. Qui etiam ob ſua le-

1370

gitima & iuſta inſtituta, claraque & claritatem patriæ diffundentia facinora, facilius a ſucceſſoribus omnibus laudari, quam exprimi & æmulari potuit. Calumniatores puniens diſtrictione ſingulari, calliditatem a pacificis & innocentibus ſatagebat reſcindere improborum. Qui vitæ annorumque numerum, multitudine egregiorum operum, arces fabricando & vrbes, ſuperauit.

Ludovicus Hungariæ Rex, dum coronationem ſuam apud Polonos conſummari petit, Gneſnenſis Archiepiſcopus ut Gneſnæ coronetur ſatagit

Quæſtione nodoſa & difficili, de donationibus *Caſimiri Poloniæ* Regis in morte factis, abſoluta, coronationem ſuam *Ludouicus Hungariæ* Rex in *Poloniæ* Regnum maturandam duxit, & frequenti petitione atque inſtantia, eam per Prælatos & Barones *Poloniæ* petiit conſummari. Iniecta autem fuit per *Iaroſlaum Gneſnenſem* Archiepiſcopum & Barones maioris *Poloniæ* noua, & occultanda magis quam vulganda, difficultas: Rogantes *Ludouicum* Regem, vt *Gneſnam Cracouia* procederet, coronationis ſuæ & vnctionis in Regem *Poloniæ* chriſmata percepturus. *Floriano* autem Epiſcopo & Baronibus *Cracouienſibus* huiuſmodi rogationem refellentibus, *Ludouicus* Rex auum ſuum *Wladiſlaum Lokteck*, & filium eius auunculum ſuum *Caſimirum*, immediatos ante ſe Poloniæ Reges, non *Gneſnæ* ſed *Cracoviæ* coronatos perſtringens, nihil ſe de priſca obſeruantia, circa auum & auunculum obſeruata, immutaturum, & ius Eccleſiæ & ciuitatis *Cracouienſis* quæſitum, non ſe aliquatenus infecturum reſpondet.

Tandem ſententia ſua detruſus Cracoviæ eundem coronat,

ea ratione, ut regalibus indutus Gneſnæ appareat.

Rogante deinde *Iaroſlao Gneſnenſi* Archiepiſcopo, & *Ludouico* Rege non abnuente, vt ſaltem ad honeſtandam *Gneſnenſem* Eccleſiam, regio amictu & diademate ornatus, in illa appareat, ad coronationis abſoluendum officium proceſſum eſt, & *Ludouicus* ipſe *Hungariæ* Rex per præfatum *Iaroſlaum Gneſnenſem* Archiepiſcopum, aſſiſtentibus ſibi, *Floriano Cracouienſi* & *Petro Lubucenſi*, Epiſcopis, Præſidentibus vero *Caſimiro Stetinenſi* & *Dobrzinenſi*, *Wladiſlao Oppolienſi*, Ducibus, Baronumque & militarium Regni *Poloniæ* multitudine copioſa, in *Cracouienſi* maiori Eccleſia, die Dominico poſt feſtum Sancti *Martini*, quæ fuit decima ſeptima Nouembris, cum honore immenſo & ſolennitate, genitrice ſua *Eliſabeth Hungariæ* Regina, ſeniori, cum altera Regina *Caſimiri Poloniæ* Regis relicta *Heduigi*, & duabus filiabus *Caſimiri*, *Anna* & *Heduigi* inſpectantibus, in *Poloniæ* Regem coronatur & inungitur: & regni *Poloniæ*, vt regnet ſuper duo regna, accipit regimen.

Coronatus autem mox regni Poloniæ corpus donationibus iniquis Wladislao Oppolienſi Duci

In ipſis autem regni primitiis, mox ad illius & ſtatus ſui depreſſionem & eneruationem procedens, *Wladiſlao Oppolienſi* Duci, ex *Eliſabeth* filia ſororis *Caſimiri Poloniæ* Regis genito, & Regni *Hungariæ* Palatino, terram *Wielunenſem*, quæ olim *Rudenſis* antiquitus vocabatur, cum vniuerſis caſtris in ipſa terra *Wielunenſi*, item cum caſtris & oppidis *Olſchtin*, *Krzepicze*, & *Bobolicze* in terra *Cracouienſi*, item caſtro & oppido *Brzeznycza* in terra *Siradienſi*, conſiſtentibus, per *Caſimirum* Regem Poloniæ muro pulcherrimo & mirifico extructis, donatione perpetua & irreuocabili (Prælatis & Baronibus *Poloniæ* necquicquam aduerſantibus & improbantibus) donat & inſcribit, ac regni *Poloniæ* corpus, per plures alias alienationes multifarie mutilatum & diſtractum, ampliori ſciſſura hebetat & corrumpit: vt prorſus etiam tunc appareret, *Ludouicum* Regem, ditiſſimo *Hungariæ* regno locupletem, nihil penſi de regno *Poloniæ* ſtabiliendo, aut de his, quæ illi a *Bohemis*, *Saxonibus*, & *Cruciferis* abſtracta erant, vindicandis habuiſſe, neque de illius profectu & incremento, ſed de diſmembratione cogitationes & curas intendiſſe. 1370

factis, mutilat,

Polonis nec quicquam eum carpentibus,

Ad mitigandum autem & reſtringendum dolorem & acerbitatem Prælatorum & Baronum regni *Poloniæ*, pro donatione tam pernicioſa *Oppolienſi* Duci *Wladiſlao* facta, ipſum carpentium, & reſcindi illam petentium, tam a Duce *Oppolienſi Wladiſlao* ſuper terra *Wielunenſi* & cæteris caſtris, & oppidis regni *Poloniæ* ſibi donatis, quam a *Caſimiro Stetinenſi* & *Dobrzinenſi* Duce ſuper ducatu & terra *Dobrzinenſi*, cæteriſque caſtris illi inſcriptis, feudum accepit: profitente vtroque Duce, ſe terras, diſtrictus, ducatuſque prædictos a *Ludouico* Rege *Poloniæ*, in feudum & iure feudi accepiſſe, deuoluendas ad regnum *Poloniæ*, ſi illos abſque liberis maſculini ſexus mori contigerit.

id tandem extorquentibus,

ut donatarii donata ſe recepiſſe in feudum fateantur.

Coronatione Ludovici peracta celebrantur exequiæ funebrales Caſimiri Poloniæ Regis (quarū pompam, ordinem & apparatū exacte deſcribit.)

Coronatione de regno *Poloniæ Ludouicus Hungariæ* Rex ſuſcepta, ad peragendum auunculo ſuo *Caſimiro Poloniarum* Regi exequias, in eam vſque diem intermiſſas, animum & curam intendit. Et die Martis decima nona Nouembris illuceſcente, funeris & exequiarum pompam per officiales *Caſimiri* Regis inſtructam, in hunc modum agit. Proceſſiones ſiquidem omnium Eccleſiarum & Monaſteriorum *Cracouienſis* vrbis præibant; quas ſequebantur quatuor currus, de nigro cum ſuis aurigis veſtiti: deinde quadraginta armati milites, equos de purpura amictos ſinguli inſidentes, quorum vndecim Regni *Poloniæ* Ducatuum, vnumquemque Ducatum per ſigna banderiis impreſſa, deſignantia, duodecimo, quod maius omnium, & in quo candida aquila regni *Poloniæ* inſigne erat, ea præcedente, ſequebantur, milite vno nobiliſſimo, veſtibus regiis, gemmis & auro oſtroque ſuperbis, in nobiliori equo, qui & ipſe de præſtantiori velatus erat purpura (perſonam enim mortui Regis repræſentabat) ſubſequente. Ibant poſt hos bini & bini proceſſionaliter ſexingenti, ceroferarii totidem, candelas accenſas magnæ quantitatis & ponderis, (duæ enim ſingulæ & ſingulæ lapi-

1370 lapidem vnum ceræ appendebant) in manibus geſtantes. Hinc feretrum auro; pannis, argento intextum, item purpuris variis, item laneis pannis, qui poſtmodum Eccleſiis & Eccleſiarum miniſtris partiti ſunt, onuſtum. Ambiebant feretrum pluſquam mille milites, omnes mortui Regis familiares, & lugubri veſte induti, lugubrem fletum & eiulatum, carmenque inconditum, implentem ſidera, & pene ſingulis mortalibus excutientem lachrymas, emittebant. Antecedebat feretrum miles, in ſingulas partes latos *Pragenſes* groſſos ſpargens, vt liberior eſſet tranſeuntibus via, obſidentibus varii generis hominibus ſingula itinera. Subſequebatur *Ludouicus* Rex, a *Iaroſlao Gneſnenſi* Archiepiſcopo, *Floriano Cracouienſi*, *Petro Lubucenſi* Epiſcopis, Baronibus *Poloniæ* & *Hungariæ*, cæteraque innumerabili multitudine comitatus. Et tribus Eccleſiis, videlicet ad Sanctum *Franciſcum*, ad Sanctam *Mariam* in Circulo ad Sanctam *Trinitatem* viſitatis, ſacrificiiſque & oblationibus in eis peractis (in quarum ſingulis dum tractarentur diuina, duæ pelues latorum groſſorum *Pragenſium* impletæ, tenebantur ad feretrum, ex quibus accipiebant pro libito ſinguli, altari oblationem impoſituri: & quibus euacuatis per nouarum pecuniarum ſupplementum, fiebat repletio) ad maiorem tandem Eccleſiam *Cracouienſem* itum eſt. Vbi *Floriano Cracouienſi* Epiſcopo ad maius altare proſequente diuina, cæteræ omnes aræ à ſacerdotibus officiabantur: ſingulis autem altaribus duplex oblatio de groſſis latis ſuprapoſita eſt. Viro quoque virum premente, nonniſi militibus ſubmouentibus multitudinem, aræ ab offerentibus ægre poterant frequentari. Altari maiori inſigniora dona ab Officialibus & Præfectis Regis mortui *Caſimiri*, iuxta officia & miniſteria quæ adminiſtrabant, ſuperimpoſita. Vicetheſaurarius ſiquidem, & Camerarius, *Swyantoſlaus*, pelues argenteas regias, manutergia menſalia, altari obtulit. *Przedborius* Dapifer cum Subdapifero, quatuor ſcutellas argenteas maiores: Item vterque Pincerna cuppas & picarios. Item Marſchalcus potiorem dextrarium. Vltimo præcedentibus duodecim ſigniferis, ibat miles optimo equo inſidens, & perſonam *Caſimiri* Regis repræſentans. Quo a Subagaſone oblato, ſigna vniuerſa duodecim a militibus confringebantur. Ex quorum fragore tam ingens militarium & popularium, vniuerſæque plebis planctus & gemitus coortus, vt nemo, quantumcunque duri cordis, inter ſenes & iuuenes, mares & fœminas reperiebatur, qui fletibus & lamentis non indulgeret: querentibus ſe ſingulis, *optimo, liberali, pacifico, & iuſto Rege immature priuatos eſſe. Sub cuius defenſione & tutela felicem & ſanctam agebant vitam; illum Patrem Patriæ, illum Regni Poloniæ reſtauratorem, illum iuſtitiæ præcipuum cultorem, vocitantes.* Increpabant deinde ſortem ſuam, quod ſemine Regum *Poloniæ* abdicato, ſemini extraneo, Regique peregrino, non ingenita lingua, ſed per interpretem alloquendo, & in remotis regionibus, vbi difficiles eis eſſent aditus, demorando, orbandi familiaritate ſua & conuerſatione, orbandi viſione, præſentialitate, ſermone, pia quoque commiſeratione & compaſſione, orbandi officiis, prærogatiuis, largitionibus & miniſteriis, eſſent de cætero parituri.

cum magno fletu omnium ſubditorum,

ſtirpem regiam Polonorũ cum ipſo extinctam eſſe dolentium.

Veniebant in memoriam clades plurimæ, & ſtrages, deſolationes, exuſtioneſque terrarum frequentes, & diuturnæ, quibus *Poloniæ* Regnum, *Przemiſlao* primo *Polonorum* Rege, apud *Rogozno* abſque liberis mortuo, fuit (petentibus illud exteris) attritum & vexatum. Iamque tunc futurorum malorum grauiſſima diſpendia, quaſi præſentia ex neceſſario euentura, augurabantur prouenifſe. Maximus autem popularium fauor, in præfato funeris die erga *Caſimirum* Regem monſtratus eſt: cum omnes illum iuxta ac parentem, Patremque Patriæ, veris non fictis lachrymis deplangerent, ita vt illius benignitatem, beneuolentiam, comitatem, pietatem, nomen, famam nec præſentis Regis *Ludouici*, nec cuiuſque alterius ſuccedentis, decoloratura in *Polonorum* pectoribus putaretur inuidia. Sed nec vlli *Polonorum* Regi aut Principi in funebriis, tot lachrymis & fletibus, tot effuſis lamentationibus, tot querelarum ingeminatione, fuit parentatum. Summoque omnium conſenſu & dolore deſiderabilior, quod pignus virile non reliquerat, plangebatur abrogatus. Vir dignus prioribus ſeculis, non in tyrannos, vt plerique noſtrorum, ſed in regios mores ſe componens. Coluit doctos, ſenſatos, atque excellentes viros. Auidus laudis & gloriæ, & quod in magnis viris admodum laudi datur, benignus & perhumanus. Ex cuius morte genus vetuſtum Regnum *Poloniæ*, in ea uſque tempora continuatum, extinctum eſt, quantum ad Reges: Et diadema Regni *Poloniæ*, a veris, iuſtis, & naturalibus Principibus, ob varias præuaricationes & dolos, in alienigenas & exteros, iuſto DEI permittente iudicio, translatum.

Et quoniam ad peregrinum & externum ventum eſt Regem, operæ pretium putaui, altius illius originem repetere quatenus præſentibus & poſteris claroſcat, ſub quali & quanto Rege degebamus. Triplicem apud *Gallos* ex hiſtoriis conſtat tam ordinem quam originem Regum *Franciæ* extitiſſe. Prima ſi quidem origo cœpit anno Domini, quadringenteſimo vigeſimo, a *Pharamundo* Rege, & per aliquot ſucceſſiones durauit. Qua anno Domini ſeptingenteſimo ſexageſimo primo deſinente, *Carolus*

Originem Regis Ludouici altius repetens eam ex tertio ordine & origine Regum Franciæ fuiſſe colligit

1370 *rolus* Magnus exortus eſt. Sed & huius quoque progenies, in plures Reges deriuata, in *Ludovico* ſexto, circa annum Domini nongenteA ſimum octogeſimum ſeptimum deſiit. Habebat autem præfatus *Ludovicus* ſextus *Francorum* Rex, in *Caroli* ſtirpe vltimus, Baronem quendam genere *Saxonem*, Marſchalcum *Franciæ*, & Comitem *Pariſienſem*, vocatum *Hugonem Capeta* vel *Caper*, virum prudentiae, induſtriæ, & factiuitatis tam ſpectatæ & tam raræ, vt vniuerſi Regni *Franciæ* ſtatus, ordo & regimen, fauentibus & Rege & Baronibus, & ex eo penderet, & apud illum conſiſteret. Is ex magna nobilitate ortus apud nonnullos nſcribitur. Aliqui autem ferunt illum obſcuræ ſortis, & vnius macellatoris filium fuiſſe, ſed per operationem & ſapientiam, in gradum eminentem euaſiſſe. Huic *Ludouicus* ſextus, vltimus ſecundæ originis *Franciæ* Rex, moriturus, tam regnum & conſortem, quam filiam vnicam virginem a ſe reiictam, commendans, monuit iuſſitque, vt non alteri nuberet, niſi illi quem *Hugo Capeta* deſponſandum mandaret. Habens itaque præfatus *Hugo* filium notabilem & adultum *Carolum* nomine, filiam *Ludovici* ſexti, vnicam Regni *Franciæ* hæredem, illi coniungit & deſponſat. A qua tertia linea Regum *Franciæ*, etiam in hunc diem durans, cepit originem. Ex hac etiam ſtirpe & familia deſcendens *Carolus Ciotti Siciliæ* Rex, tres filios ex filia *Ludouici* ſexti ſuſcepit, videlicet *Carolum Marcelli*, Sanctum *Ludouicum*, & *Robertum*. *Carolus* deinde *Marcelli*, ex *Clementia* filia *Rudolphi* Imperatoris, filii *Alberti*, cum filium genuiſſet. *Carolum Marcelli* appellatum, diem obiit, & illico frater ſuus *Robertus* tertio genitus, *Ludovico* Sancto ſecundo genito, ſpernente & abdicante ſe a Regno, *Siciliæ* Regnum inuaſit, primo genito fratris ſui *Carolo* excluſo. Qui tandem in ætate tenera ad Regnum *Hungariæ* delatus, non ſine grandibus rigoribus & diſpendiis illud obtinuit, & ex *Eliſabeth* filia *Wladiſlai Loktek Poloniæ* Regis, plures filios generans, tres tantummodo, videlicet *Ludouicum*, *Andream*, & *Stephanum*, moriens reliquit. *Ro*-D *bertus* tandem *Siciliæ* Rex, vnum tantummodo filium *Carolum Duba* produxit, qui nonniſi duas filias *Ioannam* & *Mariam* reliquit. *Robertus* itaque *Siciliæ* Rex, qui filio *Carolo* ſupertuſixit, iniuriam, quam nepoti ſuo *Carolo Hungariæ* Regi intulerat, inſtauraturus, cum eſſet ſenex & decrepitus, & vt poſſeſſio Regni *Siciliæ* in domo & familia ſua continuaretur; facinus inſuper ſuum correcturus, præfati nepotis ſui *Caroli Hungariæ* Regis, cui Regni *Siciliæ* legitima poſſeſſio debebatur atque ſucceſſio, filium *Andream* accerſiit, & filiam filii ſui *Ioannam*, in tertio gradu conſanguinitatis ſibi coniunctam, deſponſari, *Gregorio* vndecimo diſpenſante, ordinauit. Quæ poſt biennium, filio ex eo ſuſcepto, maritum, vt in ſuperioribus narrauimus, tunc ſericeo ſuſpenſum, & iugulatum, in *Auerſa* ciuitate, extra cubiculum proiici iuſſit. Reſiduus filius *Caroli Hungariæ* A Regis *Stephanus*, vnicam filiam ex filia *Ludouici* Ducis *Bauariæ* & *Romanorum* Imperatoris generans, extinctus, omnem ſucceſſionem *Ludouico* reliquit. Qui & *Carolo* patri in *Hungariæ*, & *Caſimiro* auunculo, in *Poloniæ*, regnis, ſuccedens, ex filia Regis *Boſſnæ* quam in matrimonio habuerat, nomine *Eliſabeth*, duas tantummodo filias, *Mariam* & *Heduigim*, generat. 1370.

Cui initium Carolum filium Hugonis Capetha seu Caper, Saxonis, Marſchalci Franciæ,

(qui eidem filio ſuo Ludouici ſexti, ſecundæ originis ultimi, Regis Franciæ, filiam Regni hæredem, fidei ſuæ a patre prædicto commiſſam deſponſaverat)

dediſſe oſtendit.

Egreſſus tandem *Ludouicus*, *Hungariæ* & *Poloniæ* Rex *Cracouia*, in terras maioris *Poloniæ* proceſſit. Poſt cuius receſſum genitrix ſua *Eliſabeth Hungariæ* ſenior Regina, theſaurum B a fratre ſuo *Caſimiro Poloniæ* Rege relictum, inter relictam Regis *Heduigim*, & filias Regis *Annam* & *Heduigim*, iubente *Ludouico* Rege, iuxta ordinationem *Caſimiri* Regis in morte factam, diuiſit. Et relicta quidem *Caſimiri Heduigis* Regina, portione tertia illam contingente, quæ nonniſi ad tricentas triginta tres marcas & dimidiam argenti, & mille marcas latorum groſſorum tendebatur, accepta, ad paternam domum reuerſa, *Ruperto* Ducis *Legnicenſis Wladiſlai* filio nupſit. Filiæ vero Regis, *Anna* & *Heduigis*, cum omni theſauro, & ſupellectili, eis a Patre largito, per *Eliſabeth* Reginam, ne potentes maritos ſortitæ, ad nouandum res pro *Polonia* Regno procliuiores C forent, transferuntur. Vbi a *Ludouico* Rege inſtaurato iudicio, quaſi non de legitimo thoro natæ forent, abiudicatur eis Regni *Poloniæ* ius, ſucceſſio, & proprietas atque hæreditas. Deſponſatur tamen vna maior natu *Anna* Comiti *Ciliæ Wilhelmo*, altera *Heduigis Romero* Duci. In qua quidem re, iuſtiſſimi Dei iuſtiſſimo & exactiſſimo iudicio, ſingula mortalium ferientis & percellentis facinora, libet contemplari & admirari diſpenſationem: Qui præfatas duas *Caſimiri* Regis Polonorum *Annam* & *Heduigim* filias, in paterni ſceleris expiationem & paterna hæreditate priuari, & non iuſti thori opprobrium illis obiici permiſit: in eo loco filiarum Regis *Caſimiri* præfati ſinens decus D parum iuſto peccato deſſundari, in quo ipſe filiæ alterius, decus pudicitiæ eripuerat.

Ludovicus Hungariæ & Poloniæ Rex

Annam & Heduigim filias olim Caſimiri Poloniæ Regis diviſo inter illas paterno theſauro

in Hungariam mittit.

Illicque non legitimo thoro natas probat, omni propinquitate Regni Poloniæ abdicat.

Maritis tamen illas locat.

Venientem in terras maioris *Poloniæ Ludouicum* Regem, variæ & frequentes Baronum & militarium, partium illarum cohortes, excipiunt, & in *Gneſnam* deducunt. Vbi etſi in *Gneſnenſi* Eccleſia regius fuerit thalamus illi præparatus, recuſauit tamen illum conſcendere; aſſerens *id ad ſuum ludibrium verti poſſe. Sed nec ſuæ, nec Polonorum conuenire honeſtati, vt coronatio in ſolito Regiæ vrbis Cracouienſis loco ſemel accepta, debeat iterum velut ambigua, apud Gneſnam, variato & infecto more maiorum, innouari.* Duobus itaque diebus apud *Gneſnam* abſumptis, per *Lanciciam* & *Siradiam*, *Cracouiam* remeauit. In pleriſque autem locis, *Hungaris* oppidanos & agreſtes violantibus, & nonnullas res per vim ab-

Ludouicus Hungariæ & novus Poloniæ Rex Gneſnam,

& alia loca maioris Poloniæ, ut pro-

1370

miſerat Archiepiſcopo Gneſnenſi, inviſit. Deinde Cracouiam reuerſus, commiſſo regno Poloniæ Eliſabeth Reginæ Hungariæ ſeniori, matri ſuæ, filiæ olim Caſimiri Regis Poloniæ,

abſtrahentibus, frequentes ad Regem concurrebant querelæ: quæ ad audientiam Regis, (Hungaris oppidanos, agreſtes, cæterosque iniuriam ferentes repellentibus) non poterant perduci. Pauco deinde tempore, *Ludouicus* Rex, ex quo de terris maioris *Poloniæ* redierat, *Cracouiæ* immoratus, Reginam *Eliſabeth* matrem ſuam, ad gubernandum Regnum *Poloniæ* relinquens, non ſtabilito, non ordinato regno, neque caſtris *Santocenſi* & *Wladimirienſi* regno abſtractis, recuperatis, gradu concito in *Hungariam*, coronam Regni *Poloniæ* materialem, ſceptrum, pomum, gladium, & cætera regni inſignia ex *Cracouia* auferens, ne alius Rex a *Polonis* ſubſtituendus, quod quam maxime & propediem verebatur, ob ſui abſentiam, & nonnullorum *Poloniæ* Ducum iuſtiorem ſucceſſionem, accidere, illis poſſet inſigniri, per viam qua venerat, rediit.

in Hungariam ipſe abiit.

Ex eo quoque tempore *Regnum* Poloniæ, amplius per fœminam, Reginam videlicet *Eliſabeth* ſeniorem, quam per *Ludouicum* Regem adminiſtrari cœptum eſt: amotis quoque antiquis Conſiliariis, Præfectis, & Officialibus, quibus *Caſimirus Poloniæ* Rex vſus eſt, noui, paruam quidem rerum publicarum peritiam habentes, ſed qui optime nouerant muliebri conditioni blandiri, ſub quibus Reſpub. regni *Poloniæ* vehementer concidere & labi cœpit, ſurrogati. Tunc quoque ex comparatione *Ludouici* Regis, excitabatur in omnium *Polonorum* pectoribus deſiderium *Caſimiri* Regis. Tum etiam primum ſentire cœperunt, quam ſanctum & quam vtilem Regem amiſerant, charitate quoque *Caſimiri*, non poterat *Ludouico* Regi ſuccedenti fauor & a nobilitate & a popularibus haberi. Quam rem *Ludouici* Regis, parui regnum *Poloniæ* pendentis, augebat cauſabatque abſentia.

Lithuani Pruſſiam

Tumultuario exercitu comparato, *Kieyſtuth Lithuaniæ* Dux, *Pruſſiam* ſubintrat, & diſtrictu qui *Stiſten* nominatur, vaſtato & incenſo, facta ſtrage in Chriſtiano populo, ſe celerrime cum captiuis & ſpoliis ex *Pruſſia* euoluit. Quam vaſtationem Magiſter *Pruſſiæ Vinricus* vltum iri ſatagens, cum omnibus copiis, & peregrinis militibus in *Lithuaniam* intrat.

& Pstutheni viciſſim Lithuaniam vaſtant.

Et exercitu in quatuor partes diſpartito, populatione longe lateque acta, plurimos captiuos & ſpolia in *Pruſſiam* deducit. Quo redeunte, *Eluer* Commendator de *Balga* partes *Ruſſiæ* ingreditur, & caſtrum *Drewnik* impugnat. Quod cum conquirere nequiret, ſpoliata regione, cum captiuis in *Pruſſiam* rediit. Confluentibus deinde multis forenſibus, tertia expeditio in *Lithuanos* acta eſt, & a Commendatore de *Inſterburg* Duce, caſtrum *Durſenne* expugnatum & incenſum, & multi *Lithuanorum* occiſi aut capti.

Anno Domi-

Suadentibus & inſuſurrantibus nouis Conſiliariis, quorum perſuaſionibus & monitis *Eliſabeth* ſenior *Hungariæ* Regina, Regnum *Poloniæ* A (permittente *Ludouico Hungariæ* & *Poloniæ* Rege) adminiſtrans, permiſerat ſe, veteribus, & ſana conſilia præbentibus, abrogatis, deliniri, *Przeczlaum* de *Gołuchowo* Palatinum *Caliſſienſem* Capitaneatu *maioris Poloniæ*, quem probe & animoſe ſcitus eſt rexiſſe, in diebus Carniſpriuii amouet, & *Othonem* de *Pilcza* virum & militem ea tempeſtate liberalem & inſignem inſtituit.

ni 1371

Eliſabeth Hungariæ Regina, Regni Poloniæ gubernatrix Przeczlao de Gołuchowo Capitaneatu maioris Poloniæ amoto Othonem de Pilcza Cracouigenam præficit

Id militibus & Nobilibus *maioris Poloniæ* querentibus, ſe ea munitione oppreſſum, & iura ſua atque obſeruantias veteres peſſundatum iri, quod Baronibus *maioris Poloniæ* contemptis, & præteritis, *Otho* præ- B fatus nullas poſſeſſiones in ora *maioris Poloniæ* retinens, eis præficeretur: Et ſubiici illi atque parere, veluti Capitaneo, detrectantibus, moleſte aliquanto tempore latum, tandem ipſius *Othonis* liberalitate & induſtria, qui nonnullos ex militaribus *maioris Poloniæ*, magis ſibi aduerſos, in Præfectos, Officiales & Tenutarios caſtrorum, in eodem Capitaneatu aſſumpſerat, ſedatum & ſublatum eſt.

Qui ob militias perſecutiones

Creſcente vero in dies, prædonum, furum, & hoſtium clandeſtinis excurſionibus, fines maioris *Poloniæ* inuadentium, numero, & pro illorum perſecutione & exterminio, militaribus maioris *Poloniæ* operas ſuas, in odium *Othonis* Capitanei, ſubtrahentibus, in mili- C tiam quoque iuſſu *Othonis* ire aſpernantibus, *Otho* prælatus mores eiuſmodi & liuorem in ſe conceptum militarium pertæſus, ſponte cedit Capitaneatui. Cui *Sandiuogius* de *Szubino* illarum partium miles & indigena ſuccedit.

eidem renuncians, Sandiuogius de Szubino in locum ipſius ſucceſſit.

Sub cuius regimine & Capitaneatu, anno eodem & ſequenti, plurimæ deprædationes & ſpolia, nemine prohibente, in Regno *Poloniæ*, & ab hoſtibus in circuitu exteris, & a propriis ac ciuibus committebantur. Acceſſit & aliud æque & amplius malum, & lues peſtifera epidimiæ, regnum *Poloniæ* vniuerſaliter inuaſit, & plurimos mortales anno eodem & ſequenti, adeo vt plurimæ domus remanerent abſque D habitatoribus, extinxit.

Fulmen Poſnanienſis Eccleſiæ turrim deiicit

Quindecima Aprilis, apud *Poſnanienſem* Eccleſiam, vertex dextræ turris fulmine percuſſus, & extremitas anguli turris eiuſdem diſrupta eſt. Exiguo inſuper teſtudinis foramine in capellam regiam virtus fulminis penetrans, & fortiſſimum impetum agens, a ſingulis quæ apud capellam erant abſtinens, imagines *Przemiſlai Poloniæ* Regis, & conſortis ſuæ Reginæ *Richſchæ*, in parietibus capellæ inſculptas, quaſi id vnum conſecturus aduenisset, fregit & decuſſit. Qui euentus pro ſingulari prodigio habitus eſt.

imaginesque ſculptas olim Przemislai Regis & conſortis ſuæ demolitur.

Tertio fœcundata vtero, *Eliſabeth* conſors *Ludouici Hungariæ* & *Poloniæ* Regis, dum mirum in modum a parente vtroque, & ab optimatibus Regni *Pannonici*, proles maſculina deſi-

Ludouico Regi tertia filia Hedwigis naſcitur.

1371 deſideraretur, fœmineam effudit, quæ in baptiſmo *Heduigis* nomen accepit.

Viciſſitudinaria ac reciproca Lithuanorum cum Pruthenis concertatio & deprædatio.

Viciſſitudine reciproca, inter Cruciferos de Pruſſia & Lithuanos eo etiam anno vaſtationes habitæ ſunt. Nam & *Kieyſtuth* Lithuaniæ Dux, non in paruo exercitu in *Pruſſiam* veniens, diſtrictum *Stiſtenſem* vaſtat, & multis Chriſtianorum occiſis & captis, ſpolia cum captiuis in *Lithuaniam* reducit. Et *Pruſſiæ* Magiſter *Vinricus*, primum cum aduenarum & propriorum militum auxiliis *Lithuaniam* & *Samogithiam* vaſtat, cædit, & vrit, ac cum ſpoliis & captiuis reuerſionem facit. Poſtea vero Commendator de *Balga* frater *Eluer*, altero exercitu expeditionem contra *Ruſſiam* agit, caſtrumque *Drewnik* expugnare adorſus, cœpto irrito deſiſtit; ſpoliis tantummodo & captiuis onuſtus, *Balgam* redit. Egit & ſecundam in *Lithuanos* expeditionem Commendator de *Inſterberg*, & cum forenſi militia caſtro *Durſenne* expugnato & incenſo, multos *Lithuanorum* aut cœpit, aut necauit.

Dobeſlaus Epiſcopus Plocenſis moritur,

Tertia menſis Decembris *Dobeſlaus* appellatus *Sowka* *Plocenſis* Epiſcopus, dum ex *Putthowſko Ploczkam* procederet, in villagio quodam prope *Gorzno*, ad menſam ſedens, apoplexia percuſſus, inconfeſſus & inuiaticus repentina morte abſumitur, dum annis tantummodo tribus cathedræ præfuiſſet. In *Plocenſi* eccleſia excepit ſepulturam. Corpore autem ſuo nondum ſepulto, Capitulares præſentes, a Ducibus *Maſouiæ Semouito* & *Ianuſſio* inſtigati, abſentibus non vocatis, electione celebrata, ſexta Decembris, *Stiborium* de *Radzimno Plocenſem* Archidiaconum eligunt, genere nobilem de domo & familia *Oſtoia*. Cuius electionem etſi *Ioannes Suchiwilk Gneſnenſis* Archiepiſcopus apud *Znenam* agens, decima octaua Decembris confirmaſſet, ipſumque ibidem in Epiſcopum conſecraſſet, ne tamen confirmatio ſua poſſet reuocari in dubium, electionem ſuam ab *Vrbano* quinto obtinuit etiam confirmari. Qui in villagio ſui natalitii *Radzimno* eccleſia lignea & humili demolita, Eccleſiam nouam de cocto latere opere pulchro fabricauit adornauitque.

ſuccedente Stiborio de Radzimno.

1372 *Iaroslaus Gnesnenſis Archiepiſcopus a Petraſſio filio Criſtini Palatini Plocenſis in bonis damnificatus*

Integro fere biennio *Iaroſlaus Gneſnenſis* Archiepiſcopus, in bonis menſæ ſuæ diſtrictus *Louicienſis*, a nonnullis militaribus & nobilibus Maſouiæ, & ſignanter a *Petraſſio* filio *Criſtini* Palatini *Plocenſis*, grauibus frequentibusque exquiſitis moleſtationibus, deprædationibus, & rapinis laceſſitus; Ducem *Maſouiæ Semouitum*, quatenus præfatum *Petraſſium*, ditioni ſuæ ſubiectum, ad raptorum occupatorumque reſtitutionem, & quietem cogeret, nunciis & literis multifarie fatigat. Verum Duce *Semouito* coertionem de malis, quæ a *Petraſſio Gneſnenſi* Eccleſiæ inſerebantur, ex occupatione ne an ex induſtria diſſimulante, cum & a nonnullis inſimularetur vexationem huiuſmodi admiſiſſe & mandaſſe, ſpiritualem gladium, patientiæ vagina hactenus concluſum, erexit, & vniuerſum *Maſouiæ* Ducatum Eccleſiaſtico ſuppoſuit interdicto. Quo malo interdicti *Semouitus* Dux, Eccleſiaſticis & ſecularibus vniuerſis, omnem culpam in eum referentibus, perculſus, ab anathematis vinculo terras ſuas ſolui efflagitat, offerens ſe iuſtitiam & æquitatem de *Petraſſio* impenſurum. Sed dum *Iaroſlaus Gneſnenſis* Archiepiſcopus non iuſtitiam aut æquitatem ſuper notoriis grauaminibus, prædis, & ſpoliis ſibi illatis, ſed realem tantummodo ſatisfactionem ſe recepturum reſpondiſſet, omnibus propterea anxiatis, & ſingulari confectis dolore, arbitris communibus negotium committitur: Quorum deciſione *Iaroſlaus Gneſnenſis* Archiepiſcopus, duabus villis in refuſionem ſuorum damnorum in perpetuam Eccleſiæ ſuæ ſortem acceptis, placatus, interdictum reſoluit.

1372 *totam Maſouiam Eccleſiaſtico ſubiicit interdicto.*

& duas villas pro damnis accipit.

Iaroslaus Archiepiſcopus Gneſnenſis cœcus factus

Naturali calore *Iaroſlaum Gneſnenſem* Archiepiſcopum ſenſim deſerente, virtus quoque viſiua illi, vigeſima prima die Decembris, adeo ſubito ſubducta eſt, vt ex vidente cæcus repente fieret. Quapropter Eccleſiæ ſuæ *Gneſnenſi*, cum qua plus quam octo luſtris concorditer vixerat, quamque murorum ædificiis celeberrimis, & villarum locationibus extulerat ac magnificauerat, conſulturus, *Nicolao* de *Koſchutow* Præpoſito *Gneſnenſi*, conſanguineo ſuo, de ſede ſua cedendum duxit, Procuratoreſque ad cedendum conſtituit. Qui parum prouide rebus ſuis proſpiciens, neque Capitulari conſenſu, neque Regio fauore ſuffultus, ratus nudam ceſſionem ſibi ſufficere, in *Auinionem* ad *Gregorium* Papam ſe contulit, prouiſionem Eccleſiæ *Gneſnenſis*, facili vt ſperabat impendio obtenturus. Sed a *Ianuſſio Paſchonis* Cantore *Gneſnenſi*, qui illum apud *Auinionem* eadem celeritate qua ille venerat, conſecutus, vice & nomine Capituli *Gneſnenſis* impeditus, multis ſumptibus & fatigis, inutiliter anno integro (ſub quo a peſte inguinaria aduerſarius ſuus *Ianuſſius* Cantor extinctus eſt) geſtis, infecto & deſperato negotio vacuus rediit. Præpoſito autem *Nicolao* animum remittente de proſequendo, Archiepiſcopus *Iaroſlaus* ſemel cœptum propoſitum de cedendo intendit. Et noua conſtitutione ad cedendum honori & oneri Archiepiſcopali, in perſonam nepotis ſui ex ſorore germani *Ioannis Suchiwilk*, Decretorum Doctoris, Decani *Cracouienſis*, & Canonici *Gneſnenſis*, ex terra *Sandomirienſi* & villa *Strzelcze*, prope oppidum *Schidlow* ad *Sichodnya* ſita, de domo & familia *Grzimalitarum* orti, Procuratores conſtituit. Verum dum nuncii præfati *Ioannis Suchiwilk* Decani, *Demorath* miles, & *Iarandus* Canonicus *Gneſnenſis*, Ludouici *Hungariæ* & *Poloniæ* Regis intercedentibus pro Decano literis fulti, caſſo labore apud *Gregorium* vndecimum *Auinione*, *Ladouico* eadem facilitate qua conceſſerat, interceſſiones

Nicolao priore reſignatione, quam Nicolao de Koſchutow fecerat,

non proficiente,

nepoti ſuo Ioanni Suchiwilk de Strzelcze reſignat,

ſuas

1372 ſuas aliis literis reuocante, pro conficiendo negotio inſtitiſſent, *Ioannes* Decanus præfatus, nouis literis a *Gneſnenſi* Capitulo, quibus ſui A nuncii fulciti non erant, item literis *Ludouici* Regis *Poloniæ*, item literis *Caroli Romanorum* Imperatoris & *Bohemiæ* Regis armatus, *Auinionem* ſe perſonaliter contulit. Et *Guilhelmo* Cardinali propinquo ſanguine *Gregorio* Papæ coniuncto, cauſam ſuam promouente, de Eccleſia *Gneſnenſi* per *Gregorium* Papam, anno ſubſequenti, videlicet milleſimo triceteſimo ſeptuageſimo tertio, prouiſus eſt. Et de ſpeciali mandato Papæ, *Auinione* in Dominica *Miſericordiæ* conſecratus. Subito deinde ſe ex *Auinione* propter graſſantem illic peſtem euoluens, *Gneſnam* feria tertia, menſis Iulii B prima die, eſt ingreſſus, & Proceſſionum honore ſuſceptus; alteroque aduentus ſui die, videlicet in feſto Viſitationis B. Mariæ virginis, in Pontificalibus miſſarum ſolennia peregit, & pacificam plenamque Archiepiſcopatus poſſeſſionem nactus eſt, præter *Pomeranicum* & *Opathouienſem* diſtrictus, & *Caliſſienſes* decimas, quæ ſedes Apoſtolica *Iaroslao* olim *Gneſnenſi* Archiepiſcopo, pro manutenendo ſtatu ſuo reſeruauerat. Faſtidiens quoque prædictus *Iaroslaus* Archiepiſcopus ſecularium habitationem & conuerſationem in monaſterio *Landenſi* prope *Pizdri*, integro pene biennio pœnitentians, & ſeipſum diſciplinans, verſatus eſt.

Et intrat Landenſe monaſterium.

Hunc autem *Ioannem Suchiwilk* Archiepiſcopum *Gneſnenſem*, aliqui ortum tradunt ex villa *Strzelcze* prope *Paczanow* in terra *Sandomirienſi* ad fluuium *Schodnya* ſita, aliqui ex villa *Goluchowo* prope *Caliſz*, ex patre *Przeczlao* Palatino *Caliſſienſi*.

Ludouici Regis filia Maria deſponſatur Imperatoris filio.

Ludouicus *Hungariæ* Rex atque *Poloniæ*, filiam ſuam *Mariam* natu maiorem, *Sigiſmundo* filio *Caroli* Imperatoris & *Bohemiæ* Regis, *Brandeburgenſi* Marchioni deſponſat.

Ingens peſtis in regno Poloniæ

Cum anno proxime tranſacto epidimiæ morbus in corpora humana apud *Poloniæ* Regnum parco & caſtigato languore ſæuiſſet, eo anno adeo graſſabatur per agros, fora, oppida, rura, atque vrbes, vt in pleriſque locis libitina vix ſufficeret.

Cruciferorum de Pruſſia in Lithuanos duplex expeditio.

Duplex & hoc anno a Cruciferis de *Pruſſia* in *Lithuanos* expeditio habita eſt. Quarum vnam frater *Vigandus* de *Belderſteyn*, alteram Commendator de *Inſterberg* adminiſtrauit. Nihil memorabile in vtraque geſtum, neque enim *Lithuani* crebra vaſtatione feſſi in diſcrimen dimicationis prodibant. Vſta itaque ſunt tecta, & ædibus in ſenes & impuberes indultum, & captiuorum aliqualis numerus in *Pruſſiam* adductus.

1373

Wladislaus Albus Dux Gniewkowienſis Poloniæ Regni hæres,

Ad nouandum res, nonnulli ex *maioris Poloniæ* Baronibus procliui, & regio ſemini *Polonorum* affecti, *Wladislao* Albo Duci *Gniewkouienſi*, in ordine & religione Sancti *Benedicti*, apud *Diuionem Burgundiæ*, in monaſterio Sancti *Benigni*, annis prope quatuordecim demoranti, mortem *Caſimiri* Poloniæ Regis quamprimum ſecuta eſt, literis & nunciis ſignificant. 1373

multis annis regulam S. Benedicti profeſſam obſeruans, audita Caſimiri Regis morte

Et illum, vt monaſterio & religione deſertis, in Regnum *Poloniæ* veniat, ſucceſſionem illius, velut *Caſimiro Polonorum* Regi per lineam maſculinam proximior, ſua & aliorum Baronum *Poloniæ* ſecum vna ſentientium ſententia, habiturus, animant. Nec nunciis & literis contenti, ipſimet ad perquirendum Ducem ſuum *Wladislaum* Album priſco exemplo, quo *Caſimirus Polonorum* Rex ex *Cluniaco* (vbi ordinem & regulam profeſſus, etiam in Diaconi gradum euectus fuerat) exierat, excitati, propriis expenſis ire pergunt. Et *Wladislaus* quidem Albus *Gniewkouienſis* B Dux, morte *Caſimiri* Regis percepta, vt erat ad leuitates reſque nouandas præceps, ad capeſſendum Regnum *Poloniæ* magnis ſpebus incenſus, excedit e religione & monaſterio. Et primum *Auinionem*, diſpenſationem a Sede Apoſtolica quæſiturus, vt ei in *Poloniæ* liceat ſuccedere Regnum, ſpe animoque Regni *Polonici* Dominatum & Imperium complexus, deſcendit, *Polonorum* Baronibus, quos ad ſe perquirendum & reducendum aduentare nouerat, apud *Baſileam Rheni* Vrbem, aduentum ſuum operiri iuſſis.

dum a Pontifice diſpenſationem non poſſet obtinere ad Regnũ ſuſcipiendum in Poloniam per quoſdam milites vocatus

Ex *Auinione* tandem omni ſpe de obtinenda diſpenſatione fruſtratus, recedens nonnullos *Baſileæ*, quoſdam in *Argentina* Barones *Polonicos*, & ſignanter C *Przedpelkonem* de *Staſzewo*, *Stephanum* de *Trlang*, & *Viſchotam* de *Kurnik*, pluresque alios eorum comites, offendit, eorum procuratus expenſis, eorumque directus conſiliis, ad *Ludouicum Hungariæ* & *Poloniæ* Regem, apud *Budam* tunc agentem, primum adiit. Vbi parum grate ſuſceptus, Baronibus *Poloniæ* illum deſerentibus, & inanem ſpem proſequi deſiſtentibus, pluſquam biennio deguit. Aſſiduis autem obſecrationibus conſortis ſuæ *Eliſabeth* Reginæ *Hungariæ* iunioris, *Wladislai* Albi ex ſorore germana neptis, *Ludouicus Hungariæ* & *Poloniæ* Rex expugnatus, *Wladislaum* Ducem Album, ad Papam *Gregorium* vndecimum in *Auinionem*, & cum eo notabi- D les Oratores, rogaturos, vt diſpenſatus Dux *Wladislaus* Albus, ſeculum & Ducatum fas illi ſit repetere, tranſmittit. Supplicationis autem ſuæ repulſam paſſus, cum ad diſpenſandum nulla legitima cauſa, qua ſummus Pontifex moueretur, extaret, ex *Hungaris Ludouico* Rege ignorante, quatuor tantummodo comitatus familiaribus, temporalium flagrans deſiderio, in *Poloniam maiorem* deſcendit. Et primum apud *Gneſnam* feria ſexta die Natiuitatis B. Virginis *Mariæ*, ab hoſpite cognitus, propere inde digreſſus, *Wladislauiamque* veniens, cum nemo prohiberet, caſtrum occupat, ciuibusque *Wladislauienſibus* in caſtrum accerſitis, & dicto parentibus, ſacramento illos, de fide ſibi & non alteri ſeruanda, obligat. Præſidio autem aliquali caſtro *Wladislauienſi* im-

veniens,

1373 impoſito, exiliens, mira celeritate *Gniewkow* in ſuam ditionem redigit. Iamque aliquibus militibus, ciuibus, & agreſtibus, ad ſuum aduentum exultantibus comitatus, *Ramlikonem* caſtri *Złotoria* Tenutarium, in rure ſe continentem, ex improuiſo adorſus, capituat: & vinctum ad caſtrum *Złotoria* adducens, familiaribus illius caſtrum *Złotoria* obſeruantibus, caſtrum reddi imperat: abnuentes terret, ſe illico Dominum illorum *Rumlikonem* capite damnaturum. His illi fracti, & Ducis *Wladislai* Albi promiſſionibus eos mulcentibus exhilarati, caſtrum *Złotoria* tradunt. Sub vno itaque die, trium caſtrorum nactus poſſeſſionem, die altera, videlicet *Sabbatho*, cum *Gniewkouienſibus* & *Wladislauienſibus* ciuibus, *Scharley* caſtrum obſidere cœpit. Vbi aliqualem reſiſtentiam eo tantummodo die quo venerat expertus, die Dominico mane caſtrum *Scharley* per deditionem, vno tantummodo de ſuis deſiderato, accepit. Occupatione caſtrorum quatuor, ſibi tam breui tempore ſecuta, *Sandiuogius* de *Szubino*, maioris *Poloniæ* Capitaneus, expergefactus, & magnopere conſternatus, cum caſtra ipſa ſub eius Capitaneatus & ditione conſiſterent, dolore frequenti conſilio aduocato, quid facto opus ſit, deliberat. Veloci itaque nuncio Regi *Ludouico* in *Hungariam*, inuaſionem & occupationem prædictorum caſtrorum ſignificans, ipſe expeditione indicta, quam etiam literæ regiæ ex *Hungaria* celerrime relatæ, fieri iubebant, *Wladislaum*, conuenientibus copiis vniuerſarum *maioris Poloniæ* terrarum, obſidione vallauit. Et continuo *Wladislaus* Albus Dux, a militaribus & Nobilibus, qui illi adhæſerant, regiarum literarum metu, deſertus, quid ageret, quorum imploraret ſuffragia, penitus ignarus, in ſpe ſua defluere & collabi cœpit. Longam autem obſidionem *Wladislauienſis* ciuitas non tolerans, cum fame ſæuiſſima pluribus diebus laboraſſet, & nihil præſidii in *Wladiſlao* Albo Duce tam pecuniis quam gentibus inope, ſciret repoſitum, facinore ſuo recognito, obſecrans ſibi ignoſci, deditionem facit. Quo *Wladiſlaus* Dux cognito, maiori fluctuatione colliſus, amicis ſuadentibus, caſtra ſingula quæ occupauerat, & ſingulis victualibus, integro anno famem toleratura, fulciuerat, *Sandiuogio* de *Szubino* Capitaneo *maioris Poloniæ*, vberem gratiam *Ludouici* Regis ſe conſecuturum ſperans, *Sandiuogio* Capitaneo, & cæteris Baronibus *Poloniæ*, ſuam augente ſpem, & pro ea impetranda ſuas pollicentibus interceſſiones & operas, ex integro reſtituit & reſignat. Hic *Wladislaus* Albus Dux, filius fuit *Caſimiri* Ducis, filii *Semouiti*, filii *Caſimiri* Ducis *Cuiauiæ*, *Lanciciæ*, *Siradiæ*, & *Dobrzinenſis*. *Caſimirus* autem fuit filius *Conradi*, Ducis *Maſouiæ*, fratris *Monarchæ* Regni *Leſtkonis Poloniæ*. Iſte *Zemomiſl*, Dux *Gniewkouienſis*, habuit tres filios, *Przemiſlaum*, *Leſtkonem*, & *Caſimirum*. Secuta autem morte paterna, diuiſione Ducatuum celebrata, ceſſit *Przemiſlao* maiori natu *Bidgoſtia*, *Leſtkoni Iuniwladislauia*; *Caſimiro Gniewkow* & Caſtellania in *Slawsk*. *Przemiſlaus* & *Leſzko*, cum orbi deceſſiſſent, ſolus *Caſimirus* ſuperſtes remanens, licet plures habuiſſet filios & filias; vnus tamen *Wladislaus* Albus & vna filia fuere, cæteris fato abſumptis, ſuperſtites. Cui cum vxor ſterilis mortua foret, dimiſſis Principatibus ſuis in poteſtatem *Caſimiri Poloniæ* Regis, & mille florenis ab illo receptis, animo nunquam in *Poloniam* reuertendi, in terram ſanctam ex *Venetiis* pelago transfretauit. Et viſitato ſepulchro Domini, in *Aninionem* diuertitur. Ciſtercienſemque Ordinem profeſſus, illic longo tempore manſit. Tandem *Ciſtercienſem* ordinem peroſus, in *Diuionem* ſe contulit, & in monaſterio Sancti *Remigii*, ordinem ſancti *Benedicti*, habitu griſeo in nigrum commutato, uſque ad annum Domini milleſimum tricenteſimum ſeptuageſimum tertium manſit: Morte tandem *Caſimiri Poloniæ* Regis, tarde licet audita, in *Poloniam* ſe conferens, plurimis ſe & alios malis inquinauit & inuoluit. Et dum aliud conſequi & obtinere apud *Hungariæ* & *Poloniæ* Regem *Ludouicum* per interceſſiones neptis ſuæ germanæ ex ſorore *Eliſabeth* Reginæ, & conſortis *Ludouici* non poſſet, decem millibus florenorum a *Ludouico Hungariæ* & *Poloniæ* Rege, venditionis nomine receptis, & inaniter conſumptis, etiam Abbatiam quandam Sancti *Benedicti*, a Rege *Ludouico* in *Hungaria*, ſatis pinguem & ventroſam obtinuit, & ſecundum aliquorum aſſertionem, dies ſuos illic conſumauit. 1373

duobus diebus quatuor caſtra conquirit facile, & amittit.

Commendator de *Balga* frater *Eluer*, comparato exercitu, *Ruſſiæ* bellum infert, & terram *Volinska* vaſtare aggreſſus, vſque ad *Kamienyecz* graſſatus eſt. Patrata autem cæde, & congeſtis captiuis, & pecore, *Balgam* rediit.

Ruſſiam Pruthenii,

Quadrageſimali autem tempore, *Kieyſtuth Lithuaniæ* Dux, omnes vigiles Cruciferorum fallens, per deſerta nemora in *Pruſſiam* ingreſſus, circa villam *Biberſteyn*, aliquali mora facta, hoſtilitate in Chriſtianos barbarica vſus, plures aut occidit, aut capit. Ab exploratoribus vero ſuis certior factus, de Cruciferorum exercitu in ſui repreſſionem collecto, in ſyluas & deſerta illico refugit, relictis inſidiis in locis opportunis & abditis, ſi Cruciferi fugientem inſequi auderent. Commendator itaque de *Brandeburg* qui ducebat exercitum, inſidias incidere veritus, perſequi Ducem *Kieyſtuth* deſtitit.

Pruſſiam Lithuani ingreſſi eas ſpoliis & cædibus complent.

Vigeſima ſecunda Iulii *Brigida Scotiæ* Regina moritur. Pro cuius canoniſatione coram *Gregorio* vndecimo in Conſiſtorio publico Magiſter *Matthæus* de *Cracouia* inſignem fecit propoſitionem, virtutum eius & actionum efferendo miracula; quæ conſtabat illam & in vita,

S. Brigida Scotiæ Regina moritur, & Romæ ſollicitatur canoniſatio illius.

1373 vita, & in morte egiſſe dignamque quæ in cœlicolarum transferretur numerum deducens. Cuius etiam & in præſentiarum ſanctitas eſt in catholico orbe, & ſignanter in *Poloniæ* Regno celebris, & ordo illuſtris.

1374

Repetens Ludouicus Rex a Polonis cenſum, Poradlne videlicet, ſex ſcotos groſſorum, & menſuram ſiliginis, & alteram auenæ, Poloni eum ſibi donatum per Caſimirum allegant.

Largiſſimis & integris Regni *Poloniæ* introitibus *Ludouicus, Hungariæ* & *Poloniæ* Rex, parum contentus, qui nemini ante illum *Poloniæ* Regum integriores prouenerant, vniuerſos Pontifices, Barones, & quoslibet Regni *Poloniæ* Proceres, monet per Officiales ſuos atque Præfectos & requirit, *ne theſaurum Regium & cenſum diminuant, ne ſe Caſimiro Poloniæ Rege auunculo olim ſuo, inferioris depreſſiorisque conditionis putent, & tributum ratione vniuerſalis Dominii, de quolibet poſſeſſo laneo ſolui* B *pro camera Regia ſolitum, ad ſex ſcotos latorum groſſorum, vnam menſuram ſiliginis, & vnam auenæ ſe extendens, (quod Krolewczyzna, id eſt, Regalis Cenſus, aut Poradlne vocabatur) etiam ſibi iuxta vetuſtam legem & obſeruantiam vſque ad tempora ſui regiminis cuſtoditam, & in praxi habitam, perſoluant.* Prælati autem & Barones *Poloniæ*, ſolutionem tributi, non ſecus quam peſtis cuiusdam & ſeruitutis, agros eorum, & villarum colonos magnopere demolientis, onus execrati, reſpondent, *benignitate Caſimiri Regis, pro ſuis in eum & Regnum meritis, a tributo huiusmodi ſe, & agros ſuos ſolutos & liberatos eſſe, & cenſum huiusmodi perpetuo aboleuiſſe.* C Huiuſcemodi autem reſponſione ad *Ludouicum* Regem per ſpeciales nuncios transmiſſa, rogatus eſt *Ludouicus* Rex frequenti prece & inſtantia a *Polonorum* Legatis, *ne libertatem ſuper ſolutione præfati tributi, a Caſimiro Poloniæ Rege auunculo ſuo donatam, violatum & abrogatum iri contenderet, quin potius gratiam ſemel factam, ratam perpetuo eſſe ſineret, & eam pro futura ſubſiſtentia & robore literis confirmaret.* Et Rex quidem *Ludouicus*, de meritis & qualificatione huiusmodi negotii, a nonnullis *Polonis* præfectis, & aulicis ſuis informatus, reſpondet: *Prædeceſſorem quidem & auunculum ſuum Caſimirum Poloniæ Regem, de relaxando abolendoque tributo Poradlne, pollicitationem Prælatis & Baronibus feciſſe, at nunquam impleuiſſe, & contraria obſeruantia atque exactione, vſque ad diem ſui obitus producta, ſponſionem ipſam & temeraſſe & reſcidiſſe.* D *Non tamen ſe abnuiturum, quin pro Regni Poloniæ, Prælatorum, Baronum, & Procerum eius incremento & commodo, noua ſua conceſſione, atque dono tributi præfati in parte maiori in ſignum dominii minori remanente, relaxatio ſubſequatur, dummodo Pontifices, Prælati, Proceresque & Barones Regni Poloniæ ſibi velint eſſe morigeri, & nouis pactis nouisque literis filias ſuas. Mariam & Heduigim, ſe pro hæredibus habituros, & ad poſſidendum Poloniæ Regnum admiſſuros, obligent, prioresque ſuas promiſſiones & pacta, tempore Caſimiri Regis, de filiis duntaxat Ludouici, & Ioanne nepote ſuo, filio Andreæ in Auerſa Ciuitate per Ioannam conſortem* A *ſuam Reginam Siciliæ impie occiſo, filiis deficientibus, inita, quæ ſtirpem filiarum excludebant, etiam ad filias extenderent, poſtquam Ludouicus Rex ipſe orbus filiis, Ioanne inſuper nepote germano in Sclauoniæ Ducem a Ludouico creato, filio Andreæ Regis Siciliæ, fato abſumpto, duas tantummodo filias, Mariam & Heduigim, relinquebat.* 1374 Pontifices itaque Barones, & Proceres *Poloniæ*, graue & oneroſum tributi præfati *Poradlne* iugum, & ſuis & ſucceſſorum ſuorum ceruicibus excuſſuri, in conditionem a *Ludouico* Rege oblatam conſentiunt.

Tandem obtinens ab eis filiarum ſuarum in Regno Poloniæ ſucceſſionem, hunc ipſum cenſum ad duos tantum groſſos relaxat.

Et alteram ex filiabus Regis, eo B mortuo, pro hærede ſe ſuſcepturos (*Ludouico* Rege tributum *Poradlne* per literas relaxante, & nonniſi ad duos groſſos in ſignum Dominii reſtringente) aſtringunt. Pontifices tamen Regni *Poloniæ*, cum ſuis Capitulis, donationi & relaxationi ſuperiori per *Caſimirum Poloniæ* Regem, de prædicto tributo factæ, quæ omnem ſolutionem tollebat, inhærendo, etiam duos groſſos in ſignum Dominii relictos ſoluere detrectarunt: monaſteriorum ruſticos & colonos ad ſolutionem integri tributi, Præfectis Regiis, relaxatione *Ludouici* Regis non obſtante, cogentibus. A qua quidem tam euidenti iniuria, loca religioſa, quibus huiusmodi inferebatur violentia, parum tunc fuerunt a C Pontificibus, ſe & ſua tantummodo tueri ſatis ducentibus, defenſa.

Quos ſpirituales ſeculares inhærendo donationi Caſimiri ſoluere renuerunt, Regulares vero ad ſolutionem integrã dicti cenſus coacti fuerunt.

Quatuordecima Februarii, *Ioannes* domus & familiæ *Doliwa* Epiſcopus *Poſnanienſis*, in villagio Eccleſiæ ſuæ *Zbikowo*, ex hydropitico morbo moritur. Et *Poſnaniam* adductus, vigeſima ſecunda eiusdem menſis, in Eccleſia *Poſnanienſi* ante altare B. *Mariæ* virginis ſepelitur.

Ioannes Doloua Epiſc. Poſnanienſis moritur,

Vir ſingulari clementia & liberalitate in oppreſſos & egenos inſignis, & qui *Poſnanienſis* Eccleſiæ introitus, aut locando, aut coëmendo villas, & oppidum *Dolsko* fundando, auxerat. Altera autem, poſtquam corpus Epiſcopale humatum fuit, die, *Nicolao* de *Kurnik* Præpoſito Sanctæ *Mariæ* in *Cracouia*, & D Canonico *Poſnanienſi*, Decretorum Doctore, dirigente, qui ad nutum ſuum tribus ante diebus, quam iuſta funeri ſoluerentur, adminiſtratores ſibi fauentes ordinauerat, non vocatis abſentibus, celebratur per ſcrutinii formam electio. Verum dum eligentium vota in *Troianum* Præpoſitum *Poſnanienſem*, & præfatum *Nicolaum* de *Kurnik* fuiſſent diuiſa, ſeptem compromiſſariis res committitur.

Succedente Nicolao de Kurnik,

Ex quibus dum quatuor in *Nicolaum* de *Kurnik* vota direxiſſent, *Nicolaus* ipſe de *Kurnik* nobilis genere de domo *Lodzya*, electus, pronunciatus eſt: reliquis tribus arbitris ad quatuor accedentibus. Cuius dum electionem *Ioannes Gneſnenſis* Archiepiſcopus, ob quasdam ſimultates & odia, confirmare abnueret, *Nicolaus* electus in *Auinionem* ad *Gregorium* vndecimum ſe perſonaliter conferens, quamuis &

1374 *Ludouici Poloniæ* & *Hungariæ* Regis, cuius pro ſua electione neglexerat obtinere conſenſum, & aliorum prouocationibus impediretur & li- A teris, & ſuam electionem a *Gregorio* confirmari, & ſe in Epiſcopum conſecrari obtinuit. Et *Poſnaniam* pro die *S. Martini* reuerſus Epiſcopatum *Poſnanienſem*, nullo impedire auſo, quiete poſſedit.

Lithuania per Cruciferos Pruſſiæ vaſtatur.

Commendator de *Inſterburg*, cum pedeſtri & equeſtri agmine *Lithuaniam* ingreſſus, ad diſtrictum *Veygow* perueniens, igne & cæde cuncta peruaſtat, & cum ſpoliis captiuis in *Inſterburg* rediit. Conſurgunt omnes poſtea Commendatores *Pruſſiæ* in arma, & terram *Dirſungen* & *Veygow*, Duce *Gothfrido* de *Thilia* Marſchalco *Pruſſiæ* ingreſſi, omnia ferro & igne vaſtant; ſeptingentosque captiuos ex *Lithuania* in *Pruſſiam* ducunt.

1375

Wladislaus Albus ſtipe aliena alitus,

Anno pluſquam vno, *Wladislaus* Albus B *Gniewkouienſis* Dux, ſtipe aliena, *Bodcze* de *Drdzen*, alitus, exacto, cum ſpei, ſibi per *Sandiuogium* de *Subino* Capitaneum, & Barones maioris Poloniæ, de gratia per *Ludouicum* Regem monſtranda, factæ, effectus non reſpondiſſet, & ipſe graui egeſtate hoſpiti etiam ſuo *Bodcze* de *Drzden* grauis & faſtidioſus, vrgeretur, ad recuperandum Ducatum ſuum *Gniewkouienſem*, ſtudio pertinaci, plurimis

Ducatum ſuum Gniewkouienſem ambiens

ſuaſoribus animum ſuapte irritatum inflammantibus, intendit. Non tamen machinationes ſuæ adeo fuere tectæ & ſecretæ, quin in publicum non prodirent. Vulgaueratque per cuncta terras omnia fama, Ducem *Wladislaum* Album, aliquot ex caſtris, quæ olim ditionis C ſuæ fuerant, dolo & virtute intercepturum. Quo rumore *Sandiuogius* de *Subino*, maioris *Poloniæ* Capitaneus, ſub cuius poteſtate & cura, caſtra a Duce *Wladislao* Albo occupanda conſtiterant, incitatus, ne Dux ipſe machinationes ſuas impleret, prouiſurus, *Criſtinum* de *Skrzipino* militem, ſororem ſuam pro conſorte habentem (grauis enim iam tum annis, quum his, quæ ferro adminiſtranda erant, exceſſerat, & ad diſpellendum denunciatum periculum, minus idoneus, videbatur) a caſtro *Złotoria* cui *Sandiuogius* magis timebat, amouere, alterique magis apto & induſtrio caſtrum committere, inſtituit. Sed *Criſtino* de *Skrzipino* deſtitutionem ſuam grauius ferente, D & allegante, non conuenire ſuo honori, vt in tempore periculoſo & difficili, velut inutilis & ineptus, a caſtri tenuta debeat excludi; *Sandiuogium* Capitaneum & ſuis & conſortis ſuæ precibus peruicit, ne ipſum tam notorio deturpet dedecore: omnem inſuper metum & ſolicitudinem *Sandiuogium* Capitaneum de caſtri ſibi crediti amiſſione deponere iubet, aſtruens ſe illud ab omni inuaſione, interceptione, & periculo hoſtili, probe ſeruaturum. Corrupti interim a familiaribus & exploratoribus Ducis *Wladislai* Albi pecunia & promiſſis, piſcatoriam exercentes artem, & ſufficienter, ab eis de prodendo caſtro *Zltoria* inſtructi, in caſtrum *Złotoria* aliquot vaſcula, A vino meliori impleta ferentes, *Criſtinum* Tenutarium illo inebriaturi, quem nouerant ebrietati deditum, perueniunt, & vino præſentato, a *Criſtino* fauoroſe excepti, & conſedere iuſſi, quod attulerant vinum, in commune cum *Criſtino*, potus auido, hauriunt. Quo breui epoto, aliud rurſum in quantitate maiori ex *Thorun* ordinarunt propere afferri. Nec prius inde diſcedunt, donec viderint ex bibitione forti & continua *Criſtinum* inebriatum & hebetatum fore. *Criſtino* itaque in grauem ſoporem ex ebrietate nocte inſequenti ſoluto, familiares & exploratores Ducis *Wladislai* Albi, ſcalis appoſitis, caſtrum *Złotoria*, in die Aſſumptionis B. *Mariæ* Virginis conſcendunt, & tam *Criſtinum* Tenutarium, quam pleroſque ſuos familiares, ex potatione heſter- B na vix expergefactos, captiuant, Ducique *Wladislao* & caſtrum *Złotoria* ab eis interceptum, & *Criſtinum* eius Tenutarium vinctum, præſentant.

1375 *caſtrum Zltoria, inebriato per ſuos Skrzipinski Capitaneo in ebrietatem plus æquo prono, capit.*

Dux autem *Wladislaus* Albus ſuo potius deſiderio, caſtrum quidem *Złotoria*, multis vagis inopibus, alieno ære grauatis, aut damnatis per iudicia, extemplo ad illum confluentibus, valido firmat præſidio. *Criſtinum* vero militem, in *Sandiuogii* Capitanei odium & exacerbationem, diro torquet carcere. A quo tandem, *Sandiuogio* Capitaneo liberationem ſuam negligente, & ſuam ſæpius illi exprobrante ebrietatem, & deſidiam, aliis amicis agentibus, quingentis ſexagenis ſolutis, pro C quibus in omni vita reſidua ſufficiens vinum, ſi ſobria mens fuiſſet, poterat habuiſſe, redemptus, & captiuitate ſolutus eſt.

Vlricus de Oſtben ferens Wladislao Albo opem

Laturus *Wladislao* Albo Duci auxilia, quarta die ex quo caſtrum *Złotoria* interceptum eſt, *Vlricus* de *Oſtben*, filius *Bodcze* de *Drdzen*, ducens ſecum aliquantos equites & pedites, aduenit. Qui iuuenis impiger, fortunam Ducis Albi enixius promoturus, caſtrum Epiſcopale *Ràcziaſz* accedens, campanili & ſtuba quæ cominus caſtrum ſita erant conſcenſis, caſtrum fortiſſime impugnat. Sed caſtrenſibus ſtrenue ſe & mœnia defendentibus, inde repulſus verſus *Gniewkow* contendit, & caſtrum *Gniewkouienſe* graui impugnatione vexare cœpit. Et D licet eius Tenutarius *Geruardus* de *Stoniewo* fortiter cum illis reſtitiſſet, & *Vlrici* ſuorumque fregiſſet & eliſiſſet impetus & conatus: oppidanis tamen *Gniewkouienſibus* *Vlricum* adiuuantibus, & magnos palearum & ſarmentorum aceruos circumquaque caſtrum congerentibus, impugnatione caſtri omiſſa, igne paleis & ſarmentis ſuppoſito, vento flammas inſtructas adiuuante, ignis ardore correptum eſt.

caſtrum Gniewkouienſe capit.

Quo ne conflagraret, *Geruardus* cum fratre & duobus filiis, & aliis duobus & viginti familiaribus, armis quoque & equis, in captiuitatem *Vlrici* ſe dedere coactus eſt. A qua per *Sandiuogium maioris Poloniæ* Capitaneum,

1375 taneum,non parua pecuniarum quantitate Duci *Wladiſlao* Albo ſoluta,redemptus eſt. Mandantibus deinde *Dobrogoſtio* & *Arnoldo* germanis, *Vlricus* Ducem *Wladiſlaum* Album, ne de crimine læſæ Maieſtatis, cum regius foret ſubditus, conuictus, etiam cæteris fratribus ignominiæ notam inureret, deſeruit, & in propria cum ſuis omnibus remeauit.

poſtea Wladislaum deſerit.

Ad opprimendum *Wladiſlai* Albi Ducis aſſiduas terrarum *maioris Poloniæ* impugnationes, inuaſiones, incendia, militarium captiuitates, neces atque conatus,qui eo uſque proceſſerant, vt illis per ſolum *Sandiuogium* de *Subino* Capitaneum *maioris Poloniæ* non quiuerit reſiſti, *Ioannes* qui & *Laſchko Kmitha Siradienſis* Capitaneus, de domo & genere *Srzenia*-*uitarum*, expeditione indicta, cum militibus & copiis *Siradienſibus*, verſus *Zlotoriam* ad obſidendum eam veniebat. Militibus autem & copiis quas ducebat, aliud iter tenentibus, & nullum hoſtilem reſpectum, dum in terra *Cuiauienſi* conſiſteret,verentibus, currus ſui & ſuorum militum, cum cæteris impedimentis, a gentibus *Wladiſlai* Albi Ducis capti ſunt. Et omnibus rebus quas vehebant, in auro & argento, & cætera ſuppellectili Dux Albus *Wladiſlaus* potitus; magnos ex eo euentu *Wladiſlaus* Dux auſus conſpiciens, flumine *Viſta* ſuperato, ciues & agreſtes quoslibet *Gniewkouienſes*, & quamlibet imbellem ætatem ad militandum cogens, numeroſo magis, quam expedito agmine, ad obſidendum *Iuniwladislauiam* pergit. Sed *Iaſcko Kmitha* Capitaneus *Siradienſis* de ſuo aduentu ab exploratoribus certior factus,potentiis cum *Barthoſſio* de *Veyſzemburg* Capitaneo *Brzeſtenſi*, coniunctis, prope *Gniewkow* illi occurrens, cum eo confligit, & facili negotio eundem fudit fugatque. Dux *Wladiſlaus* Albus, ne viuus hoſtibus traderetur, per inuia & indirecta loca, verſus *Nieſlauiam* tribus tantummodo comitatus ſociis, feſtinus & pauidus tendens, manus perſequentium euaſit, & fefellit. Quo perueniens, equis relictis, nauigio *Zlotoriam* rediit. Sui vero a gentibus *Kmithæ* & *Bartoſſii*, vsque ad *Thorunenſe* nauigium perſecuti, magna ſtrage aut deleti aut capti ſunt. Nihil tamen ea clade Dux *Wladiſlaus* Albus perculſus, & ſuburbana oppidi *Wladiſlauienſis*, & plures in *Cuiauia* villas flammis dedit: Nobileſque, ciues, & quoslibet mercatores captare non deſiit. In munitione itaque *Iaroſlai* de *Stuceno*, & nonnullis aliis locis, forte militum præſidium a *Sandiuogio maioris Poloniæ* Capitaneo, locatum eſt. Quo necquicquam prohibente, captiuationes, ſpoliationes, & exuſtiones per Ducem Album & ſuos, non in *Cuiauia* ſolum, ſed & in *maiori Polonia* agebantur.

Wladislaus Dux Albus

caſtrum Iuniuladislauienſe occupaturus a Iaſchkone Kmitha Capitaneo Siradienſi profligatur,

& Zlotoriam fugiens

inde continuas incurſiones facit in Poloniæ regionem.

Alteram filiarum ſuarum *Heduigim*, natu quidem minorem, ſed præſtantiorem forma, *Ludouicus Hungariæ* & *Poloniæ* Rex, dum ſe valetudinarium & morbis implicitum cognouit, *Wilhelmo* Duci *Auſtriæ*, filio *Leopoldi* deſponſat. Qui ex *Auſtria* in *Pannonias* adductus, ſub omni tempore, quo *Ludouicus* Rex vitam produxerat, filiali indulgentia, ſub oculis & in aula ſoceri nutriebatur.

Heduigis filia Ludouici Hungariæ & Poloniæ Regis,

1375 *nupſit Wilhelmo Auſtriæ Duci.*

Ruthenorum regiones, a *Caſimiro Polonorum* Rege frequentibus & iuſtis armis expugnatas, poſſeſſas, & locatas *Ludouicus Hungariæ* & *Poloniæ* Rex, pro comperto habens, Catholicorum numero & multitudine refertas eſſe, ſolennibus nunciis ad *Gregorium* vndecimum in *Auinionem* deſtinatis, obtinuit, quod *Halicienſe* oppidum Archiepiſcopali, *Przemislienſe* Epiſcopali, pro fidei & religionis orthodoxæ augmento & Catholicorum in terris *Ruſſiæ* degentium profectu, fuit inſignitum excellentia & honore. Quæ quidem *Ruthenicæ* terræ ſibi & *Poloniæ* Regi, cum in earum poſſeſſione nunquam alias fuerit, morte *Caſimiri Poloniæ* Regis ſecuta, primum prouenerant. Fuit autem ad præfatam Metropolitanam *Halicienſem* Eccleſiam, recenter a *Gregorio* vndecimo erectam, *Iacobus* natione *Polonus* conſecratus, & ſedi ſuæ Eccleſia ibidem *Græci* ritus conſignata. Ad *Przemislienſem* autem Eccleſiam, per *Gregorium* Papam præfatum, promotus fuit vir religioſus & conſecratus primus Epiſcopus *Ericus* frater ordinis minorum, natione *Almanus*, nobilis genere,& moribus omnibus virtuoſus, qui illam pulcherrimo ordine regulauit.

Ludouicus Rex Halicienſem Metropolim & Cathedrales Przemislienſem & Wladimirienſem Eccleſias ordinat a Gregorio Papa erigi.

Geminata expeditione Cruciferi de *Pruſſia*, in *Ruthenos* & *Lithuanos* vſi ſunt. Maior ſiquidem exercitus, in quo erant omnes Commendatores, in *Lithuaniam*; Commendator vero de *Ragnetha* in *Ruſſiam*, cum maiori agmine diuertunt. Vterque autem exercitus ſpoliis, cædi, & exuſtioni intentus, prædis & captiuis refertus, rediit. Interim vero *Lithuaniæ* Duces, videlicet, *Olgierdus*, *Kieyſtuth*, & *Swierderke*, cum propriis & auxiliaribus gentibus, in *Pruſſiam* intrant. Et triſarie diuiſi, *Olgierd* quidem in diſtrictum *Wielow*, *Kieyſtuth* in *Thaplawken*, *Swierderke* in *Inſterburg*, ingreſſi, eos igne, cædibus, & ſpoliis vaſtant, & crudeli cæde in Catholicos graſſantur. Occiſis autem non ingentis chriſtianis, caſtro etiam *Inſterburg* expugnato & exuſto, magnum captiuorum & ſpoliorum numerum in *Lithuaniam*, nullam reſiſtentiam aut offenſam experti, retulerunt. Secunda deinde menſis Iulii die, *Geruardus* Commendator de *Ragnetha*, cum exercitu proprio, & de fratribus ordinis collecto, per vnam partem, frater vero *Theodoricus* per alteram partem, *Lithuanorum* terras ingreſſi, cædibus & ſpoliis dies aliquot, nullam experti reſiſtentiam, vacabant: comprehenſis quoque centum quinquaginta captiuis, in *Pruſſiam* reuertuntur.

Pruſſiæ Cruciferi Ruſſiam & Lithuaniã inuadunt,

Lithuani quoque tripartito exercitu Pruſſiam ingreſſi, eam cædibus complent.

Diſpendia grauia & aſſidua, quæ per *Wladiſlaum* Album *Gniewkouienſem* Ducem & ſuos *Cuiauiæ* & *maioris Poloniæ* terris ex caſtro 1376

Creſcentes vires Wladiſlai Albi

1376

Sandiuogius de Subino Capitaneus maioris Poloniæ curans reprimere

illum in Złotoria cum auxiliaribus copiis obſidet

tandiu,

Złotoria inferebantur, creſcente in dies maleficorum, & rapto furtoque viuere aſſuetorum, ad illum confluentium, numero, *Sandiuogius* de *Subino* Capitaneus *maioris Poloniæ*, intelligens per præſidia frequentia, quæ in pleriſque locis poſuerat, coerceri & ſedari non poſſe, expeditionem omnibus *maioris Poloniæ* terris indicit, Ducem *Caſimirum Stetinenſem* & *Dobrzinenſem* requirens, vt & ipſe cum ſuis gentibus ferret auxilia. Quo ſuam pollicente operam, motis *Sandiuogius* exercitibus, caſtrum *Złotoria*, cum *Barthoſſio* de *Viſzemburg* Capitaneo *Cuiauiæ*, & *Barthoſſio Sokołowski*, obſidione vallat. Quibus *Caſimirus Stetinenſis* & *Dobrzinenſis* Dux, cum potentia gentium ſuarum in ſubſidium perſonaliter adueniens, ampliori obſidione obſeſſos terruit. Applicatis itaque & admotis machinis, cæteriſque expugnationum generibus, pulcherrimi caſtri a *Caſimiro Poloniæ* Rege pro decore & defenſione Patriæ cocto latere extructi, parietes turres, & mœnia nocte & interdiu quatiebantur. Sed & obſeſſi, facto ex caſtro per naues clandeſtino & nocturno deſcenſu obſidentes, & eos præcipue, qui longius a caſtro progreſſi pabulatum iiſſent, & qui in caſtris ſolutius ſe geſſiſſent, vehementer laceſſebant. Erat apud Ducem Album quidam molendinator, in caſtro, *Hanko, Brzeſtenſis* molendini hæreditarius poſſeſſor. Qui ab eodem Duce in prima caſtrorum interceptione captus, & ad ſimplicem dimiſſus ſponſionem, dum moneretur vt ſponſionem impleret, illeque Capitaneum ſuum *Barthoſſium* de *Viſzemburg* conſuleret, atque ille conſulere diſſimulans, ipſum ſuo relinquebat arbitrio. Spontaneus ſub ipſo obſidionis tempore *Wladiſlai* Albi, ad conducendum illum venientibus, quadrigam pro eo miſſam conſcendens, captiuitati ſe, quam per prima pacta exoluerat, repræſentat. Cuius & alterius molendinatoris, qui caſtrum *Złotoria* prodiderat, arte & miniſterio machinæ & tormenta in obſidentem exercitum ex caſtro torquebatur. Veritus itaque *Hanko Brzeſtenſis* molendinator, ne ea res aliquando ſibi noxæ fieret, & ne pro lato hoſtibus ſuffragio, cum probe noſſet, Ducem Album, diuturnam obſidionem, victualibus deficientibus, laturum non eſſe, molendino *Brzeſtenſi* priuandus veniret, de caſtro *Złotoria* tradendo cum *Sandiuogio maioris Poloniæ* Capitaneo per internuncium paciſcitur, & illi claues a portis & ianuis caſtri, apud ſe conſiſtentes obligat tranſmiſſurum. In ſuſpicionem vero vehementem ex nonnullis ſignis apud Ducem Album adductus, capitur, & tormentis veritatem fateri compulſus, futuram caſtri traditionem ex ordine edicit. Dux itaque Albus *Wladiſlaus* generum *Hankonis* cum clauibus ad *Sandiuogium* Capitaneum tranſmittens, mandat illi, vt nomine *Hankonis* præſentatis clauibus, de hora & tempore, quo caſtrum recepturus ſit, cum illo conueniat. Lætus primum eo nuncio *Sandiuogius* Capitaneus, nil ea de re Duci *Caſimiro Stetinenſi*, nihil *Bartoſzio* de *Viſzemburg* indicat, ne futuræ caſtri conquiſitionis fama, brauium, & gloria, ad plures quam ad ſe vnum perueniret. Sed *Hankonis* genero a ſe cum inſtructionibus dimiſſo, aſſumptis magis animoſis militibus, ſub horam de qua cum *Hankonis* genero conuenerat, ad caſtrum venit. Ianua itaque per clauem reſerata, viginti ſex militibus ingreſſis, *Sandiuogio* Capitaneo cum reſiduis foris adhuc ſe continente, *Wladiſlai* Ducis Albi milites, in frequenti numero ad exequendum id munus poſiti, cratam ianuæ impendentem, & duobus ſaxis pro vno, vt celerius curreret, ingrauatam, demittunt. Cuius mole *Fridericus* de *Vedel*, & Dominus de *Vſzcie* miles ſtrenuus & inſignis, oppreſſus, illico expirat. Cæteri qui intrauerant ſaxis obruti ſuperne, in captiuitatem Ducis Albi venêre. *Sandiuogius* Capitaneus plurimum de ſuorum captiuitate, & *Friderici* de *Vedel* morte anxiatus, triſtis in caſtra rediit. Illuceſcente vero ſequenti die caſtrum *Złotoria* cum vniuerſo exercitu ab omni parte impugnare cœpit. Sed integræ diei ſpatio in huiuſmodi expugnatione fruſtra abſumpto, pluribusque militibus vulneratis, paucis deſideratis, in tabernacula reditum eſt. Graui etiam ſaxo in ea oppugnatione *Caſimirus Stetinenſis* & *Dobrzinenſis* Dux in caſſide ictus, & in caſtra relatus, non longo poſt tempore ex vulnere tunc accepto, diem obiiſſe creditus eſt. Dux interim *Wladiſlaus* Albus *Hankone* molendinatore & genero ſuo, item & his, quorum opera caſtrum *Złotoriæ* intercipiendum erat, pyra publica ante caſtrum extructa, inſpectante obſidentium exercitu, iuſtam illis redditurus mercedem, crematis, cum *Sandiuogio maioris Poloniæ*, & *Bartoſſio Cuiauiæ*, Capitaneis, de reddendo caſtro, quod pertinaci ſtudio videbat ab exercitu *Polonico* obſideri, deficientibus victualibus, famem veritus, componit, illiſque gratiam *Ludouici* Regis, ſe ſibi ordinaturos, pollicentibus, caſtro cum ſuis omnibus, manumiſſis captiuis excedit. In ipſo autem exceſſionis articulo, acutis haſtis *Bartoſzium* de *Viſzemburg* ludere ſecum obtinens, a *Bartoſzio* graui vulnere fauciatus eſt. Quo curato per *Bartoſzium* de *Viſzemburg*, & *Bartoſzium* de *Sokołowo*, eorum etiam expenſis in *Hungariam*; ad *Ludouicum Hungariæ* & *Poloniæ* Regem deductus, poſt plures altercationes & tractatus, *Ludouico* Regi, pro decem millibus florenorum Ducatu ſuo *Gnieukouienſi* vendito, & Abbatia in *Hungaria* notabilis ordinis *Ciſtercienſium*, in qua ad vitam degeret, accepta reconciliatus Regi, illic conſtitit, & reſiduum fere vitæ tempus, illic exegit. Milites vero, nobiles ciues, & agreſtes, in Regno *Poloniæ*, qui illi adhæſerant, & ſuffragia tulerant, a

donec ſe dedidit,

& in Hungariam ad Ludouicum Regem iuit. A quo pro contentatione decem millia florenorum & Abbatiam accepit.

Capi-

1376 Capitaneis Regiis, ob facinus in Regem & Rempublicam admiſſum, capti, ac poſt carceres & vincula exactionati, egeſtatem ſupre- A mam ſubire, Principe cui inſeruierant, gemitus & querelas eorum non audiente, nec ferente ſubſidium, coacti ſunt.

Ibique non diu moratus, ad monaſterium in Diuionem rediens

Habitationem deinde apud *Pannonios* Dux præfatus *Wladislaus* Albus peroſus, relicta Abbatia in *Burgundiam* tranſiit: & apud monaſterium *Diuione* degens, non ſibimet ipſi ſolum, ſed etiam funeri voluntarium indixit exilium. Ibique non ſolum ſiſtendum, ſed & moriendum duxit. Conducibilius ratus, poſt tam amaras ſalſedines quas in patria pertulerat, extra natale ſolum, æuum reſiduum traducere, & facinora enormia, cædes & homicidia, quibus ſe, in *Polonia* agens, in- B quinauerat, ſalubri pœnitentia diluere.

in eo diem clauſit extremum.

Mortuo Przeczlao Wratislauienſi Epiſcopo

Poſnanienſem Epiſcopum, *Przeczlaus* de *Pogorzala Wratislauienſis* Epiſcopus ſecutus, in medio Quadrageſimæ moritur, cum annis triginta quinque in *Wratislauienſi* ſede vtiliter perſediſſet, & in Eccleſia *Wratislauienſi* in Capella Manſionariorum ſepelitur. Quem aſſeritur *Ioannes* cæcus *Bohemiæ* Rex, ob veteres ſimultates & odia, veneno ſuſtuliſſe.

qui Eccleſiam Wratislauienſem largiſſimis elenodiis ampliauerat;

Is a *Boleslao Legnicenſi* & *Bregenſi* Duce, caſtrum & ciuitatem *Grodkow* cum ſuo diſtrictu in ſortem *Wratislauienſis* Eccleſiæ coëmerat, & Collegium Manſionariorum in prædicta Eccleſia *Wratislauienſi*, & duodecim pauperum laicorum ſtipem ſingulis diebus, & annuum ami- C ctum ſumentium in *Niſſa* fundauerat & dotauerat. Eccleſiamque *Wratislauienſem*, murorum ædificiis, piſcinarum ſtructuris, villarum emptionibus, & locationibus, vaſis aureis & argenteis, ornamentiſque & decoris variæ ſupellectilis, adeo ornauerat, extulerat, magnificauerat, vt vulgari fama, vocitatione, & nomine, Aureus Epiſcopus vocaretur.

Theodoricus

Prælati autem & Canonici *Wratislauienſis* Eccleſiæ, dicta die pro futuri Pontificis electione, *Polonis* viris virtuoſis & idoneis de ſuo gremio contemptis, *Theodoricum Bohemum* Decanum *Wratislauienſem*, qui de Decanatu præfato *Albricum* Plebanum *Bochnenſem* & *Dobrzinenſem*, Cancellarium Regis *Poloniæ* D *Caſimiri* apud Sedem Apoſtolicam Oratorem & Nuncium, cui tanquam de beneficio reſeruato de illo prouiſum perperam, *Caroli* Imperatoris *Romanorum* & *Bohemiæ* Regis, cuius coquinæ erat expenditor & Notarius, ſpoliauerat, in Epiſcopum eligunt.

in locum illius eligitur.

Is cum Avinionem pro confirmatione peteret,

Quo electionis ſuæ apud *Gregorium* vndecimum in *Auinione* petente confirmationem, Papa introitus Eccleſiæ, quam fama, plus iuſto ſingula celebrans, auream eſſe, & Pontificem eius mortuum *Przeczlaum*, magnam auri quantitatem reliquiſſe, vulgauerat, ambiens, occaſione ex literis *Caroli* Imperatoris & Regis *Bohemiæ*, qui electionem *Theodorici* multipliciter impugnabat, ſumpta, electionem *Theodorici* Decani confirmare differens, reſpondit, non prius ſe de Eccleſia *Wratislauienſi* velle diſponere, donec ex *Auinione Romam* tranſmigraret. 1376

eum Papa diſtulit ad biennium.

Et Nuncio ſuo Wratislauiam miſſo

Interim vero mittit ad *Wratislauienſem* Eccleſiam, fratrem *Nicolaum* Ordinis Prædicatorum, Epiſcopum *Maiorienſem*, vt *Wratislauienſis* Eccleſiæ fructus & reditus, velut eius curator & gubernator percipiat, & omnia per *Przeczlaum* derelicta, Cameræ Apoſtolicæ reddi ad plenum imperet, & procuret. Qui *Wratislauiam* adueniens, publicato mandato Apoſtolico, *Wratislauienſe* requirebat Capitulum, quatenus illius exequerentur contenta. Verum Capitulum *Wratislauienſe*, per plures dies digeſta, cum intelligeret per alienigenæ & forenſis gubernationem, varia pericula & diſpendia *Wratislauienſi* Eccleſiæ prouentura, cum Nuncio Apoſtolico *Nicolao* Epiſcopo *Maiorienſi*, his pactis conueniunt, vt ſingulis annis quoad *Wratislauienſem* Eccleſiam vacare contigerit, octo millia florenorum Apoſtolicæ reddant Cameræ, pro derelictis *Przeczlai* Epiſcopi, triginta millia, pro collecta & contributione biennali Eccleſiæ *Polonicæ* impoſita, pro ſorte Eccleſiam *Wratislauienſi* contingente, duo millia, & pro expenſis & fatiga, in pecunia huiuſmodi vrbem ferenda, ſubeundis, vnum mille reddere teneantur. Eo itaque pacto inito, *Wratislauienſe* capitulum Nuncio Apoſtolico *Nicolao* Epiſcopo *Maiorienſi*, viginti tria millia florenorum ſub vno die & tempore perſoluit.

pecuniam emungit,

Gregorius autem Papa, & præſentis pecuniæ ſumma, manibus ſui Nuncii conſignata, & futuræ quantitate illectus, *Theodorico Wratislauienſi* Electo, etiam Romæ illum de ſua confirmatione frequentius ſolicitanti, prouidere diſtulit: Sed Eccleſiam *Wratislauienſem*, a tempore ſuæ vacationis & *Przeczlai* morte, plusquam biennio fructus percipiens ex illa, vacare permiſit, animo & intentione maiores ſumptus ab Eccleſia *Wratislauienſi* emuncturus.

ac fructus Eccleſiæ percipit.

Iaroslaus de Skotniki olim Archiepiſcopus Gneſnenſis, moritur

Dvos Pontifices, *Poſnanienſem* & *Wratislauienſem*, tertius illorum quondam Metropolitanus, *Iaroslaus* de *Skotniki*, qui *Gneſnenſi* Archiepiſcopatui ceſſerat, ſequebatur. Is plenus dierum, habitationem monaſterii *Landenſis* peroſus, in *Caliſch* veniens, in Archiepiſcopali domo ſedecima Septembris moritur, & vigeſima eiusdem menſis in *Gneſnenſi* Eccleſia, in capella ab eo fundata & dotata, iuſto honore ſepelitur.

ædificator caſtrorum & ciuitatum præcipuus

Oppidi *Kamien* in metis *Pomeraniæ* ſiti primus fundator & *Znenenſis* inſtaurator. Hic ad ornandam amplificandamque tam patriam quam Eccleſiam, caſtra *Lowicz*, *Opatbow*, *Caliſch*, *Vnieyow*, *Kamyen*; item Eccleſias in *Gneſna*, *Vnieyow*, *Kurzelow*, *Opatbow*, *Caliſch*; item curias in *Gneſna*, *Lancicia*, *Wielyun* & *Caliſch*, pulchro & ſumptuoſo muro conſtruxit. Diſtrictum *Louicenſem* deſertum pene, vt pote qui non niſi duas marcas, in cenſibus reſeriens, locatum & populoſum, octingentas fundentem de annuo cenſu

1376 cenſu marcas, reliquit. De quo etiam fertur memorabile illud factum, quod dum in *Bononienſi* ſtudio (cuius ipſe ea tempeſtate Re- A ctor vltramontanus extabat) *Anglicus* ſtudens pro adulterio cum quadam muliere, marito ob egeſtatem vltro aſſentiente, damnatus capite eſſet, ſtudium ex *Bononia* auctoritate ſua, cui tunc illico paritum eſt, tranſtulit, nec prius reſtituit, donec a ciuibus Bononienſibus, in remedium *Anglici* damnati, capella ſpecialis erecta eſt, & perpetua dote prouiſa. Sedit in *Gneſnenſi* ſede annis quatuor & triginta. Poſt ceſſionem vero vixit annis duobus, vir magnus conſilio, proſpera ſemper vſus fortuna, nec liberalitate inferior. Qui Eccleſiam Sanctæ *Mariæ* in *Caliſch* de nouo inſtaurauit. B Cui & contulit duo prædia in dotem, vnum in *Thyniecz*, aliud in *Dobrzicza*, item vnum hortum ante valuam qua itur ad *Wratiſlauiam*. Fertur & illud de præfato *Iaroſlao* factum ſingulare & mirabile: Moriturus enim mandauit, vt non oſtio Eccleſiæ, ſed foramine diſrupto in Eccleſiam *Gneſnenſem* ſepeliendum corpus ſuum inferretur, poſtquam non oſtio, ſed aliunde *Gneſnenſem* Eccleſiam intrauerat. Quod & factum eſt. Nam murus meridionali in parte capellæ ab eo fundatæ diſruptus, ſui mandati & diſruptionis oſtentat indicium.

& inuſitato modo ſepelitur.

Nicolao Epiſcopo *Maiorienſi* Nuncio Apoſtolico, Contributionem biennalem ab Eccle- C ſia *Polonica* petente, *Ioannes Gneſnenſis* Archiepiſcopus, Synodum apud *Vnyeiow*, pro die Natiuitatis ſanctæ *Mariæ* Virginis indicit. Quo, Sbiluto *Wladiſlauienſi*, *Dobeslao Plocenſi*, Epiſcopis, in perſonis propriis, cæteris vero per Nuncios conuenientibus, ſancitum atque diffinitum eſt, vt quælibet diœceſis, pro ſuæ rata diœceſis Apoſtolicum Nuncium contentet. Prædictus itaque *Nicolaus Maiorienſis* Epiſcopus, rigore, quo primum vti cœperat, laxato, a ſingulis *Polonicæ* Eccleſiæ diœceſibus, modeſtam quantitatem, de marca videlicet qualibet taxæ Papalis, duos groſſos recipere conſenſit.

Contributio per Nuncium Apoſtolicum petita

Synodo Epiſcoporum conceditur.

Eliſabeth ſenior *Hungariæ* Regina, vexata D & afflicta pœnitudine vehementi, quod *Poloniæ* Regni gubernacula, propter eiuſdem Regni frequentes commotiones & diſturbia, perpeſa, ea filio ſuo *Ludouico* Regi, anno ſuperiori, notabilibus introitibus in Regno *Dalmatiæ*, a filio contentata, reddiderat: rurſum ſibi ea dari obtinuit, etiam non ſine contumelioſa exprobratione, quam prudentiusne an patientius, dinoſci non poterat, Rex tulit committi. In comitatu itaque & apparatu, licet octogenaria, ingenti & ſplendido in *Poloniam* reuerſa, mandat Baronibus & eorum matronis, introitum ſuum circa *Sandecz* excipi. Quod cum obedienter impleuiſſent, *Sandomirienſis* terræ Barones, illi ad *Bochnyam* aduenienti denunciant, *ſe per ſuos exploratores doctos eſſe, vniuerſam Lithuanorum potentiam, hoſtiliter ad partes Sandomirienſes inuadendas conſpiraſſe, & inuaſionem earundem, ni prouideatur, propediem prouenturam.* At illa muliebri animo, nil penſi ſuper denunciato & imminenti periculo habendum rata, reſpondet Baronibus: *Non eos ſollicitos eſſe oportere, filium ſuum* Ludouicum *Regem, ea fretum potentia, & tam validum & extenſum geſtare brachium, ut non Lithuani ſolum, ſed & vniuerſæ in circuitu nationes, ad eius nomen contremiſcant.* Eo verborum faſtu, vaporem ad modicum tempus apparentem continente, *Sandomirienſes* Barones in defenſionis & prouiſionis vicem, a Regina *Eliſabeth* accepto, quaſi verbis non armis vincendi eſſent hoſtes, ſecuros ſe reputantes, in denunciatum periculum incidunt. Duces enim *Lithuanorum* *Kieyſtuth*, *Iagyello*, *Withawdus*, ex *Troki*, *Vilno* & *Grodno*, item *Lubardus* de *Luczko*, & *Georgius* de *Belz*, per *Lublinenſis* terræ vaſtas ſolitudines, citato agmine & ſilenti, luna ſemipleno lucente orbe, noctu iter agentes, interdiu vero in locis dumoſis & imperuiis latitantes, uſque a flumen *San* ſecunda Nouembris die perueniunt. Quo ſuperato, populationem longius quo poſſunt, cæde mixtam, extendunt. Trucidatiſque ſenibus, Sacerdotibus, & impuberibus, vniuerſam oram inter *Viſlam* & *San* fluuios ſitam, vaſtant, & magnum numerum vtriuſque ſexus hominum cum præda & pecore, in ſeruitutem, Eccleſiis exuſtis, abducunt. Tardius illorum irruptionem ad villam ſuam *Baranow*, *Petraſius* filius *Cztani*, germani *Ianuſſii Gneſnenſis* Archiepiſcopi, dinoſcens, quamuis euadendi neque locus neque ſpatium ſupereſſet, animo tamen forti, & nihil ſubita inuaſione hoſtili deterrito, arrepta coniuge & paruulo infante nondum baptiſato, equoque cui inſidebat impoſitis, per medios hoſtes exiliens, fluctibus *Viſlæ* fluminis, *Lithuanis* illum perſequentibus, & frequentiſſima tela contra eum iacientibus ſe committens, hoſtilem captiuitatem euaſit. *Michaelis* autem de *Tarnow* relicta Caſtellani *Viſlicienſis*, in ipſo articulo, quo ex villa ſuo *Wielowieſz*, ad excipiendam Reginam *Eliſabeth* in apparatu magnifico *Cracouiam* procedebat, ſuperuenientibus *Lithuanis*, ægre a ſatellitibus ſuis defenſa, ſuperata *Viſla*, *Sandomiriam* deducta eſt. Plures tamen ingenuæ matronæ cum liberis captæ. Accepto de tam infauſto euentu *Eliſabeth* Regina nuncio, anxietatem ſpiritus, vultus hilaritate tegere, & doloris magnitudinem in pectore *Polonorum* coortam, fruſtra ſolari conata eſt, aſtruens *filium ſuum Ludouicum Regem celerrime, irrogato a Lithuanis malo, ſubuenturum & Lithuanos ad reſtitutionem captiuorum, & ablatorum, arctaturum.* Verum ad id genus belli, quo *Lithuani* vtebantur, par genus reſponſionis erat neceſſarium: *Lithuani* enim in 1376

Regina Hungariæ Eliſabeth

iterum ad gubernandum Regnum Poloniæ reuertitur.

Interim Iagyello & Vitholdus cum aliis Ducibus Lithuaniæ

facta incurſione valida in Poloniam

eandem inter San & Viſtam flumina prædantur,

& vaſtant

forma *impune*

1376

forma prædocinii expeditiones ſuas agebant; præda rapta, ſyluis, nemoribus, locis paluſtribus & inuiis ſe condebant; & *Polonicis* cedendo legionibus, raro in dimicationis veniebant diſcrimen. Quas vbi diſceſſiſſe ſenſerant, mox agros *Polonicos*, eodem quo prius, tenore, incurſabant, viciſſitudinarioque ludibrio nunc quietem oſtentabant, nunc bellum. Quæ tam inſidioſa vexatio *Polonos* pluribus incommodis affecerat, a quibus nec reciprocum bellum, vndis limoſis & fluminibus obſtantibus agi poterat, nec illatum, diffugientibus *Lithuanis*, repelli. Nouerant enim vires ſuas *Lithuani*, nec ſecus quam ſubitis incurſionibus, felicius ſibi bella prouenire, ſeque *Polonis*, niſi ea bellandi arte, quæ multos paſſim diffundendo cum præda aufugeret, quam quæ in vnam exercitus molem coiret, & pugnandi copiam faceret, ſuperiores fore. Paludinoſis inſuper locis atque ſilueſtribus, adhæc etiam iugi rigentibus frigore, incluſos, fluminibus quoque & lacubus ſtagnatos, difficilius aliquanto videbatur adire, quam vincere: Quos etiam *Polonorum* ſegnitie & diuiſione magis audaces conſtabat fuiſſe, quam propria virtute.

Pruſſiæ Magiſter

Venricus Pruſſiæ Magiſter, intelligens *Lithuanos* in Regni *Poloniæ* expeditione occupatos, in terram *Samogithiæ* proprium duntaxat militem, ex equite & pedite lectum traducit. Vbi nullo prohibente, diſtrictus, videlicet *Myedniki, Eroglen, Aruiſten, Roſgein, Gezow*, &. *Paſtow*, cæde & flammis vaſtat. Caſtrum poſtea *Kowno* oppugnare aggreſſus, dum in illius expugnatione plerique notabiles milites de ordine cecidiſſent, clade ſuſcepta, & caſtro inexpugnato relicto, Marſchalcum cum decem millibus armatorum mittit, qui vniuerſam regionem ad *Niemyen* ſitam demolitur, & in *Pruſſiam* cum multitudine captiuorum remeat.

ſex diſtrictus Lithuaniæ ſpoliat & comburit.

Eliſabetha Regni Poloniæ gubernatri oblita vaſtationis per Lithuanos illatæ Regno, dum choreas tractat,

Lugubrem oræ, ad *San* fluuium ſitæ, vaſtationem per barbaros *Lithuanos* patratam, *Eliſabeth* ſenior Regina, de pectore & cogitatione propellens, choreas, cantus, & tripudia apud *Cracouienſem* arcem, dum ſatius lamentis, ad propitiandam diuinæ bonitatis clementiam, vacaſſe conueniret; die Dominico in craſtino *S. Nicolai* inſtaurat, & eorum ſe conſtituit ſpectatricem. Sed mox ſuperno verbere attrita eſt. *Hungari* ſiquidem, qui cum illa *Cracouiam* venerant, conſuetudine ſua & moribus vſuri, plerosque currus in *Cracouienſe* forum cum blado & fœno ductos occupabant. Id ne ſuis curribus & fœno, quod in ſuam domum, valuæ *Bochnenſi* conterminatam, ducebatur, accideret: *Przedborius* de *Breſzczie* miles, poſita familia, quæ *Hungarorum* ſolitam rapinam arceret, prouiderat. *Hungaris* itaque ad occupandum fœnum pro *Przedborio* adductum concurrentibus, & familiaribus *Przedborii* defenſionem opponentibus, clamore ab vtriſque ſuos in ſubſidium vocantibus, ſublato, frequenti concurrente tam *Polonorum* quam *Hungarorum* multitudine, ingens ſeditio exorditur. Ad quam ſedandam *Iaſchko Kmitha* de *Viſnicze*, de *Srzeniauitarum* domo, Capitaneus *Cracouienſis*, iuſſu *Eliſabeth* Reginæ, equo vectus, & pedeſtri familia illico comitatus, aduenit, & contentionem ſeditionemque extinguere moliens, telo *Hungarico* ab vno de *Hungarorum* numero, cuius ſors & conditio erat ignota, in collum & locum neruoſum percuſſus, ex equo defluens in terram, in oribus expirat. Cuius morte vulgata, fratres, cognati, & familiares ſui, indigna cæde permoti, in magna multitudine concurrunt, in furiamque verſi, vniuerſos *Hungaros*, nec eos tantummodo, qui ſeditionem exciuerant, ſed eos etiam, qui apud hoſpitia ſe continebant, parentando morti iniuſtæ ſui affinis & domini nulli dignitati deferendo, occidunt. Miles quidam *Slauus Pogan Michael* de veſtibulo ſui hoſpitii, in quo ſe tuto latere credebat, extractus, miſerabiliter occiditur. Duo adoleſcentes ingenui, & Reginæ *Eliſabeth*, pro parentum meritis, & eorum probitate chari, a *Przedborio* de *Brzeſzczie*, ad cuius domum confugerant, ne violarentur, potiori cameræ includuntur. Sed *Przedborio* in caſtrum, Reginæ vitam illorum pro magno doloris lenimine ſignificaturo, ex domo diſcedente, fracto oſtio *Przedborii* familiares, duos illos adoleſcentes, argenteis cingulis & veſtibus nudatos, perimunt, & corpora peremptorum intra muros proiiciunt. Tantus inſuper furor & indignatio fratres & familiares *Kmithæ* ceperat, vt *Hungaros* in caſtrum fugientes, aut gladiis aut ſagittis obruerent. Eos vero qui euaſerant, & a matronis virginibusque occultabantur, inde ereptos, ex feneſtris ſuperne præcipitabant. Centum ſexaginta *Hungari* eo die ſunt cæſi.

Iaſchko Kmitha de Viſnicze Capitaneus Cracouienſis ad dirimendam litem inter Hungaros & Polonos excitatam, miſſus, ab Hungaris interficitur: cuius amici eo ipſo die omnes Hungaros necant.

Eliſabeth tripudiorum & chorearum ſerius quam ſuæ conditioni congruebat, oblita, valuas caſtri diligentius obſerari, & turres mœniaque frequentibus armatis cuſtodiri per triduum, *ne reliquiæ Hungarorum delerentur*, iuſſit. Pauco deinde interiecto tempore, flens & eiulans, ſortemque ſuam increpans, tam de *Cracouia*, quam de *Polonia* (in *Lancitienſem* Capitaneatum *Petro Kmitha*, licet admodum iuuene, in ſolatium necis paternæ, præfecto) excedit, *Budamque* ad filium *Ludouicum* Regem, anxium gerens ſpiritum, reuerſa, altera iam vice, Regni *Poloniæ* gubernacula illi reſignat, & remittit.

Et Eliſabeth Regina perculſa dolore filio Iaſckonis occiſi Petro Kmithæ Capitaneatum Lancicienſem confert, ipſa vero in Hungariam reuerſa, gubernationem Regni Poloniæ in manus Ludouici cedit.

Succeſſionem Imperii, magno feruore æſtuans, Imperator *Romanorum Carolus* & *Bohemiæ* Rex, in ſua familia ſuoque genere continuare, & illius decus in filios transferre, multifariis largitionibus precibusque, Electores Imperii tam Eccleſiaſticos, quam ſeculares perlicit & impellit, ad filium ſuum *Venceslaum* natu maiorem (iam enim ex quarta coniuge *Eliſabeth*, *Caſimiri Polonorum* Regis ex filia

Carolus Rom. Imp.

1376 nepte, alterum filium *Sigiſmundum* ſuſceperat) in Regem *Romanorum* eligendum: electum autem, quo electio ſua nequiret variari A aut reſcindi, procurauit per Archiepiſcopum *Moguntinenſem* in *Aquiſgrano* coronari. Diſplicebat electio & coronatio eiuſmodi *Gregorio* Papæ vndecimo & Cardinalibus, quod de homine parum legitimam ætatem habente, & probitatis nondum notæ, fuit celebrata. Propter quod ad confirmandam illam, & ad titulandum *Venceslaum* Regis *Romanorum* nomine, licet *Carolo* Patre magnis inſtante tam conatibus quam muneribus, non poterat induci. Electus autem fuit in die *Barnabæ* Apoſtoli *Francofordiæ*, per ipſum *Carolum* Imperatorem tanquam *Bohemiæ* Regem, *Ludouicum Maguntinenſem*, *Simonem Treuerenſem*, *Fredericum Colonienſem*, Archiepiſcopos: *Robertum* Ducem *Bauariæ*, Comitem Palatinum *Rheni*, *Venceslaum Saxoniæ* Ducem, *Sigismundum* Marchionem *Brandeburgenſem*, eiuſdem *Venceslai* electi germanum. Et coronatus *Aquiſgrani* in octaua Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, non habens tunc niſi annum decimum ſextum ætatis.

filium ſuum Venceſlaum in Imperatorem eligi & coronari procurat anno ætatis decimo ſexto.

1377 Vaſtationem Regni ſui *Poloniæ* per *Lithuanos* in terra *Sandomirienſi* illatam, *Ludouicus Hungariæ* & *Poloniæ* Rex vlturus, expeditionem contra *Lithuanos* & terras quas occupabant, tunc indicens, in *Cracouia Sandiuogium* de *Subino*, in *maiori Polonia Domaratum* de *Pyerzchno*, Regina *Eliſabeth* eum promouente (quod is ſub tempore quo occidebantur *Cracouiæ Hungari*, multos a morte defenderat) in *Cuiauia Barthoſzio* de *Viſzemburg*, & *Barthoſzio* de *Sokolowo*, ſtrenuis defenſoribus deſtitutis, *Petraſſium Malocha* de *Malochouo Sandomiritam*, & genere *Grzimalitam*, duo millia marcarum ſingulis annis reddere, cum a ſuperioribus Capitaneis octingentæ ſoluerentur, ſe obligantem, pro Capitaneo inſtituit. *Maioris* itaque *Poloniæ* Capitaneus *Domarathus* de *Pierzchno* ex *Hungaria* reuerſus, regalibus literis, quas ſecum attulerat, publicatis *Polonicæ* Eccleſiæ monet & rogat Pontifices, quatenus *Ludouico* Regi barbaricam expeditionem obituro, gentium armatarum mittant auxilia. Verum Pontifices, *ne ſe, & Eccleſiam, obnoxios ſeruituti redderent, nulla ſe ſubſidia miſſuros* reſpondent. Subſidium inſuper a cmethonibus eorum poſtulatum, & quod Rex *Ludouicus* exigendum mandauerat, negant. *Ludouicus* tandem Rex, cum copiis *Hungaricis* itinere rectiori verſus *Sandomiriam* per *Alpes Sanocenſes*, quæ *Poloniæ* Regnum ab *Hungarico* diſterminant, aduenit. Vbi Epiſcopis & Baronibus *Poloniæ* ad illum confluentibus, conuentu habito, copiis coniunctis, verſus *Belz* (ita enim *Sandomiriæ* deliberatione communi conſtitutum erat) proceſſit. Verum videns copias ſuas validas & frequentes eſſe; milites enim de domo *Bipennium*, ſeptem in ea expeditione habuere banderia, *Otho* de *Pilcza* Palatinus & Capitaneus *Sandomirienſis* vnum, *Sandiuogius* de *Subino* Capitaneus *Cracouienſis* ſecundum, *Iaſchko* de *Thaczin Voynicenſis* Caſtellanus tertium, *Nicolaus* de *Oſſolin Viſlicienſis* Caſtellanus quartum, *Drogoſſius* de *Chroberz* Iudex *Cracouienſis* & Capitaneus *Siradienſis* quintum, *Zaklika* de *Międzygorze* Regni *Poloniæ* Cancellarius ſextum, & *Ioannes Volczek* de *Lowicza* ſeptimum, eorum agmina diuidit. *Cracouienſes* vero & *Sandomirienſes* milites, ſub ductu *Sandiuogii* de *Subino* Capitanei *Cracouienſis*, ab obſidendum caſtrum *Chelmenſe* transmittit, ipſe cum reſiduis verſus *Belz* ire B pergit. Et *Cracouienſem* quidem & *Sandomirienſem* exercitus, *Chelmen* caſtro infra dies octo, ex quo obſideri cœptum eſt, expugnato, & in ſuam poteſtatem redacto; aliis inſuper caſtris, videlicet *Grabowiecz*, *Hrodlo*, *Seuoloſch*, aditis & expugnatis, ad *Ludouicum* Regem obſidionem caſtri *Belz* agentem, peruenit. *Ludouicus* vero Rex, caſtrum *Belz*, ſitu magis quam arte munitiſſimum, expugnare non valens, in eius obſidione perſeuerandum duxit: ratus obſeſſos fame ſaltem ad deditionem pellici poſſe. Aduenit interim *Kieyſtuth* Dux *Lithuaniæ*, & caſtra Regis ſub ſaluo conductu ingreſſus, ex hoſte mediator factus, pacem his conditionibus componit, vt C captiuis, quos *Lithuani* ceperant, reſtitutis, *Georgius* Dux caſtrum *Belz* Regi dedat, & illius gratiæ ſe permittat. Deditione caſtri facta, *Ludouicus* Rex iniuriam beneficio penſaturus, *Georgio* Duci caſtrum *Belz*, obliganti ſe illud regio nomine, pro eo & prole ſua, Regnoque *Poloniæ* fideliter adminiſtraturum, reddit. Aliud quoque caſtrum *Lubaczow* adiicit, & centum marcas cenſus annui ex *Zuppa Bochnenſi* tollendi, ad vitæ tempora inſcribit. In hunc modum *Ludouicus* Rex, rebus *Ruthenicis Lithuanicisque* compoſitis, itinere quo venerat, in Hungariam rediit.

Ludouicus Rex cum copiis Hungarorum Poloniam ingreſſus, Sandiuogium de Subino Cracouienſi, Domaratum vero de Pyerzchno maioris Poloniæ Capitaneatui præficit: & ipſe contra Lithuanos vadit.

1377 *Terriſque eorum populatis circa Belz concordiam cum Duce Kieyſtuth init, & redit in Hungariam.*

Orta autem fuit, ſub tempore expeditionis præfatæ inter *Polonos* & *Hungaros* contentio. D In qua *Petro Schafraniecz* de *Luczice* milite *Polono* per *Hungaros* in facie vulnerato, res in ſeditionem grandem ſpectare cœperat. Quam Rex *Ludouicus*, veritus ne *Hungari* a *Polonis* robore & numero ſuperioribus opprimerentur, compoſitione ſedat. Et dato *Petro Schafraniecz* donatione perpetua caſtro regio *Pyeſchkowa Skałá*, gliſcentem ſeditionem extinguit.

Petro Schafraniecz Pyeſchkowa Skálá donatur.

Secunda Ianuarii menſis die, *Caſimirus Boguslai*, *Stetinenſis*, *Dobrzinenſis*, & *Caſſubitarum* Dux, nepos olim *Caſimiri Poloniæ* Regis, ex *Eliſabeth* filia, vulnere, quod in caſtri *Złotoria* conquiſitione in capite pertulerat, ſenſim ingraueſcente, in caſtro *Bidgoſcza* moritur, & in monaſterio *Biſzonienſi* terræ *Pomeraniæ* ordinis *Ciſtercienſis* ſepelitur, nullam prolem ex filia *Semouiti Maſouiæ* Ducis, quam

Caſimirus Caſſubitarum & Dobrzinenſis Dux moritur.

1377 *& terræ illius ad Ludouicũ Poloniæ Regem deuoluuntur.*

quam prima obeunte ſuperduxerat, relinquens. Quo euenit, vt & Ducatus *Dobrzinenſis*, & caſtra *Bidgoſcza*, *Wlatow* & *Walcz* A ad *Ludouicum* Regem, & Regnum ſuum *Poloniæ*, iure feudi deuoluerentur. Fuit autem præfatus *Caſimirus Stetinenſis* Dux liberalitate, quæ ad prodigalitatem accedebat, inſignis, ea largitione in milites ſuos vſus, ut oppidis, villis, & introitibus ducalibus, in milites ſuos parum prouide diſtributis, ſub egeſtate degeret, donec Patre ſuo *Boguſlao* Duce *Stetinenſi* abſumpto, in theſauros & terras ab eo relictas ſuccedens, ſe de inopia parum vindicaſſet. Afferebantur inſuper illi a germana ſorore *Eliſabeth*, *Caroli* Imperatoris *Romanorum* & *Bohemiæ* Regis conſorte, ſortem eius miſerante, fre- B quentes pecuniæ, vaſa argentea, & varia diuesque ſupellex. Quæ *Caſimirus*, Imperatrice *Eliſabeth* nequicquam prohibente, in milites & aulicos erogans, in ſolitam egeſtatem recidebat. Audax & magnanimus, ſed vehementis & parum grauis animi, corporis inſuper debilis magis quam robuſti.

Ludouicus Hungariæ & Poloniæ Rex videns ubertatem terrarum Ruſſiæ, mox illas Hungariæ Regno incorporare cogitans, Ducem Oppolienſem, dando ei Dobrzinenſem, Caſſubitarũ & Gniewkouienſem Ducatus inde amouet & caſtra inter Hungaros partitur.

Terrarum *Ruſſiæ*, *Ludouicus Hungariæ* & *Poloniæ* Rex, anno ſuperiori glebam vberem & ſitum contemplatus, quarum ſibi ignotus antea erat conſpectus, cum eſſet in *Hungaros*, magis quam *Polonos*, tam affectione quam largitione propenſior, applicare illas & ſubjicere *Hungariæ* Regno, & a *Poloniæ* Regno ſequeſtrare, in cuius ditione eas fuiſſe reperierat, in C animum inducit. *Wladiſlaum* itaque *Oppolienſem* Ducem, cui pleroſque diſtrictus & caſtra in *Ruſſiæ* terris, Regis *Poloniæ* auctoritate, perpetua largitione donauerat: & qui ex eo *Ruſſiæ* Princeps, vulgato & communi ſermone, titulo naturalis Ducatus *Oppolienſis* ſuppreſſo, denominabatur, ex terris *Ruſſiæ* & diſtrictibus, atque caſtris ſibi inſcriptis, quo facilior Regno *Hungariæ* illarum accedat ſucceſſio, amouet, Ducatumque *Dobrzinenſem*, cum caſtris *Bidgoſcza*, *Wlatow*, & *Walcz*, ex morte *Caſimiri Stetinenſis* Ducis deuolutum, item *Gniewkowienſem* Ducatum, pretio decem millium florenorum apud *Wladiſlaum* Album Ducem comparatum, illi perpetuo, quo æquiori animo D deſtitutionem terrarum *Ruſſiæ* ferret, donat; caſtraque, diſtrictus, oppida & villas *Ruſſiæ Hungaris*, *Polonis* nequicquam obſtantibus, aut improbantibus, aut committit, aut partitur. *Wladiſlaus* autem *Oppolienſis* Dux, *Gniewkouienſem* Ducatum, & caſtra *Bidgoſcza*, *Wlatow*, & *Walcz*, tunc nactus, *Gniewkouienſem* Ducatum, obtinente illum in dote octo millium marcarum *Caſimiri* Ducis *Stetinenſis* relicta, nonniſi morte ſua ſecuta, nanciſci potuit.

Viciſſitudinaria ac mira Lithuanorũ cum Cruciferis de Pruſſia con- 1377 *certatio, ut poſt tot prælia & deprædationes, quis ſit ſuperior, haud facile videas.*

Dolis magis quam viribus *Kieyſtuth Lithuaniæ* Dux, Cruciferis de *Pruſſia* bellum illaturus, copias ſuas per *Maſouiæ* terras, Principibus *Maſouiæ Semouito* & *Ioanne*, vel diſſimulantibus vel annuentibus, traducit, & omnem oram circa *Dzialdow* & *Nidborz*, vigeſima nona Septembris, graui cæde & igne, cum multarum animarum (improuiſus enim & ſubitus aduenerat) captiuatione vaſtat. Multis autem captiuis vtriusque ſexus comprehenſis, graue agmen tam ſpoliorum quam captiuorum referens, via qua venerat per *Maſouiam*, ſine obice reuerſus, ſpolia quæ tulerat, cum Ducibus qui in *Lithuania* remanſerant, diuidit. Circa feſtum vero Sancti *Iacobi*, filius *Kieyſtuth*, adoleſcens manu & animo promptus, *Withawdus*, primam in *Pruſſiam* expeditionem egit. Et circa *Thaynow* & *Inſterburg*, populationem & conflagrationem peragens, tam ſpoliis quam captiuis onuſtus, ad patriam illæſus rediit. Magiſter itaque *Pruſſiæ Venricus*, duplicem inuaſionem terrarum ſuæ tunc ditionis, moleſte ferens, cum frequenti militum ſuorum armatura, primum in oram *Ruſſiæ* deſcendit. Et circa caſtrum *Bielagi* aliquot diebus ſtatiua tenuit. Deinde in *Camienyecz* applicauit. Ab inde vero in terras *Lithuanorum* & *Samogitharum* deſcendit. Quas cum ferociter cædibus & flammis peruaſtaſſet, cum ſpoliis & captiuis in *Pruſſiam* regredienti, tendunt *Lithuani* inſidias, & ſilua vaſta, qua iturus eſſet, in pleriſque locis ſuccisa, exercitum *Pruthenicum* ſiluam huiuſmodi ingreſſum, adorti, & iniquitate loci adiuti, in primario congreſſu viginti milites de Ordine qui ordines ducebant, ſternunt: cæteri latebris ſiluarum tecti, manus baarbaricas & truculentiam effugiunt. Fecerunt poſthæc duo *Lithuanorum* Duces *Olgierth* & *Kieyſtuth*, in terras *Pruſſiæ*, habentes fortem exercitum trifarie diuiſum, deſcenſum. Et terra circa *Inſterburg* & *Velow* exuſta, & in ſolitudinem redacta, in terram *Salow*, quam Canonici de *Kingsberg* obtinent, aduentant, eamque funditus, cædibus, ſpoliis, & flammis euertunt. Atque per *Iurgeborg* cum cœtu magno captiuorum vtriusque ſexus, atque ſpoliorum, in *Lithuaniam* reuertuntur. Commendator deinde de *Ragnetha* vno agmine, item Commendator de *Balga* altero, item frater *Kune* de *Hatteſten* tertio, ſeorſum in *Lithuaniam* ingreſſi, quilibet populatione latius quo poterat extenſa, multa ſpolia atque incendia peragunt. Et pluribus *Lithuanis* captis, eos in *Pruſſiam* deducunt. Congerit poſthæc omnia *Venricus* Magiſter generalis exercitum copioſum, cum quo *Lithuaniam* ingreſſus, duo caſtra in eius confiniis erigit & ædificat, videlicet *Barthemburg* & *Demrin*. Interim vero quo perficiebatur opus, *Gothfridum* de *Linda* Marſchalcum, cum expeditiori milite in *Lithuaniam* tranſmittit. Qui frequenti exuſtione vſus, plures captiuos cum ſpoliis incolumis reduxit. Sed neque ea expeditione Magiſter *Pruſſiæ Venricus* contentus, aduenientibus in ſui auxilium contra barbaros auſtralibus, in *Samogithiam* tranſiit. Et duabus regionibus, videlicet *Calthaneuen* & *Veduke*, per dies decem vaſtatis, ſpoliatis, & incenſis

1378 cenſis, plurima ſpolia & numeroſam captiuorum multitudinem, in *Pruſſiam* quadrigis reduxit.

Vocatus in Poloniam Ludouicus Rex,

De ordinationibus commotionibusque variis, quæ faciem futuræ & propinquæ ſeditionis portendebant, in *Poloniæ* Regno, propter Regis longe diſtantis abſentiam, & publicorum facinorum impunitatem, aſſidue creſcentibus, *Ludouicus* Rex prouiſionem aliquam, de qua a Prælatis & Baronibus *Poloniæ* frequentibus literis & nunciis vexabatur, impenſurus, cum & genitrix ſua *Eliſabeth* ſenior Regina, propter *Hungarorum* ſtragem *Cracouiæ* in ſuo conſpectu patratam, *Poloniæ* Regni gubernationem a ſe penitus abdicans, & omne regiminis onus filio *Ludouico* Regi reſignans, nunquam ſe ad illud redituram deuouiſſet: *Ludouicus* vero Rex, cauſatus *auram Polonicam, naturæ ſuæ pernicioſam fore, neque a ſe tolerari poſſe*, venire ad illud annis ſingulis, & ſubmouere illius difficultates deformitateſque, ac plectere facinoroſos, *Hungaricis* rebus diſtractus faſtidiret, *Wladiſlaum Oppolienſem* Ducem, ad gubernandum *Poloniæ* Regnum, cum plena & extenſa auctoritate tranſmittit.

dum ire nollet,

Ducem Oppolienſem Wladiſlaum pro gubernatore mittit.

Cuius aduentum etſi ciuiles & ruſticani homines probarent, regimenque illius magnopere, velut ſibi profuturum, commendarent, & depoſcerent, Barones tamen, Proceres, & nobiles, tam *Cracouienſis*, quam *maioris Poloniæ* oræ, in *Viſlicia*, & *Gneſna* conuentu habito, nouitate huiuſmodi altius digeſta, *non ſe Ducis Oppolienſis Wladiſlai regimini vllo pacto permiſſuros*, conformiter diffiniunt. Aſſerentes & *ſuæ grauitati, & iuribus Regni non conuenire, vt a Duce, a ſe non probato neque electo, ſed ex Regis dato arbitrio, Reſpublica eorum deberet diſponi, & ſtatus eorum atque Regni conditio, ſi Regibus parere conſueti in ditionem redigerentur Ducalem, peſſundari*. Spectatæ itaque virtutis viros, de Baronum & militarium numero lectos, ad *Ludouicum* Regem in *Hungariam* tranſmittunt.

Et Poloni legatis ad eum miſſis

Qui Rege apud *Viſchegradum* offenſo, orant, *ne in eorum Regni ludibrium, iurium quoque Regni, quæ non ſe violaturum adacto ſacramento aſtrinxit, læſuram, Wladiſlao Duci Oppolienſi eos parere cogat, cum illius regimen non eſſent quoquomodo paſſuri. Extare inter eos mactæ induſtriæ & probitatis viros, quibus iuſtius poſſit ab eo id munus mandari.* Ea *Polonorum* legatione *Ludouicus* Rex audita, rebellionem ad quam nonnullorum animos nouitati huiuſmodi vehementer infenſos ſpectare didicerat, veritus, *Wladiſlaum* Ducem *Oppolienſem*, a gubernatione Regni *Poloniæ* reuocat, & per patentes literas *Polonorum* legatis tributas, regimen illius, de quo Dux ipſe ingenti dolore & rubore, *Polonis* non Regi vehementer ſuccenſus, tortus eſt, reſcindit.

obtinent illum reuocari, non ſine ipſius rubore.

Ludouicus Rex

Vno grauamine vix dum ſublato abrogatoque, aliud illico erupit, *Ludouicus* ſiquidem *Hungariæ* & *Poloniæ* Rex, nonnullorum Baronum & Præfectorum *Poloniæ* ſorti eccleſiaſticæ parum fauentium, ſuggeſtione pulſatus, mandata in *Poloniam* deſtinat, *vt Eccleſiarum coloni, ratione tributi, quod Kroleſthuo ſeu Poradlne dicitur, ſex groſſos in pecunia, dimidium eius quod alias ſoluere ſoliti erant, & duas menſuras, vnam ſiliginis, alteram auenæ in blado ſuæ Regiæ Cameræ perſoluant.* Aſſerens *relaxationem a ſe vniuerſo Regno Poloniæ de prædicto tributo factam, & ad duos tantummodo groſſos reſtrictam ad villas Eccleſiaſticas non extendi, & pro ſingulari ac liberali gratia a Pontificibus & Eccleſiaſticis perſonis cenſeri, vt dimidii remiſſione habita, de dimidio ſe reſponſuros non excuſent.* 1378

tributum a Cmethonibus ſpiritualibus Poradlne dictum exigi mandat.

Detrectantes mandato huiuſmodi, mandabat Rex ad ſolutionem totius *Poradlne* priſco more compelli. Capitaneis itaque & præfectis Regiis, qui ſe exinde commodum cenſebant relaturos, mandata regia ſolicita diligentia exequentibus, Ioannes *Gneſnenſis* Archiepiſcopus, ad *Wladiſlaum Oppolienſem* Ducem nuncios mittit, *vt Capitaneis & Præfectis regiis rigorem, quem in exactione tributi prædicti ingeſſerant, interim donec Ludouicus Rex a Nunciis Polonicæ Eccleſiæ adiri & exorari poſſit, cum tributi huiuſcemodi reputetur exactor primarius, ſuſpendere iniungat. Wladiſlaus* autem Dux præfatus apud caſtrum *Krzepicze*, a nunciis Epiſcopalibus, *Ioanne* Archidiacono *Gneſnenſi*, & *Derſlao* de *Gitwno* Subdapifero *Caliſſienſi* feria ſexta ante Dominicam *Lætare*, quo die treugarum diem cum *Bartholſzio Peregrini* de *Chotel*, Tenutario in *Odolanow*, Ducatum ſuum circa *Olſcham* multiplici vexante ſpoliatione, firmabat, offenſus, votis Archiepiſcopi morigerum ſe præbens, exactionem a Rege *Ludouico* in eccleſiaſticis bonis indictam, vſque in diem Beati *Iacobi* Apoſtoli, intermitti mandauit & ſuſpendi. Totalem vero ſolutionem *Ioannes Gneſnenſis* Archiepiſcopus abrogaturus, Synodum Prouincialem apud *Caliſſienſe* oppidum conuocat, non hanc tantummodo, quam ad ſummouendam contributionem a Rege; ſed & alteram quæ a Summo Pontifice, & eius Collectoribus, *Nicolao* Epiſcopo *Maiorienſi*, & *Nicolao Strosberg* imperabatur. Ex ea Synodo *Florianus Cracouienſis* Epiſcopus, ſingulorum Epiſcoporum & ſpiritualium Eccleſiæ *Polonicæ* ſupplicatione victus, cum *Dobrogoſtio* Decano *Cracouienſi* in *Hungariam* profectus, Regem *Ludouicum Budæ* conuenit.

Ad quem Cracouienſis Epiſcopus miſſus

Vbi mandatis totius Eccleſiæ *Polonicæ* expoſitis, prudenti & grata oratione Regi, docuit, perſuaſitque: *Iniquum valde & Chriſtianæ religioni aduerſum eſſe, nec catholico Regi, ſemen a ſancta ducente progenie, conuenire, vt vniuerſo Regno Poloniæ a ſolutione Poradlne liberato, ſola Eccleſia tributaria permaneat, quam conueniebat primario & iuſtiori ordine, a Catho-*

1378 *perpetuis temporibus illud dimitti obtinet.*

a catholicis Principibus ſeruato, liberationem ipſam perſenſiſſe. Perſuaſioni itaque Rex acquieuit, & exactio tributi tam Eccleſiaſticorum A bonorum temporalium, quam militarium, in vnam libertatem addicta.

Pomeraniæ milites Borkowie vocatos

Oppido *Walcz* multipliciter a Nobilibus de *Pomerania*, vocitatis *Borkowie*, per frequentes inuaſiones & inſultus afflicto & vexato, etiam conflagratio ex fortuito incendio proueniens, acceſſit. Geminato itaque oppidani malo ſub vno tempore attriti, & proceſſu dierum rati ſe affligendos, municipium præfatum ſtatuerunt, transmigratione in alia loca facta, deſerere, niſi *Domarathus* Capitaneus *maioris Poloniæ*, congeſto ex familiaribus, fratribus, & aliquibus *maioris Poloniæ* militibus, exercitu, B *Pomeraniam* ingreſſus, fortalitia, oppida, & villas, ac ſingula quæ ad dictos nobiles pertinebant, expugnando, incendendo, vaſtando, inſolentiam prædictorum Nobilium & humiliaſſet & reſtrinxiſſet.

Domarathus Capitaneus maioris Poloniæ expugnat.

Cometa apparuit quinque noctibus.

Vigeſima nona die menſis Septembris, ſidus crinitum, quod appellamus cometam, iuxta vrſam maiorem, inter Arietem & Taurum apparuit. Quod contra firmamentum curſum dirigens atque facem, motu velociſſimo ferebatur. Quinque tantum noctibus perdurans; grauiſſimum Schiſma Eccleſiæ, & tam Sacerdotii quam Imperii mutationem, quæ omnia eodem anno ſubſequebantur, portendebat.

Mortuo Gregorio Papa

Mortuo in urbe *Gregorio* vndecimo ex *Auinione* reuerſo, in Dominica *Letare*, qui annis octo ſederat, & in Eccleſia Sancti *Petri* ſepulto; Cardinales qui tunc fuerunt omnes fere Vltramontani, præter quatuor *Italicos*, pro ſubſtitutione futuri Pontificis agentes conclaue, *Romanorum* circumſedit populus, vnicuique Cardinalium, niſi *Romanum* in Papam eligant, mortem interminans. Pro maiori enim parte Collegium Cardinalium tunc ex *Gallis* conſtabat. Verebantur vero *Romani*, ne *Gallo* in Summum Pontificem aſſumpto, *Roma* ſuis, curia in *Auinionem* translata, lucris fraudaretur. Cardinales autem electionem agentes, licet conformi electione *Robertum* tituli Baſilicæ duodecim Apoſtolorum Presbyterum Cardinalem *Gebenenſem* appellatum in Papam elegiſſent, & *Clementem* ſeptimum appellaſſent, necem tamen, & impendentem procellam tempeſtatis a *Romanis*, qui obſidionem conclauis continuabant, euaſuri, ea cautela & figmento vtuntur. Erat inter alios *Romæ* ortus, & Cardinalibus cognitus, *Bartholomæus Barenſis* Epiſcopus, qui ſanctitatem ſimulando, vir raræ religionis creditus, in magna veneratione habebatur. Hunc Cardinales in conclaue accerſitum rogant, vt ex manibus *Romanorum* ſtragem illorum meditantium eos vindicet, & ſe ab eis appellari Papam ſimultaneum ferat, & nomini ſibi indicendo & ſimulachro, ipſis cum vero Papa *Roberto Clemente* ſeptimo urbe excedentibus, exceſſurus, Conditione accepta, & iureiurando per *Bartholomæum* Epiſcopum *Barenſem* firmata, Cardina- A les ſe illum pro Papa elegiſſe ſimulant, & *Vrbanum* ſextum vocant. In hunc modum Romani populi tumultu ſedato, Cardinales cum *Roberto* eorum electo *Clemente* ſeptimo, vrbe *Viterbium* egreſſi, electionem fidelem *Clementis* publicant, *Vrbani* ſimultaneam detegunt, *Vrbanumque* requirunt, vt quæ iureiurando pollicitus eſt, obſeruaret. Sed *Vrbanus*, tribus ſibi Cardinalibus, *Iacobo S. Petri* ſcilicet de *Vrſinis*, *Mediolanenſi*, & *Florentino* conciliatis, Papatui cedere detrectans, & pro vero ſe Papa gerere, ac in Paſchatis die in Papam a tribus Cardinalibus facinori ſuo & ambitioni fa- B uentibus, conſecrari procurans, cœpit. A Cardinalibus tandem, errori ſuo fauentibus, deſertus, alios mox viginti ſex Cardinales vna die ex diuerſis nationibus, ſed præſertim ex omni *Romanorum* ſtatu; & inter alios *Quinqueeccleſienſem* Epiſcopum, in fauorem *Ludouici Hungariæ & Poloniæ* Regis, ſubſtituit & creauit. Et ex caſtro Sancti *Angeli*, quod pro *Clemente* tenebatur, proiectionibus machinarum vehementiſſime impugnatus, ex Palatio Sancti *Petri*, ad Sanctum *Mariam* trans *Tiberim* ſe contulit, vbi anno integro manſit. *Britonibus* autem *Romanos* ſtrage magna pro *Clemente* vincentibus, ad necem forenſium, & præcipue *Gallorum* conclamatum eſt. Sed ſe- C ditione & tumultu populi vix ſedato, forenſes vrbe exulant, & *Clementem* verum Papam in *Auinionem*, vbi, in *Italia* conſiſtere non auſus, ſedem poſuerat, ſequuntur. *Clemens* itaque *Vrbanum*, & *Vrbanus Clementem* cum ſequacibus ſuis anathematiſat. Et exinde grauiſſimum ſchiſma, Cardinalium puſillanimitate & metu mortem expaueſcentium, quam potius, quod *Capellus* inſigne eorum deſignat, ſubire, quam Schiſmati occaſionem præſtare debuerant, introductum & ſecutum eſt. Quod cum ſcandalo & interitu multarum animarum annis quadraginta vigens, *Conſtantienſis* Concilii opera extinctum eſt. *Italia* autem, & Regnis *Poloniæ*, *Hungariæ*, *Bohemiæ*, *Daciæ*, D *Sueciæ*, *Noruegiæ*, ac vniuerſa *Germania*, obedientiam *Vrbani* profitentibus, *Galliarum*, *Anglicorum*, *Hiſpanorum*, & *Siciliæ* Regna, *Clementem* ſeptimum, ſectata ſunt. Vt prorſus Saluatoris verbum adimpletum ſit, *Gentem contra gentem, & Regnum aduerſus Regnum, per ſchiſma peſtiferum mutuis cauillationibus & contumeliis inſurrexiſſe.* Erat autem præfatus *Robertus* alias *Clemens* ſeptimus, de domo & genere Comitum *Gebenenſium*, *Almanici* idiomatis aliqualem habens peritiam, pede vno parum claudicans, largæ conſcientiæ, mediocris ſtaturæ, eloquens & dapſilis. *Vrbanus* vero erat homo tenuis & pauper, Decretorum tamen Doctor egregius, *Neapoli* in platea Nidi, in loco qui infernus appellatur, ex Patre *Piſano* & matre *Neapolitana* ortus, breuis

Romani Cardinalibus, niſi Romanum in Papam elegerint, necem ſingulis minantur. Quam euaſuri Cardinales, electo vero Papa Clemente VIII,

1378 *ſimultaneum quendam Romanum pronunciant, Vrbanum VI. Euadentes autem verã electionem publicant.*

At ſimultaneus pro vero ſe gerens Pontifice maximum ſchiſma ſuſcitat.

1378 uis ſtatura & ſpiſſus, coloris liuidi & fuſci. Et licet præfatus *Vrbanus Roma Tiburtum* deſcendens Cardinales ſibi pacifice ire contendiſſet, ipſi tamen omnibus oblationibus ſuis ſpretis, apud *Fundanā* ciuitatem, *Clementis* electionem publicarunt, & ortum fuit ſchiſma duodecimum, omnium, quæ præceſſerant peſſimum, ſubtiliſſimum, adeoque perplexum, vt & docti & conſcientioſi viri non poſſent diſcutere, cui eſſet magis obediendum.

Electus Wratislauienſis Theodoricus ad Epiſcopatum Wratislauienſem a Clemente,

Electus *Wratislauienſis Theodoricus*, uſque in *Auinionem Clementem* ſeptimum ſecutus, confirmatione ſuæ Electionis ab eo facile obtenta, in *Wratislauiam* redibat. Sed *Gneſnenſem* Prouinciam, cui *Wratislauienſis* diœceſis ſubiecta eſt, intelligens alterius ditionis & obedientiæ eſſe, non ſe de cætero aut electum, aut confirmatum *Wratislauienſem* agere præſumpſit. Iuſto Dei iudicio a Pontificatu excluſus, qui alium a Decanatu *Wratislauienſi* perperam & violenter excluſerat. *Carolus* inſuper *Romanorum* Imperator & *Bohemiæ* Rex, tam *Italiam* quam *Germaniam* obedientiæ *Vrbani* ſexti ſe addixiſſe intelligens, in illius partem diuertit, & filium ſuum *Venceſlaum Romanorum* Regem, eiuſdem electionem & coronationem ad Imperium, per præfatum *Vrbanum* ſextum apud *Tiburtum* agentem, miſſis ſpecialibus oratoribus, quod anteceſſor *Gregorius* vndecimus facere detrectauerat, confirmari obtinuit.

& Carolus Imperator filii ſui Venceſlai electionem ad Imperium antea factam ab Urbano confirmari obtinent.

In Lithuanos octo expeditionibus a Cruciferis de Pruſſia & Liuonia pugnatum eſt,

Vigandus de *Belderſtein*, Commendator de *Capiow*, habens in ſuo comitatu *Pruthenicas* tantummodo gentes, in *Lithuaniam* deſcendens, omnem terram circa *Nyemyen* fluuium ſitam ſpoliat, vaſtat, & exurit, ac in captiuorum & ſpoliorum multitudine ad propria reuertitur. Quo reuerſo *Gothfridus* de *Linda Pruſſiæ Marſchalcus*, cum altero exercitu tranſiens in regionem *Lithuanorum* ad *Narew* ſitam, eam igne, ſpolio, & cæde vaſtat. Exinde in vetus *Kowno* diuertit, & fluuium *Niewiaza* aſcendendo nauibus, cuncta incendit, multosque ex *Lithuanis* ducens captiuos, cum ſpoliis reuertitur. Magiſtro deinde *Liuoniæ*, oppido *Pruthenico Pakow* a *Lithuanis* obſeſſo, auxilium laturo, illuc cum ſuis *Pruthenicis* copiis aduenit, & *Lithuanos* obſidionem ſoluere compellit. Fecit & alteram eo animo *Gothfridus* Marſchalcus in *Lithuaniam*, expeditionem, & diſtrictibus pluribus, videlicet *Labnyow*, *Egelow*, *Paſlow*, vaſtatis, captiuorum & ſpoliorum ſarcinas ferens rediit. Tertiam expeditionem facturus Marſchalcus, ægritudine diſtentus, Commendatorem de *Balga* mittit. Qui & ipſe nullam reſiſtentiam expertus, poſtquam plures diſtrictus vaſtauerat, incolumis rediit. Magiſter inſuper *Liuoniæ* circa diem ſanctæ *Scholaſticæ* hoſtiliter *Lithuaniam* ingreſſus, diſtrictum *Myedniki* & ſex alios adeo bene vaſtauit incendiis, vt in ſingulis nec vnius tugurii veſtigium poſſit reperiri. In tempore denique Carniſpriuii, Commendator de *Oſterod*, *Bucardus* de *Manſwelth*, in *Kamienyecz* prope *Brzeſczie* exercitum ducens, oppidum ſuccendit, & magna præda hominum & pecorum potitus, in *Pruſſiam* rediit. Poſt diem vero Aſſumptionis *B. Mariæ* Virginis, Commendator de *Balga*, *Theodoricus* de *Eluer*, exercitu quem habebat trifarie diuiſo, diſtrictus *Ruthenicales*, *Drobiczin*, *Myelnik*, & *Brzeſczie* vaſtat, caſtrumque *Brzeſczie* obſidione terret. Quo inexpugnato relicto, vaſtatis ſingulis in circuitu cum ſpoliis & captiuis reuertitur. Tot autem & tam frequentibus vaſtationibus ex *Pruſſia* & *Liuonia* fatigati *Lithuani*, deſperatione iniecta, dum ſe nullo pacto exterminationem perpetuam crederent euaſuros, deſerendæ patriæ agitabant tractatus. Conſiliumque fuit, tam hominibus agreſtibus & coloniam exercentibus, quam pecoribus & pecudibus in vnum collectis, in ſiluas & indagines palude & aquis tutas, & nondum habitatas transmigrare, Cruciferisque *Lithuanicam* & *Samogithicam* terram relinquere. Quæ quidem deliberatio executa tandem fuiſſet, ſi non *Polonorum* auxilia, Duce *Lithuanico Iagyellone* in Regem aſſumpto, diſceſſionem huiuſmodi auertiſſent. Quod & Dux *Alexander Withawdus*, quamuis florentes res ſuas videret, ingenue profitebatur, aſſerens *ſuam & ſuorum omnium eiectionem & diſceſſionem, ex terris Lithuaniæ & Samogithiæ, beneficio Polonico eſſe & fuiſſe auerſam & prohibitam, Polonisque Patriæ potiùs & reſtitutæ gratificationem perpetuò deberi.*

adeo vt deſperatione adducti, ſedes ſuas deſerere, & in locis aditu difficilibus degere conſtituerent, quod & feciſſent, niſi id ſucceſſione Iagyellonis in regnum Poloniæ immutatum eſſet.

Kieyſtuth Lithuanorum Dux reſumto animo, caſtrum Pruthenicum conquirit & exurit.

Eodem anno, poſt feſtum Pentecoſtes, *Kieyſtuth Lithuaniæ* Dux, fingens ſe per dolum graui ægritudine correptum, intrat clandeſtinis itineribus terram *Pruthenicam*, caſtrumque *Eckersberg* impugnat, conquirit, & incendit. Caſtri quoque Præfectum *Ioannem Szumbach* captiuat. Quem etſi ſui conarentur viuum, pro libamine Diis ſuis incendere; præfatus tamen Dux *Kieyſtuth*, abominandum facinus fieri prohibuit.

Expeditio in Lithuaniam per Cruciferos de Pruſſia agitur;

Gothfridus de *Linda Pruſſiæ Marſchalcus*, habens in ſuo comitatu duodecim millia pugnatorum, *Lithuaniam* ingreſſus, uſque ad caſtrum *Troki*, quod a Duce *Kieyſtuth* tenebatur, oppugnaturus illud, aduenit. *Trocenſi* autem diſtrictu vaſtato, etiam *Vilnenſem* ſimili ſubiicit vaſtitati. Cuius potentiam Dux *Kieyſtuth* plurimum perhorreſcens, petit colloquium. Ad quem *Pruſſiæ* Marſchalcus, fide data & recepta, venit. Et tractatibus mutuis factis, rogatus a *Kieyſtutho* Marſchalcus, a cæde & flammis ſibi temperat, & partis tantummodo contentus in *Pruſſiam* exercitum reducit. In continenti vero Marſchalco regreſſo, Commendator de *Ragnetha* frater *Kuy* de *Hatteſteyn*, cum nouo exercitu in die ſancti *Ioannis Baptiſtæ*, *Samogithiam* & *Lithuaniam* ingreſſus, diſtrictus *Przezwan*, *Labiow*, *Arauſch*, *Paſterin*,

1378 *Paſterin*, *Eroglen*, & *Peruaren*, cædibus, ſpoliis, & flammis vaſtat, & cum multitudine ſpoliorum & captiuorum, redit in *Ragnetha*. Cum noua deinde militia, quæ ex *Almaniæ* oris aduenerat, *Gothfridus* de *Linda Pruſſiæ* Marſchalcus tertiam agit in *Lithuanos* expeditionem, habens in ſuo comitatu omnes Commendatores. Et prima quidem ſtatiua apud *Dirſumusky* ponit, ſecunda apud *Syedmiliſchki*, tertia apud caſtrum *Troki*, quarta in *Rudno*, quintis vero caſtris omnia igni & cædi ſubjiciendo, in *Vilno* perueniunt. Dux autem *Kieyſtuth* qui tunc in caſtro *Vilnenſi* agebat, treugis in quintum diem obtentis, petebat ab exuſtione oppidi *Vilnenſis* abſtineri. Quod & ſibi fuerit per *Gothfridum Pruſſiæ* Marſchalcum promiſſum: media tamen pars oppidi igne conflagrata, altera ægre defenſa eſt. Treugis expirantibus caſtri *Vilnenſis* tentata expugnatio. Quam cum Marſchalcus prouenire non poſſe, defendentibus *Lithuanis* probe mœnia, animaduerteret, obſidione ſoluta, in *Pruſſiam* remeabat. Interim vero *Withawdus Kieyſtuthi* filius, cum quingentis *Lithuanorum*, *Pruthenicum* exercitum antecedens, commeatus, quos Cruciferi in ſolitudine pro reditu reliquerant, occupat, recipit, aut diſtrahit. Quapropter *Pruthenicus* exercitus illuc adueniens, & victualia præoccupata inueniens, ſex diebus atrocem famem in ſe & equis perpeti coactus eſt.

qua usque ad Wilno peruentum eſt. Cujus medietate exuſta deſperata conquiſitione in Pruſſiam reditum.

Withawdo filio Kieyſtuth victualia præparata Cruciferis præripiente.

Penultimo Decembris *Carolus Romanorum* Imperator & *Bohemiæ* Rex, cum annis vno & triginta imperaſſet, apud *Pragam* moritur, & in *Pragenſi* maiori Eccleſia ſepelitur: tam Imperium quam *Bohemicam* Regnum *Venceslao* filio derelinquens. Qui etſi in vtroque *Carolo* Patri ſucceſſiſſet, a moribus tamen paternis degenerans, neque militiam neque ſtudia diligens, ſed vanis & inutilibus inſiſtens, leuesque perſonas in ſuam communionem ſuumque conſortium adſeiſcens, leuium & humilium rerum ſe ſectatorem, magnarum vero & fortium oſorem eſſe, demonſtrabat. Alter autem filiorum *Sigismundus*, quos relinquebat *Carolus* Imperator, ex paterna donatione Marchionatum *Brandeburgenſem* aſſecutus, & a *Ludouico Hungariæ* & *Poloniæ* Rege in generum adoptatus, filiam ſuam natu maiorem *Mariam* pro coniuge ſortitus eſt: in alterum ex duobus, quod *Ludouicus* orbus filiis, relicturus erat Regnum, propter huiusmodi coniugium ſucceſſurus. Clarus profecto prædictus *Carolus* Imperator fuit, niſi *Bohemici* Regni gloriam magis quam *Romani* quæſiuiſſet. Illud quoque ſplendori ſuo officit, quod *Venceslaum* filium largitione ad Imperium promouit. Nam cum Electores haud facile ad eam rem trahi poſſent, cuilibet centum millibus aureis promiſſis, rem confecit. Quos cum repræſentare non poſſet, publica illis Imperii obligauit vectigalia. Adeoque Imperium peſſumdedit, vt deinceps Imperium caput extollere non potuerit: cum Electores omnia ſibi retinerent, Imperatoremque iureiurando adigerent, ne pignora reuocaret. Mortuus autem eſt anno *Romanorum* Regni trigeſimo tertio, Imperii trigeſimo quarto, cum iam *Venceslaus* regnaſſet, cum *Carolo* Patre annis octo regnauit, poſtea ſolus annis viginti duobus. 1378

Carolus Imp. Rom. & Bohemiæ Rex moritur, relinquens duos filios. Quorũ maior natu in Imperio & Regno,

alter in Marchionatu Brandeburgenſi conſedit.

1379 Stipendia ſua, quæ *Santiuogius* de *Vyr*, Caſtellaneus *Bninenſis*, nobilis *Polonus* de domo & familia *Nałęcz*, apud *Caſimirum Stetinenſem* & *Dobrzinenſem* Ducem in bello, quod aliquanto tempore per præfatum *Caſimirum* & Marchionem *Brandeburgenſem Othonem* gerebatur, in frequenti familiarium ſuorum numero & apparatu equeſtri militans, meruerat, ex morte *Caſimiri* Ducis *Stetinenſis* inſperata, perditum iri, propter ſumptuum emeritorum quantitatem, moleſte ferens, *Swantiborium* Ducem *Stetinenſem* & *Caſimiri* Ducis mortui ex altero thoro germanum fratrem, velut hæredem & ſucceſſorem conuenit, ſolutionem ſtipendii requirens ab eodem. Quo abnuente, *Sandiuogius* prædictus, ferente illi *Ioanne* de *Czarnkow*, Iudice *Poſnanienſi*, nepote ſuo, auxilia, *Swantiborio Stetinenſi* Duci guerram mouit, terramque ſuam & dominia crebris ſpoliis, inuaſionibus, & incendiis laceſſiuit. *Swantiborius* itaque *Stetinenſis* Dux, vexationem huiusmodi ratus iniuſtam, ad reprimendam illam, expeditione indicta, conatus ſuos intendit. *Stargardienſiumque* & plurimarum aliarum ciuitatum maritimæ oræ adiutus copiis, in multitudine graui pedeſtris & equeſtris exercitus, curruumque frequentia, Regnum *Poloniæ* ingreditur: & caſtrum *Członpen Ioannis* de *Czarnkow* Iudicis *Poſnanienſis* hæreditarium, obſidione vallauit. Quod expugnare altera die aggreſſus, facilem ſibi futuram illius conquiſitionem, quod foſſata eius arida & inaquoſa eſſent, portendens, a tertiarum hora usque ad veſperam, ab illius conquiſitione, ſubſtituendo integros feſſis & vulneratis, non deſtitit. Nec minor militum ſuorum feruor fuit: Omnia ſiquidem foſſata transgreſſi, ad parietes caſtri peruenerant. Quos dum ſecuribus conantur effringere, a *Ioanne* de *Czarnkow* Iudice *Poſnanienſi*, & familiaribus ſuis ſuperne obruti, teſtudine ex ſcutis & aſſeribus facta necquicquam eos tuente, grauem ſtragem & cædem in ſuos editam, contemplati, ſerius ab oppugnatione caſtri reſiliunt. Interpoſitione deinde *Suliſſii* de *Vedel*, vt deſideratos ſepelire liceret, treuga in diem alterum tantummodo confecta, *Swantoborius Stetinenſis* Dux graui ſuper ſuorum nece actus mœrore, ſoluta obſidione copias diuidens, populationem exuſtionemque villarum in circuitu *Członpen* caſtri iuſſit latius extendi. Qua perfecta, in terram ſuam copias reducens, cum *Sandiuogio* de *Vyr*, & *Ioanne* de *Czarnkow*, hoſtibus ſuis, parem exuſtionem terrarum ſuarum veritus, placitauit, & per communes arbitros dam-

Sandiuogius de Vyr,

Swantiborio Duci Stetinenſi pro ſalario retento bellum mouet, adiutus per Ioannem de Czarnkow,

& ita ſtipen-

1379 *dium meritū ab eo extorquet.*

damna irrogata, & debita, ſoluere compulſus, geſtum bellum & gerendum, prudenti ſolertia extinxit.

Inteſtina bella, apud vicinas Poloniæ terras exorta magnā perniciem incōmodumque ſuis attulere.

Externo bello ſedato, proprium & inteſtinum bellum, & in Ducatibus *Stetinenſi, Caſſubiæ, Pomeraniæ*, & in Marchionatu *Brandeburgenſi*, & dominiis Comitis de *Nowigrod*, & Baronum *Vedlenſium*, & *Szegliczonum*, agi cœptum eſt. Principibus autem & Baronibus prædictis, longo bellorum ſtridore ſe inuicem collidentibus, tantus furor ſingulorum occupauerat pectora, vt præter ciuitates munitas & caſtra, ſingulas villas, oppida & rura, flammis & incendiis deleuerint; & terras præfatas, odiis magis quam armis certando, ad tam patentem vaſtitatem & ruinam poſuerint, vt nec vna quidem villa in tot regionibus reperiri poterat, quam bellicus furor non conflagraſſet.

1380 *Ianuſſius de Vedel ex caſtro Zlopenſi, quod a Dominis de Czarnkow oppignoratum tenebat irrupit cum exercitu Polonico in Ducatum Stetinenſem, inteſtinis bellis flagrantem. Vbi facto damno dum cum præda rediret,*

Ianuſſius de *Vedel*, *Stetinenſium* Ducum & Nobilium ciuili bello permotus, ex caſtro *Czlopen*, cuius ipſe poſſeſſionem, obligantibus ſibi illud in certa quantitate pecuniæ, *Ioanne* de *Czarnkow* Iudice *Poſnanienſi*, & *Vincentio* germano ſuo, nactus erat, non paruum equeſtrium numerum de ſuis & amicorum familiaribus collectum, adiungens maiorem numerum peditum, quem de *Thucenſi* & *Czlopenſi* diſtrictibus ex agreſtibus coegerat, in *Stetinenſi* terra ſpolia & prædas acturum tranſmittit, ratus ex inteſtino bello *Stetinenſium*, nullam ſuum exercitum iacturam ſenſurum. Vaſtata itaque ora *Pirzicenſi* biduo, & præda ſpoliorum & pecorum nocte & interdiu congeſta, verſus *Czlopen* caſtrum exercitus *Ianuſſii* redibat. Hunc *Swantoborius Stetinenſis* Dux, *Varcziſlai* patrui ſui Ducis *nouæ Stetin*, *Stargardienſiumque*, & aliarum ciuitatum fœdere ſibi iunctarum gentibus, ex pedite, & equite collectis, adiutus, in metis Regni *Poloniæ* conſecutus, inuadit. Cui etſi, præda relicta, euadere in caſtrum *Czlopenſe*, (non enim remote aberat) licuiſſet: ſuorum tamen paucitate, quæ & ipſa maiori ex parte de agreſtibus conſtabat, & hoſtium frequentia parum penſata, cum hoſtium caternis confligit. Vbi licet *Polonorum* & gentium *Ianuſſii* acies aliquamdiu imperterrita ſtetiſſet, ad extremum tamen abundante multitudine victa ſuccumbit. Quadringenti quinquaginta in eo prælio de Polonis cæſi: centum vndarum gurgitibus in palude, apud quam pugnatum eſt, ſuffocati.

per Ducem funditur.

Clerus Polonicus nuncios in Hungariam ad Ludouicum Regem

Sub eodem quoque tempore cum *Ioannes Gneſnenſis* Archiepiſcopus, & omnes ſui Epiſcopi *Poloniæ*, iniurias ſuas & grauamina, quæ ipſis & Eccleſiis, Cleroque eorum aſſidue a militibus inſolenter bona Eccleſiæ diripientibus, queſturi, fratrem *Andream Ceretenſem* Epiſcopum Suffraganeum, *Bartham*, Cantorem *Wladislauienſem*, *Nicolaum* de *Stronow* Canonicum *Cracouienſem*, ad *Ludouicum* præfatum Regem vſque *Budam* fatigaſſent, petentes *iniurias ſuas reformatum iri, & grauamina tolli*; non aliud obtinuerunt reſponſum, niſi *Ludouicum Regem, dietam inſtituturum generalem, & in ea grauamina Eccleſiæ correcturum.*

1380 *pro leuandis atque reformandis iniuriis, quas a Nobilitate perferebat, mittit.*

Floriano Epiſcopo Cracouienſi

Florianus Cracouienſis Epiſcopus, dum annos tredecim in Pontificatu exegiſſet, ſexta Februarii, ad horam extremam perueniens, moritur, & in Eccleſia *Cracouienſi*, in capella Sancti *Thomæ* per eum dotata, ſub tabula ærea ſepelitur. Hic in oppido *Bodzanczin* caſtrum muro prudenti, diſpoſitione erexit; & tam *Bodzanczin* quam *Ilza* oppidum, muro & turribus cinxit. Eccleſiam in *Dobrouoda*, & alteram in *Voglyeſchin* villa patrimonii ſui muro conſtruxit. Calicem aureum gemmis pretioſis decoratum, caſſulam & dalmaticas de flaueo axamento, pro decore domus Dei, Eccleſiæ *Cracouienſi* reliquit. Domum lapideam & in aliqua parte ſui muris refertam, Capitulo *Cracouienſi* tradidit: Obligans habitatorem eius ad duas marcas, Vicariis *Cracouienſibus*, pro eius anniuerſario perſoluendas. Altare ſancti *Ioannis* ante Portam Latinam, data decima in *Pielgrzymowicze*, dotauit. *Cracouienſe* autem Capitulum in Dominica *Lætare*, ad electionem alterius Pontificis procedens *Zawiſzium* de *Kurozwaki* Archidiaconum *Cracouienſem*, genere Nobilem de domo *Roſæ Eliſabeth* ſeniori Regina *Hungariæ*, apud quam Vice Cancellariatus fungebatur officio, & *Ludouico* filio eius *Hungariæ* & *Poloniæ* Rege operantibus, per viam compromiſſi, eligit. Cuius electio a *Ioanne Gneſnenſi* Archiepiſcopo in *Caliſch*, feſto die Paſchæ confirmata, & ipſe *Zawiſzius*, de mandato *Vrbani* ſexti, per *Strigonienſem* Archiepiſcopum, in *Strigonio* in Epiſcopum conſecratus.

ſuccedit Zawiſzius de Kurozwaki,

1381 *Moritur Eliſabeth ſenior Hungariæ Regina.*

Eliſabeth Caroli olim *Hungariæ* Regis relicta, filia *Wladislai Loktek*, & ſoror *Caſimiri* Poloniæ Regum, genitrix vero *Ludouici Hungariæ* & *Poloniæ* Regis, vigeſima nona Decembris, in ætate grandæua, in caſtro *Buda*, *moritur*, & in monaſterio in inſula *Budenſi*, ſepelitur. Qua excedente, *Ludouicus Hungariæ* & *Poloniæ* Rex, nouum & iuſtiorem in Regno *Poloniæ*, qui quaſi matre ſuperſtite prouenire non poterat, ſtatum formaturus, Prælatis & Baronibus *Poloniæ*, conuentum apud *Budam* pro medio Quadrageſimæ indicit: offerens *ſe pro die illa ſingulorum oppreſſorum & grauatorum querelas & cauſas iuſto & legitimo ordine expediturum.* Ad quam licet longa diſtantia porrectam, frequens Prælatorum & Baronum, de ſua Republica & eius ſtatu conſeruando aſſidua meditatione ſollicitorum, frequentior tamen ex grauatis & paſſis iniuriam, numerus ex *Polonia* Regno conueniſſet; poſt plures tamen deliberationes & tractatus, ad formandum ſalubrem Regni *Poloniæ* ſtatum diebus aliquot habitos, nulla ſalubris & efficax reperiebatur via, ſingula enim quæ propo-

Et Rex Ludouicus conuentum Polonis indicit prope Budam.

1381 propoſita erant, verebantur propter Regis abſentiam, in irritum reciſura. Et tandem paucis ſuggerentibus, & pluribus improbantibus, A captum, & a *Ludouico* Rege decretum eſt, *vt apud Zauiſſam Epiſcopum, Dobeslaum de Kurozwaki Caſtellanum Cracouienſem, & Sandiuogium de Subino Palatinum Caliſſienſem & Capitaneum Cracouienſem, Vicariatus & adminiſtratio totius Regni Poloniæ conſiſtat. Ii quoque tres, & Rempub. Regni Poloniæ ſtabiliant, inſolentes & violatores compeſcant, iuraque reddant poſcentibus.* Quo promulgato decreto, *Ludouicus* Rex conuentum diſſoluit, & querulantium, qui ex longinquo ad eum *Budam* aduenerant, cauſas, nedum vt pollicitus erat expedire, ſed nec audire ſuſtinuit; uerum B ſingulos ad deciſionem *Zauiſſii* Epiſcopi, *Dobeslai* Caſtellani, & *Sandiuogii* Capitanei, *Cracouienſium*, Vicariorum ſuorum in Regno *Poloniæ*, remiſit. Ab eo itaque tempore *Zauiſſius Cracouienſis* Epiſcopus, ſe Regni *Poloniæ* Vicarium & ſcripſit & geſſit: & frequentiſſimum militum, familiarum, & equorum, ſubuectionumque numerum, ut regiam magis quam Pontificalem æſtimares, in ſua curia tenuit. Cui etiam pro bene adminiſtrando Vicariatu prædicto, *Ludouicus* omnes dignitates & officia in Regno *Poloniæ* conferendi, pro ſuo arbitrio, Caſtellanatu & Palatinatu *Cracouienſi* exceptis per certi tenoris literas, quæ in *Cracouienſi* conſeruantur Eccleſia, plenam contulerat facultatem. Quam cæteri Proceres *Poloniæ* plurimum carpebant & improbabant, velut ſibi grauem, ignominioſam & liuoroſam.

Illi Zauiſſium Epiſcopum, Dobeslaum de Kurozwaki Canonicum, & Sandiuogium de Subino Capitaneum Cracouienſes, Vicarios Poloniæ Regni creat,

omniaque officia conferendi Epiſcopo tribuit poteſtatem.

Oppolienſi, Wielunenſi, & Dobrzinenſi Duce *Wladislao* ſoluta dote relictæ *Caſimiri Stetinenſis* olim Ducis, Ducatus *Dobrzinenſis* conſecuto poſſeſſionem, & a colonis duntaxat villarum, quas in Ducatu *Dobrzinenſi* Eccleſia *Plocenſis* obtinet, mediam marcam de laneo pro tributo exigente; decimas inſuper campeſtres manipulo ſoluere detrectante; *Dobeslaus Plocenſis* Epiſcopus ſuæ Eccleſiæ grauamen non ferens, Ducem *Wladislaum* ſuosque Officiales, Capitaneos, & Præfectos, cenſuris, quibus in vniuerſa *Gneſnenſi* Prouincia paritum D eſt, percellit, loca etiam in quæ deuenirent, Eccleſiaſtico ſupponens interdicto. Cumque cenſuras ipſas aliquanto tempore tolleraſſet, & Sacramentalis illi pro feſto Paſchæ negata fuiſſet communio, ad *Ioannem Gneſnenſem* Archiepiſcopum perſonaliter ſe contulit, & tum in ea re, pro qua excommunicabatur, tum in ſuggeſtione, quam apud *Ludouicum* Regem, de non remittendo tributo *Poradlne* Eccleſiarum colonis, fecerat, reatum ſuum recognoſcens, obtulit ſe ad arbitrium Archiepiſcopi pro ſingulis ſatisfacturum. Abſolutus itaq; ab Archiepiſcopo, XIII. Maii, expoſt cum *Dobeslao Plocenſi, Sbiluto Wladislauienſi*, Epiſcopis, eorumq; Capitulis, in caſtro *Zlotoria* conuentu acto, & grauamen ſuſtulit, & omnem pecuniam pro iniuſto, & a *Ludouico* Rege relaxato tributo, 1381 poſt varias altercationes, quibus ſibi exactarum pecuniarum ſummam ſummopere indulgeri conatus eſt, *Plocenſis* Epiſcopi *Dobeslai*, qui ad huiusmodi remiſſionem faciendam nulla prece aut ingenio flecti poterat, viſa conſtantia, reſtituit.

Oppolienſis Dux prohibens decimarum ſolutionem ex terra Dobrzinenſi a Plocenſi Ep. excommunicatus, ad earum ſolutionem cogitur.

Decima ſeptima Iunii, *Semouitus* totius tunc *Maſouiæ* vnicus Dux, *Troydeni* filius, in caſtro *Plocenſi* mortuus, patribus ſuis appoſitus eſt, & in Eccleſia *Plocenſi* tumulatus; tres filios, quorum duos ex prima vxore, filia *Nicolai* Ducis *Oppauiæ*, videlicet *Ianuſſium* & *Semouitum*, tertium *Henricum* ex filia *Wladislai* Ducis *Zambicenſis*: item duas filias, quarum vnam *Wladislao Oppolienſi, Wielunenſi, & Dobrzinenſi*, alteram *Caſimiro Stetinenſi*, quo abſumpto, *Henrico* filio *Bregenſi*, Ducibus, in coniuges tradiderat, relinquens. Qui dum ſecundam vxorem *Zambicenſis* Ducis filiam, cuius propter formæ raritatem venuſtatemque nimio zelotypio detinebatur & amore, ex auiſamento ſuæ ſororis *Teſſnenſis* Duciſſæ, quæ a nonnullis *Semouiti* ſeruitoribus, facinus Duciſſæ apud coniugem prodere verentibus, acceperat, ſtupri conſuetudinem cum quodam nobili geſſiſſe, didiciſſet, quamuis ab ancillis ſuis nullis tormentis facinoris huiusmodi confeſſio exprimi poterat, a punitione illius (vterum enim tunc impleuerat) abſtinuit. Viri- C li vero partu edito, per ſatellites coniugem iugulauit. Notatum autem de adulterio in *Pruſſia* captum, equis primo diſtractum, in patibulum egit. Indignatione deinde mitigata, mox ingenti torquebatur pœnitentia & dolore, præcipue cum videret filium *Henricum* per eam genitum, & per filiam ſuam Duciſſam *Caſimiri Stetinenſis & Dobrzinenſis* relictam educatum, formam ſuam expreſſiſſe. Hunc proceſſu temporis literis eruditum, ſingulari amore & charitate proſecutus, primum in *Plocenſem* deinde in *Lancicienſem* Præpoſitum promoueri obtinuit. Aſſecutioni autem *Lancicienſis* Præpoſituræ, Archiepiſcopali prouiſione *Petcze* de *Grabow* ſe opponenti, & Ducis familiares ex dote & curia Præpoſituræ *Lancicienſis* ignominioſe illos eiicienti *Semouitus* Dux iratus, in furiamque verſus, vno exercitu introitus & decimas Præpoſituræ *Lancicienſis* occupauit; altero caſtrum *Lowicz* obſedit, nec ante ſoluit, donec ſpoliis multis patratis, *Petka* prouiſioni ſuæ ceſſit. Pluribus hic libertatibus *Gneſnenſem, Plocenſem, & Poſnanienſem* Eccleſias in adoleſcentia extulerat: quas poſtea in altiori ætate reſcindere conatus ignominioſas cenſuras & interdicti ſententias, in eum & Ducatum ſuum fulminatas pertulit. In milites & ſubditos ſuos ſæuus & præceps, in omni fere vita. Singulis oneroſus: graues talias, ſubuectiones, & exactiones crebras, a militaribus & popularibus exigens, quo facilius liberalitatem qua pollebat, produceret, & ſumptus

Semouitus Dux Maſouiæ moritur, tres filios relinquens.

Hic ſecundã coniugem interfecerat.

1381 diffuſos expenſaſque inutiles, æquo tenore continuaret. Ducatu autem *Maſouiæ* in duos tantummodo filios ſuos bipartito, *Lanuſſio Varſchouienſis* ceſſit Ducatus, *Semouito Plocenſis*

Carthuſienſium monaſterium in villa quatuor miliaribus a Gdansk diſtante fundatur.

Carthuſienſe mon ſterium, octaua Auguſti, inter duos lacus, prope villam * *** quatuor miliaribus a ciuitate *Gdansk* diſtantem, in *Wladislauienſi* diœceſi fundatur: Et locus ex eo tempore *Paradiſus Mariæ* vocitari cœptus eſt. Fundatum eſt autem monaſterium prædictum, per *Ioannem Ruſczinski* militem, natione & genere *Polonum*: qui pro inſigniis nobilitatis ſuæ Leonem cum capite Sturionis deferebat. Is in dotem præfato monaſterio tres villas ſuas hæreditarias donauit, *Kolpin*, *Czaple*, & *Gdinya*, de prope fluuium *Radunya* in terra *Pomeraniæ* conſiſtentes. Fuit autem id ſecundum monaſterium pro ordine & religione Carthuſienſium in *Regno Poloniæ*, & ſub *Polonica* Eccleſia fundatum. Ad quod formandum & incolendum, fratres ex *Pragenſi* monaſterio Carthuſienſium aſſumpti ſunt; felicius illic habitaculum, & diuturnius, quam in *Praga*, vbi illorum, hæreſibus *Bohemia* infecta, ſecuta eſt eiectio, habituri.

Vicarii Regni Poloniæ per Ludouicum Regem deputati euntes in maiorem Poloniam miniſtraturi iuſtitiam, nulli querulanti eandem faciunt.

In maioris *Poloniæ* terras, & primum in *Brzeszczie*, in craſtino ſancti *Ioannis* Baptiſtæ, deinde *Kruſ wiciam*, *Trzemeſznam*, *Gneſnam*, *Poſnaniam*, & *Caliſch*, *Dobeslaus* de *Kurozwaki* Caſtellanus, *Sandiuogius* de *Subino* Capitaneus *Cracouienſis*, & Magiſter *Ioannes* de *Naſziechowice* Archidiaconus & Cancellarius *Cracouienſis*, ingreſſi, & cuilibet querulanti & oppreſſo iuſtitiam; hæreditatibus vero ſpoliato reſtitutionem, per generale edictum, proclamatione in foris publicatum, adminiſtrare polliciti, magno fauore hominum excepti ſunt. Verum dum pro conſtitutis ad reddendam iuſtitiam diebus, frequens querulantium, oppreſſorum, & ſpolium hæreditatum ſuarum paſſorum, numerus confluxiſſet, & iuxta Baronum præfatorum ordinationem, querelas ſuas, oppreſſiones, & ſpolia, atque iniurias contra Capitaneos & Præfectos regios, in ſcriptis oſtendendo hæreditatum, a quibus pulſi erant, Priuilegia offerrent, illi querulantes & oppreſſos de loco in locum ſe ſubſequi, quaſi deliberabundi de ferenda ſententia, iuſſos, magnam multitudinem ſe vſque in *Caliſch* ſequentium, & cauſas eorum quas ſe deciſuros promiſerant, vno abſoluerunt reſponſo. Reſponderunt ſiquidem *Zauiſſii Cracouienſis Epiſcopi, qui inter eos vicarius Regni primarius cenſebatur, obſtante abſentia, quem ſperauerant pro feſto Sancti Iacobi ad eos acceſſurum, de adminiſtranda iuſtitia, & de reſtituendis hæreditatibus, ſibi potentiam Regiis literis fore penitus interdictam.* Quo audito omnis illa querulantium multitudo, in fletus & ampliores, quas ferebat, querelas, conuerſa, probris & maledictis Regem, & ſuos Vicarios, a quibus ſe querebatur deluſam, inſectando, in propria rediit.

Barthoſcius de Chotel ex caſtro Odolanow quod ex eo multos mercatores depactabat,

Improbam temeritatem, & auſus ſceleratos *Barthoszii* filii *Peregrini* de *Chotel*, qui ex caſtro Regni *Poloniæ Odolanow*, prædis, ſpoliis, & rapinis, vicinam illi oram vaſtauerat, & quoſdam *Gallicos* milites & mercatores captos, depactatoſque, ad ſolutionem notabilis quantitatis arctauerat; *Ludouicus Hungariæ & Poloniæ* Rex, conquerentium aſſiduitate permotus, oppreſſurus, *maioris Poloniæ* terris bellum, per literas & Capitaneos ſuos indixit; obſiderique caſtrum *Odolanow* & expugnari mandauit.

per Domarathum maioris Poloniæ Capitaneum iuſſu Regio

Vniuerſis itaque militibus terrarum *maioris Poloniæ*, iuxta iuſſum Regis, ſub ductu *Domarathi maioris Poloniæ* Capitanei, in huiuſmodi expeditionem proficiſcentibus, vndecima Septembris, poſt varias vaſtationes & ſpolia, in villis *Gneſnenſis* & *Lubucenſis* Eccleſiarum commiſſa, *Skarbimirzice* villam Præpoſituræ *Gneſnenſis*, frequentior conuentus habitus eſt. Vbi *Barthoſzio* pacem petente, in aliquot dierum ſtatiuis, pax his conditionibus componitur: *Vt Barthoſzius caſtro Odolanow excedat, illudque Regiis Capitaneis conſignet, decem & octo florenorum millia, pro quibus caſtrum Odolanow cum ſuis pertinentiis æſtimatum eſt, & illorum ſolutionem, a Rege & ſuis Vicariis & Præfectis (pecunia tamen qua Gallicos mulctauerat, de numero decem & octo florenorum millium præfatorum, primum defalcata & detracta) habiturus.* Quibus omnibus adimpletis, belli inteſtini exortus ſtridor conquieuit.

datis illi decem octo millibus florenorum ac damnis ex illis defalcatis eiicitur.

Eam expeditionem, qua eccleſiaſtica bona plurimum afflicta ſunt, caſtri Archiepiſcopalis *Vnyeiow*, in hunc modum proueniens, occupatio ſecuta eſt. Inter epulas ſiquidem, a *Petraſſio Malocha Lancicienſi* Capitaneo in prædio regio, quod *Dabie* appellabatur, inſtructas *Pelka* Præpoſitus *Curzelouienſis*, & caſtri *Vnyeiow* tenutarius, a *Nicolao* Caſtellano *Lancicienſi*, ſuborta occaſione quarundam venationum contentioſo ſermone familiaribus Præpoſiti ſedata contentione abeuntibus, cultro percuſſus, illico expirans, interficitur. Familiares autem *Pelcze* Præpoſiti, nece ſui domini comperta, fugientem *Nicolaum* Caſtellanum *Lancicienſem* conſecuti calente & ſubminiſtrante iuſta ira vires, pluribus vulneribus inflictis perimunt. Germanum ſuum *Pelka Curzelouienſem* Præpoſitum, *Bernardus* de *Grabow Sandomirita*, in cuius fidem caſtrum *Vnyeiow* diſcedens commendauerat, intelligens in ſeditione huiuſmodi extinctum, Archiepiſcopali theſauro effracto ſexingentas marcas in auro & argento exinde ſuſtulit. Et magno pecorum pecudumque numero mactato, & in caſtrum importato, qui decim diebus rebellis ſuo Domino, Archiepiſcopo *Gneſnenſi*, permanſit, donec per *Domarathum maioris Poloniæ*, *Petraſſium Malocha Cuiauiæ*, Ca-

Pelka Præpoſitus Curzelouienſis & Capitaneus Vnyeiouienſes a Nicolao Caſtellano Lancicienſi inter epulas cultro interficitur. Qui & ipſe a familiaribus Pelcze necatur.

Cuius frater in Vnyeiow exiſtens effracto theſauro Archiepiſcopo rebellis factus 1381

1381

Capitaneos; *Derslaum*, *Gneſnenſem*, *Grzimalam Coſtrzinenſem* Caſtellanos, pactis, quibus ſibi ablatorum & patratorum plena daba tur remiſſio, perſuaſus & illectus, fidefragus & infamis, caſtro excedens, illud Archiepiſcopo *Gneſnenſi* reddidit.

caſtrum ſub pactis vix reſtituit.

Dobeslao Plocenſi Epiſcopo

Prima Decembris, *Dobeslaus* cognominatus *Sowka Plocenſis* Epiſcopus, in defendenda Eccleſiaſtica libertate propugnator, & diſperditorum collapſorumque inſtaurator egregius, dum annis tantummodo XIII in *Plocenſi* ſede ſediſſet, in quodam rure prope *Gorzno*, ex *Puttowsko* tranſitum faciens, ſedendo ad menſam moritur, apoplexia inuaſus. Quo nondum in Eccleſia *Plocenſi*, vbi illi tumba comparata erat, ſepulto, Ducibus *Maſouiæ*, *Ianuſſio* & *Semouito*, inſtigantibus, abſentibus non vocatis electione feſtina celebrata, *Stiborius* Archidiaconus *Plocenſis* eligitur. Cuius electio, nemine improbante, decima octaua menſis Decembris, a *Ianuſſio Gneſnenſi* Archiepiſcopo apud *Znenam* confirmatur. Cui quidem confirmationi *Stiborius Plocenſis* Epiſcopus parum fidens, velocem nuncium in vrbem tranſmittit. Qui receptis a *Iudæis Cracouienſibus* ſexingentis ſexaginta marcis latorum groſſorum, cum accreſcentia vſurarum, *Romam* pertingens, alteram confirmationem ab *Vrbano* ſexto, in ſua obedientia nominato, reportauit, in nullo ſibi neceſſariam aut fructuoſam.

ſuccedit Stiborius.

Nicolaus Præpoſitus Gneſnenſis damnatus furti in Cameram Apoſtolicam commiſſi perpetuis carceribus deputatur.

Anno eodem, die vigeſima Decembris, *Nicolaus* de *Strosberg*, Præpoſitus *Gneſnenſis* & Sedis Apoſtolicæ fructuum ex Regno *Poloniæ* collector, a *Thoma* Epiſcopo *Lucerino* Nuncio Apoſtolico, Cameram Apoſtolicam primum in mille quingentis florenis, quos reſtituere cogebatur, deinde ſuſpicione aucta ex quitationibus & Regeſtris Succollectorum, coram ſe per compulſoriam productis, in duodecem millibus florenorum decepiſſe, conuictus, capitur, & perpetuis carceribus deputatur.

Ad diuturnam Eccleſiæ *Wratislauienſis* turbationem, quam per vacationem ſui Pontificis annis ſex iam pertulerat, alia quoque amplior anxietas, fortuna in eum annum moleſtiam ſuper moleſtiam cumulante acceſſit. Ceruiſiæ ſiquidem *Swidnicenſis* propinationem, per maioris & Sanctæ Crucis Eccleſiarum *Wratislauienſium* vicarios, in eorum domibus tractatam, Conſules *Wratislauienſes*, damnoſam eorum lucris rati, abrogaturi, graui prohibent edicto, ne aliquis *Swidnicenſem* potum, pro Clero *Wratislauienſi* audeat *Wratislauiam* inferre. Vector interim quidam a *Ruperto Legnicenſi* Duce, aliquot vaſa præfatæ ceruiſiæ *Henrico* Decano *Wratislauienſi* germano, dono ad celebritatem inſtantis Natalis *Chriſti* miſſa, aduehens, Conſules *Wratislauienſes* rogat, *vt liceret illi cum ceruiſia prædicta ad Decanum, cui mittebatur, habere ingreſſum.* Conſules vero rigorem ſuæ auctoritatis extenſius quam conueniebat promulgaturi; vectore capto ceruiſiam etiam auferunt. Propter quod *Venceslaus Lubucenſis* Epiſcopus & *Wratislauienſis* Eccleſiæ Sede vacante Adminiſtrator, Capitulo *Wratislauienſi* conſulto, *Wratislauienſem* Eccleſiaſtico ciuitatem ſupponit interdicto. Et cum Prælatis & Canonicis, Cleroque *Wratislauienſi*, in *Niſſam*, ſeditionem popularem veritus, tranſmigrat. Sedaturus itaque dudum gliſcentem, & tunc per operis effectum vehementer initiatam inter Clerum & populum *Wratislauienſem* diſcordiam, *Venceslaus Bohemiæ* Rex, *Wratislauiam* die vigeſima ſeptima Iunii aduenit. Et propter aduentum ſuum a Clero qui relictus fuerat, diuina reſumi petiit; offerens *ſe Conſules Wratislauienſes, culpa eorum cognita, ad refuſionem damnorum coacturum.* Sed Clero abnuente, ne in profanationis vitium incideret, Rex *Venceslaus* iratus, Abbatem Sanctæ *Mariæ* de Arena penultima Iunii captiuat, & octo diebus in Prætorio *Wratislauienſi* detinet captiuatum. Pertuliſſet eandem ſortem Sancti *Vincentii* extra muro Abbas frater *Marcus*, niſi ſe altera die in inſula, diuina coram Rege celebraturum fingens, nocte inſequenti cum ſingulis ſui monaſterii Canonicis, ex monaſterio omnium victualium abundantia referto, fugiens in Regnum *Poloniæ*, in monaſterium *Strzelnenſe* ſui ordinis, vbi tutus conſtitit, diuertiſſet. In oppida deinde & villas Eccleſiæ & monaſteriorum ſæuitum eſt, & tam ingens pecorum pecudumque numerus, villis eccleſiaſticis, mandato Regis, per *Bohemos* ſpoliatis, *Wratislauiam* inuectus eſt, vt ducentæ oues pro tribus marcis communibus, bos & vacca pro fertone, exhiberentur venales. Non tamen ea vilitas pretii pecorum numerum abſumere potuit, quin maior illius portio ad venundandum in *Bohemiam*, propter emptorum penuriam pelleretur. Vniuerſis itaque Prælatis & Canonicis, ac ſingulis de *Wratislauienſi* Clero tyrannidem pertimeſcentibus regiam, in varia loca, prout quemque ſors tulit, diffugientibus, *Venceslaus Bohemiæ* Rex, curiam Epiſcopalem, curiaſq; monaſteriorum, Canonicorum, Vicariorum, & quorumlibet Spiritualium, militibus ſuis ſpoliandas, diripiendas, & occupandas permiſit. A quibus aurum, argentum, pecunia, vaſa, veſtimentaque pretioſa, & varia rerum concupiſcibilium ſuppellex, in notabili quantitate, etiam non in locis tantummodo clauſis, quæ confregerant, ſed etiam abditis, & mira auiditate ſcrutatis reperta, Rege partem tollente, diuiſa atque direpta eſt. Oppida inſuper & villas Eccleſiæ, obedientiam & tributa iuſſit ſibi præſtari: abnuentes ſuum imperium grauibus pœnis mulctari. Durauit hæc occupatio notabili tempore, Rege *Venceslao*, & *Bohemis*, Eccleſiarum monaſteriorumque ſubſtantias, prædia, & plena promptuaria, pro libito conſumentibus & ex patrimonio IESV CHRISTI, rebusque diuino nomini

1381

Wratislauienſem Eccleſiam Wenceslaus Bohemiæ Rex bonis omnibus priuat,

& domos omnium ſpiritualium prædæ committit,

Ac nihil cuiquam dando omnia bona occupat,

1381 mini dicatis, opipare veſcentibus, & aſſidue agentibus conuiuia ſplendida, profuſa, & delicata.

Inuadens Siciliam Ludouicus Hungariæ & Poloniæ Rex, per Ducem Duratiæ affinem ſuum

Inſtigatus multipliciter & perſuaſus *Ludouicus Poloniæ* & *Hungariæ* Rex, per *Vrbanum* ſextum, ad inuadendum Regnum *Siciliæ*, quod tunc *Ioanna* Regina cum *Othone* Duce *Brunſzwicenſi*, marito ſuo ſecundo obtinebat, *Carolum* Ducem *Duratiæ*, affinem & aulicum ſuum, cum ducentorum armigerorum comitiua tranſmittit; recepturum vltionem de præfata *Ioanna* Regina, quæ virum ſuum & fratrem patruelem *Stephanum*, & germanum *Ludouici* crudeliter peremerat. Qui cum auxilio & ſumptibus dicti *Vrbani*, *Neapolim* & plura caſtra Siciliæ *conquirens*, etiam *Ioannam* Reginam cum viro ſuo *Othone* cepit. Et *Ioannam* quidem Reginam ad quoddam caſtrum in *Aprutio* deductam, miſſis quatuor *Hungaris*, ſtrangulauit; *Othonem* vero poſt triennium ex quo captus fuit, in carceribus extinxit. In hunc quoque modum *Ioanna* interempti mariti & fratris ſui, iuſtiſſimas pœnas ſoluit.

Ioannam cum marito, qui Siciliæ præerat, capit, & interimit.

1382 Duodecima Ianuarii, *Zauiſſius Cracouienſis* Epiſcopus cum annis duobus & dimidio *Cracouienſi* Eccleſiæ præfuiſſet, in villagio Eccleſiæ ſuæ *Cracouienſis Dobrouoda*, prope *Visliciam* ſito, infirmatus, ſiue vt nonnulli ſcriptis & relatione tradidere, dum aceruum ſcala aſcendere niteretur, colliſus, moritur, & in Eccleſia *Cracouienſi* in Corporis Chriſti capella ſepelitur. Patre autem *Dobeslao* Caſtellano *Cracouienſi*, & *Krzeslao* germano Caſtellano *Sandomirienſi* ordinantibus, militari more pompa ſui funeris, equis purpura velatis cadauer præcedentibus, & tandem in Eccleſiam introductis, acta eſt. Propter quod nocte ſubſequenti a ſanctuariis, vigilias in Eccleſia *Cracouienſi* obſeruantibus, ſtrepitus velut equorum, & vociferatio dæmonum audita eſt, vt monſtraret Dominus pompam funebralem, mundano more introductam, in corporibus militum exoſam, in Pontificum deteſtandam fore. Hic anno Pontificatus ſui ſecundo, Collegium manſionariorum de ſeptem perſonis, quæ officium Virginis benedictæ Dominæ noſtræ in Eccleſia *Cracouienſi* iugiter pſallerent, donando duodecim decimas manipulares, & unum hortum in nigra villa menſæ Epiſcopalis, fundauit. Felix profecto eo vno opere, qui rem multipliciter meritoriam, & *Cracouienſem* Eccleſiam decorantem, ab omnibus prædeceſſoribus ſuis neglectam inſtaurauit, & primus atque vnus inclytum & ſingulare meritum rapuit. Fundauit & Eccleſiam Parochialem in villa patrimonii ſui *Chodow*, in villa *Poremba*, & aliis, decimas manipulares eis largiens pro dote. Cuius contemplatione & interuentu villa *Pieſtrzecz* cum allodio dicto *Kruſchice*, & domus lignea cum turri lapidea in caſtro *Cracouienſi*, in recompenſam Domus Epiſcopalis, quæ nunc granarium vocitatur

Zauiſſius Epiſcopus Cracouienſis aceruum aſcendens ſcala colliſus moritur, & militari pompa in Eccleſia Cracouienſi ſepelitur. Obidque nocte inſequenti in eadem Eccleſia ſtrepitus equorum & vociferatio dæmonum audita. Is manſionarios in Eccleſia Cracouienſi fundauit.

regium, receptæ per *Ludouicum Hungariæ* & *Poloniæ* Regem collata eſt. Vir, ſi nonnullorum ſcriptis ſtandum eſt, mundanis amplius quam diuinis inhians, & ad illecebras procliuus carnales. Die autem Purificationis Sanctæ *Mariæ*, pro eligendo futuro Pontifice *Cracouienſi* a Capitularibus indicta, *Ioannes Radlicza* Medicinæ Doctor, Canonicus *Cracouienſis*, & Regni *Poloniæ* Cancellarius, affectuoſiſſimis precibus pro eo *Ludouico* Rege apud *Cracouienſe* Capitulum intercedente, cum & probitate & virtute eſſet inſignis, electus eſt. Hic ſiquidem *Ioannes* ortum habens ex *maiori Polonia*, ex parentibus nobilibus de domo & familia, Galeam nauticam alias *Korab* deferente pro inſigni, patre *Michaele*, matre *Criſtina*, de villa *Radlicze* prope *Caliſch*, poſt liberalia ſtudia in adoleſcentia abſoluta, in virile robur euadens, Medicinis (natura eum ad id vnum magis inclinante) operam dedit. Et pro conſequenda Medicinæ artis peritia, *Galliam* adiens in *Monte Peſſulano* annis pluribus immoratus, & *Ludouico Hungariæ* & *Poloniæ* Regi, variis inuoluto ægritudinibus a Rege *Francorum* medicos ſibi expertos mittere petenti, deſtinatus, facile pro doctrina artis ſuæ, qua etiam ex naturali inſtinctu pollebat, & Regis *Ludouici*, & Baronum *Poloniæ*, in ſe prouocat affectum. Electione ſua a *Ioanne Gneſnenſi* Archiepiſcopo confirmata, & ipſe, *Vrbano* ſexto iubente, in Epiſcopum conſecratus.

Ioannem Radlicza Medicum habuit ſucceſſorem.

Decima octaua Martii, *Nicolaus* de *Kurnik Poſnanienſis* Epiſcopus, cum biennio in loco genitalium grauiſſimo cancri morbo vreretur, febre quartana correptus, in gutture & lingua adeo vlceratus, vt officio loquelæ priuaretur, in curia Eccleſiæ ſuæ *Ciazin* moritur, & in Eccleſia *Poſnanienſi*, vigeſima prima eiuſdem menſis ſepelitur. Vir loquax, & in altercationes atque lites, plusquam grauitati Pontificali conueniret, præceps. In cuius locum vigeſima nona Aprilis, a Prælatis & Canonicis *Poſnanienſibus*, electionem de futuro Paſtore apud Poſnaniam celebrantibus, *Nicolaus* Scholaſticus *Poſnanienſis*, conformi electione ſuffectus eſt. Cuius electione *Ioannes Suchiwilk* Archiepiſcopus *Gneſnenſis*, in grabbato apud *Zneam* graui languore decumbens, velut iuſta & Canonica confirmata, quinta die Aprilis in Paſchæ vigiliam cadente, poſt crepuſculum *Znena* de vita excedit, annis nouem in *Pontificatu* exactis. Cuius theſaurus, & omnis Archiepiſcopalis ſupellex, illico per nepotes, fratres, & conſanguineos ſuos, in frequenti numero præſentes, quibus plusquam ſat erat, carnali amore affectus, ſingula *Gneſnenſis* Eccleſiæ caſtra gubernanda tradiderat, direptus eſt. Singularis & raræ tam prudentiæ quam induſtriæ vir, dum in priuato ſtatu verſaretur, habitus. Ad Pontificale vero culmen promotus, dum iræ indulget, dum affectionem in ſanguinem & carnem depromit,

Nicolaus de Kurnik Epiſcopus Poſnanienſis & Ioannes Suchiwilk Archiepiſcopus Gneſnenſis moriuntur.

dum

1382 dum ſeculari poteſtati Clerum grauanti aſſentit, magis, quam reſiſtit, dum in Sacerdotes ſuæ diœceſis dictis & factis probroſis ſæuit, de priſca prudentia parum viſus eſt retinuiſſe; in *Gneſnenſi* Eccleſia, in chori, quem teſtudine & tecto ornauerat, medio, ſub tabula pulcherrima ærea, *Fladrenſi* ſculpta magiſterio, ſepultus, caſulam nobilem Eccleſiæ *Gneſnenſi* relinquens.

Semouitus Maſouiæ Dux caſtrum Lowicz obſidet, quod a Derslao Archiepiſcopi fratre tenebatur.

Semouitus Maſouiæ & Plocenſis Dux, *Ioannis Gneſnenſis* Archiepiſcopi morte ad ſe feſtino nuncio perlata coactis militibus & agreſtibus in arma, caſtrum *Lowicz* Archiepiſcopale, nulla re læſus, quanquam a *Derslao* Caſtellano *Gneſnenſi* tenebatur, fere ſecunda Paſchæ obſidere expugnareque & bona Eccleſiæ Gneſnenſis diripere cœpit. Miſſus ad eum extemplo a *Gneſnenſi* Capitulo *Andreas Ceretenſis* Epiſcopus Eccleſiæ *Gneſnenſis* Suffraganeus. Qui cum obſidionem ſoluere ſuaderet, & *ex qua cauſa eam intuliſſet*, inquireret, accepit reſponſum, *Ducale ius ſuum exiſtere, vt caſtrum Lowicz nemo alius, ſub vacatione Eccleſiæ Gneſnenſis, quam ipſe poſſideat. Non ſe tamen iuris huiusmodi vſum ſibi vendicaturum, & ab obſidione caſtri temperaturum fuiſſe, ſi illius tenuta & gubernatio, apud aliquem ex Canonicis Gneſnenſibus, non apud ſuum præcipuum hoſtem Derslaum Caſtellanum Gneſnenſem conſiſteret.* Ea reſponſio Ducis, & accelerare futuram electionem Archiepiſcopalem, & magis conformem fore coëgit. Sedecimaque Aprilis *Dobrogoſtius* de *Nowidwor* Decretorum Doctor, Decanus *Cracouienſis* & Cantor *Gneſnenſis*, genere Nobilis, de domo *Nałęcz*, concordibus votis canonice electus, ſuo & Capituli *Gneſnenſis* nomine, *Bronislaum* Cancellarium, *Boguslaum*, Canonicos *Gneſnenſes*; *Sandiuogium* de *Kazimierz*, *Ioannem* de *Czarnkow* Iudicem *Poſnanienſem* Caſtellanum *Naklenſem*; *Oſſeponem* de *Grodzisko*, ad Ducem *Semouitum* continuantem obſidionem, deſtinat. Quibus obſidionem petentibus ſolui, deſtitutionemque *Derslai* Caſtellani *Gneſnenſis* pollicentibus, *Semouitus* Dux morigerum ſe præbens, grauibus damnis irrogatis, de agro & obſidione abſceſſit, *Derslaoque* deſtituto & familiaribus, qui obſidionem tolerabant, ducentis marcis ſalariatis, *Boguslaus* Canonicus *Gneſnenſis* poſſeſſionem *caſtri* accepit.

Tandem Dobrogoſtio de Nowidwor electo, petente inde diſcedit multis incommodis illatis

Ludouicus Rex nullo pacto conſentiens in electiones Archiep. Gneſnenſis & Ep. Poſnanienſis,

Fauorem & conſenſum *Ludouici Hungariæ & Poloniæ* Regis Patroni, pro electionibus ſuis, *Dobrogoſtius Gneſnenſis* & *Nicolaus Poſnanienſis* Electi, obtenturi, *Ioannem* de *Czarnkow* Iudicem *Poſnanienſem* Caſtellanum *Naklenſem*, & *Petrum* de *Znena* Canonicum *Gneſnenſem*, in *Hungariam* deſtinant. Ipſi res, ſumptus & equos, Romam (quo facilior electionum ſuarum ſubſequatur confirmatio) perſonaliter profecturi, expediunt. Sed *Ludouicus* Rex maligna ſuggeſtione præoccupatus perſuaſusque, *Dobrogoſtii* ad *Gneſnenſem* Eccleſiam electionem, ſibi & proli ſuæ pernicioſam fore, cum *Dobrogoſtius* ipſe eo reſpectu electionem conformem ſortitus eſt, vt *Ludouici* morte ſecuta, *Semouitum* Ducem *Maſouiæ* in *Poloniæ* Regem & promoueat & coronet: *Nicolai* vero *Poſnanienſis* Electi, iuri ſuo aduerſarii, nunciis præfatis ægre tertia die admiſſis, & parum benigne auditis, reſpondit: *Se omnifario pacto electiones Dobrogoſtii & Nicolai impediturum.* Vnde per ſe, & per amicos in locis pleriſque, quibus illos verſus Vrbem tranſitum facere ſuſpicatus eſt, ipſis laqueos & tendicula ſubminiſtrat. De quo, dum iter agendo *Wratislauiam* perueniſſent, auiſati, iter ſuum nihilominus quanto cautius poſſunt, maturant, & apud *Treuiſium* in inſidias incidunt, Duceque *Venetorum*, pro Regis *Ludouici* complacentia, iubente, captiuantur. Altero tamen die, *Gneſnenſi* Electo *Dobrogoſtio*, cum ſuis familiaribus & ſarcinis retento, *Nicolaus* Electus *Poſnanienſis* (*Wladislao Opolienſi* & *Wielunenſi* Duce, qui nepotem ſuum germanum *Boleslai Oppolienſis* Ducis filium *Ioannem*, nondum ætatem debitam attingentem, iam tamen eiusdem *Wladislai* Ducis patrui ſui interceſſione, Præpoſituram Sancti *Martini Scepuſienſem* ſortitum, *Bononiæ* literis dantem operam, ad *Poſnanienſem* Eccleſiam conſequendam, *Ludouici* Regis fauore & conſenſu impetrato, promouebat, agente, ne pro captiuitate ipſius, quaſi ab eo ſubminiſtrata, a fratribus & cognatis ſuis hoſtilitate laceſſeretur, & futura ſui nepotis promotio, velut per impreſſionem facta, carperetur,) ex captiuitate & arreſto dimiſſus, *Romam* ire pergit.

& Archiepiſcopum euntem Romã pro confirmatione, Venetiis capi obtinet,

Verum antequam illuc perueniſſet, *Vrbanus* ſextus, propter ſchiſma ab eo deriuatum, Principum fauores ſibi quæſiturus, nunciis *Ludouici* Regis, quos eam ob rem in Vrbem deſtinauerat ſolicitantibus, de *Gneſnenſi* Eccleſia *Bodzanta* de *Scheligi Sandomiriæ*, genere Nobili, de domo quæ Lunam Cruce ornatam defert pro inſigni, quæque ſe *Scheligas* appellat, & generali *Cracouienſi* Procuratori; de *Poſnanienſi* vero præfato *Ioanni* qui *Kropidło* cognominatus eſt filio *Boleslai* Ducis *Oppolienſis*, eo maxime permotus, quod Duces *Oppolienſes*, pari quo & ipſe, glauca videlicet aquila in campo cœleſtino vterentur pro inſigni, nona Iunij prouidit, contemptis ſed nec præſtolatis viris optimis, in regimen vacantium Eccleſiarum legitime acceſſitis. Vigore itaque prouiſionis præfatæ, in grande & euidens *Dobrogoſtii* & *Nicolai* Electorum, præiudicium, & *Bodzanta* in *Gneſnenſem* & *Ioannes Kropidło* Dux in *Poſnanienſem*, Eccleſias, ſucceſſit.

quem poſtea, Bodzanta in Archiepiſcopum, & Ioanne Kropidło in Epiſc. Poſnanienſem confirmatis, dimittit.

Dobrogoſtius Electus *Gneſnenſis*, a captiuitate & arreſto, integris rebus ſingulis ſuis remanentibus, ſolutus in *Poloniam* in feſto Aſſumptionis B. *Mariæ* Virginis reuerſus, ad caſtrum *Lowicz* primum applicuit, ratus ſe illud cum conſenſu & fauore capitulari, contra *Bodzantam*, cum quo de iure Eccleſiæ *Gneſnenſis* certare intendebat,

1382 poſſeſſurum. Sed inde egredi iuſſus *Gneſnam* venit. Et pro ſumptibus, quos pro iure Eccleſiæ proſequendo fecerat, ac pro ſui conſeruatione, ſibi caſtrum *Lowicz* aut *Kamyen* dari depoſcens, in petitione ſua auditus non eſt, reſpondente Capitulo, diſtributionem caſtrorum Archiepiſcopalium nunquam ſibi licuiſſe, multoque minus iam licere, *Bodzanta* confirmato & promoto.

Caſtrum Vnyeiow nepotes olim Suchiwilk Archiepiſcopi Gneſnenſis occupant,

Pertulit & aliud Eccleſia *Gneſnenſis*, mortuo *Ioanne Suchiwilk* Archiepiſcopo, ſuæ calamitatis incommodum; Nam *Petrus* & *Nicolaus* fratres germani, filii *Cztani* de *Strzelcze* & nepotes *Ioannis* Archiepiſcopi germani, quibus Capitulo ignorante, *Caſtrum Vnyeiow* commiſerat, multis grauaminibus & ſpoliis in bonis Eccleſiaſticis patratis, caſtri *Vnyeiow* reſignationem, pro variis terminis pollicitam, facere detrectarunt. Propter quod a *Ioanne* Archidiacono, & *Bronislao* Cancellario Adminiſtratoribus, ſententiis interdicti fuerant irretiti. Quas cum contumaciter contemnerent, mittuntur ad *Ludouicum* Regem in *Hungariam*, *Bronislaus* Cancellarius, vnus ex Adminiſtratoribus, & *Ioannes* de *Trlang* Archidiaconus *Cracouienſis*, & redditionem caſtri *Vnyeiow* petituri, & purgaturi ſuſpicionem, qua Capitulum *Gneſnenſe* falſe accuſabatur, in fauorem *Semouiti Maſouiæ* Ducis, pro conſequendo Regno, in perniciem *Ludouici*, & prolis ſuæ regiæ excluſionem, *Dobrogoſtium* in Archiepiſcopum elegiſſe. Et quamuis caſtrum *Vnyeiow* reddi Rex ſub pœnis diſtrictiſſimis iubebat, non tamen prius ab occupatoribus redditum eſt, donec *Bodzanta* poſſeſſionem Archiepiſcopatus *Gneſnenſis* nactus, inſolentiam eorum partim terrore, partim modeſtia perdomuit.

tandemque ex eo cum ſumma difficultate diſcedunt.

Vacanti Eccleſiæ Wratislauienſi per ſeptennium Venceslaus Lubucenſis Epiſcopus præficitur,

Wratislauienſem Eccleſiam, & eius vacationem *Vrbanus* Papa ſextus reſpiciens, & illius diſpendia, quæ ex ſeptennali vacatione pertulerat, auerſurus, nunciis *Wratislauienſis* Capituli, enixius perſonam *Venceslai Lubucenſis* Epiſcopi, filii *Boleslai* Ducis *Legnicenſis*, efferentibus, & illum Eccleſiæ *Wratislauienſi* pro Pontifice dari obſecrantibus, præfato *Venceslao* Epiſcopo *Lubucenſi*, & Eccleſiæ *Wratislauienſis* Adminiſtratori, de Eccleſia *Wratislauienſi* prouidit, ſubſtituens in *Lubucenſem* Eccleſiam *Adam* de *Kietlicz* Canonicum *Lubucenſem*. Quam quidem prouiſionem *Wenceslaus Bohemiæ* Rex, quod ſe non petito neque conſentiente, expedita fuerit, peroſus, pro ea reſcindenda multiplices conatus edidit. Et ne caſtrorum & ciuitatum Eccleſiæ *Wratislauienſis* ſibi conſignaretur poſſeſſio, Prælatis & Canonicis *Wratislauienſibus* ſub pœnis grauiſſimis interdixit. Pleriſque autem Canonicis *Wratislauienſibus* in ſententiam *Venceslai Bohemiæ* Regis vltro euntibus, & contra prouiſionem *Venceslai* Epiſcopi prouocatione ſe tuentibus, a parte tamen maiori & ſeniori pro legitimo Pontifice habitus, poſſeſſione caſtrorum & ciuitatum Eccleſiæ *Wratislauienſis*, nequicquam Rege interminante, accepit. Serpentibus autem partium ſtudiis & ex temporis diuturnitate fomentum accipiente huiuſmodi diſcordia, tandem ſub iniquis conditionibus ſedata eſt. Per quas & omnia damna Eccleſiæ *Wratislauienſis* per *Venceslaum* irrogata, & quinque millia marcarum *Carolo* Patri ſuo per Capitulum *Wratislauienſe* mutuatarum debita, remiſſa ſunt; & quantitas nouarum pecuniarum, quæ iratum placaret Regem, adiecta. Id tamen vnum pro ſui doloris lenimine, retulit, & eo ſe ſolatur, quod prædictis conditionibus ſancitum eſt, vt Conſules *Wratislauienſes* de nouo creandi, ex Prætorii loco, creatione celebrata, lares proprios non introeant, niſi primum Eccleſia *Wratislauienſi* adita, corporale iuramentum de defendendis & manutenendis iuribus & libertatibus Eccleſiæ, in manibus Canonicorum præſtent. 1382

& eodem tempore ordinatio ſit, ne Conſules Wratislauienſes electi prius intrent domus proprias, quam in manus Capituli præſtiterint iuramentum.

Seditionem & cladem apud *Lithuanos*, & eorum Principes, per plura tempora gliſcentem, in annum vero præſentem erumpentem, præſenti operi inſerturus, a rebus *Polonorum* digreſſionem facere cogor: Principumque *Lithuaniæ*, quibus propitiatione diuina, Principibus *Poloniæ* reprobatis ob facinora, apud Polonos deſtinabatur imperium texere originem, quo rerum geſtarum & gerendarum intelligi clarius poſſit ordo & conditio. Erant *Gedimino*, qui in *Lithuanos* longo tempore dominatione rapta, & iuſto Principe, apud quem Stabulatus officio fungebatur, occiſo, imperium exercuerat, ſeptem filii, quibus Pater, dum adhuc viueret, terras a *Ruthenis* abſtractas & occupatas diuiſit. *Montuino* ſiquidem natu maiori conſignauit *Kernow Slomni*, *Narimunto Piensk*, *Olgyerdo Krenam*, cui Dux *Ruſſiæ* de *Witewsko* vnica quam relinquebat filia in matrimonium tradita, Ducatus ſui ſucceſſionem tradiderat; *Iawnutæ Vilnam* caput gentis, vt magni Ducatus ſucceſſio apud illum conſiſteret; *Kieyſtutho Troky*, *Coryatho Nowogrodek*; ſeptimus & vltimus *Lubardus* ſortem inter fratres non accepit, matrimonium filiæ vnicæ Ducis *Wladimirienſis* ſortitus; Cum qua illi Ducatus *Leopolienſis* & *Wladimirienſis* obueniebant. Inter prædictos autem ſeptem germanos Duces, *Olgyerth* & *Kieyſtuth*, vegetiora ſortiti ingenia, etiam ſtrictiori ſe complexati ſunt glutinio & charitate. Indignumque rati parere *Iawnuthæ*, deiicere illum ex *Vilna* & Ducatu magno, diemque quo deſtinata exequantur, conſtituunt. Serius autem *Olgyerdo* de *Witewsko*, propter itineris longitudinem, veniente, *Kieyſtuth* die qua inter eos conuenerat, cum gentibus armatis *Vilnam* occupat. Parumque abfuit, quin & *Iawnutham* Ducem, nihil hoſtile de *Kieyſtutho* ſuſpicantem, occupaſſet. Qui ſub tu-

Lithuaniæ Dux Gediminus

inter ſeptem filios partitur dominia.

Ex quibus Olgyerth & Kieyſtuth ſimul ſentientes

Iawnutha fratre Vilna

multus

1382 *priuato, expulſoque,*

multus tempore *Vilna* exiliens, in monteſque & ſiluas transmigrans, pedibus præ frigore rigeſcentibus, a perſecutoribus captus, *Vilnam* relatus eſt. Miſit itaque *Kieyſtuth* in fratris ſui Ducis *Olgyerdi* occurſum nuncium, ſignificans ſe & *Vilnam* & Ducem *Iawnutham* cepiſſe. Qui *Olgyerdum* in itinere apud *Krenam* offenſum, celerius, euentu nunciato, venire *Vilnam* coëgit. Quo veniente, quis eorum ad præſidendum in Ducatu magno conſiſtere debeat, aliquanto tempore, vnoalteri deferente honorem Imperii, certamen habitum eſt. *Kieyſtuthum Olgyerdus* iure cogebat victoriæ, *Kieyſtuthus* iure refellebat ætatis. Tandem ea conditio capta, vt aliquibus diſtrictibus inter ſe partitis, Duci *Iawnuthæ* quem eiecerunt conſignaretur *Zaſlaw*, cum ſuis pertinentiis; *Olgierdus Vilnam* & magnum Ducatum obtinens, in ſingulos fratres exerceret imperium. Si una terrarum obueniret occupatio, inter *Olgyerdum* & *Kieyſtuth* ex æquo partiretur. Et vnus alterius fide & iureiurando interpoſito, non ambiret necem aut dominia, ſed pro poſſe procuraret commoda & profectus. Verum quam probe id ſacramentum ſeruatum ſit, ſequentibus narrabimus. Neque enim inter barbaros tuta poſſunt durare fœdera, inter quos verus ignoratur DEus. Nulla quoque viget fides, nullum ſacroſanctum iuſiurandum, nulla legitima religio.

& Olgyerdo omnibus imperante

foedus inter ſe faciunt, atque illud iuramento confirmant.

Olgyerdus Dux Lithuaniæ duodecim filiis relictis

In magnum itaque *Lithuaniæ* Ducatum *Olgyerdus* fauore Ducis *Kieyſtuthi* euectus, felix & inſignis Principatu, ſed multiplici prole felicior cenſebatur. Erant namque illi duodecim filii ex eadem matre *Ruthena*, hæc erat Ducis *Twerenſis* filia, ſuſcepti, videlicet *Iagyello, Skirgyello, Boris, Coributh, Vigunth, Corigal, Marimunt, Langwin, Lubard, Andreas, Buthaw*, & *Switrigello*; omnes adoleſcentes ſpectabiles, quos genitrix eorum ad mores formabat *Græcos*, ritum *Græcum* illis inſtillans. Dux vero *Kieyſtuth* ſex filios ex vna coniuge generans, videlicet *Withawdum, Patrikig, Towil, Sigismundum, Voidat*, & *** Et duobus quidem ex his, videlicet *Withawdo* & *Sigismundo*, principari in Ducatu *Lithuaniæ* contigit. *Towil* in obſidione caſtri *Vilnenſi* ictus bombarda occubuit. *Withawdum*, quod mores patrios, formamque & indolem, ſingillatius expreſſerat, ſingulis anteponebat. Eademque *Iagyellonis* apud *Olgyerdum* fuit ſors & conditio: qui quaſi unum illum genuiſſet, cæteris neglectis, charitate plusquam paterna eum adamabat. Iunxerant & ipſi duo filii a patre amati, ſocietatem inter ſe, & ex aſſiduo contubernio, germanitatis ſe proſequebantur amore. His quoque duobus Patres, *Olgierdus* & *Kieyſtuth*, per mutuas condictationes, ſuorum ſoliorum ſucceſſionem deſtinabant. Abſumitur interim *Olgierdus*, anno Domini milleſimo trecenteſimo octuageſimo primo, Et *Kieyſtutho* ſeruante fidem, *Iagyello* patri in

moritur,

Inter quos Iagyello ma-

A magno Ducatu ſuccedit. Quem *Kieyſtutus* patruus ſuus, eadem, qua patrem ſuum *Olgierdum* ſolitus erat, coluit ſubiectione & reuerentia: frequentando eius ſolium & conſilia, & fideliter conſulendo pro bene adminiſtrando ſuo regimine & Principatu. Sed puritati fidei ſuæ, teterrimo præmii genere reſponſum eſt. Erat apud Ducem *Olgierdum* vir quidam vocitatus *Voydilo*, fortis ruſticanæ & obſcuræ, primum apud *Olgierdum* piſtinarii, deinde Cubicularii, poſtremo Pincernæ munus agens. Qui ſe adeo *Olgierdo* in officiis huiusmodi inſinuauerat, vt primus & maior inter omnes ſuos haberetur. Nec *Iagiellonis* filii ſui minor erga illum erat fauor & affectio, qui pa-B trem officio & beneuolentia victuru:, ſororem ſuam germanam *Mariam*, quæ poſtea Duci *Dauid* nupſerat, *Kieyſtutho* Duce non conſulto, & affinitatem ipſam increpante abhorrenteque, matrimonio coniungit *Voydiloni*. *Voydilo* itaque præfatus, ſuſpectam habens Ducis *Kieyſtuthi* erga ſe fidem, prudentiam quoque, induſtriam & potentiam *Kieyſtuthonis* pernitioſam ſibi & ſorti ſuæ veritus etiam illum apud Ducem *Iageyllonem* criminatur, & vehementiſſime effecit tam odioſum quam ſuſpectum; *Voydilonisque* perſuaſione & ſuggeſtu, cum Magiſtro & ordine Cruciferorum de *Pruſſia*, *Iagyello* magnus Dux Lituaniæ, poſt frequentes conuentus clan-C deſtine habitos, clandeſtinum contra patruum ſuum *Kieyſtuthonem* Ducem de *Troky* celebrat & inſcribit fœdus. De quo Dux *Kieyſtuth* per *Sundeſteyn Oſterodenſem* Commendatorem, ex affinitate ſecum iuncta (filiam enim *Danutham* in barbaro, ſuſcepta vero fide *Annam*, *Ianuſſio Maſouiæ* Duci deſponſatam, de ſacro fonte leuauerat) auiſatus, vocato filio *Withawdo, quam ambiguæ fidei ſit, quibusque dolis & ingenio laqueos illis paret Iagyello Dux magnus Lithuaniæ, cum quo plus quam germane Withawdus verſari, & de ſingulis communicare conſueuit*, edicit. Quo ſuſpicionem paternam, ex auiſamento *Oſterodenſis* Commendatoris natam, pluribus argumentis D exteruente, & aſſerente *impoſſibile eius ſe conſpirationes latere, quo cum aſſidue verſaretur*; mittitur a *Iagyellone Lithuanicus* & *Ruthenicus* contra *Polocenſes*, Ducem germanum ſuum *Skyrgiellonem* detrectantes ſuſcipere, exercitus. In cuius auxilium Magiſter *Liuoniæ* cum ſuo exercitu, iuuaturus fœderatos, aduenit perſonaliter. Et vtroque exercitu *Polocenſes* affligente, *Polocenſes* vehementer inopes conſilii, quid agerent, anguſtiabantur. Rurſus *Kieyſtuth* Dux his ad ſe perlatis, *Withawdum* filium prioribus querelis conuenit, *Non eſt*, inquit, *amplius cunctandum: Nepos meus Iagyello, ſorore ſua, nepte mea, in ſordidum & ruſticanum matrimonium tradita, cum infeſtiſſimis hoſtibus noſtris, cum quibus nos hactenus aſſidua geſſimus bella, foedere per inſcriptiones* iun-

1382 *ior natu Ducatum ſuſcepit, ſeruante foedus Kieyſtutho,*

Sed Iagyello inconſulto Kieyſtutho patruo, ſororem ſuam Voydiloni ruſtico, ſibi patrique charo, datis uxorem.

Cuius opera Iagyello cum Magiſtro Pruſſiæ foedus init.

Quod Kieyſtuth audiens

1382 *iunčto, Polocenſes impugnat eaque impugnatio fidem auiſamento ab Oſterodenſi Commendatore facto, facit, inſidias meo & tuo capiti* A *fore a Iagyellone nexas & comparatas, niſi aliquid nobis interea proſpiciamus, pecorum more inuolvimur.* Sic fatus, ſuis ſe copiis ſubſequi iuſſis, filio *Withawdo* nequicquam diſſuadente, & retrorſum in *Drobiczin*, quod tunc iuris ſui fecerat, abeunte, ad *Vilnam* agmine ſilenti veniens, & *Iagyellonem* Ducem, & caſtrum *Vilnenſe* comprehendit. Singulis autem in ſuam ditionem redactis, dum & inſcriptionum fœdera, quibus *Iagiello* cum Magiſtro & ordine Cruciferorum ſe alligauerat, deprehendiſſet *Withawdo* filio per celerem nuncium de his quæ egerat auiſato, & iuxta patris imperium, in *Vilno* feſtine (vno etenim die ſpatium itineris de *Grodno* in *Vilnam* emenſus erat) B veniente, *Diis*, inquit, *fili, quorum ope vita noſtra ab impendenti periculo ſeruata eſt, & hoſtis in fenſus Iagyello oppreſſus, gratiæ agendæ ſunt. Et qui fideli & amicæ denunciationi, pluribus etiam experimentis comprobatæ, fidem præſtare nolueras, ſaltem nunc, viſis his inſcriptionibus, quibus per Iagyellonem ictum eſt cum hoſtibus contra nos fœdus,* (tollebatque in altum deprehenſas fœderis literas) *crede, tam infeſto tamen hoſti omnis honos a me (neque enim illum vinxi, neque theſauros ſuos diripui, neque minimis de rebus ad illum pertinentibus quicquam tuli.) præſtitus eſt, præſtabiturque Nam etſi ipſum ex ſede hac magni Ducatus bello, magnitudo periculi mihi & tibi comparati* C *impellit, ſortem tamen ſuam paternam Witewsko & Krena ſibi reddo.* Exhilaratus Dux *Iagyello* de Ducis *Withawdi* aduentu: verebatur enim pro ſua perfidia *Kieyſtuthum* Ducem patruum ſuum graue aliquid in ſe conſulturum: facinore perfidiæ vtcunque purgato, *fidum ſe nepotem, & in ſingulis proſperis & aduerſis adiutorem Kieyſtutho Duci* pollicitus, fœderi cum Cruciferis inito renunciat & abdicat iureiurandoque firmat: vno periurio ſubſequens polluturus. Reconciliatione inita, *Iagyello* Dux cum fratribus, & ſingulis fortunis pignoribusque & mancipiis a *Kieyſtutho* dimiſſus, *Vilna* excedens, Duce *Withawdo* eum conducente, in *Witewsko* ſe contulit, & D illic magno Ducatu *Lithuaniæ* ſibi ablato, manere cœpit. Mittit autem extemplo Dux *Kieyſtuth* duos nuncios, vnum ad exercitum *Lithuanicum Polocenſes* obſidentem, alterum ad obſeſſos, obſeſſis quidem *ſuffragium ſolutionis ſe in tempore laturum* pollicens; obſidentibus vero, *vt ſoluta obſidione redeant*, denuncians. Magno gaudio nuncii excepti, vtriſque fuerunt ſolatio. Parendoque *Lithuani Kieyſtuthi* iuſſionibus Duce *Skyrgellone* deſerto, *Vilnam* redeunt. Magiſter vero *Liuoniæ* propter ſui exercitus paucitatem in obſidione conſiſtere non auſus, ſibi & ſuis conſulens, in *Liuoniam* reuertitur. Quem & Dux *Skyrgiello* ſequi compulſus, apud *Liuonitas* 1382 aliquanto tempore deguit, ſollicitus mente & ſpiritu, multaque in animo tacitus ſecum voluens, qualiter Patruo ſuo Duci *Kieyſtutho*, eiectionis ſuæ ex *Vilna* & magno Ducatu *Lithuaniæ* vicem redderet, & tam vita quam Ducatu, caſtroque *Vilnenſi* quocumque colore, arte, & occaſione, nihil penſi habens, exueret.

Vilnam & caſtrum cum Iagyellone capit

& tandem mediante Vitholdo reconciliatur.

& Ducatus apud Kieyſtuth relinquitur.

Indicit deinde Dux Magnus *Lithuaniæ Kieyſtuth* expeditionem. Et tam *Ruthenicis* quam *Lithuanicis* copiis coactis, vadit contra *Schewyersky Nowogrodek*, & Ducem eius *Coributh* ſuæ ditioni parere detrectantem, *Voydilone* Ducis *Iagyellonis* genero, (quem vnum ſuum præcipuum hoſtem reputabat) in patibulum acto: filio vero ſuo *Withawdo* in *Lithuania* & caſtris ſuæ ditionis derelicto. Et quamuis Dux *Iagiello* in patrui ſui Ducis *Kieyſtuth* terras cum gentibus & fratribus ſuis, ſe aduenturum promiſerat, violato tamen promiſſo, dolos conceptos nectens, *Hamilonem* & primores *Vilnenſes* ciues in partem ſuam precibus & promiſſis perlicit. Quorum caternis, *Withawdo* agente in *Troky*, *Vilnenſe* caſtrum primum obſeſſum, deinde *Iagyellone* ex *Witewsko*, cum omnibus fratribus & exercitibus ſuis veniente, ſibi traditum eſt. Quo in ſuam poteſtatem redacto, ducit *Iagyello* copias contra *Troky*. In cuius auxilium Marſchalcus cum forti exercitu *Pruthenico* veniebat. *Withawdus* itaque & a *Lithanico*, & a *Pruthenico* exercitu ſe in *Troky* obſidendum cognoſcens, Duci *Kieyſtutho*, *Nowogrodeck* obſidenti, his quæ apud *Lithuaniam* acciderant, ſignificatis, de *Troky* cum matre effugiens, in *Grodno* caſtrum ſe recepit. *Trocenſes* autem paucis diebus obſidione tolerata, dedunt caſtrum Duci *Iagyelloni*. Propere autem Dux *Kieyſtuthus*, deſerta *Nouogrodenſi* obſidione, *Lithuaniam* remeans, dum per *Pruthenica* auxilia cognoſcit potentiam Ducis *Iagyellonis* vehementer inualuiſſe, & Principatum magnum *Lithuaniæ* ſibi ereptum, duobusque caſtris præcipuis, *Vilno* & *Troki*, ſe priuatum fuiſſe, in *Grodno* perueniens, verſus *Samogithiam* (exercitum nouum ex *Samogithis* collecturus, quo *Iagyelloni* reſiſtat) ire pergit. Et *Withawdo* in *Grodno* relicto, conſortem ſuam in *Brzeſczie*, de *Maſouiæ* Duce *Ianuſſio* genero ſuo confiſus, deſtinat, aut ſi illic obſideretur per Ducem *Ianuſſium* obſidionem ſoluturum, aut ſi inde excederet, velut ſuam ſocrum recollecturum. Verum *Ianuſſius* Dux *Maſouiæ*, vir oculatus & induſtrius, nequaquam temporis opportunitatem negligendam ratus, militibus ſuis arma induere iuſſis, caſtra duo, *Drobiczin* & *Myelnik*, in ſuam redigens, dedentibus ſe *Ruthenis* & *Lithuanis*, poteſtatem, præſidio valido & frequenti eis impoſito, *Szuras*, *Byelsko*, *Camyeniecz*, & *Drobiczin* *Brzeſtenſi* diſtrictibus vaſtatis, caſtrum *Brze-*

Dux Kieyſtuth dum Nowogrodek obſidet, Voydilonemque ruſticum generum Iagyellonis Ducis ſuſpendit

a Iagyellone Vilna

& Troki priuatur.

Quod Kieyſtuth cum cognouiſſet

in Samogithiam ad colligendum exercitum pergit, & uxorem ſuam in Brzeſzcie relinquit

Duci Maſouiæ Ianuſſio illam commendando.

Is autem Drobiczin Myelnik &

ſczie

1382

ſcʒie circumuallat; ſubacturus illud, niſi ſocrus ſuæ præſentia illic cognita, obſidionem ſoluiſſet.

Kieyſtuth Dux cum Withawdo filio collecto exercitu verſus Troki procedunt.

Comparato apud *Samogithas* Dux *Kieyſtuth* exercitu, venit ad flumen *Vilia*. Cui filius *Withawdus* cum aliis copiis de ſorte ſui patrimonii in arma coactis duobus miliaribus vltra *Kowno* occurrit. Iunctis itaque copiis, & in eodem loco amne ſuperato, verſus *Troki* pergunt, & caſtrum *Troki* obſidione coarctant. *Iagyello* autem Dux, hunc euentum futurum ratus, & ſuos in armis tenuerat, & ab vtroque Magiſtro *Pruſſiæ* & *Liuoniæ* confœderatis ſuis, de ferendo ſubſidio certitudinem acceperat, verſus *Troki* obſeſſis laturus auxilia, *Prutbenicas* & *Liuonicas* copias de propinquo cognoſcens, proceſſit. Cuius Dux *Kieyſtuth* ab exploratoribus comperto aduentu, ſoluta obſidione, copias ſuas ordinatas, decernere æſtuans, educit. Vtroque itaque exercitu ad pugnam inſtructo, & ad iactum trium aut quatuor ſagittarum a ſe inuicem diſtante, veniunt in Ducis *Kieyſtuthi* exercitum caduceatores a *Iagyellone* miſſi. Et *Withawdo* Duce conuento orant, *vt ſit inter Ducem Iagyellonem, & Patrem ſuum Kieyſtuth Ducem, pacis arbiter, paceque ſub conditionibus æquis ſua vnicuique tribuentibus, profluuia ſanguinis, cæde mutua fundendi, mox ſecutura, intercipiat, & Ducem Iagyellonem ſecurus ad conficiendam pacem huiusmodi, accedat.* *Withawdus* vero patrem ſuum Ducem *Kieyſtuthum* ſuper hi interim conſulturus reſpondit. *Non ſe in exercitum Iagyellonis aliter iturum, niſi Dux Skyrgello perſonaliter veniat, & de tute veniendo & redeundo, ſecuritatem faciat.* Qui cum propere veniſſet, fidemque feciſſet, patre *Kieyſtutho* permittente, Dux *Withawdus* ad Ducem *Iagyellonem*, vtroque exercitu agente inducias, aduenit. Reſumente autem Duce *Iagyellone* caduceatorum orata, placuit Ducem *Kieyſtuthonem* ad tractatum pacis acciri: ſuadenteque *Withawdo*, Dux *Iagyello* & *Skyrgiello* ſuis nominibus facturi Duci *Kieyſtutho* ſecuritatem, ipſe *Skirgello* ad Ducem *Kieyſtuth* pergit. A quo, filioque ſuo *Withawdo* Dux *Kieyſtuth* rogatus, data acceptaque fide, venire ad placitandum de pace conſenſit, nullumque dolum in ſermonibus huiusmodi latere ratus, parum prouida vſus ſolertia, non relicto ad caſtra filio ſuo *Withawdo*, ſed ſecum vna venire iuſſo, (neque enim altero ex eis ad caſtra propria remeante, patrandi fraudem auſus *Iagyello* cepiſſet) de pace placitaturus, in *Iagyellonis* exercitum aduenit. Vbi circumdante illos in coronæ modum *Iagyellonis* & *Pruthenico* exercitu, ſe in laqueum recidiſſe deprehendunt. Aſtruente autem *Iagellone* Duce, neque loci, neque temporis qualitati de pace tractanda conuenire, redeundumque *Vilnam*, & illic de pace agendum, ab vtroque exercitu, quaſi ſigno dato, diſceſſum eſt. Verum cum ad *Vilnam*, Duce *Kieyſtutho*, & filio ſuo *Withawdo* reſiſtere non auſis, ventum eſſet, Duce *Withawdo* ſub cuſtodia *Vilnæ* reſeruato, Dux *Kieyſtuth* ferreis catenis vinctus, *Creuamque* ductus, ad fundum turris obſcuræ & ſordidæ proiicitur vinculatus. Quinta denique nocte, a *Proxa* Ducis *Iagyellonis* Pincerna, item fratre ſuo *Bylgieni*, item *Moſthen*, *Gethkone*, *Krewlanin*, *Kuczuk*, *Liſzicza* qui *Zibinthæ* focum & lucernas accendentis gerebat officium, cæterisque, quibus id munus a *Iagiellone* imperatum erat, *indigna ſe morte perimi, iure gentium & fœdere violato*, vociferans, iugulatur, & funus ſuum a Duce *Skyrgellone Vilnam* relatum, ritu veteri, additis armis, equis, veſtimentis, canibus potioribus & charioribus, crematum eſt. Pro liberatione autem *Withawdi*, non ſolum *Lithuaniæ* Duces & Boiari, ſed & Magiſter *Pruſſiæ* intercedentes, non fuere auditi: quoniam *Iagyello* Dux eidem ſorti, cui & patrem, illum addicere deſtinabat, ſubtilitatem ingenii ſui, ſibi & germanis ſuis ſuſpectam habens. Ita princeps *Kieyſtuth*, præter fidem, egregius, dira morte abſumptus eſt a propriis & conſanguineis, quem exteri & alienigenæ ſeruare omni conatu ſatagebant. Pater hic *Withawdi* erat, quia ſicut cæteri filii a patribus, ita hic, qui tale lumen progenuit, a filio nominandus eſt. Inter omnes *Gedimini* Ducis filios magis prudens magisque induſtrius, & quod illum plurimum honeſtabat, ciuilis, humanus, & verax in ſermone.

Dumque Iagyello pacem per Withawdum petit eam obtinet, & data fide ut pater & filius prædicti ad caſtra ſua venirent, eos comprehendit.

Tandem Kieyſtutho in carcere necato.

Withaudum etiam ad id ipſum deſtinat.

Kieyſtutho Duce crudeli nece conſumpto, *Iagyello* Dux in eos, quos per ſuſpicionem habuit mortis *Voydilonis*, chari ſui familiaris & generi, fuiſſe auctores, ſæuire cœpit. Et duos quidem, quos extinctionis eius magis conſcios credidit, videlicet *Vidimund* patruum germanum relictæ *Kieyſtuthi* & matris *Withawdi*, alterum *Buthrin* nepotem germanum, neci *Voydilonis* parentando, rotis diſtraxit, cæteros capite damnauit. Ducem vero *Withawdum*, cum ſua coniuge *Anna*, in *Creuam*, ſub honeſta, arcta tamen obſeruandum cuſtodia, tranſmiſit. Vbi Duce *Withawdo* in camera priuata, frequenti cuſtodum numero ſepta, conſiſtente, nec limen egredi auſo, conſorti ſuæ Ducillæ *Annæ* cum duabus fœminis ad maritum pro nocte ingrediendi, & de mane egrediendi, facta fuit poteſtas. Rumore itaque communi, qui in populo perſonauerat, *maritum ſuum Ducem Withawdum, eandem necis ſortem, qua & patrem, ſubiturum, permota, ſuadet Duci Withawdo experiri fortunam, & vnius fœminæ, quæ ſecum ingrediebatur & egrediebatur, induto habitu, maturare fugam.* Conſilio vxorino probato, quod ſuaſerat exequitur, & fœminam ſe ex habitu ſimulans, camera (Ducilla *Anna* alteram ex fœminis in cubiculo, quæ Ducem *Withawdum* repræſentaret, relinquens,) egreditur, ac nocte inſequenti per funem ſe ex caſtro demittens, ad maritum ſororis ſuæ *Ianuſſium Maſouiæ* Ducem primum peruenit. A quo recollectus,

Cum Withawdus in cuſtodia ſeruaretur, necandus, vxor ſua inducens ipſi habitum fœminæ, cum qua ad eum intrare ſolebat, illum e carcere educit.

1382 lectus, & iuxta aſſertionem aliorum, lotus baptiſmate, *Conradique* nomen ſortitus, poſſeſſione inſuper aliquarum villarum donatus, A conſiſtere illic, ne a Duce *Iagyellone* opprimeretur, parum auſus, in *Pruſſiam*, Magiſtro *Conrado* cum colligente tranſiit.

Qui primum ad Ianuſſium Ducem Maſouiæ deinde ad Magiſtrum Pruſſiæ fugit.

Quem omnis Baronum, in ſorte ſui patrimonii conſiſtentium, turba, cum familiis & mancipiis, nec non & *Anna* coniuge ſua, quam *Iagyello* Dux, fuga *Withawdi* cognita, liberam eſſe iuſſerat in *Pruſſiam* miro affectionis more ſecuta eſt. Arguebatur autem a Magiſtro *Pruſſiæ* & Commendatoribus ſuis, *quod non tempore feliciori, dum caſtrum Vilnenſe cum hominibus & terris Lithuanicis ſui iuris, ſuique dominii forent, ad eos diuertiſſet:* B benigne deinde & fauorabiliter tractatum, bene de ſe & ordine ſuo ſperare *Withawdum*, & omnes ſuos ſequaces iuſſit, pollicens *ſe illum in ſolio Magni Ducatus Lithuaniæ locaturum.* Duce *Withawdo* viciſſitudinarie adſtipulante, *quod pro beneficio & auxilio ſibi impenſo & impendendo, vellet gratiam Ordini perpetuo referre, & illi ſeruiendo cum ſuis omnibus, ſubiectus & auxiliator fore.*

A quo benigne ſuſceptus

Clandeſtino deinde acceſſu, non credentibus *Samogithis* ipſum in *Pruſſiam* veniſſe, *Samogithas* perſonaliter accedens, ipſos ſibi conciliat. Et pollicentibus *Samogithis ſe pro illo contra Iagyellonem ſuas nauare operas, & ſe ſibi in omni caſu fideliter auxiliaturos, & ſuo in ſingulis parituros imperio*, quibus etiam, quo fidiores eſſent, Magiſter *Pruſſiæ*, arma, equos, & veſtes donat. Ea autem recollectio & gratia tunc *Withawdo* per Magiſtrum & Ordinem ſub tempore & articulo neceſſitatis exhibita, adeo mentem *Withawdi* deuinxerat, ſuoque inſederat animo, vt ad diem mortis ſuæ fauore nimio eum proſecutus, ad delectationem illius non poſſet induci.

Samogithas fideliſſimos reperit

Ad *Polonorum* res, a quibus diſgreſſum feceram, redeundo *Ludouicus Hungariæ & Poloniæ* Rex ſenſim ſe conſiderans a viribus deſtitui, de duorum Regnorum, duarumque filiarum ſtatibus prouiſurus, *Sigiſmundum* Marchionem *Brandeburgenſem* filium *Caroli* Imperatoris *Romanorum* & *Bohemiæ* Regis, ex ſecunda vxore *Eliſabeth Boguslai* Ducis *Stolpenſis* filia ſuſceptum, in generum legit. Eique quatuordecimum annum tunc agenti, filiam ſuam natu maiorem *Mariam*, Regnum *Poloniæ* pro dote conſignans, locat. Indicto deinde pro die Sancti *Iacobi* in *Zolio* alias *Zwolen* oppido in *Hungaria* prope *Krenniczam*, *Polonis* conuentu, Prælatos & Barones *Poloniæ*, qui illic aduenerant, ad ſuſcipiendum *Sigiſmundum* Marchionem *Brandeburgenſem* in Regem, & ad præſtandum illi homagia, & fidelitatis iuramenta impellit. Quibus *Ludouici* Regis iuſſa in ſingulis exequentibus, ad recipiendum poſſeſſionem Regni *Poloniæ*, caſtrorumque regalium, & ad reſcindendum pleraſque in *Polonia* Regno inſolentias & com-

Ludouicus Hungariæ & Poloniæ Rex Sigiſmundo Marchioni Brandenburgenſi filia Maria nupta creat illum in Regem Poloniæ, cui homagium præſtant Poloni.

motiones præfatum *Sigiſmundum* Marchionem *Ludouicus* Rex, cum copiis *Hungaricis*, 1382 A & ſub *Bodzantæ* Archiepiſcopi *Gneſnenſis*, *Sandiuogii* de *Subino Cracouienſis*, & *Domarathi maioris Poloniæ*, Capitaneorum, cautela & conductu deſtinat. Qui in *Poloniam*, militarium cateruis illi occurrentibus, ingreſſus, caſtrum & oppidum *Koźmin*, item duo fortalitia, *Nabiſzicze* & *Kozminiecz*, quæ ditionis hæreditariæ *Barthoſzii* Capitanei in *Odolanow* erant, in vltionem earum factionum, quas patrauerat, breui expugnat. Caſtrum vero *Odolanow*, *Barthoſſio* pacta ſecum inita non ſeruante, circumſidet. Sed cum illius expugnatio difficilior cenſeretur, nouis pactis de caſtro B dedendo firmatis, & certa pecuniæ quantitate ad quam villarum caſtro pertinentium æſtimatio perducta eſt, promiſſa, poſt grandia damna vtrobique in Eccleſiarum bonis irrogata; *Sigiſmundus* Marchio *Polonicas & Hungaricas* copias in *Maſouiam* (ita etenim ſoceri iuſſione doctus erat) traducens, Ducatum tantummodo *Semouiti*, præſtare *Ludouico* vti *Poloniæ* Regi homagium & obedientiam detrectantem (*Ianuſſius* enim alter *Maſouiæ* Dux dudum in ditionem regiam conceſſerat) vaſtare ſpoliis & incendiis cæpit. Interim vero *Ludouicus Poloniæ & Hungariæ* Rex, fatis apud oppidum *Hungariæ Tarnawa* interceptus, quatuordecima Septembris moritur; ad *Al-* C *bamque Regalem* relatus, in capella ab eo dotata ſepelitur, cum apud *Polonos* annis duodecem, non ſine *Polonorum* grauamine, pernicie, & aſſidua ſeditionum & inuaſionum ciuilium, ſenſim inualeſcentium, quos morbo & ſenio grauatus opprimere & extinguere neglexit, vexatione, apud *Hungaros* annis quadraginta imperaſſet. Cuius exceſſu *Sigiſmundus* Marchio, per feſtinum nuncium ſibi nunciato, & ipſe de agro *Maſouitico* excedit, verſuſque *Poſnaniam* ire pergit. A *Poſnanienſibus* autem ciuibus honore congruo exceptus, fidelitatis iuramenta exegit. Quo illic agente, omnium fere Baronum & militarium *maioris Poloniæ*, per legatos impetitur prece, D vt *Domarathum* de *Pierzchno*, eis multipliciter grauem & moleſtum, a *maioris Poloniæ* Capitaneatu deſtituat, pronam eorum, dummodo apud Regnum *Poloniæ* perſonaliter velit reſidere, cum abſentia regia, multifariis Regnum *Poloniæ* cladibus & calamitatibus afflixerit, ſubiectionem & obedientiam habiturus. Quo deſtitutionem *Domarathi* clara reſponſione abnuente, omnium *maioris Poloniæ* Baronum & militarium, quæ ad illum confluxerat, caterua, ex *Poſnania* animis irritatis diſceſſit.

Veniens autem is in Poloniam cum exercitu Hungarico, caſtra Barthoſzii de Odolanow expugnant.

Dumque vaſtaret Maſouiam, Ludouicus moritur.

Deinde Poſnaniam eundo, dum Domarathum Nobilitati inuiſum de Capitaneatu reiicere renuit, Nobiles contra ſe irritat.

Sub idem tempus, parum proſpera *Poloni* vſi fortuna, ingens diſpendium ſuæ Reipublicæ excipiunt. *Hungarorum* enim milites, quibus *Ludouicus* Rex caſtra *Ruſſiæ* inſigniora, a *Caſimiro* olim *Poloniæ* Rege, *Polonorum* ſangui-

Hungari Ruſſiæ caſtra tenentes

ne

1382 ne expugnata, quæſitaque, *Polonis* deſtitutis, *Ruſſiæ* terras a *Polonorum* Regno ſequeſtraturus, & Hungariæ Regno adiecturus) tenenda A commiſerat, morte *Ludouici* Regis comperta, caſtra quæ poſſidebant, videlicet, *Camyeniecz*, *Olyesko*, *Hrodło*, *Lopathin*, *Sniathin*, Duci *Lubardo*, tunc caſtrum *Luczko* obtinenti, produnt. Magnaque auri & argenti quantitate ab eo corrupti, caſtra Regni *Poloniæ* fidei eorum commiſſa, venundant. Et caſtris præfatis excedentes, turpi lucro ſuffarcinati, in *Hungariam* redeunt. Non tulit autem *Eliſabeth* Regina *Ludouici relicta* impune hanc eorum perfidiam, ſed plerosque eorum aut in carceres coniecit, aut capite mulctauit, bonaque eorum, hæreditates, & quaslibet poſſeſſio- B nes, applicauit fiſco regio, & tam ipſis, quam vniuerſæ ſtirpi eorum, notam perpetuæ infamiæ inuſſit.

audita morte Regis Ludouici omnia Duci Lubardo vendunt,

& in Hungariam redeunt.

Sigiſmundus Brandeburgenſis Marchio, ex *Poſnania* egreſſus, in die Beati V*enceslai Gneſnam* veniens, a *Bodzanta Gneſnenſi* Archiepiſcopo qui ante octo diebus Archiepiſcopatus nactus fuerat poſſeſſionem, & vniuerſo Clero ac populo, proceſſionis honore ſuſceptus eſt. Exequiis autem pro *Ludouico* Rege, magnifico ſumptu ſolennique ritu, in *Gneſnenſi* Eccleſia, vltima die Septembris celebratis, *Craconiam* diuertit. Cui apud *Brzesczie* agenti, nonnulli Baronum & militarium *maioris Poloniæ*, priorem repetunt petitionem, & *Domarathum a* C *maioris Poloniæ Capitaneatus regimine amoueri* depoſcunt. Sed dum ex conſilio iuuenili prauo, & parum digeſto. *ſe id nullo pacto*, adiectis inſuper quibusdam comminationibus, ſi *Poloni* ſuum imperium abnuerent, reſpondiſſet, apud *Myeloſlauiam* habito conuentu, omnium animis a ſe alienatis, mittuntur ad *Cracouienſes* Prælatos & Barones nuncii, qui communem apud *Radomskie* oppidum agi conuentionem pro die Sanctæ *Catharinæ*, ad prouidendum de ſtatu Regni *Poloniæ*, perſuadeant. Quo impetrato, & frequenti Prælatorum & Baronum numero pro die conſtituto veniente, etſi magnæ parti Prælatorum & Baronum, ad regendum *Poloniæ* Regnum *Semo-* D *uitus Maſouiæ* Dux aptior, quam Marchio *Sigiſmundus*, iuncta illi altera *Ludouici* defuncti Regis filia *Heduigi*, videretur; poſt varias tamen altercationes & tractatus, ea concluſio capta eſt, *vt Rempublicam Regni Poloniæ, & eius ſtatum, vniuerſi æqua & conformi fide, mutuisque conſiliis, auxiliis, & periculis promoueant, & iuxta pactorum & iuramentorum ſuorum ordinem, alteri ex filiabus Ludouici Regis præſtent homagium; Principem prudentem, & qui veriſimiliter in Poloniæ Regno continuam & perſonalem facturus foret reſidentiam, alteri ex filiabus Ludouici iungendum, pro Rege indubitato habituri.* Cum autem huiuscemodi concluſio *Sigiſmundi* Marchionis excluſionem a *Poloniæ* Regno clandeſtina diſpoſitione includeret, *Bodzanta* Archiepiſcopus *Gneſnenſis* & *Domarathus* Caſtellanus *Gneſnenſis*, & *Maioris Poloniæ* Capitaneus, *ſe illi aſſenſuros* magnopere abnuebant, aſſerentes *ſe Marchioni Sigiſmundo & fidem feciſſe, & caſtrorum quæ per Domarathum tenebantur, deditionem facere ſpopondiſſe:* Ipſis tamen nequicquam recuſantibus, concluſio præfata, & ſcripto, & ſigillorum appenſione roborata eſt; & nunciis ad dietam *Viſlicienſem* a *Cracouienſibus* & *Sandomirienſibus* militibus pro die S. *Nicolai* tenendam, pro concluſionis præfatæ maiori firmitate, ſunt transmiſſi.

Sigiſmundus Marchio veniens Gneſnā

Ludouici Regis exequias celebrat.

Iterumque rogatus,

dum Domarathum renuit Capitaneatu deſtituere

Poloni dietā ad prouidendum ſtatui Regni indicunt

& Heduigim filiam Ludouici maritandam

illique parendum vna cum Nobilitate Cracouienſi concludunt.

1382 *Archiepiſcopo & Domaratho nequicquam obſtantibus*

Vigeſima prima Septembris *Boleslaus* tertius *Oppolienſis* Dux in *Strzelcze* moritur, & in monaſterio fratrum Minorum apud *Oppoliam* tumulatur. Quem *Henricus* Dux *Falkenbergenſis* in *ſuperioris Glogouiæ* Eccleſia ſepultus, & quarta decima eiusdem menſis abſumptus, præceſſerat.

Sancti *Nicolai* luceſcente die, magnus *Viſliciæ* conuentus Baronum & militarium haberi cœptus eſt. Cui cum *Sigiſmundus* Marchio obedientiam, & fidelitatis iuramentum pro ſe a *Cracouienſibus* & *Sandomirienſibus* militibus petiturus, cum *Bodzanta Gneſnenſi* Archiepiſcopo & *Domaratho* Caſtellano *Poſnanienſi* & *maioris Poloniæ* Capitaneo, intereſſent, duo Epiſcopi, videlicet *Stephanus Agrienſis*, & *Ioannes Conadienſis*, totidemque *Hungariæ* Barones, ab *Eliſabeth Hungariæ* Regina *Ludouici* relicta, deſtinati, venerunt. Qui obtenta audientia, ingentibus primum nomine præfatæ Reginæ *Eliſabeth*, & filiarum eius Prælatis & Baronibus *Poloniæ*, quod erga ſe & filias ſuas geſſiſſent intemeratam fidem, actis gratiis, ad extremum precati ſunt, *ne cui alteri, ſed nec Sigiſmundo Marchioni fidem & ſubiectionem præſtent, donec per eam de vtraque filia certior ordinatio ſubſecuta fuerit.* Gratis & æquis auribus legatio huiusmodi audita eſt. Proceribus *Poloniæ Sigiſmundo* Marchioni, quod & in *Bohemos* propenſioris eſſet quam *Polonos* fauoris, & pelli eos, cibum ſumpturus, ex aula patiebatur: Sed & Præpoſituram *Zwierzinenſem, Nankero, Polono*, pro quo primores *Poloniæ* Barones ſtudioſe intercedebant, neglecto, *Bohemo* contulerat, quam maxime infenſis. Quapropter concluſionem apud *Radomskie* habitam, frequenti & conformi approbatione, ratam eſſe hi, qui *Viſliciæ* conuenerant, iubent & decernunt. Cui & Archiepiſcopus *Gneſnenſis Bodzanta*, & Capitaneus *maioris Poloniæ Domarathus*, per expreſſum aſſentiri coacti ſunt. Offerebat & tunc *Domarathus maioris Poloniæ* Capitaneus, militaribus *maioris Poloniæ*, ipſum & actiones ſuas vehementer carpentibus, legitimam iuſtificationem. Sed a nunciis militarium *maioris Poloniæ* accepit reſponſum; *Neque licere, neque conuenire iuſtificationem eius accipere, niſi poſtquam a Capitaneatu amotus fuerit, vel ſe ipſe abdicauerit.*

Ad dietam Viſlicienſem

Regina relicta nuncios mittit,

rogans Polonos ne quicquam certi de Regno concludant, niſi altera filia nupta.

Quod libenter faciunt.

1382

Et Sigiſmundus Marchio Cracouiam ingredi prohibitus in Hungariã redit.

Ex *Vislicienſi* dicta, *Sigismundus* Marchio, licet *Cracouiam* venire maximo æſtuauerit deſiderio; *Dobeslao* tamen de *Kurozwaki* Caſtellano *Cracouienſi* diſſuadente, ne pro reſcindenda concluſione in *Radomskye* & *Vislicia* firmata, nauaret operam, admiſſus non eſt. Sed *Visla* apud *Wawrzynczycze* ſuperata, in *Niepolomicze*, exinde vero *Bochnyam* & nouam *Sandecz* deductus eſt, & ſumptu publico procuratus, in *Hungariam* rediit. Mouebant enim callidi & perſpicacis ingenii virum *Dobeslaum* de *Kurozwaki* Caſtellanum *Cracouienſem* qui tunc & arci *Cracouienſi*, & ſummæ rerum apud *Polonos*, velut maior Domus, præſidebat, plures reſpectus. Is tum quam maxime, ne *Sigismundus* Marchio *Cracouiam* ingreſſus, ſimulata infirmitatis cauſa, moram manſionis ſuæ in longum extraheret, ac ſub illo tempore, gentibus immiſſis, arcem & urbem occuparet, *Polonorumque* animos, donis, largitionibus, & promiſſionibus corrumperet.

Barthoſſius de Kosmin, accedens Semouitum Maſouiæ Ducem, illum ad occupandum Regnum Poloniæ hortatur.

Et gentibus ab eo acceptis, caſtrum Caliſſienſe fruſtra accipere tentat,

dolum piſtore præſentiente

Conſulturus rebus ſuis *Barthoſſius* miles de *Kozmin*, Tenutarius in *Odolanow*, *Semouitum Maſouiæ* Ducem ad conſequendum *Poloniæ* Regnum vehementi ardore affectum adit, ſeque in illius ditionem & obſequia, iureiurando cum caſtro *Odolanow* mancipat. Pactis inſuper clandeſtinis cum eo percuſſis, ex *Maſouia* cum gentibus *Semouiti Maſouiæ* Ducis, in ſuum & eorum, quæ pro Duce *Semouito* acturus erat, auxilium deſtinatis, reuerſus, in vigilia Beati *Thomæ* Apoſtoli caſtrum *Caliſſienſe*, pro ſe & *Semouito* Duce *Maſouiæ*, vniuerſo conatu tentat intercipere. Iamque nonnullis ex ſuis, caſtri mœnia conſendere, vigilibus ſoporatis, adnitentibus, vnus ſuorum portam verſus molendinum ſitam terebrauerat, admotaque ſerra ad loca foraminata, exculpere largius foramen, hominum ingreſſurorum capax, parabat, occaſum lunæ quæ pro ea vice pernox lucebat, *Barthoſſio* (quo facilius caſtri proueniret interceptio,) præſtolante. Sonitus interim ſerræ ad piſtoris, caſtro panes coquere, lignaque pro clibano ſcindere, conſurgentis, peruenit aures. Qui anhelitu temperato, ad portam quæ ſerrabatur, perueniens, periculo deprehenſo, ſecuri quam geſtabat, ſerram adeo lente, vt etiam is qui ſerrabat non ſentiret, facit recuruam. Miranti ſerratori, & quidnam ſerræ accideret, apud ſocios, ipſum opus maturare, cum prope aurora eſſet, inſtigantes, querenti, piſtor his qui in caſtro erant, celerrime excitatis, in quo periculo verſentur, denunciat. Qui clamore ſublato, ſaxis & tormentis ſuperne proiectis, *Barthoſſium* & ſuos a caſtro diſpellunt, fugientemque ſuis omnibus integris, veriti inſidias, non inſequuntur. Qui ſequenti die, caſtri *Caliſſienſis* interceptione fraudatus, ad *Kozminyecz* fortalitium ſuum, paullo ante a *Sigiſmundo* Marchione *Brandeburgenſi* expugnatum applicans, illud intercipit & conquirit. Exinde mouens, & *Chotecz* perueniens, domum, a *Caſimiro Poloniæ* Rege, cocto latere illic ædificatam, incaſtellatam, ponteque ſuper fluuio *Proſzna* tumultuario opere conſtructo, ad caſtrum ſuum & oppidum *Koźmin*, a *Sigiſmundo* Marchione conquiſitum, venit. Sed a gentibus *Domarathi* Capitanei *maioris Poloniæ*, quas pro illius præſidio locauerat, fœde repulſus, ad fortalitium *Michaelis Thomaſſii* de *Oſtrowaczno*, quod *Parsk* appellatur, diuertit. In cuius occupatione atque oppugnatione octo diebus immoratus, *Michaelem Thomaſſii*, conquiſitionem fortalitii ſui expaueſcentem, *Domarathum* Capitaneum *maioris Poloniæ*, contra illum adhæſionem pollicere coëgit, obſidionemque ſoluit.

Kozminiecz ſuum a Sigiſmundo Marchione expugnatum recuperat,

& Parsk fortalitium Thomaſſii de Oſtrowaczno cum Domaratho Capitaneo ſentientis obſidens ipſum ab eo diſcedere cogit.

Octauo Calendas Iulii, *Venricus* de *Kinprode Pruſſiæ* Magiſter moritur, vnum & triginta annos in *Magiſterio* exigens. Cui *Conradus Coluer* de *Roteſteyn* ſuccedit.

Monaſterium in antiqua Czaſtochowa, Oppolienſis Dux Wladislaus fundat dotatque.

Nona die Auguſti, *Wladislaus Oppolienſis*, & tunc *Wielunenſis*, *Oſtrzeſchouienſis* & *Dobrzinenſis* Dux, de Eccleſia Parochiali Sanctæ *Mariæ* in antiqua *Czaſtochowa*, matre filialis Eccleſiæ in oppido *Czaſtochowa* ſibi propinquo, de conſenſu *Ioannis* Epiſcopi *Cracouienſis*, & *Henrici Biel* de *Bleſzno Cracouienſis* & *Gneſnenſis* Canonici, de familia *Oſioya*, Plebani in antiqua *Czaſtochowa*, ſponte illi renunciantis, fundat monaſterium fratrum Heremitarum ordinis ſancti *Pauli* primi heremitæ, militantium ſub Regula Beati *Auguſtini*. Cui monaſterio Dux præfatus, pro dote aſſignauit, & donauit donatione perpetua villas, antiquam *Czaſtochowa* & *Krowodrza*, cum fabrica ferrificii, molendino, & prædio eidem adiacentibus: item decimas pecuniales teloneorum, in oppidis *Oſtrzeſchow* & *Czaſtachowa*: item decimas frumentales in villis *Gaięnczycze*, *Dworziſchowicze*, *Dupicze*, *Kruplin*, & antiqua *Brzeznicza*, conſiſtentes. Item decimas frumentorum & braſeorum, de molendinis conſtructis & conſtruendis oppidorum *Czaſtochowa* & *Zari*. Item decimas mellis villarum *Przemiłowicze*, *Przewodziſchowycze*, *Babrowniki*, *Nadalicze*, *Koſchaczin*, *Biskupicze*, in diſtrictu *Olſtinenſi*; *Bobrowniki* & *Kamyen*, in diſtrictu *Wielunenſi*. Libertando bona Monaſterii prædicti, ab omnibus oneribus, tributis, & datiis ordinariis & extraordinariis vniuerſis. Dux autem ipſe *Wladislaus Oppolienſis*, Ducatus præfatos ſiue terras Regni *Poloniæ*, videlicet, *Wielunenſem Dobrzinenſem*, *Oſtrzeſchouienſem*; item caſtra *Olſtin*, *Krzepicze*, *Bobolicze* in terra *Cracouienſi* conſiſtentia, ex donatione perpetua ſibi per *Ludouicum Hungariæ* & *Poloniæ* Regem facta, conſecuta in recompenſam & viciſſitudinem terarum *Ruſſiæ*, videlicet *Leopolienſis*, *Przemislienſis*, *Halicienſis*, & *Podoliæ*, ab eo reſignatarum, quas ſibi idem *Ludouicus*,

1382 vt & tanquam *Poloniæ* Rex, etiam perpetuo donauerat, intelligens, donationem ipſam terrarum propter enormem læſionem Regni *Poloniæ*, ſibi non poſſe fore diuturnam; *Ludouico* etiam Rege inſtante, qui donationem ipſam, vel potius alienationem, & Regni *Poloniæ* multilationem, conſcientia illum remordente, ferre non potuit.

1383

Rumore quodam de Domaratho de Pierzchno, Capitaneo maioris Poloniæ ſuſcitato,

Baronum & militarium *maioris Poloniæ* in *Domaratum* de *Pierzchno*, *Grzimalitarum* genere Capitaneum *maioris Poloniæ*, tam furorem quam liuorem dudum, mutua animorum irritatione agitatum, & qui facile poterat interpoſitione, ſi quis affuiſſet mediator, opprimi, vulgaris fama, mendaxne, incertum, an vera, qua perhibebatur *Domarathum* præfatum in animum ſuum induxiſſe, quoad ſe vlciſcendum reſcindendumque ignominiam, qua Barones & militares illi de cætero, vt Capitaneo vetuerant diſtrictiſſimo edicto, ſub capitis & bonorum mulcta, parendum eſſe; *Bohemos*, *Saxones*, *Caſſubitas*, & quoslibet hoſtes, in caſtra regia, in ſua ditione conſiſtentia, pro auxiliatoribus induceret, & per ſuam ac eorum potentiam Barones & militares *maioris Poloniæ*, ex eorum curiis & laribus traheret, opprimeret, probrisque, vinculis, ſpoliis, & quolibet grauaminum genere afficeret, & ſuæ parere cogeret ditioni, in altiorem indignationem & odii flammam accedens, ingens & deteſtandum bellum ciuile, quo & cædes mutuæ, & agrorum tectorumque plusquam hoſtilis vaſtatio, direptio oppidorum, ſtragesque accerbæ ſecutæ ſunt, exciuit.*

Poloni moti, exercitu collectio Vincentium de Kapa Palatinũ Poſnanienſẽ eidem præficiunt.

Barones ſiquidem & militares *maioris Poloniæ*, ne ea quæ in capita ſua comparata a *Domaratho* ſenſerant, pati cogerentur, Duce *Vincentio* de *Kapa* Palatino *Poſnanienſi* arma ſumunt. Et *Bartoſſio* de *Koznin*, cum *Maſouitarum* gente, eorum adiuuante factionem, die *Dominico* infra octauas Epiphaniæ, oppidum & caſtrum *Pizdri*, primum expugnare adorti, quatuor diebus ad illius expugnationem intendunt.

Qui oppido Pizdri capto

Quarto demum die, dedentibus ſe ciuibus, pactis, ne quid hoſtile paterentur, & inuitis his, qui in arce erant, portas aperientibus, arcis quoque expugnatio fieri cœpta eſt, quam tandem die tertio, propter victualium, & præſertim aquæ, inopiam, milites *Domarathi*, cum ſingulis equis, armis, & rebus, abire ſalui permiſſi, dedunt. Quibus in ſuam ditionem redactis, præſidio arci impoſito,

caſtrum Caliſſienſe obſidet

Vincentius de *Kapa* Palatinus *Poſnanienſis* exercitum verſus *Caliſch*, vigeſima Ianuarii traducit; *Sandiuogio Swidwa* Caſtellano *Naklenſi* cum certis copiis, ad ciuitatis *Poſnanienſis* cuſtodiam & defenſionem, ne quid hoſtile ex caſtro, in quo præſidium *Domarathi* erat, pateretur, deſtinato. Iam ſiquidem *Poſnanienſis* ciuitas, & cæteræ, miſſis verſus *Pizdri* ad *Vincentium* Palatinum & exercitum nunciis, ſe in eorum poteſtate pollicebantur futuras. Quod *Domarathus* Capitaneus intelligens, ciuium *Poſnanienſium* precibus & inſtantiis expugnatus, ut ciuitate abiret, caſtrum *Poſnanienſe*, & illius præſidium, in *Przedpelkonis* de *Staſcheuo* Caſtellani *Miedzyrzecenſis*; caſtrum vero *Caliſſienſe* in *Ioannis* de *Lakoſchiny* Caſtellani *Lancicienſis* fidem, diſceſſurus, genteſque auxiliares, contra *Vincentium* Palatinum *Poſnanienſem* & eius exercitum, conquiſiturus, commiſit. 1383 Applicanti autem *Vincentio* Palatino *Poſnanienſi* & eius exercitu ad *Caliſch*, ciuitas *Caliſſienſis* illico dedita eſt. Arx vero, præſidio militum illam animoſe defendente, reſiſtens, obſeſſa. Cuius obſidione durante, *Conradus Oleſchnicenſis* Dux, laturus *Domaratho* auxilia, a *Derslao* de *Giwno* Caſtellano *Gneſnenſi*, fratre *Domarathi*, amplis & vanis promiſſis illectus, quaſi caſtrum *Caliſſienſe* in ſuam redacturus ditionem, aduenit. Verum omnes aditus caſtri videns obſtructos, & occupatos eſſe, a *Vincentio* Palatino *Poſnanienſi*, quod ſe *Domaratho* communi eorum hoſti iunxiſſet, graui reprehenſione argutus, copias, cum quibus, caſtrum *Caliſſienſe* poſſeſſurus, venerat, in *Derslaum* de *Giwno* maledicta ſpargens, in propria reduxit. *Vincentius* vero Palatinus, & ſuus exercitus, obſidere tantummodo non expugnare arcem contenti, ſingulas Eccleſiarum & monaſteriorum villas, in *Caliſſienſi* circuitu conſiſtentium, iuxta ac ſi hoſtis, aſſidua populatione & direptione vaſtabant, miſeraque *maioris Poloniæ* regio, quæ per annos quadraginta ſub dominatu *Caſimiri* Regis, in optima pace conſtiterat, innouatis antiquæ ſeditionis cladibus, a domeſticis lacerabatur. Non ex iuſta aliqua, quæ nunquam ſuberat, cauſa, ſed ex inuidia, ira, & falſo rumore.

& bonis Eccleſiarũ damna infert.

Sandiuogius Swidwa

Eadem quoque apud *Poſnaniam* belli ciuilis erat facies & fortuna. *Sandiuogius* etenim *Swidwa* Caſtellanus *Naklenſis*, cum parte copiarum ei a *Vincentio* Palatino *Poſnanienſi* attributa, *Poſnaniam* ingreſſus, ſtubam ligneam magnæ quantitatis, ſupter caſtrum ſitam, in ſuam poteſtatem redigit, militeſque in ea, ne ex caſtro in ciues irruptio fieret, ponit, vna quoque ea re, quaſi per illam expugnatio caſtri ſequi poſſet, & quæ per milites exiſtentes in caſtri præſidio, quibus per portam verſus campeſtria ſitam, ſingula inferebantur victualia, ludibrio habita eſt, prouiſa, ad vaſtandum villas Eccleſiæ *Poſnanienſis* hoſtilibus armis ſe conuertit. Actus deinde pudore, & a *Poſnanienſibus* ciuibus, quod proprios, non aduerſarios vaſtatum iri ſineret, correptus, duas tantummodo villas *Domarathi* Capitanei, *Pierzchno* videlicet, & *Kromolicz*, & paucas quasdam alias ſibi adhærentium inuaſit, diripuitque.

villas Eccleſiæ Poſnanienſis & Domarathi comburit.

Domarathus autem Capitaneus cum ſuis, ad irroganda aduerſariis damna & ſpolia, præcipua cura intentus, ipſe ex caſtris & fortaliciis, *Międzichod*, *Volon*, *Międzirzecz*, *Zbaſchino*, *Kiehlow*, *Grzymala* vero de *Oleſchnicza Coſtrzinenſis*, *Andreas* de *Swerzadowo Camyenenſis* Caſtellani,

1382 *Wyerzbyata* de *Smogulecz*, & *Theodoricus* de *Margonino* fratres ſui & conſanguinei de caſtro *Nakyel* quod in eorum ditionem *Domarathus* commendauerati, item præſidia reliqua ex caſtro *Łabiſchino Alberti* Palatini *Cuiauienſis* & *Pakoscz* fortalitio *Hectoris* olim *Cuiauienſis* omnem oram circa *Gneſnam*, *Kleczko*, *Zwanowo*, *Znenam*, *Kiſchkowo*, *Wronki*, *Schamotuli*, *Buk*, conſiſtentem, aſſiduis & crudelibus ſpoliis rapinisque, captiuando viros, matronas vero ingenuas & agreſtes, eorum exuendo decoris & induuiis, omnem denique auferendo domorum ſupellectilem, nulli deferendo conditioni, immaniter vaſtabant. Miſerabilis erat & calamitoſa vniuerſæ regionis *maioris Poloniæ* pro ea tempeſtate conditio. Si quis enim cum *Vincentino* Palatino *Poſnanienſi*, Baronibusque, & militaribus, contra *Domarathum* Capitaneum non ſentiret, hoſtis patriæ indicatus eſt, & hæreditas ſua veniebat confiſcanda. Sentiens vero cum *Vincentio* Palatino *Poſnanienſi*, a *Domaratho* & ſuis graui, per ſpolia preſſus aut captus, incommodo deperibat. Sed & mercatorum, ſub tam infauſto bello conquieuerat negotiatio, quibusdam eorum circa villam *Voznyki*, nona Februarii occiſis ſpoliatisque, quibuſdam circa *Poniecz* ab his, qui *Łabiſchinenſi* & *Kleczenſi* præſidio conſtiterant, vehementer laceſſitis. Qui freti multitudine, necatis aliquot inuaſoribus, reliquis perterritis, imprudens periculum propulerant.

& alia multa indigna in maiori Polonia fiunt.

Vehementis ſpiritus & animoſi *Domarathus* de *Pierzchno* Caſtellanus *Poſnanienſis*, & maioris *Poloniæ* Capitaneus, rebus his, quæ illi a *Vincentio* Palatino *Poſnanienſi* & militaribus *maioris Poloniæ* irrogabantur, irritatus, *Pomeranis*, *Saxonibus*, & *Caſſubitis*, in ſui auxilium prece & pretio accerſitis, fortunam vniuerſæ dimicationis cum aduerſariis experturus, dedecusque ſibi illatum & inferendum, obſidionem quoque duorum caſtrorum, *Poſnanienſis* videlicet & *Caliſſienſis* depulſurus, in campeſtria gentem ſuam deducit. Vaſtatoque oppido *Wronky*, & villis in eius circuitu, in villa & curia *Piortrkowycze* prope *Schamotuli* ſita, *Sandiuogii Swidwa* Caſtellani *Naklenſis*, caſtra ſua locat, Oppidumque *Schamotuli* diripit, gradum in vlteriora promoturus. *Sandiuogius* autem *Swidwa* de ſingulis quæ *Domarathus*, conducendo *Pomeranos*, *Caſſubitas*, & *Saxones*, fortemque coadunando exercitum, agitauerat, ab exploratoribus certior factus, *Barthoſſium* de *Odolanow*, item Caſtellanum *Srzemenſem*, & plures alios, vt armati, in frequentiori quo poſſent numero, aduenirent, per nuncios ſecretos auiſat. Quibus Sabbato ante Dominicam *Reminiſcere Poſnaniam* venientibus, *Sandiuogius Swidwa* nocte eadem, vt faciiius *Domaratum* occupet, ſuorum copiis, quæ tricentas lanceas effecerant, eductis, citato agmine, ad *Domarathi* caſtra pergit.

Domarathus colligit contra Vincentium Palatinum Poſnanienſem ex variis nationibus copias.

QuodSandiuogius Swidwa cum didiciſſet,

Cuius aduentum exploratore ſub nocte media ſibi denunciante, *Bartoſſium* de *Odolanow*, & Caſtellanum *Srzemenſem* aduenisse ignarus, potentiam tantummodo *Sandiuogii*, & eius paucitatem metitur, curare ſuos corpora ſinens, nihil quod ſalutare ſibi & exercitui contra hoſtes imminentes foret, prouiderat. 1383 Illuceſcente autem Dominico die, quæ fuit quindecima Februarii, hoſtes ab exploratoribus conſpecti, *Domaratho* denunciantur magna celeritate venire, ſtatiua ſua, niſi illis feſtine occurrat, irrupturi. Trepidatum itaque in caſtris *Domarathi* eſt, & hoſtibus irruentibus, neque ad expediendum arma & equos ſpatium dantibus, *Domarathus* medietate ſui exercitus tumultuarie vix armata, medietate inermi ex caſtris exſilit & acie parum inſtructa, cum *Sandiuogio* & eius exercitu dimicat. His autem, qui in exercitu *Domarathi* in acie conſtiterant, partim cæſis, partim ex equis deiectis, reliqui inermes, facile in fugam aguntur. Quos *Sandiuogius Swidwa*, dum per ſe ipſum & ſuos, diſciplinæ militaris parum peritus, campo certaminis excedens, ad plura miliaria cædendo captiuandoque perſequitur, partam feliciter victoriam, quaſi non ferente Diuinitate, cuius templa, templorumque villas, grauibus ſpoliis & diſpendiis affecerat, eo illum triumphi honore ad extremum dignari, infeliciter præcipitat. *Wierzbyetha* ſiquidem de *Smogulecz*, partium *Domarathi*, qui nocte præcedenti circa *Obrziczsko* vltra flumen *Vartha*, certaminis euentum nulla ratione ſuſpicatus, nocturnauerat; centum lanceas equitum, & quingentos pedites habens in comitatu, copias cum *Domaratho* Capitaneo coniuncturus, veniebat. Qui a fugientibus de inito conflictu, & debellato *Domaratho* certior factus, quod aiii terrori fuiſſet, pro ſui adiumento vertens, in prælii locum concito gradu aduenit. Et gentes *Sandiuogii* palantes per agros, aut ducentes capientesque profligatos, aut legentes ſpolia, & hoſtilia arma, ex quibus aliquot aceruos effecerant, inuadit, ſternitque, paucos, reſiſtere auſos, obtruncat, paulloque ante victores debellat, & ex gente *Domarathi* captos & vinctos diſſoluit. Ad quem *Domarathus* Capitaneus, & cætera fugientium multitudo illico collecta, & ſpolia ablata repetit, & hoſtibus potitur, victoribusque victus inſultat. *Sandiuogio Swidwa* a perſecutione hoſtium reuertenti in caſtra hoſtilia, ſpoliaque & captos ducenti, dum nuncius cladem ſuorum, & hoſtium victoriam referens, allatus eſſet, in hoſtes tamen cum his, qui ſecum vna glomerati redibant, ire pergit. Quorum conſpecta cominus multitudine, mente conſternatus ſuos vt ſibi quisque proſpiciat, exhortans, ipſe equo vectus diffugit, & ad fortalitium *Derslai Grocholæ* Caſtellani *Santocenſis Oſtrorog*, cum paucis comilitibus receptus *Domarathi* & *Wyerzbiethæ* illum

ipſum celeriter & improuiſe aggreditur,

& profligat.

Sandiuogium vero victorem Wierzbyetha de Smogulecz partium Domarathi ſine ordine tendentem fudit,

auidius

1383 auidius perſequentium, manus euadit, Cætera tamen exercitus ſui multitudo, a *Domaratho* tam armis quam equis exuta, captaque eſt. Sed & deſiderati non exiguum numerum expleuerant. In certamine autem præfato, variante fortuna vicem, diuerſo marte commiſſo, pars vtraque paribus acclamationibus vſa, infeſtioribus ſe odiis aliquanto quam armis, acclamatione ipſa, quæ vnius ditionis & obedientiæ eos eſſe teſtabatur, bella geſſiſſe fatebantur. Primarius autem & ſeditionum, & odiorum inter Barones militareſque, & *Domarathum maioris Poloniæ* Capitaneum, exortarum, fomes creditus eſt, quod *Domarathus* conformem & Canonicam *Dobrogoſtii* ad *Gneſnenſem* & *Nicolai* Scholaſtici ad *Poſnanienſem* Eccleſias, ſcitus erat apud *Ludouicum* Regem electionem infeciſſe, quoniam cætera grauamina, & cæterarum pœnarum immoderatarum exactiones, belli ciuiis impium non exciuiſſent ſtridorem. Fortalitium deinde *Oſtrorog*, ad quod ſe *Sandiuogius Swidwa* receperat, *Domarathus* Capitaneus expugnare adorſus, dum illius integra die tentata expugnatio non prouenſſet, & integer militum *Poloniæ* a *Poſnania*, pro ſubſidio *Sandiuogio* præſtando, exercitus venturus falſo nunciaretur: *Domarathus* expugnatione fortalitii, vano metu omiſſa, copias ſuas in oppidum *Oborniki* deducit, illicque decima ſeptima Februarii, uſque ad octauam Martii agens, vniuerſam oram inter *Poſnaniam, Buk, Wronki*, & fluuium *Varthum* conſiſtentem, aſſidua deprædatione vaſtabat. Similis quoque vaſtatio, eo iubente, ab auxiliaribus ſuis, ex caſtris, variis regionibus, militaribus nequicquam prouidentibus, illata.

& Domarathus omnem Poloniam vaſtat.

Crebris *Eliſabeth Hungariæ* Regina, *Ludouici* relicta, a *Polonorum* nunciis fatigata precibus, vt celerius vnam ex filiabus in *Poloniæ* Regnum, Principi *Polonis* grato coniungendam, & apud *Polonos* regnaturam tranſmittat, denunciantibus *vacationem Regni, cladibus in maiore Polonia efferueſcentibus, non ſe diutius toleraturos*, in conuentionem generalem, quæ *Siradiæ* antepenultima Februarii habita eſt *Nicolaum Veſprimienſem* Epiſcopum, & duos Barones tranſmittit. Hi in conſilium, frequenti Prælatorum & Baronum *Poloniæ* redundantem numero introducti, dicendi poteſtate facta, ſingulos Prælatos, Barones, & Proceres Regni *Poloniæ*, auctoritate in patentibus literis ſpecialiter deſignata, & iuramentis & fide, qua filiæ *Ludouici* Regis natu maiori *Mariæ*, & eius ſponſo *Sigiſmundo* Marchioni *Brandeburgenſi* ſe deuinxerant, abſoluunt, relictamque *Ludouici* Reginam *Eliſabeth*, alteram filiam natu minorem *Heduigim, Auſtriæ* Duci *Wilhelmo* a *Ludouico* Rege in coniugium repromiſſam, & iuxta nonnullorum aſſertionem deſponſatam, pro feſto Paſchæ inſtanti in Regnum *Poloniæ* deſtinaturam aſtruunt, dummodo Prælati & Proceres Regni *Poloniæ* ſcripto & iureiurando primum ſe aſtringant, virginem regiam præfatam *Heduigim Polonico* inſignituros diademate, & illico genitrici ſuæ *Eliſabeth* prædictæ Reginæ, triennio propter ætatis teneritudinem ſub cura materna educandam, in *Hungariam* remiſſuros. Pontificibus autem & Proceribus *Poloniæ*, legationem huiuſmodi in digeſtionem referentibus, dum ſententiæ non conuenirent, placuit alteram conuentionem in eodem Siradienſi oppido, vigeſima octaua menſis Martii indici, & nuncios Reginæ *Eliſabeth* reſponſum interim præſtolaturos detineri. Miſſi deinde ſunt ad intercipiendam guerram domeſticam, inter militares & *Domarathum* Capitaneum *maioris Poloniæ*, graſſantem, *Spitko* de *Melſchtin Cracouienſis*, *Sandiuogius Caliſſienſis* Palatini, *Nicolaus Bogoria Zawichoſtenſis* Caſtellanus, & *Krzeslaus Sczukowski*. Qui vigore literarum Reginæ *Hungariæ Eliſabeth*, quibus fulciti erant, cum primum ad *Caliſſienſe* caſtrum, quod in eam diem a militaribus obſidebatur, applicuiſſent, mandabant *Ioanni* de *Lakoſchino* Caſtellano *Lancicienſi*, & cæteris qui caſtrum obſeruabant, caſtrum ſuæ poteſtati & manibus reddi. Quod, & ſingula alia, quæ a *Domaratho* tenebantur, vt guerra facilius pleniusque poſſit reſcindi, in ſuam ditionem recepturi, aduenerant. *Vincentio* autem Palatino *Poſnanienſi* & militaribus *maioris Poloniæ*, qualificationem huiuſmodi expreſſe abnuentibus, tandem conuenit inter partem vtramque, quod *Caliſſienſe* caſtrum *Ioanni* Caſtellano *Caliſſienſi* obſidione ſoluta, excedentibus de illo *Domarathi* Præfectis, commiſſum eſt. Ex eo autem loco *Spitkone Cracouienſi*, & *Sandiuogio Caliſſienſi* Palatinis, in *Hungariam* ad *Eliſabeth* Reginam profecturis, diſceſſionem facientibus, *Nicolaus Bogoria, Zauichoſtenſis* Caſtellanus, & *Krzeslaus Sczukowski*, cæteras belli inteſtini flammas reſtricturi, *Poſnaniam* adueniunt. Et poſt varios tractatus, in villa Capitulari *Starczinow*, inter militares & *Domarathum*, fluuio *Radzim* eos ſegregante, habitos, atrox & pernicioſum bellum, quo antea proprius & ciuilis, & hauſtus eſt, & hauriendus erat ſanguis, & in propria tecta, propriosque colonos ſæuiendum, poſſeſſione caſtrorum & ciuitatum apud *Domarathum* remanente, ex integro per pacis ſufferentias, in feſtum Sancti *Ioannis* duraturas dirimunt. 1383

Eliſabeth Hungariæ Regina a Polonis rogata, alteram filiā Heduigim Duci Auſtriæ deſponſatam illis ſe miſſuram promittit, at ita, ut coronata ad eandem educanda reuertatur.

Deliberaturi ea de re Poloni conuentum Siradiæ indicunt

& interim per certos nuncios auctoritate Reginæ inducias inter Domarathum Capitaneum & hoſtes illius militares maioris Poloniæ paciſcuntur.

Vigeſima octaua Martii die adueniente, in frequentiſſimo Prælatorum, Baronum, & Militarium *Poloniæ* numero, *Wladislao* etiam *Oppolienſi, Vielunenſi, & Dobrzinenſi Duce* præſente, *Siradienſis* conuentio agi cœpta eſt. Vota autem Pontificibus & Proceribus Regni, ſuper reſponſione *Eliſabeth Hungariæ* Reginæ fienda, fundentibus, fere vniuerſorum ſententiis, *Semouitum Maſouiæ* Ducem in *Poloniæ* Regem aſſumi, eique regiam virginem *Heduigim*

In conuentu Siradienſi omnium voto Maſouiæ Dux in Regem Poloniæ eligitur

1383 *Verum genero ſuo Wladiſlao Oppolienſi Duce obſtante,*

gim placuit deſponſari. Et quoniam *Wladiſlaus Oppolienſis* Dux & *Vielunenſis*, quamuis germanam ſororem *Semouiti* Ducis haberet in matrimonio, ſententiam huiusmodi plurimum auerſatus, ne decretaretur, vehementer obſtabat. Electione enim *Semouiti*, ratus illam ex auiſamentis nonnullorum futuram, ſpretum ſe, cui Regnum *Poloniæ* conuentiorem rebatur ſucceſſionem, moleſtiſſime ferens iri, conſulto *Siradiam* pro dieta præſata aduenerat. Plerique milites & Proceres *Poloniæ Semouiti Maſouiæ* Ducis fauentes amplitudini, captiuare illum machinati ſunt. Proueniſſetque machinata cogitatio, niſi illam Primores coërcuiſſent. Singulis itaque Pontificibus & Baronibus Regni *Poloniæ Semouitum Maſouiæ* Ducem pro Rege habendum decernentibus, *Gneſnenſis* Archiepiſcopus *Bodzanta*, qui & ipſe ad procurandum *Semouito* Regnum erat propenſior, conſurgens, a multitudine Nobilium & militarium quærit, *placeretne & ipſis Semouitum Maſoniæ Ducem aſſumi & coronari in Poloniæ Regem?* Quibus nimia vociferatione conformi, tum & concinna ſententia *Semouitum Regem inſtituendum, coronandumque* clamantibus, tumultu ac murmure conquieſcente *Iaſchko* de *Thaczin Voynicenſis* Caſtellanus, filius olim *Andreæ* Palatini *Cracouienſis*, his verbis concionatur:

& Iaſchkone de Thaczin ſuadente

Turpis eſt, inquit, *o Proceres, periculoſaque in re quam tractandam perficiendamque ſuſcepimus, feſtinatio: diuturnam pœnitentiam cum pernicie noſtræ Reipub. ſi eo quo tenditis, agatur ordine, habitura; cum vniuerſi veſtrum probe norint, Heduigi filiæ regiæ primum nos debitores eſſe & obnoxios, cuius aduentum pro feſto Pentecoſtes proximo, illi peremptorie inducendum, præſtolari re integra, exigendumque, vt cum marito, & ſibi & nobis grato, perſonalem apud nos agat præſentiam, cenſeo. Qua pro conſtituto die non veniente, tum demum ad prouiſionem & ſubſtitutionem Regis ſuadeo procedi.*

Heduigi Ludouici Regis filiæ deferre prius & tempus eidem præfigi pro feſto Pentecoſtes in Poloniam veniendi: ſententia illius approbata,

Ea ſententia ab omnibus collaudata probataque, placuit *Semoniti* Ducis electionem in tempus aptius differri, & Legatis Reginæ *Eliſabeth* reſponderi. Vocato itaque *Veſprimienſi* Epiſcopo, & ſuis comitibus in conſilii medium, Primum *quibus cladibus & calamitatibus Regnum Poloniæ ex diuturna eius vacatione affligatur, & timeatur plus affligi*, exponunt.

nuncii in Hungariam eo nomine expediuntur.

Se quidem quod ad iuſiurandum Ludouico *Regi & ſuis filiabus præſtitum, & eius religionem pertinebat, ſyncere cuſtodiſſe: non tamen ea religione euſque quo pereant, detineri vanis promiſſis debere. Si itaque filia Regis Ludouici Heduigis, pro feſto Pentecoſtes inſtanti in Regnum Poloniæ aduenerit, & in eo cum viro ipſi coniungendo manſuram, & ſingula ab illo alienata diſtractaque, & ſignanter terras Ruſſiæ, item terras Vielunenſem & Dobrzinenſem recuperaturam ſe ſpoponderit, ſe illam pro Domina & Regina habituros. Si minus, quæſituros ſibi vtilem Regem, nec admiſſuros vt per tot & tam frequentes dilationes ſuſpenſio-* A *neſque, Reſpublica & Regnum Polonicum intereat.* 1383

Ad excipiendam Eliſabeth & Heduigim

Aduentum *Eliſabeth* Reginæ *Hungariæ Ludouici* relictæ, & filiæ illius *Heduigis*, de quo per Legatos *Hungariæ* apud *Siradiam* agentes ſpes certa fuerat, excepturi, Barones & Proceres Regni *Poloniæ*, pro die Pentecoſtes, qui in decimam Maii cadebat diem, ad nouam *Sandecz* conueniunt.

Poloni in Sandecz conueniunt. Ad quos Sandiuogius de Subino Palatinus Caliſſienſis a Regina reuerſus eam eſſe Caſſouæ, nec poſſe propter inundationem aquarum in Poloniam venire, exponit.

Ad quos *Sandiuogius* de *Subino* Palatinus *Caliſſienſis* & Capitaneus *Cracouienſis*, mandata *Eliſabeth* Reginæ perferrens, aduenit. Qui *Reginam Eliſabeth cum filia Heduigi vſque Caſſouiam deſcendiſſe & abinde propter inundationem aquarum in Poloniæ Regnum procedere non potuiſſe*, aſtru- B ens rogabat, *illi non ſuccenſeri*, offerens *eam, ſi id ſibi non remittatur, etiam cum periculo venturam.* Perſuaſit deinde, ac perſuaſioni adiecit preces, *quatenus Primores ex Baronibus ſe illam viſitatum iri dignarentur, certiora quæque coram concluſuri.*

Ad quam iterum Barones plures profecti,

Medioctibus itaque ad propria reuerſis, a primoribus, videlicet *Dobeslao* de *Kurozwaki* Caſtellano; *Spitkone* de *Melſchtin* Palatino *Cracouienſibus*, *Iaſchkone* de *Tarnow Sandomirienſi*, *Vincentino* de *Kapa Poſnanienſi*, *Sandiuogio* de *Subino Caliſſienſi*, Palatinis, *Domaratho Poſnanienſi* Caſtellano in *Caſſouiam* itum eſt.

alios tractatus faciunt, & Heduigis aduentum ad feſtum S. Martini differunt.

Vbi poſt nonnullos tractatus, in derogationem concluſionis, quæ apud *Siradiam* facta fue- C rat, pacta noua inita ſunt, *vt videlicet pro die Sancti Martini futuro, Heduigis filia Cracouiam adueniat, Regnum Poloniæ, ſponſo, ex ſententia Prælatorum & Baronum illi iungendo, poſſeſſura. Quæ ſi prolem non relinqueret, ad germanam ſuam Mariam, ea obeunte, deuoluatur Regni Poloniæ ſucceſſio, vice reciproca & ipſa prolesque ſua in Hungariæ Regnum, ſi Maria orba decederet, ſucceſſionem habitura: continuareturque Regnorum Hungariæ & Poloniæ liga & vnio, & proli ex ſororibus præfatis, aut earum altera producendæ integra vtriuſque Regni hæreditas remaneret.* Dilatio autem aduentus *Heduigis* filiæ Regiæ tunc accepta, arbitrantibus pleriſque etiam in tempus D longius illum extrahi debere, acerrimas clades ſtragesque apud *Polonos* exciuit.

Semouithus Maſouiæ Dux ſciens ſe electum,

Electionem de ſe, in conuentione *Siradiæ* habita, *Semouitus* Dux *Maſouiæ*, *Bodzanta Gneſnenſi* Archiepiſcopo, & fere ſingulis *maioris Poloniæ* Prælatis & Baronibus ſpem illius mulcentibus, fini & conſumationi mandaturus, ſperans inſuper *Heduigim* filiam Regis *Ludouici*, & eius coniugium ſe poſſe adipiſci, in præfati *Bodzantæ* Archiepiſcopi *Gneſnenſis*, & *Bartoſſii* de *Kozmin*, comitiua, verſus *Cracouiam* ſeptima die Maii, celata ſua præſentia, aduenit. Sed propter frequentiam militarium *Maſouiæ*, qui haſtas quingentas explebant, aduentu ſuo in publicum vulgato, *Cra-*

couiam

1383

Veniens Cracouiam non admittitur. Qui in Præpoſitura S. Floriani manens a Conſulibus auiſatus ut diſcederet, in nouam ciuitatem progreditur concluſionem rerum Regnum Poloniæ tangentium ibidem expectaturus.

couiam ingredi non permiſſus, in curiam Præpoſiti Sancti *Floriani*, extra muros *Cracouienſes*, quam *Bodzanta Gneſnenſis* Archiepiſcopus Præpoſitus exiſtens, muris inſigniuerat, declinauit, ibique conſtitit. Ibi denique legatione *Cracouienſium* conſulum, qui latitationem ſuam, euidens ſuæ ciuitatis rati continere periculum, æquis animis vllatenus non toleraturos aſſeuerabant, vexatus crebris excubiis, ne ex urbe in eum fieret irruptio, ea nocte per milites inſtructis, die ſequenti, ſole oriente, relinquens *Cracouiam*, in nouam ciuitatem *Korczin* ſe recepit. Vbi diebus quindecim immoratus, earum rerum, quæ in *Hungariam* per Barones *Poloniæ* cum *Eliſabeth* Regina agitabantur, finalem exitum operiebatur. Militum ſuorum & armata & frequens caterua vulgauerat illum prodideratque, *Heduigim filiam regiam, ſuggerentibus id plerisque Poloniæ Proceribus, ſi ſponte non daretur, vi Regnum Poloniæ ingreſſum, rapturum.* Et eo reſpectu Barones *Poloniæ*, qui in *Caſſouiam* deſcenderant, permotos, aduentum *Heduigis* filiæ Regiæ, in tempus longius, ut *Semouitus* Dux cogeretur abire ad abrogandum deſtinatas inſidias, conſulto protelaſſe, nonnullorumque Capitaneorum deſtitutionem, eorum præſertim, qui *Semouiti* Ducis ſeditioni ſubſtrauerant, ſuaſiſſe.

Ex minori Polonia, Semovitus Maſouiæ Dux

Semouitus Maſoniæ Dux, ſpes ſuas de adipiſcendo Regno *Poloniæ*, & *Heduigis* filiæ regiæ connubio, aliter quam ratus ipſe fuerat, ſuccedere videns, ex *Cracouienſi* & *Sandomirienſi* terris, quarum Conſiliarios & Barones, & ſignanter *Spitkonem* de *Melſchtin* Palatinum *Cracouienſem*, & *Iaſchkonem* de *Thaczin*, Caſtellanum *Voynicenſem* obſtare magis quam fauere propoſito ſuo cognouerat, diſcedere, & in *Maſouiæ* Ducatus, & terras *maioris Poloniæ*, ne excluſio ſua a *Cracouienſi* arce & vrbe, pectora Prælatorum & Baronum *maioris Poloniæ*, ſibi de Regno fauentium, inficeret, variaretque, redire conſtituit, præſentia ſua illos æſtimans in fide continere.

in terras maioris Poloniæ proficiſcens Spitkoni de Melſchtin Palatino Cracouienſi infeſtus,

In *Spitkonem* autem de *Melſchtin* Palatinum *Cracouienſem*, quod adoleſcens pene, & nondum virilem ſortitus ætatem, (nondum enim annum decimum octauum ſupergreſſus erat) Palatinatus *Cracouienſis* Magiſtratus fuerat illi mandatus, deiicere illum a Regno *Poloniæ*, cuius ſibi & naturali, & electionis conformis iure debebatur ſucceſſio, anhelantem, grauiter iratus, in oppidum ſuum *Xiaſcb* hæreditarium, dum in *Maſouiam* reuerteretur, adueniens, flammis illud non ſecus quam hoſtile conſumit, tam ſibi quam cæteris, qui illius obſiſtebant regimini, formidinem iniecturus.

oppidum eius Xiaſch comburit.

Semouitus Maſouiæ Dux

De ſingulis autem, quæ apud *Caſſouiam* ordinata fuere, *Semouitus Maſouiæ* Dux ab his, qui partium ſuarum Barones extiterant, certior factus, non proficientibus clandeſtinis machinationibus, apertis vtendum duxit. Intelligens quoque *Stiborium Mſcziczonis* militem, ad regendam *Cuiauiam Lanciciamque* & eius caſtra, *Petraſſio Malocha*, qui in vehementem ſuſpicionem de ferendo *Semouito* Duci auxilio, adductus erat, deſtituto, per Reginam *Eliſabeth*, & Barones *Poloniæ*, miſſum eſſe; *Abraham Socha* Palatinum *Płocenſem* & *Krzeslaum* militem, filium *Dobeslai* Caſtellani *Cruszuicienſis*, ad occupanda caſtra terræ *Cuiauienſis*, de fide & aſſiſtentia *Petraſſii Malocha*, Capitanei *Cuiauiæ*, confidens, reuerſus ipſe in *Maſouiam* ſingulos ſuos ſubditos armaturus, tranſmittit. Quibus in caſtrum *Breſtenſe* per *Derslaum* germanum nepotem *Iaroslai* olim Archiepiſcopi *Gneſnenſis*, & generum *Petraſſii Malocha*, vigeſima tertia Maii intromiſſis, *Stiborius Mſcziczonis* ſerius adueniens, a *Brzeſtenſibus* ciuibus, *Semouiti* Ducis Principatum, propter eius tyrannidem execrantibus, magno fauore excipitur. Sed Ducis *Semouiti* gentes obſidione illico ciuitatem cingunt: Quapropter *Stiborius Mſcziczonis* in arcto ſe poſitum videns, ne quid hoſtile pateretur, pactus, ciuitate excedit. *Petraſſius* vero *Malocha*, ciuitatem *Brzeſtenſem* & caſtrum ingreſſus, plerisque *Brzeſtenſibus* ciuibus, qui authores recipiendi *Stiborium Mſcziczonis* in oppidum, ſe abſente, fuerant, in dira vincula coniectis, bonisque eorum confiſcatis, caſtrum & ciuitatem *Brzeſtenſem* cæteraque *Cuiauiæ* caſtra, *Semouito* Duci prodidit.

Breſtenſe

Ab inde exercitus *Semouiti* Ducis, *Abraham Socha* Palatino *Płocenſi* Duce, diſcedens, caſtrum *Cruszuicienſe*, quod per militares *maioris Poloniæ*, a *Petraſſio Malocha*, qui & ipſe cum *Domaratho* Capitaneo eiuſdem generis fratre ſentiebat, oppugnatum, deditioneque acceptum, *Dobeslaus* de *Koſciel* Caſtellanus *Cruszuicienſis*, ſuo & Caſtellani *Brzeſtenſis Iakuſſii Kulig*, de *Przemeczorzino* nominibus, a militaribus commendatum tenebat, circumuallat.

& Cruſzuicienſe caſtra.

Acceperat præfatus Caſtellanus *Brzeſtenſis*, qui & ipſe conuentui apud *Caſſouiam* habito interfuit, a Regina *Eliſabeth* de caſtro *Cruszuicienſi*, in manus & poteſtatem *Stiborii Mſcziczonis*, reſignando, perſonale mandatum quod conſulto necglecturus, dolumque conceptum contecturus, tardius ex *Hungaria* rediit. Caſtrum enim *Cruszuicienſe* de ſua annuentia, & *Dobeslai* Caſtellani *Cruszuicienſis*, & nonnullorum aliorum terrigenarum *Cuiauiæ* mandato, quemadmodum per ſecretas conſpirationes inter eos & Ducem *Semouitum* conuenerat, *Abrahæ Socha* Palatino *Płocenſi* per *Iakuſſium Kulig* deditum eſt.

miſſo Abraham Socha, Palatino Płocenſi, deditũ eſt.

Cuiauienſi terra, & ſuis caſtris, *Semouitus Maſouiæ* Dux, in ſuam ditionem redacta, conuentum apud *Siradiam* generalem, omnibus Regni *Poloniæ* Prælatis & Baronibus, per *Laſzotam* de *Stauiſchino* Dapiferum *Cuiauiæ*, & nonnullos ſuæ partis militares, pro die Sancti *Viti* indicit, *dicto ſuo parituros, & in coronationem ſuam conſenſuros ſe præmiaturum, abnuentes vero ſuum imperium, hoſtilibus armis & incen-*

Semouitus Maſouiæ Dux occupata Cuiauienſi terra & aliis in maiori Polonia, Siradiæ in conuentu

1383 *incendiis, vexaturum*, denuncians. Sed dum fere ſinguli Optimates Ducis *Semouiti* aſpernarentur edicta, ſolus *Bodzanta Gneſnenſis* Archiepiſcopus, cum nonnullis *maioris Poloniæ* militaribus, *Siradiam* pro die conſtituto adueniens, *Semouitum Maſouiæ* Ducem, *Poloniæ* Regem, in Monaſterio fratrum Prædicatorum, ſingulis qui conuenerant, probantibus, pronunciat, in altumque fauore militari ſublatum, *Regē* acclamat. Et niſi paucorum reſtitiſſet diſſuaſio, etiam illum in loc eodem regio diademate, quo pronunciatio ſua & decretum minus reſcindi poſſet, aſſiſtentibus ſibi *Stiborio Płocenſi* & *Nicolao Cuiauienſi* Epiſcopis, ad expediendum munus id conſulto adſcitis, coronandum inſigniendumque ſanxerat. His perfectis *Semouitus* Dux *Maſouiæ*, cum iam & *Lancicienſe* caſtrum ciuitasque a *Petraſſio Malocha* ſibi dedita forent, in terras *maioris Poloniæ* exercitum gentium ſuarum, ſperans & illas iuris ſui facere, deducit; oppidumque *Caliſſienſe Bartoſſio Odolanowski* ſuadente, ferenteque auxilia, expugnare adorſus, propugnaculum in aggere verſus *Conin* conſiſtens, ciuibus necquicquam probe illud tuentibus, conquirit. Cui *Conradus Oleſchnicenſis* Dux auxilia laturus, caſtrumque *Odolanow*, *Bartoſſio* cedente, in ditionem ſuam ex compoſito recepturus, cum tricentis lanceis aduenit, & ab altera parte *Caliſſienſe* oppidum obſidione arctauit. Dux autem *Semouitus* aliquot diebus in ea obſidione moratus, dum & expugnatio caſtri & oppidi difficilis, & deditio nulla ex parte prouentura videretur, exercitu ad obſidendum relicto, *Lanciciam* ſe contulit.

a Bodzanta Archiepiſcopo Gneſnenſi paucis ad id conſentientibus Polonis Rex pronunciatur.

Variis interim *maioris Poloniæ* ora cladibus bellisque flagrare cœpit. Nam *Grzimała* de *Oleſchnicza Coſtrzinenſis*, *Albertus* de *Swieradowo Kamyenenſis*, Caſtellani & *Wyerzbiątha* de *Smogulecz*, ex caſtro *Nakieł*, vigeſima prima Iunii facto deſcenſu, *oppidum Znena Archiepiſcopale, ne in Semouiti Maſouiæ Ducis ditionem concederet, tradi ſibi a* ciuibus magnopere efflagitant: *Ni tradatur, allodiis eorum exuſtis, oppidi expugnationem ſe tentaturos*, promiſerant. Oppidanis autem *Znenenſes* in dies aliquot, ſub quibus conſulere Archiepiſcopum poſſint, obtinentibus, ad *Gąmbicze* oppidum regium, quod a Præfecto Ducis *Maſouiæ* iam tenebatur, aliquot leuis armaturæ homines mittunt, & velut hoſtile direptum, prædam illic quæſitam in *Nakieł* referunt. Vigeſima vero quinta Junii, *Bandzimirus* de *Radzicze*, gente eadem quæ apud *Nakieł* demorabatur, fretus, oppidum Archiepiſcopale *Kamyęn* in *Pomerania*, oppidanis mendacio præfati *Bandzimiri*, quod *Gneſnenſis* Archiepiſcopus ex Regno *Poloniæ* per *Eliſabeth* Reginam exiliatus profligatusque ſit, circumuentis, intercipit. Arcem deinde fortiſſime impugnans, gentibus Archiepiſcopi propter defendiculorum penuriam ſe dedentibus, conquirit. *Bodzanta* itaque Archiepiſcopus *Gneſnenſis*, plurimum ſuper his aduerſitatibus anxiatus, *Znenam* adueniens, cum *Grzimała* & *Wyerzbiąta*, ne quid quid hoſtile ab eis pateretur, quadraginta quinque marcis latorum groſſorum, & decimis *Palucenſibus* largitis, paciſcitur. Sed vno hoſte conciliato, alter mox erumpit. Pactis enim quæ *Bodzanta* Archiepiſcopus cum *Grzimalitis* de *Nakyeł* pepigerat, *Abraham* Palatinus *Płocenſis*, *Sławiecz Vexillifer Maſouiæ*, cæterique Ducis *Semouiti*, qui *Cruszuicienſia* caſtra, cæterasque *Cuiauiæ* munitiones obſeruabant, Præfecti, irritati, octaua Iulii *Kwieczieſchewo* oppidum & villas Archiepiſcopales plures numero, multifariis ſpoliis direptionibusque afficiunt. Apparuitque quantas ſeditiones & bella apud *Polonos* verus Regis defectus excitaturus foret, cum ſola abſentia & interregnum tam horrendas procellas exciuiſſet.

Grzimała de Oleſchnicza cum aliis ex caſtro Nakłenſi oppidum Znena ne in poteſtatem Semouiti Maſoviæ Ducis veniret,

& Bandzimirus de Radzicze caſtrum Kamyęn Archiepiſcopi Gneſnenſis capit.

Maſſouitæ vero oppidum Kwiecziеſchekuo prædantur.

Durior deinde anxietas afflictioque præfato *Bodzantæ* Archiepiſcopo *Gneſnenſi*, ab his quoque, quos ſe placaſſe crediderat: Diuinitate illi hanc pro eo quod poteſtate ſæculari, legitimo electo excluſo, in *Gneſnenſem* ſedem conſcenderat, tentationem immittente, inflicta eſt. Domarathus enim Caſtellanus *Poſnanienſis*, pridem ex *Hungaria*, Capitaneatu *maioris Poloniæ*, qui *Peregrino* de *Vągleſchin* nepoti germano *Floriani* olim Epiſcopi *Cracouienſis* commiſſus erat, reſignato, reuerſus, *Znenam* ad *Bodzantam* Archiepiſcopum Gneſnenſem cum ſocero ſuo *Alberto* Palatino *Cuiauienſi*, *Grzimała* & *Wierzbiętha*, decima Iulii ſe conferens, *in quanto periculo ipſe ſtatusque ſuus verſetur*, primam arbitris excluſis, mox etiam adhibitis, edicit. Aſtruxit ſiquidem, *quod propter adhæſionem quam Semouito Duci Maſouiæ, & ſponſionem de eo in Regem Poloniæ coronando, caſtrisque Eccleſiæ ſibi dedendis, noſcitur feciſſe, ab Eliſabeth Regina Hungariæ, eiusque genero Sigiſmundo Marchione Brandeburgenſi, hoſtis infeſtus indicatus ſit, & quod ſupplicatio per nuncios ſpeciales, Reginæ & Marchionis nomine, Summo Pontifici directa ſit, vt eum velut præuaricatorem iuriſiurandi & communium fœderum, criminique læſæ Maieſtatis obnoxium, ſede Gneſnenſi priuet, & alterum in eius locum ſubſtituat.* Monet deinde *Domarathus*, *vt pro tollenda ſuſpicione, reſcindendoque, quod ſibi nectitur periculo, Znenam ſuæ poteſtati, nomine Heduigis filiæ Regiæ tenendam de cætero conferat, expugnationem eiuſdem oppidi & vaſtationem villarum Archiepiſcopalium a ſe infligendam, ſi ſecus agendum perſeuerauerit, viſurus.* *Bodzanta* autem Archiepiſcopo crebra execratione diluente obiectum crimen, *Domaratho* vero pro deditione oppidi inſtante; Archiepiſcopus hac illi voce reſpondet: *Video me*, inquit, *anguſtiis in vtramque partem circumſeſſum iri. Nam ſi ſuſpicionem diluturus*

Timens Bodzanta Archiepiſcopus Gneſnenſis

Domarathi de Pierzchno Caſtellani Poſnanienſis, qui iam Capitaneatum maioris Poloniæ reſignauerat, potentiam

1383

Znenam

1383 *Znenam tibi contulero, a tuis hoſtibus vaſtabitur: Si, quod petis, renuero, eandem vaſtationis ſortem a te & tuis, me probe video ſubiturum. Malo tamen vt a te tuiſque vaſtatus, ſubeam rerum diſpendium, quam meam innocentiam aliqua ſuſpicionis contagione, quæ ex eo ſolo, ſi tibi Znenam contradicerem, emergeret, contaminem.* Hac reſponſione edita, in craſtinum tamen ſe deliberaturum aſtruens, ſaniori vſus conſilio, *Znenam* non in *Domarathi*, ſed in *Grzimalæ* de *Olieſchnicza Coſtrzinenſis* Caſtellani poteſtatem ſe conſignaturum, ad oſtendendum ſuæ puritatis intentionem, obtulit. Sed *Grzimala* præfato, ſi *Wyerzbiatha* de *Smogulecz* pro comite indiuiduo non adiungatur, rem aſpernante, *Znena* eo pacto, ut nihil hoſtile cuiquam inferatur ex ea, neque ſumptus & expenſæ illic quomodolibet fiendæ repetantur, vtriuſque fidei in ſolidum ab Archiepiſcopo commiſſa eſt.

caſtrum Znenæ ne occuparetur, ad fideles manus Grzimalæ & Wierzbiatha, concedit, donec ſe de obiecto crimine læſæ maieſtatis expurgaret.

Ciuili & domeſtico bello apud *maioris Poloniæ* oras dietim intumeſcente, externum quoque acceſſit, *Glogouienſes* enim Duces, *Henricus* vocitatus *Sperling*, & grauiter, & moleſte ferentes, quod de terra *Wſchouenſi*, quam occupauerant, per *Caſimirum Poloniæ* Regem fuerant deiecti; recuperaturi illam, arma ſumunt, & oppidum *Wſchowa* impugnare & conquirere moliuntur Verum dum per oppidanos cum ignominia a mœnibus pulſi forent, in maiorem furorem acti, terram prædictam ſpoliis, incendiis, vaſtabant. Quorum inſolentiam reſtrictum iri *Peregrinus* de *Vagliſchin* Capitaneus *maioris Poloniæ*, & ciues *Caliſſienſes* ſoluere obſidione, qua a *Conrado Oleſchnicenſi* Duce, & *Bartoſſio Odolanowski*, ac exercitu *Semouiti Maſouiæ* Ducis premebatur, ſatagens, militaribus *maioris Poloniæ* expeditionem indicit. Verum cum pauci huic imperio paruiſſent, vaſtatis pleriſque villis *Poſnanienſis* Eccleſiæ & Monaſterii *Lubenſis*, nullo militari edito opere, *Poſnaniam* rediit. Sub quo tempore *Conradus Oleſchnicenſis* Dux *Ponyecz* caſtrum ſuis gentibus circumſidens, facta cum *Thomiſlao Viſchota*, qui illud tenebat, paſtione clandeſtina, per deditionem illius poſſeſſione potitus eſt. Fraudem autem huiuſmodi *Peregrinus maioris Poloniæ* Capitaneus non ferens, *Thomiſlaum Viſchotam*, & fratrem eius, velut fraudis præfatæ auctores, in vincula coniecit. Quorum conſilio & ſuggeſtu, proditum caſtrum recuperaturus, dum cum gente ſua verſus illud procederet, & Ducis *Conradi* gentes pro præſidio relictæ, ſola fama aduentus eius in pauorem actæ, antequam applicaſſet, caſtro incenſo, diffugiunt, cuius ex nouo conſtructioni *Peregrinus* Capitaneus inſiſtens, villas *Poſnanienſis* Eccleſiæ iuxta *Krobya* & *Dolsko* conſiſtentes, frequentibus ſpoliis inhumane oppreſſit. Altera inſuper vice, diſtrictiori edicto, militares in *Vynyecz* villam *Poſnanienſis* Epiſcopi conuenire armatos imperat, pro depulſione *Conradi* Ducis, & *Bartoſſii Odolanowski* ab obſidi- A one oppidi *Caliſch* proceſſuros. Pluribus autem huic edicto parentibus, & in deſignatum locum conuenientibus, *Bartoſſius Odolanowski* eam expeditionem impediturus, in *Vynyecz* adueniens, ſingulos qui conuenerant incautius ſe gerentes opprimit, & armis equiſque, ac cæteris rebus exutos, pleroſque etiam captiuitati addixit. 1383

Glogouienſes Duces

cum Wſchouenſes terras recuperare nequeunt, illas cæde vaſtant & igne.

Quod Peregrinus de Vagliſchin Capitaneus maioris Poloniæ prohibiturus, & Ducem Oleſchninenſẽ ab obſidione ciuitatis Caliſſienſis pulſurus colligit milites, vaſtatiſque villis Eccleſiæ Poſnanienſis nihil aliud egit, quam caſtrum Ponyecz interceptum Thomiſlao proditore capto recuperat

Cracouienſes & Sandomirienſes Barones, apud quos omnia quieta erant, graui ferentes moleſtia terras *maioris Poloniæ* inteſtino & externo bello colliſi, conuentum apud *Cracouiam* pro die Sancti *Iacobi* Apoſtoli indicunt. Ad quem *Semouitus Maſouiæ* Dux, & *Bodzanta Gneſnenſis* Archiepiſcopus, frequentibus nun- B ciis & literis *Cracouienſium* Baronum rogati, de ſtatu & tranquillitate Regni *Poloniæ* prouiſuri, conueniunt. Et poſt varios tractatus, dum de pace ad liquidum reintegranda non conueniret, ſufferentia, in diem Sancti *Michaelis* tantummodo duratura, ægre obtenta eſt. Et licet ex pacto *Caliſſienſibus* obſidio ſolui, & vaſtatio deprædatioque villarum debuerat quieuiſſe, *Bartoſſius* tamen *Odolanowsky*, *Semouiti* Ducis negligens ſpernenſque imperium, in dies octo ex quo iuſſus eſt diſcedere, obſidionem extraxit, ſub quibus quaſlibet villas & oppida in circuitu, plurima deprædatione vaſtauit, donec *Maſouiæ* Dux *Semouitus* perſonaliter adueniens, *Bartoſſium* & exercitum ſuum ab C obſidione, quatuordecima Auguſti, amouit. Sed & alii quoniam Ducis *Semouiti*, in caſtris *Cruszuiſcienſis Brzeſtenſis*, & *Przedecenſis* Præfecti, ſeruare treugam ictam iuſſi, ad ſpoliandum Eccleſiarum & militarium bona, curam plus ſolito intenderant.

Maioris Poloniæ Barones, indictio conuentu Cracouiæ obtinent a Semouito Maſouiæ Duce inducias ad feſtum Michaëlis per totam maiorem Poloniæ fieri.

Sub idem tempus, *Hungarorum* exercitus, duodecim armatorum explens millia, Duce *Sigiſmundo* Marchione *Brandeburgenſi*, & qui in ſuo comitatu *Demetrium* Strigonienſem Archiepiſcopum habebat, hoſtilitates *Semouiti Maſouiæ* Ducis coerciturus, in *Poloniam* aduenit; ſuperatiſque *Alpibus*, quæ *Poloniam* & *Hungariam* dirimunt, primum ſtatiua ad oppidum *nouæ Sandecz* poſuit. Grauis ſubinde D diſſenſio inter *Cracouienſes* Barones, ſubſiſteret ne exercitus *Hungaricus*, an in *Maſouiam* ire pergeret, ſuborta eſt, aſtruentibus nonnullis *pacta cum Duce Semouitho inita, ſeruanda eſſe*; aliis, & quorum ſententia accepta eſt, in aduerſum nitentibus, differentibuſque *pactis ſe, cum ea prior Dux Semouithus, & ſui violaſſent, non teneri.* Poſt plures itaque dies, *Sigiſmundus Marchio* motis a *noua Sandecz* caſtris, *Cracouienſium* & *Sandomirienſium* militum auctus exercitu per *Radomienſem* diſtrictum in *Maſouiam* contendit, & ſingulas poſſeſſiones, vicos, & rura, quæ ad *Semouithum* Ducem & ſuos pertinebant, Duce *Semouito* decernendi non faciente poteſtatem, & vaſtauit

Sigiſmundus Marchio Brandeburgenſis cum duodecim millibus Hungarorum

& Cracouienſibus ac Sandomirienſibus militibus

1383 & incendit, variaſque & horrendas crudelitates in eam duntaxat *Maſouiæ* oram, quæ a *Semouitho* Duce obtinebatur, potentiam & molimina Ducis præfati oppreſſurus, & ipſum ad præſtandum homagium filiabus Regis *Ludouici* coacturus, exercuit. Eam vero *Maſouiæ* oram, quæ ditionis *Ianuſſii* erat, neque infeſtari, neque violari a quoquam permiſit. Dux enim *Ianuſſius* in fide, quam *Ludouico Hungariæ* & *Poloniæ* Regi fecerat ſincere perſeuerans, etiam filiabus ſe eandem fidei integritatem, præſtito homagio, ſpoponderat. Sed neque *Poloniæ* Regni occupandi ambitione, proprio Ducatu contentus detinebatur.

Maſouiæ partem Duci Semouito ſubiectã, magna clade incommodoque afficit.

Erectionem noui Caſtelli *Loſzow*, per *Arnoldum* de *Valdovo*, *Domarathus* de *Pierzchno* Caſtellanus *Poſnanienſis*, contra ſe & partem ſuam, ratus editam eſſe, cum fratribus & coadiutoribus ſuis, *Andrea* de *Sweradouo* *Camyenenſi*, *Grzimała* de *Oleſchnicza Coſtrzinenſi* Caſtellanis, & *Wyerzbiatha* de *Smogulecz* agreſtium inſuper ex diſtrictibus *Znenenſi* & *Naklenſi*, notabili manu, diſſolutionem illius facturus, aduenit. Quod diebus octo impugnans, cœpto irrito, vno ex ſuis adoleſcente ingenuo *Ioanne Przeslai* de *Margonino* deſiderato, pluribus vero vulneratis, diſcedit. *Arnoldus* vero de *Valdono* *Znenenſibus* agreſtibus, qui contra ſe arma tulerant, iratus, ſub diebus quibus fortalicium ſuum a *Domaratho* oppugnabatur, & *Znenenſis* oppidi & villarum Archiepiſcopalium *Znenenſis* diſtrictus cum inopinate veniſſet, ingentem gregem pecorum pecudumque & equorum numerum ſuſtulit, & in *Golanczam* abegit. Diſtrictum deinde *Naklenſem* potenti fretus amicorum & familiarium numero, qui a *Domaratho* & ſuis auxiliatoribus tenebatur, ingreſſus, pluribus diebus vaſtauit. Sub idem tempus oppidum *Lekno*, a *Grzimała Coſtrzinenſi*, & *Alberto Camyenenſi Caſtellanis*, oppidanis ad excutiendam raptam prædam incaute ſe ex oppido effundentibus, & in oppidum refugere viſis inſidiis conantibus, interceptum, ſpoliatum, & exuſtum eſt.

Domarathus cum ſuis, & Znenenſi Naklenſique populo, caſtrum Laſſow Arnoldi de Waldow demoliri fruſtra conatur.

Arnoldus vero ex Znenenſi & Naklenſi terris prædã pecudum ingentem abigit

& oppidum Lekno exurit

Wladislauienſis Epiſcopus *Sbilutus*, nobilis de domo *Bipennium*, ſiniſtram corporis partem mediam ex paralyſi læſam, annis aliquot perferens, die Veneris vltima Iulii, in caſtro ſuo Epiſcopali *Racziąſz*, moritur, & in *Wladislauienſi* Eccleſia ante maius altare ſepelitur. Qui pro Eccleſiæ ſuæ decore, plura vaſa aurea & argentea, libros, & pecunias, in Capituli manibus reliquit. Satagens autem *Drogoſſius Siradienſis* Capitaneus ſuæ domus & generis fratrem *Nicolaum* de *Chroberz Wladislauienſem* Cantorem ad *Wladislauienſem* ſedem euehere, caſtrum *Volborz*, quod tunc ab *Henrico* Canonico *Wladislauienſi* tenebatur, per familiarem ſuum *Iakuſzium Kuczkowski*, & cæteros ſatellites, ad id conſulto deſtinatos, de occulta eiuſdem *Henrici* Canonici conniuentia, occupat, & intercipit, & oppidanos atque agreſtes diſtrictus illius, pluribus talibus & contributionibus grauauit.

Mortuo Zliluto Epiſcopo Wladislavienſi

Drogoſſius Capitaneus Siradienſis fratrem ſuũ Nicolaum de Chroberz eligi volens, & nihil proficiens, caſtrum & oppidum Wolborz captum ſpoliat.

1383 Capitulum *Wladislauienſe* nihil his, quæ a *Drogoſſio* inferebantur, oppreſſionibus motum, die Mercurii vndecima Auguſti, in caſtro *Racziąſz* Electionem futuri Pontificis celebrans, per viam compromiſſi, in *Theodoricum Wladislauienſem*, *Troianum Poſnanienſem*, Præpoſitos & *Ioannem Archidiaconum Gneſnenſem*, Canonicos *Wladislauienſes*, facti, vnum ex compromiſſariis, videlicet *Troianum* Præpoſitum *Poſnanienſem* elegit. Cuius electionem *Bodzanta* Archiepiſcopus *Gneſnenſis* etſi in die Aſſumptionis S. *Mariæ* Virginis in caſtro *Vnyeiouienſi* confirmauerit, conſecrationis tamen munus impendere diſtulit. Hic *Sbilutus* Epiſcopus, Chorum Eccleſiæ conuentualis in *Brzeſth* ordinis Prædicatorum ſuæ diœceſis cocto latere fabricauit. Sedit in Cathedra *Wladislauienſi* vno & viginti annis.

Troianus autẽ ſuccedit Præpoſitus Poſnanienſis.

Vacantis Eccleſiæ *Wladislauienſis* oppreſſionem narrauimus, ſed ea, quam narraturi ſumus, *Gneſnenſi* Eccleſiæ Pontificem ſuum habenti accidit. *Peregrinus* namque de *Vogliſchino*, *maioris Poloniæ* Capitaneus, cui ſuperiores expeditiones contra hoſtes Regni indictæ, parum proſpere ceſſerant, in proprios graſſatur, vt quod minus in hoſte habuerat, in proprio ſuppleret, in *Gneſnenſem* Archiepiſcopum *Bodzantam*, cum *Vincentio* Palatino *Poſnanienſi*, *Derslao* de *Oſtrorog Santhocenſi*, *Sandiuogio Swidwa Naklenſi*, Caſtellanis, *Arnold de Waldowo*, cæteriſque *maioris Poloniæ* Proceribus, quaſi is iuxta ac *Maſouiæ* Dux *Semouitus* (cuius Ducatus ea tempeſtate *Hungarico*, *Cracouienſi* & *Sandomirienſi* exercitu duriſſime vaſtabatur) conterendus veniret, arma ſumit, & ſexta Septembris, caſtris ad *Znenam* poſitis oppidum oppugnat. A cuius conquiſitione repulſus, in agreſtes & tecta innocua ſæuire cœpit, prædiis ſuburbanis exuſtis, villas Archiepiſcopales *Znenenſes* vaſtat, diripit, & ſpoliat. Prædaque ingenti ex pecore onuſtus, ſtatiuis in villa Archiepiſcopali *Biskupicze* habitis, *Gneſnam* venit, curiamque Archiepiſcopalem & Canonicorum domos cum gentibus ſuis ingreſſus, exponit in prædam, ratus ſe inſigne & glorioſum expleuiſſe facinus, quod proprios & agreſtes, nullam opponentes reſiſtentiam, ſpoliis & incendiis vexarit.

Peregrinus de Vogliſchin maioris Poloniæ Capitaneus cum Vincentio de Kapa Palatino Poſnanienſi & aliis bona Archiepiſcopi Gneſnenſis Bodzantha paſſim prædantur, & curiam eius Gneſnenſem ac domos Canonicorũ dat in direptionem

Ducatu *Maſouiæ* vniuerſo, qui ad ditionem *Semouiti* Ducis pertinebat, *Sigiſmundus Brandeburgenſis* Marchio cum *Hungaris Cracouienſibus* & *Sandomirienſibus* ſpoliis & igne crudeliter peruaſtato, *Brzeſtenſem* ciuitatem, quæ & ipſa Duci *Semouito* parebat, obſidione, frequenti, vigeſima quinta Septembris, vallauit. Sub vndecem autem diebus quibus ipſius extracta eſt obſidio tam *Polonicus* quam *Hungaricus* exercitus, *Cuiauienſem* terram, perinde ac hoſtilem vaſtare non deſtitit. Dux deinde *Wladislaus Oppolienſis Vielunenſis*, & *Dobrzinenſis* mediatorem ſe ingerens, treugas in fe-

Sigiſmundus Brandeburgenſis Marchio vaſtata Maſouia & Cuiauia dum Brzeſcie obſidet treugis cum Semouito Duce Maſouiæ factis

ſtum

1383 ſtum Paſchæ duraturas, inter *Sigiſmundum* Marchionem, & *Semouitum Maſouiæ* Ducem ordinat. Quibus per conditiones æquas firmatis *Hungaricus* exercitus, qui in eo bello crudelitate vſus barbarica, templa & ſacraria, ad explendum cupiditatis ardorem, ſpoliis proſtituerat, cum Duce ſuo *Sigiſmundo* Marchione *Brandeburgenſi, Polonorum* manubiis & ſpoliis ad ſatietatem onuſtus, ditatusque, *Hungariam* repetiit. *Domarathus* de *Pierzchno* Caſtellanus *Poſnanienſis*, qui, fauorem *Sigiſmundi* Marchionis, & *Eliſabeth* Reginæ *Hungariæ* propenſius vindicaturus, *Saxonibus* & *Pomeranis* in ſui auxilium conductis, *Cuiauienſem* terram & ipſe ſub diebus, quibus a *Sigiſmundo* Marchione *Maſouiæ* vaſtabatur, ſpoliorum ingeminatione ex oppido *Znenenſi* attriuerat. Vno tamen dierum, gentes ſuæ, Ducis *Wladiſlai Oppolienſis*, apud *Iuniwladislauiam* demorantis prohibitione, qua per ditionis ſuæ terram, raptam prædam agere illas vetuerat, contempta, a gentibus Ducis præfati magna ſtrage, prædia inſuper, quam abigebant, excuſſa, obrutæ ſunt.

cum multa præda in Hungariam redit,

Bodzanta Gneſnenſis Archiepiſcopus, dolis & fallaciis *Domarathi* de *Pierzchno* Caſtellani *Poſnanienſis* pro ſua depoſitione *Sigiſmundum* Marchionem *Brandeburgenſem*, & *Eliſabeth* Reginam *Hungariæ* apud Papam laboraſſe, eo quod cum *Semouitho Maſouiæ* Duce ſentiret, vehementer inſimulantis, ex ſermone & tractatu cum *Sigiſmundo* Marchione, in obſidione *Brzeſtenſis* oppidi, apud quem obiectum ſcelus purgare viſus eſt, habito, intelligens ſe deluſum & circumuentum, moleſte inſuper ferens, ex oppido præfato, patriæ bellum & aggreſtibus, ſpolia inferri, *Grzimalam* & *Wyerzbiathan*, in quorum fidem oppidum *Znenam*, ad purificandum ſuggeſtionem de ſe falſe vulgatam, commiſerat, de illius reſignatione requirit. Quibus abnuentibus, & contra pacta, ſumptus & expenſas illic factas, ſibi in magna quantitate primum reddi petentibus, *Bodzanta* Archiepiſcopus cum Magiſtro & Primoribus ciuium *Znenenſium* ſecrete re communicata, portas ſibi aperire diſponit. Quas cum notabili gentium numero nona Octobris ingreſſus, *Saxonibus Pomeraniſque* per potentiam eiectis, *Znenam* recuperat illiusque regimen *Iarando Gneſnenſi* Decano committit.

Bodzanta Archiepiſcopus Gneſnenſis oppidum ſuum Znenam, quod Grzimalæ & Wyerzbyatæ fidei commiſerat; illis inuitis recuperat.

Seditionum & ciuilium cladium ſtridore, *Lithuani* & eorum Duces, Regnum *Poloniæ* audientes, ſimulque *Maſouiæ* Ducatum, a propriis & externis afflictum eſſe, magnis auſibus conceptis, caſtrum *Drobiczin*, quod a *Maſouiæ* Ducibus tenebatur, expugnaturi adueniunt. Abſens tunc ab illo *Saſſinus* Ducis *Maſouiæ* Marſchalcus, eius Tenutarius fuerat. Qui impendens periculum (nouerat enim paucas gentes in caſtro *Drobiczin* ſe reliquiſſe) depulſurus, cum triginta lanceis, & ſexaginta baliſtariis, per media hoſtium caſtra intrepidus tranſcurrens, ad arcem peruenit, a ſuiſque agnitus, illico apertis portis intromiſſus, virilem defenſionem hoſtibus opponens, frequentique ſtrage illos affligens, ſpem *Lithuanis* conquirendi caſtri ademerat. Interim tamen a *Ruthenis*, caſtro conſiſtentibus, pretio corruptis, in locis aliquot caſtrum incenſum eſt. Qui incendio patrato, per funes in hoſtium ſtationes effugerant, flammaque (*Lithuanis* caſtrum vniuerſo exercitus robore impugnantibus) non poterat extingui. Quapropter multis mortalium ab igne, & telis *Lithuanicis* abſumptis, *Saſſinus* Marſchalcus ſtrenuiſſime decertans, ad extremum tandem cum reliquis, qui flammis hauſti non erant, ſe Principi *Lithuanorum Iagyelloni*, is enim in exercitu hoſtili primarius habebatur, ſe dedere coactus eſt. 1383

Iagyello Lithuaniæ Dux caſtrum Drobiczin Maſouiæ obſidet,

igneque appoſito per Ruthenos in caſtro exiſtentes pretio corruptos, Saſſinus Marſchalcus ipſius Tenutarius, licet caſtrum ſtrenue defendit, ad extremum ſe tamen Iagyelloni Duci dedidit.

Eandem quoque Cruciferorum de *Pruſſia* exercitus in *Lithuania* ſortem & fortunam pertulit. Nam cum Magiſter *Pruſſiæ Conradus Czolner*, caſtrum *Troky* obſidione aſſidua, & bombardarum frequenti proiectione vexatum, & pro maiori parte fractum dirutumque *Lithuanis* vlteriorem reſiſtentiam opponere non auſis, illud dedentibus, conquiſiſſet, & forti militum atque victualium præſidio impoſito abſceſſiſſet, *Iagyello* magnus Dux *Lithuaniæ* illico caſtrum, antequam ruinæ illius reintegrari poſſent, noua obſidione vallauit, omnibusque conatibus ad illius conquiſitionem inſiſtens, Cruciferos & *Almanos*, vt cum rebus omnibus abſcedere liceret, pactos, viderant enim præſenti & tranſacta expugnatione ſingula caſtri mœnia concidiſſe, reddere quæſitum paullo ante caſtrum coegit.

Prutheni Cruciferi dum caſtrum Troky Lithuaniæ conquirunt, mox ab eius poſſeſſione per Iagyellonem pelluntur.

Annus hic epidimiæ peſte fere vniuerſum orbem feriente, inſignis, *Poloniæ* quoque ſingulas regiones peruadens, mortalium plures numero extinxerat.

Vrbanus Papa ſextus, ex vrbe in *Siciliam* deſcendens, & in *Auerſa* ciuitate agens, per *Carolum Siciliæ* Regem capitur: Sed poſt paucos dies, operantibus Cardinalibus relaxatur. In publicam quoque audientiam *Carolus* Rex adueniens, ad pedes *Vrbani* proſtratus, flens, ſibi veniam præſtari petiit. Ex *Auerſa* vero in *Neapolim Vrbanus* reuerſus, in caſtrum *Luceriæ*, quod *Franciſcus Butellus* nepos ſuus germanus, ex donatione *Caroli* Regis habuerat, diuertit. Vbi ſtando, ſex Cardinales, videlicet *Adam* Cardinalem *Angliæ* Ordinis S. *Benedicti*, item Cardinalem *Venetiarum*, item Cardinalem *Ianuenſem* Ordinis Minorum, Theologiæ Magiſtros, item Cardinalem *Corphonenſem* Legum, item Cardinalem de *Sandro*, & *Marinum* Cardinalem *Tarentinum*, Decretorum Doctores; item Epiſcopum *Aquilegienſem*, quaſi in mortem ſuam vel captiuitatem conſpiraſſent, vltima Auguſti captiuari, & crudelibus tormentis quæſtionari mandauit. Creauit & tunc multos nouos Cardinales:

Per Carolum Siciliæ Regem Vrbanus Papa capitur. A quo poſtea proſtratus Rex facti pœnitens veniam petit, Et Vrbanus dimiſſus ſex Cardinales quaſi captiuitatis ſuæ auctores crudeliter necat:

1383 inter quos erant, *Colonienſis*, *Maguntinenſis*, & *Treuerenſis*, Archiepiſcopi; item *Arnoldus Leodienſis*, & *Venceslaus Wratislauienſis*, Epiſcopi, & *Petrus* de *Rozemberg*, nobilis de *Bohemia*. Qui omnes vnanimi voluntate Cardinalatus ſpreuerunt honorem. Moleſte interim ferens *Carolus Siciliæ* Rex hoſtilitates Vrbani, ipſum per exercitum ſuum in *Luceria* vallauit. Quem *Raymundus* de *Bancio* cum *Britannibus* adueniens, & ex obſidione educens, ad portum *Fluuiarii* perduxit. Vbi *Ianuenſium* galeas aſcendens, cum Cardinalibus & Curialibus *Ianuam* peruenit, magno illic exceptus & celebratus honore. Vbi ad petitionem *Richardi Angliæ* Regis, *Adam* tituli *S. Ceciliæ* Cardinalem *Angliæ* relaxauit carcere. Cæteros quinque in calcem viuam proiectos extinxit. Secundum vero aliquorum aſſertionem, ſecuri percuti, aut in mari obſocari, diſponit. *Aquilegienſem* vero Epiſcopum propter crudeles torturas, debilius in equo & ſuo conſpectu gradientem, per lictores mactari iuſſit.

nouis quoque Cardinalibus creatis & iis honorem Cardinalatus aſpernantibus iterum ab eodem Rege obſeſſus euadit manus eius.

1384 Pacta, quæ apud *Caſſouiam*, cum *Polonorum* Proceribus, *Eliſabeth Hungariæ* Regina *Ludouici* relicta pepigerat, quibus ſe pro die Sancti *Martini* filiam Hedvigim *Cracouiam* miſſuram ſtrinxerat, temerante, *Sandiuogius* de *Subino Caliſſienſis* Palatinus & *Cracouienſis* Capitaneus, militarium filiis magis præſtantioribus & ingenuis coaſſumptis, ex *Ioannis* Epiſcopi & Baronum *Cracouienſium* auctoritate, in *Hungariam* tranſiit, Reginam *Eliſabeth* & carpturus de negligentia, & auerſionem diſceſſionemque, *Polonorum*, ſi ſecus agere perſeuerauerit, cladesque innumeras, quibus Regni *Polonici* atteruntur coloniæ, oſtenſurus. Quam dum apud *Iadram Dalmatiæ* Metropolim offendiſſet, ſingulis mandatis, quemadmodum iuſſus erat, per ordinem expoſitis, preces tandem adiecit, rogauitque, *vt diuturna Poloniſque periculoſa cunctatione abrogata, filiam Regiam Heduigim Cracouiam dirigat, mox in Hungariam pro complemento annorum nubilium, coronatione ſuſcepta, & Regno cladibus afflicto ſtabilito, reuerſuram. Et ſi ſermoni, & promiſſo ſuo publica auctoritate prolato diffidat, nobilium filios ſecum vna miſſos, in obſides interim quemadmodum per nuncios ſuos poſtulare viſa eſt, accipiat.* *Eliſabeth* autem Regina vnam & aliam excuſationem pro his, quibus accuſabatur purgandis, nectente, reſponſiſque vtente ambiguis, *Sandiuogius* Palatinus ſuas & *Polonorum* ſpes, legationesque recidere proſpiciens in irritum, irritatus, & in furorem iuſtum actus, remeandum quamprimum ſtatuit. Verum Regina *Eliſabeth* metu iniecto, ne *Sandiuogius* Palatinus cum caſtro principali *Cracouienſi* deſciſceret, *Laſchkonem* de *Tarnow* Caſtellanum *Sandomirienſem*, qui arcem *Cracouienſem* in ſuam ditionem redigeret, & *Hungaris* poſt ab

Sandiuogius de Subino Capitaneus Cracouienſis pro obiurganda Eliſabeth Regina, quod Heduigim filiam pro die conſtituto non miſerit dum legationem ſibi iniunctam exequitur,

& nihil proficit iratus diſceſſum celerrime parat. Quod Eliſabeth ſ. ſpectum habens Laſchkonem de Tarnow

ea mittendis, quatenus *Cracouienſes* continerentur in fide, traderet, *Cracouiam* præmittit, A *Sandiuogio* ex *Iadra* inhibito receſſu. *Sandiuogius* autem omnium eorum, quæ contra ſe ordinata fuerant, conſcius, equis per varia loca, quibus redeundum erat, locatis, *Cracouiam* inſuper directo nuncio, qui moneret mandaretque, *ne Cracouienſis arcis obſeruatores a ſe relicti, etiamſi ipſum Dominum ſuum igne conflagrari proſpicerent, arcem dedant*, ipſe cum paucis ex *Iadra* euulſus, equos mutando, in naturali vno die, quod vix credibile dictu eſt, ſexaginta *Hungarorum* miliaria, quæ *Almanicis* craſſiora ſunt, conficiens, *Cracouiam* defatigatus & anhelus, nuncios quoque B præueniens, peruenit. Cuius relatione moti Proceres, conuentum, quem in *Lelow* agendum decreuerant, in diem ſecundam Martii & in oppidum *Radomskie*, quo propinquior Baronibus ex *Polonia* procuretur acceſſio, transferunt. Fugam autem & diſceſſionem *Sandiuogii* Capitanei *Cracouienſis* & Palatini *Caliſſienſis Eliſabeth Hungariæ* Regina, graui & exulcerato animo ferens, *Maczkonem* Succamerarium *Caliſſienſem*, & ſingulos filios Nobilium adoleſcentes & ingenuos, magna ex parte præfati *Sandiuogii* aut nepotes aut conſanguineos, quos obſides habitura erat, captiuat, in præſentes ſæuiens, dum in abſentem non poterat.

ad præoccupandum caſtrum Cracouienſe mittit. Id autem Sandiuogius intelligens, cumque paucis aufugiens Cracouiam celerrime aduenit.

& Regina nobiles iuuenes per eum in Hungaria relictos captiuari procurat.

Ad conſtitutam ſecundam menſis Martii C diem, *Bodzanta* Archiepiſcopo *Gneſnenſi*, & cæteris *Prælatis* & Baronibus Regni *Poloniæ*, in *Radomskie* conuenientibus, vario ſermone, variiſque ſententiis de ſubſtituendo Rege, ſtabiliendaque Republica, & bello inteſtino reſcindendo, certatum eſt. Sed cum ſingulas iuſtas, legitimasque deliberationes, vnus ſcrupulus de *Heduigi* filia Regia, & pactis cum Patre ſuo *Ludouico* iureiurando firmatis, inficeret, ampliora externa & interna bella, ſi negligeretur exercitus, vnum leuem nuncium ad *Eliſabeth* Reginam mittere placuit, vt leuitas Legati mittentium grauem & exacerbatum animum, atque in rebellionem & contemptum ſpectantem, teſtaretur. Prohibitum D quoque edicto publico, *ne qua de cætero ad eam legatio fieret; neue quis ipſam publice aut priuatim adiret; Przeczlaus Vouelski* miles extemplo miſſus. Qui apud *Budam* Reginam *Eliſabeth* conueniens, Prælatorum & Baronum Regni *Poloniæ* mandata ei exponit. Rogat in primis, *vt verbis & promiſſis frequentius repetitis, præſtet aliquando virtutem, & filiam Heduigim pro die octaua Maii, feſto videlicet B. Staniſlai, Cracouiam tranſmittat: abſtineatque ludibriis, quibus in Polonos tantopere viſa eſt. Prælatos enim & Primores, ac Proceres Regni Poloniæ, neque eam iniuriam idque ludibrium de cætero laturos, neque miſſionem Heduigis filiæ Regis per alios legatos quæſituros, ſe extremum fore, qui in ea re* ma-

Mittunt iterum Poloni alium nuncium ad Eliſabetham Reginam,

1384 *mandata ad eam perferat.* Denunciat inſuper *Polonos iureiurando ſe obſtrinxiſſe, feſto S. Stanislai lapſo, ſibi de Rege, ſi Heduigis Regia filia Cracouiam conducta non fuerit, prouiſuros.* Mouit tam aſpera legatio *Eliſabeth* Reginam, frequentique conſilio aduocato, *Sigiſmundum* Marchionem *Brandeburgenſem* generum ſuum, ad regendum *Poloniæ* Regnum, quo filia *Heduigis* adoleſcat, viris, armis, equis, & opulenta ſuppellectili prouiſum, in *Poloniam* deſtinat. Quod cum apud *Cracouienſes* Barones percrebuiſſet, irritati, quod Præfectis, ex *Hungarorum* & matronarum arbitrio datis, parere cogerentur; Mores inſuper *Sigiſmundi* Marchionis pridem pertæſi, iuſto exercitu collecto, vsque in *Sandecz* procedunt. Miſſis itaque ad *Sigiſmundum* Marchionem, qui iam apud *Lubowla* hoſpitabatur, nunciis, monent, *ne Regnum Poloniæ eis inuitis introeat, ſe illum neque pro Rege, neque pro gubernatore vllo pacto accepturos, quin etiam ingreſſum illi iuxta ac hoſti armis interdicturos.* Qui hac denunciatione deterritus, gradum preſſit. Miſſiſque reuerſalibus nunciis, mitti ad ſe in *Lunowlam*, aliquos *Poloniæ* Barones, ſecum de arduis rebus, ſtatum Regni *Poloniæ* & eius profectum concernentibus, tractaturos, magna prece, magnaque inſtantia extorſit. Miſſi *Sandiuogius* de *Subino* Palatinus *Caliſſienſis* & Capitaneus *Cracouienſis*, *Spitko* de *Melſtin* Palatinus *Cracouienſis*, *Iaſchko* de *Tarnow* Caſtellanus *Sandomirienſis*. Quibus poſt varios tractatus, Marchio *Sigiſmundus* id ægre perſuaſit, vt aduentus *Heduigis* Regiæ filiæ a feſto S. *Stanislai* ad feſtum Pentecoſtes prorogaretur, aſtruens *illam pro die præfato certo certius, ſe ad id omnem poſſibilem nauante operam, Cracouiam venturam.* Ferunt autem *Sandiuogium* de *Subino*, ideo dilationem ipſam etiam cæteris diſſuadentibus accepiſſe, quod *Sigiſmundus* Marchio, *Maczkonem Caliſſienſem* Succamerarium, & omnes adoleſcentes in *Iadra*, poſt fugam ſuam, per Reginam *Eliſabeth* captos, ſe quamprimum rediret, vaſta pollicitatione (cuius e veſtigio oblitus eſt) abſoluturum obſtrinxerat. Interim autem in *maiori Polonia*, variæ militarium viciſſitudinariæ, & inteſtinæ captiuitates, cædeſque exortæ ſunt. Nam *Przeczlaus Ianuſſii* de *Goluchowo*, per gentes *Dobeslai* de *Golancza*, ex caſtro *Vſzie*, curia ſua *Velma* exuſta, rebuſque ſpoliatis, tandem captus eſt. *Ianuſſius* de *Skoki*, per *Przibkonem* de *Przeſzeka*; & *Ioannes Galaſka* ex inſidiis, *Martinus* de *Zwanowo* per *Iaraczonem* de *Sedlcze*, & *Ioannem Dobrogoſtii* de *Schamotuli*, capti, & lethalibus affecti vulneribus; *Ianuſſius* Aduocatus de *Oborniki*, a *Swidwa* de *Galowo* occiſus. Pluresque alii militares ac nobiles *maioris Poloniæ* mutua ſe captiuitate aut ſtrage concidebant.

quæ mittit Sigiſmundum Marchionem Brandenburgenſem generum ſuum ad Gubernandū Poloniæ Regnum.

Cui Poloni ingreſſum in Regnum prohibituri collecto exercitu in Sandecz procedunt, indeque miſſis ad eum nunciis venire vetant,

& aduentum Heduigis ad feſtum Pentecoſtes differunt.

Interim multæ cædes & ſeditiones inteſtinæ in Polonia committuntur.

Feſto Sancti *Stanislai* in Maio adueniente, iterum Conuentus Baronum & Procerum *Cracouienſium & Sandomirienſium*, apud *Sandecz* oppidum habitus eſt, *Heduigis* filiæ regiæ Apræſtolantium aduentum. Quæ cum diutius præſtolata non veniret, ſed nec ſpes reſtaret ſui proximi aduentus, noua conſilia a Baronibus agitata ſunt. Et licet placuiſſet ſingulis duos nuncios, videlicet *Spitkonem* de *Melſtin* Palatinum *Cracouienſem* & *Petrum* de *Szczekoczin* Caſtellanum *Lublinenſem* in *Hungariam* mitti, & *Eliſabeth Hungariæ* Reginam, de *Heduigis* filiæ ſuæ miſſione, denunciatione & inſtantia rigidiori vrgeri; *Przeczlao* tamen *Vauelski* milite, longo diſſerente ſermone, *neque eorum, neque ſua, quæ ex Hungaria recenter legatione functus rediit, vt de cætero aliqui nuncii in Hungariam mittantur, honeſtati conuenire, cum legatio ſua de mendacio notabitur, quæ aſtruebat nullos de cætero legatos in Hungariam venturos,* miſſio præfatorum Baronum retractata eſt. Nouoque edicto ſancitum, *ne cui publice aut priuatim in Hungariam ire liceret.* Quo præuaricato *Sandiuogius* de *Subino* Capitaneus *Cracouienſis* ſuorum procuraturus ſolutionem, ſe in *Hungariam* contulit, & priuato non publico vſus officio, *Heduigim mitti celerrime in Poloniam, & niſi mittatur, rem in diſcrimen penitus reciſuram,* perſuaſit. 1384

Conuentu in Sandecz a militaribus celebrato

interdicitur ne quis publice aut priuatim in Hungariam ſe conferat.

Præuaricat id tandem primus Sandiuogius de Subino.

Magna indignatione *Peregrinus* de *Vaglieſchin* Capitaneus *maioris Poloniæ*, *Vincentius* de *Kapa* Palatinus *Poſnanienſis* & *Vincentius Swidwa* Caſtellanus *Naklenſis* contra *Nicolaum* de *Lodzya*, quod cum *Domaratho* de *Pierzchno* Caſtellano *Poſnanienſi* & ſua parte, contra illos ſentiret, permoti, fortalicium ſuum *Bithin* circumuallant. Et pro illius expugnatione machinis a ciuibus *Poſnanienſibus* commodatis, illud vehementer tormentant. Sed cum a *Nicolao* de *Lodzya* & ſuis, non ſolum animoſam reſiſtentiam, ſed etiam excurſiones in caſtra, & ſuorum ſtrages & vulnerationes animaduerterent fieri, villis ad eum pertinentibus primum ſpoliatis, mox etiam exuſtis, cæpto irrito ab obſidione diſcedunt, treugaſque inter ſe ab vna, & *Domarathum* eiuſque auxiliarios, parte ab altera, conficiunt. Quas dum *Vincentius Swidwa* Caſtellanus *Naklenſis*, & *Viſchota* de *Kurnik* detrectarent ſuſcipere & *Domarathum* vilem & infirmum hoſtem fore, nec dignum cum quo pacis ſufferentiæ inirentur, aſtruerent, *Domarathus* contemptum ſui & ludibrium vlturus, cum valida ſuorum auxiliatorum manu, in oppida *Kazimierz* & *Schamotuli* irruens, tam illa, quam quæque villagia & rura in eorum circuitu conſiſtentia, quæ ditionis *Swidwa*, aut *Viſchotæ*, vel ſuorum auxiliatorum fuerant, crudeliter deſpoliat. Et *Swidwa* ex ſuo fortalitio *Golancz*, *Peregrino* etiam Capitaneo *maioris Poloniæ*, apud illum tunc hoſpitato, inſpectante, nec ſuis ferente opem, ſingula quæ deſpoliauerat, exurit. Ita *Swidwa* & *Viſchota*, dum hoſtiles vires deſpiciunt, pro-

Palatinus Poſnaniæ & Capitaneus maioris Poloniæ cum Vincentio Swidwa fortalitium Bithin Nicolai de Lozya, cum Domaratho ſentientis fruſtra expugnare nituntur;

villis tamen illius exuſtis treugas inter ſe conficiunt.

Quas Swidwa & Viſchota de Kurnik cum in contemptum Domarathi non ſuſciperent, ab eo Kazimierz & Schamotuli aliaque ipſorum bona comburuntur.

1384 propriás vero plus iuſto ſuperba iactantia metiuntur, paucitati quam in hoſte contempſerant, ſuccumbunt.

Ioannes Olith alias Kropidło, filius Ducis Oppolienſis ex Poſnanienſi ſede in Wladislavienſem transfertur.

Wladislauienſis Eccleſiæ ex morte *Sbiluti*, nobilis de domo *Bipennium* vacantis, electione & confirmatione Canonica, de *Troiano* Præpoſito *Poſnanienſi* facta, *Vrbanus* in ſua obedientia vocatus Papa ſextus, reprobata, *Ioanni Olith*, filio *Boleslai* Ducis *Oppolienſis* & Epiſcopo *Poſnanienſi*, de illa prouidet, & de *Poſnanienſi* in *Wladislauienſem* transfert. Qui cum vndecima menſis Februarii ad *Wladislauienſem* Eccleſiam cum mandatis Apoſtolicis acceſſiſſet, & ab electo *Troiano*, & a Capitulo *Wladislauienſi* in Epiſcopum acceptus eſt; & caſtra *Wladislauia* & *Raeziaſz*, B illi conſignata. De *Poſnanienſi* autem Eccleſia per translationem *Ioannis Olith* alias *Kropidło* vacante, *Dobrogoſtius* de *Nowydwor* alias *Lanſchenicze* (genere hic nobilis erat de domo & familia *Nalencz*) prouidit, quem in ſuperioribus ad Eccleſiam *Gneſnenſem*, ex morte *Ioannis Suchiwilck* vacantem, electum fuiſſe monſtrauimus.

in Poſnanienſem autem ſuccedit Dobrogoſtius de Nowydvor.

Heduigis filia Ludouici Regis ex Hungaria a Polonis magnopere expetita

Crebras promiſſiones ſuas, *Eliſabeth Hungariæ* Regina, & *Ludouici* relicta, de filia ſua *Heduigi* in *Poloniæ* Regnum deſtinanda, impletura, dum ſpe *Polonorum* in longius tempus ſine rerum diſcrimine extrahi non poſſe intelligeret, ipſam in magno Baronum & militum, & præcipue *Demetrii*, tituli Sanctorum quatuor Coronatorum Presbyteri, Cardinalis, & Archiepiſcopi *Strigonienſis*, & *Ioannis Canadienſis* Epiſcopi comitatu, ferentem ſecum in auro, argento, in vaſis, pannis, clenodiis, gemmis, & cortinis, inſignem & regiam ſuppellectilem, transmittit. Ad cuius aduentum Prælati & Barones *Poloniæ*, de quo iam pene deſperauerant, excitati, certatim illi occurrunt & ipſam cum ingenti alacritate animorum, *Cracouiam*, omnium Eccleſiarum proceſſionibus, omniumque ſtatuum ordinibus obuiam illi effuſis, perducunt. Tanta autem erat erga illam Prælatorum & Baronum *Poloniæ* affectio, & tam charitas immenſa, vt viros ſe eſſe obliti, parere tam inſigni & virtuoſæ fœminæ putarent non inglorium. Ea inſuper charitate & affectione deuicti, non dato, non procurato illi ſponſo, quaſi ipſa ſola ad gubernandum *Poloniæ* Regnum ſine marito ſufficeret, & ipſam in *Cracouienſi* Eccleſia, die Solis quindecima Octobris, quo die apud *Polonos* Sanctæ *Heduigis* agitur celebritas, per *Bodzantam Gneſnenſem* Archiepiſcopum, *Ioannem Cracouienſem*, *Ioannem Wladislauienſem* & *Dobrogoſtium Poſnanienſem* Epiſcopos, ſub præfati *Strigonienſis* Archiepiſcopi Cardinalis, & Baronum ac militarium vtriusque Regni, *Polonici* videlicet & *Hungarici*, copioſa frequentia, procurarunt in *Polonia* Reginam diademate reginali inungi & conſecrari, tributa ei plenaria facultate, quatenus *Polonia* Regnum

Cracouiam venient

cum maxima hominum lætitia ſuſcepta.

in Reginam Poloniæ coronatur, & datur illi totale Imperium.

interim quo illi ſponſus aptatur & quæritur, adminiſtret. Nec mirum: Nouerant enim A illam ita educatam atque inſtitutam eſſe ab annis teneris, vt formam honeſtas, ſpeciem pudor, pulchritudinem virtutes, gloriam & diuitias continentia atque modeſtia, potentiam manſuetudo, antecellerent. Cui etiam raræ eximiæque ſpeciei decorem a natura videbant donatum, doctam inſuper literis, moribus eruditam, decorum non tantum genere quantum & fœminea dignitate, moderatam natura, pudore quoque ingenuo ſingularem. Cui ex munere cœleſti, amplior & magis venuſtior, nullique obnoxia ætati forma contigerat, matronarum vnicum decus & ornamentum pudicitia. In qua omnis virtutis numerus ab incunabulis vsque inſtillatus cum lactis nutrimento putabatur. Quæ infantiæ annos egreſſa, ita mature & grauiter ſapere cœpit, ut quicquid diceret, quicquid faceret, ex anili grauitate manare videretur. 1384

1385

Iagyello Dux Lithuaniæ, vt aduentum in Regnum Poloniæ Heduigis filiæ Ludouici ſentit,

Intelligens *Iagyello* Magnus Dux *Lithuanorum* virginem regiam *Hedvigim Ludouici* filiam apud *Poloniæ* Regnum ex *Hungaria* traductam, & diademate reginali inſignitam, eique vniuerſi Regni *Poloniæ* adminiſtrationem & regimen mandatum eſſe, & tam aſſiduo rumore, quam frequenti ſuorum nunciorum, quos exploratum mittebat, relatione, cognoſcens virginem prædictam regiam adeo venuſtam decoramque exiſtere, vt pro illa tempeſtate in orbe vniuerſo, parem in forma non habere credita ſit, duos Duces fratres ſuos, *Skirgyellonem* videlicet & *Boriſch*, item *Hanulonem Vilnenſem* Capitaneum, *Cracouiam* ad *Heduigim*, & Prælatos Baroneſque, ad precandum virginem præfatam ſuo connubio, transmittit. Qui ad conſilium, quod & præſentia *Heduigis* Reginæ, & conſiliariorum frequentia ornauerat, introducti, muneribus magnæ æſtimationis & pretii, Reginæ *Heduigi*, nomine Ducis *Iagyellonis* præſentatis, verba per *Skirgyellonis* Ducis organum, in hunc modum faciunt: *A longo, inquiunt, tempore, & a magnis Principibus Regibusque, potentiſſimus noſter & Lithuanorum magnus Dux Iagyello ſolicitatus eſt, vt fidem Chriſtianorum, propria, & in qua a parentibus ſuis relictus eſt, deſerta, ſuſciperet, nunquam tamen ad id poterat quacumque perſuaſione, ſed nec guerris a Cruciferis de Pruſſia identidem illatis, moliri, Summo DEO, optima Illuſtriſſimaque Regina, hunc tibi & Regno Poloniæ honorem, idque primum, in multa ſecula duraturum, reſeruante. Verum ſi tua Excellentia, præfatum Dominum noſtrum Iagyellonem Magnum Ducem Lithuaniæ in ſponſum accipere dignaberis, non ea tantummodo, quæ de fidei Catholicæ ſuſceptione, ab aliis Regibus & Principibus ab eo petita ſunt, ſed & his nonnulla grandiaque pollicetur adiecturum. Spondet ſiquidem in primis fidem Catholicam Romanam, & eam quam tu Re-*

oratores mittit, illam in uxorem petens,

& conuerſionem ad Catholicam fidem

gnum

1385

gnumque tuum Poloniæ practicat & obſeruaſſe, cum omnibus fratribus ſuis Lithuanorum Ducibus, Proceribus, & Primoribus, ſed & cum vniuerſa Lithuanica Samogithicaque gente, ſuſcepturum. Offert & ſingulos Chriſtianorum captiuos, ſignanter tamen ex Poloniæ Regno ſublatos, & iure belli ſeruituti deditos, ſoluturum. Offert ſingulas terras ſuas naturales Lithuaniæ & Samogithiæ, ſed & nonnullas Ruſſiæ armis quæſitas, Regno Poloniæ, perpetua & irreuocabili vnione & inuiſceratione, incorporaturum. Offert Pomeraniæ & Culmenſes, Sleſiæ, Dobrzinenſes, & Vielunenſes, ac quaſcunque alias terras a Regno Poloniæ alienatas, occupatas, & diſtractas, ad poſſeſſionem & corpus Regni Poloniæ ſe reducturum. Offert ſingulos ſuos paternos auitosque theſauros, ſe in regnum Poloniæ illaturum, & nonniſi pro commodis Regni Poloniæ illos conuerſurum. Offert poſtremo ducentorum millium florenorum, de conſumando matrimonio inter virginem regiam Heduigim, & Vilhelmum Auſtriæ Ducem, vadium interpoſitum, ſe ſoluturum. Hæc barbarus. Ea legatio etiamſi *Heduigi* Reginæ parum grata, Prælatis vero Baronibusque *Poloniæ* accepta foret, ad voluntatem tamen & arbitrium *Hungariæ* Reginæ *Eliſabeth Ludouici* relictæ, & *Heduigis* Reginæ genitricis, reiecta eſt. Iidem quoque nuncii, *Skirgyello* videlicet & *Boriſch* Duces, & *Hanul*, in *Hungariam* iere illi. Cum quibus & tres *Polonorum* Barones, videlicet *Wlodko* de *Ogrodzyniecz* Subpincerna *Cracouienſis*, *Nicolaus Bogoria* Caſtellanus *Zauichoſtenſis* & *Criſtinus* de *Oſtrow* Tenutarius *Caſimirienſis*, quo res in celeriorem expeditionem veniret, profecti ſunt. Qui dum *Eliſabeth Hungariæ* Reginam apud *Budam* offendiſſent, legationem *Cracouiæ* habitam, apud illam & generum ſuum *Sigiſmundum* Marchionem *Brandeburgenſem* reſumunt. Et quamuis diebus pluribus ſeries legationis huiuſcemodi digeſta fuerit: non tamen ſatis tutum & efficax medium poterat reperiri: cum hinc fidei Catholicæ dilatatio, & cæteri oblati profectus, ad ſuſcipiendam conditionem impellerent, hinc religio pacti cum *Vilhelmo Auſtriæ* Duce, per *Ludouicum Hungariæ* Regem, & deſponſatio *Heduigis* filiæ regiæ, ſolenniter celebrata obſiſteret; Nunciis tamen *Polonorum*, conſumationem huius rei maximos Chriſtianitati & Regno *Poloniæ* fructus allaturam diſſerentibus, *Eliſabeth Hungariæ* Regina reſpondet, *ſe ad omnia, quæ in fidei & Regni Poloniæ profectum cederent beniuolam eſſe, contentamque fore, vt filia ſua Virgo Regia Heduigis, Prælatique & Barones Regni Poloniæ id agant; quod & Reipublicæ Chriſtianitatis, & ſuæ profuturum duxerint.* Monit *Lithuanica* legatio pleroſque, & præſertim *Cracouienſes* Proceres, quibus externarum acceſſione regionum roborari *Poloniæ* Regni vires, & peregrinos magis quam proprios circumſpicere Reges

ac alia multa Regno Poloniæ commodatura promittens

Quibus auditis Poloni ad Reginam Hungariæ Eliſabeth matrem Heduigis mittunt

hæc autem omnia Baronibus exequenda committit

placebat. Itaque *Semouito Maſouiæ*, & *Wladislao Oppolienſi* Ducibus neglectis, quod ex A eorum aſſumptione tenuis acceſſio fieret, *Vilhelmoque* Duce *Auſtriæ* repudiato, quod ſerum & longinquum ex eo ſperaretur auxilium, in *Iagyellonem Lithuaniæ* Ducem ſpes deliberationesque conſiliorum conuerſæ. Is enim tunc apud *Lithuanos*, *Kieyſtutho* apud *Kreuam* extincto, & filio ſuo *Vithawdo*, Ducibus, in *Pruſſia* apud Cruciferos exulante, præſtantiora a natura vltra omnes *Lithuanorum* Duces, ingenia ſortitis, & ſummæ rerum præerat, & ob multiplicatam germanorum fratrum, licet hebetis ipſe & ſimplicis ingenii vir, ad tractandas venationes, regendamque Rempublicam Principatuum, celebris habebatur. B Quæ quidem res & reſpectus mouerunt *Polonos*, quod hunc potius quam *Vithawdum* animo magnanimum, & opere glorioſum *Alexandro* Macedoni perſimilem, in Regem ſibi depoſcerent.

Reſponſum modeſtum & beniuolum ab *Eliſabeth Hungariæ* Regina *Ludouici* relicta editum, & per *Polonorum Lithuanorumque* legatos relationem, multorum ex *Polonorum* Baronibus animos mouit, vt de præficiendo Duce *Lithuanorum Iagyellone* in Regem, & de tradenda *Heduigi* Regina, nouas cogitationes aſſumerent. Conuentu itaque apud *Cracouiam* C indicto, ad quem ex Baronibus *maioris Poloniæ*, ſiue quod ora illa nondum ab inteſtino bello ad plenum quietata erat, ſiue quod in *Semouithi Maſouiæ* Ducis ſubeundam ditionem erat procliua, paucos quoſdam memoratum eſt veniſſe, de aſſumendo *Iagyellone Lithuanorum* Duce in *Poloniæ* Regem plurium dierum deliberatio concertatioque habita eſt. Graue enim & moleſtum nonnullis Conſiliariis videbatur, propriis & Catholicis Principibus neglectis præteritiſque, extraneum & barbarum ad faſtigium regale euehere. In eamque ſententiam ſinguli, qui *Heduigi* Reginæ, *Iagyellonis* connubium faſtidienti, familiariores erant, ibant. Verum maior & ſanior pars Chriſtianæ fidei fauore & dilatione principaliter, D & quiete Regni *Poloniæ*, aliiſque conditionibus, quæ a *Lithuano* offerebantur, permota, *Iagyellonem* pro Rege *Poloniæ* aſſumendum, aduerſas ſententias, & *Heduigis* Reginæ faſtidium, magnarum gentium atque populorum ad fidei Catholicæ acceſſionem, confutans, decernebat; *ampliſſimum meritum ampliſſimamque commendationem & laudem omni memorandam æuo, Regnum Poloniæ conſecuturum aſtruens, ſi per illius operam Catholicæ fidei ſplendor & puritas, apud Lithuanicas Samogiticaſque & cæteras barbaras nationes proluxerit.* Hæc ſententia cum *Heduigis* Reginæ fœminæ iam tunc deuotæ & religioſiſſimæ faſtidium, ſolo fidei Chriſtianæ reſpectu temperaſſet, facile quoque ab aliis accepta eſt. Extemploque nuncii, videlicet *Wlodko* de *Ogrodzyniecz* Subpincerna *Cracouienſis*, *Criſtinus*

1385

Ex Conuentu Cracouienſi

oratores mittuntur ad Ia-

1385

gyellonem Ducem vt accepta noua ſponſione de implendis conditionibus per nuncios eius oblatis ipſum Cracouiam ſponſum Heduigi Reginæ, & Regem Poloniæ futurum adducant.

nus de *Oſtrow* Tenutarius *Caſimirienſis*, *Petrus Schafraniecz* de *Luczycze*, *Hinczka* de *Roskowicze* hæres, qui in *Lithuaniam* irent, & *Iagyellonem Lithuanorum* Ducem noua ſponſione de implendis conditionibus ab eo oblatis, primum ab eo recepta, *Cracouiam* (Regnum *Poloniæ* & connubium *Heduigis* Reginæ ſortiturum) adducerent, decreti. Propriis itaque Ducibus, velut parum vtilibus inſtrumentis abiectis, ad externorum ſuffragia itum eſt, peregrinosque Reges legere, quam proprios placuit. Et cum pars *Semouithum Maſouiæ* Ducem, pars *Wilhelmum* Auſtriæ, pars *Wladislaum Oppolienſem*, Duces accerſendum cenſeret, occurrereque, *Semouithum* & *Wilhelmum*, ſuffragiis tenues fore, *Oppolienſem* vero Regnum ſcidiſſe, & ad *Bohemum* deſeciſſe, in *Lithuanum* omnes eo pacto conſenſere, ſi fidem Chriſtianam cum terris ſibi ſubiectis ſuſciperet.

Sigismundus Marchio Brandeburgenſis ob leuitatem ex Regno Hungariæ, & coniugio Mariæ, Ludouici Regis filiæ, ſponſæ ſuæ, eiicitur.

Sigiſmundus filius Caroli *Romanorum* Imperatoris & *Bohemiæ* Regis *Brandeburgenſis* Marchio, cui iam *Hungariæ* Regnum, propter ſponſalia cum *Maria* filii *Ludouici Hungariæ* Regis, deſtinatum erat, propter leuitatem morum ſuorum, quibus ſocrum ſuam *Eliſabeth* Reginam *Hungariæ Ludouici* relictam & Primores *Hungariæ*, grauiter offenderat, ex *Hungaria* per eandem *Eliſabeth*, & Conſiliarios *Hungariæ* eiectus, diſſolutionem & leuitatem morum illi exprobrantes, in *Bohemiam* ad germanum ſuum *Venceslaum Bohemiæ* Regem confugit. Regina quoque *Hungariæ Eliſabeth Ludouici* relicta, procurante & operante,

& Carolus Siciliæ Rex accerſitus, veniens

Carolus de Pace ex *Neapulia* accerſitus, in *Hungariam* aduenit, & in Regnum *Hungariæ*, & in coniugium *Mariæ* ſponſæ *Sigiſmundi* Marchionis *Brandeburgenſis*, vt ſucceſſio Regni *Hungariæ* in familia *Durachienſi* continuaretur, ſucceſſurus. *Eliſabeth Hungariæ* & *Poloniæ* Regina, relicta quondam *Ludouici Hungariæ* & *Poloniæ* Regis, exoſum habens *Sigiſmundum* Marchionem *Brandeburgenſem*, filium *Caroli Romanorum* Imperatoris & *Bohemiæ* Regis, Generum ſuum, & filiæ ſuæ maritum, propter quaſdam eiusdem *Sigiſmundi* leuitates, ſequeſtrare filiam ſuam præfatam *Mariam* a conſortio præfati *Sigiſmundi* conabatur, ſatagens eam tradere vna cum Regno *Hungariæ* Duci Aurelianenſi, fratri Regis *Franciæ* in conſortem. Super qua re conficienda, notabiles nuncios in centum quinquaginta equorum numero, ex *Hungaria* in *Gallias* deſtinauerat, matrimonium huiuſmodi concluſuros. Sed caſſus fuit eorum aduentus. Iam enim præfatus Dux *Aurelianenſis*, de ducenda filia Ducis *Mediolanenſis*, contractum ſolennem fecerat. Practicam autem præfatæ *Eliſabeth Hungariæ* & *Poloniæ* Reginæ, nonnulli *Pannoniorum* Barones, qui partes *Sigiſmundi* Marchionis fouebant, habentes moleſtam, præfatam *Eliſabeth*, aut capere, aut Regno pellere nitebantur. Quæ ſibi conſulens, in caſtrum firmiſſimum, cum eadem filia *Maria*, *Sigiſmundi* Marchionis *Brandeburgenſis* ſponſa, ſe recepit. Diuiſionem autem tam monſtruoſam in Regno *Hungariæ* exortam *Carolus* de *Duracio Siciliæ* Rex intelligens, occupare Regnum *Hungariæ* modis omnibus, Regno *Siciliæ* parum contentus, in animum induxit; & contra iuſiurandum, quod *Ludouico* tunc *Hungariæ* & *Poloniæ* Regi viuenti præſtiterat, ne videlicet vllo tempore, in præiudicium filiarum ſuarum *Mariæ* & *Heduigis*, Regna, *Hungariæ* & *Poloniæ* ambiret, veniens: factus inſuper immemor beneficiorum eiuſdem *Ludouici* Regis, cuius gentibus, armis, & ſumptibus Regnum *Siciliæ* conquiſiuerat, cum magna militum comitiua, de ipſo *Siciliæ* Regno in *Hungariam* properauit; ſiue ſua ſponte & arbitrio, ſiue ſecundum aliorum aſſertionem, per dictam Reginam *Eliſabeth* accerſitus.

in Regem Hungariæ contra pacta cum Ludouico inita coronatur.

Atque illuc perueniens, fauentibus ſibi nonnullis Baronibus *Hungariæ*, (vt eſt illa gens partialitatibus dedita,) ſe in Regem *Hungariæ* coronari fecit. Cuius coronationem Regina *Eliſabeth* moleſte ferens, verebatur enim filiarum ſuarum *Mariæ* & *Heduigis* de Regno *Poloniæ* excluſionem, multiplicibus inſuper nunciis & perſuaſionibus *Venceslai*, *Romanorum*, & pro ea tempeſtate *Bohemiæ* Regis, culpam & facinus germani ſui *Sigismundi* Marchionis Brandeburgenſis diluentis, & omnium errorum repromittentis emendam; *Eliſabeth Hungariæ* Regina *Ludouici* relicta expugnata, ſingula errata, quibus in eam *Sigiſmundus* Marchio deliquerat, relaxans eum ſibi reconciliat, & reuocat ex *Bohemia* reconciliatum.

Sigismundo tandem reuocato;

Non enim filiæ ſuæ *Mariæ* poſſe rebatur coniungi alium legitimum virum, cum qua *Sigiſmundus* Marchio matrimonium per verba de præſenti contraxerat. Euadendi autem *Caroli de Pace*, quem pro Regno *Hungariæ* regendo acciuerat, Baroni *Hungarico Ferkacz* curam mandat. Qui cum *non aliter ſe illum niſi obtruncatione capitali euaſurum* reſpondiſſet; *Nihil* inquit Regina, *ad me attinet, quomodo illum euadas, dummodo illius onere me liberes.*

Regina Eliſabeth iuſſu Carolus per Feracz occiditur.

Vno autem mane, *Ferkacz* Baro, ad *Carolum de Pace* in ſuum cubile, gladio exerto, quaſi iocabundus (iocari enim cum *Carolo* ſolitus erat) ingreſſus, fingens arte iocum & inſaniam, quo facilius deſtinatum exequeretur ſcelus, *Carolum* nihil tale ſuſpicatum, & ſibi applaudentem, in lecto apud *Budam* obtruncat. Pro quo facinore ipſe & poſteritas ſua, caſtro notabili *Gimel* donatus eſt, & matrimonium per *Sigismundum* Marchionem cum *Maria* filia *Ludouici* innouatum & conſumatum.

cui Regina caſtrum Gimel donat.

Aliis placet, dolo *Eliſabeth* Reginæ & *Ferkacz*, *Carolum* in cubiculo percuſſum, inde ad caſtellum quoddam adductum cum vulnus haud lethale eſſet, veneno interemptum, prædictoque *Ferkacz*

1385 kacz pro huiuſmodi occiſionis ſcelere, caſtrum notabile *Gimel*, prope *Nutriam Hungariæ* perpetue donauit, & inſcripſit. Audiens autem A *Margaretha Siciliæ* Regina, maritum ſuum in *Hungariæ* Regem fuiſſe coronatum, ſolenni Pompa in *Neapoli* in conta, quæ Regula vulgariter nuncupatur, inſtituta, choreas & haſtiludia ſpectare cœpit. Verum interim illi nuncius lugubris cum literis allatus eſt, ſignificans maritum ſuum *Carolum* Regem apud *Pannonicos* trucidatum eſſe. Quo intellecto & diuulgato, celebris illa ſolennitas velut fumus diſparuit. Et omnibus a tam ſolenni officio ad luctum conuerſis, *Margaretha* Regina, pro muliebri more fletibus indulgens, filium vnicum ſuperſtitem *Wladislaum*, ad vlciſcendum indignam Patris mortem multifarie hortabatur. Sed nec *Ferkacz* prædictus ſugillatione ſolenni, ex occiſione *Caroli* de *Durachio* Regis *Neapoliæ* ei tunc inuſta caruit, ſtirpe quoque ſua caritatura. Quoties enim ab illo tempore uſque nunc ipſe *Ferkacz* veniebat, ſiue etiam ſtirps ſua nunc venit in Regiam, toties in deteſtationem ſui facinoris in *Carolum* commiſſi, gladius Regius de vagina exeritur, & nudus coram *Hungariæ* Rege vibratusque portatur, quouſque ipſe *Ferkacz*, aut aliquis ex genere ſuo, aula fuerit ad plenum egreſſus.

ob idque nudus gladius ante Regem Hungariæ portatur, aliquo ex familia prædicta Faracz in curia regia exiſtente.

Wilhelmus Auſtriæ Dux Cracouiam cum magnis theſauris venit, vt cum Hedwigi Regina ſibi promiſſa ſponſa copula carnali iungeretur.

Fama & denunciatione rerum, quæ apud *Poloniam* agebantur, *Wilhelmus Auſtriæ* Dux (cui *Ludouicus Hungariæ* & *Poloniæ* Rex filiam ſuam natu minorem *Heduigim*, dum viueret, dandam pro coniuge decreuerat) expergefactus, cum notabili militum comitiua, & omnibus clenodiis theſauriſque ſuis, & vniuerſa ſupellectili in *Poloniam* ſe conferens, *Cracouiam* inopinatus applicuit. Et quamuis *Dobeslao* de *Kurozwaki* tunc Caſtellano *Cracouienſi* & maiori Domino, cæteriſque Baronibus, aduentus ſuus, non mediocrem nauſeam & moleſtiam parturiſſet, ne res cum *Iagyellone Lithuanorem* Duce tractari cœptæ, ad irritum reciderent; *Heduigi* tamen Regina illum gratificante, per quam a nonnullis credebatur per *Gnieuoſſium* de *Dalewycze* Succamerarium *Cracouienſem*, qui & ipſe præbebat D illi conductum, accerſitus, longo tempore ſuam *Cracouiæ* manſionem continuauit, nemine Baronum audente beneplacitum Reginæ *Heduigis* reſcindere. Quæ & paternam ordinationem impletura, & adoleſcentis ingenui virtuoſis moribus adducta, nubere illi potius noto viſoque, quam barbaro ignoto & nunquam viſo, quem ex nonnullorum falſa ſuggeſtione, non moribus tantummodo ſed & forma agreſtem, & moribus geſtibuſque barbarum crediderat, æſtuabat. Sed & propoſitum ſuum plerique Barones *Poloniæ* (vt ſunt hominum variæ affectiones paſſioneſque) & ſignanter *Gnieuoſſius* de *Dalewycze* Succamerarius *Cracouienſis*, in quem *Vilhelmus Auſtriæ* Dux omnes curas, cogitationeſque & ſpes ſuas, quaſi per illum rerum ſuarum conſumatio prouentura eſſet, & in cuius fidem omnes ſuos theſauros & clenodia contulerat, permulcebant. *Dobeslao* autem de *Kurozwaki* Caſtellano *Cracouienſi*, qui & ipſe arci *Cracouienſi* & ſummæ rerum præerat, *Vilhelmo Auſtriæ* Duci, ad caſtrum *Cracouienſe* negante, prohibenteque ingreſſum, *Heduigis* Regina frequenter cum militibus virginibuſque ſuis, ad Cœnobium *S. Franciſci Cracouiæ* ſitum ex caſtro faciens deſcenſum, in eiuſdem cœnobii refectorio, cum *Vilhelmo Auſtriæ* Duci, prædicto, chorearum ſolatiis, parco tamen & caſtigato atque honeſtiſſimo moderamine, vtebatur. Fama inſuper & plurimorum aſſertione B proditum eſt, adeo *Iagyellonis Lithuanorum* Ducis connubium peroſam pertæſamque fore, ut, *Poloniæ* Baronibus nequicquam diſſuadentibus & prohibentibus, barbari excluſura coniugium, ſponſalia per verba de præſenti cum *Vilhelmo Auſtriæ* Duce, in facie Eccleſiæ, *Ludouico* Patre iubente, dudum contracta, ſub frequentia militum ſuorum & Procerum, ſub id tempus, quo *Iagyellonem* Ducem *Lithuaniæ* vulgatum erat, pro accipiendo Regno & conſumando matrimonio in *Poloniam* procedere, conſumare ſtatuiſſet. Verum dum ad *Cracouienſem* arcem thalami ſecreta cum *Heduigi* Regina ſuſcepturus cubilia, perductus eſſet, cura & mandato Baronum *Poloniæ*, D quibus copulatio ipſa ſummopere diſplicebat, tam ex arce, quam ex thalamo cum dedecore & iniuria, excluſus expulſuſque eſt, & ab omni carnali commercio Reginæ prædictæ ſequeſtratus. *Heduigis* autem Regina, excluſionem *Wilhelmi* ex caſtro moleſte ferens, in ciuitatem ad illum facere parabat deſcenſum. Cumque portas caſtri Baronum cura & mandato clauſas offendiſſet, violare illas, petita dataque ſecuri, manu propria nitebatur. *Demetrii* tandem militis de *Goray* precibus expugnata, cœptum omiſit. Timens autem Dux *Vilhelmus* ſe aut deſiderari aut violari, e *Cracouia* in *Auſtriam* clanculo, paucis conſciis, refugit, omnibus theſauris & clenodiis magnæ æſtimationis, apud *Gnieuoſſium* præfatum Succamerarium *Cracouienſem*, relictis, quos nullo vnquam tempore repetiit, & quorum ſibi proprietaten & vſum præfatus *Gnieuoſſius* retinuit. Pro quibus *Gnieuoſſius* præfatus Succamerarius de genere & familia *Strzegomia*, notabiles hæreditates villaſque coëmit, quæ a filiis ſuis proceſſu dierum parum ſolerter ſumptum facientibus, prodigaliter expenſæ, in tertiam non venere generationem.

Verum dum thalamum cum Regina ingredi vult, per Polonos ex caſtro cum dedecore pellitur,

& caſtrum per Caſtellanum clauſum ne Regina Auſtriacum ſequeretur.

Qui relictis theſauris Gnieuoſſio de Dalewycze qui partes ſuas apud Reginam promouebat, in Auſtriam fugiens, relictos theſauros nunquam repetiit.

1386

Regnum *Poloniæ* & connubium *Heduigis* Reginæ ſuſcepturus Magnus Dux *Lithuaniæ* *Iagyello*, cum fratribus ſuis & comitatu grandi, quadrigis inſuper theſauros ſuos, & plurimam rerum variarum ſuppellectilem ferentibus, in *Poloniam* aduenit. Et conducentibus

1386

Iagyello Cracouiam aduenit cum magna pompa.

buſcum *Poloniæ* Legatis, primum *Lublinenſe* oppidum ingreſſus, aliquot diebus, ex compoſito, ut fama aduentus ſui apud *Polonorum* Primates vulgaretur, illic manſit. Ex *Lublin* vero graui & tardo gradu verſus *Cracouiam* tendebat. Paucis autem admodum Baronibus *Poloniæ* occurſu ſuo illum inter quos *Spitko* de *Melſtin* Palatinus *Cracouienſis* præcipuus erat & de cuius aduentu *Iagyello* Dux eximius gratulabatur, excipientibus, frequens & ſubitus Prælatorum & Baronum *Poloniæ* ad *Heduigim* Reginam *Cracouiam* fiebat concurſus. A quibus ſumma cura, ſummoque ſtudio precata, vt magno fidei fructu, qui principaliter a *Polonis* quærebatur, penſato, barbari Principis non faſtidiret coniugium. Diu & grauiter propter ſuperius fœdus cum *Vilhelmo* ictum reluctabatur, mittit tandem familiariorem & ſecretum nuncium ſuum *Zauisſium* de *Oleſchnicza* in Ducis *Iagyellonis* occurſum, mandans, *vt eo viſo, & forma ſua ſtaturaque, quam celeriter redeat, & fideliter eius formam, ſtaturamque, & mores enarret. Caueatque ne munus aliquod a Duce Iagyellone acceptet.* Non ignarus *Iagyello* Dux, pro dinoſcenda forma & proportione ſui corporis, quam multorum falſo relatio turpem eſſe confinxerat, legatum a Regina ad ſe miſſum comiter & humane excepit, & quo plenius non formam ſolum, ſed & ſingula ſui corporis lineamenta exploraret, ad balnea ſecum ducit. Qui omnibus ad ſatietatem viſis & contemplatis, muneribus inſuper quæ a *Iagyellone* ingerebantur, neglectis, ad Reginam *Heduigim* reuerſus, *corpus Ducis Iagyellonis gracile, venuſtum, & proportionatum, formam mediocrem, vultum hilarem, faciem oblongam, nulla tamen turpitudine notatam, mores graues & Principe dignos* enunciat, & Reginæ *Heduigis* anxietatem, de agreſti & deformi *Iagyellonis* Ducis corpore dudum conceptam, diſſoluit. Mitigato lenitoque *Heduigis* Reginæ mœrore, a pluribus *Poloniæ* Baronibus, Duci *Iagyelloni* obuiam itum eſt, & ampliori animorum concordia fauoreque, ſingulæ reſtractari cœptæ. Tranſmiſit autem *Iagyello* Dux ex *Sandomiria Demetrium* de *Goray* Regni *Poloniæ* Vicetheſaurarium, qui illi cum cæteris *Poloniæ* Baronibus iam occurrerat, in *Pruſſiam*, petens & inuitans *Conradum Czolner Pruſſiæ* Magiſtrum, quatenus perſonaliter *Cracouiam* adueniat, & ipſum baptiſmatis vnda a ſpurciciis barbaricis diluendum, de fonte leuet, & tam coronationis ſuæ quam nuptiarum interſit ſolenniis. Ex *Sandomiria* deinde egreſſus, die Martis duodecima Februarii *Cracouiam*, non tam *Lithuanis* & *Ruthenis*, quam *Poloniæ* Baronum multitudine comitatus, cum ingenti gloria & pompa ingreſſus eſt; & in caſtrum *Cracouienſe* perductus, primum Reginam *Heduigim*, in thalamo ſuo cum frequenti virginum & matronarum numero conſiſtentem, adit, excipit, & inuitat. Cuius ſpeciem & decorem,

Ad quem viſendum, & de eius forma ſe informandũ Heduigis Regina mittit.

Ipſe vero Magiſtrum Pruſſiæ ad nuptias & ad baptiſmum ſuum per nuncium inuitat,

Reginaque quam primũ ſalutata,

& contemplans & admirans, (neque enim pro ea tempeſtate in vniuerſo orbe parem æſtimata A eſt in pulchritudine habuiſſe) altero die illi magnæ æſtimationis dona, in auro, argento, gemmis veſtibusque, per *Withawdum, Boriſch* & *Swidrigalonem*, Duces, tranſmittit. Iam enim *Withawdus* Dux fratri *Iagyelloni* reconciliatus ex *Pruſſia* redierat. Ferunt & ſub eodem tempore *Vilhelmum Auſtriæ* Ducem ex *Auſtria Cracouiam* ſub habitu diſſimulato mercatorio, non ſine annuentia *Heduigis Poloniæ* Reginæ clandeſtine aduenisſe, & per omnes temporis tractus, quo *Wladislaus* Rex *Poloniæ Iagyello Cracouiæ* morabatur, aut in *Lobzow* caſtello in nigra villa, aut in æde *Mo-* B *ruſtenſi*, paucis conſciis, latuiſſe. Dum quoque ædes *Moruſtenſis* a ſollicitis & induſtriis perquireretur ſcrutatoribus, in camini interiora, ad tigna ad id præparata aſcendiſſe, & ſic inueſtigatores feſelliſſe regios. Conſiderans autem *Vilhelmus* præfatus, ſe Regnum *Poloniæ* & Reginam *Heduigim* recuperare non poſſe, *Ioannem* filiam olim *Caroli* de *Duratio*, & ſororem *Ladislai*, Regum *Siciliæ*, accipit in vxorem: cum qua breui tempore commanens, deceſſit. Quæ ad Regnum *Siciliæ* reuerſa, poſt plures viduitatis annos, *Iacobo* Comiti *Marchiæ* in Regno *Neapolitano* nupſit.

1386

pretioſa illi dat munera.

Solicitudine deinde & cura multiplici, tam Prælatorum quam Baronum *Poloniæ Heduigis* Regina obſecrata, rogata, & tandem ſaluberri- C mo conſilio atque ſuaſu, oſtendentium, ad ſponſalia cum *Vilhelmo Auſtriæ* Duce, in anno & tempore impuberi contracta, eam minime teneri, expugnata eſt, vt, vt priori fœdere irritato, nubere *Iagyelloni* Duci *Lithuaniæ*, non voluptatis aut libidinis explendæ cauſa, ſed fidei orthodoxæ amplitudinem, & Chriſtianorum quietem procuratura, conſentiret. Eo itaque conſenſu apud illam obtento, die Iouis quatuordecima Februarii, alias feſto *Sancti Valentini*, Dux Magnus *Lithuaniæ Iagyello* primum, deinde fratres ſui *Lithuaniæ* Duces, Boiari, & Nobiles, in fide Catholica & eius articulis ad liquidum edocti, fidem Sanctam or- D thodoxam, gentili errore abiecto, profitentur & ſuſcipiunt, & in Eccleſia *Cracouienſi*, per *Bodzantam* Archiepiſcopum *Gneſnenſem*, *Ioannem Cracouienſem* Epiſcopum, cum magna alacritate baptiſantur. Abrogatisque barbaricis nominibus, Duci Magno *Iagelloni* Principum nomen *Poloniæ Wladislaus*, item *Withawdo Alexander, Corigaloni Caſimirus, Swidrigieloni Boleslaus*, aptata impoſitaque ſunt. Reliqui *Lithuaniæ* Duces, fratres Ducis *Iagyellonis*, cum dudum ante *Græcorum* ritu baptiſma ſortiti fuerint, ad iterandum, vel vt ſignificatiori verbo vtar, ad ſupplendum baptiſma non poterant induci. Principale autem & primarium Sacramentum *Wladislaus Iagyello* Dux adeptus, die rurſus eodem alterum ſortitus eſt, & in Eccleſia prædicta *Cracouienſi*, cum vir-

Iagyello deuicta primũ Heduigis Regina

cum fratribus ſuis & Baronibus in Cracouienſi Eccleſia baptiſatus nomen Wladislaus accipit,

1386

& poſtea matrimonium cum Heduigi Regina Poloniæ contrahit, terrasque Lithuaniæ Samogithiæ & Ruſſiæ perpetue Regno Poloniæ incorporat.

virgine decora & inſigni *Heduigi Poloniæ* Regina, moribusne incertum eſt an forma venuſtiore, per *Bodzantæ Gneſnenſis* Archiepiſcopi A miniſterium, matrimonium per verba de præſenti contraxit. Terrasque *Lithuaniæ, Samogithiæ,* & *Ruſſiæ* in quibus naturali iure & acquiſito, habebat dominium merum & mixtum, ditioni ſuæ parentes, Regno *Poloniæ* perpetuo inſcripſit, vniuit, inuiſcerauit, adiunxit, & incorporauit; ac earum populos ſe baptiſaturum, & ad fidem orthodoxam reducturum, iureiurando aſtrinxit. Et quamuis prædictus *Wladislaus Poloniæ* Rex, Procerum & Optimatum conſilio & perſuaſione inſtigaretur, vt charactere Chriſtiano biduo, antequam ſe regio inſigniri permitteret diademate, diſſenſit B tamen, & decus baptiſmatis abſque regio ſuſcipere detrectauit, colluſionem veritus. Ferunt & *Heduigim* Reginam, ne ſuo iungeretur connubio, diutius obluctatam, & vix tandem prece optimatum ad conſentiendum inductam fuiſſe. Probe enim nouerat, matrimonium ſecundum contrahendum, priori obſtante, legitimum fieri non poſſe. Facinus quoque adulterii exhorrens, alteris nuptiis ſuam contaminare pudicitiam, amarius morte putabat. Neque enim a plurimorum notitia ſciebat ignoratum, quod cum præfato *Vilhelmo* Duce Auſtriæ poſt, contracta de præſenti ſponſalia, quindecim diebus in thoro, carnali copula etiam ſubſecuta, manſerat. Timor quoque diuinus, & vis conſcientiæ mentem ſuam, quaſi quodam exagitante, terrebant. C Ex eo inſuper facinore, a Proceribus *Poloniæ* pro ea tempeſtate in contemptum Chriſtianæ religionis patrato, qui Catholico Principe *Wilhelmo Auſtriæ* Duce, a legitima vxore ignominioſe excluſo, fœminam renitentem, *Iagyelloni* barbaro, non abhorrendo adulterii facinus, iungi procurarunt, creditus eſt omnipotens vltionum Dominus flagellis *Polonos* per inordinatum regimen & Reges, *Lithuanis* quam *Polonis* propenſius fauentes, plurimum afflixiſſe.

Wladislaus Iagyello Magnus Dux Lithuaniæ

Duobus Sacramentis *Wladislaus Iagyello,* Magnus *Lithuaniæ* Dux pro Regno *Poloniæ* conſequendo, die vno initiatus, rurſus die D quarto Solis, videlicet decima ſeptima Februarii, quæ in Dominicam Quinquageſimæ cadebat, ad recipiendum coronationis & vnctionis inſigne, quod ſolis Regibus præſtari ſolet, ex thalamo cum ingenti gloria & ſolennitate, ac Ducum, militariumque, & populi multitudine copioſa procedens in Eccleſiam *Cracouienſem* aduenit. Vbi ſponſa ſua nobiliſſima *Heduigi* Regina præſente ſpectanteque, nouo diademate ex auro & gemmis pridem fabricato, cum vetus & priſcum *Ludouicus Hungariæ* & *Poloniæ* Rex, præcauens ne quiſquam amplius quam proles ſua in *Poloniæ* Regnum ſuccederet, in *Hungariam* tranſtuliſſet, per *Gneſnenſem* Archiepiſcopum *Bodzantam,* aſſiſtentibus ſibi *Ioanne Cracouienſi,* & *Dobrogoſtio Poſnanienſi* Epiſcopis in *Poloniæ* Regem vnctus & coronatus eſt.

1386

in Regem Poloniæ coronatur.

Et ex gente *Lithuanorum* primus apud *Polonos,* & eorum fauore, ſub vno & eodem tempore, tria ampliſſima decora, quod nemini priſcorum reor contigiſſe, ſacrum baptiſma, ſplendidiſſimum matrimonium, & nobile diadema conſecutus. Quæ quidem ornamenta eo feliciora magis iudicanda ſunt, quod propriis & naturalibus *Poloniæ* Principibus, & Catholicis parentibus genus ducentibus, diuina permiſſione propter eorum exceſſus & demerita, reprobatis & neglectis, in barbarum & alienum Principem collata.

Cuius diuitiæ Polonorum modeſtiam in ambitionem mutarunt.

Quæ quidem Principum & Regum naturalium mutatio, quantum acceſſione terrarum prodeſt, tantum diſtractione introituum regalium nocet. Temperati ſiquidem nobilitatis *Polonicæ* a cupidine in eam diem mores, tunc primum *Wladislao Lithuano* regnante conſurgere & ſe erigere cœperunt, Regnumque *Poloniæ* impetrationibus immodicis lacerare, quousque in noſtra tempora, minus virtutis, plus ambitionis habentia, ventum eſt, & Regno omnes ſui ſumptus, omnes introitus publici & priuati, quousque ad Sedes Pontificales, cæteraque minutiora beneficia veniretur, ademptі: Sub eo itaque tempore ſtirps & progenies Regum *Poloniæ,* quæ a *Pyaſt* Meſſicida ortum habuit, ſceptrum & diadema amiſit. Et illa cadente, *Lithuanica* natio ex *Romano* ſanguine ortum trahens, ſuccreuit. Vt non glorietur, niſi in Patre luminum, omnis caro, qui glorificant glorificantes ſe, qui illum contemnunt, erunt ignobiles.

Altero coronationis die *Wladislaus* ſecundus *Poloniæ* Rex, iuxta vetuſtum ritum ciuitate *Cracouienſi* ex eius circo, in apparatu Regio peragrata, in throno ad Prætorium ciuitatis in propatulo ad id ſpecialiter erecto, conſedit, & a Magiſtro ciuium, conſulibus, & vniuerſa *Cracouienſi* ciuitate homagium accepit. In arcem vero *Cracouienſem* reuerſus, tertia die nuptiarum ſolennitatem diebus pluribus, ſub quibus haſtarum & gladiatorii ludi, & choreæ plauſusque edebantur, exegit.

Magiſter Pruſſiæ inuitatione ſui ſpreta ad baptiſmum & coronationem Wladislai Iagyello non venit. Verum collecto exercitu cum fratre Regis Andrea Lithuaniam vaſtat

Sub idem autem tempus *Conradus Czolner Pruſſiæ* Magiſter futuram amplitudinem & Regni *Poloniæ* & terrarum *Lithuaniæ,* ex mutuo glutinio & fœdere, vario liuoris & ſuſpicionis æſtu, ne ſibi & ordini ſuo fatalis fieret, inuitationem per *Demetrium* de *Goray,* vt *Wladislaum Poloniæ* Regem de fonte leuaret baptiſmatis coronationisque ſuæ & nuptiarum adeſſet ſolenniis, habens oſtentui *Pruthenico* & *Liuonico* exercitu congregato, agmine duplici *Lithuaniæ* terras, ex quibus nouerat & *Iagyellonem* magnum Ducem, & cæteros Duces fratres ſuos, principaliores que Barones & milites, verſus *Cracouiam* diſceſſiſſe, ingreditur. Habens in ſua comitiua germanum *Iagyellonis* Magni Ducis *Andream,* ritum *Ruthenicum* profeſſum, qui ad Cruciferos confugiens, ſumma rerum apud *Lithua-*

1386 *thuanos* & *Ruthenos* potiri, Cruciferorum auxilio, æſtuabat; quem temporis proceſſu *Wladislaus Poloniæ* Rex captum, & in caſtro *Chęcziny* A carceres & vincula pati coactum, velut peſtem communem, integro triennio mulctauit. *Conradus* autem *Czolner Pruſſiæ* Magiſter *Lithuaniæ* terram vacuam & deſertam reperiens, vaſtationem eius diſpartitis agminibus, iuſſit latius extendi, & in crucis modum atque gyrum, eam prædis & incendiis vaſtauit. Caſtrum inſuper *Lubowlia Lithuanicum* impugnatum conquirit, & illud dat Duci *Andreæ* in poſſeſſionem & tenutam. *Polocenſes* quoque ab obedientia *Wladislai* Regis & fratrum ſuorum, deſciſcunt, & tam regionem ſuam quam arcem Duci *Andreæ* dedunt. Quibus B *Wladislaus Poloniæ* Rex cognitis, *Skirgallonem* germanum & *Vitholdum* patrueles fratres, plures *Polonorum* milites eis adiungens, in *Lithuaniam*, reſiſtentiam Cruciferis facturos, remittit. Qui dum hoſtes, vaſtatione peracta, in *Pruſſiam* rediiſſe comperiſſent, directo itinere ad caſtrum *Lubowlia* contendunt, & infra paucos dies expugnatum, præſidium inde *Andreæ* Ducis & Cruciferorum, ejiciunt, captiuant, & trucidant. *Polocenſem* poſtea regionem, quæ a fide deſciſcens receſſerat, aggreſſi, neque Cruciferis neque Duce *Andrea* ferentibus *Polocenſibus* opem, *Polocenſes* in gratiam, defectionis authoribus ſecuri percuſſis, recipiunt. Singulos autem Primorum, *Wladislaus Poloniæ* C Rex liberalibus donationibus, coronatione ſua perfacta remunerans, in *Spithkonem* de *Melſtin* Palatinum *Cracouienſem* profuſiori donatione vſus, ſandalia illi ſua, gemmis, auro, margaritis, vnionibus, & lapidibus pretióſis ſuperba, donat. Hunc enim crediderat vocationem ſuam in Regnum *Poloniæ* & coronationem operoſius quam cæteros procuraſſe.

& occupat Polocenſes terras. Miſſis autem Rex Skirgallone & Vitholdo cum Polonis militibus omnia recuperat.

Ipſe vero Proceribus Polonis multa donat, Spithkoni Malſtin ſandalia margaritis pretioſa dedit.

Sub idem tempus Dux maior *Smolnenſis Szwieczlaus* cum duobus filiis diem obiit.

Circa Quadrageſimæ medium, *Wladislaus* ſecundus *Poloniæ* Rex *Cracouia* diſcedens, in oras *maioris Poloniæ* vna cum noua ſponſa *Heduigi* Regina, ad reſcindendas ſeditiones & guerras ciuiles, diuturno tempore illic radi- D catas Prælatis & Baronibus *maioris Poloniæ* ſummopere id precantibus armatos milites ex ex *Cracouienſibus* & *Sandomirienſibus* partibus, quo facilius ſeditionum authores opprimi poſſent, ſecum ducens, contendit. Dum autem apud *Gneſnam* conſiſteret, & a laicis ſuggeſtus, ſtationem ſeu Curationem a Capitulo *Gneſnenſi* requireret, quam negante Capitulo, villas Capitulares pignoraret, atque ob id pignorati coloni cum coniugibus & liberis *Gneſnam* venientes, in fletus & lachrymas reſoluti, clamores plurimos ederent, *Nicolaus Strozberg* natione *Polonus* ex *Poſnania* ortus Præpoſitus *Gneſnenſis* poſito ob eam rem interdicto, ex *Gneſna* receſſit, Quo malo *Heduigis* Regina commota, errore Regis correcto, ſingula pignora reſtituit, & interdictum ſolui procurauit. Ferturque tunc in amaritudine pectoris ſui dixiſſe; *Etſi pecora colonis reddimus, quis illis effuſas lachrymas reſtituet?* Paſcha autem Domini apud *Poſnaniam* celebrato, primum guerram quæ inter *Domarathum* de *Pierzchno* Caſtellanum *Poſnanienſem* & *Grzimalitas* ab vna; & *Vicentinum* Palatinum *Poſnanienſem* & *Swidwam* de *Schamotuli* Caſtellanum *Naklenſem*, cæterosque *Nalęczithas*, partibus ab altera, non ſine pernicie communi agebatur, extinguit. Et diſſidentibus pacificatis, *Gneſnenſis* & *Poſnanienſis* Eccleſiarum bona, quæ occupabat, iuſtis dominiis reſtituit. *Ioannem Krwawi Diabeł* hæredem de *Venetiis*, Iudicem *Poſnanienſem*, qui ob impias transgreſſiones & opera *Krwawi diabeł* id eſt *Cruentus Sathan* appellabatur, genere & familia *Płomyentham*, ſententiis & diffinitionibus ſuis iniquiſſimis, quibus plures numero iuſtos & innocentes, eorum hæreditariis poſſeſſionibus priuauerat, retractatis, & quem conſtabat multa execranda facinora commiſiſſe, hæreditariis bonis mulctatum, in carcerem, quem pluribus annis perpeſſus eſt, coniicit. *Bartoſſium Odolanowski* hæredem de *Kozmin*, qui & ipſe plurimarum ſeditionum & bellorum ciuilium fax & origo erat, ad præſentiam ſui venire detrectantem, de Regno effugat, & proſcribit) & caſtrum *Odolanow* in ſuam redigit ditionem. Breuique tempore guerrarum ciuilium ſtridoribus penitus euacuatis, *maioris Poloniæ* oram in pacis optatæ amænitatem, pluribus etiam munitionibus demolitis, vindicat, omneque in ordinandis & componendis rebus, quæ guerris & ſeditionibus domeſticis afflictæ & deformatæ erant, apud *maiorem Poloniam* conſumit tempus autumni & æſtatis. Inſignis is annus apud *Polonos Lithuaniæ Samogithiæque* terrarum, quæ quondam hoſtiles & infeſtæ erant, acceſſione, & propriarum a diuturna & domeſtica guerra quietatione; & quod omnia ſuperexcedit & ſuperegreditur, Principis exteri & barbari, naturalibus & propriis abrogatis, mutatione fuit.

Wladislaus Rex cum vxore ſua in Poloniam maiorem vocatus per Barones gratia componendarum ſeditionum, tendens, & Gneſnam veniens, dum ſubditos Capituli, ſtationem dare negantes, pignorat; interdictum propterea latum opera Reginæ relaxatur.

Guerram inter Domarathum de Pierzchno & Vincentium de Kapa & eorum ſequaces componit.

Ioannem vero Krwawi Diabeł iudicem Poſnanienſem nequiſſimum carceri includit, & Barthoſſio Odolanowski de Kozmin proſcripto caſtrum Odolanow recipit.

Ianua relicta, *Vrbanus* Papa ſextus de menſe Decembri, naturali itinere *Lucam* adueniens, nouem menſes illic exegit. Vbi per nuncios Regum & Principum, Prælatorumque, *Germaniæ*, *Poloniæ*, & *Hungariæ* ſolicite rogabatur, quatenus ad reuniendum Eccleſiam Dei intenderet, pertinaci contumacia reſpondebat, *ſe verum Papam eſſe, nec quicquam poſſe aliter ſentire.*

1387 Gentem & regionem *Lithuanicam*, *Wladislaus Poloniæ* Rex, quemadmodum in fœdere cum Regno *Poloniæ* & *Heduigi* Regina icto, iureiurando ſe obſtrinxerat, ab idolatria & ſuperſtitione gentili, ad cultum vnius veri Dei, & religionem fidei orthodoxæ, reducturus, præ cunctis mentis ſuæ deſiderabilibus, Catholicæ fidei affectans incrementum *Bodzantæ*

Wladislaus Rex

1387 *zanta Gneſnenſi* Archiepiſcopo, & pluribus viris Eccleſiaſticis, & religioſis, & exemplaribus, ex Regno *Poloniæ*, quorum doctrina, incura, & opera, Chriſtiana religio, apud ſupradictam gentem profanis ritibus deditam, ſeri&florere poſſet,aſſumptis,in *Lithuaniam* ire pergit,apud quam *Chriſtus* hactenus fuit incognitus & inuiſus. Non contentus autem Eccleſiaſticis viris, *Heduigim* Reginam,nouam patriam nouamq; regionem & gentem ſui coniugis viſuram, item *Semouitum* & *Ioannem Maſouiæ*, *Conradumque Oleſchnicenſem* Duces, *Bartoſſium* de *Viſzemburg* Palatinum *Poſnanienſem Criſtinum* de *Koziegłowy Sandecenſem*, *Nicolaum* de *Oſzolin Viſlicienſem*, *Zaklikam* de *Miedzygorze* Cancellarium, *Nicolaum* de *Moskorzow* Vice-Cancellarium Regni *Poloniæ*,*Wlodkonem* de *Charbinowicze* Pincernam, *Spithkonem* de *Tarnow* Succamerarium, & *Thomkonem* Subpincernam *Cracouienſem*, pluresque alios *Poloniæ* Barones & milites, ſecum ducit. Cum autem in *Lithuaniam* peruentum eſſet, conuentum pro die Cinerum apud *Vilnam* agit. Quo cum fratres Regii, *Skirgallus Throcenſis*,*Vithawdus Grodnenſis*, *Wlodimirus Kiiouienſis*, *Coributh Nouogrodenſis*,Duces, & militum populariumque frequens numerus, regio iuſſu, conueniſſet, pluribus diebus a *Wladislao Poloniæ* Rege, adiuuantibus illum Catholicis Ducibus,qui conuenerant, apud milites & populares laboratum eſt, vt falſis diis, quo hactenus, vano gentilium errore decepti, colebant, abiectis, vnum verum Deum, eiusque Chriſtianam religionem venerari, credere, & colere conſentirent. Reluctantibus barbaris, & ſe ſuaque numina (erant autem hæc præcipua, Ignis quem credebant perpetuum, qui per ſacerdotes, ſubiectis lignis, nocte atque interdiu adolebatur; ſiluæ, quas putabant ſacroſanctas, & aſpides ſerpenteſque, in quibus Deos habitare & latere credebant) impium & temerarium contra maiorum inſtituta deſerere & peſſundare aſſerentibus; *Wladislaus* Rex ignem, qui perpetuus ab illis putabatur, in *Vilnenſi* ciuitate, quæ caput & metropolis gentis erat, ſeruatum, & a ſacerdote eorum, qui *Zincz* appellabatur, & qui ſupplicantibus, ac de futuro rerum euentu Numen conſulentibus, falſa edebat (quaſi hæc a Numine accepiſſet) reſponſa, cuſtoditum, & ſedula lignorum adiectione nutritum, barbaris inſpectantibus, extingui, & templum aramque, in quibus hoſtiarum fiebat immolatio, diſrumpi, ſiluas inſuper quæ ſacroſanctæ putabantur, ſuccidi, & lucos eorum confringi, aſpides etiam & ſerpentes, quæ & qui in ſingulis domibus veluti penates Dii reperiebantur, interfici & necari (barbaris fletibus tantummodo & lamentis, falſorum ſuorum Deorum & Numinum, ruinam & cladem, ac exterminium, cum muſſitare contra Regis imperium non auderent,

cum Heduigi Regina in Lithuaniam vadit,

& idolis effractis

A

B

C

D

proſequentibus diſpoſuit. Confractis autem & exterminatis Idolis, dum Deorum ſuorum falſitatem, a quibus hactenus ſe ludificatos intellexerant, oculis peruidiſſent, vniuerſa *Lithuanorum* gens & natio, fidem Chriſtianam ſuſcipere, & vetuſto errori renunciare, prona & obedienti deuotione conſenſit. Per dies autem aliquot, de articulis fidei, quos credere oportet, & oratione dominica, atque Symbolo per Sacerdotes *Polonorum*, magis tamen per *Wladislai* Regis, qui linguam gentis nouerat, & cui facilius aſſentiebat, edocta, ſacri baptiſmatis vnda renata eſt, largiente *Wladislao* Rege ſingulis ex popularium numero, poſt ſuſceptum baptiſma, de panno ex *Polonia* adducto, nouas veſtes, tunicas, & indumenta. Qua quidem prouida liberalitate & largitione effecit, vt rudis illa natio & pannoſa, lineis in eam diem contenta, fama huiuſmodi liberalitatis vulgata, pro conſequendis laneis veſtibus, cateruatim ad ſuſcipiendum baptiſma, ex omni regione accurreret. Et quoniam labor immenſus erat, vnumquemque credentium baptiſare ſingillatim, concurrentis ad baptiſma populi *Lithuanici* vtriuſque ſexus multitudo mandante Rege, ſequeſtrabatur in turmas, & cuneos, & vniuerſis de qualibet turmarum, benedicta aqua ſufficienter conſperſis, cuilibet etiam turmæ & vniuerſis,qui in ea conſtierant, nomen Chriſtianum & vſitatum, abrogatis barbaricis, videlicet primæ turmæ *Petrus*, ſecundæ *Paulus*, tertiæ *Ioannes*, quartæ *Iacobus*, quintæ *Stanislaus* &c. Fœminis vero, quæ & ipſe proprias faciebant turmas, competentia nomina videlicet *Catharina*, *Margaretha*, *Dorothea*, &c. iuxta numerum & quantitatem turmarum, imponebantur. Militaribus tamen, & natu maioribus, ſpecialis impendebatur baptiſmus, qui & ipſi cum conſortibus, paruulis, & cognatis, ſacrum Baptiſma ſuſcepturi, & Chriſtianæ fidei articulos cognituri, *Vilnam* certatim ruebant. De quibus omnibus Chriſtianiſſimus Rex a Summo Pontifice *Vrbano* ſexto commendatus eſt, per huiuſmodi ſcripta. 1387

omnes gentes baptizat,

donans illis pannum ex Polonia adductum.

Breue Apoſtolicum.

Vrbanus Epiſcopus, Seruus Seruorum Dei Chariſſimo in Chriſto filio, Wladislao Regi Poloniæ illuſtri, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Gaudemus in Domino, fili chariſſime, & de tanto lucrifacto filio, paternus animus iucundatur: gaudemus, inquam, fili, & lætamur, quod illuminator omnium gentium, candor lucis æternæ, ſuæ lumen gratiæ, tuo & tuorum cordibus, per donum chriſmatis, clementer infudit. Ex hoc enim altiſſimo vitulos perſoluimus labiorum, quod ſponſam ſuam ſacroſanctam Romanam Eccleſiam matrem tuam, quæ te in aqua regenerauit & ſpiritu, noua ſemper prole multiplicat, & propagatione fidei Orthodoxæ fœcundat, de tenebris ad lucem reducens filios, & euocans de Ægypto, vt DEUM *Deorum*

Cui Vrbanus Papa eo nomine gratias agit.

1387 *Decorum in Syon contemplentur. Sane fili chariſſime, nuper venerabili fratre Noſtro Dobrogoſtio Epiſcopo Poſnanienſi nobis referente, didicimus, quod poſt ſuſceptum per te regenerationis lauacrum, conſolator omnium, perſonam tuam gratiæ ſuæ dono perfudit, ſicque grandem animum præbuit, ad ſua beneplacita proſequenda, quia tanquam Princeps Chriſtianiſſimus, eximiæ deuotionis, & illuſtrium virtutum titulis inſignitus, apud Deum & Sedem Apoſtolicam gerens reuerentiam filialem, Eccleſias & Perſonas Eccleſiaſticas Regio fauore proſequeris, & iacentes in tenebris, ad lumen veritatis, & viam cognitionis Diuini nominis, ardenti ſollicitudine reuocas & reducis, fana dæmoniorum, in quibus infelicium animæ illudebantur ſubuertens, & erigens ibidem & conſtruens templa Domini, ad honorem prædictæ ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ matris noſtræ, in cuius charitatis viſceribus præcipuum locum obtinens inter Principes orbis terræ. Euge igitur, vt ſeruus fidelis, fili chariſſime, qui pro præmiſſis pignus nobile, terreni videlicet culmen ſolii, & procul dubio Regni coeleſtis, acquiſiſti. Et merito oportet te etiam fili gaudere, quod qui cum multis perieras, quaſi theſaurus abſconditus es inuentus. Iucundari etiam debent tua præcordia, quod de tuis ſtudiis talia prædicantur, & quod tam charus, & tam acceptus in ſinu Matris Eccleſiæ, cum famoſi nominis vbertate recumbis. Eapropter, fili chariſſime, præmiſſa cum incrementis virtutum continua, id quod accepiſti a Domino, in fidei firmitate conſeruans, ac Eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas, vt cæpiſti, ſemper habeas in honore. Fratres ad fidem reuoca, & in tuæ operationis miniſterio, Marthæ ſollicitudinem aſſumas, & in altitudinem Mariæ contemplationis conſurgas, ita vt theſauros perennis vitæ theſauriſes in ſuperis, & poſt curſum huius vitæ labilis, optimam partem elegiſſe læteris, & cum electis DEI, quietis beatitudinem merearis. Cæterum, fili chariſſime, quod Serenitati tuæ alias non ſcripſimus, hoc non prouenit ex Patris ſed potius ex Nunciorum ſolemnium negligentia per te non miſſorum, & ex aliis rationabilibus cauſis. Sed nuper præfato veniente Epiſcopo, ipſum contemplatione mittentis, & grate audiuimus, & expediuimus gratioſe. Datum Peruſii XV. Calendas Maii. Pontificatus noſtri anno decimo.*

Wladiſlaus, Rex Vilnæ fundat Cathedralem Eccleſiam,

Satagens autem deuotiſſimus Rex *Wladiſlaus*, vt fides in Lithuania per eum plantata, robur & incrementa ſuſciperet, in *Vilnenſi* ciuitate Eccleſiam Cathedralem in Sanctiſſimæ *Trinitatis* honorem, & ſub titulo Sancti *Staniſlai* Pontificis & Martyris glorioſi & magnifici, fundat & erigit, quatenus P*olonici* & *Lithuanici* populi, quos in vnione tam fidei & religionis, quam ditionis & imperii, vnionem & gratiam coniunxerat, vno etiam Præſide & Patrono gloriarentur, & aſſidua memoria nuſquam obliteranda, recolerent ex *Polonis*, & per eorum curam, ſubducta errorum A caligine, fidei lumen ſibi & poſteris proluxiſſe. Principalem autem aram in loco, vbi ignis, qui falſo perpetuus creditus eſt, accendebatur, conſtituit, vt error gentilitatis fieret cunctis patentior. Conſtituit inſuper quatuor in prædicta *Vilnenſi* Eccleſia a ſe fundata, & per *Bodzantham* Archiepiſcopum *Gneſnenſem* conſecrata, Dignitarios & Prælatos, & octo Præbendarios Canonicoſque, & ſufficientem dotem, villas, prædia, introitus, lacus, & notabiles poſſeſſiones largiendo, qua Epiſcopus, Prælati & Canonici ſuſtentari, & congruum ſtatum ducere poſſent, largitur, donat, inſcribit, & B aſſignat, virumque ſpectatæ & raræ religionis, *Andream Vaſ.ilo, Polonum* natione, nobilem genere, de Domo *Accipitrum* ſeu *Iaſtrzebczonum*, profeſſione fratrem Ordinis Minorum olim *Eliſabeth* Reginæ *Hungariæ* confeſſarium, & verbi DEI Prædicatorem inſignem, Epiſcopum *Cerethenſem* in Epiſcopum ordinari & præfici *Vilnæ* procurat. Cui vt Pontificalem ſtatum inter Neophitos & rudes populos honeſtius poſſit ducere Eccleſiam Parochialem in *Kłodawa Gneſnenſis* diœceſis, quæ notabiles prouentus habebat, adiungit. Fundat inſuper ſeptem Eccleſias Parochiales, in locis opportunis & neceſſariis, videlicet, in *Volkomaria, Miſzocholi, Nyemeza, Miednyki, Kreua, Obolcze*, & *Hayna*. Item Præbendam Sancti C *Martini* in caſtro *Vilnenſi* altiori. Et tam Eccleſiis Parochialibus prædictis, quam Præbendæ *S. Martini*, bona dotalia inſcribit & aſſignat, & in huiuſmodi Eccleſiis Præſbyteros *Polonos*, zelum Dei habentes, & ſacra celebraturos, & populum *Lithuanicum* in fide Chriſti, articuliſque, & ceremoniis eius inſtructuros, reliquit. Sed & *Heduigis* Regina, fœmina deuotiſſima ac religioſa, primum Cathedralem *Vilnenſem*, deinde Parochiales Eccleſias *Lithuanicas* calicibus, libris, monſtrantiis, crucibus, imaginibus, caſulis, cæteriſque ornamentis & clenodiis, veſtibuſque dotalibus impleuit. Et quanti eſſet feruoris in DEVM, & in ampliiudinem ſuæ religionis, in ætate laſciua monſtrauit. D

cuius primus Epiſcopus Andreas Polonus, Accipitrum familia ordinatur.

Septem inſuper Eccleſias Parochiales erigit,

quibus multa largitur Heduigis Regina

Vrbanus VI. Papa

Lucana ciuitate relicta, *Vrbanus* ſextus de menſe Septembri *Peruſium* aduenit. Vbi anno integro demoratus, poſtquam temporale illius dominium conquirere non poterat, circa medium Auguſti ex *Peruſio* diſcedens, in *Narniam* venit. In quo itinere, mula, cui inſidebat, corruente, vehementer læſus, *Peruſiam* redire faſtidiens, *Tiburtum* vehiculo, & exinde *Pherenum*, intentione *Siciliam* reintrandi, ferebatur. Verum deficientibus ei pecuniis, propoſitum mutare coactus, *Romam* prima Octobris venit. Vbi ex tunc per totum illum annum degens, & in reuolutione eiuſdem anni per viginti octo dies grauiter languens, diem obiit: multis aſtruere volentibus, quod ſumpto

moritur Romæ.

1387 ſumpto veneno perierit. Et quanquam pro guerris & frequentibus itineribus grandes ſumptus fecerit, nunquam tamen prouiſos Ec- A cleſiarum grauauit. Quinimo Simoniam magnopere exhorrens, & beneficia liberaliter conferens, antiquis iuribus Cameræ Apoſtolicæ, quantumcumque modicis, contentabatur. Hic annum Iubilæum abbreuiaturus, de triginta tribus annis, in annos triginta tres ordinauit. Satagens, vt anno domini milleſimo tricenteſimo octuageſimo nono, annus Iubilæus *Romæ*, ſicut euenit, inciperet & duraret. Quem tamen, morte præuentus, non vidit. Sedit annos vndecim.

Quamuis autem parum conſtet, cum id nemo Scriptorum reliquerit, qualiter, quomodo, B & quando gens *Lithuanica* & *Samogithica* in has, quas modo incolit, Septemtrionales regiones venerit, aut a qua ſtirpe gentem & genus ducat; veriſimilis tamen præſumptio, & idiomatis ac linguæ earum ſonus & proportio, ex variis circumſtantiis & rerum qualificationibus ſumpta, oſtendit, *Lithuanos* & *Samogithas* *Latini* generis eſſe, etſi non a *Romanis*, ſaltem ab aliqua gente *Latini* nominis deſcendiſſe, & ſub tempore bellorum ciuilium, quæ primum inter *Marium* & *Syllam*, deinde inter *Iulium* Cæſarem & magnum *Pompeium*, eorumque ſucceſſores efferbuerant, ſedibus veteribus, & ſolo patrio, credentes omnem *Italiæ* oram clade ciuili perituram, dereiictis, in regiones vaſtas C & ſolitudines, ſolis feris peruias, quæ aſſiduis fere vruntur frigoribus, quæque a ſcriptoribus titulantur indagines, ad plagam ſeptemtrionalem cum coniugibus, pecore, & familiis veniſſe, & regioni ex patrio & vetuſto nomine *Lithalia*, genti vero *Lithali*, quæ hodie *Lithuania* ex *Ruthenorum* & *Polonorum* immutatione appellatur, vnam tantummodo literam L, quam etiam nunc *Italici* homines ſuæ adiiciunt vulgari locutioni, præponendo, indidiſſe. Eadem quoque ſacra, eoſdem Deos, eoſdem ſacrorum ritus, eaſdem cæremonias, quæ & qui *Romanis* gentilibus erant, ante ſuſceptam fidem, coluiſſe, videlicet ſacrum ignem, qui & credulitate ab illis perpetuus habitus eſt, & in D illo *Iouem* tonantem, per Virgines Veſtales *Romæ* cuſtoditum, cuius neglectam extinctionem capite expiabant. Item ſiluas quas vocabant ſacroſanctas, & quas ferro contingere profanum atque mortiferum erat; omnes ſiquidem illas ferro contingentes & violantes, Satanæ doloſitas & verſutia, in manu, oculo, pede, aut ailquo membrorum, ut cultores ſuos in fide ſacrilega contineret, DEO permittente, offendebat, & non niſi arietum & vitulorum holocauſtis placatus, ſimulatam reddebat ſanitatem. In ſiluiſque huiuſmodi, DEVM ſiluarum, cæteroſque Deos, iuxta illud Poëticum *Habitarunt dii quoque ſiluas*: conſiſtere putans. In aſpidibus vero & ſerpentibus, Deum *Æſculapium* in forma anguis, pro peſte epidimiæ grauiter graſſante, ſedanda, *Romam* & *Græcia* & *Epidauro* naui aduectum. Taliſque & ſimilibus ſacris, etſi non ad liquidum *Romanos* & *Italos* exprimebant, pro magna tamen parte imitabantur. 1387

Lithuani ortum,

nomen,

& mores ab Italis habent;

Erat inſuper *Lithuanis* ex patrio ritu conſuetudinarium & cærimoniale, dum illos gentilitatis detineret caligo, ad ſiluas, quas ſanctas putauerant, collectis frugibus, ſub principio menſis Octobris, cum coniugibus, pignoribus, & familiis venire, & Diis patriis, boues, vitulos, arietes, & cætera animalia, per triduum in holocauſta & victimas, offerre. Et oblatis, ſacrificatiſque, ſub eodem triduo, vacando comeſſationibus, ludis, & choreis epulari, conuiuari, & veſci libaminibus. Id inter omnia præcipuum & ſolenne ſacrificium, quod nemini negligere licebat, habebatur. Ex hoſtilibus quoque terris, triumphum aut prædas referentes, reuerſi, congerie de lignis, & pyra extructa, ad cuius extructionem vnuſquiſque lignum iaciebat, præſtantiorem & inſigniorem ex captiuis iniicere, & conflagrare, exiſtimantes Deos ſuos huiuſmodi incenſo prophano, quam maxime & gratificari, & placari. Idne a maioribus ſuis acceperint, an, vt ſolet, deluſa gentilitas in errore paſſim graſſari, hunc ritum per ſe quæſierit, incertum habemus. Mortuos inſuper ſuos, quod non *Italis* & *Latinis* tantummodo, ſed & cæteris nationibus legimus fuiſſe ſolenne, comburebant. *Lithuani* tamen, cum ſiluarum & nemorum abundarent multitudine, habebant ſpeciales ſiluas, in quibus ſingulæ villæ, & quælibet domus atque familia, ſpeciales focos obtinentes, decedentium cadauera ſolebant conflagrare. Adiungebantur autem cremando corpori quæque potiora, equus, bos, vacca, ſella, arma, veſtes, cingulus, torques, annulus, & ſimul vna cum cadauere, non habito reſpectu quod aurea vel argentea forent, cremabantur. In hunc quoque morem *Olgyerdus* filius *Gedimini*, Magnus Dux *Lithuaniæ*, & *Wladiſlai Poloniæ* Regis genitor, in gentilitatis errore fatis abſumptus ſilua *Kokiweytus*, prope caſtrum & villam *Miſcboli*, cum equo optimo, iopula margaritis & gemmis intexta, veſte oſtro & auro ſuperba, baltheo argenteo deaurato amictus, exuſtus eſt. Tam *Lithuanicæ* autem quam *Samogithicæ* gentes, gelidiſſimum ſeptemtrionis axem magna ex parte ſpectant, adeoque imbre & frigore rigeſcunt, vt pleroſque vis algoris extinguat, multos naſis, quod illic maior videtur ineſſe humor, in quem agat, mutilet. Duobus tantummodo menſibus in vtraque regione ſentitur magis quam habetur æſtas, reliqua anni tempora rigore rigent. Coguntur proinde male matura frumenta igne torrere, & artificioſo calore illis maturitatem conferre. Terræ autem quam inhabitant, & cœli, ſub quo aluntur, proprietas, gentis quoque *Ruthenicæ* conuictus & commixtio,

& ſitus naturaque Lithuaniæ deſcribitur.

1387 veterem illorum & priſcam commutauit in pleriſque, non tamen in totum ſuſtulit, indolem. Qui a peregrinis voluptatibus excepti, contagione & alimento degenerant, populationibus incurſionibusque, quam dimicatione, meliores. *Lithuanica* regio in annis ſuperioribus, adeo contempta, obſcura, & vilis fuerat, vt *Kiiouienſes* Principes ab ea & eius incolis, ob egeſtatem, & ſoli natiui ſterilitatem, ſola periſomata & ſubera, in ſignum tantummodo ſubiectionis, exigerent. *Vithenen* Dux *Lithuanorum*, rebellionem primus contra *Ruthenos* inducens, & ſe ipſum Ducem inter populares conſtituens, aſtu Principes *Ruſſiæ* aggreſſus conflixit. Senſim quoque adeo creuit viribus, vt iugo Principibus *Ruſſiæ* iniecto, etiam in tributa eos redigeret ſibi pendenda, quæ per plures ætates *Ruthenis* ipſe penderat. Magnam partem ſeruitorium *Lithuani* retinent. Ex quorum concubitu, cæteri in eandem ſortem generati, nonnulli quoniam vel tributa, vel iudiciorum pœnas, quæ apud illos exceſſiuæ ſunt, dependere nequeunt, ex liberis in ſeruitutem redacti aut venundati, numerum ſeruitorium in dies multiplicant: miniſteriiſque & ſudore ſeruorum & ſuppellectilem congerunt & opes, arcana ſua & Principum, veteri diſciplina edocti, mira celant fide.

Lithuani, *Samogithæ*, & *Iaczwingi*, licet appellationem diuerſam ſortiti, & in familias plures diuiſi, vnum tamen fuere corpus a *Romanis* & *Italis* ducentes genus, & natio longo & diuturno tempore ignobilis & obſcura, tum primum erupit. Hi *Romanorum* & *Italorum* feruentibus bellis ciuilibus, inter *Iulium Cæſarem* & *Pompeium* exules fuere. Qui ſub tempore huiuſmodi bellorum, partes *Pompeianas* ſecuti, victo primum in campis *Pharſalicis*, deinde apud *Alexandriam* in *Ægypto* occiſo *Pompeio*, quoniam & proximi nonnulli ex eis erat cognatione *Pompeio* & partes *Pompeii* propenſius quam cæteri *Romani* adiuuabant, victorem *Iulium Cæſarem* peroſi & veriti, ne in eos veluti ſibi hoſtiliores, & magis inuiſos ac ſuperſtitioſos, crudelius ſæuiret; *Roma* cum omni ſubſtantia & ſeruitiis, anno conditæ Vrbis ſeptingenteſimo quartodecimo, relicta, ſeptemtrionales regiones, apud quas tute & impune latere poſſent, conceſſerunt. Hoc etiam ipſorum appellatione & vocabulo manifeſtatur. Omnes enim illæ gentes *Lithalos* ſe vocabant, & ex veteri conſuetudine *Italici* ſermonis, qua & hactenus in ſuo vulgari, *Itali* vt communiter vtuntur, L, addendo in præpoſitione pluribus verbis. Eisdem ſacris, diiſque, & cerimoniis, quibus & *Romani* in errore gentili vſi, *Vulcanum* in igne, *Iouem* in fulmine, *Dianam* in ſyluis, *Æſculapium* in viperis & ſerpentibus colunt; in ciuitatibus principalioribus tenendo ignem, quem vocabant & putabant æternum, a Sacerdote cuſtoditum, qui etiam a Dæmone inſtructus, ſacrificantibus & petentibus, ambigua dabat reſponſa. *Iouem* autem in fulmine venerando, vulgari ſuo illum *Perkunum*, quaſi percuſſorem appellabant. Siluas etiam pleraſque non ſecus quam ſacroſanctas colebant, quas & intrare, & per detruncationem aut arboris aut frondis violare, capitale fuit, Detruncator enim frondium, aut ſiluæ ingreſſor, aut iugulabatur a Dæmone, aut in aliqua mutilabatur corporis parte. Viperas inſuper & ſerpentes, fere ſingulorum hominum continebant domus, quibus & nutrimenta præbebant in lacte, & gallos illis velut hoſtias placationis immolabant. *Lithuani* enim, qui ſe primum *Lithalos*, proceſſu vero temporis V. addita, & L mutata in N, ab aliis gentibus *Lithuani* appellati ſunt, domeſticis bellis & ſeditionibus *Roma* & *Italia* pulſi, ſolitudines vaſtas inter *Poloniam*, *Ruſſiam*, *Liuoniam*, & *Pruſſiam* ſitas, furtim occupauere, quas ex magnitudine frigoris, pro maiori anni parte hibernale gelu premebat. Ibi primum oppidum *Vilno*, quod & in hanc diem caput genti eſt, ex nomine *Vilii* Ducis, quo authore & *Italiam* deſeruerant, & regiones illas ingreſſi fuerant, condidere. Fluminibus quoque circa illud fluentibus, *Villia* & *Vilna*, ex eiuſdem Ducis nomine, indidere nomina.

Lithuani oppido Vilno condito, illi, & fluminibus circa illud decurrentibus, Villia & Vilna, ex nomine Ducis ſui Villi, nomen impoſuerunt,

Deinde non intercedentibus finitimis, primum pro libito ſuo iure vſi viuentes, dum germinando excreuiſſent, terram inferiorem verſus *Pruſſiam*, quam ex proprietate ſermonis ſui *Samogithiam*, quod ſonat terra inferior, ad extremum terram *Poloniæ* contiguam, quam *Iaraczones* vocauerunt, populati ſunt. Principes *Ruſſiæ* & *Kiiouienſes*, profectibus eorum permoti, ipſos, quoniam ſiluas eorum ditionis occupaſſent, vile tamen & modeſtum, in ſignum tantummodo ditionis & dominii, illos coëgerunt. Pendebantque pro tributo annis multis ex quercinis frondibus periſomata, cum craſſius ab his, ob terræ ſterilitatem, exigi non poſſet.

& ob egeſtatem Ducibus Ruſſiæ in ſignum ſubiectionis nomine tributi periſomata pendebant.

Sermo his latinus modica varietate diſtinctus. Qui etiam ex commercio gentium vicinarum, ad proprietatem vocabulorum *Sclauonicorum* defluxit, veſtis & abſciſſio capillorum ac barbæ, breuis olim moris fuit. Exercitus partem maiorem ex ſeruis his conficiunt, quibus omnia ædificia & officia domeſtica explent, illaque pro dote generibus tribuunt. In quo nimiam auſteritatem & parſimoniam pluſquam barbaricam exercent. Nuſquam vel raro manumittere ſoliti, ac per hoc omnibus ſeruis naſcentibus, creſcit in dies eorum numerus. Frequenter inſuper & liberi, debitis aut ære alieno nexi, aut iudiciis damnati, dum ſolutionem facere nequeunt, in ſeruorum conditionem retruduntur. Quod & pleriſque per violentiam, calumniam, aut iniuriam ſolet prouenire, in noſtræ præſertim ætatis tempeſtate; in qua Princeps *Lithuaniæ* principalis (quem illæ gentes more maiorum magnum vocare ſolent, qua etiam appellatione. 1387

1387 ne *Pompeius* vocitabatur) nullam pro oppreſſis & grauatis opponebat defenſionem. Locupletiſſimus vt quisque eſt, ita plures in bellum Principi ſuo armatos præbet. Cibus genti parcus, caſtigatus, paſcedis & ollis ex farina formatis coctus, igne magis quam aqua torritus. Inter Septemtrionales populos obſcuriſſimi, *Ruthenorum* ſeruituti & tributis vilibus obnoxii, vt cuiuis mirum videatur, ad tantam eos felicitatem, ſiue per finitimorum ignauiam & deſidiam prouectos, vt imperent nunc *Ruthenis*, ſub quorum imperio annis prope mille, veluti ſeruile vulgus fuere. Funera illis gentilitatis tempore non alia fuere quam *Italis*: omnia enim cadauera cremabant igne, quibus equum, veſtem, vas, quæ viuenti ſciebant chariora, adiungebant, nunc illa terra obruunt. Ingenia genti tumida, ſeditioſa, fraudulenta, procacia, mendoſa, & parca. Natura taciti, arcana ſua & ſuorum Principum ſilentio tegunt. In liberos laſciui, in Rempublicam ſuam incenſi & ſtudioſi, in libidinem, ebrietatem, & aſſentationem procliui, Sortilegiorum & diuinationum ſtudioſi, & rari ſectatores. Parſimoniæ dediti, & in cibum parci, niſi quoties cœnarum apparatus & conuiuia inſtruunt pro hoſpitibus & aduenis. In cærimoniis & ritibus ad curam rerum diuinarum pertinentibus, Proceribus & Satrapis gentis præcipua cura, vulgo tenuis eſt. Fœminæ eorum gubernatione & incremento rerum domeſticarum, & in procuratione ciborum & victualium, ac omnifariorum ſtaminum, quæ ex lino texuntur, magno ſtudio & cura callent, & in ebrietatem ipſæ pronæ. Has *Vithawdus* alias *Alexander*, duabus rebus obedienter parentes habuit, ſine quibus irritus eſt & precarius, vmbræque ſimilis omnis Principatus: Timore quidem, quod eſſet ad pœnam pronus, atrox, & rigidus; diligentia quoque, quod in expeditionibus, & in expediendis ſingulorum neceſſitatibus erat celer, munificus, & magnanimus.

Wladislaus Rex Heduigim Reginam in Poloniam remittit, & ipſe in reducendis ad Chriſtianitatem Ruthenis & Lithuanis, omnem curam impendit.

Tanta autem diligentia, & tam feruenti atque ſolicita deuotione *Wladislaus Poloniæ* Rex, in plantanda fundandaque in *Lithuanis* fide & religione orthodoxa tenebatur, vt *Heduigi* Regina ad *Poloniam* remiſſa, anno integro in *Lithuania* verſaretur, regiones, oppida, villas, & quæque rura per ſe adiens, & nondum baptiſatos, ad cultum veri Dei perliciens pertrahensque, & ſacra vnda per ſe ipſum, & Duces, Baronesque, & Sacerdotes *Poloniæ* baptiſans, ſanctis monitis, & ſalutaribus dogmatibus inſtituens, ac in pluribus locis Eccleſias, Oratoria, & loca ſacra ædificans, erigens, dotans, atque fundans, vt non immerito *Lithuaniæ* gentis conuerſor, & Apoſtolus poſſit cenſeri. Edidit & tunc religioſus Rex in fidei feruorem, publicas conſtitutiones atque edicta, easque authenticis literis ſanciuit, vt *Ruthenorum*, ſchiſmaticorum, & *Romanæ* Eccleſiæ fidem non auſcultantium *Lithuani* fideles & Catholici vitent & deteſtentur connubia. Quæ ſi contraxerint, mandauit vxorem *Ruthenam*, fidem fidelis mariti, & *Ruthenum* maritum fidem fidelis vxoris ſequi, & profiteri, ritu *Græco* penitus omiſſo, oportere, & ad id illos corporali mulcta impelli. Bona inſuper Eccleſiarum habita & habenda, ab omnibus tributis, datiis, collectis, ſeruitiis, expeditionibus, ſtationibus, contributionibus, & quibuscumque grauaminibus ordinariis & extraordinariis, libera perpetuo eſſe decreuit. 1387

Sigiſmundus Marchio Brandeburgenſis in Regem Hungariæ coronatur,

Ramis Palmarum Dominico die *Sigiſmundus Brandeburgenſis* Marchio, ex Reginæ *Eliſabeth Hungariæ*, *Ludouici* relictæ, & omnium tam Eccleſiaſticorum quam ſecularium *Hungariæ* Primorum, approbatione, conſenſu, & decreto, apud *Albam Regalem* in Regem *Hungariæ*, per Archiepiſcopum *Strigonienſem Dioniſium*, inungitur & coronatur.

& Eliſabeth Regina cum Maria filia, vxore Sigiſmundi captiuatur. Quas cum Sigiſmundus liverare intendit ſuſpenditur Eliſabeth & vxor Sigiſmundo redaitur.

Poſt paucos vero dies, Regina *Eliſabeth*, & *Maria* filia ſua, a Baronibus *Hungariæ* comprehenſæ, & vſque ad *Slauoniam Hungariæ* deductæ, & in quodam caſtro firmiſſimo, velut captiuæ habitæ ſunt: donec *Sigiſmundus* Rex liberaturus illas, caſtrum potenter obſedit. Sub qua obſidione *Eliſabeth* Regina ab obſeſſis iugulata, & extra feneſtras dicti caſtri ſuſpenſa eſt. In vltionem autem ſocrus ſuæ, *Sigiſmundus* Rex, triginta notabiles *Hungaros*, mortis ſuæ conſcios, vna die publico damnauit gladio, cæteros banniuit & proſcripſit.

Vltima Decembris, *Ioanna Bohemiæ* Regina, conſors *Venceslai Romanorum* & *Bohemiæ* Regis, & filia *Alberti Bauariæ* & *Hollandiæ* Ducis, moritur, & in Eccleſia maiori *Pragenſi* ſepelitur.

1388

Wladislaus Rex

Celebrato apud nouam Eccleſiam *Vilnenſem* Cathedralem Natiuitatis Chriſti die, *Wladislaus Poloniæ* Rex, Ducibus & Baronibus tam *Polonis* quam *Lithuanis* comitatus, primum in *Witewsko*, deinde in *Poloczko* regionis *Ruſſiæ* diuertit, pluribusque diebus illic immoratus, ſeditioſos motus, qui conſurgere nunciabantur, oppreſſit extinxitque. Sed & ſeditionis capita, carcere, & bonorum confiſcatione mulctauit. Ad *Lithuaniæ* deinde oras reuerſus, compoſito & ordinato earum ſtatu, conſtitutoque fratre germano *Skirgallone* pro principali Duce, vt ſummæ rerum in *Lithuania* præeſſet, cui ſingulos alios Duces parere iuſſit, data inſuper ſorore germana *Alexandra* nomine Duci *Semouito Maſouiæ*, *Anna* vero ſorore Ducis *Withawdi* germana, *Ianuſſio* alteri *Maſoniæ* Duci in conſortes, nuptiisque vtrorumque apud *Vilnam* celebratis, in *Poloniæ* Regnum diuertit. Et ad *Luczkam* itinere huiusmodi declinans, caſtrum *Luczko*, & omnem regionem ad illam pertinentem, *Crzeslao* de *Kurozwaki* Caſtellano

ſorores ſuas Alexandram & Annam Maſoniæ Ducibus in uxores dat,

1388 *Sandomirienſi*, quatenus illud ſuo & Regni *Poloniæ* nomine gubernaret, contulit in tenutam. Sororis autem ſuæ *Alexandræ* maritum *Semouithum* Ducem *Maſouiæ*, quem nouerat ad ſuccedendum in Regem & Regnum *Poloniæ*, ius naturale & per electionem quæſitum habuiſſe, volens efficere ſuper adempto Regno placatum, *Radomienſem* terram pro dote, perpetua donatione largiturum ſe illi aſtringit. Verum cum donationem huiuſmodi Barones & milites *Poloniæ* intelligeret nullatenus toleraturos, terram *Belzenſem* vberrima gleba fœcundam, aquis, ſtagnis, & paſcuis irriguam, & omnibus conditionibus *Radomienſe* ſuperiorem, non ſine Regni *Poloniæ*, cuius erat terra proprietaria, multo ſanguine quæſita, grauamine & præiudicio, perpetua donatione dotis nomine largitur, confert, & inſcribit, iniuriam adempti *Poloniæ* Regni, huiuſmodi donatione compenſans. Ad Regnum poſthæc *Poloniæ* reuerſus, denunciante ſibi *Gnieuoſſio* de *Dalewicze* Succamerario *Cracouienſi*, *Vilhelmum Auſtriæ* Ducem ſecrete *Cracouiam* introiſſe, & ſub diebus aliquot, quibus illic immoratus eſt clandeſtinos tractatus cum Regina *Heduigi* habuiſſe, in Reginam *Heduigim* falſis quæſtionibus accuſatam, iras zelotypiæ vertit, quæ tandem prudenti & ſollicita Baronum interpoſitione, ſimultates huiuſmodi inter coniuges execrantium, fuerunt extinctæ.

Semouitho terram Belzenſem donat in perpetuum.

Poſtea in Poloniam reuerſus iram contra Heduigim Reginā ex delatione Gnieuoſſii de Dalewicze concipit.

Mortuo, vt præmiſimus, *Vrbano* ſexto, & in Eccleſia Sancti *Petri* ſepulto, Cardinales conclaue ingreſſi, *Petrum* de *Thomacellis* Cardinalem concorditer in Papam elegerunt, qui *Bonifacius IX.* appellatus eſt, & in feſto Beati *Martini* coronatus. Vir proceræ ſtaturæ, ac decorus facie, natione *Neapolitanus*, quadrageſimum quintum ætatis tunc agens annum, ſcribendi & cantandi inſcius, ignarus inſuper Pontificalis officii grauitatem; in auaritiam & Simoniam procliuis. Et licet Simoniam per annos ſeptem publice exercere, bonorum Cardinalium reprehenſionem veritus, auſus non fuerit; bonis tamen Cardinalibus obeuntibus, publice eam practicare cœpit, exigens a vacantibus Eccleſiis & monaſteriis anni primi integros fructus, & beneficia vacantia plurimis perſonis vendens. Hic paullo poſtquam aſſumptus fuit in Papam, *Ladiſlaum* filium *Caroli* de *Duracio*, in decimo ſeptimo anno conſtitutum, in *Siciliæ* Regem coronari fecit. Patrem vero ſuum *Carolum* in *Pannoniis* occiſum, necdum tunc ſepultum, abſoluit. *Roberti* Ducis *Bauariæ* Comitis Palatini *Rheni* ad Regnum *Romanorum* electionem, per Archiepiſcopos *Maguntinenſem*, *Colonienſem* & *Treuerenſem*, in præiudicium *Venceslai Romanorum* & *Bohemiæ* Regis, factam, approbauit; promittens publice Apoſtolicos ſe illi fauores contra *Venceslaum* impenſurum.

Bonifacius IX. in Papam eligitur,

qui auaritiæ dans operam ſimoniam exercet.

1389 Ordo & Status terrarum *Ruſſiæ* & *Samogithiæ* atque *Lithuaniæ*, in quibus illas *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, in *Poloniæ* Regnum reuerſurus, prouida induſtria reliquerat, eo abeunte, mox collidi & labefactari cœpit, cum ex pluralitate Principum, tum ex *Skirgallonis* germani *Wladiſlai* Regis ab vna *Trocenſis*, & *Withawdi* patruelis ſui, fratrum, *Grodnenſis* Ducum, veteri & recenti æmulatione, quæ ſenſim ſerpens adeo inualuerat, vt alter alterum grauiſſimo odio, iuxta ac ſi infeſtum ac capitalem hoſtem, proſequeretur. Erat enim *Skirgallo Trocenſis* Dux, audax & ferox natura, arte, manu & lingua ad omnia promptus, expaueſcendus omnibus, niſi illum aſſidua ebrietas ad vilitatem & ſui contemptum redegiſſet: Pleroſque mortalium, & eos præcipue, qui ſecum una vel vt amici, vel vt familiares obuerſabantur, in temulentia ferro violans. Quorum vulnera a ſe inflicta, diſcuſſa ebrietate, arte medicinæ chirulicæ, qua naturaliter præditus erat, curabat. Hunc *Withawdus Grodnenſis* Dux, magis modeſti, magiſque vegeti & ſemper ſobrii vir ingenii, & propter *Ruthenorum* aſſiſtentiam, qui illi propter ritus ſui identitatem magnopere afficiebantur, & propter *Wladiſlai Poloniæ* Regis germanitatem, pertimeſcens, & ex pleriſq; auiſamentis præſumens, illum, in ſuam omniumque ſuorum necem, ferro, veneno, & qualibet occaſione interendam, vehementer graſſari, vitæ ſuæ ac ſuorum conſulturus, cum *Anna*, coniuge ſua, & omnibus Boiaris militibus, ac familiis ſuæ ditionis, *Grodno* & *Brzeſczie* caſtris, quæ ſuo parebant imperio, forti militum præſidio locatis, ex *Lithuania* effugit. Et primum ad *Ianuſſium Maſouiæ* Ducem maritum ſororis ſuæ *Annæ alias Danuthæ*, quem affinitatis parum memorem, & in fouendo ſe plus quam ratus erat, tenaciorem, offendens, ad *Semouitum* alterum *Maſouiæ* Ducem peruenit. A quibus dum contra ſuam & ſuorum ſpem, parum benigne & humane ſuſceptum ſe & tractatum proſpiceret; Dux ſiquidem *Maſouiæ Ianuſſius* in quo plus reponebatur, velut in propinquo affine, ſpei, ius hoſpitii in exule & amico minus comiter, minuſque fauoroſe, quam ſorti vtriuſque conueniebat, exercens, etiam auream pateram illi (quod genus iniuriæ nullo vnquam tempore poterat in ſuo pectore obliterari) fertur ademiſſe, ad *Conradum Czolner Pruſſiæ* Magiſtrum, & Cruciferos, tunc *Wladiſlao Poloniæ* Regi & *Lithuanis* infeſtos, *Maſouiæ* & affinibus Ducibus derelictis, quemadmodum in ſuperioribus ſcripſimus, diuertit. A quibus benigne ſuſceptus eſt & habitus, iureque hoſpitii annis aliquot, ſub quibus & *Teutonicum* idioma, & diſciplinam morum ac rei familiaris condidicit, propenſius, quam ſperauerat, fotus & cultus, non tam pro officio, quam rerum ſuarum, quas eius auſpiciis, eiuſque ductu, contra *Lithuanos* proſperari crediderant, vtilitate. Cuius fuga ex *Lithuania* ſecuta, peſtifero ſchiſmate *Lithuania* & *Samogithia* biſarie, in *Wladiſlai* Regis & *Withawdi*

Vitholdus timens fratri Skyrgiellonis potentiam,

ad Duces Maſouiæ Semouithum & Ianuſſium fugit.

A quibus male acceptus

ad Magiſtrū Pruſſiæ iuit:

ibique multis annis bene tractatu

1389 *di* partes diuiſa, & externo ac domeſtico bello, cladibusque frequentibus laborare & affligi cœpit. Caſtro autem principali *Vilnenſi* quod quandoque a *Lithuanis* & *Ruthenis* ſuæ partis, ambiguæ fidei hominibus, *Withawdo* Duci & Cruciferis prodi *Wladislaus* Rex *Poloniæ* verebatur, prouiſurus, *Nicolaum* de *Moskorzow* Regni *Poloniæ* Vice Cancellarium, militem cum bombardis, baliſtis, & apparamentis bellicis in *Lithuaniam* transmittit, eique caſtrum *Vilnenſe Skirgallone* Duce deſtituto, & nonnullis *Lithuanis* & *Ruthenis*, qui in ſcelus tradimenti putabantur procliui, eiectis, dat in gubernationem & tenutam. Sub ea autem fuga & exiliatione *Withawdus Lithuaniæ* Dux apud Cruciferos degens, fœderis perpetui atque colligationis, cum Magiſtro & Ordine Crucifericò pactum iniit, iureque iurando & inſcriptionibus firmauit, & baptiſmum Chriſtianæ religionis, quo ſolidius fœdus fieret, cum nonnullis Boiaris ſecum vna exulantibus apud *Thopeiow*, leuantibus eum de fonte *Vigando* Commendatore de *Ragnetha*, & Sculteti ſſa de *Thopeiow*, ſuſcepit.

fidem Chriſtianam ſuſcepit.

Clandeſtinis autem nunciis ad *Wladislaum* Regem *Poloniæ* ex *Pruſſia Withawdus* Dux miſſis, Regem non ſolum ſibi placat, ſed & conciliat. Ex proprio ſiquidem, & ex Cruciferorum, apud quos hoſpitabatur, ingenio, ſuſpectam habens perſidiam, haud ſane æquo animo Ducatum *Lithuaniæ* ambiens, terrebat Regem, & proditionem ſuorum, qua ſola id aſſequi poterat, Rex verebatur, & certificatus a Rege, quod ipſum Rex debeat magno Ducatui *Lithuaniæ* præficere, latenti agmine, Cruciferis non conſultis, ex *Pruſſia* in *Lithuaniam* diſcedens, tria ordinis caſtra, ad quæ velut confœderatus & amicus intromittebatur, & ſingulis procurabatur per Cruciferos neceſſariis videlicet, *Iurgenburg*, *Mariemburg*, & *Nauandz*, comprehendit, fratribusque ordinis ea adminiſtrantibus, occiſis, & in foſſata proiectis, caſtris quoque igne conflagratis, cæteram omnem multitudinem quam in dictis caſtris repererat, ſecum captiuam in *Lithuaniam* deduxit.

Tandem tribus fortiſſimis caſtris Cruciferorum captis, & combuſtis,

Verum cum procedente tempore, *Withawdus* Dux ſpes ſuas per *Wladislaum Poloniæ* Regem, de conſequendo magno Ducatu *Lithuaniæ* factas, videret differri, caſtrum *Vilnenſe* fraude molitus eſt obtinere. Ordinatis namque pluribus vehiculis, in quæ homines armatos incluſerat, ſummitates vehiculorum, quaſi nuptias ſorori ſuæ celebraturus, carnibus ferarum cooperuit, & caſtrum *Vilnenſe* occupaturus illud, transmiſit.

ſpe Ducatus Lithuaniæ potiundi, redit Vilnam.

Fraude autem detecta, metuens ſibi *Withawdus*, cum vxore & amicis refugit in *Pruſſiam*. Et nouo per literas & iuramentum icto fœdere, biennio in caſtris tribus, videlicet *Rithesʒwerder*, *Nangard*, & *Metemburg*, in metis *Lithuaniæ* ſibi per Ordinem ædificatis manſit, & cum auliis gentium Crucifericarum, *Lithuanos*, & eorum terras, afflixit, & infeſtauit. 1389

Fruſtrata autem ſpe de Ducatu concepta iterum ad Cruciferos cum uxore diuertit.

Nouo diſſidio, nouaque ſimultate, inter *Wladislaum Poloniæ* Regem & *Heduigim* Reginam, frequenter propter nonnullas ſuſpiciones, quas adulantium ferebat malignitas, conſurgente, dum Conſiliariorum induſtriam, qui coniugalia odia identidem renaſcentia oppreſſerant, improbitas vinceret aſſentatorum, id genus concordiæ per optimos Conſiliarios pronunciatum ſancitumque eſt, & ab vtroq; contendentium acceptum probatamque, vt ab vtroq; falſus delator proderetur. Compoſitis ſiquidem inſimulationibus, per aſſentatores quibus ea res non exiguo queſtu erat, inter ſe execranda gigni odia, non ante quietura, nec delatores improbos defuturos, quamdiu credula ſuppeditabitur audientia, & delatores ſincere per alterutrum publicabuntur cum ſingulis, quæ ore mendaci detulerant.

Creſcentibus odiis inter Wladislaum & Heduigi Reginam,

Et cum tam Rex quam Regina *Gnieuoſſium* de *Dalewicze* Succamerarium *Cracouienſem*, genere de domo *Strzegomitham*, ſatorem omnium zizaniarum, cuius promptior lingua, & ſecretorum prodiga, multa odia inter Regem & Reginam ſeruerat, & qui caſtam optimæ & religioſæ fœminæ *Heduigis* Reginæ pudicitiam, apud virum ſuum *Wladislaum Poloniæ* Regem, mendaci ſuggeſtione, & confiicto crimine inſimulauerat, expreſſiſſet, coniugibus ipſis ad plenum reconciliatis pacificatisque, petente & inſtante *Heduigi* Regina *Gnieuoſſio* Succamerario, fœderum coniugalium inſidiatori, in *Visliçienſi* oppido dies acta eſt.

detectus eſt præcipuus delator Gnieuoſſius de Dalewicze.

Qui pudicitiam Reginæ falſo tentans maculare

Qua adueniente, *Heduigis* Regina, per *Iaſchkonis* de *Thaczin* Caſtellani *Voynicenſis* organum; Is enim cauſam Reginæ, corporali iuramento edoctus certificatusque, nullam illam, præter *Wladislai* Regis mariti ſui nouiſſe cubile, aduocandam ſuſceperat, coram frequenti Baronum iudicio, ob eam rem inſtaurato, queritur, *caſtum ſuum thorum, caſtamque ſuam pudicitiam, ſpurcitia Gnieuoſſii, & eius mendaci ore, apud Wladislaum Regem maritum ſuum, ſugillatam & infamatam eſſe*, offerens *ſe pudicitiæ ſuæ ablatum honorem, iuxta iudiciale decretum purgaturum.* Petens *malignum delatorem ad reuocationem maledicti compelli.* *Gnieuoſſio* vero neque inficiari facinus obiectum, (nouerat enim regio & multorum Baronum conuincendum ſe teſtimonio) neque refellere quicquam petitioni reginali atque propoſitioni, [aſtabant enim duodecem milites, pudicitiam Reginæ, oblato duello, vindicaturi] audente, Iudices, inſtante Procuratore reginali, reum vt reſponderet frequenter petitum, ſilentem, & non iudicio ſed clementia ſecum agi ſimpliciter depoſcentem, ad reuocationem probri in dedecus reginalis pudicitiæ impudico ore prolati, e veſtigio, inſpectante & præſidente

 corona

1389 corona iudicii, in morem canis fiendam condemnant, Reginam vero *Heduigim* puram & innocentem, a probro & ſuſpicione, ex falſa & mendaci delatione *Gnieuoſſii* exorta, pronunciant. Decretum autem ſententiæ huiuſmodi, *Gnieuoſſius* implere extemplo compulſus, ſubter bancum corpore curuato intrauit. Et reuocatione facta, in qua ſe profitebatur falſo & mendaci probro, Reginam *Heduigim* inſimulaſſe, publicum etiam latratum edidit. Quo quidem tam ſeuero iudicio, *Heduigis* Reginæ pudori & innocentiæ, atque coniugali concordiæ, ſaluberrime conſultum prouiſumque eſt, vt omnibus aſſentatoribus calumniatoribuſque, ne aliquiam ſuſpicionis notam alteri coniugum contra alterum deferrent, perterritis, ſine ſuſpicione, ſine iurgiis, rixiſque, in amœnitate dulcedineque, coniugalis fœderis, ſtabili concordia & charitate, vtriuſque ſtatus permanſit.

Sub ſcamno iudicialiter latrare & reuocare compulſus eſt.

Venceſlaus Romanorum & *Bohemiæ* Rex, noua affinitate cum *Ioanne Bauariæ* Duce per procos contracta, *Zophiam* virginem eiuſdem Ducis *Bauariæ Ioannis* filiam, pro ſecunda vxore deſponſans, nuptias celebrat apud *Pragam*. Quas horrendus caſus paullo poſt ſecutus eſt. Sacerdote ſiquidem ex Parochia Sancti *Valentini* diuiniſſimum Sacramentum ad infirmos deferente, *Iudæorum* caterua blaſphemias in Sacramentum impudico ore euomens, Sacerdotem etiam, Sacramentum ferentem, proiectione lapidum obruebat. Qua iniuria ad vulgares perlata, ſeditio mox, iuſto Dei permittente iudicio, coorta eſt, ex qua omnium *Iudæorum* primum ſtrages, deinde concrematio ſecuta eſt apud *Pragam*.

Venceſlaus Romanorum & Bohemiæ Rex contrahit aliud matrimonium. Iudæi vero paulo poſt Pragæ in Sacerdotem ad agros ſacram Synaxim ferentem ſæuiunt, & ob id puniuntur.

Obeunte *Conrado Czolner Pruſſiæ* Magiſtro, *Conradus Vallerode* ſuffectus eſt.

Iubilæo anno *Romæ* indicto, innumerabilis multitudo peregrinorum, ex *Almaniæ*, *Poloniæ*, *Hungariæ*, *Bohemiæ*, & *Angliæ* Regnis, cæteriſque Prouinciis, *Bonifacio* Papæ parentibus, *Romam* aduenit. Ex quorum oblationibus, & Eccleſiæ Vrbis fuere reparatæ, & *Bonifacius* Papa multifarie ditatus. His tamen oblationibus, licet ad maximas ſummas aſcenderant, ipſe *Bonifacius* parum contentus miſit ad diuerſa Regna Quæſtuarios, vendendo dictam indulgentiam, offerentibus tantum, quantum eſſent in *Romano* itinere expenſuri. Conceſſit inſuper diuerſis Eccleſiis exorbitantes indulgentias, adeo large & diffuſe, vt, indulgentiis ipſis non Eccleſias tantummodo, ſed & ſtabula vociferabatur impleuiſſe. Propter quod tam ipſe, quam Quæſtuarii ſui ſupra modum, auro & argento, equis & Clenodiis fuere ditati. Sub anno autem eodem, *Roma Peruſium* venit, vbi aliquanto tempore immoratus, in *Aſſiſium* ſe contulit. Ab inde vero *Romam* reuerſus, plures annos illic exegit.

Iubilæus annus Romæ indictus, per Quæſtuarios Papæ venditur. Quo etiam ſtabula plena fuiſſe commemorantur.

Vigeſima ſexta Decembris, *Bodzantha* de *Scheligi* Archiepiſcopus *Gneſnenſis* cum annis ſeptem ſediſſet, in villa Archiepiſcopali *Chelm* moritur, & in *Gneſnenſi* Eccleſia, in capella ab ea murata & dotata ſepelitur. Ad Eccleſiam autem *Gneſnenſem*, cum *Ioannes Kropidlo Wladiſlauienſis* Epiſcopus *Wladiſlai Poloniæ* Regis & Capitularium *Gneſnenſium* neglecto fauore & conſenſu, in electionis & electi præiudicium, procuraſſet ſe de *Wladiſlauienſi*, cui iam ſex annis præerat, transferri, per *Bonifacium* nonum, ſchiſmate durante, ratus tranſlationem & prouiſionem ſuam ad *Gneſnenſem* Eccleſiam, iuxta ac duas ſuperiores, *Poſnanienſem* videlicet & *Wladiſlauienſem*, facilem effectum, ob proſapiæ eminentiam, & fratrum Ducum *Oppolienſium* auxilia & aſſiſtentiam, habituram, a magna ſpe & alta decidit. Et *Wladiſlao Poloniæ* Rege, magno indignationis nubilo contra illum furente, a *Gneſnenſi* excluſus, etiam *Wladiſlauienſem* amiſit. Et *Henricus Legnicenſis* Dux, cui idem *Bonifacius* per tranſlationem *Ioannis Kropidlo* de illa prouiderat, in poſſeſſionem eius in odium *Ioannis Kropidlo* admiſſus. Et licet præfatus *Ioannes Kropidlo* ſe Archiepiſcopum *Gneſnenſem* gereret, & titularet, Prælatoſque & Canonicos *Gneſnenſes* in genere & ſpecie, ſignanter autem *Bronislaum* Archidiaconum, & ſub omni vacationis tempore in Spiritualibus & temporalibus *Gneſnenſis* Eccleſiæ Adminiſtratorem, nobilem de domo *Grabya*, variis *Bonifacii* Papæ cenſuris percelleret, non parebatur tamen illis. Sed & ipſe *Ioannes Kropidlo*, per *Sbigneum* de *Brzeſczie* Regni *Poloniæ* Marſchalcum captus, & omni ſubſtantia ſua exutus, a Rege tamen *Poloniæ Wladiſlao* dimiſſus eſt. Cum autem in annum ſeptimum litigium huiuſmodi extractum foret, *Ioannes Kropidlo* magno alieno ære contracto, in magnam etiam deuenerat egeſtatem. A Cruciferis autem de *Pruſſia* ſuccurrebatur illi, apud quos etiam illa tempeſtate tute hoſpitabatur.

Mortuo Bodzanta Archi- 1389 *epiſcopo Gneſnenſi, cum Ioannes Kropidlo Wladiſlauienſis Epiſcopus ſe transferri ad Archiepiſcopatum, Rege irrequiſito, obtinuiſſet poſſeſſionem eius non habuit & Wladiſlauienſem amiſit. Captus inſuper vix eſt dimiſſus.*

1390

Laboranti Patriæ, *Lithuanorum* terræ, quæ domeſtico bello afflicta, mutuis odiis *Lithuanorum* & *Ruthenorum* ſe vehementer æmulantium, & nunc illas, nunc alteras partes ſequentium, proprio mucrone conſumebatur, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, pia motus commiſeratione, ſuccurſurus, collecto ex *Polonorum* militibus exercitu, in menſis Februarii principio, dum hibernandum non pugnandum foret, illum contra caſtra *Brzeſzie*, patrum *Camienyecz*, & *Grodno*, quæ a Duce *Withawdo* tenebantur, & ex quibus incurſiones in regiones *Lithuanorum* fiebant, educit, caſtrumque *Brzeſzie* obſidione cingit, Quod cum infra decendium conquiſiſſet, *Polonicus* exercitus propter victualium penuriam & defectum, quem equis tabeſcentibus tulerat, quemque, ſi in vlteriora itum foret, propter regionis ſterile & incultum ſolum, ſeſe toleraturum non ignorabat, petita & facile obtenta a Rege licentia

Wladiſlaus Rex pacificaturus, Lithuaniam illo vadit, & caſtra Brzeſzie, Camienyecz, Grodno Vitholdi Ducis capit.

1390 centia (intelligebat enim Rex milites, etiamſi, non præſtaret licentiam, illum deſerturos) in propria remeauit, nonnullis tamen militibus A præſertim aulicis & exercitatis, numerum centum triginta haſtarum tantummodo explentibus, remanentibus, cum Rege. Propoſitum tamen ſuum *Wladiſlaus* Rex expleturus, caſtro *Brzeſczie* militi *Polono Hincze* de *Roſkowicze* commendando, ad expugnanda duo reſidua *Withawdi* Ducis caſtra, exercitus qui cum illo remanſerat paucitate parum penſata, ire pergit. Liberandæ ſiquidem patriæ amore, & ferendi illi ſubſidii auiditate deuictus, etiam cum paruis & infirmis auxiliis proficiſci in *Lithuaniam* non dubitauit, quamuis inter *Lithuanos* plures noſſet fidei fluxæ & ambiguæ. Milites voluntarios nongentis ſane pauciores, B ſecum ducit, exercitatos tamen, & ſtrenuitate roboreque præſtantes. Et caſtro *Kamyeniecz* facili impugnatione conquiſito, & *Zuidramo* de *Maſchkowicze* militi tradito, ad *Grodno* in Quadrageſimæ principio peruenit; & ſuperato fluuio *Nyemyen*, obſidione caſtrum vallauit. Cui obſidionem huiuſmodi per omnem Quadrageſimam continuanti, fratres ſui *Skyrgiello*, *Wlodimirus*, & alii, *Lithuanicas* & *Ruthenicas* copias in auxilium miſerant. Dux *Coributh Nouogrodenſis*, vnus ex germanis regiis, de *Græcorum* ritu perſonaliter adueniens, plures tam armis quam equis inſignes milites, quam aliqui *Lithuaniæ* Principum viſus eſt adduxiſſe. C Non ignarus autem *Withawdus* Dux, caſtrum *Grodno* diuturnam obſidionem ferre non poſſe, liberationem obſeſſis præſtiturus, cum Cruciferis de *Pruſſia*, & eorum exercitu aduenit. Caſtriſque e regione caſtri *Grodno*, ex altera fluminis *Nyemyen* parte, poſitis, collem ex terra congerere, & in illo arcem erigere nouam, nitebatur. Is autem labor irritus fuit, neque obſeſſis vllum afferebat lenimen, qui & per expugnationem inferioris caſtri, per regios milites factam, & ex continua bombardarum proiectione plures numero in caſtro ſuperiori uiolati & mortui, in pauorem & deſperationem verſi, non ſe diutius obſidionem toleraturos *Withawdo* nunciabant. Qua re *Withawdus* D & Cruciferi permoti, catenam ferream per fluuium *Nyemien* diſtendunt, ad id vnum peragendum, dum principale nequirent exequi, ſoliciti, quatenus adminiculo catenæ huiuſmodi, locatis per amnem nauibus, quas catenæ alligauerant, vulneratos & ægros ex caſtro ad ſe transferrent, & nouos atque recentes cum victualibus, quæ & ipſi obſeſſis defecerant, ſurrogarent. Sed & ea *Withawdi* & Cruciferorum prouida machinatio, a regio exercitu damnata eſt. Milites ſiquidem *Polonici*, ſalubri vſi conſilio, arboribus altis & ſpiſſis de pino, cum ipſis radicibus atque ramis in notabili numero; in ſuperiori parte fluminis ſuccisis, eas in flumen proiiciunt. Quæ ſua mole, & fluminis rapacitate, verſus caſtrum celeriter appulſæ, catenam rumpunt, naues quoque nonnullas obterunt, aliquas cum hominibus partis hoſtilis in eis conſiſtentibus, & contra vim arborum luctantibus, ſubmergunt. E quorum numero vnus imminentis mortis, ne ab vndis ſuffocaretur, periculum euitaturus, in ripam regiorum caſtrorum tranabat. Qui a pluribus de Cruciferorum exercitu in *Almanico*, vt ſe potius mergi & mori fineret, quam ad caſtra hoſtilia veniret, alta & ſedula inclamatione monebatur: Vno tamen ex militibus *Poloniæ*, *Zauiſſio* de *Roskow*, lanceam ſibi porrigente euadens, ſuorum omnem poſitionem, & ipſos nocte inſequenti, ſtationibus deſertis, fugituros, patefecit. Quæ quidem fuga, quemadmodum fugitiuus prodiderat, ſecuta eſt. Omni autem ſpe obſeſſi amiſſa, quinto feſti Paſchæ die, caſtrum *Wladiſlao* Regi dedunt. In ea autem obſidione, tanta obſidentes *Poloni*, *Lithuani*, & *Rutheni* milites premebantur vexabanturque fame, vt nonniſi groſſo & atro panis edulio ſe ipſos, equos vero foliis & frondibus arborum, aut veteri palea ex domorum tuguriis detracta, & vix in quatuordecem miliaribus reperta, reficerent. 1390

Sub abſentia Wladiſlai Regis Heduigis Reginæ collecto exercitu in Ruſſiam, proficiſcitur,

Lithuanica expeditione *Wladiſlao Poloniæ* Rege occupato, Illuſtriſſima conſors eius *Heduigis Poloniæ* Regina, Regni *Poloniæ* profectibus prouiſura, congregato ex Baronibus & militibus *Poloniæ* altero exercitu, in *Ruſſiæ* terras proceſſit. Cuius tanta erat apud milites affectio & charitas, vt omnes illi iuxta ac viro parerent, & ſingula quæ iubebat, obedienter exequerentur. Sub breui autem tempore caſtrum *Przemiſl*, *Iaroſlaw*, *Grodek*, *Halicz*, *Trabowlia*, ciuitatem *Leopolim* & caſtrum in monte, ac omnia alia caſtra *Ruſſiæ*, aut militum expugnatione, aut ſpontanea deditione ſub milite *Hungariæ Babek*, cuius fidei & regimini, a parente ſuo *Ludouico Poloniæ* & *Hungariæ* Rege commendata extiterant, conquirit. Et omnibus *Hungaris* atque *Sleſitis*, qui illa de manu *Ludouici* Regis Poloniæ, & *Wladiſlai* Ducis *Oppoliæ* occupauerant, propulſis & eiectis, conquiſita caſtra & dedita Baronibus *Poloniæ* committit, & terras *Ruſſiæ* prædictas perperam, & cum iniuria a Regno *Poloniæ* alienatas, eidem Regno *Poloniæ*, ſempiternum apud *Polonos* pro huiuſmodi heroico opere habitura recordium, reintegrat & reunit.

& Hungaris expulſis, omnem Ruſſiam facile recuperat, per Parentem ſuum alienatam a Regno.

Wladiſlaus Rex cum Heduigi, Regina

Sempiternum memoriale, quo clementia Redemptoris genus *Slauonicum* extulit, & mirifice honorauit, donando illi gratiam ſpecialem, vt omnia ſacra officia, & res diuinæ tam diurnæ quam nocturnæ, ipſa quoque ſacrarum miſſarum arcana, idiomate ipſo poſſent celebrari; quod nemini alteri linguagio, præterquam *Græco*, *Latino*, & *Hebræo* videmus contigiſſe: quorum excellentiæ etiam bonitas diuina *Slauonicum* æquauit; *Wladiſlaus*

1389 *diſlaus* ſecundus *Poloniæ* Rex, cum conſorte ſua *Heduigi* fœmina deuota, & nobiliſſima, volentes etiam in Regnum *Poloniæ* diffundere, & de multiplicibus beneficiis, diuinitus eo anno eis præſtitis, oſtendere erga Deum gratitudinem & munificentiam regalem, incitati exemplari ſimili, quod in ciuitate *Pragenſi* habetur monaſterium *Slauorum* ordinis Sancti *Benedicti*, & ſub eius regulari obſeruantia duraturum, ſub honore & titulo Sanctæ *Crucis*, extra muros *Cracouienſes* in oppido *Cleparz*, non longe a flumine *Rudawa*, ſub Pontificatu *Petri Viſz* Epiſcopi *Cracouienſis*, feria quinta poſt feſtum Sancti *Iacobi* Apoſtoli, fundant, condunt, & dotant, & pulcherrimo muro latericio circuitum Eccleſiæ tam chori quam corporis, opere ſumptuoſo & magnifico deſignant, chorumque eiuſdem Eccleſiæ cum *Sacriſtia* perficiunt, & coſumant, corporis vero fundamenta ſolum iaciunt; quemadmodum vſque in præſentem diem id coram cernere licet. Et domum pro monaſterio ligneam cum horto conſtruunt, fratresque ex monaſterio *Pragenſi* ſumptos ad illam introducunt: dantes eis pro dote quamuis tenui, viginti marcas, ſingulis annis de cenſibus & prouentibus thelonei *Cracouienſis*. A quibus vſque ad mea tempora, & ſub oculis meis Eccleſia illa Sanctæ *Crucis*, & in re diuina, & in matutinis horiſque canonicis, cæteriſque cerimoniis Eccleſiaſticis, ſonoro cantu & lectione in idiomate *Slauonico*, per monachos fratresque Sancti *Benedicti*, officiabatur & adminiſtrabatur. Deliberauerat autem Illuſtriſſimus *Wladislaus Poloniæ* Rex, cum ſua nobiliſſima conſorte *Heduigi*, monaſterio & loco illi dare amplam dotem, quæ triginta monachos, præter alios familiares & ſeruitores, ſuſtentare potuiſſet. Deliberauerat etiam & monaſterium, cum omnibus cellis & officinis ſuis lateritio muro fabricare, ſed interim Regina clariſſima *Heduigis* ſorte fatali abſtracta eſt. Qua obeunte, omnis ardor ad quem illum ſtimulo ſuo Regina *Heduigis* concitabat extinctus eſt, & omne opus vſque in hanc diem, omniſque fabrica Eccleſiæ & monaſterii intermiſſa.

monaſterium Slauorum ordinis S. Benedicti Clepardiæ ſub titulo S. Crucis fundat,

& fratres Praga accerſit, Slauonico idiomate diuina officia celebraturos.

Expugnationem caſtrorum *Brzeſczie* & *Grodno*, *Withawdus* Dux, & Cruciferi, vituri, bellumque *Lithuaniæ* Ducatui illaturi, notabili tam ex propriis quam ex aduenis, inter quos *Lancaſtro* filius primogenitus *Henrici Angliæ* Regis, cum *Anglicis* & *Gallicis* erat militibus, item *Fredericus* Marchio cum pluribus Comitibus *Almaniæ* collecto exercitu, *Lithuaniam* triplici agmine, quorum vnum Magiſter *Pruſſiæ Conradus Valerod* cum forenſibus, *Anglicis* videlicet, & *Almanis* & *Franczigenis*; alterum Magiſter *Liuoniæ*, tertium *Withawdus* Dux, circa feſtum Sancti *Ioannis Baptiſtæ*, ducebant, hoſtiliter introeunt. Et primo apud vetus *Kowno* menſa militari in magna ſolennitate ordinata & exacta, adeuntes oppidum & caſtrum *Troki*, ſuccendunt. Deinde & caſtra *Vilnenſia* graui coarctant obſidione. Ponit autem *Withawdus* Dux ſtatiua ſua & gentium ſuarum, ex *Lithuanis* & *Ruthenis* adunatarum, prope caſtrum curuum, Magiſter *Pruſſiæ* a parte fluuii *Vilna*, verſus *Poloniam* & villam *Ponari* Capituli *Vilnenſis* ſpectante. Magiſter *Liuoniæ* poſt fluuium *Vilna*, verſus villam *Miſcholi*. Nec dum vis aliqua ex caſtris hoſtilibus fieri in obſeſſos cœpta, *Lithuani* & *Rutheni* qui fideles Regi *Wladislao* putabantur, in fauorem *Withawdi* Ducis, & ex eius ſubordinatione *caſtrum curuum Vilnenſe* incendunt. Cuius conflagratio cum ex irruptione hoſtili non poſſet prohiberi, *Caſimirus* alias *Corigal* Dux, frater *Wladislai* Regis *Poloniæ* germanus, ex medio incendio ſugere cœpit, ab hoſtibus tamen, in magna multitudine caſtrum incenſum circumſiſtentibus, viuus capitur, & e veſtigio decollatur: Cuius capite ad altam haſtam hoſtes impoſito, *Polonis* qui ſuperius caſtrum *Vilnenſe* defendebant, ad perterrendum eos, illud oſtendunt. Simulque monent, vt Rege eorum occiſo, ſe & caſtrum illis dedant. Polonis autem, quamuis in *caſtro curuo* per propriorum fraudem prodito, de ſuis *Polonis*, *Lithuanis*, & *Ruthenis*, quatuordecem prope millia vidiſſent, aut flamma voratos eſſe, aut hoſtili gladio cecidiſſe, terrorem huiuſmodi verbis & iactis irridentibus, & aſpernantiibus, continuæ fiebant nocte & interdiu in caſtrum, per bombardarum fulmina, proiectiones, ex quibus caſtrenſes muri ad vnius iactum ſagittæ demoliti, & ſolo æquati ſunt. Capitaneus autem *Vilnenſis* aliquam ſpeciem inſtaurati muri obſidentibus obiecturus, cutes in ea loca ſuſpendi ordinauit, vt laxo cutium ſinu, omnis tormentorum ictus eluſus fruſtraretur. Occiſus tunc eſt in parte Crucifericа *Algardus* Comes de *Hoenſtein*. Fuiſſet autem eadem ſors de caſtro ſuperiori *Vilnenſi*, quæ & de *curuo*, ſecuta, niſi *Poloni* omnia obſeſſorum munera inter ſe partiti, *Lithuanos* & *Ruthenos* propter vehementem ſuſpicionem, ea obire vetuiſſent. Vbi etiam tanta *Polonorum* animoſitas & conſtantia effulſit, vt locum omnem per machinas nudatum & demolitum, in die & nocte ſtando, ad omnia bombardarum tormenta muri loco exponerent, & hoſtes foramine huiuſmodi ad caſtrum ſummis conatibus irrumpere ſatagentes, prohiberent: ſed & in locum interfecti cuiuslibet illico alter viuus ſupergrediebatur. Duabus itaque rebus *Poloni* maxime reſiſtebant, vna exteriorem terra, ſimo, & corrigiis pecorinis obſtruentes pro diruto murum, altera, quod in occiſorum loca ſuccedendo, eruptione etiam ſubita in opera hoſtium & cuſtodias, hoſtes quam infeſtiſſime laceſſebant. Omni enim arte efficacior neceſſitas, non vſitata modo præſidia, ſed & quædam

Vitholdus fretus auxiliis Magiſtri Pruſſiæ, ad quem filius Regis Angliæ cum Gallis venerat, Lithuaniam ingreditur.

1390 *captiſque nonnullis caſtris, caſtrum Vilnenſe obſidet,*

& caſtro curuo capto fratrem Regis Wladislai Caſimirum, alias Corrigal, decollat,

Polonis alia caſtra ſtrenue defendentibus.

1390 dam etiam noua admouit: reficiendo muros pellibus animalium, quæ & miſſilia & tormenta impune exciperent. Propter quod vtriſque magnopere pro victoria adnitentibus, ſub obſidionis tempore, quæ a feſto Sancti *Ioannis Baptiſtæ* vſque ad feriam ſextam poſt feſtum Sancti *Michaelis* durauit, tanta interfectorum ſtrages ab vtraq; parte ſecuta eſt, quod canes domeſtici occiſorum hominum cadaueribus ſaginati, & in lupinam rabiem verſi, obſidione ceſſante, per villas combuſtas & vaſtatas gregatim diſcurrebant, & plures etiam equeſtres mortalium, ſine comitatu pergentes frequenti, ſanguinem humanum lambere aſſuefacti, abſorbebant.

Oppolienſem terram exercitus Venceslai Romanorum & Bohemiæ Regis cædibus & ſpoliis impune vaſtat.

Magno odio atque furore *Venceslaus Romanorum & Bohemiæ* Rex, in *Wladiſlaum* cæteroſque *Oppolienſes* Duces excandeſcens, *Procopium* Marchionem *Morauiæ*, & *Oppauiæ* Duces *Nicolaum* & *Vilhelmum*, ad vaſtandum *Oppolienſes* terras tranſmittit. Qui cum illas in Autumno cum ſuis & a Rege *Venceslao* datis copiis, attigiſſent, Ducibus *Oppolienſibus* in dimicationem non prodeuntibus, illas igne, cædibus, & ſpoliis vaſtant, prædaque onuſti in propria reuertuntur. Ex eo autem tempore clandeſtinis excurſionibus *Oppolienſes* Duces in *Bohemos, Morauos*, & *Oppauienſes* vſi, variis incommodis dominia ipſa (prædonibus & furibus aſſiduo inualeſcentibus, & ſtratas turbantibus) affecerunt.

Oppolienſes vero Duces in Bohemos clam excurrentes, maleficiis anſam præbent.

Barthoſſius deinde de *Odolanow*, & *Venceslaus* de *Huguicz* oppidum *Olſchna* intercipiunt, & terram *Conradi* Ducis *Olſchnicenſis* vaſtatione hoſtili inuadentes, illam diripiunt & incendunt. Inter ciues quoque ciuitatis *Wratislauienſis* diſſidii & ſeditionis pernicies ſerpere cœpit; & Conſularibus inferiores, inferioribus quoque aduerſus Conſulares infeſtis & irritatis animis furentibus, plura prouenere mala. Ciuitatis quoque gloria ex inteſtina colliſione notabiliter diminuta, ſtridoreque bellico apud *maiorem Poloniam* conquieſcente, apud *Sleſiæ* oram oriri cœpit, & pectora non militarium tantummodo, ſed etiam ciuium peruaſit.

Olesſchnicenſis terra vaſtatur.

inter Wratislauienſes quoque inteſtina oritur ſeditio.

Quamuis autem *Nicolaus* de *Moskorzow* Regni *Poloniæ* Vice Cancellarius, caſtrum ſuperius *Vilnenſe*, cum *Polonorum* militibus adminiſtraret, Dux tamen *Skyrgyello* frater germanus regius, ſummæ rerum præerat, & ex caſtris inferioribus, cum *Lithuanis & Ruthenis* imperio ſuo parentibus, magis nocturnis & clandeſtinis, quam diurnis excurſionibus hoſtilem exercitum laceſſendo, pluribus hoſtium cæſis, aut vulneratis, victor aſſidue reuertebatur in caſtra. Qua indignitate *Vithawdus* Dux permotus, Ducem *Narimunth*, qui regias arces tuebatur, in duellando captum, & in arbore *Wiaſcz* per pedes in prato, in quo bombardæ *Pruthenicæ* conſtiterant, ſuſpenſum, ſagittis *Lithuanorum*, *Ruthenorum* & *Tartarorum* in eum iactis, crudelius quam vtriuſque conueniebat conditioni, enecauit, 1390

Skyrgiello Dux Wladislai Regis frater ex caſtro ſuperiore Vilnenſi noctis excurſionibus laceſſit exercitum Vitholdi. Vnde Narimunth Ducem captum in duello Vitholdus ſuſpenſum ſagittis conficit.

A Cuius vxorem *Iulianam* ſororem germanam *Annæ* conſortis *Withawdi* Ducis, *Moniuid Lithuanus* proceſſu temporis in vxorem habuerat. Sed & *Totiuil* Dux, *Withawdi* germanus, bombarda ex caſtro ictus ſubito interiit, & apud *Vilnenſem* Eccleſiam accepit ſepulturam.

Totiuil etiam frater Vitoldi ex caſtro bombarda ictus interficitur.

Obſidione autem durante, crebræ inter partes vtraſque altercationes & improperia ſuccreſcebant, *Polonos Francigenis* criminantibus, quod barbaris contra fideles opem ferrent. *Polonis* refellentibus, ſancte & pie agere, dum neophytos in fidei fauorem defenſarent, contra peruerſos religioſos. Conuentumque fuit inter B vtroſque, vt tam *Poloni* quam *Francigenæ*, ad probandam ſuæ actionis iuſtitiam, in curia *Venceslai*, ea tempeſtate *Romanorum & Bohemiæ* Regis, in æquo quaternarii numero, militarem pugnam & duellum pro die certa *Pragæ* inirent. Qua adueniente, ab vtriſque pacto paritum. E quatuor militibus pro parte *Wladislai* Regis, videlicet *Ioanne* de *Wloſczezowo* Caſtellano *Dobrzinenſi*, *Nicolao* de *Vaſchmunthow*, *Ioanne* de *Zdakow*, & *Iaroslao Bohemo*. Pro parte vero *Francigenarum*, aliis quatuor militibus *Pragæ* comparentibus, in hortum ferarum, ad experiendam palæſtram & vim fortunæ itum eſt. Verum *Venceslao Romanorum & Bohemiæ* Rege mandante, C *Poloni* milites, per *Ioannem* Ducem *Lucemburgenſem* germanum *Venceslai* Regis, *Galli* vero per *Iodocum* Marchionem *Morauiæ*, a congreſſu ameti & retracti. Et *Polono Gallum*, *Gallo Polonum* aſſociante, ad menſam regiam perducti, primum opipare tractati, poſt etiam per *Venceslaum* Regem, velut mediatorem, reconciliati, & ad pacem reducti ſunt.

Et Galli cum Polonis de militia certaturi, quatuor & quatuor in Bohemiam ad Regem vadunt.

Verum Rege duellum non permittente reconciliantur.

Quodam obſidionis tempore *Polonis & Lithuanis* prandio occupatis, hoſtes ex improuiſo ad caſtrum inferius *Vilno*, in quo eſt Sancti *Stanislai* Cathedralis Eccleſia ſita, in eam partem, in qua nunc domus Epiſcopalis locata eſt, irruerant; iamque muro con-D ſcenſo, velut triumpho potiti, unus ex militibus *Pruſſiæ*, qui murum occupauerant, clamabat **Kather her Kather**: ſed e ueſtigio ab uno militum *Poloniæ* ex muro præcipitatus, audaciæ & inſaniæ ſuæ pœnas dedit. Sed & cæteri hoſtes ſuo exemplo, aut deterriti, aut *Polonorum* brachio ex muro deiecti ſunt. Videns autem *Withawdus* Dux & Cruciferi, conatus ſuos & ſpes conceptas non ſuccedere, ſed uerti in irritum, feria ſexta poſt octauam Sancti *Michaelis*, Catholicorum Eccleſiis nouiter per *Wladislaum* Regem extructis, crematis, paruulis & lactentibus ad palos confoſſis, uariaque & crudeli patrata ultione, obſidione ſoluta, plurimis etiam ſuis deſideratis, in *Pruſſiam* reuertuntur, *Withawdo*que Duci, a Magiſtro & Ordine petenti auxilia

Ab obſidione caſtri Vilnenſis Withawdus Dux & Cruciferi magna uſi crudelitate diſcedunt, & Pruſſiam reuertuntur. Indeque Wi-

1390

[Wi]thawdus auxilio Cruciferorum crebras excurſiones in Lithuanos agit,

xilia (nouerat enim ſuas vires infirmas) *Ioannes Rapentein* Commendator de *Ragnetha*, & *Conradus* de *Liechtenſtein*, Præfectus de *Inſterburg*, cum pluribus *Almanicis* & peregrinis militibus, adiuncti ſunt. Quorum fretus auxilio, crebras in terras *Lithuaniæ* & *Samogithiæ* faciebat excurſiones, captiuando & occidendo vtriusque ſexûs homines, exurendo uicos, & ſpolia patrando plurima.

Wladislaus Rex in Lithuaniam veniens animos Lithuanorum afflictos ac pene deſperantes reficit. Cumque Nicolaus de Moſkorzow R. P. Vice-Cancellarius Capitaneatum Vilnenſem ob crudelitatem hoſtium & tyrannidem Skyrgiellonis Ducis, perfidiamque nonnullorum reſignaret, nullusque Polonorum in locum eius ſuccedere vellet, Iaſchkonem de Oleſchnicza Capitaneum Vilnenſem denunciat.

Calamitati & deſolationi *Lithuaniæ*, a *Withawdo* Duce, & Cruciferis infectæ, *Wladislaus Polonorum* Rex ſuccurſurus, in menſe Nouembre, ducens ſecum armorum, bombardarum, baliſtarum, ſagittarum, pannorum, ueſtimentorum, & victualium in quadrigis magnam molem, in *Lithuaniam* peruenit, & res *Lithuanicas* afflictas, & pene exangues, ſuo aduentu, ſuisque largitionibus & liberalitate erexit, & tam *Lithuanos* quam *Ruthenos* in deſperationem ſpectantes, in fide firmauit. *Vilnenſem* autem & *Lithuaniæ* Capitaneatum, *Nicolao* de *Moskorzow* Regni *Poloniæ* Vicecancellario, genere *Pilaua*, Regi reſignante, dum neque ipſe ad continuandum, nec quiſquam ex Polonis miles, ad ſuſcipiendum illius regimen (ſingulis qui ad id ſollicitabantur, potentiam & crudelitatem hoſtium, propriorum verò tradimenta & perfidiam, Ducis inſuper *Skyrgiellonis* germani Regis tyrannidem, metientibus) poſſet induci, *Iaſchko* miles de *Oleſchnicza*, generis quod *Dabno* dicitur, a Rege precibus conuictus, Capitaneatum *Vilnenſem*, & totius *Lithuaniæ* ſuſcepit. Quem ut liberius ſolertiusque gerere poſſet, Dux *Skyrgiello* ad regendam *Kiiouiam* transfertur, & *Wladislaus* Rex in *Poloniam* reuerſus, præfato *Iaſchkoni* de *Oleſchnicza* Capitaneo *Lithuaniæ*, notabiles Barones & milites Regni *Poloniæ*, nouasque gentes, in ſupplementum eorum, qui aut ceciderant, aut in *Poloniam* abierant, item machinas & victualia, in defenſionem & fulcimentum caſtrorum transmittit.

1361

Withawdus Dux Lithuaniam cum magno exercitu veniens

Nouo & forti *Withawdus* Dux, & *Pruſſiæ* Magiſter inſtaurato comparatoque exercitu, primo æſtatis tempore in *Lithuaniam* reuertuntur, & ad caſtra *Vilnenſia*, quæ ſuperiori anno circumſidere & expugnare cœperant, properant, rati ea *Lithuanorum* & *Ruthenorum* tradimento, quod dum *Withawdus* confecerat, facile, & ſine quolibet ſuorum diſcrimine, capturos. Capitaneus autem *Lithuanicus Iaſchko* de *Oleſchnicza*, ſolerti vſus induſtriâ, *Vilnenſi* ciuitate, ne hoſti venienti fieret adiumento & receptaculo, concremata, circulationes ex roboribus, quæ *Schranki* ſeu *Kobilyenie* appellantur, in pluribus locis, quo facilius hoſtes a caſtris arceri poſſent, diſponit. Venienti autem Duci *Withawdo* & *Pruſſiæ* Magiſtro, ac eorum exercitui, agmen ex militibus collectum, pedeſtri itinere vſque ad Eccleſiam Sanctæ *Mariæ* occurrens, in exercitum hoſtilem inſilit. Et pluribus hoſtium ſtratis aut vulneratis nullo ex ſuis capto aut de-

1391

A ſiderato, in arces incolume reuerſum eſt.

fruſtra Vilnenſe caſtrum obſidet,

Intelligens *Withawdus* Dux, & *Pruſſiæ* Magiſter, per *Skyrgiellonis* Ducis deſtitutionem, conſlatam ab eo, in dedendis aut ſuccendendis caſtris per *Lithuanos* & *Ruthenos*, oppido *Skyrgielloni* infeſtos, fraudem nullo pacto, quemadmodum ſperauerant, ſed neque violentam expugnationem, propter frequens & ſtabile militum *Polonorum* præſidium, prouenturam, paucis diebus in obſidione exactis, obſidionem ſoluunt. Motisque caſtris, ne tantus exercitus non aliquid memorabile egiſſe videretur, ad *Vilkomiriam* & *Nowogrodek* caſtra, ſupra flumen *Vilia Skyrgiellone* Duce conſtructa, ire pergunt. Quæ infra dies B paucos, *Polonis*, qui in præſidio erant, necquicquam reſiſtere hoſtili potentiæ valentibus impugnant & conquirunt. Vbi pluribus occiſis, *Clemens Birowo*, *Joannes Loſz*, *Ziemia*, & alii plures *Polonici* milites capti, & in *Pruſſiam* deducti, apud caſtrum *Elbiag* fœdam captiuitatem integro ſeptennio perpeſſi ſunt. Caſtris autem præfatis *Wilkomiria* & *Nowogrodek* incenſis & demolitis, Magiſter *Pruſſiæ* & Dux *Withawdus*, in *Pruſſiam* diuertunt.

Volkomiriam & Nowogrodek, aliquot Polonis captis comburit.

Sub eiusdem quoque anni tempore, *Withawdus* Dux cum Cruciferorum gentibus, quas ducebat *Marguardus* Crucifer, bis *Lithuaniam* inuadens, *Myedniki* & *Velſzam* combuſſit, captiuos cum ſpoliis abducens.

Withawdus, Dux cum Magiſtro Pruſſiæ tria caſtra, Naugarder, videlicet, Ritteruerder Metemburg ſupra fluuium Nyemen ædificat

C Æſtiuali expeditione *Withawdus* Dux & *Conradus de Valerode* Magiſter *Pruſſiæ* quam in *Lithuaniam* exercuerunt, parum proſpera fortuna vſi, alteram hyemis tempore ſuſcipiunt, & ad caſtrum vſque *Kowno*, in quo regium præſidium erat progreſſi, tria caſtra in circuitu caſtri *Kowno*, ſingula ſupra flumen *Nyemyen*, de lignis erigunt: nomen vni quod vicinum erat caſtro *Kowno*, *Naugarder*, quod ſonat *noua Inſula*; a ſecundo *Ritteruerder*, quod ſonat *militum Inſulâ*, tertio *Metemburg*, quod ſonat *caſtrum metarum*, imponunt. Et duobus quidem caſtris nouis, videlicet *Naugarder*, & *Metemburg*, *Pruſſiæ* Magiſter, fortiſſimi militum præſidio impoſito, illa per Commen- D datores & fratres ſui ordinis adminiſtrabat. Caſtrum vero *Ritteruerder*, Dux *Withawdus* in ſuam ditionem & ſortem accipiens, & in illud ſe, cum Ducibus, Boiaris, militibus, qui ſuas partes ſequebantur, recolligens, frequentibus & clandeſtinis inuaſionibus, Cruciferis illi ex duobus caſtris ferentibus auxilia, terras *Lithuaniæ* (ratus eas eo hoſtilitatis genere quæſiturum, aut ſaltem ſortem ſui patrimonii per *Wladislaum Poloniæ* Regem ademptam recuperaturum) aſſiduis ſpoliis & incendiis laceſſebat. Cuius inſolentiam *Iaſchko* de *Oleſchnicza* Capitaneus *Lithuanicus* repreſſurus, collecto ex *Polonis*, *Lithuanis*, *Ruthenis* exercitu aliquali, præficiens illi in Capitaneum

Alexan-

1391

& Alexander Dux, frater Regis Wladiſlai Naugarder caſtrum, quod Withawdus tenebat, fortiſſime impugnat, re tamen infecta abit.

Alexandrum, alias *Viguntb* Ducem, Regis *Poloniæ* germanum, ad obſidendum caſtrum eius tranſmittit. Qui illuc nondum ſoluta acie A perueniens, adeo conſtanter & fortiter illud expugnare adorſus eſt, vt parum aberat, quod ex planctu ac vlulatu virorum & mulierum in caſtro commorantium, imminens periculum deſſentium ſignificabatur, quin caperetur. Multitudine tamen defenſorum abundante, ægre (quod & Dux *Withawdus* poſtea fatebatur) ea vice defenſum eſt.

Mortuo Plocenſi Epiſcopo

Stiborius primus *Plocenſis* Epiſcopus, cum *Plocenſem* Eccleſiam annis decem & nouem gubernaſſet, infirmatus, moritur & in *Plocenſi* Eccleſia ſepelitur. Poſt cuius mortem Capitulares *Plocenſes* vigeſima prima Februarii agentes comitia, a *Semouito* & *Ianuſſio* Ducibus B *Maſouiæ* interpellati, *Henricum* filium *Semouiti* ſenioris mortui, & germanum *Semouiti* viuentis iunioris Ducis *Maſouiæ* in Epiſcopum eligunt, in Subdiaconatus ordine conſtitutum. Cuius electio etſi per *Bonifacium XI.* fuerit confirmata, ipſe tamen Statum Pontificalem lcuipendens, biennio ſe diſtulit conſecrari: & interim ſecrete a *Wladiſlao Poloniæ* Rege, ad *Withawdum* in *Pruſſia* exulantem, & in caſtro *Ritteruerder* prope *Kowno* agentem, deſtinatus, reconciliatione inter Regem & Ducem confecta, germanam *Withawdi*, *Ringalam*, ſtatu ſuo pelſundato, vxorem accipit, nuptiasque ex more celebrat. Poſt paucos deinde C dies, veneno toxicatus, interiit. De cuius morte, noua inſimulabatur ſponſa *Ringala*; & apud *Plocenſem* Eccleſiam inter Duces *Maſouiæ* tumulatus; documento non inuitæ præuaricationis & ſpretæ religionis futurus.

Henricus filius olim Semouiti Maſouiæ Ducis in Ep. eligitur. Qui obtenta confirmatione conſecrationem neglexit, & Subdiaconus exiſtens, vxorem duxit. Cum qua paucis diebus viuens tandem veneno interiit.

Wladiſlaus Rex Lithuaniam milite & victualibus prouidere cogebatur ex Polonia, donec guerra inter eum & Ducem Withawdū componeretur,

Neceſſe autem habebat *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, pro omni tempore, quo inter eum & Ducem *Withawdum* guerra durauit, pro conſeruatione & ſubſiſtentia terrarum *Lithuaniæ* & *Ruſſiæ*, caſtrorumque & munitionum illarum, & omnium perſonarum ſexus vtriusque tam nobilium quam agreſtium, non propugnacula tantummodo, milites, & arma; ſed & frumenti, lardi, pecoris, milii, cæterorumque victualium, magnam vim, magnumque numerum, menſibus ſingulis, propter vaſtita- D tem & concremationem terræ, quam *Withawdus* Dux, & *Prutbenicus* exercitus induxerat, ex *Polonia* propriis euectionibus in *Lithuaniam* deſtinare: quæ *Iaſchkonis* de *Oleſchnicza* Capitanei *Lithuanici* prouida induſtria caſtris & perſonis partiebantur. Niſi enim *Wladiſlaus Poloniæ* Rex rem frumentariam prouidiſſet, & victualium in *Lithuaniam* intelliget neceſſitateem deferebatur *Lithuania* & ab agreſtibus, & militaribus, facileque poterat a Cruciferis & inuadi & occupari. Nam neque milites conſiſtere in præſidiis, neque agreſtes agros ſerere, niſi omnibus in commune prouiſum ex *Polonia* foret, potuiſſent; fames enim horrenda perſuaſerat vniuerſos. Qua preſſi, deſerere *Lithuaniam*, nobiles iuxta ac agreſtes firmauerant, niſi illis omni genere victualium, ex Regno *Poloniæ* fuiſſet ſubuentum. 1391

Bohemia per Marchiones Miſnenſes impune populatur.

Marchiones *Miſſnenſes*, exercitu ex propriis & mercenariis militibus collecto, Regnum *Bohemiæ* hoſtiliter inuadunt. Et multis patratis per ignem & ſpolia damnis, nonnullis vero ciuitatibus & oppidis expugnatis, & in ſuum ius ditionemque redactis, *Venceslao Romanorum* & *Bohemiæ* Rege, nullam per ſe aut milites opponente reſiſtentiam, in propria reuertuntur.

Clemente Papa mortuo,

Clemens Papa ſeptimus in ſua obedientia nominatus, tredecim, & ſecundum alios, quindecim, in Pontificatu exactis annis, apud *Auinionem* ciuitatem *Galliarum*, moritur. Poſt cuius mortem, Cardinales ſuæ obedientiæ conclaue ingreſſi, *Petrum de Luna*, tituli Sanctæ *Suſannæ* Presbyterum Cardinalem, in Papam, pro ſua obedientia eligunt, genere *Cathelanum* de Regno *Arragoniæ* ex Baronibus oriundum, breuis ſtaturæ, hominem gracilem, ingenioſum, & ad inueniendum res nouas ſubtilem, quem *Gregorius* vndecimus in Cardinalem promouerat, Iuris Canonici Doctorem peritum. Is autem ante aſſumptionem ſuam in Papatum, in ſingulis legationibus quas apud *Francorum* Regem, & alios Reges & Principes, nomine *Clementis* obibat, in ſingulis inſuper ſuis ſermonibus, verbis, & tractatibus innuebat; quod ſi in locum *Clementis* ſuccederet, omnibus modis vnionem in Eccleſia DEI procuraret. Propter quod Cardinales *Clementis*, credentes ipſum corde gerere, quod tam frequenter ore depromebat, *Clementi* illum ſurrogarunt. Qui extunc *Benedictus XII.* in ſua obedientia appellatus eſt. Antequam inſuper ad electionem proceſſiſſent, vouerunt DEO, & iuriſiurandi aſtrictione, per ſcriptum manus propriæ, ſe obligarunt, quod ille qui ex eis eligeretur in Papam, ad requiſitionem ipſorum Cardinalium ſuo cederet Papatui, dum tamen & alter Papa iuri ſuo cederet. Omnium tamen promiſſorum & iuramentorum factus immemor, ceſſionem huiusmodi toto vitæ ſuæ tempore facere detrectabat, ſe vnicum & indubitatum Summum Pontificem multis rationibus diſſediſſerens, & chartam obligationis ſuæ manus, quam de cedendo in conclaui ſubſcripſerat, a Cardinalibus exigens. Quæ omnia in ſubſequentibus narrabimus.

Petrus de Luna,

alias Benedictus XII. eligitur.

1392

Alexander frater Wladiſlai Regis veneno necatus obiit:

Ferro & armis, immanæ & hoſtili tam machinationi quam ambitioni, parum reſpondente, latentibus inſidiis in Principum *Lithuaniæ* fratrum *Wladiſlai Poloniæ* Regis capita ſæuitum eſt. In huius quoque anni principio, *Alexander* Dux, qui & *Viguntb*, veneno, quod proprii familiares *Lithuani* cibo miſcuerant, in corpus graſſante, extinctus, & in *Vilnenſi* Eccleſia ſub vno manſeolo, cum corpore germani ſui *Caſimiri* alias *Korigal*, a *Witha-*

1392

vir Catholicus & virtuoſus, ipſique Regi charus

wdo & Cruciferis capite truncati, ſepultus. Qui poſt regenerationis lauacrum in *Cracouienſi* Eccleſia ſuſceptum, adeo ſingulos barbaros, & patrios geſtus & mores, in habitu, loquela, tonſura, & omni conuerſatione a ſe relegauerat, totumque ſe *Polonorum* moribus ſanctis & religioſis addixerat, vt non neophytus aut tiro, ſed veteraneus fidei & religionis Catholicæ miles, crederetur. Neque moribus tantummodo, ſed intellectu, ſactiuitate, induſtriaque inter *Lithuaniæ* Principes vegetior cenſebatur. De cuius morte Dux *Withawdus* a pluribus inſimulatus eſt, & propter mores ſuos & prudentiam, quæ quandoque ſuæ credidit obſtare amplitudini, veneno illum (falſene an vere, incertum eſt) vulgatus erat ſuſtuliſſe. Matrimonium filiæ *Wladislai Opolienſis* Ducis, & ex donatione *Wladislai Poloniæ* Regis (qui illum tenerrimo proſequebatur affectu) *Bidgoſtiam* & *Iuniuladislauiam*, cæteraſque poſſeſſiones & introitus in Regno *Poloniæ* ſortitus, nullam prolem reliquit, Princeps nobilis, & inter regios fratres probitate modeſtiaque conſpicuus.

Wladislaus Rex,

Vitholdo Duci

per Henricũ Electum Plocenſem Maſouiæ Ducem

& poſtea generum eiuſdem Vitholdi reconciliatus

Germano ex omnibus chariore, Duce *Alexandro Vigunt*, *Wladislaus Poloniæ* Rex orbatus, patriæ primum *Lithuanorum* terræ, cuius ingenti detinebatur amore, ſtatui & quieti, & reliquorum ſuorum germanorum incolumitati, ne & ipſi veneno appeterentur, prouiſurus, *Vithawdum* Ducem ſibi reconciliare, & terrarum *Lithuaniæ* & *Ruſſiæ* gubernacula eidem committere, (cum fratres ſui germani, quod plerique eorum in venationes & ebrietates procliui, ad regendum populos parum idonei putabantur) in animum induxit. Miſſus itaque ſecrete *Henricus Maſouiæ* Dux, qui alias fuerat Eccleſiæ *Plocenſis* electus, & illius introitibus biennio vſus; ſed tandem ſorti Eccleſiaſticæ renuncians, germanam Ducis *Withawdi Ringalam* acceperat in vxorem: reconciliationem inter *Wladislaum Poloniæ* Regem, & Ducem *Withawdum*, velut fidus mediator celebrauit. Hic primum ad Commendatorem *Balga* de *Crisborg* veniens, benigne habitus, in *Ritteruerder* ad *Withawdum* deſtinatus eſt. Et illic tribus manens hebdomadis, & matrimonium cum *Ringala* ſorore *Withawdi* contraxit, & nuptias ex more celebrauit, *Withawdumque Wladislao* Regi conciliauit. *Withawdus* autem Dux, de clementia & reconciliatione *Wladislai* Regis certior factus, Cruciferis & mercatoribus, qui apud illum in caſtro *Ritteruerder* morabantur, comprehenſis & ligatis, cum omnibus Ducibus, Boiaris, familiis, & cuncta ſuppellectili, bombardis, baliſtis, caſtro *Ritteruerder* incenſo, in *Lithuaniam* regreſſus, a *Iaſchkone* de *Oleſchnicza Lithuanico* Capitaneo, qui ſuper hoc mandatum a Rege acceperat, benigne acceptus & habitus eſt. Cognito autem Cruciferi, qui in reliquis duobus caſtris, videlicet *Naugarder* & *Metemburg* morabantur, *Withawdi* diſceſſu, ſibi armati occurrunt. Et certamine inito, cum victi ſuccubuiſſent, *Withawdus* præda potitus, ad caſtra accedens, ex quibus Cruciferi deſcenderant, facile capit, & ſpoliata incendit. Cuius reuerſione *Wladislaus* Rex comperta, circa finem Iulii menſis in *Lithuaniam* profectus eſt. Quo apud *Oſtrow* ſeptima Auguſti agente, Dux *Withawdus*, cum primoribus ſuæ partis illi occurrit. Et frequenti ac lugubri prece, lachrymis etiam obortis, humiliter ſibi & ſuis omnibus deprecabatur ignoſci. *Wladislao* autem Rege, plenam tribuente de tranſgreſſionibus ſuis veniam, *Vilnam* itum eſt; vbi *Iaſchkone* de *Oleſchnicza* ex Capitaneatu *Lithuanico* amoto, *Withawdo* Duci illius demandat regimen. Et non ſolum ſortem illi paternam & caſtra adempta reſtituit, ſed & vniuerſorum caſtrorum *Lithuaniæ* & *Ruſſiæ*, & adminiſtrationem plenariam terrarum prædictarum ſuæ tradidit ditioni; obligante ſe Duce *Withawdo* tam iureiurando quam publicis literis, terras præfatas pro Rege & Regno *Poloniæ* fideliter tenere, & Reges atque Regnum *Poloniæ* nunquam deſerere in proſperis & aduerſis. Nouerat ſiquidem *Wladislaus Poloniæ* Rex, ex priſco & vetuſto contubernio cum Duce *Withawdo* in adoleſcentia habito, Ducem *Withawdum* virum ſolertis & tractabilis ingenii fore, neque alium ad regendum *Lithuaniam*, & ad inſtaurandas eius ruinas & deſolationes, ex ſuperioribus guerris cauſatas meliorem. Quapropter illum, quatuor ſuis germanis, qui ſupererant, videlicet *Skyrgiellone*, *Coributh*, *Lubard*, & *Swidrigello*, neglectis, terræ *Lithuaniæ* Rectorem præfecit. Neque Regem *Wladislaum* ſpes feſellit. Sub breui enim tempore, *Vithawdi* Ducis prouidentia & opera, terræ *Lithuanicæ* inſtauratio notabilis ſecuta eſt. Feracior proventura, niſi *Boleslaus Swidrigello* germanus regius liuore maligno, quod ſibi prælatum videret *Withawdum* ad Cruciferos perfugiſſet. Quorum adiutus ſuffragio, bello renouato, *Lithuaniam* laceſſebat.

1392

ipſum Cruciferos fundentem recurſũ ſibi in Lithuaniam impedientes, & tria caſtra Cruciferorũ comburentẽ

toti Lithuaniæ, præficit, amoto inde Iaſchkone de Oleſchnicza, Capitaneo Lithuaniæ,

& fratribus germanis neglectis.

Prutheni in Lithuaniam duplici expeditione graſſantur, atque aliquot caſtra conquirunt.

Acerbe ferentes Cruciferi *Withawdi* Ducis diſceſſum & trium ſuccenſionem caſtrorum, cum magna multitudine tam aduenarum militum quam propriorum, ſub Ducatu *Engelchardi Raue* Marſchalci, in caſtrum *Ioannis* perueniunt. Vbi menſa militari ad honorem exterorum militum poſita atque tenta, in caſtrum *Lithuanicum Schuraſz* perueniunt. Et pugna conſerta cum *Lithuanis*, qui ex caſtro ad duellandum deſcenderant, plures occidunt, caſtrumque per deditionem accipiunt. Paruumque abfuit quin *Henricus Maſouiæ* Dux gener *Withawdi* in eo caperetur, niſi ſibi per fugam tempeſtiue conſuluiſſet. Faciunt & aliam in hieme incurſionem, abundante forenſium

1392 ſium militum multitudine, ſub ductu *Verneri Thetingar*, & duo caſtra ſub *Lithuanis*, videlicet *Barthen* & *Stramel* conquirunt. Et aliquibus per inuidiam occiſis, tria captiuorum millia in *Pruſſiam* de ſexu vtroque abducunt.

Ioanne Epiſc. Cracouienſi mortuo,

Duodecima Ianuarii, *Ioannes Cracouienſis* Epiſcopus, appellatus minor ob breuitatem ſtaturæ, *Cracouiæ* moritur, & in Capella Manſionariorum *Cracouienſis* Eccleſiæ in angulo, dum annos decem in Pontificatu exegiſſet, ſepultus. Vir manſuetus, virtuoſus, patiens, & modeſtus. Quamuis autem Capitulum *Cracouienſe* electione celebrata *Setegium* de *Chmielik* Cantorem *Viſlicienſem* & Canonicum *Cracouienſem* de domo *Roſe*, canonice elegiſſet, ad interceſſionem tamen *Wladiſlai Poloniæ* Regis, *Heduigi Poloniæ* Regina operante *Petrus Viſch* de *Radolina* Decretorum Doctor, Præpoſitus *Wladiſlauienſis*, & eiuſdem *Heduigis* Reginæ Cancellarius, nobilis de domo *Aceruorum*, cum præfati *Setegii* electi iniuria, per *Bonifacium* nonum ſuffectus eſt.

per Capitulum electus eſt Setegius de Chmielik. Quo poſtea reiecto ad Regiam interceſſionem Petrus Viſch eligitur.

Die Solis XXVIII Octobris, *Iacobus* de *Halicienſi* Eccleſia prouiſus, in Eccleſia *Tarnouienſi*, per *Matthiam Przemislienſem* Epiſcopum, in Archiepiſcopum *Halicienſem* benedicitur & conſecratur.

Bonifacius Papa IX. Epiſcopatum Plocenſem per contractum matrimonium ab Henrico Maſouiæ Duce vacantem ſuo confert affini. Verum poſſeſſione illius non eſt potitus,

Intelligens *Bonifacius* Papa IX, per geminatam cauſam, contractum videlicet matrimonii, & deinde per mortem *Henrici Maſouiæ* Ducis, & confirmati *Plocenſis*; videns quoque capitulares *Plocenſes* in electione tardos & negligentes eſſe, omnem prouiſionem dictæ Eccleſiæ a ſe recidiſſe ratus *Mamphiolum* conſanguineum ſuum, natione *Italum*, genere nobilem *Romanum* præficit in *Plocenſem* Epiſcopum. Et quamuis primum literis fauorabilibus, deinde formidabilibus cenſuris, pro habenda poſſeſſione apud Duces *Maſouiæ*, & Capitulum *Plocenſe* inſtitiſſet, omnes tamen conatus ſui, & ſciſmate & vilitate cenſurarum elidebantur. Geſſit tamen ſe conſecratione *Romæ* ſuſcepta, *Plocenſem* Epiſcopum quadriennio. Sub quo vita functus in monaſterio ad *Aram cæli* ſepelitur.

1393 *Diſcordiis ortis inter fratres patrueles Vuboldum & Skygiellonem Duces,*

Externo & fugitiuo hoſte *Boleſlao Swidrigello* ſedato, alius internus & domeſticus, eo pernicioſior, quo ingenio, manu, & lingua promptior *Skyrgello* Dux, germanus *Wladiſlai Poloniæ* Regis, contra *Alexandrum* alias *Withawdum Lithuaniæ* Ducem, acceſſit. Qui *Withawdi* ad regimen & gubernationem terrarum *Lithuaniæ* & *Ruſſiæ* inſtitutionem, grauiter & iniquo animo, ſe neglecto ferens, plures in *Withawdum* rixas & contumelias militum ſibi fauentium ſubornabat. Iamque eo rixarum proceſſum erat, vt ad notoriam ſeditionem ſpectare inter Duces diſcordiæ viderentur. Quo malo *Wladiſlaus Poloniæ* Rex cognito, cum *Heduigi* Regina in *Lithuaniam* itinere veloci peruenit. Sub quorum præſentia, dum ab vtroq; contendentium Ducum, verbis variis & quæſtionibus, feria ſexta poſt A feſtum Sancti *Michaelis* certatum eſt, dum appareret *Skyrgiellonis* Ducis cauſam & querelam in *Alexandrum* alias *Withawdum* parum iuſtam fore, opera Regis & Reginæ, lis eorum execranda, in perniciem cæterorum, ni celeriter opprimeretur, redundatura, ſublata eſt. Et Duces præfati omnis indignationis nubilo vtrinque remiſſo, ad charitatis fraternæ vinculum reducti & reconciliati. Et quo plenius ingentis iræ & ſpiritus Princeps *Skyrgiello* miteſceret, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex ad *Kiiouienſem* Ducatum, etiam illi *Krzemieniecz*, *Starodub*, & *Stare Troki* adiecit in Tenutam. Mandans vt *Alexandro* alias *Withawdo* Duci in ſingulis pareat. B Conuentum autem erat, vtroque probante, vt ſi nouæ ſimultates, rixæ, & odia inter illos, orirentur, ad *Heduigim Poloniæ* Reginam, quam ſibi vterque in arbitrum communem elegerat, pro decidendis quæſtionibus exorituris, quod & patentibus literis firmatum extitit, haberetur recurſus.

Wladiſlaus Rex cum Heduigi Regina in Lithuaniam profecti 1393 *illas componunt.*

Ducatu Kiiouienſi Skyrgielloni conceſſo.

Duodecima die menſis Februarii, *Eliſabeth Romanorum* Imperatrix & *Bohemiæ* Regina, *Caroli* Imperatoris relicta, filia *Boguslai Stolpenſis* Ducis, & neptis ex filia *Caſimiri Poloniæ* Regis, & genitrix *Sigiſmundi Hungariæ* Regis moritur, & in Eccleſia *Pragenſi* ſepelitur.

Romanorum Imperatrix, neptis Caſimiri Regis moritur.

Venceslaus Romanorum & *Bohemiæ* Rex, C ſuggeſtione & ſuaſionibus Baronum ſuorum *Bohemiæ*, inſtigatus & adductus, fratres Cruciferos ſanctæ *Mariæ*, *Teutonicorum* Ordinis cum nigra Cruce, de vniuerſo Regno ſuo *Bohemiæ*, aſſerens eos inutiles fore, ex omnibus eorum domibus & monaſteriis eiicit, eliminat, & expellit, & bona temporalia, caſtraque *Kaden*, ciuitates, villas, & quoslibet introitus eis aufert, & aut fiſco regio adiungit, aut inter Barones *Bohemicos* diſtribuit. Poſtea tamen aliqua illis reſtituit.

Cruciferi de regno Bohemiæ pelluntur, & omnibus priuantur bonis.

Demolitione caſtri *Lithuanici Barthen*, ſuperiori anno per Cruciferos de *Pruſſia* facta, *Lithuaniæ* Dux *Withawdus* miſſis frequentibus copiis & artificibus, inſtaurat. Quo cognito exercitus Crucifericus, per Magiſtrum D *Pruſſiæ* externis plenus militibus, expeditus, ſub ductu *Verneri Thetingar* Marſchalci, aduenit. Et ſuperato cum maxima difficultate fluuio *Memel*, pluribusque notabilibus illic per aquarum voragines amiſſis, caſtrum *Barthen* conquirit, & illius munitiones incendit. Reſumpſit poſthæc præfatus Marſchalcus ſuum in *Lithuaniam* viagium, habens in ſuo comitatu Dominum de *Virtemburg*, & plures alios *Francigenas* & *Almanos*. Et fluuio *Memel* nauibus ſuperato, terram *Samogitharum* diebus aliquot cædibus & ſpoliis vaſtant, & quadringentas animas in captiuitatem abducunt

Reintegratum caſtrum Barthen per Lithuanos, iterum Cruciferi exurunt.

Conradus Vallerode Pruſſiæ magiſter moritur.

1393 ritur. Cui *Conradus* de *Iungen* ſuccedit, concorditer electus.

Wladislaus Poloniæ Rex

Wladislaus ſecundus *Poloniæ* Rex, poſſeſſionem Regni *Poloniæ* adeptus, quamuis donationes ſingulas, decreta, & actus *Wladislai Oppolienſis* Ducis, quas in Regno *Poloniæ*, proprietatem *Vielunenſem*, *Oſtrzeſchouienſem* & *Dobrzinenſem* terrarum nactus, faciebat, exoſas haberet, fundationem tamen monaſterii *Czaſtochouienſis* ab eo fundati & dotati, reſcindere noluit, ſed illud de nouo vigeſima ſecunda Februarii & fundauit & dotauit. Et reſcindens dotem incertam & languidam, quam illi *Wladislaus* Dux *Oppolienſis*, in decimis frumentorum, braſeorum, theloneorum, & mellis conſignauerat, dotem certam, villas videlicet regias, antiquam *Czaſtochowa*, *Krowodrza*, *Grabowa*, *Scharleiowska*, *Elgotha*, item angulum mellificiorum villæ *Zakrzow* vocatum *Ianiska*, item ferrificium, piſcinam, & prædium monaſterio donat perpetua & irreuocabili donatione. Vigeſima inſuper Februarii, fundationem monaſterii Sancti *Nicolai*, extra muros *Vielunenſes* Ordinis S. *Pauli* innouat, & villam Regiam *Derſili* in terra *Vielunenſi*, & decimas frumentorum in villis *Trabaczow*, *Ianuſzowa*, *Nowiska*, *Sczity*, item duas vrnas mellis in villa regia *Sokolniki* illi donat.

fundatum monaſterium Czaſtochouienſe & Vielunenſe auget dote ampliore,

conſignans prædia atque villas

Wladislaus Rex muros caſtri Cracouienſis altius erigit & auget cenſum Burgrabiis.

Humilitatem murorum arcis *Cracouienſis*, moleſte ferens, *Poloniæ* Rex *Wladislaus* ſecundus mœnia eorum coctili muro in altum erexit. Burgrabiis quoque Caſtrenſibus, ad ſalarium quinquaginta marcarum, per *Caſimirum* ſecundum ſuum anteceſſorum illis conſignatum decem marcas annui cenſus, ex Zuppis *Vielicenſibus* & *Bochnenſibus*, ſingulis adiecit. Eo tamen pacto, vt quilibet eorum, vnum equum & ſagittarium pro omni tempore *Cracouiæ* teneat, ad quamlibet neceſſitatem, in defenſionem arcis *Cracouienſis* Capitaneum *Cracouienſem* aut eius Vice capitaneum, ad propulſandum & repellendum hoſtilia, illum adiuturus.

Magiſter Pruſſiæ

cum Swidrigiellone Duce vaſtat Lithuaniam.

1394 Diſceſſionem *Alexandri*, alias *Withawdi*, *Lithuaniæ* Ducis, ex caſtro *Naugarder* factam, & Cruciferorum captiuitatem violationemque ſub eodem tempore patratam, Magiſter *Pruſſiæ* *Conradus* de *Iungen*, & Ordo Cruciferorum acerbe ferens, & ſcelus huiusmodi, quod proditorium appellabat, vltum iri ſatagens, cum nouis copiis & expedito milite, habens in ſuo comitatu germanum *Wladislai Poloniæ* Regis, *Boleslaum Swidrigiello*, quem *Lithuanorum* & *Ruthenorum* protugarum non ſpernenda multitudo ſequebatur; item *Francigenas* & *Almanos* plures numero, item Sagittarios de *Geneuel* centum quinquaginta, in *Lithuaniam* circa finem menſis Iulii ingreſſus, eam duplici agmine perуaſtat. Non reperiens autem aliquam reſiſtentiam: neque enim Duci *Withawdo* tantæ vires erant, quibus *Pruthenico* exercitui poſſet ſine diſcrimine euidenti, propter *Lithuanorum* & *Ruthenorum* fidem fluxam reſiſtere; caſtra *Vilnenſia* obſidione cingit, & ad illorum expugnationem magnis, ſed ad irritum recidentibus, conatibus, bimeſtri ſpatio vtebatur. Obſederat autem *Withawdus* Dux omnia itinera ſilueſtria, ex iniquis locis, facilius exercitum Magiſtri oppreſſurus. Quo a captiuis cognito, Magiſter per loca paludinoſa & inuia exercitum traduxit, pontibus ſibi viam ſternens. Vbi ex Boiaris *Lithuaniæ* militem vnum *Sudimunth* intercipiens, per talos in arbore ſuſpenſum necat. Multa autem iumenta, multos equos, a paludibus abſorptos aut illaqueatos, multos denique milites, telis ſtratos, *Lithuanorum* in quolibet loco incumbentium exercitus *Pruthenicus* amiſit. Præmiſerat ſiquidem *Wladislaus Poloniæ* Rex, plures ex *Polonis* exercitatos milites in *Lithuaniam*, auxilia Duci *Withawdo* contra Cruciferos laturos, quos æſtate prædicta conſtabat, *Lithuaniæ* bellum, ſpecie quidem ferendi *Boleslao Swidrigiello* auxilia, reuera autem *Lithuaniam* occupandi, illaturos. Venerant & plures numero voluntarii ex *Polonia* milites, plerique *Polonorum* Barones proprio ære proprias cohortes armatorum miſerant. Qui etſi in congreſſum vniuerſæ dimicationis *Withawdo* (quod de ſuis parum fideret) prohibente, non venirent; hoſtilia tamen caſtra & ſtationes inuadendo, tam frequentes & tam fortes in ea edebant inſultus, vt certamen aſſiduum & particulare, dimicationem vniuerſalem pene æquaret. Reſtabat *Boleslao Swidrigiello* & Magiſtro *Pruſſiæ*, in *Ruthenorum* religioſis, quos in ſuo vulgari *Colayros* appellant, in caſtris obſeſſis obuerſantibus, proditionis vnica ſpes. Hii ſiquidem a *Boleslao Swidrigiello*, ſectæ *Ruthenicæ*, quam maxime fauente, largitionibus & promiſſis onerati, incendendorum caſtrorum curam ſuſceperant. Sed dum hæc quoque ſpes adempta foret, Duce *Withawdo* fraude per vnum ex his *Colayris*, qui illam confecturi erant, detecta, *Colayros* variis pœnis & cruciatibus afficiente, Magiſter *Pruſſiæ* obſidionem ſoluens, in *Pruſſiam* vna ſimul cum *Boleslao Swidrigiello* rediit. In redeundo autem per Ducem *Withawdum* & ſuas gentes in locis paludinoſis & iniquis frequentius inuaſus, plures de ſuis amiſit: nam & in noctibus irruebant *Lithuani*, & multos cædebant. Neque tamen *Lithuanis* incruenta fuit inuaſio, quingenti enim deſiderati. At multo plures ceciderunt de ordine Magiſtri, qui in crebris locis cogebatur, interdum a fronte & in tergo inuaſus, decernere, tanta ſuorum clade inſignis, vt expeditiones contra *Lithuaniam* velut pernicioſas ſibi & ſuis longo tempore intermitteret. Non ob id tamen *Wladislaus Poloniæ* Rex ſingulis annis mittere nouos

cum quibus Vitholdus ſæpius conſugit pugna incerta.

Cui in auxilium Wladis-

vos

1394 *laus Rex ex Polonia milites mittens, Regni theſaurum magnopere exhauſit.*

uos ex *Polonia* milites in auxilium Duci *Withawdo*, cum omne tempus de bello per Cruciferos *Lithuaniæ* inferendo, ſuſpicione plenum eſſet, intermiſit. Qua quidem re & theſauros regios Prædeceſſorum ſuorum Regum *Poloniæ*, in donatiua militum, *Lithuaniam* a Cruciferis tuentium, & in arma defendiculaque illuc miſſa, diſtribuit; & plures enormes bonorum regalium Regni *Poloniæ* donationes, alienationesque militibus, qui in *Lithuania* meruerant, fiendas decreuit.

Et militibus in Lithuania merentibus multas poſſeſſiones in regno Poloniæ donat.

Ea autem obſidione, quam præmiſimus, durante, gentes Ducis *Withawdi*, *Lithuani* & *Rutheni*, populationem & vaſtationem hoſtilem prohibituri, prælium cum hoſtibus infeſto agmine conſeruerant. In quo etſi acriter decertaſſent, a gentibus tamen Magiſtri victi, plures eorum fuere deſid[e]rati aut capti. Nec de gentibus Magiſtri pauciores, hi præſertim, qui pabulatum eundo, pugna aut inſidiis *Lithuanorum* necabantur.

In Lithuaniam triplex Pruthenorũ expeditio non ſine clade Lithuanorũ

Perſonalem expeditionem *Conradus* de *Iungen Pruſſiæ* Magiſter, parum proſpere videns ſibi ceſſiſſe, *Vernerum Thetingar*, Marſchalcum cum copiis forenſium & propriorum militum, plures enim ex *Galliarum* & *Almaniæ* partibus ipſis in auxilium acceſſerant, in *Lithuaniam* transmittit ſub tempore hiemali. Qui primum ad caſtrum *Naugarthen* accedens exuſtum illud a *Lithuanis* reperit. Ab inde vero vſque in *Lidam* proceſſit, Sed & *Lidenſes* eius aduentu perterriti, caſtrum incendunt & diffugiunt. Marſchalcus vero populatione latius extenſa, neque enim ſuperiori tempore profundius quiſquam in terram *Lithuanicam* graſſatus fuerat, magnam captiuorum vtriusque ſexus multitudinem congerit, & in *Pruſſiam* abducit. Deſcendit poſthæc vice altera *Vlricus* de *Iungen* Aduocatus *Sambienſis*, & germanus magiſtri, cum forti exercitu propriorum & externorum militum, gloriam & prædam per vaſtationem *Lithuanicam* quæſiturus. Qui cum apud *Roſziten* conſiſtens prædas ageret, perculſus magno & ſubito terrore, omiſſa populatione & præda, tumultuario itinere rediit. Dux enim *Withawdus* in frequenti exercitu in *Pruſſiam* deſcenderat, & circa *Inſterborg* omnem regionem igne & cæde vaſtabat, a quo ſe vinci & intercipi verebatur, Quo abeunte, *Conradus* de *Kreborg* Commendator de *Balga*, terram *Drohiczenſem* ingreditur, & incautos reperiens illius incolas, multam prædam congerit, ac tricentos captiuos abducit.

Vigeſima ſecunda Decembris, *Henricus* Dux *Oppolienſis*, dum ex ſtudio *Bononienſi* reuerteretur, infirmitate correptus, diem obiit.

Sigiſmundus Hungariæ Rex Reginã Poloniæ Heduigim viſitans,

Heduigim Poloniæ Reginam, conſortis ſuæ *Mariæ* germanam, *Sigiſmundus Hungariæ* Rex viſitaturus, vigeſima quarta Iulii in *Poloniam* aduenit. Cuius aduentum Regina *Heduigis* præfata, aliquot nunciis ſibi ſignificatum, iuſto honore exceptura, circa caſtrum *Ritter* illi cum celebri & magnifico comitatu occurrit: ac ab ea in *Sandecenſe* oppidum deductus, pluribus diebus illic benigne & A ſplendide habitus, ſingulis etiam & opulentis neceſſariis, cum omnibus militibus ſuis tractatus eſt. Factis autem variis tractatibus, ſtatum tranquillum Regnorum firmantibus, donis, a Regina *Heduigi* muneratus magnificis, in ſua rediit.

1394 *ab eam Sandecz honorifice exceptus & muneratus in Hungariam rediit.*

Ianuſſius Dux Maſoniæ ædificans caſtrum Zlotoria

Maſouiæ Dux *Ianuſſius*, ad fluenta *Narew*, in terra & Ducatu ſortis ſuæ, arcem nouam erexit, quam & appellauit *Zlotoria*. Et dum pro illius conſummatione perſonaliter illic cum militibus ſuis, quo celerius & perfectius opus perficeretur, adſiſteret, nullas hoſtiles inſidias veritus, ſuperuenit repente comes *Rudolphus*, B Commendator de *Balga* & *Valrode* Commendator de *Reyno*, cum populo multo, a *Pruſſiæ* Maſtro *Conrado* de *Iungen* transmiſſi, & tam in milites Ducis *Ianuſſii* ipſumque Ducem, quam in eos qui fabricabant arcem hoſtiliter graſſantur. Et arcem quidem quæ fabricabatur ex ligno, necdum perfecta fuerat, in ſuam poteſtatem redigunt, & omnes illius munitiones flammis exurunt, Ducem vero *Maſouiæ Ianuſſium*, in equum impoſitum, ligatis ſub ventre equæ Ducalibus pedibus, quamuis terminum repræſentationis enixius depoſceret, cum cæteris *Maſouiæ* militibus æque vinculatis ad præſentiam Magiſtri *Pruſſiæ Conradi* de *Iungen* deducunt: non veriti contumeliam temeC rariam & iniquam inferre Ducali ſanguini, & fundatoris ſui primarii Pronepoti. Quibus parua videbatur terrarum *Chelmenſis* & *Pruthenicæ* acceſſio, *Pomeraniæ* vero violenta & doloſa occupatio, niſi etiam in *Maſouiæ* regiones ſua arbitria ſuaque imperia pro libito extendiſſent. Captiuitate illius *Wladiſlaus Poloniæ* Rex cognita, miſſis ad Magiſtrum *Pruſſiæ* nunciis, ſolui illum extemplo, queſtus apud Magiſtrum de perpetui fœderis violatione, obtinuit. Et quamuis acerbo animo captiuitatem Ducis ſui *Ianuſſii* Rex tulerit, continuit ſe tamen ab omni guerra, quam ob tantam & tam inſignem iniuriam, & fœderis rupturam, plures anhelabant *Pruthenicæ* ſuperD biæ inferri.

a Cruciferis ſubito inuaſus rapitur cũ multis militibus.

Skirgiello Dux frater regis Wladiſlai veneno necatur ob tyrannidem.

Dux *Trocenſis Skyrgiello*, *Wladiſlai Poloniæ* Regis germanus, tyrannicum & graue in *Ruthenos* exercens imperium, plures illorum capite damnauerat, nonnullos vulneribus diris affecerat, eo quidem ſubditis intolerabilior, quo crudelitatem ipſam, dum magis temulentus foret, depromebat. Quapropter ab uno religioſo *Ruthenorum*, licet & ipſe ritus *Ruthenici* eſſet, in caſtro *Viſchegrod* prope *Kiouiam* ſito in poculo, quod prægustatum digito annulari, in quo virus locauerat, in vas immiſſo, infecerat, venenatus moritur, nullam prolem relinquens, & in *Pieczari* ſepelitur. Adeo *Ruthenis* formidabilis, vt etiam poſt fata timeretur. *Græcum* ritum abiicere, & *Romanum* Catholicumque profiteri, a *Wladiſlao* Rege perſuaſus, *Romam* ſe iturum, & nonniſi illuc

vtrum-

Digitized by Google

1394 vtrumque impleturum, deuouit, propoſitum tamen eius repentina mors diſſoluit.

Regis Bohemiæ primum a ſuis,

Enormes, leuitates, exorbitanteſque & tyrannicos mores, quibus *Venceslai Romanorum* & *Bohemiæ* Regis pectus refertum fuerat, Barones *Bohemiæ* facta verbi monitione nullum afferente profectum, ne Rempublica tam Imperii quam Regni, ab eo & conſiliariis ſuis, quos ex leuiſſimis quibusque hominibus legerat, peſſundatum iri contingeret, caſtigaturi, aut ſaltem reſtricturi, præfatum *Venceslaum* Regem in oppido ſuo Regio *Verona*, tribus miliaribus a *Praga* diſtante, captiuant, honeſtæque cuſtodiæ, & loco honeſto incluſum, leues conſiliarios ab eo remouent, & viros maturos & graues illi adhibent, quatenus ex eorum ſententia & decreto, ſingula Imperii & Regni adminiſtrarentur negotia. Huius captiuitatis *Sigiſmundus Hungariæ* Rex, & *Brandeburgenſis* Marchio, principalis auctor ferebatur fuiſſe, qui per illam ſperabat in fratre ſuo *Venceslao* Rege mores, a Regia grauitate abhorrentes, poſſe reſcindi. Erat enim voluptatum ſequax, ac labores fugiens, ebrietatis & crapulæ, quam Regni, curioſior. *Ioannes* tamen Dux *Luſatiæ*, & *Procopius* Marchio *Morauiæ*, magno Reipublicæ malo illum ſoluerunt. Captus fuit & ſecundo per *Sigiſmundum Hungariæ* Regem, & *Alberto Auſtriæ* Duci in cuſtodiam datus. Cuſtodia eius apud *Viennam* ædibus, in quibus degebat, *Praga* nomen reliquit. Sed cum parum diligenter coſtodiretur, fugam arripuit. Regnoque rurſum potitus eſt; non tamen mores & vitam mutauit.

deinde a fratre Hungariæ Rege captiuitas,

Ioannes Kropidło videns ſe Archiepiſcopatum Gneſnenſem aſſequi non poſſe iure ſuo cedit,

Animaduertens *Ioannes Kropidło Gneſnenſis* Archiepiſcopus, & *Oppolienſis* Dux, & ob ſchiſma in Eccleſia Dei, inter contendenteas de Papatu exortum, quod in dies graſſabatur, & quia *Wladislaus Poloniæ* Rex hoſtem ſuum notorium illum, vt erat, oſtendebat, Sedem conſequi *Gneſnenſem* non poſſe, ſponte de illa ceſſit, per Procuratores ab eo conſtitutos. Ad quam *Dobrogoſtius* de *Nowidwor* in *Maſouia*, Decretorum Doctor, ex patre *Thomislao*, nobilis de domo *Nałęcz*, a *Wladislao Poloniæ* Rege nominatus, *Poſnanienſis* tunc Epiſcopus, dum in ſede *Poſnanienſi* annos vndecim exegiſſet, per *Bonifacium* in ſua obedientia Papam IX. appellatum, ſexto Calendas Aprilis, in Vrbe tunc præſentem (*Wladislai* enim Regis præfati Orator, ab eo ſpecialiter deſtinatus, grandia apud *Bonifacium* Papam præfatum, & ſignanter confirmationem duarum Eccleſiarum Cathredalium fundationis in *Lithuania*, videlicet *Vilnenſis* & *Myednicenſis*, a ſe fundaturum expediebat) tranſlatus & ſuffectus eſt. Verebatur enim *Bonifacius* prædictus, ne ſi in deſideriis ſuis *Wladislaus Poloniæ* Rex negligeretur, ad competitorem ſuum *Petrum* de *Luna* deficeret. Prouidit & tunc ipſe *Bonifacius*, *Ioanni Kropidło*, vtraque Eccleſia, videlicet *Gneſnenſi* & *Wladislauienſi* orbato, de Eccleſia *Camyenenſi*, terræ

quem poſtea impetrat Dobrogoſtius de Nowidwor Ep. Poſnanienſis,

& Kropidło per Papam

1394 *de Eccleſia Camyenenſi in terra Stolpenſi, de Eccleſia vero Poſnanienſi Nicolao Kurowski, prouidentur.*

A *Stolpenſis*, ſatis tenui & pannoſa. De Eccleſia vero *Gneſnenſi*, ad interceſſionem præfati *Wladislai* Regis, *Dobrogoſtio* de *Nowidwor*. De Eccleſia vero *Poſnanienſi Nicolao Kurowski* Cantori *Gneſnenſi* & Decano *Cracouienſi*, *Polono* nobili genere de familia *Nałęcz*. Qui apud *Heduigim* Reginam *Poloniæ*, familiaritus fungebatur officio.

1395 *Wladislaus Rex dolens Vielunenſem, Dobrzinenſem & Oſtrzechouienſem terras Regni Poloniæ a Wladislao Duci Oppolienſi donatas,*

Fœdam & pernitioſam terræ *Vielunenſis*, *Dobrzinenſis*, & *Oſtrzeſchouienſis*, per *Ludouicum Hungariæ* & *Poloniæ* Regem, a corpore Regni *Poloniæ* alienationem, *Wladislaus Poloniæ* Rex quemadmodum iureiurando &
B inſcriptione ſolenni pollicitus, in aſſumptione ſua in Regnum fuerat, reſtauraturus *Wladislaum Oppolienſem* Ducem, cu[illegible]e terris prædictis donatio præiudicialis, & iniqua, per *Ludouicum* Regem facta fuerat, honeſta requiſitione per legatos identidem miſſos, ſollicitat, *quatenus terras Regni Poloniæ iniuſte occupatas, reddat, Se enim non paſſurum, vt tam notabilis Regni ſui Poloniæ portio, ab eo debeat diuelli.* Duce autem *Oppolienſi Wladislao* requiſitionem regiam variis refellente fruſtranteque reſponſis, ac aſtruente *donationem terrarum prædictarum, ſibi & ſuis proximioribus*
C *pro meritis, & perpetuo a Ludouico Rege Poloniæ & Hungariæ factam, non poſſe a quoquam reſcindi*, res & quæſtio huiuſmodi, nihil modeſte, nihil quiete, nihil æque *Wladislao Oppolienſi* Duce reſpondente, cœpit ſpectare in arma. Quæ *Wladislaus Poloniæ* Rex, omni conditione honeſta vitaturus, nouis Legatis ad eum fatigatis, nouam quidem illi conditionem, ſed æquiſſimam, quam non præſumebatur abnuiſſe, proponit, *vt videlicet pro terris prædictis, nihil ſibi hoſtile vereatur accidere, homagium duntaxat Regiæ Poloniæ præſtet, & ſe occaſione terrarum prædictarum Regis & Regni Poloniæ profiteatur feudalem.* Orbus enim *Oppolienſis* Dux filiis & filiabus erat, facileque & ſine bello apparrebat terras Regni
D *Poloniæ* ab eo occupatas, eo mortuo, ad *Poloniæ* Regnum poſſe recidere, ſi minus oblatam conditionem impediuiſſet. Sed cum tam æquam conditionem oblatam aſpernatus, ſuperba etiam iactantia vſus, *neque Poloniæ Regem illius poteſtatis neque ſe illius puſillanimitatis fore reſponderet, vt propter terras, ſe & ſuos nepotes & affines, ſolido & optimo iure contingentes, quarum ſibi a Ludouico Poloniæ & Hungariæ Rege ſimplex & omnimoda donata eſſet, qua in eadiem pacifice vtebatur, proprietas, Regis & Regni Poloniæ conſentiret eſſe feudalis, & vaſallus.* *Wladislaus Poloniæ* Rex, reintegrationem Regni ſui, & prædictarum terrarum reſtitutionem, certo certius expertus, quietis conſiliis procurari non poſſe, ad belli conſilia animum deinceps vertit, & de bello *Wlatislao Oppolienſi* Duci, in ſequen-

& hortatur illum vt homagium præſtet, & ſe feudalem fateatur.

Quod cum facere nollet, ſecrete Rex in

1395 *cum bellum parat.*

ſequentis anni æſtate inſtendo, in ſecretiſſimo conſilio, ad quod nonniſi quinque conſiliarii adhibebantur, agitare deliberationem cœpit. *Wladislao Oppolienſi* Duci enim, tantus ad ſcindendum terras occupatas a *Poloniæ* Regno inerat dolor, vt plures colles pro *Gadibus*, terras occupatas diſterminare a *Poloniæ* Regno ſatagens, prope oppidum *Zithno*, quæ vſque in præſens cernuntur, locauerit, quaſi in ſua poteſtate ſitum fuerit, terminos & limites in Regno *Poloniæ* pro libito conſtituendi.

Sigiſmundus Rex Hungariæ ingenti exercitu Chriſtianorum ex variis Regnis collecto dum ad inuadendum terras Turcarum proficiſcitur,

Turcarum genti, & illius Cæſari *Beyzath*, *Sigiſmundus Hungariæ* Rex bellum illaturus, cum ad id multorum Catholicorum Principum, & ſignanter *Franciæ* Regis, & *Burgundiæ* Ducis, militiam ſuam ſibi in auxilium repromittentium, aſſidua ſollicitaretur inſtantia, multiplicem ex variis gentibus & nationibus militiam accerſit, & tam propriis copiis quam externis frequentiſſimo comitatu ſtipatus, ad *Turcarum* terras & dominia ire pergit. In cuius auxilium *Franciæ* Rex, inſignem militum ſuorum cohortem miſit. Dux vero *Burgundiæ Ioannes* perſonaliter cum gente ſua venit. Copiis autem variarum linguarum atque gentium collectis in vnum, tam multiplex & numeroſus Catholicorum erat exercitus, vt in eo quadruplex numiſma a Principibus cuderetur. Verum tanto & tam fortiſſimo exercitui Dux deerat, & diſciplina militaris, nihilque conſulebatur in commune. Sed & ipſe totius exercitus Princeps, *Sigiſmundus Hungariæ* Rex, ad quem a ſingulis habebatur reſpectus, nihil, quod tanto exercitui ſalubre eſſet, prouidebat.

& confiſis viribus

Sed robore tot gentium, tot legionum, fretus, hoſtem adeo contempſerat, vt arma ſua, neque loco, neque tempore crederet, idque publice vulgaret ſuſtineri a *Turcis* poſſe. Dum itaque ad oppidum *Romaniæ*, quod ditionis *Turcarum* erat, *Nicopolim* ventum foret, nunciatur ſubito *Turcarum* Cæſarem *Beyzath* alias *Calepinum*, cum potentiis ſuis ad decernendum inſtructum, vix duobus miliaribus abeſſe. Sed neque hæc denunciatio *Sigiſmundum Hungariæ* Regem ad prouidendum de ſumma rei, & inſtruendum, dum tempus pateretur, aciem, permouit, ſed in tabernaculo curando corpus, & quieti, & ſolatiis dando operam, gloriabatur ſe tanto exercitu ſeptum eſſe, quem nedum *Turcarum* Cæſar, ſed nec omnes orientales tyranni inuadere auderent.

Cæſarem Turcarum Bayzath contemnit

Quo tam ampulloſum parumque modeſtum apud ſuos concionante ſermonem, *Turcarum* Cæſar *Beyzath*, alias *Calepinus*, cum multitudine armatorum adueniens, Catholicum & *Sigiſmundi* Regis, ſine lege, ſine ordine, ſine armis ſparſum exercitum, reperiens, quod plerique leuitate

ab eo facile & turpiter profligatur

petulantiaque *Gallorum* & præripiendæ pugnæ inſolenti cupiditate actum affirmant, tanquam in gregem bidentium errantem, & *Hungarorum* primoribus cum *Sigiſmundo Hungarorum* Rege, ad vada *Danubii*, qui in propinquo circa *Nicopolim* decurrit, vt eo nauibus, ſuperato, imminens periculum declinarent, fugientibus, *Galli*, *Poloni*, *Almani*, *Bohemi*, *Burgundi*, *Hiſpani*, & nonnulli *Hungari*, cum *Turcis* congreſſi, facile ab eis debellati & conflicti ſunt. Et paucis fuga euadentibus, cæteri aut occiſi aut capti. Caſtra exercitus Catholici maximæ opulentiæ, a *Turcis* direpta. Dux *Burgundiæ Ioannes*, dum fœdum & turpe fugere putaret, cum multis militibus, par decus militiæ cuſtodientibus, captus, & nonniſi biennio centum florenorum millibus redemptus; capti aut deſiderati *Galli*, *Poloni*, *Bohemi*, *Almani*, *Hiſpani*, *Hungari*.

1395 *cum ingenti clade Chriſtianorum.*

Tantaque clades Chriſtiani exercitus ſecuta, vt inualidæ ſint ad ſcribendum literæ, quantum robur Catholici exercitus a barbaris deletum, quanti milites capti, & in miſerabilem ſeruitutem abducti, quantæ fortunæ interceptæ. Ex *Polonis* militibus vir heroicus *Saſinus* Caſtellanus *Viſchegradienſis*, cum optimo filio *Kolando*, aduerſo pectore fortiſſime depugnans, occiſus; *Stiborius* de *Stiborzicze* de domo *Oſtoia*, & *Thomas Kalski* de domo *Roſæ* milites, in comitatu *Sigiſmundi* Regis ſaluati. *Strantoslaus* vero miles, ex terra *Siradienſi* de domo *Lyada* ortus, *Scenya* appellatus, dum nauim in qua *Sigiſmundus* Rex cum militibus primoribus vehebatur, conſcendere non poſſet, repulſus, cum & manus eam intrare nitentibus, ab his qui in illa conſtiterant amputarentur, verentibus, ne nauis multitudine onerata præcipitaretur in profundum, de virtute & robore corporis confiſus, in vndas *Danubii*, vt erat armatus ad prælium, ferro onuſtus inſiliit, & alueum *Danubii* in illo loco torrentem & protenſum tranando, ſibi incolumitatem quæſiuit. *Hungariæ* Rex *Sigiſmundus*, omnia turbata videns, veritus ne & ipſe viuus in *Turcarum* veniret manus, pauens & deſperans, æquori ſe credidit, & trepida fuga, *Hungaris* plerisque deſperantibus incolumem euaſurum, nuſquam tutum, amne ſuperato, conſiſtere auſus, *Conſtantinopolim* diuertit, vbi anno vno obuerſatus, beneficio & claſſe *Venetorum Dalmatiam* aduectus, in *Pannoniam* rediit.

Qua clade Turcæ patrata in auſus & robur maximum conſurgunt.

Hæc tam ingens clades, tam grandis ignominia, magnas profecto vires, & ingens robur *Turcarum* animis viſa eſt addidiſſe; vt hinc inſtauratis animis, audaciores efferacioresque effecti, ad maiora patranda animum ſumpſerunt. Subſequenti enim hieme, præfatus *Turcarum* Cæſar *Beyzath*, copioſum exercitum in *Hungariam* mittens, eam cædibus & ſpoliis vaſtauit, & plura Chriſtianorum vtriusque ſexus, ætatis floridæ, millia, in miſerabilem ſeruitutem abduxit.

Monaſterium extra muros Cracouienſes in Arena fundatur.

Cœnobio extra muros *Cracouienſes* in *Arena*, & Eccleſia in titulum & memoriam Viſitationis Virginis benedictæ *Mariæ*, *Wladislaus Poloniæ* Rex, & *Heduigis* Regina, ſingulari deuotione, ad amplitudinem honoris Virgi-

1395 nis glorioſæ, & feſti Viſitationis nouiter inſtituti, permoti, erectis, Eccleſiam præfatam regali ſumptu de muro principiant, & in notabili parte conſumant, quam cum illius cœnobio, fratribus ſanctæ *Mariæ* de monte *Carmeli*, Ordinis mendicantium, conſignant. Quem *Albertus* Patriarcha *Hieroſolymitanus*, anno gratiæ milleſimo ducenteſimo quarto, in monte *Carmeli* inſtituerat.

Maria Regina Hungariæ moritur, & Sigiſmundus Rex de Regno Hungariæ periclitatur.

Die Lunæ decima ſeptima Maii, *Maria Hungariæ* Regina, *Sigiſmundi* conſors, & germana ſoror *Heduigis Poloniæ* Reginæ, *Budæ* moritur. Qua abſumpta, *Hungarorum* primates, ad ſufficiendum ſibi nouum Regem, quaſi *Sigiſmundus*, coniuge mortua, Rex eorum eſſe deſierit, animos intenderant. At ego iniquum valde reor, vt cuique fœminæ quantumcunque inſigni, nomen debeat aptari *Maria*, cum illud ſolum excellentiſſimæ Dominæ noſtræ debeat congruere.

Rex Francorum ad vnionem Eccleſiam reducere volens, de ceſſione Papam utrumque requirit. Quam cum Benedictus renueret, conuentus generalis indicitur, & in eo Benedictus capitur.

Francorum Rex ſchiſma in Eccleſia Dei moleſte ferens, cum ſciret vtrumque contendentem de Papatu, videlicet *Bonifacium IX.* & *Benedictum XII.* ea conditione in Papatum, aſſumptos, vt requiſiti de Papatu, prouiſione Eccleſiæ cederent, per Electores Imperii, & Principes *Almaniæ*, *Bonifacium IX*, requirit de cedendo. Qui cum ſe ſpontaneum ad cedendum offerret, etiam *Benedictum XII.* vt cederet, requirit, Quo renuente, & Chriſtianitati maxima imminere diſpendia, ſi cederet, reſpondente tenta fuit in *Francfordia* ſupra *Mœnum*, ad procurandam vnionem in Eccleſia Dei, generalis dieta. In qua cum vnio propter contumaciam & ambitionem vtriusque contendentis de Papatu prouenire non poſſet, captiuatur *Benedictus XII.* per Proceres *Franciæ*, & in *Auinione* triennio, ſubtracta ſibi obedientia, detinetur captiuus. Poſt triennium vero in habitu diſſimulato ex Palatio *Auinionenſi* fugiens, ad fauces *Rhodani* in nauicula, ad galeas ex *Arragonia*, ad conducendum eum præparatas veniens, *Arragoniam* deuectus eſt. Et licet proceſſu temporis per medium Ducis *Aurelianenſis Galliarum* obedientiam recuperaſſet, Duce tamen *Aurelianenſi* occiſo, quoniam dolis & fallaciis vtendo, vnionem facere diſſimulabat, iterum ſibi fuit ſubtracta.

1396

Wladiſlaus Rex contra Oppolienſem Ducem Wladiſlaum arma mouens mittit Criſtinum de Oſtrow Caſtellanum Sandomirienſem cum exercitu verſus terram Dobrzinenſem.

Anno plusquam vno decoctum agitatumque ſecreto conſilio bellum, *Wladiſlao Oppolienſi* Duci, ad recuperandum terras ab eo occupatas, inferendum, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, ad conſumationem votiuam perducturus, expeditione generali Regno ſuo indicta, *Criſtinum* de *Oſtrow* Caſtellanum *Sandomirienſem*, cum aliqua copiarum parte, ad conquirendam terram *Dobrzinenſem*, ſimulato conſilio, vulgata fama, quaſi illum cum reliquis copiis ſubſecuturus, transmittit, quatenus ab eo, quod parabat, bello, in alterius rei curam, animum *Oppolienſis* Ducis *Wladiſlaus* conuerteret.

1396

Qui militibus & terrigenis *Cuiauienſibus*, in ſui adiumentum reaſſumptis, caſtrum *Bobrowniki* terræ *Dobrzinenſis*, quod nomine *Wladiſlai Oppolienſis* Ducis *Sleſita Schari* tenebat, obſidione arctauit. Quæ res ſolerter principiata, *Wladiſlaum Oppolienſem* Ducem, ne caſtris terrarum *Oſtrzeſchouienſis* & *Vielunenſis*, ac aliis, quæ primum Rex *Poloniæ* impugnare decreuerat, prouideret, diſtinuit, & ab omni ſuſpicione belli, ad terras *Vielunenſem* & *Oſtrzeſchouienſem* transferendi, auertit, pro conſtanti credulitate *Poloniæ* Regem cum militibus ſuis, quos arma induiſſe audierat, non alium locum quam *Dobrzinenſem* terram petiturum. Aliquanto autem tempore, *Criſtino* de *Oſtrow* Caſtellano *Sandomirienſi* obſidionem caſtri *Bobrowniki* continuante, Magiſter *Pruſſiæ Conradus* de *Iungen*, cum notabili exercitu, laturus obſeſſis auxilium, aduenit. Cuius potentiæ, *Criſtinus* de *Oſtrow* ſe ſciens parem non eſſe ſoluta obſidione diſcedit.

Ipſe autem Vielunenſem & Oſtrzeſchouienſem terras Ducis prædicti ingreſſus

Rex interea *Poloniæ Wladiſlaus*, omnium communi & vulgari iudicio, pro conquiſitione terræ *Dobrzinenſis* proceſſurus, copiis conuenientibus, reflexo mutatoque itinere, ad caſtrum *Olſchtin*, quod etiam hoſtis *Oppolienſis* Dux tenuerat, *Spithkone* de *Melſchtin* Palatino *Cracouienſi*, cum aliis copiis ad obſidendum caſtra alia, videlicet *Vielun*, *Oſtrzeſchow*, *Boleſławiecz*, transmiſſo, contendit. Vbi *Semouitus* & *Ianuſſius Maſouiæ* Duces, cum notabili exercitu venientes, exercitum regium ſuapte fortem, fortiorem efficiunt. Quamuis ſiquidem *Wladiſlaus Oppolienſis* Dux, *Offkam* germanam ſororem *Semouiti* & *Ianuſſii Maſouiæ* Ducum, in matrimonio habuerit, ferre tamen contra affinem *Poloniæ* Regi & Regno arma, velut feudales coacti ſunt.

breui caſtrum Olſchtin,

Impetu contra caſtrum *Olſchtin*, quamuis in rupe altiſſima ſitum, tertio die ex quo obſideri cœptum eſt, a militibus iuſſu Regis facto, illud (*Borziſchnicz* eius Capitaneo cum fratribus & familiaribus, nequicquam fortiter & animoſe reſiſtente) conquirunt, *Porziſchniczonesque*, qui omnia ſtudia pro illius defenſione intenderant, capti. Quorum conditionem *Wladiſlaus* Rex miſeratus, cum abunde foret vitam concedere, etiam bona hæreditaria in terris *Ruſſiæ*, circa oppidum *Tłumacz*, largitur.

& alia caſtra ciuitatesque terrarum earundem capit,

Expugnato conquiſitoque caſtro *Olſchtin*, rapaciſſimo itinere ad *Krzepicze*, *Vielun*, *Boleſławiecz*, *Oſtrzeſchow*, *Brzeznicza*, *Bobolicze*, & *Grabow* caſtra, quorum nonnulla a gentibus regiis obſidebantur, magis diſcurſum quam itum eſt. Exigua fere apud omnia reſiſtentia, regio nimio pauore ſingulis qui caſtra obtinebant conſternatis, conſiliique inopibus, obiecta eſt; neque aliquem, caſtro *Olſchtin* fortiſſimo expugnato, vinci puduit. Intra dies ſeptem omnia caſtra & ciuitas *Wielun*, præter vnum caſtrum *Boleſławiecz*, per Regem aut ſuos Præfectos, per deditionem accepta. *Stanczyk* de *Ruda*

præter Boleſławiecz

1396 *Ruda* Capitaneus *Vielunenſis* de genere & domo *Porcariorum*, apri caput manu humana illud diſtrahentis deferens, quoniam ciuitate dedita, aliquandiu reſiſtens, aliquos ex arce ſaxis offenderat, caſtro expugnato, gladio percuti iuſſus, clementia Regis in ipſo necis articulo, quo carnifex iam mucronem vibrauerat, incolumitati donatus eſt. Serius *Oppolienſis* Dux *Wladiſlaus*, poſt omnium fere caſtrorum, & duarum terrarum amiſſionem, expergefactus, ad caſtrum *Boleſławiecz*, flumine *Proſna* vndique circumſeptum, & tam arte quam ſitu munitiſſimum, transmittit arma, milites, & victualia, illud defenſurus. Vbi exercitus regius forti reſiſtentia reperta, ſeptennio illud, conſtructis & erectis in circuitu plurimis caſtellis, ex quibus in obſeſſos iaciebantur bombardæ, obſedit. Sub quo quidem tempore, etſi *Wladiſlaus Oppolienſis* Dux morte abſumptus fuerat, caſtrum tamen *Boleſławiecz* pro ſua relicta Duciſſa *Offka* tenebatur. Quæ tandem reconciliatione obtenta, *Wladiſlao* Regi illud reddidit. Si quis autem huius expeditionis facilem & compendioſum exitum ſcrupuloſius velit metiri, profecto reperiet, quantum bonum, quamque ſublime ſit, publicas & regias actiones, eas præcipue, quæ armis & ferro adminiſtrandæ ſunt, ſtrictiſſimo ſecreto occulere. Non enim alia æque res quam regii conſilii ſecreta obſeruatio, *Wladiſlaum Poloniæ* Regem & ſuum exercitum, in tam breuiuſculo tempore, tam tenui impendio, duarum terrarum, & plurimorum caſtrorum fecit victorem, & quod exercitus fortiſſimus vix conquiſiuiſſet, conſilii publici ſtricta obſeruatio facile confecit. Diſcant *Poloni*, Reges, Principes, & Barones, non in armis & fortitudine, ſed in DEI brachio, & prudenti ac ſecreto conſilio, omnium iuſtarum rerum, quas efficere ſatagunt, felicem ſucceſſum conſiſtere.

quo ſeptennio obſeſſam Wladiſlao Duce mortuo tandem conquirit.

Wladiſlaus Oppolienſis Dux, nimia vexatus amaritudine & dolore, terram quoque *Dobrzinenſem*, quæ in ditione ſua permanſerat, veritus ſibi vt cæteras ereptum iri, illam, & caſtra eius *Dobrzin*, *Bobrowniki*, *Ripin*, *Lipno*, *Złotoria*, Magiſtro *Conrado* de *Iungen*, & Ordini Cruciferorum de *Pruſſia*, & in ſuæ acerbitatis ſolatium, & in regium opprobrium, in quadraginta florenorum millibus obligat. Quæ quidem obligatio & expreſſam vſuram, & manifeſtam iniuriam præiudiciumque Regni *Poloniæ* redolens, a Magiſtro & Ordine Cruciferorum, ſi per illos, & ad diuinum præceptum, & ad fœdus pacis perpetuæ cum Regno *Poloniæ* ictum, iuſtus habitus fuiſſet reſpectus, nullo pacto, nullaque cauſa poterat aut debebat acceptari. Continuas autem ſeptem æſtates totidemque hiemes, caſtrum *Boleſławiecz* circumſeſſum, tandem fame ſitique obſeſſos vrgente, per relictam *Wladiſlai Oppolienſis* Ducis *Offkam* deditum eſt. Quo vno perſeuerandi genere, quantumcumque munitiſſima, ſiue artem ſpectes ſiue naturam, expugnatum iri videmus loca. 1396

Dux autem prædictus adhuc viuens terram Dobrzinenſem Magiſtro Pruſſiæ in quadraginta millibus florenorum obligauit.

Ad benedictæ *Trinitatis* præcipuam laudem, & genitricis Dei Virginis *Mariæ*, Beati quoque *Stanislai Cracouienſis* Epiſcopi & Martyris, decus & memoriam, *Wladislaus Poloniæ* Rex, & *Heduigis* ſua conſors Regina, collegium de ſedecim Presbyteris manualibus in Eccleſia *Cracouienſi*, iugi iubilatione, cantu ordinario ceſſante, Pſalmos *Dauidicos* bini & bini, in dextro & ſiniſtro choro, vicibus & choris inter ſe partitis ex æquo, decantaturos, fundant, ordinant, & conſtituunt, & cuilibet pro dote, decem & octo marcarum ſummam de introitibus zupparum *Vielicienſium* & *Bochnenſium*, donatione perpetua largiuntur. Quam collationem, ſubſtitutionem, prouiſionem, & omnimodam diſpoſitionem, in Epiſcopum & Capitulum *Cracouienſe* transfundunt.

Pſalteriſtæ in Eccleſia Cathedrali fundantur.

Bonifacius Papa IX, durum & parum poſſibile perpendens, *Mamphiolum Italum*, prouiſum ſuum, Epiſcopatus *Plocenſis* poſſeſſionem, & propter linguæ imperitiam, & generis inuidiam, & ſchiſma aſſidue gliſcens, conſequi poſſe, ipſo etiam *Mamphiolo* renunciante, & poſt renunciationem diem obeunte, *Iacobo* de *Korzkiew* Decretorum Doctori, *Polono* nobili de domo *Sirokomlia*, Palatii ſui Auditori famoſo, in Subdiaconatus Ordine conſtituto, Præpoſito *Wratiſlauienſi*, ſecundo Calendas Auguſti *Romæ* prouidet, ex Patre *Floriano* milite de *Kurdwanow*, & matre *Catharina* de *Cracouienſi* prouincia ortus. Quem etſi *Maſouiæ* Duces, *Semouitus* & *Ianuſſius*, Capitulareſque *Plocenſes* aliquandiu recuſaſſent admittere, virtute tamen ſua, probitate, & doctrina permoti, illum cum benigno fauore admiſerunt. In quo per omnem vitam tam probe & laudabiliter verſatus eſt, vt Duces & Capitulares duceret pœnitudo, quod virum tam vtilem, doctum, & optimum, motibus propriis non optaſſent.

De Epiſcopatu Plocenſi Bonifacius Papa Iacobo de Korzkiew Polono prouidet.

Commendabili donatione narrata, reprehenſibilem & pernitioſam, cum ſub eodem tempore acciderit, ſubnectemus, precibus *Spithkonis* de *Melſchtin* Palatini *Cracouienſis* *Wladislaus Poloniæ* Rex peruictus, terram nobilem, melle, lacte & pecore refertam, *Podoliam*, quam *Caſimirus* ſecundus *Poloniæ* optimus Rex, armis & ferro de *Tartarorum* poteſtate & manibus acquiſiuerat, præfato *Spithkoni* de *Melſchtin* Palatino *Cracouienſi*, inſcriptione perpetua ſed feudali, *Heduigi Poloniæ* Regina, Prælatis quoque & Baronibus Regni, nequicquam improbantibus & diſſuadentibus, ea tamen conditione, vt ex illa Regibus & Regno Poloniæ, vt feudalis & vaſallus, aſſidua præſtet obſequia, donat. Quæ quidem donatio *Heduigi* Reginæ, & toti conſilio, grauis, iniurioſa, & oneroſa, ab omnibus etiam odio & ludibrio habita eſt: pro-

Wladiſlaus Rex terram Podoliæ Spithkoni de Melſchtin Palatino Cracouienſi iure feudi donat.

1396

Cuius donatio paruo tempore durauit.

propter quod durare non poterat, ſed velut fumans ſtipula contrita, periit. Et præfata terra *Podoliæ* cum omni dominio ſuo mero & mixto, proprietati *Poloniæ* Regni reddita eſt.

Wladiſlaus Rex propter rapinas & furta, quæ Dux Oppolienſis Wladiſlaus in Polonos committebat,

Clandeſtina, & ſi fas eſt dicere, furtiua hoſtilitate, *Wladiſlaus Oppolienſis* Dux, cum aperta & iuſta nequiret, & in Regem & Regnum *Poloniæ* vſurus, mercatores Regni *Poloniæ*, ad nundinas *Wratiſlauienſes*, in Quadrageſimæ medio celebratas, tranſeuntes, intercipit, ſpoliat, atque captiuat. Et varia rerum & pecuniarum, atque mercium ſuppellectili potitus, gloriabatur ſe iniurias, in terrarum *Vielunenſis* & *Oſtrzeſchouienſis* ademptione, vtcumque vltum eſſe. *Wladiſlaus* autem *Poloniæ* Rex, quo iuſtius aduerſus tam infeſtum & iniuſtum hoſtem arma indueret, faciles nuncios primum ad illum mittit. Quibus nullam ablatorum reſtitutionem referentibus, aſſiduis de nouo ſpoliis, per latrones proſcriptos, per profugos, & ære alieno, & iudiciis damnatos *Polonos*, qui apud illum tutum repererant diuerſorium, infeſtabat. Inter quos famoſior erat *Petrus Pſchonka* de *Kurow*, nobilis de genere *Lanina*, qui ex eo quod caſtrum *Lowinicza*, irans in illius hæredem *Kolczkonem*, qui illi venationibus danti operam, partem caſſium, modicam terram ſuæ hæreditatis occupantium, confregiſſet, incenderat, proſcriptus. Miles inſuper *Innocent Raphael Gedcziczki* de domo *Gryphonum*, cum duobus filiis, *Martino* & *Ioanne*, in curia ſua, *Gedczicze*, a latrunculis Ducis præfati *Wladiſlai*, quos ad infeſtandum Regni *Poloniæ* milites & mercatores, furtiuo ingreſſu ſubmittebat, & qui ad eum nuncio præmiſſo, ſub fratrum & amicorum ſpecie, ſe venire ementiti erant, vt facilius incautum fallerent, in Sabbato magno captus, & in *Oppoliam* deductus. Illicque dum ſenex & valetudinarius foret, & captiuitatis moleſtias ſufferre nequiret, & a fœtoribus ſterquilinii, in quod eum *Wladiſlaus* Dux *Oppolienſis*, vt altiorem depactationem præſtaret, proiecerat, notabiliter languidatus & infectus, mori coactus eſt, & in monaſterio *Czarnowąſz* ſepultus eſt. Ad reprimendum itaque *Wladiſlai Oppolienſis* Ducis inſolentias, & ad coercendum duplex ſuum facinus, in obligatione terræ *Dobrzinenſis*, & ſpolio mercatorum Regni admiſſum, valido congregato exercitu, & ſuas & nepotum ſuorum terras inuadit. Et pleriſque caſtris & oppidis ſuæ & ſuorum nepotum ditionis, conquiſitis, ciuitatem *Oppolienſem* & duo caſtra eius, obſidione coarctat, murorum & turrium eius propugnacula, aſſidua bombardarum proiectione conterit, & ponit in ruinam villas vero & rura in flammam. Dum autem *Wladiſlaus Oppolienſis* Dux *Venceſlai Romanorum* & *Bohemiæ* Regis, & per ſe ipſum, & per nuncios, imploratum defenſionis auxilium, intelligeret

cum exercitu Ducatum eius vaſtans, & Oppoliam obſidione cingens, duo caſtra capit,

1396

ſibi prouenire non poſſe, reſpondente *Venceſlao Romanorum & Bohemiæ* Rege, *iuſtiſſime illi propter prædas & ſpolia, vexationem præſentem accidiſſe*; caduceatores ad *Wladiſlaum Poloniæ* Regem *Conradum Oleſchnicenſem*, & *Bernardum Niemodlienſem* Duces *Sleſiæ* mittit. Quorum interceſſione *Wladiſlaus Poloniæ* Rex placatus, omnium ſpoliorum pro ſuis mercatoribus ſatisfactione ad plenum percepta, obſidionem quidem ſoluit; ſed caſtra iure belli quæſita, videlicet *Lubieniecz*, *Strzelcze*, & alia in ſua ditione, dans illa *Spitbkoni* de *Melſchtin* Palatino *Cracouienſi* in tenutam, reliquit. Quorum reſtitutio non aliter ſequi poterat, donec *Bernardus* Dux *Niemodlienſis*, nepos *Wladiſlai Oppolienſis* Ducis germanus, caſtro *Boleſlawiecz* Regi dedito, *Heduigim* filiam *Spitbkonis* de *Melſchtin* Palatini *Cracouienſis*, ſibi matrimonio iungeret. Quæ pro dote, quam ſecum ad virum latura erat, fauore Regio, caſtra conquiſita, Duci *Bernardo* reſtituit.

& Spitbkoni de Melſchtin donat, quæ ipſe filiæ locatæ Duci Niemodlienſi loco dotis donat

1397

Dobrzinenſis terræ obligationem per *Wladiſlaum Oppolienſem* Ducem, Magiſtro & Ordini Cruciferorum de *Pruſſia* factam, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex moleſte ferens, fœdus pacis perpetuæ per Magiſtrum & Ordinem violatum iri proſpiciens, tam animo quam corpore, & omni niſu ſpectabat in bellum. Sed cum hæc conditio, Conſiliariis renitentibus, ſibi negaretur; gerendi enim cum Cruciferis belli, magis ob liberandam excutiendamque de illorum manibus *Samogithiam*, quam ob vlciſcendum terræ *Dobrzinenſis* iniuſtam occupationem, occaſio quærebatur, ne prædictæ terræ *Dobrzinenſis* occupatio, neglectum iri, & in obliuionem verti a Rege & Conſiliariis putaretur; conuentus ea de re cum Magiſtro & Ordine in *Iuniuladiſlauia* habendus, concluſus eſt. Ad quem *Heduigim* Reginam ſatius, quam *Wladiſlaum* Regem, ne animus ob ſuperiores & recentes *Lithuanicæ* patriæ vaſtationes exulceratus, duriori ſermone effuſo, bellum cuius euentus magnopere vitabatur, conflaret, ire placuit. Qua illuc in magnifico apparatu, & Prælatorum ac Baronum frequenti numero adueniente, cum *Conrado* de *Iungen* Magiſtro, & Commendatoribus *Pruſſiæ*, de reſtituenda *Dobrzinenſi* terra, per dies aliquot variis tractatibus, caſſo labore tractatum: Aſpernantibus, Magiſtro & Commendatoribus, omnes iuſtas & æquas, quæ ab *Heduigi* Regina & Conſiliariis *Poloniæ* exhibebantur, conditiones, & pro more ſuo, nunc illas, nunc alias excuſationes, eo pacto interponentibus, vt terram *Dobrzinenſem* occupatam, diutius detinendo, iuxta ac *Pomeraniam*, aliaſque Regni *Poloniæ* terras, per vſurpationem temporis vendicarent. Obiurgatis autem Magiſtro & Commendatoribus, quod tam cupidi forent, & appetitores alieni, etiam id fœmina benedicta, cœleſti quodam ſenſu inſpirata, adiecit:

Conuenit Regina Heduigis cum Magiſtro Pruſſiæ,

Cumque de reſtitutione terræ Dobrzinenſis tractarent, & Cruciferi reſtitutionem denegarent,

Se-

1397 *Se quidem viuente, belli, tum ob præſentes, & præteritas iniurias, Poloniæ Regno illatas, ſuppreſſuram furorem; fatis vero abſumpta, ſcirent, maximas ſibi clades euenturas, ex iuſtiſſimo DEI decreto, quod Dominis & patronis, fundatoribusque ſuis, quorum ſtipe, eleemoſyna, & donatione viuerent, ſpirarentque, tam infeſti forent hoſtes, & pro acceptis beneficiis, pro collatis terris & dominiis, iniurias rependerent; & tranſacta occupatione Pomeraniæ terræ, ad Regnum Poloniæ a primæua fundatione ſpectantis, parum contenti, ad occupandam terram Dobrzinenſem, auarum & inexpletum animum intendiſſent, ad integritatem corporis Regni Polonici, iuxta ac terræ Vielunenſis & Oſtrzeſchouienſis, niſi ipſi callidum & iniquum præſtarent impedimentum, redditu-ram.* Et quamuis *Conradus* de *Iungen Pruſſiæ* Magiſter, cum Commendatoribus ſuis, in dieta huiusmodi *uniuladiſlauienſi* obiurgatorium ſermonem *Hedwigis* Reginæ veritate ſubnixum non diffiterentur, & ipſi *Heduigi* Reginæ gratias tunc egiſſent, quod tam illam ad pacem communem retinendam qualificatam offendiſſent, immenſas, reddere tamen terram *Dobrzinenſem*, niſi ſub iniquis conditionibus, ſi illis primum quadraginta florenorum millia reddantur, non poterant adduci. Propter quod animis infeſtis & magis irritatis, ex huiusmodi dieta, Conſiliarii *Poloniæ* diſcedebant.

re infecta diſceſſum eſt.

Boleſlao Swidrigielloni germano Regis reconciliato & locato in *Polonia*, ne ſeminarium nouæ ſeditionis per illum concitaretur, *Alexander* alias *Withawdus Lithuaniæ* Dux, aliquantulum quietis ab inteſtino & externo bello nactus, primam (Catholicum ſe demonſtrans Principem) in *Tartaros* agit expeditionem. Et notabili exercitu ex *Polonis*, & *Lithuanis Ruthenisque* congeſto, terras & regiones ingreditur *Tartarorum*. Quos etſi vltra fluuium *Don*, qui *Latine Tanais*, & prope fluuiorum maximum *Volgam* vaſtando peragraſſet, nullam tamen reſiſtentiam reperiens, in *Tartarorum* ſtationem, quæ *Orda* appellatur, irruens, plura millia *Tartarorum* cum vxoribus, paruulis, & pecore cepit, & vſque in *Lithuaniam* deduxit. Quorum medietatem *Wladiſlao* Regi, & Prælatis, Baronibusque *Poloniæ*, in victoriæ ſignum, pro munere miſit, reliquam medietatem ſibi retinuit. Et *Tartari* quidem in *Poloniam* tranſlati, depoſito gentilitatis errore, fidem *Chriſti* profeſſi ſunt, & vnus populus cum *Polonis* iungendo invicem matrimonia, effecti. Hii vero qui in *Lithuania* reſederant, ſecta ſpurciſſimi detinentur *Machometi*, atque in vno angulo terræ *Lithuaniæ* a *Withawdo* Duce locati, ſuis moribus, ſuoque deteſtando ritu viuunt.

Withawdus Lithuaniæ Dux

cum exercitu vltra Tanaim proficiſcens

multa millia Tartarorum abduxit in Lithuaniam.

Pridie Calendas Martii, *Henricus* cognominatus *Sperlink* Dux *Glogouienſis*, dum apud *Legniczam* haſtis luderet, grauiter vulneratus occumbit, & in monaſterio *Lubens* ſepelitur. 1397

Plantationem fidei orthodoxæ nouellam in *Lithuaniæ* terris, a *Wladiſlao Poloniæ* Rege pio & religioſo ſtudio inſtitutam, *Heduigis Poloniæ* Regina rigatura, in *Pragenſi* ſtudio tunc florente, domum muratam, optimis ſtubis, cameris, & officinis refertam, in antiqua ciuitate *Pragenſi*, non longe a regia, & prope curiam reginalem ſitam, cuius poſticus in foſſam verſus nouam ciuitatem tenditur, propinquam Collegiis Sancti *Venceslai*, & * * * * coëmens, ſpeciale Collegium pro *Lithuanorum* natione in huiuſmodi domo operam ſtudiis dante, die decima Septembris inſtituit, ac cenſu perpetuo ducentarum ſexagenarum latorum groſſorum *Pragenſium*, de ſpeciali conceſſione & licentia *Venceslai* tunc *Bohemiæ* Regis, coëmendo certas & liberas villas, pro notabili pecuniarum ſumma, prope *Pragam* quæ habitantes reficerent, dotauit. Quod etiam in hanc diem meritorium & egregium fœminæ illuſtris præfatæ opus teſtans, in ſua eſſentia & dote, poſt plurimas clades, euerſiones, & ruinationes aliorum piorum locorum, a rabie hæretica in *Bohemia* & *Praga*, illatas, inuiolatum perſeuerat appellatione ſui aſſidua, Collegium etenim illud, vulgato & communi ſermone vocitatur, *Collegium* (fundatricis ſuæ factum memorabile diuulgans) ſiue *Domus Reginæ* in eam diem.

Heduigis Poloniæ Regina

pro Lithuanis in ſtudio Pragenſi Collegium fundat.

1398 Duodecima Decembris, *Henricus* Epiſcopus *Wladiſlauienſis* & Dux *Legnicenſis*, cum annis circiter nouem *Wladiſlauienſi* Eccleſiæ præfuiſſet, obiit & in maiori Eccleſia *Wratiſlauienſi*, (peroſus, vt præſumitur, *Wladiſlauienſem*,) ſub tumba ærea intrando chorum poſt limen ſepultus. Hic pro inſigni & armis in clypeo per quadrum in duabus partibus aquilas nigras in cæruleo, & in aliis duabus partibus *Skakalem* tabulam deferebat in rubeo, campis.

Henricus Dux Legnicenſis & Epiſcopus Wladiſlauienſis moritur, & ſepelitur Wratiſlauiæ, Wladiſlauiam peroſus.

Sigiſmundus Hungariæ Rex, ſola ciuilitate, nulla enim inuitatio præceſſerat, motus, *Cracouiam* ad *Wladiſlaum Poloniæ* Regem venit, & ampliſſima humanitate benignitateque, a *Wladiſlao Poloniæ* Rege, & *Heduigi Regina*, pro tam humaniſſima affectione, exceptus, & pluribus diebus ſplendide & abundanter omnibus neceſſariis, cum vniuerſo ſuo comitatu & militia, tractatus. In cuius etiam decus & amplitudinem, curia ſolenni per *Wladiſlaum* Regem *Poloniæ*, propoſito præmio victoribus, indicta, *Sigiſmundus Hungariæ* Rex, ab omnibus militibus, propter regiæ dignitatis eminentiam, & armorum ſplendorem, qui in palæſtra certauerant, appetitus, haſtiluſit. Acceptis autem a *Wladiſlao Poloniæ* Rege donis regiis, & vicaria conſimili liberalitate remiſſis in *Hungariam* hilari vultu reuertebatur.

Sigiſmundus Hungariæ Rex

ad Wladiſlaum Poloniæ Regem veniens Cracouiam,

in curia haſtiludiis interfuit, & muneratus eſt.

Ambitioni ſuæ *Bonifacius* Papa IX, nec non

Bonifacius Papa ciuita-

&

tem Rigenſem olim Archiepiſcopi Rigenſis,

1398 & Magiſtri & Ordinis Cruciferorum de *Pruſſia* & *Liuonia* ſatisfacturus, ciuitatem *Rigenſem* in *Liuonia*, quæ in ſpiritualibus & temporalibus, dominio quoque mero & mixto, ad Metropolitanam Eccleſiam *Rigenſem* pertinebat, cum eius caſtris, territorio, & pertinentiis, vniuerſis, inuito & contradicente Archiepiſcopo & Capitulo *Rigenſi*, Magiſtris & fratribus Hoſpitalis ſanctæ *Mariæ Teutonicorum* nigræ Crucis de *Pruſſia* & *Liuonia*, perpetua venditione vendidit, pro quindecim millibus florenorum auri, præter aliquas florenorum ſummas, quæ inter mediatores, ſeu pro ſententia huiusmodi transactionis & venditionis fuerant diuiſæ. Et cum Eccleſia ipſa *Rigenſis*, a prima ſui fundatione, tam in Archiepiſcopo quam in Prælatis & Canonicis fuerit Regularis, de Ordine Sancti *Auguſtini* Canonicorum Regularium, ipſe tamen *Bonifacius*, auro huiusmodi illectus, ipſam in alium ſtatum & Ordinem dictæ nigræ Crucis Ordinis *Teutonicorum* tranſtulit inuitam: licet prædictus Archiepiſcopus & Eccleſia *Rigenſis*, per annos quinquaginta & vltra, in Curia *Romana* cum eiſdem, Magiſtro & Ordine litigando, ne aſtu priori in Crucem nigram transferretur, aliquot ſententiis diffinitiuis triumphauerit. Ea nimirum Magiſter & fratres prædicti, in emptione ciuitatis *Rigenſis* prædictæ & territorii ſui, vſi fallaci doloſitate & verſutia, qua terram *Pomeraniæ* ab *Othone* & *Ioanne* Marchionibus *Brandeburgenſibus*, qui nunquam in ea aliquid iuris, proprietatis, tituli, vel dominii habebant, ſed ſola intentione abſtrahendi illam a corpore Regni *Poloniæ*, & ſibi perpetuo vendicandi, vſi fuerant.

quindecim millibus Ducatorum vendidit.

& ſtatum Eccleſiæ, quæ Canonicos Regulares S. Auguſtini obſeruabat, in nigram crucem Teutonicorum mutauit.

Ex morte *Henrici Wladislauienſis* Epiſcopi, & Ducis *Legnicenſis*, erexerat ſe *Ioannes Kropidło* Epiſcopus *Camyenenſis* & *Oppolienſis* Dux in magnam ſpem, interceſſione fratrum ſuorum *Oppolienſium* Ducum, & fauore *Bonifacii IX.* ad *Wladislauienſem* Eccleſiam reſtituendum. *Wladislaus* tamen *Poloniæ* Rex, indignationem ſuam continuans, multifariis obſecrationibus Ducum *Oppolienſium* ad pietatem flecti non potuit. Cuius propoſitum *Bonifacius* Papa IX exploratum habens & a reſtitutione *Ioannis Kropidło* ſe continuit, & *Nicolaum Kurowski* Epiſcopum *Poſnanienſem*, quadriennio in ſede *Poſnanienſi* pontificantem pro quo *Wladislaus Poloniæ* Rex intercedebat, ex *Poſnanienſi* in *Wladislauienſem* transtulit. Ad *Poſnanienſem* vero, eodem Rege operante *Albertum Iaſtrzambiecz* de *Lubnicza*, Scholaſticum *Cracouienſem* genere nobilem, de domo *Accipitrum*, ſedecimo Calendas Maii promouit.

Epiſcopus Poſnanienſis Nicolaus Kurowski, ad Wladislauienſem Eccleſiam transfertur. Poſnanienſi vero Eccleſiæ Albertus Iaſtrzambiecz de Lubnicza, Epiſc. præficitur.

Celebritatem ſuæ famæ & nominis, apud Catholicos & barbaros Principes, *Alexander* alias *Witbawdus Lithuaniæ* magnus Dux (cui eodem anno per *Wladislaum Poloniæ* Regem, magnus *Lithuaniæ* Ducatus donatus, & ad vitæ tempora precario conceſſus fuerat) quæſiturus, alteram in *Tartaros* expeditionem, felici ſucceſſu prioris accenſus, *Wladislao Poloniæ* Rege, & *Heduigi* Regina, magnopere nequicquam diſſuadentibus, indicit. In qua frequentiſſimus ex *Polonica* gente, militarium numerus ſe armauerat, niſi *Heduigis Poloniæ* Regina, ſpiritu reuelante, *Alexandri* magni Ducis *Lithuaniæ*, & Catholici exercitus ruinam, barbarorum vero victoriam præuidens, pene vniuerſos *Poloniæ* milites, paucis exceptis ab illa auertiſſet. Dux tamen magnus *Lithuaniæ Alexander*, reuelationem ſui caſus *Heduigi Poloniæ* Reginæ factam, credens fantaſticam, nullis precationibus, nullis ingeniis, a proſecutione illius poterat auerti. Apud *Kiiouienſem* itaque ciuitatem, per totum menſem Iunii, militari poſita menſa, & propriorum & externorum militum præſtolabatur aduentum. Quibus ex variis Catholici Orbis regionibus, ad militiam tam inſignem capeſſendam confluentibus, præfatus *Alexander*, magnus Dux *Lithuaniæ* ex *Kiiouia* caſtris motis, ratus grandem & fortem ſe, ad quemlibet cum *Tartaris* conflictum, ſuffecturum exercitum congeſſiſſe, in regiones *Tartarorum* proceſſit, habens ex *Polonis*, *Almanis*, *Lithuanis*, *Ruthenis* plures expeditas legiones expeditosque milites. Nam & *Spithko* de *Melſchtin* Palatinus *Cracouienſis*, cum inſigni terræ *Podolicæ* exercitu *Sandiuogius* de *Oſtrorog*, *Dobrogoſtius* de *Schamotuli*, *Ioannes Głowacz de Laſzenice Maſouiæ* Palatinus, *Ioannes* de *Dambrowa*, cum pulcherrima militia ex *Polonis* aduenerant. Erat præterea in comitatu Ducis magni *Lithuaniæ Alexandri*, *Tartaricus* Cæſar *Thaktamis*, quem plura millia *Tartarorum* ſequebantur. Dum itaque fluuiis *Niepr*, *Zimna woda*, *Pſzło*, & *Sula* ſuperatis, ad campeſtria planitiem in ſingulas partes diffuſe porrectam habentia, circa flumen *Vorzſkla*, quatuordecima Auguſti, feria videlicet tertia, poſt feſtum Sancti *Laurentii*, peruentum fuiſſet, acies *Tartarica*, quam non Cæſar *Tartaricus Themerlin*, ſed vnus ex Ducibus *Ediga* (Cæſares etiam inſtituere deſtituereque ſolitus, ducebat. Cuius quantitas & numerus ad liquidum non poterat æſtimari, & in cuius comparatione, *Alexandri* magni *Lithuaniæ* Ducis, & Catholicorum exercitus, puſillus cœptus eſt reputari, apparuit, & magno Catholicorum exercitum concuſſit terrore. *Spithko* de *Melſchtin* Palatinus *Cracouienſis*, vir ſolertis ingenii, ad quantum periculum, ſi decerneretur, res Chriſtiana recideret, oraculo etiam *Heduigis Poloniæ* Reginæ, quæ ipſum in id bellum, læuo auſpicio gerendum ire vetuerat, reuocato in animum, de pace agendum, Duce etiam magno Lithuaniæ *Alexandro*, propoſitum ſuum probante, duxit. Neque *Ediga Tartarici* exercitus Dux pacem aſpernatus, ſub certis con-

1399 *Collectio ex Polonis, Lithuanis, & aliis Catholicis exercitu, Vitholdus Lithuaniæ Dux dum contra Wladislai Regis conſilium, & Reginæ denunciationem viſione reuelatam*

ex Kiow contra Tartaros in regionem illorum proceſſiſſet,

Edigam Ducem Temerlani Tartarorum Cæſaris fortunatiſſimi, cum exercitu ſuo multo ſuperiorem videns, conſilio Spithkonis de Melſchtin de pace tractare inſtituit.

Quam etiam Ediga non

di-

1399 *recuſaturus cernebatur.*

ditionibus, per tractatus viciſſim factos, conſenſurum ſe in illam aſtrinxit. Verum cum conditiones ab Ediga Duce *Tartarorum* propoſitæ, A parum honeſtæ viderentur, *Spithko* de *Melſchtin* Palatinus *Cracouienſis*, a nonnullis *Polonicis*, *Almanicis*, *Lithuanicis*, & *Ruthenicis* militibus, celeriora magis, quam tutiora deligentibus conſilia, de pauore exprobratus, agere de pace omiſit. Et de innocentia ſuarum actionum paullulum differens, poſtquam inconſultam & temerariam pugnam magis quam certam pacem aſſumi placebat, *ſe omnis culpæ, omnis ſanguinis fundendi, omnis infelicis pugnæ, poſtquam monuiſſet nec impetraſſet, quid in rem ſatius foret, innocentem* teſtabatur, exhortans: *viderent vt iuxta ma-* B *nus in certamine, iuxta ac linguam in obiurgando, promptas ac pugnaces oſtenderent.* In

multis tamen Polonis & præſertim Paulo Sczukowski Spithkonem pauoris arguentibus

Paulum tamen *Sczukowski Poloniæ* militem genere nobilem de domo *Gryphonum*, qui ferox rapidusque, lingua immodicus, illum mordacius carpendo dixerat; *vt ſi amore pulchræ coniugis, & multiplicitate bonorum temporalium mori metueret, cæteros æquo animo mortem in prælio oppetituros, a pugna non distraheret*, acrius inuectus, & ſermonis indignitate accenſus; *Propitio*, inquit, *Deo, & te hodierna die turpiter fugiturum, & me honeſte moriturum confido.* Nec ſecus quam prædi- C xerat, *Spithkoni* honeſta mors, *Sczukowski* fœda fuga, obtigit. Quapropter vtroque exercitu prælium expetente, infeſtiſſimis ſignis concurſum, & æquo marte ab vtrisque aliquanto tempore pugnatum. Abundante tamen multitudine *Tartarica*, Chriſtianorum res deteriori loco eſſe cœpit.

cum hoſtibus pugna inita eſt,

Alexander alias *Withawdus* magnus Dux *Lithuaniæ*, aciem ſuorum inclinatam videns, militibus ad cuſtodiam ſui corporis, *Sandiuogio* de *Oſtrorog*, & *Dobrogoſtio* de *Schamotuli*, relictis, hortantibus, ne viuus in poteſtatem hoſtium veniens, cladem diei illius inſigniorem effeciſſet, equos mutando effugit. Exercitus vero ſuus a multitudine *Tartarica* fuſus, atque deuictus eſt. Fugientes autem, *Tartari*, in plura miliaria D iubente Duce ſuo *Ediga*, ſequebantur.

& Chriſtiani profligantur

Captus in eo prælio miles *Polonus Zuczka* de *Vayſchino* de *Prawditarum*, *Raphael* de *Tarnow*, filius *Ioannis* Palatini *Sandomirienſis*, *Spithko* vero de *Melſchtin* Palatinus *Cracouienſis* de *Leliwa*, *Ioannes* de *Laſzenice* de *Nałęcz*, *Varſius* de *Michow* de *Raua*, *Socha Płocenſis*, *Pilik Varſchouienſis*, Palatini, *Hannus* de *Dąmbrowa* de *Vadwicz*, *Thomas Vierzink* filius primi *Vierzink* de domo *Łagoda*, *Petrus* de *Miloſław* miles de *Doliwa*, deſiderati: *Bolesłao Swidrigello* germano Regis *Poloniæ Wladislai*, *Sandiuogio* de *Oſtrorog*, *Dobrogoſtio* de *Schamotuli*, cum Duce *Alexandro* euadentibus. *Tartaricus* Cæſar *Themerlin*, cum cuius gente infeliciter a Catholicis pugnatum eſt, varia bella cum finitimis gerens, proſpera fortuna ſemper vſus eſt. Nam & *Turcarum* Cæſarem, cum quo apud *Nicopolim*, vt in ſuperioribus narrauimus, *Sigismundus Hungariæ* Rex infeliciter pugnauerat, exercitu *Turcarum* deleto, cepit, & in captiuitate extinxit. Adeoque per terram circa mediterraneum mare (ſubiiciendo ſibi nationes & terras) graſſatus eſt, vt & *Damaſcum* in *Syria*, *Zoldani Babyloniæ* exercitu conflicto, vaſtauerit. Hortatus *Spithko* de *Melſchtin* Palatinus *Cracouienſis*, ab *Alexandro Withawdo* magno Duce *Lithuaniæ*, acie Chriſtiana iam inclinata in fugamque ſpectante, *vt impendens periculum declinando, ſecum vna fugiendo, ſibi per fugam conſuleret, nihil illum propterea aſtruens dedecoris, ſed magis gloriæ, ſi Principem exercitus ſaluaret, contracturum*; fugere turpiſſimum ratus, remanſit, & intrepide, vt militi & viro Chriſtiano congruebat, in hoſtes ſe infundens, & plurimos obuios proſternens, multis tandem telis confoſſus, & iaculis barbaricis, magnanimum ſpiritum effudit.

1399

Vitholdo cũ Sczukowski fugiente,

& Spithkone pugnante.

Glorioſior mihi videtur *Spithko* Palatinus morte, quam *Withawdus* Dux vita. Præclare enim ego ſecum actum reor, qui aliis per fugam vitam ſeruantibus, ipſe & præſentis æui diuturnam gloriam, & futuræ beatitudinis perenne gaudium, brauium occupauit. Rogatus inſuper & multifarie monitus ab *Ediga Tartarorum* Duce, ne prælio futuro ſe miſceret, aut ſi in propoſito perſeueraret, pileum ab eodem *Ediga* ſibi deſtinatum in capite geſtaret, quatenus huiusmodi inſigni a militibus ſuis, quibus id diſtrictiſſime præceperat, cognitus, ſeruaretur potius quam violaretur, vtrumque deteſtatus & peroſus, vitæ mortem præferens, nobiliſſimam mortem, & quæ cum perennitate temporis celebrabitur, oppetiit, & glorioſior aliquando occubuit quam vixit. Plures & ex eius familiaribus in hoc prælio deſiderati ſunt; videlicet *Bernardus* Marſchalcus, *Nicolaus* Pincerna, *Procopius* Notarius, *Przeczlaus* Vicetheſaurarius, *Dobrogoſtius Sczepyeczki Fricz*, *Ioannes Oderski*, & plures alii. *Paulus Koſczien* de *Sandiszow* de domo *Iaſtrzembczi* alter ex ſuis Theſaurariis ſaluatus per fugam, quoniam in *Poloniam* veniens, & plures hæreditates coëmerat, theſauros ſuos tuliſſe & ſibi vendicaſſe inſimulabatur.

Regina Hedwigi grauida facta, Wladislaus Rex Pontificem Bonifacium, & Reges Principes ad baptiſmũ inuitat.

Intelligens *Wladislaus Poloniæ* Rex, conſortem ſuam, nobiliſſimam fœminam *Heduigim*, concepiſſe, ingenti exultans iubilo, *Bonifacio* Papæ IX, & nonnullis Regibus & Principibus Catholicis, gaudio huiusmodi ſignificato, ad futuri pueri propitia Diuinitate edendi, illos ad baptiſmalia ſpecialibus Nunciis & literis corrogat & inuitat. Sed & vniuerſum *Poloniæ* Regnum, grauidatione Reginæ percrebreſcente, mira impletum hilaritate, lætabatur ſe per vteri Reginalis fœcunditatem, feliciſſimum hæredem Regno *Poloniæ* in præſens, & in

1399 in futurum vtiliſſimum, accepturum. *Bonifacius* itaque Papa IX, voto regio ſatisfacturus, *Albertum Iaſtrzambiecz* de *Lubnicza* Scholaſticum *Cracouienſem*, vice ſua ad futuræ ſolennitatis ſolennia, plena authoritate ſuffultum, nomen ſuum futuræ proli, aptato in vtrumque ſexum vocabulo, iubens imponi, transmittit. Idem quoque faciunt alii Reges & Principes inuitati. De quo ſpeciales literæ, præfati *Bonifacii* Papæ, tales extabant:

Pontifex vero mittit cum breui Albertum Iaſtrzambiecz de Lubnicz electum Poſnanienſem ſuo nomine puerum baptiſandum, & illi ex nomine ſuo nomen Bonifacius imponendũ. Breue Apoſtolicum.

Bonifacius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Chariſſimo in Chriſto filio Wladislao Regi Poloniæ illuſtri, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad Serenitatem tuam, cum ſis pugil & athleta fidei, noſtraque fortitudinis brachium ſingulare gerens, nec immerito & ad ſtatum tuum, præcipue affectionis affectum, & ad chariſſimam, in Chriſto, filiam noſtram, Heduigim Reginam Poloniæ illuſtrem conſortem tuam, ac ſentientes eandem ex te, intra vteri clauſtra ſui, ſemen prolis viuificum (DEO ſit honor & gloria) ſuſcepiſſe, in creatorem omnium, ad quem preces & rogamina noſtra, de noſtri arcano cordis intra miſſarum ſolennia, iugiter, vt Serenitatem tuam ſuamque felici prole potentem efficere dignaretur, effundimus, fuimus non immerito exultati, vt ad futuram poſteritatem ſuper illuſtrante diuina gratia, ad omnipotentis DEI laudem & gloriam, orthodoxæ fidei augmentum, noſtrum & Eccleſiæ noſtræ ſponſæ ſtatum, nominis tui propagationem, Regnique & Dominiorum ſalutem tuorum, tranſmittere valeat ex tuo ſuoque corpore Regios ſucceſſores, Deum timentes, noſque & Succeſſores noſtros Romanos Pontifices, canonice intrantes Romanam Eccleſiam ſponſam noſtram, Eccleſias, Eccleſiaſticaſque perſonas, propter Deum, *cordialiter venerantes, ac præfatum Regnum in pacis pulchritudine, & ſubditos vniuerſos, proſtratis in virtute Altiſſimi barbaris, Chriſtiani nominis hoſtibus, in finitimis & remotis partibus & nationibus gubernantes. Et quia iam tandem ad futurum Regium partum, præmiſſis & nonnullis aliis conſiderationibus paternaliter afficimur, & pro incremento tui nominis atque ſtatus diſpoſiti ſumus, caſibusque quibuscumque, quantum cum Domino poterimus, exponere totius diligentiæ noſtræ curas proponimus, vt futura proles tua, quam præfata Regina ex te, præſtante Domino, fuerit enixa, vltra nomen, quod ex ſacro regenerationis lauacro reportauerit, de noſtro Bonifacii nomine, binominum ſumat nomen, prout ſecundum ſexus emergentiam fuerit accommodum. Nec non ad perferenda fortiter ac potentiſſime bella hoſtis humani generis, per armaturam ſacri myſterii Chriſmatis, ac proſternenda feliciter, in exhibitione ac impreſſione huiuſmodi myſterii noſtro nomine facere, iuxta ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ retineri, ac in compaternitatem, cum eadem tua & ipſius Reginæ Serenitate contrahere ſalutarem; Circa quæ loco & tempore celebranda, dilectum filium Albertum Iaſtrzabiecz Electum Poſnanienſem, Oratorem tuum, tuique ſtatus & nominis (ſicut manifeſte cognouimus) feruentiſſimum zelatorem, in præmiſſis, & eorum quolibet, ac dependentibus & connexis, cum plenæ facultatis officio, tenore præſentium, noſtrum Procuratorem & Nuncium, ſpecialiter deputamus: rata & grata, quæ in præmiſſis aut circa ea neceſſaria & vtilia vel opportuna per eundem facta fuerint, habituri. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, tertio nonas Maii. Pontificatus noſtri anno decimo.* 1399

Partus tempore appetente, monet *Wladislaus Poloniæ* Rex conſortem ſuam *Heduigim* Reginam literis & nunciis, *vt pro futuro puerperio, lectum & thalamum, cortinis, tecturis, & velaminibus, auro, gemmis, & margaritis intextis, adornare non negligat.* Quæ Regi reſpondendo, reſcribit, *ſe pompam ſeculi dudum a ſe abdicaſſe, ſed nec ea in mortis articulo, quam ſæpius partus conſueuit cauſare, vti velle, neque DEO cœli, qui ſterilitatis opprobrio ablato, fœcunditatem præſtitit, in gemmarum & auri nitore, ſed in humilitatis manſuetudine placere.* In quo vno feruens ſua in Deum deuotio notari potuit, quæ etiam licita, & regio ſtatui congrua, verita illis Deum offendi, abnuebat. Die vero partus aduenienie, *Heduigis* Regina duodecima Iunii, filiam enixa eſt. Quæ in *Cracouienſi* Eccleſia a *Petro Viſch, Cracouienſi* Epiſcopo, baptiſata, binomine nomine, videlicet *Eliſabeth Bonifacia*, appellata eſt. Qua edita, ab ægritudine Regina *Heduigis* vexari cœpit. Puella vero nata infra triduum diem obiit. Cuius obitum in eo momento, quo animam exhalabat, matronis eam obſeruantibus, & celare, ne ex dolore ægritudo augeretur, ſatagentibus, nunciauit. Ex poſt vero, infirmitate graſſante, procurata ſacratiſſimo Euchariſtiæ viatico, & oleo benedicto peruncta, deuotiſſime & religioſiſſime, quemadmodum beato ſanguini conueniebat, decima ſeptima Iulii in caſtro *Cracouienſi*, ſanctis & deuotis plena operibus, ſub meridianis horis defuncta, & in *Cracouienſi* Eccleſia ad partem læuam maioris altaris, de prope ſacrarium ſepulta. Facie venuſtiſſima, ſed moribus & virtutibus venuſtior; Catholicæ fidei in *Lithuania* plantatrix. Hæc ſtudium generale, a *Caſimiro* ſecundo *Polonorum* Rege, in oppido *Caſimirienſi* cœptum fundari, inſtaurauit: hæc Pſalteriſtarum Collegium in *Cracouienſi* Eccleſia, iugiter laudes creatori canentium conſtituit: hæc duo altaria in Eccleſia *Cracouienſi*, vnum ſub titulo Sanctæ *Annæ*, aliud ſub titulo Viſitationis *S. Mariæ* Virginis: hæc monaſterium fratrum *Slauorum*, ſub titulo Paſſionis Chriſti fundare & murare cœperat, quod eius morte imperfectum remanſit: hæc in Quadrageſimæ & Aduentus Domini diebus, cilicio & mira abſtinentia corpus domabat. In egenos, viduas, aduenas, peregrinos, &

Heduigis Regina puellam peperit, quæ Eliſabeth Bonifacia, appellata intra triduum obiit.

Deinde paucis poſt diebus etiam Heduigis Regina illius genitrix mortua eſt, multis clara miraculis.

1399 & quaslibet miſerabiles & indigentes perſonas largitione liberali profuſiſſima. Nulla in ea leuitas, nulla ira, nulla notari poterat ſuperbia, inuidia, vel ſimultas. Summa in ea deuotio, immenſus amor Dei, omnibus mundanæ prauitatis faſtibus a ſe relegatis, abdicatisque, tantummodo ad orationem & lectionem librorum diuinorum, videlicet veteris & noui teſtamenti, Omeliarum quatuor Doctorum, Vitas Patrum, Sermonum & Paſſionum de Sanctis, Meditationum & Orationum Beati *Bernardi*, Sancti *Ambroſii*, reuelationum Sanctæ *Brigittæ*, & plurimorum aliorum de *Latino* in *Polonicum* translatorum, animum & cogitationem intenderat. Hæc plures ingenioſos adoleſcentes, Gymnaſiis dantes operam aluit. Hæc omnia clenodia ſua, veſtes, pecunias, & omnem regiam ſuppellectilem, in releuamen miſerabilium perſonarum, & in fundationem Vniuerſitatis ſtudii *Cracouienſis*, eroganda, Executoribus ſui teſtamenti a ſe conſtitutis, videlicet *Petro* Epiſcopo, & *Iaſchkoni* de *Rhaczin* Caſtellano *Cracouienſibus* mandauit. Hæc *Cracouienſi* Eccleſiæ caſulam, cruce margaritis & lapidibus pretioſis intextam, & Rationale margaritis plenum, reliquit. Hæc vniuerſo Orbi catholico adeo propter claritatem morum grata & celebris, vt omnes illam veluti ſanctitatis ſimulachrum in vita venerarentur. Quod vt legentibus clarius pateat, ſummi Pontificis *Bonifacii* Papæ IX, Epiſtolam, illi in vita ſcriptam ſubiicio.

Quæ quemadmodum a ſummo Pontifice honorata ſit, ex Breui huc ſcripto adparet.

Bonifacius Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Chariſſimæ in Chriſto filiæ Heduigi Reginæ Poloniæ illuſtri, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Significamus Serenitati tuæ, quia nos in noſtræ mentis intuitu, conſiderantes eximiæ & ſinceræ deuotionis affectum, quem ad nos & Romanam geris, prout hucuſque laudabiliter veſtigiis recolendæ memoriæ progenitorum tuorum inhærendo geſſiſti, Eccleſiam, eidem Serenitati tuæ plurimum afficimur: Et ſemper fuimus & ſumus diſpoſiti, eandem Serenitatem tuam proſequi ſpecialibus gratiis, & fauoribus opportunis. Ac petitiones tuas, maxime honorem & ſtatum tuum, & chariſſimi in Chriſto filii noſtri Wladiſlai Regis Poloniæ viri tui, ac ipſius Regni, concernentes, quantum cum Deo poterimus, benigne exaudire, adeo quod ſi merita humana progenitorum tuorum cumulata gratioſa meruerint, maiora in veſtris & veſtrorũ perſonis intendimus ampliare. Hortantes eandem Serenitatem tuam, vt dictum Regem virum tuum, in quo ſcimus etiam totam fidem ipſorum Regnorum, & omnium ipſarum partium conſiſtere, tuis prudentibus & ſanis conſiliis continue inducere & allicere, vt in fide & deuotione noſtra, prout laudabiliter conſueuit, velit perſeuerare, & de bono in melius, ut confidimus, continuare, & a fide deuiantes, ad fidelitatem & deuotionem, ac obedientiam huiuſmodi ſollicite inducere, vt proinde præter retributionem diuinam, quam ex A inde conſequimini, humanam laudem & gloriam, ac noſtram & Apoſtolicæ Sedis beniuolentiam, merito conſequi mereamini affluenter. Præterea quia, vt ſcimus, ſæpe contingit, Serenitatem tuam propter importunitatem petentium, & ad preces multorum, quibus cum honore Regiæ Maieſtatis non vales reſiſtere, ſuper aliquorum promotione nobis ſcribere, præter & contra affectionem mentis tuæ, cum potius alios promoueri & ipſis præferri affectares, de quo multoties non valemus certiorari: Propter quod contingit ſæpe, nos aliter prouidere, quam Serenitas tua vellet; hortamur eandem Serenitatem tuam, ut aliquod ſignum B ſpeciale nobis, velit deſtinare, per nos cuſtodiendum. Sub quo ea, quæ affectuoſe & ſpecialiter nos volueris facturos, nobis, quotiens occurrerit, valeas ſignificare, & nos votis tuis huiuſmodi, vt appetimus, gratioſe annuere, ad quod diſpoſiti ſumus toto corde. Et omnia talia, cum dilecto filio Magiſtro Petro de Radolina Protonotario noſtro, honoris & ſtatus tui zelatore feruido, ac nobis & eidem Serenitati tuæ fideliſſimo, communicare, vt per eum etiam clare valeamus de affectibus tuis huiuſmodi informari. Cui in referendis eidem Serenitati tuæ ſuper præmiſſis & nonnullis aliis ex parte noſtra, Serenitas ipſa credere velit, ac C ſibi ab ore noſtro proprio audires, ſicut nos ſibi credere voluiſti: quia de eo, prout tu, fiduciam ſumpſimus ſpecialem. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum quarto Calend. Ianuarii, Pontificatus noſtri anno tertio. 1399

Huius præterea deuotiſſimæ benedictæque mulieris ſanctitas poſt mortem & cineres, apud nos declarata & monſtrata eſt, & in eam declaratur diem, & apud futura ſecula, refrigeſcente multorum charitate, declarabitur. Ipſius ſiquidem patrocinio & meritis, mortui vitam, claudi greſſum, cœci lumen, muti linguam, a dæmonio obſeſſi liberationem, languidi & variis ægritudinibus afflicti, in multifariis preſſuris, conſolationem recipiunt & D ſanitatem. Quæ etiam infra ſcripto celebrata eſt Epitaphio:

Heduigis Reginæ Poloniæ ſanctitas poſt mortem declarata miraculis

Sidus Polonorum, iacet hic Heduigis eorum
Regina nobilis, generoſa quippe fuit.
Hanc tamen Hungaria hæredem eſſe fatetur,
Quam ſibi natura gratia grata dabat.
Hæc quaſi de teſta Ludouici Regis egeſta,
Nucleus inſignis, nobilitate clarens.
Prodiit de porta Regalis ſtirps, & orta
Franciæ nido Domus, denique iuncta viro.
Fibula facta fuit, Lithuaniæque Polonorum
Fœderis amplexu diſſona Regna ligans:
Cæco Paganorum cœtui lumenque miniſtrans
Fidei: cauſante & operante Deo.
Sed more Gigantis animum ratione frenabat
Se ſibi ſubiiciens; nota pupillis erat.
Dos Cleri, res miſeri fuit, Eccleſiæque columna,

& Epitaphium eiuſdem.

1399 Gratia nobilium, ciuium tutrixque pia.
Quid geſtus humilis, quodue ſuperbia nouit,
Noluit eſſe potens, maluit eſſe mitis.
Illa premit hoſtem cœlitus in auſteritate,
Hæc mundi pretium impietate vocat.
Sic bonis humilis, malis fueratque ſuauis,
Et libens & grata, cunctis æqualis fuit.
Non ibi delituit ſcintilla faſtus & iræ,
Sed mitis & patiens, & ſine felle fuit.
Teneris in annis calcata cupidine carnis,
Mentis in arcano obſequiturque Deo.
Lectores format, quos certis redditibus ornat,
Quo ſui memoria iugi in orbe viget.
Cætera non eſſe credo narrare neceſſe.
Obſequia multa præſtitit ipſa Deo.
Si rerum pondus ratio bene conſultat omnis,
Floruit in illa non temerata fides.
Tandem fœmina prole fœcunda Regali,
Hanc parit exultans, protinus inde venit.
Res mala, res flebilis res omni digna mœrore,
Nam parens & nata occubuere ſimul.
O quantos populo lux attulit illa dolores!
Qua ſidus inſigne luce relicta fugit.
Mille tricenteno, anno, nonageſimo nono,
Luna in Aquario, ludente Cancro ſole.
Hora terdena Iulii die ſeptima dena
Petiit occaſum, heu, reginale ſidus.
Occubuit inopum ſolamen, & miſerorum,
Et Mater, & Domina, ſpeſque fideſque ſimul.
Aret, quæ floruit, quam noſtri viuere, ſomnum.
Lethalem patitur, lethali labe carens.
Quid recenſemus vitæ præſentis occaſum,
Quod oritur, occidit, fœnum quod floruit.
Peſſima prauorum mors, optima certe piorum,
Non obiit, abiit, quæ vitam adiit.
Et quia non planctu, ſed prece iuuare neceſſe,
Orate ſupplices corde voceque ſimul.
O Rex Polorum Reginam hanc Polonorum.
Suſcipe locandam in Paradiſo tuo.
Spirat vbi nardus, naſcuntur aromata, nectar
Conficitur, ſudant balſama, mella fluunt.
Dulcia mella fluunt, reſonat harmonia, cantus,
Pellitur vnde fames, tollitur vnde calor.
Odor vbi fragrat, roſa pullulat, ſcaturit amnis,
Ver vbi non glacies, nec vbi regnat hyems.
Amen.

Aliud Epitaphium.

Hoc iacet Heduigis tumulo Regina, Poloni
Quæ merito Regni nobile ſidus erat.
Hæres Pannoniæ quondam felicis, iniquum
Cum nondum ferret Cæſaris acta iugum.
Extitit hæc quondam Ludouici clara propago,
Qui Rex Pannoniæ Sarmatiæque fuit.
Cuius in amplexum veniens Iagyello decorum,
Dux Lithuanorum Sauromatumque fuit.
Heduigis thalamo iunxit duo Regna pudico,
Copula Lithuanis facta Getiſque ſimul.
Hæc quoque ſerpentes, ignem, ſiluaſque colentes,
Duxit ad immenſi numina magna Dei.
Se ratione gerens magnorum ex more virorum,
Subdita pene ſibi, faſtu abeunte, fuit. 1399
Improba forte aliquos, ſi quando preſſit egeſtas,
A Hanc larga ſemper ſuſtulit ipſa manu.
Magnanimoque Pios facientes Sacra Tonanti
Non eſt paſſa ſitim, non tolerare famem.
Templa decorabat magnorum ſacra Deorum,
Adiuuit ære tuam ſic pie Chriſte domum.
Ciuibus hæc tutrix mitiſſima, gratia diues
His, qui fulgebant nobilitate, viris.
Vt bene quid poſſet pompoſa ſuperbia norat,
Sic, quo mitia ſint pectora habenda loco;
Norit vtrumque licet: tamen eſt moderata ſuperbum
Faſtum; ſic mitis, ſic pia ſemper erat.
B Adde pietatis ſtudium, virtutis amorem,
Illius Heduigi maxima cura fuit.
Propterea eſt populi multa celebrata per ora,
Inclyta nil virtus, nil pia facta negant.
Hac faciente, viget quæ nunc Academia doctis,
Fundamen cœpit principiumque ſuum.
Aduocat hæc doctos peregrina a ſede Magiſtros,
Colligit & celebres qualibet arte viros.
Præmia lectori dat ſufficientia docto,
Sic clarum ſpargit nomen in orbe ſuum.
Iſta Bonum ſummum coluit de pectore toto,
Quod tonat in cœli nubibus, atque micat.
Recta fides omni florebat tempore caſtæ
Heduigis, ſpreuit quæ mala cuncta fremens.
Poſt vbi magnanimo fuerat coniuncta marito,
Compleratque vterum ſemine caſta Ducis,
C Tempus erat nondum matura prolis ab aluo,
Cum venit matris regia nata ſuæ.
Venit, & exultans in corde puerpera toto,
Neſcit quo genitam fata ſiniſtra trahant.
Nec Natam tantum teneram, aſt cum prole Parentem,
Sub vacuos manes inuida Parca rapit.
Eheu, occubuit tenera hæc cum matre puella,
Sic geminas animas abſtulit vna dies.
Abſtulit, ah, populumque in acerbo funere merſit.
Vna dies, mortis bina venena tulit.
Quis populi gemitus caligine voluitur atra,
Quanti ſingultus dente ſonante ſtrepunt.
Heu, quantos populo lux attulit illa dolores,
D Qua Regina ſolo, tranſit ad aſtra, ruens.
Ardens littoreum Cancrum Sol igne cremabat,
Silueſtris leporis ſidera luce premens.
Cum Regina parens, & dulcis filia, ſomno
Mortifero pariter lumina mœſta grauant.
Diues pauperibus ſpes eſt ſublata ſalutis,
Solamenque viris abſtulit atra dies.
Plangite nunc miſeri, quibus eſt fortuna ſiniſtra,
Occidit heu veſtræ ſpeſque ſaluſque rei.
Quod prius ingenti ſidus ſplendore micabat
Reginale, carens ecce nitore fugit.
Scilicet humanæ texuntur ſtamina vitæ,
Atque retexuntur, fata vbi dira volunt.
Credo equidem fatis Reginam ad tecta vocatam
Splendida Diuum, quos ſummus Olympus habet.

At

1399 *At vos, quos nondum triplices rapuere ſorores,*
Reginam votis, oro, iuuate piis.
Quam tu, ſumme DEVS, noſtræ ſpes vna ſalutis,
Participem Regni fac, precor, eſſe tui.
Amen.

Wladiſlaus Rex poſtquam funeri Reginæ Heduigis iuſta perſoluiſſet, in Ruſſiã Cracouia abiit;

Triſte nuncio *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, de morte conſortis ſuæ *Heduigis* Reginæ accepto, gemens *Cracouiam* aduenit. Et diebus aliquot in luctu & mœrore abſumptis, accerſitis Prælatis & Baronibus Regni, funerias regio apparatu illi in *Cracouienſi* Eccleſia, quatuordecima Auguſti celebrauit. Iuſta quoque funeri perſoluens, in terras *Ruſſiæ*, quibus longo tempore immoratus eſt, ex *Cracouia* abiit. Venerat etiam ſub eadem tempeſtate *Cracouiam Withawdus* alias *Alexander* Dux *Lithuaniæ*, cum *Anna* Duciſſa conſorte ſua prima, *Heduigim Poloniæ* Reginam in puerperio viſitaturi, & inſignibus honoraturi muneribus. Sed ſolutis funeri iuſtis exequiis, ocyus in *Lithuaniam* rediere. Tunc etiam morte *Heduigis* ſecuta, non vulgaris metus *Wladiſlaum Poloniæ* Regem peruaſerat, de Regno *Poloniæ* ſe eiiciendum fore. Quapropter parabat aſſidue diſceſſionem ex Regno: aſtruens *non congruere ſibi in alieno Regno, poſtquam hæres eius Heduigis Regina ſublata foret, immorari.* Id cum etiam in auribus Conſiliariorum vulgaſſet, & reuertendi in *Lithuaniam* peteret licentiam, a propoſito tam meticuloſo & puſillanimi, Conſiliariorum ſano conſilio reductus eſt, & confirmatus in Regno, metu omni diſpulſo, aſſerentium extare aliam hæredem *Heduigi* propinquiorem, *Annam* videlicet Comitis *Ciliæ* filiam, *Caſimiri* ſecundi Poloniæ Regis ex filia neptem, copula matrimonii illi conſociandam.

ſeque de Regno Regina mortua timens, dum petit a Polonis reuertendi in Lithuaniam licentiam, in Regno confirmatur.

Die Veneris quindecima Auguſti, mulier quædam de *Poſnania*, procurata, in monaſterio fratrum Prædicatorum *Poſnaniæ* diuiniſſimo Euchariſtiæ Sacramento, illud ex ore ſuſtulit, *Iudæis Poſnaniæ* commorantibus venditura. Quod in pratis ciuitatis *Poſnanienſis* repertum, magna mortalibus beneficia in loco inuentionis præſtare cœpit. Cuius rei deuotione *Wladiſlaus Poloniæ* Rex motus, in eodem loco fratrum Carmelitarum erigit cœnobium, ſub titulo *Corporis Chriſti*. Et choro monaſterii de cocto latere pulcherrime fabricato, molendinum regium pro ſuſtentatione fratrum dat prædicto cœnobio in dotem.

Wladiſlaus Rex cœnobiũ corporis Chriſti extra muros ciuitatis Poſnanienſis fundat & dotat.

Sedecima Iunii, *Otha Chelmenſis* Epiſcopus languore correptus, dum annis ſeptem in ſede *Chelmenſi* præſediſſet, moritur, & in Eccleſia Cathedrali *Chelmenſi* debito & iuſto honore ſepelitur. Cui *Iacobus* Canonicus *Chelmenſis*, vir ſpectatæ virtutis, & ex nobili familia *Polonorum* * * * * ortum ducens, per electionem Canonicam ſcrutinii via celebratam ſuccedit, a Summo Pontifice *Clemente* Papa VI. confirmatus.

Othæ Ep. Chelmenſi ſuccedit Iacobus.

Wladiſlaus

Contorali ſua fœmina nobili ac beata, *Heduigi Poloniæ* Regina & hærede vnica, ex cuius connubio nouerat ſe diadema & *Poloniæ* Regnum ſortitum & adeptum fuiſſe, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex orbatus, ſpretum ſe & abiectum iri a Prælatis & Baronibus *Poloniæ* Regni, nulla prole extante, metuens, quam maxime conſternatus, deſtitutoque ſimilis effectus, totus ad regreſſum in *Lithuaniam* ſpectabat, ratus Prælatos & Barones *Poloniæ*, alium ſibi Regem quæſituros. Eo mentis æſtu *Wladiſlaum Poloniæ* Regem fluctuantem, conſiliarii Primores adorſi, vt ſumma rerum diffuſum & dubium confirmant, & illum ſe pro Rege & Domino habituros, ſinceræque fidei ſubiectionem illi præſtituros, repromittunt. Monent inſuper, *ne vnius conſortis & hæredis Regni Poloniæ fatis abſumptæ, deiiciatur, conficiaturque, & ſe a Regno Poloniæ reſiliiſſe, priuandumque fore præſumat, mœrore. Supereſſe aliam hæredem Regni Poloniæ æque iuſtam, virginem nubilem Annam, Comitis Ciliæ Vilhelmi filiam, quam illi Anna Caſimiri* ſecundi *Poloniæ* Regis filia pepererat. Ad cuius Patrem procos mittendos perſuadent, nihil priore inferiorem. Quod etiam *Heduigis* Regina e viuis exceſſura, aſſumendum rogauerat, connubium habiturum. Summo conſenſu ſummaque hilaritate, *Wladiſlao* Rege id probante conſilium, proci extemplo *Ciliam* mittuntur, *Ioannes* alias *Iwan* de *Obichow* Caſtellanus *Srzemenſis* de domo *Vienyawa*, *Hinczka* de *Rogow* de domo *Dzialoſcha*, & *Ioannes* de *Oſtrowcze* de domo *Bipennium*. Quorum legatione Comes *Ciliæ Hermannus* patruus virginis (iam enim Pater ſuus *Vilhelmus* diem obierat) audita, in lachrymas, quas magnitudo gaudii eliquabat, reſolutus, neptem ſuam abſque vlla cunctatione, Legatis regiis tradidit, felicem ſe & domum ſuam profeſſus, poſtquam tam alta meruit affinitate illuſtrari. Quæ per *Pannoniorum* terras in *Poloniam* adducta, *Cracouiam* introiuit. Quam *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, Principum & Baronum magnifica comitatus caterua, in occurſum eius extra portam egreſſus, honorifice excepit. A Proceſſionibus inſuper omnium Vrbis Eccleſiarum obuiam illi itum eſt. Et quoniam virgo præfata nullam linguam præter *Almanicam* nouerat, ordinatione regia, octo prope menſibus *Cracouiæ*, ſub quibus *Polonico* imbuebatur idiomate, ſtetit. Quod priuſquam magis intelligere didiciſſet quam ſonare, regio toro coniuncta eſt. Venerant autem conducendo *virginem* præfatam *Annam*, milites ex *Cilia* videlicet, *Vlricus Schenk* de *Oſterwicz*, *Albertus* de *Koſzyak*, *Andreas Puxer*, *Conradus Perner*, *Fredericus Lendeker*, *Ludouicus Schaſz*, & *Nicolaus Volker*: qui feria ſexta poſt feſtum omnium Sanctorum, cum *Petro Cracouienſi*, *Nicolao Wladislauienſi* Epiſcopis, & Baronibus *Ioanne* de *Thaczin* Caſtellano *Cracouienſi*, *Ioanne* de Tar-

1400 *Rex in Regno Poloniæ poſt mortem Heduigis Reginæ confirmatus*

mittit ad Ducem Ciliæ pro filia Anna in matrimonio ſibi deſponſanda, Caſimiri olim Poloniæ Regis nepte.

Quam oratores adducunt,

Tarnow Palatino *Sandomirienſi*, *Petro Kmitha* de *Wiſznicze Lublinenſi*, *Nicolao* de *Michałow Voynicenſi*, *Clemente* de *Moſkorzow* Regni *Poloniæ* Vice-Cancellario, & *Zegotha* Vexillifero *Cracouienſi*, conuentu apud *Biecz* habito, deſponſationem apud *Ciliam* factam, innouant, & matrimonium inter *Wladislaum* Regem, & *Annam* virginem, nouis pactis, nouisque fœderibus, ſtabiliunt & confirmant. Abnuere enim & reſcindere illud *Wladislaus Poloniæ* Rex aliquanto tempore, quod *Anna* virgo parum præſtantis formæ ſibi appareret, moliebatur. Vnde & in procos ſuos *Iwanum* de *Obichow*, *Hinczkam* de *Rogow*, & *Ioannem* de *Naſchian*, quod viſa virgine, concluſionem ſanxerant matrimonii, fuit iratior: nec indignationem propterea conceptam, nonniſi poſt annos aliquot, multorum Conſiliariorum precibus expugnatus, remiſit.

& ob eius deformitatem Wladislai Regis indignationem incurrunt.

Imperii Electores, videntes Regnum *Romanorum*, ex ſegnitie & leuitate *Venceslai Romanorum* & *Bohemiæ* Regis, decus ſuum ſenſim amittere, conuentu apud *Francfordiam* ſupra *Mœnum*, in feſto Sancti *Bartholomæi* habito, *Rupertum Bauariæ* Ducem vocatum *Clema*, in Regem *Romanorum* eligunt. Qui de ſe electioni factæ parum prouide (cum *Venceslaus* niſi iudicio ſuperioris deponi non poſſet) conſentiens, ſe *Romanorum* Regem & ſcripſit & geſſit. Imperio abiectus *Venceslaus* domi torpens, & ex priſca conſuetudine vino ciboque marcens, & lucem nocti dormiendo coniungens, illaudatum egit æuum.

Wenceslaus Rom. Rex de Regno deponitur, & Rupertus Bauarus ſufficitur.

Amplitudinem fidei & religionis Chriſtianæ, honorem diuinum eiusque cultum, ac gentis *Polonicæ* & *Lithuanicæ Wladislaus Poloniæ* Rex zelatus profectum, in ciuitate regia *Cracouienſi Polonorum* capite & metropoli, feria ſecunda poſt feſtum Sancti *Iacobi* Apoſtoli, ſtudium erigit fundatque generale. Cuius fundationem *Heduigis* Regina, magna inſtantia maximoque conatu & prece, dum viueret, procurabat. Doctoribus autem & Magiſtris cuiuslibet facultatis & profeſſionis ex *Pragenſi* vniuerſitate, *Polonici*, *Bohemici*, & *Almanici* idiomatis accerſitis, nouellæ Vniuerſitati cenſus regios, in Zupparum, qui ſal gignunt, montibus, villis, cæterisque introitibus, item Prælaturas & Præbendas omnes collationis & Iuriſpatronatus Regii, Sancti *Floriani* ſola Præpoſitura ſibi reſeruata, largitur. Ex domo autem lapidea *Akersdorff* in platea Sanctæ *Annæ* Artiſtarum & Theologorum; ex domo vero *Sandiuogii* de *Subino* Palatini *Poſnanienſis* in platea Caſtrenſi, ſitis, Canoniſtarum & Medicorum, Collegia, quarum vtraque pecuniis *Heduigis* Reginæ in opus huiusmodi derelictis, per Executores comparata eſt, eriguntur. Cœpit autem ſtudium generale *Cracouienſe*, per *Wladislaum Poloniæ* Regem & *Heduigim* Reginam primarie fundatum, & a Summo Pontifice *Ioanne XXIII*, & poſtea a *Martino* quinto Papa confirmatum, extunc in ſuppoſitis & variis ſcientiis, artibus & doctrinis, vehementer florere ac creſcere, & viros de genere *Polonico* doctos, induſtrioſos, & ſenſatos producere, *Polonicique* Regni famam & gloriam diffundere & dilatare. Cuius etſi plura, propitia Diuinitate numerentur extentque decora, nullum tamen reor *Polonico* generi æque magnificum ac neceſſarium, æque fœcundum & vtile, æque glorioſum ac illuſtre, pro confutandis opprimendisque hæreſibus & erroribus, pro ſerendis virtutibus, pro illuminandis vitiis, pro defendenda iuſtitia, pro illuſtranda veritate. Quod etſi dudum per *Caſimirum* ſecundum *Poloniæ* Regem ordinatum fuerit, & Collegium muro in *Caſimiria* erectum, non tamen conſumatum. Circa autem fundationem Vniuerſitatis & Studii *Cracouienſis* per *Wladislaum* Regem *Poloniæ* factam, fuerunt præſentes, *Petrus Viſch Cracouienſis*, *Nicolaus Kurowski Wladislauienſis*, *Albertus Iaſtrzembiecz Poſnanienſis*, Epiſcopi: *Ioannes* de *Thaczin* Caſtellanus *Cracouienſis*, *Ioannes* de *Tarnow Sandomirienſis*, *Iacobus* de *Konieczpole Siradienſis*, *Ioannes Ligęza Lancicienſis*, *Sandiuogius Caliſſienſis*, *Matthias Gniewkouienſis*, *Crzeslaus Brzeſtenſis*, Palatini: *Petrus Kmitha Lublinenſis*, *Criſtinus* de *Koziegłowy Sandecenſis*, *Imramus Zauichoſtenſis*, Caſtellani: & *Clemens* de *Moskorzow* Regni *Poloniæ* Vice-Cancellarius.

Collegium maius Artiſtarum, in platea S. Annæ, & Canoniſtarū in platea Canonicorum Cracouiæ a Rege Wladislao fundantur.

Zelum & deuotionem viri nobilis *Ioannis* de *Tarnow* Palatini *Sandomirienſis*, quibus laudis diuinæ, cultusque ſui amplitudinem in Dominio ſuo *Tarnouienſi*, procurare ſub diebus ſuis magnopere æſtuabat; *Petrus Cracouienſis* Epiſcopus ſupplici inſtantia ab eo rogatus, impleturus, in oppido eiusdem *Ioannis* Palatini *Sandomirienſis* hæreditario, *Tarnow*, ſub titulo Beatiſſimæ Virginis *Mariæ*, ex Eccleſia Parochiali, titulo eius extincto, fundat & erigit Collegiatam. De prouentibus autem Eccleſiæ prædictæ *Tarnouienſis*, tres Prælatos creauit; Præpoſitum, cui curam animarum & Vicariorum committit, cuſtodem & Primicerium ſiue Cantorem, & cuilibet certos prouentus in dotem conſignat. Item duos Canonicatus & Præbendas: quorum vni Prouentus Præbendæ caſtrenſis in *Tarnow*; alteri prouentus Altaris Sancti *Bartholomæi* annectit. Et tam Dignitatum quam Præbendarum, Præſentationem & collationem, præfato *Ioanni* Palatino *Sandomirienſi*, & poſteritati ſuæ, ſexus duntaxat maſculini, reſeruat, item quinque Vicarios, horas Canonicas, nocturnas & diurnas cantaturos, per Prælatos & Canonicos ſalariandos. Proceſſu autem temporis, ſub *Alberti Iaſtrzabiecz* Pontificatu, ad petitionem *Ioannis* de *Tarnow*, Palatini *Cracouienſis*, filii *Ioannis* de *Tarnow* præfati Palatini *Sandomi-*

Collegiatam Eccleſiam fundat Ioannes de Tarnow, ibidem, Palatinus Sandomirienſis.

1400 *dominienſis*, alii duo Canonicatus Præbendati, in eadem *Tarnouienſi* Eccleſia fuere creati & inſtituti.

Oſſwyaczimenſis Dux Przemiſlaus in itinere occiditur.

Prima die Ianuarii *Przemiſlaus Oſſwyaczimenſis* Dux iunior, filius *Przemiſlai* ſenioris vocati *Noſzak*, filii Ducis *Teſchnenſis*, dum vehiculo vectus ex *Gliwicze* in *Theſzin* procederet, ſubordinatione *Ioannis Rathiborienſis* Ducis, per *Martinum Bohemum*, dictum *Chrzan*, & ſuos complices, occiſus eſt, & in *Theſzin* apud monaſterium fratrum Prædicatorum ſepultus. Tantus autem *Przemiſlao* ſeniori Duci *Theſznenſi*, ſanguinis filialis iniuſte effuſi fuit vlciſcendi ardor, vt apud *Bohemos* & *Morauos*; & ſignanter apud Baronem *Morauiæ* de caſtro *Zampach*, in quorum obſequiis morabatur, præfatum *Martinum Chrzan* mille ſexingentis millibus latorum groſſorum *Pragenſium* ſexagenis coëmeret, & per terrigenas *Theſchnenſes* & *Oſſwyaczimenſes*, numerum ſexingentorum equorum explente, in *Theſchin* deductum, ſe & magna populi multitudine inſpectante, in equo æneo viuos carbones intus habente, per ſingulos vicos, plateas, & circum *Theſchin* vectum, tribus carnificibus igneis forcipibus corpus eius per pecias frangentibus, & ad extremum viſcera eius effundentibus, vario & raro mortis genere excarnificaret. Reliquit idem *Przemiſlaus* iunior, vnicum filium Caſimirum. Simili damnationis genere complices præfati *Chrzan*, videlicet *Petrus Watrobka*, *Ioannes Trzeczen*, & alii quatuor occiſi ſunt.

Cuius necis autorem Theſznenſis Dux pater occiſi magna ſumma æris emtum nouo & acerbiſſimo mortis genere necat.

Cometes apparet, & Temerlinus Tartarorum Imperator Bayzetum Turcarum vicit

In Quadrageſimæ principio, ſtella crinita ſeu cometes apparuit. Quæ caudam verſus occidentem protendens, per dies quadraginta vel circiter durauit. In illius vero anni æſtate, conflictus pergrandis inter *Themerlinum Tartarorum*, & *Bayzethum Turcarum* Imperatores, commiſſus eſt. In quo *Themerlino Tartarorum* vincente, *Bayzethus Turcarum* Cæſar conflictus, captus, & occiſus eſt.

1401

Nuptiæ inter Wladislaum Regem, & Annam olim Caſimiri Regis neptem, celebrantur.

Tempus hiemis fere vniuerſum in ora *Lithuanica*, *Poloniæ* Rex *Wladislaus* immoratus, in Regnum *Poloniæ*, ducens ſecum carnes ſilueſtrium ferarum varii generis, quas apud *Lithuaniam* venatione ceperat, diuertit, & *Cracouiam* pro diebus Carniſpriuii venit. Vbi virgine *Anna*, Comitis *Ciliæ* filia, & *Caſimiri Poloniæ* Regis nepte, ſolenni voto in Eccleſia *Cracouienſi* deſponſata, ſolennitatem etiam celebrat nuptiarum: Ducis magni *Lithuaniæ Withawdi* alias *Alexandri*, & ſuæ conſortis *Annæ*, & multorum Principum & comitum, ex variis terris, qui inuitati conuenerant, præſentia perſonali honoratam. Curia autem regia proclamata, pluribus diebus per Duces, Comites, & milites, haſtis dimicatum & luſum eſt. Solennitate vero nuptiarum expedit Dux magnus *Lithuaniæ Alexander*, & conſors ſua *Anna*, quam cæteri Principes, Comites, & hoſpites, per *Wladiſlaum Poloniæ* Regem, magnificis honorati muneribus, & ſingula neceſſaria, in abundantia aduenientibus, præſentibus, & reuertentibus, per Regios Præfectos adminiſtrata. 1401

Rupertus Dux Bauariæ coronatione Imperiali aſſecuta, in Italiam accelerat. Prohibitus tandem a Duce Mediolani, per Venceslaum Bohemiæ Regem ex Barone creato, redit in Almaniam. Rege Venceslao & eodem Ruperto ſe pro Imperatore gerente.

Conuentu in *Francofordia* ſupra *Mænum* Imperii Electores celebrato, *Venceslaum Romanorum & Bohemiæ* Regem, moribus ſuis actionibusque, & eo præcipue, quod in petenda corona Imperii cunctantius ſe, quam ſat erat, geſſit, & morum ſuorum leuitate offenſi, a *Romanorum* Regno & iure ipſius deſtituunt, & *Rupertum Clemam* Ducem *Bauariæ*, & Comitem Palatinum *Rheni* concordi electione ſubſtituunt. Qui cum prima coronatione apud *Aquiſgranum* percepta, pro reſiduis conſequendis in *Italiam* maturaſſet, a Duce *Mediolani Galeacz* nomine, quem *Venceslaus Bohemiæ* Rex ex Barone Ducem *Mediolani* creauerat, moleſtius ferente a ſuo creatore faſtigium Imperiale reſcindi, ne *Mediolanum* ingrederetur, prohibitus, in *Almaniam* cœpto irrito rediit. Vtroque autem ſe pro *Romanorum* Rege gerente, annis ſex, quibus *Rupertus Clema* vixit, ſchiſmate execrabili *Romanorum* Imperium rotari non deſiit. Et quaſi parum eſſet Eccleſiam Dei ſciſſam eſſe, ſimilis quoque peſtis, non tam diuturno tamen tempore graſſatura, in Imperium irrepſit.

Sigiſmundus Hungariæ Rex captus Nicolao de Gara, cuius patrem Palatinum Hungariæ damnauerat traditur. A quo matris inſtinctu honeſte in captiuitate habitus, & tandem etiam, Wladislao Rege pro relaxatione illius inſtante, & Stiborio de Stibozicze

Mores & actiones *Sigiſmundi Hungariæ* Regis, Barones & milites *Hungariæ* vehementer peroſi, Conuentu apud *Budam* indicto, præfatum *Sigiſmundum* Regem, vltima Aprilis, in *Budenſi* caſtro captiuant. A facinore autem & dedecore mortis ſuæ, quam illi accidere æſtuabant, ſe ſatagentes oſtendere immunes, *Nicolao* de *Gara* filio *** Palatini *Hungariæ*, eo præcipuo impulſi reſpectu, quod in ſolatium necis paternæ eum eſſet extincturus, tradunt. Patrem enim præfati *Nicolai* de *Gara* Palatinum *Hungariæ*, ob quædam demerita, & ſignanter, quia *Carolum* de pace, *Sigiſmundo* repulſo, *Hungaris* Regem præficere conatus eſt, *Maria* conſorte ſua procurante, & vltum iri Palatini perfidiam æſtuante, capite damnauerat. Frequentibus autem literis & nunciis *Wladiſlai Poloniæ* Regis, Prælati & Barones *Hungariæ*, pro relaxatione *Sigiſmundi Hungariæ* Regis, quibus aſtruebat, *honori eorum non conuenire, vt proprius Rex detineatur ab illis captiuus*, ſolicitati, conuentum in *Thopolczani*, vndecima Iunii celebrant, & *Henricum* militem, ad *Wladiſlaum Poloniæ* Regem tranſmittunt: allegantes plures cauſas, quibus vrgentibus impulſi, voluntati ſuæ vim inferendo, Regi ſuo *Sigiſmundo*, captiuitatem, (quam vocabant arreſtum) intulerant. *Poloniæ* tamen Rex *Wladislaus* etiam poſt expoſitas captiuitatis cauſas, procurare dimiſſionem *Sigiſmundi* Regis, magnopere perſeuerauit. Fidiſſimus autem *Sigiſmundo Hungariæ* Regi miles *Stiborius* de *Stiborzicze*, *Polonus* genere de domo *Oſtoia*, in quem

1401 quem omnes curas cogitationesque ſuas, & liberationis ſpem, *Sigiſmundus* Rex verterat, ex caſtris *Tracziu*, *Nitra*, & aliis, cum fre- A quenti *Polonorum* & *Bohemorum* manu armata in vniuerſum *Hungariæ* Regnum graſſatus, multas arces munitiſſimas, multoſque Barones ceperat, relaxationem Domini & Regis ſui, ſtudio vigilantiſſimo intendendo. Pro qua fide *Sigiſmundus* Rex, ipſum & ſemen ſuum vſque in diem mortis ſuæ, magno dignatus eſt tam præmio extollere, quam honore. Conſulente autem ſolerti & prouida matre, *Palatini relicta*, ne filius quicquam graue in captiuum, & ſibi traditum *Sigiſmundum* Regem conſuleret, cum excarnificato Rege, ſempiternam ſibi & domui ſuæ ignominiæ notam, nullo ſolatio de parentis nece, qui am- B plius viuificari non poſſet, quæſito, foret inuſturus, præfatus *Sigiſmundus* Rex, eadem agente & procurante matre, vt filius paternæ necis iniuriam beneficio penderet, a captiuitate ab eodem *Nicolao* de *Gara*, quem altis proceſſu temporis efferre non deſtitit honoribus, benigne habitus & fotus eſt, & finaliter dimiſſus. Pertulit & ipſe *Sigiſmundus* Rex eodem anno grande ſui ſtatus diſpendium, Nam *Bonifacius IX. Siciliæ* Regem *Ladiſlaum* ſatagens amplius extollere, omnem cenſum, in qua *Romanæ* Eccleſiæ obligabatur, indulgens, & triennalem decimam in Regno *Siciliæ* concedens illi, eundem etiam in *Hungariæ* Regem, per *Angelum* Cardinalem E- C piſcopum *Hoſtienſem*, appellatum *Florentinum*, ciuitate *Dalmatiæ Iadra*, in qua Corpus Sancti *Simeonis* ſenis aſſeritur quieſcere, ſub præſentia aliquorum Baronum *Hungariæ*, coronari in præiudicium veri Regis *Sigiſmundi*, procurauit. Quo cognito *Sigiſmundus* Rex, cum forti exercitu *Dalmatiam* ingreſſus, *Ladiſlaum* ex illa turpiter depulit. Fautores vero illius, tam Eccleſiaſticos quam ſeculares, pœnis grauiter mulctauit.

domus Oſtoia, propter captiuitatem illius, cui inſeruierat, in Hungariam hoſtiliter graſſante,

dimiſſus.

Interea vero Ladiſlaus Siciliæ Rex in Regem Hungariæ coronatur,

& per Sigiſmundum ex Dalmatia pellitur.

Nouis ſimultatibus inter *Lithuaniæ* magnum Ducem *Alexandrum* alias *Withawdum* & Cruciferos *Pruſſiæ* & *Liuoniæ* coortis, Magiſter *Liuoniæ*, cum hoſtili exercitu *Lithuaniam* ingreſſus eam multifarie peruaſtat. Cui D *Alexander Withawdus* magnus Dux *Lithuaniæ*, qui ſe viribus inferiorem, & ſubditorum ſuorum fluxos, & fidei noſceret ambiguæ reſiſtentiam facere non audebat. Milites tamen & pugnatores ſuos in *Vilno* conuenire iuſſos, continebat. *Liuonitis* autem vaſtatione peracta, in propria abſque hoſtili metu de *Lithuania* regredientibus, *Alexander* magnus *Lithuaniæ* Dux, auxilio militum, quos illi *Wladiſlaus Poloniæ* Rex transmiſerat, coauctus, *Liuonitas* adeo ſilenti agmine perſequi cœpit, vt quoslibet eorum cuſtodes falleret, & in ſtatiua eorum heſterna, in quibus focos ardentes, & fœni atque auenæ reperiebat reliquias, pedetentim die altera ſuccedebat. *Liuonitico* autem exercitu in propria pertingente, & in varia loca, ad videndum coniuges & pignora, præpeti curſu diſtracto, *Alexander* magnus Dux *Lithuaniæ Liuoniam* ingreſſus, pluribus vicis & oppidis, cæde, ſpolio, & igne vaſtatis, oppidum munitum *Dwina* capit. Quo in prædam militi conceſſo, arcem, ad quam plerique oppidanorum confugerant, quamuis illius difficilis & periculoſa conquiſitio videretur, expugnare adorſus, per deditionem *Cruciferorum* ac militum illud tenentium, qui cum Diuiniſſimo Sacramento proceſſionaliter egreſſi, tantummodo ne in eos ſæuiret, capit. Ex cuius ſpoliis (plurimæ enim in illo de varia materie congeſtæ erant opes) exercitus *Withawdi* ditatus eſt, *Petrus Ritherski* de *Piſzari*, *Polonicus* miles, de domo *Bipennium*, in ea expeditione telo ictus, dum ferrum extrahi Chirurgorum induſtria nequiret, triennio illud, grauiſſimam vexationem perferens, geſtauit: quod tandem carnem perforando, in pedis planta erupit. Oppido autem & arce confl gratis, *Withawdus Lithuaniam* (veritus ne ab hoſtili præoccuparetur exercitu) felix & incolumis repetiit.

Vitholdus Lithuaniæ Dux

Liuoniæ Magiſtrū terras Lithuaniæ ingreſſum

dum in Liuoniam ſecurus rediret inſequendo, multa damna Liuonitis infert,

& caſtrum Dwina cum ciuitate munitiſſima diripit & conflagrat.

Iodocus Morauiæ Marchio, ob quaſdam ſimultates contra *Venceſlaum Romanorum* & *Bohemiæ* Regem, ſpiritu indignationis & furoris exagitatus, inito & percuſſo cum *Miſſchenſibus* Marchionibus fœdere, ac eorum adiutus perſonali præſentia, *Bohemiam* cum hoſtilibus ingreditur exercitibus. Et magna parte eius vaſtata, in vituperium & opprobrium hoſtis ſui *Venceſlai* Regis, in ferarum horto, e regione caſtri *Pragenſis* ſito, caſtra ſua ſimul cum Marchionibus *Miſſchnenſibus* ponit, & diebus aliquot ibi ſtatiua continuat, *Venceſlao* Romanorum & *Bohemiæ* Rege, in caſtro *Pragenſi*, cum ſuis militibus præſente & inſpectante.

Marchio Morauiæ Bohemiam vaſtat.

Octaua Maii *Wladiſlaus Oppolienſis* Dux, nulla prole relicta apud *Opol* moritur, & in monaſterio Fratrum Minorum *Oppoliæ* in Choro ſepelitur. *Caſimiri* ſecundi *Poloniæ* Regis nepos ſecundum carnem ex ſorore germana.

Nuptiarum ſolennitati *Wladiſlaus Poloniæ* 1402
Rex, quam anno ſuperiori tranſegerat, coronationis adiicit ſolennitatem, & in Dominica Quinquageſimæ, in *Cracouienſi* Eccleſia, per *Dobrogoſtium Gneſnenſem* Archiepiſcopum, *Annam* conſortem ſuam, in *Poloniæ* Reginam coronari & inungi procurat. Confluxerat autem in eam diem Pontificum, Principum, Comitum, & Baronum, a Rege *Wladiſlao* ſpecialibus Nunciis rogatorum, multitudo. In quorum meliorem honorem, diebus aliquot, a militibus dimicationis ludus habitus eſt, & athletæ a *Wladiſlao* Rege præmiati. Aduenerat etiam ad coronationem hanc, genitrix Reginæ coronatæ *Anna* filia Regis *Caſimiri*, quæ primo viro Comite *Ciliæ Vilhelmo* mortuo, Comiti de *Dek* nupſerat, a *Wla-*

Anna conſors Wladiſlai Regis in Reginam Poloniæ coronatur.

1402 *Wladiſlao Poloniæ* Rege inuitata, & immenſo perfuſa expletaque gaudio, quod illi & patrium inuiſere Regnum, & prolem ſuam in regio leuatam throno ſpectare contigerat, pluribus a *Wladiſlao* Rege honorata muneribus, ad virum rediit.

Mittunt Legatos Hungari ad Wladiſlaum Poloniæ Regem, ut Regni Hungariæ diadema ſuſciperet.

Moleſtias captiuitatis ſiue arreſti, *Sigiſmundo Hungariæ* Rege perferente, notabiles Nuncii a Prælatis & Baronibus *Hungariæ* deſtinati, ad *Wladiſlaum Poloniæ* Regem, decimaoctaua menſis Iunii *Cracouiam* peruenilunt. Et recitatis cauſis, ex quibus iuſtam ſe rebantur captiuitatem Regi ſuo *Sigismundo* intuliſſe, precabantur *Wladiſlaum* Regem, *quatenus Regni Hungariæ, cuius ſibi iuſta, ratione Heduigis Reginæ filiæ Ludouici Regis, debebatur ſucceſſio, ſuſciperet diadema.* Qui ea legatione permotus, in nouam *Sandecz* ex *Cracouia*, nullo *Hungarorum* nunciis edito reſponſo, venit. Vbi nouis & grauibus ab *Hungarorum* Legatis, de aſſumendo *Hungarico* Regno ſolicitatus inſtantiis, reſpondit: *Neque ſuæ, neque illorum conuenire honeſtati, iuſto & viuenti Regi Regnum adimi: Soluerent potius Regem, quem ceperunt, vinculis, & ſe probro eo vno, facile ſuæ & Regni ſui neceſſitati & indigentiæ honeſtius prouiſuri. Neminem eo dementiæ labi, vt ſe ludibriorum nodis, quibus alium tractari conſpicit, inuoluat.* Eo reſponſo *Hungaris* tam ingens pudor iniectus eſt, vt reuerſi, illico *Sigismundum* Regem ſoluerent. Ad quem Nuncii *Wladiſlai* Regis *Poloniæ* miſſi, quibus ſe ſignificabat, *pro illius ſolutione omni officio intendiſſe, & ni ſecuta fuerit, armis & ferro eam effecturum fuiſſe,* magna *Sigismundum Regem* hilaritate impleuerant.

Quibus ſe id non poſſe legitime facere, Rege eorũ viuo veroque exiſtente, reſpondit.

Dobrogoſtius Gneſnenſis Archiepiſcopus, exactis in *Gneſnenſi* Pontificatu annis circiter octo, in villa ſua Archiepiſcopali *Chelm* prope *Vnieiouienſe* oppidum, moritur, & in Eccleſia *Gneſnenſi* ſepelitur. Cui *Nicolaus Kurowski Cracouita* de domo *Srzeniawa, Wladiſlauienſis* Epiſcopus, anno eodem per Canonicam electionem, & Regiam interceſſionem ſuccedit; & integro biennio vtramque ſedem, fructus vtriuſque percipiens, tenuit: donec *Ioannes Kropidlo Oppolienſis* Dux ad *Wladiſlauienſem* ſedem, a qua pulſus, & annis multis excluſus, ob perfidiæ facinus, fuerat, quod cum Cruciferis de *Pruſſia* ſenſiſſe ferebatur, Rege placato, reſtitui obtinuit. Cui in exilio agenti, Magiſter & Ordo *Culmenſis* Sedem conferri procurauerant. Fuit tamen de *Culmenſi* proceſſu dierum, in *Camyenenſem* tranſlatus. In qua tenuem & triſtem ſtatum ducens, annis aliquot deguit.

Nicolaus Kurowski a Wladiſlauienſi Eccleſia ad Gneſnenſem transfertur, & biennio tenet utramque quouſque ad Wladiſlauienſem Ioannes Kropidlo reſtituitur.

Benedictus XII. ad Bonifacium IX nuncios pro abolendo ſchiſmate mittit.

Venientibus *Romam* ſolennibus Nunciis *Petri* de *Luna*, alias *Benedicti* duodecimi, & in publica audientia humiliter & ſubmiſſe *Bonifacio IX, ſupplicantibus, quatenus cum eorum Domino Benedicto duodecimo, ad id optime diſpoſito, inueterato ſchiſmati finem poneret:* *Bonifacio* ſuperbe & ample ad huiuſmodi petitionem reſpondenti, & ſe verum Papam, *Benedictum* vero Antipapam arroganter deducenti, præfati Nuncii reſpondendo, *Dominum ſuum Benedictum XII*, aſtruebant *Simoniacum non eſſe*, innuendo typice *Bonifacium* Simoniacum fore. Quo verbo *Bonifacius* ipſe, plus quam credi poteſt, offenſus, & in choleram immoderatam accenſus, calculi morbo agitari cœpit, atque in lectum ægritudinis decidens, tertia expoſt die, immediate ſequente, prima videlicet Octobris, efflauit animam; dum annos quatuordecim ſediſſet. Captiuati autem fuerunt iſti Nuncii *Petri* de *Luna*, violato ſaluo conductu & iure gentium, per Capitaneum caſtri *S. Angeli*, quaſi occaſionem mortis *Bonifacii* præſtitiſſent, nec prius, niſi ſolutis quinque millibus florenorum, ex caſtro *S. Angeli*, in quo detinebantur, dimiſſi. Sepulto autem corpore præfati *Bonifacii* in Eccleſia *S. Petri*, Nuncii præfati *Petri* de *Luna* Cardinales *Bonifacii* conclaue ingreſſuros accedentes, ſummopere rogabant, *vt ſe ab alterius Pontificis electione abſtineant, pacemque afflictæ procurarent Eccleſiæ, gratiſſima noua poſt paucos dies, ſi ſe continuerint, audituri.* Sed repudiatis huiuſmodi precibus, Cardinales prædicti conclaue ingreſſi, primum iurarunt omnes & vouerunt, *vt quicunque ex eis eligeretur in Papam, vnionem omnibus procuraret viribus, & de iure Papatus* [*Petro de Luna cedente*] *cederet.* Deinde ad electionem noui Papæ procedentes, *Coſſmatum* tituli Sanctæ *Crucis* in *Ieruſalem* Presbyterum Cardinalem, elegerunt in Papam, qui vocatus eſt *Innocentius VII.* Vir modeſtus, pacificus, & probus, ex oppido *Salmone* in *Sicilia*, de mediocri ſtatu oppidanorum natus, caſtæ vitæ Canonum Doctor, & in Poëſi ſufficienter doctus, per *Bonifacium IX*, cum eſſet Epiſcopus *Bononienſis*, in Cardinalem promotus. Sub eo autem tempore ablatum fuit Dominium temporale vrbis a Papa, & per ſeptem *Romanos*, qui *Prudentes* appellabantur, regebatur. Quod moleſte ferens nepos dicti *Innocentii*, *Ludouicus* de *Melioratis*, præfatos ſeptem Regentes occidit. Ob quorum necem ſeditione exorta, *Cortiſani* plures numero violati & occiſi *Innocentius* vero Papa cum Cardinalibus, *Roma* relicta, fugiens, *Viterbium* peruenit Papale. Cuius Palatium per *Ioannem* de *Columna* & gentes ſuas, ſpoliatum & direptum *Romæ*.

Qui offenſus a nuncio exprobratione Simoniæ moritur.

In cuius locũ Cardinales Innocentium VII. eligunt.

1403 Congeſto ex *Polonorum*, *Lithuanorum* & *Ruthenorum* militibus exercitu. *Alexander Withawdus*, magnus *Lithuaniæ* Dux, procedit ad conquirendam terram *Smolnenſem*, regionem opulentam & fœcundam, a *Ruthenis* inhabitatam. Quam annis decem, bellis vexare non deſtitit aſſiduis, in quibus illi *Wladiſlaus Poloniæ* Rex annis ſingulis nouas *Polono-*

Vitholdus Lithuaniæ Dux, Ducatum Smolnenſem, vi per decenniũ

rum

1403 *Polonorum auxilio acquiſitum.*

rum cohortes mittere ſolitus fuerat,& ſine quorum auxiliis aliquam expeditionem contra *Smolnenſem* non obibat. Regione autem *Smolnenſi* ſpoliis & incendiis vaſtata, caſtrum *Smolensko*, caput & Metropolim gentis, in quod *Smolnenſes*, coniuges, liberos, fortunas, & quæue pretioſiora pignora congeſſerant, obſidione vallat. Ad cuius expugnationem omni ſtudio & conatu intentus, primum bombardarum proiectione illius ſtructuras quatit, & comminuit. Mox deinde vniuerſo exercitu ad mœnia illius ſuccedere iuſſo, *Smolnenſibus* imminens periculum nequicquam ſtrenue & probe refellentibus, ſtructuris caſtri audacia militum violatis, caſtrum capit. Non tamen ea conquiſitio militibus *Alexandri* paruo impendio & cruore prouenit. Multi deſiderati, ſed multo plures numerabantur vulnerati. Ex *Polonis* miles notabilis *Ioannes* Caſtellanus *Caliſſienſis* occiſus, *Wyerzbiątha Kapinski* Vexillifer *Vielunenſis* in facie grauiſſime vulneratus. *Vaſzilo Smolnenſis* Dux, caſtri ſui principalis conquiſitione audita, ex *Smolnenſi* ora in *Hungariam* profugit, & annis pluribus, in obſequiis *Sigiſmundi Hungariæ* Regis verſatus, in cuiuſdam caſtri conquiſitione interiit. *Smolnenſes* primi non vltra Duci *Alexandro* reſiſtere auſi, ſe ſuaſque reliquas munitiones illi dedunt. Ab illoque tempore *Smolnenſis* Ducatus, *Lithuaniæ* Ducatui adiectus, & in Prouinciæ formam redactus eſt. De theſauris autem & rebus magnæ opulentiæ, vaſis quoque & clenodiis, aureis argenteiſque, gemmis & vnionibus pretioſis, caſtro conquiſito, in ditionem *Alexandri* magni Ducis *Lithuaniæ* ex integro relatis, *Alexander* Dux partem inſigniorem *Wladislao* Poloniæ Regi transmiſit, partem reſiduam in eos milites, qui amplius meruerant,& quorum virtus clarius ſpectata eſt, erogauit.

in prouinciæ formam redigit, & Lithuaniæ adiicit.

In fine Martii & principio Aprilis cometes inter orientem & Septemtrionem in veſpera apparauit. Qui faucem ſeu caudam ſuam a meridie in ſeptemtrionem flammando porrexit.

Groth Stupeczki Ravvezicz,& Ioannes Rogala Caſtellanus Wladislauienſis proſcripti, Regno Poloniæ diffidant, & nobiles in domibus eorum ac mercatores captiuando in Moraviam ad caſtrum Schowſten portant.

Diffidato Regno *Poloniæ Groth* de *Słupecza*, ex genere *Rauitharum* ortus, qui ob indignam necem, in *Ioanne de Oſzolin* Caſtellano *Viſlicenſi* de domo *Bipennium*, ob limites villæ Eccleſiæ *Sandomirienſis Dwiekozy* patratam, & *Ioannes Rogala* Caſtellanus *Wladislauienſis*, de genere *Rogalitharum*, ob ſuas factiones, de Regno *Poloniæ* banniti & proſcripti, Regnum præfatum ex caſtro *Morauiæ Schowſtben*, (ibi enim receptaculum quæſierant) multifarie nobiles, mercatores,& ſubditos *Poloniæ* captiuando, & in prædictum caſtrum importando, laceſſebant. Quod *Wladislaus Poloniæ* Rex grauiter ferens, dum querelis ſuis, ad *Iodocum Morauiæ* Marchionem, ob id factis, nulla æqua reſponderet viciſſitudo, curienſium tantummodo ſuorum exercitu in *Morauiam* miſſo, caſtrum præfatum *Schowſten*, facta forti impugnatione, conquirit & incendit, *Ioannemque Rogala* Caſtellanum *Wladislauienſem*, hoſtem & exulem Regni, cum ſuis omnibus captum, in *Poloniam* reducit. Hic annis multis carceres & vincula perpeſſus, interceſſione *Zauiſſii* nigri de *Garbow* militis, qui & ipſe aliquot captiuos in *Hungaria Polonos* ſua prece ſoluerat, dimiſſus eſt. In vltionem vero ſceleris *Groth* de *Słupcza*, qui captiuitatem euaſerat, bona ſua omnia mobilia & immobilia publicat, & perpetuo illum exilio condemnat. Caſtrum ſuum *Konari* in terra *Sandomirienſi* ſitum, *Wladislaus Poloniæ* Rex a militibus conquiſitum, in locis frequentibus mandauit (quoniam petra ædificatum erat) perfodi, & ruinari. Decernens in pœnam præfati *Groth*, & ſuorum facinorum, vt nullo vnquam tempore, abſque ſuo & ſuorum ſucceſſorum Regum *Poloniæ* inſtauraretur, ſpeciali conſenſu. Captiuauerat autem præfatus *Groth Słupeczki* præfatus, *Andream Nekanda*, appellatum *Zbrozek*, nobilem de domo *Bipennium*, in curia ſua *Sieczieschowice*, & *Petrum Zborowski*, nobilem de Armis *Iaſtrzambiecz* in domo ſua in *Zborow*, & in caſtrum *Schowſtben* deportauerat; qui caſtro conquiſito ſoluti ſunt. Ad depopulationem inſuper Regni *Poloniæ*, & publicarum ſtratarum eius, & mercatorum deprædationem atque ſpolium, in quibus variæ hominum contingebant captiuitates & homicidia, manum truculentam laxauerant.

1403 *Tandem caſtro per Aulicos Regis Wladislai cum Rogala capto, ac poſt ea ad preces Zauiſſii nigri de Garbow militis inſignis, dimiſſo, Grothonis bona confiſcantur.*

Magiſter Pruſſiæ & Liuoniæ multa damna Lithuanis inferunt, ordinatione Switrigiellonis.

Comparato de propriis, & externis militibus Magiſter *Pruſſiæ Conradus de Iungen*, & Cruciferi, notabili exercitu, habentes in ſuo comitatu *Boleslaum Switrigiello*, germanum *Wladislai Poloniæ* Regis, qui fluxi,& magnæ varietatis vir ingenii, ad nouandum res procliuis, de *Lithuania* per *Alexandrum* Ducem, *Wladislao* Rege nequicquam prohibente, eiectus, ad Cruciferos ſe contulerat: *Lithuaniæ* terras circa feſtum Sanctæ *Dorotheæ*, hoſtiliter ingrediuntur. Duce autem *Witbawdo*, ex caſtro *Vilnenſi* ſpectante, & ferente (quod viribus eſſet inferior, & de fide ſuorum ambiguus!) magis quam prohibente, primum ad caſtrum *Merecz* applicant; Quo conquiſito & incenſo, dum verſus *Grodno* ituri crederentur, itinere reflexo, verſus *Troki* diuertunt. Et vna nocte apud ſtagnum *Dawgen* immorati, promoto in *Zamieniki* gradu, duobus diebus illic tenuerunt ſtatiua. Ab inde in locum *Olawa*, vno miliari a *Troki* diſtantem, peruenerunt. Et quamuis *Withawdus* Dux magno auctus fuiſſet metu, ne ex *Olawa* ad caſtrum *Troki* obſidendum deſcendiſſent; dimiſſo tamen caſtro *Troki* in dextera parte, ad villam *Steygwik*, penes fluuium *Strawa* ſitam, applicant. Ex qua per *Syedmiliſchki Sthokliſchki*, & *Nerouena*, ſeptimis caſtris (omnia loca per quæ ibant, & quæ attingere poterant, igne & ſpo-

1403 ſpoliis vaſtando) ad fluuium *Nyemyen* perueniunt. Quo facile, glaciebus enim conſtrictus erat, tranſito, in terras ſuas, circa *Ragneth*, ducentes ſecum permiſcui ſexus ex *Lithuania* mille animas captiuas, redeunt. Quæ Duce *Withawdo* inſtante, & pro eorum redemptione **** promittente, fuere dimiſſæ. Sed & Dux *Withawdus*, ſimilem & ampliorem captiuorum numerum ex terris *Pruſſiæ* Magiſtro petente & cautionem præſtante, laxauit. *Pruſſiæ* autem exercitu de terris *Lithuaniæ* egreſſo, repente nouus exercitus Magiſtri *Liuoniæ* eas ingreſſus, & factis multis ſpoliis, exuſtionibus, & damnis, in craſtino Sanctæ *Agnethis*, circa *Thurowno* & *Lakonari*, pluribus hominibus captiuatis, in *Liuoniam* rediit.

Manſionarii in Eccleſia Poſnanienſi fundantur, per Albertum Iaſtrambiecz Epiſcopum Poſnanienſem.

Tredecima Nouembris, *Albertus Iaſtrzambiecz* Epiſcopus *Poſnanienſis*, fundat Collegium Manſionariorum, pro decantandis horis, B. V. *Mariæ*, in *Poſnanienſi* Eccleſia, conferens pro dote eidem aliquot altarium eiuſdem Eccleſiæ introitus, item decimas menſæ Epiſcopalis circa *Caliſch*, & *Odolanow*, in villis, *Glogowa*, *Bandzieſchino*, *Krapa*, *Sczuri* vtraque, *Galaski*, *Iankowo*, *Naboczicze*, *Lakocziny*, *Wyerzbno*, *Damſchino*, *Gutbouo*, *Bieganino*, *Raskowo*, *Pogrzibowo*, *Kpiſcheuo*, *Przygodzicze*, *Oczanſche*, *Goluchowo*, *Bonino*, *Lewkowo*, *Boczkowo*, *Gwiazdowo*, *Gorzno*, & *Byenino*: ordinans, vt Vicarii *Poſnanienſes* habeant huiuſmodi Manſionarias, & tertia pars eorum horas, miſſas, & officia Manſionariorum expleant.

Wladislaus Rex fratrem Swidrigalli ex Pruſſia reuocans, terras Podoliæ a filiis Spithkonis de Melſchtin poſſeſſas illi donat, & multa alia Regni Poloniæ bona. Qui nihilominus iterum fugit, & Præfecti illius in Podolia Wladislao rebellant.

Infeſtationem terrarum *Lithuaniæ* per *Boleſlaum Swidrigal* hactenus procuratam, *Wladislaus Poloniæ* Rex auerſurus, miſſis Nunciis ipſum ex *Pruſſia*, ſolutis magnis pecuniarum ſummis, quibus ſe illic ſtando inuoluerat, reuocat, & ei, pro manutenendo ſtatu ſuo, terram *Podoliæ*, a relicta *Spitkonis* de *Melſchtin Eliſabeth*, & filiis ſuis *Ioanne* & *Spithkone*, ſolutis ex pacto quinque marcarum, groſſorum *Bohemicalium*, millibus, liberatam: item terram *Zidaczouienſem*, item diſtrictus *Striy*, *Schidlow*, *Stobniczam*, *Drugnyam*, *Vſzczie*; item mille quadringentas marcas annui cenſus, in zuppis regiis aſſignat. Ea tamen beneficii & largitionis magnitudo, leuem *Swidrigali* animum ſtabilire non potuit, quin caſtris *Podoliæ*, præſidio *Polonorum* & *Ruthenorum* locatis, nulla laceſſitus iniuria, ad Cruciferos, potiundi Ducatus *Lithuaniæ*, quæ illi a Cruciferis repromittebatur in dolo, poſſeſſione, perfugeret. Poſt cuius fugam de caſtris *Podoliæ*, *Wladislao Poloniæ* Regi, ea ſibi reſignari requirenti, a *Polonis* & *Ruthenis* eſt tenentibus, aperta rebellione inſultatum eſt.

Innocentius Papa ſeptimus, frequentibus *Romanorum* precibus expugnatus, *Romam* ex *Viterbio* in Dominica *Reminiſcere* reuerſus, & magna lætitia populari exceptus, *Ladislaum* de *Duratio* Regno *Siciliæ* priuat, propter impreſſiones plurimas, quas & Vrbi & Regno intulit. Solicitabatur & tunc præfatus *Innocentius*, per notabiles Nuncios *Petri* de *Luna*, de vnione conſumanda. Quo negante, contrarias ſibi ſcribebant epiſtolas, certando ad inuicem, & ſcripturis huiuſmodi populum Chriſtianum ludificando. Correptus fuit deinde præfatus *Innocentius* morbo paralytico: a quo poſt paucos dies liberatus, iterum circa finem ſecundi anni Pontificatus, de menſe Nouembre, in eandem infirmitatem relapſus, moritur. Ortaque extunc fuit magna perplexitas inter Cardinales, an alium eligerent, vel an ab electione abſtinerent. Sed tandem ſatius viſum eſt ad electionem procedere. Qua in conclaui celebrata, *Angelum* de *Corona*, natione *Venetum*, tituli Sancti *Marci* Preſbyterum Cardinalem, quem ipſe *Innocentius* in Cardinalatum promouerat, repetito tamen perprius voto & iuramento, quod quilibet eorum, ſi in Papam eligeretur, pro bono vnionis Papatui cederet, concorditer vltima die Nouembris, in Papam elegerunt, credentes illum in omnibus habiliorem feruentioremque per quem ſublato ſchiſmate, vnio in Eccleſia Dei ſequeretur. Erat enim Theologiæ Magiſter, & ætate grandæus, octogeſimum vel citra creditus annum tunc habuiſſe, *Gregorius* duodecimus nuncupatus. Qui coronationis acceptis inſigniis, in publica ſeſſione, & votum & iuramentum de cedendo, lachrymis etiam effuſis repetiit. Sed vtramque pollicitationem parum fideliter ſeruauit, cognominabaturque a nonnullis *Errorius*. 1403

Innocentius VII. Papa moritur in cuius locum Angelus, alias Gregorius XII. ſufficitur.

1404

Conueniunt in Racziaſcz, Wladislaus Rex, Vitholdus, & Magiſter Pruſſiæ: datiſque arbitris

Feſto Pentecoſtes adueniente, dieta generalis in oppido Epiſcopali *Racziaſch*, pro ſtabilienda inter Regnum *Poloniæ* & magnum Ducatum *Lithuaniæ* ab vna, & Cruciferorum terras partibus ab altera, proque ſedandis differentiis, ſuper occupatione *Dobrzinenſis* & *Samogithiæ* terrarum exortis, tenta eſt. Ad quam cum & *Wladislaus Poloniæ* Rex cum *Polonicis* & *Lithuanicis* Conſiliariis, & Magiſter *Pruſſiæ Conradus* de *Iungen*, cum Commendatoribus ſuis, perſonaliter aduenisſent; tractatores pacis & ſimultatum moderatores, per partem vtramq; dati ſunt. Ex parte quidem *Wladislai Poloniæ* Regis, *Nicolaus Kurowski Gneſnenſis* Archiepiſcopus, *Petrus Cracouienſis*, *Albertus Iaſtrzambiecz Poſnanienſis*, Epiſcopi, *Iaſchko* de *Thaczin* Caſtellanus, *Ioannes* de *Tarnow* Palatinus *Cracouienſis*, *Michael* de *Bogumilowicze Lublinenſis*, *Clemens* de *Moskorzow Viſlicienſis*, Caſtellani: *Gnieuoſſius* de *Dalewicze* Succamerarius *Cracouienſis*, & *Nicolaus* Præpoſitus Sancti *Floriani*, Regni Poloniæ Vice-Cancellarius. Ex parte vero Pruſſiæ Magiſtri & Ordinis ſui, *Arnoldus Culmenſis*, *Ioannes Pomeſanienſis* Epiſcopi: *Conradus* de *Lechtynſteyn* magnus Commendator, *Ioannes* de *Rumpenheym* in *Elbing*, *Fri-*

1404

Fridericus de *Venden* in *Thorun*, Commendatores, frater *Ioannes* de *Rogethelen* Canonicus *Varmienſis*, *Petrus* de *Lapide*, *Petrus* de *Bayzen* milites, & *Gotfridus Rheber* Magiſter ciuium de *Thorun*. Hi diebus aliquot, deliberatione habita, pacem ſub his conditionibus conficiunt: *Vt Wladislaus Poloniæ Rex, & Alexander Withawdus, magnus Lithuaniæ Dux, Magiſtro & Ordini Cruciferorum, de terra eorum naturali Samogithia excedant, & illi per literas patentes renuncient, Samogithasque dare Magiſtro & Ordini filios in obſides, & homagium præſtare compellant. Item quod Wladislaus Poloniæ Rex terram Dobrzinenſem, in quadraginta millibus florenorum a Magiſtro & ordine redimat, & donationes per Magiſtrum in terra Dobrzinenſi factas, ratificet. Item quod profugos & exiliatos hinc inde non foueant, neque receptent, captiuosque ſoluant & manumittant.* Hæ pacis conditiones etſi graues viderentur, *Wladislaus* tamen *Poloniæ* Rex, & *Withawdus Lithuaniæ* Dux, guerrarum anfractus toto niſu declinaturi, eas acceptant, literisque confirmaturos repromittunt, an ſi quidem armis expugnari terra *Dobrzinenſis* an pecuniis redimi debuerit, conſultatio *Wladislaum* & conſiliarios eius, aliquanto tempore diſtinuit, ne expugnata, belli cauſa; redempta, ad cætera per iniquitatem occupanda, irritamentum fieret. Redimi tamen illam, quamuis cum dedecore Regni & grauamine, quam occaſionem præbere bello, placuit.

ordinant, ut Samogithia Cruciferis reddatur, & Dobrzinenſis terra 40 millibus florenorum a Cruciferis redimatur.

Ex *Racziaſz Wladislaus Poloniæ* Rex per Magiſtrum *Pruſſiæ Conradum* de *Iungen*, & ſuos Commendatores, multiplici precum inſtantia rogatus, cum maiori Conſiliariorum ſuorum parte, deſcendit in *Thorun*; vbi per triduum ſplendide a Magiſtro tractatus eſt, & in eius honorem ludi haſtarum inſtituti. In quibus *Dobeslaus* de *Oleſchnicza Polonicus* miles, omnium in ſe, propter animi & corporis vigorem, ſpectantium oculos conuerterat, vnde & vltra omnes certantes, athletæ, illi honos cum præmio delatus eſt. Dum enim *Wladislaus Poloniæ* Rex ſuos *Polonos* parum proſpera vti fortuna videret, *Dobeslao* prædicto, vt haſtiluderet imperauit. Ad regium itaque iuſſum, equo conſcenſo, adeo certantes contriuit, vt ex campo omnes deſcendere coëgerit: circa horam quoque noctis tertiam, ſolus & vnicus viſus eſt in palæſtra remanſiſſe, quamuis vicibus aliquot recentes & noui milites de curia Magiſtri *Pruſſiæ* contra eum ſurrogarentur. Sub illo inſuper triduo, *Wladislao* Rege *Poloniæ*, per oppidi *Thorunenſis* plateas, cum Magiſtro *Pruſſiæ* pro contemplando ſitu oppidi obequitante, fœmina quædam ex coquina ſqualoribus coquinalibus *Wladislaum* perfudit. Quæ Magiſtri iuſſu comprehenſa, & ſuffocationi vndarum addicta, beneficio Regis ſeruata eſt. Vtrum autem conſulto vel fortuito facinus id peregérit, incertum habetur. Multorum tamen ferebatur præſumptione, fœminam prædictam ex ſubordinatione Cruciferorum, ſquallores prædictos in Regis ignominiam conſulto iecisse, poſtquam in tanta hominum multitudine, qui Regem & Magiſtrum præcedebant & comitabantur, non alium quam Regem *Wladislaum* aſperſio ipſa contigerit.

Wladislaus Rex in Thorun a Magiſtro inuitatus per triduum honoratur.

Vbi Dobeslaus de Oleſchnicza in haſtiludiis victor evaſit,

Rex vero a fœmina ſqualloribus perfuſus eſt.

1404

Commendatores & Cruciferi de *Pruſſia* nulla iniuria aut moleſtia læſi, ſed ſua liuoroſa & ſuperba acti malitia, terras *Maſouiæ* & Ducatus *Ianuſſii*, Ducis *Maſouiæ*, *Czirnenſis*, & *Varſchouienſis*, cum magno exercitu clandeſtine, nulla diffidatione præmiſſa, hoſtiliter ingrediuntur, & præfatum Ducem *Ianuſſium* in curiis ſuis, cum conſorte ſua, filiis, & Baronibus Curienſibusque ſuis, famulis & militibus, ſecure & fiducialiter, velut ſibi nihil conſcium, & Cruciferis in nullo obnoxium, habitantem inuadunt, & tam ipſum, quam omnes Barones milites, & conſiliarios ſuos, ac Curienſes captiuant. Omnis quoque humanitatis & honeſtatis obliti, Ducem præfatum *Ianuſſium*, virum nobilem, virtuoſum, & optimum, (omitto ſui Ordinis ſuumque fundatorem & dotatorem, priuato etiam officio illis colendum) & omnes ſuos turpiter funibus ligatos, in arces & oppida ſuæ ditionis, fœde tractandos deducunt. Quem *Wladislaus Poloniæ* Rex, nouitate huiuſmodi per celeres Nuncios ad ſe perlata, miſſis ad Magiſtrum *Pruſſiæ Conradum* de *Iungen* notabilibus Nunciis, ſuam & totius Regni ſui *Poloniæ* in captiuitate præfati Ducis *Ianuſſii* & ſuorum, queſtus violationem & iniuriam, liberationem ſuam & ſuorum celerem, præfato Magiſtro *Pruſſiæ*, licet nequiter & mendoſe, præter ſuum ſcitum admiſſum inficiante facinus, procurat.

Cruciferi Ianuſſium Maſouiæ Ducem cum uxore & filiis incautos capiunt,

& ligatos ad caſtra ſua deducunt:

Et tandem procurante Rege Wladislao eorum ſolutionē dimittunt.

Ad prouidendum de ſolutione quadraginta millium florenorum, Magiſtro & Ordini *Pruſſiæ* in liberationem & redemptionem terræ *Dobrzinenſis*, repromiſſa, *Wladislaus Poloniæ* Rex ex *Thorun* diſcedens, & in terris *maioris Poloniæ* vniuerſa æſtate manſionem figens, conuentus particulares agi *ordinauit, vt in illis vniuerſa nobilitas, de ſuis priuatis introitibus, ad ſolutionem huiuſmodi impendendam, ſuffragium pecuniarum conferret.* Ex terris vero *maioris Poloniæ* in autumno diſcedens, in ciuitate noua *Korczin*, pro die Sancti *Martini*, totius Regni ſui generalem tenuit dietam. In qua de vniuerſorum Prælatorum, Baronum, militariumque, totius Regni gratificatione & conſenſu, pro redemptione terræ *Dobrzinenſis* ſancitum eſt, vt de quolibet laneo poſſeſſo, duodecem groſſi (vſualibus duobus regalibus incluſis) ſoluerentur. Ita tamen, quod huiuſmodi gratuita ſubuentio, neque præiudicialis eſſet iuribus & libertatibus militum, neque ad debiti neceſſitatem in poſterum traheretur. Cœpit extunc ſubuentio ipſa exigi, & in manus collectorum a *Wladislao Poloniæ* Rege deputato-

Pro redemtione terræ Dobrzinenſis

conſtituitur duodecem groſſorum exactio.

tato-

1404 *Quæ centum millia marcarum pecuniæ fertur feciſſe.* *Polonia & Bohemia Reges conueniunt Wratiſlauiæ.*

tatorum, in ciuitatibus principalioribus conſignari, pro conditione colonorum & villarum, & fidelitate exactorum, ad centum marcarum millia comperta, inito calculo aſcendiſſe.

Frequentibus Nunciis & literis *Venceslai Romanorum & Bohemiæ* Regis, de conueniendo ſecum, *Wladislaus Poloniæ* Rex ſolicitatus, In noua ciuitate *Korczin*, Conſiliariorum ſuper ea re tenuit conuentum. Vbi ad illum *Ioanne* Duce *Oppauiæ*, nomine præfati *Venceslai Romanorum & Bohemiæ* Regis veniente, & inuitante ad conueniendum, conuentio apud *Wratislauiam* pro feſto Sancti *Iacobi* Apoſtoli, accepta eſt. Quo veniente, ambo Reges illic conueniunt. Tanta autem Prælatorum & Baronum, militumque, *Wladislaus Poloniæ* Rex frequentiſſima caterua ſtipatus erat, ut in ſuo comitatu plusquam quinqſie millia de electiſſimis militibus creditus eſt habuiſſe. Sed & *Sbigneo* de *Brzeſczie* Regni *Poloniæ* Marſchalco, ad diſtribuenda hoſpitia, *Wladislaum Poloniæ* Regem, cum familiaribus Baronum numero ſexingentis, præcedente, *Venceslaus Romanorum & Bohemiæ* Rex, ratus Regem *Poloniæ* eſſe, illi occurrerat. Stabat autem *Wladislaus Poloniæ* Rex *Wratislauiæ* diebus octo, ſingulis neceſſariis a *Venceslao* Rege abunde procuratus. Cauſa autem conuentionis erat. Inſtabat *Venceslaus Romanorum & Bohemiæ* Rex, inſtabant & Principes Baroneſque *Bohemiæ* & *Sleſiæ*, inſtabat & *Miſſnenſis* Marchio, ut fœdus perpetuum Reges & Regna iungerent, firmarentque. Et pro qualibet ſua & Regni *Bohemiæ* neceſſitate, & præcipue germanum ſuum *Sigiſmundum Hungariæ* Regem, altera vice illum captiuante, quadringentis lanceis *Poloniæ* Rex, ipſi auxilio foret. Offerens ſe Regi & Regno *Poloniæ*, uniuerſam terram *Sleſiæ*, cum illius Ducatibus, iniuſte a Regno *Poloniæ* alienatam, & ciuitates Regias, *Wratislauiam*, *Namislouiam*, *Swidniczam*, *Vradz*, *Iawor*, *Srzodam*, & alias, reſtituturum. Eam conditionem etſi *Wladislaus Poloniæ* Rex contentus eſſet accipere; Prælatis tamen & Baronibus Regni *Poloniæ* improbantibus, & ſeminarium bellorum ex ea oriri verentibus, repudiata eſt. Dederunt autem Reges ſibi ampliſſima munera. Inter quæ crux aurea, in pectoralis modum, particulam de ſpinea corona & ligno vitæ continens, Regi *Poloniæ* a *Bohemiæ* donata, præcipuum & inſigne munus cenſebatur. Ea conuentio ſalutaris erat Regnis utrinque & ſubditis, cum ex vnione & charitate Regum, ſubditorum etiam ſenſim commoda & profectus ſuccreſcerent. Non repudiaſſet autem *Wladislaus Poloniae* Rex conditionem de reddenda ſibi *Sleſiæ* regione, per *Venceslaum Romanorum & Bohemiæ* Regem oblatam, quippe qui ſciebat *Sleſiam* ſui Regni *Polonici* nobile membrum fore, & Regno ſuo *Poloniæ*, per dolos & iniuriam a-

& tractant de reſtituenda Regno Poloniæ Sleſia.

demptam, niſi genus ſeruitutis, quo quadringentis lanceis, pro ſingulis bellis Regibus *Bohemiæ* auxilio adeſſe, ſtringebatur, horruiſſet. Ad ſingularem referens iniuriam, ſi Regi æque pari inuita ferre auxilia ſe obligaſſet. Potuiſſet & id genus ſeruitii moderari, ſed *Ioannes Szmirziczki* vnus ex Baronibus & conſiliariis *Bohemiæ*, in *Wratislauiam* ſuperueniens, reſtitutionem *Sleſiæ* pene iam compoſitam & concluſam, in pectoribus *Venceslai* Regis, & Conſiliariorum *Bohemiæ* infecit. 1404

Ex *Wratislauienſi* dieta, *Wladislaus Poloniæ* Rex reuerſus, in *Podoliæ* terram, de manibus *Polonorum & Ruthenorum*, illam nomine *Switrigiellonis Boleslai* Ducis occupatam, recuperaturus, proceſſit. Quem aduenientem ciuitas *Camyeniecz*, continuo illum, velut iuſtum Dominum, portis patefactis, excepit. Quam ingreſſus, illico ad caſtrum *Camyeniecz* expugnandum operam nauat, bombardiſque illud quatit. Capitaneus autem caſtri, & ſcelus perfidiæ, & captiuitatis periculum (iam ſiquidem nimium coarctatus erat) euaſurus, obtenta primum apud Regem & literis firmata conditione, quod caſtra & terram *Podoliæ* nulli principi, ſed tantummodo vni ex *Polonis* militi, in tenutam committeret, caſtrum dedit. Quam deditionem cætera *Podoliæ* caſtra ſecuta, in deditionem Regis venere. Caſtris autem & terris *Podoliæ*, *Wladislaus* Rex *Petrum Schaffraniecz* præficit. Quo poſt annos plures deſtituto, *Petro* dicto *Carnaczian* Caſtellano *Dobrzinenſi*, eo vero amoto, *Andrea* de *Thaczin* Subdapifero *Cracouienſi*, quo cedente *Petro Wlodkowicz Charbinowski*, terram & caſtra *Podoliæ* committebat.

Caſtra & terras Podoliæ, nomine & per Præfectos Switrigalli, germani Regis ad Cruciferos profugi Rex recuperat.

Non implente *Withawdo Lithuaniæ* magno Duce conditionem de terra *Samogithiæ*, Magiſtro & ordini *Pruſſiæ* dedenda, in dieta apud *Racziaſz* habita, firmatam; Magiſter & Cruciferi, cum forti exercitu *Lithuaniam* ingreſſi, hoſtiliter illam quatiunt & deuaſtant, Duce *Withawdo* laceſſente quidem ex inſidiis hoſtilem exercitum, ſed in conſpectum & congreſſum, propter diſcrimen imminens, venire detrectante. Cuius neceſſitate *Wladislaus* Rex comperta, non paruum illi ex *Polonis* militum numerum in auxilium deſtinat. Qui nonniſi per obliqua & inuia itinera, Duce *Withawdo* comperto, ad experiendam cum hoſtibus belli fortunam, eum animant. Verum Magiſter *Pruſſiæ* & Cruciferi, percepto *Polonicum* exercitum Duci *Withawdo* in ſuffragium aduenisse, fortioremque & frequentiorem, quam pro numero, rati, illico celeri curſu in propria dilabuntur.

Magiſter Pruſſiæ Lithuaniam inuadit, *ſed inde aufugit, Polonicum exercitum aduentare ſentiens.*

1405

Ad feſtum diem Pentecoſtes, tam *Wladislao Poloniæ* Rege cum ſuis conſiliariis, quam *Conrado* de *Iungen Pruſſiæ* Magiſtro & ſuis Commendatoribus in oppidum *Gniewkow*, ad firmandas literis concluſiones, pro pace terrarum anno ſuperiori in *Racziaſz* digeſtas, con-

In concluſione pacis facta cum Cruciferis, cum adhuc peterent, vt Rex

1404 conuenientibus, noua difficultas & quæſtio circa compactatorum ſigillationem, a Magiſtro & ordine iniecta eſt. Producebant enim literas *Caſimiri* ſecundi *Poloniæ* Regis, die Sancti *Kiliani*, milleſimo, tricenteſimo, quadrageſimo, tertio, in *Caliſch* ſcriptas, per quas iuri & titulo terræ *Pomeraniæ* renunciabat, promittens eo amplius non vti, & illius ex Maieſtatis ſigillo facere abraſionem. Iuxta quam petebat, *ne Wladiſlaus Poloniæ Rex titulo huiuſmodi vteretur, ac de Sigillo Maieſtatis mandaret illum deponi, cum nullatenus ferre poſſent, vt Regio ſigillo titulum Pomeraniæ habente, literæ conficiendæ & parti eorum tradendæ, ſigillarentur, cum ſigillatio ipſa ius eorum notabiliter perimeret, & ceſſionem Caſimiri Regis de terra Pomeraniæ in dubium reuocaret.* Adiicientes *ſui propoſiti eſſe, vt Pomerania tam re quam nomine, Ordinis terra cenſeatur; nec ſibi in illa quiſquam vendicare iuris poſſit quicquam; ſed nec tituli additamentum.* *Wladiſlao* autem *Poloniæ* Rege, & Conſiliariis ſuis, petitionem Magiſtri & Ordinis magnopere & aſpernantibus & refellentibus, re infecta diſceſſum eſt.

Wladiſlaus nec titulo nec armis Pomeraniæ vteretur,

re infecta diſceſſum eſt.

1405 Deterior aliquanto alterius conuentionis, quam *Alexander Withawdus* magnus *Lithuaniæ* Dux, cum Magiſtro *Conrado* & Cruciferis de *Pruſſia*, ad fluenta *Nyemyen*, in loco, qui dicitur *Salin*, inferius *Kowno* ſito, pro die Sanctorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum tenuerat, fuit euentus. Ad quam *Wladiſlaus* Rex *Poloniæ*, duos e Conſiliariis ſuis, videlicet *Clementem* de *Moskorzow* Caſtellanum *Viſlicienſem*, & *Nicolaum* de *Brzezie*, Regni *Poloniæ* Marſchalcum, ne Dux *Withawdus* dolis Cruciferorum circumueniretur, tranſmiſerat. Poſt multos ſiquidem tractatus pro pace, & terræ *Samogitharum*, per *Withawdum* Ducem Ordini fiendæ, ceſſione, habitos, non ſine animorum irritatione, diſceſſum eſt. Exprobrantibus *Withawdo* nonnullis Cruciferis, & ſignanter *Marquardo* de *Salczbach*, Commendatore de *Brandeburg* & *Simberg*, crimen perfidiæ; & qui tam ipſum quam genitricem ſuam variis probris & maledictis inceſſere. Eam tamen *Withawdus* moleſte tulit iniuriam. Maluit enim & illas, & plures alias indignitates perpeti, quam bellum *Lithuanicis* viribus gerendum, Cruciferis mouere, aut motum refellere, quod ſuperioribus annis tentatum ſecus ceſſerat. Alterum deinde *Alexander Lithuaniæ* Dux, cum Magiſtro & Ordine Cruciferorum celebrans conuentum, aſſiduis Cruciferorum preſſus defatigatusque vexationibus, pacem neceſſariam magis quam honeſtam componit, de terraque *Samogithiæ* cedere, & armis *Samogitas* in ditionem Magiſtri & Ordinis impellere, *Wladiſlao* Rege nequicquam abnuente inhibenteque, conſentit, terramque præfatam *Samogithiæ*, per literas publicas, geminato idiomate, *Latino* videlicet & *Almanico* ſcriptas, Magiſtro videlicet & Ordini donatione perpetua, (quæ Duce *Alexandro* interpellante, etiam a Rege *Poloniæ Wladiſlao* eſt confirmata) donat & inſcribit. Imperium autem Magiſtri & Ordinis Cruciferorum *Samogithis* aſpernantibus, *Alexander Withawdus* ex fœdere cum Magiſtro & Ordine icto, *Samogithiam* cum ſuis copiis, in qua iam Magiſter & Cruciferi cum ſuo exercitu conſtiterant, armatus venit, & *Samogithas* in obedientiam & iugum Magiſtri & Ordinis venire coarctabat. Reluctabantur tamen pro viribus *Samogithæ*, & nocturnis inſidiis *Pruthenicum* exercitum vehementer laceſſendo, magnam cladem, ſed maiorem pauorem, adeo vt excubias duplicari oporteret, *Pruthenico* exercitui intulerant. Sed & *Alexandrum* Ducem, eiusque exercitum, luctuoſa prece & eiulatu alloquebantur ex ſiluis, *ne eos a ſuo Principatu & Lithuanis, cum quibus vna gens & vnus populus, tam linguæ identitate quam morum cognatione forent, ſequeſtratum & Cruciferis ſubiectum, ne quoque illos amplius, tanquam proprios & fideles ſubditos & amicos, quoniam nullo pacto Vakkis abridlis, id eſt Cruciferis Teutonicis, vellent ſubiecti eſſe, vaſtatum & oppreſſum iri ſineret; cum Samogithia lingua eorum ſonet, terra inferior, ad differentiam Lithuanicæ, quam vtraque gens ſuperiorem appellat, id vocabulum ſortita.* His tam lamentabilibus vocibus, etſi *Lithuaniæ* Dux *Withawdus* pia commiſeratione commoueretur, ſatius tamen ratus pactis ſtandum eſſe, terram *Samogithiæ* Magiſtro & Ordini *Pruſſiæ* ſubiicit; *Samogithasque* obſides filios Cruciferis dare coegit. Et quo Cruciferis poſſeſſio illius eſſet & quietior & diuturnior, duo caſtra in flumine *Niewiaſza*, & tertium in flumine *Nyemyen*, vbi *Dubieſza* fluuio *Nyemyen* miſcetur, conſtruxit. Ad cuius gubernationem *Michael* Kuchmagiſter Crucifer, a Magiſtro & Ordine in Aduocatum & Capitaneum relictus eſt.

Conueniunt bis Magiſter Pruſſiæ & Vitholdus Lithuaniæ Dux,

& primo irritatis animis,

ſecundo amici facti, terram Samogithiæ Dux dat Cruciferis, & poſſeſſionem aſſignat.

Samogithasque renitentes dare filios in obſides compulit.

Marſiliam vſque ad *Petrum* de *Luna*, Nunciis notabilibus *Gregorius XII.* Papa miſſis, eam captat concluſionem, vt in ciuitate *Sauonenſi* riparia *Ianuenſium*, in ſubſequenti feſto Sancti *Michaelis*, aut ad vltimum in feſto Sanctæ *Mariæ* Purificationis, amborum contendentium de Papatu teneretur pro celebranda vnione conuentus. Sed termino appropinquante *Gregorius XII.* concluſionem eluſurus, quindecima Auguſti *Roma* egreſſus, *Viterbium*, & exinde *Senas* peruenit. Illicque longo tempore moratus, vtrumque terminum, licet *Petrus* de *Luna* cum ſuis Cardinalibus, pro conſtituto die venerat, neglexit. Et quamuis a pluribus Cardinalibus & Prælatis, zelum vnionis habentibus, ad tranſeundum in *Sauonam* inſtigaretur, figmentis tamen vſus, ire propter

Gregorius Papa ad Petrum de Luna Papam alterum nuncios pro celebranda vnione certum terminum conſtituturos mittit, ipſe tamen ad diem dictum venire negligit.

1405 propter inſecuritatem detrectauit. Propter quod a curialibus ſuis, non *Gregorius*, ſed *Errorius*, vocitari cœptus eſt. Ex *Senis* vero in *Lucam* diuertens, plures menſes illic exegit, pluribusque artibus, ingeniis, & ludificationibus vtens, nullam operam pro conſequenda vnione impendere voluit. Nec minoribus ingeniis, ludificationibus, & dolis *Petrus* de *Luna* vtebatur, ne vnionis negotium proſequi cogeretur.

1406 *Fundatur Varſchoviæ Eccleſia collegiata, & vna prebenda, & alia id genus ordinantur.*

Ianuſſius Dux *Maſouiæ* & Dominus *Czirnenſis* de conſenſu *Alberti Iaſtrzambiecz* Epiſcopi *Poſnanienſis*, in Eccleſia Parochiali Sancti *Ioannis Varſchouiæ*, fundat Collegiatam Eccleſiam die Mercurii quinta Ianuarii, & tres Præbendas de capella Sanctorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum Caſtri *Czirſko* in illum transfert. Item de Eccleſia *Parochiali Tarczin*, fundat Præpoſituram, de Eccleſia in *Varka* cuſtodiam, de Eccleſia *Varſchouienſi* Decanatum. Item abſtulit & diſmembrauit præfatus *Albertus* Epiſcopus, ab Archidiaconatu *Czirnenſi*, in Eccleſia *Poſnanienſi* ſito, de conſenſu *Alberici*, ipſius tunc Archidiaconatus Archidiaconi, decem decimas manipulares, videlicet in triplici *Czarnouo*, *Bruinouo*, *Calen*, *Mrokowo*, *Borona*, *Granicze*, *Swiaczicze*, & *Bieniewicze*, & creauit ex eis Præbendam, quam ſuæ reſeruauit prouiſioni. Ipſum vero Archidiaconum *Czirnenſem* cum reliquis prouentibus, præfatæ inuiſcerauit Eccleſiæ *Varſchouienſi*. Item fundauit alias ſeptem Præbendas Canonicales, ſuper villis, cenſibus, & decimis manipularibus, quas & quos præfatus *Ianuſſius* Dux, cuilibet deputauit Præbendarium. Quarum quidem decimarum proprietatem, a *Dobeſlao Plocenſi* Epiſcopo & Capitulo, pro certis bonis viciſſitudinario modo permutatis, præfatus Dux *Ianuſſius* habuerat. Item fundauit quatuordecim Vicarios perpetuos, horas nocturnas & diurnas, in eadem Eccleſia *Varſchouienſi* expleturos, ordinans, quod Præpoſitus *Varſchouienſis* duarum Cancellariarum, videlicet, *Zakroczimenſis* & *Viſchegradienſis*, prouentus perpetuo percipiat, & quod nullus Prælatorum dignitatem ſiue perſonatum cum Præbenda, in eadem Eccleſia ſimul obtineat.

1407 *Caſtrum Drabim per Cruciferos interceptum,*

Vſurpationem caſtri *Drabim*, a Cruciferis *Ioannitibus* occupati, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, ne proceſſu temporis coaleſceret, & in proprietatem veniret, quemadmodum de caſtro *Santok* contigit, quod æque a corpore Regni *Poloniæ*, per eosdem Cruciferos *Ioannithas* abſtractum eſt, non ſinens eſſe diuturnam, ad Magiſtrum Ordinis prædicti Nuncios deſtinat. Qui monerent *aut caſtrum Regni Poloniæ Wladiſlao Regi redderet, aut ex illo feudum Regno & Regi præſtaret.* Sed Magiſtro vtramque conditionem aſpernante, *Thomas* de *Vagleſchin* dictus *Kozlierogi*, de domo *Ielithonum*, Caſtellanus *Sandomirienſis*, & Capitaneus *maioris Poloniæ* generalis, a Rege mittitur in illius expugnationem. Qui iuſſa Regis peragens, infra quatriduum robore militum illud, Cruciferis nequicquam defendentibus, conquirit. Quod ab illo tempore in obedientia & ditione Regni *Poloniæ* perſeuerat.

Thomas de Vagliſchin iuſſu Regis recuperat.

1407 *Withawdus Lithuaniæ Dux, icto fœdere cum Cruciferis, Moſchouiam impune vaſtat.*

Alexander Withawdus, Magnus Dux *Lithuaniæ*, ſolutus infeſta & aſſidua Cruciferorum de *Pruſſia* inuaſione per fœdus ictum, in terras *Moſchouitarum* & eorum Ducem, collecto ex *Polonis*, *Ruthenis* & *Lithuanis* exercitu, primam expeditionem facit. Quas ingreſſus, caſtrorum expugnatione omiſſa, prædas tantummodo & ſpolia agere contentus, popu'ationem iuſſit extendi. Verum cum nec ea iniuria *Moſchouitæ* ad decernendum elici poſſent, terra *Moſchouitarum* validiſſime vaſtata, multis prædis & ſpoliis onuſtus, in *Lithuaniam* remeauit, multis *Polonorum* militaria referentibus inſignia, quæ ad flumen *Vbra* (quod in *Moſchouitarum* terra cenſetur principalius) Duce *Alexandro* donante, acceperant.

Pheter Iudæus adulterinæ monetæ autor Cracouiæ exuritur.

Iudæorum *Cracouienſium* vnus numero *Pheter* vocatus, ducere Principum *Sleſiæ* nummos, & Regiis illos miſcere, atque exinde magnum ſibi captare lucrum, Reipublicæ vero incommodum deprehenſus & conuictus, iudiciali ſententia damnatus eſt: ac in corona, cui nummi adulterini, qui ab eo veris immiſcebantur, erant inſuti, per fora & plateas ciuitatis *Cracouienſis* ductus, publicantibus Præconibus ſcelus ſuum, igni publico damnaus eſt.

Plebs Wratislauienſis contra Magiſtratum ſeditionem mouens, nouos Conſules e medio ſui lectos inſtituit, veteribus deſtitutis.

In ſanctæ Crucis Exaltationis profeſto, commune ciuitatis *Wratislauienſis* furorem, quem diu contra conſulatum ceperat, ructuans, ſumptis indutisq; armis, in ſeditionem verſum, in Prætorium in quo conſules conſiſtebant clauſi, & extrema veriti, irruit: Et oſtiis, dum ſponte non aperiebantur, per vim effractis, deſtitutis ſeditione populari veteribus, tanquam ſuperbe, auare, inutiliter & negligenter Rempub. adminiſtraſſent, Conſulibus, & de Prætorio excedere Magiſtratibusque ſe abdicare, coactis, nouos ex ſe lectos inſtituit.

Iudæi,

Magnis opibus, vſuraria prauitate tantummodo quæſitis, & vſque ad inſolentiam atque inuidiam Iudæos, in ciuitate *Cracouienſi* frequentes & locupletes, nonnullaque impietatis patrantes impune ſcelera, humana coercere atque reſcindere poteſtate negligente, ſeuerior aliquando vltio diuina, humanum neglectum ſupplicii grauitate penſatura, ſeditione populari ex leui (vt fit) momento coorta, mulctauit. Feria ſiquidem tertia poſt feſtum Paſchæ, quæ erat vigeſima ſeptima Martii dies Magiſter *Budek* Canonicus *Viſlicienſis*, pronunciato in Eccleſia *S. Barbaræ* ad populum ſermone, e Cathedra deſcenſurus, ſignificabat *ſe per chartam in Cathedra locatam, rogatum & admonitum eſſe, quatenus quantam nouitatem, abominandum facinus continentem, populo intimaret, ſe huiusmodi rogationem, cum ex*

1407 *pari auſſamento grandem ſeditionem in ciuitate Pragenſi prodiiſſe conſtabat, conſulto ſuppreſſiſſe.* A multitudine deinde, auidius occulta cognoſcere geſtiente, *vt quidnam rei eſſet, edicere non cunctaretur*, magna inſtantia rogatus, Cathedra reſumpta, leuius quam Magiſtro conueniebat, rogationem neſandam publicat. Continebat autem rogatio ipſa, *Iudæos in Cracouienſi Vrbe habitantes, nocte quæ præceſſerat, Chriſtianorum infante necato, in illius ſanguine abominationes impietates egiſſe, & in Sacerdotem, ad ægrotum Diuiniſſimum Euchariſtiæ Sacramentum deferentem, lapides iecíſſe.* Quo audito vniuerſus populus, quaſi ſigno dato in ſeditionem verſus in Iudæos vltione graui debacchari cœpit, & vnam Iudæorum plateam, plurimis eorum interfectis, ſpoliauit. *Clemens* deinde de *Moſkorzow* Caſtellanus *Viſlicenſis*, & Capitaneus *Cracouienſis* cum *Nicolao Lithuos* Procuratore generali, & armatis militibus accurrens, tam ſeditionem quam ſpolium reſtrinxit. Cum autem omnis ſeditio & tumultus populi multitudine, quæ ad ſpolia aut ſpectaculum conuenerat, abacta, & in domos reuerſa quieuiſſe videretur, plateæque Iudæorum a militibus ſeruarentur, campana Prætorii, vt conſules & Magiſtratus ciuitatis, pro caſtigandis ſeditionis & ſpoliorum autoribus, conueniret ſonante, etiam vox ab vno inter populares emiſſa, ſonuit, *Conſules & Magiſtratum Vrbis ſono campanæ Iudæorum ſpolium & ſtragem imperare.* Ad hanc vocem, maximo omnium conſenſu, ex vniuerſa ciuitate, a plebe concurſum eſt, & ſpoliatio direptioque atque ſtrages Iudæorum, quam inhibere nemo auſus erat, ex integro inſtauratur, vulgique furioſa temeritas, in poteſtatem necandi atque prædandi ſemel progreſſa, nulla cohibitione poterat auerti. Quæ vt facilius conquieſceret, Iudæorum domibus (a Chriſtiano incertum eſt an Iudæo) incenſis, & latius manante, dum nemo reſtringeret, incendio, ædes Sanctæ *Annæ*, & aliquot plateæ vrbis conflagratæ. Collegium vero Artiſtarum, maximo nobilium ſtudentium conatu & labore, ægre defenſum. Iudæorum nonnulli, diſcrimen mortis euitaturi, in turrim Sanctæ *Annæ*, ad cerdonum habitacula ſpectantem, vicinam ſe recipiunt. In qua cum prope crepuſculum ſe defendiſſent, igne adhibito ſuccenſi, ſe vltro dedunt. Durauit autem ſtrages huiuſmodi ab hora diei ſexta, vſque ad crepuſculum, ſub qua plures numero Iudæi fuerunt cæſi aut capti. Multi tamen ex eis ſuperſtites ſponte baptiſati. Omnes inſuper Iudæorum pueri, quibus Chriſtiani pepercerant, aut quos de mediis flammis ſeruauerant, ſacro fonte Chriſtianorum cura renati. Theſaurorum & rerum nobilium magna ſuppellex, in domibus eorum reperta, direpta eſt. Ex quibus plerique Chriſtianorum diuites effecti, in ſtatu & fortunis vehementer aucti ſunt. Sed in domibus eorum, quieſcente ſeditione, plures theſauri in ſabulo aut cloacis celati, reperiebantur. 1407

ob Chriſtianum infante Cracouiæ necatum

vulgi ſeditioſo furore primum per Capitaneum reſtricto,

& deinde inſtaurato ſpoliantur,

ædes S. Annæ & aliquot plateæ igne domibus Iudæorum ſuppoſito, conflagrantur,

& multi eorum necis metu baptizantur.

A Annus hic inſignis Iudæorum ſtrage, quæ pro vno & eodem die, non in *Cracouienſi* tantum vrbe, ſed & in *Niſſa*, & in *Francfordia*, duobus *Sleſiæ* oppidis, item in *Canthuaria Anglicana* ciuitate, anno eodem, iuſto Dei permittente iudicio, prouenerat.

Duodecima Octobris, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, zelotypiæ ſpiritu actus, quem in pectore eius duo Conſiliarii, fœdi aſſentatores, ſecreto accenderant, *Iacobum* de *Kobilani*, militem de domo *Grzimalitarum*, quaſi ſtupri cum *Anna* Regina habiti, reum, captiuat, & caſtro ſuperiori *Leopolienſi* compeditum vinculis, quæ annis prope tribus perferre coactus eſt, includit. Alius inſuper miles *Ni-* B *colaus Chrzaſlowski* de domo *Strzegomia*, eodem inſimulatus probro, in voluntarium exilium abiit. Alterius autem captiuitate, alterius vero exilio, *Anna Poloniæ* Regina, vulgari infamiæ (quam ſtubæ Reginalis in caſtro *Cracouienſi* nullo impetu ruinatæ caſus, paucis ante diebus accidens portendebat) parum ſenſatæ, & multorum opinione innocenter addicta eſt: quoniam & *Wladiſlaus Poloniæ* Rex de leuitate (quam in infamanda conſorte egerat) a Conſiliariis, apud *Niepolomicze* conuentu eodem anno habito, argutus, eam per organum *Nicolai Kurowski Gneſnenſis* Archiepiſcopi declarauit immunem, & anno inſequenti accuſatores Reginæ, graui C vltione diuinitus immiſſa, mulctati ſunt. Sed nec *Andreas Thaczinski* miles de domo *Bipennium* huius notæ expers fuit. Quippe & ipſe in tempore & loco ſecreto, in caſtro *Cracouienſi* deprehenſus, de commercio *Annæ* Reginæ, modeſtius tamen & minus vulgatius, quam duo reliqui, inſimulabatur. *Clemens* autem de *Moſkorzow* Caſtellanus *Viſlicienſis* & Capitaneus *Cracouienſis*, inſimulationis huiuſmodi primarius author, iure, quod Regina *Anna* contra illum inſtaurari obtinuerat, de falſa infamatione conuictus, probrum Reginæ a ſe vulgatum, & auribus Regis *Poloniæ Wladiſlai* infuſum, reuocare coactus eſt.

Wladiſlaus Rex Annam coniugem ſuam adulterii quaſi cum milite de Kobilani, ac Chraſlowski patrati, ſuſpectam facit,

autore Clemente de Moſkorzow qui falſæ infamationis conuictus, probrum Reginæ reuocare cogitur.

D Iniuriarum & diſcordiarum ſeminario, ſenſim inter *Lithuaniæ* & *Pruſſiæ* Dominia, gliſcente, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, quieti patriæ ſuæ *Lithuanicæ* prouiſurus, cum *Vlrico Pruſſiæ* Magiſtro, in oppido *Lithuaniæ Kowno*, pro die feſto Epiphaniarum Domini tenuit dietam. Et quamuis cum *Wladiſlao Poloniæ* Rege, Prælati, & Barones *Poloniæ* primores in huiuſmodi dietam deſcendiſſent, & cum *Pruſſiæ* Magiſtro *Vlrico* & ſuis Commendatoribus, qui ſe in vna inſula prope *Kowno* oppidum locauerant, de reformandis abrogandiſque iniuriis & diſcordiis, plures dies in tractatibus, abſumpſiſſent, Magiſtro tamen *Pruſſiæ* iam tunc gerente ſpiritum furentem & inflatum, atque

1408 *Conuentione in Kowno Wladiſlaus Rex & Magiſter Pruſſiæ, pacem inter Lithuaniæ & Pruſſiæ terras compoſituri.*

Qua infecta, animis irritatis, donis

1408 atque a quietis conſiliis per facti & ſermonum euidentiam, quos ampulloſe fundebat abhorrente, infenſioribus, & magis quam ante irritatis animis, nulla ſalubri concluſione edita, ab inuicem diſceſſum eſt. Non tamen adeo infeſtis, vt pro hoſtibus ſe gererent, cum *Wladislaus* Rex & munera Rege digna Magiſtro *Pruſſiæ* miſerit; & alia rurſus a Magiſtro remiſſa acceperit: gliſcentem furorem, & in bellicam cladem ſpectantem voluntatem, in tempus aptius prolaturi.

tamen mutuo datis diſcedunt.

Alteram expeditionem contra *Baſilium Moſchouienſem* Ducem generum ſuum, filiam ſuam quæ ei vnica erat, *Anaſtaſiam* habentem, *Alexandro Withawdo* magno Duci *Lithuaniæ*, pro nonnullis iniuriis, & occupatione limitum, paranti, *Wladislaus Poloniæ* Rex, quinque banderia mille lanceas continentia, ex militibus *Polonorum* probatis & exercitatis, in auxilium transmittit. Præficiens genti a ſe miſſæ *Sbigneum* de *Brzezie* Regni *Poloniæ* Marſchalcum, in Capitaneum & Ductorem. Multi vero Barones & milites *Poloni* in id bellum, aut voluntarii ibant, aut gentes expeditas mittebant. Sed & a Magiſtro *Pruſſiæ Vlrico* de *Iungen Marquardus* Crucifer, cum vno gentium expeditarum banderio miſſus aduenit. In craſtino itaque Sancti *Ioannis Baptiſtæ* die, *Alexander Withawdus* ex *Vilna* diſcedens, cum forti & numeroſo *Polonorum, Lithuanorum*, Cruciferorum, *Ruthenorumque* exercitu, in *Moſchouitarum* terram irrumpens, eam hoſtiliter igne & gladio vaſtare cœpit. Sed mox illi alter hoſtis coortus, Dux ſiquidem *Switrigal* germanus *Wladislai Poloniæ* Regis, vir inſtabilis, & ad nouandas res procliuis ingenii, caſtris *Bransko* & *Starodub*, quæ ex *Wladislai Poloniæ* Regis, & *Alexandri* magni Ducis donatione in *Lithuania* obtinebat, ſuccenſis, in odium & contumeliam *Alexandri Withawdi*, cum nonnullis *Polonis, Lithuanis* & *Ruthenis*, partes ſuas ſequentibus, ad *Baſilium* Ducem *Moſchouienſem* transfugit, & ex inſidiis locisque iniquis *Alexandri Withawdi* exercitum nocte & interdiu laceſſiit, variisque incommodis gentes Ducis *Withawdi* vexabat pro *Moſchouitis*. Vnde & exercitum Ducis *Alexandri, Okkam* fluuium maiorem, in meditullio terræ *Moſchouitarum* ſitum, ſuperare contendentem, transire prohibuit. Legati interim Ducis *Moſchouienſis Baſilii* venerunt, pacem petentes. Quæ poſt multos tractatus, tandem ſub æquis conditionibus, reſtitutis ad plenum poſſeſſionibus, quas Dux *Moſchouienſis* vſurpare nitebatur, firmata eſt. Vix pace firmata & concluſa, *Alexander Withawdus* exercitu ſuo in terra *Moſchouia* relicto, cum in voluptates venereas nimium eſſet præceps & procliuis, ad vxorem ſuam, equos permutando, velociſſime cucurrit. Propter quod exercitus ſuus, nullo Duce, nulla lege gubernatus, plurimis incommodis in redeundo laborare cœpit. Primum ſiquidem & in homines, & in equos fames ſæuiſſime graſſata eſt, in regione illa, ſuapte natura ſiluis & nemoribus obſita, paucas villas, & has ipſas aut ab hoſte aut a proprio milite ſpoliatas & afflictas habente: *Tartaris* inſuper, quos Dux *Moſchouienſis* in ſui auxilium acciuerat, pabulationem prohibentibus. Quæ tandem (quadrigis, in quibus nonnulla habebantur victualia, in nemore, deficiente ſubuectione, relictis) in homines peruenit. Quam cum quidam glande geſtiebant excludere, tenendo in ore glandem, animam tabeſcentem exhalabant. Multique in hunc modum mortales fame conſumpti ſunt. Acceſſit & itineris tam immenſi lubricitas, ex pluuiis ſuperne prouenientibus, quod regio *Moſchouienſis* nimis baſſa eſt, vt pene omnes equos fame tabeſcentes, ſua aſperitate deleuerit. In vna quoque ſiluarum longiore, tanta erat luti immenſa profunditas, vt cogerentur milites in plerisque locis, e cadaueribus equorum mortuorum & deficientium ſternere viam, & conſtituere pontes, neque enim aliter poterant itineris illius difficultatem ſuperare. In his anguſtiis & preſſuris, exercitum Ducis *Alexandri* conſtitutum, acies *Tartarorum* a tergo inuadit: & a *Polonis*, Cruciferis, *Lithuanisque* militibus, pedeſtri magis quam equeſtri certamine pugnatum eſt, victique *Tartari*, in latebras ſiluarum diffugiunt. Milites vero *Poloni*, armis, equis, & plerisque ſeruitoribus in ea expeditione amiſſis, nonniſi pro die Sancti *Martini*, ad *Wladislaum Poloniæ* Regem in *Nyepolomicze*, ea, quæ in expeditione huiusmodi amiſerant, ſua liberalitate repetituri reuertuntur. Quorum iacturis, fatigis, & damnis *Wladislaus Poloniæ* Rex compaſſus, & militiam eorum ſplendide præmiauit, & ſingula damna, quæ illis acciderant, liberalius quam voto expectabant, non ſecus quam ſi pro Regni *Poloniæ* defenſione & amplitudine militaſſent, reſarciuit. 1408

Withawdus Polonorum & Cruciferorum militibus auctus, cum Moſchouiam exercitualiter ingreſſurus eſſet,

Dux Switrigello exuſtis bonis ſuis, quæ in Lithuania obtinebat,

in auxilium Baſilio Duci Moſchorum aduenit, & Withawdum Moſchouiam vaſtantem ex inſidiis laceſſit.

Tandem venientibus nunciis a Moſcho, pacem cum eo firmat.

Et dum ad vxorem properat, exercitū in Moſchouia relictum, in magnum periculum famis atq; hoſtis conicit,

Intelligens *Wladislaus Poloniæ* Rex oram *Lithuaniæ* graui & infeſta fame pereuntem, & ex nimio imbrium deſcenſu, tam hiemali quam vernali ſatione oppreſſam eſſe; *Alexandri Withawdi* magni Ducis *Lithuaniæ* precibus & Nunciis ſolicitatus, trituratis in terra *Cuiauienſi* omnibus regiis allodiis, quæ ab annis aliquot factiuitas & induſtria *Zaklicza* de *Miedzigorze* Regni *Poloniæ* Cancellarii de domo *Bipennium* & *Ioannis* alias *Iwan* de *Obichow* Caſtellani *Srzemenſis*, Capitaneorum *Cuiauienſium*, frumentis ornauerat, mittit in *Lithuaniam* viginti naues groſſas, frumento plenas, *Viſla* vſque in *Ragneth*, abinde vero flumine *Nyemyen* ſurſum aſcendendo ituras. Quæ in *Ragneth* perductæ, mandato *Pruſſiæ* Magiſtri *Vlrici* de *Iungen*, in excuſationem quidem & colorem facinoris a ſe patrati, allegantis, *quod in nauibus illis arma barbaris & infide-*

ſubuenturus fame laborantibus Lithuanis Poloniæ Rex, mittit viginti naues frumenti Withawdo,

quæ iuſſu Magiſtri Pruſſiæ apud Ragnetam intercepta

1408 *inſidelibus, contra Chriſtianos & fideles vehe-*
rentur re autem vera, inuidentis ſtomachan-
tisque, frumenta ſua & Ordinis, a longis tem- A
poribus in granariis ſeruata, a *Lithuanis* coe-
mi in pretio alto (quemadmodum annis ſu-
perioribus contingebat) ſpretum iri. Hæc
autem frumenti iniuriosa receptio, originem
materiamque, & cauſam præſtitit bello, inter
Regnum *Poloniæ* & Ducatum *Lithuaniæ* ab
vna, & Cruciferorum Ordinem partibus ab
altera, in annis ſubſequentibus agitato. Mo-
uerat huius offenſæ magnitudo *Wladislaum*
Poloniæ Regem, & totus in bellum Cruciferis
inferendum ſpectare cœpit. Sed a Conſili-
ariis Regni *Poloniæ* coargutus, ferendam po-
tius iniuriam, quam properandum in arma B
cenſentibus, *Nicolaum Kurowski* Archiepi-
ſcopum *Gneſnenſem*, *Nicolaum* de *Michałow*
Sandomirienſem, *Ianuſſium* de *Tuliskow Ca-*
liſſienſem, & *Vincentium* de *Granow Naklen-*
ſem, Caſtellanos, ad *Vlricum* de *Iungen Pruſ-*
ſiæ Magiſtrum transmiſit, rogans & requirens,
vt frumentorum receptorum plenaria ſibi præ-
ſtaretur reſtitutio. *Vlricus* autem *Pruſſiæ* Ma-
giſter, vir pectoris alti, & in ſeditionem rixas-
que præcipiti, legatione tam nobili & ſubmiſ-
ſa necquicquam emollitus, reſpondet: *Non ſe*
frumenta, ſed arma contra ſe, & Ordinem ſu-
um, cæterosque fideles, infidelibus miſſa, in-
tercepiſſe, & nullatenus ea ſe reſtituturum: Re-
gem autem & Polonos improbe agere, quod & C
barbaros armis iuuent, & miſſa atque inter-
cepta repetant. Adiecit ad hæc *Vlricus de*
Iunigen Pruſſiæ Magiſter alteram iniuriam
Alexandro Duci magno *Lithuaniæ* inferre:
Et violatis captisque *Lithuaniæ* mercatoribus
qui apud *Ragnetham* negotiabantur, etiam
eorum fortunas & merces variorum manerie-
rum diripuit. Non tulit *Alexander Wi-*
thawdus Lithuaniæ Dux eam iniuriam, ne-
que de repetendis ablatis per Feciales agen-
dam duxit. Sed tam ſuperiori iniuria in re-
ceptione frumentorum, & altera violatus,
clandeſtino *Wladislai Poloniæ* Regis obtento
conſenſu *Samogithiæ* terram Magiſtro & Or-
dini Cruciferorum donatam inſcriptamque, D
auferendam & repetendam duxit. Miſſoque
Kinboldo Lithuaniæ Marſchalco cum genti-
bus, *Michaelem* Kuchmagiſtrum, Aduoca-
tum *Samogithiæ*, cæterosque Cruciferos, &
vniuerſum eorum in caſtris nouiter erectis
præſidium, captiuat, eiicit, & expellit: pro-
naque deuotione *Samogithis* in fidem & obe-
dientiam Ducis *Alexandri* aſpirantibus,
in priſcam ſuam, terram *Samogithiæ*, redegit
ditionem.

neque reſtituta occaſionem præſtitere bello per Polonos poſtea cum Cruciferis geſto.

Interim tamen Withawdus ob direptionem ſuorum mercatorum per Magiſtrum,

Samogithiam Cruciferis donatam recuperat.

Die Solis Dominica Ramis Palmarum, *An-*
na Poloniæ Regina, filiam ex *Wladislao Polo-*
niæ Rege conceptam, effudit. Quæ poſtea
in Dominica tertia poſt feſtum Paſchæ, in qua
canitur, *Vocem iucunditatis*, per *Petrum Viſch*
Cracouienſem Epiſcopum, in *Cracouienſi* Ec-
cleſia baptiſata eſt, & nomen illi *Heduigis* im- 1408
poſitum. Solennitas baptiſteriorum pluribus
diebus continuata.

Heduigis filia Regi Wladislao naſcitur.

Vltima Menſis Iunii *Gregorius XII*, ex *Lucæ*
progreſſus, iterum *Senas* peruenit. Sub quo
tempore ab omnibus fere Cardinalibus ſuæ o-
bedientiæ, propter dolos & fallacias, quibus,
ne vnionem faceret, vtebatur, deſertus eſt. Qui
ſchiſma amplius dilataturus, nouos ſtando *Se-*
nis, creauit Cardinales, videlicet *Antonium* ne-
potem germanum, *Gabrielem* de *Cundulmario*,
ambos *Venetos*, & nonnullos alios. Ex *Senis*
in *Ariminum* ſe contulit; vbi hiemando, in
Quadrageſimæ tempore, ad terram ciuitatis
Auſtriæ Aquilegienſis diœceſis acceſſit, & Con-
ciliabulum, circa feſtum Pentecoſtes, in pau-
ciſſimo numero perſonarum Eccleſiaſticarum,
celebrauit: *Petro* de *Luna* aliud conciliabu-
lum, in Regno *Arragoniæ*, ſub frequentiori
tamen numero Prælatorum Eccleſiaſticorum,
per plures ſeſſiones celebrante, & decreta pro
ſuo libito edente. Quintadecima tandem
Auguſti, dum Cardinales vtriusque Papæ, vi-
delicet tam *Gregorii* quam *Benedicti*, per di-
uerſa vagarentur loca, nec haberent locum de-
terminatum & ſecurum, in quo pro facienda
vnione Concilium poſſent tenere generale.
Iam etenim a *Petro* de *Luna* alias *Benedicto*
XII ad Regnum *Arragoniæ* de territorio *Ge-*
nuenſium transire diſponente, nouem Cardi-
nales ſuæ obedientiæ diſceſſerant, & ſe Cardi-
nalibus *Gregorii* coniunxerant, *Balthaſar* de
Coſza, tituli Sancti *Euſtachii* Diaconus Car-
dinalis *Bononienſis* legatus, *Petrus* de *Candia*
Ordinis Minorum, & *Ioannes* nepos olim *In-*
nocentii per *Bonifacium* IX Cardinales cre-
ati, obtinuerunt a *Florentinis* ciuitatem *Piſa-*
nam ad celebrandum generale Concilium eis
concedi. Vbi extunc Cardinales vtriusque o-
bedientiæ conuenientes, Concilium tenere
inceperunt, citantes perſonaliter *Gregorium*
XII, Senis reſidentem; *Petrus* vero de *Lu-*
na per edictum. Ad quod & *Petrus Viſch*
Cracouienſis Epiſcopus, vtriusque Iuris Do-
ctor, ex *Cracouia*, in frequenti notabilique co-
mitiua, & ſplendido apparatu acceſſit, & pro
omni tempore, quo Concilium durauit, illic
pro honore Dei & Eccleſiæ ac Regni *Poloniæ*, &
pro tollendo ſchiſmate ſtetit, faciens ſumptus
magnificos & liberales. Comparuerunt
autem in Concilio *Piſano* præfato, per ſuos
notabiles Procuratores, *Albertus Poſnanien-*
ſis, *Iacobus Płocenſis*, *Venceslaus Wratisla-*
uienſis, *Arnoldus Culmenſis* Epiſcopi. Item
Vniuerſitas ſtudii *Cracouienſis*, Capitulum
Eccleſiæ *Płocenſis*, item *Iscislaus* Abbas *Thy-*
nyecenſis item Clerus ciuitatis & diœceſis *Wra-*
tislauienſis. Venerat etiam perſonaliter *Io-*
annes Lubucenſis Prouinciæ *Gneſnenſis* Epi-
ſcopus. Conuenerant autem in Concilium
huiuſmodi Cardinales amborum de Papatu
contendentium, videlicet *Gregorii* & *Benedicti*.

Gregorius & Benedictus Pontifices, a ſuis Cardinalibus deſeruntur.

Ex

1408 Et vtroque depoſito, pro reunienda Eccleſia Dei, *Petrum* de *Candia* natione *Græcum*, fratrem Ordinis Minorum anno proxime ſubſequenti elegerant, qui *Alexander V.* eſt appellatus. Rebus autem Concilii & Eccleſiæ Dei ſtabilitis, *Petrus Viſch Cracouienſis* Epiſcopus ſepulchrum & cunabula Saluatoris noſtri & ſanctam terram viſitauit. Qui peregrinatione exacta, dum *Venetias* incolumis rediiſſet, a forti laxatiuo iuxta conſilium medici ſumpto, multifarie debilitatus, morbum lethargicum contraxit, a quo in diem mortis ſuæ ad plenum non poterat abſolui. Depoſitione autem huiuſmodi, per Cardinales vtriusque obedientiæ & Prælatos Concilii *Piſani*, de *Benedicto* & *Gregorio* facta, necquicquam obſtante, vterque ſe pro Papa gerere non deſtitit. *Gregorius* Papa inſuper a ſuis Cardinalibus vnionem zelantibus deſtitutus, nouem nouos Cardinales, in eorum ſupplementum, qui ſe deſeruerant, creat. Propter quod ſchiſma, quod ſe Concilium *Piſanum* extinxiſſe credebat, non ſolum reintegratum eſt, ſed etiam vehementer auctum, dum duobus pro ſummis Pontificibus ſe gerentibus, videlicet *Benedicto* & *Gregorio*, tertius, videlicet *Petrus* de *Candia*, in ſua obedientia *Alexander V*, appellatus, acceſſiſſet. Præfati inſuper duo contendentes de Papatu, videlicet *Benedictus* & *Gregorius*, præſidendi libidine cœci, ab vnionis tractu impudenter diſcedentes, ad perpetuationem ſchiſmatis, & concilii *Piſani*, quod tunc agebatur, eneruationem, noua conciliabula in locis & temporibus variis indicebant, nouosque creabant Cardinales. Et licet *Gregorius* præfatus, vt debitum ſuum erga Deum & Eccleſiam perageret, & iuxta pollicitationem ſuam pro ſedando ſchiſmate ad Concilium *Piſanum*, quod pro vnione indictum erat, perſonaliter veniret, per *Aquilegienſem* & *Mediolanenſem* Cardinales rogatus fuiſſet, & requiſitus, auribus tamen ad omnia ſalutaria monita obturatis, quod pollicitus iureiurando fuerat, temerauit. Licet inſuper ex ſchiſmate huiuſmodi, ciuitates & populi Eccleſiæ *Romanæ*, plures ſtrages, rapinas, vexationes, & incommoda pertulerint, ipſe tamen *Gregorius XII*, nulla ſuper his compaſſione & pietate mouebatur: Sed vt ſcripta Cardinalium *Wladislao Poloniæ* Regi miſſa continebant, ſtabat immobilis iuxta vt ferreus foret. Et quanto plura & maiora ſcandala videbat ſucreſcere, tanto ſapidiori cibo ſaturari credebatur. Quapropter *Wladislaus Poloniæ* Rex literis Cardinalium permotus, obedientiam *Gregorii XII*, zelatus & ipſe vnionem Eccleſiaſticam, abſtraxit, & cum Regno *Poloniæ*, Ducatuque magno *Lithuaniæ*, *Alexandro* quinto ab vtraque parte Cardinalium electo, adhæſit. Audientes autem *Gregorius* & *Benedictus* depoſitionis ſententiam contra ſe in Concilio *Piſano* latam fuiſſe, vehementer vterque ſuæ parti timere cœpit. Et *Petrus* quidem de *Luna* dictus ira excandeſcens, ad dilatandum ſchiſma in *Hiſpaniæ* & *Arragoniæ* Regnis, nouos Cardinales, vt præmiſimus, creauit. *Gregorius* vero in habitu diſſimulato, cum duobus tantummodo pedeſtribus, ex ciuitate *Auſtriæ* vbi conciliabulum celebrauerat, pedeſter & ipſe diſceſſit: ac per hoc inſidias, quas ſibi *Antonius* Patriarcha *Aquilegienſis*, ex eo, quod ipſum nulla interueniente rationabili cauſa, Patriarchatu *Aquilegienſi* in *Luca* priuauerat, inſtruxerat, euaſit, & ad duas galeas, quas ſibi *Ladislaus Siciliæ* Rex tranſmiſerat, beneficio illarum in *Apprutium*, deinde *Gaietham*, vbi longo tempore dicti *Siciliæ* Regis ſub protectione degebat, peruenit. 1408

Qui cum nouos Cardinales crearent & vnionem recuſarent, a Cardinalibus ſimul conuenientibus autoritate Concilii Piſani ſede Pontificia moti, Alexander V creatur, & ſchisma magis auctum quam extinctum eſt.

Sigismundus Hungariæ Rex, expeditione contra *Boſſnenſe* Regnum, quod a fide & obedientia ſua diſceſſerat, indicta, in virtute potenti illud inuadit, habens in ſuo exercitu de *Polonorum* gentibus milites inſignes & præſtantes, videlicet *Zauiſſium* nigrum de *Roznow*, *Ioannem Varſchewski*, *Domarathum* de *Kobilani*, *Zauiſſium* de *Oleſchnicza*, *Skarbkonem* de *Gori*, *Ioannem Farurey* de *Garbow*, & plures ailos, & multa caſtra quæ faciebant reſiſtentiam, gladio conquirit, & multos *Boſſnenſes*, aut depriuat capite, aut deiicit de muro. Regnumque vniuerſum redegit in obedientiam & tributum.

Boſſna in fidem Regis Hungariæ redigitur.

Secundo Eccleſiæ *Vilnenſi* Pontifice *Iacobo* fratre Ordinis Minorum, *Vilnæ* in Carniſpriuio diem obeunte, *Nicolaus* de *Gorskow* Decanus *S. Floriani* ante *Cracouiam*, Canonicus & Officialis *Cracouienſis*, nobilis de domo *Oſſinarani*, propter eius virtutes plurimas, & vitæ ſanctitatem, in *Vilnenſem* Epiſcopum aſſumitur. Et quamuis eſſet vir tam ſenio quam labore confectus, & obtineret ex patrimonio & beneficiis amplam dotem, redditus Epiſcopatus *Vilnenſis* excedentem, in fauorem tamen & dilatationem fidei, penatibus & beneficiis relictis, regimen Eccleſiæ *Vilnenſis* ſuſcepit. Et Eccleſiam illam optimo ordine & exemplari vita, plurimum regulauit. Vir pietate, zelo, & deuotione plenus. Sub cuius regimine *Vilnenſis* Eccleſia, in fide & religione Chriſtiana, & in Spiritualibus & temporalibus, notabilia ſuſcepit incrementa. Hunc quidem virum *Heduigis Poloniæ* Regina dum viueret, pro dilatatione fidei ſollicita, mortuo primo Epiſcopo *Vilnenſi Andrea*, pro ſua virtute ſubſtituere decreuerat: ſed eius piiſſimum propoſitum immatura mors impediuit. Quapropter non fuit, niſi ſecundo Epiſcopo *Iacobo* mortuo, *Vilnenſi* Eccleſiæ, operante deuotiſſimo Rege *Wladislao*, & optimam intentionem conſortis ſuæ prudentiſſimæ *Heduigis* exequente, præfectus.

Nicolaus de Gorskow Vilnenſi Ep. Martino mortuo ſuccedit.

Transeunte *Wladislao Poloniæ* Rege, per maioris *Poloniæ* oram, & in oppido *Oborniki* ſub frequentiſſimo militum numero agente, vene- 1409

De Samogithia per Wi-

1408 venerunt ad illum feria quinta ante feſtum *S. Ioannis* Baptiſtæ, *Vlrici* de *Iunigen Pruſſiæ* Magiſtri Nuncii, videlicet *Thorunenſis* & de *antiquo caſtro* Commendatores, quos *Pruſſiæ* Magiſter callide miſerat, magis vt ſuum propoſitum diceret, id quod tandem euenit, quam ſpe impetrari, quod exigebat, poſſe. Qui cum graui querela, & mentis anxietate queſſi ſunt, *Alexandrum Withawdum magnum Ducem Lithuaniæ, terram Samogitharum quamuis eam Magiſtro & Ordini perpetua donatione patentibus literis inſcripſiſſet, & omni iuri ſibi in illa competenti renunciaſſet, abſtuliſſe & ſuos atque Ordinis Præſides & Capitaneos, cum dedecore & ignominia aut necaſſe aut captiuaſſe. Et licet Magiſter & Ordo per plures Nuncios, prædictum Alexandrum Withawdum de reddenda terra occupata, & reddendis captiuis, multifaria prece & inſtantia ſollicitaſſent, nunquam tamen fatigis & precibus eorum reſpondit. Alexandro Duce Lithuaniæ, eorum inſtantias & requiſitiones eludente.* Cum itaque ipſi ex neceſſitate iniuriæ illatæ eis, cogerentur bello & armis repetere terramque eis ablatam, & damna eorum atque iniurias punitum iri. Supplicabant Regi inſtantia vehementi, declararet ſibi, *velletne fratrem ſuum Alexandrum Ducem Lithuaniæ in ea cauſa adiuuare, quatenus Magiſter & Ordo exploratam habentes ſuam voluntatem, tempeſtiue ſuis rebus prouiderent.* *Wladiſlaus* autem *Poloniæ* Rex, huic tam perplexæ legationi, quia non ſatis in promptu habebat quid reſponderet, legationem ipſam iniuriarum & diffidationum tenorem continere intelligens, reſpondet: *Non ſe pro ea vice, propter pondus & grauitatem legationis, & conſiliariorum ſuorum paucitatem, quicquam illis reſpondere poſſe. Inſtituturum autem ſe pro die S. Alexii, in Lancicia dietam generalem, & ex illa propriis Nunciis, Magiſtro & Ordini reſponſurum.* Qua reſponſione Commendatores non contenti, apud cœtum militum, Procerum, & vulgum Regni *Poloniæ*, publicas proteſtationes facere cœperunt. Declarando *qualiter Magiſter & Ordo parati eſſent, cum Regno Poloniæ, fœdera pacis perpetuæ, inter Caſimirum ſecundum Regem Poloniæ, & Magiſtrum atque Ordinem firmata, ſeruare. Sed poſtquam Wladiſlaus Rex Poloniæ nollet dimittere fratrem ſuum Alexandrum Ducem Lithuaniæ, & in cauſa iniuſta vellet ſibi auxiliari, milites & Proceres Regni Poloniæ non ſuccenſerent Magiſtro & Ordini, ſi bellum Regno Poloniæ intulerit, graui iniuria laceſſitus.* Ea autem proteſtatione in publico edita, etiam reſponſo Regio non audito, furore & ira pleni diſcedebant, vt prorſus ex geſtibus bilique, immoderatius quam Nunciis conueniebat, & ſuperba iactantia effuſa, conſtaret illos bellum *Poloniæ* Regno, quamprimum occaſio temporis adeſſet, moturos. Ex ademptione ſiquidem terræ *Samogithiæ*, per *Alexandrum Withawdum* magnum

...thawdum ademta, apud Regem Poloniæ Magiſtri Pruſſiæ nuncii querentes,

cum Rex in futura comitia reſponſum reiiceret, facta publica proteſtatione non per Magiſtrum ſtare, quo minus pacta cũ Regno Poloniæ inita ſeruarentur,

ira pleni redeunt in Pruſſiam.

A Ducem *Lithuaniæ* facta, & *Wladiſlai Poloniæ* Regis in reddendo reſponſo, tergiuerſatione, conſtabat Magiſtrum & Ordinem, quam maxime fuiſſe offenſum, vt bellum non quidem aperte aduerſus *Polonos* decerneret; ſed tacitis animis, & deinde ebulliente ira & indignatione, ſubeſſe bello, quamprimum opportunitas affluеret, monſtraret. *Wladiſlaus* enim *Poloniæ* Rex, quaſi ancipiti conſtitutus in biuio, Magiſtri & Ordinis legatione interrogatus, quo ſe verteret, & qualem ad legationem huiuſmodi ederet reſponſionem, parum in proſpectu habebat. Nam neque Ducem *Withawdum* & *Lithuanos*, in eorum aduerſis periculiſque deſerere, neque a *Lithuanis* in ſe Re- B gnumque ſuum, volebat bellum durum, *Polonorum* Conſiliariis id maxime execrantibus, maximoque ſtudio & cura, ne exortum adoleſceret & exoriretur, adnitentibus, transferre.

Die Sancti *Alexii* adueniente, Prælatis & Baronibus Regni *Poloniæ* in multiplici numero *Lanciciam* conuenientibus, dieta generalis ad edendum Magiſtro & Ordini *Pruſſiæ* reſponſum, habita eſt. Ex qua *Nicolaus Kurowski* Archiepiſcopus *Gneſnenſis*, *Nicolaus* de *Michalow* Palatinus *Sandomirienſis*, & *Ianusſius* de *Thuliskowo* Caſtellanus *Caliſſienſis* ad *Vlricum* de *Iunigen* Magiſtrum, & Ordinem *Pruſſiæ*, deſtinantur. Qui cum illum apud C Magiſtrum offendiſſent, in eam ſententiam reſponſionem pronunciant: *Nihil*, inquiunt, *Wladiſlaus Poloniæ Rex, te & Ordinem tuum ignorare putat, Alexandrum Withawdum Ducem magnum Lithuaniæ, contra quem ſuper ablatione terræ Samogithiæ, cæteriſque iniuriis queſtus es, etſi primarium Principem, vinculo quoque prope germani ſanguinis Regi coniunctum, Regno tamen Poloniæ & Regi ſubiectum eſſe, terram quoque & Ducatum Lithuaniæ, nonniſi ex donatione & conceſſione Regis, ad tempus vitæ ſuæ obtinere. Quapropter non licet Regi & in hac guerra, a vobis Alexandro Duci & terra Lithuaniæ mouenda, & in quocumque* D *caſu alio aduerſo, illum deſerere, quinimo omnibus potentiis, & ſuffragiis illum iuuare. Placeat itaque continere ſe ab omni guerra, & in loco atque die competenti conuentionem agere, in qua Wladiſlaus Rex curaturum ſe offert omnia, præter iuſtitiam & æquitatem acta, reformare & reſcindere, ac fratrem ſuum Ducem magnum Alexandrum, velut Principem ſibi & Regno Poloniæ ſubiectum, ad ſingula, quæ pacem & æquitatem redolent, ſtabilire.* Magiſter autem *Pruſſiæ* nihil tam humili reſponſione motus, continuas apud Nuncios Regios, contra Ducem *Alexandrum*, ampulloſis verbis exaggerabat ingeminabatque querelas, aſtruens *ſe non vltra iniuriam ſuam & Ordinis* tole- 1408

Wladiſlaus Rex Magiſtro Pruſſiæ per Nuncios reſpondet

ſibi non licere ut Withawdum fratrem deſerat,

ſe tamen æquis conditionibus initas iniurias illatas complanaturum offert. Verum Magiſtro bellum minante

1409 *toleraturum, ſed cum omnibus potentiis ſuis in Lithaniam extemplo iturum.* *Nicolaus* autem *Kurowski* Archiepiſcopus *Gneſnenſis*, A vnus ex Nunciis Regiis, terrores Magiſtri tantopere ingeſtos non ferens, indigeſtum, & minus cautelosum, contra Regis & Conſiliariorum prohibitionem, miſcuit ad Magiſtrum ſermonem: *Deſinas*, inquit, *nos Magiſter terrere bello Lithuaniæ inferendo; Quoniam ſi illud agere te in animum induxeris, te Lithuaniam petente, non dubites Regem noſtrum Pruſſiam inuaſurum. Lithuanorum nos hoſtes pro noſtris ducimus, conuerſuri in te arma, ſi illos laceſſeris.* Id vtrum Archiepiſcopus ſua ſponte per inconſideratum ſermonem dixerit, an quia iuſſus fuerit, non tam certum eſt, quam aſſeritur. Lætus eo ſermone Magiſter B ſubintulit: *Gratias*, inquit, *tibi habeo, Pater Reuerendiſſime, quod propoſitum Regis tui non celaſti. Ego ſiquidem tuo ſermone doctus, quam certificatus, caput potius petam quam membra: terram potius poſſeſſam quam deſertam; & oppida atque villas, quam nemora: guerram & arma contra Lithuaniam deſtinata, in Regnum Poloniæ conuerſurus. Plus enim me & Ordinem meum iuuat, verticem quam pedes, & culta quam deſerta, agroſue, ſiluas, & dumeta, impetere.* Nec moram dictis facit: Nunciis enim Regiis ab eo diſcedentibus, arma corripit, exercitum parat. Et in Vigilia Aſſumptionis Sanctæ *Mariæ* Virginis, *Wladislao Poloniæ* Regi apud C nouam ciuitatem *Korczin* agenti, miſſis literis diſſidatoriis, caſtrum *Dobrzin* circumuallat, & continuis quaſſationibus bombardarum, item proiectione ignearum ſagittarum frequentius iactarum, conqnirit & exurit, militesque *Poloniæ* qui illud defendebant, capite plectit. Quo facto oppida *Ripin*, *Lipno*, *Dobrzin*, vaſtat, ac multas virgines & matronas, in illis repertas obtruncat. Ita ſermo *Gneſnenſis* Archiepiſcopi *Nicolai*, parum concinne parumque caute prolatus, bellum, quod differebatur, adoleuit, & pacis medius ac belli ſequeſter, bellum ſermone intempeſtiuo accendit. Caſtro *Dobrzinenſi* conquiſito, *Ioannem* de *Plomini*, nobilem de domo D *Pruſſi* Capitaneum *Dobrzinenſem* captum, capite truncauit. Pluresque crudelitates in milites *Polonos* & agreſtes, ferociter edidit. Deinde verſus caſtrum *Bobrowniki* procedens, illud ſimiliter continua expugnatione, per deditionem conquirit. Notabiles ſiquidem *Polonorum* milites, quos *Wladislaus Poloniæ* Rex, præfati Caſtri defenſione transmiſerat, & quorum Capitaneus erat *Varczislaus* de *Gotartowicze*, de domo & familia *Vulpium*, nulla anguſtia & grauedine acti, cum victualium copia illis ſuppeteret, & fere omnes muri, præter vnam portionem integri eſſent, Magiſtro illud dedunt. Propter quod præfatus *Varczislaus* captiuitatem expoſt longo tempore pertulit, & in turri obſcura anguſtias carcerales. Milites autem cæteri, videlicet *Barthoſſius Plomikowski*, de domo *Plomyani*, *Nicolaus Ragoſchowicz*, & cæteri, qui caſtrum prædictum dediderant, omnes apud Regem *Wladislaum* priuati erant fama & reputatione. Quapropter præfatus *Barthoſſius Plomikowski*, verecundia ob id vexatus, & vario æſtu mentis fluctuans, factus erat ab illo tempore delirus. Qui tamen poſtea in conflictu magno, in die Diuiſionis Apoſtolorum habito, altam de ſe exhibebat ſtrenuitatem, nunquam tamen ſanus erat ab illa dementia. Nam poſt annos multos *Cracouiæ*, equo inſidens, catenam platealem voluit tranſilire. Propter quod de equo prolapſus, gladio, quo erat cinctus, ex impetu ſaltus proſiliente de vagina, vulneratus & transuerberatus eſt, atque ex illo vulnere mortuus. Nec ſolum ipſe, ſed & proles ſua dementiam contraxerat. Caſtro *Bobrowniki*, *Vlricus Pruſſiæ* Magiſter, conquiſito, caſtrum *Zlotoria* circumuallat, & octo diebus ſtetit in eius obſidione. Sub quibus diebus ducebantur matronæ & virgines de *Thorun*, & in earum præſentia impetus & expugnatio fiebat contra caſtrum. Octauo autem obſidionis die, traditur Magiſtro caſtrum, quoniam maior pars militum caſtrum defendentium, ex proiectione bombardarum erat interfecta, nec poterant ſe amplius ſubſtinere. Vnde omnes reſidui per Cruciferos erant capti. Inter quos erant *Dobeslaus Oliwyenski*, *Hebermut*, *Iwan* de *Gori*, & alii, qui notabili tempore tenebantur per Cruciferos in captiuitate. Et quamuis *Alexander* Dux *Lithuaniæ* in relaxationem militum apud *Zlotoriam* captorum, certos captiuos Cruciferis relaxaſſet, Cruciferi tamen non ſeruarunt fidem, & *Polonorum* milites captos tenuerunt. Caſtro autem *Zlotoria* ſic conquiſito, caſtrum *Bidgoſtia*, quod per *Thomam* de *Vagliſchin maioris Poloniæ* Capitaneum tenebatur, quoniam ſitu eſt munitiſſimum, videntes ſe conquirere nullatenus poſſe, Burgrabium caſtri pecunia corruptum ad deditionem perliciunt. Quo audito *Thomas* prædictus, nimio dolore mortuus eſt. Poſt cuius obitum, Capitaneatum *maioris Poloniæ* *Wladislaus* Rex, *Vincentio* de *Granow* Caſtellano *Naklenſi* contulit in tenutam. 1409

Regii Nuncii inconſiderato dicto

incitatur, vt illud Regno Poloniæ moueret.

Mox quadam caſtra & oppida Regni Poloniæ expugnat.

Wladislaus Rex expeditione indicta

Wladislaus Rex *Poloniæ*, amare & moleſtiſſime ferens tot & tam graues ſibi per Cruciferos illatas iniurias, & tot ſibi caſtra ablata, expeditionem mox totius Regni ſui commouit, & omnibus Regni ſui ſubditis mandat, quatenus in *Volborz* in octauam Natiuitatis S. *Mariæ* Virginis, conueniant exercitualiter, abinde in *Pruſſiam* proceſſuri. Duci autem magno *Lithuaniæ* Alexandro per literas & nuncios crebro intimat, *quatenus cum gentium ſuarum potentia, ſibi prope metas Pruſſiæ occurrat.* Conuenit itaque iuxta Regis imperrium

1409 rium magnus exercitus in *Volborz* pro die inſtituta, de omnibus terris Regni *Poloniæ*, videlicet *Cracouienſi*, *Sandomirienſi*, *Lublinenſi*, *Ruſſiæ*, atque *Podoliæ*, cum quo *Wladislaus* Rex egreſſus, procedit verſus *Lanciciam* & prope *Lanciciam* in gaiis quatuor diebus, præſtolando reſiduos exercitus, agit ſtatiua. Ab inde vero diſcedens, prima ſtatiua in campis villæ *Siedlecz*, ſecunda in campis villæ *Koczawie*, tertia prope *Radzieiow* ſupra lacum, & ibi exercitum per vexilla ordinare non negligit, quarta in campis villæ *Scharley*, quinta in *Tuczno* ſupra lacum, vltra *Iuniuladislauiam* per milliare, ſexta in *Bidgoſtia*. Et in die Sancti *Michaelis*, caſtrum *Bidgoſcza* graui fortitudine circumuallat, & ſcutis ſeu palliis, quaſi muris in circuitum ſupra vallum ſepit, bombardiſque concutit. Ex quarum continua proiectione, Commendator & Capitaneus caſtri fuit interfectus. Sentiens autem Magiſter *Pruſſiæ* caſtrum conquirendum eſſe, mittit ad *Wladislaum* Regem, *Conradum Oleſchnicenſem* Ducem, poſtulans, *vt Rex obſidionem ſolueret*, & offerens *caſtrum Bidgoſcza, in manus Venceslai Bohemiæ Regis, ſe reſignaturum, & in illum compromiſſurum.* Cui legationem ſuam in craſtino *S. Franciſci* exponenti, reſponſum eſt: *Si magiſter ſimilem reſignationem, de terra Dobrzinenſi & caſtris eius, in manus præfati Regis Venceslai effectualiter ſe facturum pollicitus fuerit, non abnuere Regem diſcedere ab obſidione.* Stabat autem Rex cum exercitu ſuo, in eiuſdem caſtri obſidione, octo diebus in borra, octauoque die caſtrum armis & potentia conquirit. Et reparatis eius ruinis, dat illud *Matthiæ* de *Labiſzin* Palatino *Brzeſtenſi* in tenutam. Sub diebus autem obſidionis, Magiſter *Pruſſiæ* gentes ſuas circa *Swiecie* conuenire præceperat. Quo intellecto *Wladislaus* Rex, aliquot gentium ſuarum banderia illuc mittit. Quorum intellecto aduentu gentes *Pruſſiæ* fugiunt; & exercitus Regis tentoria derelicta occupat, & ſpoliis multis hoſtilibus potitur. Iniuriis autem tam frequentibus, tamque atrocibus, *Wladislaus Poloniæ* Rex laceſſitus a Cruciferis, ad varios Reges & Principes Catholicos ſuper grauaminibus ſuis ſcribit, querelam per literas ſpeciales, quarum exemplar inferius continetur. Dux inſuper *Lithuaniæ Alexander*, ſub diebus illis mittit ad *Wladislaum Poloniæ* Regem, *Iacobum Glinyani* de *Lublin*, Notarium ſuum, ſignificans Serenitati ſuæ in ſecreto, *quod pro tempore illo nullatenus poteſt cum gentibus ſuis venire ſibi in ſuccurſum.* Rogans & ſupplicans, *quatenus ſibi non ægre ferat:* conſulensque *vt cum hoſtibus inducias conficiat vſque ad æſtatem futuram, quo interim ſingulis pro guerra ordinatis, poſſet cum ampliori gentium ordine, & bellico apparatu venire armatior, atque paratior ſibi in ſuccurſum.*

tendens in Pruſſiam,

Bidgoſtia recuperat,

Caſtro *Bidgoſtienſi* conquiſito, *Wladislaus* Poloniæ Rex cum ſuis deliberat, quid ſibi facere
A expediat. Plerique ſic faciendum cenſebant: *vt Wladislaus Rex, poſtquam tam fortem collegit exercitum, in terram Pomeraniæ procedat, & eam igne & gladio deuaſtet.* Aliis viſum eſt ſalubrius, factis treugis, redire, & bellum futura æſtate inſtaurare, attento, quod exercitus tantus, hiemis aſperitatem nullatenus in campo poſſet ſufferre. Interim venerunt Nuncii *Venceslai Romanorum* & *Bohemiæ* Regis, videlicet Dux *Conradus* antiquus *Oleſchnicenſis*, & *Ienko* Capitaneus *Swidnicenſis* & *Wratislauienſis*, & bellum huiuſmodi nomine eius intercipiunt. Petentes
B *Wladislaum Regem, quatenus ſufferentiis pacis, ad diem S. Ioannis Baptiſtæ acceptatis, a bello deſiſtat, & ipſum Venceslaum Regem, in arbitrum aſſumat: pro omnibus differentiis quomodolibet exortis, inter Regem & Magiſtrum, iuſte arbitraturum. Et pro die Dominica Inuocauit, Pragam Nuncios ſuos, plene inſtructos, pro habendo arbitramento, deſtinet.* Precibus itaque dictorum Nunciorum *Romanorum* Regis, & ſuorum conſiliis, *Wladislaus Poloniæ* Rex deuictus, treugas cum Cruciferis, uſque ad diem *S. Ioannis Baptiſtæ*, ad ſolis occaſum inſcribit & firmat, & diem Dominicam *Inuocauit*, pro tractanda &
C conficienda pace perpetua, per Regem *Romanorum* acceptat. Turpia hæc ſufferentiarum pacta videbantur, ad potentiam exercitus, quem Rex ducebat, habendo reſpectum; Sed tempori congruebant. Conſiliarii tamen Regii, omnes contumelias & improperia, a vulgaribus, quaſi treugas ipſas, auro Cruciferico corrupti, admiſiſſent, non poterant effugere. Non formidinis autem, neque licitationis ea, ſed cautionis erat propenſa moderatio, quamuis nonnulli illam, velut meticuloſam, & auro expreſſam carpebant.

Romanorum & Bohemiæ Rex Venceslaus

a Wladislao Rege inducias ad feſtum Ioannis Baptiſtæ Cruciferis obtinet.

Querela Wladislai Poloniæ Regis contra Cruciferos de Pruſſia, in vniuerſum omnibus literis publicata.

D *Wladislaus Dei gratia Rex Poloniæ Dux ſupremus Lithuaniæ, hæres Pomeraniæ, & Ruſſiæ Dominus & hæres &c. Iuſte Deus, Iudex fortis, alme ſcrutator cordium, te inuoco & imploro, vt me in pronunciatione neceſſitatum ingruentium, oberrare non permittas, ſeu contra veritatem, quicquam fulminare. Noſcite igitur & attendite, percipiteque vniuerſi Reges, Principesque tam Spirituales quam Seculares, Comites, Barones, Nobiles, milites, Communitates ciuitatum &c. & omnes qui inhabitatis terram, ſacroſanctæ fidei Catholicæ profeſſores. Quomodo in factis, quæ inter nos & fratres Cruciferos de Pruſſia ventilantur & occurrunt, per ipſos erga nos nullus penitus pietatis aſſenſus adhibetur, ex quo patientiam, ad quam ex præcepto Ieſu Chriſti Regis pacifice ſeruandam, fuimus obligati, in nobis dilacerant*

Querela Regis Wladislai contra Cruciferos.

1409 rant & violant; ipſam a nobis prætendentes ſequeſtrare. Quamuis enim nobis cum firmiſſimo pacis fœdere, & literarum robore fuiſſent colligati, quod vtique fœdus, nullus prorſus occaſionibus violari ſperabatur, ipſi tamen contra fœdus huiuſmodi ſic firmatum, ſub colore fictæ amicitiæ, innocentiam noſtram fictis accuſationibus, & confictis adinuentionibus, coram aliquibus, Principibus, & multis probis detulerunt, proditorem aſſerentes, quod temporibus noſtris, & Vithawdi Alexandri Ducis Lithuaniæ, non multum fides Catholica, per baptiſmum gentis noſtræ Lithuanicæ fuiſſet roborata, quia nullus gentis noſtræ ad fidem Chriſtianam per nos fuiſſet conuerſus & attractus, & quod illi de fide Ruthenica, qui per nos fuere baptiſati, ſub colore fidei Catholicæ, fictam ipſorum tenerent ſecrete & occulte. Sed quia Eccleſia de occultis non iudicat, ſufficit nobis puræ deuotionis diligentia quam in augendo fidei Catholicæ adhibemus. Si enim ſciremus tales, qui fidem tenerent palliatam, nunquam ſine pœnali vindicta ipſos dimitteremus incorreptos. Et ſi perfecta charitas maneret in cordibus Cruciferorum, aut ſi in fœdere nobiſcum facto fideliter ſtare vellent, hos quos ſciuerunt aut ſciunt de noſtris, a fide exorbitantes, nobis ipſos ſincere debuerunt indicare. Et ſi ipſos non correxiſſemus, iuxta Euangelium, teſtes debuerunt aſſumere, & nos inducere ad correctionem eorundem. Et demum ſi noluiſſemus ſtare inductioni eorundem, tum primum debuerunt nunciare Eccleſiæ. Sed ipſi ordine præpoſtero, dimiſſo principio, a fine incipientes, contra nos & fratrem noſtrum chariſſimum Ducem Withawdum, iniuſtas querelas incœperunt fulminare. Nec ſperandum eſt, quod ipſi religionem mundam & immaculatam ſectentur, ex quo habenas linguæ laxantes ad vaniloquia, noluerunt vera loqui; & libertate linguæ freti, elegerunt loqui aduerſum nos, non vera ſed iniqua. Non enim nos animaduertimus iuſtificationem noſtram multiplicitate verborum oſtentare; ſed per realem efficaciam clarificare volumus noſtrorum opera factorum. Immo, ad ſubiiciendam rem oculis, nos realiter volumus innuere, & hac realiter volumus innuere, & hac realiter oſtendere, quod cultus religionis Chriſtianæ, per neophitos noſtros, in terris Lithuaniæ, Chriſto Duce, laudabiliter exercetur: quia ibidem, de gratia Dei, Cathedrales, & alias multas Parochiales, & Conuentuales, ereximus Eccleſias: ipſas de bonis patrimonialibus hæreditando perpetuo, ſufficienterque dotando. De quo quilibet certus reddi poterit, qui pro experientia habenda, eaſdem partes Lithuaniæ, per nos de gentilitatis errore eductas, vellet viſitare, & ea, quæ ſcribimus, non aliter ſe habentia, propriis oculis contueri. Sed ipſi, proh pudor, pudorem ſquallidum tegunt proprium, alieno ſibi ficto pudore, culpas proprias in alios transferendo. Bene quidem facerent, ſi prius de propriis oculis trabem eiicerent, antequam de alienis feſtucam eiicere feſtinarent. Ipſi enim ſcientes & videntes contrarium aſſerunt, quod pauca infra viginti quatuor annorum decurſum, a tempore baptiſmi noſtri, in augmento fidei Catholicæ accreuiſſent. Dicant ergo ex aduerſo, quæ quantaque in terris Pruſſiæ, per ipſos occupatis, forte a ducentis annis vel vltra, per eos accreuerunt. Pro certo, reſpectu eorum, quæ in terris Lithuaniæ facta ſunt, poſſent minima reputari, cum & eos, quos baptiſauerunt, Pruthenos, vtique bene conſtat, ſub annuentia ipſorum, quaſi ſub quodam palliato rigore, ritus gentiles minime poſtpoſuiſſe, & reuera neminem huiuſmodi gentilium fideliter ad fidem inuitant Catholicam, prout de Samogithis experientia teſtatur, quos ad baptiſmum allicere debuerant, quorum tamen nullum infra quinquennium, licet baptiſmi gratiam affectando, ad fidem Catholicam vocauerunt. Solum namque in eo curſu gratulantur ſui propoſiti, vt terras qualiter taliter poſſideant alienas. Vnde probabilis rationis colligimus argumento, quod ſi tali tamque peruerſo modo, cum cæteris Principibus circuibunt, quemadmodum erga nos nunc procedunt, pro certo difficulter aliquis poſſet ſubſiſtere. Nec dubium, quod in poſterum, niſi ope DEI refrenentur, omnes Principatus & Dominia, ipſorum ditioni taliter ſubiugabunt. Illud quoque circa diſpoſitiones ipſorum eſt valde doloroſum, deteſtabile, & deflendum, quod poſitionis ſuæ curſum ſemper habent retrogradum, in nullis penitus, cum legum inſtitutionibus, & Canonum ſanctionibus concordare volentes. Hoc etenim ipſe curſus eorum non admittit, vt voluntas ſequatur rationem: ſed portendit hoc potiſſime, quod ratio cedat & ſubſit ſemper imperio voluntatis. In hoc namque ipſorum tota fundamentaliter conſiſtit intentio & voluntas, vt propria teneant, aliena recipiant, aut concupiſcant. De alienis vtilitatibus ſemper vti volunt, nec cuipiam iuri ſeu iudicio parere & ſubmitti, par eiſdem. Et quicumque prætextu huius, ob pacis amorem, virtute patientiæ ipſis ſe quanto magis humiliat, tanto magis horum humilitate contempta, per arrogantiam pede calcare nituntur. Et quamuis ita ſumma patientia virtutis, DEO ipſi Creatori, deuotionem noſtram voluiſſemus humiliter commendare, & ipſius clementiam in pacis dulcedine liberius exorare, illud ſcriptum ſemper retinendo in animo; quod niſi in pace bene poteſt coli author pacis, pacem cum eiſdem fratribus Cruciferis, conſtitueramus perpetuam atque firmam. Per quam pacem ipſi Saluatori nos duplicem ſperabamus feciſſe ſeruitutem. Quarum vna in eo conſiſtit, quod cum proximis & domeſticis fidei pugna ceſſaſſet, & ſopita fuiſſet omnium materia iurgiorum: Alteram autem in hoc poſueramus ſtabilitam, quod durante pacis fœdere, Chriſtianam potuiſ-

1409 *ſemus ampliare religionem, & incredulos quoſcumque, per baptiſmum Catholicæ adducere vnitati, eo quod abiectis & euulſis cordis rancoribus, locum puræ præbuiſſemus charitati, omneſque iniuriarum flammas pia manſuetudine ſuffocando, immo pro reductione conſtantiorum fœderum, & propter bonum pacis, terram Dobrzinenſem ad Coronam pertinentem, per ipſos Cruciferos iniurioſe a nobis, & corona noſtra ablatam, & aliquot annis contra fœdus, tempore piæ memoriæ Caſimiri olim Regis Poloniæ, inter Regnum Poloniæ ictum, & per Ordinem ipſorum fratrum occupatam, in multa pecuniarum liberauimus quantitate. Neque hoc quidem profuit nobis, cum pacem in pace inuenire non potuimus, quia mox poſt firmata pacis fœdera, ipſi grauioribus plusquam præteritis iniuriarum aculeis infeſtare & afficere nos cœperunt, dum præter alias quam plurimas nobis illatas iniurias caſtra noſtra, videlicet Drzeſzno & Santok cum territoriis etiam aliquibus, ad nos, & ad Ducem Maſouiæ Ioannem fratrem noſtrum ſpectantibus, aliiſque noſtris vtilitatibus, omni iure, & iuſtitiæ modo, poſtpoſitis, friuole occupantes. Quas huiuſmodi iniurias non ſine magna patientia ſuſtinuimus, fœdere tali, quod omni guerra durius reputauimus, inuoluti firmiter & ligati. Et quamuis multiplicatis inſtantiis, per literas & ſolennes Nuncios, affectuoſe ipſos hortati fuerimus, vt iuxta inſcriptiones nobiſcum ſtabiliti fœderis, iniurias ipſas æquitatis moderamento temperaſſent, ipſi autem per hoc facientes de nobis ridiculum, nulla ratione facere voluerunt. Interdum tamen quaſi deluſorie intimabant nobis, ſe velle eaſdem iniurias rigore iuſtitiæ moderari: quod & demum ad effectum, ſicut alias, omnino deducere renuerunt. Ideoque ad querelas contra ipſos, prorumpere nos oportet, & iniuriarum noſtrarum animo turbato grauedines explicare, quas in chartula ſpeciali ſingillatim Veſtræ Claritati deſcribimus. Eandem Veſtram attentius rogando Claritatem, quatenus dictis & relatibus, imo & accuſationibus eorundem Cruciferorum, ſi quas contra nos & fratrem noſtrum Ducem Withawdum leuitate linguæ emiſerint, fidem velitis ſubtrahere creditiuam. Iniquis enim & doloſis accuſationibus nos deprauant, ſoli prauitatis vitio claudicantes. Velitis etiam, quæſumus, ab ipſorum hortamentis iniquis auertere mentes veſtras, & dum illi aliquas ſibi gentes Dominiorum veſtrorum in ſubſidium contra nos, & prædictum fratrem noſtrum Ducem Withawdum, venturas vocauerint & poſtulauerint, hominibus veſtris illic tranſitum prohibere. Ipſi enim veriſſime contra fideles Catholicæ fidei profeſſores, & contra eos, qui ad fidem Catholicam promoueri dudum aſpirant, ſe armant, gentis armatæ ſuffragia poſtulantes. Datum Opathouiæ, ipſo die Sancti Laurentii Martyris, anno Domini milleſimo quadringenteſimo nono.*

Antequam autem concluſio treugarum ſeu induciarum huiuſmodi Duci magno *Lithuaniæ Alexandro*, per *Wladislaum Poloniæ* Regem intimata eſſet, miſerat prædictus Dux *Alexander* germanum ſuum Ducem *Sigismundum*, cum *Lithuanorum* aliquanto exercitu, latenter in terras *Pruſſiæ*. Qui illas ingreſſus, exuſtis & ſpoliatis plurimis villis, oppida etiam *Dzialdow*, *Thamow*, *Neuerken* ſpoliat & exurit, & magnum numerum hominum vtriusque ſexus in Lithuaniam abducit. Quod factum licet fuiſſet per Ducem magnum *Alexandrum*, tanquam ignarum de treugis attentatum, Cruciferi tamen nullatenus poterant adduci, vt id ad magnam non adſcriberent iniuriam, & Duci magno *Alexandro*, prout ſoliti erant, reddere vicem. Collecto itaque clandeſtino exercitu, illum per ſolitudinem ſitam inter *Grodno* & *Byelsko*, per loca *Rzebno*, *Stoki*, *Iaskier*, & fluuium *Nyetupa*, tranſmittunt. Et hominibus Ducis, qui in ſolitudine excubias faciebant (fumus enim illos prodiderat) circa *Iasker* comprehenſis & interfectis, die Dominico Ramis palmarum, in *Volkoniska*, vbi non paruus populus *Lithuanorum* ad diuina audienda conuenerat, irrumpunt, & omnem populum vtriusque ſexus de *Lithuanis* & *Ruthenis*, ſpoliato & exuſto loco illo, captiuant, & cum captiuis per viam qua venerant, celerrime reuertuntur. Qua nouitate Dux magnus *Alexander*, qui in *Vſlonini* ſeptem miliaribus diſtabat a loco illo, turbatus, & pauore nimio conſternatus, illico, tantummodo conſorte ſua *Anna* recepta, in denſas ſiluas, & aquoſa lutoſaque latibula verſus *Zdithow* ſe contulit: Vbi manſit, donec de receſſu Cruciferorum certificatus fuiſſet. Locus autem per quem Cruciferorum ibat & redibat exercitus, magnam effecit ſtratam in huiuſmodi ſolitudine. Quæ in ſignum facti huius, etiam in hanc diem apparet & perſeuerat. Ab indeque ſolitum eſt obſeruari, vt excubatores nonniſi ex corticibus quercinis, quæ fumum non dant, ne prodi poſſint, focos extruant. 1409

Withawdus induciarum per Regem cũ Cruciferis factarum ignarus, vaſtat Pruſſiã; ac viciſſim hoſtem prouocatum pauidus ex improuiſo in ſuis terris recipit

Vigeſima tertia Iunii, Cardinales vtriusque obedientiæ conclaue ingreſſi, fratrem *Petrum* Ordinis Minorum, tituli duodecem Apoſtolorum, Presbyterum Cardinalem, in Papam concorditer, vt ſupra tetigimus, elegerunt, ætate ſeptuagenarium. Qui *Alexandri* quinti appellationem ſortitus, nonis Iulii, *Piſis* coronatus eſt. Hic natione *Græcus*, ex *Creta* oriundus, nunquam parentes, cognatos, aut aliquos carnis identitate coniunctos, quemadmodum relatione ipſius compertum eſt, dinoſcens, ſed quærentem eum in pueritia, per mendicitatem victum, quidam frater Ordinis Minorum *Italicus*, recolligens, in latino ſermone inſtructum, regulari habitu induit, & ad *Italiam* perduxit. Vbi artibus liberalibus eruditus, primum in *Oxonienſe*, deinde in *Peruſenſe* ſtudium deſtinatus, inſignis Magi-

ſter

1409 ſter in Theologia euaſit. Poſthæc *Longobardiam* veniens, fauore Ducis *Mediolanenſis*, Eccleſias Cathedrales, & poſtremo *Mediolanenſem* rexit. Homo benignus & liberalis, omni petenti ſe nihil negare ſciens. Ob quam rem Curia Romana, ſub breui tempore per inexperientiam, ſimplicitate & liberalitate ipſius fuit notabiliter deformata. Fratres Minores ad Epiſcopatus & Prælaturas promouens. *Balthaſaris* de *Coſſa* Cardinalis, qui illius electionem ad Papatum, ſe neglecto perſuaſerat, in ſingulis agendis conſiliis directus. Excepit autem prædictus *Alexander*, *Ludouicum* Ducem *Andegauenſem*, filium quondam *Ludouici*, ad ſe in *Piſas* venientem, magno honore, & ipſum de Conſilio Cardinalium, in *Siciliæ* Regem ſublimat. Circa finem autem menſis Octobris, propter peſtem epidimiæ, ex *Piſis* recedens, in *Pratum*, deinde in *Piſtorium*, vbi aliquanto tempore manſit, ſe contulit. *Bohemiæ* quoque Regem *Venceslaum*, pro Rege *Romanorum*, & non *Rupertum*, nominare cœpit. Ex quo illi *Rupertus* offenſus, obedientiam ſuam in *Germania* turbare non deſtitit.

Alexander V Papa, Ludouicum Ducē Andegauenſē Regem Siciliæ creat, & Venceslaū Regem Bohemiæ nominat Regem Romanorum.

Treugis confectis, quæ tamen vulgaribus & rerum ignaris, erant plurimum diſplicibiles & moleſtæ, quique illas, corruptis largitione Conſiliariis, calumniabantur interpoſitas, exercitu licentiato, *Poloniæ* Rex *Wladiſlaus* a *Bidgoſtia* recedit, & per *Zbenam*, *Poſnaniam* vadit, & abinde, indicta generali conuentione in villa *Niepolomicze*, procedit verſus *Craconiam*, & in feſto *S. Martini* agit conuentionem generalem in *Niepolomicze*. Vbi conuenientibus Prælatis & Baronibus Regni, inſtauratur iudicium horrendum contra *Varczislaum* de *Gotartowicze*, qui infideliter agens, caſtrum *Bobrowniki*, nulla preſſus neceſſitate, Cruciferis tradiderat. Et quamuis prædictus *Varczislaus* pro excuſatione ſui facinoris allegaſſet, quod reſignationem caſtri prædicti, de ſcientia *Nicolai Kurowski* Archiepiſcopi *Gneſnenſis*, & eius mandato feciſſet, & fuiſſent literæ ſuper hac materia productæ, & ſcrupuloſius examinatæ, compertum tamen finaliter, eundem *Varczislaum* inique egiſſe, & merito culpabilem eſſe. Propter quod traditus erat *Wladislao* Regi, tanquam reus & culpabilis puniendus. Qui illum in caſtrum *Chaczini* in captiuitatem perpetuam tradi mandauit. Verum expoſt anno ſequenti, de Cruciferis obtenta victoria, illum ſicut & omnes alios captiuos abſoluit. Sed poſt illam abſolutionem pauco tempore idem *Varczislaus* ſuperuixit. In eadem conuentione, nominati fuerunt & electi Nuncii notabiles, Prælati & Barones, in *Pragam* pro die Dominico *Inuocauit*, ad audiendam ſententiam arbitralem, inter *Wladislaum Poloniæ* Regem, & Cruciferos, proferendam, ituri, & omnes eis tunc fuerunt inſtructiones ad rem præbitæ.

Exercitus Polonicus dimittitur, & comitia celebrantur, vbi Varczislaus de Gotartowicze ad perpetuos carceres damnatur, & Legati ad Bohemiæ Regem Arbitrum mittuntur.

Hæreſis *Vikleff*, quæ ante annos multos Regnum *Angliæ* grauiſſime infecerat, in Regno *Bohemiæ* in ciuitate *Pragenſi*, vbi tunc generale vigebat ſtudium, per *Ioannem Huſſ Bohemum* reaccenſa & reſuſcitata eſt, permittente occulto Dei iudicio, & in breuiſſimo tempore, diſſimulante *Venceslao Bohemiæ* Rege, & *Zophia* de *Bauaria Bohemiæ* Regina cum aliquibus Conſiliariis eam nutriente, ſerpens totum Regnum *Bohemiæ* infecit. Solo autem liuore & inuidia dictus *Ioannes Huſſ*, quia per impetrationem cuiusdam, de Præbenda *Pragenſi* fuit iure excluſus, huiusmodi *Vikleffiſtarum* fabricare hæreſim cœpit. Et quia erat homo magnæ ſcientiæ & eloquentiæ, ſingularis quoque & exemplaris vitæ, & propter prædicationem ſuam expreſſiuam plurimum dilectus a vulgo, facile æſtimatione ſua *Bohemorum* pectoribus, ſuapte ad nouandas res, & in arrogantiam ſingularem pronis, hæreſis huiusmodi virus plantauit. Qua fimbrias ſuas ſenſim dilatante, Studium generale mandato ſedis Apoſtolicæ diſſolutum, & practicari in *Praga* prohibitum eſt, & omnes exterarum gentium Scholares, item omnes Religioſi & Sacerdotes, qui hæreſim ortam abominabantur, de ſtudio e ciuitate pulſi, plerique etiam trucidati, ſeditiones magnæ in populo exortæ, bella inteſtina & latrocinia aucta, & omnis vnitas, ordo, pulchritudo & decus Regni *Bohemiæ* peſſundata. Inualeſcente ſiquidem hæreſi præfata, fuerunt paſſim per laicos temporalia Eccleſiæ Dei & miniſtris eius ablata, & omnes ſpirituales, qui in hæreſim conſentire nolebant, aut occiſi, aut violati, aut expulſi. Templa incenſa, profanata, & diruta, oſſa inſignia Sancti *Venceslai* patriæ illius Principis & Patroni, aliorumque Sanctorum disiectæ & conculcatæ reliquiæ, glorioſum Carthuſienſium monaſterium, & plures aliæ ædes ſacræ, vſque ad ſolum ruinatæ: & omnibus bonis partim trucidatis, partim excluſis, & diffugientibus, malignus quiſquam illic habuit receptaculum & cubile. Multiplicatis autem ſceleſtis viris, plurium iniquitates ſtudiis malignorum hominum in Bohemia pullularunt. Eoque malignitatis ventum fuerat, vt etiam nonnulli Satanæ ſatellites, ſectam *Picardorum*, publicos & permiſcuos concubitus permittentem, aliquanto tempore exercuerint. Auxerat dogma peruerſum, *Petri Anglici* in *Pragam* aduentus. Qui ex eo tempore vſque ad diem mortis ſuæ illic degens, *Anglicana* venena, quæ ex libris *Vikleff* didicerat, *Bohemicæ* nationi propinabat. Quæ omnia mala (proh dolor) *Bohemico* Regno præſtiterunt, Magiſtrorum inflatorum, & Doctorum prurientium, & pluſquam oportet ſapere enitentium, in opinionibus diuiſiones, & interpretationes improuidæ ſcripturarum, atque eæ ex ſuperbiæ tumore prouenientes, ita vt ex inde patria glorioſa, & natio præ- 1409

Ioannes Hus hæreſin Vikleff Pragæ excitat.

1409 præclara *Slauonica*, redderetur fœda, turpis, & ingloria.

Stante *Wladiſlao Poloniæ* Rege in *Nyepolomicenſi* conuentu, venit ad ſuam Maieſtatem Nuncius Cardinalium *Romanæ* Eccleſiæ, *Nicolaus* de *Volania*, cum literis eorundem Cardinalium, ſignificantibus, *qualiter ipſi vnionem Eccleſiæ, diuturno iam tempore ſciſſæ, zelati Gregorium Venetianum de Corario duodecimum, & Benedictum XII alias Petrum de Luna de Papatu contendentes, & ſua contentione ſchiſma peſtiferum nutrientes, coniuncti ipſi in vnam obedientiam, depoſuiſſent, & Alexandrum de Candia Papam indubitatum elegiſſent.* Petentes *Wladiſlaum Poloniæ* Regem, *quatenus & ipſe cum ipſis ſentiat, & obedientia Gregorio XII. ſubtracta, in Alexandri de Candia Papæ quinti obedientiam concedat.* Qua re ad concilium relata, decernentibus Conſiliariis, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, *Gregorio* duodecimo, quamuis ſibi amiciſſimo deſerto (is enim Decanatum *Cracouienſem* & Præpoſituram *Gneſnenſem* ius conferendi duntaxat ad vitæ tempora *Wladiſlao* Regi contulerat) *Alexandri V.* in *Piſano* Concilio, quod tunc agebatur, conformiter in Summum Pontificem electi, obedientiam profeſſus eſt. Erat inſuper *Alexandro* quinto, iam inde ab eo tempore, dum in minoribus agens, terras *Ruſſiæ* viſitaret, familiaritas contracta cum *Wladiſlao* Rege *Poloniæ* adhuc in gentilitatis errore conſtituto.

Wladiſlaus Rex Alexandro V. Papæ obedientiam profitetur.

Wladiſlaus Rex de apparatu belli Pruthenici cum Withawdo Duce conſultans

Diſceſſu a *Niepolomicze* facto, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex verſus *Lithuaniam* contendit, conuentionem in *Brzeſczie Ruthenicali* cum *Alexandro* Duce magno *Lithuaniæ*, quam ſibi denunciauerat, acturus. Feſto autem Sanctæ *Catharinæ* apud *Lublin* celebrato, pro feſto Sancti *Andreæ* venit in *Brzeſczie*, vbi ſuam Maieſtatem Dux *Lithuaniæ Alexander*, vno miliari occurſu facto, debita reuerentia excepit. Ibi omnem progreſſum belli futuri contra Cruciferos gerendi, *Wladiſlaus* Rex *Poloniæ*, cum *Alexandro* magno Duce *Lithuaniæ*, ſolo *Nicolao Traba* Regni *Poloniæ* Vice-Cancellario conſcio, ſecretiſſime conficiunt. Imperatorem denique *Tartarorum*, quem Alexander Dux *Lithuaniæ* in *Brzeſczie* adduxerat, pro futuro bello, cum gente *Tartarica* eis auxilia latura, perliciunt. Illic inſuper componunt, quo die, quoue loco copiæ *Polonicæ* & *Lithuanicæ* conueniant, & quo pacto *Viſlam* ſuperent. Diſponunt etiam fieri pontem, nunquam alias viſum ex nauibus. Cuius fabrica *Dobrogeſtio* nigro de *Odrziwol* Capitaneo *Radomienſi* nobili de domo *Nalencz*, a *Wladiſlao* Rege fuit mandata. Parabatur autem pons huiuſmodi expenſis Regiis, in *Kozyenicze*, ſecrete, per quendam ſubtilem artificem *Iaroſlaum*, & tota hiems illa in eius perfectione abſumpta. *Wladiſlaus* tandem *Poloniæ* Rex, rebus omnibus pro inſtaurando bello futuro *Pruthenico* ordinatis, ex *Brzeſczie* vadit in *Camyeniecz* Ruthenicale, *Alexandro* Duce magno *Lithuaniæ* eum comitante. Vbi ad ſuam Serenitatem *Bullæ Alexandri V.* ſpeciali Nuncio allatæ ſunt, quibus ſignificabat ſuam conformem electionem, & rogabat, *vt ſibi, tanquam vniuerſalis Eccleſiæ indubitato Summo Pontifici, a Cardinalibus vtriuſque de Papatu contendentis electo, præſtare obedientiam non negaret.* A Quod & *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, iuxta decreta conuentionis in *Niepolomicze* facta, vna cum *Alexandro* Duce *Lithuaniæ* reſpondit ſe facturum. Ex *Camyeniecz Wladiſlaus* Rex proceſſit ad venationem in *Bialowyeze* vltra fluuium *Lſzna*, *Alexandro* Duce *Lithuaniæ* cum *Tartarorum* Imperatore in *Lithuaniam* diuertente. Quem pro toto hiemis tempore, & vſque prope feſtum *S. Ioannis Baptiſtæ*, in terris ſuis cum gente ſua & vxoribus tenuit. *Wladiſlaus* autem *Poloniæ* Rex, venationi dans operam apud *Bialowyeze* octo diebus demoratus, ſub quibus multas feras ſilueſtres cepit, & ſale infuſas in vaſis per *Narew* & *Viſlam*, in *Ploczko*, pro futuro bello aſſeruandas, tranſmiſit. Deinde in terram Regni ſui *Chelmenſem*, per *Camyeniecz*, *Laſki*, & *Kobrin* perueniens, B dies Natalis *Chriſti* apud *Lubomliæ* egit. Vbi etiam vno die Eccleſiam pro Catholicis illic degentibus, ex lignis fabricari dotat, & per *Gregorium Wladimirienſem* alias *Luceorienſem* Epiſcopum fratrem Ordinis Prædicatorum conſecrari procurat. Idcirco hieme illa *Wladiſlaus Poloniæ* Rex in *Lithuaniam*, iuxta conſuetudinem obſeruatam, ire diſtulit, quoniam difficile fuiſſet *Alexandro* Duci magno *Lithuaniæ*, & ſtationibus Regem procurare, & expeditioni rerum in bellum neceſſariarum intendere. Sed & *Wladiſlaus Poloniæ* Rex neceſſe habebat, in Regno ſuo *Poloniæ* curam de multis intendere, quæ illum non permiſerunt in *Lithuaniam* procedere iuxta morem.

deque fabricando in nauibus ponte,

nuncium Alexandri Papæ de obedientia ſibi præſtanda accipit,

1409

ferasque venatione captas ſale condit, & Ploczkam mittit,

& templum Lubomliæ ligneum vno die excitat,

Landulphus Cardinalis *Barenſis*, ex concilio *Piſano* in *Germaniam* miſſus, pro die Epiphaniæ *Francfordiam* ſupra *Manum* peruenit: Vbi *Rupertus Romanorum* Rex, C cum *Maguntinenſi* & *Colonenſi* Archiepiſcopis, *Henrico* Duce *Brunſzwicenſi*, *Hermanno* Landtgrauio *Heſſiæ*, *Frederico Miſnenſi*, & *Frederico Brandeburgenſi*, Marchionibus, cæteriſque *Almaniæ* Principibus, item *Francorum* & *Angliæ* Regum Oratoribus, dietam, ad procurandam vnionem in Eccleſia Dei, tenebat. Vbi dum ſex dies, practicando modos vnionis, exegiſſent, venit ex parte *Gregorii XII.* nepos ſuus *Anthonius* Cardinalis, & prolixo ſermone vſque ad faſtigium vſus eſt: factum *Gregorii* iuſtificans, & Cardinalium qui *Piſis* congregati erant opera impugnans. *Rupertus* itaque *Romanorum* Rex prece, incertum eſt, an pretio, corruptus, contemptis ſaluberrimis Principum *Almaniæ*, & Oratorum *Franciæ* & *Angliæ* Regum, conſiliis, vnionem per medium Concilii *Piſani* procurari ſuadentibus, partes *Gregorii* notabiliter fouere cœpit, notabileſque ambaſiatores, videlicet Archiepiſcopum *Rigenſem*, E- D piſcopum *Varmatienſem*, & Electum *Verdenſem* ad *Gregorium* præfatum deſtinauit. Ex quo *Gregorius* ipſe obſtinatior factus eſt. Placita enim ſibi, prout iuſſi erant, & non vnionem promouentia, loquebantur. Propter quod *Gregorius* ipſe, placere amplius *Ruperto* volens, Epiſcopum *Varmatienſem* creauit in Cardinalem, quem tamen, ne Epiſcopatu priuaretur, ſuſcipere detrectauit. Electus deinde *Verdenſis*, in *Piſis* ad concilium accedens, perſuadere Cardinalibus & Patribus, in eo congregatis, quemadmodum per *Gregorium* inſtructus erat, nitebatur, vt alium locum *Gregorio* aptum pro Concilio deligerent. Quod cum obtinere non poſſet, in appellationē prorupit. Aſſerens nomine *Ruperti* Regis, Concilium generale, in caſu ſchismatis, niſi auctoritate Imperiali, congregari non poſſe. Feruntur autem, ipſe Romanorum Rex *Rupertus*, & Conſiliarii, atque ambaſiatores ſui, a doctis & grauibus viris, non ſecus quam delirantes, irriſi, vt qui vnionem quam promouere debuerant, variis & infeſtis modis eandem perturbabant.

Ruperti Romanorum Regis

factionem Gregorii fouentis vnionemque Eccleſiæ diſſoluentis

legati in Piſano Concilio ridentur.

FINIS LIBRI DECIMI.

IOANNIS DŁVGOSSI

SEV

LONGINI

CANONICI CRACOVIENSIS,

HISTORIÆ POLONICÆ

LIBER VNDECIMVS.

1410 REſto Natalis *Chriſti Wladislaus Poloniæ* Rex apud *Lubomlia* exacto, in *Lubochnya, Thur, Saczko, Rathno* ſecedens ſtudium, venandi reſumit, captas feras pro *Pruthenico* bello reſeruans. Ex *Chelmenſi* terra in *Parczow* proceſſit: deinde in *Lublin, Kazimierz, Sieczieczbow,* & feria quinta ante Carnispriuium, in *Kozienycze* deſcendit; Reginam quoque *Annam* ex *Cracouia* illuc aduenientem offendens, ex *Kozienycze* pro Carniſpriuio in *Iedlnam* diuertit. Illic ad eum venit *Hermannus* Comes *Ciliæ*, frater patruelis *Annæ* Reginæ, *Wladislaum* Regem, & ſororem ſuam *Annam* Reginam viſitaturus. In cuius præſentia, pro honore ſuo & Regni, *Wladislaus* Rex curia indicta, procurauit fieri varia haſtiludia, ſolatia, & choreas. Tenuit autem præfatus *Wladislaus Poloniæ* Rex præfatum *Hermannum Ciliæ* Comitem in curia ſua, omnibus rebus abunde prouiſum, & ex *Iedlna*, in *Ilzam*, *Opathow*, & *Sandomiriam* diſcedens, datis ei *Sandomiriæ* Regalibus & magni ponderis muneribus, remiſit conſolatum. Huius inſuper Comitis interpoſitione & practica, cum fratre ſuo Duce magno *Lithuaniæ Alexandro*, ad tenendam perſonalem conuentionem in *Kezmark* cum *Sigismundo Hungariæ* Rege, fuit perſuaſus & inductus. 1410

Hermannus Comes Ciliæ a Wladislao Poloniæ Rege humaniter excipitur.

Trigeſima tertia die menſis Maii, *Przemislaus* ſenior Dux *Theſchnenſis*, qui (quoniam propter podagricam infirmitatem, annis triginta illum vexantem, baiulabatur aſſidue in ſella) cognomen *Noſchak* ſortitus fuerat, poſt multas defatigationes quas pertulit, vt Cruciferos ad pacem cum *Wladislao* Rege reduceret, ex *Pruſſia* reuerſus, apud *Theſchin* moritur, & in monaſterio fratrum Prædicatorum in *Theſchin* ſepelitur, vir prudens, induſtrius, & ſenſatus. Qui ex *Catharina* filia Ducis *Legnicenſis Boleslai*, duobus filiis, *Boleslao* & *Przemislao* ſuſceptis, Principatus ſuos fuerat partitus. Nam *Boleslao* natu maiori, contulerat *Theſchin*, *Glogouiam maiorem*, *Goram*, *Szyewior*, & medietatem *Fithom*: natu vero minori *Przemislao* a *Chrzan Bohemo* occiſo, *Oſzwiacim*, *Strzalim*, *Thoſczek*, *Zathor*, *Kathi*, & *Ziwiecz*.

Przemislaus Dux Theſchenenſis diuiſo filiis Ducatu, moritur.

Termino, quo *Venceslaus Romanorum* & *Bohemiæ* Rex, differentiam inter *Wladislaum* Regem, & Magiſtrum ac Ordinem Cruciferorum, erat ſua ſententia Arbitrali dirempturus, appetente, *Albertus Iaſtrzambiecz* Epiſcopus *Poſnanienſis*, *Sbigneus* de *Brzezie* Regni *Poloniæ* Marſchalcus, *Vincentius* de *Granow* Caſtellanus *Naklenſis*, & *maioris Poloniæ* Capitaneus *Andreas* de *Prochocziecze*, & *Dunin* de *Skrzin*

Legati Wladislai cæterorumque militarium

1410 Regius Notarius, vice & nomine *Wladiſlai* Regis & Regni *Poloniæ:* item *Butbrim* miles *Lithuanus*, & *Nicolaus Czebulka* Notarius A Ducalis, nomine *Alexandri* magni Ducis *Lithuaniæ*; item *Stiborius Rogala* de *Sanchoczino* Marſchalcus *Ianuſſii*, item *Plichta* Marſchalcus *Semouithi*, Ducum *Maſouiæ* vice & nomine, cum magnifico apparatu *Pragam* deſtinantur. Quo cum perueniſſent, & tam ipſi Nuncii Regales & Ducales, quam Cruciferorum, ſuas propoſitiones, articulos, & inſtructiones, coram eodem *Venceslao Romanorum* & *Bohemiæ* Rege, tanquam coram arbitro communi, & iudice electo produxiſſent, ſperantes ipſum, cum pro ſua, tum pro cauſæ grauitate, cauſam mature digeſturum. Ipſe vero Rex tædio affectus, & raro ſobrius, ſuiſque oblecta- B mentis intentus, ad cauſam ſuæ fidei creditam, iuſto decidendam iudicio, nihil penſi habens, examinare illius merita faſtidiebat. Ne tamen Rex ipſe *Romanorum* fuiſſet, de euidenti leuitate, in præſentia tot Nunciorum, notatus, ne inſuper Nuncii Regales, Ducales, & Cruciferorum abſceſſiſſent abſque fine, Cruciferorum Nunciis, tam prece quam pretio ipſum, & Conſiliarios ſuos ſolicitantibus, *Iodocus Morauiæ* Marchio, Regi *Poloniæ Wladislao*, & ſuæ parti infeſtus grauiter, quod aduerſarium ſuum, alterum Marchionem *Morauiæ Procopium*, frequenter armis & exercitibus adiuuerat, cum aliquibus *Bohemis* & *Almanis*, deciſioni cauſæ huiuſmodi ſe ingeſſit, C & certos articulos, crudos quidem, & apparentem iniquitatem redolentes, ad ferendam arbitralem ſententiam compoſuit, præfatumque *Venceslaum Romanorum* & *Bohemiæ* Regem, ad pronunciationem ſententiæ, iuxta articulorum huiuſmodi continentiam, induxit. De quo ambaſiatores *Wladislai Poloniæ* Regis, & *Lithuaniæ* ac *Maſouiæ* Ducum auiſati, compromiſſum limitatum & ſemiplenum, pleno apud ſe reſeruato, produxerunt: ne pronunciatio ſententiæ iniquæ, Regem & Principes afficere & ſtringere in aliquo potuiſſet. Poſt multos itaque dies, aſſignatur terminus parti vtrique, ad audiendum ferri ſententiam arbitralem. Quo adueniente, con- D uenit pars vtraque in Regiam, ſententiam huiuſmodi auditura. Silentio itaque indicto, *Venceslao* Rege ſtante, & cuiuſdam ligni ciſuræ intendente, Notarius menſam editiorem aſcendens, ſententiam in *Almanico* pronunciare cœpit. Quo pronunciationem inchoante ambaſiatores *Poloniæ* Regis, *Wladislai*, & *Lithuaniæ* ac *Maſouiæ* Ducum, nulla petita licentia, quamuis eorum aliqui *Teutonicum* tam intelligere, quam ſonare plene nouiſſent, ex aula cœperunt diſcedere. A quibus *Venceslaus Romanorum* & *Bohemiæ* Rex, cur recederent, interrogans, reſponſum accepit: *Quoniam* (inquiunt) *ſit hic prædicatio in Teutonico; nos qui Poloni ſumus, & vulgare Almanicum ignoramus, tranſimus hinc in alia loca, prædicationem Polonici idiomatis reperturi.* Quo repiicante, *ferrent pauliſper moram, æquo animo ſimilem pronunciationem in Bohemico audituri.* Et nos inquiunt, *nec Bohemicam nouimus.* Tunc vero *Venceslaus* Rex, *ambæ* (inquit) *linguæ conſonæ ſunt, & vna alteram ſonando intelligit. Non ſunt,* inquiunt, *Rex Illuſtriſſime ambæ vnius intelligentiæ & ſoni. Nam vbi Bohemica Syodlak agricolam & ruſticanum incolam exprimit, ibi Polonica Sellarum Magiſtrum atque opificem intelligit.* Hoc reſponſo faceto & riſu pleno, *Venceslao* Regi dato, diſcedunt ex aula, neque ſententiæ qualicunque ferendæ linguagio, pronunciationi intereſſe voluerunt, iam certi de eius iniuſtitia & iniquitate. *Venceslaus* autem *Romanorum* & *Bohemiæ* Rex, tenorem illius ſub ſuo ſigillo, ambaſiatoribus Regiis & Ducalibus tranſmiſit. Quæ inter alias, duos ridendos continebat articulos: Diffiniebat ſiquidem *Venceslaus Romanorum* Rex, vel potius *Iodocus* Marchio *Morauiæ*, quod terra *Dobrzinenſis* per Cruciferos occupata, debebat tradi cum omnibus caſtris & pertinentiis in manus ſuas. Qui eius poſſeſſione habita, infra annum debeat deliberare, ad quem eiuſdem terræ Dominium pertineat. Item quod Regnum *Poloniæ* amplius & de cætero, nunquam ex *Lithuaniæ* aut orientis partibus, debeat ſibi aſſumere Regem, ſed ex Principibus occidentis vnum. In quo vno apparet ad liquidum temeritas & iniquitas ſententiæ, quoniam ſuper re in quæſtione non deducta, neque aliquatenus neceſſaria, pronunciationem ſuam extendit. Non erant ambaſiatores, *Wladislai Poloniæ* Regis, & *Lithuaniæ* ac *Maſouiæ* Ducum, aliqua alia per *Venceslaum Romanorum* & *Bohemiæ* Regem, humanitate tractati, præter id, quod illos vice vna honore menſæ excepit, & choream, finito prandio, in qua conſors ſua Regina in Corona cum Virginibus & matronis ſplendide ſe gerens ſaltauit, fieri procurauit. Stantibus autem Regiis & Ducalibus ambaſiatoribus in *Praga*, *Boczek* de *Pozdzebrath* Baronis *Bohemiæ*, eos præter demeritum & culpam diffidat. Qui huiuſmodi diffidatione accepta, *Venceslaum* Regem petunt, *quatenus ipſis in Regno ſuo de ſaluo conductu* prouideat. Verum *Venceslaus* Rex reſpondet, *diffidationem huiuſmodi ignotam ſibi eſſe, neque ſaluo conductu eos indigere.* Ambaſiatores vero *Wladislai Poloniæ* Regis, & *Lithuaniæ* ac *Maſouiæ* Ducum, de leuitate *Venceslai Romanorum* & *Bohemiæ* Regis, & in factis & in verbis ſufficienter edocti, de diuino ſuffragio, & proprio milite atque armis, (ſexingentarum enim perſonarum numerum impleuerant) confiſi, ex *Praga*, circum ſcripto omni pauore, & decernere, ſi inuaderentur, parati, diſcedunt, & per *Hradecz, Kleczko, Swidnicza, & Wratislauiam,* 1410

Irriſa iniuſta ſententia Wenceslai Arbitri.

Praga diſcedunt.

ſani

1410 ſani & incolumes in Regnum *Poloniæ* redeunt, nulla offenſa a diſſidatore accepta, quamuis die qualibet præfatus *Boczek* ſequeretur illorum veſtigia, quærens opportunitatem ex loco iniquo eos, aut aliquem de eorum numero, inuadendi, adeo vt frequenter excubiæ partis vtriuſque ſe aſpicerent, & dierum vna, cuſtodia ambaſiatorum Regalium & Ducalium, ſe ſuperiorem aduertens, in hoſtilem cuſtodiam irruit, & in tantum in illam graſſata eſt, vt cogeretur in *Laba* flumen inſilire, & fluuium tranando traiicere. Erat autem præfatus *Boczek* de *Podzebrath*, *Viclephiſticæ* ſectæ iam tunc venenis infectus, rapto & prædocinio viuere ſolitus, proprio Regi *Venceslao* contumax, & ad nouandas res atq; ſeditiones procliuus. Qui proceſſu temporis, dolis & aſtutiis, *Ladislao Hungariæ* & *Bohemiæ* Rege, *Alberti* filio, veneno, (vt ferunt) abſumpto, vel vt aliis placet, compreſſione teſticulorum necato, in *Bohemiæ* Regnum ſucceſſit & Primoribus Regni corruptis auro, diadema *Bohemicum* rapuit. Cuius illi, vt male & ſceleſte quæſiti, non diuturna manſit & poſſeſſio & ſucceſſio.

Ex *Sandomiria* feria tertia poſt *Dominicam Reminiſcere*, *Wladislaus Poloniæ* Rex venit in *Prziſſow*, vbi iterum venationi intentus, multas feras ſylueſtres onagrinas & zubrinas, quæ in Polonico *Loſzi* vocantur, cepit, & quinquaginta vaſa de illis complens, ea in *Ploczko*, pro futura expeditione cum aliis ſeruanda, per vndas transmiſit. Ex *Prziſſow*, per *Lezaysko*, *Kopki*, & *Iarosław* procedens, pro Dominica *Lætare*, *Przemisliam* pro Dominica vero *Iudica Leopolim* peruenit. Ex inde diſcedens, *Podoliæ* terram, quam tunc *Petrus Włodkowicz* de *Charbinowicze* Subpincerna *Cracouienſis* de domo *Sulima*, ſuo & Regis ſui nomine tenebat, curſim peragrans, ex *Camyeniecz* pro Dominica Ramis Palmarum in *Halicz* aduenit. Ab inde vero pro feſto Paſcha *Leopolim* rediit. Quo illic agente, certificatus eſt de conuentione, quam ſecum *Sigismundus Hungariæ* Rex in *Kezmark* tenere diſponebat. Et fratre ſuo *Alexandro*, Duce magno *Lithuaniæ*, de progreſſu præfatæ conuentionis in *Kezmark*, quatenus & ipſe illi perſonaliter intereſſet, per velocem Nuncium auiſato, ex *Leopoli* diſcedens, per *Grodek* & *Medicam*, in *Lancuth* diſcedit, Vbi feria tertia poſt conductum Paſchæ, *Alexander* Dux magnus *Lithuaniæ* ad illum peruenit. Habens itaque *Poloniæ* Rex *Wladislaus* fratrem ſuum Ducem magnum *Lithuaniæ Withawdum* in comitatu, per *Rzeſchow*, *Ropczicze*, *Pilzno*, *Biecz*, & *Grebow* tranſitum faciens, pro Dominica *Miſericordiæ*, in nouam *Sandecz* peruenit, vbi iam magnus numerus Prælatorum & Baronum *Poloniæ*, iuſſu Regio, conuenerat. Et tam Rex, quam Dux, vnius lapideæ *Gerzdorff* fuerunt recepti hoſpitio. Neceſſitate autem præſenti ad conſilium reiecta, ex multiplici reſpectu, Regem ſimul & Ducem in *Kezmark* ire non placuit. Quapropter *Wladislaus Poloniæ* Rex, ſolus interim in noua *Sandecz* ſe continens, *Alexandrum* Ducem magnum *Lithuaniæ*, adiuncta illi Prælatorum, Baronum, & militum *Poloniæ* caterua, ad conueniendum cum *Sigismundo Hungariæ* Rege in *Kezmark* transmittit. 1410

Withawdus vice Wladislai fratris Kezmarkum profectus,

Cauſa autem principalis, propter quam prædictus fiebat conuentus, non alia extabat, niſi vt *Sigismundus Hungariæ* Rex fuiſſet ſtabilitus & firmatus, quatenus cum Regno *Poloniæ* treugas pacis, per annos ſedecim confectas obſeruaret, quarum iam quatuor anni reſtabant, vt liberius expeditio in Cruciferos, nullo a tergo hoſte relicto, agi poſſet.

ad confirmandum fœdus inter Hungaros & Polonos ictũ,

Dum itaque *Alexander*, magnus Dux *Lithuaniæ* cum *Sigismundo Hungariæ* Rege in *Kezmark* conueniſſet, & eum de obſeruatione huiuſmodi treugarum pacis ſolicitaſſet, *Sigismundus Hungariæ* Rex pro finali reſponſo dixit, *ſibi ſeruari treugas huiuſmodi licitum non eſſe, ſi Cruciferi bello impetantur.* Obtulit tamen *ſe efficaci interpoſitione, pro dirimendo bello exorto, laboraturum, deſtinandò ad Magiſtrum & Ordinem ſpeciales & notabiles Nuncios.* Spectabat iam tunc *Sigismundus Hungariæ* Rex ad comprehendendum faſtigium *Romani* Imperii, & quibuſcumque poterat artibus, fauores ſibi Principum *Almaniæ* venabatur. Sed & cum Magiſtro Cruciferorum *Vlrico* de *Iunigen* & Ordine, ſecretas practicas decoquebat, promittens eis grandia gentium auxilia ſe contra *Poloniæ* Regem laturum, ſi duntaxat Magiſter atque Ordo auri certam quantitatem ſibi ſoluerent, pollicitatione huiuſmodi aurum ſe credens verborum figmentis a Cruciferis emuncturum. Inter hoſce autem tractatus, qui ſuper obſeruatione treugarum, inter *Sigismundum Hungariæ* Regem, & *Withawdum*, magnum Ducem *Lithuaniæ*, agebantur, *Sigismundus Hungariæ* Rex, lethiferum virus, quo *Withawdum* Ducem magnum *Lithuaniæ* a fidelitate & obedientia *Wladislai Poloniæ* Regis ſcinderet, commentari cœpit.

dolis Sigismundi Hungariæ Regis,

Tracto enim *Alexandro* Duce magno *Lithuaniæ* in locum ſecretum, omnibus arbitris ſemotis, callida & vafra perſuaſione illum vehementer ſolicitabat, *quatenus fratre ſuo Wladislao Poloniæ Rege deſerto, ſecum fœdus & ligam iniret.* Offerens *ſe auctoritate Romanorum Regis* (iam ſiquidem ab Electoribus, leuitatem *Venceslai* germani ſui *Bohemiæ* Regis moleſte ferentibus, morte etiam *Ruperti Clema* Ducis *Bauariæ* & Comitis Palatini *Rheni*, ſecuta, in *Romanorum* Regem electus erat) *Withawdum in Lithuaniæ Regem creaturum, & ab obedientia, fidelitate, iureq; iurando Wladislai Poloniæ Regis abſoluturum. Omnem quoque amicitiam, & aſſiſtentiam fidelem & puram, contra Wladislaum Poloniæ Regem, & quoslibet alios, in quolibet neceſſitatis articulo, iureiurando interpoſito, ſibi præſtiturum.*

& promiſſo Regno

Alexander autem, Dux magnus *Lithuaniæ*, etſi dolum in verbis *Sigismundi* Regis aduerteret, pro-

impugnatur fruſtra, ut a

1410 *fide Regis Wladiſlai diſcederet.*

pro temporis tamen & loci conditione benigne reſpondit. Secedens itaque in hoſpitium, conſcenſis feſtinanter equis, ex *Kezmark* A ſe, *Sigismundo* Rege, qui ſibi non modici valoris contulerat munera, inſalutato, euoluit. Cuius repentino & inſperato, *Sigismundus Hungariæ* Rex diſceſſu comperto, illum inueſtigat, & in vno milliari circa villam *Byalla* vix conſecutum, valedicit, neque ad aliquos tractatus cum eo deſcendit, intelligens ſuam perſuaſionem repudiatum iri. Quod quidem virus, etſi tunc oppreſſum extinctumq; fuerat, proceſſu tamen temporis *Sigiſmundus* Rex illud ſuſcitauit, & in Regnum *Poloniæ* atque Ducatus magni *Lithuaniæ* perniciem graſſari illud & ebulire ſuſtinuit. Paſſum autem B fuit Oppidum *Kezmark*, ſub diebus, quibus præfatus agebatur conuentus caſuale, ſed late patens incendium, quo Barones & milites *Poloniæ*, in equis, rebus, & fortunis ſuis notabile exceperant diſpendium. Diſcedens itaque *Withawdus* Dux magnus *Lithuaniæ* ex *Kezmark*, ad *Poloniæ* Regem *Wladiſlaum* in nouam *Sandecz*, ſingulos tractatus cum *Sigismundo Hungariæ* Rege habitos aperuit, & vniuerſos dolos, quibus eum ad defectionem, & noui diadematis aſſumptionem perlicere conatus eſt, detexit. Habitaque iterum ſecretiſſima ſuper progreſſu belli contra Cruciferos gerendi deliberatione, Dux *Withawdus* obtenta a *Wladiſlao* Rege licentia, in *Lithuaniam* concito curſu in *Podwodis* properat, & in *Lublin* tertia die, ex quo de *Sandecz* diſceſſerat, quarta vero in *Brzeſczie*, vbi reditum ſuum conſors ſua *Anna* Duciſſa operiebatur, perueniens, omnes terras ditioni ſuæ ſubiectas, commouet, & conſurgere iubet in *Pruthenicam* expeditionem.

Hoſpitale & monaſterium in noua Sandecz erigitur.

Wladiſlaus Poloniæ Rex ſub diebus, quibus in *noua Sandecz* agebat, perſuaſus precibus & multiplicibus inſtantiis, fratris *Ioannis* de *Bohemia*, Prædicatoris ſui, viri religioſi & exemplaris, de Præmonſtratenſi ordine, qui pro illo tempore raræ ſanctitatis vir habebatur, & qui verbo ſuæ doctrinæ, & vitæ arctitudine, multas virtutes in *Poloniæ* Regno D plantauerat; fundat monaſterium ſeu Hoſpitale Sancti *Spiritus* in *noua Sandecz*, de eodem ordine Præmonſtratenſi: Et illi pro dote villam ſum *Dabrowka*, item viginti marcas cenſus annui, in zuppis *Vielicenſibus* conſignat. Abbatemque in illo infulatum inſtituit: Hoſpitalis monaſterio contigui & annexi, miſerabilium perſonarum in illo degentium, curam & regimen habiturum.

Wladiſlaus Rex imperatis contra Cruciferos armis

Perpendens *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, quod nulla ſibi de habenda pace cum Cruciferis ſpes reſtaret, præcepit omnibus Baronibus militibus, & ſubditis Regni ſui *Poloniæ*, & Dominiorum eidem ſubiectorum, arma capeſſere, & contra Cruciferos in *Pruſſiam* procedere, miſſis literis & teſtibus. Volens vero fines Regni ſui ab *Hungaria* relinquere ſecuros, *Ioannem* de *Sczekoczino* Caſtellanum *Lublinenſem*, de domo *Odrowaſz* militem, in oppido & caſtro *Sandecenſi* Capitaneum reliquit, & omnes milites de diſtrictibus *Sandecenſi* & *Sczirzicenſi*, ſingulos eius imperio parere iubens, item milites de terra *Byecenſi* adiunxit, quam tunc Epiſcopo *Agrienſi*, & fratri ſuo *Ladislao* de *Laudoncz*, a facie *Sigiſmundi Hungariæ* Regis fugientibus, dederat in tenutam, a *Pruthenica* expeditione eos abſoluens, in auxilium defenſionis & dimicationis futuræ, ſi bellum a *Sigismundo* Rege *Hungariæ*, finibus Regni *Poloniæ* inferretur.

1410 *ab Hungaria collocat præſidium.*

Sabbato ante Dominicam *Cantate*, *Wladislaus Poloniæ* Rex, ordinata partium *Sandecenſium* prouiſione, ex *Sandecz* egreſſus, per *Czchow* & *Bochnyam* tranſitum faciens, feria tertia poſt Dominicam *Cantate*, *Cracouiam* aduenit. Vbi quindecim diebus immoratus, reſiduos milites & curienſes ſuos, quatenus in expeditionem *Pruthenicam* ſe diſponerent, in eorum lares licentiat atque remittit. Vocat inſuper & ſtipendio conducit, nonnullos *Bohemos* & *Morauos* belli peritos, qui tegere exercitum, ordines ducere, loca apta pro locando exercitu eligere noſſe credebantur. Inter quos fuere præſtantiores, *Sokol*, *Zolawa*, *Zbiſchek*, *Lawek*, *Koſika*, *Staniſlawek*, & plures alii. Quamuis ſiquidem *Wladislaus* C *Poloniæ* Rex, ex proprio milite fortem & numeroſum habiturum ſe non dubitaret exercitum, ad conducendum tamen peregrinum militem, conſilio ſuorum *Poloniæ* Conſiliariorum ſaluberrimo, ex cauſa multiplici & rationabili reſpectu, fuit pertractus; ſuadentium fortia & frequentia exterorum auxilia, ad bellum gerendum ex eo poriſſimum reſpectu acciri, vt ſi victoria Regi cederet, certum foret victos, & ſtipendia & quæcumque imperarentur, victoribus pendi oportere. Si minus, ſtipendium, deſiderati, capti & victi, non forent requiſituri. Accedebat inſuper, ne milites forenſes, a Rege conducti & conducendi, donatiuo præoccupati, in partem hoſtilem, robur eorum aucturi, tranſirent. Longa quidem fuit de hac re inter Conſiliarios *Poloniæ* concertatio, *Ioanne* de *Tarnow* Palatino *Cracouienſi*, (cuius ſententiam cæteri, tanquam viri raræ dexteritatis, ſequebantur) ſuadente, vt proprii potius milites, ad bellum non obligati, tanquam fidiores patriæ, operoſius ad nauandam victoriam, operas ſuas adiuncturi, mercede traherentur: Sed vicit *Sbignei* de *Brzezie* Regni *Poloniæ* tunc Marſchalci ſententia, forenſes & peregrinos milites præferendos, idque magis Reipub. conducere: Nam ſi viciſſent, non ſuis opibus aut Regni, ſed manubiis hoſtium facturum ſatis. Si victi eſſent, nec eos qui repeterent, nec a quibus repeti deberent, ſuperſtites relictum iri.

Externus miles ad bellum Pruthenicum conducitur.

Nec prætereundum eſt, quod *Wladislaus* *Poloniæ*

1410 *Poloniæ* Rex, antequam ex *noua Sandecz* diſceſſionem feciſſet, miſit duos Nuncios, videlicet *Zauiſſium* de *Oleſchnicza* linguæ *Hungaricæ* peritum, & *Stanislaum Cziolek* Notarium, ad *Sigismundum Romanorum & Hungariæ* Regem, ſollicitans eum & requirens *quatenus fœdus ſufferentiarum, ſecum percuſſum & firmatum obſeruaret.* Qui tot & tam frequentibus Nunciis *Wladislai Polonorum* fatigatus, reſpondit: *Quod pro pace inter Wladislaum Poloniæ Regem & Cruciferos reformanda, ire perſonaliter in Pruſſiam deliberaſſet: dummodo Wladislaus Poloniæ Rex tranſitum illi per Regnum ſuū permittat, & ei de Saluo conductu prouideat.* Offerens, *pace inter Regem & Cruciferos reformata, non ſolum reſiduos treugarum annos ſe ſincere cuſtoditurum, ſed etiam fœdus pacis perpetuæ, cum Rege & Regno initurum.* Redeuntibus autem Regiis Nunciis cum huiuſcemodi reſponſo, *Wladislaus Poloniæ* Rex auidus, per quemcunque modum cum Cruciferis vitare bellicum diſcrimen, *Stanislaum Cziolek* Notarium, ad *Sigismundum Hungariæ* Regem cum literis, plenum ſaluum conductum continentibus, remittit, ſpondens & offerens de reali ſaluo conductu, per Regnum ſuum *Poloniæ*, ſibi efficaciter prouidere. *Sigismundus* autem *Romanorum* & *Hungariæ* Rex, propoſito ſuo, & oblatione *Wladislao* Regi facta, variatis, in *Pruſſiam* ire perſonaliter, impeditum ſe aſſerens, diſtulit.

Legati Sigismundi Hungariæ Regis

Duos tamen Barones Regni ſui, videlicet *Nicolaum* de *Gara* Regni *Hungariæ* Palatinum & *Stiborium* de *Stiborzicze* Palatinum *Tranſſyluanienſem* Polonum genere de domo *Oſtoia*, *Gregorium* de *Kerzdorff Sleſitam* illis adiungens, ſpecie quidem ad intercipiendum bellum, re autem vera ad emungendum quadraginta florenorum millia, quæ ſe Magiſter & Ordo Cruciferorum *Sigismundo* Regi, ſi *Wladislaum Poloniæ* Regem diffidaret, aſtrinxerat daturum transmiſit. Et hi quidem *Sigismundi Romanorum & Hungariæ* Regis Nuncii, *Polonorum* Rege *Wladislao* adhuc *Cracouiæ* immorante, venerunt *Cracouiam*, habentes ſecum ducentos equos in comitatu: quos *Wladislaus* Rex humaniſſime tractatos & remuneratos, in *Pruſſiam* per Regnum ſuum ire permiſit, datis illis tribus conductoribus, qui illis non ſolum de ſaluo conductu, ſed & de omnibus neceſſariis, per vniuerſum Regnum *Poloniæ* largiſſime, iuxta Regium mandatum prouidebant. Eo autem reſpectu *Wladislaus Poloniæ* Rex Legatos *Sigismundi Romanorum* & *Hungariæ* Regis in *Pruſſiam* ire iuſſit, aut videlicet compoſituros pacem, aut ſuſpenſuros bellum, aut illos teſtes ſuæ modeſtiæ futuros, penes Cruciferos omnem culpam belli eſſe, ipſum iuſta & plus quam neceſſaria ſumpturum & laturum arma.

Cracouia in Pruſſiam eunt,

inter Polonos & Pruthenos bellum compoſituri.

Wladislaus

Comparatus & diſpoſitis *Wladislaus* Rex *Poloniæ* ſingulis, quæ ad belli *Prutbenici* progreſſum videbat opportuna relicto, in caſtro *Cracouienſi Nicolao Kurowski* Archiepiſcopo *Gneſnenſi* (qui expeditione *Pruthenica* durante, vices Regis agens, vniuerſorum negotiorum emergentium, curam & expeditionem ſibi habebat delegatam) feria quinta ante feſtum Pentecoſtes ex *Cracouia* egreditur, & per *Mogilam*, *Proſchouicze*, *Vislıczam*, venit in nouam ciuitatem *Korczin*; Reſiduis quoque militibus & curienſibus, quatenus in bellum *Prutbenicum* ſe pararent, licentiatis, cum *Anna* Regina, & exiguo adoleſcentum, & eorum militum, quos pro cuſtodia Regni relinquebat, numero, feſta Pentecoſtes, *SS. Trinitatis*, & *Corporis Chriſti*, apud nouam ciuitatem *Korczin* exegit, vbi ad eum ſocrus ſua, & genitrix *Annæ Poloniæ* Reginæ, Duciſſa de *Dek*, *Anna* filia *Caſimiri* ſecundi Regis *Poloniæ* (iam enim alterum virum Ducem de *Dek*, priore, *Vilhelmo* Comite *Ciliæ*, mortuo, acceperat) venit. Quæ aliquot diebus apud generum commorata, & donis munerata Regalibus, ad propria rediſt. Feſto autem Corporis *Chriſti* & eius Octauis, apud nouam ciuitatem peractis *Wladislaus Poloniæ* Rex, Sabbato ante *S. Viti* diem, noua ciuitate expeditur, ad bellum contra Cruciferos proceſſurus. Et per *Stobniczam* & *Schidlow*, venit in *Stup*, ſtetitque illic duobus diebus: ſub quibus pedeſtri itinere monaſterium Sanctæ *Crucis Calui Montis* aſcendebat diluculo, & tota die genu flectens, orationi & eleemoſynis vacabat, commendans ſe & cauſam ſuam diuinæ ſanctæ Crucis defenſioni. Nec redibat ex orationibus & monaſterio ad refectionem, niſi in crepuſculo totius diei, abſtinentia & oratione defatigatus.

1410

Rex relicto in caſtro Cracouienſi Nic. de Kurowski in bellum egreſſus

ſolennia feſta Corczini peragit.

ac in monaſterio S. Crucis orationibus ac ieiuniis vacat.

Morabantur autem pro ea tempeſtate plures *Polonici* milites, & ſignanter *Zauiſſius* niger, *Ioannes Farurey*, germani, hæredes de *Garbow*, de domo *Sulima*, *Thomas Kalski* de domo *Roſæ*, Albertus *Malski* de domo *Nałecz*, *Dobeslaus Puchała* de *Vagri*, de domo *Wyeniawa*, *Ianuſſius Brzozogłowi* de domo *Grzimała*, *Skarbek* de *Gori*, de domo *Habdank*, & nonnulli alii, in *Sigismundi Romanorum* & *Hungariæ* Regis curia & obſequiis. Qui intelligentes Principem & Dominum ſuum naturalem *Wladislaum Poloniæ* Regem, expeditionem contra Cruciferos inſtauraſſe, & inter ſuam Serenitatem & *Sigismundum* Regem, cui obſequebantur, odia & ſimultates, procellam tandem guerræ parituras, exortas eſſe, recepta a *Sigismundo* Rege, qui eos donis & promiſſis variis conabatur a propoſito reducere, & apud ſe detinere, licentia, relictis omnibus, poſſeſſionibus, quas eis *Sigismundus* Rex in *Hungaria* donauerat, leuipenſis inſuper fauoribus ſuis, & liberaliſſimis promiſſis, diſcedunt ab eo, & ad *Wladislaum Poloniæ* Regem perueniunt, contra hoſtes ſuos, & alios quoslibet milita-

Exorto bello Pruthenico milites Poloni

Sigismundo Rege Hungariæ, & amplis fortunis, quibus in Hungaria aucti erant, relictis

1410 militaturi. Quos benigne & placide excipiens, fidei eorum præſtantiam dignis præmiis compenſabat. Vnde & tunc caſtrum regium *Bidgoſcza*, *Ianuſſio Brzozoglowi*, militi audaci & fortunato, dedit in tenutam. De quo ipſe multiplices ex Cruciferis referebat triumphos, & pluribus eos offenſionibus infeſtabat. Sed & aliorum eiuſdem ſocietatis militum inſignis, & in prælio cum Cruciferis commiſſo, & in pluribus aliis actibus virtus heroica ſæpe numero enituit.

ad ſuum Regem Wladiſlaum perueniunt.

Miſerat inſuper *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, quadringentos equites militum & Curienſium ſuorum in caſtrum *Iuniuladiſlauienſe* pro præſidio, treugis inter Regnum & Magiſtrum atque ordinem expirantibus, Regni metas ab hoſtili inſultu protecturos. Quibus Capitaneus *Iuniuladiſlauienſis Borowiecz*, & equis eorum, de omnibus neceſſariis prouidebat. Alios item milites & Curienſes, ſimilem hoſtibus defenſionem oppoſituros, in *Brzeſczie* collocarat. Qui ſimul iuncti, treugis expirantibus in die Sancti *Ioannis Baptiſtæ*, in borta quæ *Sluzewska* appellatur prope *Thorun*, ſe poſuerunt in latibulis. Et ſole occidente, tabernas ad ripas fluminis *Viſtæ* ſitas item villas *Nyeſchow*, *Murzinow*, & alias plures pulcherrimas & bene locatas, in Magiſtri & Ordinis Cruciferorum poſſeſſione tunc conſiſtentes, ſedente Magiſtro *Pruſſiæ Vlrico* cum *Nicolao* de *Gara* Palatino *Hungariæ* & *Stiborio* de *Stiborzicze*, Nunciis *Sigiſmundi Romanorum* & *Hungariæ* Regis, & pluribus Commendatoribus ad tabulam in cœna, igne adhibito incendunt, & pulchrum quidem, ſed moleſtum videntibus præbuere ſpectaculum. Quam incenſionem *Pruſſiæ* Magiſter *Vlricus*, pluſquam moleſte tulit, non damno illam deputans, ſed pudori, & plurimis inuectiuis in *Poloniæ* Regem, & ſuos milites, qui id facinus committebant, vſus, ad Barones *Hungariæ* fertur dixiſſe: *Qualis eſt tractatus iſte, & quam vafer, quem veſtra interpoſitione agitatis nobiſcum de pace: cum ſub meo conſpectu fumos, incendia, cædes & ſpolia mei Dominii patrari videam?* Recepit autem a Baronibus *Hungariæ* conueniens reſponſum: *Non officit præſens incendium exiguum & tenue, pacis diſpoſitioni & tractatui; habet enim guerra conditionem iusque ſuum: Attendis quidem ad damnum modicum, tibi ex Regno Poloniæ illatum, & non attendis damna, cædes, & incendia, quæ Regno Poloniæ, vaſtando & occupando terram Regni eiuſdem Dobrzinenſis, intuliſtis. Vt igitur facilior & efficacior poſſit per nos interponi pacis tractatus, conſultum apparet nobis, vt aliquot dierum firmentur inter vos treugæ.* Annuit huic conſultationi vltro Magiſter *Pruſſiæ*, & ſufferentias pacis dierum decem tenere ſe repromiſit, & literis firmauit. Quæ *Wladiſlao Poloniæ* Regi & Regno ſuo, quam maxime neceſſariæ fuere & fructuoſæ.

Præſidia Polonica incenſis aliquot Cruciferorum pagis

ad petendum fœdus decem dierum Vlricum Magiſtrum cogunt.

Sub illarum etenim interuallo, milites ſinguli & Capitanei Regii præparabant ſe ad bellum A depoſito omni hoſtili reſpectu, & Regiones commetaneæ inuaſionem hoſtilem non ſuſtinebant, donec *Wladiſlaus Poloniæ* Rex cum omnibus potentiis adueniens, & terras hoſtiles inuadens, ſuis omnibus ampliorem præſtitit ſecuritatem. 1410

Ex monaſterio *Calui Montis S. Crucis*, feria quinta in die Sanctorum *Geruaſii & Prothaſii*, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex egreſſus venit in *Bodzaczin*, & illic duos dies manſit, propter aduentum Nunciorum Ducis *Stolpenſis*, *Stetinenſis*, & *Magnopolenſis*; offerentium B Regi contra Cruciferos ampla quidem & fortia in verbis, in virtute autem & effectu ſimultanea & ridenda ſubſidia. Quibus *Wladiſlaus* Rex expeditis, ſabbatho ex *Bodzaczin* iuit in *Bliſzmi*, die Dominico venit in *Zarnow*, feria ſecunda in *Suleiow*, feria tertia in die *S. Ioannis Baptiſtæ*, audita miſſa in monaſterio *Suleiouienſi*, & facto illic prandio, venit in *Volborz* oppidum, in quod iam, iuxta iuſſum Regis, nonnulli Prælati & Conſiliarii, *Polonici* vero exercitus fere omne robur, præter gentes & milites *maioris Poloniæ* qui Regi nonniſi circa *Viſtam* obuiauerant; item *Sokol Bohemicalis* Baro, cum aliis exteris militibus donatiuo conductis; Item ſubuectiones C & quadrigæ bombardarum, & commeatuum, cæteraque belli apparamenta conuenerant. Illic *Wladiſlao* Rege tribus diebus cum Conſiliariis in deliberationibus aſſiduis ſtante, venerunt ad ſuam Serenitatem Nuncii Baronum *Hungariæ*, *Nicolai* de *Gara*, & *Stiborii* de *Stiborzicze*, ſignificantes *ſe treugas decem dierum, a die S. Ioannis Baptiſtæ, inter Regem & Cruciferos confeciſſe:* petentes Regem *vt illas mandaret obſeruari, & non permitteret hoſtiles terras interim vexari aut offendi.* Eas inducias *Wladiſlaus* Rex acceptat. Erant enim ſibi & ſuæ parti plurimum vtiles, quoniam intra dies treugarum poterant exercitus Regni ſui *Poloniæ*, & Ducatus magni *Lithuaniæ* conuenire, & terras Cruciferorum con- D tingere.

Wladiſlaus Rex inducias decem dierum confirmat.

Feria quinta poſt feſtum Sancti *Ioannis Baptiſtæ*, egreditur *Wladiſlaus Poloniæ* Rex cum copiis & agminibus exercituum ſuorum facto prandio, de *Volborz*. Et prima ſtatiua agens in *Lubochnya*, feria ſexta in *Vſchokonicze*, Sabbato ad ferri fodinam Epiſcopalem & piſcinam magnam vocatam *Seymicze*, vbi fulmen plures equos & vnum hominem occidit, alterum ſemiuiuum reliquit; ſcutellam vero plenam coctis piſcibus in tentorio *Dobeſlai* de *Oleſchnicza* militis, ad tabulam pluribus manducantibus, poſitam, conſumpſit, nemini tamen diſcumbentium nocuit. Die Dominico in feſto Sanctorum *Petri & Pauli* Apoſtolorum, in *Kozlow* villam Epiſcopi *Poſnanienſis*, ſupra fluuium *Bzuram* poſitam pertigit,

Exercitum Wladiſlai Regis ictus fulminis turbat.

1410 tigit, Nunciumque *Alexandri* Ducis magni *Lithuaniæ* accepit, ſignificantem Ducem *Alexandrum* ad flumen *Narew*, cum ſuis & A *Tartarorum* copiis ſuperueniſſe; petentemque a Rege, vt aliquot banderia gentium *Polonicalium* in occurſum ſui & conductum transmittat: timebat enim progredi metu hoſtium vltra *Narew*. Cui *Wladiſlaus* Rex illico duodecim banderia de militibus *Polonicis* transmiſit. Feria autem ſecunda in craſtino *SS. Petri & Pauli* Apoſtolorum, motis *Wladiſlaus* Rex ex villa *Kozłow* caſtris, venit ad *Viſtam* ſupra monaſterium *Czerwyenſko*, ad locum, in quo pons ex nauibus apud *Kozienycze* ordinatus, applicatus erat, & die illa tranſiit Rex pontem & flumen, & vniuerſus exercitus regius ordine literato, cum quadrigis & mole bombardarum & commeatuum, cæteraque mole ſequebatur. Iam ſiquidem illuc non ſolum potentiæ & robur vniuerſi exercitus *Polonici* Regni, ſed & duo *Maſouiæ* Duces *Ianuſſius* & *Semouithus* cum ſuis exercitibus, mercenarii quoque milites conuenerant. Tranſito & ſuperato flumine *Viſta*, pontis naualis beneficio, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex ſtatiua ſua, ad alteras ripas eiuſdem fluminis *Viſtæ* ponit. In qua eodem die Dux magnus *Alexander*, cum gentibus ſuis, & *Tartarorum* Imperatore, tricentos tantummodo *Tartaros* habente in ſuo comitatu, aduenit. In cuius occurſum *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, cum caterua Principum & militum ſuorum, ad quartale vnius miliaris exiuit, & benigne illum excipiens, ad caſtrorum loca deduxit. Tenuit autem *Wladiſlaus* Rex, & Dux *Alexander* in loco illo tribus diebus ſtatiua, quouſque vniuerſus exercitus omnium terrarum Regno *Poloniæ* ſubiectarum aduenit, & pontem atque flumen tranſiit. Poſuerat autem *Wladiſlaus* Rex ad pontis ingreſſum, optimum ordinem, & milites armatos, qui preſſuram & confuſionem ingredientium prohiberent, locauerat; latera inſuper muniuerat groſſis lignis, quæ *Kobilyenye* vocantur, vt nemo latera occupare poſſet. Cogebantur autem omnes ad introitum pontis, æquali & diſtributo ordine, cum curribus, perſonis, & equis aduenire. Et poſtquam vniuerſus regius exercitus, ponte ſuſtentante, flumen *Viſta* tranſiit, regio iuſſu pons ille illico ſolutus eſt, & in *Płoczko*, ad ſuum & exercitus reditum conſeruandus, reductus eſt.

Alexander ſuperato flumine Narew

& iunctis eum Wladiſlao Rege copiis,

Iſtulam tranſit,

& pons diſſoluitur.

Intra dies autem illos tres, quibus *Wladiſlaus* Rex & *Alexander* Dux circa flumen *Viſtam* morabatur, feſtum Viſitationis *S. Mariæ* in feriam quartam cadens, vterque cum Proceribus ſuis & militia, in monaſterio *Czirwyenſko* egit. *Iacobus* autem *Plocenſis* Epiſcopus velut loci Diœceſanus, miſſa ſolenni officio celebrata, ſermonem etiam in vulgari *Polonico*, apud vniuerſum exercitum, ad ædes ſacras in frequentiſſimo numero congregatum, habuit. Multaque de bello iuſto & iniuſto, cum eſſet vir raræ literaturæ, habens donum ſermonis, diſſerens, mutiplici & euidenti ratione, bellum Regium contra Cruciferos aſſumptum, iuſtiſſimum fore deduxit, & omnium audientium militum pectora, miro perſuaſionis modo, ad dimicandum viriliter contra hoſtes, animauit. 1410

Iacobus Ep. Plocenſis concione Polonos ad bellum animat.

Sub diebus etiam illis, venit *Dobeſlaus Skoraczewski*, Nuncis Baronum de *Hungaria Nicolai* de *Gara*, & *Stiborii* de *Stiborzicze*, ad *Wladiſlaum* Regem, petens ſuorum Dominorum nomine, *quatenus dignaretur illis diem & locum conſignare, in quo & ad quem ſuam Serenitatem poſſent accedere,* B *exploraturi & ſciſcitaturi mentem Regiam ſuper practica futuræ pacis, poſtquam iam Magiſtri Pruſſiæ & ſuorum agnouiſſent: Wladiſlaus* autem Rex deliberatus, Nuncio reſpondit: *Dominis tuis ad nos venire volentibus, Sabbatum & Dominicum proxime venturos dies aſſignamus, locum autem certum aſſignare non poſſumus, eo quod exercitus nuſquam in locis certis ſubſiſtit, nec poteſt tranſitum ſuum aliquibus diſtinctis determinare locis.* Dum autem *Dobeſlaus* prædictus in *Thorun* ad Barones *Hungariæ* rediiſſet, & reſponſum Regium renunciaſſet, *Pruſſiæ* Magiſter *Vlricus*, cum magna ab eodem *Dobeſlao* diligentia, an ex caſtris *Poloniæ* veniſſet Regis, & in quo loco illum dimiſiſſet, requirere cœpit. Quo C reſpondente: *Manſi in caſtris Regiis biduo, & eum in ſtatiuis, flumine Viſta ſuperato, ad Monaſterium Czyrwyenſko reliqui.* Quærente deinde Magiſtro, *an Dux Lithuaniæ Withawdus ſecum conueniſſet? Dobeſlaus, ea,* inquit, *die, qua ego caſtra Regia veni, Dux magnus Lithuaniæ Alexander, in potenti, ſplendido, & numeroſo exercitu aduenit, & potentias ſuas cum Regiis adiunxit.* Tum Magiſter: *in Withawdi exercitu maior poſſet reperiri numerus cochleariorum quam armorum. Dobeſlaus: Credas, velim mihi, Magiſter,* inquit, *exercitum Withawdi Ducis, non ſolum magnum & potentem, ſed & optimis armis* D *veſtitum eſſe.* Magiſter: *melius illum nos, quam tu, nouimus, & quantus aut qualis ſit, frequenti vſu experti ſumus. Sed narra, quæſo, nobis de ponte, quem aſſeritur Poloniæ Rex in aëre fabricaſſe? Dobeſlaus: Vidi,* inquit, *pontem ex nauibus ſubtili opere elaboratum, non in aere quidem, cum ille ſolis volatilibus ceſſerit, ſed in flumine Viſta poſitum, quo vniuerſus exercitus Regius per Viſtam, me inſpectante, ſicco veſtigio tranſuectus, grandes quoque bombardæ, grauedinem nec notatus eſt ſenſiſſe.* Magiſter vero *Pruſſiæ Vlricus*, cachinno edito, relationem *Dobeſlai* ludibrio deputans, ad Barones *Hungariæ* ſermonem conuertens; *Leuia* inquit, *ſunt hæc, & omnem ſpeciem continentia mendacii, quæ homo iſte auſus eſt referrre. Venerunt enim fidiſſimi explora-*

tores

Dobeſlaus Skoraczewſki Legatorum Regis Hungariæ Nuncius

a Rege Wladiſlao redit Thorunium,

& vera de Polonis narrans

ab Vlrico

1410 *tores noſtri ſignificantes, quod Rex Poloniæ circa Viſlam fluuium verſatur & obequitat: Et conatur illum quidem, ſed non valet ſuperare. Iamque plures ſui, vada tentantes, vndis merſi ſunt. Withawdus vero circa flumen Narew immoratur, & transgredi illum non audet.* Quo audito *Dobeslaus Skoraczewski*, ſermones Magiſtri refellens, aiebat: *Poſtquam ambiguæ me fidei relatorem aſtruis, qui omnia, de quibus a me quæſiſti, ſincere tibi explicaui, quemcumque fideliorem inter tuos habes, mitte mecum, & intra triduum ſingula, quæ retuli, vera eſſe monſtrabo.* Tum vero Magiſter: *Non eſt* inquit *neceſſe; nam euentus & experientia declarabit veritatem: tu enim loqueris vt Polonus, & potentiam ac res tui Regis vltra iuſtum refers.*

Magiſtro irridetur.

Feria quinta in craſtino Viſitationis *S. Mariæ*, mouit *Wladiſlaus Poloniæ* Rex ſuos & Ducis magni *Lithuaniæ* exercitus, a loco *Viſlæ* & Monaſterio *Czirwiensko*, & verſus terras hoſtiles pergens, apud villam *Zochow* ſtatiua tenuit. Cui in itinere conſtituto, nunciatur clades ingens, quam *Ianuſſius Brzozogłowi* Capitaneus *Bidgoſtienſis* in Cruciferos & eorum gentes patrauerat. Is ſiquidem expirantibus decem dierum treugis, ad offendendum hoſtes ſemper intentus, collecta non exigua gentium manu, ad caſtrum & ciuitatem hoſtilem *Szwieczye* noctu contendit, & poſitis in loco apto inſidiis, ſpolia ipſe & incendia ante *Szwyeczie* incaſtigato ſuorum numero agit. Quo viſo Cruciferi qui *Szwyeczie* obſeruabant, confeſtim equis aſcenſis, *Ianuſſium Brzozgłowy* fugientem perſequebantur, exiſtimantes eum in tam parua gentium caterua aduenisse. Qui ab eorum conſpectu ſtudioſe fugiens, hoſtes vſque ad inſidiatum locum perduxit. Militibus autem qui in inſidiis latebant, conſurgentibus, hoſtes & a tergo & a fronte circumuenti, cum euadendi nulla ſpes aut occaſio ſubeſſet, in certamen ex deſperatione accenduntur, prælium que atrocius pro numero edunt. Ad extremum tamen vniuerſi, aut capti, aut occiſi. Quinque ex Ordine fratres, præter deſideratos, in numero captiuorum habebantur. Hoc primordium ſimulque omen belli, de ſumma rerum prænuncians, quemadmodum *Polonos* proſperitatem bellicam, ita Cruciferos cladem habituros portendebat infeſtam. Ingenium itaque *Brzozogłowi*, & animi audaciam, quam in conficiendis rebus ſolebat oſtendere, Magiſter & Cruciferi veriti, ad cauendum & repellendum diligentius eius inſidias, *Henricum Pławyenski* Commendatorem *Swyeczenſem*, cum omnibus diſtrictus *Swyecenſis* militibus, apud *Swyeczie* relinquunt, adiunctis etiam illi nonnullis mercenariis militibus, inuaſiones prædationesque *Brzozogłowi* prohibituris, quoniam aperta vi, nihil quicquam auſurum putabant. Feria ſexta, quarta die Iulii, de *Zochow Wladislaus Poloniæ* Rex egreſſus, apud prata cuiuſdam ignotæ villæ diem illam exegit. Vbi nocte inſequenti, viſi ſunt ignes, per gentes Regis, iam in terris hoſtilibus A accenſi, maximo ſplendore in locis variis collucere. Licet enim iter quatuor dierum exercitui ad terras hoſtium adhuc reſtaret, multi tamen de regio exercitu, diſciplina militari neglecta, iniuſſu Regis & Principum, ſua ſponte, ſe in terras hoſtium clandeſtinis itineribus conferebant, & eas ſpoliis, cæde, & igne vaſtantes, optima ſpolia & prædas in caſtra noctu, cum interdiu, caſtigationem veriti, non auderent, referebant.

Wladiſlao in Zochow ſtatiua agente

ſtrategemate Ianuſſii Brzozgłowi præſidium Szwecenſe caditur,

& prædæ ex Pruſſia referuntur. 1410

Sabbato, quinta die Iulii, *Wladiſlaus* Rex ad villam *Iezow* caſtra ponit, illicque a Baronibus *Hungariæ Nicolao* de *Gara*, & *Stiborio* de B *Stiborzicze* aditus eſt, qui illum, & *Alexandrum* magnum Ducem *Lithuaniæ*, pacem accipere, pacis quoque dicere conditiones, exhortabantur. Venerat & cum eis *Gregorius Kerzdorff*, potentiam & Ordinem exercituum Regis & Ducis *Alexandri* exploraturus. Die vero Dominico ſequenti, quæ erat ſexta Iulii, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, exhortationi Baronum *Hungariæ*, deliberatione cum Duce *Alexandro* & Conſiliariis habita reſpondet: *Nunquam ſe a quietis conſiliis alienum & exterum fuiſſe; nunc quoque ne Catholicorum ſanguinem fundi contingat, nullam æquam pacem abnuere. Pacem autem tunc æquam fore, ſi & Ducatui magno Lithuaniæ terra ſua vetuſta & naturalis Samogithia integra remaneat. Terra* C *vero Dobrzinenſis, a Magiſtro Pruſſiæ & Cruciferis occupata iniuſte, Regno Poloniæ & ſibi reddatur. De damnis autem illatis, arbitrio & deciſioni Sigiſmundi Romanorum & Hungariæ Regis ſe offerebat ſtatuturum.* Contenti & exhilarati *Hungariæ* Barones, ſperantes Magiſtrum & Ordinem Cruciferorum, in conditinoes propoſitas, velut æquiſſimas, vltro conſenſuros, etiam prandio Regio refecti ſunt. Quo exacto, mouit Rex caſtra, & die illa, in villagium vnum, ſupra fluuium *Wkra* conſidens, peruenit. *Alexander* autem Dux magnus *Lithuaniæ*, die illo *Lithuanicum* ordinat exercitum. Et diuidens illum vetuſto patriæ more per cuneos & turmas, in quolibet cuneo milites in equis humilioribus, D aut parum bene armis veſtitos, in medio conſtituit, quos alii in equitatu potiori, & inſigniter armati includebant. Cunei autem huiuſmodi preſſi & glomerati, ordinum raritatem abhorrebant: vnus tamen cuneus ab altero, per late patens ac diſtinctum ſpatium tendebatur. Hos tandem cuneos, *Alexander* magnus Dux *Lithuaniæ*, quadraginta ſignis, quæ banderia vocitamus, attribuit, & ſingulas quaſque cohortes & turmas ſequi ſigna, & parere ſuis Ducibus iuſſit. Aſcenderat autem *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, cum *Hungariæ* Baronibus, in editiorem collem, ex quo vniuerſus ſuus exercitus *Polonicus* & *Lithuanicus* poterat, propter ſubiectam, & late patentem cam-

Wladiſlaus Rex propoſitis conditionibus pacis,

1410 camporum planiciem, videri. Subter quem etiam exercitus *Lithuanicus* diſtinctis iam ordinibus ibat, quem præfatus *Kerzdorff Sleſita* attentiſſime, quanti foret, æſtimabat. Eodem inſuper die, iuſſu regis, ſimultaneus hoſtium nunciatur aduentus, & vniuerſus Regius in arma commouetur exercitus. Eo autem reſpectu Rex hoſtes venire, quamuis de eorum aduentu nulla haberetur ſuſpicio, nunciari, & quaſi hoſtis pugnaturus adeſſet, turbari præcepit, vt exercitus ſuus *Polonicus* & *Lithuanicus*, ad ſecuritatem, ſomnum, & deſidiam ſe non reſolueret; ſed pro omni hora ſuſpicionem de venturis hoſtibus habens, non ſecus quam ſi in conſpectu hoſtis foret, paratus ad reſiſtentiam & dimicandum ſtaret.

exercitũ fama hoſtis venientis excitat.

Feria ſecunda, ſeptima Iulii, motis *Wladiſlaus Poloniæ* Rex caſtris, venit in villam *Badzino* ſupra fluuium *Wkra* ſitam, & biduo illic ſtatiua tenuit. Quamuis autem diſtrictus ille, quem præfatus fluuius *Wkra* ambit & circumfluit, ſit & fuerit de ſorte *Maſouienſis* Ducatus, tunc tamen illum Magiſter *Pruſſiæ* & Cruciferi, in quinque millibus marcarum latorum groſſorum, a *Semouitho* Duce *Maſouiæ* obligatum detinebant. Propter quod *Lithuani* & *Tartari*, iuxta ac terras hoſtium diſtrictum illumململ ferociter & barbare vaſtabant, & non ſolum puberes, ſed & impuberes, & in cunis vagientes paruulos, occidebant. Alios autem cum matribus in ſua tentoria, ad captiuitatem perinde ac hoſtes & exteros pertrahebant; cum omnes diſtrictus illius homines, & generis & linguagii *Polonici* forent. Veniebant autem nuper interfectorum paruulorum ſparſis crinibus matres, & magno vlulatu ante tabernaculum Regium trucidationem pignorum ſuorum deplorabant. Qua re Prælati & Barones *Poloniæ* perciti, ſinguli ad Regem oratum obſecratumque veniunt, cauſam tam trucidatorum quam captorum, ſeuerius, quam conditioni militari conueniebat, agunt: *Crudelitatem barbaricam reſcindi, & captiuos ſuis reddi* precantur. *Quod ni fiat, omnes ſe militiam & caſtra tam nefaria, vltionem diuinam tandem exceptura*, pronunciant *deſerturos*. His *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, cum *Alexandro* magno Duce *Lithuaniæ*, non ſecus quam par erat, obtemperans, omnes captiuos ſolui, & ad *Alberti Iaſtrzabiecz* Epiſcopi *Poſnanienſis* tabernaculum ſcrupuloſe recolligi, ſuiſque & libertati reddi iuſſit: Capitale inſuper, ſi quis illam crudelitatem reſumeret, cenſuit. Exceſſit autem Pater optimus *Albertus Iaſtrzabiecz Poſnanienſis* Epiſcopus ex ſuo tentorio, & mulieres atque paruulos in illo benigne & recolligi & aſſeruari ſpatio noctis inſequentis permiſit. Ab illoque loco ſequi Regem deſiſtens, in *Poloniæ* Regnum, obtenta a Rege licentia, rediit, quem vſque in ea caſtra ex Regno *Poloniæ* comitabatur.

Tartarorum & Lithuanorum crudelitas.

Proceribus Poloniæ & Alberto Ep. Poſnanienſi non probatur.

Feria quarta, nona Iulii, ex villa *Badzino*, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, cum *Alexandro* Duce magno *Lithuaniæ* egreſſus in terras hoſtiles A felici ductu, auſpicio, & itinere; propitiatione diuina, berra itineris duorum miliarium ſuperata, in planiciem cuiuſdam campi, longius in omnes partes porrectam, peruenit, in qua primum ſigna militaria duo & octoginta numero, tam propria Regia, & *Alexandri* magni *Lithuaniæ* Ducis, quam Ducum *Maſouiæ Semouithi* & *Ianuſſii*, ac Baronum *Poloniæ* exerta & extenſa ſunt, cum rara atque ſingulari omnium deuotione & mœrore. Rex ſiquidem *Poloniæ Wladiſlaus*, vexillo magno, rorantibus oculis, accepto, in quo aquila alba, alis extenſis, roſtro aperto, diadema in capite geſtans, ſubtili B arte contexta erat, quæ eſt totius Regni *Poloniæ* inſigne, ea obſecratione in illius extenſione vtebatur: *Tu qui omnium cordium ſecreta, prius quam concipiantur, noſti, clementiſſime DEVS, ex alto proſpicis, quod præſens bellum in quo ſto, coactus ſuſcepi, in tuo & Chriſti Filii tui nomine confiſus auxilio, variis ſiquidem laboribus, impenſis & ingeniis, pacem cum omnibus Catholicis, & præſertim Cruciferis, cuſtodire geſtiebam: quamuis pro eorum demerito, & terrarum Regni mei occupatione fœda & illicita, in eos fuerim iratior: ſpretis tamen æquis & iuſtis conditionibus meis, non me illam reor, niſi* C *armis & ferro apud ſuperba & faſtuoſa pectora, conſecuturum. In tuo itaque Nomine, pro defenſione iuſtitiæ & gentis meæ, vexillum iſtud extendo. Tu, piiſſime Deus, velis mihi & populo meo propitius eſſe defenſor & adiutor: & ſanguinem Catholicum fuſum & fundendum non de mea, ſed de hoſtium meorum manu, qui id concitarunt & alunt, bellum, requiras.* Is ſermo in ea deuotione, & humilitate, ſonoritateque, vt a circumſtante militum concione exaudiri poſſet, a Rege depromptus eſt, magnæ parti exercitus excuſſit lachrymas: vidiſſeſque ſingultibus & lachrymis plurimos indulgentes. Simili quoque deuotione Dux magnus *Lithuaniæ Alexander*, Duces inſuper *Maſouiæ*, & Barones *Poloniæ*, in ſuorum ex- D tenſione ſignorum vtebantur. Quibus diſſolutis & extenſis, vniuerſus exercitus patrium carmen **Bogarodzicza** cœpit vociferari. Omnibus autem *Bohemis* & *Morauis*, qui bellorum periti putabantur, curam & ordinationem Exercitus Regii, & Ducalium ſuſcipere, & Principis militiæ officium gerere faſtidientibus, ne in ipſorum caput parum proſpere ductionis recidat euentus, propter eius molem & numeroſitatem, cura & ordinatio illius *Zindramo* de *Maſchkowycze* Gladifero *Cracouienſi*, Nobili de domo quæ Solein pro inſigni defert, mandata eſt, viro quidem ſtatura paruo, ſed factiuo & animoſo: Non enim aliquis ex *Bohemis* & *Morauis* apud Regem merentibus tantum exercitum prouidere & regere æſtimabat ſe idoneum: Extenſis itaque in præfata planicie ſignis, proceſſit 1410

Wladiſlaus Rex cum exercitu ſuo ſigna explicans,

lachrymis obortis Deum inuocat, cauſam belli in hoſtes reiicit,

& Zindramo de Maſchkowycze curam exercitus cõmittit.

1410 *Wladiſlaus* Rex, & die illa inter duos lacus, quorum vocatur vnus *Tſczino*, alter *Chelſtb*, prope oppidum *Lutberberg*, iam per gentes ſuas ſpoliatum & exuſtum; caſtra metatus eſt. Contigit autem die illa nouum inauditumque ſpectaculum, dum ſiquidem *Polonorum* Proceres & milites, viderent *Lithuanos* & *Tartaros* in Eccleſiarum ſpolia, in virginum & matronarum oppreſſiones barbarice graſſari, & in cuiusdam Eccleſiæ ſpolio, corporis diuiniſſimi Sacramentum ex Sacrario eiectum, ludibrio & deſpectui haberi, vehementi intrinſecus tacti dolore, veriti quoque ob eas abominationes, ſe & vniuerſum exercitum a iuſto Dei iudicio vltum iri, iterata querela *Wladiſlaum* Regem *Poloniæ*, & *Alexandrum* Ducem magnum *Lithuaniæ* conueniunt, crudelitates barbaricas depromunt, aſſerentes *ſe illas, ni abrogentur, & debita plectantur animaduerſione, nullo pacto toleraturos, & nec ad ſigna, neque ad Ordines, niſi vltione debita ſecuta, ituros.* Quorum clamoribus & inuectiuis ſermonibus *Wladiſlaus* calefactus; Eccleſiarum ſpoliatores, & Sacramenti diuiniſſimi inhonoratores, perquiri ſtudioſiſſime iuſſit. Cui cum duo *Lithuani* magis culpabiles oblati fuiſſent, iuſſu Ducis magni *Lithuaniæ Alexandri*, ſeipſos in patibulum agere coacti ſunt. Qui iuſſa Ducis *Alexandri* complentes, primum patibulum propriis manibus contextum ponunt, deinde illud nullo impellente conſcendunt, ad extremum ſibi ipſis iugulum iniiciunt, præmiſſa vnius ad alterum correptione, qui cunctantior videbatur; vt celerius imperata, antequam ira Ducis altius exandeſceret, exequeretur. Ea res ab vniuerſo exercitu ſpectata & viſa, tantum deinceps pauorem ſingulis incuſſit, vt nemo Eccleſiis vim inferre, nemo ad Eccleſiarum ſpolia manus rapaces extendere auderet. Nam etſi pro omni tempore, præcipue tamen cum bellum immineat, illicitis implicari non licet, & non ſolum magna & execrabilia, ſed & quæque minima facinora tunc ſcrupuloſius conuenit purgari & reſcindi, vt rectis & ſanctis actionibus Diuina placata Maieſtas, ſucceſſus proſperos & votiuos triumphos largiatur.

Dux autem Alexander duos ſacrilegos Lithuanos ſuſpendit.

Feria quinta ante feſtum Sanctæ *Margarethæ*, quæ fuit decima dies Iulii *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, a lacubus oppidi *Luterberg* mouens caſtra, & duo miliaria conficiens, mane, nondum rore decidente, venit ad lacum magnum *Rubkowo*, prope caſtrum & oppidum *Kurzathnik*, caſtraque ſupra lacum conſtituit. Exercitus autem Magiſtri *Pruſſiæ* haud procul a caſtris Regiis agebat ſtatiua poſt fluuium *Drwancza*, cuius vtramque ripam Cruciferi multis ante diebus ſpiſſis altiſque tignis, ne ab exercitu Regio tranſiri poſſet, munierant. Cognito itaque aliqui milites *Poloniæ*, exercitum Cruciferorum de prope eſſe,

Exercitu Polonico poſito ad lacum Rupkowo

ad laceſſendum illum accurrunt. Et quinquaginta equis hoſtilibus, qui in flumine 1410
A *Drwancza* adaquabantur, ſeſſoribus deiectis, potiti, incolumes ad caſtra regia perueniunt. Quibus viſis regius exercitus, aut refectionem ſumens, aut corpora curans, hoſtes propter equorum raptorum ſpeciem, adeſſe ratus, in immenſum commotus eſt, & prandia linquens, carptim induit arma, pulueribus complet æthera, ſole nimium deſuper diffundente æſtum. Diſcuſſo tandem vano metu, exercitus quieuit. Adueſperaſcente autem, & ſolis mitigato feruore, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, primoribus Conſiliariis, octo tantummodo ex eis eligit, qui de progreſſu totius belli, cæteris ſe in tentoriis continentibus, conſulant, prouideant, ſtatuant & ordinent.
B Summa quoque belli & numerus eius apud illos conſiſtat. Nominat itaque & eligit primum fratrem ſuum Ducem magnum *Lithuaniæ Alexandrum*, *Criſtinum* de *Oſtrow* Caſtellanum, *Ioannem* de *Tarnow* Palatinum, *Cracouienſem*; *Sandiuogium* de *Oſtrorog* Palatinum *Poſnanienſem*, *Nicolaum* de *Michałow* Palatinum *Sandomirienſem*, *Nicolaum* Præpoſitum Sancti *Floriani* Vice Cancellarium, *Sbigneum* de *Brzezie*, Regni *Poloniæ* Marſchalcum, & *Petrum Schafraniecz* de *Pieſzkowa Skała* Succamerarium *Cracouienſem*. Ii autem octo ſecretiſſime deliberabant de omnibus agendis & concludebant. Et ſignanter quo
C itinere exercitus incedere, & quibus locis caſtra in craſtinum metari debebat, duobus ductoribus, videlicet *Troiano* de *Kraſzniſtaw*, & *Ioanne Grinwaldt* de *Parczow*, Aduocatis, (qui ambo ex *Pruſſia* orti, omnes illius ſemitas, omniaque loca & itinera probe norant, & qui continuo ante fores conſilii aſtabant) aliquando, cum de ſtatiuis & itineribus craſtinis aliquid differendum foret, adhibitis. Prouiſum autem erat, & ſtrictiſſime prohibitum, ne quiſquam auderet egredi de exercitu, donec Marſchalcus *Poloniæ* Regni *Sbigneus*, cum ſigno Regis minori, alias z Proporczem, egrederetur, vt quoque illum ſinguli, nullo præire auſo, ſequerentur. Item, vt nemo
D tuba in vniuerſo exercitu canere auderet, præter vnicum tibicinatorem regium, ad cuius primarium ſonitum ante auroram, vel in diluculo, aut alio quocumque tempore editum, conſurgebat, & ſe armabat exercitus. Ad ſecundum vero ſonitum tubæ, ſellabantur equi, ad tertium mouebatur & procedebat exercitus, ſequens Marſchalcum præcedentem & ſigna, ſub quibus conſiſtebat. Dux itaque *Alexander Withawdus*, vir factiuitatis raræ, cum ſeptem prætatis Conſiliariis agitando, quærendo, conſulendo. Aduocatis interdum Ductoribus, & locorum ſciolis, exequebatur; quem in craſtino caſtris locum exercitus caperet, qua poſtero die caſtris motis, tutum

ſeptem ſenatores & duo Ductores eliguntur,

qui de ſumma totius belli, & itinerum commoditate conſultent.

mag

1410 maxime, compendioſius, atque aridius foret iter, quo opportuna aquatio, quo pabuli lignorumque copia ſuppeteret.

Wladislaus Rex, pace per Sigismundi Regis Legatos necquicquã tentata,

Qvanquam autem *Wladislaus Poloniæ* Rex, pace aliquoties petita, omnia & ipſe conſilia in bellum verterat, die tamen illo, militem ſuum *Petrum Korczbog*, Nobilem de domo *Korczbog* quæ tres carpiones defert pro inſigni, ad Barones *Hungariæ*, tunc in exercitu Magiſtri *Pruſſiæ* & Cruciferorum haud longe conſtitutos, transmitti t, exigens ab eis certum, ſuper pacis confectione, cum Magiſtro & Ordine facienda, reſponſum, & requirens, *an aliqua ſpes de conficienda ac reformanda pace reſtaret.* Qui iuxta iuſſum & inſtructiones Regis, ad caſtra Cruciferorum perueniens *Hungariæ* Barones, de dando finali reſponſo conuenit & requirit. Illi deinde Magiſtrum & Commendatores petunt atq; conueniunt, pacemque multiplici perſuadent ratione. Sed & conditiones pacis per Regem *Poloniæ* oblatas, docent aſtruuntq; æquas & honeſtas eſſe: magnopere ſollicitando illos, *ne antequam diſceſſum foret in aciem, cum communis Mars, & incertus adhuc belli eſſet euentus pacem æquis conditionibus accipere non detrectarent.* Magiſter autem *Pruſſiæ Vlricus* de *Iunigen*, in ſecretum conſilium ſecedens, aliquot Commendatoribus aſſumptis, videlicet, *Frederico Varlath Marſchalco, Conrado Lichterſtein*, magno Commendatore, *Vernero Tetingar Elbingenſi, Sworczborg Thorunenſi* Comite de *Mendemeuen, Gothfrido Hoczfelth Nieſchouienſi, Henrico Tuchdienſi, Vilhelmo Nippenſi* de antiquo caſtro, *Nicolao Vilcz* in *Schonſze, Vilhelmo Elſſeke* in *Grudzancz, Burkardo Volck* in *Echgelsberg, Boldemino Stolm Brodnicenſi, Alberto* de *Baden Schlochouienſi, Peczenbayn Oſterodenſi, Alberto* de *Eczbor* in *Scithno, Marquardo* de *Zalczbach Brandeburgenſi, Ioanne* Comite de *Seyn Thorunenſi*, & aliis, aliquanto tempore de ſumma pacis & belli deliberabat. Et quoniam tam Magiſter *Vlricus* quam ſui Commendatores, a nullo vnquam hoſte ſe conflictum aut oppreſſum iri, vana ſuperſtitione, quod quasdam Sanctorum retinerent reliquias, rebantur, procliuiores erant arroganti ſpiritu in bellum, quam in pacem, tale Magiſter *Pruſſiæ*, per organum *Varlath* Marſchalci Baronibus *Hungariæ* dedit reſponſum: *Non abnueremus, Magnifici viri, perſuaſioni & inductioni veſtræ eſſe morigeri, & pacis, cum Rege Poloniæ ingredi tractatum, ſi Rex ipſe ante ingreſſum hoſtilem, in terras noſtras factum, pacem, in terris Regni ſui poſitus, quæſiuiſſet. Nunc vero poſtquam Poloniæ Rex, terras Ordinis noſtri incendiis, ſpoliis, damnis grauibus aggreſſus pacem, quærit, turpe indicamus nobis poſt tot damna & incendia, pacem aliquam cum eo practicare, poſtquam ab eo tempore, quo Ordo noſter in his terris plantatus eſt, nemo vnquam Regum & Principum, iuſta ac ipſe terras Ordinis noſtri, tam infeſto agmine præſumpſit inuaſiſſe. Propter quod ad practicandam pacem cum Rege prædicto, nullis perſuaſionibus flecti poſſumus, nullis precibus aut orationibus deleniri, donec illata ab eo Ordini noſtro damna & incendia, vindici mucrone noſtro vlciſcemur. Certaminum denique noſtrorum diſcordias, non verba noſtra, Cæſareo licet nomine prolata, nec cuiusuis alterius poteſtatis interpoſitio, ſed gladius & arma de cætero diriment: poſtquam populari regiones noſtras & uri tecta conſpicimus, incendia noſtra hoſtili ſanguine reſtincturi.* Tam ſuperba & arroganti reſponſione Barones *Hungariæ* audita, iterum atque iterum ſollicitant, perſuadent, atque inſtant, *quatenus iuxta Sigismundi Romanorum & Hungariæ Regis interpoſitionem, ad pacis tractatum & amplexum, ſe flecti & trahi permittant, & mitigatis paſſionibus, quælibet pacis media, priusquam certamen & arma, experiri non faſtidiant.* Verum inconſulto cum iræ tum ſuperbiæ Magiſtro & Commendatoribus furore agitatis, in dato quoque reſponſo tam acerbo, & ab omni æquitate abhorrente, perſiſtentibus, ſolus Comes de *Vende* Commendator *Meuenſis*, inter tot qui pacem oderant, amplectendam pacem perſuadens, verba facit: *Videtur mihi optimum & ſalutare, iamdudum, quid pax quid bellum ferat, experto, quibuscumque iniuriis & damnis, per Regem Poloniæ quomodo libet irrogatis, non appenſis, vincendi & vlciſcendi voluntate abiecta, in pacis deuenire tractatum, poſtquam etiam multoties, exercitibus & aciebus in conſpectum venientibus, & ad congrediendum accinctis, pax practicatur & conficitur. Et cum belli euentus dubius ſit, torrenti etiam diſcriminum alluuione cuncta permiſcens, meliorem certam pacem, quam ſperatam victoriam iudico.* Hoc ſermone *Vernerus Thetingar Elbingenſis* Commendator offenſus, paſſionem animi cohibere non valens, Comitem de *Vende* Commendatorem *Meuenſem*, carpere cœpit: *Poteras*, inquit, *Commendator Meuenſis, tali animo, quem hic eructas, qualificatus, in domo, & ſub tectis remanſiſſe, aptior curandis fratribus languidis, quam belli artibus.* Qua ſugillatione Comes de *Vende* parum motus, reſpondit: *Ego quidem non ambigo me & fideliter & vtiliter pro pace conſuluiſſe, diſcurſu meo, pacem omni bello præſtantiorem, iudicaſſe; & execrabile exiſtimans, vt in diebus noſtris, pacis omiſſis mediis, quæ offeruntur, ſanguis Catholicus fundatur. Et quamuis pacem perſuadeam, pacemq; ſumme exoptẽ, vbi tamen permittente Deo pugnã funeſto Marte iniri contigerit, ſtrenue, quemadmodũ ſanguini ingenuo conuenit, decertabo; Tu vero, quid, qualiter, & quomodo conſulis, prouidentius attendas, idque quam maxime caueas, ne quod intra hos parietes ferociter de bello diſputas, ex futura dimicatione, velut galeatus* 1410

1410 *lepus, ſugam capeſſas.* Cœperat poſthæc, rixam Commendatorum intercipiendo, vnus ex Baronibus *Hungariæ, Stiborius* de *Stiborzicze*, aliis itemque aliis mediis pacem ſuadere, & *militem ſe veteraneum, in bellis aſſiduum, multas quoque belli varietates, & conditiones expertum, crederet ſaltem ſibi, & dum liceret, pacem non reſpueret.* Accepit autem a Magiſtro *Pruſſiæ Vlrico* reſponſum: *Loqueris,* inquit, *Stiborie, vt Polonus; ſcimus enim te ex Polonia & ex terra Cuiauienſi ortum eſſe, & propterea in partem & fauorem gentis tuæ perſuades pac.m & conſulis; quam nullatenus mihi & ordini licet acceptare.* Qua in re magnum conſtat Cruciferorum vitium eſſe, quod ſuperbam præſe ferebant arrogantiam, tantisque ſe & viribus & opibus iactabant pollere, vt non putarent inter Reges Orbis fore quemquam, qui illis bello & pugna æquari poſſit; tantumque ſibi a cæteris omnibus deferri debere arbitrabantur, quantum ſibi ipſis animo & cogitatione fiduciarum adſumpſerant. Fugiebatque illos tali caligine obcœcatos, neminem, tanto conſenſu omnium, probatum aut validum fuiſſe, cui periculum, etiam ab imbecilli, non immineat. Barones *Hungariæ* animum Magiſtri & ſuorum Commendatorum intelligentes ad pacem, æquis conditionibus ſuſcipiendam, inexorabilem eſſe, Nuncium Regium *Petrum Korczbog* remittunt; ſignificantes *Wladislao Poloniæ* Regi, *ſe quidem omnia ſtudia, ingenia, ac labores impendiſſe, impenſurosque quoad licebit fore: nondum tamen Magiſtrum & Commendatores ſuos, in acceptandam pacem conduxiſſe, necdum etiam ſpem ordinandæ pacis depoſuiſſe, offerentes ſe Regem per proprium Nuncium in craſtino mittendum, de finali intentione Magiſtri & ſuorum, certificaturos.* Redeunte vero *Petro Korczbog* ad Regem, & reſponſum Baronum *Hungariæ* referente, ſingula quoque, quæ *Petrus Korczbog* in Cruciferorum exercitu viderat & odorauerat, declarante, intellexit nullam amplius de pace habenda ſibi ſpem ſupe.eſſe. In eam ſiquidem diem, tam *Wladislaus Poloniæ* Rex, & *Alexander Lithuaniæ* Dux quam eorum Proceres & Conſiliarii pacem & optabant & ſperabant. Et ea ſpe illecti, ad fluminis *Drwancza* ripas, & ſtatiua Cruciferorum Regius exercitus propinquabat, vt ſi pacem practicari contingeret, facilius pacis artibus poſſet vacari, vtriusque partis copiis in altera ripa conſtitutis. Relatione autem *Petri Korczbog* auiſatus & inſtructus Rex, *Pruſſiæ* Magiſtrum ſorti ſuæ deſtinatum, & cuiuslibet ſani conſilii impatientem, ſingula pacis media contempſiſſe, quodque fluuius *Drwancza* altis tignis in ripa vtraque munitus, absque certamine transmeari non poſſit, exercitu hoſtili ripas eius, taliter munitas, bombardis, ſagitis & quibuſuis propugnaculis defendente, dubitari cœptum eſt, vtrum pergeret Rex qua cœpiſſet ire via, amnemque *Drwancza* pontibus extructis ſuperaret, an obliquando paullulum retrocederet, tandem conſilio optimo & ſalubri vſus, ire retrograde, & flumen in ortu eius ſicco veſtigio decerni ſuperare ſatius; indicans, paruam moram temporis, & fatigam retrogradam ſubire, quam exercitum & eius milites, propediem in acie cum hoſtibus dimicaturos, ſuperando flumen, in diſcrimen committere, retrogrado etiam fluuius itinere a ſuperuacuo pontium liberandus labore. Facileque ratio tam ſalubris conſilii accepta eſt, & tandem data in executionem. 1410

Superandi fluminis Drwancza conſilium capit

Feria ſexta ante feſtum Sanctæ *Margarethæ*, duodecima Iulii, ad ſonitum tubæ in diluculo, Regius motus exercitus, eadem via qua venerat, regreditur, peruenitque in ſtationum ſuarum loca prope oppidum *Luterberg*, in quibus feria quarta transacta quieuerat. Abinde quoque via, qua ex *Maſouia* intrauerat, in dextra dimiſſa, in ſiniſtram flectit iter, & per loca montuoſa procedens, prope oppidum *Dziatdow* in villa *Viſſoka*, figit tentoria. Et quoniam exercitus ex longo & aſpero itinere defatigatus, quiete indigebat, in caſtris eisdem duobus diebus, videlicet feria ſexta & Sabbato habita ſunt ſtatiua. Sub quibus venit ad *Wladislaum Poloniæ* Regem *Fricz* de *Repthi Sleſita*, qui nomine Baronum *Hungariæ Nicolai* & *Stiborii* miſſus, & ad ſecretum conſilium introductus, verba facit: *Quamuis*, inquiens, *Sereniſſime Rex, fidelem & aſſiduam, Barones Hungariæ, apud Pruſſiæ Magiſtrum & Ordinem, feciſſent pro pace interpoſitionem, caſſa tamen fuerunt omnia eorum ſtudia, caſſi labores. Pruſſiæ enim Magiſter per improuiſa ſua ſuperbia præcipitia tractus, nihil, quod æquum, quod ſalubre erat, accepit; ſed vtroque calcato, quod bellicus furor illi ſuggerit, id proſequendum decreuit; non æquitate, non iure, non compoſitione, non denique viri alicuius arbitrio, paſſus eſt dirimi, ſed ferro & Marte abſolui. Cum itaque Sigismundus Hungariæ Rex, cuius Legatione Barones mei funguntur, ſit Romani Imperii Vicarius, & non licet ſibi Magiſtrum & Ordinem Cruciferorum, qui Romano ſubeſt imperio, in præſenti eorum neceſſitatis deſer re articulo, quapropter eiusdem Sigismundi Hungariæ Regis, diffidationis literas, quibus tuam Excellentiam in fauorem Magiſtri diffidat, tuæ Serenitati iuſſu Baronum Hungariæ, præſento.* *Wladislaus* autem Rex reſponſo finali, de non ſperanda pace & diffidatoriis literis *Sigismundi Hungariæ* Regis acceptis, vtrumque arcanum diſtricta fide celari præcepit, ne ſi diffidatio *Sigismundi* Regis *Hungariæ* ad notitiam militum perueniret, animi eorum a præſenti munere belli, imminuta audacia, reuerterentur. Suggeſſit *Fricz* Nuncius *Wladislao* Regi, nomine Baronum *Hungariæ*, ad partem, quate-

Wladislaus Rex litteras diffidatorias Sigismundi Regis Hungariæ accipit.

1410 *quatenus diffidationem Hungariæ Regis Sigiſmundi, pro nihilo penderet, cum diffidationum ſuarum literæ, caro ſatis pretio, quadraginta videlicet millibus florenorum, per Magiſtrum & ordinem Cruciferorum apud illos comparatæ, ad terrorem tantummodo confectæ, nullum forent effectum parituræ.* Animat deinde Regem, *vt cœptum, quolibet terrore circumſcripto, atque neglecto, continuet, & cum Cruciferis, qui viribus, gentibus, armis, & qualibet conditione, dinoſcantur inferiores, quanto celerius congredi non differat, certam victoriam, propitiatione Diuina, habiturum.* Aſſerens *Hungariæ Barones, non Magiſtri & Ordinis, ſed Regis ſui Sigiſmundi, & propriis commodis, in eam diem vacauiſſe.* Quæ quidem *Friczonis* relatio pro ſincera & fidei, prout erat, accepta eſt. Neque enim Barones *Hungariæ* Regis prædicti, pacis conficiendæ reſpectu in *Pruſſiam* a *Sigismundo* Rege miſſi erant, quippe qui bellum exortum malebat produci, quam finiri: Sed vt viis ſubdolis & ingeniis, a Magiſtro & Ordine aurum, de quo facile vulgatus fuerat vnam turrim impleſſe, emungeret. Patefacto itaque & declarato Cruciferis, quod literas diffidationis Sigiſmundi Hungariæ Regis, pro Magiſtro & Ordine, & contra *Wladislaum Poloniæ* Regem ſecum ferrent, declararunt ſe etiam mandatum & inſtructiones, ab eodem *Sigiſmundo* ſuo Rege accepiſſe, quod nullatenus huiuſmodi diffidationis literas, *Wladislao Polonorum* Regi præſentarent, donec eis quadraginta millia aureorum forent per Magiſtrum & Ordinem perſoluta. Magiſter itaque & Ordo Cruciferorum, magnam vim, ſubſidium &, importantiam, ſuæ cauſæ, ſuique triumphi, in huiusmodi diffidationum literis, clauſam fore exiſtimans, dare præfata quadraginta millia florenorum, pro exigua diffidationis charta, conſenſit. Quorum medietatem in campeſtribus dedit, reliquam medietatem in *Gdansk*, eisdem *Hungariæ* Baronibus, perſoluit. Nec pro tanta auri quantitate alium fructum, niſi eaſdem diffidationis literas in præſens & futurum retulit, quæ tamen iuſſu Baronum *Hungariæ*, non in palam, ſed ad partem Regi fuerunt præſentatæ, nemoque de vniuerſo Regio exercitu nouerat, præter octo Conſiliarios, huiusmodi diffidationis literas allatas extitiſſe.

Tranſitum retrogradum *Wladislao* Rege feria ſexta prædictâ faciente, explorator *Pruthenicus* puluere conſperſus, & ſudore oblitus, ad caſtra Magiſtri perueniens, *Poloniæ* Regem, & ſuum exercitum, diſceſſum facere, & fugere aſtruxit. Cuius relatione *Pruſſiæ* Magiſter *Vlricus* admodum exhilaratus, ad Barones *Hungariæ Nicolaum & Stiborium* illum perducens, inquit: *Ecce homo, qui & natione Polonus, exploratum miſſus, rediit: nuncians nobis caſtra Poloniae Regis diebus aliquot quæſiſſe, neque ad illa pertingere potuiſſe: Statiuorum quidem ſuorum loca offendens, vaſa aliquot vacua, & equos aliquot languidos relictos, bombardarum inſuper lapides reperit proiectos. Veſtigia deinde exercitus ſequens, ad compita perueniens, in quæ loca diuerterit exercitus, nullo pacto diſcernere potuit. Certum itaque teneo, Poloniæ Regem, & ſuum exercitum, vires & potentiam meam veritum, fugam iniiſſe, cum diſceſſus certum ſoleat indicium timentis eſſe. fluctuoque, quid me agere expediat, hoſte meo ſic latenter fugiente. Conſulite precor quid acturus ſum? perſequarnè hoſtem fugientem, au ſubſiſtam?* Barones enim *Hungariæ*, noua relatione exploratoris audita, taliter differunt: *Proiectio vaſorum & quidem vacuorum, equorumque debilium, non eſt efficax diſceſſionis aut fugæ ſignum. Deliri enim cenſerentur, qui ſecum vacua & clauda ferrent. Lapidum tamen bombardaricorum proiectio, dat præſumptionem aliquam ſubiti receſſus aut fugæ. Maiori tamen & certiori indagine res examinanda eſt, nec fuga tanti exercitus illico pro vero accipienda.* His & veteranus quidem miles de exercitu Magiſtri, libera adiecit contumacia: *Verearis*, inquit, *Magiſter, ne fuga hæc, quæ nunciatur, exercitus Regii, lauet tibi caput, & nonprius a vana opinione, qua gaudes, deſiſtere incipias, donec intelligas, exercitum Regium ciuitates tuas irrupiſſe.* Quibus verbis Magiſter adeo motus eſt, vt extemplo non de perſequendo Rege, ſed de defendendis vrbibus cogitaret: exercitumque ſuum mouens, & ad caſtrum *Brathian* perueniens, illic ſtatiua ponit, & intra muros caſtri, cum Baronibus *Hungariæ* ſe recipiens, duodecem pontes ſuper flumen *Drwancza*, quibus exercitus ſuus traduci poſſet, fieri ordinat. Et ex hinc, aſſiduis ſtatiuis ſecretis tamen, ad hoſtium caſtra ire pergit, fiduciarum plenus, & adulatorum verbis inflatus, aſſerentium ſibi futuram dimicationem pro voto ceſſuram.

Vlricus de Iunigen Magiſter falſo gaudio exercitus Polonici quaſi fugientis perfunditur:

poſtea tamen vrbes ſuas munit, & ad dimicandum accingitur.

Die Dominico Sanctæ *Margarethæ* tredecima Iulii *Wladislaus Poloniæ* Rex miſſarum ſolenniis, in loco ſtationum ſuarum prope *Działdow* in villa *Viſſoka*, exactis Nuncio *Hungariæ* Baronum *Friczone* ad conſilium ſecretum accerſito in eam ſententiam reſpondit: *Nunquam credebamus Fratrem noſtrum Sigiſmundum Hungariæ Regem, ad eam hoſtilitatem contra nos prorumpere debuiſſe, ut debeat nos, qui illi non ſanguine ſolum, & affinitate, ſed & fœdere iuncti ſumus, pro Cruciferis diffidare, & ſacram auri famem, neglecto Deo, neglectâ iuſtitiâ, ipſi etiam ſanguini præponere? Aliud ſiquidem nobis, Nunciis & literis repromittebat, aſſerens ſe omni ſtudio & conatu, & perſonaliter & per Nuncios, pacem inter nos & Cruciferos practicaturum. Nos ſiquidem de verbis ſuis Regiis confiſi, Legatos ſuos Nicolaum & Stiborium in Regnum noſtrum* 1410

Wladislaus cum Legatorum Hungariæ nuncio ſecreto expoſtulans, Regem Sigiſmundum beneficiorum ſuorum immemorem coarguit.

adue-

1410

aduenientes, benigne habuimus, & in Pruſſiam tranſeuntes, velut pacis tractatores, ſingulis neceſſariis procurauimus, quibus omnibus non æque ſyncere, neque humane videmus nobis reſponſum. Experimur quod frater noſter Hungariæ Rex, reperit tempus & opportunitatem, quibus graſſetur contra nos, & Regnum noſtrum atque Dominia ſibi vſurparet, longe diſpari nos illum in ſuo geminato caſu proſequebamur affectione & charitate: Primum dum profligatus per Turcas eſſet, & incertum exiſteret, captiuune foret, mortuus, vel viuus. Item dum illum Barones ſui Hungariæ captum in mortem deſtinaſſent, noſque ad regimen Regni Hungariæ conformiter delegiſſent, & frequentibus literis atque Nunciis, quatenus celerius venire, & Regni Hungariæ acceptare regimen dignaremur, nos impetiſſent. Nos illico motis gentibus noſtris, proceſſimus in Hungariam, liberationem ſuam, omni poſſe noſtro & viribus effecturi. Si itaque beneficiis noſtris æquâ lance reſpondet, Deus inter nos & illum diiudicet, & vnicuique noſtrûm pro meritò retribuat. Nos quidem ſuis non mouemur minis, ſed cauſa iuſtitiæ noſtræ, omnipotenti Deo commiſſa, iniurias noſtras proſecuturi exurgemus, ex quo intelligimus amplius nullam ſpem, in pacis tractatu relictam, quamuis etiam die hac pacem accipere, ſi quis mediatorem ſe ponere vellet, toto cordis noſtri niſu & deſiderio eſſemus parati. Sed forſitan Clementiſſimus Deus, humilitatis noſtræ & pacifici pectoris, hoſtilis quoque ſuperbiæ inſpector, cauſam hanc ſolus tractandam ſuſcepit; iuxta ſui occulti iudicii diſpoſitionem eam deciſurus. Eo die *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, & vniuerſus fere *Poloniæ* exercitus, diuiniſſimo ſe procurauit viatico *Corporis* videlicet & *Sanguinis Chriſti Sacramento*, ratus, prout, euenit, propediem vniuerſali dimicatione cum hoſte ſe manus conſerturum. Pacem quoque a ſe aliquoties, & multifariis ſtudiis expetitam non poſſe prouenire intelligens, in bellum omnia conſilia conuertit, quanquam pro ſua animi manſuetudine pacem occupare maluiſſet æqua conditione quam bellum. Precabaturque pius & religioſus Rex, vt poſtquam iam nihil ſpei in pace ſupereſſet, felix pugna, & matura de hoſtibus præſtaretur ſibi e cælo victoria.

ex exercitum ſuum ſacramento Corporis Dominici expiat.

Nuncio Baronum *Hungariæ Friczone* licentiato, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex in die Sanctæ *Margarethæ*, a *Działdow*, poſt exacta miſſarum ſolennia, mouens caſtra, quadrigis & impedimentis duabus ante horis præcedere iuſſis, verſus oppidum *Dabrowno*, quod muro, turribus, lacu etiam ambitur, & fluctibus alluebatur, quod *Teutonico* vulgari *Gilgemborg* appellatur, flectit iter, & in planicie camporum ſupra lacum, medio pene miliari a *Dabrowno*, vocatum Dabrowſkie iezioro, locat ſtatiua; ſolari die illo, plus ſolito æſtuante caumate.

Oppidum Dambrowno natura & arte munitum

1410

Quo ad veſperam mitigato, plures milites ex caſtris regiis verſus oppidum *Dabrowno* gratia oppidi & ſitus eius videndi, procedunt. Sed gentibus, quæ oppidum venerant defenſuræ, impugnationem ſuam & oppidi verentibus, progredientibus in aduerſum, grauis contentio illico ſuboritur. Quæ adeo efferbuit, vt *Polonici* milites, ſuperatis hoſtibus, & in oppidum fugere compulſis, ad conquiſitionem oppidi in magna multitudine glomerati, iniuſſu Regis proſiliunt. Erat oppidum non ſolum muris altis & ſpiſſis, turres quoque & propugnacula in circuitu habentibus, ſed etiam ſitu munitum: Stagnum enim a parte maiore illud ambit, & vndis in circuitu vallatum, exiguum & anguſtum terreſtrem aditum habet, profundis foſſis præcluſum. Fit in caſtris Regiis rumor magnus, quo *Wladiſlaus* Rex agnito, iubet conquiſitionem oppidi voce Præconis inhiberi, veritus in conquiſitione oppidi milites ſuos offendi, & inutiles effici in futurum certamen. Prohibitione tamen Regia nequicquam attenta, concurſu ingenti, ad conquiſitionem oppidi ſatis iam illud appetentibus, feſtinatum eſt. Neque opidani ſegniter reſiſtunt, ſed bombardis, & ſaxis ad murum ruentes, ſubmouent. Verum abundante multitudine milites *Polonici* lacum inſiliunt, & muros oppidi debilitant, & ſuffodere conantur, cæteri ſcalis appoſitis, illos conſcendunt, & in breuiſculo tempore oppidum vtroque ſexu pecunioſum rebusque omnibus & diuitiis, longa pace quæſitis, in quod etiam ex aliquot diſtrictibus propinquioribus Nobiles & populares cum rebus & ſubſtantiis ſuis confugerant, opulentum conquirunt, omnibusque fortunis victores potiuntur. De ſpoliis autem oppidi prædicti fere vniuerſus exercitus Regius ditatus, etiam quadrigas ſuas victualium mira abundantia impleuerant. Incredibile enim dictu eſt, quantis opibus & victualibus oppidum refertum fuerit. Spoliis nondum ad plenum egeſti, oppidum incenſum eſt, & plures mortalium, qui ad Eccleſiam confugerant igne exuberante extinguuntur: Multa autem captiuorum millia, vtriuſque ſexus, illic capta, & ad Regia caſtra deducta, *Wladiſlao* Regi *Poloniæ* ſunt dedita. In multos inſuper cædibus ſæuitum eſt, nec cædem quiſquam aut captiuitatem effugit, præter paucos, qui in lintribus & alueis euaſere in lacum. Nulla illic ætatis contemplatio, nulla ætatis miſericordia: quod non tam iure belli, quàm *Dobrzinenſis* terræ, quæ ab hoſtibus exuſta erat, dolore, & effuſis in Cruciferos odiis, *Poloni* exequebantur. Magiſter *Vlricus*, cum *Wladiſlaum Poloniæ* Regem, referentibus exploratoribus, audiſſet *Dobrowno* expugnaſſe atque incendiſſe, & verſus *Marienburg* exercitum ſuum ducere ſtatuiſſe, magna percitus ira, non vltra pugnam differendam ratus, cum

vi a Polonis capitur.

1410 cum toto ſuo penitus robore, dimicare quam primum conſtituit, & ad inuadendum Regem, celeriori quo poterat greſſu, proceſſit. Nec alius in pectoribus Commendatorum & Cruciferorum ſuorum erat furor, in eam recidiſſe fortunam; ut qui olim *Pomeraniæ*, *Cuiauiæ*, *Dobrzinenſi*, terris, caſtriſque earum, expugnatis, ſuiſque iuris factis, Regnum quoque *Poloniæ* ſupra dimidium flammis dediſſent, uerſo Marte *Pruſſiæ* depopulationem, vrbium excidium, & caſtri *Marienburg* obſidionem viſuri forent.

Ea inſuper die, *Matthias* de *Vaſchoſze* Palatinus *Caliſſienſis*, & Capitaneus *Naklenſis*, cum gentibus, quæ ſibi pro cuſtodiâ graniciarum relictæ erant, cum omnibus videlicet militibus, infra flumen *Velna* & *Pomeraniam* conſiſtentibus, terram *Pomeraniæ* hoſtiliter ingreſſus, ſpolia & populationem in ea committebat. Aduocatus autem de *noua Marchia Michael Kochmagiſter*, populationem *Pomeraniæ* prohibiturus, *Matthiæ* Palatino occurrens, prælium cum eo committit.

Præſidia Polonica Pruthenij fundunt fuganteque.

Et quamuis *Polonorum* milites pro uictoria acrius pugnaſſent, præfato tamen *Matthia* Palatino, qui genere nobilis de domo *Bipennium* erat, fugam capeſſente, reliquus exercitus, pugnâ omiſſâ diffugit. In eo prælio *Iaroslaus* de *Giwno*, Vexillifer *Poſnanienſis*, miles notabilis *Hiſpanicus*, genere *Grzimalitha*, cum pluribus aliis, turpe fugere putantibus, captus eſt. Hæc tamen clades ſilentio tunc ſuppreſſa, & nonniſi Rege caſtrum *Marienburg*, poſt victoriam obtentam, obſidente, ad notitiam Regis perlata eſt. Quam etiam ſciuiſſet occultare, niſi militis prædicti captiuitas *Iaroslai* illam diuulgaſſet.

Wladislaus Rex nobilioribus captiuis ſeruatis, cæteros utriuſque ſexus dimittit.

Feria ſecunda in craſtino Sanctæ *Margarethæ* quarta decima Iulii, quamuis *Wladislaus Poloniæ* Rex ſtatuiſſet in locum vlteriorem caſtra & copias traducere: manſit tamen apud ſtatiua diem illum, eo ſolo perſuaſus reſpectu, ut reliquias rerum & victualium, in cellariis & foueis oppidi *Dabrowno* reconditas recolligeret, & de captiuis apud *Dabrowno* captis ordinaret. Reſeruatis itaque fratribus Cruciferis, item Nobilibus & terrigenis, omnes oppidanos, populares, agreſtes, item omnes matronas & virgines, ſingulaſque mulieres cuiuſcumque conditionis, a captiuitate abſoluit. Diligenti inſuper cuſtodia prouidet, ne quis de exercitu ſuo, viris & fœminis abſolutis, noceret, illuderet, aut eos inuaderet. Sub occaſum vergente die, pronunciare iter in diem alterum, militeſque tabernacula petere, & corpora curare iubet, quo craſtino antelucano tempori, quod Rex pronunciandum mandauerat, efficerentur aptiores. Subſequens autem nox, in ſtatiuis Regiis benigna & pacifica erat, cuius in exercitu Cruciferico diſpar erat facies. Ventus quippe validus ſingula tabernacula quatiendo, ſolo proſtrauerat, noctemque pene inſomnem tranſegerant. 1410

Prodigia in cælo viſa.

Sub ea autem nocte lunam, quæ tunc pleno lucebat orbe, prodigium ſingulare denunciaſſe, & Regi victoriam portendiſſe, quod ſequentis diei probauit confirmauitque euentus, nunciatum eſt. Conſpectum ſiquidem fuit a nonnullis per noctem excubantibus, atrox aliquandiu in lunæ circulo, inter Regem ab vna, & monachum parte ab altera, certaminis ſtetiſſe diſcrimen. Ad extremum tamen monachum a Rege victum, & ex corpore lunæ deiectum præcipitatumque extitiſſe. Hoc prodigium frequenti relatione, in altera die vulgatum, *Bartholomæi* Plebani in *Klobuczko*, Capellani Regii, oculis ſe propriis viſionem huiuſmodi ſpectaſſe aſſeuerantis, aſſertio confirmabat: ſiue id animi victoriam præſagientis fuerit indicium ſiue aërearum figura impreſſionum, ſiue quælibet alia ex abditis cauſis proueniens oſtenſio, incertum habemus. Nonnullorum inſuper militum ex Cruciferico exercitu, non temera, neque vulgaris, ſed conſtans & ſolida habebat relatio: Sub tempore omni, quo prælium habebatur, diei craſtinæ viſum a ſe ſupra exercitum *Polonicum*, hominem Reuerendum Pontificali amictum veſtitu: qui & benedictionem & aſſiduam confortationem *Polonis* dimicantibus largiebatur, & certam repromittebat *Polonis* victoriam. Hæc in prodigiorum loco fuere nunciata, per quæ indubie futura Regis victoria ſignabatur.

Feria tertia in die Diuiſionis Apoſtolorum, quindecima die Iulii, licet *Wladislaus Poloniæ* Rex in loco ſtationum in diluculo ſtatuiſſet miſſas audire, tentorium tamen, ſub quo agebantur diuina, vento flante & rapiente celeritate qua iubebatur, neque figi neque explicari poterat, nec quod explicatum fuerat, manebat. Fuderat ſiquidem nox præcedens pluuias, fulgura, & coruſcationes; multo tamen validiores in caſtris Cruciferorum, quam in Regiis, adeo, vt fere vniuerſa tentoria diſiicerent, quod fuit omen cladis craſtinæ. Terris quoque luce reddita, ventorum flatus validus oriri cœperat. Dum itaque capella tentorii Regalis, diutius ſtabiliri, vento impugnante, non poſſet, Ducis magni *Alexandri* ſuaſu, Rex a *Dabrowno* caſtra mouet, ſpatioque duorum miliarium confecto, ſub quo hoſtiles villæ in circuitu vrebantur, in campos villarum *Tanenborg* & *Granwaldt*, futuro certamine nobilitandos, ſuperueniens, inter arbuſta & gaiios, quorum in loco eodem extabat frequentia, ſtatiua exercitus metari, & tabernaculum capellæ ſupra collem editiorem, lacum *Luben* ſpectantem, locari præcepit, diuina ſub tempore, quo exercitus ſtatiuorum locationi intenderat, auditurus. Iam *Pruſſiæ* Magiſter *Vlricus* de *Iuningen*, in villagium *Granwaldt*, clade ſua illum inſigniturus, peruenerat, in propinquo quoque agens

1410

Wladiſlaus Rex quamuis iam fere premente hoſte,

agens adhuc tamen a Regiis excubatoribus ignorabatur. Capella itaque tentorii extenta, & Rege pro audiendis diuinis accelerante, venit *Hanek* miles de *Chelm*, de domo *Oſtoia*, nuncians *hoſtilem exercitum paucis paſſibus diſtantem, ſe vidiſſe:* Rege autem petente, *quanti eſſent*, reſpondet, *vnum tantummodo ſe illorum banderium aſpexiſſe, & illico ad annunciandum eorum aduentum cucurriſſe.* Adhuc eo loquente, venit *Derslaus Wloſtowski* miles de domo *Okſcha*, & *duo banderia hoſtium ſe vidiſſe* aſſerit. Quo nondum finiente ſermonem, veniebat tertius, quem ſequebatur quartus, quintus, & ſextus, concordi pronunciatione referentes, *hoſtiles acies, iam in pugnam accinctas, prope adeſſe.* Rex autem *Wladiſlaus*, nihil tam propinquo & repentino hoſtium aduentu motus, operæ pretium exiſtimans, prius rebus diuinis quam Martialibus defungi, in capellam veniens, duas miſſas, per *Bartholomæum* Plebanum in *Kłobuczko*, & *Iaroslaum* Præpoſitum *Caliſſienſem* Capellanos ſuos lectas, deuotiſſime exaudit, opemque ſupernam expoſcens, rem diuinam ſolenniori concentu quam pro more faciebat. Neque his contentus, flexis genibus in Oratione longo tempore procumbens, precabatur Deum cœli, quatenus ſibi & genti ſuæ, faſta fieret expeditio, & felix pugna, & matura ex hoſte proueniret victoria. Et quamuis alter, magnus Dux *Lithuaniæ*, qui omnia ferre facilius poterat, quam moram, *Wladiſlaum* Regem, *quatenus Diuinis & orationibus neglectis, conſurgens properaret in bellum, cum hoſtium exercitus, decernere paratus, ſtaret, iam aliquanto tempore ad pugnam accinctus, & periculum foret, ſi irruens, arma prior inferret*, variis precibus & inſtantiis primum per internuncios, deinde per ſe ipſum vociferatione ingenti vexaſſet; nullis tamen precibus, nulla obſecratione, nulla denique periculi denunciatione a diuinis & oratione, niſi complemento facto, abduci poterat.

a ſacris tamen abduci non poteſt.

Siquidem hoſtilis *Pruthenicus* exercitus, quamuis robore inferior, tamen aut victoriam ſibi vendicaſſe, aut ſaltem ingentem cladem in Regio exercitu edidiſſe, ſi quamprimum Regis exercitum, ſine lege, ſine ordine conſiſtentem, & locatione caſtrorum occupatum, armatus ipſe & paratus, inermem & incautum inuaſiſſet. Exiſtimans tamen non fortuito, ſed ex compoſito, inter gaiios & arbuſta Regium exercitum conſtitiſſe, & ad inſidiarum loca trahi, ab inuadendo Regio exercitu, donec omnes in ordines & ſigna venirent, ſolo metu Regis, fortuna regente, abſtractus eſt. Nihil itaque mirum, ſi Regi religioſo & deuotiſſimo, omnibus victoriis & periculis diuina anteponenti, Diuinitas victoriam famoſam largita eſt, quæ Cruciferos contempſiſſe, & nihili pendiſſe conſtabat. Cui ante pugnam, in pugna, & poſt pugnam, creduntur fauiſſe venti, & in hoſtium vultus & ora, flatum & puluerem vertiſſe; vt non immerito illud *Claudiani* Poetæ dictum ſibi poſſet aptari.

O nimium dilecte Deo, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad claſſica venti.

1410

Rege *Polonorum Wladiſlao*, circa Diuinorum auditionem, & in obſecrationibus perſeuerante, vniuerſus Regius exercitus, in ordines ſuos & ſigna, *Zindramo* de *Maſchkowicze* Gladifero *Cracouienſi* dirigente; *Lithuanicus* vero ſolo *Alexandro* magno *Lithuaniæ* Duce ordinante, mira celeritate acceſſit, aciemque aduerſus hoſtem conſtituit. Et cum *Polonicus* exercitus in læuum cornu flexiſſet, *Lithuanicus* dextrum tenuit. Sed in ea quoque neceſſitate omnis celeritas tarda videbatur.

Ordinum vexillorum, & inſignium terrarum Regni, ac virorum, qui bello Pruthenico interfuerunt, enumeratio.

Quinquaginta ſigna, quæ vexilla appellamus, in eo prælio, numerum habentia, ſcitus, & viſus eſt exercitus *Polonicus* habuiſſe. Primum vexillum magnum *Cracouienſis* terræ, cuius alba aquila coronata, extenſis alis, in campo rubeo, erat inſigne, in quo omnes præſtantiores Barones & milites *Poloniæ*, & omnes veterani & exercitati, ordines acceperant, robore & numero, omnia alia ſigna excedens. Cuius Ductor fuit præfatus *Zindramus* de *Maſchkowicze* Ferentarius, *Marciſſius* de *Wroczimowicze* ſtirpis *Polukoſzie*: & in quo, pro ſui excellentia, & merito, milites nouem primo ordine, & in fronte, conſiſtebant, videlicet, *Zauiſſius* niger de *Garbow*, de domo *Sulima*, *Florianus* de *Korytnicza*, de domo *Ielithonum*, *Domarad* de *Kobilani*, de domo *Grimalitarum*, *Skarbek* de *Gori* de domo *Habdanck*, *Paulus Słodzey* de *Biſkapyce* de domo *Nieſzobya*, *Ioannes Varſzewski* de domo *Nałacz*, *Stanislaus* de *Charbynowicze* de domo *Sulima*, *Iaxa de Thargoniſko*, de domo *Vulpium*. Secundum vexillum *Goncza*, cuius duæ cruces cæruleæ in campo cœleſtino, erat inſigne. Id *Andreas* de *Brochoczice* miles de domo *Oſſoria* ducebat. In cuius fronte quinque milites conſiſtebant, hi videlicet, *Ioannes Sunimk* de *Nabroſz*, de domo * * * qui annis ſedecem, apud *Turcarum* Cæſarem, Ducis functus officio, militauerat, *Barthoſzius* & *Iaroslaus* de *Płomikow*, de domo *Pomyani*, *Dobeslaus Okwia* de domo *Wienyawa*, & *Sigismundus Pikna Bohemus*. Tertium Cubiculariorum, cuius vir armatus equo candido inſidens, gladiumque manu vibrans, in campo rubeo, erat inſigne. Id *Andreas Cziołek* de *Zelechow*, de domo *Taurorum*, *Ioannes* de *Sprowa* de domo *Odrowaſz*, ducebant. In cuius fronte hi conſiſtebant milites, *Mſzugius* de *Skrzin*, de domo *Cygnorum*, *Alexander Gorayski* de domo *Ciphorum*, *Nicolaus Powala* de *Taczow*, de domo *Poualorum*, *Saſzinus* de *Vichucza*, de domo etiam *Poualorum*. Quartum Sancti *Georgii*, habens crucem albam in campo rubeo pro inſigni. Sub quo omnes *Bohemi* & *Mo-*

1410 *Moraui*, pretio conducti, conſiſtebant. Cu-
ius Ductores erant *Sokol & Zbiſtawek Bohe-
mi.* Ferentarius vero *Ioannes Sarnowſky Bo-
hemus*, *Wladiſlao* Rege hunc linguagio *Bohe-
mico* deferente honorem. Quintum terræ
Poſnanienſis, albam aquilam in campo rubeo,
non coronatam, habens pro inſigni. Sex-
tum *Sandomirienſis* terræ, in quo pro vna
medietate tres barræ, ſeu tractus glauci, in
campo rubeo, pro altera ſeptem ſtellæ in cam-
po cæleſtino, habebatur inſigne. Septi-
mum *Caliſſienſe*, caput bubali in ſkakorum
tabula, diademate Regio ornatum, ex cuius
naribus circulus rotundus pendebat, habens
pro inſigni. Octauum terræ *Siradienſis*, in
quo pro vna medietate, medietas aquilæ albæ
in campo rubeo, pro altera medietas leonis
flammei in campo albo, habebatur inſigne.
Nonum terræ *Lublinenſis*, ceruum cornibus
extenſis in campo rubeo, habens pro inſigni.
Decimum terræ *Lancitienſis*, cuius inſigne
media pars nigræ aquilæ, media vero albi leo-
nis picti, in campo cæruleo, capita habentes
coronata. Vndecimum terræ *Cuiauienſis*, in
quo pro vna medietate aquilæ nigræ in campo
cæruleo medietas; pro altera medietas leonis
albi in campo rubeo, capita coronata geſtan-
tes, erat inſigne. Duodecimum terræ *Leo-
polienſis*, leonem cœruleum per modum pe-
tram conſcendentem, in campo cæleſtino ha-
bens pro inſigni. Tredecimum terræ *Vielu-
nenſis*, lineam niueam tranſuerſitate, in campo
rubeo proportionaliter locatam, habens pro
inſigni. Cui Rex propter raritatem ordinum,
milites ex *Sleſia* mercenarios pro ſupplemento
adiunxerat. Quartum decimum terræ *Premiſ-
lienſis*, quod aquilam cæruleam, duo capita à
ſe inuicem proportionaliter auerſa, in campo
cæleſtino, habebat pro inſigni. Quintum
decimum terræ *Dobrzinenſis*, faciem huma-
nam ſenilem ad femur ſe portendentem, capite
diademate coronato cornibus quoque exaſpe-
rato, in campo cæruleo, habens pro inſigni.
Sextum decimum terræ *Chelmenſis*, vrſum al-
bum inter duas arbores conſiſtentem in cam-
po rubeo habens pro inſigni. Decimum ſe-
ptimum, decimum octauum, & decimum no-
num, terræ *Podoliæ*, tria enim ſigna, abundan-
te multitudine habebat, quorum quodlibet fa-
ciem ſolarem, in rubeo campo, habebat pro
inſigni. Vigeſimum terræ *Halicienſis*, monte-
dulam nigram in capite coronatam, in campo
albo habens pro inſigni. Vigeſimum pri-
mum, & vigeſimum ſecundum, Ducis *Semo-
vithi Maſouiæ*, aquilam albam abſque diade-
mate, in campo rubeo, habentia pro inſigni.
Vigeſimum tertium Ducis *Maſouiæ Ianuſſii*,
quod in quadrum diuiſum, pro duabus medi-
etatibus albam aquilam, pro reliquis duabus
per tranſuerſum ſe aſpicientibus, nicticoracem
ſcacatam albi & rubei coloris, habebat inſi-
gne. Vigeſimum quartum *Nicolai Kurowſ-
ki* Archiepiſcopi *Gneſnenſis*, flumen cruce ſi- 1410
gnatum, *Srzenyawa*, in campo rubeo habens
A pro inſigni. Vigeſimum quintum *Alberti
Iaſtrzabiecz* Epiſcopi *Poſnanienſis*, babatam
crucem in medio habens, in campo cæleſtino;
Cuius *Iarandus* de *Brudzewo* miles erat du-
ctor; habens pro inſigni. Vigeſimum ſex-
tum *Criſtini* de *Oſtrow* Caſtellani *Cracouienſis*,
vrſum coronatam virginem geſtantem, in cam-
po rubeo, habens pro inſigni. Vigeſimum
ſeptimum *Ioannis Tarnowſki* Palatini *Craco-
uienſis*, lunam cornutam ſtellam complecten-
tem in campo cœleſtino, habens pro inſigni.
Vigeſimum octauum *Sandiuogii* de *Oſtrorog*
Palatini *Poſnanienſis*, faſciam arcuatam & cir-
cumligatam, & in extremitates protenſam, in
B campo rubeo, habens pro inſigni. Vigeſi-
mum nonum *Nicolai* de *Michałow* Palatini
Sandomirienſis, roſam albam in campo rubeo,
habens pro inſigni. Trigeſimum *Iacobi* de
Konyecpolye Palatini *Siradienſis*, babatum al-
bum, infra parte potiori demiſſa, & cruce ſi-
gnatum, in campo rubeo, habens pro inſigni.
Trigeſimum primum *Ioannis* de *Obichow* Ca-
ſtellani *Srzemenſis*, caput zubronis, a cuius
naribus circulus dependens rotundus, in cam-
po croceo, habens pro inſigni. Trigeſimum
ſecundum *Ioannis Liganza* de *Bobrek* Palatini
Lancicienſis, cuius caput aſininum in campo
rubeo, erat inſigne. Trigeſimum tertium
Andreæ de *Tęczin* Caſtellani *Voynicenſis*, cu-
ius in campo rubeo vna bipennis erat inſigne.
C Trigeſimum quartum *Zbignei* de *Brzezie* Re-
gni *Poloniæ* Marſchalci, cuius, caput leoninum
flammam euomens, in campo cæleſtino, erat
inſigne. Trigeſimum quintum *Petri Schaf-
franiecz* de *Pieſchkowaskała* Succamerarii
Cracouienſis, cuius equus albus nigro tegmine
in medio præcinctus, in campo rubeo, erat in-
ſigne. Trigeſimum ſextum *Clementis* de
Moskorzow Caſtellani *Viſlicenſis* cuius duæ
cum media cruces cæruleæ, in campo flaueo,
erat inſigne. Trigeſimum ſeptimum *Vin-
centii* de *Granow* Caſtellani *Srzemenſis*, & *ma-
ioris Poloniæ* Capitanei, cuius luna arcuata ſtel-
lam continens in medio, in campo cæleſtino,
erat inſigne. Trigeſimum octauum *Dobeſ-
D *lai* de *Oleſchnicza*, crucem albam, & ſub
quarto crucis angulo tricem habens, in mo-
dum duplicis VV tracturam, in campo rubeo
pro inſigni habens. Trigeſimum nonum
Spithkonis de *Iaroſław*, cuius luna arcuata,
ſtellam continens in medio, in campo lazurico,
erat inſigne. Quadrageſimum *Martini* de
Sławsko, ſuperiorem partem leonis, & quatuor
lapides in parte inferiori, habens pro inſigni.
Quadrageſimum primum *Dobrogoſtii* de *Scha-
moruli*, faſciam arcuatam & in medio conſtri-
ctam, in campo rubeo, habens pro inſigni.
Quadrageſimum ſecundum *Criſtini* de *Kozi-
egłowi* Caſtellani *Sandecenſis*, ſagittam gemi-
natam cruce ornatam, in campo rubeo, ha-

1410 bens pro inſigni. Quadrageſimum tertium *Ioannis Mazik* de *Dambrowa*, duos piſces, qui truttæ appellantur, vnum in campo albo, al- A terum in campo rubeo habens pro inſigni. Quadrageſimum quartum *Nicolai* Regni *Poloniæ* Vice-Cancellarii, tres tubas in campo albo habens pro inſigni. Quadrageſimum quintum *Nicolai Kmitha* de *Visznicze*, flumen rubeum cruce ornatum habens pro inſigni. Quadrageſimum ſextum, fratrum & militum *Gryfonum*, album gryfonem in campo rubeo, habens pro inſigni: cuius ductor erat *Sigiſmundus* de *Bobowa* miles, Subiudex *Cracouienſis*. Quadrageſimum ſeptimum, militis *Zaklicza Korzekwiczki*, tracturam albam in modum duplicis VV, cruce ſignatam, in campo rubeo, habens pro inſigni. Quadrageſimum B octauum, fratrum & militum *Kozlierogi*, tres haſtas transuerſaliter, in campo rubeo deferentium; cuius ductor erat *Florianus* de *Korythnicza* Caſtellanus *Vislicienſis*, & in *Przedecz* Capitaneus. Quadrageſimum nonum *Ioannis Ienczikowicz* Baronis de *Morauia*, quod albam ſagittam diſtenſam, & in finibus recuruatam, in campo rubeo, quæ apud *Polonos Odrowaſz* nominatur, habebat pro inſigni: cuius ductor erat *Helm Morauus*, & in quo ſoli *Moraui* militabant, quod præfatus *Ioannes Ienczikowicz Wladislao Poloniæ* Regi in auxilium, beneficiorum, Patri ſuo *Ienczkoni*, per *Wladislaum* Regem præſtitorum, memor, præſtiterat. Quinquageſimum *Gnieuoſſii* de *Dalewicze* C Subdapiferi *Craconienſis*, quod ſagittam albam in medio ad partem læuam & dextram protenſam, cruce ſuper protenſionem tranſuerſalem conſignatam in campo rubeo, habebat pro inſigni. Sub quo tantummodo mercenarii milites, non ex *Polonis*, ſed ex *Bohemis*, *Morauis*, & *Sleſitis*, per præfatum *Gnieuoſſium* Subdapiferum conducti, militabant. Domus autem & nobilitas, arma huiuſmodi inſigniorum deferens, apud *Polonos* vocatur, corrupto & truncato nomine, *Strzegomya*, quæ potius **trzy gory** / id eſt, tres montes, deberet vocitari, a ciuitate *Sleſiæ Trzigori* alias *Trzegom*, quoniam in illorum ditione tunc conſiſtebat, originariam ſumens denominationem. D Quinquageſimum primum *Sigiſmundi Koributh Lithuaniæ* Ducis, quod equum armatum hominem geſtantem, in campo rubeo, habebat pro inſigni. Erant præterea in exercitu *Lithuanico Alexandri Withawdi*, Ducis magni *Lithuaniæ*, quadraginta vexilla, ſub quibus milites *Lithuani*, *Rutheni*, *Samogithæ*, & *Tartari*, tantummodo conſiſtebant. Rariores tamen habebant ordines, & arma pauciora quam *Poloni*: equis quoque *Polonos* non æquabant. Signa autem vexillis huiuſmodi affiƈta, paria erant pene. Fere enim quodlibet armatum virum equo albo, interdum nigro, aut ruffo, vel vario, inſidentem, & manum cum gladio vibratam extendentem, habebat in campo rubeo

pro inſigni. Decem tantummodo ſignum aliud habebant, & triginta aliis diſtinguebantur. 1410
In quibus in campo rubeo, ſigna quibus *Withawdus* equos, quorum multitudine abundabat, inſignire conſueuerat, depicta erant. Quæ quidem in hunc modum quoniam, rebus deſcribi non poſſunt pingebantur  Denominabantur autem vexilla huiuſmodi aliqua, a nomine terrarum *Lithuaniæ*, videlicet *Trocenſis*, *Vilnenſis*, *Grodnenſis*, *Kownenſis*, *Liddenſis*, *Myednicenſis*, *Smolenſis*, *Polocenſis*, *Vitepſcenſis*, *Kiiouienſis*, *Punenſis*, *Nouogrodenſis*, *Brzeſtenſis*, *Volkouiſchenſis*, *Drobicienſis*, *Myelnicenſis*, *Krzemienicenſis*, *Starodubenſis &c.* Aliqua vero ex perſonis Ducum *Lithuaniæ*, qui illis a *Withawdo* Duce præfecti fuerant, videlicet *Sigiſmundo Coributh*, *Langwinowicz*, *Simeone*, *Georgio*, *&c.*

Pruthenicus exercitus, quemadmodum milite & robore, ita & ſignis inferior erat. Duo ſigna ſeu vexilla Magiſter habebat, vnum & primum magnum; in quo, quicquid roboris erat, locatum eſt; alterum minus: ambo crucem nigram, aquilam ſimiliter nigram in medio continentem, habebant pro inſigni. Item Ordinis totius, cuius in campo albo lata crux nigra erat inſigne: cuius ductor erat *Fridericus* de *Vallerod* Marſchalcus *Pruſſiæ*. Item *Conradi* Ducis albi *Canthner Oleſchnicenſis*. Quartum, aquilam nigram in campo cœruleo habens pro inſigni, qui ſolus perſonaliter cum gentibus ſuis ex Ducibus *Sleſiæ* prælio interfuit, licet voluntate & affectione ſingulos *Sleſiæ* Duces non dubites interfuiſſe. Item *Caſimiri* Ducis *Stetinenſis* quintum, gryſonem in campo albo habens pro inſigni, qui & ipſe perſonaliter cum gentibus ſuis, Magiſtrum & Cruciferos adiuuabat. Item ſextum vexillum, Sancti *Georgii*, quod crucem rubeam in campo albo, habebat inſigne; cui ductor erat *Georgius Kerzdorff*, & cui potior fuerat militaris virtus quam fuga. Item ſeptimum vexillum *Pomeſanienſis* Epiſcopi, Beati *Ioannis Euangeliſtæ*, in ſpecie aquilæ cœruleæ, imaginem geſtans, & duabus curuaturis cœruleis circumdatam, habens pro inſigni, quod *Marquardus* de *Roſzemburg* ducebat. Item octauum banderium Epiſcopi & Epiſcopatus Zambienſis, tres mitras rubeas in albo campo, habens pro inſigni: quod *Henricus* Comes de *Camencz* de *Miſſna* ducebat. Item nonum banderium Epiſcopi & Epiſcopatus *Chelmenſis* alias *Riſzemburg*, quod in campo albo, gladium rubeum nudatum, & curuaturam æque rubeam transuerſaliter ſibi iunctam, habebat pro inſigni: cuius ductor erat *Theodoricus* de *Souemburg*. Item decimum banderium Epiſcopi & Epiſcopatus *Varmienſis*, alias *Elsberg*, quod in campo pro medietate rubeo, Agni Dei albam imaginem, vexillum paruulum pede vno ſupra ſe porrigentem, & ex cuius gutture ſanguis in calicem antepoſitum defluebat, item alte-

Quæ vexilla viri, & ordines exercitus Cruciferici fuerint.

1410 alteram medietatem campi albam tantummodo habebat pro inſigni. Item vndecimum banderium magnæ Commendatoriæ, quod in campo rubeo barram habuit altam latam, pro inſigni: cuius *Conradus Liebterſten* magnus Commendator erat ductor. Item duodecimum banderium ciuitatis *Culmenſis*, quod fluctus vndoſos pro medietate albos, & pro aliqua medietate rubeos, cruce nigra & tractu nigro ſuperadditis, habebat pro inſigni; cuius ferentarius erat *Nicolaus* dictus *Nikſz*, Vexillifer *Culmenſis*. Quem *Henricus* de *Plawen* Magiſter Crucifericus, *Vlrico* de *Iungen* ſuccedens, quaſi parum fideliter egiſſet, capite damnauit. Ductores autem eius *Ianuſſius Orzechowski*, & *Conradus* de *Koplow* milites. Item tredecimum banderium theſaurarii Ordinis, quod clauem albam in campo rubeo pro inſigni habebat: cuius ductor erat *Morcheyn* Theſaurarius Crucifericus. Item quartum decimum banderium Commendatoriæ & ciuitatis *Grudzancz*, quod in campo albo, caput zubronis nigrum habebat pro inſigni. Cuius ductor erat *Vilhelmus Elpheſtein* Commendator de *Grudzancz*. Item quintum decimum banderium, Commendatoriæ & ciuitatis *Balga* quod in campo albo lupum rubeum habebat pro inſigni. Item ſextum decimum banderium Commendatoriæ & ciuitatis *Schonſze*, quod in campo albo duos piſces rubeos arcuatos ſe inuicem ore contingentes & cauda, habebat pro inſigni. Cuius ductor erat *Niklosz Vilcz* Commendator in *Schonſze*. Item decimum ſeptimum banderium ciuitatis *Kingsbergenſis*, quod in campo rubeo album leonem, coronam cæruleam in capite geſtantem, cui ſupraſita erat crux nigra, in campo albo, habebat pro inſigni. Cuius ductor erat Vicemarſchalcus ſeu Vice Commendator *Kinsbergenſis*. Item decimum octauum banderium Commendatoriæ de *antiquo caſtro*, quod per quadrum habebat quatuor campos partim albos partim nigros. Cuius *Vilhelmus Nippen* Commendator de *antiquo Caſtro*, erat ductor. Item decimum nonum banderium Comendatoriæ & ciuitatis *Tucholya*, quod duos campos, rubeum & album, lineis tamen nigris in medio diſtinctos, habebat pro inſigni. Cuius *Henricus* de *Tucholya* Commendator, erat ductor. Cuius in tantum aſcenderat pompa, furor, & elatio, vt a tempore, quo in expeditionem præſentem venerat, duos nudos gladios ante ſe, quocumque iret, deferre iuberet. Monentibus autem illum nonnullis viris bonis & timoratis, *ne ſe tam ſuperbe gereret*, ſacramento ſe adegit: *non prius ſe gladios præfatos conditurum in vaginam, donec vtrumq; in ſanguine Polonorum cruentaret*. Item vigeſimum banderium caſtri & Commendariæ *Nieſchouienſis*, quod in medio album campum, a parte vero vtraque duos nigros, habebat pro inſigni. Cuius *Conradus Hoczfelth* Commendator *Nyeſchouienſis* erat ductor. Item vigeſimum primum banderium militarium & ſtipendiariorum de *Veſtwalia*, quod duas ſagittas rubeas per tranſuerſum in campo, habebat pro inſigni. Item vigeſimum ſecundum banderium Aduocatiæ & ciuitatis *Rogozno*, quod tres roſas in tractura rubea tranſuerſali in albo campo habebat pro inſigni. Cuius ductor erat *Fridericus Ved* Advocatus in *Rogozno*. Item vigeſitertium banderium Commendariæ & ciuitatis *Gdanenſis*, quod duas cruces, vnam videlicet rubeam in albo campo, & alteram albam in rubeo campo, habebat pro inſigni. Ductor eius fuit *Ioannes Schomenſelth* Commendator *Gdanenſis*. Item vigeſimum quartum banderium commendariæ & ciuitatis *Engelsberg*, quæ in *Polonico* vocatur *Pokrziwno*, quæ imaginem Angeli candidi, alas & manus extendentis in campo rubeo, habebat pro inſigni. Cuius ductor erat *Baldeuin Stoll*, Commendator *Brodnicenſis*. Item vigeſimum quintum banderium Commendariæ & ciuitatis *Bridicenſis*, quod ceruum cum cornibus rubeum in albo campo, habebat pro inſigni. Id *Bucardus Vbrk* ducebat. Item vigeſimum ſextum banderium caſtri *Brathian* & ciuitatis nouæ, quod tria cornua ceruina in gyrum coniuncta, in campo albo habebat pro inſigni. Cuius ductor erat *Ioannes* de *Redere*, Aduocatus in *Brathian*. Item vigeſimum ſeptimum banderium ciuitatis *Bransberg*, quod duas cruces, vnam albam in nigro campo, alteram nigram in albo campo, habebat pro inſigni. Item vigeſimum octauum banderium mercenariorum militum, quod vnam ſagittam cuſpidatam, alteram abſque ferro & cuſpide ligneam tantummodo, vtramque tamen rubeam in albo campo tranſuerſaliter ſe contingentes, habebat pro inſigni. Item vigeſimum nonum banderium mercenariorum militum; quod album lupum in rubeo campo habebat inſigne. Sub quo erant gentes *Sweyczeronum*, qui Magiſtrum & Ordinem *Pruſſiæ* propriis ſumptibus adiuuabant. Item trigeſimum banderium Commendariæ & ciuitatis *Laſchin*, alias *Leſzken*, quod tres campos, ſuperiorem rubeum, inferiorem nigrum, medium vero album habebat inſigne. Ducebat illud *Henricus Kuſzeczki*, Aduocatus de *Laſzin*. Item trigeſimum primum banderium Commendariæ & ciuitatis *Stochow*, quod in parte ſuperiori habebat imaginem Agni Dei, album vexillum ſupra ſe vno pede tenentis: Cui de pectore in calicem manabat ſanguis, in rubeo campo, in parte vero inferiori album tantummodo habebat campum pro inſigni. Ducebat illud *Arnoldus* de *Baden*, Commendator *Schlochouienſis*. Item trigeſimum ſecundum banderium Commendariæ ciuitatis *Oſterodenſis*, cuius quatuor campi in quadrum diſtincti, albi videlicet & rubei, erat

1410 erat inſigne. Id ducebat *Peczenthan* Commendator *Oſterodenſis.* Item trigeſimum tertium banderium ciuitatis *Barthe ſchteyn*, cuius aſcia alba in campo nigro erat inſigne. Item trigeſimum quartum banderium, militarium terræ *Culmenſis*, fluctus vndarum rubeos & albos, nigra cruce ſuperpoſita, habens pro inſigni. Quod *Ioannes* Comes de *Seyn* Commendator *Thorunenſis* ducebat. Item trigeſimum quintum banderium Commendariæ & ciuitatis *Elbingenſis*, duas cruces albas, vnam in ſuperiori parte, alteram in inferiori, in campo rubeo habens pro inſigni. Quod *Vernerus Thetingar* Commendator *Elbingenſis* ducebat. Item trigeſimum ſextum banderium militum forenſium, ex *Almania inferiori*, lineam transuerſalem in albo campo habens pro inſigni. Item trigeſimum ſeptimum banderium Commendariæ & ciuitatis *Thorunenſis*, quod caſtellum cum tribus turribus, ex rubeo, & porta nigra, oſtiis duobus apertis coccineis, in campo albo habebat pro inſigni. Ducebat id Vice-Commendator *Thorunenſis.* Item trigeſimum octauum banderium, ex militibus de *Rheno* venientibus collectum, quod in campo albo, lineam nigram latam tranſuerſlem, habebat pro inſigni. Idem trigeſimum nonum banderium oppidi *Gniewkow*, alias in *Teutonico Meue*, quod ducebat *Ioannes* Comes de *Vende*, Commendator *Gnieuenſis.* Sub quo erant terrigenæ & ciues diſtrictus *Gnieuenſis*; quod ex militibus de *Franconia* venientibus collectum erat: quod in campo rubeo duas albas habebat ſagittas, transuerſaliter ſe contingentes, vnam quidem cuſpidatam, alteram vero abſque ferro & cuſpide ligneatam. Item quadrageſimum banderium ciuitatis, quæ vocatur Swięta Siekierka/ in *Teutonico Helgebeyth*, magno in campo habens aſciam albam pro inſigni. Item quadrageſimum primum banderium Commendariæ *Brunswik*, quod in campo cæleſtino habebat leonem rubeum, in tribus tamen locis, videlicet in pectore, in ventre, & vno pede dealbatum, glaucam coronam in capite geſtantem, habebat pro inſigni. Item quadrageſimum ſecundum banderium Commendariæ ciuitatisque *Gdanſk*, quod in ſuperiori parte crucem rubeam in albo campo, in inferiori crucem albam in rubeo campo, habebat pro inſigni, ductor eius erat Vice-Commendator *Gdanenſis.* Item quadrageſimum tertium banderium, quod ex militibus *Miſſnenſibus* conſtabat, & quod in ſuperiori parte crucem albam in campo rubeo, in inferiori vero crucem rubeam in albo campo, habebat pro inſigni. Item quadrageſimum quartum banderium Commendariæ & ciuitatis *Sezithno*, cuius albus & rubeus campus, diametraliter ſe inuicem contingens, erat inſigne. Id ducebat *Albertus* de *Elczbor* Commendator de *Sczithno* alias *Orzsburg.* Item quadrageſimum quintum banderium Commendariæ & ciuitatis *Ragnetha*, habens tres pileos rubeos in albo campo pro inſigni. Ducebat illud Comes *Fridericus* de *Czolrn* Commendator de *Ragnetha.* Item quadrageſimum ſextum banderium ciuitatis *Knippow*, quod in ſuperiori parte habebat coronam rubeam in albo campo, in inferiori vero crucem albam in rubeo campo. Item quadrageſimum ſeptimum banderium, quod ex *Liuonitis* conſtabat, & quod habebat pro inſigni tres campos, ſuperiorem glaucum, medium album, & inferiorem rubeum. Item quadrageſimum octauum banderium Aduocatiæ & ciuitatis *Tſczow*, habens quatuor campos albos & nigros per modum barrarum pro inſigni. Quod *Matthias Beberuch* Aduocatus *Thſczouienſis* ducebat. Item quadrageſimum nonum banderium ciuitatis *Holſten* maioris, alias *Molzak*, habens tres campos, ſuperiorem nigrum, medium album, & inferiorem rubeum, pro inſigni. Item quinquageſimum banderium militum mercenariorum, habens quatuor campos, duos cæleſtinos, per quadrum diſtinctos pro inſigni. Item quinquageſimum primum banderium Commendariæ & ciuitatis *Brandeburgenſis*, habens aquilam rubeam in campo pro inſigni. Id *Marquard* de *Salczbach* Commendator *Brandeburgenſis* ducebat. Banderium autem Commendariæ & ciuitatis *Szwieczie*, quod ſcacales campos albos & rubeos habebat pro inſigni a præſenti pugna tantummodo aberat. *Szwieczenſis* enim Commendator *Henricus* de *Pławen*, cum omnibus Commendariæ *Szwieczenſis* terrigenis & militibus, ad prohibendum inuaſionem, & vaſtationem terræ *Pomeraniæ*, quam per *Ianiſzium Brzozogłowy* ex caſtro *Bidgóſcza* fieri verebantur, relictus erat, & certamini cum ſuo banderio & gentibus intereſſe non poterat. 1410

Hac die trecenti *Bohemi* mercenarii ex caſtris Regiis, Rege inconſulto & ignaro, fecerat diſceſſionem, metune, an pretio hoſtili corrupti, incertum eſt. Quos cum *Nicolaus* Regni *Poloniæ* Vice Cancellarius, ſerius caſtra Regia ſequens, abeuntes offendiſſet, & *quonam pergerent quaue ex cauſa diſcederent* interrogans, *quod emeriti ſtipendii ſolutio illis per Regem non penderetur* reſponſum accepiſſet: *Scio*, inquit Vice Cancellarius, *Wladiſlaum Regem, ſingula quæ meruiſtis, etiam priuſquam meremini, abunde ſoluiſſe, neque diſceſſionem veſtram præſentem vos iniuria, de qua vtique apud Regem & Conſiliarios, primum queri debebatur, ſed pauor & ignauia, cum didiceritis hodierna die, Regem prælium cum hoſtibus habiturum, facere coegit.* Qui ſermo tam forti verbere *Bohemos* perſtrinxit, perfoditque, vt diſceſſione omiſſa, caſtra Regia, quæ linquerant, repeterent, & cum mili-

Vice-Cancellarii reprehenſione

Bohemi a defectione reuocantur.

militibus Regiis, mox cum hoſtibus manus conſerturis, in prælium properarent.

Completis ad integrum *Wladiſlaus Poloniæ* Rex obſecrationibus ſuis, non iam ſolum Ducis magni *Lithuaniæ Alexandri*, ſed & militum ſuorum, illum in arma ad prælium vocantium, precibus clamoribusque fatigatus, ſurgit, & arma induens, ſplendidiſſimis armis, a vertice vsque ad plantam veſtiens corpus, nouis, & altis militum vociferationibus, vt celerius ſignum pugnæ daret, impugnabatur, nihil enim ſatis proſpere fieri videbatur. Nam etſi tam *Polonicus* quam *Lithuanicus* miles, aciebus inſtructis, in prælium deſcendiſſet, hoſtilis quoque exercitus e regione ad pugnam & ipſe armatus conſiſteret, & ab inuicem ad tractum vnius ſagittæ vix diſtarent, præludia quoque concertationum inter illos per ſingularia certamina fierent, nonniſi tamen ſigno a Rege accepto, cum hoſte decernere, honeſtum ducebat. *Polonorum* milites obſtinauerant animos, aut vincere, aut mori. *Pruthenica* acies non tam conſtantes animos induerat; velut in qua colluuies variarum linguarum atque nationum, turba quoque mechanicorum, lixarum, atque calonum, bello inutilis, conſiſtebat. Rex itaque armatus, equum conſcendit, & omnibus inſignibus Regiis relictis, præter id, quod paruæ quantitatis ſignum, alba aquila intextum, ante illum deferebatur, ad videndum hoſtilem exercitum, in editiorem montem proceſſit, atque in collem vnum inter duo nemora ſitum, planicieque larga refertum ex quo facilis & plenus poterat haberi in hoſtes proſpectus, conſcendens, oculis magis quam ratione, ſuas & hoſtium vires penſans, interdum læta, interdum triſtia ſibi ominabatur. Quantitate hoſtili ad ſatietatem contemplata, in inferiora deſcendit, & magnum *Polonorum* numerum baltheo militari cingens, ac eisdem bellandi incentiuum, breui quidem ſed graui ſermone infundens, & vnumquemque ſuæ probitatis admonens, confeſſionem facinorum, equo, vt erat, inſidens, apud *Nicolaum* Vice-Cancellarium Regni *Poloniæ* innouauit. Mutato deinde equo, ſpadonem fortem & robuſtum, ex millibus electum, coloris ſubruffi, alias *Ciſzawy*, exiguam tenuemque habentem in fronte caluitiem, conſcendit, galeamque petit. Quam oblatam manibus tenens, ad *Nicolaum* Regni *Poloniæ* Vice-Cancellarium mandata facit, eumque cum ſingulis Presbyteris & notariis, cæteraque turba imbelli, & ad pugnam inutili, ad currus ire, & ſuum aduentum, aciebus compoſitis, fiendum operiri iubet. Sancitum enim fuerat ſecreto, & ſalubri conſilio, Regem non prodire in prælii diſcrimen, ſed continere ſe inter currus & caſtra. Impletutus itaque *Wladiſlaus Polonorum* Rex ſuorum Conſiliariorum decretum, *Nicolaum* Vice-Cancellarium ad caſtra præire iubet, ſpem de aduentu ſuo & ipſe pollicens, ne redire & ipſe, ſi ſpem ſubſequi non feciſſet, Conſiliariorum impulſu, ad currus cogeretur.

Wladiſlaus Rex colle conſcenſo, hoſtilem contemplatur exercitum,

& non aptos bello a caſtra impedimentorũ remittit,

Sub hoc diei ſpatio, Cruciferi cus Magiſter *Vlricus* de *Iunigen*, dum Regias & ſuas copias in grandi multitudine vidiſſet conueniſſe, & ad dimicandum accinctas, in aciebus & ordinibus conſiſtere, vltimi diſcriminis horam perhorreſcens, fiduciam, qua vsque ad ſuperbiam inſanierat, in ſolicitudinem vertit, ac in locum abſtractum ſecedens, non mœrori tantummodo, ſed & lachrymis vbertim manantibus, indulgebat. Id dum Commendatoribus ſuis, quorum caterua tunc circumfuſus erat, admodum diſpliceret, *Elbingenſis* Commendator *Vernerus Thetingar*, illum aggreſſus, publice obiurgat, monens, *vt virum ſe non fœminam gerat, & ſtrenuitatis potius de ſe quam ignauiæ exemplum, militibus ſuis ſignum pugnæ ab eo præſtolantibus, præbeat.* Eam obiurgationem *Vlricus* Magiſter modeſte ferens, reſpondet: *non meticuloſitate aliqua aut ignauia, lachrymas, quas coram cernebant, ſe profudiſſe, ſed religione & vera compaſſione, quod videlicet ſub ſuo Magiſtratu & regimine tantum Chriſtiani ſanguinis, quantum qui oculis non ſubiiceret, animo & æſtimatione concipere poſſet, futurus foret, fuſum iri. Vereri quoque ſe, ne effuſus iam & prope horam fundendus ſanguis, de ſuis requiratur manibus, & propterea anxietatem ſiue ægri ſiue præſagientis animi occulere non valuiſſe.* Adiecit quoque, *ſe vt virum conſtantem & pugnam abſque metu initurum, & in eius diſcrimine, in quamcumque partem eius ſors caſura foret, perſeueraturum. Seipſum potius, ipſe Vernerus Thetingar aſpiceret, de ſe quoque potius & ſua perſona, ſtatu atque conditione curaret, ne ſuperbe & ferociter de ſe & viribus ſuis præſumens, tanto turpius dum ad pugnam ventum foret, caderet, quanto ſe inflatius ſupra cæteros eleuaret.* Nec inanis fuit hæc denunciatio. Magiſter enim *Pruſſiæ Vlricus*, pugnando aduerſo pectore, cecidit, nec ſuo exercitui victo ſupereſſe dignum duxit. *Vernerus Thetingar* Commendator *Elbingenſis*, turpiter ex prælio fugiens, non prius fugam, quam in *Elbing* deueniſſet ſiſtere potuit, documentum non inultæ ſuperbiæ & præſumptionis ſingulis futurus.

Magiſter Pruſſiæ Vlricus, contemplatus ſuum & hoſtilem exercitum, fundit lacrymas.

& ob id a Wernero Thetingar obiurgatur.

Mandatis Regiis *Nicolaus* Regni *Poloniæ* Vice-Cancellarius acceptis, præire cœperat ad currus Rege galeam capiti ſuperponente, & in pugnam procedere geſtiente, dum ſubito nunciatur, duos *Aroldos*, quorum vnus *Romanorum* Regis, nigram videlicet aquilam in aureo campo, alter *Stetinenſis* Ducis, rubeum gryſonem in albo campo, deferebant inſignia; ex hoſtium exercitu egreſſos, duos enſes nudos, & vagina vacuos, deferentes in manibus, ad præſentiam requirentes Regis, militum *Poloniæ* tutelæ, ne violarentur, ad Regem conductos adeſſe. Illos ſiquidem Magiſter *Pruſſiæ Vlricus* ad *Wladiſlaum* Regem tranſmiſerat, ad conferendum prælium ſine cun-

Superbam Vlrici Magiſtri Pruſſiæ legationem, & duos ſtrictos enſes, Wladiſlaus Rex moleſte acceptans,

1410 cunctatione, & dimicandum acie, exciturus, additis inſuper ſuperbis mandatis. Quibus *Wladiſlaus Poloniæ* Rex viſis, ratus illos, vt erat, aliquid nouæ & inſolitæ legationis ferre & nuncios eſſe, *Nicolaum* Vice-Cancellarium reuocare iubens, in eius atque certorum Baronum, quibus Regii corporis cuſtodia mandata fuerat, videlicet Ducis iunioris *Maſouiæ Semouithi*, nepotis germana ex ſorore Regii, *Ioannis Mazik* de *Dambrowa*, *Zolaua Bohemi*, *Sbignei* de *Oleſchnicza* Secretarii, *Dobeſlai Kobila*, *Volczkonis Rokuthi*, *Boguphali* Magiſtri Coquinæ, *Sbignei Czayka* de *Nowodwor* Regiam lanceam, *Nicolai Morawiecz* Vexillum paruulum, *Danilkonis* de *Ruſſia* ſagittas Regias deferentium; quoniam feſtinatio in prælium, *Alexandrum* Ducem magnum *Lithuaniæ*, & occupatio eius circa componendas ſuorum acies, vetuit acciri, *Arroldorum* legationem audit. Qui reuerentia aliquali apud Regem facta, legationis ſuæ verba, *Theutonico* idiomate *Ioanne Mazik* interpretante, in hunc modum differunt. *Illuſtriſſime Rex: Magiſter Pruſſiæ generalis Vlricus, mittit tibi & fratri tuo*, ſuppreſſo & *Alexandri* & Ducis nomine, *per nos Aroldos, præſentes duos gladios, in ſuffragium pugnæ futuræ, quatenus cum eo, & gente ſua, minus cunctanter, & magis audaci, quam quem præſefers, animo, congrediaris, neque de cætero latites, & intra ſyluas nemoraque conſiſtens, pugnam trahas. Si autem ſtrictum & arctum campum te ad explicandum tuorum acies habere exiſtimas, offert tibi Magiſter Pruſſiæ Vlricus, quatenus te ad certamen eliciat, de planicie campi, quam ſuo exercitu occupauit, & quantum voles, excedere; aut ſaltem, ne pugnam vlterius dilatum a te iri contingat, Marti campum quemlibet delige.* Hæc Aroldi. In ipſo autem legationis Aroldorum puncto, Cruciferorum exercitus denunciationem ſuam, per Aroldos factam, teſtatus, retroceſſionem ad ſpatium haud exiguum notatus eſt feciſſe, vt appareret eum fidem Aroldorum & intimatorum ſuorum opere expreſſiſſe. Stulta profecto, & parum eorum religioni congrua, hæc denunciatio, quaſi fortunam in ſuo conſilio, ſuaque poteſtate habitam nouiſſent, quid cuique luce illa allatura foret. *Wladiſlaus* autem *Poloniæ* Rex, ſuperba & arroganti legatione Cruciferorum audita, gladiis de manibus Aroldorum acceptatis, non in bilem aut indignationem aliquam, ſed in lachrymas reſolutus, reſponſionem ſuam, nulla deliberatione, mira tamen & quaſi ſuperna humilitate, patientia & modeſtia fretus, ad Aroldos facit: *Quamuis*, inquit, *in exercitu meo ſufficientes gladios habens, hoſtium meorum gladiis non egeam, pro maiori tamen ſuffragio, tutela, & defenſione cauſæ & iuſtitiæ meæ etiam hos duos gladios, ab hoſtibus meis, meum & gentis meæ excidium ſitientibus, miſſos, & per vos delatos, in nomine DEI accepto. Ad quē velut iuſtiſſimum intolerandæ ſuperbiæ vindicem, ad eius quoque genitricem Virginem Mariam,* A *ad Patronos quoque meos & Regni mei, Stanislaum, Adalbertum, Venceslaum, Florianum, Heduigim confugiam, precaborque illos, vt in hoſtes tam ſuperbos quam impios, qui nulla æquitate, nulla humanitate ac humilitate, nulla oblatione mea, niſi ſanguinem fundant, viſcera lanient, iugulum ceruici admoueant, placari pacificarique poſſunt, iras ſuas vertant. In certiſſimo DEI & Sanctorum eius præſidio, & illorum ſuffragio & pietate, fiducia mea collocata, quod illi me, populumque meum, ſuis viribus, ſuaque interceſſione protegent, & non permittent me, populumque meum, ſuccumbere* B *tam immanibus hoſtibus, apud quos frequentius pacem quæſiui, quam & præſenti hora, dummodo æquis conditionibus prouenire poſſet, non faſtidirem accipere, & vibratam in pugnam manum retraherem, etiam nunc, quamuis de cælo victoriam mihi ex horum mucronum, quos attuliſtis, euidentiſſimo oſtento viderim portendi a conflictu. Campi vero electionem non mihi vendico neque arrogo, ſed illius deſignationem, quemadmodum Chriſtiano, & homini, & Regi conuenit, Diuinitati reſeruo: eum locum pro certamine, cum belli euentum habiturus, quem Diuina propitiatio, & præſentis diei fortuna,* C *eſt aſſignatura. Confidens furori Cruciferico a ſuperis dari eos exitus, quibus & in præſens & in poſterum, domabitur illorum tam impia & non ferenda ſuperbia. Superos enim compertum habeo pro iuſtiori cauſa ſtaturos. Tantam talemque hoſtium meorum ſuperbiam, cœlotenus ſe efferentem, campus quem calcamus, in quo concurrendum eſt, & Mars communis belli, & æquus iudex, conteret humiliabitque: ſperans DEVM mihi & genti meæ præſentis certaminis auxilia præbiturum.* 1410 Seruantur prædicti duo acinaces, per ſuperbiam, *Polonorum* Regi, in ſubſidium miſſi a Cruciferis in theſauro Regio *Cracouiæ* in hanc diem: alterius arrogantiam & cladem, alterius humilitatem & triumphum, noua & D recenti ſemper memoria teſtaturi. Sic fatus, *Aroldis Dziuiſzio Marzacky* de domo *Ielithonum* militi in cuſtodiam traditis; Vice-Cancellario in caſtra iterum ire iuſſo, galeam capiti ſupra ponit, & in nomine Domini exercituum procedens in pugnam, ſigna canere, præliumque inchoare milites præcepit, ſuperos inuocans obſecranſque, *vt iras ſuas in Cruciferos non fœderum tantum ruptores, ſed arrogantiæ execrandæ viros, & omnis æquitatis oſores, verterent, militum quoque ſuorum erigerent & adiuuarent virtutem.* Quærere ſiquidem & tunc inter ſtridentia arma, inter concrepantes clangore tubas, Rex mitiſſimus nitebatur æquitatem & iudicium, ſingula belli inſtrumenta, dummodo pax æquis conditionibus conuenire poſſet, depoſiturus: verum contumelioſa & arroganti Cruciferorum legatio-

1410 legatione audita, ceſſit ex ſententia, ſpemque omnem pacis, quam in eam horam diſtinebat, depoſuit, conſiderans fruſtra ſeſe obniti, quando tanta ſtreparent Cruciferi ſuperbia. Optimus plane Rex, qui hoſtes ſuos non tam gladio, quam manſuetudine & æquitate vincebat, plus ſacrificiis & oratione dimicans, quam telis. Comparatum ſiquidem & maturo conſilio digeſtum fuit, quod *Wladislaus* Rex, ad nullam certam aciem, cuiuscumque banderii ordinatus erat, deſcenderet, ſed cura præcipuiſſima eius caput & vita magnopere fuit tunc cuſtodita. Et pro euidentiſſima ordinatione conſtitutum, vt in loco abſtracto, ſecuro, & ſecreto Rex ipſe, non ſolum ab hoſtibus, ſed etiam a ſuis ignoratus, conſiſteret, turba & exercitu notabili cuſtodum & militum vallatus. Equi etiam veloces per loca varia diſpoſiti, in quibus, transmutando illos, periculum, acie hoſtili vincente, euaderet: velut is, qui ſolus pro decem millibus computabatur. Habebat autem in exercitu cuſtodum ſuorum, vt in ſuperioribus præmiſimus, banderiolum, in quo erat pro inſigni aquila alba, cuius ſignifer erat *Nicolaus Morawiecz* de *Kunoſzowka* de domo *Powala*. Exercitus autem ipſe cuſtodum, ſexaginta lanceas militum continebat. Principales autem cuſtodes Regii corporis erant hii: *Semouithus* iunior Dux *Maſouiæ* filius *Semouithi* ſenioris, nepos Regius ex germana ſorore: *Fyeduſchko* alias *Theodoſius* Dux *Lithuaniæ*, habens non contemnendum de ſuis gentibus exercitum, *Sigiſmundus Coributh*, *Lithuaniæ* Dux, nepotes Regii patrueles; & hii tres Principes cognatorum. Item *Nicolaus* Regni *Poloniæ* Vice Cancellarius de domo *Tubarum*, poſt *Gneſnenſis* Archiepiſcopus, *Sbigneus* de *Oleſchnicza* de ſtirpe *Dabno*, poſt *Cracouienſis Epiſcopus* & Cardinalis, *Ioannes Mazik* de *Dabrowa* de domo *Wadwicz*, poſt Palatinus *Leopolienſis*, *Ioannes Zolawa Bohemus* Baro, de domo *Towaczow*, *Bienyaſchius Wieruſz* de *Byala*, ſenior Cubiculariorum Regiorum, de domo *Wieruſzonum*, *Henricus* de *Rogow* de domo *Dzyaleſcha*, ex poſt Regni *Poloniæ* Vicetheſaurarius, *Sbigneus Czayka* de *Nowidwor* de domo *Dabno*, qui haſtam Regiam deferebat; *Petrus Medelanſky*, de domo, quæ duos vomeres aratrales, dorſis ſibi iunctos, in campo cæleſtino defert pro inſigni, cuius in *Polonico* eſt proclama * * * * *Ioannes Sokol* Bohemus, & plures alii. *Alexander* autem *Withawdus*, Dux magnus *Lithuaniæ*, capitis ſui & corporis cuſtodiam, ſoli Deo derelinquens, per vniuerſum tam *Polonicum* quam *Lithuanicum* volabat diſcurrebatque exercitum, equos frequentius mutando, paucos habens comites, corporis vero cuſtodes nullos, fractos ordines & pugnam in locis multis apud *Lithuanicum* exercitum reſtituens, fugamque ſuorum magnopere vſque ad extremum valido clamore & vociferatione nequicquam inhibens.

A

B

cuſtodes corporis ſui aſſignat.

C

Signis canere incipientibus, Regius vniuerſus exercitus, partium carmen Bogarodzicza ſonora voce vociferatus eſt, deinde haſtis vibratis, in prælium prorupit. Exercitus tamen *Lithuanicus*, iuſſu Ducis *Alexandri*, omnis moræ impatiens, prior ad congreſſum venit. Iam ſe *Nicolaus* Regni *Poloniæ* Vice Cancellarius, cum Sacerdotibus & Notariis ad caſtra Regia proceſſurus, in multarum lacrymarum effuſione, a conſpectu Regis auerterat, dum illi per vnum ex Notariis ſuggeſtum eſt, *ſubſiſteret parumper, acierumque inter tam validiſſimos exercitus præſtolaretur congreſſum: rarum ſane, nec in poſt videndum ſpectaculum vnquam.* Cuius ille dicto perſuaſus, ad prælii congreſſum oculos & vultum conuertit. In ipſo autem temporis articulo, acies vtræque in vallis medio, quæ exercitus diuidebat, ſublato ab vtriſque clamore, quem pugnaturi edere conſueuerunt, Cruciferis *Polonorum* acies, geminata duntaxat bombardarum proiectione, caſſo ſudore offendere & confundere nitentibus, congreſſæ ſunt, quamuis *Pruthenica* acies impetu clamoreque validiori, & ex editiori loco concurriſſet in certamen. Erant in congreſſus loco ſex quercus altæ, quas & earum ramos, plures mortalium conſcenderant, de Regisne an Cruciferorum exercitu, incertum; primarium acierum congreſſum, & fortunam vtriusque exercitus, ſuperne viſuri. Tantus autem fragor & ſonitus, aciebus congreſſis, quaſi moles quædam immenſa ruinata foret, ex fractione lancearum, & colliſione armorum, tam ſonorus a gladiis crepitus editus eſt, vt etiam ab his, qui aliquot miliaria diſtabant, prope audiretur. Pes inſuper pede preſſus, & armis quatiebantur arma, mucronesque in ora dirigebantur. Signisque collatis, timidus non poterat a ſtrenuo, neque fortis ab ignauo diſcerni, vtrisque ſibi quadam connexione cohærentibus. Nec ſecus mutabant locum, aut promouebant gradum, donec hoſte deiecto, aut interfecto, victor victi locum occuparet. Haſtis denique confractis, adeo cohærebant vtrinque acies, & arma armis, vt nonniſi mucronibus & ſecuribus longius ligno extenſis, ingentem ſonitum, qualem in fabricis mallei incudibus efficiunt, pugnando ederent, equisque preſſi dimicarent, Marsque tunc inter pugnantes, manu tantummodo & gladio conſpiciebatur fortiſſimus. 1410

Congreſſus & pugna acerrima Polonorum cum Lithuanis.

D

Congreſſu inito, vterque exercitus ancipiti prælio ad vnius pene horæ ſpatium, dimicabat, & neutro exercitu referente pedem, fortiſſimeque pro victoria adnitente, ambiguum erat dinoſcere, in quam partem inclinaret fortuna, aut quæ pars prælio ſuperior euaſura foret. Cruciferi cum animaduertiſſent, in cornu

nu læuo & exercitu *Polonico*, durum ſibique pernicioſum certamen, delectis iam præſtantioribus ordinibus, committi, in dextrum cornu, in quo acies *Lithuanica* conſtituta erat, quæ & ordinibus rara, & equis armiſque tenuis & languida, ad vincendum facilis videbatur, vires conuertunt: ea pulſa in *Polonorum* acies facilius graſſaturi. Non tamen propoſito eorum ad plenum ſpes reſpondit. Pugnâ inter *Lithuanos*, *Ruthenos* & *Tartaros* feruente, acies *Lithuanica* deteriori loco, impetum hoſtilem ſuſtinere non valens, eſſe cœpit: pedem quoque ad vnius iugeris terræ ſpatium retulit. Cruciferis autem amplius eam prementibus, iterum atque iterum cedere & tandem verti in fugam coacta eſt: Duce magno *Alexandro* nequicquam fugam verbere & clamore valido ſiſtente. Traxitque ſecum magnam etiam *Polonorum*, qui ei comixti fuerant, multitudinem. Quam hoſtis cædendo captiuandoque fugientes, ad plura miliaria perſequebatur, ratus ſe iam ad plenum debellaſſe. Tantus autem metus peruaſerat fugientes, vt pleriſque nonniſi in *Lithuaniam* peruenientes, fugam ſiſterent, & cæſum Regem, cæſum quoque *Alexandrum* magnum Ducem *Lithuaniæ*, cæſos inſuper eorum exercitus, vſque ad internecionem, nunciarent. In eo conflictu *Smolnenſes* milites *Rutheni*, ad tria propria conſiſtentes ſigna, pertinacius pugnando, ſoli fugæ expertes, laudem meruerant. Nam etſi ſub vno ſigno cæſi forent duriſſime, & ſignum vſque humo proculcatum, in duobus tamen reliquis, quemadmodum viros & milites conueniebat, fortiſſime pugnando, victores euaſerant, ſeque tandem *Polonicis* agminibus adiunxerant, ſolique in exercitu *Alexandri Withawdi* laudem dimicationis tulerant fortis & heroicæ illo die: cæteri omnes relictis in dimicatione *Polonis*, curſu effuſo ad fugam, hoſte perſequente, ferebantur. Fugam autem ſuorum *Alexander Withawdus* magnus Dux *Lithuaniæ* moleſtiſſime ferens, veritusque ex infelici ſuorum pugna, animos *Polonorum* perculſos fore, aliis atque aliis velitibus a ſe miſſis, vt omni cunctatione omiſſa, properaret Rex, nequicquam deprecantibus ſolus, ipſe & incomitatus concito curſu aduenit, magnopere rogans Regem, vt in prælium procederet, præſentia ſua plurimum animoſitatis & audaciæ pugnantibus collaturus.

Lithuani terga vertunt,

Fugerat etiam ea tempeſtate & Sancti *Georgii* ex parte Regia vexillum, ſub quo tantummodo *Bohemi* & *Morauì* mercenarii militabant, quod *Ioannes Sarnowſky Bohemus* ferendum acceperat, & cum omni gente *Bohemica* & *Morauica* in nemus, in quo *Wladiſlaus Poloniæ* Rex fideles militari inſignuerat baltheo, diuerterat, ſtabatque in nemore illo, neque in prælium regredi aduertebat. Quod *Nicolaus* Regni *Poloniæ* Vice Cancellarius proſpiciens, & non *Bohemicum* ſed *Dobeslai* de *Oleſchnicza* militis, & ſui generis atque familiæ exiſtimans; Nam crux alba in eodem vexillo depicta, aliquam crucis albæ, quam *Dobeslaus* de *Oleſchnicza* in ſigno geſtabat pro inſigni, ſimilitudinem expreſſerat, grandi indignatione permotus, ex caſtris Regiis cum Notariis & Presbyteris exſiliens, vſque in locum, in quo conſtiterat, aduenit, & *Dobeslaum* de *Oleſchnicza* illic eſſe ratus, his illum ſermonibus carpit & obiurgat: *Poteraſne o infidelis & execrande miles, pugnâ inter Regem tuum & gentem tuam feruente, commilitonibus tuis ferociter pugnantibus, & in diſcrimine poſitis, in turpem fugam verti? & in hac ſylua deliteſcendo latitandoque, te ſubducere a prælio non vereris? qui olim ſolebas corporis tui ſingulari virtute, plures ex priuatis certaminibus referre triumphos; Conuenitne id honori tuo? qui facinore te hoc, & vniuerſum genus tuum coinquinas perimmenſo, nullo vnquam tempore tam validas vndas ad diluendum illud habiturus.* Perculſus huiuſcemodi ſermone, & ad ſe prolatum ratus prædictus *Ioannes Sarnowſky Bohemus*, Vexillifer, amoto galeæ ſuæ dolabro, *Nicolao* Vice-Cancellario reſpondit: *Neque metu, neque mea ſponte, Pater Reuerende, ſed impetu & tractu fugientium ex prælio, & ſub ſigno meo conſiſtentium militum, huc ſum delatus.* Milites anteſignani ex *Bohemis* & *Morauis*, *Lawor*, *Sigiſmundus Rakowyecz* de *Rakowâ*, & alii: *Tibi*, inquiunt, *teſtamur vir egregie: quod ductu huius hominis peſſimi, noſtri Primipilarii, nos in has ſiluas ex certaminis loco truſos & adductos eſſe: & ne nobis facinus fuga poſſit exprobrari a quoquam, Ductore ſuo, ſignoque quod fert, deſertis, ad certamen reuertimur.* Neque dictis faciunt moram; ſed *Ioanne Sarnowſky* & ſigno derelicto, celerius quo poſſunt redeuntes, ad palæſtram certantium militum *Polonicalium* ſe agminibus miſcuerunt. Erat autem eo tempore præfatus *Ioannes Sarnowſky Bohemus* infamis. Quem & vxor propria, ex *Poloniæ* Regno poſt conflictum redeuntem, neque thoro neque caſtro excipere perſeuerauit, meticuloſitatem & fugam illi exprobrans. Quibus contumeliis atque improperiis affectus, pauco vixit tempore, tædioque & dolore extabeſcens extinctus eſt. Fraus enim ſua & puſillanimitas, quam eo die in *Wladiſlao Polonorum* Rege, fugiendo voluntarie ex pugna, in vulgarem & apud *Sigiſmundum Hungariæ* Regem, & apud *Bohemiæ* & *Morauiæ* Barones, aſcenderat notionem, nec poterat aliquo proceſſu temporis aboleri, dilui, vel obliterari. Fugam autem huiuſmodi & diſceſſionem, præfatus *Ioannes*, puſillanimitatene an auro Crucifero corruptus fecerit, parum conſtabat.

Miles Bohemicus & Morauicus cedens

a Vice Cancellario obiurgatus

ad prælium redit, & Dux eius infamis fit.

Lithuanico exercitu in fugam acto, ingenti puluere, qui pugnam & pugnantes confundebat,

1410 debat, per deſcenſum modeſtæ & ſuauis pluuiæ, ſuppreſſo, inter *Polonicum* & *Pruthenicum* exercitum, acerrimum inſtauratur in locis A variis certamen. Cruciferis quoque pro victoria adnitentibus, magnum banderium *Poloniæ* Regis *Wladislai*, aquilam albam habens pro inſigni, cuius *Martinus* de *Wroczimowycze* Vexillifer *Cracouienſis* miles de domo *Polukoſza* erat geſtator, prolabitur hoſtili impetu in terram; verum a pugnaciſſimis militibus & veteranis, qui ad illud conſtiterant, illico ruinam illius reſcindentibus, ſublatum eſt, & ſuo loco reſtitutum. Quod, niſi circa illud egregia fortiſſimorum militum manus ſe oppoſuiſſet, corporibusque & armis illud defendiſſet, erigi non poterat. Eam autem indignitatem & probrum *Polonici* milites correcturi, ſæuiſſimo impetu graſſantur in hoſtes, & omne illud robur, quo cum illis manus conſeruerant, fundunt, proſternunt, & debellant.

Signum vi hoſtium collapſum reſtituitur a Polonis,

Interea redit Cruciferorum exercitus, *Lithuanos* & *Ruthenos* fugientes inſectatus, multitudinem captiuorum ſecum ducens, & victorem ſe agens, magna iucunditate in caſtra *Pruthenica* properabat. Videns autem infeſtis armis viribusque agi bellum, captiuis & ſarcinis abiectis, in prælium inſiliit, parti ſuæ, ſegnius iam tunc decertanti ſuccurſurus.

Prutheni a perſecutione Lithuanorū redeuntes pugnam ſuorum reſtituunt,

Fit aſperum, ſuccedentibus nouis pugnatoribus, inter vtrosque certamen. Et corruentibus hinc inde quam plurimis, acies Crucifera grandi in militibus C iactura excepta, ordinibus inſuper confuſis, & his qui ordines ducebant peremptis, ad fugam inclinatura ſperabatur; Cruciferorum tamen de Ordine labans prælium, militum *Bohemicorum, Almanicorumque* perſeuerantia in locis plerisque reſtitutum eſt. Pugna inter vtrumq; exercitum in ſuo feruore durante ſtabat *Wladislaus Poloniæ* Rex, animoſitatem pugnantium eminus proſpiciens, fiduciaque ſua in diuina ptopitatione repoſita, hoſtium, quos in locis aliquot fuſos profligatosque viderat, fugam & deuictionem extremam operiebatur tacitus. Sedecim interim hoſtium cohortes, ſub totidem ſignis, nouæ, integræ, & nondum fortunam belli expertæ, in prælium ſuccedebant. Et aciebus in partem, qua Rex *Poloniæ* D cum cuſtodibus tantummodo conſtiterat, verſis, petere illum lanceis vibratis videbantur. Ratus autem Rex ſe acie hoſtili, paucitatis ſuæ reſpectu ex compoſito peti, veritus ſibi imminere extremum diſcrimen, *Sbigneum* de *Oleſchnicza* Secretarium ſuum, ad gentes ſuas e propinquo poſitas, & ſub ſigno cubiculariorum militantes, tranſmittit, iubens, *quatenus propere illi in ſubſidium accedant, ingens periculum a capite Regis ſui propulſuri; in quod, ni celerius ſuccurrerent, reciſurus eſſet.* Erat & vexillum illud in puncto & præcincto ad faciendum cum hoſtili agmine congreſſum. Miles itaque Regius *Nicolaus Kiełbaſza* de domo *Nałęcz*, vnus ex anteſignanis, contra Regium Nuncium *Sbigneum* Notarium acinacem ſtringens, grandi illum voce diſcedere propere iubens, obiurgat: *Videsne*, inquit, *o funeſte, ab hoſtibus nos inuadi, & cogis, vt ſuperimpendenti pugna omiſſa, in Regis defenſionem concedamus. Quod, quid aliud eſt, niſi fugere ex acie, & terga retrocedendo hoſti præbere, & tam nos quam Regem, manifeſto periculo, viribus noſtris confractis, adiicere.* Ea obiurgatione *Sbigneus* de *Oleſchnicza* repulſus a cohorte cubiculariorum, cui ſe medius ingeſſerat, diſceſſit & extemplo gentes Regiæ cum hoſtibus congrediuntur, fortiſſime quoque dimicantes obterunt, & hoſtes fundunt, *Sbigneo* de *Oleſchnicza* ad Regem reuerſo, & ſingulos mili- B tes circa prælium occupatos fore nunciante, addente quoque, *quod a pugnantibus, ſeu in pugnam ſpectantibus, nullum conſilium, nullum imperium poſſet accipi. Cæteras autem cohortes pugnam cientes, Sbigneus ſe non adiiſſe* apud Regem nunciabat, *quoniam apud illas præ ſtrepitu & tumultu, neque conſilium accipi poterat, neque imperium.* Paruum vexillum Regium, quod ferebatur poſt illum, albam aquilam in campo rubeo habens pro inſigni, ne Regem illic conſiſtere proderet, prouide ſubductum, & cuſtodibus corporis Regii mandantibus, ſuppreſſum eſt: & circumſtantium militum equis & corporibus *Wladislaus* Rex, ne C illic ſtare coniiceretur, adumbratus. Aſpirabat *Wladislaus* Rex vehementi ardore in prælium, & calcaribus vrgens equum, in hoſtium confertiſſimos inſilire, cuſtodibus corporis renitentibus ægre, obſtantibusque, nitebatur. Vnde & *Zolawam Bohemum*, vnum ex cuſtodibus corporis, ferocius manu frenum equi, ne procedere valeret, complexum, lanceæ ſuæ extremitate Rex, modeſte tamen ferit, *dimittique ſe in pugnam* rogat, donec vniuerſorum corporis cuſtodum, omnia ſe prius extrema, quam id eueniat, paſſuros, profitentium, prece & duriori renitentia, reuocatus & cohibitus eſt. Miles interea de exercitu *Pruthenico Almanus* genere appellatus *Dippoldus Kikerzicz* de *Dieber*, de *Luſatio*, cingulo aureo, alba D diploide *Teutonica*, quam in *Polonico* appellamus *Iakkam* ſeu *Kawtan*, & armis in toto corpore veſtitus, ex acie maioris vexilli *Pruthenici* inter alia ſedecim conſiſtentis, in equo ruffo exiliens, in locum vsque, quo Rex ſtabat, decurrebat, vibransque haſtam, vniuerſo hoſtili, ſub ſedecem ſignis conſtituto exercitu inſpectante, inuaſurus Regem videbatur.

ac unus eorū qui in Regem totis viribus imp. tū facit

Quem dum *Wladislaus* Rex, vibrata & ipſe haſta ſua, excipere niteretur, a *Sbigneo* de *Oleſchnicza* Regio Notario, nudo & inermi, ſemifractam lanceam geſtante, ictumque Regis præueniente, in latus exceptus, & in terram ex equo præcipitatus eſt. Quem palpitantem & ſupinum *Wladislaus* Rex in fronte, quam, caſſide ſurſum verſa, habebat nudatam, haſta feriens, in-

ab inermi Sbigneo Notario Regio occiditur. 1410

tactum reliquit. Sed illico a militibus Regem obſeruantibus occiſus, a pedeſtribus vero, armis & ſpoliis exutus eſt. Facere aliquis in illa pugna aliquid felicius potuit? *Sbignei* profecto opere nihil fortius, nihil audacius, qui inermis & nudus, cum armis vndique veſtito, adoleſcens cum viro, & necdum tyro, cum veteraneo congredi auſus, per ſemitruncatam haſtam, aduerſarii prælongam eliſit: & hoſtem ex equo infeſtum deiiciens, non tam Regis ſui, quam totius exercitus, periculum ex caſu & nece Regis proueuturum, auertit. Quem dum *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, cuſtodibus ſui corporis, certatim animoſitatem illius apud aures Regis efferentibus, baltheo cingere ornareque militari, ac decus operis ſui præmiari magnopere geſtiſſet, non ſuſtinuit ingenuus adoleſcens eo ſe honore a Rege tractatum & inſignitum iri, ſed *Wladiſlao* Regi, faſces ſibi militares imponenti, reſpondit: *non ſeculari militiæ, ſed Eccleſiaſticæ ſe adiiciendum fore, & Chriſto malle, quam Regi terreno & mortali, perpetuo militare.* Tum *Wladiſlaus* Rex: *Ex quo*, inquit, *ſortem potiorem delegiſti; At ego ſi vixero, ad Pontificale culmen te promouere, præmiaturus tuum opus, non intermittam.* Ab eo itaque tempore *Sbigneus* ipſe charior Regi eſſe cœpit, & in conſpectu omnium ſingulari gratia & fauore conſpicuus, in Epiſcopum deinde *Cracouienſem* fauore Regio proceſſu temporis promotus, irregularitatis tunc contractæ notam *Martino* quinto diſpenſante, promeruit.

Agmen Cruciferorum, ſub ſedecim ſignis conſiſtens ex quo miles *Miſſnenſis Kikerzicz* Regem inuaſurus, auſu temerario magis quam audaci, prodierat, videns præfatum militem *Kikerzicz* truncatum eſſe, conuerti illico cœpit vno Crucifero, qui ſigna ducebat, albo inſidente equo anteſignanos milites lancea ad retrocedendum impellente, clamanteque in *Teutonico* herun/ herun. Conuerſus autem ibat in partem dextram, in qua vexillum maius Regium cæde hoſtium iam perfunctum, cum nonnullis ſignis Regiis aliis conſtiterat. Milites autem Regii, viſo exercitu ſub ſedecim ſignis poſito, plerique hoſtilem, vt erat, rati, alii ingenii vitio humani, in ſpem meliorem proni, *Lithuanicum* exercitum propter verſatiles lanceas, alias *Sulicze*, quarum in eo frequens numerus habebatur, aſtruentes, non ſubito illum aggreſſi ſunt: dubietatis concertatione inter eos creſcente, ſuſpenſi: Quam geſtiens *Dobeslaus* de *Oleſchnicza* miles de domo Crucis, quæ *Dabno* appellatur, ſoluere, vrget, vibrata lancea, equum vnicus in hoſtem, contra quem Crucifer, ſigna & Ordines ducens, de turma *Pruthenica* exilit. Et venienti *Dobeslao* contra ſe occurrens, vibratam haſtam *Dobeslai*, ſua vibratili lancea in ſublime exceptam, per caput ſubmittit. Primo ſiquidem *Dobeslaus Oleſchniczky* emiſit haſtam, quam Crucifer modica declinatione & ſubmiſſione capitis, fariſſa etiam in altum ſublata, euitauit ictumque A *Dobeslai* ferire illum conantis, eluſit. *Dobeslaus* autem fruſtratum ſe ictu ſuo aduertens, & cum vniuerſo hoſtili agmine decertare temerarium & inſanum ducens, concito curſu ad ſuos regrediebatur. Quem Crucifer perſecutus, infeſtam & ipſe fariſſam, equo calcaribus adacto, in *Dobeslaum* contorquens, emittensque vulnus in lumbi equi *Dobeslai* per tecturam quam *Kropierz* vocitamus, non lethale infigens, citato curſu, ne a *Polonorum* militibus occuparetur, ſuis ſe viceuerſa coniunxit. *Po-* B *lonorum* itaque acies, dubietate, quæ illos tenuerat, diſcuſſa, ſub frequentibus ſignis irruunt in hoſtes ſub ſedecim ſignis conſtitutos, in quæ & reliqui alii, apud alia ſigna conflicti, confugerant, & lethale cum illis certamen conſerunt. Et licet hoſtes aliquandiu reſtitiſſent, ad extremum tamen multitudine exercitus Regii vndequaque circumdati, ſtrati, obtritique ſunt, & fere ſingulæ gentes, ſub ſedecim ſignis militantes, cæſæ aut captæ; Et agmine hoſtium deuicto profligatoque, quo & Magiſtrum *Pruſſiæ* generalem *Vlricum*, Marſchalcos, Commendatores, & quoslibet milites, Proceresque de exercitu *Pruthenico* præſtantiores conſtabat cecidiſſe, cætera multitudo C hoſtilis auerti, & vt ſemel dedit terga, etiam certam fugam capeſſere cœpit, victoriam quoque etſi feram laborioſamque, plenam tamen & certam, *Wladiſlaus Polonorum* Rex & exercitus ſuus, de Magiſtro & Ordine Cruciferico conſecuti. Tunc ſiquidem *Georgius Kerzdorff* miles, qui in Cruciferorum exercitu *S. Georgii* banderium detulerat, capi honeſte, quam turpiter fugere malens, cum quadraginta commilitonibus *Przedpelkoni Kopidłowsky Polonico* militi de domo *Driia*, occurrens, flexis genibus in terram, in captiuitatem militarem, quemadmodum precabatur, ſigno etiam contradito, receptus eſt. Recepti & hii duo Duces, *Caſimi-* D *rus Stetinenſis* per *Skarbkonem* de *Gory*, *Conradus* albus *Oleſchnicenſis*, per *Ioſthonem* de *Zalcz Bohemum*, qui propriis gentibus, & ſignis Cruciferorum partem adiuuerant. Capti præterea multi alii diuerſarum gentium & nationum milites. Pleriſque autem militibus, qui ex acie *Pruthenica* diffugerant, currus *Pruthenicos*, ad caſtra, defenſionis gratia, ingreſſis, a gentibus Regiis, curribus & caſtris *Pruthenicis* perruptis, inuaſi & oppugnati, aut trucidati fuere aut capti. Caſtra quoque hoſtilia, multiplici opulentia plena, & currus, & omnis Magiſtri *Pruſſiæ* & ſui exercitus ſuppellex, per *Polonicos* milites direpta. Repertæ autem fuere aliquot in Cruciferico exercitu quadrigæ, vinculis tantummodo & catenis onuſtæ, quos Cruciferi, certam ſibi ominati, Diuinitate inconſulta, victoriam, nec prælium meditati ſed triumphum, ad vinciendum *Polonorum*

Pruthenis caſis fuſisque

caſtra eorū diripiuntur.

1410 *norum* captiuos conduxerant. Reperti & alii pleni facum, currus, quæ pinoſæ, ſepo tamen & pice oblitæ, tela inſuper, ſepo & pice A perfuſa, circumdatæ, cum quibus debellatos & fugientes perſequerentur, per anteceſſum, rem in manu Dei ſitam tumido, & de victoria fidenti animo, non reſeruata poteſtate ſuperis executuri. Vinculis tamen, & catenis huiuſmodi, iuſto Deo præſumptionem eorum conterente, a *Polonis* alligabantur. Erat ſpectaculo digna, & pro æſtimatione rerum ſortis humanæ miranda res, quod Dominos proprios, propria vincla & catenæ includerent, & hoſtiles currus plura explentes millia, intra quartale vnius horæ, a Regio exercitu direpti, adeo vt nec minimum illorum relinqueretur veſtigium.

vincula, in Polonos parata inuenta, collo hoſtis imponuntur,

Erant præterea in caſtris & curribus Pruthenicis, vaſa vini multa, B ad quæ Regius exercitus, debellatis hoſtibus, prælii fatiga & feruore æſtiuo defatigatus, ad refocillandam ſitim concurrerat. Nonnulli que militum, galeis, cæteri chirotecis, & calceis hauriendo merum, ſitim ſedabant. Veritus autem *Wladislaus Poloniæ* Rex, ne exercitus ſuus a vino inebriatus, redderetur inutilis, facile ſi quis congredi auderet, etiam ab ignaui hoſte vincendus, ne quoque ex nimia potatione in morbos & languores ſolueretur, vaſa vini diſcindi fragique iubet. Quibus ad imperium Regis celerrime contractis, defluebat vinum in occiſorum cadauera, quorum erant in loco ſtatiuorum hoſtilium haud paucæ congeries: & mixtum cum hominum equorumque interfectorum cruore, rubeum torrentem efficiens, vſque ad prata villæ *Thamberg* viſum eſt defluxiſſe, & alueum ripaſque ad modum torrentis ſua impetuoſitate effeciſſe. Inde vulgari fictioni & fabulæ occaſionem præſtitam ferunt, qua vulgatum erat, tantum eo prælio ſanguinis fuſum eſſe, vt cruor torrentis in modum deflueret.

& ex vino, vaſis iuſſu Regio confractis, cum ſanguine cæſorum mixto torrens rubeus defluit.

Reperta deinde ſunt in ſilua parua, arboribus, quas multicoraces vocamus, obſita, & haud procul a ſtatione hoſtili diſtante, ſeptem hoſtium banderia a fugientibus derelicta, & terræ tantummodo infixa & mandata, quæ ad Regem continuo delata ſunt. *Henricus* Commendator de *Tucholya*, qui deferri ante ſe mandando duos gladios, a ſuperbia ſua reuocari, per bene ſuadentes, necquicquam potuit, dum ex prælio turpiter fugiendo in villam *Wyelgnow* deueniſſet, ab inſequentibus conſecutus, miſerabiliter capite cæſo obtruncatus, temeritatis & ſuperbiæ ſuæ, funeſtas quidem, ſed meritas pœnas dedit. Conſpectus autem ſub prælii tempore fuit in aëre a nonnullis viris deuotis & timoratis, & quibus id videre diuina propitiatio conceſſerat, vir quidam Pontificalibus amictis perſonam egregiam repræſentans, *Polonicum* exercitum iugiter, & donec pugnaretur, & *Polonis* cederet victoria, benedicens. Beatiſſimus *Stanislaus Cracouienſis* Epiſcopus, *Polonorum* Patronus & Protomartyr, creditus, 1410 A cuius interceſſione & ſuffragio tam celebrem victoriam conſtat *Polonis* proueniſſe.

Hiſtor. Polon. Lib. XI.

Curribus hoſtilibus diſtractis, exercitus Regius ad collem, in quo hoſtium ſtatio & caſtra erant, peruenit, hoſtiumque ex fuga dilapſorum, plures turmas & cuneos ex ſole reuerberante, fulgentibus armis, quibus pene omnes veſtiti fuerant, perſpexit. Ad quos perſequendos ſe vltro accingens, in prata quædam lubrica ingreſſus, in hoſtes inſiliit, & paucis admodum reſiſtere auſis, deuictis, agmen reliquum, abſque violatione, abſque vulnere, iubente Rege, ferro vt milites parcerent, agebatur. Tunc quoque *Wladislaus Poloniæ* Rex, milites, perſequi fugientes hoſtes, ſigno B dato iuſſit, commonitos, vt cædibus quam maxime abſtinerent. Ad plura itaque miliaria perſecutio extenſa eſt. Et paucis, qui fugam maturauerant, euadentibus, plures mortales comprehenſi, in caſtra quoque reducti, & clementer a victoribus habiti, altero die deditu ſunt: multi in piſcina a prælii loco duobus miliaribus diſtante, ex tumultu & preſſura, vndis ſuffocati. Hoſtium eo prælio quinquaginta millia occiſa, capta quadraginta. Signa militaria referuntur quinquaginta vnum intercepta, ſpoliis hoſtilibus admodum ditati. Quamuis difficile credam, quanti ex hoſtibus ceciderint, exacta ſupputatione aſſerere; Strata autem fuit in aliquot protenſa miC liaria mortuorum corporibus via, terra madefacta interfectorum cruore, aer ipſe moribundorum & eiulantium vocibus implebatur.

Fugientium hoſtium per Polonos perſecutio,

& captiuorum occiſorumque, numerus.

Exercitu Regio ad perſequendum fugientes hoſtes, ad Regis imperium conuerſo, *Wladislaus* Rex in collem editiorem perueniens, ſe illic collocat, reliquam illius diei fortunam & faciem, quæ cum in perſequendis, tum in reducendis hoſtibus a *Polonorum* militibus edebatur, perſpecturus. Quem illic *Alexander* Dux magnus *Lithuaniæ* poſt relatam victoriam primum offendens, quippe, qui ſub pugnæ omni tempore, inter *Polonorum* ſigna & cuneos verſabatur, feſſis & laborantibus, noD uos & recentes ſubmittendo, & quæ fortuna foret vtriuſque partis, ſcrupuloſius aduertendo; refert pro magna & iucunda nouitate, *duos fratres de Cruciferorum ordine, Marquardum videlicet de Salczbach Commendatorem Brandeburgenſem, & Sumberg, in prælio captos eſſe: qui conuentionis tempore, inter præfatum Alexandrum magnum Ducem Lithuaniæ, & Magiſtrum atque Ordinem, ſupra flumen Nyemyen prope Kowno habitæ, præfato Alexandro, & eius genitrici, quod ei proterue parum pudica fuerit, ſermone contumelioſo & illoto improperauerant;* ſubinferens *ſe in eis debitam vindictam per capitis truncationem accipere ſtatuiſſe.* *Wladislaus* autem *Poloniæ* Rex, felicitate victoriæ non elatus, ſed benigni-

Duos fratres Cruciferi, propter ſuperbos ſermones Withawdo Lithuaniæ Duci ei proterue obiectos

1410 tate & humilitate ſolita vſus, prohibuit præfatum Ducem *Alexandrum*, in captos & deditos, exercere aliquam vindictam. *inuito Rege* *Non conuenit*, inquit, *chare frater, amplius in eos hoſtes, quos non noſtra virtute, ſed clementis DEI permiſſione, acie ſuperauimus, ſæuire, neque noſtras iniurias & offenſas in captiuos vlcum iri, ſed in altiſſimum DEVM, gratiarum actione, pro collato triumpho, celebrata, omnem manſuetudinem & clementiam victis & calamitoſis præſtare. Satis enim, iuſto DEI agente iudicio, iam illos & coërcuimus & mulctauimus, iuſtumque eſt vt & nos parcamus illis, quibus vis & fortuna belli pepercit.* Geſſiſſet autem Dux *Lithuaniæ Alexander* monitis Regiis morem, niſi præfatorum Cruciferorum *Sumberg*, & *Marquardi*, ſuperbi, arrogantes, tumentesque ſermones, illum ad complendum cogitatam vltionem de nouo irritaſſent. Verbis enim eorum, qui in captiuitate poſiti, fundendo comminationes, ſubmiſſe loqui, veniamque petere, dedignabantur, præfatus Dux *Alexander* offenſus, eos die Dominico immediate ſequenti, vigeſima die Iulii, in ſtationibus prope *Morunk*, capitis obtruncatione, *Wladislao* Rege necquicquam inhibente, damnauit. *ab eo capitali pœna plectuntur.* Dum ſiquidem *Alexander Withawdus* a *Marquardo* Crucifero, præſentis fortunæ conditionem, in qua foret inueſtigaret, & matris ſuæ probra illi obiiceret, *Marquardus* ſuæ ſortis & Ducalis iræ, dudum in eum expromptæ oblitus, quem placare verbis manſuetis debuerat, ſuperbius locutus, irritat. *Nihil*, inquit, *præſenti fortuna deterreor, cuius ſucceſſus ex æquo parti vtrique ſuffunditur, ſorte commutata id nobis victis craſtina die, quo vos potimini hodie victores, largitura.* Quo verbo, velut inclementiori, a captiuo prolato, Dux magnus *Withawdus*, quamuis in illum nihil crudele attentare cogitarat, offenſus, *Marquardum* Commendatorem, & *Sumberg*, ad capitale ſupplicium pertrahi iuſſit. Culpatus a multis *Marquardus*, quod cui miſericordia opus fuerat, iram & odium irritabat. Dux vero *Alexander*, rectene id egerit an perperam, ſæuiendo in captiuos & deditos, expediendum mihi non aſſumo.

Sole in declinium tendente, *Wladislaus Poloniæ* Rex, colle, in quo aliquanto tempore conſtiterat, & prælii relicto loco, ad ſpatium quartalis vnius miliaris, ſequentibus eum curribus in multitudine copioſa, verſus *Marienburg* procedens, ſupra locum caſtra poſuit. Vbi & vniuerſus exercitus, a perſequendis hoſtibus reuerſus, conuenit. Erat autem cunctis in commune lætitia immenſa, quod ingenti, & multis ſeculis memorando, de ſuperbo & potenti hoſte relato triumpho, patriam ab inclementi & iniuſta Cruciferorum occupatione & inuaſione, ſe ipſos vero ab imminenti necis aut captiuitatis periculo, in brachio DEI excelſo vindicarant. Tota inſuper nocte inſequente, gentes Regiæ, a perſecutione hoſtium, cum captiuis & ſpoliis innumeris redibant, captiuosque & ſigna hoſtium, Regi, illa nocte excubias in obſeruationibus agenti, dedebant; quos & quæ ille iubebat in craſtinum reſeruari. 1410 Deſcendens autem, dum ad ſtatiua lacus prædicti ventum foret, *Wladislaus* Rex, de equo deſcendens, antequam tentorium adaptatum eſſet, fatigatus ex labore & æſtu, poſuit ſe ſub vmbra rubi cærulei ad quietem, ſtrato ex frondibus platani compoſito, ſolo *Sbigneo* de *Oleſchnicza*, Notario ſibi aſſiſtente. Ex clamoribus autem validis, quos fecit durante prælio, commonendo & incitando milites ad pugnam, erat vox ſua adeo rauca, quod ægre poterat, & nonniſi de propinquo, illo & ſequenti die intelligi. Tentorio vero diſpoſito, intrauit Rex in illud; & armis tum primum depoſitis, apparari celerius prandium iubet: non enim die illa Rex, ſed neque exercitus ſuus quicquam guſtauerat; ſed erant omnes vſque ad veſperam ieiuni, nec prius, quam in ſolis occaſu, tam Rex, quam exercitus, refectionem ſumere cœpit. Sole occidente, cecidit pluuia, & nocte integra proceſſum ſuum continuans, plerosque vulneratos de vtroque exercitu, Regio & *Pruthenico*, in prælii loco relictos, qui viuere, ſi inde ſublati & curati forent, potuiſſent, vis algoris extinxit. Rege deinde mandante, Præconis Regii *Boguthæ* voce, publicum editur ad vniuerſum exercitum, in noctis conticinio, proclama, quatenus die ſequenti in tabernaculum Regium, ad audiendum ſolennia ſacrificiorum, ad agendum quoque excellentiſſimæ Diuinitati, de præſtita victoria, gratias, conueniat: *exercitu ad ſacra Deo facienda vocatio,* Signa quoque & captiuos Regi, aut ſuis Præfectis & Officialibus repræſentet, futuram etiam diem in eiſdem ſtatiuis exacturus. *Mſczugio* de *Skrzin* nunciante *Wladislao Poloniæ* Regi, *Vlricum* Magiſtrum *Pruſſiæ* generalem occiſum eſſe: & in necis ſuæ confirmationem, *Wladislao* Regi, aureum pectorale, Sanctorum refertum reliquiis, *Vlrici Pruſſiæ Magiſtri mors nunciatur.* quod familiaris præfati *Mſczugii*, nomine *Iurga*, occiſo detraxerat, oſtentanti: graui ſuſpirio *Wladislaus* Rex ingemuit, atque in lachrymas reſolutus, conuerſionem fortunæ & ſortis, vel potius elationis humanæ admirabatur. *En*, inquit, *o milites mei, quam fœdum eſt ſuperbire in DEVM. Is enim, qui heſterno die plures regiones, & Regna, ſuo deſtinabat imperio, qui parem ſuæ potentiæ non æſtimabat reperturum, iacet omni deſtitutus ſuorum auxilio, miſerrime trucidatus: quantum ſuperbia humilitate inferior ſit, oſtendens.* In laudes itaque Creatoris Rex ora ſoluens: *Glorifico te*, inquit, *omnium clementiſſime DEVS, qui humiliaſti vt vulneratum ſuperbum, & in brachio virtutis tuæ, confregiſti aduerſarios meos, & dexteram tuam in me, & populo meo, die hodierna glorificaſti.*

Conſulentibus decernentibusque Regiis

Conſi-

1410 Conſiliariis, quatenus *Wladislaus Poloniæ* Rex, cum omni exercitu ſuo, victorem ſe agens, in prælii loco triduum exigeret. Refellebant cæteri, fortiſſimisque vrgebant rationibus *ut pulſâ omni morâ, noĉte & interdiu verſus Marienburg citato agmine contenderet. Si id conſilium, velut parum utile, damnaret, facto tamen delectu, præſtantiores gentes, ocyus quo fieri poſſet, ituras, in obſidionem caſtri Marienburg, tranſmitteret: principali caſtro, dum terror mœrorque occuparet animos, facile conquiſito, cætera extemplo ſe dedituræ, quieto & ſine armis poſſeſſurus.* Id conſilium non ratione prudentius fuiſſet, quam felicius euentu: cum in caſtro *Marienburg* a ſingulis caſtrum obſeruantibus, qui & ipſi pauci erant, clade nunciata, fuerit magno pauore trepidatum. Maiorque ratio de caſtro dedendo, quam defendendo, ſi Rex altero aut tertio die poſt victoriam, exercitum admonuiſſet caſtro, inita, ſi *Wladislaus Poloniæ* Rex & Conſiliarii ſui ſcrupuloſius illud digeſſiſſent. Lætitia tamen illius diei occupati, debellatumque rati, deſtinatum omni ratione ſaluberrimum conſilium, negante natura vtriuſque boni, ſolertiæ videlicet & felicitatis largitionem ne fuere proſecuti. Apparuitque Regem & Conſiliarios neſcire vti parta victoria, neque fortunæ & temporis, tam opportunitate quam fauore. Contritis ſiquidem Cruciferorum viribus, ſi confeſtim & mature victor Rex, victorem exercitum, ad obſidionem oppugnationemque caſtri *Marienburg* admouiſſet, nemo ſatis dubitat rebus ſuis conduxiſſe plurimum, & finiti belli gloriam ſibi vni ceſſiſſe. Is quoque error permaximus Regis, inter diſciplinæ militaris peritos, computabatur, quod milites mittere ad occupandum de facili arcem *Marienburg* recuſauit & neglexit, dum pene deſerta & vacua eſſet propugnatoribus, & antequam in illam *Henricus* de *Plawen* Commendator de *Swieczie* cum præſidio intraſſet. Præſertim dum omnium, & paucorum quidem, qui arcem obſeruabant, abalienatis ob recentem cladem animis trepidatio valida, & morbus letargicus peruaſerat, ſiue quia præſenti lætitiâ & voluptate, manubiis potius legendis, & hoſtibus capiendis, quam conquirendis arcibus *Poloni* vacare maluerunt, ſiue quod triduo manendum in loco triumphi, iuſtum & legitimum plurimi cenſebant, ſiue quod fortunam nulli ad plenum gratificari conſueſſe, uſu & natura conſtat, ſiue, quod ego magis reor, ſuperna quædam fortuna Crucifèrico Ordini tunc parcens, in deſtinatum, conquirendæ arcis *Marienburgenſis*, tempus aptius, euentum illum ſeruauit.

Poloni occaſionem arcis Marienburg conquirendæ, cunctatione ſua amittunt.

Feria quarta, in craſtino Diuiſionis Apoſtolorum, ſedecima Iulii, dies ſerenus, pluuiâ ceſſante illuxit, & e veſtigio in diluculo, *Wladislaus Poloniæ* Rex, *Pruſſiæ* Magiſtri *Vlrici*, Marſchalci, Commendatorum, cæterarumque illuſtrium perſonarum bello peremptarum corpora perquiri inter cadauera iuſſit, Eccleſiaſticæ ſepulturæ debitá honeſtate ea traditurus. Æque glorioſum exiſtimans, & hoſtem vincere, & infelici ac victo ſcire miſereri. Rex vbi potitus eſt cadauere Magiſtri *Vlrici*, quod duo vulnera, unum in fronte, alterum in mamilla habebat, reperto per *Bolemiensky* terrigenam terræ *Culmenſis*, vnum ex captiuis, cui ea cura demandata fuit, familiarior quippe inter omnes *Magiſtro* Pruſſiæ extiterat; item cadauere Marſchalci *Friderici Vallerode*; item cadauere magni Commendatoris *Conradi Lichtenſteyn*, item cadaueribus, *Ioannis* de *Seyn Thorunenſis Ioannis* Comitis de *Vende Meuenſis*, *Arnoldi* de *Baden Schlochouienſis*, Commendatorum, dum illorum ſpeciem, habitumque, & vulnera, quibus occiderant, contemplatus, nulla exprobrationum aut contumeliarum verba, riſum, aut hilaritatem emiſit, quin potius lacrimis ſuffuſus ora, piâ manſuetudine illorum caſum miſerebatur; Sindone munda illa inuoluit, purpurisque cooperta in quadriga, in *Marienburg* funeranda tranſmiſit. Corpora uero aliorum Commendatorum, & illuſtrium ac Nobilium perſonarum, vt in Eccleſia Parochiali lignea in *Thamberg* ſepelirentur, ſaucii vero, qui euadere poterant, medicarentur, prouidit, victoriam ſuam plus celebritatis, minus inuidiæ habere ratus, ſi illam ſpectatâ moderationis virtute adornaſſet. Quo facto geminæ humanitatis & gratiæ in deuictos demonſtrans Rex clementiam, maximum comitatis & vrbanitatis ſignum *Wladislaus* Rex, non apud proprios ſolum, ſed etiam hoſtes, & exteros populos de ſe præbuit: victoriamque ſuam plus iuſtitiæ & modeſtiæ temperamento ornauit, quam liuore inuidiæ exacuit. In qua quidem Eccleſia & corpora eorum, qui in *Polonico* exercitu ceciderant, à notis ſuis & charis perquiſita & inuenta, fuère ſepulta. Nec ſplendidiorem humationem nacti ſunt victores quam victi. Semiuiuis & vulneratis ad caſtra perductis, tam de exercitu *Polonico* quam *Pruthenico*, omnis medela, qua curarentur, impenſa eſt. Supputatione autem factâ, compertum eſt, duodecim tantummodo notabiles milites, de exercitu Regio cecidiſſe. Inter quos hi præſtabant; *Iakubowsky* de domo *Roſa*, *Imramus Czuliczki* de domo *Czewnya*, vt certe mirandum ſit, tam exiguo militum *Polonorum* impendio, exercitus potentes & numeroſos debellatos extitiſſe, de Cruciferorum exercitu, omnibus præſtantioribus militibus aut cæſis aut captis. *Vernerus Thetingar* Commendator *Elbingenſis*, pacis diſſuaſor, quemadmodum illi Commendator de *Mewe*, Comes de *Vende*, fatauerat, de prælio eorum quæ ſuperbe dixerat, oblitus, effugit. Et per caſtra Ordinis tran- 1410

Magiſtrum Pruſſiæ cæterosque tam ſuos, quam hoſtium, qui in acie ceciderant, curat Rex ſepeliendos.

Vernerus ex acie fugit.

1410 ſitum faciens, nulli ſe committere auſus, non prius fugam ſuam ſiſtendam duxit, donec in *Elbing* peruenit. Sed expoſt de *Elbing* faciens diſceſſionem, his qui in *Marienburg* diffugerant, ſeſe immiſcuit. Commendator vero de *Mewe*, Comes de *Vende*, pectore aduerſo pugnans, repertus eſt inter deſideratos cecidiſſe. Præſtabilius autem & glorioſius iudicio meo, *Wladislaus Poloniæ* Rex egiſſet, ſi corpora Magiſtri, Marſchalci, & Commendatorum *Pruſſiæ* non remittendo illa in *Marienburg*, illa in aliqua Cathedralium, aut Conuentualium, ſeu Collegiatarum Eccleſiarum Regni ſui, humari ordinaſſet, triumphum ſuum magnificum, radio viſionis, aſſidue renouatura. Agebantur poſthæc in capella Regia, quæ in ſe & chorum & corpus, ad inſtar Eccleſiæ, habebat, voce ſonora, Diuina, vniuerſo *Polonico* exercitu, ad audiendum ea congregato. Fuitque prima miſſa cantata de benedicta domina noſtra *Maria*, ſecunda de *S. Spiritu*, tertia de *SS. Trinitate*. Miſſæ vero in aliis altaribus, pro defunctorum animabus, qui heſterna die occiderant, legebantur. Tabernaculum capellæ, ſignis vexilliſque hoſtium vndique in gyrum circumſeptum, quæ milites Polonici die illa in Regium conſpectum deferentes, Capellæ affixerant. Quæ extenſa & reuoluta, ſonitum grandem, flante leui aura, edebant. Fecit autem *Wladislaus Poloniæ* Rex grande conuiuium die illa, & tam Principes, quam Optimates proprios, videlicet *Alexandrum* magnum Ducem *Lithuaniæ*, *Ianuſſium*, *Semouitum* ſeniorem & iuniorem *Maſouiæ*, quam captiuos, *Conradum* album *Oleſchnicenſem*, *Caſimirum Stetinenſem*, Duces, cæteroſque magis illuſtres, ad illud inuitat, & oppipare tractat. Hii enim duo Duces *Conradus* albus *Oleſchnicenſis* & *Caſimirus Stetinenſis*, in parte Crucifericа capti fuerant: ſupra tamen captiuorum fortunam a Rege tractati habitique ſunt, & facile ſoluti, licet opus eorum ſceleſtiſſimum vltionem dignam exigeret.

Proceres ſuos, & duos hoſtium Duces captos conuiuio Rex excipit

Baronibus *Hungariæ Nicolao* de *Gara*, & *Stiborio* de *Stiborzycze* in *Marienburgenſi* caſtro agentibus, & Cruciferis de Ordine ad cuſtodiam caſtri relictis, magnopere ſuper euenturæ pugnæ propediem agendæ, quo euaſura foret, ſolicitis, veniebat loricatus homo & anhelus, fugiens ex conflictu. Qui cum a Baronibus *Hungariæ*, vnde veniret, aut quæ noua ferret, quæreretur de caſtris ſe Magiſtri *Pruſſiæ* veloci curſu veniſſe, & *Wladislaum Poloniæ* Regem magna cæde Magiſtrum Pruſſiæ viciſſe, omneſque illius copias deleuiſſe aſtruebat. Geſtientibus autem *Hungariæ* Baronibus rem ad liquidum intelligere, & quo ordine prælium agi cœptum eſt, quoue finitum, Cruciferi caſtrum *Marienburgenſe* obſeruantes, relationem illam intercipiendo, mutandoque, deducebant nondum exercitum

Clade nunciata in Marienburg trepidatur.

Polonicum & *Pruthenicum* in vniuerſalem congreſſum veniſſe, ſed tantummodo particulariter inter eos dimicatum eſſe. Verum Baronibus *Hungariæ*, extra valuas caſtri diſgredientibus, repente cuneus fugientium ex acie, & paria his, quæ prior retulerat, differentium veniebat. Inter quos vnus erat *Petrus Swinka* miles, olim *Dobrzinenſis* Vexillifer, qui ante inchoatam guerram, a *Wladislao Poloniæ* Rege ad Magiſtrum *Pruſſiæ* defecerat. Is omnem progreſſum triumphi Regii, & Cruciferorum caſum ad plenum declarauit. De qua nouitate dum familiares *Stiborii* de *Stiborzycze*, cum omnes fere *Poloni* exiſterent, ouarent lætitia immenſa, *Stiborius* vt vir oculatus, iucunditatem vt intra ſe circumſcriberent, iuſſit. Vulgata vero & publicata lætitia, cum inter *Pruthenicos* parietes conſiſterent, hilareſcere eos interdixit; apud Cruciferos ſiquidem in *Marienburg* commorantes, victoria *Wladislai Poloniæ* Regis, primum incredibilis adeo viſa eſt res, vt non pro vano modo, ſed vix pro ſano, primus cladis Crucifericæ relator audiretur. Deinde vt ſuper alium alius, idem omnes affirmantes venirent, tandem facta fides: ac ſingulis in mœrorem ac conſternationem animi verſis, omnes de caſtro *Marienburg* deſerendo, ac de fuga, quo ſors quemque tuliſſet, ineunda, omnes cogitationes ſuas, conſilia, & reſpectus verterant. Et ſi *Wladislaus Poloniæ* Rex celeri curſu, quemadmodum illi prudentiſſimo & ſaniſſimo conſilio a nonnullis ſuaſum, poſt relatam victoriam in *Marienburg* aduenisſet, abſque omni ſuo & ſuorum damno & periculo primo die aduentus, caſtrum deditione aut irruptione conquiſiſſet. Non ſecus enim a Cruciferis Eccleſiaſticis & ſecularibus, cæteriſque caſtrum *Marienborg* obſeruantibus, iuxta ac limphaticis diſcurſum eſt, per domos, aulas, & cameras. Et plures dies atque noctes in lamentis & mœroribus, quereliſque abſumpti. Deditumque fuiſſet, ſingulis trepidantibus, & in fugam ſpectantibus, caſtrum, ſi quis illud de manibus trepidantium ſumere contendiſſet.

Captiuitatis olim ſuæ, turpiſque & fœdæ attrectationis & ligaturæ, ante annos ſex per Cruciferos patratæ, *Ianuſſius Maſouiæ, Czirnenſis*, & *Varſchouienſis* Dux, amaritudinem & moleſtiam, quæ in eius pectore per annos ſex iugiter recrudeſcebat, quod ſemper omnibus votis expetebat, compenſatam & vltam eſſe clade Crucifericа videns, ad tabernaculum Regium acceſſit; Primumque clementiſſimo DEO, deinde *Wladislao Poloniæ* Regi, illic cum *Alexandro* & cæteris Ducibus & Proceribus *Poloniæ* præſenti, proſtratus, flexis genibus cum omni militia ſua in terram agere gratias cœpit, exclamans & vociferans: *Tibi*, inquit, *benigniſſime Deus, qui omnium iniuriarum iuſtiſſimus vltor es, qui ſuperbiam*

Ianuſſius Dux Maſouiæ, Deo & Wladislao agit gratias, & gratulatur de victoria.

1410 *biam omnem abominaris & damnas, ac contritorum & mærentium humiliumque non ſpernis precem & affectum, de ſe quoque præſumentes humilias: Tibi inſuper Wladislae, Rex Illuſtriſſime, gratias ingentes ago, qui die heſterná ignominiam captiuitatis meæ abſterſiſti, mequoque de hoſte ſuperbo & intolerabili magnificâ & glorioſâ clade vindicaſti, quem hoſtem ego cum omnibus fratribus & Proceribus meis, per paternam & auitam hæreditatem noſtram, tuique Regni Poloniæ ſpolium, ſuſpirabamus arrogantem, faſtuoſum, & locupletem, & quem Protauus meus Conradus Maſouiæ Dux, falſa & ſimulatâ religione, vel ut verius loquar, ſuperſtitione, deceptus, ſuſcepit, tenuitque mendicum; celebrem hunc diem, & quotannis mihi, & uniuerſæ poſteritati meæ uenerandum obſeruandumque, ſemper habiturus. Te quoque Rex Excellentiſſime, tuumque Regnum Poloniæ, fide, ſubiectione, obedientiâ ſynceráfideli, & purâ, omnique meâ & Principatus mei ope, ſubſtantia, & potentia, in quolibet neceſſitatis & temporis articulo, per me, & quam coram cernis, militiam meam, poſteritatemque noſtram, in te, & ſucceſſoribus meis.*

Prandio Regio in magna ſolennitate exacto, iubentur milites ſingulos reddere captiuos, & in planicie vna, proſpectum liberum in omnes partes habente, præſentare: in qua *Wladislaus Poloniæ* Rex, ſex Notarios, captiuorum nomina, genus, & conditionem, conſcripturos, locauerat. Ducebantur itaque captiui, & primum Regi, deinde Notariis præſentabantur: ſeorſim Cruciferi de Ordine, ſeorſim milites *Pruthenici*, ſeorſim *Culmenſes*, ſeorſim *Liuonitæ*, ſeorſim ciues *Pruthenicarum* vrbium, ſeorſim *Bohemi*, ſeorſim *Moraui*, ſeorſim *Sleſitæ*, ſeorſim *Bauari*, ſeorſim *Miſſnenſes*, ſeorſim *Auſtrales*, ſeorſim *Rinenſes*, ſeorſim *Sueui*, ſeorſim *Friſones*, ſeorſim *Luſatienſes*, ſeorſim *Duringi*, ſeorſim *Pomerani*, ſeorſim *Stetinenſes*, ſeorſim *Caſſubitæ*, ſeorſim *Saxones*, ſeorſim *Francones*, ſeorſim *Veſtphali*. Tot ſiquidem nationes & gentes, in copioſa multitudine, ad delendum nomen & genus *Polonicum*, conuenerant. Et quamuis de ſingulis nationibus prædictis, grandis foret frequentia, *Bohemicarum* tamen & *Sleſiticarum* gentium numerus, cæteras excedebat. Facta itaque cuiuslibet gentis ſeparatione, accedebat Regius Notarius, & ſingulis in circuli modum ſtare iuſſis, ſtans inter illos, medius, nomina, dignitates, officia, conditionem, & genus eorum annotabat. Quibus ad plenum conſignatis, venerunt duo Barones Regii *Sbigneus* de *Brzezie* Regni *Poloniæ* Marſchalcus, & *Petrus Schafraniecz* Succamerarius *Cracouienſis*, & quemlibet ſingillatim captiuum, noua ſponſione, nouoque obligarunt Sacramento, quatenus ſub fide, & militari honore, ſe perſonaliter in caſtro *Cracouienſi*, coram *Ioanne Ligaza* de *Przeczlaw*, Palatino *Lanciciensi*, A *Iaſchkone* de *Oleſchnicza*, Iudice *Cracouienſi*, & *Przedborio* de *Przechodi* Vice-Capitaneo *Cracouienſi*, in die Sancti *Martini* proximo affuturo, repræſentent. Qua obligatione accepta, *Wladislaus* Rex modeſtum ſe victorem agens, omnes fere captiuos, paucis reſeruatis, ad ſimplicem militarem ſponſionem abire permiſit. Duces vero, *Caſimirum Stetinenſem*, & *Conradum Oleſchnicenſem*, item *Chriſtophorum Kerzdorff*, & *Venceslaum* de *Dunin Bohemum*, item omnes Cruciferos de ordine, retinuit, & per caſtra Regalia, *Lanciciam*, *Siradiam*, *Thaczin*, *Lublin*, *Sandomiriam*, *Leopolim*, *Przemisliam*, & alia, B diſtribuens, cuſtodiri obſeruarique illos ſollicite iuſſit. Interim vero quando ſignabantur captiui, *Wladislaus Poloniæ* Rex, equo conſcenſo, cum fratre ſuo, magno Duce *Lithuaniæ Alexandro*, in certaminis locum, occiſos viſurus, proceſſit. Et milite *Bolemowsky* declarante Regi, oſtendenteque, quamuis & Rex per ſe nonnullos, & præcipue Comitem de *Vende*, agnoſceret iacentium, & proſtratorum cadauera recognoſcebat. Quibus viſis, nonniſi in crepuſculo rediit in ſtatiua. Ex quibus ſpecialem Nuncium Cubicularium ſuum *Nicolaum Morawiecz* de domo *Powała*, & de villa *Konoſzowka* prope *Xiaſch*, in Regnum *Poloniæ* cum literis transmittit. C Denuncians conſorti ſuæ Reginæ *Annæ*, item *Nicolao Kurowsky* Archiepiſcopo *Gneſnenſi*, item Baronibus caſtrum *Cracouienſe* obſeruantibus, item Vniuerſitati, item Conſulatui *Cracouienſi*, magna ſe cæde in Cruciferos, magnaque victoria perſunctum eſſe, iubens per ædes vniuerſas, ſacras gratiarum actiones in Deum celebrari. In fidem autem victoriæ & lætarum rerum, Nuncius *Morawiecz* banderium Epiſcopi *Pomeſanienſis*, Beati *Ioannis* Baptiſtæ formam in aquilæ effigie habens pro inſigni, Rege iubente, deferebat. Quo *Cracouiam* adueniente, & Regis denunciante victoriam, vniuerſa vrbs maximo iubilo & iucunditate, Eccleſiis laudes Deo canentibus, perſonuit, & vniuerſa nocte, ignis, teD ſtantibus lætitiam, colluxit. Triumpho deinde per latitudinem Regni *Poloniæ* diffuſo, voces & iubilationes in ſingulis ciuitatibus, & vicis Polonicis, ſuam & ſuorum felicitatem & victoriam immodico celebrantium gaudio, reſonabant.

Feria quinta, in die *S. Alexii*, decima ſeptima Iulii, licentiatis *Wladislaus* Rex *Poloniæ*, & abire permiſſis omnibus, quos ceperat, captiuis, quorum numerus æſtimatus eſt ſupra quadraginta millia hominum habuiſſe, dato eis munificentia Regia viatico & veſtitu, datiſque, inſuper fidis conductoribus, qui illos in proximum oppidum *Oſterod* conducerent, mouet copias ſui exercitus, & ad caſtrum oppidumque

captiui recenſiti,

alii ſacramento obſtricti dimittuntur, 1410

alii cuſtodia traduntur.

Cæſorum cadauera a Rege & Alexandro contemplantur.

& in Poloniam lætus de obtenta victoria nuncius mittitur.

Oppidum Ho-

1410 *Hoenſten cum caſtro deditũ Regi*

que *Hoenſten* perueniens, ſtatiua locat. Facta autem in manus Regias tam caſtri quam oppidi *Hoenſten* deditione, Rex illa *Ioanni Krczhkowski* de domo *Dolaga* tradidit in tenutam. Qua quidem modeſtia, liberalitate, & clementia, quam *Wladiſlaus* Rex exercuit in captiuos & deuictos, magnificentius aliquanto victoria vſus eſſe, quam viciſſe æſtimatus eſt: maximumque fructum, maximam & laudem manſuetudinis, ſoluendo vinctos & miſeros, & non ſæuiendo in deditos, conſecutus eſt. Venit autem die illo ad Regem Nuncius, Epiſcopi *Varmienſis Ioannis*, rogans, *vt ipſum, & bona ſui Epiſcopatus habens pro deditis, vaſtari vtrique illa non ſineret.* At Rex, Nuncio reſpondens, negat *ſe, cum & Nuncius ambiguæ fidei homo æſtimatus eſt, precibus Epiſcopalibus annuiturum & ſtaturum eſſe, non abnuere tamen preces eius, ſi perſonaliter veniens, ſe & bona ſua dediderit.*

Et nuncius Ep. Varmienſis ad eum venit, orans parci bonis Eccleſiæ

Henricus Commendator de *Szwieczie*, comperiens Magiſtrum Cruciferorum *Vlricum* de *Iunigen* & omnem exercitum ſuum, cæſum atque conflictum eſſe, & rem Ordinis in diſcrimen veniſſe, ſaluberrimo vſus conſilio, ne Ordinis negotium ad extremum periculum recideret, ordinemque contingeret deletum iri, cum omnibus ſuis Commendariæ *Szwecenſis* gentibus, pedeſtribus & equeſtribus, ad *Mariemburg* peruenit, & eos, qui per fugam illic confugerant, donatiuo liberali dato, in ſpem meliorem, nonnullos vero ex aliis caſtris & munitionibus, quæ deſeruerant, collegit, & caſtrum *Marienburg*, cum quinque millibus militum, animoſe tueri cœpit. Qui niſi tam celerrimo cum nouis & recentibus gentibus veniſſent ad *Marienburg* curſu, & ſagacitate ſua, prouidentia, atque induſtria, animos in fugam ſpectantes erexiſſet & confirmaſſet, ſummamque rei in ſe vnus aſſumpſiſſet, actum foret non de caſtro *Marienburg* ſolum, ſed de vniuerſo Cruciferorum Ordine. Qui, caſtro *Marienburg* per Regem *Wladiſlaum* comprehenſo, fuiſſet abſque omni ambiguitate deletus & exterminatus.

Henricus Commendator Szwecenſis

Marienburg præſidio ſeruat firmiſſime.

Feria ſexta in die Sancti *Arnolphi* decima octaua Iulii, mouet Rex mane caſtra, & ad lacum qui vocatur *Hoeſtenskii* lacus, inter *Morag* & *Hoenſten* poſitum, perueniens, ſtatiua locat. Confluentibus autem ex caſtris vicinis nunciis, caſtrorum deditionem facientibus, Rex caſtra a ſingulis accipiens, ea gubernanda militibus ſuis committit. *Henricus* vero de *Plawen* Commendator, conquiſitis prece & pretio quingentis ſtipendiariis, ad caſtrum *Mariemburg* die illo, tutelam illi & defenſionem impenſurus, peruenit. Ante cuius aduentum vix quinquaginta perſonæ pauoris plenæ illud obſeruabant, facilemque illius, & conſequenter omnium aliorum, deditionem *Wladiſlaus Poloniæ* Rex fuiſſet ſortitus, ſi prælio obtento, victoriâ uti ſciuiſſet, & repente illud

Caſtra Pruſſiæ deduntur Regi.

obſidione vallaſſet. Barones inſuper *Hungariæ*, facto ex caſtro *Marienburgenſi* diſceſ-
A ſu, in *Gdanſk* ſe conferunt, ubi illis reſidua viginti florenorum millia, dudum per *Vlricum* Pruſſiæ Magiſtrum fuere conſignata. 1410

Sabbato, decima nona Iulii, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, motis exercitibus, venit ad caſtrum & oppidum *Morag*. Quod etſi paludibus, & lacubus illud ambientibus, ſitu ſit munitiſſimum, e veſtigio tamen Regi deditum eſt. Quod ille unà cum oppido in tenutam *Andreæ* de *Borchoczicze* militi committit. Mirabilis deinde fuit victoriæ curſus, dedentibus ſe vltro tam caſtris quam ciuitatibus ſingulis *Pruſſiæ*, & in occurſum
B Regium ultro euntibus. Terror enim vehemens, poſt *Grinfeldenſem* pugnam ſingulos affecerat, pauidæ ex omnibus fere arcibus fugæ, pauida in vrbibus, vicis, & oppidis ſilentia, non exiſtimantibus ſe, Magiſtro *Pruſſiæ* occiſo copiiſque deletis, *Polonorum* roberi, & victorum viribus poſſe quemquam obſiſtere. Nulla itaque vi oppugnata, ſed neque circumſeſſa dedebantur caſtra, arces, & vrbes, quod ob pugnam infeliciter actam, Magiſtri quoque & Commendatorum caſum & necem, animi quoque cæterorum, exercitu deleto, ceciderant.

C Die Dominico ante feſtum Sanctæ *Mariæ Magdalenæ*, vigeſima Iulii, motis Rex caſtris a *Morag*, ſupra villam & lacum *Czolpye*, prope caſtrum *Prusmorg* ſtatiuis locatis, quieuit. Vbi venerunt ad Regem plures Cruciferi de Ordine, ad defenſionem caſtri *Prusmorg* relicti, Regeque ſuppliciter adorato, caſtrum *Pruſmorg* illi tradunt & reſignant. Quod ille *Mroczkoni* de *Iopuchow*, militi *maioris Poloniæ* de domo *Laski*, conſignat in tenutam. Verum quia nonnullæ res ponderoſæ & notabiles, theſauri quoque plurimi in caſtro eodem reconditi referebantur, Rex ad introuiſandum *Mruczkonem* in caſtrum, & ad conſcribendas caſtri ſingulas res, & fortunas, *Ioannem Socha*, Notarium ſuum de domo *Nalecz*, cum eodem
D *Mroczkone* in *Pruſmorg* transmittit. Qui dum introuiſato prædicto *Mroczkone*, & rebus conſcriptis, rediret, in itinere, ſiue a propriis, ſiue ab hoſtibus, incertum habebatur, cum omni ſua comitiua eſt necatus. Inſimulatus eſt vehementer præfatus miles *Mroczek* necem ſuam procuraſſe, ne conſcriptarum rerum & theſaurorum caſtri *Prusmorg* apud Regem, illius relatione, innoteſceret conditio. Rege autem apud *Marienburg* obſidionem agente, a fratribus & conſanguineis *Ioannis Socha*, interfecti, de occiſione ſua *Mroczek* culpatus, iudicio inſtaurato, crimen obiectum iureiurando diluit.

Caſtrum Prusmorg deditum Rex donat Mroczkoni.

Feria ſecunda, in die Sanctæ *Praxedis*, vigeſima prima Iulii, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex motis caſtris ſtatiua ſupra lacum *Bolſtath* prope oppidum & caſtrum *Dzierzgou* locat. Feria

1410

Caſtrum Dzierzgon, vacuum hominibus, omniũ rerum copia refertum capitur.

ria vero tertia, in die *S. Mariæ Magdalenæ*, vigeſima ſecunda Iulii, peruenit ad caſtrum & oppidum *Dzierzgon*. Quod, nullo prohibente, Rex ingreſſus, fratribus de Ordine, & aliis, pro tutela illius relictis, aduentu Regio audito, pauore nimio conſternatis, ex illoque diffugientibus, coquinam feruentem, & tabulas menſalibus veſtitas, cellaria quoque & promptuaria, vino, auena, cereuiſia, piſcibus, carnibus, frumentis inſuper cuiuslibet generis, referta, item cameram veſtiariam, in vulgari *Teutonico* trapariam, purpuris & pannis pretioſis, item veſtibus Ordini Cruciferico congruentibus, plena offendit. Ex qua Rex plures purpuras & veſtes, in milites liberaliter erogauit. Vniuerſus denique Regius exercitus, Rege permittente, abunde & ad ſatietatem, de victualibus in caſtro *Dzierzgon* repertis, cepit, & quadrigas ſuas ceruiſia, vino, carne, piſce, & frumento, cæteriſque commeatibus impleuit. Audiuit Rex die illo miſſam in caſtro *Dzierzgon*; ſed & alteram diem, feriam videlicet quartam, vigeſimam tertiam Iulii, illic abſumpſit. Pulcherrimas autem imagines, ex ligno ciſas, in capella caſtri offendens, eas in Regnum *Poloniæ* deduci procurans, Eccleſiæ Sanctæ *Mariæ Sandomirienſis Cracouienſis* diœceſis, una cum cruce argentea deaurata, in *Brodnicza* expoſt recepta, illas donauit. Quæ *Sandomirienſis* Eccleſia retinet, pro ſempiterno triumpho, & dono memorabili, uſque in hodiernum diem.

Indeque in Poloniam imagines aſportantur.

Feria quinta, in vigilia Sancti *Iacobi* Apoſtoli, vigeſima quarta Iulii, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex caſtro *Dzyerzgon*, in regimen & poteſtatem *Sbignei* de *Brzezie* Marſchalci tradito, diſcedens, ſtatiua ſua inter *Mariemburg* & *Dzierzgon* in itinere medio, ſupra villam & lacum *Staritarg* locauit. Duobus autem miliaribus ex caſtro *Mariemburg* illuc aduenientibus, & Nunciis *Henrici* de *Plawen* in numero frequentiori, ad Regem venturis, ſecuritatem præſtari petentibus, reſpondit Rex *propitia Diuinitate ſe craſtino die in Marienburg aduenturum, & largiturum Nunciis quibuslibet ſecuritatem.* Oppidum die illa *Marienburg*, ne conquiſitum Regi *Poloniæ* & ſuis in præſidium & arcem fieret, & caſtrum *Mariemburg* contingeret ex illo ſtrictius coarctari, iubente *Henrico* de *Plawen* Commendatore, incendio conflagratum.

Wladiſlaus Rex ad caſtrum Marienburg cum exercitu contendit.

Feria ſexta in die Sancti *Iacobi* Apoſtoli, vigeſima quinta Iulii, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, ad caſtrum *Mariemburg*, præmiſſis aliquot militum vexillis, qui loca occuparent opportuna, & quaslibet inſidias & pericula propellerent, primo ſupra lacum *Grintan* locat caſtra, exinde in *Mariemburg* feliciter peruenit; & continuo ex omni parte obſidione caſtrum vallat. Exercitu autem *Polonico* in ſuperiori caſtri parte verſus orientem & meridiem locato, *Lithuanicum* exercitum in inferiori parte conſtituit, gentes inſuper terrarum Regni ſui *Podoliæ* & *Ruſſiæ*, poſuit in ſpeciali loco contra meridiem. Habita eſt autem tota die illa, inter milites Regis & hoſtes leuis concertatio, pro *Mariemburgenſi* oppido, iam exuſto, ægreque ne *Polonici* milites illud introirent, ab hoſtibus defenſum, neque enim difficile fuit, vrbem properato capi, quæ nec naturali fulta eſt munimine, & a ſuis eſſet dilabentibus deſerta, atque deſtituta.

1410

Circa oppidum Marienburg Polonorum & hoſtium leuis concertatio.

Sabbato in craſtino feſti Sancti *Iacobi* Apoſtoli, vigeſima octaua Iulii, Regiis gentibus de duobus vexillis de *Oleſchnicza*, cuſtodiam pro ſorte & vice ſua obſeruantibus, & oppidum *Mariemburg* irrumpere adnitentibus, hoſtibus vero irruptionem magna animoſitate prohibentibus, ad certamen ventum fuit, hora diei veſpertina. In quo dum plures de hoſtibus, *Polonorum* multitudine abundante ſenſim caderent, refugere in caſtrum hoſtes, & de poſſeſſione *Mariemburg* oppidi excedere coacti ſunt. Primusque oppidum *Mariemburg*, *Iacobus Kobilensky* de domo *Grzimala*, ſecundus *Dobeslaus* de *Oleſchnicza* de domo *Dabno*, milites, aliis eos ſequentibus, fuere ingreſſi. Nec hii duo milites, *Iacobus* & *Dobeslaus* ceſſandum ſibi duxerunt, ſed illico oppido conquiſito, haſtis vibratis, cum clamore valido pro caſtri conquiſitione, vſque ad Eccleſiam & prope mœnia graſſati ſunt. Quos ſi cæteræ gentes Regiæ pari animoſitate adiuuiſſent, potuiſſet caſtrum *Marienburg* in horæ illius momento conquiri. Patebat enim tunc ex foramine largo & nondum concluſo, patulus ad illud, quo milites irrumpere poterant, aditus. Præterea omnibus hoſtibus qui caſtrum obſeruabant, ad arces & loca tutiora diffugientibus, conſternationeque pauoris & doloris nimii, non ſecus quam ſi caſtrum captum foret, occupatis: tunc quoque fuit occaſio altera bene gerendæ rei, & conquirendi caſtri *Marienburgenſis*, fortuna Crucifericæ ſic regente, a *Polonis* neglecta. Crepuſculo veniente, hoſtes proprium pontem, ſupra *Viſtam* fluuium verſus *Thſczow* poſitum, veriti, ne ex eo impetus in caſtrum a *Polonorum* militibus fieret, igne conſumunt: quod Regio exercitui in magnum ceſſit profectum; pabulatoribus ex caſtris Regiis, flumine *Viſla* tranatato, facientibus *Zolaua* omni die ſecurum deſcenſum. Foramen autem illud patulum, ex quo euidentis caſtro periculi fieri poterat acceſſio, fortiſſimis roboribus tota nocte inſequente hoſtes obſtruunt, muniunt, & obcludunt. Sed & *Poloniæ* Rex *Wladiſlaus*, nocte eadem bombardis maioribus in Eccleſiam oppidi introductis, continuis percuſſionibus ex illis caſtrum quatit. Locatæ & aliæ bombardæ fuere in exercitu *Lithuanico*, aliæ circa pomerium, aliæ in pede montis ex altera parte *Viſlæ* exuſti, & ex omnibus illis caſtrum quatiebatur fortiſſime in quadrum. Collocatum erat tabor-

Caſtrũ Mariemburg quin caperetur parum abfuit.

Tandem bombardas Wladiſlaus Rex in Eccleſiam oppidi nocte inferre iubet, & caſtrũ diu nequicquam oppugnat

1410 tabernaculum Regium cum capella & æſtuario, in colle editiori ſupra *Viſtam*, ex quo Rex totum exercitum & caſtrum poterat contemplari. Continuabat autem *Wladiſlaus Poloniæ* Rex obſidionem illam duobus menſibus integris. Sub quibus ſuam Serenitatem *Albertus Iaſtrzabiecz Poſnanienſis* Epiſcopus viſitaturus, illuc aduenit: gratusque fuit Regi & Optimatibus ſuis aduentus eius, propter prudentiam & factiuitatem; ſed febrim, quæ eum vno anno, & menſibus ſex, detinuit, illic poſitus, incurrens, redire ad diœceſim ſuam, iubente Rege, coactus eſt.

Magna pars Pruſſiæ Regi Poloniæ ſe dedens, ſacramento fidelitatis obſtringitur.

Mariemburgenſi caſtro obſeſſo, nobiles & militares terrarum *Pruſſiæ, Culmenſes* & *Pomeraniæ*: item omnes ciues fere ſingularum ciuitatum in prædictis terris conſiſtentium, & ſignanter principaliores, videlicet *Gdansk*, *Elbing*, *Thorun*, *Chelm*, *Kinsberg*, *Szwieczie*, *Gniew*, *Czczow*, *Noua Brodnicza*, *Brandeburg*, item quatuor Epiſcopi, *Ioannes Varmienſis*, *Arnoldus Culmenſis*, *Henricus Pomeſanienſis*, & *Ioannes Zambienſis*, ad *Wladiſlaum Poloniæ* Regem perſonaliter venientes, ſe, & omnia ſua, caſtra videlicet & ciuitates dediderunt, præſtito de fidelitate, homagio, obedientiaque corporali iuramento. Nobiles tamen & ciues, tam terrarum quam ciuitatum prædictarum, qui in captiuitatem Regis prælii tempore venerant, priuſquam homagia & fidelitatis iuramenta præſtitiſſent, obtinuerunt precibus, ſe a captiuitate dimitti, non putantes ſibi licere, donec cenſerentur captiui, acta iuramentorum & homagii celebrare. Rogatus autem *Wladiſlaus Poloniæ* Rex a militibus & ciuibus, iuribus & libertatibus antiquis, confirmationem præſtitit, & veteribus noua adiecit. Inter omnes autem *Pruthenicos* ciues, *Elbingenſium* fides & deuotio in Regem ſpectata eſt. Qui *Vlrico Thetingar* Commendatore *Elbingenſi* per fugam a prælio dilapſo, & caſtro *Elbingenſi*, in quod confugerat, eiecto, caſtrum *Elbingenſe*, nullis fortunis aut victualibus mutilatum, *Wladiſlao Poloniæ* Regi, vna cum ciuitate dediderunt. Quod *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, *Ioanni* de *Tarnow*, Palatino *Cracouienſi* tradidit in tenutam. Cuius prædictus Palatinus poſſeſſione recepta, plures res nobiles illic reperiens, centum vaſa aurea & argentea *Wladiſlao Poloniæ* Regi, ex illo remiſit.

Egregia fides Elbingenſium in Regem.

Excubatorũ regiorum cũ hoſtibus ex caſtro Marienburg egreſſis, acerrima pugna.

Sub obſidionis tempore, militibus trium vexillorum, videlicet *Dobeslai* de *Oleſchnicza*, *Kmitha* de *Viſznice*, & *Gryphonum*, excubias ad bombardas obſeruantibus, hoſtiles milites facto ex caſtro deſcenſu, irrumpere ad excubiarum locum verſus bombardas nitebantur. Sed milites Regii ex tribus ſignis præfatis, curſum eorum præuenientibus, eis ad flumen *Viſta* occurrunt. Vbi duro certamine inſtaurato, hoſtes pro maiori parte cæſi, in caſtrum refugiunt. Quod *Polonorum* milites vſque ad turrim rotundam, cædi & captiuitati inſiſtentes, fuere perſecuti. Ad quos A repellendos, hoſtes ex caſtro murum, Regiis bombardis debilitatum, ruinant. Cuius mole & caſu, in *Polonorum* militibus grandis oppreſſio ſubſecuta eſt. Cæteros ſagittæ ab hoſtibus in magna frequentia ſuperne emiſſæ, impleuerant, non tamen cum lethali vulnere. *Petri* de *Oleſchnicza*, Venatoris *Sandomirienſis*, galea, ictibus lapidum concuſſa, nonniſi malleis fabrorum violata, ex capite poterat dimoueri. 1410

Caſtra & ciuitates deditas Rex ſuis militibus diſtribuit.

Deditione caſtrorum & ciuitatum *Pruthenicarum*, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex accepta, ea inter milites ſuos guberanda partitur. Caſtrum ſiquidem *Brodnicza Nicolao* de *Michałow* Palatino *Sandomirienſi* committit. B Qui poſſeſſionem illius nactus, multas res in auro & argento, item libros optimos, & ſignanter quinque partes ſpeculi *Vincentii*, item tabulas inſignes, auro & argento ornatas, item caſſulas, cruces, & ornamenta, aliaque plura clenodia in caſtro reperiens, ſingula Regi fideliter præſentat. Quorum clenodiorum & rerum partem, etſi Rex Eccleſiæ *Cracouienſi*, & ſignanter ſpeculum *Vincentii* condonaſſet, inſigniores tamen res & clenodia Cathedrali *Vilnenſi*, & Parochialibus *Lithuanicis* Eccleſiis diſtribuit. Item Caſtrum *Koprziwno* alias *Engelsperg*, *Dobeslao* de *Oleſchnicza*. Item caſtrum & ciuitatem *Tczow*, *Petro Vagl*. Item caſtrum *Grabin*, *Alberto Malski*. Item C ciuitatem *Gdansk*, *Ianuſſio* de *Thuliskowo* Caſtellano *Caliſſienſi*. Item caſtrum & ciuitatem *Gniew*, *Paulo* de *Wſcheradow* Caſtellano *Camenenſi*. Item ciuitatem *Thorunenſem*, *Vincentio* de *Granow* Caſtellano *Naklenſi*, quo illic fatis per venenum, vt multorum habebat aſſertio, ſoluente diem *Sbigneum* de *Brzezie* Regni *Poloniæ* Marſchalcum ſurrogat in locum eius. Item caſtrum *Wyenczlaw*, & caſtrum antiquum, in quo Sanctæ *Barbaræ* caput ſeruabatur, quod *Wladiſlaus* Rex, non permiſit inde, licet multiplici perſuaſione impugnaretur, auferri. Item ciuitatem & caſtrum *Grudzancz*, *Moſzcicio* de *Staſzewo* Caſtellano *Poſnanienſi*. Item caſtrum *Golub*, D *Nyemſtha* de *Sczithniki*. Item caſtra *Oſterod* & *Nidborg*, Duci *Maſouiæ Ianuſſio*. Item *Dzyałdow* & *Sczithno* caſtra, Duci *Maſouiæ Semouitho*. Item caſtra *Kurzętnik* & *Brathian*, *Ioanni Kretkowsky*. Item caſtrum *Kowalye*, *Nicolao* Regni *Poloniæ* Vice Cancellario. Item ciuitatem *Szwieczie* tantummodo, caſtrum enim ab hoſtibus detinebatur, *Dobeslao Puchała*. Item caſtra & ciuitates *Bithow* & *Hamerſchten*, Duci *Stolpenſi Boguslao*: qui ad ſuam ſerenitatem in caſtri *Marienburg* obſidione veniens, Regi & Regno *Poloniæ* perpetuo ſe ſeruiturum & auxiliaturum cum militaribus, ciuibus, & quibuſcumque ſubditis, literis patentibus inſcripſit. Ad cu-

ius

1410 ius preces & cautionem, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, nepotem ſuum germanum *Caſimirum* Ducem *Stetinenſem*, relaxari permiſit. Item caſtrum & ciuitatem *Lamberg*, *Petro Chelmſky* & ſuis germanis. Item caſtra *Kinsberg* & *Holand* cum ciuitatibus, Duci magno *Lithuaniæ Alexandro*. Item piſcariam vltra *Elbing* multitudine piſcium abundantem, *Ioanni Tumigrale*. Item caſtrum *Rogozno Hincikoni Bohemo*. Item caſtrum & ciuitatem *Tucholya*, *Ianuſſio Brzozogłowy*. Item caſtrum *Schtum*, *Andreæ Brochoczky*. Vniuerſæ ſiquidem, terrarum, *Pruſſiæ*, *Pomeraniæ*, *Michałouienſis*, & *Culmenſis*, ciuitates, oppida atque caſtra, in potentiam Regis *Wladiſlai* dedita fuere, præter caſtra *Marienburg*, *Radzin*, *Gdansk*, *Szwieczie*, *Płochow*, *Brandeburg*, *Balga*, *Ragneth*, *Triopeda* alias *Memel*. Caſtrum tamen *Radzin*, a gentibus Regiis obſidebatur. Caſtrum vero *Gdansk* ne obſidionem perferret, obtinuerat per pacta cum Rege inita, quibus cauebatur, caſtro *Marienburg* conquiſito, mox illud Regi dedi debere.

Wladiſlaus Rex elatus victoria

Integro menſe Iulio, ſub quo *Wladiſlaus Poloniæ* Rex caſtri *Marienburgenſis* obſidioni vacauerat, in omni loco, actione, & congreſſu Rex ipſe & ſuus exercitus, proſpera & æquabili vſus fortuna, maiora ſibi in dies augurabatr pertendi. In primordio autem menſis

Henricum de Pławen Commendatorem ſupplicem, & æquas conditiones pacis offerentem

Auguſti, *Henricus* de *Pławen* Commendator, quatenus *Wladiſlaum Poloniæ* Regem, ex caſtro *Marienburg*, adire & alloqui liceret, miſſis qui id peterent, Nunciis, obtinuit. Cumque in Regis, & Principum atque Procerum ſuum conſpectum & conuentum, iuxta pomerium habitum, germano fratre laico, *Henrico* de *Pławen*, & aliquot *Bohemis* & *Sleſitis* comitatus veniſſet, quid adferret, quidque expeteret, dici iuſſus, verba facit. *Maximo*, inquit, *prælio*, *maximaque ſtrage*, *legionibus*, *exercitibusque noſtris*, *& Ordinis noſtri*, *pridem a te*, *Rex potentiſſime & illuſtriſſime*, *deuictis & deletis*, *domiti*, *aduerſa quoque fortuna fracti*, *in quam ſuperos inferosque conſtat conſenſiſſe*, *dum Pruſſiæ Magiſter Vlricus & ſui Commendatores ad inſaniam verſi*, *pacem a te æquis conditionibus oblatam abnuerent*, *ſuperba quoque denunciatione & duobus gladiis vagina vacuis*, *terrerent: Te victorem manſuetum & pacificum rati*, *oratum obſecratumque venimus*, *ſpem*, *auxilium*, *& miſericordiam*, *a tua clementia obtenturi*. *Tuam itaque inuictiſſimam Maieſtatem ego oro & interpello*, *vt cuius magis intereſt*, *quia vicem Magiſtri gero; oro*, *inquam*, *per Paſſionem Domini noſtri Ieſu Chriſti*, *& eius cruorem pro reconciliatione generis humani fuſum*, *& per eius genitricem Virginem benedictam Mariam*, *eiuſdemque Virginis lac puriſſimum*, *quo Dominus noſter ipſe Ieſus Chriſtus vbere de cœlo pleno ablactatus & alitus eſt*, *dignetur tua Excellentiſſima Maieſtas*, *ſuæ indignationis nubilo mitigato*, *etiam vltionis flagellum poſtquam pompam*, *& arrogantiam noſtram ſufficienter coercuit*, *a nobis & noſtro ordine auertere*, *neque in noſtri ordinis perpetuam deletionem aſpirare*. *Et ſi tua benignitas preces noſtras*, *ad exauditionis gratiam admiſerit*, *perpetuum beneficium nos*, *atque Ordinem noſtrum*, *accepiſſe*, *a tua Maieſtate fatebimur*. *Contentique ſumus & erimus*, *ſi tua Excellentia Pomeraniæ*, *Culmenſi*, *Michałouienſi terris & earum caſtris*, *ciuitatibus*, *& oppidis receptis*, *quæ de Regni tui Poloniæ iure*, *corpore*, *& proprietate ſunt*, *& propter quas ſæpe bellum inter Regnum & Ordinem initum eſt*: *Pruſſiæ terras*, *magno numero & gentis veſtræ Polonicæ*, *cæterarumque nationum Catholicarum cruore fuſo*, *a barbaris quæſitas*, *Ordini reliquerit*, *ne Crucifericum Ordinem*, *ad militandum*, *pro defenſione Chriſtianorum a Paganis*, *inſtitutum*, *ex Pruthenicis regionibus*, *funditus extirpatum iri contingat*. Ea legatione petitioneque *Henrici* de *Pławen* Commendatoris, in frequens conſilium deducta, cum plus diffidentiæ quam humilitatis crederetur continere, variæ erant Procerum & Principum ſententiæ, ſecundis rebus rectum conſilium auferentibus, & non penſantibus Conſiliariis, breues & mutabiles rerum vices eſſe, nec vnquam fortunam alicui ſimpliciter indulſiſſe. Minus Conſiliariis, quam Regi, oblatio placebat, exiſtimantibus caſtrum *Marienburg* longam obſidionem non toleraturum, & Cruciferorum Ordinem, ſi illi Pruſſiæ relinqueretur terra, ad conquiſitionem earum terrarum, quibus ſe abdicabat, nacta occaſione temporis, aliquando graſſaturum. Plus itaque habendi, quam quæ offerebantur, *Polonos* tranſuerſos, & ingenium humanum ſecutos agebat cupiditas. *Wladiſlaus* quoque Rex, aliam ex alia credens ſibi felicitatem ſuccedere, ſpe maioris quæſtus, etiam eorum, quæ oblata fuerant, fecit naufragium; magna felicitate ingerente mentibus humanis cæcam caliginem. Etenim ſecundum tam proſperam fortunam, atque pugnam ad *Grunwaldt* relatam, victoriæ inſolentia *Wladiſlaus* Rex tumidus, inflatius quam Regi & victori conueniebat, reſpondendum conſenſit. In hunc itaque modum dari *Henrico* de *Pławen* reſponſum diffinitum eſt: quod *Sbigneus* de *Brzezie* Regni *Poloniæ* Marſchalcus, iuſſu Regio, pronunciat: *Si bona*, inquit, *fide*, *Commendator Henrice*, *ad pacem petendam veniſſes*, *non ea Regi noſtro conſignares*, *quæ diuina & humana lege*, *& ſua & Regni ſui ſemper conſtitit*, *atque conſtat fuiſſe*, *& iuſta deditione ad eum rediſſe*; *aliorum certe quæ deditionem abnuunt*, *& inprimis caſtri Marienburgenſis*, *te conueniebat deditionem obtuliſſe*; *quoniam & ea quæ dedita ſunt*, *& ea quæ deditionem renuunt*, *ſcias victoris premium eſſe*. *Non itaque habet Rex*, de

1410 *de quo tibi gratias agat. Verum ſi de caſtro Marienburgenſi exceſſeris, pro illius ceſſione Rex noſter eſt tibi gratias habiturus. Non etiam recuſaturus, Margeburgenſi caſtro dedito, Cruciferico Ordini congruam, & illi, quam in Almaniæ regionibus habet, conformem facere prouiſionem.* Ad hæc *Henricus* Commendator. *Eſtne igitur hæc finalis Regia voluntas, & non debemus ſperare benigniorem? Sbigneo* vero Marſchalco dicente, *eam quam pronunciarat, peremptoriam fore, & ſi pace indigeret conditiones conſideratiores adferri oportere.* Adiecit Commendator: *Confidebam*, inquit, *æquiſſimam ſupplicationis meæ oblationem Regem vltro acceptaturũ, calamitoſorumq; miſerturũ. Verum ego legatione, humiliatione & oblatione præſenti expiatũ ratus, quicquid ex rupto fœdere irarum in nos ſæuiebat cæleſtium, de caſtro Marienburgenſi nullo pacto excedam, quinimo, omnipotentis DEI auxilio, & Beatæ Virginis Mariæ tutelæ confiſus, defendere illud pro viribus conabor: Nec patiar Ordinem meum, etiamſi extrema perferenda ſint, ſic faciliter deletum iri.* Conuentu diſſoluto, Rex in tabernaculum, *Henricus* in caſtrum *Marienburg* ſe recepit. Oblatio autem Commendatoris *Henrici*, tam ſubmiſſa & humilis, magnam credita eſt commoditatem Crucifericæ parti attuliſſe; & quicquid ex fœdere rupto irarum cæleſtium in Cruciferos ſuperfuerat, vel expiaſſe, vel diminuiſſe: Parti vero Regiæ ob ſuperbiam nocuiſſe: temerariumque docuit eſſe, reſponſio illa cuique, donec victoris & victi incerta eſt conditio, & priuſquam claudatur bellum, inſultare. A die enim illa, felicitate Regis & ſuorum ſenſim labente, cauſa Ordinis magis ſecundos euentus habere cœpit. Paucis ſiquidem poſt diebus, hoſtes ex caſtro, in milites terræ *Vielunenſis*, negligentius circa bombardas obſeruantes excubias, inſiliunt; & captiuato Primipilario, vulneratiſque non paucis, aliquot etiam bombardas violarunt. Paullo vero poſt, Ducis *Maſouiæ Ianuſſii* vexillo, pares faciente excubias, impetu ſuo bombarda murum vnius exuſtæ lapideæ collidens, ingenti milites, qui ſubter murum conſtiterant, ſua mole oppreſſit. Sed neque tunc tantummodo, ſed & poſtea Regem in plerisque euentibus atque progreſſibus, caſus aduerſi comitabantur, habendo ad priorum temporum, quibus illi grandis felicitas arriſerat, comparationem & reſpectum: Tanta denique in Regio exercitu muſcarum, ex cadaueribus morientium equorum, ex inteſtinis pecorum aut pecudum atque ex fœtore & fimo, generata multitudo ſuccreuerat, vt non in nauſeam tantummodo exercitui, ſed & in pœnam verteretur. Vniuerſorum vero commeatuum grandis & vix credenda abundantia, qualem nec quis in propria æde & domicilio ſortiri poſſet, quolibet defectu circumſcripto, habebatur. Equi fere de vniuerſo exercitu in inſulam *Zolauam*

reſpuens

ad fortiter defendendum caſtrum Marienburg animat.

deducti, in bladis villarum, quas coloni deſeruerant, non ſecus quam beſtiæ indomitæ paſcebantur. Quorum cuſtodes domos agreſtium transfugarum ingreſſi, cum ſingula promptuaria, ſingulis victualibus redundarent non ſolum curabant reficiebantque corpora; ſed & frumentis in viciniarum ciuitatum fora deductis, magnam vim pecuniæ, veſtitu pro ſe prius mercato, in domos congeſſerant. In plerisque etiam villis *Pruſſiæ* & *Pomeraniæ* magna vis reperiebatur grani frumentarii, in ſpecubus ſubterraneis recondita, propter frequentiam guerrarum, ab agreſtibus ſtudioſe præparatis & egeſtis. Nec ſecus *Polonorum* exercitus, in caſtri *Marienburg* obſidione, quam in propria terra, propriiſque domatibus, ſilente vbique terra *Pruſſiæ*, morabatur: habens omnium commeatuum & rerum affluentiam, fœcunde prouenientem. 1410

Liuoniæ Magiſter *Hermannus* de *Vintkimſchem*, caſtro *Marienburg*, quod nimium anguſtiarum ſenſerat, clandeſtinum auxilium laturus, in *Pruſſiæ* terras cum quingentis armigeris aduenit, & circa oppidum *Kinsberg* in locis abditis latere cupiens, ſe locauit. Cuius ingreſſu Rex ab exploratoribus cognito, *Alexandrum* Ducem magnum *Lithuaniæ*, adiunctis illi duodecem *Polonorum* militum banderiis, ad decernendum cum illo, tranſmittit. Qui illum circa flumen *Paſzaria* vltra *Holand* offendens, inuadere illum altero die conabatur. Verum Magiſter *Liuoniæ Hermannus*, dolis non armis rem Ordinis ſatius, vt dudum animo deſtinauerat, fore proſequendam, cum Duce *Alexandro* petit colloquium. Quo impetrato ad caſtra ſua perſonaliter veniens, omnibus arbitris excluſis, clandeſtinos cum illo agit ventilatque tractatus, ipſumque ampliſſimis promiſſis & oblationibus, de abiudicandis, & nullo vnquam tempore petendis *Samogitarum* terris, quarum occaſione in arma ventum erat, in fauorem Ordinis perlicit: ſuæ magis *Lithuanicæ*, quam *Polonicæ* patriæ reintegrationem conſequi geſtientem. Ducis itaque *Alexandri Lithuaniæ* mercato fauore, *Balgam* de *Brandeburg* ſuo *Liuonico* exercitu remiſſo, ipſe tantummodo cum quinquaginta equitibus, ad caſtra Regia in *Marienburg*, ſub Ducis *Alexandri* conductu, pacta occulte Duci *Alexandro* promiſſa impleturus, proceſſit. Vbi perueniens, eiuſdem Ducis *Alexandri* practicâ & interuentione, promiſſis occultis inescati, ad caſtrum *Marienburg*, quaſi deditionem & fœdus pro Regis beneplacito perſuaſurus, ingredi eſt permiſſus. Illic diebus aliquot conſumptis, & tractatibus, conſiliiſque, de recuperatione caſtrorum, ciuitatum, & terrarum amiſſarum, de pactione quoque occultâ, cum Duce *Lithuaniæ Alexandro* celebrata, cum *Henrico* de *Plawen* habitis, diſcendit. Ab eo autem tempore præfatus *Henricus* de

Hermannus Liuoniæ Magiſter Polonis dolo malo circumuentis

it Marienburgum.

Plawen

1410

Plawen Commendator, maximos & alacres ſpiritus, in quos illum præfatus *Liuoniæ* Magiſter *Hermannus* direxerat, concipiens, pertinax, arrogans & faſtidioſus eſſe, neque de cætero de pace vllam mentionem habere cœpit, quin in tractatibus cum illo Regis nomine de pace habitis, ad obſeruationem earum conditionum, quas ipſemet accipi ſupplex rogauerat, & quas ſe Rex ſerâ æſtimatione, quantum bonum abnuiſſet, perpendens, offerebat accepturum, nullo pacto poterat inflecti: ſciens cor *Alexandri* Ducis magni *Lithuaniæ*, iam eſſe plurimum immutatum, & à proſecutione obſidionis, eiusque continuatione prorſus auerſum, vt oblatio terrarum Regno *Poloniæ* facta, in *Lithuanicum* tranſiret profectum. Acceſſit & alter Regi Regnoq; *Poloniæ* pernicies; præfato ſiquidem *Hermanno* Magiſtro *Liuoniæ* ex caſtro *Marienburgenſi* diſcedente, Plebanus de *Gdansk*, Ordine Crucifer, ætate vero vetulus & ſenex, quaſi obſidionis moleſtias euaſurus, diſcedebat, Rege id faciliter permittente, cum diſceſſus ſuus grandi periculo plenus, grandem peſtem foret, Regiis rebus, allaturus. Per hunc ſiquidem Plebanum, aliter nullatenus rebatur tutum, *Henricus* de *Plawen*, triginta aureorum nobilium millia, inter *Gdanenſes*, *Schlochouienſes*, & *Szwecenſes*, Commendatores, partienda, tranſmittit. Qui denique iuxta illius mandatum & inſtructionem auro huiuſmodi, non paruam mercenariorum militum manum, ex *Bohemis*, *Hungaris*, *Sleſitis*, & *Almanis* conduci procurarunt. Ex quo cuiuslibet ſanus concipere poteſt diſcurſus, quantum afferat diſcrimen, in caſtra & ciuitates, ſub obſidionis tempore, permittere licentiam introeundi vel exeundi.

Plebanus Gedanenſis triginta marcarum millia ex Marienburgo exportat.

Appetebat Dominæ noſtræ Virginis *Mariæ* natalis dies, in feriam ſecundam cadens, & *Alexander* magnus Dux *Lithuaniæ*, varias occaſiones, variaque ingenia congerebat, quibus poſſet cum exercitu ſuo *Lithuanico*, caſtri *Marienburgenſis* obſidione deſertâ, in *Lithuaniam* reuerti: aſſerens exercitum ſuum ægritudine dyſenterica, ex cibo delicato, cui non inſueuerat, vexari, & ni ocyus abeat, ampliori inualeſcentia vexatum iri: Quod etſi verum fuerit, poterat tamen huiusmodi ægritudo, facili curatione, ſi bona tantummodo mens affuiſſet, reſcindi. Quem etſi *Wladislaus* Rex conaretur multis ſtudiis & promiſſis reuocare a propoſito, ad extremum tamen animum eius videns variatum & parum ſincerum eſſe, paſſus eſt eum cum omni gente ſua abire. Qui licentia Regis obtenta, feria quinta intra Octauas Natalis *Mariæ* Virginis, ſui exercitus caſtra mouit, & ab obſidione *Marienburgenſi* diſceſſit. Non tamen auſus eſt, ne a *Liuonitarum* gente & aliis Cruciferis, eorumque ſtipendiariis, inuaderetur, ire ſine Regio conductu. Quapropter *Wladislaus* Rex, gentium ex Polonis ſex banderia illi attribuit. Qui eum ad fines *Lithuaniæ* perducentes, ad obſidionis ſtationes incolumes reuerſi ſunt. Diſceſſerunt & paullo poſt cum gentibus ſuis *Maſouiæ* Duces, *Semouithus*, *Ianuſſius*, & *Semouithus* iunior. Rex tamen cum reliquis exercitibus Regni ſui, quos conſtabat ex diſceſſione *Lithuaniæ* & *Maſouiæ* Principum diminutos eſſe, continuabat. Dum ſiquidem Cruciferi obſidionem caſtri *Marienburgenſis* & eius conquiſitionem propediem finiendam, ſi continuata fuiſſet, auerſuri, ſpem de reſtituenda *Samogithia*, maxima auiditate ab *Alexandro* expetitam, & ab effectu non abhorrentem, ei dederunt, vt *Alexander* ea ineſcatione inductus, alia mente, alioque animo, obſidionem & bellum deſerere, Penateſque repetere, in animum induceret, alius *Withawdus*, quàm fuerat, eſſe cœpit. Statui etiam ſuo *Withawdus* Dux vehementer timuit, ne Rege vniuerſa *Pruſſia* pacifice potito, ipſe a *Lithuaniæ* Ducatu deiiceretur.

Alexander prætextu laborantis dyſenteria ſui exercitus, obſidionem Marienburg deſerit

Duces inſuper Maſouiæ domum redeunt.

Interim *Bohemi* mercenarii, caſtri *Marienburg* defenſores, videntes trahi in longum obſidionem, in anxietatem verſi, cœperunt habere cum *Wladislao Polonorum* Rege per medium *Iaſibkonis Sokol Bohemi*, militis Regii, de prodendo caſtro *Marienburg* practicam & tractatum. Iamque inter Regem & proditores conuenerat, vt nocte ea qua illis excubiæ obtingerent, exercitum Regium portis in caſtrum intromitterent patefactis: re ſecuta, proditionis præmium, quadraginta florenorum millia, & impunitatem omnimodam habituri. Re autem huiuſcemodi in examen ſecreti conſilii deducta, iniquum & turpe Conſiliariis Regiis cenſentibus, hoſtium caſtra, fraude, dolis, proditioneque & auro intercipi, cum ferrum haberent, quo illa ſine ſuo & cuiuslibet alterius probro, licitum foret expugnari: licitaminis practica de conquirendo *Marienburgenſi* caſtro, qua & iuſtos bellatores frequentius vſos eſſe legimus, conquieuit.

Poloni obſidentes caſtrũ Marienburg pacta Bohemorum de eo prodendo, turpia ducentes reſpuunt.

Falſa poſthæc ſuggeſtione rumor, in Regiis caſtris vulgatus, percrebuit, *Sigismundum Hungariæ* Regem, cum gentibus & potentiis validis fines Regni *Poloniæ*, ſpoliis & incendiis conſumentem omnia, inuaſiſſe. Ex quo exercitus Regius, animum perfractum & ad redeundum procliuum, habere cœpit. Nec deerant Barones plerique, aſſidua inſtantia perſuadentes receſſum. Quo nouo & fama illius, militares & ciues *Pruſſiæ* vehementer perculſi, zelo nimio & amore, quo *Wladislao Poloniæ* Regi afficiebantur, Regem perſonaliter adeuntes, conueniunt; perſuadentque Serenitati ſuæ, *vt obſidionem caſtri Marienburgenſis nullatenus intermittat, continuatione obſidionis illius, & caſtri conquiſitione, quod propediem ſperandum eſſet, tum primum fructum victoriæ ſuæ percepturum. aut illius conquiſitione neglecta, cum ſingula caſtra, & ciuitates, ſuum do-*

1410 *dominium profeſſa, in obedientiam Cruciferorum & Ordinis reditura forent, amiſſurum.* Rege autem *Wladislao* defectum pecuniarum, propter quem mercenarii milites illi plurimum moleſti eſſent, allegante, & conquirendarum pecuniarum gratia, in *Poloniam* geſtiente reuerti, ſalubre illi conſilium, a militaribus & ciuitatibus *Prutbenicis* conſtat datum fuiſſe, quatenus ſingulis ciuitatibus *Pruſſiæ* exactionem imponeret, ſufficientes pecunias, non pro expediendis tantummodo ſtipendiariis, ſed & pro trahendo bello, continuandaque obſidione habiturus. Rex tamen, ne ciuitates *Prutbenicas* in primordio ſui Principatus, & in fide ac deuotione ſua fragiles, offenſum, iuraque eorum violatum, & ob id in defectionem iri contingeret, ab impoſitione exactionum abſtinere elegit. Sed & aliud conſilium æque optimum fuit illi perſuaſum, caſtra, & ciuitates, in *Pruſſiæ, Chelmenſi,* & *Pomeraniæ* terris, ſuæ Serenitati deditas, militibus mercenariis inuicem debiti, quo illis obligabatur inſcriberet, ipſis, conditionem eam ſe accepturos, vltro profitentibus; Et nihilominus in caſtri *Mariemburgenſis* obſidione ipſe perſeueraſſet. Sed neque conſilium illud, quamuis ſaluberrimum Rex probandum duxit, veritus, ne ſtipendiarii ciuibus & colonis *Prutbenicis* exiſterent, aut ponerent eorum fortunas in direptionem, aut de prodendis ciuitatibus & caſtris, cum hoſtibus, pecunia corrupti, ſentire inciperent. Dum itaque *Wladislaus Poloniæ* Rex alienis grauaminibus conſuluit, coactus eſt poſtea in ſe, & ſuis, maiora diſpendia experiri. Ex omnibus autem Conſiliariis Regiis, nemo tenacius, nemo feruentius & diligentius ſolui obſidionem, & redire in penates, quam *Andreas* de *Thaczin* Caſtellanus *Voynicenſis* præſumebat atque perſuadebat. Plures etiam ex militaribus & nobilitate in ſuæ opinionis votum conducens: *Annæ* de *Kraſznik* filiæ *Demetrii* Regni *Poloniæ* Vicetheſaurarii, amore, quam vnice adamabat ineſcatus. Ex omnibus vero Baronibus, nemo feruentius & liquidius, quam *Nicolaus* Regni *Poloniæ* Vice Cancellarius, obſidionem caſtri *Marienburgenſis*, vſque quo illud expugnari vel dedi contingeret, continuandam, multiplici aſſeuerabat perſuaſione. Oſtendens, obſidione ſoluta, plures graues & amaras Regi & Regno calamitates, impreſſiones, confeſtim emerſuras. Nec ſimplici conſilio & inſtantia contentus, lachrymas & ſuſpiria perſuaſionibus miſcebat.

Varia de ſoluenda Marienburgenſi obſidione conſilia.

Grauatus *Poloniæ* Rex *Wladislaus* ſuorum mercenariorum militum crebra, & ſibi plurimum infeſta admonitione, victus quoque nonnullorum ſuorum Baronum perſuaſu, atque inſtantia, caſtro *Marienburgenſi* inconquiſito, ab obſidione illius ſecedere deliberat. Et licet iuſſiſſet ſtricto ſilentio tegi huiuſmodi arcanum, percrebuit tamen illico in exercitu Regio rumor, obſeſſoſque magna hilaritate refecit. Veneris itaque die, ante feſtum Sancti *Matthæi* proxima, decima nona Septembris, *Prutbenicorum* militum & ciuium vtili & ſalubri nequicquam deterritus conſilio, ſtatiuis incenſis, ex medio gloriæ ſpatio, obſidione ſoluta diſcedit, victi magis quam victoris, in patriam, referens formam. Quod & illi in diſceſſionis articulo infauſto omine monſtratum eſt. Dum ſiquidem equus ſuus *Giſzawy*, cui conflictus magni tempore inſederat, duceretur ad aſcendendum, & ſonoro clamore, pedibus terram ſcalpens, hinniret, ſtrepe iam pedem Rege inſerente, ſubito cadens extinctus eſt: mortis ſuæ fato indicans, per receſſum Regium a caſtri *Marienburgenſis* obſidione, lætas res & ſecundas, quibus hactenus Rex vſus fuerat, occaſuras fore portendi. Certum ſiquidem erat, imo certiſſimum, caſtrum *Marienburgenſe*, vnius tantummodo menſis ſpatio exacto, in poteſtatem Regis venturum, cum obſeſſi commeatu, multis annis in eam rem comparato, deficiente, mandere ſiliginem coctam cogerentur. Quo cibo corpora humana infecta, & in diſenteriæ morbum verſa, atrocem peſtem contraxerant, qua plurimi dietim extinguebantur mortales. Non valentes itaque tam peſtiferam perferre luem, *Henricum* de *Plawen* Commendatorem ſinguli conueniunt, anguſtiiſque ſuis expoſitis, non ſe vlterius obſidionis moleſtias propter imminentis mortis, quæ illos ſenſim conſumit, periculum, toleraturos, ſed caſtro exceſſuros declarant. Qua denunciatione *Henricus* Commendator perterritus, aliquot aureorum millia inter obſeſſos partitur. Inſtantiſſime deprecans, *quatenus diebus tantummodo quindecim obſidionem ferrent. Se auiſatum & certum fore differens, Poloniæ Regem ab obſidione propediem receſſurum.* Qui tam prece & pretio permolliti, ſuſtinere quidem obſidionem diebus quindecim paciſcuntur. Ea conditione interiecta, vt illis lapſis, poteſtas omnis apud illos, de caſtro *Poloniæ* Regi dedendo, conſiſteret. Antequam igitur dies illi quindecim lapſi forent, *Wladislaus Poloniæ* Rex, diſſuadentibus & improbantibus, fideliſſimis Conſiliariis, & diſſuaſionem illam gemitu & lachrymis proſequentibus, diſceſſit, & victoriarum ſuarum ſempiternos titulos, tam facili & merito deplangendo titulo, fuſcauit. Vbi tum primum ad liquidum apparuit, neſciſſe Regem, poſt conflictos hoſtes, victoria & tempore vti. Multa enim execrabilia & peſtifera bella receſſus ille perduxit. *Andreas* de *Thaczin* Caſtellanus *Voynicenſis* diſceſſionis huiuſmodi primarius prohibebatur author. Qui cum inter militares vulgareſque non mediocri authoritate polleret, facile plurimorum ex communitate militum, coniuges, domos, & pignora reuidere geſtientium, animos ad diſcedendum animavit, interiecta occaſione, quaſi ter-

Marienburgenſis caſtri obſidio ſoluitur. 1410

re

1410 ræ *Cracouienſes & Sandomirienſes*, ab *Hungarorum* vrerentur vaſtarenturque exercitu. A cæteris quoque Conſiliariis *Polonorum*, ab his A præſertim, quos Dux *Alexander Withawdus* pretio vel pollicitatione aſſerebatur perſuaſiſſe, ſumma ope enixum eſt, vt Rex obſidionem *Marienburgenſis* caſtri quantocyus ſolueret. Ita bonum publicum, vt contingere frequentius ſolet, a priuato deprauatum eſt, *Waldiſlao Poloniæ* Rege, non ex ſuo, ſed ex aliorum arbitrio, propter hebetudinem tam ſactiuitatis quam ingenii, ſingula in bellicis & domeſticis rebus adminiſtrante.

Caſtri *Marienburgenſis* obſidione *Wladiſlaus Poloniæ* Rex diſcedens, & graue præda omnis generis agmen trahens, die illo in B *Quidzin* peruenit. In tranſitu autem ſuo in caſtrum *Schtum* deſcendens, miſſa illic audita, *Andreæ Brochoczki* militi, dat illud in tenutam, relinquens illi in ſubſidium nonnullos Curienſes ſuos, viros bellatores, videlicet *Hankonem Chełmski*, *Canimirum* de *Tuchowiecz*, *Ioannem Goli*, *Pakoſzium Biſtranowsky*, *Petrum Czebrowsky*, *Bieniaſſium Goworzincsky*, *Barthoſſium* de *Trebowla*, & alios. Qui poſt Regis ex *Pruſſia* receſſum, adeo infeſtis dimicationibus, inuaſionibus, damnis, & vexationibus Cruciferos in *Marienburg* conſiſtentes, offendebant, laceſſebantque, vt etiam illis dierum vno, decem millia florenorum pro ſtipendiariis fouendis vecta, magna cæde in conductores edita, abſtulerint. Rege veniente in *Quidzin*, *Henricus Pomeſanienſis* Epiſcopus loci illius, cum Canonicis & Clero, Regi proceſſionaliter occurrens, debita veneratione illum excepit. Regeque Eccleſiam Cathedralem ingreſſo, cuiusdam *Dorotheæ* fœminæ religioſæ, & deuotæ, quæ ſolitariam & arctam vitam ducens, pleriſque clareſcebat miraculis, nondum tamen Canoniſatæ, cellam & habitationem oſtendebat. Datis autem Epiſcopo, Clero, & ciuitati, quas petebant, libertatibus, ex *Quidzin*, die altero diſcedens, claudi ciuitatem, genteſque ſuas ad illam ingredi prohibuit, veritus Epiſcopum, & ciues, ſpoliatum violatumque iri. In caſtris tandem, medio miliari a ciuitate locatis biduum exegit, & ſequenti Sabbato die plures currus victualibus oneratos, in *Schtum*, pro eius fulcimento tranſmiſit. Caſtra autem ipſa ſupra oppidum & lacum *Gardzieie* ſita erant.

Henricus Mag. Pruſſiæ ad apparandum bellum pecuniam conquirit.

Henricus autem de *Plawen*, in locum Magiſtri *Pruſſiæ* ſuffectus, amiſſum prælium, & terras *Pruſſiæ* recuperaturus, miſſis ad *Venceslaum Bohemiæ* Regem Nunciis, bona Ordinis notabilia *Chomuthow*, in Regno *Bohemiæ*, quatuor millia florenorum de introitibus habentia pro centum quindecim millibus florenorum vendidit eidem *Venceslao* Regi in auro parato, ſub ſpe redemptionis, quæ non ſunt redempta in hanc diem. Hiſque pecuniis mercenario milite conducto, bellum ex integro reſtaurauit. Alia inſuper centum florenorum millia, apud ciues *Gedanenſes* iam in ſuam ſpectantes ditionem, facile ſibi præbita, in mutuum accepit. 1410

Die Dominico Sancti *Matthæi*, vigeſima prima Septembris, motis Rex a *Quidzin* caſtris, venit mane ad caſtrum *Radzim*, in cuius obſidione gentes Regiæ a tempore conflictus magni vſque in diem illam, ciuitate in fide & obedientia Regis exiſtente, inſederant. Et poſitis ſtatiuis in vnius miliaris quartali a caſtro ſupra lacum *Meldeze*, deliberat Rex, ſolueretne ſibi illius obſidionem, an expugnationem ipſius intendere conueniat. Capta autem erat deliberatio, Regem nullatenus caſtri conquiſitionem tentaturum, cum ſitu & munitione foret firmiſſimum; Egregios inſuper haberet defenſores: ſimulaturum tamen impugnationem craſtina die, ſi quo modo obſeſſi pauore conſternati, ad deditionem perlicerentur. Itaque primos *Radzinenſium* ad colloquium euocatos, vt caſtrum ſine ſanguine ſibi dederent, perlicere conatus eſt. Quibus aſpernantibus, vi & armis illos adoriri in craſtinum diſtulit. Id conſilium non induſtria ſagacius, quam euentu extitit felicius. Vulgata enim in exercitu fama, Regem die craſtina obſeſſorum impugnationem decreuiſſe, vix prandio finito milites ſuapte in C arma & expugnationem *Radzin*, iniuſſu Regis, traduxit. Nullo enim exercitus ſolicitatus monitore, auidiſſime proceſſit, caſtrumque ab omni parte maximo impetu expugnare cœpit. Et quamuis Cruciferi, & obſeſſi cæteri, quinque & amplius horis probe reſtitiſſent, tamen a militibus *Poloniæ*, feruentiſſime impugnationi inſiſtentibus, telis & ſagittis, tam denſa & frequenti proiectione, vt nemo digitum auderet exerere, confoſſi, animoſitate relicta, & defenſionem omittere, & de poſſeſſione caſtri excedere, coacti ſunt.

Caſtrum Radzim capitur.

Iam ſiquidem *Dobeslaus* de *Oleſchnicza* miles, cum ſui banderii gentibus, valuam caſtri inferioris perfregerat, & ſcuto ſuo effractorem D protegens, bombardæ minoris ſeu fiſtulæ ictum, qui ſcutum perforauit, exceperat. Iam inſuper caſtrum altius *Petrus Chelmsky* miles primus, *Floriano* de *Korytnicza* Caſtellano *Viſlicenſi*, & aliis illum ſequentibus, conſcenderat, & Vice-commendatorem caſtri, virum animoſum, ſibi in *Parkani* muro occurſantem, certamine inito, in fugam verterat. Iam antemurale caſtri *Petrus* de *Oleſchnicza Sandomirienſis* Venator, cum aliis militibus intrauerat, & in uno pede vulneratus, ſolo ſe clypeo ne ſuperne violaretur, defendebat. Obſeſſi itaque tot malis anguſtiati, ne in poteſtatem furentium militum deuoluti, extrema pati cogerentur, caſtrum Regi, armis abiectis, dedunt. Quod Rex circa Completorii horam ingreſſus omnibus obſeſſis & captis, inter quos quin-

1410 quindecim Cruciferi, viri ſenes & grandæui habebantur, mortem indulſit, eos tamen in captiuitatem coniecit. Notabilibus inſuper theſauris, clenodiis, & rebus nobilibus, & victualium abundantia caſtrum refertum reperiens, theſauros & res nobiles, in milites erogauit, caſtro vero victualia reliquit. 1410

Rex collatis præſidiis caſtro Radzim

Caſtro *Radzim* conquiſito *Wladislaus Poloniæ* Rex, feria tertia poſt feſtum Sancti *Matthæi*, vigeſima tertia Septembris, commendato caſtro *Radzim* in tenutam *Iaſſkoni Sokol* militi *Bohemo*, fidei ſpectatæ & animoſitatis, cum quo in eodem caſtro frequens *Polonorum* & *Bohemorum* numerus remanſerat, & inter alios *Ziſchka Bohemus*, proceſſu temporis famoſus exercituum in *Bohemia* ductor, crebris nobilitatus victoriis, item *Angelus*, aliique quam plurimi. A *Radzim* diſcedens ad caſtrum *Rogozno*, ab inde vero in *Golub* feria quarta peruenit. Vbi in caſtro pranſus, fluuium *Drwanza* tranſgreditur. Et terram ingrediens *Dobrzinenſem*, copias exercituum ſuorum licentiat, & vnumquemque in ſuam remittit regionem.

dimiſſoque exercitu

Exacto autem die eodem nocturno, prope *Czechocin* feria quinta ante diem tranſlationis Sancti *Stanislai*, Rex in *Przipuch* deuenit, *Viſlam* ponte ex nauibus, qui illuc demiſſus ex *Ploczko* fuerat, ſuperaturus. Stabat autem in *Przipuch* quinque diebus, quoniam inter illos fato quodam occulto, pons ægre componi ſtabilirique poterat, qui alias Rege in *Pruſſiam* procedente, dimidio diei ſtabiliebatur. Rex quoque non ſine labyrintho, & graui conatu *Viſlam* traiecit cum ſuis, vt etiam in ea re fortunam pro comperto habitum eſt, ſuam erga Regem alacritatem variaſſe. Tunc quoque exercitus *Polonicus* in loca varia ſuorum domiciliorum diuertit, onuſtus auro & argento, cæteraque nobili ſupellectili, quam ſecum quiſque ad proprios penates lætus & gaudens deferebat.

Viſtulam ponte ſuperat in Poloniam reuerſurus.

Rege Thorunium deflectente

Sabbato in die tranſlationis Sancti *Stanislai*, diſcedens *Wladislaus* Rex a *Przipuch*, venit in *Racziaſz*, die vero Dominico *S. Venceslai*, nauibus & mediocri comitiua in *Thorun* deſcendit. Quem omnis Clerus & populus, honore proceſſionis ſingularum Eccleſiarum de nauibus egredientem excepit, licet Plebanus *Thorunenſis* Crucifer fuerit, canendo Reſponſorium; *Tua eſt potentia, tuum Regnum Domine:* & in Eccleſiam Parochialem Sancti *Ioannis* introduxit. In qua Rex ſolenni & ſonora audita miſſa, in caſtrum *Thorunenſe*, prandii vnius tantummodo refectionem ſumpturus ſe recepit. Vbi dum ad ſuam Serenitatem *Iaſchko Sokol* Capitaneus Regius in *Radzim* aduenisſet, triſti fato obruitur. Per vnum ſiquidem ex ciuibus *Thorunenſibus* in conuiuium exceptus, atque in luceo venenatus, graui contracta valetudine, iuſſu Regio in *Brzeſczie* deductus, illic extinguitur, & ſepelitur.

Iaſchko Sokol veneno perimitur.

Ex vniuerſis autem *Bohemis* apud Regem militantibus, nemo alius præter hunc, ob animoſitatem fidemque, ac alias egregias, quæ in eo ſitæ erant, virtutes, acceptior Regi habebatur. Cuius obſequia præmians, etiam duorum filiorum *Nicolai* & *Iaroſlai* paternam curam geſſit, eosque in vrbe ſua *Cracouienſi* ſplendide educari, & literis latinis atque *Almanicis*, cæteriſque artibus, quibus ingenia politiora fiunt, imbui diſpoſuit.

Cuius filiorum Rex curam paternam ſuſcipit.

Caſtro *Radzim* in regimen militis *Dobeslai Puchala*, & *Alberti Malski* commiſſo *Nicolaum Noſtwicz*, *Thorunenſium* ſupplicatione matronarum deuictus, a captiuitate abſoluens, veſpere ex *Thorun* in caſtrum *Nyeſchow* nauibus tranſiit: matronis, fœminis & virginibus *Thorunenſibus Wladislaum Poloniæ* Regem in coronæ modum circumſtantibus, & faceto ſermone, precibus intermixtis, orantibus: *vt poſtquam viros earum, parentes, & cognatos in pugna Grinfeldenſi occidiſſet, ſtatus earum miſertus, de viris ipſis & curatoribus prouideat:* Rege reſpondente: *id ſe perquam libenter facturum, & cuique ſtatui earum prouiſurum.*

Feriam ſecundam, diem videlicet Sancti *Michaelis*, item tertiam & quartam, *Wladislao* Rege apud *Nyeſchouiam* agente, certus inibi nuncius allatus eſt, ſignificans *caſtrum Tucholya, quod Ianuſſius Brzozoglowi adminiſtrabat, vallatum, ciuitatem vero per oppidanos Cruciferis deditam. Hoſtes denique ad irrogandum Regno Poloniæ damna & incendia, ni opponatur reſiſtentia, breui graſſaturos fore.*

Oppido Tucholya dedito Cruciferis.

Qua nouitate, non ſecus quam par erat, Rex commotus, plures ex Curienſibus ſuis milites vacationem efflagitantes, prece & largitione retinuit. Vix tamen ex omnibus Curienſibus & militibus ſuis Regiis, centum, vel paulo amplius, poterant numerari lanceæ, quos Rex pro defenſione Regni, adiunctis illis *maioris Poloniæ* aliquibus diſtrictibus, in oppidum *Coronow* ſitu & muris debile, tranſmittit. Qui etſi in armis, equis, ſumptibus, & veſtitu parum prouiſi, arma ſiquidem rubigo, equos macies, ſumptus a domo longior militia, veſtes cauma & pluuia attriuerat, locum tamen prædictum, iuxta acſi arcem tutiſſimam, militare illic agendo præſidium, obſeruabant. Auxerunt etiam exercitum Regium *Sandouogius* de *Oſtrorog* Palatinus *Poſnanienſis*, qui cum banderio proprio, intellecta Regni neceſſitate aduenerat, & *Dobrogoſtius* de *Schamotuli* Caſtellanus *Poſnanienſis*, qui etiam gentes proprias miſerat.

Wladislaus Rex in Coronow collocat præſidium.

Sabbato in die Sancti *Franciſci*, *Wladislaus Poloniæ* Rex egreditur de *Nyeſchowa*, & in *Iuniwladislauiam* veniens, ſe & Curiam ſuam illic ſtabilit & locat. Defenſionem autem terrarum Regni ſui prouiſurus, certos milites in *Brodnicza*, alios in *Brzeſczie*, alios in *Nakiel*, alios in *Ripin*, *Cuiauienſes* & *Dobrzinenſes* terrigenas inter illos partitus, præ-

1410 præſidia & excubias contra hoſtes continuaturus, tranſmiſit, paucis admodum *Polonis* & *Bohemis* cum eo in *Iuniwladiſlauia* remanentibus. Quo illic agente, nouitas ad eum perlata eſt, caſtra *Oſterod*, *Nidborg*, *Dzyaldow*, quæ *Maſouiæ* Ducibus Rex commendauerat, propter defendentium paucitatem a Cruciferis intercepta eſſe. Duo etiam milites *Staniſlaus Charbinowski* de domo *Sulima*, & *Nicolaus Sinowiecz* de domo antiquorum *Caballorum*, veriti, ne extrema paterentur, ex *Coronenſi* præſidio fecerant diſceſſionem, & ad Regem *Iuniwladiſlauiam* venientes, aſſerebant, ad cohoneſtandum ſuum diſceſſum, hoſtium (vt re vera erat) maxima, ſua minima præſidia eſſe, & ni deducantur, periculum ingens exceptura. Anxium itaque de ſuorum ſalute Regis animum, intentiorique ſollicitudine grauem, & profluuio lachrymarum frequentius mœrentem effecerant. Nam neque illos ex *Coronow* reuocare cautum putabat, hoſtium veritus profundiorem in Regnum ſuum irruptionem, neque gentes aliquæ ſuberant, cunctis in domos diſcedentibus, quibus eorum paucitatem coaugere potuiſſet. Tunc quoque ad liquidum apparuit, in quantas difficultates & moleſtias, ſoluendo caſtri *Marienburgenſis* immature obſidionem Rex ſe ipſum & Regnum ſuum immature præcipitaſſet, & quantum partam ex victoria gloriam ſuam & gentis ſuæ obſcuraſſet. Dinoſcique ad integrum poterat, quantum bonum perſeuerantia, quam *Nicolaus* Regni *Poloniæ* Vice Cancellarius perſuadebat, quantum malum diſceſſio ab *Andrea* de *Thaczin* Caſtellano *Voynicenſi* procurata, ſecum trahebat.

De præſidio Coronenſi, Wladiſlaus Rex ſollicitus.

Cognito Cruciferi, qui caſtrum *Tucholya* obſidione cinxerant, exercitum Regium in numero tenui in præſidium aduenisſe oppido *Coronow* debili, & nullis munitionibus firmato, forti & numeroſo ex omnibus mercenariis militibus congeſto exercitu, inter quos fuit principalis Capitaneus *Kochmagiſter*, *nouæ Marchiæ* Aduocatus, & multi ex Curia *Sigiſmundi Hungariæ* Regis milites, qui in multitudine notabili, in Cruciferorum ſubſidium, ſufficienter ab ipſis ſalariati, *Sigiſmundo Hungariæ* Rege impellente, aduenerant, ad inuadendum eos exercitualiter proceſſerunt, quaſi certam prædam & victoriam eſſent occupaturi: ſuam videlicet multitudinem, hoſtium vero paucitatem, animo metientes. Veneris itaque die Sancti *Gereonis*, exercitus Regius venire aduerſum ſe hoſtem in graui multitudine habens pro comperto, *Thomam Scheligam* de *Wrzeſnia* de ſtirpe *Roſæ*, Succamerarium *Siradienſem* & *Nicolaum Dobicki* de ſtirpe *Grifonum*, ſpeculatum hoſtium quantitatem & numerum, tranſmittunt. Qui parum ſenſate & longius quam ſat erat, progreſſi, ab hoſtibus eos inſequentibus, ad quoddam lubricum lutum remorati, comprehenduntur, ſtatimque ab eis diligens per hoſtes inquiſitio exacta eſt, qualis & quantus A eſſet in oppido *Coronow* exercitus Regius. 1410 Qui ſubdole finxerunt illic gentes eſſe confuſas, agreſtes, & inexpertas, & faciliter, ſi quis inuadere præſumat, vincendas. Quos dixiſſe vera hoſtes rati, properantius verſus *Coronow* contendunt. Quo cum cominus perueniſſent, omnes de equis deſcendunt, pedeſtri itinere oppidum irrupturi. Milites autem Regii, prandio, quod ſumere cœperant, neglecto, hoſtium viſo aduentu, ſinguli in monaſterium, quod ſub monte ad fluenta fluminis *Dbra* ſituatum eſt, ſe tumultuando recolligunt. Armiſque propere indutis, per ſecre- B tos & hoſtibus ignotos meatus, congreſſuri, glomerata acie ſe euoluunt. Quorum conſpectu hoſtes deterriti vehementer, equis velociſſime, antequam a *Polonis* occuparentur, reaſcenſis, retrorſum, quanto ampliori poſſunt feſtinatione, abeunt, trahendo retrogradum iter ad ſpatium miliaris integri, ex quidem arte & dolo, vt Regiis gentibus in diſtantia remota ab oppido *Coronow* agentibus, non poſſet ex oppido a pedeſtri milite, ſub certaminis neceſſitate præſtari ſuccurſus. In huiuſmodi tamen retrogrado proceſſu, ſagittarii ex Regio exercitu, telis frequentibus illos obruunt, infeſtant, vulnerant, & in hoſtilem exercitum crebra irruptione inſilientes, C plures de illis proſternunt. Si quando vero hoſtes in ſagittarios ad dimicandum gradum reuerterent, ſagittarii ad cuneos ſuorum reuerſi, & ab eis tutati, impetu eorum fruſtrato, noua irruptione hoſtes laceſſebant. Huiuſcemodi præludio integro miliari inter gentes Regias & hoſtiles certatum eſt. At vbi ſatietas vlterioris progreſſus hoſtes cepit, monte in circuitu editiori occupato, prope villam monaſterii *Cracouienſis* dictam *Lanzko*, ſito, gentium Regiarum in eo, ad decernendum inſtructi operiebantur aduentum: rati ſe ex loci opportunitate maximum ad victoriam adiumentum habituros. Verum gentes Regiæ, ne ſimul cum hoſte & loco pugnare cogerentur, rectiori itinere verſus hoſtes omiſ- D ſo, in partem montis decliuiorem ſecedunt. Erant in vtroque exercitu copiæ, vt numero, neque genere hominum, neque vſu rei militaris contemnendæ viderentur, maximiſque animis deſcendebant in pugnam. Priuſquam tamen venirent in congreſſum *Conradus Nyemcz Sigiſmundi Hungariæ* Regis miles, *Sleſita*, ante acies, priuatus petens certamen, progreſſus, a *Ioanne Sczicz ky* milite *Polono* de domo *Doliwa*, munus ilud occupante proſtratus, & ex equo deiectus, quo vtriuſque exercitus fortuna arriſura foret, monſtrauit. Acies poſthæc maximo ab vtraque parte clamore ſublato congrediuntur, vnaquaque parte ſtrenue excipiente impetum, & fortiſſime dimicante. Vtrinque pari animoſitate,

1410 atroci parique Marte, horis aliquot pugnabatur, & aliquamdiu prælium dubium fuit, genusque hominum, armis, probitate, & exercitatione par, certamen in vtraque parte æquauerat. In ſuo enim quiſque gradu, vrgendo aduerſarium, ſine reſpiratione pugnabat. Bello itaque aſperrimo feruente inter vtroſque, & neutra parte inclinata aut referente pedem, tam vehementi labore & pugna vtraque laſſata eſt, vt pugnæ, quaſi ex compoſito fieret interruptio. Acclamatur itaque ab vtroque exercitu, vt pugnandi parumper obſeruentur induciæ. Quas vtroque exercitu acceptante, diſgrediuntur acies, & abſterſis ſudoribus, reſpirant, pauſant, geſtaque nonnulla & actus militares, velut familiaritate & conuerſatione noti, memorantur. Facta reſpiratione & pauſa aliquali, ſublatis induciis, acies iterum congrediuntur. Ac eadem qua & prius in vtriſque animoſitate manente, plures mortales hinc inde, aut cadebant, aut capiebantur. Deinde laſſitudine vtroſque inuadente, & nondum fortuna monſtrante, qua datura foret vires, vice altera ad reſumendum inducias, ab vtroque exercitu eſt acclamatum. Quibus acceptis & exercitibus disgreſſis, noua requie bellatores ſtrenuiſſimi potiti, ſuos & equorum ſudores abſtergunt, vulnera ligant, pauſant, ſermocinantur, commutant captiuos, equos ſibi interceptos hinc inde viciſſim reſtituunt. Pro quibus recognoſcendis licebat adire hoſtilem exercitum. Vina ad ſitim propellendam inuicem mittunt, ex equis intra præliandum deiectos, vulneribusque ita afflictos, vt conſurgere non valerent, ex palæſtræ loco, ne conculcarentur, ſubuehunt, vt merito non hoſtiles, ſed amiciſſimæ acies, a rerum ignaro credi poſſent. Dato poſthac requiei & pauſæ repudio, tertio quanto fortius poſſunt, decertant. Non aliud certamen vehementius fuiſſe, memoriæ proditum eſt, duorum nobiliſſimorum exercituum, in quibus & exercitatos, & veteranos milites conſtat conueniſſe, & pro victoria, quouſque vel violarentur, vel caperentur, ſumma vi, ſummoque conatu adnixos eſſe. Vſque ad tertium autem congreſſum anceps gerebatur inter vtroſque certamen, tenorque pugnæ par vtriſque erat. Sed interim miles Regius *Ioannes Naſchian* de *Oſtrowcze*, de *Bipennium* domo, hoſtilem primipilarium ſternit ex equo, & hoſtili vexillo adempto, ſellæ ſuæ contorques illud apponit, & illico *Polonorum* exercitus ſuperiori loco, hoſtilis vero pauore perculſus, ſigno amiſſo, deteriori eſſe cæpit. *Polonicus* itaque miles, grauius in perculſos & fugam ſpectantes inuectus, graui hoſtes cæde premit & ſingulis manipulis hoſtilibus auerſis, omnem exercitum hoſtilem, propitiatione Diuina, vincente pudorem metu, aut captiuauit, aut egit in fugam. Ceſſit autem hoſtis gradum, acrius inferentibus ſigna *Polonis*, deinde terga vertit. Et cum inſtitiſſent fugientibus victores, octo millia hoſtium cæſa, fugientesque quantum eorum vires ad perſequendum, dextræ quoque ad cædendum valebant, inſequebantur. Raro vllum certamen clarioribus decoris cum hoſtili pernicie conſtat fulſiſſe; ſi dies quiuiſſet: ſed nox ſuperueniens, ne ad integrum caperentur, contexit. Fuſi fugatique hoſtes & cæſi, edita paſſim per agros funera, decantatæque per ora virorum victoriæ erant. Inter diſciplinæ militaris peritos, congreſſus præſens & triumphus, magis celebris, magisque glorioſus & magnificus, propter vtrorumque conſtantem & pertinacem pugnam, quam conflictus magnus, eo anno in die Diuiſionis Apoſtolorum, apud *Grinwaldt* habitus, cenſebatur. Prælium enim atrocius quam pro numero pugnantium, (adeo vtraque acies animos ad vincendum obſtinauerat) edebatur. Vtriſque idem animus ad moriendum deſtinatus, & in prælio potius mortem, quam in fuga, oppetere. Nec immerito, vtraque enim acies habebat milites celeberrimos, frequentibus præliis exercitatos, corpore ſtrenuos, & animo fortes, quales difficile foret in quocumque altero progreſſu pari virtute adæquatos reperire, & omnes ad ſupremum certamen accenſos. Ab vtroque exercitu ſub vno tantum ſigno pugnatum eſt. Et exercitus quidem Regius geminatam crucem puniceam, in alba ſyndone inſutam pro ſigno habuit. Cuius *Petrus* de *Riterz* miles de domo *Bipennium* erat geſtator. Exercitus Crucitericus campum album & rubeum, diametraliter ſe contingentem, gerabat pro inſigni. Huius ferentarius erat *Henricus Francus* genere, in fuga captus, quæ proceſſu dierum fuit ſibi a ſuis contribulis frequentius exprobrata. Habitus quoque fuiſſet pro infami, niſi ipſum literæ Regiæ ab huiuſmodi nota, pro quibus perſonaliter Regem adierat, vindicaſſent. Rarum quoque certamen adeo clarum inter Catholicos & barbaros geſtum fuiſſe, memoria noſtræ ætatis, proditum eſt. In qua tanta conſtantia, ex parte vtraque pugnantes pro victoria forent adnixi. Et quamuis *Coronouienſis* triumphus re quidem minor fuit, quam *Grinfeldenſis*, verum exiſtimatione periculi, & feruore conſtantiaque certaminis, & illic depugnantium, palmæ etiam *Grinfeldenſi* anteferendus.

Prælio ad oppidum Coronow facto Cruciferi a Polonis vincuntur.

Capti autem fuere in ea clade atque fuga *Michael Kochmagiſter* Aduocatus *nouæ Marchiæ*, Capitaneus exercitus Cruciferici principalis: *Conradus Nyemcz* de *Sleſia*, & multi *Sigiſmundi Hungariæ* Regis Curienſes: *Conradus Elkinger*, *Conradus Truklſzeſz* in Magiſtrum Sancti *Ioannis* de *Lagow* poſtea promotus, *Balthaſar* de *Glowno*, *Hannus Lebel*, & multi alii; *Franconeſ*; *Sleſitæ*, *Bauari*, *Duringi*, *Bohemi*, *Rinenſes*, *Miſnenſes*, *Saxones*, *Sueui*. Exercitus quoque Regius, equis, armis, pecuniis cæteriſque ſpoliis vehementer ditatus.

Suc-

1410 *Victoriam nunciãti militi quingentas marcas Rex donat,*

Succeſſum autem tam triumphalem & felicem exercitus Regius *Wladiſlao Poloniæ* Regi celerrime curauit per *Zaklikam* de *Korzkew* mi- A litem ſignificare. Qui nouitate tam inſigni percepta, in ſingultus, ſuſpiria, & fletus ruens, gratias agebat in DEVM immenſas, & prædictum *Zaklikam* de *Korzkew*, bona & felicia ſibi nunciantem, quingentis marcis remunerat. Sabbato in craſtino conflictûs. *Polonici* milites notabilioribus captiuis aſſumptis, in certaminis locum deſcendunt & propriorum atque hoſtium interfectos collectos, curribusque impoſitos, in *Coronouienſe* monaſterium deducunt,

ſuis & hoſtibus iuſta peragit,

& ſolennibus exequiis celebratis, omnibus captiuis præſentibus, & ſuorum & ſu- B am cladem magno eiulatu deflentibus, honorifica condunt ſepultura. Erat inter deſideratos adoleſcens notabilis *Vlricus Erkingar* adeo locuples, vt pro redemptione ſua parum illi foret ſexaginta millia florenorum exoluiſſe. Cuius mors a captiuis ſingulariori deflebatur luctu, & quem obtinuerunt ſingulari humari ſepulchro. Die Dominico ante feſtum Sanctæ *Heduigis*, duodecima Octobris exercitus Regius de *Koronow*, ducens in ſuo comitatu captiuos & ſpolia, diſceſſit, & *Bidgoſtiam* veniens, tribusque diebus illic quieſcens, hoſtilia ſpolia, belligerantium more, ex æquo partiebatur: Poſthæc feria quarta in feſto Sanctæ *Heduigis*, *Iuniwladiſlaniam* ad Regem, in C grandi equorum & curruum multitudine, venit, quem longus captiuorum ordo, qui aut in ſexaginta quadrigis, ob eam rem per Regem tranſmiſſis, aut equis vehebantur aut pedes ibant, velut athletas ſequebatur. Apparari autem *Wladiſlaus* Rex pro captiuis ſplendidam cœnam, eorumque mederi & alligari vulnera iubens, certos milites, qui illis ad tabulas ſedentibus deſeruirent, adiunxit.

ad captiuos cœna liberaliter exceptos

Ad omnes denique ſuos milites vulneratos *Wladiſlaus* Rex propria in perſona, nocte illa, cum candelis, viſitaturus, eos, in loca apud quæ hoſpitabantur deſcendit: neminem neglectum reliquit, quin foueret antidotis, & extolleret verbis, priuatum non Regem crederes, ad colligendam gratiam, priuati hominis in morem nihil negligen D tem. Et omnibus militibus ſuis pro fortibus actis eorum, in præfato prælio oſtenſis, dona Regalia liberaliſſime eſt largitus. Eodem prætereà die, cœna finita, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, quam magna euidenti iuſtitia & æquitate ſua, quam vero ingenti iniquitate & iniuſtitia Cruciferica cauſa referta eſt, apud captiuos longo ſermone diſſeruit. Et poſt hæc argutos, *non recte illos egiſſe, quod pro cauſa iniqua pro Cruciferis arma aſſumerent.*

verba facit,

Reſponſum a captiuis accepit: *Non ſe vnquam, ſi Ordinis iniquitatem & Regis æquitatem noſſe valuiſſent, ad infauſtum bellum deſcenſuros, vt pro Ordine contra Regem arma ferrent.* Feria quinta in craſtino Sanctæ *Heduigis*, captiuorum nominibus, conditionibus, & dignitatibus conſcriptis, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, dato repræſentationis termino & loco, ſingulos captiuos pia benignitate remiſit; ſolo *Michaele Kochmagiſter Aduocato nouiæ Marchiæ* excepto, quem Rex in caſtrum *Chaczinenſe* vinctum relegauit. 1410

& vno excepto omnes dimittit,

Milites autem, qui tam inſignem de hoſtibus retulerunt triumphum, hos conſtat fuiſſe: *Sandiuogius* de *Oſtrorog* Palatinus *Poſnanienſis* de armis *Nalæcz*; *Matthias* de *Labiſzin* Palatinus *Brzeſtenſis* de domo *Bipennium*; *Petrus* de *Myedzwiedz* Capitaneus & Dux Regii exercitus de antiquo equo, *Mſczugius* de *Skrzin* de Armis *Cygnorum*; *Iacobus Kobiliensky Grzimalitha*; *Nicolaus* de *Powała* multis clarus vulneribus; *Gnieuoſſius* de *Dalewycze* de *Strzegomya*; *Ioannes Farurey* de *Garbow* de *Sulima*; *Nicolaus Chrzaſtowky* de *Strzegomya*; *Petrus Ritersky*; *Ioannes Naſchian* de *Oſtrowicze*; *Ioannes Noſz* de *Dobrkow*, omnes hii tres de armis *Bipennium*, *Skarbek* de *Gory* de familia *Habdank*, *Dzik* de *Kadłub*, *Nicolaus Bielawsky* de *Kozlierogi*; *Stanislaus Ielitho* de *Doliwa*; *Bartholomæus Plomikowsky* de domo *Wyeniawa*; *Zaklika Korzekwiczky* de *Srokomlya*; *Criſtinus Magiero* de *Goworziczow*, de armis *Rawa*, *Ioannes Sczieczki* de *Doliwa*, *Dobeslaus Oleuinski* de domo *Oſtoya*, *Dobeslaus Okwya* de familia *Wyeniawa*, *Ioannes Rey* de *Nagłowicze* de armis *Okſcha*, *Domarathus Kobilinsky* de *Grzimała*, *Albertus Malsky* de *Nalæcz*, *Dobeslaus Puchała* de *Wagri* de *Wyeniawa*, *Thomas Kalski* de *Roza*, *Derslaus Włoſtowsky* de *Okſcha*, *Alexander Gorayski* de *Cyphis*, *Caſimirus* de *Tuchowiecz* alias de *Kunraczicze* de domo *Zgraia*, *Grzimała Zernicki*, *Ioannes Czeluſtka*, *Martinus* de *Wroczymowicze* de domo *Polukoza* Vexillifer *Cracouienſis Andreas Brochoczky* de *Oſzoria*, *Swiatopełk* de *Zawada* de *Vulpibus*, *Ioannes Grzimałka*, *Budek* de *Zaborze*, *Slanka* de *Rudka*, *Nicolaus Borowyecz*, *Ioannes Lion*. Quos omnes dignitatis & honoris cauſa, & propter eorum heroicam virtutem, factaque fortia, nomino: celebritatem, famam, decuſque inſigne, & immarceſcibilem laudem apud præſentes, & poſteros, & in omnium, qui præſentia noſtra legerint, ſcripta, pectoribus pro ſingulis, vnoquoque eorum, relicturus.

ſuos milites præmiis honorat.

Id ipſum demum Cruciferorum attriuit hebetauitque ſuperbiam, frementibus contra illos propriis militibus & ciuibus, quod impia & contra fœdus ictum bella gererent, nullam proſperitatem, niſi regiones & ſubſtantias, quas abſtulerant, Regno *Polonico* reformarent, habituri. Cuius belli magnitudo & celebritas, etiam ex hoc maxime poteſt perpendi, quod poſt pugnam præfatam, Cruciferi & eorum Duces, nuſquam contra *Polonos* iuſtam pugnam conſerere, aut aciem inſtruere in annos multos, tumultuariis tantummodo contenti præliis, audebant.

Secuta fuit ſecundas res ad *Coronow* geſtas ad-

1410 aduerſa fortuna. Sabbato ſiquidem in craſtino Sancti *Gereonis*, altera videlicet die poſt conflictum, Cruciferi caſtrum *Tucholya* obſidentes, plures homines armis indutos, & idiomatis *Polonici* gnaros ſignanter quendam militem *Nawir*, qui proprio Rege deſerto, ad Cruciferos transfugerat, coram *Ianuſſio Brzozoglowy*, & cæteris in caſtro *Tucholya* obſeſſis, producunt & oſtentant.

Ianuſſius Brzozogłowy

Aſſerentes ſe de exercitu Regis ante *Coronow* inſignem triumphum retuliſſe, & in ſignum victoriæ, præfatos armatos quaſi illic comprehenſos, adduxiſſe. Et vt fides relationi eorum vafræ aſtrui poſſet, ornauerant præfatum *Nawir Dobrziuenſem* militem, rotundo & ex margaritis texto crinali, quod *Poloni Potlik* appellant, & quod feruente certaminis *Coronouienſis* progreſſu, a *Nicolao Powała* ex equo deiecto, & pene iam capto, *Almanus* quidam detraxerat.

dolis hoſtium circumuentus

Oſtentant itaque Cruciferi prædictum *Nawir*, huiuſcemodi crinali & armis ornatum, *Ianuſſio Brzozogłowy*, finguntque illum *Nicolaum Powałam* eſſe. Verum etſi *Ianuſſius Brzozoglowy* crinale, quod monſtrabatur, *Nicolai Powała* Regii militis agnouiſſet, quærit tamen a *Nawir*, *vt quis eſſet, quaque fortuna foret*, ediceret. Qui ſe *Nicolaum Powała*, & exercitum Regis a Cruciferis deuictum eſſe mentitus, *Ianuſſium Brzozogłowy* & in credulitatem eorum omnium quæ Cruciferi commentauerant, & in grandem pauorem impellit. Ea enim denunciatione perculſus, & ignarus cædis de Cruciferis factæ, quæ ſibi nocte ſuperueniente, a Capitaneo Regio, alia occupatione mentem diſtinente, difficulter poterat intimari, cum hoſtibus de dimittendo caſtro *Tucholya*, tractatum ingreſſus, paciſcitur.

caſtrum Tucholya dedit Cruciferis.

Et impletis pactis, caſtro dimiſſo cum omnibus qui ſecum obſidionem tolerauerant, ad Regem *Iuniwladislauiam* venit. Intelligens autem exercitum Regium, magnificum de hoſtibus retuliſſe triumphum, & ſe hoſtium dolis circumuentum, in flebiles ſingultus prorumpens, & manu violans diſcerpenſque capitis ſui cæſariem, pudore & dolore nimio angebatur, quod vir alioqui in bellis exercitatus, & diſciplinæ militaris peritus, tam fœda & callida vafricie ſe permiſiſſet circumueniri, & caſtro firmiſſimo per colluſionem & fraudem ſpoliari. In omni ſiquidem vita ſua & ſubſecuta & tranſacta, in nullam tam fœdam & ſibi turpem a fortuna, quæ illi plurimos largiebatur ſucceſſus, præcipitatus erat.

Collegerat poſt hæc *Pruſſiæ* Magiſter *Henricus* de *Plawen* magnum numerum mercenariorum nouorum militum, ex variis nationibus & linguis. Inter quos *Ebrehardus Herbipolenſis* Epiſcopus, *Ioannes* Dux *Minſterbergenſis*, alias *Sambienſis* de *Sleſia*, præcipui habebantur, qui curruum, bombardarum, cæterorumque bellicorum apparatuum multitudine freti, ordinatione *Pruſſiæ* Magiſtri & Cruciferorum in *Tucholam* deducti, ad inuadendum *Poloniæ* Regnum, graſſabantur, nudatam præſidiis oram petituri. Qua A nouitate per exploratores *Wladislaus Poloniæ* Rex comperta, terras *maioris Poloniæ*, *Vielunenſem*, *Poſnanienſem*, *Lancicienſem*, *Cuiauienſem*, *Dobrzinenſem*, *Siradienſem*, mouit in expeditionem. Ipſe de *Iuniwladislauia* die Dominico, ante feſtum Sanctorum *Simonis* & *Iudæ* egreſſus, facit nocturnum in **** Feria vero ſecunda in vigilia Sanctorum *Simonis* & *Iudæ* Apoſtolorum, venit *Bidgoſtiam*, quo iam copiæ ſuorum militum ex terris prædictis conuenerant, deliberatione, quid agi expediret, inita, Rex in *Bidgoſtia* ſe continens, exercitum, qui conuenerat, in terras hoſtiles transB mittit, adiunctis illi ſuæ curiæ militibus, & præficiens exercitui ſub duodecem ſignis militanti, *Petrum Schafraniecz* Succamerarium *Cracouienſem*, in Capitaneum & Ductorem. Feria itaque tertia in die Sanctorum *Simonis* & *Iudæ*, exercitus Regius, equitum peditumque haud contemnenda cohors, maiorum quam pro numero ſpeciem gerens, ex *Bidgoſtia* egreſſus, *Wladislao* Rege ad ſpatium medii miliaris cum ſuſpiriis & lachrymis eum proſequente, omnibuſque quadrigis & impedimentis, quo expeditior foret ad ſingula, in *Bidgoſtiam* remiſſis, celerrimo curſu, vaſtando & inC cendendo hoſtilia, die eodem vſque in *Tucholya* peruenit. Et collocato exercitu in apto inſidiarum loco, ſexingentos baliſtarios ad irritandum hoſtes, in *Tucholia* conſiſtentes, tranſmittit. Quibus prædas & ſpolia in pepore agentibus, hoſtes ex *Tucholya* graui agmine facto, in ſexingentos *Polonorum* ſtipendiarios, trepidationem & fugam ſimulantes, propero curſu, non plures quam ſe oſtenderant rati, inuecti, vſque ad inſidiarum locum pertrahuntur. Contra quos Regius exercitus, ſignis extenſis, ex inſidiis conſurgens, ad decernendum properabat. Hoſtes vero quamuis numero ſuperiores, conſpectu Regii exercitus territi admodum, omnes in præcipitem dilabuntur fugam: Quos fugientes, *Petrus* D *Schafraniecz* militiæ Regiæ Capitaneus, licet multipliciter a militibus rogatus, pares quas ſtruxerat inſidias, & ipſe veritus, longo tempore prohibuit, nec niſi diſcuſſo metu, videns hoſtes effuſe nimis curſum in oppidum agere, exercitui Regio ad perſequendum ſignum dedit.

Præſidium Tucholienſe Poloni fundunt fugantque,

Quos licet tarde, animoſe tamen, vſque ad portas oppidi *Tucholya* perſecuti, multis cæſis atque captis, etiam quinque hoſtium Capitaneos, videlicet *Ioannem Czolowroth* de *Cornohuſz*, item *Zachicz*, *Ioannem*, *Henricum Malowiecz Bohemos*, *Herward Reydburg* de *Sleſia*, & *Henricum* de *Zeben* de *Luſatia*, comprehendunt. Caſtris inſuper hoſtilibus & omnibus curribus eorum, ante oppidum conſiſtentibus, qui per trepidationem & feſtinationem, preſſura etiam fugientium impediente, in oppidum nullatenus poterant inferri, exercitus Re- 1410

1410 Regius potitus, magnam prædam illic repertam diripuit. Creditum fuit a multis, peritiam rei militaris habentibus, quod ſi in bono tempore *Petrus Schafraniecz* Capitaneus perſequendi fugientes licentiam dediſſet, clade nimia omnis ille hoſtilis exercitus, paucis euadentibus, fuiſſet deletus. Spectabant, dum præmiſſa agerentur, *Conradus Nyempcz* Regius, & *Ioannes* iunior *Powala* Crucifericus, captiui, nonnullique alii, ex caſtri *Tucholya* muro. Viſoque *Conradus Nyempcz* banderio Regio, quod geminatam crucem cœruleam in campo cœleſtino habebat pro inſigni, fertur ad circumſtantes dixiſſe: *Ex quo hoc ſignum, & hac plachta prolabi in fugam ignara, prodiit, e veſtigio contuebimur pulcherrimum certantium præludium.* Videns tandem ſuos nullo congreſſu facto, fugiſſe, adiecit: *Succenſentur nobis, quod clade Coronouienſi ad extremum victi, in manus victorum venimus; quanto magis his ſuccenſendum eſt, qui ſolo hoſtili reſpectu territi, nulla neceſſitate acti, vertere terga. Nos quidem, vt viros decuit, ad Coronow pugnauimus, virtutiſque noſtræ egregia dedimus, ſemel & ſecundo, & tertio congreſſi, experimenta: ii vero neque pugnæ initium libarunt. Experti quoque profiteri poſſunt, ſi quid mucro, & brachium Polonorum, valent.* Fugit tunc inter alios Dux *Ioannes Minſterbergenſis*, & omnes notabiliores. Quidam vero cum ſe oppidum ingredi deſperaſſent, equis relictis, vndis ſe crediderunt: vbi eorum magnus numerus ſuffocatus interiit. Plures extabant aquis quam gladio deſiderati. Multi denique neque in *Tucholya* ſe ſecuros rati, verſus *Choynicza* velut locum munitiorem diffugerant: ſed & in illa quoque fuga a *Polonis* perſequentibus captiuabantur.

Exercitus Polonus a Tucholya recedit.

Nocte adueniente, exercitus Regius totius diei labore, fatiga, & eſurie preſſus a *Tucholya* diſgredi cœpit, ſibi & equis victualia in aliquo loco reperturus; Hoſtium autem ſpoliis & quadrigis ſarcinatus, & nullo regulatus ductore, noctem illam caliginoſam nimis, cum neque luna pernox eſſet, neque ſydera lucerent, hinc inde errans gyrabat. In diluculo vero, agnoſcens ſe nonniſi medium miliare tota nocte illa confeciſſe, & a caſtri *Tucholya* conſpectu nondum abiiſſe, vehementi timore, ne quid hoſtes in fatigatos, laſſos, & famelicos auderent, perculſus eſt. Itaque in *Bidgoſtiam* regredi cœpit. Nebula autem ad multum diei adeo denſa, vt lucis quoque eriperet vſum, perdurans, metum cuiuslibet periculi ſubmouerat; quoniam illius latebra exercitus Regius tectus, incolumis *Bidgoſtiam* applicuit. *Wladislaus* interim *Poloniæ* Rex, cum per *Gnieuoſſium* de *Dalewycze* militem, ab exercitu ad eum miſſum agnouiſſet, exercitum etiam ſuum poſt felices ſucceſſus, quibus in hoſtium pauida fuga potitus eſt, reuerſurum, partim propter hybernum tempus, partim ob ſpolia, hoſtilibus caſtris detracta, equo conſcenſo, celeriter ex *Iuniuladislauia* verſus *Labiſchin* & *Schubino* gradiebatur, exercitum ſuum & retracturus a reditu, & ad obſeruandum atque obſidendum, qui in *Tucholyam* fugerant, hoſtes conuerſurus. Quamuis autem properanter iuiſſet: tardiuſcule tamen venit, exercitu iam in varias partes diuertente, nec vllatenus poterat illum multipliciter diſperſum adiuuare. Quapropter regredi unde venerat diffiniens, prandio in die Omnium Sanctorum in *Schubino*, & nocturno in *Labiſchin* facto, die Dominico in craſtino Omnium Sanctorum *Iuniwladislauiam* regreſſus eſt. Ad cuius conſpectum multitudo omnis captiuorum ad *Tucholyam* captorum, feria ſecunda poſt feſtum Omnium Sanctorum adducta eſt. Ad quam Rex itidem, cauſam habere ſemper iuſtiſſimam, cum pars aduerſa Cruciferorum iniqua vteretur, aſtruxit. Conſcriptis quoque captiuorum nominibus & dignitatibus, vniuerſos ad ſimplicem militarem ſponſionem, conſignato eis repræſentationis die ac loco, dimittit. Cum vno tamen ex illis *Ioanne Zaicz Bohemo*, verba facit: *Curienſem te*, inquit, *& familiarem noſtrum inficiari non valens, quo pacto pro hoſtibus meis Cruciferis, contra me arma tuleris, ediſſere; & facinus quo in nos vſus es, refelle.* Ad hæc Zaicz. *Non abnuo, piiſſime Rex, me tuæ Maieſtatis & Curienſem & ſeruitorem eſſe; ſed quod te neglecto, ad hoſtes tuos tranſiuerim, conditio animoſitatis meæ, qua vix audax & impauidus, Rabk, ſum & æſtimor, tranſire honeſtius duxi ad partem deiectam & proſtratam: audiui enim triumphos tuos celebres frequenter de Cruciferico Ordine relatos. Et ſi me contuliſſem in tuum auxilium, conſolatrix mea* (*Zophiam* Reginam *Venceslai Bohemiæ* Regis conſortem notans) *improperiis me obruiſſet, quod metu pugnæ, ad te, cui ceſſerunt hactenus felices victoriæ, declinaſſem. Iui itaque ad eos, quibus parum ſecundæ res erant, animoſitatem meam, quemadmodum euenit, demonſtraturus, quoniam Teutonicis fugientibus, ego fugere turpe ratus, in tuæ militiæ manus deueni. Fac igitur mecum vt libet.* Interrogatus deinde a Rege, *quid de ſe captiuo & Curienſe & familiari, victorem dignum cenſeret ſtatuere? Quod*, inquit, *tibi tua ſuadet Clementia, qua in deuictos vſus, victoriam videris in tuum fauorem obligaſſe.* Tam faceta reſponſione Rex pellectus, eum, ut & cæteros, ad ſponſionem militarem dimittit.

& Rex captiuos ad militarem ſponſionem dimittit.

Interea milites Curienſes Regii, qui cladem in hoſtes ad *Tucholya* ediderant, ſcribunt *Ioanni* Duci *Minſterbergenſi*, & omnibus Cruciferorum ſtipendiariis, in *Tucholya* agentibus, diſertis ornatam verbis epiſtolam, eamque per Aroldum tranſmittunt, dura requiſitione

Polonici milites & præſidium Tuchollienſe literas inter ſe vltro citroque mittunt.

fitione illos monentes, *quatenus iuxta ius & obſeruantiam militarem, omnia arma, equos, & inſignia bellica, & ſignanter pallia, arma tegentia, quæ Vaponrokki vocantur, cum quibus in aciem prodierant, eis reddant: ad eos tanquam victores deuoluta, ex quo in campum ad decernendum progreſſi, & nullo certamine edito, in fugam verſi, pluſquam victi debeant æſtimari. Nec fugacem arma decent ſed virum, audens quoque armatus in aciem prodire teneatur, iure, ſi fugiat, arma tradere victori.* Acceperunt ab eis reſponſum: *Qui pro omni tempore curæ fuit eis proprius honor, neque unquam credunt illum ſe alicuius fugæ turpitudine contaminaſſe: defenſuri militari more honorem ſuum, in Regum & Principum Curiis, & inculpationem ſuâ atque vituperium, manu armata purgaturi.* Offerebantque pro ſuæ innocentiæ declaratione, in diſtantiſſimis locis Curias pugnæ atque duelli, tanquam ii qui fugam ſuam aliter niſi arrogantibus & nudis verbis, honeſtare non poterant. *Polonorum* militibus eos in *Alexandri* Ducis magni *Lithuaniæ*, item Ducum *Maſouiæ*, *Semouiti*, *Ianuſſi*, & *Boleſlai*, Curias, euocantibus, & omnem pollicentibus ſecuritatem. Illi e contrario, *Franciæ*, *Angliæ*, & *Hiſpaniarum*, atque *Neapuliæ* Regum, Curias. *Poloniæ* militibus nominantibus, vt pudorem ſuum qualicumque colore cohoneſtarent. Quas etſi *Poloniæ* milites acceptatum iri contigiſſet, non ſeruaſſent tamen Cruciferorum ſtipendiarii oblatas, ſed nouo excuſationis fuco oppoſito, eas corrupiſſent.

Henricus de *Plawen Pruſſiæ* Magiſter, animaduertens conatus ſuos, quibus cum exercitu ſtipendiariorum, & ſuarum gentium, terras Regni *Poloniæ* inuadere deſtinauerat, propter fortem & conſtantem *Polonorum* reſiſtentiam, recidiſſe in irritum, exercitum ex *Pomerania* amouens, in *Pruſſiam* ire pergit; & caſtrum *Schtum*, quod per *Andream Brochoczky* tenebatur, obſedit, damna ingentia, & continuas infeſtationes & moleſtias, quæ caſtro *Marienburgenſi*, propter vicinitatem, gentes Regiæ inferebant, ex eo auerſurus. Quod dum ſex hebdomadis continua impugnatione, nulla ſpe molitioni reſpondente, vexaſſet, contigit, caſune incertum eſt an tradimento, turrim caſtri maiorem ſupra portam ſitam, cum telis, propugnaculis, & victualibus, quæ in ea condebantur, conflagrari. Ex quo apud obſeſſos deſperatione creſcente, in dies de caſtro dedendo, non aliter imminens periculum euaſuri, tractatum cum Magiſtro ineunt. Duobus itaque militibus *Caſimiro* & *Golian*, ſub Magiſtri *Pruſſiæ* conſenſu & conductu, ad Regem *Iuniwladiſlauiam* miſſis, quam infelix ex turris & propugnaculorum exuſtione acciderit caſus, qualeque eos periculum, ſi reſiſtere perſeuerauerint, maneat, exponunt.

Poloni ca-

Permittente autem & iubente Rege, pacti prius, vt eis cum equis, armis, & quibuslibet rebus, incolumibus abire liceat; non caſtrum tantummodo *Schtum*, ſed & caſtrum *Morag*, cui par periculum imminebat, Magiſtro & Ordini reſignant.

ſtrum Schtum & Marag Cruciferis dedunt.

Nouos & magnos auſus *Henricus* de *Plawen Pruſſiæ* Magiſter ex duorum caſtrorum ceſſione adeptus, tertium caſtrum, videlicet *Radzim*, ſimili obſidione coarctat, & ſex hebdomadis illud continua bombardarum proiectione impugnat. Gentibus autem Regiis probe illud defendentibus, coactus eſt ab eius obſidione cum pudore reſilire, magnam ſuorum vulneratorum quantitatem in oppido *Radzim* medendi gratia relinquens. Non poterat hoc milites Regios, qui caſtrum *Radzim* obſeruabant, latere. Quapropter nocte ſubſequenti, velocem ad alias Regias gentes in caſtri *Brodnicza* præſidio conſiſtentes Nuncium deſtinant, rogantes, *quatenus eis veniant celeriter in ſuccurſum. Oppidum Radzim & Subſtantiam eius cum gentibus, quæ in eo a Cruciferis erant, cum pro defenſione, tum pro medela derelictæ, facile inuaſione occupaturi.* Quorum petitioni gerendo morem milites ex præſidio *Brodniczenſi*, videlicet *Albertus Malsky*, *Dobeslaus Puchala*, & alii plures, in tempore, & hora diei, de quibus inter eos conuenerat, adueniunt. Quorum comperto aduentu, milites ex caſtro *Radzim* propere deſcendentes, oppidum *Radzim* in valua quæ reſpicit caſtrum, inuadunt, & militibus *Brodniczenſibus* coniuncti, viciſſitudinariis viribus portam & valuam ciuitatis, ciuibus & gentibus Crucifericis nequicquam reſiſtentibus, concuciunt, & diſrumpunt. Poſita autem erat in ore valuæ magna bombarda, quam Sacerdos vnus, ciuibus ſuis, quorum magna pro repellendo impendenti periculo concurrerat ad portam multitudo, ſuccurſurus, præoccupato alterius officio, incendit, quo ſuo impetu in medium ciuium ruens, quatuor & viginti ex ciuibus, ex Regiis vero gentibus tres tantummodo extinxit. Eo malo & ciues, & gentes Crucifericæ, deterriti, defenſionem intermittunt & gentes Regiæ ciuitatem occupant, & omnibus eius fortunis & ſpoliis potiuntur, ſpoliatam in cinerem redigunt. Et multis mortalibus ex ſtipendiariis Cruciferorum & ciuibus *Radzimenſibus* captiuatis, læti atque incolumes ad caſtra ſua reuertuntur.

Magiſtro Pruſſiæ a caſtri Radzim oppugnatione reiectio,

oppidum captum a Polonis incenditur.

Confecerat Magiſter *Pruſſiæ Henricus* de *Plawen*, ſub tempore, quo ad caſtri *Radzim* obſidionem ſteterat, cum ciuibus de *Thorun Gdansk*, deditionem, obedientiam, & fidelitatem Regiam profeſſis, de dedendis ſibi præfatis ciuitatibus, clandeſtinum tractatum; & ſuapte in id procliues, dedi ſibi præfatas ciuitates perſuaſit. Caſtri itaque *Radzim* obſidionem ſoluens, exercitum verſus *Thorun* traducit, vtraque ciuitate iuxta diffinitum potiturus. Ciues interim *Thorunenſes* & *Gedanenſes*, dolos ſuos & perfidiam palliaturi, ad *Wla-*

1410 *Wladislaum Poloniæ* Regem legationem mittunt. *Thorunenſes* quidem per *Albrecht Roth*, Ciuium Magiſtrum, & *Petrum Scheligam.* Ciues vero *Gedanenſes* per literas; ſignificantes *Pruſſiæ Magiſtrum Henricum, ad obſidendum eos propediem venturum fore*, & petentes *ſibi & ciuitatibus ſuis defenſionem impendi.* Quibus *Wladislaus Poloniæ* Rex benigne reſpondens, *bono & conſtanti animo eſſe, bene quoque omni circumſcripto pauore, ſperare* iuſſit: offerens *ſe efficax ſuffragium & defenſam vtrique ciuitati tempeſtiue præſtiturum. Stetis*, inquiens, *vos in veſtris ædibus pacifici, mihi tantummodo & meis militibus mœnia linquite & turres: Craſtina die dehinc egreſſus, ad vos cum quinque, octo, & decem millibus equitum, & quantis opus ſenſero, propere contendo. Nauium interim, quibus Viſlam ſuperem, agitate curam.* Ea reſponſione *Thorunenſes* a Rege accepta diſcedunt, & ad ſuos reuerſi, Regiam optime diſpoſitam referunt mentem. Rex autem reſponſioni ſuæ dando virtutem, in craſtinum cum omni curia ſua in *Gniewkow* deuenit. Quem priores *Thorunenſes* Nuncii itidem conueniunt. Quibus viſis, ſciſcitari ſolicite ab eis cœpit, *haberentne pro eo & gentibus ſuis naues paratas.* Qui quæſtione ſilentio abſoluta, aſſerunt *ſe nouam legationem ad eum detuliſſe.* Quibus dicendi poteſtate facta, *Venimus*, inquiunt, *Rex Illuſtriſſime, ad te, ciuitatis noſtræ nomine tibi ſignificaturi, nos ea anguſtia preſſos eſſe, vt ſi ad craſtina diei ſolis occaſum laboranti ciuitati noſtræ ſuccurſum non tuleris, ſcias nos ciuitatem Magiſtro tradituros.* Cui legationi reſpondendo Rex: *Antequam*, inquit, *craſtini ſolis veniat occiduum, ſuffragaturum me vobis, dummodo vos præſtetis nauigium, polliceor.* Tum illi non amplius perfidiam ſuam intelligentes poſſe celatum iri: *Iam certa*, inquiunt, *pacta cum Magiſtro, quæ reſcindere fas non eſt, iniuimus, die craſtina ciuitatem ſibi tradituri.* Accendiſſet tam patens perfidia alium in ingentem bilem: *Wladislaus* tamen Rex, nihil ea motus, pia manſuetudine exprobrare tantummodo Legatis contentus, illos corripit: *Haccine*, inquit, *eſt fides veſtra, hoccine iuſiurandum, hæ ſponſiones, quibus vos mihi addixiſtis; Quorum omnium obliti, non erubuiſtis paciſci cum hoſte meo?* Illi facinoris conſcii, ne dum aliquid reſpondere, ſed neque mutire auſi: etiam geſtu & oculis in terram deiectis, ſcelus fatebantur. Et quamuis a Conſiliariis ſuaderetur Regi, vt *Thorunenſium* legatos velut perſidos & fœdifragos, damnare capite iuſſiſſet, documentum non iuultæ perfidiæ futuros: At Rex vt erat benignus & mitis, negat ſe; fidem ſuam ſecutos, violari Nuncios debere; præſtantius aſſerens *Thorunenſium* & *Gedanenſium*, quam ſuam illis fidem defuiſſe. Redeuntibus Nunciis, *Thorun* & *Gdansk* in ditionem Magiſtri, nulla neceſſitate ciues impellente, traditæ ſunt. Qui e veſtigio caſtrum *Thorunenſe*, quod a Præſidio Regio tenebatur, circumuallat. Militibus tamen Regiis, virili conſtantia illud tuentibus, & crebras excurſiones & ſtrages in obſidentes edentibus, nullatenus poterant illius conquiſitione potiri.

Thorun & Gdansk Magiſtro Pruſſiæ deduntur. 1410

Thorunenſium & *Gedanenſium* perfidia ciuium, *Wladislaus* Rex *Poloniæ* illuſus, ex *Gniewkow Iuniwladislauiam* reuerſus eſt. Voto autem ſuo, quo ſe pro honore diuiniſſimi Sacramenti, monaſterium *Poſnanienſe* viſitaturum, ante conflictum magnum aſtrinxerat, ſatisfacturus, ex *Iuniwladislauia*, per *Strzelno* & *Kwieczißzow*, in *Trzemeſznam* peruenit. Deinde vero pedibus pro Dei, & Sancti *Adalberti* honore & reuerentia, *Gneſnam* adiit. Ex *Gneſna* in *Pobiedziska* venit. Ab inde quoque pede iter, vſque *Poſnaniam* ad monaſterium *Corporis Chriſti*, confecit. Quo cum feria ſecunda in vigilia Sanctæ *Catharinæ* perueniſſet, tribus diebus illic exactis ac religione & voto cum magna deuotione perfunctus, per eadem qua venerat loca *Iuniwladislauiam* rediit, ſua præſentia Regnum *Poloniæ* ab hoſtibus protecturus, nouaque vocatione terras *maioris Poloniæ*, item *Siradienſem*, *Lancicienſem*, *Cuiauienſem*, *Dobrzinenſem*, in *Pruthenicam* expeditionem commouet. Ad cuius imperium, dum exercitus prædictarum terrarum *Iuniwladislauiam* conueniſſet, in *Pomeraniam* illum transmittit, præficiens exercitui *Sandiuogium Oſtrorog* palatinum *Poſnanienſem.* Quam ingreſſus, oppidum *Nowe* conquirit, vaſtat, & incendit. Vniuerſa deinde *Pomerania* in longum latumque ſpoliis & incendiis peruaſtata, conquiſitione caſtrorum & ciuitatum hoſtilium, & quæ deſecerant, intermiſſa, dum hoſtes pugnandi copiam non facerent, onuſtus & grauis hoſtilibus ſpoliis, ad propria incolumis rediit. Cum autem hybernali bello pars vtraque laſſata, quieſcere optaret, treugas interponi placuit. Ad quas componendas, cum *Petrus Schafraniecz* Succamerarius *Cracouienſis* in *Thorun* miſſus, illas conficere nequiret, pro die tamen Conceptionis Sanctæ *Mariæ* Virginis, in oppido *Racziaſch*, conuentum Regis & Magiſtri, pro conſtituendis & ſtabiliendis eiuſmodi treugis, & ordinat, & indicit.

Wladislaus Rex Eccleſiam Gneſnenſem, & Corporis Chriſti extra Poſnaniam viſitat.

& collecto rurſus exercitu Pomeraniam vaſtat.

Sub idem tempus *Stiborius* de *Stiborzicze Tranſyluaniæ* Palatinus, cum duodecim banderiis gentium *Sigiſmundi Hungariæ* Regis, ex *Bohemis*, *Morauis*, & *Auſtralibus*, collectarum (*Hungari* ſiquidem fœderis, quod illis cum *Polonis* quaſi ſacroſanctum & ſempiternum eſt, memores, neque cogi, neque perlici in arma poterant) fines Regni *Poloniæ*, per *Schramowicze* ingreditur: gentibus Regiis quæ *nouam Sandecz* obſeruabant, tædio &

Stiborius, qui iuſſu Regis Hungariæ in Poloniam irruptionem fecerat.

longa

1410 longa quiete in ædes proprias dilapſis. Et oppidum *veteris Sandecz, nouæ* vero ſuburbium cum aliquot villis exurens & ſpolians, citato agmine in *Hungariam* per fluuium *Poproth* verſus *Muſhinam* via montuoſa & difficili regrediebatur. Ideo autem *Sigimundus Hungariæ* Rex, inuaſionem Regni *Poloniæ* per *Stiborium* fieri procurauerat, vt pro quadraginta florenorum millibus, a Magiſtro & Ordine receptis, declararet ſe ſuæ diffidationi, Regi & Regno *Poloniæ* factæ ſatisfeciſſe, & vt Magiſtro & Ordini, qui eum vehementer pro defenſione ſua, & in Regni *Poloniæ* hoſtilitatem ſtimulabant, oſtenderet ſe ſua pollicitatione duodecim banderiorum, contra *Poloniæ* Regnum expeditione, perfunctum eſſe. Non tulit autem gens Regia, ad tuendum fines Regni relicta, id probrum, hancque iniuriam, ſed præcipiti concurſu conueniens, *Stiborium* & eius exercitum ſequebatur. Fuerunt autem in gente Regia, hi principales, *Stiborius Agrienſis* Epiſcopus cum germano. Item *Spithek Iaroſlawski* ex propriis gentibus habens banderium. Item *Ioannes Szczekoczky* Caſtellanus *Lublinenſis*, *Ioannes Valach* de *Chmielnik*, & alii. Quem iam *Alpes* tranſgreſſum, prope *Bardiow* conſecuta, & illum & exercitum eius, multo ſe ſuperiorem inuadit. Certatum eſt autem aliquando pugna acerrima. Et multitudine contra paucitatem conſurgente atque præualente, ſpectare in fugam *Poloni* cœperunt, niſi *Bochunyek Caſpar*, & *Dalibor*, qui ducebant Ordines, præliis in aliquot reſtitutis locis, turpem fugam inhibuiſſent. Prælio itaque reintegrato, quamuis *Stiborius* numero & robore *Polonis* ſuperior eſſet, ad extremum tamen conflictus & debellatus, in *Bardiow* refugit, exercitu ſuo in parte maiori aut capto aut cæſo.

magna parte exercitus ſui amiſſa ægre aufugit in Hungariam.

Sabbato in vigilia Sancti *Andreæ* Apoſtoli, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex ex *Iuniwladiſlauia* diſcedens, die Dominico in *Brzeſczie* peruenit. Quo illic degente, inſignis iterum illi & famoſa de Cruciferis prouenit victoria. Magiſter ſiquidem *Liuoniæ Hermannus* de *Vintkimſzemch*, forti & numeroſo ex variis nationibus collecto exercitu, Magiſtro *Pruſſiæ* auxilia laturus, in *Pruſſiam* aduenit. Robore autem totius exercitus ſui in *Golub*, vt facilius *Dobrzinenſem* terram ex vicinitate poſſet affligere, tranſmiſſo, ipſe in *Marienburg* cum paucis diuertit. Quo agnito gentes Regiæ, pro præſidiis in *Bobrowniki* & *Ripin* locatæ, deductis ex vtroque præſidio militibus, paruum iuſtum congerunt exercitum, quem *Dobeſlaus Puchala*, de domo *Wyeniawa* ducendum & regendum ſuſcipiens, verſus *Golub*, frequentiam illic hoſtilem ſciens conſiſtere, intrepidus ire pergit. Quo cum perueniſſet, diſpoſitis in loco apto *Dobeſlaus Puchala* inſidiis, agmen militum, ad inferendum damna, pecuſque abigendum, verſus portas oppidi tranſmittit. Id dum vniuerſum gregem ex oppido in paſcua egreſſum, patratis damnis & incendiis, abigeret; *Liuonitarum* exercitus in armorum ſplendore, & frequens in numero & virtute, de oppido exiliens, *Polonorum* agmen, pauorem & fugam ſimulans, quouſque ad inſidiarum locum peruentum foret, inſectabatur. Continuo autem exercitus Regius, ex inſidiis prodiens, & in terga hoſtium ruens, hoſtes cædit, proſternit, & profligat. Hoſtium enim exercitus nimio pauore perculſus, neque reſiſtentiam qualemcunque oppoſuit, ſed in fugam continuo dilapſus, in oppidum redire feſtinabat, Regio exercitu in ſuis tergis hærente. Nec minor erat in oppido & muris trepidatio, ex qua, verentibus ciuibus, ne in oppidum victores cum victis irrupiſſent, nondum medietate ſuorum ingreſſa, portas occludunt. Cadebant autem plures ex hoſtibus, cum fugiendo propellerentur a *Polonis*, & ſe ipſos mutuo collidebant. In ipſis denique portis grauior orta eſt compreſſio & vnoquoque alium premente, & præuenire conante, impediebatur hoſtium fuga, & frequentior proueniebat collapſorum interitus. Quapropter maior *Liuonici* exercitus medietas, ab ingreſſu oppidi excluſa, in exercitus Regii captiuitatem, quamuis illo quadruplo ſuperior exiſteret, precibus etiam adiectis ſe vltro ſubiecit. Captiuantur itaque fratres de Ordine plurimi: item milites inſignes, & armis detractis, ducuntur a Regiis militibus vinculati. Vix credibile dictu, captiui, eos qui capiebant, numero quadruplici, excellerant adeo omnem ſenſum territis excutiente fortuna, vt nec hoſtium paucitatem nec ſuorum multitudinem ſatis proſpicerent. Ceperat ſiquidem hoſtes ante & poſt cladem ea credulitas, alium capitaliorem exercitum Regis, ſiluis, & nemoribus clauſum eſſe, & eum, a quo capti erant, comitari. Eoque reſpectu deluſi, & in fugam abierant, & precario ſe captiuitati ſubiecerant. Vnde cum per gentes Regis verſus *Ripin* ducerentur, quonam locorum capitalior Regis exercitus conſiſteret, & an ſe ſecutus foret, aſſidua quæſtione ſuas Ductores pulſabant. Gentes vero Regiæ periculum, ſi verum faterentur e captiuis veritæ, fortem & capitalem exercitum in propinquo ſuo comitatu ſemper eſſe, & fuiſſe, captiuis aſtruunt; & ex certis reſpectibus nondum in publicum prodiiſſe: talibuſque terroribus & figmentis captiuos diſtentos in *Ripin* perducunt. Tunc quoque primum captiuis in vincula coniectis, non ampliorem fuiſſe exercitum Regium, quam qui eos profligauerat & vinctos duxerat, edicunt. Quo audito captiui in miſerabiles ſingultus & lachrymas prorumpunt, publica & ſonora voce profeſſi, nonniſi propter iniuſtum, ad quod veniſſent, bellum, in tam miſerandam ſortem, eos prolapſos fuiſſe, & vltionis Diuinæ gladium, ob 1410

Memoranda clades Liuonorum in auxilium Magiſtro Pruſſiæ venientium.

impia

1410 impia bella eis accurriſſe, poſtquam tanta eorum multitudo paucitati, vix ferendæ, ſuccubuiſſet: quoniam poterat & ad valuas oppidi *Golub*, & poſtea cum duceretur, ſua numeroſitate & hoſtium paucitate diſcuſſa, trucidaſſe. Ex *Ripin* deinde, omnes captiui, in *Wladiſlai* Regis conſpectum, in *Brzeſczie* adducti ſunt. Qui de tam ſublimi dono, gratiarum actionibus in Deum exolutis, omnes milites & fratres de Ordine, item omnes *Curſzones*, qui homines ambiguæ fidei æſtimabantur, turribus incluſit. Cæteros vero militares homines, Sacramento, vt ſe repræſentarent, addictos, ad ſimplicem dimittit ſponſionem.

Wladiſlaus Rex colloquio cum Magiſtro Pruſſiæ in cœna habito,

Conceptionis Sanctæ *Mariæ* die, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex ex *Brzeſczie* egreſſus, conuentum cum Magiſtro *Pruſſiæ* acturus, in *Raczyaſz* aduenit. Cumque & Magiſter *Pruſſiæ Henricus* de *Plawen*, habens in ſuo comitatu *Ebrehardum* Epiſcopum *Herbipolienſem*, & Comitum atque militarium magnam cateruam, a *Wladiſlao Poloniæ* Rege comiter exceptus, cum omnibusque ſuis ad cœnam inuitatus & magnifice tractatus atque honoratus eſt. Vbi prædictus Magiſter *Henricus* inter cœnandum, in familiariorem ſermorem cum Rege reſolutus, ea verba cum illo habuit: *Contulerat*, inquit, *tibi*, *Illuſtriſſime Rex*, *DEVS & fortuna*, *vice triplici tempus aptiſſimum*, *licet vti illo neſcieris*, *in quo caſtrum Marienburg conquirere*, *& terras Ordinis perpetuo poſſidere*, *facile potuiſſes*. *Primum quidem erat*, *dum Prædeceſſorem meum Vlricum Pruſſiæ Magiſtrum*, *& omnes eius copias cæde magna usque ad internecionem confixiſti: Nam ſi die altera aliquot gentium banderia ad caſtri Marienburgenſis obſidionem tranſmiſiſſes*, *fuiſſet e veſtigio tuæ ditioni conſignatum*, *cum pauciſſimæ & infirmæ*, *imbecillesque gentes*, *apud illud conſiſterent*. *Secundum*, *ſi*, *oppido Marienburgenſi conquiſito*, *caſtrum quoque impugnatum iri perrexiſſes*, *quoniam per foramen intra caſtrum & Viſlam poſitum*, *nondum a nobis per trepidationem obſtructum*, *caſtrum gentes tuæ irrumpere potuiſſent*. *Tertium ſi obſidionem caſtri Marienburgenſis continuaſſes*, *tantummodo diebus quindecim*; *ea enim eramus inedia afflicti & fame*, *quod pro ea multitudine*, *quæ caſtrum tuebatur*, *nonniſi duos mutones viuos & tres pernas lardi habebamus*: *Panis inſuper defectu oppreſſi*, *& ob id dyſenteriæ languore admodum vexati*, *nullatenus vlteriorem obſidionem*, *ſi perſeueraſſes tuliſſemus*. Rege autem *Wladiſlao* reſpondente; *nihil poſſe apud mortales*, *abſque DEI nutu*, *vniuerſa prouida ordinatione gubernantis*, cœna ſoluta eſt. Habiti deinde fuere in craſtino, ſuper treuga indicenda, varii tractatus. Quæ cum concludi non poſſet ſoluto conuentu, & *Wladiſlao* Rege in *Brzeſczie*, *Pruſſiæ* vero Magiſtro *Henrico* in *Thorun*, redeuntibus, nono tractatu per *Petrum Schafranyecz* Succamerarium *Cracouienſem* interpoſito, treuga ad vnius menſis tantummodo ſpatium accepta eſt. Qua confecta, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex e *Brzeſczye* egreſſus, per *Przedecz*, *Lanciciam*, & *Lowicz*, in *Viskitky* peruenit, & a *Semouito* Duce *Maſouiæ*, ac conſorte ſua, germana Regia *Alexandra*, & quinque filiis eorum communibus, *Semouitho*, *Wladiſlao*, *Alexandro*, *Troydeno*, & *Caſimiro*, magna charitate & honore exceptus, & habitus eſt. Poſt dies autem quatuor, quibus ferarum venationi operam dederat, ex *Viſkitky* disgreſſus, per *Oſuchow*, *Badkow*, & *Stromiecz*, *Iedlnam* perueniens, Natiuitatis illic *Chriſti* feſtos dies egit. Annus is non apud *Polonos* ſolum, ſed & apud finitimos ſocios hoſtesque, memorabilis Cruciſerorum magna cæde: qua & virtus illorum, & ſuperbia domita eſt, diesque triumphi quotannis habetur celebris: & propter alios plures triumphos, ex eisdem circa *Koronow*, *Tucholya* & *Giolub*, ac de gentibus *Sigiſmundi Hungariæ* Regis, relatos, circa *Bardiow*. 1410

Ictoque cum Pruthenis vnius menſis ſpatio fœdere Pruſſiam reliquit.

Mors Viſch Cracouienſis Ep.

Petrus Viſch Cracouienſis Epiſcopus, poſt peractum apud *Piſas* Concilium, Sepulchro *Chriſti* viſitato, *Cracouiam* languens, propter nimiam laxationem, & exinanitionem contractam, apud *Venetias* ſumptis medicinis, reuerſus eſt; nec ab illo tempore integræ ſanitatis vigor poterat illi refundi. *Alexander* etiam Papa quintus, natione *Græcus* ex *Candia*, ordinis Minorum frater, cum paruo tempore & vix vno anno in Papatu ſediſſet, apud *Bononiam* moritur, & in fratrum Minorum monaſterio *Bononiæ* ſepelitur. Poſt cuius obitum Cardinales conclaue ingreſſi, *Balthaſarum* de *Roſa* Cardinalem in Papam eligunt, a ſtipendiariis, qui ſub ductu & auſpiciis eiusdem *Balthaſari* Cardinalis militabant, rogati, requiſiti, & minarum terroribus, quibus illis, ſi ſecus facerent, extrema omni prouentura ſcirent, impulſi. Qui *Ioannes XXIIII* appellatus eſt: a plerisque, quod Prædeceſſorem ſuum *Alexandrum* veneno ſuſtulerit, inſimulatus, cum *Gallicana* & *Hiſpanica*. Eccleſia *Petrum* de *Luna* tunc tenuerit. Mors autem præfati *Alexandri* ordine eo ſcribitur proueniſſe. Nam dum Officiales *Wladiſlai Siciliæ* Regis per *Balthaſarum* Cardinalem S. *Euſtachii*, & *Paulum* de *Vrſinis*, ex Vrbe depulſi eſſent, & *Roma Alexandro* ſubiecta eſſe cœpiſſet, *Alexander* ipſe & Cardinales omnes, nouo huiuſmodi ad ſe dum *Piſtoriæ* agerent, perlato, *Romam* redire æſtuabant. Quod *Balthaſar* Cardinalis calidiſſimo ingenio auertens, ipſum *Alexandrum* ex *Piſtorio*, per aſperos montes, glaciebus & niuibus oppletos, in frigido tempore *Bononiam* deduxit, eique ſuos domeſticos pro Cubiculariis, licet moleſte ferente, contradicere tamen non audente, deputauit. Ex quo, non multo poſt, in grauem valetudinem incidens, quam nonnulli illum ex auſteritate hiemis, nonnulli ex veneno

& Papæ Alexandri V.

& electio Ioannis XXIIII

1410 no clam propinato, contraxiſſe aſtruebant, tertia die menſis Maii, hora quarta noctis, diem obiit, dum menſibus decem, diebus vndecim ſediſſet. *Slauonicæ* linguæ peritus, & *Wladislao Polonorum* Regi, familiari notitia, dum in minoribus ageret, coniunctus. Quindecima autem die menſis Maii Cardinales conclaue ingreſſi, *Balthaſarum* de *Roſa*, tituli *S. Euſtachii* Diaconum Cardinalem, natione *Neapolitanum* in Papam, vt præmiſimus elegerunt. Qui ex tunc *Ioannes XXIIII* appellatus, vigeſima quinta Maii coronationis ſuæ accepit inſignia. Piraticam, dum adhuc adoleſcens eſſet, cum quibuſdam fratribus ſuis exercens vitam, per *Bonifacium* nonum primum in Archidiaconum *Bononienſem*, deinde in Cardinalem promotus, ad *Bononiam* regendam miſſus eſt. Vbi multa ſpolia & occiſiones hominum innocentum aſſeritur commiſiſſe, inceſtibus, ſtupris, adulteriis, & cæteris deteſtabilioribus facinoribus ante & in Pontificatu infamis. Simoniam publice practicans & exercens. Qui ex *Bononia Romam* reuerſus, Curiam illic ſuam tenuit. Facta tamen perprius concordia cum *Wladislao Sicilia* Rege: quam ipſe *Wladislaus* Rex pauco obſeruans tempore, *Romam* obſedit, cepit, & ſpoliauit. Propter quod ipſe *Ioannes* Papa, caſtro Sancti Angeli non confidens in *Sutrium*, & eadem nocte *Viterbium*, poſt vero in montem *Flaſconum* & *Senas*, de *Senis* vero *Florentiam*, fugiens, deuenit, vbi extunc aliquot menſibus habitauit.

1411 Feſto natalis Chriſti apud *Iedlnam Wladislaus Poloniæ* Rex exacto, ſabbatho in die Sancti *Ioannis* Euangeliſtæ *Iedlna* egreſſus, per *Iłzam* & *Kunow* tranſitum faciens, in *Opathow* venit, quo iam *Anna* Regina, reditum Domini & Regis, & victoris tum primum exceptura, aduenerat; ſequente eam longo ordine captiuorum, qui pro die *S. Martini*, repræſentatione apud *Cracouiam* facta, ad Regem remiſſi erant. Ex *Opathow* dato altero ad repræſentandum termino, per *Łagow* & *Kielcze*, in *Radoſchicze* perueniens, feſtis Epiphaniarum illic exactis, & *Anna* Regina *Cracouiam* remiſſa, *Pruthenicam* expeditionem ex integro acturus, per *Suleyow*, *Pabiianicze* & *Łaczicza*, in *Brzeſczie*, in die Sancti *Marcelli* aduenit; quo iam iuſſu ſuo exercitus de terris totius *Poloniæ* Regni confluxerat. Aduenit & poſthæc *Alexander* Dux magnus *Lithuaniæ*, cum exercitu ſuo *Lithuanico* cum quo *Wladislaus* Rex, in die Conuerſionis Sancti *Pauli*, apud *veterem Wladislauiam* copias coniunxit. Cumque *Wladislaus Poloniæ* Rex, ſuorum Conſiliariorum deliberatione fretus, fluuio *Viſła*, qui frigore nimio gelatus, ſuperari non egebat, tranſito, & quem iam plura quadrigarum *Polonicalium* centena tranſierant, terras *Pruſſiæ*, ſpoliis & incendiis, & oppidum *Thorunenſe*, cui ſe Magiſter *Pruſſiæ* cum ſuis incluſerat, vallare ſtatuiſſet. Ea tamen deliberatione, quamuis ſalubri, omiſſa, aliam rurſum, Duce magno *Alexandro*, in pacis artes magis quam belli procliuo, inſtigante, acceptat, & ex *Wladislauia* in *Przipuſch*, abinde vero aciebus ordinatis in borram, vnum a *Raczyąſch* miliare diſtantem, mouens caſtra, in prædicta borra ſtatiua locauit, ad fluuium illic decurrentem, vt exercitui ſuo ligna pro focis ſufficerent. Quæ in eodem loco uſque ad Purificationis diem habita ſunt. Sub eo autem tempore in Inſula prope *Thorun*, pax perpetua per Conſiliarios partis vtriusque, treugis impoſitis, practicari cœpta eſt. 1411

Wladislaus Rex a Regina coniuge ſua & longo ordine captiuorum, Opathouiæ exceptus

in Pruſſiam cum exercitu reuertitur.

Sub pacis tractatu Januſſius Bizozoglowy magnam copiam equorum hoſtilium Bidgoſtiam abigit.

Contigit autem ſub tempore, quo pax perpetua in *Thorunenſi* inſula tractabatur, veterum treugarum tempus finitum eſſe, & per Conſiliarios vtriusque partis, priusquam laberentur, prorogatas eſſe, *Ianuſſius* tamen *Brzozoglowy*, veteres expiraſſe, nouas autem nondum indictas eſſe perpendens, reſcito ab exploratoribus, equos nobiliores Magiſtri *Pruſſiæ*, & ſuorum mercenariorum militum, in antemurali *Papow* eſſe incluſos, ex *Bidgoſtia*, apud *Solecz Viſła* fluuio, qui iam diſſolutus erat, ſuperato, cum quadraginta tantummodo militibus, illuc ire pergit. Illucque perueniens, antemurali, quod negligentius circa pacis tractatum aduerſabatur, diſrupto, magnam equorum nobilium multitudinem, tam Magiſtri quam ſuorum ſtipendiariorum, aufert & abducit. Et antemurali ſuccenſo, equorum nobilium gregem verſus *Viſłam* traducit. Quem mercenarii milites ex *Thorun*, damno Magiſtri & ſuo cognito, in glomerata multitudine perſequi cœperunt. Qui perſequentium manus euaſurus, equorum gregem cum ſuis præire, & *Viſłam* ſuperare, iuſſit, ipſe vero cum duodecim tantummodo, hoſtes, duci ſe ad inſidias, veritos, decipit, tamdiu reſiſtendo, & fugam ſimulando, donec ad naues, quæ eius aduentum operiebantur, peruenit. Quibus conſcenſis, perſequentibusque ſe & primum metu diſpulſo in eum irruere ſatagentibus, valedicens, incolumis, & hoſtilibus grauis ſpoliis, *Bidgoſtiam* euaſit, omnibus equis Magiſtri, & ſuorum mercenariorum militum apud *Papow* captis, ad plenum potitus. Quæ res Magiſtrum *Pruſſiæ* maximo afficiebat dolore, quod ab hoſte tam debili, tam fœde & notorie inuaſus, & tam ingenti damno violatus & affectus fuerit.

Wladislaus conſultore Alexandro Polonis turpe & damnoſum cum Pruthenis perpetuum init fœdus.

Poſt varios tractatus pro perpetua pace in *Thorunenſi* inſula per conſiliarios vtriusque partis interpoſitos, per operam *Alexandri* Ducis magni *Lithuaniæ*, ad reintegrationem tantummodo ſui Ducatus *Lithuanici*, & ad retrahendam terram ſuam *Samogithiæ*, de qua per Cruciferos exutus fuerat, magnopere & feruide æſtuantis, ſub conditionibus parum æquis Regno *Poloniæ* & vtilibus, concluſa, firmata, & inſcripta eſt. Principalium autem

tem conditionum ea fuit continentia, *vt Poloniæ Rex omnia caſtra in terris Pruſſiæ iure belli quæſita, Magiſtro & Ordini reſtituat, & de illis excedat. Item vt omnes Magiſtri & Ordinis, in quibuslibet conflictibus captos, ſoluat in integrum & relaxet. Item quod Magiſter & Ordo Wladislao Poloniæ Regi & ſuo Regno, pro tribus terminis, feſto videlicet S. Ioannis Baptiſtæ, item Sancti Michaelis, item S. Martini anni tunc currentis, centum millia ſexagenarum latorum groſſorum Pragenſium, exoluat, cum Wladislaus Rex a ſolis captiuis centum millia exigere potuiſſet. Item quod terra Samogithiæ Ducatui magno Lithuaniæ debebat relinqui, poſt mortem Wladislai Regis Poloniæ, & Alexandri magni Ducis Lithuaniæ, ad Magiſtrum Pruſſiæ & Cruciferorum Ordinem reuerſura.* Prout hæc omnia in literis fœderis perpetui, tunc icti, latius continentur. Mirum autem eſt, in ea pacis perpetuæ confectione, neque *Wladislaum* Regem, neque Ducem *Withawdum*, neque quenquam alium animaduertiſſe, quanta iniuria Regnum *Poloniæ* afficeretur: cum aperte omnes illæ terræ, quæ antiquitus ad Regnum *Poloniæ* pertinebant, & quæ in obſidione caſtri *Marienburgenſis*, vltro *Polonis* a Cruciferis reddebantur, nunc iſto iam turpi & perpetuo fœdere, a Regno *Poloniæ* in perpetuum alienarentur. Nulla enim *Wladislaus Poloniæ* Rex, terrarum Regni ſui *Poloniæ*, videlicet *Pomeraniæ* & *Culmenſis*, atque *Michałouienſis*, recuperandarum mouebatur cura; Quam conditionem circa obſidionem caſtri *Marienburgenſis*, ſibi vltro oblatam ſpreuit, in præſenti vero pacis tractatu omiſit: ſufficere vna cum Duce magno *Lithuaniæ* ſibi ratus, ſi Ducatus magnus *Lithuaniæ* integrationem acciperet, quamuis Regno *Poloniæ*, cuius prior & potior habenda erat ratio, mutilato. Cuius etſi enormem intelligerent Conſiliarii *Poloniæ* mutilationem; nihil tamen aduerſum illam proloqui audebant, ne Regem & Ducem offenderent. Vaniſſimo itaque conſilio tam Regis, quam Ducis, & Conſiliariorum, magnifica illa & memorabilis *Grinfeldenſis* victoria, in irritum & pene ludibrium recidens, nullum Regno *Poloniæ*, magnum vero Ducatui *Lithuaniæ* attulit profectum.

Wladislauienſis Ep.

Sexta Decembris, *Ioannes Kropidło Wladislauienſis* Epiſcopus, & *Oppolienſis* Dux, Prætorium *Wratislauienſe* ingreſſus eſt, ibique dum parum honeſta & modeſta verba funderet, per Conſules *Wratislauienſes*, *Leonardum Reycharth*, *Nicolaum Lamberg*, *Iacobum Schworcz*, & alios captiuatur. Ob cuius captiuitatem *Wratislauienſis* Epiſcopus *Venceslaus*, Conſules patratæ captiuitatis reos anathematiſat. Ciuitatem vero *Wratislauienſem* Eccleſiaſtico ſubiicit Interdicto, quod fuit vſque ad feriam quartam magnam

In carcerem a conſulibus Wratislauienſibus coniicitur.

aſſidue continuatum. Tandem reconciliatio per mediatores facta fuit ea conditione: *Quod Conſulatus Wratislauienſis perpetuis temporibus, in Eccleſia maiori Wratislauienſi ante Sacrarium, vnam candelam quatuor talenta ceræ continentem, teneat accenſam.* Captiuitatis autem ſuæ, ea vel præcipua fuit cauſa, quod germani ſui *Boleslaus* & *Bernardus Opolienſes* Duces, aliquot currus, oneratos variis fortunis & mercibus ciuibus *Wratislauienſibus* per vim acceperant. Cuius facinoris *Ioannes Kropidło Wladislauienſis* Epiſcopus expers, iniuſtæ captiuitati addictus erat.

Inter Polonos & Pruthenos ictio fœdere

Pace perpetua inter *Wladislaum Poloniæ* Regem, & *Alexandrum* magnum Ducem *Lithuaniæ*, & eorum Principatus & Dominia ab vna, ac Magiſtrum atque Ordinem *Pruſſiæ*, partibus ab altera, confecta, & literatum robore firmata, *Henricus* de *Plawen Pruſſiæ* Magiſter, in ſplendido & ſingulari comitatu, *Wladislaum Poloniæ* Regem accedens perſonaliter, in planicie cuiusdam campi ex oppoſito *Złotoriæ* ſiti, in quo tabernaculum Regium erat, cum prædicto *Wladislao Poloniæ* Rege, & fratre ſuo *Alexandro* magno Duce *Lithuaniæ*, magnas militum cateruas habentibus, conuenit. Vbi articuli pro pace perpetua ordinati, ſtipulatione manuali partis vtriusque, & accepti, & firmati ſunt. *Wladislaus* ſiquidem *Poloniæ* Rex caſtra & ciuitates, quæ pro ſua Serenitate in *Pruſſiæ* terris tenebantur, ſub certis terminis ſe dimiſſurum Magiſtro *Pruſſiæ* promittit. Captiuos etiam tunc omnes manu & verbo a captiuitate abſoluit, adiecta tamen conditione, ſi illi per Magiſtrum & Ordinem centum millia ſexagenarum latorum groſſorum *Pragenſium* ſolutio impenſa fuerit. *Henricus* vero *Pruſſiæ* Magiſter, ſe centum ſexagenarum latorum groſſorum millia, *Wladislao* Regi, & ſuo Regno *Poloniæ*, ſoluturum obligat. Pro quo nobiliores captiui ſe ponunt ſponſores, in priſtinam captiuitatem, ſi ſolutionem negligi contingeret, redituri. His & pluribus aliis ordine legitimo conſummatis, *Pruſſiæ* Magiſter *Henricus*, duodecim picarios argenteos, ſingulos tamen deauratos, pulcherrimo elaboratos opere, *Wladislao Poloniæ* Regi donatione obtulit perſonali. Cui *Wladislaus Poloniæ* Rex viciſſitudinem referens, aliquot veſtes ſabellinis pellibus ſubductas, viciſſim miſit dono. Cauſatus apud hunc conuentum *Almanus* quidam Cruciferorum miles mercenarius de *Nicolao Powala* de *Thaczow*, quaſi ab eo in conflictu ante *Coronow* habito, deuictus & captus, repræſentare ſe illi, iuxta ſponſionem a ſe præſtitam, honoris ſui parum memor, neglexiſſet, *Nicolao Powala* inficiante, & iuſtificaturum ſe offerente, ad iudicium militare reiectus eſt. Quod cum ex frequenti milite partis vtriusque lectum confeſſum feciſſet, actor *Almanus* replicata querela, *Nicolaum Powala*, *ſe viciſſe & cepiſſe conſtanter aſtruens, dedi ſibi illum a Iudicibus, & ad*

Wladislaus Rex captiuos dimittit.

pactus ab Henrico Magiſtro centum millia ſexagenarum.

Exercentur militare iudicium inter Polonum militem & Pruthenum.

1411 *fatendum captiuitatem compelli*, depoſcebat. *Nicolaus* autem *Powala Almanum* aduerſarium ſuum, ipſius armis & verbis victurus, quærit ab eo, *haberetne aliquot documentum vel ſignum, quo temeraria propoſitio ſua vera eſſe poſſet conuinci? Habeo*, inquit Actor: Et nihil moratus, ſertum margariticum, quod *Nicolaum Powala* capite in prælio geſtaſſe conſtabat, producit. *Hoccine*, inquiens, *eſt inſigne, quod te victo & capto, tibi detraxi.* Tum *Nicolaus Powala* aduerſarium in id, quod geſtiebat, prolapſum eſſe, vehementer lætatus; *Mos*, inquit, *Iudices, gentium fuit & eſt, in militaribus actibus, haſtiludiis & pugnis, diutius & vſque in noſtra tempora obſeruatus, vt quoties ſerta, ornamenta, & quæque nobilia inſignia pugnantibus decidunt, ea non militares homines & pugnæ intenti, qualem ſe hic vult videri; ſed latrones, nebulones, & homines ignauiſſimi, rapere & intercipere conſueuerunt. Signum itaque ab aduerſario productum concludit, non ſolum me ab aduerſario non eſſe victum, ſed eum pugna omiſſa, decidentium inſigniorum collectioni, cum cæteris eiuſmodi generis hominibus, quibus auaritia non militia curæ eſt, vacauiſſe. Etenim ſi me obtinuiſſet victum, alia deuictionis ſigna, militibus non latronibus conſentanea, in veſtrum iudicium detuliſſet.* Actoris & rei propoſitione ac reſponſione Iudices diligentius examinata, pronunciatione concordi, *Nicolaum Powala* Regium militem, neque captum, neque ad repræſentandum ſe obligatum fuiſſe declarant, & ab inſtantia actoris abſoluunt. Sed & Iudices *Prutbenici* his illum improperiis inſectantur; *Poteras, ſi noſtris conſiliis contentioſum iudicium tibi diſſuadentibus obediſſes, probris, publice in te ab aduerſario depromptis, caruiſſe. Sentis iam quo te, ſpretis noſtris monitis, tua leuitas perduxit, cum aduerſarius cum ampliſſimo honore, graui te infamia perſtrinxerit, & tuo te mucrone confodiens reliquerit infamatum. Wladislao* deinde Rege *Poloniæ*, & *Alexandro* Duce magno *Lithuaniæ* ad exercituum ſuorum ſtatiua, Magiſtro vero *Pruſſiæ* in *Thorun*, diuertentibus, conuentus ſolutus eſt.

Wladislaus Rex Podolia data Alexandro in tenutam

Craſtina die, quæ tunc conuentum ſecuta eſt, illuceſcente, *Wladislaus Poloniæ* Rex, terram inſignem, & portionem Regni *Poloniæ*, *Podoliam*, *Alexandro* Duci magno *Lithuaniæ* dat in tenutam, *Petro Wlodkowicz* de *Charbinowicze* milite Subdapifero *Sandomirienſi*, qui illius regimen & Capitaneatum annis pluribus geſſerat, deſtituto, Prælatis & Baronibus Regni *Poloniæ* inconſultis, & ob id plurimum exacerbatis: parum perpendens futura diſcrimina, quæ propterea *Poloniæ* Regno forent prouentura. Die quoque eodem, de loco ſtationum ſuarum, vniuerſo exercitu ſuo tam *Polonico* quam *Lithuanico*, licentiato, digreſſus, in *Iuniwladislauia* nocturnum egit. Ab inde vero per *Lanciciam*, *Pyortkow*, & *Opathow*, *Sandomiriam* adveniens, dies Carniſpriuii cum A conſorte ſua Regina *Anna*, quæ acceſita illuc venerat, *Sandomiriæ* exegit. Vt autem Regni ſui *Poloniæ* limites, ex parte *Hungariæ* Regni forent prouiſi, ad tenendum præſidia illuc tranſmittit. Quæ fines Regni *Poloniæ* tueri non contenti, Regni *Hungariæ* oppida, ciuitates, & villas, multis ſpoliis & incendiis laceſſendo, inuadebant. Poſuit autem ſe *Zauiſſius* niger de *Garbow* miles, inter diſſidentes Reges, cum vtriusque Curienſis & familiaris exiſteret, mediatorem. Et frequentibus itineribus hinc inde gyrando vſus, diſgratiatos Regum animos prouidentia ſingulari componebat. B Diebus Carniſpriuii apud *Sandomiriam* exactis, *Anna* Regina *Cracouiam* reuerſa eſt. *Wladislaus* autem Rex terram *Chelmenſem* deſcendit, & apud *Lubomlya* vsque ad Quadrageſimæ medium commoratus, venationibus aſſiduam operam dabat. Conficit interea *Zauiſſius* niger, poſt varios tractatus, pacis ſufferentias, in feſtum *S. Martini* duraturas, inter Reges. Quarum certificatione *Wladislaus Poloniæ* Rex accepta, cum *Hungariæ* Regis *Sigismundi* hoſtilitatem ſemper haberet ſuſpectam, & longius progredi pernitioſam exiſtimaret, tum primum in *Lithuaniam*, cuius videndæ dudum flagrauerat deſiderio, ex terra C *Chelmenſi* poſt medium Quadrageſimæ egreſſus, ſecurior & mente liberior: & illic totum veris & æſtatis tempus, terras *Lithuaniæ* & *Rusſiæ* peragrando, abſumpſit, a Duce *Alexandro* vbique comitatus. In *Vilno* quidem naui conſcenſa venit in *Kowno*, & ab inde in *Iudborg* deſcendens, aliquanto tempore venandi illic occupatur voluntate.

in Hungariæ finibus collocat præſidia.

ipſe vero Lithuaniam & Ruſſiam peragrat.

Halicienſi Eccleſia Metropolitica, ex obitu *Iacobi* Archiepiſcopi fratris ordinis Minorum, vacante, *Nicolaus* de *Sandomiria*, Regni *Poloniæ* Vice-Cancellarius ad eam promouente illum *Wladislao Poloniæ* Rege, per *Ioannem XXIV*, quarto decimo Calend. Iulii, *Romæ*, ſchiſmate peſtifero durante, ſuffectus eſt, na- D tione *Polonus*, genere nobilis de domo *Tubarum*, tres tubas nigras in albo campo pro inſigni deferente, ex patre *Vilhelmo*; omnibus beneficiis ſuis, videlicet Præpoſitura Sancti *Floriani* extra muros *Cracouienſes*, & Præbendas, in *Gneſnenſi*, *Cracouienſi*, *Sandomirienſi*, Sancti *Georgii* in *Cracouienſi*, ſancti *Viti* in *Kruſchuicenſi* caſtris, & altari in Eccleſia *Cracouienſi* propter tenuitatem Eccleſiæ *Halicienſis*, reſeruatis. Quinto Idus Maii, ad Eccleſiam *Camenecenſem* ſiue *Podolienſem* per mortem *Alexandri* ſui Pontificis immediati vacantem, *Andreas* ad petitionem *Wladislai* Poloniæ Regis, per *Ioannem* de *Koſza*, qui Papa *XXIII* in ſuo obedientia appellatus eſt, durante ſchiſmate, prouiſus.

Nicolaus Regni Poloniæ Vice Cancellarius in Archiep. Halicienſem,

& Andreas ad Camenecenſem ſufficiuntur.

Venationes apud *Iudborg Wladislaus Poloniæ* Rex tractando, ad curam rurſum publica-

Wladislaus Rex cum in-

rum

1411

gentibus donis ad Ioannem XXIV. Legatos mittit, obedientiam denunciantes.

rum rerum mentem vertens, *Andream Laskari* de *Goſtawicze* Præpoſitum *Wladislauienſem*, *Martinũ* de *Wroczimowycze* Vexilliferum *Cracouienſem*, & *Sbigneum* de *Oleſchnicza* Secretarium ſuum, in vrbem ad *Ioannem* Papam *XXIV*, obedientiam illi præſtituros, deſtinat: dona magnæ excellentiæ, videlicet, quatuor ſcutellas aureas, item duos picarios raræ quantitatis aureos, item tres veſtes pellibus ſabellinis ſubductas, item tecturam largam pro lecto, pellibus de vario ab vna, & emerlinis ab altera partibus contextam, transmittens. Præfatis itaque Nunciis Regiis, feria ſexta ante feſtum Natiuitatis Sanctæ *Mariæ* Virginis *Romam* ingreſſis, magnus honos a Prælatis & Curienſibus vniuerſis obuiam illis ad extremum lapidem euntibus, impenſus eſt, & introitus eorum exceptus cum omni decentia & honore. Data autem Legatis Regiis audientia, quatuor principalia *Wladislao* Regi, a *Ioanne* Papa, concedi petebant. Primum. *vt declararet eum iuſtum bellum cum Magiſtro & Ordine Cruciferorum agitaſſe.* Secundum. *vt Rex omnia in Eccleſiis quibuscumque apud Pruſſiam recepta, licite retinere, & aliis Eccleſiis in Poloniæ Regno donare potuiſſet.* Tertium. *vt Regi contra Tarturos Crucem & generale paſſagium largiretur.* Quartum. *vt indulgentias, quas Eccleſia Sanctæ Mariæ Sandomirienſi, Cracouienſis, diœceſis, in vetuſto tempore ſecunda Iunii practicat, & celebrat, roboret Apoſtolicis literis & confirmet.* Et quoniam Poloniæ Rex *Wladislaus* iuſta, a Papa *Ioanne*, petere videbatur, Papa precibus ſuis deferens, tria illi ſolenniter conceſſit: *Iuſtum videlicet illum cum Cruciferis egiſſe bellum, & iuſte quæ in Eccleſiis Pruthenicis recepta fuere, retinere, & Eccleſiis Polonicis donare poſſe, declarans.* Indulgentias quoque apud Sanctam *Mariam* in Eccleſia *Sandomirienſi*, *Cracouienſis* diœceſis, hactenus maximo omnium concurſu & religione ſecunda Iunii practicatas, quod ea forte die *Polonorum* ſanguis, ciuitate a *Tartaris* conquiſita, abunde fuſus eſt, confirmat, roborat, ſupplet, & innouat. Quartum Paſſagium contra Tartaros, impedientibus Nunciis *Sigiſmundi Romanorum* Regis & Cruciferorum, nullatenus concedendum duxit. Aſſerens illud Paſſagium contra *Ladislaum* de *Duratio Neapuliæ* Regem inſtituiſſe: quod ex altero, contra *Tartaros* concedendo, & areſceret & deflueret. Reſponſio hæc in colorem, ne *Wladislaum* Regem & ſuos Oratores, maxima dona mittentem, offenſum iri contingeret, magis quam pro rerum veritate, edita eſt. Et ita Regis *Poloniæ* Nuncii, nouem hebdomadis in Vrbe exactis, in Regnum *Poloniæ* ſalui, licet multæ illis in via tenſæ fuiſſent inſidiæ, pro feſto Natalis *Chriſti*, *Cracouiam* reuertuntur.

De *Iudborg*, *Wladislaus Poloniæ* Rex *Vilnam* applicans, aliquot diebus exactis in *Poloczko*, deinde *Vitbepsko*, *Smolensko*, poſthæc in *Krziczow* & *Zaſław* proceſſit, ex *Zaſław* nauibus per fluuium *Dniepr* vectus, in *Kiiow* deſcendit, *Alexandro* Duce magno *Lithuaniæ* eum cum conſorte ſua. *Anna* in locis prædictis comitante, & ſuæ Serenitati atque ſuis, neceſſariorum & domorum procurante abundantiam. Ex *Kiiow*, *Alexandro* Duce magno *Lithuaniæ* illic relicto, proceſſit *Wladislaus Poloniæ* Rex per *Dniepr* in *Czirkaſzy*, *Swinigrod*, *Sokolecz*, *Karawol*, *Braczlaw*, & tandem in *Kamyeniecz* peruenit; Ex *Kamyeniecz*, *Leopolim*, inde in *Gliniany* acceſſit, quo iam *Alexander*, magnus Dux *Lithuaniæ*, aduenerat; quemadmodum inter Regem & eum, tractatibus ſecretis, conuenerat, ad agendum ſeuerum de *Nicolao Kurowsky Gneſnenſi* Archiepiſcopo iudicium, quaſi in Regiam Maieſtatem graui offenſa deliquiſſet, ſolicitando videlicet *Annam* Reginam de ſtupro, ſecundum eiusdem Reginæ aſſertionem. Præfatus autem *Nicolaus Kurowsky Gneſnenſis* Archiepiſcopus, dum in *Glinyani* ad Iudicium huiusmodi ſubeundum procederet, ex caſu, quem in *Krzeczow*, lapſus equo, contraxerat, in languorem incidens, die Dominico in vigilia Natiuitatis *S. Mariæ*, *Ropszicze* veniens, nocte ſuperueniente, Confeſſionis duntaxat Sacramento refectus, diem obiit, & *Gneſnam* relatus, Eccleſiaſticæ traditus eſt, ante chori ingreſſum, ſepulturæ. Hic magnas opes, in auro, argento, gemmis, caſtris, prædiis, villis, mittendo frequentius naues, carne & frumento oneratas in *Flandriam*, pro fratribus & nepotibus ſuis quæſierat. Quæ morte ſua ſecuta, per fratres & conſanguineos ſuos, & ſignanter per fratrem ſuum germanum *Petrum Kurowsky* occupatæ & diſtractæ, licet *Wladislaus Poloniæ* Rex ab obtinendum eas, magnis conatibus adnitens, etiam caſtrum *Vnieiouienſe*, in quo conditæ erant, vallauerit, miſſo exercitu: cuius Ductor erat *Nicolaus* de *Michałow* Palatinus *Sandomirienſis* & Capitaneus *Siradienſis*. Fertur, quod Archiepiſcopus præfatus, dum in *Glinyani* procederet, non ignarus ad quam infeſtum & inuidioſum pergeret iudicium, non exiguam auri quantitatem ſecum detuliſſe, euacuaturum ſe credens, datis muneribus, inſignibus, directæ aduerſum ſe accuſationis inuidiam. Magnitudine opum, quas *Petro Kurowsky* germano ſuo reliquerat, quam aliquo in Eccleſiam aut patriam, pietatis opere, inſignior.

1411

Nicolaus Kurowski Archiep. Gneſnenſis, priusquam ſe Regi de ſtupro purgaret,

in itinere moritur,

opum magnitudine ſpectatior quam virtute.

Ex *Glinyani* *Alexandro* Duce magno *Lithuaniæ* in Lithuaniam remiſſo *Poloniæ* Rex *Wladislaus Leopolienſis* rediit. Quo illic ſtante, Capitulum *Gneſnenſe* ad electionem futuri Paſtoris procedens, *Albertum Iaſtrabiecz Poſnanienſem* Epiſcopum, concorditer, nullo diſcrepante, in Archiepiſcopum *Gneſnenſem* poſtulat. Qui ad *Wladislaum Poloniæ* Regem perueniens *Leopolim*, conformem & Canonicam poſtulationem ſuam, a Rege *Wla-*

Wladislaus Alberto Iaſtrabiecz reiecto

1411 *ladiſlao* velut Patrono, admitti & gratificari expetebat. *Wladiſlaus* autem Rex *Poloniæ*, parum iuſta ira motus, quod *Gneſnenſe* Capitulum, eo inconſulto, poſtulationem *Alberti Iaſtrzabiecz* celebraſſet; *Nicolaum* Archiepiſcopum *Halicienſem* & Regni *Poloniæ* Vice-Cancellarium, ad Eccleſiam *Gneſnenſem* nominat; *Alberti Iaſtrzabiecz* iuſtis & legitimis rationibus repudiatis. Qui litigare ſibi cum Rege & Principe in Eccleſia *Romana*, peſtifero vrgente ſchiſmate, graue & difficile exiſtimans, proſequi tunc Canonicam ſuam electionem omiſit, haud multo poſt tempore, in officioſum ad Eccleſiam *Cracouienſem* aſcenſum, indulgentius quam Pontifici conueniebat, quæſiturus. Vt autem nominatio ad *Gneſnenſem* Eccleſiam de *Nicolao Traba Halicienſi* Archiepiſcopo, contra fas & ius facta, celeriorem expeditionem ſuſciperet, *Ioannem Slyedz* Doctorem, & Capellæ ſuæ Regiæ Magiſtrum, ad *Ioannem* Papam XXIV. cum literis & ſupplicationibus transmiſit. Qui literis & precibus & Regiis morem gerens, cum nemo foret qui niteretur in aduerſum, *Romæ* tunc agens, ſecundo Nonas Auguſti, *Nicolao Halicienſi* Archiepiſcopo, in *Gneſnenſem* Eccleſiam translato, *Ioanni Rzeſchowski* Præpoſito *S. Michaelis* in caſtro, & Canonico *Cracouienſi* de domo *Pulkoſza*, vtroque beneficio ſibi reſeruato, iuxta Regium beneplacitum atque precem, de *Halicienſi* Eccleſia prouidit. Proceſſu quoque temporis Metropoliticam dignitatem, *Wladislao* Rege inſtante, ex *Halicz Leopolim* tranſtulit, & ciuitatem *Leopolienſem* honore geminato, Pontificali videlicet & Metropolicito inſigniuit.

Nicolaum Traba Halicienſem Archiep. nominat Gneſnenſem.

Ioannes Rzeſchowski fit Archiep. Halicienſis.

Halicienſis ſedes Leopolim transfertur.

Ex *Leopoli Wladislai Poloniæ* Rex in *Niepolomicze* pro die Sancti *Martini* diuertens, & dies quindecim illic abſumens, *Cracouiam* pedeſter, in die Sanctæ *Catharinæ*, Sanctorum *Stanislai*, *Venceslai*, & *Floriani*, limina viſitaturus, magna prælatorum multitudine, vexilla & ſigna Cruciferorum, in magno prælio capta, ferentium extenſa comitatus, & oppidum *Caſimirienſe* primum ingreſſus, in Rupellam venit. Vbi adoratis Sanctorum reliquiis, in arcem *Cracouienſem* ad Eccleſiam maiorem, præcedentibus eum vexillis Cruciferorum, aſcendit, & in Eccleſia maiori Sancti *Stanislai Cracouiæ*, omnia Cruciferorum banderia, in ſignum magnificæ victoriæ depoſuit; quæ & in hunc diem a dextris illic & a ſiniſtris pendendo, magnum propriis & exteris præbendo ſpectaculum, Regium triumphum, & Cruciferorum cladem aſſidue oſtentant. Ex *Cracouia Wladislaus Poloniæ* Rex in *Lithuaniam* proceſſit, atque illic magnam hyemis partem exegit. In templum *Cracouienſe*, quod nobiliſſimum & excellentiſſimum habet *Polonia*, vnum & quinquaginta Cruciferorum ſigna tunc illata, ſplendorem & decus templo adiecere, quæ in perpetuum memoriale & inſigne a *Polonis* cuſtodienda ſeruandaque ſunt, & in locum vetuſtiorum noua retexenda, vt propter incredibilem

Signa Cruciferis ablata in Eccleſia Cracovienſi appendentur

1411 A ingentemque dimicationem, & triumphum ex ea relatum, extet tantæ victoriæ exemplar, & partim eadem illa ſigna videantur, partim tanquam illa eadem eſſent, apppareant. Sancitum autem fuit tunc, & vniuerſali decreto a *Wladislao* Rege, & omnibus ſtatibus Eccleſiaſticis & Secularibus, concordi ſententia & conſenſu inſtitutum, vt diuiſionis Apoſtolorum dies ſolennis agatur, & feriata in vniuerſo *Poloniæ* Regno celebretur. Doceantque Patres, ſuos filios, nepotes, pronepotes, & ſucceſſores, vt diem illum obſeruent, colantque memoria B ſempiterna. In qua benignitas DEI, miſericordiam ſuam cum *Polonorum* natione & ſtirpe, magnificaſſet; & vt ſingulæ Eccleſiæ tam vrbanæ, quam vicanæ, per vniuerſum Regnum *Poloniæ* conſtitutæ, & celebritate ſingulari, & miſſarum proceſſionumque officiis, diem tanti triumphi cum plebe ſua recolant, & agant ingentes DEO, pro beneficio *Polonorum* genti impenſo, gratiarum actiones.

& ſupplicatio pro relata victoria indicitur.

Pruſſiæ Magiſter *Henricus* de *Plawen*, in anni huius fine, vehementer in Vexilliferum, & cæteros *Chelmenſes* militares iratus, quaſi erga ſe, & Ordinem Cruciferorum parum ſynceri C exiſterent, & perfidiam in ipſum & Ordinem fuiſſent moliti, capite eos obtruncat, ope cuiuslibet defenſionis legitimæ ipſis denegata, videlicet *Nicolaum* dictum *Nikſz* Vexilliferum *Chelmenſem Ianuſſium Orzechowsky*, *Conradum* de *Ropkow*, milites; Duos inſuper Magiſtros ciuium, *Gdanenſium* videlicet *Petrum Neczko*, & *Bartholomæum Groſz*, ad ſe in caſtrum *Gdanenſe* pro prandio inuitatos, ſecuri, negata confeſſione extrema & viatico, percutit, eorumque cadauera, quaſi parum tormenti viui excepiſſent, ſimo obruit. Quamuis enim crimen eis obiectum nullo fulciretur euidenti argumento, cauſas tamen captiuitatis & vinculorum, ſatagens fore iuſtas, ipſos tam præcipiti morte damnauit.

Henricus Magiſter Pruſſiæ quosdam necat, cauſa indicta.

D *Wladislaus Poloniæ* Rex, ex venationibus, quas per vniuerſum Aduentus Domini tempus circa *Gonyadz* tractauerat, reuerſus, Natalis dies apud *Grodno* egit. Sub eo autem tempore *Arneſtus Auſtriæ* Dux, cum Marſchalco ſuo *Sweimpelk*, in parua comitiua & diſſimulato habitu, *Cracouiam* latenter adueniens, fœdus & affinitatem cum *Wladislao Poloniæ* Rege, quo aduerſus potentiam infeſtam *Sigismundi Hungariæ* Regis beatior conſiſteret, iungere geſtiebat. Reuelato autem ſuo aduentu, & per celerem Nuncium ad Regem in *Lithuaniam* perlato, *Wladislaus* Rex properantius ex *Lithuania* in *Poloniæ* Regnum proceſſit, Ducem prædictum *Arneſtum* honoraturus. Dum autem oppidum *Proſchowicze* attigiſſet, nocte ex *Proſchowicze* conſurgens, diluculo *Cracouiam* & domum, qua *Arneſtus Auſtriæ* Dux hoſpi-

Wladislaus Rex cum Arneſto Auſtriæ Duce, Cracoviam, paucis comitibus veniente

1412

ſocietatem & affinitatem iungit:

hoſpitabatur, ingreſſus, Ducem præfatum, nondum ſopore ſolutum, conueniens, quo pacto Regnum ſuum & ciuitatem abſque ſaluo conductu ingredi præſumpſiſſet, iocoſo ſermone territum, magna benignitate & comitate excepit. Habitis deinde per dies ſequentes mutuis tractatibus, quibus & fœdus & affinitas a *Wladiſlao* Rege per Ducem *Arneſtum* petebatur; *Wladiſlaus* Rex virginem *Czimbarcam*, neptem ſuam ex ſorore germana, *Semouithi Maſouiæ* Ducis filiam illi deſponſans, dotemque amplam illi largiens in auro, & fœdus & affinitatem ſecum, vt optauerat, conſumat. Celebratis autem ante dies Carnispriuii, in magna ſolennitate, pro magnificentia, & tradentis & accipientis vxorem, in vrbe *Cracouienſi* nuptiis, præfatus *Arneſtus Auſtriæ* Dux, magnificis, & dotalibus, ac aliis priuatis acceptis, a *Wladiſlao* Rege, muneribus, in propria regrediebatur. Cui cum propriæ familiæ paucitate, ne *Sigiſmundi* Hungariæ Regis inſidiis violaretur, ire metuenti, ſexingentos milites ex Curienſibus ſuis, præficiens eis *Petrum Schafranyecz*, Succamerarium *Cracouienſem* in Capitaneum, in auxilium dedit. A quibus vſque in *nouam ciuitatem Auſtriæ*, vna cum noua ſponſa fœmina *Czimbarca* perductus, celebrem curiam inſtituit. Qua peracta, conductoribus ſuis remuneratis, eos in *Poloniam*, per *Viennam* & *Morauiam*, via qua venerat, perpetuis beneficiis *Wladiſlai* Regis *Poloniæ* ſe profitendo obſtrictum, remiſit. Ex huiuſmodi *Arneſti* & *Czimbarcæ* connubio, dierum proceſſu *Fredericus* natus eſt, qui *Romani* imperii annis plurimis tenuit gubernacula.

Legatio Ducis Venetiarum ad Regem Poloniæ, ne fœdus cum Hungaro ineat.

Dux *Venetiarum Michael Stbeno*, ſpecialibus literis & Nunciis ad *Wladiſlaum Poloniæ* Regem vſque *Cracouiam* tranſmiſſis, maxima prece ſuam Serenitatem hortatur & obſecrat, *ne bellum cum Sigiſmundo Hungariæ Rege cæptum deſerat, nec ſecum fœdus iungat: offerens pro militibus Regiis, quingentas haſtas explentibus, ſe in auro numerato ſtipendia, guerra durante, largiturum.* Agebatur ſiquidem ea tempeſtate, inter *Sigiſmundum* Regem *Romanorum Hungariæque*, & *Venetorum* Dominium pro Regno *Dalmatiæ*, a *Venetis* occupato, durum bellum. Quapropter ſatagentes *Veneti* a bello *Dalmatico* illum auertere, ſumptus liberales & pecunias neceſſarias, iuxta Regis ordinationem, pro quingentis lanceis in bellum *Pannonicum*, offerebant. Res tamen hæc, quamuis Regi & Regno *Poloniæ* plurimum vtilis, Regni *Hungarici* reſpectu accepta non eſt.

Nuptiis Ducis *Auſtriæ Arneſti*, & gentibus ſuis, quæ illum in *Auſtriam* conducerent, expeditis, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, ex *Cracouia* in *nouam Sandecz*, cum *Anna* Regina conſorte ſua, proceſſit. Et illic, conuenientibus ad eum *Semouitho* Duce *Maſouiæ* ſeniore, & *Alexandra* conſorte ſua; item Duce *Boleſlao Maſouiæ*; item *Sigiſmundo Coributh* Duce *Lithuaniæ*, item Duciſſa *Rathiborienſi Helena*, & Baronum atque militum multitudine magna, dies Carnispriuii in ſolatiis & hilaritate, exegit. *Sigiſmundus* autem *Romanorum* & *Hungariæ* Rex, res ſuas in pericula veritus reciſuras, ex fœdere, in quod firmandum *Wladiſlaus* Rex a *Venetorum* Dominio ſollicitabatur; & ne a duplici & forti hoſte, a tergo & a fronte impeteretur, placare ſibi *Poloniæ* Regem quacumque arte decreuit.

Wladiſlaus Rex a legatis Sigiſmundi perſuaſus

Itaque *Branda* tituli Sancti *Clementis* Presbitero Cardinali, ac *Stiborio* de *Stiborzicze* Palatino *Tranſyluanienſi*, ad *Wladiſlaum* Regem in *nouam Sandecz* miſſis, hoſtilitatem, per quam in *Wladiſlaum* Regem deliquerat, longo ſermone extenuabat: petens *ſecum fœdus nouum & perpetuum componi, & perſonalem conuentionem teneri.* Ad quam tenendam, aſſerebant *Sigiſmundum* Regem dudum per Barones Regnorum, pro die *S. Eliſabeth*, anno tranſacto in antiqua villa indictæ conuentioni pariturum, in *Scepuſium* aduenisse, & in eam diem moratum eſſe. *Wladiſlao* autem *Poloniæ* Rege, & ſuas, quibus a *Sigiſmundo* Rege laceſſitus eſt, aggrauante iniurias, & fluxæ fidei hominem *Sigiſmundum* Regem differente; Cardinalis & Palatinus prædicti, diſſidentes animos Regum compoſituri nunc illum, nunc alium, varia frequentatione adibant. Quo tractatu pendente *Wladiſlai* Regis permiſſu, *Anna* Regina *Poloniæ* variis precibus & literis *Sigiſmundi* Regis expugnata, viſura conſobrinam ſuam *Barbaram*, *Sigiſmundi* Regis conſortem, cum ſplendida & notabili comitiua *Poloniæ* militum in *Kezmark* acceſſit, magno honore & charitate Regis & Reginæ excepta. Interea opera Cardinalis *Brandæ*, & *Stiborii* Palatini *Tranſyluanienſis Wladiſlaus* Rex deuictus, agere in *Lubomlya* oppido perſonalem viſionem cum *Sigiſmundo* Rege conſenſit. Ad quam cum Sabbato ante Dominicam *Lætare*, habens in ſuo comitatu *Boleſlaum Maſouiæ*, *Sigiſmundum Lithuaniæ*, Duces, & Prælatorum ac Baronum *Poloniæ* frequentiam, aduenisset, *Sigiſmundus Romanorum* atque *Hungariæ* Rex, in vertice *Alpium* occurrens, aduentum ſuum excepit. Et factis mutuis ſalutationibus & oſculis, in oppidum *Lubomlya*, vbi iterum ab vtraque Regina excipiebatur, deduxit.

Lubomliam venit.

Quamuis autem Reges diebus ſeptem per ſe & Conſiliarios ſuos de pace egiſſent, non tamen pax poterat inter illos conuenire. Iam itaque Sabbato ante Dominicam *Iudica Wladiſlao Poloniæ* Rege cum ſuis omnibus ad diſceſſionem accincto, *Sigiſmundus* Rex noua rogatione peruicit illum, quatenus faciat ſecum, omnibus arbitris excluſis, ad ſecretam cameram ingreſſum. Vbi cum vterque reſediſſet, *Sigiſmundus Romanorum* & *Hungariæ* Rex, vt erat

ad

ibique dolo Sigiſmundi illectus

ad ingenia & verſutias plenus, ſic ad *Wladiſlaum Poloniæ* Regem orſus eſt: *Cum & ſanguine propinquo, Illuſtriſſime & Chariſſime frater, & affinitate geminata ſimus inuicem obſtricti, habeamus inſuper Regna vicina, & varijs inter ſe neceſſitudinibus ex tempore vetuſto coniuncta, disgredi hinc, pace non ſtabilita, fœdum & turpe vtrique noſtrum exiſtimo, præſertim cum inimicitiæ noſtræ non in longum progreſſæ, facile poſſint, dummodo bona mens aſſuerit, reſcindi. Ego quoque cum tua Excellentia, tuiſque Dominiis in pacis amœnitate exiſtere ſummopere exoptem; Sed quoniam a me pro Cruciferis cœptum eſt bellum, cuius iam tædet pœnitetque me; Pollicebor itaque tibi, & iuſiurandi, ſi in perpetuæ pacis fœdus mecum redire ſincere conſentis, ſacramento firmabo, & Cruciferos me a die hac, & in ſempiternum deſerturum, & cum omnibus meis potentiis, pro eorum exterminio, perſonalia auxilia me tibi, ea tamen conditione interpoſita, præſtiturum repromitto, ut poſtquam propitia Diuinitate eos vinci, & exterminari contigerit, terræ Culmenſis, Michalouienſis, & Pomeraniæ, quas proprias & naturales Regni tui Poloniæ profiteor, ad te & Regnum tuum ſimpliciter & plenarie recidant: Terram autem Pruſſiæ eo inter nos ſortiamur pacto, vt alter ex nobis maiorem partem illius accipiat, qui maiores exercitus in guerram conduxerit.* Credidit Princeps ſimplex & rectus *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, huic vafro callidoque *Sigiſmundi* Regis promiſſo, exiſtimans apud illum æque, vt apud ſe, religionem iuſiurandi, fore debere intemeratam & ſacroſanctam. Itaque voluntati & deprecationi *Sigiſmundi*, in ſingulis vltroneum, Conſiliariis ſuis ignorantibus, præbuit conſenſum. Et altero in manibus alterius, per lignum viuificæ Crucis, de obſeruando & adimplendo huiuſmodi tractatu & contractu, præſtante iuramentum, fœdus perpetuum, grauitate ſuarum iniuriarum non diſcuſſa neque digeſta, iecit. Magnitudine inſuper pollicitationis, a *Sigiſmundo* Rege factæ, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex pellectus, non ſolum omnium iniuriarum & damnorum, quibus illum, graui & infeſto bello occupatum, *Sigiſmundus* perculerat, oblitus eſt; ſed etiam ad nonnullos articulos, Regno ſuo *Poloniæ* & in præſens, & in futurum, perniciem afferentes, & allaturos, ſe a *Sigiſmundo* Rege protrahi, deducique conſenſit. Nam licet *Poloniæ* Regnum a vetuſto tempore certa, iuſta, legitima, atque pacifica, terrarum *Ruſſiæ* & *Podoliæ* frueretur poſſeſſione, *Wladiſlaus* tamen *Poloniæ* Rex clarum & certum ius Regni ſui, in contractu huiuſmodi & fœdere, in dubium verti permiſit, omnemque quæſtionem (quæ tamen nuſquam ſuſcitata erat) occaſione prædictarum terrarum, inter Regna *Poloniæ* & *Hungariæ*, vſque ad obitum ſuum, & eiuſdem *Sigiſmundi* Regis, & ex poſt ad ſpatium quinque annorum ſuſpendi: terram vero *Valachiæ*, quæ & ipſa *Polonis* feudalis & tributaria eſt, eiectis ex illa tyrannis, partiri inter *Poloniæ* & *Hungariæ* Regna, ex æquo, conſenſit. Et dum fines Regni ſui propagare nititur, in ambiguitatem coniecit propagatos. *Sigiſmundus* ſiquidem *Hungariæ* Rex, perſpectam habens *Wladiſlai Poloniæ* Regis ſinceritatem, abditis & ſecretis tractatibus, omnibus arbitris excluſis, ſecum reconciliationem facere, & fœdus inire voluit, ſingula ex ſententia ſua & voto, quemadmodum euenit, conſecuturus, quæ ſciebat, ſi conſiliarii Regni *Poloniæ* in rem & tractatum adhibiti forent, nullatenus ſe obtenturum.

Senatoribus inconſultis ſecretum ſed Regno Poloniæ perniciosum init fœdus.

Percuſſo fœdere cum Sigiſmundo Rege,

Fœdere per concluſionem inter Reges icto ſecretam, conclaue ambo egreſſi, ad locum quo Reginæ conſtiterant, procedunt. Quo cum ventum eſſet, *Sigiſmundus Romanorum & Hungariæ* Rex, caput mitra nudans, *Wladiſlaum Poloniæ* Regem ſolicite rogare cœpit, *vt poſtquam in Lubomlienſi oppido, ad quod, petitionibus ſuis motus, deſcendere dignatus fuiſſet, iuxta ſtatus & dignitatis ſuæ Regiæ exigentiam, honorari nequiuerit, Caſſouiam non dedignetur, oppidum magis populare & politicum, accedere; ampliori cultu honorē illic & charitatem ſuſcepturus. Wladiſlaus* autem *Poloniæ* Rex, nulla cum ſuis deliberatione præmiſſa, petitioni annuens, ire cum *Sigiſmundo* Rege in *Caſſouiā* repromiſit. Argutus illico per *Ioannem* de *Tarnow* Palatinum *Cracouienſem*; *Cur tam faciliter ire ad hoſtem ſine ſecuritate exacta, parum deliberatus conſenſiſſet? ſilere Palatinum* Rex velut rerum ignarum, iuſſit, facilitatem ſuam, arcano cognito, laudaturum. Excepit deinde eadem die *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, & *Sigiſmundum* Regem & Reginam ſuam *Barbaram*, atque omnes natu maiores *Hungariæ* Barones, honore menſæ & magnificis epulis contractauit. Prandio vero expleto, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, cum ſingulis Prælatis, Principibus, Baronibus & militibus ſuis, qui cum eo in *Lubomlyam* acceſſerant, in *Caſſouiam*, *Sigiſmundo* Rege eum comitante, proceſſit. Et primum nocturnum in *Sobinow*, ſecundum die Dominico *Iudica*, in *Operiaſz*, egit; tertio vero feria ſecunda poſt Dominicam *Iudica*, in *Caſſouiam* perueniunt, cum ſuis omnibus, magnificis procuratus neceſſariis, octo dies manſit.

Wladiſlaus Rex Caſſouiā deducitur

Regibus apud *Caſſouiam* agentibus, vocat vterque Conſiliarios quatuor ad Conſilium ſecretum, *Wladiſlaus* quidem *Poloniæ* Rex *Nicolaum Gneſnenſem* Archiepiſcopum, *Albertum Iaſtrzabiecz Poſnanienſem* Epiſcopum *Ioannem* de *Tarnow* Palatinum *Cracouienſem*, & *Sbigneum* de *Brzezie* Regni *Poloniæ* Marſchalcum. *Sigiſmundus* vero *Hungariæ* Rex, *Ioannem* Archiepiſcopum *Strigonienſem*, *Hermannum* Comitem *Ciliæ*, *Nicolaum* de *Gara* Palatinum *Hungariæ*, & *Simonem* de *Rozgon*, Iudicem

1412 cem ſuæ Curiæ Regalis; eiſque ſecretas concluſiones in *Lubowlya* habitas aperiunt. Et quamuis Prælati & Barones *Poloniæ*, pacta Regum non probarent, velut Regno *Poloniæ* plurimum periculoſa & nociua, non valentes tamen Regis ſui Decretum, quomodolibet irritare, inuiti pactis aſſentiunt. Dum autem iuxta conditiones pactorum minutæ literarum forent confectæ, & articulus primus de exterminio Cruciferorum, quorum Nuncii eo tempore ad *Sigismundum* Regem venerant, & de *Pruſſiæ* terra diuidenda, tanquam principalis, propter quem cæteræ inconuenientiæ fuerant admiſſæ, poſitus notatusque fuiſſet, *Sigismundus Romanorum* & *Hungariæ* Rex, tali calliditate obtinuit eum apud *Wladislaum Poloniæ* Regem, ex literis principalibus aboleri. Petiuit ſiquidem *Wladislaum* Regem, quatenus *Anna* Regina *Poloniæ Cracouiam* remiſſa, ex *Caſſouia* ſecum in *Varadinum*, deinde *Budam*, *Viſchegrod*, & alia Regni *Hungariæ* loca inſigniora, procederet; pollicens eum in venationes feris opulentas, quibus ſciebat *Wladislaum Poloniæ* Regem delectari, traducturum, & omnibus neceſſariis ſplendide tractaturum. Quem cum ſenſiſſet ea oblatione ineſcatum, alteram rurſus petitionem adiecit: *Noſti*, inquit, *Illuſtriſſime & amantiſſime frater, me in Romanorum Regem nouiter aſſumptum eſſe, & nondum Sedem Imperii ad integrum conſcendiſſe; Rogo itaque te, quatenus de Cruciferorum exterminio & terræ Pruſſiæ diuiſione, ſtipulatione manuali, & corporali iuramento, inter nos firmatam, literis communibus fœderum non permittas miſceri concluſionem: grauem indignationem, ex qua mea non ignominia tantummodo, ſed etiam ex Imperio depoſitio, apud Imperii Electores, Cruciferis propter genus & ditionem fauentes, mihi conflaturam. Faueas itaque, ſicut frater amantiſſimus, honori meo, & articulum prædictum per quem ego apud Electores, & alios Principes Imperii, magnis odiis & opprobriis me inſimulatum iri non dubito, æquo animo ex inſcriptionum fœdere detrahi permittas. Ego enim articulum illum, quemadmodum tibi iuramento pollicitus ſum corporali, & omnes alios, iuxta quos fœdus ſancitum eſt, ſyncere, pure, & integre obſeruabo, perinde acſi foret in literis fœderis, plene notatus & expreſſus.* Annuit iterum *Wladislaus Poloniæ* Rex, *Sigismundi* Regis callidæ petitioni, & articulum de Cruciferorum exterminio, & *Pruſſiæ* diuiſione, reſcindi ex literis permittit. Huiuſcemodi quoque venabulo ſe ludibriari, neque turpe, neque inglorium duxit. Conſcribuntur itaque, ordinantur, & ſigillantur literæ, articulo potiori & meliori abrogato. Tenor autem fœderis extat talis.

Articulus principalis in literis fœderis omittitur.

Wladislao dolo ignaro annuente.

Sigiſmundus Dei gratia Romanorum Rex ſemper auguſtus, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croaciæ, Raſciæ, Seruiæ, Galatiæ, Lodoringiæ, Cumaniæ, Bulgariæque Rex. Ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum. Inter bonas ſolicitudines, curasque multiplices, Aquæ miniſterio Regiæ dignitatis incumbunt, de pacifico & ſalubri ſtatu Regnorum noſtrorum, ſolicite cogitare nos conuenit, vt Regnis ipſis ac ſubditis noſtris, vigeat tranquilla beatitudo quietis, & ſolidæ pacis gratia nutriatur. Summopere igitur eſt occurrendum, vt non creſcant iurgia, ſed iuxta magiſtram bonorum omnium charitatem, quæ nihil ſapit extraneum, nihil aſperum, nihil confuſum, imo æquitate nutrit concordiam, diſſociatos coniungit, pacem & vnitatem conſolidat. Cupientes itaque omnium diſplicentiarum, odiorum, iniuriarum, damnorum & guerrarum, materias & fomites, inter nos ab vna, & Sereniſſimum, ac Prælatos, Principes, Dominos Wladislaum Regem Poloniæ, & Alexandrum alias Withawdum, Ducem magnum Lithuaniæ, fratrem eiuſdem Regis Wladislai, partibus ab altera, ac Regna & ſubditos cuiuslibet noſtrum, quoquomodo hactenus exortas & attentatas, tollere & ſuffocare, ac ad ſtatum debitum mutuæ charitatis & fraternitatis, vnione laudabili deducere, ad huiuſmodi connexionis, pacis, fraternitatis, & concordiæ, inconcuſſe duraturam deuenimus vnionem. Primo nempe ex certâ ſcientiâ noſtrâ, & in virtute fidei Catholicæ perfectæ, & puro corde, ac verbo Regio, accedente etiam ad hoc Prælatorum & Baronum, Procerumque Regni noſtri Hungariæ conſenſu, pariter & aſſenſu, aſſumimus & pollicemur, quod ab hoc ætate & hora in antea, puram, veram, & ſinceram fraternitatem, eiſdem, Wladislao Regi, & *Alexandro Duci, pro quo præfatus Wladislaus Poloniæ Rex, nobis fecit cautionem, quod idem Dux Alexander viceuerſâ, nobis eandem fraternitatem iugiter obſeruabit, & per ſuas authenticas & Priuilegiales literas firmabit, exhibebimus & ſeruabimus. Ipſosque contra omnem hominem viuentem, eos hoſtiliter inuadere molientem, totis noſtris viribus adiuuabimus. Et quod auxilium vel conſilium nunquam dabimus nec conſentiemus, contra ipſorum ſtatum ſeu perſonas, neque in periculum ſeu necem perſonarum ipſorum, per nos, vel per alium ſeu alios aliquatenus machinabimur, aut machinari volentibus conſentiemus; ſed potius conſeruationem ſanitatis & vitæ ipſorum vtriusque, honores quoque eorum, pro poſſe procurabimus. Et quod de Regno, Ducatu, terris, Dominiis, Vaſallis & ſubditis ipſorum nullo vnquam tempore quicquam attentabimus. Damnum quoque & periculum ſtatûs, perſonarum, & honoris ipſorum auertemus. Proditoribus & rebellibus ipſorum non conſentiemus, immo fraternitates eorum in talibus, vbi ſciuerimus, præmuniemus, eis intimando defendemus, ac ipſis aſſiſtemus, ac alia omnia & ſingula erga eorum fraternitates generaliter & ſpecialiter attendemus, & efficabiliter obſeruabimus, quæ veræ & ſince-*

Fœderis literæ inter Hungariæ & Poloniæ Reges icti. 1412

1412 ræ fraternitatis vinculum exigit, & quæ in præſentibus literis noſtris per diſtinctiones & continentias earundem, in ſuis punctis, clauſulis, & articulis, ſententiis quoq; & Capitulis vniuerſis comprehenduntur, promittimus, inuiolabiliter, & effectualiter attendere & tenere, prout præfati Domini, Wladiſlaus Rex, & Withawdus Dux, fratres noſtri chariſſimi, vicariâ & reciprocâ uiciſſitudine, hac nobis tenenda & obſeruanda repromiſerunt. Verum quia ſuper terris Ruſſiæ, Podoliæ Moldauiæ, inter nos & ipſu Dominum Wladiſlaũ Regem Poloniæ, & occaſione earundẽ, inter cætera, diſſenſionis materia vertebatur: in facto itaq; terræ Ruſſiæ, inter nos & præfatum Dominum Wladiſlaum Regem, concordatũ extitit hoc modo: Vt vita nobis, & ſibi inſimul comite, vſque ad diem obitus vnius ex nobis, quem videlicet prius nutu diuino ex nobis exemi contingat ab humanis, inter nos & ipſum Dominum Wladiſlaum Regem, necnon præfatum Withawdum Ducem, pacis & treugarum fœdera habeantur, & inconcuſſe obſeruentur, modo infra ſcripto. Quibus treugis durantibus præfatus Dominus Wladiſlaus Rex Poloniæ, terram ipſam Ruſſiæ pacifice teneat, prout tenet, ſine impedimento noſtro, vel Regni, aut ſubditorum noſtrorum aliquali. In terra vero Podoliæ, promittimus eundem Dominum Wladiſlaum Regem per noſmetipſos non impedire, nec per noſtros ſubditos facere impediri; neque alicui ad illam impediendam conſilium, fauorem, vel auxilium præſtare, treugis durantibus infra ſcriptis. Item in caſu, quo nos Regem Sigiſmundum, memorato Domino Wladislao Rege fratre noſtro, vocatione diuinâ præmori contingat, extunc poſt obitum noſtrum prædictæ treugæ, infra quinque annos immediate ſequentes, debent perdurare. Et e conuerſo, ſi prædictum Dominum Wladiſlaum Regem prius nobis decedere accidat, fœdera huiuſmodi treugarum, ſimiliter intra quinquennium, inter Poloniæ & Hungariæ Regna, poſt huius deceſſum, debent firmiter obſeruari; & infra prædictos quinque annos treugarum, videatur de iuſtitiâ & iure partium, ſecundum ſeriem & continentiam literarum, alias per Prælatos & Barones vtriuſque Regni, Hungariæ videlicet & Poloniæ, primum in Iglo, alio nomine in noua Villa, & alterâ vice in antiqua villa, confectarum, quarum contenta habentes hic ſufficienter pro inſertis, quo ad hæc, in ſuo robore volumus permanere. Præterea de terra Moldauiæ, vt ſequitur, inter nos & eundem Dominum Regem Poloniæ, fratrem noſtrum chariſſimum, eſt mutuo concordatum. Ex quo enim magnificus Alexander pro nunc Vayuoda Moldauus, ad beneplacita & mandata ipſius Domini Wladiſlai fratris noſtri ſe dinoſcitur obligaſſe, quam obligationem nos, Sigiſmundus Rex prælibatus, ob amorem puræ & ſinceræ fraternitatis, præfati Domini Wladiſlai Regis, nolentes turbare vel impedire; Ideo diſpoſitum

extitit & firmatum, vt quotieſcumque Turcæ & infideles, terras Regni Hungariæ, cum valido exercitu hoſtiliter inuaderent, ac eaſdem depopulari & deuaſtare molirentur, aut quandocumque nos Sigiſmundus præfatus Rex contra præfatos Turcas & infideles, mille lanceas vel plures armaremus, & contra ipſos in expeditionem extra fines Regni noſtri Hungariæ deſtinaremus, extunc ad noſtram intimationem & ſignificationem, idem Rex Poloniæ frater noſter chariſſimus, mandare debet ſupradicto Moldauo, ut ipſe propria in perſonâ, cum ſua tota potentiâ, nobis & noſtro exercitui ſuccurrat, & obſequia præſtet fideliter & conſtanter, ſaluo, ſi Moldauus ipſe infirmitate notabili & graui tunc eſſet præuentus. Quo caſu nihilominus potentiam ſuam, cum Rectore exercitus ſui idoneo tranſmittere debebit, vel ſi ſaltem in ſeruitio memorati Domini Wladislai Regis, fratris noſtri chariſſimi, cum ſua potentiâ protunc foret præoccupatus. Qui ſi de mandato memorati Domini Wladislai Regis, vt prælibatur, in ſuccurſum contra Turcas vel infideles perſonaliter venire, vel infirmitate præueniente, mittere ſuam potentiam recuſaret, extunc nos ambo, videlicet Sigiſmundus & Wladislaus Reges, ſimul debebimus terram Moldauiæ, non obſtante prædictâ obligatione, potenter inuadere, & ipſum Vayuodam Moldauum ab eadem remouere, & ditioni noſtræ ſubiugare, obtentamque inter nos Reges diuidere, & per limites ſeu terminos infrapoſitos diſtinguere, & celebrari tali modo: Quod ſyluæ maiores, Bukowina dictæ, incipiendo a montibus ſeu Alpibus Regni Hungariæ, inter eandem terram Moldauiæ, & terram Sepenyecenſem ſituatæ, penes Sereth, protendentes ſe ad aliam ſyluam minorem Bukowina dictam, uſque ad fluuium Pruth, debent per medium diuidi, ſeu dimidiari. Et quod forum Iaſznaſather, in ſiniſtra parte ſitum, maneat pro eodem Domino Wladislao Poloniæ Rege. Forum vero ſeu villa Berleth, in dextra parte ſita, maneat nobis Sigiſmundo Regi, & Regno noſtro Hungariæ. Tranſcenſo autem fluuio Pruth, reſiduæ ſyluæ, directe procedendo per campos deſertos vſque ad mare, pari modo cum eiſdem campis deſertis, per medium diuidantur. Itaque Feiernar alias Belegrod cum æquali medietate, pro ſupraſcripto Domino Wladislao Rege Poloniæ, & Kilia cum alia æquali medietate, pro nobis Sigiſmundo Rege, & Regno Hungariæ, maneant taliter dimidiatæ & diuiſæ. Et pars illa quæ ex diuiſione cedet Domino Wladislao Regi prædicto, remaneat in manibus eiuſdem, ſub forma pacis & treugarum ſuper terra Ruſſiæ ſæpius expreſſarum. Vbi autem præfatus Moldauus conſtanter & fideliter mandata per præfatum Dominum Wladiſlaum Regem ſibi iniungenda, in noſtrum ſubſidium & ſuccurſum adimplebit, tunc prædicta totalis terra Moldauiæ remanebit apud eundem, etiam poſt obitum 1412

1412 *tum alterius noſtrùm Regum prædictorum, ad quinquennium ſub fœdere treugarum prædictarum, ſaluo iure partis vtriuſque. Item ſi aliquis vel aliqui ex ſubditis cuiuſcunque noſtrùm, alterius Regnorum noſtrorum, aut terrarum, aliquas vaſtationes, prædas, rapinas, vel incendia, vel quæcumque maleficiorum genera, in Regnis & terris alterius commiſerit, uel commiſerint, quod per hoc treugæ præmiſſæ non infringantur, ſed quod iidem malefactores ad ſatisfactionem iudicialiter impellantur, ita quod damna per ipſos facta, de bonis eorum reſtituantur: Et ſi iudicio parere contemnerent, vterque noſtrum ipſos tanquam maleficos perſequi & impugnare tenebitur & debebit. Et, vt prælibatur, nullo diſſenſionis, diſplicentiæ, controuerſiæ, & maleficii genere ſuperueniente, & accidente, interrumpi poſſit & debeat quomodolibet, vel diſſolui fœdus treugarum vel inſcriptionum prædictarum, ſed vt in talibus delicta non remaneant impunita, diſpoſuimus, vt vndecumque contingat in talibus delinqui, aut exceſſum fieri, recurratur & intimetur per iniuriam & damnum patientem, ad alterius oppidum, vt pote de incolis Regni Hungariæ, ad Oppidum Sandecz, & de incolis Regni Poloniæ, ad oppidum Lewcze; quæ quidem oppida teneantur, iudicibus hinc inde ex vtraque parte deputatis & deputandis, caſum, delictum, & exceſſum intimare, & ipſos inuocare, vt in termino competenti, Iudices quatuor numero videlicet comites Comitatuum de Szariſz, Scepuſienſis, Vinauenſis, & Semplimenſis, protunc conſtituti, & per nos deputati, ad inſtantiam & querelam incolæ de Polonia, in antiqua Villa: ex aduerſo totidem Iudices, per præfatum Wladislaum Regem conſtituti, & in literis ſuis nominatim expreſſi, vt pote Sandecenſis & Voynicenſis Caſtellani, Iudex & Succamerarius Cracouienſis, etiam pro tempore conſtituti, in villa Sebramowicz, aut in eiſdem locis, minor pars iudicum eorundem, prout rei qualitas depopoſcerit, conueniant, ac iudicium & iuſtitiam faciant ſimpliciter de plano, nec non ſubterfugiis ceſſantibus, in delinquentes digne animaduertant. Et in corroborationem, fidem, & teſtimonium cautelæ vberioris, ſigilla Prælatorum, Baronum, & Procerum Regni noſtri, quorum nomina ſingulariter inferiùs deſcribuntur, penes Sigillum noſtrum Regale, præſentibus ſunt appreſſa. Nos quoque miſeratione Diuina Ioannes Archiepiſcopus Strigonienſis, Comes perpetuus in Strigonienſi & Colocenſi Prouinciis, Primas & Apoſtolicæ Sedis Legatus, ac Aulæ Romanorum Regis Cancellarius: Stiborius Agrienſis, Stephanus Tranſyluanienſis, Ioannes Iawrienſis, Philippus Vacienſis, & Ladislaus Tinienſis, Epiſcopi: nec non Hermannus Comes Ciliæ, Nicolaus de Gara, Palatinus Regni Hungariæ, Stiborius de Stiborzicze Voieuoda Tranſyluanus Comes, Simon de Rozgon Iudex Curiæ Regiæ, Philippus de Ozora Comes Themeſſienſis, Ioannes Bebek & Pelſzewſcz Tauernicorum, A Ioannes filius Ioannis Ianitoris, Ioannes filius Gregorii Pincernarum, Petrus Czorh Agazonum, Magiſtri, Nicolaus de Czak pridem Vaywoda Tranſyluanus, Petrus de Peren pridem Comes Siculorum, Zuborius Theſaurarius, Paulus Biſſenus, Banus, Nicolaus Treutel de Newna, Philpes de Goroch, Nicolaus Hederuar Ianitoris, Georgius de Ilswa filius Palatini Pincernarum de Seugara, Agazonum Reginalium Magiſtri; Dauid Laczk de Zankowo, Petrus filius Henrici Comes Scepuſienſis, Ioannes de Hamonna, Matthæus de Palocz Caſtellanus de Gorzgowo Comes Vinarienſis, B Stephanus Compolth, Ioannes Rozgon Comes de Garas, Ladislaus Frenk Vaywoda, Petrus Frebek filius Detrici Palatini, Georgius Comes de Bozen, Bartholomæus Fauthi, Gallus de Zeech, alias Comes Zolenſis, Benedictus Zudar, Nicolaus filius Beke de Veltke, Petrus filius Porze, Michael filius Pauli de Kerzkeghas, Ioannes Iank, Wladislaus Theteus, Dioniſius filius Bani de Lochucz, Nicolaus, Sigismundus, & Ioannes de Chetnek, Ioannes filius Iacobi de Nagwihal, Michael Zakech de Kuzal, Stephanus filius Pauli de Somus, Emericus filius Ioannis de Derenben, Ioannes filius Ribalf de Tharku, & Ladislaus filius Matthiæ, bona fide & Chriſtianice, noſtris, & fratrum, Regnicolarumque C vniuerſorum vice & nominibus, aſſumimus, pollicemur, & fide iubemus, quod omnia & ſingula ſuperius ſcripta, & expreſſa, præfatus Dominus noſter Sigismundus Rex attendet & ſeruabit, noſque attendemus & ſeruabimus; ſuam quoque Serenitatem toto conamine inconcuſſe obſeruanda pro poſſe inducemus, dolo & fraude, in præmiſſis omnibus, procul motis. Datum Liblio. Anno Domini, milleſimo, quadringenteſimo duodecimo; quindecimo die Martii. Regnorum noſtrorum Hungariæ vigeſimo quinto, Romanorum vero ſecundo.*

Wladislaus Rex ad Venetos mittit, ſuadens pacē cum Hungariæ Rege,

Multiplicibus inſtantiis *Sigismundi Romanorum* & *Hungariæ* Regis *Wladislaus Poloniæ* Rex ſolicitatus, vt ſe inter eum & *Venetos* mediatorem ageret, *Thomam* de *Diako* Canoni- D cum *Cracouienſem*, *Venetias* tranſmittit: Duci & Domino *Venetorum* perſuadens, quatenus bello omiſſo, ad quietis conſilia animum inclinaret. Quæ vt facilius confici poſſet; Nuncios ſuos, cum plena poteſtate, *Budam*, pacem eo mediatore tractaturos tranſmittat, ſperare ſe aſſerens æquis conditionibus pacem confecturum.

Feria ſexta ante Dominicam Ramis Palmarum, *Anna Poloniæ* Regina ex *Caſſouia* in *Poloniæ* Regnum reuertitur: Prælatis, Principibus, Baronibus Regni *Poloniæ* ſecum vna redeuntibus, comitata. Quam cum *Sigiſmundus Romanorum* & *Hungariæ* Rex egredientem conduceret, ex equo, cui inſidebat, collapſus, & grauiter colliſus, à ſuis pro ſemiuiuo collectus eſt. Creſcente autem de vi-

ta ipſius deſperatione, omnis nobilitas & vulgus *Hungariæ* ſecretas deliberationes coquebat, non ſe alium pro *Hungariæ* Rege, quam *Wladislaum Poloniæ* Regem, habiturum. Volente tamen Deo, *Sigiſmundus* Rex, breui ad perfectam ſanitatem rediit. Feria ſecunda in craſtino Dominicæ Ramis Palmarum, ambo Reges de *Caſſouia* egreſſi, faciunt nocturnum in *Thokay*. Feria tertia transuadato fluuio *Cziſſa* in rure, feria quarta in *Dobrziczam*; feria quinta *Wladislaus* Rex *Poloniæ*, limina ſancti *Wladislai Hungariæ* Regis, cuius corpus in *Varadino* requieſcit, honoraturus, pedibus iter conficiebat, *Sigiſmundo* Rege *Hungariæ* cum itinere equeſtri præcedente. Quindecim diebus Reges ambo apud *Varadinum* morati, Paſcha Domini illic agunt. Quo Nuncius *Venetorum* Theologiæ Magiſter, frater de Ordine Auguſtinenſium heremitarum, eloquentia & prudentia rarus, adueniens, ſaluum conductum pro Nunciis *Venetorum*, ad tractandam pacem venturis, iuxta formam & plenitudinem, quam petebat, accepit. Ante feſtum ſancti *Adalberti*, egrediuntur ambo Reges *Varadino*, & in campos vaſtos & ſolitudinem ſpirantes, vltra villam *Berſchemyani* facto deſcenſu, venationi operam nauabant. Capta autem ſub triduo multitudine ferarum, venerunt in *Mochay*, deinde in *Dzurdz*, poſt in *Agriam*, vbi Rogationum & Aſcenſionis Domini diebus expletis, fecerunt deſcenſum in *Budam*. In qua ſolennitate dierum Pentecoſtes peracta, ad *Czepel* Inſulam ſe contulerunt agitationi ferarum & cædi intenti. Feria tertia poſt feſtum *S. Trinitatis*, *Budam* reuerſi, maximo cultu maximaque veneratione, circa honorandum feſtum *Corporis* Chriſti fuere verſati, vterque autem Rex *Budæ* manſionem ſuam continuabat in diem vſque Sancti *Ioannis Baptiſtæ*. Et in craſtino Corporis *Chriſti*, Curia militibus ad haſtiludendum indicta eſt, quæ *Arneſti* & *Alberti Auſtriæ*, *Ludouici Bregenſis*, *Conradi Oleſchnicenſis*, *Ianuſſii Ratiborienſis*, *Ioannis Lubenſis*, *Sendal Boſſnenſis*, Ducum; Item centum militum in palæſtra biduo, a mane in veſperum, pugnantium, frequentia nobilitata eſt. Ad quam milites de his nationibus, conſtat confluxiſſe, videlicet *Græcos*, *Italos*, *Gallos*, *Polonos*, *Bohemos*, *Hungaros*, *Auſtrales*, *Miſſnenſes*, *Rinenſes*, *Francones*: *Lithuanos*, *Ruthenos*, *Boſſnenſes*, *Bulgaros*, *Valachos*, *Albanos*, *Raſcianos*. Ex *Polonis* hi fuere milites, *Dobeslaus* de *Oleſchnicza* Caſtellanus *Voynicenſis*, *Mſczugius* de *Skrzin*, *Zawiſſius* niger, & *Ioannes Farurey*, germani de *Garbow*, *Domarath* & *Iacobus* germani de *Kobilani*, *Nicolaus Powala*, *Albertus Malsky*, *Petrus Czebrowsky*, *Martinus Rithwensky*, *Andreas Baliczky*, *Ioannes Goli* de *Strzalkow*, *Martinus Szcodrowsky*, & *Stiborius Iadrzni* de *Stiborzicze*, qui ad ingrediendum primi, & deſcendendum vltimi, cæteris a pugna quieſcentibus, ipſi in ſe ipſos ludum & pugnam edebant. Et quamuis *Sigismundus Romanorum* & *Hungariæ* Rex zelotypiæ odio in *Arneſtum Auſtriæ* Ducem iratus, eum pelli ex Curia huiuſmodi iuſſiſſet, *Arneſtus* tamen publicum faciens ex *Buda* egreſſum, certamen athletarum clandeſtinus introiuit, & in illo vſque in finem verſabatur. Rex *Boſſnenſis Carwen*, ſua & ſuæ conſortis præſentia, ludum hunc celebriorem effecerat, cum & ſui milites, altæ & proceræ ſtaturæ, ſtrenui & animoſi in pugna ſpectarentur.

Ludus militaris Regum & Principum frequentia celebris Budæ peragitur.

Legati Tartarorum ad Regem Wladislaum Budam veniunt.

Imperatoris *Tartarorum Zolthan Zeledini* Nuncii, *Budam* vſque ad *Wladislaum* Regem *Poloniæ* perducti, tribus camelis panno coopertis, *Wladislao* Regi ex parte ſui Cæſaris, & aliis muneribus præſentatis, in legatione ſua, nomine ſui Cæſaris *Wladislao* Regi facta, Cæſarem ſuum, cum omnibus potentiis ſuis contra quoslibet ſuos hoſtes, impenſurum auxilia offerebant. Quæ legatio nationibus exteris erat magnæ admirationi & terrori. Satagens autem *Wladislaus Poloniæ* Rex, *Sigiſmundo Romanorum* & *Hungariæ* Regi, grata honoris & beneuolentiæ viciſſitudine reſpondere, eosdem qui ad ſe ex parte *Tartarorum* Cæſaris venerant, iubet, vt parem legationem apud *Sigismundum* Regem reſumant. De quo prædictus *Sigismundus* Rex admodum lætatus, & ipſam in magnum gloriæ & ſuæ famæ cumulum referens, hoſtes ſuos, *Venetos*, legatione ipſa territabat.

Cauſam Wladislai Regis & Cruciferorum ſuſceptam,

Veritus *Sigismundus Romanorum* & *Hungariæ* Rex, ne *Poloniæ* Rex *Wladislaus* illum, iuxta fœdera percuſſa, & iuramento firmata, de ſubſidio contra Cruciferos ferendo, requireret: Iam ſiquidem Magiſter & Ordo Cruciferorum, pacis perpetuæ fœdus cum *Poloniæ* Rege ictum, ſolutione pecuniarum, pro primo termino facta, pro reſiduis vero duobus, *Sigismundo* Rege mandante, neglecta, præuaricati fuerant, & bellum ſibi ex integro inferri, per *Poloniæ* Regem, licet etiam duorum reſiduorum terminorum ſolutionem impleuiſſent, ob ſolum temporis neglectum & tarditatem formidabant: Ea arte *Wladislaum* Regem circumueniens, a bello Cruciferis mouendo abducit. Perſuadet ſiquidem ei, vt poſtquam Magiſtri & Ordinis Cruciferorum Nuncii, pleno mandato plenaque authoritate ſubnixi, *Budam* veniſſent, & omnes differentias hactenus ventilatas, ſuo arbitrio crederent, non cunctaretur & ipſe *Poloniæ* Rex ſuum iudicium & deciſionem ſubire, & poteſtati ſuæ cauſam credere, frequenti & geminata pollicitatione ſpondens, ſe pro *Poloniæ* Rege, velut ſuo amiciſſimo confœderato, fauorabilem ſententiam pronunciaturum. *Wladislao* autem Rege *Poloniæ*, tam operoſæ affirmationi Regis *Sigismundi* fidem danti, & pro arbitro atque iudice Regem *Sigismundum* acceptanti,

Sigismundus Hungariæ Rex in alios reiicit,

1412 acceptanti, inſtauratur ſolenne iudicium. Et *Sigiſmundo* Rege cum Prælatis & Baronibus Regni *Hungariæ*, in eo præſidente, pars vtraque ſuas propoſitiones, reſponſiones, iura, & munimenta producit. Et quamuis *Sigiſmundus* Rex poterat tunc creditam ſibi a parte vtraque cauſam expediuiſſe, vt tamen dilationibus *Poloniæ* Regem a guerra diſtineret, & Cruciferorum crumenam pro libito emungeret, cauſam in longius continuat, & repentino in *Italiam* diſceſſu, pro guerra cum *Venetis* pro Regno *Dalmatiæ* ordinanda; ſe occupatum iri prætendens ad audiendum partium vlteriora producta, *Ioannem Strigonienſem* Archiepiſcopum, *Nicolaum* de *Gara*, & alios *Hungariæ* Barones ſurrogat, & ipſis cauſam inter Regem *Poloniæ* & Cruciferos tractandam, & ad plenum expediendam, demandat.

Vt bello in tempus longius arte dilato, Cruciferos auro ſpoliaret.

Venerunt interim hi duo *Venetorum* ad *Wladiſlaum Poloniæ* Regem in *Budam* Nuncii, videlicet *Franciſcus Moczenigo*, poſtea in Ducem *Venetorum*, *Michaele Steno* abſumpto, promotus; & *Antonius* de *Lauredano*, ſuper Regno *Dalmatiæ* cum *Sigiſmundo Romanorum* & *Hungariæ* Rege, *Wladiſlao Poloniæ* Rege Mediatoris vicem gerente, placitaturi. Verum poſt varias propoſitiones & reſponſa, poſtquam varias altercationes, in audientia *Poloniæ* Regis, per vtramque partem habitas, *Venetorum* Nunciis nullo pacto ex Regni *Dalmatiæ* poſſeſſione, nuper Regi & Regno *Hungariæ* detracta, cedere velle aſſerentibus, & nonniſi album equum purpura tectum, pro tributo annuo ſibi & ſuis ſucceſſoribus *Hungariæ* Regibus, ſolui a *Venetis* pro Regno *Dalmatiæ*, & eius donatione, ſi illis ipſam facere contigerit, offerentibus; *Sigiſmundus* Rex, non placitatum ſe, ſed irriſum & ludificatum iri dolens, in magnam iram excandeſcens, quinque Venetorum ſigna bellica, per Capitaneum ſuum *Piponem* de *Florentia*, cæſo *Venetorum* exercitu apud *Forum Iulii*, ante vnum annum capta, per plateas oppidi *Budenſis*, & circa ædes, apud quas *Venetorum* Legati hoſpitabantur, Legatis ipſis *Venetorum* inſpectantibus, & *S. Marci* ſub forma leonis imaginem, item Ducis ſui & aliorum arma recognoſcentibus, per terram ignominioſe trahi, & in gyrum circumferri, ad extremum in *Budenſe* caſtrum referri, & in ſtrata magis trita, vt conculcarentur a tranſeuntibus, & vt opprobrio cunctis fierent, poni iuſſit. Et dum taliter ſtrata & deformata conſiſterent, contigit ſimul vtrumque Regem illac facere iter: *Wladiſlaus* itaque Rex *Poloniæ*, ludibrium ſignis mutis & innocuis inferre non ſuſtinens, in obliquum cum omni militia, ſigna pedibus obterere faſtidiens, flectit iter. *Sigiſmundum* vero Regem illa percalcantem, pia correptione obiurgat: *Non conuenit*, inquiens, *frater chariſſime, tuis inſultare hoſtibus, & eorum ignominioſe attrectare ſigna, ſed gratitudinem referendo, actione & ſpiritu coram Deo humilitatem monſtrare. Ego ſiquidem* A *documento tibi eſſe poſſum, qui infeſtis hoſtibus cæde magna apud Pruſſiam deuictis, omnem benignitatem præſtiti; ſignaque eorum in Vrbem Regiam & Regni ac populi mei Metropolim Cracouienſem, pedibus iter cum militibus meis conficiendo, inferens, ad ſacras ædes, pro honore diuino, cuius brachio cepiſſe me illa profiteor, pendere ordinaui, omnem gloriam relati ex Cruciferis triumphi ſoli Deo attribuens, & ab omni me continens ſuperbia atque faſtu.* 1412

Pace per Wladiſlaum inter Venetos & Sigiſmundum non compoſita,

Budæ ſigna Venetorum bellica antea in prælio capta Sigiſmundus iratus conculcat, nunciis Venetorum præſentibus.

Feria quarta in vigilia Sancti *Ioannis Baptiſtæ Wladiſlaus Poloniæ* Rex *Buda* egreſ- B ſus, in *Albam* Regalem peruenit, & die Sancti *Ioannis Baptiſtæ* cum aliquot ſequentibus illic exactis, in *Thata*, & die altero in *Langdorff* villagium ad fluenta *Danubii* ſitum, perueniens, & crapuloſius caſeis, ex lacte bubalo recenter coagulatis, ſe replens, ac indigeſto cibo, balnei, poſtremo vero vndarum *Danubii* fomentis, prope horis duabus ſe reficiens, febrim acutam tertianam contraxit, & nihilominus die altero in *Moroth*, locum venationum *Strigonienſis* Archiepiſcopi, duos illic Phyſicos a Rege *Sigiſmundo* pro curando corpore miſſos offendens, ex *Moroth Strigonium* venit. Vbi cum diebus quinque, *Ioanne Strigonienſi* Archie- C piſcopo illum omnibus neceſſariis ſplendide tractante, lenimen ſuæ ægritudinis ſumpturus, ſtetiſſet, ſexta demum die nauali itinere *Viſchegradum* introiuit; graſſanteque morbo, ſeptem diebus illic immorari coactus eſt. Sub quibus *Sigiſmundus Romanorum* & *Hungariæ* Rex *Viſchegradum*, viſitandi Regis *Wladiſlai*, & ſolandi ſuum languorem gratia, perueniens, omnes ſuos ex caſtro diſcedere iuſſos, *Viſchegradum* in Regis & ſuorum militum poteſtatem commiſit. Abinde per Regem vtrumque per *Maruſzam* in *Varprim* venationum locum itum eſt. & aliquot illic dies, reſumendi virium reſpectu, abſumpti. Intelligens autem *Sigiſmundus* D *Romanorum* & *Hungariæ* Rex, animum *Wladiſlai Poloniæ* Regis anhelare in reditum; iam ſiquidem illi priſtinæ ſanitatis refuſus erat vigor, reddidit ſibi & præſentauit per *Andream Rozen* de *Roznow* militem ſuum tunc familiarem de domo *Gryphonum*, coronam materialem Regni *Poloniæ* auream, qua primi Regis *Polonorum Boleſlai* magni *Otho* Imperator tertius tempora inſigniuerat; item ſceptrum & pomum aureum, item gladium *Sczerbyecz* quem gruem vocant. Quæ omnia, & alia plurima Regni *Poloniæ* decora, *Eliſabeth* ſenior, germana *Caſimiri Poloniæ*, & mater *Ludouico Hungariæ*, Regum extulerat in *Hungariam*; *Ludouico* Rege vtrumque Regnum adminiſtrante, verita, ne in filii ſui *Ludouici* Regis dedecus, negligenti-

Wladiſlaus Rex ex morbo inualeſcens

ac reditum parans in Poloniam dona accipit,

 us

1412 tus omnia publica Regni *Poloniæ* agentis negotia, *Poloni* alium ſibi Regem ordinarent. Donat inſuper præfatus *Sigiſmundus Romanorum* & *Hungariæ* Rex *Wladiſlao Polonorum* Regi varia Sanctorum oſſa & reliquias, in monſtrantia argentea deaurata, annulo olim *Ludouici Hungariæ* Regis ſignatas; item tria ſtamina axamenti ſimplicis, item tria ſtamina panni *Florentini*, item tres ſpadones. Portitorem autem huiuſmodi munerum *Andream Rozen* militem, *Wladiſlaus* Rex duabus villis in Regno *Poloniæ* & *Sandecenſi* diſtrictu, largitione perpetua ſibi inſcriptis, & centum marcis latorum groſſorum remunerat. *Sigiſmundo* autem *Romanorum* & *Hungariæ* Regi in viciſſitudinem & recompenſam, dona alia inſignia & ſplendida, ſchubas videlicet pelliceas, & diploides pellibus ſabellinis, mardurinis, amerlinis, & griſeis ſuperbas, item equos ambulatores, & ad veloces curſus aptos, aueſque varii generis ad venandum inſtructas, remiſit.

& viciſſim dat Sigiſmundo Hungariæ Regi.

Feria quinta in die S. *Mariæ Magdalenæ*, *Reges* vna ſimul ex *Vaprin* egreſſi, in monaſterium, quod appellatur *Noſtra*, fratrum heremitarum primi heremitæ, ſitum in ſolitudine, perueniunt. Et ſermonibus multifariis atque amplexibus in magna charitate atque dulcedine celebratis, valedictione alter in alterum impenſa, diſceſſionem faciunt. *Wladiſlaus* quidem *Poloniæ* Rex in Regnum ſuum *Poloniæ* reuerſurus, per *Traczin*, *Międzirzecz*, *Brunow*, & *Klobuk*, *Morauiam* perueniens, a *Iaczkone* Barone *Morauico* ſubmiſſe ac magna deuotione exceptus, ac victualium neceſſitate biduo procuratus eſt. Ex *Morauia* per *Hiczin*, *Przeborow*, *Theſzin*, in Regnum ſuum perueniens, die Dominico ante feſtum Sancti *Laurentii*, *Cracouiam* ingreſſurus, coronam materialem Regni ſui *Poloniæ*, gladium, pomum, & ſceptrum, apud *Hungariam* ſibi per *Sigiſmundum* Regem reddita, ante ſuum conſpectum iuſſit in patulo deferri. Cui in obuium *Anna* Regina *Poloniæ* conſors ſua, proceſſioneſque omnium Eccleſiarum effuſæ, reditum ſuum iucundiſſima teſtabantur hilaritate. In feſto deinde *Aſſumptionis B. V. Mariæ*, *Wladiſlaus* Rex apud Parochialem Eccleſiam S. *Mariæ Cracouienſem* miſſarum ſolennia audiens, coronam materialem, gladium, pomum, & ſceptrum, ſupra locum ſuæ ſtationis, in ſtallis, publice iuſſit exponi, pro populi lætitia & admiratione.

Wladiſlaus Rex Cracouiam ingreſſus munera Sigiſmundi Hungariæ Regis ante ſe deferri iubet.

Feria ſecunda in craſtino *Aſſumptionis B. V. Mariæ*, *Poloniæ* Rex *Wladiſlaus*, *Cracouia* egreſſus, apud caſtra, oppidaque ſua & curias, videlicet *nouam Ciuitatem*, *Sandomiriam*, *Prziſchow*, *Sczekarzowicze*, *Lublin*, *Chelm*, *Rubieſchow*, tranſitum faciens, feria quarta in die S. *Michaelis*, ſuper flumen *Bug*, vno miliari a *Rubieſchow*, cum *Alexandro Withawdo* Duce magno *Lithuaniæ*, perſonalem tenuit conuentum, & vniuerſa quæ cum *Sigiſmundo*

Wladiſlaus dona ab Hungariæ Rege

A *Romanorum* & *Hungariæ* Rege egerat, quæque fœdera ſecum iecerat, qualeſque euentus in *Hungaria* habuerat, certo ordine exponit, & fere ſingula munera, quibus a *Sigiſmundo* Rege in *Pannoniis* honoratus erat, ſibi largitur. 1412

accepta Alexandro dat,

Aduenerat in eam dietam *Petrus Viſch* Epiſcopus *Cracouienſis*, grandem ſuam iniuriam ſatagens poſſe reſcindi. Obtinuerat ſiquidem *Wladiſlaus Poloniæ* Rex apud *Ioannem* Papam XXIII, expoſito quod delirus eſſet & lethargo ſimilis, illum a ſede *Cracouienſi* in *Poſnanienſem* transferri; & in *Cracouienſem Albertum Iaſtrzbiecz Poſnanienſem* Epiſcopum ſurrogari, quaſi *Poſnanienſis* Eccleſia tam miſerabilis conditionis exiſteret, vt a deliro regi poſſet, & proB uiſionem bullis allatis, Vir optimus *Petrus Cracouienſis* Epiſcopus, excedere de ſua Eccleſia, brachio Regali impellente, ſtringebatur: Supplicabat itaque & per ſe & per neceſſarios ſuos, & ſignanter *Ioanne Laskari* Præpoſitum *Wladislauienſem*, *Wladislao* Regi, *ne illum ſede ſua cedere pateretur, faueretque vt liceret ſibi ſuam iuſtitiam iuris remedio defenſare.* Sed dum *Wladilaus* Rex inexorabilem ſe oſtenderet, ad ſingulorum iuſtam huiuſmodi cauſam promouentium ſuffragia, omnes inſuper fratres & amicos eiuſdem *Petri Viſch* Epiſcopi, graui indignationis C & obiurgationis correptione percelleret, iuſtæ reprehenſionis aculeos, apud præſentem & ſuccedentem ætatem, non euaſit. Præfatus itaque *Petrus* Epiſcopus *Cracouienſis*, deſertum ſe a fratribus, cognatis, & familiariſſimis ſuis iri dinoſcens, de *Cracouienſi* Epiſcopatu cum ingenti lachrymarum effuſione, & tam vehementi amaritudine & dolore, vt ſingulis circumſtantibus fletum excuteret, in *Poſnanienſem* Epiſcopatum diſceſſit, vltionem diſtrictam ſuæ eiectionis authori, ingeminato clamore frequentius ab vltionum Domino imprecatus. Quæ quidem translatio, magnum in populo & Clero parturiit ſcandalum, laicoſque reddidit plus ſolito Eccleſiaſticis infeſtiores. Sed neque in diem hanc eius poterat ad D liquidum amaritudo aboleri: nam & *Mroczek* de *Poſzadow* alias de *Lopuchow* miles *maioris Poloniæ*, propinqua cognatione per lineam directam *Petro Viſch* Epiſcopo iunctus, deiectionem ſuam ignominioſam moleſtius ferens, aptum obſeruabat tempus, quo *Albertum Iaſtrzabiecz* Epiſcopum occideret. Dietaque generali apud *Gneſnam* inſtituta, pro Pentecoſtes die, ad quam *Albertus Iaſtrzabiecz* Epiſcopus, certo certius ferebatur venturus, *Mroczek* præfatus cum quingentis armatis, hoſpitium illius inuadere, & *Albertum* Epiſcopum obtruncare, iureiurando ſe aſtrinxerat. Verum *Alberto Iaſtrzabiecz* dictam huiuſmodi declinante, facinus cogitatum executioni mandatum non eſt. Quantus autem pudor fuerit quanta DEO iniuria, & Eccleſiæ *Cracouienſi* contumelia, quantum pernicioſi & deteſtabilis

& Petrum Viſch Ep. Cracouienſem ex ſede ſua in Poſnaniam transfert,

& Albertum Iaſtrzbiecz ſufficit.

res

1412 res exempli, quantum Regiæ Maieſtatis & totius Regni dedecus, vt Rex alioqui deuotus & Catholicus, & Princeps illuſtris & magnificus, A ad vnius Epiſcopi deiectionem ſudauerit, & contra virum bonum & ſimplicem (eſto verum ſit in amentiam lapſum) extenderit potentiam ſuæ fortitudinis & Maieſtatis. Qui quanto donis potioribus ſe a Deo inſignitum meminerit, tanto ſcrupuloſiori diligentia, & ſolertiori cura inuigilare debuerat, ne gloria ſui nominis, tam fœda macula cum Regnorum ſuorum atque Principatuum pernicie & dedecore fuſcaret, ſaluti ſuæ derogatura atque famæ. Maior enim *Petro* Pontifici præſato, ſi delirus fuerat, debebatur miſeratio, ſub cuius ſacerdotio, pax Regno *Poloniæ*, & triumphus ille famoſus ex Cruciferis apud *Grinfeld* relatus pro- B uenerat. Libertaſque Eccleſiis, concordia plebibus, moribus diſciplina, eo vero amoto, magna deformitas in Clero & populo graſſari cœpit. Huius tamen deformitatis nullus alius fuiſſe cauſa, niſi *Albertus Iaſtrzębiecz* inſimulabatur. Qui primus apud Polonos tam peſtiferi exempli deponendi Pontificis, & ſibi ſuccedendi, author extitit, inſignem ambitionis titulum occupaturus.

Conuentione expedita, quæ ſupra fluuium *Bug* pro die Sancti *Michaelis* habita eſt, *Wladislaus Poloniæ* Rex in *Medicam* proceſſit. Quo illic diebus quindecim commorante *Sigismundi Romanorum* & *Hungariæ* Regis legati, videlicet *Ioannes Strigonienſis* Archiepiſco- C pus, & *Michael Kochmagiſter nouæ Marchiæ* Aduocatus, in die Sanctæ *Heduigis* ad ſuam Serenitatem perueniunt. Hi, data audientia, orant precanturque, *quatenus Wladislaus Poloniæ Rex, ad proſecutionem Imperialis faſtigii, Sigismundo Regi quadraginta ſexagenarum latorum groſſorum Pragenſium millia mutuo daret, quæ propediem Magiſter & Ordo Pruſſiæ Polonorum Regi iuxta condemnationem iudiciariam pro pœna, damnis, & intereſſe, quod in conſtitutis diebus Capitalem ſummam, centum videlicet millia ſoluere neglexerat, ſoluturus erat.* Offerentes in pecuniarum prædictarum ſumma, terram *Scepuſienſem* Regni *Hungariæ*, Regi & Regno *Poloniæ* dare in obligationem & D pignus. *Wladislaus* autem *Poloniæ* Rex, participato ſuorum Baronum conſilio, vt & *Sigismundum* Regem maioris neceſſitatis, & amicitiæ vinculo obſtringeret, & ad implendum fœdus de Cruciferorum exterminio, iuramento vtrinque firmatum, arctius obligaret, mutuare *Sigismundo* Regi præfata quadraginta ſexagenarum latorum groſſorum millia, terra *Scepuſienſi* in pignus recepta, conſentit, præfatoque *Michaeli Kochmagiſter nouæ Marchiæ* Aduocato, perſonaliter demandat, vt præfata quadraginta ſexagenarum latorum groſſorum millia in poteſtatem & manus *Sigismundi* Regis conſignet: Magiſtrum & Ordinem Cruciferorum de *Pruſſia*, ſpecialibus literis quietans de eiſdem.

Legati Sigismundi

pro repetendis quadringentis millibus ſexagenarum

promiſſarum ſuo Regi in pignus Scepuſii,

Ioannes itaque Archiepiſcopus *Strigonienſis* legatione ſua votiue perfunctus, pluribuſque & notabilibus donis per *Wladislaum Poloniæ* Regem honoratus, in *Hungariam* reuertebatur. Ex *Medica*, *Przemisliam Wladislaus* Rex, habens in ſuo comitatu *Strigonienſem* Archiepiſcopum, & *Michaelem Kochmagiſter*, proceſſit, & ſub eorum conſpectu infamiæ ſuæ notam, iniuſte ſibi ab *Almanis*, quaſi ſchiſmaticorum fautor, & præcipuus receptator foret, iniuſtam purgaturus, Eccleſiam Cathedralem pulcherrimo opere ex petra quadrata fabricatam, in *Przemislienſis* caſtri medio ſitam, ritu *Græco* hactenus per Pontificem *Ruthenorum* adminiſtrari & officiari ſolitam, eiectis ex tumulatis primum *Ruthenorum* cadaueribus & cineribus, conſecrari in Catholicam, & latini ritus Eccleſiam ordinauit. Quod ad ſingularem ſui ritus contumeliam & opprobrium *Ruthenorum* Sacerdotes & populus deputantes, factum, amaris ſingultibus, vociferatione, & fletibus, illud proſequebantur. Qua progreſſu temporis, ſub anno videlicet Domini, milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo; ſub Pontificatu *Nicolai Przemislienſis* Epiſcopi, ruinata, ſinguli eius quadri lapides in fabricam Cathedralis Eccleſiæ in ciuitate ſitæ, conuerſi poſitique ſunt.

Nunciis *Sigismundi Romanorum* & *Hungariæ* Regis licentiatis, *Wladislaus* Rex *Przemisliæ* diſcedens, gyratis pluribus oppidis, caſtris, & curiis ſuis, videlicet, *Grodek*, *Wyſznia*. *Leopoli*, *Gliniani*, *Bobrka*, *Nadzyeyczicze*, *Medinicze*, *Drohobicz*, *Ozimini*, *Sambor*, *Medica*, pro feſto omnium Sanctorum iterum *Przemisliam* adiit. Quo illic exacto, per *Sanok*, *Kroſznam*, *Biecz*, *Voynicz*, *Bochnyam*, pro die Sancti *Martini* in *Nyepołomicze* aduenit. Vbi diebus quindecim cum Prælatis & Baronibus *Poloniæ*, qui ad illum confluxerant, exactis, per *Przemąkow*, *Visliciam*, *Schydłow*, *Opathow*, *Vrzadow*, *Lublin*, *Brzeſczie*, *Bielsko*, in *Lithuaniam* aduenieus, fere totam hyemem illic abſumpſit, & reſidua *Hungarica* munera, quibus fuerat a *Sigiſmundo Romanorum* & *Hungariæ* Rege, a *Charwen Boſnienſi* Rege, cæteriſque Prælatis, Principibus, & Baronibus, honoratus, in fratrem ſuum *Alexandrum* Ducem *Lithuaniæ*, & in filiam eius *Anaſtaſiam* Ducis *Moſchouitarum Baſilii* conſortem, quæ Regem & Ducem viſitatura, in *Lithuaniam* aduenerat, liberaliſſime erogauit. Nuncius iterum alius *Sigismundi Romanorum* & *Hungariæ* Regis, *Benedictus* de *Makra Hungarus* miles, in *Lithuaniam* aduenit, terminos & limites terrarum *Lithuaniæ* & *Pruſſiæ*, quibus diſterminantur fluminibus, aut locis, coram conſpecturus. Ex parte Regis atque Cruciferorum præſente, ſingulos terrarum prædictarum ſitus diligenter recenſens, intelligans, atque examinans, & in ſcriptum redigens, muneratus a Rege *Wladislao* & *Alexandro* Duce, in *Hun-*

1412 *ad Magiſtrũ Pruſſiæ remittitur,*

& templum Ruthenum Latino ritu conſecratur Przemisliæ.

Legatus Regis Hungariæ terminis Lithuaniæ & Pruſſiæ bene perſpectis

1412 *in Hungariam reuertitur.*

Hungariam, viua ferens teſtimonia rediit, pro cauſæ, quæ cum Cruciferis agebatur, deciſione faciliori.

Huſſitarum hæreſis Pragæ oritur.

Labem hæreticam & plures peſtiferos errores, a *Ioanne Huſz* natione *Bohemo*, in *Pragenſi* ciuitate ſuperſeminatos, *Ioannes* Papa XXIIII extirpaturus, *Ioannem* tituli Sancti *Petri* Diaconum Cardinalem in *Bohemiam* transmittit. Qui proceſſu legitimo contra *Ioannem Huſz* ſynodo videlicet apud *Pragam* in die Sancti *Lucæ* indicta, ipſum propter erronea ſua dogmata, & ad populum frequentius pronunciata, & manu ſua conſcripta, anathematis proceſſibus percellit. A quibus ille ad iudicium Summi Dei prouocans, appellationem in valuis pontis *Pragenſis*, affigit, & in illa ſe tunc & deinceps protegens, ferocius in dehoneſtationem Sedis Apoſtolicæ, & ſuorum Cardinalium, ferendo peſtifera dogmata, graſſabatur, maius periculum breui paritura. Quæ quidem dogmata *Venceſlai Bohemiæ* Regis illibrata ad omnia lenitas, non ſecus atque calamus, ventis ſuccedentibus agitatus, roborabat.

Hiems calidiſſima.

Anni huius hiems calidiſſima, & abſque exemplo ab omni horrore pruinæ aliena, adeo vt frigidiſſima Regio *Lithuanica*, circa Purificationis *S. Mariæ Virginis* feſtum, olera & flores, de quibus vſus communis habebatur, producens, vulgo pene in miraculum, atque vt dici ſolet, in religionem fuerit.

Concilium Conſtantienſe indicitur.

Ladiſlaus Siciliæ Rex dum contra Papam bellum parat,

igne ſacro correptus moritur.

Ioannes Papa XXIIII, *Florentia* egreſſus, *Bononiam* duodecima Menſis Nouembris intrauit: circa finem vero Nouembris, cum Cardinalibus tranſiens, apud *Laudam & Cremonam* cum *Sigiſmundo Romanorum & Hungariæ Rege* conueniens, Concilium generale apud *Conſtantiam* ciuitatem *Germaniæ*, ad reuniendam Eccleſiam Dei, multipliciter ſciſſam, celebrari conſenſit. Reges quoque & Principes Chriſtianorum, vt illi per ſe, vel per Nuncios ſuos intereſſent, inuitauit. Interim vero *Ladiſlaus Siciliæ* Rex, corrupto Capitaneo caſtri Sancti *Angeli*, caſtrum prædictum per proditionem conquirit. Maximo quoque exercitu collecto, circa principium menſis Iunii, perſequi *Ioannem* Papam, & apud *Bononiam* obſidere illum diſponebat. Verum medio tempore *Ladiſlaus* ipſe, cuius tremor & pauor tam Papam & Cardinales, quam ſuos omnes Curiales vehementer peruaſerat, igne ſacro in membro virili, priuſquam dimidiaret dies ſuos, tactus, obiit, & extunc *Ioannes* Papa in *Bononia* manſit quietior.

Legatus Sigiſmundi Regis a Pruſſiæ Magiſtro accipit pecuni-

Natalis Chriſti ſacratis diebus *Wladiſlaus Poloniæ* Rex apud *Lithuaniam* in *Vilno* exactis, ſub quibus diebus quadraginta millia ſexagenarum latorum groſſorum *Pragenſium*, debita, a Magiſtro & Ordine *Pruſſiæ*, per *Wladiſlaum Poloniæ* Regem, iuxta pacta, effectualiter mutuata ſunt *Sigiſmundo Romanorum & Hungariæ* Regi, & terra *Scepuſienſis*, caſtrum videlicet *Lubomlya*, cum quatuordecem ciuitatibus terræ *Scepuſienſis*, Regi & Regno *Poloniæ* in pignus & poſſeſſionem data, & in manus *Pauli Gladiſch*, cui propter linguæ *Hungaricæ* peritiam Rex *Wladiſlaus* tradi illam commiſerat, conſignata, non prius reddenda, donec præfata quadraginta ſexagenarum millia, per Reges & Regnum *Hungariæ* fuerint Regi & Regno *Poloniæ* ad plenum exoluta: Venit *Wladiſlaus* Rex pro Septuageſima in *Parczow*, pro Carnispriuio in *Iedlnam*; ex *Iedlna Cracouiam*, abinde vero in *maiorem Poloniam*, per ſolita caſtrorum & ſtationum ſuarum loca, diuertit. Dum autem per ſolita caſtrorum & ſtationum loca gradiendo intra Octauas *Corporis Chriſti Poſnaniam* deueniſſet, magnitudinem iniuriæ, qua *Petrum Viſch*, olim *Cracouienſem*, tunc *Poſnanienſem* Epiſcopum, e ſede ſua *Cracouienſi* pelli, & in *Poſnaniam* detrudi procurauerat, ſera æſtimatione proſpiciens, eo in capellam accito, flexis genibus proſtratus, & facinus ſuum confeſſus, noxam illam petebat, vbertim lacrymas fundens, ſibi ignoſci. Nec Pontifex *Petrus* iacere proſtratum Regem diutius ſuſtinuit: ſed illico illum e terra erigens, omne ſcelus in ſe admiſſum dimiſit, præfatus atrocitatem ſuæ excluſionis non aliter prouenturam fuiſſe, niſi illam æmulus ſuus *Albertus Iaſtrzabiecz* conflauiſſet. Ex *maiori Polonia* in terram *Cracouienſem* rediit, & feſtum Aſſumptionis *B.V. Mariæ* apud *Viſliciam* egit. Exortam tandem in Regno *Poloniæ* epidimiæ generalem peſtem vitaturus, in ſiluas & nemora verſus *Prziſchow*, abinde vero in *Lublinenſem & Chelmenſem* terras, quodlibet oppidum & villam, ne quid infectionis contraheret, multis & notabilibus Curienſibus ſuis peſte nihilominus cadentibus, prætergrediens, declinauit. Ad tenendam generalem cum fratre ſuo *Alexandro Withawdo* Duce magno *Lithuaniæ*, dudum indictam dietam, in oppidum *Hrodlo* ſupra fluuium *Bug* ſecunda menſis Octobris peruenit, quo iam & ipſe Dux magnus *Lithuaniæ Alexander*, & Prælatorum, Baronum, militariumque Regni *Poloniæ* & Ducatus magni *Lithuaniæ*, vniuerſitas in frequenti multitudine acceſſita, confluxerat. Satagentes ſiquidem prædicti duo inſignes & nobiliſſimi Principes, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, & *Alexander* magnus *Lithuaniæ* Dux, terrarum & Principatuum ſuorum Rectores optimi *Lithuaniæ Samogithiæque* terras, dudum *Poloniæ* Regno incorporatas, annexas, inuiſceratas & vnitas, geminato funiculo difficile ſoluendo, eidem *Poloniæ* Regno arctius ſolidiuſque conglutinare; & *Polonicos* populos cum *Lithuanicis & Samogithicis*, fœdere iungere ſempiterno, ſuadente id *Sigiſmundo Romanorum & Hungariæ* Rege, conuentum præfatum inſtituunt, & familias domoſque Regni *Poloniæ*, per arma, inſignia, & cognationes, diſtinctas, cum familiis & domibus pri-

1412 *ex pignore Scepuſii.*

Wladiſlaus Rex a Petro Viſch Ep. veniam ſupplex petit.

Lithuani libertates & inſignia non diſſimilia Polonis accipiunt.

1413 primorum Baronum *Lithuaniæ* iungunt, glutinant, & vniunt, arma & nobilitatis inſignia, quæ nobiles Regni *Poloniæ* a vetuſtiſſimo tempore, ex parentibus & progenitoribus ſuis propter actus heroicos, & merita conquiſita habuerunt, concedendo deferre *Lithuanis*, & armis *Polonorum* eos nobilitando, inſigniendoque, qui ante neque conditionem nobilitatis norant, neque inſignia ſeu nobilitatis arma geſtare conſueuerant. Largiendo inſuper *Lithuanorum* Baronibus iura & libertates optimas, & eis, quibus Regnum *Poloniæ* inclytum eſt, conformes, remittendo illis tributa, ſeruitutes, & onera, quibus non ſecus quam emptitii, & Sclaui, premebantur. Quod latius tenor literarum ſuperinde confectarum, qui talis eſt proteſtatur: *In Nomine Domini. Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Debitores ſumus ſpiritualis alimoniæ, ſalutaria illis pocula miniſtrare, quibus præſidentes, temporalium commodorum præſtitimus ſuffragia, vt quos ad corporis neceſſitatem ſuſtentamus, ſalutis etiam ipſis, quantum noſtra ſufficit facultas, miniſteria porrigamus: ne, dum temporalibus inſiſtimus profectibus, vitæ commoda negligere videamur. Et vnde dona benedictionis, & brauium expectamus ſempiternum, inde vitæ detrimenta ſentiamus, & præmiis deſtituti adopatis, nulla laboris noſtri commoda conſequamur. Expedit exquirere, & debita attentare ratione, vt dum hominibus impartimur carnis beneficia, meditemur, qualiter ipſis cœleſtia præbeamus alimenta. Et quos in hoc ſæculo tranſitoriis rerum condimus copiis, illis viam beatitudinis æternæ demonſtremus: quatenus & hic noſtræ munificentiæ cognoſcant præſidia, & tandem futuræ gloriæ compendia, per exercitia directionis noſtræ, apprehendant in omnium Saluatore. Proinde nos Wladislaus Dei gratia Rex Poloniæ, nec non terrarum Cracouiæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cuiauiæ, Lithuaniæ Princeps ſupremus, Pomeraniæ Ruſſiæque Dominus & hæres: & Alexander alias Withawdus, magnus Dux Lithuaniæ, nec non terrarum Ruſſiæ Dominus & hæres. Significamus tenore præſentium, quibus expedit, vniuerſis, præſentibus & futuris, præſentium notitiam habituris. Quomodo terras Lithuaniæ & earum incolas, noſtro ſubditos dominio, in quos ſæpe liberalitatis noſtræ dexteram extendimus, & profectui ipſorum intendentes multa frequentia, ſtatum & conditionem eorum ſemper ſtuduimus facere meliorem. Feruenti deſiderio cupientes, in aſſumptæ fidei deuotione iugiter ſolidare & fundare vt ipſos Altiſſimus, quo præſtante, lumen fidei per noſtram operam receperunt, ad laudem & honorem ſui nominis, & eiuſdem fidei Catholicæ augmentum, gratiæ ſuæ chariſmate confirmaret; cum eos ſæpe munificentiæ noſtræ donis*

& literæ deſuper conceduntur.

reficimus, ſummopere affectamus ſpiritualibus gratiis refouere, & per quæque legitima A *ſtudia & labores, id firmius mancipare. Qui vt ſe in fidei conſtantia commodius exerceant, & creſcant de virtute in virtutem, iugum ſeruitutis, quo hactenus fuerunt compediti & conſtricti, de ceruice ipſorum deponentes & ſoluentes, ex innata nobis benignitatis clementia, ipſis libertates, immunitates, gratias, exemptiones, & Priuilegia, dari Catholicis ſolita, iuxta continentiam articulorum ſubſcriptorum, tenore præſentium conferimus & largimur. Et primo, quamuis eo tempore quo almo ſpiritu inſpirante, fidei Catholicæ recepta claritate, coronam Regni Poloniæ aſſum-* B *pſimus, pro Chriſtianæ Religionis incremento, & bono ſtatu ac commodo terrarum noſtrarum Lithuaniæ prædictarum, ipſas, & cum terris ac dominiis ipſis ſubiectis & connexis, præfato Regno noſtro Poloniæ appropriauimus, incorporauimus, coniunximus, vniuimus, adiunximus, confœderauimus, de conſenſu vnanimi noſtro, & aliorum fratrum noſtrorum, & omnium Baronum, Nobilium, Procerum, & Boiarorum eiuſdem terræ Lithuaniæ, voluntate accedente & aſſenſu. Volentes tamen terras prædictas Lithuaniæ, propter hoſtiles inſultus & inſidias Cruciferorum, & eis adhærentium, ac aliorum quorumcumque inimicorum, qui præfatas terras Lithuaniæ, & Re-* C *gnum Poloniæ demoliri nituntur, & in ipſorum deſtructionem machinantur, in certitudine, ſecuritate, & tutela meliori reponere, & eis perpetuum commodum procurare, eaſdem ipſas terras, quas ſemper cum pleno dominio, ac iure mero & mixto hactenus habuimus, & habemus vſque modo, a progenitoribus noſtris, & ordine genituræ, tanquam Domini legitimi, Baronum, Nobilium, Boiarorum, voluntate, ratihabitione, & conſenſu adhibitis, prædicto Regno Poloniæ iterum ipſas, cum omnibus earum dominiis, terris, Ducatibus, Principatibus, diſtrictibus, proprietatibus, omnique iure mero & mixto, Coronæ Regni Poloniæ, per-* D *petuis temporibus, irreuocabiliter volumus ſemper eſſe vnitas. Ceterum omnes Eccleſias terrarum Lithuaniæ prædictarum, tam Cathedrales quam Collegiatas, Parochiales, & Conuentuales, videlicet Vilnenſem, & cæteras in eis erectas, erigendas, fundatas & fundandas, in omnibus ipſarum libertatibus, immunitatibus, Priuilegiis, exemptionibus, & conſuetudinibus vniuerſis, conſeruamus, harum ſerie literarum mediante, iuxta conſuetudinem Regni Poloniæ. Barones etiam, Nobiles, Boiari, terrarum noſtrarum Lithuaniæ prædictarum, donationibus, priuilegiis, & conceſſionibus ipſis datis, impartitis, & collatis, duntaxat Catholici & Romanæ Eccleſiæ ſubiecti, & quibus Clenodia ſunt conceſſa, gaudeant, participent, & fruantur; prout Barones & Nobiles Regni Poloniæ ſuis potiuntur & fruuntur. Item Barones* 1413

Digitized by Google

1413 rones & Nobiles prædicti, bona ſua paterna pari iure obtineant, ſicut Barones Regni Poloniæ ſua noſcuntur obtinere. Et donationes noſtras, ſuper quibus literas obtinent a nobis efficaces & fulcitas perpetui roboris firmitate, ſimiliter obtinebunt, & liberam habebunt facultatem ipſas vendendi, commutandi, alienandi, donandi, & in vſus ſuos conuertendi, noſtro tamen conſenſu ad hoc ſpecialiter accedente, ſic tamen, quod ipſa alienando, commutando, vel donando, coram nobis vel noſtris Officialibus, iuxta conſuetudinem Regni Poloniæ reſignabunt. Item poſt mortem patrum liberi, non debent bonis hæreditariis priuari, ſed ea cum ſuis ſucceſſoribus poſſidere, prout Barones & Nobiles Regni Poloniæ ſua poſſident, & in vſus conuertunt beneplacitos. Similiter vxoribus ſuis dotalitia, in bonis & villis, quas ex ſucceſſione paterna, vel conceſſione noſtra perpetua habuerint, vel fuerint habituri, poterint aſſignare, prout in Regno Poloniæ aſſignantur. Filias autem, ſorores, conſanguineas, & affines ſuas, præfati Barones, & Nobiles terrarum Lithuaniæ, copulare poterint, viris duntaxat Catholicis, & tradere coniugio iuxta beneplacitum eorum voluntatis, & iuxta conſuetudinem Regni Poloniæ, ab antiquo obſeruatam. His autem libertatum conceſſionibus non obſtantibus, Barones ad erectionem & conſtructionem caſtrorum vias expeditionales facere, & tributa dare, iuxta antiquam conſuetudinem aſtringantur. Hoc ſpecialiter expreſſo, quod omnes Barones & Nobiles terrarum Lithuaniæ, fidelitatem, & debitam ac Chriſtianicam fidei conſtantiam, nobis videlicet Wladislao Regi Poloniæ, & Alexandro alias Withawdo magno Duci Lithuaniæ, & ſucceſſoribus noſtris, tenere debebunt & ſeruare, prout Barones & Nobiles Regni Poloniæ ſuis Regibus tenere ſoliti ſunt & ſeruare. Super quo Barones, Boiari, & Proceres terrarum Lithuaniæ prædicti, iuramentum iam nobis præſtiterunt; prout clarius in literis ipſorum continetur, quas cum Baronibus Regni Poloniæ, ſibi inuicem conceſſerunt, pari modo ſub fidei Sacramento, & ſuorum bonorum amiſſione, nullis Principibus aut Baronibus, vel aliis cuiuscumque conditionis hominibus, terris Regni Poloniæ aduerſari volentibus, conſilia, fauores & auxilia miniſtrabunt, vel præſtabunt; ſed eos tanquam hoſtes terræ & Dominiorum Lithuaniæ, totis viribus perſequentur, & ad nullum alium reſpectum habebunt, niſi ad nos, & noſtros ſucceſſores; prout hoc ipſum Barones & Nobiles prædicti, pro ſe & ſuis poſteris, per fidei Sacramentum, cautionem præſtiterunt & fecerunt. Item dignitates, ſedes, & officia, prout in Regno Poloniæ inſtitutæ ſunt, inſtituentur & locabuntur; in Vilna ſcilicet Palatinus & Caſtellanus Vilnenſis, & demum in Troki, ac in aliis locis, vbi nobis videbitur expediri, iuxta noſtra beneplacitum voluntatis, temporibus perpetuis duraturæ. Et huiusmodi Dignitarii non eligantur, niſi ſint fidei Catholicæ A cultores, & ſubiecti ſanctæ Romanæ Eccleſiæ. Nec etiam aliqua officia perpetua, vt ſunt Dignitates, Caſtellanatus, &c. niſi Chriſtianæ fidei cultoribus, conferantur; & ad conſilia noſtra admittantur, & eis interſint, dum pro bono publico tractatus celebrantur: quia ſæpe diſpares cultus, diuerſitatem inducunt animorum, & conſilia patent talibus diuulgata, quæ traduntur ſecreto obſeruanda. Item omnes, quibus huiuſmodi libertas & Priuilegia conceduntur, nunquam nos Wladislaum Poloniæ Regem, & Alexandrum Withawdum magnum Ducem Lithuaniæ, quoadusque B vixerimus, & noſtros Succeſſores Reges Poloniæ & Duces Lithuaniæ, a nobis & noſtris Succeſſoribus, ſtatuendos & locandos, deſerant, vel recedant ab eiſdem, ſed ſub fide & honore pariter iuramenti, fideliter & firmiter nobis & Succeſſoribus noſtris, adhærebunt, fauoribus, conſiliis, & auxiliis perpetuis temporibus & in æuum. Hoc etiam addito, quod prædicti Barones & Nobiles Lithuaniæ, poſt mortem Alexandri alias Withawdi magni Ducis moderni, nullum habebunt aut eligent pro magno Principe & Domino Lithuaniæ, niſi quem Rex Poloniæ & ipſius ſucceſſores, cum conſilio Prælatorum & Baronum Poloniæ & terrarum Lithuaniæ, duxerint eligendum, C ſtatuendum, & locandum. Sic ſimiliter Prælati, Barones, & Nobiles Regni Poloniæ, Rege Poloniæ ſine liberis & ſucceſſoribus legitimis decedente, Regem & Dominum non debent ſibi ipſis aſſumere, ſine ſcitu & conſilio Alexandri magni Ducis, Baronumque & Nobilium terrarum Lithuaniæ prædictarum, iuxta tenorem & contenta priorum literarum. Præterea prædictis libertatibus, Priuilegiis, & gratiis, tantummodo illi Barones & nobiles terræ Lithuaniæ debent vti & gaudere, quibus arma & Clenodia Nobilium Regni Poloniæ ſunt conceſſa, & cultores Chriſtianæ Religionis, & Romanæ Eccleſiæ ſubiecti, & non ſchiſmatici vel alii infideles ſint. Item omnes D literas, quaſcumque Regno Poloniæ & terris Lithuaniæ ante ſeptem vel octo annos, a poſt vel citra coronationem noſtram conceſſimus & dedimus, tenore præſentium confirmamus, ratificamus, & approbamus, & robur perpetuum imponimus eiſdem, habentes ipſas præſentibus pro inſertis. Hoc etiam addito ſpecialiter & expreſſe, quod præfati Barones & Nobiles Regni Poloniæ & terrarum Lithuaniæ, conuentiones & Perlamenta, quod neceſſe fuerit, in Lublin, vel in Parczow, & aliis in locis aptis de conſenſu & voluntate noſtra celebrabunt, pro commodo & vtilitate Regni Poloniæ, & terrarum Lithuaniæ prædictarum meliori. Præterea nos Alexander alias Withawdus, de conſenſu ſereniſſimi Principis Domini Wladislai Regis Poloniæ, fratris noſtri chariſſimi, eligi- 1413

ligi-

1413 *ligimus ad arma & Clenodia Nobilium Regni Poloniæ, terrarum noſtrarum Lithuaniæ Nobiles infraſcriptos, quos ipſi Regni Poloniæ Nobiles, ſimul cum omnibus, qui ex eorum ſtirpe originem ſuam ducunt, ad confraternitatis & ad conſanguinitatis, conſortia receperunt. Et primo* Leliuæ *Nobiles,* Moniwid *Palatinum Vilnenſem; Item* Zadora Iawnum *Palatinum Trocenſem.* Rawa Minigal *Caſtellanum Vilnenſem*, Liſzi Smigal *Caſtellanum Trocenſem*, Iaſtrzębczi *ſeu* Iazaki *alias* Beleſtii nagota *vocati* Nemir, Trąbi Hoſticonem, Topori Bubrim, *Item* Labencz *alias* Skrzinſczi Go'igunth, Poraie Nicolaum Bilimin, Dąbno Corewan, Odrowąſz Viſch, Wadwicz Petrum Mondigerd, Driia Nicolaum Tawtigerd, Habdaniecz Ioannem Gaſtoldi, Polukoza Wloczkonem Culwa, Gryphones Ruthowdum, Srzeniawa Iadath, Poboze Kalonem, Grzimala Ioannem Rymonidowicz, Zaręba Gineth Czonczowicz, Pyrſchala Daroza, Nowyna Nicolaum Boynar, Dzialoſcha Volczkonem Rokitowicz, Kopacz Getoweth, Rolya Dangyel, Srokomlia Iacobum Mingyel, Cattus marinus Woyznar Wylkolewicz, Powala Georgium Sangaw. *Item* Pomiani Saka, Doliwa Naczkonem, Scharza Twerbuth Dolaga Monſtulth, Bogoria Stanislaum Viſzigin, Ianina Voyſzini Damyeykowicz, Bichawa Monſtold, Swinka Andream Dewknetowicz, Kolda Minimund Seſnikowicz, Sulima Radziwil; *Item* Nalacz Koczanum, Łodzia Mikuſch, Ielitha Gerduth, Korczakowie Czuppam, Byala Woydilonem Kuſzolowicz, Vazik Conczannum Sukowicz, Ciolek Ioannem Gwild, Godziaba Stanislaum Ruczowtowicz, Oſmorog *alias* Gieraldt Surgutem *de* Reſchkini &c. *Quibus quidem armis, Clenodiis, & proclamationibus, prædicti Nobiles, Proceres, & Boiari terrarum Lithuaniæ, exnunc & inantea, perpetuis temporibus vbilibet gaudeant, potiantur, prout ipſis præfati nobiles Regni Poloniæ vti frui conſueuerunt & potiri. Vt autem corroborationis & cautelæ vberioris, omnia præmiſſa accipiant firmitatem, præſentes fecimus ſigillorum noſtrorum munimine roborari. Præſentibus ac conſentientibus ac ratum habentibus reuerendis in Chriſto Patribus Dominis*, Nicolao *Gneſnenſi Archiepiſcopo*, Alberto Iaſtrząbiecz *Cracouienſis*, Ioanne *Vladiſlauienſis*, Petro *Poſnanienſis*, Iacobo *Płocenſis*, Nicolao *Vilnenſis*, Ioanne *Electo Leopolienſis Metropolis*, Matthia *Przemislienſis*, Michaele *Kiiouienſis*, Georgio *Wlodomirienſis*, Sbigneo *Camenecenſi Electo, Eccleſiarum Epiſcopis. Chelmenſi & Ceretenſi Eccleſiis vacantibus. Nec non magnificis validis, & ſtrenuis*, Criſtino *Craconienſi Caſtellano*, Ioanne *de Tarnow Cracouienſi*, Nicolao *de Michałow Sandomirienſi*, Sandiuogio *de* Oſtrorog *Poſnanienſi*, Matthia *de* Waſchoſze *Caliſſienſi*, Iacobo *de* Konieczpolye *Siradienſi*, Ioanne Ligaza *Lancicienſi*, Matthia *de* Łabiſchin *Brzeſtenſi*, Ianuſſio *de* Koſcielecz *Gniewkouienſi, Palatinis.* Michaele *de* Bogumiłowicze *Sandomirienſi*, Ioanne *de* Szczekoczino *Lublinenſi*, Dobeslao *de* Olieſchnicza *Voynicenſi*, Floriano *de* Rokitnicza *Viſlicienſi*, Criſtino *de* Koziegłowi *Sandecenſi*, Martino *de* Krolikowo *Gneſnenſi*, Clemente *de* Mokrsko *Radomienſi*, Domaratho *de* Kobilani *Biecenſi*, Moſzczicio *de* Staſow *Poſnanienſi*, Ianuſſio *de* Tuliſzkowo *Caliſſienſi*, Martino *de* Kalinowo *Siradienſi*, Petro *de* Włoſczowa *Dobrzinenſi*, Alberto *de* Koſcziol *Brzeſtinenſi*, Ioanne *de* Iakoſchin *Łancicienſi*, Criſtino *Kruszwicenſi*, Ioanne *de* Łaczuchow *Zauichoſtenſi*, Martino *de* Lubnicza *Brzezinenſi*, Stanislao Gamrath *Polanecenſi*, Ioanne *de* Bogumiłowicze *Czechouienſi*, Matthia Koth *Naklenſi*, Grothone *de* Iankowicze *Małogoſtenſi*, Iwano *de* Obichow *Srzemenſi*, Ianuſſio Furman *Miedzirzecenſi, Caſtellanis.* Sbigneo *de Brzezie Regni Poloniæ Murſchalco*, Petro Schafraniecz *Succamerario*, Martino *de* Wroczimowicze *Vexillifero, Cracouienſibus.* Paulo *de* Bogumiłowicze *Cracouienſi*, Nicolao *de* Strzelcze *Sandomirienſi*, Nicolao *de* Czarnkow *Poſnanienſi*, Iaka *Caliſſienſi*, Andrea *de* Lubrancz *Cuiauienſi*, Petro *de* Widawa *Siradienſi*, Nicolao *de* Suchodol Lublinenſi, Petro *de* Thur *Lancicienſi, Iudicibus. Actum in oppido* Hrodło *circa flumen* Bug *in Parlamento ſeu congregatione generali, die ſecunda menſis Octobris. Sub anno Domini milleſimo quadringenteſimo tredecimo. Datum per manus reuerendi in Chriſto Patris, Domini* Alberti *Epiſcopi Cracouienſi Regni Poloniæ ſupremi Cancellarii, nobis ſincere dilecti. Scriptum vero per manus* Ciołkonis *Canonici* Sandomirienſis *ſecreti noſtri Notarii.* 1413

Fœdere perpetuo atque glutinio inter *Poloniæ* & *Lithuaniæ* Barones ſaluberrima ordinatione confecto, *Wladislaus Poloniæ* Rex in *Lithuaniam*, comitante eum *Alexandro* Magno Duce *Lithuaniæ*, cum *Anna* Regina & filia *Hedwigi* proceſſit. Ingenti autem cruciatus afflictuſque moleſtia, quod terræ ſuæ naturales *Samogithiæ*, cœco gentilitatis in eam diem errore detinerentur, non ſine probro ſuo; omnes conatus ſuos, pro illuſtranda gente prædicta, fide & religione Chriſtiana, intendit. Et id ſibi primum agendum exiſtimauit, vt a populis *Samogithiæ* idololatriæ ſpurcicias diſpelleret. Aſſumptis itaque viris literatis & religioſis, zelum DEI habentibus, circa feſtum Sancti *Martini*, *Samogithiam* nauali itinere, deſtinata animo executurus, ire pergit. Et *Anna* Regina cum impedimentis apud *Kowno* relicta, per flumen *Nyemyen* deſcendendo, vſque ad fluuium *Dubiſcha*: abinde vero flumen *Dubiſcha* aſcendendo, ad terram *Samogitharum* peruenit. Conuocatoque vtriuſque ſexus vniuerſo

1413 uerſo Samogithico populo; docet *fœdum ac turpe eſſe vniuerſis Lithuaniæ tam Principibus & militaribus, quam popularibus, veri & vnius DEI cultum agnoſcentibus & tractantibus, Samogithas veteribus ſuperſtitionum erroribus detineri.* Aras deinde idolorum deſtruit, lucos ſuccidit, & ad præcipuum Samogitharum Numen, *Ignem* videlicet, quem ſacroſanctum & perpetuum putabant, qui in montis altiſſimi iugo, ſuper fluuium *Nyewyaſza* ſito, lignorum aſſidua appoſitione a ſacrorum ſacerdote alebatur, accedens, turrim, in qua conſiſtebat, incendit, & ignem diſiicit & extinguit. Succidit, deinde per milites ſuos Polonicos, ſyluas, quas non ſecus quam ſanctas, & Deorum ſuorum habitacula Samogithæ, iuxta illud Poëticum, *Habitarunt dii quoque ſyluas*, venerabantur, in eam mentis caliginem prolapſi, quod & ſyluæ præfatæ, & aues feræque in illis conſiſtentes, ſacræ eſſent, & quicquid in illas faceret ingreſſum, vt ſanctum deberet cenſeri. Non ergo *Samogitharum* aliquis in ſyluis præfatis ligna audebat concidere, aut alites vel feras venari: Violanti enim nemus, feras, vel alites, manus aut pedes dæmonum arte curuabantur. Vſu itaque longo, feræ & alites, apud ſyluas præfatas moratæ, ad domeſticarum inſtar, humanos neque horrebant neque vitabant conſpectus. Maxima itaque barbaros tenebat admiratio, quod *Polonorum* milites nemus, ritu eorum ſanctum, excidentes, nulla læſio, qualem ipſi in ſe frequentius experti erant, ſequeretur. Habebant præterea in ſyluis præfatis focos, in familias & domos diſtinctos, in quibus omnium charorum & familiarium cadauera cum equis, ſellis, & veſtimentis potioribus incendebant. Locabant etiam ad focos huiuſmodi ex ſubere facta ſedilia, in quibus eſcas, ex paſta in caſei modum præparatas, deponebant; medonem quoque focis infundebant: ea credulitate illuſi, quod mortuorum ſuorum animæ, quorum illic combuſta fuerant corpora, nocte venirent, eſcaque ſe exſatiarent, ac medonem foco infuſum, & dudum a cineribus abſorptum, biberent: cum non animas, ſed coruos, cornices, cæteraſque ſylueſtres aues & feras, ex aſſidua aſſuefactione, cibos depoſitos conſtabat abſumpſiſſe. Prima inſuper menſis Octobris die, maxima per *Samogithas* in ſyluis præfatis celebritas agebatur, & ex omni regione, vniuerſus vtriuſque ſexus conueniens illic populus, cibos & potum, quilibet iuxta ſuæ conditionis qualificationem, deferebat. Quibus diebus aliquot epulati, Diis ſuis falſis, præcipue DEO, lingua eorum appellato, *Perkuno*, id eſt, Tonitru, ad focos quiſque ſuos, offerebant libamina, exiſtimantes celebritate & epulatione illa, & placari Deos, & animas ſuorum neceſſariorum cibari. Eſt autem gens & regio *Samogithica* magna ex parte ad gelidum verſa ſeptemtrionem, *Pruſſia, Lithuania, Liuonia* contermina, ſyluis, montibus, & fluminibus circumſepta, fœcundum habens ſolum, in hos diſtrictus diſtincta, videlicet *Iragola, Roſzena, Medniki, Chroſze, Vidulky, Wyelunya, Colthini, Czetra* pro ea tempeſtate barbara, inculta, atque ferox, & in omne facinus audax, proceræ & altæ ſtaturæ, parco & caſtigato victu, de pane aut carne, contenta, ſitim ſuam, raro medone aut ceruiſia, ſed communius vnda, ſedare ſolita. Auri, argenti, ferri, æris, vini, piſcium & pulmentorum expers, & ignara. Apud quam licitum erat viro vni plures habere vxores, & patre mortuo, nouercam, fratre, glotem in vxorem accipere. Nullus illi ſtubarum aut ædificiorum nobilium, ſed tantummodo tugurii vnius vſus: Ventrem diſtentum & porrectum, extrema vero habens coarctata. Structura ædificii ex ligno & calmo, largius ab imo ſenſim operis incremento in acrius cogitur, in carinæ maximæ ſimilitudinem elaborata, in cacumine feneſtra vna, ſuperne lumen reddens. Subter quam focus & cibos parabiles coquens, & frigus, quo regio pro maiori anni parte conſtricta eſt, repellens. In ea domo ſe, vxores, pignora, ſeruos, ancillas, pecus, armentum, frumentum, & omnem ſupellectilem condunt, nec alia ædificia, cœnacula, palatia, promptuaria, aut cameras vel ſtabula norunt, ſed iiſdem habitationibus ſe, & pecus ſuum, armenta, atque alia omnia animalia domeſtica includunt. Gens agreſtis, fera & inculta, & ad ritus prophanos, diuinationes, & auguria, procliuis. 1413

Wladiſlaus Rex ignem perpetuum a Samogithis pro Deo cultum exſtinguit,

lucos ſuccidit,

ritusque gentium qui late recenſentur, abrogat.

Et quoniam nemo ex viris ſpiritualibus, qui cum Rege *Wladiſlao Samogithiam* aduenerant, linguam *Samogithicam* nouerat exprimere, *Wladiſlaus* Rex ad populum *Samogithiæ*, pro fide & religione Orthodoxa ſuſcipienda, declamare coactus eſt. Et primum quidem eos Orationem Dominicam, poſt vero Symbolum docuit, & omnes duodecim fidei articulos in ſymbolo contentos, credi prius, quam ad baptiſmum perueniatur, monſtrauit. Multiplici deinde ſermone aſtruxit, *vnum coli oportere Deum. In eſſentia quidem vnum, in perſonis vero trinum. Mundi totius benigniſſimum & conditorem & redemptorem.* Samogithas deducens *euidenti errore cæcatos, falſos Deos, ignem, fulmen, ſyluas, aſpides, nemora, pro vero coluiſſe: cum hæc ſingula creata ſunt, irrationabilia vero, DEO producta neque ſalutem ſibi ipſis, quanto minus hominibus rationalibus præſtare valentia, hominum etiam poteſtati, pro illorum beneplacito & arbitrio ſubiecta: quod & ipſi in præcipui ſui Numinis, Ignis videlicet, quem rebantur perpetuum, extinctione, in lucorum, ſyluarum, & nemorum ſucciſione, in ararum & ſimulachrorum ſuorum contritione, oculis peruiderant.* Hæc, & plurima alia, quæ viri Spirituales Regi ſuggerebant, *Wladiſlao* Rege prædicante & concionante, *Samogitharum* gens, & numinum atque ſacrorum

Wladiſlao Rege concionante

Samogithæ

rum

1413

verbum Dei ſuſcipiunt.

rum ſuorum deletione, & Regia authoritate atque perſuaſione, permota fidem & religionem Chriſtianam ſuſcipere, & vnda Baptiſmatis ſe ablui, ſordibus idolorum abiectis, conſenſit; ediditque conſenſum, paucis quidem verbis pronunciatis, ſed facetis, per vnum natu maiorem ad id delectum. *Ex quo*, inquiunt, *Dii noſtri, quorum culturam & ſacra a maioribus acceperamus, a te tuisque militibus, Rex Sereniſſime, deleti ſunt, & velut inertes & languidi, a Polonorum Deo deuicti, Deos noſtros & ſacra eorum deſerimus, & Deo Polonorum atque tuo, velut fortiori adhæremus.* Notabiliores itaque eorum in fide edocti, & de fidei articulis plene inſtructi, inſpectante & procurante *Wladislao* Poloniæ Rege, & Catholica nomina eis adaptante, baptizantur. Vniuerſis autem, qui fidem Chriſtianam & Baptiſma ſuſceperunt, *Wladislaus* Rex pannos optimos, equos, veſtimenta, pecunias, & alia munera, in fidei ſanctæ fauorem, liberaliter largitus eſt: vt cæteri ad ſuſcipiendam religionem Orthodoxam forent proniores. In diſtrictu autem & loco inſigniori terræ *Samogithiæ Medniki*, Cathedralem Eccleſiam ſub honore tituli Sanctorum, *Alexandri, Theodori* & *Euentii* Matyrum, item in aliis locis Parochiales Eccleſias *Wladislaus* Rex fundat & ædificat, atque erigit, & illis in dotem ſufficientes redditus & introitus conſignat, & literis ſuis inſcribit. Contingit autem, dum *Samogithæ* prædicti, per Magiſtrum *Nicolaum Vazik*, fratrem Ordinis Prædicatorum Prædicatorem Regium inſtruerentur in fide, præfatusque Magiſter *Nicolaus Vazik* per interpretem prædicando, plura de mundi creatione, & lapſu primi hominis *Adæ* diſſeruiſſet, *Samogitharum* vnus, exiſtimans, Magiſtrum *Nicolaum Vazik*, tam diffuſum de creatione mundi pronunciaſſe ſermonem, quaſi ſub ſua ætate & memoria creatio ipſa, ab ipſo viſa contigiſſet, ſufferre, vt ſiluanus & agreſtis ſermonem prædicantis non valens,

Facetum cuiuſdam de plebe dictum de creatione mundi.

in hæc verba prorupit. *Mentitur*, inquit, *Illuſtriſſime Rex, Sacerdos iſte, aſſerens mundum creatum eſſe: cum enim non longæuæ exiſtat ætatis homo, quo pacto poterit creationem mundi ſuæ recordationis teſtimonio firmare? Sunt enim inter nos plures numero, centenarium annum ſupergreſſi, & eo ætate priores, qui creationem prædictam recordari non poſſunt; ſed ſub eiſdem motibus & decurſibus, ſciunt ſolem & lunam, cæteraque ſydera luxiſſe.* *Wladislaus* autem Rex ſilere eo iuſſo, *Magiſtrum Nicolaum Vazik de creatione mundi, ſingula vera dixiſſe, neque eum aſſeruiſſe, quod creatio ipſa ſub diebus ſuis acciderit, ſed quod ante ſex millia & ſexingentos annos, virtute & ordinatione prouenerit Diuina.* Subinferens, *quod Deus omnipotens mirabiliter creauit hominem: & in Paradiſo voluptatis, homine, quem ad ſimilitudinem ſuam creauerat, delinquente, & vniuerſæ ſuæ poſteritati mortem & damnationem perpetuam innectente, mirabilius redemit, mittens filium ex puriſſima Virgine natum, & dans per illum noua præcepta mundo.* 1413

De ſalute Samogitharum Rex ſolicitus

Conuerſione *Samogithicæ* gentis, ſolicito ſtudio Rex *Poloniæ Wladislaus* feliciter, propitia Diuinitate, conſumata, ex *Samogithia* receſſurus, ſciens intelligensque *Samogithas* fluxæ fidei homines eſſe, iamque nonnullos, eos præcipue, qui fidei & baptiſmatis charactere inſigniri detrectauerant, pro deletione falſorum Deorum ſuorum, & ignis, quem quem ſanctum & perpetuum putabant, extinctione, ingenti amaritudine moleſtos, ad reaccendendum ignem perpetuum, propterea, quod cineres loci aliqualem calorem ſpirabant, clandeſtinis conſiliis & ſermonibus, in hunc modum conueniſſe: *Recedente*, inquiunt *Rege, dummodo ex vetuſto igne reaccendere focum poterimus, Deum noſtrum intelligamus deleri non potuiſſe*: continuauit dies aliquot in ſuperſtitionum loco, intra quos omnibus militibus ex flumine *Nyewyaſza* afferri aquam copioſam iuſſit, & focum locumque ignis prophani, aquarum multitudine vſque ad os complui & inebriari:

Kinzgalum virum pietate inſignem eis præficit.

Kinzgalonem inſuper, virum vnum ex *Lithuaniæ* Baronibus timoratum & deuotum, *Samogithis* & Capitaneum & Præfectum conſtituit: Cui diſtricte imperat, *quatenus exquiſitam curam circa neophytos adhibeat, omni cura & conatu, ne ad veteres ſuperſtitiones relabantur, prouiſurus. Sed nec aliis fidei Sanctæ iugum recuſantibus, Diis ſuis offerre libamina, aut ſacra & ceremonias frequentare permittat.* Qui iuſſa Regis ſolicite exequens, & roborabat neophytos, & gentiles a ſuperſtitione veteri cohibebat. Quapropter gens *Samogithica*, ſub breui dierum ſpatio, plenarie ad fidem religionemque Catholicam accedens, Diis quoque ſuis falſis manus iniiciens, ſiluas, quas ſanctas putauerat, in vberem culturam redegit. His peractis, ſecedit *Wladislaus* Rex in *Lithuaniam*, & pro die *S. Eliſabeth* in *Troky* perueniens, & terram *Lithuaniæ* ſolitis ſtationibus per curias gyrans, pro feſto *Natalis Chriſti Vilnam* rediit, & feſtos dies *Chriſti* cum *Alexandro* Duce magno, *Annaque* Regina, apud *Vilnam* egit.

Vilnam rediens.

Epidimiæ peſtis cum vniuerſum *Poloniæ* Regnum, *Sleſiticam*que oram graui morbo vexaſſet, & plures mortalium abſumpſiſſet, per propitiationem diuinam circa feſtum Sanctæ *Heduigis* quieuit, cum circa feſtum Sancti *Ioannis Baptiſtæ* incepiſſet.

Sub eo autem tempore, quo *Wladislaus Poloniæ* Rex degebat in *Lithuania*, Commendatores & Cruciferi, *Pruſſiæ* Magiſtrum, & regimen Magiſtri eorum generalis *Henrici* de *Plawen* peroſi, ob inuidiam, incertum eſt, an ob profuſas largitiones & expenſas, qui confractam

Henrico de Plawen Pruſ-

1413 conſractam ac proſtratam ac pene exanguem Rempublicam Ordinis, tuendo animoſe caſtrum *Marienburg*, & ex poſt conquiſita caſtra per *Wladiſlaum* Regem & poſſeſſa, reacquirendo, erexerat, ab officio deponunt, & in locum ſuum *Michaelem Kochmagiſtrum*, *nouæ Villæ* Aduocatum ſurrogant. *Henricum* vero de *Plawen* depoſitum captiuant. Depoſitionis autem & captiuitatis ſuæ, hæc & non alia certiſſima cauſa fuit. Quod præfatus *Henricus Plawensky* a nonnullis Commendatoribus, res nouas molientibus, & præſertim a præfato *Michaele Kochmagiſter*, Officium Magiſterii ambiente, inſimulatus eſt, quaſi cum *Wladiſlao Poloniæ* Rege contra Ordinem ſentiret, & propterea a præfato *Michaele Kochmagiſter*, cæteriſque Commendatoribus, quaſi ad conſultandum ad cubile ſuum nocte intrantibus, captiuatur, eademque nocte, ne ſua captiuitas ſeditionem excitaret, in *Gdanſk* ſilenter & clandeſtine, per aquam in naui deducitur a duobus Commendatoribus, & turri carcerique in caſtro *Gdanenſi* includitur. Quod cum *Vlricus* Commendator *Gdanenſis*, frater germanus eiuſdem *Henrici Plawensky* præſenſiſſet, captiuitatem & ipſe ſimiliter veritus, ex caſtro *Gdansk* eadem nocte cum paucis diffugiens, ad *Wladiſlaum* Regem *Poloniæ* venit, Apud quem annis ſeptem honeſto loco habitus, liberaliter ac munifice tractatus, fidelem & animoſam ſuam operam in omnibus expeditionibus contra Cruciferos nauauit. *Henricus* vero *Plawensky* Magiſter, dum & ipſe ſeptem annis carcerales perpeſſus fuiſſet moleſtias, a carcere tandem, *Michaele Kochmagiſter* obeunte, & *Paulo* de *Rusdorff* in Magiſtrum ſuccedente, ſolutus eſt, & in oppidum *Lochſteth* de prope *Oceanum* conſiſtens, detruſus, ibi medio tantummodo exacto anno, propter preſſuras, quas in *Gdanenſi* arce pertulerat, diem obiit. Eo quidem laudabilior, quod animum eius tanta crudelitas, annis ſeptem in ipſum a ruente ordine, & ruinæ proximo, deprompta, nihil ab Ordinis pietate auertiſſet. Præfatus autem *Vlricus* Commendator *Gdanenſis* etſi in principio aduentus ſui apud *Wladiſlaum Poloniæ* Regem ſuſpectior fuerit, procedente tamen tempore, actionum probitatem morum, facile ſe fidum & purum inſinuauit tam Regi quam Regno.

fiæ Magiſtro depoſito

& Michaele Kochmagiſtro ſuccedente,

Vlricus frater eadem veritus

ad Wladiſlaum Regem confugit.

1414 Quadrimeſtre tempus, videlicet Octobris, Nouembris, Decembris, & Ianuarii, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, apud *Lithuaniam* commoratus, luem epidimi in *Polonia* ceſſaſſe intelligens, in *Poloniæ* Regnum per *Maſoniæ* terras, *Anna* Regina per *Pinsko*, *Luczko*, *Wlodimiriam*, *Chrubieſchow*, *Chelm*, alteram tenente viam, rediit. Et Carniſpriuii tempus apud *Iedlnam* agens, pro Dominica vero *Lætare Cracouiam* veniens, in *maiorem Poloniam* ex *Cracouia* diuertit, & Paſcha Domini apud *Caliſch* celebranit. Ex *Caliſch* in *Cuiauiæ* oram procedens Conuentum apud *Slonsko*, cum *Michaele Kochmagiſter* nouo *Pruſſiæ* Magiſtro tenuit. In A quo damnorum, quæ pace perpetua confecta, Regno *Poloniæ* ex *Pruſſiæ* fuere illata, refuſione tentata magis quam obtenta, irritatis animis diſceſſum eſt. *Wladiſlao* autem Rege apud *Cuiauienſem* regionem demorante, *Henricus* de *Plawen* vetus *Pruſſiæ* Magiſter, ex *Lochſten* in *Dzirgon* ſeu *Koprziwno* translatus, clandeſtinis Nunciis ad *Wladiſlaum* Regem deſtinatis, ſupplicat ei, *quatenus liceret ſibi in ſuam transfugere Regiam, & ſub protectione ſua & præſidio in illa immorari*; offerens ſe *omnem aſſiſtentiam & operam contra Magiſtrum* & *Ordinem Cruciferorum enixius nauaturum*. B Quod cum *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, miſſo ad eum *Ianuſſio Stabarski* milite, annuiſſet, & illum ad ſe in *Racziąſz* transfugere iuſſiſſet, ipſe quoque poſtridie fugam ex *Koprziwno* in *Racziąſch* maturaturus foret, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex ex *Slonsko* reuertens, arcanum fugæ huiuſmodi a paucis Conſiliariis ſcitum, lubrico ingenio, quæ occulenda acceperat, *Ioanni Kropidlo* Duci *Oppolienſi*, & *Wladiſlauienſi* Epiſcopo ſecum in *Racziąſz* præſenti, detexit, parum ſenſate & incaute. Qui eodem momento, velociſſimo Nuncio in *Thorun* ad Commendatorem tranſmiſſo, Magiſtrum *Pruſſiæ Michaelem Kochmeyſter*, & *Thorunenſem* Commendatorem de fuga *Henrici* de *Plawen* auiſat. C Quapropter fuga eius illico intercepta eſt, & ipſe *Henricus* de *Plawen* captus, & in loca remotiora perlatus, longo tempore captiuitatis acerbæ moleſtias perferre coactus eſt. Maximum rerum Regis & Regni *Poloniæ*, ſi euaſiſſet, & Rex eius fugam ſilere ſuſtinuiſſet, commodum futurus. Percitum enim ira in Ordinem quem ruentem ab exterminio vindicauerat, ſpes erat, acceſſione ſua, rebus *Polonicis* illum quam maxime profuturum.

1414 Wladiſlaus Rex infectis rebus cum Michaele Kochmagiſtro ex comitiis diſcedit,

meditatamque fugam Henrici olim Pruſſiæ Magiſtri imprudens profert.

Cauſam deinde ſuam *Wladiſlaus Poloniæ* Rex cum Cruciferis & Ordine, iuris deciſione potius, quam armis expediturus, *Laskarium* de *Goſlawicze Wladiſlauienſem* Præpoſitum, Magiſtrum *Paulum Wladimiri* Decretorum D Doctorem Cuſtodem *Cracouienſem*, Magiſtrum *Petrum* de *Wolfram* Licentiatum in Decretis, & *Zauiſſium* nigrum de *Garbow* militem ad continuandum proceſſum litis, & cauſæ contra Cruciferos, coram *Sigiſmundo Romanorum & Hungariæ* Rege, & ſuis Conſiliariis cœptum, & ad petendum dum ferri ex productis ſententiam quam *Wladiſlaus Poloniæ* Rex & ſui Conſiliarii, parti ſuæ plurimum arbitrabantur profuturum, *Budam*, ſumptibus Regalibus abunde prouiſos, transmittit. Qui cum *Budam* in conductu Paſchæ adueniſſent, & coram *Ioanne Strigonienſi* Archiepiſcopo, aliiſque *Hungariæ* Baronibus ad tractandam cauſam deputa-

Wladiſlaus Rex

tis

1414 tis iuribus euidentiſſimis cauſam fulciuiſſent, Cruciferis pro ſuo intereſſe etiam ibidem præſentibus, & facta ſua magis auro & pretio, quam iuſtitia proſequentibus, *Ioannes* Archiepiſcopus *Strigonienſis*, cæteris ſuis collegis probantibus, ad ſententiæ prolationem proceſſit, non quidem ſecundum ſuum & ſuorum collegarum ſenſum, prudentiam, & ingenium, neque teſtimonium euidens productorum; ſed iuxta *Sigismundi Romanorum* & *Hungariæ* Regis inſtructionem & mandatum; & illam in ſcriptis proferens, *Wladislaum Poloniæ* Regem, & *Polonos* maxima ſpe exultantes fefellit. Erat enim ſententia huiusmodi, non vt *Poloni* & Rex eorum autumabat, craſſa, ſed ſterilis & truncata,

ſententia Sigismundi Regis Hungariæ inter ſe & Cruciferos lata,

non aliud continens, quam *vt Poloniæ Rex Wladislaus fædus pacis pepetuæ cum Magiſtro* & *Ordine inborra ictum, in ſuis ſingulis conditionibus obſeruet: & pro neglectu ſolutionis centum millium ſexagenarum latorum groſſorum, quadraginta ſexagenarum latorum groſſorum millia, ad quæ dudum verbo Sigismundi pars Cruciferica condemnata fuerat, accepiet.* Sententia hac parum iuſta, parumque grata, Nuncii Regi apud *Budam* obtenta, in *Poloniam* ad *Wladislaum* Regem reuerſi, qualificationem ſententiæ multis fatigis & ſumptibus quæſitæ, declarant.

quamuis iniquæ, tamen acquieſcit,

Et licet ſententia huiusmodi *Wladislao* Regi & ſuis Conſiliariis, plurimum fuerit grauis & moleſta, induxerat tamen Rex animum cum Conſiliariis ſtare illi, & pacem perpetuam cum Magiſtro & Ordine obſeruare, niſi Cruciferi per ſubſtitutionem noui Magiſtri *Michaelis Kochmeyſter*, noua ſpe agitati, & in ſolitam pompam relapſi, ad inferendum intolerandas Regi & Regno iniurias, prorupiſſent.

ſed infeſtis Pruthenorom armis prouocatus

Mercatores ſiquidem Regios *Poſnanienſes* ciues, in *Gdansk*, cum notabilibus mercibus, de pace perpetua confiſos, aduenientes, dum redirent, omnibus quæ ferebant ſpoliatos miſerabiliter, ne vno quidem reſeruato, interimunt. Et quo furor eorum foret teſtatior, canes enecatos funeribus humanis ſuperponunt. Plures numero Regni *Poloniæ* militares, in confiniis habitantes, ex qualicumque occaſione, iuſtitia non petita, in domibus captos, & ſuppliciis excruciatos, in portis curiarum & habitationum eorum ſuſpendunt. Atque frequenti exercitu cum ſignis infeſtis & extenſis, terram *Dobrzinenſem* inuadunt. Quam dum vrere cœpiſſent, ſubito quodam pauore conſternati, quod *Poloniæ* Rex propediem illos inuaſuros eſſet, in fugam dilapſi, retrocedunt. Dum autem aperta hoſtilitas eorum furori parum reſponderet, in clandeſtinam verſi, homines vtriusque ſexus, multifario pretio corruptos, ad vrbes oppida, & villas in Regno *Poloniæ* incendendas, ſubmittunt. Ex quo multarum ciuitatum, oppidorum, & villarum, conflagratio ſecuta eſt: profitentibus incendii authoribus, ipſis in plerisque locis comprehenſis, ſe a Cruciferis ad id facinus conductos eſſe. Et licet *Wladislaus* crebris Nunciis & literis Magiſtrum & Ordinem, vt damna refunderent, vt iniurias temperarent, vt pacem perpetuam accuratiori cuſtodia ſeruarent, requiſiiſſet, tamen Magiſtro & Cruciferis, requiſitiones iuſtâs Regis in ludibrium vertentibus, intellexit Rex pompam Crucifericam iterum forte virtute Dei neceſſariò conterendam. Quapropter communicato Prælatorum & Baronum conſilio, expeditionem in Cruciferos inſtituit, & omnibus copiis terrarum ſuarum, exercitum in *Volborz*, die Dominico, poſt feſtum Viſitationis Sanctæ *Mariæ Virginis*, conuenire præcipiens, *Alexandrum* etiam *Withawdum* magnum *Lithuaniæ* Ducem, auxilia ſibi cum potentiis terrarum *Lithuanicarum* in id bellum laturum, accerſit. Sed & nonnullos *Sleſiæ* Duces, & milites forenſes, in ſuum ſuffragium, mercede & donatiuo conducit. 1414

exercitum conſcribit.

Ex *Raczyaſz Wladislaus Poloniæ* Rex diſgreſſus, per *Iuniwladislauiam*, *Znenam*, *Gneſnam*, *Pobyedziska*, in *Poſnaniam* pro diebus Pentecoſtes peruenit. Quo illic agente, *Petrus Viſch* de *Radolina Poſnanienſis*, & olim *Cracouienſis* Epiſcopus in curia Eccleſiæ *Poſnanienſis Ciazim*, feria quinta poſt feſtum Pentecoſtes, quæ fuit vigeſima ſexta menſis Iunii, moritur, & in Eccleſia *Poſnanienſi* iuſto honore tumulatur.

Petro Viſch Poſnanienſi Ep. mortuo

Capitulum autem *Poſnanienſe*, electionem de futuro Paſtore acturum, *Wladislaum* Regem precibus conuenit, vt & præſens electioni adſit, & eligentibus eligendi libertatem non adimat, iuſtam & Canonicam electionem, non ſecundum carnem & ſanguinem, ſed ſecundum ſpiritum, de perſona meliori viſurus. Quo benigna modeſtia in vtrumque annuente, ſolus & vnicus in electionis die Capitulum ingreſſus, cæſariem veneranda mitra depoſita denudans, Prælatos & Canonicos *Poſnanienſes*, ad eligendum congregatos, rogat, quatenus vnam ex quatuor perſonis, videlicet aut *Alexandrum Maſouiæ* Ducem, nepotem ſuum ex ſorore, aut Præpoſitum *S. Floriani* extra muros *Cracouienſes*, Regni *Poloniæ* Vice-Cancellarium, aut *Laskarium* de *Goslawicze* Decanum Cracouienſem, aut *Ioannem Pelka* de *Niewieſch* Præpoſitum *Cruszuicienſem* per Canonicam electionem in Epiſcopum *Poſnanienſem* ſubſtituant. Prælati itaque & Canonici *Poſnanienſes* calculatione inter ſe, de perſonis à Rege nominatis habita, conditionibus, virtutibus, & meritis eorum, diligenti examine, intra vnius horæ ſpatium digeſtis & recenſitis, *Laskarium* de *Goslawicze* Decanum *Cracouienſem*, nobilem de domo *Godziaba*, in *Hungaria* cauſam Regni contra Cruciferos tractantem, Rege *Wladislao* inter eos præſente, concorditer, nullo diſcrepante, quod & virtute religioneque cæteris emineret, & Eccleſiæ *Poſ-*

Laskarius de Goslawicze

1414 *Poſnanienſis* Canonicus eſſet, eligunt: & cum *Wladislao* Rege locum Capitularem egreſſi, electionem Clero & populo pronunciant & publicant, *Wladislao Poloniæ* Rege eis ſingulis habente gratias, *quod precibus ſuis gerendo morem præfatum Laskarium Decanum Cracouienſem, in ſuum Epiſcopum elegiſſent.* E veſtigio autem *Wladislaus* Rex, *Laskario* electo, electionem de eo factam, celeri ſignificat verſus *Budam* Nuncio. Qua audita, vir DEI vehementer expauit, & non in iucunditatem aut riſum, ſed in lachrymas & lamenta conuerſus, diu electioni de ſe factæ conſenſum præſtare nitebatur. Vix tandem Regiis & neceſſariorum perſuaſionibus expugnatus, dedit conſenſum. Multiplices tamen poſtea, vt abſolui poſſet, impendit conatus, in religione *S. Benedicti*, ſi abſolui obtinuiſſet, militaturus. *Martino* tamen Papa quinto, virtutes illius & merita ad plenum, dum in Concilio *Conſtantienſi* vna agerent, dinoſcente, votis potiri nequiuit. Electus eſt itaque ad *Poſnanienſem* Eccleſiam vir iudicio humano ex omnibus optimus; nihil ſanguis, nihil opes, cæteris a *Wladislao* Rege nominatis proderant, omne ſuffragium de virtute oriebatur, nec iudicio ſano fauor aut interceſſio officere poterant. Sancta & felix electio, quæ vtinam per omnes regiones & ætates continuaretur, nunquam malis peiores, & peioribus peſſimi ſuccedentes, orbem terrarum tradita per manus nequitia ac ſuperbia corrupiſſent. Erubeſcant igitur & valde pertimeſcant, qui ædificant Syon in ſanguinibus, qui non per oſtium, ſed per abſcondita & furtiua oſtiola, & ipſi introeunt, & nepotulos introducunt, & indignos in Eccleſiaſticos honores, quoniam non ſic cenſet authoritas Canonum: ſed ſaluti omnium prouidendum eſt de bono Paſtore, transfretantibus de bono gubernatore & experto, & ſaluti plebium quæ ſunt in vinea Domini, de optimo Doctore. Peſtilentiam enim & famem, concuſſiones gentilium, colliſiones Regnorum, & quam plurima terris prouenire certum eſt ex eo, quod honores Eccleſiaſtici ad pretium, & humanam gratiam, perſonis immeritis conferantur.

abſens & inuitus ſufficitur.

Poſnania relicta, *Wladislaus Poloniæ* Rex in *Bug* veniens, feſtum *Corporis Chriſti* illic egit. Quo cum *Vlricus* de *Plawen*, Magiſtri olim *Pruſſiæ Henrici* de *Plawen*, nuper ab officio depoſiti, germanus, Marſchalcatu & ipſe *Pruſſiæ*, quem fratre principante tenuerat, exutus, ad ſuam Excellentiam, *Pruſſiam* & Cruciferos effugiens, adueniſſet, & ſuæ ſe in neceſſitatis & exilii articulo, a Rege in familiarem & Curienſem ſuſcipi humillime flagitaſſet, *Wladislaus* Rex comiter eo excepto, & optime de ſe ſperare iuſſo, illum ſuis familiaribus & Curienſibus annumerat, & annis multis illum in Curia ſua, largitionibus liberalibus tractatum & prouiſum, tenuit. Cuius etiam fideli, in Cruciferorum exterminium, in futuris expeditionibus, frequentius *Wladislaus* Rex opera vſus eſt. 1414

A Ex *Bug Wladislaus* Rex in *Coſten* peruenit; vbi a *Sleſiæ* Ducibus, videlicet *Conrado* ſeniore *Oleſchnicenſi*, *Venceslao Zeganenſi* aduentum ſuum ibidem operientibus, & quaſdam iniurias terris ſuis ex *Poloniæ* Regno illatas, reſcindi petentibus rogatus, certos Barones, facturos iuſtitiam, & deprauata correcturos, deputauit. Ex *Coſten*, per *Srzem*, *Srzoda*, *Pizdri*, *Słupcza* tranſiens, die Dominico poſt feſtum Viſitationis Sanctæ *Mariæ* Virginis, in *Volborz*, quo iam totius Regni *Poloniæ* exercituum copiæ, contra *Pruſſiam* proceſſuræ conuenerant.

Quidam Sleſiæ Duces Wladislao Regi Coſthini occurrunt, de ſuis ſuorumque iniuriis queſturi.

B Mouens itaque *Wladislaus Poloniæ* Rex ex *Volborz* caſtra, iiſdem pene ſtatiuis, quibus in prælium magnum itum eſt, vtebatur. Circa *Zakroczim* aut ad *Viſlam* fluuium perueniens, ab *Alexandro Withawdo* magno Duce *Lithuaniæ*, cum potentiis ſuis *Lithuanicis*, *Ruthenicis*, & *Tartaricis*, illic iam conſiſtente, in die Sancti *Alexii* exceptus eſt. Et licet pons naualis ad ſuperandam *Viſlam* fuerit ordinatus & extructus, æſtate tamen illa, largiſſimas fundente pluuias, flumineque inflato & ripas excedente, pons propter aquæ excreſcentiam, nullatenus intra dies octo, donec refluerent aquæ intra ripas, poterat explicari. Intra quos cogebatur exercitus vniuerſus in terris *Maſouiæ* ſubſiſtere. *Viſla* tandem flumine ſuperato, C quartis ſtatiuis ad terras hoſtiles peruentum eſt, & exercitus ordinatio cœpta fieri. Erat autem adeo fortis & numeroſus exercitus, qualem neque ſuperioribus expeditionibus, neque poſt habitis, Regem conſtat habuiſſe, vt nulla extaret campi planicies, in qua ad integrum poſſet ſuis ſtatiuis comprehendi. Præter gentes enim Regias, quæ de vniuerſo Regno in apparatu & numero frequenti conuenerant, item præter gentes *Alexandri Withawdi* Ducis magni *Lithuaniæ*, aliquot *Tartarorum* millia vltra gentes proprias ſecum habentis; Item præter Duces *Maſouiæ*, *Semouithum*, *Ianuſſium* & *Boleslaum*, atque gentes eorum, Duces *Sleſiæ* infra ſcripti, *Bernardus Oppolienſis*, *Ianuſſius Rathiborienſis*, *Boleslaus Theſchnenſis*, *Conra-* D *dus Canthner Oleſchnicenſis*, *Venceslaus Zeganenſis*, *Ioannes Lubinenſis*, *Conradus albus Koſlenſis*, *Venceslaus Oppauienſis*, in auxilium, cum frequentia & inſigni pompa militum, aduenerant. Item *Lacek* de *Crawar* Capitaneus *Morauiæ*, notabile banderium de gentibus expeditis & exercitatis tranſmiſerat. Conduxerat præterea *Wladislaus* Rex magnum ex *Bohemis* & *Sleſitis* mercenariorum militum numerum, tamque ingentes copias pro ea tempeſtate habuerat, vt pro vaſtanda magna parte orbis ſufficerent. Aderant Magiſtri & Cruciferorum Nuncii, dum exercitus Regii ordinatio fieret, & ſumma diligentia omnia, quæ in exercitu Regio fiebant, Rege permittente, ſumma cura

Wladislaus Rex cum ingenti exercitu

Iſtulam ſuperat.

Legatoſque Pruthenorū bellum a ſuis legatione va-

1414

na auertere cupientes

curanotabant. Legationis eorum non alia ſeries erat, quam *vt deſiſteret Rex a bello, armaque deponeret, Magiſtrum & Cruciferos, ſuper omnibus quæſtionibus plenarie compromiſſuros in Vilhelmum Miſſnenſem Marchionem.* Verum dum euidenter appareret, Magiſtrum & Cruciferos legatione ipſa Regem a proſecutione captæ expeditionis in dolo euocari, redire abſque omni ſpe pacis iuſſi ſunt. Et ſi pacem ſincero corde vellent, alias qualificationes, alias quoque conditiones ad pacem adferrent, per quas apparere illos ſyncere de pace agere, & quæ bellum non includerent.

ſine ſpe pacis dimittit.

Wladiſlaus Rex oppido & caſtro Nidborg atque Halſchten expugnatis,

Ordinato exercitu, intrauit *Wladiſlaus Poloniæ* Rex in terras hoſtiles & oppido *Nidborg* primum conquiſito, caſtrum etiam ei ſupereminens circumuallat, quod tandem die octauo conquirit. Opportuna plurimum Regi, & vniuerſo ſuo exercitui conquiſitio, quatenus libera eſſet negotiatoribus via ad conducendum commeatus, ne tantus exercitus contabeſceret. Ex *Nidborg* Rex progreſſus, venit in *Halſchten*, & illico ciuitas & caſtrum, Regi dedita ſunt. Abinde in *Hoieſten* peruentum; quod quamuis aliquantulum Regi reſtitiſſet, potentia tamen exercitus expugnatum eſt, & ciuitas militi in prædam data. De qua vniuerſus Regius exercitus ſpolia ſumens, currus ſuos omnium victualium abundantia impleuerat. Et quia habebatur pro comperto, Cruciferos exercitum Regium, quem armis deſperauerant, fame ſe vincere & debellare poſſe, ſingulas fere piſtrinas & molendina, in his præſertim locis, per quæ exercitum rebantur tranſiturum, per incendia, vt exercitus Regius farinæ inopia laboraret, deleuiſſe; quinque diebus circa *Halſchten* ſtatiua habita ſunt, intra quos in molendinis optimis, ſuper flumen *Hala* diſpoſitis, exercitus Regius, Rege mandante, de farina prouiſionem fecit neceſſariam. Caſtro *Halſchten* in regimen *Derſlai* de *Wloſtowicze* militis, comendato, ad oppidum muratum *Guttenſtath*, Eccleſiam collegiatam, ſumptuoſo opere fabricatam, & Canonicos ſeculares in communi viuentes, habentem, peruenit, quod ante aduentum Regis, dudum erat per gentes Regias, exercitum Regium præcedentes, conquiſitum, ſpoliatum, & exuſtum; ſola Eccleſia Collegiata, & domo vna Canonicorum remanente, quæ tandem ægre ab igne defenſa eſt. Ex *Guttenſtath* prope oppidum *Helsberg Varmienſis* Epiſcopi, ſtatiua pro die Aſſumptionis *B. V. Mariæ* habita. Et dum nonnulli ſeruitores & agreſtes homines de Regio exercitu, dicatam Dominæ noſtræ Aſſumptionis diem parum honorando, verſus *Helsberg*, iniuſſu Regis & ſuorum Capitaneorum, pro quærendis ſpoliis deſcendiſſent, gentes, quæ oppidum *Helsberg* obſeruabant, eorum paucitate conſpecta, in eos irruunt, & paucis fuga elapſis, cæteros occidunt, occiſioni quoque contumelias addunt: Viriibus enim apud occiſorum cadauera amputatis, ea in ora eorum deponunt. In craſtino Aſſumptionis *S. Mariæ Virginis*, caſtrum *Helsberg* admoto exercitu obſidere cœpit. Cognito autem a exploratoribus, mercenarios Cruciferorum milites *Bohemos*, in quingentorum equorum comitiua, in Curia Cruciferica prope *Helsberg* noctu caſtra Regia ſe laceſſituros abdidiſſe, tria gentium ſuarum banderia ad inuadendum illos mittit. Qui periculo, cui adiiciendi fuiſſent, odorato, in loca munita, ex quibus prodierant, diffugiunt, & cum pluribus aliis Cruciferorum militibus, qui illis laturi auxilia veniebant, priuſquam manus cum *Polonis* conſererent, per diuerſa lapſi, regionem, quam tutandam ſuſceperant, direptioni & igni derelinquunt.

ad Helsberg oppugnandum ire pergit.

1414

Wladiſlaus Rex ſoluit obſidionem caſtri Helsberg.

Wladiſlaus Poloniæ Rex placatus & peruictus ſupplicationibus *Ioannis Varmienſis* Epiſcopi, qui in fide Regis bello ſuperiori, quo cæde magna Crucifer domitus eſt, manens, Epiſcopatu relicto, in *Poloniam* cum Rege venerat, obſidionem caſtri ſui *Helsberg* ſoluit, & caſtra in vlteriora promouens, ad oppidum *Kruczborg*, a gentibus ſuis longe lateque *Pruſſiam* peruagantibus, ante dies aliquot expugnatum direptumque & exuſtum, peruenit. Quo illic tenente ſtatiua, *Ioannes Valrod* Rigenſis Archiepiſcopus, cum tribus Commendatoribus de Ordine, pro pace petenda & tractanda aduenit. Et quamuis *Wladiſlaus* Rex, datis pro parte ſua pacis tractatoribus, pacem ſe non abnuiturum obtuliſſet, Cruciferis tamen nullas æquas conditiones afferentibus, & magnam ſpem ſibi pollicentibus, quod Regius exercitus fame excruciatus, bellum foret relicturus, re infecta diſceſſum eſt.

De pace iterum fruſtra tractatur.

Alexander vix a propoſito reducendis ſuos in Lithuaniam deiicitur.

Contendebat ſummo ſtudio *Alexander Witbawtus* Dux magnus *Lithuaniæ*, propter loci propinquitatem, ex his ſtatiuis in *Lithuaniam* reuerti, ſed omnibus Regni *Poloniæ* Baronibus, & ſignanter tamen *Sandiuogio* de *Oſtrorog* Palatino *Poſnanienſi*, & *maioris Poloniæ* Capitaneo, fortiter & conſtanter reditum ſuum improbantibus, & ſe Regem ſuum *Wladiſlaum*, equis abſumptis, pedeſtri itinere ſecuturos aſſerentibus, reuerſionis propoſitum, non ſine tamen animi ſui acerbitate, depoſuit. Et licet a ſtatiuis in *Kruczborg* habitis decreuiſſet *Wladiſlaus* Rex verſus *Kinzberg* in terras inferiores exercitum ducere, *Alexandro Witbawdo* Duci magno *Lithuaniæ*, & ſuis precibus morem geſturus, omnem oram *Pruthenicam* terris ſuis confinantem, vri, vaſtari, & exterminari anhelantis, propter tamen aſſiduorum imbrium deſcenſum, exercitus in terras illas, ſuapte natura ex pelagi propinquitate aquoſas, & quotidiana inſuper pluuia compluttas, nullatenus poterat, ſolo ex lubricitate dehiſcente, traduci. Ex *Kruczborg* itaque Rex verſus fluuium *Paſſariam* diuertit. Quem, pontibus con-

1414 conſtructis, traiiciens, biduum abſumit. Poſthæc in! *Holand* perueniens, caſtrum & ciuitatem obſidere cœpit. Nonnullis autem *Lithuanis* militibus, inter hortos & pomeria parum ſenſate ad ſpolia intentis, hoſtium ſtipendiarii facto ex caſtro deſcenſu, *Butrim* de *Zermino*, *Alexandri Withawdi* Curiæ Marſchalcum, item *Mikitbam*, & nonnullos *Lithuanos* milites captiuant. Deſcenderant autem multæ gentes equeſtris ordinis de Regis exercitu, ad occupandum prædas & ſpolia verſus mare, & vſque ad ciuitatem *Framborg*, ſupra lacum *Hab* ſitam, & Cathedralem Eccleſiam *Zambienſem* habentem, vbi graſſatæ, magnisque prædis & ſpoliis, nullo impediente, conquiſitis, cum maximis pecorum & B pecudum gregibus, cum quadrigis, vino & ſuppellectili varia onuſtis, in ſtatiua habita apud *Holand* reuertuntur.

Nonnulli Lithuanorum apud Holandum capiuntur.

Caſtri *Holand* obſidione quæ in dies plures extrahenda præſumebatur, omiſſa, *Wladiſlaus* Rex motis caſtris prope oppidum *Elbing*, gentibus de ſuo exercitu terram hoſtilem iuſſu Regis, in gyrum, ad plura miliaria ſpoliis & incendiis peruaſtantibus, ſtatiua tenuit. Ex quibus in Vigilia Natiuitatis Sanctæ *Mariæ* Virginis, in caſtrum *Dzirgo* perueniens, & caſtrum, diffugiente ex illo Cruciſerorum præſidio, vacuum offendens, etiam diem Sanctæ *Mariæ* illic abſumpſit. In craſtino Natiuitatis Sanctæ *Mariæ*, caſtro *Dzirgon* primum euacuato, deinde incenſo, quod ab eo tempore nunquam poterat inſtaurari, ad caſtrum *Riſzemborg* alio nomine *Prabuth*, applicat. Quod licet ante dies ſex *Sigiſmundus Coributh* Dux *Lithuaniæ*, cum gentibus Regiis conquiſiſſet, & multis ſpoliis in eo repertis potitus incendiſſet, Rege tamen cum exercitu ad illud veniente, exercitus Regius plurima bona victualium, in vino, medone, ceruiſia, & carne cæterisque rebus reperiens, quadrigas ſuas illius ſpoliis impleuit.

Obſidione Holandi Rex dimiſſa Elbingam verſus exercitu moto,

ex caſtris Dzirgon & Riſzemborg commeatu Poloni inſtruuntur.

Ex *Riſzemborg* ad oppidum *Biſchoffwerder*, ſitu & muro munitum, peruentum eſt; quod Regius exercitus altera die impugnans, conquirit, & præter ſpem, multam nobilem in auro, argento, pannis & equis, reperiens illic ſuppellectilem, plurimum ſe ex illius præda locupletatum lætabatur. Statuerat autem diffinito conſilio, ex *Biſchoffwerder* verſus *Chelm* & *Thorun* perducere exercitum, & oppidum vtrumque obſidione vallare, pro comperto habens oppida ipſa, nulla reſiſtentia monſtrata, deditionem ex templo eſſe factura. Verum Cruciferi, quibus & deliberatio Regia, neſcio quo ex Conſiliariis Regiis illam prodente; & ciuium *Chelmenſium* atque *Thorunenſium* matura ad delendum vrbes ſuas voluntas, innotuerat, fraudibus & dolis vtendum rati, a propoſito ſaluberrimo, & vtiliter deſtinato, Regem ab eo, quod moliebatur auertunt, & in obſidionem oppidi *Brodnicza* pertrahunt, quaſlibet obſidionis moleſtias in dies plures tolerare

Biſchoffwerder oppidum capitur.

Strategema Cruciferorũ quo opportunum Regis conſiliũ Thorunii & Culmæ oppugnanda, impeditur,

valentis, quod & ſitu, ac forti militum præſidio, & ſufficientibus victualibus tutum & pro- A uiſum eſſet. Nam tabellarium pannoſum & agreſtem per itinera, a ſpeculatoribus Regiis obſeruata, incedere (vt capi poſſet) iuſſum, cum literis *Brodnicenſis* Commendatoris, Magiſtro *Pruſſiæ* titulatis, transmittunt. Significabatur autem eiuſmodi literis a Commendatore *Brodnicenſi* Magiſtro in dolo, *oppidum Brodnicza, ad cuius obſidionem Regem intellexerat venturum, militibus qui apud Ripin præſidium agebant, ad ſe verſus Brodnicza deſcendere iuſſis, nullis victualibus, bombardis, ſed neque militibus fulcitum eſſe. Curaret itaque nocte inſequenti, vt gentes & bombardas, atque victualia, celerrime mittere, ſecus agendo, ciuitatem vltro in poteſtatem Regis, per deditionem, peruenturam.* Captus itaque Crucifericus nuncius, literis apud ſe repertis, conſultiſſimam deliberationem damnauit. Qui ſcripturam deprehenſam, veram non doloſam ratus, nocte inſequenti, ſedecim banderia gentium ſuarum ad obſidendum *Brodnicenſe* oppidum, & ad prouidendum, ne quicquam ad illud importari poſſet, tranſmittit. Ipſe cum agmine reliquo, falſis literis ludificatus, in die Exaltationis *S. Crucis*, perueniens, dedi ſibi oppidum altero aut tertio die expectabat. Cum autem in diem ſeptimum vanæ ſpei nullus reſpondiſſet effectus, C *Alexander* magnus *Lithuaniæ* Dux, dudum ad redeundum procliuis, a Rege & Conſiliariis necquicquam, vt ſe contineret, rogatus & perſuaſus, per *Maſouiam* itinere altero, occurrere ſibi hoſtem veritus, in *Lithuaniam* diſcedit. Quæ diſceſſio inter Regem & eum, ad clandeſtinas ſimultates & odia proceſſerat, offenſioque exhinc animorum inter Regem & Ducem ſecuta eſt, magis beneuolentiæ officium minuens, quam apertas ſimultates introducens; quam tamen Dux *Withawdus* in ipſo mox ortu moleſte ferens, curauit extinguere. Miſſisque nunciis & muneribus inſignibus, animum Regis offenſum placare & quietare ſtuduit.

1414 *& temere obſidenti Brodniczam auertitur.*

Indeque Alexandri diſceſſio in Lithuaniam.

Pruſſiæ Magiſter, diſceſſu *Alexandri Wi*- D *thawdi*, noua & maxima ſpe lætatus eſt, & militibus ex præſidiis deductis, cum *Wladiſlao Poloniæ* Rege, potentiam eius languidatam diſceſſu *Alexandri* ratus, quamprimum decertare ſtatuit, & exercitum congerens, verſus *Brodnicza* ire pergit. Quo nouo ad Regem perlato, & Rex & vniuerſus eius exercitus, ſingulari iucunditate & exultatione impletus eſt, ſperans ſe, quod dudum votis expetebat, cum hoſte ſigna collaturum. Ordinatis itaque aciebus, in hoſtium ſuorum properabat occurſum. Verum Magiſter & Cruciferi a ſpeculatoribus ſuis docti, Regis exercitum nihil de ſuo robore mutauiſſe, *Withawdo* Duce *Lithuaniæ* diſcedente, & a ſolis primipilariis Regiis, ſuas copias obterendas fore

Pruthenі diſceſſione Alexandri primo animati, exeunt in aciem;

ſed mox impares Polonis ſe eſſe cernentes cedunt:

1414

fore, trepidatione ingenti concepta, ex campo dilapſi ſunt, & milites in præſidia ſolita, nullo pacto pugnæ diſcrimini ſe commiſſuri, remittunt. Militibus poſthæc Regiis in varia caſtrorum & oppidorum hoſtilium loca graſſantibus, quibus hoſtilia conſiſtere nouerant præſidia, & frequentes particulares de hoſtibus pugnas referentibus, contigit *Dobeslaum Puchałam* de *Vagri*, *Kanimir*, & *Ioannem Lyen*, cæterosque milites, circa molendinum *Lubicz* agere prædas & excurſiones: Quos agmen hoſtile inuadens, duriſſimeque & conſtanter dimicans, victoriæ brauium ex ſua multitudine, & *Polonorum* paucitate, ſibi promittebat. Diuinitate tamen propitia ſuccumbens, in *Polonorum* manus deuenit, ſexaginta capti, ducenti, multis effugientibus, deſiderati, Rege ad tabulam cum Principum & Baronum multitudine conſedente, omnes ſexaginta captiui, a vertice, vſque ad pedis plantam, ferro veſtiti, fuere oblati. Quo inuidorum in Regio exercitu mercenariorum militum calumniæ eneruatæ & contritæ ſunt, qui latrones & agreſtes, non militares homines, in ſuperioribus præliis particularibus, captos fuiſſe commentabantur. Obſidebatur interea *Brodnicenſis* ciuitas, nulla tamen deditionis ſpes ex literis interceptis concepta, reſpondebat. Et quamuis obſidionem ipſam omittendam, plurimorum ſenſatorum virorum ſententia cenſuiſſet, Rex tamen cunctatione ſua, & nondum a ſpe deditionis excidens, in tempus longius eam extraxit, commoditatesque ſuas neglectum iri, & tanti exercitus robur elangueſcere permiſit. Ita vnius vrbis obſidione, diuturna totius terræ *Pruthenicæ* exitialis deſolatio auerſa eſt, & breui damno, compendioſaque vafricie, tam potentis exercitus virtus illuſa.

Wladislaus Rex Brodniczæ obſidionem ſoluit,

Obſidione oppidi *Brodnicenſis* in menſem integrum extracta, quamuis pro illius conquiſitione varii fuiſſent adhibiti conatus intellexit *Wladislaus Poloniæ* Rex tum primum, ſe literis interceptis & dolis Cruciferorum ludificatum eſſe, non tamen a cura obſidionis animum remiſit. Serpſit & aliud in caſtra ſua, ex mora diuturna in loco vno, malum. Omnium ſiquidem victualium, carnis præcipue, exercitus ſuus Regius habens abundantiam, panis egeſtate & penuria nimia angebatur; Ex quo dyſenteriæ peſtis coorta, plures mortales aut extenuit, aut extinxit. A defectu quoque panis, breui tempore interueniente, expeditio præfata, famelica a *Polonis* appellatur. Peſtilens quoque morbus, ſanguinis profluuio concretus, & a penuria panis concitatus, vniuerſa caſtra Regis peruaſerat. Ea re hoſtes non ſecus quam victoria lætabantur, rati in ſuam defenſionem id permiſiſſe ſuperos; Regiumque exercitum ſolo panis defectu premente, mature per ſe periturum. Nihil enim, quod gerebatur in Regio exercitu, eos latebat. Et dyſenteria, pane deficiente, in corpora militum graſſari cœpit, & contagium morbi in plures vulgatum eſt, omniumque commeatuum inopia, in caſtris Regiis, multitudine abundante ſucceſcebat. Ex quo & Regi, & exercitui ſuo, ingens ampliſſimæ gloriæ, & ſperatæ victoriæ, continuo decidit expectatio; quia non armis, non acie, non congreſſu cum hoſte, intra mœnia ſe continente, & illa tantummodo tueri contento, decertare poterat: ſed in ventrem & in corpora, cum illa, belli mole conuerſa duplicata lues, tam pulcherrimum & validum exercitum, aſſidue quatiebat. Venit interea Nuncius Apoſtolicus *Ioannes Lanzannenſis* Epiſcopus, ad multiplices preces & inſtantias Cruciferorum, & in eorum expenſis, a *Ioanne* Papa XXIV, ad guerram intercipiendam deſtinatus.

Conſtantienſe Concilium indicitur.

Qui impugnari caſtrum & ciuitatem vniuerſali exercitus commotione, die quo venerat, intelligens, in conſpectu Regis & Conſiliariorum procumbens, ingenti ſolicitudine atque prece deprecabatur, vt ciuitati & caſtro expugnationem remitteret, pro Dei honore & Sedis Apoſtolicæ reuerentia: Obſecrans Regem, *vt armis depoſitis, & bello per treugam in biennium ſuſpenſo, cauſam ſuam per Concilium generale Conſtantienſe, iam indictum, decidi permittat, expeditam iuſtitiam, ex adminiſtratione Concilii, percepturus.* Legatione Nuncii Apoſtolici ad frequens conſilium relata, petitio & perſuaſio Summi Pontificis, quod & hyems appeteret, & morbus diſenteriæ in Regium exercitum vulgatus eſſet, accepta eſt, & treuga in annos duos firmata: accepturumque ſe Rex Concilii *Conſtantienſis* deciſionem, eique ſtare repromiſit; atque in huiuſmodi Concilium *Conſtantienſe* in Calendis Nouembris iniciandum, *Nicolaum Gneſnenſem* Archiepiſcopum, *Ioannem Wladislauienſem*, *Iacobum Plocenſem*, *Laskarium* Electum *Poſnanienſem* Epiſcopos; *Ianuſſium* de *Tuliskowo*, Caſtellanum *Caliſſienſem*, *Zauiſſium* nigrum de *Garbow*, milites pro ſuis factis procurandis, & ambaſiata ſolenni ituros, deſignauit. Præfatus ſiquidem Papa XXIIII, cum *Sigiſmundo Romanorum* & *Hungariæ* Rege perſonaliter apud *Landa* conuentum agens, vbi ipſe *Sigiſmundus* Rex pro recuperando a *Venetis Dalmatiæ* Regno inſtaurabat bellum pro ſchiſmatis, quod Eccleſiam DEI annis 40. vexauerat, extinctione, concilium in *Conſtantienſi* ciuitate agendum ſolenniter indixit, atque ad illud ſe perſonaliter venturum non obſtante quolibet impedimento, per iuſiurandum vterque aſtrinxit. Conquiſiuerat autem Rex *Sigiſmundus*, & in *Foro Iulii* & in *Dalmatiæ* Regno, manu forti, plures ciuitates. In quibus etſi præſidia militum ſuorum reli-

1414

reliquerat, omnes tamen, eo diſcedente, per *Venetorum* gentes fuere & expugnatæ & recuperatæ.

Treugis ob DEI reuerentiam, per medium Nuncii Apoſtolici Epiſcopi *Lanzanenſis*, in biennium *Wladislaus Poloniæ* Rex firmatis, ſexta die Octobris *Brodnicenſis* ciuitatis obſidionem ſoluit, atque ex agro hoſtili diſcedit. Et primum nocturnum in *Ripin* agens, omnem exercitum licentiat; Qui apud *Doninow* ponte nauali flumine *Visla* ſuperato, in ſuarum regionum oras redire cœpit. Rex per *Przipuſch, Kowalie, Goſlinin, Lowicz, Skwyernicwycze, Inowlodz, Opoczno, Skrzin, Vachoczko, Caluum Montem*, in *Opatow*, *Anna* Regina in *Opatow* illum excipiente, pro feſto Omnium Sanctorum *Sandomiriam* venit. Ex *Sandomiria* per *Przischow, Pilzno, Biecz, Tuchow, Bochnya* procedens, die 14. Nouembris in *Nyepolomicze* diuertit. Occurrerat autem *Wladislao Poloniæ* Regi in *Biecz* agenti, *Nicolaus* Archiepiſcopus *Gneſnenſis*, & ſingularibus mandatis & inſtructionibus acceptis, quid & quo ordine, qualiaque illum & ſuos Collegas, in Concilio *Conſtantienſi* agere, in Eccleſiæ vniuerſalis, & Regni *Poloniæ* rebus. oporteat: pluribus inſuper donis & clenodiis, in auro, argento, pelliceis veſtibus, equis, muneratus, in *Conſtantiam* proceſſit. Quem & alii Pontifices & Barones, ad obeundam Ambaſiatam Regis & Regni nominati, Rege in *Nyepolomicze* valedicto, extemplo ſunt ſecuti. Pro vnienda ſiquidem & reformanda Eccleſia Dei, 40 annis & amplius ſciſſa, variiſque & execrandis abuſibus, ſchiſmate vigente, deformata Concilium prædictum *Conſtantienſe*, propitia Diuinitate in tam magnifico & frequenti Prælatorum numero, erat congregatum: vt glorioſior Synodus, cum ingenti ſolennitate iniciata & continuata, a multis ſeculis non memoretur acta eſſe. In qua & hoc ſtupendum memoratur, quod pro vnienda & reformanda Eccleſia Dei, certatim ſinguli ſuos conatus & ſtudia, paſſione qualibet circumſcripta, alacriter & fideliſſime conferrent. Quod cum in die omnium Sanctorum iniciatum eſſet, in quadriennium vſque protendebatur. *Sigiſmundus* autem *Romanorum & Hungariæ* Rex, præſentia ſua illud & honeſtaturus & aucturus, in comitiua notabili, & apparatu magnifico Principum, Baronum, & Prælatorum tam Eccleſiaſticorum quam Secularium, ex *Hungaria* in *Rheni & Germaniæ* partes deſcendens, *Aquiſgranum* venit, vbi prima corona Imperiali a *Maguntinenſi* Archiepiſcopo, cum ſummo omnium Principum *Almaniæ* fauore, accepta, *Conſtantiam* diuertit, & pro vnienda Eccleſia Dei indefeſſo ſtudio laborauit, vſque ad plenariam illius conſumationem.

Ad Conſtantienſe Concilium Legati ex Polonia mittuntur.

Ad quod & Sigiſmundus proficiſcens

Aquiſgrani coronam imperialem accipit

Nunciis in *Conſtantienſem* Synodum ituris, expeditis & prouiſis, proceſſit *Wladislaus* Rex ex *Nyepolomycze* per ſtationes ſolitas in *Lithuaniam*, & apud *Grodno* Natalis *Chriſti* dies exegit. Vehementer autem *Alexandro Withawdo* magno Duci *Lithuaniæ* infenſus, quod ex *Brodnicza*, Rege necquicquam aduerſante, diſceſſerat, contubernium ſuum deuitans, nunquam illi pacifice loquebatur. In eaque indignatione perſeuerans, ex *Lithuania* proceſſit. Conſiliarii autem *Poloniæ*, eorum diſcordias ſanaturi crebras faciunt hinc inde fatigas, comportantes eorum diſſociatos animos. Et poſt varios labores & tractatus, Ducem tandem *Alexandrum* ſuam transgreſſionem profitentem Regi reconciliant. Qua ſecuta, *Alexander* magnus *Lithuaniæ* Dux, *Wladislaum Poloniæ* Regem amplius placaturus, ipſum pro æſtate Baduenienti inuitat. Ambaſiatores autem Regii, in *Conſtantienſe* Concilium deſignati, per *Miſniam & Saxoniam* iter facientes, a Marchionibus *Miſnenſibus* benigne excepti, & ſingulis neceſſariis in *Miſnenſi* Marchionatu procurati die 27. Nouembris, in frequenti & ſplendido apparatu *Conſtantiam* ingreſſi ſunt. Quibus maximæ Cardinalium & Prælatorum cateruæ, aduentum eorum excipientes, non ſine animorum alacritate occurrebant, admirantibus & commendantibus cunctis illorum numerum & apparatum. In die autem Sanctæ *Barbaræ*, congregationem ingreſſi, commendatione *Wladislai* Regis, & Regni *Poloniæ*, Papæ *Ioanni*, Cardinalibus & Patribus Concilii, coram facta, fuerunt Sacræ Synodo Regis & Regni primum, deinde ſuis nominibus incorporati. Ab eoque tempore Cruciferorum alacritas & audacia fuit compreſſa, qui Regem & Regnum multifariis infamabant detractionibus, & ſignanter, quod filiam ſuam in contumeliam Chriſtianitatis *Turcarum* deſponſaſſet Cæſari: nec audebant in ſugillationem Regis & Regni de cætero quicquam mutire. Quamuis autem *Ioanni* Papæ *XXIV* fuiſſet a pleriſque carnaliter & terrene ſapientibus ſuggeſtum, ne Papa pro congregando Concilio nauaret operam, neque perſonaliter intereſſet illi, depoſitionem de Papatu, & nonnulla alia ludibria illic excepturus, omnibus tamen, quæ ingerebantur, nihil penſis, cum omni Curia ſua de *Italia* excedens, *Conſtantiam Sueuiæ* vrbem 20 Nouembris aduenit, aduentuque ſuo Concilium congregauit: præſidendoque Concilio huiuſmodi, pro vnienda Eccleſia Dei, ſe Papatu ceſſurum, per propriæ manus apodixam aſtrinxit. Opus admirandum & celebritate dignum, ſi illud actione contraria non coinquinaſſet. Cui *Alpes*, quæ *Italiam & Germaniam* diuidunt, transgredienti, & iam apud *Tridentum* conſiſtenti, ab vno deliro, quo pro ſolatiis vtebatur, facete dictum eſſe conſtat: *Pater ſante, qui paſſo trigenta perdo;* Id eſt, *Pater Sancte, qui in ludo chartarum excedit trigenarium numerum, perdit, ita & nos, qui Tridentum velut vltimam Italiæ oram transgredimur, fa-*

Nuncii Polonorum Conſtantiā perueniunt.

ſces

1414 *ces & dignitatem Papalem ſumus amiſſuri.* Confidens ſiquidem in theſauris, credidit omnibus pro voto diſpoſitis, *Bononiam* reuerti, & pro libito dominari. Adeo autem pleroſque Epiſcopos, & alios magnæ authoritatis viros pecuniis & promiſſis corruperat, quod nihil poterat tam ſecreto agi, quin ad ſuam confeſtim deduceretur notitiam. Exhibuit interim vnus plures ex *Italicis* articulos contra eum horrenda & abominabilia ſcelera continentes. Ad quorum publicationem & probationem ne procederetur, per aliquorum ex natione *Germanica*, *Polonica*, & *Anglicana*, Prælatorum honori Sedis Apoſtolicæ conſulentium, ægre obtentum eſt. Quod cum *Ioannes* Papa intellexiſſet, mente conſternatus, varia ad euadendum ingenia cœpit meditari.

Ioannes XXIII. pleroſque pecunia corrumpit.

Sigiſmundo Imp. Conſtantiæ degente

Sigiſmundo Romanorum & *Hungariæ* Rege in *Conſtantienſi* Concilio ad reintegrandam Eccleſiam Dei intendente, *Hungariæ* Barones proprio tantum motu, milite *Hungarico* collecto, nullis externis auxiliis admiſſis, expeditionem in *Turcas* faciunt. Quibus Cæſar *Turcarum Criſten* appellatus, cum multitudine gentium ſuarum occurrens, eos miſerabiliter conflixit, & præſtantiores *Hungariæ* Barones, videlicet *Ioannem* de *Gara* Palatinum *Hungariæ*, *Ioannem* de *Moruth*, *Gergiſianum*, & plures alios, nonnullis effugientibus, captiuauit. Quorum liberatio nonniſi magno auro poterat procurari. *Turcæ* autem obtenta huiuſmodi victoria, plures diſtrictus & terras Regni *Hungariæ* peruadentes, vſque ad *Ciliæ* terras graſſati ſunt, multaque Catholicorum millia in ſeruitutem barbaricam abducunt. Compaſſus autem vehementer *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, tantis, quæ in gentem *Hungaricam* ingruerant, malis, literis quoque Concilii *Conſtantienſis Sigiſmundi Romanorum Hungariæque* Regis, ſolicitatus, auertere grauiora mala Regno *Hungariæ* a *Turcis* impendentia, in animum inducens, ad præfatum *Turcarum* Cæſarem *Criſten*, duos milites ſuos videlicet *Skarbkonem* de *Gori*, & *Gregorium Armenum* mittit: Rogans & requirens *Turcarum* Imperatorem, *quatenus ab inuaſione & vaſtatione Regni Hungariæ quieſceret, & omnibus captiuis in libertatem reſtitutis, in annos ſex cum Regno Hungariæ treugas firmaret:* Comminans & denuncians *ſe, ſi id facere detrectaret, propter fœderis & ſanguinis, quæ ſibi cum Sigiſmundo Romanorum & Hungariæ Rege ſunt, communionem, contra illum cum ſuis omnibus potentiis conſurrecturum.* *Turcarum* autem Cæſar *Criſten*, Nunciis Regiis benigne exceptis & habitis, etiam liberaliter eos, adminiſtrando ſingula neceſſaria, tractauit, frequentius quoque ſecum epulari iuſſit. In ſingulis vero pro quibus a *Wladiſlao Poloniæ* Rege rogatus & requiſitus erat ſe monſtrando morigerum, & ceſſaturum ab inferendo bello, ſufferentiaſque in annos ſex firmaturum cum *Hungaris* offert & repromittit. In euidentius autem oblationis ſuæ robur, certos Nuncios ſuos cum Regiis Nunciis ab eo muneratis, ad firmandum præmiſſa in *Hungariam* tranſmittit. Dum autem ſimul vna in *Hungariam* procederent, *Skarbek* de *Gori* ab illis per *Valachiam* rectiori via ad *Wladiſlaum Poloniæ* Regem peruenturus, & illi ſingula, quæ ordinauerat expoſiturus, diuerterat. *Gregorius* vero *Armenus* alter Regiorum Nunciorum *Turcarum* Nunciis non audentibus in *Hungariam* ſine ſaluo conductu progredi, & in metis Dominii *Turcarum* remanentibus, in *Hungariæ* Regnum ad expediendam ſecuritatem *Turcarum* Nunciis proceſſit. Verum cum ad *Piponem* de *Ozora* Banum *Themeſchienſem* perueniſſet (is enim ſibi primum ex Baronibus *Hungariæ* occurrerat) & rebus ordine patefactis, quas apud *Turcarum* geſſerat, de dando ſaluo conductu *Trucarum* Nunciis, ipſum requiſiuiſſet, non ſecus quam explorator & hoſtis, ab eodem *Pipone* captus eſt, & in vincula coniectus, omneſque res, veſtes, & ſarcinæ ſuæ, vſque ad calceamentorum corrigias, ne quid litterarum a *Turcis*, vel in eorum fauorem ferret, ſcrutatæ & inciſæ. Propter quod *Turcarum* Nuncii præfati, *Gregorii Armeni* captiuitate & ignominia, qua a *Pipone* tractabatur, comperta, velocius redeuntes, maiori crudelitate cœperunt in *Hungaros* ſæuire. Sed nec *Wladiſlaus Poloniæ* Rex ſtrages & vaſtationes *Hungariæ*, poſt a *Turcis* ſecutas, intercipere, quamuis multipliciter ab *Hungarorum* Baronibus ſolicitatus, ſuſtinuit, pudore & decore ſibi & ſuo Nuncio *Gregorio* illato, exacerbatus. Qui non ſolum treugam, aut ſi id depoſcerent, perpetuam pacem, ſed etiam cum potentiis ſuis, ferre *Hungaris* auxilia ſtatuerat. *Gregorius* tandem *Armenus*, Baronum *Hungariæ* abſolutus iudicio, quoniam nihil in eo, quod affine foret criminationi, deprehenſum iri poterat, ad *Wladiſlaum Poloniæ* Regem rediit. 1414

Hungari a Turcis magna clade afficiuntur.

Legatio Wladiſlai, ne Turca graſſetur in Hungaria.

Imbutus iamdudum *Viclephiſtarum* veneno, quod ex libris *Ioannis Viclepb*, ab *Oxonia Angliæ* ciuitate per quendam *Bohemum Pragam* delatis *Bohemiam* penetrauerat, *Ioannes Huſz*, continuo cœpit illud diffundere. Cum enim eſſet ingenio acri, & lingua fecunda, multumque Dialecticis oblectaretur, & peregrinas opiniones amaret, ac *Teutonicis* infeſtus admodum foret, *Viclephiſtarum* doctrina adepta, *Teutonicos* Magiſtros vexare cœpit: ſperans eo modo confuſos *Teutones* Scholam relicturos. Quod cum non ſuccederet, a *Venceslao* Rege impetratum eſt, vt Gymnaſium *Pragenſe Teutonicis* excluſis, per *Bohemos* regeretur. Qua indignitate Magiſtri & Scholares *Teutonici* generis commoti, *Praga* relicta, apud *Lipſiam* ciuitatem *Miſchnæ*, generale ſtudium erexere. *Ioannes* de-

1414

deinde *Huſs*, lingua potens, & mundioris vitæ opinione clarus, facile & inter Scholares, & inter vulgum, principatum ſortitus eſt. Qui cum ſe libenter audiri animaduerteret, dogmata *Ioannis Vicleph* in publicum extulit, & *Anglicana* venena, *Bohemorum* pectoribus infudit. Aſſerens *illum virum bonum & ſanctum fuiſſe, & omnia vera ſcripſiſſe & ſenſiſſe: Cupiens ſe poſt fata in ea loca proficiſci ad quæ Viclephi anima perueniſſet.* Sequebantur *Ioannem* Clerici plures numero, omnes ære alieno grauati, ſceleribus atque ſeditionibus inſignes, rerum nouitate meritas pœnas euaſuri; quibus etiam & nonnulli doctrina celebres iuncti erant. Qui nullam in Eccleſia dignitatem nacti, Sacerdotia maiorum cenſuum iniquo ferebant animo his committi, qui quamuis nobilitate præirent, ſcientia tamen viderentur inferiores. Hi itaque *Valdenſium* ſectam atque inſaniam infamem amplexi, in omnes Eccleſiaſticos latrare cœperunt. perunt. Cuius peſtiferæ & damnatæ ſectæ hæc ſunt dogmata: *Romanam Eccleſiam reliquis Epiſcopis parem eſſe. Inter Sacerdotes nullum diſcrimen. Presbyterum non dignitatem ſed vitæ meritum efficere potiorem. Animas corporibus excedentes, aut in æternas e veſtigio pœnas mergi, aut perpetua conſequi gaudia. Purgatorium ignem nullibi inueniri. Vanum eſſe orare pro mortuis, & auaritiæ Sacerdotalis incrementum & inuentum. DEI & Sanctorum imagines delendas. Aquarum palmarumque benedictiones irridendas. Mendicantium Religiones malos Dæmones inueniſſe. Sacerdotes pauperes eſſe debere, ſola contentos eleemoſyna. Liberam cuique verbi prædicationem patere. Nullum capitale peccatum, quantumuis maioris mali vitandi gratia, tolerandum. Qui mortalis culpæ reus ſit, eum neque ſeculari, neque Eccleſiaſtica dignitate potiri, neque parendum ei. Confirmationem quam chriſmate Pontifices inducunt, & vnctionem extremam, inter Eccleſiaſtica Sacramenta minime contineri. Auricularem Confeſſionem nugacem eſſe, ſufficere ſua quæque Deo in cubili ſuo confiteri peccata. Baptiſmum fluuialis vnda, nulla interiecta ſacri olei mixtura, recipiendum. Cimiterium in inanem vſum, queſtus cauſa, repertum, quacumque tegantur tellure humana corpora, nihil diſtare. Templum Dei late patens ipſum mundum eſſe. Coarctare Maieſtatem eius, qui Eccleſias, monaſteria & oratoria conſtruit, tanquam propitior in eis bonitas Diuina inueniatur. Sacerdotales veſtes, altarium ornamenta, pallas corporalia, calices, patinas, vaſaque huiuſcemodi, nihil habere momenti, Sacerdotem quocumque loco, quocumque tempore, ſacrum Corpus Chriſti conficere poſſe, petentibusque miniſtrare, ſufficere, ſi verba tantum Sacramentalia dixerit. Suffragia Sanctorum iam in cœlis cum Chriſto regnantium fruſtra impetrari, quæ iuuare non poſſunt. In Canonicis horis cantandis dicendiſque fruſtra tempus teri. Nulla die ab operatione ceſſandum, niſi quæ Dominica appellatur, celebritates Sanctorum prorſus reiiciendas. Ieiuniis quoque ab Eccleſia inſtitutis, nihil ineſſe meriti.* *Sbigneus*, alias *Zbienko* cognomine *Lepus*, conſilio animo & nobilitate illuſtris, *Pragenſem* regebat Cathedram, qui orientem errorem extincturus, ducenta & amplius volumina *Ioannis Vicleph* pulcherrime conſcripta igne comburit, & *Ioannis Huſz* prædicationem interdicit. Qui *Praga* excedens, apud villam ſuæ originis, multa in *Romanum* Præſulem, cæterosque Pontifices, relatu indigna, docendo populos, expuebat, aſtruens *decimas non ſecus quam eleemoſynas Sacerdotibus dandas eſſe.* Nondum ardor vtriuſque ſpeciei pectora hominum peruaſerat, ſed attulit nouam peſtem *Petrus Draſenſis*, qui patria *Miſſna* pulſus, *Pragam* veluti hæreticorum aſylum, a qua prius reiectus fuerat, repetiit. Ex cuius ſuggeſtione & monitu, *Iacobellus* etiam patria *Miſnenſis*, plebi prædicans, publice populum commouere cœpit, ne deinceps communionem calicis, ſine qua nemo ſaluari poteſt, quoquomodo negligeret. Hinc omnes hæretici conſenſere, haud modica geſtientes lætitia, quod articulum inueniſſent in Euangelica veritate fundatum, per quem *Romanæ* Sedis vel ignorantia, vel nequitia, redargui poſſet. Videns autem *Sbigneus* alias *Zbienko Pragenſis* Archiepiſcopus, nullum aduerſus emergens malum a *Venceslao* Rege præſidium, quippe qui inertia torpens, hæreticos ſinebat impune in ſuum & Regni excidium debacchari, ad *Sigismundum Romanorum* & *Hungariæ* Regem ſe contulit, obſecrans *vt Pragam perſonaliter veniens, orientem multorum malorum facem, negligentia fratris hactenus nutritam, extingueret.* Quo pollicente, & dare ſponſioni virtutem differente, *Sbigneus* apud *Poſonium* in *Hungaria* moritur: eique *Albicus* natione *Bohemus* propter peritiam medicinæ *Sigismundo* charus, ſuſficitur; vnicum extremæ auaritiæ baratrum. Qui claues cellæ vinariæ per ſemet ipſum deferens, multitudinem etiam familiarium & ſeruientium, ne illis veſtes & alimenta præbere cogeretur, peroſus, non contemnendum tantummodo, ſed irridendum hæreticis præbuit exemplum. Idoneus Pontifex profecto, qui ſuæ modeſtiæ vel potius auaritiæ conſulens, fomentum ſurgenti hæreſi dedit. Ab eo ſiquidem tempore, & Rege & Pontifice, nefarios hæreticorum conatus inualeſcere permittente, labes hæretica vires extollere, & ſenſim dilatari cœpit. In huncque modum intra Catholicam Eccleſiam, in Regno nobili & orthodoxo, in eius quoque ventre atque medio, germen illud hæreſeos dudum contritum, leuauit caput, & de Anglicanæ peſtilentiæ reliquiis, ignis flammauit exortus.

Catalogus articulorum Viclephi & Huſſi.

Die vigeſima prima menſis Martii, *Ioannes* *Ioannes*

Papa

1414 *XXIV. male ſibi conſcius Conſtantia*

Papa habitu mutato & hora ſerotina, in forma laici, mettertius, per ordinationem *Frederici* Ducis *Auſtriæ*, *Conſtantia* receſſit, & ad caſtrum *Scheffhauſzen*, partim pedeſtri itinere, partim nauali in die *S. Benedicti* peruenit. Quem quinque Cardinales, videlicet *Piſanus Branda*, *Placentinus* de *Czelancho*, de *Braccantiis*, & *Barenſis*, & ſucceſſiue quidam alii Cardinales atque Curiales, & Officiales, in Dominica Ramis Palmarum ſummo mane ſequebantur. Quorum dum ſex ad *Conſtantiam* feria quarta immediate ſequenti rediiſſent, & in congregatione publica, præſente *Sigiſmundo Romanorum & Hungariæ* Rege, ample nimis contra Concilium locuti ſunt, aſſerentes *propter dicti Ioannis Papæ receſſum, Concilium fuiſſe diſſolutum*. Quibus replicatum fuit & oſtenſum, *quod Papa non eſſet ſuper Concilium, ſed ſub Concilio*. Et contentionibus hinc inde exortis, Cardinales ipſi, qui ratione non poterant, clamoribus defendebant. Die vero Veneris ſancta, præfatus *Ioannes* Papa, hora meridiei, tempore valde pluuioſo, recedens *Seuhauſzen*, venit in *Loffemburg*, Cardinalibus & aliis Cardinalibus eum ſequi faſtidientibus. Die vero Mercurii poſt Octauas Paſchæ, in diluculo præfatus *Baltazar* alias *Ioannes* Papa, mutato habitu, de caſtro *Loffemburg*, metquartus recedens, verſus caſtrum *Friburg*, & ex illo verſus oppidum *Brizark* ſuper flumine *Rheno* conſiſtens, vt per gentes Ducis Burgundiæ exinde in *Auinionem* perduceretur. Sed practica huiusmodi per medium *Romanorum* Regis *Sigiſmundi* fuit impedita. Venerunt autem ad dictum *Ioannem* in *Friburgum* duo Cardinales, & aliquot Epiſcopi ac Abbates, requirentes eundem nomine Concilii, vt prouiſione accepta, cederet, alias Concilium ad priuationem & depoſitionem ſui procedere vellet. Qui miſſo *Conſtantiam Bartholdo* de *Vrſinis* Comite, petebat per certos Cardinales apud Concilium, *quod de prouiſione ſua, antequam cederet, ordinaretur: Imprimisque eſſet Legatus per totam Italiam irreuocabilis; Item quod haberet per ſe Comitatum Bononienſem, Varſmenſem, & Auinionenſem, cum ciuitatibus eorundem: Et quod ſibi emerentur annui redditus ad vitam de triginta millibus Ducatorum auri, decem videlicet millia de Venetis, decem de Florentia, decem de Genua: & vna ciuitate vel duabus non ſoluentibus, duæ reſiduæ, vel tertia, ad ſolutionem nihilominus tenerentur. Item quod remaneret Cardinalis, ex emolumentis Cardinalium participaret.* Die vero quarta menſis Maii, redierunt ad Concilium ex *Seffhauſzen* omnes Cardinales, Officiales, & Curiales præfati *Ioannis* Papæ. Et *Fredericus* Dux *Auſtriæ*, in publica congregatione genibus flexis procumbens, veniam pro perfidia quam fecerat, abducendo *Ioannem* Papam *Conſtantia*, ſibi per *Sigiſmundum* Regem impendi, humiliter petiit. Qui flecti ad pietatem recuſans, miſſis exercitibus, Ducatus eiusdem *Frederici* vaſtauit, nonnullaq; caſtra ſolo æquata diruit. Oppidumq; *Friburg* cum octo aliis oppidis, ſibi adiacentibus, quæ erant de proprietate prædicti Ducis, vna cum eodem *Ioanne* Papa cepit, & exinde prædictum *Ioannem* Papam, ad oppidum *Cellæ*, quod diſtat per duo miliaria *Almanica* a *Conſtantia*, perduxit. Vbi, ordinante Concilio, diligenti cuſtodia nocte & interdiu obſeruabatur. Item die 24. Maii, in ſeſſione publica, publicati fuerunt quinquaginta quinque articuli horrendi & criminales, & probati contra præfatum *Balthazar* Papam. Et eodem die prædictus *Balthazar* per Nuncios Concilii certificatus eſt, quod Diuina diſpoſitione contra eum ſententia ferri debet. Qui in illam conſentiens, rogabat obnixe, *vt quanto honeſtius fieri poſſet, ſententiam ipſam dictarent*. Die vero vigeſima nona eiusdem menſis, in ſolenni ſeſſione, per ſententiam diffinitiuam authoritate Concilii latam, depoſitus fuit prædictus *Balthazar* ab omni iure & honore Papatus, & carceribus ad peragendum pœnitentiam adiudicatus. A Summi autem Pontificatus culmine, ſententia Concilii deiectus, in locum obſcurum truditur, & mandata cuſtodiæ cura Comiti *Palatino Rheni*, qui ei maxime aduerſabatur, ibi triennia ſolus, omni deſtitutus ope, vnius ſerui, & linguæ ignotæ miniſterio vſus, quoad *Martinus V.* Pontifex *Conſtantiæ* creatus eſt, vitam cum deguiſſet, tandem pretio redemptus in *Italiam* rediit. Non eſt meum inſectari mortuos, ſed tamen nihil ſeculum illud vidit indignius, quam Antiſtitem Chriſtianæ fidei eum virum, qui neque fidem norat, neque religionem, rebus agendis potius, quam cultui Dei, & gubernandæ Reipublicæ Chriſtianæ, accommodatum. Sedit annis quatuor ſepultus in *Florentia*.

4144

Friburgum perfugit,

Vbi a Sigiſmundo, Imp. captus

Concilio deponitur & ad carceres damnatur.

Prima die menſis Iunii, prædictus *Balthazar* ductus fuit ad caſtrum *Gothleyben* prope *Conſtantiam*. Et ibi licentiati & amoti fuerunt ab eo Cardinales ſui, & traditus fuit cuſtodiæ *Ludouici* Comitis *Palatini Rheni*, a quo fuit humaniter tractatus. Item quarta die menſis Iulii, *Gregorius XII*, alias *Angelus* de *Corario*, per Procuratorem ſuum *Carolum* de *Maleteſtis* in publica ſeſſione, omni iure Papatus ſimpliciter ceſſit & renunciauit. Factusque eſt Cardinalis & *Portuenſis* Epiſcopus. Qua ceſſione ipſe *Angelus* intellecta, conuocatis ſuæ obedientiæ Cardinalibus, & Curialibus, ceſſionem ipſam publice approbauit, ſpoliando ſe inſigniis Papalibus. Sedit annis duodecem.

Gregorius XII, Pontificatu Rom. ſe abdicat.

Wladislaus Poloniæ Rex, relicta *Lithuania* poſt natalia *Chriſti*, per ſtationes & curias ſolitas, in *Iedlna* aduenit, & Carnispriuii dies cum conſorte ſua *Anna* Regina, quæ illi ex *Lithuania* redeunti in *Parczow* occurrerat, tenuit. Quibus exactis, itineribus conſuetis 1415

San-

1415

Sandomiriam, ex *Sandomiria* in nouam ciuitatem deinde per *Tuchow*, *Kroſno*, *Iaslo*, *Lancuth*, *Przemisl*, *Iarosław*, procedens, feria quarta ante feſtum Paſchæ venit *Leopolim*. Et Paſcha Domini illic celebrato, dies aliquot Maii in *Sanok* abſumens, iterum *Leopolim* rediit, & ab inde diſcedens, per *Glymiani* & *Boſcz* tranſiens, feſtum Aſcenſionis Domini apud *Trebowlya* peragit. Deinde per *Buczacz*, *Halicz*, *Colomiam*, in *Snyathin* pro feſto Pentecoſtes aduenit. Quo cum ſuam Serenitatem *Alexander Moldaniæ* Voieuoda cum conſorte ſua, & maxima militum ſuorum cohorte, acceſſit, & a *Wladislao Poloniæ* Rege, frequentiſſimam militum pompam etiam tunc habente, benigne exceptus eſt, & multipliciter honoratus. Deuotionem autem & fidem erga *Wladislaum Poloniæ* Regem monſtraturus, ſibi, in corona & maieſtate ſedenti, vt & tanquam Regi *Poloniæ*, & coronæ Regni *Poloniæ*, fidelitatis & ſubiectionis, cum omnibus Boiaris terræ *Valachiæ*, ſolenne præſtitit homagium, & fidelitatis corporale iuramentum, proiectis in terram ad pedes Regios banderiis. De quo & literas patentes dedit, quæ in theſauro habentur ad rei memoriam ſempiternam. Deinde Regem ipſum & *Annam* Reginam, & omnes Barones & militares Regios, ad prandium inuitans, tractauit oppipare. Munera quoque notabilia Regi & Reginæ obtulit. Sed & inter primores Regni Barones dona largiter diſtribuit.

Alexander Moldauiæ Palatinus Snyathini ſolenne præſtat homagium Regi & Regno Poloniæ.

Venerunt inſuper ſub eo tempore ad *Wladislaum Poloniæ* Regem Nuncii Patriarchæ & Imperatoris *Græcorum*, cum literis & bullis plumbeis, *quatenus dignaretur eis, a Turcis multifarie laceſſitis & oppreſſis, frumenti tantummodo largitione ſubuenire.* *Wladislaus* autem *Poloniæ* Rex, neceſſitati eorum ſatagens pia commiſeratione ſuccurrere, petitam frumenti quantitatem dat & largitur, & in portu ſuo Regio *Kaczubyeiow*, per eos recipiendam, conſignat. Datis autem *Alexandro Moldauiæ* Voieuodæ & ſuæ conſorti donis reuerſalibus, & *Anna* Regina *Cracouiam* remiſſa, proceſſit in *Camyeniecz*, ab inde vero per *Smotricz*, *Nyeswiez*, *Krzemyeniecz*, *Raisko*, *Sadowie*, *Turzisko*, *Kobrin*, *Mitho*, in *Lithuaniam*, inuitationi *Alexandri Withawdi* ſatisfacturus, deſcendit.

Patriarchæ & Imp. Græcorum preſſis bello Turcico magna frumenti copia a Wladislao ſubminiſtratur.

Quo de *Koirzin* in *Mitho* agente iter, feria ſexta poſt octauas *Corporis Chriſti*, tertiarum hora, eclipſis notabilis in Sole cauſata apparuit. Quæ *Wladislaum* Regem & ſuos, velut inopinata & ignorata, primum in admirationem & ſtuporem ad extremum in religionem vertit. Erat enim adeo notabilis, vt alites ſubita caligine deterritæ, in terram deciderent, & ſidera non ſecus quam nocte collucerent. Rex quoque *Wladislaus*, tenebris arcentibus, cogebatur premere gradum, nec prius procedere poterat, donec obſcuratio Solis ceſſaſſet. Ex *Mitho* *Wladislaus* Rex, per *Volkoniska*, *Vaſiliſchki*, & *Schiſchky* procedens, in *Troky* venit. Cui Dux *Alexander Withawdus*, cum Magiſtro *Liuoniæ* dicto *Lander* vnum miliare occurrens, eum ſuppliciter & hilariter excepit, & in *Caſtrum altum*, in medio lacus ſitum, cum omnibus militibus ſuis recolligens, ſplendide tractauit. Altera deinde die, Regem in theſaurum Ducalem introducens, viginti millibus marcarum latorum groſſorum, quadraginta veſtibus ſubductis pellibus ſabellinis, centum equis, centum purpuris, Regem *Wladislaum*: item omnes Regios milites, aliis muneribus donat. Quæ ſingula ſibi donata, Rex *Wladislaus* per Vice Cancellarium ſuum *Dunin*, & aliquos Barones *Poloniæ* a ſe remiſſos, *Cracouiam*, in theſaurum Regium condenda, transmiſit; quæ tandem omnia, temporis proceſſu in milites & familiares ſuos, liberalitate munifica diſtribuit.

Eclipſis ſolis ſtupenda.

1415

Magiſter Liuoniæ Lander Regem ſplendide tractat & donis cumulat.

Ex *Troky* *Wladislaus Poloniæ* Rex, comitatus ab *Alexandro Withawdo*, in *Kowno* tranſiit. Ab inde vero nauali itinere ad caſtrum *Vieliunya* pridem conſtructum, Duce *Alexandro Withawdo* in *Kowno* remanente. Ex *Vielunya* vero in caſtrum *Vilkomiria*, ſupra flumen *Szwyatha* ſitum, & poſt in *Dubingy*, vbi *Alexander Withawdus* nouiter arcem nouam erexerat, proceſſit. Ex *Dubingy* in *Nyemienczani*, *Biezdam*, *Koſtheri*, in venationum loca diuertens, pro feſto Viſitationis Sanctæ *Mariæ* Virginis *Vilnam* venit. In qua diebus ſeptem exactis, in *Poloniæ* Regnum per *Rudomini*, *Lidam*, *Nowogrodek*, *Czirzini*, *Kloczko*. A *Kloc.ko* vero fluuio *Slucha*, vſque ad fluuium *Przypiecz*, per *Grodek*, *Luczko*, *Sadowye*, *Wladimiriam*, *Lubomlya*, *Chelm*, *Kraſniſthaw*, *Zukowyecz*, procedens, reuertebatur. Feſto autem Natiuitatis Sanctæ *Mariæ* Virginis, apud *Sandomiriam* celebrato, per *Visliciam*, vbi ab *Anna* Regina exceptus eſt, item per *nouam Ciuitatem* in *Przif.bow* venit; ex *Przifchow* in terram *Lublinenſem* & *Dobroſtani* de'cendit. Ab inde vero ſtationibus ſolitis in *Ruſſiam* tranſiit. Rege autem agente in *Dobroſtani*, *Ianuſſius* de *Thuliſchkowo* Caſtellanus *Caliſſienſis* ex Concilio *Conſtantienſi* venit. Et Regi ſingulis, quæ apud *Conſtantiam* per ſuos Collegas & ipſum acta ſunt, ex ordine relatis, a Rege primum, deinde a *Withawdo Alexandro*, qui in *Lithuaniam* ex *Dobroſtani* procedebat, de ſeruandis inter Regem *Wladislaum*, & *Alexandrum Withawdum*, ab vna, & *Sigismundum Romanorum* & *Hungariæ* Regem, dudum confectis fœderibus, corporale iuſiurandum exegit: & in *Conſtantiam* reuerſus, *Sigismundo Romanorum* & *Hungariæ* Regi de conſumatione fœderum certificato, & fœderis literas, ſibi Regis & Ducis nomine traditas, & ſuas reuerſales, iuramento pari exacto, accepit. *Ruſſia* peragrata *Wladislaus* Rex, pro feſto Sancti *Martini* *Nycpolomicze*, & ab inde iterum

Fœdera inter Wladislaum Regem & Sigismundum Imp renouantur.

1415 rum *Lithuaniam* repetiit. Venationum quoque voluptate in Nouembre & Decembre perfunctus, feſtum Natalis *Criſti* egit apud *Vilno*. Dum autem *Wladislaus Poloniæ* Rex eo anno apud *Viſliciam* pro feſto Aſſumptionis Sanctæ *Mariæ* Virginis ageret, tria monaſteria Sanctimonialiam ordinis Præmonſtratenſis, quæ in tenui numero in *Imramowicze*, in *Busko*, in *Krzyzanowycze* morabantur abſque clauſula, de licentia Sedis Apoſtolicæ, & Capituli generalis Præmonſtratenſis, per *Albertum Iaſtrzabiecz* Epiſcopum *Cracouienſem*, ac *Brzezenſem*, *Vithouienſemque*, Abbates, Executores & Commiſſarios, in *Busko* transtulit; & ex tribus corporibus, licentiam diuagandi illis præcidens, vnum concinnauit: dictoque monaſterio in *Busko* a ſe adunato, & Sanctimonialibus in eo degentibus, quatuor bancos ſalis groſſi, quatuor vrnas zuzalcz, & quatuor menſuras ſalis minuti, in zuppis *Bochnenſibus*, donatione perpetua inſcripſit. Et quamuis ex duobus monaſteriis præfatis *Imramouienſi* videlicet & *Krzyzanouienſi* Sanctimonialibus in *Busko* translatis, certæ villæ, decimæ, dictorum duorum monaſteriorum etiam transferri, & monaſterio *Busko* applicari debuerant; villis tamen & decimis a monaſterio *Krzizanouienſi* abſtractis, & monaſterio *Busko* vnitis, monaſterium *Imramouienſe*, villas & decimas, ob huiusmodi translationem ſequeſtratas, non retinet, ſed detinet iniuſte & miſerabiliter occupatas, annis iam circiter ſeptuaginta.

Tria monaſteria virginum in vnum ad Busko rediguntur.

Ioh. Huſſ

in Concilio Conſtantienſi

Concilium *Conſtantienſe* operi, pro quo conuenerat, inſudans, *Ioannem Huſs Bohemum*, qui peſtifero hæreſeos dogmate *Bohemiæ* Regnum infecerat, hominem obſcuræ genealogiæ & ſortis, ad Tribunal ſuum citatum, & nonniſi in eiuſdem Concilii, & *Sigiſmundi Romanorum* Regis conductu, in termino parentem, de hæreſibus, quas in *Bohemia* diffuderat, arguebat. Sed dum ille facinus obiectum conſtanter abnueret, liber in papyro, manu ſua propria confectus, & Iam a nobis *Cracouiæ* frequentius viſus, in quem omnes hæreſes, a ſe *Pragæ* prædicatas ad populum, congeſſerat, productus eſt. Quem cum manu propria ſcriptum, & a ſe editum diffiteri non poſſet, teſtium multitudine, ſcripturam ſuam dinoſcentium, conuictus, ad reuocandum tandem peſtiferam doctrinam & errores, in pectoribus *Bohemorum*, ad nouandum res procliuiorum, inſertos, non poterat ſaluberrima adhortatione perſuaderi. Quapropter iuſto Concilii iudicio, non obſtante ſecuritate ſibi præſtita, quæ hæreticis non debet ſuffragari, in congregatione generali degradatus, & ſententia totius Synodi, aſſumpto pro themate verbo *S. Pauli* Apoſtoli Dominicæ tunc currentis: *Deſtruatur Corpus peccati*, & hæreticus damnatus, & a ſeculari poteſtate igne crematus eſt. Cineres quoque ſui, ne a ſequacibus venerarentur, in lacum, qui *Conſtantiam* præterfluit, proiecti ſunt. Tanta tamen caligo *Bohemos* ſequaces ſuos obduxerat, vt ſuum natale Iulii die ſexta, iuxta Sancti ac martyris magna celebritate colant: vt profecto mirandum ſit, viros alioqui prudentes, gnaros & induſtrios, tam euidenti errore inſaniſſe, vt hominem hæreticum, & ab Eccleſia vniuerſali damnatum, qui notabile eorum genus & Regnum praua ſua doctrina peſſundedit, non ſecus quam ſanctum venerentur; cæteris Sanctis, quos recipit & veneratur Eccleſia, contemptis. Obliti pene quomodo genus *Iſraelitarum* tunc electum & ſibi charum, Dominus vehementer propter vituli aurei, ad montem *Sinai* conflati, adorationem puniuerit. Venerat poſtea in Concilium *Hieronimus Bohemus*, eadem peſte hæreſeos, qua & *Ioannes Huſs*, infectus, *Ioanne* tamen ſicut doctrina ita facundia ſuperior. Qui in vinculis anno prope vno habitus, nullis rationibus, ingeniis, aut perſuaſionibus, ab inuentione errorum, per Patres Concilii, Diuini & humani iuris peritos, poterat diuelli. Quapropter & ipſe, patrum decreto, igni combuſtus eſt. Pertulerunt ambo conſtanti animo incendium, nulla emiſſa voce, quæ miſeri pectoris facere potuiſſet iudicium. Cineres & huius, ne raperentur a *Bohemis*, in lacum proiecti: ipſe quoque apud *Bohemos* Martyris colitur loco. Dum autem apud *Pragam* ea, quæ in combuſtionem *Ioannis* & *Hieronymi Conſtantiæ* geſta fuere, percrebuiſſent; Sequaces eorum conuentu habito, memoriam inprimis eorum conſecrant, celebrandamque quotannis decernunt, ac impetratis a *Venceslao* Rege Eccleſiis, plebi prædicare & Sacramenta miniſtrare cœperunt. Monaſterium deinde nobile fratrum Prædicatorum extra mœnia oppidi *Glacz* ſitum, a fundamentis deiiciunt. Poſt vero in Eccleſias & monaſteria paſſim decurritur, & templa nobilia, ſuperis dicata, vaſtantur, incenduntur, ſpoliantur. Egere poſthæc apud *Bechnigne* caſtellum triginta fere millia hominum conuentum; Ibique in propatulo trecentis & amplius menſis propoſitis, populo calicis miniſtrarunt Sacramentum. Terruerat res hæc *Venceslaum* Regem, ne ſeditione in ſe verſa, & vitam & Regnum ſibi adimerent. Sed *Venceslaus Coranda* Sacerdos, apud plebem concionatus; etſi *Regem inertem atque ebrioſum* aſſeruerit, *quietum tamen, benignum, & proprio illos ſinentem viuere arbitrio, neque eorum ritus perturbantem* monſtrauit. Sicque ſeditionem populi, ſi quæ futura erat in Regem, ſedauit, & ex tepido frigidum Regem fecit: qui etiam *Corandam* pro eiuſcemodi ſermone, inter amicos retulit. Neque deliramenta illa apud *Bohemorum* olim gentem nobilem & induſtriam quieuere; ſed in diem hanc ſtoliditatem

1415 exuſtus a Bohemis pro Sancto veneratur,

ut & Hieronymus Pragenſis.

Triginta Bohemorum millia Sacramento calicis utuntur.

1415 tem ſuam & veſaniam continuant, & præfatos *Iannem Huſs*, & *Hieronymum Iacobellum* hæreſis & erroris ſui capita, cæteroſque eorum in errore ſequaces, ſingulari cultu, iuxta ac Sanctos venerantur.

1416 *Lithuaniæ* oram *Wladislaus* Rex tardius deſerens, in Sexageſimæ Dominica in *Parczow*, deinde in *Lublin* veniens, offendit Nuncium, *Annam* Reginam languorem incurriſſe referentem. Ex *Lublin* poſthæc ſolitis locis in *Iedlnam* pro Carnisprinio iuit. Ex *Iedlna* poſt ad monaſterium *S. Crucis Calui montis* diuertit. Et altero Nuncio, in *Annam* Reginam ſenſim morbum graſſari, denunciante, perculſus, propere nimis *Cracouiam* tranſiit. Quo illic præſente, *Anna* Regina prædicta, in die *S. Benedicti*, fato abſumpta eſt. Cuius exceſſum Rex lugubriter deflens, in *Cracouienſi* Eccleſia, iuſta illi perſoluens, ſepulturæ mandauit, ac per vniuerſum Regnum *Poloniæ* agi illi in Eccleſiis celebres funerias iuſſit. Tumulatoque Reginæ corpore, de *Cracouia* egreſſus, & veſtem atram cum omnibus ſuis Curienſibus geſtans, in *maiorem Poloniam* per *Kłobuczko*, *Krzepicze*, *Vielun*, *Siradiam*, procedens, Paſcha Domini in *Caliſch* celebrauit. Ex *Caliſch* in *Cuiauienſem* & *Dobrzinenſem* terras diuertit. Quibus peragratis, pro die Viſitatis *S. Mariæ* Virginis *Wſchouiam* applicuit. Vbi ad ſuam Serenitatem *Vilhelmus Miſſnenſis* Marchio, cum pulcherrima gente ſua, armis induta, venit, & nonnullis mutuis tractatibus cum Rege habitis, liberalibus donis a Rege honoratus rediit. Ex *Wſchowa* in *Srzem* Rex proceſſit, illumque ibi Ducis *Auſtriæ Arneſti* affinis ſui, Nuncius conuenit, experturus viſione perſonali, an relatio innitatur veritati, quod a *Polonico* milite *Ioanne Varſchewki* didicerat, quod videlicet in *Poloniæ* Regione, in loco vno, plura ollarum genera, ſolo naturæ beneficio, & abſque omni humano ſuffragio effingantur. Eam ſiquidem relationem *Auſtriæ* Dux *Arneſtus*, parum veram exiſtimans, parumque fidens relationibus & auribus, in conſpectu oculis videndam, ſpecialem militem fatigauit, dinoſcendæ tantummodo veritatis & virtutis naturalis gratia. *Wladislaus* itaque Rex Ducem *Arneſtum* affinem ſuum ea ambiguitate ſoluturus, in locum campeſtrem villæ *Nochow*, inter oppida Regni *Poloniæ Srzem* & *Coſten* ſitum, deſcendit, & in ſui præſentia terram in pleriſque locis fodi iubens, ollas plures, variis formis & quantitatibus diſtinctas, mirabili opere & virtute naturæ, non ſecus quam a figulo effingantur, formatas reperit. Nuncioque *Arneſti* Ducis ſingula curioſius ſpectanti, mirabile opus naturæ monſtrauit. Quod non tantummodo in vno loco, quemadmodum in principio operis monſtrauimus, ſed in aliquot locis Regio *Polonica* edere conſueuit, & ollas aliquot varii generis, facti veritatem teſtaturas, Duci *Arneſto* per Nuncium præfatum tranſmittit. Extant ollæ prædictæ A cum primum de ſabulo egeruntur, teneræ & fragiles, quæ poſtea Solis virtute duratæ, ad omnem humanum vſum congruunt.

Anna Regina moritur.

Terra in campis villæ Nochow ſua ſponte villas producit.

Arneſti Ducis *Auſtriæ* Nuncio licentiato, *Wladislaus* Rex *Poloniæ Lanciciam* proceſſit. Deinde per *Suleiow*, *Volborz*, *Andrzeyow*, *Viſliciam* pro feſto Aſſumptionis Sanctæ *Mariæ* Virginis venit. Quo illic exacto, per *nouam Ciuitatem*, *Prziſchow*, *Sandomiriam*, *Solecz*, in terram *Lublinenſem* deſcendit. Ab inde vero terris *Ruſſiæ* neglectis, cum dies Sanctæ *Heduigis* appeteret, quo cum Magiſtro *Pruſſiæ* conuentionem habiturus erat in *Wyelunia*, in *Lithuaniam* tranſiit. Atque naui- B bus circa *Dubno* conſcenſis, vna cum *Alexandro Withawdo*, recto itinere in *Wyelunia* peruenit, quo etiam mandato & ordinatione Regis conuenerant, *Albertus Iaſtrzebiecz Cracouienſis* Epiſcopus, *Ioannes* de *Tarnow Cracouienſis*, *Nicolaus* de *Michałow Sandomirienſis*, *Sandiuogius* de *Oſtrorog Poſnanienſis*, Palatini: *Sbigneus* de *Brzezie* Regni *Poloniæ* Marſchalcus, & alii plures Conſiliarii Regni *Poloniæ*: item Magiſter *Pruſſiæ Michael*; item Magiſter *Liuoniæ Lander*, *Theodoricum Rigenſem* Archiepiſcopum, item Epiſcopum *Darbatenſem*, item plures Commendatores ſecum habentes pro ſuo intereſſe, aduenerant. Et quamuis in conuentione huiuſmodi varii tra- C ctatus habiti fuiſſent pro facienda pace, & plura media, per quæ de pace poterat conueniri, a Rege exhibita, poſt varios tamen labores, Cruciferis a quietis conſiliis abhorrentibus, abſque concluſione & fine diſceſſum eſt. Dum enim Magiſter *Pruſſiæ* cum ſuis, intentiones & capitula, pro parte Regis expoſita, pacem, vt Rex ſperabat, conſtituentia, audiuiſſet, obtulit *ſe & Ordinem ſuum*, *pro terris Samogitharum* (limitatione tamen earum vafricie doloſa ſibi reſeruata) *nullis vnquam temporibus*, *quacumque actione Regem & Withawdum impetere*, *& iuri*, *ſibi in illis*, *ex donatione & inſcriptione Wladislai Regis*, *& Alexandri Ducis*, *competenti*, *renunciaturum & ceſſu-* D *rum*, *dummodo Poloniæ Rex Wladislaus*, *pro terris*, *dominiis*, *caſtris*, *limitibus*, *per Cruciferos in Regno Poloniæ occupatis*; *item pro damnis*, *iniuriis & offenſionibus*, *inter eum & Ordinem ſuperiori tempore exortis*, *omni iuri & cauſæ cedere conſenſiſſet.* Rex autem ſumma cura & omni ſtudio, pro reſtitutione terrarum *Samogithiæ* dudum laborans, videnſque illam iuxta deſiderium ſuum proueniſſe, effectum inſuper pacis ſatagens ſuis Dominiis procurare, paratus fuit, Magiſtri & Ordinis oblationem, quamuis tunc in terrarum *Samogithiæ* plena poſſeſſione fuerit, accipere, & fœdus pacis perpetuæ cum Magiſtro & Ordine ſancire, ſingulas vero quæſtiones, differentias, damna & iniurias, iudiciariæ aut arbitrariæ re-

Poloni in Wyelunia cum Magiſtro Pruſſiæ pleno faſtu fruſtra de pace tractant.

reſeruare deciſioni. Neque enim in eos de cætero pro illis per guerras vexare, ſed ſub pace firmata deciſionem iuridicam, aut arbitrariam, vel aliam æquam præſtolari compoſitionem, futuræque deciſionis ſortem æquo animo perferre. Tenuis enim Regi reſtabat cura de damnis, alienationibus, & iniuriis Regni *Poloniæ*, *Lithuaniæ* reintegrata per reſtitutionem terrarum *Samogithiæ*. Magiſter vero & ſui Conſiliarii, oblatione Regia ſuperbe & arroganter contempta, ex loco conuentionis, paſſione & bile repleti, *Wladislao* Rege & *Alexandro* Duce non valedictis, diſceſſerunt. Tanta quoque pompa Magiſter *Pruſſiæ* cum ſuis omnibus deſipere ſe monſtrauit, vt Serenitatem ſuam, quamuis in propinquo, & vix a ſe ad iactum vnius ſagittæ diſtantem, viſitare indignum duxerit. Conſiliarios etiam ſuos, ne Regem perſonali viſitatione honorarent, prohibuit. Dedignatus inſuper, ex nauibus, quæ in medio amnis, retinentibus eas anchoris, ſitæ erant, deſcenſum facere in terram, vbi tabernacula ſua Rex & Dux poſuerant, noluit. Ideo autem *Pruſſiæ* Magiſter cum ſuis, tam ſuperbos ſpiritus hauſerunt, quoniam pro re certa ſe rebantur conflaſſe *Tartarorum* Imperatorem, cum exercitu fortiſſimo *Lithuaniæ*, *Ruſſiæ*, & *Poloniæ* terras, ab vna, ſe vero cum ſuis copiis, a parte altera, Regnum *Poloniæ*, quemadmodum inter Magiſtrum & *Tartarum*, per internuncios conuenerat, inuaſuros. Nec prius, niſi vtroque Dominio, *Poloniæ* videlicet & *Lithuaniæ* vaſtato & incenſo, redituros. Clementiſſimus autem Deus, in ſe confidentes non deſerens, omnia huiuſmodi Magiſtri & Ordinis, in ruinam Regni *Poloniæ* & Ducatus *Lithuaniæ*, ordinata molimina, ſua propitiatione auertit, & ſuperbiam Magiſtri *Pruſſiæ Michaelis Kuchmeyſter* & ſuorum contriuit & humiliauit.

Conuentione apud *Wyelunya* exacta, *Wladislaus Poloniæ* Rex, cum *Alexandro Withawdo*, item cum Prælatis & Baronibus ſuis *Poloniæ*, in *Kowno* aduenit, & de gente *Samogithica*, plus quam tria vtriuſque ſexus millia, fidei religionique noſtræ baptiſatos & muneratos vniuit. Ex *Kowno* autem in *Troky* reuerſus, licentiatis Prælatis & Baronibus *Poloniæ*, venationibus in *Lithuania* operam dabat, & feſtum *Natalis Chriſti* in *Grodno* agens, in alia ſolita loca poſt diuertit. Denique *Wladislaus* Rex, & *Alexander Withawdus*, magna cura, ne terra *Samogithiæ*, a Ducatu magno *Lithuaniæ* ſepararetur, ſoliciti, ſpeciales Nuncios, videlicet *Georgium Godigolth*, *Georgium Bolimyn Nadobyowicz*, *Lithuanos*, & *Nicolaum Sepinski Polonum*, milites, ad petendum Sacrum *Conſtantienſe* Concilium, quatenus *Samogitharum* gentes, opera eorum, charactere Chriſtiano inſignitas, & nuper a gentilitatis caligine in fidei lumen perductas, a Cruciferis de *Pruſſia* opprimi & vexari non permittant, ſed pacem illos cum neophytis *Samogithis*, quos multifarie plus ſolito vexabant, ne in idololatriam reciderent, cuſtodire & obſeruare iubeant. Item vt Concilium præſtet authoritatem erigendi Cathedralem Eccleſiam, dudum a *Poloniæ* Rege *Wladislao* deſignatam, ædificatam & dotatam. Quibus omnibus Synodus morem gerens, & Cruciferos inuadere *Samogithas*, diſtrictiſſime vetuit, & *Ioanni* de *Rzeſzow*, Archiepiſcopo *Leopolienſi*, ac *Petro* Epiſcopo *Vilnenſi*, fundandi Cathedram apud *Samogithas*, mandatum ſpeciale per literas dedit.

Wladislaus Rex Legatos ad Concilium Conſtantienſe committit, ne Cruciferi Samogithas infeſtarent,

& vt ipſi poteſtas fiat Cathedralem Eccleſiam apud eos erigendi

Tertium matrimonium, duobus iam perfunctus *Wladislaus Poloniæ* Rex initurus *Petrum Myedzwyeczky* militem in *Brabantiam* ad videndum filiam *Caroli Bohemiæ* Regis *Annam*, & Ducis *Brabantiæ* relictam, & ad ſolicitandum illam de contrahendo matrimonio, transmittit. Quæ ſolicitata reſpondit, *ſe nolle nubere, & de cætero experientiam alterius matrimonii faſtidire*. Quod quidem ſuum inſtitutum, non longe poſt præuaricata, electum *Traiectenſem*, charo diligens affectu, accepit in matrimonium. Ipſe quoque licet foret Subdiaconus Epiſcopatu reſignato, & ordine Subdiaconi peſſundato, eam in matrimonio habuit.

Wladislaus Rex Annam Brabantiæ Ducissam in matrimonium ſollicitat.

Feria quarta proxima poſt feſtum Sanctæ *Catharinæ*, *Ioannes Rathborienſis* & *Oppauiæ* Dux, de conſenſu *Venceslai* Epiſcopi *Wratislauienſis*, in Eccleſia *S. Mariæ* Virginis in *Rathiborz* Collegiatam Eccleſiam fundat, de duobus Prælatis videlicet Præpoſito & Decano, & de duodecim Canonicis, & totidem Vicariis, incorporando in huiuſmodi duodecim Canonias ſeu Præbendas, quatuor Canonias ſeu Præbendas, quas in capella, *Rathiborienſis caſtri*, ſub titulo *S. Thomæ Canthuarienſis* dicata, *Thomas* ſecundus Epiſcopus *Wratislauienſis*, de decimis menſæ Epiſcopalis, conſenſu Capitulari accedente, in memoriam ſuæ ex captiuitate & exilio liberationis, milleſimo ducenteſimo octogeſimo ſeptimo, fundauerat & dotauerat; Proceſſu vero temporis *Nicolaus* Aduocati de *Freyſtad* ad Scholaſtriam, *Cyprianus* Plebanus de *Kaczor* Cantoriam, *Ioannes Roth* de *Kaczor* Cuſtodiam, *Ioannes Schefflar* Præbendam, *Petrus Dudkonis* aliam Præbendam, de propriis pecuniis, coemptis cenſibus apud Duces & Barones *Rathiborienſes* fundauerant. Sicque præfata Eccleſia *Rathiborienſis*, habet quinque Prælatos, & quatuordecem Præbendarios, Vicariosque totidem. Omnium autem Prælaturarum & Præbendarum Dux *Rathiborienſis* pro tempore vnicus eſt Patronus & Collator. Vicarias vero Prælati & Canonici conferunt, quilibet propriam Vicariam, eius vacatione occurrente.

Rathiborienſis Collegiata Eccleſia fundatur.

Tartarorum Princeps *Ediga*, in cuius poteſtate & arbitrio vniuerſum *Tartarorum* Imperium vertebatur, & ad cuius nutum Impe-

Scythæ Kiiouiam vaſtant & incendunt.

1416 peratores per exercitus & legiones aſſumebantur, venit cum valido exercitu contra *Ruſſiam* & improuiſe irruens, ciuitatem *Kiiow*, & omnia eius vicinia, omneſque eius Eccleſias ſpoliauit, ſpoliatamque igne incendit, ac multam familiam, & hominum multitudinem vtriuſque ſexus, in captiuitatem deduxit. Et licet caſtrum *Kiiow* obſidione cinxiſſet, & eius obſidionem aliquanto tempore continuaſſet, faciendo frequentes pro illius conquiſitione impugnationes, *Polonis* tamen & *Ruthenis*, qui arcem obſeruabant, reſiſtentibus, coactus fuit ab illo facere diſceſſionem. Ab eo autem tempore, omnis pulchritudo, ſplendor & ornatus ciuitatis præfatæ, contabuit; ciuitaſque ipſa, propter ſpolium & incendium quod pertulerat, deſertari cœpta, fulgorem priſcum reſumere non valuit.

Sigiſmundus Romanorum & *Hungariæ* Rex vigeſima octaua Iulii *Conſtantia* egreſſus, ad *Aragonum* Regnum vſque *Barſalonem* proceſſerat, rogatus a Patribus *Conſtantienſis* Synodi, *vt Petro de Luna, Benedicto tredecimo appellato, continenti ſe in Regno Aragoniæ, perſuaderet ad renunciandum Papatui.* Quem quidem *Petrum* de *Luna*, dum neque prece, neque terrore impugnatum, ab opinione ſceleſta valuit auertere, apud *Ferdinandum Aragonum* Regem obtinuit, vt eidem *Petro* de *Luna* obedientiam ſubtraheret, ac eo deſerto, Concilio adhæreret, pro reſcindendo ſchiſmate. Præfatus quoque *Petrus* a Cardinalibus, & cæteris omnibus, velut obſtinatus deſertus, in caſtrum *Panniuſcula* ſe contulit, & illic in pertinacia ſua anathematiſatus, diem obiit. *Sigiſmundus* autem Rex, ex *Aragonum* Regno, in *Gallias* & *Pariſium* tranſiit, ad pacificandum *Franciæ* & *Angliæ* Reges, inter quos execrabilibus armis, funeſtus Mars, nunc vnam nunc alteram partem conſumens, feruebat; ſecumque vna *Nicolaum Gneſnenſem* Archiepiſcopum mitti obtinuit, quod & familia, equiſque, vaſis inſuper aureis & argenteis, itemque expenſis magnificis, ſplendidum tenebat in Concilio *Conſtantienſi* ſtatum, inter Pontifices orbis Chriſtiani, qui illuc in magna multitudine confluxerant, ſed neque inter Cardinales habens ſecundum, item *Ianuſſium* de *Tuliskowo* Caſtellanum *Caliſſienſem* & *Zauiſſium* nigrum de *Garbow*, milites, *Poloniæ* Regis Legatos. Cumque in itinere, quo *Pariſios* ibant, *Nicolaus* Archiepiſcopus *Gneſnenſis* iuxta inſtructionum *Wladiſlai Poloniæ* Regis, ſibi in ſcriptis directam, cum *Sigiſmundo Romanorum* & *Hungariæ* Rege libere quidem & extenſe, velut extra occupationes poſito, de rebus belli innouandi, inter *Wladiſlaum Poloniæ* Regem, & Cruciferos de *Pruſſia*, treugis expirantibus, plures agitaſſet ſermones, præfatus *Sigiſmundus Romanorum* & *Hungariæ* Rex, animum *Wladiſlai Poloniæ* Regis, pronum atque feruentem, ad continuandum,

Petrus de Luna moritur.

Sigiſmundus Imp. Pariſios venit,

Legatis Poloniæ eo ſecum deductis,

ubi Cruciferis pax ad biennium impetratur opera Caroli Galliæ Regis. 1416

A treugis iam expirantibus, bellum cum Cruciferis, eſſe dinoſcens, per medium *Caroli Francorum* Regis, vlteriores treugas in biennium duraturas, *Nicolaum* Archiepiſcopum *Gneſnenſem*, & collegas ſuos, *Ianuſſium* Caſtellanum *Caliſſienſem* & *Zauiſſium* nigrum, Legatos Regios aſſumere, & deinde *Wladiſlaum Poloniæ* Regem eaſdem acceptare, obtinuit. Tenorem autem literarum *Caroli Franciæ* Regis, huiuſmodi interponentis ſufferentias, inſerere, viſum non eſt neceſſarium.

Sub eo autem tempore, quo *Sigiſmundus Romanorum* & *Hungariæ* Rex *Pariſiis* morabatur, *Nicolaus Gneſnenſis* Archiepiſcopus, B Regis & Regni *Poloniæ* famam augere ſatagens, conuiuio ſumptuoſo & ſolenni in Quadrageſima inſtructo, omnes Magiſtros, Doctores, Scholares, & ſingula vniuerſitatis ſtudii *Pariſienſis* ſuppoſita, quod apud *Pariſienſes* magnæ admirationis erat, ad prandium inuitat, & ſplendide atque liberaliter pertractat. Inter prandendum autem, per vniuerſitatis præfatæ Doctores, erat eidem *Nicolao Gneſnenſi* Archiepiſcopo, libellus quidam ſatyram & infamiam *Wladiſlai Poloniæ* Regis continens, oblatus, commentatus per fratrem *Ioannem Falkemberg* ordinis Prædicatorum a Cruciferis de *Pruſſia* pretio conductum. Quem *Nicolaus* Archiepiſcopus *Gneſnenſis* accipiens, in C Concilium *Conſtantienſe* detulit, & *Ioannem Falkemberg* eius authorem, tunc in concilio præſentem, Regis & Regni nomine conuenit. Poſito autem libello huiuſmodi ad examen concilii, Synodus ſacra, multis erroribus completum comperiens, & volens, vt tenebatur, honeſtati tanti Regis & Regni *Poloniæ* prouidere, prædictum libellum, vt falſum & erroneum, *Ioannem* vero *Falkemberg* eius authorem, vt hæreticum, per diffinitiuam ſententiam damnauit, & perpetuis deputauit carceribus. Et in condemnationis præfatæ ſignum, ſinguli Cardinales ſingillatim, & omnes nationes ſententiam prædictam, manibus propriis ſubſcripſerunt. Fuit inſuper præfatus *Ioannes Falkemberg*, D ſolicitudine Archiepiſcopi *Gneſnenſis*, *Laſcarii Poſnanienſis* electi, qui in eodem Concilio confirmationem & conſecrationem accepit, & aliorum Legatorum Regis & Regni, truſus in carcerem & in illo per tempus omne, quo Concilium durauit *Conſtantienſe*, detentus. Dolebant ſiquidem, & affligebantur acerbitate vehementi, Patres & Principes Concilii, impuram & obſcœnam de ore petulanti vnius monachi ſtatus & profeſſionis immemoris, magis vomicam quam ſatyram contra Regem, clariſſimum fidei & religionis Chriſtianæ dilatatorem, editam fuiſſe: Adnitebanturque, vt nouus atque olidus ſatyræ auctor & conflator, digna & non vulgari mulcta puniretur. Inter omnes autem Sacerdotes, Principes, & Patres conſcriptos, Cardinalis *Florentinus Franciſcus*, grauius in illum

Io. Falkembergius famoſi libri in Wladiſlaum Regem autor,

1416 lum inuectus: *Qua, inquit, temeritate, qua mentis alienatione, vir ſpurciſſime & abominande ex arcula putrida deprauatæ conſcientiæ* A *tuæ, virum optimum & rariſſimæ excellentiæ Regem, probris & libello ſpurciſſimo inſectaris? conariſque lædere eum Regem, eum hominem, qui eſt omnium, quos nedum noſtra, ſed & priſcorum ætas tulit, continentia, modeſtia, liberalitate, & humanitatis ſtudiis ornatiſſimus; & quo nemo poſt Apoſtolos, religioni noſtræ orthodoxæ, baptiſando innumerabiles populos, tot commoda viſus eſt procuraſſe. Videſne ſpurciſſime author, pro Rege innocentiſſimo, non Regni tantummodo ſui Prælatos & doctos viros, ſed vniuerſos huius Concilii generalis Ordines, ſtatus, & nationes in certamen deſcendiſſe?* B *neque aliter ſuum decus Regium, quam proprium æſtimaſſe? Cuius mores integerrimi, ſummis laudibus per vniuerſum Chriſtianitatem efferuntur? Illuſtrata, crede mihi, iam ſunt veritate tua mendacia, victa temeritas, ſtultitia confutata, in tuam ignominiam ſempiternam. Scelera, vt reor tam impiam & impuram mentem tuam tanta inſania verſarunt, vt licentia dicacitatis elatus non horrueris obloqui, obtrectare, crimina confingere, flagitia falſo in Regem impingere, cum Ordine ſis Sacerdos, profeſſione Monachus? Nemo itaque eſt ex Patribus conſcriptis, nemo ex mediocribus, nemo ex infimis, qui te luce, qui oculis, qui congreſſu, qui conſpectu dignum putet, velut hominem maleuolum, ſuperis & hominibus inuiſum;* C *Pro facinore itaque cape, qua dignus es, mercedem, & in carcere ſqualido ac perpetuo, decreto totius ſacræ huius Synodi, documentum non inultæ turpitudinis conſeneſce.*

decreto concilii Conſtantienſis ad carceres detruditur.

Prædictus autem *Ioannes Falkemberg*, frater Ordinis Prædicatorum, diœceſis, ciuitatis, & conuentus *Kamyenenſis*, zelo auaritiæ & ſpe lucri, a Cruciferis perſuaſus, & a ſua ſponte, quemadmodum frequenter aſſerere ſolebat inſtigatus, Satyram præfatam contra *Wladiſlaum Poloniæ* Regem ſcripſerat. Et cum proceſſu temporis, carceres perpetuos, ad quos vniuerſalis Concilii *Conſtantienſis* decreto deputatus erat, fauore *Martini* quinti Papæ, e- D uaſiſſet, & ad Magiſtrum Ordinis Cruciferorum *Paulum* de *Ruſzdorff*, alta ſpe alti præmii conſequendi, ex *Thorun* in *Marienburg* veniſſet, & *Paulus* Magiſter non niſi quatuor marcis *Pruthenicis* ipſum ſalariaſſet, aſſerens *labores ſuæ ſatyræ ſibi & Ordini ſuo nullum attuliſſe profectum.* Tum ille, vt erat cordacis animi, in furorem verſus, proiecta ante oculos Magiſtri pecunia, ac multis improperiis & contumeliis in Magiſtrum & Ordinem expuitis, beneficio ciuium de *Thorun*, ſuffocationis aquarum mortem, ad quam deſtinatus a Magiſtro erat, euadens in *Kamyen* fugit, & illic nouam, contra Magiſtrum & Ordinem *Pruſſiæ*, ſatyram conſcripſit, multo fœdiorem ea, quam contra *Wladiſlaum Poloniæ* Regem ſcripſerat. Quam in Concilio *Baſilienſi* publicaturus, dum illic pergeret, circa *Argentinam* ab amicis Magiſtri & Commendatorum, ſatyra præfata, & omnibus ſpoliatus eſt. Ex Concilio *Baſilienſi* diuertens *Legniczam*, *Wratiſlauienſis* diœceſis, diem obiit. Multo autem conuenientius mihi viſum eſt, quando portentum huiuſmodi extinctum fuit, quam quando exortum, annotare.

Celerius ſolito *Wladiſlaus Poloniæ* Rex *Lithuania* egreſſus, poſt Epiphaniæ octauas, 1417 ad terram *Chelmenſem*, in *Lubomlya* applicuit. Quod ad eum *Alexandra* ſoror germana, & *Semouithi* Ducis *Maſouiæ* conſors; item *Eliſabeth* de *Pilcza* olim *Vincentii* de *Granow* Caſtellani *Naklenſis* relicta, cui mirum in modum *Wladislaus Poloniæ* Rex amore afficiebatur, ex compoſito aduenit. Amore autem huiuſmodi, quem plerique infaſcinationem appellabant, præfatus *Wladislaus* Rex peruictus, per medium *Alexandræ* germanæ ſuæ, *Eliſabeth* prædictam de contrahendo ſecum matrimonio ſolicitat. Nec puduit excellentiæ raræ Regem, fœminam, & aſſidua phtyſicæ infirmitatis vexatione languidam, & ſuam ſubiectam, trium virorum matrimonia, videlicet *Ioannis Morauí* de *Myedzwyedz*, *Viſzlonis Czambor Sleſitæ* de *Wiſzemborg*, & *Vincentii Granowsky* Caſtellani *Naklenſis*, iam expertam, multiplicitate quoque prolis, ex *Vincentio Granowsky* ſuſceptæ, exhauſtam, & in diebus ſuis progreſſam, origine etiam diſparem, in ſuum connubium aſciuiſſe, potentiamque Regiam proſperis affluentem ſucceſſibus, vnius mulieris ſocietate expetita, eneruauiſſe, mœſtiſque infregiſſe doloribus. Quo enim illuſtrior fuerat Rex, eo turpior illi fuit huiuſmodi coniunctio, quæ & apud exteros & proprios, gloriam Regis confuderat. Et quamuis huiuſmodi matrimonium per tractatus clandeſtinos tunc habitos ferebatur concluſum, in ſtricto tamen obſeruabatur arcano, & ignorabatur a Prælatis & Baronibus Regni, qui nullo pacto admiſiſſent Regem in illud prolabi. Abeuntem autem prædictam *Eliſabeth*, *Wladislaus* Rex pellibus pelliceis, & notabilibus donis proſecutus eſt, vt largitionis magnitudo pleroſque in ſuſpectum animum verteret. Aliquot poſthæc diebus in terra *Chelmenſi*, venationibus dando operam, commoratus, pro diebus Carniſpriuii in *Iedlnam*, pluribus Conſiliariis illuc affluentibus aduenit. *Sandomiriam* deinde ex *Iedlna* pro Dominica *Reminiſcere*, peruenit. Sub quo tempore nix magnæ quantitatis deſcendens, & aliquot diebus terram occupans, blada in locis plurimis Regni diſperdidit. Propter quod æſtate ſubſequenti, frumentis male prouenientibus, cariſtia ſubſecuta eſt. Ex *Sandomiriæ* diſcedens *Pokrziwniczam* in die ſancti *Benedicti* adueniens, *Annæ* Reginæ anniuerſarium illic egit. Ab inde per *nouam Ciuitatem*, *Tuchow*, *Biecz*, *Iaslo*, *Friſtad*, *Thiczin*, *Lanczuth*, *Eliſabeth Granowska* duo-

1417 bus diebus illum ſumptuoſe in *Lancuth* tractante, Item per *Iarosław*, *Przemisl*, *Medicam*, *Grodek*, *Leopolim* peruenit, & illic Paſcha Domini celebrauit. Miſſo autem *Ioanne Mazik* de *Dąbrowa* ad *Alexandrum* Ducem magnum *Lithuaniæ*, ſignificauit ſibi, *ſe matrimonium cum Eliſabeth Granowska contraxiſſe.* Quam rem & nouitatem *Withawdus*, etſi moleſto amaroque animo excepiſſet, & fœdam non Regi ſolum, ſed & ſibi, & Domui eorum a Principatibus, aſtrueret, quod & ſine ſua, & Conſiliariorum ſuorum voluntate perfecta fuerit, & magis nobili connubio, poterat ſibi & Principatibus ſuis, *Wladislaus* Rex, maximos profectus & auxilia quæſiuiſſe, paſſus tamen eſt Regem ad vltimum, propoſitum ſuum exequi. Ex *Leopoli* feria quinta poſt feſtum Paſchæ Rex diſgreſſus, per *Glinyani*, *Bobrkam*, *Fulſchthen*; ex inde vero *Alpibus* in *Sobyen* tranſitum faciens, Sabbato in die Sanctorum *Philippi & Iacobi* in *Sanok* peruenit. Vbi iuſſu Regis *Ioannes Rzeſchowski Leopolienſis* Archiepiſcopus, *Albertus Iaſtrząbiecz Cracouienſis*, *Ioannes Chelmenſis*, Epiſcopi; *Criſtinus* de *Oſtrow* Caſtellanus, *Ioannes* de *Tarnow* Palatinus, *Cracouienſes*, *Sbigneus* de *Brzezie* Regni *Poloniæ* Marſchalcus, *Petrus Schaffraniecz* Succamerarius *Cracouienſis*, conuenerant, ignari omnium quæ illic peragi debebantur, paucis per quos res decoquebatur, conſciis. Venerat inſuper & *Alexandra Semouithi Maſouiæ* Ducis conſors, & coniugii ſubſequentis conciliatrix. Venerat & *Eliſabeth Granowska*, longe diſpar connubium, quam conditio, in qua nata fuerat, permittebat, die altera ſortitura. Die autem Dominico *S. Sigismundi*, *Wladislaus* Rex Prælatis & Baronibus in Conſilium aduocatis, de contrahendo matrimonio cum *Eliſabeth Granowska*, ſuam illis detegit voluntatem. Quod licet ſinguli improbarent, deducendo *Regiæ excellentiæ, iam progreſſæ ætatis matronam, ſuamque ſubditam, etiam triplici matrimonio perfunctam, Regio connubio non eſſe idoneam.* Videntes tamen Regium animum fixum eſſe, & rem variari non poſſe, partim cedunt, partim annuunt.

Wladislaus Rex inuito Senatu ſuo

Celebrata igitur miſſa ſub cantu in Eccleſia Parochiali in *Sanok*, per *Ioannem Rzeſchowski* Archiepiſcopum *Leopolienſem*, *Wladislaus* Rex cum *Eliſabeth Granowska*, fœmina ſenectute marcida aliquot virorum connubia iam experta, prolis inſuper numeroſitate exhauſta, matrimonium per verba de præſenti, in manibus *Ioannis* Archiepiſcopi *Leopolienſis* conſumat.

Eliſabeth de Pilcza Granowska ducit in vxorem.

Et licet Dominica dies *S. Sigismundi*, in qua hæc agebantur, in ortus ſui principio, & vſque ad tertiam horam fuiſſet lucida atque clara, Regio tamen contractu matrimoniali perfecto, ſubita & in continenti, ſolis obſcurata claritate, caliginoſa frigidaque dies eſſe cœpit, turbatoque denſato aere, nix, pluuia concreta, cum imbre & vento deſcendit, & mentes hominum, ex contractu matrimonii præfati, ſua ſponte moleſtas & amaras, ampliori amaritudine adauxit. Tranſeunte inſuper præfata *Eliſabeth Granowska* de Eccleſia in quadriga, contractis ſponſalibus, in caſtrum, rota currus, quo vehebatur, confracta eſt, in loco plurimum lubrico & cænoſo, cogebaturque, facto ex curru deſcenſu, reſiduum viæ pedibus explere. Quibus omnibus ſignificabatur, moleſtum Deo & hominibus connubium *Wladislaum* Regem die illo iniiſſe, & rotam illius breui debere confringi. Neque abs re portenta præfata conſtat accidiſſe, cum præfata *Granowska* propter cognationem ſpiritualem, qua genitrix eiusdem *Eliſabeth* & conſors *Othonis* de *Pilcza* Palatini *Sandomirienſis Heduigis*, Regem *Wladislaum* de ſacro fonte leuauerat, germana ſoror, vt erat, Regis debebat cenſeri. Nouum autem huiusmodi in Regno *Poloniæ* vulgatum, plurimis Rempublicam zelantibus lachrymas excuſſit, iam tunc deflentibus fulgorem Regis & Regni ſui; qui propter victorias exceſſas ſuperioribus annis glorioſe relatas, omnes fere oras Catholicas & barbaras occupauerat, ex illo vno præcipiti & ignobili connubio, concidiſſe; & ominantibus multa mala ex illo ſecutura. Nouerant inſuper ex huiusmodi matrimonio, hoſtes & inuidos, materia præbita, Regem & Regnum multipliciter irriſuros. Nec eos opinio fefellit. Cruciferi enim de *Pruſſia* nouitate huiusmodi percepta, veloci Nuncio illam & apud Concilium *Conſtantienſe*, & apud *Sigismundum Romanorum & Hungariæ* Regem, cæterosque Catholicos Reges & Principes, in *Wladislai* Regis & Regii vituperium diuulgarunt. Oratores vero Regni Eccleſiaſtici & Seculares, in Concilio *Conſtantienſi* conſtituti, eiusdem nouitatis denunciatione a *Sigismundo Romanorum & Hungariæ* Rege primum audita, omnes in lachrymas & lamenta prorumpunt, & tam Regis ſui, quam Regni commune improperium deplorant. Hæc ſiquidem *Eliſabeth* Patre *Othone* Palatino *Sandomirienſi*, de domo *Bipennium*, mortuo, vnica in hæreditate locupleti relicta fuerat, & a *Viſzlone Morauo* parum notæ ſortis homine, apud caſtrum *Pilcza*, propter dotis amplitudinem, rapta, atque in *Morauiam* delata eſt. Quo facinore *Ianczik* de *Hiczni* Baro *Morauicus*, de domo *Odrowąſz* comperto, magnitudine dotis pellectus, eam velut potentior *Viſzloni* auferens, ſuo matrimonio coniungit. Sed dum *Viſzel* apud *Cracouiam* commoratus, *Ienczikonem Hiczinski* literis, quoniam armis nequibat, pro ademptione violenta *Eliſabeth Pileczka*, quam ſuam legitimam ſponſam, propter coniunctionem carnis & ſpiritus vocitabat, impeteret, *Ienczikonemque* adulterum appellaret, nec a *Ienczikone* aliquoties commonitus, probra in illum fundere deſiſteret 1417

1417 ſiſteret, in *Cracouienſi* vrbe egreſſu ex balneo, in domo quæ *Schpotonis* appellatur, per *Ienczikonem Hiczinsky*, cum duodecim baliſtariis clandeſtine vrbem ingreſſum, obtruncatur; liberaque ex tunc fuit & conſortis, & dotis, Rege *Wladiſlao* permittente, poſſeſſio. Quo infra tempus breue obeunte, *Spithko* de *Melſchtin* Palatinus *Cracouienſis*, in poteſtatem ſuam redactam, cum illum propinqua cognatione contingeret, eam propter aliqualem armorum conformitatem, *Vincentio* de *Granow*, militibus de domo *Bipennium* id moleſte ferentibus, quod homo paucarum opum erat, deſponſat. Qui ſplendidum coniugium ſortitus, ſe vnum de domo *Lyelyuæ* gerere cœpit.

Peractis nuptiis, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, ex *Sanok*, nouam nuptam, triſtitia pronubente, ſecum ducens, *Leopolim*, & exinde per *Glinyani*, *Boſcz*, *Sokolow*, *Trabowla*, *Buczacz*, in *Halicz* pro die *Corporis Chriſti* tranſiit. *Ex Halicz* vero itinere retrogrado *Leopolim* rediit. Ex *Leopoli* per *Kamyonkam* tranſiens, cum *Alexandro Withawdo* magno Duce *Lithuaniæ*, in *Dobrothwor* ſupra fluuium *Bug*, in feſto *S. Ioannis Baptiſtæ* conuenit, *Eliſabeth* Regina *Leopoli* remanente, animum illius, propter nouum matrimonium, cuius ignominiam in ipſum quoque nouerat redundaturam, multipliciter moleſtum, placaturus. Conuentu autem huiuſmodi cum *Withawdo* perfunctus, in *Glinyani* rediit, exinde per *Drohobicz* & *Ozimini* venit in *Schambor*. Poſthæc, Regina *Eliſabeth* eum comitante, per *Medicam*, *Soſznicze*, *Lanczut*, *Ropczicze*, *Pilzno*, *Biecz*, *Grybow*, in *nouam Sandecz* tranſiit, quo filia Regia virgo *Heduigis*, anguſtia plena & mœrore, ex *Cracouia* aduenit. De *Sandecz* per *Corſchtin*, *Nouitarg*, *Mſzana*, *Dopczicze* pro feſto Aſſumptionis Sanctæ *Mariæ* Virginis, in *Nyepolomicze* venit. Vbi ſeptem diebus exactis, per *nouam Ciuitatem*, *Sandomiriam*, *Sczekarzewicze*, & *Solecz*, in terram *Lublinenſem* deſcendit. Et cum apud *Zukowicze* ageret, Magiſtrum *Andream* de *Korzino* in Concilium *Conſtantienſe*, pro impetranda diſpenſatione, vt liceret ſibi in contracto cum *Eliſabeth Granowska* matrimonio, affinitate ſpirituali non obſtante, remanere, tranſmittit. Quæ multis laboribus & fatigis, non ſine difficultate ingenti, vix tandem obtenta eſt; cum potius conueniebat pro diuortio fœtidi & abominabilis matrimonii, Deo & hominibus exoſi, diſſoluendo, omnibus conatibus & ſtudiis laboraſſe, & non ſolum ex Regno *Poloniæ*, ſed etiam ex rerum natura eliminaſſe. Diſpenſationi autem huiuſmodi, lex ea, diſpenſationem coercens, appoſita eſt: *Vt Eliſabeth mortua, fas non foret Regi alteram ſuperducere.* Quæ tamen, vt in ſubſequentibus narrabimus, non fuit cuſtodita.

Wladiſlaus Rex in Concilio Conſtantienſi deſponſationem matrimonii ſui obtinet.

Ex Zukowicze Wladiſlaus Rex in *Ruſſiam* diuertens, autumni dies illic egit; coronationemque *Eliſabeth* Reginæ, pro die S. *Eliſabeth* indixit. Ex *Ruſſia* pro die Sancti *Martini* in *Nyepolomicze*, & *Cracouiam* pro die Sanctæ *Eliſabeth* aduenit; vbi nequicquam reſiſtentibus & diſſuadentibus fere omnibus Prælatis & Baronibus Regni *Poloniæ*, præcipue tamen *Sandiuogio* de *Oſtrorog* Palatino *Poſnanienſi*, qui reſiſtentiam huiuſmodi animoſius cæteris proſequebatur, *Wladiſlaus* Rex, nouam nuptam ſuam *Eliſabeth* per *Ioannem Rzeſchowſki* Archiepiſcopum *Leopolienſem* in Eccleſia *Cracouienſi* coronari procurat. Coronationem autem huiuſmodi *Nicolaus Gneſnenſis* Archiepiſcopus, quod miniſterio Archiepiſcopi *Leopolienſis* expleta fuerit, moleſte ferens, veritus, ne & ſua Eccleſia, eiuſque Præſules, proceſſu temporis excluderentur a Primatu, Concilii *Conſtantienſis* ſolenni Priuilegio & Decreto, Primatem ſe *Polonicæ* Eccleſiæ declarari obtinuit. Ab eoque tempore ipſe, & ſuus quilibet ſucceſſor ſe Eccleſiæ *Gneſnenſis* inſcribit Archiepiſcopum & Primatem. Coronatione *Eliſabeth* Reginæ conſumata, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, *Cracouia* feria ſexta in die Sanctæ *Catharinæ*, *Eliſabeth* Regina *Cracouiæ* remanente, recedit, & in *Lithuaniam* ſolitis ſtationibus deſcendens, venationibus opera impenſa, Natalis Domini feſta apud *Grodno* egit, & nonniſi pro Carniſpriuio in *Iedlnam*, Regina *Eliſabeth* illic ei occurrente, rediit. 1417

Eliſabetha Granowska in Reginam Poloniæ coronatur.

Primatus Archiep. Gneſnenſis a Concilio Conſtantienſi confirmatur.

Sciſſam Eccleſiam Dei, tempore diuturno contendentium de Papatu, tam ambitione, quam malignitate, *Conſtantienſis* Synodus ſummopere reunire geſtiens, omnes tres de Papatu contendentes, & pro ſummis Pontificibus ſe gerentes, videlicet *Balthaſarum* de *Koſza Ioannem XXIV*, *Petrum* de *Luna Benedictum XIII*, & *Angelum* de *Corario Gregorium IX*, in ſuis obedientiis appellatos; quoniam ſtabilem & integram vnionem aliter intelligebat ſequi non poſſe, deponere & amouere inſtituit. Vnde & prædictum *Balthaſarum Ioannem XXIII.* qui Concilium *Conſtantienſe* indicens, perſonaliter in illo præſidebat, monet & obſecrat, *quatenus pro vnione Eccleſiæ Dei*, *quemadmodum per inſcriptionem manus propriæ, & corporali ſacramento, ſe voluntarie conſtrinxerat, Papatui renunciet.* Qui amaram & ignominioſam ceſſionem ſibi iudicans, pollicitationis ſuæ oblitus, Papatui renunciare recuſat, clandeſtinoque amictu velatus, de *Conſtantia* (Ducis Auſtriæ *Frederici* fretus ſuffragio) vt in ſuperioribus monſtrauimus, diffugit. Ordinatione autem Concilii, & *Sigiſmundi Romanorum* & *Hungariæ* Regis, apud oppidum *Loſſemborg*

1417 *borg* in fuga capitur, & in caſtro *Godleyben* dicto, ſupra *Rhenum*, reponitur captiuatus, & ſententia Concilii deponitur, cum annis quatuor in Papatu ſediſſet. *Angelus* vero de *Corario Gregorius IX*, vnionem Eccleſiæ zelatus, conſanguineum ſuum *Pandulphum* de *Maleteſtis*, in Concilium *Conſtantienſe* transmittit. Qui in congregatione generali, aſſumpto themate: *Facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis exercitus;* oratione diſerta & graui vſus, nomine & poteſtate eiuſdem *Gregorii* noni, omni iuri & titulo, ſi quod ſibi in Papatu competebat, renunciauit & ceſſit, qui annis duodecem ſe Papam geſſerat. Et omnes Cardinales per eum creatos in ſuis dignitatibus remanere, dictoque *Gregorio* nono, prouiſionem ex bonis Eccleſiæ *Romanæ*, ſtatui ſuo congruentem, *Marchiam* videlicet *Anconitam*, fieri & inſcribi obtinuit. Ad procurandum autem renunciationem *Petri* de *Luna*, *Sigiſmundus Romanorum* Rex a Patribus Concilii, ſingula quam modeſtiſſime agi ſatagentibus, rogatus, ad Regem *Aragonum Ferdinandum*, *Narbonam* vſque, alias in *Parpinianum*, aduenit, habens in comitatu plures Prælatos, Doctores, & milites, & inter alios *Zauiſſium* nigrum de *Garbow* militem *Polonum*. Qui apud *Narbonam* militem inſignem de *Aragonia Ioannem*, in certamine ſingulari, Rege vtroque inſpectante, vicerat. Inſtante autem *Sigiſmundo Romanorum* & *Hungariæ* Rege, *Petrus* de *Luna*, *Benedictus* tredecimus, cum *Ferdinando Aragonum* Rege, in magna pompa, & Cardinalium Prælatorum, & militum ſuæ obedientiæ multitudine, aduenit. Vbi dum pluribus diebus, & variis ingeniis & tractatibus ad ceſſionem *Petrus* de *Luna* perſuaderetur, vniuerſis honeſtiſſimis mediis, quæ ſibi per *Sigiſmundum Romanorum* & *Hungariæ* Regem, Patreſque conſcriptos fuere oblata, contemptis, *nullatenus ſe de Papatu* indicauit *ceſſurum*, aſtruens *ſe verum & legitimum Summum Pontificem, ſine cuius authoritate Synodus generalis neque celebrari poterat, neque indici.* In obſtinato itaque ſpiritu *Narbona* diſcedens, & in caſtrum fortiſſimum *Panniuſcula Derthuſenſis* diœceſis, quod de proprietate fratrum *Ioannitarum* fuerat, ſupra mare ſitum, ſe conferens, reliquam in illo, etiam poſt vnitam Eccleſiam, exegit ætatem, ſeque pertinaciter pro Papa, & in mortis articulo geſſit. Deſeruit autem illum *Ferdinandus Arragonum* Rex, & obedientia illi ſubtracta, Concilio *Conſtantienſi*, ſub certis articulis, per quos prouidebatur, vt omnes per *Petrum* de *Luna* promoti, in ſuis dignitatibus & officiis remanerent, adhæſit. Quapropter Cardinales *Petro Luna* ſuo Papa deſerto, *Conſtantiam* accedentes, pro Cardinalibus accepti & habiti ſunt.

Duobus de Papatu cedentibus

Petrus de Luna perſuaſionibus Concilii nihil motus

ſe vſque ad mortē pro Papa geſſit.

Modeſtiam ſuam Synodus *Conſtantienſis*, apud *Petrum* de *Luna* nullum profectum attuliſſe perpendens, rigorem iuſtitiæ in eum extendit. Et proceſſu iudiciario inſtaurato, ipſum per ſententiam diffinitiuam, omni honore, dignitate, & officio priuat, ſententiamque huiuſmodi in ſeſſione generali, vigeſima ſexta menſis Iulii, pronunciat & publicat. Deinde ex omnibus nationibus Prælatos inſigniores legens, cum Cardinalibus, qui ex tribus obedientiis in vnum collegium fuerant vniti, ad conclaue ingredi procurat futuri Summi Pontificis electionem perfecturos. Et licet *Nicolaus* Archiepiſcopus *Gneſnenſis* plures voces Cardinalium & Prælatorum, in electione huiuſmodi ſortitus fuiſſet, de omnibus tamen *Othoni* de *Columna* Cardinali Diacono ceſſit. Qui ex huiuſmodi ceſſione, vocibus contra alios ſingulos præualens, in die *S. Martini* in Papam, conformiter electus & publicatus eſt, & *Martinus* quintus appellatus, ſeqenti autem die Dominico in Preſbyterum primum ordinatus, deinde in Epiſcopum & Papam conſecratus. Qui Regibus & Principibus Catholicis, & inter alios *Wladiſlao Poloniæ* Regi, cui ſingulari afficiebatur fauore, ſuam electionem, & aſſumptionem in Summum Pontificem per Nuncios & literas ſignificauit. Pertulit autem a *Conſtantienſi* Synodo *Albertus Iaſtrzabiecz Cracouienſis* Epiſcopus graues vexationes, quibus illum perſonalem comparitionem apud ſe facere iubebat, inſtigantibus nonnullis *Angliæ* & *Hiſpaniarum* Epiſcopis, depoſitionem *Petri Viſch* a ſede Epiſcopatus *Cracouienſis* amarius ferentibus, qui familiaritate nimia, in *Senenſi* Concilio, eidem *Petro Viſch* coniuncti erant, *Wladiſlao* tamen *Poloniæ* Rege, pro eo apud Synodum per literas & Nuncios intercedente, & vexatio & comparitio, præſertim cum *Petrus Viſch* Epiſcopus dudum diem obiiſſet, illi remiſſa eſt. Verum a grauibus perſonis Concilii, vulgaris & conſtans opinio ferebatur, *Petrum Viſch* Epiſcopum, Concilii *Conſtantienſis* authoritate, ſi in id tempus vixiſſet, ad *Cracouienſem* Sedem, a qua per iniuriam deiectus credebatur, plenam reſtitutionem oportuiſſe ſortiri. Depoſitionis autem ſententiam in *Petrum* de *Luna Benedictum XIII*, a Synodo *Conſtantienſi* latam, pro futurorum memoria ampliori, etiam huic operi noſtri duximus inſerendam. *De vultu eius hoc iudicium prodeat, qui ſedet in throno, ex cuius ore procedit gladius bis acutus; cuius ſtatera iuſta eſt, & aqua ſunt pondera; qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, Domini noſtri Ieſu Chriſti, Amen. Iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius: Vultus quidem Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum; Pereat, inquit Sanctus Propheta, memoria eorum, qui non ſunt recordati facere miſericordiam, & qui perſecuti ſunt hominem inopem & mendicum.* 1417

Diffinitiua ſententia contra Petrū de Luna pronunciata.

Martinus V. Pontifex creatur.

Quan-

1417 *Quanto magis pereat memoria illius, qui omnes homines, & Eccleſiam vniuerſalem perſecutus eſt, & turbauit, Petri videlicet de Luna, Benedicti tredecimi à nonnullis nuncupati. Qui quantum in eccleſiam Dei, & vniuerſum populum Chriſtianum peccauerit, ſchiſma & diuiſionem Eccleſiæ fouens, nutriens, atque continuans, quantiſque quàmque frequentibus, deuotis, & humilibus, Regum, Principum, & Prælatorum precibus, exhortationibus, & requiſitionibus, charitatiue iuxta doctrinam Euangelicam, admonitus fuerit, vt pacem daret Eccleſiæ, vt illius ſanaret vulnera, & eius partes diuiſas in vnam compaginem, & corpus vnum reficeret, quemadmodum ipſe iurauerat, & diu fuit in ſua poteſtate. Quos tamen charitatiue corripientes, nullatenus voluit exaudire. Quot ſint poſtmodum teſtes adhibiti, quibus etiam minime exauditis, neceſſe fuit, ſecundum prædictum Chriſti doctrinam Euangelicam, dicere Eccleſiæ. Quam quia etiam non audiuit, habendus ſit tanquam Ethnicus & publicanus. Capitula, in cauſa inquiſitionis fidei & ſchiſmatis, coram præſente ſacra generali Synodo, ſuper præmiſſis & aliis, contra eum edita, ac aliorum varietas & notorietas, declarat manifeſte. Super quibus iuſte & canonice proceſſo, & omnibus ritè actis, ac diligenter proceſſis & inſpectis, habitaque ſuper illis deliberatione matura, eadem ſacra generalis Synodus, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans, in dicta inquiſitionis cauſa pro tribunali ſedens, pronunciat, decernit, & declarat, per hanc diffinitiuam ſententiam in his ſcriptis: Eundem Petrum de Luna, Benedictum tredecimum, vt præmittitur, nuncupatum, fuiſſe & eſſe, periurum vniuerſalis Eccleſiæ ſcandalizatorem, fautorem & nutritorem inueterati ſchiſmatis, & inueteratæ ſciſſuræ, ac diuiſionis Eccleſiæ Sanctæ Dei, pacis & vnionis eiuſdem Eccleſiæ impeditorem & turbatorem, Schiſmaticum, & hæreticum, à fide deuium, & articuli fidei, vnam Sanctam Eccleſiam Catholicam, violatorem pertinacem, cum ſcandalo Eccleſiæ Dei, incorrigibilem, notorium, & manifeſtum, ac omni titulo, gradu, honore, & dignitate ſe reddidiſſe indignum, à Deo reiectum & præſciſum, & omni iure, eidem in Papatu, & Romano Pontificio, ac Romana Eccleſia quomodolibet competente, ipſo iure priuatum, & ab omni Eccleſia Catholica, tanquam membrum aridum, eſſe præciſum. Ipſumque Petrum, quatenus de facto Papam ſecundum ſe tenet, eadem Sancta Synodus, Papatu, & ſummo Eccleſiæ Romanæ Pontificio, omnique titulo, gradu, honore, dignitate, beneficiis, & officiis quibuſcumque, ad omnem cautelam, priuat, deponit, & abiicit. Eidemque inhibet, ne deinceps pro Papa, aut Romano & Summo Pontifice ſe gerat, omneſque Chriſticolas ab eius obedientia, & obligationibus iidem quomodolibet præſtitis, abſoluit, & abſolutos fore declarat. Ac omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus inhibet, ſub pœnis fautoriæ ſchiſmatis, & hæreſis, atque priuatione omnium beneficiorum, dignitatum, & honorum Eccleſiaſticorum & mundanorum, & aliis pœnis iuris, etiamſi Epiſcopalis, Patriarchalis, Cardinalatus, Regalis ſit dignitas, aut Imperialis. Quibus, ſi contra hanc inhibitionem fecerint, ſint authoritate huius Decreti & ſententiæ, ipſo facto priuati, & alias iuris incurrant pœnas; ne eidem Petro de Luna, Schiſmatico & hæretico, incorrigibili, notorio, declarato & depoſito, tanquam Papæ, obediant, pareant, vel intendant, aut eum quouis modo contra præmiſſa ſuſtineant vel receptent, ſibique præſtent auxilium, conſilium, vel fauorem. Declarat inſuper & decernit, omnes & ſingulas inhibitiones, omneſque proceſſus, ſententias, conſtitutiones, & cenſuras, & alia quacumque, per eum factos, factas, & facta, quæ poſſent præmiſſis obuiare, irritos, irritas, & irrita, atque in irritum reuocat & annihilat. Cæteris pœnis, quas in præmiſſis caſibus iura ſtatuerunt, ſemper ſaluis.*

Venceſlao Wratiſlauienſi Epiſcopo, de Sede ſua, quam annis quinque & triginta rexerat, ſpontanee cedente, *Conradus* vocatus ſenior, *Oleſchnicenſis* & *Sleſiæ* Dux, à *Martino* quinto Papa, ſupplicante *Sigiſmundo Romanorum* & *Hungariæ* Rege, & Capitulo *Wratislauienſi*; ad *Wratislauienſem* Eccleſiam; prouiſus & ordinatus eſt. Et in *Odmuchow* in die *S. Vincentii* in Epiſcopatum conſecratus. *Venceſlaus* autem Epiſcopus præfatus, renunciatione facta, ſaluti ſuæ conſuluit. *Venceſlao Ep. Wratiſlauienſi ſuccedit Conradus.*

Diſſolutione *Conſtantienſis* Concilii appetente, *Martinus* Papa V. prece, incertum eſt, an importunitate Cruciferorum de *Pruſſia* circumuentus, ſententiam damnationis *Ioannis Falkemberg* monachi Ordinis Prædicatorum, per Concilium *Conſtantienſe* concorditer prius, quam *Martinus* Papa eligeretur, editam, infirmare & moderari contendit. Inſtantibus ſiquidem Oratoribus *Wladiſlai* Regis *Poloniæ*, vt ſententiæ Concilii ſuam confirmationem adiiceret, nullatenus ad illius confirmationem ſimpliciter poterat perſuaderi, quamuis exiſtens Cardinalis, ſe ei manu propria ſubſcripſerit. Nitebatur ſiquidem præfatus *Martinus* Papa, verba ſententiæ quæ ſequuntur, videlicet, *Libellus erroneus & hæreſi plenus*, abrogare ex ſententia, & abrogatorum locum aliis verbis, videlicet, *Libellus falſus, & piorum aurium offenſiuus*, ſupplere. Propter quod ambaſiatores Regii, in *Martinum* Papam vehementer irati, fremunt, & ab electione eius in Papam *Martinus P. Papa ſententiam Concilii, quam prius nolebat,*

1417

pam, atque a denegatione confirmationis ſententiæ huiuſmodi, ad futurum Concilium, apud *Papiam* alias *Baſilicam*, indictum, nomine Regis & Regni, rem ſine exemplo, iuſta ira impellente, admittere auſi, prouocant, & appellant. Appellationemque in congregationis medio *Martino* Papæ inſinuaturi, ſeculares tantummodo Legatos, Eccleſiaſticis ſe intra domos continentibus, in notabili & inſolita comitiua, armati, ſeditionem enim verebantur, & dimicare & mori, pro honore Regis ſui & Regni, ſi vis aliqua inferretur, parati, ad Eccleſiam, in qua ſeſſio agebatur, adueniunt. Turbatur itaque concio vniuerſa, de lite & appellatione noua. Sed & *Martinus* Papa ingenti affligebatur & dolore & rubore. Propter quod Patres Concilii, ſchiſma extinctum ſuſcitatum iri veriti, de pace agendum duxerunt: *Martinumque* Papam ad ſententiam Concilii, contra *Ioannem Falkemberg* latam, confirmandum impellunt, & Legatos *Poloniæ* Regis, tam efficaciter illi reconciliant, vt reconciliatio ipſa & *Martino* Papæ, & Regiis Legatis lachrymas excuteret, graues indignationis aculeos abſumpſiſſe teſtata. Ad inſtantiam denique Legatorum *Poloniæ* Regis, *Martinus* Papa *Conſtantia* diſcedens, *Ioannem Falkemberg* ſecum in Vrbem duxit, & vinctum annis multis *Romæ* tenuit. Quem poſtmodum de Regis beneplacito & annuentia quod languidus & extenuatus eſſet, de carceribus dimiſit, coactum tamen per prius in publicam libelli a ſe editi reuocationem. Qui indignatione & furore contra Cruciferos actus, quod eius liberationem ſolicitare deſtiterint, grauem ſatyram in eorum infamiam & vituperium conſcripſit plurimaſque turpitudines & vitia inferens, quam acerbiſſime in illos & vltus, & inuectus eſt. Reuocationis autem ſuæ eiuſmodi tenor ſequitur, & eſt talis. *Sacroſancta generalis Synodus Conſtantienſis, in Spiritu Sancto legitime congregata, vniuerſalem Eccleſiam repræſentans ad perpetuam rei memoriam. Nuper oblato coram Commiſſariis noſtris, in cauſis fidei, quodam tractatulo ſeu libello, a fratre Ioanne Falkemberg ordinis Prædicatorum compoſito; qui libellus ſic incipit: Vniuerſis Regibus & Principibus, cæteriſque Prælatis ſiue Eccleſiaſticis ſiue ſecularibus, & generaliter omnibus, qui Chriſtiani nominis meruerunt inſigniri titulo &c. & ſic finitur: Quatenus pro exterminio Polonorum, & eorum Regis Iagyel, valeant vitam capeſſere æternam. Quam nobis, & omnibus, qui ad Polonorum, & eorum Regis Iagyel exterminium, fideliter ſe accinxerint, concedere dignetur Ieſus Chriſtus, in ſecula benedictus. Amen. Explicit Satyra, contra hæreſes, & cætera nefanda Polonorum, & eorum Regis Iagyel, fideliter conſcripta: Quia poſt diligentem examinationem dicti libelli &*

tandem confirmat,

eum tandem conſenſu Regis e carcere ſoluit, facta reuocatione,

cuius tenor inſeritur.

contentorum in eodem, & eiuſdem fratris Ioannis, per eoſdem Commiſſarios noſtros fa- A *ctam, ſeruatis ſeruandis, circa hoc compertum eſt, quod dictus tractatulus ſeu libellus, continet in ſe plura in fide & bonis moribus erronea, ſcandaloſa, ſeditioſa, crudelia, iniurioſa, impia, ac piarum aurium offenſiua, hæreticalia, & hæreſim ſapientia, & præcipue infraſcripta, quæ in dicto tractatulo ſeu libello, contextualiter inter cætera continentur, videlicet: Quod Rex Polonorum, cum ſit malus præſidens, eſt idolum, & omnes Poloni ſunt idololatræ, & ſeruiunt idolo ſuo Iagyel. Item dicit, quod Poloni, & eorum Rex, ſunt odibiles, hæretici, & impudici canes, reuerſi ad vomitum* B *ſuæ infidelitatis. Et ergo ſecuriſſime omnes, non ſolum Principes ſeculi, verum etiam inferiores, qui ad Polonorum & eorum Regis exterminationem ſe accinxerint ex charitate, vitam merentur æternam. Item dicit, quod indubie Polonos, & eorum Regem, propter periculum, quod ab eis timetur Eccleſiæ futurum, etiam antequam diſſidium faciant, cæteris paribus, magis meritorium eſt occidere quam paganos. Item dicit, quod omni ſubmoto dubio belli certamine, quo pro defenſione Chriſtianorum ſuſcepto, Principes ſeculi, Polonos & eorum Regem occidunt, regna merentur cœleſtia.* C *Item dicit, quod peſtifera Vniuerſitas Polonorum, cuius Iagyel caput, eſt tota obnoxia, quia peccatum hæreſeos totam inuaſit, & ab Eccleſia reſecuit, & omnes ex ea facit vehementer contra Eccleſiam colla ſurrigere. Quare ſi valuerint, Chriſtianorum ſanguinem effundent, & hæreſeos ſua venena ad tabefacienda membra Eccleſiæ transfundent. Et ergo Principes Seculi, vltionis gladio tenentur abſque omni diſſimulatione, Polonos omnes, cum eorum Rege, vel maiorem partem extinguere, & Principes eorum, & nobiles omnes in patibulis contra Solem ſuſpendere. Item dicit, quod ex Principibus ſeculi, qui ſunt idonei & ratione & poteſtate, Polonos & eorum Regem Iagyel reprimere, & permittunt eum in Chriſtia-* D *nos debacchari, ſupplicia merentur gehennæ. Item dicit, quod Principes ſeculi, crimina Polonorum & eorum Regis Iagyel, poſſunt corrigere emendareque, & negligunt, & ideo eorum procul dubio culpam habent, criminaque committunt, & in æternum a gehenna mancipio merentur vapulari. Item dicit, quod Principes ſeculi, ſceleri, vnde Poloni & eorum Rex Iagyel morte digni ſunt æterna, conſenſerunt, quia tacuerunt, cum poterant id impedire, aut redarguere; & ergo perinde digni ſunt morte æterna. Item dicit, quod manifeſtum eſt, quod qui in bellis Polonis & eorum Regi Iagyel contra Chriſtianos auxilium præbuerint, & ſunt occiſi, deſcenderunt ad amaritudinem æternæ damnationis; & qui ſuperſtites viuunt, & non ſunt conuerſi per pœnitentiam, omnes laborant in ſtatu damnationis, & extra* 1417

1417 *extra mortis articulum, non poſſunt abſolutionis beneficium ſine ſpeciali indulto Papæ obtinere. Item dicit, quod iniuriam, quam Poloni & eorum Rex Eccleſiæ irrogarunt, non poſſunt ſine offenſa Dei diſſimulare inultam: Et ergo abſque omni relatratûs calumnia, in Polonis & eorum Rege, tenentur indiſpenſabiliter iniuriam Dei morte vindicare. Item dicit, quod Principes ſeculi, tenentur exercitibus, ſacrilegos homines Polonos & eorum Regem, de terra perdere. Propter iſta, & alia multa in dicto tractatu contenta, in fide & bonis moribus erronea, ſcandaloſa, ſeditioſa, crudelia, iniurioſa, impia, & piarum aurium offenſiua, & quorum alia, ſpecialiter vero Concluſio dicti tractatus ſunt hæreticalia, & quædam hæreſim ſapientia, hæc ſacroſancta Synodus, maturo habito conſilio, Chriſti nomine inuocato, damnat tractatulum ſeu libellum prædictum, tanquam in fide & bonis moribus erroneum, ſcandaloſum, ſeditioſum, crudelem, iniurioſum, impium, & piarum aurium offenſiuum, & etiam hæreticalem, reprobat omnino, decernitque ipſum, tanquam talem, cremandum fore, & iubet concremari. Diſtricte inhibens ſub anathematis interminatione, & aliis iuris pœnis, ne quis dictum tractatulum ſeu libellum, & contenta in eodem, audeat de cætero dogmatiſare, aſſerere, approbare, defendere, vel tenere. Committens Commiſſariis prædictis, quatenus dicto fratri Ioanni, dicti tractatuli ſeu libelli, vt præmittitur, compoſitori, tanquam humiliter ſe ſubiicienti eisdem, vt cum eodem propter humilem ſubiectionem præmiſſam, miſericorditer agentes, pœnitentiam ſalutarem imponant, prout ſecundum Deum, iuxta delicti qualitatem, attentis etiam his, quæ ſecundum ſacram ſcripturam, & ſacros Canones, in huiuſmodi negotio attendenda viderint, & Cenſura ipſam in toto expediant, ſine vlteriori relatione ad ipſum Concilium amplius facienda. Prouideantque in præmiſſis, vt ſaluetur debita reuerentia Catholicæ fidei, & honor Regis & Regni Poloniæ, quod conſtat eſſe nobile membrum Eccleſiæ militantis, prout ſecundum Deum viderint expedire. Datum Conſtantiæ ſecundo Nonas Iunii. Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo, quadringenteſimo decimo ſeptimo.*

Eccleſia Cathedralis in Samogithia erigitur.

Archiepiſcopus *Leopolienſis Ioannes Rzeſchowski*, mandatum Concilii *Conſtantienſis*, ſibi & *Petro Vilnenſi* Epiſcopo factum executurus, in *Lithuaniam*, *Wladislao* Rege *Poloniæ* illic perſonaliter agente, aduenit, & iuxta eiusdem Concilii inſtructiones & mandata, Cathedralem Eccleſiam ſub titulo Sanctorum *Alexandri*, *Euentii*, & *Theodorici*, in terra *Samogitharum*, & loco *Miedniky*, vna ſimul cum *Petro Vilnenſi* Epiſcopo, erigit & fundat, dote ſufficienti ſibi perprius per *Wladislaum Poloniæ* Regem aſſignata. *Wladislaus* inſuper *Poloniæ* Rex, fundat & dotat pro ea vice duodecem Parochiales Eccleſias, in *Samogithia*, iuxta numerum diſtrictuum, & in quolibet diſtrictu, vnam erigit & collocat. Rectoresque earum in Eccleſia Cathedrali *Miednicenſi*, gerere Canonicalem titulum, ſtallum, vocem, & vicem diſponit. *Miednicenſi* autem Eccleſiæ Cathedrali primus *Matthias* natione *Almanus*, in *Vilno* tamen natus, qui linguam *Lithuanicam* & *Samogithicam* norat, præfectus eſt & conſecratus. Duodecim inſuper Sacerdotibus, omnibus natione *Polonis*, zelum pro amplitudine fidei habentibus, duodecem Eccleſiæ Parochiales *Samogithiæ* commiſſæ; quibus *Wladislaus Poloniæ* Rex, & cæteri Prælati, ex Regno *Poloniæ* ſingulis annis, in pecuniis, libris, & veſtibus, liberalia præſtabant ſuffragia, in fidei ſanctæ fauorem. Tunc inſuper omnis reſiduitas gentis *Samogithicæ*, ad numerum Catholicorum, & fidei Chriſtianæ identitatem acceſſit, & a *Ioanne* Archiepiſcopo *Leopolienſi*, & *Petro* Epiſcopo *Vilnenſi*, in fide orthodoxa inſtructa, atque baptiſmatis vnda renata eſt. De his autem omnibus Concilium *Conſtantienſe*, & *Martinus* Papa literis Regiis, & dictorum *Leopolienſis* & *Vilnenſis* Pontificum informati, immenſo replebantur gaudio, & tam gratiſſimum nouum, in omnes Catholici orbis angulos diffundebant. Sed & *Wladislai* Regis *Poloniæ Martinus* Papa deuotionem & zelum efferens, ſpeciales illi literas transmiſit.

Chriſti Natalitio apud *Grodno* exacto *Wladislaus Poloniæ* Rex, in ſuum Regnum ex Lithuania reuerſus, dies Carnispriuii in *Iedlna*, cum *Eliſabeth Poloniæ* Regina egit. Quibus transactis, per *Sandomiriam*, *nouam Ciuitatem*, *Visliciam*, *Miechow*, *Zarnowiecz*, *Wielyun*, *Siradiam*, *Eliſabeth* Regina *Cracouiam* remiſſa, in *maiorem Poloniam* tranſiens, Paſcha Domini apud *Caliſch* celebrauit. Ex *Caliſch* vero proceſſit in *Konyn*, *Radzieiow*, & *Brzeſzczye*; & *Eliſabeth* Regina ad illum in *Brzeſzczye* veniente, ſolitis viis in terram *Dobrzinenſem* pro feſto Pentecoſtes, *Iuniwladislauiam* proceſſit. Ex *Iuniwladislauia* pro feſto *Corporis Chriſti*, *Znenam*, abinde vero *Gneſnam* venit, quo iam ſuo iuſſu Prælati & Barones Regni in frequenti numero conuenerant. In quorum audientia, Rex libellum *Ioannis Falkemberg* Satyricum, in vulgari *Polonico* legi mandauit, vt eius continentia audita conſulerent, ſi quid pro honore Regis & Regni, vltra ea, quæ Regii Legati *Conſtantiæ* effecerant, inſtaurari expediret. Conſultum autem fuit, *vt ſcripturam falſam, mendoſam & erroneam, Wladislaus Rex leuiter & perfunctorie ferret, neque de illa, velut ab homine leui & contemptibili edita, grauem faceret æſtimationem, præſertim cum libellus præfatus, authoritate vniuerſalis Eccleſiæ & Apoſtolicæ, fuiſſet damnatus, & author ſuus* 1418

1418 *digna mulcta punitus. Quod ſi nihilominus liberet, contra dicta præfati libelli, altius aliquid refellere, ſubornaret & Rex alium monachum æque impudentem, cum Ioanne Falkemberg, de pari litem & iurgium conſerturum.* Ex *Gneſna* proceſſit Rex in *Pobyedziska*, vbi Legatos ſuos, *Nicolaum Gneſnenſem* Archiepiſcopum, *Laſcariam Poſnanienſem, Iacobum Plocenſem, Ioannem Kropidło Wladislauienſem* Epiſcopum, ſingulos cappas rubeas ſchariaticas, capelos vero nigros, geſtantes, item *Ianuſſium* de *Tuliskowo* Caſtellanum *Caliſſienſem*, *Zawiſſius* enim niger de *Garbow*, *Sigismundum Romanorum* & *Hungariæ* Regem ſecutus, non venerat; redeuntes honoraturus; illis cum *Regina Eliſabeth*, & vniuerſa Curia, in obuium proceſſit, & eos benigno ac hilari vultu excepit. Illiſque conſultantibus conuentionem generalem pro feſto *S. Iacobi* in *Lancicia*, rebus plurimis per eoſdem legatos, cum *Romanorum* Rege in *Conſtantia* practicatis, & de ampliori *Ioannis Falkemberg* monachi punitione prouiſurus, indixit. Ex *Pobyedziska* iuit Rex *Poſnaniam*, *Coſten, Srzem, Szrzoda*, & in die *B. Mariæ Magdalenæ* peruenit. Ab inde vero per loca ſolita *Lanciciam*, ad tenendum generalem conuentionem, tranſiit.

Boleslaus Switrigal per Alexandrum captiuatus,

Dux magnus *Alexander Withawdus*, de Duce *Boleslao Switrigal*, germano *Wladislai Poloniæ* Regis, aſſidua ſuſpicione vexatus, ne in necem ſuam, aut de Ducatu magno excluſionem, cum Ducibus & nobilibus *Ruſſiæ*, miro modo illum, quod ritu eorum efferret, colentibus, conſpiraret, eum captiuat, & in locis plurimis tenet & aſſeruat. Ad extremum tandem caſtrum *Krzemyenyecz*, eius proditionem pertimeſcens, de manibus *Ruthenorum* accipit, & *Boleslao* in id coniecto, *Conrado Frankemberg* militi *Polono*, dat illud in tenutam, qui non ſecus quam vir bonus & rectus, præfatum *Boleſlaum Switrigal*, benigne & humane tenuit, & ſingulos *Ruthenorum* Principes & nobiles, in ſuum contubernium, oblitus & ſui, & illius quem adſeruabat, ſortis, admiſit, credens illos pro tanta beneuolentia & humanitate, nihil mali in ſe, & caſtrum ſibi commendatum, molituros. Verum *Boleslaus Switrigal*, conſpiratione cum *Ruthenis* inita, in Paraſceue Domini nocte fraudem, de qua inter eum & *Ruthenos* conuenerat, expleuit. *Rutheni* ſiquidem in frequenti numero, videlicet *Daſchkone*, *Alexandro, Noſz*, Ducibus, & aliis, aſcendentibus murum per ſcalas, & in caſtrum irrumpentibus, *Boleslaus Switrigal* ſolutus eſt, & rumor magnus in caſtro exortus. Quem *Conradus Frankemberg* arcis Præfectus ſedaturus, & fugam Ducis *Switrigal* inhibiturus, gladio & clypeo accinctus, accurrit, ſed a multitudine *Ruthenorum* occupatus, obtruncatur. Dux vero *Switrigal* arce libere potitur. Quam retinere non audens, de caſtro ſe cum ſuis, erumpente luce, euoluit, & ad *Sigismundum Romanorum* & *Hungariæ* Regem, potentiam & tyrannidem *Alexandri Withawdi* pertimeſcens diffugit, vbi a *Sigismundo* Rege exceptus, & benigne habitus & tractatus eſt.

ex caſtro Krzemyeniecz per dolum adepto

ad Sigismundum Imp. confugit.

Seditione plebis Wratislauienſis ſex conſules capite plectuntur.

Decima nona Iulii, communitas ciuium *Wratislauienſium*, dudum in conſules graui offenſione irata, Prætorium, effractis oſtiis, irrumpens, ſex Conſules, videlicet *Ioannem Sax, Henricum Schmeth, Freybelk, Nicolaum Neumarkth, Ioannem Sztilie*, & *Nicolaum Feyſteylirk*, nulla iudiciaria inquiſitione præmiſſa, decapitat, & *Ioannem Megerlin* vnum ex communitate quod illum cum communitate ſenſiſſe mouerat, ex turri Prætorii præcipitat. Ea etiam tyrannide in Conſules vſa, vt ſpoliatos illos, omnique amictu nudos, colloquio vxorum & neceſſariorum, quod flagitabant, interdicto, ad ſupplicium duci, in magnum eorum dedecus cenſuerat: ob hoc ipſum, vt aſſeritur, in Conſules fremens, quod frequentibus tributis & exactionibus, de quibus rationem non reddebant, eam multipliciter grauauerant.

Wladislaus Rex a Martino Papa petit Falkembergium cum ſua Satyra comburi.

Dominico die, in vigilia *S. Iacobi* Apoſtoli, *Wladislaus Poloniæ* Rex *Lanciciam* perueniens, & cum Prælatis & Baronibus Regni ſui conuentum agens, ſuper libello *Ioannis Falkemberg*, ſatyram & infamiam ſuam & Regni ſui continentem & authore eius, quid amplius facto opus ſit, deliberat. Et poſt varias deliberationes, *Martino* Papæ ſcribit, rogans & requirens illum, *quatenus Ioannem Falkemberg, vniuerſalis Synodi Conſtantienſis ſententia damnatum, ſeculari relinquens poteſtati, cremandum illum cum ſua Satyra ignibus decerneret.* Papa autem *Martinus*, non igni quidem hominem ſceleſtum, ſed ſqualido carceri, igne terribiliori, in quo diuturnos cruciatus pertulit, addixit. Mittit inſuper ex *Lancicienſi* dieta *Wladislaus* Rex, *Matthiam* de *Labiſchin* Palatinum *Brzeſtenſem*, *Petrum Schafraniecz* Succamerarium *Cracouienſem* & *Martinum* de *Goworzino* Notarium, in *Lithuaniam*, cum *Alexandro Withawdo*, Duce magno *Lithuaniæ*, vias & modos competentes practicaturos, quibus Dux *Boleslaus Switrigal*, germanus Regius, ex *Hungaria* poſſit reduci, & ipſi Duci *Alexandro Withawdo* reconciliari. Annuit autem Dux *Alexander Withawdus* reuerſioni ſuæ, & per literas ſalui conductus libertatem redeundi conceſſit. Reuerſumque fauorabiliter excipiens, & benigne pertractans, terras *Ruſſiæ* videlicet *Bransk, Sziewiorsk, Nowogrodek*, ſibi conceſſit in tenutam, in quibus vſque ad Ducis *Alexandri* obitum morabatur.

Et fratrem ſuum Switrigal Alexandro reconciliatum reducit in Lithuaniam.

Die Solis prima Auguſti, *Anna* Duciſſa, Ducis magni *Lithuaniæ Alexandri* conſors, in *Troky* moritur, & in *Vilnenſi* Eccleſia ſepelitur. Cuius mortem Ducem *Alexandrum Withawdum*, amare quidem, ſed breui tempore conſtat luxiſſe.

Ex dieta *Lancicienſi Wladislaus Poloniæ* Rex

1418 Rex diſcedens, pro feſto Aſſumptionis *S. Mariæ* Virginis, in *Przedborz* venit, exinde per *Visliciam, nouam Ciuitatem, Sandomiriam, Przijchow*, in terram *Lublinenſem* deſcendit. A Ex *Skoky* autem cum Regina *Eliſabeth* in *Lithuaniam, Albertum Iaſtrzambiecz Craconienſem* Epiſcopum, & *Ioannem* de *Tarnow* Palatinum *Cracouienſem* habens in ſuo comitatu, in craſtino *S. Michaelis* proceſſit. Conuentionem autem cum Magiſtro *Pruſſiæ* pro concludenda pace perpetua, in *Wielunya*, pro die *S. Heduigis*, celebraturus, nauibus in *Dubno* aſcenſis, *Grodno* applicuit, quo iam Conſiliarii Regni, *Nicolaus* Archiepiſcopus *Gneſnenſis, Ioannes Kropidło* Epiſcopus *Wladislauienſis*, & *Sandiuogius* de *Oſtrorog* Palatinus *Poſnanienſis*, & alii Barones Regni conuenerant. Ex B *Grodno, Wladislaus* Rex proceſſit cum *Eliſabeth* Regina, Prælatiſque & Baronibus Regni, verſus *Kowno* itinere nauali. Cui in *Derſzimisky* venienti, *Alexander Withawdus* Dux magnus *Lithuaniæ* occurrit, & tam Regem & Reginam, quam Prælatos & Barones Regni *Poloniæ* excepit. *Eliſabeth* autem Regina in *Kowno* remanente, in *Wielunyam* peruentum eſt, & dieta pro confectione pacis perpetuæ, cum Magiſtro *Pruſſiæ* fratre *Michaele Köchmeyſter*, qui & ipſe cum frequenti Conſiliariorum numero aduenerat, habita eſt. Tractatu autem vario in plures dies extenſo, nulla poterat concors concluſio ad pacem tenendam captari, propter quod ſine fine a parte vtraque C diſceſſum eſt.

De pace cum Cruciferis fruſtra tractatur.

In *Troky* ex *Wielunia, Wladislaus* Rex cum *Alexandro Withawdo* Duce, reuerſus eſt, atque Prælatis & Baronibus in *Poloniam* redire iuſſis, Ipſe in *Lithuania* remanſit; & die Dominico ante *Eliſabeth*, in *Grodno*, cum *Eliſabeth*, Regina, & *Alexandro Withawdo* peruenit. Cumque die illa *Alexander Withawdus* magnus *Lithuaniæ* Dux, matrimonium cum *Iuliana*, Ducis *Iwan Koraczewski* relicta, initurus, frequentem ſuorum Principum & Baronum cœtum accerſiſſet, & *Petrum Vilnenſem* Epiſcopum, *vt ſibi eam publice deſponſaret*, requiſiſſet, negauit *Petrus Epiſcopus coniugium illud ſuo miniſterio ſe expleturum, abſque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione, publicæ honeſtatis iuſtitia impediente*, D prior enim *Anna* ſubſequenti *Iulianæ* germana matertera extabat. Cumque neque prece, neque terrore, vir & Pontifex raræ conſtantiæ, in id facinus perlici poſſet, *Ioannes Kropidło Wladislauienſis* Epiſcopus, deſponſationem prædictam, Canonibus ſanctis prohibitam, expleuit, diebuſque ſequentibus nuptiarum celebritas habita eſt.

Withawdus Iulianam affinem ſuam ducit vxorem.

Nuptiis Ducis magni *Alexandri* apud *Grodno* expletis, & *Eliſabeth* Regina *Cracouiam* diuertente, *Wladislaus Poloniæ* Rex, manſionem in *Lithuania* continuans, in *Troky* reuerſus eſt, & ſolitis venationibus vſus, in *Merecz* veniens, feſta *Natalis Chriſti* illic egit. Quibus exactis, in venationum loca *Vingri* appellata, & vltra *Nyemyen* ſita, ſe tranſtulerat. Vbi ad eum Commendator de *Roszemberg*, tribus militibus comitatus, in die Epiphaniarum venit, 1418 ſimulate quidem legationem *Pruſſiæ* Magiſtri præferens, re autem vera, quantas gentes Rex ſecum haberet, explorans, quingentis enim equitibus in apto loco dimiſſis, occupare Regem nitebatur, exploratione perfecta. Rex autem ſuſpectum habens præfati Commendatoris aduentum, extemplo de *Vingri* diſceſſum faciens, & in *Lancza* perueniens, dum ab exploratoribus, quos ſpeculatum miſerat, ſtructas ſibi a Cruciferis periculoſas inſidias didiciſſet, nocte inſequenti duodecim miliaria conficiens, ad lacum, qui *Methis* appellatur, venit, exinde *Grodno* tranſiens, poſt in *Poloniam* venit.

Wladislaus Rex exploratis Cruciferorum inſidiis in Poloniã redit.

Tartarorum Cæſar *Keremberden*, morte Patris ſui *Solthan Zeledin* ſecuta, qui *Wladislaum Poloniæ* Regem, & *Alexandrum Withawdum*, in ſingulis expeditionibus *Pruthenicis* iuuerat, in paternum ſolium euectus eſt, atque hoſtilia in *Alexandrum Withawdum* & Principatus ſuos moliri, amicitia contempta, cœpit. Cui viciſſitudinariam hoſtilitatem *Withawdus* oſtenſurus, & Imperio illum deiecturus, alium Principem *Tartarorum Bethſabulam* in Imperatorem apud *Vilnam*, veſte pellicea de purpura aurea veſtitum, creat, conſtituit & ordinat, & gentibus quæ illum ſequebantur, alias ſuas gentes *Tartaricas* adiungens, ad dimicandum contra *Keremberden* hoſtem ſuum tranſmittit. Pugna autem atroci inter vtrumque conſerta, *Bethſabula* cum ſua gente ſuccumbit, & a *Keremberden* victus, capite etiam truncatus eſt. Non poſt multos denique dies & ipſe *Keremberden*, a fratre ſuo germano *Geremſerden* occiſus, Imperium occupauit, maiorique prudentia vſus, Ducem magnum *Alexandrum* non ſecus quam ſuus genitor coluit. Propter quod thronus ſuus, Ducis *Alexandri* adhæſione & amicitia, fuit illico ſtabilitus, & ipſe *Geremſerden* in ſingulas expeditiones cum *Alexandro Withawdo*, in quoſcumque hoſtes, obibat.

Bethſabula Imp. Tartarorum a Wladislao creatus

a Kemberdeno Tartaris præſidente vincitur.

Wladislaus Poloniæ Rex, ex *Lithuania* reuerſus, Carnispriuii diebus in *Iedlnam* exactis, 1419 & *Eliſabeth* Regina, ab ægritudine, quam habuerat, priuſquam toro Regio iungeretur, validius graſſante, vexata, & *Cracouiæ* decumbente, in *Sandomiriam*, deinde in *nouam Ciuitatem*, proceſſit. Quo ad illum velox *Sigiſmundi Romanorum* & *Hungariæ* Regis Nuncius, cum literis, magnopere poſtulantibus, vt ſecum apud *Scepuſienſem* oram conuentum tenere dignaretur, oblatus eſt. Cuius precibus *Wladislaus* Rex motus, venire conſenſit, & aliquot diebus apud *nouam Ciuitatem* abſumptis, ad tenendum huiuſmodi cum *Sigiſmundo Romanorum* Rege conuentum, cum frequentia, & ſplendida militum ſuorum caterua, per *Voynicz, Czchow, Tuchow*, & *Sandecz* proceſſit

1418 ceſſit, & pro die Dominico *Oculi* in *Lubowlya* perueniens, Nuncios Apoſtolicos *Iacobum* de *Camplo, Spoletanum*, & *Ferdinandum* de *Hiſpania*, *Lucenſem*. Epiſcopos, per *Martinum* Papam, rogatu & inſtigatione Cruciferorum de *Pruſſia*, & ſub eorum expenſis, ad conficiendam pacem perpetuam vel treugam, deſtinatos, offendit. Qui literis Apoſtolicis præſentatis, multiplici inſtantia *Wladislaum Poloniæ* Regem, Summi Pontificis nomine deprecantur, *quatenus cum Cruciferis de Pruſſia pacem perpetuam firmare, & a guerris ceſſare dignaretur.* Ex *Lubowlya* proceſſit Rex in *Podolinum*, deinde *Lubicza*. Vbi Apoſtolicis Nunciis ſe comitari iuſſis, optimum & pronum ad pacem, æquis conditionibus conficiendam, animum aperuit, & per certa capitula, ſuam illis intentionem ad liquidum declarauit. Qui voluntate Regis ad plenum explorata, per *Poloniæ* Regnum, Regio milite eos conducente, & ſingulis vbicumque prouidente neceſſaria in *Thorun* perueniunt, Magiſtrumque *Pruſſiæ Michaelem Kochmeyſter*, illic eorum aduentum cum ſuis Conſiliariis operientem, pacem aut pacis ſufferentias inire & aſſumere, patefacta Regis *Wladislai* optima in vtrumque voluntate, requirunt. Verum a Magiſtro *Pruſſiæ*, de videndis Priuilegiis & iuribus ſuis, & Ordinis ſolicitati vehementer, videre illa & examinare, atque tranſſumere conſentiunt. Magiſter ſiquidem *Pruſſiæ Michael*, cauſam ſuam, apud *Martinum* Papam, & legatos eius iuſtificaturus, cum periculoſum dinoſceret, Priuilegia & iura in Vrbem originaliter ferre, præfatos Nuncios, in *Pruſſiam* venire, Priuilegia & iura originalia viſuros & tranſſumpturos, obtinuit. Cum autem iura & Priuilegia huiuſmodi ex *Marienburg* in *Thorun* veherentur, auriga deſcendente, equi in præcipitem curſum, & vſque in locum *Melno* acti, quadrigam vndis immergunt: ex quo omnia quæ currus continebat, præter literas, iura, & Priuilegia, ceratis, quibus inuoluta fuerunt, reſiſtentibus, fuere tincta & compluta. Lectione autem & examinatione iurium & Priuilegiorum, ac ad extremum tranſumptione patefacta, ex Nunciis & arbitris communibus, Aduocati Cruciferorum (prece, incertum eſt, an pretio pellecti) cauſæ vero *Wladislai Polonorum* Regis, nullis eius propoſitionibus & reſponſis auditis, nullis iuribus viſis, hoſtes infeſti eſſe, ac per literas ſuas Cruciferorum partem iuſtificare, Regiam vero damnare cœperunt. De quo *Wladislaus Poloniæ* Rex amaricatus, grauiter in illos apud *Martinum* Papam inuectus eſt, & literis, quas ſubnecto, infeſtum illis, & grauiter indignatum *Martinum* Papam reddidit. *Beatiſſime Pater: Recepi quam plurimas literas V. S. ſuper cauſa quæ vertitur inter me, & Magiſtrum Cruciferorum de Pruſſia, & ſuper*

Martini Papæ nuncii

quod ſententiam iniquam pro Cruciferis tuliſſent, apud Papam per litteras a Wladislao accuſantur, quarum tenor inſeritur.

excuſatione veſtrorum Nunciorum, quos Sanctitas Veſtra miſit pro pace inter nos tractanda, 1418
A *& reprehenſione eorum, qui tractatui interfuerunt. Ego autem, Pater Beatiſſime, licet neſcirem, niſi approbare quod Sanctitas Veſtra approbat, & damnare quod Veſtra Sanctitas damnat, tamen non potui non dolere, quod iidem Veſtri Nuncii, non audita parte mea, ſed nec præſente, nec iudices, ſed tentatores electi, tulerunt contra me ſententiam, quaſi iniuſte peterem quæ petebã, & quod iuſtitia partis aduerſæ appareret fundata ſuper omnibus illis quæ petebam. Quod eo iniuſtius fecerunt, quod ordinauerant eandem ſua ſententiam, ad omnium hominum notitiam prius, quam ad meam peruenire. Cum dedederint*
B *ſuper hac parti aduerſæ literas, quibus ſe & apud Principes iuſtificare potuerant, & meam partem opprimere. Quamuis autem per eam iuri meo nullatenus derogetur, prout Sanctitas veſtra patentibus literis declarauit, tamen fama mea grauiter læſa eſt, quaſi calumniator eſſe viderer, & iniuſta bella fouere. Quod magis de talibus viris miror, ita ad tam celerem præcipitaſſe ſe ſententiam, cum eos tanquam viros probatiſſimos & integerrimos, ac pro talibus cognitos, cum in initio pro hac cauſa eos dirigeret, Sanctitas veſtra commendaret, & ego a Prælatis & nonnullis Baronibus Regni mei, qui Conſtantienſi interfuere Concilio, multas de eis & præclaras laudes audiuerim. Nam eſto, quod parte aduerſa præſen-*
C *te, vel eorum ſubditis audientibus, non ſemel ſed plures, & in variis locis dixerunt, quod & fecerunt, ſcilicet partem eorum fouere iuſtitiam, nos autem iniuſte petere, nec debere illos in aliquo nobis reſpondere, vt videlicet eorum ſubditos, ac etiam extraneos, ad eorum defenſionem & aſſiſtentiam animarent. Tolerari hoc vtcunque potuit, quod auxiliari eis volebant, quos amicos præ cæteris elegerant, quorumque ſtatum iuuare cernebant. At vero quia famam meam, & partis meæ, qui nihil eos vnquam offendi, quod ad vniuerſum orbem tam impie lacerarent, id fuit mihi omnino grauiſſimum. Ex quo euenit, vt ego ſpe pacis perpe-*
D *tuæ per eos Sanctitatis Veſtræ Nuncios componendæ fruſtrarer, & aduerſarii mei, hoc ipſorum teſtimonio elati, ad ineundam concordiam difficiliores redderentur. Sed non eſt hoc nouum aut inſolitum parti aduerſæ, vt quibuscunque viis, aut modis poſſint, meum curent nomen infamare. Nam & per Ioannem Falkemberg Monachum, quem carcer Sanctitatis Veſtræ merito detinet, alias me notabant, & multipliciter infamabant, quaſi futurus eſſem Eccleſiæ Dei deſtructor, & ſubuerſor fidei Chriſtianæ. Nam quæ ipſe egerim, ſiue in bellis erga ipſos, qui dicuntur domeſtici fidei, ſiue in pace erga alienos, & infideles ad fidem Orthodoxam reducendo, non tam verba quam facta teſtimonium perhibent. Cum olim me ad bella concitaſſent, violatis perpetuæ pacis fœderibus,*

1419 deribus, quæ fuerant inter Regnum meum & ipſos, nutu Diuino in campo eos proſtraui, & maiorem partem terrarum illarum ditioni meæ ſubieci, & in pugna quidem periere qui reſiſtebant. In acquiſitione vero terrarum, nunquam crudelitatem exercui, quin potius cum omni humanitate terras ipſas cum captiuis, ad pacem deueniens, parua mercede reſtitui. Quam pacem cum iterum violaſſent, & ego cum exercitu meo terras illorum inuaſiſſem, munitionesque notabiles & non paucas ipſorum recepiſſem, requiſitione tamen & adhortatione Summi Pontificis, qui tunc erat, per Dominum Lanſanenſem Nuncium, nec non Domini Sigismundi Romanorum & Hungariæ Regis, exercitus meos retraxi, nec vaſtari eorum territorium permiſi; ſed ad treugas deueni, ſperans tenensque fiduciam, quod ex hac facilitate mea, ad aliquem tramitem æquitatis, & bonæ pacis concordiam deuenirent. Cum eo multum exaltari me crederem, ſi talibus monitoribus & hortatoribus paruiſſem: & magnam victoriam quærerem, ſi ipſorum crudelitatem, & hoſtilitatem, ac rabiem, humanitate ſuperarem. Sed & nuper quoque, Excellentiſſime Pater, cum nulla peramplius videretur ſpes ſupereſſe pacis inter nos componendæ: cumque cum fratre meo Withawdo, magno Duce Lithuaniæ, exercitum congregauiſſemus, qui quam bene numeroſus eſſet, quam bene armis munitus, quamque expeditus ad bellum, linquo eis dicere qui videbant, iamque eſſemus prope terras hoſtiles; reſpectu tamen Reuerendi Patris D. Bartholomæi Archiepiſcopi Medialanenſis, ex parte dicti Regis Romanorum nos adhortantis, ab ingreſſu terrarum ipſarum noſtros exercitus cohibuimus, & treugas acceptauimus, vt iniquus profecto ſit iudex, quicumque pacis nos auidiſſimos non iudicaret zelatores. Nam toties læſi, toties prouocati, cum arma teneremus, parataque eſſet & exercitui præda, & nobis victoria, maluimus tamen omnia omittere, vt Chriſtiano ſanguini parceretur, & cunctis pateret, nos nonniſi inuitos, contra domeſticos fidei ad arma deuenire. In reducendis vero infidelibus ad fidem Orthodoxam, quantum laborauimus, quantum profecimus, nolo in hoc gloriari, ei ſit gloria, a quo mercedem me ſpero recepturum. Et certe multo amplius, multoque vberius profeciſſem, maioribusque fides Catholica adaucta fuiſſet incrementis, niſi per eos variis viis & modis impeditus fuiſſem. Quod ſi à tempore, quo per baptiſmi gratiam regeneratus ſum, & Orthodoxam fidem aſſumpſi, conſiderentur fructus quos in hoc feci ego ſecularis homo, immo non ego, ſed Deus per me, & comparentur cum his, quos aduerſarii mei, etiam a tempore inſtitutionis Ordinis ſui fecerunt, qui ſe dicunt Religioſos eſſe, & pro fide Chriſti pugnare, multo profecto inferiores me inuenirentur; quippe quod doleant vehementer, non eſſe omnes circumuicinos paganos, aut alias infideles, vt eos impugnare eo titulo poſſent, & bona eorum honeſtius rapere. Ego vero vellem omnes vicinos meos, imo & omnes homines Chriſtianos eſſe, vt cum eis bonam pacem habere poſſem. Et ſi qui etiam in longinquo inimici fidei Chriſtianæ, eos pro viribus perſequi, vt eos vel reducerem vel delerem. Nunc autem per iſtos impedior, quos timere me magis oportet, quam genus vllum barbarorum. Nam illi nil, quod impium, ſuper me quærunt, iſti autem ſanguinem, totaleque exterminium meum deſiderant. Quod ſi animaduertiſſent Veſtræ S. Nuncii, non tam facile ſententiam contra nomen meum & famam præcipitaſſent: Verum decet omnia in melius interpretari. Amplector igitur, ſcilicet quod dicit S. Veſtra, vt ſolent Mediatores pacis, qui nunc vni parti aliquid tribuunt, nunc alteri, vt eos commodius ac facilius trahant ad pacem. Quod ſi tantum tribuerunt illis qui pacem fugiebant, vt in eorum complacentia tam grauiter famam meam nomenque læderent & damnarent, quid mihi æquale vel dignum tribuent, qui tanto ſtudio pacem ſequor? vt interdum etiam nimis timidus ac puſillanimis iudicer ac cenſear. Expecto igitur vt reſponſum præſtent, ſi quid habent tale, quod poſſit huic iniuriæ, mihi illatæ, comparari. Nam etſi compromiſerim in Sereniſſimum fratrem meum, Romanorum Regem prædictum, tamen viam tractatus & amicabilis compoſitionis non repello. In quo tractatu Veſtra Sanctitas Nuncios, reſpectu Sanctitatis Veſtræ, & deuotionis quam ad eam gerimus, eſſe primos & præcipuos apud me profiteor. Non autem propterea Oratores meos arbitrari oportebat inhabiles ad pacem, quod ſe Nunciorum illorum Iuriſdictioni, quemadmodum pars aduerſa requirebat, in hac cauſa ſubiicere noluerunt: nec ipſos difficiles appellare, quod illorum, qui tam facile contra me pronunciauerunt, iudicium declinarunt. Sed nec nimis ad pacem habiles videri debebant, quod ad acceptandum ea, quæ pars aduerſa pro pace offerebat, mandatum non habebant. Nam ſi in oblatione aut voluntate vnius partis res tota conſiſteret, facile ſemper deueniretur ad pacem: aut ſi de multis terris meis, quas poſſident aduerſarii mei, paucas dimittendo, & pro maximis damnis quæ intulerunt, paucas pecunias, reſpectu damnorum reſarciendorum, pacem conſequi deberent, ego nimis in meis iuribus læderer & grauarer. Mandatum autem meis Oratoribus dedi, vt mea repeterent, quæ pars aduerſa, ſiue pro bono pacis, ſiue alleuiatione ſuarum conſcientiarum, merito deberet reſtituere. Hæc ego illis tunc, & quæ circa hæc faciebant, dedi in mandatis, non autem vt ſe temere cuicumque Iuriſdictioni ſubmitterent, aut hominum mihi nondum cognitorum iudicium acceptarent. Quocirca 1419

1419

circa Sanctitati Veſtræ ſupplico humiliter & deuote, quatenus dimiſſa indignatione, quam erga Oratores meos concepit; famam meam humilem, & deuotam, Sanctæ Matri Eccleſiæ & Veſtræ Sanctitati obedientem, eadem Sanctitas Veſtra dignetur paternaliter ſeruare, ne inimici mei habeant me in deriſum. Perſonam Sanctitatis veſtræ ſanam & incolumem conſeruet Altiſſimus, Statumque veſtrum per longa tempora felicitet, pro regimine Eccleſiæ ſuæ Sanctæ, & conſolatione mea ſpeciali. Datum in Sandecz feria tertia intra octauas Natiuitatis S. Mariæ Virginis, anno Domini milleſimo quadringenteſimo decimo nono.

Wladislaus Rex Scepuſii Sigiſmundũ Imp. expectat,

Apoſtolicis Nunciis licentiatis, *Wladislaus Poloniæ* Rex, tredecem ciuitates terræ ſuæ *Scepuſienſis* peragrabat, & ſufficientibus neceſſariis, cum omni ſua militia ab illis procuratus, *Sigiſmundi Romanorum & Hungariæ* Regis, opperiebatur per dies plures aduentum. Quo diuturnam faciente moram, *Wladislaus* Rex de terra *Scepuſienſi*, per *Sobinow* & *Bardiow* diſcedens, pro Dominica Ramis Palmarum, in *Croſznam*, pro feſto vero Paſchæ in *Przemisl* venit; *Sbigneo* de *Brzezie* Regni *Poloniæ* Marſchalco, & *Zauiſſio* de *Oleſchnicza*, deſtinatis ad *Sigiſmundum Romanorum* & *Hungariæ* Regem, qui illum de negligentia, quam in *Wladislao* Rege literis & Nunciis ad ſe inuitato admiſerat, carperent. Cui cum hæc legatio nunciaretur, *ſummum ſe dolorem ob id concepiſſe, ſed a valetudine aduerſa oppreſſum fuiſſe, petens ſibi ignoſci* reſpondit, ſpondens *ſe id facinus altero celeri officio expiaturum.*

tandem ad Regnum ſuum redit.

Facto ex *Przemisl Wladislaus Poloniæ* Rex diſceſſu, in *Sanok* proceſſit. Vbi iterum nouo Nuncio *Sigiſmundi Romanorum & Hungariæ* Regis, *Andrea* videlicet *Baliczki* milite *Polono*, largum conductum afferente, exquiſitis ſupplicationibus vexabatur, *vt in Hungariam redire, & cum Sigiſmundo Rege apud Caſſouiam conuenire dignaretur. Wladislao* autem Rege plurimum renuente, renitenteque, & priorem colluſionem opponente, *Sigiſmundi* Regis Nuncius damnari caput ſuum, ſi *Caſſouiam Sigiſmundus* Rex venire falleret, permittebat. Quo tam ſublimi exhibitione narrationem ſuam firmante, *Wladislaus Poloniæ* Rex expugnatus, ex *Sanok* in *Hungariam* reuerſus, per *Stropkow* & *Operiaſch* procedens, vndecima Maii *Caſſouiam* aduenit. Rege autem *Sigiſmundo* illic non reperto, ſeptem diebus, magna cruciatus anxietate, apud *Caſſouiam* immoratus, octauo die cum ſuis omnibus diſcedere accelerabat. In ipſo autem diſceſſionis *Wladislai* Regis articulo, *Sigiſmundus* Rex aduenit. Et moram ſuam aſſidua ægritudine expurgans, ægre a *Wladislao* Rege, ne illo die diſcederet, obtinuit. Octo deinde diebus ambo Reges manſionem ſuam apud *Caſſouiam* agebant. Inter quos *Sigiſmundus Romanorum* & *Hungariæ* Rex, ponebat ſe ſeruentem mediatorem, ad procurandum pacem inter *Wladislaum Poloniæ* Regem & Cruciferos, quorum Nuncii tunc aderant, *Wladislao* autem Rege compromittere plenarie in *Sigiſmundum Romanorum* Regem ſe offerente, & poſt oblationem effectualiter compromittente, Cruciferi ſimulabant ſe nullo pacto in eum, dolos tegendo abſconditos, compromiſſuros. Vrgebat itaque *Wladislaus Poloniæ* Rex Cruciferorum Nuncios oblatione ſua in compromiſſum. Et Cruciferorum Nunciis renitentibus, neque *Wladislaum* Regem illa æſtate inſtaurare poſſe bellum conſentientibus, tanto inſtantius oblationem ipſam ingeminabant. Magnopere autem *Sigiſmundus Romanorum* Rex indignatus, quod parum ſibi fiderent, & compromittere in illum detrectarent, obtulit *ſe proprio motu Wladislao Polonorum Regi, contra eos perſonale auxilium, cum ſuis omnibus potentiis laturum, & eorum exterminium, omnibus conatibus procuraturum. Eo tamen pacto, quod in fœdere, apud Lubowlia inito, ſancitum eſt, ſaluo, vt terris Pomeraniæ, Chelmenſis, & Michalouienſis, in ſortem Regni Poloniæ, velut propriis & naturalibus redeuntibus; Pruſſia inter Reges diuideretur.* Ea omnia dilato ſermone ſe impleturum iureiurando firmabat. Neque de bello Cruciferis *Pruſſiæ* inferendo, curam Reges, ſed de *Pruſſia* diuidenda ſermonem intenderant, iamque diuiſionem ipſam per loca, ſigna, & fluuios deſignabant. Tantam autem actualem *Wladislaus Poloniæ* Rex de promiſſis *Sigiſmundi Romanorum* & *Hungariæ* Regis fiduciam certitudinemque induerat, ratus illum & pro Regia virtute, & in Cruciferos irritatione, ſincere ſingulas pollicitationes cuſtoditurum, vt earum dulcedine ineſcatus, terram *Scepuſienſem* dono, & ſine aliqua pecuniarum ſolutione, *Sigiſmundo* Regi reſignare ſtatueret, niſi a propoſito, ſibi & Regno ſuo pernitioſo, per *Albertum Iaſtrzabiecz* Epiſcopum *Cracouienſem Sbigneum de Oleſchnicza* Præpoſitum *S. Floriani* Secretarium, & alios Conſiliarios, non ſine difficultate fuiſſet reductus. Propediem ſiquidem venturum ſe, & auxilia copiarum magnarum adducturum, *Sigiſmundus* Rex conſtanter & enixe *Wladislao* Regi pollicebatur, non quia implere vellet quæ promittebat, ſed vt *Wladislaum* Regem ſpe magna impletum facilius falleret. Nec ſolum tunc, ſed & poſtea, per multa tempora, ficta illum promiſſione lactabat.

Dolis Romanorum Regis Wladislaus irretitus,

eidem pene donat Scepuſium.

Wladislaus Rex vanis Sigiſmundi promiſſionibus diu lactatus,

Feria ſexta in craſtino *Aſcenſionis* Domini, *Wladislaus Poloniæ* Rex, facto in *Sigiſmundum Romanorum* & *Hungariæ* Regem, in Cruciferorum cauſa extenſo compromiſſo, & *Sigiſmundo* Regi in ſcriptis tradito, Conſiliariis necquicquam diſſuadentibus, & non extenſum ſed limitatum & conditionatum compro-

pro-

1419

promiſſum, tale videlicet: *Vt ſi Cruciferi de Pruſſia intra feſtum S. Margarethæ compromittere, & Sigiſmundus Rex pronunciationem ſuam ferre negligerent, Compromiſſum Regium feſto Sanctæ Margarethæ lapſo, intelligeretur extinctum*, conſultantibus & magnopere id ſalubre cenſentibus. Ex *Caſſouia Sigiſmundo* lege illum in longum proſequente, diſcedens in *Operiaſch* venit: *Sbigneum* de *Brzezie* Regni *Poloniæ* Marſchalcum, apud *Sigiſmundum* Regem & eius Curiam relinquens, ad ſolicitandum Regem, vt celerius cum ſuis potentiis, auxilium *Wladislao* Poloniæ Regi contra Cruciferos laturus, conſurgeret, & conſurgentem verſus Thorun per *Cracouiam* & *Brzesczie* duceret, de neceſſariis ſibi & genti ſuæ prouiſurus. Iamque *Wladislaus Poloniæ* Rex in pluribus locis Regni ſui, per quæ *Sigiſmundum* Regem iturum credebat, vinum cæteraque victualia in magna copia procurauerat ordinari. Sed & *Sigiſmundus Romanorum* & *Hungariæ* Rex, non ſecus quam quæ promiſerat & iurauerat, impleturus, *Georgium* de *Holoch* Epiſcopum *Pathauienſem*, Gubernatorem Archiepiſcopatus *Strigonienſis*, & Imperialem Cancellarium, & *Ioannem* Comitem de *Herdek* alias de *Recz*, neceſſaria & arma, in ſuam & ſuorum militum expeditionem opportuna comparaturos, *Cracouiam* transmittit. Qui ſex hebdomadis apud *Cracouiam* in expenſis *Wladislai Poloniæ* Regis commorati, intelligentes *Sigiſmundum* Regem fluxæ & variabilis fidei eſſe, *Cracouia* diſcedentes, in *Hungariam* redierunt. Quibus redeuntibus, & *Sbigneus* de *Brzezie* Regni *Poloniæ* Marſchalcus, videns & palpans ſingulas pollicitationes *Sigiſmundi* Regis recidiſſe in irritum, & nullas illum copias quantumlibet tenues, ordinaſſe, non ſine ſuo & Regis ſui ludibrio, ludificationem Regis ſui & ſuorum ferre non valens, ex Curia *Sigiſmundi* Regis diſceſſit, & ad *Wladislaum Poloniæ* Regem, iam tunc in Cruciferos expeditionem agentem, rediit; *Sigiſmundi* Regis pollicitationes probe expertus. Habebat enim *Sigiſmundus* Rex calliditati vafræ permixtum ingenium, aliud clauſum geſtans in pectore, aliud depromens lingua, adeo in promittendo blandus, vt crederes illum, quod mollibus & ſuauibus pollicitationibus obtulerat, effectualiter opere impleturum, & nullam vafriciem verbis ſuis includi, & qui multum habuit ingenii, minus cordis. Ex *Operiaſch Wladislaus Poloniæ* Rex per *Stropkow* & *Rimanow*, in *Sanok* aduenit. Et expeditione generali contra *Pruſſiam* indicta, ſcribit *Alexandro Withawdo Lithuaniæ* magno Duci, vt cum potentiis ſuis, dominiorum ſuorum, in auxilium ſuum venire non negligat. Militibus vero Regni ſui vniuerſis, vt in *Volborz* exercitualiter conueniant, in *Pruſſiam* proceſſuri, demandat. Ex *Sanok Przemiſliam*, inde pro feſto *Corporis Chriſti*, *Leopolim* venit. Quo illic exacto, per *Iaroslaw*, *Lezeysko*, feria ſexta in die Sanctorum *Petri* & *Pauli*, *Sandomiriam* veniens, Sabbato ad monaſterium *S. Crucis Calui montis*, orationis & commendationis gratia deſcendens, Nuncios *Sigiſmundi Romanorum* & *Hungariæ* Regis videlicet *Erkapeter* Magiſtrum *Tauernicorum*, Regalium, & *Stephanum* de *Brzozowicze* accepit. Qui legationem dicere iuſſi, ſummo ſtudio, ſummoque conatu, variis ſupplicationibus & promiſſis ſupplicabant Regi, *vt expeditionem cæptam in aliud tempus differret, deciſionem ex arbitrio Sigiſmundi Regis, iuxta omne ſuũ beneplacitum, ſine ferro & armis habiturus*.

ex Hungaria diſcedit,

Wladislaus autem *Poloniæ* Rex, in verbis & promiſſis *Sigiſmundi* Regis, nullam efficaciam reponens, quippe qui eum tot iteratis vicibus fefellerat, Nunciis reſpondet: *Nullo pacto ſe omiſſurum cæptam expeditionem, exercitibus Polonicis & Lithuanicis iam in arma coactis, certitudine pleniori in cauſa ſua non extante.* Cumque Nuncii *Sigiſmundi* Regis eo reſponſo parum contenti, aliud ſibi benignius multifaria inſtantia depoſcerent, *Wladislaus* Rex, *neque ſe ſecus facturum, neque aliam reſponſionem daturum* aſſerens, ex *Caluo Monte* in *Bodzaczin* deſcendit. Quo cum *Eliſabeth* Regina debilis & languens adueniſſet, Regem tamen per *Blizini*, *Zarnow*, & *Sulieyow*, vſque in *Volborz*, valetudinaria comitabatur. Motis ex *Volborz* copiis, ſolitis ſtatiuis pro die *S. Mariæ Magdalenæ* ad *Czerwiensko*, quo iam *Alexander Withawdus* cum potentiis gentium ſuarum aduenerat, applicuit, vnitiſque exercitibus, *Viſlam* per pontem ex nauibus extructum ſuperans, in terras hoſtiles procedit.

nec ab expeditione in Pruſſiam cohiberi poteſt.

Cum itaque in villam *Bodzino Maſouiæ* ſitam in diſtrictu *Zawkrzenſi* perueniſſet, altero die terras hoſtiles ingreſſurus, *Bartholomæus* Archiepiſcopus *Mediolanenſis*, *Capra*, eo quod pro inſigni capram ferret, appellatus, ex parte *Sigiſmundi Romanorum* & *Hungariæ* Regis bellum intercepturus, aduenit. Sentiens ſiquidem præfatus *Sigiſmundus* animum *Wladislai Poloniæ* Regis ab expeditione non poſſe reduci, alia arte & ingenio, dum perſuaſiones abiectum iri videret, expeditionem intercipere tentauit. Miſit ſiquidem velociſſime prædictum *Bartholomæum* in *Pruſſiam*, conſulens Cruciferis & mandans, *quatenus in ipſum, omni pauore circumſcripto, compromittant*: pollicitus *ſe illis iudicem & arbitratorem fauorabilem monſtraturum*. Qui ſuis parentes iuſſionibus, eadem poteſtate plenitudineque verborum in illum compromittunt, vaſtationem terrarum ſuarum, quemadmodum euenit, auerſuri. Præfatus itaque *Bartholomæus* Archiepiſcopus, in conſilium introductus, magnis precibus, maioribus ingeniis, deprecatur *Wladislaum* Regem, quatenus *iuxta ſui compromiſſi formam, a bello ſe temperaret, & arbitrariam deciſionem Sigiſmundi Romanorum*

1419

& Hungariæ Regis expectet, in quem, alteram partem diu reluctantem, Magiſtrum videlicet & Ordinem cruciferorum compromiſiſſe deducebat. Et licet *Wladislaus Poloniæ* Rex, & omnis ſuus exercitus, quolibet compromiſſo non obſtante, precibus *Bartholomæi* Archiepiſcopi *Mediolanenſis* repudiatis, ſummopere bellum proſequi expeteret, conſiliis tamen & inſtantiis multiplicibus *Alexandri Withawdi* Ducis magni *Lithuaniæ*, aſpirantis in reuerſionem, perſuaſus, non ſine ſua & totius exercitus ſui grandi nauſea & amaritudine, treugis ad biennium ſuſceptis, *Sigiſmundi* Regis pronunciationem & arbitramentum ſe aſtrinxit præſtolaturum, dummodo ferre illud iuxta præſens tempus & diem Epiphaniarum incluſiue non negligat, alias compromiſſi facultatem, feſto Epiphaniarum tranſacto, voluit penitus eſſe annullatam & extinctam. His taliter compoſitis, *Wladislaus Poloniæ* Rex armis depoſitis, a bello, non ſine ſua & totius exercitus anxietate, diſcedit. Prælatis autem & Baronibus *Poloniæ*, eum de tam improuido compromiſſo arguentibus, ipſe omnem culpam in *Albertum Iaſtrzambiecz Cracouienſem* Epiſcopum, & Cancellarium Regni *Poloniæ* retorquet, quaſi ſua negligentia, & non potius Regia prohibitione, conditio compromiſſum reſtringens, adiecta non fuiſſet: videlicet vt ſi infra treugarum tempus, ad diem *S. Margarethæ* compromittere Cruciferi de *Pruſſia* neglexiſſent, compromiſſum Regium intelligeretur extinctum. Ex quo prædictus *Albertus Iaſtrzambiecz* Epiſcopus *Cracouienſis* magna odia, & multiplices ſugillationes, in animis militarium, licet præter ſuum demeritum, contraxit. Hæc expeditio, ob reuerſionem quæ accidit, *reuerſalis* intitulatur a *Polonis*. Ex *Badzino* confectis treugis *Wladislaus* Rex eadem via, qua aduenerat, flumine *Visla* apud *Czerwyensko*, cum omni exercitu ſuperato, tranſiens, exercitum ſuum licentiauit, qui fere omnia bona, quæ in quadrigis ex farina vehebat, agreſtibus in *Maſouia*, quorum fruges depaſtus erat, largitus eſt.

Wladislaus in biennium icto cum Cruciferis foedere, exercitum in Poloniam reducit.

Ex *Czerwyensko Wladislaus* Rex egreſſus, per *Gabyno*, *Goſtinino*, *Kowalye*, *Brzeſczye*, *Radziciow*, *Strzelno*, *Gabicze*, *Mogilno* procedens, pedeſtre iter in *Pobyedziska* conficiens, *Poſnaniam* ſecunda die menſis Auguſti aduenit. Obſecrationibus autem ſuis apud monaſterium Corporis Chriſti perfunctus, Sabbato *Poſnania* hora tertiarum in quadriga, in cunabuli modum fabricata, verſus *Srzodam*, comitantibus illum, *Nicolao* de *Michałow Sandomirienſi*, *Sandiuogio* de *Oſtrorog Poſnanienſi*, Palatinis, *Henrico* de *Rogow*, *Ioanne Mazik* de *Dabrowa*, & aliis pluribus militibus, procedebat. Dum autem in nemus ante *Thulcze* ſitum perueniſſet, ſubito ex cœlo ſereno & lucido, turbidum & tenebroſum factum eſt, coruſcationesque horridæ, ac tonitrua fieri cœpta. Quo nemus ingrediente, & prope montem proximum nemori conſtituto, fulmen de cœlo maximo & vehementi fragore decidens, quatuor equos quadrigam Regis vehentes, & duos ſeruitores Regios, qui latera quadrigæ Regiæ, ne caderet, eundo pedibus ſuſtentabant, videlicet *Bachmath* & *Matthiam* nigrum, ſuo impetu, auriga ſeruato, necauit. Occidit & equos, quibus *Nicolaus Sandomirienſis*, *Sandiuogius Poſnanienſis*, Palatini, *Henricus* de *Rogow*, *Ioannes Mazik* inſidebant. Item ſeptem alios equos militum, ſeſſores eorum in nullo offendens. Occidit & equum Regis, cui cubicularius *Forſchtek* inſidebat, lanceam vibratilem Regis gerens, chlamydem eiusdem cubicularii *Forſchtek* per medium diſcerpens, corpus vero non contingens. *Wladislaus* autem Rex terrore horribili fulminis tremefactus, Baronibus & militibus ad eum percuſſione fulminis deſinente, occurrentibus, & *quonam modo ſe haberet*, ſciſcitantibus, longo tempore, ſiue id exanimatio, ſiue ingens metus cauſabat, nullum reſponſum edens, non ſecus quam mortuus a militibus lugebatur. Erigens tandem ſe, viribusque quas metus occluſerat, reſumptis, loqui cœpit, caſum tam horrendum profitens, pro ſuis demeritis iuſte eueniſſe. Pertulit autem *Wladislaus* Rex, ex fulmine huiusmodi, in dextra manu dolorem intra dies paucos deſinentem, & in ſenſu auditus aliqualem occluſionem, ſed & veſtimenta eius ſulphure olebant. Hunc caſum vltionem iræ Dei deſignantem, religioſi & timorati viri, non aliud *Wladislao* Regi rebantur accidiſſe, niſi quia ſororem per ſpiritualem cognationem germanam *Eliſabeth Granowska*, accepiſſe illum non pudebat in vxorem. Liberius tamen aliquanto *a Sbigneo* de *Oleſchnicza* Secretario ſuo Rex correptus: *Elementorum*, inquit, *te o Rex ferientium teſtimonium accepiſti, quantum facinus, miſcendo te ſorori germanæ, commaternitatis vigore, admiſeris: eius quippe mater te de fonte leuauerat, dum & murorum robur te non ſuſtinendo præcipitat, & cœlum fulmine, & ignis fulgurando condemnat. Vnde niſi pœnitueris, metuenda ſunt ea ne te demergant, terra timori habenda ne abſorbeat.* Tum quoque primum *Wladislaus Poloniæ* Rex, plaga horribili ſuperne accepta, timere ſibi cœpit, & matrimonium, horribile, Deo & hominibus odibile, quod cum *Eliſabeth Granowska* contraxerat, execrari. Aſſertio etiam habebat aliquorum, quod dubietas fidei Chriſtianæ ei veniebat in mentem velut Neophyto, cum ſubito fulmine percuſſus eſt. Sed nec ipſe tunc, aut poſtea, facinus ſuæ in fide vacillationis prodidit, nec cuiquam, an id verum fuerit, facile ſuccurrerit.

Wladislaus Rex horrendo fulminis ictu terretur,

eo quod ſororem ſpiritualem in matrimonium duxerat

Fulminis iactura excepta *Wladislaus Poloniæ* Rex, in oppidum ſuum Regale *Srzoda*, quo

1419

quo tendebat, peruenit. Ex quo die altero recedens, per *Pizdri* & *Caliſch*, *Siradiam* pro feſto Aſſumptionis S. *Mariæ* Virginis peruenit. Exinde per *Sczyrcow*, *Piotrkow*, *Przedborz*, *Malogoſcz*, *Andrzeyow*, *Visliciam*, applicuit. Quo illi certus Nuncius, *Venceslaum Bohemiæ* Regem diem obiiſſe ſignificans, allatus eſt. Cui funerias ſolenni officio apud *Visliciam* celebranti, *Sigismundi Romanorum* & *Hungariæ* Regis alter Nuncius occurrit, obſecrans, *vt in noua Sandecz cum illo conuenire dignaretur quanto celerius*. Cuius precibus morem geſturus, ex *Vislicia* in *Sandecz* pro die Natiuitatis *S. Mariæ* Virginis procedens, *Sigismundum Romanorum* & *Hungariæ* Regem, cum frequenti Baronum *Bohemiæ* numero, qui ad illum poſt obitum *Venceslai* Regis confluxerant, in *Sandecz* venientem excepit, & ſingulis neceſſariis Regem, & omnes, qui ſecum vna venerant, tractauit. Tentæ ſunt autem per dies aliquot, inter Reges & eorum Conſiliarios, variæ ſuper Regno *Bohemiæ* vacanti, deliberationes, idque per *Wladislaum Poloniæ* Regem in ſumma *Sigismundo* Regi conſilium, *quatenus ſingulis agendis aliis prætermiſſis, quam celerrime in Bohemiæ Regnum ire pergeret, rebusque publicis compoſitis, ſectam quoque & hæreſim Viclephiſticam, poſt mortem Venceslai Regis creſcentem, ne amplius graſſari poſſet, & quoslibet alios, res nouare molientes, opprimeret.* Verum *Sigismundus* Rex, *nihil ſe dubitare de fide Bohemorum in ſe* reſpondit, & *maiores ac principaliores, aut veniſſe perſonaliter, aut per literas illi fidem dediſſe.* Salutari igitur conſilio *Wladislai* Poloniæ Regis, qui ſe illi ferre cum gentibus, ſi eum in *Bohemiã* ire contingeret, auxilium offerebat, neglecto, in *Turcas* ea æſtate expeditionem fecit. Intelligens autem *Wladislaus Poloniæ* Rex, *Sigismundum Romanorum* & *Hungariæ* Regem conſorti ſuæ Reginæ *Barbaræ* vehementer iratum eſſe, *Ianuſſium* de *Tuliſckowo* Caſtellanum *Caliſſienſem* in *Hungariam* mittit, cuius opera reconciliatio vtriusque ſecuta eſt. Solicitauit deinde præfatus Caſtellanus *Caliſſienſis Sigismundum* Regem & Cruciferos iuſta ſententia, tam aſſidua & forti ſolicitudine, vt etiam illum in *Turcas* expeditionem agentem ſequeretur. Nec etiam ſolicitudinem remiſit, donec *Wratislauiæ* ſententia ipſa prolata eſt.

Mortuo Venceslao Bohemiæ Rege frater eius Sigismundus Imp. a Wladislao Sandeciæ excipitur.

Quem in Turcas bellũ parantem Ianuſſius de Tuliſchkowo comitatus ſententiam arbitrariam Wratislaviæ obtinuit.

Anguſtiatus *Venceslaus Bohemiæ* Rex frequentibus malis, quæ per deſidiam ſuam in *Bohemia* inualuiſſe fuerat, paralyſi correptus ægrotare cœpit, atque infra octo & decem dies, ſignatis hæreticorum nominibus, quos neci deſtinauerat, *Sigismundum Romanorum* & *Hungariæ* Regem, fratrem, aſſidue vocitans, & amicorum auxilia anxius expectans, ante vita exceſſit, quam vocati Principes adeſſent, die videlicet Mercurii ſedecima menſis Auguſti; cum regnaſſet annis quinque & quinquaginta, & duobus tantummodo amplius vixiſſet. Cadauer ſuum primum ad Eccleſiam *S. Viti* in arce, deinde ad aulam Regiam, ſolius Abbatis aulæ Regiæ diligentia, propter *Viclephiſtarum* metum & rabiem, noctis tempore humatum eſt, omni funerea pompa omiſſa. *Zophia* Regina ingredi ciuitatem non auſa. Cum vero poſtea monaſterium prædictum ab hæreticis diriperetur, & ſepulchra Regum effringerentur, cadaueraque abiicerentur, Piſcator Regius *Muska* nomine, Regis, quem amauerat, corpus clam collegit, & in loculo domi apud ſe condidit. Interiecto deinde tempore, rebus ad meliorem formam redactis, cum *Venceslai* corpus requireretur, viginti aureis acceptis, illud reddidit. Cui tandem primum iuſtus honos ſolutus eſt.

Ex *Sandecz Wladislaus* Rex per *Cieskowycze, Pilzno, Ropczice, Lancuth*, in terras *Ruſſiæ* proceſſit, & circa feſtum *S. Michaelis*, *Leopolim* cum *Eliſabeth* Regina venit. Quo ex *Leopoli* verſus *Glinyani* egreſſo, *Eliſabeth* Regina ſequi illum, languore oppreſſa, deſiit, & in *Grodek* proceſſit. Ex *Glyniani* in *Schambor*, abinde viſitaturus ægram Reginam in *Grodek*, poſt vero Regina *Eliſabeth* in *Lanczuth* diuertente, per *Sanok*, *Ropczice*, *Pyecz*, *Bochnia*, tranſitum faciens, pro die ſancti *Martini* in *Nyepolomycze* venit. Ex *Nyepolomicze* in *Lithuaniam* proceſſurus, *Eliſabeth* Reginam plus ſolito ægram apud oppidulum *Brzezek* viſitauit, & tandem per ſolita loca in *Lithuaniam* proceſſit. Perfunctusque illic venationum voluptate, Natale Saluatoris apud *Merecz* celebrauit.

Tardante *Sigismundo Romanorum* & *Hungariæ* Rege *Viclephiſticam* hæreſim, in *Bohemiæ* Regno gliſcentem, opprimere, repente vires conquirens, eousque pullulauit proceſſitque, vt armata manu in fidem & religionem Orthodoxam graſſaretur; ſectatoribus peſtis tam nefandæ ſingulos fideles compellentibus ad vtriuſque ſpeciei communionem, cæterorumque erroneorum articulorum obſeruantiam. Et quoniam hæreſis prædicta, temporalium bonorum poſſeſſionem habere Eccleſiam ſceleſtum & illicitum aſtruebat, Seculares *Bohemi* doctrinam huius articuli, ambitioni eorum congruentem ſecuti, Duce *Ioanne Ziſchka* de *Troſchnouia*, primum monaſterium Carthuſienſe in *Praga*, partim eiectis ex eo, partim trucidatis fratribus Carthuſienſibus, diripiunt, diſiiciunt, & muros eius ſolo æquant, bonaque temporalia eiusdem monaſterii occupant, monaſterium deinde Ciſtercienſe, dictum *Aula Regia*, vno miliari a *Praga* diſtans, ſimili abominatione in exterminium ponunt, bona illius diripiendo, corpus *Venceslai* Regis nouiter abſumpti, in eodem monaſterio *Aula Regia* ſepultum, egerunt, & in flumen *Molthawa*, viuis & mortuis inferendo bellum, proiiciunt. Quod piſcator offendens, in ſuo tugurio

Scelera & crudelitas varia Viclephiſtarum Duce Io. Ziſchka.

1419 rio ſepeliuit, vilemque egeſtionem vilior ſepultura ſecuta eſt. *Conrado* inſuper de *Veſtphalia* Archiepiſcopo *Pragenſi*, *Albicio* eam Sedem Archiepiſcopalem refutante, promoto, & in præfatam hæreſim, metune, incertum eſt, an caligine & nequitia mentis prolapſo, grex fere vniuerſus ſuus, Paſtore errante, ſcandalizatus, in præcipitium actus eſt. Et hæreſeos peſte, virus ſuum longe diffundente, Regnum *Bohemiæ* paucis admodum ciuitatibus exceptis, labe hæretica infectum. Quaſi autem hæreſis *Viclephiſtica*, qua ſe gens *Bohemica* inquinauerat, pro explenda inſania, quæ *Bohemica* pectora peruaſerat, parum ſufficiens foret, in aliam rurſum fœdiorem, quæ *Picarditarum* appellabatur, incidit. Cuius abominabiles obſeruantias, deſcribere, etiam ſcelus crediderim: Congregati ſiquidem homines vtriuſque ſexus, peſtem huiuſmodi practicantes, in vnum locum nudi inter ſe commorati, venerea opera, nulla vxorum aut conſanguineorum diſcretione habita, paſſim patrabant, & multa ac longa proſperitate vſi, etiam Satanæ miniſterio vſi, de aduerſariis victoriis potiebantur. Ad quam quidem tam fœdam & abominandam Deo ſentinam, omnis incontinentium ſicariorum, nebulonum, & ære alieno grauatorum, fex confluebat. Sæuientibus deinde laicis contra Clerum, monaſterium inſigne *Opatkowycze* ordinis Ciſtercienſis, plurimas Sanctorum reliquias auro & argento veſtitas habens, & quæ in feſtis maioribus ex ſacrario ad altare maius in curru argenteo ferebantur, per *Ioannem Opoczynski Bohemum*, item omnia alia fere monaſteria, locaque ſacra & religioſa, tam in *Praga*, quam in toto *Bohemiæ* Regno, ſpoliata, confracta, & ruinata ſunt. Singuli religioſi & perſonæ Eccleſiaſticæ, hæreſim non acceptantes, ignibus dati, aut necati, aut pulſi ſunt: Sanctorum reliquiæ, præcipue S. *Venceſlai* Patroni *Bohemiæ*, item Sancti *Viti*, item Sanctæ *Ludimilæ*, ex thecis & locis ſuis proiectæ & conculcatæ, bona Eccleſiarum tam Cathedralium quam Collegiatarum, Conuentualium & Parochialium, a laicis occupata & direpta, omnia vaſa & clenodia Eccleſiarum, ſacris vſibus deputata, in cingulos, frena, ſellas, & alias res prophanas conuerſa, libri Eccleſiarum, monaſteriorum, & vniuerſalis Studii *Pragenſis*, diſtracti & venundati. Seculares viri boni & timorati, Catholicæque puritatis obſeruatores, qui ſe inquinari hæretica peſte paſſi non ſunt, cum coniugibus & pignoribus, ex ciuitatibus, caſtris, hæreditatibus, fundis, domibus, agris pulſi, nonnulli trucidati ſunt. Studii vniuerſitatis *Pragenſis*, Scholaribus diffugientibus, gloria peſſundata, omniaque Diuina & humana labefactata, & adeo confuſa, vt nemo mortalium, etiam *Tullianam* eloquentiam ſortitus, extet, qui ſufficienter calamitates enumeret, quas *Bohemiæ* Regnum quondam nobile & inſigne, ea vero hæreſi infectum, fœdum & miſerabile, pertulit & contraxit, ac ſplendorem gloriæ ſuæ in plurimis Regnis populis & nationibus, diffuſum, in ignominiam caliginemque conuertit. *Ioannes Ziſchka* qui ſuperiori tempore apud *Poloniæ* Regem in *Pruſſia*, bellis aſſiduis exercitatus fuit, vno carens oculo, quem pridem, ſtrenue pugnans, amiſerat, *Huſſitarum* veneno infectus, & rapinarum auidus, coadunatis ſibi ex hæreticis quadraginta virorum millibus, in omne facinus audaciam ſumpſit. Et *Pilznam* iuris ſui faciens, præſidioque valido muniens, arcem quoque *Viſchegradienſem* inuaſit. *Zophia* interim Regina, ſerum ſubſidium in *Sigiſmundo* Rege itidem ſibi repromiſſum proſpiciens, ex theſauro Regio copias comparans, & *Czenkonem* de *Vartemberg* in Capitaneum præficiens, arcem & minorem ciuitatem *Pragenſem* ciuili præſidio firmauit. Quo non obſtante, per frequentes congreſſus, continuis quinque diebus nocte atque interdiu habitos, multi vtrinque cæſi, magnificæ domus exuſtæ, Prætorium in infimo loco ſitum, incenſum atque deletum. Ædificiorum vtraque in ciuitate *Pragenſi* decus, magna ex parte violatum. 1419

Sigiſmundus Imp.

Sigiſmundus Romanorum & *Hungariæ* Rex, collecto eo æſtate notabili ex diuerſis nationibus exercitu, in defenſionem Regni ſui, contra *Turcas* expeditionem mouit. Qui dum copias gentium ſuarum, equeſtrium & pedeſtrium, prope *Albam Regalem Raſciæ* promouiſſet, exercitus ingens *Turcarum* contra illum aduenit. Aquis tamen *Danubii* inter vtrumque mediantibus, non poterant exercitus venire ad congreſſum. *Sigiſmundus* itaque Rex pluribus hebdomadis ad ripas *Danubii* caſſo labore immoratus, videns exercitum ſuum *Turcarum* exercitui numero & viribus exequari non poſſe, par priori periculum veritus, ſed neque valens ſine euidenti diſcrimine exercitum ſuum per *Hiſtrum* traducere, obſidentibus ripas eius circumquaque barbaris, nulla offenſione hoſtium facta, neque aliquo opere memorabili edito, Budam remeauit. Propter quod a *Turcis* liberius & vehementius in Chriſtianos ſæuitum eſt, & terræ optimæ atque Regna *Bulgariæ*, *Raſciæ*, *Albaniæ*, & ſeptem caſtrorum in pluribus locis vaſtatæ, ſpoliatæ, direptæ, & perſonæ vtriuſque ſexus in ſeruitutem miſerabilem abductæ ſunt.

cum Turcis congredi non auſus magna clade Chriſtianorum terras afficit.

Ita dum *Turcas* laceſſere libido illum inceſſit, *Bohemiam* amiſit, & *Hungariam* non defendit. Nam etſi legatis in *Bohemiam* ab eo ad gubernandum miſſis paritum, & arx *Viſchegradienſis* reddita eſſet, externique hæretici Vrbem reliquiſſent, & Conſulatus ex priſco more gubernationem iniiſſet, & *Sigiſmundus* prope diem ſe *Pragam* venturum, ac Regnum in morem aui *Caroli* ſe adminiſtraturum promi-

& Bohemiam amittit.

mi-

1419 miſiſſet, pollicitationeque huiusmodi ſui adventus, omnes hæreſibus deditos turbauiſſet, ominantes ſectas excluſum iri, quæ *Carolo* regnante nondum ortum habuiſſent, *Sigiſmundus* tamen Rex, dum iter verſus *Pragam* pronunciaſſet, & pro die Natiuitatis Domini *Brunam* oppidum *Morauiæ* attigiſſet, *Pragenſibus* illic veniam petentibus, ea lege pepercit, vt catenas & repagula tota ex vrbe diſſoluerent, ſuosque Magiſtratus acciperent. Paruit attonita ciuitas, omnibus ſanæ, & maxime Catholicæ mentis hominibus, de eius aduentu gratulantibus. Nec dubium videbatur, quin tota *Bohemia Huſſitarum* labes exceſſiſſet, ſi ex *Bruna Sigismundus* Rex recte ſe *Pragam* contuliſſet. Sed diuertit inde, vt forte in fatis erat, iter, *Wratislauiamque Sleſiæ* caput, acceſſit.

Fœdus inter Tartaros & Lithuanos.

Dux *Tartarorum Ediga*, potens & inſignis nimis, cuius arbitrio vniuerſum *Tartarorum* regebatur Imperium, *Alexandrum* Ducem magnum *Lithuaniæ*, cum quo apud *Vorzkla* fluuium felicius quam barbaro ethnico conueniebat, ſignis collatis dimicauerat, fœdere ſibi conciliaturus, ſpecialibus & notabilibus Nunciis ad eum directis, tres camelos panno rubeo opertos, & ſeptem ac viginti equos, cum ea legatione tranſmittit: *Nihil equidem dubito, Clariſſime Princeps, iuxta te atque me, occiduam ætatem attigiſſe. Conueniteque vt reſiduum temporis quod ſupereſt, in pace abſumamus: ſanguinem autem, qui in bellis inter nos mutuo geſtis, effuſus eſt, terra abſorbeat: verba maledica & offenſiua, quibus nos afficiebamus, ventus & aura abſumat: feruorem noſtræ iræ & vecordiæ, ignis purget: Ignes vero, & terrarum exuſtiones hinc inde inter nos habitas, aqua diluat.* Nuntios autem huiuſmodi, *Alexander Withawdus*, magnifice & liberaliter munerauit, & fœdus petitum conceſſit.

Ianuſſius Ratiboriensis Dux moritur.

Duodecima menſis Auguſti *Ianuſſius Rathiborienſis* Dux, filius Ducis *Nicolai Rathborienſis*, vir doloſus & callidus, in amentiam verſus, in *Rathibor* moritur, & in monaſterio ſanctimonialium ordinis Prædicatorum ſepelitur. Duos relinquens filios, *Nicolaum* & *Venceslaum*, & vnam filiam *Margaretham*, primum *Caſimiro Oſſzwiaczimenſi* Duci, deinde *Semouito Maſouiæ* Duci iunctam matrimonio, ex *Helena* filia *Coributhi* Ducis *Lithuaniæ*, & nepte *Wladislai* Regis *Poloniæ* ſuſceptos.

1420 Attendens *Wladislaus Poloniæ* Rex arduum nimis pro feſto Epiphaniarum imminere ſibi & Regno ſuo negotium, vt pote peremptorium terminum, in quo *Sigiſmundus Romanorum* & *Hungariæ* Rex apud Wratislauienſem ciuitatem, deciſoriam pronunciaturus erat, ſuper notabilibus terris, damnis, & offenſis, pro quibus annis multis inter Regem & Cruciferos, guerrarum ſtridores vigu- 1420 erant, *Nicolaum Archiepiſcopum Gneſnenſem Albertum Iaſtrzambiecz* Epiſcopum *Cracouienſem*, & Regni *Poloniæ* Cancellarium, *Laſcarium Poſnanienſem*, *Iacobum Płocenſem*, *Ioannem Kropidło Wladislauienſem*, Epiſcopos, *Ioannem* de *Tarnow Cracouienſem*, *Nicolaum* de *Michałow Sandomirienſem*, *Sandiuogium* de *Oſtrorog Poſnanienſem*, Palatinos; *Ioannem* de *Tuliſchkowo Caliſſienſem* Caſtellanum, *Sbigneum* de *Brzezie* Regni *Poloniæ* Marſchalcum, & *Zauiſſium* nigrum de *Garbow*, Nuncios & Legatos ſuos, comitiuam plusquam oct ingentorum equitum habentes, ad producendum literas, iura, priuilegia, & munimenta, cæteroſque articulos, & petitionem ſummariam, ex quibus ſententia iuſta ferenda foret, & ad replicandum propoſitionibus & articulis partis aduerſæ, tranſmittit. Venerunt autem præfati Nuncii Regis *Poloniæ* *Wratislauiam* diebus aliquot ante feſta Epiphaniæ, eo potiſſimum reſpectu, vt ſingula iura, inſtructiones & propoſitiones, quibus cauſa Regis inſtrui poſſet, coram *Sigiſmundo* Rege, & Auditoribus ab eo conſtituendis, tempeſtiue produxiſſent. Pro quibus recipiendis, auſcultandis, & examinandis, *Sigismundus* Rex ſe *Wratislauiam* quatuordecim diebus ante Natiuitatem Chriſti venturum, vel eo aliquo caſu impedito, auditores ſuos, qui partes audirent, & producta atque producenda reciperent, viderent, & examinarent, tranſmiſſurum, ſtricta pollicitatione promiſit: Et *Sigiſmundum* Regem illic, quemadmodum inter Reges conuenerat, non repertum, vſque in Vigiliam ad ſolis occaſum, fruſtra expectabant. Et quanquam nullatenus illum pro die Epiphaniarum venturum opinabantur, præſertim cum nullos Auditores præmiſiſſet, neque iura Regis & Regni vidiſſet, aut examinaſſet, venit tamen ille in noctis medio, & vno vehiculo cum conſorte ſua *Barbara* vectus, ciuitatem *Wratislauienſem* ingreſſus eſt. Vbi iam frequentiſſimus numerus Prælatorum, Principum, Comitum, Baronum, & militum, ſuum aduentum operientium, confluxerat. Venerant ſiquidem illuc *Martini* Papæ Nuncii, videlicet *Iacobus Spoletanus*, & *Ferdinandus Lucenſis* Epiſcopi. Item Archiepiſcopus *Moguntbinenſis*, item Dux *Saxoniæ*, item *Fridericus* Marchio *Brandeburgenſis*, *Bartholomæus Capra* Archiepiſcopus *Mediolanenſis*, *Georgius* de *Holocbl* Epiſcopus *Pathauienſis*: item fere ſinguli Principes & Barones *Sleſiæ*, item primores ex Baronibus *Bohemiæ* & *Morauiæ*, & aliarum nationum multitudo copioſa. Altero autem die, feſto videlicet Epiphaniæ illuceſcente, Legati *Wladislai Poloniæ* Regis, tam Eccleſiaſtici quam ſeculares, *Sigismundum Romanorum* Regem adeunt, iura, literas, munimenta, & priuilegia, articulos, propo-

 ſitiones

1420 ſitiones, & inſtructiones, partem Regiam promouentes, producturi, & animum *Sigiſmundi* Regis, de ſingulis meritis cauſæ, per organum Magiſtri *Pauli Wladimiri* Decretorum Doctoris, Cuſtodis & Canonici *Cracouienſis* inſtructuri. Iam quoque ipſe Magiſter *Paulus Wladimiri*, aſſumpto themate; *Iuſte iudicate filii hominum*; propoſitionem ſuam ordiri cœperat, deducens *Wladislai Poloniæ Regis Legatos attuliſſe ſecum ſingula iura, per eum alleganda, videlicet, Regiſtrum magnum & extenſum in pergameno, per ſingulos ſexternos inſtrumentatum & tabellionatum, proceſſus habiti coram Iudicibus a Sede Apoſtolicâ ante annos octoginta in Varſchouia. In quo & coram quibus, centum & triginta duo teſtes, omni exceptione maiores, videlicet Archiepiſcopi, Epiſcopi, Duces, Doctores, Palatini, Barones pro parte Regis & Regni Poloniæ, de Polonia, Pomerania, & Pruſſia inducti & examinati fuerunt. Et qui, prout ex eorum atteſtationibus ad liquidum patet clariſſime, deponunt, terras, Pomeraniæ, Culmenſem, Michalouienſem, Regni Poloniæ proprietarias & naturales fuiſſe & eſſe. Et cum Wladislaus Loktek Poloniæ Rex, cum Ruthenis, Lithuanis, Thartaris, cæteriſque nationibus barbaris, bellum geſturus, & pugnam cum illis conferturus eſſet, ex Regno Poloniæ diſceſſit, tum Magiſtro & Ordini Cruciferorum Pruſſiæ, gerens de illis ſingularem & integram fiduciam, filium ſuum vnicum Caſimirum, qui tunc Pomeraniæ Ducatum, velut Patris Præfectus, adminiſtrabat, commiſit in tutelam. Verum Magiſter & Ordo, non Diuino tantummodo, ſed etiam gentium iure præuaricato, quem tutari debebant, opprimere contendunt & opportunitatem dudum expetitam nacti, cum exercitu valido terras Pomeraniæ ingreſſi, Præfectis & Capitaneis Regiis per dolos, fraudes, & tradimenta comprehenſis & necatis, terram hæreditariam Domini & Patroni ſui Wladislai Loktek Poloniæ Regis hoſpitales etiam non veriti Deos, Wladislao Poloniæ Rege, fidei res, & eorum defenſionem tractante, violenter occuparunt.* Deducens inſuper *Legatos Poloniæ Regis habere Inſtrumentum ſententiæ diffinitiuæ Iudicum Apoſtolicorum, per quam dictas terras, & centum nonaginta millia marcarum, pro perceptis & damno, Regi & Regno Poloniæ adiudicarunt. Item Bullam Clementis ſexti, item Benedicti duodecimi alteram: per quas ambo mandarunt, Miſſnenſi, Cracouienſi, & Culmenſi Epiſcopis, vt Magiſtrum & Ordinem compellerent ad reſtitutionem Regno Poloniæ terras prædictas, velut ab eo illicite diſtractas.* Petebat tandem poſtremo, *Wladislai* Poloniæ Regis, & Legatorum ſuorum nomine, *vt prius, quam ad pronunciationem ſententiæ procederet, iura pro parte Regis & Regni producenda, diligenter videret. Audiret inſuper iuris Diuini & humani Doctores, pro parte Regis & Regni in ſuo conſpectu allegaturos, producturos, & oſtenſuros, de iure ſcripto, quod dicta ſententia Iudicum Apoſtolicorum executioni ſit demandanda: concordiis, renunciationibus, vſque ad illud tempus habitis, non obſtantibus quibuſcumque.* *Sigiſmundus* tamen Rex, Cruciferorum & *Almanorum* dolis circumuentus, & largitionibus eorum ineſcatus, ad audiendum propoſitiones Regis *Poloniæ*, ad examinandum merita cauſæ ad videndum iura, literas, priuilegia & allegationes ad cognitionem cauſæ neceſſarias, priuſquam ad ſententiæ pronunciationem procederet, nulla poterat petitione, prece, aut perſuaſione induci, aſſerens ſe de omnibus proponendis, & meritis cauſæ, ſufficienter inſtructum, ſententiam pera tenere paratam. Quæ res *Poloniæ* Regis legatos, malum ſuum ominantes, non ſecus, quam ſi iam iniquitatem ſententiæ vidiſſent & audiuiſſent, turbauit; omnibuſque conatibus & ingeniis adnitebantur, vt *Sigiſmundus* Rex die illo ſententiam pronunciare differret, die altero facultate compromiſſi, ex ſui teno e & forma inualidato & extincto, non aliquam poteſtatem ad ferendum iniquam ſententiam habiturus. *Sigiſmundus* tamen Rex, conſiliis *Almanorum* & Cruciferorum, hæc omnia præcauens, ad pronunciandum ſententiam in præſentia Regis *Poloniæ* Legatorum & Cruciferorum proceſſurus, mandauit coram ſe Prælatis & Principibus tranſumpta literarum ſuper donationibus Ordini per Principes *Poloniæ*, & præcipue de donatione terræ *Pomeraniæ* per *Caſimirum Poloniæ* Regem in vim eleemoſynæ factæ Ordini, & contra donationem huiuſmodi tranſumpta, per *Laſcarium* Epiſcopum *Poſnanienſem*, oppoſito *quod non ſit tranſumptis ſtandum, donec videantur originalia*, & appareant eſſe vera, ſubintulit *Sigiſmundus* Rex, *nolle ſecundum tranſumpta iudicare*: Et poſthæc illico ad pronunciationdm prorupit, & ſententiam, magnam iniuſtitiam redolentem, tulit. Cuius vt iniquitas notior fiat, capitula eius inſerenda duxi, & locos illuſtriores. In primis confirmauit, laudauit, declarauit, & diffiniuit, *vt ſubditi partium iuxta antiqua itinera libere perambulent, & merces ſuas ducant.* Item confirmauit *pacem perpetuam ante Thorun initam, etiamſi fuerit per vtramque partem rupta & violata.* Item laudauit, *quod confinia, termini, & terræ Pomeraniæ, Culmenſis & Michalouienſis, ac caſtrum Nyeſchow, cum omnibus ſuis pertinentiis, remaneant circa Ordinem, iuxta concordiam Caroli Hungariæ, & Ioannis Bohemiæ, Regum, & per donationem Caſimiri Regis Poloniæ, & ſuorum Prædeceſſorum, & per concordiam factam ante Thorun, & ſententiam eiusdem Sigiſmundi, Budæ latam.* Item pronunciauit, *quod Magiſter & Ordo Cruciferorum, teneantur Regi Poloniæ, pro recuperatione caſtri Zlothoria, ſoluere viginti quinque millia florenorum intra duos annos proxime futuros, in feſto videlicet S. Georgii proxime venturo vnam medietatem, & aliam medietatem in feſto prædicto anni ſubſequentis.* Item pronunci- 1420

Sententia iniuſta Wratislauiæ inter Regem Poloniæ & Cruciferos a Sigiſmundo Imp pronunciatur.

1420 nunciauit, *quod Magiſter & Ordo, teneantur deſtruere & demoliri facere caſtrum Lubicz cum molendino, quod eſt in Drwancza flumine intra ſex menſes.* Item laudauit, *quod limites & confinia inter Ducatum Maſouiæ, & Dominium Ordinis Pruthenorum, remaneant ſecundum literas Rudolphi Kunnich, tunc Magiſtri Ordinis, quam ratificauit, iuxta acſi eſſet ſigillo authentico ſigillata.* Item decreuit, *quod omnes captiui hinc inde ſint liberi, & relaxentur, reſtituanturque priſtinæ libertati intra tres menſes.* Item decreuit, *quod de terris Pruſſiæ & Samogithiæ diſpoſitio, concordiæ ante Thorun factæ, debeat remanere in ſuo robore, hoc modo, videlicet, quod Ordo inter flumen Memel & indagines Samogitharum debeat poſſidere, a flumine Rodaw deſcendendo, vſque ad caſtrum Memel incluſiue & mare; Dux autem Withawdus debet poſſidere totam terram Samogitharum, etiam cum illa quæ eſt inter indagines, & flumen Memel, incipiendo ab indaginibus, vſque ad caput fluminis Rodaw: procedendo recto tramite ſicut intrat idem fluuius in Memel, per tranſuerſum fluminis ſimiliter recto tramite, ad quinque miliaria in latitudinem, per terram vocatam Schuderlanth, alias Gewken, & in longitudinem vſque ad Lithuaniam, includendo vtramque ripam dicti fluuii Memel, vſque ad vitam Regis Poloniæ, & Ducis Withawdi.* Item decreuit, *quod neutra partium debeat ædificare in terris prædictis aliquod ædificium in vita Regis & Ducis.* Item laudauit, *quod partes prædictæ inter ſe ſint & remaneant boni & veri amici.* Item *remiſit omnes iniurias, offenſiones, atque damna, hinc inde quomodo libet commiſſa & illata.* Item *reſeruauit ſibi declarationem & interpretationem, ſi quæ dubia in poſterum ex huiuſmodi ſententia orirentur.* Item decreuit, *quod omnia prædicta & ſingula, ac quodlibet præmiſſorum, partes ſibi inuicem obſeruare, manutenere, & attendere teneantur, ſub pœna decem millium marcarum argenti puri, quam incurret qualibet pars, in cuiuslibet articuli violatione.* Item decreuit, *quod Poloniæ Rex caſtrum Iaſzyeniecz intra duos menſes reſtituere teneatur.* Ex hac itaque ſententia, & eius articulis ſupra deſcriptis, quilibet ſanæ mentis iuſtus & diligens rimator, poterit deprehendere, videre, & palpare *Sigiſmundi Romanorum* Regis ſiniſtram mentem. In fauorem enim Ordinis, ſingulos fere articulos pronunciat. Singula vero quæ pro Rege *Poloniæ* facere debuerat, aut ſupprimit aut deſtruit. Oſtendens per omnes fere conditiones & articulos, quod non Arbiter aut Iudex fuerat partium, ſed potius partis Crucifericæ Patronus & Aduocatus. Datum *Wratiſlauiæ* anno Domini milleſimo quadringenteſimo vigeſimo, die ſexta Ianuarii. Præſentibus reuerendis in *Chriſto* Dominis, *Iacobo Spolethanenſi, Ferdinando Lucenſi* Epiſcopis Sanctiſſimi Domini noſtri ſummi Pontificis *Martini* quinti Papæ Nunciis; Domino *Bartholomæo* Archiepiſcopo *Mediolanenſi, Geor-* 1420
A *gio Pathauienſi,* Imperiali Cancellario, *Conrado Wratiſlauienſi, Ioanne Brandeburgenſi* Epiſcopis, & *Georgio* Magiſtro, *Ioanne Stokces* Legum Doctore, Sereniſſimi Principis Domini *Henrici Franciæ Angliæque* Regis Legato; ac Illuſtribus Principibus *Alberto* Duce *Saxoniæ,* Sacri Rom. Imperii Archimarſchalco, & *Frederico* Marchione *Brandeburgenſi,* eiuſdem Sacri Rom. Imp. Archicamerario, & Burgrabio *Nurembergenſi,* Principibus Electoribus, nec non *Henrico* Comite Palatino *Rheni,* & Duce *Bauariæ, Ioanne* de *Rathibor, Przemkone* de *Tropaw, Ludouico* de *Brega & Legnicz,*
B *Ioanne* de *Minſterberg, Rumpoldo* de *Glogouiæ maiori, Conrado Cathner* de *Oleſchna,* & *Ruperto ac Venceslao* de *Luben,* Ducibus Sleſiæ, *Ludouico* Comite de *Gdinche,* & aliis pluribus fide dignis.

Pronunciatione ſententiæ Legati *Poloniæ* Regis audita, & eius iniquitate expenſa, triſtes mœſtique in hoſpitia diuertunt: Conſcriptoque omni proceſſu, qui cum illis habitus eſt, & quam reportarunt ſententiam, copia etiam illius annotata, per velocem Nuncium *Klimkonem* de *Klay,* in equis publice commutatis, in *Lithuaniam Wladiſlao* Regi tranſmittunt. Ipſi apud plures Eccleſiaſticos & Seculares Principes, de magna iniquitate ſententiæ palam queſti, die altero, duobus tantummodo,
C *Ianuſſio* de *Tuliſchkowo* Caſtellano *Caliſſienſi,* & *Zauiſſio* nigro, remanentibus, ſinguli de *Wratiſlauia,* Rege *Sigiſmundo* inualedicto, ſententia inſuper ſua, quam illis ſub ſigillo ſuo deſtinari procurauerat, repudiata, ad diſcedendum ſe parauerant. Quos *Sigiſmundus Romanorum* Rex, ſe plurimum in *Wladiſlaum Poloniæ* Regem deliquiſſe, ſero perpendens, & facti ſui præcipitis pœnitudinem habens, per triduum retinuit, demonſtrans *ſe, de notoria ſuæ ſententiæ iniquitate ingenti cruciatu teneri, & palam vociferans, ſe per Iacobum Spolethanum Epiſcopum, & alios Italicos circumuentum eſſe; Iacobo Spolethano Epiſcopo refellen-*
D *te, non ſe, neque Italicos, ſed Almanos, quos Sigiſmundus Rex in Conſilium rerum adhibebat, tam iniuſtam & impiam ſententiam conflauiſſe;* Vertenſque ſe deinde *Sigiſmundus Romanorum & Hungariæ* Rex, ad Magiſtri & Ordinis Cruciferum Legatos, illos precibus ſolicitare cœpit, *quatenus liceret ei, de ipſorum conſenſu, ad moderationem ſententiæ procedere.* Quibus reſpondentibus, *nullum ſe ad hoc mandatum aut inſtructionem a Magiſtro & Ordine ſuſcepiſſe, velle tamen ad Magiſtrum & Ordinem mittere, & illi Sigiſmundi Regis preces declarare,* vrgebat *Sigiſmundus* Rex Legatos *Wladiſlai* Regis, *vt paulisper Wratiſlauiæ immorarentur, correctionem male decretorum præſtolaturi.* Oratores autem Regii ſe ludificari & falſi rati, nullo pacto ad remanen-

manendum poterant induci. Nuncius itaque Regius *Clemens* de *Klay*, Sabbato in die Epiphaniæ ex *Wratiſlauia* diſcedens, & curſu veloci in *Lithuaniam* contendens, *Poloniæ* Regem *Wladiſlaum* in *Dolgi*, feria ſexta intra octauas Epiphaniæ, offendit, longiſſimum iter, ducentorum videlicet prope miliarium, diebus ſeptem emenſus, quo poſt feſtum Natiuitatis Chriſti ex *Merecz* egreſſus, in *Troky* diuerterat. Atque feſtis Circumciſionis & Epiphaniæ illic peractis, ex *Lithuania* in Regnum *Poloniæ* proceſſurus, *Alexandro Withawdo* eum comitante, diſcedebat. Ac *Wladiſlao* Regi, & *Alexandro Withawdo*, noctis hora, qua aduenerat, literis Legatorum præſentatis, multa etiam verbo, quæ geſta & quali ordine fuerint, deprompſit. Qua nouitate *Wladiſlaus* Rex, & *Alexander* Dux audita, non ſecus quam par erat, maxima turbatione perculſi, in ſuſpiria amariſſima & fletus, eiulatusque ruentes, tum primum dolos & verſutias *Sigiſmundi Romanorum* Regis ſentire cœperunt. *Withawdus* quoque Dux iræ impatiens, quam dolor ingens de terrarum *Samogithiæ* & *Sudorum* abiudicatione ſubminiſtrabat, in *Sigiſmundum Romanorum* Regem plurimis maledictis inuectus, calliditatem illius frequentibus improperiis exprobrabat. Adeo autem Regi & Duci erat ſententiæ prædictæ pronunciatio moleſta & acerba, vt eorum fletus & rugitus, non ſecus quam duorum leonum frementium, a longe exaudirentur. Nocte autem illa in mœrore & mentis anguſtia transacta, *Withawdus* in cubiculum Regium in diluculo introiens, monet blandis verbis Regem, *vt animo æquiore ſit, & paſſione amaritudinis depulſa, ad remedia potius, quam ad dolorem, vacet. Neque enim mœrore, ſed ſano conſilio, fortique manu, vulnus inflictum reſcindi oportere*, aſtruebat. Eo conſilio probato, e *Dolgi* Sabbato in octaua Epiphaniæ in *Gilgi* itum eſt. Et paucis ſecretis Conſiliariis in conſilium Rex & Dux adhibitis, eam deliberationem capit, vt quam celerrime Nuncii, mutando ſubuectiones, *Wratiſlauiam* properent, & *Sigiſmundo Romanorum* Regi illic reperto, ſibi publice Regis & Ducis nomine denuncient, *nullo pacto Regem & Ducem, ſententiæ ſuæ iniquæ & iniuſtæ ſtaturos, ſed ferro & armis ſuam iuſtitiam propitia Diuinitate perſecuturos.* Dum autem ad legationem huiuſmodi grauiter & prudenter exponendam de Nuncio quæreretur *Sbigneus* de *Oleſchnicza* Præpoſitus *S. Floriani* extra muros *Cracouienſes*, Regius Secretarius, plurimum idoneus eſt viſus, qui & ipſe, dum de mittenda legatione huiuſmodi *Wratiſlauiam*, inter Regem & Ducem deliberatio volueretur, multa capitula, iuxta quæ ordienda atque perficienda foret legatio, modeſta atque ſolerti perſuaſione diſſeruit. Ipſe itaque Regio nomine, & *Nicolaus* *Czibulka* Ducis *Withawdi* nomine, ſumptibus & veſtibus ſplendide prouiſi, de *Gilgi* egreſſi, feria ſecunda ante feſtum Purificationis Sanctæ *Mariæ* Virginis, *Wratiſlauiam* itinere concito perueniunt, & dari ſibi audientiam a *Sigiſmundo* Rege exigunt.

Wladiſlaus Rex & Withawdus Dux accepto de Sigiſmundi ſententia nuncio in lacrymas erumpunt.

Deinde Legatis miſſis Sigiſmundo nunciant nolle ſe eius ſententiæ ſtare.

Legationis Wladiſlai & Withawdi relatio

Feria tertia, quæ fuit penultima Ianuarii, *Sigiſmundus Romanorum* & *Hungariæ* Rex, frequenti conſilio Prælatorum, Principum, & Baronum aduocato, cui intererant *Bartholomæus Capra* Archiepiſcopus *Mediolanenſis*, *Ferdinandus Lucenſis*, & *Iacobus Spolethanus*, Epiſcopi, Apoſtolici Nuncii: item *Conradus* Archiepiſcopus *Treuerenſis*, *Georgius Pathauienſis* Epiſcopus, *Ludouicus* Dux *Bauariæ*, Comes Palatinus *Rheni*, *Fredericus Brandeburgenſis*, *Vilhelmus Miſſnenſis*, Marchiones: Item Principes *Sleſiæ*, item plures Barones ex Regnis *Hungariæ* & *Bohemiæ*, Nunciorum *Wladiſlai Poloniæ* Regis, & *Withawdi* magni Ducis *Lithuaniæ*, legationem auditurus, in Curiam Regiam *Wratiſlauienſem* aduenit. Quo cum & Nuncii præfati, *Sbigneus* de *Oleſchnicza*, & *Nicolaus Czebulka*, Baronibus *Poloniæ* eos vallantibus, fuiſſent introducti, *Sbigneus* de *Oleſchnicza*, *Wladiſlai Poloniæ* Regis nomine, primum ad *Sigiſmundum* Regem ſtantem verba facit. *Quamuis*, inquit, *Sereniſſime Rex, Dominus meus excellentiſſimus Princeps Wladiſlaus Poloniæ Rex, de arbitrio iniquo & iniuſto, a te inter eum & Cruciferos pridem pronunciato, vehementer afflictus fuerit, & amaritudine ſingulari mentem animumque impleuerit, audiens Serenitatem tuam in fauorem Cruciferorum, & ſuam depreſſionem, in pronunciationem huiuſmodi prorupiſſe, mentem tamen & conſiderationis ſuæ aciem, primum ad Deum, deinde ad fœdera, inſcriptiones, iuramenta, cum tua Serenitate inita, referens, omnem dolorem & amaritudinem, ex prædicta ſententiæ pronunciatione prouenientem, facile depoſuit, eoque vno reſpectu gaudet & ſe ſolatur, quod fœdus initæ amicitiæ, a Domino meo Wladiſlao Poloniæ Rege, ſincere cuſtoditum, a te vero temeratum & violatum, & omnis defectus pacis & fœderis ſeruandi, a te primum erupit. Tu ſiquidem, Rex Sereniſſime, ſancito & iureiurando firmato fœdere, pollicitus es ad occupandum terras, poſſeſſiones, Regna & Dominia Domini mei Wladiſlai Poloniæ Regis, directe vel indirecte, non quouis quæſito colore te anhelaturum, in ea vero arbitrali ſententia, conatus es terras ſuas naturales Samogithiæ & Sudorum ſibi auferre, & Cruciferis appropriare. Super quibus nunquam fuit in te per partes compromiſſum, eo quod nulla ſuper illis vertebatur materia differentiæ & quæſtionis. Sed neque in propoſitionibus & articulis ſuis, ad quæ nos referimus, pars aduerſa hoſtium noſtrorum Cruciferorum, occaſione terrarum huiuſmodi*

di

1420 *di, vllam mentionem fecerat.* Interrupit illico *Sigiſmundus* Rex legationem, & non vltra quæ dicerentur ſufferre valens, ait: *Iſtud certe ego neque noueram, neque noſſe poteram.* *Sbigneus* deinde proſequendo legationem, ſubintulit: *Publicum eſt, Sereniſſime Rex, in omnibus bellis tranſactis, cum Cruciferis habitis, Dominum meum excellentiſſimum Wladislaum Poloniæ Regem, præſidio Diuino fretum, hoſtium ſuorum Cruciferorum vires & potentiam confregiſſe, & licet illos tua excellentia auxilio multiplici gentium tuarum, cæteriſque ſuffragiis adiuuerit; Cauſa tamen Regia ſolida & ſtabilis ſtetit, tanto iuſtitiæ ſuæ vigore roborata, vt eam nulla poſſent infirmare potentia. Quamprimum vero Dominus meus Wladislaus Rex, cum tua Serenitate fœdere ſe coniunxit, & in tuis manibus cauſam ſuam, quaſi in ſinu fido, ratus te amicum, depoſuit, illico rerum ſuarum iuſtitiam, tua pronunciatione arbitrali periclitatam, magno vulnere confoſſam eſſe cepit. Commemorare autem libet, quam fideli & caſto animo, & ante & poſt fœdus percuſſum, Dominus meus excellentiſſimus Poloniæ Rex Wladislaus, in te fuerit, quantaque operis effectu in te officia contulerit. Omnibus ſiquidem Hungariæ Baronibus, dum tu poſt cladem a Turcis apud Nicopolim acceptam, mortuus magis quam captus & incolumis credebaris, ad Dominum meum Poloniæ Regem Wladislaum Hungariæ Regnum miro conſenſu deferentibus, ſuſcipere illud renuit, quinimo pro liberatione tua omnem ſuam operam ſolicite nauavit. Tibi inſuper Italiam petenti, quadraginta ſexagenarum latorum groſſorum Pragenſium millia mutuauit, quibus poterat notabiles ſub infidelibus terras quæſiuiſſe, & Regno perpetuo applicaſſe, propitior tuæ quam ſuæ neceſſitati. Et licet a tua Serenitate diſtrictum tenuem, terræ videlicet Scepuſienſis, villas tantummodo tredecim, pro pignore ſummæ huiuſmodi acceperit, id tamen egit eo ſolo reſpectu, ne mutuatio ipſa a tuæ Serenitatis memoria excideret. Verum tanta erga tuam Serenitatem obſtringebatur charitate, quod mutuum huiuſmodi induxerat in animum tibi liberaliter remittere, ſi a tua Serenitate fuiſſet aliquot verbis ſuper hoc ſolicitatus. Item exercitu tuo Hungarico, te apud Concilium Conſtantienſe agente, per Turcas conflicto, Dominus meus excellentiſſimus Wladiſlaus Poloniæ Rex, per literas & Nuncios frequenti inſtantia rogatus, Notabiles Nuncios, propriis ſumptibus in Turciam, deferentes Turcarum Cæſari plurima dona in auro, argento, gemmis, veſtibus, pelliceis, equis, & clenodiis variis tranſmiſit, liberationem captiuorum & pacem, aut pacis ſufferentias Hungariæ Regno procuraturus. Nec effectu legatio ſua caruit; Turcarum namque Cæſar, Domini mei Wladiſlai Poloniæ Regis petitionibus volens eſſe moriger, omnes notabiliores Hungariæ Barones, & ſignanter Nicolaum de Gara Palatinum Hungariæ, pluresque alios a captiuitate abſolvit: Treugaque conceſſa, etiam ſe pacem perpetuam firmaturum ſpopondit. Nunciiſque Domini mei Poloniæ Regis ſuos adiungens, illos ad Dominum meum Regem, in Hungariam tranſitum facturos, ad placitandum de pace perpetua, & eius conditionibus, direxit. Dum vero vnus ex Nunciis Domini mei Regis, in Hungariam, ſecuritatem Nunciis Turcarum obtenturus, divertiſſet, per tuæ ſerenitatis Baronem Piponem, non ſecus quam hoſtis & inſidiator captus eſt, & vna de viginti hebdomadis, in horrido carceris ſqvallore tentus, omniaque ſua veſtimenta vſque ad calceamenti corrigiam, ne quas literas adverſas in dolum & perniciem Hungarorum ferret ſecum, ſciſſa & ſcrutata, opusque ſaluberrimum in dedecus verſum. Et licet Dominus meus Rex, frequenter te literis & Nunciis monuerit, vt grandis inhoneſtas, in ſui Nuncii detentione ſuo nomini iniuſta, pœna condigna mulctata fuiſſet, tua tamen ſerenitas, non ſolum ruborem Regium non reſcidit, ſed diſſimulando vehementer auxit. Exiſtimat tua Serenitas forſitan, Nunciis Domini mei Wladislai Poloniæ Regis, ad Turcarum Cæſarem ſi opus foret, ituris, nonniſi per Regnum Pannonicum patere viam, verum certum teneat, Dominum meum Wladislaum Poloniæ Regem, in ditione ſua obtinere terras, quibus Nuncii ſui, vsque in Turciam poſſent, non viſo Regno Hungariæ, proficiſci. Item pollicita fuit tua Serenitas graui ſponſione, cauſam Domini mei Wladislai Poloniæ Regis, in Conſtantienſi Concilio, contra hoſtes ſuos Cruciferos, ſe omni poſſe & conatu promoturam, & finali deciſione expedituram; nullam tamen circa hoc monſtrauit diligentiam, nec de cauſa præfata ſe quomodolibet intromittere voluit, licet fuiſſet per Regios Legatos, ſuis impenſis tibi non minus quam Regi proprio famulantes, ſolicitata. Rogatus inſuper Dominus meus excellentiſſimus Poloniæ Rex, varia & frequenti tua prece, vt apud Lubowlya tecum ageret perſonalem conuentum, venit illuc, & hebdomadis tribus illic immoratus, te tardante diſceſſit. Ad quem cum pares preces reſumpſiſſet, priore iniuria non appenſa, tecum apud Caſſouiam conuenit & te vnicum cauſæ ſuæ Arbitrum, Cruciferis magnopere id faſtidientibus, elegit. Et licet tua Serenitas repudiatum atque ſpretum ſe iri a Cruciferis dolens, iureiurando in manibus Domini mei Regis, motu proprio præſtito, repromiſiſſet in Cruciferorum exterminium conſurgere, & Domino meo excellentiſſimo Wladislao Poloniæ Regi, perſonale auxilium contra eos, tam conſtanti & aſſidua promiſſionis ingeminatione ferre, vt Dominus meus Wladislaus Poloniæ Rex, verbis tuis credens ineſſe virtutem, Marſchalcum Regni ſui Poloniæ Sbigneum de Brzezie, penes te relinqueret, tuam Serenitatem per terras 1420

1420 *Regni Poloniæ cum exercitu contra Pruſſiam procedentem conducturum, & tibi tuoque exercitui de victualibus prouiſurum: tua tamen Serenitas, non ſolum ſibi perſonale auxilium, iuſiurandi facile oblita, non tulit, ſed eum cum multitudine exercituum ſuorum, iam in metis terrarum hoſtilium conſiſtentem, & grandes impenſas facientem, pro quibus non hæ tantummodo terræ, quas tua Serenitas illi propter æquitatem abiudicare voluit, ſed multo præſtantiores emi compararique potuiſſent, compromiſſi authoritate, offerens ſe illi beneuolum & fauorabilem arbitratorem futurum, reuocauit. Verum iam videt, experiturque, omnia ſua officia, in te deprompta, perdidiſſe, & te non amico neque fœderato animo, ſed hoſtili & callido atque acerbo in eum extitiſſe. Tenet ſiquidem pro conſtanti Illuſtriſſimus Dominus meus Wladislaus Poloniæ Rex, & id ingenue aſſeuerat, quod ſi in atrociſſimum ſuum hoſtem, & qui in ſuo cruore balneari appeteret, feciſſet compromiſſum, non tam dura, neque tam iniqua, quali tu amicus & confœderatus, ſententia illum damnaſſet. Quod ex ſolo reſpectu ſaltem agnoſce; Dudum enim, & ante bellum proxime habitum, & pro tuo beneplacito diſſolutum, offerebant Cruciferi per literas Summi Pontificis Martini quinti, Domino meo Sereniſſimo Regi, terras Michalouienſem & Nyeſchouienſem, ſe reddituros; De terrarum Samogithiæ & Sudorum iure, & titulo exceſſuros, & viginti aureorum millia ſoluturos. Quæ quidem oblatio, quantum pronunciationem tuam iniquam conuincit, tua Serenitas plenius intelligit, quæ omnes illas terras, quarum Cruciferi ceſſionem offerebant, Domino meo excellentiſſimo Regi abiudicauit.* Non ſe amplius continere valens *Sigismundus Romanorum* & *Hungariæ* Rex, legatione interrupta, ait: *In veritate nunquam ego iſta ſciebam, ſecus multo ſententiam arbitralem laturus, ſi de his fuiſſem tempeſtiue informatus.* Tum *Sbigneus* de *Oleſchnycza* Nuncius Regius: *Sciuiſſet*, inquit, *Serenitas tua, & hæc & ampliora, ſi partem Domini mei Regis audire, & inſtructiones per Prælatos & Barones Regni Poloniæ oblatas videre, & iuſtitiam atque veritatem inquirere, non faſtidiſſet, ad ſententiam quoque præiudicialem nimis & oneroſam non præcipitaſſet. Sed nec præſumat tua Serenitas, pronunciationem ſententiæ præfatæ partes diſſidentes concordaſſe, quin pro certo & indubitato teneat, maiori bellorum ſtridore illas inuoluiſſe, & ſeminarium bellorum inter illas inieciſſe; cum Sereniſſimus Dominus meus Rex nullatenus grauamen ſibi inflictum laturus ſit, ſed etiam nunc vires & auxilia contrahit, vt illud aboleat & reſcindat. Affligitur denique Illuſtriſſimus meus Dominus Poloniæ Rex, non de tam ſua euidenti iniuria, quam de tuæ Serenitatis grandi prolapſu; Ipſe ſiquidem Diuino præſidio fultus, & de iuſtitia præſumens, facile iniuriam ſuam tua pronunciatione ſibi & Regno ingeſtam, abrogabit; Cauſam ſuam tua pronunciatione, quæ nec illi detrahere quicquam, nec hoſtibus adiicere vires poterit, tantummodo infectam, breui reualidaturus. Verum veretur & vehementer reformidat, & quaſi corde præſago tibi id ominatur futurum, vt quemadmodum tua Serenitas, neque ſanguinis neque fœderis iura attendens, ſed nec iuſtitiæ aut æquitati deferens, grauem atque duram, in ſuorum hoſtium Cruciferorum fauorem, ſententiam contra illum proferre non erubuit, & eum naturalibus & propriis terris ſuis priuare, neque turpe, neque iniquum duxit, ita, ne Deus vltor iniuriarum, & æquitatis inſpector, celerius, quam credit tua Serenitas, conſurgat, & tuam Serenitatem terris ac Regnis paternis iuſtius exuat, illisque te priuet, qui, quantum in te fuit, Dominum meum Regem & ſuum Regnum Poloniæ terris naturalibus & paternis, quod & hoſtilis oblatio profitetur, priuare ſententia iniuſta contendiſti; Qui per ſententiam tuam huiusmodi iniquam a te latam, atrociſſimum bellum ſuſcitaſti inter partes: ſed & famæ, honeſtatique, animæ, conſcientiæ, & ſtatui, tuis, peſſime conſuluiſti, & corruptum te auro Crucifericho magis, quam ſeductum prauo conſilio, denunciaſti, iniquiſſimo genere arbitramenti vſus, ad decernendum & pronunciandum ſententiam iniquam prorupiſti inconſulte, auro Cruciferico ineſcatus, parte Regia non audita, & omni audientia illi, etiam ad vnius horæ ſpatium, negata, cum Crucifericam per biennium audiueris; Vltionem Diuinam & hic & in futuro, non euaſurus. Sed & hoc te ſcire voluit, Rex Poloniæ, & Dux Alexander Lithuaniæ, quod pronunciatio ſententiæ tam iniquæ, maius incendium bellorum inter partes accendit, & profundioris ſanguinis mucronem, qui hactenus condebatur in vaginis, euaginauit; adeo, vt Rex & Dux, depoſitis armis quæ contra Paganos induerant, ad defendendum Principatus ſuos, hæreditates, patrimonia, & Regna neceſſitate eis per te indicta, in Cruciferos ſint conuerſuri.* Eam legationem dum *Sbigneus* de *Oleſchnicza* Orator Regius, diſerte compleuiſſet; *Sigismundus Romanorum* & *Hungariæ* Rex, disiunctis porrectisque in vtramque partem manibus, id tantummodo dedit reſponſi: *Quicquid in ſententia inter fratrem noſtrum Poloniæ Regem, & Cruciferos de Pruſſia, pronunciauimus, iuſte, dante Domino, nos pronunciaſſe exiſtimamus, cum omnia & ſingula de conſilio horum omnium* (manibus Principes Spirituales & ſeculares illic aſtantes indicans) *egimus.* Cui illico replicans *Sbigneus* de *Oleſchnicza*; *Stare*, inquit, *poteſt Sereniſſime Rex, te de conſilio horum omnium ſententiam protuliſſe. Sed in Domini mei Wladislai Poloniæ Regis partem, tot promotores, auxiliatores, conſultores,* 1420

1420 *tores, & interceſſores adhibuiſſes, quot pro parte aduerſa Cruciferorum adhibuiſti, multo iuſtiorem & æquiorem ſententiam tuliſſes.* A *Quibus tametſi humana ſubtracta fuere præſidia, ſciat tamen Diuina & cœleſtia illis non defutura.* Hæc *Sbigneus.* Poſt hæc *Nicolaus Czebulka* nomine *Alexandri Withawdi* Ducis magni Lithuaniæ, legationem ſuam dicere orſus, ita pronunciat; *Non ego me, Sereniſſime Romanorum Rex, legationem mihi ab Illuſtriſſimo Domino meo Alexandro Withawdo Duce magno Lithuaniæ impoſitam denunciaturus, longe diffundam, ſingula ſiquidem, quæ hic Venerabilis & Spectabilis vir Sbigneus, nomine Sereniſſimi Domini noſtri, Domini Wladislai Regis Poloniæ propoſuit,* B *repetenda mihi forent, ſed ne faſtidium & tibi & audientibus ea repetitione ingeram, continebo me: Vnum hoc adiungam, quod Dominus meus Alexander Withawdus, Dux magnus Lithuaniæ, propoſitum habuit aut mentem, aliquam amicitiam tecum ineundi, aut fœdus aut ligam tecum contrahendi, ſed aſſidue tenuit te ſuſpectum, mores tuos naturamque tuam ſufficienter expertus. Quapropter & ſereniſſimo Principi Domino ſuo, Poloniæ Regi Wladislao, ne tecum aliquas ligas & fœdera iniret, inita vero diſiiceret, magnopere perſuaſit. Eas vero, quas tecum Dominus meus Alexander Withawdus Dux iniit,* C *ſcias non pro ſua voluntate, ſed pro beneplacito Domini ſui Wladislai Poloniæ Regis actas eſſe. Seruauit autem Dominus meus Alexander Withawdus Dux, & ſumma cura cuſtodiuit fœdus initum, & Sacramentum præſtitum, quo ſe deuouerat, terras, Regna & Dominia tua nunquam ambiturum. Sed non ex æquo tua Serenitas fidei ſuæ reſpondit, quæ & fœdere & iureiurando temerato, ſententia iniuſta priuare illum terris auitis & paternis multipliciter laborauit. Propter quod tuam Serenitatem auiſat & certificat, non ſe tecum amplius, qui prior fœdus & fidem rupiſti, in amicitia & liga contracta permanſurum. Sed & tibi, & cuilibet alteri, terras ſuas occupare* D *nitenti, ad ſanguinem & mortem aduerſaturum. Non dubitans quin & quilibet ſuus ſucceſſor, Dux magnus Lithuaniæ, parem mentem induet, & quoslibet terrarum Lithuanicarum inuaſores fretus virtute Diuina, propulſabit. Renunciat quoque per me Nuncium ſuum cuilibet tecum inito fœderi, & ligam omnem contractam diſſoluit; hoſtem te ſuum ex fœderato & amico, qui prior fœdus & ius amicitiæ violaſti de cætero habiturus.* Vtriusque, Regis videlicet & Ducis, *Sigismundus Romanorum* & *Hungariæ* Rex, legatione audita, corpore torquebatur anxius, & Spiritu, quod ſub præſentia tot grauium perſonarum, varia improperia & facinora illi nomine Regis & Ducis, contumeliam ſuam longe lateque diffuſura, fuiſſent exprobrata. In Nuncios itaque Regios & Ducales crudelius deſæuire, & vtrumque vndis ſuffocare, iure gentium temerato, ſtatuerat, niſi illum viri boni, quibus arcanum ſui exacerbati cordis crediderat, a tam nefandi & impii muneris occupatione, ſalubri conſilio auertiſſent. Verebatur & Electores Imperii, & Principes *Almaniæ* tunc apud *Wratislauiam* præſentes, ne impium facinus ſuum ex eorum præſentia, ad ipſius ampliorem & vulgatiorem turpitudinem recidiſſet. 1420 *& Sigiſmundi animus impius in Legatos.*

Feria quarta vltima Ianuarii, Nunciis prædictis, *Sbigneo* de *Oleſchnicza*, & *Nicolao Czebulka*, *Sigiſmundum Romanorum* Regem de reſponſo ſollicitantibus, locus Eccleſiæ B. V. *Mariæ*, & dies Veneris, Purificationis S. *Mariæ* Virginis, conſignatus eſt. Quo adueniente, longa primum habita cum Conſiliariis ſuis *Sigiſmundus* Rex deliberatione, reſpondet per *Frederici* Marchionis *Brandeburgenſis* organum, *ſpeciales ſe Nuncios ad Wladislaum Poloniæ Regem miſſurum, & ad ſingula legationis capita reſponſurum.* Ea reſponſione Nuncii Regii, *Sbigneus* de *Oleſchnicza*, & *Nicolaus Czebulka*, accepta, ad *Wladislaum Poloniæ* Regem Die Dominico Carniſpriuii apud *Iedlna* agentem, perueniunt, ac ſuæ Serenitati ex ordine cuncta, quæ perorauerant, quæque pro reſponſo tulerant, in præſentia Pontificum, Principum, & Baronum multitudine, referunt, ſingulis certatim Regiis Conſiliariis, tam prudentem & maturam legationem probantibus, & ſingulari eſferentibus affectu. Quamuis autem omnium Prælatorum, Principum, & Baronum *Poloniæ* vniformis foret deliberatio & voluntas, ſententiæ a *Sigiſmundo* Romanorum Rege latæ, nullo pacto ſtandum aut parendum fore, prudenti tamen & digeſto conſilio ſancitum eſt, ut pro eo ipſo, quod *Wladislaus Poloniæ* Rex in tenore compromiſſi pollicebatur, non ſe ſententiæ ferendæ contrauenire, aut ab ea ad boni viri arbitrium prouocare, demonſtraret ſe Rex illi verbis pariturum, quatenus temporis medio poſſet aliquid emergere, quo Cruciferi de illius contrauentione & violatione poſſint quomodolibet aut notari aut conuinci, quatenus ex illorum, in quorum fauorem lata eſt, primaria transgreſſione atque culpa, Rex in ſua iuſtitia redderetur clarior, & fortiorem haberet occaſionem, ac iuſtiorem cauſam, armis & bello illos impetendi, ſi priores ipſi contrauenirent.

Sigiſmundo Romanorum & *Hungariæ* Rege apud *Wratislauiam* immorante, Primores Regni *Bohemiæ*, & Barones, videlicet *Czenko* de *Warthemberg*, *Vlricus* de *Rozemberg*, *Halſch* de *Sternbarg*, *Hinko Kruſzina*, *Hinko* de *Valdeuſchten*, *Ioannes Opoczensky*, *Czenko* de *Veſzelie*, *Vlricus Wawak* de noua domo, *Henricus Berka* de *Duba*, item Conſules *Pragenſes*, ad eum, totius Regni *Bo-*

1420 *bemiæ* nomine & vice veniunt. Et priuatq tractatu præmiſſo, in audientia publica, ipſum in Dominum & Regem ſuum ſuſcipiunt. A Genibusque flexis ipſi ſupplicant, *quatenus in Regnum Bohemiæ venire perſonaliter dignetur, & illud tanquam hæres vnicus ſuſcipiat & gubernet. Sigiſmundus* autem *Romanorum* Rex, *Bohemos*, in eam diem ſibi rebelles, amplius humiliaturus, reſpondet, *non ſe aliter Pragam in Bohemiam venturum, & Regni Bohemiæ accepturum regimen, niſi muro ciuitatis Pragenſis in aliquo loco ruinato & diſrupto, quatenus ipſe cum gente ſua, non per portarum ſed ruinarum loca, velut triumphator ingrederetur. Quodque Conſulatus Pragenſis, omnia ciuitatis arma cuiuscumque generis, in arcem Pragenſem, conferrent, ſuoque Capitaneo traderent.* Barones autem *Bohemiæ* & Conſules *Pragenſes* etſi ex reſponſione huiuſmodi bilem pertulerint maximam, benignius tamen pro temporis & loci qualitate, ac aliter, quam in animo gerebant, locuti, reſpondent; *ſe ſuper duabus conditionibus per Sigiſmundum Regem propoſitis, cum his qui domi reſident, in Bohemiam regreſſi, deliberare velle, & tandem ex ſua & abſentium ſententia, quod placitatum fuerit, reſpondere.* Interim autem *Sigiſmundus* Rex vnum ex ciuibus *Pragenſibus*, hæreſi *Viclephiſtica* infectum, in eorum conſpectu, per circulum ciuitatis *Wratislauienſes* equis trahi, & velut hæreticum igne comburi iuſſit. Ciues inſuper notabiliores *Wratislauienſes* viginti tres, qui ante annos aliquot, Conſules ſuos *Wratislauienſes*, bene Rempublicam adminiſtrantes, liuore & inuidia permoti, capite truncatos deleuerant, capite vltima Februarii damnauit. Barones itaque *Bohemiæ*, & Conſules *Pragenſes*, & reſponſione parum benigna, & vltione parum tempeſtiua, vehementer ſcandaliſati, de venia diffiſi, in *Bohemiam* reuerſi, & ipſi rebellant, & cæteros ſecum in eandem rebellionem trahunt, *Sigiſmundoque* Regi extemplo ſignificant; *Non ſe illum, etiam conditionibus, quas ſibi primum exhiberi volebat ceſſantibus, pro Rege accepturos.* Inque rebellionis ſignum, ſinguli ex Baronibus *Bohemiæ*, ſocietatem eius & diuiſam ferentes, abiiciunt, & draconem cruce ſuper extenſa ſignatum, ſuæ ſocietatis inſigne, ſibi in rebellionis ſignum remittunt, pleriqueetiam illum per literas patentes diffidant. Rebus his *Sigiſmundus Romanorum* & *Hungariæ* Rex, non ſecus quam par erat, motus, frequenti Principum Eccleſiaſticorum & Secularium Conſilio aduocato, expeditionem contra *Bohemiæ* Regnum decreuit. Principes quoque *Almaniæ* ac *Sleſiæ*, & alios, in ſui auxilium, pro æſtate impendente, conſurgere iubet, rebellium *Bohemorum* contumaciam armis domaturus. *Czenko* de *Warthemberg* arcis *Pragenſis* Capitaneus, præmiis illectus, cum reliquis Baronibus & ciuibus *Pragenſibus*, in totum Regnum mandata vulgant, *ne quiſpiam aditum Sigiſmundo præberet, velut infeſto Sclauonicæ linguæ hoſti: qui non alia tenetur cura, quam Regni & linguagii perdendi; qui Marchiam antiquam Cruciferorum Ordini in pignus obligaſſet, Brandeburgenſem a Regno Bohemiæ alienaſſet, Ioannem Huſz, & Hieronymum in Concilio Conſtantienſi, in dedecus nationis damnari & cremari procuraſſet, & quæ dogmata quæ Bohemi ſequerentur, totis conatibus impugnaret.* 1420

Bohemi Sigiſmundo Imp. reſiſtunt & ſuſceptum Regem fore ſuum auerſantur.

Poloniæ Rege *Wladiſlao* ex *Iedlna* in *Ilzam* die Dominico *Inuocauit* diuertente, duo Nuncii *Sigiſmundi Romanorum* & *Hungariæ* Regis B videlicet *Ioannes Sek* de *Szeydow*, & *Ioannes Ceſermeyſter* Iuris Canonici Doctor, Canonicus *Pragenſis*, ad ſuam Serenitatem peruenitunt, Legationi Regiæ & Ducali, per *Sbigneum* de *Oleſchnicza*, & *Nicolaum Czebulka* apud *Wratislauiam* peroratæ, reſponſuri. Et licet ad ſingula legationis Regiæ capita, coloratam pronunciaſſent reſponſionem, ſuper principali tamen re, qua *Wladislaus Poloniæ* Rex & *Alexander Withawdus* magnus *Lithuaniæ* Dux, eum in fauorem Cruciferorum, iniquam & iniuſtam ſententiam tuliſſe, pluribus id reſpectibus & deductionibus demonſtrando, culpauerant, nullam legitimam reſponſionem, quamuis forent viri rara eloquentia præditi, afferebant, præter *eam, quod Sigiſmundus Romanorum & Hungariæ Rex, de iuſtitia & iure Regis* C *Poloniæ Wladislai, & Ducis magni Withawdi parum informatus, errore magis quam crimine aut iniquitate adductus, præiudicialem & grauem in Regem & Ducem ſententiam protulerit,* offerens *ea quæ perperam pronunciauerat ſe correcturum, & ſingula quæ partem Regis grauabant, reuocaturum.* Replicatum autem fuit ſufficienter Nunciis prædicti *Sigiſmundi* Regis, per Prælatos & Barones Regni *Poloniæ*, qui *Wratislauienſem* pronunciationem audituri, illuc deſtinati erant, Plures enim ex eis aſſiſtebant: *Quonam* (inquiunt) *pacto Dominum veſtrum Sigiſmundum Romanorum &* D *Hungariæ Regem, ea excuſatione, quod non informatus, in ſententiam a iuſtitia abhorrentem proruperit, iuſtificare poteritis? cum publicum & notorium ſit, Wratislauiam illum nonniſi nocte media ingreſſum eſſe, & luce ſubſequenti, Epiphaniarum videlicet die, non inſtructiones aliquas, non auiſamenta, non iura, non priuilegia, quæ nos Nuncii Regii coram illo, & voce & ſcripto proferebamus, audire & videre voluiſſe. Et quamuis multipliciter a nobis ſolicitatus fuiſſet, vt priuſquam ad prolationem ſententiæ procederet, merita cauſæ Regiæ examinaret, ſingula tamen quæ ingerebamus contempſiſſe, & die eadem, parte Regia non audita, ad pronunciationem ſententiæ præcipitaſſe, nobisque Nunciis Regiis, quod nullis indigeret inſtructionibus, nulla iura, Priuilegia, aut auiſamenta videre &*

1420 *& examinare vellet: ſed quod iam in pera ſententiam confectam & limitatam teneret, quam nullatenus variare cuperet, reſpondiſſe notatus eſt.* Hanc replicationem velut fortem & notoriam, & quæ facinus *Sigiſmundi Romanorum* Regis ad liquidum exprimebat, Nuncii ſui, quo ingenio refellerent, non reperientes, priorem reſponſionem ingeminando, *Dominum ſuum Romanorum & Hungariæ Regem, omnia male & iniuſte pronunciata, correcturum, & ſe parti vtrique iuſtum arbitrum demonſtraturum,* pluribus & altis pollicitationibus obligabant.

Promiſſionem ſententiæ corrigendæ per nuncos factam,

Quapropter *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, oblationem huiusmodi exiſtimans ſinceram eſſe, *Albertum Iaſtrzambiecz* Epiſcopum *Cracouienſem* & Regni *Poloniæ* Cancellarium, ac *Sbigneum* de *Brzezie* Regni *Poloniæ* Marſchalcum, ad præfatum *Sigiſmundum Romanorum* Regem adhuc in ciuitate *Wratiſlanienſi* agentem, ad ſolicitandum & petendum illum, de correctione ſuæ præiudicialis ſententiæ tranſmittit; *quatenus ipſam in eo loco corrigeret, in quo illam male perſuaſus, vel pretio corruptus, parum ſenſate & iuſte protuliſſet.* Et licet præfati Regii Nuncii *Albertus Iaſtrzambiecz* Epiſcopus *Cracouienſis*, & *Sbigneus* de *Brzezie* Regni *Poloniæ* Marſchalcus, *Wratiſlauiam* gradu concito ex *Ilza* progreſſi, *Sigiſmundum Romanorum* & *Hungariæ* Regem illic offendiſſent, & ipſum nomine *Wladiſlai Poloniæ* Regis de corrigenda arbitrali ſententia ſua multifarie ſolicitaſſent, *Sigiſmundus* tamen Rex inficiatus ſe per Nuncios ſuos, *Ioannem Sek*, & *Ioannem Ceſermeyſter*, de emendanda ſua ſententia oblationem feciſſe, nullis poterat Nunciorum Regiorum ſolicitis ſtudiis & ingeniis, ad reſcindendum, quæ pronunciauerat perperam, molliri, aſſerens *quamlibet correctionem partibus non conſentientibus, ſibi qui iam authoritate arbitraria functus eſſet, & a quo pars Cruciferica pronunciationem ſententiæ in ſcripto, Sigillo ſuo roboratam, accepiſſet, nullatenus conuenire, dedecorantem conditionem ſui nominis* ſuæque Cæſareæ & Regiæ dignitatis. Sed neque *Wladiſlado Poloniæ* Regi, poteſtate Regia & Cruciferica perfuncto, profecturam. In huncque modum ſuas vafras & callidas cauſationes colorando, *Wladiſlaum Poloniæ* Regem in ſingulis, quæ & per ſe ipſum, & per Nuncios, promiſſo ſimultaneo obtulerat, ludificauit.

ipſe Sigiſmundus negat.

Ex *Ilza*, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex *Sandomiriam*, ab inde *Cracouiam*, poſthæc vero in *maiorem Poloniam*, per ſolita ſtationum loca proceſſit. Dum autem in *Kłobuczko* pro Dominica *Iudica* ageret, *Albertus Iaſtrzabiecz* Epiſcopus *Cracouienſis* & *Sbigneus* de *Brzezie* Regni *Poloniæ* Marſchalcus, ex *Wratiſlauia* adueniunt. Qui cum plenam de omnibus, quæ apud *Wratiſlauiam* cum *Sigiſmundo Romanorum* & *Hungariæ* Rege egerant, qualeque reſponſum haberent, relationem feciſſent; intelligens *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, nullam ſpem de corrigenda arbitrali ſententia ſibi ſupereſſe, omnem ſuæ indignationis iram, de male pronunciata ſententia exortam, in *Albertum Iaſtrzambiecz Cracouienſem* conuertit, grauiusque tunc in illum, quam Regi in Pontificem conueniebat, inuectus eſt. Aſſerens *iniuſſu ſuo, ac eo etiam vetante, plenum in cauſam compromiſſum, non limitatum ſcripſiſſe & ſigillaſſe: Cum, ſi compromiſſum, iuxta aliquorum Conſiliariorum probe & ſolerter ſapientium conſilium, limitatione temporis fuiſſet reſtrictum, nunquam tam graui & præiudiciali ſententia, Regnum Poloniæ perculſum foret.* Facile autem huic inuectiuæ *Albertus* Epiſcopus *Cracouienſis*, tectus innocentia, reſpondit, & iuſta excuſatione facinus obiectum eliſit: deducens *ſe in re ipſa nihil ex proprio arbitrio, ſed omnia ex Regis egiſſe imperio.* Indignatio tamen Regia humili & modeſta reſponſione remitti non poterat, clandeſtino & vigoroſo fomento aſſidue in Regis pectore coaceruata. *Eliſabeth* ſiquidem *Poloniæ* Regina, filium ſuum ex *Vincentio Granowski* ſuſceptum, *Ioannem* de *Pilcza*, a *Wladiſlao Poloniæ* Rege, in Comitem creari, & ſuæ ditioni nonnullos milites & Nobiles, circa oppidum *Iarosław* conſiſtentes, quo ſuus Comitatus diuturnior & ſolidior fieret, ſubiici & infeudari ordinauit. Dum autem literæ creationis huiusmodi conſcriptæ forent, *Albertus Iaſtrzambiecz* Epiſcopus *Cracouienſis*, creationi huiuſmodi ſe conſtantiſſime oppoſuit, creationemque & donationem huiusmodi, perniciem Regno *Poloniæ* allaturam, omnibus conatibus peroſus, etiam ad ſigillandum literas, velut Cancellarius Regni, nullo pacto poterat induci. Eiuſque ſolius renitentia & oppoſitione, creatio præfati *Ioannis* de *Pilcza* in Comitem, infecta eſt & abrogata. Magno itaque fremitu & ingenti cholera *Eliſabeth Poloniæ* Regina iniurias ſuas, in *Alberto* Epiſcopo *Cracouienſi* vltum iri ſatagens, *Wladiſlaum Poloniæ* Regem in illum concitabat. Et dum in thalamo ſine arbitris conſiſteret, credulas Regis aures criminatione præfata implebat: Cauſam iræ, quo in grauius odium criminatum induceret, & quo efficacior foret criminationis authoritas, tegens & diſſimulans. Perſuadebant inſuper nonnulli viri iniqui, *Wladiſlao Poloniæ* Regi, quatenus ſigillum ſuum Regale præfato Epiſcopo *Cracouienſi*, etiam tunc in *Kłobuczko*, detraheret, aut detrahi iuberet: Verum cæteris modeſtis & timoratis Conſiliariis id inſanum cenſentibus, & non violentia, ſed iure de culpa, ſi cui foret obnoxius, eum conuinci conſulentibus, aſſignabatur eidem *Alberto* Epiſcopo terminus pro feſto S. *Iacobi* Apoſtoli, in *Lancicienſi* dieta, quæ dudum ante fuerat pro die illo inſtituta.

Wladiſlaus Rex Alberto Ep. Cracouienſi ſit infeſtus. 1420

Ex *Kłobuczko*, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex,

1420

per ſtationes ſolitas procedens, pro Dominica Palmarum in *Wyelyun*, ab inde vero per *Siradiam* in *Caliſch* peruenit. Et illic feſtis Paſchæ peractis, per ſolitas ſtationes in terram *Cuiauiæ* deſcendit. Cum autem in *Brzeſczye* in vigilia Aſcenſionis Domini ageret, Nuncius illi *Cracouia* allatus eſt, referens Reginam *Poloniæ Eliſabeth* die Dominico ante feſtum Aſcenſionis Domini defunctam *Cracouiæ* eſſe, & apud manſionariorum capellam in *Cracouienſi* Eccleſia ſepultam. Quæ nouitas totam Curiam Regis, & vniuerſum *Poloniæ* Regnum, ſingulari gaudio exhilarauit; cunctis in commune lætantibus, probrum ſuum & Regis deterſum eſſe, maiorque in funere quam in coronatione ouatio edebatur. A ſolo Rege *Wladislao* mœror, breuis tamen, monſtratus eſt, qui illi exequias ſolenni iure apud *Brzeſtenſem* Eccleſiam, feria ſexta in craſtino Aſcenſionis Domini egit. Nemo autem ex hominibus vtriusque Status, mortis ſuæ moderatam viſus eſt ferre lætitiam, omnes celebrioribus ſtolis induti, funeri Reginæ, riſu & lætitia ouantes intererant. Adeo illis moleſtum & execrabile fuit illud Regis connubium; lætabilior, quam aliquanto, in vultu & pectoribus hominum, exequiarum, quam nuptiarum, verſabatur ſolennitas. Sed & probra plurima ludibriaque & tunc & poſtea in illam edebantur, vt ſatius aliquanto fuerit faſtigium Regale nunquam vſurpaſſe. *Stanislaus* etenim *Cziołek*, tunc Notarius Regius, poſt vero in Vice-Cancellarium, & proceſſu dierum in *Poſnanienſem* Epiſcopum promotus, ſatyram de illa, & pleraque carmina ſugillationis & ignominiæ plena conſcripſerat; *Porcam illam* ſcribebat, *fœtus multiplicitate exhauſtam, propter theſauros dolabro oris ſui egeſtos ex humo, decepto per mendacium leone, coniugium ſuum occupaſſe.* Ob quod facinus ipſe *Stanislaus Cziołek* mandato Regio a Curia fuit eiectus, poſtea vero propter dictandi peritiam reſumptus, & in Vice-Cancellarii ac Pontificalem dignitatem promotus.

Eliſabetha Regina moritur.

Sancti *Georgii* die appetente, *Wladislaus Poloniæ* Rex *Sbigneum* de *Oleſchnicza* Præpoſitum *S. Floriani*, & *Ianuſſium* de *Koszczielecz* Palatinum *Wladislauienſem*, ad leuandum a Magiſtro & Ordine Cruciferorum de *Pruſſia* duodecim millia florenorum, & quingentos florenos *Hungaricales*, ad quorum ſolutionem illos *Sigismundus Romanorum* & *Hungariæ* Rex, per arbitralem ſententiam apud *Wratislauiam* latam, damnauerat, in *Thorun* tranſmittit. Et licet Cruciferi datis ad ſolutionem præfatæ ſummæ, aliquot millibus florenorum in auro, reſiduum argento puro ſe obtuliſſent ſuppleturos, Regii tamen Nuncii (ita enim ad Rege mandatum acceperant) nullatenus ad aliud, quam aurum monetatum recipiendum, poterant induci. Non tam ſiquidem graue quam intolerabile *Wladislao Poloniæ* Regi, & *Alexandro Withawdo* Duci *Lithuaniæ*, viſum eſt, iuxta *Sigismundi* Regis decretum, de terra naturali & propria *Samogithiæ* facere pro Cruciferis ceſſionem: vtque aliquis defectus a Cruciferis emergeret, ſummopere optabant, quo Rex cum ſua honeſtate, & Cruciferorum dedecore, poſſet arbitrio contrauenire, & defectum culpamque transgreſſionis in Cruciferos contorquere. Optimam igitur occaſionem Regii Nuncii, defectum videlicet qui in ſolutionis neglectu prouenerat, rati, ex *Thorun* in craſtino *S. Georgii*, quoniam ſolutio in auro formato non implebatur, Cruciferis illos vſque ad nauigia proſequentibus, & obnixe, vt compenſationem auri in argento ſuſciperent, rogantibus, diſcedunt, & ad *Wladislaum* in *Brzeſczie* reuerſi, lætum illi atque gratum nouum adferunt, Cruciferos duodecem millium & quingentorum florenorum *Hungaricalium* ſolutionem non impleſſe. Ex quo parua (vt plerumque ſolet) occaſio & tenuis affulſit, bellum, quod in animo *Wladislaus Poloniæ* Rex geſtabat, moliendi, & in ſequentem æſtatem exercitus traducendi. Et hæc ipſa dudum meditata deſiderataque, Regem, & omnes ſuos magna hilaritate impleuit.

Poloni occaſionem naniſcuntur reiiciendæ ſententiæ arbitralis Sigiſmundi.

In oppido *Kowalye*, *Wladislao Poloniæ* Rege ex *Brzeſczie* diuertente, *Czenkonis* de *Wartemberg*, & *Vlrici* de *Rozemberg* cæterorumque *Bohemiæ* Baronum, Nuncius, *Vernerus* de *Rankow*, aduenit. Qui literis credentialibus exhibitis, exponit & queritur, *Sigismundum Romanorum & Hungariæ Regem, precem & oblationem Baronum Bohemiæ humilem & ſubmiſſam, Wratislauiæ, de ſuſcipiendo Regno Bohemico illi factam, contempſiſſe, duasque conditiones parum illis tolerandas & honeſtas, fractionem videlicet muri in ciuitate Pragenſi, & omnium armorum traditionem, imperaſſe, hisque iniuriis & aliis multiplicibus offenſis, eos laceſſiſſe. Quarum indignitate permoti, firmo propoſito atque conſtanti, nullo vnquam tempore in eius ditionem conceſſuros, rebellaſſe, & Wladislaum Poloniæ Regem, in eorum Dominum & Regem conformiter delegiſſe.* Petens ſuppliciter, *quatenus Wladislaus Poloniæ Rex non faſtidiret præfati Regni ſuſcipere regimen, neque tot Baronum & militum Bohemiæ, optime de ſe ſentientium, ſupplicationes moraretur*, quas illos aſtruebat paucis poſt diebus voluntate Regia & beneplacito exploratis, per ſolennes ſuos oratores reſumpturos. Nuncio præfato *Vernero* de *Rankow*, *Wladislaus Poloniæ* Rex, clementer habito, & munerato, reſpondit, *ſe ſuper re noua & graui per eum delata, vbi cum Conſiliariis ſuis ad plenum digeſta fuerit, poſtea reſponſurum, dummodo & de ſua in Regem Bohemiæ conformi electione, & de conditionibus circa illam expreſſis, fuerit primum a Baronibus*

Regnum Bohemiæ Wladislao Poloniæ Regi offertur.

1420

bus Bohemiæ ad liquidum certificatus. Iniurias inſuper a *Sigismundo* Rege præfato in pronunciatione ſententiæ *Wratislauiæ* irrogatas, per præfatum *Vernerum*, Baronibus *Bohemiæ* inſinuat. Adiiciens *Sigismundum Regem pollicitationem ſuam, de corrigenda iniqua ſententia, & per ſe, & per ſolennes ſuos Nuncios, frequentius repetitam, non impleuiſſe.*

Io. Ziſchka, Pilzna relicta,

Ioannes Ziſchka, relicta ex fœdere *Pilzna*, bis a fidelibus clade perculſus, ne in victorum veniret manus, verſutiis obtinuit: Mulieres enim de more exercitum ſuum ſequentes, pepla, in loco aſpero & iniquo, in quo ad certamen pedeſtre venire oportebat, in terram proiici iuſſit, quibus equites impliciti, victores a victis obtriti ſunt. *Licium* quoque caſtellum expugnans, *Vlricum* eius Dominum, familiamque ſuam, gladio occidit. Et cum ciuitatem, in quam ſe, neceſſitate vrgente, reciperet, fortem non haberet, ad *Luſinicium* amnem, locum natura munitum elegit, mœnibusque cinxit, & vt quiſque tentoria fixerat, ita ædificare domos ſibi imperauit, ciuitatique *Thabor* nomen indidit: a qua & comites eius *Thaboritæ* appellati. Maiorem autem partem ciuitatis eiuſdem *Liſnicius* amnis abluit, reliquum torrens non modicus ambit. *Nicolaum* deinde Magiſtrum Monetæ, a *Sigismundo* Rege ad curandas res in *Bohemiam* miſſum, in Paraſceues nocte conflixit, & omnes equos illi ademit, & arma ſurripuit.

nouam ciuitatem Thabor ponit,

& Nicolaum a Sigismundo miſſum profligat.

Ex Kowalye. Wladislaus Poloniæ Rex, per ſolitas ſtationes, in terram *Dobrzinenſem* ſecedens, Pentecoſtes feſtum apud *Iunuladislauiam*, *Corporis* vero *Chriſti* apud *Gneſnam* tenuit. Et ſolitis progreſſibus vſus, *Lanciciam*, conuentionem generalem celebraturus, in feſto *S. Iacobi* intrauit. In qua. vniuerſis fere Prælatis, & Baronibus Regni *Poloniæ* conuenientibus, *Wladislaus* Rex in *Albertum Iaſtrzabiecz* Epiſcopum *Cracouienſem*, *Sbigneum* de *Brzezye Regni Poloniæ Marſchalcum*, & *Ianuſſium* de *Tuliſckowo* Caſtellanum *Caliſſienſem*, quaſi compromiſſum, in cauſa Cruciferorum de *Pruſſia*, in *Sigismundum Romanorum & Hungariæ* Regem, ſe inhibente, & iniuſſu ſuo, largum & extenſum, & non temporis reſtrictione limitatum, ſcribi & ſigillari, ſuo iure ſuaque temeritate præſumpſiſſent, ius publicum inſtaurat, iudiciumque ſolenne, in tribunali iudiciario ipſe præſidens, locat. Frequens, in id ſpectaculum, fratrum, conſanguineorum, amicorumque *Petri Viſch* olim *Poſnanienſis*, quandoque etiam *Cracouienſis* Epiſcopi, turba, quaſi dato ſigno, conuenerat, læta, iram Regis in *Albertum Iaſtrzabiecz Cracouienſem* Epiſcopum, fratris & amici ſui *Petri Viſch* a *Cracouienſi* Epiſcopatu depoſitionis authorem, recidiſſe, contumeliam & iniuriam fratris ſui, occaſione præbita, vltura. Dum autem *Barthoſſius Włodkowicz* miles de *Wierzchosławycze* & domo *Sulima*, cauſam Regis procurando aduocandoque mordacius quam par erat in *Albertum Iaſtrzabiecz* Epiſcopum, in quem & ipſe odio graui ardebat, inueheretur, germanam enim neptem *Petri Viſch* habebat pro conſorte; fratres & conſanguinei *Alberti* Epiſcopi, quorum multitudinem ſecum, periculi diſcrimen præcauens, adduxerat, Domini ſui improperium non vltra laturi, in contentionem verſi, ſeditionem grauem concitarunt. Qua Barones præſidentes iudicio deterriti, deſerere loca ſua, & conſulere ſibi & ſuis, coacti ſunt; Contentione deinde in caſtro cœpta, & apud milites in caſtro conſiſtentes vulgata, maxima multitudo mortalium, armis correptis, ſuis auxiliatura, ad caſtrum prorumpit. Rumor ingens oritur, ſtridet mugitibus æther. Periculum & ipſe Rex veritus, tribunali deſerto, ad Regiam Cameram ſupra portam ſitam cum primoribus Baronibus confugit. Nec res ſine cæde mutua, & plurimorum crudeli interitu, partibus contra ſe ingenti furore frementibus, potuiſſet tranſigi, nemine offerente ſe, qui efferuentem inſaniam interrumpere auderet, ſi portarum caſtri obſeruatione, pontisque eleuatione, per quæ currentes ex oppido in caſtrum irrumpere ſatagebant, aditus reſtrictus Diuinitate propitia non fuiſſet. Seditione tandem omni compreſſa, etiam reconciliatio inter *Wladislaum* Regem, & *Albertum Iaſtrzabiecz* Epiſcopum *Cracouienſem*, *Sbigneum* de *Brzezie* Regni *Poloniæ* Marſchalcum, & *Ianuſſium* Caſtellanum *Caliſſienſem*, per medium Baronum, & ſignanter *Ioannis* de *Tarnow* Palatini *Cracouienſis*, procurata eſt. Habita deinde eſt ſuper acceptando aut refutando *Bohemiæ* Regno deliberatio: concorditerque concluſum, *quatenus Wladislaus Poloniæ Rex propter hæreſim, qua ſe Bohemorum plures inquinauerant, item propter aſſidue gliſcentem ſeditionem inteſtinam, & quod Sigismundum Romanorum & Hungariæ Regem proprium habeat hæredem, tum propter varios alios reſpectus, nullatenus Bohemiæ Regnum ſuſcipere conſentiat, voluntatemque ſuam ſuſpendere diſſimulet, & Bohemorum Legatis, ad eum propterea venturis, nullum certum reſponſum edat, ſed propoſito ſuo contecto, in ſpe illos, quoad poteſt, diſtineat, vt Sigismundus Romanorum & Hungariæ Rex, hoſtis pro ea tempeſtate infeſtus Poloniæ Regno creditus, eo ſtimulatus remorſu, deſineret tam licenter in Regni Poloniæ offenſam graſſari.*

Quorundam conſiliariorũ coram tribunali regio ſeditio

& de Regno Bohemiæ negligendo conſultatur.

Ad priſcas Bohemorum hæreſes, alia prius inaudita, ſub his diebus emerſit. *Picardus* enim quidam ex *Gallia Belgica*, in *Bohemiam* penetrauit. Qui præſtigiis quibusdam virorum & mulierum plebem ſibi concilians, & nudos vtrosque incedere iubens, *Adamitas* vocauit: Et ſe filium Dei aſſerens, *Adam* vocari iuſſit. Connubiaque eis promiſcua, ſe tamen prius conſulto, permiſit: atque cum his Inſulam, amne *Liſinicio* cinctam, incolens, vicinos agreſtes

Picardorum hæreſis apud Bohemos nata

1420

per Io. Ziſchka ſupprimitur.

agreſtes cædibus & ſpoliis laceſſiit. In quos *Ziſchka*, quamuis ſceleratus, ſcelus tamen ſpurciſſimum exhorrens, exercitum duxit: Inſulaque expugnata, *Adamitas* omnes gladio & igne deleuit, duobus tantum reſeruatis, ex quibus ſuperſtitionem gentis cognoſceret. Qui poſtea ridentes cantanteſque, dum mactarentur & incenderentur, occiſionem & incendia pertulere.

Sigiſmundus Imp.

Congregato forti & numeroſo exercitu, ex variis gentibus, *Almaniæ*, *Hungariæ*, & *Sleſiæ*, *Sigiſmundus Romanorum* & *Hungariæ* Rex, *Wratiſlauia* circa feſtum S. *Ioannis Baptiſtæ* egreſſus, per *Swidniczam* & *Kloczko* copias ducens, & in *Bohemiam* expeditionem agens, *Pragam* obſidere cœpit. Solerti quidem, ſed parum proſpero conſilio; *Praga* enim obtenta, cæteras ciuitates per deditionem accepturus eſſet. Eiuſque obſidionem ſex hebdomadis continuauit: *Pragenſibus* portas nocte & interdiu non claudentibus, obſidenteſque continuis & ſecundis eruptionibus vexantibus. Nec *Pragenſes*, *Ziſchka* acceſſito, & ei ſumma rerum tradita, eruptionibus contenti, caſtrum inſuper *Viſchegrod*, quod pro *Sigiſmundo* Rege tenebatur (*Czenko* enim bina proditione inſignis, illud ſibi tradiderat, ſpe præmiorum illectus) obſident, omnibus ingeniis & conatibus pro illius conquiſitione adniti. Et licet plures numero Barones *Bohemiæ* in auxilium *Sigiſmundo* Regi acceſſiſſent, nonnulli tamen ex eis, cum *Sigiſmundo* Regi parum fidi, parumque puri forent, *Pragenſibus* quoque Regis arcana prodebant: ex quo in *Pragenſibus* maior animatio ad reſiſtentiam fortius opponendam exigebatur, *Almanorumque* clades dietim proueniebat. Videns autem *Sigiſmundus* Rex ſe *Pragam* conquirere non poſſe, ad caſtrum *S. Venceſlai* cum multitudine armatorum ingreſſus, ſe in *Bohemiæ* Regem die Dominico *S. Iacobi* Apoſtoli, a *Conrado* natione *Vephalo*, Archiepiſcopo *Pragenſi*, coronari & inungi procurauit. Coronationeque perfecta, moleſtias ſui exercitus, de ſolutione illum impetentis, non tolerans, obſidione ſoluta, recepta lancea Domini & clauo, aliiſque omnibus Sanctuariis, Sanctorum reliquiis, clenodiis, theſauris, libris localibus, tam per Imperatores *Romanorum* quam *Bohemiæ* Reges, apud *Pragam*, & caſtrum *Karſten*, quod ſuæ ditionis erat, depoſitis, (quæ omnia temporis proceſſu, ductus neceſſitate, aut vendidit, aut diſtraxit) recepta inſuper materiali corona *Bohemiæ*, in *Hungariam*, licentiato exercitu nullo memorabili in rebelles *Bohemos* edito opere, rediit. Ex eo tempore ſe *Bohemiæ* Regem titulauit. Quo diſcedente, caſtrum *Viſchegrod* fortius a *Pragenſibus* quati & obſideri cœptum eſt. *Ziſchka* apud *Pragam* agens, ex conſilio ſuorum Sacerdotum, omnes baſilicas delere adortus eſt, quæ Sanctorum Nominibus dicatæ fuerant. Neque

in Regem Bohemiæ inungitur,

enim fas eſſe dicebant, alteri, quam ſoli Deo templa ſacrari. Hinc plurima monaſteria nobileſque Eccleſiæ, vno impetu in ciuitate diſiectæ. Id dum *Pragenſes* ægre ferrent, quibus ſeruandum decus ædificiorum videbatur, ſenſim ob repentem ſeditionem euaſurus *Ziſchka*, cum ſuis abiit, templaque, fidelium loca, expugnans, Sacerdotes Dei, & vtriuſque ſexus homines, etiam cum infantibus, aut igne combuſſit, aut gladio extinxit. Fuit & alia in *Bohemia* factio hæreticorum, *Orebitarum* appellata, quæ territorum *Hrecenſe*, vicinaſque fidelium gentes, magnis affecit cladibus. In arce *Viſchegradenſi* fame in dies creſcente, cum cætera deeſſent, equinæ carnes aliquandiu pro cibo fuere. Ad extremum niſi ad certam diem *Sigiſmundus* auxilium ferret, deditio promiſſa, exque promiſſis adiecta, vt *Viſchegrad*, *Sigiſmundo* veniente, prorſus quieſceret.

Lancicienſi conuentione expedita, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex venit in *Volborz*. Vbi ad ſuam Serenitatem Nuncii Regni *Bohemiæ*, videlicet *Hinek* de *Valſchten*, *Haleſca* de *Wrzeſczow*, item duo Conſules *Pragenſes Simon*, & *Thaniczka*, item *Ioannes* dictus Cardinalis, & *Petrus Anglicus*, Sacerdotes, a *Kruſchina* & *Boczkone*, cæteriſque Baronibus *Bohemiæ* deſtinati, adueniunt. Quibus dicendi poteſtate facta, legationem ſuam explicant in hunc modum; *Licet, Sereniſſime Rex, Venceſlao Rege noſtro Bohemiæ obeunte, per ſolennes noſtros Nuncios, Sigiſmundus Romanorum & Hungariæ Rex, foret humiliter rogatus, quatenus velut hæres Regni Bohemiæ & ſucceſſor, veniret in Bohemiam, & Regni Bohemici ſuſciperet regimen, ipſe tamen hoſtium noſtrorum Almanorum ſeductus ineſcatuſque conſilio, humilitatem noſtram & oblationem ſinceram, deputans oſtentui, non ſecus in Bohemiam accedere & Regnum ſuſcipere reſpondit quam armis omnibus ciuitatis Pragenſis, in ſuam & ſuorum officialium poteſtatem traditis, & muro ciuili pro ſuo ingreſſu ruinato. Nobis autem huic ludibrio, vt conuenientiſſimum erat, renitentibus, mox ad deſtructionem Regni noſtri molitus eſt, & omnium fere Principum Almaniæ, hoſtium noſtrorum, exercitu collecto, Bohemiæ Regnum ingreſſus, populatus eſt illud, longo tempore ciuitatem Pragenſem coactus obſidione. Quam cum animaduerteret ſe capere non poſſe, Regnum noſtrum corona materiali, Sanctorum oſſibus & reliquiis, theſauris, libris, clenodiis, & omnibus localibus, a longo tempore quæſitis, ſpoliauit, ſpoliaque huiuſmodi, & Regni noſtri clenodia, in Hungariam ſecum detulit, nonnulla vero diſtraxit. Quapropter tam crudelis Rex, tam prophanus homo, non ſolum nobis pro Rege habendus non eſt, ſed veluti noſtri linguagii, noſtræque gentis infeſtiſſimus, ad internecionem vſque perſequendus.*

Legati Bohemorum Wladiſlao Regnũ Bohemiæ offerunt

Si

1420 *Si itaque gratum & acceptum eſt Serenitati tuæ Regni Bohemiæ ſuſcipere regimen & gubernacula, illud tibi ab omnibus Baronibus,* A *militibus, ciuibus, Dominis, & ſubditis eiuſdem Regni, deferimus, dummodo pollicitatione tua Regia nos certifices, ab hoſtili inuaſione defendere, & quatuor articulos ritus noſtri, videlicet communionem vtriuſque ſpeciei, facinorum publicam correctionem, verbi Dei paſſim omnibus liberam prædicationem, & temporalium ab Eccleſiis & Clero ablationem, nobiſcum practicare. Neque enim Serenitas tua Regno Bohemiæ non ſuſcepto, æſtimet ſe Regnum ſuum poſſe aut in pace regere, aut ſine grandi bellorum ſtridore obtinere, cum hoſtis noſter communis Sigiſmundus Rex, Bohemiæ Regno deſtructo, aut ſaltem quaſſato,* B *Polonicum tuum deſtruere aſpirabit; poſtquam pridem lata, contra tuam excellentiam tuumque Regnum, iniqua & iniuſta apud Wratiſlauiam ſententia, plus iniquitati Cruciferica, quam ſuæ compertus eſt iuſtitiæ fauiſſe. Qui etiam dudum & nunc præfatos Cruciferos in tuam, Regnique tui, perniciem animat, ad belligerandumque tecum gentium ſuarum auxiliis, ingeniiſque & dolis, & quacunque valet arte, ſubornat.* Hæc Bohemus. Conſtabat autem & *Ziſchkam* & factionem eius, legationi huic aduerſari, qui liberis hominibus Regem habendum eſſe negabat: ſed in communi & libertate viuendum eſſe, nulliſque parendum Secularibus Regibus aut Principibus C aſtruebat; & ſuadebat magis parendum legibus quam Regibus. Hiſque adulterinis & ſimulatis ſermonibus, ſtolidorum & vulgarium animos & fauores, ſibi arte & vafro ingenio conciliabat, ea ſpe & propoſito, quatenus ſummam Imperii apud *Bohemos* facilius ipſe occuparet. *Bohemicæ* legationi *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, deliberatione cum ſuis habita, in hunc modum reſponſum edit. *Moleſta eſt nobis, Viri nobiles, omnis differentia, quæ inter Sigiſmundum Romanorum Hungariaque Regem, & vos, exorta, inualeſcit. Nec ſecus de damnis & populationibus veſtris, quam propriis, & ſignanter de interitu ciuitatis Pragenſis, ſingulari affligimur dolore, omnem operam noſtram ad reſcindendum* D *exortum diſſidium, & in veſtram reconciliationem, ſi vobis collibuerit, nauaturi. Cum autem res, pro qua nos conuenitis, ſupplicando, vt Regni Bohemiæ acceptemus regimen, grandis & nodoſa ſit, grauique egeat deliberatione, non poſſumus in præſentiarum ad illam, conſultatione cum chariſſimo fratre noſtro Duce Lithuaniæ Alexandro Withawdo, primum non habita, reſpondere. Ad quem ex hoc loco ſpeciales Nuncios, quatenus nobiſcum in loco & tempore apto conueniat, deſtinamus; nobis ſua ſuper hac re conſilia largiturus.* Duobus deinde *Bohemorum Nunciis*, videlicet *Hincone* de *Valſchten*, & *Simone* Conſule *Pragenſi*, in *Lithuaniam*, ad parem legationem *Alexandro Withawdo* exponendam, diuertentibus; duo reſidui, *Wladiſlai Poloniæ* Regis ordinatione, in *Niepołomicze* mittuntur, procurationem plenam pro ſe, & ſuis habituri. In omnibus ſiquidem locis, ad quæ prædictos *Bohemiæ* Nuncios venire contigerat, Eccleſiaſticum ſeruabatur, apud *Poloniæ* Regnum, interdictum: quoniam Summus Pontifex *Martinus* quintus, ſingulos *Bohemos* hæreſim *Vicklephiſticam* practicantes, anathemate damnauerat, & loca, in quibus conſiſterent, interdicta eſſe cenſuerat. Propter quod in *Niepołomicze* deducti ſunt, veluti in locum ab hominum conuerſatione ſequeſtratum, vbi ſub omni tempore manſionis eorum, Eccleſiaſticum tenebatur interdictum. 1420

quorum alii in Lithuaniam Alexandro eandem legationem laturi,

alii ob interdictum in Niepołomicze manent.

Caſtrum *Viſchegrad* apud *Pragam*, quod *Pragenſes* longa obſidione conſtrinxerant, ab impendenti periculo, defenſoribus illius diuturna inedia maceratis, *Sigiſmundus Romanorum* & *Hungariæ* Rex, liberaturus, grandi exercitu ex *Bohemis*, *Polonis*, *Hungaris* & *Almanis* collecto, perſonaliter *Pragam* aduenit, ſtatiuaque propius *Pragam* locans, opem obſeſſis ferre, aut ſi id minus procederet, victualia ad obſeſſos importare, omni ſtudio conſtituit. *Pragenſes* Regem *Sigiſmundum*, ad ſoluendum obſidionem venturum rati, loca, quibus obſidio ſolutionis adminiſtranda erat, ſpecubus foſſiſque ſubterraneis, & cuniculis occultis leui deſuper ſabulo conſtrato, quatenus ſupergradientes falleret, dudum infecerant, dolis & inſidiis hoſtem validius quam armis oppreſſuri. Militibus itaque *Sigiſmundi* Regis, & vniuerſo eius exercitu, ad repellendam caſtri *Viſchegrad* obſidionem, certatim, *Sigiſmundo* Rege inſpectante, irruentibus, *Pragenſes* in aduerſum ire pergunt. Quorum paucitate milites *Sigiſmundi* conſpecta, dum auidius in pugnam properant, in loca inſidiarum præcipitantur. Multiſque locorum tantummodo iniquitate obrutis, cæteri ſine aliquo humanitatis reſpectu barbara rabie trucidati ſunt. Multa tunc *Bohemorum Sigiſmundi* Regis partes ſequentium indigna morte obtrita fuere millia, & vniuerſus fere *Bohemicæ* Nobilitatis flos proſtratus concidit. *Ex Polonis Andreas Baliczki* de domo *Bipennium* miles inſignis, *Georgius Smolnenſis* Dux, qui de ſuo Ducatu *Smolensko* ab *Alexandro Withawdo* eiectus, ad *Sigiſmundū Romanorum* Regem ſe contulerat; Ex *Bohemis Henricus* de *Plummow*, *Iaroſlaus Konopski* de *Sternbarg*, pluresque alii milites inſignes deſiderati ſunt. Rex *Sigiſmundus* clade tam inſperata & crudeli perculſus, cum reliquiis miſerabilis exercitus, triſtis mœſtuſque in *Hungariam* rediit. Ceciderunt ex *Morauis* quatuordecem Proceres, ex *Hungaris* cæteriſque gentibus quam plurimi. Arx, *Sigiſmundo* Rege recedente, *Pragenſibus* dedita eſt. Erant in territorio *Pilznenſi* complura cœnobia, opibus & ſtru-

Viſchegradum a Pragenſibus,

plurimis ex Sigiſmundi exercitu ſtratagemate cæſis,

capitur. Ziſchka vero in oppida &

1420 ſtructuris inſignia, ex quibus *Ziſchka* quinque combuſſit. In Monaſterio vero *Cladronenſi*, quoniam munitis erat, præſidium poſuit. Huc *Sigiſmundus* exercitum admouit. Sed *Ziſchka* poſthæc ad *Pilznam* ducens, tentata magis quam obtenta expugnatione (videbat enim vrbem egregie defendi) viam petiit oppidoque potitus, populares cum Sacerdotibus fruſtra veniam petentes incendit, oppidum autem *Rab* impugnans, alterum oculum amiſit. Nec propterea caſtrenſem laborem, aut rei militaris curam omiſit: cœcuſque populus, cæcum Ducem ſecutus eſt. *Pragenſes* oppido *Verona*, in quo præſidium *Sigiſmundi* Regis erat, capto, paucis vitæ reſeruatis, cæteros interimunt. *Brod Teutonicum* expugnant, *Kuthnam* quoque, & alias plures ciuitates, dedentibus ſe oppidanis, in poteſtatem accipiunt.

monaſteria deſæuit.

& alterum oculum amittit.

Data reſponſione apud *Volborz Wladiſlaus Poloniæ* Rex, Nunciis *Bohemicis*, per ſolitas ſtationes vadit in terram *Sandomirienſem* deinde in *Lublinenſem*, poſtea vero in *Ruſſiæ* oram deſcendit. Qua peragrata in *Nyepolomicze* pro die *S. Martini*, Conſiliariis Eccleſiaſticis & ſecularibus conuenire illuc iuſſis, aduenit, & *Sigiſmundum Romanorum & Hungariæ* Regem apud *Pragam* conflictum, *Venceſlao Oppauiæ* Duce ſibi celeri Nuncio ſignificante, tum primum agnouit. *Bohemorum* itaque legatione, frequenti deliberatione ventilata, nemini ſatis placuit, Regnum *Bohemiæ* cum hæreſibus & ſeditionibus, cladibusque inteſtinis hærede inſuper legitimo *Sigiſmundo Romanorum & Hungariæ* Rege extante, qui ad illud a parte iuſtiori aſſumptus, & coronatus erat, aſſumi: In hancque ſententiam *Bohemorum* Nunciis reſponſum eſt. Et *Wladislaus Poloniæ* Rex, propoſitum ſuum illis detegens, *Regni Poloniæ finibus ſe contentum fore, & nullius externi ſe egere* profeſſus eſt, *Regnumque Bohemiæ, cum articulis ab Eccleſia Catholica damnatis, nequaquam ſuſcepturum.* Licentiatis deinde *Bohemorum* Nunciis, per ſolitas ſtationes in *Lithuaniam* procedens, totam illic hyemem abſumit.

Legati Bohemorum

negatiuum a Wladislao reſponſum accipiunt.

Quarto Calendas Aprilis *Martinus* Papa V. *Florentiæ* agens, *Ioanne* Epiſcopo *Lubucenſi*, qui in in Pontificatu illo aliquot annos exegerat, ad *Strigonienſem* Archiepiſcopalem Sedem in *Hungaria*, *Sigiſmundo Romanorum & Hungariæ* Rege inſtante, tranſlato, *Ioanni* Epiſcopo *Brandeburgenſi* prouidet de *Lubucenſi*, petente *Frederico* Marchione *Brandeburgenſi*.

Natalis Domini diebus *Wladislaus* Rex apud *Troky* celebratis venationibus ſolitis in *Lithuania* immorabatur. Sub quo quidem tempore cœptus eſt agi tractatus, de *Wladislai Poloniæ* Regis filiæ *Heduigis* deſponſatione. *Sandiuogius* ſiquidem de *Oſtrorog* Palatinus *Poſnanienſis*, *Ioannem Czarnkowski*, & *Ioannem Suczka* de *Woyſchewo*, & nonnullos alios, fratres & conſanguineos ſuos, *Polonorum* milites, a *Frederico Brandeburgenſi* Marchione, in bello, quod inter eum & *Stetinenſes* Duces agebatur, apud oppidum *Tangermund* captos, liberaturus, ad præfatum *Fredericum* Marchionem deſcenderant. Iniciauit itaque *Fredericus* ipſe primus hunc tractatum; & verbis prudentibus, multa ſubſidia contra ſingulos hoſtes Regni *Poloniæ*, & ſignanter contra Cruciferos de *Pruſſia*, cum notabili terrarum ſuarum pro Regno *Poloniæ* perpetua applicatione; ſi *Wladislaus Poloniæ* Rex filiam ſuam vnicam *Heduigim* virginem, filio ſuo *Frederico* natu maiori, deſponſare dignaretur, cœpit polliceri. Exquiſita igitur cum ſolerti ſcrutinio, præfatus *Sandiuogius* Palatinus *Poſnanienſis* mente & oblatione Marchionis præfati, ſingulos tractatus cum dicto *Marchione* habitos, *Wladislao Poloniæ* Regi per ſpeciales Nuncios intimat, preces & Conſilia adiiciens, *vt Wladislaus Poloniæ Rex cum Marchione prædicto, id plurimum deprecante, quanto celerius conueniat.* *Wladislaus* autem Rex, ſuper hac re, cum *Alexandro Withawdo*, deliberatione habita, neque affinitatem, neque commercium ſe abnuiturum reſpondet, & poſt feſtum Paſchæ proxime venturum, *Cracouiæ* locum ad ſe veniendi conſignat. 1421

De deſponſatione filiæ Heduigis Wladislai, cum filio Marchionis Brandeburg. agitur.

Carniſpriuii dies *Wladislao* Rege *Polonorum*, in *Lithuania* in curia *Vorani*, ſuper ſuper fluuium *Merecz*, vna cum *Alexandro Withawdo* agente, Primores *Bohemorum Nuncii*, videlicet *Hinek* de *Valſchten*, *Haleſch* de *Wrzeſczow*, *Petrus Anglicus*, venena *Anglicana* & ipſe *Bohemis* propinans, *Ioannes* dictus Cardinalis; item Conſules *Pragenſes*, *Simon*, *Mikoſch*, & *Thaniczka*, adueniunt. Habitaque audientia, ſupplicationem priorem apud *Wladislaum* Regem reſumunt, *vt Regnum Bohemiæ acceptare dignaretur.* Quo reſpondente, *non ſe aliquo pacto reſponſum, ſuperius apud Niepolomicze datum, variaturum*, *Alexandrum Withawdum* Ducem magnum *Lithuaniæ*, variis precibus, oblationibus, & pollicitationibus, enixius quo poſſunt fatigant, & conueniunt obſecrando, vt fratre ſuo *Wladislao Poloniæ* Rege Regnum *Bohemiæ* faſtidiente, ipſe illud ſuſcipere dignaretur. *Alexander* autem *Withawdus*, nullo certo tunc reſponſo edito, anno integro *Bohemicos* Nuncios, ſpe ambigua diſtinebat. Ne tamen prorſus viſus foret eorum oblationem abiicere, tali eos ſpe ſolidat: *Quamuis ego Dominio meo Ducatu magno Lithuaniæ contentus exiſtam, & Regni Bohemiæ potentiis & diuitiis non indigeam, in odium tamen Sigiſmundi Romanorum Regis, qui periniquam ſententiam contra me latam, quamuis fœderatus meus foret, terras meas natiuas mihi abiudicauit, non recuſo Bohemiæ Regnum ſuſcipere, dummodo promittatis nihil temere & pertinaciter*

Legati Bohemorum

Wladislao Regnum iterum recuſante illud Alexandro Lithuaniæ Duci offerunt.

1421 *citer aduerſus fidem Catholicam ſapere, ſed mandatis & inſtructionibus Eccleſiæ in omnibus obedire. Mihi ſiquidem articulos a vobis dogmatiſatos, Regno etiam Bohemiæ acceptato, neque defendere, neque tenere in animo eſt. Et quamuis Chriſtianæ religionis nouus profeſſor, nouusque Princeps ſim, non tamen fidem ſemel ſuſceptam, & ritum illius, veſtro peſtifero dogmate inquinari ſinam, inſtitutis & obſeruantiis vniuerſalis Eccleſiæ, me in ſingulis conformaturus.*

Feria ſexta poſt *Cinerum Wladislaus Poloniæ* Rex de *Vorani* egreſſus, per *Dubicz, Grodno, Rathno, Lubomlya, Hrodło, Chełm, Kraſzniſtaw*, aliaque loca conſueta, ad Regnum *Poloniæ* rediit. Redierunt & cum ſua Serenitate *Bohemorum* Nuncii, fuitque illis iterum apud *Niepołomicze* manſio conſignata, donec illis finalis daretur per *Alexandrum Withawdum* reſponſio. Venit autem *Cracouiam Wladislaus Poloniæ* Rex pro Dominica Ramis Palmarum, quo ad ſuam Serenitatem plures numero *Sleſiæ* Principes, & ex variis mundi partibus Nuncii confluxerant. Quibus comiter habitis, & expeditis, cum Prælatis & Baronibus *Poloniæ*, iuſſu ſuo illuc conuenientibus, apud *Cracouiam* aliquot hebdomadis immorabatur, donec poſt feſtum Paſchæ *Fredericus Brandeburgenſis* Marchio aduenit a *Wladislao Poloniæ* Rege, cum inſigni Prælatorum, Principum, ac Baronum caterua, vſque in *Prądnik* ſibi obuiam eunte, exceptus. Poſt varios autem tractatus ſub diebus quindecim habitos, cum Marchione præfato, & filio ſuo *Frederico* natu maiore affinitatis f-dus ictum eſt, & Regia Virgo *Heduigis* illi deſponſata: fœduſque huiuſmodi, etiam inſcriptione & conditionibus iis firmatum conficitur; *vt filius Marchionis Fredericus, cum filia Regia Heduigi Poloniæ Regnum obtineret, ſi Wladislaum Regem prolem maſculinam relinquere non contingeret. Oram Saxonicam, & terram Lubuſzenſem a corpore Regni Poloniæ iniuſte alienatam, ipſi Regno Poloniæ incorporet. Si vero Wladislaus Poloniæ Rex pignus ſuſceperit, Rex Poloniæ & Regnum, florenorum centum millia dotem virgini conſignabunt.* Et quamuis aliqui Barones *Poloniæ*, affinitatem huiuſmodi cum *Boguslao Stolpenſi* Duce, ipſam per graues & multiplices interceſſores expetente, probaſſent; perſuaſiones tamen vno faceto *Criſtini* de *Oſtrow Cracouienſis* Caſtellani dicto, confutatæ ſunt. Qui nauale auxilium, quo ipſe *Boguslaus Stolpenſis* Dux, & *Daniæ* Regis aſſiſtentia valebat, infirmum & caſuale reſpectu terreni, quo ſuperabat Marchio, deduxit. Aſtruens *nauale auxilium, flante vento poſſe auerti, aut ſi ventus non impediat, negligentiam tamen & moram in ventum & auram retorqueri; quod accidere non poteſt æque in terreno.* Et quoniam *Wladislaus Poloniæ* Rex, æſtate illa expeditionem mouere in Cruciferos firmauerat, affinem nouum *Fredericum* Marchionem *Brandeburgenſem* requirit, de ſuffragio ſibi contra Cruciferos ferendo. Qui certis cauſis & reſpectibus allegatis, reſpondit ſe ad ferenda auxilia Regi eo anno parum idoneum parumque valentem eſſe. Conſuluitque in annum integrum bellum treuga ſuſpendi: *ſe interim ea ingenia, eaſque vias reperturum, quibus Cruciferi ſine bello & armis frangi, & in eam attritionem neceſſitatemque redigi poterint, vt non ſolum quæ Poloniæ Rex imperauerit, obedienter facere, ſed & quadrigas coaquinationum ſuarum vehere impellerentur.* Ea reſponſione *Wladislaus* Rex non ſecus quam vera lætus, a bello in Cruciferos ea æſtate abſtinuit; & *Sigismundo Romanorum & Hungariæ* Rege, precante per literas & Nuncios, in annum vnum treugam firmauit. Accepti deinde præfatus *Fredericus* Marchio, a *Wladislao Poloniæ* Rege magnificis muneribus, ſuis quoque in *Poloniæ* Pontifices & Barones diſtributis, omnibus neceſſariis in eundo & redeundo tractatus, voti ſui compos, hilaris in propria rediit.

Heduigis filia Wladislai nubit Frederico filio Marchionis Brandeb.

& fœdus cum Cruciferis in annum profertur.

Frederico Brandeburgenſi Marchione, *Wladislaus Poloniæ* Rex, licentiato, ex *Cracouia*, per *Zarnowiecz, Nouam ciuitatem, Biecz, Sandecz*, in terras *Ruſſiæ* tranſiit; & feſtum *SS. Trinitatis* in *Biecz*, & *Corporis Chriſti* in *Kroſzno* agit. Dum autem diem *S. Ioannis Baptiſtæ* apud *Ozimini* ageret, *Vilhelmus* de *Lamwoy, Burgundus* miles, aduenit; & *Wladislao Polonorum* Regi, ex parte *Henrici Anglorum* Regis, literis commendatitiis & muneribus, videlicet ſtamine atlantico auro intexto, galea ferrea criſta aurea inſigni, & duobus *Anglicis* arcubus, præſentatis, petebat ſibi per terras Dominiorum ſuorum, in terram Sanctam *Hieroſolymorum* tendenti, ſaluum conductum præſtari. *Wladislaus* autem *Poloniæ* Rex, ſua ſponte in quoslibet aduenas comis & munificus, non ſolum ſecuritatem per terram ſuam præſtitit, ſed etiam illum ampliſſime donatum, *Turcarum* Cæſari per literas commendauit. Quarum contemplatione miles prædictus *Vilhelmus* ex *Conſtantinopoli* a Cæſaris familiaribus vſque in *Hieruſalem* perductus eſt. In patriam deinde reuerſus, magnis laudibus *Wladislai Poloniæ* Regis in ſe benignitatem, & apud *Burgundos Anglicosque* impleuit, & vſque in diem mortis ſuæ gratiarum actionem in *Wladislaum* Regem celebrauit.

Vilhelmus Burgundus, per terras Poloniæ Hieroſolymam iturus

Cæſari Turcarum a Wladislao Rege commendatur

Ex terris *Pruſſiæ*, pro feſto Aſſumptionis B. V. *Mariæ Wladislaus* Rex venit in *Lublin*, generalem diætam cum *Alexandro*, magno Duce *Lithuaniæ* illic acturus. Quo cum vterque in frequentia Conſiliariorum vtriuſque Dominii conueniſſet, ſuper rebus *Bohemicis* & Legatione eorum deliberatione habita, talis *Bohemorum* Nunciis, qui & ipſi ex *Niepołomicze* 1421

1421 pro reſponſo ſolicitaturi aduenerant, reſponſio a *Wladiſlao* Rege, & *Alexandro Withawdo*, edita eſt: *Non licet nobis, viri nobiles, qui Chriſtiani cenſemur, & cenſerique optamus Principes, Regni Bohemiæ a vobis oblatum regimen, excipere, eius iuſto hærede, Sigiſmundo Romanorum Rege, extante. Qui etſi fœdus initæ nobiſcum amicitiæ, ſanguiniſque iura, præuaricatus, ſua arbitrali iniqua ſententia, grauiſſime nobis iniuriatus ſit, nos tamen cauſa noſtra Deo, iniuriarum vltori, ad vlciſcendum ſeruata, fideique, & Regni Bohemiæ negotia, ſincere nos adiuturos adminiſtraturoſque offerimus: Vobiſque omnem noſtram operam pollicemur. Quod ſi erroribus a vobis dogmatiſatis, quos vniuerſalis damnat Eccleſia, renunciaturos vos conſenſeritis, Vos & Regnum veſtrum curabimus noſtra ſolicitudine, ad bonum regimen reducere, & ad pacem, ſeruata vobis veſtri honoris integritate, ſtabilire. Mittemuſque ex hoc loco certos Nuncios noſtros, ad Sigiſmundum Romanorum Regem, tractaturos ſecum, modos & vias, quibus vos & Regnum veſtrum ad fidem Orthodoxam reduci, & optimis Religionis Catholicæ moribus, obtinebimus informari. Nec ſolum illic, ſed & apud Sedem Apoſtolicam laborabimus pro veſtra & Regni veſtri honeſta reductione, pace, & vnione. Et cum Sigiſmundus Rex, habens duo ampliſſima, Romanorum videlicet & Hungariæ Regna, gubernationi eorum intentus, ſcit ſe in tertii regimine parum bene poſſe verſari, fauendo vobis & Regno veſtro de vnione & pace, remur illum de iure Regni hæreditario, & quocumque alio ſibi competenti, præſertim, ſi hæreſim vos reliquiſſe ſenſerit, facile ceſſurum vobiſque largiturum authoritatem, alterum Regem, vobis gratum & vtilem ſubſtituendi. In eoque caſu, poſſet alter ex nobis veſtris annuere precibus, & Regni Bohemiæ ſuſcipere regimen. Sed & vobis errores, legi Diuinæ & Eccleſiæ Dei aduerſantes, deſerentibus, etiam in euentum, quo Sigiſmundus Rex difficilem ſe in cedendo monſtraret, non dubitans (Sede tamen Apoſtolica conſulta & conſentiente) in fidei Sanctæ fauorem, & Regni veſtri quietationem, veſtrum Regnum acceptare.* Ea reſponſione, Bohemorum Nunciis data, Lublinenſis Conuentus ſolutus eſt.

Reſponſio datur Bohemis a Wladiſlao Rege de non accipiendo Regno Bohemiæ.

Vigore receſſuum *Lublinenſis* diætæ, duo Nuncii, Regis & Regni *Poloniæ* nomine, ad *Sigiſmundum Romanorum* & Hungariæ Regem, videlicet *Ioannes* de *Tarnow* Palatinus *Cracouienſis*, & *Sbigneus* de *Oleſchnicza* Sancti *Floriani* Præpoſitus, deſtinantur. Qui cum illum in *Tharnouia* Regni *Hungariæ* oppido offendiſſent, in hunc illi modum *Wladiſlai Poloniæ* Regis exponunt mandata. *Sereniſſime Rex. Moleſte admodum ferens Illuſtriſſimus Dominus noſter, Wladiſlaus Poloniæ Rex, Regnum tuum Bohemiæ, in hæreſeos monſtra, variaſque calamitates, atque clades ciuiles & externas, prolapſum eſſe:* A *habita nuper in oppido Lublinenſi, ſuper danda reſponſione Bohemorum Nunciis, Regnum Bohemiæ ſibi offerentibus, generali conuentione: Cui & fratrem ſuum Alexandrum Withawdum Lithuaniæ magnum Ducem, & vtriuſque ſui Dominii, Polonici videlicet & Lithuanici, Conſiliarios, adhibuerat, de rebus Bohemicis, in Sanctæ fidei fauorem, conſultandum curandumque duxit, ea quoque omnia ſibi aggredi conſtituit, per quæ Regnum illud ad tranquillum poſſet reduci ſtatum, & ab infectione hæreſium purgari, ſummum ſe, ea ipſa re, Deo & tibi, ſummum religioni Chriſtianæ,* B *& genti illi, vnum linguagii commercium cum gente ſua Polonica habenti, obſequium arbitratus præſtiturum. Cum autem te abnuente id parum bene fieri exiſtimat, obſecrandum & requirendum te, per nos ſuos Oratores, inſtituit; digneris & ipſe paterni auitique Regni calamitatibus compaſſionem ferre: fauereque & annuere, vt noſter Illuſtriſſimus Dominus Rex, Regnum prædictum renunciare hæreſibus, pacem reſumere, bella deponere, tuamque profiteri ditionem, viis modeſtis & pacificis diſponat; armis id, ſi ſua monita a Bohemis ſpretum iri contigerit, effecturus. Et quoniam Serenitas tua (vt cum eiuſdem loquamur venia) pollicitationes ſu-* C *as, & in fœdere cum noſtro Rege inito, & poſtea frequentius repetitas, non in aliquo tenuerit, & auxilium perſonale in Cruciferos ferre detrectauerit, & in irritum ſemper ceſſit tua, quamuis frequens & ingeminata iureiurando Regi noſtro per te facta pollicitatio, non habet Rex noſter, propter quod tuis ſponſionibus de cætero incumbat, rebuſque tecum, non verbis, neque chartis agendum retur. Omnium tamen tuarum in ſe præuaricationum tranſactarum oblitus, offert ſe Bohemos ad Catholicæ puritatis veritatem & Eccleſiæ vnionem, tuamque obedientiam & ditionem, ſua cura, ſuaque interpoſitione, modis honeſtis & pacificis reducturum. Id ſi minus* D *proſpere ſucceſſerit, ſua tibi in Bohemos offert, ac viciſſitudinaria in Cruciferos a te, quoniam ad ea ex fœdere obligaris, requirit, arma: prior tecum ad domandum Bohemos, cum omnibus ſuis potentiis, ſi tamen vniuerſam Sleſia illi conſignabis & inſcribes, obſidis loco, oram, proceſſurus: nec inde prius diſceſſurus, donec Bohemi, & fidei Sanctæ vnionem atque ritum, & tuam æque fuerint obedientiam profeſſi. Tu autem Regnum Bohemiæ auxiliis Regis noſtri adeptus, parem viciſſitudinem, ad quam ex ſolo opere obligaris etiam tunc ſaltem illi & Regno ſuo redde, & in Cruciferorum de Pruſſia exterminium, cum tuis copiis, laturus Regi noſtro auxilium, conſurge: Vt de ſedibus ab eis occupatis, veſtro communi bracchio poſſint depelli, & terra Pruſſiæ inter vos duos Reges,* 1421

Wladiſlaus Rex miſſis nunciis a Sigiſmundo Imp. petit

vt liceat ſibi Bohemos ad puritatem fidei, & ditionem eius reducere, ita tamen vt ipſe quoque contra Cruciferos auxilia ferat.

terris

1421

terris Pomeraniæ, Chelmenſi, & Michalouienſi, Regno Poloniæ redditis, partiri; maiorem illius partem altero ex vobis, qui numero & robore gentium præſtabit, ſortiente. Vbi autem hæc omnia Domino noſtro Regi opere impleueris, reddere tibi Sleſiæ terras, & de illis excedere adſtrictus ſit, ſin minus, in ſua & Regni Polonici perpetua remaneant ditione. Induſtriam ſiquidem tuam, optime ſcias a Rege noſtro intelligi. Nec ita hebetem eſſe Regem noſtrum, vt verborum tantummodo ſonum, & nuda promiſſa tua, pro opere & ſatisfactione accipiat. Quapropter rogatus a nobis, præteritarum tuarum illarum fictionum velamento contentus, vetera promiſſa, nouo ſaltem implemento aliquando conſolida, & non ficto, ſed fideli & vero amore, demonſtra te Regi noſtro & Regno fœderatum. Perpendere quoque velis, & ſcrupuloſius reuoluere, qualis erga te Rex noſter fuerit, & an ſibi ſincero affectu reſponderis, & quali illum & Regnum ſuum torſeris, aſſidueque torqueas maliuolentia, atque ſimulata calliditate.

Sigiſmundus Imp. vltro ſe offert,

Altera autem die, *Sigiſmundus Romanorum* & *Hungariæ* Rex *Polonorum* Regis Nunciis, tale edidit reſponſum: *Quamuis de beneuolentia & oblatione ampliſſima, quæ mihi ex parte fratris mei, illuſtriſſimi Wladiſlai Poloniæ Regis, per vos denunciata eſt, admodum gratuler, quamuis optimam ſuam voluntatem in reductionem Bohemicam conceptam commendem, & ſumma efferam dignamque reputem laude, inſideat quoque animo meo plena rectitudo & voluntas, vt & fœdera cum Rege Poloniæ inita obſeruem, & ſi quæ a me neglecta aut tranſgreſſa ſunt, inſtaurem; Sleſiæ tamen terras, in vim obſeruationis fœderum, dare & inſcribere, parum iuſtum parumque honeſtum danti & accipienti cenſeo. Vt vero amantiſſimus frater meus Wladiſlaus Polonorum Rex, plenum experimentum ſumat, quanto ego zelo, quanta affectione, & in ſidei Chriſtianitatiſque Rempublicam, & in ſui honoris amplitudinem & profectum, agor,*

ut vnicam filiam ſuam Eliſabetham,

filiam meam vnicam Eliſabeth duorum Regnorum dote locupletem, præfato fratri meo Wladiſlao Regi, motu proprio, non rogatus, (cæterorum Principum eam procantium, & ſignanter Alberti Auſtriæ Ducis, cuius ob eam rem ad me priores vobis venere legati, affinitate neglecta) in vxorem exhibeo, gratius Regi veſtro, quam cuicumque alteri Regi aut Principi, eam locaturus. Cum qua non Sleſiæ tantummodo, quam expetitis, ora, ſed & duorum Hungariæ & Bohemiæ Regnorum, in ipſam recidet hæreditas: me, qui alteram prolem non habeo, ſed neque amplius (de quo conſors a vobis, ſi libet, conueniri poterit) habiturus, fatis abſumpto. Quod ſi Regi veſtro filia mea, quaſi parum nubilis, & iuuencula admodum, velut annum tantummodo vndecimum ſupergreſſa, pro ætatis, in qua veſter Rex verſatur, conditione, viſa fuerit; retineo alteram filiam, non ſecus, quam ſi ex me genita foret, charam, cum cuius coniugio terra Sleſiæ Rex veſter iuſtiſſime poterit potiri, Offkam, glotem meam, germani mei Venceſlai Bohemiæ Regis relictam, apud Preſburg commorantem, quam Regi veſtro me deſponſaturum, dotiſque nomine, terram Sleſiæ, cum centum florenorum millibus inſcripturum me polliceor. Vobis videre placeat formam eius, atque ætatem viridem, quo facilius id, quod ingero, accipi vel refutari poſſit, experiri. Ea reſponſione *Sigiſmundus* Rex data, in *Poſonium*, Nuncios Regios, pro videnda Regina *Bohemiæ*, ſecum ducens, proceſſit. Qui aliquot diebus in *Poſonio* commorati, viſa Regina *Offka*, familiarique collocutione cum illa frequenter habita, a *Sigiſmundo* Rege liberaliter & magnifice munerati, & in ſingulis *Hungariæ* locis ſufficientibus adminiſtrati neceſſariis, in *Poloniam* reuertuntur, craſſius gratiuſque Regi ſuo *Poloniæ*, quam ſperauerant, quamque expetierant, relaturi.

aut glotem Offkam Bohemiæ Reginæ cum magna dote & terris Sleſiæ daturum Wladiſlao in vxorem 1421

Lublinenſi conuentione peracta, *Wladiſlaus* Poloniæ Rex verſus *Sandomiriam*, deinde in *Nouam* Ciuitatem progreſſus iterum in *Lublinenſem* oram reuertitur. Quo apud *Byſtrzicza* agente, Nuncii ad *Sigiſmundum Romanorum* & *Hungariæ* Regem miſſi, *Ioannes* de *Tarnow* Palatinus *Cracouienſis*, & *Sbigneus* de *Oleſchnicza*, quarta die Octobris regreſſi ſunt, & ſeriem reſponſionis, ad Legationem coram factæ, tractatuſque cum eis per *Sigiſmundum* Regem habitos, exponunt. *Wladiſlaus* autem Rex, rem matrimonii, in quod a *Sigiſmundo* Rege ſollicitabatur, ad conſilium & deliberationem Conſiliariorum, & conuentum apud *Niepolomicze*, pro die Sancti *Martini* tenendum differens, *Sbigneo* de *Oleſchnicza* in *Lithuaniam* ad ſignificandum ſingula *Alexandro Withawdo*, quæ apud *Sigiſmundum* Regem acta eſſent, & ad videndum virginem Duciſſam *Sonkam*, *Andreæ* filii *Iwonis Kiiouienſis* Ducis filiam, *Withawdi* Ducis magni ex ſorore neptem, cuius illi coniugium ab ipſo *Withawdo* perſuadebatur, tranſmiſſo: ipſe *Biſtrzicżam* linquens, in *Ruſſiæ* terras proceſſit,

Wladiſlaus Rex ſingula a Sigiſmundo oblata Withawdo renunciat,

& ad videndam Sonkam mittit in Lithuaniam.

Sub idem tempus, nonnulli Electores Imperii, cum *Almaniæ* Principibus, exercitu haud contemnendo congregato, ad vaſtandum Regnum *Bohemiæ* ire pergunt. Et caſtris circa oppidum *Bohemicum Zatecz* poſitis conquirere illud ſummopere nitebantur. Sed dum *Zateczenſes* ſummopere reſiſterent, & exercitum Electorum crebris excurſionibus laceſſerent, Electores præfati, *Bohemico* agro in pleriſque locis vſto & vaſtato, in propria, multis tamen damnis ſuſceptis, reuerſi ſunt. Inter quos ii primarii habebantur: *Moguntinus* Archiepiſcopus, Comes Palatinus *Rheni*, *Sa-*

Electores quidam Bohemiam vaſtaturi ingrediuntur.

1421

Saxoniæ Duces, Marchio *Brandeburgenſis Fridericus*. Venire autem illos *Sigiſmundus* Rex pro die *S. Bartholomæi* iuſſerat. A quo tempore illi in *Bohemia* vſque in diem *S. Galli* immorati, cum *Sigiſmundus* ad pollicitam diem non adeſſet, domos repetiere, factis magnis ſumptibus, fatigis, & impenſis; Et nulla re memorabili geſta, ſolam ignominiæ notam, ipſos & Principatus eorum dedecorantem, in proprios referentes penates.

Cum autem Imp. ad diem dictam non adeſſet, domos ſuas repetunt.

Wladiſlaus Rex matrimonium cum Offka firmaturus,

Ruſſiæ terris peragratis, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, pro die *S. Martini* in *Niepolomicze* aduenit, frequensque concilium Prælatorum & Baronum ſuorum, ad digerendum oblationem *Sigiſmundi Romanorum* & *Hungariæ* Regis, tenuit. Omnium autem Conſiliariorum conformi approbatione, & ſummo conſenſu, *Sigiſmundi* Regis de Regina *Bohemiæ Offka*, terriſque *Sleſiæ*, & centum millium dote, oblatio laudata & acceptata eſt. Decretumque Regem *Wladiſlaum*, coniugium celebre, & Regno ſuo perutile ſubiturum. Daturque ita omne concludendi huiuſmodi matrimonii onus *Zauiſſio nigro* de *Garbow* militi. Iſque extemplo ad *Sigiſmundum* Regem mittitur, ſingula quæ concluſionem præfati matrimonii concernunt, ſub oblatis conditionibus firmaturus. Qui dum ad rem iuxta inſtructiones ſibi datas, conficiendam, ad *Sigiſmundum Romanorum* Regem perueniſſet, expeditione in *Bohemos* occupatum, & in itinere conſtitutum reperiens, legationem, cum qua venerat, exponit: paullulumque, donec de *Bohemica* expeditione regrederetur, a *Sigiſmundo* Rege ſubſiſtere, & certam expeditionem legationis ſuæ operiri, iuſſus, in *Bohemiam* & ipſe, (turpe ratus Regem bella gerentem deſerere) profectus eſt. Cumque *Sigiſmundus* Rex, in multitudine graui ex *Hungaris*, *Polonis*, *Bohemis*, *Almanis*, cæteriſque nationibus collecta, in *Bohemiam*, circa Natalis *Chriſti* feſtum, intraſſet, ad oppidum *Gora*, quod latine *Cuthnei montes* appellantur, primum applicuit, & primo impetu, (neque enim aut ſitu aut arte ad reſiſtendum ſatis tutum erat) illud capit. Multi autem ex *Bohemis*, & *Almanis*, qui *Bohemiæ* Regnum ab annis multis incolebant, hæretica labe indignum ducentes polui, cum omni ſuo pignore & ſuppellectili, quam ferre poterant *Sigiſmundo* Regi adiuncti ſunt. Quibus benigne appellatis & recollectis, *bono animo eos eſſe, deſeque meliora ſperare* iuſſit. Interim *Bohemorum* hæreticorum exercitus ex *Thaboritis*, *Pragenſibus*, cæteriſque *Bohemis*, rapto viuere ſolitis, aut ære alieno grauatis, collectus Duce *Ziſchka*, quamuis cæco, contra *Sigiſmundum*, ſeptus curruum, ab omni parte, multitudine, aduenit. Quem *Sigiſmundus* Rex, cum numero ac robore gentium validior multo ſuperiorque eſſet, exercitu ſuo in gyrum cinxit & concluſit. Non ob id tamen *Bohemicus* exercitus ſegnior effectus, prælii congreſſum nocte & die, vna paratus & ipſe ad decernendum, operiebatur. Dum vero ſe neque inuadi, neque infeſtari a *Sigiſmundi* Regis exercitu animaduertit, auſus maiores ſumens, ex ſtatiuis ſuis & concluſione, qua velut corona ſeptus erat, ſe mouit, & gentibus *Sigiſmundi* Regis ſibi cedentibus, ſaluus diſceſſit. Fugiſſe autem *Sigiſmundus* Rex *Bohemicum* exercitum, pauore non conditione a ſuo conſpectu ratus, mouet & ipſe ſui exercitus copias, & tutum ſe multitudine atque ſecurum exiſtimans, ſolutis ordinibus, nulla iuſta acie compoſitus, non ſecus quam inter fidos & domeſticos, nullam hoſtilem inuaſionem ſuſpicatus, palatiſque per agros & diuerticula militibus, progrediebatur, cum ſubito acies *Bohemica* ſe oſtendit. Et ſublato valido clamore, in diſperſos & incompoſitos irruit. Primoſque & reſiſtere auſos ſternens, feriensque, etiam in cæteros magnam cædem edit. Multi milites inſignes, dum turpe fugere exiſtimant, aut occiſi aut capti ſunt. Rex ipſe *Sigiſmundus*, ne viuus in hoſtium manus veniret, cum multitudine exercitus ſui, fuga in oppidum *Nyemieczki Brod*, quod ditionis ſuæ fuerat, peruenit. *Bohemi* hæretici, occulto Dei permittente iudicio, victoria ingenti, facili & breui dimicatione potiti, etiam caſtris & curribus Regiis multiſque nobilibus ſpoliis potiuntur. Oppido deinde *Gora*, altero poſt conflictum die, ſpoliato, oppidum *Nyemieczkibrod*, rati Regem *Sigiſmundum* illic conſiſtere, qui nocte præcedenti futuram obſidionem veritus, clam perfugerat, obſidione vallant, & grauiſſime illius turres & mœnia bombardis quatiunt.

Zauiſſium nigrum de Garbow in Bohemiam mittit.

Zauiſſius niger de *Garbow* miles *Polonicus*, quamuis potuiſſet ex oppido prius quam a *Bohemis* vallaretur, diſceſſiſſe, parum tamen ſuæ conditioni, ſuiſque maioribus & inſtitutis conuenire ratus, & milites notabiles de exercitu *Sigiſmundi* Regis, qui ſecum vna in oppidum ſe receperant, & oppidanos, fidem eiuſdem Regis *Sigiſmundi* ſecutos, deſerere, conſiſtendum illic duxit, & quoad potuit, cum cæteris militibus, ne oppidum capi poſſet, fortiſſime reſtitit. Verum nonnullis oppidanis prodentibus, hoſtes oppido potiti, *Zauiſſium nigrum*, militem *Polonicum*, cæteroſque *Polonorum*, *Bohemorum*, & *Almanorum*, milites comprehenſos, *Pragam* perducunt; Vbi per tempus longum captiuitatis moleſtias ferre coacti ſunt. Hæc itaque *Zauiſſii nigri* captiuitas, tractatum & concluſionem matrimonii inter *Wladiſlaum Poloniæ* Regem & *Offkam Bohemiæ* Reginam, conſumandi, læuo ſidere intercepit. *Ziſchka* hæreticæ partis Dux, ea pugna nobilitatus, famoſior in dies eſſe cœpit, ac in Catholicos & Eccleſias deſæuire. Nec amplius vllam pati aut ſtatuam Sanctorum, aut picturam poterat, nec tolerandum eſſe putabat, qui priſco more Sacerdotalibus indutus, rem Diuinam ageret. Oppidum inſuper, *Brod Teutonicum*, incendit, quod annis quatuordecem

Qui dum a Io. Ziſchka caperetur,

coniugium illud irritatum eſt.

1421 cem abſque habitatore deſertum ſtetit. *Pippo Florentinus*, qui equites in eam expeditionem quindecim millia ex *Hungaria* duxerat, A per glaciem iter habuit. Quæ multitudine ponderis fracta, pleroſque mortales merſit.

Wladiſlaus Rex ad Martinum P. R. legatos mittit de lite inter ſe & Cruciferos componenda.

Cauſam ſuam pro terrarum Regni ſui, *Pomeraniæ*, *Michalouienſis*, & *Chelmenſis*, repetitione, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, apud tribunal Summi Pontificis *Martini* quinti Papæ, qui ſe illi iuſtiſſimum Iudicem fore pollicebatur, inſtauraturus, Magiſtrum *Paulum Wladimiri*, Decretorum Doctorem, Cuſtodem & Canonicum *Cracouienſem* de domo *Dolaga* nobilem, & *Iacobum* de *Parauceſino Italicum*, ex *Niepolomicze* in Vrbem transmittit. B Danturque præfatis Nunciis ex Theſauro Regio pecuniæ neceſſariæ, & Inſtructiones ad cauſam, & cauſa duobus Cardinalibus, videlicet Cardinali *Venetiarum*, & Cardinali Sancti *Marci*, commiſſa. *Antonius Zeno*, vtriuſque Iuris Doctor, ad Regnum *Poloniæ*, Summi Pontificis *Martini* mandato, tranſmittitur, pro teſtibus pro parte Regis & Regni *Poloniæ* recipiendis, examinandiſque. *Wladiſlaus* Rex ex *Niepolomicze* per ſolita ſtationum loca, in *Lithuaniam* proceſſit, & venationi ferarum vſque ad dies Natiuitatis *Chriſti* in *Lithuania* inſiſtens, diem Natalitii Saluatoris in *Troky* celebrauit.

Ioanni Wladiſlauienſi Ep.

Ioannes Wladiſlauienſis Epiſcopus appellatus *Kropidło*, *Oppolienſis* Dux cum annis C viginti & vno in *Wladiſlauienſi* Eccleſia ſediſſet, in oppido ſuo *Opolye* feria ſecunda poſt Dominicam *Lætare* moritur, & in monaſterio fratrum Prædicatorum eiuſdem oppidi ſepelitur. Cui per electionem Canonicam, & Regiam ſuffragationem, *Ioannes Pella* de *Nyewieſch* Præpoſitus *Cruszwicienſis*, Nobilis de domo *Pomyanowie* (licet *Martinus* quintus Papa, *Iacobum Plocenſem* Epiſcopum transferre in illam deliberaſſet) ſuccedit. Cœmerat autem præfatus *Ioannes Wladiſlauienſis* Epiſcopus, ſub tempore, quo pro *Gneſnenſi* eccleſia & eius Sede habebat litigium, pro certa pecuniarum ſumma, in ciuitate *Wladiſlauienſi*, domum inſignem muratam, cum aliquot domunculis collateralibus, prope Eccleſiam *S. Matthæi*, pro fratribus & nepotibus ſuis Ducibus *Oppolienſibus* ea conditione, vt ſi quando ſtirps maſculina Ducum *Oppolienſium* deficeret, nullus alius niſi Archiepiſcopus & Eccleſia *Gneſnenſis* ſuccederent perpetuo in domo eadem.

ſuccedit Ioannes Pella.

Inſolentiam *Ioannis* monachi apoſtatæ ex ordine Præmonſtratenſium, qui in omne ſcelus audax, & ſeditionibus inſignis, ac propterea hæreticorum Princeps, facile plurimos facundia ſuæ linguæ faciebat inſanire. Id *Pragenſes* Conſules non ferentes, eum in Prætorium vocarunt, & nouem ſimul ſcelerum Principes, tanquam de repub. cum his aliquid acturi forent, ac intromiſſos, ſtatim percuſſerunt gladio. Et quaſi nihil actum eſſet, pacatam ciuitatem arbitrati, domos quiſque ſuas repetiit. Re autem vulgata ad populum, tumultus e veſtigio factus, inuaſum & expugnatum armis Prætorium, vndecim Conſules, qui authores rei reputabantur, occiſi. Collegium *Caroli* direptum, & omnis Bibliotheca diſiecta. Mulieres quæ *Ioannem* monachum velut Diuinum habebant, caput eius intercipientes, pluribus diebus gemitu edito, per Eccleſias & plateas circumtulere, beatum vociferantes, & ſanctum virum, qui pro veritate & piis traditionibus occubuiſſet. Contra vero nefarios, & ſacrilegos, qui optimo Sacerdoti manus inieciſſent. Itaque caput illud, quamuis ſceleſtum, & prophanum, aromatibus conditum, inter ſacras reliquias redactum eſt, & a fatuiſſima gente, non ſecus quam celebris martyris veneratum. 1421

Seditio populi, & cædes Pragenſium Conſulum propter ſchiſma ſecuta.

1422 Dominico Natali, *Wladiſlaus* Rex apud *Troky* exacto, in *Vingri*, venationes reſumpturus, proceſſit. *Alexander* autem *Withawdus*, Dux *Lithuaniæ*, dum *Sigiſmundum Romanorum* & *Hungariæ* Regem per *Bohemos* & *Pragenſes* audiſſet profligatum & *Zawiſſium nigrum* de *Garbow*, militem *Polonum*, qui pro conſumando inter *Wladiſlaum* Regem, & *Offkam Bohemiæ* Reginam, matrimonio, ad *Sigiſmundum* Regem miſſus fuerat, captum: plurimum caſu vtroque lætatus eſt. Temporis quoque opportunitatem nactus, *Wladiſlaum Poloniæ* Regem precibus, conſiliis, donis & promiſſis ſolicitat, & tandem peruincit, vt ſpe de contrahendo matrimonio cum *Offka Bohemiæ* Regina omiſſa, Duciſſam *Sonkam* virginem, neptem ſuam, in coniugem accipiat. Et licet tam *Sbigneus* de *Oleſchnicza* Præpoſitus *S. Floriani*, ab omnibus Conſiliariis *Poloniæ* apud *Niepolomicze* ſummo ſtudio rogatus, quatenus Regem a matrimonio *Lithuanico* auerteret, ne illius contractu, maximos profectus, amplitudines, & commoda in *Poloniæ* Regnum, per *Sleſiæ* terrarum inſcriptionem, ex matrimonio cum *Offka Bohemiæ* Regina conſumando, contingeret reſcindi; quam omnes alii *Poloniæ* Barones & milites, D cum *Wladiſlao* Rege apud *Lithuaniam* præſentes, variis perſuaſionibus, ſupplicationibus, & ingeniis, *Wladiſlaum* Regem a *Lithuanico* matrimonio perſeueranter auerterent, omnium tamen conatus & ſtudia *Alexander Withawdus* diſſoluens & elidens, *Wladiſlaum* Regem, neptis ſuæ Duciſſæ *Soncza* virginis, filiæ *Andreæ*, filii *Iuonis* Ducis *Kiiouienſis*, matrimonium, nullam dotem ſecum laturum, accipere induxit. Rediens itaque *Wladiſlaus* Rex pro diebus Carniſpriuii in *Nowogrodek*, præfatam Duciſſam virginem *Sonkam*, tertio & quarto affinitatis gradu illum contingentem, fonte baptiſmatis (*Græci* enim ritus erat) perprius lotam, & transmutato nomine *Zophiam* appellatam, accepit.

Wladiſlaus Rex Sonkam accipit in vxorem, quæ in baptiſmo Sophiæ nomen accepit.

ac-

1422

accepit.

acci pit vxorem. Et *Matthia* Epiſcopo *Vilnenſi* verba Sacramenti pronunciante, matrimonium, *Polonis* parum gratum, ſibi vero in decrepitam ætatem vergenti, minus neceſſarium & idoneum, conſumat. Nuptiæque apud *Nowogrodek* magnifico apparatu celebrantur, inter diſpares contrahentes, *Wladislaum* Regem decrepitum & præfatam *Zophiam* viridem tunc ætatem agentem, forma quam moribus venuſtiorem.

Wladislaus Rex

Nuptiis peractis, *Wladislaus Poloniæ* Rex, nouam nuptam *Zophiam* Reginam ſecum ducens, feria quinta in craſtino Cinerum, ex *Nowogrodek* egreſſus, venit *Lidam*. Vbi ad eum *Anthonius Zeno* Iuris vtriuſque Doctor,

Martini Papæ nuncium, teſtes in cauſa Cruciferorum examinaturum,

Martini quinti Papæ Nuncius, teſtes, in cauſa cum Cruciferis de *Pruſſia* habitâ, inducendos examinaturus, originaliaque priuilegia & literas viſurus, aduenit. Qui cum pro ſuo aduentu & Regi *Wladislao*, & Duci *Withawdo* gratus eſſet, magnifica illi a Rege & a Duce munera fuere oblata. Quæ cum vir egregius pro ſua integritate faſtidiſſet accipere, (eum enim virum *Martinus* Papa, in cauſæ præfatæ examinationem transmiſerat, quem nouerat iuſtitiæ fidum arbitrum eſſe, neque vſurum auaritia, neque munera quantumcunque pondus habentia, inhibito ſibi ſpeciali iuſſu, eorum vſu accepturum) Quo nomine *Wladislao* Regi, & Duci *Withawdo*, acceptior cœpit eſſe, atque gratior. De *Lida*, *Wladislaus* Rex, per *Wolkoniska*, & alia conſueta loca, *Anthonium Zeno* Apoſtolicum Nuncium ſecum ducens, in Regnum *Poloniæ* reuerſus, *Cracouiam* diuertit. Quem adhuc in itinere conſtitutum, *Lampertus* de *Bienyeſchin* miles, *Gwilerini* Ducis de *Monte* Nun-

& alium Ducis Gulielmi de Monte ſubiectionem offerentem;

cius, conuenit, Ducis ſui nomine ſupplicans, *quatenus præfatum Gwilerinum Ducem, in ſuum & Regni ſui Poloniæ Principem homagialem & ſubditum ſuſcipere dignaretur. Wladislaus* autem *Poloniæ* Rex, legationi nouæ & inſperatæ eius Principis, cuius non modo nomen, ſed nec Principatum, velut a ſe longe diſtantis, vſquam audierat, benigne reſpondit *Quod etſi eſſet grata Ducis Gwilerini prona in ſe & Regnum ſuum Poloniæ ſubmiſſa deuotio, vtrique tamen, & offerenti, videlicet Duci, & Regi accipienti, ius feudum, propter diſtantem ſitum non conuenire. Neutrum enim feudale ius, ſi neceſſitas depoſceret, & defendendi ſubditum & homagialem a Rege, & obſequium a Duce præſtandi, impleri poſſe: Wladislaum tamen Regem, huius deuotionis & beneuolentiæ memoriam, fauore diuturno habiturum.* Honorato autem &

ſummo honore proſequitur.

munerato *Lamperto* Nuncio, donis inſuper magnificis, quæ & mittentis liberalitatem atque munificentiam, & accipientis deuotionem exprimere poſſent, Duci *Gwilerino* inter *Burgundiam* & *Almaniam* citra *Rhenum* Principatum ſuum obtinenti, transmiſſis, *Lampertus* ipſe in propria rediit. Facultatis autem Apoſtolicæ quam ſecum præfatus *Anthonius Zeno* attulerat, tenor ſequitur.

1422

Litera P. R. quibus Legato dat poteſtatem in cauſſam Cruciferorum inquirendi.

Martinus Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Dilecto filio Anthonio Zeno, Decretorum Doctori, Canonico Petracenſi, Referendario noſtro, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Apoſtolica Sedes ſolerti ſtudio ſemper inuigilat, vt diſcordiæ & controuerſiæ, quæ inter Chriſti fideles inuicem diſſidentes, exortæ ſunt, ne ſcandala grauiora exinde erumpere poſſent, per concordiam, vel ſaltem iuris medium, ſopiantur. Cum itaque dudum per literas noſtras, vt quæſtiones & controuerſiæ, quæ inter chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Wladislaum Poloniæ Regem illuſtrem, & etiam dilectum filium nobilem virum Alexandrum Withawdum Lithuaniæ Ducem dicuntur contingere ex vna, & dilectos filios Magiſtrum & fratres Ordinis B. Mariæ Teutonicorum Hieroſolymitanorum, ex alia, partibus, quæque coram nobis pendebant, & pendent, ad tollendum plurima ſcandala, quæ vtrinque exoriri poterant, per concordiam & accomoda media tollerentur, vtramque partem præfatam propenſius exhortati fuerimus, & altera parte ad id minime conſentiente, obtuleramus nos ipſas partes in facto & in iure plenius audire, probationes ampliores, ipſaſque quæſtiones pleniſſime diſcutere, ac fino debito, concordia vel iudicio terminare: ad hoc intra proximum feſtum Dominicæ Reſurrectionis, eiſdem partibus terminum aſſignantes, ita quod pars vtraque in Calendis Ianuarii proxime venturis, ſuper præmiſſis contentionibus ſuis, munimenta, ad cauſas huiuſmodi facientia, comportaret, & interim ſi qua proponere aut probare voluiſſet, coram deputatis aut deputandis a nobis, illa dictis Calendis produceret, vt exinde intra dictum terminum Dominicæ Reſurrectionis, plene animum noſtrum informare, ipſaſque controuerſias concordia vel iudicio, vt præmittitur, terminare poſſemus. Et vt hæc cum maiori tranquillitate fierent, ac interitus animarum, corporum ſtrages, depopulationes agrorum, & Prouinciarum exterminia procul abeſſent, partem Regiæ Serenitatis adhortati fuerimus, alteri vero parti ſtricte mandauerimus, vt treugas inter ipſas partes tunc pendentes, per vnum annum tunc ſecuturum prorogarent, prout in eiſdem noſtris literis, vtrique parti transmiſſis, plenius continetur, ac poſtea ob peſtem, quæ poſt datam literarum præfatarum, in vrbe viguit, ac Curiæ noſtræ mutationem, aliaſque plures occupationes graues, non potuerimus circa præmiſſa vacare. Et licet eiſdem etiam detineamur ad præſens, tamen ad tollendum ſcandala huiuſmodi diſſenſionis & litigii, per concordiam, ſi fieri poteſt, alias iudicio, ſupremis affectibus aſpiramus, ac tibi deinde per alias literas noſtras duximus committendum, vt ad partes ipſas te conferens, vtramque

partem cum omni ſollicitudine ac vigilantia, ad concordiam reduceres, prout in eiſdem literis latius continetur. Cæterum, ſi, operante ſatore zizaniæ, concordiam per te fieri non contingeret, de quo plurimū doleremus, vt ſcandala atque diſcordiæ præfata omnino tollantur, per vim iuſtitiæ, atque iudicii, ipſas quæſtiones decidere expediens eſſe dinoſcitur. Nos igitur de tua prudentia, aliiſque virtutibus, quibus pollere dinoſceris, in his & aliis, ſumentes in Domino fiduciam ſpecialem, ac tollentes & circumſcribentes terminos, dictis partibus in primis literis aſſignatos, qui ex lapſu poſtea temporis, ad faciendum & exequendum, quæ neceſſaria & expedientia ſunt, ſufficientes nequaquam eſſe noſcuntur, tibi præſentium tenore committimus, & mandamus, quatenus cauſam & cauſas, quam & quas præfati, Rex Poloniæ, & Dux Lithuaniæ, coniunctim vel diuiſim, aduerſus dictos Magiſtrum & fratres, nec non præfati Magiſter & fratres, aduerſus dictos, Regem & Ducem, etiam coniunctim vel diuiſim, cum ſuis emergentiis, dependentiis, annexis & connexis, mouere voluerint, audias, & de illis cognoſcas, ſimpliciter, ſummarie, & de plano ſine ſtrepitu & figura iudicii, vſque ad diffinitiuam ſententiam excluſiue, cum poteſtate citandi ipſas partes, etiam per edictum, ſecundum iuris depoſitionem. Et ad tollendum difficultates & diſcordias, quæ ratione loci circa præmiſſa audienda & cognoſcenda veriſimiliter occurrerint, ad audientiam & cognitionem huiuſmodi, tibi & ipſis partibus deputamus, niſi partes prædictæ de alio loco aut locis ad præmiſſa conſenſerint. Pro cauſis tamen concernentibus terras, aut alias Ducatus Lithuaniæ, aut terræ Samogitharum, ad inſtantiam dictorum Regis & Ducis, audiendis & cognoſcendis in Ducatu vel terra Samogitharum prædictis, qui & quæ vicinæ ſunt, terræ & Dominiis dictorum Magiſtri & fratrum propter magnam diſtantiam a loco Glogouiæ prædicto, locum eligas & deputes, de quo commodius ipſis partibus & tibi videbitur expedire. Volumus autem, ac tibi committimus & mandamus quatenus ad recipiendum literas & inſtrumenta, quas & quæ partes prædictæ, vel earum altera in modum probationis producere voluerint, ad locum & loca, quem & quæ quælibet partium producere volens, etiam in ſuo Dominio & Territorio duxerint eligendum, propter hoc accedas, & altera parte vocata, recipias. Probationeſque ſeu confeſſiones partium, ſuper ſigillis & ſignis dictarum literarum & inſtrumentorum, ibidem admittas. Et ſi pars producens dubitans de periculis perditionis literarum & inſtrumentorum prædictorum, ſi ad alia loca transferrentur, illas & illa tranſumi & transferri petat, data prius alteri parti facultate, literas & inſtrumenta huiuſmodi plene inſpiciendi, illas & illa in forma publica, vocata altera parte, tranſumas, & tranſcribi facias, cum deſignatione Sigillorum ſubſcriptionum & ſignorum, in eiſdem literis & inſtrumentis appoſitorum. Decernaſque authoritate noſtra, ſic tranſumptis fidem tanquam originalibus habendam, cauſamque & cauſas huiuſmodi inſtructas, cum omnibus, propoſitis, allegatis, & productis vtriuſque partis, ad nos referas & reportes. In termino itaque, de quo tibi videbitur expedire, ad quem partes ipſas cites peremptorie, coram nobis, vt quæſtiones ipſas, cauſas, & controuerſias, concordia & iudicio valeamus terminare, repræſentes. Volumus inſuper ac tibi committimus ac mandamus, quatenus cuilibet partium prædictarum, earumque, procuratoribus, Nunciis, teſtibus, & perſonis pro eis interuenientibus, ac rebus aliis quibuſcumque, pro præmiſſis expediendis, ſecuritatem, authoritate noſtra præſtes, ac ſub noſtram atque Sedis Apoſtolicæ protectionem ſuſcipias. Quos & quas nos ex nunc ſuſcipimus. Et inſuper volumus, quod quælibet partium prædictarum, alteri parti petenti, ſecuritatem in forma qua dictaueris, præſtare teneatur. Teſtes autem ſi fauore vel odio, vel timore, aut aliqua humana gratia, ſe ſubtraxerint, compellas per cenſuram Eccleſiaſticam veritatis teſtimonium perhibere. Non obſtantibus priuilegiis, ordinationibus, & conſtitutionibus Apoſtolicis, & præſertim illa felicis recordationis Bonifacii Octaui Papæ, Prædeceſſoris noſtri, qua cauetur, ne quis extra ſuam diœceſim, niſi vna, & in certis caſibus, dubus diatis ad iudicium trahi vel euocari valeat. Aut ſi eis, vel alicui eorum a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſent, per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam de verbo ad verbum, de indulto huiuſmodi mentionem, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, octauo Calendas Decembris; Pontificatus noſtri anno quinto.

Aliquot hebdomadis *Wladiſlaus Poloniæ* Rex apud *Cracouiam* immoratus, in terras *maioris Poloniæ Zophia* Regina, & filia Regia *Heduigi Cracouiæ* remanente proceſſit. *Anthonius* inſuper *Zeno* Nuncius Apoſtolicus, officium, ad quod deſtinatus fuerat ſincere impleturus teſtibus primum pro parte *Poloniæ* Regis *Cracouiæ* inductis & examinatis, literiſque & priuilegiis variis viſis & tranſumptis, in *maiorem Poloniam* & ipſe diuertit, ac Eccleſias Cathedrales, Collegiatas, monaſteriaque *maioris Poloniæ* adiens, grandæuos teſtes, vetuſtaſque literas & priuilegia, veritatem rerum quam maxime teſtantia, videbat, examinabat, & tranſumebat. *Wladiſlaus* interim *Poloniæ* Rex, apud *Wielyun* oppidum pro Dominica Palmarum agens, *Nicolaum Gneſnenſem* Archiepiſcopum, & *Andream Laſcarium Poſnanienſem* Epiſcopum ad ſe venientes, de ſolutione ſummæ quinque millium floreno-

1422

rum in Clero *Poloniæ* ſibi per *Martinum* Papam aſſignatæ, requirit. Qui dum ad aliorum Prouincialium Epiſcoporum deliberationem rem detuliſſent, conformiter ab vniuerſa *Polonica* Eccleſia *Wladiſlao* Regi eſt reſponſum; *Nullatenus Pontifices & Clerum, Papali aſſignationi parituros; cum quod Clerus & Eccleſia conſignatione ipſa plurimum grauarentur, tum quod pertimeſcenda foret ſequela, tum quod conſignatio conditionalis eſſet; ſi videlicet Regem in Bohemos hæreticos aut ſchiſmaticos expeditionem agere contingeret. Qua non impleta, ſe Apoſtolicis mandatis non teneri.* Et licet *Wladiſlaus* reſponſionem Cleri moleſtius ferens refelleret, Pontificum tamen conſtanti oppoſitione & renitenti, tributum & & exactor quieuit.

Manſionarii Gneſnæ fundantur.

Ex Concilio *Conſtantienſi, Nicolaus Gneſnenſis* Archiepiſcopus reuerſus, moleſte ferens Eccleſiam ſuam *Gneſnenſem* Collegium manſionariorum non habuiſſe; nec curſum, nec laudes glorioſæ virgini *Mariæ* in eam diem ceciniſſe, ne Eccleſia ſua in officio præfato, aliis ſuis ſuffraganeis Eccleſiis Collegia manſionariorum dudum habentibus, cenſeretur inferior & deformior; collegium manſionariorum de decem perſonis, officium præfatæ *V. Mariæ* de Aſſumptione expleturis, in præfata Eccleſia *Gneſnenſi*, perpetua fundatione erigit. Quibus pro dote decimas manipulares menſæ ſuæ Archiepiſcopalis, de conſenſu Capituli, in villis, *Zorawa Lipini*, *Czieslawyce*, *Borowa*, *Wiſzniowa*, *Lutowo*, & *Maldratas* in *Mierczowo* aſſignauit.

Fredericus Marchio Brandeb. octennis in aula Wladiſlai inſtituitur.

De *Wielun* oppido *Wladiſlaus Poloniæ* Rex egreſſus, feſto Paſchæ apud *Caliſch* celebrato feria tertia poſt conductum Paſchæ in *Radzieiow* aduenit. Quo illi ſuus gener, & filiæ Regiæ *Heduigis* ſponſus *Fredericus* iuuenis Marchio, ætate octennis, Marchionis *Brandeburgenſis Friderici* filius, per *Ioannem Lubucenſem* Epiſcopum, & aliquot Spectabiles *Brandeburgenſes* milites, adductus & præſentatus eſt. Quem *Wladiſlaus* Rex gratiſſime excipiens, curam illius Venerabili viro Magiſtro *Heliæ*, Sacræ Theologiæ Profeſſori, *Sandomirienſi* Decano, & *Petro Chelmsky* militi, optimis erudiendum moribus, mandat. In Curia quoque ſua, aſſidue illum, lateri ſuo ad tabulam locando tenuit, vt Regni *Poloniæ* optimatibus notior fieret, quorum Princeps & Rex futurus fuerat declaratus.

Sigiſmundus Coributh nomine Alexandri Withawdi ad Regnum Bohemiæ poſſidendum miſſus,

Ex *Radzieiow*, *Wladiſlaus* Rex proceſſit in *Brzeſczie*, ſub quo tempore *Sigiſmundus Coributh Lithuaniæ* Dux & nepos Regis germanus, de mandato *Alexandri Withawdi* Ducis magni *Lithuaniæ*, *Wladiſlao* inſuper *Poloniæ* Rege & conſentiente & probante, ad recipiendum Regnum *Bohemiæ* eiuſque poſſeſſionem, nomine *Alexandri Withawdi*, cum frequenti & valido *Polonorum* exercitu, impenſis *Alexandri Withawdi* expeditus, in *Bohemiam* proceſſit. Erat autem ſub tempus idem *Sigiſmundus Romanorum & Hungariæ* Rex, conquiſitione caſtri & ciuitatis *Oſtrog* in *Morauia* occupatus. Qui Ducis *Sigiſmundi Coributh* aduentum, ne in ſe & exercitum ſuum irrueret, pertimeſcens, ſingulis apparatibus bellicis, quibus obſeſſos conquirere nitebatur, concrematis, obſidionem ſoluens, & in *Wladiſlaum Poloniæ* Regem, *Alexandrumque Withawdum*, graui indignatione fremens, in *Hungariam* regrediebatur. Dux autem *Sigiſmundus Coributh* in *Morauiam* ingreſſus, oppidum *Vinczow* ſitu & munitione forte, quoniam illum non ſuſcipiebat, expugnare aggreſſus, facile conquirit. Datoque militibus in prædam, in *Bohemiam* contendens, *Pragam* aduenit, & a pleriſque Baronibus & Nobilibus *Bohemiæ*, ab vniuerſis vero *Pragenſibus* ciuibus, de aduentu ſuo lætantibus, & claues ciuitatis *Pragenſis*, & caſtri vtriuſque ſibi poſſeſſionem conſignantibus, ſummo ſtudio & fauore, ſummaque gratulatione exceptus eſt, & magni illi honores tam a Baronibus quam a ciuibus *Pragenſibus* habiti, ſummaque rerum tradita. Qui ciuitatem breui ad iuſtiorem formam redegit: Nobilibus, & qui quiete viuere vellent, blandus atque amicus. In ſeditioſos & facinoroſos aſperrimus vindex. In huius aduentu munitiſſimam arcem in editiori colle ſitam, quam *Karſchten*, alias lapidem *Caroli*, vocant, oppugnare placuit, quod illic literæ, priuilegia, & iura Regni ſeruabantur. Pro cuius defenſione *Sigiſmundus Romanorum & Hungariæ* Rex, quatuor centurias militum pro præſidio liquerat. Caſtra tribus locis poſita ſunt, obſidio ſex ducta menſibus, neque die, neque nocte, proiectione ingentium ſaxorum omiſſa oppugnatio. Quam dum obſeſſi refellerent & contemnerent, vaſa circiter duo millia, cadaueribus & humano purgamine in hoſtes emiſſa, tantum obſeſſis fœtorem intulere, vt omnibus dentes infecti, aut deciderent, aut nutarent. Tolerauerunt tamen forti animo, & in hyemem vſque protraxere certamen, accepto clam medicamento ex *Praga*, quo dentes contineri poſſent, donec *Fredericus* ſenior *Brandeburgenſis* Marchio, infeſto agmine *Bohemiam* ingreſſus, longe lateque prædas agens, *Pragenſes* ab obſidione diſcedere compulit.

Praga honorifice excipitur

Poſtea caſtrum Carſchten intolerabili fœtore oppugnat.

Ex *Brzeſczie*, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex diſcedens, *Iuniwladiſlauia* feſtum Pentecoſtes egit, vbi frequenti Prælatorum & Baronum numero ad illum confluente, quoniam treugæ cum Cruciferis inſcriptæ, in feſto *S. Margarethæ* ſubſequenti expirabant. Conſulitur Regi treugas vlteriores vt proroget & aſſumat. *Anthonius* itaque *Zeno* Apoſtolicus Nuncius, qui & ipſe ad Regem *Cracouiam* veniens, ineundarum treugarum author erat, ſcribit Cruciferis, perſuadens illis ſuſcipere treugas. Quorum vt facilior firmatio proueniret, partem vtramque in oppidum *Solecz*, ad placitandum

de

1422 de treugis, comportat. Quo cum nomine Regis *Iacobus Plocenſis* & *Ioannes Pella Wladislauienſis, Epiſcopi, Sbigneus* de *Oleſchnicza* Præpoſitus *S. Floriani*, *Matthias* de *Labiſchin Brzeſtenſis*, & *Ianuſſius* de *Koſczielecz Wladislauienſis*, Palatini; nomine vero Magiſtri & Ordinis, *Ioannes Obezyer Epiſcopus Varmienſis*, *Vlricus Czangyer* Marſchalcus, *Nicolaus* Commendator primarius, *Ludouicus Thorunenſis*, Commendatores, *Franciſcus* Doctor Decretorum, Secretarius Magiſtri, item aliquot militares & ciues conueniſſent, *Anthonio Zeno* Apoſtolico Nuncio & ſolicitante, & partes commonente ad pacem, treuga a parte vtraque ſuſcepta eſt. Cumque pro illius robore minutæ conceptæ, & a partibus laudatæ forent, Cruciferi dolum a *Sigiſmundo Romanorum* Rege inſerere treugæ edocti, & iuſſi, non amplius valentes continere, conditionibus treugarum eam clauſulam expetunt apponi, *vt firmatio treugarum prorſus cenſeretur inualida, ſi Apoſtolico mandato, aut Imperiali, ad abrogandum illam Cruciferi arctarentur*, non ſecus quam per religionis ſpeciem machinatam fraudem, quo facilius irritum fieret fœdus, celaturi. Nihil autem in ſpeciem praua religione fallatum. Erant iam Prælati & Barones *Poloniæ* dudum ante doli huiusmodi gnari & conſcii. Quidam enim ruſticanus & vilis homo, mendicum ſe habitu & geſtu, quo facilius intuentes falleret, præferens, *Sigiſmundi Romanorum* Regis literas Cruciferis titulatas, vilitati veſtium ſuarum inſuens, & iter in *Pruſſiam* per *Poloniam* agens, apud oppidum *Poloniæ Conin* moriturus, veſtes ſuas petebat in *Thorun* ad Commendatorem deferri. Quam rem nemine quid lateret perpendente, *Gnero*, *Coninenſis* theloneator, dum *Sbigneo* de *Oleſchnicza* Secretario Regio retuliſſet, mittuntur celerrime, qui veſtes defuncti mendici, iam in alios mendicos diſtributas, conquiſitas afferunt. Quibus diligenti quæſitu perſcrutatis, literæ *Sigiſmundi Romanorum* Regis illis inſutæ reperiuntur. His ſignificabat, *omnes fere gentes Poloniæ, & omne robur militiæ Polonicæ, in Bohemiam cum Duce Sigiſmundo Coributh diſceſſiſſe, Regnumque Poloniæ vacuum gentibus militaribus fore*: Exhortans Cruciferos & commonens, *vt temporis opportunitate vterentur. Treuga quoque ſimulata, quam ad Papale aut Imperiale imperium ſoluere liceret, interiecta, Poloniam pendente treuga ex improuiſo aggreſſi, diffuſius, quo poſſent, vaſtarent* Ea ſiquidem calliditate & dolo *Sigiſmundus Romanorum* & *Hungariæ* Rex, vltionem de *Wladislao Poloniæ* Rege, quod gentes ſuas cum Duce *Sigiſmundo Coributh* in *Bohemiam* ire permiſerit, ſumpturus, vtebatur. Cruciferi itaque *Sigiſmundi* Regis parendo requiſitionibus, & credentes Regnum *Poloniæ* vacuum milite eſſe, conditionem præſcriptam literis treugarum inſeri petebant. Conſiliarii vero

Poloni fœdus cum Crucife-

Regii, de dolo, qui ex *Sigiſmundi* Regis literis proditus erat, & quas Apoſtolico Nuncio *Anthonio Zeno*, ad publicandum Crucifericam iniquitatem, oſtenderant, ſufficienter auiſati, nullatenus eam conditionem apponi patiuntur. Sine qua, Cruciferis in treugas conſentire recuſantibus, caſſus fit omnis labor, & pars vtraque in bilem ſtomachata & incenſa, improperiis non abſtinens, eo pro irrito diſceſſit. Fertur enim *Ioannes Pella Wladislauienſis* Epiſcopus, parum temperata paſſione motus, in Cruciferos dixiſſe; *Stridente bello, Commendatores & Cruciferos, caſtrorum cubilia & abdita petituros, militares, ciues, & eorum coniuges & filias, pœnas ſpreta quietis, velint nolint, iuſto permittente Dei iudicio, daturos.* Et ad extremum adieciſſe: *Non pudet vos tam callida in lucem proferre ludibria, adque fallendum Regem & Regnum Poloniæ, fraudulentis vti ambagibus, ganearumque veſtrarum nidore atque fumo, noſtram fallere puritatem? Pacem perpetuã frequenter irritam feciſtis, & ſemper aliquam fraudem, circumuenturi nos, ſpeciem iuris aut æquitatis opponitis; nunc quoq; fraudem in paruis ſub ſpecie religionis & obedientiæ præſtruitis, quemadmodum literæ eæ originales Sigiſmundi Romanorum Regis* (produxitque illas originaliter) *teſtes in vos ſunt; In maioribus nos, & Regem Regnumque noſtrum, per dolos & fraudem, quod Diuina detexit ordinatio, decepturi.*

1422 *ris inire recuſant.*

Conſiliariis Regiis ex conuentu cum Cruciferis apud *Solecz* habito *Iuniwladislauiam* reuerſis, poſtquam pacem cum Cruciferis quæſitam, nulla modeſtia & æquitate obtineri poſſe compertum eſt, Conſiliariis ſingulis probantibus, expeditio contra *Pruſſiam* indicta eſt, & *Alexandro Withawdo* Duci magno *Lithuaniæ*, cæteriſque Principibus & militibus *Poloniæ* & *Lithuaniæ* ſcriptum, *quatenus pro feſto Sancti Iacobi in Pruſſiam armati procedant.* His perfectis, *Anthonius Zeno* Nuncius Apoſtolicus, receptis multis grandæuorum hominum teſtimoniis idoneis, viſis inſuper in Cathedralibus, Collegiatis, & monaſteriorum Eccleſiis, antiquis priuilegiis, literis, & ſcripturis; ex quibus apertiſſime conſtabat, terras *Pomeraniæ*, *Chelmenſem*, & *Michalouienſem*, a corpore Regni *Poloniæ* per iniuriam abſtractas eſſe. Dolos inſuper & iniquitates Crucifericas probe agnoſcens, *Iuniwladislauia* egreſſus, per ſpeciales ſuas literas, tam *Wladislaum Poloniæ* Regem, quam Magiſtrum & Ordinem Pruſſiæ, ad videndum in cauſa ſuper terris prædictis ſibi commiſſa, apud *Glogouiam maiorem* pro die Sancti *Ioannis* Baptiſtæ, iuſtam ſententiam proferri, procurauit citari, oppidumq; *maioris Glogouiæ*, in Cruciferorum fauorem *Sleſiæ* Principibus claudentibus, lato in locum interdicto, aperiri compulit. Dum autem terminus ferendæ ſententiæ aduenſſet, & *Anthonius Zeno* Iudex & Nuncius Apoſtolicus, terras præſcriptas *Wladislao Poloniæ* Regi & ſuo Regno

Expeditio in Pruſſiam indicta.

Legatus Apoſtolicus, ne ſententiam inter Regem & Cruciferos ferret, impeditur.

1422 gno adiudicaturus, pro tribunali conſediſſet, *Martini* quinti Papæ ſpeciali inhibitione, per literas, ipſi etiam *Anthonio Zeno* moleſtas, in fauorem Cruciferorum, ad petitionem importunam *Sigiſmundi Romanorum* Regis, conceſſas, interueniente, impeditus eſt. Et de *Glogouia* adueniens, *Wladislao* Rege valedicto, cum omnibus cauſæ productis in Vrbem rediit, *Martinumque* Papam, & de iure Regni *Poloniæ*, & de iniuſtitia Cruciferica, ad liquidum informauit. Cruciferi ſiquidem, cum cauſam, iuribus non muneribus fundari atque inniti viderent, ſummæ rerum ſuarum diffidentes, & integritatem animi *Zenonis*, quem aduerſus pecuniæ corruptelam intellexerant inuictum, veriti ſuſpectiſſimum illum ſibi allegare, & velut incompetentem, non tam fugere quam accuſare cœperunt, nihil in *Anthonii* conditione, quod ſuis artibus conduceret, rati ſe reperturos. Comperendinari deinde cauſam, & eiuſdem cognitionem, & aduerſus ſe intelligentes ferri ſententiam, facto ad *Sigiſmundum Romanorum* Regem recurſu, non tam prece quam pretio, cauſam Regiam infectum iri obtinuerunt.

Wladislaus Rex cum copiis ſuis in Volborz conuenit.

Iuniuladislauienſi oppido *Wladislaus Poloniæ* Rex relicto, per *Gabicze*, *Mogilno*, *Znenam*, *Gneſnam*, *Pobiedziska*, *Poſnaniam*, *Pizdri*, *Schadek*, procedens, in *Volborz*, quo copias conuenire iuſſerat, pro die Viſitationis *S. Mariæ* Virginis peruenit. Vbi ad ſuam Serenitatem magnus Dux *Magnopolenſis*, & Epiſcopus *Camenenſis* veniens, ferre ſe Regi auxilia contra Cruciferos pollicetur, ſuamque pollicitationem patenti literarum innouat atque firmat ſponſione. Cuius obligatione *Wladislaus* Rex & commendata & accepta, eum muneratum remittit.

Exercitibus Regiis de terris duntaxat *Cracouienſi*, *Ruſſiæ*, & *Podoliæ*, pro die inſtituto conuenientibus, *Wladislaus* Rex per viam priorem, & eadem pene ſtatiua, quibus in expeditionem, qua magnus conflictus habitus eſt, tranſitum agens, ex *Volborz* diſcedit & in *Pruſſiam* contendit. Dumque in die *S. Mariæ Magdalenæ* in *Czerwyenſko*, *Viſlam* ſuperaturus, applicuiſſet; copiæ illi occurrerunt terrarum maioris Poloniæ. Sequenti deinde die amne *Viſla*, ponte nauali iuncto, vniuerſum traiecit exercitum: & die tertia *Alexander Withawdus Lithuaniæ* magnus Dux, cum gente ſua aduenit, coniunctiſque potentiis, *Wladislaus* Rex hoſtilem terram, penultima die Iulii menſis, feliciter introiuit, & ſtatiua ſupra lacum circa oppidum *Lutherborg* locauit. Ex *Lutherborg* prima die Auguſti, non ſecus quam in conſpectu eſſet hoſtis, aciebus ordinatis verſus *Lubow*, hoſtes ſecum prope diem ratus decernere, proceſſit. Collegerant ſiquidem Cruciferi ex proprio & mercenario milite exercitum: & Magiſtro generali *Michaeli Kochmeyſter* apud *Marienburg* relicto, copias in campum, fortunam tentaturi deduxerunt, eaſque in prato, prope caſtrum *Lubow*, foſſis cincto, quod ſiluæ per circuitum contexerant, adeo occulte locauerant, vt exploratores Regii, longo ſatis tempore, quonam locorum exiſteret hoſtilis exercitus, odorare nequirent. Cuius *Vlricus Czangyer* Marſchalcus *Pruſſiæ* erat Capitaneus. Quem, ne vi cogeretur decernere intra vallum & foſſata continebat. Cruciferi audito, quod Rex verſus *Lubow* ad *Drwanczam* fluuium iter flexiſſet, exercitum & ipſi mouent, & in obuium Regi, pugnam conſerturi ire pergunt. *Wladislaus* autem Rex & exercitus ſuus, aduentu hoſtium audito, plurimum lætatus, ea hilaritate animatus ad pugnam, vt vna acies alteram, vnum ſignum aliud, feſtinatione vehementi excederet, & præiret. *Poloni* enim tunc tanta pugnandi ardebant cupiditate, vt nec Ducum nec Præfectorum poterant cohiberi imperio, quin feſtinatione nimia ordines & loca egreſſi, vnus alium præire, & in prælium ruere contenderent. Ineratque tunc *Polonorum* animis ſingularis alacritas, vt incitatio haud mediocris ad decernendum, omneſque pugnandi ſtudio incenſi, in pugnam ruebant. Fuiſſetque abſque dubio exercituum facta congreſſio, quoniam & Cruciferi de Ordine, ardentius tamen Dux Cruciferici exercitus *Vlricus Czangyer* Marſchalcus, fortem exercitum ſe habere ratus, triginta enim millia contingere æſtimabatur, aſpirabant ad certamen, æſtimantes Regium exercitum, in quo plus quam centum pugnatorum æſtimabantur millia, præter pedeſtres copias, debiliorem eſſe, niſi *Conradus Nyempecz* miles de *Sleſia*, in bellis & diſciplina militari peritus, præfatum *Vlricum* Marſchalcum, ab euidenti congreſſus temeritate reduxiſſet, & videre atque explorare priuſquam decerneret, quantus ſit Regius exercitus inemendabilem vim Martis differens, conſuluiſſet. Hac perſuaſione Marſchalcus admonitus, velocibus equis cum *Conrado Nyempecz* conſcenſis, exercituum Regium, diffuſum latiſſime in locuſtarum modum, conſpiciunt, nec eius potentiam, quanta ſit, æſtimare queunt, territi admodum, feſtinantiſſime redeunt, & exercitum ſuum primum gradum ſiſtere, deinde periculo denunciato, in fugam verti, arceſque petere prius, quam inuoluantur periculo, compellunt. Sic Cruciferorum exercitus, pro pugna fugam iniens, ſaluatus eſt. Qui ſi congredi tentaſſet, in fortiſſimum *Polonici* exercitus mucronem fatue incidiſſet. Fuerant tamen de exercitu taliter fugiente & diſperſo, per plures milites capti, Regio enim mandato, fugax Cruciferorum exercitus, a *Polono* milite perſecutionem pertulit, vſque ad flumen *Drwancza*; Et quo facilius euaderet, pontem in flumine *Drwancza*, perſequentes auerſus diſrumpit.

Exercitus Cruciferorũ primo audacior plus æquo.

Deinde contemplato Polonorum exercitu fugit;

abrupto ponte in fluuio Drwancza.

Ex

1422 Ex qua multi mortales fuere intercepti. *Wladiſlaus* Rex, ea die in borra, duobus miliaribus a *Lubow* diſtante, nocturno exacto, die Saturni ſecunda Auguſti, motis caſtris, medio miliari a *Lubow* poſuit ſtatiua; quæ duobus diebus illic, interim ſcire cupiens, ſi in aliquem locum Crucifericus exercitus diuertiſſet, habita ſunt. Comperto autem Cruciferorum exercitum in loca varia diffugiſſe, die Lunæ quarta Auguſti, motis caſtris medio miliari, ea ad caſtrum & oppidum *Lubow* applicat, & quatriduo in illorum conquiſitione immoratus, cum demum cognouiſſet vtrumque ditionis Epiſcopi *Culmenſis* eſſe, ab eius conquiſitione ceſſari mandauit.

Wladiſlaus Rex per flumen Drwancza exercitum traducit, ibi hoſtes capti & cæſi ſunt,

Die Veneris octaua Auguſti, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, motis ab obſidione oppidi *Lubow* caſtris, venit ad flumen *Drwancza.* Et licet hoſtes bombardis & ſagittis, cæteriſque propugnaculis prohibere exercitui Regio tranſitum fluminis niterentur, per gentes tamen Regias, ſub banderio *Goncza*, quod inprimis ad flumen peruenit, conſiſtentes, repreſſi & victi, cedere coacti ſunt, & plures ex illis capti aut occiſi. Obſtaculo deinde ſummoto, omnis Regius exercitus flumen *Drwancza*, inter caſtrum *Brathian*, & pontem diſiectum, *Wladiſlao* Rege in ea parte fluminis, ex qua venerat, miſſam audiente tranſiit, & in parte altera fluminis, ad miliare vnum, caſtra metatus eſt. Illo denique die plures de Regis exercitu, propria ſponte & iniuſſu Regis, ad ſpolia conquirenda diſperſi, ad ciuitatem *Zabrzezno* alias *Riſzemborg*, in qua Cathedralis Eccleſia Culmenſis ſita eſt, a flumine *Drwancza* nouem miliaribus diſtantem, perueniunt, & impetu facto contra eam, licet muro & ſitu fortis foret, illam comprehendunt, omnibuſque eius deſiderabilibus potiti, igne ſuccendunt, A quo & Cathedralis Eccleſia concremata, & teſtudines eius diſruptæ. Biduum autem in ſtatiuis illic abſumptum eſt.

& Zabrzezno cum Cathedrali Eccleſia Culmenſi incenditur.

Die Dominico Sancti *Laurentii*, motis Rex caſtris ad villagium quoddam exuſtum, caſtra ſupra lacum locat. Feria ſecunda moto inde exercitu, venit ad flumen *Oſſa*, vbi duobus diebus abſumptis, die Mercurii tredecima Auguſti, fluuium *Oſſam* tranſiit, caſtraque haud procul a flumine conſtituit. In quo *Petri* de *Seek Corbauienſis* Epiſcopi Nuncius, ex *Marienburg* per gentes Regias conductus aduenit. Significans Regi *præfatum Epiſcopum Corbauienſem nomine Sigiſmundi Romanorum Regis aduenisse; ſed propter Regias armatas gentes, vbique diffuſas, venire timuiſſe.* Ex induſtria ſiquidem Rex manus ſpargi, & populationem latius iuſſerat extendi, hoſte vago copiam pugnæ non faciente. Nec quiſquam ſine euidenti periculo poterat in Regis ſtatiua peruenire. Propter quod prædictus Nuncius Epiſcopi *Corbauienſis*, nonniſi per *Polonos*, qui a gentibus Crucifericis, dudum in ſpoliis & incendiis parum prouide fuerant verſati, capti fuere, in caſtra Regia ex *Marienburg* ductus eſt. Cui Rex vnum ex *Polonis*, & vnum ex *Lithuanis* adiungens, ipſum remiſit; quorum ductu & *Petrus* de *Seek* Epiſcopus *Corbauienſis* incolumis, ad præſentiam *Wladiſlai Poloniæ* Regis perductus eſt. 1422

Epiſc. Corbauienſis a Sigiſmundo Imp. ad Wladiſlaum mittitur.

Feria quinta in Vigilia Aſſumptionis *S. Mariæ* Virginis venit Rex ad magnum lacum. Illoque & altero die, propter diei celebritatem, in eiſdem ſtatiuis quies habita eſt. Sabbato vero, in craſtino Aſſumptionis, facto Rex in vna villarum nocturno, die Dominico, dum apud oppidum *Golub* peruentum foret, gentes Regiæ impetu facto, facile illud conquirunt: præda oppidi ingens & multa, militi conceſſa eſt. Et licet plures numero ex oppidanis, in turrim vnam fortem & munitam ſupra fluuium *Drwancza* ſitam ſe recepiſſent, & aliquantulum, ex illa ſe defenderent, poſtea tamen videntes ſe ſubſiſtere non poſſe, gratia impetrata, in captiuitatem ſe tradunt. Multipliciter enim gentes Regiæ illos infeſtando, turrim prædictam comprehendere moliebantur. Miles *Miſſnenſis Paczolth* dictus, apud Regem donatiuo militans, cognatus *Henrici* de *Plawen*, olim Magiſtri generalis a Cruciferis capti, & in eam diem in vinculis aſſeruati, in conquiſitione turris prædictæ, per lapidem, cum muro turris inniteretur, ictus, deſideratus eſt.

Oppidum Golub a Polonis capitur.

Oppido *Golub* conquiſito, Rex arcem, quæ ciuitati imminebat, in monte editiori ſitam, obſidione vallat, & bombardis maioribus fortiſſime quatit. Die vero Iouis, vigeſima prima Auguſti, fit militaris impetus contra caſtrum. Et quamuis tam ab Ordinis quam mercenariis militibus *Sleſitis* videlicet, & *Miſſnenſibus*, probe defenderetur, equis tamen melioribus, quos in caſtro inferiori habebant, ne *Polonorum* milites illis potirentur, interfectis, caſtro inſuper inferiori, proprio igne iniecto, exuſto, caſtrum ſuperius machinis, pro parte maiori debilitatum, in manus in poteſtatem Regiam tradere coacti ſunt. Regius exercitus omnibus, quæ in caſtro ſuperiori repererat, direptis, Cruciferos, & alios milites mercenarios, in captiuitatem accipit. Quindecim milites ex Ordine interfecti, inter quos *Golubenſis* Commendator fuerat, quadraginta mercenarii capti. Sacramentum *Corporis Chriſti* de caſtro cum magna reuerentia, candelis accenſis proſequentibus, nocte receptum, & in tabernaculum *Sbignei* de *Oleſchnicza* Præpoſiti Sancti *Floriani* importatum, altera quoque luce a celebrante ſumptum eſt. Sub eo autem tempore, quo impetus militaris edebatur in caſtrum, Regio mandato turris ciuitatis, cæteris fortior & editior, in fundamento ſuo ſuffoſſa, & in fluuium *Drwancza* præcipitata, ruina ſua maximum & horrendum ſonum cauſans, alueum fluminis *Drwancza*

Caſtrum Golub capitur.

1422

ſua mole quaſi aggere impleuit, vndaſque fluminis præfati *Drwancza* fluorem ſuum aliquanto tempore continuare retardauit.

Sigiſmundus Imp. legationem mittit ad Wladiſlaum Regem,

Stante *Wladiſlao Poloniæ* Rege in caſtri *Golub* obſidione, *Petrus* de *Szeek Corbauienſis* Epiſcopus, ex *Marienburg*, perductus, aduenit, & audientia obtenta, nomine *Sigiſmundi Romanorum* Regis, cuius erat Legatus, *Wladiſlao* Regi in præſentia *Alexandri Withawdi* Ducis magni *Lithuaniæ*, Conſiliariorumque vtriuſque Dominii, Legationem in hunc modum exponit. *Miratur plurimum, Sereniſſime Princeps, Dominus meus Sigiſmundus Romanorum Rex, quod Serenitas tua fœderibus, inſcriptionibus, atque pactis ſecum percuſſis, parum appenſis, Nepotem ſuum Sigiſmundum Coributh Lithuaniæ Ducem, cum exercitu gentium Polonicalium potenti, in ſubſidium hæreticis & aduerſariis ſuis, transmiſit. Qui fideles ſuos ab obedientia abſtrahit, caſtra quoque & ciuitates ſuæ ditionis, conquirit. Et Bohemorum hæreticorum rebellionem & ſectam, quam maxime nutrit & confortat. Miratur inſuper, quod Serenitas tua fratres Ordinis Cruciferorum de Pruſſia, ſibi & Imperio Romano deuotos & ſubiectos, bello duro & graui affligit & vaſtat, poſtquam ſuper ventilatis inter Serenitatem tuam & Ordinem cauſis, iuſtam ſententiam Wratiſlauiæ ſe arbitratur pronunciaſſe. Rogat itaque tuam Serenitatem & obſecrat, quatenus Nepotem ſuum Ducem Sigiſmundum Coributh, cum omnibus gentibus, quæ cum illo ſunt, ex Bohemia reuocet, & morari ſibi illic, ferreque hæreticis præſidia, interdicat. Si autem Serenitas tua exiſtimat, ſibi Dominum meum Sigiſmundum Romanorum Regem in aliquo iniuriam feciſſe, offert cum tua Serenitate in arbitrium venire, aut communium amicorum, aut Conſiliariorum vtriuſque Regni, Poloniæ videlicet & Pannoniæ, iuxtaque inſcriptionum formam facere deciſionem. Obſecrat inſuper, maiori quo valet affectu, vt Serenitas tua, ex terris Ordinis diſcedens, eas amplius ferro & igne vaſtare & conſumere deſinat. Et ſi Ordo Crucifericus eſt tuæ Serenitati in aliquo culpabilis, offert Dominus meus Sigiſmundus Romanorum Rex, qui illum in ſua poteſtate & ditione continet, compellere Ordinem ad omnem iuſtitiam & æquitatem; Sententiamque ſuam ad pronunciationem, ſi grauis & oneroſa tuæ Serenitati appareat, reformare & corrigere.* Hæc Legatus Cæſareus.

petens vt Sigiſmundus Coributh ex Bohemia abſcedat,

& ne Rex ipſe Cruciferis bellum inferat.

Reſponſio ad eam legationem.

Legationi *Sigiſmundi Romanorum* Regis, a *Corbauienſi* Epiſcopo pronunciatæ, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex tale edit reſponſum. *Non habet frater meus Sigiſmundus Romanorum & Hungariæ Rex, iuſtam mirandi cauſam, ſi ego pluribus annis, pacem cum Cruciferis hoſtibus meis, & apud Sedem Apoſtolicam, & ipſum Regem Romanorum, aliiſque locis quæſitam, nuſquam inueniens, iuſta & neceſſaria arma contra illos induerim. Et deficiente in terris iuſtitia, a cœleſtibus mihi illam quæſi-* A *rim. Grauibus enim licet laceſſitus iniuriis, publicis prouocatus opprobriis, fortiſſimo militiæ robore abundans, bellum tamen hoſti meo non intuli, ſed primum in ipſum Sigiſmundum Romanorum Regem, ſuper ſingulis quæſtionibus & iniuriis compromiſi. Qui etſi partem meam, quod etiam apud Scythas iniquum cenſetur, audire dedignatus, iniuſtam in me ſententiam tuliſſet, & poteſtate ſibi tradita abutens, paternas meas & naturales terras, de quibus arbitrandi, velut his, quæ in quæſtionem non venerant, nullam habebat poteſtatem, mihi abiudicaſſet: volui tamen Principis Catho-* B *lici more, oneroſam & duram mihi ſententiam cuſtodire, niſi Ordo ipſe, in cuius fauorem lata eſt, in omnibus fere illi contraueniens, nec ſoluit aurum decretum, nec caſtra demoliuit erecta, nec terras reſtituit occupatas. Deinde ad Sedem Apoſtolicam recurrens, non ſine ingenti ſumptu, & meam iuſtitiam, & Ordinis iniquitatem monſtraui, & tam claram reddidi, vt Apoſtolicus Iudex Antonius Zeno, iuſtiſſimam pro me, & contra Cruciferos laturus ſententiam, imperantem reſtitutionem terrarum Pomeraniæ, Chelmenſis & Michalouienſis, apud Glogouiam pro certo die conſediſſet, ſua tamen pronunciatio, Sigiſmundo Romanorum Rege* C *operante efficienteque, Apoſtolica prohibitione exſtitit impedita. Quæſiui poſthac treugas firmare cum ordine, etiam iuſtiſſimum peroſus bellum, niſi fratrem meum Sigiſmundum Regem Romanorum vafrum & duplicem in me agnouiſſem, qui me & Regnum meum periculoſius læſum & peſſundatum iri ſatagens, ea conditione, atque lege, Ordini firmare mecum, deſtinatis literis, quas originaliter apud te produco, mandauit treugam, quatenus liceret illam, ad Apoſtolicam vel Imperialem iuſſionem violare, & treuga confecta, & ipſo mandante, meque exiſtente ſecuro, Ordo liberius in Regnum meum graſſaretur. Et niſi, operante Dei clementia, literæ ſuæ, dolum præfatum de-* D *tegentes, in manus meas & notionem perueniſſent, firmare treugam cum Ordine, etiam ſub conditione præfata, quam inſeri petebat, annuiſſem. Non licet mihi itaque fidere de ſua amicitia amplius, neque cauſam meam illius cognitioni credere, quem & opere & literis experior callidum & grauem hoſtem, non prius, neque ſecus, propitia mihi Diuinitate, de hoſtilibus terris exceſſurus, donec eas aut finali excidio vaſtabo, aut armis, pacem mihi, & Regno meo, æquis conditionibus procurabo. Liquet autem, quod Ducem Sigiſmundum Coributh ego in Bohemiam non miſerim: quapropter nec pro eo intendo reſpondere: alium itaque tibi, qui miſit illum, non me, cum ea querela conuenias.* E veſtigio vero *Alexander Withawdus Dux magnus Lithuaniæ in hæc verba ſe reſoluit: Non abnuo neque inficior, quinimo*

1423 *imo profiteor libere ac clare, Ducem Sigiſ-*
mundum Coributh, meo mandato, meiſque im-
penſis & meis auſpiciis, ad faciendum reſiſten-
tiam hoſti meo Sigiſmundo Regi Domino tuo
in Bohemiam tranſiſſe. Qui cum fœderatus
& iuratus mihi frater foret, pollicitus ſe ad oc-
cupationem terrarum mearum nunquam aſpi-
raturum, per pronunciationem tamen ſententiæ
ſuæ, euidentem iniquitatem continentem, me
terris meis ſpoliare, & illas Cruciferis applica-
re, non turpe putauit. Vicem itaq; iniuriarũ ho-
ſti meo Sigiſmundo repenſurus, Ducem Sigiſ-
mundũ Coributh nepotem meũ, in Bohemiã miſi,
gentibus & pecunia illũ adiuturus, & perſonale,
ſi depoſcet neceſſitas, illi ſolatiũ laturus, vt hoſtis
meus Sigiſmundus aliquando tandẽ intelligat,
quẽ offenderit, & ſciat mihi aliquid roboris & a-
nimi ineſſe, deſiſtatq; me ſuis ingeniis, ſuaq; calli-
ditate grauare. Eo reſponſo *Corbauienſis* Epi-
ſcopus accepto, licentia obtenta & his qui illum
conducerent, ad Magiſtrum *Pruſſiæ Michaelem*,
ad ſignificandum ei *Wladiſlai Poloniæ* Regis &
Alexandri Witbawdi, reſponſionem, in *Ma-*
rienburg diuertit, & abinde in *Hungariam* re-
diit, neque appoſuit de cætero redire ad *Poloniæ*
Regem & exercitum eius, aut aliquam tractare,
iuxta, ac illi a *Sigiſmundo Romanorum* Rege
iniunctum fuerat, pacem perpetuam vel treu-
gam, intelligens animum *Wladiſlai Poloniæ* Re-
gis, & omnium ſuorum, iuſta ira percitum, ſu-
ſceptum bellum, cum præſertim ſe ſuperiores
hoſtibus viderent, nullo pacto depoſiturum.

Valachi Wladiſlao in auxilium miſſi

Sub tempore eodem, Voieuodæ *Moldauiæ*
gentes, *Valachi*, in auxilium *Wladiſlao Po-*
loniæ Regi tranſmiſſæ, quadringentorum mili-
tum numerum explentes, vſque prope *Marien-*
burg prædatum pabulatumque deſcenderant,
prædasque agebant. Contra quos Cruciferi,
in forti militum exercitu, qui in præſidio caſtri
Marienburg morabantur, erumpentes, illos in-
uadunt. Qui cum hoſtium numerum & vi-
res, ſuamque exiguitatem metirentur, in deſpe-
rationem verſi, rem fortunæ committunt.
Sumpſitque tunc, poſtquam nihil ſupereſſet,
arma formido, & nemus proximum ingreſſi, e-
quis deſiliunt, facilius, vt eſt mos & natura

ſiluis tecti

gentis, tecti fronde & ligno, pedeſtres certatu-
ri. Cruciferi rati *Valachos* certam non ſimula-
tam fugam capeſſiſſe, & latitatum ſiluas abiiſſe,
velocius, quo poſſunt ad nemus contendunt, &
in *Valachorum* capturam, exiſtimantes rem nul-
lius negotii fore, armantur, cum complures eo-
rum equis deſiliiſſent. Verum *Valachi* vibrando
in hoſtes tela, tuti ipſi a telis, non ſecus quam
imbrem mittunt. Et tam hominibus quam e-
quis, frequenti proiectione telorum vulneratis,
plures etiam ex illis conficiunt. Adeoque in

Pruthenos cadunt fugantque

Cruciferos inuehuntur, vt primis eorum ordi-
nibus aut occiſis aut captis, reliquos in fugam
verterent. Sicque miro modo *Valachi*, cum
parua gentium ſuarum caterua, grandi hoſti-
um exercitu profligato, ad ſtationes exercitus

Regii, onuſti præda ingenti victores reuertun- 1422
tur. In ſignum quoque victoriæ, plures uo-
A tabiles captiuos, Cruciferos videlicet de Ordi-
ne, item milites ſtipendiarios, & ciues, addu-
ctos, *Wladiſlao* Regi præſentant.

In expeditionem Crucifericam præfatam, &
quæ apud *Polonos* a caſtro & oppido *Golub*
conquiſitis, *Golubenſis* intitulatur, *Wladiſlaus*
Poloniæ Rex tranſiturus, veritus, ne ex caſtro
Nyeſchoua, quod ditionis Cruciferorum erat,
terra *Cuiauiæ* vaſtaretur, *Andream Brochoczki*
militem de domo *Oſſoria* tunc *Brzeſtenſem* Ca-
pitaneum, pro defenſione & cuſtodia terræ *Cu-*
iauienſis reliquit; *Matthiam* de *Labiſchin*
Brzeſtenſem, & *Ianuſſium* de *Koſczielecz Iuni-*
wladiſlauienſem, Palatinos, omnesque *Cuia-*
B *uienſes* milites ei in auxilium adiungens, illi-
que parere iubens. Qui copiis in vnum co-
actis, caſtrisque in borra, inter *Murzinow* &
Orlow, poſitis, ſub vniuerſo expeditionis tem-
pore, in Crucifericas poſſeſſiones & terras, va-
rias vexationes & ſpolia agebat, non ſinens
Cuiauiæ terram per Cruciferos inuadi, aut of-
fendi. Subrepſitque interim in *Matthiæ &*
Ianuſſii, Palatinorum pectora liuor, quod pa-
rere *Andreæ Brochoczki* iuſſi, deteriori habe-
rentur loco. Quapropter cum nonnullis *Cu-*
iauiæ militibus, partes eorum ſecutis, militia
relicta, & *Andrea Brochoczki* deſerto, dilabun-
tur, ſpecie quidem contrahendi nouos comme-
atus, re autem vera in *Andream Brochoczki*,
C quem ſibi indigne præpoſitum ſtomachaban-
tur, odii complendi gratia, quatenus in medio
hoſtium derelictus, periculi diſcrimine obrue-
retur. At *Andreas Brochoczki* animum infra-
ctum gerens, quem ceperat locum incolebat;
vigilias tamen in ſingulis locis duplicauerat, im-
pendens periculum vitaturus. Palatinorum
diſceſſione, & eorum qui cum *Andrea Brocho-*
czki remanſerant paucitate, ab exploratoribus
Cruciferi comperta, exercitu octingentorum
Equeſtrium congregato, quem Commendator
de *Nyeſchow* ducebat, *Andream Brochoczki*, &
eius exercitum inuaſuri, ire pergunt. Nox ca-
liginoſa ad exequendum deſtinata, & inuaſio
D non a fronte ſed a tergo, nullam cuſtodiam il-
lic conſiſtere rati, Cruciferis aptior videbatur.
Silenti itaque agmine, ſeptima Septembris die,
progreſſi, licet primarum excubiarum cuſto-
des negligentius vigilantes occidiſſent, ſecundæ
tamen excubiæ cuſtos, de manibus eorum ela-
pſus, hoſtes adeſſe maximo clamore vocifera-
batur. Qui etſi ab hoſtibus necatus foret,
clamor tamen ſuus tertiarum excubiarum vi-
giles commouit. Qui ad ſtatiua *Andreæ Bro-*
choczki pertingentes, ſubitum hoſtium aduen-
tum denunciant. Quo minime, *Andreas*
Brochoczki, miles animoſus, deuotione & reli-
gione plenus, perculſus, de lecto exiliens, lo-
rica corpus nudum veſtitus, ſuis, qui & ipſi dor-
mierunt inermes, bono & forti animo, ac ſe
ſequi iuſſis, hoſtibus iam tunc ſepes & papilio-
nes

Andreas Brochoczki,

Cruciferos in caſtra ſua irruentes

1422 nes irrumpere nitentibus, intrepidus occurrit, & cum illis fortisſime dimicare cœpit. Cadentibusque & cæſis his, qui in acie conſtiterant, A aſsiſtente illi Diuina clementia (erat enim miles virtuoſus, & in cultura Dei aſsiduus, quaslibet faſtidiens & execrans rapinas) reliquos hoſtes ad extremum fudit, & in fugam agit. Qui dum per opacæ noctis tenebras, locorum ignari, quonam fugerent, parum noſſent, in loca & nemora varia deſiliunt. Propter quod errabundi, ab agreſtibus multi eorum circa *Lanciciam*, nonnulli circa *Klodawam, Przedecz*, & *Brzeſczie*, comprehenſi fuerant & obtruncati. Captus erat in conflictu prædicto Vice-Commendator *Thorunenſis*, Commendatore principali per fugam B elapſo. Capti duodecem fratres de Ordine, & plures mercenarii milites, & vniuerſi ergaſtulis apud *Brzeſczie* incluſi. Pauci de Cruciferico exercitu creduntur non capti aut deſiderati fuiſſe.

fundit fugatque

Caſtrum Kowalye Wladislaus Rex obſidet.

Die Dominico Sancti *Bartholomæi* Apoſtoli, caſtro *Golub Wladislaus Poloniæ* Rex conquiſito, motis copiis, venit ad caſtrum & oppidum *Kowalye*, alias *Sziuiſche*. Et oppidum per hoſtes reperiens, ne *Polonus* eo potiretur, exuſtum, caſtrum obſidione cingit, bombardisque quatit. In die vero decollationis *S. Ioannis Baptiſtæ*, militari impetu contra caſtrum facto, conquirere illud nitebatur. His tamen, qui caſtrum tuebantur, probe reſiſtentibus, C omnis conquiſitionis & impetus labor, recidit in irritum. Multi inſuper ex *Polonorum* militibus, qui antemurali fracto & expugnato, foſſatum caſtri ingreſſi ſunt, grande periculum inciderant. Hoſtes ſiquidem in foſſato prædicto pluribus rotis poſitis, ſtraminibus illas contexerant: & militibus foſſam intrantibus, hoſtes ſtramina ſuccendunt. Et Regii milites rotis illaqueati, non ſine pertinaci difficultate, mortis aut captiuitatis periculum vitauere. Captus tamen fuit per hoſtes *Dobrogoſtius* Caſtellanus *Camenenſis*, miles de domo *Nałęcz*. Qui ante motum *Golubenſe* cum Cruciferis bellum, caſtrum Regi *Poloniæ Drabim*, cuius erat Tenutarius, hoſtium interceptione & fraude, D negligenter amiſerat. Quod non poſt plures dies *Paulus Vacik Almanus*, in angulo caſtri habens dormitorium, tractis ſurſum per ferinales caſſes *Polonis* quam plurimis, & hos qui caſtrum detinebant occupauit, & caſtrum Regi reddidit. Pro quod illi liberalitate Regia cenſus non tenuis apud Saliſfodinas *Vielicienſes* conſignatus eſt.

Cruciferi Polonis pugnandi copiam non faciunt

Caſtri *Kowalye* expugnatione omiſſa, feria tertia poſt *S. Ægidii*, *Wladislaus* Rex caſtra verſus *Thorun* mouit. Et cum ad caſtrum *Papow*, facile illud expugnaturus, conſiſteret, ab exploratoribus doctus, Cruciferos clandeſtine notabilem exercitum, non ad decernendum, ſed ad offendendum ex inſidiis, & loco iniquo, Regias gentes, congregaſſe, ſedecim banderia de gentibus Regni *Poloniæ*, & alia ſedecim banderia de *Lithuanis*, mittit verſus *Radzim*, quoniam illic ſtatiua hoſtium fuiſſe ferebantur. Dum itaque Regius exercitus, & hoſtes, copiam decernendi quærendo, procederet, Crucifericus exercitus, qui totam fere noctem præcedentem, circa quoddam nemus gyrando, hinc inde errabundus abſumpſerat, viſo in aurora Regio exercitu, pauore nimio conſternatus, quaſi leuis nebula, ſole deſuper feruente, diſſolutus, & in fugam actus eſt. Fugientes caſtrum & oppidum *Radzim* excepit. Pauci fugientium a Regiis militibus comprehenſi. Exercitus Regius quæſita pugna & non inuenta, ad *Wladislaum* Regem apud *Papow* conſiſtentem rediit. 1422

Sabbato poſt Sancti *Ægidii*, *Wladislaus* Rex contra *Thorun* volens procedere & eius conquiſitionem intendere, ſalubri conſilio reductus eſt. Vigebat enim peſtifera apud *Thorunenſes* lues; propter quod nemini ſatis placebat locum infectum adire, ne contagio quoque peſtis ad exercitum Regium penetraret. Motis itaque Rex a *Papow* caſtris, procedit, habendo in manu dextra *Thorun*, & ad caſtrum *Lubicz* a Cruciferis demolitum, peruenit. Vbi propter celebritatem feſti Natiuitatis *S. Mariæ* Virgnis, ſtatiua triduo habita ſunt. Et licet *Alexander Withawdus* magnus *Lithuaniæ* Dux, licentiam in *Lithuaniam* ex eo loco ſummopere flagitaſſet, a *Wladislao* tamen perſuaſus, propoſitum depoſuit: Intra triduum autem illud, ſuburbana omnia igne conſumpta, & *Thorunenſes* vineæ a gentibus Regiis fuere demolitæ, & omnis Regio iuxta *Thorun* conſiſtens populatione latius in gyrum extenſa, incendiis, ferro, & præda vaſtata eſt.

Thorunenſis ſuburbana, vineæ & alia vaſtantur

Feria tertia in craſtino Nativitatis *S. Mariæ* Virginis, *Wladislaus Poloniæ* Rex a *Lubicz* diſcedens retrorſum, in terram *Chelmenſem*, propoſito vaſtandi eam ingrediebatur. Et aliquot diebus prope oppidum *Chelm* commoratus, populationem agrorum, & exuſtionem tectorum latius iuſſit extendi. Quo malo Magiſter & Ordo Crucifericus conterriti, intelligentes *Wladislaum* Regem, ex terris eorum, quod maxime ſperauerant, non diſceſſiſſe, ſed itinere retrogrado, commeatibus ex *Polonia* ad ſtatiua apud *Lubicz* habita, adductis quadrigis oneratis, ad vaſtandum terras eorum, & ad reſumendum exintegro bellum, cogitationes & animum duraſſe, ſuas quoque vires ad reſiſtendum imbecilles fore, querelis inſuper & vociferatione militarium & ciuium ſuorum, defectionem, ni eorum calamitati conſulant, minitantium, expugnati ſunt, & *Gerardum Pomeſanienſem* Epiſcopum, cum aliquot Commendatoribus, militibus, & ciuibus, ad *Wladislaum Poloniæ* Regem, petentes pacem, tranſmittunt. Qui illum non ſecus, quam Rex Catholicus & pacificus, ſupplicatione magis quam renitentia peruictus, armis depoſitis, ſe obtulit daturum.

Cruciferi pacem petunt, & impetran

Qua

1422 Quæ vt facilius prouenire æquis conditionibus poſſet, ſtatiuis ab oppido *Chelm* ad lacum *Melno* motis, tractatibus pacis intendit. Et aliquot Conſiliariis pro parte ſua, videlicet *Ioanne* de *Tarnow Cracouienſi*, *Sandiuogio* de *Oſtrorog Poſnanienſi*, *Nicolao* de *Michalow Sandomirienſi*, *Nicolao* de *Oporow Lancicienſi*, Palatinis, *Sbigneo* de *Brzezie* Regni *Poloniæ* Marſchalco; *Gedigoldo Lithuaniæ* milite, & *Nicolao Sepinski* Capitaneo *Lukouienſi*: totidemque pro parte Magiſtri & Ordinis, videlicet *Ioanne Obczier* Epiſcopo *Varmienſi*, *Gerardo Pomeſaniæ* Epiſcopo, *Henrico Hold* in *Elbing*, *Volframo* de *Hunsbach* Marſchalco *Liuoniæ*, *Ludouico* de *Lanſche Thorunenſi*, *Martino Kemnather Dzirgotienſi*, Commendatoribus, deputatis, plena illis pacem concludendi poteſtas tributa eſt. Qui in papilione Regio ex Scharlatico panno elaborato, quod Comes *Ciliæ Hermannus Wladiſlao* Regi transmiſerat, a mane vſque in veſperam ſtando in tractatibus, tandem in die tranſlationis *S. Stanislai* concludunt pacem. Quæ ab vtraque parte accepta, etiam literis & inſcriptionibus firmata eſt.

Wladiſlaus Rex pace confecta,

Perpetua pace apud lacum *Melno* confecta, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex die eodem, videlicet Tranſlationis *S. Stanislai* inde diſcedens, & prope oppidum *Brodnicza* caſtris poſitis, die altera, videlicet *S. Venceslai*, ſeptem in fluuio *Drwancza* pontibus conſtructis, tranſit illum, & ſtatiuis poſitis, Diuinis operam dabat. Quibus expletis, ſinguli ferentarii, ſigna eis commiſſa, flexis genibus, armati, *Wladiſlao* Regi reddunt: In huncque modum Regem alloquuntur. *Sereniſſime Rex vexillum præſens, fidei & curæ meæ, per tuam Maieſtatem traditum, humiliter reddo. Quod fauore Diuino, cum omni ſollicitudine fidelitateque integrum geſtaui. Et quemadmodum illud a Serenitate tua, cum honore mihi prabitum eſt, ita illud nulla fuga aut labe pollutum repræſento; non exiſtimans aliquem ex militibus ſub illo conſiſtentibus, ſociis meis, mea temeritate & incuria periiſſe.* Quibus receptis *Wladiſlaus* Rex, primum *Alexandrum* Ducem magnum *Lithuaniæ*, dato ſibi pacis oſculo, deinde *Maſouiæ* Principes, poſtremo vniuerſum exercitum licentiat. Et *Alexandro Withawdo* cum *Lithuanico* exercitu in læuam diuertente, *Polonicus* in dextram abiit. *Thartarorum* nonnulli prædas agere ſoliti, cum in extrema *Polonorum* agmina debacchantur, a *Polonis* profligati, trucidati, & quinquaginta deſiderati fuere.

& auxilia dimiſſis

Tartaros in Polonia profligat,

In die *S. Michaelis*, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, de terris hoſtilibus egreſſus, per *Przipuſch*, *Radzieiow*, *Strzelno*, *Gabicze*, *Mogilno*, *Trzemeſchno*, *Gneſnam*, tranſitum faciens, *Poſnaniam*, adorandum Diuiniſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, peruenit. Non enim omnibus diebus, quibus Regno *Poloniæ* præerat eam obſeruantiam negligebat, ſed de qualibet expeditione hoſtili reuerſus, ad agendum Clementiſſimo Deo gratias, de ſuo & ſuæ gentis proſpero euentu, *Poſnaniam* ad monaſterium *Corporis Chriſti*, item ad limina Sanctæ *Crucis* in *Caluum montem*, adueniebat. Gratiarum itaque actione in Deum celebrata, factis apud *Poſnaniam* oblationibus ſolennibus, per *Pizdri*, *Schadek*, in *Maſouiam* deſcendens, in *Viskitki* venationes taurorum ſilueſtrium, qui in *Polonico* Thuri appellantur, agebat. Ex *Maſouia* apud monaſterium *Calui Montis* Sanctæ *Crucis*; pro die Sanctorum *Simonis & Iudæ* Apoſtolorum perueniens, ſacrificiis & oblationibus expletis, ad *Opathow* deſcendit. Vbi illi *Zophia Poloniæ* Regina occurrit. Ex indeque per *Sandomiriam*, *Przischow*, *Pilzno*, *Byecz*, *Bochnia*, pro die Sancti *Martini* in *Niepolomicze* aduenit.

1422 *& Deo gratias agit.*

Prælatis & Baronibus Regni *Poloniæ* primoribus, iuſſu Regio ad *Niepolomicenſem* conuentum conuenientibus, poſt plures deliberationes & tractatus, ſuper rebus publicis Regni, & aliis occurrentibus, habitos, *Wladiſlaus* Rex Conſiliarios ſuos, videlicet *Nicolaū Gneſnenſem* Archiepiſcopum, quamuis vehementer reluctantem, & ſe illic, ſi ire cogatur, moriturum aſſeuerantem, *Albertum Iaſtrzambiecz Cracouienſem* Epiſcopum, *Criſtinum* Caſtellanum *Cracouienſem*, *Ioannem* de *Tarnow Cracouienſem*, *Nicolaum* de *Michalow Sandomirienſem*, Palatinos; *Sbigneum* de *Brzezie* Regni *Poloniæ* Marſchalcum, *Ianuſſium* de *Tuliſchkowo* Caſtellanum *Caliſſienſem*, & *Zauiſſium nigrum* de *Garbow*, Capitaneum *Scepuſienſem*, ad conueniendum cum Prælatis & Baronibus *Hungariæ* in *Scepuſienſi* terra, tranſmittit. Magiſter enim, & Ordo Cruciferorum de *Pruſſia*, fidei ſuæ obliti, conditionibus pacis ſuæ perpetuæ, recenter apud lacum *Melno* confectæ, *Sigiſmundo Romanorum* & *Hungariæ* Rege prohibente, non ſatisfaciebant; quoniam nec caſtrum *Nieſchowa* ſub tempore conſtituto demoliti ſunt, neque promiſſas pecunias ſoluebant. Timebatur itaque inter *Poloniæ* & *Hungariæ* Reges nouum propterea emerſurum bellum. Quod Prælati & Barones *Hungariæ* intercipere ſoliciti, prece & ſtudio ſingulari intercipere ſoliciti, prece & ſtudio ſingulari interpoſitis, agere ſe cum Prælatis & Baronibus *Poloniæ* mutuam conuentionem ordinarunt, differentias & ſimultates inter Reges exortas, prouida contemplatione prius quam Mars feruesceret, ſucciſuri. *Wladiſlaus* Rex ex *Niepolomicze*, per *Lublin*, *Parczow*, *Brzeſczie*, cæteraque loca ſolita, in *Lithuaniam* proceſſit.

Wladiſlaus Rex procores mittit, qui differentias cum Hungaris ſeponant.

Sancti *Andreæ* Apoſtoli die, qui ad conueniendum vtriuſque Regni Conſiliariis poſitus fuerat, illuceſcente, apud villam *Lubicz* prope oppidum *Kezmark* ſitam, conuentus Conſiliariorum vtriuſque Regni, *Poloniæ* videlicet & *Hungariæ*, & tractatus pro pace inter Reges ſolidan-

Propter abſentiam Regum nihil agitur.

1422 lidanda, fieri cœptus eſt. Verum cum abſque Regum præſentia, pax ſtabilis & diuturna componi non poſſet, conuentionem Regum perſonalem pro Quadrageſimæ medio in *Czorſchtin* & villa antiqua fiendam inſtituunt, & Regem vtrumque ad illam venturum obligant. Ea etenim conditione appoſita, vt Magiſter & Ordo *Pruſſiæ* ſuos ad diætam huiusmodi Nuncios, plenam authoritatem habentes, transmittat, pacem perpetuam apud *Melno* ordinatam, noua pollicitatione facturos.

Nicolaus Archiep. Gneſnenſis moritur.

Nicolaus Gneſnenſis Archiepiſcopus, aſſidua ægritudine ſenſim vexatus, qua non obſtante, inſtantia Regis & Conſiliariorum deuinctus, in conuentionem cum *Hungaris* pro die *S. Andreæ* tenendam, ire conſenſerat, parum expaueſcens futuram mortem, quam ex valetudine graui eum premente, prius, quam ex *Niepolomicze* digrederetur, apud Regem & Barones, denunciauerat ſibi portendi, in villa *Lubicz*, Sacramentis omnibus procuratus, religioſe & deuote, feria quinta in die Sanctæ *Barbaræ*, alias quarta Decembris, morte abſumptus eſt. Vir plurimarum virtutum opere perfectus, amator patriæ, vt pote cuius nomen & gloriam in *Pariſiis* apud *Gallorum* gentem, & in *Conſtantienſi* Concilio, apud orbem vniuerſum extulerat, ornauerat, magnificauerat. Pius in omnes, liberalis & munificus & benignus in egenos, natura manſuetus & affabilis. Ex *Lubicz* corpus eius per familiares ſuos, qui chariſſimo eum venerabantur affectu, *Gneſnam* deductum eſt, & in maiori *Gneſnenſi* Eccleſia, ante ſepulchrum Beati *Adalberti*, iuſto honore mandatum ſepulturæ. Sedit annos duodecem menſes ſeptem. Eccleſiæ Collegiatæ *S. Mariæ* de *Ruda*, in Eccleſiam *S. Michaelis* in *Wielum*, velut in locum magis honeſtum & cultum, translator. Nobilis genere, de domo & familia *Tubarum*, tres tubas pro inſigni deferente, ex parte *Wilhelmo* & matre *Eliſabeth*, vir ſtaturæ iuſtæ & procerioris, capillo colore nigro. Eo etiam opere apud præſentem & poſtrema ætatem celebrandus, quod Collegium Manſionariorum apud *Gneſnenſem* Eccleſiam primus inſtituit, & de decimis menſæ Archiepiſcopalis dotauit. Cuius virtus in Concilio *Conſtantienſi* adeo vulgata erat, vt ad Summum Pontificium a pleriſque Electoribus depoſceretur. Qui etiam ab eodem Concilio *Conſtantienſi* Priuilegio Primatiatus obtento, Eccleſiam ſuam *Gneſnenſem* inſigniorem reddidit. Primuſque ſe inter *Gneſnenſes* Archiepiſcopos Primatem titulare cœpit, propter *Leopolienſem* Metropolim ex *Halicienſi* ciuitate translatam, & temporibus parum ante transactis, erectam.

Priuſquam *Lubicenſi* ex conuentione diſceſſum foret, *Albertus Iaſtrzabiecz Cracouienſis* Epiſcopus, cæterique Conſilarii Regni *Poloniæ*, omnem rerum poſitionem atque faciem, cum Prælatis & Baronibus *Hungariæ* contextam, obitum inſuper *Nicolai Gneſnenſis* Archiepiſcopi, miſſo ſpeciali Nuncio in *Podwodis Bartholomæi Obulyecz*, per literas ſuas *Wladislao Poloniæ* Regi ſignificant, precesque & interceſſiones adiiciunt, *quatenus Sbigneum de Oleſchnicza Præpoſitum S. Floriani Secretarium ſuum ad Eccleſiam Gneſnenſem dignaretur promouere, aut ſaltem promotionem ipſam vſque ad reditum ſuum in Poloniam differre.* Non minus Regi *Wladislao* quam Conſiliariis perſona *Sbignei* de *Oleſchnicza* placebat, eohereque & Rex *Sbigneum* ad culmen Pontificale æſtuabat. Verum *Alexander Withawdus*, Dux magnus *Lithuaniæ*, in *Sbigneum* de *Oleſchnicza*, propterea, quod in pacis perpetuæ apud *Melno* lacum habito tractatu, ne molendinum *Lubicz* Magiſtro & Ordini, iuxta ipſius *Alexandri Withawdi* Ducis feruens deſiderium inſcriberetur, pacis exiſtens arbiter, impediuerat, vehementer iratus, propoſitum Regis, præfatus hoſtem ſuum non conuenire efferri, auertetat; & *Albertum Iaſtrzambiecz Cracouienſem* Epiſcopum ad *Gneſnenſem* transferri, *Ioannem* vero *Schafraniecz* Regni *Poloniæ* Vice-Cancellarium ad *Cracouienſem* Eccleſias, ſurrogari, Rege probante, diſponebat. Ad *Gneſnenſe* itaque Capitulum, electionem futuri Archiepiſcopi pro Epiphaniarum die apud *Gneſnam* celebraturum, ſcribit *Wladislaus* Rex literas, rogando & obſecrando, *quatenus Albertum Iaſtrzambiecz Archiepiſcopum poſtulet*, *Iacobum* vero *Przekora* de *Morawiani* militem, ad *Albertum Iaſtrzambiecz* Epiſcopum *Cracouienſem*, transmittit, ea, quæ de ſua in *Gneſnenſem* Eccleſiam translatione, & *Ioannis Schafraniecz* in *Cracouienſem* ſubſtitutione, Rex animo deſtinauerat, ſignificaturum. Qui cum illum in *noua Sandecz* agentem offendiſſet, & mandata Regia diſſeruiſſet, *Albertus Iaſtrzambiecz Cracouienſis* Epiſcopus, ordinationem Regis in acceptum non referens, reſpondit *ſe Cracouienſis Eccleſiæ Pontificio & dignitate contentum, Gneſnenſem Eccleſiam non accepturum:* cumque eo Reſponſo Regium Nuncium in *Lithuaniam* remiſit. *Iacobus* itaque *Przekora* ex *Polonia* in die *Innocentum* ad *Troky* reuerſus, *Wladislao* Regi reſponſionem *Alberti Iaſtrzambiecz* Epiſcopi *Cracouienſis*, & eius deliberationem cum ſignificaſſet, noua deliberatione ſecretiſſima *Wladislaus* Rex cum *Alexandro Withawdo* Duce habita, *Sbigneum* de *Oleſchnicza* Præpoſitum *S. Floriani* in *Gneſnenſem* Archiepiſcopum deſignat, nominat, & promouere deliberat. Iam ſiquidem *Alexander Withawdus*, indignationis ſuæ nubilo proprio motu remiſſo, prudentiam quoque, integritatem, & induſtriam *Sbignei* in frequentibus & & grauibus rebus expertus, illum ſibi reconciliat, & ex hoſte interceſſor effectus, hunc

Sbigneus de Oleſchnicza

& Albertus Iaſtrzambiecz ad Gneſnenſem Archiep. denominantur.

1422 hunc & non alium, *Alberto Iaſtrzambiecz* Epiſcopo *Cracouienſi*, ſuſcipere honorem Metropoliticum detrectante, ſede *Gneſnenſi* dignum cenſet. Facile perſuaſio Ducis *Alexandri Withawdi*, a *Wladiſlao Poloniæ* Rege, ſua ſponte in promotionem *Sbignei* de *Oleſchnicza* procliuo accepta eſt. Qui ſpecialem & nouum Nuncium ad Capitulum *Gneſnenſe*, quod electionem ſuam, pro die Epiphaniarum inſtitutam, in diem Conuerſionis *S. Pauli* tranſpoſuerat, deſtinat, & vel *Albertum Iaſtrzambiecz* Epiſcopum *Cracouienſem* poſtulari, aut, ſi id minus gratum foret, *Sbigneum* de *Oleſchnicza*, quod & Canonicus *Gneſnenſis* & vnus de eorum gremio ſit, eligi interpellat.

1423 Natalis Domini diebus, & eius octauis, *Wladiſlaus* Rex in *Lithuania* abſumptis, per *Zoldzek*, *Slonin*, *Zdichow*, *Tur*, *Ratno*, *Lubomlya*, *Parczow*, procedens, & pro diebus Carniſpriuii in *Iedlnam* perueniens, *Albertum Iaſtrzambiecz*, *Cracouienſem* Epiſcopum, ad ſe accedentem, *Gneſnenſis* Eccleſiæ regimen ſuſcipere, precibus & perſuaſionibus obtinuit; ex eo potiſſimum capite & reſpectu, quod in electione Capitulari *Gneſnenſi*, in die Conuerſionis Beati *Pauli* celebrata, aliquibus Prælatis & Canonicis *Gneſnenſibus Vincentium* de *Marczinkowo* Decanum *Gneſnenſem*, de domo *Nalecz* eligentibus, ipſe *Albertus Iaſtrzambiecz* fuit a maiori & ſaniori parte Prælatorum & Canonicorum *Gneſnenſium* poſtulatus; Regalibus itaque perſuaſionibus *Albertus Iaſtrzambiecz* deuictus, Sedem *Gneſnenſem* ſuſcipere conſenſit. Et Rex *Wladiſlaus* de *Oleſchnicza Sbigneum* Præpoſitum *S. Floriani*, quem Eccleſiæ *Gneſnenſi* deſiderauerat præficere, nollens reddere moleſtum, & eius conditionem efficere inferiorem, Eccleſiæ *Cracouienſi*, *Ioanne Schafraniecz* Regni Vice Cancellario neglecto, præficiendum deliberat; iuxta quam deliberationem, *Martinus* quintus Papa, ad poſtulationem Canonicam, & ſupplicationem Regiam, *Albertum Iaſtrzambiecz* de *Cracouienſi* ad *Gneſnenſem* transferens, *Sbigneo* de *Oleſchnicza* de *Cracouienſi* Eccleſia, intercedente *Wladiſlao* Rege, & *Cracouienſi* Capitulo, decima Iulii menſis prouidet; cum iam *Albertus Iaſtrzambiecz* annis circiter duodecim in ea ſediſſet.

Albertus Iaſtrzambiecz fit Archiep. Gneſnenſis, cui in ſede Cracouienſi ſuccedit Sbigneus de Oleſchnicza.

Ex *Iedlna*, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, per *Sandomiriam*, *nouam ciuitatem*, *Voynicz*, *Czchow*, procedens, pro Dominica *Lætare* venit in *Sandecz*; Vbi poſt varios Nuncios, inter ipſum, & *Sigiſmundum Romanorum* & *Hungariæ* Regem hinc inde frequenter deſtinatos, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex cum *Alberto Cracouienſi*, *Ioanne Pella Wladiſlauienſi*, Epiſcopis, cæteriſque Conſiliariis in *Czorſchtin*, *Sigiſmundus* vero *Romanorum* & *Hungariæ* Rex, cum ſuis Conſiliariis in villam antiquam *Schramowicze*, deſcendit. Ambo deinde Reges in campo prope *Schramowicze* conueniunt, & de equis deſcendentes, dextras & amplexus iungunt. Cumque in villam *Schramowicze* diuertiſſent, ſuas vterque iniurias in alterutrum, tam perſonales quam publicas, coram Prælatis & Baronibus Regni vtriuſque, edicit. Super quibus deliberatione habita, Prælati & Barones Regni vtriuſque, prudenter & mature, ſingulas Regum contentiones, ſimultates, odia, iniurias, & quoslibet inimicitiarum reſpectus & ſemina, componunt, ſuccidunt, & extinguunt. Quo facto, ambo Reges in *Kezmark* tranſeunt, & illic fœdera pacis perpetuæ, & ligæ fraternæ, nouis literis & inſcriptionibus, quaſi altero funiculo innouant & corroborant. 1422

Wladiſlaus Rex cum Sigiſmundo Imp. nouam & perpetuam pacem facit.

Concordia inter Reges ſtabilita, atque innouata, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, compoſitioni præfatæ pariturus, Ducem *Sigiſmundum Coributh* ex *Bohemia* & per Nuncios & per literas reuocat, non amplius *Sigiſmundo* Regi *Romanorum* & ſuis *Bohemicis* rebus nociturum. Magiſter vero & Ordo Cruciferorum de *Pruſſia*, qui alias propter Regnorum prædictorum diſcordiam, pacem perpetuam apud *Melno* lacum firmatam, languide & tepide viſi ſunt tenuiſſe, paciſque conditiones in inſcriptionibus contentas, implere, ſignanter in caſtri *Nieſchowa* demolitione conctabantur: cognita Regum concordia & fœderum renouatione, caſtrum *Nieſchowa* demoliuntur, & omnes pacis explent conditiones. Ex *Kezmark Poloniæ* Rex *Wladiſlaus*, per *Sigiſmundum Romanorum* & *Hungariæ* Regem rogatus, in *Luboczam* deſcendit, & illic Paſcha Domini celebrauit, a *Sigiſmundo* Rege omnibus neceſſariis, cum omni Curia ſua procuratus. Vbi Cruciferorum de *Pruſſia* venerunt ſolennes Nuncii, promittentes pacem ad lacum *Melno* concluſam obſeruare, & petentes, vt ad ſatiſfaciendum pacis conditionibus, dies aptus conſignaretur & locus. De partium itaque conſenſu, locus *Vielunya* in *Lithuania* ſuper fluuium *Nyemyen*, & dies Aſcenſionis Domini futura, fuere conſignata.

Tertia die feſti Paſchæ, venit ad *Wladiſlaum Poloniæ* Regem, in *Lubocza* tunc agentem *Fredericus* ſenior Marchio *Brandeburgenſis*, petens *ſibi ignoſci, quod Wladiſlaum Poloniæ Regem, contra Cruciferos bella gerentem rogatus & requiſitus, iuxta ſuam pollicitationem & obligationem, non iuuerat.* Aſſerens *ſe tunc fuiſſe contra Bohemos hæreticos altera expeditione occupatum.* Verum *Wladiſlaus* Rex, excuſationem huiuſmodi non referens in acceptum, moleſte tulit, poſt recentem ligam & fœdus, Marchionem prædictum, verbis promiſſis virtutem non dediſſe.

Marchio Brandeburgenſis, quod promiſſis non ſtetiſſet ſe Wladiſlao excuſat.

Feria ſexta poſt feſtum Paſchæ, diſcedit *Wladiſlaus Poloniæ* Rex de *Lubocza*, *Sigiſmundo Romanorum* & *Hungariæ* Rege vſque in *Bardiow* illum comitante. Et in *Byecz* perueniens, ad terras *Ruſſiæ* deſcendit. Quibus

1423 per ſolitas ſtationes vsque ad diem *S. Ioannis Baptiſtæ* peragratis, *Sandomiriam* pro feſto *S. Mariæ Magdalenæ* aduenit. Ex *Sandomiria* A per *Opathow*, *Bodzaczini*, *Chęczini*, *Andrzeiow*, *Zarnowiecz*, *Ilkuſch*, *Rabſchtin*, *Sławkow Białłobrzegi*, *Thaczin*, *Thiniecz*, venit *Cracouiam*, & illic feſtum Aſſumptionis Sanctæ *Mariæ* Virginis egit.

Die Aſcenſionis Domini adueniente, conuentio generalis apud *Wielunya*, ſupa fluuium *Nyemen*, tenta eſt. Ad quam *Wladislaus Poloniæ* Rex *Sbigneum Cracouienſem* Electum, *Stanislaum Cziołek* Regni *Poloniæ* Vice Cancellarium, *Sandiuogium* de *Oſtrorog* Palatinum & *Dobrogoſtium* Caſtellanum, *Poſnanienſes*, transmittit. Hi cum vna comitiua ad locum B deſignatum gradiuntur, a Duce *Alexandro Withawdo* omnibus neceſſariis fuere procurati. Et quadrigis apud *Grodno* cæterisque impedimentis relictis, nauali itinere per fluuium *Nyemen* verſus *Wielunya* procedebant, reperientes in ripis habitacula ex frondibus & lignis contexta, pro deſcenſu eorum præparata, omnibus victualibus & commeatibus referta. Aderat conuentioni præfatæ *Alexander Withawdus* Dux, cum Conſiliariis *Lithuaniæ*; aderat & *Pruſſiæ* Magiſter *Paulus* de *Ruzdorff*, cum Prælatis & Commendatoribus *Pruſſiæ*; diesque octo abſumpti ſunt, quibus efficacia dabatur conditionibus pacis apud *Melno* initæ. Illic ter- C ræ *Samogithiæ*, *Lithuaniæ*, & *Sudorum*, a terris *Pruſſiæ*, diſtinctione reali, per ſcopulos & per ſigna, iuxta quod inter Regem, Ducem, & *Pruſſiæ* Magiſtrum conuenerat, limitatæ ſunt, & protenſioni earum, termini poſiti. Ex *Wielunya*, conſumatis conuentionis negotiis, Regii Nuncii diſcedunt, & cum *Alexandro Withawdo* vsque in *Troky* perueniunt. Vbi ab eo remunerati, in Regnum *Poloniæ* incolumes reuertuntur, & *Wladislaum Poloniæ* Regem in *Ozimini* prope *Schambor* reperientes, ſuam ſerenitatem de ſingulis, apud *Wielunya* geſtis, certiorem efficiunt.

Ducatus Lithuaniæ cum Pruſſiæ limitatur.

Feſto Aſſumptionis B. V. *Mariæ*, & diebus ſequentibus, in quibus propter præſentiam *Boleslai Teſſchnenſis* Ducis, Curia ſolennis in haſtiludiis militaribus tenebatur, apud *Cracouiam* peractis, *Wladislaus Poloniæ* Rex, in *nouam Ciuitatem*, deinde *Sandomiriam* proceſſit, feſtumque Natiuitatis *S. Mariæ*, *Sandomiriæ* egit. Sub idem tempus, *Sbigneus* Electus & Confirmatus *Cracouienſis*, die Dominico Decollationis Sancti *Ioannis* Baptiſtæ, proceſſionaliter per omnes Eccleſias, Clerum, & populum, qui illi ad molendinum arenoſum occurrebant, exceptus eſt. Cui etiam in præſentia *Wladislai* Regis *Sandomiriæ*, in vigilia Natiuitatis *S. Mariæ* Virginis, ſimilis honos per Clerum & populum *Sandomirienſem* fuit impenſus. Ex *Sandomiria*, *Wladislaus* Rex in *Lublinenſem*, deinde in *Ruſſiæ* terras diuertens, autumni partem notabilem illic exegit. 1423

Feria quinta, in die Sanctorum *Simonis* & *Iudæ* Apoſtolorum, Conuentio generalis terrarum Regni *Poloniæ Wladislao* Rege abſente, apud oppidum *Vartha*, acta eſt. Ad quam cum *Albertus Iaſtrzambiecz* Archiepiſcopus *Gneſnenſis*, *Sbigneus* Electus & confirmatus *Cracouienſis*, *Andreas Poſnanienſis*, Epiſcopi; *Criſtinus* de *Oſtrow* Caſtellanus, *Ioannes* de *Tarnow* Palatinus, *Cracouienſes*; *Sandiuogius* de *Oſtrorog Poſnanienſis*, *Nicolaus* de *Michałow Sandomirienſis*, *Nicolaus* de *Vſcheradowo Caliſſienſis*, *Matthias* de *Labiſchin Brzeſtenſis*, *Ioannes* de *Koſczielecz Wladislauienſis*, Palatini; *Dobrogoſtius* de *Schamothuli Poſnanienſis*, *Ianuſſius* de *Szczekoczin Lublinenſis*, *Ianuſſius* de *Thuliſchkowo Caliſſienſis*, *Martinus* de *Kalinowa Siradienſis*, *Dobeslaus* de *Oleſchnicza Voynicenſis*, Caſtellani; *Sbigneus* de *Brzezie* Regni *Poloniæ* Marſchalcus, cæterique Dignitarii & Magiſtratus Regni *Poloniæ*, conueniſſent, attendentes, quod per iura terreſtria a *Caſimiro* ſecundo, Rege *Poloniæ* edita, non ſatis omnibus Regni *Poloniæ* neceſſitatibus, fuiſſet prouiſum. Poſt plurimos & varios tractatus, noua iura, plurimum Regno & Reipublicæ profectum afferentia, cum magna maturitate, atque libra con- C dunt: Et in ſcriptum redacta, veteribus iuribus *Caſimiri* Regis adiungunt. Quæ Vniuerſitas Nobilium & militarium Regni *Poloniæ* commendauit, & in acceptum retulit; Poſteritas quoque absque dubio eſt commendatura, perenni laude iurium prædictorum Conditores dignos exiſtimans. Prouidebatur enim inter alia iuribus huiusmodi, *quod Nobilium vxores, mortuis maritis ſuis, tantummodo dote & dotalitio contentæ ſint, quæ alias ex vetuſta Regni conſuetudine, vel potius corruptela, vniuerſa bona maritorum, viduitate durante, poſſidebant, & ſuas delicias & commoditates, quo pro libito poſſent nanciſci maritos, diſpenſabant.*

Leges Reip. ſalutares Wladislaus Rex condit.

Dux inſuper *Sigismundus Coributh*, Regio mandato ex *Bohemia* reuocatus, *Dobrzinenſem terram ſibi* peteb t *conferri a Rege in tenutam.* D Quem *Wladislaus* Rex ad Conſiliarios, conuentionem *Varthenſem* agentes, reiiciens, *non conuenire ſibi* reſpondebat, *Conſiliariis non conſentientibus, terras Regni Ducibus committere, & iuramento proprio contraire.* Verum cum concordi Conſiliariorum decreto *Sigismundi Coributh* Ducis preces, perſonaliter ſupplicantis, repudiatæ eſſent, irritatus huiuſmodi repulſa, cœpit clandeſtinos in Regno agere conuentus & nonnullorum militum animos, ad nouandum res procliuorum, ſolicitare in conſpirationem & Regni ſciſſuram. Quæ res *Wladislai* Regis, Prælatorumque & Baronum *Poloniæ* animos, ab eo plurimum alienauit & auer-

Coributh ex Bohemia reuerſo

Dobrzinenſis terra denegatur

1423 auertit. Ab eoque die contemni & deſpici cœpit, velut peſtis mortifera, quam verebantur in *Poloniæ* Regni deſtructionem, quandoque graſſaturam. Putabat *Sigiſmundus Romanorum* & *Hungariæ* Rex, *Polonico* exercitu, & eius Ductore, *Sigiſmundo Coributh*, ex *Bohemia* diſcedente, hæreticos, *Polonorum* auxilis deſtitutos, mox imperata facturos eſſe; ſed longe deceptus eſt. Nam illi magis ac magis inſoleſcentes, ſubactis intra Regni fines Catholicæ fidei cultoribus, exercitum extra *Bohemiam* duxere in vicinas regiones, & præſertim *Auſtriam* prædis & ſpoliis afflixere. Sub idem tempus *Sigiſmundus* Rex *Alberto* Duci *Auſtriæ* genero ſuo, *Morauiam*, ne defenſore careret, dono dedit, quamuis iam plerique illius prouinciæ Proceres, ad *Huſſitarum* inſaniam defeciſſent.

Sigiſmundus Imp. Alberto Auſtriæ Duci Morauiam donat.

Ex terris *Ruſſiæ Wladiſlaus Poloniæ* Rex in *Cracouienſem* terram reuerſus, feſtum *S. Martini*, & dies plures ſubſequentes, apud *Niepolomicze* abſumpſit, & de conſilio Prælatorum & Baronum Regni ſui tunc habito, coniugem ſuam *Zophiam* Reginam, ſolenni coronatione coronandam decreuit, diemque coronationis Dominicam, *Eſto mihi*, conſtituit. Ac ad inuitandum *Sigiſmundum Romanorum* & *Hungariæ* Regem, *Zauiſſium nigrum* de *Garbow* militem Capitaneum *Scepuſienſem*; ad inuitandum vero *Ericum Daniæ* Regem; cum eorum Prælatis, Principibus, conſiliariisque, *Sbigneum* de *Alto monte* Caſtellanum *Roſpergenſem*, cæterosque milites Regni *Poloniæ*, pro aliis Principibus vicinis, pro ſolennitate coronationis præfatæ transmiſit. Prouidens ſummo ſtudio, ſummaque cura, vt *Cracouiam*, pro die coronationis, omnium victualium & commeatuum ex Regno *Poloniæ*, ſumma & referta abundantia inueheretur. Ex *Niepolomicze* Rex per *nouam Ciuitatem, Sandomiriam, Lublin*, tranſitum faciens, in *Lithuaniam* deſcendit, & illic tempus hyemis egit, ferarum tantummodo venationi deditus & intentus quæ pro coronationis futuræ celebritate in ſingulos inuitatos hoſpites & aduenas poſſent ſufficere.

Coronandæ Zophiæ Reginæ dies indicitur, Regesque & Principes varii accerſuntur

Bregenſis & *Legnicenſis* Dux *Ludouicus*, ardorem & religionem fidei ac religionis ſuæ in Deum monſtraturus, in die Sanctorum *Felicis* & *Aucti*, domum & ordinem Carthuſianorum, in nemore, prope oppidum ſuum *Legnicza*, ad fluenta fluuii *Kaczbath* fundat. Et tam Eccleſia, quam monaſterio, & cellis, atque officinis eius ex muro ædificatis & erectis, Ducali largitione, villis, cenſibus, atque prædiis, illud dotat. Primarius inter *Poloniæ* Principes habitus, cui tam inſigni officio contigit defungi, & ſub Regni *Poloniæ* terminis, monaſterium primum Carthuſienſe in *Polonica* Eccleſia fundare.

1424 Natali Domini noſtri, & numero dierum ſubſequentium, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, apud *Grodno* acto, in *Poloniam*, propter coronationis negotia, celerius ſolito, regredi inſtituit. Et licet pro ſolennitate coronationis præfatæ, fratrem ſuum *Alexandrum* Ducem magnum *Lithuaniæ*, frequentius inuitauerit, ex cauſis tamen multiplicibus, & quorum præcipua magis ea erat, quod iam *Zophiæ* Reginæ infenſus, tam graui in illam odio graſſabatur, vt & honorem, ſibi per coronationem impendendum, parum grato animo ſe monſtrabat laturum, venire recuſauit. De *Lithuania Wladiſlaus* Rex egreſſus, venit *Iedlnam*, & exinde per *Ilzam, Caluum montem, Viſliciam, Cracouiam* peruenit, rebus & ſolennitati futuræ coronationis prouiſurus. Certus iam de *Sigiſmundi Romanorum* & *Hungariæ* Regis, & aliorum Principum inuitatorum aduentu. Iam & *Ericus Daniæ* Rex in pulcherrimo apparatu, ſingula vtenſilia, & vaſa in vſum & adminiſtrationem menſæ neceſſaria habens aurea, non petita ſecuritate, ſed cum omni fiducia, *Poſnaniam* primum, ſtatim feſto Natiuitatis Domini elapſo, aduenerat, & per notabiles *Poloniæ* Barones, iuſſu & ordinatione *Poloniæ* Regis *Wladiſlai* deputatos, exceptus, & *Cracouiam* deductus erat; ex *Cracouia* quoque in *Hungariam* deſcenderat. Et viſitato *Sigiſmundo Romanorum* & *Hungariæ* Rege, in *Poloniam* rurſus redierat. Cui ex *Hungaria* reuertenti, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex in villagio *Brzeznicza* prope *Bochnyam* occurrit, & ipſum humaniſſime excipiens & honorans, *Cracouiam* vſque deduxit. *Sigiſmundus Romanorum* & *Hungariæ* Rex, alterius vir ingenii, longo tempore venire cunctatus eſt, grauemque ſibi ſaluum conductum perſonalem & literalem mitti expetebat. Geſturus illi *Wladiſlaus Poloniæ* Rex morem, *Ericum Daniæ Regem, Sbigneum Cracouienſem* Epiſcopum, & *Sbigneum* de *Brzezie* Regni *Poloniæ* Marſchalcum, tranſmittit. Qui cum illi in villa antiqua poſt *Schramowicze*, feria quarta ante Dominicam *Eſto mihi*, occurriſſent; *Ericus Daniæ* Rex ſic ad *Sigiſmundum* Regem locutus eſt: *Et pro meo in te, Sereniſſime Rex, officio, & pro Illuſtriſſimi Wladiſlai Poloniæ Regis deſiderio, ſpontaneus, cum duobus præfati Regis Nunciis, adueni, viuam ſecuritatem tibi præſtiturus, quatenus nos liberos aut vinctos in Regno tuo Hungariæ detineas, donec ſoſpes & incolumis ex Polonia reuertaris.* *Sigiſmundus* Rex ea locutione tam ſubmiſſa audita, reſpondet; *Tam notabili ſecuritate nunquam ſe eguiſſe, & de Wladiſlai Poloniæ Regis fide, nihil ſe vnquam veritum, Cracouiam ſine quolibet ſaluo conductu venire velle.* Feria quinta, ambo Reges, *Romanorum* videlicet & *Daniæ*, ſed & *Barbara Romanorum* Regina in oppidum *Nouitarg* ad prandium & ad noctem perueniunt. Feria ſexta inde egreſſi, procedunt in *Miſlinicze*, vbi illos *Wladiſlaus Poloniæ* Rex in campeſtribus excipiens, & humaniſſi- 1424

Ericus Daniæ Rex,

Sigiſmundus Imp.

1423 niſſime inuitans, in *Miſlinicze* deduxit. Sabbato omnes tres Reges in multitudine graui & apparatu nobiliſſimo, ex *Miſlinicze* egreſſi, *Wyeliczkam* perueniunt: factoque ad vnam tabulam prandio in ſala zupparum ſuperior, *Cracouiam* die eodem, qui mitem & placidam auram dabat, ingrediuntur. Occurrebant autem Regibus Prælati, Barones, & Principes diuerſi, qui non ſolum ex *Poloniæ* Regno & eius Dominiis, ſed etiam ex remotis oris & Regnis rogati, aduenerant, & ſinguli per turmas & exercitus, turbas, & cuneos, in ſplendore inſigni, quiſque iuxta facultates ſuas, diuiſi, ducebant. Sed & matronæ virgineſque nobiles, in vehiculis & curribus fulgentibus deauratis, faciebant occurſum. Exceperat etiam Reges ſuo occurſu *Brandæ*, tituli Sancti *Clementis* Preſbyter, Cardinalis *Placentinus*, a *Martino* quinto Papa in ſolennitatem coronationis præfatæ miſſus, item *Sigiſmundus* Dux *Coributh*, in equorum quingentorum numero Reges excipiens. *Zophia* deinde *Poloniæ* Regina in *Monte Laſzotino* tapetiis conſtrato *Sigiſmundum Romanorum* & *Hungariæ* Regem, eiuſque conſortem *Barbaram* excepit. Et inuitatione expleta, Reginam *Barbaram* in vehiculum ſuum, miro ornatu ſuperbum, aſſumpſit, & vſque in *Cracouienſem* arcem ac thalamum, pro *Sigiſmundo* Rege præparatum, cubiculum videlicet pictum, conduxit. *Erico* Regi caminata ſuperior conſignata, quæ ex illo tempore vocabulum ab hoſpite ſortita, cubiculum Regis *Daniæ* nominatur.

Branda Legatus Apoſtolicus

Cracouiam veniunt.

Coronatio Reginæ peragitur,

Die Dominico, *Eſto mihi*, quæ fuit duodecima menſis Februarii, in Sancti *Stanislai* *Cracouienſis* Eccleſia maiori, in eiuſdem Eccleſiæ medio, ad *S. Stanislai* ſepulchrum, coronatio *Sophiæ* Reginæ agi cœpta eſt. Et tribus Regibus præfatis in copioſa multitudine Principum & Baronum nobiliſſimoque & fulgenti apparatu conſedentibus, præfata *Zophia* per *Albertum Iaſtrzambiecz Gneſnenſem* Archiepiſcopum, voce ſonora miſſarum ſolennia celebrantem, in *Poloniæ* Reginam coronata & vncta eſt: inſpectantibus & præſentibus, *Branda* Cardinali *Placentino*, Apoſtolicæ Sedis apud Regnum *Poloniæ* Legato, *Ioanne* Archiepiſcopo *Leopolienſi*, *Sbigneo Cracouienſi*, *Andrea Poſnanienſi*, *Ioanne* de *Valdow Lubucenſi*, Epiſcopis; *Iuliano* de *Caſarinis* Cameræ Apoſtolicæ Auditore. Coronatione expleta; omnes tres Reges in ſtuba apud *Laskowiecz*, apud vnam tabulam epulati. Et *Sigiſmundo Romanorum* & *Hungariæ* Rege conſedente in medio, *Wladislaus Poloniæ* Rex dextrum, *Ericus Daniæ* Rex læuum latus, ambiebant. Proximus *Wladislao Poloniæ* Regi fuit *Branda Placentinus* Cardinalis, deinde cæteri Pontifices, iuxta ordines ſuos, ad dexteram locati, læua Secularibus Principibus ceſſerat. Prandio opipare & ſplendide inſtructo, finito, choreæ in noctis partem maiorem protenſæ ſunt. 1424

Reges & Principes magnifice a Wladislao,

Feria ſecunda, tertia, quarta, quinta, ſexta, certaminibus haſtiludiorum dies, choreis vero noctes abſumebantur. Feria ſexta ante Dominicam *Inuocauit*, *Zauiſſius niger* de *Garbow*, ſuæ ætatis temporibus, in Chriſtianitate miles nulli ſecundus, omnes tres Reges, *Romanorum* videlicet, *Poloniæ*, & *Daniæ*, item *Brandam* Cardinalem *Placentinum*, & omnes Principes, Eccleſiaſticos & Seculares, ad prandium inuitat, & in domo diuitis *Bohemi*, in platea Sancti *Ioannis* ſita, inuitatos locat, eoſque delicioſis tractat epulis. Aderant coronationi præfatæ varii Principes, videlicet *Ludouicus Bauariæ* Dux, frater germanus Reginæ *Franciæ*. Qui etſi non fuerit inuitatus, ſola tamen futuræ ſolennitatis fama pellectus, audiens *Polonorum* celebrem & ſonoram famam, aduenerat. Ferturque, viſa ſe huiuſmodi coronatione, & eius apparatibus atque pompa, multiplicato ſermone dixiſſe; *maiora multo ſe hauſiſſe oculis quam auribus.* Item *Semouitus*, *Wladislaus*, *Caſimirus*, *Troydenus*, germani *Maſouiæ* Duces. Item *Bernardus Oppolienſis*, *Boleslaus Theſchnenſis*, *Iannſſius Rathborienſis*, *Caſimirus Oſwiacimenſis*, *Venceslaus Opauienſis*, *Conradus niger* & *Conradus albus Coſtenſes*, *Venceslaus Zeganenſis*, Duces. Item *Lithuaniæ* & *Ruſſiæ* Principes plurimi. Item duo Commendatores, *Elbingenſis* & *Thorunenſis*, nomine *Pauli* de *Ruzdorff* Magiſtri *Pruſſiæ* miſſi.

poſtea ipſe Wladislaus cum duobus Regibus a Zauiſſio nigro de Garbow magnifice tractatur.

Intra dies quibus Reges apud *Cracouiam* immorabantur, fiebant continui & ſecreti per Reges, eorumque Conſiliarios, ſuper rebus variis, & ſignanter pace Regnorum tractatus. Item de hæreticorum *Huſſitarum*, quorum inualeſcebat virus, exterminio. Quas res *Branda* Cardinalis *Placentinus*, nomine Summi Pontificis, feruide & inſtanter ſollicitabat. Vt autem vtriuſque rei facilior, ſolidior, atque compendioſior proueniret conſumatio, duo Reges, videlicet *Romanorum* & *Daniæ*, maximis ſupplicationibus tertium, *Wladislaum* videlicet *Poloniæ* Regem, conueniunt, *quatenus affinitatem cum illis iungat, & Duci Stolpenſi Boguslao, ſtricto ſanguine Sigiſmundo Romanorum Regi iuncto, Regis vero Daniæ nepoti germano, filiam ſuam Hedwigim deſponſet in conſortem, prima deſponſatione filio Frederici Marchionis Brandeburgenſis, abrogata.* Offerebant autem ambo Reges, ſi huiuſmodi affinitas procederet, pro Regno *Poloniæ* multa, repromittebantque maiora. Inter quæ terrarum certarum Regno *Poloniæ* vicinarum, quarum ipſe *Stolpenſis* Dux hæres fuerat, perpetuam inuiſcerationem. Alliciebant, contrahebantque pro intentione ſua Prælatos & Barones *Poloniæ* munificis largitionibus & promiſſis. Quapropter & ſchiſma euidens inter Conſiliarios Regni

Wladislaus Rex

ſponſalia cum Friderico Brandeburgenſi Marchione inita

1424 gni *Poloniæ* exoriebatur, probantibus nonnullis, vt priori fœdere cum Marchione *Brandeburgenſi* inito, quod pollicitationem ſuam violauit, diſrupto, preces duorum Regum audirentur, & affinitas magnas commoditates ſecum allatura, cum illis iungeretur. Sanior tamen & maior Conſiliariorum pars, variationem & leuitatem huiusmodi abhorrens, non poterat in eam ſententiam trahi; pro comperto habens, *Alexandrum* quoque *Withawdum*, Ducem magnum, apud quem tunc iunior *Fredericus*, filius Marchionis morabatur, in rupturam fœderis non conſenſurum. Ne tamen ſimplici & nuda denegatione duorum Regum & hoſpitum ſolicitas interpellationes repudiatum iri contingeret, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, rei negotium in *Alexandrum Withawdum* refundit, aſſerens *ſe*, *ſine illius conſenſu & conſilio*, *in rebus magnæ importantiæ*, *qualem illam conſtabat*, *non ſolitum quicquam ſtatuere*. Suadetque poſtremo, *vt Oratores ſuos Reges ad illum mittant*, ſpondens *ſe in illius ordinatione & voluntate futurum*. Læti ambo Reges eo reſponſo, extemplo de *Cracouia* notabilem legationem ad *Alexandrum* in *Lithuaniam* transmittunt: rati precibus illum pro ſuo voto inclinaturos. Sed & *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, a Regibus prædictis rogatus, ſuos & ipſe notabiles Nuncios videlicet *Sbigneum Cracouienſem* Epiſcopum, *Ioannem Schafraniecz* Regni *Poloniæ* Cancellarium, & *Sbigneum* de *Brzezie* Regni *Poloniæ* Marſchalcum in *Lithuaniam* mittit, ſuam & Conſiliariorum Regni *Poloniæ*, diſpoſitionem *Alexandro Withawdo* explicaturos. Quamuis autem maiori & ſaniori parti conſiliariorum Regni *Poloniæ* acceſſio terræ *Stolpenſis*, *Poloniæ* Regnum reintegrans, vrbesque illius magnæ & opulentæ, Epiſcopatus inſuper *Camenenſis*, ad *Gneſnenſem* Metropolim, a qua abſtractus fuerat, reuniendus, magni res commodi, ſecuta affinitate cum Duce *Stolpenſi*, videbatur, tamen tanta neceſſitate vtilitateque fides attendebatur præſtantior.

ſuaſu Withawdi non abrogat.

Quindecim diebus Reges apud *Cracouiam* commorati, firmata inter ſe amicitia verbis & pollicitationibus ampliſſimis diſgrediuntur. *Wladiſlaus*, ſiquidem *Poloniæ* Rex, a *Sigiſmundo Romanorum* & *Hungariæ* Rege rogatus, ſuffragium ſe contra *Bohemos Huſſitas*, in æſtate futura, cum quinque millibus equeſtrium repromiſit laturum. Vtrumque deinde Regem, vaſis & clenodiis aureis & argenteis, equis, veſtibus, pellibus magnifice honoratum, vſque in *nouam Sandecz* eſt comitatus; vnde, inter ſe dextris & oſculis iunctis, diſcedunt. Et *Sigiſmundus* quidem *Romanorum* & *Hungariæ* Rex, ſimul cum *Erico Daniæ* Rege in *Hungariam* profecti ſunt; ex qua *Daniæ* Rex vice altera *Hieroſolymam* adiit. *Wladiſlaus* vero *Poloniæ* Rex *Cracouiam* rediens, exercitum in auxilium *Sigiſmundi* Regis in *Bohemiam* mittendum congregat. Et comparatis quinque millibus electarum gentium ex *Polonis*, *Petro Myedzwiedzki* illis in Capitaneum præfecto, illas in *Olomunyecz* ad diem conſtitutam, feſtum videlicet Pentecoſtes futurum, tranſmittit.

Wladiſlaus Reges a ſe dimittit.

Ex *Cracouia*, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex egreſſus, pro die Annunciationis *S. Mariæ Viſliciam* venit. Vbi *Bohemorum* Nunciis ſupplicantibus, *quatenus illis Ducem Sigiſmundum Coributh gentium robore adiutum per eos in Regem aſſumendum tranſmitteret*, reſpondit: *Neque Ducem Sigiſmundum Coributh miſſurum*, *neque ſuffragia aliqua ſe illis laturum*, *donec relictis peſtiferis erroribus*, *& fidem Catholicam*, *& vnicum Summum Pontificem profiteantur & recognoſcant*, *abnuentes id*, *non ſecus quam fidei & religionis Chriſtianæ hoſtes perſecuturum*, *& auxilia in gentibus Sigiſmundo Romanorum Regi pro illorum exterminio laturum*. Tunc inſuper quendam *Bohemorum* Sacerdotem, Sectam *Bohemicam* in Curia Regali *Viſlicienſi* prædicantem & extollentem, ad inſtantem exhortationem *Sbignei Cracouienſis* Epiſcopi, ſectam nefariam conſtanter perſequentis, ſuadentisque Regi, *ne in Curia ſua*, *qui Rex Catholicus & deuotus Romanæ Eccleſiæ erat*, *hæreſis publice ſerere*, *fœdam ex inde ſui nominis labem incurſurus*, *permitteret*, deiici ex loco, in quo prædicare audebat, & captiuari iuſſit. Sed & ipſe *Sbigneus Cracouienſis* Epiſcopus, illico ob præſentiam *Bohemorum*, Eccleſiaſticum mandatum & interdictum ſeruari iuſſit. Ex *Wiſlicia*, *Wladiſlaus* Rex in partes *maioris Poloniæ*, per *Zarnowiecz*, *Krzepicze*, *Wielun*, & Paſcha Domini apud *Caliſch* celebrato, feria tertia in die Sancti *Iacobi* in *Coſten*, pro feſto verò Sancti *Laurentii*, *Lanciciam* diuertit.

Legatis Bohemorum Wladiſlaus auxilia renuit.

Sacerdos Bohemicus hæreticus in carcerem conijcitur.

Feria quarta ante feſtum Paſchæ, Legati *Sigiſmundi Romanorum & Hungariæ Regis*, videlicet *Corbarienſis* Epiſcopus, *Theodoricus* de *Brzozowicze* miles, & *Bartholdus* Doctor Legum; item *Erici Daniæ* Regis vnus Archiepiſcopus, & duo milites: item *Wladiſlai Poloniæ* Regis *Sbigneus Cracouienſis* Epiſcopus, Cancellarius, & Marſchalcus, in *Grodno* ad *Alexandrum Withawdum* Ducem magnum *Lithuaniæ* perueniunt: & in die ſequenti, feria videlicet quinta, data audientia, primum quidem Nuncii *Sigiſmundi Romanorum* Regis, deinde *Erici Daniæ* Regis, Legationem eis commiſſam explicaturi, oratione longa & diſerta, Ducem *Stolpenſem Boguslaum*, de excellentia virtutum & generis, de præſtantia formæ, de multitudine opum, de amplitudine Principatuum, multipliciter commendatum, petebant, *neptem ſuam Heduigim*, *Regis Wladiſlai filiam*, *virginem*, *matrimonio illi conſociare dignaretur*, *in Regni Poloniæ & Ducatus Lithuaniæ amplitudinem & profectum*.

Nuncii Regum ad Alexandrum perueniunt.

Nuncii *Wladiſlai Polonorum* Regis propoſitorum commemoratione per organum *Sbignei Cracouienſis* Epiſcopi habita, rogabant,

Alexander Withawdas

1424 bant, *vt poſtquam duos Reges, notabilibus Nunciis iungi ſecum affinitatem, & filiam Regiam, ſuam vero neptem, virginem Heduigim, Duci Stolpenſi Boguſlao, dari in conſortem expeterent, dignaretur velut frater Regis, & patruus virginis, quid facto opus eſſet, conſulere, & ſi affinitas ipſa, priore, cum Brandeburgenſi Marchione celebrata abiecta, ineunda foret. Alexander* autem *Withawdus*, trium Regum Nunciis, apud ſe in omnium rerum abundantia, per dies octo retentis, nono demum die illos, ſine aliquo certo reſponſo, muneribus muneratos remiſit, promittens deliberatione habita, *ſe ſuā intentionem, Wladiſlao Poloniæ Regi, proprijs Nunciis remiſſurum.* Eam autem dilationem, idem ſcitus eſt *Alexander Withawdus* interpoſuiſſe, vt interim ex tempore captare poſſet conſilium alterius affinitatis probandæ. Licet quoque & ipſe ad contrahendum cum duobus Regibus, & Duce *Stolpenſi*, affinitatem, tam ſolenni ſupplicatione apud eum per Legatos Regum habita, conſiliis inſuper & perſuaſionibus *Wladiſlai Poloniæ* Regis motus, animum inclinaſſet, Ducis tamen *Sigiſmundi Coributh*, contra Regis *Poloniæ Wladiſlai*, & ſuam prohibitionem, clandeſtinus in *Bohemiam* tranſitus, paullulum poſt ſecutus, auertit illum a conſumanda cum Regibus & Duce *Stolpenſi* affinitate. Quapropter miſſis in *Poloniam* Nunciis, *Wladiſlao Poloniæ* Regi ſuadet, *pacta Marchioni Brandeburgenſi promiſſa, negligenda non eſſe.* Iuxta quam deliberationem res acta eſt, & *Stolpenſi* Duci Marchio *Brandeburgenſis* præpoſitus. Præſertim cum & *Martinus* quintus Papa ne affinitas cum Marchione prædicta diſſolutionem acciperet, viſcerosis literis intercedebat. Quarum tenor ſequitur talis. *Martinus Epiſcopus, Seruus Seruorum Dei. Chariſſimo in Chriſto filio, Wladiſlao Poloniæ Regi Illuſtri, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Commendandum eſt nuptiale bonum in Chriſtianis hominibus, quod ad licitam propagationem humani generis, & confirmationem vniuerſam Dominus ordinauit. Sed illæ ſunt nuptiæ magis exoptandæ, ex quibus, præter illam communem omnibus vtilitatem, alia quædam magna bona proueniunt, Regnis & populis; quales ſunt nuptiæ, quæ celebrantur inter illuſtres, a quibus pendet multarum gentium pax & ſalus. Cum itaque iamdudum ſenſerimus te, dilectam in Chriſto filiam noſtram, natam tuam Heduigim deſpondiſſe in vxorem dilecto filio, Nobili adoleſcenti Frederico, nato dilecti filii Nobilis heri, Frederici Marchionis Brandeburgenſis, eamq; perſonaliter conſtitutā in conſpectu Serenitatis tuæ, aſſiſtente notabili congregatione, Prælatorum, Baronum & militum Regni tui, per verba de præſenti conſenſiſſe, & acceptaſſe in maritum ſuum legitimum, præfatum Fredericum ipſius Marchionis natū; eodē Frederico Marchione etiam ſimiliter, acceptante in vxorem legitimam, vice & nomine filii ſui prædicti. Et*

reiecto reſponſo in aliud tempus

ſuadet, fidem Marchioni Brandeburgenſi ſeruandam eſſe,

quod etiam Papa literis ſuis flagitat

cum hoc matrimonium videremus vtrique parti honorificum, ac multis gentibus fore ſaluta- 1424
A *re, lætati ſumus in Domino, & continuo gratulati ſublimitati tuæ, exiſtimantes te prudenter conſuluiſſe & prouidiſſe quieti Senectutis tuæ, & ſtatui filiæ tuæ, ac paci perpetuæ Regni tui, Etenim cum propter magnitudinem & excellentiam tuam, haberes facultatem ex omnibus Regibus & Principibus Chriſtianis generum eligendi, illum accepiſti potius, quem, iuſtis ex cauſis, exiſtimare potes tibi obſequentiſſimum filium & filiæ tuæ amantiſſimum virum eſſe futurum, eumque ideo nutriendum & erudiendum, ſub tuam diſciplinam Regiam ſuſcepiſti. Et hoc etiam matrimonio declaraſti benignitatem voluntatis tuæ erga Almanum ſanguinem, apud*
B *quem tam charum & dulce pignus collocare voluiſti. Nos quoque cum noſtra proſapia de Columna ex qua carnaliter nati ſumus, obſtrinxiſti affinitatis vinculo. Nam, ſicut ab antiquis accepimus, qui priſcam originem noſtram per manus traditam, ab antiquioribus retulerunt, noſtra de Columna Romana, & præſentium Burgrabiorum Norembergenſium Domus, quæ etiam Romana fuiſſe dicitur, ab eodem ſtipite deriuatæ ſunt. Ex quo cum eſſemus antea Serenitati tuæ affecti, propter merita & officia tua in populum Chriſtianum, eſſe nunc debemus & erimus, accedente vinculo affinitatis, cum excellentia tua magis coniuncti, & ad honorem*
C *Celſitudini tuæ exhibendum inclinati; qui ſimul cum Brandeburgenſi, noſtram quoque proſapiam, illuſtribus & Regalibus nuptiis honoraſti. Quare fili chariſſime, etſi nullatenus dubitamus de conſtantia & fide tua, & huius matrimonii firmitate; tamen quia illud habemus cordi, & ex eo iudicamus plurima & magna bona eſſe ſecutura, libenter te in hoc laudabili propoſito, noſtris literis confirmamus. Rogantes excellentiam tuam, vt modis omnibus atque ſignis quibus honeſte potes, mundo declares hanc tuam immutabilem voluntatem, ita, vt nulli dubium ſit, quin matrimonium iſtud debeat, annuente Domino feliciter confici & conſumari. Datum Romæ apud Sanctos Apoſtolos, quinto Calendas Iunii, Pontificatus noſtri anno ſeptimo.*

D Eodem tempore, *Ericus Daniæ* Rex, & infans *Petrus* Regis *Portugaliæ* germanus. *Sigiſmundum Romanorum* & *Hungariæ* Regem accedentes, copias eius ſuis auxiliis auxere. Ob quam rem *Luthembergum Morauiæ* oppidum obſeſſum eſt, & tribus menſibus continuata obſidio. Erat apud *Ziſchkam* ſacerdos *Procopius*, poſtea ob res geſtas, magni nomen ſortitus, *Ioannis* cognomento *Voda* ex ſorore nepos, ac ab eo in filium, quod ſobole careret, adoptatus; *Ziſcæ* vero, quod robuſtus & manu promptus, nulliuſque fugax laboris eſſet, plurimum charus, cui prouinciæ *Morauiæ* defenſio commiſſa eſt. Qui non parua militum manu accepta, inuitis obſidentibus, commeatus ad obſeſſus importauit, irritamque obſidionem

Procopius ſacerdos Luthemburgum obſidione liberat,

1424 nem *Sigiſmundi* fecit. Obſidet poſthæc *Ziſchka*, *Pragenſium* auxilio fretus, *Auſchkam* oppidum, in fide & ditione *Frederici* Marchionis A *Miſſnenſis* conſiſtens. Obſeſſis autem *Fridericus* Marchio auxilium laturus, collecto ex propriis & auxiliariis forti exercitu, prælium ante vrbem commiſit. Anceps diu tenebatur pugna, cum fortiſſimi hinc atque illinc caderent. Ad extremum cæca fortuna, Ducem cæcum ſecuta, penes hæreticos fuit. Nouem millia ea pugna ex fidelibus cæſa. *Auſchka* capta, & funditus deleta. Elatus ea felicitate *Ziſchka*, inſolentior in dies, nobilibus infenſus eſſe, ciuitatibus grauia imperare tributa cœpit. Ob quas res *Pragenſes*, Baronum obtento auxilio, aduerſus eum copias eduxere. Verum ille imparem ſe videns, ad montes confugit. Et in anguſtiis locorum certamine commiſſo, tria millia *Pragenſium* cecidit, reliquos in fugam vertit. Nec moratus, *Cuthnam* a *Pragenſibus* inſtauratam, iterum cepit, atque incendit. Mox ſucceſſu rerum tumens, infeſtis ſignis *Pragam* petiit, & obſidere vrbem de propinquo cœpit. Erant & in ciuitate, & in exercitu quam plurimi, qui hoc diſſidium deteſtabantur, & alii *Ziſchkam*, alii *Pragenſes* accuſabant, in caſtriſque res ad ſeditionem ſpectabat: dicente milite, indignum eſſe eam vrbem armis premi, quæ caput Regni eſſet, neque de religione ſecum diſſentiret, caſurum breui *Bohemorum* potentiam, ſi diuiſio irrepſerit. Quod *Ziſchka* accipiens, apud multitudinem ita concionatus eſt: *Acerbo inquit animo criminationes veſtras exaudiam, qui vobis meis* C *periculis ſalutem peperi, qui veſtri cauſa vtrumque lumen amiſi, qui vos ex omni loco victores reduxi. Nec mihi labor durus eſt, nec cæcitas, niſi quod rei veſtræ optime conſulere nequeo. Non meum Pragenſes ſanguinem, ſed veſtrum ſitiunt; nec meas ſed veſtras manus timent, qui dum mihi parant inſidias, animas veſtras expetunt. Pragam expugnare, ſeditioſoſque ciues exterminare, ſi victores eſſe velitis, oportet. Liberam tamen & vobis, ne me accuſare poſſitis, & pacis, dummodo inſidiæ abſint, & belli, facio poteſtatem, vtriuſque adiutor ero.* Quibus auditis, mutati militum animi, bellum decreuere. Quod ne in excidium vrbis amplius ſerperet, Sacerdos quidam, *Ioannes* nomine, ex D *Rokiczana* oppido ortus, indeque nomen ſortitus, obſcuris parentibus, & tenuiſſimo cenſu; verum ingenio & lingua promptus, *Iacobelli* quondam Auditor, permiſſu ciuium, in caſtra profectus ciuitati *Ziſchkam* reconciliauit. *Sigiſmundus* autem *Romanorum* & *Hungariæ* Rex, vbi *Ziſchkam* proſperatum, & res *Bohemicas* ex eo pendere animaduertit, clam ſibi eum conciliare tentauit, gubernationem ſibi totius Regni, militiæ quoque Ducatum, & ingens auri pondus, quotannis promittens, ſi ſe Regem nominaret, & in verba ſua ciuitates iurare cogeret. Monſtruoſum profecto facinus, vt *Romanorum* Imperator, quem omnis *Europa* venerata eſt, ſeni cæco, nebuloni, hæretico, ſacrilego ſupplex fieret, pecuniamque & ſummos honores offerret. Sed auertit Diuina pietas eam peſtem, fidelium ſuorum miſerata. *Ziſchka* enim conditionibus annuens, dum conuenta completurus, *Sigiſmundum* petit, inter eundum ad caſtellum *Priſſouiam*, peſte tactus expirat, cum ægrotaret, interrogatus, vbi ſepeliri vellet, fertur iuſſiſſe, cadaueri ſuo pellem adimiri, carnes volucribus ac feris obiectari, ex pelle tympanum fieri, eoque Duce bella geri, arrepturos fugam hoſtes, quamprimum eius tympani ſonum audirent, aſtruens. *Ziſchka* mortuo, cui *Thaborienſes* ſacra agunt quotannis, mœror ingens exercitum inuaſit. B Duæ quoque factiones exortæ altera *Procopium* magnum, Ducem fecit: altera, ſceleſtis paucis, inter quos *Procopius* minor, potior habitus eſt, qui communi conſilio bellum adminiſtrarent, ſeſe orphanos appellauere. Qui etſi quandoque inter ſe diſſentirent, vbi tamen extrinſecus vis ingruit, iunctis viribus cum hoſtibus congrediuntur. 1424

Ziſchka cæſo Marchionis Miſnenſis exercitu

Aukſcham

& Cuthnam oppida capit,

Pragenſes proſligat, Pragam obſidet.

Tandem Imperatori turpiſſimis conditionibus conciliatus peſte moritur.

Dux *Sigiſmundus Coributh Bohemorum* vanis promiſſionibus illectus, redire in *Bohemiam*, *Wladislai Poloniæ* Regis, & Conſiliariorum, ſpreta prohibitione, in animum induxit, ſperans ſe *Bohemiæ* Regnum facili negotio obtenturum. Die itaque Pentecoſtes, collecta numeroſa *Polonorum* colluuie, qui aut ſua patrimonia profuderant, aut iudiciis damnati, aut ære alieno grauati erant, in *Bohemiam* ire pergit. Et tum demum communionem vtriuſque ſpeciei, quam alias hæreticam credebat, quo facilius ad Regni *Bohemiæ* gubernacula pertingeret, & per ſe, & per ſuos practicare cœpit, & *Bohemorum* peſtiferis fauere erroribus. Ex qua re, & *Bohemis* peſte hæretica infectis, pertinacia & robur; *Wladislao* vero *Polonorum* Regi, & ſuo Regno vehemens ſuſpicio & ſugillatio, tam apud Summum Pontificem, quam apud nonnullos Catholicos Reges & Principes acceſſit. Quam *Wladislaus* Rex frequentibus Nunciis & literis, extenuare & purgare non deſtitit. Ex pectore quoque *Sigiſmundi Romanorum* & *Hungariæ* Regis, illam depulſurus, promiſſum quinque millium armatorum exercitum, ducente illum *Petro Myedzwiedzki*, & *Henrico* de *Rogow* Vicetheſaurario Regni *Poloniæ* illi miniſtrante neceſſaria, pro die & loco, de quibus inter Reges conuenerat, tranſmittit. Facit autem exercitus ipſe tranſitum, per *Oſſzwiączim*, *Rathibor*, *Oppauiam*, *Tarnauiam*. Et *Morauiam* ingreſſus, verſus *Olomuncz*, locum a *Sigiſmundo* Rege deſtinatum, proceſſit: ab omni parte & latere hoſtilium ciuitatum, perferendo & reprimendo vexationem. Dum autem ad *Olomuncz* perueniſſet, Dux *Auſtriæ Albertus Sigiſmundi* Regis gener, qui bellum gerendum contra *Bohemos* hæreticos & re-

Coributho cū colluvie Polonorum, inſcio Wladiſlao, Bohemiam ingreſſo,

Wladislaus ſuſpicionem purgaturus, 5000. equitum Sigiſmundi mittit.

1424

rebelles ſuſceperat, & pro eodem tempore in *Olomuncz*, cum *Auſtralium*, *Hungarorum*, & *Teutonicorum* gente degebat, non permiſit, vt *Polonicus* exercitus ciuitatem *Olomuncenſem* ingrederetur, cum ne inter ſuos & *Polonos* exoriretur ſeditio, tum, quod verebatur, ne *Polonicus* exercitus fraudem & dolum ſibi & ſuis moliretur, ſubſidium huiuſmodi, propter Ducis *Sigiſmundi Coributh*, & *Polonorum* in *Bohemiam* tranſitum, habens ſuſpectum. Propter quod *Polonicus* exercitus ante *Olomuncz* diebus quindecim in campeſtribus ſubſiſtens, veritus, ne hoſtium robore aliquando occupatus, opprimeretur, & incertus, an ex *Olomuncz* ſibi Dux *Albertus* laturus foret auxilium, inde diſcedens, in *Poloniam* incolumis rediit. *Poloniæ* Rex *Wladislaus*, plures *Polonos*, contra ſuam prohibitionem, cum *Sigiſmundo Coributh*, Duce in *Bohemiam* progreſſos, confiſcatione bonorum effectuali, ſi extabant, ſin minus, perpetuo exilio atque bannitione damnauit.

Qui Olomunciā non intromiſſi,

redeunt in Poloniam

Wladislao Regi naſcitur filius.

Maioris Poloniæ terris, *Wladislaus Poloniæ* Rex, peragratis, in terras *Cracouienſes* rediit, deinde in terras *Ruſſiæ* proceſſit. Quo illic agente filius illi primogenitus, ex *Zophia Poloniæ* Regina, die Martis, vltima Octobris, in vigilia Sanctorum omnium, *Cracouiæ* natus eſt. Quæ nouitas *Wladislao* Regi apud *Przemiſl* nunciata, magnam illi & omni populo ſuo attulit iucunditatem. Quapropter poſt nouum huiuſmodi ſibi denunciatum, ex Eccleſia non diſceſſit, ſed orationibus vacans & lachrymis, in gratiarum actionibus & piis operibus diem abſumpſit. Dilatus autem fuit baptiſmus filii prædicti in tempus ſatis longum. Interim enim *Wladislaus Poloniæ* Rex ad *Martinum* quintum Papam, Notarium ſuum *Martinum* de *Goworzino* Canonicum *Gneſnenſem*, ſignificando ſibi filii natiuitatem, & rogando, *vt dignaretur illum de ſacro fonte leuare & adoptare in filium*, tranſmittit. Qui nouitatem huiuſmodi, cum ſingulari excipiens gaudio, Nuncio Regis honorato rebus & beneficiis, ipſi etiam *Zophiæ* Reginæ munera in pannis axamenticis auro intextis, congratulando eius fœcunditati, deſtinauit, & *Sbigneum* Epiſcopum *Cracouienſem*, ad leuandum infantem Regium, ſuo nomine, per literas ſpeciales deputauit. Fecerunt idem, *Sigiſmundus Romanorum* Rex, Dux *Mediolani Philippus Maria*, Dux & Dominus *Venetorum Franciſcus Foſthari*, multique alii Orbis Principes. Adeoque felix, fauſta, famoſa, & omnibus qui audierant, grata fuit huiuſcemodi filii natiuitas, vt Dei prouidentiam multipliciter, & Regis ſenis fœcunditatem attollerent, & Nuncios Regios, natiuitatem filii denunciantes, munificis donis honorarent.

Ex *Ruſſiæ* terris, *Wladislaus Poloniæ* Rex in *Lithuaniam* proceſſit, & hyemis tempus venationibus intentus, deduxit, ſingulis neceſſariis ab *Alexandro Withawdo* procuratus: Confeſſoris autem ſui *Ioannis Chelmenſis* Epiſcopi Ordinis Prædicatorum, prece & perſuaſione inſtigatus, terram *Lublinenſem* amplam & notabilem abſtrahere, a *Cracouienſi* diœceſis, & *Chelmenſi* applicare, in oppidumque *Lublinenſe* Cathedram *Chelmenſem* transferre, conatus eſt. Vt conatibus ſuis firmitatem maiorem adiiceret, per *Nicolaum Laſoczki* Canonicum *Cracouienſem* Nuncium ſuum, obtinuit huiuſmodi abſtractionem apud *Martinum* quintum Papam confirmari. Qua iniuria, *Sbigneus Craconienſis* Epiſcopus, non ſecus quam par erat, commotus, magno animo conſurgit, & murum ſe, ne diœceſis ſua ſcinderetur, oppoſuit. Ac primum *Wladislaum* Regem orat, *vt ſi perſonam ſuam dignam execratione duceret, omiſſa Cracouienſis Eccleſiæ offenſa, in ipſum potius verteret iras, ſe ad ſanguinem & mortem defenſioni Eccleſiæ non defuturum. Dignaretur tamen prudenter attendere, Lublinenſem terram, a vetuſto tempore, & ſub præſentia B. Stanislai Epiſcopi Cracouienſis, ad diœceſim Cracouienſem pertinuiſſe, & in ea, ſuſcitato Petro trienne ab inferis, ad repellendum calumnioſam hæreditatis occupationem, in teſtem, ad Boleslai Regis tribunal adduxiſſe. Attenderet inſuper, quod ex Lithuania in Poloniam, Regnum Poloniæ ſuſcepturus, deſcendens, primum a Clero diœceſis Cracouienſis in Lublin exceptus ſit proceſſionis honore. In Eccleſia Cracouienſi fonte renatus baptiſmatis, & diademate ſacro ornatus, illic quoque ſepulturam foret excepturus; Caueret in eius Eccleſiæ iniuriam graſſari, a qua tot fuiſſet chariſmatibus inſignitus.* Coram Prælatorum deinde & Baronum multitudine, in conuentione generali *Siradienſi*, plurimum in Regem & præfatum *Ioannem* Epiſcopum *Chelmenſem* queſtus, eorum aſſiſtentiam & ſuffragia implorabat. Communi autem Conſiliariorum conſenſu, ſuffragium latum eſt, & literæ nomine omnium, Summo Pontifici, vt ſciſſuram huiuſmodi dignaretur reſcindere, ſcriptæ. Cauſa inſuper in Apoſtolico Conſiſtorio, contra *Ioannem* Epiſcopum *Chelmenſem* præfata, ſuper tam notabili offenſa, ad inſtantiam *Sbignei Cracouienſis* Epiſcopi, *Lucido* Cardinali de Comitibus, commiſſa. Sentiens autem *Wladislaus* Rex propoſito ſuo obicem fortem & durum obiectum eſſe, & intelligens rem non ſolum pernicioſi exempli, ſed ſeminarium variarum diſcordiarum & ſimultatum egiſſe; continuo, vt Princeps benignus & modeſtus, factum ſuum, ad quod parum ſano conductus fuerat conſilio, correxit & penitus reuocauit. Sed & ipſe *Ioannes Chelmenſis* Epiſcopus, & *Sbignei Cracouienſi* Epiſcopi, & totius Regni reſiſtentia deterritus, ceſſit a propoſito, & omni iuri, liti, & cauſæ renunciauit. Magna itaque

Lublinenſis diœceſis, ne ab Eccleſia Cracou. abſtracta Chelmenſi adiungeretur,

Sbigneus Epiſc. Cracov. depugnat.

1424 que *Sbignei* Epiſcopi *Cracouienſis* conſtantia & animoſitate ne *Cracouienſis* Eccleſia ſcinderetur, effectum & prouiſum eſt, decreto Apoſtolico ad inſtantiam Regiam obtento, abrogato. De quibus omnibus in ærario Eccleſiæ *Cracouienſis*, ſpecialia retinentur Priuilegia atque documenta.

Die Veneris, vigeſima ſexta Iunii, veſperarum hora Eclipſis in Sole notabilis per tres horas, a principio vſque in finem durauit.

Wladiſlaus Rex, filio ſuo Wladiſlao baptizato

1425 Celebrato die Natalis Domini apud *Vilnam*, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, aliquot inſuper ſeptimanis poſthæc in *Lithuania* commoratus in Regnum *Poloniæ* rediit. Pro diebusque Carniſpriuii *Cracouiam* aduenieus, die Dominico *Eſto mihi*, quæ fuit decima ſeptima Februarii, filium ſuum primogenitum in *Cracouienſi* Eccleſia per *Albertum Iaſtrzebiecz Gneſnenſem* Archiepiſcopum, *Sbigneum Cracouienſem*, & *Andream Poſnanienſem* Epiſcopos, baptiſari procurat, eique paternum ſuum nomen *Wladiſlaus* adaptat. Aderant huic baptiſmati, Papæ *Martini* quinti *Nicolaus* de *Glambociecz* Archidiaconus *Poſnanienſis*, & *Sigiſmundi Romanorum* & *Hungariæ* Regis *Clemens* Epiſcopus *Iawrienſis*, multorumque aliorum Regum & Principum, Oratores & Nuncii. Aderant Principes vicini, & *Pauli* de *Ruzdorff* Magiſtri *Pruſſiæ* duo Nuncii, *Martinus Kempnathen* magnus Commendator, & *Henricus Holdt*, Commendator *Elbingenſis*. Aderant Regni *Poloniæ* Prælati & Proceres, qui infantem, & eorum quorum nomine aduenerant & proprio, de fonte leuarunt. *Alexander Withawdus* magnus *Lithuaniæ* Dux de nouo nepote exultans, cunabulum argenteum, ponderis argenti centum marcarum infanti tranſmiſit. Celebris dies illa plurimum apud *Polonos* habita eſt, & in magna hilaritate traducta, quod ex Rege vniuerſis charo, hæredem maſculum *Polonia* ſuſcepiſſet, ſibi quidem gratum, hoſtibus vero & vicinis terribilem. Celebritate baptiſmalium perfecta, Principibus & Nunciis Regum & Principum per munera & clenodia honoratis, ex *Cracouia* feria quarta poſt Dominicam *Oculi* egreſſus, in terras *maioris Poloniæ* per ſolitas ſtationes proceſſit, & Paſcha Domini apud *Caliſch* egit. Vbi ad eum venit *Ericus Daniæ* Rex, ex ſancto ſepulchro *Hieroſolymitano* reuerſus. Gratus fuit *Poloniæ* Regi ſuus aduentus, comiterque & benigne exceptum, omniumque rerum affluentia procuratum, pluribus diebus detinuit. Et variis donis muneratum, in magna charitate in *Daniam* remiſit. Ex *Caliſch*, *Poſnaniam*, cæteraque *maioris Poloniæ* loca proceſſit, & diem Aſſumptionis *S. Mariæ* Virginis in *Przedborz* tenuit. Abinde per *Radoſchicze*, *Chaczini*, *Kielcze*, *Bodzaczin*, *Syenno*, *Solecz* in *Lublinenſem*, poſt in *Ruſſiæ* terras deſcendit, fugiendo peſtem, quæ fere vniuerſum Regnum

Caliſſiam diſcedit. Vbi Ericum Daniæ Regem Hieroſolyma redeuntem excipit & tractat.

Poloniæ peruaſerat, & per tempus æſtatis, autumni, & hyemis ſæuiens, plures mortales vtriuſque ſexus, variarum conditionum abſumpſerat. 1425

Clauus Chriſti donatur Wladiſlao Regi.

Penultima menſis Iunii, clauus vnus ex his, qui Sacratiſſimo corpori, in Paſſione Domini noſtri *IESV CHRISTI*, erant infixi, *Wladiſlao Poloniæ* Regi, & conſorti ſuæ *Sophiæ* Reginæ, per *Latinum* Epiſcopum *Hoſtienſem* Cardinalem de *Vrſinis* vulgariter nuncupatum, tranſmiſſus, & *Cracouiam* allatus, omnium proceſſionum vrbis *Cracouienſis* honore ſuſceptus eſt, ac Eccleſiæ *Cracouienſi* inſigni, pro ſempiterno memoriali donatus. In qua pro conſolatione fidelium, & *Cracouienſis* Eccleſiæ decore oſtenditur, & ſingulari colitur veneratione, multiplicia languidis præſtans beneficia.

Poloni Regis Wladiſlai filium pro futuro Rege aſſumunt.

In die *S. Marci*, in *Brzeſczie Cuiauienſi*, conuentio generalis habita eſt. In qua, *Poloniæ* Rege *Wladiſlao* petente & inſtante, Prælati, Principes, & Barones Regni *Poloniæ*, obligarunt ſe filium Regis nouiter natum, *Wladiſlaum*, patre mortuo, pro Rege & Domino, per literas ſpeciales, ſuſcepturos. Literas tamen huiuſmodi, in *Sbignei Cracouienſis* Epiſcopi fidem commendant; tum demum *Wladiſlao* Regi tradendas, cum Regno, & cuilibet terræ, literæ ſpeciales Regiæ Maieſtatis Sigillo munitæ, libertates & immunitates continentes, iuxta minutam tunc conceptam, forent conſignatæ. Suſtulerat enim *Wladiſlaus* Rex, ab omnibus Eccleſiis Cathedralibus, Collegiatis, & Conuentualibus, onus ſtationum, & militibus terræ *Cuiauienſis* eorumque cmethonibus, auenalem ſolutionem perpetuo indulſerat, pluresque alias libertates vel contulerat, vel antiquis aliquid libertatis & gratiæ adiecerat. In ſpem itaque huiuſmodi libertatum, obligatio de ſuſcipiendo filio Regis inita eſt. Quæ ſi negarentur, non teneri ſe ad illam, & *Sbigneum Cracouienſem* Epiſcopum ad literas obligationis reddendas, arctabant.

Contributio Cleri Polonici Wladiſlao Regi negatur.

Habita eſt & in feſto Pentecoſtes in *Lancicienſi* oppido Synodus Prouincialis; In quam ſinguli Prouinciæ *Gneſnenſis* Epiſcopi, præter *Iacobum Plocenſem* Epiſcopum, (valetudinarius enim erat) conuenerant. Conuenientes, an contributio viginti millium florenorum, per Papam *Martinum* quintum *Wladiſlao Poloniæ* Regi, in Clero Regni *Poloniæ*, ſub ea conditione, ſi perſonaliter cum potentiis ſuis in *Bohemos* hæreticos expeditionem ageret, conceſſa, debeat iuxta requiſitionem Regiam iam factam, ſolui vel negari, variis tractatibus digerebant. Facta autem fuit vniformis concluſio, nullo pacto Clerum *Polonicum* ad ſolutionem taxæ tam oneroſæ ſubiiciendum fore. Sed & *Wladiſlaus* ipſe *Polonorum* Rex, attendens *Martinum* Papam nihil illi de proprio largitum eſſe, contributionemque

onemque ipſam, ſi exigeretur, Clerum *Poloniæ* multipliciter fore offenſuram, ſolicitare eius redditionem deſtitit, onuſque expeditionis A contra *Bohemos Huſſitas* ſuſcipere detrectauit, non intelligens Papam *Martinum* aliquid de proprio in rem fidei collaturum. Contigit autem in Synodo prædicta, *Gneſnenſi* Archiepiſcopo & Epiſcopis Comprouincialibus vota ſua in ea materia fundentibus, *Stanislaum Pawłowski Płocenſem* Archidiaconum, nomine *Iacobi Płocenſis* Epiſcopi & ſuæ Eccleſiæ illic comparentem, votum dicere iuſſum publice aſſerere; *mandatum Apoſtolicum ad Płocenſem diœceſim non extendi, cum Ducatus & terra Maſouiæ, in Płocenſi diœceſi* B *conſiſtentes, proprios habeant Principes liberos, neque Poloniæ Regi, neque cuiquam alteri ſubiectos: propter quod Clerus Płocenſis de Regno Poloniæ non debet computari aut cenſeri, neque ad contributionem obligari.* Qui ſermo parum æquis auribus auditus, cum in notionem quoque *Wladislai Poloniæ* Regis perlatus foret, in vehementem indignationem illum contra *Semouithum Maſouiæ* Ducem, ſororis ſuæ *Alexandræ* maritum, cuius conſilio & mandato *Stanislaus Pawlowsky* vſus ſciebatur, prouocauit. E veſtigioque conuentionem generalem in *Brzeſczie Ruthenicali*, pro die *S. Martini* Confeſſoris indixit, quo ordine quaue via, C motus *Semouithi Maſouiæ* Ducis, contra Regem & Regnum ſe erigentis, priuſquam inualeſcerent, opprimendi forent, prouiſurus.

ac de rebellione Semouiti Maſouiæ Ducis in Brzeſczie conuentus indicitur.

Iocobo Płocenſi Epiſc.

Die Dominico Pentecoſtes, quæ fuit vigeſima ſeptima Maii, *Iacobus* Epiſcopus *Płocenſis* vir religionis & modeſtiæ ſpectatæ, qui *Płocenſem* Eccleſiam plurimum auxerat, extulerat, vaſiſque & clenodiis variis nobilitauerat, in ſua Curia Epiſcopali in *Płoczko* moritur, cum annos triginta tres ſediſſet, & in *Płocenſi* Eccleſia ſepelitur. Poſt cuius mortem, Capitulum *Płocenſe*, futuri Pontificis electionem celebraturum, dum in vota varia ſciſſum iri conſtaret, *Semouithus* ſenior *Maſouiæ* Dux, precibus & interceſſionibus Prælatos & Canonicos *Płocenſes* peruincens, obtinuit, *Stanislaum Pawlow-* D *ſky* de *Gnatbowicze*, Nobilem de domo *Pierzchała*, Archidiaconum *Płocenſem*, Cancellarium ſuum eligi, a parte parum ſaniori & minori. Inficiebatur tamen electio ſua a tribus Ducibus *Semouithi* filiis, *Semouitho*, *Wladislao*, & *Caſimiro*, *Stanislaum Pawlowski* ſingulari execrantibus liuore, conatuſque ſuos non deſiſtebant interponere, vt electio in alios recideret. Et licet a parte ſaniori & maiori *Criſtinus Nieborowsky* Canonicus *Płocenſis*, Nobilis de domo *Pranditarum* fuiſſet electus, ceſſit tamen, inſtante *Semouitho* Duce, de iure electionis, & *Stanislaus* ipſe *Pawłowsky*, impedimento ſublato, anno eodem, decima octaua Decembris, *Romæ* a Papa *Martino* quinto confirmatus, ab *Alberto* vero *Iaſtrzambiecz Gneſnenſi* Archiepiſcopo, in *Płocenſi* Eccleſia conſecratus eſt.

ſuccedit Stanislaus

Die Dominico *S. Martini*, in *Brzeſczie Ruthenicali* ſupra flumen *Bug*, conuentio generalis facta eſt. Ad quam *Wladislaus Poloniæ* Rex cum conſorte ſua *Zophia* Regina, & *Alexander Withawdus* magnus Dux *Lithuaniæ*, cum conſorte ſua *Iuliana*, Prælatique, Principes, Barones, & Boiari, vtriuſque Dominii, conuenerant; cauſam rebellionis & inobedientiæ, contra ſeniorem Ducem *Maſouiæ Semouithum* inſtauraturi. Dum autem præfatus *Semouithus*, licet citatus & vocatus foret, vt in ipſa conuentione compareret, & fidelitatis ac iuramenti homagium Regi præſtaret, comparere tamen propter aduerſam, qua detinebatur, valetudinem, non valens, Nuncios, qui abſentiam ſuam excuſarent, interponendo languorem corporis, tranſmiſit. Abſentia itaque præfati Ducis *Semouithi* obſtante, proceſſus contra illum ſuſpenſus eſt, & in tempus longius continuatus. Ex conuentione quoque prædicta *Brzeſtenſi*, duo Barones ad Ducem *Semouithum* Regio nomine miſſi, ſibi denunciant, *vt coram Wladislao Rege Sandomiriæ perſonaliter compareat, homagii & fidelitatis præſtiturus iuramentum.* Non deſtitit in ea conuentione *Alexander Withawdus Lithuaniæ* Dux, animos Prælatorum & Baronum conducere & mollire, quatenus molendinum *Lubicz*, vigore pacis perpetuæ, inter Regnum & Cruciferos factæ, demolitum, Cruciferis donaretur. Magiſter ſiquidem *Pruſſiæ Paulus* de *Ruzdorff*, perpendens, quatenus, illi profectus ex demolitione molendini detractus ſit, in *Lithuaniam* ad *Alexandrum Withawdum* Ducem venerat, precibuſque & oblationibus variis conduxerat, vt ſibi illius reſtitutionem, ſua opera polliceretur. Conſiliarii autem *Poloniæ*, nullum certum allegabant ſe poſſe ſuæ poſtulationi dare reſponſum; ſed rem ipſam in conuentionem generalem propterea inſtituendam, reiiciebant.

Semouithus propter valetudinem in Brzeſczie non præſens Sandomiriam citatur.

De molendino Lubicz Cruciferis reſtituendo Withawdus cum Poloniæ proceribus agit.

Ex conuentione *Brzeſtenſi*, *Wladislaus* Rex, cum conſorte ſua *Zophia* Regina, in *Lithuaniam* diuertit, & illic hyemis tempus in venationibus exegit, nondum enim lues peſtilentica, in Regno *Poloniæ* ſæuiens, *Lithuanicam* oram peruaſerat, poſtea tamen ſerpendo, etiam in *Lithuaniam* graſſata eſt. Coactuſque *Wladislaus Poloniæ* Rex, & *Alexander Withawdus*, oppidis, caſtris, & curiis derelictis, in ſiluarum & nemorum latebris, hyeme media commorari. Filius autem *Wladislai* Regis infans, in *Chaczini* caſtrum delatus eſt, vbi per omne epidimiæ tempus tenebatur.

Peſtis in Polonia & Lithuania.

Sabbato in die Conceptionis *S. Mariæ* Virginis, *Wladislao Poloniæ* Rege, & *Alexandro Withawdo Lithuaniæ* magno Duce, apud *Grodno* immorantibus, Magiſter *Pruſſiæ Paulus* de *Ruzdorff*, cum nonnullis ſuis Commendatoribus aduenit; Ducemque *Alexandrum Witha-*

tha-

1425 *thawdum* quatenus molendini *Lubicz* donationem, apud *Poloniæ* Regem efficeret, tanto ſtudio tantiſque conatibus, & inſtantiis interpellare cœpit, vt *Alexander Withawdus* ſe, vel molendinum *Lubicz*, apud Regem & Regnum impetraturum, vel diſtrictum *Polangā*, ſupra ſinum maris *Samogithici* ſitum, Magiſtro & Ordini donaturum, aſtrinxerit. *Wladislaus* quoque *Poloniæ* Rex frequentibus precibus & perſuaſionibus *Alexandri Withawdi* expugnatus, beniuolum ſe ad donationem molendini *Lubicz* exhibebat, dummodo Conſiliarii Regni *Poloniæ*, ſine quibus rem tam arduam decernere non poſſet, impedimento non forent. Sentiens inſuper Summus Pontifex *Martinus* quintus Papa, Regni *Poloniæ* caſtra, ciuitates, & oppida, villaſque, ac cæteros introitus, per *Wladislaum Poloniæ* Regem, prodige magis, quam fructuoſe & neceſſarie donaſſe, inſcripſiſſe, & diſtraxiſſe, Archiepiſcopo *Leopolienſi* dat in mandatis, vt literis, donationibus, & inſcriptionibus Regiis non obſtantibus, Regnum *Poloniæ* reintegret; decernatque Regem ad obſeruandum donationes, inſcriptioneſque bonorum per eum factas, non teneri.

Papa donationes Wladislai Regis non confirmat.

1426 Solennitatem dierum Natalis Domini, & tempus interualli, dum *Wladislaus Poloniæ* Rex apud *Vilnam* cum conſorte ſua *Zophia* Regina exegiſſet, & ante Carniſpriuium ex *Lithuania* redire in *Poloniæ* Regnum, peſte conquieſcente, inciperet, in loco venationum, qui appellatur *Byalowicze*, venationi vrſi inſiſtens, caſualiter pedem fregit. Exinde in terram *Chelmenſem* diſcedens, dies Carniſpriuii & tempus Quadrageſimæ in *Lubowlya* & *Craſzniſtaw*, crus offenſum medendo, abſumpſit. Acta eſt autem pro Quadrageſimæ medio in *Vartha* conuentio generalis. Ad quam licet *Wladislaus Poloniæ* Rex propter pedis languorem non veniſſet, Conſiliarii tamen principales illuc conuenientes, tractabant, qualiter *Alexandro Withawdo* Duci magno *Lithuaniæ*, molendinum *Lubicz* donari Cruciferis petenti, reſponderent. Poſt varios autem tractatus in re ipſa habitos, deliberatum fuit, petitionem *Alexandri Withawdi* audiendam, & molendinum *Lubicz* Cruciferis donandum, non eſſe, cum ex donatione ipſa, pacis perpetuæ inſcriptiones, conditione de molendino *Lubicz* abrogata, læſum & violatum iri contingeret. Neque reſpectus, per *Alexandrum Withawdum* iniectus, pendendus, quo ſe aſſerebat, molendino *Lubicz* negato, *Polangam* ſupra mare *Samogithicū* ſitam, centum gradibus quam *Lubicz* vtiliorem, ex pacti pollicitatione Cruciferis largiturum. Mittuntur deinde ex ipſa conuentione *Wladislaus* de *Oporow* Decretorum Doctor, & *Iarandus* de *Brudzewo Cuiauienſis* Vexillifer, ad Magiſtrum & Ordinem *Pruſſiæ*, qui ſibi denuncient, illumque admoneant, *ne in violationem fœderum pacis perpetuæ donationem molendini Lubicz ambiat, Ducemq́ Alexandrum Withawdum ſolicitare, & inducere pro eius largitione, & quaſi quandam ponere inter fratres diuiſionem deſiſtat; ſpem inſuper de Polangæ donatione, per Ducem Alexandrum Withawdum, caſu, quo donatio molendini Lubicz non proueniret, ſibi factam, deponat, cū Dux Alexander, donationes in terris Lithuanicis, Rege Wladislao diſſentiente, facere non potuerit.* Quamuis autem *Pruſſiæ* Magiſter *Paulus* de *Ruzdorff*, legatione huiuſmodi accepta, conſtanter ſe negaſſet *Alexandri* Ducis magni, pro donatione molendini *Lubicz*, quæſiſſe ſuffragia, eo tamen callidius & ſcrupuloſius, & per ſe ipſum, & per Nuncios ac literas, cœpit Ducem magnum *Alexandrum* pro prædicti molendini *Lubicz* donatione interpellare. Non quod magnopere huiuſmodi indigeret molendino, ſed occaſionem oblatam non eſſe negligendam cenſebat, per quam vnionem & charitatem fraternam inter *Wladislaum* Regem, & *Alexandrum* Ducem, ſcinderet & iurgia atque bella inter eos conſereret, quos vnitos & concordes, ſibi ſciebat eſſe magno terrori.

Wladislao in venatione pes frangitur

Paſchatis feſto apud *Kraſzniſtaw* exacto, in octaua illius *Wladislaus Poloniæ* Rex, per *Viſlam* nauibus in terram *Cuiauienſem*, curato iam pede, deſcendit. In tranſitu ſuo, per *Ianuſſium* Ducem *Maſouiæ* in *Varſchouia*, in *Ploczko* vero aliiſque pluribus locis, per Ducem *Semouithum* exceptus & honoratus. Ex terra *Cuiauienſi* venit *Lanciciam*, & generalem pro feſto Pentecoſtes, frequenti numero Conſiliariorum ad illam confluente tenuit conuentionem. In qua cum in primis *Wladislaus Poloniæ* Rex, a prælatis & Proceribus vniuerſis rogaretur, vt vigore receſſuum conuentionis *Brzeſtenſis* pro die *S. Marci* habitæ, iura & libertates nouas & veteres confirmare & innouare dignaretur, reſpondere diutius rogationi cunctatus eſt. *Sigiſmundi* enim *Romanorum & Hungariæ* Regis conſilio, quod per ſpecialem Nuncium, ad ipſum vſque in *Hungariam* miſſum expetierat, perſuaſus, mutauerat propoſitum; Qui antiquorum iurium confirmationem, & largitionem nouorum, ſibi & ſucceſſoribus pernitioſam, neque reſpectu promiſſionis de ſuſcipiendo filio, cum ad id lege obligentur Diuina, libertates nouas concedendas fore cenſebat: Studendumque magis, vt ſinguli Conſiliarii, per ſingulares literas faciant, de ſuſcipiendo filio, ſingularibus nominibus ſponſionem. Id conſilium non ſecus quam a *Minerua* largitum, *Wladislaus* Rex obſeruans, *neque ſe antiqua iura confirmaturum, neq́ noua largiturum* edicit. Murmure illico coorto, *Sbigneus Cracouienſis* Epiſcopus, in concionis medio aſſurgens, literas vniuerſales Regni, ſigillis Prælatorum & Procerum communitas, quibus ſe filium Regis, Rege mortem obeunte, pro Rege accipere

Wladislao libertates & iura non confirmante,

pere aſtrinxerant, reproducit. *Hæ*, inquit, *ſunt literæ fidei meæ credita, quas, Rege noſtro ſeruare promiſſa abnuente, integras reddo.* Exceptæ illico a Proceribus ſunt, & gladiis, non ſine ſtrepitu & fragore micantium mucronum, & pauorem nimium afferentium, inſpectante Rege, in partes minutas diſcerptæ ſunt. Quo facto Rex triſtis & anxius, ex Concilio diſceſſit. Ne tamen animos Conſiliariorum exacerbatos relinqueret, diebus ſequentibus ſpem dabat, deliberatione ſumpta, promiſſam iurium & libertatum confirmationem & donationem ſe daturum. Interim tamen a pluribus conſiliariis literas exigere non deſtitit. Paucique admodum reperti, qui largitionibus & promiſſis Regiis non cederent: Et publicis rebus atque iuribus neglectis, per ſingulares literas, de ſuſcipiendo filio Regis, propiores vtilitati priuatæ quam publicæ, ſe non obligarent.

Litteræ quibus filius eius ſucceſſor conſtituebatur, a Polonis conciſæ ſunt.

In eadem inſuper *Lancicienſi* conuentione, poſt multas conſiderationes & reſpectus ſcrupuloſius libratos, ne ſchiſma aliquod inter *Wladiſlaum Poloniæ* Regem, & Ducem *Alexandrum Withawdum* incideret, deliberatum fuit, vt ad preces frequenter & tunc repetitas, præfati *Alexandri Withawdi*, molendinum *Lubicz* Magiſtro & Ordini Cruciferorum donaretur, & demolita eiuſdem permitteretur reædificatio. Miſſique ſunt ex conuentione præfata, ad *Alexandrum Withawdum* in *Lithuaniam*, *Sbigneus Cracouienſis* Epiſcopus, *Petrus Schaffranyecz* Succamerarius *Cracouienſis*, *Domarath* de *Kobilani* Caſtellanus *Bieczenſis*, & *Nicolaus Drzewiczki* Regius Notarius. Qui docerent illum, *Regem & Regnum, non ſine periculo pacis perpetuæ cum Cruciferis firmatæ, & cum diſpendio Regni atque dedecore, precibus ſuis conſenſiſſe, quatenus gratiam & liberalitatem Regis & Regni, in eum factam, attenderet, Regique & Regno Poloniæ fideliorem ſe in dies propterea præſtaret, & expoſt res ſimiles, perniciem Regni ſecum trahentes, expetere deſineret. Inſuper, vt actiones ſuas, quibus aliquando contra promiſſa, & inſcriptiones Regi & Regno factas, excedebat, carperent & improbarent, correctionemque & emendam requirerent.* Nuncios prædictos ad ſe in *Troky* venientes, *Alexander Withawdus* ſingulari comitate honoreque excepit. Primum quidem *Matthiam Vilnenſem* Epiſcopum, tum omnibus Ducibus & Boiaris maioribus *Lithuaniæ*, illis ordinans duobus miliaribus a *Vilno* occurrere. Expoſt vero & ipſe ex cameris & thalamis ſuperioribus deſcendens, in porta caſtri inferiori, Nuncios excepit. Tribus diebus continuis, in legatione referenda, *Sbigneus Cracouienſis* Epiſcopus, legationis Princeps, vſus eſt. Et dulci, modeſtoque ac facundo ſermone, qui ei naturali gratuitoque dono inerat, cunctis qui audiebant, in ſtuporem, tam limati ſermonis certatim illum laudantibus, conuerſis, nihil ſilere de his, quæ ſibi & ſuis collegis erant impoſita, omiſit. Adeo audaci & conſtanti corde, frequenter *Alexandrum Withawdum* Ducem obiurgans, corripiens, atque carpens, vt Dux ipſe bilem continere ſæpius accenſam non poſſet. Vt tamen erat vir ingenii ſolertis & maturi, cholera compreſſa, ad omnia modeſte reſpondit, & ſingulis capitibus ſuarum reprehenſionum, manſuetam reddidit reſponſionem. Pollicens vniuerſa, quibus in Regem & Regnum deliquerat, ſtudio propenſiori ſe emendaturum. Nunciis quoque ipſis aliquot diebus tractatis, & altis honoratis muneribus, *Wladislao Poloniæ* Regi per illos, quinque millia marcarum latorum groſſorum, dono miſit. Ab eo tempore molendinum *Lubicz* ex donatione Regis in ditionem *Pruſſiæ* Magiſtri redierat.

Molendinum Lubicz Withawdo permittitur Magiſtro donandum.

Æſtate eadem, *Alexander Withawdus* magnus Dux *Lithuaniæ*, prædictis Regiis Nunciis in *Poloniam* remiſſis, in *Pſkouitas*, qui & ipſi genus & linguagium a *Ruthenis* ducunt, expeditionem parat. Cauſa belli tenuis & pene nulla ſuberat, quod *Pſkouienſes* limitare bona *Lithuaniæ* a terris ſuis, & *Gades Alexandrum* ponere pro beneplacito non ſinebant. Rumore autem contra illos per *Withawdum* ſuſcepti belli intellecto, etiam & hanc cauſam in totum reſcindere, bellum peroſi parant. Miſſis quoque iuxta morem gentium Nunciis, qui cum Regiis Legatis adhuc in *Troky* præſentibus ſuperueniſſent, rogant, *ne Alexander Withawdus illis bellum inferat*: parati cedere de propoſito, & limitationem terrarum pro ſuo beneplacito permittere. Nihil motus ea humilitate æquitateque Dux *Alexander*, arma contra illos ſumit, licet expeditio ipſa, velut parum iuſta, per *Sbigneum Cracouienſem* Epiſcopum fuiſſet ſibi multipliciter diſſuaſa. Et ſuppeditatis omnibus, quæ vel ſibi vel exercitui (quoniam regio *Pſkouienſium* magna ex parte inculta & deſerta eſt,) vſui forent, magnum ex Baronibus & militibus *Poloniæ* ſecum ducens exercitum, terras *Pſkouienſes* in locis inferioribus ſitas, vaſtare aggreſſus, caſtrum *Wranacz*, inter caſtra *Pſkouienſia*, quæ nouem tantummodo habere feruntur, ſecundum, obſidione cingit, cæteraſque arces vaſtatione & incendio villarum, terret & allidit. Verum vt fit in bello æquitate omiſſa ſuſcepto, euentus deſideriis *Alexandri Withawdi*, nuſquam minus reſpondebant. Quinque hebdomadis cœlum pluuiam fundens, adeo cœleſti imbre terram effecit complutam, conſurgente arcturo, tonitrua ſimul & fulgura frequenti tempeſtate concidebant, præcipites e cœlo imbres diffundentia, vt equos terra non ſuſtinens, vndis ad genua inuolueret. Terra inſuper ſuapte natura mollis & aquoſa, pluuiarum multitudine reſoluta, quadrigarum & quadrupedum tranſitum, niſi virgul-

Bellum inter Withawdum & Pſkouienſes.

tis

1426 tis & viminibus conſtrata, non ferebat. Equis pabulatio, hominibusque commeatus, deerant. Plures mortales fame diſperiebant. A In congreſſibus ſingularibus *Pſkonienſis* gens pauida & fugax, *Polonis* & *Lithuanis* euadebat ſuperior. Omnia incœpta *Alexandri Withawdi* cedebant in aduerſum, aut in irritum. Pluribus itaque moleſtiis & angoribus *Alexander* defatigatus, trahere cum animo ſuo anxie cœpit, omitterene bellum, euidenti infelicitate hactenus geſtum, an fortunam rurſum experiretur. Quæ, crebro illi aduerſa, pœnitere eum ſui conſilii, & ſero *Sbignei* Epiſcopi *Cracouienſis* memorari coegit. Itaque ad hoſtes mittens, ſi conditionem oblatam implere velint, pacem offert. *Pſkouitæ* autem euentibus aliquot elati, pacem abnuunt, B Nunciosque ſine pacis ſpe, felicitatis ſuæ non ſtatuentes modum, vacuos remittunt. Mutatur illico fortuna, mutatur & cœli intemperies, ſubitoque ex cœlo caliginoſo, ſerenitas votiua coorta, exercitum Ducis *Alexandri*, ex locis vicinis, omnium victualium copiam conuehere permiſit; cedere & fugere *Pſkouienſes*, clades inſuper frequentes excipere coacti ſunt, ſenſimque omnis fortuna, omnis victoria, ad *Alexandrum Withawdum* redibat. Quo malo *Pſkouienſes* perterriti, miſſis Nunciis, pacem, quam ſpreuerant, multifarie rogant, & impetrant. A quibus *Alexander Withawdus*, magna auri & argenti, tam C fuſi quam formati, quantitate accepta, quam in Barones & Nobiles *Poloniæ*, ſecum militantes, liberaliter erogauit, pacem *Pſkouienſibus* per certas conditiones & capitula, quibus limitatio terrarum ſuo arbitrio relinquebatur, conceſſit. Solutaque caſtri *Wronacz* obſidione, incolumis cum exercitu ſuo in *Lithuaniam* rediit. Erat enim *Withawdus* Dux, ſicut aduerſantibus aſper, ita ſupplicibus, & æqua offerentibus, placabilis.

Conuentione *Lancicienſi* expedita, *Wladislaus Poloniæ* Rex, *Cracouiam*, ad viſitandum conſortem ſuam *Sophiam* Reginam, ad videndum quoque prolem alteram, nuper ex D ea natam, tranſiit. Filium enim ſecundum *Caſimirum*, ſedecima Menſis Maii, in Solis ortu, fuerat enixa. *Cracouiam* autem adueniens, ſolennia ſecunda Iunii baptiſmi egit, & *Caſimirus* infanti nomen impoſuit. Exultans inſuper de ortu alterius filii, Curiam Regalem inſtituit, ac militibus in palæſtra certantibus, præmia propoſuit, eaque athletis donauit. Ex *Cracouia* per *Ilkuſch*, *Sziewyor*, *Koziegłowy*, *Czaſtochowa*, *Kłobuczko*, *Krzepicze*, *Wielun*, in terras *maioris Poloniæ* reuerſus eſt, & reſiduam æſtatem illic abſumpſit, pertranſeundo & viſitando caſtra & ciuitates commetaneas, videlicet *Drahim*, *Miedzyrzecz*, *Valcz*. Ex *maiori Polonia*, pro feſto Natiuitatis *S. Mariæ* Virginis, *Sandomiriam* venit; exinde in terram *Lublinenſem*,

Caſimirus filius ſecundus naſcitur Wladislao Regi.

poſt in terras *Ruſſiæ* diuertit. Quibus peragratis in *Niepolomicze* pro feſto Sancti *Martini* aduenit. 1426

Solicitatus autem *Wladislaus Poloniæ* Rex, *Sigismundi Romanorum* & *Hungariæ* Regis multiplici inſtantia atque prece, de ferendo illi auxilio contra *Turcas*, quinque millia gentium armatarum mittere repromittit. Quod vt facilius expleret, omnibus, terrarum tantummodo *Ruſſiæ* Baronibus & militibus, in expeditionem huiuſmodi iubet proficiſci. Paritum eſt autem fere per vniuerſos *Ruſſiæ* milites paucis exceptis, iuſſionibus Regiis, & in decenti ac pulcherrimo apparatu, ſub ductu *Ianuſſii Kobilenski* militis, Capitanei *Sanocenſis*, de domo *Grzimalitarum* (illum enim *Wladislaus* Rex vniuerſis Ducem præfecerat) exercitus notabilis, quinque millium armatorum numerum excedens, de terris *Ruſſiæ*, in ſubſidium *Sigismundo* Regi, contra *Turcas* egreſſus, vſque ad *Danubii* fluenta, circa *Bragilow*, in terra *Beſſarabiæ*, pro die Sancti *Ioannis* Baptiſtæ, qui inter Reges conuenerat, peruenit. Pro eadem ſiquidem die, *Sigismundus Romanorum* & *Hungariæ* Rex, cum omnibus ſuis potentiis, ſe ad *Bragilow* aſſeuerabat venturum. Quapropter & *Wladislaus Poloniæ* Rex, virtutem promiſſis ſuis daturus, ne diem illam negligerent, ſtrictius imperauerat. Verum *Sigismundus Romanorum* Rex, variis, præcipue tamen *Bohemicis* diſtentus negotiis, expeditionem in *Turcas* inſtitutam proſequi differebat. Quapropter gentes *Wladislai Poloniæ* Regis, circa *Bragilow* in campeſtribus, duobus prope menſibus immoratæ, *Sigismundi* Regis, & ſuarum gentium operiebantur aduentum. Neque tam diuturno tempore quicquam faſtigii hauſerant; longiorem etiam moram in eo præſtolando abſumpturi; niſi pro comperto accepiſſent *Sigismundum* Regem, a rebus belli inſtituti abſtractum animum ad alia negotia conuertiſſe. Propter quod exercitus *Polonicus* fruſtra fatigatus, a *Danubio* incolumis in *Poloniæ* Regnum remeauit. Et quoniam nonnulli milites terrarum *Ruſſiæ* ire ad expeditionem præfatam, mandato Regis neglecto, contempſerant, ni per prius quinque marcæ *Polonicales* pro vnaquaque lancea, illis ſoluerentur; propter quod *Wladislaus* Rex ad magnam indignationem contra eos excandeſcens, ſingulos rebelles, nulli deferens conditioni aut præeminentiæ, comprehendit, detinuitque aliquanto tempore moleſtia carcerali. Tandem tamen velut is, qui pietatis affluebat viſceribus, precibus Prælatorum & Baronum ſuorum *Poloniæ*, pro captiuatis huiuſmodi intercedentibus, deuictus, omnem illis noxam & offenſam dimiſit benigniter; hæreditariaque bona & poſſeſſiones, quas abſtulerat, reſtituit, præter Aduocatiam *Croſnenſem*, quæ detinetur in hanc diem.

Auxilia quinque millium contra Turcas a Wladislao Sigismundo ſed fruſtra mittuntur.

Ex *Nyepolomicze*, *Wladislaus* Rex per ſolitas

1426

Wladislaus Rex ſuis Primoribus feras mittit

litas ſtationes & loca in *Lithuaniam* proceſſit, & ferarum capturis tota hyeme vacauit. Ex feris autem diuerſi generis, quas ora *Lithuanica* producit, per venationes captis, primum *Zophiæ* Reginæ, deinde Archiepiſcopis, Epiſcopis Palatinis, Baronibus Regni *Poloniæ*, item *Sleſiæ* Principibus, item Capitulo, item Magiſtris & Doctoribus Vniuerſitatis *Cracouienſis*, item conſulibus *Cracouienſibus*, qualibet hyeme, integra ferarum corpora, aut ſi temporis caliditas imminebat, ſale infuſa, mittere non negligebat. Ex quo & munificentiam ſuam longe lateque propagabat, & charitatem ſibi atque deuotionem in ſubditorum pectoribus magnopere augebat.

Boleslaus Dux Teſchnenſis moritur.

Sexta die menſis Maii, *Boleslaus Theſchnenſis* Dux, filius *Przemislai* ſenioris, in *Teſchin* diem obiit, in ſepulchris patrum ſuorum, apud monaſterium *Teſchnenſe* fratrum Prædicatorum tumulatus, relinquens quatuor filios raræ pulchritudinis & formæ viros, videlicet *Venceslaum, Wladislaum, Przemislaum, Dobeslaum*; Ex quibus duo, videlicet *Venceslaus* & *Wladislaus*, ſine prole obierunt: & vnam filiam *Alexandram*, *Ladislao* de *Gara* Palatino *Hungariæ* deſponſatam. Quos ex ſecunda vxore, muliere ſuæ ætatis pulcherrima, *Offka*, filia *Semouithi* Ducis *Maſouiæ*, & nepte germana ex ſorore *Wladislai Poloniæ* Regis ſuſceperat. Nam prima vxor *Margaretha* filia *Ianuſſii Rathiborienſis* Ducis, quam Patre necquicquam prohibente duxerat, fuerat infœcunda.

Gneſnenſis Archiep. prouinciam ſuã viſitat,

Gneſnenſis Archiepiſcopus *Albertus Iaſtrzambiecz*, Papæ *Martini* quinti mandato actus, in *Gneſnenſi* Prouincia, iuxta directam illi a Summo Pontifice formam, eo anno viſitationis officium exercuit, corrigendo Eccleſiaſticarum perſonarum exceſſus, vitia, & abuſus. Et licet ſingulæ diœceſes, ſingulæque Cathedræ *Polonicæ* Eccleſiæ ei paruiſſent, & cum omni manſuetudine permiſiſſent ſe corrigi & viſitari, *Wratislauienſis* tamen ſola diœceſis, ſiue ſuorum conſcia reatuum, ſiue correctionem & reſtrictionem abuſuum, & procurationem ſui Metropolitani, moleſtius latura, allegatis infeſtis *Bohemorum* hæreticorum bellis, quibus in vna tantummodo exigua parte premebatur, ni viſitaretur, reſtitit, & ſalutis ſuæ atque religionis authorem, pluribus interpoſitis ſimulatis difficultatibus, ingreſſum ad ſe, ſubtraxit. Ipſe inſuper *Albertus Iaſtrzabiecz Gneſnenſis* Archiepiſcopus, etſi ſe a *Wratislauienſi* Epiſcopo & Clero ſpretum & refutatum iri moleſte ferret, & ſententiam interdicti poſſet in vniuerſam diœceſim rebellem *Wratislauienſem* promulgare, iuxta quod illi a ſapientibus & doctis viris ſuadebatur, metu tamen mortis continuit ſe a cenſurarum rigore: auiſatus a ſciolis, ſi in propoſito viſitandi perſeuerans, in diœceſim *Wratislauienſem* cenſuris ad parendum

& a Wratislauienſibus contemnitur.

exercitum adueniſſet, certis & variis venenis procul dubio fuiſſet appetitus. 1426

Andreas Laſcari Poſnan. Epiſc.

Die Saturni, vigeſima quarta Auguſti, *Andreas Laſcari Poſnanienſis* Epiſcopus, dum annis quindecim ſediſſet, in caſtro patrimonii ſui *Goslawicze*, quod ipſe muris erexerat, Catholice & religioſe, viatico ſacro ſumpto, moritur. Cuius morte ſecuta, Papa *Martinus* quintus, *Miroslao* Præpoſito *Gneſnenſi*, ſuo familiari continuo, atque Datario, Decretorum Doctori, nobili, de domo *Nalecz*, *Polono*, proprio motu & Apoſtolica authoritate prouidit. Ex Capitulo autem *Poſnanienſi*, nonnullis Prælatis & Canonicis, Regiis motis interceſſionibus, *Stanislaum Cziolek* Regni *Poloniæ* Vice-Cancellarium, Nobilem de domo *Taurorum*, eligentibus, grauis contentio inter Papam *Martinum* & *Wladislaum* Regem fuit ſuborta. Nam neque *Miroslaus* prouiſus Apoſtolicus, & in Epiſcopum conſecratus, Rege negante, poſſeſſionem *Poſnanienſis* Eccleſiæ habere vſque ad obitum ſuum potuit, neque *Stanislaus Cziolek* ſuæ electionis, quamuis *Wladislaus* Rex pro illo plurimum adniteretur, confirmationem. Bienniοque prope exacto, monſtruoſa inter Papam & Regem, occaſione *Poſnanienſis* Eccleſiæ præfatæ, durauit contentio, ampliuſque duratura, niſi *Miroslaus* Epiſcopus morte ſubtractus fuiſſet, ſepulturam apud Sanctam *Mariam* de *populo* ſortitus. Quo obeunte, *Martinus* Papa, *Stanislao Cziolek* de *Poſnanienſi* Eccleſia, ex morte *Miroslai* vacante, interceſſionibus Regis permotus, & deuictus, prouidit.

ſuccedit Miroslaus, *& huic Stanislaus Cziolek.*

Semouitus Maſouiæ Dux moritur.

Semouithus ſenior, *Maſouiæ* & *Plocenſis* Dux, gener *Wladislai Poloniæ* Regis, Princeps inſignis; & qui etiam *Belzenſem* Ducatum pro dote, cum *Alexandra* ſorore germana præfati *Wladislai* Regis *Poloniæ*, iure perpetuæ hæreditatis inſcriptum, ratione dotis per præfatum *Wladislai* Regem ſuſceperat, & Ducatum eundem Baronibus & militibus ſuis *Maſouiæ*, adeo, vt pauci illic *Ruthenorum* Proceres relinquerentur, impleuerat, habens annos circiter ſexaginta, contracta ex ſenio cœcitate, in opido ſuo *Goſtinin*, Sacramentis omnibus procuratus, moritur, & in Eccleſia *Plocenſi* maiori, iuſto honore, in choro ſepelitur. *Alexandra* autem relicta ſua, cum funus ſuum veſtibus valde pretioſis exornaſſet, & cingulo argenteo, & baltheo militari, ac gladio, caligis, ocreis, & calcaribus deauratis amiciſſet; ſtratum etiam illi molle & pretioſum in ſepulchro, & tecturam lecto imponens, collocaſſet; illicque corpus ſuum, barbarorum magis quam Catholicorum ritu condidiſſet; *Stanislaus Pawlowsky* tunc Epiſcopus *Plocenſis*, non tulit hanc abominationem gentilem; Sed cunctis ab officio funeris diſcedentibus, aurum, argentum, veſtes, lectiſternia, & cætera ornamenta de ſepulchro expoſuit, & in vſus diuinos & humanos con-

1426 conuertit. Reliquit autem idem Dux *Semouithus* quatuor filios, videlicet *Alexandrum* Epiſcopum *Tridentinum*, poſtea in Cardinalem Romanæ Eccleſiæ aſſumptum. *Semouitum Rauenſem*, *Wladislaum Plocenſem* & *Caſimirum Belzenſem*, Duces, miræ fortitudinis & elegantiæ viros, ex præfata *Alexandra* germana *Wladislai* Regis *Poloniæ* ſuſceptos, in quos diues natura multa prodigalitatis ſuæ dona & decora effuderat, quæ proceſſu temporis fuſca caligine obduxit. Nemo namque illorum quamuis clara & ſplendida coniugia fuiſſent ſortiti, ſucceſſorem reliquit. Suſceperat etiam ex eadem *Alexandra* conſorte ſua, idem Dux *Maſouiæ Semouitus* ſenior, quinque filias rari decoris, raræque formæ virgines. Quarum prima natu maior, *Cymbarka* nomine, nupſit *Arneſto* Duci *Auſtriæ* ſeniori, ex qua natus eſt *Fredericus* tertius, qui *Romani* Imperii gubernacula annis citra quadraginta tenuit. Secunda *Offka*, quæ cæteris forma anteibat, nupſit *Venceslao Theſnenſi* Duci. Tertia *Æmilia*, nupſit *Boguslao Stolpenſi* Duci. Quarta *Anna*, nupſit *Michaeli* Duci *Lithuaniæ*, nepoti *Alexandri Withawdi* germano, & filio *Sigismundi* magni Ducis *Lithuaniæ*. Quinta *Catharina*, in virginitate permanens vſque ad mortem.

1427 Natalitio Saluatoris apud *Grodno*, ſequentibus vero diebus apud nemora, venationi dando operam, *Wladislaus Poloniæ* Rex, exactis, ex *Lithuania* diſcedens, pro diebus Carniſpriuii in *Chelm* aduenit. Quibus abſumptis, in partes *Ruſſiæ* tranſiit; & Paſcha Domini apud *Przemisliam* celebrauit ſolitisq; ſtationibus vſus apud *Ruſſiā* aliquanto tempore conſtitit. Secunda autem die Martii, filius *Wladislai* Regis nouiter ſuſceptus, *Caſimirus*, apud *Cracouiam* mortuus, & in Eccleſia *Cracouienſi* ante altare Sancti *Eraſmi* ſepultus, afflictionem Regi, & conſorti ſuæ Reginæ *Zophiæ*, attulerat. Qui de illius exceſſu turbati, mœrori plus quam ſat erat, indulgebant. *Alexander* autem *Withawdus* magnus *Lithuaniæ* Dux, fœcunditatem *Zophiæ* Reginæ, quæ duobus filiis productis, etiam in eum annum vterum porrexerat, habens vehementer ſuſpectam, propter rumores, qui ad illum deferebantur, & *Wladislai* Regis decrepitam magis, quam ſenilem ætatem, de qua apud illum conqueri ſolebat, conuentum ſecum pro die Exaltationis Sanctæ Crucis agi, apud oppidum *Hrodlo* Regium obtinuit, diſſeminatis diuulgatisq; rumoribus prouiſurum, & famæ Regis & Reginæ conſulturum, cum fama impudicitiæ eam grauiter laborare conſtaret.

Caſimirus filius Wladislai moritur.

Withawdus Zophiam Reginam, ſuſpectam habens, comitia celebrat

Exaltationis Sanctæ *Crucis* feſto, in diem Solis eueniente, conuentio in *Hrodlo* oppido, ſupra fluuium *Bug*, per *Wladislaum Poloniæ* Regem, qui *Zophia* Regina apud *Medicam* Curiam dimiſſa, illuc venerat, & *Alexandrum Withawdū* magnum *Lithuaniæ* Ducem, habita eſt. Ad quam cum tantummodo Conſiliarii *Poloniæ* priuatim acceſſiti, & in ſententiis Regis & Ducis aſſentire ſoliti, conueniſſent, cæteris, A qui in dicendis ſententiis ſpectatæ fidei & libertatis noſcitabantur, ne impedimento forent, excluſis, *Alexander Withawdus* propoſuit, *ſe ex certis relationibus & auiſamentis, pro comperto accepiſſe, Zophiam Poloniæ Reginam, pudicitiæ laxatis habenis, nonnullis Palonorum militibus, per eum proprio nomine expreſſis, amore inordinato affectam eſſe: vererique ni celeriter gliſcenti malo occurſum fuerit, eam pro ſexus ſui fragilitate, in peiora, Regnum, Regem, & genus ſuum dedecorantia, præſertim cum ætas, forma, ſucceſſus felices, otium, rerum & ciborum abundantia, occaſiones ſubminiſtrent, prolapſuram:* B *captiuandosque milites, & Zophiam Reginam in ſtrictiori cuſtodia, parco caſtigatoque cibo vſuram, habendam.* Ea re affectus Rex, & ſinceritati famæ Regiæ, & Regni, prouiſurus, an *Zophiam* Reginam, ludibrio & confuſione vulgatiori, dudum illi iratus innodaturus *Withawdus* Dux cenſuerit, non ſatis poterat inueſtigare. Quam & mihi, cui tardius contigit ingenium, pro vero in partem alteram locare non placuit. Aſſenſum eſt & per *Wladislaum* Regem, & Conſiliarios præſentes, *Alexandri* Ducis propoſitioni, ſententiaque ſua cum laudatione excepta, ſecretiſſime decretum, vt & milites caperentur notati & certæ virgines, quarum contubernio *Zophia* Regina C frequentius vtebatur, ex Curia illius relegarentur, ipſaque *Zophia* in ſtrictiori cuſtodia haberetur. Quam etiam ſibi, cum militibus ſuſpectis, *Withawdus* Dux, leui atque mobili ingenio, depoſcebat mitti, præcipiti & rapido conſilio, in omnes grauius, quam cuiuſquam ferebat æſtimatio, animaduerſurus. Huius decreti executio illico poſita eſt: Et *Hincza* de *Rogow*, *Petrus Kurowski*, *Laurentius Zaręba*, de *Calinowa*, *Ioannes Kraska*; *Ioanne* de *Koniecz polye*, *Petro & Dobeslao* de *Sczekoczino* germanis, diffugientibus, capti, & in carceralibus vinculis notabili tempore habiti. Regina autem *Zophia* in ſuſpicionem *Wladislao* Regi per *Withawdum* Ducem adducta, vt pote qui eius D conditionem naturamque, dum in curia ſua verſaretur, dudum probe perſpectam habuerat. Virgines vero *Sczukowskye* duæ, *Catharina* videlicet & *Eliſabeth*, a curia *Zophiæ* Reginæ abſtractæ, & ad *Alexandrum Withawdum* in *Lithuaniam* deductæ, perpetuumque illic, viris acceptis, incolatum nactæ: de ſcelere thori violati diligentius inueſtigatæ ſunt, quæſtiones, niſi integram indicaſſent veritatem paſſuræ. Quæ dum ſuſpicionem, per ſecretorum confeſſionem tormentis expreſſam, in Reginam & milites confirmaſſent, ad capitis damnationem ſingulos, *Alexander Withawdus*, ni Conſiliarii aliqui *Poloniæ* reſtitiſſent, depoſcebat. Omnis ſiquidem Regia tam actio quam poteſtas, aut tranſlata videbatur in *Alexandrum Withawdum*, aut ſecum communi-

1427

in quibus eam adulterii ream agit:

& aliquot militares ſuſpecti captiuantur.

1427 nicata, propter virtutes & ſactiuitates plurimas, præcipue tamen propter honeſtatem, liberalitatem, & animi magnitudinem, ad quas ipſum natura ipſa magnum & excelſum Principem effinxerat: Duxque ipſe *Withawdus*, quam proprius Rex *Wladislaus*, *Polonis* meticuloſior, quod & in vltionem transgreſſionis ſubito exigendam foret pronior, & impetrandi, quæ vellet, apud Regem, dandique & auferendi, poteſtatem geminatam, apud illum magis, quam apud Regem, videbant conſiſtere. Tentabat autem *Hincza* de *Rogow*, qui amplius de ſtupro inſimulabatur, effugere. Qui in fuga comprehenſus, dum ſe ſuſpectiorem feciſſet, in profundum ſquallidæ turris apud *Chaczini* truſus, parum abfuit, vt animam non exhalaret, vinculis & fœtore agitatam.

Conuentione in *Hrodlo* expedita, *Wladislaus* Rex in terras *Ruſſiæ* rediit. Et autumni tempore apud illas exacto, in *Lithuaniæ* terras deſcendit, atque illic totam hyemem, venationi dando operam abſumpſit.

Zophia Reginæ

Zophia autem *Poloniæ* Regina, de adulterii nota, ſibi & ſuo nomini, ex captiuitate militum, & relegatione virginum, impoſita, vltra, quam credi poteſt, triſtis & anxia, fletibus & lamentis vacans, querebatur ſe ſiniſtre & per iniuriam infamatam. Ordinatione autem & iuſſu *Wladislai* Regis, ex terris *Ruſſiæ Cracouiam* ſe contulit, & die Saturni penultima Nouembris, in vigilia *S. Andreæ* Apoſtoli, tertium filium, a *Sbigneo Cracouienſi* Epiſcopo, die Solis vigeſima prima Decembris, videlicet in feſto *S. Thomæ* Apoſtoli, apud *Cracouienſem* Eccleſiam baptiſatum, & *Caſimirum* vocatum, effudit.

edito tertio filio,

Quemadmodum autem partus primi filii ſui, propriis fuit optabilis & gratiſſimus, forenſibus vero & vicinis formidoloſus & tremendus; ita econtrario huius natiuitas, propriis quidem erat moleſta & execrabilis, extraneis vero iucunda & hilaris, qui notam Reginæ & infanti inuſtam fabulis & irriſione proſequebantur. Ad quam abolendam, Conſiliariis ſentientibus, purgatio *Zophiæ* Reginæ meſexta manu indicta eſt.

Sacramenti purgatio de ſuſpicione adulterii indicta eſt.

Quam *Sbigneo Cracouienſi* Epiſcopo, *Criſtino* de *Oſtrow*, Caſtellano, *Ioanne* de *Tarnow* Palatino, *Cracouienſibus*, & *Nicolao* de *Michalow*, Palatino *Sandomirienſi* & Capitaneo *Cracouienſi*, accipientibus, per ſe, & ſeptem inſigniores fœminas & matronas peregit, videlicet *Catharinam Nicolai* Palatini *Sandomirienſis* conſortem, *Annam Sbignei* de *Brzezie* Marſchalci relictam, *Concham Iacobi* de *Konieczpolye* Palatini *Siradienſis*. conſortem, *Hedwigim Ioannis Glowacz* Palatini *Maſouiæ*, *Klichnam Nowogii* de *Mokrsko* relictas, *Helenam* conſortem *Pauli* de *Bogumilowicze* Iudicis *Cracouienſis*, & *Helenam Kothka* virginem, *Floriano Paczanowsky* poſtmodum deſponſatam. Erat ea tempeſtate in *Cracouienſi* ſtudio, Magiſter *Henricus* genere *Bohemus*, in Aſtronomica arte, tam natura quam doctrina ſingulari præditus. 1427 Hic ad Reginam *Sophiam* in primo, ſecundo, & tertio puerperio miſſus, *primogenitum Wladislaum, multorum Regnorum & Dominiorum Principatum nacturum, ſi fata æuum illi longius non inuidiſſent. Secundo genitum Caſimirum, genitricis ſuæ feruidiſſimum amatorem, ſed æui breuiſſimi. Tertio genitum Caſimirum, longioris quidem, quam reliquos, vita, ſed parum proſperæ fortunæ; ſub cuius regimine Poloniæ Regnum, ad caſus varios, & ad interitum prope, niſi propitiatio Diuina illud conſeruauerit, prouenturum*, ex cœli aſpectibus cuilibet natiuitati comproportionatis, aſtruxit, & ſub infelicis auſpicii ſidere, & conceptum & exortum nunciauit.

Prognoſticum de tribus filiis regiis

Ioannes Pella Wladislauienſis Epiſcopus, cum annos ſex, menſes quinque ſediſſet, die Lunæ vigeſima quarta Aprilis, alias feria ſecunda Paſchæ, in *Wladislauienſi* ciuitate, paralyſi tactus, moritur, & in *Wladislauienſi* Eccleſia ſub vrna ærea, in corpore Eccleſiæ vigeſima quinta Aprilis ſepelitur.

Ioanni Pella Epiſc. Wladislau.

Poſt cuius mortem Capitulares *Wladislauienſes*, electione, pro die Pentecoſtes, quæ in vltimam diem Maii cadebat, inſtituta, *Ioannem Schafranyecz* de *Luczicze* Decanum *Cracouienſem*, Regni *Poloniæ* Cancellarium, natione *Cracouienſem*, genere Nobilem, de domo & ſtirpe antiquorum *Equorum*, ex patre *Petro Subdapifero Cracouienſi*, & matre *Kochna*, genitum, petente *Wladislao Poloniæ* Rege, eligunt. Qui eodem anno a Papa *Martino* quinto, *Petro* de *Lamburga* Licentiato in Decretis, Archidiacono *Cracouienſi*, ſolicitante, fuit de eadem Eccleſia prouiſus.

ſuccedit Io. Schafranyecz.

Feria ſexta ante Dominicam *Cantate Bohemorum* hæretica prauitate infectorum exercitus, *Sleſiam* ſignis infeſtis ingreſſus, oppidum *Lubin* conquirens, multis Eccleſiaſticis & ſecularibus, crudeli cæde illic peremptis, altera die oppidum *Golthperg* exuſſit.

Huſſitæ Golthperg exurunt.

Peractis Natalis Domini diebus *Wladislaus Poloniæ* Rex apud *Vilno*, & ſolitis perfunctus venationibus, in Regnum *Poloniæ* rediit, 1428 & pro die Carniſpriuii *Iedlnam* venit: quo ad illum frequens Prælatorum & Baronum *Poloniæ* numerus confluxerat. Cum quibus negotiis publicis Regni ordinatis, & compoſitis, ex *Iedlna* per ſolita loca, ſub diebus Quadrageſimæ in *Niepolomicze*, deinde *Bochnyam* perueniens, nonnullis Prælatis & Baronibus præſentibus, de introitibus Saliſodinarum, ab *Anthonio* de *Florentia Italo*, rigidam exigit rationem.

Wladislaus Rex a Zuppario rigidam exigit rationem.

Ex *Bochnya*, prætærita *Cracouia*, ad partes *maioris Poloniæ* diuertit, & Paſcha Domini apud *Caliſch* celebrans, omne æſtatis tempus in partibus *maioris Poloniæ* exegit.

Sleſiæ Principes, magna formidine ſuper bello

1428 bello, quod ipſis, & eorum Ducatibus, *Bohemos* hæreticos de *Viclephitarum* ſecta, quod aduerſus illos, auxilium *Sigiſmundo Romanorum* & *Hungariæ* Regi præſtituri, arma ſumpſerant, propediem illaturos, rumor & fama vulgauerat, acti, Summi Pontificis *Martini* quinti, & *Sigiſmundi Romanorum* Regis præfati, defenſionem & ſuffragia, frequentibus literis & Nunciis expetebant. *Martinus* itaque Papa, onerosum ſibi ratus, pro *Sleſitarum* pace Nuncios ex Vrbe mittere, *Sbigneo Cracouienſi* Epiſcopo ſcribit, quatenus ſua Interpoſitione bellum *Bohemicum* a *Sleſiæ* Ducibus auertat. Et licet *Sbigneus Cracouienſis* Epiſcopus, mandatis parendo Apoſtolicis, contentus erat pro pace *Sleſiæ* ſubire quoſcumque labores & impenſas; idque *Conrado Wlatislauienſi* Epiſcopo, cæteriſque *Sleſiæ* Principibus, per literas ſpeciales, ſpem optimam afferentes ſignificauerit; *Conradus* tamen *Wratislauienſis* Epiſcopus, & *Sleſiæ* Duces, nihil penſi ponentes in huiuſmodi oblatione, reſpondebant ſe illa penitus non indigere, exiſtimantes illam in *Bohemorum* magis fauorem quam ſuum offerri. Electores enim Imperii, & Principes *Germaniæ*, conuentu frequenti apud *Nurembergam* celebrato, *Martini* quinti Papæ perſuaſione ſolicitati, expeditionem in *Bohemos* hæreticos indixerant, præſentiam *Sigiſmundi Romanorum* & *Hungariæ* Regis, quem in bellis, præſertim contra *Bohemos* ſuſceptis, parum felicem aſtruebant, peroſi, quaſi illius præſentia clades tranſactas, a *Bohemis* acceptas, cauſaſſet; pro qua fortius feliciusque gerenda, omnis pene *Rhenus* arma induerat: *Sleſiæ* quoque Duces ab Electoribus accerſiti, in id bellum ſe accingebant. In hanc itaque ſpem, interpoſitionem pacis, per *Sbigneum Cracouienſem* Epiſcopum oblatam, faſtidiebant. Vltima quoque neceſſitate *Bohemos* impulſos, pacem a ſe petituros credebant. Sed & in *Polonos* agebant probra, tum demum *Polonos* pro *Bohemis* interpoſitionem facere aſtruentes, cum intelligerent illis finalis excidii inſtare diſcrimen. Abiectis itaque quietis conſiliis, parabant ſe & ſuas gentes in arma, Electoribus Imperii ſubſidium laturi. Electores autem Imperii iuxta conſtitutum tempus, graui & multifario exercitu ex omni *Almania* congeſto, *Henrico* Cardinali *Angliæ* Epiſcopo *Vinthonienſi*, cum mille *Anglorum* arcubus illis ferente auxilium perſonale, in *Bohemiam* ire pergunt. Erat exercitus ingens, vix ferendus non ad vincendum tantummodo, ſed etiam ad euertendum *Bohemiam*, ſatis virium habere creditus, trifarie ordinatus: *Saxoniæ* Duces, & quas vocant *Stagnales ciuitates*, in primo loco militauere. Secundus ex *Franconino* conſtituus, Marchione *Brandeburgenſi Frederico* illum ducente. Tertium regebat *Treuerenſis* Archiepiſcopus, in quo *Rhenenſes*, *Bauari*, & ciuitates *Sueuorum* ordines acceperant. Qui *Bohemiam* ingreſſus, igne & gladio oppida & villas conſumens, crudeli cæde in quoslibet *Bohemos* debacchatur. Cinxit autem ciuitatem *Taczow* obſidione, quam fatigatam deditione accepit. *Procopius* tandem *Bohemus*, eorum, qui peſte hæretica deprauati fuerant, Dux, & *Biedrzich*, fortis ignotæ & obſcuræ Preſbyter, *Orebitarum* Ductor, propter notam tamen felicitatem, & diſciplinæ militaris peritiam, ſingula bella apud *Bohemos* hæreticos adminiſtrantes, collecto, quo fortiori valebant, exercitu, in quo maior pars agreſtium fuerat, contra Electores Imperii, & exercitum eorum procedunt. Et nondum ab oppido *Taczow* digreſſos offendentes, decernere cum illis, ne ſuis diffidentia creſceret, quamprimum ſtatuunt. Ignoto autem & occulto Dei iudicio, tumultus temere exortus, omnem *Catholicorum* exercitum in trepidationem egit, omniſque ille *Almanorum* & *Anglicorum* numeroſus & fortis exercitus, ad aſpectum duntaxat venientium *Bohemorum* expauit, menteque conſternatus, fugam pro prælio iniit, ac omni quidem opulentia ditia caſtra, luxum magis, quam bellicum apparatum, oſtentantia, prædanda hoſti reliquit. *Bohemi* ingenti præda atque victoria, abſque vllo congreſſu potiti, fugientes nihilominus *Almanos* & *Anglicos*, per ſiluam magnam *Bohemiam* a *Bauaria* diſterminantem, perſequebantur: multoſque mortales illic aut trucidarunt, aut captiuarunt fugientes; plures quoque ægrotos & vulneratos ex *Almanis* & *Anglicis*, qui apud *Taczow* curabantur, miſerabiliter peremerunt. Veniebant & *Sleſiæ* Principes cum notabili exercitu, Electoribus in ſubſidium, bombardis & quadrigis, cæteriſque armis & propugnaculis haud indecenter fulciti. Dumque finibus *Bohemiæ* appropinquarent, omnium eorum quæ Electoribus acciderant, ignari erant. Cognita tandem Catholicorum, *Almanorum* videlicet & *Anglicorum* turpi fuga, magno & ipſi occupati tremore, certatim vnus alium præuenire contendens, quadrigis & bombardis, quæ celeritatem non capiebant, ſubſequi ſe iuſſis, in caſtra & munitiones ſuas, ſibi quiſque conſulens, præcipiti feſtinatione ferebantur. Nondum *Henricus* Cardinalis *Vinthonienſis* in exercitum *Almanorum* aduenerat, quando fuga fieri cœpta eſt. Sed ad oppidum *Taczow* fugientibus occurrens, admiratus tot Ducum, tot fortium virorum pauidam fœdamque fugam, magnis precibus, *vt redirent in hoſtem, omni ex parte debiliorem*, hortabatur. Quod cum fruſtra niteretur, & ipſe cum ſuis *Anglicis*, turpis fugæ comes effectus eſt. *Bohemi* non ſolum caſtris & diuitiis ingentibus, ſed & machinis quoque bellicis, quas *Almani* apud *Taczow* dimiſerant, potiti ſunt. Exinde *Miſſchnam* populati, cum per *Franconiam* redirent, ne *Brandeburgenſem* agrum,

Electores, — *accerſitis Sleſiæ Ducibus* — *collectoque ingenti exercitu* — *Bohemiam ingrediuntur* — *Sed vix in prima acie hoſtem conſpicati* — *repente diffugiunt,*

1428 *Nurembergenſemque* vaſtarent, pecunia placati, diuitem exercitum reduxere.

Bohemi vaſtant Sleſiam. Pulſo a finibus ſuis *Bohemiæ*, *Almanorum* & *Anglicorum* exercitu, felicitate ſucceſſuum elati, æſtate eadem, irati in *Sleſiæ* Principes, quod Electoribus Imperii, contra ipſos ſubſidium ferre proceſſerant, conſurgunt. Et *Sleſiam* ingreſſi, nullo ex Principibus *Sleſiæ* reſiſtere auſo, ipſam crudeli cæde & incendio depopulantur, oppida vero ac villas ſuccendunt, ac in populum vtriusque ſexus, nulli deferendo conditioni, ingentem ſtragem edunt. Tunc terror grandis *Sleſiæ* Principes inuaſit, tunc non in commune, ſed pro ſe quiſque conſulens, debiles munitiones & oppida ne hoſtis illis potiretur, demoliebantur, B fortibus vero addebant munimen. Ceperant autem *Bohemi* per expugnationem oppidum *Nyempcze*, quod *Petrus Poliak* in tenutam ab eis accipiens, multitudine gentium ciuitate communita, totam viciniam ſibi fecit longo tempore tributariam. Sed & omnia ciuitatis *Wratislauienſis* ſuburbana, coegit in tributum. Et licet aliquot vicibus *Sleſiæ* Duces & ciues *Wratislauienſes*, prædictum oppidum *Niempcze* obſidione cinxiſſent, & obſidionem aliquanto tempore continuaſſent, tamen illius conquiſitio, defenſoribus probe reſiſtentibus, non poterat prouenire. Capto deinde *Petro Poliak* in congreſſu ſingulari, per *Wratislauienſes*, deditio oppidi *Nyempcze* ſperabatur. C Quæ cum non reſponderet, gentibus *Petri Poliak* in *Wratislauienſes* graſſantibus pertinacia ampliori, *Wratislauienſes* ſalubri vſi conſilio, *Petro Poliak* ſoluto, & inſuper aliquot millibus florenorum eidem ſolutis, oppidum *Nyempcze* recuperant, & ne de cætero fieret hoſtibus in præſidium, muros illius turresque demoliuntur. Ita *Sleſia*, quæ benignam viſitationem ſui Metropolitani Archiepiſcopi *Gneſnenſis* abnuerat, *Bohemorum* magis rigidam & crudelem perferre coacta eſt; euaſiſſe hæreticam credita, ſi Catholicam non renuiſſet. Vaſtatæ ſunt autem eo bello incenſæque ac direptæ inſigniores *Sleſiæ* ciuitates, videlicet, *Maior Glogouia*, *Falkemberg*, *Czegenbolcz*, *Veydna*, *Paczkow*, *Kamienyecz*, *Henrichow*, *Frankenſten*, *Brega*, *Oppol*, *Koti*, *Neumarkt*, *Heynow*. Monaſteria inſuper & loca ſacra, fracta & diruta. Ante ciuitatem quoque *Wratislauienſem* hæreticorum exercitus conſtitit; & multis incommodis ciuitatem affligens, eius quoque ſuburbia exuſſit.

Sigismundus Romanorum Rex, crebris epiſtolis & Nunciis Papæ *Martini* quinti, ſolicitatus, *vt velut Aduocatus Eccleſiæ, in Bohemos hæreticos, Eccleſiam Dei peſtifero dogmate, & fideles Chriſtianos armis infeſtantes, conſurgeret, & illorum reductioni vel exterminio, ſolicitam operam daret*; collecto ex *Polonis* & *Hungaris* exercitu, in *Turcorum* proceſſit confinia, illicque manſionem ſuam conſulto diebus pluribus continuauit, vt occupationem licitam habere viſus, minus carpi poſ- 1428 A ſet, quod *Bohemis* hæreticis bellum non intuliſſet. Ad expugnandum deinde caſtrum *Golubiecz* ad vada *Danubii* ſitum, quo *Turci* fuerant nouiter potiti, ire pergunt. *Deſpothus* ſiquidem *Raſciæ*, pridem morte abſumptus, vni ex militibus ſuis *Raſciano*, caſtrum prædictum *Golubiecz* commendauerat moriturus. *Caſtrum Golubyecz* Qui *Sigismundum* Regem conueniens, precabatur, *vt ſibi duodecim millia aureorum, per Deſpothum pro ſuis obſequiis & meritis inſcripta, exolueret, & caſtri Golubiecz ab eo ſuſciperet reſignationem.* Quod *Sigismundus* Rex, licet id ſibi per *Hungaros* & *Polonos* magnopere ſuaderetur, facere detrectans, *Raſcianum* militem repulit cum iniuria & indignatione, aſſerens *inſcriptionem debiti falſo finxiſſe, ſcripſiſſeque, & cum Sigillum Deſpothi in eius arbitrio foret, falſo conſignaſſe.* *a Sigismundo emi recuſatum,* *Raſcianus* itaque & repulſa & ignominia irritatus, ad *Turcos* defecit, & traditionem caſtri *Golubiecz* pactus, duodecim florenorum millia accepit. *a Turcis emitur.* Quod *Turcorum* Cæſar ſibi viceuerſa commendauit; quodque *Raſcianus* ipſe ab oppugnatione *Sigismundi* Regis ſtrenue defendit. *Quod cum Sigismundus oppugnaret,* Cæſar interim *Turcorum Omarath*, audiens caſtrum *Golubiecz*, ſuæ iam ditionis factum, oppugnari, notabili fretus exercitu, contra *Sigismundum* Regem proceſſit, cuius aduentu *Sigismundus* Rex ab exploratoribus comperto, ſoluta obſidione, potentiam *Turci* veritus, retroceſſit: & *Danubio* ſuperato in terram *Tranſyluanienſem* cum maiori exercitus parte ſe recepit. *Turcæ ſuis auxilio veniunt, abſcedente Sigismundo.* Remanſerant exercitus ſui copiæ minores, quæ propter paucitatem nauium nequiuerant traduci. Inter quas plures inſignes milites, e quibus *Zauiſſius niger* de *Garbow* Capitaneus *Scepuſienſis* vnus erat. Cuius *Sigismundus* Rex, pro virtute & ſtrenuitate ſingulari, quæ illi omni æuo inerat, curam gerens, cum exercitum *Turcorum* noſſet relictis imminere, ſcapham mittit, iubens, *vt ea conſcenſa, imminens periculum declinaret.* Ve- D rum ille, vt erat honoris militaris curioſus cuſtos, atque obſeruator, comites ſuos, quos in mortis faucibus eſſe viderat, deſertum iri indignum ducens, periclitari cum illis delegit. Itaque propria ſalute neglecta, naui quoque ad traiiciendum a *Sigismundo* Rege miſſa, repulſa, arma induit fulgentia. Et paruo equo conſcenſo, duobus tantummodo pedeſtribus ſtipatus, haſtam vibratam gerens, exercitui *Turcorum* obuiam proceſſit. Et illico a *Turcis* circumfuſus, cum Rex aut Princeps crederetur, propter micantia arma, & nigræ aquilæ medietatem, quam in veſtitu militari, arma circumdante, deferebat pro inſigni, comprehenſus eſt. Dumque captus, galea depoſita, capite nudato, Cæſari *Turcorum* præſentandus duceretur, grauis inter du-

1428 duos *Turcorum* milites contentio, cuius eſſet captiuus, exorta eſt vtroque illum, propter pondus Regiæ Maieſtatis, quod habere credebatur, ſibi vendicante. Sed dum inferior potentiori non poſſet reſiſtere, framea exerta, caput *Zauiſſio* amputauit. Indignum credo indicante Deo, vt miles Chriſtianiſſimus in Ethnicorum haberetur poteſtate. Ita miles inſignis, ſuæ ætatis temporibus nulli ſecundus, occubuit. Caput ſuum Cæſari *Turcorum* delatum eſt, cadauer exanime armis ſpoliatum, *Raſciani* mandarunt ſepulturæ. Plurimi mortales in ea cecidere pugna, ſed nemo nobilitate & heroicis actibus *Zauiſſio nigro* præſtantior, non eo tantummodo prælio quo captus occubuit, ſed in omnibus præliis miles celeberrimus atque fortiſſimus habitus, omne virtutis opus, nullo inæmulato, imitatus. Cui ſermonis inerat ſuauitas, lepor, & affabilitas, ita, vt non ſolum virtuoſos & nobiles, verum etiam barbaros, ſua comitate ad ſe pelliceret. Difficillimo virtutis genere pollens, vt & imprimis prælio ſtrenuus eſſet, & conſilio atque moderatione optimus miles, pro ſuis heroicis actibus, non mea ſolummodo tenui & arida, ſed *Homerica* etiam laudatione digniſſimus. Cui ad ſummam indolem, etiam peritia diſciplinæ militaris acceſſerat, quam in variis Regnis, dum illa militiæ cauſa adibat, aut arte, aut ingenio, aut vſu ceperat. Cuius virtuti in maiorem, vt arbitror, fulgorem, celebritatemque efferendam occaſionem fortuna præſtitit, vt tali morte occiſus, eniteſceret magis quam interiret. Cui viuere fuit miſerrimum, mori beatum. Ad cuius felicitatis cumulum, etiam conſors raræ virtutis, *Barbara*, neptis germana *Petri Viſcb Cracouienſis* Epiſcopi, acceſſerat, in filiorum prole fœcunda. Quæ marito amiſſo, veſtem lugubrem ſemel indutam, nunquam exuit, cuius ſemel ſumptum lamentum mors finiuit. Virtutes eius viri, *Sigismundus Romanorum & Hungariæ* Rex ſæpe miratus, dum viueret, dicere ſolitus erat pro vſurpato, & velut vir induſtrius, & in coniectura perſpicaciſſimus, frequentius ingeminare, penſatis eius operibus & virtutibus; Multorum Regum e vita exceſſum, non tam clarum & vulgatum, quam *Zauiſſii* nigri, celebrem futurum. Quod & rei comprobauit effectus, nec eum fefellit. Nam & pro fide *Chriſti* aliis turpiter diffugientibus, mori promeruit, & mortem ſuam apud vniuerſam Chriſtianitatem fama vulgatam, & ſonoram, occaſu ſuo perſonuit. Captus & tunc fuit *Petrus Voda* de *Sczekoczin* miles de domo & familia *Odrowaſz*, pluresque alii ex *Polonis* milites, qui fugere æque turpe putabant, clementia tamen Dei, & *Sigismundi* Regis opera, a captiuitate redempti. *Zauiſſium nigrum* militem, velut quoddam inſigne ſuum decus & ornamentum, longo tempore deflebat *Polonia*. Quem poſteritati imitandum commendatura, tali illum, actusque ſuos, ne vetuſtate obruerentur, extulit Epigrammate. 1428

Ubi etiam Zauiſſius de Garbow moritur.

Epitaphium Zauiſſii nigri de Garbow.

Arma tua fulgent, ſed non hic oſſa quieſcunt,
Diuæ memoriæ miles, o Zauiſcba niger.
Alti quidem generis fueras, ſed altior actis,
Miræ virtutis honos, patriæque decus.
Non tuæ virtutis cumulum, non merita laudis,
Non magni animi ſcribere geſta paro,
Nec enim exigua poſſent membrana teneri;
Fama tuæ laudis orbe celeberrima toto.
Sed ſibi quis fuerit finis, quo vulnere mortis
Ceſſeris e vita, tenui plectro canam.
Anno milleno, quadringenteno, viceno,
Bis quater adiunctis, fato, heu flebili cunctis,
Arma parari iubet in Teucros, milite multo,
Rex Sigismundus Romanorum Hungariæque,
Dum caſtrum Golubyecz in ſummo culmine ſitum
Montis, quem lauat præceps Danubius vndis,
Expugnare quærit, viribus fugatus, & armis,
Danubii valido pulſauit remige fluctus,
Non te deſeruit, ſed cedere nolle dicentem,
Admonuit; Sed tu, honoris maxime cuſtos,
Turpe ratus crimen, ſine te ſi cæſa fuiſſet
Pars comitum, quam tu mortis in faucibus eſſe,
Videras, & nullam illis ſupereſſe ſalutem,
Cum ſplendent campi, fulget Mauortia virtus,
Pulueres inſurgunt, ſonat mugitibus æther:
Quam bellum ingens oritur, quantumque cruoris
Profluit, cum totis ſternuntur corpora campis,
Dum te fulmineo enſe, animoque feroci,
Inque tuis videt auro fulgentibus armis,
Teucer ait: Nunquid Thetydis ſæuiſſima proles
Quam atrox multis tenuit iam ſeculis Orcus,
In cædem Phrygiæ, herebi ſoluta catena,
Item adeſt noſtris vel hoſtis viribus Aiax,
Cerno animum trucem, cerno Vulcania arma
Quis ſit, ignoro, in his Mauortius heros?
Dum clypeo haſtaque ferox ſic furit in hoſtes,
Innumeros caſſis Spartarum pertulit ictus,
Et loricæ ſquammas telorum reſecat imber.
Occidis ergo, tuis reſupinus cadens in armis,
Purpureum vomens ſpiritum cum ſanguine mixtum.
Heu tuos exangues, inhumatis oſſibus artus,
Crudelibus feris, roſtris volucrumque trahendos
Fatum triſte dedit. Præciſa corpore ceruix
Ad Cæſarem fertur, fœdata puluere Teucro.
Credo, tuum Patriæ non ſufficit plangere caſum,
Cuius eras Sydus, quascunque verſus ad oras.
Dum tua magnifica & fortia geſta recordor,
Impetus vndarum ortus de pectore triſti,
Defluit in vultus, & fletibus ora rigantur.
O qui totius monarcha diceris orbis!
Quis tibi tunc animus fuerat, poterasne videre
Cædi tuos milites, te ſpectatore, tuisque
Graui ſuſpirio caſum fleuiſſe tuorum?
Te reor & fronti oppoſuiſſe manum.
Vosne felices, quos ſors a morte redemit,

1428 *Neſcio, o milites, dicam, an verius illos*
Qui ferro cecidere, ſimul cum corpore pœnas
Finiere ſuas, vos longa pericula vecti,
Inedia miſeros præbetis ferro lacertos,
Nec ſpes vlla vobis proprios videre Penates.
Mors magis optanda fuerat, quam miſera vita,
Quæ cruciat ſpiritum: vtinam in fide relinquat.
O quos incolumes melior fortuna reduxit,
Poſt pœnas varias, poſt dura vincula ferri,
Nimium felices vitiis iam certe relictis,
Pro tanta gratia ſacrificate Deo.
Illius memores animæ, qui vna vobiſcum
Ferre caſus maluit, quamuis tunc viuere poſſet.
Vt Deus omnipotens, intactæ virginis infans,
Suſcipiat Spiritum pro ſuo ſic nomine fuſum,
In Poli patriam; vbi lux & vita perennis.

Fuit autem huiuſmodi epitaphii dictator, *Adam Swynka* de *Porcariorum* domo nobilis, & Regius Notarius, Canonicus *Cracouienſis*, ſcribendi Spiritu *Pierico* peritus: plura editurus in ornamentum patriæ opera, niſi illum mors immatura rapuiſſet.

Ex *maiori Polonia*, *Wladislaus Poloniæ* Rex in terras *Cracouienſes* reuerſus, diem feſti Aſſumptionis *S. Mariæ* Virginis, in *Viſlicia* celebrauit. Ex *Viſlicia* vero *Sandomiriam* proceſſit, & diem Natiuitatis *S. Mariæ* illic egit. Quo cum ad ſuam Serenitatem *Photinus* Archiepiſcopus *Kiiouienſis* natione & ritu *Græcus*, cum magnifico ac ſplendido apparatu & familia, ad diſponendum certa Eccleſiæ ſuæ negotia veniſſet, diebus pluribus honorifice habitus, & pretii alti muneribus donatus eſt. Ibi Duces *Maſouiæ*, *Semouithus*, *Caſimirus* & *Boleslaus*, *Wladislao* Regi & Regno *Poloniæ*, in corona & ornamentis Regiis in thalamo, circa turrim caſtri *Sandomirienſis* præparato, cum omnibus ſuis terris & vaſallis, fecerunt publicum fidelitatis & ſubiectionis homagium, vexillis tam ſuis quam ſuorum, non ſine lachrymarum imbre, in conſpectu Regis, fractis, & in terram proiectis, præſtito immediate fidelitatis corporali iuramento. Ex *Sandomiria* Rex in *nouam ciuitatem* diuertit.

Duces Maſouiæ Poloniæ Regi fidelitatem iurant.

Miroslaus Epiſcopus *Poſnanienſis*, *Romæ* moritur, & in Eccleſia Sanctæ *Mariæ* de *populo*, in parte dextra altaris maioris honorifica tumulatus eſt ſepultura. Poſt cuius mortem, per *Martinum* Papam, ad crebras petitiones *Wladislai* Regis, *Stanislaus Cziołek* Regni *Poloniæ* Vice-Cancellarius de *Poſnanienſi* Eccleſia prouiſus eſt, & a *Sbigneo Cracouienſi* Epiſcopo, in noua ciuitate *Korczin*, die Solis vigeſima nona Auguſti, in præſentia Regis conſecratus. Nobilis de domo *Taurorum*, ex patre *Stanislao* milite de *Oſtrołka*, natione *Sandomirienſi*, arte poetica naturaliter pollens.

Ex *noua ciuitate*, Rex *Sandomiriam*, exinde in *Lublinenſem* & Ruſſiæ terras deſcendens, pro die *S. Martini* in *Niepołomicze* ex *Ruſſia* aduenit, frequentemque Prælatorum & Baronum Regni conuentum tenuit. Miſſæ & tunc fuerant plures literæ, fere omnibus Prælatis & Baronibus Regni inſignioribus, per *Sigismundum Romanorum* & *Hungariæ* Regem, in *Niepołomicze* allatæ: In quibus queri de *Wladislao* Rege grauiter viſus eſt, quod ſibi in expeditione contra *Turcos* conſtituto promiſſum ſubſidium non tulerit. Sed facilis fuit ad hanc querelam reſponſio, quæ etiam dudum fuit *Sigismundo* Regi intimata. Miſerat enim *Wladislaus Poloniæ* Rex anno tranſacto promiſſum ſubſidium, quod vſque ad *Danubium* peruenerat, & tempore notabili eius aduentum expectans, fatigatum, reuerſum eſt. *Sigismundus* autem Rex de hac iuſta reſponſione parum contentus, continuis querimoniis & literis *Wladislaum* Regem incuſando, carpebat. Propter quod *Withawdus* magnus Dux *Lithuaniæ*, cui etiam queſtus de re ipſa fuerat, conuentionem mutuam agere, & irritatum animum *Sigismundi* Regis, placida oblatione ſopire, ne bella inter Regna conſurgerent, multipliciter conſuluit & perſuaſit. Paritumque fuit ſuæ perſuaſioni, nemine ſatis ſuſpicari audente, perſuaſionem ipſam alicuius prauæ intentionis, continere mixturam. Sed & *Sigismundus Romanorum* & *Hungariæ* Rex, conuenire cum *Withawdo* varie exoptabat, eo reſpectu, quod ſummam rerum in eum verſam viderat, permotus: Ad omnes ſiquidem legationes, ſed præſertim ad eam, in qua de promiſſo ſubſidio Rex *Sigismundus* querebatur, *Wladislaum Poloniæ* Regem, reſpondere ſolitum, non poſſe aliquod certum dare reſponſum, fratre ſuo *Withawdo* non conſulto, plurimum illi æſtimationis diminuens, *Withawdo* adiecit. Fertur enim in ſuo ſecreto conſilio *Sigismundus* Rex, vt erat vir induſtria & prudentia plenus, dixiſſe. *Video*, inquit, *Wladislaum Poloniæ Regem, virum purum & ſimplicem eſſe, & omnes eius actiones ex arbitrio Withawdi Ducis pendere, Withawdus igitur mihi conciliandus eſt, vt illius authoritate, & hunc conteram, ac ſub iugum mittam, & quæ velim, perficiam.* Neglecta itaque *Wladislai Poloniæ* Regis amicitia & liga, ad Ducem *Withawdum* ſe totus conuertit, & per plures Nuncios, crebrius in id tempus miſſos, effecit, vt, Duce *Withawdo* operante & practicante, conuentio in *Luczko* pro die Epiphaniæ conſtitueretur, ad quam ambo Reges, & *Withawdus* Dux, conuenirent. Ex *Niepołomicze*, *Wladislaus* Rex, per ſolita in *Lithuaniam* diuertit loca, & illic omne tempus ante feſtum Natalis Chriſti abſumens, conuentionem *Lucenſem*, pro die Epiphaniæ, Ducis tantummodo *Withawdi* conſilia ſecutus, parum caute agi conſenſit. Prælatiſque & Baronibus ſuis, *Poloniæ* conſenſum & concluſionem præfatæ conuentionis *Lucenſis* ſignificans, mandauit, vt ad præfatam conuentionem venire tempeſtiue ſe diſponerent.

Conuentus in Luczko indicitur.

Ianuſ-

1428 1428

Ianuſſius Maſouiæ Dux moritur.

Ianuſſius Maſouiæ Dux, die ** menſis Nouembris moritur, & in Eccleſia Collegiata *Varſchouienſi*, quam ipſemet ex Parochiali in collegiatam erexerat, & certis prouentibus dotando inſigniuerat, ſepelitur. Homo inter ſuæ ætatis Principes ſapientiſſimus & inſignis. Qui iuſta faciendo iudicia, terram ſuam in optimam reduxerat culturam. Adeo in gubernatione terræ ſuæ modeſtus, vt ſpeculum cæterorum nominaretur & exemplar.

Miſſnenſes Bohemiam ingreſſi

Marchio *Miſſnenſis Fredericus*, congregato notabili ex ſuis gentibus & aliis nationibus, exercitu, venit contra *Bohemiam*, expeditionemque in *Bohemos* hæreticos, ciuitatem ſuæ ditionis & Dominii *Bruk*, in *Bohemico Moſt*, graui obſidione prementes, mouet, confidens triumphalem gloriam & brauium, in conſpectu Dei & hominum, pluribus Principibus negatam, ſe adepturum. Audientes autem *Bohemi* Marchionem aduenire, campum contra illum inſtaurant. Et licet in paruo numero & robore exercitus ſibi occurrerit, committitur tamen graue prælium inter vtroſque. Et ambigua ſtante pugna, per horas plures cadebant hinc inde interfectorum & vulneratorum frequentia corpora. Certabant *Miſſnenſes* & *Almani*, cum pro vita, tum pro gloria, & non modo pares *Bohemis*, ſed ſuperiores eſſe cœperant, licet æſtus maximus, & feruor ſolis intenſus, *Miſſnenſibus*, qui grauem armaturam ferebant aduerſaretur; *Bohemis*, qui leuiter erant armati, faueret. Iamque *Bohemi*, animoſe *Miſſnenſibus* prælium proſequentibus, victoriam tradere, & ex curribus fugere cœperant. Et *Miſſnenſes* ſe iam certam obtinuiſſe victoriam exiſtimabant, cum ſubito Dux *Sigiſmundus Coributh Lithuanus* cum *Polonis* adueniens, laborantibus & deficientibus *Bohemis* ſubuenit, & *Miſſnenſes* de victoria exultantes compreſſit & perdomuit.

a Bohemis funduntur.

Dimicationeque reintegrata, in fugam vertit. Cæſa tunc fuere *Miſſnenſium* multa millia: cum fere per integram diem prælium illud atrox, ancipiti euentu duraſſet. Tunc quoque *Almanorum* vigor & virtus confracta, nec expoſt aut ante tam feroci, & multiplicato Marte inter *Bohemos* & *Almanos* conſtat pugnatum. Abindeque *Bohemos* iuuadendi, *Almanis* animus ablatus, terrorque & metus incuſſus; *Bohemis* e contrario animus & voluntas cumulatior propiore acceſſit.

Withawdus Nouogrodenſes Ruthenos in ordinem redigit.

Dux magnus *Lithuaniæ Alexander Withawdus*, intelligens *Nouogrodenſes Ruthenos*, diuitiis & theſauris abundare innumeris, ſciensque illos pacificos & imbelles, velut tantummodo crapulæ, lucris, & ventri operam dare ſolitos, bellum ipſis indixit, & expeditionem notabilem & ſumptuoſam contra illos mouit, cauſam quidem belli in occaſionem & colorem, quaſi ſibi & ſuis Dominiis, in limitibus iniuriam irrogaſſent. Re autem vera, vt gloriam ſui nominis diffunderet, & prælatos *Nouogrodenſes*, qui per ſe communitatem faciunt ampliſſimam, nulli Regi aut Principi deditos, ſibi ſubiugaret. Non illum ſumptuum aut impenſarum magnitudo, non belli varius euentus, non prolixitas, non difficultas itineris, nec ætas per ſe decrepita, a propoſito recouarunt. Sed collecto ex *Polonis*, quos ad id bellum per literas & Nuncios ſingulariter acciuerat, item ex *Lithuanis* & *Ruthenis* grandi exercitu, contra *Nouogrodenſes* proceſſit: proceſſum ſuum & iter *Nouogrodenſibus* magis irridentibus, ſuperbaque contemnentibus reſponſione. Sita eſt enim *Nowogrod* in locis demiſſis & paludinoſis, quam ab omni parte lacus & ſtagna, paludesque cingunt & muniunt. Nec poſſibile rebantur *Nouogrodenſes*, æſtatis tempore exercitum, ſiluas, lacus, & paludes, vix ipſis auibus & feris acceſſibiles, poſſe tranſire, & in *Nouogrodek* penetrare, cum mercatoribus ad illa loca non ſit alio tempore, niſi hyeme valida aquas conſtringente, acceſſus. Vnde & irridendo dicebant, *pro aduentu Withawdi, in coquendo & præparando medone, ſe interim dum veniret, operam daturos.* Verum quia virtuti nihil eſt difficile, nihil imperuium, & quo magis arduus labor, eo ſolet eſſe ſplendidior gloria. Dum itaque Dux *Withawdus* ad ſiluam magnam, vocatam *Czarnilaſz* vnius diei iter habentem perueniſſet, quamuis lubrica & plena difficultatibus eſſet, nihil tamen Ducem obluctari difficultatibus ſolitum, terruit, ſed tali ordine illam meabilem effecit. Diſpoſitis enim & ordinatis decem hominum millibus pedeſtribus, ſecures duntaxat illos ferre, & per vniuerſam ſiluam lignis facere ſtratam iuſſit. Hos ſequi exercitum *Polonorum* armatum mandauit, vt illos labore occupatos, a qualibet, inuaſione tutarentur. Quantumcumque ergo ſpatii pedeſtres lignis ſternebant, tantum *Polonorum* exercitus lento paſſu ſupergrediebatur: reliquo exercitu ſubſequente. Pontium congeries, etiam in plura miliaria, ſine mora extructa, ſiluis in circuitu itineris, & operariis frequentibus, celerandi muneris facultatem præbentibus. In hunc modum omnis ſilua illa difficilis & lubrica, primum conſtrata, deinde ſuperata eſt, & in ſolis occaſu, exercitus omnis in loca arida traductus, ibique caſtra metatus. Abinde motis caſtris, appropinquare *Nouogrod* cœpit, & vſque ad caſtrum *Opoczka*, quod ſolum quatuordecem miliaribus *a Nowogrod* diſtabat, peruenit, illudque in continenti quoniam de Dominio *Nouogrodenſium* erat, obſidione dura vallauit, ſperans illud, aut poſſe expugnari, aut fame ad deditionem compelli. Erant autem hominum tria millia, & totidem equorum pro caſtro præfato, pro defenſione illius dudum ordinata. Quatiebantur ergo iuſſu Ducis muri caſtri, bombardis, machinis, & ligneis tormentis, ſed & omnis exercitus armatus

1428 matus, vnum diem, impetum militarem faciendo pro eius conquiſitione, abſumpſerat, nec conquiſitio illius dura videbatur propter A deſcendentium inexperientiam & puſillanimitatem. Territi ſunt *Nouogrodenſes* duplici metu, cum aduentu *Withawdi* quem non ſperauerant, tum caſtri ſui *Opoczka* obſidione, maiora quoque mala ſibi prouenire augurabantur. Itaque pacem petere ſatius quam reſiſtere rati, petitis & obtentis induciis, Epiſcopum & quatuordecem Seniores *Nouogrodenſes*, ad Ducem *Withawdum* circa obſidionem caſtri intentum deſtinant. Dum autem *Withawdus*, ſentiens illorum aduentum, locato throno, tectus a ſolis ardore vmbraculo purpureo, in illo conſedit, exercitu induto B armis, in duas partes ordinato, ſibi in longum aſſiſtente, & terrorem ingerente, illos excepit. Legati per medias acies immiſſi, viſo Duce *Withawdo*, proſtrati in terram cadunt, victoremque illum & Dominum profitentur, & frontibus in terram vſque cadunt & tangunt. Deinde erecti, nomine ſuo, & omnium *Nouogrodenſium* orant, *vt arma deponat, bellum reſtringat, populari agros illorum deſiſtat, velle terminis eſſe contentos,* aſtruunt, *quoſcumque ille conſtituerit, ſimul & dona magnifica allaturos.* Mollitur Dux *Withawdus* eorum precibus & verbis, nec tantam humilitatem contemnendam putat. Exoratur inſuper precibus ſuorum *Ruthenorum,* qui pro gente vnius ritus, morum & linguæ C ſoliciti, precabantur, bellicoſum vt animum deponat. Habitisque cum Epiſcopo & quatuordecem Senioribus *Nouogrodenſibus*, mutuis tractatibus, correptis illis longo & honeſto ſermone, ceſſare ſe ab illorum inuaſione repromittit, ſi decem millia cyclorum argenti non ſignati, omnes homines & equos in caſtro *Opoczka* conſiſtentes, veſtes quinquaginta ſabellinas, & totidem de omnium pellium genere, tricentasque purpuras, ſibi tradant. Non facta aliqua reſiſtentia aut difficultate, promittunt ſe poſtulata facturos, & poſt triduum omnia ante pedes Ducis afferunt. Quibus habitis, Dux *Withawdus* bellum & obſidionem ſoluit, & ab illo loco, incolumi ſanoque exercitu in *Lithuaniam* rediit: pluribus D facilitatem ſuam in danda pace improbantibus, quod ciuitatem opulentiſſimam, ad cuius iam mœnia excurſores ſui ſæpe perueniebant, non comprehendit. Sed Duci *Withawdo* alius ſenſus inerat. Sciebat enim, capta ciuitate, gaſam eius non ad ipſum, ſed ad quemcumque cuiuslibet obſcuræ ſortis, peruenturam. Itaque oblata maluit, ſtante ciuitate, ſuſcipere, quam illa conquiſita, ſpolia eius ad vulgum peruenire. Memorandum regimen, & Ordinem traditur ipſe Dux *Withawdus* in hac expeditione habuiſſe. Conſtrinxerat enim omnem exercitum ſua lege & imperio, ne ſine ſuo conſenſu aut licentia, quiſquam frumentatum, aut ad quærendum victualia iret, vt ſic & ſociorum & amicorum ſubditorumque fortunæ tutæ forent. Si qui autem huiusmodi præcepti reperiebantur transgreſſores, illico, inſpectante vniuerſo exercitu, in patibulum latum & diſtentum, per quod altera die, caſtris motis, exercitus omnis ire, & ſuſpenſos videre cogebatur, agebantur. Talique ſpectaculo vnuſquiſque ſeruare ordines, & continere manum & animum ab omni ſcelere, & raptu ſtudebat. Quæ autem erant ad victum, cum hominibus tum equis neceſſaria, Dux ipſe ſua factiuitate & induſtria prouidebat abundanter. Licet inſuper octogeſimum iam tunc annum ſupergreſſus, per omne tamen tempus illius expeditionis, neque curru neque lectica vſus eſt, ſed continue in equis obequitabat. Tantæ tamen factiuitati ſuæ & induſtriæ, habebat aliquid reprehenſionis admixtum. Nam ex omnibus expeditionibus, quas ſiue alienis, ſiue ſuis egit auſpiciis, moræ fuit faſtidioſus & impatiens, ſtimulantibus eum ad reditum domeſticis oblectationibus. Propter quod, bello confecto, aut per inducias ſuſpenſo, ex ipſis ſtatiuis, quibus bellum interceptum eſt, equis aſcenſis, quod ad id habebat præparatos, quanto velociori poterat curſu, ad vxorem regrediebatur, omni exercitu ſub ductu aliorum derelicto. Quod & tunc quidem non intermiſit, ſed rapaci curſu reuerſus, donatiua, quæ militibus, & præſertim *Polonis*, largiturus erat, congerebat. Non enim alterius nationis, niſi *Poloniæ* homines, per omne tempus ætatis ſuæ, viſus eſt in honore ampliſſimo & reuerentia habuiſſe. Vnde & equos illorum meliores, in expeditionem procedens, in Curiis ſuis relinquebat pabulandos. Et ſi quando deficiebant eis equi, illico prouiſione & largitione ſua alii in locum deficientium adminiſtrabantur. Poſtquam vero exercitus omnis in *Lithuaniam* ex hac expeditione rediit, in oppido *Nouogrodek* intra dies aliquot milites, pro merito laudatos, donauit, ac in propria remiſit. Erant autem Principes ii & Barones, qui cum *Withawdo* in huiuſmodi bello militabant *Boleslaus Swidrigal Wladislai Poloniæ* Regis, *Sigiſmundus Starodubenſis*, *Alexandri Withawdi*, germani; *Caſimirus Maſouiæ*, *Alexander Wladimiri*, *Georgius Languinowicz*, *Lithuaniæ* Duces, *Vincentius* de *Schamotuli* Caſtellanus *Miedzirzecenſis*, totius exercitus *Withawdi*, & Vexilli *S. Georgii* Ductor. *Iacobus* de *Kobilany*, *Ioannes de Czizow*, *Mſczugius* de *Srkzin*, *Nicolaus Sbignei* de *Brzezie*, *Dzik* de *Kadlub*, *Matthias* de *Vſczie*, *Ioannes* de *Szekoczin*, *Ioannes Lopata* de *Kalinowa*, *Iacobus Przekora* de *Morawiany*, *Nicolaus Sepinsky*, & alii quam plurimi. Quaſſaſſet autem *Withawdus Nouogrodenſes* diutius, fortiusque illos & perdomuiſſet & mulctaſſet; ſed reſpectus dietæ cum 1428

Sigis-

1428 *Sigiſmundo Romanorum* & *Hungariæ* Rege in *Luczko* agendæ, redire illum rebus immature perfectis, ex bello compulit.

Wladislaus Poloniæ Rex, cogitans & deſiderans nouæ ciuitati ſuæ *Nyeſchowo* incrementum adiicere, Eccleſiam Collegiatam Sancti *Viti* in *Cruſzwicenſi* caſtro ſitam, de conſenſu *Ioannis Schafranyecz* Epiſcopi *Wladislauienſis*, *Nieſchouiam* transfert, & certis aliis introitibus Regali munificentia adiunctis, Eccleſiam Collegiatam, ſub titulo *S. Mariæ* in *Nieſchoua* conſtituit, creat, & fundat. Sed breuiuſculo tempore illic conſtitit, propter ſuborta inter Regnum *Poloniæ* & Cruciferos bella. Per quorum continuationem, oppido *Nieſchouienſi* cremato, Eccleſiaque Collegiata abſumpta, in *Cruſzuicienſe* caſtrum reddita eſt.

1429 *Sigiſmundus Imp. & Wladislaus Rex conuentum in Luczko celebrant.*

Natali Domini anni huius, in *Grodno*, *Wladislaus Poloniæ* Rex, celebrato, ex *Lithuania* proceſſit, & per loca ſolita in *Luczko*, pro die Epiphaniæ, ad tenendum conuentionem cum *Sigiſmundo Romanorum* & *Hungariæ* Rege, venit; ignarus & incertus, ad quam infeſtam & periculoſam, omni ſaginandam dolo & verſutia, diætam properaret. Ibique & Ducem *Withawdum Lithuaniæ*, qui ſuam Serenitatem præceſſerat & Prælatos, Principes, Barones, Nobileſque *Poloniæ*, *Ruſſiæ*, & *Lithuaniæ*, terrarum, in grandi numero reperit congregatos. Ad hanc diætam *Sigiſmundus Romanorum* Rex tardiuſcule venit. Præmiſit tamen ſuum Nuncium, qui ſuum tardum excuſaret aduentum. *Wladislaus* tamen Rex ne caſſum tempus, in *Luczko* ſtando, conſumeret, ad propinquas venationes, inter *Luczkam* & *Zithomierz* ſitas, ex *Luczko* diueſtit, illicque diebus aliquot commoratus eſt, donec ſenſit *Sigiſmundum Romanorum* Regem *Luczkam* aduenisse. Anni eiusdem interuallum, ſex duntaxat hebdomadis ſtringebatur, & ideo *Sigiſmundus Romanorum* Rex, noniſi Dominica Septuageſimæ, cum ſua conſorte *Barbara*, Prælatiſque, Principibus, & Baronibus *Hungariæ* & *Bohemiæ* aduenit. Cui primum Dux *Withawdus* cum ſuorum caterua ad vnum miliare occurrit, & eo excepto, *Wladislaus Poloniæ* Rex in vehiculum, quo *Barbara* Regina *Romanorum* vehebatur, aſcendit, & *Luczkam* intrauit. Duce denique *Withawdo* præcedente, *Sigiſmundus Romanorum* Rex, in equo, habens in vno latere *Sbigneum Cracouienſem* Epiſcopum, ibat, tubis, & variis inſtrumentis muſicis clangore canentibus immenſo. Completi erant campi turbis cateruiſque hominum, preſſus erat vir viro, equusque equo, vnuſquiſque certabat ſplendore veſtium, ornamentorum, equorum, & inſignium, alium vincere. Nec inter Reges ipſos & Ducem *Withawdum*, minor erat æmulatio; quilibet conabatur illic ſuam potentiam, magnificentiam, & maieſtatem, demonſtrare, & ſuper alium, multitudine militum, ſplendore veſtium & inſignium, aliiſque multiplicibus decoris alium ſuperare. Conuentionem tam A magnificam, & tam illuſtrium trium Principum, ætas longa, neque vidit, neque viſura eſt, vt pote, qui illa tempeſtate, omnes Reges & Principes mundi, fama, diuitiis, pompa, gloria belli anteibat. Non arduum tamen neque difficile erat dinoſcere, quis eorum gentibus & gloria maior eſſet. Si enim verum ingenue fatendum eſt, circumſcripto omni liuore, inuidia, & aſſentatione, *Wladislaus Poloniæ* Rex cum Prælatorum & Principum, tum militum ſplendidiſſimo apparatu, ac multitudine Nobilium, tam *Sigiſmundum Romanorum* Regem quam Ducem *Withawdum* adeo vincebat, vt B in comparatione, præſertim dum Reges conuenire contingebat, tam *Hungari*, quam *Lithuani*, a multitudine *Polonorum* abſorberentur. Flumine *Stir* transgreſſo, proceſſiones ciuitatis occurrerunt, & primum Catholicus Epiſcopus *Andreas* cum ſuis, deinde *Ruthenus* cum ſuis, *Armenus* cum ſuis, *Hebræus*, cum ſuis, Regem *Romanorum* excipiunt, qui duntaxat Catholico Epiſcopo honorem deferendo, equo deſcendens, ſacras reliquias eſt veneratus; aliarum ſectarum & rituum proceſſionibus, quemadmodum par erat, neglectis. Ingreſſos *Luczko* Reges, Dux *Withawdus* cœna ſplendida excepit, & oppipare tractauit, vaſis aureis C & argenteis in maximo numero expoſitis, in gloriam ſuam & oſtentationem.

Sigiſmundus Imp.

Sequentibus diebus, conſilia tenta ſunt, conſilium *Romanorum* & *Hungariæ* Regis ſegregatam ſtubam habebat, conſilium Regis *Poloniæ* aliam, conſilium *Alexandri* Ducis *Lithuaniæ* tertiam. Et vnicuique Princeps ſuus præſidebat, conſulendo ſuæ parti. *Romanorum* Rex *Sigiſmundus*, miſſis certis Prælatis, & Baronibus ſuis ad Regem *Poloniæ Wladislaum*, requirit eum, *vt iuxta inſcriptiones & fœdera, quæ tunc originaliter exhibebat, ſecum percuſſa, & iuramento firmata, expeditionem contra Moldauiam in æſtate ventura, vna ſecum faciat. Et expulſis eius Principibus, terras ipſas* D *iuxta ordinationem inſcriptionibus contentam, partiantur & diuidant.* Legati etſi pro perſuadendo plures allegaſſent cauſas & reſpectus erant tamen ex omnibus ea inſigniores, quod *Valachiæ* gens vna cum Præfectis ſeu Voieuodis ſuis nemini fida, & vniuerſis communis hoſtis ſit, furto & ſpolio ſolita viuere, & quod in terra fertili, & omnibus rebus abundanti, ſedes, veteribus colonis, & iuſtis dominis excluſis, poſuiſſet; & quod ipſi *Sigiſmundo* Regi, expeditionem contra *Turcos* facienti, gentes pro ſubſidio mittere denegaſſet. Huic petitioni per *Wladislaum* Regem reſponſum eſt; *non eſſe æquum, Valachos in Religione Chriſtiana conſtitutos, & plenam ſibi, & Regno ſuo Poloniæ obedientiam & ſubiectionem præſtantes, inuadi, & non extante cauſa legitima, exterminari, cum hæc eſſet feritas barbarica, in ſubditorum* viſce-

quod neque bellum contra Valachos excitare poterat,

1429 *atque permitte, vt tam mihi, quam tibi per me, qui nunc hanc poteſtatem veluti Romanorum Rex habeo, creatus in nouum Regem, par fiat, nec ſolum caput tuum, ſed & Patriam tuam Lithuaniam, tantis decoribus admitte ornari.* Ad hæc *Wladiſlaus Poloniæ* Rex: *Faueo*, inquit, *Chariſſime frater, Duci Alexandro Withawdo fratri meo, de omni amplitudine & honore, nec Regali ſolummo, ſed & Imperiali illum dignor diademate, contentus etiam de Regno Poloniæ ſibi cedere, & illius diadema in illum conferre: non licet tamen mihi in rem rem arduam conſentire, niſi Prælatorum & Baronum meorum ad id acceſſerit conſilium & conſenſus. Referre me rem ad conſilium oportet.* Tum *Sigiſmundus* Rex: *Stolida*, inquit, *res eſt, diademate tibi detracto, illum ornare, ſed ſiue, vterque veſtrum, vt Regio nomine clarus ſit, conſilium vero tuorum Prælatorum & Baronum requirere in hac re, ſuperuacaneum eſt, cum vnicus tuus ſufficiat conſenſus. Wladiſlaus* Rex huiuſmodi captus ſermonibus, cum eſſet ſua ſponte in patriæ ſuæ *Lithuaniæ* amplitudinem procliuis, dicitur tunc clandeſtinum conſenſum improuiſe dediſſe, vel ſaltem vt fieret quod petebatur, neque reſtitiſſe neque abnuiſſe. Dux vero magnus *Withawdus*, vbi ex *Sigismundo* Rege certior fit, *Wladiſlaum* Regem *Poloniæ* in ſuam coronationem annuiſſe, cupiditate honoris & Regni ipſe quoque ſuapte natura ardens, & a *Sigismundo Romanorum* Rege, cæterisque amicis, ac ab ipſo *Poloniæ* Rege *Wladiſlao*, parum ſua & Regni ſui incommoda metiente, incenſus, animum appulit, & rem ipſam absque cunctatione accelerandam ratus, ad reſiduum obſtaculum ſubmouendum *Nicolaum Sepiensky* familiarem facundum, Secretarium ſuum, de domo & familia *Nowyna*, ad Prælatos & Barones mittit. Is locum conſilii ingreſſus, nomine Ducis *Withawdi* verba facit. *ſtringit*, inquit, *Dominum meum, Ducem Withawdum, Dominus Sigismundus Romanorum Rex, prece, perſuaſione, & conſilio, vt ſe Regem ex Duce, & ex Lithuania Regnum creari ſinat; & Wladiſlaus Rex Poloniæ creationi ipſi dedit conſenſum: ad vos tamen rem detulit, non auidus huiuſce honoris; Deliberare placeat, & veſtrum præbere conſenſum.* Nondum verba *Sepiensky* finierat, & Dux *Withawdus* conſilium, cum Prælatis ſuis & Boiaris ingreditur, exiſtimans facilius Prælatorum & Baronum *Poloniæ* animos verberatos ſua præſentia ad conſenſum frangi, & nullam renitentiam opponi, reſumens proprio organo verba eadem, quæ Legatus ſuus *Sepiensky* retulerat, precatur *vt ſibi de honore Regio faueant: cum certum ſit, tam Sigismundum Romanorum & Hungariæ Regem, quam Wladiſlaum Poloniæ, ſibi de illo fauere.* Neque petitione facta, egreditur, ſed ſententiam ſingulorum requirit, audire cupiens, quid quiſque de illo & hac materia ſentiat. *Albertus Iaſtrzambiecz Gneſnenſis* Archiepiſcopus, cum prior loco eſſet, & prior ſententiam ſuam dicere conſenſu omnium iubetur, verbis longis factis, nihil certi, aut diſſeruit, aut determinauit; ſed rem in ambiguo reliquit. Qui poſtquam finem dicendi fecit, *Sbigneus Cracouienſis* Epiſcopus illi proximus rogatus in hanc ſententiam verba habuit: *Egebat hæc res, Sereniſſime Princeps, per te propoſita, deliberatione longæua, cum adeo grauida & ardua ſit, vt pene innumerabiles nodos ſecum trahat. Nunquam huiusmodi nouum nobis denunciatum fuerat, nunquam ſermo ſimilis aures noſtras compleuerat: difficile quoque ſit, ſuper re tam grauiſſima, repentinum depromere conſilium. Admiratione tamen vehementi, repetendo ſuperiora tempora, doloreque & commiſeratione, poſtulationem tuam, Sereniſſime Dux, proſequimur. Ea enim conditione, ea lege, frater tuus, Dominus noſter, Wladislaus Poloniæ Rex, in Regem Poloniæ fuit ſuſceptus, domina nobiliſſima Heduigi, cui neque in forma, neque in genere, neque in diuitiis, altera poterat tunc æquari, ſibi in matrimonium copulata, aliis Catholicis Principibus, qui terras ſuas Regno Poloniæ perpetuo ſubiicere & incorporare ſe offerrebant, neglectis, ſi terræ Lithuaniæ fidem Catholicam ſuſciperent, & perpetuo vna cum terris Ruſſiæ, Regno Poloniæ & vnirentur & ſubiicerentur. De quo & ipſius Wladislai Regis, & tuæ, aliorumque Ducum Lithuaniæ ſeruantur obligationes & literæ, quæ etiam ante annos aliquot innouata ſunt: & ex conſilio Sigismundi Regis, quo ſolidiora eſſent noſtra fœdera, arma Nobilitasque cum Lithuanis permixta: quæ nunc ipſe Sigismundus Rex diſrumpere, & ſtridorem bellorum inducere conatur. Quænam itaque iſta fuerit vafra colluſio vt, nos, cum ſeruauerimus & ſeruamus omnia promiſſa, faterque tuus Wladiſlaus Rex, etiam Heduigi Regina mortua, teneatur pro Rege, filiosque ex Zophia Regina Lithuana, in ſpem Regni noſtri genitos ſuſceperit, qui eo abſumpto in Regnum ſunt ſucceſſuri: tu & Wladislaus Rex, nitimini terras illi perpetuo vnitas abſtrahere, & corpus Regni noſtri in monſtroſa diuiſione partiri. Satis igitur dolemus nos fideliter agentes circumueniri, qui per alios Principes, quibus fratrem tuum prætulimus, omiſimus amplioribus terris Regnum noſtrum & augeri & ornari. Vnum nos in his ſolatur doloribus, quod in ſuſceptione fratris tui Wladislai Regis, fidei ſanctæ ampliationem, & ſalutem animarum intendebamus, non diuitias aut opes, quas Lithuania nunquam habuit, nec potentiam, cum fuerit Lithuania a vicinis Principibus & nationibus tunc calcata, & pene euerſa & deleta, quæ intentio optima, vincere nos & domare hoſtes noſtros Cruciferos, & ampliſſimam de illis reportare victoriam conceſſit. Illi & hactenus veluti ſolidiſſimo fundamento innitimur,* 1429

1429 *ſperantes, quod Deus optimus conſilium tuum aut mutabit aut diſſoluet, nec tam horrendum vulnus, quod Regno Poloniæ paras infligere, ſentire nos permittet. Ad has ego epulas tam amaras, nunquam adueniſſem, cum hic eneruationem Status Regni noſtri agi video, coronationemque tuam, Sereniſſime Princeps, quantum poſſum & valeo, & diſſuadeo, & impugno: nulla re, nulla conditione, nullo pacto illam admiſſurus. Dudum hanc procellam, in tuam & noſtram ceruicem, callido ſatis ingenio comparatam noſcitabamus, ſed nullo pacto poteramus adduci, vt tu, qui ſpiritus Regis Sigiſmundi probe noſſes, eius caſſibus vincereris; & plus apud te valeret cupido Regni, quam fraternæ vnanimitatis concordia. Qua deſerta, diſcordiarum ſeminarium amplecti conaris, ſtirpem tuam, Principatus, & Dominia, niſi interea ſalubrius aliquid perſpectum iri contingat, euerſurus. Depone quæſo hanc, quæ animo tuo inſedit, gloriæ appetitionem & mulieroſitatem, & te virum magnum in hac occidua ætate, quod in ſuperiori facere ſolebas, oſtende. Vnum eſt, quod tibi etiam atque etiam perſuaſum eſſe cupimus, ne hunc tantum animi tui ardorem proſequaris, nullum fructum ex illo habiturus. Ingentia animi tui bona, in quibus hactenus apud Orbem vniuerſum effulſeras, & illam concordiam charitatemque fraternam ex qua in eam, in qua nunc es, ſublimitatem, charis fratribus Regiis neglectis, ſub beneficio conſcenderas, fœdaturus.* Palatinus deinde *Cracouienſis Ioannes* de *Tarnow*, integræ vir conſtantiæ & fidei, ſententiam *Sbignei* Epiſcopi, cum omnibus aliis, adeo vniformiter & conſtanter ſecutus eſt, vt murmur, præſentia Ducis non obſtante, eſſet non mediocre ſubortum. Fruſtratus ſpe ſua Dux *Withawdus*, non ſine quodam clamore & mugitu dolorem & indignationem præferente, ex concilio Regis *Poloniæ* triſtis diſceſſit, eam tamen vocem ſubmurmurans: *Quando id certum & obſtinatum eſt*, inquit, *at ego ad rem perficiendam aliis atque aliis vtar artibus*: vehementis ingenii ſui ardorem ſignificans. Sed Conſiliariis *Poloniæ*, vt erat, atrox & horrida *Withawdi* ſententia hæc, & præfatio videbatur. Cæcus enim Regii diadematis cupiditate, animus *Withawdi* nihil ſalutare admittebat. Magnaque percellebantur admiratione, quod Princeps alioqui ſolers & induſtrius, in ætate extrema & occidua, magnarum opum & gentium Dominus, ardua & periculoſa tam ſibi quam ſuis inuadere contenderet facinora, nouum quoque iniquum & Regno *Poloniæ* pernicioſum petere viſus, iniquis auribus a Prælatis & Proceribus Regni *Poloniæ* auditus eſt.

Poloni non concedunt Withawdum in Lithuaniæ Regem creari.

Duce *Withawdo* ex Concilio diſcedente, omnium Conſiliariorum *Poloniæ* animi, in magnam pertrahuntur amaritudinem, venenum ingens, ingenio *Sigiſmundi* Regis diffuſum clamant, difficulter quieturum, & multorum pectora infecturum. Laceſſitusque A & tunc *Wladiſlaus* Rex frequentibus probris, quod *Withawdum* fratrem & *Lithuaniam* patriam, cum Regni ſui *Poloniæ* pernicie & diſpendio, niteretur amplificare, breui ad eum, quod ipſemet egiſſet, redundaturam; ac propediem ſenſurum, quantum malum ſibi, ſuisque natis, & Regno, ſciens, nectensque, conflauerit. Vniuerſi celerem diſceſſum, & quandam quaſi fugam ſuadent, ne inficerentur contagione tam fortis veneni. Adeunt primum *Wladiſlaum* Regem, eumque grauiter tali ſermone corripiunt: *Hiccine*, inquiunt, *eſt fructus huius conuentionis, ad quam nos venire iuſſiſti, vt tam notabilia Dominia, a* B *tuo auferantur & ſcindantur Regno? Quis Serenitatem tuam impulit ad fauendum, & conſentiendum in hoc malum? Malleum tuo capiti adhibere permiſiſti, quo verberatus, occidas. Vir iſte, Romanorum Rex, Sigiſmundus, non alio venit huc reſpectu, niſi vt diuiſionem cruentam, inter te, & fratrem tuum Ducem Withawdum, ponat. Aliter enim ſatiare pectus ſuum, fraternæ concordiæ inuidum, non poteſt. Linque, precamur, locum iſtum ocyus, a nobis extemplo linquendum. Non enim his, quæ parantur, malis, & quæ aſſidue conflantur in tuam, & tuorum puerorum, quos nobis hæredes relinquis, perniciem redundaturis, poſſumus intereſſe. Conſurge, vides* C *nubem trucis & cruenti belli, procellam tonantem aſpicis; magno cruoris imbre, niſi aliquid interea, Diuino munere per nos, pro eius reſolutione proſpectum fuerit, omnia fœdaturam.* *Wladiſlaus* Rex ad hæc, lachrymis obortis, gratias fidei eorum agit, & ſe negat vnquam in coronationem Ducis *Withawdi* conſenſiſſe, ſeque offert velle diſcedere, & ire quocunque conſignarent. Ita Prælati & Barones Regni *Poloniæ*, quaſi grege facto, *Luczka* euolant. Quos *Wladiſlaus* Rex, nocte aduenienti, ſecutus; veritus ne animi ſuorum Prælatorum & Baronum offenderentur, ſi diutius illic ſtare perſeueraſſet. Diſceſſus ipſe tam ſubitus & inopinatus, tam *Sigiſmundo* Regi, quam Duci *Withawdo*, fuit & anxioſus & D terribilis, & propoſitum vtriusque de coronatione conſumanda, etſi non mutauit, in tempus tamen longius ſuſpendit. Ab eo autem tempore, *Sigiſmundi Romanorum* & *Hungariæ* Regis, cum *Wladiſlao* Rege & Regno *Poloniæ*, ſocietas dubia, incerta, ſuſpectaque, ac reconciliationibus frequentibus in eam diem ſocillata, abrupta eſt. Tulit & diſceſſum *Wladiſlai* Regis, & Conſiliariorum *Poloniæ Withawdus* Dux grauiter. Et qui iam exulcerato in *Polonos* fuiſſet animo, multo grauius hoc dolore exarſit. Callidus tamen ipſe *Polonicæque* auaritiæ peritus, pleroſque *Polonorum* primores auro & argento impleuit, promiſſionibusque onerauit, facile ſe credens, cu- 1429

Conſiliarii Poloniæ cum Rege ſuo Luczka abeunt.

1429 cupidine Regni, illis corruptis & adnitentibus potiturum. Manſit autem *Sigiſmundus* Rex in *Luczko*, poſt diſceſſum *Wladislai* Regis, & ſuorum Prælatorum & Baronum Regni *Poloniæ*, qui in terram *Chelmenſem* in *Lubowlya* diuerterat, diebus quinque, & magnificis a Duce *Withawdo* honoratus muneribus, nec inferioribus ipſe a *Sigiſmundo* Rege cumulatus eſt, & quæ præſtantia ſui *Withawdi* excederent. Et deinde in *Hungariam* per *Belz, Iaroſlaw, Lancuth, Friſtath, Biecz*, rediit. *Sandomiriam* autem venire, & Carnisprivii illic dies agere, quemadmodum *Wladislao* Regi promiſit, trepidauit: diſſenſione de corona inter eos exorta, animis vtriusque offenſi, ſub ſaluo tamen conductu *Wladislai* Regis, quem multis Nunciis miſſis Dux *Withawdus*, obtinuit præſtari, venit. Antequam autem *Wladislaus Poloniæ* Rex cum ſuis *Luczka* egrederetur, venit certus Nuncius, referens *Bohemos* cum exercitu valido *Sleſiam* ingreſſos, cuncta vaſtare. Quibus cum Dux *Ioannes* de *Monſterberg*, qui relictam *Spitkonis* de *Melſchtin* Palatini *Cracouienſis*, *Eliſabeth*, duxerat in conſortem, cum ſuis gentibus circa *Branow* occurriſſet, congreſſu inito, contractus eſt. Ipſe quoque cum maiori parte exercitus deletus, reliqua pars exercitus fuga ſaluata. Inſeſcatus autem *Alexander Withawdus* Dux conſiliis *Sigiſmundi Romanorū* Regis & perſuaſionibus ſpem in amicitia *Sigiſmundi* Regis ponens, execrabili inſuper faſtu ambitionis, & ſuperbiæ facibus ardens poſtquam *Wladislaū Poloniæ* Regem & Conſiliarios ſuos, ad ſuæ coronationis conſenſum pertrahere non potuit, præſentis fortunæ nitore inflatus, nonnullis quoque aſſentatoribus ſpem eius inſtantibus, Regiæ dignitatis faſtigium, de manibus *Sigiſmundi* Regis ſuſcipere, Rege & Regno *Poloniæ* inuito, conſenſit, iuramentorum, & fidei datæ, literarumq; ſuarum factus immemor, quibus ſe perpetuo, cum omnibus terris *Lithuaniæ* & *Ruſſiæ*, acquiſitis & acquirendis, Regno *Poloniæ* inſcripſerat ſeruiturum, & quibus, terras ipſas, de conſenſu Ducum & Baronum ſuorum Regno *Poloniæ* perpetuo applicauerat, vniuerat, & incorporauerat. In eam inſuper ſuperbiam ſe erexerat, vt miſſis ad *Wladislaum* Regem & Conſiliarios *Poloniæ* Nunciis, videlicet *Rumboldo* Marſchalco, & *Gaſtoldo* Palatino *Vilnenſi* denunciaret ſe, ſiue placeret illis, ſiue diſpliceret, coronas ſibi mittendas, accepturum

Bohemi Sleſiam vaſtant

Pontifex Rom.

Martinus Papa quintus, conſiderans *Bohemorum* hæreticorum rabiem dietim augeri, & in ſanguinem Chriſtianum quotidie graſſari, *Sigiſmundum* quoque *Romanorum* Regem, & alios Reges, & Principes Catholicos belli expertos, cum illis futuram curam reſumendæ expeditionis in totum abieciſſe, *Andream* de *Conſtantinopoli Græcum* natione, in Theologia Magiſtrum, & Palatii Apoſtolici Magiſtrum, fratrem Ordinis Prædicatorum, expoſt in Archiepiſcoum *Coloſſenſem*, promotum, excellentis ingenii & ſingularis doctrinæ virum, ad *Wladislaum* Regem *Poloniæ*, ad ſo- A licitandum eum, vt cum fratre ſuo Duce *Withawdo*, cauſam contra *Bohemos* hæreticos ſuſcipiat, & exterminio eorum intendat. Offerens & repromittens Apoſtolicas largitiones & ſuffragia. Is, tunc Rege in *Luczka* agente, adueniens, oratione diſertiſſima facta, legationem ſuam prudenter & grauiter expoſuit, literasque Apoſtolicas *Wladislao* Regi ſcriptas, perſuaſionem de ſuſcipiendo bello contra *Huſſitas* fortiſſime perſuadentes, præſentauit. Quarum tale eſt exemplar. *Martinus Epiſcopus, Seruus Seruorum Dei. Chariſſimo in Chriſto filio Wladislao Regi Poloniæ* B *Illuſtri, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum abominanda hæreſis peruerſo dogmate, damnatæ memoriæ Ioannis Huſſ. ſuorumque ſequacium, ſuſcitata fuiſſet in Regno Bohemiæ, Nos a principio Pontificatus noſtri, ad eam extinguendam & exterminandam, quæcumque potuimus remedia & præſidia, quæſiuimus. Et quia hæc hæreſis, dietim inualeſcens, ſe tuebatur armis, ita vt neceſſe nobis eſſet, cum armis eam vincere atque delere; ad hoc opus, vt par erat imprimis excitare curauimus, chariſſimum in Chriſto filium noſtrum, Sigiſmundum Romanorum, Hungariæ & Bohemiæ Regem Illuſtrem, ad quem hoc glorioſum & ſanctum negotium, principalius pertinebat, propter dignitatem Ro-* C *mani Imperii. Et quia hæc peſtis patrium eius Regnum infecerat, dilatans inde ſe ad loca quæque finitima, confidentius etiam ipſum vocabamus ad hoc munus, memores verbi ſui, quod dixerat in Conſtantienſi Concilio, vt ſi deputaremus ei, tantum ad rem iſtam, in Legatum bonæ memoriæ, Ioannem tituli S. Sixti Presbyterum Cardinalem, pollicebatur ſe Huſſitas hæreticos indubitanter ad rectam viam reducturum. Illum autem ei Cardinalem non ſolum dedimus, qui per aliquot annos, legationis officium contra dictos hæreticos exercuit, ſed & poſt eius obitum Venerabilem fratrem Ferdinandum Epiſcopum Lucenſem iuxta ſua deſideria, cum* D *eadem facultate deputauimus, & ſucceſſiue aliquot Cardinales, Apoſtolicæ Sedis Legatos, & pleroſque notabiles Nuncios, ad eundem Regem, ad Electores Imperii, & ad varios Principes & Communitates nationis Germanicæ cum clariſſima ſignificatione noſtri deſiderii, & cum authoritate & facultate opportuna, eos, ſicut debuimus, efficaciter monendo & requirendo, circa reductionem vel exterminationem eorum, ſæpe tranſmiſimus. Nec per nos aliquid fuit prætermiſſum, quod nobis & Venerabilibus fratribus noſtris, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, huic cauſæ fidei, poſſe proficere videretur. Ex quo fuerunt aliquando militares expeditiones ordinatæ, & innumeri exercitus congregati, contra ipſos hæreticos, qui profecto nec numero, nec virtute pares eſſe fidelibus debuiſſent. Sed neſcimus ex qua cauſa proceſſerit,* vel

1429 *Wladislaum Regem & Withawdum Ducem hortatur vt Bohemis bellum inferant,*

litteris, quarum tenor inſeritur.

1429 *vel humano errore, vel Diuino iudicio, quod occultum eſt, non ſolùm hæretici fidelibus reſtiterunt, ſed etiam fuerunt ſuperiores. Et extra Bohemiæ fines irrumpentes in Auſtriam, partem eius, & aliquas terras Hungariæ & ferè totam Sleſiam depopulati ſunt, omnia fœda & nefanda facinora, in corpora humana, & Dei miniſtros, Sacerdotes, & alios Catholicos, ac ſancta ſacraria, perpetrantes. Quæ tam horribilia, & Chriſtiano nomini pudibunda cogitantes, cum lachrymis & ſuſpiriis Deum precamur, vt aliquando hos ſuos, & humani generis inimicos, aut conuertat, aut deleat. Et ſperamus ſemper in eo, quod tandem exaudiet preces noſtras: ac ipſius ineffabili virtute principaliter ſumpta fiducia, cupientes & nos remediis, quibus poſſumus, prouidere, vt tandem finis imponatur his cladibus, & vt prædicti hæretici ab eorum erroribus reducantur, vel pertinaces in eis confundantur & exterminentur de terra Chriſtiana, matura deliberatione præhabita, cum præfatis Cardinalibus, & cum quam plurimis Prælatis, Doctoribus, & Magiſtris diuerſarum nationum, iuſtis & neceſſariis ex cauſis, hoc ſanctum opus, & hunc pium laborem, Serenitati tuæ, & dilecto filio nobili viro Alexandro Duci Lithuaniæ, duximus committendum. Vobis enim duobus à quibus magna propagatio fidei & nominis Chriſtiani, ſuperiori tempore facta eſt: & qui opportunitate locorum, multitudine gentium, & omni ratione potentiæ præualetis, hæc digna expeditio viſa eſt, præſertim cum præfatum Romanorum Regem variis occupationibus diſtractum modo videamus, cui huiuſmodi commiſſio, propter mutuam inter ipſum & te amicitiam, grata omnino eſſe debebit. Tuam igitur excellentiam hortamur in Domino, ac te per ſalutem animæ tuæ, & per viſcera miſericordiæ Ieſu Chriſti requirimus, quatenus in hac extrema neceſſitate, huiuſmodi ſanctam cauſam, contra prædictos hæreticos defendendam, alacri & forti corde ſuſcipias, & ſuſceptum fide conſtanti, cum ſolita tui Regalis animi magnitudine proſequaris, eoſdem vel reducendo pacificè, ad gremium Sanctæ Matris Eccleſiæ, omni errore dimiſſo, vel pertinaces in eo hoſtiliter confundendo. Ita vt hac peſtifera labe purgata Bohemia, & loca finitima eadem hæreſi maculata, reductis vel exterminatis hæreticis, ad rectum Dei cultum, & ad obedientiam Eccleſiæ reducantur. Nos enim Celſitudini tuæ, eoſdem hæreticos reducendi, & pro hac cauſa duntaxat audiendi, cum eiſdem colloquendi, conferendi, & practicandi, vel alios tibi fidos practicari faciendi, ipſiſque promittendi ſecuritatem, & veniam pro commiſſis concedendam, per nos eis, vel per virum aliquem Eccleſiaſticum deputandum à nobis; ratum & gratum habituri, quicquid feceris vel promiſeris in præmiſſis, dummodo nihil eis, repugnans fidei Catholicæ, & Sanctorum Patrum decretis, ac inſtitutis Eccleſiæ, per te vel per alios, concedatur aut permittatur. Et ſi forſan pertinaces in ſuo errore perſiſterent, vt præmittitur, ipſos, & eorum ciuitates, oppida,* 1429 A *villas & terras, noſtro & Eccleſiæ nomine, inuadendi, capiendi, & iuxta ſacrorum Canonum inſtituta, exterminandi, authoritate noſtra, plenam & liberam tenore præſentium concedimus poteſtatem: non obſtantibus quibuſcumque obligationibus, conuentionibus, pactis fœderibus factis & initis, cum quacumque perſona, cuiuſcumque ſtatus, gradus, & conditionis exiſtat. Etiamſi obligationes, conuentiones, pacta & fœdera, eſſent huiuſmodi iuramento confirmata: quæ omnia eadem authoritate decernimus, hoc in caſu nullius eſſe roboris vel momenti; cum in his ſemper honor Dei, fidei Catholicæ vtilitas, & bonum publicum, intelligantur excepta. Et in caſu ſimili,* B *quo ſtatus fidei conſeruatur, non ſolùm contra pacta & promiſſa, ſed etiam contra iura, ab ipſa natura præſcripta, conſanguineum fratrem, patrem, & filium, venire ſit licitum ac debitum nec poſſit crimen patricidii nominari, quoties fides Catholica defenditur. Datum Romæ apud Sanctos Apoſtolos, Calendis octobris.*

Ex terra *Chelmenſi, Wladiſlaus Poloniæ* Rex pro Quadrageſimæ medio in nouam ciuitatem *Korczin*, quo iam Prælati & Barones Regni inſigniores conuenerant, aduenit. Deliberatione habita, omnibus moderato conſilio vtendum ſuadentibus, ad reducendum & rectificandum animum Ducis *Withawdi, Sbigneus* Epiſcopus *Cracouienſis*, & *Nicolaus* de *Michałow* C Palatinus *Sandomirienſis* & Capitaneus *Cracouienſis*, in *Lithuaniam* nomine Regis & Regni mittuntur. Qui pro feſto Paſchæ in *Grodno* venientes, Duce *Withawdo* illic offenſo, mandata Regalia exponendo, pluribus verbis & perſuaſionibus illum monent, hortantur, & requirunt, *vt iuramentorum fidei & fœderum non immemor, ſe Regem Lithuaniæ creari, in præiudicium Regni Poloniæ, nullatenus patiatur: Attento, quod creatio ipſa, & famam & nomen ſuum magis diminuat, quam attollat. Nunc enim inter Duces eo ſuperior numerari non poteſt, qui cogetur eſſe inferior & vltimus, fulgore prioris æſtimationis contenebrato, inter* D *Reges. Attenderet ſanguinis profluuia inter ipſos fratres, & populos eorum, qui concorditer ab ineunte ætate viuendo, magnificati erant, abſque dubio prouentura. Nec eſſe prudentis Principis opus, in ætate tam decrepita, exiguo auri & gemmarum ornari circulo, & nationes ſtudio eorum vnitas, mutuis bellis collidi, & Marte funeſto inuolui. Propior velit eſſe publicæ vtilitati, quàm priuato ſplendori: Nec pro tam modica amplitudine, in dubium reuocanda, inuoluere ſe & fratrem ſuum bellis æſtuet. nihilque dubitet Wladiſlaum Poloniæ Regem & Polonos, armis ſuam ambitionem reſtricturos.* Reſpondendo his Dux *Withawdus* aſſerit: *Nunquam fuiſſe propoſiti ſui Regem ſe creari, aut vnquam excellentia illa inſtitiſſe: ante annos*

Dux Withawdus legationibus Polonicis flecti non potuit.

1429

nos multos ſe fuiſſe per Sigiſmundum Romanorum Regem perſonaliter ſolicitatum; nec dediſſe conſenſum, nec in animum talem ambitionem induxiſſe, niſi ipſemet Wladiſlaus Rex precibus & conſiliis id ab eo exegiſſet. Quibus parendo publicum iam edidit conſenſum, nec licere ſibi poſt publicationem conſenſus reſilire, & inceptam rem ad vniuerſorum deuolutam notitiam, cum ſua maxima ignominia & ſugillatione, relinquere infectam. Accepto reſponſo Nuncii reuertuntur. Ipſe autem Dux *Withawdus*, & ſuorum & forenſium ſolicitatus perſuaſionibus, ſperans reſiſtentiam *Wladiſlai* Regis & ſuorum, muneribus & promiſſis confringi, dum ſublimitas Regia ſibi in dies dulceſceret, & ſaporem ingereret immenſum, quam etiam vicini Principes, & proprii ſubditi ſuis verbis amplius dulcorabant; miſſo *Bartholomeo* de *Opatwa* Notario ſuo, qui etiam tunc Notarius terreſtris *Cracouienſis* habitus eſt, ad *Sigiſmundum Romanorum* Regem, tunc apud *Viennam* agentem, integra æſtate, autumno, hyeme, & vere, ſolicitare eum non deſtitit, *vt Duci Withawdo coronam Regalem, & alia coronationis inſignia, eidem tranſmittere acceleraret.* Cui dum poſtea læſæ Maieſtatis crimen fuiſſet obiectum, præſtito, licet falſe, iuramento, pœnam debitam euaſit.

quo minus ad Sigiſmundũ Imp. pro petenda corona mitteret.

Alteræ literæ ſecretæ Summi Pontificis, in facto reductionis Bohemorum, Wladiſlao Poloniæ Regi ſcriptæ.

Martinus Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Chariſſimo in Chriſto filio Wladiſlao Poloniæ Regi Illuſtri, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Nuper de conſilio Venerabilium fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, nec non plurimorum Prælatorum, Doctorum, & Magiſtrorum diuerſarum nationum, cauſam fidei Catholicæ, contra Bohemos hæreticos, armis & potentia defendendam, Serenitati tuæ commiſimus, prout in literis noſtris ſuperinde confectis, plenius continetur: non dubitantes quod hoc munus acceptum Deo, & glorioſum tibi, læto & magno corde ſuſcipies, & vſque ad optatum finem vel reductionis hæreticorum, vel exterminationis eorundem, iuxta commiſſionem noſtram, quantum tibi poſſibile fuerit, proſequeris. Hanc ſiquidem nobis ſpem indubiam præſtant opera tua magnifica, quæ a die ſuſcepti baptiſmatis, pro exaltatione & propagatione Chriſtiani nominis, peregiſti. Nam ſicut gentes natas, & inueteratas in errore idolatrorum gentilium, zelo fidei reduxiſti ad rectum cultum Dei, quanto facilius vel reduces vel confundes eos, qui nati & educati in vera religione Chriſtiana, ſola carnali laſciuia, & cupiditate prædandi, a Sanctis inſtitutis Eccleſiæ defecerunt, & in omnia fœda & nefanda facinora prouoluti ſunt, quæ tibi notiſſima eſſe non dubitamus: Contra quos, te, Catholicum Regem, non ſolum animare debet violata Chriſti religio; ſed omnis ratio politiei ſublata, & omnis authoritas Regia, ſuo peſtifero dogmate vilipenſa, cum præter multos & varios ſuperſtitioſos & ſceleratos errores, quibus ipſa ſancta fides offenditur, etiam humana iura turbantes aſſerunt, nulli legitimæ poteſtati, nec ipſis Regibus eſſe parendum, nec reddendum ſuperioribus cenſum, ſed communia omnia, & omnes pares eſſe oportere. Ad hos hæreticos opprimendos, multi Principes, ſæpe noſtris, & Sedis Apoſtolicæ legatorum ſuaſionibus vocati, cum exercitu fruſtra adducti ſunt: Deo forſitan cuius occulta iudicia ſunt, hanc tibi, qui pro eius ampliãda fide feciſti multa egregia facinora, victoriam reſeruante. Quare, fili chariſſime, oblatum hoc munus, læto amplectaris animo, ſuſcipiaſque cauſam fidei defendendæ, qua nulla ſanctior, nec virtute tua dignior, nec quæ maius apud Deum meritum, clariorem in mundo gloriam, & firmiorem beneuolentiam, vniuerſæ Chriſtianitatis, tibi & filiis tuis, comparari poſſit inuenietur, & in qua iuſtius decertare, & victoriam facilius poſſis obtinere. Tu enim fundator Eccleſiarum plurimarum, contra euerſores earum; tu propagator religionis Chriſtianæ, contra oppreſſores eiuſdem; tu pro Rex Catholicus, contra perfidiam hæreticorum; tu pro iuſtitia contra iniquitatem, pro humanitate & pietate contra ſæuam rabiem; pro honeſtate, contra luxuriam beſtialem; tu Rex potentiſſimus, contra finitimos debiliores, ſine ordine, ſine lege viuentes; Chriſto te iuuante, pugnabis, ſi tecum pugnare præſumpſerint, quos ſperamus, poſtquam ſentient ſuſcepiſſe te cauſam, omnia tuo arbitrio conceſſuros. Quod ſi non fecerint, excæcati in peccatis eorum, cum omni potentia tua inſurgas in eos in nomine Domini & benedictione noſtra, de inimicis Chriſti & Eccleſiæ ſuæ, in cælo, & in hoc ſeculo triumphaturus. Maius enim, quod pro tanta feliciter conſumata, tibi polliceri poſſimus, non habemus. Erimus inſuper nos, dum in hac Sede ſedebimus, erunt & ſucceſſores noſtri erit ſemper & Eccleſia in perpetuum tibi, & tuis poſteris obligati. Cæterum ſuper his nonnulla commiſimus dilecto filio Andreæ, fratri Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Profeſſori, Apoſtolici Palatii Magiſtro, tuæ excellentiæ referenda: cui velis circa præmiſſa adhibere credentiæ plenam fidem. Quoniam autem te, & dilectum filium, Nobilem virum Alexandrum Ducem Lithuaniæ fratrem tuum, vnam animam in duobus corporibus reputamus, ſimiles literas eidem ſcripſimus, & ſimilem dedimus facultatem. Datum Romæ apud Sanctos Apoſtolos, Calendis Octobris, Pontificatus noſtri anno tredecimo.

Ex *noua ciuitate Wladiſlaus Poloniæ* Rex, per *Cracouiam* & *Myechow*, in terras *maioris Poloniæ* proceſſit, illicque æſtatis tempus abſumpſit: miſſis Conſiliariis, qui cum Prælatis & Baronibus *Hungariæ* in *Schramowitze* pro

Conuentus in Schramowitze.

1429 pro die Pentecoſtes conuenirent, ad reformandam inter Reges vulneratam charitatem. Negligentibus tamen *Hungariæ* Baronibus venire, ad conſignatam diem, fuit alia diœta, petentibus Prælatis & Baronibus *Hungariæ* ſibi ignoſci, pro feſto *S. Martini* inſtituta. Ad quam cum Conſiliariis *Poloniæ* venientibus, parem negligentiam priori, *Hungariæ* Conſiliarii patrauiſſent, ſiue id contemptus, ſiue negligentia efficiebat, ſiue, quia ſciebant Regem ſuum his, quæ illic iuſte decernerentur, non pariturum; iuſtâ indignatione in *Sigiſmundum Romanorum* & *Hungariæ* Regem *Poloni* permoti, non ſecus, quam hoſtem, eundem reputare cœperunt, & coronationis negotium, tam iure quam facto, ne conſummaretur, impedire. Æſtate illa, omnis fere *Sleſia* a *Bohemis* hæreticis, bello illato depopulata eſt: plurimæque notabiles ciuitates, aut conquiſitæ, aut terrore deſertæ, per hæreticos occupatæ ſunt, & longo tempore poſſeſſæ. In populum Chriſtianum permiſcui ſexus magna crudelitas deprompta eſt, monaſteria, Eccleſiæ, & loca Deo dicata, prophanata, & ſpurciciæ hæreſeos introductæ.

Ex terris *maioris Poloniæ Wladiſlaus Poloniæ* Rex, in terras *Cracouienſes* rediens, feſtum Aſſumptionis *B. Mariæ* Virginis apud *Viſliciam* tenuit. Exinde diſcedens, feſtum Natiuitatis *S. Mariæ*, *Sandomiriæ* celebrauit. Ibique pro die illa frequens ad eum Conſiliariorum venit numerus, propter rumores, qui quotidie de corona, Duci *Withawdo* per *Sigiſmundum Romanorum* Regem mittenda, afferebantur. Habitis ergo per dies aliquot deliberationibus, concluſum eſt, vt *Sbigneus Cracouienſis* Epiſcopus, & *Ioannes* de *Tarnow* Palatinus *Cracouienſis*, in *Lithuaniam* nouas & legitimas potiundæ coronæ ferentes conditiones, mitterentur. Qui Ducem *Withawdum* coronationis honorem ambientem, nouo genere perſuaſionis a propoſito abſtraherent, & per conditiones ſubmiſſas, & tam charitate quam humilitate refertas, illum Regi & Regno conarentur efficere vnanimem.

Legati Poloniæ ad Withawdum mittuntur.

Mandatorum ad *Withawdum* Ducem hæc ſumma erat. *Conuenire illum aliquando ſuæ pertinaciæ & ambitionis finem facere, neque terrenam coronam cum periclitatione tam perſonarum quam Dominiorum deſiderare, neque auxiliatoribus Cruciferis fidere. Satis vigere ſub memoria & oculis incommoda, vtrinque ab illis accepta, quæ pro cautela ab vtrinque habenda forent, vt quoque nouos ſpiritus, quos induerat, magnos magis quam vtiles, ingenti aſſentationum licentia, & poteſtate vagantes, corriperet, & ad ſalubria conſilia reuocaret. Nec in opibus confideret, quæ illi ferebantur magis, quam erant immenſæ, & Regia in viuendo ſuppellectili atque pompa, expilationibus tum propriorum quæſita. Neque Sigiſmundi Romanorum Regis amicitiam ſuæ anteponeret, antiquioremue duceret & fidiorem.* Veniunt itaque ad illum pro feſto Sancti *Michaelis* in *Grodno*, talique nomine Regis & Regni illum alloquuntur ſermone. *Sentimus*, inquiunt, *Sereniſſime Princeps, te Regii nominis auidum eſſe, adeo, vt abiecta charitate fraterna atque vnione, non perſpectis periculis & bellis, quæ Dominiis veſtris vtrinque excidium & deſolationem inducerent, ad culmen Regium omni niſu aſpiras & Sigiſmundum Romanorum Regem, qui tuo & Domini noſtri Wladiſlai Regis ſplendori inuidens, mira ſua aſtutia inter vos, qui non ſibi tantummodo, ſed etiam vicinis nationibus concordia eratis formidabiles, fortem conflauit diſcordiam, de mittenda corona ſollicitas. Propterea modum & conſilium ſaluberrimum, tam fidei quam prudentiæ plenum afferimus, quo excellentiam Regiam conſcendere poteris, beneficio fratris tui non hoſtis, conditione pulcherrima non funeſtâ, quod tibi etiam atque etiam perſuaſum eſſe cupimus, & cupidinem fallacis & iniuſti Regni, de tuo pectore reſcindendam. Vt igitur Regio ſatieris honore, quem tantopere appetis, & vinculum fraternitatis & charitatis mutuæ, inter Wladiſlaum Poloniæ Regem & te nullam ſentiat rupturam, Wladiſlaus Poloniæ Rex, ſuum diadema tibi dat & confert, & ne cogaris illud a communi hoſte veſtro Romanorum Rege petere, conſentientibus ad id vniuerſis Prælatis & Baronibus Regni ſui, æquo animo de Regio honore cedit, & vt ille fruaris, coronamque Regni Poloniæ accipias, vltronee conſentit, cum non dubitet te iuſtius & commodius quam ſe, cum ſit ſenio grandæuo confectus, & pro regimine Regni imbecillis, & proles ſua tenera ſit, poſſe tam Regno quam Ducatui præeſſe, qui adhuc retines ætatem vegetiorem. Occaſionem nouæ coronæ, per contentiones & bella quærendæ, ſublatam vides, dum nobilior, & vetuſtior tibi ſponte, authoritate Regis Romanorum non intercedente, offeratur, ſuperuacue nationes plurimas, gentes & populos, opera Wladiſlai Regis Polonorum, in fidei vnitatem & Dominii contractos, Regii diadematis actus cupidine, & te ipſum, qui nec ſucceſſorem vides te relinquere, bellis miſcere, & funeſtum inter illos ſerere Martem satagis. Elige potius & ſequaris iuſtam coronationem, & a quietis conſiliis non abhorreas, hancque animi tui Regalis coronæ cupidinem, aſſentatorum perſuaſione magis, quã ſalubritate conſilii tui ingeſtam, moderatione meliori elimina. Sciturus Regem & Regnum Poloniæ, non ſolum armis coronationem nouam tuam reſtricturum, ſed etiam omni tempore vindicaturum, ſi tantam oblationem & humiliationem Regis noſtri, noſtramque acceptare, & a propoſito cedere detrectaueris. Teſtiſque erit nobis Deus, qui noſtris contemptis quibus erectus ex paruo, longo tempore ſtetiſti magnificatus, non in vtilitatem Dominiorum, ſed in per-* 1429

eique vt a Lithuania corona abſtineat, Poloniæ Regnum offerunt.

1429 *perniciem pergis, ſpreti conſilii, & flagrantis ambitionis pœnas, iuſtiſſime quandoque a te repetiturus.* Mouiſſent verba huiuſmodi, Principis animum, nihilque dubitabatur, quod *Alexander*, prudentia & modeſtia, qua pollebat vſus, pro reſcindenda diſcordia & bello ſenſim gliſcente, bonum & ciuilem animum monſtraturus fuiſſet, niſi illum a ſententia ſui animi, propter cupidinem Regii diadematis, quæ iam animo ſuo inſederat, pudor incoeptæ rei, & aliquorum *Polonorum* improba adulatio, ſpe eliciendorum munerum, qui etiam legationis prædictæ effectum, quam primum *Sandomiriæ* decreta fuit, ad ipſius notitiam clandeſtine & velociter detulerant, obſtitiſſet. Tempeſtate enim illa, aliquot notabiles *Poloniæ* Barones, *Wladiſlai Poloniæ* Regis Curienſes & continui familiares, quos ipſe & dignitatibus & largitionibus extulerat, Duci *Lithuaniæ Withawdo* adhærebant, quos non charitas patriæ, non beneficium Regis ſui, non metus Dei, ab aſſentando, & in propoſito Ducem *Withawdum* animando, reuocabat, quique, quo fidelior cenſeri poſſet eorum adulatio, ſe ſpontaneo Sacramento adegerant, *ipſi Duci contra Regem proprium, in his præſertim, quæ coronationis negotium concernerent, conſtanter adhæſuros. Et ſi res exigeret, penatibus, & omnibus pignoribus Poloniæ derelictis, reliquam & perpetuam in Lithuania acturos ætatem.* Catena ſiquidem auaritiæ, & magnitudine largitionum & promiſſorum conſtricti, & a bono honeſtoque ad prauum abſtracti, honeſtatiſque propriæ, & charitatis patriæ, ignominiæ inſuper, quæ illos manet, manebitque memoria omiſſa, obliti, *Withawdi* Ducis ſpes & molimina, nutriebant & erigebant, propriæ conſulentes ambitioni, & *Withawdi* metientes opes, omniaque venalia habentes, ad nutum licitatoris. Coniuges, liberos, patriam, & neceſſarios, ipſum denique proprium Regem perdituri, præfati Ducis cupiditatem, & Regni illecebram, potentiam, opes, felicitates, atque intelligentiam, ſingulaſque vitæ actiones, quo in illos, & eorum auaritiam, magis munificus exiſteret, beatitudinis exiſtimatione admirationeque proſecuti, monſtrantes ſe non filios, vt erant Regni *Polonici*, ſed priuignos, & materni vteri hoſtes & corroſores, qui fauorem & largitionem Ducis *Alexandri Withawdi*, patriæ incommodis & libertati prætulerunt. Digni, qui pro tam nefario opere, cruciatus perpetuæ captiuitatis fuiſſent experti. Clementia tamen *Wladiſlai* Regis, ipſis, & cuilibet eorum, confecto diſcordiæ bello, ignouit. Vltio tamen Diuina, plures eorum perſtrinxit, eo quidem grauius, quo fuerat eis, eorumque truci ſceleri, Regia propitiatione facilius condeſcenſum. Eadem quoque indulgentia in alios *Polonos*, & milites ſuos vſus eſt, qui inter *Sigismundum Romanorum* & *Hungariæ* Regem, & Ducem *Withawdum* deferebant literas, quæ adeo ſe- A creto deferri non poterant, quin in manus Regias deprehenſæ cum portitoribus non venirent. Ideo autem in deferentes illas animaduerſum non eſt, ne amplior proueniret animorum irritatio; & ſpe reconciliandæ pacis omiſſa, crudelius rebus deſperatis, in certamen præſentis luctæ, fieret a parte vtraque deſcenſus. *Wladiſlaus* enim Rex, animum Ducis *Withawdi*, beneficiis & modeſtia, ſperabat ſe aliquando & victurum & ſanaturum, cauſamque ſuam, vbi animus *Withawdi* ſanari non poſſet, Diuina propitiatione, quæ opera benignitatis & modeſtiæ præmiare conſueuit, poſ- B ſe releuari ac defendi. Erant in Notariorum numero, pro ea tempeſtate, apud Ducem *Withawdum*, duo viri Nobiles, *Luthko* de *Brzezie* armorum *Doliwa*, & *Nicolaus Czebulka* de domo *Czieliepelie*, truncum deferente pro inſigni, magna familiaritate Duci *Withawdo* iuncti, qui modeſtia interdum, aliquando & forti perſuaſione, vt coronationis cura omiſſa, ſe Regi *Wladiſlao* reconciliare quanto celerius curaret, rogabant, enumerando mala quæ accidere neceſſe eſſent. Nec aſpernabatur Dux *Withawdus* eorum ſermones, ſed mira patientia, omnia eorum auſcultabat propoſita. Quos propterea, & genus illorum nomino, vt integritatis fidelitatiſque illorum C perpetua memoria, ad laudem eorundem, etiam in poſteros extendendam perſeueret. Quod ſi eadem fide cæteri Poloni ſe ſinceros præſtitiſſent, facilius fuiſſet ambitio Ducis *Withawdi* vel abrogata, vel ſanata. Quoties itaque ab eiſdem duobus Notariis, *Luthkone* & *Nicolao Czebulka* perſuaſus, a rebus coronæ inſenſatis & ambitioſis, animum auertere, & cupidinem Regni deponere, Dominoque ſuo & fratri *Wladiſlao* Regi *Poloniæ* reconciliari, humiliatumque animum & contritum præfato Regi oſtendere perrexit; toties illum ab hac ſententia Regni cupido, & aſſentatorum palpatio, *Polonorum* præſertim, deiecit. Contulit autem *Withawdus* Dux in *Ioannem* de D *Tarnow* Palatinum *Cracouienſem*, cyclos argenti centum, & alia dona munifica, non tam vt illum honoraret, quam vt *Sbigneum* Epiſcopum *Cracouienſem*, qui maiora coronationi ſuæ impedimenta deferebatur ingerere, exaſperaret, & a ſe neglectum & deſpectum oſtenderet. Ea tamen omnia *Sbigneus* Epiſcopus nihil pendiſſe atque irriſiſſe viſus eſt: vir contra auaritiam virtutis inuictæ; eamque largitionis contumeliam æquiſſimo animo tulit, nec vllum triſtioris vultus oſtendit indicium; de publico miniſterio, præter laudem bene adminiſtrati officii, nihil ſibi vendicare cupiens, *Alexandro Withawdo* Duci magno *Lithuaniæ*, etiam poſt irrogatum contemptum & contumeliam, verbis ad perſuadendum compoſitis, in maxima vrbanitate & mode- 1429

1429 deſtia verborum, oſtendendo euidenti & palpabili reſpectu *quod durum nimis foret, ſi beneficiis a Rege in ſe collatis rependat iniuriam, & pro Principatu Lithuaniæ in eum fratribus germanis neglectis, transfuſo, ingratum ſe reddat. Dubium deinde ancipitemque belli euentum, Deum quoque pro iuſtiori cauſa ſtaturum; grauem inſuper inuidiæ ſarcinam ſubiturus, ſi in Regem, vel potius Imperatorem ſuum, arma conuertat, & bellis afficiat, qui illum proprio foueat affectu, quique extulerit armis, equis, pecuniis, commeatibus iuuerit, in aduerſis nunquam deſeruerit, exulemque & calamitoſum ſuſtulerit. Quodque multos bonos ſua illa Regni cupidine perditum iret.* Deplorationem autem huiuſmodi & accuſationem in *Sbigneum Cracouienſem* Epiſcopum ſciebatur fabricaſſe, atque ad aures *Alexandri* detuliſſe, *Ioannes* de *Czizow* de domo *Pulkoſza*, filius tunc *Michaelis Czizowsky* Caſtellani *Sandomirienſis*, qui expoſt adeptus fuit Caſtellanatum *Carcouienſem* ipſo *Alexandro Withawdo*, qui nullum accuſationis arcanum ſibi communicatam reticere ſolitus erat, id ipſum *Sbigneo* Epiſcopo referente & prodente. Ad cuius purgationem *Sbigneus* Epiſcopus, paucis refellendo, & de integritate *Ioannis* de *Tarnow* confidendo, reſpondit; *Vltronee ſe in coronationem Withawdi conſenſurum, ſi Palatinus Tarnawsky ſuæ legationis comes, conſenſerit.* Qua quidem prudentiſſima reſponſione, & accuſatorem, & aſſentatorem vehementiſſime confudit, & ſe ab omni culpa & accuſatione, Palatinum vero *Tarnawsky* ab omni ſuſpicionis nota notabiliter vindicat. Retorquebant etiam nonnulli in *Wladislaum* Regem magnam culpæ partem, qui plurimum apud ſe poſſe *Withawdum* permiſerat, qui, Diademate excepto, prope vniuerſam Regni potentiam cum Rege participabat, eaque indulgentia, ſtudia *Polonorum*, vt propenſius, quam ſat erat, *Withawdi* rebus fauerentur, conuerterat.

Quinque diebus in *Grodno* abſumptis Regii Nuncii diſcedunt, quos Dux *Withawdus* vſque in *Volkoniska* comitabatur. Ibi priore reſponſione in memoriam aduocata, reſpondit: *ſe nunquam Regium honorem aut titulum ambiuiſſe: Sed annis multis ad id per Sigiſmundum Romanorum Regem ſolicitatum, conſiliariis ſuis diſſenſiſſe, niſi ipſemet Wladislaus Rex inſtantia ſua multiplici & prece, conſenſum ſuum extorſiſſet. Non licere itaque ſibi coronationem, cuius publicatio & in Summi Pontificis, & Principum vniuerſi Orbis, non ſolum Catholicorum, ſed etiam Ethnicorum notitiam peruenerat, omittere. Nolle tamen ſe amplius inſtare pro Coronæ miſſione* ſpopondit, *ſed ſi mittatur, acceptionem eius non abnuiturum. Coronam vero Regni Poloniæ, ſpoliato fratre, ſuſcipere, fœdum ſibi & turpe* deduxit. *Cum vniuerſorum iuſtis contumeliis, pro vitio tam notoriæ ambitionis poſſet carpi, quod honorem & titulum Regium adeo experierat, vt cum iniuria fratris ſui, & quaſi detracto Diademate, tempora ſua ornare non erubuerit.* Rogare igitur Legatos cœpit, *quatenus Wladislaus Rex amplitudinem ſibi deſtinatam, non diſtineat, non impediat, aut improperio ſibi, ſi proſequi coronationem diſtulerit, imminenti, quo illum alligauit, ſoluat, ſe velle ſibi & honori ſuo, atque famæ proſpicere, nec moliri Regno Polonico bellum, ſed motum propulſare.* Erat Duci *Withawdo* mite & prudens ingenium, facileque ad bonam mentem, a proſecutione coronæ fuiſſet reductus. Scitum eſt enim illum ſolicitaſſe *Sigiſmundum Romanorum* & *Hungariæ* Regem literis & Nunciis, *vt ſibi corona mitteretur, & ignominia ſua, ex negligentia potius miſſionis, quam virtute repreſſionis decideret.* Ipſius tamen *Sigiſmundi Romanorum* Regis & Cruciferorum de *Pruſſia*, pertinax induſtria & vigilans cura, adeo ſuis conſiliis, perſuaſionibus, & monitis, Ducis *Withawdi* animum incendebant, vt modeſtiæ & prudentiæ ſuæ cogebant eum obliuiſci: rati *Wladislaum Poloniæ* Regem & Regnum ſuum *Poloniæ* ſi incœpta perficerent, non ſecus quam in triumpho ducturos. Nam & pro illo tempore, quo cum Nunciis Regiis in *Volkoniska* agebat, venit miles *Auſtriæ Leonardus*, ex parte *Sigiſmundi Romanorum* & *Hungariæ* Regis miſſus, ferens ſibi inſignia Societatis ſuæ, certis legibus, quas quilibet accipiens, iuramento intemerate ſe ſeruaturum ſtringebat, qualificatas, quibus cautum erat, vt vnus alterum in aduerſis & proſperis, & quocumque caſu nunquam deſereret. Draco autem ſocietatis prædictæ erat inſigne, rotunda figura ſe voluens, & capite caudam complectens, faucibus apertis & flammam ructantibus, cruore in ſpina dorſi in modum Crucis conſperſus, cui ſignum crucis radios emittens erat ſuperpoſitum, ſcripturam in medio talem continens: *O quam miſericors Deus, iuſtus, & clemens.* Inſignia huiuſmodi in præſentia Nunciorum Regalium oblata, Dux *Withawdus* pro vinculo ſocietatis ineundæ, reſpondit *ſe nullatenus pro fraternitatis & ligæ vinculo, ſed pro muneris officio ſuſcepturum, ne iuramentum Wladislao Regi Poloniæ præſtitum, per præſtationem alterius, videretur temeraſſe.* Tali reſponſo accepto Nuncii, in *Poloniam* reuerſi, quæ ſecum acta fuerant, ſigillatim *Wladislao Poloniæ* Regi denunciant & exponunt. Ad illaqueandum ſiquidem *Alexandri Withawdi* Ducis animum, præfati draconis inſigne mittebatur pro ſocietate: *Withawdus* ipſe vt amicus fieret Imperii & ſocius. Tunc profecto ſcriptura illa implebatur Prophetalis: *Draco ille quem formaſti ad illudendum ei.* Draco ſiquidem ille, & tortuoſus & ſanguine reſperſus, cum ſigno crucis formatus apparuit: Significans per ſuum authorem & illius ſuggeſtionen, ſanguinem Chriſtianum per bella fundi oportere.

Ex

1428 Ex *Sandomiria, Wladislaus Poloniæ* Rex, in terram *Lublinenſem* progreſſus, exinde pro feſto *S. Martini* in *Niepolomicze* rediit, ireque pro hyeme in *Lithuaniam*, propter diſſidium ſubortum neglexit. Sed ex *Niepolomicze* in terras *Ruſſiæ* per ſolitas ſtationes deſcendit. Vt autem *Sigiſmundi Romanorum* Regis, reſtringeretur & remitteretur de coronando *Withawdo* Duce audacia, fuit in præſentia *Martini* Papæ & Cardinalium, publice Regis *Wladiſlai* nomine, contra *Sigiſmundum* Regem & Ducem *Withawdum* propoſitum. Quo *Martinus* Papa permotus, Apoſtolica prohibitione *Sigiſmundo* Regi coronæ miſſionem, & Duci *Withawdo* acceptationem, per ſpeciales literas interdixit, quarum talis erat forma.

Martinus Papa Withawdi coronationem probibet litteris,

quarum tenor inſeritur.

Martinus Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Chariſſimo in Chriſto filio, Sigiſmundo Romanorum, Hungariæ & Bohemiæ Regi Illuſtri, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Nuper pro parte Chariſſimi in Chriſto Filii noſtri, Wladiſlai Poloniæ Regis Illuſtris, fuit propoſitum coram nobis, aſtante Collegio Venerabilium fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium. Quod licet Serenitas tua in celebratione pacis, & reintegratione amicitiæ, quam inuicem ſolenniter, nobis id cupientibus & operantibus, contraxiſtis, eidem Regiæ fide promiſeris, quod ipſum perpetuis temporibus haberes pro amico, & amicabiliter pertractares atque proſequereris eundem ſemper, eiuſque liberos & hæredes, ſummis fauoribus, charitate, & beneuolentia ſingulari, & etiam honorem ipſius Regis & commoda procurares, nec vnquam quouis quæſito colore, ad auferenda bona, Regna, Principatus, atque Dominia ſua aſpirares, nec pro te, vel alio, contra eius Statum aliquid attentares, immo ſi quid per aliquem attentari ſentires, in damnum reale vel perſonale Regis eiusdem, ipſum præuiſum faceres, & eidem pro poſſe tuo aſſiſteres. Et quod licet huiusmodi præmiſſa etiam cum iuramento firmaueris, ſcripturis Euangelicis manu tactis, nihilominus, vt Orator ipſius Regis aſſerit, illorum omnium immemor vel contemptor, Regium Statum & honorem eius, enormiter offendendo, Ducatum Lithuaniæ & terras Ruſſiæ, ipſius Regni Poloniæ membra eidem iamdudum incorporata & vnita, dilecto filio Alexandro Duci Lithuaniæ, ad vitam eius Regia authoritate conceſſa, prout aſſerit idem Orator, ab ipſo Poloniæ Regno ſeiungere ac liberare, & in nouum Regnum erigere, & præfatum Ducem huiusmodi Regni Regem in hanc ambitionem & cupiditatem dignitatis ſuaſionibus incitatum, conſtituere & creare procuras. Quod fieri non poſſe aſſertum eſt, ſine turpi nota ignominiæ tui nominis, propter conuenta prædicta in pace facta cum prædicto Poloniæ Rege, & promiſſiones tuas, vt per eundem Oratorem aſſeritur, firmatas, nec ſine ipſius Ducis dedecore, propter obligationem præfatam, qua obſtrictus eſt dicto Regi, præſtito etiam in ipſius manibus iuramento, ſine ipſorum violatione manifeſta. Et quod non minus conſiderandum eſt nobis & tibi, ſi ad huiusmodi erectionem Regni, & creationem ac coronationem Regis inconſulte procedes, propter manifeſtam iniuriam, quam ſibi fieri præfatus Rex & Regnum prætendunt, bellorum pericula, vaſtitatesque terrarum, ſtrages fidelium, & ſcandala maxima, vt aſſerunt, ſequerentur, quæ modis omnibus euitanda ſunt. Propterea cupientes, vt tenemur, tantam peſtem, tantumque periculum auertere, a populo Chriſtiano, Celſitudinem tuam charitatiue monemus, ex cordeque requirimus, & rogamus per miſericordiam Ieſu Chriſti, vt in hac cauſa nihil facias feſtinanter, & ſine longa & matura deliberatione, ac Eccleſia inconſulta, ne neceſſarium ſit poſtea, qui non poſſumus læſis poſtulantibus negare iuſtitiam, de violatione, vel non, iuramentorum pacis ac fœderum prædictorum, cognoſcere, prout idem Rex Poloniæ deſiderare videtur, & forſan nos, cogente iuſtitia, reuocare; ſi quæ perperam facta eſſent, cum tanto ſcandalo populi Chriſtiani. Cuius te authorem & ſuſcitatorem nedum eſſe, ſed etiam ſuſpicari poſſe non vellemus; ne fama tua, quæ vbique clariſſima eſt, lædatur, & anima tua tanti peccati onere prægrauetur, & reus in extremo iudicio, malorum omnium prædictorum, quæ neceſſario, vt plurimum, ſecutura videntur, valeas denotari. Quare fili Chariſſime, in hac tam periculoſa materia, moderare voluntatem tuam, & in hac parte noſtris paternis monitionibus & conſiliis acquieſcas, & viam aliis, per nos tibi apertam, de Oratoribus tranſmittendis ad nos, amplectaris. Nos etiam præfatum Ducem, propter eius excellentiam, & ſingularia bona, quæ fecit in propagatione Chriſtianæ fidei, magnifacimus, & paterna charitate diligimus, ac ipſum dignitate Regia digniſſimum iudicamus. Sed vellemus eum cum pace, ſine ſcandalo, ſine iniuria, & ſine diſcordia fratris ſui, talibus ornamentis ornari, ſicut alias ſcripſimus ſublimitati ſuæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Idibus Nouembris, Pontificatus noſtri anno quatuordecimo. 1429

Regiam dignitatem Withawdus ne appetat literis Summi Pontificis monetur.

Martinus Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Dilecto filio, Nobili viro Alexandro, magno Duci Lithuaniæ, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Nuper pro parte Chariſſimi filii in Chriſto, Wladiſlai Poloniæ Regis Illuſtris, fuit propoſitum coram nobis, aſtante Collegio Venerabilium fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium: Quod licet dudum Nobilitas tua fidem & connexionem, præfato Regi promiſerit cum iuramento ſolenni, de conſenſu omnium Principum & Baronum Lithuaniæ & Ruſſiæ firmatam, ita, quod in omni-

1429 *omnibus quæ concernant honorem eiuſdem Regis, & amplitudinem Regni ſui, deberes eidem præbere conſilium, & fauorem, & nunquam eſſe aduerſus ipſum Regem & Regnum, nec vnquam aliquas ligas, conuentiones, aut iuramenta cum aliquibus facere, ſine licentia præfatorum Regis & Regni; Nihilominus, vt aſſerit ipſius Regis Orator, tu omnium immemor vel contemptor, fraternam pacem, & concordiam diu ſeruatam perturbare, ac prædictos, Ducatum Lithuaniæ, & terras Ruſſiæ, membra incorporata & vnita Regno Poloniæ, Regia authoritate tibi conceſſa, ab ipſo Regno ſciungi ac liberari, ac in Regnum nouum erigi, teque eiuſdem Regni Regem creari non recuſas, ſeductus, vt idem Orator aſſerit, alieno conſilio. Quod fieri non poſſe aſſertum eſt, ſine turpi nota tui nominis, propter dictas promiſſiones tuas iuramento firmatas. Præterea quod non minus conſiderandum eſt nobis & tibi, ſi ad huiuſmodi erectionem Regni, & creationem coronationemque tuam inconſulte procedetur, propter manifeſtam iniuriam, quam prætendunt fieri ſibi præfatus Rex, & Regnum Poloniæ, bellorum pericula, vaſtitates terrarum, ſtrages fidelium, & ſcandala maxima, vt aſſerunt, ſequerentur; quæ modis omnibus euitanda ſunt. Propterea cupientes, vt tenemur, tantam peſtem, tantumq́; periculum auertere a populo Chriſtiano, Excellentiã tuam charitatiue monemus, ex cordeque requirimus, & rogamus per miſericordiam Ieſu Chriſti, vt in hac cauſa nihil facias feſtinanter, & ſine deliberatione matura, ac inconſulta Eccleſia, ne neceſſarium nobis ſit poſtea, qui non poſſumus poſtulantibus negare iuſtitiam læſis, de violatione, vel non iuramentorum & fœderum prædictorum cognoſcere, & forſan, cogente nos iuſtitia, reuocare, ſi quæ perperam facta eſſent, cum tanto ſcandalo populi Chriſtiani, quod tui cauſa ſuſcitari nollemus, ne fama tua, quæ vbique clariſſima eſt, lædatur, & anima tua tanti peccati pondere prægrauetur, & reus in extremo iudicio malorum omnium, quæ neceſſario ſecutura videntur, valeas denotari. Quare fili dilecte, in hac tam periculoſa materia, moderare voluntatem tuam & in hac parte, noſtris paternis monitionibus & conſiliis acquieſcas. Nos enim te, propter excellentiam tuam, & bona eximia, ac ſingularia, quæ feciſti in propagatione fidei Chriſtianæ, magnifacimus, & probitatem tuam, & te, paterna charitate diligimus, ac dignitate Regia digniſſimum iudicamus; ſed vellemus perſonam tuam cum pace, ſine ſcandalo, ſine iniuria, & ſine diſcordia fratris tui, talibus ornamentis ornari, ſicut alias ſcripſimus Generoſitati tuæ. Datum vt ſupra.*

Huſſitæ Sleſiam vaſtant,

Bohemis *Huſſitis*, *Sleſiæ* Ducatus igne & gladio vaſtantibus, *Ioannes Monſterbergenſis* Dux qui *Eliſabeth* relictam *Spitkonis Melſztinsky* Palatini *Cracouienſis* duxerat in conſortem, reſiſtentiam oppoſiturus, occurrit. Et *Sleſiæ* militibus illum adiuuantibus, pugnam in die Sancti *Ioannis* Euangeliſtæ, prope *Gloczko*, acrem conſerit. In qua militibus *Sleſianis* illum deſerentibus, vt Ducali ſanguini conueniens erat, occiditur, & *Huſſitæ* caſtris eius, & rebus plurimis potiuntur. In die *S. Anthonii* oppidum *Olaua*, quod a præſidio *Huſſitarum* tenebatur, a *Sleſitis* captum & incenſum eſt, & plures *Huſſitæ* illic necati. Capta ſub eodem tempore, plura *Sleſiæ* oppida, ab *Huſſitis*, videlicet *Kruczborg*, quod *Dobeslaus Puchala*, *Polonus*; item caſtrum & oppidum *Nyempcz*, quod *Petrus Polyak*, item oppidum *Gliwicze*, quod *Sigiſmundus Coributh* Dux, in gubernationem acceperant. Ex his autem oppidis, plurima ſpolia, incendia, depopulationes, terris *Sleſiæ* irrogatæ ſunt. Et licet *Wratislauienſes Swidnicenſium* auxilio oppidum *Nyempcz* circumuallaſſent, tamen infecta re diſceſſerunt. In die Sanctæ *Eliſabeth* caſtrum *Wratislauienſis* Eccleſiæ *Odmuchow*, *Huſſitis* fraude *Nicolai Halczslaw* alias *Halczenow Sleſitæ*, deditum eſt. Qui ſequenti anno captus, & capite truncatus, pœnas violatæ fidei dedit.

1429 *& Ducem Monſterbergenſem occidunt.*

1430 Natali Domini anni huius, *Wladislaus Poloniæ* Rex apud *Radom* celebrato, pro diebus Carniſpriuii in *Iedlnam* aduenit. Quo cum frequens conſilium Prælatorum & Baronum *Poloniæ*, ad ſuam Serenitatem fuiſſet congregatum, *Wladislaus Poloniæ* Rex, attenta Prælatorum & Baronum erga ſe, & Natos ſuos, fide, aſſiſtentia, & conſtantia, poſt varias deliberationes tunc digeſtas, nouis gratiis & prærogatiuis præmiando eorum opera, Regnum libertat. Et omnibus Eccleſiis Cathedralibus, item omnibus monaſteriis & clauſtris quorumcumque ordinum; item omnibus locis monialium; item omnibus Eccleſiaſticis perſonis, ſtationes, quocumque modo introductas, relaxat; & omnes Eccleſias Regni ſui, perſonaſque Eccleſiaſticas, a ſtationibus Regalibus in totum libertat & abſoluit. Item omnes abuſus & grauamina, Regnum prementia, ſuſtulit; plures articulos, qui ſæpius reuocabantur in dubium, dilucidans & declarans, quemadmodum in ipſis literis, quarum tenor hic inſertus eſt, latius continetur.

Wladislaus Rex omnium ordinum priuilegia & iura confirmat,

Wladislaus Dei gratia Rex Poloniæ, necnon terrarum Cracouienſis, Sandomirienſis, Siradienſis, Lancicienſis, Cuiauienſis, Lithuaniæque Princeps ſupremus, Pomeraniæ Ruſſiæque Dominus & Hæres. Significamus tenore præſentium, quibus expedit, vniuerſis. Quomodo libramine veræ rationis penſantes intemeratæ fidei & inſuperabilis virtutis conſtantiam, quibus incolæ Regni noſtri Poloniæ in bellis & certaminibus, quæ cum proſperis, auſpice Domino, triumphorum noſtrorum ſucceſſibus, ſæpe ſæpius, pro defenſione noſtra, & Regni eiuſdem, hoſtium ſuſtinendo inſultus, ſuſcepimus, placere nobis meruerunt, & votis noſtris, obſecundatione fideli, non abſque variis periculis corporum, & extenuatione rerum, deuota ſub-

litteris ſuis, quarum tenor inſeritur.

1430 *ſubiectione vbique paruerunt, & ſemper horum intuitu, & contemplatione aliorum meritorum, quæ excelſa dona noſtræ munificentiæ* A *non indigne promerentur; Volentes etiam, vt beneuolentia eorum & fidei affectus, quos cum tanta ſinceritate in filios noſtros, præclaros Principes, Wladislaum & Caſimirum direxerunt, quorum vnum, quem aptiorem ad regimen Regni cognouerint, noſtris requiſitionibus admoniti, ſibi, expleta vita noſtræ periodo, pro Rege, Principe, Domino, & hærede Regni huius Poloniæ, & terrarum Lithuaniæ Ruſſiæque, quas præclarus Princeps, Dominus Alexander alias Withawdus, magnus Dux Lithuaniæ, frater noſter chariſſimus, prout in præſentiarum poſſidebat, debet ad tempora vitæ ſuæ poſſidere; & poſt obitum eius, ad nos &* B *filios noſtros, ac coronam, vera & hæreditaria ſucceſſione deuolui, ſicut patentibus literis ad hoc confectis palam eſt, deuote & humiliter ſuſceperunt, & corona Regni, ſceptriſque Regalibus, cum ſolennitate cæremoniarum debita promiſerunt, tanquam verum & legitimum ſucceſſorem, poſtquam ætatem legitimam habuerit, inſignire: dignis, pro grata viciſſitudine, Regiæ Celſitudinis muneribus, compenſentur; omnia iura & Priuilegia ipſorum, quæ dudum circa coronationem noſtram, & aliis poſtmodum momentis, & temporibus, ipſis conceſſimus, vel quæ eis alii Reges & Principes, veri hæredes Regni Poloniæ, noſtri Prædeceſſores, ab antiquis temporibus conceſſe-* C *runt, patrocinio præſentis noſtri Priuilegii, ratificamus, approbamus, renouamus, & confirmamus, ſub infraſcriptorum moderamine articulorum. Quorum regulatione, ſi quæ obſcura tenor prædictorum Priuilegiorum comprehendit, ſenſum recipient clariorem, & ambigua omni dubietate carebunt, per quæ intellectus confundi, & naſci errores conſueuerunt. Primo quidem, quod vniuerſas ædes ſacras, ſeu Eccleſias, in omnibus earum iuribus, immunitatibus, & libertatibus, à metis & diſtinctionibus antiquis, quibus, temporibus Diuorum prædeceſſorum noſtrorum, Poloniæ Regum & Ducum, fruebantur, volumus omnimode conſeruare. Dignitates autem* D *Eccleſiaſticas & ſeculares Regni Poloniæ, æquo modo, circa iura & conſuetudines ac libertates ipſorum, quæ & quas temporibus Sereniſſimorum Principum, Dominorum, Caſimiri, Ludouici, & aliorum Regum & Ducum, hæredum Regni Poloniæ, obtinebant, dimittimus perſiſtere & permanere. Quas quidem dignitates, cum vacare contigerit, nulli extraneo terrigenæ, niſi nobili benemerito, & in fama laudabiliter conſeruato, illius terræ, in qua huiusmodi dignitas vel honor vacauerit: terræ videlicet Cracouienſis, terrigenæ Cracouienſi: Sandomirienſis, terrigenæ Sandomirienſi; & in maiori Polonia, terrigenis maioris Poloniæ, & ſic de aliis terris Regni Poloniæ, dabimus, vel quomodolibet conferemus. Super quibus etiam dignitatibus Eccleſiaſticis, & ſecularibus, literas expectatiuas nulli perſonæ dabimus in futurum. Et quod prædictas dignitates tam Eccleſiaſticas quam ſeculares, non debemus minorare, nec etiam ſuffocare, & poſſeſſiones, cenſus, aut ſalaria, ad eas pertinentia, iuris debito examine, non auferre; Item quia per Tenutarios caſtrorum & fortaliciorum alienæ gentis, & extraneæ nationis, Regnum in ſe & ſuis partibus crebrius periclitari contigerit, pro eo & ex eo, nulli Ducum, & de Ducali genere deſcendenti, ſeu extraneo alienigenæ cuipiam, aliquod caſtrum, fortalicium, aut ciuitatem, ad regendum pro tempore, vel in æuum, dabimus, conſignabimus, aut quomodolibet conferemus, nec etiam aliquem talium in Capitaneum, aut Tenutarium terræ alicuius, aut terrarum Regni noſtri prædicti, præficere aut ſurrogare. Item promittimus & ſpondemus, quod dum ad requiſitionem noſtram, nobiles noſtri Regni, extra metas eiusdem Regni noſtri, ad repellendum hoſtium ſæuitiam, tranſire contigerit, ipſis ſatisfactionem condignam, pro captiuitate, cæteriſque damnis notabilibus, faciemus. Metas vero ſeu limites ſæpe dicti Regni, memorati nobiles, ab inſultu & incurſu æmulorum & hoſtium, propriis damnis ſumptibusq́; tueri debent, & omnimode tueantur tuerique teneantur. In caſu vero quo aliquis æmulus Regni noſtri, quocumq́; modo illud intrauerit, & cum eodem conflictum intra metas eiuſdem Regni terrigenas noſtros facere contigerit, eiſdem terrigenis pro captiuitate duntaxat; ſi vero extra metas idipſum fieri contigerit, tunc & pro damnis, ſi quæ (quod abſit) incurrerent, & pro captiuitate ſatisfactionem condignam impendere. Captiuos autem quoslibet, quos extra & intra metas Regni prædicti, per noſtros terrigenas capi contigerit, pro depactatione per eoſdem captiuos, nobis facienda, retinere volumus penitus & habere. Item promittimus, quod ſi tempore ſe offerente, & neceſſitate vrgente, in ſpem alicuius expeditionis futuræ, contra hoſtium & æmulorum inſultus & hoſtilitates, terrigenis noſtris pecunias, videlicet quinque marcas ſupra haſtam quamlibet dare & diſtribuere nos contingat; caſu vero ſeu ſucceſſu temporis offerente, dum intra ſpatium quinque annorum, poſt diſtributionem pecuniarum, ſic, vt præmittitur, factam, ad expeditionem non proceſſerimus, extunc iidem terrigenæ, ab huiusmodi ſeruitiis, ratione prædictarum pecuniarum faciendis, erunt ſoluti penitus & exempti: ſi autem in decurſu eorundem annorum, ad expeditionem cum eiſdem terrigenis noſtris tranſitum fecerimus, & extra metas Regni cum expeditione proceſſerimus, extunc iidem terrigenæ, & ab eiſdem pecuniis, & ſeruitiis prætextu earundem, ſimiliter ſint ſolu-* 1430

ti. Item promittimus pro inclytis filiis noſtris prædictis, quod poſtquam, dante Domino, vnus illorum in Regem electus, ſceptra Regni amplectetur, monetam ex quocumque genere metalli, abſque conſenſu & conſilio ſpeciali Prælatorum & Baronum Regni Poloniæ, cudere non permittet: quemadmodum nos ſine ipſorum conſenſu & conſilio, huiuſmodi monetam cudere noluimus, nec cudimus. Abſoluimus inſuper, & perpetuo liberamus omnes & ſingulos, omnium terrigenarum noſtrorum colonos, ab omnibus ſolutionibus, contributionibus, exactionibus, vecturis, laboribus, equitaturis Podwody dictis, angariis, grauaminibus, frumentorum dationibus, dictis Sep, vulgariter, præterquam duos groſſos monetæ vſualis Polonicalis, & in Regno Poloniæ communiter currentis; Quos quidem duos groſſos, quilibet colonus prædictorum terrigenarum, de quolibet laneo poſſeſſo, etiamſi illum plures perſonæ poſſideant. Scultetis eorum & ſeruitoribus, quos ab huiuſmodi ſolutione duorum groſſorum eſſe volumus liberos & exemptos, nec non molendinatoribus, tabernatoribus, & hortulanis, nec colentibus agros, hoc eſt manſos ſeu laneos, integros vel medios, duntaxat, exceptis atque demptis, ſingulis annis in futurum, in feſto S. Michaelis Archangeli, vſque ad diem S. Nicolai, ſoluere ſit aſtrictus. Si autem prædictorum molendinatorum vel tabernatorum, ſiue hortulanorum aliquis, integrum agri laneum coluerit, tunc ad ſolutionem duorũ groſſorũ ſimiliter monetæ prædictæ, nobis ſint aſtricti. Ad quos quidẽ duos groſſos monetæ ſupraſcriptæ, olim Sereniſſimo Principi Domino Ludouico Regi Hungariæ & Poloniæ ſoluere libere ſe ſubmiſerunt. Quod ſi infra præfixum terminum nobis aliqua villa pecunias huiuſmodi ſoluere neglexerit, extunc Exactor noſter, quem pro eadem exactione tollenda duxerimus deputandum, in eadem villa vnam bouem, ratione non ſolutionis, abſque ſpe reſtitutionis, habebit recipiendi facultatem omnimodam. Si vero intra quatuordecem dies, poſt eiuſdem bouis receptionem, eadem villa, & quæuis alia, dictam pecuniam non ſoluerit, extunc Exactor noſter, duas boues conſimili modo, ſine ſpe reſtitutionis, recipiet, atque tollet. Memoratus etiam exactor pecuniarum prædictarum, prætextu notæ, quæ Napiſzne dicitur, nihil exigat neque tollat, & nihilominus literis ſuis colonos quietet de ſolutis. De ciuitatibus autem antiquis & nouis, tempore noſtri regiminis locatis, ſic ſtatuimus; quod ille ciuis aut oppidanus, qui ciuitatem cum vxore, filiis, & familia inhabitat, & agrum ſolus, vel per ſuum hortulanum aut agricolam colit, non tenetur ad prædictam Poradlne penſionem. Sed ſi ante ciuitatem vel oppidum reſidet, ſoluat præfatam Poradlne penſionem, ac ſi in villa reſideret, non obſtante, quod ad ius, & iuriſdictionem eiuſdem ciuitatis, ſeu Oppidi, pertinere, vel cum eis onera ſufferre perhibeatur. Item ſpondemus, quod in nulla terra totius noſtri Regni Poloniæ, iuſtitiariam conſtituere volumus, vel quomodolibet ſurrogare. Præterea promittimus ſingulos articulos, & clauſulas, nullo vitio falſitatis deprauatas, Sereniſſimorum Principum Dominorum, Caſimiri & Ludouici, ac omnium aliorum Regum, Ducum, ex vera ſucceſſione hæredum antiquorum Regni Poloniæ, noſtrorum Prædeceſſorum, Eccleſiis, terrigenis, ciuitatibusque conceſſas, præſertim commodum & profectum noſtrum, Regnique Poloniæ ſæpedicti, & ipſius incolarum, concernentes, firmiter & inuiolabiliter, perpetuis temporibus obſeruare & tenere. Item pollicemur, quod nullas ſtationes ſeu procurationes, vllos deſcenſus, in ciuitatibus, villis, & hæreditatibus, curiis ac prædiis, Eccleſiarum, Nobilium & terrigenarum noſtrorum, faciemus. Si vero caſualiter, opportunitate & neceſſitate nos cogente, ſtationem in bonis, ciuitatibus, caſtris, aut curiis Eccleſiarum, vel nobilium, nos facere contigerit, tunc nihil vi vel potentia recipere faciemus, vel quomodolibet facere recipi permittemus, immo quæque neceſſaria, pecuniis noſtris propriis, volumus comparare. Cæterum promittimus & ſpondemus, quod nullum terrigenam poſſeſſionatum, pro aliquo exceſſu ſeu culpa capiemus, ſeu capi mandabimus, nec aliquam vindictam in ipſo faciemus, niſi iudicio rationabiliter fuerit conuictus, & ad manus noſtras, vel noſtrorum Capitaneorum, per Iudices eiuſdem terræ, in qua idem terrigena reſidet, præſentatus. Illo tamen homine, qui in furto, vel in aliquo publico maleficio, vt pote incendio, homicidio voluntario, raptu virginum & mulierum, villarum depopulationibus & ſpoliationibus deprehendetur: ſimiliter illis, qui de ſe nollent debitam cautionem facere, vel dare, iuxta quantitatem exceſſus vel delicti, duntaxat exceptis. Nulli autem bona ſeu poſſeſſiones recipiemus, niſi fuerit iudicialiter per Iudices competentes, vel Barones noſtros, nobis condemnatus. Item promittimus, quod omnibus terrigenis, cum bonis & hæreditatibus noſtris, limites, poſtulantibus ac petentibus, non denegabimus. Item pollicemur, quod omnes terras noſtras Regni Poloniæ, etiam terram Ruſſiæ includendo; ſaluis tamen auenæ contributionibus, de quibus nobis ad tempora vitæ noſtræ ſola Ruſſia reſpondebit, ad vnum ius, & vnam communem legem omnibus terris, reducemus, reducimuſque, adunamus, & vnimus, tenore præſentium mediante. Item, attendentes, quod dicti noſtri Regnicolæ, & inhabitatores Regni, in fauorem noſtræ Maieſtatis, priuilegiis ipſis, per nos, & noſtros prædeceſſores conceſſis, quandoque derogarunt, eadem ipſorum priuilegia noſtra, & prædeceſſorum noſtrorum, Regum, & Ducum, ac hæredum legitimorum, & verorum, Re-

1430 *Regni Poloniæ prædicti, ad ſtatum priorem reducimus, reintegramus, reſtauramus, ac præſentis ſcripti patrocinio confirmamus, ratificamus, & declaramus, ipſa robur obtinere firmitatis. Item, ſi qui terrigenæ, aut quiuis alii incolæ Regni Poloniæ prædicti, pendente lite in iudiciis, pro quibuſcumque cauſis concordare voluerint, a pœnis noſtris, & Iudicum, atque ſubiudicum, Palatinorum & Caſtellanorum, eoſdem liberos facimus & ſolutos. Item, promittimus, quod nulli pœnas ſuper nobilibus, ad quas nobis iudicialiter fuerint condemnati, exigendas dabimus: ſed eas per nos, aut noſtros Capitaneos & Officiales exigemus, & exactas, iuxta beneplacitum noſtrum conuertemus. Item omnes incolæ terrarum, Cuiauienſis & Dobrzinenſis, de auena ſolita, quam nobis ſoluere conſueuerunt, ad decem annos duntaxat, nobis reſpondere ſint adſtricti. Quibus reuolutis, ab huiuſmodi auena liberi ſint & exempti. Item Notarii terreſtres, ad Officium Notariatus promoti, ſemper ſoli Iudiciis, & non per aliquos ſurrogandos vel ſcribas reſideant, vbi commode poterint, alias liceret eis habere ſubſtitutos, quos Baronibus, Iudicibus terrarum, in quibus Officium huiuſmodi poſſident, ſubſtituendos, præſentare teneantur: Et quod tales ſint bonæ famæ, & a dictis Baronibus & Iudicibus ad huiuſmodi officium approbati. Alias nobis continuo hæc ipſorum officia, aliis habilioribus, & magis aſſiduis, conferenda ſint affecta. Nulla autem leuis cauſa, niſi ardua, abſentiam Notariorum poterit excuſare, Harum quibus noſtræ Maieſtatis Sigillum eſt appenſum, teſtimonio literarum. Actum in Iedlna Sabbato ante Dominicam Inuocauit, anno Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo. Præſentibus Reuerendiſſimis in Chriſto Patribus, & Magnificis ac Nobilibus, Alberto Sanctæ Eccleſiæ Gneſnenſis Archiepiſcopo & Primate, Sbigneo Cracouienſi, Ioanne Wladiſlauienſi, Staniſlao Poſnanienſi, Ioanne Chelmenſi, Epiſcopis, Ioanne de Tarnow Cracouienſi, Sandiuogio de Oſtrorog Poſnanienſi, Nicolao de Michalow Sandomirienſi, & Capitaneo Cracouienſi, Andrea de Domagaſcz Caliſſienſi, Stiborio de Borziſlawicze, Lancicienſi, Iarando de Brudzewo Wladiſlauienſi, Palatinis: Petro de Bnino Gneſnenſi, Michaele de Czizowo Sandomirienſi, Petro de Sernik Caliſſienſi, Floriano de Koritnicza Viſlicienſi, Martino de Kalinowa Siradienſi, Dobcone de Olieſchnicza Voynicenſi, Sbigneo de Alto monte Roſperienſi, Ioanne de Kretkow Dobrzinenſi, Ioanne de Lichin, Sremenſi, Dobrogoſtio de Kolen Camenenſi, Ioanne de Laſzeynicze Sanocenſi, Caſtellanis: Petro Schafranyecz Cracouienſi, Petro Kordebog Poſnanienſi, Andrea Cziołek Sandomirienſi, Dobrogoſtio de Schamotuli Caliſſienſi, Alberto Malsky Lancicienſi, Voiſlao de Kroſthouo Brzeſtenſi, Andrea Dunin Wladiſlauienſi, Andrea de Lubin Dobrzinenſi, Succamerariis. Paulo de Bogumilowicze Cracouienſi, Ioanne de Sprowa* A *Sandomirienſi, Andrea de Lubrancz Brzeſtienſi, Matthia de Suchodol Lublinenſi, Iudicibus: Martino de Rogi Cracouienſi, Nicolao de Plieſzow Caliſſienſi, Iacobo de Strygie Dobrzinenſi, Vexilliferis: & aliis militibus, Nobilibus, in generali parlamento ſeu conuentione conſtitutis. Datum per manus prædicti Reuerendi Patris Domini Ioannis Epiſcopi Wladiſlauienſis, Regni Poloniæ Cancellarii, & Venerabilis Wladiſlai de Oporow, Decretorum Doctoris, Præpoſiti, Lancicienſi, & Sancti Floriani ante Cracouiam, eiuſdem Regni Vice Cancellarii.* 1430

Literis Withawdi accepit

Sciens autem Dux *Withawdus* in *Iedlna*, B & *Wladiſlaum* Regem & Prælatos Baroneſque *Poloniæ* conueniſſe, ſcribit Prælatis & Baronibus *Poloniæ* literas, ingeminans plures querelas de *Wladiſlao* Rege, *qualiter ipſum coram Summo Pontifice, & Regibus Catholicis dehoneſtauerit, notando eum de corona Lithuaniæ in præiudicium Regni ſui, ambitione, non attendens, quod ipſum ad dandum conſenſum prædictæ coronationi, ipſemet pluribus precibus & illexerit & pertraxerit.* Itaque ad reſpondendum huiuſmodi ſuis literis, & ad corripiendum eum quod a Prælatis & Boiaris *Lithuaniæ*, noua iuramenta, contra Statum Regis & Regni *Poloniæ* firmaret, *Sbigneus Cracouienſis* Epiſcopus, & *Nicolaus* de *Michalow* C Palatinus *Sandomirienſis*, in *Lithuaniam*, tertio ad illum mittuntur. Qui in *Grodno* pro diebus Paſchæ ipſum aggreſſi, verba nomine Regis faciunt: *Non eſſe Wladiſlaum Regem eius clementiæ, vt velit eum, cum quo vnus ſpiritus ſemper fuit, & eius commodis & amplitudini fauebat, confundere; ſed ſi coram Summo Pontifice, & Catholicis Regibus queſtus eſt, id egit neceſſitate compulſus, ne iuri ſuo per coronationem nouam fieret præiudicium, Sigiſmundi Romanorum Regis authoritate, quam per Apoſtolicam Sedem, operæ pretium erat reſcindi, & abrogari.* Corripiunt quoque illum de nouorum iuramentorum exactione, & caſtrorum firmatione: rogantque, *vt auerteret parumper, ab ambitione coronæ, ad* D *potiorem cogitationem cognitionemque animum.* A quo pro reſponſo accipiunt: *Nihil ſe contra Statum Regis & Regni machinari, nec ideo iuramenta exegiſſe, aut caſtra firmaſſe, vt velit ſe hoſtem Regno profeſſum bella mouere: ſed quoniam proſpiciebat ſibi, ne aliqui hoſtes occuparent eum incautum, cum certum erat, Bohemos hæreticos, Wladiſlaum Regem crebris Nunciis & precibus pulſaſſe, vt illis per Regnum ſuum contra Pruſſiam & Lithuaniam tranſitum permitteret. Et hanc Bohemorum petitionem Wladiſlaum Regem, contra morem ſuum ſuppreſſiſſe, & ab ipſo Duce Withawdo celauiſſe.* Talem reſponſionem callidam, & vaframmagis, quam fidelem & puram, Dux *Wi-*

Legati ad eum rurſus mittuntur,

qui eum res nouantem corriperent.

1430 *Withawdus* dedit Legatis Regiis, ad colorandum id, quod iam ante animo de coronatione ſua, & reſiſtentia Regno *Poloniæ* facienda, ſumpta corona, agitabat. Neque enim *Wladislaus Poloniæ* Rex in *Lithuanos*, quos ſumma diligebat charitate, aut in Cruciferos, cum quibus pacem perpetuam obſeruabat, permitteret graſſari. Sed vt vulgo aiunt, *Withawdus* Dux nodum in ſcirpo quærebat. Neque animus ſuus, cupiditate coronæ illectus quibusuis euidentibus rationibus ſanari poterat, cum res ſecundæ, naturam quoque eius, vt fit, in deteriora commutaſſent, ſpecioſioraque magis quam tutiora dantibus conſilia credidit, præcipitandus a peſſimis conſultoribus, niſi Deus illum de medio ſuſtuliſſet.

Ex Iedlna, *Wladislaus* Rex *Poloniæ*, per *Sandomiriam*, & alia loca, tranſitum agens, *Cracouiam* deuenit. Vbi commoratus aliquot diebus, in partes *maioris Poloniæ*, per ſtationes ſolitas proceſſit, & feſtum Paſchæ in *Caliſch* egit. Exiſtimantes autem quidam Nobiles Regni *Poloniæ*, qui patrimonia ſua nimis prodige effuderant, & ære alieno tenebantur, clauſtrum *Czaſtochowa*, alias *Clarum montem*, ordinis Sancti *Pauli* primi heremitæ, magnis theſauris & pecuniis locuples eſſe, eo quod illic ex univerſo Regno *Poloniæ*, & partibus vicinis, *Sleſia* videlicet, *Morauia*, *Pruſſia*, *Hungaria*, in feſtiuitatibus Sanctæ *Mariæ* Virginis, cuius in loco illo, rara & deuota ſculpturæ habebatur imago, fiebat concurſus, propter ſtupenda prodigia, quæ in curatione languidorum, per ſuffragium Dominæ noſtræ, in illo loco contingebant, aſſumptis ex *Bohemia*, *Morauia* & *Sleſia* latronibus, in die feſto Paſchæ, in monaſterium prædictum irruunt. Et theſauris non repertis, fraudati ſpe ſua, in ſacra vaſa, calices videlicet, cruces, & ornatus, manus violentas iniiciunt. Ipſam etiam imaginem glorioſiſſimæ Dominæ noſtræ, auro & gemmis, quibus deuotione fidelium veſtita erat, ſpoliant. Nec ſpolio contenti, vultum imaginis per tranſuerſum mucrone transfigunt, & tabulam, cui imago inhærebat, frangunt, vt non *Poloni*, ſed *Bohemi*, ex operibus tam crudelibus & nefariis, iudicarentur. Tali nefario opere expleto, magis infames quam ditites, ex monaſterio paucis onuſti prædis egrediuntur. Res ipſa longo tempore per *Bohemos* hæreticos, qui in *Sleſia* oppidis & caſtris, *Poloniæ* vicinis conſederant, putabatur patrata. Et iam tam *Wladislaus* Rex, quam Barones *Poloniæ*, de bello *Bohemis* inferendo animum intenderant, diſcuſſo tamen negotio, & veritate comperta, in nobiles *Poloniæ* maleficos, grauiter animaduerſum eſt, & plures in vincula coniecti. Sed & Diuinæ indignationis vindex gladius, genitricis ſuæ infamiam non tulit. Omnes enim fere, qui huiuſmodi ſacrilegio ſe fœdauerant, intra an-

Poloni ſacrilegi, *qui templum Czaſtochoviæ ſpoliarunt,* *puniuntur*

num turpi nece extincti ſunt. Erant autem huiuſmodi facinoris capita, *Iacobus Nadobni de Rogow*, de domo *Dzyaloſza*, *Ioannes Kuropatwa* de *Laczuchow*, de domo *Srzenyawa*; quos *Wladislaus* Rex captos, turri aliquanto tempore apud caſtrum *Cracouienſe* incluſerat. Item *Fredericus Ruſſiæ* Dux. 1430

Feſto Paſchæ in *Caliſch* exacto, *Wladislaus Poloniæ* Rex, in cætera *maioris Poloniæ* loca procedens, feſtum Aſſumptionis Sanctæ *Mariæ* Virginis in *Przedborz* egit. Exinde cum quarta die in *Andrzeiow* veniſſet, affertur illi lætus Nuncius, *Ioannes Czarnkowsky* Succamerarius *Poſnanienſis*. Is ſiquidem ex mandato Regio, cum miles notabilis de domo *Nalencz* eſſet, & poſſeſſiones ſuas vicinas *Saxoniæ*, & *nouæ Marchiæ*, haberet, tranſitum Legatorum *Sigiſmundi Romanorum* Regis cum corona in *Lithuaniam*, quos iam certum erat, cum coronis & literis *Vienna* exiiſſe, & per *Saxoniam* verſus *Pruſſiam* iter facere, miſſorum, obſeruabat poſitis in pluribus viis & paſſibus vigili & armata cuſtodia. Nec parcebat exploratoribus & Nunciis, ſed in omnia loca, per quæ veriſimiliter Nuncii præfati forent tranſituri, ſuos mittebat, abunde illis largiens expenſas. Ad coronandum enim Ducem *Withawdum*, & conſortem eius *Iulianam*, conſignatus fuit primum dies Aſſumptionis *S. Mariæ* Virginis: ſed Nunciis cum coronis tardius venientibus, iterum alius dies, videlicet *S. Mariæ* Natiuitatis, in *Vilna*, conſignabatur. Et Dux *Withawdus* plures Principes *Ruſſiæ*, videlicet *Moskwenſem*, *Twerenſem*, *Odoiouienſem*, magiſtrum & principaliores Commendatores *Pruſſiæ*, & *Thartarorum* Imperatorem, inuitauerat. Itaque nihil dubium erat, Nuncios cum coronis prope diem venturos, & de quo literis & Nunciis *Sigiſmundus* Rex *Withawdum* Ducem certificauerat. Et quo amplius eſſet de Nunciorum aduentu, & coronarum allatione certus, *Baptiſtam Czigala* vtriusque Iuris Doctorem, militem *Italicum Ianuenſem*, & *Sigismundum Roth Almanum Sleſitam*, ante Nuncios coronam deferentes, præmittit in fines, vt non ſolum Nuncios cum coronis venientes denuncient, ſed etiam vt vacillantem *Withawdum* multorum ſuggeſtione, de poteſtate *Romanorum* Regis, an creare aliquem in Regem poſſit, confirment, & ſcripturarum authoritatibus doceant & dilucident. His quoque literæ omnes, coronationem ad perpetuam rei memoriam firmantes, committuntur, vt illas Duci *Withawdo* perferant, & præſentent, hæſitantemque & dubium ſecurent. Affuit Diuina bonitas *Wladislao* Regi, & ſuo Regno *Poloniæ*, protegens illum a laqueo, quem ſibi *Sigiſmundus Romanorum* Rex, per huiuſmodi coronationem & ligam cum Duce *Withawdo*, Cruciferis incluſis, initam, tetenderat. Prædicti enim

Jo. Czarnowsky

legatos Sigiſmundi Imp. ad Withawdum miſſos

1430

literis ſpoliat

enim Nuncii, *Baptiſta*, & *Sigiſmundus Roth*, dum *Saxoniæ* terris ſuperatis, in *Pruſſiam* ingredi deberent, in cuſtodes & gentes Regis, per dictum *Ioannem Czarnkowsky* ordinatas & locatas, facientes excubias, incidunt, & capti, omnibus literis quas ferebant, armis, & equis exuti, ſponſione facta, quod ſe in *Czarnkow* pro certo die repræſentarent, parum prudenter dimiſſi, quos iuſtum erat in profundam caliginem carceralem detrudi, obliti honoris & iuris gentium, obliti ſponſionum, ad ducem *Withawdum* in *Lithuaniam* per *Pruſſiam* deducuntur. Et ſpolio quod illis ſimul cum captiuitate acciderat relato, ampliſſimis verbis ſpem bonam repromittunt, vt æquo animo ſit, etiam perſuadent, *ne moueatur tam leui aduerſitate; Nuncios cum coronis pro die conſtituto nihil dubitet venturos*, *Withawdum* per ſe alioquin feruidum, ad comprehendendum Regalis coronæ faſtigium, aſſiduis perſuaſionibus & ſtimulis incitabant. Dux *Withawdus*, etſi, vt Princeps induſtrius, gnarusq; omnium quæ ſubſequi debebant, ſciens *Polonorũ* animos feroces eſſe, fingit vultum habere hilarem, ne hoſpites iam corrogatos, & præſentes pro ſuæ coronationis ſolennitate, contriſtet, graui tamen dolore intrinſeco, a ſe tamen artificioſe tecto, grandis ſuæ ad irritum cadentis ſpei, coquebatur. Qui illi, vt in ſequentibus narrabimus, primum morbum conſciuit corporis, tandem mortem attulit. *Wladislaus Poloniæ* Rex, apertis fractiſque literis, quas ad eum præfatus *Czarnkowsky* in *Andrzeiow* detulerat, ſumma diligentia continentiam earum ſingillatim recenſebat. Multæ admodum erant literæ, cum ſecretæ, tum patentes, quibus creatio Ducis *Withawdi* in Regem *Lithuaniæ*, proceſſusque omnis coronationis & vnctionis, *Withawdi* in Regem, ac conſortis ſuæ *Iulianæ* in Reginam, & liga perpetua Regnorum *Hungariæ* & *Bohemiæ* cum *Lithuania* Cruciferis de *Pruſſia* & *Liuonia* in ſocietatem huiuſmodi receptis, continebantur. De Rege, & Regno *Poloniæ* crebra mentio, quæ vel ſugillaret vel carperet ſtatum eorum. Multaque alia clandeſtina auiſamenta, quæ ſpeciem tradimentorum habere videbantur, eiſdem adiuncta fuerant. Hilaris tali ſucceſſu *Wladislaus Poloniæ* Rex *Ioannẽ Czarnkowsky*, de fide & ſinceritate, in ſe & regnum ſuum commendatum, altis largitionibus atq; donis remunerat. Læta vniuerſo Regno hæc fuit nouitas, ſinguliq; *Ioannem Czarnkowsky*, pro tanta fide & opera in patriam, miris laudibus celebrant.

Alii legati Sigiſmundi Imp.

Et quoniam ex literis *Sigismundi Romanorum* Regis, taliter interceptis, certum erat, Nuncios notabiles, cum ex parte *Hungariæ* & *Bohemiæ* Regnorum, cum coronis per *Saxoniam*, verſus *Pruſſiam* tranſitum facturos. Et ex parte quidem Imperii, mittebatur Archiepiſcopus *Maydeburgenſis*, & ex parte Regis *Hungariæ Petrus Iugo*, filius *Henrici*, *Tauernicorum* Regalium Magiſter, *Laurentius* de *Hedrewar* Agazonum Regalium Magiſter, *Ladislaus* Ianitorum Regalium Magiſter; ex parte vero Regni *Bohemiæ* Dux *Przenko Opauienſis*, & *Potha* de *Pothenſchen Bohemus* ſpecialibus legationibus, pro Imperio & Regnis, apud *Withawdum* Ducem vſuri, quaſi concordi voto & conſenſu Imperii, & Regnorum prædictorum, coronatio ipſa debuiſſet priuilegiari & extolli, atque inſigniri. Itaque *Wladislaus Poloniæ* Rex, eundem *Ioannem Czarnkowsky* viceuerſa, ad obſeruandum ſtrictius & diligentius omnes vias, per quas Nuncii ituri forent cum coronis, remittit. Sed is aduerſa & graui ægritudine correptus, commiſſa exequi non potuit. Barones autem & nobiles partium *maioris Poloniæ*, videlicet *Sandiuogius* de *Oſtrorog* Palatinus & Capitaneus *Poſnanienſis*, *Dobrogoſtius* de [illegible]*motuli Poſnanienſis* Caſtellanus, *Iara[illegible]* de *Brudzewo* Palatinus *Wladislauienſis*, & clara patriæ ſidera, iuuenes certificati ex literis interceptis, de Nunciorum, qui coronas ferebant, aduentu, quaſi ex compoſito, nullo monente aut mandante, arma celerrime ſumunt, & cum potentia notabili, & exercitu validiſſimo, ſtationes in ſolitudine, in loco qui *Turzagora* dicitur, ponunt, progreſſuri ad comprehendendum Nuncios *Romanorum* Regis, quocumque res poſtularet, penetraturi etiam ad vltima maris, & prohibituri Regni *Poloniæ* diſmembrationem. Nuncii itaque præfati cum coronis, auditis quæ gerebantur, & conſternati animo, quod omnes eorum Nuncii, licet per varia itinera miſſi, per *Polonorum* excubatores capiebantur, deliberatione ſumpta, licet iam ex *Nuremberga* in *Francfordiam* ſupra *Odram*, & vſque in *Koszein* veniſſent, & illic pluſquam duobus menſibus fuiſſent immorati, pauore nimio perculſi, ne cum diſpendio rerum, etiam captiuitatem fœdam incurrerent, vltra progredi non audebant. Sed citato curſu, non ſine notabili formidine, ad *Sigismundum Regem*, per viam qua venerant, regrediuntur, coronas miſſas & munera ſecum referentes. Continuabat autem exercitus *maioris Poloniæ* ſtatiua ſua in loco præfato, menſibus duobus, & diebus octo, nec inde diſcedere animus erat, donec Nuncii cum coronis vel capti vel repulſi fuiſſent. Itaque *Pruſſiæ* Magiſter *Paulus* de *Ruzdorff*, formidine huiuſmodi exercitus actus, ne omnis moles huiuſmodi motus in eum, quoniam faueret coronationi *Withawdi*, & tranſitum Nunciis cum coronis per terras ſuas permittebat, verteretur, mittit Nuncios, qui quærerent a Baronibus & Capitaneis exercitus, *an eos debeat æſtimare amicos vel hoſtes, & ſi quid molituri ſunt contra eum, aut terras ſuas, aduerſi*. His reſponſum eſt: *Non eſſe ſibi præiudiciale, ſi exercitus Poloniæ intra fines Regni ſe continens, ſedeat, rebus ſuis prouiſionem neceſſariam opponens, ſi hoſtem eum experiri*

1430

cum coronis ad Withawdum miſſis

metu Polonorum cuſtodias agentium

ad Imp. redeunt

1430 *Magiſter Pruſſiæ debeat, in tempore ſe denunciaturum.* Nec abs re Magiſter Crucifericus *Paulus* de *Ruſzdorff*, legationem ipſam ad *Polonos* transmiſerat, intelligens ſe iuſtam illorum hoſtilitatem demeruiſſe. Neque enim tantummodo *Alexandrum Withawdum* Ducem ad acceptandum coronas, vel potius ad ſcindendum Regnum *Polonicum*, ſuis animabat ſuggeſtionibus, ſed & cum multis armatorum militibus ſtabat paratus, Nuncios cum coronis venturos, ſi progredi perſeueraſſent, per gentes ſuas huiusmodi, & Capitaneos eis præfectos, conducturus, quamuis tunc ſolus *Vilnæ* in *Lithuania* ageret.

Withawdus de hactenus geſtis triſtis eſt.

Dux *Withawdus* certificatus, exercitum *maioris Poloniæ* in *Turzagora* ad capiendum coronas, quæ ſibi & conſorti ſuæ *Iulianæ* cum magnis muneribus deferebantur, conſediſſe, anxiari animo cœpit, haud unquam vacuus grauioribus curis & ſolicitudinibus, cum exercitus in *Turzagora* conſedens, formidinem illi auferendæ, vel ſaltem impediendæ coronæ iniecerit: vnde nec ſe a verbis continuit. Itaque ad *Polonos*, qui propoſito ſuo fauebant, conuerſus, dixiſſe fertur; *Vereor*, inquit, *exercitum maioris Poloniæ, turpem mihi allaturum diem, & ſequeſtraturum me ab honore meo.* Cum vero *Poloni*, paucitatem exercitus obiicientes, metum ſuum extenuare contenderent, & *Nunciorum coronas ferentium parem eſſe potentiam* allegarent: *Vana eſt*, inquit, *conſolationis veſtræ perſuaſio. Nam vbi pares Nunciorum potentiæ Polonis eſſent, quod minime reor, ferociora pectora, & mori deſtinata, etiam cum ampliori potentia confligere non dubitabunt.* Hæc *Withawdus*, velut Princeps prudens, & expertus loquebatur. Nec eum fefelliſſet opinio, ſi Nuncii cum coronis magis progredi quam regredi elegiſſent. Interea Dux *Withawdus* de aduentu Nunciorum, cum coronis venturorum, ſpem aliqualem gerens, ad coronationis ſuæ ſolennia, diem videlicet Natiuitatis *S. Mariæ* Virginis, multos orientis Principes, Magiſtrosque *Pruthenicum* & *Liuonicum*, cum eorum Commendatoribus inuitauerat. Quibus *Vilnam* conuenientibus, & coronas expectantibus, cum ingenti gratulatione; literæ Legatorum offeruntur, ſignificantes *ſe, propter potentiam Polonorum, a metis Poloniæ, vsque ad mare protenſam, & excubias diligentiſſimas, etiam in terris exteris poſitas, retroceſſiſſe.* Dux *Withawdus* contra ſpem Nuncio accepto, quod *Polonorum* exercitus apud *Turzagora* excubias in campeſtribus ageret, & quod propterea Nuncii Cæſarei coronas ferentes, reuertiſſent, ſtupore primum & indignatione, vt pote cui apud *Polonos* omnia venumire in animo hæſerat, deinde dolore ingenti exagitari cœpit. Tum primum *Withawdus* Dux, quod ſibi parum credibile videbatur, pro comperto habuit, *Polonis* obſiſtentibus, non poſſe conſequi Regium diadema, quorum & ipſe, quamuis tunc hoſtis, efferebat virtutem; quod & *Romani* Imperii, & duorum Regnorum, ſpretis & nihilipenſis potentiis, libertatem, & integritatem patriæ lacerari non ſinebant. Ruborem autem, quem ex præſentia inuitatorum, & retrogradatione legatorum conceperat, diminuturus, inuitatos omnes vsque ad diem Sancti *Michaelis*, ſpes ſuas impleri exiſtimans, detinuit. Quo lapſo, ſpem omnem deponens, & faſtigio Regali ſe vehementius, quam conueniebat, fruſtratum iri dolens, licentiatis aduenis & hoſpitibus, pro nimio dolore & tædio, morbum ſibi, qui antrax nominatur, conſciuit. Non obmiſit tamen & tunc *Withawdus* Dux cupidinem coronæ magnopere expetere, quamuis aduertiſſet ſuper gratiam & pecuniam ſuam effuſam, maiorem facti & ambitionis ſuæ inuidiam acceſſiſſe. In animo enim ſuo, alioquin modeſto, & bene inſtituto, auri, argenti, virorum equorumque, & cæteræ nobilis ſupellectilis abundantia, aſſentatorum adulatio, conſortisque *Iulianæ* plusquam muliebris, ad capeſſendum Regii diadematis honorem, ambitio, ſpiritum ſuapte langueſcentem Regii faſtigii ambitum excitabant. 1430

Ex *Andrzeiow*, *Wladislaus Poloniæ* Rex, *Viſliciam*, & *nouam ciuitatem* progreſſus, *reſiduum* tempus æſtatis, per ſtationes ſolitas abſumpſit. Dum autem octo diebus ante feſtum Sancti *Michaelis* in *Lublin* ageret, & frequens Prælatorum Baronumque numerus ad eum, conueniſſet, ſuperuenit ad ſuam Serenitatem Ducis *Withawdi* Nuncius, *Nicolaus Maldrzik Polonus*, de domo Roſæ, rogans multifariis precibus, nomine Ducis *Withawdi*, *vt in Lithuaniam venire pro inſtanti hyeme dignaretur, nec reſpectum aliquem hoſtilitatis conciperet. Ipſum iam omnem animum & intentionem coronandi ſe in Regem proieciſſe.* Rex etſi auidus erat transeundi in *Lithuaniam*, quatenus illic venationes tractaret, Prælatos tamen & Barones ſuos tunc præſentes conſuluit. Plurimis enim, ſed & ipſi Regi ſuſpecta erat huiusmodi inuitatio, ne quid grauius *Withawdus* in Regem dolis, vel vi aperta, conſuleret; vel ne largitionibus profuſis Regem & Barones *Poloniæ*, ad conſenſum inclinaret. Et dum communi deliberatione decerneretur, vt in *Lithuaniam* rogatus iret, & reſiduum fomentum ambitionis coronæ in Duce *Withawdo* ſubmoueret & extingueret, veriti Prælati & Barones *Poloniæ*, ne reconciliatio Regis & Ducis, rem coronationis de nouo reintegraret; præſentes enim in *Lithuania*, *Baptiſta* Doctor, & *Sigismundus Roth*, aderant, qui monere & ſolicitare Ducem *Withawdum* non deſiſtebant, vt coronis *Vilnæ* fabricatis, coronari ſe permitteret, cum huiusmodi coronationem *Romanorum* Rex *Sigismundus* eſſet ratificaturus. *Withawdus* autem ipſe, diebus ac noctibus, multis ſuſpiriis anxius, cum animo ſuo trahebat, omitteretne cupidi-

1430 pidinem Regni, Nunciis coronas ferentibus reuerſis, an nouis ingeniis, quæ ſibi per *Baptiſtam*, & *Sigiſmundum Roth* ingerebantur, vrgeret fortunam, qua hactenus parum proſpere vſus fuerat. Itaque licet reuerſione Legatorum coronas ferentium audita, plurimum contabuiſſet, inſtigante tamen *Baptiſta*, & *Sigiſmundo Roth*, ſpem ad futura magis magisque erexit. Et non iam per contentionem, cuius res euanuiſſe viderat, ſed modeſtia, prece, & largitione poſſe, ſi Rex *Poloniæ* in *Lithuaniam* veniret, defungi cupidine nouæ ſpei, nouæque coronæ putabat, nouis dolis ineſcatus & inuolutus. Ingenti itaque modeſtia Dux *Withawdus* vſus, vel maxime angebatur, tanquam in obſcura & ſordida caſurus ex ſplendidis, quem magno pruritu ſperata feſellerant, tunc regnare ſatagens, cum deſinendum fuerat. Itaque ne res coronationis nouarentur, *Sbigneus Cracouienſis* Epiſcopus, precibus omnium Prælatorum, & Baronum Regni rogatus, non ignarus, quantum ſibi eſſet Dux *Withawdus* infeſtus, ire tamen conſenſit, eum in finem, vt Regem a conſenſu in coronationem auerteret; & ſi quæ decreta ad id facta concluſa eſſent, reſcinderet, & vbi coronatio tractari aut conſignari deberet, proteſtatione & appellatione ſolenni & publica, totiuſque Regni nomine fienda, eam conficeret & impediret.

Wladiſlai Regis in Lithuaniam aduentus,

Ex *Lublin*, *Wladiſlaus* Rex per *Parczow*, *Brzeſczie*, *Camienyecz*, & alia loca, in quibus abundanter ſingulæ prouiſiones & neceſſaria, tam *Wladiſlao Poloniæ* Regi, quam omnibus Prælatis & Baronibus ſuis, præter *Sbigneum* Epiſcopum *Cracouienſem*, qui ſolus hoſtis & aduerſarius præcipuus a *Withawdo* creditus, adminiſtrabatur; *Vilnam* feria quarta poſt feſtum *S. Franciſci* peruenit. Cui in obuium cum magno ſplendore & pompa Dux *Withawdus*; item Duciſſa *Iuliana*, item Magiſter *Paulus* de *Ruzdorff*, item Principes *Ruſſiæ*, de *Moskwa*, de *Thwerde*, de *Odoiow*, & multitudo magna *Lithuaniæ* & *Ruſſiæ* Principum & Baronum, egreſſi, ipſum excipiunt. In craſtino Regii aduentus in *Vilnam*, feria quinta, Conſilium habitum eſt, & plures tractatus interpoſiti, vt coronatio *Withawdi* conſumaretur. Magiſter *Pruſſiæ Paulus* de *Ruzdorff*, ait, *diuiſionem Regis & Ducis, ſibi & Ordini ſuo diſplicere, vocatum quidem ſe ad ſolennitatem coronationis veniſſe, eo tamen animo eſſe, vt velit operam ſe dare pro reconciliatione Regis & Ducis, & quicquid ad eorum amplitudinem & honorem pertineret:* Reſponſum illi e veſtigio per *Sbigneū Cracouienſem* Epiſcopum eſt; *Verba ſua, honeſta quidē, effectibus non congruere: Romanorū enim Regis literæ per Baptiſtam portatæ, & interceptæ, declarant te & Ordinem tuum, diſſidium inter fratres quæſiuiſſe & procuraſſe.*

Withawdus Dux animum coronationis ſuæ deponit.

Dux *Withawdus* timens ne in longum traheretur diſceptatio, illico aſſurrexit, & receſſu ſuo litem, ſi quæ interuentura erat, ſuper coronatione fienda, diremit. Videns autem Dux *Withawdus* longe ſe eſſe diſtractum, a coronationis conſumatione tam Magiſtrum *Pruſſiæ*, quam vniuerſos *Ruſſiæ* Principes licentiat, & in domos eorum, notabilibus muneribus honoratos, remittit. Remanſit autem *Wladiſlaus* Rex illic, cum Prælatis, Principibus, Baronibuſque ſuis, quorum multitudine tunc abundabat. Quibus illic ſtantibus, tam *Wladiſlao* Regi, quam Duci *Withawdo*, literæ Apoſtolicæ afferuntur, quibus congratulatur de eorum mutua conuentione: & rogat perſuadetque, vt reconciliari ſibi ſtudeant, & vinculum fraterni amoris ſtrictiori charitate obſeruent.

Harum literarum tale eſt exemplar:

Martinus Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Dilecto filio Nobili viro Alexandro, Duci magno Lithuaniæ, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Lætamur & exultamus in Domino, ſentientes cariſſimum in Chriſto filium noſtrum, Wladiſlaum Poloniæ Regem Illuſtrem, & te inſimul conueniſſe. Speramus enim, quod Deo authore, qui inſpirat omnia recta & ſancta conſilia, renouabitur, vel iam renouata eſt inter vos fraterna concordia, quæ videbatur nouo & execrando eſſe diſſidio, inſtigante Sathana, perturbata. Pro cuius reintegratione concordiæ, continue rogabamus Deum humiliter, eidem ſupplicantes, vt ſi vellet Catholicam fidem ſuam, illæſam & ſaluam ab impuris & ſceleratis Bohemis hæreticis conſeruare, vos duos Catholicos Principes dignaretur reducere in gratiam, & mutuam charitatem. Et ſic eum per miſericordiam ſuam facturum eſſe confidimus, vel feciſſe. Ex quo ſenſus & ſpiritus noſtri, qui mirum in modum de veſtra diſcordia triſtabantur, recreati ſunt. Cognoſcimus enim de veſtra concordia, pendere victoriam noſtram pro cauſa fidei, contra Bohemos hæreticos. Sed nunc magis lætabimur, & conſumatam victoriam tenere in manu videbimur; cum hæc per tuas literas aut Nuncios certius ſentiemus. Cæterum dilectus filius Nicolaus, præfati Regis Secretarius & Orator, qui apud nos fuit his diebus, de diſpoſitione noſtra erga ſtatum & honorem tuum, & præcipue de ſingulari deſiderio noſtro huiuſmodi concordiæ tuæ, viua voce poterit informare. Datum Romæ apud Sanctos Apoſtolos, Nonis Decembris, Pontificatus noſtri anno XIIII.

Wladiſlaus Rex bona Eccleſiæ Vilnenſis confirmat,

Agente *Wladiſlao Poloniæ* Rege in *Lithuania*, & in *Troky* conſtituto, *Matthias* Epiſcopus & Capitulum *Vilnenſe*, prouide conſiderantes, donationes *Alexandri* Ducis magni *Lithuaniæ*, de certis diſtrictibus Eccleſiæ *Vilnenſi* factas, languidas fore, niſi illas obtinerent a *Wladiſlao* Rege confirmari, precibus & inſtantiis ſupplicibus, obtinent robur illis per literas *Wladiſlai Poloniæ* Regis apponi, quarum tenor ſequitur, & eſt talis: *In No-*

1430 1430

literas, quarum tenor inſeritur.

Nomine Domini Amen. Acta præſentis temporis ſolent cito deperire; niſi ſcriptura præſidio, & adminiculo teſtium, fuerint roborata, ad memoriam futurorum ſempiternam. Proinde nos Wladislaus Dei gratia Rex Poloniæ, nec non terrarum Cracouiæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cuiauiæ, Lithuaniæque Princeps ſupremus, Pomeraniæ Ruſſiæque Dominus & hæres. Significamus tenore præſentium, quibus expedit vniuerſis, præſentibus & futuris, præſentium notitiam habituris. Firmiter nobis ad ſalutis noſtræ, & æternæ vitæ gaudia, credimus prouenire, cum ad ſtatum & profectum fidelium, Spiritualium perſonarum, die noctuque in orationibus excubantium, intendimus, & eius fauorem Regium libenter impartimur. Sane pro parte Reuerendi in Chriſto Patris Domini Matthiæ Epiſcopi Vilnenſis, & ſui Capituli fratrum, ſincere nobis dilectorum, oblata petitio continebat, quatenus ad infra ſcripta bona, hæreditates, & poſſeſſiones, per magnificum Principem Dominum Alexandrum alias Withawdum, Ducem magnum Lithuaniæ, fratrem noſtrum chariſſimum, ipſi Domino Epiſcopo Vilnenſi, & ſuo Capitulo, prædictæque Eccleſiæ donatas, & ex commutatione certorum bonorum hæreditariorum, inter ipſum Dominum magnum Ducem, & præfatos Dominum Epiſcopum, Capitulum & Eccleſiam, perpetuo factas, prouenientes, de innata noſtræ Celſitudinis clementia, ratificare, confirmare, approbare, & innouare dignaremur. Nos itaque petitionibus ipſorum, tanquam iuſtis, & rationabilibus, benigniter annuentes, eadem bona, poſſeſſiones & hæreditates, primo videlicet molendinum ciuitatis Vilnenſis, in fluuio Vilna circa monaſterium Ruthenicale ſitum: Item diſtrictus, videlicet Huborth, Humyen, & Camyenyecz, cum ipſorum iuribus, Dominiis & proprietatibus, oppidiſque, villis, poſſeſſionibus, dationibus, contributionibus, prouentibus, & vtilitatibus vniuerſis, nec non poſſeſſionem villarum Lubor ex cauſa permutationis pro Iarinicze prouenientem; item Milyenkowo cum tributariis, cenſuariiſque, & reddituariis, item in Bluſcha, etiam ex commutatione pro Vobotnicza cedentem. Item villæ in Woſchina, & in Starzini, quas, alias Kuczuk, pro Trebina poſſidebat, aliaque omnia & ſingula bona, hæreditates & poſſeſſiones, diſtrictus, atque villas ſupra dictas, quæ & quas dicta Eccleſia Vilnenſis, Epiſcopus, Capitulum & Miniſtri, in præſenti obtinent, & in poſterum ſucceſſu felici temporum obtinebunt, prout in ſuis metis & limitibus, longe, late, & circumferentialiter ſunt diſtincta & limitata, cum omnibus & ſingulis earum vtilitatibus, fructibus, cenſibus, redditibus, prouentibus, agris, pratis, campis, piſcinis, ſiluis, borris, gaiis, mericis, robetis, mellificiis, venationibus, aucupationibus, ſtagnis, lacubus, paludibus, riuis, aquarumque decurſibus, piſcinis, piſcaturis, molendinis & ipſorum emolumentis, tributis, cenſuariis, exactionibus, contributionibus, ſolutionibus, iuribus, conſuetudinibus, dominiis, proprietatibus, laboribus, vecturis, Podwodis, ſtationibus, aut quibuſuis penſionibus, in terris Lithuaniæ dari & conferri ſolitis, ſoluique conſuetis, a quibus dictum Dominum Epiſcopum, Capitulum, Eccleſiam, & miniſtros eximimus, & perpetuo liberamus, confirmamus, ratificamus, innouamus, gratificamus & approbamus. Decernentes ea omnia & ſingula ſupraſcripta, per præfatum Dominum Alexandrum Withawdum magnum Ducem donata, inſcripta, & ipſi Eccleſiæ Vilnenſi, Domino Epiſcopo, Capitulo, & miniſtris, priuilegiata, & annexa, robur obtinere perpetuæ firmitatis. Facientes & conſtituentes, præfatos, Dominum Epiſcopum, Capitulum, & miniſtros, ac conuentuales Eccleſias, veros Dominos, hæredes, & perpetuos prædictorum bonorum, poſſeſſionum, diſtrictuum, Villarumque, præſentium & futurorum poſſeſſores, harum quibus Sigillum noſtrum appenſum eſt, teſtimonio literarum. Actum in Troky ipſo die vndecim millium virginum, anno Domini milleſimo, quadringenteſimo, trigeſimo. Præſentibus ibidem ſtrenuis & Nobilibus Georgio alias Gedigowd Vilnenſi, Ioanne alias Iarone Trocenſi, Palatinis, Romboldo terræ Lithuaniæ Marſchalco, Gaſtowdo, & Dobcone de Oleſchnicza, Caſtellano Voynicenſi, Ioanne Glowacz de Oleſchnicza, Regni Poloniæ Marſchalco, Ioanne Taſchka de Konyeczpole, Andrea de Lublin Succamerario Dobrzinenſi, Vincentio de Schamotuli, Laurentio Zaręba, de Kalinowa, & Clemente Vatrobka de Strzelcze, multiſque noſtris aliis, fide dignis. Datum per manus Reuerendi in Chriſto Patris Domini Ioannis Epiſcopi Wladiſlauienſis, & Venerabilis Wladiſlai de Oporow Decretorum Doctoris Sancti Floriani ante Cracouiam Præpoſiti, Gneſnenſis, Cracouienſis, Canonici, Regni eiuſdem Vice Cancellarii, ſincere nobis dilectorum.

Iactantia Sigiſmundi Imperat. Wladiſlao Regi refertur.

Miſerant & plures *Sleſiæ* Principes ſpecialem Nuncium ad *Wladiſlaum Poloniæ* Regem, repromittentes omnem ei & Regno ſuo, contra quoſcumque præſentes & futuros hoſtes aſſiſtentiam. Declarantes inſuper *quomodo Sigiſmundus Romanorum Rex, gloriatur ſe coram pluribus nationibus, bellum inter duos fratres concordes conflauiſſe, & quaſi inter duos aliquos canes coſtam, ad vltimos vitæ dies pro ea certaturos, ieciſſe, non prius quieturos, donec ſe mordendo ab inuicem conſumpſerint.* Demonſtrando, & amplo ſermone & pictura, *ſe Poloniæ Regem Wladiſlaum in gyrum hoſtilibus Regionibus, quaſi feram caſſibus incluſiſſe, nullo ingenio humano manus ſuas euaſurum.*

Alexander Dux Lithuaniæ

Corripuerat iam Ducem *Withawdum* languor morbi, qui antrax, alias fiſtula appellatur,

1430 tur, qui illi, ſiue, vt hæreditarius, ſiue ex dolore & cholera, incertum eſt; propter non ſecutam coronationem, inter ſcapulas acciderat. Fiebatque Dux *Withawdus* in dies debilior. Non ceſſabat tamen ſolicitare *Wladislaum Poloniæ* Regem, *vt daret ordinem de coronando eo, & ſummoueret Prælatorum & Baronum Poloniæ, qui obſtabant, impedimenta;* Rex reſpondit: *placere ſibi, & cordi eſſe coronationem ſuam, & fauiſſe, fauereque vt fiat: Strictum tamen eſſe prohibitione Prælatorum & Baronum Poloniæ, ne publicum det conſenſum, ob eamque rem, Sbigneum Cracouienſem Epiſcopum, miſſum ſecum in Lithuaniam eſſe, vt velut lapis immobilis ipſum auerteret a conſenſu. Eo diſſentiente, nihil ſe acturum. Adhibenda fomenta eſſe, quæ Sbigneum Cracouienſem Epiſcopum inclinent & frangant, ac emolliant ad conſenſum.* Mittit itaque Dux *Withawdus* extemplo Nuncios duos *Polonos*, ad *Sbigneum* Epiſcopum *Cracouienſem*, videlicet *Nicolaum* de *Sepno*, & *Nicolaum Maldrzik* de *Kobyele*,, rogans *ne coronationi ſuæ obſiſtat, ne, aliis conſentientibus & cedentibus, ipſe cum paucis honorem ſuum impediat. Taliter iam omnium fere animos Polonorum molliuiſſe, vt omnes fere ſibi de honore huiſmodi faueant, obſecrans, ne ipſe vnus moretur, ſplendore tanto inſigniri caput ſuum.* Nec precibus contenti, maxima & altiſſima munera repromittunt. *Patebit*, inquiunt, *tuæ Paternitati ad theſaurum Ducis liber ingreſſus, tolles quantum voles, ex auro, argento, & gemmis. Aut ſi detrectaueris theſauri ingreſſum, talibus honeſtabit te muneribus, qualibus nemo vnquam ante te in his Sedibus fuerat honoratus.* His *Sbigneus Cracouienſis* Epiſcopus reſpondet, *ſe virtutem, opera, & mores Ducis Withawdi, corona cuiuſcunque ſplendore dignos putare. Mirari tamen vehementer, cur Dux Withawdus ad eā coronationē aſpiret, ex qua ſciat, plus infamiæ quam gloriæ, plus cædis quam pacis plus ſanguinis quam lætitiæ, plus vaſtitatis quam amplitudinis ſibi, terriſque Lithuaniæ, manaturum. Regem enim Romanorum Sigiſmundum, ideo animum ſuum ad ſpem præfatæ coronationis impuliſſe, vt liga Regni Poloniæ & Ducatus magni Lithuaniæ rupta, amplitudo omnis, & vigor vtriuſque Dominii, vel frangatur, vel ſeneſcat, & Cruciferis detur occaſio, terras Lithuaniæ, veteri gloria renouata, vt ethnicas & barbaras inuadendi. In arbitrio inſuper ſuo non pendere tantæ rei conſenſum. Et cum authoritate totius Regni miſſus ſit ad impediendam coronationem, & ad appellandum ab ea, ſi fieret; quomodo liceret ſibi, deſertis patriæ mandatis, captum ambitione munerum, in aliquid, quod illum perpetuo faceret apud penates proprios infamem, conſentire: nec reditui ſuo in Regnum pateret via, nec munera cuiuſcumque amplitudinis ſibi danda illum protegerent, quin vt proditor patriæ,* 1430 *cuius cauſam defendendam ſuſceperat, etiam cum toto genere ſuo violaretur. Nihil itaque poſſe in hac re preces vel munera, ſe conſtanti animo & inuincibili eſſe, & cum tam durato corde in Lithuaniam veniſſe, vt & carceres & mortem, & vniuerſa ſupplicia experiri prius mallet, quam rei huic præbere conſenſum.* Reſponſione *Sbignei* Epiſcopi *Cracouienſis*, Dux *Withawdus*, audita, ferocius ſe gerere, & animum trucem habere cœpit. Et miſſis prioribus Nunciis, adiuncto tamen illis *Matthia* Epiſcopo *Vilnenſi*, petit, *vt coronationi ſuæ, poſtquam verum non tulit, ſaltem ſimulachro ſimilem, pro delenda & abſtergenda ſua ignominia, præbeat conſenſum, qui in præiudicium Regni Poloniæ, & ſuam notam, non poterit redundare. Coronam enim capiti ſuo impoſitam, dum & honore & ambitione ſua fuerit perfunctus, illico ſe ex capite ſuo depoſiturum, & Romanorum Regi Sigiſmundo redditurum*, repromittit. *Quod ſi in hanc æquam conditionem annuere nollet, ſe illum pro hoſte habiturum, curaturumque omni enixione apud Regem, & his, quæ ipſi Sbigneo Epiſcopo Cracouienſi præparata erant, muneribus effecturum, vt Sede ſua pulſus priuetur, cum & anteceſſor ſuus Petrus Viſch, ſimilem a Sede ſua excluſionem, authoritate & interpoſitione ſua interueniente, paſſus eſſet.* Denunciatio autem hæc tam periculoſa & terribilis, atrox ingenium *Sbignei* Epiſcopi *Cracouienſis*, accendit magis quam perterruit. Propter quod ad hæc *Sbigneus Cracouienſis* Epiſcopus, mente imperterrita, nullum fugiens diſcrimen, nullum horrens periculum, & nullam vim extimeſcens, conſtanti & intrepido vultu, paucis reſpondit: *Nec verum, nec fictum poſſe ſe dare ad coronandum conſenſum, cum fictus poſſet in verum conuerti. Aduerſitatibus Ducis ſe non terreri, ſe, & in tranquillo, & in aduerſo, eiuſdem tenoris virum eſſe. Depoſitionem Petri Viſch ſui Prædeceſſoris, neque Regiæ, neque Ducali Maieſtati conuenire, neque depoſitionem illam, vlla reminiſcentia aut relatione dignam fore; rationem quoque temporum & perſonarum habendam eſſe. Succeſſiſſe enim tempora, dum ſimilis depoſitio confici nequiret; cum & Chriſti Vicarius Papa, Eccleſia Dei vnita, quæ tunc ſciſſa erat, diuerſus multo eſſet a Petri depoſitore, & ipſe tali depoſitione, dum merita non præceſſiſſent, exiſtimaret ſe indignum.* Huiuſcemodi allato reſponſo, Dux *Withawdus* omnem ſpem exigendi conſenſus decidiſſe, ratus, virtutem quoque *Sbignei* Epiſcopi admiratus, quod neque magnitudine datorum neque dandorum emolliri potuit, vt ſubmiſſior, & cupidini ſuæ morigerior exiſteret. Beatior aliquanto *Sbigneus* quam *Withawdus* animo, ſi illud adeptus fuiſſet Regnum. In ſecretiſſimo enim ſuorum conſilio fertur dixiſ-

inexpugnabilem cernens Sbigneum Epiſc. Cracov.

ſe;

1430 ſe: *Omnes*, inquiens, *alios, aut largitionibus, aut promiſſis, aut prece aut pretio, vel peruiceram, vel peruincere ſperabam, vnum hunc Pontificem neque donis neque terroribus, deflectere potui in hanc diem a recta ſententia, qui omnes conatus meos, velut paries petroſus alliſit, & eluſit.* Conſtantis ac præualidi ingenii vir *Sbigneus* Epiſcopus, bonitate conſpicuus, conſtantia glorioſus, perpetuo apud *Polonos* inſcribendus catalogo. Qui neque horrifico minarum ſonitu, neque magnitudine largitionum impelli potuit, quo ſe in diminuendis iuribus Regni *Poloniæ* gereret blandiorem. Quo fructu integritatis eius, quid excelſius, quid iucundius, quid felicius, quid venuſtius excogitari poſſit? non video: cum illum conſtet etiam ipſum *Withawdum* Ducem commendato ſermone admiratum fuiſſe, fuitque laudis quæſtu, etiam hoſtis teſtimonio, confeſſione, locupletiſſimus.

& graui vexatus morbo.

Conſurgebat interim dolor *Withawdi* Ducis, & morbus inualeſcens cogebat illum, dum ſæuo vulnere morbi immedicabilis torqueretur, coronationis obliuiſci. Itaque & publice & priuatim profeſſus eſt, *ſe nunquam amplius de coronatione ſua aliquid innouaturum*:

tandem animū regnandi deponit.

& de hac re data fide & reſponſione *Wladislao Poloniæ* Regi, *Sbigneo* Epiſcopo *Cracouienſi*, Duci *Semouitho Maſouiæ*, & aliis Principibus & Baronibus *Poloniæ*, *Wladislao* de *Oporow* Regni *Poloniæ* Vice Cancellario, ſpes omnes, quas conceperat, ad irritum intelligens redactas, nonniſi tunc depoſuit. Morbo ſiquidem diſcriminoſo, ad naturæ imbecillitatem (iam enim ætate inclinata erat) adiuncto, reſiſtere non valens, propinquam ſibi mortem imminere, & auferri ſe de medio gloriæ ſpacio, diadematis needum libato ſplendore, non ambigebat. Itaque non iam de producenda, ſed de claudenda vita, cogitare primum cœpit, poſtquam iam morti intercedi poſſe diffideret. Impleuit autem circa illum *Wladislaus* Rex, piæ fraternitatis munia, ſedulitate ſincera aſſidens, & compatiens ægrotanti. Feria ſecunda in craſtino Sanctæ *Heduigis*, præfatus *Sbigneus* Epiſcopus, Dux *Semouithus*, & *Wladislaus* de *Oporow*, Regni *Poloniæ* Vice Cancellarius, cum aliis Baronibus *Poloniæ*, *Vilna* diſcedunt, in Regnum *Poloniæ* ad Regis imperium reuerſuri; licet ipſi Prælati & Barones *Poloniæ*, morte vicina, quæ Duci *Withawdo* imminebat, cognita, ne ex *Lithuania* remitterentur, diſſuadebant. Non valuit tamen perſuaſio eorum apud Regem, cum Rex ipſe, in euentu mortis Ducis *Withawdi*, Prælatis & Baronibus præſentibus, Ducatum magnum *Lithuaniæ* conferendi, Duci *Switrigallo* germano ſuo, prout in corde deſtinauerat, non habere ſe rebatur libertatem. Solicitabatur & tunc *Sbigneus Cracouienſis* Epiſcopus, a *Iuliana* Duciſſa conſorte *Withawdi*, *vt theſauros eius, & nobiliſſima in auro, argento, gemmis & vnionibus clenodia, longe tempore, ab eo quæſita, ſuſciperet, & in Poloniam ſecum ferret; ſeruaturus illa pro Ducisſæ præfatæ victu & Statu. Aut ſi quid euenerit, in illamque conſultum fuerit quicquam grauius, in pia opera erogaturus.* Sed neque in id voluit, notam omnem ambitionis abhorrens, conſentire: veritus eo ſe ingenio muliebri illaqueatum iri, poſtquam cætera non proderant.

Wladislaum Regem Vilnæ diſcedentem Withawdus proſecutus grauiore morbo corripitur.

In die Sanctæ *Heduigis*, diſcedit *Wladislaus Poloniæ* Rex *Vilno* verſus *Troky*, audita miſſa apud Minores. Quem, aſcenſo equo, Dux *Withawdus* ſecutus. Et paullulum viæ conficiens, a languore ex equo deiectus, in vehiculum quo conſors ſua vehebatur, aſcendit, & iacens in *Troky* peruenit, ac grabato decumbere cœpit, nec de cætero viuens illud deſeruit. Dux *Switrigal* natura & moribus inſolens, fauore omnium *Ruthenorum* & *Lithuanorum* elatus, ſentiens Ducem *Withawdum* in mortis articulo verſari, inſolentior eſſe, & vultu, & actione, & geſtu cœpit. Nec licentia Ducis *Withawdi* obtenta, in curias eius, plenus & elatus ſpe nouarum rerum, reuertebatur. Quod Dux *Withawdus* ægre ferens, hanc ipſius inſolentiam, per *Gedigoldum* Palatinum & Capitaneum *Vilnenſem*, *Romboldum* Marſchalcum, & *Nicolaum Sepinsky*, *Wladislao Poloniæ* Regi mundauit nunciandam. A quo licet charitatiue & fraterne correptus, nihil de propoſito mutans, ſubito & inſperate diſceſſit, iam id mente gerens, quod opere propediem fuerat completurus.

Withawdus Lithuaniam Wladislao commendat,

Quatuordecem diebus in *Troky* Dux *Withawdus*, inualeſcente languore, abſumptis, dum ſibi inſtare moriendi terminum cerneret, aggregatis Primoribus Principibus, & Boiaris *Lithuaniæ* & *Ruſſiæ*, ad *Wladislaum Poloniæ* Regem, in hunc modum, præſente Duciſſa *Iuliana* conſorte ſua, verba facit: *Cerno*, inquit, *Sereniſſime Rex, & chariſſime frater, extremum diem aduenisſe, & propediem me diſſoluendum, & a te ſeparandum fore: Ducatum itaque magnum Lithuaniæ, quem de manibus tuis regendum ſuſceperam, tibi reſtituo: Tu illum vel per ſe, vel per virum aliquem bonum rege. Vxorem meam, & Prælatos, Principes, & Barones hic præſentes & alios abſentes, tuæ excellentiæ commendo. Quorum curam, ſeruando illis iura & donationes a me conceſſas oro gerat. Exceſſus meos, quibus te & ſæpe alias, & hactenus pro ambitione coronæ offenderam, precor, & humilius quo poſſum ſupplico, indulgeas.* Excuſſit is ſermo tam *Wladislao* Regi, quam omnibus aſtantibus, lachrymas, & ex pœnitentia diſſidii prioris, tam *Wladislao* Regi, quam Duci *Withawdo*, inter verba permiſcua, lachrymæ manabant. *Rex ſe in omnibus condeſcenſurum ſuis precibus repromiſit, curaret tantummodo de rebus, quæ animæ ſalutē contingerent.* Itaque vicibus aliquot confeſſionem, coram *Matthia* Epiſcopo *Vilnenſi* repetens, &

Eucha-

1430 Euchariſtiæ Sacramento, & extrema olei Sancti vnctione, procuratus eſt. Quæſitus inſuper ab ipſo *Matthia Vilnenſi* Epiſcopo, de fide Catholica, & ſingillatim de duodecim fidei articulis, dum ad omnes Catholice reſponderet; ſpecialius tamen de reſurrectione futura inquiſitus, *an illam crederet, cum in ſermonibus ſuis, collatiue ſolitus fuerit articulum de reſurrectione, in dubium reuocare. Credo*, inquit, *& firmiſſime credo reſurrectionem futuram. Alias ſiquidem, dum cæteros articulos fidei crederem, hunc tamen velut impoſſibiliorem diſcredebam. Iam tamen id non fide ſolum, ſed ratione comprehendo, quemlibet mortalem & reſurrecturum, & pro operibus ſuis condignum præmium recepturum. Et ſi ſalus mea, profeſſione fidei ampliore indiget, vel ſatisfactione reali, vel verbali requirar, informer, paratus ſum ſinceriter & pure, iuxta ritum Catholicum, & informationem tuam Pontificalem, omnia implere.* Itaque omnibus in vita rite perfectis, clauibus caſtrorum *Wladislao* Regi traditis, feria ſexta in vigilia Sanctorum *Simonis* & *Iudæ* Apoſtolorum, quæ fuit vigeſima ſeptima Octobris, dum terris iam aurora illuceſceret, ſpiritum creatori reddidit. Cui dolor animi, morbum corporis credebatur conflauiſſe, quem duro & intractabili morbo, ipſa denique rerum temere motarum anxietate confectum, matura, vt in tali diſcrimine, mors abſtulit. Planctus illico & vlulatus magnus exortus eſt, & in diebus octo, tribus vicibus per diem, mane, meridie, & veſpere continuatus. Omnes illum, velut parentem patriæ, lamentabantur abſumptum. Mulierum præſertim gemitus magni exaudiebantur, ſubminiſtrante occaſionem lachrymis Duciſſa *Iuliana*, quæ ſe orbam pluribus querelis vociferabatur. Nec certe ſolum ſuis, imo & pluribus nationibus deflendus videbatur. Erat enim Princeps, cum prudens, tum liberalis qui ad ſubeundos quoſcumque labores animum durauerat. Vices quoque temporum, ita pro diſponendis publicis & priuatis rebus diuiſerat, vt nec minimam particulam diei fruſtra præteriret. In iudicandis autem & decidendis ſubditorum querelis, & expediendis cauſis & legationibus, adeo diligens & intentus erat, vt in tabula, & in itinere, ſi res poſtulabat, ſententias ferret & reſponſa, iuraque petentibus redderet. Quo vno maximam æſtimationem ſui nominis, & apud exteros, & apud proprios quæſiuerat. Aduerſus cuius vim, nec plebs, nec nobilitas *Lithuaniæ*, attollere oculos, aut hiſcere audebat. Si inſuper aliquo tempore recreari illum contingebat, aut in venationes adibat, aut ſacrorum ludo ſe applicabat vtroque tamen parciſſime vtebatur; delirum Principem & extremi ingenii ratus, qui tractando per ſe venationes, præſtantiora Reipublicæ negotia omitteret. Iungebat inſuper conſortia cum variis mercatoribus, quorum opera fideli vſus, plurimas res nobiliſſimas, in auro, argento, gemmis, pannis,

& moritur.

Cuius mores recenſentur.

pellibus, & aliis rebus, in theſaurum ſuum conquirebat, qui expoſt liberalitatem ſuam diffunderet. Et licet in comedendo modeſtus, in bibendo moderatiſſimus fuerit, toto vitæ ſuæ tempore, nullo vino, nulla ſicera, ſed tantummodo lympha pura vſus, in Venerem tamen, quam conueniebat, erat procliuior. Quod malum, illum ſæpe a bello moto, & in breui conficiendo, redire cogebat. Inter ætatis noſtræ homines pro conſtanti fama habitum eſt, nullum ætatis ſuæ Principem *Withawdo* comparandum fuiſſe, aut liberalitate, aut ſactiuitate; Qui patriam ſuam obſcuram, tenuem, ac ignobilem, fama rerum geſtarum, & operum claritate, primus in lucem reddiderit & extulerit æque; quæ in ſubſequentibus Ducibus non ſubſtitit: nec dubium videbatur, gloriam *Lithuanicam*, & per illum partam, & cum eo extinctam eſſe. Seuerus in proprios, nullum ſcelus illorum impunitum relinquens, cuius ſceleris illum latere non poterat, quacumque arte celata conditio. In hoſpites vero comis & benignus, Tenutarios & Officiales ſuos, a procuratione amotos, fortunis, quibus ſe per exactiones & ſpolia locupletauerant, exuit & condemnauit; ex induſtria id agere creditus, quaſi humectaturus aridos & expreſſurus humentes. In corpore eius, & tenuitas notabatur & breuitas: quippe quem natura rerum eximia ſpecie & ſtatura donare dignata non fuerat, dum cætera abunde donaſſet. Liberalis autem & magnificus adeo fuit, vt maiora, comparatione facta, redonaret, quam exhibita acciperet, cuius dextera notabatur quam læua protenſior. Plerique autem adeo illum Venereum, atque lubricum, procliuemque in libidinem fuiſſe ferunt, vt e medio victoriarum curſu, frequentius exercitu in terra hoſtili relicto multa terrarum ſpatia, equos permutando, conficiens, ad vxorem pellicesque, pruritum voluptatum expleturus, redire conſueuerit. 1430

Morte Ducis *Withawdi* ſecuta, dum animi omnium *Lithuanorum* & *Ruthenorum* ſuſpenſi eſſent, quiſnam tanto Duci, prole maſculina non extante, debeat ſuccedere ad regendum multitudinem inconditam, neque legibus, neque inſtitutis viuere aſſuetam. Reſtabat quidem germanus Ducis *Withawdi*, Dux *Sigiſmundus*, ſed is obſcure ſe in vita *Withawdi* gerens, non aliquod dederat bonæ ſuæ indolis monumentum. Reſtabat & Dux *Switrigal Wladislai* Regis germanus, ſed ebrietati & ſolatiis deditus, ingenii quidem liberalis, ſed variabilis & vehementis, parumque ſenſati, atque dextri. Nihil apud illum ratio aut grauitas valuit, omnia, ira vehemens & mutatio crebra animi, velut flatus quidam auræ, gubernabat, vt ſemper crederes in illo varios & diuerſos perflare motus. Liberalitate tamen maxima, & miſcendo ſe ebrietatibus, multorum ſibi animos mortalium conciliauerat, *Ruthenorum* ſingularius, in quorum ritum, licet eſſet *Romanæ* reli-

1430 religionis Princeps, ferebatur inclinatior. Quia tamen ſingula ex *Wladislai* Regis *Poloniæ* arbitrio pendebant, omnis multitudo Principum & A Baronum *Lithuaniæ* & *Ruſſiæ* verſa eſt illumque ſecuta, ignara an ſolus præeſſe vellet, an alium in locum *Withawdi* demortui ſubſtituere. *Wladislaus* autem Rex, charitate, qua Ducem *Switrigal*, vt germanum, complectebatur, deuinctus, veniſſe tempus ratus, quo illum, annis plurimis in obſcura ſorte degentem, & variis iactatum turbinibus, attollere & magnificare poſſet, inconſultis Prælatis & Baronibus vtriusque Dominii, videlicet, *Poloniæ* & *Lithuaniæ*, qui magnorum & Principe dignorum operum *Switrigellum* non putauere capacem; verebatur enim ne contrarium decernerent, Secretarium ſuum *Ioannem Mazik* de *Dambrowa*, de domo *Wadwicz*, qui duos piſces trutas pro inſigni deferunt, ad Ducem *Switrigal* mittit, Ducatum magnum *Lithuaniæ* eidem conferens, & annulo ſpeciali ei miſſo, ipſum inſtituens de eodem. Quod vbi *Lithuanorum* & *Ruthenorum* Proceres perſenſere, illico Rege deſerto, ad Ducem *Switrigal* confugiunt, illique tanquam rerum *Lithuaniæ* ſummam adepto, adhærere, & in ipſius ſententiam ire (vt plerumque eius gentis ſunt ingenia, mutabilem pro varietate fortunæ gerentia fidem) cœperunt: ſuper captiuatione Regis *Wladislai*, & *Polonorum* occiſione, vnusquisque pro ſe aſſiſtentiam & obedientiam offerens, ne in ſuſpicionem caderet, & futuri Ducis magni indignationem, cunctanter agendo, ſibi conflaret. Itaque certabant plurimis ſtudiis vnus alterum præuenire. Inconſulta autem *Wladislai* Regis *Poloniæ*, & tam præceps Ducatus magni *Lithuaniæ*, in Ducem *Switrigal* collatio, multorum malorum cauſa extitit & origo. In *Withawdi* Ducis morte, etſi nonnulli vultu ſimularent in proſpectu triſtitiam, multi tamen, & præſertim *Rutheni*, lætabantur nimium, ſperantes ſibi, & ſectæ ſuæ ſchiſmaticæ meliora, rerum permutatione, & *Switrigielli* ſucceſſione, cui magnum *Lithuaniæ* deſtinabant Principatum, prouentura.

Duci Switrigal magnus Lithuaniæ Ducatus confertur,

qui Wladislao Regi & Polonis ſtruit inſidias

Funus Ducis *Withawdi* *Wladislao* Rege *Poloniæ*, cum omni curia ſua proſequente, ex *Troky* *Vilnam* deductum eſt, & in Eccleſia Cathedrali Sancti *Stanislai*, exequiis debitis cum magna ſolennitate peractis, traditum ſepulturæ. Aderat funeribus huiusmodi Dux *Switrigal*, cum pluribus Ducibus & Boiaris *Lithuaniæ*, qui iam illum, veluti Ducem magnum ſequebantur. Sepultusque eſt, magno quidem omnium obſequio, ſed non omnium vt reor, pari affectu, metu enim non voto, plerique ſciebantur officium impleuiſſe; ſolus *Wladislaus* Rex iuſta ei honorabiliter magnificeque celebrauit, ingentemque luctum ſuper eum, quam quisquam ratus erat, expoſuit. Et quoniam *Wladislaus* Rex non vno die, nec duobus contentus, in plures dies iuſta funeri perſoluebat, Dux *Switrigal*, motum animi diſſimulare non valens, *Wladislao* Rege nequicquam diſſentiente, repente caſtrum *Vilno*, deinde *Troky*, cæteraque Ducatus magni *Lithuaniæ* caſtra, comprehendit, & in ſuam redegit plenariam poteſtatem, *Wladislaumque* Regem, licet legitimum Dominum & hæredem naturalem, ab eisdem excludit. Felicitate autem rerum ſecundarum elatus, cum & conſiliarios peſſimos nactus eſſet, infirmum animum ad deteriorem partem inclinat, adeoque inſolentiæ ſuæ indulget, vt non longe abeſſet, quin in *Wladislaum* Regem *Poloniæ*, & ſuos *Poloniæ* Barones, eo præſertim tempore, dum crapula & ebrietate onuſtus eſſet, manus iniiceret: quem nedum B violari, ſed nec inclementiori verbo appellari, turpiſſimum reri debebat. Vnde præfato *Wladislao* Regi, non gratias agit pro munere magni Ducatus ſibi impenſo, non colit illum, non veneratur, non miratur, ſed veteribus iniuriis ad memoriam reuocatis, improperiis vtens, præſentemq; tantummodo fortunam metiens, nouercalibus oculis intuebatur, & plurimis improperiis, obiurgationibus, minis vtens, præſentem fortunam non Regis fauore & gratia, ſed ſua virtute ſe conſecutum glorians, mirumque in modum inſoleſcens & ſuperbiens, comprehenſiones ſuas refricabat, & carceres minitans, ſe pro illis ſupplicium de Rege manſuetiſſimo ſumpturum iactitabat. C Talemque illum tunc conſtabat fuiſſe, nouos ſibi ſed inutiles magnitudine fortunæ ſubminiſtrante ſpiritus, vt nec quid faceret, nec quid diceret, quicquam vnquam penſi habebat. Calamitatis autem ſuæ & ſuorum, *Wladislaus Poloniæ* Rex, non ignorabatur fuiſſe cauſa, dum affectionis fraternæ lenitate furenti *Switrigaloni* Duci præter conſtituta, & leges *Poloniæ* Regni, a ſe editas, Conſiliariis tam *Poloniceis* quam *Lithuanicis* inconſultis, Ducatus magni *Lithuaniæ* moderamina commiſerit. Itaque Dux *Boleslaus Switrigal*, Principatus ſui in Ducatu magno *Lithuaniæ* initia inſolentius ferens, non gratiæ, non charitatis, non ſublimationis ſibi a *Wladislao Poloniæ* Rege, recenter impenſæ, memor, comprehenſiones ſuas, vincula & carceres, exprobrando, refricabat. D *Tu me*, inquit, *Rex*, *cum Duce Withawdo*, *captiuabas*, *ligabas*, *annis nouem in diris compedibus vinctum tenebas*, *nunc aduenit tempus*, *in quo*, *permittente Deo*, *in manus meas incidiſti. Reſtituere ego tibi nunc*, *& reddere parem vicem poſſum*, *& vlciſci in capite tuo de iniuriis meis.* Hæc & plura alia probra, pluribus diebus, Rege patienter diſſimulante, expuebat. Plus quoque angebatur Rex ſua ſtoliditate & vehementia quam probris. Propter quod ſæpe mitiſſimus Rex, monendo illum reſpondebat: *Abſtine ab ira*, *& depone indignationem conceptam*, *Chariſſime frater*, *conuenit te nunc*, *tali Solio Diuina bonitate*, *&* 1430

Switrigello caſtra Lithuaniæ occupat,

& Wladislao Regi carceres & vincula minatur.

1430 *& mea liberalitate, honoratum, omnium iniuriarum præteritarum obliuiſci.* Conſiliarios inſuper, & Barones *Poloniæ*, & clientes Regios, in conſpectu ſuo, duris ſermonibus & inhoneſtis confundere, comminationibusque mortis concutere, non fuit veritus. Nuncios Regios ad Reginam & Conſiliarios in *Poloniam*, aut ab eiſdem in *Lithuaniam* ad Regem, proficiſcentes, arreſtabat, & literas omnes frangebat, reuoluens omnem, quam continebant, ſcripturam. Quibus moribus omnibus euidenter conſtabat, bene inſtitutum *Lithuaniæ* Ducatum, breui ſtolidi Ducis temeritate, caſurum. Literæ etiam a *Martino* quinto Papa, quibus *Wladiſlaum* Regem de morte Ducis *Withawdi* conſolatur, afferuntur. Quarum talis erat tenor. *Martinus Epiſcopus, Seruus Seruorum Dei. Chariſſimo in Chriſto filio Wladiſlao Poloniæ Regi Illuſtri, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Superioribus diebus, corde fueramus afflicti, dubitantes, ne ambitio humana, celebris memoriæ fratrem tuum Alexandrum, Ducem magnum Lithuaniæ, cupiditate coronæ Regalis, alienum faceret, & ſepararet a te. Nunc autem affligimur & dolemus, quod mors, iam reconciliatum cum Serenitate tua, in perpetuum ſeparauit. Sed in hoc noſmet ipſos, & te, conſolamur in Domino, quod huiuſmodi ſeparatio lege naturæ, qua mortalibus omnibus ſtatuit moriendum eſſe, non ambitione & inſtigatione maleuola, ſed ſine peccato ſuo accidit. Ante enim, quam peccaret aduerſus te, ſeductus malo conſilio, rediit tecum in gratiam, & tranſiuit ad ſuſcipiendam coronam pro meritis ſuis, non corruptibilem, ſed æternam, per gratiam non mortalis, ſed æterni Imperatoris. Quod ſperandum eſt ex eius bonis & iuſtis operibus, quæ fecit in vita, præſertim pro amplificatione fidei Chriſtianæ, in qua vna vera ſalus fidelium reperitur. Quare fili chariſſime, in hac ſpe conſolare animum tuum, pro morte tanti Principis, tamque chari fratris afflictum, quia ſibi repoſita eſt in cælo corona victoriæ, ad quam vocauit eum Dominus, coronæ mortalis affectione depoſita; & quod, antequam ex hac luce diſcederet, ipſum amplexus & allocutus es charitate fraterna, poſtremo ipſe tibi moriens, vt debitum, frater fratri, ſtatum eius, ſubditos & Dominia commendauit. Nemo autem, eo Duce ſublato, quem tecum vnanimem atque promptum cupiebamus fore, ad ſuſcipiendam defenſionem fidei Catholicæ, contra Bohemos hæreticos, ad te vnum neceſſe eſt nobis oculos conuertere, animum, fiduciam, ſpem, & preces noſtras. Nec egemus maiore præſidio, nec ampliori potentia, nec voluntate meliore, quam tua eſt. Certi enim ſumus, quod hanc rabiem hæreticam, Regno tuo finitimam, & periculoſam tuis, ſemper odio iuſtiſſimo proſecutus es, & extinguere cupiuiſti. Quod cum nunc perficere ſolus poſſis, cordialiter rogamus ſublimitatem tuam, vt compoſitis rebus Lithuaniæ, & ordinato earum terrarum Statu, quæ in tua poteſtate relictæ ſunt, omnes curas, cogitationes, & vires tuas conuertas, ad hanc perfidam hæreſim extirpandam, cum nullum aliud negotium Deo magis acceptum, nec vtilius mundo, nec tibi glorioſius, poſſis amplecti. Cuius perficiendi gloriam a Deo reſeruatam tibi eſſe cupimus & ſperamus. Datum Romæ, apud Sanctos Apoſtolos, Idibus Ianuarii. Pontificatus noſtri Anno XIIII.* 1430

Wladiſlao Regi a Pont. Martino literæ conſolatoriæ de obitu Withawdi mittuntur.

Quamuis autem *Alexander Withawdus*, Dux magnus *Lithuaniæ*, habebat in ſe plurimas virtutes, in liberalitate tamen præcipue excellebat, ſingulari voluptate exultans, quoties dona ſua munifica aut in hoſpites, aut in familiares, aut in ſeruitores, aut in Principes vicinos, aut in *Tartaros* cæteroſque barbaros effundebat, in *Wladiſlaum* tamen *Poloniæ* Regem, quamuis ille circumciſum cor ad dona habebat, illaque parui faciebat, & in omnes eius aulicos erat profuſior. Cuius, cæteris omiſſis, (neque enim ſine magna repletione chartarum ſingula poſſent enumerari,) vnum ſubiiciemus. Erat illi Secretorum ſuorum Notarius & Conſiliarius intimus, ſingulari enim in conſulendo pollebat dexteritate, *Nicolaus Maldrzik* vir nobilis de domo *Roſarum*, in ſingulari etiam coniugali ſtatu conſtitutus. Quem ad coniugem ad patrimonium ſuum remiſſurus in *Poloniam*, volens muneribus ſuis præmiare, præter veſtes nobiles & ſplendidas equoſque & clenodia, ſibi largitas & largita, centum ſexagenas latorum groſſorum, præſente & ſpectante conſorte ſua *Iuliana*, ſibi afferri, & donari iuſſit. Sed *Iuliana* Duciſſa eam donationem quaſi enormem, cœpit carpere, & Ducem *Alexandrum* obiurgare, quod per tam profuſas & frequentes largitiones, ſe ipſum, & Ducatum ſuum, ac domum ſuam euiſceraret & exinaniret. At ille muliebrem fragilitatem & liuorem moleſte ferens, iuſſit præfato *Nicolao Maldrzik*, alias centum ſexagenas latorum groſſorum afferri & donari. Sed *Iuliana* Duciſſa amplius inualeſcente ad choleram, & ſe non ſolum in ſua perſuaſione non auditam, ſed etiam confuſam videns, etiam ſecundam donationem improbabat. Eapropter *Alexander Withawdus* donationem tertiam centum ſexagenarum adiunxit. Sed *Iuliana* Duciſſa certante, & in bilem magis efferueſcente, Duce quoque *Alexandro* ſuas ſugillationes, duplicata ſemper talione donationis condemnante, vſque ad vicem octauam, inter Ducem & Duciſſam certatum eſt, donec Duciſſa *Iuliana*, videns perſuaſiones ſuas & carptiones in Ducem *Alexandrum* coniectas, maius continue diſpendium fiſco & theſauro Ducali, ſibi quoque maiorem ignominiam produxiſſe, vix conticuit. *Alexander* quoque *Withawdus* Dux, a ſuorum donorum iteratione in *Nicolaum Maldrzik* ceſſauit. Sicque præfatus *Nicolaus*

Exemplum liberalitatis ſummæ in Withawdo.

1430 *colaus Maldrzik*, diuæ fortunæ vulnere, & reprehenſione *Iulianæ* Duciſſæ, vbi ſe deteſtatum & impeditum crediderat, adiutus, octingentis A ſexagenis latorum groſſorum receptis, receſſit. Duci *Alexandro* de liberalitate & munificentia Duciſſæ vero *Iulianæ* de reprehenſione, & liuore, qui ſibi magis, quam gratia, conducebat, multiplices diffundebat, apud vniuerſorum aures, gratiarum actiones.

Quieſcere ſperabatur Dux *Switrigal* a ſuo furore, ſed illum nouus Nuncius, ſibi allatus ex *Podolia*, auxit vehementer, cum dolor indignationi acceſſiſſet; *Paulus* namque *Camyenyecenſis* Epiſcopus, *Polonus*, quamuis ſortis humilis vir, & Barones *Poloni* terræ prædictæ, videlicet *Hriczko, Kierdeiowicz*, *Theodoricus, Michael*, & *Mirzilo*, germani, de *Buczacz, Kruſchina*, & *Galow*, cognito obitu Ducis *Withawdi*, in *Camyeniecz* conueniunt, & Capitaneo caſtri, qui vocabatur *Doygierd*, Palatino *Vilnenſi*, Barone Lithuaniæ, ad quem nondum fama mortis Ducis *Withawdi* peruenerat, ad conſilium euocato & petito, caſtrum *Camyeniecz*, Capitaneo ex caſtro egreſſo & captiuato, cum eſſent & robore & numero hominum multo ſuperiores, comprehendunt, & in coronæ Regni *Poloniæ* redigunt poteſtatem. Nec ſolum caſtro prædicto, ſed & aliis caſtris *Podoliæ*, quæ tunc pro *Lithuanis* tenebantur, potiuntur. Ab illoque tempore *Podolia*, quæ variis donationibus iactabatur, in ſpeciem prouinciæ redacta eſt, & Regno *Poloniæ* reunita. Fremebat Dux *Switrigal* nouitate accepta tali, nec ipſe ſolum, ſed omnes *Lithuani*, quaſi terra hæc hæreditaria, & non ditionis Regni *Poloniæ*, quæ ad vitam, & precario, Duci *Withawdo* concedebatur, eſſet eis adempta. Itaque auctus furore Dux *Switrigal*, auget improperia, auget & contumelias, non in Regem ſolum, ſed in omnes eius *Polonos*. Et quoties illum cholera de interceptione terræ *Podoliæ*, accendit, toties velut furens & fantaſticus, cubile Regis, in quo omnes Curienſes Regis excubabant, ingrediebatur, conceptam ructans bilem, & cum Regem, tum Barones eius carpens, quod terram *Podoliæ* ſibi abſtuliſſent. Sæpe enim illum, præſertim dum mero accenſus maderet & crapula, vehementia ſpiritus exagitabat, adeo, vt cum magna iniuria in Regem & ſuos euomeret probra, captiuitatem aut mortem minitans, ni ſibi terra *Podoliæ*, cum caſtris *Camyeniecz* cum *Smotricz, Skala, Czirwonigrod*, reſtitueretur. More quoque quodam inſito mortalibus, infirmus ille animus rebus inſoleſcebat ſecundis. Qui ſi ſapuiſſet, referre potius vicem beneficii debuerat. Indicabaturque ſtatim in ipſo Dominationis principio, ex moribus ſuis atque initiis, fortunam ſuam, poteſtatemque, inſolenter, nimieque tractaturus: ea vanitatis redolens inconſtantia, vt quod vtilitatis cauſa, vel aliqua ſalubri ratione ſuadente, decreuerat, leui facilitatis conſilio variabat, ad omnem auram quauis arundine celerius agitatus. Et 1430 Regis quidem patientia in eodem tenore ſuum ſeruabat moderamen, verum Baronum & Nobilium *Poloniæ* corda accenſa erant ad contumeliam repellendam. Vnde & ſæpe reſponſum, æque contumelioſum, verbis ſuis reddebant, parumque aberat, quod manus inuicem non conſererent. Iam quoque omnium Baronum & Nobilium *Poloniæ* animi ad hoc vnum conſpirauerant, vt Ducem *Switrigal*, cubiculum Regis ingredientem, & omnes, qui illum tutari vellent, occiderent. Caſtrum quoque *Vilno*, in quo Rex habitabat, clauderent & firmarent, *Lithuanis* eiectis, & tam diu, ſi vis aliqua ſuperueniret, cum victualium omnium copia refertum eſſet, illud defenderent, B donec exercitus *Poloniæ* ſuperueniens, eis opem & liberationem afferret. Tali & nouo conſilio exhilarati, obſeruabant tempus, quo cogitata exequerentur; nec quicquam erat difficile animis, ad quæque extrema pro fide Regis ſui experienda, deſtinatis. Dux quoque *Switrigal* ſolita vehementia exagitatus, ſæpe Curienſes omnes Regis perdere, ſæpe carceribus coniicere, machinabatur. Iamque compedes allati fuerant & vincula, quibus ſingulos *Polonos* vincire, & obſcuris tradere carceribus moliebatur. Indicatum inſuper erat Regi, Ducem *Switrigielum*, noctium vna, in cubiculum irrupturum, & tam Regem quam ſuos ad internecionem cæſurum. Quapropter *Polo-* C *norum* milites, de periculo auiſati certificatique ad extremum certamen ſe deuouerant, & alacribus animis ad moriendum deſtinatis, *Switrigielli* operiebantur aduentum.

Lithuani ex Podolia eiiciuntur,

quod agre fert Switrigal

Regemque & curienſes probris adficit,

qui & illi inſidias ſtruunt

Baronum & nobilium *Poloniæ* conſpiratio, in mortem Ducis *Switrigal*, in notitiam *Wladislai* Regis deducta, ſolicitudinem magnam ei iniecit, ne deduceretur in effectum, & ne in Ducem *Switrigal* aliquid crudelius per Polonos ferro conſuleretur. Itaque ſubmouendam materiam omnem choleræ, & mitigandum animum Ducis *Switrigal*, facto optimum ratus, deſtinat, & conſtituit in corde ſuo. *Podoliæ* terram cum caſtro *Camyeniecz* ei reſti- D tuere, ſiue vt eum placatum efficeret, ſiue quia plus ſibi, & Ducatui *Lithuaniæ* de terra, quam proprio Regno, fauebat. Diſſuadentibus itaque & recuſantibus *Polonis* Baronibus & Nobilibus, *Wladislaus* Rex, Duci *Switrigal*, *Podoliæ* terram reſtituit, literaſque neceſſarias ad *Michaelem Buczaczky* ſcribit, imperans ſtricte, *vt de caſtro Camyeniecz, & de aliis caſtris Podoliæ, Duci Switrigal faciat effectualem ceſſionem.* Et quo res efficacioris roboris fiat, nullumque interponi obſtaculum poſſit, *Zaklikam Tarlo* de *Sczekarzowicze*, militem de armis *Topor*, in *Camyeniecz* transmittit, vt is etiam mandatum regale de reſignandis caſtris Podoliæ faciat, & caſtrum *Camyeniecz* in manus *Michaelis Raba Rutheni* reſignari demandet, ne literale imperium habeat aliquid tacitæ ſuſpi-

Wladislaus Rex Podoliā Switrigallo reſtituit.

ſpi-

1430 ſpicionis. Reſtitutione terræ *Podoliæ* Dux *Switrigal*, plus quam credi poteſt, lætatus, omni cholera depoſita & vehementia, reconciliari Regi ſtudet, & quantum poteſt, efficit ſibi illum placabilem, donatque ſibi mille centum cyclos argenti, cum veſtibus pellibus ſubductis, & pelliceis plurimis clenodiisque & pannis variarum manerierum. Dolore magno Barones & Nobiles *Poloniæ*, qui ad latus Regis erant, conſternati, de terræ *Podoliæ* alienatione, crebris conſiliis ſecretis exquirunt vias & ingenia, quibus impedire propoſitum Regis poſſent. Et inter alias vias placebat, vt ſigillum Regium aqua vel igne perderetur, quatenus defectus Sigilli, vel rem redderet ſuſpectam, vel in aliud tempus differret. *Zaklica* tamen *Tarlonis* miſſio, magnam propoſito & molitioni eorum deſperationem afferebat. Erant tunc inter *Poloniæ* alios Barones & Nobiles, *Andreas* de *Thaczin* de domo *Bipennium*, & *Nicolaus Drzewiczky* Cuſtos *Sandomirienſis* adoleſcens, ingenuus, de domo *Taurorum*, qui tunc Sigillum Regium deferebat; horum ingenio tanto diſcrimini Reipublicæ ſubuentum eſt: Scribunt literas *Michaeli Buczaczky* Capitaneo in *Camyeniecz*, ſignificando *in quanto periculo eſſent, Regemque nihil ex arbitrio proprio agere; mandatū de reſignando caſtro Camyeniecz conſtrictum ſua & ſuorum captiuitate, feciſſe. Ipſe attenderet, quomodo ſeruaret honorem ſuum; & ne ad imperium Regis, in alterius manu & poteſtate, velut vinctum conſtitutum, caſtris cedat, & Rempub. vulneret & contriſtet. Sed ſi Regi & Regno gratum præſtare obſequium ſatagit, tam Tarlonem, quam Ducem Baba Michaelem, in vincula, negato caſtro, coniiciat.* Hæ literæ dum palam ferri nequirent, Ducalibus cuſtodibus omnia loca & aditus perquirentibus, præfati *Andreas Thaczinski*, & *Nicolaus Drzewiczky*, literas in orbem conuoluunt, & in ſimilitudinem cerei, cera veſtiunt. Et quo minor eſſet doli ſuſpicio, literis in medio incluſis, a parte vtraque lumina ponunt, igne & flamma iniciata, candelam ipſam cuidam puero *Zaklicze Tarlonis* tradunt, data ſibi vna marca latorum groſſorum, vt eam, quamprimum in *Camyeniecz* venerit, *Michaeli Buczaczky* reddat. Puero inſuper mandata verbalia adiecta ſunt, *quatenus Buczaczky Capitaneum & conſules Camenenſes moueat, vt ſi errare nolint, ex ea candela ſibi lumen quærant.* Nec eos euentus rei, taliter compoſitæ, feſellit. *Zaklika Tarlo* præfatus, dum ex *Lithuania*, datis centum ſexagenis latorum groſſorum per Ducem *Switrigal*, quo fidelius rem gereret, pro munere, & ampliſſima ſpe de multo plura habendo, ſi rem conficeret, in *Camyeniecz* peruenit, mandataque Regis exponens, vt caſtra *Podoliæ* reſignentur Duci *Switrigal*, inſtat. Nec puer ſuus cunctandum ratus, illico candelam miſſam reddit Capitaneo *Michaeli Buczaczky*. Qui myſterium aliquod ferre eam, neque otioſum eius ſignificatum, tantoque rem maiorem, quanto occultior eſſet, ratus, rupta candela, literas incluſas comperit, & tam *Tarlonem* quam Ducem *Baba*, in vincula coniiciens, turri includit. Et ne terra *Podoliæ* & Regio, cuius fertiliſſimus ager eſt, & abundans omni copia mellis, a corpore Regni *Poloniæ* abſtraheretur, effecit. 1430

[margin: cumque mitigat.] *[margin: Sed Barones Poloniæ prudenti conſilio]* *[margin: Podoliam conſeruant.]*

Dum hæc in *Lithuania* aguntur, non in *Polonia* ſolum, ſed & circumcirca in vicinis regionibus percrebuit, *Wladislaum* Regem *Poloniæ*, in *Lithuania* per fratrem ſuum Ducem *Switrigal*, captum detineri. Quod nouum dum etiam ad aures *Martini* quinti Papæ perlatum foret, vehementer illum turbauit. Et propterea ipſi *Wladislao* Regi & Conſilio *Poloniæ*, deinde Regi *Romanorum Sigismundo*, & Duci *Switrigal*, ſpeciales literas mittit, incitans ipſos ad *Wladislai* Regis liberationem. Harum tenores tales erant.

[margin: Audiens Papa Wladislaum a Switrigallone captum varias pro illius liberatione literas ſcribit,]

Duci Lithuaniæ Svvitrigyelloni.

Martinus Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Dilecto filio Nobili viro, Duci Lithuaniæ Switrigiello. Cum Deus omnipotens, Beato Petro & ſucceſſoribus ſuis, ac nobis, qui in Sede eadem ſedemus, licet immeriti, poteſtatem dederit ſuper terra ligandi atque ſoluendi fideles, quos cernimus in aliquod peccatum, inſtigante hoſte humani generis, eſſe prolapſos; Libenter pia charitate ad pœnitentiam reducimus, vt eorum animas illaqueatas ſoluamus, ita, quod in tremendo iudicio, libere & munde compareant coram Chriſto Deo noſtro. Sentientes igitur te grande facinus auſum eſſe, & enorme peccatum commiſiſſe, in perſonam chariſſimi in Chriſto filii noſtri, Wladislai Poloniæ Regis Illuſtris, germani tui: eum nihil a te tale verentem, nec ſuſpicantem quidem, in quodam caſtro Lithuaniæ detinendo, & propria libertate priuando. Miramur atque dolemus, quod tu præſumpſeris mittere violentas manus in Regem tantæ excellentiæ & dignitatis, quem propter eius grandæuam ætatem, cum ſumma ſemper laude traductam, & virtutes heroicas in ipſo Rege conſpicuas, ac Regalis amplitudinem ſtatus & nominis, & res bene geſtas, pro amplificatione fidei & nominis Chriſtiani, nos & Eccleſia, amamus, diligimus & honoramus & vniuerſa Chriſtianitas veneratur. Miramur inſuper & dolemus, quod frater in fratrem, minor in maiorem, hoc facinus attentaret. Sed nihilominus odio habentes errorem tuum, fragilitati tuæ compatimur, quæ a Sathana mota eſt, & reſiſtere non potuit paſſioni, prauum cupiditatis & ambitionis humanæ conſilium inſpiranti. Paterno itaque tibi compatientes affectu, & cupientes animam tuam, a tanti peccati vinculo liberare, & abſtergere de nomine tuo maculam huius infamiæ, rogamus nobilitatem tuam, mandantes nihilominus tibi, in virtute Sanctæ obedientiæ, quam præ- *[margin: quarum tenores inſeruntur.]*

1430 *ſtare nobis teneris Ieſu Chriſti Vicario, vt humiliato corde, & petita venia a fratre tuo de iniuria ſibi illata, eum priſtinæ libertati reſti-* A *tuas, & cum eo reuerſus in gratiam, vt par eſt, fratrem & Regem diligas & honores. Non enim dubitamus, quin, ſi voles reconciliari, & id facere quod mandamus, rogamus, conſulimus, & ſuademus tibi, quod Statui & honori tuo conuenit, & ſaluti animæ tuæ, ipſe Rex veniam largietur errori tuo, & ſe exhibebit erga te liberalem, munificum & benignum, Statumque tuum ampliorem & tutiorem ipſemet faciet, quam ſi contra voluntatem eius totam Lithuaniam occupares: quam profecto, eo etiam exiſtente captiuo vel mortuo, contra potentiam natorum ipſius, & Re-* B *gni Poloniæ voluntatem, deuotorum illius Serenitati, tenere non poſſes. Inuoluere tantum potes eam, belloque miſcere cum Tartaris, & vaſtitati ſubiicere, cum ſtrage fidelium, & effuſione ſanguinis Chriſtiani, ac periculo innumerabilium animarum, quibus noſtris temporibus Deus aperuit lumen veritatis & fidei ſuæ. Quanto vero præſtantius eſt, cum tua & tuorum quiete & pace, ſecurum, vnanimem, & concordem cum fratre tuo viuere, quam tecum trahere eius & tuam patriam in ruinam, & exponere animam tuam periculo perditionis æternæ. Certi enim ſumus, quia notiſſima eſt nobis clementia eius, & liberalitas, pruden-* C *tiaque, quod ab eo poteris ſtatum impetrare quem voles. Quem vt aſſequaris, offerimus tibi procurationem & interceſſionem noſtram apud præfatum Regem, quem noſtri reuerentia, & pietas tui, inclinabit ad miſericordiam, & ad omnem ampliſſimam gratiam erga te fratrem, qui etiam contra hoſtes vti moderatione, manſuetudine, & liberalitate conſueuit. Quare, fili dilecte, velis exaudire vocem noſtram de longinquo, ſalubriter conſulentem ſtatui & honori tuo, & obtemperare mandatis noſtris, quæ tibi ad ſaluandam animam tuam, ex Apoſtolica Sede, ſub pœna etiam excommunicationis, & Diuinæ indignationis, iniungimus. Datum Romæ apud San-* D *ctos Apoſtolos. VI. Calend. Februarii. Pontificatus noſtri anno XIIII.*

Conſiliariis Regni *Poloniæ*

Martinus Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Venerabilibus fratribus, Epiſcopis, & dilectis viris filiis, Conſilio chariſſimi in Chriſto filii noſtri Wladiſlai Poloniæ Regis Illuſtris, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Fuimus admirati plurimum & turbati, audientes chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Wladiſlaum Poloniæ Regem Illuſtrem, in Lithuania detineri, & ſi quid fieri poſſet pro eius liberatione, tanquam pro filio chariſſimo noſtro & Eccleſiæ, id continuo libenti animo feceramus, quod in præſentiarum nobis viſum eſt vtile in hoc caſu, poſt pias & humiles orationes factas ad Deum, pro ipſius liberatione & incolumitate, rogamus per literas inſtantiſſime, chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Sigiſmundum Romanorum Regem Illuſtrem, vt eius liberationi charitatiue & diligenter velit intendere; Et ſcribimus etiam fratri Regis, eius nouitatis authori, vt videbitis in copiis literarum noſtrarum, præſentibus incluſis. Et quia præfatos Reges, cupimus videre vnanimes & concordes, ſublata omni materia diſſenſionis, vtrique eorum ſcribimus, quatenus pro tollendis differentiis, quæ inter eos ſunt, velint mittere Nuncios & Oratores ſuos ſufficienter inſtructos, ad Dilectum filium noſtrum Iulianum Sancti Angeli Diaconum Cardinalem, Apoſtolicæ Sedis Legatum, quem de præſenti ad partes Germaniæ deſtinamus; volumus enim, vt eos componat amicabiliter, ſi poterit. Quod ſi perficere ipſe Legatus non poſſet, vt Nuncii & Oratores huiuſmodi mittantur ad nos, vt ipſos Reges amicabiliter componamus, finemque eorum controuerſiis imponamus, & ipſos tandem fraterna charitate, ad Dei honorem, & obſequium Catholicæ fidei coniungamus. Literas autem noſtras mittimus ad manus præfati Legati, ſua cura & diligentia dirigendas, qui literas deſtinandas præfato Regi Poloniæ, & fratri eius, forſitan vobis mittet, vt eas præſentari, ſecundum quod vobis videbitur, faciatis. Nos enim vobis iniungimus, vt quantum in vobis erit, ſtudeatis ea facere & operari, quæ pertinent ad præfatorum Regum compoſitionem, & confuſionem Bohemorum hæreticorum. Et de ſtatu chariſſimi in Chriſto filii noſtri Regis veſtri, ac de ſucceſſu rerum Lithuaniæ, nos curetis per literas veſtras dietim facere certiores. Datum Romæ apud Sanctos Apoſtolos, VIto Calendas Februarii, Pontificatus noſtri anno XIVto

Sigiſmundo Romanorum, Hungariæ & Bohemiæ Regi.

Martinus Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Chariſſimo in Chriſto filio, Sigiſmundo Romanorum, Hungariæ, & Bohemiæ Regi Illuſtri, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Nuper audiuimus, quod chariſſimus in Chriſto filius noſter, Wladiſlaus Poloniæ Rex Illuſtris, in Lithuania detinetur. Quæ nouitas, attentata contra tantum Regem, diſplicet nobis plurimum, & etiam Serenitati tuæ debet eſſe moleſta. Veremur enim ne ex inde ſequantur bellorum incendia, cum ſtrage fidelium, & effuſione ſanguinis Chriſtiani. Dubitamus etiam, ne Bohemi hæretici fiant in tanta rerum perturbatione validiores, & paratiores ad nocendum. Quare excellentiam tuam rogamus, vt conſiderans, quanta pericula & detrimenta accidere poſſunt in populo Chriſtiano ex huiuſmodi nouitate, coneris reducere diſſidentes ad pacem, & cum omni fide & charitate fraterna, velis intendere liberationi præfati Regis, quem ſemper fratrem appellare verbis & literis conſueuiſti. Qui etiamſi eſſet inimicus, propter ſolam Regalis nominis dignitatem, hoc 1430

in

in caſu iuuandus eſſet a te, qui es omnium Regum primus. Nec pati debes, vt inferiores audeant iniicere violentas manus in Reges, quorum dignitas tanta eſt, vt eam violare, ſacrilegio ſimile videatur. Multa poſſemus tibi dare exempla Imperatorum Romanorum, qui conſeruarunt Reges in Regnis ſuis, & ab aliis violenter eiectos, in Regna reduxerunt, & ablata, victis & ſuperatis Regibus reddiderunt; glorioſius exiſtimantes, Reges reſtituere, quam vincere; vt intelligas, quod a tua ſublimitate requirimus, de liberatione fratris tui, laudabile officium Imperatoris eſſe Romani. Quod ſi hanc rem, cum quanta poteris diligentia & fide præſtiteris, obligabis eum tibi, & cum ipſo amicitiam perpetuam confirmabis. Quanti enim faciet beneficium liberationis ſuæ, ſi illud tua interceſſione receperit, tu potes optime iudicare, qui olim captus a tuis, ſimile beneficium ab aliis recepiſti. Quare fili chariſſime, cum tibi occaſio oblata ſit, bonitatem, clementiam, & fraternam charitatem tuam, ac animi magnitudinem oſtendendi, quæ in nulla alia cauſa perſpici poteſt, & etiã tanto beneficio obigandi Regem & regnũ ejus, & in tua amicitia confirmandi, velis eam arripere occaſionem, & cogitare, hanc tibi (quod & nos credimus) a Deo datam eſſe, vt animus eius tibi perpetua & immutabili charitate iungatur, ad conſeruandam pacem & quietem fidelium, & hæreticorum perfidiam confundendam. Quod quoniam nos valde cupimus, ſcribimus etiam Regi Wladislao, qualiter pro eius liberatione requirimus ſublimitatem tuam. Non dubitamus te in hoc caſu eius, quantum poteris, profuturum: & rogamus atque monemus eundem, vt ſimiliter velit in negotiis & neceſſitatibus tuis, erga te pari affectione ſe habere, & ſpecialiter omnia, dudum inter vos conuenta, ſeruare, & alia latius ei ſuper his ſcribimus, prout videbis in copia literarum noſtrarum, quam tibi mittimus his incluſam. Rogantes Celſitudinem tuam, vt pro tollendis differentiis omnibus inter vos, ex parte tua facias, quæ fieri volumus, tam in deſtinandis Nunciis & Oratoribus tuis, ad dilectum filium noſtrum Iulianum Sancti Angeli Diaconum Cardinalem, Apoſtolicæ Sedis Legatum, quem ad partes Germaniæ tranſmittimus, de præſenti quoque deinde ad nos, ſi Legatus componere vos non poſſet, vel compoſituros amicabiliter, vel per viam iuſtitiæ finem impoſituros. Vt vos duos Catholicos Reges, ſicut optamus, & vtrique veſtrum expedit, & Chriſtianæ Reipublicæ, in ſancta charitate & amicitia confirmemus. Datum vt Supra.

Wladislao Regi Poloniæ.

Martinus Epiſcopus Seruus Seruorum Dei. Chariſſimo in Chriſto filio Wladislao Poloniæ Regi Illuſtri, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum ad Serenitatem tuam literas conſolatorias ſcriberemus, audita morte celebris memoriæ Alexandri Ducis magni Lithuaniæ fratris tui, nouus nobis allatus eſt Nuncius detentionis perſonæ tuæ, qui animum noſtrum vehementi admiratione & perturbatione commouit. Cogitantes tamen, quod in ea patria, in qua natus es, & vixiſti diu Princeps & Dominus, nomen tuum, quod eſt apud omnes gentes externas celebre & venerandum, coli & amari merito debeat, ac timeri: quod Regnum habes potens & fidele, quod habes & natos in tuo Dominio legitimos ſucceſſores; & non dubitantes gratiam Dei & iuſtitiam tecum eſſe, quæ omni potentia fortiora ſunt; ſperamus in Domino huius nouitatis finem, tibi & tuo ſtatui infelicem eſſe non poſſe. Nos vero, cupientes in hoc caſu, quibus modis poſſumus ſuccurrere & ſubuenire neceſſitati tuæ, primum pias & humiles fecimus orationes ad Deum, pro liberatione & incolumitate tua, deinde per literas noſtras rogauimus inſtantiſſime chariſſimum in Chriſto filium noſtrum, Sigiſmundum Romanorum Regem Illuſtrem, vt cum omni charitate & fide fraterna velit intendere liberationi tuæ, quarum literarum copiam tibi deſtinamus, præſentibus incluſam. Et ſperamus in Excellentia ſua, quod in hoc caſu tuo conabitur bonitatem, clementiam, & fraternam charitatem erga te, ac magnitudinem animi demonſtrare, quæ in nulla alia cauſa clarius perſpici poteſt, ſicut ei ſcribimus. Cæterum fili chariſſime, quia valde cupimus, vt inter vos vigeat fraternus amor & charitas, ac perpetua & firma concordia, rogamus, requirimus, & monemus etiam ſublimitatem tuam, vt ſimiliter in negotiis & neceſſitatibus ſuis, pari affectione te habeas erga ipſum, & ſpecialiter velis omnino, vt debes, ei omnia dudum inter vos conuenta ſeruare, quod Oratores eius apud nos exiſtentes de præſenti, inter cætera requirebant, antequam haberetur hic notitia nouitatis huiuſmodi; pollicentes præfatum Regem Romanorum pariter ſeruaturum. Quæ requiſitio cum honeſta & iuſta ſit, tibi iniungimus, vt velis eam ex parte tua effectualiter adimplere, prætermiſſis cæteris, quæ in contrarium dici poſſent forſitan hactenus acta eſſe. Et ſi quæ differentia inter vos remaneret, volumus omnino, vt pro ea tollenda, veſtrum vterque tranſmittat Oratores ſuos ſufficienter inſtructos, ad dilectum filium noſtrum Iulianum Sancti Angeli Diaconum, Cardinalem, Apoſtolicæ Sedis Legatum, quem ad partes Germaniæ tranſmittimus de præſenti, viſurum & cogniturum differentias vtriuſque, per eum amicabiliter componendas. Quod ſi non poſſet ipſe perficere, volumus, vt intra certum terminum ad nos veniant Nuncii & Oratores veſtri cum informationibus opportunis, vt vos amicabiliter componamus, vel quando aliter fieri non poſſet, per viam iuſtitiæ, veſtris controuerſiis debitum imponamus finem, & vos duos Catholicos Reges, ſicut optamus, & vtrique veſtrum expedit, ac Chriſtianæ Reipublicæ

1430 *in ſancta charitate & amicitia confirmemus. Verum ante omnia, fili chariſſime, te exhortamur, requirimus, & rogamus, vt omni contentione & offenſione ſepoſita, velis fauere & aſſiſtere præfato Romanorum Regi, contra Bohemos hæreticos, toto poſſe tuo, & Polonos omnes, qui cum eis ſunt, ſub grauibus pœnis & comminationibus reuocare, & operari taliter, quod reſtituant per eos ablata Catholicis, ac diligenter & efficaciter prouidere, quod eiſdem hæreticis, nec commeatus, nec ſubuentiones, nec vlla ſubſidia, de tuo Regno Poloniæ miniſtrentur, ſicut nobis aſſeritur hactenus factum eſſe, & in hac cauſa ita te habere, vt intelligere videaris, eam Dei magis cauſam eſſe, quam hominum, pro qua teneris, vt Rex Catholicus, eam ſine reſpectu alicuius amicitiæ vel fœderis laborare. Et ſi contrarium faceres, quod auertat Deus, aduerſus te Diuinam & humanam iuſtitiam prouocares. Datum Romæ apud Sanctos Apoſtolos &c. vt ſupra.*

Venerat in *Poloniam* ex *Lithuania* ſpecialiter miſſus, *Ioannes* de *Oleſchnicza* Regni *Poloniæ* Marſchalcus, per quem Rex mille cyclos argenti, cum aliis muneribus, ſibi per Ducem *Switrigal* datis, in Regium theſaurum tranſmittit. Is nomine Regis ſecrete & ſingillatim Prælatis & Baronibus ſuggerit, *vt pro liberatione ſua operam effectualem facere quanto citius non negligant.* Et licet non ignorarent Prælati & Nobiles *Poloniæ*, aduerſitatem ipſam Regi, propter opera ſua inconſulte facta accidiſſe, ſuccenſendi tamen & obiurgandi, & locum & tempus minime eſſe rati, pro liberatione Regis omnium animi accenduntur. Quæ vt facilius perfici poſſet, in oppido *Vartha* pro die *S. Nicolai*, ad conuentionem generalem, velut vir vnus conuenuint. Et licet hyeme illa peſtis epidimiæ fere vniuerſum Regnum *Poloniæ* occupaſſet, ibant tamen per media funera, ad ipſam conuentionem, in ipſam ciuitatem *Vartha* etiam ſeſe extendentia. Frequensque numerus Prælatorum & Baronum in *Vartham* conuenit. Et quamuis plures viæ ingenio Prælatorum & Baronum aperirentur, & aliis placebat exercitum illico expeditum, aliis Reginam cum Curienſibus in *Lithuaniam* mitti, & Regem potentia & armis liberari: media tamen via ex his capta eſt, vt Legati ad Ducem *Switrigal* mitterentur, qui requirerent, vt Regem & ſuos in libertatem reſtitueret; cui turpe & fœdum eſſet, vt tantæ excellentiæ Regem, & grandæuæ ætatis virum, non germanum ſolum ſuum, ſed priuato etiam ſibi officio admirandum, detineri. Vt quoque ab occupatione terræ *Podoliæ* abſtineret, cum illa proprietatis, iuris, & Dominii Regni *Poloniæ* fuiſſet. Legati ad hanc rem electi fuere, *Sbigneus* Epiſcopus *Cracouienſis*, *Ioannes Wladislauienſis* Epiſcopus, *Sandiuogius* de *Oſtrorog Poſnanienſis*, *Ioannes* de *Lichin Brzeſtenſis*, Palatini. Concluſum inſuper erat, legatorum tranſitu non obſtante, expeditionem fieri, & omnes exercitus, ſumptis armis, octo diebus poſt feſtum Epiphaniæ in *Kiiani*, ſupra fluuium *Wieprz*, congregari, vt loca paludinoſa *Lithuaniæ*, conſtricta gelu, facilia eſſent exercitui, durante hyeme, ad tranſeundum. Deputantur & tunc duo Magiſtri, pro pueris Regiis educandis; Magiſter *Vincentius Roth* de *Dabno* Cuſtos *Gneſnenſis*, & *Petrus Ritersky* miles, quibus illico cura puerorum, *Wladislai* & *Caſimiri*, vt illos & literis & moribus ingenuis informarent, mandata eſt. Erudiri autem pueros Regios doctrinis, quas vegetiora capeſſerent ingenia, moleſte nonnulli Conſiliariorum ferunt, quo apud indoctos & rudes, ſua & ſuorum filiorum ingenia, poſſint præſtantiora exiſtimari. Taliter rebus in conuentione *Varthenſi* compoſitis, Legati in *Lithuaniam* progrediuntur, & Natalis Domini dies *Varſchouiæ* abſumunt, præſtolando Ducis *Switrigal* literas ſalui conductus, pro quibus in *Lithuaniam* ſpecialem Nuncium præmiſerant. Ibi illis ſubſiſtentibus, Nuncius Regius aduenit cum literis, quibus ſignificabatur, *Ducem Switrigal, quamprimum Regnum Poloniæ ad arma acclamaſſe ſenſit, illum liberum ex Lithuania cum ſuis omnibus dimiſiſſe. Et collaudata eorum fide & conſtantia erga ſe, committit, vt in domos reuertantur, neque legatione hactenus, neque armis opus eſſe, ſe iam extra omne periculum, & in libertate eſſe conſtitutum.* Hac nouitate alacres effecti Legati, in propria ex *Varſchouia*, diuulgata in cætero Regis liberatione, reuertuntur.

Polonis Regem ſuum liberare volentibus

litteras accipiunt Regem iam liberatum eſſe.

Die Iouis, oppidum *Bithom* per *Bohemos* hæreticos expugnatum atque captum, per matronas, ne incenderetur, redemptum eſt. Subſequenti vero die Lunæ, *Sigismundus Coributh Lithuaniæ* Dux, & *Dobeslaus Puchala* de *Wagri*, de domo *Wyenyawa*, oppidum *Gliwicze* capiunt, & ſedem belli, præſidio impoſito, illic conſtituunt. Quarta etiam Decembris anni eiuſdem, caſtrum Eccleſiæ *Wratislauienſis Odmuchow*, a *Bohemis* hæreticis expugnatur.

Bohemi Bithom, Gliwicze & Odmuchow expugnant.

1431 Incolumis & liber *Wladislaus Poloniæ* Rex ex *Lithuania* feliciter reuerſus, venit in terram *Chelmenſem*, & primum in *Thur*, deinde in *Sopoth* deſcendit. Ibi ad ſuam Sereniſtatem *Zophia* Regina, quæ de captiuitate ſua ſpiritum gerebat afflictum, cum pluribus Baronibus venit, congratulari omnes ſuæ incolumitati, & liberationi. Ex *Sopoth* pro tempore Carnispriuii aduenit *Sandomiriam*, vbi habita eſt conuentio generalis. Et die Dominico Carnispriuii, Sol notabilem eclipſim paſſus eſt. *Martinus* quintus Papa expoſt die vigeſima Martii mortuus, & in Eccleſia *S. Ioannis* de *Laterano* in tumba ærea ſepultus. Cuius morte ſecuta, Cardinales conclaue ingreſſi, *Gabrielem Condulmarium* Cardinalem in Pa-

Wladislaus ex Lithuania redit.

Martino V. P.R.

1431 Papam eligunt, natione *Venetum*, qui *Eugenius* quartus vocatus eſt. In conuentione ipſa *Sandomirienſi*, ſcrupuloſius omnia tractata ſunt, res *Lithuanicas* contingentia, & a Rege *Wladislao* explicatio facta, quibus probris, iniuriis, & contumeliis Dux *Switrigal* ipſum affeciſſet. Quibus omnibus auditis & cognitis, omnes in choleram pro dehoneſtatione Regiæ Maieſtatis inflammantur. Afferuntur & plura noua, inflammationem huiusmodi augentia. Denunciatur enim ex *Podolia*, qualiter Dux *Switrigal* per ſuos, aliqua caſtra in *Podolia* occupaſſet, & circa caſtrum *Smotrzicz* aliquanto tempore, per ſuos obſidionem continuaſſet. Vbi ſuperuenientibus gentibus Regiis, dimicatio repente facta, & gentes Ducis *Switrigal* ad extremum cæſæ, & caſtrum obſidione ſolutum eſt. In diſtrictibus inſuper Regni *Poloniæ*, *Trabouilenſi*, *Leopolienſi*, & aliis, crebræ incurſiones, ſpolia, & damna, per gentes eiusdem Ducis *Switrigal*, ex caſtris *Zbaraſz*, *Olcſzko*, & *Krzemienyecz*, fiebant. Et quamuis *Wladislaus* Rex ſuper huiusmodi iniuriis ſibi crebro ſcripſiſſet, requirens & rogans, *vt huiusmodi incurſiones & damna fieri prohiberet*, nullum tamen potuit Regia requiſitio ſortiri effectum. Hæc & plura alia per Prælatos & Barones in conſilio mature digerebantur, neminique ex conſiliariis ſuis placebat ordinatio Regis, qui Ducatum magnum *Lithuaniæ* in Ducem *Switrigal* contulerat, hominemque offenſi cerebri, & naturaliter pene vehementem & delirum, Rempublicam & Regni & Ducatus, quoad in Ducatu magno præſideret, turbaturum. Quia tamen durum & difficile viſum eſt, illum de poſſeſſione Ducatus magni detrahere, cum quod *Wladislaus Poloniæ* Rex occulto & intenſo ardore ſciebatur ſibi fauere, tum quod a *Ruthenis* miro diligebatur affectu, placuit omnibus, vt modeſte cum eo ſingula agerentur, ſi forte aliquo pacto praua mens &, vehementia ſanari poſſet. In quo, non tam illi, quam Regiæ voluntati, deferebatur; qui æque, ampliusque quam ſibi, aut ſuis natis de omni honore & amplitudine, & ſignanter Ducatus magni excellentia, fauebat. Et quamuis omnium Prælatorum & Baronum conſilio & deliberatione, bellum contra ipſum futura æſtate gerendum, & ſignanter pro conquiſitione caſtri *Luzcko* fuiſſet decretum, Nuncii tamen ex *Sandomiria* ad illum in *Lithuaniam* miſſi ſunt, videlicet, *Stanislaus Poſnanienſis*, *Ioannes Chelmenſis*, Epiſcopi; *Sandiuogius* de *Oſtrorog Poſnanienſis*, *Ioannes* de *Lichin Brzeſtenſis*, Palatini, cum his mandatis, vt *Luczko* caſtrum & terram *Lucenſem*, quam de proprietate & Dominio Regni *Poloniæ* fuiſſe conſtabat, & caſtra in *Podolia* occupata, reſtituat, & amplius terram illam, ab antiquis Regibus *Poloniæ* pacifice poſſeſſam, vexare deſiſtat, & cum *Wladislao* Rege & Regno, aut pro die *S. Georgii*, aut pro feſto Aſcenſionis Domini, aut pro feſto Pentecoſtes conuentionem agat, ad A ſopiendum rixas & diſſidia, inter *Wladislaum* Regem & ipſum quomodolibet exorta; vtque in huiusmodi conuentione, de Ducatu magno *Lithuaniæ*, quem præfatus Dux per vim, & contra fœdera Regni & Ducatus, occupauerat, diſpoſitio fieret. Vt etiam Dux ipſe, Ducatum præfatum, a Rege & Regno ac Ducatu, de illo ſibi prouideri, & ſibi illum conferri, peteret & poſtularet. Aſpirabat enim *Wladislaus* Rex ad promotionem ſuam, & propterea pro celebranda conuentione tres terminos conſignauerat, ſperans illum vnum ex tribus accepturum, certus exiſtens, ſi conuen- B tio celebraretur, poſſe funditus omnes lites & bella extingui, & Ducem *Switrigal* ad pacem & concordiam fraternam, bonumque ordinem & bonam mentem reduci. Dum autem Nuncii præfati ad illum veniſſent, & mandata Regis & Regni expoſuiſſent; reſpondit, *ſe neque Luczko, neque caſtra in Podolia occupata, dimiſſurum; neque Ducatum magnum, cum illum naturali ſucceſſione integre poſſideret, a quoquam petiturum. Altioribus* tamen ſubterfugiis rem ducere ſatagens, obtulit *ſe ſuper omnibus requiſitionibus Wladislao Regi & Regno, per ſuos Nuncios reſponſurum.* Sed dum oblationem non impleuiſſet, miſſus *Ioannes Luthek* de *Brzezie* Notari- C us Regius. Qui mandata Regis fideliter, liberius tamen quam apud minus ſenſatum Ducem conueniret, differens, ab ipſo *Switrigiello* Duce maxillam in vultu pertulit, dedecusque horrendum, non tam Regi & Nuncio ſuo, violando ius gentium, & humanitatis præuaricando fœdus, quam ſibi, & nomini ſuo, inflixit; præuaricatus legem omnium hominum, ipſorum etiam barbarorum, apud quos Legati, quantumcumque ferant inuiſa, inuiolabiles habentur. Indignabundus, & nimia ira percitus *Wladislaus Poloniæ* Rex, audiuit id facinus. Nec immerito: violatum enim ius gentium, ſpreta germanitatis, & quod omnia ſuperabat, humanitatis fœdera in Nuncii ſua perſona, querebatur. Mul- D tifariis ſiquidem perſuaſionibus, & multis blanditiis, efficere Rex Ducem ſibi morigerum nitebatur & vnanimem. Verum Ducis leuitas ducta moribus inconſultis, ad eam temeritatem proceſſit, vt etiam Legatum Regium veraciter & fideliter ſuadentem, violaret, cui velut pacis, inter arma infeſtiſſima, ſequeſtro, deferri etiam ab ipſis barbaris ſolet. 1431

Succedit Eugenius IV.

Ad Ducem Switrigal, vt ſe a Podolia abſtineat, nuntii mittuntur

quorum vnus alapam infligit.

In eadem inſuper conuentione *Sandomirienſi*, *Zophia Poloniæ* Regina, magnum indignationis nubilum, contra *Ioannem Straſch* de *Białaczow* militem de domo *Odrowaſz* gerens, quaſi ipſam coram Duce *Lithuaniæ* olim *Alexandro* Prælatisque & Baronibus *Lithuaniæ*, de incontinentia palam diffamaſſet, ius ſibi contra illum, licet id ſanior & maior Præla-

Io. Straſch, qui Reginam adulterii diffamauerat,

la-

1431 latorum & Baronum pars diſſuaderet, petiit per *Wladislaum* Regem decerni. Qui precibus ſuis annuens, ius locat militare. Et *Petrum* de *Widawa* Iudicem *Siradienſem*, pro Iudice conſtituit. Apud quem *Zophia* Regina per aliquot, Barones, videlicet *Albertum Malſyk* Caſtellanum *Lancicienſem* tunc Magiſtrum Curiæ ſuæ; item *Mſczugium* de *Skrzin*, item *Clementem Wątrobka* de *Strzelcze*, item *Petrum Kurowsky*, & alios, querelam ſuam proponit, ſingillatim deducens, *Ioannem Straſch, ipſam multipliciter de ſtupri conſuetudine, ſuo ore diffamaſſe*, offerens *ſe teſtibus probaturam id ipſum.* Sed & milites prædicti, diffamationi huiuſmodi ſe interfuiſſe profitebantur. Præfatus autem *Ioannes Straſch*, ab omnibus quidem conſanguineis & notis deſertus, & nonniſi ab vno fratre *Ioanne* nigro *Straſch* adiutus, tot reſpondendo querelis, vna tantummodo ad ſingula accuſationum capita reſponſione vtebatur, aſſerens *ſe nunquam huiuſmodi probra & facinora, in Zophiam Reginam commentaſſe. Paratus accuſationis ſuæ facinus iure militari diluere*: offerens, manus dextræ protenſione, iure purgatus, *cum quolibet accuſatore duelli pugnam ſe initurum.* Verum cum nemo ex Baronibus querulantibus, palæſtram duelli acciperet, *Straſchoni* præfato purgatio per Iudicem decreta eſt. Quam e veſtigio iuramento corporali expleuit. Rege tamen mandante, *Straſch* ipſe in turrim caſtri *Sandomirienſis*, cuius tunc erat *Ioannes* de *Czizow* Capitaneus, & in eius fundum detruſus eſt. Vbi notabili tempore carcerales ſuſtinens moleſtias, parum abfuit quin periret. Ex carbonibus enim viuis, qui illi miniſtrabantur, vapor & fumus exortus, turrim replens, puerum, qui cum eo erat, extinxit, *Straſchonemque* ipſum vna abſque dubio ſi non celeriter de turri ſemiuiuus, & vix iam ſpirans, eſſet extractus, extincturus. Itaque *Ioannes Straſch*, ſi verum fatendum eſt, inimicorum molitione & opera, nec ſatis criminatione fuerat, nec ſupplicio exemptus.

in carcere fumo extinguitur

Legati Bohemorum a Wladislao impetrant audientiam

Ex Sandomiria Wladislaus Poloniæ Rex per loca ſolita, in nouam ciuitatem *Korczin*, pro medio Quadrageſimæ aduenit. Vbi ad ſuam Serenitatem venerunt Bohemorum Nuncii, rogantes, *vt ſua Serenitas daret illis licentiam, ad conſpectum ſuum veniendi, & præſtaret illis audientiam publicam, præſertim cum omnis Synagoga eorum ſectæ, & fidei, & fere ſinguli ritus ſui primores, in propinquo, videlicet apud oppidum Gliwicze, agerent*: quod per *Bohemos* expugnatum, Dux *Sigiſmundus Coributh* poſſidens, vicinas *Sleſiæ* regiones ex illo, cum aſſiſtentia multorum *Polonorum* & *Bohemorum*, qui labe hæretica infecti erant, ſpoliabant. *Wladislaus* autem Rex, cum dudum ante, & Sedis Apoſtolicæ indultum, & Sigiſmundi *Romanorum, Hungariæ & Bohemiæ* Regis literalem conſenſum habuiſſet, poſſe cum *Bohemis* quoſcumque licitos & honeſtos miſcendi, ſuper fidei Sancta Catholica, tractatus, & altercationes, & illos, A conuenientibus modis, ad vnionem & obedientiam vniuerſalis Eccleſiæ reducendi, annuit, & conſentit, vt *Cracouiæ* pro Dominica *Iudica* accedant, publicam audientiam a Rege, & impugnationem ſuæ ſectæ ab Vniuerſitate *Cracouienſi* habituri. Vniuerſitatem quoq; *Cracouienſem*, Rex auiſat, *vt parent ſe cum Bohemis hæreticis ad congrediendum, fidei Catholicæ puritatem defenſuri.* Interim cum hæc aguntur & parantur, Ducis *Sigiſmundi Coributh* gentes, partim *Poloni*, partim *Bohemi*, quorum *Wyerzbiatha* de *Przíſchow*, *Zauiſcha Wrzaſchowſki Vomiczek*, principales cenſebantur, B ex *Gliwicze* egreſſæ, crudelitate pluſquam barbarica in monaſterium Carthuſienſe *Lechnicza*, quod alio nomine *Vallis S. Anthonii* vocatur, in confinibus *Hungariæ* & *Poloniæ* ſupra fluuium *Dunaiecz* ſitum, ſæuiſſime irrumpunt, credentes illic maximum theſaurum fortunarum multarum conditum eſſe. Spoliant in primis monaſterium & locum Sanctum, vaſis, veſtibus, & ornamentis, libriſque Deo dicatis. Et ſpolia huiuſmodi recognoſcentes, dum attendunt ſe, magno periculo ſuo & labore, & paruam prædam quæſiſſe, maiori veſania & furia accenduntur, aliquos Miniſtros Dei occidunt, aliquos C vulnerant & verberant: Priorem vero vero, virum iam ſenem & grandæuum, credentes ab illo occultatos theſauros monaſterii poſſe oſtendi, ſecum vinctum abducunt. Magnus illico fremitus & pauor, ſingulos qui hæc audierant, omnia vltra verum efferentium, coortus eſt. *Cracouiam* quoque nouitas mox & celeriter allata, *Sbigneum Cracouienſem* Epiſcopum illico commouit, & zelo accendit, ne tam manifeſtam iniuriam & offenſam Dei ſineret eſſe inultam. Itaque eadem die & nocte, qua hæc ſibi denunciata ſunt, cum ex fratribus & amicis, tum ex familiaribus, notabilem collegit exercitum: Quem etiam ciuitas *Cracouienſis* per ſuas gentes auxit. Sequenti die facto prandio, *Cracouia* egreſſus, cum exercitu bene notabili & D potenti, præſtantes Barones & milites *Poloniæ* continente, in *Lipowiecz* peruenit, volens præfatis gentibus Ducis *Sigiſmundi*, ſpolia monaſterii *Lechnicza* ferentibus, occurrere, & tam ſpolia, quam Priorem captum liberare. Sed illico ab exploratoribus cognoſcit, prædones huiuſmodi & Diuino & humano perterritos terrore, eadem die prope caſtrum *Lipowiecz* viſos, & prætergreſſos eſſe, & in fugientium morem, nullo in loco conſiſtere auſos, in *Gliwicze* veloci curſu properare. Quo cognito, aliquibus eorum, qui conſequi agmen fugientium non poterant, comprehenſis, triſtis *Cracouiam* rediit; dolens ſe vnius prandii ſpatio, tantam victimam e manibus dimiſiſſe, & iniuriam Dei vltam non eſſe. Ab eo 1431

Coributh cũ latronibus monaſterium Lechnicenſe expilat

1431 eo autem tempore Dux *Sigiſmundus Coributh*, hoſtilem animum contra *Sbigneum* Epiſcopum concipiens, magno æſtu deſiderabat ei intendere inſidias, & mortis, & quorumlibet periculorum. Et licet prædones præfati prædam, in monaſterio prædicto captam in *Gliuicze* detuliſſent, vindicta tamen Diuina illos publice & priuatim ſecuta eſt, nec aliquis illorum fœdam & ſubitaneam mortem euaſit.

Ex noua ciuitate *Korczin*, *Wladislaus Poloniæ* Rex, pro Dominica *Iudica*, *Cracouiam*, pluribus Prælatis & Baronibus illum comitantibus, aduenit; quo iam ſub Regio conductu, Dux *Sigismundus Coributh* & *Bohemorum* ac hæreticorum principaliores, videlicet *Procopius* Apoſtata, Ordinis Minorum, *Petrus Anglicus Byedrzych*, *Vilhelmus Koſtka*, & plures alii conuenerant. In præſentia autem *Wladislai* Regis, Prælatorum & Baronum *Poloniæ*, diſputatio in caſtro *Cracouienſi*, in hypocauſto magno murato, reſpiciente feneſtris domos Canonicorum, per Doctores Vniuerſitatis *Cracouienſis*, cum *Bohemis* hæreticis, feria ſecunda in craſtino Dominicæ *Iudica*, habita eſt. Erant autem hi Doctores, in Diuino & humano Iure periti, *Stanislaus* de *Scarbimiria*, *Nicolaus* de *Kozłow*, *Andreas* de *Kokorzino*, *Franciſcus* de *Bregakreyſzwicz*, *Ioannes* de *Elgoth*, *Benedictus Heſſe* de *Cracouia*, *Iacobus* de *Paradiſo*, *Helias* de *Wawelnicza* Decanus *Sandomirienſis*, plurimorumque aliorum longus ordo. Durauit autem diſputatio ipſa diebus aliquot, cum in *Polonico* omnia fere argumenta & reſponſiones fierent. Et licet, Spiritu Domini ſuis fidelibus adminiſtrante virtutem, & veritatem ſermonis hæretici ipſi, iudicio, non ſolum Spiritualium, ſed etiam ſæcularium, tunc audientium, victi forent, victos tamen ſe eſſe nullatenus fateri voluerunt. Propter quod *Wladislaus Poloniæ* Rex, tali ad illos viſus eſt ſermone: *Etſi argumenta & probationes legitimæ, ex veritate Euangelii, & ſcripturarum ſacrarum ſumptæ, quæ hic in præſentia mea, Prælatorumque, Principum, & Baronum meorum, pro confutatione ſectæ veſtræ, per Doctores Vniuerſitatis meæ Cracouienſis, inductæ ſunt, ad recognoſcendam fidei Catholicæ vnitatem, vos non mouent, realia ſaltem exempla moueant. Quamprimum enim, fidei ſanctæ vnione abiecta, in varias errorum caligines ſciſſi & prolapſi eſtis, & ſuggerente vobis inimico generis humani, nouam ſectam, a puritate fidei Catholicæ abhorrentem, practicare cœpiſtis; illico florentiſſimum Regnum veſtrum, adeo depreſſum & conculcatum eſt, vt nec Regem habeatis nec Pontificem, non ſacrificium, non victimam. Vniuerſitas Pragenſis, fons nationum irriguus, aruit. Principes & Barones, a ſeruis & ſubditis gladio ſubmoti ſunt, templa incenſa, corpora Sanctorum diſiecta & violata, virgines ſtupratæ, religiones ſacræ peſſundatæ & excluſæ, omnia violentia & impetus, non conſilium, non ratio gubernat, vt etſi aliqui Nobilium & Baronum ſuperſint, hi tamen a ruſticorum genere, qui in ingenuorum & nobilium ſucceſſerunt fortunas, adeo obtriti ſunt, vt reſurgendi, & Rempub. defendendi & capeſſendi, nullam habeant facultatem. Equidem & ego, ex genitoribus meis, homo gentilis ſum, Prælatorum & Baronum Poloniæ vocatione renatus ad fidem, ſaltem vobis documento ſim, quod a pleriſque Bohemis, iure Diuino & humano, Doctoribus, Curiam meam ſequentibus, fidei rudimenta, velut nouus Catholicus, ſugebam, qui non aliam fidem ſectandam mihi, niſi in qua ſto, reliquere. Hanc velitis, obſecro per miſericordiam Domini noſtri IESV CHRISTI, & vos ſequi, & ſuſcipere informationem a Summo Pontifice & Catholica Eccleſia, ſuper articulis, quos temerarie & pertinaciter defenditis. Nam etſi vniuerſis fidelibus dolendum ſit de veſtra deuiatione, mihi tamen & Regno meo, eo amplius, propter Regnorum vicinitatem, & linguæ cognationem.* Mouerunt hi ſermones omnium circumſtantium corda fidelium; *Bohemorum* tunc arida & ſicca nullum potuerunt concipere humorem, allegantibus illis *ſe rectam Euangelii & Patrum viam, aliquando ignotam, nunc compertam ſecutos eſſe, nec ab illa quoquo modo diſceſſuros, niſi per generale Concilium, in quo daretur illis facultas opiniones ſuas defendendi, victi & ſuperati eſſent.* Ita re infecta diſceſſum eſt. Stabant autem *Cracouiæ* pluribus diebus, & in præſentia eorum Eccleſiaſticum ſeruabatur interdictum. *Sbigneus* Epiſcopus ad conſecrandum chriſma, & ad reconciliandum pœnitentes, in monaſterium *Claræ Tumbæ*, alias *Mogila*, exiuerat, faciens & præcipiens diſtrictum ſeruari *Cracouiæ* interdictum. Et licet aliqui ſæculares perſuaderent, vt in præſentia *Bohemorum*, quo facilius eorum reductio practicari & effici poſſet, Diuina officia tenerentur, præfatus tamen *Sbigneus* Epiſcopus, cum omni clero ſuo fortiter reſtitit, & conſtantia ſua omnium conatus fregit. Coactusque fuit *Wladislaus* Rex, ne ciuitas inſignis pro diebus Paſchæ Eccleſiaſticis careret Officiis, *Bohemos* hæreticos in *Caſimiriam* reiicere, non ſine ipſorum turpi ignominia & nota. Ciuitas quoque *Cracouienſis* omnes portas, ſub fideli cuſtodia, ne *Bohemi* clandeſtine intrarent, clauſas, obſeruare coacta eſt. Pro qua re, magna cholera & furore *Bohemi* accenſi, maledicta multa, & contumelias plures, in *Sbigneum* Epiſcopum *Cracouienſem* expuebant, quem ſciebant ſuæ excluſionis principalem eſſe cauſam & authorem. Vnde & expoſt frequenter Dux *Sigismundus Coributh* in Conſilio Regio cum eo iurgatus eſt, & verba eorum vsque ad manifeſtas iniurias procedebant. Præfatus enim *Sbigneus* Epiſcopus, zelo fidei accenſus, conatibus præfati *Sigismundi Coributh* animoſe reſiſtebat, & eius conturbabat inſtantias. A non-

Doctores Cracouienſes cum Bohemis diſputant.

qui deinde Cracouia eiiciuntur.

1431 nonnullis *Sigiſmundo* fauentibus, ob id correptus liberiori voce quam conueniebat, conſiliariis; *Sigiſmundoque* Duce, necem illi & bonorum vaſtationem, ſi de cætero moleſtus ſibi & ſuis pergeret eſſe, comminante: *Iſtud neſcis,* inquit ſuperbe, *facile me tuam inſolentiam comminuturum.* Dum autem præfatus Dux & *Bohemi*, tam per *Wladiſlaum* Regem, quam Conſiliarios ſuos licentiati, *Cracouia* diſcederent, retortis in *Cracouienſem* Eccleſiam Dux *Sigiſmundus* oculis, minaci ore, iam non *Sbigneo* Epiſcopo, ſed Eccleſiæ *Cracouienſis* Beatiſſimo Pontifici & Patrono Sancto *Stanislao*, manu contra Eccleſiam vibrata, minabatur, dicens: *O Stanislae, Stanislae, ſis auiſatus de mea contra te hoſtilitate.* Parabat homo prophanus, & ita in animum induxerat, Eccleſiæ *Cracouienſis* bona & poſſeſſiones, quamprimum in *Gliwicze* veniſſet, ſpoliis & incendiis vaſtare, & omni modo, de iniuria ſibi & *Bohemis* hæreticis, per *Sbigneum* Epiſcopum, in obſeruatione interdicti facta, vltum iri. Sed clemens Dominus, qui non deſerit per rectum gradientes iter, aliter præordinauerat. Interim enim quo Dux *Sigiſmundus* & *Bohemi* tractatibus cum *Wladislao* Rege *Cracouia* vacabant, *Conradus albus* Dux *Oleſchnicenſis* & *Coslienſis* oppidum *Gliuicze*, in quo ſibi Dux *Sigiſmundus* & *Bohemi* hæretici ſedem, & quendam quaſi nidum poſuerant, intempeſtæ noctis ſilentio, prodente illud quodam *Sleſita*, *Bernardo Roth*, qui inter *Bohemos*, & gentes Ducis *Sigiſmundi*, continua familiaritate ſibi vendicauerat fidem, feria quarta intra octauas Paſchæ, ante ortum ſolis, irrupit: & oppidum præfatum cum omni præſidio *Bohemorum* & Ducis *Sigiſmundi*, viriliter cepit, & plurimos mortales illic, aut occidit, aut captiuauit: magnamque prædam rerum plurimarum, ex vicinis regionibus, ſpolio contractam, nactus eſt; & hæreticorum Synagogam illic congregatam, velut Princeps Catholicus, ſubmouit, contriuit, & diſſipauit. Itaque Dux *Sigiſmundus* & *Bohemi*, qui Carthuſienſes in *Lechnicza* probris & ſpoliis affecerant, qui Beato *Stanislao*, & patrimonio ſuo, vim facere parabant, pœnas dignas penderunt. Nec longe abfuit, quin ipſe Dux *Sigiſmundus* & *Bohemi* hæretici in manus præfati Ducis *Conradi albi* inciderent. Ibant enim *Cracouia* alacres & ſecuri, omnium quæ in *Gliuicze* acta ſunt, ignari, & abſque dubio illa ſecuritate oppidum *Gliuicze* ingreſſuri, ni quidam eorum familiares ex ipſo oppido, dum per Ducem *Conradum* caperetur, fuga elapſi, qui ſtratas, vt aliquid raperent, obſeruabant, ipſos, in quantum irent periculum, auiſaſſent. Auiſamento autem huiuſmodi ſuſcepto, nimio terrore & dolore conſternati, in *Odri* caſtrum, quod tunc per *Dobeslaum Puchala* tenebatur, & deinde in *Bohemiam* tumultuaria fuga dilapſi ſunt: minarum, quibus cœlicolam *S. Stanislaum* terruerant prorſus obliti. Ab eo quoque tempore Ducis 1431
Sigiſmundi Coributh pondus & æſtimatio, adeo confracta & labefactata eſt, vt in ſortem veniret tenuem, & humilem; & omnes illum velut virum a Deo reprobatum aſpernarentur: prædictusque *Sigiſmundus Coributh* Dux, contumeliæ ſuæ in Deum, & in Sanctum eius *Stanislaũ*, vltionem ſenſit; mercedemq; impuræ linguæ, interceptione oppidi præfati *Glivicze*, & rerum omnium nobilium, quas congeſſerat, direptione, accepit. Ex gentibus autem Ducis *Lithuaniæ Sigiſmundi Coributh*, centum notabiliores capti, & in *Coslye* deducti: oppidum vero *Gliwicze*, ne eo hoſtes iterum potiti, nouo bello vrgerent *Sleſitas*, igne concrematum eſt.

Wladislaus contra Luczkam bellum indicit,

Cracouia Wladislaus Poloniæ Rex poſt feſta recedens Paſchalia, per ſolita loca pro Dominica *Iubilate* venit in *Biecz*, transmiſſo in omnes terras Regni ſui ex *Cracouia* mandato, vt contra *Luczkam* in bellum procederent. Quo apud *Biecz* agente, venit ad eum ex parte *Switrigal* Ducis Nuncius, *Baſilius longus*, alias *Krasni Waſilo*, appellatus, qui ad legationem Regis reſpondendo; aſtruebat *Ducem Switrigal, neque de Luczko, neque de caſtris in Podolia acceptis, quoquomodo ceſſurum:* quinimo petebat, *& Camienyecz, & cætera Podoliæ caſtra eidem tradi. Poſt quorum conſignationem,* non abuebat *illum cum Rege conuenturum. Quod ſi caſtra & ciuitates, quæ manutenebat Wladislaus Rex in Podolia, tradere ſibi recuſaret, non eſſe conuentioni & placitationi locum, quoniam non reſultaret cauſa, pro qua eſſet in huiusmodi conuentione tractandum: quinimo ſuperuacuum fatigas & impenſas ſubire.*

& Nuncius Switrigalli de non reſtituenda Podolia,

Venerat & tunc in *Biecz* ad *Wladislaum* Regem *Ludouicus* de *Langſze*, Commendator *Thorunenſis*, a Magiſtro *Pruſſiæ Paulo* de *Ruczdorff* & Ordine miſſus, in effectu perorans, *vt Wladislaus Rex cum germano ſuo Duce Switrigal dignaretur pacem & honeſtam concordiam acceptare,* pro qua ſe fideliter laboraturos Magiſter ipſe & Ordo offerebant. Cui *Wladislaus* Rex actis gratiis, & Magiſtro ac Ordine, de interpoſitione commendatis, pacem inter ſe & Ducem *Switrigal*, æquis conditionibus arbitrandi poteſtatem permittebat. Verum ferunt multi, quamuis res impoſſibilis, & mendacio perſimilis videtur, quod *Wladislaus* Rex vno duntaxat arbitro, *Ioanne Stembarsky*, propter interpretanda verba, cum ignarus eſſet *Teutonici* idiomatis, aſſumpto cum præfato *Ludouico* Commendatore, ſecretos habuiſſet tractatus: rogans & perſuadens, *vt Duci Switrigyello Magiſter & Ordo fauendo, aſſiſtentiam exhiberent contra Regnum effectualem, & ruptis inſcriptionibus pacis perpetuæ, Regnum hoſtiliter, ſi Poloniæ exercitus, quicquam in Switrigyellum hoſtile moliretur, inuaderent.* Nec tantummodo huiuſmodi clandeſtino tractatu contentus, *Andream* de *Lubin* tunc dilectum Secretarium ſuum, de armis *Pierzchala*, & *Stephanum*

& Magiſtri Pruſſiæ de pace cum Switrigallo facienda acceptis

1431 *num Chibſky*, Canonicum *Poſnanienſem*, aulæ ſuæ Notarium, de domo *Luba*, ad Magiſtrum & Ordinem transmiſit. Qui iuxta inſtructionem Regis, Magiſtrum & Ordinem, in Regni *Poloniæ* vaſtationem, compoſuere. Quæ omnia expoſt, *Wladislao* Rege mortuo, præfatus *Paulus* de *Ruzdorff* Magiſter *Pruſſiæ*, *Vincentio Roth* de *Dabno*, tunc Regni *Poloniæ* ViceCancellario, ad ſe, in Legatione, nomine Regis, venienti patefecit: aſſerens *ſe nunquam fœdus cum Regno Poloniæ firmatum violaſſe, niſi prece & perſuaſione Regis Wladislai ad id fuiſſet ſtimulatus*. Omnia tamen ego hæc pro falſiſſimis exiſtimo; cum Cruciferi ad colorandum ſcelus ruptorum fœderum, mendaciſſime id, & plura alia creduntur confinxiſſe. Rumoris autem & relationis huius, etſi tres Pontifices, *Sbigneum* Cardinalem & Epiſcopum *Cracouienſem*, *Vincentium* Archiepiſcopum *Gneſnenſem*, & *Thomam* Epiſcopum *Poſnanienſem*, denunciatores habeam, eorum tamen relatione, res hæc, neque affirmata eſt, nec pro vana prætermiſſa. Ex manſuetudine autem ſingulari, quam præfatus *Wladislaus* Rex, & in pectore & in operibus geſtare conſueuerat, miſit ex *Byecz* ad Ducem *Switrigal*, Secretarium ſuum & Notarium *Ioannem Lutbkonis* de *Brzezie*, rogans & requirens illum, *quatenus ſe errare, & non germane nec fraterne agere, aliquando recognoſceret, & cum ipſo Wladislao Rege ad concordiam fraternam rediret, facta ſibi de iniuriis reconciliatione & recompenſa*. Sed vbi pacem credebat occurrere, immenſo dolore fauciatus eſt. Præfatum enim *Lutbkonem*, fideliter & animoſe mandata Regia exponentem, in choleram accenſus, iræ parum temperans, maxillam eius manu extenſa cædit, & captiuitatis cuſtodia mancipare, non fuit veritus, in maximam Regis & Regni cuius Nuncii non ſolum apud Reges & Principes Catholicos, ſed etiam apud Imperatores, *Turcorum*, *Tartarorum*, *Saracenorum*, ſummo honore tractabantur) contumeliam & pudorem. Hæc quoque nouitas *Wladislao* Regi & ſuis Conſiliariis nunciata, impulit illum, omnibus pacis & quietis conſiliis abiectis, de inſtaurando bello contra Ducem *Switrigal*, velut hominem furioſum & dementem, de cætero feruentius cogitare.

ſuum ad illum mitit,

quem contumelia affectum incarcerat.

Wladislaus Rex Luczkam contra Switrigellũ fratrem exercitum ducit,

Ex *Byecz Wladislaus Poloniæ* Rex proceſſit in terras *Ruſſiæ*, & *Przemisliam* pro feſto Sancti *Ioannis* perueniens, miſſis factoribus *Cracouiam*, qui bombardas, ſagittas, & res bellicas aptarent, & verſus *Luczko* ducerent, feria ſecunda in craſtino *S. Ioannis* Baptiſtæ, *Przemislia* egreſſus, per *Medicam*, *Hrubieſchow*, & alia ſolita loca, confluente ad illum ex omni parte populi multitudine, feria ſecunda ante feſtum *S. Margarethæ* in *Hrodlo* peruenit, & caſtra exercitus ſui ſupra fluuium *Bug* poſuit, duodecimque diebus illic ſtatiua habuit, exercituum ſuorum plenarium præſtolando aduentum. Intra autem illos duodecim dies, A particularia certamina cum hoſtibus haberi cœpta ſunt: *Hriczko* enim *Kerdeiowicz*, cum Duce *Senkone*, filio Ducis *Romani* pugnans, omnes eius gentes profligauit: ſed & ipſum Ducem *Senkonem* interfecit. Caſtra *Wladimierz* & *Zbaraſz*, metu Regis & eius exercitus, a Præſidibus derelicta, exuſta fuere, & omnes pene terrigenæ *Lucenſes*, pauore nimio territi, cum ruſticis, pecoribus, & fortunis ſuis, in loca abdita, prout quemque ſors ferebat, dilapſi ſunt; vniuerſaque terra *Lucenſis*, ad primum aduentum Regium, habitatoribus B eſt nudata, & ab illis prorſus deſerta. Ex eiſdem etiam ſtatiuis, Rex diffidatorias literas, pro ampliori cautela & honeſtate, licet non fuiſſent neceſſariæ, Duci *Switrigyelloni* per *Oleſchkonem Ruthenum*, quo Rex pro hiſtrione vtebatur, tranſmittit; cauſas belli in eiſdem exprimens: *Quod videlicet terram Podoliæ, & Ducatum magnum Lithuaniæ, ſine ſuo & Regni Poloniæ conſenſu cum ſua & Regni iniuria occupaſſet, & illum, non recognoſceret ſe a Rege & Regno poſſidere, nec aliquam inſcriptionem & iuramentum corporale, de præſtanda fidelitate & obedientia Regi & Regno, præſtitiſſet: Quod terram Podoliæ hoſtiliter inuaſiſſet, & quædam caſtra in illa occupaſſet: C & quod Nuncios Regis fœde & turpiter tractaſſet*. In eodem etiam loco exercitus omnis Regius, terrarum, *Cracouienſis*, *Sandomirienſis*, *Lublinenſis* & *Ruſſiæ*, ordinatus eſt: Exercitus vero terrarum *maioris Poloniæ* nondum venerat, ſed multa damna propriis faciendo, tardo greſſu mouebatur: cuius aduentum Rex præfatis duodecim diebus præſtolabatur. Quod ſi iuxta multorum conſilia, & auiſamenta fidelia, *Luczkam* ire ſine mora, voluiſſet, *Luczko* caſtrum, quoniam tunc fuit præſidio militum, & omni genere defenſionis, vacuum: ſibi fuiſſet traditum, & abſque omni difficultate reſignatum. Sed *Wladislaus Poloniæ* Rex, quanta poterat ampliori dilatione, de die in diem rem extrahens, ocD caſionem intercipiendi belli, aut in aliud tempus ſuſpendendi, euenturam expetebat, moleſte ferens *Ruſſiæ* terras affligi bello, & igne abſumi, ac fratrem ſuum Ducem *Boleslaum Switrigal*, Ducatu magno *Lithuaniæ* ſpoliatum & excluſum iri. Morteque ducebat amarius, Ducis *Switrigielli* ex Ducatu *Lithuaniæ* eiectionem. Vnde nec tacitus aut ſimulans, ſed plerumque aperta comminatione Conſiliarios, bellum id ſuadentes, aiebat, belli moleſtiis ſe probe exſaciaturum.

& literas diffidatorias transmittit,

quarum capitula adduntur,

Sabbato in Vigilia Sanctæ *Mariæ Magdalenæ*, motis caſtris ex *Hrodlo* per pontes, in flumine *Bug*, per gentes Regis factos *Wladislaus Poloniæ* Rex flumine *Bug* ſuperato, caſtra in ripis eiuſdem fluuii *Bug*, prope oppidum *Vſcilug* poſuit, & duobus diebus illic manſit, 1431

Wladislaus Rex traiecto Bug fluvio,

1431 ſit. Sub quibus certamen notabile, inter ſexingentos equites de gentibus Regis, & *Ruthenos* ac *Tartaros* fuit commiſſum.

Ruthenorumque & Tartarorum copia profligata,

In quo gentes Regis, multitudine hoſtium, multo ſe numero & robore ſuperiore, debellata cæſaque, plures captiuos ad præſentiam Regis perduxerant: vno tantum, in huiusmodi conflictu, *Polono* notabili *Zagroba*, & aliis paucis deſideratis.

fratri Switrigal pacis conditiones offert.

Miſerat & tunc *Wladislaus* Rex, ad Ducem *Switrigal* duos Nuncios, *Albertum Malsky Lancicienſem*, & *Laurentium Zaręmba Siradienſem*, Caſtellanos, offerens conditiones pacis honeſtas, dummodo vellet recognoſcere culpam ſuam, & redire ad fraternam vnionem humiliatus.

Quibus ſpretis

Nihil tamen clementis Regis intimatio efficere potuit, apud hominem naturaliter furentem, inſolentem, & delirum. In eodem loco *Sbigneus* Epiſcopus *Cracouienſis*, tam Regem quam totum exercitum proſtratum humiliter, benedixit, & exinde cum *Ioanne* de *Tarnow* Palatino *Cracouienſi*, velut valetudinario, & *Wladislao* de *Oporow* Regni *Poloniæ* Vice-Cancellario, ad propria remearunt. Sigillum quoque Regium, quod ViceCancellarius ferebat, *Nicolao Drzewiczky*, Cuſtodi *Sandomirienſi*, viro prudenti, fideli, & integro, Reique publicæ maximo zelatori, interim conſignatum fuit, nobili de *Taurorum* domo. Feria ſecunda in die Sancti *Apollinaris*, ex *Vſczilng* motis caſtris, *Wladislaus* Rex & exercitus ſuus, tranſitum per oppidum *Wladimierz* faciens, caſtra ſua medium miliare poſt oppidum *Wladimierz*, prope villam *Syenno*, *Mſczugii* de *Skrzin*, locat, tribusque diebus ſtatiua illic habita ſunt,

oppidum Wladimierz cum ſiluis vicinis Rex capit,

ſub quibus, tres inſulæ paruæ, & vna ſilua, ſtagnis & lacubus circumſeptæ, difficilem habentes & periculoſum aditum, per exercitum Regis comprehenſæ ſunt, defendente illas multitudine *Ruthenorum*, qui ſe, vxores, pignora, pecora, & fortunas ſuas, velut in tuto illic locauerant: Præda ingens reperta, in exercitum Regium partita eſt. Oppidum *Wladimierz* cum pluribus villis, Rege nequicquam prohibente, exuſtum. Feria quarta in die Sancti *Iacobi* Apoſtoli, ventus validus, grandine, corruſcatione, & fulgure pluuiaque mixtus, duabus, & amplius horis exercitum turbauit, plura tentoria aut deiiciens, aut confringens: ſed & Regis ſacellum, ipſo adhuc orationibus vacante, vi tempeſtas alliſit, & tres homines in tentoriis fulmine extincti ſunt, pluuia ingenti vſque ad noctem durante.

& donat Feduſchkoni

Oppidum *Wladimierz* cum ſuo diſtrictu, *Wladislaus* Rex Duci *Feduſchkoni*, nepoti quidem ſuo germano, ſed ſchiſmatico ritus *Ruthenorum*, donat & inſcribit.

Feria ſexta poſt feſtum Sancti *Iacobi* Apoſtoli, motis caſtris a villa *Syenno*, *Wladislaus* Rex in villas *Brzeſchowicze*, *Iakubowicze*, & *Mikułowicze* venit, & caſtra illic poſuit. Defectusque aquæ angebat exercitum, cum aqua nonniſi cœnoſa, profunde quæſita, poſſet reperiri. 1431 Inde Sabbato in die Sancti A *Pantaleonis* conſurgens, caſtra in amœnis collibus, quercubus obſitis, prope villas *Skorcze* & *Biskupicze*, *Criſtini* de *Oſtrow* Caſtellani *Cracouienſis*, locat. Ibi magna pars exercitus Sacramento Euchariſtiæ procurata eſt. Sed & exercitus terrarum *maioris Poloniæ*, in multitudine gravi illic aduenit. Cuius Primores *Wladislaus* Rex, cum de tardo aduentu, tum de damnis & violentiis nefariis, in proprios commiſſis corripuit: aſſerens *ſe illorum tarditate, caſtri Luczko poſſeſſionem neglexiſſe.* Tribus autem diebus illic *Wladislaus* Rex manſionem ſuam continuans, feria ſecunda in die Sanctorum *Abdonis* & *Sennonis*, motis caſtris B in villam *Sadowye* venit.

Nuncii Switrigal pacem ſuperbe petunt.

Ad quæ ſtatiua *Lancicienſi* & *Siradienſi* Caſtellanis, a Duce *Switrigal* reuerſis, ex parte etiam Ducis præfati duo Nuncii, videlicet *Conſtantinus* Dux, & *Sedibor Lithuanus*, venerunt. Qui etſi, nomine Ducis faciendo verba, pacem petiiſſent, omnia tamen arroganter, ſuperbe & minaciter depromebant. Poſt multos tractatus hinc inde habitos, cum ea concluſione remiſſi ſunt, *vt Dux Switrigal Sabbatho proxime futuro, conſpectum Regis perſonaliter accederet, de pace & reconciliatione, conditionibus æquioribus & ſubmiſſioribus cum Wladislao Rege placiturus.*

Feria tertia ad vincula *S. Petri*, ex *Sadowye* C *Wladislaus Poloniæ* Rex motis caſtris, oppidum atque caſtrum *Luczko* attingere diſponebat. Dum autem in itinere in villa *Zabrodlye* Diuina officia, occupatus, audiret, *Dobeslaus* autem de *Oleſchnicza Voynicenſis*, *Criſtinus* de *Koziegłowy Sandecenſis*, Caſtellani, *Ioannes* de *Oleſchnicza* Regni *Poloniæ* Marſchalcus, & *Petrus Schafranyecz* Succamerarius *Cracouienſis*, cum ſuarum gentium banderiis, propero & celeriori curſu, antecedendo exercitum venerunt ad *Luczkam*. Et pontem in flumine *Sthir* per hoſtes reperientes diſruptum, penetrare in oppidum *Luczko*, cum eſſent eis vada fluminis *Sthir* ignota, non poterant. Dux inſuper *Switrigal*, iam illuc perſonaliter aduenie ns, caſtrum *Luczko* gen-D tibus, propugnaculis, ſagittis, & victualibus præfecto in Capitaneum *Iurza Rutheno*, firmauerat. Potentia autem gentium ſuarum ex *Lithuanis*, *Ruthenis*, & *Tartaris*, collecta, habens iuxta æſtimationem ad ſex millia perſonarum, ſtabat ex altera parte ripæ fluminis *Sthir*, ingreſſum tranſeuntibus prohibitura. Quos milites *Poloniæ* prædicti, bombardis maioribus contra illos crebro proiectis, a prohibitione ripæ excludunt. Fuiſſentque, & Dux *Switrigal*, & omnes ſuæ gentes, tunc virtute Dei per *Polonos* proſtratæ, ſi præfati Barones mox in aduentu ſuo, inſtando, perculſis addidiſſent timorem, & flumen *Sthir* tranſeundo, hoſtes fuiſſent aggreſſi. Sed igno-

1431

ignorantia vadorum, hoſtibus ſtragem, *Polonis* plenam victoriam ademit. Dum autem Polonis cum *Lithuanis* pro ripa hinc inde dimicantibus, *Wladiſlaus* Rex cum potentia exercitus ſui, veſperorum hora, ſuperueniſſet, Barones præfati, nihil profunditate fluuii *Sthir* deterriti, cum gentibus plurimis in illud proſiliunt. Et amne ſuperato, cum pluribus locis per experientiam vada comperta eſſent, fere totus reſiduus exercitus, flumen per vada traiecit, Duce *Switrigal* exercitus ſui acies ordinante. Verum cum idem Dux *Switrigal* potentiam *Polonorum* validam & fortem aduertiſſet, ciuitate *Luczko*, ne eius præda *Poloni* potirentur, incenſa, primus in fugam lapſus, reliquum omnem exercitum ſuum in fugam vertit. Nulla itaque dimicatione aut reſiſtentia facta, hoſtes per plura diffugientes itinera, aut trucidabantur, aut captiuabantur; & multi mortales, immo maior pars exercitus hoſtilis, gladio, cum debilitate equorum fugere non poterat, conſumpta eſt, cæteri capti, pauci fuga ſe ſaluarunt. *Gaſtoldus Rumboldus* Marſchalcus *Lithuaniæ*, cum pluribus aliis *Lithuanis* & *Ruthenis*, capti ſunt; præda omnis in curribus reperta, militi conceſſa eſt. Dux ipſe *Switrigal* ex coniectura veri ſimili, credebatur diebus pluribus interfectus, dum veſtis quædam ſua ſanguine rubrata, inter ſpolia, comperta & recognita eſſet; quem *Wladiſlaus* amaris lamentis & fletibus deplangebat. Oppidi *Luczko* reliquiæ per exercitum Regis deletæ & incenſæ ſunt. Accidit & die illo *Polonis* caſus infeſtus: nam dum nonnulli milites, videlicet *Iacobus* de *Rogow* dictus *Nadobni*, *Iacobus Ligaza*, *Paulus Zborzensky*, *Henricus Pakoslawsky*, *Sulislaus Siradzki*, & *Iacobus Komorowsky*, longius fugientes hoſtes perſequendo, a cæteris *Polonis* ſe ſequeſtraſſent, *Tartari* eorum paucitate conſpecta, in eos irruentes, cum eisdem confligunt & multis inflictis vulneribus, ſpoliatos rebus omnibus relinquunt ſemiuiuos. Qui nonniſi die altera a ſuis inuenti, & ad exercitum reducti, omnes, præter *Paulum Zborzensky*, ex vulneribus acceptis, quæ vermes & culices ſuo morſu continuo exaſperauerant, mortui ſunt.

Exercitu Polonico per Sthir fl. traductio.

Lithuani cum Duce ſuo diffugiunt,

caduntur que & capiuntur.

Feria quarta, in die Sancti *Petri* ad vincula, caduceatores in caſtrum *Luczko* miſſi, qui ſuaderent, *vt caſtri in manus Wladiſlai Regis fieret deditio*. Sed *Iurſza* Capitaneo ferocius reſpondente, ſpes deditionis omiſſa eſt. *Andreas* inſuper Epiſcopus *Lucenſis*, cum eſſet genere *Polonus*, ipſo die ad *Wladiſlaum* Regem veniebat, volens ſuæ Serenitati facere aſſiſtentiam fidelem. In via vero per *Polonos*, omnibus rebus, equis, & veſtibus ſuis ſpoliatus eſt, & fere ſeminudus ad tabernaculum *Ioannis* de *Oleſchnicza* Regni *Poloniæ* Marſchalci, iuſſu Regis deductus eſt, & per ipſum *Ioannem* Marſchalcum veſtitus. Feria quinta in die Sancti *Stephani* Papæ, & diebus ſequentibus, plura & frequentia inter gentes Regis & caſtrum fiebant præludia. Pons inſuper in flumine *Sthir* Regis mandato extructus, quo facilior exercitui foret pabulatio. Dux Maſouiæ *Caſimirus*, & *Ioannes Mazik* de *Dabrowa*, Capitaneus *Ruſſiæ*, cum ſex millibus armatorum, ipſo die, ad exercitum Regis reuerſi ſunt. Qui ex ſtatiuis, quæ Rex prope *Wladimiriam* habuit, in *Belzenſem* terram, quam *Rutheni*, oppido *Busko* exuſto, damnificabant, animoſi aduenerant, & hoſtibus conflictis, & prorſus profligatis, victores redierant; Tenutario caſtri de *Olesko*, *Bohdano Robathinsky* graui ſponſione conſtricto, vt conquiſitione aut deditione de Caſtro *Luczko* fienda, caſtrum *Olesko* in manus Regis repræſentaret. Prædictus enim *Bohdan*, licet bona notabilia in terra *Ruſſiæ*, ſub Rege pacificus obtineret, ad Ducem tamen *Switrigal*, nulla neceſſitate cogente, clandeſtine diffugit. Propter quod *Wladiſlaus* Rex, de bonis ſuis, videlicet *Robatin*, pluribusque villis aliis, *Nicolao Poraua* de *Lubin* militi, & familiari ſuo, perpetuam fecit donationem.

Epiſc. Lucenſis ſpoliatur.

1431

Sequentibus diebus, ſtationes partis exercitus Regii, vltra flumen *Sthir* translatæ & deductæ ſunt, & caſtrum *Luczko* ab omni parte vallatum, & aquæ importatio, pabulatioque, hoſtibus de caſtro prohibita eſt. Sed & *Wladiſlaus* Rex, tentoria ſua, in alteram partem ripæ fluminis *Sthir*, in vallem, prope Eccleſiam Sanctæ Crucis ligneam, ex oppoſito caſtri ſituatam, traiecit. Bombardæ quoque maiores caſtro admotæ, quatiebant & rumpebant murum; & plures turres, & ſpatium notabile muri diſiecerant, *Wladiſlao* Rege improbante murorum concuſſionem, & exhortante aliquos, vt a proiectione bombardarum abſtinerent. Ingrediebantur autem caſtrum *Luczko* clam de nocte nonnulli *Poloni*, & cum aduerſariis certos agitabant tractatus, animando illos ad reſiſtentiam, & ſubminiſtrando eis victualia, quorum magno defectu angebantur. Et quamuis aliqui per cuſtodias exercitus eſſent comprehenſi, ſine mulcta tamen dimiſſi ſunt. Propter quod, omnium inſimulatione Rex, quæ ſic turpiter fiebant, conſcius putabatur. Dum autem rumores percrebuiſſent, Ducem *Switrigal* viuere, & in villa *Stepanye* exercitum aggregaſſe, ſequenti die mane, videlicet feria tertia in die Sancti *Donati*, cum potentiis ſuis pro committendo prælio aduenire, nocte inſequenti fremitus magnus in caſtris Regiis coortus eſt, omnibus accingentibus ſe ad occurrendum. In aurora vero, vniuerſis exercitus aciebus ordinatis, ex caſtris egreſſus, ſtabat, dimicationi copiam facturus; ſed cum nullus appareret hoſtis, ad tabernacula ſua reuerſus eſt. *Switrigal* deinde Dux, intelligens ſe armis & potentiis inferiorem eſſe, dolis & fraudibus rem proſequi cœpit. Mittit enim Nuncium ſuum *Czatan*, ad *Wladiſlaum* Regem in caſtra, cum li-

Caſtrum Luczko oppugnatur.

Swidrigal dolos nectit.

1431 teris Imperatoris *Tartarorum*, Regi & Baronibus *Poloniæ* ſcriptis, per ipſum Ducem *Switrigal* falſe compoſitis. In quibus idem Imperator hortatur & requirit, *vt abſtineatur ab inuaſione & deſolatione terrarum Lithuaniæ, & vt terra Podoliæ, quam iuris ſui Imperator Tartarorum ſcribebat, Duci Switrigyello reſtituatur:* aſſerens *ſe donationem perpetuam de illa Duci præfato feciſſe.* Irriſæ autem ſunt literæ huiuſmodi, & pro falſis habitæ, nihil ſecum ferentes efficaciæ, niſi vaporem confiſti terroris, ad horam apparentem.

Feria ſecunda in die Sancti *Hippolyti*, in aurora, exercitus omnis Regius ad arma conſurgens, expugnare caſtrum *Luczko* aggreſſus eſt. Nec oppugnatio aut conquiſitio ceſſiſſet in irritum, mœnibus disiectis & nudatis, muroque in frequentibus locis diſrupto, ſi omnia iuſte fuiſſent per Regem ordinata & prouiſa. Verum omni exercitu ad oppugnationem accurrente, non ingenio aut arte, ſed viribus res omnis gerebatur. Multis ſeptum, trabibus contextum, conſcendentibus, multis muros irrumpentibus, non aliquis tamen ſequebatur profectus: cum duntaxat haſtis, gladiis, & ſagittis dimicaretur. Et dum nemo militum, murum ſuffoderet, aut ſeptum ſecuribus frangeret, nulluſque cohortator, prouiſor, aut inſpector adeſſet, qui integros pro ſauciis ſubmitteret, quique ſua adhortatione hoſtes terreret. Et dum vnuſquiſque pro ſuo libito, aut pugnaret, aut oppugnationem deſereret, hoſtes animos extrema formidine occupatos reſumunt, & bombardis, fundis, fiſtulis, ſagittis, lapidibuſque, *Polonos* ex muris & ſcalis deiiciunt, ac multos occidunt, proſternunt, vulnerant, & ab oppugnatione turpiter cedere cogunt. Hæc autem turpitudo, & a caſtro prædicto repulſio, creditur ideo *Polonis* accidiſſe, quod Eccleſias Dei, non ſecus quam ethnici & barbari, vaſtabant & exurebant, vaſa Domini, & res Deo dicatas, ſuis applicando vſibus. Miniſtros etiam Dei Sacerdotes, ſpoliis & probris afficiebant: neque reputabant tanta mala, alicuius eſſe ſceleris vel delicti. Eadem die poſt Solis occaſum, *Iurſza* Capitaneus *Lucenſis*, Nuncios mittit, petens trium dierum inducias: intra quos, ſi peritam defenſionem a Duce *Switrigal* non acciperet, caſtrum Regi ſe traditurum pollicebatur. Nemo dubitabat petitionem doloſam eſſe, Rege tamen, cui difficile erat reſiſtere, volente, treugæ conceſſæ ſunt. Verum quamprimum altera die, aqua, & propugnaculis, lignis videlicet & lapidibus, lateribus, & contis, caſtrum refectum eſt, denunciat Regi, *treugis ſibi opus non eſſe, ageret quæ vellet, ſe nullo modo caſtro ceſſurum.* Aduenerant die eadem duo Nuncii *Lithuani*, petentes nomine Ducis *Switrigal*, *vt treuga firmata, deputarentur ab vtraque parte duodecem Barones, qui de pace agerent.* Admiſſa eorum petitione, *Wladiſlaus* Rex, treugas, ad feriam ſextam poſt feſtum Aſſumptionis *B. Mariæ* Virginis duraturas, dedit.

Oppugnatio caſtri Luczko a Polonis turpiter intermiſſa,

& induciæ Switrigielloni ad pacem tractandam conceſſa

A Omnis tamen labor pro pace, tunc caſſus fuit. Dux enim *Switrigal*, poſt adeptum *Lithuaniæ* Principatum inſolentius ſe gerens, & ſalutaria monita reſpuens, ad bonam mentem non facile poterat induci. Eo etiam ſcelere inquinatior, quod arma nefaria, contra proprium & Regem & germanum induerat. De quo plurimum confidens, ab omnibus honeſtis & quietis conſiliis abhorrebat, fœduſque cum hoſtibus communibus Cruciferis clandeſtinum iunxerat. 1431

Feria ſexta poſt feſtum Aſſumptionis *S. Mariæ* Virginis, treugis expirantibus, cuſtodiæ in ſtationes contra caſtrum *Luczko* applicatæ ſunt. Verum dum in die media *Poloni*, in eiuſmodi B excubiis ſecuri ſtarent, ſcacorum ludo occupati hoſtes ex improuiſo de caſtro irrumpentes, *Nicolaum Szlanka* de *Lapszow* militem, & familiam eius aggreſſi ſunt. Et pleriſque occiſis, cæteros affecerunt vulneribus. Fuiſſet quoque & ipſe *Szlanka* occiſus, ni familiaris ſuus fidelis *Stephanus*, offerendo ſe pro illo, ſibi mortem, Domino vero ſalutem, præſtitiſſet. Cæſi tamen ſunt, aucta virtute *Polonorum*, hoſtes, & multi occiſi, cæteri fuga in caſtrum dilapſi. Poſt Aſſumptionis feſtum *S. Mariæ* Virginis Sabbato, veniunt ad Regem ex parte Ducis *Switrigal*, *Oleſchko* & *Vaſzil* Duces *Ruthenorum*, & *Gedigold*, cum aliis quinque *Lithuanis*, pro pace tractanda. Et licet diebus C aliquot pax fuiſſet tractata, redierunt tamen Nuncii Ducis *Switrigal* abſque concluſione, treugis tamen in dies octo firmatis, exercitui Regio diſpendium afferentibus: cum tempus æſtatis haberetur, & appeteret inducens pluuias autumnus, quarum moleſtias certum erat exercitum non toleraturum.

Caſtrenſes Polonos adgrediuntur

ſed recedunt,

Dum hæc agerentur, caſtrum Regale *Rathno*, quod *Hriczko Kerdeiowicz*, cum Rege in exercitu perſonaliter agens, a propriis & domeſticis (erant enim fere omnes *Rutheni*) hoſtibus proditum & exuſtum eſt, tenebat. Hoſtes quoque facilitate ipſa animati, in terram *Chelmenſem* ſpoliis & igne ſæuire cœperant; Sed *Cziołek* Burgrabius *Chelmenſis*, vix cum centum triginta perſonis adunatus, hoſtes ſecuros, D & nihil hoſtilitatis ſuſpicatos, improuiſe inuaſit, & adeo in paueſactos & ſomnolentos graſſatus eſt, vt omnem multitudinem, paucis fuga elapſis, aut occideret, aut captiuaret. Tricenti clade occiſi, quadraginta capti ſunt. Ita vindicta pro exuſtione caſtri *Rathno* reddita eſt, & vaſtatio terræ *Chelmenſis* inhibita. Sub eodem inſuper tempore, quatuor Barones *Poloniæ*, *Petrus Schafranyecz* Succamerarius *Cracouienſis*, *Petrus Miedzinsky*, *Derſlaus Włoſtowsky*, & *Hriczko Kerdeiowicz*, aſſumptis duobus millibus pugnatorum, caſtris egreſſi, verſus *Krzemienyecz*, quærentes hoſtium congreſſum proceſſerunt. Duces autem *Vaſzil*, & *Balaban*, cum multitudine *Ruthenorum* & *Valachorum*,

Rathno caſtrum Regale proditur.

Hoſtis in terra Chelmenſi graſſatus, a Polonis fugatur,

1431

rum, caſtro *Krzemienyecz* egreſſi, in *Polonos*, qui in inſula prope villam *Tywanie* ſe locarant, multitudinem eorum ignorantes, pabulatores A eos rati, feria tertia, intra octauas Aſſumptionis *S. Mariæ* Virginis in aurora irrunt: ſed a multitudine *Polonorum* illico obtriti, paucis fugientibus, fere omnes interempti ſunt. *Poloni* autem magna præda potiti, victores redierunt in caſtra, & vniuerſum fere exercitum ex capto pecore refecerunt. In exercitu Regio magnus fœtor, & numerus muſcarum in dies creſcebat ex multitudine equorum morientium. Magna enim vis morbi & peſtis in omni exercitu equos peruaſerat, ex eo proueniens, quod equi tritico aculeato, & ſetas habente, in gleba vberi nato pabulati, digerere illud ex integro non valentes, ſuffocabantur. Ingensque damnum, B ex peſte equorum deficientium, exercitus Regius ceperat, & multi mortales ex equeſtribus in pedites fuere redacti. Triticumque huiusmodi in palea equis datum, ſuis aculeis equorum ſtomachos, & vulnerabat & perforabat. Quod cum tarde a *Polonis* fuiſſet cognitum, maior pars equorum, malo & peſte huiusmodi ſtrata & abſumpta eſt.

Lues equorũ in exercitu Polonico.

Intra omne obſidionis tempus, crudelis, inter *Polonos*, *Ruthenos*, & *Lithuanos* committebatur dimicatio. A *Ruthenis* tamen & *Lithuanis* primum orta. Si enim captiuabant aliquos captiuos *Polonos*, inſpectante exercitu, in muris concidebant in fruſta, cæteros impletos aqua ſuffocabant, & exquiſitis necabant cru- C ciatibus. Quinque inſuper fratres Prædicatorum *Polonos*, qui in caſtrum *Luczko*, in aduentu exercitus, ex ciuitate fugerant, turpi morte damnauerant. Propter quod & *Poloni* in captiuos *Ruthenorum* & *Lithuanorum*, vicem reddendo, ſæuiebant, compenſando vitium vitio, vt non ſolum paribus, ſed etiam maioribus prope odiis viderentur certaſſe. Ferunt etiam *Iurſzam* Capitaneum *Lucenſem*, & *Lithuanos* atque *Ruthenos*, in caſtro *Lucenſi*, in eam amentiam & tyrannidem effluxiſſe, vt omnem in Phytonibus, & phytoniſſis, retinendi & defendendi caſtri fiduciam reponerent. Vnde petentibus *Iudæis*, datus fuit ex captiuis *Polonis* vnus adoleſcens forma elegantior; D quem continuo cultro iugulam infixo occidentes, extracto ex corpore eius ſanguine, ventrem diuidunt; & corde, iecore, aliisque inteſtinis e corpore eductis, & in partes minutas diuiſis, inque carbones viuos proiectis, fumo inde orto, omnes caſtri parietes & angulos, quaſi thuris odore, precationes cantando ſacrilegas, inficiunt; iuramento aſſecurando *Iurſzam* & obſeſſos, nullam obſidionis aut expugnationis vim de cætero caſtro fore nocituram.

Crudelitas vtrinque in captiuos.

Die Dominico poſtfeſtum Sancti *Bartholomæi*, fama vniuerſum exercitum compleuerat, pacem per *Wladiſlaum* Regem & Conſiliarios ſuos, Ducesque *Georgium Syemyon*, & *Baſilium* ac quinque Barones *Lithuaniæ*, qui a Duce *Switrigyellone* pro tractanda pace, miſſi, feria ſexta in die *S. Bartholomæi* aduenerant, concluſam eſſe. Sed mox famam ipſam, quam *Poloni* lætis audiuerant animis, ſperantes citum ad propria regreſſum, alia nunciata nouitas reſtrinxit. Allatum enim eſt, Ducem *Switrigal*, omnes tractatus pacis callide & doloſe interponere, vt ex *Tartaris*, *Valachisque*, conquiſito exercitu, *Polonos* inuadat, & tempus autumni hyemisque ſuperueniens, Regem & *Polonos* a caſtri *Luczko* oppugnatione, diſcedere compellat. *Polonos* tamen ad dimicandum auidos nihil hæc nouitas terrebat. Conſumati interim fuerunt tractatus pacis, & Capitula pro pace inter partes conuenta. Vnde omnibus Nunciis Ducis *Switrigal*, pacis tractatoribus, ad Ducem *Switrigal* remiſſis, iuncti ſunt duo *Poloniæ* Barones, videlicet *Sandiuogius* de *Oſtrorog* Palatinus *Poſnanienſis*, & *Laurentius Zaremba* Caſtellanus *Siradienſis* vt cum Duce *Switrigal* pacis reſiduos articulos tractent, liment & corrigant, præſertim, cum Dux *Switrigal* nouam difficultatem ingeſſiſſet, non poſſe neque velle pacis conuenta obſeruare capitula, niſi Cruciferis & *Valachis* in ſua parte excluſis. De quo ſuſpicio vehemens orta eſt, quod ſecum myſterium res hæc ferat, cum Cruciferi pacis perpetuæ fœdere iuncti, *Valachi* homagio *Polonis* ſubiecti, dinoſcerentur. Abſumptus eſt pro illis diebus, morte, Dux *Fieduſchko*, *Ruthenus*, nepos germanus *Wladislai* Regis, omnibus clenodiis, theſauris, equis, veſtibus, bonisque hæreditariis, & quibuscumque fortunis, *Wladislao* Regi legatis: quæ omnia *Wladislaus* Rex in milites ſuos liberaliter diſtribuit. Feria tertia in die *S. Auguſtini*, treugis expirantibus caſtro conceſſis, cuſtodiæ contra muros a *Polonis* admotæ ſunt, & caſtrum bombardis crebro impetitum; ſed & caſtrenſes, tum de muris crebras faciebant bombardis & fiſtulis proiectiones, contra cuſtodias & exercitum, non ſine *Polonorum* admiratione. Quippe ſciebant caſtrum huiusmodi propugnaculis vacuum fuiſſe. Propter quod maior ſuborta eſt, de quibusdam notabilibus Baronibus *Poloniæ*, ſuſpicio, quaſi fiſtulas & pulueres caſtrenſibus, receptis muneribus, ſubminiſtraſſent. Ex quo poſtea multæ contentiones exortæ, & ſuſpecti Barones de tanta iniquitate, per milites animoſos publice notati, & ad dimicandum, oblato duello, prouocati ſunt. Longoque tempore fœtor ſceleris huiusmodi, a ſuſpectis Baronibus, nulla dilui potuit purgatione. *Laurentius* autem *Zaremba* Caſtellanus *Siradienſis*, huius facinoris inſimulabatur patrator, & a *Stanislao Cwikła* de *Conin*; de genere *Cygnorum* petebatur ad duellum. Qui improperia plurima in illum ſpargebat, affirmans eum fraudium plurimarum artificem, in Regem Regnumque *Poloniæ*, & propriam gentem.

Switrigiello Dux pacis conditiones callide admittit.

Et quoniam *Wladislaus Poloniæ* Rex ob ætatem

1431

tatem prouectam, ſenio & laboribus confectus, curis belli parum intendere poterat, & multa per negligentiam ſuam exercitui incommoda ſuccreſcebant; idem Ducem *Maſouiæ Semonitum Nicolaum* de *Michalow* Caſtellanum *Cracouienſem*, *Spithkonem* de *Iaroslaw*, *Sandomirienſem*, *Sandiuogium* de *Oſtrorog Poſnanienſem*, *Martinum* de *Calinowa Siradienſem*, *Stiborium Lancicienſem*, *Ioannem* de *Lichin Brzeſtenſem*, Palatinos; *Ioannem* de *Oleſchnicza* Regni *Poloniæ* Marſchalcum, *Albertum Malsky* Caſtellanum *Lancicienſem*, *Andream Cziołek* Succamerarium *Sandomirienſem*, *Petrum Miedzinsky*, deſignat & deputat, ac ipſis in ſolidum curam & onus gerendi belli, & prouidendi, quæ neceſſitas expoſceret, committit. Sabbato in die Sancti *Ægidii*, turris, ſeu teſtudo & lignis magiſtraliter & artificioſe diſpoſita, & ex altera parte fluminis *Stbir* locata, magnum caſtrenſibus, veluti res noua & inſolita, attulerat pauorem, cum & lapides miræ magnitudinis ex illa proiecti, multos mortales offenderent, & cadauera equorum in caſtrum ſimiliter proiecta, multos turbarent. Propter quod, petentibus obſeſſis, a Rege treugæ fuere conceſſæ, non ſine *Polonorum* amaritudine & pudore. Poterat ſiquidem caſtrum prædictum facile intra dies paucos conquiri; poterat & bellum cum magna vtilitate, & honore Regis & Regni, confici & finiri, Sed *Wladislai* Regis pietas & clementia, qui fratris ſui *Switrigyelli* & *Lithuanorum* fouebat partes, illud protraxit, & omnia inſtaurata debilitans, *Polonis* fecit aduerſa.

Wladislaus Rex ſenio confectus per alios bellum gerit.

Pax temporalis inter Wladislaum & Switrigiellonem componitur.

Die Dominico, & feria ſecunda ante feſtum Natiuitatis Sanctæ *Mariæ* Virginis, poſt multos tractatus pacis, hinc inde habitos, tandem pax inter *Wladislaum* Regem, Regnumque ſuum *Poloniæ*, ab vna, & Ducem *Switrigal*, Ducatumque *Lithuaniæ*, partibus, ab altera, non quidem perpetua, ſed temporalis, facta eſt, & literis firmata ſub certis modis & capitulis conuenta, literæque vniuerſales Duci *Switrigal* transmiſſæ. In quibus inter cætera cauebatur, quod pro feſto Purificationis Sanctæ *Mariæ* Virginis inter partes conuentio in oppido *Parczow* fieret, pro perpetua pace concludenda. Dum autem concluſio induciarum propter tractandam pacem, in exercitu percrebuiſſet, omnis hoſtilitas inter exercitum & caſtrenſes, ſummota & depoſita eſt. Pluresque de exercitu, carnes, lardum, farinam, & plura alia victualia caſtrenſibus expoſuerant ad vendendum. Regio tamen mandato, venditio ipſa illico abrogata & prohibita eſt.

Exercitu ab obſidione caſtri Luczko dimiſſo.

Feria tertia ante feſtum Natiuitatis *S. Mariæ* Virginis, *Wladislaus* Rex, data licentia exercitibus, & gentibus ſuis, ad propria diſgrediendi, caſtrum *Luczko* obſidione ſoluit. Et eadem die, motis caſtris, fluuium *Stbir* tranſit. Altero vero die, feria quarta, exercitibus multifarie diuiſis, Rex verſus *Wladymierz* proceſſit, & circa villam *Tarczin* Epiſcopi *Lucenſis*, nocturnum faciens, verſus Regnum *Poloniæ* in terram *Chelmenſem* peruenit. Ferunt aliquos ex *Polonis* auaritiæ & temeritati indulgentes, qui poſt probibitionem & diſceſſum Regis, ad vendendum victualia circa *Luczko* remanſerant, turpiter necatos aut captos, & omnibus rebus exutos eſſe: poſteriſque exemplum & documentum dediſſe, ne de hoſtium fide confidentes, lucra vitæ præponant. Adeo inſuper *Rutheni*, poſt diſceſſum Regis, in Catholicorum ſæuiebant Eccleſias, poſtquam in perſonas ſæuire non poterant, vt Eccleſiam Sanctæ *Crucis* e regione caſtri poſitam, & omnes fere Eccleſias Catholicas, in *Lucenſi* terra repertas, in cinerem & fauillam redigerent.

Lucenſes in Polonos, & ipſorum Eccleſias ſæuiunt

Occupato *Wladislao Poloniæ* Rege, & ſuis Proceribus atque militibus *Poloniæ* vniuerſis, circa caſtri *Luczko* obſidionem, *Paulus de Ruzdorff* Magiſter *Pruſſiæ* cum Commendatoribus, & ſubditis ſuis, id probantibus, contra Regem & Regnum *Poloniæ* inſurgit; ſiue quia illud viderat defenſoribus vacuum, & nolebat occaſionem vltionis omittere, ſiue quia inter illum, & *Wladislaum Poloniæ* Regem conuenerat. Et pace perpetua, circa lacum *Melno* concluſa, temerata, acceſita etiam Magiſtri *Liuoniæ*, gentium ſuarum, & ſtipendiariorum plurimorum multitudine, in tres exercitus partita, Regnum *Poloniæ* cum pompa magna, hoſtiliter, poſt feſtum *S. Mariæ* Virginis ingreditur: Terraſque *Cuiauiæ* & *Dobrzinenſes* crudeliter, igne, ſpoliis & prædis, nullo prohibente vaſtat; caſtrum & oppidum *Iuniwladislauiam*; proditum a *Nicolao Thumigrala*, ingreditur; & incenſis Eccleſiis ac caſtro, oppidum reliquit ſemidirutum. Deinde oppidum *Brzeſczye* obſidione cingit, poſitis caſtris circa *Wieczerzyno*, ſed inde turpiter repulſus, vno ex Commendatoribus ictu bombardæ interfecto. Poſtea caſtrum & oppidum *Nyeſchawa*, a Tenutario illius *Nicolao Thumigrala* de *Sekow*, prope *Coſten*, nobili de armis tabulam ſcacalem deferentibus, & domo quæ vocatur *Wczelye*, qui ad cuſtodiam totius terræ *Cuiauienſis* relictus erat, proditum eſt Cruciferis; cui illico præſidium imponitur. In oppidum vero *Nieſchouiam* igne ſæuitum eſt, quoniam nouis tectis & auſpiciis, *Thorunium* vicinum ſibi, redigeret in ſolitudinem; & omnes domus illius ſumptuoſæ & nobiles, multis impenſis ex muro & lignis factæ demolitæ ſunt: quatenus oppidi prædicti deleta memoria & nomine, *Thorunium* ad priſtinam gloriam & formam reſurgeret. Ciuitatem inſuper *Wladislauienſem*, & Eccleſiam Pontificalem *S. Mariæ* Virginis, cum caſtro, omnibus calicibus, libris, ornamentis, & clenodiis ſpoliatam, igne ſubiecto va-

Cruciferi ruptis fœderibus

Regnum Poloniæ igne & ferro depopulantur.

1431 vaſtarunt. Et quo latius, ſub breui tempore vaſtitatem per ignem, Regno *Poloniæ*, & damna, Magiſter *Pruſſiæ* irroget, præmia incendiariis propoſuit, vt omnis exuſtor villæ, vnam marcam; oppidi vero, tres marcas communes, ex ærario publico, pro labore & munere acciperet. Quo effectum eſt, vt gentes ſuæ, cum pro gratificatione obſequii, tum pro ſpe retributionis, per terras præfatas, *Dobrzinenſem* & *Cuiauienſem*, late diſperſeque decurrerent, & intra paucos dies, ſingula oppida, villas, & curias, igne delerent; nihil intactum, nihil inuiolatum, ne ipſa quidem Diuorum templa, relinquentes. Omniaque Diuina & humana tecta, flammis conſumendo, bellum nefarium cum hominibus Diiſque geſſere. Et licet ruſticorum ex terris taliter vaſtatis, magnus numerus in vnum conglobatus, ſpeciem iuſti exercitus feciſſet, & iniuriarum multitudine accenſus, cum videret pia culmina villarum ſuarum exuſta, greges ſuos abactos filias & vxores ſtupratas eſſe, in Cruciferorum exercitum irruere, & nudus cum armatis decernere pararet, nec iam longe res erat a dimicatione & congreſſu, facilemque victoriam ſibi omnes, pro templis, aris, focis, penatibus, & pignoribus ſuis, promitterent, tamen ſuperueniens præfatus *Nicolaus Thumigrala* Capitaneus, qui prior ad reprimendas hoſtium inuaſiones eſſe debuerat, ipſos terrendo & increpando, a propoſito reduxit. Et proinde omnium in illum odio, pro tot tantiſque Patriæ proditionibus, anno ſubſequenti in conuentione generali *Siradienſi*, crimine proditionis damnatus, honore priuatus eſt. Dum autem hoſtilitas tanta, & pacis rupta fœdera per Cruciferos, in Regis exercitu, qui tum adhuc obſidionem caſtri *Luczko* continuabat, percrebuiſſet, vniuerſos quidem ingens mœror de Cruciferorum perfidia, & Regni vaſtatione atque damno, Barones tamen & Nobiles, *Dobrzinenſis* & *Cuiauienſis* terrarum, altior dolor & luctus occupabat, dum in communi damno & miſeria, priuatam fortunam ſuam & ſuorum charorum, cum vxorum, tum liberorum, & ſubditorum iniurias deplorare cogerentur. Propter quod, cum ipſi, tum omnes alii, redire ad propria, & ſuis vtcunque conſulere, feſtinabant.

Wladislaus Rex ad Cruciferos mittit,

Qvamprimum autem treugæ, inter *Wladislaum Poloniæ* Regem, ab vna, & Ducem *Switrigal*, Cruciferoſque, ab altera, partibus, apud *Luczkam* fuere firmatæ, illico *Wladislaus* Rex de vaſtatione Regni ſui, per Cruciferos dolo facta, ſolicitus, *Nicolaum Zakrzowski*; & Dux *Switrigal*, *Czathan Ruthenum*, ad exercitum Cruciferorum tranſmittunt. Qui illum iam feſtinantem ad propria prope *Racziaſch* reperientes, Marſchalco & Commendatoribus, (Magiſter enim generalis in domo relictus erat) faciunt verba, &

denunciant

pacem firmatam denunciant. Sera tamen

A fuit huiuſmodi requiſitio; quæ de non vaſtando Regno fuerat, dum iam nihil in terris *Cuiauienſi* & *Dobrzinenſi* relictum eſſet, in quod ignis & prædonum rabies non ſæuiiſſet. Viginti quatuor oppida, villæ amplius quam mille, igne abſumptæ ſunt, terris tamen *Maſouiæ* vbique parſum. Quæ res maiorem ſuſpicionem in Regem, quod vaſtationis præfatæ author fuerit, apud Conſiliarios, vehementius tamen apud *Sbigneum Cracouienſem* Epiſcopum, in coniectura ſagaciſſimum, auxerat. Nec Duces *Maſouiæ* notam eiuſdem ſuſpicionis vitare poterant, quippe, aut Regis aut Cruciferorum auiſamento, ne quid hoſtile paterentur, ſibi per nouas treugas proſpexerant. Vno hoc reatu obnoxii, quod malum imminens Baronibus Regni non intimarunt. Nihil potentia & multitudine hoſtium *Ioannes Larogniewsky* de domo *Orlya*, *Barthoſzius Viſzemburg* de domo *Nalacz*, & *Dobrogoſtius Kolinsky*, moti, ex agreſtibus tantummodo, etſi pro numero amplum & frequentem, robore tamen & exercitatione languidum, inermem, imbellemque, cogunt & colligunt exercitum, ferendo agro, & alendo pecori, quam armis tractandis aptiorem: pugnam, data opportunitate loci & temporis, feruide conſerturi.

1431

Se pacem cum Switrigyello ne feciſſe.

B

Exercitus Liuonum,

Liuoniæ exercitus, cui *Theodoricus Cræ*, Marſchalus, cum aliis Commendatoribus *Liuoniæ* præerat, & *Iodocus* de *Hogerkerche*, C *Bauarus* natione, Commendator de *Tucholya*, velut regionis peritus, ductum præbebat in redeundo ad propria, ab exercitu Magiſtri *Pruſſiæ* diuiſus eſt. Et quaſi parum crudelitate hoſtili functus eſſet, in partem Regni *Poloniæ*, quæ *Krayno* dicitur, deſcendit, vaſtitati eam ſubiecturus. Iam plures milites *Cuiauienſes* & *Dobrzinenſes*, mutando equos, præpeti curſu, ad ſimulachra domorum ſuarum exuſta redierant, doloremque dudum ante ex relatione crudelitatis hoſtilis ortum ipſa facies, fumantium adhuc villarum, augebat. Itaque *Ioannes Iarogniewsky*, *Barthoſzius Viſchemberg*, *Dobrogoſtius Kolinsky*, milites ſtreD nui & veloces, aſſumpta ruſticorum manu, poſt *Liuoniæ* exercitum, quanto celeriori poſſunt curſu, contendunt. Et illico prope *Nakyel*, iuxta fluuium *Wyerſcha*, in campis villæ *Dambki*, conſecuto, feria quinta ante feſtum Exaltationis *S. Crucis*, animoſitate maxima, quam recens exaſperabat indignatio, non ſine *Liuonitarum* magna admiratione & pauore, vnde tam ſubitus exercitus emerſiſſet, irruunt. Et carmine patrio **Bogarodzica** / cuius ſonora ſiluis & campis repercuſſa erat vociferatio, per cantum expleto, pauci cum multitudine, nudi cum veſtitis, agreſtes cum militibus, adeo incunctanter & viriliter decertant, vt magis veteranos cum tyronibus, quam agreſtes cum exercitatis, pugnare exiſtimares. Ingens cædes hoſtium editur. Et his qui in aci-

Poloniam igne ac ferro vaſtans,

ab agreſtibus Polonis

1431 acie locati erant, crudeliter abſumptis illico omnis exercitus *Liuoniæ* in fugam verſus, caſtris ſuis, ex quibus pugnauerat, derelictis, *Polonis* victoriam conceſſit. Fugiebant in diuerſa loca, quo quemque ſors ferebat; ſed maior fuit in fugientibus clades. *Polonus* enim perculſis metu inſtabat, ſæuiens in diſperſos. Nec captiuatio illic, ſed trucidatio paſſim omnium fiebat; *Polonis*, & maxime agreſtibus, adhortantibus ſe mutuo, vt cruore hoſtili incendia villarum ſuarum reſtinguerent, atque ſuis indigna morte abſumptis, cæde hoſtium parentarent. Pauci tamen, videlicet *Theodoricus* Marſchalcus, *Valterus* de *Gelſze*, Commendator de *Flin*, cum ſeptem Commendatoribus capti ſunt, qui poſtea per *Theodoricum* Marſchalcum in miſerabili captiuitate, morte fuerunt apud *Cracouiam* abſumpti. Signa ſeu banderia hoſtium quatuor capta, in ſignum tantæ victoriæ in *Cracouienſem* Eccleſiam relata ſunt. Caſtris hoſtium *Poloni* potiti, magnam prædam illic repertam diripiunt, & notabiliter ex ea ditantur. Occiſus inter alios erat præfatus Commendator de *Tucholya Iodocus*, qui cum ſuis ad augendum exercitum *Liuonitarum* relictus erat. Et quoniam omnes *Liuonitæ*, qui in fuga elapſi erant, cum locorum, tum idiomatis *Polonici*, ignari erant, propter quod in ſiluis hinc inde diſperſi, & per inuia ac ignota loca, ſiluestriaque, non reperientes iter fugæ, fame aliqui & frigore contabeſcentes, per agreſtes, per plures ſubſequentes dies inquiſiti, & comprehenſi, aut occidebantur, aut captiuabantur. Fama huius victoriæ, primum ad *Wladislaum* Regem, deinde *Cracouiam* perlata, magnam in populo fecit lætitiam, quam ciuitas *Cracouienſis* campanarum pulſu, & ignium per vniuerſam vrbem extructione, teſtata eſt. Fuerunt autem in exercitu *Liuonitarum* ſeptingenti equites, item gentes & milites de *Kurland*, item *Swyecenſes* & *Tucholienſes* milites, & pedeſtrium magna multitudo. *Szwor* Commendator de *Oſterod*, *Valterus* Commendator de *Dinborg*, interfecti. *Valterus* de *Kerchdorff* Commendator *Curouienſis*, *Georgius* de *Guthsliebe* Aduocatus de *Kokenhawſche*, *Gebandus* de *Hande* Tenutarius, & *Flager* de *Bithow*, fuga elapſi; teſtes victoriæ *Polonicæ*; non prius ſiſtere fugam, quam in *Tucholya*, exinde in *Marienburg*, cladem ſuorum, Magiſtro Cruciferorum *Pruſſiæ*, *Paulo* de *Ruzdorff*, nouum quidem certum, ſed acerbum, denunciaturi, perueniſſent. Simile vulnus *Poloniæ* Regna *Valachis*, pro eodem tempore illatum eſt. *Alexander* enim *Voieuoda Moldauiæ*, quamuis eſſet Regius & Regni homagialis, & caſtra terræ *Podoliæ*, videlicet *Ceczmi*, *Chmyelow*, & *Niempcz*, cum ſuis diſtrictibus, fuiſſent ſibi per *Wladislaum* Regem & Regnum *Poloniæ*, quo arctiori obligaretur fidelitate, in feudum donata & inſcripta, omnium tamen

prope ad internecionem occiditur.

Idem fit Valachis.

beneficiorum factus immemor, donis corruptus plurimis, quæ illi per Ducem *Switrigal* mittebantur; Volens etiam ipſi Duci *Switrigal* placere, quem ſciebat fidei *Græcorum* affectiſſimum eſſe, cuius ipſe Voieuoda cum gente ſua ritum ſequebantur, congregata omnium ſuorum potentia ſubditorum, *Wladislao* Rege tunc adhuc circa caſtri *Luczko* obſidionem cum ſuis fidelibus continuante, nihilque tale ſuſpicante, in terras *Podoliæ* & *Ruſſiæ*, Regno *Poloniæ* ſubiectas, irruit, & diſtrictus *Snyathinenſem*, *Halicienſem*, & *Camenenſem*, crudeliter vaſtauit, prædas plurimas tam hominum quam pecorum; & cuiuslibet generis ſpoliorum, ſecum abducens. Quæ nouitas, dum in exercitu Regis percrebuiſſet, illico *Theodoricus Michael* de *Muſzilo*, fratres de *Buczacz*, cum aliis terræ *Podoliæ* & *Ruſſiæ* terrigenis, tranſmiſſi per Regem, qua poſſunt celeritate, in *Podoliam* perueniunt, & exercitum *Alexandri* Voieuodæ, ſecuritate per agros & villas, prædæ dulcedine, ſine inſidiarum metu ſparſum, animoſe inuadunt proſternuntque, ac prædam eripiunt, & in ore gladii fugienter perſequuntur. Magnaque cæde palantium facta, plures ex illis captiuant. Sed & ipſe *Alexander* Voieuoda, qui per fugam ſaluatus euaſerat, morbo, & dolore perfidiæ ſuæ, & actionum malarum, quæ in *Wladislaum* Regem & Regnum *Poloniæ* egerat, contracto, variis cruciatus ægritudinibus, non multo poſt extinctus eſt. Sic in forti Diuino auxilio vterque hoſtis, Crucifer & *Valachus*, pœnas violati fœderis pendit. 1431

Sigiſmundus Romanorum & *Hungariæ* Rex, habito in *Noremberga* omnium Electorum Imperii, & omnium Principum, Communitatumque *Almaniæ*, conuentu, noua Principum auxilia contra *Bohemos* comparat. Ad quem & *Iulianus* tituli Sancti *Angeli* Diaconus Cardinalis, per *Martinum* quintum Papam miſſus eſt Legatus de latere; vir moribus & literis excellens, cum eo mandato, vt *Bohemis* bellum inferat, & adueniente tempore, in Concilio *Baſilienſi*, cuius propediem celebratio inſtabat, nomine Apoſtolico præſideat. Poſt multas deliberationes & tractatus, expeditionem contra *Bohemos* hæreticos, grauiſſime, & fidem Catholicam, & vicinas regiones, manu armata impugnantes, indicit. Et quoniam ex ſuperioribus euentibus, credebatur præſentia ipſius *Sigiſmundi Romanorum* & *Hungariæ* Regis, in bello eſſe plus nociua quam fructuoſa, & præteritæ clades fugæque, ſua infelicitate & ſcelere putabantur contigiſſe: propter quod communi omnium conſenſu decernitur; vt Rex in *Hungariam* reuerſus, bello ſe abſtineat, vt alterius auſpiciis & ductu, bellum, ad Calendas Iulias, contra *Bohemos* gerat. Electus ad hanc rem *Fredericus* Marchio *Brandeburgenſis*, Archi Came-

1431 merarius Imperii, qui velut homo prudentiæ ſingularis, & multarum rerum expertus, onus ſuſcepit. Sed fortuna Regis cum Duce mutata non eſt: *Albertus Auſtriæ* Princeps, per *Morauiam* ſuas copias ducere iuſſus. In comitatu Cardinalis, *Albertus & Chriſtophorus Bauariæ*, ac *Fredericus Saxoniæ* Duces fuere; *Ioannes & Albertus* Principes *Brandeburgenſes* cum patre, penes quem belli ſumma erat: *Herbipolenſis, Barbergenſis*, & *Eſtenſis*, Epiſcopi, cum ſocietate *Sueuorum*, & Imperialium ciuitatum Magiſtratus. Cum deinde exercitus multorum Principum *Almaniæ*, in multitudine graui, tam pedeſtrium quam equeſtrium, vt vix illos terra capere poſſit, ſplendido magis & luxurioſo, quam bellicoſo & terrifico apparatu, *Norembergam* pro conſtituta die conueniſſent, & ab inde, præcedente exercitum *Iuliano* Cardinale cum cruce, in *Egram* veniſſent, motis caſtris ex *Egra*, ſiluam, quæ *Miſſnam* & *Bauariam* a *Bohemia* dirimit, non ſine difficultate onerosa, cum quadrigas habeant commeatibus graues, ſuperant, & caſtra in plano ponunt, *Bohemiam* vaſtaturi, aut cum hæreticis *Bohemis*, quos nullus credebat tantæ multitudini occurrere auſuros, congreſſuri. Et quamuis *Bohemis* hæreticis, tenuis tunc eſſet exercitus, cuius erant, Dux *Sigiſmundus Coributh* & *Procopius* Sacerdos, Duces, quamprimum tamen ab exploratoribus docti ſunt, exercitum *Almanicum* ſiluam tranſgreſſum eſſe, & ſtatiua in *Bohemiæ* planis poſuiſſe, contra illos dimicaturi procedunt. Et iam vix viginti millibus ſtadiorum aberant, cum illico, neſcio quis ingens pauor, cuius cauſa non ſuberat, *Almanorum* animos concuſſit, ex denunciatione aduenientium hoſtium ortus: totiſque caſtris trepidatum eſt: Qui adeo vniuerſum exercitum peruaſit, vt robur tanti exercitus, ſola fama aduentus hoſtium, ne dum hoſtibus viſis, crederes confractum. A primoribus itaque, & ab ipſo Duce Marchione *Brandeburgenſi* orta fuga, & metu quaſi maioris periculi, omnes concuſſi, in fugam vertuntur; caſtris & curribus, atque impedimentis, omni genere diuitiarum & epularum plenis, hoſti relictis. Quod cum *Bohemis* hæreticis, quorum agmen fuerat in propinquo, per agreſtes pauidos nunciatum eſſet, addere perculſis timorem, & inſtare fugientibus, cœperunt. Neque clades illic aut dimicatio, ſed trucidatio fuit, dum *Bohemi* in *Almanorum* dorſis hærentes, eos, quos conſequi poterant, aut occidebant, aut captiuabant. Siluarum denſitas fugientibus addebat formidinem, veritis, ne ex lateribus arborum hoſtes erumperent. *Bohemos* autem, currus multiplices & graues, ſarcinæque rerum pretioſarum & nobilium, quibus ſtrata erant, itinera, ne conſequerentur fugientes, morabantur. Propter quod minor clades, quam pro numero tanti exercitus fugientis, ædita eſt. Principes omnes ſalui per fugam euaſerunt. Crux Legationis,

Ingens Germanorum exercitus,

pauore perculſus, exercitu Bohemorum nondum viſo, diffugit.

& veſtes Cardinales, captæ a *Bohemis*, ludibrio habitæ ſunt. Tentoria nobilia, margaritis ornata, veſtes, equi, bombardæ multæ, & multarum rerum copia, exercitum *Bohemorum*, in quo etiam nonnulli *Poloni* erant, vehementer ditauit. Sed & ſpolia & ſarcinæ fugientium, & per ſiluas errantium, pluribus diebus a *Bohemis* agreſtibus legebantur. 1431

In *Chelmenſi* terra, *Wladislaus* Rex aliquanto tempore moratus, verſus *Leopolim* proceſſit, & ibi manſionem ſuam aliquanto tempore continuauit. Concurrebant ad ſuam Serenitatem Baronum & Nobilium, ex terris *Dobrzinenſi* & *Cuiauienſi*, per vaſtitatem Cruciferorum damnificatorum, multifarii greges, non tam clamoribus, quam gemitibus & vlulatibus, poſcentes, *vt illorum releuaret inopiam & non ſineret illos, ac vxores eorum, liberoſque fame, frigore, & nuditate perire.* Compaſſus eorum miſeriis pius Rex *Wladislaus*, aliquibus bona ſua Regalia largiebatur, aliquibus theſauri ſui pecunia ſubueniebat, ſingulorum tamen neceſſitates & indigentias ſupplere nullatenus poterat. Erant enim pleraque bona Regalia, dudum per illum liberali donatione, ſuis Curienſibus & Baronibus diſtributa. Itaque vociferantium, & ſuffragia poſcentium, qui vbique illum ſequebantur, infeſtatione actus, dum fiſcus Regius indigentibus non ſufficeret, ad bona Eccleſiarum ſe conuertit, & de villis tam Cathedralium Eccleſiarum *Gneſnenſis* & *Poſnanienſis*, quam monaſteriorum & Capitularium earundem diœceſum, multis mortalibus diſtributiones, videlicet Baronibus & Nobilibus igne deſolatis, facere cœpit. Vſum duntaxat huiuſmodi villarum illis concedendo ſub arcto tempore, quo poſſent, æſtate adueniente, villas & habitationes ſuas reficere. *Cracouienſem* tamen Eccleſiam hæc diſtributio non moleſtauit, præter paucas villas monaſterii *Mychouienſis*. Sciebat enim Rex, Pontificem *Cracouienſem* nullatenus iniuriam ſuam toleraturum. Oneroſa ſupra modum huiuſmodi diſtributio fuit Eccleſiis; propter quod *Albertus Iaſtrzambiecz* Archiepiſcopus *Gneſnenſis*, & *Sbigneus Cracouienſis* Epiſcopus, aſſumptis ſecum aliquot capitularibus, pro feſto *S. Hedwigis*, Regem *Leopoli* adeunt. Vbi dum in primis *Albertus* Archiepiſcopus *Gneſnenſis*, fruſtra precibus de reſtitutione villarum ſollicitaret Regem, *Sbigneus* Epiſcopus *Cracouienſis*, cui plurimum erat animi & conſtantiæ: verba ad Regem facit: *Sæpe quidem te, Sereniſſime Rex, in culmen Pontificale promotus, nullo conſcio, in charitate paterna corripui, cum vt meo in te fungerer debito, tum vt tuam explerem precem, qua me exhortando, vt transgreſſiones tuas reprehenderem, totum te mihi permittebas. Sæpe itaque te, velut ſpeculator, & animæ tuæ cuſtos, admonui, vt mores tuos mutando, reformares, abſtineresque a monaſteriorum ac Eccleſi-*

Wladislaus Dobrzinenſiũ & Cuiauienſium calamitati ſubuenturus,

dum ſibi ſua deficerent,

multa bona Eccleſiarum illis diſtribuit

Quo nomine a Sbigneo Cracov. Ep. obiurgatur.

1431 *cleſiarum, in ſtationum exactione grauamineq́;, atque a bonorum Regalium prodiga diſtributione, vtque petentibus adminiſtrationem iuſtitiæ, exhiberes te promptum & propitium; Catholicorumque Principum, ſaltem in hac extrema ætate, imitaueris mores, & ne, audiendo in conſtituto tempore, miſſarum ſolennia, ea in veſperam vsque vetendas, eo quod te crapula, in qua totos dies ac noctes ponis, oneras. Sed quia correctiones meas ſecretas, video te hactenus non curaſſe, arbitris adhibitis, iam te alloquor, & correctionem reſumo. En vides te, veſperam dudum prætergreſſum, aduehi in mortem, & paucos iam tibi vitæ occiduæ reſtare dies, mores tamen tuos & Deo & hominibus odioſos, non reſecas, ſed auges. Monaſteria & Eccleſias non protegis, non ornas, ſed grauas & ſpolias. Extendiſti manum tuam in bona Eccleſiæ, & quorum diſpoſitio tibi, iure Diuino & humano, interdicta eſt, eam tibi vſurpas, donans diſtribuensque aliena, qui prodigaliter diſperſiſti & diſtraxiſti propria, quibus præſentem neceſſitatem ſupplere poteras.* Tum Rex: *Preſſus*, inquit, *neceſſitate, dum aliter non poteram, hoc modo vſtis & deſolatis ſubueni.* Ad hæc Epiſcopus: *Subuentione*, inquit, *hac opus non erat, ſi tu ipſe, vt fama publica de te prædicat, & veriſimiles coniecturæ concurrunt, hoſtes Cruciferos, in hanc ipſam terram, cuius Rex es, atque eius deſolationem, non ſolicitaſſes, non inuitaſſes, & ſedendo vacuus, in caſtri Luczko obſidione, tempus non abſumpſiſſes: cum caſtrum poterat faciliter, niſi tu obſtitiſſes, conquiri. Ex quo hoſtibus creuit audacia, quibus tuo iuſſu, etiam dicuntur bombardæ, pulueres, & victualia in caſtrum eſſe miniſtrata. Et Cruciferis additus animus, vt terras Regni tui deſolationi ſubiicerent. Vides iam quid egiſti; recollige te ad rationem, quam Deo redditurus ſis non poſt multos dies, pro tot hominibus, trucidatis, pro tot ſtupris & exuſtionibus ſpoliationibusque Eccleſiarum & hominum commiſſis. Tu ipſe nobis hanc calamitatem, & has lachrymas, quibus mademus, inieciſti.* Rex, ſiue conſcientia premente, ſiue veritus, ne amplioribus in illum Epiſcopus verbis vteretur; *Quænam*, inquit, *mea culpa, quod tam acribus verbis a te carpor? cum tibi & Eccleſiæ tuæ nec vnam villam abſtulerim.* Tum Epiſcopus: *Zelus*, inquit, *ſalutis tuæ, & officii mei, ſtringit me vt loquar: nec mireris, ſi non læſus pro aliorum interpello iniuria; cum in dolore & iniuria communi, æqualiter verſari ſentiam dolorem & iniuriam meam. Nam in interdictum poſuiſſem totam meam Cracouienſem diœceſim, & omnia loca, in quæ te deuenire contigiſſet, ſi Epiſcopatus mei bona diſtribuere & occupare contendiſſes.*

Poſt hæc *Wladiſlaus* Rex *Leopoli* deſcendens, in *Nyepołomicze* pro feſto *S. Martini* venit. Quo dum Prælati, & Barones, ex toto fere Regno ad eum conuenirent, ac propter A hoſpitiorum defectum, aſperitate hyemis, quæ ſæuior tunc ſolito inhorruerat, grauarentur, *Cracouiam* ſeceſſit; & illic Aduentum Domini, & Natalis Chriſti dies, vacando diſpoſitioni rerum publicarum, peregit. Interim & aliud vulnus cruentum quidem & grauiſſimum, Regno *Poloniæ* incuſſum, fatorum inclementia eſt. Filia enim *Wladiſlai*, ex *Anna Caſimiri* Regis filiæ, filia, genita, virgo videlicet *Heduigis*, chara omnibus, *Frederico* Marchioni *Brandeburgenſi* deſponſata, qui cum ea nutritus fuit eadem in Aula: illo præſente, morbo, incertum eſt, correpta, an veneno, vt ipſamet aſſerere ſolebat coram ſecretiſſimis amicis ſuis, grauiter ægrotare cœpit, ac fere vno anno pedetentim languens, dum vis morbi nulla medicorum arte B inhiberi poſſet, omnibus Sacramentis procurata, Sabbato die Conceptionis *S. Mariæ*, dum Hymnus *Te Deum laudamus* in matutinis Eccleſiæ cantaretur, ſpiritum Domino reddidit, & in Eccleſia *Cracouienſi*, in ſepulchro matris ſuæ Reginæ *Annæ*, cineres maternos amplexa, non ſine omnium Prælatorum & Baronum *Poloniæ*, ſtirpem in ea Regis optimi *Caſimiri* lugentium, dolore, ſepulta eſt. Occaſus eius neque otioſus, neque veneni expers, exiſtimabatur. Flagitium mortis eius nonnulli ſermone vulgato, *Zophiæ Poloniæ* Reginæ, nouercæ aſſignabant, etiam prius & poſtquam expiraret, rectene an perperam, incertum eſt, quaſi veneno ſublata eſſet. C Quod & ipſa ſibi innotuiſſe multis indiciis liberius querebatur. Rogata tamen, & a matronis circumſtantibus frequenti admonitione ſolicitata, conſulto perprius Confeſſore ſuo, Doctore *Ioanne* de *Elgoth* Canonico *Cracouienſi*, ne contra mentem eundo, inquinaret ſe facinore & annuentia, rumorem præfatum, ſub audientia *Sbignei* Epiſcopi *Cracouienſis*, & multorum aliorum, de conſilio confeſſoris prædicti, publice purgauit. Id autem venenum priuignæ *Heduigi*, Regina *Zophia*, a pleriſque adminiſtraſſe, per fœminas & matronas ſui facinoris conſcias, aſſeritur; vt filiis ſuis *Wladiſlao* & *Caſimiro*, Regnum *Poloniæ* magis vacuum, & expeditius, hærede ſublata, magnos fauores apud populares habente, efficeret. D Extat eius epitaphium per *Adam Swinka* Canonicum *Cracouienſem* editum. Cuius talis eſt forma. 1431

Heduigis virgo, filia Wladislai Regis moritur.

Virginum o iubar, o inclyti gloria Regni,
Aquila quod niueis luſtrat in purpura pennis;
Lætus olim cecini Pierio carmine laudes
Inclyta virgo tuas, dum te conſurgere gemmis,
Stellatam floribus, fuluo radiare vel auro,
Sydereo vultu (ratus Deam eſſe) mirabar.
Nunc mea Calliope attonitam pollice Chelym
Se quatit, heu triſte ſonat, heu, cymbala planctum,
Lyraque dat gemitum; dum impio vulnere mortis

Cuius Epitaphium inſeritur.

Occi-

1431

Occidis; & noſtros fletibus obducis orbes:
Dum funera ducens mediam lacrymoſa per vrbem.
Bellipotens genitor gelidos complectitur artus,
Et vellens nitidos diuo de vertice canos,
Pectus ſuſpirat ſacrum, vultusque ſeniles
Irrigat lacrymis; ſpatioſumque increpat æuum;
Alta merent atria; lugent iuuenesque ſenesq́;
Et vulgus, Proceresque gemunt, matres nurusq́; ſequuntur,
Virginis & caſtæ quatiunt plangore lacertos.
Dumque manet corpus, corpus ad pectora preſſant,
Effuſæque iacent tumulo, dant oſcula ſaxo,
Fundentes lacrymas, cœlum replere, dicentes:
O decus! o requies! grandæuique gloria Patris,
O ſpeculum morum! caſtitatisque Smaragde!
O lilium candens! o campi viola fragrans!
Puniceis roſis nunquam ceſſure Hyacinthe:
Quo abiit decor ille tuus, quo ille genarum
Abſceſſit fulgor! quo lactei lumina frontis?
Non tales geſtare ſibi o inclyta tædas
Sperabat genitor: & vota communia patrum.
Iam Hymenæus erat thalamo terrisque canendus,
Et ſponſus tecum eadem nutritus in aula;
Dux Fredericus ibat, Francorum inclyta proles,
Præſignis genere: felicem duximus illum
Te conſorte virum. Sed, heu, fefellimus omen,
Impia cum lethi, cum nec virtute reſiſti
Herbarum; armisue, poſt te falce funeſta
Succidit feritas, nuptam florentibus annis,
Anno triceno mille quater & vno:
Dum colitur Matris Conceptio Summi Tonantis,
Qua te Duce reor benedicta Virgine, virgo
Eccleſias colere Beatorum præmia, valles,
Ver vbi perpetuum floret, mollesque pruinæ
Has veſtire ſolent, nec audent lædere nymbi,
Quos gignunt flores Zephyro contentæ colono,
Claræ decore ſui. Proles ego Regia virgo
Heduigis, Wladiſlao ſata, Annaque Regina:
Quam Comiti Ciliæ filia peperit Caſimiri,
Stirps cuius illuſtris, me moriente perit.
Pro Regni ſolio, Matris, iam clauſa ſepulchro,
Amplector cineres, qui me genuere: in hosque
Ordine fatorum, ſtillante tabe, reſoluor.
Quid mihi nunc proderit ampliſſimi gloria Regni?
Quid genus? quid ſpecies formæ? quid gemmæ vel aurum?
Nil, niſi virtutes quibus amicta fui.
Vos orate, precor, ſpiritum meum vt inferat aſtris,
Pneumate conceptus intactæ virginis infans.
Hoc ſerto florum virgo redimita quieſce,
Quos non carpit hyems, æſtu nec Syrius vrit
Horrido, nec roſtro vaſto de pectore ſpirat
Spumoſus aper dente recuruo fero.

1431

Mortem autem *Heduigis* Reginulæ præfatæ, minus ægre quam dignum erat etiam patrem A *Wladiſlaum* Regem, tuliſſe ferunt. Quippe, qui iam filiis magis, quam genero, Regni *Poloniæ* ſucceſſionem deſtinabat, & cuiuslibet impedimenti obicem ſucciſum eſſe, eius morte crediderat. Vnde & in illius funere, nullum fletum, ſed nec dolorem, viſus eſt monſtraſſe. Geſtiebat enim ipſe, magnopereque flagrabat, neque tacitus rem ipſam contegebat: Sed & cum *Alexandro Withawdo*, Duce magno *Lithuaniæ* frequentius digerebat, prouidere & efficere quoquomodo ſatagens, vt ſucceſſio Regni *Poloniæ*, in natione *Lithuanica*, & in familia, & in domo ſua *Gedimina* continuaretur.

Oppidum Lubenſe a Bohemis hæreticis expugnatur.

Feria tertia poſt Palmarum, quidam *Bohemi* B *Huſſitæ*, oppido *Luben* obſeſſo, & expugnato, flammis illud tradunt: ſubſtantia & fortunis ciuium direptis. *Conradus Kanthner* Dux *Oſchnicenſis*, fretus *Wratislauienſium* ſubſidio oppidum *Kruczborg* circumſidet; ſed pluri-mis affectus per obſeſſos damnis, pluribus de ſuis deſideratis, diſcedere turpiter coactus eſt. Similis obſidio contra oppidum *Nyempcz* per eundem *Conradum Oleſchnicenſem*, & *Ludouicum Bregenſem*, Duces, adiuuantibus eos ciuibus *Wratislauienſibus*, & *Swidnicenſibus*, tentata eſt. Nec illic blandiorem fortunam experti, ſoluere obſidionem, multis periculis & damnis ſuſceptis, coacti ſunt.

Kruczborg vero & Nyempcz fruſtra oppugnat Conr. Kanthner Dux Oleſchnicenſis.

1432

Wladislaus Rex captiuos Liuones & Cruciferos ſoluit,

Huius anni ſpatio, quod raro alias contigerat, *Wladislaus* Rex, Natalis Domini ſolenni- C tatem, cum pluribus prælatis & Baronibus ſuis, celebrauit *Cracouiæ*, & captiuos Cruciferorum & *Liuonitarum* vinculis ſolutos, etiam honore menſæ ſuæ excepit. Peractis autem feſtiuitatibus Epiphaniæ, egreſſus, verſus *Myechow* & *Zarnowiecz* proceſſit. Exinde vero per *Chaczini*, *Kielcze*, *Bodzaczin*, *Vrzędow*, pro feſto Purificationis *S. Mariæ* Virginis, venit in *Lublin*, celebraturus cum fratre ſuo Duce *Switrigyello*, ad tractandam pacem perpetuam, conuentionem. Conuenerant autem plures Prælati & Barones pro huiusmodi conuentione, quos omnes *Wladislaus* Rex in *Parczow* transmittit, ſolo *Alberto Iaſtrzambiecz* D *Archiepiſcopo Gneſnenſi* circa ſe in *Lublin* relicto. Iuerunt autem per Regem miſſi, hi Prælati & Barones in *Parczow*, videlicet *Sbigneus Cracouienſis*, *Ioannes Schafranyecz Wladislauienſis*, *Stanislaus Cziolek Poſnanienſis*, Epiſcopi; & *Wladislaus* de *Oporow*, Regni *Poloniæ* Vice-Cancellarius, *Sandiuogius* de *Oſtrorog Poſnanienſis*, *Iarandus* de *Brudzewo Iuniwladislauienſis*, *Ioannes* de *Lichin Brzeſtenſis*, *Stanislaus Groth* de *Srzensko*, *Plocenſis*, Palatini; *Laurentius Zaraba* Caſtellanus *Siradienſis*, *Spithko Iarosławskky*, & alii plures. Venerat & Dux *Boleslaus Switrigal* pro eodem tempore in *Brzeſczye*, cum ſuis Boiaris *Lithuanis*, & *Ruthenis*, habens ſecum pro Conſiliario ſum-

& conuentum in Parczow de pace cum Switrigyellone tractanda fruſtra indicit

1432 ſummo *Ludouicum* de *Lanſche* Commendatorem *Thorunenſem*, per Magiſtrum & Ordinem *Pruſſiæ*, vt tractatibus omnibus intereſſet, & pacem inter fratres componi non fineret, miſſus. Volebant autem Prælati & Barones *Poloniæ*, aliquem fructum ex huiusmodi conuentione elicere. Vnde crebris Nunciis ſolicitabant Ducem *Switrigal*, *vt ſuos Conſiliarios, iuxta ordinata & concluſa, in Polubicze, aut, quod magis gratum ſibi aſſerebant, in Parczow, mitteret, vbi facilius & hoſpitia & victualia vtraque pars eſſet habitura*; offerentes, *ſe præſtare Nunciis eius omnem ſecuritatem*. Dux autem *Switrigal*, cum magis omnibus diebus mero & ebrietati vacaret, quam conſiliis, ambigua & incerta, ad requiſitionem Prælatorum & Baronum *Poloniæ*, dabat reſponſa. Et aliquando ſe ſuos mittere in *Polubicze*, aliquando in *Parczow*, repromittebat; aliquando literas ſalui conductus allegabat aut vitioſas, aut defectuoſas, aliquando ſibi & ſuis aſſerebat ſtructas eſſe inſidias. Talibus figmentis & ludibriis, ſiue ex ebrietate, in qua ſingulis diebus abſumebat tempus, ſiue aſtu & dolo prodeuntibus, Prælatos & Barones *Poloniæ* in *Parczow*, ſuorum aduentum præſtolantes, pluribus diebus fatigatos, eluſit. Apparuit & tunc ſtella cometes, quantitatis tamen exiguæ, ab oriente in ſeptemtrionem, caudam facis ſuæ porrigens, & octo ſolum diebus curſum ſuum faciens, tandem diſparuit: omnibus Prælatis & Baronibus, qui tunc in *Parczow* conuenerant, iudicantibus, Duci *Switrigal*, denunciare ſtellam fatalem expulſionem ipſam aut mortem, & rerum *Lithuaniæ* propinquam mutationem. Nec eos opinio feſellit; quoniam futurus authumnus, quod portendebatur, aduexit. Dum itaque Prælati & Barones *Poloniæ*, qui *in Parczow* Nuncios & Conſiliarios Ducis *Switrigal*, pacem tractaturos, fruſtra multis diebus expectaſſent, & omnes conatus ſuos & labores, quos faciebant in *Brzeſczye*, mittendo Nuncios, vt iuxta conuenta, placitationes pro pace fierent, irritos viderent, ex *Parczow* diſcedentes, in *Lublin* reuerſi ſunt ad *Wladiſlaum* Regem, amarum & triſtem, quod germani ſui mores, pertinatia, ebrietate, & fatuitate gubernari videret.

Ex *Lublin*, *Wladiſlaus* Rex diſcedens, per ſolita loca pro Bachanalibus feſtis, iuit in *Iedlnam*, & illic cum *Zophia* Regina omnes dies Carniſpriuii egit. Confluxerant & tunc ad ſuam Serenitatem, Dux *Maſouiæ*, *Semouitus*, & alii plures Proceres & Barones. Ex *Iedlna* in Quadrageſima diſcedens, per *Ilzam*, venit ad monaſterium Sanctæ *Crucis*, feria quinta poſt Dominicam *Inuocauit*. Exinde pro Dominica *Reminiſcere*, per *Opathow* venit *Sandomiriam*. Ex *Sandomiria* per loca ſolita in nouam ciuitatem *Korczin* proceſſit. Vbi iterum cum Conſiliariis ſuis aliquot diebus expeditioni rerum publicarum vacauit. Exinde per *Scarbimiriam* declinans *Cracouiam*, in *Myechow* venit. De *Myechow* per ſolitas 1431
ſtationes veniens in *Caliſch*, Paſcha Domini illic celebrauit. Ex *Caliſch Siradiam* proceſſit, & generalem conuentionem omnium terrarum illic tenuit pro die Sancti *Adalberti*, ad quam & *Zophia* Regina cum duobus filiis, *Wladiſlao* & *Caſimiro*, ac omnes Prælati Baronesque Regni, conueniunt. Ibi *Wladiſlaus* Rex omnes allocutus, rogat, *vt cum videant eum extremam ætatem agere, & ad limen mortis propinquare, vtrum ex duobus filiis ſuis, in Regem aſſumere, morte ſua ſecuta, repromittant, qui ipſis pro Regni regimine aptior videretur.* Super quo Prælati & Barones deliberatione habita, concorditer, nullo diſcrepante, filium ſeniorem *Wladiſlaum*, in Regem recipere ſe obtulerunt & obligauerunt, præfatum *Wladiſlai* primogenitum, patre rebus humanis abſumpto in Dominum & Regem aſſumere, & coronare. Super quo *Wladiſlaus* Rex cum *Zophia* Regina, magnas gratias egerunt Prælatis & Baronibus.

Wladiſlai Regis primogenitus cognominis, Rex Poloniæ poſt mortem patris deſignatur,

Et quia tam *Wladiſlaus* Rex, quam omnes ſui Conſiliarii attendebant, quam multa diſcrimina a variis hoſtibus Regno imminebant, vnoque tenore tot motibus bellorum turbati, & cuinam primum hoſti reſiſterent, deliberabundi tempus trahebant: Hinc enim *Romanorum* Rex *Sigiſmundus*, cum *Hungariæ* Regno, & *Sleſiæ* Principibus, hinc Cruciferi de *Pruſſia* cum *Lithuanis* & *Valachis*, imminebant, vt vndique ſeptum Regnum tot hoſtibus, ſpeciem futuri periculi & magni portenderet.

& de repellendis Regni Poloniæ hoſtibus conſultatur.

Propter quod in ipſa conuentione deliberabatur, qualiter malis huiusmodi impendentibus, Regnum ſubduci & eripi poſſet. Poſt multas autem deliberationes in hac re habitas, licet multa oblata fuiſſent, & comperta remedia, illud tamen ex omnibus validius & firmius ac ſecurius, aſſenſu omnium acceptum & amplexum eſt, vt omnis potentia Regni in vnum colligeretur exercitum. Et ſiue Rex *Hungariæ*, ſiue Cruciferi aut *Lithuani*, faciem fortioris exercitus exhiberent, illic ſe robur, & exercitus Regni vnitus conuerteret: & aliis partibus Regni neglectis, hoſti fortiori occurrens, cum illo quamprimum decerneret. Futurum enim eſſe, vt hoſte fortiori, Domino opitulante confracto, hoſtes quantumcumque feroces & ſuperbos, terror relatæ victoriæ, ne Regnum inuaderetur, in ſuis contineret ſedibus, faciliorque cum illis & belligeratio & dimicatio futura eſſet, dum in vna parte contritis hoſtibus, & ſummoto periculo, ad confringendos & debellandos hoſtes cæteros, exercitus victor, plenus animi & ſpei, in reliquam partem poſſit obiici, & traduci. Itaque vnanimi conſenſu ei, qui plus haberet roboris, cenſuerunt occurrere, facilius cæteros languidiores contrituri. In eadem quoque conuentione, inſtaurato iudicio,

1432 co, *Nicolaus Thumigrala* de *Sekewo*, velut criminis perfidiæ reus, quod Cruciferis de *Pruſſia* caſtrum *Nyeſchoua* prodiderat, & exercitum agreſtium, congredi cum Cruciferis paratum, diſſipauerat, proditionis crimine damnatus eſt. Vir genere nobilis, tabulam ſcacatam deferens pro inſigni. Cuius facinus plerique excuſabant, quod proditionem illam non ſua ſponte, ſed imperatus, patrauerat.

Rebus publicis in *Siradienſi* conuentione taliter compoſitis *Wladiſlaus* Rex *Siradia* egreſſus, verſus *Poſnaniam*, & partes *maioris Poloniæ*, proceſſit; *Poſnaniaque* conſiſtens, virginem *Emiliam*, neptem ſuam ex ſorore *Alexandra* germana, filiam *Semouiti* Ducis *Maſouiæ*, *Boguſlao* Duci *Stolpenſi*, tunc illic præſenti, dat in vxorem: Nuptiæque munificentia Regia in die *S. Ioannis Baptiſtæ* celebrantur. Dum autem, *maioris Poloniæ* partibus luſtratis, in *Pabyanicze* perueniſſet, venerunt ad ſuam Serenitatem *Bohemorum* Nuncii, viri quidem notabiles, ſed peſte hæreſis *Viclephitarum* infecti, nomine omnium eorum *Bohemorum*, qui in campis exercitualiter degebant. Et hi quidem in propoſitione legationis ſuæ, primum de iniuria ſua, & ruptione fœderum per Cruciferos de *Pruſſia*, in *Wladiſlaum* Regem & Regnum *Poloniæ* facta, compaſſi ſunt; propriam illam reputantes, & offerentes, *cum omni eorum potentia & exercitibus, venire in Regni ſubſidium, pro quocumque tempore conſtituiſſet Rex expeditionem mouere in Cruciferos.* Item, *vt Rex indignationis nubilum, contra Ducem Sigiſmundum Coributh dudum conceptum, remitteret,* rogabant, *gratia illi priori reſtituta.* Deinde fauores, qui in Concilio *Baſilienſi* nouiter congregato, per Patres Concilii illis humaniter exhibebantur, adiiciebant. Grata fuit *Wladiſlao* Regi & Conſiliariis huiuſmodi legatio. Paranti enim in aliam æſtatem expeditionem Regi contra *Pruſſiam*, opportunum ſubſidium tempeſtiue oblatam, cuncti lætabantur, non minus vtile, quam fama ipſa, quæ vicinas regiones compleuerat, terribile hoſtibus & formidoloſum, præſertim cum ſolita ſubſidia *Lithuanorum*, *Valachorum*, & *Tartarorum*, propter Ducis *Switrigielli* rebellionem, deſecerant. Tractati itaque fuerunt præfati *Bohemorum* Nuncii & Legati, ſplendide & opulenter. Et quo eis omnis honos exhiberetur atque humanitas, etiam in præſentia illorum Diuina officia habita ſunt, & ipſi ad communionem Diuinorum admiſſi, præbentes audaciam facinori, quod Concilium *Baſilienſe* a communione fidelium eorum legatos non excluderet. Nec res hæc temere ortum habuit: quippe & *Albertus Iaſtrzambiecz* Archiepiſcopus *Gneſnenſis*, *Ioannes Szafraniecz Wladiſlauienſis*, *Stanislaus Czyołek Poſnanienſis*, & *Ioannes Chelmenſis* Epiſcopi, præſentes enim tunc in Regia curia fuerunt, ita conſulu-

Nuncii Bohemorum hæreticorum Wladislao contra Pruthenos pollicentur auxilia.

Quibus etſi ab Archiep. Gneſnenſi & cæteris ſummus honor habetur,

erant, decreuerant, & ſubſcripſerant: neſcio qua pietate vel religione moti. Remiſſi itaque Nuncii *Bohemorum* prædicti, verſus *Cracouienſem* ciuitatem & diœceſim, remunerati procedebant: conducentibus illos duobus Baronibus Regiis, *Ioanne Mazik* de *Dabrowa*, Palatino *Leopolienſi*, & *Petro Korczbok*, de domo & familia *Korczbog*, quæ pro inſigni deſert tres piſces carpiones, in campo rubeo: cuius maiores ex *Miſſnenſi* regione Regnum *Poloniæ* intrauerant. Quibus a *Wladiſlao* Rege, qui probe animum *Sbignei Cracouienſis* Epiſcopi nouerat, imperitatum eſt, *ne vllatenus Cracouiam ingrederentur, ſed illam declinarent. Futurum enim eſſe, vt illuc Bohemis aduenientibus, ſilentium mox fieret a Diuinis, quocumque decreto aliorum Pontificum prouinciæ non obſtante.* Nuncii autem Regii, *Mazik* & *Kroczbog*, transgreſſo mandato Regio, quadam temeritate illos incitante, cum *Bohemorum* Nunciis *Cracouiam* diuertunt. Quod cum *Sbigneus Cracouienſis* Epiſcopus perſenſiſſet, quamuis tunc abſens a *Cracouia* erat, mandatum Capitulo & Clero ciuitatis & diœceſis direxit, *vt Bohemorum Nunciis venientibus vbilibet interdictum ſeruaretur.* Et quo res rigidior ſolidiorque eſſet, Vicarius Epiſcopalis *Andreas Miſchka* Canonicus *Cracouienſis*, conuocationem Eccleſiæ Cathedralis *Cracouienſis*, Prælatorum, vniuerſitatisque & omnium Religioſorum, tenuit. In qua, aſſenſu omnium, Epiſcopale mandatum commendatum eſt, & omnium ſubſcriptione, aſſiſtentia, in omni caſu, vſque ad ſanguinem pollicita. Venientibus itaque *Bohemorum* Nunciis, & cum illis conductoribus Regiis, *Mazikone* & *Korczbog*, in *Cracouiam*, illico Eccleſiaſticum interdictum obſeruari cœptum eſt, vnanimi conſenſu. Nec literæ Archiepiſcopales, & Epiſcopales productæ per Nuncios Regios, poterant intentioni & propoſito ſuffragari. Magna ob id indignatio apud *Bohemorum* Nuncios, maior apud Regios orta eſt. Et *Kroczborg* Nuncius Regius pluribus ſermonibus, nunc terrendo, nunc carpendo, ſperabat rem poſſe corrigi & mutari. Sed dum conſtantes videret omnium animos, ſero Regii mandati recordatus, *Bohemorum* Nuncios *Cracouia* eduxit, vbique quidem honoratos, ſed *Cracouiæ* taliter vilipenſos. Mouit & Regem huius rei contumelia, mouit & Pontifices Eccleſiarum, qui *Bohemos*, ad communionem fidelium admitti decreuerant. Stomachabatur igitur & Rex & Epiſcopi, in *Cracouienſem* Epiſcopum, & grauiter illi, pro contumelia irrogata ſuccenſebant. Rexque ad indignationem maiorem concipiendam, Nunciorum ſuorum *Mazik* & *Korczborg*, perſuaſionibus accendebatur. Dignus quoque iam *Cracouienſis* Epiſcopus videbatur, vt ſede ſua exutus pelleretur, alio in locum eius ſurrogato. Sub eo autem tempore in *Baſilienſi* 1432

Sbigneus tamen illis ſacris interdicit,

& ob id tam Regem, quam Conſiliarios irritat.

1432 *enſi* concilio, quatuor principales *Bohemorum* erronei articuli, in publica audientia confutati ſunt, per Patres Concilii, *Bohemis* præſentibus, & articulos ipſos defendentibus. Qui etſi ſe ſuosque errores celebri illa & fortiſſima diſputatione ſuperatum iri non dubitauerint, mentibus tamen venena retinendo, prophanos ritus ſuos & dogmata, reuerſi, apud vulgum efferre ad cœlum non erubuerunt; tanto pleniores mendacii, quanto inaniores veritate.

Terris *maioris Poloniæ* peragratis, venit *Wladislaus* Rex *Viſliciam*, quinque diebus ante feſtum Aſſumptionis *S. Mariæ* Virginis. Aduenit & illuc *Sbigneus* Epiſcopus *Cracouienſis*; Quem venientem *Wladislaus* Rex toruo vultu aſpiciens, negata dextra; *Quis te*, inquit, *furor impulit, vt ordinationibus non ſolum noſtris, ſed etiam tui Metropolitani, & aliorum Epiſcoporum contraueniendo, Bohemorum Nuncios grauiter non ſine noſtro dedecore confunderes? tenendo in præſentia eorum interdictum, quod nullibi alias niſi in tua diœceſi ſeruabatur. Credis cæteros errare & non intelligere, & te omnium doctiorem prudentioremque eſſe. Opus itaque eſt, vt tuam pompam & rebellionem, in contumeliam noſtram & Regni graſſantem atteramus, & amoueamus te de Epiſcopali Sede, quemadmodum Prædeceſſorem tuum Petrum Viſch, qui tibi documento eſſe debuerat, amouimus.* Ad hæc Epiſcopus: *Nihil tam fœdi ſceleris exiſtimo me admiſiſſe, propter quod a tua Serenitate carpi, & a dextra Regiæ honore repelli debeam. Neque obſeruatio interdicti in præſentia hæreticorum odium mihi apud tuam Serenitatem parere debuit, ſed ampliſſimum fauorem: dum ego vnicus tuæ ſalutis & honoris cuſtos, ignominiam tuam, quæ per Cruciferos de Pruſſia, & alios Principes Orbis, velut fautor hæreticorum, notaris, auerterim & reſtrinxerim, & ne de te accuſatio, tum coram Papa, tum coram Concilio, verificaretur, prouiderim. Neque me facti mei pœnitet, quin etiam illud nunc, ſi hæretici adeſſent, ingenue reſumerem. Neque vultum tuum, aut quorumcumque aliorum, vbi fidei agitur negotium, expaueſcerem; celerius te tui operis, quam me mei pœnitebit, & qui me nunc odis & corripis, expoſt mihi gratias ages, dum, ceſſante indignatione, intelliges me, facinus quidem, ſed præclarum egiſſe, quo tua ab hoſtibus vbique iniecta poſſit purgari & defendi infamia. Superuacuum eſt, me depoſitione ab Epiſcopali Sede terrere, & prædeceſſoris mei renouare deiectionem, non tam illi, quam tuæ Serenitati verendam. Amotionem ego non timeo, qui nec exilium, nec mortem pro fide reformido. Præter hæc, & tempora depoſitioni meæ non conſentiunt; quibus Summum Pontificem talem ſortiti ſumus, qui non iniuria, ſed excellentia ſingulari, pro fide & veritate certantes, remunerat. Felicem me rebor, ſi aut contumeliis, aut verbere, vel morte, pro fide obrutus fuero. Habeo operum meorum adiutorem Deum: habeo & viros prudentes ac doctos, Magiſtros Diuini & humani* A *iuris, vniuerſitatem Cracouienſem, quorum Conſiliis hanc rem egi. Et ſi actio mea a Metropolitano cæteriſque Epiſcopis diſcrepet, non ego ob id damnari debeam, qui aliorum opinionibus diſſentiens, a puritate Catholicæ fidei in deuium non abii. Forte illis licitum eſſe poterat, quod mihi prophanum eſt & infame.* Reſponſio hæc etſi *Wladislaum* Regem mouerat, & indignationem eius reſoluerat; vocati tamen Doctores Vniuerſitatis ſunt, ſimilibus verbis arguendi. Quibus multipliciter per *Wlaislaum* Regem correptis, & *cur in præſentia Bohemorum, in obſeruationem interdicti, conſilio & opera aſſenſiſſent*, argutis, tale reſpon- B ſum habuit Rex: *Non arbitramur, Sereniſſime Rex, interdictum per Sedem Apoſtolicam in Bohemos latum, authoritate cuiuſcumque Pontificis velut inferioris, tolli poſſe. Nec rite actum eſſe credimus, ſi præſentibus Bohemis, nondum in Eccleſiæ vnionem reductis, Diuina habita ſunt: cum per hoc Sacerdotes, immiſcentes ſe Diuinis, non reatum ſolum, ſed & irregularitatis notam contraxerint. Quare Epiſcopum noſtrum Cracouienſem optime & ſincere egiſſe aſtruimus, & aſſiſtere illi vsque ad ſanguinem, in hac re, non recuſamus. Malumus quoque & exilium & mortem pati, & deſertis propriis penatibus, in exteras regiones ſecedere quam in fidei ſanctæ conſentire corruptelam.* C *Nemo veſtram Serenitatem ſeducat, Bohemos, velut hæreticos damnatos, non reputandos eſſe, donec errores ſuos dimiſerint, & Eccleſiæ Dei ſanctæ fuerint reconciliati.* Tum Rex: *Habeo*, inquit, *& ego in curia mea Doctores notabiles, qui decernunt potuiſſe in præſentia Bohemorum Nunciorum Diuina agi.* Tum Vniuerſitatis Doctores: *Parati*, inquiunt, *ſumus cum illis, in charitate conferre, & veritatem aut ſequi aut oſtendere.* Conſignato loco & hora, *Sbigneus* Epiſcopus *Cracouienſis*, cum vniuerſitatis *Cracouienſis* Doctoribus, & *Ioannes Schafraniecz Wladislauienſis*, *Ioannes Chelmenſis*, Epiſcopi, in Theologia Magiſter, & *Wladislaus* de *Oporow* Decretorum Doctor, Regni *Poloniæ* Vice-Cancellarius, conueniunt. D Vbi orta contentio, litem in longum traxit. Sed dum *Ioannes* Epiſcopus *Chelmenſis* & *Wladislaus* de *Oporow*, nitebantur in hoc fundamento vnico, & illud velut arcem defenderent, Dominis interdictis, familiares non eſſe interdictos; ac exinde trahebant, Nuncios *Bohemorum*, velut familiares non eſſe interdictos, facilibus argumentis victi ſunt, cum dominis ſuis participarent in hæreſi. Et de iure ſcripto concluſum eſſe, familiares & Dominos interdicto ligari. Poſt hanc diſputationem, dum Rex de veritate informatus eſſet, & opinio aduerſa in totum confutata & eliſa, non deerant tamen, qui Regem, in *Sbignei* Epiſcopi *Cracouienſis* necem accenderent. Comparati ad id iam 1432

Sbignei Epiſc. & Vniuerſitatis Crac. intrepidus animus a dv. Wladislai Regis minas.

1432 iam erant carnifices, nocte ſequenti cogitata expleturi. Auiſatus de periculo impendenti, per *Ioannem* de *Tarnow*, Palatinum *Cracouienſem*, *Sbigneus* Epiſcopus *Cracouienſis*, non remiſit animum; ſed nuncianti ſibi Palatino reſpondit: *Ego*, inquit, *vir magnifice, gratias ago charitati tuæ, de auiſamento, quo poſſem mortem effugere: ſed ego neque fugere volo, neque de conſuetudine mea quicquam variabo. In eodem, quo conſueui, lecto, & cubiculo quieſcam, nullam corporis adhibebo cuſtodiam: ſed & pro ſoluendis Deo laudibus media nocte Eccleſiam ingreſſurus, cum Sacerdote & cubiculario, ac lumine conſurgam, & caput meum carnifici non ſubducam, victimam mei corporis, vtinam gratam, Deo oblaturus.* Nec Epiſcopus aliquid horum, quæ conſtituerat, mutauit; ſed pro matutinalibus laudibus conſurgens, optabat mortem, quæ tunc, conſilio ſalubriori mutante propoſitum, non venit. Nihil ſiquidem *Sbigneus* Epiſcopus ſibi conſcius, habebat fiduciam, omni periculo, quod ſuper eum pendere denunciabatur, carituram. Venerat & tunc Sacerdos quidam *Bohemicus*, ad *Wladiſlaum* Regem, venena *Viclephitica* per prædicationem ſuam, quam iam ordiri cœperat, diſſeminaturus. Quem *Sbigneus* Epiſcopus, grauiſſime obiurgatum, prædicare vetuit, eiusque communionem *Wladiſlao* interdixit, quatenus & ipſe, & Regnum ſuum, non extra noxam modo, ſed etiam extra noxæ notam verſaretur apud exteros.

Ianus Hieruſalem Cyprique Rex, apud Wladiſlaum Poloniæ Regem per Legatos

Stante *Wladiſlao* Rege in *Viſlicia*, venit ad ſuam Serenitatem legatio notabilis, *Iani*, *Hieruſalem*, *Cyprique*, & *Armeniæ* Regis, *Baldwinus* de *Noris* Regni *Cypri* Marſchalcus miles inſignis, habens in comitiua ſua ducentos equites. Inter quos erant duo filii ſui, adoleſcentes pulcherrimi, & *Petrus* de *Bnino Polonus* natione, miles. Qui animo maiori, quam fortunæ ſuæ conueniebat, vſurus, in *Cyprum* veniens, & incolatum illic figens, celebris fauore Regio, propter altius ingenium & factiuitatem, habebatur. Legatio ipſa, galea propria per *mare Leoninum* vecta, in *Alba Regali*, in *Valachia* portum cepit. Exinde equis coemptis, per *Valachiam* (vbi multa horrenda ſuſtinuit a populo ſcelerato & inculto facinora, & niſi *Wladiſlaum* Regem expauiſſet, prope cædes aderat) in *Ruſſiam* & *Poloniam* peruenit. Excepta autem eſt cum omni Maieſtate & honore per *Wladiſlaum* Regem, & omnia neceſſaria copioſe adminiſtrata. Ipſe *Baldwinus* Marſcalcus præſentatis *Poloniæ* Regi, *Zophiæ* Reginæ, Prælatis, Principibus, Optimatibus ſuis, nomine *Iani* Regis *Cypri*, ſatis notabilibus muneribus, ſtaminibus videlicet ſubtilibus, varii coloris vndulatæ veſtis, quæ vulgo **Czamlet** vocatur, lignum aloes, aromata pretioſa, & virgulas quaſdam coloriferas, fumum ſuauem ſpirantes, legationem ſuam, obtenta audientia, orſus, commemorauit, *vulnus grauiſſimum Regni Cypri & cladem per Soldanum Babyloniæ factam. Q; anno Domini milleſimo quadringenteſimo vigeſimo ſexto, cum magna ſuorum potentia, Regnum Cypri irrumpens, ipſum Ianum cum dimicatione ſibi occurrentem, profligauit, & deſertum a ſuis, cum filio captiuauit. Nec aliter liberatio ſua & filii ſui haberi poterat, donec Rex ſpopondit tributarius eſſe Soldani, & penderet ſibi pro annuo tributo, florenorum millia quinquaginta.* Petebat itaque *vt Wladiſlaus Poloniæ Rex, mutuaretur Iano Cypri Regi, ducenta aureorum millia, cum quibus, comparatis gentibus, poſſet & ignominiam illatam Chriſtianitati excutere, & tributum.* Offerens, quaſi pro vadio, Regnum vniuerſum Cypri, ita videlicet, *vt Wladiſlaus Rex duas in illo haberet voces, & duas omnium introituum portiones, tertia ipſi Iano Cypri relicta.* Item *vt filiam ſuam Heduigim, quam adhuc exiſtimabat viuere, Wladiſlaus Poloniæ Rex filio vnico Iani Regis Cypri deſponſaret in vxorem.* *Wladiſlaus* autem Rex, habita ſuper huiuſmodi propoſitis, cum Prælatis & Baronibus ſuis, deliberatione, ipſi *Baldwino* reſpondit; *ſe quidem ampliſſime de omni caſu & infortunio, quod Iano Regi Cypri & ſuo Regno, imo toti Chriſtianitati accidit, mæſtum eſſe, & non ſolum pecuniis, ſed & gentibus ſuis, ipſum releuaturum, pro reparando caſu tam fœdo & graui, ſi Regnum ipſius Tartaris, fortioribus (quos habet orbis) barbaris, confine non eſſet, quibus reſiſtentiam continuam ſuorum militum opponere cogitur, & quotidiano Marte, belli ferre fortunam.* Rogabat *ſibi non ſuccenſeri, ſi petitum non præſtaret mutuum, magnis ſibi impenſis pro ſuſtinendo bello Tartarico opus eſſe. Neque æquum, nec iuſtum Regno proprio indigente, alterius neceſſitatem, ſuo deſerto, & periculis expoſito, ſupplere. Matrimonium filiæ fruſtra peti, pridem fatis exceptæ; ſi tamen vixiſſet, non abnuere ſe affinitatem tam optimi & clari Regis, & tale daturum ſe reſponſum, quo merito lætatus fuiſſet.* Benigne Regis *Wladiſlai* reſponſio a *Baldwino* Marſchalco excepta eſt. Quippe, & ipſemet intelligebat prudenter, & formaliter reſponſum. Remiſſa ſunt *Iano Cypri* Regi, & filio ſuo, in vaſis pretioſis, in veſtibus pelliceis & pellibus, notabilia munera. Sed & ipſe *Baldwinus* cum filiis, & omnes potiores ſui, liberaliter remunerati, vaſis, veſtibus, & equis, læti in *Venetias* regrediebantur, exinde freto *Cyprum* traiecturi, horrentes iter breuius, propter *Valachorum* immanitatem crudelem.

1432

cladem Cypri per Soldanum factam exponit,

petens ſub certis conditionibus ſubſidium.

Ex *Viſlicia*, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex diſcedens, venit in *nouam Ciuitatem*, & inde *Laurentium Zaraba* Caſtellanum *Siradienſem* in *Lithuaniam*, ad fratrem ſuum Ducem *Switrigal*, tranſmittit, ſolicitans & exhortans illum, *vt dimiſſa pertinacia ſua, in gratiam & reconcili-*

1432 *ciliationem rediret, cum durante eorum mutuo diſsidio, fides Lithuanorum ſibi debet eſſe ſuſpecta, & vereri deberet capitis ſui periculum ſibi aliquando imminere.* Et hæc quidem erat *Zarabæ* aperta legatio. Verum aliud erat Regis & Conſiliariorum in miſſione ſua propoſitum. Solicitare enim miſſus erat animos Principum & Nobilium *Lithuaniæ*, & ſignanter Ducem *Sigiſmundum Starodubsky* alias *Keyſtutbowicz* fratrem germanum Ducis olim magni *Lithuaniæ Withawdi, ne paterentur Ducem* Switrigal *imperare; ſed illum, prout iam ad id nouerat Rex eos conſpiraſſe, nullo metu aut de Rege habito, a Sede magni Ducatus Lithuaniæ eiicerent & excluderent, ac Ducem Sigiſmundum Starodubsky in eius locum ſurrogarent. Certificaretque eos de omni aſſiſtentia illis per Regem præſtanda.* Monebatur enim Rex & Conſiliarii ad id faciendum, quoniam Dux *Switrigal* præfatus, non ſolum peſſimo regimine & crudeli præerat, ſed etiam in ſectam *Græcorum* propenſior exiſtens, ritum *Græcorum* vltra Catholicum efferre & promouere, ſolicitante eum ad id conſorte ſua, quam nouiter ex Principibus de *Thwera* acceperat, nitebatur. Itaque *Zaraba* fideliter in his, quæ ſibi mandata erant, procedens, omnium Principum & Nobilium *Lithuaniæ* animos, ſua ſponte ad id dudum deflexos, opportune accendit. Non poſt enim multos dies, *Zaraba* illic ſtante, concepta conſpiratio contra Ducem *Switrigal*, edita eſt. Dux enim *Sigiſmundus Starodubsky* cum aſſiſtentia plurimorum Principum & Nobilium *Lithuaniæ* in *Oſzmani*, vbi tunc Dux *Switrigal* cum conſorte, & omni curia ſua agebat, cum exercitu valido, nocte, die Dominico, ante feſtum Natiuitatis *S. Mariæ* Virginis, peruenit, & Ducem *Switrigal* de throno magni ducatus *Lithuaniæ* eiicit, & expellit, & tam vxorem ſuam, quam omnes captiuos ſuos, captiuat. Dux autem ipſe *Switrigal*, manus ſuas effugit, quoniam conſpiratio contra eum concluſa, adeo ſecreta eſſe non poterat, quin ad notitiam per *Iuaſchonem Moniuidowicz Lithuanum* perueniret. Fugiens vero, nullibi in *Lithuania* ſubſiſtere auſus, nam vbique metuebat proditionem, in terras *Ruſſiæ* ſe contulit, ſciens quod *Lithuanorum* animos offenſos haberet, *Ruthenorum* vero plurimum, cum ex largitionibus, tum ex fauore ritui eorum impenſo, conciliatos & obſtrictos. Dux autem *Sigiſmundus*, omnia caſtra *Lithuaniæ*, videlicet *Vilnam, Troky, Grodno*, in ſuam redegit poteſtatem. Terræ vero *Ruſſiæ, Smolensko, Vithepsko*, Ducis *Switrigal* fidem ſequebantur. Expulſione Ducis *Switrigal, Pruſſiæ* Magiſter *Paulus* de *Ruzdorff*, audita, qui tunc apud *Ragnetham* cum principalioribus Commendatoribus agebat conuentum, magno metu cum omnibus ſuis, conſcius zizaniarum quas diffuderat, angi cœpit, & e veſtigio *Ludouicum* de *Lanuſche, Conradum* de *Trucz*, Commendatores,

Sigiſm. Starodubsky frater Withawdi

Switrigallo eiecto

Lithuaniæ Ducatum occupat.

Iodocum Theſaurarium, & *Gabrielem* de *Bayſzen* militem, cum donis, ad Ducem *Sigiſmundum Starodubsky*, conciliaturus illum ſibi & Ordini, tranſmittit. Quibus vacuis redeuntibus, ampliori pauore Cruciferi territi diſtinebantur, Duce *Switrigal* relicto, quaſi fidem cum fortuna oporteret conſiſtere, cum res longe aliter, quam ipſi rati fuerant cecidiſſent. 1432

Dum autem *Wladislaus* Rex *nouam ciuitatem* linquens per ſolitas ſtationes, pro feſto Natiuitatis *S. Mariæ* Virginis *Sandomiriam* perueniſſet, celeri Nuncio *Ioanne Nyemirowicz* certificatus de Ducis *Switrigal* expulſione. Vocatiſque *Baronibus* & Prælatis propinquis, deliberat, quid circa euentum huius nouitatis agendum ſit, & ſi Ducatus magnus *Lithuaniæ* Duci *Sigiſmundo* conferendus: quem per Nuncios in *Lublin* expoſt miſſos, ſibi conferri, & ſe in illo confirmari, per Regem & Regnum, ſupplicabat. Deliberatione autem ſumpta, ſeptem Conſiliarios in *Lithuaniam, Lublinum* pro feſto Sancti *Michaelis* perueniens, tranſmittit; videlicet *Sbigneum* Epiſcopum *Cracouienſem, Iarandum* de *Brudzewo Siradienſem, Ioannem* de *Lichin Brzeſtenſem*, Palatinos; *Wladislaum* de *Oporow* Regni *Poloniæ* Vicecancellarium, *Laurentium Zaraba* Caſtellanum *Siradienſem, Spithkonem* de *Iaroslaw*, & *Przibislaum Dzik* de *Kadlub* Caſtellanum *Zarnouienſem*, dato eis ad omnia pleno mandato. Erat quidem prius deliberatum, vt ſolus *Wladislaus* Rex in *Lithuaniam* iuiſſet: quoniam & Dux *Sigiſmundus* certificatus de eius aduentu, omnia neceſſaria in viis, per quas iturus erat, abunde prouiderat. Sed tamen ſanius conſilium, ex multiplici reſpectu, tranſitum Regis in *Lithuaniam* prohibuit, ſolidius & efficacius ſingula agi, & gubernari exiſtimans per Conſiliarios, quam per Regem. Sed nec tutum videbatur, in mutatione tam ſubita *Lithuaniæ*, perſonam Regis exponere periculis, quæ veriſimiliter poſſent prouenire. Miſit & tunc *Wladislaus* Rex exercitum de Curienſibus ſuis, & caſtrum *Oleſchko*, quod tunc per *Iuaſchkonem Przisluzicz Rohatinsky* pro Duce *Switrigal* tenebatur, obſidione cinxit; & illud cum adiutorio Dei conquirens, *Ioanni* de *Syenno* filio *Dobeslai* Caſtellani *Lublinenſis*, dedit in tenutam, certam pecuniæ ſummam ſibi in illo inſcribens. Ab eoque tempore caſtrum *Oleſchko*, cum territorio ſuo, formam Prouinciæ accepit, & in Regni *Poloniæ* rediit vnitatem.

Wladislaus Rex

Senatores ad res Lithuaniæ ordinandas mittit,

& caſtrum Oleſchko conquirit.

Regii Nuncii ex *Lublin* progreſſi, per *Parczow, Myednik, Bielsko*, aliaque loca, in *Grodno* perueniunt. Quibus *Sigiſmundus Keyſtutbowicz* perſonaliter cum omnibus Prælatis & Baronibus *Lithuaniæ*, ad medium miliare obuiam exiens, ipſos honeſte & hilariter excepit, & in hoſpitia pro eis comparata conduxit, abunde illis omnia neceſſaria miniſtrans. Habitis autem diebus aliquot tractatibus, ſub quibus

bus

1432 *Sigiſmundus Starodubsky iuramento Regi & Regno præſtito Dux Lithuaniæ creatur.*

bus conditionibus Ducatui magno *Lithuaniæ* ipſe Dux *Sigiſmundus* deberet præeſſe, omnia capitula & conditiones literis patentibus firmant,&iuramentis corporalibus hinc inde corroborant. Turpe enim & delirum erat, poſt mortem Ducis magni *Withawdi*, Ducatum *Lithuaniæ* alicui ſimpliciter committere; ſequeſtratione earum terrarum,quæ a Regno*Poloniæ* abſtractæ, Duci *Withawdo* conceſſerant duntaxat ad vitam, non facta, ne continuatio poſſeſſionis illarum tranſiret in perpetuitatem. Et ob id tunc Duci *Sigiſmundo* cancelli poſiti, ne terras *Podoliæ*, *Lucenſem*, *Vethli*, *Oleſchko*, *Hrodlo*, *Lopaczin*, ad Regnum *Poloniæ* pertinentes, vſurpet. Omnibus itaque rite compoſitis, feria quarta in dieSanctæ*Heduigis*,præfatus Dux *Sigiſmundus*, conſentientibus vniuerſis Prælatis, & Nobilibus *Lithuaniæ*, per *Sbigneum Cracouienſem* Epiſcopum, per traditionem gladii, vice & nomine *Wladislai* Regis & Regni *Poloniæ*, ad Ducatum magnum *Lithuaniæ* eſt inſtitutus, & inueſtitus. Et licet Cruciferi de *Pruſſia*, expulſione*Switrigal* intellecta, miſiſſent ad Ducem *Sigiſmundum* præfatum, vt ſuperius deſcripſimus, *Ludouicum* de *Lanſche* Commendatorem *Thorunenſem* cum aliis, qui & tunc præſens aderat, quando ſupradicta gerebantur, vt Ducem *Sigiſmundum* auerteret & alienaret a Rege & Regno, & ipſum cum Cruciferis noua pacta & fœdera ſuſcipere induceret; non præualuit tamen *Ludouicus* ipſe,licet fortibus & acutiſſimis perſuaſionibus vteretur: adiutus etiam ſuffragio cuiusdam *Lithuani Georgii Butrin*; qui in Regnis Catholicis longo tempore obuerſatus, ingenio& prudentia pollebat. Sciebat enim Dux *Sigiſmundus* periculum ſibi grande imminere, ſi deſerto Rege & Regno, Cruciferis ſe iungeret. Maxima tamen tunc inſtantia, maximoque conatu, *Sigiſmundum* Ducem magnum *Lithuaniæ*, Cruciferi vexabant, vt ſe cum *Polonis*, per quaſcunque conditiones, ab eis non renuendas ad pacem reduceret: adeo conſcientia, quid ſe meritos pro violato fœdere ſcirent,celare non poterant. Nuncios itaque Regios, magnificis muneribus honoratos, cum omni gratia & fauore remittit, & illis inſcriptiones Magiſtri & Ordinis*Pruſſiæ*, quibus cum Duce *Switrigal* fœdera, contra Regem & Regnum *Poloniæ* inita, continebantur, originaliter tradit: ſingulas artes, dolos, & ingenia, quibus in deſtructionem Regni *Poloniæ*, Magiſter & Ordo *Pruſſiæ* vti diſpoſuerat, detegentes. *Ludouicum* vero Commendatorem, velut hoſtem, licentiat; quoniam per literas ſuas, obligauerat ſe,Cruciferos, velut Regni hoſtes, habiturum. Præfatarum autem literarum, quæ fœdus huiusmodi, & inſtitutionem de Ducatu magno, & terrarum præfatarum renunciationem, continent,tenor ſequitur, & eſt talis.

Litera fœderis Sigiſm.

In Nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Quia tunc multis errorum & dubiorum prudenter occurrimus incommodis, dum geſta ætatis noſtræ literarum apicibus, & teſtium annotatione perennamus. Proinde nos Sigiſmundus Dei gratia magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ &c: Ad vniuerſorum notitiam tam præſentium quam futurorum, per hæc ſcripta deducimus. Quomodo eo tempore, quo Principes, Prælati, Nobiles, & Regnicolæ Regni Poloniæ, Sereniſſimum Principem Dominum Wladislaum, Regem Poloniæ, Dominum noſtrum & fratrem chariſſimum, ad Regnum Poloniæ inuitantes, aſſumpſerunt, & eum, nutu Diuino, almi ſpiritus inſpiratione, de gentilitatis tenebris educentes, ad fidei Catholicæ gremium, per regenerationem baptiſmatis, attulerunt, eidem Domino Wladislao Regi Poloniæ, coronæque & Regno, ac Regnicolis ipſius Regni Poloniæ, & irremeabili animo, famaque, & inuiolabili ſponſione, ex certa noſtra ſcientia, matura deliberatione, voluntateque vltronea, non compulſi, nec coacti, ſeu aliquo errore seducti, promiſimus, & literis noſtris firmauimus, quod ipſum Dominum Wladislaum Regem, Regnum, & coronam, ac Regnicolas Regni Poloniæ, non debemus deſerere, ſed eis toto poſſe & viribus conſtanter aſſiſtere, & eos, contra inſultus quorumlibet hominum viuentium, cuiuscunque ſtatus, conditionis, gradus, vel eminentiæ fuerint, adiuuare. Nos quoque & Succeſſores noſtri, non debemus prædictum Regem, & ſuos ſucceſſores, ratione huiuſmodi ſubſidii, pro quibuſcumque damnis, admonere, exceptis victualibus, & equorum pabulis neceſſariis & opportunis. Demum quia idem Sereniſſimus Princeps Dominus Wladislaus Rex Poloniæ prænotatus, nos in partem ſolicitudinis ſuæ aſſumpſit, magnumque Ducatum terrarum ſuarum Lithuaniæ & Ruſſiæ, cæterorumque Dominiorum Ducatus prædicti, & bona ſua paterna, videlicet Vilnam, & alia bona, ad ipſius patrimonium ſpectantia, de manu ſua, deliberatione habita, circa noſtram electionem, Principum, Prælatorum, & Baronum, vtrorumque Dominiorum, videlicet Regni Poloniæ, & Ducatus magni Lithuaniæ, iuxta continentiam literarum, ſuper huiuſmodi electione fienda, confectarum, nobis dedit & contulit, ad tempora vitæ noſtræ, titulo ſupremi Principatus Lithuaniæ, quo vti conſueuit, pro ſe & ſuis ſucceſſoribus reſeruato, cum omnibus terris, ciuitatibus, caſtris, diſtrictibus, curiis, Villis, & omnibus vtilitatibus ad ea ſpectantibus, firmiter, & inuiolabiliter, ſub eiſdem limitibus, & gadibus, ſicut eundem piæ memoriæ Dominus Alexander, magnus Dux, tenebat. Et ſi inter ſubditos, ſuper huiuſmodi limitibus, vel aliis cauſis, Regni Poloniæ, ac magni Ducatus Lithuaniæ, aliqua quæſtio, ſiue dubietas oriretur, quemadmodum in vita præfati Ducis fuerant exorta, ad literas & legitima documenta recurratur, ex utraque

1432 *Starodubsky.*

1432 que parte producenda, & ſecundum illorum determinationem, finis prædictis quæſtionibus & dubiis imponatur. Nos autem debemus & promittimus Serenitatem ſuam tenere & honorare, ſicut Dominum, & fratrem noſtrum ſeniorem. Pro quo etiam ipſum, coronam, Regnum, & Regnicolas Regni Poloniæ prædicti, conſtantiori fiducia proſequi cupientes, &, prout iuſtum eſt, reddere certiores, promittimus, pollicemur, & ſpondemus, Domino Wladislao Regi Poloniæ, & inclytis natis ſuis, Wladislao & Caſimiro, Coronæ, Regno, & Regnicolis Regni Poloniæ, ſub fide & honore, abſque dolo, fraude, & ſub onere præſtiti iuramenti corporalis, ſtabilem aſſiſtentiam, extunc prout ex nunc, & exnunc prout extunc, tenere firma fide. Ita, quod poſt deceſſum noſtrum, Ducatus magnus Lithuaniæ, cum terris & Dominiis omnibus, etiam Ruſſiæ, quibuſcunque nunc ſubiectis, & virtute noſtra ſubiiciendis, ad ipſum Dominum Wladislaum Regem, & inclytos natos ſuos, ſcilicet Wladislaum & Caſimirum, & ſuos ſucceſſores, & ad coronam & Regnum Poloniæ, debent vera & hæreditaria ſucceſſione deuolui: quemadmodum patentibus prioribus literis noſtris deſuper confectis, eſt firmatum, quarum tenorem hic habere volumus pro inſertis. Exceptis bonis noſtris paternis, videlicet Troky, & aliis bonis, ad prædictum patrimonium ſpectantibus: quæ per noſtrum deceſſum, ad filium noſtrum Michaelem Ducem, ſeu ad alios filios legitimos & futuros, deuoluentur. De quibus nihilominus, præfatus Dux Michael, & alii filii futuri, ipſi Domino Regi, filiis ſuis, & eorum Succeſſoribus, ac coronæ & Regno, cum ſuis ſuccedaneis, perpetuis temporibus, prout cæteri Principes terrarum Lithuaniæ, & Ruſſiæ, ſeu Duces magni, per vtramque partem pro tempore eligendi, obſequi, obedire, ſubiici tenebuntur & ſeruire. Quos ſi, non habita prole, ab hac luce contigerit decedere, extunc prædicta bona paterna, ad præfatum Dominum Regem, natos, & ſucceſſores ſuos, & ad coronam Regni Poloniæ deuoluentur. Præterea tenore præſentium profitemur, quod terra Podoliæ, cum omnibus ciuitatibus, caſtris, oppidis, villis, & diſtrictibus, plene & ex integro, in omnibus ſuis limitibus, ſicut ab antiquo ſpectat & protunc ſpectabat & pertinebat, ſpectareq́ debet & pertinere ad Regnum Poloniæ, perpetuo & in æuum. Neque deinceps per nos & ſucceſſores noſtros, per Ducatus magni incolas, Regnum & corona impetetur pro eadem terra, quibuſcumque modis aut coloribus exquiſitis. Item, quia ſtantibus inter nos tractatibus, caſtrum Oleſchko, de quo plurima damna hoſtiliter Regno, & ipſius ſubditis inferebantur, per gentes Regias eſt vallatum, in caſu, quo ad manus Regias per deuictionem, aut quibuſcumque aliis modis deuolueretur, hoc ipſum caſtrum, cum bonis ad illud ſpectantibus, præfatus Dominus Rex & corona tenebit, poſſidebit, A pacifice & quiete, niſi illud nobis dare, vel pro ſe retinere vellet, quod ſtabit in ſua libera voluntate. Alia vero, ſicut Luczko, Wladimiria, & alia caſtra, ciuitates, & diſtrictus, ad ipſa ſpectantia, quæ frater noſter bonæ memoriæ Dominus Alexander, alias Vitholdus, olim Dux magnus Lithuaniæ, poſſidebat, præter caſtra ad terram Podoliæ ſpectantia, etiamſi medio tempore ad poſſeſſionem Domini Regis, aut coronæ deuenirent, nobis ad ipſius vitæ noſtræ tempora, tenenda & poſſidenda dari debent & aſſignari. Quæ quidem caſtra nulli ad tenendum dare promittimus, niſi prius in B manibus noſtris corporale præſtet iuramentum, & ſuis literis patentibus ſe inſcribat, quod ea pro nobis fideliter tenebit, & poſt deceſſum noſtrum, nulli ea, niſi præfato fratri noſtro, Domino Regi, aut filiis ſuis, aut coronæ Regni Poloniæ, aſſignabit. Item Rathno, Vethli, Lopaczin, cum bonis ad prædictos diſtrictus ſpectantibus, Dominus Rex & corona, perpetuo poſſidebit. Præterea ſub fide & honore, abſque fraude & dolo, ac onere præfati iuramenti, omnes ligas, inſcriptiones, vniones, ſi quas vnquam in damnum, periculum, aut contemptum fecerimus eiuſdem Domini Regis, filiorum ſuorum, & Regni, & quorumuis Dominiorum ſuorum, cum cuiuſcunque ſtatus aut C conditionis hominibus, feciſſemus, & ſpecialiter ligas & inſcriptiones, per impreſſionem, & importunitatem Ducis Switrigal, per nos, Principes, Boiaros, & Nobiles, cum Cruciferis de Pruſſia & Liuonia factas, & firmatas, abolentes, & in nihilum redigentes, promittimus & ſpondemus, quod nulli hominum, cum quibus fœderati fuimus, & vniti, fauoribus, ſubſidiis, & quibuſcumque prærogatiuis, ſuæ Maieſtati, filiis ſuis, & coronæ, præferre volumus, nec vnquam contra ipſos eſſe: quinimo ipſam, filios ſuos, & coronam eius, ſupra & vltra, & contra omnes, & ſpecialiter contra præfatos Cruciferos, de Pruſſia & Liuonia, noſtris auxiliis, conſiliis, fauoribus, & D quibuſuis ſubſidiis, & vita, ac rebus etiam, quotieſcumque, & contra quoſcumque inimicos, opportunum fuerit, tota noſtra potentia & viribus, cum omnibus noſtris ſubditis adiuuare, & ad hæc firmiter obligamur. Nec vnquam ipſum Dominum Regem Poloniæ, filios ſuos, aut coronam, aliquibus exquiſitis coloribus, volumus deſerere, & aliis adhærere; ſed ſecum ſtare in proſperis & aduerſis, & eum, filios ſuos, & Coronam, ab omnibus aduerſitatibus & periculis, pure, conſtanter, & fideliter præmunire. Item promittimus, pollicemur, & ſpondemus, vt ſupra, quod nos, aut noſtri ſucceſſores, prædictum magnum Ducatum tenentes, vt præfertur, non aſpirabimus, ad cuiuſcunque ſuggeſtionem, aut inductionem, ad recipiendum Regale faſtigium, videlicet coro- 1432

1432 *ronam, contra præfati Domini Regis, Succeſſorumque ſuorum, & coronæ Regni Poloniæ ſcientiam, voluntatem, & conſenſum.* Et hæc *omnia & ſingula præmiſſa ſuperius contenta, vt maiorem roboris obtineant firmitatem; Nos Matthias Vilnenſis, Andreas Luceorienſis, Epiſcopi; Alexander Iuan Wladimirowicz, Syemyon Iwanowicz, Phedor Corituchowicz, Duces, Hoſzak Caſtellanus Vilnenſis, Michael alias Kenzgal Capitaneus Samogithiæ, Ioannes alias Lawnus Palatinus Trocenſis, Zimwyekraterſczicz, Rumpoldus Marſchalcus, Petraſſius Montigerdrowicz, Gaſtoldus Schedibor, Radziwil Hoſticzowicz, Emdigidi Iurga, Naczucz Gumbilowicz, Olechno Dulwolnowycz, Schak Dnagal, Vexilliferi; Goyllin Nadagowicz; Prælati, Duces, Boiari, & Nobiles terrarum Lithuaniæ & Ruſſiæ, de certa ſcientia, mandatis, ratihabitione, & conſenſu aliorum omnium, fratrum, amicorum, conſanguineorum noſtrorum, Boiarorum & Nobilium, promittimus pura fide, abſque fraude & dolo, & ſub onere corporaliter, ſuper ligno Crucis viuificæ, præſtiti iuramenti, quod præfatus Dominus Sigiſmundus, magnus Dux Lithuaniæ, noſter Dominus gratioſus, tenebit, attendet, & ſeruabit, noſque cum ipſo tenebimus & ſeruabimus inuiolabiliter, ipſumque & Succeſſores ſuos, Dominos noſtros, magnos Duces Lithuaniæ futuros, inducemus ad tenendum & ſeruandum fideliter & conſtanter ſupraſcripta, Teſtimonio harum literarum; quibus Sigilla noſtra, Prælatorum, Ducum, Boiarorum, & Nobilium ſupraſcriptorum ſunt appenſa. Actum & datum in Grodno, feria quarta in die Sanctæ Heduigis, milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſecundo.*

Literæ teſtantes oppidum Hrodlo eſſe de corpore Regni *Poloniæ.*

In Nomine Domini Amen, Ad perpetuam rei memoriam. Ne ea, quæ aguntur in tempore, euaneſcant cum lapſu temporis, ſagacis humanæ naturæ diſcretio, conſueuit geſta mortalium ſcripti patrocinio roborare. Proinde nos Sigiſmundus Dei gratia magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, &c. Recognoſcimus & fatemur per præſentes, quod oppidum & diſtrictus Hrodlo, ſupra fluuium Bug ſitum, cum omnibus & ſingulis villis, graniciis, gadibus, limitibus: & ſignanter cum omnibus appenditiis, & adhærentiis vniuerſis, prout in ſe longe, late, ab antiquo conſiſtit, ad coronam Poloniæ ſpectabat, pertinebat, ſpectatque & pertinet, ac ſpectare & pertinere debet, nunc & in æuum, & omnibus temporibus perpetuo duraturis. Propter quod nos Sigiſmundus magnus Dux Lithuaniæ ſupradictus, ſpondemus, promittimus, & pollicemur, præſentibus ſcriptis noſtris, quod pro dicto oppido, & omnibus ſuis attinentiis ſupradictis, Sereniſſimum Principem Dominum Wladiſlaum Regem Poloniæ, & ipſius ſucceſſores, & coronam Regni Poloniæ, nullatenus impetemus, neque inquietabimus, vel moleſtabimus quacumque ratione, negotio, modo, ingenio, vel coloribus exquiſitis, teſtimonio harum literarum, quibus noſtra ſigilla, Prælatorumque, Principum, & Baronum infra ſcriptorum, ſunt appenſa, videlicet Reuerendiſſimorum in Chriſto Patrum, Dominorum, Matthiæ Vilnenſis, Andreæ Luceorienſis, Epiſcoporum; nec non Alexandri, Ioannis Palatini Trocenſis, Zimwyekraterſczicz, Rumpoldi Marſchalci, Petraſſii Montigerdrowicz, Gaſtoldi Schedibori, Radziwil Hoſtikowicz, Emdigidi Iurga, Naczucz Gumbilowicz, Olechno Douoynowicz, Schak Dnagal, Vexilliferorum, Goyillin Nagodowicz. Actum & datum in Grodno; feria quarta in die S. Heduigis. Anno Domini. milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſecundo. 1432

Rebus publicis in *Lublin* prudenter & mature compoſitis, *Wladiſlaus* Rex verſus terras *Pruſſiæ* ſe contulit, & *Leopolim* deſcendit. Vbi exercitum ſuum victorem, a conquiſitione caſtri *Oleſchko* reuerſum, nouarum gentium ſupplemento auctum, in *Podoliam*, contra Ducem *Fetbkonem* de *Oſtrog*, præficiens eis in Capitaneos, *Vincentium* de *Schamotuli* Caſtellanum *Myedzirzecenſem* & Capitaneum *Ruſſiæ*, & *Ioannem Mazik* de *Dambrowa*, tranſmittit. Is enim ex omnibus Principibus *Lithuaniæ* & *Ruſſiæ*, vir erat magnæ audaciæ, & magnæ in armis æſtimationis. Qui cum auxiliatoribus *Tartaris*, *Valachis*, *Ruthenis*, & *Beſſarabis*, quorum maximum numerum ſibi conquiſiuerat, continua inuaſione ex caſtris, quæ pro Duce *Switrigal* in *Podolia* tenebantur, ſubditos Regis premebat. Veniente itaque exercitu Regis in *Podoliam*, *Fetbko*, velut in armis & præliis exercitatus, confligere iuſto concurſu cum exercitu Regio detrectauit; ſed furtiue & particulariter ſæpe *Polonos* infeſtabat, & ſæpe particularibus congreſſibus victus, diſcedebat. Exercitus autem Regius, dum *Fetbko* pugnandi copiam non faceret, ad expugnationem caſtrorum ſe conuertens, fere omnia caſtra in *Podolia*, quæ pro Duce *Switrigal* tenebantur, conquiſiuit. Reſtabat caſtrum *Braczlaw*, quod præfatus *Fetbko*, aduentum *Polonorum* præſentiens, vna cum oppido, ne *Poloni* eo potirentur, cremauit. Redibat iam exercitus Regis ad propria, vniuerſa *Podolia* in ditionem Regis & Regni ſubacta, & expulſo *Fetbkone*; *Fetbko* tamen, velut vir acri ingenio, moleſte ferens, & ademptionem *Podoliæ*, & ſuam turpem excluſionem, nouas gentes ex *Tartaris*, *Valachis*, *Beſſarabiſque* conducens, vindicare iniurias ſuas parabat. Et licet eſſet & robore & numero gentium multo ſuperior, intelligens tamen *Polonos*, ex ſuperioribus triumphis de ſe relatis, ineſcatos eſſe, nullatenus decernere ſtatuit, niſi poſtquam *Polonos* iniquitate loci videret inferiores.

Fetbko de Oſtrog Lithuaniæ Princeps

cum exercitu

Ali-

1432 Aliquanto itaque tempore, per ſiluas & nemora, *Polonis* ignorantibus, caſtra eorum ſecutus, ad fluuium *Morachawa*, & prope villam A *Kopoſtrzin*, paludinoſum, & dilatatum ripis, occultus & ſeptus ſiluis, conſedit: intelligens futurum eſſe debere, quod illic exercitus Regius fluuium prædictum, cum alibi propter alluuiem, & lubricitatem ſuam, erat impermeabilis, eſſet ſuperaturus. Nec eum opinio fefellit. Die itaque Dominico *S. Andreæ* Apoſtoli glorioſi mane, *Polonorum* exercitus, qui *Fethkonem* aliis progreſſum itineribus per exploratores pro comperto habens, expectatione omni depoſita prælii, eo die conferendi, ad anguſtias præfati fluminis, motis caſtris, peruenit. Erat autem ibi agger piſcinam fluminis continens. Intra quem duo loca ſtrata B virgultis ex induſtria, & Capitaneorum iuſſu, erant, vt facilior exercitui eſſet tranſitus, & ne pars media inuaderetur ab hoſtibus, altera non valente ferre ſubſidium; Quæ omnia callidi Ducis *Fethkonis* ingenium, euenire neceſſario ſperabat: iniquitate loci ſpem ſuam nutriente. Dum itaque per loca ſtrata virgultis, exercitus pars media ripam alteram cum medietate curruum tranſiſſet, (paluſtris enim lacus hinc & hinc tranſitum extendi prohibebat) necdum medietas *Polonorum* aggerem tranſiuerat, ſubito cum *Ruthenorum* & *Tartarorum* copiis, quem nihil eorum, quæ *Poloni* agebant, latebat, ſuperueniens *Fethko*, deſtinata exequitur, & cum virorum multitudine C (habebat enim de qualibet gente aliquot millia) tum loci iniquitate fretus, *Polonos* animoſe cum tubarum validiſſimo clangore inuadit. Incerti ac trepidi *Poloni*, & quid primum agerent, neſcii, quomodo reſiſterent, & periculum, quo comprehenſi fuerant, euaderent, & quomodo ac qualiter vincerent, cogitabant, & altera medietate aggerem tranſire, ſuiſque, qui aggerem tranſierant, ſuffragio eſſe, contendente, curruum obſtabat propriorum, altero alterum prementium, congeries. Occurſum eſt tamen per primos *Fethkoni*, & quantum temporis anguſtia, & loci iniquitas patiebatur, acies inſtructa. Committitur itaque inter vtroſque ingens prælium, & multi mortales hinc inde cadunt. Multi ad eos, qui D adhuc ripam tenebant alteram, refugiunt. Pars altera exercitus Regis, nihil cunctata, in auxilium ſuis accurrit. Et nedum per loca virgultis ſtrata, ex quibus currus, tranſitum eorum impedientes, in aquam & lutum præcipitant, ſed & per loca aquoſa & paludinoſa, & aquam piſcinæ, quæ congelata debiliter, multitudinem glomeratam ſuſtinebat, ſuis in auxilium accurrit: parum tamen abfuit, quin violatis fragilibus glaciebus, ſuffocarentur; ſinguli glaciem ſupergreſſi, prælium de integro reſumunt: quod hoſtes iam finitum credentes, manus rapaces in currus & ſpolia *Polonorum* iniecerant. Æquo Marte longo tempore certatum eſt, nec pars aliqua pedem viſa eſt referre: quoniam *Polonis* conſtantia, & recordatio recentium triumphorum, *Fethkoni* numeroſitas ſuorum, animos dabat. *Poloni* etſi magna vi adniſi, memorabilem in hoſtibus cædem ederent, multitudine tamen hoſtes freti, acie *Polonorum* perfracta, & pugna, quaſi iam debellatum eſſet, relicta, ad ſpoliandos currus proruunt. Interim Diuina prouidentia, vnus ex præfectis exercitus Regii, *Kemlicz*, vir ſingularis animoſitatis & virtutis, qui cum centum equis pabulatum prædatumque iuerat, caſu ſuperuenit; & intelligens ex vociferantium clamore, clangore buccinarum, & fragore ſtridoreque armorum, prælium agi, celerrime accurrit, tubiſque canere cœpit. **dubio admodum Marte** Quarum ſonitu hoſtes audito, quam grauiſſime perturbantur. *Poloni* vero reintegratis reſumptiſque viribus, quod plerumque in ſpe victoriæ accidere conſueuit, acrius pauidos & perturbatos, ac ſpoliationi quadrigarum intentos, impugnare cœperunt. Hoſtes vndique circumuenti, partim cæſi, partim ex curribus eiecti ſunt. *Kemlicz* autem veniſſe non contentus, etiam cum ſuis terga hoſtium inuadit: tumultuſque maior inde exortus, cum multitudo ingens crederetur, exercitum *Fethkonis* primum turbauit, mox in fugam vertit. Solutis ſiquidem ordinibus cum & a tergo & a fronte inſtaret *Polonus*, ſuſtinere *Rutheni* & *Tartari* impetum non valentes, diſſipabantur. Deinde ordinibus rarefactis, pedem referentes, victoriam concedunt. Et in fugam ſparſi, quo quemque ſors ferebat, dilabuntur. Strata erant & corporibus & rebus itinera, quæ copiarum & exercitus Duces colligere victoribus vetabant, ſed inſiſtere fugientibus, hortabantur. Nec gentes Regiæ detrectauerunt imperium, ſed omnibus ſpoliis & ſarcinis hoſtium contemptis, hoſtes trucidando, (nullus enim pro fracta fide captiuabatur) vſque ad noctis medium inſequebantur. **caeditur & fugatur.** Diuino itaque munere, etſi Dux *Fethko* euaſerit, multa tamen *Tartarorum*, *Beſſaraborum*, *Valachorum*, *Ruthenorum*, tunc occiſa ſunt millia, & victoria notabilis, multis memoranda ſeculis, relata. Signa hoſtium duodecim capta, in ſignum victoriæ in Eccleſiam *Cracouienſem* collecta ſunt. Ex *Polonis* duo tantummodo notabiles, *Iacobus Treſthka* de *Mikoczin*, & *Nicolaus Myeczlai* de *Smogorzow*, deſiderati. Omnis autem relati triumphi, & ereptæ tunc victoriæ, expiatæque iam ſuperimpendentis cladis decus & gloria, *Kemlicz*, tributa eſt. Cuius ſublatus clamor, & inuaſio, in terga hoſtilia factus, conterritos hoſtes vincendos præbuit, vehementius ſuo periculo conſternatos. Agebat diem illum *Wladiſlaus* Rex *Leopoli*, & in Eccleſia *S. Crucis* Fratrum Minorum Diuinis officiis & orationibus vacans, vſque ad veſperam inſiſtebat, auxilium de cœlo erectis oculis, & brachiis tenſis, depre-

cando

1432 cando. Solicitus enim erat de ſuis, quos ſciebat inter hoſtium grauiſsimas inſidias & pericula, in capita eorum comparata verſari. Nec voce tantummodo, ſed & lachrymis, ſuperni muneris ſuffragia flagitabat. Nec potiundæ ex hoſte victoriæ, ſed vitæ militum ſuorum, quos in tam grandi doctus fuerat verſari periculo, cupidine, magis ſolicitus, diebus ac noctibus in orationibus excubabat. Ipſo itaque adhuc in præfata Eccleſia *S. Crucis* perſeuerante, & omnipotentis clementiam implorante, viciſſe exercitum Regis, & de *Fetkone* ac *Tartaris* victoriam retuliſſe, & profligatos vtroſque, vulgatum eſt, non quidem ex authore aliquo certo, cum locus prælii, quadraginta miliaribus a *Leopoli* diſtaret; ſed adeo vnus ad alium, euentum victoriæ, neſcitur quo rumore ortum, perferebat, vt plena certitudo triumphi tunc habita eſſet, & lætitia magna in populo exorta, iuſſu etiam Regis, Hymnum *Te Deum laudamus*, ora Eccleſiarum reſonarent. Iſque ſermo confeſtim diffuſus in *Poloniæ* Regnum, vniuerſos exultatione & gratulatione repleuit. Cum vero eius rei certus non extaret author, reſedit. Venit altera die Nuncius a Capitaneis exercitus miſſus, & rem ita geſtam, vt fama vulgauerat, poſtquam retuliſſet, tam *Wladislaum* Regem, & omnes ſuos, & in deuotionem ampliorem, & in admirationem ſeu religionem quandam conuertit. Tali victoria ex hoſtibus & fidei, & ſuis, *Wladislaus* Rex, relata, in gratulationem nouam prorupit, eo quidem maiori cum gaudio, quo propius metum fuerat. De *Leopoli* tandem verſus *Cracouiam* per ſolitas ſtationes procedit: miſſis exercitui victori, & veſtibus, & pecunialibus donatiuis. Cui *Cracouiam* venienti, cum omnes Eccleſiarum proceſſiones obuiam exiiſſent, & Regem & victorem excepturæ, ipſe ex equo deſcendens, pedibus ſequendo proceſſiones, Vrbem cum notabili Procerum & Nobilium caterua ingreſſus eſt, ſignis hoſtium in prælio captis eum præcedentibus. Nec prius Regiam intrauit, donec multarum Eccleſiarum limina adiens, gratias Altiſſimo pro conceſſa victoria, precibus & eleemoſynarum largitione, perſolueret. Manſit autem *Wladislaus* Rex *Cracouiæ* diebus pluribus, cum Prælatis & Baronibus ſuis, qui ad ſuam Serenitatem confluxerant, & illic Natalis Domini dies egit: de rebus publicis plures & neceſſarias faciens diſpoſitiones, & ad legationes Regum, Principumque, edens reſponſa.

Switrigal in Lithuaniam cum exercitu irrumpens.

Sed nec *Lithuaniæ* res, eodem tempore minus ſecundæ fuere. Dum enim Dux *Switrigal*, vlturus iniuriam fœdæ ſuæ ac ſuorum expulſionis, coadunato ex *Ruthenis Tartariſque* exercitu viginti millium armatorum, in *Lithuaniam* veniſſet, & exercitus de *Liuonia* illi coniunctus, magnum ſibi animum tribuiſſet recuperandæ *Lithuaniæ*; magnus Dux *Lithuaniæ* *Sigiſmundus*, ex *Lithuanis*, *Samogithis*, & *Polonis*, qui terram *Drobicenſe* inhabitant, exercitu, vtcunq; poterat, confecto, illi circa *Oſzmyani* occurrit. Et licet *Wladislaus* Rex, ſubſidium notabile in gentibus, *Sigiſmundo* Duci miſiſſet, præficiens illis in Capitaneum *Mſzugium* de *Skrzin* militem non minus animoſum, quam belli peritum: expectare tamen aduentum illius, & feſtinatio ad congreſſum, & vaſtatio crudelis terræ *Lithuaniæ* igne & ferro per Ducem *Switrigal*, & eius exercitum inflicta, prohibebat. Die itaque Conceptionis *S. Mariæ*, feria ſecunda in diluculo, Dux magnus *Sigiſmundus*, exercitu ſuo, qui reſpectu hoſtium tenuis & infirmus erat, ordinato, congreſſum & impetum in hoſtes facit. Feruebat aliquanto tempore bellum inter partes, & cædes mutua mortalium plurimorum edebatur, bellumque in horas aliquot, obſtinatis animis geſtum, proferebatur, modo ſpem, modo metum, vtraque parte ſibi augurante. Dux ipſe *Sigiſmundus* non ſpectator ſolum, ſed & adhortator ſuorum aderat, & acies, quas frangi vel debilitari potentia hoſtium videbat, nouos immittendo pugnatores, ſuſtentabat. *Rutheni* tandem & barbari *Tartari*, ſuſtinere impetum *Lithuanorum* non valentes, pedem referunt. Quibus metu perculſis, *Lithuani* fortius inſtant, & tandem Diuino munere, ad extremum ſuperant, & proſternunt. Decem millia occiſa, quatuor capta, hoſtium, eo die referuntur. Captus & tunc fuit Dux *Georgius Languinowicz*, nepos germanus *Wladislai* Regis. Qui partes Ducis *Switrigal* ſecutus, ipſum & robore corporis, & conſilio adiuuabat. Dux ipſe *Switrigal*, mutando equos, manus per fugam euaſit hoſtiles, licet ad comprehendendum corpus illud vnum, perſequentium aſpiraret intentio. Signa hoſtium octo capta, in Eccleſiam *Vilnenſem*, in triumphi ſignum delata ſunt. Dux ipſe magnus *Sigiſmundus*, cum pro euitato periculo, tum pro obtenta victoria lætus, primitias triumphi ſui, vt par erat, voluit inſignire. In loco itaque certaminis, Eccleſiam in honorem *B. V. Mariæ* conſtruit, & eam donis & largitionibus plurimis, dotat, libertat, & priuilegiat. Sacerdotum numerum illic conſtituens, qui laudes B. Virgini iugiter perſoluant, quæ in dicata ſibi Conceptionis die ipſum & exercitum eius, referre de hoſtibus tam inſignem victoriam obtinuit. Huius triumphi nouitas, cum veloci *Nuncio* ad *Wladislaum* Regem fuiſſet perlata, gaudia gaudiis cumulata ſunt, & Rex ipſe de donis multiplicatis, Domino Deo vberes & continuas ſoluebat gratiarum actiones. 1432

a Sigiſmundo vincitur.

qui in loco prælii Eccleſiam B. V. Mariæ extruit.

Huſſitæ ductu Procopii ſæuiunt in Sleſiam.

Secunda menſis Iulii die, *Thaboritarum* & *Orphanorum* exercitus, ſub ductu *Procopii* Presbyteri, qui *Raſus* vocatus eſt, in *Sleſiam* intrans, multis illam percellit tam cædibus quam ſpoliis. Sed & monaſterium inſigne

Trze-

1432 *Trzebnicenſe*, confractis Sanctorum pulcherrimis imaginibus a Beata *Heduigi* olim fabricatum, campanis abductis, plumbo, quo vniuerſum monaſterium tectum fuerat, depoſito, incendunt. Monaſterium inſuder *Lubicz*, & oppi- *Vinczik, Prawſznik, Myelicz*, cæde, ſpolio, & igne depopulantur. Oppidani *Oleſchnicenſes* terrore eorum perculſi, oppido *Oleſchnicza*, ne eo hoſtes potirentur, incenſo, cum omnibus fortunis & pignoribus ſuis, *Wratiſlauiam* diffugiunt. Sed *Huſſitæ* ſuperuenientes igne extincto, multis ſpoliis & commeatibus, quæ efferri anguſtia temporis non ſinebat, potiuntur.

1433 *Polonis de bello Cruciferis inferendo deliberantibus,*

Dies Natalis Domini *Wladiſlaus* Rex celebrauit *Cracouiæ*, pluribusque diebus nonniſi Conſilio Prælati & Barones vacabant, exquirentes vias varias & diuerſas, qualiter bellum proſequerentur, quod Cruciferis de *Pruſſia*, treugis in feſto *S. Ioannis Baptiſtæ* expirantibus inferre delibérauerant, contraherentq; aliquorum vicinorum auxilia, poſtquam ſociorum pro illo tempore peruenire non poterant. Et licet plures viæ fuiſſent repertæ, placuit tamen pro Dominica *Reminiſcere Sandomiriæ* teneri conuentionem, & pluribus Conſiliariis accerſitis, maturiori conſilio digeſtis rebus, concluſionem ſingulis dari. *Cracouia* itaque *Wladiſlaus* Rex egreſſus, per *nouam ciuitatem*, & alia loca, *Iedlnam* proceſſit, & illic Carniſpriuii dies egit. Quibus transactis, per ſtationes ſolitas *Sandomiriam* pro Dominica *Reminiſcere* peruenit. Vbi ad ſuam Serenitatem ſolennes venerunt Oratores & Nuncii Concilii *Baſilienſis*, quod in *Baſilea* ciuitate ſuprà *Rhenum* ſita, *Iulianus* de *Cæſarinis* tituli Sancti Angeli Diaconus Cardinalis, velut Apoſtolicæ Sedis Legatus, per *Martinum* Papam quintum, ad id ſpecialiter, pro *Bohemorum* reductione miſſus, inchoauerat, & quod *Eugenius* Papa quartus, in principio ſuæ aſſumptionis confirmans, tandem aliter perſuaſus diſſoluere ſtudebat.

Legati Concilii Baſileenſis adueniunt,

Nuncii autem hi fuerunt; *Ioannes* Epiſcopus *Parmenſis*, *Gwilhelmus* Ordinis *B. Mariæ* Virginis de monte *Carmeli*, Prouincialis *Lombardiæ*, & *Anthonius* de *Beruntiis* Decretorum Doctor, Ducis *Sabaudiæ Amadei* Conſiliarius. Ii cum omni reuerentia ſuſcepti, die Dominico Reminiſcere, in Eccleſia *S. Mariæ Sandomirienſi*, præſente *Wladiſlao* Rege, *Zophia* Regina, *Sbigneo* Epiſcopo *Cracouienſi*, & pluribus Baronibus *Poloniæ* finita miſſa maiori, legationem nomine totius Concilii *Baſilienſis*, per organum *Ioannis* Epiſcopi *Parmenſis*, exponunt, Qui notabili & diſerta oratione, aſſumpto themate, *Hora iam eſt nos de ſomno ſurgere: Nunc eſt enim propior ſalus noſtra quam cum credidimus*, vſus, ſtatum Concilii *Baſilienſis*, & eius authoritatem, principaliter a *Chriſto*, deinde a Concilio *Conſtantienſi*, & duorum ſummorum Pontificum decreto & conſenſu, pendentem, extollebat; cauſas diſſolutionis per *Eugenium* iniectas confutans, diſſoluens, & euacuans. In ſumma rogabat, *vt Wladiſlaus Rex illud ſua authoritate & aſſiſtentia roboraret, & legatos ſuos ſolennes ad illud mitteret, ſimul & Prælatis Regni ſui mandaret, vt in Baſilienſem ciuitatem pro celebrando huiuſmodi Concilio tranſirent, cum magna eſſet ſpes de Bohemorum reductione, pro qua diu armis fruſtra certatum eſt, cum eorum principales Duces vocati per Concilium Baſileam veniebant, informationem Concilii & Eccleſiæ ſubituri.* 1433 *& Legatos ad Concilium mitti petunt,* His deliberatione in Conſilio Regio habita, reſponſum eſt; *Velle Wladiſlaum Regem cum ſuis Prælatis & Baronibus, conuentione inſtituta, deliberare, & ſuper omnibus per Concilium Baſilienſe petitis, miſſis Oratoribus ſuis, Concilio ad plenum reſpondere.* Cum tali dimiſſi reſponſo, & per *Wladiſlaum* Regem veſtibus pelliceis, & aliis honorati muneribus, in *Pruſſiam*, conducente eos Nuncio Regio, proceſſerunt, *Pruſſiæ* Magiſtrum & Ordinem, vt Concilio adhæreret, & pacem cum Rege *Poloniæ* ſuſciperet, requiſituri. Petebant inſuper, *vt Wladiſlaus Rex, vltionis animo depoſito, certam magis cum Cruciferis, & aliis hoſtibus ſuis ſuſciperet pacem, quam ſperatam victoriam. Et cum ad hoc quoque Concilium Baſilienſe ſit congregatum, vt pacem inter Principes Catholicos procuret, ad hoc ſe miſſos* multipliciter aſtruebant, *vt pacem inter Wladiſlaum Regem & Cruciferos reformarent, & efficerent, cum ex eorum contentione & bello, rebus fidei & Eccleſiæ maximum pararetur impedimentum,* offerebantque *ſe fideliter & pure, pro integranda pace, nomine Sacri Concilii, ſcita Regia voluntate, laboraturos.* Quibus, quoad hanc petitionem, reſponſum eſt: *Pacem Regem & Regnum nunquam abnuiſſe, neque eo animo vnquam fuiſſe, vt bellum malit quam pacem, ſe quidem cuſtodiuiſſe ſemper pacta cum Cruciferis ſtabilita, eos vero, opportunitate viſa, in Regnum vacuum arma ſumpſiſſe, & notabiles eius partes ferro & igne vaſtaſſe, ſtupraſſe virgines, templa & ædes ſacras ſuccendiſſe, caſtra quoque & ciuitates Regni ſui occupaſſe, & in hanc diem detinere. Velle tamen in omnibus ſequi Sacri Concilii hortamenta, &, dummodo detur ſatisfactio, a bello ceſſare.* Quod quidem bellum repellere multiplicibus rationibus tunc expreſſis deduxit, quamuis inuitum, magis quam inferre.

De bello vero Cruciferis mouendo, dum conſilium fuiſſet agitatum pluribus diebus, nemo erat qui illud proſequi ardore magno, expirantibus induciis, non cenſuiſſet. Difficultas tamen non parua interponebatur, quod *Wladiſlaus* Rex, velut ex labore & ſenio confectus, caligantibusque oculis, illi intereſſe non poterat: ex cuius abſentia ſingula negotia adminiſtrandi belli, videbantur difficiliora. Accedebat, quad nec *Lithuani* proprio bello occupati, nec terræ *Ruſſiæ*, ne per hoſtes interciperentur, ſuffragia præſtare poterant. Sed nec

Tar-

1433 *Tartaros*, nec *Valachos*, ad huiuſmodi bellum accerſire, plures conditiones admittebant. Quamuis igitur oculis conſulentium tot obuerſarentur graues conditiones, geri tamen bellum contra Cruciferos placuit, Diuino aſſumpto auxilio, quod nunquam deeſt his, qui iuſtius arma induunt: idque proprio duntaxat milite adminiſtrari. Placuit & pluribus ſæcularibus Conſiliariis ſuffragium *Bohemorum*, quamuis hæreticorum, non abiicere, quod ſe *Wladislao* Regi exhibituros contra *Pruſſiam*, & quoslibet hoſtes ſuos, Nunciis & literis pollicebantur. Placuit & pro feſto *S. Ioannis Baptiſtæ* in oppido *Kolo* conuentionem generalem agi, & exercitus omnium terrarum, more bellico, illuc aduenire, in terras hoſtiles inde proceſſuros. Placuit & ſententiam, an Rex in propria perſona exercitui præeſſe, an alium in locum ſuum ſubſtituere debeat, in conuentionem *Colenſem* deferri. Tali concluſione accepta, mandato Regis & prouiſione, ſingula, quæ pro bello futuro bene adminiſtrando, erant neceſſaria, ſumma diligentia parabantur, & vniuerſi Regnicolæ, ad arma ac bellum futurum gerendum, ſe tempeſtiue præparabant.

Contra Cruciferos bellũ decernitur.

Ex *Sandomiria, Wladislaus* Rex, in terras *maioris Poloniæ*, per ſolita loca proceſſit, & in *Caliſch* Paſcha Domini celebrauit. Circa conductum autem Paſchæ, exercitus *Bohemorum Thaboritarum*, cuius Dux erat *Byedrzich* Preſbyter apoſtata, ex *Sleſia* ſuperueniens, in Regnum *Hungariæ*, animo ſpoliandi, & prædandi illud, dum eſſet Rege ſuo *Sigiſmundo* vacuum, [in *Italiam* enim pro corona Imperiali obtinenda diſceſſerat] per *Mislinicze*, & alia loca Regni *Poloniæ*, irrupit. Clauſæ autem erant per arborum inciſiones, mandato Regis & Conſiliariorum Regni *Poloniæ* viæ; prohibere enim tranſitum illis in *Hungariam Wladislaus* Rex, magnopere cupiebat, & quantum in eo erat, moleſte ferebat *Hungaros* ab illis vexari. Intelligens tamen exercitus præfatus Regem & *Polonos*, domeſtico bello occupatos, nihil inciſione arborum, & præcluſione viarum territus, ſecuribus & igne tunc obſtantes truncos conſumunt, & obſtantia quæque, nullo eos laceſſente, depellunt. Et licet *Hungariæ* Barones, cognito eorum aduentu, collecto exercitu, ire obuiam, & congredi cum illis ſtatuiſſent, audita tamen eorum pertinaci in Regnum *Hungariæ* irruptione, rupto campo, diſperguntur. Propter quod *Bohemorum* gentes in terram *Scepuſienſem* deſcenſum facientes, oppidum *Keſzmark* vacuum defenſoribus, [omnes enim erant, hoſtium aduentu repentino, nimio pauore perculſi,] & intercipiunt & comprehendunt, vbi magnas opes, pluribus annis congeſtas, reperientes, ſpoliatis vicinis oppidis & villis, captoque Præpoſito *Scepuſienſi Georgio*, qui *Pragam* deductus, illic occubuit, & diſtrictu *Thurek* prædato, per montes in propria, cum multitudine prædarum, ſine aliqua animaduerſione & obſtaculo, reuerſæ ſunt.

Huſſitæ Duce Byedrzich Presbytero

Scepuſium depopulantur.

A Celebrato Paſcha Domini in *Caliſch, Wladislaus* Rex *Poſnaniam* venit. Vbi Duci *Boguslao Stolpenſi*, tunc ſub ſpecie peregrini *Poſnaniam* venienti, neptem ſuam ex ſorore germana *Alexandra*, filiam *Semouiti* Ducis *Maſouiæ Æmiliam* virginem, in matrimonium tradit, & regales celebrat nuptias, & Curias. Atque illuc venerunt ad Regem Nuncii de exercitu *Bohemorum*, qui ſe *Orphanos* appellabant, quorum *Ioannes Czapek* de *San* erat vnicus Ductor & Capitaneus, & qui tunc depopulando & quaſſando *Almanos, Miſſnam, Saxoniam*, & oram *Nurembergenſem*, bello & vaſtatione affligebat; B Offerentes *ſe quodlibet ſubſidium contra Cruciferos præſtituros*. Excepta eſt eorum oblatio, licet id viri Eccleſiaſtici diſſuaſiſſent, cum gratitudine, iuſſique ſunt cum omni exercitu in *nouam Marchiam*, quæ in ditionem Cruciferorum conceſſerat, accedere, & illam, cum gentibus Regiis, partium maioris Poloniæ, vaſtare. Tranſitusque exercitui præfato, ordinatione Regis, per *maiorem Glogouiam* patefactus erat. Vbi *Odram* fluuium, & caſtrum *Santbok*, quod tunc iam per *Polonos*, ex conceſſione fratrum *Ioannitarum*, qui illud a corpore Regni *Poloniæ* abſtraxerant, tenebatur; atque *Vartham* flumen ſuperauit. Et *Petrus Schafranyecz* cum ducentis equis ad id, vt eſſet, conductor exercitui conſignatus. Fructuoſa C enim res, & compendioſa videbatur Conſiliariis Regiis, ſi exercitus ipſe *Bohemorum*, qui viciniis omnibus regionibus erat formidini, mature *nouam Marchiam* per alienas terras ingreſſus, coniunctus exercitui de *maiori Polonia*, vaſtaret, & vaſtatione illius perfunctus, altero exercitui Capitali Regis, ex terris *Cracouienſibus* confecto; & *Pomeraniam* ingreſſuro, tempeſtiue iungeretur.

1433

Æmilia Semouiti Maſouiæ Ducis filia nubit Duci Stolpenſi.

Huſſitæ auxiliares a Polonis in nouam Marchiam deducuntur.

In Rogationum diebus, *Wladislao* Rege in *Koſczyan* cum ſua Curia agente, Legati concilii *Baſilienſis* aduenerunt, aſſerentes *ſe Cruciferos ad amplectenda pacis media induxiſſe, & diem placitandorum, feria quinta in Słonsko prope Racziaſz, parti vtrique conſtituiſſe*: rogantes *vt & Rex illuc ſuos Conſiliarios mittere, & iuſtas pacis conditiones accipere, dignaretur*. D Licet autem tam Rex quam Conſiliarii intelligebant id fruſtra fieri: cum ludibria Cruciferorum optime dudum eſſent experti, ad ſeruandum tamen honorem Concilio & legatis eius, Nuncii notabiles, videlicet, *Albertus Iaſtrzabiecz Gneſnenſis* Archiepiſcopus, *Ioannes Wladislauienſis* Epiſcopus, *Wladislaus* de *Oporow* Decanus *Cracouienſis*, Regni *Poloniæ* Vice-Cancellarius, *Sandiuogius* de *Oſtrorog Poſnanienſis, Iarandus Wladislauienſis, Ioannes* de *Lichin Brzeſtenſis*, Palatini, transmittuntur. Qui cum ad diem conſtitutam veniſſent, nullum tamen ex Cruciferis, ſed nec ex Legatis, illic repererunt. Cum autem die altera recederent,

Poloni a Cruciferis toties ludificati

1433

rent, vnus ex Legatis adueniens, & abſentiam Cruciferorum variis figmentis excuſans, terminum conueniendi, ad quindecimum prorogari diem, facile a Nunciis Regiis obtinuit. Sed cum quoque in quindecimo die Regii Nuncii aduenisſent, & nec Legatos, nec Cruciferos reperiſſent, ludificari ſe multipliciter videntes, receſſerunt. Legati quoque Concilii, nunquam poſtea viſi ſunt. Rubor enim mendacii, ad quod eos Cruciferorum perduxerat improbitas, ſtringebat eos, ne amplius aliquam de pace facerent interpoſitionem. Opportuno itaque tempore adueniente, concluſio ſuper bello contra *Pruſſiam* gerendo, in praxim poſita eſt. Nam & exercitus *maioris Poloniæ*, mandato Regis, ad arma conſurrexit, & ſub ductu ac Capitaneatu B *Sandiuogii* de *Oſtrorog* Palatini *Poſnanienſis*, *nouam Marchiam*, vix pro pabulo habens herbam, ingreditur. *Czapko* vero ab alia parte cum exercitu *Bohemico* adueniens, coniunctus cum *Polonis*, ſpeciem fecit iuſti exercitus. Concuſſa fuere omnium, *nouam Marchiam*, inhabitantium, corda. Timebant enim partim *Polonos*, quos, recentibus iniuriis laceſſitos, ſciebant feroces eſſe, partim *Bohemos*, quos crudeles nimis, fama, quæ omnia ſupra verum extollit, prodente nouerant. Addebat autem perculſis, maiorem formidinem, exercitus vterque: nam nimia celeritate, & vniuerſam *nouam Marchiam* vaſtabat percurrendo, & tam igne quam gladio C conſumebat. Duodecim etiam ciuitates munitas, ſituque & arte firmas, aut vi, aut deditione comprehendit, quarum hæc ſunt nomina, *Strzelcze*, *Dobyegniow*, *Choſczno*, quod aliter *Arusbarg* vocatur. Omnes autem ciuitates præfatas, in ruinam redigunt & fauillam. Sola ciuitate *Choſczno*, quoniam robore erat inexpugnabilis, reſeruata. In qua præſidium militum relictum eſt, quod vniuerſam *Marchiam* ſub obedientia Regis *Poloniæ* vſque ad pacem reintegratam, continebat.

maxima clade nouam Marchiam adficiunt.

duodecim ciuitatibus captis.

Liuones incautos Sigiſmundus Lithuaniæ Dux inuadit.

Samogitharum exercitus, anno eodem, in diebus feſtis Paſchæ, ex omni gente, quaſi vir vnus, collectus, mandante *Sigiſmundo*, magno Duce *Lithuaniæ*, in terram *Liuonitarum*, quæ *Curlandia* vocatur, clandeſtine incurrit, & D diebus duodecim incautos, & nihil tale ſuſpicantes, vaſtat, & opprimit. Notabilemque prædam, ſimul & captiuos vtriuſque ſexus, illic comprehendens, ad propria, nulla reſiſtentia aut dimicatione interpoſita, rediit.

Caſtrum Luczko Poloni amittunt.

Caſtrum *Luczko*, ea tempeſtate per Ducem *Noſz Ruthenum*, qui *Græci* ritus erat, clandeſtinis donis & largitionibus interceptum, ad quod plurimi mortalium ex *Ruthenis*, *Switrigyelloni* fauentibus conuenerant. Sæpeque quoque terram *Chelmenſem*, cuius tunc *Hriczko Kerdeiowicz* erat Capitaneus, prædaturi intrabant. Verum cum præfatus *Hriczko* ſtrenue illam tutaretur & defenderet, omnibusque vicinis eſſet formidini, Dux ipſe *Noſz* contracto, vndecumque poterat, exercitu, terram A *Chelmenſem* ingreditur. Cui præfatus *Hriczko* prope *Hrubyeſchow* circa fluuium *Bug* occurrens, iuſtum fecit congreſſum. Et omnem eius potentiam, fultus Diuino adiutorio confregit: ipſumque Ducem in fugam vertens, plures ſuos captiuauit. Ab illoque tempore & hoſtium repreſſit impetum & pacem terræ *Chelmenſi* reſtituit.

Terram a. Chelmenſem tutantur a prædis hoſtium. 1433

Iuxta mandatum & edictum Regis, ad diem feſtum *S. Ioannis Baptiſtæ*, conuenit vniuerſus exercitus Regni, & ſignanter terrarum *Cracouienſis*, *Sandomirienſis*, *Siradienſis*, *Lublinenſis*, *Vielunenſis*, in *Kolo*. Venit & *Wladislaus* Rex cum Prælatis, Principibus, & Baronibus fere omnibus, vbi per dies aliquot ſecretum conſilium habitum eſt, & longa deliberatione tractatum; an *Wladislaus* Rex debeat perſonaliter ire ad bellum, vel alium belli, in locum ſuum, præficere Ductorem. Verum cum omnium ſententiæ decernerent Regem propter ſenium & cæcutientem viſum nullatenus illi bello miſcendum eſſe, *Nicolaus* de *Michalow* Caſtellanus & Capitaneus *Cracouienſis*, de domo *Roſarum*, conſenſu tam Regis quam Conſiliariorum deſignatus eſt: Et omnes Principes, Barones, & nobiles ſibi in belli adminiſtratione parere iuſſi. In adminiſtrando autem bello, ex Regis & Baronum ſententia, talem informationem pro ſumma acceperat præfatus Capitaneus, *vt nullibi exercitus Regius conſiſteret, nec conquiſitione caſtrorum aut ciuitatum ſe occuparet, ſed quanto celerius poſſet, terram Pomeraniæ ingreſſus, igne & gladio illam vaſtaret, conſumptisque villis & oppidis; tum demum expugnare aliquam ciuitatem aut caſtrum niteretur, in qua, exercitu Regio diſcedente, præſidium militum, tam pro reprimendis hoſtium inſultibus, quam pro laceſſendis, poſſit locari.* Liquida conſultatione tunc inſtructus, quæ ſibi agenda forent, quæ ommittenda; cum his inſtructionibus Capitaneus, & exercitus dimiſſi, verſus terras hoſtiles & terram *Pomeraniæ* hoſtiliter procedunt. *Wladislaus* autem Rex ex *Kolo* in *Konin* ſeceſſit, ibique, quoniam per Conſiliarios ita decretum erat, per omne tempus belli manſionem ſuam firmauit, vt facilis eſſet ad ſuam Serenitatem vniuerſis Nunciis, ab exercitu mittendis, aditus. Nonnullosque Conſiliarios ſecum ad latus tenuit, facilius ſuper rebus emergentibus, ex eorum ſententia prouiſurus.

Sene Wladislao Rege Nicolaus de Michałow exercitui præficitur.

Exercitus itaque Regius ex *Kolo* diſcedens, variis itineribus ad terram *Pomeraniæ* hoſtilem peruenit, & eam in nomine Domini, circa *Bidgoſtiam* ſuperato flumine *Dbra*, ſub ductu præfati *Nicolai* de *Michalow* Caſtellani *Cracouienſis*, ingreſſus, eam vaſtare cœpit. Incedebat autem ipſe exercitus, habens in ſiniſtra parte *Iaſzyenyecz*, & *Tucholya*. Et dum ad

Exercitus Polonicus Pomeraniam ingreditur, & Tucholam nequit,

1433 ad caſtrum & oppidum *Tucholya* perueniſſet, & villas propinquas atque quæque ſuburbana incendiis & ſpoliis vaſtaret, bombardæ magnæ ex caſtro *Tucholya* crebra percuſſione, conſiſtere de prope oppidum, & ſtatiua illic ponere, prohibitus eſt. Neceſſitate itaque compulſus, a præfato oppido *Tucholya* diſcedens, caſtra circa lacum in ſilua, a *Tucholya* vno miliari diſtante, ponit. Sed & illic quoque lapides bombardæ, proiecti ex *Tucholya* caſtra Regis, non ſine admiratione multorum attingebant. Alius autem exercitus Regis de *maiori Polonia*, & exercitus *Bohemorum*, ſub ductu *Sandiuogii* de *Oſtrorog* Palatini *Poſnanienſis*, & *Ioannis Czapkonis*, *nouæ Marchiæ* vaſtatione perfunctos, dum illam totam in ditionem Regis *Poloniæ*, præter ciuitatem *Lanczberg* ſubieciſſet, in terram *Pomeraniæ* cum omnibus copiis deſcenderat. Iamque oppidum *Choynicza*, obſidione cingens, premebat. Motis itaque *Nicolaus* de *Michalow* a *Tucholya* caſtris, verſus *Choyniczam* recto tramite contendit. Ita enim expedire viſum eſt, vt exercitus inſimul iuncti, hoſtibus fierent terribiliores. Quartis autem ſtatiuis, ex quo hoſtilem terram intrauerant, in *Choyniczam* perueniens, his qui obſidebantur, falſa ſpe (ſuos enim in auxilium aduenitſe rebantur) deceptis, magnam attulerat exultationem. Vnde ſinguli turres & mœnia, murosque, ſpectatum aſcenderant, congreſſum & certamen exercituum viſuri. Exercitus enim illos obſidens, ire obuiam, ad excipiendum ſuos, arma ſumens, & ſigna erigens, ſpem obſidentium, quaſi ad confligendum ſe pararet, nutriuerat. Vterque itaque exercitus ordinatis aciebus, & ſignis erectis, procedebat, paucis pro caſtrorum & bombardarum cuſtodia relictis. Et non longe a *Choynicza* inuicem conueniendo, dextris dextræ iunctæ ſunt, a propinquisque & notis, propinqui hinc inde cum magna animorum hilaritate excepti, ac magnus clamor & vociferatio acclamantium & requirentium notos, apud obſeſſos audiebantur. Iamque acies congreſſas eſſe iudicabant. Verum dum temporis proceſſu, diligentes e muris ſpeculatores conſpicerent exercitus vnitos, alacres redire in caſtra, ex magna ſpe deiecti, in magnum pauorem adducuntur, non ſe poſſe tam fortis exercitus obſidionem tolerare. Concuſſa autem adeo omnium obſeſſorum corda erant formidine, vt magis de fuga quam reſiſtentia, magis de deditione, quam defenſione, ſinguli cogitarent. Quod ſi exercitus Regius in puncto aduentus ſui oppidum expugnatione adortus fuiſſet, potitus eſſet illo abſque dubio; cum defenſoribus mœnia pro maiori parte nudata eſſent, & omnium animi incredibili metu perculſi. Tantusque metus & luctus omnibus inceſſerat, vt vrbs ab hoſtibus capta, eodem veſtigio videretur. Sed ſatius videbatur Capitaneis, & Præfectis copiarum muros & turres A primum bombardis frangere, & defenſores repellere, deinde expugnandæ vrbi vacare. Et quamuis ſoluere *Wladiſlaus* Rex obſidionem, literis & Nunciis, imperaſſet, pudebat tamen *Polonos* cœpto diſcedere irrito. 1433

Choyniczam vero fruſtra obſidet.

Caſtris itaque poſitis ad *Choyniczam*, & vtroque exercitu coniuncto, aliquanto tempore deliberatum eſt, an in obſidione incœpta perſeuerandum eſſet, an iuxta decretum Regis, omiſſa obſidione, hoſtilis terra vaſtanda. Et licet tam Capitaneo exercitus *Nicolao* de *Michalow*, quam omnibus Conſiliariis placuiſſet, decretum Regis cuſtodire, & obſidionem B linquere; vicit tamen *Sandiuogii* Palatini *Poſnanienſis* ſententia. Qui ſtudio vrbis conquirendæ intentus, turpe nimis aiebat non expugnata vrbe diſcedere, ſpem magnam dedendæ aut conquirendæ vrbis repromittens, alia vrbium in *Marchia* longe fortiorum conquiſitione ineſcatus. De continuanda itaque obſidione ſententia accepta, octo hebdomadis omnis exercitus, circa vnius vrbis obſidionem fruſtra ſubſiſtebat. Super quo *Nicolaus* de *Michalow* Caſtellanus *Cracouienſis*, Dux exercitus, literis Regiis argutus eſt. Non bono enim conſilio circa *Choynicza* morari fruſtra, & vnius oppidi obſidione occupatum, vaſtationem terræ hoſtilis, ob quam principa- C liter miſſus eſt, negligere, quæ hoſtibus multo maius diſpendium, quam oppidi *Choyniczæ* conquiſitio, allatura eſt. Intra autem dies obſidionis, in locis plurimis, bombardis ſine intermiſſione quatiebatur murus & antemurale, & in quæque vicina loca, de exercitu, turmæ gentium notabiles mittebantur, quæ oppida quæque & villas adeundo, exercitui neceſſaria alimenta miniſtrabant, ipſaque oppida & villas igne abſumebant. Vnde & in terra *Pomeraniæ*, non reperiebantur homines in oppidis aut villis, ſed vniuerſi ſe in ciuitates & loca munita abdiderant. Aqua quoque, quæ foſſata vrbis complebat, plurimo labore per nouas foueas excluſa, omnia foſſata credebatur peruia feciſſe, cum remaneret limus lon- D go tempore humefacta, profundam conficiens lutoſitatem. Sed tam ingens erat in vrbe omnium rerum ad ſuſtinendam obſidionem apparatus, tantaque bombardarum & tormentorum copia, tanta denique murorum firmitas, & turrium numerus, vt omnem adminiſtrationem *Polonorum* facile retardaret. Cum itaque aperta vi parum expugnatio procederet, difficili expugnatione ciuitatis penſata, ad ſpecus ſubterraneos effodiendos, & cuniculum occultum conſtituendum, cura Præfectorum conuerſa eſt, & longo labore atque impenſa opus creſcebat, noctesque & dies in opere abſumpti, egerentibus multis mortalium humum, & ſpecum in longum, verſus ipſam vrbem, directo itinere trahentibus. Hæcque res

1433 res ſpem magnam vrbis conquirendæ ingerebat obſidentibus, & in obſidendo perſeuerantiam ſubminiſtrabat, obſeſſis vero, quoniam id illos latere non poterat, (cumulus enim ex terra egeſta eminens, index cuniculi fuit) addebat terrorem. Fit enim ex communi naturæ vitio, vt incognitis & latitantibus rebus, maior pauor hominum mentes occupet. Vnde & in locis ſingulis excubabant, ſonitumque effodientium, aure admota, captabant, incerti, per quem locum hoſtes eſſent in vrbem irrupturi. Non reſpondit tamen tantæ ſpei aliquis euentus. Nam dum fodiendo vſque ad muros ciuitatis, & ad ſpatium, quod maior & minor murus complectitur, ventum eſſet, ſuperior pars, quoniam ſpecus iuſtam profunditatem non habebat, cuniculo ſuperne perfracto, ſabulo deſidente, ad irritum recidens labor, hiatum fecit: quo effectum eſt, vt amplior foſſuræ inhiberetur progreſſus. Vt tamen labor tantarum impenſarum, aliquem haberet vſum diebus fere omnibus quibus obſidio durabat, foramine huiuſmodi hiatus, plures hoſtes, in paruo muro ſtantes, a tergo impune interſiciebantur per ſagittas baliſtarum, non valentes notare, vnde prodirent miſſilia, donec poſt longum tempus multis occiſis, fraus loci deprehenſa eſt, & locus fimo & luto obrutus. Non proficientibus itaque pro conquirenda vrbe, ſpecubus præfatis, placuit Capitaneis & Præfectis exercitus, expugnandæ vrbi maiorem operam dare, & impetu illam aggredi fortiori, vi aperta pro palam vſuri, quando dolus parum profuerat. Tam enim diſcedere, quam fruſtra morari, & in vnius oppidi obſidione, cæteris potioribus neglectis, pudebat. Igitur ne quid inexpertum relinquerent, die Beatæ *Mariæ Magdalenæ* mane, ad impugnandam vrbem exercitu comparato, fit in vrbem per vniuerſum exercitum durus impetus. Ab omni enim parte vrbs militibus circumdata ſtringebatur. Iam enim alii antemurale confringebant, alii murum accedentes, illum ſuffodiebant, alii per foſſata plena luto, ad loca, quæ vis bombardarum confregerat, accurrere nitebantur. Inter hæc obſeſſi animos non remittebant; ſed variis & exquiſitis generibus, tum pice reſinaque, tum aqua feruenti; ac lapidibus, ſagittis, ac gladiis, impugnantes quatiebant; fortius enim, quaſi iam deſperatione tuendæ vrbis concepta, reſiſtebant. Nec vllum genus omittebant defenſionis, mulieribus & paruulis quæque adminiſtrantibus offendiculo opportuna. Neque erat quiſquam omnium, qui in eius diei caſu, ſuarum omnium fortunarum euentum conſiſtere non exiſtimaret. Dum itaque pluribus horis acriter pugnatum eſſet, *Bohemis* ſtationes ſuas, & muros quos impugnabant, deferentibus, omnis defenſorum vis in *Polonos* conuerſa eſt. Pluribusque vulneratis, aliquibus interfectis, aut captis, cæteri ab oppugnatione diſcedere coacti, & vrbs ipſa tunc egregie defenſa. Captus fuit tunc merſus & illaqueatus limo, *Petrus* de 1433
A *Oporow* miles, & alii milites, *Petrus Bohemus*. Cœni ſiquidem, præfatus *Petrus Oporowski*, & aliquot alii milites, inuoluti baratro, & minime valentes effugere, ne violarentur aut deſiderarentur, hoſtilibus operibus & ſagittis, captione inita, deduntur more captiuorum hoſtibus. *Ioannes Mazik* de *Dabrowa* Palatinus *Leopolienſis*, ictu fiſtulæ grauiter vulneratus in pedem ac *Iarandus* de *Brudzewo*, miles & adoleſcens ſpectabilis, filius *Iarandi* Palatini *Iuniuladislauienſis*, interfectus eſt. *Poloni* ſiquidem, *Bohemis* cedentibus, quoniam putabant dedecori eſſet, cedere munimentis, pertinacius præliantes, aut telis, aut ſaxis obtriti ſunt, aut limoſa voragine inuoluti. Et non ſolum conatus
B omnes recidere in irritum, ſed, quod amplius angebat *Polonos*, parandæ expugnationis in reliquum, ſpes refrixit. Caſſo itaque labore apud *Choynicza*, octo ſeptimanis, & meliori tempore æſtatis, abſumptis, exercitus *Poloniæ*, non ſolum anguſtia vrbis non conquiſitæ, ſed etiam fame & obitu equorum, aliiſque incommodis premebatur. Circumſeſſæ enim erant ab hoſtibus viæ, nec exercitui potus & alimenta ex *Polonia* poterant ſubduci, lympham quoque quotidie bibere pauperes cogebantur. Sed & equis pabula defecerant. Conſumptis quoque vbique in circuitu, frumentis, ad quærenda
C pabula longum iter conficere cogebantur. Sed nec id tutum erat propter hoſtium crebras incurſiones. Multorum itaque equi, aut fame mortui, aut tabefacti, exercitum equite nudauerant. His itaque ſero per Capitaneos & Præfectos penſatis, poſtquam expugnatio ſemel tentata ſecus prouenerat, & autumni tempus inſtaret, ſero mandatorum Regiorum recordati, obſidionem ſoluerunt. Et caſtris motis, & his, quæ remanere deberent, incenſis, exercitus vniuerſus conſurgens a *Choynicza*, non ſine gratulatione eius ciuium, diſceſſit, & ad oppidum *Thſczow* ſeptimis caſtris peruenit: per *Gnyew*, *Nowe*, *Stargard*, ſtatiua faciens, & in clauſtrum *Pelplin* perueniens, duobus diebus
D illud igne, & varia vaſtatione diſiecit, & perfundedit. Monaſterium illud per antiquos Principes Poloniæ, *Schambor*, *Mſczugium*, & *Swantopelk* fundatum, adeo ædificiis, muris, & ſtructuris erat nobile & excelſum, vt omnes mortales in ſui admirationem facile traheret. Omnis tamen ornatus ſuus tunc erat detractus, & ſolo æquatus. Et clenodia Eccleſiæ, localiaque reperta, diſtracta ſunt. Et quoniam exercitus *Bohemorum*, in progreſſu, priorem ordinem tenebat, & exercitum *Poloniæ* anteibat: cum in eo maior pars peditum eſſet, qui anticipationem neceſſario habere viæ cogerentur, dum exercitus *Bohemorum* ad *Thſczow* perueniſſet, conſpecta vrbe, quod ſitu & munitione fortis eſſet, & omni conditione vrbe *Choynicza* fortior, nihil illic ſubſiſtendum duxit, ſed eam

Poloni Choynicza obſidionem ſoluunt,

& monaſterium Pelplin,

1433 eam præteriens, vno quartali miliaris, a prædicta vrbe, prout conſtitutum erat, caſtris locum, & ſtationes ſuas, in villa *Sobkow* E- A piſcopi *Wladiſlanienſis* cepit. Exercitus autem *Polonorum* illum ſubſecutus, dum ad præfatum *Thſczow* perveniſſet, aliquanto tempore illic ſubſtitit. Et licet per Præfectos ſubſiſtentia aliqua illic inhiberetur, ne irruptione ex ciuitate facta, incauti, & prædis intenti, occuparentur; quia tamen incolas vrbis fata appetebant, nullo ingenio aut caſtigatione poterat exercitus *Poloniæ* inhiberi, ne circa oppidum *Thſczow* ſubſiſteret. Habebant enim Cruciferi pro conſuetudine & vſu, vt omnes gentes & ſtipendiarios ſuos, quos habebant ex *Bohemorum* gente, *Sleſitis*, *Almanis*, & Pyratis, qui *Schewkinder* nuncupabantur, aliiſque nationibus conductos, ad caſtra aut B ciuitates, ad quas exercitus *Poloniæ* veriſimiliter tranſiturus erat, transferrent; vt caſtra ipſa, & ciuitates, firmata hominibus eſſent, & obſidionem expugnationemque hoſtilem, non pertimeſcerent. Quapropter & obſidione apud *Choynicza* ſoluta, omnes ſtipendiarii & gentes Cruciferorum, in alias vrbes defendendas, in noctis intempeſtæ ſilentio transmigrauere, omneſque tunc ſors in *Thſczow* contulerat. Iamque per *Polonos*, ex inſigniis armorum, equorumque genere, optime noſcitabantur, eo, quod ex caſtris & ciuitatibus, circa quæ *Polonorum* exercitus ibat, deſcendentes, præludiis certaminum noſtros infeſtabant. In hunc C quoque modum *Polonorum* exercitui, qui ſuburbana præfati oppidi *Thſczow* ingredi contendebant, ſe obiecerunt, & pluribus conatibus, ne incenderentur, reſtiterunt. Sed tandem, cum noſtrorum creſceret multitudo, ægre in oppidum, pluribus interfectis, captis, aut vulneratis, ſe receperunt. Suburbana primum ſpoliata, deinde incenſa, in altum flagrabant, & ventus validus a meridie ſuperueniens, ſcintillas, titiones, & flammam in oppidum, quaſi de induſtria ſuffragium *Polonis* ferret, ſuperiaciebat. Vnde & exercitus *Polonorum* ſtabat intentus, conſumationem ſuburbii, & urbis corruptionem, non inani augurio, expectans. Oppidani vero, licet vrbis ſuæ incendium, aqua & cylindriorum tectorumque ruptione, repellerent, turris tamen vna in tecto ignem concipiens, vicina quæque ardere coegit; Ex turri enim, in Eccleſiæ, deindein oppidi tecta deſiliens, ſine mora adoleuit, & vicinis quibuſque ſe cœpit infundere, neminem relinquens expertem periculi. Nec multo poſt, ignis diffuſus, late, longeque manare cœpit. Propter quod exercitus Regius mœnibus appropinquans, irrumpere conabatur. Nulla tamen vi & oppugnatione iam opus erat. Vrebat enim defenſores murorum ignis, qui iam multi ex muris præcipites ruebant in terram, & ad *Polonos* confugientes, mortem euadebant. Per eoſdem

deinde oppidum Thſczow diripiunt & incendunt

quoque muros, ſcalis appoſitis, *Poloni* vrbem ingreſſi, nobiliora ſpolia quæque legebant. Portæ autem ciuitatis, cum eſſent pluribus repagulis firmatæ, cum magna difficultate per *Polonos* ab vna parte, & per oppidanos ab altera, diſruptæ ſunt; & tunc demum vniuerſus *Polonorum* exercitus, vrbem vbique accenſam & flagrantem irrumpens, incendia domorum cohibebat, vt ſpoliis vrbis poſſet potiri. Adeo in contrariam partem fortuna, rerum humanarum actiones intentioneſque verſante. Quia tamen ignis creuerat in immenſum, & templi domorumque tecta, etiam coctis lateribus cooperta, virtute ignis collapſa ſunt, & plurima nobilia ſpolia conflagrata, victoribus igne ſubtracta. Remanſerant tamen cellaria, pannis, & mercibus variarum manieriarum plena; ex quibus vniuerſus exercitus ſuam explens auaritiam, abunde ditatus eſt. Omniaque vrbis ſpolia, in ſortem *Polonorum* ceſſerant, quoniam *Bohemi* tardius captam vrbem audiendo, audientes, occupata quæque per *Polonos* repererant. Sic vrbs fortis & nobilis conſumpta, & pene deleta eſt, non impugnatione humana, ſed permiſſione Diuina. Non caret enim magno myſterio, vt *Choynicza* debilior, nulla vi, arte, aut ingenio, expugnari capique poſſet: ſed obſidionem octo ſeptimanis tolerans, illæ ſuperſtitit. *Thſczow* vero munitione & ſitu fortior, vna die, vna pene hora, incenderetur, caperetur, deleretur. Iniquitatem forſitan eius compleram, adeo iuſtitia Dei puniente, vt etiam victoribus ipſis & hoſtibus, miſerabile & triſte ſpectaculam fieret. Egreſſus ſub eodem tempore fuerat ex caſtro *Marienburg* Magiſter *Pruſſiæ Paulus* de *Ruzdorff*, in inſulam *Zolauam*, & cum falconibus venationi intentus, capturæ alitum operam dabat. Videns autem, (in proximo enim agebat,) oppidum *Thſczow* præter ſpem captum & incenſum eſſe, vehementer ingemuit, & præpeti curſu fugam maturans, in *Marienburg* rediit, pauidus & anhelans, carpens & obiurgans eos Commendatores & Conſiliarios, qui illum ad violandum fadus pacis perpetuæ renitentem, impiis conſiliis impuliſſent. 1433

Capta vrbe *Thſczow*, atque igne deleta, omnes Cruciferorum gentes & ſtipendiarii, & multi alii mortales, in præfato oppido habitantes, capti ſunt. Captaque tunc referuntur de *Bohemis*, *Sleſitis*, *Almanis*, & Pyratis *Schewkindri* dictis, aliiſque nationibus, decem & amplius millia, qui omnes in ſtatiua *Polonorum* deducti ſunt, & Baronibus maioribus ad cuſtodiendum diſtributi. Petente autem *Ioanne Czapkone*, & exercitu *Bohemico*, omnes *Bohemi* in *Thſczow* capti, ſibi donantur. Qui illos graui redargutione corripiens, *quod contra nationem propriam ferrent Almanis ſuffragia, & Regem atque Regnum* Po-

1433 *Polonicum, bene de ſe, propter linguæ identitatem, meritum, mercenariis armis oppugnatum, in Pruſſiam veniſſent*, omnes, accenſo in medio caſtrorum ſuorum rogo ingenti, proiectos extinxit. Cuius exemplum miles quidam *Polonus, Ioannes Straſz* de *Byałaczow* imitatus, Pyratas *Schewkindri*, in ergaſtulo ligneo concluſos, palea, dumiſque ſiccatis circumdendo ergaſtulum, propria temeritate ſuccendit. Vrente itaque Pyratas vbique flamma, oſtium ergaſtuli, (fortes enim viribus ſunt) diſrumpunt, & euadere e flamma nituntur. Iam tamen plerique ex *Polonis*, velut ad ſpectaculum quoddam accurrentes, ſalientes ex ergaſtulo Pyratas, excipiebant lanceis, & interficiebant, donec Capitaneus exercitus, *Nicolaus* de *Michalow*, crudelitate nouitatis huiuſmodi ad eum perlata, accurens, & mactationem pyratarum prohibuit, & ignem eos vorantem extinxit. Erat vnus ex illis, flamma in pedibus aduſtus, qui in vicinam aquam, vtcumque poterat, deueniens, dum ſitim explere exiſtimaretur, vndis ſe, dolore nimio impatientiam ſubminiſtrante, voluntarie ſuffocauit. Nec amplius in captiuos ſæuitum eſt. Fœminis autem & paruulis in *Thſczow* captis, non ſolum honeſtas omnis ſeruata, ſed & libertas donata, omniſque humanitas impenſa eſt. Capitanei quoque & Præfectorum cura, adhibiti ſunt milites *Poloni*, ad fœminarum tutelam & cuſtodiam, ne quiſquam captiuo corpori aut illuderet, aut quicquam ex his, quas ſecum ferebant, fortunis, eriperet. Fuit hæc humanitas *Polonis* magno ſplendori. Fœminæ enim præfatæ variarum conditionum, dum viderent ſe beneficio *Polonorum*, non ſolum in pudicitia, ſed etiam in omnibus rebus, quantumcumque nobilibus, tutas ſecuraſque eſſe, ſummis laudibus tantam modeſtiam *Polonorum* efferebant, iuſtiſſimos illos arbitrando victores, quod ab omni fœminarum iniuria, tam manus quam animum continuiſſent: cum Cruciferorum exercitus, qui Regnum *Poloniæ* vacuum videns, biennio ante exacto, ingreſſus, libidines ſuas, captiuas mulieres proſtituens, expleuerat, id nulla actione meruiſſet. Vnde & Cruciferis, Dominis ſuis, infelices, *Polonis* vero ſecundos precabantur ſucceſſus. Verum quia fœminæ præfatæ, in ciuitate *Thſczow* igne deleta, remanere non poterant, in villis vero conſiſtere ſecurum non erat; omnes fœminæ, tam virgines quam matronæ, ad *Viſlam* per milites *Poloniæ* deductæ, nauibus in alteram partem, & in terram *Pruſſiæ* traductæ ſunt: & per notos ac vicinos, cum omni earum, quam tunc ferebant, ſupellectili, in vicinas vrbes exceptæ. In exercitu quoque Regio, cum longa & diligenti indagine omnium caſtra perquiſita, & ſcrutata ſunt, & omnes fœminæ aliquorum improbitate abſconditæ, & repertæ, libertate plena donatæ ſunt. Et

Crudelitas Polonorum in captiuos a Duce ſedatur.

non permiſſum, vt exercitus *Poloniæ* mulierum ſe contagione fœdaret. Summe enim A expedit, vt in bello adminiſtrando, obſeruetur continentiæ decor. Is enim exercitus, ea gens, facile in hoſtium poteſtatem & iugum concidit, qui ſibi libidinibus non temperat: Et iuſto Dei iudicio ab hoſte proſternitur, qui ſe a vitiis primum ſterni permiſerit. 1433

Oppido *Thſczow* conquiſito & exuſto, caſtris ex villa Epiſcopi *Wladislauienſis*, motis, *Poloni* verſus *Gedanum* procedunt, vrendo vicos, ædificia, oppida, & villas. Vbi & tunc monaſterium *Oliwa*, quod etiam Duces priſci *Pomeraniæ*, *Schambor*, *Swantopelk*, & *Mſczugius*, fundauerant; vaſtant & in- B cendunt. Poſtquam vero *Gedanum* peruentum eſſet, quatuor diebus ibi ſtatiua habita ſunt, & ciuitas tormentorum & bombardarum percuſſione, (facilis enim ex monte in illam erat proiectio) plurimum quaſſata eſt. Portus etiam maris, qui trabibus, ſudibus & aſſeribus ſerratis, cæteriſque lignis, quo facilius nauigia illic ſe poſſent recipere, & ſecurius conſiſtere, communitus, per *Polonos* fuit violatus, & in totum diſiectus. Vniuerſi inſuper equeſtres & pedeſtres de exercitu, mare, quoad poterant, profundius ingreſſi, in maris fluctibus excurſiones; inſiliendo vnus in alterum, faciebant. Et longo tempore ludos illic, adoriendo ſe inuicem, exercebant. Pulchrumque ſpectacu- C lum dies illa exercitui contulit, quod hoſtium terris dura vaſtatione peragratis, ad mare Oceanum, incolumes, pariter & victores, veniſſent. Vnde & plures tunc *Poloni* in milites creati, & Sacramento militiæ addicti ſunt. Et plerique ex *Bohemis*, aquam maris in lagenas fundentes, ad penates proprios, in ſignum tam memoratæ militiæ detulerunt. Preſſi ciues *Gedanenſes* pluribus incommodis, (proiectiones enim bombardarum plurimum eos atterebant, vt facilis viſa eſſet ciuitatis conquiſitio, ſi exercitus in eius obſidione & expugnatione ea opera, qua circa *Choynicza*, vſus fuiſſet,) de pace agendum, veriti extrema, duxerunt. Pro qua & in *Pelplin*, & aliis locis, per varios D tractatus interpoſitio, caſſa tamen facta erat. Et licet aliquanto tempore pro pace fuiſſet laboratum, infectum tamen negotio diſceſſum eſt.

Poloni Gedanum veniunt,

& portum diſiiciunt.

Feria ſecunda poſt feſtum *S. Laurentii*, a *Gedano* non ſine plauſu & lætitia ciuium, conſumptis omnibus quæ in vicinia erant, exercitus *Poloniæ* receſſit, & ad oppidum *Tucholya* ſextis ſtatiuis perueniens, dum ſtatiua prope oppidum ponere voluiſſet, bombarda magna crebro ex caſtro miſſa, vetitus eſt. Propter quod in locum medii fere miliaris, ab oppido ſeceſſit, & illic caſtra locauit. Ab inde conſurgens in *Iaſſzyeniecz* venit, vbi diebus quatuor ſtatiua habuit. Venerant enim Commendatores, milites, & Ciues *Pruſſiæ*, ad tractandum de pace. Intra dies autem illos, cum Pri-

1433 Primores pacis tractatui vacarent, exercitus *Bohemorum* verſus *Bidgoſtiam* diſceſſit, vt facilius, fame afflictus, in *Polonia* alimenta conquirens, refici poſſet: iunioresque milites ſe inuicem cohortati, cum eſſent numero pauci, ad expugnandum caſtrum *Iaſſzyeniecz* iniuſſu Capitaneorum procedunt. Quæ nouitas dum in exercitu percrebuiſſet, vniuerſus exercitus, armis ſumptis, quaſi ſigno dato, eos eſt conſecutus. Circumdato itaque ab omni parte caſtro, ingenti alacritate & audacia, ad eius expugnationem tanta vi, tantaque velocitate & violentia incumbunt, vt vnum animum omnes habere, atque hæc coram cernere Regem ſuum exiſtimares, *Dobeslao Puchala* Capitaneo *Bidgoſtienſi*, ſuis bombardis caſtrum fortiter quatiente. Licet autem per caſtri habitatores notabiles fuiſſet reſiſtentia aliquot horis oppoſita; metu tamen perculſi, dum nimia pertinacia viderent ſe expugnari, cedunt, & *Poloni* caſtro *Iaſſzyeniecz* potiuntur, vno tantummodo de ſuis nobili *Ioanne Lewin*, de domo *Roſæ*, de *Vilczino*, dum antemurale conſcenderet, ex ictu lapidis deſiderato. Præda omnis quæ in caſtro reperta fuerat, dum per *Polonos* apprehenſa & ſublata fuiſſet, caſtrum ipſum, in quo præſidium notabile relinqui poterat, improbitate vnius *Poloni* incenſum, conflagrauit. Captiui omnes, propter interfectionem *Ioannis Lewin*, ſecti & trucidati ſunt, nec alicui parſum eſt. Et adeo ſanguine deuictorum parentatum, vt & hi, qui aliquo *Polonorum* habitu, quo ſubduci poſſent, velabantur, mirabili indagine & perſcrutatione ingenti cogniti, mox interficerentur intra manus illos educentium. Ab eoque tempore locus caſtri præfati *Iaſſzyeniecz* in ſolitudinem redactus eſt & deſolationem.

Caſtrum Iaſſzyniceza Polonis diripitur & incenditur.

Singulari moleſtia Commendatores Nunciique Cruciferorum qui coram aderant, expugnationem caſtri *Iaſſzyeniecz*, & deinde exuſtionem, ſuorumque necem ferebant, carpebantque plurimis querelis Capitaneos & primores *Poloniæ*, quod ſub tractatu pacis expugnatio illa ſubſecuta fuiſſet. Qui etſi ſe purgabant, *quod id ſine imperio & ſcitu eorum acciderit, iure tamen belli id accidere potuiſſe* deducebant. Cum in illam diem nulla eſſet pax compoſita, aut firmata, qua ſubſecuta, tum demum nihil ſibi hoſtile vereri deberent. Accelerandum itaque Cruciferi, & pacem componendum probabant; quæ poſt varios tractatus in hunc modum fuit compoſita. *Primo, vt induciæ Catholicæ inter Regnum Poloniæ, & Cruciferos, vſque ad feſtum Epiphaniæ durarent. Secundo vt pro die S. Andreæ in oppido Brzeſczie conuentio fieret; in qua Conſiliarii partis vtriusque conuenientes, de pace tractarent. Tertio vt captiui Cruciferorum, qui mirabili fame & nuditate attriti erant, & loca quæque caulium aut raparum, per quæ eos ire contingebat, velut locuſtæ demolirent, relaxarentur, repræſentaturi ſe pro feſto Epiphaniæ, ſi abſque pacis perpetua, vel ad tempus, concluſione ex conuentione Brzeſtenſi, pro die Sancti Andreæ habenda, diſcederetur.* Erat autem in cordibus multorum admiratio ſingularis, quod Cruciferi intra obſidionem ad *Choynicza* continuatam, ſed neque poſtea pluribus diebus, nihil de pace agitabant, donec vniuerſa terra *Pomeraniæ* igne & ſpoliis vaſtaretur; tunc enim demum omnis opera per eos pro pace adhibita eſt, cum ea ſolicitudine & diligentia, vt exercitum *Poloniæ Gedano* procedentem, continui eorum Nuncii, nouis & recedentibus, ſuccedentibus, vſque ad *Iaſſzyeniecz*, & vſque ad pacis concluſionem, ſequerentur, dum iam pauca reſtarent, quibus ignoſci, & parci poſſet, & exercitus *Poloniæ* in ſua reuerti diſpoſuiſſet. Adeo enim, confeſſione eorum, in tecta, in vicos, in oppida, in curias, quæ quiſque aut conſpexerat, aut adierat, igne eo bello ſæuitum eſt, vt ſolummodo quatuordecim villæ, in tota terra *Pomeraniæ* remanerent intactæ, quas exercitus *Poloniæ*, quoniam inter lacus, & in locis paludinoſis ſitæ erant, adire neglexerat. Compoſita autem, conditionibus quas ſupra diximus, pace, & poſtquam omnia ferro, igne, ſpoliiſque, ſatis in *Pomerania* vaſtata erant, exercitus de terra hoſtili incolumis & victor, reductus & reportatus eſt; tandem per Capitaneum *Nicolaum* de *Michalow* Caſtellanum *Cracouienſem* licentiatus, & vexilla per ſigniferos, ipſi *Nicolao* Capitaneo, & cæteris Baronibus reſtituta ſunt, variiſque itineribus vnuſquiſque ad lares ſuos, viſurus propinquos & neceſſarios, celeritate qua poterat, regrediebatur. *Bohemorum* autem exercitus a *Bidgoſtia*, per viam qua venerat, in *Bohemiam* reuertebatur. Notabiliores tamen ex *Bohemis*, cum *Czapkone* Capitaneo verſus *Pizdri* procedebant. Vt enim illuc accederent, ita eis erat a *Wladislao* Rege imperitatum, præmia ſui laboris ibi relaturi. Nec moueat quempiam lectorem, eum præſertim, qui ſingula altius rimari conſueuit, quod *Polonorum* gens in eo bello, plures Eccleſias, & monaſteria, incendio violauit, quaſi conſortio *Bohemorum* mores crudeles induiſſet; Viciſſitudinem enim Cruciferis reddidit; qui & *Wladislauienſem*, & plures Eccleſias in *Polonia*, non ſunt veriti igne abſumere. Nihil enim bello hoc *Poloni* de moribus *Bohemorum* hauſerant: quinimo Deo corda eorum dirigente, deteſtari eorum hæreſim, ſectam, & mores, vehementius ab eo tempore cœperunt, etiam hi, qui illis clandeſtine fauere conſueuerant, poſtquam ſpurcitias eorum viderent, multum diſtantes & abhorrentes a cultu Catholicæ puritatis. Quinimo dicere auſim, quod illa *Polonorum* cum *Bohemis* tunc habita communio, in maximam ſalutem & profectum *Polonis* conuerſa eſt, dum eos extunc, iuxta ac quandam, vt erat, ſentinam, & peſtem perniciosam, cœperunt abominari.

Cruciferi pacem ad tempus faciunt.

Exercitus Polonicus dimittitur. 1433

Infra autem omne illud tempus, quo expeditio

1433 ditio contra *Pruſſiam* durauit, *Wladiſlaus* Rex in *Conin*, vt ſupra commemorauimus, continuauit manſionem ſuam. Superuenerat autem in locum illum, quædam ſingularis mortalitas hominum, vt plerique mortales per eam abſumerentur: inter quos & *Ioannes Schafranyecz* Epiſcopus *Wladiſlauienſis* Regni *Poloniæ* Cancellarius, de domo antiquorum Equorum, qui circa Regem ad ſuſtinendum Conſiliorum pondus, longo tempore morabatur, vigeſima octaua die menſis Iulii, in villa *Brodnya*, exactis in Pontificatu annis ſex, abſumptus eſt. Cadauer vero ſuum, quoniam ita teſtamentaliter ordinauerat, *Cracouiam* tranſportatum, in capella Sancti *Stephani*, cuius ipſe cum germano ſuo *Petro Schaffraniecz* de *Pyeskowa Skala* Palatino *Cracouienſi*, dotator erat, ſepultum eſt. *Wladiſlao* autem Rege petente & inſtante, *Wladiſlaus* de *Oporow* Decanus *Cracouienſis* & Regni *Poloniæ* Vice Cancellarius, de domo *Sulima*, in Epiſcopum *Wladiſlauienſem*, per Capitulum eiuſdem Eccleſiæ, electus eſt, & per *Eugenium* Papam quartum confirmatus, ac per *Albertum Iaſtrzabiecz* Archiepiſcopum *Gneſnenſem*, *Sbigneum Cracouienſem*, *Ioannem Chelmenſem*, Epiſcopos, in *Lancicia*, in monaſterio fratrum Prædicatorum, anno ſubſequenti conſecratus.

Io. Schafraniecz. Epiſc. Wladiſlauienſi

ſuccedit Wladiſlaus de Oporow.

Conſumpta fere omni æſtate *Wladiſlaus* Rex ad *Conin*, cum iam exercitus ſuos de terra hoſtili exiuiſſe ſciuiſſet ac ſenſiſſet, & ipſe de *Conin* egreſſus, verſus *Pizdri*, & deinde pro feſto *S. Bartholomæi Siradiam* proceſſit. Quo cum perueniſſet, *Czapko* Capitaneus & alii notabiliores exercitus *orphanorum Bohemorum*, iuxta ordinationem ſuam, illuc aduenerant. Quos diebus aliquot fauoroſe tractans, ipſis, prout meritum cuiuslibet exigebat, pecunias, vaſa aurea & argentea, veſtes, nobiles equos, largitus eſt. Qui cum maxima beneuolentia & gratitudine licentia accepta, exercitum ſuum ſunt ſecuti. Ex *Pizdri*, *Wladiſlaus* Rex per *Siradiam*, *Przedborz*, & alia ſolita loca, in *Sandomirienſem* terram proceſſit. Et cum pro feſto Sanctæ *Heduigis* in *Prziſchow* veniſſet, venit ad eum Magiſtri *Criſtanni* de *Praga*, ea tempeſtate maximi & famoſi Aſtronomi, Nuncius, quidam Presbyter, ſecta hæreſis *Bohemicæ* infectus. Is ſibi pro ſingulari nouitate aſferebat, *quod anno ipſo, Planetarum in orbibus ſuis pleraque conjunctiones fierent, & Luna nocturna & ſubterranea Eclipſis. Propter quas, multæ varietates, bella inter mortales, & validiſſimorum ventorum circa feſtum S. Luciæ flatum, morteſque Regum & Principum, accidere neceſſe eſt.* Monebatque, *vt & ipſe ſuæ domui diſponeret, cum multi cæleſtes effectus, ipſa quoque ætas grauida, mortem ſibi vicinam nunciarent.* Et quia *Wladiſlaus* Rex Nuncium ipſum [ita enim experierat] excluſis arbitris audiebat, *Sbigneus* Epiſcopus *Cracouienſis* ve-

Wladiſlaus Rex auxilia Bohemorum multis ornat muneribus.

Aſtrologique heretici nuncium audit,

quo nomine a Sbigneo Ep.

ritus, ne Presbyter ipſe aliquas venenoſas perſuaſiones, in fidei contumeliam, & hæreſis coA honeſtationem, attuliſſet, cum & ipſe Presbyter in tabula, & in aliis locis, ſectam *Bohemorum*, pluribus rationibus, multipliciter apud laicos promoueret & extolleret, grauiſſime, vt par erat, motus, Regem *Wladiſlaum* aggreſſus, corripuit: *Cur, eo, & aliis Conſiliariis non adhibitis, Presbytero heretico audientiam præſtitiſſet?* Rex pro ſui purgatione, *nihil illum de rebus fidei ſibi, ſuo aut alterius nomine, locutum* aſtruxit: *ſed de quibuſdam nouis effectibus cæleſtibus quos Solis eclipſis eſſet productura.* Non quieuit tamen *Sbigneus* Epiſcopus, ſed denunciauit Regi, *vt Presbyterum illum, aut celerius remitteret, aut ipſe iure ſuo, comprehenſo eo, in* B *illum vteretur: cum non liceret ſibi, aliquem male in fide ſentientem in ſua diœceſi tolerare, præſertim ne aliorum infirmiorum & ſimplicium infectio ſequeretur.* Hac denunciatione Rex compulſus, Presbyterum pauidum, adiuncto ſibi conductore, remittit.

1433 Cracov. obiurgatur.

Apparauit & tunc Cometes ſtella, notabilis quidem & lucida, caudam ſeu facem porrigens in occidentem: quæ a veſpera vſque ad auroram rutilabat, curſumque prope menſibus tribus peregit. Eius autem apparitio ſingulorum præſumptione *Wladiſlaum* Regem non poſt plures dies fatorum lege diſſolui portendebat.

Cometa.

Æſtate præſenti, qua talia gerebantur, *Alexander Voieuoda Moldauiæ*, qui beneficiis C *Wladiſlai Poloniæ* Regis multiplicibus peſſime reſpondens, quod videlicet hoſtem ſuum & Regni ſui, Regi & Regno fracta fide, adiuuabat, moritur. Ac inter eius duos filios, *Heliam*, & *Stephanum* alias *Steczkonem*, diuerſis matribus genitos, quos ſuperſtites reliquerat, grauis contentio, vter eorum in Voieuodatum ſuccederet fuit exorta. Quia tamen *Helias* natu erat maior, & per patrem, dum adhuc viueret, ad gubernandum Dominium deſignatus, facile ſibi Dominium totius *Valachiæ* vendicans, & fratrem *Stephanum* eiecit, & matrem eius vndis ſuffocauit. *Stephanus* autem a fraterno conſpectu fugiens ad montanoſque perueniens, ſibi illos in breui D [erat enim ingenio ad omnia promptus] conciliauit: Sed a *Turcorum* Cæſare, petito & obtento in gentibus ſubſidio, in *Valachiam* rediit. Quod cum *Helias* Voieuoda ab exploratoribus cognouiſſet, coacto omni ſuo exercitu, ſibi in obuiam proceſſit, facile ſperans ſe illum, externa duntaxat auxilia habentem, proſtraturum. Verum quoniam *Valachorum* gens, quæ de ſtirpe *Italorum* creditur deſcendiſſe, & terras *Slauorum* vberrimas occupaſſe, naturaliter ingeniis callidis, & ſenſu vafro, abundat, perſpiciens *Heliam* Voieuodam ingenio leui & deliro eſſe, animum ſuum ab eo alienatum & auerſum, in *Stephanum* conuertit, exiſtimans per eum (prout eſt hominum natura ſpe-

Alexandro Palatino Valachiæ

ſuccedit Helias filius,

1433 ſperans nouos præſtare veteribus) melius Reipublicæ adminiſtrandum eſſe regimen. Dum itaque vterque cum ſuo exercitu adueniſſet, & A pugna ab vtraque parte inita, & in longum dici continuata & exacta eſſet, *Helias* a ſuis deſertus, vix ſe fugæ beneficio ſaluauit, & exercitus omnis *Heliæ*, paucis, qui faciem *Stephani* verebantur, *Heliam* ſecutis, *Stephano* adhæſit, & ipſum, velut virum maturum & prouidum, pro Domino & Principe accepit. *Helias* autem veritus, ne *Stephanus* in vltionem matris aliquid in ſe & coniugem ſuam, vel liberos, grauius conſuleret, nullibi ſubſiſtere auſus, metuens choleram victoris, cum vxore & omni prole, ac ſuppellectili ſua in *Poloniam* B deuenit, & ad *Wladislaum* Regem, qui tunc ex *Przischow* diſcedens, pro feſto *S. Martini* conuentionem in *Nyepolomicze*, cum Prælatis & Baronibus Regni ſui agebat, aduenit. Quem *Wladislaus* Rex pauidum ex fuga ſuſcepit, inopemque pluribus donariis & rebus confirmauit. Subſecuta eſt illico a *Stephano* ad *Wladislaum* Regem notabilis cum donis legatio, *ne pro hoſte ipſum duceret, neu fratri ſuo Heliæ auxilia præſtaret, paratum ſe, more maiorum, & homagium, & debitam ſubiectionem atque aſſiſtentiam exhibere* His rebus in Conſilio digeſtis; placuit *Heliam* in Regno, datis ſibi oppidis & poſſeſſionibus Statui ſuo congruis, quo fidelior ſubiectiorque eſſet *Stephanus*, retinere, & a *Stephano* homagium fidelitatis ſuſcipere. Cumque in hunc modum Rex ordinata Conſilii executus fuiſſet, & præfato *Heliæ* notabiles curias, oppida, & villas, pro ſuſtinendo ſtatu ſuo conſignaſſet, *Helias* ipſe clandeſtine, omnibus ſuis deſertis, fugiebat. Qui cum in fuga per Nobilem *Ioannem Kola* fuiſſet comprehenſus, & ad Regem reductus, decernentibus Conſiliariis, *Petro Schaffranyecz* Palatino *Sandomirienſi* & Capitaneo *Siradienſi*, traditus eſt, vt illum *Siradiæ* clauſum teneret. Fuitque ipſe *Helias Siradiæ* longo tempore cuſtoditus & ſeruatus, omniaque habebat in libertate, præter egreſſum. Vxor quoque ſua, & liberi ſui, illic morabantur. Quæ res *Stephanum* mirabili affectione erga Regem & Regnum deuinxerat, vt omnia imperata prompto animo exhiberet ſe facturum. Vnde non longe poſt, *Tartarorum* exercitum tranſire in terras *Ruſſiæ* & *Podoliæ* conantem, non ſolum prohibuit, ſed etiam congreſſu cum illis habito, fudit. Caſtrum inſuper Regni, in *Podolia*, *Braczlaw*, quod tunc per *Ruthenos* occupatum tenebatur, conquirens, *Wladislao* Regi & Regno *Poloniæ* reſtituit: quod fuit extunc *Derslao Wloſtowsky* per Regem commendatum in tenutam. Quamuis enim præfatus *Helias* Voieuoda, *Mariam* ſororem germanam *Zophiæ* Reginæ *Poloniæ* haberet in conſortem, affinitati tamen Reſpublica prælata eſt.

Qui a fratre Stephano eiectus

in Poloniam fugit

vbi primum oppidis & villis donatus,

poſt in vincula coniectus eſt.

Tractatibus & negotiis pluribus, pro feſto Sancti *Martini* & diebus ſubſequentibus, in *Niepolomicze* recenſitis & digeſtis, deputatisque Prælatis & Baronibus, qui conuentioni, cum Cruciferis pro feſto *S. Andreæ* in *Brzeſczie* tenendæ, intereſſent, *Wladislaus* Rex verſus *Lanciciam* per ſolita loca proceſſit, & ibi, durante conuentione *Brzeſtenſi*, quo facilior ad eum, ſuper emergentibus, conſulentibus eſſet acceſſus, ſtetit. Feſto autem *S. Andreæ* adueniente vtraque pars, prout conuentum erat, in notabili Prælatorum & Conſiliariorum numero in *Brzeſczie* conuenit. Dum autem nouem diebus varii habiti fuiſſent, de pace perpetua vel temporali, tractatus, nulla tamen finalis concluſio, intercedentibus aliquibus difficultatibus, poterat elici, vel componi; propter quod vtraque pars, infecta re diſcedens, ad bellum adminiſtrandum ſe parabat. Celeriori itaque paſſu, quam conſueuerant, Prælatis & Baronibus ex *Brzeſczie* in *Lanciciam* reuerſis, & quid agi placeret, diebus aliquot calculantibus, hæc ſententia & concluſio habita eſt, vt ſuo duntaxat milite, non expectata æſtate bellum per hyemis & veris tempora *Pruſſiæ* inferatur; cum & pabulum exercitui non poteſt deeſſe, & maior terror damnaque hoſtibus poſſent irrogari & omnis exercitus in *Pruſſiam* traduci, eo quod *Visla* fluuius frigore nimio conſtrictus, glacieque induratus, facilem exercitui daret tranſitum, & C terra *Pruſſiæ* igne & ſpoliis premi poſſet. Dies itaque Epiphaniarum conſtituta erat, in qua vniuerſi exercitus ad metas, in *Doninow* conuenire, & deinde hoſtiles terras ingredi debuerant, cum magna alacritate militum, id bellum indictum acceptumque eſt. Et iam mandata Regis in omnes ſubditos terrasque publicabantur, & milites, quæ opus erant pro repellendo frigore, ſibi & ſuis præparabant. Vna difficultas Regem & Conſiliarios angebat, quod pecuniæ exercitu largiendæ deerant, quas congerere breuitas temporis prohibebat. Sine pecuniis vero ire in bellum Primores metuebant, propterea, quod ad *Choyniczam*, obſidione durante, milites in ſeditionem verſi, Barones & Conſiliarios pluribus D aſpergebant contumeliis, quod donatiuo bellico illis non impenſo, ad bellum gerendum eos traxiſſent. Nec impendens aliter ſedari ſeditio poterat, donec ab omnibus iuratum eſt, non ſe amplius in aliquod bellum, donatiuo non præcedente, conſenſuros. Ad ſoluendum difficultatem hanc, repertum erat, vt quilibet Palatinus, terræ, cui præerat de ſolutione donatiui, cautionem faceret. Cum iam, his & aliis pluribus ad bellum ea hyeme gerendum, compoſitis, *Wladislaus* Rex *Lancicia* conſtituiſſet recedere; venerunt ſubito Magiſtri & Ordinis *Pruſſiæ* Nuncii notabiles, *Volfgangus* de *Sanſiben Oſterodenſis*, *Ioannes* Marſchalcus, *Ioannes* miles de *Bayſe*, alias de *Longerdorff*, & *Ianuſſius* Iudex *Culmenſis*, & pacem, quam 1433

Nulla pace in Brzeſczie ſecuta,

Poloni non bellum contra Cruciferos reintegrant.

Quod Cruciferi audientes

1433

quam in *Brzeſcie* nolebant accipere, petebant. certificati enim erant pluribus auiſamentis, molem belli in illos, magno omnium conſenſu, parari. Et quoniam de pace perpetua, temporis breuitas, & paucitas Nunciorum non patiebatur tranſigere, induciæ ad duodecem annos, quæ omne bellum intercipiant, ſub certis conditionibus, Statum Regni ſolidantibus, firmantur. Ea etiam conditione appoſita, vt pro die Natiuitatis *S. Mariæ* Virginis, teneatur in *Slonsko*, ad tractandum de pace perpetua conuentio, inter partes.

ad 12. annos obtinent inducias.

Sigiſmundus Imp. coronatur.

Secuta fuit eo anno, *Sigiſmundi Romanorum*, *Hungariæ*, & *Bohemiæ* Regis, ad Imperiale faſtigium, coronatio. Dum enim pene vno anno *Mariæ Angeli Philippi* Ducis *Mediolani*, in *Mediolano*, & deinde *Senis* ſteriſſet; *Venetiſque* propterea, quod cum hoſte eorum Duce *Mediolani* communicaret, ſuſpectus eſſet; Sed nec *Eugenius* Papa quartus, qui & ipſe *Venetus* erat, ſinceriter ſibi de inſigniis Imperialibus faueret: Veritus tamen, ne vniuerſam *Italiam*, ſuis callidis ingeniis, bellis inuolueret, ceſſit neceſſitati, & quibuſdam conditionibus & pactis interpoſitis firmatiſque, coronare illum repromiſit: quo facilius ſe authoritati, decretiſque, & priuationi, depoſitionique Concilii *Baſilienſis*, ſubduceret. Agebatur enim, vt ſupra demonſtrauimus, Concilium generale in *Baſilea*. Et concurrentibus ad illud Regum & Principum Legatis, Prælatiſque, Doctoribus, ac cæteris Eccleſiarum viris, omnium Regnorum & Regionum; Cardinales etiam fere omnes, deſerto *Eugenio*, ad illud confluxerant, omnium ad id aſpirabat, & intentio & conſenſus, vt ipſe *Eugenius* deponeretur, propter certa crimina & exceſſus, quibus illum notatum dicebant; & ſignanter, quia Concilium *Baſilienſe* ingeniis omnibus diſſoluere, ne cogeretur abuſuum ſuorum reformationem accipere, laborabat. Iam plura ad hanc rem conficiendam edebantur monitoria, & cenſuræ, varios continentes proceſſus: Iam depoſitio ſua ab omnibus comprobata, propediem debebat pronunciari: non dubitabatur enim executionem realem, florente ſtatu Concilii, habitura. Interea tamen cum coronatio *Sigiſmundi* Regis *Romæ* expedita, conſumataque fuiſſet, Cæſar ipſe, celeriter *Roma* excedens, magnis itineribus *Baſileam* contendit, vt depoſitionem *Eugenii* præueniret. Quo cum veniſſet, id ſibi inprimis agendum exiſtimauit, vt depoſitionem *Eugenii* impediret & auerteret. Pluribus enim precibus, largitionibus, & promiſſis, *Eugenii* ineſcatus, onus illud ſuſceperat. Primum itaque omnium fere Cardinalium animos ipſi *Eugenio* reconciliat: Deinde Legatos Regum & Principum, Prælatoſque & Primores, ne depoſitione *Eugenii*, ſchiſma execrandum in Eccleſia Dei, opera ſua in Concilio *Conſtantienſi* extinctum, reſuſcitent, monet & hortatur. Facileque omnium animis in miſericordiam verſis, cum & ipſe *Eugenius* diſſolutione Concilii reuocata, illud approbaſſet, & ad præſidendum in eo, duos Cardinales, *Nicolaum S. Crucis* in *Hieruſalem*, & *Ioannem S. Petri* ad vincula: *Ioannem* Archiepiſcopum *Tarentinum*, & *Ioannem* Epiſcopum *Paduanum*, miſiſſet: depoſitionem ſuam non ſolum immutat, ſed in totum pro vice illa reſcindit. Creſcunt aduentu Cæſaris, Cruciferis de *Pruſſia*, animi, & ſæpe in congregatione generali, *Wladislaum* Regem, quod hæreticos Bohemos ſuſtentaret, ſugillant: ſæpe in graues contentiones cum Prælatis *Poloniæ*, quorum aliqui illuc iam ſuo nomine peruenerant, deſcendunt. Cæſar ipſe, querelam, quam *Romæ*, coram *Eugenio* in publica audientia fecerat, contra *Wladislaum Poloniæ* Regem in Concilio reſumit, quod ſibi pacta, fœdera, & iuramenta, ſecum percuſſa, præuaricatus eſſet. Cui per Aduocatos Regios ſufficienter ad omnia accuſationum capita, ſicuti in Vrbe, & in *Baſilea*, eſt reſponſum: adeo, vt ipſe Cæſar, plus ex illis querelis ignominiæ, quam honoris, intelligeret ſe quæſiſſe. Sed nec comminationes ſuæ, quibus in Regem & Regnum *Poloniæ* tunc tonabat, appendebantur, conditione ſuæ naturæ attenta, qua ſupra menſam, mero grauis, ſingulos in circuitu debellabat hoſtes. Quo digeſto, & ira diſcuſſa, alterius vir efficiebatur, & voluntatis, & clementiæ.

& in Concilio Baſileenſi laborat, ne Eugenius Papa deponatur.

Wladislaum vero Poloniæ Regem tam Baſilea, quã Romæ accuſat.

Odiis rixiſque ferocibus inter *Boleslaum Oppolienſem* ab vna, & *Nicolaum Rathiborienſem*, Duces, partibus, ab altera, exortis, *Boleslaus Oppolienſis*, Dominium hoſtis ſui *Nicolai Rathiborienſis*, inuadens, illud vaſtaret, a *Nicolao Rathiborienſi*, ante oppidum *Rybniki* congreſſu facto, victus atque proſtratus, fuga ſibi ſalutem quæſiuit: & *Nicolaus Rathiborienſis* Dux oppidum *Bithom* cepit. Septima Aprilis, *Caſimirus Oſſzwiacimenſis* Dux, filius *Premiſlai* iunioris a *Bohemo Chrzan* occiſi, in caſtro ſuo *Oſſzwiaczim* diem obiit, in monaſterioque fratrum Prædicatorum in *Oſſzwiaczim* ſepultus eſt: tres filios relinquens, *Venceslaum*, *Przemislaum* & *Ianuſſium*, ex *Anna* filia *Ruperti* dicti *Szperlink*, *Zeganenſis* Ducis, ſuſceptos. Inter quos diuiſione celebrata, ceſſit *Przemislao Zathor*, *Venceslao Toſchok*, & *Ianuſſio Oſſzwyaczim*. *Strzelno* enim *Caſimirus* præfatus Dux viuens, *Boleslao Oppolienſi* Duci vendiderat. Primogenitus autem eius *Venceslaus*, amore *Margarethæ* filiæ Vrbani *Kopczowsky* dicti *Swirczina* (terrigena hic de *Seuerienſi* Ducatu erat, nobilis de Domo *Nowyna*) captus, quatuor filios ex ea genuit, videlicet *Caſimirum*, *Venceslaum*, *Ianuſſium*, & *Wladislaum*; ac tres filias, *Zophiam*, *Catharinam* & *Agnetham*. Duabus autem peſte epidimiæ abſumptis, ſola *Agnes* relicta eſt ſuperſtes.

Oppolienſis Dux a Rathiborienſi vincitur.

Caſimirus Oſſzwiacimenſis moritur.

Dux

1433 *Switrigal iterum Lithuaniam vaſtat*

Dux *Switrigal*, terras *Lithuaniæ*, cum exercitu forti, ex *Liuonis*, *Ruthenis*, *Tartariſque* collecto ingreſſus opportunum tempus nactus: A quo *Sigiſmundum* Ducem magnum *Lithuaniæ*, non poſſe *Polonorum*, qui tunc *Pruthenico* bello occupati erant, iuuari auxiliis intelligebat; credebat enim in oppugnatione *Choynicæ* magnam virtutem *Polonorum* cecidiſſe; atque hæc ad eum Magiſter *Pruſſiæ* latius atque inflatius perſcribebat. Itaque ad modum fortunæ falſæ, ſibi ſuggeſtum, mouere ſe cœpit. Dux autem magnus *Sigiſmundus*, etſi ex *Lithuanis* & *Samogithis* exercitum collegiſſet, nunquam tamen pugnandi copiam fecit: ſed per loca inuia traducens exercitum, gentes Ducis *Switrigal* pabulatum euntes, plurimum vexabat, pluribusque afficiebat incommodis, B Decernere enim campo, iudicabat periculoſum, cum quod non æquo Marte videbat ſe pugnam initurum, tum quod ſuis plurimum diffidebat. Nouerat enim *Lithuanorum* ingenia fluxa nimis eſſe, & ex leui momento variari. Recenter enim ex inſidiis ſibi per ſuos ſtructis, euaſerat, & capita conſpirationis, videlicet *Ianuſſium Trocenſem* Palatinum, *Rumboldum Lithuaniæ* Marſchalcum, cum pluribus aliis, ſecuri percuſſerat. Futurum itaque ratus, ne a ſuis, cœpto certamine desereretur, cum quorundam animos, cognoſcebat a ſe, propter eorum quos capite damnauerat, & qui illis conſanguinitate C iuncti erant, mortem, alienatos & offenſos, exercitum intra caſtra continuit, & venienti ad ſe *Switrigyello*, in loca occultiora ſe recipiens, ceſſit. *Switrigal* vero, etſi loca principaliora *Lithuaniæ*, *Vilnam*, *Troky*, *Lidam*, & alia, incendiis & ſpoliis vaſtaſſet, redire tamen in terras *Ruſſiæ*, & exercitum diſſoluere, nullo egregio opere ædito, coactus eſt, eo, quod exercitus ſuus, pabulatione per gentes *Sigiſmundi*, magni Ducis *Lithuaniæ* prohibitus, grauem inediam contraxerat, multique de ſuis, quolibet die & pabulatione, captiuabantur. Et licet præfatus Dux *Switrigal*, miſſo *Iuaſchkone Moniuidowicz* ad *Tartaros* cum muneribus, eos tranſire in auxilium ſibi, velut Ducatum ma- D gnum obtinenti, pellexerat, *Tartarorum* tamen exercitus ad fluuium *Nyepr* perueniens, & *Sigiſmundum Lithuaniæ* Ducatum obtinere, & cum *Wladiſlao Poloniæ* Rege vnum eſſe cognoſcens, *Iuaſchkone* verbis correpto, in terras *Kiiouienſem* & *Czernieiouienſem*, quæ tunc pro *Switrigyello* tenebantur, diuertit, & ipſas more ſuo crudeliter vaſtauit.

Phethko de Oſtrog Podoliam vaſtans.

Vexabat & Dux *Fethko Podoliæ* terras, & cum *Tartarorum* aſſiſtentia & auxilio, ſæpe prædas magnas inde agebat, ſæpeque profligatus, ab omni equitatu ſuo trucidato, vix ſaluandi ſe per fugam copiam habebat. Quodam vero tempore, dum ſuus & *Tartarorum* exercitus clandeſtine ad ciuitatem *Camyenyecz* acceſſiſſet, & prædas in paruo exercitus numero ageret, maioribus copiis ad montis radices, qui eas optime tegebat, pro inſidiis relictis, *Theodoricus* *Buczaczky* Capitaneus in *Camyenyecz*, caſum non prouidens, paucitate hoſtium contempta, cum paucis ex caſtro, iuxta morem dierum priorum, proceſſit: credens ſe paruam hoſtium manum facile profligaturum. Sed dum exercitus hoſtilis, ſimulato pauore, fugæ ſpatium præbuiſſet, & *Theodoricus* cum ſuis, ſpe victoriæ, auidius illum inſecutus, longius progreſſus eſſet, ex inſidiis hoſtes ſe illico oſtendunt, & qui fugere cœperant, regreſſi, in illum tela coniiciunt. Propter quod multis interfectis, cæteris diffugientibus, ipſe aliquot vulneribus aduerſis ſaucius, captiuatur, & Duci *Switrigal* præſentatur. Cuius captiuitate Magiſter *Liuoniæ* intellecta illum ſibi per nuncios varios, per Ducem *Switrigal* dari obtinuit, vt Marſchalcum *Liuoniæ* captum in prælio circa *Dabki* iuxta flumen *Wyerſcha* habito, longo iam tempore vinctum, liberaret. Conuentione autem in *Brzeſczie*, & deinde in *Lancicia* tenta, & induciis treugarum ad duodecim annos confectis relaxatur Marſchalcus *Liuoniæ* a captiuitate, *Theodorico Buczaczky* etiam vice ſui relaxato. Præfatus autem *Fethko*, adiuncto ſibi Duce *Noſſone*, oppidum *Brzeſczie Ruthenicale* exurens, caſtrum circumuallat, facileque illud ad deditionem, vacuum victualibus, coegiſſet, niſi prouiſione *Wladiſlai* Regis & mandato, Duces *Maſouiæ*, & exercitus terrarum *Ruſſiæ*, feſtinum caſtro *Brzeſczie* laturi ſuccurſum, ad arma conſurrexiſſent. Quorum aduentum *Fethko* & *Noſz* veriti, diſſoluunt obſidionem.

1433 *Theod. Buczaczky ex inſidiis comprehendit.*

Qui pro Liuoniæ Marſchalco captiuo commutatur.

Apparuit in fine huius anni, circa menſium Nouembris & Decembris dies, ſidus crinitum, inſolitæ rutilantiæ, facem ſiue caudam dirigens in occidentem, menſe amplius vno ſupra ciuitatem *Cracouienſem* curſum ſuum exequens. Id quoniam ſummis poteſtatibus exitium aut fatum portendere, vulgo putatur, communi aſſertione & iudicio, *Wladislao* Regi mors imminere aſſerebatur, vicinum eius tranſitum nuncians. Exortum autem eius ſibi vno ex cubiculariis notificante, non ſecus, quam in fatum ſuum comparatum, verbis & geſtu exhorruit.

Huius anni Natalis Domini dies in *Radom* 1434
Wladislaus Rex celebrauit. Ex *Lancicia* ſiquidem procedens in *Viskytky*, terris Ducum *Maſouiæ*, venationibus per dies aliquot operam dabat. Vbi ferarum multarum capta præda, & iuxta moris ſui conſuetudinem, in Prælatos, Vniuerſitatem, & Conſules *Cracouienſes* partita, de *Viskitki* in *Radom* venit. Arctum enim tempus, attingere eum, pro feſto natalis *Chriſti*, *Radomiæ* peractis in *Iedlnam* pro feſto Epiphaniæ venit. Vbi ad illum aliquorum Prælatorum & Baronum numerus confluxit, Ex *Iedlna* vero, pluribus Nunciis *Lithuaniæ* magni Ducis *Sigiſmundi* ſolicitatus, & multifariis precibus inuitatus, in *Lithuaniam* iuit. Reputabat enim Dux magnus *Sigiſmundus*, maximum rebus ſuis adhuc dubiis, allatum iri adiutorium & ſtabilimentum, ſi *Wladislaus*

1433 Rex, eo viſitato, Ducatum magnum per literas & Nuncios ſolennes, ſibi dudum collatum, præſentia perſonali, quo res ſolidior eſſet inſpectantibus popularibus, conferret. Diebus autem aliquot in venationibus abſumptis, dum in *Krinki* aduenisset, Dux magnus *Sigiſmundus*, cum omnibus Prælatis, Principibus, & Baronibus ſuis, ſibi occurrit, & ipſum velut Dominum Benefactoremque ſuum, cum omni humilitate & deuotione excipit. Vt autem gratitudinem liberalitatis & beneficentiæ Regiæ qua in eum, germano Duce *Switrigal* damnato & excluſo, vſus eſt, recognoſceret, plurimis donis in auro, argento, veſtibus, equis, ſuam ſerenitatem honorat. Sed & militibus Regiis plura dona largitur. *Wladislaus* autem Rex aſſecurat & certificat, quod fauorem & aſſiſtentiam ſuam, Ducis *Switrigal* reſpectu, ſibi nunquam ſubtrahet; ſed ipſum omni fauore & auxilio, dum vita comes fuerit, proſequetur. De Ducatu vero *Lithuaniæ* magno, ipſum noua aſſecuratione inueſtit: præcipiens omnibus Prælatis, Principibus, & Baronibus *Lithuaniæ*, vt ſibi & nulli alteri, velut legitimo Duci magno *Lithuaniæ*, in omnibus pareant fideliter, & intendant. Noluit autem *Wladislaus* Rex, licet inſtantia magna a *Sigiſmundo* Duce magno *Lithuaniæ* rogatus, in vlteriores oras procedere. Sed ex *Krinki* per ſolitas ſtationes reuerſus, Carniſpriuii dies in *Lublin* tenebat. Quibus peractis, ex *Lublin* in Quadrageſima ſecedens, per *Sandomiriam*, & alia loca, in nouam ciuitatem *Korczin* peruenit.

Wladislaus Rex Sigiſmundum in Ducatu Lithuaniæ confirmat.

Conuenerant autem in *nouam ciuitatem*, iuſſu Regis, Primores Regni, ad tractandum negotia Regni publica. Vbi de Nunciis ad Concilium *Baſilienſe* mittendis, primum omnis cura intenſa eſt. Vrgebat enim & Regem & Conſiliarios, præſentia *Sigiſmundi* Imperatoris & Cruciferorum de *Pruſſia*. Verebanturque, ne per illos, & eorum calliditates, honor Regis & Regni, præſertim ex commercio cum *Bohemis* habito, fuiſſet laceratus, abſentia Regiorum Nunciorum ſubminiſtrante hoſtibus vires. Iudicio itaque omnium, *Sbigneus* Epiſcopus *Craconienſis*, *Stanislaus* Epiſcopus *Poſnanienſis*, *Ioannes* de *Konyeczpolye*, Regni *Poloniæ* Cancellarius, & *Nicolaus Laſſocky* Decanus *Cracouienſis*, eliguntur. Datiſque ex theſauro Regio pecuniis neceſſariis, communi deliberatione conſtituitur, vt nomine Regis & Regni in Concilium *Baſilienſe* vadant, & illic ſtando, perſonam Regis & Regni, repræſentent: ne qua ex parte Regnum *Poloniæ*, cæteris Regnis Catholicis, in adminiſtrandis & promouendis negotiis fidei, inferius videatur; ſimul, vt hoſtium & inuidorum latratus confutent, ratione, de operibus Regis & Regni *Poloniæ*, publice, ſi opus fuerit, vniuerſali Eccleſiæ reddita. *Sbigneus* autem Epiſcopus *Cracouienſis*, opportunitatem optimam nactus, qua

Sbigneus Epiſc. Cracov.

reprehenſionem in Regem, non minus iuſtam quam neceſſariam, effundere poſſet; timebat 1433
A enim, ſe in *Baſileam* diſcedente, Regem, quod & euenerat, moriturum. Perfungi ergo debito Pontificali deſiderans, tali in *Wladislaum* Regem, in præſentia omnium Conſiliariorum vſus eſt oratione: *Deſignatus*, inquit, *Sereniſſime Rex, per te, & Conſiliarios tuos, ſuſcepi onus cum aliis collegis, tuæ & Regni legationis, in Baſilienſe Concilium perferendæ, quoniam ætas & robur, rerumque omnium neceſſitas, mihi non deſunt. Verum quoniam futurum eſt, vt de vita moribusque tuis indagine facta, veritatem profiteri, abſque fuco alicuius mendacii,*
B *neceſſe erit, ſatis mihi videor & perplexus & anxius, qualem de te vniuerſali Eccleſiæ, dum a me, vitæ conuerſationisque tuæ rationem exegerit, rationem faciam. Scio quidem te manſuetum, deuotum, liberalem, patientem, humilem, & clementem eſſe: ſed has ipſas virtutes tuas, vitia cætera & obſcurant, & æquant. Noctem enim totam in crapula expendis, qua grauatus, interdiu ſomno & quieti vacas. Miſſarum officia ſæpe numero inclinata die audis, Eccleſiæ & Monaſteria, quæ ex deuotione Regibus ſtationes dare ſolent, tuum aduentum ferre non poſſunt: adeo ſtationibus tibi dandis onerata & preſſæ ſunt, vt virorum religioſorum, qui in illis habitare conſueuerunt, numerus, villis &*
C *prædiis deſertatis, dimidio diminutus ſit: quoniam vbi ad ſatietatem non adminiſtrant neceſſaria, villarum pecora, velut deliquiſſent, tuo mandato confiſcantur. Curiam tuam quis ſuſtinere, quis ferre poterit? Vniuerſum Regnum ſe illa grauari clamat, cum ſine ordine, ſine lege, in ea viuitur, & pro libidine auaritiæ victualia, non quæ ſitim aut famem extinguant, ſed quæ currus & domos impleant, exigunt. Agrorum etiam & hortorum fructus, vi & iniuria demoliuntur. Leuiſſimi ponderis, & ligæ denuis cudendo monetam, multiplicas, contra authoritatem & reuerentiam legum, per te & alios Reges editarum, Prælatis & Baronibus tuis improbantibus & inconſultis: poteſtate ad fabricandum eam fœminis conceſſa, cuius tandem vilitas Regnum vniuerſum magno incommodo*
D *ſit oppreſſura. Cauſas viduarum, orphanorum, & oppreſſorum ingredi ad te non permittis, & ingreſſas non decidis. Sequuntur plurimi mortales curiam tuam, non ſine diſpendio rerum & corporum, clamitantes iuſtitiam. Et dum dilationibus terunt tempus, coguntur a proſecutione cauſæ diſcedere, aut iniquas ſuſcipere, quas aduerſarius conſtituit, conditiones. Alienis bonis iniicis auaras manus, & plures ſubditos tuos, quos hic ante conſpectum tuum productos ſtatuo,* [*atque hos produxit, & manu deſignauit*] *non conuictos, hæreditatibus eorum mulctaſti. Podwodarum abuſus adeo inualuit, vt ad quandam barbariem & ſeruitutem, videris Regnum tuum, quondam nobile, & bene inſtitutum, deduxiſſe. Dudum hæc Serenitati*

antequam ad Concilium Baſileenſe proficiſcitur

Regem grauiter obiurgat,

tuæ

1434 *tuæ, quamprimum ex Seruitore in patrem tibi me Diuina præfecit bonitas, primum in abſtracto, deinde arbitris adhibitis, denunciaui; ſolicitans, vt vitam tuam & actiones ad morem finis, qui certe non longe abeſt, componeres, vt ſuperſtitiones antiquas tuas, de quibus me pudor tacere cogit, relinqueres. Nunc diſceſſurus a te, &, vt reor, nunquam te viſurus amplius in hoc mortali ſtatu, publica reprehenſione in te vti volui, vt tam tuæ animæ & honori conſulam, quam meo debito ſatisfaciam. Vellem quidem & ego tibi placere, o Rex, ſed malo te, & Rempublicam Regni noſtri ſaluam fore: quantumcumque infeſto odio in me ſis futurus: ſi vero in his contumax pertinaxque perſiſtere volueris, ſcias me eo animo, ea libertate & conſtantia fretum, vt in te cenſuras Eccleſiaſticas extendam, vt quod paterna correctione non poſſum, virga Apoſtolica reſcindam.* Æquis auribus *Sbigneus* Epiſpopus, publicæ neceſſitatis vindex, audiebatur. Pluresque illi ex Conſiliariis, nutibus & murmure aſſenſi ſunt. Accenſus Rex ſermonibus prædictis, fletus vberes, quos illi, ſiue conſcientia defectuum coram expreſſorum, ſiue rubor & indignatio, exprimebat, eliciendo: *Non erat*, inquit, *officii tui, tot me carpere probris. Adeſt hic præſens Gneſnenſis Metropolitanus, cui reprehenſionem, ſi qua dignus eram, præripuiſti. Fauiſſem*, inquit *Sbigneus*, *Dignitati ſuæ de hac forte. Sed diſceſſus meus in Baſileam, eiusque taciturnitas vel diſſimulatio, coëgit me primas correctionis partes, præſertim, cum is locus in diœceſi mea conſiſtat, occupare.* Tum Rex grauitatem Pontificis *Sbignei*, & ingenuam libertatem non ferens, ſed in bilem prorumpens, beneficiorum frequentiam in ipſum & parentes eius depromebat; hæc quoque adiiciens: *Silent*, inquit, *Archiepiſcopus, & omnes alii Prælati & Barones, tu tibi, priuato odio ineſcatus, has reprehenſiones, cæteris non conſultis neque conſentientibus, vindicaſti.* Dediſſet huic obiectioni, *Sbigneus* Epiſcopus, conueniens reſponſum, niſi vniuerſi Prælati & Barones, moti ſedibus ſuis, omnium illam eſſe reprehenſionem, vniuerſali vociferatione aſtruxiſſent. Quo audito, flens eiulansque ex Conſilio diſceſſit. Meditari quoque cœpit, inuidis *Sbignei* Epiſcopi *Cracouienſis* ſuggerentibus, vt in eum grauius aliquid poſſet vel conſulere vel ſtatuere. Tandem tamen ad rationis arcem confugiens, & iuſtam eſſe reprehenſionem, ex optimoque animo profectam intelligens, maiori honore *Sbigneum* Epiſcopum coluit: numiſmaque cudere interdixit: monaſteriis, cæteriſque oppreſſis & calamitoſis, reſtitutionem bonorum, & adminiſtrationem iuſtitiæ, propitiationemque Regiam, per effectum operis monſtrauit. Quo effectum eſt, vt Epiſcopus *Sbigneus*, ex eo tempore, vir maximus & clarus, commendatione omnium haberetur. *Alberti Iaſtrzębiecz Gneſnenſis* Archiepiſcopi; poſt diſceſſum Regium, cuius indignationem metuebat, in audientia Conſiliariorum, tali commendatus eſt ſermone: *Grauiter*, inquit, *& libere, etſi Regiis auribus ſeuere, vt retur ipſe, & importune, meis certe & aliorum fidentiſſime, & vt Cracouienſem Epiſcopum, Stanislai ſanctiſſimi dignum ſucceſſorem, decuit, veriſſime locutus es: Me omnium, quæ enarrabas, conſcium eſſe, tecumque ſentire noſti: Publice tamen, per metum non auſum. Tanta tamen pro tui muneris officio fiducia charitatis impletum eſt, vt tibi pro hodierna in Regem reprehenſione, & tolerata tolerandaque contumelia, remiſſionem omnium facinorum, Pontifex ipſe Pontifici, & mortalis mortali, a Pontifice æterno audeam polliceri.* 1434

Compoſitis taliter in *noua Ciuitate* publicis rebus, *Wladislaus* Rex *Cracouiam* proceſſit; ibique reſidendo, reliquum Quadrageſimæ tempus exegit: Paſcha quoque Domini illic celebrauit. Cui cum nunciatum fuiſſet, quod Dux *Fredericus Ruſſiæ*, qui ob delicta quædam, patria deſerta, in *Bohemiam* ſe contulerat, & annos aliquot ibi commorando, conditionem, linguam, & mores *Bohemorum* induerat; collecta manu *Bohemorum*, clandeſtine ex *Morauia* procederet, ea intentione & animo, vt quendam montem, de prope caſtrum *Corſchtin* poſitum, occuparet, & fortalicium illic erigens, tam *Poloniæ* quam *Hungariæ* Regna laceſſeret: illico in die Paraſceue, inundationibus aquarum ex reſolutione niuium nequicquam obſtantibus, milites curiæ ſuæ transmittit. Qui etſi pleraſque res, ſuperando flumina aquis inflata, amiſerint, ipſi tamen omnes incolumes ad locum peruenientes, præfatum *Fridericum* Ducem cum ſuis omnibus, compulerunt fugere, & deſtinata exequi vetuerunt.

Fridericus Ruſſiæ Dux a Polonis funditur & fugatur.

Feria ſecunda poſt conductum Paſchæ proxima, *Wladislaus* Rex *Cracouia* egreſſus, in terras *Ruſſiæ*, per ſolitas ſtationes procedebat. Decreuerat enim vſque in *Halicz* peruenire, eo quod conſtitutum erat, vt in *Halicz*, *Stephanus* Voieuoda *Moldauiæ* ſuam Serenitatem accederet, & ibi Maieſtati ſuæ homagium ſolenne, debitæque ſubiectionis & obedientiæ iuramentum exhiberet. Verum cum in curiam ſuam, & villam *Medicam* veniret, ex placido manſuetoque veris tempore, contra naturam frigus validum, vtlut altera hyems, terram premere cœpit, omneſque vernales ſegetes & flores, ſed & arborum pubeſcentia folia, extinxit. *Wladislaus* autem Rex, frigoris auſteritatem nequaquam abhorrens, aut præcauens, feria ſexta poſt feſtum *S. Adalberti*, ex quadam conſuetudine ſua, ſemper in vita ſeruata, quam ex priſco gentilitatis more traxerat, ad mulcendum & ſatiandum dulci ſono auditum, ad audiendum philomelæ cantum, in ſiluas procedens, maiore parte noctis, in audien-

1434 dientia huiuſmodi, abſumpta, frigore in corpus, iam calore naturali inane, extrinſeco vero parum forti, irrumpente, (quippe qui in omni vita ſua, nobilibus pellibus, ſabellinis, mardurinis, vulpiniſque contemptis, agnellinis duntaxat vtebatur,) læſus offenſuſque eſt, ab eoque tempore cœpit viribus deſtitui. Dum itaque in *Grodek* ex *Medica* perueniſſet, Sabbato, in vigilia Pentecoſtes, ad tabulam reſidens, præſentibus *Stephani* Voieuodæ *Moldauiæ* Nunciis, qui pro ſciendo die, quo in *Halicz* pro faciendo homagio Voieuodam Rex venire mandaret, aduenerant, inter prandendum ſubito febribus correptus eſt. Quas dum decem & ſeptem diebus ſuſtinuiſſet, nec arte nec ſtudio Medicorum, vis ægritudinis reſtringi potuit. Itaque ſacra confeſſione aliquoties repetita; Euchariſtiæ & extremæ Vnctionis Sacramentis deuotiſſime ſuſceptis, teſtamentum condidit, quo mandauit, vt omnia per eum iniuſte cuipiam ablata reſtituerentur, & quædam debita ſoluerentur. Deinde annulo, quo illum glorioſiſſima *Heduigis* Regina deſponſauerat, ex articulo depoſito, *Ioanni Schlaboſz* de domo *Wyenyawa*, Cubiculario ſuo, inter paucos charo, illum tradidit, cum his mandatis: *Perfer*, inquit, *hunc annulum, quem in hanc diem, velut rem inter corruptibiles chariorem, in manu mea continue geſtaui, Sbigneo Epiſcopo Cracouienſi, vt illum in ſignum memorialis mei deferat, indulgeatque mihi exceſſus meos, quibus aliquando in illum, pro iuſtis ſuis reprehenſionibus, ira excandeſcens, vtens, ſuam Paternitatem offendebam. Habeatque animam meam, Regnũ, & natos meos, & ſpecialiter Wladiſlaũ primogenitum, commendatos, & pro eorũ amplitudine intendat, attentis beneficiis & fauoribus meis, quæ & quos in illum ſingularius & cumulatius effudi.* Omnibus deinde præſentibus & abſentibus, familiaribus, & ſubditis & quibuſcumque hoſtibus & inuidis ſuis, noxas, crimina, & quoſcumque exceſſus, clara voce dimiſit, relaxauitque, ac fidei Catholicæ puritatem veritatemque profeſſus, Symbolum aliquoties repetiit. Deinde ſana mente, integra ratione, ſpiritum ſuum generoſum & nobilem Domino Deo commendans, feria ſecunda, quæ fuit vltima Maii, hora noctis tertia, velut agnus manſuetiſſimus, inter manus Eccleſiaſticarum & ſæcularium perſonarum, certatim exceſſum animæ eius complorantium & lugentium, obdormiuit, & Regni cœleſtis pro meritis ſuis, ſignanter pro fidei Orthodoxæ dilatatione, palatia ingreſſus, Beatæ Trinitatis viſione, & Sanctorum, quorum, in vita poſitus, honori erat deditus, lætus fruitur conſortiis. Pridie autem, quam expiraſſet, aduocatis militibus, natos illis ſuos, feruidius tamen maiorem natu *Wladiſlaum*, quod forma illum & indole liquidius expreſſiſſet, commendauit. Sententiamque ſuam, vt ſibi in Regno ſuccederet, oſtendit illum filium ſuum, & ex lumbis ſuis ſatum, formam ſuam & nomen habentem, ſibi perſimilem, mores quoque & probitatem ſuam habiturum differens. Rogans & obteſtans, *vt quæ illicite & præter æquitatem ſubditis abſtulerat, ad integrum redderentur.* Huic tamen rogationi non fuit paritum. Germanum ſuum *Wladiſlaum Poloniæ* Regem, *Alexandra* Duciſſa *Maſouiæ*, relicta olim *Semouithi* ſenioris, Ducis *Maſouiæ*, præcedens, die lunæ vigeſima Aprilis, apud *Ploczkam* ſupremum diem clauſit. 1434

Wladiſlaus Rex

& ſoror Alexandra Maſouiæ Duciſſa moriuntur.

Secuta *Wladiſlai* Regis morte, illico Conſiliarii Regis, qui tunc aderant, exceſſum ſuum e vita, primum *Zophiæ* Reginæ, deinde vniuerſis Prælatis, & Baronibus Regni, denunciarunt. Veriti autem, ne mors Regia animos Ducibus, *Switrigyello* & *Fethkoni*, inuadendi Regni terras, ſubminiſtraret; omnes Curienſes Regios verſus *Podoliam*, in armis expeditos, tranſmiſerant, ad repellendum ſubitas *Fethkonis* quas cum *Tartaris* faciebat, inuaſiones. Moratique ſunt Curienſes Regii pro cuſtodia & defenſione terrarum *Ruſſiæ* ab hoſtibus, donec primogenitus Regis, in locum patris fuiſſet ſubſtitutus & coronatus. Corpus tandem Regium in ciſtam ligneam, pice reſinaque oblitam, impoſitum, indutum regalibus & corona, *Cracouiam* ad tumulandum ducebatur, magna multitudine & frequentia hominum illud proſequente. In omnibus autem locis, per quæ illud duci contingebat, magni honores corpori deferebantur, dum quælibet ciuitas & villa pro ſe enitebatur, & contendebat pio certamine, cum, proceſſione obuiam illi exeundo, tum comploratione & lamentis, tum Miſſis exequialibus, pſalmis, vigiliis, & orationibus, tranſitum animæ & corporis Regii efferre & cohoneſtare, ac ſuam deuotionem, affectionem, charitatemque in mortuum exprimere. Nec erat vicus adeo vilis, qui ſuum ſtudium & beneuolentiam in illum nollet notari. Vnde & ſtratæ, per quas corpus ſuum ducebatur, plenæ erant gregibus hominum vtriuſque ſexus, qui etiam ex longinquis oppidis & villis confluebant, mortem ſuam luctibus & fletibus complorantes. Talibus honoribus & ſtudiis hominum, ductura corporis ſui vbique excepta & celebrata, tandem feria ſexta in die Sancti *Barnabæ*, ad vrbem Regiam *Cracouiam*, dum fuiſſet peruentum, primum *Zophia* Regina cum duobus filiis, *Wladiſlao* & *Caſimiro*, corpori obuiam veniens, & multos largoſque fletus effundens, paruulos adhuc filios, ad currum, in quo Regium corpus ducebatur, admouebat. Quorum etiam fletus & lachrymæ patrem requirentes, cæteros omnes aſtantes ad compaſſionem & lachrymas prouocabant. Deinde omnium Eccleſiarum proceſſiones, & omnium ordinum artificumque cunei, poſtremo vniuerſus populus ciuitatis *Cracouienſis*, & eius ſuburbiorum, corpori Regio

Corpus Wladiſlai Regis ex Grodek Cracouiam deducitur.

1434 gio occurrit. Vbi maior comploratio mortis ſuæ eſt ſecuta. Cum ingenti tandem preſſura, in ciuitatem *Cracouienſem* ingreſſus factus A eſt, & ſolennes exequiæ die eodem vbique in templis habitæ ſunt. Corpus vero in Eccleſiam Sancti *Michaelis* in caſtro *Cracouienſi* depoſitum, illic aliquanto tempore ſeruatum eſt, & tam diurnæ quam nocturæ excubiæ circa illud, ſummo ſtudio militum, fiebant. Expectabatur enim Prælatorum & Baronum totius Regni aduentus, nec ſine illis licebat agere Regiam ſepulturam. Iam *Sbigneus* Epiſcopus *Cracouienſis*, & *Ioannes* de *Konyeczpolye* Regni *Poloniæ* Cancellarius, quos ſupra monſtrauimus in Concilium *Baſilienſe* nomine Regis & Regni miſſos fuiſſe, itinere arrepto B *Poſnaniam* peruenerant. Et illic octo diebus ſtando, ſecuritatem locorum per quæ ituri erant, ſibi cum rebus ad longum iter neceſſariis, comparabant, dieque ſequenti continuare illud debebant. Sed eadem nocte, celeri Nuncio Conſiliariorum Regni, mortem *Wladislai* Regis ſignificante, & vt reuerterentur, & de ſumma rerum conſulerent, exhortante, reuocati ſunt. Verebatur enim, ne morte Regis ſecuta, & filiis adhuc impuberibus, aliquæ commotiones ſequerentur. Propter quod & præfati Legati reuocabantur, cum eorum opera magis Regno *Poloniæ*, quam Concilio *Baſilienſi*, eſſet opportuna.

Et Legati ad Concilium Baſileenſe miſſi reuocantur.

Cognita morte Regia *Sbigneus* Epiſcopus C *Cracouienſis*, qui tunc *Poſnaniæ*, tranſiturus in *Baſilienſe* Concilium, agebat, nihil ſibi cunctandum duxit; ſed Barones Primores *maioris Poloniæ*, literis & Nunciis ad veniendum *Poſnaniam* inuitat. Quo cum frequens eorum numerus, nouitate de morte Regis audita, conueniſſet; mors primum Regia ab illis deplorata eſt. Deinde *Sbigneus* Epiſcopus *Cracouienſis*, verba apud illos facit, *vt morte Regis terrorem aliquem animo non concipiant. Sed vnionem charitatemque ſeruare & cuſtodire ſtudeant. Intereſſe duos filios ſtirpis Regiæ, Soli Paterni ſucceſſores, quorum ſubſtitutione, mors Regis corrigi vindicarique poterit. Nec aliqua calamitas turbatioque in Regno pertimeſcenda, cum Rex ipſe viuat in filiis. Accelerandum tamen* conſuluit *cum coronatione filii ſenioris Wladislai, ne aliquæ inteſtinæ diſcordiæ naſcerentur.* In hanc ſententiam ab omnibus reliquis Baronibus itum eſt. Nec fuit aliquis, qui illam, velut Statui Reipublicæ optimam, non probaſſet. Propter quod non ſolum coronationem primogeniti decreuerunt, ſed etiam ad perficiendum illam, diem Sanctorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum conſtituunt. Nuncios quoque ſpeciales tunc deſignatos, ad *Sigismundum* Ducem magnum *Lithuaniæ* tranſmittunt, rogantes & exhortantes, *vt velit, vel perſonaliter venire, vel ſuos Barones, cum plena inſtructione & facultate mittere, qui iuxta inſcriptionum continentiam, in Regis futuri conſentiant coronationem, & præſentia illam cohoneſtent.* Ægre hæc 1434 concluſio, *Poſnaniæ* habita, a Baronibus terræ *Cracouienſis*, lata eſt, quod illis irrequiſitis, inconſultiſque, promulgata fuiſſet. Sed releuabat indignationem, quod & concluſio ipſa vtiliſſima Regno viſa eſt, & illam præfatus *Sbigneus* Epiſcopus *Cracouienſis* ſcitus erat conſtauiſſe, & de Principe commendabili & ſpectatæ virtutis. Eminebat enim iam tunc in *Wladislao* natura benignior, & ad Reipublicæ amplitudinem conſtituendam, feruidum & ciuile ingenium. Et in ætate, licet iuuenili & florida, mores tamen verendi, & Regii in eo iam tunc eluceſcere viſi ſunt.

Coronatio Wladislai in diem Petri & Pauli figitur.

Feria ſexta, in die Sanctorum *Marci* & *Marcellini*, quæ fuit decima octaua Iunii, conuenientibus vniuerſis Prælatis & Baronibus, Proceribuſque Regni, funeri *Wladislai* Regis iuſta peracta ſunt. In Eccleſia ſiquidem maiori *Cracouienſi Alberto Iaſtrzabiecz Gneſnenſi* Archiepiſcopo exequiarum miſſam in cantu celebrante, cæteris omnibus Præſulibus ſibi aſſiſtentibus, corpore Regio præſente, non minus lugubris, quam ſumptuoſa pompa exequiarum, ædebatur. Aderant duo filii Regii, Wladislaus & *Caſimirus*, maxima patriæ ſpes, Palatinorum & Baronum multitudine circumſepti, patris deplorantes mortem. A quibus, & militum frequenti caterua feretrum Regium circumfundebatur. Aderat & *Zophia* Regina, non minori multitudine nobilium matronarum & fœminarum comitata, quæ eiulatus voceſque lugubres, per vniuerſam Eccleſiam diffundebat. Inducebantur in oblationum morem plures equi, magnitudinis raræ, purpuris velati, quos armati milites dirigebant, quorum vnus vexillum, aquilam albam continens, in eminenti haſta, præcedendo deſerebat. Inferebantur altari ſcutellæ, pateræque argenteæ, quæ Regi viuenti cordi eſſe ſciebantur, atque ibidem cum offertorio, cum pecuniis plurimis relinquebantur. Candelis accenſis Eccleſia in locis omnibus flagrabat. Cerei erant ſingularis magnitudinis. Funus pluD ribus pannis de axamento & purpura tegebatur. Magiſter *Paulus* de *Zathor* in vulgari ſermonem habuit, quo actiones pias & optimas *Wladislai* Regis enumerans, omnibus audientibus, ſuo dulci eloquio lachrymas excuſſit. Corpus poſthæc, miſſa finita, ſepulchro marmoreo, dudum pro illo comparato, illatum eſt, atque ſepultum. Extat epitaphium eius editum per Magiſtrum *Gregorium* de *Sanok*, qui poſtea promotus fuit in *Leopolienſem* Archiepiſcopum, in hæc, quæ ſequuntur, verba.

Iuſta Wladislao Regi peraguntur.

Hanc tibi nimbiferam quondam pie Sceptriger odam
Gratior illibuit, pingitur iſta tibi.
Nondũ tantus eram, ut laudis verba merebant,
Numina cum zoticos commeauere tuos.

Epitaphium Wladislai Regis

Di-

1434 *Dicere quid valeo de te, Sereniſſime Princeps,*
Cum mihi tis laudis fama ſepulta foret.
Quanta tamen patulas traiecta meas venit aures,
Vera tui generis, tempus in omne meum
Hactenus hunc tenui breuius perſtringere dolo.
Clara licet, ſilui, Regia geſta melo.
Per lachrymans ſpectans, diſiectos, artubus angor,
Debilis ingenii pectora clauſa mei
Lithuanidum tanta nunquam digniſſima proles
Claruit, aſt ſolum fata dedere ſibi
Te, quem in faſce bonus, meliorem ſtirpe creauit
Olgyerth magnanimus, ſat meminere viri.
Priſca gens varios dum Chriſto cenſuit annos,
Milleque trigenos ſex, ſed & octogenos
Alter & a Iano menſis luſtraret in orbe,
Iam quoque biſſenas voluerat ille dies.
Coluoluere proceres, natu ſimul maiores
Regni totius, culmina iuſtitiæ.
His tua muneribus voluit ſuccurrere dextra,
Pro raptis tunicas ſæpe dediſti nouas.
Afflictis, miſeris, ægrotis, Pater, egenis,
Horum erat auxiliis vita tuenda tuis.
Taliter allectis, ſatagis fidei fore cuſtos
Vt ſtabiles valeant gratius hanc colere.
Flore nouo pingis patriæ telluris acumen,
Torrida quæ longo tempore culta fuit.
Satius vt fieret ibi Chriſti fama coruſcans,
Niteris Eccleſias condere Baſilicas.
Das oppidis illas aliis, Vilno pius ipſam
Condis, ibi ſedem Præſulis altiferam.
Luſtrat adhuc tribus alma locis te ſtructa Cathedra,
Leopoli Eccleſia, Chelm quoque Przemislia.
Nec tantum tribus his refouiſti pectora ſacri
Primus ibi Cleri, prodita quæque vigent.
Gentilicos abigens, iniens ſed Olympicolarum
Ritus, quos nobis cum tibi cura fuit
Reddendo placitas ſuperis depromere laudes,
Sanctos & feſtos concelebrare dies,
Noſtratum; cunctas te Regem chare per vrbes,
Plenius & Dominum conſtituere ſuum.
Hoc tu non habuiſſe tuo tunc corde putaſti,
Surgens matuto tempore, quoque thoro,
Virgæ vel calami iaciendo fruſta putaſti,
Dicere ſuetus eras, o aſtripotens apex,
Rex pie, Rex fortis præter te Chriſte Redemptor,
Hæc quaſi cunctia mea curo ſubacta manu.
Quatuor inde ſuas dum Februus ecce diætas,
Atque decem rubuit, non tibi triſte fuit
Iagyeluo abnuere, Wladislaus nomen habere
Baptiſmi titulo, ſed tibi velle fuit.
Poſtquam dies Solis ſacri Baptiſmatis vſum,
Illuſtris generis ſit tibi iuncta comes
Heduigis tenera, præclara ſtirpe creata,
Dignaque coniugio paruit illa tuo.
Gloria tunc fueras, Patriis, radiatus hore,
Qui per te fidei collibuere Dei.
Vtque Neophyta gens patriis tis nacta ſub oris,
Atque Samogithica gaſa fide Deica.
Aſt mage Noſtrates, quorum tibi fata fuere
Regis etiam forti ſceptra tuliſſe manu.
A *Sic datur alta ſibi gloria tota patris.*
Ocyus alter adeſt coronatus Rex Wladislaus,
Inclyta progenies Regia ſceptra tenet.
O quoties læti comites riſere Poloni.
Regia dum medio brachia nexa vident.
Lethiferum forti iaculum vibrare lacerto,
Inque Gethas enſem iuſte miſiſſe ſuum.
Tunc maduit rubro Prutheno ſanguine campus
Luxit dum Apoſtolicæ Diuiſionis apex.
Getica gens tepuit, pars ſaucia membra reduxit
Cogitur altera ſed ſuccubuiſſe nece.
Tantæ poſt peſtem ſit cladis ſerior illa
Noſtrates, rigido Marte ferire ſuo.
B *Quid referam mage, quippe tenor fidei, ſed Aſylum*
Iuſtitiæ, vero Legis amator erat.
Non opus ergo fuit amplius muſare Camœnis,
Eius cum laudes non latuiſſe queunt.
Cum patulæ vaſtam ſat iam viguere per orbem
Quo Duce tranquilla Regia noſtra foret.
Mille, Pater ſummus, dum Nato cenſuit annos
Quadring, ter denos, addito biſque duos,
Clauſit tunc Zoticos Regum Sereniſſima proles,
Maius poſtremum luxerat ille diem.
Ter ſæua at Iunii funeſtus mœſte videtur
Occuluiſſe ſuo marmoris hoc tumulo.
Ergo decus Cleri quantum tibi conſtat honoris,
Fratre, ſimul Procerum, iam meminiſſe decet.
C *Eheu, cum tantum renuit natura nouerca,*
Vt foueat mortis cedit at ille magis.
Votis ſupplicibus, pro tantis, poplite flexo
Condecet ore pias ingeminare preces.
Cuncti potentis apex Animam dignetur Olympo,
Sanctorum & numero connumerare ſuo.
Hos coluit teneri Petrides vomere ſulcos,
Cui Sanok Patriam fata dedere ſuam.

Vita, mores & vitia Wladislai Regis.

Libet Regis huius *Wladislai* vitam, moresque & actiones perſtringere, ne conditio ortus, vitæ, & actionum ſuarum, ignota, ſequenti ætati relinquatur. Erat hic Ducis *Lithuaniæ Olgyerd* filius, *Iagyello* nominatus, ex *Maria* filia Ducis *Thuerenſis*, ritum *Græcorum* ſeruante, ſuſceptus. Cui auus *Gedimin*, cum plures haberet filios, *Olgyerdum* tamen ſpeciali prærogatiua amoris proſequebatur. Vnde & moriturus, illum Dominum & Ducem magnum *Lithuaniæ*, ex fratribus, conſtituit. Morte autem *Olgyerdi* patris *Iagyellonis* ſecuta, conſenſu Ducis *Kyeyſtuth*, patrui *Iagyellonis*, & patris *Withawdi* Dux *Iagyello* obtinuit Ducatum magnum *Lithuaniæ* Inter quem, dum ſucceſſu temporis, de Principatu queſtiones aliquæ ſubortæ eſſent, Dux ipſe *Kyeyſtuth* verbis pacificis captus, ſuffocatur, eandem ſortem filius quoque ſuus *Withawdus* ſubiturus, ſi ingenio conſortis, ſub veſte diſſimulata, velut ſi fœmina eſſet eductus, fuga ſalutem non quæſiſſet. Pluribus incurſionibus, ſubitis quidem & lupinis, cum fratribus ſuis, quos habuiſſe octo memoratur, finitimos, & ſi

1434 & ſignanter Regnum *Poloniæ*, affligebat. Miſeratione tamen Diuina illum reſpiciente, quæ ipſum Catholicorum numero adſcribendum præuiderat, per Prælatos & Barones *Poloniæ*, ad fidem de tenebris gentium eductus eſt, & in baptiſmate nomen *Wladislaui* ſortitus. Conſortem nobiliſſimam poſt Baptiſmum, *Heduigim Hungariæ* & *Poloniæ* Reginam, filiam *Ludouici* Regis *Hungariæ* accipit. Qua mortua, tres alias, videlicet *Annam*, *Eliſabeth*, & *Zophiam*, ſuperduxit. Nullam tamen vera & ſyncera pertractabat affectione coniugali. Venator ab infantia ſua vſque ad diem mortis, adeo venationi deditus, vt omnis cogitatio ſua ad id vnum intenta eſſet. Vir ſtaturæ mediocris, faciei oblongæ & macræ, & circa mentum coartatæ, capite paruo, longo, & acuto, a pilis prorſus decaluato, quod ex marmoreo ſimulachro, buſto ſuo ſuperimpoſito cernere licet. Oculis nigris & paruis, nunquam ſtabilibus, ſed continuo in ſuo orbe curſum quendam & volubilitatem habentibus. • Auribus groſſis, voce tubali & cita, corpore nitido & gracili, ceruice longa. Laboris, frigoris, æſtus, ventorum, fumi, patientiſſimus, in inceſſu & veſtibus humilis. Sopori & quieti vſque ad meridiem vacans, raro miſſarum ſolennia ſtatuto tempore audiebat. In adminiſtrandis bellis deſidioſus, & piger, omnem ſolicitudinem in alios proiiciebat. Balneorum fomentis, alternatis diebus crebrius interdum vtebatur. Ad effundendum ſanguinem humanum, continentiſſime ſe geſſit, vt etiam ſæpe nocentiſſimis parceret. Clementiæ in ſubditos & victos ſingularis: licet in his, quæ venationem aliasque voluptates ſuas contingebant, nulli deferret conditioni. Virtutis cuiuſque ſpectator egregius, non inuidia, ſed fauore ſuorum militum, opera quælibet penſitans, & vniuscuiusque ſpectator egregius, non inuidia, ſed fauore ſuorum militum, opera quælibet penſitans, & vniuscuiusque facinus egregium, ſiue bello geſtum ſiue domi, largitione proſequens & remunerans ſingulari: facile milites ea effecit audaces, ex audacibus vero audaciſſimos, & in occupandis belli muneribus promptiſſimos & operoſos. Moroſitatem quandam & ſegnitiem, ſiue natura, ſiue conſuetudine comparatam, habebat inſitam; quam nonnulli clementiam & modeſtiam appellabant. Difficiles autem ad illum, quandoque faciles, aditus erant, pro temporum qualitate. In ſuſcipiendis illi oblatis muneribus, humanus atque alacer, in rependendis propenſior. Nec vllum munus adeo exiguum ad illum efferebatur, quin id prompto atque iucundo animo ſuſciperet, duplaque talione non rependeret. Prodigalitate, & parum conſiderata largitione, rebus publicis Regni ſui, non minus compertus eſt nocuiſſe, quam alius quiſpiam auaritia. Venandi cupiditate, vſque ad reprehenſionem, & rerum publicarum neglectum, ſtudioſus.

Frequenti etiam in ſuo conſpectu acto delectabatur p e tauro. Per ngulas hebdomadas diem Veneris, mira abſtinentia in pane & aqua ieiunabat. 1434 Homo ſemper ſobrius, nec vinum nec ſiceram aliquando guſtans. Poma & eorum odorem magna nauſea execrabatur, bonis tamen & ſuauibus pyris, clandeſtino eſu vtebatur. Ad mores & obſeruantias Catholicas, per *Heduigim* Reginam crebris inſtructionibus inductus, in feſtis Paſchæ, Pentecoſtes, Aſſumptionis *S. Mariæ* Virginis, & Natiuitatis Domini, Sacratiſſimo Euchariſtiæ Sacramento procurabatur. Sed illa mortua, morem illum, ad Natalis Domini duntaxat, & Paſchæ dies, reſtrinxit. Pro feſto autem Paſchæ, quod illum fere pro omni vita ſua in *Caliſch* agere contingebat, propriis manibus cuilibet pauperi, quorum multitudo illic confluebat, vnum groſſum latum *Pragenſem*, de marſupio quod geſtabat, erogabat. Feria quinta magna, ſingulis annis, duodecem pauperum pedes, in cubiculo ſuo, paucis Secretariis conſciis, abluebat, & cuilibet duodecem groſſos, pannum, & telam donabat. In moribus grauis & ſingularis: nec veſtes, nec cultellos, nec alia vaſa, a quoquam, niſi ab illo, cui commendata erant, attractari permittebat. In orationibus & genuum flexionibus prolixus. In promiſſo & concluſo conſtans, & fidelis; tam ſua quam Baronum decreta, abrogare aut variari, niſi neceſſitate aut vtilitate magna premente, paſſus non eſt, quæ etiam in executionem deducere curabat. Pauperum, orphanorum, & viduarum cauſas, etſi per ſe audire & expedire non poterat, aliis tamen viris bonis committebat expediendas. Certarum ſuperſtitionum, quas eum quidam aſſerunt ex bona cauſa continuaſſe, & quas eum mater ſua, *Græcorum* ritus fœmina, aſſeritur inſtruxiſſe, ſectator. In reddendo mutuo gratus & verax. Prodigus magis quam largus, ſingula, quæ habere poterat, ſed & Regni ſui ampliſſima Dominia, militibus ſuis erogabat, multo plura largiens, quam ſibi reſeruans: paruam habendo in largiendo, ad merita & conditionem hominum, conſiderationem. Vniuerſitatis *Cracouienſis*, & Pſalteriſtarum in Eccleſia *Cracouienſi*, cum *Heduigi* Regina; item monaſteriorum, Sanctæ *Brigittæ* in *Lublin*, & Sancti *Spiritus* Præmonſtratenſis in *Sandecz*, item Sanctæ *Mariæ* in arena ante *Cracouiam*, ordinis Carmelitarum, item Eccleſiæ Parochialis Corporis Chriſti in *Caſimiria*, in Regularem *S. Auguſtini* tranſlatæ, fundator. Caſtrorum & ciuitatum ſuarum, aliorumque ædificiorum, parum iuſtus prouiſor, vt pleraque in diebus ſuis prolabi & ruinari permitteret. In *Lithuaniam* patriam ſu am, conſanguineosqve & fratres, adeo charitate & affectione procliuis, vt Regnum ſuum *Poloniæ*, bellis periculisque plurimis miſcere non horruerit, omnes theſauros & prouentus Regios, aut pro defenden-

1434 da *Lithuania*, aut pro locupletanda effundens. Monaſterium Sanctæ *Crucis*, *Calui Montis*, non aliter quam pedeſter adibat. *Gneſnenſem*, *Sandomirienſem*, & *Vislicienſem* Eccleſias, ſculptura *Græca* [illam enim magis quam *Latinam* probabat] adornauit. In cæteras Eccleſias & monaſteria, largus & clemens. In ſingulis Eccleſiis, ad quas illum, cauſa deuotionis, declinare contingebat, vnam marcam effundebat. Nobiles Regni, aut conſortes eorum, cæteraſque matronas, ad ſe cum muneribus, etiam leuibus, venientes, nunquam paſſus eſt inconſolatos, ſine largitione panni, ſalis, aut purpurarum, abire. Si quando autem apud aliquem notabilem, inuitatus, aut neceſſitate coactus, cepit hoſpitium, impenſam pro eo factam digna retributione præmiauit. Laudis, commendationiſque appetens, facile aurem adulantibus & accuſantibus præbebat, his præſertim, qui ſibi familiaritate & conuerſatione iungebantur. Gentem *Lithuanicam* & *Samogithicam* opera ſua ad fidem Catholicam conuertit; vt merito gentium illarum conuerſor & Apoſtolus, appellari poſſit. Cordis ſimplicis erat, & magnifici tamen, intellectus tenuis, ſed vafri. Eccleſiarum *Vilnenſis* & *Samogithienſis* in *Lithuania*, *Chelmenſis*, *Kiiouienſis* in *Ruſſia*, & capellæ *SS. Trinitatis* in caſtro *Lublinenſi*, fundator & dotator. In Venerem procliuis, non permiſſam modo, ſed & prohibitam. In Religionem Catholicam piiſſimus; In pauperes, egenos, & viduas, & quaſcumque miſerabiles perſonas, munificus. Vigiliis, ieiuniis, & orationibus adeo intentus, vt plus ſupplicationibus profuſis, ad Deum, quam armis bellicis, victorias quæſiuerit. Vir morum ſimplicium, adumbrare nihil ſciens. In donationibus faciendis parum oculatus. In venandi ſtudio, nec modum obſeruans, nec tempori deferens. Vnde & militibus, cum per nemora & ſaltus, dum venationes tractaret, noctu & interdiu, ſub gelido & æſtiuo tempore, obſeruantibus, plura prodige largitus eſt, vt ferre poſſent aſperitates, difficultateſque itinerum. Itaque ſordida nimis conditione, introitus publici, ab his corrodebantur, qui in rempub. nullam operam, ſed in ferarum tantummodo capturam, ædidiſſent. Bellorum fere omnium, quæ agebat, non ſecus quam pro voto, ſibi cedebant ſucceſſus. In aduenas forenſeſque, adeo humanitate fauorabili vſus, vt nequaquam homini in media barbarie nato, videretur conuenire. Offenſarum, inimicitiarumque minime memor. Mediocritatem priſtinam neque diſſimulauit vnquam, ac frequenter etiam præ ſe tulit. Ornamentorum & externarum veſtium oſor, agnellinis pelliceis panno tectis, vtebatur, raro venuſtiore alio habitu, quam pallio examenti griſei, & ſimplici, nulla varietate aut auro intexto, amiciebatur, & id tantummodo in ſolennitatibus præcipuis. In aliis vero diebus, fuſcam & humilem gerebat, peroſus pelles Sabellinas, mardurinas, vulpinas, cæteraſque delicatiores, agnellinis per omne ætatis tempus, quantumcumque aſpero hyemali tempore, veſtiebatur. Simplex, & ciuilis vir ingenii, & tarde errata ſentiens. Tardus ad pœnas, propenſior ad præmia, facilitate Regia laudabilis, nihil ornamentorum extrinſecus appetens. Ab initio Regni vſque ad exitum, clemens & munificus, plura largiens, quam fiſcus & ærarium ferre poterat, nec modum ad facultatem, ſed ad libitum referens. Medietatem eorum, pro quibus rogabatur, concedere ſolitus. Effeceratque, vt impetrantes, duplum flagitarent, facilius ad dimidum illum detracturi. Præſtigiorum nonnullorum ſectator. Pilos e barba raſos, interſerens digitis, manus ſubinde aqua infuſa abluebat. Singulis diebus antequam in publicum prodiret, ter ſe in gyrum voluebat, terque ſtipulam a ſe confractam, in terram proiiciebat: a matre, *Græcorum* ritus, ea agere edoctus. Quo vero reſpectu, & ad quid conſequendum iſta egerit, neque viuens ipſe prodidit; neque cuiquam differere faciliter ſuccurrit. Fertur autem celebrata vox eius, & aſſidue ab eo, dum viueret, vſurpata: Verbum ex ore proferentis euolare in morem paſſeris, irrediturum, ſi inconcinnum fuerit, in ſimilitudinem bouis. Monere etiam per iocum milites ſolebat, ne in acie primi, in cauda autem vltimi conſiſterent; ſed nec medium occupando latitarent. Cibis ingurgitatus, quieti ſe dabat & ſopori.

Sepultura *Wladislai* Regis cum omni ſolennitate honeſtateque expedita, deliberatio ſuper coronatione futuri Regis haberi cœpta eſt. Poſt varios autem tractatus, in hac re per Prælatos & Barones habitos, conſenſu & decreto vniformi omnium, die Sanctorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum, quoniam propinqua nimis videbatur abrogata, dies *S. Iacobi* Apoſtoli, qui in diem Solis cadebat, pro coronatione conſtituitur; nouiſque Nunciis *Sigiſmundus* Dux *Lithuaniæ* requiritur & rogatur, vt pro die inſtituto, iuxta inſcriptiones inter Regnum *Poloniæ* & Ducatum magnum *Lithuaniæ* confectas, vel perſonaliter venire, vel mittere Nuncios, ad prouidendum de futuro Rege non negligat. Et licet vniuerſæ partes Regni, morte *Wladislai* Regis ſecuta, fuiſſent pacificæ & quietæ, *Nicolaus* tamen *Syeſtrzeniecz Corniecz*, quondam de *Badzin* Burgrabius, primus graſſari cœpit in ſpolia & prædas. Nam certorum amicorum ſuorum de *Sleſia*, de Ducatibus *Theſchenſi* & *Oſſzwyaczimenſi*, nactus aſſiſtentiam & auxilia, *Slawkouienſe* territorium Epiſcopatus *Cracouienſis* inuadit, & illud in pluribus villis & locis, igne & ſpolio vaſtat & prædatur. Et quo minor eſſet eorum, qui ſibi ferebant auxilia, culpa, in *Morauiam* ſe cum prædis reducit. Barones tamen *Mora-* 1434

Dies coronationis prorogatur.

Slawkouienſe territorium vaſtatur

uiæ

1433 *uiæ*, literis Baronum *Poloniæ* auiſati, ipſum cohabitatione ſua excludunt; Sed nec Duces *Sleſiæ* audent illi præbere in Dominiis ſuis incolatum: propter quod coactus eſt vagus fieri ſuper terram. Hanc autem vaſtationem, creditus eſt ſuggeſtione aliquorum Baronum *Poloniæ*, clandeſtinum odium contra *Sbigneum* Epiſcopum *Cracouienſem* geſtantium, & aliis modis illi nocere non valentium, attentaſſe.

1434

Derslaus de Richwyani theſaurum ab avo ſuo ſuffoſſum violat

Sub idem tempus, *Derslaus* de *Rithwyani*, filius *Martini* de *Lubnicze* Palatini *Lancicienſis*, nepotis germani *Alberti Iaſtrzabiecz* Archiepiſcopi *Gneſnenſis*, violat theſaurum notabilem, in florenis *Hungaricalibus*, in vaſis & clenodiis aureis & argenteis, quem idem *Albertus* Archiepiſcopus longo tempore ante, ipſo duntaxat *Derslao* pronepote ſuo, & *Ioanne* de *Kozyebrodi* Secretario ſuo, & Cancellario *Gneſnenſi* conſciis, in quodam oratorio, ad tegendum propoſitum duntaxat conſtructo, in loco, qui *Orzeliecz* vocatur, prope *Banſchowa & Lubnicza*, pro futura ipſius *Derslai*, & fratrum ſuorum neceſſitate, ſabulo coopertum, abdiderat, violat, & eum, certis ſatellitibus ad eam rem ſibi iunctis, animumque ſuum iuuenilem, infirmum & faſtidioſum, ad id formantibus & mulcentibus, de nido ſuo & latebris extrahit: omnibus fere comitibus ſuis, certatim partes theſauri pro ſe (vt fit) vſurpantibus, creditus eſt, non ſolum præcipiti & iuuenili ſenſu, ſed etiam matris ſuæ *Dorotheæ* de *Tarnow* perſuaſu, facinus id, dudum cogitatum & conſtitutum, niſi metus Regis cogitata diſſipaſſet, perpetraſſe. Auus eius *Albertus* Archiepiſcopus, nouitate huiuſmodi audita, repentino dolore & triſtitia obrutus eſt, circumuentum ſe intelligens in theſauro ſuo, cum illum pro *Derslao*, & germanis fratribus ſuis, *Ioanne*, *Alberto*, & *Nicolao*, deſtinauerat & condiderat. Sed pro æſtimatione & ſpe ſua dolens, *Derslaum* tam inconſultum ingenium, & tam immodeſtos mores nactum eſſe, vbi caſtrum *Rythwiani* accedere, & rem male geſtam corrigere diſpoſuiſſet, bombardarum e caſtro, cuius ipſe fabricator erat, pulſu & terrore prohibitus, pudore plenus retroceſſit. *Derslaus* ipſe omnem theſaurum illum, viuendo prodige, ornatus familiaribus calamiſtratis, ſtando *Varſchouiæ*, & mittendo ſingularia & alta dona Duciſſæ virgini *Offcæ*, filiæ *Boleslai* Ducis *Maſouiæ*, cuius amore deperiebat, breui tempore abſumpſit, nec expoſt *Alberto* Archiepiſcopo, ſtudio & interceſſione amicorum reconciliatus, præter ſellas, ſtrepas, & frena argento circumdata, quicquam aliud reſtituit; ſed theſaurum omnem illum, ex bonis Eccleſiarum & patrimonio *Chriſti* quæſitum, qui potius in viſceribus pauperum condendus, & in vſus pios diſpartiendus erat, prodige & vane diſtraxit, & tres fratres germanos præfatos, pro quibus æque, iuxta ac pro illo, collectus atque conditus erat. Villis quoque pluribus per præfatum *Albertum Iaſtrzambiecz* Archiepiſcopum ex patrimonio *Chriſti* coemptis, illos exuit. 1434

Moleſta & infeſta plurimum, quibuſdam Baronibus & Nobilibus *Cracouienſibus*, & præſertim his, qui res nouandas meditabantur, fuit de coronatione Regis futuri, pro die Sancti *Iacobi* inſtituta concluſio, veriti, ne res, quas turbandas nouandaſque moliebantur, Regis noui authoritate opprimerentur: conuentionem itaque, Primoribus Baronibus & Conſiliariis ignorantibus, nec petitis, ac inconſultis, pro die Sanctæ *Margarethæ* in *Opathow* conſtituunt. Ad quam cum nullus ex Baronibus principalioribus ire vellet, veritus ſeditionem aut tumultum, & infidelitatis notam perhorreſcens, *Zophia Poloniæ* Regina, mœſta proinde ac trepida, & cum ſibi, tum filiis, ſi res in ſeditionem, quo ſpectare cœperat, verteretur, metuens, *Sbigneum Cracouienſem* Epiſcopum, qui populari pollebat ingenio, orare cœpit, vt ſuam in Rempublicam nauaret operam, atque illam de impendentibus terroribus expediret. Qui ſeditionis periculum dimoturus, in equis alienis, a *Zophia* Regina, & aliis amicis precario compræſtatis, cum ſui ex via, qua *Baſileam* proceſſerat, aut ex calore æſtiuo mortui, aut laſſi erant, in *Opathow*, ad huiuſmodi conuentionem, citato curſu, in tempore opportuno, aduenit. Ingratus fuit *Spithkoni* de *Melſchtin*, & *Derslao* de *Rithwyani*, qui illius conuentionis erant Duces & capita, *Sbignei* Epiſcopi aduentus. Vnde nec illum, licet præſentem, ad ſuas deliberationes & conſilia, velut ſuſpectum, aduocabant. Tulit tamen ſingula hæc *Sbigneus* Epiſcopus mira patientia, nec exacerbandos eſſe animos, ſuapte ad contentiones & ſchiſma inclinatos, ſed leniendos duxit: cum alterius ex potentia, alterius ex theſauris nouiter raptis ferox eſſet animus. Nec latebat *Sbigneum* Epiſcopum eorum voluntas, aut conſilium: ſingula ad eum, quæ gerebantur, his qui intrinſeci & fidi credebantur, deferentibus. Quapropter conuenire eos ad ſe in curiam Epiſcopalem obtiner & inducit. Quo cum frequens numerus eorum conueniſſet, & omnes vno conſiliorum & voluntatum tenore, male Regnum & Rempublicam per puerum in Regem coronandum regi, concluſionemque de eo coronando reſcindendam decernerent, propoſitum eorum *Goworkone* de *Chrobrzani*, de familia *Rawa*, homine veterano confortante, & geſta *Caſimiri* Regis, quæ ambiguam fidem faciebant, referente, *Sbigneus* Epiſcopus, copia loquendi facta, *omnem diſcordiam & diuiſionem Regni*, *velut pernicioſam, capite non extante; ad concordiamque & pacem inflectendos, abſtinendum etiam ab omnibus conuentionibus, & conſpirationibus, quæ monſtruoſam & deformem*

Opathoviæ fit conventus,

quem Sbigneus diſſoluit,

1434 *Rempublicam efficere poſſent, pluribus verbis, exemplis recentibus & veteribus*, edocuit. *Nec eſſe aliud tempus, niſi illud*, diſſeruit, *quod ad ſalutem vel perniciem Regni, ſemel inclinatis animis poſſet conuerti*, *Non contendendum de coronatione Regis eſſe: cum contentio ipſa, & dudum promulgato, in conuentione Brzeſtenſi, in vita Regis, & innouato conſenſu omnium decreto, ſublata ſit. Sed vt idem omnes ſentiant, ſumma vi agendum eſſe. Sed neque extare modum, quo, iuſto & legitimo hærede deſerto, vel neglecto, alius quæri optarique debeat. Enitendum duntaxat, & inuigilandum, vt is qui melior prudentiorque ex duobus, probabili æſtimatione cenſeri poſſit, coronetur.* Mouit hæc oratio multos ex plebe, qui ad nouandas res auidi illuc confluxerant, multorumque animi vel ſanati vel reſtricti ſunt, & opera ipſius Epiſcopi, prudentique exhortatione, malum, quod illic conflari formarique cœptum erat, in ipſo ſui exortu extinctum ſedatumque eſt, & *Sbignei* Epiſcopi *Cracouienſis* perſuaſio, quod prudens & ſaluberrima Reipubl. & Regno *Poloniæ* eſſet, iudicio omnium & acclamatione decreta eſt. Quapropter ſinguli, qui coronationem futuram Regis impedire moliebantur, magna moleſtia & dolore acti, ex *Opatbow* diſcedunt: fremitu ingenti in *Sbigneum Cracouienſem* Epiſcopum ſæuientes, quod eius aduentu & præſentia, eiusque conſilio & perſuaſione, ſinguli eorum conatus fuerint languidati & confracti. Propter quod & a *Zophia* Regina, & filiis Regiis, *Wladislao* & *Caſimiro*, omnibusque Eccleſiaſticis & ſecularibus Conſiliariis, in Concilio gratiæ ingentes *Sbigneo* Epiſcopo *Cracouienſi* habitæ ſunt; quod malum gliſcens ſua authoritate, conſilio, & induſtria, aliis diſſimulantibus, oppreſſerit, extinxeritque.

& coronationem Wladislai promouet,

A

Sancti *Iacobi* feſto, quo coronatio futuri Regis *Poloniæ*, aut confici, aut infici debuerat, appropinquante, ex omnibus terris, oris, & angulis, Regno *Poloniæ* ſubiectis, maxima Prælatorum, Principum, Baronum, Dignitariorum, militum, Nobilium & ciuium, conuenit *Cracouiam* multitudo: vnoquoque ſalutem ſuam, in communi & publica pendere exiſtimante. Dux autem magnus *Lithuaniæ Sigismundus*, cum pro eo tempore valetudinarius eſſet, & periculoſum ſentiret, propter Ducis *Switrigyelli* & ſuæ partis inſidias, extra terras *Lithuaniæ* ſibi egredi, Nuncios cum plena poteſtate, & mandato, perſonam ſuam repræſentaturos, & in coronationem futuri Regis, nomine ſuo, & Ducatus magni *Lithuaniæ* conſenſuros, transmittit; *Martinum* de *Schadek*, Archidiaconum *Vilnenſem*, & *Dolgertonem* Palatinum & Capitaneum *Vilnenſem*. Idem facit *Moldauiæ* Voieuoda *Stephanus*. Duces *Maſouiæ Semouitbus*, *Caſimirus*, & *Boleslaus*, affuere præſentes. Cum itaque frequens numerus ex omni Statu Conſiliariorum conueniſſet, feria ſexta & Sabbato ante feſtum Sancti *Iacobi*, Nuncii primum Ducis magni *Lithuaniæ Sigismundi*, & Voieuodæ *Moldauiæ*, poſtea aliorum Principum, terrarum, & abſentium Baronum, legationes auditæ ſunt. Omnium erat vna, & concors ſententia, petitio, & votum, vt celerius quo fieri poſſet, vnus ex filiis Regiis coronaretur, omnesque de maiore natu filio cum is & omnibus corporis lineamentis ad patris naturam accederet, & ſperabatur illum operibus etiam bonis expreſſurus, conueniebant. Suborta deinde quæſtio eſt, & ab his, qui coronationem Regis impedire, resque nouas moliri nitebantur, propoſita, *an liceret puerum & iuuenem, in dignitatis tanta Regem aſſumere, cuius ætas dum gubernationi rerum magnarum per ſe non ſufficeret, Conſiliarios & tutores eſſet habitura, ex quorum ſententia res, non ſine inuidia & contemptu aliorum decernerentur.* Multas ad id rationes dudum conquiſitas deducebant, atque inferebant, inter quas eam, quæ populares magis irritabat, ponendam duxi. Vbique iactabant *Regni iura, tam publica quam priuata, Prædeceſſorum ſuorum multo cruore & meritis quæſita, in caſſum & perditum iri: cum Regis minorennis approbatio & confirmatio iurium, ſi fieret, poſſet faciliter in poſterum per eum refelli, ſi in expectationem legitimæ ætatis ſuſpenſa recideret, non tuto aut æquo, ſed pauido & moleſto animo, nulla certificatione aut ſponſione interpoſita, eam laturos, & Regem peruenientem ad ætatem, coronatione tranſacta, & nulla neceſſitate conſtrictum, facile confirmationem iurium, dum ſibi reſiſti non poſſet, & omnibus muneribus Regiis perfunctus eſſet, recuſaturum.* Biduo quæſtio hæc & ambiguitas trita eſt, & coronatio *Caſimiri* Regis vix dum pubeſcentis, patre mortuo, celerrime ſubſecuta, in memoriam reuocata eſt. Allatus deinde, mandato *Sbignei* Epiſcopi *Cracouienſis*, ex Eccleſiæ *Cracouienſis* Bibliotheca, Decretalium liber, per *Caſimirum* Regem donatus. In cuius prima columna, *Caſimiri* Regis imago, enſem vagina vacuum in manu dextra tenebat. Et cum allegationes plures ex illo pronunciatæ fuiſſent, concludentes minorennem Regio diademate poſſe inſigniri; cumque percrebuiſſet librum hunc *Caſimiri* Regis eſſe, omnes facile (tanta adhuc recordatio & charitas Regis dudum mortui erat) in coronationem maioris natu *Wladislai* Regis conſentiunt. Verum cum de confirmatione iurium Regni adhuc ambiguitas haud mediocris relicta eſſet, hæc quoque ſpiritu Diuino cooperante, ea conditione & cautela ſublata eſt, vt *Zophia* mater, cum Prælatis, Principibusque ſibi ſtricto ſanguine iunctis, Primoribusque Baronum, pro futuro Rege *Wladislao*, cautionem ſponſionemque faceret, confirmaturum illum pure & ſimpliciter Regni iura, quamprimum ad le-

Legationes, quæ ad coronationem conuenerant, audiuntur,

& quæſtio de impedienda coronatione Regis deciditur.

1434 legitimam ætatem perueniſſet. Ea conditio tunc recepta, ſingulas difficultates, quæ interponebantur ſerebanturque ad impediendam coronationem futuram, ſummotura videbatur. Exiſtimabantque Conſiliarii eos, qui nouare aliquas res moliebantur, velut quibus ſatisfactum fuerat, in craſtinum diem Sancti *Iacobi*, prorſus quieturos. Vnde nec publice, nec priuatim, aliqua antidota, pro reſcindendo futuro, quod ſtruebatur, impedimento, interpoſita ſunt, nec ad emolliendum aut frangendum male & proterue induratos animos, quicquam prouiſum.

Feſto die Sancti *Iacobi* illuceſcente, omnes Prælati, Principes, Barones, & Nobiles *Poloniæ* in ſalam albam caſtri *Cracouienſis* conueniunt, rati ſine oppoſitione & difficultate aliqua, coronationem futuri Regis ſe perfecturos. Sed ab his, qui Regiam coronationem impedire moliebantur, motus maiores prioribus concitati ſunt. Renouantur itaque Conſiliariorum vota, & maiori concordia Primorum decernitur, quatenus primogenitus Regis *Wladislaus*, in Regem coronetur. Inducuntur inſuper vota Nunciorum, qui a ſingulis terris Regno *Poloniæ* ſubiectis, aduenerant. Adeſt *Zophia* Regina ſupplicans, *vt vnum ex filiis pro Rege aſſumere dignarentur, & ne hereditate paterna filios excluderent. Parata pro filio in Regem aſſumendo, ſponſiones quaslibet, cum Principibus Maſouiæ, & Baronibus ſenioribus, facere.* Non deſunt ab alia parte Barones & Nobiles aliqui, vidilicet *Spithko* de *Melſchtin*, *Abraham* de *Zbaſchin*, Iudex *Poſnanienſis*, & *Ioannes Straſz* de *Koſczielniky*, rerum priuatarum reſpectu commoti, quæ ſemper offecere officiuntque publicis: & quod ex patriciis orti patrios non eſſent Magiſtratus adepti, & quod non quantum æquum cenſebant, excellere exiſtimationem ſuam aduerterent: nec mediocriter ſe opponunt, quos nonnulli etiam inferiores ſequebantur, difficultates varias interponentes, quod ad Regni, & terrarum eidem ſubiectarum, regimen, inſufficiens ſit ingenium puerile, annorum immaturitate, in quibus Regii filii conſiſtunt, penſata. Allegant *ampliſſimas terras Regnum Poloniæ continere, Tartaris & aliis infeſtis hoſtibus vicinas: quibus neque iura reddi, neque defenſio opponi per Regem, in puerili ætate conſtitutum, poterit.* Allegant inſuper, *quantis ſudoribus, laboribus, & impenſis, quanta effuſione cruoris, quantis ætatibus, libertas, & Regno, & Patriæ, a pluribus, & exquiſitis ſeruitutibus, parta ſit.* Ponunt ante oculos *captiuitates Nobilium & terrigenarum Ruſſiæ, quas perpeſſi ſunt, dum ire in ſubſidium contra Turcos Hungariæ Regi & Regno detrectarunt. Cauerent itaque & bene animaduerterent, quid agerent, prouiderent, die illa ſuæ, & poſteritatis ſuæ libertati, ne tot laborum, annorum, & ſudorum ſpatia, in vnius horæ conuerterent diſcrimen. Regalem potentiam validam eſſe, & eius Regis, quem nunc aſſumerent mores ignotos; poſſe fieri, vt in ætatem debitam perueniens, & omnium ſponſionum, quæ nunc pro eo fierent, oblitus, potentiam verteret in tyrannidem, & ius, libertatemque, in ſeruitutem.* Viſa eſt hæc eorum oratio aliquid ſecum afferre, pro tuenda libertate, efficaciæ & rationis. Propter quod aliqui ex nobilibus, illis aſſentiebantur publice, aliqui neque hanc neque illam partem tenebant. Conſiliarii & Primores pluribus rationibus euidentibus & fortibus, omnes inſtantias ſoluebant, & elidebant. Quarum hæc erat vna potiſſima, *Regimen & libertatem Regni, non in Regia, ſed in ſua poteſtate conſiſtere, neque ſe illi etiam, poſtquam adoleſceret, poteſtatem regiminis Regni facturos, niſi iura & libertates Regni confirmaret.* Sed dum neque hac, neque aliis perſuaſionibus mouerentur, ſed continue alias & alias inſtantias innouarent, multis [vt erat] *Spithkonis*, *Abrahæ*, & *Straſchonis*, ſententia atrox & incommoda videbatur, multisque ſimultatibus, odiis, & partialitatibus, Rempub. turbatura. Proinde quærebatur moderatum medium ad rem componendam. Quod cum dari nequiret, diesque iam prope meridiem eſſet protracta, intellectum eſt, aut ſaltem a prudentibus & oculatis viris præſumptum, vafre & callide eos difficultates & impedimenta huiusmodi interponere, non vt rationem exigerent pro conſeruatione libertatis Patriæ, ſed vt verbis inanibus & ventoſis terendo tempus, dies conſtituta pro coronatione præteriret, qua præterita, neceſſe eſſet coronationem in alium diem Dominicum, cum feriali die iuſte expleri non poſſet, differri. Interim autem exiſtimabant ſe plures ad ſua vota inducturos, multosque *Cracouia*, qui expenſis grauarentur, diſceſſuros, ſeque tunc facilius poſſe efficere, quæ volebant. Non ſolum autem a Pontificibus & conſiliariis Primoribus, verum a militibus vulgaribusque, qui ad diem comitiorum, in frequenti numero conuenerant, a populo denique ſententiæ ſanioris, dementia *Spithkonis*, *Abrahæ*, *Straſchonis*, & ſuorum ſequacium irridebatur; quæ res ipſos amplius ad opponendum reſiſtentiam incendebat. Conſiliarii itaque & primores Regni, ne hac calliditate circumuenirentur, ſagax conſilium, quo dolum huiusmodi opprimant, opponunt. Mandant Regni *Poloniæ* Marſchalco, *Ioanni Glowacz* de *Oleſchnicza*, *quatenus denunciet omni multitudini, quæ conuenerat, alta voce, omnes maiores, atque omnes bonos, eam captaſſe deliberationem, quatenus Wladislaus primogenitus, in Poloniæ Regem aſſumatur & coronetur. Si cui itaque ea deliberatio apparet Reip. inutilis, abeat retrorſum, & partem teneat ſiniſtram, cum hi, qui Wladislaum coronandum decernunt, tenere velint partem dextram, & experiri, qui & quanti ſint, aut quibus ducantur rationibus, qui coronationem Regiam impediunt.* Eo enim modo circumuen- 1434

Tres Proceres coronationi reſiſtunt

1434 tam Rempublicam, *Spithkonis*, *Abrahæ*, & *Straſchonis* impreſſione, & amplius, niſi eorum reſcinderentur conatus, circumueniendam, expeditum iri autumabant. Nec feſellit: hoc enim edicto per organum Marſchalci pronunciato, omnis multitudo, voce magna exclamando *Wladislaum primogenitum coronandum* exclamat, conſentitque & decernit. Tres illi duntaxat Barones, dum quendam locum altiorem aſcendunt, & contradicere decreto maiorum, & conſenſui populi, neſcio qua temeritate nituntur, premente multitudine, deiiciuntur de loco. Et reclamatione eorum & contradictione contempta, Prælati, Principes, & Barones, Nobileſque vniuerſi aſſurgunt, & de loco recedentes Conſilii, thalamum ingrediuntur *Wladislai*, electionem de eo ad Regnum *Poloniæ* factam, ſibi, & *Zophiæ* Reginæ genitrici ſuæ, publicant & proceſſionaliter illum vſque ad Eccleſiam *Cracouienſem*, per viam ſtratam pannis variis, deducunt. Tres autem illi Barones, dum ſe in loco Conſilii ſalæ albæ derelictos & confuſos viderent, cæteros in Eccleſiam euntes ſecuti ſunt, & ex aduerſariis veneratores effecti. Conabatur tamen vnus ex illis *Spithek Melſchtinsky*, concluſionem vnanimi conſenſu firmatam, quacumque poſſet arte, confringere. Vnde primum in caſtro *Ioannem* de *Oleſchnicza* Marſchalcum, verbis inhoneſtis, & honorem ſuum ſugillantibus, ad contentionem prouocauit. Sed is Baronum rogatus precibus, ab omni contradictione, ne coronationis negotium interrumperetur, abſtinuit. De quo illi & a Rege, & a Conſiliariis gratiæ habitæ ſunt. Deinde cum ad ædes ſacras ventum eſſet, non ſolum in Marſchalcum, ſed & in alias perſonas, maledictis vti cœpit: ſed ab omnibus mira patientia verba eius excepta ſunt, & conatus ſui ſilentio fracti. *Albertus* itaque *Iaſtrzabiecz* Archiepiſcopus *Gneſnenſis* & Primas, Pontificalibus indutus, aſſiſtentibus ſibi *Sbigneo Cracouienſi*, *Wladislao* electo *Wladislauienſi*, *Stanislao Plocenſi*, *Ioanne Chelmenſi*, Epiſcopis, miſſam, tarda licet hora, inchoans, præfatum *Wladislaum* primogenitum, cum magna hilaritate & alacritate Conſiliariorum & populi, ſacris veſtibus, ſandaliis, humerali, alba, manipulo, ſtola, dalmaticis, & ad extremum cappa pluuiali indutum, in Regem *Poloniæ* ad altare maius Eccleſiæ *Cracouienſis*, feliciter vnxit & coronauit, exacto etiam tunc ab eo, quamuis teneræ eſſet ætatis, de obſeruandis iuribus, ſtatutis, libertatibus, literis & munimentis Regni *Poloniæ* corporali iuramento. Aurum oblatum per Regem ad altare, ceſſit *Cracouienſis* Eccleſiæ Vicariis. *Stanislaus Czyolek* Epiſcopus *Poſnanienſis* abſens erat. Nam in Concilio *Baſilienſi*, vna cum *Nicolao Laſſocky* Decano *Cracouienſi*, nomine Regis & Regni *Poloniæ*, Legationem repræſentabat. Opus au-

ſed tamen Wladislaus in ciuitatem Cracov. deducitur,

& coronatur.

tem coronationis ſuæ, quoniam impedimento, vt præmiſi, trium Baronum retardatum 1434 A fuit, prope horam veſperorum durauit, cum eſſet citra vel vltra meridiem inceptum. Quo feliciter conſumato, & omnibus cerimoniis iuxta ritum & vetuſtam obſeruationem Regni *Poloniæ* expletis, *Wladislaus* Rex, omnes Prælatos, Principes & Barones ſuos, magnifica & Regali menſa excipiens, liberaliſſime atque iucunde tractauit; ſingulisque pro charitate, cum in ſe, tum in Remp. atque patriam, gratias egit. Itaque dies ille contra opinionem multorum, fauore Diuino operante, felicem & alacrem habuit in coronatione præfati *Wladislai* exitum. Nec minoris iucunditatis dies fuit ſubſequens; in qua ipſe *Wladislaus* B Rex omnibus apparamentis Regiis veſtitus, diademate capiti ſuprapoſito, latera ſua, *Cracouienſi* & *Plocenſi* Epiſcopis, Pontificalibus indutis, cingentibus, ad vrbem ſuam e caſtro, Principibus & Baronibus in plurimo numero eum præcedentibus, & ſequentibus, deſcendit. Et locis ciuitatis inſignioribus luſtratis, magnum de ſe ſpectaculum populo præbens, ad Regiam ſuam reuerſus eſt. In præparatum autem ſibi circa ædem Prætorii non deſcendit thalamum, vbi Conſulum & ciuium *Cracouienſium* ſuſcepturus erat ſubiectionis, fidelitatis, & obedientiæ iuramentum, propter litem, quæ inter Pontifices & *Maſouiæ* Duces, latus Regium ambientes, de ſuperiorita- C te & prioritate loci, fuerat ſubſecuta: vtriſque adnitentibus, ſe ad dexteram Regis, dum ad thalamum ex equo deſcenderet, conſeſſuros, & pluribus rationibus, his Pontificalem, illis vero Ducalem præſtare deducentibus dignitatem.

Subſequentibus diebus, plures & publice & priuatim habiti ſunt inter maiores tractatus (iam enim vulgus & communis Nobilitas diſceſſerat) qualiter, quomodo, & per quos, Regnum *Poloniæ*, *Wladislao* Rege exiſtente impubere, poſſet & deberet in bono ordine & pace gubernari. Multæque ad hanc rem fuerunt apertæ viæ, multiſque videbatur bonum, vt Dux *Maſouiæ Semouithus*, qui tunc *Cracouiæ* præſens erat, onus gubernatoris & D tutoris aſſumeret, cum quia *Wladislao* Regi ſanguine propinquo iunctus erat, tum quia illum bonitas & prudentia illuſtrabat. Dura tamen hæc conditio parti maiori viſa eſt, ne aut ambitio Regni illi incederet, aut, quod turpe putabant, vni Principi, Regno feudali, ſubeſſe, cogerentur. Repudiata itaque huiuſmodi conditione, Prouiſores Regni, in qualibet terra electi ſunt: non ex his quidem, qui Dignitatibus aut Magiſtratibus ornati erant, ſed qui illis vacui eſſent, & cæteros prudentia & nobilitate anteirent. Lecti ſunt itaque plures, opinione cæteris præſtantiores; & iuxta diſtinctiones terrarum, quæ Regno *Poloniæ* ſubiectæ ſunt, cuilibet terræ vnus Prouiſor

Prouiſores ſingulis terris Poloniæ ſinguli conſtituuntur.

ſor

1434 ſor datus eſt: terra *Cracouienſi* excepta, quæ duos ſortita eſt, cum, quia patria omnium, Sedem, caput, & domicilium Regni repræſentet, tum quia ſola Regis numiſma operans aliis tranſmittit, tum quia fundo ſuo; & his rebus, quæ importantur & exportantur ex illa, facile cæteris antecellat. Huiusmodique Prouiſoribus, certa aſſignatione pecuniaria facta, omnis cura introituum Regalium commiſſa eſt, ea conditione appoſita, vt nihil ſtatuere aut decernere in republica & rebus quibuscumque minimis poſſent, niſi id authoritas & deliberatio maiorum probaret. In huncque modum præfati Prouiſores, vſque ad annos præfinitos, Regales introitus, & alia agenda, adminiſtrabant. Cuilibet autem huiusmodi Prouiſori, nonniſi quinquaginta marcæ annui ſalarii, ex introitibus Regalibus conſignatæ. In terra itaque *Cracouienſi, Ioannes* de *Tbaczin* Caſtellanus *Byeczenſis*, & *Clemens Vatrobka* de *Strzelcze*: In *Sandomirienſi Ioannes* de *Oſſolin* Caſtellanus *Sandomirienſis*, creantur Prouiſores.

Eodem tempore Barones, Nobiles, & vniuerſi terrarum *Ruſſiæ* & *Podoliæ terrigenæ*, magnis precibus, & deuotis ſolicitationibus *Wladislao* Regi, & omnibus Principibus & Baronibus Regni *Poloniæ* ſupplicant, *quatenus illos iisdem iuribus, prærogatiuis, & præeminentiis, quibus alii Regnicolæ Poloniæ fruuntur & gaudent, donet, libertet, & priuilegiet.* Et quo magis animum Regis & eius conſiliariorum precibus ſuis inclinent, gratiam ſimilem & libertationem *Wladislaum genitorem ſuum claræ memoriæ, eis promiſiſſe, & dandam decreuiſſe, effectum tamen ſortiri non potuiſſe, propter mortem ſubſecutam*, euidenti & claro teſtimonio comprobant. Quorum precibus *Wladislaus* Rex permotus, Patris ſui comperta voluntate & decreto, illos libertat, & omnibus priuilegiis, gratiis, prærogatiuis, honoribus, quibus Regni *Poloniæ* Nobiles, incolæque gaudent & fruuntur, inſignit & nobilitat, ac omnem ſeruitutem, cui erant obnoxii, omnia inſuper tributa & vectigalia, nulla conditione appoſita, relaxat, dimittit, & abrogat, atque eos cæteris nobilibus Regni *Poloniæ*, in vſu libertatum & gratiarum quarumlibet, parificat. Quod pluribus Prælatis & Baronibus Regni incongruum, & Reipub. offenſiuum viſum eſt: præſertim cum *Wladislaus* Rex mortuus, non tam amplam, nec tam largam & pinguem libertatem, præfatis terris dandam decreuiſſe ſcitus eſt. Sed dum relaxaret eorum multa, & grauiora cum tributa, tum onera, ad quælibet tamen bella, quæ & ipſe, & ſui ſucceſſores Regni *Poloniæ*, cum quibuscumque hoſtibus, & quotiescumque, gererent, ſine aliquo donatiuo ire, ad caſtrorumque ædificationes ſuos homines mittere, ac de quolibet laneo poſſeſſo, duas auenæ, duas ſiliginis menſuras, & quatuor

Nobilitas Ruſſiæ & Podoliæ eaſdem quas Poloni habent, libertates obtinet.

A groſſos monetæ vſualis, ſibi & menſæ ſuæ Regali, ſingulis annis ſolui, voluit eſſe temporibus perpetuis aſtrictos & obligatos. Ferebant itaque multi moleſte, quod his conditionibus non appoſitis, terris prædictis *Ruſſiæ*, tam ampla data fuit libertas, quam alii Regnicolæ *Poloniæ* per multa annorum centena, variis & ſtudioſis obſequiis, & præclaris geſtis in bellis editis, vix poterant conſequi & emereri. 1434

Cœperant & hoc anno inſoleſcere nonnulli contra Eccleſiam Barones & Nobiles, illi præſertim, qui Regis *Wladislai* coronationem moleſte ferebant; concitaruntque vulgum, & Communitatem Nobilium contra Eccleſiaſticas perſonas. Plurima allegantes, præſertim B circa exactionem decimarum, & fulminationes cenſurarum, grauamina. Vnde eodem anno, primum in oppido *Vartha*, pro die Sancti *Nicolai* Confeſſoris, deinde annis ſubſequentibus, plures generales & particulares habitæ ſunt, in *Piotrkow*, & aliis locis, inter clerum & Barones, conuentiones. In quibus primum *Albertus Iaſtrzambiecz* Archiepiſcopus *Gneſnenſis*, deinde omnes alii conueniebant Pontifices, nec Barones ſæculares venire negligebant. Dum autem Sæculares Barones grauamina quædam, moleſtias, & abuſus, quibus ipſi & eorum coloni grauarentur, proponerent, Pontifices & Clerus per priuilegia & iura, Regum & Principum *Poloniæ*, Eccleſiis, C pro eorum libertate & excellentia conceſſa, monſtrarunt, omnia licenter, omnia lege Diuina & humana ſe agere, & nihil ſibi de iure eorum vendicare. Abuſus autem particulares, ſi qui per ſæculares perſonas fuerant introducti, offerebant ſe correcturos. Concilium inſuper generale, quod tunc in ciuitate *Baſilienſi* vigebat, partes ſuas interponebat, pro extinguendo huiusmodi diſſidio, ſolicitando literis vniuerſos ad pacem. Placari tamen animi multorum & ſanari quacumque ratione non poterant, qui id tempus optimum rati, quo *Wladislaus* Rex annos pubertatis nondum excederet, Eccleſiam *Polonicam* in ſuis libertatibus offendere, & multa illi abſtrahere, atque D ſuis commodis & vſibus applicare maturabant. Permittente tamen iuſto Dei iudicio, Primores omnes, & qui perſecutionis Eccleſiaſticæ videbantur Magiſtri & rectores, morte ſubtracti ſunt. Accidebat autem pleriſque non naturalis quidem, nec matura mors, ſed acerba & funeſta, quæ ceteros a perſecutione, & infeſtatione Eccleſiæ exterruit, & dare pacem Eccleſiæ, annis aliquot vexatæ coegit.

Auctores perſecutionis in clerum & bona Eccleſiarum

diuinitus puniuntur.

Coronatione *Wladislai* primogeniti *Iagyellonis* expedita, non alia Conſiliarios Regni tenuit cura, niſi vt cum *Sigiſmundo Romanorum* Imperatore, & *Hungariæ* Rege, pax, variis ſimultatibus infecta, reformaretur, ne Rege puerilem ætatem habente, ſua calliditate & ingenio, finitimos, & præſertim Cruciferos, vexare

1434 xare bello Regnum *Poloniæ* induceret: aut ipſe ſuis potentiis, illi hoſtis infeſtusque eſſet. Conſultatione itaque primum de hac re habita, omnium deliberatione & aſſenſu, placuit ad illum duos Barones mitti, ad iungendam ſecum affinitatem, & ad petendum filiam Ducis *Auſtriæ Alberti* Proneptem ſuam, *Wladiſlao* Regi in conſortem. Futurum exiſtimantes Conſiliarii, affinitate huiuſmodi, & tranſactas ſimultates & odia, quomodolibet inter Reges & Regna concitata & orta, tegi poſſe, & ſplendido coniugio, amplitudinem Regno *Poloniæ* prouenturam, morte Imperatoris *Sigiſmundi*, & Ducis *Auſtriæ Alberti*, nullam tunc prolem maſculam habentis. Electi itaque duo Barones ad hanc legationem bene gerendam, idonei communi iudicio æſtimati *Ioannes* de *Konyeczpolye* Regni *Poloniæ* Cancellarius, & *Ioannes* de *Oleſchnicza* Regni *Poloniæ* Marſchalcus, ad præfatum *Sigiſmundum* Imperatorem, transmittuntur.

Legati ad Imp. Sigiſmundum mittuntur,

Præcedit illos iuſſu Regis *Ioannes Gamrath* miles, vt & aduentum eorum Imperatori denunciaret, & ſecuritatem adueniendi ordinaret. Is commiſſione *Petri Schafraniecz* Palatini *Cracouienſis*, temere, extraordinarieque ſuſcepta, indicat Imperatori, *Legatos Poloniæ oratum ad eum venire, vt gubernationem tutelamque Regni Poloniæ ſuſcipiat.* Non minus temere legatio hæc expoſita, quam ab Imperatore credita eſt. Ingeſſitque animo ſuo excellentiam magnam & hilaritatem; quam continere non valens, omnibus Conſiliariis ſuis, inter quos tunc aliqui Electores Imperii aderant ſecum, gloriabundus effudit. Legati *Poloniæ* Imperatorem, in *Prisburg*, de partibus *Rheni* per *Iſtrum* deſcendentem adeuntes, comiter & benigne ab eo excepti, & per omnes dies, quibus & in curia ſua, & Dominiis ſuis morabantur, honorati & tractati ſunt. Conceſſa tandem audientia, mandata exponunt, nihil aliud, quam quod illis erat iniunctum, affinitatem per filiam *Alberti* Ducis *Auſtriæ*, proneptem ſuam, iungendam petunt.

qui filiam Alberti Ducis Auſtriæ pro Wladiſlao petunt.

Miratur Imperator, nihil de gubernatione Regni *Poloniæ*, in eum transfundenda, Legatos locutos. Et dum rem confictam, & temere a ſe creditam, ac vulgatam intellexiſſet; ſolicitat per Cancellarium ſuum *Caſparum Shlik*, non verbis ſolum, ſed promiſſis, Legatos *Poloniæ*, offerens cuilibet mille florenos annuum Salarium, quatenus ad abolendam ſui pudoris notam, gubernationem illi Regni Poloniæ, quam ſe repromiſit honeſte ſpreturum, offerrent. Legati nequicquam verbis aut promiſſis moti, aſſerunt *id ſibi nullatenus licere, ne de minus ſyncere mandatis Regiis & Regni expoſitis incuſarentur.* Quapropter & Imperator animo offenſus, Legatis *Poloniæ* reſpondet: *Non eſſe honeſtum aut æquum affinitates iungere, niſi prius omnibus diſcordiis, iniuriis, offenſis, & ſimultatibus, æquo iure, inter Reges & Regna, ſanatis & compoſitis.* Quod vt facilius procedat, con- A ſenſu Legatorum, feſtum Pentecoſtes anni futuri pro conuentione Conſiliariorum vtriusque Regni, indicitur, ad quod ſe Imperator repromittit Conſiliarios miſſurum. Accepto reſponſo Legati, nauigio ex *Prisburg*, *Budam*, ex inde terreſtri itinere in *Poloniam* reuertuntur. 1434

Item alii legati ad Concilium Baſil. mittuntur,

Mittitur & ad Concilium *Baſilienſe Ioannes Luthkonis* de *Brzezye* Canonicus *Gneſnenſis*, vt cum *Stanislao* Epiſcopo *Poſnanienſi*, & *Nicolao Laſſoczky* Decano *Cracouienſi* iunctus, Legatos Regis & Regni repræſentent. Pontifices & Barones maiores mitti non placu- B it, vt rebus publicis melius conſuli prouiderique poſſit. Aduentu *Luthkonis Baſileam*, mors *Wladiſlai* Regis renouata, dolentibus omnibus excellentiæ tantæ Regem, & fidei Chriſtianæ maximum propagatorem, abſumptum eſſe. Celebratæ ſunt illi in Eccleſia Cathedrali, impenſis *Stanislai Czyolek* Epiſcopi *Poſnanienſis*, Regales & magnificæ exequiæ, & omnis honos cum multa deuotione primum habitus, *Branda* Epiſcopo *Portuenſi* Cardinali *Placentino*, Miſſam celebrante, & Magiſtro *Nicolao Kozłowsky*, qui *Sbigneum* Epiſcopum *Cracouienſem*, ab eo miſſus repræſentabat, in latino ſermone nobilem concionem faciente. In qua de excellentibus, magnificis, & inſigni- C bus victoriis; item de religioſis & deuotiſſimis actibus ſuis, in fidem & religionem orthodoxam, plurima diſſeruit; multisque Patribus Concilii verbis ſuis lacrymas excuſſit.

ubi iuſta Wladislao Regi perſoluuntur,

Ivxta continentiam & ordinationem fœderum cum Cruciferis de *Pruſſia* habitorum, conuentio in *Raczyaſz* pro die Mercurii Natiuitatis *S. Mariæ* Virginis habita eſt, ad tractandum de pacis perpetuæ concluſione. Ad quam cum *Albertus Iaſtrzambiecz Gneſnenſis* Archiepiſcopus & Primas, *Sbigneus Cracouienſis*, *Wladislaus* electus *Wladislauienſis*, Epiſcopi; *Nicolaus* de *Michalow*, Caſtellanus & Capitaneus *Cracouienſis*, magni Ducis *Lithuaniæ Sigiſmundi*, Ducum *Maſouiæ*, Duciſque *Stolpenſis*, Nuncii, ciues de *Thoczno*, D frequensque Conſiliariorum numerus conueniſſet, Cruciferi in terendis Legationibus diebus aliquot tempus abſumebant. Nec turpe putabant, ſolicitare Conſiliarios Regni, *vt ad ripam fluminis Viſlæ e regione caſtri Zlothoria poſitam, pro tractatibus ineundis deſcenderet.* *Poloni*, etſi ea, vt pleraque ſuperiora, vana eſſe non dubitarent, ne tamen pacis concluſio per eos infecta remaneret, deſcendere conſenſerunt. Ibi quoque Cruciferi diu expectati, vix ſub Solis occaſum, vnum Commendatorem miſerunt, aliquorum ſuæ partis Epiſcoporum & Commendatorum tardum aduentum, & pleraſque alias cauſas fingentes, *Polonorum* expectationem eludebant. Itum eſt tamen & altera die in ripam *Zlothoriæ*, nec minor eluſio a Cruciferis ſub idem tempus,

Conventio cum Cruciferis,

qui Polonis illudunt,

ca-

1434 cadente ſole ſe excuſantibus, ingeſta eſt. Quapropter de cætero non modo ad ripam fluminis pro colloquiis reditum non eſt, ſed etiam, dum Cruciferorum ſpecies illudendi & fallendi magis patefacta, animos *Polonorum* irritaret, diſceſſum. Nondum autem *Polonis* portas oppidi *Brzeſczie* intrantibus, duo Nuncii adueniunt, vnus Cruciferorum Nuncios aduentare, & his ſaluum conductum dari poſtulans, alter ex *Lithuania*, cladem, quam *Liuonitarum* exercitus a *Samogithis* pertulit, nuncians. Licet ſiquidem in conditionibus fœderum, Ducatus magnus *Lithuaniæ* cum terris ſuis incluſus fuiſſet, Cruciferi tamen de *Liuonia*, iuſto exercitu conquiſito, terras *Samogithiæ* populandas ingreſſi, variis & exquiſitis modis vaſtabant. Hæc quoque cauſa & reſpectus Cruciferos de *Pruſſia*, conuenire cum Conſiliariis prohibebat; cum quod belli geſti in *Samogithia* præſtolabantur euentum, tum quod reprehendendos & carpendos ſe eſſe, de fracta fide, rebantur. Si quando vero Nunciis eorum hæc obiiciebatur doloſa vafricies, reſpondebant, *iniuſſu ſuo bellum Liuonitas aſſumpſiſſe*. Verum quia clemens & propitius Dominus, ruptorum fœderum conuenit eſſe vltor, ideo gloriari *Liuonitas* in ſua potentia non permiſit. Dum ſiquidem, multis locis *Samogithiæ* peruaſtatis, quandam ſiluam, de ſecuritate freti, ingreſſi fuiſſent, cincto exercitu hoſtili corona, *Samogithæ* [qui metu eorum, laribus relictis, in ſaltibus luſtriſque ſe abdiderant] optimum tempus rati, quo hoſtibus ſuperiores eſſent, robora arborum, quanta velocitate poſſunt, incidunt, & *Liuonitas* incluſos, deſperatione extrema, & miſſilibus frequentibus ſepiendo, tuti ipſi a quolibet ictu, lacerant, occidunt, & ad deditionem compellendo, ſub iugum mittunt. Multa millia hominum illic, vel occiſa, vel capta ſunt. Præda omnis *Samogithis* ceſſit, ſigna, banderiaque hoſtium ſeptem capta, & in Cathedralem Eccleſiam *Vilnenſem S. Stanislai*, delata. Clades hæc, Cruciferos de *Pruſſia*, manſuetiores fecit. Quapropter miſſo vſque in *Brzeſczie Volffone* de *Schauſcheri* Commendatore *Oſterodenſe*, tractatum pro concluſione pacis perpetuæ, cuius antea faſtidire ſe etiam mentionem demonſtrabant, in diem Sancti *Floriani* anni futuri in oppido *Breſczie*, protelari obtinuerunt apud *Poloniæ* Conſiliarios, qui iam & tum, & dudum ante, ad pacem animos inclinauerant.

Cæſi Liuonis.

Cruciferi pacem petunt.

Gneſnenſis Archiepiſcopus *Albertus Iaſtrzambiecz*, ex *Brzeſczie* ſub id tempus *Lanciciam* deſcendens, *Wladislaum* de *Oporow*, in monaſterio fratrum Prædicatorum, aſſiſtentibus illi, *Sbigneo Cracouienſi*, *Ioanne Chelmenſi*, Epiſcopis, in *Wladislauienſem* Epiſcopum conſecrat, die Solis decima octaua menſis Septembris.

Æſtate anni eiuſdem, variæ commotiones inter *Poloniæ* Regnum, & *Sleſiæ* terras, conſurrexerant. Nouitas enim raro viſa eſt perturbationibus caruiſſe. Vtroſque enim, mortem Regis ſecuta, metus aliquis non continebat. Principium tamen omne, à *Sleſitis* cœptum eſt; qui ex terris ſuis *Nicolaum Kornicz Syeſtrzenyecz*, & alios, rapto viuere aſſuetos, prædas in Regnum agere, vel diſſimulatione, vel aſſenſu permittebant. Nec viro Nobili *Criſtino* de *Kozyeglowy* Caſtellano *Sandecenſi*, tunc parſum eſt: ſed bona ſua in terra *Syewyorienſi* circa *Kozyeglowy* conſiſtentia, vaſtant & prædantur. Is vbi ad Regem & Conſiliarios, querela delata, nihil leuaminis reportaſſet, exercitum collegit, & in oppido *Gliwicze* ſemidiruto, valido præſidio poſito, multas oras *Sleſiæ* igne & ſpoliis depopulatus eſt. Propter quod *Sleſiæ* Duces a Rege conuentionem indici obtinent, vt in ea omnes deformitates & abuſus, bellaque mota & introducta, poſſint componi & abrogari. Et cum feſtum Sanctæ *Heduigis*, locuſque *Badzin*, pro illa tenenda, poſitus eſſet; ex parte Regni *Sbigneus* Epiſcopus, *Nicolaus* de *Michalow* Caſtellanus & Capitaneus *Cracouienſes*, cæterique Barones; ex parte vero *Sleſia Bernardus* Dux *Oppolienſis*, *Nicolaus Ratbiborienſis*, *Venceslaus Theſchnenſis*, *Venceslaus Oſſzwiaczimenſis*, Duces, multique Barones *Sleſiæ*, ad illam conuenerant. Vbi tractatu per dies aliquot habito, pax reformata eſt. Et damnis hinc inde compenſatis, cautum vt neutra pars *Nicolaum Syeſtrzenyecz*, tanquam pacis communis turbatorem, teneat, aut foueat, & per terras & dominia ſua, damna, prædas, furta, & ſpolia inferri, vna alteri non admittat, ac ſuffragium ad comprehendendum quoſcumque prædones, & ſubitos hoſtes, det requiſita. Hæc literis & ſigillis firmata, paruo tempore obſeruata ſunt. Nam de caſtro *Swirklyenyecz*, per *Ioannem Gyelcz*, & alios *Morauiæ Sleſiæque* fures, plures prædæ & furta in *Polonia* agebantur.

1434 *Poloni & Sleſitæ damna vtrinque data*

indicta conuentione componunt.

Bohemorum ſub idem tempus Nobilitas, attendens *Thaboritas* & *Orphanos* pro ſua libidine vniuerſa agere, magnopere infeſta illis eſſe cœpit, & errore ſuo, licet ſero, recognito, miſeros ſe putare, qui Regis imperio abdicato, ferant *Procopium* exigentem vectigalia, delectum habentem, vitæ & necis poteſtatem habentem, nobiles atque ignobiles pro triſtibus mancipiis tenentem. Nec vllum extare genus, *Bohemico* infelicius, quod tam fœdum tyrannum ſortitum eſſet. Conuentu itaque indicto, pro abrogando tam turpi & iniquo Imperio, *Halſch* de *Riſchemberg* antiquæ Nobilitatis Baro, ſed cenſu tenuis, in gubernationem totius Regni aſſumptus & declaratus eſt. Conſiliariique illi adiuncti, quorum conſilio domi & extra, adminiſtraret Rempub. Quo *Procopius* cognito, copias ex *Thaboritis* & *Orphanis* ducens, *Pilznam* obſidere cœpit. Quam


Bohemi Halſch de Riſchemberg creant Gubernatorem Regni.

1434 cum continuis vndecim menſibus maceraſſet, & fames plures abſumeret, Patres Concilii, etſi nullum haberent ærarium, octo tamen A millibus auri, ex priuato congeſtis, dedere ſuffragium; mittentes illud *Meynhardo* de noua domo: qui collecto exercitu, ſubveniret obſeſſis. Sed cum interea noua ciuitas *Pragenſis*, quæ a *Thaboritarum* præſidio tenebatur, contra antiquam, ex diſſenſione duorum Sacerdotum, *Lupi*, & *Rokiczanæ*, ſe inuicem fœdis probris carpentium, conſurrexiſſet, & turres ligneas plurium tabulatorum erexiſſet, *Halſch* his intellectis, cum manu militum, quam comparauerat *Meynhardus*, antiquam ciuitatem ingreſſus, eam in ſuam poteſtatem redegit, turresque diſiecit. *Procopius* vero B ſoluit illico obſidionem, & verſus antiquam *Pragam*, neglectis conditionibus pacis, quæ illi per communes amicos offerebantur, ire pergit. *Halſch* cum cætera nobilitate, antiqua ciuitate relicta, cuius nutare animos maniſeſte viderant, obuiam hoſti pergunt. Et in loco inter *Brod Bohemicum* & *Durin* ſitum, curribus contra currus incurrunt, pugnamque acerrimam committunt. Et maxima ſtrage vtrinque ædita, *Thaboritæ* & *Orphani* a Nobilitate ſternuntur. *Procopius* autem, vbi ſuos ex ordinibus dilapſos in fugam ſpectare vidiſſet, cum cohorte virorum fortium, hoſtilem impetum aliquanto tempore ſuſtinens, pene hoſti victoriam eripuit. Sed multitudine equitatus circumuentus, telo ictus transfoditur. *Procopius* minor in eodem loco pugnans, occiditur. *Ioannes Czapko Thaboritarum* Ductor, cum magna parte equitatus, fuga ex prælio elapſus, in *Poloniam* confugit. *Halſch* & *Meynhardus*, veriti, ne ex colluuie captiuorum, quorum plura millia eis prouenerant, peſtis reuiuiſceret, dum ſine lege viuere viderentur, (innocentes tamen, qui ex agris coacti ad pugnam venerant, hoc modo a ſontibus diſcreturi) publico edicto iubent, *ut omnes qui ſtipendia mereri vellent, in horrea proxima, agreſtibus tamen excluſis, ſe reciperent.* Introierunt itaque horrea *Thaboritarum* & *Orphanorum* pleraque millia, & illico clauſa horreorum oſtia, & adhibitus ignis, quo vniuerſum illud nefariorum hominum, & cædibus madentibus, agmen, conflagratione interiit. 1434

Cuius ductu Thaboritas cædunt & fugant.

Cæteros horreis incluſos incendunt.

FINIS LIBRI VNDECIMI.



IOANNIS DŁVGOSSI
SEV
LONGINI
CANONICI CRACOVIENSIS,
HISTORIÆ POLONICÆ
LIBER DVODECIMVS.

1435 W*Ladiſlaus* Rex cum germano ſuo Duce *Caſi-* A *miro* ſicut continuam habitationem habebat *Cracouiæ*; itaquoque ibi dies Natalis Domini cum curia ſua tenuit & celebrauit, quibus expeditis, pro diebus quadrageſimæ iuit *Sandomiriam*, vbi fere omni tempore quadrageſimali abſumto *Cracouiam* pro feſto Paſchæ reuerſus eſt. Tenuta eſt & pro Dominica Lætare terrarum *Cracouienſium* conuentio, vt Palatinatui *Sandomirienſi* per mortem *Spitkonis* de *Tarnow* vacanti prouideretur de perſona, B varia erant ſtudia partium, & vnusquisque cuicui afficiebatur promouebat, ſuffragiis tandem partis maioris *Ioannis* de *Czizow* Caſtellanus *Sandomirienſis* Palatinus *Sandomirienſis* declaratus, & vt omnis & in præſens & impoſterum in conferendis dignitatibus Regni abrogaretur difficultas, placuit illas per optionis & aſcenſionis modum confici. Quapropter in Caſtellanum *Sandomirienſem*, *Lublinenſis* Caſtellanus *Dobeslaus* de *Oleſnicza*, in *Lublinenſem Woinicenſis Domaratus* de *Kobyliany*; in *Woinicenſem*, Caſtellanus *Bieczenſis Ioannes* de *Thantzin* ſucceſſerunt. Caſtellaniam vero *Bieczenſem* cum eſſet reſidua, obtinuit ſuffragiis *Clemens Waſtrobka* de *Strzelcze*. & hoc optionis ordine dignitates vacantes Regni Rege exiſtente impubere, quo omnis ceſſaret liuor & contentio conferebantur. 1435

Spitkoni de Tarnow Palatino Sandomir. ſuccedit Jo. de Czizow.

Tennta eſt dieta generalis in oppido *Brzeſcie Cuiauiæ* pro die *S. Floriani* per Prælatos & Principes ac Barones *Poloniæ* ex vna, & Magiſtrum & Commendatores ac nobiles *Pruſſiæ* parte ex altera. In qua cum pluribus tractatibus de pace perpetua inueſtigatum eſſet, & Cruciferi diuerſis interpoſitionibus tractatum huiusmodi protelarent, adeo, vt etiam Barones & Prælatos *Poloniæ* in *Sturew* pro ſtabilienda facilius pace traherent, quaſi oppidum *Brzeſcie* locus idoneus ad concludendam pacem non eſſet. Non magis præſtitit conficiendæ paci oppidum *Sturew* quam *Brzeſcie*, quoniam Cruciferi animos tenebant armatos. Gerebatur enim tunc bellum inter magnum Ducem *Lithuaniæ Sigismundum*, cuius erant in ipſa etiam conuentione notabiles in parte Regni *Poloniæ* oratores ab vna, & Magiſtrum *Liuoniæ*, quibus Cruciferi de *Pruſſia* notabilem pro ſubſidio miſerant exercitum, partibus ab altera, & illius euentum Cruciferi, quaſi certi de victoria expectabant. Prælatis autem & Baronibus *Poloniæ* de *Sturow* re infecta diſcedentibus, nuntius illis ſed & alter Cruciferis allatus eſt, certificans *Liuoniæ* Magiſtrum *Bartor*

Conuentio Brzeſtenſis.

1435 *de Lo, & exercitum eius per Lithuanos proſtratum & confractum eſſe*, & ea nouitate permoti Cruciferi, quique alias faſtidiebant pacem ſuſcipere, miſſis celeriter vſque in *Brzeſcie* duobus Commendatoribus & duobus Baronibus ad pacem paratiſſimos offerunt, & pro ea conciliãda alium terminum, diem videlicet *S. Nicolai* indici & conſtitui magnis precibus impetrant & inſcriptionibus firmant.

Alia conuentio Siradiæ.

Ex conuentione *Brzeſtenſi* treugis ordinatis itum eſt in aliam conuentionem *Siradienſem* pro die *S. Stanislai* inſtitutam, ad quam *Wladislaus* Rex cum germano ſuo Duce *Caſimiro* & *Zophia* Regina matre aduenerat, ibi longa concertatione diſputatum eſt, ſi *Helias* Woiewoda *Moldauiæ*, qui in caſtro *Siradienſi* tenebatur captiuus ex captiuitate dimitti deberet, an non? Cum *Walachi* partis ſuæ pro ſua dimiſſione inſtarent, & nuntii *Stephani* Woiewodæ etiam illuc venientes *ne relaxaretur & inteſtina diuiſio poneretur inter eos* orabant, re in deliberationem deducta communi ſententia latum eſt: *Heliam nullatenus dimitti, vt Stephanus ſua captiuitate Rege extante impubere, in fide & obedientia contineretur*, breuiuſculo tamen tempore hæc ſententia obſeruata eſt.

de Helia Woiewoda dimittendo,

Nam *Helias* conuentione diſſoluta, ex *Siradienſi* caſtro, quod tunc per *Petrum Schaffraniecz* Palatinum *Cracouienſem* tenebatur, clandeſtine aufugiſſe conuictus, & nullo impediente in *Walachiam* diuertiſſe, terramque *Walachiæ* guerris & ſtragibus inteſtinis illico arſiſſe. Grauis inſuper quæſtio in eadem conuentione inter Eccleſiaſticos ab vna, & ſeculares ab altera ſuper decimis & perceptione earum & quibuſdam oneribus exorta eſt, diſpar tamen erat *maioris Poloniæ* & *Cracouienſis* terrarum cauſa. Nam *Cracouienſes* ſuper ſtraminibus & ſpontanea redditione decimæ ex agro quo amouetur kmetho, agebant. *Maioris Poloniæ* decimas in noua radice conſurgentes manipulo non debere reddi, allegabant & ſuper his priuilegium *Iaroslai* Archiepiſcopi *Gneſnenſis* & ſui Capituli ordinationem huiuſmodi continens producebat. Cum autem res nulla certa diſcuſſione decidi poſſet, ſingularis alia conuentio, pro die aſſumtionis Sanctæ *Mariæ* in *Piotrkow*, vbi nulli alteri, quam huic rei vacaretur inſtituta. Pontifices quo magis armati & prouiſi bonis mediis in huiuſmodi conuentionem *Petricouienſem* aduenirent, Synodum Prouincialem *Lanciciæ* pro die aſcenſionis Domini inſtituunt, ibi *Alberto* Archiepiſcopo *Gneſnenſi* & Epiſcopis prouinciæ conuenientibus deliberatum eſt, *libertatem Eccleſiæ Rege exiſtente impubere bonis modis dilationem continentibus ſuſtinendam eſſe, ſi aliqua vis inferatur, cenſura Eccleſiaſtica pro gladio vtendum, Maioris Poloniæ Baronibus reſpondendum, Gneſnenſem Eccleſiam ad obſeruationem priuilegii Iaroslai non obligari, cum ab eo tempore, quo vi & impreſſione confectum conſtabat, fuiſſet illi contraria conſuetudine & obſeruantia derogatum.*

& decimis.

1435 Vigeſima Martii *Ioannes* Epiſcopus *Premislienſis* cognominatus *Sliedz*, natione *Cuiauita*, de villa *Luben*, nobilis de domo *Doliwa*, moritur, & in Eccleſia caſtri *Premislienſis* ſepelitur. Cuius morte ſecuta Prælati & Canonici electione celebrata, cum concorditer *Franciſcum* de *Orzek* Decanum *Leopolienſem*, & Canonicum *Premislienſem* nobilem de domo *Sweiczek* elegiſſent: *Wladislaus* tamen Rex cum Baronibus *Nicolaum Chraſtowski*, nobilem de domo *Strzegonia*, Præpoſitum *S. Floriani* & Canonicum *Cracouienſem* nominauit, & adiuuantibus nominationem huiuſmodi aliquot Conſiliariis, quorum frater & propinquus erat, poſſeſſione etiam bonorum Eccleſiæ occupata, *Franciſcus* de *Orzech*, licet optimo iure fulſus, cedere de illo, recepta Præpoſitura *S. Floriani* coactus eſt. Quapropter ipſe *Nicolaus Chrzaſtowski* in Epiſcopum *Premislienſem* per *Eugenium* Papam quartum fuit promotus, & per *Zbigneum* Epiſcopum *Cracouienſem* in monaſterio *Piadriczouienſi* in die Dominico Aſſumtionis *S. Mariæ* altero tamen & ſubſequente anno conſecratus.

Ioanni Epiſc. Premislienſi ſuccedit Nic. Chraſtowski.

Aſſumptionis feſto *S. Mariæ* adueniente, Archiepiſcopus *Gneſnenſis Albertus*, & fere omnes Pontifices Regni, cum Capitulis ſuarum Eccleſiarum, Abbatibus, Doctoribus & Magiſtris adueniunt in *Piotrkow*, idem faciunt, & Barones ſeculares, inter quos præcipuus fuit *Nicolaus* de *Michalow* Caſtellanus & Capitaneus *Cracouienſis*, minor tamen numerus fuit Baronum quam Eccleſiaſticorum, eo quod quoſdam Palatinos metus Dei & religio Chriſtiana, quoſdam valetudo, ne conuentioni intereſſent, retraxit, per dies aliquot in Eccleſia *Piotrcouienſi* vtraque parte conueniente in longum diei procedebant altercationes, oppoſitiones, defenſioneſque partis vtriuſque & tractatus. Et quamuis ſeculares plures conſuetudines, quas prætendebant eſſe grauamina, tolli petebant, omnis tamen eorum principalis intentio in eo reſidebat, vt liceret nobili ruſticum ex agro amouenti, dare decimam ſuo Plebano, non obſtante, quod ruſticus illam alteri reddebat, & vt iuxta Priuilegium *Iaroslai* Archiepiſcopi *Gneſnenſis*, quod proproducebatur in medium, exactio decimæ manipularis in omnibus villis poſt datam literæ locatis, & in futurum locandis quieſceret & abrogaretur; nec ſolum id *maioris Poloniæ* Barones pro ſe ſuiſque terris expetebant, ſed etiam ad terras *Cracouienſes* Priuilegium extendi Barones *Cracouienſes* pro eo quod per Archiepiſcopum *Gneſnenſem* qui Primas eſt, conceſſum eſſet, & in illo quidam Canonici *Cracouienſes* qui in Eccleſia *Gneſnenſi* pro tunc beneficia obtinebant, pro teſtibus ponerentur, laborabant. Duces harum rerum & principales autores erant *Abraham* de *Zbąszyn*, Iu-

Conuentio in Piotrkow de decimis.

dex

1435 dex *Poſnanienſis*, *Spitko* de *Melſchtin*, *Ioannes Straſz* de *Bialaczow*. Manſueta ſuper omnibus ab Eccleſia reſponſio data eſt, quæ ſuapte incenſos animos reſoluebat; *non poſſe ſine graui ſcelere decimam ruſticum reddere ſolitam Archiepiſcopo, Abbati, vel Canonico, de deſertatis agris, vel in araturas nobilis translatis decernere liberam & rem alieni iuris in alium transferre; annuere tamen libenter vt in nobilis & ruſtici diſcrimen miles agrum ruſtico depoſito colens, neque decimam canapi ſoluat, neque eam propriis curribus Domino decimæ in horreum more ruſticorum inferat, neque electionem in frugibus & capetis, niſi eſſet vltimum vitiatum admittat. Priuilegium Iaroslai nullum habere vigorem, tum quod vi & impreſſione extortum eſſet, cuius manifeſtum oſtenditur documentum, eo quod Poſnaniæ non Gneſnæ paucis ad id conſentientibus legitur conceſſum: tum quod Eccleſia Gneſnenſis contra illud contraria obſeruantia præſcripſiſſet, nec Cracouienſem Eccleſiam eius lege conſtringi, cum Gneſnenſis Archiepiſcopus nil poſſit in Cracouienſi Eccleſia diuturnum conſtituere; habere quoque Cracouienſem Eccleſiam aliud priuilegium Bodzantæ Epiſcopi ad inſtantiam Caſimiri Regis & ſecularium pro eodem fere tempore conceſſum.* Barones videntes ſe non poſſe eam quam ſperabant concluſionem efficere, omiſſis quibuslibet mediis, quæ illis per Eccleſiam offerebantur, in omnia agere inſtituunt, & arreſtandas decimas ſub arreſtoque detinendas, donec ſpirituales in eorum vota conſenſerint, decernunt. Decretum tamen illud metu interdicti, quod ponendum Pontifices in euentum arreſtationis concluſerant, nuſquam fuit obſeruatum.

Sigiſmundus Romanorum Imperator diſſidio, quod inter *Eugenium* Papam & Patres Concilii exortum erat, ſedato, de *Baſilea* egreſſus, Legatos *Bohemiam* mittens, commendat Regni Proceres, quod colluuionem hominum ſceleſtorum deleuerunt; hortatus *vt pace Regni procurata, ſe Regem ſuſcipiant.* Illi frequenti numero apud *Ratisbonam* eum conueniunt & Regem ſalutant; exinde poſcentibus *Vngaris Budam* nauigio venit, & rebus *Vngaricis* vacabat.

Agebatur ſub idem tempus à *Sigiſmundo* magno *Lithuaniæ* Duce contra *Boleslaum Swidrigall* memorabile bellum; quod nunc ordiri pergam.

Swidrigall expulſus

Dux *Boleslaus Swidrigall* moleſte ferens ſe de magno Ducatu *Lithuaniæ* deiectum & expulſum, *Sigiſmundi Romanorum* Imperatoris & *Vngariæ* Regis animatus & perſuaſus conſiliis & promiſſis, repetere eum Ducatum in animum inducit; multaque ſibi dabant animum res hujuſmodi aggrediendas. Maiorem enim partem Ducatus eiuſdem magni in ſua ditione & obedientia, omnes videlicet terras *Ruſſiæ*, mira ſibi fidelitate adſtrictas obtinebat. Dux inſuper *Sigiſmundus Coributh*, qui annis ſuperioribus multa bella in *Bohemia* ad- A miniſtrauerat, opera Cruciferorum de *Pruſſia*, & per eorum terras ad illum ſuffragaturus ſibi aduenerat, ſeneſcere enim ſuam exiſtimationem & deſpectam iri apud *Bohemos* videns, rurſus longis erroribus, quo diuerteret ignarus, per *Pruſſiam* iter ſuſpectum habens, per Regnum *Poloniæ* ad Ducem *Swidrigall* ſe contulit, cujus probitatem & in bellicis artibus tum ſolertiam, tum experientiam Dux *Swidrigal* dudum cognitam habens, adventu illius admodum lætatus eſt, ſperans illum certaminibus & bellis maxime profuturum; ipſi inſuper Cru- B ciferi cum quibus alias ligas & fœdus amicitiæ contra Regnum *Poloniæ* confecerat, ſubſidia ampla pecuniis & gentibus repromittebant, ea ſpe ſibi propoſita, vt ſi vinceret, & Ducatu *Sigiſmundum* Ducem pelleret, maxima eſſent ab illo ſuffragia contra Regnum *Poloniæ* habituri. Collecto itaque Dux *Swidrigall* ex *Ruthenis* & *Tartaris* atque *Bohemis* ac *Sileſiis* notabili exercitu, terram *Lithuaniæ* circa feſtum Aſſumtionis clandeſtine ingreditur, ut facilius fallat & occupet hoſtem, cui Magiſter *Liuoniæ* cum Marſchalco & omnibus *Liuoniæ* Commendatoribus, nec non exercitu Magiſtri *Pruſſiæ* tam ex forenſibus & ſtipendio conductis, quam ex propriis delecto, in auxilium venit, & omnibus exercitibus ſuis iunctis Dux C *Sigiſmundus* præficitur in Capitaneum & Ductorem. Dux autem magnus *Lithuaniæ* horum omnium non ignarus collegit ex *Lithuanis* ſuis quanto majorem poterat exercitum, ſed illum hoſtili exercitui intelligens multo inferiorem futurum, ſciens quoque ex *Lithuanis* plurimos ſibi, eos præſertim, quorum patres aut Fratres, aut propinquos trucidauerat, offenſos, Duci vero *Swidrigallo* affectos, *Wladislaum* Regem *Poloniæ* variis nuntiis & literis ſolicitat, obſecrat, rogat, *quatenus ſuo periculo ſubuenire dignaretur, & vt illum hoſtibus undiquaque ſeptum non deſerat.* *Wladislaus* autem de conſilio Prælatorum & Baronum ſuorum *Poloniæ* magnum illi exercitum de *Po-* D *lonis* in auxilium tranſmittit, non ignarus quod omnes ſui eſſent contra Ducem *Swidrigall* germanum patruum laturi arma, Dux autem magnus *Sigiſmundus Lithuaniæ* de tam numeroſo & forti exercitu in neceſſitatis articulo ſibi tranſmiſſo exhilaratus, omni metu & turbatione mentis depoſita contra Ducem *Swidrigal* egreditur; omnemque exercitum *Lithuanicum* in obedientiam & gubernationem atque regimen *Iacobi* de *Kobilany* Capitanei exercitus Regii committit. Conuenerunt itaque poſt multas deſolationes & circuitus terræ hinc inde factas, circa *Wilkomiriam* vterque exercitus & caſtris in propinqua diſtantia flumine paruo intermedio poſitis; tribus diebus totidem noctibus; vterque contemplatur alterum omni hora, omni momento, omnes ver-

copias contra Sigiſmundum colligit.

1435 verſantur in armis, omnes congreſſum ſuſpicati, equis aſcenſis non quieſcunt, ſed glomerati præſtolantur pugnam, nec ſolum hæc A ſuſpicio & fatigæ vtrumque affligit exercitum, ſed & tempus intempeſtiuum, omnibus enim tribus diebus & noctibus pluuia decidens plurimum & homines in armis præſertim vigilantes, & equos quibus inſidebant, fatigabant. Riuus inſuper inter vtroſque medius cum paluſtri & voraginosa decurreret vnda vtrique exercitui tam metum quam ſuſpitionem iniecit illum tranſgrediendi, ne loco iniquiori ab altero circumuentus decernere cogeretur. Dux autem *Sigiſmundus Coributh*, præſtantiam, fortitudinem, animoſitatemque *Polonorum*, *Ruthenorum* autem & *Teutonicorum* puſillanimitatem in plurimis bellis ſæpe expertus, B omnes conatus ſuos pro pace interponebat omnibus illis tribus diebus, & *primum cognitionem totius cauſæ, pro qua bellum inter Ducem magnum Sigiſmundum Lithuaniæ & Ducem Swidrigall gerebatur, ordinationi, diſpoſitioni & deciſioni Summi Pontificis, Sigiſmundi Imperatoris, aut alicuius Regis vel Principis Catholici, ad extremum aliquorum bonorum, qui fidem duntaxat Chriſtianam colerent, ſubmitti* inſtantiſſime petebat, præſaga puta mente *bellum illud & certamen fatale ſibi tam humili oblatione* declamans. Dum autem intelligeret animos *Polonorum* & *Lithuanorum* perſuaderi talibus oblationibus non poſſe, vereba- C tur enim circumventionem & fraudem, remque exiſtimabant fatuam, in ipſo pene congresſu acierum, quicquam agere aut ſperare de pace, exercitum ſuum mane feria quinta S. *Ægidii*, quæ fuit prima Septembris in alia loca traducebat, vt cum gentibus quæ ſibi in auxilium ex *Liuonia* veniebant, facilius conueniret. Fertur etiam ipſe Dux *Sigiſmundus Coributh Teutonicis* ſplendide armatis, exercitum *Polonicum* & *Lithuanicum* cum maiori ex parte ſeminudus eſſet, aut nigris armis contectus deſpicientibus aut contemnentibus dixiſſe, *maiorem vim in illo tetro quam in illorum ſplendido exercitu conſiſtere, & vbi optio daretur, ad partem eorum tranſmigrare.* Mouit itaque caſtra & D recedere in loca conſtituta incœpit, quod vbi *Iacobus Kobylinski* Capitaneus & cæteri Barones & milites *Poloni* & *Lithuani* habuerunt compertum, exiſtimantes exercitum hoſtilem metu fugere diſceſſioniſque eiuſce cauſam non coniunctionem cum *Liuonitis*, ſed formidinem arbitrati, optimum tempus rati, quo victoriam de illo conſequerentur, ordinatis aciebus illos proſequuntur, & extremam partem exercitus a tergo inuadunt; fit clamor magnus in Ducis *Swidrigelli* exercitu, & omnes qui valebant Marte, derelictis ſtationibus ſuis ad ſuccurrendum ſuis accurrunt. *Polonorum* exercitus more *Muſarum* canticum *Boga Rodrico* canere incipit, & paucis verſibus peractis, cum hoſtibus congreditur, fit clamor magnus ex colliſione lancearum, gladiorum & armorum, multi hinc inde ex equis ſeſe deiiciunt, alii oppreſſi vulneribus ſpiritum exhalant, alii cadunt in terram ſemiuiui, durat certamen inter vtrumque exercitum ad ſpatium vnius horæ, tandem Deo volente franguntur, Cruciferi, *Liuonitæ*, *Tartari* & *Ru-* *Sed vincitur,* *theni* vertuntur in fugam, omnemque reſiduum exercitum, qui illis veniebat in ſuccurſum, in fugam ſimilem trahunt, vt prius fugam capiant, quam congreſſum. *Poloni* & *Lithuani* hoſtes fugientes & in incertis errantes paſſibus perſequuntur, multos perimunt, multos captos reducunt, plures in flumine *Swenta* aquarum gurgite abſorbentur vivi, & paucis *Ruthenis* cum Duce *Swidrigal*, qui itinera ſiluarum norant, fuga ſe ſaluantibus, totus fere exercitus Cruciferorum & *Liuonitarum*, qui viam, per quam fugerant in deſertis & ignotis ſiluis neſciebant, aut trucidatus aut captus eſt, & quindecim diebus continuis Cruciferi & *Liuonitæ* in ſiluis errantes captiuabahtur. Sed & ille *Liuonitarum* exercitus, qui nondum ſuis advenerant, caſu ſuorum audita, quid ageret, quo ſe verteret, perplexus, factis latiſſimis arboribus pontibus, in quendam vicinum lacum ſe confert, credens illic plenam inuenire ſecuritatem, ſed *Lithuani* de hac re certiores effecti, illic accurrunt & omnes ſine bello, ſine congreſſu comprehendunt, & rebus eorum omnibus atque fortunis potiuntur. Occubuit in hujuſmodi prælio Magiſter *Liuoniæ Bartor* de *Lo*, *Haſſo* genere, item *Theodoricus Croe* Marſchallus *Liuoniæ*, quem *Wladislaus* Rex ſenior annis aliquot *Cracouiæ* tenutum a captiuitate ſoluerat. Occubuerunt fere omnes *Liuoniæ* Commendatores & fortitudo omnis *Liuonitarum* tunc collapſa eſt, ita vt caſtra omnia *Liuoniæ* eſſent longo tempore hominibus vacua, facileque capi & obtineri poſſent, niſi Magiſter *Pruſſiæ*, nouas gentes ad illas ſurrogaſſet. Multa ſigna hoſtium in huiusmodi bello capta ſunt & in ſignum victoriæ in Eccleſia Cathedrali *Wilnenſi* per *Wladislaum* Regem *Poloniæ* in honorem *S. Stanislai* fundata & dotata, collocantur. Captus eſt etiam in eodem conflictu Dux *Sigiſmundus* & *Dux Sigiſ-* *Coributh* multis vulneribus ſauciatus, qui cum *mundus capitur.* per certos *Polonos* ſuæ fauentes vitæ argutus, eſſet, *cur ſe fuga non ſaluaſſet*, reſpondiſſe fertur, *veſtris moribus doctus, inter vos conſeruatus, veſtroque quaſi lacte nutritus, vitæ prætuli honeſtatem.* Captus etiam fuit tunc quidam *Sigismundus Roth* Regni *Poloniæ* magnus perſecutor & hoſtis, qui etiam coronationem *Withawdi* ſummopere promouens, per *Ioannem Charnkowski*, nunquam ſe data fide repræſentauit, quos ambos Dux magnus *Sigiſmundus* commiſſione a Baronibus Regni *Poloniæ* accepta, ſuffocauit aquis, vt alter pro temeritate, qua in dedecus & infamiam

Re-

1435 Regni ad *Bohemos* hæreticos ſe prohibitus contulerat: alter pro ſceleribus & dolis, quibus in regnum vti ſolebat, penderet pœnas. Aſſertio etiam habet nonnullorum, quod *Sigiſmundus Coributh* Dux non aquis abſumtus ſit, ſed inter primam curationem, ſive id magnitudo faciebat vulnerum, ſive veneni vnguentis interliti adiectio, expirauerit. Ferunt etiam, quod *Sigiſmundus* magnus Dux *Lithuaniæ* a nonnullis Primoribus *Polonorum* admonitus faucio medicum adhibuerit, qui venena vulneribus tanquam pigmenta infunderet. Bellum tunc atrox cum magno interitu hoſtium confectum fuit, quo *Lithuaniæ* Ducatui inteſtina & peſtifera clade laboranti, ſalutem attulit. Ab eo enim tempore omnes ciuitates & caſtra *Ruſſiæ* a Duce defecerunt *Swidrigall*, & venerunt in obedientiam & ſubiectionem Ducis magni *Sigiſmundi*. Ipſe autem Dux magnus *Sigiſmundus* accepti a Deo beneficii non immemor, in certaminis loco Eccleſiam Parochialem conſtruxit, & illam certis bonis dotauit. Victoria hæc tam *Polonos*, quam *Lithuanos*, qui illa potiti ſunt, multis theſauris, armis, equis & pulcherrimis clenodiis fecit opulentos.

Vigeſima ſecunda Aprilis vniuerſus Fratrum Prædicatorum monaſterii *S. Nicolai* in *Thorun noua* conuentus, ſedecem videlicet fratres in numero pro eo, quod Plebanum *S. Ioannis Andream Taſſendorff*, erronea quædam prædicaſſe, & vulgauerant & oſtenderant, mandato *Pauli* de *Rusdorff* Magiſtri *Pruſſiæ*, & ſuorum Commendatorum turpiter eiectus eſt, a qua eiectione appellatione interpoſita, & cauſa in Concilio *Baſilienſi* cognita fuit præfatus *Andreas* illic præſens & ſe defendens de erroribus obiectis, damnatus, & conuentus in locum ſuum reſtitutus.

Sigiſmundus Imp. de pace inter Sigiſmundum & Swidrigallum Duces eſt ſollicitus.

Sub tempore eodem *Sigiſmundus Romanorũ* Imperator & *Vngariæ* Rex veritus caſum Ducis *Swidrigall*, quem ad illud bellum ſuis præmiſſis illexerat, & ſuffragia gentium *Swidrigallo* ab eo frequentius expetenti ſpem pro re oſtenderat, mittit duos nuntios *Nicolaũ Brouinka* & *Martinum* genere nobiles & *Sileſitas* ad *Wladiſlaum* Regem *Poloniæ*, rogans illum, *quatenus ſua interpoſitione bellum inter Ducem magnum Sigiſmundum & Ducem Swidrigall, ordinata inter illos pace perpetua, aut treuga ſummoueret*, aſſerens *ſibi fore id gratiſſimum & acceptiſſimum ſi in re hac potiretur deſideriis & precibus ſuis*. *Wladislaus* autem Rex de conſilio Prælatorum & Baronum ſuorum ad latus ſuum in *Craconia* præſentium reſpondit: *Omnes labores & ſtudia ſua grato animo in Imperatoris Sigismundi complacentiam pro pace Ducum prædictorum, præſertim cum vterque ſibi ſanguine iunctus eſſet, interponere velle, ſi interpoſitione locus & tempus non adeſſet adempta. Verum cum res inter illos dudum armis agi cœpta eſt, & ſine dubio in partem alteram conſumata, nec pacem nec treugam illum aſſenſurum, quem fortuna fecit victorem.* Nedum Nuntii Cæſarei reſponſione accepta egrediuntur regiam, & ecce nuncius velox ingreditur *bellum confectum, Ducem magnum Sigiſmundum & exercitum regiam victoriam retuliſſe de hoſtibus ex ordine* narrat. Fit ingens lætitia & conſequenti nocte in ſignum triumphi & lætitiæ clangor campanarum, & ignium ardentium vndiquaque foci complent vrbem *Cracouienſem*. 1435

Mors M. Pauli Wladimiri de Brudzewo.

Quindecima Martii Magiſter *Paulus Wladimiri* de *Brudzewo* Decretorum Doctor, Cuſtos & Canonicus *Cracouienſis* genere nobilis, de domo *Dolenga*, apud *Cracouiam* in æde ſua Canonicali, quam magnifico ſumptu de latere cocto ædificauerat, moritur, & in *Cracouienſi* Eccleſia ſepelitur. Vir probitate & raro in patriam zelo atque amore inſignis, cuilibet viro illuſtri coæquandus, cuius obitum propoſiti mei oblitus, quo tantummodo illuſtrium exceſſus ſcribere decreueram, præſenti opere inſerui, quoniam virtus ſua vt viris illuſtribus insereretur, merebatur. Ex omnibus ſiquidem ſuæ ætatis, non dicam Doctoribus, ſed nec hominibus, nemo feruidius, nemo diligentius, nemo accuratius propter terrarum *Pomeraniæ, Chelmenſis* & *Michalouienſis* per Cruciferos de *Pruſſia* occupatarum reſtitutione, & pro eorundem Cruciferorum exterminio & patriæ honore in concilio *Conſtantienſi, Romæ, Budæ* & aliis plurimis locis viſus eſt exactiſſimo labore exſudaſſe, nemo pro fundanda & extendenda Regni *Polonici*, quoad terras prædictas. pro quarum proprietate & iuſtitia plura ſcriptorum ſuorum monumenta, quibus in eam diem vtimur, ſcitus eſt reliquiſſe. Hunc tamen & talem & tantum virum in occidua ætate conſtitutum de beneficiis ſuis nonnullorum *Polonorum* ingreſſum religionis ſibi obiicientium deturbauerat ambitio, in captandis doctrinæ & prudentiæ ſtudiis adeo mirificus & deditus, vt lectioni librorum inhærens, cibum ſumere niſi a ſeruis admonitus Dobliuiſceretur. Eius precibus & meritis *Wladislaus* ſecundus *Poloniæ* Rex permotus, de Eccleſia Parochiali *S. Ægidii* in *Klodawa* cuius ipſe Magiſter *Paulus* tunc Plebanus erat, monaſterium Canonicorum regularium beati *Auguſtini* creari conſenſit, ingreſſu *Sandiuogii* de *Czechel* artium & Theologiæ Magiſtri & eius vitæ ſanctimonia illuſtratum.

Conuentio in Brzeſcie.

Feſto *S. Nicolai* adueniente, tenetur in oppido *Brzeſcie* iuxta conuenta generalis pro pace conuentio, ad quam magnus numerus Prælatorum & Baronum, ſed & Nuntii notabiles Ducis magni *Sigiſmundi*, Ducum *Maſouiæ*, Ducis *Stolpenſis*, tunc cum Regno *Poloniæ* confœderati, conuenerant. Non enim victoriæ ſuperioris felicitate *Poloni* elati, pacem faſtidiebant, ſed tum maxime de pace agendum putabant, cum res eorum eſſent in meliori

1435 liori & altiori fortuna. Venerant ſiquidem illic *Albertus Iaſtrzabiecz* Archiepiſcopus *Gneſnenſis* & Primas, *Sbigneus Cracouienſis*, *Staniſlaus Poſnanienſis*, (iam enim ex concilio *Baſilienſi* redierat) *Wladislaus Wladislauienſis*, *Staniſlaus Plocenſis* Epiſcopi, *Nicolaus* de *Michalow* Caſtellanus *Cracouienſis*, *Ioannes* de *Cziczow* Palatinus, *Dobeslaus* de *Oleſchnicza* Caſtellanus *Sandomirienſis*, *Dobrogoſtius* de *Schamotuli* Caſtellanus *Poſnanienſis*, & alii plures. Ex parte vero Magiſtri *Pruſſiæ* venerant, *Franciſcus Varmienſis*, *Ioannes Pomeſanienſis*, Epiſcopi, *Euricus* de *Plawen Elbingenſis*, *Ludouicus* de *Lawſche*, *Thorunenſis*, *Wolff* de *Sauſen Oſterodenſis*, *Ioannes* de *Baiſen* miles, *Ioannes* de *Megow* Iudex *Culmenſis*, *Sigismundus* de *Wapilez* Vexillifer *Kriſtbergenſis*, & alii plures Commendatores, milites & omnium maiorum ciuitatum *Pruſſiæ* Conſules, abſumuntur in pacis perpetuæ tractatu plures dies, & propter difficultatem & multiplicitatem differentiarum res in eam ſuſpicionem venerat, vt pax perpetua tunc nullatenus concludi potuiſſet, propter quod omnes fere Barones, paucis exceptis, duo autem Epiſcopi *Poſnanienſis* & *Plocenſis*, & multi maiores Barones tœdio affecti, diſcedunt, poteſtate aliis, qui omnes vias pro pace tentare volentes, remanſerant, de concludenda pace perpetua collata. Diminuto itaque numero Prælatorum & Baronum, & re ad paucos ab vtraque parte redacta, quoniam & pars Cruciferorum plures de ſuis remiſerat, & imprimis *Ludouicum* de *Lawſche Thorunenſem* Commendatorem, quem animo ſuperbo & inflato faſtu intelligebant nihil poſſe ad pacem dare operæ. Liberior tandem & facilior tractatus de pace haberi cœptus eſt. Et quia de Duce *Stolpenſi* & nobilibus *Weldenſibus*, & aliis multis de *antiqua Marchia*, qui in fidem & ſocietatem Regni *Poloniæ* confugerant atque fideliter atque conſtanter in omnibus anteactis bello pro Regno *Poloniæ* militabant: de oppido quoque *Thoczno*, quoad Regnum tenebat, maior interponebatur difficultas, propterea quod nobiles prædicti prius velle mori, quam a fide & ſocietate Regni *Poloniæ* deſciſcere, cum magna lacrymarum effuſione aſtruebant. Difficultas hæc primum honeſtis modis in conditionibus pacis perpetuæ expreſſis ſublata & concordata eſt, prædictorum etiam nobilium accedente laude & conſenſu: non minor tamen expoſt de pecuniarum notabili ſumma quam Regnum petebat a Cruciferis, propterea quod pacem perpetuam violaſſent. De Ducatu *Lithuaniæ* magno, ne alium pro Duce magno *Lithuaniæ* reputarent, quam illum qui eſſet per Regem *Poloniæ* inſtitutus, atque multis aliis ſuborta eſt difficultas, multiſque & pluribus vicibus partes re infecta, diſcedere parabant, aliquoties & familares currus de *Brzeſcie*, eos ſubſecuturi remittebant, niſi ciues *Pruſſiæ* quibus moleſtior guerra eſt viſa, partem ſuam ſuſcipere æquitatem coegiſſent, omnibus tandem difficultatibus concordatis pax perpetua concluſa & firmata eſt, in vigilia Circumciſionis Domini, & in Eccleſia Parochiali in *Brzeſcie*, quoad regnum per organum *Sbignei Cracouienſis*, quo vero ad terram *Pruſſiæ* per organum *Franciſci* Epiſcopi *Warmienſis* publicata, & per *Te DEUM LAUDAMUS* perſoluto Deo, qui in ſublimibus facit concordiam, gratiarum actiones non ſine multorum effuſione lacrymarum, quibus vtraque pars horrenda bellorum deflebat excidia. Conditiones omnes pacis tunc erant & inſcriptæ & limatæ, quas cum vna membrana capere non poſſet, vno volumine vix comprehenſæ ſunt. Vnde & Prælati Baroneſque Regni *Poloniæ* feruntur Prælatis, Commendatoribus & Nobilibus atque ciuibus *Pruſſiæ* dixiſſe, & illos exhortatos eſſe, *vt pacem tunc confectam accuratius fideliusque cuſtodirent, quam priorem, cum hæc libro vno ſcripta ſit, cætera literis & chartis.* Tractatores autem pacis prædictæ erant *Albertus* Archi-Epiſcopus *Gneſnenſis*, *Zbigneus Cracouienſis*, *Wladislaus Wladislauienſis* Epiſcopi, *Ioannes* de *Lichin Brzeſtenſis*, *Iarandus* de *Brudzewo Iuniwladislauienſis* Palatini, & *Dobrogoſtius* de *Schamotuly Poſnanienſis* Caſtellanus, quos dignitatis & honoris cauſa nomino, illi perſeuerabant ſine aliquo faſtidio, vſque ad finalem pacis concluſionem omnia vtilia pro conditionibus pacis exquirendo. Durauit autem pacis tractatus a feſto *S. Nicolai* vſque ad Circumciſionis Domini diem.

in qua pax concluditur.

Anno eodem plures prædones & latrunculi ex Ducatibus *Sileſiæ* regni *Poloniæ* inuadebant confinia, & multis damnis & ſpoliis Regnicolas laceſſebant; *Kriſtinus* autem de *Kozieglowy* Caſtellanus *Sandecenſis* moleſte ferens damna ſibi per illos in bonis ſuis *Kozieglowienſibus* illata, præſidio Regis obtento conſurrexit, & collecto ex familiaribus exercitu, terras multorum Ducum *Sileſiæ* ingreſſus, aliquot menſes in illis demoratus, eas igne & ſpoliis deuaſtabat, donec Prælatorum & Baronum Regni *Poloniæ* interpoſitione habita conuentione cum Ducibus *Sileſiæ* in oppido *Wielun* pro diebus Natalis Domini pax reformata & certis inſcriptionibus firmata eſt. Ciues *Wratislauienſes* dum potentia & armis oppidum *Niempcz* acquirere ſæpius fruſtra tentaſſent, pecunia notabili *Petro Poliak* eius tenutario, de qua inter illas per pacta conuenerat, ſoluta, oppido potiti, muros illius atque turres frangunt, diſiiciunt & demoliuntur.

Latrones & prædones exſtirpantur.

1436 Natalis Domini diem *Wladislaus* Rex cum germano ſuo Duce *Caſimiro* celebrauit *Cracouiæ* & poſthæc in Dominica Reminiſcere conuentio generalis *Siradiæ* tenuta eſt, *Wladislao* Rege abſente, pluribus tamen Prælatis & Baronibus Regni præſentibus, in qua pacis perpetuæ cum Cruciferis concluſæ inſcriptiones

Pax confirmatur.

1436 ptiones & fœdera ſigillis, Regio, Prælatorum, Principum & Baronum *Poloniæ* communitæ ſunt, & a Prælatis & Baronibus in ipſa conuentione præſentibus, corporale iuramentum de tenenda huiusmodi pace per duos Commendatores ad id ſpecialiter Magiſtri *Pruſſiæ* nomine miſſos exactum, qui etiam Commendatores ex *Siradienſi* conuentione in terras *Cracouienſes* & *Sandomirienſes*, deſcendentes a Prælatis, Nobilibus & Baronibus terrarum ipſarum ſimile exigebant iuramentum de tenenda pace. In eadem inſuper *Siradienſi* conuentione deſignati fuerunt *Vincentius Roth*, Regni *Poloniæ* Vice-Cancellarius, *Ioannes Liczinski* Palatinus *Brzeſtenſis*, vt irent *Pruſſiam* in nomine Regis & Regni a Magiſtro *Pruſſiæ*, Commendatoribus, Officialibus, Baronibus, ciuibus & ſubditis ſuis de tenenda pace perpetua exigerent iuramentum, & ſtatim poſt feſtum Paſchæ illuc euntes rem commiſſam, fideliter executi ſunt.

Conuentio in Kesmark de reſtituenda terra Scepuſienſi.

Sigiſmundo Romanorum Imperatore & *Vngariæ* Rege per literas & nuncios ſolicitante *Wladislaum Poloniæ* Regem conuentio generalis pro feſto Pentecoſtes in oppido *Kesmarg* inter Regna *Poloniæ* & *Vngariæ* habita fuit, ad quam nomine Regis *Zbigneus* Epiſcopus *Cracouienſis*, *Nicolaus* de *Michalow* Caſtellanus *Cracouienſis*, *Sandiuogius* de *Oſtrorog* Palatinus *Poſnanienſis*, *Ioannes* de *Thanczin Woinicenſis*, *Clemens Watrobka Biecenſis*, Caſtellani, *Ioannes* de *Koniecpole*, Regni *Poloniæ* Cancellarius, *Abraham* de *Zbaſchyn Poſnanienſis* Iudex, *Ioannes Rey Cracouienſis* Iudex, venerant, nomine autem Regni *Vngariæ*, *Ioannes* Archiepiſcopus *Strigonienſis*, *Matthæus* de *Palencz* Palatinus Regni *Vngariæ*, *Ioannes* maior de *Peren*, *Ioannes* iunior de *Peren*, & plures alii conuenerant, in qua quidem conuentione Prælati & Barones *Vngariæ* reſtitutionem terræ *Scepuſienſis* abſque pecuniis a regno *Poloniæ* petebant, ſed acceperunt a Prælatis & Baronibus reſponſum, *quod fœdum & turpe eſſet iniuria beneficium rependi. Et cum Wladislaus Rex ſenior in neceſſitatis articulo Regno & Regi Vngariæ, quinquaginta millium ſexagenarum latorum groſſorum Pragenſium mutuaſſet, & pro pignore, partem modicam terræ Scepuſienſis recepiſſet, iniquum eſſe id ſine reſtitutione pecuniarum petere, cum pro pecuniis mutuo datis duplum eius adoppignoratum eſt, potuiſſet perpetua emtione comparari.* Dum igitur Conſiliarii *Vngariæ* viderent, proficere ſe non poſſe, pluribus gratis & amicabilibus tractatibus cum Dominis *Poloniæ* habitis ab inuicem diſceſſerunt.

Ludouicus Dux Brigenſis moritur.

Pridie Calend. *** *Ludouicus Brigenſis* & *Lignicenſis* Dux moritur, nulla prole virili, ſed tantum duabus filiabus, quarum vna *Magdalena Nicolao Opolienſi*, altera *Eliſabeth Friderico Olauienſi* Duci deſponſatæ fuerunt, derelictis moritur, & in *** ſepelitur. Genuit autem Dux *Nicolaus Opolienſis* ex *Magdalena* quinque filios *Ludouicum*, *Boleslaum*, *Nicolaum*, *Bernardum*, *Ianuſſium*, & quinque filias. Dux autem *Fridericus* ex *Eliſabeth* filios duos.

In feſto Pentecoſtes *Georgius Stochs* coadunatis ſibi nonnullis *Sileſiæ* nobilibus & terrigenis Regnum *Poloniæ* ingreditur clandeſtine, oppidumque *Kłobuczko* & villas circum vicinas ſpoliat, & coactis ſpoliis in vnum dum regrederetur, per *Laurentium Iareba* Capitaneum, & omnes nobiles ac terrigenas *Wielunenſes* perſecutus eſt, metuensque ſibi imminere periculum, derelictis omnibus ſpoliis fuga ſe ſaluauit & ſuos, & omnia in pecoribus & pecudibus, equis aliisque quæ recepta fuerunt ciuitati *Kłobuczko* & viliis ſpoliatis reſtituta.

Ioannes Archiep. Leopolienſis moritur.

Ioannes de *Rzeschow* Archiepiſcopus *Leopolienſis* de domo *Pulkoscie* nobilis, in villa *Pitrkow*, dum annis quinque & viginti in ſede *Leopolienſi* ſediſſet, duodecima Auguſti mortuus eſt, & in monaſterio S. Crucis *calui montis* ſepultus, vir optimus, grandæuus & exemplaris, cuius temporibus Eccleſia *Leopolienſis* in cultu ſuo plurimum adaucta eſt. Electione per Capitulares celebrata *Syluester* de *Zdiechow* Præpoſitus *Scarbimirienſis*, & Canonicus *Cracouienſis* nobilis de domo *Rawa*, conformiter electus eſt. *Wladislaus* tamen *Poloniæ* Rex ad petitionem *Heliæ* Woiewodæ *Moldauienſis*, vt interius narrabimus, illum a iure electionis excluſit.

Attendens *Wladislaus* Rex *Poloniæ* & Conſiliarii ſui, terram *Walachiæ* propter duorum fratrum *Heliæ* & *Stephani* de præſidentia certantium, variis bellis & guerrarum deflendis excidiis ſubactam inuolutamque, ſæpius illic certos ſuos nuncios pro reintegranda pace inter fratres mittere curauit, quam volente Deo tandem conſumauit, & diuiſione terræ facta, vnam partem *Stephano* cum *albo Caſtro* & portu maris, alteram cum *Soczawa* & teloneis vicinis *Heliæ* attribuit, ne tamen terra ipſa a iuriſdictione ac obedientia ſua ac Regni ſui *Poloniæ* excideret, requiſiuit *Wladislaus* Rex ab vtroque Woiewoda homagium ſibi & Regno ſuo de iure præſtandum, & *Stephano* per ſubterfugia & excuſationes confictas homagium fugiente *Helias* ad præſtandum illud ſe obligauit & ſubmiſit, propter quod feſtum *S. Michaelis* & ciuitas *Leopolienſis* ad rem hanc conſumandam conſtituitur, quo adueniente *Wladislaus* Rex cum germano ſuo Duce *Caſimiro*, Prælatis ac Baronibus Regni *Poloniæ* Primoribus *Leopolim* advenit, ibique *Heliam* Woiewodam *Moldauiæ* cum omnibus Baronibus & Conſiliariis ſuis reperit, itaque ipſo die *S. Michaelis* miſſarum ſolenniis in Eccleſia maiori *Leopolienſi* exactis *Wladislaus* Rex cum germano ſuo Duce *Caſimiro* Prælatis & Baronibus Regni *Poloniæ* in thalamo, in ciuitatis *Leopolienſis* circulo ad id ſpecialiter conſtructo

Helias Walachiæ Woiewoda homagium præſtat Wladislao Regi.

1436 ſtructo & exornato, corona & omnibus indumentis regalibus inſignitus conſedit, ad quem *Helias* Woiewoda ſplendida veſte cum ſuis A Boiaris & Conſiliariis indutus, banderia & ſigna bellica, quæ ſunt terræ *Walachiæ*, in manibus accedentes, flexis genibus facta humiliatione & haſtilia banderiorum in ſignum ſubiectionis & obedientiæ frangunt & ad pedes regios proiiciunt, & iuramentum deinde tam *Helias*, quam ſui omnes præſtant corporale in fide, obedientia & ſubiectione integra Regis & Regni ſe perpetuo permanſuros, quo facto Rex *Heliam* ad pacis oſculum receptum, Boiaris vero ſuis & regni *Poloniæ* fidelibus ſubditis habiturum & eos ab hoſtium invaſione defenſurum, locumque illi in læua lateris ſui immediatum, poſt cæteris Boiaris, vtque exhibitio ipſa homagii diuturnior efficaciorque eſſet, exhibitionem & præſtationem præfatam *Helias* Woiewoda cum ſuis publicis literis ſigillis eorum munitis profitetur & recognoſcit, obligans *ſe & ſuos Succeſſores ad fidem, ſubiectionem & obedientiam Wladislao Regi & Succeſſoribus Regibus & Regni Poloniæ perpetuo præſtandam, velut homagialis Regni perpetuus ſeruitor & vaſallus.* Conuentum etiam tunc fuit inter Regem & *Heliam* literiſque ſpecialibus firmatum, *vt in ſignum veræ ſubiectionis & homagii, Helias Woiewoda & ſui ſucceſſores ducentos equos, de Piſcibus wizina, & quadringentos boues, pro coquina Regis, & quadragintas purpuras, centum equos ſingulis annis perpetuo ſolueret pro tributo.* Item, *vt terra Sapiuska quam Wladislaus antiquus Rex Alexandro Woiewodæ inſcripſerat & donauerat, ad Regnum ſine difficultatis alicuius interpoſitione rediret. Wladislaus quoque Rex caſtrum Halicienſe Heliæ Woiewodæ daret in tenutam, vt illic theſauros ſuos reconderet & tempore neceſſitatis haberet ad illud refugium opportunum.* His ita ordinatis, caſtro etiam prædicto *Haliecz* eidem *Heliæ* Woiewodæ effectualiter aſſignato, *Wladislaus* Rex *Heliam* Woiewodam & ſuos prandio ſplendido excipit, tractat, & notabilibus muneribus honorat, altera quoque die *Helias* Woiewoda facto prandio tam *Wladislaum* Regem, quam germanum ſuum Ducem *Caſimirum*, Prælatos & Barones Regni in hoſpitii ſui domo, epulenter, tractat, & vniuerſis donaria in argenteis ſcutellis, vaſis & purpuris largitur, prandioque expleto rogat inſtantia qua poteſt ampliori, *vt Archi-Epiſcopatus Leopolienſis Ioanne Odrowaſz conferatur, & ut primæ ſuæ preces pro eodem Ioanne Odrowasz interpoſita, non paterentur repulſam,* ſummis conatibus inſtigante ad illum *Petro Odrowaſz* Palatino *Leopolienſi* laborat. Rex etſi alius *Siluester* Canonice fuiſſet electus, cui etiam electioni iam Rex conſenſum præbuerat, ne tamen primarias preces dicti *Heliæ* videretur excluſiſſe, ſolo *Sbigneo* Epiſcopo

Io. Odrowaſz fit Archiep. Leopolienſis.

Cracouienſi diſſentiente, cæteris omnibus Baronibus conſentientibus ſedem *Leopolienſem* de facto, cum de iure non potuit, confert *Ioanni Odrowaſz*, *Silveſtro* ad preces Regias de iure electionis cedente. Aduenerant & tunc nobiles nuntii *Stephani* Woiewodæ alterius, qui tam *Wladislao* Regi, quam ſuis omnibus Prælatis, quam & Baronibus notabilibus allatis & præſentatis muneribus, rogabant, *vt ad ſimile præſtandum homagium idem Stephanus admitteretur*, promittens *ſe fideliter & ingenue regnum Poloniæ & terras Ruſſiæ, & Podoliæ ab inuaſione Tartarorum defenſurum*, reiecta tamen fuit eius petitio, animis Conſiliariorum Regni præſenti lætitia homagii per B *Heliam* præſtiti, occupatis. Quamuis idem *Stephanus* vix verax conſtanſque eſſet, & prudentia operibuſque *Heliæ* præſtantior, qui etiam paucis ante diebus, quam *Helias* ex captiuitate mitteretur, quo fidum ſe Regi & Regno oſtenderet, caſtrum & ciuitatem *Bracziaw* de manibus *Lithuanorum*, cum forti veniens exercitu, prout ſuperius oſtendimus, eripuit & in manus *Derslai Wloſtowski*, qui tunc Capitaneus *Podoliæ* fuerat, reſignauit, cuius negligentia & incuria iterum fuit *Braczlaw*, licet poſt multa tempora, per *Lithuanos* fraude interceptum.

Ex *Leopoli Wladislaus* Rex cum germano ſuo Duce *Caſimiro* diſcedens terras *Ruſſiæ* girabat & pro diebus Natalis Domini in *Cracoviam*, C velut ad continuum ſuum nidum reuerſus eſt. Sub eodem anno prima die Septembris *Albertus Iaſtrąbiec* de Lubicze, ex patre *Derslao* & matre *Criſtina*, Archi Epiſcopus *Gneſnenſis* in villa *Mnichowicze* in *Maſouia* moritur, & in Eccleſia *Gneſnenſi* ante Capitulare, ſub vrna ærea ſepelitur, vir maturus & prudens, & magnus patriæ amator. Poſt cuius mortem nepotes ſui germani *Martini* de *Ritwiany* Palatini *Lancicienſis* filius *Derslaus*, omnes res & pecunias, veſtes & clenodia, conſentientibus ſibi aliquibus familiaribus, quos promiſſis allexerat, recepit, ſed & caſtro *Borzislawicze*, quod ipſe *Albertus* D Archiepiſcopus ex muro ædificauerat, & notabiles theſauros pro filiis alterius nepotis *Stiborii* Palatini *Lancicienſis* condiderat, potitus, omnes theſauros quos illic invenit, ſuis applicauit vſibus. Capitulum *Gneſnenſe* pro die translationis *S. Adalberti* electione pro futuro Archiepiſcopo deligendo celebrata, *Vincentium Roth* de *Dambno* artium Magiſtrum, Nobilem de domo *Doliwa* Cuſtodem *Gneſnenſem*, Cantorem *Cracovienſem* & Regni *Poloniæ* Vice-Cancellarium, per viam inſpirationis in Archiepiſcopum eligit. Moleſte gubernatores Regni viſi ſunt ferre electionem prædictam, indignum indicantes, vt vir parum in Republ. meritus, tam ſubitum cæteris Pontificibus præteritis, haberet aſcenſum, vnde quantum poterant enitebantur, vt electio 1436

Alberto Iaſtrąbiecz Archiep. Gneſnenſi

1436 ctio eius caſſaretur, & *Zbigneus Cracouienſis*, Epiſcopus in *Gneſnenſem*, *Wladislaus* Epiſcopus *Wladislauienſis*, in *Cracouienſem*, Magiſter vero *Vincentius Roth*, in *Wladislauienſem* ſuccederent. Sed *Cracouienſi* Epiſcopo *Zbigneo* conditionem hanc manifeſte renuente, *Wladislaus* Epiſcopus *Wladislauienſis* cum Magiſtro *Vincentio Roth*, in petenda *Gneſnenſi* Eccleſia concurrebant, vicit tamen Magiſter *Roth* & Electio ſua per *Eugenium* quartum *Bononiæ* tunc reſidentem fuit, non obſtante impedimento Regis & Baronum, confirmata, fuitque præfatus *Vincentius Roth* in anno ſubſequente, die ſolis tertia menſis Septembris, in Eccleſia *Gneſnenſi* per *Sbigneum* Epiſcopum *Cracouienſem*, aſſiſtentibus ſibi *Conrado Wratislauienſi*, *Stanislao Poſnanienſi*, & *Stanislao Ploœnſi* Epiſcopis conſecratus.

Succedit Vincentius Roth.

Intelligens *Wladislaus* Rex & Conſiliarii ſui vtilem ſibi eſſe cum *Sigiſmundo Romanorum* Imperatore affinitatem, nouos nuntios, videlicet *Nicolaum Powalam* Succamerarium *Sandomirienſem*, & *Paulum Dobeslai* de *Sienno*, milites, ad eum tranſmittit, qui illo in *Praga* offenſo mandata Regis exponunt. *Vt quoniam iam ipſe ſenuiſſet, & nec ex ſe, nec ex filia hæredes maſculos ſe relinquere videret, Wladislaum Regem Poloniæ & germanum ſuum Ducem Caſimirum in filios adoptans, eis neptes ſuas, filias Ducis Auſtriæ Alberti, antequam fatis excederet, deſponſaret, magnam tranquillitatem pluribus regnis tali connubio, magnam ſtragem, turbationem & guerram de negatione relicturus, & maximum meritum aut demeritum habiturus.* Grata fuit *Sigiſmundo* Imperatori huiuſmodi legatio, præſertim quod coram *Bohemis* noviter ad obedientiam ſuam reuerſis, & pluribus aliis *Almanorum* nationibus recitabatur; deſcenderat ſiquidem ipſe *Sigiſmundus* Imperator una cum conſorte ſua *Barbara* Imperatrice primum in *Iglaviam*, ubi tractatu cum *Bohemis* habito, conuenta legatorum Concilii cum *Bohemis* probauit, & *certa pacta Bohemis ſe ſeruaturum* promiſit, *vt videlicet Eccleſiarum bona ab occupatoribus pignoris iure, donec redimantur, detineri poſſint.* Religioſis exulibusque ſpes redeundi interdicta: *Ioanni Rokiezano Pragenſis* Præſulatus promiſſus, ſequenti die *Bohemi* a cenſuris Eccleſiaſticis per legatos Concilii quorum Princeps fuit *Philibertus Conſtantienſis* Epiſcopus de *Francia* abſoluti, & in Eccleſiam introducti ſunt. Quibus compoſitis *Sigiſmundus* Imperator *Pragam* nono Calend: Septembris venit, vbi qui paulo ante *Bohemorum* hoſtis, ex adulterio natus Antichriſti filius, ſacrilegus & execrabilis cenſebatur, ſingularibus honoribus exceptus eſt, & quaſi prior coronatio ſua parum valida & legitima fuerit, iterum diademate ipſi in Regem *Bohemiæ* per *Philibertum Conſtantienſem* Epiſcopum Concilii *Baſilienſis* legatum prædictum impoſito inſignitus eſt. Conſors vero ſua *Barbara* in Reginam, *Philibertus* ipſe Epiſcopus *Conſtantienſis* cum Epiſcopis collegis a Concilio miſſis, inſtaurant ceremonias Religionis Chriſtianæ. Conatus reſiſtere *Rokiezana*, de ſuis paruum fructum egit, quin imo ſæpe necem Legatis *Rokiezana* per inſidias machinatus eſt, monaſterio *S. Iacobi* ordinis Fratrum minorum Imperator in ſuam ditionem redacto, illic diuina audiuit, & illud fratribus minoribus reſtituit. Canonici Cathedralis Eccleſiæ Vicarii, Manſionarii reſtituti, quibus ex fiſco regio in capita hebdomadatim proviſio fiebat, *Thaboritæ* quoque in gratiam recepti, & ſuis legibus atque ritu viuere permiſſi. *Rokiezanus* dum ex malo peſſimus redditus dietim ſuperbiret, & venena ſuæ peſtis hæreſeos diffunderet, ex *Praga*, veritus animaduerſionem ſuorum facinorum, clam aufugit. *Ioannes Rogacz* vnus ex nobilibus, publica itinera, *Sigiſmundo* in *Praga* agente ex caſtello, quod prope *Kutnam* in edito colle ædificaverat, & *Sion* vocauerat, infeſtans, miſſo exercitu in monte *Sion* expugnatus, & viuus cum *Wiskone* & pluribus ſuis *Pragam* ductus, in patibulum cum omnibus ſuis actus eſt, obedientia omnium ſibi quondam rebellium potitus, incepit reſtaurare, diruta erigere & reparare, collapſa, liberalitate nimia in omnes *Bohemos*, etiam eos, qui ex ruſticis, monachis & ſacerdotibus ſe potentia & armis milites & nobiles creauerant, magis pernicioſa quam vtili, in omne tempus reſiduum vſus eſt conferendo, inſcribendo & donando, caſtra, ciuitates & oppida, villas Eccleſiaſticas vel Regales, quæ quondam erant, Cathedralium vel Collegiatarum aut Conuentualium Eccleſiarum perſonis; quæ illas occupauerant, & notabiles pecuniarum ſummas in illis inſcribens: Quo quidem opere etſi magnam beneuolentiam atque charitatem *Bohemorum* ſibi in breue tempus vindicauit, magnum tamen malorum ſeminarium & præſertim errorum *Wiclephiſticorum* ab Eccleſia damnatorum robur & defenſam reliquit, cum *Bohemi* errores ſuos, non alia ratione & reſpectu magis tuentur & defendunt, niſi cum illis bona temporalia Regni & Eccleſiæ occupata, detineant, quæ ſciunt erroribus depulſis ſibi abſtrahenda. *Sigiſmundus* Imperator nunciis *Wladislai* Regis blande allocutis, & Imperatoria liberalitate muneratis reſpondet: *Sibi quidem cordi & deſiderio affinitatem cum Rege Poloniæ iungendam eſſe, ſed rebus & expeditionibus variis Regni Bohemiæ, quorũ expeditio & regimen per multos annos intermiſſa erat, eo occupato non poſſe iuſte tractatibus ſuper affinitate intendere.* Proinde hortatur *vt Poloniæ Rex alios Ambaſiatores ad illum, poſtquam illum ſenſerit ex Bohemia in Vngariam vel Auſtriam reuerſum, tranſmittere non faſtidiat*, promittens & pollicens *petitioni tam amicæ & ho-* 1436

Sigiſmundus Imp. cum Bohemis reconciliatur.

1436 *honeſtæ ſe conſenſum nullatenus amplius negaturum.* Cum hoc reſponſo nuncii Regii reuerſi primum *Wladislao*, deinde Conſiliariis conuentionem generalem in *Piotrkow* tunc pro die *S. Nicolai* agentibus & de rebus publicis Regni conſultantibus & prouidentibus exponunt.

1437 Huius anni Natalem Domini *Wladislaus* Rex in *Cracouia* cum curia ſua tenuit & celebrauit, præſentibus circa illum Prælatis & Baronibus cæteriſque Tutoribus & Conſiliariis Regni, maior tamen ſolito magnitudo Conſiliariorum conuenerat pro diebus Carniſpriuii, vbi multi & varii tractatus interpoſiti fuerunt, ſuper ſede *Gneſnenſi*, præſente etiam *Vincentio Roth* electo, qui nullatenus induci poterat, vt ſede *Wladiſlauienſi* accepta, de iure ſuo *Wladiſlauienſi* Epiſcopo cederet. Habita etiam tunc longa concertatio in Conſiliarios ſuper cuſſione monetæ, & primis quidem atque prudentioribus Conſiliariis viſum fuit, vt cuſſio monetæ minutæ, quæ tunc paſſim fiebat, in totum ceſſaret, attento quod multiplicatio eius eſſet eandem vtilitatem inductura, & quod multa falſa moneta in *Sileſiæ*, *Morauiæ* & *Bohemiæ* partibus, ad inſtar monetæ Regni cuſſa importatur, per hoſtes & proprios grauiſſimum damnum & ſpolium non minus, quam ſi exercitu hoſtili vaſtaretur, inferret, cum a ſimplicibus hominibus dignoſci non poſſet, vt vnumquemque iactura ipſa contingeret. Non valuit tamen frequens bonorum Conſiliariorum ſuper ea re, non ſolum conſultatio, ſed & clamor, quin Tutores Regni cuſſionem eius perſequerentur, aſſerentes *nondum extare cauſam propter quam a cuſſione abſtinendum eſſet, cum pro ipſa minuta pecunia, aurum, argentum & omne metallum, & omnium manierum merces, facile coemi poſſent.* Tum *Sbigneus* Epiſcopus *Cracouienſis* vt erat magnæ prouidentiæ, futurarum gnarus contingentiarum parabola & ſimilitudine vſus eſt: *Non inficior equidem, Viri optimi, monetam noſtram nunc in pondere eſſe, ſed quanto maiorem eſſe eius aſcenſum video, tanto maiorem caſum ei portendi ex circumſtantiis eam qualificantibus auguror, cum in deſtructionem eius quaſi valor eius vſque ad inuidiam abundauerit, non ſolum vicinæ nobis nationes, ſed etiam proprii & domeſtici inferendo maximas quantitates falſæ monetæ, nullam vobis prouiſionem opponere videantur, velut ex pacto conſpiraſſe. Habet quoque noſtra moneta proportionem & ſimilitudinem cum virgine venuſta, materno ſtudio & forma culta, quam vnuſquiſque gratitudine & amore contingit, cuius ſi ſemel fuerit pudicitia expugnata, de cætero non redditur vilis ſolum ſed exoſa, ſimilem ego vilitatem & odium monetæ noſtræ; vtinam ſim falſus vates, vaticinor, cum non ſolum æs vile metallum, ſed etiam aurum & argentum in vilitatem venire neceſſe eſſet, ſi tam frequenti & con-*

Diſceptatio inter Conſiliarios de moneta.

tinua importatione, quemadmodum de falſa moneta agi videmus, excreſceret allatio eius. 1437
A Animis tamen Tutorum circa lucra monetæ occupatis difficulter perſuaderi poterat futura & impendens Reipubl. ruina. Itaque denſior importatio ab eo tempore falſæ monetæ cœpta eſt, nec caſtigatio, nec coertio aliqua interponebatur, quoniam non ſolum communes populi, ſed etiam notabiles Conſiliarii & nobiles, illo turpi & deteſtando fœnore ſuas fortunas & ſuppellectilem omni nutu diuino & humano circumſcripto extulerant & auxerant, & in necem atque perniciem reipublicæ omni pudore abiecto graſſabantur. Per omne autem tempus veris & æſtatis *Wladiſlaus* B Rex manſionem ſuam in *Cracouia* continuauit, Nunciis continuis Ducis *Swidrigelli* patrui ſui germani eum ſæpe cum notabilibus muneribus adeuntibus & ſupplicantibus, *vt eum in gratiam protectionemque ſuam recipere dignaretur*, quam ſupplicationem ſuam ipſe Dux *Cracouiam* perſonaliter tredecima Auguſti veniens, repetiit, cuius humilitate & prece Rex & Conſiliarii, quibus omnibus magni ponderis munera obtulerat, moti, conuentionem in *Siradia*, ad conſultandum ſuper hac re pro die *S. Hedwigis* indicunt, ſero ſe reſpectans, poſtquam fere omnia perdidiſſet.

Switrigiellus Wladiſlao Regi ſupplex fit.

Sexta Maii die *Boleslaus Opolienſis* quar- C tus Dux apud *Opolie* moritur, & in monaſterio fratrum minorum in *Opolie* ſepelitur, duos filios, vnum ſui nominis *Boleslaum* relinquens, alter enim ſuorum filiorum *Henricus* vno anno ante in die Paſchæ abſumptus præceſſerat, & tertium *Nicolaum* relinquens, quos ex *Margaretha* Ducis *Charuatiæ* filia ſuſceperat, quæ & ipſo anno eodem ſexta Decembr. fatis abſumpta, in monaſterio minorum in capella ſepulta eſt.

Boleslaus Opolienſis Dux moritur.

In oppido *Siradienſi* tenuta dieta in die *S. Hedwigis* & diebus ſequentibus per Prælatos & Barones Regni *Wladiſlao* Rege abſente, propter factum Ducis *Swidrigall*, qui non inueniens vbi requieſceret pes eius, multis & D notabilibus nunciis & literis ſolicitabat *Wladiſlaum* Regem, Prælatos, Principes & Barones eius, *vt illum in gratiam recipere dignarentur*, ad maiorem autem oſtenſionem humilitatis & fidelitatis ſuæ caſtri *Luczko* poſſeſſionem *Vincentio* de *Schamotuli* Caſtellano *Miedzirecenſi*, & *Ioanni* de *Sienno Woinicenſi* Caſtellano *Olieſko* aſſignauit. Difficilis autem erat ſuper hac re deliberatio, & Rex & Prælati Baroneſque ſui inſcriptionibus & corporalibus iuramentis Duci magno *Sigiſmundo* firmauerant, Ducem *Swidrigall* tanquam hoſtem communem Regni & Ducatus magni perſequi, & nulla ei vi vnquam præſtare ſubſidia vel fauores, Dux inſuper magnus *Sigiſmundus Lithuaniæ* moleſte ferebat, & in quibuslibet conuentionibus Regni per Nuncios ſuos querebatur, *quod hoſtis ſuus Dux Swidrigall*

Conuentio Siradiæ de reſtituendo Switrigiello.

gall

1437 *gall, cum eſſet ad extremum victus, & omnibus incommodis fatigatus, per aliquos Regni Poloniæ Barones reciperetur, & multa illi ex* A *Regno auiſamenta, conſilia & fauores præſtarentur.* Requirebat inſuper Dux ipſe *Sigiſmundus* & variis ſolicitationibus vrgebat, *vt iuxta inſcriptionum conuenta caſtrum Luczko ſibi redderetur, poſtquam in poteſtatem Regis aduenit.* Deliberatione itaque in præfata conuentione *Siradienſi* habita *Vincentius Gneſnenſis* Archi-Epiſcopus, *Sbigneus Cracouienſis* Epiſcopus, *Ioannes* de *Thanczin* Palatinus *Sandomirienſis*, *Martinus* de *Stawsko*, Palatinus *Caliſſienſis* ad Ducem *Sigiſmundum* magnum deſtinantur, cum his mandatis, *vt omnibus quibuscunque poterint, viis, modis &* B *ingeniis Ducem Swidrigall ſibi reconcilient, & ad conſentiendum, quatenus Regnum faciat ſibi prouiſionem, inducant.* Occurrit itaque Prælatis & Baronibus ad eum nomine Regis & Regni venientibus Dux magnus *Sigiſmundus* in *Grodno*, & eos omni honore excipit & tractat. Auditis autem Regiis legationibus & mandatis, habita cum ſuis deliberatione, nullatenus perſuaderi potuit Ducem *Swidrigall* ſibi reconciliari, aut prouiſionem ſibi in regno fieri, ſed cum lacrymis orat, *vt ſibi ſeruent fœdera & promiſſa, & hoſtis ſuus Dux Swidrigall nullis releuetur ſubſidiis.* Dum itaque nuncii Regii animum eius mollire non poſſent, nouis inſcriptionibus priora pacta corroborant, & aliquas conditiones, pro ſtabilimento pacis & fœderis adiungunt, quibus efficaciſſime cauetur, vt Ducatus magnus *Lithuaniæ* in ſubiectione & vniformitate Regni *Poloniæ* reuerteretur, non obſtante, quod Dux *Sigiſmundus* filium *Michaelem* habeat, portione patrimonii ſui tantummodo poſt mortem ſuam contentandum.

quæ tamen irrita eſt.

Iulianus tituli *S. Sabinæ* Presbyter Cardinalis in *Germania* Legatus in Concilio *Baſilienſi* præſidens *Petrum* electum *Lubucenſem Baſiliæ* IX. Ianuarii ad Eccleſiam *Lubucenſem* ex morte **** Epiſcopi vltimi vacantem confirmauit, quem *Stephanus* Epiſcopus *Brandeburgenſis* anno eodem in *Fuſtenbalth* confirmauit.

1438 Natalis huius anni Domini noſtri *Ieſu Chriſti* dies *Wladislaus Rex* cum Prælatis & Conſiliariis ſuis exegit *Cracouiæ*, quo quidem tempore veſania quædam & inſolentia hominum, præcipue in regno *Poloniæ* commorantium animos occupauerat, cum ex licentia, quod nullo metu regio aut gubernatorum continebantur, tum ex opulentia rerum, quæ plus ſolito tunc in omnes diffuſa erant, exorta a *Spithkone* de *Melſchtin* principium ſchiſmatis manauit. *Sbigneum* Epiſcopum *Cracouienſem* iniurium ſibi exiſtimans, propterea quod illum de hæreſi *Bohemorum* & communione vtriusque ſpeciei ſuſpectum & presbyteros hæreticos ſeruantem reprehendit, & excommunicare nitebatur, exercitum de ſuis & aliquorum propoſito

Spithko de Melſchtin turbas mouet

ſuo faunetium amicorum familiarium congregat & inſtaurat, volens bona Epiſcopalia 1438 A inuadere & ſubiicere ſuæ ditioni, quod cum Regem & Conſiliario non lateret, nuntii ad illum aliquoties, qui eum ex propoſito, mandato & voluntate Regis, exterreant & reuocent, tranſmittuntur. Sed ille pertinaci voluntate propoſitum ſuum proſecuturus, omnia media quæ pro pace interponebantur reſpuens, hoſtiliter clauem *Vſchenſem* inuadit, & curiam *Vſchen* exercitualiter cum omnibus & equeſtri pedeſtrique apparatu ingreſſus; aſſumpto ſibi in auxilium Duce *Ruſſiæ Oſtrowski*, *Friderico*, hoſtiliter tam prædium, tam promtuaria & quæque bona ibi collecta diripit B & vaſtat. Rex vbi manſuetudinem ſuam a *Spitkone* ſperni intellexit, citat illum tanquam communis pacis turbatorem, proceſſurus contra illum velut hoſtem regni, ſi ſe contumacem in comparendo reddidiſſet. Non auſus regiæ reſiſtere citationi comparet, vbi arbitris interpoſitis, ne malorum orientium fax amplius inflammetur per certas conditiones cum *Sbigneo Cracouienſi* Epiſcopo pacificatur, per quas inter cætera cautum eſt, vt omnia damna per eum in *Vſchen* commiſſa ſoluerentur, de quo ſtatim coactus eſt dare fideiuſſores, & de curia *Vſcheuenſi* cum omni gente diſcedere. Bello *Spithkonis* de *Melſchtin* nondum ad ple- C num quietato, aliud rurſum exortum eſt. *Derslaus* de *Ritwiany* gentes plurimas tam equeſtres quam pedeſtres collegit, in varias ſpes animum impellens, & alii quidem opinabantur cum gentibus ipſis *Barbaræ* Imperatrici, quæ poſt mortem *Sigiſmundi* Imperatoris pluribus incommodis premebatur ſubuenturum. Alii caſtra quædam in *Vngaria* aut *Sileſia* occupaturum, in quascunque tamen res caderet proſpecta eſt, exitum & faciem latentis mali continebat. Acceſſitus ad conſilium Regis admonebatur ſolius Regis organo, *vt gentibus quas collegerat dimiſſis, pacifice ſine rerum nouatione ſe contineret*, qui paucis verbis in excuſationem ſui facti ſpopondit, *ſe nihil temerarium acturum, quod in offenſam aut iacturam Regni redundaret.* Verum cum ex *Cracouia* D egreſſus verſus *Vngariam* ſe conuertiſſet, & cœptis per eum, nullus felix ſucceſſus reſponderet, fruſtratus eorum caſtrorum, quæ in *Vngaria* occupare deſtinauerat, ſpe, ad oppidum *Zattor* feria tertia carniſpriuii applicuit, & oppidum prædictum nocte ſcalis appoſitis, oppidanis nihil tale ſuſpicantibus, comprehendit, & omnes habitatores oppidi fortunis eorum ſibi vſurpatis eiecit. Moleſta fuit & Regi & Conſiliariis nouitas iſta, tum quod princeps vicinus non diffidatus lædebatur, tum quod oppidum prædictum quod erat *Cracouienſis* ciuitatis quoddam in rebus omnibus & victualibus horreum, in prædam fuit expoſitum, tum ne motus maiores ex vicinitate propinqua in Regno orirentur. Oppido compre-

quæ ſtatim ſedantur.

Sic quoque Derslaus de Ritwiany.

1438 prehenſo, vniuerſum Ducatum *Oſwiecimenſem* ad homagia compellit, vicinique Duces pauorem non mediocrem induerant, ne & in Dominia eorum cum potentia graſſaretur. Verum dum circa quadrageſimæ medium gentes ſuæ verſus *Thoſek* transmiſſæ cum præda onuſta reuerterentur, & nocturnum facerent in terra *Siewiczenſi* circa villam *Woikowicze* potationis nimia indulgentia ex laſſitudine inebriantur, & pauca vel nulla cuſtodia relicta, obliti quod in terra hoſtili poſiti, in noctis medio ſuperuenientibus hoſtibus proſternuntur, & licet pauci interfecti paucique capti eſſent, (feſſi ſiquidem tum populatione tum itinere, magna quoque pars cibo & mero auidius ex inedia ſumto, repleti, vix ad capeſſendam fugam ſatis habuere virium, cæteri pecudum more aut obtruncati aut capti) equis tamen & rebus eorum, fere omnibus hoſte potiuntur, omni præda ademta. Hoc caſu *Derslaus* debilitatus, pacem, pro qua per interpoſitionem Regis fuit laboratum, non cœpit abnuere, quæ tandem fuit concluſa, & oppidum *Zattor* poteſtati Regis traditum mille marcis ſibi primum pro expeditione gentium perſolutis, quod quidem oppidum licet Rex aliquanto tempore per ſuos Præfectus tenuit, reſtituit tamen illud Duci *Wenceslao Oſwiaczimenſi*, caſtro *Benwaldt* & fidelitatis homagio ab eo recepto, vt tum caſtrum *Benwaldt* proprietatis Regiæ deinceps eſſet, & Dux ipſe perpetuus Regni *Poloniæ* feudalis atque vaſallus.

Conſiſtenti apud *Pragam Sigiſmundo* Imperatori & publica Regni *Bohemiæ* negotia ad puritatem Religionis orthodoxæ & ad rectum ex deuiis dirigenti, grauis ægritudo ſuperuenit, quæ illum exaugente morbo ſenectutis incommodum propediem moriturum portendebat, *Barbara* Imperatrix de retinendo Regno ſolicita, *Alſonem* de *Sternberg*, *Henricum Płaczok*, *Georgium Podziebracki* & alios *Bohemiæ* Barones clanculo vocans, id ab eis magnopere expoſcit, imperatque *vt Sigiſmundo moriente, eam matrimonio Poloniæ Wladislao Regi iungant.* Non latuerunt Imperatorem furentis fœminæ conatus, qui poſtquam referentibus Medicis, mortem ſibi inſtare cognovit, ex *Bohemia* propter fidem dubiam diſcedens & in *Zveinam* perueniens, Imperatricem cuſtodiæ tradidit; *Vlricus Cliuiæ* Comes præmonitus fugam arripit, Imperator Baronibus *Vngariæ* & *Bohemiæ* in cubiculum vocatis, *moriturum ſe* indicat, & generum ſuum *Albertum Auſtriæ* Ducem præſentem pro Regno vtroque Regem declarat, rogans *vt ſupremam eius voluntatem in hoc exequantur; Beata fore Regna quibus Albertus imperabit.* Cum ingenti deinde ſolicitudine nuntiorum *Wladislai* Regis *Poloniæ* præſtolabatur aduentum, frequentique inquiſitione quærebat, *an aliquis illos in itinere ſentiret eſſe*, ſed & *Polonos* ſuos curienſes hortabatur, *ut auiſarent Regem Poloniæ de celeri miſſione, ſecurius ſe* prædicans *moriturum, ſi neptes ſuas Wladislao Regi & ſuo germano, quod tamen illi contingere non poterat, celeri morte obtento deſponſaſſet.* *Sigiſmundus* ſupremis ſuis ordinatis inter amicorum complorationem 22 Decembr. in *Zueina* moritur, cuius corpus in *Waradino* vt in vltima voluntate decreuerat, ſepelitur. *Vngariæ* Barones concordibus animis *Alberto* in Regem electo Calend. Ianuarii ipſum in Regem & *Eliſabeth* conſortem ſuam in Reginam in *Alba regali* coronarunt. Imperatrix *Barbara* dimiſſis quæ in *Vngaria* obtinebant, inexpugnabilibus caſtris, libertati reddita eſt, duodecim millia auri quoad viueret ei quotannis in certis reditibus conſtituta. Electores Imperii ſcrutinio diligenti de ſubſtituendo Cæſare habito in *Albertum Auſtriæ* Ducem vltro conſentiunt, eique *Romanorum* ſceptra committunt; Dieta apud *Francofordiam* celebrata, verum *Albertus* iniuſſu Baronum *Vngariæ*, id enim illis ſpoponderat, acceptare imperium nefas putabat, attento quod *Sigiſmundus Romanæ* rei prouiſurus *Vngariam* frequentius *Turcorum* direptioni exponebat. Poſtremo *Vngari* victi precibus *Friderici* Ducis *Auſtriæ* aſſenſum dedere, Imperium ſumma congratulatione *Germanorum* ab *Alberto* ſuſceptum. 1438

Sigiſmundo Imp. ſuccedit Albertus.

Barones, Nobiles & ciuitates *Bohemiæ* in electione Regis in duas partes diuiſi, aliam faciem quam *Vngari* & Electores tenuere. Quidam enim *Albertum Romanorum* & *Vngariæ* Regem attenta ſua tam ſubita fortuna in Regem eligunt: alii vero *Caſimirum* fratrem germanum tredecim annos natum, *Wladislai* Regis *Poloniæ*, Regem appellant, & vtraque pars ſuo electo, electionem per notabiles nuncios intimat, & vt acceptent, rogant. Venerant ſiquidem ad *Caſimirum* in *Craconiam* nomine Baronum & nobilium atque ciuitatum notabiles nuntii, *Hertwick* de *Rubzinowo*, *Ioannes Perſtinski*, *Biedzrich*, *Bieniaſz*, *Mokruski* ſibi huiusmodi electionem intimantes & rogantes enixe *Wladislaum Poloniæ* Regem, *vt fratrem ſuum acceptare Regnum Bohemiæ permittat.* *Wladislaus* autem Rex ob eam rem conuentionem generalem in oppido *nouæ Ciuitatis Korczin* pro feſto *S. Floriani* indixit, & omnibus Prælatis, Principibus & Baronibus ſuis principalioribus ad illam venire mandauit, interim quoque & Ducem magnum *Sigiſmundum* tanquam principalem Principem & Conſiliarium Regni ſui per *Przedborium* de *Koniecpole*, Caſtellanum *Roſpergenſem* requirit, *quid eſſet ſibi in hac re aggrediendum.* Inſtaurata itaque in *noua ciuitate* conuentione pluribus diebus habitæ ſunt deliberationes, & multa in vtramque partem calculata conſilia, Pontifices omnes, Principes *Maſouiæ Semonitus*, & *Wladislaus*, qui perſonaliter aderant, item Barones multi di-

Bohemi quidam Caſimirum Poloniæ Ducem in Regem eligunt.

ſua-

1438 ſuadebant, *ne regnum Bohemiæ, non ſolum diuiſionibus inteſtinis languidum, ſed etiam peſte hæretica infectum acceptetur, præſertim cum per aliam partem ſit ad illud aliud princeps electus.* Dux magnus *Sigiſmundus Lithuaniæ*, item alii Principes & omnes iuniores Barones, hi præſertim, qui prouiſores erant conſtituti, inſtant, perſuadent etiam importune, *vt Regnum Bohemiæ acceptetur*, quoniam aliquo bello interiecto intelligebant de introitibus regalibus, quod adminiſtrabant rationem a ſe exigi non poſſe. Vicit igitur eorum ſententia, qui conſulebant Regnum *Bohemiæ* acceptare, eo præſertim reſpectu, vt *Alberto Romanorum* & *Vngariæ* Regi in eius aſſecutione detur impedimentum, ne ſi duobus vicinis Regno *Poloniæ* Regnis potitus in pace fuerit, Regno *Poloniæ* velut *Almanus* fortius nocere poſſit. Sub huiuſmodi igitur conſideratione & reſpectu *Caſimirus* in ipſa conuentione *nouæ ciuitatis* Regnum *Bohemiæ* acceptat; *Wladislaus* quoque Rex ad proſequendam electionem germani ſui, duos Palatinos Regni ſui, *Sandiuogium* de *Oſtrorog Poſnanienſem, Ioannem* de *Thanczin Sandomirienſem*, viros prudentes & induſtrios, dato illis notabili & potenti exercitu, in *Bohemiam* tranſmittit, quoniam omnes Barones, Nobiles & ciuitates *Bohemiæ*, qui *Caſimirum* elegerant, ſubſidium exercituale, ne ab altera parte inuaderentur, mitti in *Bohemiam* ſupplicabant. Nimis plus quam velim *Polonorum* ſunt mobilia ingenia, ad legationem tam futilem & tenuem, neque *Caſimirum* electionem ſuſcipere, neque Regnum *Poloniæ* pernicioſe bello immiſcere expediebat, quaſi *Polonos* tæderet floridæ pacis proſperitate potiri, venuſtæ arboris ad inſtar, quæ fructu grauida in flexionem pariter pondere preſſa præcipitatur, & fracturam. Nemo ex omnibus Conſiliariis æque quam *Sbigneus* Epiſcopus *Cracouienſis* acceptationi *Bohemici* Regni aduerſabatur, verum ſupervacua eſt viſa ſua & perſuaſio & oratio, quando reliquorum ſpectabat ad quæque deteriora conſenſus. Mouebat autem *Sbigneum* Epiſcopum *Cracouienſem* non ſolum Regni *Bohemiæ* parum iuſta acceptatio, ſed Pontifex Catholicus verebatur, ne hæreſis *Bohemiæ* reciperet augmentum.

qui & eo cum exercitu mittitur.

Albertus Romanorum & *Vngariæ* Rex ſentiens *Caſimirum* de ſcitu & conſilio *Wladislai Poloniæ* Regis, Regnum *Bohemiæ* accepiſſe, mittit ad *Wladislaum* Regem duos Nuncios in *Cracouiam*, videlicet *Blaſium* alias *Balaſz Vngarum* & *Ioannem Rapſtin Bohemum*, milites, qui pro die Pentecoſtes *Cracouiam* adueniunt, ſignificant imprimis *quod regnum Bohemiæ tum ratione conſortis ſuæ Eliſabeth, tanquam vnicæ filiæ Sigiſmundi & hæredis, tum ratione antiquorum fœderum dudum inter Regnum Bohemiæ & domum Auſtriæ initorum, tum ratione electionis nouæ de eo factæ, ad ipſum pertineat*, rogans, *vt fratrem ſuum* A *Caſimirum acceptare illud prohibeat, & in eius aſſecutione ipſum impedire non intermittat, meminerit non potuiſſe paucos qui Caſimirum vocauere, ius regni in illum transferre, & ſi pergat impetere Regnum Bohemicum, caueat ne de ſuo diſceptet.* *Wladislaus* autem Rex habita deliberatione reſpondit nunciis prædictis in hunc modum: *Res quidem publica & notoria eſt, & aliqua tergiverſatione adumbrari non poteſt, quod morte Sigiſmundi ſecuta Barones, nobiles & ciuitates Bohemiæ, Caſimirum fratrem meum in eorum elegerunt Re*B*gem, & vt huiuſmodi acceptaret electionem nos ſubnixe ſupplicarunt, quorum precibus motus, Regnum prædictum acceptauit, neque exiſtimat ſe per huiuſmodi acceptationem Alberto Romanorum & Vngariæ Regi aliquam iniuriam facere, cum ſcitum ſit ſucceſſionem in ſexum fœmineum non cadere Regnorum, ſed etſi aliqua pacta aut inſcriptiones extant inter Regnum Bohemiæ & domum Auſtriæ, quibus prætendit ſe Albertus ad Regnum Bohemiæ ius habere, illa contraria obſeruatione & longæua praxi ſunt abrogata. Miſſi itaque ſunt per me in proſecutionem electionis huiuſmodi duo Palatini Regni mei cum exercitu haud grandi, qui illuc cum his mandatis & inſtructio*C*nibus per nos eis factis vadunt, vt in Regno Bohemiæ primum errores purgent, deinde ſingula ad pacem reducant, quoniam non eſt propoſiti noſtri, nec eam habet germanus noſter Caſimirus ambitionem, vt velit aliter regni Bohemiæ ſuſcipere regimen, niſi ad priorem rectitudinem Catholicæ puritatis & ad pacis vnionem atque amœnitatem fuerit reductum, Caſimiro fratri meo, quem primarii Barones Regem vocauerunt, ius auferri non poſſe: Polonis ac Bohemis, vnam eſſe linguam, & vnam vtrique genti originem, cum Teutonicis nihil vtrique commune, Regnum ſuum ſatis fidum eſſe, neque ſe externam vim timere.* Hac reſponſione accepta Nuntii præfati Regis *Alberti* multipliciter per *Wladislaum* Regem honorati & remunerati ad *Albertum* re D uertuntur.

Legatio Alberti Imp. ad Wladislaum Regem.

Huiuſmodi itaque reſponſione Rex habita, factus certior, Palatinos *Poloniæ*, cum exercitu Regnum *Bohemiæ* tum appropinquare, veritus ne vniuerſum Regnum Bohemiæ pro *Caſimiro* occupatum iri, contingat (erant enim omnium *Bohemorum* mentes etiam eorum, qui *Albertum* vocauerant, in obedientiam *Caſimiri*, & ardentes & procliues) celerius quo poteſt de conſilio eorum *Bohemorum*, qui parti ſuæ fauebant, rem maturat, & ſinguiis aliis omiſſis vectiori qua poteſt via properat, & ciuitatem *Pragenſem*, illa enim ſequebatur partes ſuas, Sabbatho ante feſtum *S. Iacobi* Apoſtoli ingreſſus, in craſtino die Dominico ſolenni pompa coronam accepit, 1438

per

1438

Albertus Praga coronatur.

per *Philibertum* Epiſcopum *Conſtantienſem* qui tunc nomine Concilii *Baſilienſis* legationis officio in ciuitate *Pragenſi* & Regno *Bohemiæ* fungebatur inſignitus, agroſque eorum qui *Caſimirum* introduxerunt populari cœpit. Et quoniam diu *Bohemia* quieviſſet novo exultabant *Bohemi* bello. Iam autem pro illo tempore exercitus Regis *Poloniæ* omnibus inſidiis & tendiculis, quæ illi erant per *Albertum* Regem in locis variis ſubminiſtrata, ſuperatis, in Regnum *Bohemiæ* feliciter peruenerat, & huiuſmodi coronatione audita, rem non ſegnius agere cœpit, ſed verſus *Pragam* procedens & augmentum quotidie in gentibus quæ partes *Caſimiri* Regis ſequebantur, accipiens omnes rebelles ad obedientiam *Caſimiri* coarctabat. Omnes enim Barones, Nobiles & ciuitates *Bohemiæ*, qui *Caſimirum* elegerant, magno collecto exercitu Regio iuncti, cunctis erant formidini.

Altera legatio Alberti ad Wladislaum.

Clamoribus partis ſuæ *Albertus* Rex & non ſolum clamoribus ſed & exprobrationibus permotus, timenſque ne per Regium exercitum in *Praga* obſideretur, *Bohemoſque* partis ſuæ plurimos ſuſpectos habens, omnibus Electoribus & Principibus *Almaniæ*, ſed & Prælatis & Baronibus *Vngariæ*, *in quanto ſit periculo* ſignificat, *vt ſibi celeriter in auxilium veniant* orat, & amplis præmiſſis incitat, propter quod omnis *Almania* capit arma, multi Principes perſonaliter cum potentiis ſuis videlicer Marchio *Miſnenſis*, Dux *Saxoniæ*, Comes *Cliuiæ*, Marchio *Brandenburgenſis* veniunt, alii vero exercitus celeriter mittunt, vidiſſes illic *Vngaros*, *Bohemos*, *Auſtrales*, *Morauos*, *Miſnenſes*, *Saxones*, *Sueuos*, *Bauaros*, *Thuringos*, *Renenſes*, *Sileſitas* & quam plures alias nationes conueniſſe, & ad delendum Regis *Poloniæ* exercitum, in quo haud grandis fuit *Polonorum* & *Bohemorum* manus vnum omnibus fuit propoſitum, *Albertus* Rex tot potentiis ſtipatus *Praga* egreditur & Conſiliariorum ſuorum vel victus vel deceptus conſilio, tam ſuperbam mittit ad Palatinos Poloniæ, cum ſemper humilis & virtuoſus habitus fuerit Princeps, legationem. *Neſcio quæ vos temeritas ad id induxit, vt Regnum meum Bohemiæ, ad quod mihi per conſortem meam ſucceſſionis, & propter inſcriptiones inter Regnum Bohemiæ & domum Auſtriæ dudum confectas, & electionis jus competit; igne & ſpoliis aliiſque vexetis incommodis. Proinde ſi in armis, ſi in viribus confiditis, diem & locum martis eligite, & experiamur an me velit an vos regnare hora. Inter Caſimirum cuius agerent belli præmium eſſe Bohemiam, experirentur potius prælio, quam populatione, cuius prouincia eſſet, cultam potius quam exuſtam mallent, ſeſe moram minime facturi? quin ad decernendum occurrat.* Palatini vero *Poloniæ* cum Baronibus & nobilibus *Bohemiæ* deliberatione habita, taliter huic legationi pompoſæ reſpondent: *Mandato Domini noſtri Poloniæ Regis Wladislai non temeritate a-* A *liqua ad regnum hoc arma quidem ferentes pro pace venimus, vt illud ad fidem primum rectam, deinde ad pacem, & Caſimiri electi Regis Bohemiæ fidelitatem reducamus, & obedientiam cum multi & prudentes exiſtiment jus ſibi quæſitum in illo. Si autem Albertus Dux jus aliquod in Regno habeat ſatis dubitamus, Caſimirum tamen Regem electum ſuperiorem eo jure ſcimus, eligere autem ad dimicandum locum omnibus temeritatibus iudicamus nihil temeratius, qui velut Catholici Regis Barones & ſerui ab omni Chriſtiani ſanguinis effuſione abhorremus, ſed nec in noſtra ſita eſt manu, campum certaminis & diem eligere, ſed omnipo-* B *tentis Dei illud tanquam futurum & incertum relinquimus arbitrio & voluntati, a quo ſe ferre animo Alberti arrogantiam pugnam petentis, nam cœleſtes ſuperbis infeſtos eſſe, venturo non deſuurum prælio, Polonos faciem hoſti non terga oſtendere ſolitos.*

1438

Vtraque pars ad oppidum Thabor caſtra metatur.

Palatini *Poloniæ* tali reſponſione data, ne aliquo iniquo loco pugnare cogerentur, cum multum conferat ad dimicandum locus, certiores per Barones & nobiles *Bohemiæ* facti, quantum oppidum *Thabor* natura, ſitu & munitione valeat, exercitum illuc omnem traducunt, & haud longe ab oppido prædicto, quod erat in obedientia & fidelitate *Caſimiri* caſtra metantur, & vallibus aliquot atque foſ- C ſis, deinde curribus caſtra in coronæ modum muniunt, de quo *Albertus* Rex ab exploratoribus ſuis certior factus, illic quam citius properat, tam ipſe quam omnes ſui alacritatem & præſumtionem temerariam præ ſe animo ferunt, quaſi prædam nobilem primo congreſſu habituri: feſellit tamen illos opinio; nondum forte experti fuerant Martem vtrique parti communem. Viſo enim exercitu Regis *Poloniæ* ad dimicandum paratiſſimo, perdita alacritate, perdito animo, caſtra & ipſe ad iactum lapidis tormentalis metatur monte poſito e regione prædicti, quæ etiam foſſatis & curribus communiuit, & qui ſecum Palatinos *Poloniæ* nullatenus propter exercitus imparitatem congredi exiſtimabat, ipſemet periculoſum ſibi putauit confligere, & irruptionem in caſtra ſua D metuens, nocte & die munire illa non deſiit, exiſtimo & illum propterea certamen declinaſſe, quod vir natura iuſtus & benignus fuerit, & præcipua cura intentus, ne ſanguis Chriſtianis effunderetur.

Caſtris contrariis & aduerſis non longe ab inuicem taliter poſitis, vterque exercitus quolibet die deſcendebat ad certamen, cæteris ſpectaculo occupatis & quoties aliquis exercitus aliquis videbat ſe frangi, toties recurrebat, altero ad caſtra illum proſequente, nunquam totis viribus ad fortunam belli ventum. Tranſeunt in tali exercitio plurimi dies, & multis hinc inde captis, non nullis interfectis neuter

exer-

1438 exercitus alterius inuaſit caſtra, gratior enim vtrique particularis quam vniuerſalis congreſſus erat, pulchrum quoque & placidum iudicabant, tam pulchro ſpectaculo quaſi altero bello *Troiano* oblectari, nullus quoque dies præteriit, in quo bombardis, pixidibus, gladiis, lanceis, cæteriſque armis pugnatum non eſſet. Triginta millia *Alberto* parebant, *Polonis* quatuordecim millia, ſed caſtris iuncta ciuitas magno erat adiumento, tormenta quoque ærea in vtriſque caſtris fuere plurima, ſed Alberto maiora. *Georgius Padziebraki* per idem, cum eſſet partis *Caſimiri*, in alam *Almannorum* incidens eam ſtrauit conflixitque, atque hinc primum homini nomen datum. Et quamuis pluribus vicibus pacis tractatores eſſent dati, & multa hinc inde pacis media propoſita; pax tamen nullatenus, impedientibus *Bohemis*, rapto viuere aſſuetis, concludi poterat. Vtroque itaque exercitu defatigato dum annona in locis propinquis deficeret, ad remota vero periculoſus eſſet acceſſus, propter horum, quorum fruges conſumebantur, reſiſtentiam, Palatini *Poloniæ* cum exercitu ſuo in oppidum *Tabor* ſe recipiunt, *Albertus* vero Rex licentiato exercitu *Pragam* diſcedit. Marchio *Miſnenſis* cum exercitu ſuo per loca terris ſuis propinquiora dum rediret, ciuitates *Lima*, *Zalecz*, opportunum tempus ratæ, quo poſſent de prædicto Marchione referre victoriam, collecto exercitu ex equitibus & peditibus inſecuti ſunt eum, ipſe vero ſolicitus de periculo, *Iacobum Belinski Bohemum* cum pluribus aliis *Bohemis* ſibi in ſubſidium mitti ab *Alberto* Rege impetrat, maiorique milite ſtipatus congreditur & prædictas ciuitates & eorum exercitum vincit, & proſternit, multiſque *Bohemis* captis aut occiſis, & cum gloria & cum ſalute in Dominia ſua rediit.

Wladiſlaus Rex *Poloniæ* literis & nunciis Palatinorum ſuorum ex *Bohemia* certificatus, quantum exercitum Rex contra illos & partem *Caſimiri* congregauerit, ferre illis exercituale ſubſidium quod poſtulabant, maturabat, & proinde generali expeditione indicta arma ſumit, & omnibus terrarum ſuarum ſubditis mandat, quatenus ad illum in oppidum *Czeſtochowa*, pro die natali S. *Mariæ* conueniant. Iuxta iuſſum itaque Regis omnes milites & nobiles ex terris *Cracouienſi*, *Sandomirienſi*, *Lublinenſi*, *Chelmenſi*, conueniunt. *Wladiſlaus* quoque Rex aliis non expectatis, facta Principibus *Sileſiæ* publica diffidatione, quod germano ſuo *Caſimiro* etiam ſecum in exercitu præſente præſtare fidelitatis homagium, tanquam Regi *Bohemiæ* recuſarent; item quod regnum furtis clandeſtinis & ſpoliis laceſſerent, item quod ſubditi eorum moneram Regni *Poloniæ* ipſis diſſimulantibus falſificarent, & importarent falſificatam in Regnum *Poloniæ*, terras & Ducatus eorum ingreditur & per *Lubieniecz*, *Strzelcze*, aliaque loca progreſſus, vſque ad *Oppauiam* graſſatur, ea propter, vt aut perſonaliter *Bohemiam* petat, aut notabilem exercitum ſuis in ſubſidium mittat. Auiſatus autem dum eſſet prope *Opauiam* exercitus ab inuiam diſceſſiſſe (ibi enim ad ſuam Maieſtatem *Ioannes* de *Thanczyn* Palatinus *Sandomirienſis* cum pluribus *Polonis* & *Bohemis*, videlicet *Hinkone Praczek*, *Alſone* de *Sternberg*, *Przibiezone*, qui in Bohemia militauerant, aduenerant, *Sandiuogio* Palatino *Poſnanienſi* in *Bohemia* remanente) ad Regnum ſuum *Poloniæ* per oppidum *Ratibor*, terris *Sileſiæ* igne & ſpoliis deuaſtatis, ſanus & incolumis cum omni ſuo exercitu rediit, exercitui quoque terrarum *maioris Poloniæ*, qui per alia Ducatuum *Sileſiæ* erat diffiſus, & Ducatus ipſos vaſtitate hoſtili conſumebat, mandauit, *vt ad propria redeant*, qui & ipſi mandato Regio accepto, regrediuntur.

Wladiſlaus Rex Sileſiam vaſtat.

Cæſar *Tartarorum Sedchmath* cum magno *Tartarorum* exercitu terras *Podoliæ* circa feſtum *Pentecoſtes* ingreſſus, homines more ſuo in perpetuam ſeruitutem abducere, & ſpoliis terras ipſas afficere cœpit, qui etiam vani terroris apparatum, videlicet ſimulacra humana, equis impoſita, ſecum trahebat, propter quod partium *Ruſſiæ* Barones milites & nobiles ſatius ducentes mori in bello, quam videre ſuorum pernitiem collecto forti ſatis exercitu, eos perſecuti, congredi cum illis, & manum auidius, quam ſat erat, in illos conferre, non dubitarunt. Erant enim illis tum numero tum animo ſuperiores. Tartari vero ſibi metuentes periculum, arte & calliditate cuiuſdam loci limoſi, & per modum bituminis denſati ſe & ſtationes ſuas muniunt, & impetum *Polonorum* præſtolantur. Barones itaque & nobiles *Poloniæ* iniquitatem loci non ſuſpicati, animoſe contra *Tartaros* faciunt impetum, & in ipſo congreſſu, limoſis & paludinoſis locis conſtricti, in crudelitatem incidunt *Tartarorum*. Sed & is caſus, quamuis multos notabiles abſumpſerit, fuiſſet funeſtus, poterat enim reſiduus exercitus loco tam periculoſo declinare, & ex *Tartaris* referre victoriam, niſi illum fatalis ſors peccatis hominum id expoſcentibus damnaſſet. Dum etenim primæ acies volentes locum tam declinare malignum conuerſæ eſſent, in alium locum aptiorem progreſſuræ, acclamatumque eſſet, *Zaſie*, *Zaſie* acies vltimæ quid ageretur apud primas ignaræ, voce illa in malo intellecta ſignificato, quaſi omnibus fuga mandaretur, conſternati & attoniti, exiſtimantes priores acies concidiſſe, fugam repentinam cœperunt. Quo viſo *Tartari* in alies acies a tergo irruunt, & illas deuincunt & proſternunt, & cæteros fugientes liberius perſequuntur. Ordinibus quippe *Polonorum* immutatis & de locis ſuis auerſis, ſubito exorſus eſt tumultus & confuſio, & in turbatos auerſoſque vrgere *Tartarus* vehementius cœpit. Tumultu enim exorto, omnis 1438

Tartari Poloniam inuadunt.

1438 mnis exercitus *Polonicus* in fugam coactus eſt, magna trepidatione ſinguli *Poloni*, qui in vltimis ordinibus locati erant, exiſtimantes primos a *Tartaris* conflictos eſſe, in præcipitem ſe dederunt fugam. Tantaque fuit illorum feritas, vt omnes trucidarent frameis, nullo captiuitati reſeruato. Funeſta nimis & Regno *Poloniæ* futuris deploranda ſeculis fuit hæc clades, cum per illam multa nobilium, Baronum & militum occiderint millia. *Tartari* quoque ab eo tempore felicitate victoriæ elati, terras *Ruſſiæ* ſpoliis crebris & inuaſionibus laceſſere animoſius cœperunt, tum quod *Polonis* modicam iudicabant ineſſe reſiſtendi audaciam, tum quod arbitrati ſunt in eo prælio, quemadmodum verum erat, præſtantiores milites *Ruſſiæ* cecidiſſe. Mortui enim ſunt in eo conflictu *Michael Buczacki*, Capitaneus *Podoliæ*, *Skarbek* de *Gory*, *Nicolaus Giza*, *Ioannes Kolo*, & quam plures alii, quorum conditionem & fortunas longum eſſet recenſere & deſcribere.

Ioannes autem *Wodkomiz* de genere & domo *Sulima*, inter cadauera & ſtrues funereas multis acceptis vulneribus cadens ſemiuiuus, mortuum ſe ſimulauit, ſpoliatus itaque a *Tartaris* omnibus indumentis, & dum ad ocreas ventum eſſet, & caligæ præciduntur in longum, non ſoluuntur, ita vt gladius præcidens lineas vulnerum faceret in pedibus, annulus inſuper quem geſtabat in digito, dum facile detrahi non poſſet, cum articulo truncatur, in his tamen tam diris cruciatibus & tormentis omnes ſpiritus vitales ita oppreſſit ſtudioſe, & occultauit, vt ſemper cadauer mortuum putaretur, quo patientiæ genere mortis aut perpetuæ captiuitatis, quæ morte crudelior eſt, genus euaſit. Volui illius memoriam his monumentis literarum poſteris mandare, quoniam pro tot tantiſque æquo animo deuictis paſſionibus, inter viros heroicos merito numerandus. Extabant in eius corpore horum omnium quæ narro cicatrices, quæ fidem indubiam faciebant de præmiſſis, a me etiam, qui hæc ſcribo, mortalibus coram oculis viſæ.

Turba Craconiæ.

Quarta decima Auguſti inuidiam contra *Nicolaum Seraphin* zupparium *Cracouienſem* *Ioannem Graſiar*, *Vinconem*, Conſules, & nonnullos ciues *Cracouienſes* ſuapte ob nimiam falſæ monetæ, de qua frequenti teſtimonio inſimulabantur, importationem gliſcentem, *Przedborii Hoez* vnius ex ciuibus *Cracouienſibus* oratio, communem ciuitatis totius diſſerens calamitatem & pernitiem, & illorum enumerantis diuitias, apud populum habita, adeo accendit, vt ſinguli ciues & mechanici operibus deſertis ad muros caſtri *Cracouienſis* concurrerent, & præfatos zupparium, Conſules & ciues, qui iam in arcem conſcii facinoris confugerant, ſibi dari depoſcerent, publicam iniuriam publice in illos ſatagentes vltum iri, quo tumultu vix ſedato, dum communitas in domos reuerteretur, notati tamen arce 1384 excedere non audebant, nec temperatum in A illos & alios foret manibus, ni *Sbigneus* Epiſcopus *Cracouienſis*, cui magis populare fuerat ingenium, frequentibus nunciis a Rege & Conſiliariis rogatus, noctes ducendo inſomnes, ſedaturus incendium exortum adueniſſet, & apud populum *Cracouienſem* concionatus, ſedato illius quamuis iuſto furore, etiam inculpatos ciues ancipiti malo a ciuibus, nec per prius, quam a Rege & Conſiliariis traherentur ad pœnam, mœſtos & trepidos, vixque ſui compotes abſoluit, quindecim tamen per prius diebus pœnitentiam in carcere perpeſſos. In media æſtate anni eiuſdem *Turcorum* Cæſar valido & potenti exercitu collecto, opportunitate nacta, Regnum *Vngariæ* ingre- B ditur, & partes *Tranſiluanas* vaſtat & ſpoliat, multiſque hominibus vtriuſque ſexus comprehenſis illos in perpetuam ſeruitutem abducit, ita ſub vno anno licet tempore diſpari vtrumque Regnum & *Vngariæ* videlicet & *Poloniæ* deſlendas excepit calamitates, Regibus illorum in viſcera propria conuertentibus gladios & circa bella pluſquam ciuilia occupatis.

Turcæ Hungariam inuadunt.

Barbara relicta *Sigiſmundi Romanorum* Imperatoris, & *Vngariæ* & *Poloniæ* Regis, per *Albertum Romanorum* & *Vngariæ* Regem filiamque ſuam *Eliſabeth* eiuſdemque *Alberti* conſortem, inſtantibus & operam dantibus Baronibus *Vngariæ*, quos multis in vita mariti ſui afficiebat contumeliis & probriis, de omnibus caſtris, ciuitatibus & poſſeſſionibus, quæ in C Regno *Vngariæ* quomodolibet dotis nomine, aut quocunque titulo obtinebat, eiecta, & fere omnibus, quæ a pluribus annis congreſſerat, theſauris & clenodiis ſpoliata, in Regnum *Poloniæ* venit, & *ſe tanquam miſeram & orphanam perſonam a rege Wladiſlao recolligi* petebat, cuius precibus *Wladiſlaus* Rex annuens, calamitati ſuæ compatiens, illam benigne excipit, omnes eius liberalitate Regia ſupplens defectus, vt quæ poſſit ſtatum ſuum cum omni honeſtate deducere, caſtrum, ciuitatem & terram *Sandomirienſem* cum omnibus Regalibus introitibus ſibi donat, quoad voluit in omni rerum abundantia demorata eſt.

Barbara Imperatrix in Poloniam fugit.

D Magna cariſtia frugum in Regno *Poloniæ* & partibus vicinis exorta, plures petebat; Vna enim menſura ſiliginis vno floreno appendebatur. Veris enim & æſtatis tempore validæ deſcendentes pluuiæ, vbertatem ſegetum, & præſertim dum florem eſſent endituræ, extinxerant; ſed & exercitus Regius procedens in *Sileſiam*, & rediens, fruges multas conſumpſerat. Non minor autem ſub eodem tempore, dictum regnum incommoditas falſificatione monetæ premebat, talis enim eius quantitas, tanta ſuperioribus annis diſſimulantibus prouiſionibus & adminiſtrationibus Regni, in ipſum Regnum fuit, tum per forenſes, tum

Fames in Polonia.

& querela de adulterata moneta.

per

1435 per proprios clandeſtine ingeſta, vt omnibus partibus Regni occupatis eius multitudine etiam vera moneta, quam plures a falſa diſcernere non poterant, veniret in abiectionem & contemtum, qua conditione effectum eſt, vt Regni *Poloniæ* talia & tanta ex huiuſmodi falſa moneta ſuſcepit & pertulit incommoda, qualia vix ab hoſtili exercitu iuxta vaticinium *Sbignei* Epiſcopi *Cracouienſis* dudum ante prolatum ſuſcepiſſet.

Snigulos Principatus & caſtra quæ ditionis *Boleslai Swidrigall* extabant, Ducis *Lithuaniæ* quandam fuerant, *Sigiſmundus* Magnus Dux *Lithuaniæ* brachio & aſſiſtentia *Polonorum* ex integro adeptus, vehementer exaſperabatur, quod caſtrum & terram *Lucenſem* in ditionem ſuam redigere nequiuerat, Dux ſiquidem *Boleslaus Swidrigall Wladislai Poloniæ* Regis & *Polonorum* fauores quæſiturus, illam pro Regno *Poloniæ* tenendam, duobus Regni *Poloniæ* Baronibus *Vincentio Szamotuly* Caſtellano *Miedzirczecenſi* & *Ioanni* de *Oleſko* commentauerat, quod in eam diem ab illis pro Regno *Poloniæ* fideliſſime tenebatur. Cauſabatur itaque *Sigiſmundus* magnus Dux *Lithuaniæ* fere in ſingulis conuentionibus generalibus in Regno *Poloniæ* habitis apud *Wladislaum* Regem *Poloniæ* & Conſiliarios, Primoresque, quod pacta de caſtro & terra *Lucenſi* ſecum inita, parum ſincere ſibi ſeruarentur, quibus cauebatur, caſtrum & terram *Luczko* Duci magno *Lithuaniæ Sigiſmundo*, per quemcunque modum in manus Regis & *Polonorum* poteſtatem deueniret, oportere reſtitui, *Sigismundo* Duce magno defuncto, cum omni titulo proprietate & pleno dominio ad Regnum *Poloniæ* reditura. Inſtabat itaque vehementius eo animo *Sigismundus* magnus Dux *fœdus & ſponſionem impleri, & ſe in poſſeſſionem caſtri & terræ Lucenſis mitti.* Verum etſi magnæ parti Conſiliariorum *Poloniæ*, quod regio opulenta & ager vberrimus *Lucenſis* multas commoditates Regno allaturus, oneroſa & grauis traditio caſtri & terræ *Lucenſis* videretur, tanta tamen vtilitate fidem *Sigiſmundo* datam cenſebant potiorem, itaque omnium conſenſu & decreto pactorum *Sigiſmundo* magno Duci promiſſorum impletio, quamuis in eam diem neglecta, conſummari iuſſa eſt & *Vincentius* de *Szamotuly*, & *Ioannes* de *Olieſzko*, in *Lithuaniam* Regis & Baronum mandato miſſi, qui caſtrum & terram *Lucenſem* Ducis magni *Sigiſmundi* reſignarunt poteſtati, *Sigiſmundo* tamen Duce magno *Lithuaniæ* cum filio ſuo Duce *Michaele*, ſe iureiurando perſonaliter & corporaliter atque per ſpeciales literas patentes, ad reſtitutionem caſtri & terræ *Lucenſis* morte ſua ſecuta, pro Regno *Poloniæ* obligante & pollicente, non alios in caſtro *Luczko* inſtituere præſides & Capitaneos, niſi eos, qui eo decedente, Sacramento & ſponſione ſuæ virtutis præſtarent effectum, & Regi atque Regno *Poloniæ* caſtrum & terram *Lucenſem* fideliter & ex integro redderent.

Lucenſis terra Sigismundo Lithuaniæ Duci tradita.

1438 *Stanislaus Cziolek Poſnanienſis* Epiſcopus in octava *S. Martini* Pontificis XVIII. Nouembris procuratus ſacro viatico, cum bona deuotione moritur, & in Eccleſia ſua *Poſnanienſi* ſepelitur, annis decem in Pontificatu exactis. Prælati autem & Canonici *Poſnanienſis* Eccleſiæ celebrato Capitulo, pro electione futuri Pontificis, pro die Epiphaniarum in diem ſolis, ſextam Ianuarii cadente, duos in diſcordia eligunt. Quidam enim ſignanter *Wiſchota* de *Gorka* Præpoſitus, *Matthias Dria* Decanus, & plures alii, *Laſocki* Decanum *Cracouieſem* poſtulant, alii *Andream Brinski* eligunt. Decreto autem vtroque *Eugenio* Papa quarto præſentato, quamuis & *Wladislaus* Rex & Prælati Baroneſque ſui *Nicolaum Laſocki* ſuis literis rogaſſent præfici Eccleſiæ *Poſnanienſi* in Epiſcopum & Paſtorem, *Andreæ Brinſcki* electionem approbans, poſtulationem *Nicolai* & preces Regias reiiciens, *Ioanne Lutkonis* de *Brzecie* Canonico *Gneſnenſi* & Cantore *Lancitienſi*, & *Ioanne Twardowski* Canonico *Poſnanienſi* cauſam electi ſollicitantibus, die Lunæ XXI Iunii apud *Bononiam* tum agens confirmat, *Nicolao Laſocki*, quod partes Concilii *Baſilienſis* enixius promouiſſet, infenſus. Fuit tandem ipſe *Andreas Brinski* in Epiſcopum *Poſnanienſem* per *Vincentium Gneſuenſem* Archiepiſcopum in Eccleſia S. *Magdalenæ Caliſienſi* in Dominica Quinquageſimæ anni ſubſequentis conſecratus, appellatione *Nicolai Laſocki* ad Concilium *Baſilienſe* interpoſita, quam neglexit eo non ſtante.

Stanislao Episc. Poſnanienſi ſuccedit Andreas Brinski.

In die Conceptionis *S. Mariæ* habita eſt conuentio generalis in oppido *Piotrkow*, vbi *Wladislao* Rege ab omnibus Prælatis & Principibus ac Baronibus ſuis præſentibus innouatum eſt illi Regnum, & Rex ipſe omnibus indumentis regalibus indutus thronum aſcendens, omnibus Prælatis, Principibus ac Baronibus ſuis approbantibus, conſentientibus & laudantibus, poteſtatem regiminis plenam deſtitutis prouiſoribus accepit, tanquam is, qui annos pubertatis excedens, annum erat quintum decimum ingreſſus. Multa in eadem conuentione pro bono Reipublicæ decernuntur & ſtatuuntur. Inter alia autem decernitur, vt diſcretio falſæ monetæ a vera fiat, & diſcretores in qualibet deputentur ciuitate, & vt falſa monetæ reiecta, vera vbique recipiatur. Hoc decretum quamuis Reipublicæ vtiliſſimum in ipſo ortu ſuo concidit, nec eſt niſi a Prælatis, Baronibus terrarum Cracouienſis & *Ruſſiæ* obſeruatum. Prælati enim & Barones *maioris Poloniæ*, item Principes *Maſouiæ*, licet etiam huiuſmodi decretum tunc & expoſt in multis conuentionibus, multis pro-

Wladislaus Rex ſui iuris fit.

1438 promiſſis obſeruaturos firmaſſent, contrauenire tamen omnibus non damnoſum Reipublicæ ſtatuunt, malueruntque forenſibus monetis quam propria vti. Item quoniam ſuperioribus diebus *Wladislaus* Rex tam per *Eugenii* Papæ nuntios & literas, quam etiam Concilii *Baſilienſis* ſollicitatus eſt, de pace inter ipſum & *Albertum Romanorum* & *Vngariæ* Regem reformanda, rogatusque fuit, *ut aut per ſe aut per ſuos notabiles nuntios in Wratislauienſi ciuitate velit conuenire & dietam pro pace tractanda tenere*, offerens *ſe illuc pacis tractatores Legatos ſuos miſſuros*, ſuper qua re deliberatione tam per Prælatos & Barones *Poloniæ*, quam etiam per Barones *Bohemiæ*, qui eidem conuentioni *Piotrcouienſi* interfuerunt, habita, poſtquam apparuit labare factum *Bohemicum* languido fundamento innixum, mitti de pace oratores etiam ipſius *Bohemorum* partis *Caſimiri* Primoribus placuit, & deſignantur nuntii ad huiuſmodi dietam ituri, videlicet *Vincentius* Archiepiſcopus *Gneſnenſis*, *Ioannes* de *Czizow* Caſtellanus *Cracouienſis*, & *Ioannes* de *Tanczin* Palatinus *Cracouienſis*, & *Albertus* de *Male* Palatinus *Lancitienſis*. *Sbigneum* vero Epiſcopum *Cracouienſem* licet deſignatus fuiſſet, valetudo retraxit. Item de Baronibus *Bohemiæ Halz*, *Przibiſz*, *Biemiaſz* & alii, & certa media pacis honeſta, quæ offerre deberent, illis mandata ſunt. Vana ſiquidem & blanda *Bohemorum* promiſſa, tam Rex quam Conſiliarii *Poloniæ* temere ſe ſecutos cognouerunt, deferendum bellum *Bohemicum* plurimos ſumtus inutiliter conſumens quacunque occaſione honeſta ſumta cenſebant.

Legati ad pacem cum Alberto concludendam mittuntur.

1439 Pro die Epiphaniæ in ciuitate *Wratislauienſi* dieta generali pro pace inter *Albertum Romanorum* Regem & *Wladislaum Poloniæ* Regem eiuſque germanum Ducem *Caſimirum* electum *Bohemiæ* Regem reformanda, inſtituta, *Eugenius* Papa quartus, *Ioannem* Epiſcopum *Burgenſem* de Regno *Hiſpaniæ* ex *Hebræo* patre conuerſo, tamen qui & ipſe fuit *Burgenſis* Epiſcopus, natum, virum prudentem ac virtute præſtantem, & *Nicolaum Amici* in Theologia Magiſtrum, pro tractanda pace tranſmiſerunt, *Albertus* inſuper Rex cum pluribus Prælatis, Principibus & Baronibus tam Imperii quam *Vngariæ* ad eam perſonaliter, ex parte vero Regis *Poloniæ* & *Caſimiri Vincentius Gneſnenſis* Archiepiſcopus cum Baronibus deſignatis adueniunt. Vbi primum ambæ partes in publica audientia coram Legatis Concilii & Papæ iuſtitiam ſuam declarant, vtrique parti plurima media, quibus ſe profitebatur iure in adeptione Regni *Bohemiæ* ſuperiorem, illud tamen medium pro pace concludenda facilius Nuncii Regis *Poloniæ* in publica adiecerunt audientia. *Nulla, inquiunt, Caſimiro electo Regi Bohemiæ ineſt de habendo Regno Bohemiæ auara ambitio, ſed compaſſus calamitati illius propter linguæ identitatem illius acceptauit regimen, offert tamen* A *pro bono totius Chriſtianitatis de iure ſibi quæſito cedere, & illud ſimpliciter reſignare, dummodo etiam Albertus Romanorum & Vngariæ Rex de iure quæſito cedat, & illud reſignet, vt Barones & Nobiles Bohemiæ libere quem velint, ſiue ex his duobus, ſiue ex quibuscunque aliis Principibus ſibi eligant concorditer, & taliter electus pro Rege habeatur indubitato.* Hæc oblatio non ſolum *Bohemis* vtriusque partis, qui illuc in notabili numero confluxerant, ſed etiam omnibus forenſibus ad pacem & æquitatem conducere plurimum viſa eſt, propterea quod diebus quindecim multi hinc inde inter- B ponebantur tractatus, Legatis Papæ & Concilii vtramque partem ad pacem cohortantibus. *Albertus* Rex *Vincentio* Archi-Epiſcopo *Gneſnenſi* ad ſe vocato, omnibus arbitris excluſis, quanto *Wladislao* Regi, & fratri ſuo *Caſimiro* Regi afficiatur charitate, multis verbis declarat, deinde vt eius beneuolentia facilius cognoſci poſſit, cum eodem Archiepiſcopo ſecretiſſime concludit, maiorem natu filiam *Wladislao* Regi, minorem vero *Caſimiro* deſponſare & ſibi dotis nomine Regnum *Bohemiæ* reſignare idque iuramento corporali in manibus Archi-Epiſcopi præſtito, firmat, vult tamen vt hæc ſuo tempore & bono ordine & bona honeſtate publicentur, & executioni C mandentur, ne id per impreſſionem egiſſe videantur. Barones *Poloniæ* de hac concluſione ſecreta per Archi-Epiſcopum *Gneſnenſem* certiores facti molleſcunt, & tepidius negotia Regni *Bohemiæ* proſequuntur. Et quamuis iuxta certa capitula & conditiones perpetua pax tunc concludi debuiſſet, quia tamen *Albertus* Rex perſuaſus aliquorum *Almanorum*, qui Regni *Poloniæ* fortunis inuidebant, conſilio ſubito mutare & variare huiuſmodi varietatem adeo irritati ſunt, vt omnibus rebus infectis ex *Wratislauia* ſine fine, ſine ordine diſcederent, quorum diſceſſum *Albertus* Rex moleſte ferens, tentabat illos omnibus viis reuocare a receſſu. Summe enim vt Princeps Catholicus deſiderabat, firmare pacem niſi inge- D nia vafra *Almanorum* obſtitiſſent. Nuncii tamen Regis *Poloniæ* turpe putantes redire ad hoſpitia, iam equos conſcenderant, diſceſſerunt, Legatorum tamen Papæ & Concilii ſollicitati plus lacrymis quam precibus conſentiunt deſcendere in *Namislouiam*. *Albertus* Rex ſuos Conſiliarios tranſmittit, vbi opera Legatorum, dum pax perpetua firmari non poſſet, treuga in aliquot annos confecta eſt, ea conditione appoſita, vt pro feſto *S. Georgii* anni eiusdem Reges perſonaliter in metis *Vngariæ* & *Poloniæ* Regnorum conueniant, aut Prælatos & Barones de concludenda pace tractaturos tranſmittant. *Albertus* ex gradu forte *Wratislauiæ* prolapſus, primum grauem ægri-

Conuentio pro pace Wratislauiæ.

quæ tamen irrita eſt.

1439 gritudinem ad extremum claudicaturam contrahens per *Morauiam* in *Auſtriam* rediit.

Comes *Ciliæ Vlricus*, qui *Bohemiæ* præerat, de vendicando ſibi Regno apud Barones agere cœpit, quo *Albertus* Rex cognito, ipſum reuocat, & curam Regni *Vlrico Rocembergski* & *Meinhardo* de *Nowadomo* committit. A

Wladislaus Rex *Poloniæ* conuentione generali *Piotricouienſi* expedita, verſus partes *maioris Poloniæ* proceſſit, & pauco tempore in illis commoratus, ex *Lancicia* verſus terram *Lublinenſem* & *Chelmenſem* rediit, vbi conſumptis aliquot diebus per *Sandomiriam* in *Cracouiam* rediit, & totum tempus Quadrageſimæ illic commoratus, ſecunda Dominica poſt feſtum Paſchæ conuocationem in *noua Ciuitate* tenuit, quam aliqui in dolo tenendam indixerunt. Pluribus itaque Baronibus terris B *Cracouiæ* & *maioris Poloniæ* ad illam venientibus, *Spithko* de *Melſchin Zophiæ* Reginæ promiſſionibus & perſuaſionibus vt plerique aſtruebant, ineſcatus, collecto de familiaribus amicis & aliquibus forenſibus pretio conductis equeſtri, de *kmethonibus* vero omnium villarum ſuarum pedeſtri exercitu more bellico ordinatis, ad huiuſmodi conuocationem proceſſit, & primum in villa ſua maiori *Piaſzek* a *noua Ciuitate* haud longe diſtante, ſe collocans, altera die mane, nullo ſuſpicante, pluribus in lecto adhuc quieſcentibus, oppidum *nouæ ciuitatis* irrumpit, & velut amens exacerbatus, plus furori & indignationi, quam conſilio amicorum id ſibi magnopere diſſuadentium, C tribuens, hoſpitium *Wladislai* Epiſcopi *Wladislauienſis* & *Nicolai Laſocki* Decani *Cracouienſis* qui pridie ad dictam conuentionem venerant, ingreſſus, illud deprædatus eſt, deinde in monaſterium aliaque loca procedens, in quibus *Ioannem* de *Konieczpole* Cancellarium, & *Ioannem Glowacz* de *Oleſchnicza* Regni *Poloniæ* Marſchalcum, quos hoſtes ſuos aſtruebat, ſuſpicabatur fuiſſe, omnia eorum bona diripuit, eo enim animo aduenerat vt præfatos Cancellarium & Marſchalcum, quos magis videbat obſtare ſuis conatibus, occideret. Ipſi autem per eiuſdem *Spithkonis* Conſiliarios certiores de ſuis machinationibus facti in caſtrum ſe contulerant. Dum igitur D ſpoliis & direptionibus plura loca & hoſpitia vaſtaſſet, ex oppido cum ſuis in campum deſcendit, & circa locum patibuli caſtra ſua poſuit. *Wladislaus* autem Rex de conſilio Baronum ſuorum repente contra illum, tantam peſtem Reipubl. extincturus proceſſit, qui videns ſe certamen effugere non poſſe, ſtatione prima quaſi loco iniquo derelicta, ad finem villæ *Grotniki*, vbi fluuius *Nida* circumfluit ſe recepit, eo propoſito, vt alueus *Nidæ* ab vna parte illum tutaretur, caſtriſque illic locatis, primum ea curribus, deinde vallo & foſſa communit. Rex autem maturandam ſibi pugnam antequam foſſas in altum erigeret,

Spithko de Melſchin,

qui hoſpitium Regis exſpoliauerat,

putauit, propter quod omni celeritate illum aggreditur, nec deerant plerique ex Baronibus, qui dum iam in conſpectu erat *Spithko*, *ne pugna cum eo iniretur*, diſſuadebant, aſtruendo *magnam ſecuturam cladem ſi inermes cum armatis pugnauerint*. *Hincza* de *Rogow*, genere *Dzialoscha* & *Dobeslaus* de *Sczekocin* genere *Odrowaſz* Ducatum pediti præſtando, caſtra *Spitkonis* dirumpunt, a quibus maior pars copiarum *Spitkonis* obtrita eſt, & diruptis & diſiectis curribus, equites & pedites ſui, ſæua crudelitate trucidantur, ipſe vero in multos impetum facit, ſed per plures ſagittas & lanceas baliſtarum transfoſſus equo prolapſus, ſpiritum exhalat, mandat illico Rex, *vt peditum parcatur multitudini*, coacti enim rure relicto, arma ſumſerant, reſeruantur itaque multi vitæ, quos vel gladius vel fluuius *Nida*, in quo glomerati ſuffocabantur, non abſumſit. Deinde locato contra illum iudicio, querela de ſuis fore factis per *Warſchium* de *Oſtrow* Caſtellanum *Lublinenſem* proponitur, trina vocatione palpitans adhuc citatur, deinde ſententia Baronum, ſed etiam ſui ſoceri *Dobrogoſtii* de *Szamotuly*, Caſtellani *Poſnanienſis*, cuius filiam habebat in vxorem, velut hoſtis patriæ condemnatur, funus illius triduo omnibus ſpoliatum tegumentis in eo loco, quo occiſus eſt, iacebat, donec mandato Regis conſorti ſuæ *Beatrici*, illud fletibus dare ſibi deprecanti, redditum eſt, quod in Parochiali Eccleſia in *Piaſek* ſepulchro condidit. Iuſſu inſuper Regis altera die caſtra, quæ erant in eius tenuta *Melſchtin*, & *Rapſtin*, circumuallantur, ne ea forenſes & hoſtes Regni, cum quibus conſpiraſſe dicebatur, occuparent, tandem caſtrum *Rapſtin* Regi deditur, caſtrum vero *Melſtin* Rex obſidione ſolutum relictæ ſuæ reſtituit. Ita vir claræ familiæ ortus ſceleratæ mentis ſuæ pœnas pendit, feria quarta in die *S. Floriani*, cuius meritis & interceſſione peſtifera lues & ciuile bellum ſubito vnius hominis morte ſuffocata ſunt. Creditus eſt *Spithko* præfatus non maleuolentia aut pertinacia ſed cerebri debilitate facinus huiuſmodi peregiſſe, & communionem vtriuſque ſpeciei neceſſariam ad ſalutem credidiſſe, pro quo a *Sbigneo* Epiſcopo *Cracouienſi* grauiter & paterne correptus, dum nihilominus pertinaciter correptionem abnueret, cenſuris Eccleſiaſticis illum percellere non diſtulit, ſed & communionem regii Concilii & Baronum per proceſſus publicos illi interdixit, qua verecundia permotus in choleram excandeſcens, & vltionem de præfato Epiſcopo *Cracouienſi*, cum quo etiam priuatas & diuturnas lites pro nepte ſua *Hedwigi Xiaska* eiuſdem *Sbignei* Epiſcopi nepoti *Sbigneo* deſponſata, & quæ in album inuidentium ſuaſionibus prodierant, ſcitus fuit contraxiſſe, ſummopere ſperans exercitualiter in præfatam conuentionem deſcen- 1439

cum ſuis vincitur,

ipſeque in prælio cadit.

1439 derat, ratus illic præfatum Epiſcopum reperturum, verum quia ipſe Epiſcopus de ſuis conatibus iam auiſatus in *Cracouia* remanens, A a conuentione ipſa abſtinebat, in ſuos fratres & amicos ſæuitiam ſuam extendere ſatagens, vitam & ſuam & ſuorum poſuit in diſcrimen, de quo non tam illi quam quibuſdam Baronibus, ſuis conſiliis & promiſſionum fomentis, propoſitum ſuum & laudantibus & adiuuantibus reor ſuccenſendum. Motus autem Rex *Wladislaus* pietate, Prælatis & Baronibus Regni id a ſua Maieſtate expetentibus, & ſententiam contra eundem *Spithkonem* latam caſſauit, infirmauit & extinxit, & tam filios ſuos quam omnes ſucceſſiones ad ſingulos honorum Nobilitatum & dignitatum gradus, quacunque transgreſſione præfati *Spithkonis* non obſtante, reſtituit, & culpam atque facinus ſuum penitus aboleuit. Variæ autem ſua occiſione edebantur opiniones, quidam *iure cæſum* dicebant, *ſentinamque quandam Regni ſucciſam eſſe* lætabantur, *creaturam plures fluctus niſi fuiſſet oppreſſa*, quidam amentem, vt erat, excuſabant, dolendum, *quod ipſius amentia non ad ſui ipſius tantum ſed etiam ad multorum aliorum pernitiem valuiſſet, agreſtiumque mortem, qui imperio ſuo reſiſtere non auſi eum ſecuti fuerunt, omnium quæ acturus erat ignari*, maxime miſerebantur, a nonnullis, quod ſe in apertum diſcrimen & ſuos nulla impellente neceſſitate ſuapte proiecerit, nedum miſeratione dignus habitus eſt, ſed inſuper exprobrationibus onerabatur. Non minores in *maiori Polonia* erant, ſed pene iidem motus. *Abraham* de *Zbaſzyn* Iudex *Poſnanienſis* fauens *Bohemiæ* ſectæ, plures Sacerdotes ſectam huiuſmodi practicantes in *Zbaſchyn* tenebat, quorum doctrina peſtifera plures mortales & præſertim ſimplices & ignari inficiebantur. *Stanislaus* autem *Cziolek* Epiſcopus *Poſnanienſis* in humanis agens, omni ſua diligentia Pontificiali ad eliminandam ſectam huiuſmodi erat intentus, propter quod & ipſum *Abraham* & Presbyreros de hæreſi ſuſpectos ad præſentiam ſui euocabat. Præfatus autem *Abraham* ſtipatus fratrum & amicorum multitudine veniens, non ſolum Presbyteros citatos defendebat, ſed etiam multis contumeliis & probris tum ipſum *Stanislaum* Epiſcopum, quam Prælatos & Canonicos ſuos *Poſnanienſes*, ſibi pro defenſione fidei conſtanter adhærentes notabat, nonnullis acrius in eum inuehentibus mortem minitando, quapropter ipſe *Stanislaus* Epiſcopus tam ipſum *Abraham* quam omnes Presbyteros hæreſin *Bohemicam* dogmatiſantes, cenſuris Eccleſiaſticis excommunicare non deſiit, & locum oppidi *Zbaſchyn* Eccleſiaſtico ſuppoſuit interdicto, veritusque ſibi a prædicto *Abraham* & ſuis imminere periculum, ex diæceſi ſua *Poſnanienſi* egreſſus in *Cracouiam*

Turba Abrah. de Zbaſchyn, qui hæreticos fouebat.

ſe contulit, & illic velut in loco ſibi tuto aliquanto tempore habitauit; Sed non deerat 1439 pietas diuina, quæ *Abraham* a via erronea ignominiæ caſu reuocaret, dum enim idem *Abraham* ſatis notabiles gentes cum ſuo Duce *Henrico Glogouienſi* pugnaturus collegiſſet, commiſſo prælio, quamuis eſſet ſuperior & numero & robore hoſtili exercitu, victus eſt, & in fuga graui vulnere accepto captus, & licet a captiuitate ſolutus creditus fuiſſet, mores Deo odibiles & fidei ſanctæ contrarios dimiſiſſe, vtpote qui a propitio Deo correctus, non valuit, tamen vindex Dei eius efficere correctionem, ſed in eadem qua ante perſtitit opinionem ſuam pertinacia & tenore, B in aliis quidem rebus vir ſingularis ingenii erat, & in concludendo pro republ. præter coronationem *Wladislai*, quam viſus eſt diſſuaſiſſe, partes meliores ſequebatur, vt dolerent omnes boni tam ingenium induſtrium & callidum ad illa hæreſis ſtudia conuertiſſe. *Andrea* deinde *Brinski* in ſedem *Poſnanienſem* poſt mortem *Stanislai Cziolek* ſuccedente, *Abraham* ipſe ſolitam exercebat aduerſus Eccleſiaſticas ordinationes rebellionem, propter quod & ipſe *Andreas* Epiſcopus ſuper illum anathematis feriebat mucrone, ſed & fratres familiareſque ſui publicis concertationibus cum illo dimicabant, fuiſſetque tempore quodam in Prætorio C Ciuitatis *Poſnanienſis* ab illis occiſus, niſi a cæteris nobilibus illic præſentibus enixius fuiſſet defenſatus. Amplius autem *Andreas* Epiſcopus *Poſnanienſis* gliſcentem & orientem extincturus hæreſin, noningentorum hominum habens equitatum oppidum *Zbaſchin* obſidione vallat, nec prius ſoluit, donec quinque hæretici ſacerdotes ſibi præſentati ſunt per ciues, quos *Poſnaniam* deductos inſtaurato iudicio cremauit. Ab eo quoque tempore Sacerdotes cæteri pauore correpti, clandeſtine in *Bohemiam* diffugiunt, & ipſe *Abraham* pauco tempore ſuperuiuens, rebus humanis eſt abſumtus. Poſt cuius mortem omnis labes hæretica in regione & diœceſi Poſnanienſi eſt eliminata & purgata.

D Vrbs *Cracouienſis* eo anno duplex incendium pertulit, vnum feria quarta quatuor temporum Pentecoſtes, quo tres plateæ ſutorum, & *S. Stephani* & *Iudæorum*, aliud XXIII Iulii, quo platea *S. Nicolai* & ſuburbia eius conflagrarunt.

Duo incendia Cracouiæ.

Facta eſt in feſto Pentecoſtes anno eodem conuentio, pro concludenda pace inter *Albertum Romanorum* Regem & *Wladislaum Poloniæ* Regem, ad quam dum Reges venire perſonaliter non poſſent, Prælati & Barones vtriuſque Regni conueniunt, nomine Regni *Poloniæ Sbigneus Cracouienſis*, *Wladislaus Wladislauienſis* Epiſcopi. *Nicolaus* Decanus *Cracouienſis*, *Ioannes* de *Thanczin* Palatinus

Conuentio de pace inter Imp. & Regem Poloniæ concludenda.

Cra-

1439 *Cracouienſis*, *Ioannes* de *Koniecpole* Regni *Poloniæ* Cancellarius; ex parte vero Regni *Vngariæ Simon* Epiſcopus *Veſprigenſis*, *Dionyſius* *Agrienſis* Epiſcopus, *Caſpar Schlik* Cancellarius, *Ioannes* de *Peren* & alii, nomine autem *Eugenii* Papæ acceſſerat illuc *Ioannes Tarentinus* Archiepiſcopus, ex poſt in Cardinalem promotus, volens vtroſque mediare. Dum autem partes ambæ in *Lubowlia* oppido conueniſſent, & multis diebus de pace tractatum eſſet, dum ſine præſentia Regum certa & commoda pax concludi non poteſt, treuga ampliori firmata, dies natiuitatis *S. Mariæ* pro conuentione perſonali Regum deſignatus, & concluſus eſt, ita vt Rex *Poloniæ* in oppidum ſuum *Biecz*, Rex vero *Vngariæ* in oppidum ſuum *Bardiow* deſcenderent, ex poſt in aliquo loco intermedio conuenturi. Apparuit autem tunc ſtella cometes inter occidentem & meridiem, caudam & faciem ad meridiem dirigens, & durauit circa vnum menſem, mutationem Regnorum, *Romani* videlicet, *Vngarici* & *Bohemici*, mortem vero propinquam *Alberti Romanorum* & *Vngariæ* Regis ſuo exortu portendens.

Cometa

Schiſma in Concilio Baſilienſi.

Sub idem tempus *Eugenius* Papa quartus plurimum cum Concilio *Baſilienſi* de præeminentia diſſidebant, nec deerant vtrique fortiſſimæ rationes ingeniorum altitudine in ſuam opinionem tractatæ. Tractabat *Eugenius* in ciuitate *Florentina* Orientalis Eccleſiæ cum Occidentali vnionem. Nam Imperator & Patriarcha *Conſtantinopolitanus* & omnes gentes obedientiæ prælati maiores perſonaliter *Florentiam* in prædicti *Eugenii* galeis, expenſis & impenſis venerant, qui per ſuos notabiles oratores in Concilium venire *Baſilienſe*, per bullas aureas etiam iuramento firmatas repromiſerant. Dum igitur huiuſmodi tractaretur vnio, Concilium *Baſilienſe* ad depoſitionem ſuam procedere, & eum per publicas citationes vocare cœpit, quibus ipſe irritatus Concilium diſſoluit, & primum in *Ferrariam*, vbi tunc habebat Curiam, & vbi primum *Græci* deſcenderant ex *Venetiis*, deinde in *Florentiam* tranſtulit. In Concilio vero *Baſilienſi*, diſſidium horrendum prouenerat, nam ſi qui fauebant *Eugenio* & nationi *Italicæ*, pro futuro Concilio, pro vnione *Græcorum* eligebant *Florentiam* vel *Vrbinum*, alii vero, qui erant ſibi infeſti & nationi fauebant *Gallicanæ*, eligunt *Auinionem*, & in vna ſeſſione quælibet pars ſuum pronunciat & publicat decretum, non ſine magno ſcandalo & diſcordia, quaſi putares vnam alteri vim inferre debere, quæ abſque dubio illata fuiſſet, niſi ciuitas *Baſilienſis* armata veniſſet in Eccleſiam & pacem perſuaſiſſet. Ita *Latini* dum *Græcos* vnire capiunt, ipſi peſtifero ſchiſmate ſcinduntur. Ab eo enim tempore durior differentia & quaſi quædam hoſtilitas inter Concilium & Papam conſurrexit, propter quod *Iulianus* S. Angeli Cardinalis, & in eodem Concilio Præſidens & Legatus, pluresque alii Cardinales Concilio deſerto in *Florentiam* ſe conferunt, hi vero qui in Concilio remanent, per publicum decretum *Eugenium* Papam primum ab adminiſtratione ſuſpendunt, deinde ſimili decreto a Papatu deponunt, & *Amadeum* Ducem *Sabaudiæ* in Papam eligunt, quem *Felicem* quintum vocant. Cum autem tam *Eugenius* quam *Felix* pro corroborando ſtatu ſuo multos creaſſent Cardinales, *Sbigneus Cracouienſis* Epiſcopus per vtrumque in Cardinalem fuit creatus & promotus, & vterque illum ad ſe ſuamque partem rapere deſtinabat. Poſt multas autem diſputationes cum *Græcis* ſuper proceſſione Spiritus S. a Filio, de purgatorio aliiſque articulis, in quibus occidentalis Eccleſia cum Orientali diſcordabat, habitas, tandem vnio plena ſequuta & firmata eſt, & omnes difficultates & differentiæ concordatæ; Patriarcha *Conſtantinopolitanus Joſeph* altera die poſt factam moritur, & in Eccleſia fratrum Prædicatorum *Florentiæ* ſepelitur. Imperator cum aliis Prælatis *Græciæ* & *Ruſſiæ* domum reuerſus, vnionem publicat & inſinuat, quam pauci *Græcorum* commendabant, multi irridebant & ſugillabant; Vt autem firmior eſſet huiuſmodi vnio *Eugenius* duos ex Prælatis *Græciæ* Doctores & prudentiores creat Cardinales, videlicet *Viſarion* Epiſcopum *Nicænum* & *Iſidorum* Archi-Epiſcopum *Kiiouienſem*. *Viſarion Romæ* remanſit, *Iſidorus Conſtantinopolim* deferendo Cardinalatus inſignia rediit. Vigebant tamen inter *Eugenium* & Concilium *Baſilienſe* multæ differentiæ, & vnus alterum pluribus confundebat epiſtolis, multi Reges & Principes Catholici vſque ad obitum *Eugenii* ſubſtrahebant vtriuſque obedientiam, & neutralitatem annis aliquot obſeruabant, quæ a nonnullis animorum appellabatur ſuſpenſio. 1439

Græci cum Catholicis vniuntur.

Feſto Natiuitatis *S. Mariæ* adueniente, quamuis *Wladiſlaus Poloniæ* Rex iuxta conuenta veniſſet perſonaliter in *Biecz*, ad tenendam conuentionem perſonaliter cum *Alberto Romanorum* Rege pro pace concludenda, ipſe tamen *Albertus* nullatenus venire potuit. *Turcorum* enim Cæſar cum magno & forti exercitu veniens, occupata & in ditionem ſuam tota reducta *Raſcia*, caſtrum *Sinderoph*, quod Deſpotus nouiter ſupra *Danubium* magnis ſumptibus ædificanerat, obſedit. Ad repellendum itaque illos ab obſidione *Albertus* Rex precibus Deſpoti *Raſciæ Stephani* ſollicitatus & victus lacrymis, collecto exercitu ex *Vngaris* & ſuis *Auſtralibus* contra *Turcos* non expectatis auxiliis proceſſit, ad repellendum illos a præfati caſtri obſidione. Multis itaque diebus in campo commoratus, videns animos *Vngarorum* timidos & puſillanimos ad congrediendum, videns etiam exercitum ſuum barbarico inferiorem, confligere diſtulit. *Turcus*

Turci Raſciam inuadunt.

1439 *cus* vero interim facta pactione cum caſtri *Smideropb* Rectoribus, multis largitionibus illos corrumpens, caſtro prædicto ſitu & munitione fortiſſimo potitus eſt, excæcatoque Deſpoti filio, cuius ſororem in matrimonio habuerat, domum abiit. Tot malis & acerbitatibus animus *Alberti* Regis tanquam pii & Catholici Regis afflictus, dum peponibus nimis oblectaretur, ægritudinem acutam & dyſenteriam contraxit, & dum ſolito aſſiduo languore verſaretur, in reditu ſuo de huiuſmodi expeditione in villa Archiepiſcopi *Strigonienſis Landorph* ſupra *Danubium* ſita in vigilia *Simonis & Iudæ*, condito teſtamento deceſſit, & in *Alba Regali* ſepultus eſt, Princeps mitis & modeſtus & Religionis Chriſtianæ amator feruentiſſimus, nigro capillo, corpore vegeto & robuſto, oculis grandibus, tibiis tenuibus, capite rotundo & decenti, vultu hilari & rubeo, labiis tumentibus, excreſcentiam & diſproportionem in dentibus habens, quæ illi dum ridebat vel loquebatur, aliqualem deformitatem ingerebant.

Albertus Imperator moritur.

Legatio Turcorum ad Poloniæ Regem.

Turcorum Cæſar *Amurathes* ad *Wladiſlaum Poloniæ* Regem notabilem nuncium cum ampliſſimis donis tranſmittit, primumque ſuam amicitiam expetit & ligam atque fœdus, deinde ſua omnia, beneplacitum ſuum offert, poſtremo quia audierat illum cum *Alberto Romanorum* & *Vngariæ* Rege bellum gerere, ſubuenire illi & pecuniis & centum millibus hominum exhibet & promittit. *Wladiſlaus* autem Rex Nuncio benigne appellato, illum apud ſe retinere conſtituit, donec videret, quem finem eſſent negotia Regni *Vngariæ*, morte *Alberti* ſecuta, habitura.

Prælati & Barones Regni *Vngariæ* videntes Regnum ſuum per *Turcorum* potentiam nullis vnquam tranſactis temporibus plus depreſſum, timentes, poſt caſtri *Smideropb* amiſſionem, ne *Turci Vngariæ* Regnum totaliter occupare contendant, *Alberti* Regis corpore Eccleſiaſtice cum debito honore tradito ſepulturæ, in *Budam* vniuerſi conueniunt, & præſente *Eliſabeth* Regina *Alberti* relicta, quamuis tunc vtero grauida, multis diebus multas concipiunt & pertractant vias, quem debeant Principem in tot Regni ſui calamitatibus in Regem & Dominum aſſumere, cum *Albertus* ſolum duas filias reliquerit, & incertum erat, an *Eliſabeth* eſſet prolem virilem paritura, in quo etiam caſu, antequam puer euaderet in virum, verebantur Regnum eorum per Barones occupari. Facta igitur de multis Catholicis Principibus diligenti inquiſitione, quamuis ſe multi deliberatum obtuliſſent, digeſtis tamen ſingulis & comparatione ſingulorum ad inuicem facta, *Wladiſlaus Poloniæ* Rex melior & ſalubrior cunctis laudantibus & approbantibus viſus eſt, nec reperiebatur alius, qui Regnum *Vngariæ* a ſuperba *Turcorum* inuaſione poſſet æque vindicare. Conſentit itaque *Eliſabeth* Regina, conſentiunt omnes, & *Wladiſlaum Poloniæ* Regem, in Regem *Vngariæ* concorditer eligunt, ea conditione appoſita, vt *Eliſabeth* ducat in vxorem, non obſtante etiam ſi filius ex ea naſceretur. De quo ordinatur vt patrimonio ſuo Ducatu *Auſtriæ* & Regno *Bohemiæ*, ſi annos adoleſcentiæ tranſcenderet, ſit contentus, qua conditione habita, Nuncii ad Regem *Poloniæ* ituri tunc & deſignantur & deſignati mittuntur. 1439

Wladiſlaus Rex Poloniæ in Regem Hungariæ eligitur.

Stanislaus Pawlowski Epiſcopus *Plocenſis* dum grauatus eſſet infirmitate, quæ vocatur Squinaruia, in *Thorun* ad medicum deſcendit, ſed paucis diebus abſumptis, dum nulla prodeſſe poſſet medicina, morte ipſe XXVIII. die Menſis Aprilis, poſtquam annos XIV. in Pontificatu egiſſet, abſumptus eſt & apud Fratres Prædicatores in *Thorun* ante ſacrarium ſepultus eſt. Poſt cuius mortem Prælati & Canonici Eccleſiæ *Plocenſis*, celebrato capitulo pro electione futuri Pontificis, *Paulum* de *Gizicze* Scholaſticum *Cracouienſem* & Canonicum *Plocenſem*, genere Nobilem de domo *Gordawa* concorditer eligunt per viam compromiſſionis in Epiſcopum, cuius electio fuit per *Eugenium* Papam quartum, & Metropolitanum ſuum *Vincentium* Archi-Epiſcopum *Gneſnenſem* confirmata, & ipſe *Paulus* in Eccleſia *Cracouienſi* fuit in Epiſcopum conſecratus per præfatum *Vincentium* Archi-Epiſcopum *Gneſnenſem*. Dubitatur enim an *Eugenii* quarti tunc iam per generale Conſilium *Baſilienſe* depoſiti rata & valida foret confirmatio. Conſecratus autem eſt in feſto *S. Ioannis Euangeliſtæ* in diem Solis XXVIII. Decembr. cadente, ſub præſentia *Wladiſlai* Regis *Poloniæ*, & Conſiliariorum Eccleſiaſticorum & Secularium numero frequenti.

Stanislao Epiſc. Plocenſi ſuccedit Paulus de Gizicze.

Natalis Domini anni eiuſdem die *Wladiſlaus* Rex *Poloniæ*, vna cum germano ſuo *Caſimiro* & genetrice ſua *Zophia* Regina apud *Cracouiam* exegit, & omnes dies ſequentes illic continuando deduxit. In diebus autem Septuageſimæ venerunt ad ſuam Serenitatem *Cracouiam* ſolennes Regni *Vngariæ* & *Eliſabeth* Reginæ Nuncii, videlicet *Ioannes Segienſis* Epiſcopus, *Matko* de *Talencz*, *Sclauoniæ* & *Dalmatiæ* Banus, *Emericus* de *Marcellis* Magiſter Curiæ, *Ioannes Maior* de *Peren*, & *Ladiſlaus* de *Palencz*, quibus *Wladiſlaus* Germanum ſuum *Caſimirum* cum pluribus Prælatis & Baronibus ſuis in obuium extra ciuitatem tranſmittit, & illos in hoſpitiis honeſtiſſimis collocari, & omnibus neceſſariis ſplendide & copioſe procurari diſpoſuit. Venerunt etiam cum Nunciis prædictis *Michael Orſzak*, *Reinboldus* & alii plures milites & adoleſcentes *Vngari*, item Nuncius *Vlrici* Comitis *Ciliæ*, item ciuitatum *Caſſouiæ*, *Bartuiæ*, *Lubczæ* & aliarum Conſules & ſeniores, quos *Wladiſlaus* Rex benigne excipit & honorat. Nuncii itaque Reginæ & *Vngariæ* Regni prædicti 1440

Legati Hungarorum

1440 *Wladiſlao Regnū Hungariæ deferunt*

dicti, pluribus diebus cum *Wladiſlao* Rege, Prælatis & Baronibus *Poloniæ*, qui tunc in magna multitudine *Cracouiam* conuenerunt priuatos ingrediuntur tractatus, dari ſibi *Wladiſlaum* Regem poſtulantes, conditiones plures adiiciunt. Rex ipſa magna deliberatione per Prælatos & Barones *Poloniæ* calculat, quamuis enim prima facie *Wladiſlao Poloniæ* Regi moleſtum videretur, patrio Regno deſerto *Pannonicum* ſuſcipere, parumque gratum matrimonium propter Regnum ſubire, detulit tamen rem in conſilium ſtaturus eo, quod plures cenſuerint. In conſiliis quoque monſtroſa conſurgebat varietas, quibusdam enim viſum eſt, & Reipublicæ Regni *Poloniæ* plurimum damnoſum proprium Regem & hæredem alteri dare Regno, & duo Regna difficile & male per vnum Regem adminiſtrare. Horum vota & rationes fortiter perſuadentes ſed ſequebatur *Wladiſlaus* Rex, & moleſte ferebat natiuo Regno relicto alterius gubernationem aſſumere, præſertim cum intelligeret *Eliſabeth* Reginam fœminam iam prouectam, ſibi adoleſcenti pro conſorte ducendam eſſe, aliis vero parti videlicet maiori & ſaniori viſum eſt, quibuscunque cauſis non attentis, Regnum oblatum ſuſcipere, ex eo ſolo reſpectu, vt fides Catholica & Regnum *Vngariæ* ab inuaſione *Turcarum* poſſet defendi, ſatiusque concludebant pro defenſione Regni *Vngariæ*, quam eo per *Turcos* occupato, pro Regno *Poloniæ* cum *Turcis* dimicare. Vicit itaque publica vtilitas priuatam & maioris partis vt ſolet ſententia valuit, ad explorandas inſuper voluntates populares, *Paulus Winiczki* de *Sieuas* ad *Vngariam* miſſus, at ille conuenientia populi ſtudia ambaſiatorum precibus annuncians, fidem legationi & dando conſenſui accumulauerat. Dum igitur conditiones multæ & fere omnes vtrinque concordatæ eſſent, Nuncius *Heder* ex *Vngaria* cum literis ad ambaſſiatores *Vngariæ* venit, ſignificans *Eliſabeth Reginam Vngariæ in die S. Petri ad vincula in caſtro Cormano filium peperiſſe, & Ladiſlaum vocaſſe*, quæ nouitas *Wladiſlai* Regis & Conſiliariorum animos inceſſit, vt omnes rem ſimpliciter deſerendam decernerent. Vnde & ambaſſiatoribus *Vngariæ* nude aperteque reſponſum eſt, *non poſſe amplius in aliquam concluſionem cum illis extante hærede conuenire.* Oratores vero Regni *Vngariæ* fortius vrgebant, rem conſumationi mandare, obtuleruntque *plenum & ſingulare mandatum Reginæ & Regni, in caſu nati filii poſſe ſingula concludere.* Agitantur itaque noui tractatus, & diuiſis Regni *Poloniæ* Conſiliariis, maior pars concludit, *vt natiuitate filii ac hæredis non obſtante, Wladiſlaus Rex electioni de ſe ad Regnum Vngariæ factæ, conſentiat.* Vincitur itaque *Wladiſlaus* Rex tam ſuorum Conſiliariorum ſuaſu, quam oratorum *Vngariæ* precibus, & domitis affectibus radicitus conuulſis, ſupplicationi vtrorumque & conſilio, licet opinioni ſuæ atque ſenſibus aduerſo, fidei & Religionis orthodoxæ charitate atque pietate impulſus, Regnum *Vngariæ* accipere conſenſit.

1440 *quod certis conditionibus acceptat,*

His conditionibus interiectis; primo, *vt illud ab inuaſione Turcorum tueatur, & defendat*, ſecundo, *vt Eliſabeth accipiat in vxorem, & filias eius duas ſponſet dignis viris dote conuenienti aſſignata. Filium vero eius poſthumum Wladiſlaum pro adeptione Regni duntaxat Bohemiæ, dum adoleuerit omnibus modis adiuuerit.* Tertia, *vt filii Wladiſlai Regis, quos ex Eliſabeth ſuſceperit, Regni Vngariæ ſint hæredes quibus non extantibus, Wladiſlao mortuo, filius Alberti poſthumus Ladiſlaus in Regnum Vngariæ ſuccedat.* His conditionibus concordatis & firmatis in die Dominico Reminiſcere in Eccleſia Cathedrali *Cracouienſi*, miſſa celebrata ſolenni omnes Oratores *Vngariæ* veniunt, & facta oratione in *Latino* per organum *Ioannis* Epiſcopi graui & diſerta, *Wladiſlao* Regi electionem vniformem Reginæ, Prælatorum, Baronum, totiusque communitatis Regni *Vngariæ*, de eo factam inſinuant & publicant, & flexis cum magna lacrymarum effuſione genibus, nuncio Imperatoris *Turcorum* præſente, orant & ſupplicant, *quatenus electioni de ſe factæ conſenſum det, & Regnum Vngariæ acceptet.* *Wladiſlaus* autem Rex breui oratione ad illos facta in qua *contentum ſe Regno Poloniæ natiuo, & nunquam extera Regna ambiuiſſe*, publico ſermone deduxit, *ſed ne videretur diuinæ reſiſtere ordinationi Regnum prædictum ad honorem omnipotentis Dei & eius genitricis Virginis Mariæ, totiusque cœleſtis Hierarchiæ, pacem & defenſam fidelium, barbarorum exterminium non ſine lacrymarum imbre acceptat*; Fit de huiusmodi acceptatione lætitia, TE DEVM LAVDAMVS per vniuerſas Eccleſias canitur, & nocte ſequenti campanis vbique reſonantibus ignes validi per vniuerſam vrbem accenduntur; Addens *Wladiſlaus* Rex *Poloniæ* præſatus *non de propriis virtutibus aut viribus, ſed diuino tantummodo ſuffragio confiſum, nec vlla cupiditate dominandi, ſed Chriſtianæ Reipublicæ duntaxat compaſſione diadema Regni Pannonici acceptaſſe.*

Oratores Regni *Vngariæ* acceptis ab *Wladiſlao Poloniæ* Rege regalibus & ampliſſimis muneribus, licentia ab ipſo petita, & obtenta, læti in *Vngariam* tres reuertuntur, videlicet *Mattko* Banus, *Emericus* de *Marcellis* & *Ioannes* de *Peren*, duobus, videlicet *Ioanne* Epiſcopo *Seginenſi* & *Ladiſlao* de *Palencz* circa *Wladiſlaum Cracouiæ* remanentibus, qui *Wladiſlaum* Regem tanto celerius *Budam* conducerent. Quanto igitur celeriori greſſu poſſunt *Mattko* Banus, *Emericus* de *Marcellis* (*Ioannes* enim de *Peren* in caſtris ſuis *Scharisz* & *Fiſura* remanſerat) ad *Eliſabeth* Reginam in

1440 in *Comarno* venientes, ei omnia per eos geſta exponunt & declarant, credentes ſe magnam apud illam gratiam meruiſſe. Verum ipſa vt iam erat *Almanorum*, & ſignanter *Auſtralium* & Comitis *Ciliæ Vlrici* ſeducta conſiliis, ita etiam mentem ſuam mutauerat, ſed mutationem ſuam tectam tenebat. Exauditis igitur præfatis ſuis ambaſſiatoribus, eos ſtatim cum omnibus rebus & familia captiuat, perſonæ eorum alligantur vinculis, & res diſtrahuntur. Declarat ſe ipſa Regina *Eliſabeth* per illam captiuationem & per literas ſuas nobilibus & ciuitatibus *Vngariæ* miſſas, *concluſiones ambaſſiatorum Regni & ſuorum acceptare nolle, quinimo velle ipſis toto niſu reſiſtere.* Fit in Regno *Vngariæ* magnum ſchiſma, quibusdam *Wladislao* Regi *Poloniæ*, eorum Regi electo, quibusdam *Eliſabeth* Reginæ e conſilio ſuo adhærentibus, Regnoque *Vngariæ* pernicioſa ſciſſione diuiſo, variæ erant nobilium & popularium voluntates, resque in tam monſtroſum prolapſa fuit diſſidium, vt cognatis fratribus & amicis diſſoluentibus, in ſeditionem & bellum ciuile ſpectare ab vniuerſis *Pannonia* videbatur.

Eliſabeth Regina electioni Wladislai non conſentit.

Remiſerat autem *Wladislaus Poloniæ* Rex duos nuncios, *Sandiuogium* de *Oſtrorog*, Palatinum *Poſnanienſem* & *Ioannem* de *Koniecz-pole* Regni *Poloniæ* Cancellarium ad præfatam *Eliſabeth* Reginam cum Regalibus muneribus, & certis intimationibus ac mandatis, qui dum iam non longe a *Cormano* agerent, cupientes *Matkonem* & *Emericum* captos, preſſerunt gradum, nec tranſire in legatione eis commiſſa, etiam ſub ſaluo conductu, quem eis præfata *Eliſabetha* Regina offerebat, auderent, & re magis infecta retrocedunt, *Simone* Epiſcopo *Agrienſi* progreſſum vlteriorem diſſuadente. Creditum eſt a pluribus, quod ſi præfati *Sandiuogius* Palatinus & *Ioannes* Cancellarius ad præfatam *Eliſabeth* Reginam, iuiſſent, & ei mandata *Wladislai* Regis expoſuiſſent, eam a prauo reuocaſſent conſilio, & ad tenendas concluſiones ſuorum ambaſſiatorum induxiſſent, nec fuiſſet futuris malis, quæ ſecuta ſunt, aperta via.

Wladislaus Poloniæ Rex nihil hac nouitate motus, expeditionem ſuam & tranſitum in Regnum *Vngariæ*, inſtigantibus *Ioanne Segnienſi* Epiſcopo & *Ladislao* de *Palencz* maturat, licet multis Prælatis & Baronibus *Poloniæ* diſſuadentibus. Interim autem aliud nouum, iter *Wladislai* Regis in Regnum *Vngariæ* retardans, & quaſi perimens, exortum eſt; Nam Dux *Iwan Czartoryiski* ritus & generis *Ruthenici* cum nonnullis *Lithuanis* & *Ruthenis* conſpirationem contra *Sigiſmundum* magnum Ducem *Lithuaniæ* facit, magnam enim & crudelem in ſubditos ſtragem edens, metu & acerbitate pœnarum cæteros in fide continebat, eoque anno inſigniores Barones cædi deſtinauerat; Feſto Paſchæ tranſacto ſuam in illis executurus tyrannidem. Coniurationem autem maxime occulendam ducebant, ne ſecreto prodito, antequam res conſequeretur effectum, inſidiis depalatis, quod prope diem & horam ſi cunctatiores forent, accidere verebantur, coniurati ducerentur ad pœnam, vnde omnem dilationem veluti ſibi periculoſam & fatalem peroſi ad perficiendum tyrannicidium omni ſtudio & conatu armati accenſi conueniunt. Die itaque Dominico Ramis Palmarum, dum præfatus *Sigiſmundus* in caſtro *Iuski* audiret diuina, & Curiales ſui eſſent officiorum diuinorum in Eccleſia Parochiali audientia occupati, in cubiculum ſuum occultatis ſub veſte mucronibus ingreſſus, in præfatum Ducem *Sigiſmundum* cum ſuis complicibus irruit, & multis affectum vulneribus interfecit, crudeliſſime in eum, ac plus quam barbarorum ritu degraſſatus, corpus ſuum extra caſtrum in vehiculo ſine ductore emiſit, caſtrum & theſauros occupat. Barones *Lithuaniæ* corpus in Eccleſia *Vilnenſi* cum debito honore ſepeliunt, & in ſepulchro cum magno Duce *Withawdo* recondunt. Fertur Dux ipſe *Sigiſmundus* ſortilegiis & Pithoniſſis fuiſſe deditus, iuxta quorum prognoſticationem multos occidebat inſontes, propter quod creditur mortem illam permittente iuſto Deo incidiſſe, fecitque ſuo miſerando occaſu intelligi quantum ſibi adiumenti pithoniſſæ præſtiterint, quatenus exemplo cæteri deterriti, fide potius quam fallacibus dæmoniorum auſpiciis ſuas actiones diſponant. Nec ſolus Dux *Czartoryiski* deſtinato animo etiam opere patratam in *Sigiſmundum* cædem geſſit. Creditum enim eſt, & fama prodente vulgatum, Barones *Lithuaniæ* fere ſingulos, & quod deteſtabilius eſt, etiam maximis & honoratis officiis ſuo beneficio promotos, coniurationis huiusmodi extitiſſe participes atque conſcios, & necem *Sigiſmundi* Ducis ſui eo quo accidit ordine meditatos. Profundæ ſiquidem fuerat vir tum ſæuitiæ tum auaritiæ, pronus ad cuiuscunque & quacunque de cauſa ſupplicium, ſpolium atque necem, ſtatura mediocris, ſermone rarus, ſectator luxuriæ, ira præceps & turbidus, habendi cupidus, felicior aliquanto viſus eſt mihi, ſi occidiſſet in acie, vt potius hoſtilis præda, quam ſubditorum victima fieret, non magnæ ſolum, ſed etiam callidæ inopinatæque ſæuitiæ, qui quoslibet accuſatos, velut nouarum rerum molitores ſpoliis & rerum omnium expilatione, deinde captiuitate, ad extremum nonnunquam morte & cruciatibus in quæſtionibus prius habitos, & in ſe pœnarum acerbitate mentitos, afficiebat. Nihilo tamen ei hæc ſententia tutior fuit, quin a propriis interim & niſi mature interiiſſet, de multorum Boiarorum *Lithuaniæ* capite in necem ab eo feſto Paſchatis conſummato, actum foret. Poſt dies enim octo Paſchæ ſecuturos plures ex maioribus *Lithuanorum* ad ſupplicium & ad mortem 1440

Sigiſmundus Lithuaniæ Dux occiditur.

1440 tem rapi, bonaque eorum expilari diſponebat, ſanguinem humanum ferarum ſilueſtrium cruori, ſuadentibus pithoniſſis, quarum regebatur & dirigebatur conſiliis, permixtum litare ferebatur dæmoniis, ad cognoſcendos futurorum euentus, & eos qui vitæ ſuæ molirentur inſidias, arte & denunciatione dæmonum dignoſcendos. Rapiebantur autem ſub eo tempore Principatus ſui Proceres & Boiari *Lithuaniæ* ad ſupplicia, quos aliqua vel malignorum vel adulatorum vel rodere aliquid ambientium inceſſerat delatio, ingeminabantur calumniæ, accuſationibus omnia referta feruebant.

Occiſione *Sigiſmundi* Ducis magni *Lithuaniæ* ſecuta, Prælati, Principes & Barones *Lithuaniæ* diuiduntur. Nam *Matthias* Epiſcopus *Vilnenſis*, *Hoſtig*, *Gaſtoldus Moniwid*, *Petrus Montigezdowicz*, cum aliis principalibus, *Wladiſlaum* Regem *Poloniæ* iuxta inſcriptiones & iuramenta conſtituunt in Dominum aſſumere, & pro eo notabiliora caſtra occupant, alii vero inferiores, quos Dux magnus *Sigiſmundus* exaltauerat, filium ſuum *Michaelem*, quem vnicum reliquerat, conantur in Ducem magnum *Lithuaniæ* ſublimare, eorum quoque partes terræ *Samogithiæ* ſequebantur. Dux interea *Boleſlaus Swidrigall* patruus germanus *Wladiſlai* Regis, caſtrum *Luczko*, quod vno ante anno *Wladiſlaus Poloniæ* Rex Duci magno *Sigiſmundo* reſignauerat, eo quod Duci magno *Sigiſmundo* mortuo cedere vice verſa in poſſeſſionem, ſortem & proprietatem Regni *Poloniæ* debuerat, de quo erant ipſius Ducis magni *Sigiſmundi*, publicæ inſcriptiones, occupat, *Ruthenis*, qui in eo erant, & ſibi mirabiliter afficiebantur, eius poſſeſſionem ſibi tradentibus vbi plauſus tam *Boleſlai* Ducis *Switrigall*, quam omnium ſuorum *Lithuanorum* & *Ruthenorum*, necem *Sigiſmundi* Ducis immodico celebrantium gaudio, pluribus diebus agitabantur, exultantibus ſingulis belluam immanem, qua ſuperſtite, ſinguli tam vitæ quam fortunis ſuis extremo pauore, quaſi prope horam mortis periculum metuebant, perculſi, iuſti Dei iudicio interiiſſe.

Boleſlaus Maſouiæ Dux terram Drobicenſem occupat.

Sub eodem quoque tempore *Boleſlaus Maſouiæ* Dux, terræ *Drobicenſis* & caſtrorum *Miedniko, Bielsko, Drobiczin* poſſeſſionem apprehendit, & illam annis aliquot continuauit. Terra enim prædicta *Drobicenſis* cum caſtris præfatis donata erat auo ſuo Duci *Ianuſſio* donatione perpetua per *Wladiſlaum* Regem *Poloniæ Lithuanum*, de cuius poſſeſſione illum Dux magnus *Alexander Withawdus* propter quoddam odium, quod habuit contra eum, præter iuſtitiam & æquitatem, *Wladiſlao* Rege diſſimulante ſpoliauerat, poſt mortem autem Ducis magni *Withawdi* Dux magnus *Sigiſmundus* prædicto *Boleſlao* Duci *Maſouiæ* cuius germanam ſororem virginem *Orokam* duxerat, dictam terram *Drobicenſem* ſimpliciter quidem ſed ſub conditione reſtituit, ita videlicet vt poſt A mortem Ducis magni *Sigiſmundi* eius poſſeſſio in præfatum Ducem *Boleſlaum* deuolueretur, de quo ſibi dedit patentes literas ſuo ac Prælatorum, Principum Baronumque ſigillis roboratas. Iure itaque duplici & tam claro præfatus Dux *Boleſlaus Maſouiæ* innixus, prædictæ terræ *Drobicenſis* & caſtrorum prædictorum poſſeſſionem apprehendit. 1440

Mors itaque præfati Ducis magni *Sigiſmundi*, vacatio Ducatus magni *Lithuaniæ*, & diuiſio inter *Lithuanos* exorta, *Wladiſlaum* Regem diſtrahebant, quid agat, ad quid ſe B conuertat, plurimum animo æſtuat, & licet tam affectio patriæ, quam multorum perſuaſio illum alliciant, vt Regno *Vngariæ* neglecto, rebus Dominiorum ſuorum potius prouideret, de paceque *Lithuaniæ*, de theſaurisque multis per Ducem magnum *Sigiſmundum* derelictis, diſponeret, prout erat per notabiles nuncios & literas Prælatorum, Principum & Baronum *Lithuaniæ* multipliciter rogatus. Perplexitas itaque illum & omnes ſuos Conſiliarios magna detinebat, acerbum quidem erat non prouidere paci & ſtatui *Lithuaniæ*, acerbius non ſeruare fidem *Vngaris* promiſſam, qui & per literas & per nuncios vrgebant, vt *Wladiſlaus* Rex celerius *Vngariam* intrare, ne ali- C qua puſillanimitate & *Reginæ Eliſabeth* metu Regnum *Vngariæ* acceptum videatur deſeruiſſe. Tandem maturo conſilio deliberatum eſt, vt & *Wladiſlaus* Rex *Vngariam* ire, & coronam ſuſcipere *Vngariæ* obmitteret, & vice ſua in *Lithuaniam* germanum ſuum illuſtrem Ducem *Caſimirum* tranſmitteret, qui non vt Dux magnus illic præſideret, ſed vt Vicarius & Gubernator, donec *Wladiſlaus* Rex de ipſo Ducatu aliter diſponeret. In euidentiam rei huius nunquam eum *Wladiſlaus* Rex, aut Prælati & Barones *Poloniæ* verbis aut literis Ducem magnum nominabant. Scripſit autem *Wladiſlaus* Rex Prælatis, Principibus & Baronibus *Lithuaniæ* literas, ſuadendo eis & mandando *vt eſſent vnanimes, pacifici & conſtantes, & de aduentu fratris ſui Ca-* D *ſimiri non dubitarent.*

Hiems & fames magna in Polonia.

Erat anno illo in Regno *Poloniæ* & partibus circumvicinis hyems valida & aſpera, quæ multas arbores fructiferas ſua aſperitate deleuerat, & magnam fecerat in quadrupedibus mortalitatem. Male inſuper æſtate præterita frumenta prouenerant, & cariſtia magna vbique vigente, plures mortalium fame tabeſcentes moriebantur, nonnulli ex pinguedine & ſuperfluitate arborum, quæ *Polonice Iemiola* vocatur, nonnulli ex aliis herbis, foliis, & radicibus panem facientes vorabant, qui poſtea æſtate adueniente quaſi quadam peſte infecti moriebantur, nobiles & ruſtici detrahebant ſtabulis antiqua ſtramina & paleas, vt illis vtcunque poterant eſuriem & clamorem pe-

1440 corum & pecudum mitigabatur. Nix enim groſſiſſima a feſto *S. Martini* deſcenderat, & toto hyemis & veris tempore vſque ad diem *S. Gregorii* cum intenſo gelu durabat, nec erant aut niues, aut glacies, niſi circa feſtum *S. Gregorii* diſſolutæ, præbebantque & per terram & per fluuiorum alueos euntibus tranſitum. Vnde & ciconiæ de calidis aduenientes oris, cogebantur preſſæ frigore hominum domicilia quaſi domeſtica animalia intrare, & illiç ſtare, donec reſoluerentur glacies & niues, & tempus mitius & calidius ſuperueniret. Multæ vero aliæ aues aſperitate hyemis extinctæ ſunt, hybernæ autem glacies vſque ad diem *S. Gregorii* fluuios tenebant, campos, ſyluas, montes, colles & ſaltus quoslibet niues obduxerant.

Imminente tempore quo *Wladiſlaus* Rex verſus Regnum *Vngariæ* egredi *Cracouia* debebat, quindecima videlicet die poſt feſtum Paſchæ, niues & glacies diſſolui cœperunt, propter quorum reſolutionem *Wladiſlaus* Rex prohibitus eſt a tranſitu multis diebus, vnde plurimi prudentes & timorati viri iudicabant tranſitum Regium in *Vngariam*, propter caſus qui acciderant, felicem exitum habere non poſſe. Captiuitas enim *Matkonis* & *Emerici* per *Eliſabeth* Reginam facta, & eiuſdem Reginæ in oppoſitum mutatio & natiuitas infantis *Ladiſlai*, occiſio Ducis magni *Sigiſmundi*, niuium & glacierum longa continuatio, & eorundem in tempore exitus regii reſolutio, indicabant cœleſtem poteſtatem tranſitum Regium in *Vngariam* impedire & prohibere voluiſſe, & eiusdem propoſito atque egreſſui non fauiſſe. Accedebat adhæc & *Wladiſlai* Regis parum matura ætas cui nondum genas prima lanugo veſtierat.

Aduenerat in illis diebus ex *Italia ab Eugenio* Papa quarto *Iſidorus* natione *Græcus*, Archi Epiſcopus *Kiouienſis*, Cardinalis nouiter creatus, & Legatus in *Ruſſiam* miſſus, vir prudens, maturus & induſtrius, ferens ſecum Apoſtolicas literas ſeu bullas eiuſdem *Eugenii*, ſub plumbea, & *Conſtantinopolitani* Imperatoris ſub aurea, bullis munitas, vnionem *Latinæ* & Occidentalis Eccleſiæ cum *Græca* & Orientali continentes, lingua quidem *Latina* ſcriptas, ſed *Græca* atque *Ruthenica* ſubſcriptas. Intrauitque præfatus *Iſidorus* Cardinalis & Legatus primum in *Sandecz*, feria ſexta Paraſceue, vbi per *Sbigneum* Epiſcopum *Cracouienſem* fuit hoſpitio exceptus, & omnibus in Curia Epiſcopali procuratus & ornatus expenſis, & ad celebradnum diuina in Eccleſia parochiali *S. Mariæ* in *Sandecz* & expoſt *Cracouiæ* in Eccleſia Cathedrali more ſuo *Græco*, tanquam Eccleſiæ *Romanæ* reunitus & fidelis admiſſus. Vnio tamen illa Eccleſiæ cum *Græca* breuiuſculo durauit tempore, *Græcis* & *Ruthenis*, qui circa illam præſentes non erant, eam irridentibus & contemnentibus,

Iſidorus Cardinalis Cracouiam venit.

vnde cum præfatus *Iſidorus* Cardinalis & Legatus ad ſuos ſuffraganeos in *Ruſſiam* & *Moſcouiam* veniſſet, & illis eam vnionem prædi-
A caret, perſuadens eis de neceſſitate ſalutis Eccleſiæ *Romanæ* & eius Pontifici obediendum, per principes *Maſcouiæ* capitur & in carcerem includitur, & omnibus theſauris, quos iam notabiles conquiſiuerat, ſpoliatur, expoſt tamen de huiusmodi captiuitate fauore diuino per fugam fuit ſolutus. Tenor autem literarum Apoſtolicarum erat talis:

Eugenius Epiſcopus, Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam conſentiente ad infraſcripta chariſſimo filio Palæologo Romanorum Imperatore illuſtri & locum tenenti venerabilium fratrum noſtrorum Patriarcharum
B *& cæteris Orientalem Eccleſiam repræſentantibus. Lætentur cœli & exultet terra, ſublatus enim eſt paries qui orientalem & occidentalem diuidebat Eccleſiam, & pax atque concordia rediit, illo angulari lapide chariſſimo, qui fecit vtraque vnum, vinculum charitatis & pacis, verumque parietem, perpetuæ vnitatis fœdere opitulante & contendente, poſtquam longam mœroris nebulam & diuturni diſſidii atram & ingratam caliginem, ſerenum omnibus unionis optatæ iubar illuxit. Gaudeat & mater Eccleſia, quæ filios ſuos hactenus ab inuicem diſſidentes, iam videt in vnitatem pacemque rediiſſe, & quæ antea in eorum ſeparatione amariſſime flebat ex ipſorum modo mira concordia,*
C *cum ineffabili gaudio omnipotenti Deo gratias referat, cuncti gratulentur, fideles vbique per orbem, & qui Chriſtiano cenſentur nomine, matri Eccleſiæ Catholicæ collætentur. Ecce enim orientales occidentaleſque partes poſt longiſſimum diſſenſionis tempus ſe maris ac terræ periculis exponentes, omnibuſque ſuperatis ad hoc ſacrum Oecumenicum Concilium deſiderio ſacratiſſimæ vnionis atque charitatis reintegrandæ gratia læti alacreſque conuenerunt, & intentione ſua nequaquam fruſtrati ſunt, poſt quam longam laborioſamque indaginem, tandem Spiritus S. gratia ipſam optatiſſimam ſacratiſſimamque vnionem conſecuti ſunt. Quis igitur dignas de beneficiis gratias referre ſufficiat, quis tam diuinæ miſerationis diuitias non obſtupeſcat?*
D *cuius vel ferreum pectus tantæ ſupernæ pietatis magnitudo non molliat? ſunt iſta prorſus Diuina opera, non humana fragilitate inuenta, atque ideo cum eximia veneratione ſuſpicienda, & diuinis laudibus proſequenda. Tibi laus, tibi gratiarum actio, Chriſte fons miſericordiarum, qui te tantum vni ſponſæ tuæ Catholicæ contuliſti, atque in generatione noſtra tuæ pietatis miracula demonſtraſti, vt enarrent omnes mirabilia tua. Magnum ſiquidem diuinumque munus nobis Deus largitus eſt, oculiſque vidimus, quod ante nos multi cupierunt aſpicere & nequiuerunt. Conuenientes enim Latini & Græci in hac ſacratiſſima Oecume-*

mi-

1440 *nica Synodo, magno ſtudio inuicem vſi ſunt, vt inter alia etiam articulus ille de diuina Spiritus S. proceſſione ſumma cum diligentia & A aſſidua cum inquiſitione diſcuteretur.*

Egreſſus *Wladiſlaus* Rex *Poloniæ* cum *Caſimiro* Duce ex *Cracouia*, iter ſuum in *Vngariam* proſecuturus in *Wieliczka*, *Niepolomicze* & *Bochnia* aliquot factis nocturnis, venit in *Sandecz*, vbi Serenitatem ſuam *Zophia* Regina genitrix ſua, & *Sbigneus Cracouienſis* Epiſcopus præceſſerant, & aduentum ſuum præſtolabantur. Quo illic intrante Dux *Boleslaus Maſouiæ* & plurimi Barones ex omnibus oris *Poloniæ* applicant, cum quibus ſuper ſtatu pacifico Regni plurimas facit ordinationes, ibi *Ioannem* de *Czizow* Caſtellanum *Cracouienſem* in Capitaneum *Cracouienſem* præfecit, *Ioanne Pileczki* deſtituto, eundem etiam *Ioannem* de *Czizow* in terris *Cracouiæ* & *Ruſſiæ*, B *Albertum* vero de *Male* Palatinum *Lancicienſem*, in terris *Maioris Poloniæ*, *Czeslao* de *Kurozwanski* Caſtellano *Wiſlicienſi*, *Stanislao* de *Oſtrorog* deſtituto committit, ibi terram *Podoliæ* & caſtrum *Kamieniecz Theodorico Buczaczki* committit, *Petro Poliak* deſtituto, ibi de tranſitu ſui germani *Caſimiri* in *Lithuaniam* diſponit & certos Palatinos & Barones, & imprimis *Ioannem* de *Czizow*, Caſtellanum & Capitaneum *Cracouienſem*, *Dobeslaum* de *Oleſchnicza* Palatinum, *Derslaum* de *Ritwiany* Capitaneum *Sandomirienſes*, *Ioannem* de *Sczekozin* Capitaneum *Lublinenſem* cum pluribus aliis nobilibus adoleſcentibus deputat, data eis de theſauris Regalibus larga expeditione, eundemque *Caſimirum* & Barones ſecum ituros informat, quali conditione in Ducatu magno *Lithuaniæ*, vt vicarius, non Dominus, debeat præſidere, monetque illum *vt principaliter Deum timeat, iuſtitiam diligat, vnionem inter Regnum Poloniæ & Ducatum magnum Lithuaniæ & charitatem nutriat, nullaſque guerras ſine licentia moueat, & beneficiorum a Regno Poloniæ ſuſceptorum arctam & continuam memoriam teneat, & ſemper pro eius honore, commodo, exaltatione & augmento intendat.* Duci inſuper *Boleslao Maſouiæ* ſtricte iniungit & mandat, *quatenus poſſeſſionem terræ Dobiecenſis teneat, & nulli illam ſine ſuo & Regni Poloniæ ſpeciali conſenſu & mandato reſignet.* Ibi Sbigneus Epiſcopus *Cracouienſis* omnem argentariam ſuam in vaſis variis, & pecunias non modicas, ad aliquot millia florenorum ſe extendentes, *Wladiſlao* Regi mutuat, terra *Scepuſienſi* ad extenuandum omne debitum ſuſcepta. His & aliis multis ordinationibus factis ex *Sandecz* feria quinta ante diem *S. Alberti* exiuit, comitante eum Regina fratreque *Caſimiro*, & in caſtrum *Czorſtin* venit, vbi duobus diebus commoratus licentiatis Regina matre & fratre *Caſimiro*, cum militibus pluribus Sabbatho in die *S. Adelberti* in *Kieſmarck* peruenit.

Wladiſlaus Rex ordinatis rebus Regni ſui

in Hungariam proficiſcitur.

Et quia plures Prælati & Barones *Poloniæ* cum *Wladiſlao* Rege in *Vngariam* ituri, non poterant faciliter ad huiuſmodi viagium eſſe parati, eorum aduentum Rex decem diebus in *Kieſmark* eſt præſtolatus. Vbi primum *Sbigneus* Epiſcopus, *Nicolaus Laſoki* Decanus, *Ioannes de Thanczin* Palatinus *Cracouienſes*, *Przedborius* de *Koniecpole* Caſtellanus *Roſpergenſis*, *Petrus* de *Sczekoczin* Regni *Poloniæ* Vice-Cancellarius, *Andreas* Regni *Poloniæ* Theſaurarius, *Vincentius* de *Szamotuly Miedzirzicenſis*, *Nicolaus Sarleczki Iuniwladislauienſis* Caſtellani, *Raphael* de *Obochow* Succamerarius *Caliſſienſis*, *Hincza* de *Rogow*, *Paulus Woinozki* de *Sienno*, *Nicolaus* de *Brze ie* Regni *Poloniæ* Marſchalcus, *Andreas* de *Thanczin*, *Lucas* de *Gorka*, *Ioannes Maior*, *Ioannes Gratus* de *Tarnow*, *Nicolaus Chrzaſtowski*, *Swidrza* de *Szamotuly*, *Derslaus Wloſtowski*, *Dobrogoſtius* de *Oſtrorog*, *Ioannes Krasko* Capitaneus Koninenſis, *Nicolaus Skora*, Subiudex *Poſnanienſis*, *Petrus Byeerski* Magiſter Curiæ, *Ioannes Beiſrath* de *Mokrsko*, *Florianus* de *Mowsko*, *Dobeslaus* de *Sczekoczin*, *Petrus Poliak*, *Nicolaus Porawa*, *Groth de Iankowicze*, *Ioannes Werick*, *Nicolaus Zakrcewski* & plures alii milites *Poloniæ* cum inſignibus ſuis & familia expedita ac ornata adueniunt, ibi etiam *Sandiuogius* de *Oſtrorog* Palatinus *Poſnanienſis*, & *Ioannes* de *Konieczpole*, Regni *Poloniæ* Cancellarius, qui ad Reginam *Eliſabeth* miſſi erant, reuertuntur, cum *Wladislao* Rege *Vngariam* C profecturi, hi & plures alii, quos nominaui, proprias cohortes, vaſa argentea propria, tibicineſque, familiam ornatam, ſuppellectilem pretioſam tulerunt, & vnus ſupra alium elucere nitebatur, incredibileque dictu eſt, quam cum ſplendido ornatu *Wladislaus* Rex *Poloniæ* cum ſuis in *Vngariam* eſt ingreſſus.

cum magno comitatu. 1440

Oppidum *Keſmarck Wladiſlao* Rege ingreſſo, rumor totam *Vngariam* occupat, ingreſſus ſui nouitate, multos metus & mœſtitia conturbat, *Eliſabeth* Regina *Vngariæ* videns animum & propoſitum *Wladiſlai* Regis *Poloniæ* fixum eſſe, & nullis fere factis terreri, intelligenſque Prælatos ac Barones *Vngariæ* D mira illi affici beneuolentia & charitate, illico *Dionyſii* Cardinalis & Archiepiſcopi *Strigonienſis*, *Ladiſlai* de *Gara*, *Slauoniæ* Bani, *Ioannis* de *Seez* & aliorum ſibi adhærentium freta conſiliis, ciuitatibus *Vngariæ* per literas mandat, *ne Wladislaum Regem Poloniæ in ciuitates intromittant;* in caſtrum autem *Wiſſogrod*, quod tunc per *Ladislaum* Banum tenebatur, ingreſſa, coronam materialem, qua Reges *Vngariæ* coronari conſueuerant, fractis ſeris & ſigillis Baronum clandeſtine inſert, apparamentis Regalibus ibi dimiſſis, filium ſuum infantem *Ladiſlaum* cum eadem opportuno tempore coronatura. *Simon* de *Rogow* Epi-

Eliſabeth Regina coronam regiam ſeruat.

1440 Epiſcopus *Agrienſis*, qui cum magno deſiderio & lætitia *Wladiſlai* Regis *Poloniæ* præſtolabatur in *Vngariam* ingreſſum, & plures Nuncios rogando, ſolicitando, obſecrando ſuamSerenitatem, *celerius aduenire dignaretur*, vſque in *Cracouiam* fatigabat, certificatus de *Wladiſlai* Regis in *Keſmarck* ingreſſu, ſentiens quoque Ciuitatum *Vngariæ* reſiſtentiam, ciuitatem *Operiaſch* oppugnat & recepit, & relicta ſua familia ibi pro præſidio, ad *Wladiſlaum* Regem in *Keſmarck* cum pluribus Baronibus *Vngariæ* venit, & ſuam Serenitatem cum vniuerſis magna animorum hilaritate excepit, magnam & certam *Wladiſlaum Poloniæ* Regi ſpem ingerens, quod negotia acceptati & acceptandi per eum Regni *Vngarici* felicem ferrent exitum, impedimento *Eliſabeth* Reginæ & ſibi adhærentium non obſtante

Sub idem tempus venerunt in *Kieſmarck* ad *Wladiſlaum* Regem Barones *Lithuaniæ*, *Andruſko Dowoinowiecz*, & *Raczko*, ex parte Prælatorum, Principum & Baronum *Lithuaniæ* miſſi, petentes, *vt Wladiſlaus germanum ſuum Ducem Caſimirum in Lithuaniam, antequam Dux Michael fortificaretur, mittere non tardaret.* Qui Nuncios benigne exceptos, munifice remuneratos remittit, & vt certi eſſent de Ducis *Caſimiri* aduentu, bono fideli & conſtanti animo eſſe iuſſit. Hæſit autem animo dubio ſententiaque incerta *Wladiſlaus Poloniæ* Rex progredereturne in *Pannoniæ* vlteriora, an propter res *Lithuaniæ* præſentiam ſuam magnopere deſiderantes, & *Vngarorum* fluxam fidem, cœpto omiſſo *Lithuaniam* & *Poloniam* peteret.

Duodecim diebus *Wladiſlaus* Rex *Poloniæ* manſionem ſuam in *Keſmarg* continuando, dieſque Rogationum ibi egit, ſub quibus variæ habitæ de tranſitu vlteriori in *Vngariam* concertationes, *Ioanne* de *Thanczin* Palatino *Cracouienſi*, *Przedborio* de *Konieczpole* Caſtellano *Roſpergenſi*, & multis aliis Baronibus perſuadentibus reditum in *Poloniam*, & allegantibus *periculoſum & damnoſum Regnum Vngariæ gladio & guerra conquirere, velle ſe potius redeundum, vt Prælati & Barones Vngariæ interim vniantur.* Valuiſſetque ipſius *Ioannis* de *Thanczin* Palatini *Cracouienſis* & partis ſuæ ſententia, niſi *Sbigneus* Epiſcopus *Cracouienſis* & *Sandiuogius* de *Oſtrorog* Palatinus *Poſnanienſis*, quorum autoritati & conſilio plurimum creditum eſt & delatum, contrarium perſuaſiſſent. Vnde & poſt multas deliberationes concluſum eſt, vt reſiſtentia Eliſabeth *Vngariæ* Reginæ Prælatorumque, Baronum ac Ciuitatum ſibi adhærentium non obſtante, *Wladiſlaus* Rex verſus *Budam* procedat, electionem ſuam proſecuturus, *Simone* Epiſcopo *Agrienſi* felices negotiorum ſucceſceſſus promittente, & omnem metum aduerſitatis contrariæ extenuante.

Gubernationi *Nicolai* de *Beren Vngari* ad conſilium *Simonis* Epiſcopi *Agrienſis* oppido *Keſmarg* per *Wladiſlaum* Regem commiſſo, 1440 A licet Prælati & Barones *Poloniæ*, ſatius tutiuſque iudicaſſent illius gubernationem *Derſlao Wloſtowski Polono* committendam, feria quarta in vigilia aſcenſionis Domini, quæ fuit dies *S. Floriani*, & quarta menſis Maii egreditur *Wladiſlaus* Rex de *Keſmarg* in rutilantium armorum ſplendore, multis millibus *Polonorum* & *Vngarorum* comitatus, facitque primum nocturnum in *Nowawiesz*. In craſtino vero, videlicet die Aſcenſionis Domini audita miſſa in *Nowawiesz* per *Sbigneum Cracouienſem* Epiſcopum ſolenniter cantata, facto etiam illic prandio, venit ad noctem in *Pod*- B *gorze*, Feria ſexta in craſtino Aſcenſionis Domini egreſſus de *Podgorze* in *Subinow*, vbi ad ſuam Serenitatem venit *Wilhelmus* Nuncius *Amadei* Ducis *Sabaudiæ* in *Romanum* Pontificem per Concilium *Baſilienſe* electi, ferens ſecum bullas eiuſdem *Amadei* electi & Concilii *Baſilienſis Wladiſlao* Regi *Poloniæ* titulatas, in quibus ſuæ Serenitati ſignificabatur, *qualiter præfatus Amadeus tunc in ſolitudine Ripariæ Decanus militum exiſtens, & ſolitariam atque monaſticam vitam ducens, electus fuit concorditer per Concilium Baſilienſe, in Papam, & Felix quintus cognominatus.* Sicque in Papatu duo præſidebant, *Romæ Eugenius* quartus, & in *Baſilea Felix* quintus. C Schiſma quoque grauiſſimum crudele & execrabile tunc cœpit, & multis annis durauit. Sabbatho poſt Aſcenſionis Domini prandio facto, *Wladiſlaus* Rex præfati *Amathei* electi Nuncio licentiato & remunerato, ex *Subinow* diſcedit, & in oppidum *Apperiaſch* intrat, vbi ſuæ Serenitati *Simon* de *Czuder* cum fratribus & plurimis *Vngaris* occurrit, & ſuam Serenitatem humillime excipit. In oppido *Apperiaſch* ſubſequens dies Dominicus, in quem feſtum *S. Stanislai* Protomartyris *Poloniæ* cadebat, abſumptus eſt, in quo miræ magnitudinis grando deſcendit, cuiuſque deſcenſio tam inſolitæ magnitudinis malum omen portendere Regis tranſitui in *Vngariam* iudicabatur. Feria ſecunda in craſtino *S. Stanis*- D *lai* Martyris *Wladiſlaus* Rex ex *Epperies* diſcedens venit in villam *Wiſlow Rozgon*, vbi dum ſua Serenitas circa veſperarum horam venationem cum falconibus intenderat, charior ſuus Secretarius *Ioannes Sienkonis* de *Siemniow*, de domo *Norczaki* in fluuio *Arnath*, volens iuuare falconem in aqua natantem, caſualiter ſubmerſus eſt, qui caſus multorum turbauerat corda, quia huiuſmodi Secretarii mortem factum malum, & ſucceſſus aduerſos *Wladiſlao* Regi in *Vngariæ* ſuis indiciis portendebat, ſepultus autem fuit Secretarius ipſe in *Wiſlow* Rege & Curia exequias ſuas præſentialiter cohoneſtante.

Veritus autem *Wladiſlaus Poloniæ* Rex, ſui Conſiliarii *Hungari* & *Poloni*, ne per *Eliſabeth*

1440 *beth* Reginam ciuitas Regia *Buda* & caput Regni occupetur, præcauens ſibi in futurum, ne A eadem ciuitate occupata cogeretur cum dedecore reuerti, præfatum *Simonem* Epiſcopum *Agrienſem*, *Vincentium* de *Szamotuly*, *Andream* de *Thanczin*, pluresque alios *Vngariæ* & *Poloniæ* milites *Budam* transmittit, qui celeriori, quo potuerunt, curſu *Budam* applicantes, ciuibus *Budenſibus* de *Wladiſlai* Regis aduentu magna deuotione & affectione congaudentibus, poſſeſſionem ciuitatis *Budæ* pro *Wladiſlao* Rege apprehendunt, & in omnibus munitionibus & turribus ciuitatis militare ponitur præſidium. Eodem conſilio & prouidentia *Eliſabeth* Regina *Vngariæ* mota, *Fridericum* Comitem *Ciliæ* cum quingentis equiti- B bus, vt *Budam* præoccupet, transmittit, ſed dum longe eſſet a *Buda*, gentes *Wladiſlai* Regis *Poloniæ* *Budam* apprehendiſſe intelligens, cum omni feſtinatione ad Reginam *Eliſabeth* in *Cormano* rediit, *Simon Agrienſis* Epiſcopus pluribus diebus, quibus *Wladiſlaus* Rex verſus *Budam* procedebat, poſſeſſionem ciuitatis *Budenſis* continuauit, ſub quo tempore, dum quidam *Vngarus* equo inſidens, electionem *Wladiſlai* in Regem *Vngariæ* verbis ſcabroſis ſugillaret, illico per familiares ipſius *Simonis* Epiſcopi *Agrienſis* comprehenſus, tam ipſe quam equus cui inſidebat, gladiis confoſſus & partitus eſt.

Budæ Wladiſlai Regis præſidium imponitur.

C Feria quinta ante Feſtum Pentecoſtes *Wladiſlaus* Rex *Poloniæ* ex *Wislow* venit in *Czizow*, vbi per *Ioannem minorem* de *Peren* ſuſceptus eſt, & omnibus prouiſus neceſſariis, feria ſexta ad prandium venit in *Emeth*, & Sabbatho in vigilia Pentecoſtes *Agriam* peruenit, vbi per Prælatos & Canonicos, clerum & populum, cum honore ſummo & gaudio ſuſceptus eſt, & dies feſtos Pentecoſtes illic egit, ſua Serenitate in caſtro *Agrienſi* aliis vero Prælatis & Baronibus in ciuitate ſua hoſpitia tenentibus. *Wladiſlao* Rege *Poloniæ* in *Agria* agente, *Eliſabeth Vngariæ* Regina infantem ſuum *Ladiſlaum* vix trimeſtrem die Dominico D Pentecoſtes in *Alba Regali*, quæ tunc per *Nicolaum Friſtaczki* de *Vlag* tenebatur, cum corona per eam clandeſtine ex *Wiſſogrod* recepta, per *Dionyſium* Cardinalem & Archiepiſcopum *Strigonienſem*, in præſentia *Benedicti* Epiſcopi *Iaurienſis*, *Friderici* Comitis *Ciliæ*, *Nicolai Friſtaczki*, *Stephani* de *Rozgon* & *Thomæ* de *Seez* coronari procurat, & inde in *Iaurinum* excluſo *Benedicto* Epiſcopo *Iaurienſi* ſe recepit. De qua re non ipſi *Eliſabeth* Reginæ, quæ maternis affectibus ad hunc errorem erat perducta, æque ſuccenſendum eſt, quantum Prælatis & Baronibus prædictis, qui huic temeritati vel leuitati conſenſerant. Nouitas ipſa ad *Wladiſlaum* Regem *Poloniæ* in *Agriam* feria ſecunda Pentecoſtes perlata celeri nuncio, quamuis fuiſſet ſibi & ſuis Conſiliariis *Poloniæ* & *Vngariæ* moleſta, non tamen illos ab incepto ſuo cauit itinere, aut terruit propoſito. 1440

Ladiſlaus infans in Regem Hungariæ coronatur.

Continuando autem *Wladiſlaus* Rex iter ſuum feria tertia Pentecoſtes de *Agria* exiens, venit ad prandium & ad noctem in villam *Kompelth*, feria quarta quatuor temporum venit in oppidum *Hotwan* in prandium & in noctem, Baronibus & Nobilibus *Vngariæ* certatim ei occurrentibus, feria quinta Pentecoſtes abſque aliquali impedimento, quod Eliſabeth *Regina*, prout rumor communis vulgauerat, ferebatur inſtruxiſſe, *Budam* procedit, & ordinatis curribus, aciebus & turmis ſuis ſignis extenſis, dum *Budæ* appropinquat, *Laurentius* de *Hedzewara* Palatinus *Vngariæ*, tunc Capitaneus *Budenſis* cum duobus filiis & magna multitudine Baronum & nobilium *Vngariæ* & ciuium *Budenſium* ad ſeptimum, vt aiunt, lapidem ſuæ Serenitati venit in occurſum, & deſcendentes de equis, flexis genibus *Wladiſlaum Poloniæ* Regem cum magna humiliatione & reuerentia excipiunt & ſalutant, & de eius aduentu plurimis verbis gratulantur. *Wladiſlaus* Rex ex equo deſcendens, præfatum *Laurentium* Palatinum, & qui cum eo erant, regia benignitate & grauitate excipit, equiſque reſumtis in *Pieczki* eo die peruenit, ibique duobus diebus ſuccedentibus cum exercitu ſuo ſtetit, nec *Budam* ingredi voluit, *Laurentio* Palatino Reginæ *Eliſabeth* promiſſionibus circumuento, *Wladiſlaum* Regem non niſi ſub certis pactis Regi non vsque quaque honeſtis, in caſtrum *Budenſe* introgreſſum admittente. Verum in poſt melius deliberatus, abſque pacis circumſcriptione fidelitatem & obedientiam plenam Regi promittit, & caſtrum *Budenſe* in manus Regias reſignat. Cuius fide *Wladiſlaus* Rex inſpecta, ſibi caſtrum prædictum committit in tenutam, qui etiam ab illo tempore vsque in diem mortis ſuæ fidei ſuæ & conſtantiæ puritatem, multiplicibus & euidentibus operibus erga *Wladiſlaum* Regem indefeſſe monſtrauit.

Sabbatho in vigilia *S. S.* Trinitatis *Wladiſlaus* Rex *Poloniæ* facto prandio in *Pieczki*, tranſit in nauibus *Danubium*, & ordinatis cohortibus intrat *Budam*, quæ a veteribus *Sicambria* a monte *Sicam* ei proximo dicebatur, per portam quæ ducit ad *Helczburg*, pulcherrimo ordine cum Prælatis & Baronibus vtriusque Regni, omnes autem Eccleſiæ Parochiales & conuentuales cum ſacris reliquiis & proceſſionibus & populo ciuitatis *Budenſis* vtriusque ſexus ſuam maieſtatem excipiunt, honorificant & inuitant. Rex autem deſcendens de equo, adoratis Sanctorum oſſibus, & populo dextera data, equo reſumto cum nobili & inclyta pompa *Budam* ingreditur. Quo portam ciuitatis ingrediente milites & nobiles *Poloniæ* & *Vngariæ*, quos pro apprehendenda poſſeſſione ciuitatis *Budenſis* transmiſerat armis induti, & in tres turmas diuiſi, pedeſtres oc-

Wladiſlaus Rex Budam venit.

1440 occurrunt. In vna erant milites & nobiles præſtantiores in altera eorum, familiares galeati, cum haſtis, in tertia pueri etiam galeati A portantes ſcuta. Hi omnes flexis genibus *Wladiſlaum* Regem excipiunt & adorant, & ſuæ Serenitati ciuitatem *Budenſem*, quam aliquanto cuſtodiebant tempore, tradunt & reſignant, ipſumque *Wladiſlaum* ab omni parte circumdatum, quo facilius inter'pedites ab omni turba videri poſſet, vsque in caſtrum comitantur, ſubſequente *Wladiſlaum* Regem *Sbigneo* Epiſcopo *Cracouienſi*, *Simone Agrienſi*, *Ioanne Seginenſi*, Epiſcopis, *Nicolao Laſſoki*, Decano *Cracouienſi*, *Laurentio* de *Hedzewara* Palatino *Vngariæ*, *Ladislao* de *Palentz*, *Simone* de *Rozgon* & multis Prælatis & Baronibus *Poloniæ* & *Vngariæ*. Turba ciuitatis v- B bique per plateas & feneſtras, vt vultum & faciem Regis, ac tam illuſtriſſimi Principis, pompamque militum ſuorum viderent, effuſa, matronæ virginesque ingenuæ ad ingreſſum Regis ex feneſtris tectisque cateruatim pendebant. Intrat tandem *Wladislaus* Rex caſtrum *Budenſe* mira pulchritudine & opere, per *Sigiſmundum* olim Imperatorem *Romanorum* & *Vngariæ Regem* conſtructum lapidibus, & ſe in eo cum militibus ſuis collocat, & manſionem ſuam in eo ordinat, agitque illic *Corporis Chriſti* ſolennem diem, & in beatæ *Mariæ* parochiali Eccleſia audit diuina, & proceſſionem ſequitur, & per omnes Octauas feſti aut in caſtro aut in ciuitate proceſſionibus C & diuinis intereſt miniſteriis.

Excitati fama, in *Budam Wladiſlai* Regis aduentus, ſinguli Prælati, Barones & nobiles *Vngariæ*, omnes cateruatim *Budam* adueniunt, & inprimis *Matko* de *Palencz Sclauoniæ* Banus, qui recenter ex vinculis & captiuitate Reginæ *Eliſabeth* ex oppido *Sopbronio*, in quo tenebatur vinctus, ſubſidio barbitonſoris vnius effugerat, deinde *Nicolaus Friſtaczki* de *Vlag*, item *Moruchbianus*, *Ioannes Maior* de *Peren*, Magiſter Tauernicorum regalium, *Czech Petri* filius, *Ladislaus Ioannes* de *Loſſoncz*, *Ioannes* de *Huniad*, *Emericus* alias *Waida Smetrich*, *Stephanus* de *Rozgon*, *Reinholdus Frangbahn*, *Pancratius* de *Sancto Nicolao*, *Ozbak*, *Michael Nimphor*, D *Simon* de *Palencz*, *Czaki Ferens*, *Iaczkones*, & innumerabiles alii. *Stephanus* Deſpotus *Raſciæ* notabiles nuncios tranſmittit, abſentiam ſuam excuſans, propter *Turcorum* in *Raſciam* ingreſſum, aduentui Regio congaudens, & omnem fidem, obedientiam, & ſubiectionem repromittens, idem facit Rex *Boſniæ*. Venit expoſt *Matthias* Epiſcopus *Weſprimenſis*, Cancellarius Regni, *Ioannes* Archi-Epiſcopus *Colocenſis*, item *quinque Eccleſiarum*, *Tranſyluanenſis*, *Zagrabienſis*, *Niſtrienſis*, *Sermienſis*, *Racienſis*, *Waradienſis*, *Cenadienſis* epiſcopi. *Dionyſius* Cardinalis & Archi-Epiſcopus *Strigonienſis* propter coronationem, quam de filio olim *Alberti* contra ordinationem Regni fecerat, & *Ladislaus* de *Gara* Banus *Slauoniæ*, propter adeptionem coronæ materialis, in ſua fide & cuſtodia poſitæ, furorem populi pertimeſcens, non niſi petito & impetrato a *Wladislao* Rege ſaluo conductu veniunt, quibus *Wladislaus* Rex cum magna multitudine Prælatorum & Baronum vtriuſque Regni oblitus iniuriæ ab eis acceptæ, obuiam iuit, & non vt hoſtes, ſed fideles tractauit, atque bono animo eſſe iuſſit, qui & ipſi ſupplices *Wladislaum* Regem ſuſcipiunt & adorant, pollicentes *ſe in eius obedientia & ſubiectione fideles futuros*. Alia tamen illos pectore grauiore geſſiſſe, proceſſu temporis compertum eſt, licet ad colorandam vafritiem ſuam ſpecioſa verborum tunc vterentur venuſtate.

cui ſe plurimi Hungariæ Barones ſubiiciunt.

Cognito *Eliſabeth* Regina *Wladislai* Regis *Poloniæ* in *Budam* aduentu, vehementer parti ſuæ timere cœpit, præſertim cum videret vniuerſos Prælatos & Barones *Vngariæ* eidem *Wladislao* Regi acclinatos & affectos, nec caſtra haberet aliqua fortia, quibus ſibi in neceſſitatis articulo poſſet præſtare ſecuritatem. *Benedictum* itaque Epiſcopum *Laurienſem* blandis verbis & promiſſis circumuenit, & caſtrum *Iawrino* ſibi concedi atque reſignari impetrat, atque in illo gentes ex *Bohemia* ſtipendio conductas, vt omnes *Wladislao* Regi fideles vexent & turbent, locat, præficiens illis *Sunkowski Bohemum* in Capitaneum. Hac deliberatione itaque Baronum *Poloniæ* & *Vngariæ Wladislaus* Rex exercitum ſuum ex *Polonis* & *Vngaris* congeſtum, verſus *Iawrinum* tranſmittit, & caſtrum *Iawrin* obſidione vallat, in quo etiam tunc *Fridericus* Comes *Ciliæ*, omnium diuiſionum & gverrarum autor, erat. Exercitu autem regio obſidionem continuante & offenſioni hoſtium intendente, præfatus Comes *Ciliæ* metuens ſibi periculum imminere, clam de caſtro cum paucis recedit, & per fluuium *Raba*, qui caſtro vicinus eſt, tranſgreſſus, verſus *Poſonium* ad *Eliſabeth* Reginam Ungariæ, quæ illuc ſe contulerat, properat, faciens in inſulam, quae *Danubio* ambitur, ex *Jaurino* deſcenſum, per eam enim ſpem ceperat elabi tuto poſſe. Percrebuit autem in exercitu Regio, terra prodente arcana, eiusdem Comitis ex caſtro deſcenſus, propter quod plures milites *Poloni* illum inſequuntur. Intelligens autem Comes *Ciliæ Polonos* milites ad ſe comprehendendum vehementi ſtudio accenſos eſſe, omnes ſuos comites, familiares & milites, vt a *Polonis* captiuarentur, oppoſuit, facilius ipſe ratus euadere, poſſe. Dum itaque comites, familiares, & milites ſui a *Polonis* capti eſſent, Dominum ſuum Comitem *Ciliæ* in eorum numero affuiſſe conſtanter inficiabantur, nec poſt diligens ſcrutinium in ſaltu condenſo & vepribus vbique obſito deprehendi poterat. Rex 1440

ve-

1440. vero exitum turbarum ciuilium nondum videns conuocatis, quotquot aderant, regni proceribus, & admiſſis quos modo in ditione habebat rebellibus: *Meriti*, inquit *ſinguli eſtis trucidationem crudelem, qui Dominum veſtrum celatum eundo perdidiſtis, nos enim ſtatum, diſpoſitionem, & ordinem in hoc Regno Vngariæ reperiiſſe credebamus, vos omnes in electionem meam ad prædictum Regnum conſenſiſſe, neque ulli diuiſioni inter vos locum eſſe. Aliis ſub hac ſpe, & certitudine Regno meo natiuo Poloniæ, & Ducatu magno Lithuaniæ, qui meam poſt mortem patrui mei Ducis Sigiſmundi, magnopere deſiderabat præſentiam, derelictis, veſtris precibus, per notabiles veſtros Nuncios coram præſentes mihi oblatis, conſentiens, huc cum Prælatis & Baronibus Regni mei Poloniæ, propriis meis ſumtibus, pacificus, ſine cuiuslibet offenſa & moleſtia, aduenì, non quod me ad habendum regnum Vngariæ ambitione aliqua flammauerim; cum habeam Regnum natiuum, quod cuiuslibet ambitioni ſufficiebat, ſed vt Regnum veſtrum a Turcorum deſtructione & Catholicam fidem in his oris multipliciter depreſſam & pene exſanguem, diuino ſuffultus munere, & fidelium meorum auxilio, defenſarem. Quis autem (niſi delirus ſit) me poſſit notare de ambitu, quem etiam ipſa ætas mea ab hoc ſcelere innocentem pronunciat & ab hac labe purum demonſtrat. Veni itaque ſola fidei Chriſtianæ compaſſione, & tum veſtrarum tum Eliſabeth Reginæ nunciorum, tum Prælatorum & Baronum Regni mei Poloniæ perſuaſionibus, precibus & lacrymis victus, longeque aliam faciem & ſtatum rerum, quam ſperabam, quamque mihi a veſtris Nunciis perſuaſum eſt, reperi, dum quoſdam veſtrum electioni meæ & regimini, quoſdam vero Eliſabeth Reginæ & filio ſuo, quem nonnulli ex vobis in Regem coronarunt Hungariæ, fauere video. Ex quo in Regno hoc bellum inteſtinum parari reformido, execrorque vehementer hæc veſtra odia & ſchiſmata, & nulla ratione poſſum adduci, vt regnem ſuper vos in tot monſtra odiorum & diuiſionum prolapſos. Vnde ne ſim rei, quam ipſe abominor & execror, occaſio, conteſtor vos hodie inſimul congregatos & exoro, vt qualibet affectione remota conſulatis fideliter paci & quieti Regni veſtri, cùm in veſtra manu tranquillitas & diſſidium ſita ſint. De me vero qui huc veſtris precibus & pollicitationibus adductus ſum, non fiat interim, dummodo quieti Regni Vngariæ prouiſum ſit, æſtimatio, qui æquo animo malo in Regnum meum, vnde veni, regredi, quam aduentu meo ſuſcitare bellum ciuile, & qui Regnum hoc, vt meo brachio a barbarorum defendere preſſum ſuſcepi, iniquum reor, vt ex me contrahat bella domeſtica, quibuslibet ex terris formidabiliora. Conſulite itaque ante tempus errori, qui eſt aut in electione mea, aut in filii Alberti Regis coronatione commiſſus, & reſtituite in integrum errata. Non moueat vos aliqua paſſio, ambitio, amor vel affectio, non doloſe, id* A *quod vobis ſalubre communi deliberatione viſum fuerit, complectimini.* Hæc oratio multis maioribus & inferioribus *Vngariæ* excuſſit lachrymas, omnibus tandem humilitatem & modeſtiam in Principe mirantibus, & tractatu aliquot horarum, ſeparatim habito, ſingulorum votis ſcrutatis, in hunc modum *Wladislao* Regi, per organum *Laurentii* de *Hedzewara*, Palatini *Vngariæ* reſpondent. *Eſt nobis Sereniſſime Princeps & gratioſiſſime Rex, iucundiſſimus & gratiſſimus tuus in Regno hoc aduentus. Tibi enim noſtram & Regni noſtri a Turcorum tyrannide liberationem a Deo optimo reſeruatam eſſe confidimus, ſub hac quoque re & fiducia, dum Regnum hoc morte Alberti de-* B *ſtitutum eſſet rectore, in diebusque ſuis per conquiſitionem caſtri Swiderow, & totius Raſciæ occupationem preſſum eſſet, ad Te vnum, omnibus aliis Principibus, qui ſe conſiderationi noſtræ offerrebant, ſed & filio eiusdem Alberti, ſi illum Eliſabeth ederet, neglectis, oculos conuertimus, te cladibus & calamitatibus huius Regni compaſſurum fore confidimus. Et cum clariſſimus genitor tuus plurimos populos, multas nationes, erroribus gentilitatis deditos, fidei lumine illuſtrauerit, Tu eiusdem fidei, cuius ille erat dilatator & autor, non dubitabis eſſe defenſor & acerrimus propugnator, quatenus & operum & nominis illius tibi vera ſuccedat hæ-* C *reditas. Concordi itaque & vnanimi Spiritu, Te in noſtrum & Regni huius Regem eligimus, & vt huiusmodi acceptares electionem, Nuncios noſtros rogaturos Serenitatem Tuam, ipſa etiam Eliſabeth Regina in electionem & miſſionem vltro conſentiente, miſimus, huiusmodique electionem, ne per quempiam reuocetur in dubium, clara voce die hodierna ſinguli profitemur & inuocamus. Coronationem vero quæ de filio Alberti Ladiſlao facta eſt, execramur & decernimus nullam. Vniuerſum Regnum Vngariæ magna iucunditate de te exultat; Tu es enim magna Spes noſtra, per quam reſpirare nos poſſe credimus a Turcorum inſultu, Te omnes noſtri Iſchagiones ſuum clamant liberatorem. Tuæ itaque Maieſtati colla noſtra ſubiicimus, Tibi omnem fidem, obedientiam & ſubiectionem, pollicemur, nec dubitamus omnibus & ſignanter Eliſabeth Reginæ & filio ſuo, qui Tuã* D *Serenitatem in aſſecutione Regni Vngariæ impedire conati fuerint, debitam reſiſtentiam opponere, & capita noſtra pro Te cuilibet periculo mortique exponere, & iacturæ. Tua Serenitas velit tantummodo bonam mentem induere, & nos ſibi fideles reputare. Nemo ex nobis eſt, qui Tuam Excellentiam pluris non faciat quam Eliſabeth Reginam, & prolem ſuam taliter coronatam, ſed & hunc coronationis errorem corrigere ſtudebimus. Nullus autem mentis bonæ compos ſuccenſere nobis poterit, ſi præfato Alberto Diui Regis noſtri filio poſthumo præterito,* 1440.

& quaſi ab hæreditate paterna excluſo, Tuam Serenitatem pro Domino & Rege aſſumſimus. Prouidebamus enim per hoc tum noſtro & huius Regni noſtri priuato, tum totius Chriſtianitatis publico commodo. Nullus enim dubitare poterit, Regno hoc, quod Chriſtianitatis ſcutum eſt, aut occupato per Turcas, aut confracto, cæteras Catholici orbis regiones eandem ſortem debere experiri. Delirum quoque erat periculo Regni attento, illum pro Rege tenere, quem continebant cunæ, & totius Regni ſub tam fragili rectore pertimeſcere ruinam, quæ prius ne accidat quam ipſe viriles annos attingat, incertum habemus, ſed & regno noſtro grauiſſimis impendentibus periculis ſerum in expectatione infantis arbitramur auxilium. Vt autem Tuæ Serenitati noſtra fides & obedientia clarior ſit & notior, omnes & ſinguli a primis incipientes vsque ad poſtremos fidelitatis Tibi ſubiectionis & obedientiæ præſtabimus ſacramentum. Hac reſponſione accepta *Wladiſlaus* Rex, fidei illorum integritatem commendat, *conſtantes vt ſint*, rogat, *ſe pro defenſione & commodis Regni Vngariæ nullum laborem recuſaturum.* Offertur poſthæc lignum S. Crucis in medium, & primum *Dionyſius* Cardinalis & Epiſcopus *Strigonienſis* cum omnibus Pontificibus, deinde *Laurentius* de *Hedzewara* Palatinus *Vngariæ*, *Ladiſlaus* de *Gara*, *Matko Friſtaczki* & cæteri omnes præſtant *Wladiſlao* Regi fidelitatis iuramentum. Quo ab omnibus præſtito, *Wladiſlaus* Rex deducitur in eorum medium, & in altum manibus Prælatorum & Baronum *Vngariæ* eleuatus, ab eis & vniuerſo populo clamore valido *Hungariæ Rex* pronunciatur, & acclamatur. Poſthæc in capellam deducitur & *Te Deum Laudamus* cantatur ab Epiſcopis & Clero, *Dionyſio* Cardinali & Archi-Epiſcopo *Strigonienſi* collecto, ad altare, in præſentia Regis & multitudinis pro perſona *Wladiſlai* Regis concludente. Mira etenim & latenti energia non *Vngarorum* tantummodo ſed & *Almanorum* pectora erga *Wladiſlaum* Regem gratificabantur. Nam ignotum & non viſum multi aut contemnebant, aut oderant, ſemel vero conſpectum dum attenderent, adoleſcentem primo ætatis vernantem flore, conuerſatione benignum, gratia, voce, & eloquentia blandum, & nitidum, in quoslibet etiam hoſtes infeſtos humanum & liberalem, mirum in modum ab eius beneuolentia capti, demulcebant.

Altera autem die, videlicet feria quinta in craſtino S. S. *Petri* & *Pauli* Prælati & Barones *Vngariæ* in caſtrum *Budenſe* in aulam *Wladiſlai* Regis conueniunt, & qualiter quaue die coronationem *Wladiſlai* Regis conſumationi debitæ mandare poſſint, deliberant. Imprimis autem diem Dominicum S. *Alexij* pro coronatione denominant, ſed oritur extemplo difficultas, quo diademate veteri corona ſublata, debeat coronari. Multos amaritudo & animi paſſio occupat, alii modeſtis verbis, alii indignatione, alii furore in *Ladiſlaum* Banum de *Gara*, caſtri *Wiſſegrod*, in quo corona ſeruabatur, tenutarium, mouentur, quaſi eo conſcio & ſuaſore corona ablata ſit, & tantum Regno dedecus illatum. Nec aliqui Barones *Vngariæ*, qui ſuas paſſiones domare non valebant, continuiſſent manus, & ipſum *Ladiſlaum* de *Gara*, non ſuffragante ſibi genere & dignitate, gladiis concidiſſent, niſi *Wladiſlaus* Rex concitatum multorum fremitum ſedaſſet, & præſidium tuliſſet vitæ ſuæ. Defertur tandem res ad populum, qui in caſtrum conuenerat, & portis caſtri clauſis, Prælati, Barones & Communitas deliberant; omnium conſenſu & decreto *Ladiſlaus de Gara* capitur, cuius cuſtodia *Simoni Agrienſi* Epiſcopo, *Laurentio* Palatino & *Nicolao Friſtazki* mandatur. Et ne propter defectum veteris coronæ differatur *Wladiſlai* Regis coronatio, ſancitur, vt corona de capite reliquiarum S. *Stephani* Regis accepta, & omni virtute illi coronæ attributa, opus perficiatur coronationis. Moleſta fuit *Wladiſlao* Regi & omnibus Conſiliariis *Poloniæ Ladiſlai de Gara* captiuitas, tum quod illum ſibi, poſt præſtitum iuramentum fidelem exiſtimabant futurum, tum quod literas ſecuritatis ſibi conceſſas huiuſmodi captiuitate dolebat violatum iri. E veſtigio itaque antequam congregatio erat diſſipata, tam apud Prælatos & Barones, quam apud Communitatem *Vngarorum* egit, vt pro honore promiſſorum & regalium literarum ſoluatur *Ladiſlaus* Banus e captiuitate, ſatius exiſtimans Regno *Vngariæ* quam honore ſpoliari, & niſi relaxetur præfatus *Ladiſlaus*, declarat *ſe Wladiſlaus* Rex, *nec coronationem Regni Vngariæ velle ſuſcipere, nec ad aliqua publica negotia diſponenda, vacare, ſed in Poloniæ Regnum celerius reuerti*, multipliciter dolens in primitiis aduentus ſui in ſuo honore & fide temeratum. His precibus & terroribus & inſtantiis dum *Wladiſlaus* Rex pro liberatione *Ladiſlai* præfati Bani vteretur, a captiuitate interceſſione Regia, tertia die poſt capturam dimiſſus eſt. Cum hac tamen verborum obteſtatione: *Ad mandatum tuum, Excellentiſſime Rex, Ladiſlaum Banum de captiuitate relaxamus, quem nouimus inſidiatorem tuo calcaneo. Si igitur aliqua aduerſa contra Tuam Serenitatem egerit, Tuæ potius imputes clementiæ, quæ eum de noſtris manibus eripuit, quam nobis qui futurum malum breui exoriturum intercipere decreueramus.* Agit grates ingentes *Ladiſlaus de Gara Wladiſlao* Regi, *nullo pacto tanta eius beneficia vnquam apud ſe moritura repromittens, profitendo eius authoritate & interceſſione primum ſe vitæ, deinde libertati reſtitutum.*

Secunda menſis Iulii Bano *Ladiſlao* de captiuitate relaxato diſponunt & decernunt Prælati & Barones *Vngariæ* concluſiones certas. Prima, *vt defectu & receptione veteris coronæ non obſtante coronetur Wladiſlaus Rex in Re-*

1440. *gem Vngariæ die Dominico S. Alexij ſubſequenti corona de theca capitis S. Stephani Regis primi Vngariæ ſumenda.* Secunda, *in Wiſſegrod caſtrum vadant duo Vngariæ Barones, qui videant, an ciſta, in qua fuit corona Regni Vngariæ cum ſuis apparatibus repoſita, ſit violata, & eandem ciſtam in Albam regalem proferant pro coronatione Regali*, illico mittuntur duo fratres *Iaczkones*. Tertia, *quod caſtrum Wiſſegrod reſignetur pro Ladislaum de Gara, in manus regias, & quod nullus illud teneat, niſi Polonus*, fuitque caſtrum prædictum iuxta huiuſmodi concluſionem reſignatum, & Rex illud *Vincentio de Schamotuly* Caſtellano *Miedzirczenſi* dedit in tenutam, nobili de domo *Nalencz* militi virtuoſo & nobili, & in facetias atque iocos naturaliter procliuo.

Certior de his omnibus, quæ *Budæ* acta, concluſa & firmata ſunt, *Eliſabeth* Regina, intelligit coronationem de filio ſuo factam, per quam à Regni *Vngariæ* legitimo titulo *Vladislaum* Regem excludere credebat eſſe cunctis fabulæ, riſui, & defectum coronæ, quam abſtulerat, per aliam coronam ſuppleri, quid agat anxia, in facinus animum conuertit, largitione auri *Vngarum* ſibi fidiorem ſortis tamen humilis & ignotæ aſſeritur corrupiſſe, vt *Wladislaum* ferro aut veneno occidat & coronationem ſuam futuram impediat. Hic *Budam* veniens & conatus nefarios ponere in executionem & difficile & periculoſum ſibi exiſtimans, vexatus cupiditate auri a Regina vt aſſerebat accepti, eius ampliori ſtimulatus fame per certum amicum *Wladislao* Regi & ſuis Baronibus ſingula machinamenta Reginæ detegit, propter quid & quale perficiendum opus miſſus ſit, ex ordine declarat, aurum quod ſibi per Reginam datum aſſerebat, quo maior daretur dictis ſuis fides oſtentat, arbitratus duplum ſe illius in præmium perfidiæ patefactæ, recepturum. *Vladislaus* Rex animum in vtramque partem grauem & immobilem gerens, in hominũ ſceleſtum, neq; gratiam, neq; pœnam, vtrumque iudicans iniquum, extendit, & Reginæ honorem ſeruans, quam nullatenus credidit, illud facinus cogitaſſe. Barones tamen *Vngariæ* abeuntem de Regis camera comprehenſum, ferreis forcipibus & ignitis carnes ſuas in publico ſpectaculo dilaniari, & tandem partiri in quatuor partes mandarunt, qui ſi mentitus eſt, nulli alteri debebat, quam ſibi & ſuis mendaciis pœnas illas deputaſſe.

Egreditur poſthæc *Vladislaus* Rex feria ſexta ante feſtum S. *Alexii de Buda*, & in *Albam Regalem* comitantibus cum Prælatis, Baronibus & Nobilibus vtriuſque Regni procedit, coronationem ad Regnum *Vngariæ* accepturus, & facto nocturno in *Peſt*, Sabbatho ad prandium in *Albam Regalem* aduenit, vbi per duos Barones *Vngariæ* hæredes de *Iaczk* ad id ſpecialiter ex *Buda* in *Wiſſegrodum* miſſos, arca quæ coronam Regni *Vngariæ* per *Eliſabeth* Reginam ablatam continebat infertur, & omnibus Prælatis & Baronibus *Vngariæ* & *Poloniæ* ad id ſpecialiter congregatis, arcam vero ſeu ciſtam prædictam temeratam, & ſigilla omnia quibus munita erat, fracta oſtendunt, qua aperta & omnibus apparamentis regalibus repertis, ſola corona ſublata fuiſſe comperta eſt.

Die Dominica S. *Alexii Wladislaus* Rex mane in Eccleſiæ *Albæ Regalis* iam multitudine completam deſcendit, & propter hominum preſſuram difficilem habuit ingreſſum. Vt autem liberius opus coronationis perficeretur, omnis multitudo de Eccleſia excluſa eſt, Prælatis, Principibus & Baronibus, Nobilibus vtriusque Regni inſignioribus duntaxat manentibus. Ciuibus autem *Budenſibus* admiſſis, qui ex veteri obſeruantia in coronatione Regum *Vngariæ* habent ius in armis intereſſe, & banderium vetuſtum Regni *Vngariæ*, dum perficitur coronatio, geſtare. Miſſa itaque de Spiritu S. per *Dionyſium* Cardinalem & Archi-Epiſcopum *Strigonienſem* inchoata, *Wladislaus* Rex omnibus veſtimentis ſuis regalibus, quibus ſplendide Eccleſiam intrauerat, exutus, quæ per Canonicos Eccleſiæ *Albæ Regalis* in continenti ſublata ſunt, primum benedicitur & inungitur, deinde ſandaliis ſeu caligis, calceis, humerali, alba, cingulo, ſtola manipulari, duabus dalmaticis, duabus armillis, pectorali, cappa, cruce legationis, ſceptro, vexillo, pomo rotundo, cum ſignificationibus & orationibus conuenientibus, inſignitur. Hæc autem omnia ornamenta vetuſta attrita, pro primi Regis beati *Stephani* coronatione præparata, & in illum diem conſeruata, plus venerationis & religionis habere exiſtimantur. Legationis autem crux ideo ſingulis Regibus *Vngariæ* in coronatione attribui aſſeritur, quod crux ipſa eadem in ſpecie ipſi Regi, primo S. *Stephano*, per ſummum Pontificem ad cohoneſtandum illum, qui gentem *Vngaricam* ad fidem Catholicam ſuſcipiendam induxerat, ea conditione transmiſſa, vt haberet facultatem Epiſcopis Regni ſui inueſtituras de Eccleſiis Cathedralibus conferendi. Ponitur poſthæc corona aurea de theca capitis beati Regis *Stephani* ſumta, in caput eius, iuramentum ſolitum de fideli adminiſtratione Regni per ipſum præſtatur, ſacramento Euchariſtiæ reficitur.

Wladislaus in Hungariæ Regem coronatur.

Cingit in loco alto ad id præparato milites opus coronationis, & miſſæ ſolennia per *Dionyſium* Cardinalem & Archiepiſc. *Strigonienſem* conſumantur, aſſiſtentibus ſibi *Sbigneo* expoſt Cardinali, tunc Epiſcopo *Cracouienſi*, *Ioanne Colocenſi* Archi-Epiſcopo, *Simone Agrienſi*, *Matthia Weſprimienſi*, *Waradienſi*, *Quinque Eccleſienſi*, *Segninenſi*, *Tranſyluanienſi*, *Nitrienſi*, & *Sirmienſi*, Epiſcopis. In hunc modum coronatione perfecta *Wladislaus* Rex nouus *Vngariæ*, iuxta ritum gentis illius, in omnibus regalibus apparamentis, ad Eccleſiam SS. *Petri* &

1440. & *Pauli* in foro ſitam, in qua ſepultus fuiſſe *Gieza* pater B. *Stephani* cum *Adleida* vxore ſua & Ducis *Poloniæ Miecislai* filia, matre B. *Stephani* memoratur, proceſſit, & in throno Regio ad id præparato inſidens, duas cauſas, quæ cæteris maiorem continebant iniuriam, audit, diſcutit, definit, & ſententiam ſuam debitæ mandat executioni, quod ea ratione obſeruari traditum eſt, vt Rex quilibet omnia opera ſua intelligat debere a iuſtitia ordiri, & fundari, & nullum officium eſſe æque Regi proprium, quam iuſtitiam colere & adminiſtrare, & eius authoritate inferiores a ſuperioribus, & quibuslibet iniuriis grauaminibus defenſare, aſcenſo poſthæc equo ciuitatem in gyrum circumit, & ad Eccleſiam S. *Martini* extra muros ſitam perueniens, turrim eius aſcendit, & vniuerſo populo inſpectante, gladium nudum in quatuor mundi partes, orientem, occidentem, meridiem & ſeptentrionem manu extendit, ſignificans *ſe Regnum Vngariæ, ab omni partium iniuſta inuaſione defendere velle & debere.* Quibus omnibus peractis ad Regiam reuertitur, & omnes Prælatos Baronesque regnorum ſuorum menſa exceptos, ſplendide reficit & honorat, reſiduum vero diei illius in lætitia magna, ludis, choreis, & plauſibus deductum eſt.

Audiens *Eliſabeth* Regina, quæ in ciuitate *Presburg* tunc morabatur, coronationem *Wladislai* Regis cum maximo omnium conſenſu eſſe perfectam, non valens verba continere & lacrymas, quas magnitudo doloris & paſſionis indices cordis effundebat. Fertur conditione *Polonorum* laudata, *Vngarorum* genti exprobraſſe; *O*, inquit, *gens maligna, gens perfida, non aduertis, non vides, quam inhumanum facinus edideris? Sed ſi culpam ſuam per ſe non cognoſcis, ex aliorum comparatione quanta ſit, agnoſce. Ecce enim vicina tibi Polonorum gens Dominum & Regis ſui filium, quamuis ætate ephebum, in paternum ſolium euexit, & hoc beneficio non contenta, vt aliud adipiſcatur Regnum, & geminato reſplendeat diademate, non vitæ, non quieti non fortunis indulget? Tu ordine transuerſo non auges Regis tui dignitatem, ſed detrahis?* Sic fata *Presburg* egreditur, vericta periculum, in *Auſtriam* venit, *Friderico Romanorum* Regi & *Auſtriæ* Duci, paruulum natum ſuum *Ladislaum* & coronam Regni *Vngariæ*, quam ex *Wiſſegrod* abſtulerat, commendat, *vt illum tanquam frater patruelis gubernet, & vices patris agat*, exorat. Conſentit *Fridericus Romanorum* Rex, & tam paruulum quam coronam in ſuam accipit tutelam & poteſtatem.

Eliſabeth Regina in Auſtriam fugit.

Wladislaus Vngariæ & *Poloniæ* Rex, feria ſecunda in craſtino S. *Alexij*, & vſque ad diem Veneris manſionem ſuam in *Alba regali* continuat, vbi inſtantibus Baronibus & multitudine Nobilium *Vngariæ*, *Simonem Agrienſem* Epiſcopum in Cancellarium Regni *Vngariæ* creat, & omnes literas, iura & priuilegia Prædeceſſorum ſuorum Regum *Vngariæ* literis ſuis ſub maieſtatis ſigillo confirmat, bene meritos Barones honoribus attulit & donationibus, arca cum inſignibus Regiis & corona noua in *Wiſſegrod* refertur, vt futuri Reges *Vngariæ*, quo prior corona aliquo caſu rehaberi non poſſet, illâ & non aliâ coronarentur. Prælati, Barones, Nobiles, totaque Communitas Regni *Vngariæ* publicis & claris literis, *Wladislaum* concordi electione in Regem coronatum pro Domino & Rege vero tenere, habere, eique fidem, obedientiam & ſubiectionem præſtare adſtringunt, nec vnquam eo viuente filium poſthumum *Alberti Ladislaum*, licet coronatum, nec quemcunque alium pro Rege recognoſcent. Hæ literæ per *Zbigneum Cracouienſem* Epiſcopum in *Poloniam* delatæ & theſauro illatæ regio, fidem facient, de his omnibus quæ ſuperioribus locis notata ſunt cuilibet dubitanti, quarum tenorem hic placuit inſerere. 1440.

Hungari datis litteris obedientiæ Wladislai ſe ſubiiciunt.

Tenor literarum.

In Nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis Amen. Nos Prælati, Barones, Milites, Proceres & Nobiles totius Regni Hungariæ cum efficaciſſima facultate communitatem eiusdem repræſentantes.

Ad perpetuam rei memoriam multum clarè cognitum coram noſtris conſtat obtuitibus, Prædeceſſorum noſtrorum conſumatis hucusque temporibus Reip. diligentiam & eiusdem vtilitatis operoſam aduertentiam, hoc in Regno felici fuiſſe actum ſolertia, & ex eiusdem directione tam prouida quam vtili non paruum imo maximum in Chriſtiana religione commodum viguiſſe. Quæ etſi plerumque vt temporum mutabilitate aſſolet, nunc impugnationibus diuerſis, nunc vero aliorum ſtimulorum iniectionibus in ſe immiſſæ aduerſitatis ſeminarium pertulerit, & fortunæ variæ ventilabro vtcunque agitata fuerit, æque tamen ſucceſſit ea, quæ ſemper, animorum identitas & voluntatum recuperata vnanimitas, vt hæc ipſa quæ viſa ſunt interdum ad publicam vtilitatem conducere, accuratius ordinari & diſponi, illa vero quæ communis taciturnitatis & diffidij materiam immittere agnita ſunt, prouidentiæ ſarculo extirpari & euelli ſolicitius curabuntur. Quo pacto & nos qui præſentium temporum dic curſum vitalem deducimus, opportunè arbitrati ſumus cum pari modo & per nos mutari operam debere, quatenus res huius Regni & noſtra iuxta modernorum qualitatem agendorum & temporum, ſicuti prouide ſit, & ſalubriter, regi, ac in melius, autore Domino, dirigi propenſius cognoſcatur. Siquidem mortuo nuper & de hac vita ſublato quondam Illuſtriſſimo bonæ memoriæ Principe Domino Alberto Romanorum ac huius Regni Vngariæ immediato, dum generali in ciuitate Budenſi congregatione celebrata, cognoſcentes Regnum hoc, quod plurimorum æmulorum & præcipue paganorum impugnatur incurſibus, ido-

1440. idoneo & habili Rectore carere non poſſe, miſſiſque communi voluntate aſſenſuque Sereniſſimæ Principis Dominæ Eliſabeth Reginæ Vngariæ, præfati quondam Domini Alberti Regis, relictæ, prout hoc ex literis eius clare conſtat, quam etiam omnium noſtrum ad ſereniſſimum Principem Dominum Wladislaum Regem excelſum Poloniæ ſolennibus ambaſſiatoribus & Nunciis noſtris, eundem tanquam Regem, Curatorem & Rectorem huius Regni communi deſiderio electum, ad hunc locum, primum pro honore Dei, & fidei ſanctæ catholicæ augmento, & demum pro vtilitate noſtra ad ſuſcipiendam coronam eiusdem Regni inuitaſſemus, & diligentius inſtantes induxiſſemus, quia tempore intermedio præfata Domina Eliſabeth Regina ex aduerſo æmulorum, & verius externorum hominum, inteſtini belli viam potius aperire quam præcludere cupientium, freta conſilio, & præſumtam intentionem remouens, ſatagensque & volens hoc Regnum & nos regimini infantuli, dicti quondam Domini Alberti Regis, nati poſthumi, hoc eſt, poſt eius obitum in lucem editi, parum noſtri & Regni eiusdem neceſſitati ſuccurrere potentis, ſubiicere, ad impediendumque prætactæ electionis & coronationis vtile opus, toto niſu anhelans, ſublata clandeſtine de caſtro Wiſſegrod Corona illa, qua hactenus Reges Vngariæ coronari ſoliti fuere, pridem ante dictum infantem vix adhuc trimeſtrem, præter omnium noſtrum voluntatem ad hoc ſponte concurrere debentium, atque contra conſuetudinem hucusq; in ſimili retentam, abſentibus etiam omnibus apparamentis ſacris, nec non gladio, ſceptro, pomo, & cruce legationis Sanctiſſimi Stephani primi Regis noſtri multo amplius in perniciem quam vtilitatem noſtram, cum eadem corona ſublata coronari (ſi ſic dignum eſt) fecit & procurauit, atque ipſam continuo coronam proh dolor vice verſa recludens ad locum hactenus nobis incognitum, in crudele omnium noſtrum derogamen, transmiſit ſeu aſportauit. Ob hoc nos nunc altera vice in multitudine tam copioſa, quanta memoria omnium præcedentium Regum coronationis tempore non comprehendit, congregati, matura plurium dierum deliberatione habita, ex quo corona illa ſupra tacta præuia ratione, vt opus erat, tam facile ex nunc haberi non potuit, volentes & conſultius cupientes neceſſitati noſtræ & Regni huius, cuius pro nunc confinia per inſultantium inimicorum, paganorum videlicet, & aliorum, morſus aſperos continuo lacerantur, opportune præuidere, conſiderantes etiam potiſſime, quod ſemper Regum coronatio a Regnicolarum voluntate dependet, ac efficacia & virtus coronæ in ipſorum approbatione conſiſtit, videntes nihilominus Regnum hoc idonei Regis feſtinatione carere non poſſe, eundem Sereniſſimum Dominum Wladislaum Regem pari voto & communi deſiderio alia corona aurea operis vetuſti Beatiſſimi Stephani Regis Apoſtoli & Patroni noſtri, in theca capitis reliquiarum eiusdem hucusque multa veneratione conſeruata, inſtituimus, diſpoſuimus, & decreuimus debere coronari, quam coronationem die hodierna inuocata ſuppliciter Spiritus S. gratia, & eiusdem, vt pie credimus, inſtinctu, cum peractione publica & manifeſta omnium illarum ceremoniarum quæ ad eandem & eius efficaciã & ſolennitatem concurrere debuerunt, induto præfato Domino Rege noſtro illis omnibus paramentis & indumentis Sanctiſſimi primi Regis noſtri, atque oblatis eidem ac manibus ſuis traditis, gladio, ſceptro, pomo, ac cruce legationis eiusdem Sancti Regis, nec non omnibus aliis neceſſariis absque omni defectu, præter ſolam ſublatam coronam prætactam, feliciter conſumauimus & præconceptum auſpice Deo conduximus effectum. Decernentes, pronunciantes, & declarantes per hæc ſcripta, ipſam modernam coronam & coronationem, omnem illam virtutem & efficaciam, illudque robur per omnia habere, & habituram, ac ſi prætacta prior corona capiti dicti Domini noſtri Regis fuiſſet impoſita, & per eandem, loco modernæ, hæc ipſa coronatio fuiſſet expedita, ita quod ipſa priori corona abſente, etſi eadem recuperari non potuerit, omnis deeſt & efficacia, ac quodlibet ſignaculum, myſterium & robur eiusdem in hanc modernam coronam intelligantur, & harum ſerie de omnium noſtrum, quorum coronæ merita diſcutere, probareque & improbare intereſt, voluntate cognoſcantur eſſe transfuſi, dantes nihilominus & pari voluntate & decreto tribuentes præfato Domino noſtro nunc coronato Regi, pleniſſimam illam facultatem & poteſtatis plenitudinem in faciendis gratiis ac donationibus & confirmationibus perpetuis, & ad tempus collationibus & locationibus bonorum & officialatuum atque immunitatum Officialibus & Baroniis Regni. Item in diſponendis Prælaturis ac beneficiis Eccleſiaſticis tam maioribus quam minoribus, ac recompenſandis meritis fidelium, quibuslibet quoque infidelibus, & delinquentibus, ſecundum vniuscuiusque demerita, puniendum, nec non in faciendis, emendandis & exercendis iudiciis, exercendumque, agendum, dirigendum & concludendum omnibus his, quæ ad Reges Vngariæ ſuos Prædeceſſores & eorum facultatem quomodolibet, conſuetudine videlicet, aut pertinuerunt, ac ſi idem præfatus priori nunc ſublata corona fuiſſet, vt moris extitit, coronatus. Propoſuimus tamen iſtis ſic ſtantibus eandem priorem coronam cum ipſo Domino Noſtro Rege vnanimiter toto poſſe & omni diligentia loco cognito conſeruationis eiusdem exquirere, atque dante Deo recuperare, adiicientes communi voluntate, quod in caſu, quo eadem corona prior huiusmodi diligentia noſtra, quod Deus auertat, recuperari non poſſet, extunc a modo in poſterum futuris ſemper temporibus vniuerſorum Regum Hungariæ huic ſuccedentium coronatio cum prætacta, alia puta moderna ſancti Regis corona, in ea ſolennitate, 1440.

prout

1440.

prout ſolitum eſt abſque omni immutatione peragatur. Voluimus conſequenter & diſpoſuimus, vt hæc ipſa corona moderna inclytum noſtrorum Regum inſigne, ſub diligentiſſima cuſtodia deinceps teneatur, & honorifice relinquatur, reputeturque hæc eadem corona illa priori abſente, & ſi eadem recuperari non poterit, ſufficiens & cum apparamentis & aliis attinentiis ſupra tactis per omnia competens ad omnium futurorum Regum coronationem faciendam. Hoc tamen ſpecialiter declarato, quod ſi Domino cooperante ipſa prior corona recuperari vice verſa poterit, eadem ſuis, decore, virtuteque & efficacia minime fruſtrata habeatur. Quinimo decreuimus eandem priſtino honori reſtitui, atque in locum priorem reponi. De hac autem moderna corona ſupra tacta tandem in iſto ſtatu diſponetur, prout ante dicto Domino noſtro Regi cum conſilio noſtro vtilius videbitur expedire. Ne autem reſpectu & diuulgatione prætactæ aliæ coronationis (ſi ſic dicenda eſt) nuper per præfatam Dominam Reginam, quoad antelatum infantem nobis extunc ut prædiximus inutilem factæ & habitæ, alicuius diſcordiæ hoc in Regno materia generetur, eandem pari decreto tanquam quæ præter omnium noſtrum voluntatem ſpontaneam peracta eſt, irritamus, & caſſamus, ac nullius volumus eſſe & dici efficaciæ & virtutis. Poſtremo vt hæc omnia præmiſſa tanquam vtilitati noſtræ communi in præſentis neceſſitatis tempore, per omnia congrua robur obtineant perpetuæ firmitatis, ne vnquam aliquorum prauis conatibus eadem retractari vel immutari valeant, ſtatuimus & pari decreto concluſimus & promulgauimus, præſentiumque ſerie promulgamus & decernimus, vt ſi temporum proceſſu aliquis vel aliqui coronæ Regni Vngariæ ſubditus ſeu ſubiecti, ſiue ex Prælatis, ſiue ex Baronibus aut militibus, ſeu Nobilibus ſit vel exiſtat, primum præmiſſa ex nunc multis rationalibus ex cauſis comprobatæ coronæ & coronationi demunire, aliis diſpoſitionibus, concluſionibus & ordinationibus ſupra ſpecificatis, ſeu cuipiam ex eis verbo ſerioſo aut opere & facto, ſuggeſtioneque & incitamento ſeu affectu, ſiniſtre, directe, vel indirecte, contraire vel contradicere, ſeu immutari, retractari, & in irritum reuocari procurare præſumſerit ſeu attentauerit, tales vel talis mox, poſtquam de eis vel aliquo horum contra ipſum, ſeu ipſos, certitudo veritatis conſtiterit, ii omnium honorum, humanitatiſque & dignitatum, ac nobilitatum amiſſione ablata, omni ſpe gratiæ obtinendæ condemnentur ſeu condemnati ipſo facto cenſeantur, quodque vltra hæc perpetuæ & indelebilis inſidelitatis crimen læſæ Maieſtatis, Reipublicæque turbatoris pœnam & iudicium incurrant, omneſque poſſeſſiones & bona eiuſdem & ipſorum omnium, eis denegata gratia, ad coronam & Maieſtatem Regiam deuoluantur & deuoluta intelligantur, harum noſtrarum, quibus ſigilla noſtra appenſa ſunt, teſtimonio literarum mediante. Datum in Alba Regali XVII menſis Iulij, hoc eſt die Dominico proximo poſt A *feſtum diuiſionis Apoſtolorum, anno Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo.* 1440.

Feria ſexta in die S. *Mariæ Magdalenæ Wladislaus* Rex ex *Alba Regali* egreſſus Sabbatho *Budam* peruenit omnibus proceſſionibus omnium Eccleſiarum, Clero & populo eum exigentibus cum gaudio, manſitque *Budæ* totam æſtatem & autumnum, negotiis & diſpoſitionibus Regni ſui *Vngariæ* ſemper intendens, aliquando tamen ad inſulam *Czepol* pro alleuatione laborum & tædiorum ſuorum, ad venationes diſcedebat. Et quia Cæſar *Tur-* B *corum* caſtrum *Albam Regalem* ſeu *Nander albam* in confinibus *Vngariæ* & *Raſciæ* ſitum, quod eſt quidam portus, & primus in *Vngariam* introitus, obſidione vallauerat, obſidionemque ipſam tribus iam menſibus continuauerat, exiſtimans illud in ſimilitudinem caſtri *Swiderow*, viribus, largitione, vel victualium defectu poſſe conquirere, mittit *Wladislaus* Rex militem *Petrum Lancziczki de Lankeſino*, ad illum, ſignificans ſibi, *qualiter Regnum Vngariæ adeptus eſt*, & requirens, *vt caſtri ſui obſidionem ſoluat, & Regnum ſuum Vngariæ armis impetere deſiſtat, amicitiamque quam prætendebat verbis, operis effectu demonſtret.*

Turcorum Cæſar Albam Regalem fruſtra obſidet.

Eam autem legationem *Wladislaus* Rex *Turcorum* Cæſari ideo facere voluit, non quod magno opere curaret, aut extimeſceret ſuam C potentiam, quippe qui caſtrum prædictum pluribus & animoſis gentibus fulcitatum, & *Ioannem* Præpoſitum de *Wrono* germanum *Matkonis* Bani, virum prudentem & induſtrium in eo Capitanei loco præſidere ſciebat, ſed vt animum Cæſaris *Turcorum*, qualis erga ſe eſſet, experiretur. Cum magna itaque difficultate & periculo, propter eorum, qui obſeruabant vias, barbaricam tyrannidem Nuncius Regius euadens, & ad *Turcorum* Cæſarem perueniens, legationis mandata exponit, & prudenti relatione nihil de eſſentialibus omittit. Cæſar ipſe reſponſionem tribus diebus clare diſtulit, nuntium Regium ad caſtrum tunc ſuæ ditionis *Swiderow* illic moraturum D tranſmittit, omnibus viribus, dolis, promiſſis & ingeniis pro conquiſitione caſtri vtitur, ratus ſibi tempus ita opportunum pro illius conquiſitione de cætero deſuturum. Vt autem facilius potiatur votis, magnam partem murorum bombardis demolitur, omnia foſſata caſtri lignis implet, caſtri defenſoribus huiuſmodi completionem ſtudioſe admittentibus, plures naues in *Danubio*, qui caſtrum ab vna parte circumfluit, hominibus armatis onuſtus locat, ſubſequenti die caſtrum per terram & mare impetiturus, (videbat enim promiſſionibus & largitionum ampliſſimarum oblationibus, quas iaciebat ſagittis *Bulgarica* lingua & literis conſcriptas in caſtrum, & quæ ad

1440. ad *Wladiſlaum* Regem in *Budam* originaliter deferebantur, animos gubernatorum caſtri nec frangi nec demolliri poſſe) Capitaneus autem caſtri *Ioannes* de *Surano* omnia quæ euenire in periculum caſtro poterant, ſummouere, & in hoſtium diſcrimen conuertere ſatagens, nocte ſubſequente bombardarum pulueribus ligna infoſſata per *Turcos* proiecta commiſcet, & largo puluere ligna ipſa in locis abditis conſternit. Dum igitur altera die *Turcorum* exercitus, quaſi ſecultæ, impetum per terram & aquam contra caſtrum facerent, & multitudine ſperarent vincere, foſſata lignorum, quæ pridie lignis impleuerant, ſupergrediuntur cum immenſis cohortibus & clamore, & dum caſtri defenſores ex propoſito diſſimularent eos repellere, duplicatur eorum numerus, & omnibus accurrentibus, pauoremque caſtellanorum, non diſſimulationem prætendentibus, dum aliqui ex illis ſcalis muros caſtri conſcendere niterentur, opportuniori viſo tempore caſtrenſes emittunt faces, titiones, carbonesque ardentes de muro, & ſubito in multis & variis locis aſcenſis pulveribus *Turci* flamma & fœtore repentino ſuffocantur, & per ligna iam ardentia, quæ ipſimet congeſſerant, conſumuntur. Cæteri ſucceſſu tali perterriti nec murum contingere auſi ſunt. Hi vero qui ex aqua in nauibus pugnabant, non blandiorem fortunam experti ſunt, plures enim naues fulmine bombardarum a caſtro percuſſæ, ab aquis abſorptæ ſunt, aliæ impetu ventorum, ad murum caſtri, qui notabiliter in alueos *Szawe* & *Danubii* protenſus eſt, appulſæ, per caſtrenſes captæ. Conflictus autem & certamen huiusmodi ab hora prima diei durauit vsque in veſperam, & animos *Turcorum* ſpe potiundi caſtri alacres ſucceſſu ſuo perterruit & confregit. Cæſar *Turcorum* magna clade taliter accepta, ſex menſibus in caſtri obſidione incaſſum exactis, motis caſtris in terras ſuas confuſus abiit. Multos tamen vtriusque ſexus homines ſub tempore obſidionis in terra *Septem caſtrenſi* comprehenſos, in ſeruitutem miſerabilem abduxit, nec prius, niſi ſoluta obſidione, *Petrum Lancziczki* ad *Wladiſlaum* Regem remiſit, denuntians per illum, *vt ſi pacem vellet, caſtrum Albanander, a quo repulſus erat, ſibi reſignaret & terris Raſciæ cederet.*

Sbigneus Cardinalis reuertitur in Poloniam

Rebus coronationis & aliis publicis pro maiori parte conſummatis *Sbigneus* Cardinalis & Epiſcopus *Cracouienſis*, obtenta licentia ad propria reuerti cœpit, exiuitque de *Buda* feria ſexta poſt feſtum S. *Iacobi* Apoſtoli, quæ fuit dies 29. menſis Iulii, & ibat per *Czosnek*, *Orwan*, *Reueſch*, *Serencze*, *Potak*, *Wronow*, *Strzobkow*. Verum dum die Dominico, in *Kieweſch* veniſſet, oppidani, qui per gentes regias, aut euntes in *Budam*, aut ex *Buda* in *Poloniam* redeuntes in plateis eorum violenta receptione multipliciter offendebantur, receptionem rerum ſuarum in ipſo Cardinali & ſuis facere conati ſunt, & *Ioanne* de *Sienno* in comitatu ipſius Cardinalis exiſtente, repetitionem rerum ſuarum interpoſitis minis flagitabant, propter quod ex altercatione mutua ſeditio extemplo coorta eſt, & pugna in pluribus locis per oppidanos familiam Cardinalis aut eos, qui ſecum in comitiua redibant impetentibus, accenſa, Cardinalis in equo, familia eum ab omni parte protegente, periculum euaſit, quo ex oppido recedente, maior tumultus conſurrexit, dum familiares ſui inuicem glomerati pugnam cum oppidanis inirent, accenſum eſt poſthæc oppidum, & oppidani gazis ſuis metuentes, in fugam verſi, telis plures vſque ad mortem obtriti ſunt, media pars ciuitatis cum Eccleſia incendio conflagrata. De familia Cardinalis & his, qui ſe comitabantur, nullus mortuus, ſed plures vulnerati extabant. In *Poloniam* ipſe Cardinalis circa *Iaſliska* & *Rimanow* viſitata *Zophia* Regina, quæ tunc in *Zanok* agebat, & expoſitis ei omnibus rebus, quæ in *Hungaria* contigerant, & ordinata erant, in die S. *Hippolyti* tredecima Auguſti venit *Cracouiam*, vbi a ſuis Prælatis, Canonicis ac vniuerſa ciuitate *Cracouienſi* cum magno excipitur gaudio, quem poſtea *Ioannes* de *Tancrin* Palatinus *Cracouienſis* ſecutus eſt, & poſt paucos dies videlicet die S. *Bartholomæi* in *noua Ciuitate Korczin*, in præſentia *Zophiæ Reginæ* conuentio particularis habita eſt, cui ipſe *Sbigneus* Cardinalis & *Ioannes* de *Tanczin* Palatinus *Cracouienſis* interfuere, vbi tractatum fuit, de mittendo ſubſidio *Wladiſlao* Regi in *Vngariam*, & expoſt quoque pro die S. *Mariæ* natalis in prædicta *noua ciuitate Korczin* iterum alia conuentio per Barones habita, ad quam ipſe *Sbigneus* Cardinalis multipliciter per Barones, quorum tunc non parua frequentia conuenerat, rogatus propter infirmitatem ſuam grauem ex aëre *Hungaricali* & aqua regionis illius, quam vino miſcebat, contraxerat, deſcendere non potuit, in qua concluſum, vt in ſubſidium *Wladiſlao* Regi quilibet laneus agri in terris *Cracouienſibus* vnum fertonem ſolueret, & Nobilis quilibet cmetones non habens, & ſcultetus, vnam marcam. Exempti tamen erant omnes Barones & Nobiles atque cmetones eorum, qui perſonaliter in ſubſidium *Wladiſlao* Regi erant tranſituri. 1440.

Subſidia Wladiſlao Regi procurantur

Caſimirus

Agente *Wladiſlao* Rege in *Vngaria*, *Caſimirus* germanus ſuus in *Lithuaniam*, Ducatum magnum gubernaturus, proceſſit, ex theſauris Regalibus *Cracouiæ* omnibus neceſſariis, equis, curribus, veſtimentis, clenodiis abunde expeditus, cum Principum & Baronum exercitu, gradiebatur, erant autem in comitatu ſuo Duces *Maſouiæ*, *Caſimirus* & *Boleſlaus*, *Ioannes* de *Czizow* Caſtellanus & Capitaneus *Cracouienſis*, *Dobeſlaus* de *Oleſchnicza*, Palatinus *Sandomirienſis*, *Striczko* Palatinus *Podoliæ*,

War-

1440. *cum magno comitatu in Lithuaniam proficiſcitur,*

Warſchius de *Oſtrow*, Caſtellanus *Lublinenſis*, *Sienko* Caſtellanus *Leopolienſis*, *Iacobus Woiniki*, *Cracouienſis*, *Ioannes Rey S. Michaelis* in caſtro *Cracouienſi* Præpoſiti, *Derslaus* de *Ritwiany Chelmenſis*, *Ioannes* de *Sczekoczin*, *Lublinenſis*, Capitanei, *Ioannes Kuropatwa*, Succamerarius *Lublinenſis*, *Albertus Minchowski*, & multi alii Barones & nobiles, egreſſus ex *Cracouia*, feria ſexta ante feſtum Pentecoſtes egit feſta Pentecoſtes *in noua Ciuitate Korczin*, apud matrem ſuam *Zophiam* Reginam, & pro die S. Trinitatis venit *Sandomiriam*, deinde proceſſit in *Lublin*, vbi omnes *Poloni* ſecum in *Lithuaniam* ituri conuenerant: Exiſtimatus eſt de electis militibus plus quam duo millia haſtatorum habuiſſe; ex *Lublin* verſus *Brzeſcie* proceſſit, deinde in *Bielsko*, & cum ſtationes ſuas circa fluuium *Swislosz* ageret, Dux *Michael* filius occiſi Ducis magni *Sigiſmundi*, & nepos *Withawdi* ex *Grodno*, quod tunc pro illo tenebatur, cum quingentibus equitibus *Caſimiro* occurrit, & munera ſibi & ſuis obtulit, obedientiam & fidelitatem præſtitit. *Et vt eum Caſimirus circa iura patrimonii ſui, & inſcriptiones, ac priuilegia conſeruaret, iniuſtamque patris ſui necem vlciſceretur*, humilimis ſuis precibus rogauit, quem Dux *Caſimirus* humaniter ſuſcipiens, *bono animo eſſe* iuſſit. Ex *Swislosz* proceſſit in *Dubno*, vbi vndam fluminis *Niemen* tranſiit, illic ab vniuerſis Principibus, Baronibus & Nobilibus *Lithuaniæ* ſuſceptus eſt, inter quos erant *Oliesko*, Dux *Kiouienſis*, *Georgius Siemonowicz*, *Waſilo Putata*, *Obotko Coributh* Duces, *Goſtorodus Moniwid*, Petrus *Montigerdowicz*, *Sienko Giedigoltowicz* Barones, & alii plures *Ruſſiæ* & *Lithuaniæ* Boiari. Ex *Dubno* per *Waſiliski*, *Radunia*, *Achikaski*, *Nowidwor*, & alia loca directiora in *Wilnam* peruenit. Cui *Wilnam* venienti, a *Matthia Vilnenſi* Epiſcopo, a *Ioanne Hoſtik* Caſtellano *Wilnenſi*, & *Ioanne Dorgerth* Palatino & Capitaneo *Wilnenſi*, omnique Clero & Populo, obuiam itum eſt, fuitque ſua Serenitas cum maximo honore, gaudio, & reuerentia, tubarum clangore in caſtrum *Wilnenſe* introducta. Primo autem Eccleſiam Cathedralem S. *Stanislai* ingreſſus, gratias Domino Deo de donis plurimis, & ſignanter, quod eum incolumem & exercitum ſuum illuc perduxit, egit, in ſignum autem lætitiæ aduentus ſui, clementia Dei per canticum TE DEVM LAVDAMVS, per ora cleri laudabatur. Multa autem caſtra tunc adhuc pro Duce *Michaele*, videlicet *Grodno*, *Brzeſcie*, *Lida* &c. tenebantur, propter quod nec *Caſimirus*, dum iret ex *Polonia* in caſtrum *Brzeſcie* fuit intromiſſus, per *Onaczonem* eiuſdem caſtri tunc Capitaneum, qui cum plurimis aliis *Lithuanis* & *Ruthenis* Duci *Michaeli* propter patris Ducis magni *Sigiſmundi* beneficia in eos collata, & vniuerſa terra *Samogitiæ* vehementer & publice fouebant.

Dum igitur *Caſimirus* Dux diebus aliquot fuiſſet *Wilnæ* commoratus, & ex omnibus terris Ducatui magno ſubiectis, Barones ad illum confluxiſſent, petebant Prælati & Barones *Lithuaniæ* a Baronibus *Poloniæ*, in quorum authoritate & conſilio Dux *Caſimirus* adhuc conſiſtebat, *quatenus præfatum Ducem Caſimirum in magnum Ducem Lithuaniæ aſſumi, eleuari & publicari conſentirent.* Barones vero *Poloniæ* nullatenus in hanc conditionem, tanquam eis per *Wladislaum* Regem, Prælatoſque & Barones Regni *Poloniæ* prohibitam, aliqua prece vel perſuaſione poterant ad conſentiendum induci, quin imo Prælatos & Barones *Poloniæ* vigore communium inſcriptionum conueniunt, & requirunt, *ne contra ordinationem Wladislai Regis, Prælatorumque & Baronum Regni Poloniæ*, *Caſimirum pro Duce magno, ſed pro vicario Regio, donec Wladislaus Rex aliter diſpoſuerit*, *publicent & aſſumant.* Prælati vero & Barones *Lithuaniæ* periculum ſibi & ſuæ parti imminere maximum, a parte altera, quæ Ducem *Michaelem* depoſcebat, rati, ne ſi Dux *Caſimirus* pro priuato Vicario & non pro magno Duce ſe gereret, Dux *Michael* Ducatum magnum *Lithuaniæ Polonis* recedentibus, occuparet, atque in eos tum pro nece patris, tum pro fracta fide & iuramento (omnes enim ſcitum erat ſibi viuente & agente patre fidelitatis & obedientiæ iuramenta præſtitiſſe) paterno more ſæuiret. Turpe inſuper aſtruebant Duce magno & titulo ad arbitrium *Wladislai* Regis tunc extra *Poloniæ* Regnum agentis, quod longo an breui tempore duraret, incertum erat, carere, his & aliis conſiderationibus incenſi, & præſertim ciuile bellum veriti, dum Barones *Poloniæ* intelligerent, nequidquam a ſententia diſtrahi poſſe, quodam mane Baronibus *Poloniæ* lecto quieſcentibus & nihil tale quidpiam ſuſpicantibus, Ducem *Caſimirum* aſſumunt, & in Ducem magnum *Lithuaniæ* eleuant, pronunciant, decantant. Hac publicatione non obſtante caſtrum ſuperius *Troki* in lacu tenebatur nihilominus pro Duce *Michaele*, per *Michaelem Goligin*, qui non potuit perſuaderi aut molliri vt illud reſignaret, niſi habito Ducis *Michaelis* conſenſu, vnde ſæpius, ſed fruſtra, proiectæ fuerant contra illud machinæ, quod tandem nihilominus in poteſtatem Ducis *Caſimiri*, traditum eſt. Ad Ducem inſuper *Iwan Czartoryiski* Ducis magni *Sigiſmundi* interfectorem *Ioannes Sozechocki* Capitaneus *Lublinenſis* mittitur, requirens nomine Ducis *Caſimiri* ab eo caſtri maioris *Troki* & theſaurorum reſignationem: qui ad requiſitionem ipſam *facturum* ſe reſpondit, *dummodo ſibi de plena ſecuritate per Barones Poloniæ fiat ſponſio*, quam maioribus Baronibus *Poloniæ* clare recuſantibus, & id quod poſtea accidit verentibus, iuniores Nobiles *Poloniæ* illam præſtitere, qua obtenta Dux ipſe futurum ſe

1440. *& a quibuſdam magnus Dux creatur.*

1440. ſe in poteſtate Ducis *Caſimiri* cum caſtro & theſauris repromiſit.

Præſumtionem præmiſſam tam *Caſimiri* A Ducis,quam Prælatorum & Baronum *Lithuaniæ* & *Ruſſiæ*, Barones *Poloniæ* ſibi præſentes, quamuis inhibere non poſſent,nunquam probauerunt; ſed & *Wladislao* Regi erat plurimum & odioſa & moleſta, & ob id nec ipſe *Wladislaus* Rex, nec Prælati Baroneſque *Poloniæ* ipſum *Caſimirum* Ducem magnum *Lithuaniæ* comminabant. Et quamuis Dux *Caſimirus* prædictus per notabiles nuncios crebro *Vngariam* cum ampliſſimis donis miſſos,apud *Wladislaum* Regem precibus & ſupplicationibus aſſiduis inſtitiſſet, *quatenus illum in Ducatu magno confirmari ſuis literis & titulo eiusdem Ducatus ipſum,cum alium propinquiorem non haberet, inſigniret*, nunquam tamen ipſe B *Wladislaus* Rex quibuscunque inſtantiis aut precibus adduci potuit,vt ipſi Duci *Caſimiro* Ducatum magnum & eius titulum conferret, preceſque Ducis *Caſimiri* dilatione aduentus ſui in Regnum *Poloniæ* ſuſpenderet. Cogitabat & deliberatione ſua firmabat prudens Rex,& Regni ſui *Poloniæ* feruidus amator, captato tempore,rebus *Vngariæ* in pace compoſitis,*Poloniam* redire,& in *Lithuaniam* deſcendere,atque Duci *Michaeli* portione ſua ſatisfaciendo, ſuo & Prælatorum Baronumque *Poloniæ* iuramento aſſignata, certis caſtris videlicet *Brzeſcie* & *Krzemieniecz* pro ſe & Regni ſui *Poloniæ* reſeruatis,terra etiam *Drohizenſis* Duci *Maſouiæ Boleslao* confirmata reſiduitatem C duabus *Lithuaniæ* & *Ruſſiæ* ipſi *Caſimiro* Duci aſſignare,quatenus Ducatus ipſe in plures partitus,acciperet in his terris, quæ nondum cultæ ſunt,augmentum, & Regibus *Poloniæ* atque Regno,cui ſubjectus eſt,taliter diminutus, calcitrare non auderet.

Accepta Dux *Czartoryiski* Ducis magni *Sigismundi* occiſor *Caſimiri* Ducis magni *Lithuaniæ*,facta ſibi per aliquos Barones *Poloniæ*, ſecuritate,veritus, ne circumuallaretur, in caſtro *Troki* inferiore in oppido ſito,quod adhuc occupatum tenebat per amicos & fauentes ſibi,dari ſibi per *Caſimirum* Ducē veniā impetrat, ipſum Ducem *Caſimirum* ſuis tamen aſſecura- D tus literis perſonaliter accedit,culpam ſuam coram eo & Prælatis Baronibuſque *Poloniæ*, *Lithuaniæ* & *Ruſſiæ* pluribus verbis extenuat, *non pœna aliqua, quinimo præmio & honore, quod tyrannum & crudelem peſtem patriæ & bonorum omnium hoſtem occiderit, ſe dignum* putat, *illum enim multos viros Catholicos, dominiorum ſuorum Barones inſignes gladio ſine cauſa damnaſſe* commemorat, *illum Dæmonibus ſanguinem humanum cum beſtiali permixtum litaſſe,iuxta Pithoniſſarum doctrinam omnia ſua agenda ordinaſſe,canes hominibus prætuliſſe, in magna caritate frumenti exegiſſe a ſubditis frumentum fame pereuntibus, & illud ſuis horreis & promtuariis incluſiſſe, quod horrea & promtuaria capere non poſſent, aquis merſiſſe; illum ſtupra, inceſtus, adulteria, ſpolia, homicidia crebra feciſſe, illum nunquam Regno Poloniæ fidelem fuiſſe, multa alia abominabilia, etiam vix dictu credibilia, certis probationibus egiſſe* demonſtrat,ſingulaque crimina in ſcriptis redacta repræſentat,quæ & per *Matthiam* Epiſcopum *Vilnenſem* & *Lithuaniæ* Barones atque *Ruſſiæ* recognita verificabantur. Dux ipſe *Czartoriyski* in gratiam recipitur,caſtrum *Troki* reſignat,altera die facto in eum inſultu violento,omnibus bonis ſuis,quæ de theſauro Ducali acceperat, ſpoliatur, & niſi defenſus eſſet per Barones *Poloniæ*,etiam vitam cum fortunis amiſiſſet, Barones *Poloniæ* accepta licentia tenuibus per Ducem *Caſimirum* honorati muneribus in *Poloniam* reuertuntur, pauci qui remanſerant odio & arte *Lithuanorum* tempore ſuccedente excluſi ſunt,veriti ne natiuo affectu plus eſſet *Polonis* quam *Lithuanis* affectus,officiales *Lithuanos* adiungunt, & ipſum linguam & mores inſtruunt.

Exiſtimans *Wladislaus Vngariæ* & *Poloniæ* Rex, Regnum *Vngariæ* nullis bellis inteſtinis propter eorum animorum concordiam, quam Prælati & Barones *Vngariæ* vultu & verbis præ ſe ferebant, poſſe feruere, non ſolum *Sbigneum* Cardinalem Epiſcopum *Cracouienſem*, & *Ioannem de Thanczin* Palatinum *Cracouienſem*, ſed & alios Barones petentes regreſſum *Poloniam* remittit,quorum receſſu & *Eliſabeth* Reginam & alios plures Prælatos & Barones, vt *Wladislaum* bello ex omni parte impetant, animat & accendit. Primum itaque Regina prædicta ciuitates *Koryce, Bardeiow, Lubocza, Kremnicza* ſibi & parti ſuæ conciliat,ſacramento illas vt ſibi fideles ſint adſtringit, *Ioannem Iskra Bohemum*,quem *Wladislaus* Rex de captiuitate nuper abſoluerat, per ſuas gentes, *Pancratium* & *Michaelem Oriak* in prælio particulari captum eis in Capitaneum præfecit, qui ſtipendiariis ex *Bohemia*, *Morauia*, *Auſtria* & *Sileſia* accerſitis,quoslibet fideles & *Wladislao* Regi obedientes,igne,ſpolio,præda, captiuitate,a fide & obedientia *Wladislai* conantur abducere, ciuitatem *Epperies* ſub obedientia Regia conſtitutam,abſtrahunt & in ſuam deducunt ſequelam. Magnum fit ſæpe inter Capitaneum de *Keſmark Nicolaum* de *Peren* & gentes ſuas, atque inter *Bohemos* certamen, ſæpe vincunt hi,ſæpe vincuntur. Flagrat terra *Scepuſienſis* igne, & vna pars alterius bona ad homagium & tributum ſoluendum compellit, quieſcit negotiatio, licentia prædis & furto aperitur. *Ioannes Iskra* ſemper aliquid noui moliens caſtrum *Skaruſch*, quod erat *Ioannis de Peren* Capitanei in *Keſmarg* dictum *Kiſczig*, quod plurimum ciuitati *Caſſouienſi* imminebat, obſidione cingit, & factis multis ſubterraneis foſſatis, funditus euertit. In hunc modum caſtra vicina, aut dolo,aut arte,aut vi plura capit,& fortunæ elatus

Eliſabetha Regina turbas mouet. 1440.

1440. tus muneribus Comitem ſe de *Skaruſch*, & *Ladiſlai* Regis ſupremum Capitaneum nominat, ciuitates prædictæ conatus ſuos plurimis A pecuniis adiuuant, ſingulos introitus regios ſibi ſoluunt. Numiſma aureum & argenteum apud *Kremnicza* nomine *Ladiſlai* Regis operatur. Deinde Regina prædicta *Ladiſlaum* Banum multis precibus & promiſſionibus ſollicitat, & vt bellum a parte altera *Wladiſlao* Regi ſuſcitet, inducit, qui negotium (erat enim non tam prudens quam gloriæ cupidus) temerato iuramento ſuſcipit, & multos alios Barones magnarum opum & iurium, & ſignanter *Ianum Woidemrich* iugo *Polonorum*, & plures alios, imo fere omnes partium *Sclauoniæ* Barones & Nobiles ad eandem ſenten- B tiam pertrahit, alios autem ſola inuidia, propterea quod *Simon Agrienſis* Epiſcopus apud Regiam maieſtatem valebat, in rebellionem induxit. Eadem eſt cunctis intentio & voluntas *Wladiſlaum* Regem Regno *Vngariæ* pellere, & omnes ſuos fideles & adhærentes ſpoliare vita & fortunis. Congerit itaque *Wladiſlaus* Banus prædictus contra caput Regis ſui, quod quondam pro capite ſuo promouerat, & vitæ primum illum, deinde libertati reſtituerat, magnum ex Baronibus præcipuis & bellatoribus non ſpernendum, & fortem exercitum, & pluribus illum quo certior ſit victoria, nobilitat bellicis apparamentis, concipit animo certam victoriam, quantum C armis & arte valeat *Eliſabeth* Reginæ denunciat, experimenta diuinæ vltionis & prouidentiæ, quibus innoxiis libertatis noxios iisdem pœnis, quas illis inferre deſtinabant, ſolent contradere, repente ſuſcepturus, quæ eadem certitudine de victoria concepta, *Strigonium* venit: iam enim *Dionyſius Strigonienſis* Cardinalis & Archi Epiſcopus a fidelitate *Wladiſlai* Regis temerato iuramento, nec, quem pridem in Regem *Vngariæ* vnxerat & coronauerat, attendens, partes *Eliſabeth* Reginæ ſequebatur, commoratur in *Strigonio* diebus pluribus euentum belli futuri, quod *Ladiſlaus* Banus agebat præſtolando, ea intentione & propoſito, vt parta per *Ladiſlaum* Banum, quam geſtare manu credebat, victo- D ria, *Wladiſlaum* Regem cum his gentibus, quas in *Iaurino* tenebat, & aliis ex *Buda* pelleret, aut *Budæ* ſi excedere nollet concluderet. De tot & talibus inſidiis *Wladiſlaus* Rex certior factus, facto non conſulto, in tali periculo opus eſſe ratus, *Nicolaum Friſtaczki & Ioannem* de *Hunniad*, contra *Ladiſlaum* Banum prædictum & ſuam ſocietatem, dato illis exercitu tranſmittit, quibus etiam omnes Curienſes ſuos *Vngaros* & *Polonos* adiungit, ita vt exercitus Regius *Ladiſlai* Bani exercitu eſſet non inferior. Conuenit itaque exercitus vterque circa oppidum *Batta*, & facit congreſſum, durat pluribus horis certamen, & omni pugnatur per vtrumque exercitum marte.

Tandem Deo bono, qui omnium iniuriarum ſeuerus eſt vltor, largiente, frangitur *Ladiſlai* exercitus, *Bathosz Andreas* cum multis notabilibus occiditur. *Woidemrich* & cæteri, quibus fortuna belli pepercit, capiuntur. Exinde *Ioannes* de *Huniad* vix antea cognitus, nomen quæſiuit, homo obſcuro loco natus, ſed celſioris animi, & magnarum rerum cupidus, quem *Wladiſlaus Poloniæ* & *Vngariæ* Rex ex obſcuro atque inopi clarum atque opulentum effecit. Dux ipſe belli & autor tantorum funerum *Ladiſlaus* Banus fuga ſaluatus eſt, immeritum ei munus præſtante fortuna, ad Reginam in *Strigonium* anhelus venit, caſum ſuum & ſuorum ſignificat. Regina ex ſpe magna decidens iterum illum, *vt bellum reſumat, aut ſibi centum millia florenorum pro inſtaurando per alios bello mutuet*, lachrymis & precibus rogat, ſed neutrum impetrat, neque enim belli fortunam amplius tentare *Ladiſlaus* Banus, nec tantum aurum incaute effundere vtile putat, ex *Strigonio* diſſimulato tranſitu Reginæ in *Iaurinum* reuertitur, qui ſi euaſiſſet ſuperior, magnum terrorem & regi & Optimatibus incuſſiſſet, tanquam ad omne audaciæ facinus prorupturus. *Vladiſlao* Regi captiui præſentantur, quos aliquibus diebus vinctos tenens liberalitate & bonitate ſua relaxat, & tanto beneficio eos ſibi adeo conciliat, vt maiori illum de cætero amore & deuotione colerent, quam hoſtili animo ante oderant. *Ladiſlaus* Banus fluctuans vario æſtu mentis conſcientiæ ſuæ & ingratitudinis affligitur facibus, non ſolum *Wladiſlaum* Regem, cuius clementiam expertus erat, ſed eos quos ad pugnandum induxerat, metuens, quaſi vagus factus ſuper terram hinc inde gyrabat. Dum igitur vice quadam cum *Eliſabeth* Regina ad *Fridericum Romanorum* Regem in nouam Ciuitatem veniret, per ipſum *Fridericum Romanorum* Regem capitur, & longo tempore in moleſtiis captiuitatis tenetur. Et quamuis *Wladiſlaus* Rex acceptæ ab eo iniuriæ oblitus, pro ſua liberatione ſeptuaginta millia florenorum ſummam pendere voluiſſet, ipſe tamen carcerales tenebras perferre coactus eſt, indignum vt reor exiſtimante fortuna, vt vitia patratæ ingratitudinis non pependiſſet.

1440. *Sed exercitus eius a Wladiſlao Rege vincitur.*

Domeſtico bello & periculoſo taliter confecto, pacis quæ turbata erat dulcedo, redditur, & exercitus regius ad *Sclauoniæ* partes tranſiit, quas etiam *Wladiſlaus* Rex miſſo illuc *Nicolao* Decano Cracouienſi in ſua fide & deuotione amplius confirmat Duces victoriæ *Nicolaum Friſtaczki* & *Ioannem* de *Hunniad* donatione multarum poſſeſſionum attulit & locupletat, vtrumque Woiwodam *Tranſyluanienſem* creat. Et quia *Ioannem* de *Hunniad* videbat militem animoſum, & virum in armis magni pretii, non attenta conditione ſua, quæ tunc erat humilis & exigua, ſola virtute illius de-

1440. delectatus, ipſum contra *Turcos* Capitaneum ordinat, & caſtra omnia *Turcorum* terris vicina ſibi dedit in tenutam, nec *Wladiſlaum* Regem iudicium ſuum fefellit. Ipſe enim *Ioannes* de *Huniad* bello contra *Turcos* adminiſtrando ſuſcepto, ſæpe cum illis particularibus prælijs congreſſus, multas ex illis præclaras victorias retulit, & ſuperbas eorum acies, licet cum ſuorum aliquali diſcrimine, ſæpe confregit, ita vt in breui tempore fama magna quæſita charus Regi, charus Baronibus *Hungariæ* apud proprios & hoſtes celebris habebatur.

Io. Hunniad fit celebris.

Sub idem tempus per Prælatos & Barones terrarum *Cracouienſium* duæ habitæ ſunt in *noua ciuitate* conuentiones, in quarum altera pro feſto S. *Bartholomæi* habita, deliberatum eſt, tam in pecunijs quam in gentibus ſubſidium *Wladiſlao* Regi in *Hungariam* mitti, ſcientibusque omnibus decretum, vt quilibet kmetho de laneo ſoluat vnum fertonem, & quilibet Nobilis kmethones non habens, item quilibet ſcultetus vnam marcam. Hæ pecuniæ repente colliguntur, & nouus ex *Polonis* comparatus exercitus *Wladiſlao* Regi in ſubſidium deſtinatur. Fuerunt autem ſponte ſua perſonaliter *Ioannes* de *Thanczin* Palatinus *Cracouienſis*, *Ioannes* de *Oleſchnicza* Caſtellanus *Sandomirienſis*, *Hriczko Kerdeiowicz*, Palatinus *Podoliæ*, *Ioannes Woiniczki* de *Sienno* Capitaneus *Sandomirienſis*, *Derslaus Ritwanski* & plures alij milites & Nobiles *Poloniæ*, & aucto exercitu in *Vngariam* progreſſi caſtrum *Capuciany* prope *Bardiowe* & oppidum *Epperies* premebant, ſed mandato Regis accepto, ſoluta obſidione, ad *Wladiſlaum Budam* incolumes perueniunt, quibus *Wladiſlaus* Rex obuiam perſonaliter exiit, & eos ſuſcepit, mirantibus Baronibus *Vngariæ*, quod in tanta multitudine & apparatu exercitus *Poloniæ* pro ſubſidio Regio aduenisſet.

Subſidia Wladiſlao in Hungariam mittuntur.

Bohemi qui *Alberti* Regis cauſa bellum conflauerant ciuile, morte eius cognita, dum & *Caſimirum* Ducem, *Wladiſlai Poloniæ & Vngariæ* Regis germanum, ſenſiſſent Ducatus magni *Lithuaniæ* regimen aſſumſiſſe, & Regnum *Bohemiæ* propter crimen hæreſeos faſtidire, apud *Pragam* conuentu habito vnum totius Regni corpus ſedatis odiis efficiunt, pro eligendo Rege diem dicunt. *Rokiczina* qui dudum apud *Gretz* exul morabatur, *Pragam* reuerſus more ſuo inſaniens & Papam vniuerſamque Eccleſiam blaſphemans, apud ſolos *Bohemos* veritatis Sacramentum aſſerit conſiſtere, paruulis ac dementibus tam corporis quam ſanguinis *Chriſti* Sacramenta præbet, ſacerdotes ſuæ temeritati aduerſantes ciuitate pellit, denegantibus ſub vtraque ſpecie communicare, ſepulturam Eccleſiaſticam interdicit; error amplior priore, & facies damnati ſchiſmatis videbatur rediiſſe. *Eliſabeth* Regina legatos ad *Bohemos* comitia noui Regis expedituros mittens, orat, *Sigismundi & Alberti Regum meminerint, nepotem, filiumque non reſpuant, fœdera cum Auſtralibus percuſſa auſcultent, pupilli atque orphani miſereantur.* Et quamuis a nonnullis læto fauore legatio Reginæ excepta fuerit, nemini tamen ſatis placebat, infantem Regno inutilem in Regem aſſumi, qui antequam adoleſcat longum tempus effluxurum. *Ladislao* itaque Regis *Alberti* poſthumo reprobato, *Albertus Bauariæ* Dux *Bohemiæ* Rex declaratur. Mittuntur ad eum Primores Regni, inter quos *Vlricus Rocemberski* primarius fuit, qui, licet *Alberti* partes olim defenderit, huius tamen ſententiæ ſuaſor extiterat. *Albertus Bauariæ* Dux inſigni modeſtia vſus, & a *Friderico Romanorum* Rege, *ne Bohemiæ Regimen ſibi velut alienum uſurparet*, admonitus, preces *Bohemorum* contemnens, oblatum regnum ſpreuit, maiorem ſe ſpreto Regno monſtrauit. *Bohemi* a *Bauaro* repulſi, noua dieta indicta, legatos ad *Fridericum Romanorum* Regem mittunt, petentes, *vt tutorio nomine Ladislai Regnum ſuſcipiat*, ſuggerunt nonnulli & ſignanter *Ptaczek*, *vt ſeipſum Regem faciat*. Sed *Fridericus* Rex ſciens *Bohemos*, niſi largitiones amplas accipiant, a fide & officio diſceſſuros, ſciensque Regni cenſus, vectigalia, ac argenti fodinas extinctas, vtrumque peroſus eſt, ſuaſitque *vt Bohemi per ſe Prouinciam, donec puer adoleſcat, adminiſtrent*, in quam ſententiam dum ſimilis repulſa, quæ a *Bauaro* facta eſt, a cæteris Principibus timeretur, Gubernatores eligere placuit, *Ptaczko* & *Meinhardus* deſignati, & in concordia diſcordi, cum *Meinhardus* conuenta cum Concilio ſeruanda eſſe diceret, velut Catholicorum tutor, *Ptaczko* peſte hæreſis infectus ſperneret aliquanto Regnum adminiſtratum, medio temperamento ingeſto, quo partium cuique ſuo voto viuere liceret; *Ptaczkone* altero ex Gubernatoribus *Bohemiæ* vi morbi aſſumto, *Meinhardi* poteſtas ſenſim creſcere cœpit, id dum ægre pars *Huſſitarum* ferret, ad *Georgium* de *Podziebrath* ſe contulit, eumque Ducem ſibi elegit, & ad eripiendum ſummam rei, quæ in *Meinhardum* reciderat, animauit, qui collaudatis ſuaſionibus, cum eſſet vir cupidi ſuapte & alti ingenii, onus ſuſcipit, & ad diem, quæ pro inuadenda *Pragenſi* vrbe conuenta erat, clanculum cum copiis, vrbeque a factione ſuæ partis, quoniam ita inter illos conuenerat, incenſa, dum ad reſtinguendum incendium concurritur, *Georgius* per coniuratos porta vna intromiſſus, cædem facit, trucidantur paſſim reſiſtentes, *Meinhardus* in eo tumultu captus, in arcemque coniectus ſiue moleſtia carceris, ſiue vt plerumque aſtruebant, venenatus, diem obiit, & ex illo tempore non *Praga* tantummodo, ſed & vniuerſa *Bohemia Georgio* paruit, quem etſi *Bohemi* execrebantur in abſtracto, palam tamen laudabant, *hominem vnum eſſe* aſſerentes, *qui Regni Bohemiæ finem calamitatibus imponat.* Et

Bohemia per Gubernatores regitur.

1440. Et quamuis ad *Fridericum Romanorum* Regem frequentes legatos miſerint, petentes *vt Ladislaus Regno Bohemiæ reddatur*, nihil tamen impetrauere, per ætatem pupillarem *Friderico* Rege eorum conatus eludente.

1441. *Wladislaus* Rex accepto & habito ex Regno *Poloniæ* ſubſidio exercituali, conuocato etiam fidelium ſibi *Vngarorum* exercitu, ex *Buda* circa feſtum Purificationis *S. Mariæ* in campum proceſſit, ciuitates & caſtra, quæ *Auſtrales* in confiniis Regni *Vngariæ* occupauerant, & de illis ſpoliis, prædis & incendiis Regnum *Vngariæ*, & fideles Regis *Wladislai* offendebant, relictis in *Buda Nicolao* Decano *Cracouienſi*, *Laurentio* de *Hedrewara*, Palatino Regni *Vngariæ* & *Paulo Woinicki*, pro Capitaneis & gubernatoribus, expugnaturus. Nec Regem & ſuum exercitum a bello huiuſmodi hyemis aſperitas, niuium inundatio, & victualium retraxit defectus, quinimo & hyemis & quadrageſimæ tempus in expugnatione ciuitatum & caſtrorum huiuſmodi exegit, nec prius ex campo diſceſſit, donec omnes ciuitates & caſtra occupata in ſuam poteſtatem & obedientiam vi vel deditione redegit. Succeſſibus autem ſuis felicibus *Fridericus Romanorum* Rex auditis, plurimum ſibi & *Auſtriæ* terræ metuebat, ne propter coronam materialem Regni *Vngariæ*, fidei ſuæ per *Eliſabeth* Reginam commendatam, repetendam, terras & Dominia ſua inuaderet, propter quod ſecreto deliberauerat, coronam reddere, caſu quo fuiſſet impeditus, quam Dominiorum ſuorum admittere deſolationem. Abſtinuit autem *Wladislaus* Rex ab eiuſdem *Romanorum* Regis & terrarum ſuarum offenſa, & vtrumque exercitum contra ciuitates rebelles *Korycze, Bardeiow, Lubocza, Kremnicza, Epperies* & caſtra per *Ioannem Iskra* occupata, traducere parabat, vt plaga illa ad obedientiam & ſubiectionem reducta, reſiduum rebellionis purgaſſet, & pace Regno *Vngariæ* ad plenum reddita, liberius tandem expeditioni contra *Turcos* vacare potuiſſet. Fuit autem deliberatio huiuſmodi prudens, & ipſi *Wladislao* Regi plurimum fructuoſa. Prælati tamen & Barones *Vngariæ* nullatenus potuerunt induci, vt illuc exercitualiter proceſſiſſent, ſiue quod moleſtias belli faſtidiebant, prioribus defatigati, ſiue quod verius verebantur, ne *Wladislaus* Rex propter loci propinquitatem in Regnum *Poloniæ* diſcederet, & regno *Vngariæ* derelicto, ad illud redire non curaret, propter quod *Wladislaus* Rex licentiato vtroque exercitu, in *Budam* rediit, caſtris conquiſitis Baronibus *Vngariæ* datis in tenutam. In ipſo autem bello taliter per *Wladislaum* acto, ferunt Quadrageſimæ tempore, exercitus ſui homines temeritate improba leporem manducaſſe, & repentina morte extinctos eſſe. Alium quendam ſimili vitio oua duo, cum cibaria alia ſuppeterent, voraſſe, & e veſtigio viginti oua cruda integra quidem & teſtas habentia euomuiſſe.

Wladislaus Rex multas ſibi vrbes ſubiicit.

1441. Receſſus regius ex campo poſt tot felices victorias & ſucceſſus A pluribus Baronibus *Poloniæ* erat infeſtus, qui moleſte ferebant, quod Rex exercitum ita fortem non e veſtigio ad hoſtium, præſertim *Bohemorum*, domicilia duxiſſet, poterat ſiquidem tot gentium robore ſtipatus, omnes ciuitates rebelles ad obedientiam reducere, & quoslibet hoſtes ſuos debellare. Sed ſecutus aliquorum conſiliariorum ſuorum perſuaſiones, qui cum *Eliſabeth* Regina oblatam per eam, in dolo tamen, concordiam acceptandam eſſe decernebant, ex campo diſceſſit. Poſt quem diſceſſum *Eliſabeth* Regina in priorem faſtum erecta, nuntiis regiis notabilibus Baronibus *Vngariæ* & *Poloniæ* pro pace tractanda in *Poſonium* iuxta oblationem factam venientibus dura B dedit reſponſa, nec ad aliquam potuit molliri pacem, aut æquitatem, aſſerens, *rem impoſſibilem eſſe, ad eam ſe dementiam deduci, qua plus notaretur Wladislao Regi Poloniæ de Regno Vngariæ, quam filio proprio fauere velle.*

Finitimis caſtris conquiſitis, & de manu *Auſtralium* ereptis, atque ad regni *Vngariæ* obedientiam huiuſmodi bello redactis, *Wladislaus* Rex *Budam* reuerſus, omne tempus æſtatis illic commoratus, ſæpe tamen ad inſulam *Czepell*, vel venationis & quietis gratia, vel vt peſtem epidemiæ effugeret, deſcendebat, ipſa enim peſtis ſingulariter tunc Regnum *Vngariæ*, ſiue ex conſtellatione cœleſti, ſiue ex corruptione aëris occupauerat, & crudeliter in cun- C ctos Regni illius habitatores ſæuiebat. Multi illius voragine adoleſcentes ingenui ex regno *Poloniæ* ætate florentes, multi viri, multi ſenes (non enim alicui deferebat ætati) abſumti ſunt. Rex ipſe tanto animo eius contemnebat impetum, vt nec hominum cœtus, & conuerſationem fugeret, neque in locis abſtractis ſed publicis, in ipſa præſertim *Budenſi* ciuitate, in qua peſtis ipſa amplius ſerpebat, moraretur, vnde & in thalamo ſui cubilis plures illuceſcente die de peſte extincti reperiebantur, multi eo vidente intra diuina officia, procidebant & palpitantes in terram ſpiritum exhalant. Graſſabatur autem peſtis ipſa toto æſtatis, au- D tumni, & hyemis tempore, & non niſi vere ſuperueniente quieuit, ea tamen non obſtante, ab vtraque parte aſſidue certatum, nec ab armis diſceſſum aut temperatum eſt.

Peſtis in Hungaria.

Et licet in oppido *Kremnicza* & eius montibus in rebellionis ſignum non *Wladislai* Regis *Vngariæ*, ſed *Ladislai* filii Regis *Alberti* nomine & arma arderentur, in omnibus tamen aliis montibus & fabricis *Wladislai* veri Regis arma & ſubſcriptio in moneta aurea & argentea ponebantur. Habebat autem florenus *Wladislai* Regis in vna parte arma in quadrum ſita; in vna parte anguli erant *Vngariæ* quatuor baræ, in ſecunda arma Regni *Poloniæ*, aquila coronata alis extenſis, in ter-

Moneta Wladislai deſcribitur.

1441. tertia arma magni Ducatus *Lithuaniæ*, vir armatus vibratum tenens gladium, equo inſidens, in quarta crux per tranſuerſum geminata, ſub-A ſcriptio talis legebatur: *Vladiſlaus Dei gratia Rex Vngariæ*: in altera parte imago S. *Ladiſlai* Regis ponebatur.

Temeritatem ciuium de *Kozycze Wladiſlaus* Rex non ferens, collecto ex *Vngaris* ſibi fidelibus exercitu, *Ioannem Zapek Bohemum* illi Capitaneum præficiens contra ciuitatem *Kozycze* transmittit, qui illuc perueniens & *Ioannem Huczki* aliosque *Bohemos* pretio conductos ſecum habentem, ciuitatem *Kozycze* obſidione dura conſtringit, quam cum menſibus aliquot continuaſſet, & multi ad illum incolæ ex ciuitate, preſſi egeſtate magna & fame confugerant, atque omnem reſiduam oppidi multitudinem præ anguſtia famis, obſidionem nulla-B tenus toleraturos, deditionem facere, certo conſtaret, *Vngarorum* exercitus tædio & moleſtia vigiliarum affectus, ſenſim ſine licentia præfati *Ioannis Czapek* cum reliquo exercitu, qui per ſe parum ſufficiens erat obſidionem continuare, a ciuitate ipſa diſcedit, quam intra breue tempus, ſi *Vngari* perſeueraſſent deditionem conſtabat facturam.

Kozycze vrbs fruſtra obſidetur.

Sentiens præterea ex multorum auiſamentis *Wladiſlaus* Rex *Nicolaum* de *Peren*, ciuitatis *Kesmarg* tenutarium, ignauum nimis belli contra ciuitates rebelles, & *Bohemos* in eiſdem conſiſtentes; adminiſtratorem, præfatum *Ioannem Czapek*, de ſua fide & induſtria confidens, ad regendam ciuitatem *Kes-C marg*, & ad faciendam fortiorem reſiſtentiam *Bohemis*, transmittit. Qui dum cum gentibus ſuis ad apprehendendam ciuitatis prædictæ poſſeſſionem procederet, & non longe iam ab illa diſtaret, ſequenti die illam ingreſſurus, ciuitas ipſa proditione vnius ciuis, nocte per *Ioannem Iskra* & *Bohemos* capitur, & multi de *Vngaris* & *Polonis* proditione cognita turres conſcendunt. *Nicolaus* de *Peren* Capitaneus fuga ſaluatus eſt, plures alii *Vngari* & *Poloni* capti. Sub eodem autem tempore Barones *maioris Poloniæ* turpe rati ſubſidium in gentibus ab eis crebro poſtulatum *Wladiſlao* Regi non miſiſſe, facta in hominibus ſuis contributione, exercitum notabilem in *Vngariam Wla-D diſlao* Regi in ſubſidium transmittunt, præficientes illi in Capitaneos *Laurentium Zaremba* Caſtellanum *Sradienſem*, & Capitaneum *Wielunenſem*, *Nicolaum Skora* Iudicem *Poſnanienſem*. Hic altera die poſtquam ciuitas capta eſt, *Podolinum* forte venit *Polonis* ac *Vngaris* adhuc turres in *Kesmarg* ſtrenue defendentibus, poterat itaque exercitus ipſe faciliter malum huiusmodi & caſum amiſſionis ciuitatis prædictæ corrigere, & per turres quæ erant in *Polonorum* & *Vngarorum* poteſtate, amiſſam ciuitatem recuperare atque reddere vicem his, qui in turribus erant eorum auxilium pluribus nunciis efflagitantibus. Diſtulit tamen ipſe exercitus pro ciuitate amiſſa recuperanda adniti, aut quicquam opis ferre, aſſerentibus Capitaneis, *quod non pro conquirendis aut recuperandis ciuitatibus, ſed pro ferendo Wladiſlao Regi ſuffragio miſſi eſſent*. Quo cognito, defenſores turrium in *Kesmarg* pacti cum *Iſckra*, turribus cedunt, *Bohemi* ad plenum ciuitate potiuntur. Exercitus de *maiori Polonia* ex *Podolino*, nequicquam impedientibus *Bohemis*, *Budam* proceſſit, omne pondus belli in *Podolinum* quod tunc per *Nicolaum Komorowski*, vice & nomine *Sbignei* Cardinalis & Epiſcopi *Cracouienſis* tenebatur, verſum eſt, idque vnum oppidum omnem belli molem grauem & oneroſam annis pluribus pertulit & ſuſtentauit. 1441.

Kesmarg oppido potiuntur Bohemi.

Conquiſitione oppidi *Kesmarg Eliſabeth* Regina elata, caſtrum *Preszburg*, quod erat in *Wladiſlai* Regis obedientia, & per *Stephanum* de *Rosgon* tenebatur, obſidione cingit, & pro eius conquiſitione vehementer inſudat, vt eo in ſuam poteſtatem redacto, ſecuram habitationem in illo habeat, & fortius *Wladiſlao* Regi & ſuis fidelibus quaslibet inferat aduerſitates. Arbitrabatur autem ſe illud facile aut vi, aut deditione poſſe conquirere, tum quia ciuitas *Preszburg* erat in eius fide & obedientia, & in illa tam Regina *Eliſabeth*, quam gentes illius ſecure in abundantia rerum omnium continuando huiusmodi obſidionem manebat, tum quod ſciebat, caſtrum tenuiter eſſe victualibus prouiſum. His malis plurimum *Stephanus* de *Rosgon* anguſtiatus ad *Wladiſlaum* Regem *Budam* venit, *ſubueniri ſibi ex caſtro Preszburg* efflagitat, *in quanto ſit periculo, ni celeriter ſuccurratur*, denunciat *Wladiſlaus* Rex periculo huiusmodi motus, continuo *Andream* de *Thanczin* cum exercitu in oppidum *Tarnawa* transmittit, data ſibi inſtructione & mandato, *vt gentes Reginæ obſidentes quam maxime populationibus prohibeat, & ipſe in circuitu ciuitatis Preszburg ſingula depopuletur & vaſtet, caſtroque Preszburg & obſeſſis quam primum copiam victualium ſubminiſtret*. Is autem in *Tarnawam* cum exercitu perueniens, ciuitatem *Preszburg* multis damnis, ſpoliis & incommodis infeſtat, omnia pecora & pecudes ciuitatis aufert, ſuburbium igne conflagrat, victualium magnam quantitatem caſtro fame laboranti ſubminiſtrat, & omne quod caſtro imminebat periculum, ſuo aduentu fugat & diſſoluit, propeque fuit, vt vrbs nocte quadam ab eo caperetur, itaque obſidentibus æque & amplius quam obſeſſis fatigatis, conatus *Eliſabeth* Reginæ in irritum deciderunt.

Caſtrum Preſzburg ab Eliſabetha fruſtra obſidetur.

Habita eſt pro die *S. Martini* conventio in *Paczow* generalis, inter Regni *Poloniæ* ab vna, & Ducatus magni *Lithuaniæ* Prælatos & Barones partibus ab altera, propter tractandam æquitatem inter Ducem *Lithuaniæ Caſimirum* & Ducem *Boleslaum Maſouiæ*, ſuper terræ *Drohicenſis* differentia, quam ipſe Dux *Boleslaus*

Conuentio de terra Drohicenſi

in

1441. in plena tenebat poſſeſſione, exorta. Ad quam dum Prælati & Barones *Poloniæ* iuxta conſtitutum conueniſſent, Barones tamen *Lithuaniæ* A aliquot diebus expectati, tardius venerunt, pluribus nuntiis per prius fatigatis. Venerant etiam ad conuentionem præfatam perſonaliter, Dux *Michael Lithuaniæ*, querens, *quod patre ſuo Duce magno Sigiſmundo Lithuaniæ iniuſta nece orbatus, etiam ab vniuerſo patrimonio ſuo, per Ducem Caſimirum Lithuaniæ, cui de caſtris pluribus fidem & obedientiam ſuam ſecutus ceſſerat, excluſus, per fratres vxoris ſuæ, Duces Maſouiæ, aliena ſtipe viuens ſuſtentaretur*, requirens Conſiliarios *Poloniæ*, *vt iuxta iuramenta cum patre ſuo habita, operam darent pro patrimonij ſui reſtitutione*. Venerunt & Ducis *Boleſlai* Barones & conſiliarii oſtenſuri per literas, priuilegia & probationes legitimas, ſe B iuſte *Drohicenſem* terram poſſediſſe. Licet autem plures tractatus diebus aliquot fuiſſent inter partis vtriusque Conſiliarios pro concordia & determinatione differentiarum prædictarum, licet quoque Ducis *Boleſlai* Conſiliarii priuilegia & munimenta tam Ducis magni *Withawdi*, quam Ducis magni *Sigiſmundi* originaliter produxiſſent clariſſime teſtantia terram *Drohicenſem* ad Ducem *Boleſlaum Maſouiæ* & ſuos prædeceſſores pertinuiſſe & ſpectaſſe, & ſemper iuris ſui illam feciſſe; Barones tamen *Lithuaniæ* nullum iuſtum iudicium voluerunt tunc ſubire, aſſerentes *Ducem Maſouiæ Boleſlaum, iure ſi quod haberet, neque in vita magni Ducis Withawdi vſum eſſe, ſed Duce* C *magno Sigiſmundo mortuo terram ipſam violenter occupaſſe*. Requirebantur etiam tunc Barones *Lithuaniæ*, *vt patrimonium Duci Michaeli ablatum redderent*, ſed reſponderunt: *nullam ſe ad id poteſtatem tractandi aut definiendi aliquid accepiſſe*. Sicque re magis infecta, quam concordata diſceſſum eſt. Ea res *Wladiſlaum Vngariæ* & *Poloniæ* Regem & eos, qui ſecum *Budæ* morabantur, Conſiliarios mouit, conſultumque eſt *Lithuaniam* diuidendam partiendamque in plures Principes, vt poteſtate imminuta, inſolentia quæ ex illa oriebatur conquieſceret.

Multi milites ſponte Wladiſlao auxilio veniunt.

Notabiles & frequentes ex terris *Cracouienſibus* & *Ruſſiæ* milites, nullo ſubſidio publico D habito, ad *Wladiſlaum* Regem in *Vngariam* proprio ſumtu fuere profecti, tantusque eorum erat numerus, vt maximum & notabilem exercitum conficeret. *Petrus Odrowasz* Palatinus & Capitaneus *Leopolienſis* cum notabili comitatu ſimul cum illis profectus eſt, propter ſuſpicionem hoſtium, & vt quodlibet imminens periculum facilius mutuo auxilio ſuperarent, intercludebantur autem eis in locis arctis & montium cohærentium contiguitate concluſis per hoſtes *Bohemos* viæ, qui non aliter niſi loco iniquo eis nocere ſe poſſe exiſtimabant; prouidentia tamen bona & animoſitate omnes hoſtium cuneos & acies & proſternebant, & ex locis obſeſſis pellebant, intrepide tolerando & ſuperando omnia pericula. 1441. Dum autem Barones ipſi, cum tot electis militibus *Budam* veniſſent, cum ſplendido armorum apparatu, per *Wladiſlaumque* Regem benigne excepti eſſent, magnæ fuerunt *Vngaris* admirationi, penſantibus illorum erga proprium Regem fidem, affectionem & conſtantiam, quodque tot vicibus exercitualia præſidia *Wladiſlao* Regi tuliſſent. Mandato autem regio iverunt omnes ad expugnandum caſtrum *Rosnawa*; premebantur enim ex eo per *Bohemos* plures *Vngari*, & bona eorum occupabantur, quod in paucis diebus conquirunt, & omnes *Bohemos* illuc comprehendentes obtruncant & occidunt.

Heliſabeth Vngariæ Regina cum omni ardore & diligentia caſtrum *Preszburg*, ſpe & neceſſitate eam impellente, impugnare adorſa, 1442. iterum plurimis conatibus, bombardarum proiectionibus, aliisque ingeniis illud vel conquirere, vel ad deditionem compellere ſatagit. Cuius periculo *Wladislaus* Rex ſibi nuntiato mouit exercitum de *Vngaris* & *Polonis* hyeme aſpera nimis niuoſa, & pruinoſa temporis incommoditate minime penſata, poſt feſtum videlicet Purificationis S. *Mariæ*, quo etiam in horreis incipiunt ſingula deficere, & in *Presburg* perueniens, caſtrum quod longo tempore obſidionis ferebat moleſtiam, obſidione liberat, reſtaurat & reficit, ciuitatem *Presburg* ſibi rebellem, ex qua *Eliſabeth* Regina audito *Wladiſlai* Regis aduentu *Viennam* profugerat, reciproca obſidione fatigabat, bombardarum ictibus de caſtro multos domos ciuium frangit & demolitur, ſi diutius perſeveraſſet. Verum compaſſus Baronum & militum ſuorum, damnis plurimis propter equorum defectum, qui fame tabeſcentes moriebantur, (non enim poterat alicubi, etiam in locis remotis pro equis pabulum, ſed neque palea reperiri, diebus plurimis frondes arborum erant equorum potiora pabula, equisque deficientibus non minor homines premebat fames) obſidionem ſoluit, & in *Tarnawam* tranſiit, inde *Budam* rediit, feſtumque Paſchæ *Budæ* celebrauit.

Caſtrum Preszburg obſidione liberatur.

Paſchatis diebus tranſactis plures milites & Barones Regni *Poloniæ* accepta a *Wladiſlao* Rege non digna ſolum, ſed etiam prodiga laborum & actuum ſuorum recompenſa, quibus non vniuerſos ſolum introitus Regni *Poloniæ* diſtribuit, verum etiam terras capitales contra ius & fas, & contra Priuilegia & laudum Regni *Poloniæ* reuertuntus, quos *Simon Agrienſis* Epiſcopus vsque in *Agriam* comitatur, & in *Agriam* perductos digno honore excipit, & quibus poteſt neceſſariis procurat, quibus illic ſine aliqua hoſtili ſuſpicione ſecure quieſcentibus, *Telephus Bohemus* ex *Caſſouia* cum non modicorum *Bohemorum* & *Almanorum* in parte Reginæ militan-

Telephus Bohemus Agriã diripiens

1442. tantium, exercitu deſcendens, repente in *Agrienſem* ciuitatem in Solis orbe irruit, & *Polonos* atque *Vngaros* ſopori & quieti deditos tu- A bæ ſonitu & armorum gladiorumque fremitu deterret, ciuitatem ſpoliat, currus *Polonorum* prædatur, equos multos aufert, *Petrum Odrowasz* Palatinum *Leopolienſem* ex hoſpitio ſuo ad ferendum ſubſidium tumultuariæ pugnæ egreſſum, comprehendit, & onuſtus magna præda, equis quibus ipſe & ſui inſidebant; ſuapte ex totius noctis itinere laſſatis redibat. *Poloni* autem & *Vngari* milites ne quidquam illo euentu pauefacti, ſed magis irritati arma capiunt, & equis recentibus aſcenſis, glomerati fugientem *Telephum* perſequuntur, quem breui temporis ſpatio conſecuti, neque enim tantum ſui, ſed & homines propter longum iter, quod noctis præcedentis tempore ex *Caſ*- B *ſouia* vsque in *Agriam* confecerant, laſſitudinem nimiam præ ſe ferebant acie geminata, in quarum vna erant *Poloni*, in altera *Vngari*, in pugnam deſcendunt. Quid igitur ageret *Telephus*, & quo ſe verteret neſciebat, videbat enim nullatenus fuga poſſe *Polonis* & *Vngaris* gradum accelerantibus ſaluari, quam etiam æſtimabat ſibi & ſuis periculoſam & turpem. Vltima igitur experiri & acie decernere coactus, *Petrum Odrowasz* Palatinum *Leopolienſem* velut prædam nobilem, per quendam familiarem ſuum *Stoma*, in caſtra propinquiora ſuæ ditionis remittit, ſed veritus *Stoma* ne a *Polonis* & *Vngaris* inſecutus & prædam amitteret, & ipſe præda foret, in caſtrum vicinum & propinquum *Holnoth Iacobi Czuder*, qui à fide & obedientia *Wladislai* Regis deſciuerat, & partes *Eliſabeth* Reginæ ſequebatur, diuertit. *Iacobus* autem *Czuder* nacta opportunitate, qua fauorem & reconciliationem *Wladislai* Regis recuperare poſſet, Palatinum *Odrowasz Stomæ* eripit, in *Budam* venit, & Palatinum prædictum *Wladislao* Regi præſentat, veniaque illi hoc vno reſpectu præſtatur. Palatino *Odrowasz* a ſe *Telephus* remiſſo in pugnam vadit, ſuos per prius paucis adhortatus, *vt ſpem & victoriæ & ſalutis in dextris ponant, primumque Polonos adoriantur, quatenus illis ſuperatis, Vngari territi fugam ocyus capeſſant.* D Sed dum *Telephus* & ſui in *Polonos* ſe credunt facere impetum, cum *Vngaris* congrediuntur. *Poloni* a cornu dextro in læuum latus hoſtium maximo equorum curſu inuecti, omnes obſtantes, proſternunt, & ſingulas eorum acies tsansuerberant, dirimunt & verberant. Cadunt hoſtes & funeribus eorum complentur campi; creuit & *Vngaris* animus aciebus hoſtium confractis, & tanto animoſius in hoſtes illati, debellant, & victoria potiuntur, pauci capti, fere omnes in illo bello occiſi. *Telephus* tamen ipſe captus, & cum aliis *Bohemis & Auſtrienſibus* in *Agriam* reducti, *Simoni* Epiſcopo traduntur. In hoc certamine nullus ex *Polonis* notabilis cecidit, pauci alii

a Polonis vincitur.

deſiderati, *Hincza* de *Rogow*, *Ioannes Szczekoczki* Capitaneus *Lublinenſis* vulnerati. 1442.

Sub eodem fere tempore, quo hæc *Agriæ* acta ſunt, videlicet in die exaltationis S. Crucis *Nicolaus Czaska* de *Iawor* duorum caſtrorum *Brzozowicz* & *Nicolaus Komorowski* in *Podolino* tenutarii, qui plures ſuperioribus diebus ex *Bohemis* in rebellibus ciuitatibus & caſtris commorantibus, particulares triumphos retulerant, & ipſis *Bohemis* magno erant terrori, cognito per exploratores oppidum *Epperies* eſſe defenſoribus vacuum, collectó maiori quam potuerunt exercitu, ſecreto de *Brzozowicza* ambo auiditate gloriæ, lucri & famæ capti, non proſpicientes actus huiuſmodi ſubiectos eſſe caſibus, & nuſquam minus quam in bello reſpondere euentus, egrediuntur nocte ad oppidum præfatum, oppidi muros ſcalis appoſitis aſcendunt, vigiles fallunt, oppido potiuntur; quinquaginta *Bohemi*, qui oppidum die præcedente a *Ioanne Iskra* in *Kozycze* tendentes vocati intrauerant, irruptione hoſtium audita turrim aſcendunt, quapropter *Nicolaus Czaika* & *Nicolaus Komorowski* videntes ſe non poſſe plane oppido potiri, illud omnibus rebus nobilioribus ſpoliant, ſpoliatum incendunt & ingrediuntur. Celeri autem nuntio *Ioannes Iskra* de huiuſmodi auiſatus nouitate, equos cum omni ſuo exercitu, quem pro obſidione caſtri *Richnawa* ex pluribus locis comportauerat, conſcendit, C *Czaikam* & *Komorowski* inſequitur, & licet tempeſtiue ad caſtra & fortalitia ſua redire potuiſſent, temeritate improba ducti, non attento, quod omnis eorum exercitus plenus ſarcinis magnam ſecum & nobilem prædæ ſuppellectilem in *Epperies* raptam traheret, ac illa onuſtus ad dimicandum minus idoneus, venientem *Iskram* præſtolantur, cum eo congreſſuri, ſed a præcurſoribus *Iskra* in magno numero præmiſſis, antequam principalis ſuperueniret exercitus, vincuntur, & tam *Czaika* quam *Komorowski* cum paucis captiuantur, omnes enim fere alii, ne prædam nobilem amitterent, fuga antequam prælium iniretur, dilapſi ſunt, & alii in *Brzozowicza*, alii in *Podolinum* deueniunt. Tali potitus *Ioannes Iskra* victoria, & duobus fortiſſimis aduerſariis profligatis & captiuatis, caſtra *Brzozowicza* vallat. Sed caſtrorum defenſores, ne quidquam eo pauidi, vallationem ipſam velut ſuperuacuam contemnebant, ſed & ipſe *Iskra* altera die ſoluere obſidionem & in *Kozicze* reuerti, caſtri *Richnawa* obſidioni intendens deſtinabat, cum ſubito vnum caſtrum caſu ac proditione per pixidum pulueres incenſum, cum equis plurimis conflagratum eſt, homines autem qui in illo erant in aliud caſtrum integrum ſe recipientes, ſimilem, qui vni acciderat caſum veriti, nec poſt tot infelices ſucceſſus valentes priorem retinere, vt fit, animoſitatem, factis pactis cum *Iskra*, etiam caſtro reſiduo

Poloni opp. Epperies vaſtant.

caduntur.

ſiduo

1442. ſiduo excedunt. Ita huius belli & caſus acerbitate prior alacritas ex triumpho *Agrienſi* habita diminuta fuit & fuſcata, & ſub eodem tempore parti vtrique fortuna permixta dona partita eſt. *Sbigneus* Cardinalis & Epiſcopus *Cracouienſis* caſu tam infelici audito, tam in *Lubowlia* quam in *Podolinum* nouas gentes ex *Polonia* celeriter miſſas ſubſtituit, & omnem metum ac periculum, ſi quod imminere poterat, huiuſmodi prouiſione auertit.

Obtenta huiuſmodi victoria & vtroque caſtro *Brzozowicza* conquiſito *Ioannes Iſkra* caſtrum *Richnawa*, quod erat *Nicolai de Peren*, obſidione valiauit, cum ſubſidio omnium ciuitatum rebellium, quod ſibi eo libentius præſtitere, quod videbant illi ſecundos ſucceſſus accreſcere. Plures autem menſes in conquirendo & expugnando caſtro abſumens perſeuerauit nihilominus premere illud, quamuis multos de ſuis gentibus videret quotidie per caſtri defenſores bombardis & congreſſionibus interfici aut vulnerari, ipſeque recentes pugnatores foſſis ſubſtituens, defenſores caſtri plurimum grauabat, qui interfectorum aut vulneratorum loco alios non poterant ſubſtituere recentes. Murum inſuper caſtri ita bombardis & propugnaculis confregerat, vt nec locus eſſet aliquis, in quo defenſores ſe poſſent tutari & continere. Parauerat autem *Simon Agrienſis* Epiſcopus ex *Vngaris* exercitum, & ſubuenire caſtro laboranti, depellereque obſidionem maturabat, longior tamen fuit in ferendo ſubſidio, quam poterant caſtri defenſores tolerare, dum enim muris diruptis tutela deficeret, & victualibus abſumtis multi fame contabuiſſent, veriti ne extrema neceſſitate compulſi, præda hoſtium fierent, facto tractatu cum *Ioanne Iſkra*, ſaluis rebus & perſonis caſtro excedunt, & ipſe caſtro potitus, ruinas eius reparat & inſtaurat. Interim *Simon Agrienſis* Epiſcopus cum exercitu *Vngarorum* tardiuſcule venit, caſtro, cui laturus erat auxilium, per deditionem amiſſo, cui *Ioannes Iſkra* volens facere reſiſtentiam, cum gentibus ſuis obuiam in campum proceſſit, & confligere acie cum illo deliberauit, & licet aliquot hebdomadis vtraque caſtra conſiſterent, & præludia certaminum interficerent, nunquam tamen faſtidiente vtroque exercitu acies congreſſæ ſunt. *Simon* forte ſuis diffidebat, *Ioannes Iſkra* verebatur, ne ſi dimicatione ſuccumberet, omnes ſucceſſus ſuos ſuperioribus annis habitos, vno die damnaret, & proinde campo ſecedens, in *Koryce* cum gentibus ſuis ſe recepit. Interpoſiti autem ſunt plures tractatus de pace, & poſt multos hinc inde labores *Simon Agrienſis* Epiſcopus *Ioannem Iſkra* ſibi conciliat, nec in amicum ſolum ſed in generum & affinem illum recepit, & neptem ſuam germanam filiam *Georgij de Wronow*, ſibi in vxorem deſponſat, exiſtimans per hoc plenam pacem in Regno *Vngariæ* conficere, nondum *Bohemorum* ingenia expertus. *Telephum* & omnes *Bohemos* & *Auſtrienſes* ante *Agriam* captos ſoluit, e regione quoque *Vngari* omnes per *Iſkram* dimittuntur, *Poloni* omnes & ſignanter *Czaika* & *Komorowski* detinentur, quos etiam *Ioannes Iſkra* relaxare tunc ſentiebat, niſi ipſe *Simon Agrienſis* Epiſcopus contrarium ſibi placere docuiſſet. Ita duo illi ſtrenui pro Regno *Vngariæ* bellatores *Czaika* & *Komorowski* in medio deſerti, qui vnico verbo *Simonis* Epiſcopi ſolui poterant, pluribus poſt annis graues perpeſſi captiuitatis moleſtias, cum magna difficultate & corporum exinanitione a captiuitate ſoluti ſunt. In ambiguo autem erat, qualis pax fuerit huiuſmodi & quas conditiones habuerit, quæ fuit per *Agrienſem* Epiſcopum cum *Ioanne Iſkra* concluſa, cum ipſe *Iſkra* expoſt hoſtilia opera contra *Wladiſlaum* Regem & ſuos ſubditos exercuerit, à ſpoliis & prædationibus Regni non abſtinuerit, ſed & caſtrum *Scepuſienſe Podgrodze*, quod tunc pater vxoris ſuæ tenebat, fraude per ſuos in pace intercepit, quod bello intercipere nequibat. 1442.

Richnawa per Io. Iſkram capitur.

Audiens *Eugenius* Papa quartus magno bellorum ſtridore Regnum *Vngariæ* feruere, & grauibus cladibus continue graſſari, compasſus tot malis, *Iulianum de Cæſarinis* Epiſcopum *Sabinenſem* Cardinalem, ad Regna *Vngariæ*, *Poloniæ* & *Bohemiæ* atque Prouinciam *Saltzburgenſem* Apoſtolicæ ſedis de latere Legatum tranſmittit, propter tres principaliter cauſas. Prima, vt inter *Wladiſlaum Vngariæ* & *Poloniæ* Regem ab vna, & *Eliſabeth* Reginam partibus ab altera, pacem tractet & conficiat, Regnumque *Vngariæ* bello inteſtino liberet. Secunda, vt pace in Regno *Vngariæ* ordinata, *Wladiſlaum* Regem Baroneſque *Vngariæ* contra *Turcos* facere expeditionem, & pro liberatione *Europæ* intendere induceret; Tertia, vt dari plenam per *Wladiſlaum* Regem de Regnis *Vngariæ* & *Poloniæ* obedientiam *Eugenio* Papæ obtineret. Schiſma enim tunc horrendum vigebat in Eccleſia Dei, & *Eugenio IV.* *Romæ* præſidente, *Amadeus* Dux *Sabaudiæ*, qui in ſua obedientia nominabatur *Felix* quintus, aliquando *Baſileæ*, aliquando *Geneuæ* præſidebat. Multi autem Reges neutri obediebant, præſtolando vnionem, neutralitas tamen hæc in *Almania* & *Polonia* plurimum practicabatur. Deſcendit autem ipſe *Iulianus* Cardinalis Legatus, primum ad *Fridericum Romanorum* Regem, tunc in *Vienna* commorantem, & ipſum pluribus ſermonibus & perſuaſionibus inducere conatus eſt, quatenus neutralitate tam in dominiis imperii, quam *Auſtrienſibus* ſublata, *Eugenium* pro vero Papa recognoſceret, & debitam illi obedientiam cum ſuis ſubditis præſtaret. Neque Concilium *Baſilienſe* partes ſuas tunc neglexit, ſed *Alexandrum* tituli S. *Laurentij* in *Damaſco* Presbyterum Cardinalem per *Felicem* quintum creatum, Patriarcham *Aquilegienſem*, Epiſcopum *Tridentinum*

Schiſma Pontificum.

1442. *num* & Ducem *Maſouiæ*,ad ipſum *Fridericum Romanorum* Regem *Wladiſlaum Vngariæ* & *Poloniæ* tranſmiſit. Erat enim ipſe *Alexander* Cardinalis, Patriarcha, Epiſcopus & Dux, *Friderico Romanorum* Regi germanus auunculus, *Wladiſlao* vero *Vngariæ* & *Poloniæ* Regi frater amicabilis, ad obtinendum a Regibus ipſis, vt ſe cum Regnis & dominiis ſuis pro Concilio *Baſilienſi* & *Felice* quinto declararent. Et licet Cardinalis quilibet partem ſuam, pluribus rationibus fulciendo, conabatur aſſerere iuſtiorem, erant tamen ambo Reges in obedientiam *Eugenij* magis inclinati. Sed & in Regno *Vngariæ* plena illi obedientia præſtabatur, Regno *Poloniæ* in neutralitate perſeuerante, Vniuerſitas enim ſtudii *Cracouienſis* tractatu ſpeciali ſuper huiuſmodi ſchiſmate edito, concludebat: *Felici* & non *Eugenio* eſſe obediendum, pluresque Vniuerſitates idem cum illa ſentiebant. Pontifices itaque Eccleſiæ *Polonicæ* ſecurius putabant neutralitatem ſeruare, quam opinionibus inniti & vnam partem ſequi, altera improbata, omnia tamen beneficia vacantia iuxta decreta Concilii *Baſilienſis* gratiis Apoſtolicis non præualentibus conferebant, cp lationesque eorum non fuerunt etiam ſchiſmate ſedato aliquatenus irritatæ.

Menſibus aliquot *Iulianus* Cardinalis Legatus apud *Fridericum Romanorum* Regem commoratus, ex *Vienna Budam* ad *Wladiſlaum* Regem de menſe Iunio peruenit, & omnis ſibi honor tanquam Legato Apoſtolico a *Wladiſlao* Rege & Optimatibus ſuis & à Clero & à populo eſt exhibitus. Cauſis autem propter quas venerat *Wladiſlao* Regi ſecreto apertis, more prudentiſſimi cœpit ſuaſoris animum ſollicitare Regis ad pacem, nec ſolum Regium, ſed Prælatorum Baronumque *Vngariæ*. *Wladiſlaus* autem Rex facilem *ſe & beneuolum ſemper ad pacem fuiſſe* reſpondit, *& pro conſequenda pace vicibus pluribus Prælatos & Barones vtriusque Regni ſui ad Eliſabeth Reginam iam in Preszburg, iam in Iaurinum fatigaſſe, & plura pacis media, quæ ab ipſa Eliſabeth Regina fuere repudiata, obtuliſſe* docuit, ſed & tunc pacem ſuſcipere etiam cum aliquali iuris ſui derogatione non abnuebat, cuius optima ad pacem *Iulianus* Cardinalis voluntate comperta, ad *Eliſabeth* Reginam in *Laurinum* ſe contulit, illique magna cum induſtria pacem complecti & quærere conſuluit. Ipſa vero Regina *Eliſabeth* non minori affectione pacem accipere ſummopere expetebat, propter nimium, qua premebatur egeſtatem, omnia enim quæ in clenodiis & pecuniis paratis habebat, in guerram erogauerat, grandiaque debita contraxerat. Varii itaque partibus pacem ſuſcipere conſentientibus voluuntur tractatus, de pace conditiones hinc inde exhibentur, *Eliſabeth* Regina petit imprimis, *vt Wladiſlaus Rex iure & titulo Regni Vngariæ cedat, & renunciet, & illud nihilominus accepta* A *filia ſua ſeniori in vxorem ad quindecimum annum filij ſui Ladiſlai, habeat plenam authoritatem faciendi donationes, alienationes, & quoscunque actus regales, perinde ac Dominus & Rex Regni, gubernet, item vt pro impenſis damnis quæ in proſequenda electione ad Regnum Vngariæ fecit; terra Scepuſienſi cum omnibus ſuis caſtris, ciuitatibus, oppidis & villis Regno Poloniæ perpetuo applicaretur. Item vt terra Sileſiæ dotis nomine in ducentis florenorum millibus Wladiſlao Regi inſcriberetur. Item vt de iure & titulo terrarum Ruſſiæ & Walachiæ, quas Regnum Poloniæ iure optimo poſſidet, nulla* B *impoſterum ſuſcitari poſſit ambiguitas, ipſeque Wladiſlaus in Regnum Vngariæ ſuccederet, caſu quo Ladiſlaus filius Alberti ante ætatem legitimam aut ſine prole moritur.* Optabat inſuper, *vt Caſimirus Dux Lithuaniæ germanus Wladiſlai Regis alteram filiam Eliſabeth deſponſaret, & pro dote centum viginti millia in florenis paratis acciperet.* Has conditiones etſi *Wladiſlaus* Rex videret ſibi & Regno ſuo natiuo *Poloniæ* fructuoſas, nec ab earum acceptione abhorreret, Prælati tamen & Barones *Vngariæ* qui turpe & acerbum putabant coronationem Regis *Wladiſlai*, & plures ordinationes per illos factas retractari, & in magnam eos ſugillationem induci, nullatenus voluerunt in pacem talibus regulandam conditionibus conſentire. Propter quod neceſſe habebat *Iulianus* Cardinalis pluribus vicibus in C *Iaurinum*, & vice verſa comportando animos Regis & Reginæ, in alias conditiones pacis fatigari, tantumque idem Cardinalis per ſuam interpoſitionem operatus eſt, vt *Wladiſlaum* Regem tenere perſonalem conventionem de pace cum *Eliſabeth* Regina in *Iaurino* concludenda induceret. Tenuta eſt huiuſmodi conuentio in *Iaurino* pro die S. *Catharinæ*, ad quam cum *Wladiſlaus* Rex cum magna multitudine Prælatorum & Baronum vtriusque Regni ſui veniſſet, cum *Eliſabeth* Regina, in caſtro *Iaurino*, quod ipſa verita dolum multis *Bohemis* & *Auſtrenſibus* muniuerat, in ſtuba caſtrenſi maiori, vbi datis dextris inuicem notitia contracta (nunquam enim ſibi de D facie noti erant) de pace laboratum eſt. *Iuliano* Cardinale tenente partes mediatoris, & tandem fauente Deo, qui concordiam facit in ſublimibus, pax ipſa Rege & Regina vltro conſentiente æquis conditionibus fuit concluſa, & in Eccleſia Cathedrali *Iaurienſi* organo *Vngarico* & *Polonico* & *Teutonico* publicata, magno gaudio omnes exhilarat. Dedit autem *Wladiſlaus Eliſabeth* munerum loco ſchubas aliquot nobiliſſimas de pellibus ſabellinis, ipſa vero *Wladiſlao* Regi aliquot ſpadones donavit. Vt autem maior poſſet inter *Wladiſlaum* Regem & *Eliſabeth* Reginam nutriri charitas, Rex Reginam pro Carnispriuio in *Budam* inuitat. Iam enim Regina ſplendorem virtu- 1442.

Pax inter Wladiſlaum & Eliſabetham concluditur.

tutis & modeſtiæ ſuæ admirata, ſignificauerat illi ſecreto, *velle illi de Regni Vngariæ fauere ſolio, & filia ſeniori data in Vxorem, non minori illum quam filium ſuum proprium complecti beneuolentia & amore, & omnes curas cogitationes & ſtudia pro amplitudine & honore ſui ſtatus committere.* Rogabat itaque Regina Regem magna prece, *vt filium ſuum Ladulaum, atque coronam materialem Regni Vngariæ de manibus Friderici Romanorum Regis, aut bonis mediis aut bello attento, quod idem Fridericus Rex Ducatu Auſtriæ patrimonio filij ſui occupato, omnes eius reditus ſibi vſurpabat, liberaret*, Rege tam ſubmiſſam petitionem Reginæ non abnuente. Vnde & Regina petente *Nicolaum Laſocki* Decanum *Cracouienſem*, omnium actionum ſuarum ſecretum & fidelem conſiliarium, diſcedens apud eum relinquit, quatenus ſecretius & magis libere de rebus ſingulis poſſet cum eo facere ordinem, & omnium agendorum conſummationem. Sed optimo Deo permittente de reconciliatione & pacis concluſione tam neceſſaria, gaudium non eſt habitum diuturnum. Dum enim præfatus Decanus triduo in *Iaurino* ageret, *Eliſabeth* Regina languore dyſenteriæ & ex matricis dolore, qui ſibi familiaris erat, quem medicis faſtidiebat reuelare, adeo debilitata eſt, vt nullo humano remedio ſuccurri poſſet. Quapropter poſt triduum quam concluſa pax eſt, mortua, & in *Alba regali* in ſepulchro viri ſui *Alberti* Regis ſepulta eſt. Quidam eam veneno extinctam eſſe putauere, vt ſunt homines in malam ſuſpicionem prompti, & ad criminandum magis quam ad laudandum nati. De cuius morte *Wladislaus* Rex multos dies in continuo mœrore abſumſit, quoniam per illam credebat ſtatum ſuum plurimum, propter eam affectionem, quam de ea conceperat, augeri & Regnum *Vngariæ* paccari. Non erat autem ſine magno Dei iudicio occulto, qui pace ſecuta & charitate inter partes diſſidentes reintegrata, debitum ſoluere Reginam permiſit, vt demonſtraret Regnum illud pace eſſe indignum, & hominum ſcelera nondum eſſe digna animaduerſione purgata. Nam poſt mortem Reginæ bellum ex integro coortum, *Bohemis* rapto viuere aſſuetis, nequaquam pacem ſeruantibus. Ab eo deinde tempore tam *Iskra*, quam alii caſtrorum partis Reginæ Capitanei & Tenutarii, ad *Fridericum Romanorum* Regem omnem conuertunt reſpectum.

Eliſabeth Regina moritur.

Legatio Turcorum ad Wladislaum Regem.

Sub menſe Iulio in præſentia *Iuliani* Cardinalis & Nuntii Apoſtolici venit ad *Wladislaum* Regem in *Budam* Nuntius notabilis Cæſaris *Turcorum*, *Matkone* de *Thalencz*, Præſide *Dalmatiæ* & *Croatiæ* operante. Practicauerat enim *Matko* prædictus per intermedias perſonas, vt *Turcus* cum Regno *Vngariæ* aut pacem perpetuam, aut inducias firmaret, dabatque *Matko Turcorum* Cæſari non incertam ſpem, quod in præmium pacis firmandæ caſtrum *Albanander* ſupra *Sauam* ſitum, vel aliquod tributum à Regno *Vngariæ* eſſet habiturus. Ad quam quidem ineundam, vel depreſſus externo, vel domeſtico bello, Regni *Vngariæ* miſerabilis ſtatus, vel quod illum amplius metuebat deprimi, virum alioquin prudentem & induſtrium conduxerat. Data igitur Cæſaris *Turcorum* nuncio audientia *Wladislaus* Rex in latere *Iulianum* Cardinalem Legatum, Prælatoſque & Barones vtriuſque Regni magnifica maieſtate conſedit, adeo vt nuncius Cæſaris *Turcorum* obſtupeſceret, & *ſimilem maieſtatis faciem nunquam ſe* aſſereret *vidiſſe*. Explicando legationem ſuam barbarorum more vſus, paucis verbis relationem abſoluit nuncius, *Dominum ſuum Cæſarem Turcarum affectum eſſe ad pacem, dummodo Wladislaus Rex aut Caſtrum Albanander ſibi reſignet, aut tributum ſingulis annis pendat*, offert *ſe aut pacem perpetuam, aut pacis ſufferentias ad Regis libitum firmaturum.* Inhoneſta plurimum, vt erat, *Wladislao* Regi videbatur hæc legatio, inhoneſtiores pacis conditiones perpetuum dedecus & infamiæ Regni *Vngariæ* reddentes, quaſi Regnum *Vngariæ* ad eam extremitatem perueniſſet, vt pacem a barbaris turpi deditione mercari cogeretur. Inſcius *Turcus* futuri euentus & quidem proximi, pacem caſtri vnius pretio venalem conſtituit, multo amplioribus caſtris, terris & dominiis eam antequam biennium laberetur ipſe emturus. Iam ſiquidem tunc reſiſtere *Vngari Turcis* cœperant, & pulchris fortuna fauebat principiis, nam & pro eodem tempore, quo hæc legatio *Budæ* agebatur, *Ioannes* de *Hunniad* ex *Turcis* duos inſignes triumphos, in quibus duo præſtantes *Turcorum* Cæſaris Barones interfecti ſunt, retulerat, & euentum victoriæ veloci nuncio Regi ſignificauerat, quapropter Cæſaris *Turcorum* nuncius ad legationem improbam & temerariam gratum reſponſum non habuit.

Barones *maioris Poloniæ* pluribus iniuriis, furtis & ſpoliis, quæ per *Sileſitas* latrunculos Regno *Poloniæ* inferebantur, laceſſiti, generali expeditione indicta, exercitualiter *Sileſiam* ingreſſi, duobus fortalitiis *Gorrow* & *Czecierzin*, ex quibus plus moleſtiæ Regno inferebatur, expugnatis, incenſis & demolitis, pluribus in *Sileſia* factis damnis, incolumes redierunt, ceſſaueruntque *Sileſitæ* latrunculi ab eo tempore in plaga illa Regnum vexare. Quidam tamen *Auſtralis Zaiof* alias *Haſenemer*, quem *Eliſabeth* Regina, dum viueret, mandato *Wratislauienſes* ciues & Regnum *Poloniæ* turbaret, in Capitaneum acceperat, & iam morte Reginæ ſecuta, pluribus afficiebat incommodis, & ex oppido *Hanryslow* multas villas & oppida in terra *Wielunenſi* in fauillam redegit. Sed & fortalitium *Wieruſchow* expugnans, & vna cum oppido conflagrans, *Clementem Wieruſch*, cepit & vinctum *Wratislauienſibus* tradidit. Agebat autem per terram

Variæ turbæ in Polonia.

1442. ram *Wielunenſem* prædas & ſpolia, & vſque ad ſuburbia ciuitatis *Wielun* graſſabatur, neque aliquis ex Baronibus *Poloniæ*, qui eius reſcinderet conatus, repertus eſt. *Tartari* inſuper anno eodem circa feſtum Pentecoſtes terras *Podoliæ* & *Ruſsiæ* cum valido exercitu ingreſſi, non inuenta aliqua reſiſtentia illas ad *Leopolim* vſque vaſtabant, & in plures turmas libere abducendo nobiles & plebeios vtriusque ſexus in captiuitatem miſerabilem deducebant. Dum autem cum præda hominum & pecorum immenſa reuertuntur, nobilis *Windica* tunc Tenutarius in *Gſiniany*, licet cum pauca ſuorum manu, illos aggreſſus eſt, & aliquot turmis eorum ſuperatis & victis, a multitudine ſuperueniente victus eſt, & cum omnibus ſuis, vt miles ſtrenuus, interfectus, multos tamen captiuos homines a captiuitate crudeli, ab his quos vicerat, abſoluit. Multi infra tempus prælii fuga ſaluati ſunt, celebri ſemper recolendus memoria, recte cognomen hoc *Vindica* ſortitus, qui maluit mori honeſte in bello, & mortes innocentium vlciſci, quam videre tot mala gentis ſuæ. Quod ſi idem eſſet animus omnibus *Ruſsiæ* nobilibus, nunquam tot millibus hominum in captiuitatem perpetuam abductis terræ *Ruſsiæ* & *Podoliæ* perpetuam eſſent expertæ deſertationem. Licet autem ad prouidendum tantis malis Prælati & Barones *Poloniæ* in *Piotrkow* & *Siradia* pro feſto S. *Georgii* & aliis diebus, generales tenuiſſent conuentiones, & plura capitula & ordinationes pro defenſione terrarum Regni deliberaſſent, deficiente tamen executione & executore fragiles eorum erant conatus & inanes. Omnes enim fere Barones Regni priuatis ſtudebant commodis & affectionibus, nec publicam rem intento ſtudio aut diligentia promouebant, malebantque ſinguli proficiſci cum familia decenti & ornata in *Vngariam* & apparere conſpectui Principis, atque donationes & prodigas ab eo ſuper bonis regalibus inſcriptiones, oppignorationes & obligationes, prece vel importunitate, pro ſeruitiis Regno *Vngariæ* præſtitis, exigere, quam Regnum proprium a crudeli inuaſione & deſtructione tutari. Vnde & accidit, quod *Wladislaus* Rex per eos omnes annos, quibus in Regno *Vngariæ* fuit, fere omnes ciuitates, caſtra, terras, oppida, villas, telonia & introitus regios, in pluribus millibus, & ampliſſimis ſummis inſcriberet & obligaret, Rectoribus Cancellariæ omnes donationes, inſcriptiones & obligationes quantumcunque prodigas & impertinentes admittentibus. Multiplicabantur itaque Regno *Poloniæ* mala, vt & hoſtibus premeretur, vaſtationibus & regalibus donationibus & obligationibus difflueret. Augebat etiam huiusmodi malum Baronum *Poloniæ* ambitio, qui a Rege donationibus oppidorum & villarum in terris *Ruſsiæ* & *Podoliæ* impetratis, antiquos incolas & hæredes de illis excludebant. qui inopia & egeſtate preſſi, & quadam deſperatione compulſi ad *Tartaros* fugiebant, illosque poſtmodum ad vaſtandum terras *Ruſsiæ* & poſſeſſiones, de quibus eiecti fuerant, inducebant. 1442.

1443. Prælati & Barones *Vngariæ* morte *Eliſabeth* ſecuta, in obedientiam & ſubiectionem *Wladislai* Regis vltro confluebant, nec erat aliquis, qui ſuam Serenitatem pro Rege *Vngariæ* non recognoſceret, præter ciuitates rebelles & caſtra per *Iskram* occupata, in quibus reliquiæ rebellionis adhuc remanſerant. Conſiderans itaque *Wladislaus* Rex Regnum ſuum *Vngariæ* a bello inteſtino in parte maiori reſpiraſſe, induxit in animum, ponere in executionem ſanctum propoſitum, quod illum ad acceptandum Regnum *Vngariæ* inclinauerat, & deinceps intendere pro defenſione Regni *Vngariæ*, & deinde liberare illud ab oppreſſione barbarica, quam *Turcorum* ſæuitia contra illud annis pluribus continuauit. Solicitus autem erat *Iulianus* Cardinalis Legatus tanquam vir prudens & induſtrius, & *Wladislaum* Regem & Conſiliarios ſuos multis verbis & perſuaſionibus ad aſſumendam defenſionem fidei & Regni *Vngariæ* confortare, & ad maturandam belli expeditionem contra *Turcos* inducere. Et quo facilius animum Regis & conſiliariorum pro bello huiusmodi ſuſcipiendo accenderet, *Eugenii* Papæ quarti offert notabile pecuniarum ſubſidium, & multorum Regum & Principum Catholicorum in gentibus armatorum ſuccurſum. Itaque tam *Wladislai* Regis, quum ad huiusmodi bellum gerendum nimio deuotionis ferebatur ardore, quam Prælatorum & Baronum *Vngariæ* conſenſu, generale contra *Turcos*, multis annis aut neglectum, aut infeliciter geſtum inſtauratur & decernitur paſſagium, & vt res ipſa modo bono poſſet ordinari & dirigi, tenetur pro feſto Pentecoſtes *Budæ* generalis conuentio, in qua votis ſingulorum & deliberationibus ſcrutatis, omnes huiusmodi expeditionem neceſſariam & ſalutarem probant, *Vladislaumque* Regem magnis orant precibus, *ne opus ſanctum quoquo modo negligat, ne ſpem de ſe habitam extenuet & fallat, ne defenſionem fidei Chriſtianæ ſibi reſeruatam prætermittat*, offerunt *perſonas*, offerunt *fortunas, vt pro libito ſuo his vtatur*, precantur, pollicentes *ſe eius imperio in omnibus parituros.* Feruentius quodammodo *Stephanus* Deſpotus *Raſciæ* & *Dalmatiæ* expeditionem huiusmodi ſollicitat & promouet, & magis fletibus & precibus *Wladislaum* Regem obſecrat, *quatenus depreſſæ ſuæ & miſerabili conditioni condoleat, & pro recuperatione terrarum & dominiorum ſuorum, terris videlicet Albaniæ & Raſciæ, quas ſuperioribus annis cum omnibus caſtris, ciuitatibus & caſtellis, propter eorum fœcundam vbertatem, & auri argentique copioſam mineram, ſuæ ditioni Imperator Turcorum ſubegerat, ac*

1443.

pro vlciſcendis duobus filiis ſuis, quos præfatus imperator Turcorum & oculis & vaſis ſeminariis priuauerat exurgat. Iam enim annis aliquot Deſpotus ipſe terris ſuis *Turcorum* potentia pulſus, cum vxore & optimatibus ſuis excluſus exulabat, liberalitateque *Wladiſlai* Regis pro tuendo ſtatu ſuo & ſuorum notabiliora caſtra & poſſeſſiones in Regno *Vngariæ*, in quibus demorabatur, cum gentibus terrarum ſuarum, quæ ſequebantur eum, acceperat. Commotus tot vocibus, precibus & lacrymis *Wladiſlaus* Rex in expeditionem huiusmodi conſentit, perſonaliter eam gubernare conſtituit. Ad *Fridericum* autem *Romanorum* Regem *Wacienſem* Epiſcopum & *Nicolaum* Decanum *Cracouienſem* in *Viennam*, quorum alter humilitate præcipua, alter eloquentia maxime memorabilis in *Viennam* transmiſſi, qui hortati ſunt Cæſarem, *contra Turcos præſidium ferret.* Sed omne illic præſidium negatum eſt, aut quia odioſi erant ſumtus, aut ne *Wladiſlaus* Rex reuerſus, ſigna in *Auſtriam* verteret, induciæ tamen in biennium firmatæ. Reges inſuper & Principes Catholicos, eos præſertim qui ex profeſſione ſua caſtra fidei ſuo brachio tenebantur protegere, *vt ſibi ferant ſubſidia*, nuntiis & literis hortatur, rogat & requirit. Sed nec Magiſtrum & Ordinem Cruciferorum de *Pruſſia* per Reges & Principes *Poloniæ* pro defenſione fidelium contra barbaros inſtitutum prætermittit, ſed illum ſibi & Catholico populo ferre ſubſidium pluribus verbis inuitat, Magiſtro & ordine præfatum ſubſidium negante & abnuente. *Iulianus* præterea Cardinalis & Legatus, decretum contra *Turcos* paſſagium *Eugenio* Papæ intimat, rogans *vt promiſſis ſuis & verbis præſtet virtutem & efficaciam.* *Wladiſlaus* interim Rex per omnem æſtatem illam res bellicas præparat, arma & equos coëmit, plures gentes ex Regno *Poloniæ* & terris *Wallachiæ* in ſubſidium contrahit & inuitat.

Bellum adu. Turcos decernitur.

Comparatis ſingulis quæ pro expeditione huiusmodi videbantur neceſſaria, in die beatæ *Mariæ Magdalenæ Wladiſlaus* Rex habens ſecum *Iulianum* Cardinalem & Legatum in comitiua, quem cruce ſignati ex diuerſis nationibus & Regnis ſequebantur, cum procerum & militum ſuorum caterua *Buda* egreditur, & primum faciens in *Pieczki* nocturnum, via rectiori ad vada *Danubii* alueo ſuperato oſtium transgreditur, oppidum *Zophia* oppugnat, & conquirit, & illud militibus dat in prædam, & vltimo redigit ignis voragine in fauillam. Idem facit de pluribus caſtris, fortalitiis & ciuitatibus, quæ *Turci* in *Bulgaria* & *Raſcia* occupauerant, cumque ad flumen veniſſet, quod *Morauam* incolæ vocitant, nuntiatur *Wladiſlao* Regi per exploratores, *exercitum Turcorum in certo loco coadunatum eſſe, & latere in inſidiis, quatenus facilius exercitum Regis dum virtute non poſſent, iniquitate loci & opportunitate temporis inuaderet.* Quo cognito illico aliquot pugnatorum millia nocte ad dimicandum cum illis, præficiens *Ioannem* de *Hunniad* in Capitaneum, transmittit. Ducentibus autem exploratoribus recto itinere peruenitur ad *Turcorum* exercitum taliter latitantem, & continuo exercitus Regius *Turcos* nihilominus quam inuaſionem hoſtilem ſuſpicatos ex improuiſo inuadit, pugnam conſerit, & trepidantes *Turcos* magis de fuga quam triumpho ſolicitatos proſternit, & in ore ſæuientis gladii trucidat. Cadunt interfectorum cadauera, ſanguineque terram polluunt, & truncis funerum replent campos, poſtremo terga vertentibus & impetum exercitus Regii ferre non valentibus maior trucidatio congeritur. Exercitus Regius omnibus cæſis aut captis (pauci enim fuga euaſerant) caſtris etiam eorum & rebus potitus, & ad *Wladiſlaum* Regem præda ingenti onuſtus, alacrem refert victoriam. Eo prælio triginta millia hominum cæſa ſunt, quatuor millia capta, ſigna militaria nouem. Tum quoque aliquot vrbes *Bulgarorum*, nonnulla quoque caſtra & ciuitates hoſtium, ex quibus præſidia hoſtium diffugerant, in deditionem acceptæ. Transeunt poſthæc dies plurimi, ſub quibus *Wladiſlaus* Rex ad dimicandum prouocatus, hoſtium acies contriuit aut fugauit, & *Romaniam* totam pertranſiens vsque ad confinia *Macedoniæ* peruenerat, omnia igne & gladio conſumens. Etiam exercitum ſuum victualium defectus premebat, & equis morte deficientibus multi notabiles milites & nobiles ordine in pedeſtrium numerum redacti erant, nec tamen ab incepto itinere reducebatur, dicens: *Credo in Deum meum, quod Europæ populus per manum meam liberabitur.* *Turcorum* interea Cæſar comperta ſuorum infelici pugna & clade, & *Wladiſlai* Regis inſperato aduentu, contrahit ex omnibus partibus exercitum, & metu nimio correptus, in caſtris ſe continet, affinem tamen ſuum Woiewodam *Natoliæ* præficiens exercitui in Capitaneum, & illum cum his mandatis & inſtructionibus transmittit, *vt duntaxat Alpes, qui Romaniam & Macedoniam diſterminant, & anguſtiſſimum præbent iter, tueatur, & penetrare montes Wladiſlaum Regem & ſuum exercitum non permittat.* Prohibet inſuper *ne faciat cum Wladiſlao Rege congreſſum.* At *Turci* quidam non valentes animi continere impetum, transgreſſi fines mandatorum aliquoties Regem & ſuum exercitum inuadunt, ea fiducia freti, quod videbant ſe exercitu Regio ſuperiores, ſed vecordiæ ſuæ debitas ſoluerunt pœnas. Fuſi enim ſunt adeo magna clade vt & Woiewoda *Natoliæ*, Ductor exercitus, & plures eorum maiores & principales caperentur, nec dubium quin eadem ſors *Turcorum* reliquo exercitui accidiſſet, niſi montes, in quibus reliquerant caſtra & præſidia, & ad quos confugerant,

Turcorum inſidiæ cæduntur.

1443.

rant, eos defendiſſent. Sed nec illic *Wladiſlaus* Rex paſſus eſt eos eſſe quietos, inſecutos enim illos vſque ad montium radices, in vigilia Natiuitatis *Chriſti* tota die a mane vſque ad veſperam durum & plurimum ſibi & exercitui ſuo, qui ſagittis denſiſſimis *Turcorum* ſuperne offendebatur, tolerauit certamen. Bombardis enim, ſagittis baliſtarum, & aliis iaculis depellere ex montibus eorum agmina ſatagens, multos bombardarum ictibus *Turcorum* globos proſternebat, ſed nec *Turci* tepidius in Regem & exercitum eius ex montibus ſæuiebant, audaciam illis loci ſuperioritate ſubminiſtrante, offendebantque exercitum Regis per ſagittas, quas veluti quendam repentinum imbrem emittebant. Sed & *Wladiſlaus* Rex aliquot ſagittas aduerſo pectore exceperat, nulla tamen ad corpus armis protegentibus penetrabat. Veritus autem *Wladiſlaus* Rex, ne exercitus ſuus ex inedia & victualium penuria debilis, arcubus *Turcorum* amplius offenderetur, a montibus receſſit, neque enim poterat defendentibus *Turcis* clauſuras montium, vlterius cedere, neque exercitus ſuus famem ferre. Altera autem die *Turcorum* exercitus ratus Regem fugere, inſequebantur, ſed Rex illico conuerſus, commiſſa pugna omnem illum exercitum hoſtilem virtute altiſſimi adeo confregit, vt de cætero nullus haberet audaciam ipſum & exercitum ſuum laceſſendi. Per aliquos tamen dies redeuntem Regem ſecuti ſunt, ſi forte ex loci opportunitate extremum agmen poſſent opprimere. Poſtea vero, quoniam prætergreſſum omnem offendere exercitum, comprehendendi ſpe deſtituti, retorquere veſtigia. In omnibus autem dimicationibus & præliis in præfata expeditione commiſſis *Wladiſlaus* Rex & optimi imperatoris & audaciſſimi militis exequebatur munera, primus ad pugnam, vltimus prælio confecto excedebat, nec alicuius in illa expeditione virtus, quantum Regis, enituit, nulli rei periculoſæ aut difficili in bello & extra ſeipſum, negauit, quibus artibus & vulgi ſibi & nobilium animos conciliauerat. Zelus inſuper *Iuliani* Cardinalis Legati tunc perſpectus eſt, qui exercitum regium & præſertim cruce ſignatos, dum acies ad congrediendum procedebant, animoſæ legationis crucem geſtans, vbilibet præibat, & milites pugnaturos ſuis adhortationibus confortabat. Fertur crebro quidam miles *Almanus*, qui in exercitu præfato deuotionis cauſa, habens notabilem familiarium & ſeruitorum cateruam, militabat, tolerantia laborum & famis & incredibili animoſitate *Wladiſlai* Regis perſpecta, Reges & principes orbis publico carpſiſſe ſermone, *quod commeſſationibus, crapulis, luxui & pompæ, auaritiæ deditis, falſum nomen Regium occuparent: alios Reges & Principes purpura & ſatellitibus ac iactatione capitis occupatos eſſe, ſolum Wladiſlaum armis & virtute exiſtere, qui adoleſcentiam ſuam vigilando, laborando, eſuriendo, præliando pro defenſione fidei & Catholicorum* A *conuertendo, digniſſime Rex vocaretur.* Diſceſſum Regis ex terra hoſtili Deſpotus *Raſciæ*, qui vna militabat, moleſtius tulit, & proinde multis precibus & pollicitationibus retinere Regem & exercitum pro recuperatione terrarum ſuarum conſequenda tentabat, offerendo etiam pro leuanda inopia exercitus, centum Ducatorum millibus ſubuenire. Perſeuerare tamen exercitum in campo media hyeme, equis & euectionibus, comeatibusque deficientibus, hominibus partim fame tabeſcentibus, partim cadentibus & laborantibus, nullus prudens probabat, ne nouo exercitu & recenti *Turcorum* ſuperueniente, ſua clade fuſcaret partam victoriam, quæ ægre conſtantia mi- B litum fuit obtenta. Iam ſiquidem plurima multitudo exercitus regii fame confecta aceruatim cadebat, nonnulli milites huc atque illuc corpore nutabundi, iam iamque lapſuri incedebant, quamplurimi vero ita exhauſti erant, vt ſimulacra carne carentia magis quam homines putarentur, colore tetro luminibus in profundum demerſis, neque in tot ſuperuenientibus malis vnus alteri poterat ferre ſuffragia, aurum vero per Deſpotum oblatum etſi prima facie quantitatem magnam continebat, in vniuerſos tamen partitum, minime poterat neceſſitati ſingulorum ſubuenire. Compendium autem quærens Rex, faciliores reditus impedimenta agminis amouere præcepit, cæſi equi C imbecilles & confecti inedia, pleræque quadrigæ cum nobilibus tabernaculis concrematæ, loricæ & aliud armorum genus in ſabulo, & ſingula quæ honori magis quam vſui erant, conſumta incendio, ne aduerſum ſe ſuis ſubſidiis, ſi eis adeptus foret *Turcus* armaretur. Igne itaque nobilibus tentoriis, curribus, telis, veſtimentis, aliisque rebus, quæ portari propter equorum defectum non poterant, ne hoſtes illis potirentur, conflagratis, *Wladiſlaus* paucis de ſuis deſideratis, ſanus & incolumis de expeditione præfata diſcedit, & in *Albanander* perueniens, illic aliquot dies, vt exercitus ſuus refici poſſet, commoratur. Deinde conſuetis itineribus in *Vngariæ* regnum reuerſus, nudis D pedibus *Budam* cum ſignis hoſtilibus in præliis captis, omni Clero ac populo atque omnibus obuiam proceſſionaliter egreſſis, cum magno excipientibus gaudio glorioſus & deſiderabilis triumphator cum triumpho & hymnis, cæſorum hoſtium ſpoliis intrauit. Signa ipſa hoſtium in Eccleſia S. *Mariæ* Parochiali in *Buda* pro memoria ſempiterna ſuorum geſtorum repoſuit. Duodecim inſuper *Poloniæ* & duodecim *Vngariæ* primorum Baronum arma, qui ſecum in præfata expeditione militauerant, Rex depingi, & in Eccleſia S. *Mariæ* in *Buda* collocari, in ſigna eorum probitatis & præmium heroicæ virtutis iuſſit, arma autem Baronum *Poloniæ* ſunt hæc: *Petri* de *Szce-*

1443.

1443. koczin Regni *Poloniæ* Vice-Cancellarii de armis *Odrowąsz, Petri* de *Schamotuly*, de armis *Nalencz, Pauli Woinicki* de *Sienne*, de armis *Debno, Ioannis* de *Tarnow*, de armis *Leliwa*, *Nicolai* de *Chrzaſtow*, de armis *Strzegomia*, *Nicolai* de *Sukrzow*, de armis *Roza, Hinconis* de *Balicze*, de armis *Topor, Michaelis Laſocki* de armis *Boliega, Stanislai* de *Plieſchow* de armis *Suliwa*, *Thomæ Warzinowski* de armis *Zubrzaglowa*, *Sbignei Roſperski* de armis *Plomien*, & *Iohannis Ligeza* de *Bobreck* de armis *Bulkaſcha*, & *Petri Kamieniecki* de armis *Pilawa*. Ex *Vngaris* hi fuere principales *Nicolaus Friſtacki* de *Vlagk*, Woiewoda *Tranſyluanus*, *Ioannes* de *Hunniad*, Woiewoda *Tranſyluanus*, *Simon* de *Palencz*, *Simon* de *Czuder*, *Ioannes Woideſemrich* de *Plawcz*. Inter *Vngarorum* autem vexilla & arma principalem locum tenebant arma Cardinalis *Iuliani*, item *Georgij* Deſpoti *Raſciæ*, item peregrinorum ex variis linguis voluntarie ſub banderio cruciatæ militantibus.

Inuidorum de Wladislai expeditione iudicia.

Quamuis autem victoria per *Wladislaum* Regem ex *Turcis* relata celebris & ſonoroſa fuerit, & vniuerſam Chriſtianitatem magno gaudio compleuerit, non deerant tamen hoſtes & inuidi ſui, præſertim inter *Auſtrales* & *Almanos*, qui famam triumphi ſui extenuare fuſcareque conati ſunt, aſſerentes *Ioannem de Hunniad Woiewodam velut militaris rei peritum bellum illud confeciſſe, & victoriæ relatæ præter auſpicium, nil ad Wladislaum Regem pertinere.* Sed non potuit inuidus liuor claritatem trinmphorum ſuorum quoquam modo attingere, vniuerſa Chriſtianitate, & his præſertim, qui vna militauerant, gloriam victoriarum in Regem *Wladislaum* referentibus, congerentes. Sed & *Æneas* de *Senis Italus*, Poëta laureatus, qui ea tempeſtate apud *Fridericum Romanorum* Regem Notarii officio fungebatur, gratitudinem apud *Almanos* conſecuturus, multis probris Regem *Wladislaum* carpſit, & quem cœlotenus efferre debuerat, triumphorum ſuorum cumulum & gloriam extenuare laborabat, plura affingens & variis ſuis epiſtolis inſerens, quæ decus regium & virtutem heroicam expilabant.

Terræmotus.

Quinta menſis Iunii generalis terræ motus præſertim in *Poloniæ, Vngariæ, Bohemiæ* Regnis, & partibus vicinis, adeo validus exortus eſt, vt turres ædificiaque murorum corruerent, & ſingulæ domus, quantumcunque robuſtæ aut firmatæ, motu notabili voluerentur, fluuiorum aluei aquis in partes vtraſque deſfluentibus vacui cernerentur, liquida quæque ſalirent, homines pauore ſubito conſternati à ſenſu & ratione alienarentur. Teſtudo monaſterii S. *Catharinæ* Fratrum beati *Auguſtini* Eremitarum in *Caſimiria*, motu illo in terram noctu decidit & plura alia loca motu terræ ruinata ſunt. Intenſior tamen motus ipſe in Regno *Vngariæ* fuit, vbi & caſtra quædam euerſa ſunt, ſed & gleba ipſa in Regno *Poloniæ* vulgarium opinione ſterilior poſt motum terræ eſſe cœpit, & in annos plures lolia & quoſdam inſolitos & antea nunquam viſos fructus, qui in *Polonico Snier* dicuntur, in locum puri tritici germinauit, motu præfato, vt vulgaribus aſſerere placuit, vitiata.

1444. Principio huius anni, dum Reges & Principes orbis Catholici comperiſſent, *Wladislaum* Regem & incolumem & victorem ex *Turcorum* bello *Budam* rediiſſe, vniuerſi illum aut nunciis & Legatis inſignibus, aut epiſtolis diſertiſſimis excipiunt. *Eugenius* Papa quartus, non ſolum Legatum, ſed & munera remittit, *Franciæ, Angliæ, Hiſpaniarum, Arragonum* Reges, *Philippus* Dux *Burgundiæ*, Dux *Mediolani Maria Angelus*, item *Venetorum, Florentinorum* & *Genuenſium* Communitates reditui ſuo fauentes, ſpeciales miſere oratores, qui magnificatis operibus ſuis, *vt ſecundam expeditionem facere in Turcos non differat*, quibus poſſunt precibus & perſuaſionibus deprecantur, offerentes *ſe & terra & mari ſubſidia laturos.* Papa præſertim, *Veneti, Genuenſes* & *Burgundiorum* Dux *Philippus* claſſem inſtructam repromittunt, quæ diſtrictum maris cuſtodiat, & *Turcos* ex *Natolia* traiicere volentes prohibeant. Nuncii interea ex *Poloniæ* Regno Regem adeunt, monent, *vt vnius periculo expeditionis perfunctus, aliud non ſubeat, ne quidquam Conſiliariis Poloniæ inconſultis, in rebus expeditionem Turcorum contingentibus, decernat, præbiturus ſe illi conſilia, quibus ſtatus ſuus ſtabiliri primum, deinde guerræ conquieſcere & Turci vinci poſſint*, monent inſuper, *vt omnibus omiſſis, Regnum paternum reuiſere in animum inducat.* Hæc non vniuerſorum ſolum, ſed ſingulorum & adhortatio & deprecatio fuit, adiungentibus deformitatem, quam Regnum *Poloniæ* eius vaſtatione *Tartarorum* in terris *Ruſſiæ*, & qui etiam anno ipſo circa feſtum Pentecoſtes Regnum ingreſſi, & vſque ad ſuburbia *Leopolis* impune graſſati, multa animarum millia in perpetuam abduxerunt ſeruitutem, & ſpoliatione furtiua a *Sileſitis* contraxerat. Illis ſiquidem diebus *Sbigneus* Cardinalis & Epiſcopus *Cracouienſis* eccleſiæ ſuæ *Cracouienſis* poſſeſſiones augere & terminos Regni dilatare cupiens, terram & Ducatum *Sieviricienſem* a *Wenceslao* Duce *Theſſinenſi* pro ſex millibus marcarum latorum groſſorum emerat. Sed Ducis *Nicolai Ratiborienſis* dolo, quem clandeſtine non verebatur inferre, poſſeſſio Ducatus præfati, aliquanto tempore fuit intercepta, ex quo & contagio belli in cæteros Duces *Sileſiæ* proceſſit, & nonnulli ex illis parum culpabiles per *Petrum Schaffranięcz* qui bellum nomine Regni adminiſtrabat, præſertim *Boleslaus* Dux *Opolienſis*, bello laceſſiti, refuſionem damnorum repoſcebant, ad quæ omnia componenda præſentia Regis ſummæ iudicabatur neceſſaria, nam & pro prima die Apri-

1444. Aprilis, & pro die *Vrbani* duplex conuentio in *Skauina* cum Duce *Nicolao Ratiborienſi* habita eſt, & bellum non extinctum, ſed per treugam in annum ad ſpem aduentus regii ſuſpenſum. Fama quoque certa habebatur Ducem *Caſimirum* & *Lithuanos* parare bellum aduerſus Ducem *Maſouiæ Boleſlaum* pro terra *Drohicenſi*, cuius ipſe iam triennalis & amplius poſſeſſor erat, recuperanda; moleſteque ferebant omnes conſiliarii *Poloniæ*, Ducem *Boleſlaum Maſouiæ* terra auita & paterna ſpoliari & vexari bello iniuſto *Lithuanico*. Tot legationibus, tot varietatibus, tot rebus & neceſſitatibus *Wladiſlaus* Rex diſtentus, quid agat, quo ſe primum conuertat, & quorum ſequatur conſilia ſatis perplexus eſt, cauſam fidei & defenſionem Chriſtianorum & Regni *Vngariæ* ſuperiore bello inſtructam, deſerere non placebat, Summo Pontifice & tot Regibus, Ducibus & Communitatibus ſollicitantibus magnum ſe aliquid conficere credebat, ſi tot ſubſidiis ſe offerentibus operam ſuffragiaque pollicentibus operam & ipſe nauaret, cum priore bello ſuis viribus tantummodo vſus, magnificam ex *Turcis* victoriam retuliſſet. Videbat præterea *Vngaros* ex ſuperiori victoria inſolentes, & ad bellum contra *Turcos* gerendum accenſos, nec expeditionem temporis illius quoquo modo dilaturos. Regni tamen paterni *Poloniæ* charitas & ſuaſio Conſiliariorum eum quam maxime a bello ipſo adminiſtrando reuocabant. Vicit tamen feruor fidei Sanctæ, *Iuliano* Cardinale & Legato continue aures & animum Regis plurimum perſuaſionibus demulcente, expeditionemque ſecundam in *Turcos* edicit & decernit, conuentum totius Regni *Vngariæ* pro die S. *Georgii Budæ* inſtituit, ad quem & *Iskram* & ciuitates rebelles euocat, *Polonis* reſpondet, *conuentu Budenſi expedito ſe ad illos pro corrigendis defectibus & deformitatibus Regni Poloniæ opportune venturum.* Vt autem poſteris fides amplior horum quæ ſcribuntur dari poſſit, neque reuocetur in dubium, *Wladiſlaum* Regem tot triumphis & venerationibus, tot legationibus Regum & Principum inclytum fuiſſe, copiam literarum ſibi per Ducem *Mediolani* ſcriptam hic infero:

Litera Ducis Mediolani ad Wladiſlaum Regem.

Sereniſſime Princeps & Excellentiſſime Domine, Conſanguinee noſter Honoratiſſime. Ea eſt magnitudo rerum & claritas, quas nuper Deo gubernante, in ſuæ virtutis & gloriæ curſu perſeuerans geſſit, vt vel ſola eorum per ſe illuſtris fama vniuerſum percurrere orbem, cunctisque ſilentibus non illa auribus tantum onerandas vulgare, ſed ipſis etiam oculis ſpectandas ſubiicere valeat. Pluribus enim ante diebus, quam illæ ad nos poſterioribus victoriis veſtris literæ veſtræ perueniſſent, eædem illa adeo explorate populis noſtris, adeo clare tenebantur, vt nil certius, nil apertius ab illo haberi potuiſſe videretur, qui ſe in acie fuiſſe, nec ſuiſſe ſolum, ſed etiam præfuiſſe diceret. Quanquam religioſe credere fas eſt, vt cœlos eam enarraſſe gloriam, qua Deo ſanctiſſimo & ore & ſcriptis veſtris, & corde atque animo acceptam fertis, & e cœlis in mentes hominum tacitas quaſdam ex eo genere demiſſas voces penetraſſe, quem vti futuri præſagos nonnunquam reddunt, ſic eorum, quæ in abſentia partium aguntur gnaros, illa etiam ipſa qua aguntur hora efficiunt, quod ſuperſtitioſe diuina videri poſſe veremur, niſi ſimilia etiam quandoque ſub ſtulta idolorum ſeruitute Chriſtianorum exempla cogitemus, quæ deuotioni veſtræ nota eſſe confidimus olim accidiſſe, veri vbi creditur ſcriptores leguntur, qui valde de Cornelio Sacerdote ille commemoratnt, qui vitæ caſtitate venerandus Patauii, quo die in acie Pharſalica fuſus a Cæſare Pompeius fuga turpi, & antea incertæ fortunæ ſua lumen extinxit, & magnitudinis robur eneruauit, ſingula dum acerrime dimicaretur, quaſi e ſpecula eminenti quemadmodum agebantur, interdum intermiſſis ipſe, interdum rurſum excitatis vocibus exponebat. Sed vtrumque nouiſſimo tempore noſtro hoc fuit, ſiue Deus omnipotens hæc veſtra reſciri priuſquam aut audiri vllo nuntiante aut ſcribente legi voluit, gratulari debemus vobis, quem adeo peculiarem ſibi elegit Deus, vt ſe non ſolum geſtæ felicitatis autorem, ſed & gloriæ prædicatorem ipſe præbeat, ſiue hominum antiquorum ſtudio perfectum eſt, vt extremas etiam oras ea fama, quam breui pernicibus vt aiunt alis tranſuolaret. Ea quoque re, qua ſolide Serenitatem Veſtram amamus, ac veſtris laudibus annis longe antecedentibus delectabamur. Suauiſſima vero & illa de vobis memoria, quæ animo veſtro penitus inſediſſe videtur, itaque literas ad nos Veſtræ Serenitatis cum læti accepimus, quibus ſecundi Veſtri aduerſus nominis Chriſtiani hoſtes conſtantiſſimi atque Sanctiſſimi belli progreſſus eramus intellecturi, dum & ſumma iucunditate complexi ſumus, quæ ab noſtri amantiſſimo præſtantiſſimæ virtutis Rege, noſque inter ſibi præcipuos habentem, nuntium imprimis optatum allaturæ monebantur. Atque vt veniamus ad id quod nos agere & literæ ipſæ petunt, & noſtra in Serenitatem veſtram affectio monet, immortales Deo gratias habemus, pro eius in vos populoſque veſtros, ac per vos in omnem Catholicum populum magna clementia, vberioribus quæ vix optare nuper quiſquam audebat, donis. Meminimus quidem quanto impetu & furore, quanta rabie atque immanitate nondum tertius exceſſit annus, irruptione facta, barbarorum ingentes copiæ Regna illa Pannoniorum depopularentur, peſſundarent, breuique omnia in puluerem deductura contenderent, nec Pannoniis iam contenti de inuadenda Italia & reliqua omni Europa non impari ſtrage euertenda cogitarent. Pungit & nos atque vrit illius temporis recordatio, cum inter Eccleſia ſanctæ filios vbique diſſidia feruerent, odia

1444

odia incenderentur, bella perſtreperent, ſæuirent clades, vt neque ſatis conſilii & opis minimum aduerſus barbaricum furorem ſi ſe extuliſſet & longius progreſſus fuiſſet, afferri poſſe videretur. Sed miſericors & miſerator Dominus, a quo poteſtas & imperium, qui tametſi electos ſuos in virga ferrea nonnunquam viſitat, eos tamen ſupra vires tentari non patitur, nec ab eis amouet miſericordiam ſuam, ſuſcitauit in vobis Spiritum Sanctum ſuum, ingenium veſtrum natura excelſum conſilio & ſapientia munivit, teneram adhuc adoleſcentiam & robore corporis & animi virtute firmauit, Regnum, primatum, fidem populorum obſeruantia & cultu ſtabiliuit. Duces dedit, qui exercitui præeſſent, rei militaris peritiſſimos, milites, qui & Ducibus parerent, & diſciplinam optime tenerent militarem, qui non auri cupiditate accenſi, nec vento cuiuſpiam inanis gloriæ inflammati, pro coniugibus, pro liberis, pro parentibus, pro maiorum ſepulchris, pro laribus & focis ſuis, pro templis atque delubris, pro patria denique ipſa, cuius hæc omnia complectitur nomen, vel potius pro Dei ac Domini noſtri Ieſu Chriſti, a quo omnia & ea accepiſſent, & æterna præmia expectarent, confeſſione pugnaturi, non a laboribus aut periculis, non a rerum damnis, non a vulneribus aut ſanguinis effuſione, non a morte reformidarent, ſed firmiſſima in Deo ſpe repoſita, ſe vel de barbarorum hoſtibus in patriam lætos, vel de morte ipſa in cœlum victoriam lætiſſimos cum triumpho reportaturos, vltro bellum, & quidem aduerſus eos, depoſcerent, a quibus cædi, profligari, in teterrimam ſeruitutem rapi antea conſueuiſſent, vltro in pugnam ſeſe offerrent, in aciem prodirent, & ubi confertiſſimis hoſtium cuneis pugnaretur, eo ſe prompte iniicerent, ac difficillima quæque ſubirent, nulla in re turpiter hoſtibus ceſſuri. Hiſce tot tantiſque propugnaculis atque opportunitatibus innocentiam Veſtram armauit Deus, vt populum ſuum ab inſurgentibus in eum protegeretis, nec protegeretis ſolum, ſed etiam ſi recte agere velimus, vlciſceretis, cladem in eos, qui Dei ſanctuarium polluiſſent, quam longe lateque extenderetis. Atque vt nemo cogitationibus prauis aditum in cor ſuum facile aperiat, ſed quiſque ſtabilis ſpe gaudens, Domino ſeruiens, charitatis opera præſtantiſſima magno Spiritu indicata intentionis, in dies ſtudio proſequatur, alterum quaſi Moiſen nobis dedit, firmiſſimum illum Eccleſiæ Cardinalem Iulianum Apoſtolicum Legatum, Patrem Sanctitate & virtutum ſinceritate conſpicuum, humanitate colendiſſimum, authoritate venerandiſſimum, ſapientia obſeruandiſſimum, cuius in mente ſanctiſſimas verſari cogitationes, ex ore vitæ viua verba prodire, ab actione religionis & ſanctimoniæ exempla manare, Deus regnorum veſtrorum ac veſtræ gentis curam throno ſuo ſancto voluit. Hæc atque in eum modum alia plurima recogitantibus, nobis vnum præterea, quod ſi deeſſet non parum huius veſtræ felicitatis & gloriæ diuturnitati diffideremus, intuentibus, moleſtiam ſcilicet, quæ vos eſſe in tantis victoriis, tantis laudibus, tantis congratulationibus Chriſtianiſſimo digna principe, veſtra ad nos Epiſtola indicauit. Effundimus quidem, tot illuſtria veſtra legentes geſta in Dei benedictionem, atque in magnalium eius, quorum architectum miniſtros populos veſtros elegiſſe videtur, officio certe uſus eſt, prædicationem, exaltationem, iubilum, idemque vt ſubditi nobis populi, vt noſtras vrbes inhabitantes Clerus agat, operam damus, facto omnibus indicto conuentu, templorumque ſolenni triduana viſitatione inſtituta, præſenti veſtro animo participes ſimus bono. Sereniſſime Rex in Deo fruimur, meliora indies ac maiora expectantes, atque tanto magis animatam cum omni ſuo exercitu victoriæ maieſtatem veſtram fieri non dubitamus, quanto certior de clementia Dei ſæpius deguſtata eius dulcedine, modo in ſancto propoſito, immaculatis ſenſibus & mentibus perſeueretur; quanto & ſecurior de cognita iam & perſpecta & Ducum ſuorum pugnandi ratione, & militum fortitudine ac fide, eſſe debet veſtro in nos amori prope ſingulariter, qui ad ſcribendum impulit, haud diſſimiles gratias habemus, quantas poſſumus certe dicimus, veſtris commodis ſi quid nos adiicere poſſe animaduerterit prouidentia, nullum gratiis agendis modum, nullum finem eadem nos facturos intelligat. Datum Mediolani die XXV. Ianuarii 1444.

Philippus Maria Angelus Dux Mediolan. Papiæ Angleriæque Comes & Ianuæ Dominus.

Ad diem S. *Georgii* pro conuentione generali per *Wladiſlaum* Regem conſtituta, conueniunt *Budam* vniuerſi Prælati, Principes, Barones & Nobiles *Vngariæ*, ad prouidendum non ſolum expeditioni contra *Turcos* inſtaurandæ, ſed etiam paci & quieti Regni, ſine qua adminiſtrari bellum diſpendioſum nimis erat. Deſpotus etiam *Raſciæ Georgius* præſens aderat, quoniam ſuam rem agi videbat, venit & *Ioannes Iſkra* cum ſuis Capitaneis, venerunt & ciuitates ſingulæ rebelles, ſecuritate tamen regia eis præſtita prouiſæ, vt ambabus partibus conuenientibus facilius de commodis & quiete Regni tranſigi res poſſet. Diſplicebat plurimum *Romanorum* Regi *Friderico* & parti aduerſæ ipſa conuentio, tum propter recentem felicitatem *Wladiſlai* Regis, tum propter locum *Budenſem*, in quo nihil agi poſſe cenſebat, niſi ex arbitrio Regis *Wladiſlai* & ſuæ partis. Conuentu taliter inſtaurato, id imprimis negotii ſibi *Wladiſlaus* Rex & ſui Conſiliarii aſſumendum duxerunt, vt Regnum *Vngariæ* ſciſſum & domeſtico bello affectum pacaretur, vt facilius bello externo vacaret. Offerebantur ad rem componendam plura media,

media, *Ioannes* tamen *Iſkra*, qui ſolus partes *Ladiſlai* pueri, cæteris omnibus *Vngaris* cuiuslibet ſtatus ad *Wladiſlaum* Regem deficientibus, promouebat, *nullam ſe concluſionem accepturum* reſpondebat, *quæ ius Ladiſlai pueri inficeret*. Itaque pacis ſufferentiis bellum domeſticum ſuſpendi placuit, in qua *Iſkra* ipſe cum ſuis omnibus & ciuitatibus rebellibus vltro conſenſit. Erat & aliud ciuilis belli maximum fomentum, *Pancratius* de *Sancto Nicolao*, qui licet partes *Wladiſlai* Regis ſequeretur, rapto tamen viuere aſſuetus, oram omnem quæ a flumine *Wagpotvaſſe* grauiſſimo prædocinio vexarat. Is quia præſens *Budæ* fuerat, cum ſuis omnibus communi *Vngariæ* decreto comprehenſus eſt, & fere omnes ſui familiares aliquot exceptis, quos *Polonorum* compaſſio media morte eripuerat, laqueo vitam finire coacti, ſuſpenſi ſunt. *Pancratium* vero vinculis aſſeruare placuit, hic *Vngaricæ* plebis furor, quem & Primores ne quidquam reſiſtendo probabant, ex quo dare cœpit impatientiæ manus, amplius graſſari diſponebat, & prehendendum *Ioannem Iſkra* cum ſuis omnibus atque necandum concluſerat, *omnes guerrarum motus, Ioanne Iſkra & his qui vna erant, extinctis in Vngariæ Regno, nec aliter quieturos*. Latere *Wladiſlaum* Regem concluſio iſta, quamuis clandeſtina, non poterat, qui violari fidem & ſecuritatem *Iſkræ* datam, pernicioſi exempli iudicans; & notam nomini ſuo inuri metuens, mittit *Polonos*, qui *Iſkram* in diſſimulato habitu ex *Buda* eductum, verſus *Iaurinum* incolumem perducerent, cuius fuga *Vngari* comperta, à cæteris familiaribus ſuis temperarunt manus. *Iſkra* ipſe, quamuis alterius principis pars, *Wladiſlao* Regi vehementer non affici non potuit, vitæ ſuæ vbique illum vulgans ſeruatorem. Ad conquirendas inſuper impenſas pro futuro bello cura Regis & Vngarorum conuerſa eſt, ærarium Regium erat nullum, liberalitate enim adeo prodiga in vniuerſos vſus eſt, vt plus erogaret, quam ſibi retineret. Poſt plures itaque deliberationes in hac re habitas, ſingulas ciuitates, & villas, tam regias quam Baronum conferre certam pecuniæ quantitatem in id bellum placuit, & omnes ciuitatum atque villarum incolæ taxati. Multi Barones *Vngariæ*, ſed & duo Pontifices, *Ioannes Waradienſis* & *Simon Agrienſis* pro bello gerendo dederunt nomina. Deputantur itaque certæ oræ pro regia maieſtate, aliæ pro Pontificibus & Baronibus, militiam profeſſis, & in illas exactores deſtinantur; *Ioanni* de *Huniad*, curruum, falconetorum, bombardarum, fiſtularum, puluerum, equorum & cæterorum quibus belli indiget apparatus, mandatur prouiſio.

Appetebat tempus quo *Wladiſlaus* Rex *Poloniæ* Regnum adire promiſerat, feſtum ſcilicet Pentecoſtes, maximo omnium Prælatorum expectabatur deſiderio, nec minori ipſe ad videndam genitricem & proprios penates, ad corrigendas difformitates abſentia ſua exortas, ferebatur, in occurſum ſuum omnes ſtatus properabant, longa fames aduentus ſui ipſum cunctis gratiorem magis quam deſiderandum effecerat. Sed invidit neſcio *Polonorum* fortunæ quis Deus? Concluſio & voluntas Regis de transeundo in *Poloniam*, non tam conſilio *Vngarorum* quam prece & obſecratione abrogata eſt. Iniectus enim *Vngarorum* animis fuit ſingularis, nec a vero abhorrens ſcrupulus & ſuſpicio, ne *Poloni* aduenientem Regem apud ſe ſiſterent, & implicari illum, tum domeſtico, tum *Turcorum* bello, periculiſque quam *Vngarorum* de cætero gubernarent, nec aliter in *Vngariam* redire conſentirent, donec illi pacifica & plena, quæ per Legatos promittebatur, daretur Regni *Vngariæ* poſſeſſio. Has deliberationes verſari apud *Polonos* ſiue certa denunciatione, ſiue probabili ſuſpicione *Vngari* rati tranſitum Regis in *Poloniam* quam maxime auertunt, ne & expeditionem in *Turcos* incaſſum iri, & ipſos a parte altera opprimi, bellumque inteſtinum ex integro renouari contingat. Neque enim ſub alicuius alterius auſpiciis & imperio bellum contra *Turcos* geri quiſquam decernebat, neque Rege abſente poſſe ſuſtineri, exercitum diſciplinam militarem & ordinum concordiam, & omnia abſentia Regis in diſcrimen caſura quilibet portendebat. *Poloni* quo minus moleſte ferrent auerſionem Regis, literæ excuſatoriæ blande conceptæ ab *Vngaris* miſſæ ſunt. Verum quemadmodum auerſio Regis a tranſitu in *Poloniam Vngaris* multas ſalutares res contulit, ita *Polonis* plurimas pernicioſas parturiuit. Nam *Boleslaus Opoliæ* Dux, vir tum hæreſi *Huſſitarum* tum repudiatione conſortis legitimæ *Eliſabeth* de *Pilcz*, & alterius concubinæ ſuperinductione fœdus, cognita auerſione Regis, quem ſibi æſtimabat formidabilem, audacior factus, quod videbat illum rebus *Poloniæ* neglectis, tum domeſtico, tum *Turcorum* bello arctius alligatum eſſe, multitudinem mercatorum *Cracouienſium* cum ſumtuoſis magnique pretii variarumque materiarum mercibus cum equeſtri pedeſtrique numero & curribus merces vehentibus, pro feſto S. *Iohannis Baptiſtæ* ad nundinas *Wratiſlauiam* tendentes, vt iuſtus exercitus, ſi inuaſio hoſtilis fieret, putaretur, in oppido *Krützberg*, in quo quieti & multis hoſtilitatis conſcii, quieſcebant, (nam ſine clade ſua & ſuorum obtinere prædam illam aliter non poſſe rebatur,) irruens cepit & captiuauit, & omnibus rebus & mercibus, auroque & argento, mercatoribus pauore aut fugientibus aut conſternatis, ciuitate *Krützberg* nullum ferente ſubſidium, potitus eſt, & omnem illarum fortunarum & mercium molem, quæ modeſtiori æſtimatione, ad ducenta aureorum millia appendebatur, impune vſurpauit. Grandis ea-

1444. tenus afflictio animos *Polonorum* oppreſſit, vindicandam temeritatem Ducis *Boleslai* decernebant, & indicendum illi publicum bellum. Sed quo euentus illius facilius ſuccederet, ſufferenda omnia quoad Rex rediret, & præſentia ſua bellum gerendum, nec fidei interim facta, quæ Rex gerebat, impedienda. Sed nec *Wladislaus* Rex ardore quo negotium fidei & defenſionis *Vngarorum* promouendum ſuſceperat, incenſus iniuriam tam improbam & atrocem ſentire potuit, & *Polonis* ſpolium huiusmodi apud eum querentibus, *nullam ſe prouiſionem rebus ipſis poſſe daturum*, in aliud animo & operatione intentus reſpondit, & *vt rem integram in aduentum ſuum reſeruaret*, mandauit, *non poſſe gaudium prædatori ex rapta præda, ſi vita ſua protelata fuerit, fore diuturnum.* Sollicitat deinde Magiſtrum & ordinem Cruciferorum de *Pruſſia* literis & nuntiis, *vt ſibi ſecundam expeditionem agenti contra Turcos ſaltem nunc exercituale ſubſidium mittant, quod pro prima mittere neglexerunt, cum id ex profeſſione ſua obligentur.* Sed obduratis auribus Regis petitio ſpreta & contemta eſt, quoniam terrenorum bonorum abundantia, deinde Veneris Bacchique vſus in pleriſque eorum Commendatoribus immoderatus, omnem nunc in eis priſcorum diſciplinam militarem extinxerant. Verum contemtum hunc æquo animo *Wladislaus* Rex tulit, diuinæ illum reſeruans vltioni.

Feruorem altum & in vniuerſo Regno *Vngariæ* Regniſque & Prouinciis, pro inſtaurando bello contra *Turcos*, in cunctorum pectoribus conceptum, permittente Deo tractatus pacis per *Georgium* Deſpotum *Raciæ* & *Ioannem* de *Huniad* Woiewodam *Tranſyluanum*, cum Imperatore *Turcorum Amurath* clandeſtine interpoſitus reſtinguit. Conuentio ſiquidem fuit occulta pactione inter *Georgium* Deſpotum *Raciæ*, qui reſtitutionem caſtrorum & dominiorum ſuorum per *Turcos* occupatorum vehementer flagrabat, & facilius illam conditionibus pacis, quam inſtauratione belli poſſe prouenire cenſebat, & *Ioannem* Woiewodam, vt pace inter Regnum *Vngariæ* & *Turcorum* Imperatorem his conditionibus, *vt Deſpotus caſtra & terras ſuas recuperaret*, compoſita: *Ioannes* Woiewoda in omnia caſtra, ciuitates & villas, quæ Deſpotus in *Vngaria* donatione *Alberti* & *Wladislai* Regum obtinebat, ſuccederet. Quæ pactio *Ioannem* Woiewodam ad componendam pacem, quamuis bellum ingens pararet, accendit. Pluribus itaque Nuntiis pro liberatione Woiewodæ *Natoliæ*, in ſuperiore bello capto, in præſentia ſua conſiſtente, ad illum Imperatoris *Turcorum* nomine accedebant, pacem aut pacis ſufferentias expetentibus. *Ioannes* Woievvoda potiundæ pacis ſpem haud dubiam repromittit, nec Deſpotus *Raciæ Georgius* ex magna rerum deſperatione in magnam & altam ſpem recuperationis dominiorum ſuorum adductus, quieſcit crebris nuntiis de ineunda pace, tum *Ioannem* Woievvodam, tum *Turcorum* Cæſarem ſollicitat. Senſerat *Turcorum* Cæſar exploratorum per vniuerſas *Vngariæ* & *Italiæ* oras, per eum directorum relatione, ingens bellum aduerſus ſe parari, & tam terreſtrem exercitum, quam claſſem maritimam magna mole & numero inſtructam eſſe. Expertus erat ſuperiori anno *Wladislai* Regis & ſui exercitus, animum, vires & felicitatem, quem multiplicatis copiis non dubitabat venturum, facileque *Europam* omnem in poteſtatem ſuam concludebat, ſi exercitus terreſtris coniungeretur maritimo. Accedebat non inferior tenor, *Caraman* Tartarorum *Cæſaris* filius, qui eadem æſtate inſtaurato maximo exercitu petere *Natoliam* nuntiabatur, tot curis & anxietatibus *Turcus* diſtractus fatale ſibi tempus aduenifſe & cœleſti conſenſu actum eſſe de ſe ſuoque imperio exiſtimans, omni conatu & ingenio firmandam eſſe pacem cum *Vngaris*, etiamſi auro emi, aut renunciatione quorumlibet caſtrorum & terrarum componi deberet, in animum induxit, ne & *Tartarorum* & *Vngarorum* terreſtri exercitu, claſſeque *Italorum* vndique circumuentus, ſimul cum omnibus, viribus diſtractis, cogeretur decernere. In omnes itaque conditiones per *Georgium* Deſpotum *Raciæ* & *Ioannem* Woievvodam ſibi, quamuis *Wladislao* inconſulto, propoſitas vltro conſentit, Woievvoda *Natoliæ* vt celeriter a captiuitate ſolueretur, non paruum erat vtrique parti pacem æſtuanti adiumentum, qui etiam pace confecta, ſeptuaginta millibus florenorum a *Turco* redemptus, in libertatem vindicatus eſt. Certior *Wladislaus* Rex de his, quæ per Deſpotum *Georgium* & Woievvodam cum *Turcorum* Cæſare pacta erant, per literas & Nuncios factus, rogatur *vt Segedinum proxima die Auguſti deſcendat, Turcorum Cæſaris nuntios illic ad pacem petendam venturos, auditurus.* Læta erat tam *Wladislao* Regi quam vniuerſis *Vngaris* hæc nouitas, nulla enim transacta erant ſecula, quibus *Vngari* petere pacem, non dare conſueuerant, & monſtro ſimilis nouitas ipſa putabatur. Cardinali Legato *Iuliano* alius erat animus; nam conturbari & vehementer anxiari ex huiusmodi nouitate cœpit, veritus ne fidei negotium & ſpes pene certa liberationis *Europæ* rediret in irritum, ac ipſe qui *Eugenium* Papam, Ducem *Burgundiæ*, *Venetos*, *Genuenſes*, claſſem pro cuſtodiendo ſtricto mittendam impulerat, mendacii inſimularetur & tot impenſæ, tot labores iri perditum dolerentur. Iam itaque in *Segedinum* itum eſt, & nihilominus omni exercitui ad bellum comparato, mandatum vt illic conueniret, pace infecta exinde celerius in hoſtes tranſiturus, cuius etiam præſentiam conferre multum putabant, ad pacem tanto æquioribus conditionibus compo- 1444.

1444. ponendam', quanto exercitus numeroſior atque paratior a *Turcorum* Nunciis illuc venturis animaduerteretur. *Wladislao* Rege atque A *Iuliano* Cardinali iam in *Segedino* agente, venerunt Cæſaris *Turcorum* Nuncii, *Græcus* genere erat, & Cæſaris Cancellarius, renegata fide Catholica *Mahometi* ſectam profeſſus legationis princeps, cæteri omnes *Turci* centum equorum numerum explebant. Hi ad conſilium Regium introducti, præſentatis pluribus ſcutellis, & vaſis argenteis & aureis munerum loco *Wladislao* Regi a Cæſare deſtinatis paucis legationem abſoluunt: *Pacem*, inquiunt, *Dominus noſter Turcorum Imperator Amurath vt Tuæ Maieſtati complacuerit, temporalem aut diuturnam tecum & Regno Tuo Vngariæ firmare nos plena authoritate data, transmiſit, ſub his conditionibus, vt omnibus caſtris per* B *ipſum & anteceſſores ſuos conquiſitis & Turcorum præſidiis hactenus munitis & poſſeſſis in Rascia, videlicet, Golubiecz, Swiderow, Zamow, Kuſſowiecz, Kowin, Sewerin, Norochardow, Szebrnik, Oſtrwicza, Surzin, Rosnik, Koperban, Prokopia, Liaskowiecz, Zielonygrod, atque toti Rasciæ & illi parti, quam Deſpotus tenebat, Albaniæ perpetuo tibi cedat, Bulgaria tota Imperio ſuo remaneat. Duo filii Deſpoti ex captiuitate ſoluantur.* Hæc *Græcus* & non plura. Legatione hac in ſecretum conſilium reducta, omnes *Vngarorum* Prælati & Barones, quorum multitudo Rege mandante pro huiusmodi ſpectaculo conuenerat, cenſent, decernunt & perſuadent, *cum tam utilibus* C *conditionibus nullatenus ſpernendam eſſe pacem, ſcire ſe quantum ſanguinis ſui quondam fuſum eſt in oppugnatione Golubiecz caſtri, quod nunc ſine ſanguine recuperari poteſt; quanti inſuper ſit caſtrum Swiderow tam ſitu quam munitione fortiſſimum & nulli ſecundum; quanti locus Norochardow in copia argentum fodientibus præſtans; quanti tota Raſcia & pars Albaniæ; quanti pax ipſa à tam infeſto, duro, & potente hoſte,* ſolicita deliberatione æſtimant. Deſpotus ipſe *Georgius*, iam ſpe iam metu tabeſcens, nunc *Wladislaum* Regem, nunc vniuerſos Conſiliarios, nunc ſingulos, non tam precibus quam vberrimis lacrymis obſecrat, rogat, *ne occaſionem bene gerendæ rei prætermittant, ne caſtrorum & nobiliſſimorum, & fortiſſimorum, & terrarum fœcundarum deditionem reſtitutionemque parui faciant; tam facilem recuperationem tot terrarum, caſtrorum, non ſolum in ſua ætate, ſed etiam in multis ſeculis nullatenus ſperaturi, ne chariſſimis pignoribus filio vtroque patiantur orbari.* Hæc mœſtus flens & eiulans atque cæſariem capitis barbæque pilos decerpens ingeminabat. Omnium itaque conſilio vltroneo & aſſenſu, ſub conditionibus propoſitis, pacem cum Imperatore *Turcorum* in decennium firmari placuit, quatenus ſub ſpatio illo *Wladislaus* Rex domeſtico bello in totum extincto, & throno ſuo in *Vngaria* firmato, fortiori milite & exercitu lapſo decennio bellum poſſet contra *Turcos* inſtaurare. In huncque modum *Iuliano* Cardinali nequidquam diſſuadente, cum *Turcorum* Cæſare & Nuntiis ſuis caſtrorum reſtitutionem intra octo dies repromittentibus, *Wladislao* Rege publice de tenenda cum *Turco* ſub conditionibus compoſitis pace iuramentum præſtante pax concluſa firmata.

Pax cum Turcis concluditur.

Turcorum Cæſaris Legatis concluſione pacis habita *Segedino* diſcedentibus, literæ a *Franciſco* tituli S. *Clementis* Cardinali, Capitaneo claſſis Apoſtolicæ, item à cæteris Ducibus *Burgundiæ, Venetorum* & *Genuenſium*, *Gallorum*, & nauium præfectis afferuntur, *exercitum fortem cum claſſe inſtructum eſſe, & ne Turci in Romaniam ex Natolia poſſent traiicere ſufficienter prouidiſſe.* Rogatur ipſis literis Rex, *vt virtutem præſtet promiſſis & celeriter in Romaniam terreſtrem exercitum adducat, facile omnem Europam ſi paululum adnitatur, præſertim cum vacua ſit, Turcorum Cæſare in Natolia bellum omnibus copiis cum Tartaris agente recuperari poſſe.* Imperator præterea *Conſtantinopolitanus Ioannes Palæologus* literas *Wladislao* Regi ſpeciali Nuntio mittit, maximam ſpem victoriæ & liberationis *Europæ* repromittens, cauendumque à falſis & fictis pacis concluſionibus per *Turcum* petitis, perſuadens, & rogans, *ne gloriam ſuam & famam ſempiternam ad abolendam totius Chriſtianitatis veteratam maculam dilatum iri patiatur.* Et vt res notior ſit, copiam literarum huiusmodi inſerendam duximus.

Litera Io. Palæologi Imp. CP. ad Wladislaum.

Sereniſſime & Excellentiſſime Princeps. Per reditum Legati noſtri ab Excellentia veſtra recepimus literas Maieſtatis Veſtræ, in quarum ſerie & noſtri oratoris verbis certiores redditi ſumus, Vos optime & feliciter valere, qua de re nedum nos, ſed & omnes Principes, Chriſticolæ lætari plurimum debent, ſummumque rerum omnium opificem ac factorem DEVM orare & obſecrare votis, ieiuniis & orationibus, deſiſtereque honeſte non poſſunt, vt ſaluus ſitis, quia Chriſtianiſſimus eſtis, dehinc propter maximam rerum geſtarum præteritarum gloriam & futu- D *rarum incolumem contra perfidos nequiſſimosque Teucros, & optimam mentem, cum laude DEI, gloria, & vnione ſacroſanctæ Religionis noſtræ, quæ voce noſtra digne ſatis eloqui non poſſunt. Nam ſi nobis ora ſonantia centum ipſe DEVS dediſſet, laudes veſtras ſatis extollere nequiremus, ſed mens conſcia recti, votis hæc magnanima cœpta veſtra proſequitur. Verum quia etiam vbi facto opus eſt, verba ipſa non ſufficiunt, intellecto & clarius cognito, ſublimitatem Veſtram contra Teucros ituram hac æſtate, decreuimus omnes vires & ſtudia noſtra veſtris fauoribus addere contra perfidum crudeliſſimumque Chriſtianorum hoſtem Ammurathum, omnique cura, ſtudio, & diligentia Sereni-*

1444. nitati Veſtræ grati eſſe ſtudemus, & vniuerſus ordo Chriſtianorum tenetur. Sed dum hæc cogitaremus, perficeremus, expectaremusq́; Maieſtatis Veſtræ ad partes orientis aduentum, ad notitiam noſtram peruenit, Georgium Deſpotum & Serenitatem Veſtram cum dicto Amurato quædam pacis fœdera cœpiſſe & perfeciſſe, & ipſum patre legatos ſuos ad Excellentiam Veſtram, pro concludendis & firmandis conuentionibus. Qua de re plurimum adiurati ſumus, nec poſſumus ſatis intelligere, vnde talia proceſſerint, qui victo ſuperatoque inimico ita perterritus eſt, vt ſolum nomine Celſitudinis Veſtræ ruat eius imperium, & in præſentiarum cum nulla ei ſpes relicta ſit, velitis his inſidiis ipſi tempori præſtare ad reſtaurandas redintegrandasque vires, quo ipſe victus ſuperatusque regnet cum periculo & ruina multorum Principum populorumque Chriſtianorum, qui apertiſſime veſtris viribus & autoritate dictum Amurathum & eius loca oppugnarunt. Quapropter in mentem noſtram cadere non poteſt, quod tantus error glorioſa & digniſſima principia finiret, quorum fama iam per vniuerſum terrarum orbem diffunditur, nec indigne Celſitudini Veſtræ Iuſtinianum & Titum vere digniſſimos Imperatores companuerim. Quas ob res veſtro nomine & ſingulari authoritate & felicitate moti ſunt Principes & populi Chriſtianorum; eius ſubditi colligati, vicini & coadhærentes; ſed etiam eius fidei complures, Camaranus videlicet, qui magnam Aſiæ Orientalis partem ſuis viribus & exercitu vſque ad maria adeptus eſt, huic etiam additi ſunt filii Karandugle & plures alij & claſſis optata iam ſtrictum debet obſediſſe, vnde non eſt credendum, quod tanta tamque inſperata occaſione victoriæ oblata Serenitati Veſtræ, viribus omiſſis, cogitationes ſuas ad pacem, quæ multas inſidias habitura ſit, conuertit, ſed potius ad prouehendam gloriam & famam fidelium, & delendam Chriſtianitatis inueteratam maculam contra perfidos nequiſſimosque Teucros, qui crudeliter, nequiſſime, & fidem noſtram & Chriſtianum nomen, impiiſſimeque ac turpiſſime inſecuti ſunt. Sed vt nulla de laudibus veſtris taceat ætas & Serenitatem Veſtram votis poſteritas omnis expoſcat, vincite Titum, qui Iudæos triginta vno denario vendidit, propter Chriſtum triginta nummis venditum, & ſi quid in verbis fuit, euaneſcat, redeatque Maieſtas Veſtra ad mentis integritatem, qua nulla præclarior aut diuinior excogitari poteſt. Nec, vt arbitror, vnquam aderint expoſitoribus, quos nos vllo pacto die noctuque cogitantes intelligere non poſſumus niſi fortaſſe id Serenitas Veſtra his aures præbuerit, vt facilius Amurathes Græcia derelicta, ad tutandam Aſiam ſe conuerteret, quemadmodum eum feciſſe die duodecima præſentis menſis intelleximus, ſicque facile ſit non repugnantes vincere, & omnis occidentalis plaga veſtro nomini ſupponatur. Nam cum ore Saluatoris noſtri dictum legerimus: Omne Regnum in ſe diuiſum dilabitur, non poterit vtramque partem tueri, nec potenti manu A impediente claſſe maritima in Græciam redire, nec futurum parua ſtipante hominum caterua, qui ſe & ſuos apertiſſimo periculo ſubiiceret, & ſic illos imitabatur, qui duos vna hora ſectatur lepores, qui altero inſecuto quandoque carebit vtroque. Habet etiam penes ſe conſules venales, quibus nullo pacto confidit, nec poteſt confidere, cum ſæpiſſime minimis in rebus & paucis perſuaſionibus deficiunt, & ſemel mali ſemper præſumuntur eſſe in eodem genere mali, teſtante iuris regula. Subditi igitur eius, adhærentes, vicini, & nos cum ipſis contra Teucrum moti ſumus, veſtra ſpe confidentes. Hoc vnum nouimus Veſtram Serenitatem non eſſe neſciam iam bello cœpto, cætera eius loca per nos capta, & in B præſentiarum fama confidentes veſtra maxima bella parauimus apertiſſime, non per inſidias, non per diſſimulationes, ſed omni cura, ſollicitudine, diligentia, ſtudio, & labore, & plurimis impenſis ad ſanctum opus perficiendum, omnia neceſſaria belli cum viris expertiſſimis, & omni conatu exire inſtituimus, multos etiam noſtrorum Nobilium maximis periculis expoſuimus, dum hortamur populos Chriſtianorum vicinos & ſubditos Teucrorum ad ſuam liberationem & fidei noſtræ augmentum, qui omnes animis, armis, opibusque paratiſſimi ſunt, expectantq́; Serenitatis Veſtræ aduentum, quemadmodum ſanctiſſimi Patres Chriſti aduentum operiebantur. Et tantus eſt magnitudinis Veſtræ apud C hoſtes tremor, quod Amurathes non audet eos, qui a ſua iuriſdictione defecerunt, infeſtare, nec verbis ſuis reprehendere, licet apertiſſime iam ex ſubditis & amicis hoſtes effecti ſunt. Itaque plurimum admirantes admiramur, quod Excellentia Veſtra victrix & triumphans contra eos qui nomine magnitudinis Veſtræ liqueſcunt, quemadmodum nix a ſole, & nebula a vento, & cera ab igne, velit aures factionibus præbere, præſertim cum de aduentu Veſtro tot Maieſtatis Veſtræ ſcripta emanarunt. Itaque conſiderantes dedecus, cognoſcentes periculum, & intelligentes damna eorum, qui veſtris ſuaſionibus his bellis ſe implicauerunt, nedum Excellentiam Veſtram, ſed quemcunque etiam infimum D hominem, a tam egregio facinore & tam vulgato deficere nefas eſſe iudicaremus, nihilominus vt certiores ſimus de omni rerum euentu, harum latorem noſtrum Dominum mittendum duximus, qui vt arbitramur Maieſtatem Veſtram in itinere reperiet, cuius literis intelligemus & exequemur, quidquid poterimus in fauorem & honorem & gloriam Celſitudinis Veſtræ. Si tamen (quod in mentem cadere non poteſt) aliter eſſet, Excellentiam Veſtram hortamur & deprecamur, dignetur clariſſime ſine aliqua dubietate & obſcuritate nos de cogitationibus, conſiliis, & deliberationibus veſtris certiores facere, vt poſſimus rebus noſtris prouidere, ne errantes in damnoſa & mortalia laquea incurra- 1444.

1444.

ramus, præter mentem & opinionem Serenitatis Veſtræ, quam iterum atque repetentes obſecramus, vt nobiscum omnia clare communicet & veriſſime aperiat, ſperamusque quod Deo dante hæc magnanima Serenitatis Veſtræ opera fauori Sanctiſſimæ fidei cedent, & gloriæ Sublimitatis Veſtræ, cuius nomen, honos, laudesque apud nos & poſteros noſtros ſemper in honore erunt, cogentibus & rebus optime geſtis præteritis, & clariſſimis literis Veſtris. Declarantes nobis quid acturi ſimus, parati ſumus ad omnia placito Maieſtatis Veſtræ optimo corde, quam Deus per longiſſima tempora fœliciſſime cuſtodiat. Datum in vrbe noſtra Miſiſtra die XXX. Iulii Anno Domini M.CCCC. XLIV.

Nomen. Ioannis Palaeologi Romanorum Imperatoris ac Moderatoris in Chriſto Trophæo Græcor.

Sereniſſimo & Excellentiſſimo Principi & Domino, Domino Wladislao, Dei gratia Regi Vngariæ, Poloniæ & Dalmatiæ, Croatiæ &c. Supremo Principi Lithuaniæ ac Hæredi Ruſſiæ & fratri ſcutumque totius chriſtianitatis gubernanti, Domino noſtro in Chriſto Deo digniſſimo.

Harum literarum ſeries *Wladislaum* Regem mouit, & *Iuliano* Cardinali tam prudentia, quam eloquentia, quanta mala, ſi concluſio pacis obſeruata fuerit, quanta bona ſi violata & reiecta ampliſſimis & diuturnis ſermonibus differente, pœnitere Regem & Conſiliarios pacti & fœderis cum *Turcis* initi cœpit, præſertim cum ſpes haud dubia fuerit, non ea ſolum, quæ *Turcus* redditurus erat, ſed vniuerſam *Europam* recuperari & *Turcum* vltra mare redigi poſſe, & ſempiterno illo gloriari triumpho. Sed & ipſum *Ioannem* de *Hunniad*, qui Regem ad pacificandum cum *Turcis* induxerat, eadem pœnitentia inuaſit, ex eo maxime quod Rex *Wladislaus* finito bello ipſum in *Bulgariæ* Regem præficere, de quo & publicas literarum promiſſiones habebat, pollicebatur, quæ ambitio virum ſpiritus ingentis vehementer agitabat. Noui itaque tractatus, nouæ deliberationes haberi cœptæ ſunt, de bello proſequendo, & plures dies præterea abſumti, infra quos dum caſtra *Swiderow Golubiecz*, & alia, elapſis non octo ſolum, ſed viginti diebus, iuxta legatorum ſponſionem non redderentur, bellum ex integro geri cum *Turco* placuit, neque auxilium claſſis maritimæ dudum tenente in ſtrictu cuſtodiam, tanto tempore in ſua ſpe negligi & fraudari, omnesque *Vngari* legatos *Turci* in dolo veniſſe, & callidis vaniſque promiſſionibus auertere Regem a bello gerendo voluiſſe concludebant. Itaque temerato iuramento rupto fœdere *Turcis* promiſſo, quod pro cautela ampliori & purificatione regiæ conſcientiæ autoritate Apoſtolica diſſoluebat, & irritum, caſſum atque

Bellum adu. Turcam concluditur.

nullum *Iulianus* Cardinalis, veluti quod iniuſſu ſedis Apoſtolicæ cum hoſte Chriſtiani A nominis Rex pepigerat, decernebat, bellum contra *Turcos Wladislaus* Rex aſſumendum & gerendum concludit, & ne concluſio ipſa ex aliquo euentu diſſolui, variari & labefactari poſſit, *Iulianus* Cardinalis tam ab *Wladislao* Rege, quam ab omnibus eius Conſiliariis noua iuramenta exigit, in hæc forma:

1444.

Nos Wladislaus Dei gratia Vngariæ, Poloniæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Rex, Lithuaniæ Princeps Supremus, & Hæres Ruſſiæ, ad vniuerſorum notitiam. Dudum in conuentione generali Prælatorum & Baronum ac Nobilium huius Regni noſtri Vngariæ, Budæ nouiſſime celebrata, pro honore Omnipotentis Dei, ac pro defenſione & au- B *gmento fidei Chriſtianæ, & pro bono totius Eccleſiæ Catholicæ, præſertim pro liberatione huius Regni noſtri & partium circumſtantium, quas ipſi Turci multis retro actis annis atrociſſime ſunt perſecuti, & de præſenti perſequi non ceſſant, decernimus, firmamus & ſtabilimus vnanimi conſenſu & voluntate totius prædictæ conuentionis, ire perſonaliter, & nobiscum ducere iſta ætate ſeu anno præſentem exercitum verſus partes Græciæ & Romaniæ, & cum Dei adiutorio totis viribus noſtris laborare ad exterminium dictorum impiorum Turcorum, idq; pro maiori rei firmitate iurauimus in manibus Reuerendisſimi in Chriſto Patris Domini Iuliani Cardinalis S. Angeli, Apoſtolicæ ſedis Legati, executioni demandare, ad conſolatio-* C *nemque totius Chriſtianitatis hanc noſtram puram intentionem, ac deliberationem noſtris literis manu noſtra ſubſcriptis. Significamus Sanctisſimo in Chriſto Patri, & Domino Domino Noſtro Papæ, Eugenio IV. & Serenisſimis Regibus & Principibus Chriſtianis, propter quod nemo quoquo modo cogitare debet, quin nos tam ſanctam deliberationem, ſolennem, iuratam & vbique publicatam velimus & omnino diſponamus Deo propitiante ad executionem & optatum finem deducere. Nihilominus quia nonnulli propter aduentum Oratorum Amurathi Imperatoris Turcorum fieri poſtulatum adhuc dubitare videntur, an prædictam deliberationem Budæ factam & iuratam exequi velimus, idcirco ad tollendam ex animis* D *quorumcunque huiusmodi de nobis dubitationem ſeu ſuſpicionem, aut ambiguitatis ſcrupulum, & præſertim vt Reuerendisſimi in Chriſto Patris & Domini Domini, Franciſcus Venetus, Vice-Cancellarius, & prædictus Dominus Iulianus Supremus Pœnitentiarius Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, & Apoſtolicæ ſedis Legati nec non Magnifici Capitanei galearum, tum Illuſtrisſimi Domini Ducis Burgundiæ, quam Illuſtrisſimi Domini Venetiarum per amplius de ſinceritate & integritate mentis noſtræ firmitate noſtri propoſiti, ac obſeruatione noſtræ præſcriptæ deliberationis & promisſionis certificentur & aſſecurentur, de conſenſu & aſſenſu noſtrorum Prælatorum & Baronum apud nos exiſtentium, tam eorum, qui nobiscum*

Iuramentum Wladislai de bello adu. Turcas proſequendo.

ad

1444. *ad exercitum venire debent, quam eorum qui in Regno noſtro remanent, in verbo Regio & honore noſtro ac ſub fide Chriſtiana in qua ſanctisſimum baptiſma recepimus, & vitam conſequi ſperamus, Domino Cardinali S. Angeli Legato ſpondemus, promittimus & pollicemur, iuramusque & votum facimus S. Trinitati Patri & Filio & Spiritui Sancto, & glorioſiſſimæ Virgini, Mariæ Dei genitrici, ac omnibus Angelis & Sanctis Dei, & præſertim beatis Regibus, Stephano & Ladislao, Patronis huius Regni noſtri, prædictam delibeмtionem noſtram & promiſſionem Budæ factam effectualiter demandare, & infra primam diem Septembris proxime ſequentis eſſe cum noſtro exercitu ſupra vadum Danubii apud Orſthwan, vel apud alia vada & loca inferiora & immediate incipere transfretari, & ſucceſſiue continuare effectualiter ſine intermiſſione temporis transfretationem exercitualiter, & in continenti intrare terram quam occupant prædicti Turci & continuare exercitualiter ſine dolo & fraude, vel alio quocunque excogitato colore iter noſtrum in Romaniam & Graciam, & alias partes, quas tenent Turci, in circa mare, & facere quicquid nobis eſt poſſibile, pro viribus & potentia noſtra, vt Turci iſto anno expellantur de partibus Chriſtianitatis vltra mare, non obſtantibus quibuscunque tractatibus aut practicis ſeu concluſionibus aut capitulis treugarum factis, vel fiendis, cum Imperatore Turcorum, vel eius nuntiis ſeu ambaſſiatoribus prædictis ipſius nomine, ſub quacunque forma verborum, etiam iuramento, firmatis vel firmandis, quibus omnibus per hanc præſentem noſtram promiſſionem, iuramentum & votum volumus expreſſe & ſpecifice derogare, & derogatum eſſe, ita vt nullo ingenio, colore vel pretextu quoquo modo cogitari poſſit, huiusmodi noſtra promiſſio iuramentum & votum infringi, violari impediri aut differri valeat vel poſſit. In cuius rei teſtimonium præſentes literas fieri fecimus & publicari, ac noſtri Sigilli, quo vt Rex Vngariæ vtimur, appenſione muniri. Datum in Segedin quarta die Auguſti Anno Domini M. CCCC. XLIIII.*

Et nos Simon de Rosgon Epiſcopus Agrienſis, Regiæ Maieſtatis Supremus Cancellarius, Ioannes Epiſcopus Waradienſis, Raphael Herczog de Zegczew ad Epiſcopatum Boſnenſem poſtulatus, & Ioannes de Hunniad Woievvoda Tranſyluaniæ qui cum præfato Domino Noſtro Rege ituri ſumus, promiſimus, iurauimus, & vouimus in forma ſuperius expreſſa; Et nos Petrus Epiſcopus Chanadenſis, Laurentius de Hedrevvara Regni Vngariæ Palatinus, Georgius de Rosgon Iudex Curiæ Regiæ & Comes Poſonii, Simon de Palencz Magiſter Agaſonum Regalium, Michael Orſchag de Goth, Supremus Theſaurarius Domini Regis, Emericus filius Woievvodæ de Marſchali pridem Comes Simigienſis, Paulus filius Woievvodæ Bani de Alſolindvva, Simon Iudex de Amod, Magiſter Pincernarum regalium, Ioannes de Loſſoncz Paulus de Herczog-Zekeczevv, Rubertus de Tau, Danes de Macedonia & Syluester de Thorna Comes, de eadem, qui in hoc Regno remanemus, in ſignum huius noſtri conſilii & aſſenſus, ad prædicta etiam noſtra ſigilla, penes ſigillum dicti Domini Regis apponi fecimus. Datum vt ſupra &c. 1444.

Dominus *Ioannes* Woiewoda addidit in iuramento & voto ſuo, *quod ſi prima die Septembris non poſſet ibi eſſe, indubitanter infra quatuor aut quinque dies immediate ſequentes ibidem conſtitueretur.*

Tot & tanti motus in *Vngaria* multifarie concitati *Polonos* quoque exciere, quibus quam plurimum pernicioſi viſa eſt res exempli, hoſtes in pactis fallere, & Regem contrario iuramento irretire. Conuentum itaque in *Piotrkoviæ* pro die *S. Bartholomæi* celebrant generalem, & vniuerſis fere Conſiliariis Regni conuenientibus, placuit *Wladislaum* Epiſcopum *Wladislauienſem* & *Ioannem* de *Pilcza* ad Regem *Vngariam* celeriter mitti, qui illum & a propoſito belli proſequendi reuocent, & omni perſuaſione & conſilio in *Poloniam* redire inducant. Sed Rex teneri conuentum præfatum intelligens, *Ioannem Gruscinski* Cuſtodem *Cracouienſem* & Notarium ſuum, *Petricoviam* mittit, ſignificans, *proſecutionem belli contra Turcos ſe nullatenus omiſſurum.* Quodque iam ex *Segedino* diſceſſurus erat cum omni exercitu, & ad vada *Danubij* verſus *Orsbawa* tranſiturus, committebat, *vt Duci Maſouiæ Boleslao Regnum Poloniæ ferret ſubſidium contra Ducem Lithuaniæ Caſimirum germanum ſuum, terras Maſouiæ bello aggredi diſponentem, prouiſumque ſe tempeſtiue ex Turcorum bello feliciter reuerſum* repromittebat *atque vlturum eam iniuriam, quod Dux Caſimirus Lithuaniæ contra prohibitionem ſuam bello aggredi Maſouiam parabat.* Grata erat hæc commiſſio Conſiliariis, nec minus Duci ipſi *Maſouiæ Boleslao*, qui tunc perſonaliter conuentioni intererat, efflagitans *ſubſidio exercituali ſe iuuari* ſuper qua re omnes deliberandum cenſebant neceſſitate vrgente. Iam etenim Dux *Caſimirus Lithuaniæ* cum omnibus potentiis ſuis in terram *Drohicenſem* deſcenſum faciens, erecto caſtello caſtrum *Drohicenſe* expugnare conabatur, ſed & exercitus Ducis *Boleslai Maſouiæ* depopulationem deuaſtationemque terrarum ſuarum prohibiturus, illi approximauerat, quem plures Barones & Nobiles ex *Polonia* notabiliter auxerant. Dux alter *Maſouiæ Wladislaus*, etſi terrarum copias ſuas in campum, laturus fratri Duci *Boleslao* auxilium eduxiſſet, coniungere tamen ſe exercitui Ducis *Boleslai* diſtulit, & iter retrorſum inflexit, vt magis deſerere quam adiuuare partes fratris exiſtimaretur, qui ſi potentias ſuas cum exercitu Ducis *Boleslai* coniunxiſſet, multo tunc *Maſouitæ* fuiſſent *Lithuanis* numero & robore ſuperiores. Verum etſi exercitus *Lithuanorum* numero maior exiſtimatus fuerit, robore tamen *Maſouitæ* excedebant, cum in exercitu *Lithuanorum* maior pars a-

1444. greſſium, & ad dimicandum inutilium putabatur. Sæpe itaque *Boleſlao* Duce abſente milites ſui magno animi feruore, magno impetu ſignum depoſcebant. Sed Dux exercitus *Nicolaus Powala* de *Thaczow* Succamerarius *Sandomirienſis* nullatenus Duce *Boleſlao* abſente fortunam experiendam ducebat. Erat tunc in exercitu *Boleſlai* Dux *Michael Lithuaniæ*, filius olim Ducis magni *Sigiſmundi*, maximum pro conſequenda victoria monimentum, ad quem magnam partem exercitus *Lithuanici* defectuum certa intimatione pugna inita conſtabat. Inſuper erant *Maſouitis* currus plurimi falcati, bombardis & fiſtulis pleni, qui vniuerſum circumdabant exercitum, atque illum pugnantem velut muros ſuiſſent tutati, quibus reſpectibus creſcente *Maſouitis* animo, *Lithuani* magis ac magis conſternatos pauidoſque animos inducebant, adeo vt omnia vaſa nobiliora in auro & argento, veriti futurum ſuorum caſum & fugam, in caſtra propinquiora remiſerint. Conſiliarii itaque *Poloni* conuentum apud *Piotrcowiam* agentes, quamuis iuxta commiſſionem regalem terras *Lancitienſem*, *Cuiauienſem* & *Dobrzinenſem* ad defendendum Duci *Boleſlao Maſouiæ* deſignaſſent, miſerunt tamen *Vincentium* Archi Epiſcopum *Gneſnenſem* & *Ioannem* de *Oleſchnicza* Palatinum *Sandomirienſem*, qui bellum compoſitione pacis interciperent, aut ſi minus, treuga ſuſpenderent. Nam cum res inter domeſticos & homagiales Regni ageretur, victoriam futuram cuicunque parti contingentem Regni Conſiliariis non lætam aut gratam, ſed magis execrabilem & cruentam deberi cenſeri. Qui cum vtramque partem conueniſſent, & nomine Regis & Regni ad pacem & reconciliationem exhortati eſſent, deciſionemque læti pro terra *Drobicenſi Wladiſlao* Regi ex *Turcis* feliciter redeunti reſeruare ſuaderent, treugaque vtraque parte conſentiente accepta, concluſaque eſt, quâ concluſa tractatus de pace & concluſione eius perpetua inſtaurantur. Sed his Legatis Regni Archi-Epiſcopo & Palatino intereſſe indignum viſum, quippe qui rem integram aſſeruare in aduentum Regium decernebant; itaque eis diſcedentibus pax perpetua inter partes concluſa eſt, ſub his conditionibus, *vt Boleſlaus Maſouiæ Dux receptis à Caſimiro Duce Lithuaniæ ſexagenarum ſex millibus latorum groſſorum Pragenſium tam iuri quam poſſeſſioni terræ Drobicenſis deſtitutus literis, quas habebat ſuper illa, cedat, diſtrictumque Wegrow appropriatum ſuo Ducatui perpetuo retineat.* His conditionibus pace conſtituta ſine dimicatione diſceſſum eſt, & caſtrum *Drobicenſe* Duci *Caſimiro Lithuaniæ*, pecunia prius accepta, datis obſidibus, reſignatum. Sed *Lithuanos* velox pœnitentia pactorum cepit, carpente & arguente illos *Matthia* Epiſcopo *Vilnenſi*, *quod argento non armis contra morem ſuorum maiorum bella gererent, & iniurias redimerent potius, quam vindicarent*, propter quod & diſtrictus *Wegrow* non obſtante iuramento & fœdere, literiſque illius renunciationem teſtantibus, Duci *Boleſlao Maſouiæ*, contra ius faſque, violenter ablatus eſt, & Dux *Caſimirus* ſæpe nuntiis *Boleſlai* de reſtitutione diſtrictus & obſeruatione pactorum cum requirentibus minatus, *velle ſe pecuniam datam nouo bello recuperaturum.* 1444.

A

Et quia Conſiliarii *Poloniæ Piotrcoviæ* congregati *Wladiſlaum* Regem alloqui per Nuntios notabiles, vt conſtitutum erat, non poterant, neque enim arbitrabantur illum intra *Vngariæ* fines reperturum, propter quod omnes conceptus ſuos literis mandant, & miſſo veloci nuntio ſuam Serenitatem literis multifarie diſſuadentibus tranſitum, alloquuntur, mutareque ſententiam aſſumendi belli contra fœdus cum *Turco* ictum fortiſſime, bonum cenſent, & corrigere Regem propoſitũ, præſertim cum melior cauſa atq; rectior id comprobet atq; ſuperet. *Poloni Wladislao bellum diſſuadent.*

B

Wladiſlaus itaque Rex omnem diligentiam pro inſtaurando contra *Turcos* bello conuertens, & nouum exercitum, qui priori fortior & numeroſior eſſet, vndique congregans, circa vigeſimam diem Septembris caſtra a *Segedino* mouit, multis lachrymarum imbribus diebus ſuperioribus emiſſis, quod contra fœdus & iuramentum primarium *Turcis* præſtitum, quos iam tum caſtra *Sviderow* & *Golubiecz* ac omnes alias in *Raſcia* munitiones & loca, & Deſpoti geminos filios conſtabat, ſatisfaciendo conditionibus fœderum, reddidiſſe, & reſignaſſe, cogebatur bellum gerere, diuino præſidio, quod ſibi priori bello propitium nouerat, & cuius vltionem velut iuramenti præuaricator, & tacitis ſuſpiriis & publicis fletibus animo iam præſagitabat, deſtitutus, ſed & copias exercitus ſui longe pauciores copiis, cum quibus anno ſuperiori bellum geſſerat, quas duplo auctas credebat, intelligens, quum præter ſpem concluſæ cum *Turcis* pacis, neque tantæ copiæ ſe parant ad bellum, neque ad tempus ſtatutum *Danubium* traiecerant, ſed & multi milites *Poloniæ*, quaſi altas largitiones expediſſent, cogente defectu, abire permiſſi ſunt, ſuggerente Regi quodam conſultore, illis non indigere, anxium mœſtumque trahebat ſpiritum, querelas ſæpe ingeminans, quod tunc milites *Poloniæ* fidos ſibi, malo perſuaſus conſilio, remiſit, cum illorum vſus magis ſibi eſſet neceſſarius, & donandi largiendique copia nuſquam maior ſuppeteret. Tranſitus autem Regis & exercitus non per *Raſciam*, vt ſuperiori anno fuit, ſed iuxta flumen *Danubÿ* per Regnum *Bulgariæ* copiæ omnes tertia die Nouembris traductæ ſunt, culpa omnis in *Nicolaum Laſſoki* Decanum *Cracouienſem*, qui ea tempeſtate & actionum Regiarum, & theſaurorum erat præcipuus moderator, arbiter, & expenſor, retorquebatur, & ſuſcepti contra fœdus & iuſiurandum in *Turcos* belli & ſolatii militum

C

D

1444 tum *Poloniæ* qui ſe iuuari *Pannonico* auro expetebant, abiiciendi.

Poſtquam igitur Rex in *Bulgariam* traiecit per paſſum *Puſchawa*, qui eſt in vlteriori ripa *Danubij* verſus *Vngariam*, quarta die *Florentinum*, & ſexta *Bidinium* in vlteriori ripa *Danubij* & in ipſo Regno *Bulgariæ* peruenit; fortia quidem pro manuali pugna caſtella, quæ magnus *Teucer* pluribus iam temporibus occupauit, & quæ Rex ipſe oppugnare diſtulit, quia fuit animus eius gentes ſuas ſine offenſa & vulnere, ſine quibus expugnatio raro contingit, prius *Adrianopolim*, deinde *Galliopolim* vsque traducere, vt ſe cum Apoſtolica, Ducis *Burgundiæ*, *Venetorum* & *Genuenſium* maritima claſſe coniungeret, quæ intra Pharum *Galliopoliæ* iam applicata, tranſitum *Turcorum* ex *Aſia* vbi tunc erat Cæſar *Teucrorum Amurathes*, cum filio *Karaman* Principe *Tartarorum* in Regno *Natoliæ* bellum gerens, in *Europam* ad Regnum *Romaniæ*, quæ & *Græcia* dicitur prohibebat. Et quamuis multorum fuiſſet tam opinio, quam perſuaſio, vt ex *Bidinio* dextro colle verſus *Adrianopolim* propter breuitatem itineris proceſſus fieret, quo in quindecim diebus tuto perueniſſet exercitus; ſed quia & Regi & Conſiliariis viſum eſt, quod exiguus eſſet exercitus, & quod per ſyluas & montes intermedios traduci opportune currus non potuiſſent, qui quidem etſi celeritatem gentis militaris impediant, ſi duci tamen vna poſſunt, totum muniunt, & reſtaurant exercitum. Decreuit itaque Rex ad ſiniſtram tendere verſus *Danubium*, tum ne currus cogeretur relinquere, tum quod illic maiorem victualium copiam reperturum exercitum cognoſcebat.

Wladiſlaus Rex Nicopolim venit.

Dimiſſis igitur ad latus dextrum verſus meridiem vrbibus *Philippopoli* & *Adrianopoli* vltra montes & penes ripam *Danubij* per amœna loca & opulenta, *Macedoniæ* Prouinciam tranſeundo, quatuor de triginta diebus ad vrbem *Nicopolim* peruentum eſt, quam fere mediam *Danubius* ambit, aliam partem verſus Orientem celſior mons tuetur, reliquum Vrbis humili colle vallatum eſt, in quo extra circuitus vrbis etiam caſæ aderant, pro more patriæ non ſuperbæ, quæ omnes prædæ & incendio datæ ſunt. Muros vero ciuitatis, etſi apparerent paruis de ſaxis extructi, non tentauit expugnare Rex, eadem quam diximus ratione, citius in *Græciam* tranſeundi, etiam quia cum exercitu Regis non ductæ fuerunt, niſi paucæ quædam bombardæ paruæ, vt exercitus eſſet minus impeditus. Humilis ſiquidem ciuitas *Nicopolis* & cuius præſentia famam minuit, licet ſit metropolis in *Bulgaria*, ſed aliquando dotata, pleriſque commoditatibus agroque & portu fertili, per quem in *Walachiam* & *Tranſyluaniam*, inde in *Vngariam Teucris* ipſis patet acceſſus.

Dracula Walachiæ Woiewoda ad Wladiſlaum Regem venit.

Tenente aut ſtatiua Rege ſub vrbe *Nicopoli* Illuſtris *Wladiſlaus Tranſalpinæ Walachiæ* Woiewoda, qui & *Dracula* dicitur, ex *Walachia Danubium* traiecit, in *Bulgariam* ad adorandum Regem *Wladiſlaum*, veniamque petendum, quod coactus & non adiutus ab *Vngaris*, alias ſocietatem & fœdus cum *Turcis* iniiſſet. Luſtrato autem exercitu Regis & eius paucitate perſpecta, fertur Regem multis precibus, conſiliis & perſuaſionibus, vt in *Vngariam* omiſſo cœpto itinere rediret, rogaſſe, *debilem nimis & paruum numero regium exercitum* aſſerens, *neque in belli adducendum periculum & diſcrimen: cum Cæſar Turcorum & tantarum copiarum paucitate nullatenus vinci poſſet, qui cum maioribus potentiis venationes ſemrum exercere conſueuit.* Sed ſuperioris anni fortuna & certitudo habita de maritima claſſe prohibitura *Turcorum* de *Natolia* in *Europam* tranſitum, & hæc & plura alia ſana conſilia repudiabat, quamuis fere omnibus Conſiliariis *Vngariæ* placebat reuerti. Poſtquam itaque *Wladiſlaus* multiplicibus nequaquam potuit auiſamentis & conſiliis Regem a proſecutione belli auertere, de quatuor millibus *Valachorum*, quibus & filium pro Duce & Capitaneo adiunxerat, pacati & reconciliati ſibi Regis auxit exercitum, qui ſi verum fateri licet, quindecim vix millibus equitum munitus erat; currus vero aderant vltra quam bis mille, non onuſti ſaltem victualibus, ſed auro & ſuppellectilibus, aliiſque rebus quæ ad ornamentum & dignitatem militum pertinebant, ita vt quiſque propriam ſuam domum adduxiſſe videretur. Prouidere autem ſatagens *Wladiſlaus* incolumitati Regis, pro veteri merito, quo illum Pater *Wladiſlai* Regis proſequebatur, donauit illi duos equos velociſſimos, & duos *Valachos* fidiſſimos, omnium itinerum & locorum peritos, monens Regem, *vt illos à latere ſuo nunquam diſcedere pateretur, futurum enim, ſi quod ſibi accidiſſet diſcrimen, equorum velocitate & hominum illorum peritia facile euitare poſſe.* Rex etſi equos homineſque ſuſceperit, ſicut cæteros, ita & illos monitus ſalubres abiecit, ſiue fortunæ ſuæ confidens, ſiue aliorum & ſignanter Cardinalis *Iuliani* & *Ioannis* de *Huniad*, altis pollicitationibus ab omni ſalubri conſilio auerſus, ſiue quod vrgentem vim fatorum exſuperare non poſſet.

Dimiſſo igitur à ſiniſtris amne *Danubio* per fertilem *Thraciæ* prouinciam exinde iter aſſumtum eſt, vbi plurima priſcorum Imperatorum ac Ducum *Romanorum* ſumtuoſa inſigniaque ædificia ac marmorea monumenta *Græcis* & *Latinis* literis ſcripta, comperta ſunt, arcus inſuper & excelſas columnas, quæ pro maiori parte tum *Teucrorum* malignitate corruerunt. Sed inter eundum quoddam non famoſum flumen Rex offendit, vbi viginti octo galeatas naues ad Danubii flumen ſuo poſtea tempore traducendas, Imperator *Turcorum* recondiderat, exercitu impoſito vsque ad portas *Budæ*, *Vngariæ* & *Sclauoniæ* Regna depopu-

1444. pulanda, ſi guerra continuanda fuiſſet tranſiturus, quas galeatas *Wladiſlaus* Rex ſuccendi deſtruique mandauit, vrbesque & caſtella, templa & villæ, magis militum voluntate, quam Regio imperio vaſtabantur. Vbi quanta fuerit etiam in *Teucros* Regis clementia & humanitas perſpectum eſt. Cum enim vidiſſet gentes exercitus ſui nedum in *Teucros*, verum etiam *Bulgaros* ſæuire, & nullam in *Bulgarorum* & *Græcorum*, ſicut nec in paganorum templis haberi reuerentiam, quin omnia ferro igneque mandarentur, accerſitis ſcribis: *Videtisne*, inquit, *quo pacto ſe noſtræ res habeant, & quibus vtimur moribus, neque enim poteſt hoc genus hominum vlla ratione ab ſua immanitate diuelli, metuoque vehementer, ne iratus DEVS inhumanitatem noſtram abhorreat aliquando.* Pro honore igitur & purgatione conſcientiæ noſtræ Maieſtatis Noſtræ, mandamus literis notetis, in forma ſubſequenti, vt etiam hoſtes noſtri poſſint, ſi velint, de ſua ſalute cogitare.

Manifeſtum Wladislai Regis.

Nos Wladiſlaus Dei gratia Vngariæ & Poloniæ Rex &c. Vobis qui caſtella de Sumen, de Maboracz, de Petrecz, de Warna, de Galatha, ac alia Prouinciæ Thraciæ caſtella in contemtum Chriſtianæ religionis occupatis, & Chriſtianos homines Græcos & Bulgaros, qui vt in lege Domini ambulent, ab Orientalis Eccleſiæ ritu ad vnionem occidentalis Eccleſiæ ſub Eugenio Papa IV. nouiſſime venerunt, ſub iugo & ſeruitute veſtra tenetis, perſuademus, & etiam mandamus, Chriſtianos ipſos, pro quorum libertate ex noſtris Regnis Poloniæ & Vngariæ hucusque peruenimus, & Deo Duce progrediemur vlterius, propria eorum libertate donetis, Deo & Eccleſiæ Romanæ ſeruituros; locaque prædicta noſtro & Catholico Imperio adiicientes, in manibus noſtrorum militum reſignetis, & ad vrbem Galliopolim, ac in Aſiam ad antiquam ſedem Veſtram Natoliæ vos transferatis. Quod vt facere tuto poſſitis, tenore præſentium vobis omnibus & ſingulis memoratis ſaluum & ſecurum conductum validum cum effectu Regia liberalitate Noſtra concedimus. Quod ſi præſentibus literis pergitis eſſe rebelles, nondum exercitum noſtrum contra Vos ſucceſſiue ducentes, militibus noſtris in prædam vos dabimus & interitum. Nos iureiurando Noſtro vouimus omnipotenti Deo, ac Vnigenito Filio eius Ieſu Chriſto Domino noſtro, Vos & Principem Veſtrum Amurathum, quem nominatis Cæſarem, Domino auxiliante, inuadere, & quantum in nobis fuerit, perſequi & debellare, tanquam Noſtros & vniuerſæ Reip. Chriſtianæ publicos inimicos. Has itaque conſcriptas literas in fortes & victorioſas manus ſuas accepit, & tribus de *Teucrorum* gente, quos captos tenebat, vita donatis, per Prouinciam prædictam deferendas obſignauit. Quarum literarum ſerie (vt

Hiſtor. Pol. Liber XII.

redeamus vnde diſceſſimus) complures *Teucri* caſtella, in quibus morabantur, metu reliquerunt, quidam vero locorum ſitu ac vallo muroque confiſi ſeſe abſentare noluerunt, & præſertim hi, qui caſtellum *Sumen* & caſtrum *Petrecz* occupabant. Qui cum vidiſſent ſe triplici muro, foueis profundis ſaxoſisque montibus eſſe munitos, impetum Regis pugnamque ſuſtulerunt exercitus, & quanquam ad interitum vsque dicti *Teucri* intra mœnia ſe viriliter defendiſſent, a militibus tamen Regis vna tantummodo die crudeli pugna commiſſa ſuperati ſunt, & ex ipſis vltra quam quinque millia partim ex ſummis muris, turribusque præcipitati, partim igne gladioque ceciderunt. *Bulgarorum* etiam in primordio irruptionis plurimi defecerant, cum ipſis pariter *Teucris*, plurimos etiam Rex ipſe ſua pietate ſeruauit, plures inſuper *Sclauos* & *Vngaros*, quos ſæua *Teucrorum* manus dictis in locis pluribus annis captiuos habuerat, liberos fecit, & in *Vngariæ* Regnum iuſſit per *Danubiam* transfretari.

Wladiſlaus Rex caſtra quædam capit. 1444.

Interea *Iulianus* Cardinalis Legatus Apoſtolicus, qui ipſe in bello Regi ſemper adſtitit, literas accepit a *Franciſco* Cardinali *Venetiarum*, maritimæ claſſis Apoſtolicæ Capitaneo, & Legato, *tranſitum Teucrorum in multitudine ex Aſia in Europam, cuſtodia ne quicquam prohibente, transfretaſſe* nuntiante, *& quod claſſis maritima Apoſtolica prohibere nequiuerit quin Teucri furtim noctuque in paruis cymbis per inferiorem partem Phari Galliopolis traieciſſent.* Multorum tamen aſſertio fuit, *Venetorum* & *Genuenſium* galearum nauiumque Patronos & Capitaneos pecunia multiplici ex *Aſiatica* gaza corruptos, e cuſtodia ſtricti exceſſiſſe & *Turcorum* Cæſari cum quadraginta miliibus ſuorum aduenienti, tranſitum liberum feciſſe. Quam aſſertionem piæ mentes non receptant, tanta perfidia *Venetos* & *Genuenſes* vſos eſſe, vt Chriſtianum ſanguinem *Mahumeticis* auro venderent. Sed ad multa vix credenda humana ſæpe impellit auri ſacra fames, aliis placuit ex defectu victualium & commeatuum claſſem diſceſſiſſe. Vtcumque ſit, liberum mare *Teucris* patuit, qui ſuperato ſtricto, venientes in *Græciam*, iuncti ſunt ſuis cis mare remanentibus. Hæc tamen denunciatio neque Regem terruit, nec animum ſuum a periculo futuro auertit, quin ad littus maris Regie ſigna deduceret, & deſcenſum faciens cum exercitu a caſtro *Petrecz* iam exuſto, per planos & apertos campos incedebat, ad dexteram verſus meridiem montes habens, *Romaniam* a *Bulgaria* diuidentes, & protendentes a *Bidino* & ab ipſa *Nicopoli* vsque ad mare *Maurum* iuxta *Galatham*, qua *Meſſambriam* itur, inde *Conſtantinopolim*, id eſt per littus maris, & iuxta radices ipſorum montium lacus erat, qui pe-

Turci cum exercitu in Europam veniunt.

1444. penes caſtellum *Petrecz* capit originem, qui & iuxta ipſam *Gallatam* terminat, intra ſinum quendam paruum quem mare expandit. Ad A ſiniſtram autem verſus ſeptentrionem alii quoque montes habebantur, vltra quos & deſertum erat, protendens verſus ſeptentrionem vsque ad *Danubium* e regione *Moldauiæ* & *Walachiæ* per diſtantiam octo ad minus dietarum, nam & de milliaribus illis in partibus neque conſuetudo neque computus habebatur vllus. Verſus vero meridiem dictum deſertum vsque ad *Maurum mare* producitur, montes vero quos dicimus, etiam in ipſum mare terminant penes *Warnam* e regione *Galathæ*, quingentis forte paſſibus a *Galatha* diſtantem, quas circumſtantias ideo notandas eſſe volumus, vt legentibus locus certaminis & loca B fugæ melius innoteſcant. Itur igitur intra montes ipſos penes lacum, donec *Warnam* peruentum eſt, & priusquam eo Regis peruenisſet exercitus, *Teucri* qui *Warnæ* præerant, aufugerunt, marique ſeſe omnes commiſerunt, item & qui *Galathæ* præerant factitarunt. *Warnenſes* autem & *Galathenſes*, *Sumenſes*, & *Petrzenſes*, aliorum, qui periclitati fuerant, vicinorum exempla metuentes, ſeſe in Regis poteſtatem dederunt, nona ſcilicet die Nouembr. feria ſecunda quos & *Cauerna* & alia plura caſtra eodem die ſunt imitati, etiam priusquam Rex ipſe ſi na monſtrauiſſet, quamuis triplicibus muris portuque maritimo tuerentur. Tanta ſiquidem fuit Regis autoritas, vt C nomine illius in partibus illis, tanquam mortalis cuiusdam Dei ſua pro clementia veneraretur, magnanimitate autem ſicut *Alexander* aut *Cæſar* alter vbique timeretur.

Eadem ſiquidem nocte, qua *Warnam* & alia caſtra Rex muniuit, conſpecta ſunt caſtra *Teucrorum*, quorum ignibus cœlum coruſcabat, ipſa enim, poſtquam ex *Natolia* traiecerunt in *Europam*, *Galliopolim* conceſſerunt, inde *Adrianopolim*, & paſſim gentes armigeras colligentes validiſſimum congregarunt exercitum, qui cum *Nicopolim* venientes veſtigia Regis continuo curſu ſubſecuti ſunt, caſtra quoque eodem, quo diximus, veſpere, quinque millibus paſſuum ab exercitu Regio collo- D carunt, mane autem facto feria tertia in vigilia S. *Martini*, vna duntaxat hora poſt ortum ſolis, *Teucros aduentare & pariter adeſſe* totus ecce conclamat exercitus. Capiunt arma milites bellorum auidi, cœlum & mare vocibus optant, tentoriis leuatis & curribus præparatis, *Teucris* obuiam itur, nullos de ipſis curribus more Tabor inſtructo, quibus in orbem compoſitis, primo, ſecundo & tertio curruum ordine velut e fortalitiis tutius pugnare poterat exercitus, ſed viſum eſt Regi ideo currus in ordines non poni, vt ſinguli qui in illis latitare conſueuerant, in aciem prodirent, & auctiorem facerent exercitum. Nullus etiam (neſcitur quo facto) bombardis ſe & tormentis inſtruxit, quibus tamen & terreri & offendi pariter hoſtilis potuiſſet exercitus, ſed mala quædam valetudo Regis rebus inſtruendis non mediocriter obfuit, nam cum in ſiniſtro pede Rex ipſe apoſtemate quodam pauliſper ægrotaret, *Huniad Ianiſſ* Woievvoda, Capitaneus exercitus acies inſtruxit, & in hunc modum locauit; in arcus ſiquidem modum per quendam vallem latam, mille circiter paſſibus acies ſibi contiguæ conſiſtebant campum opplentes, a lacu fere vsque ad montes, qui deſerto contigui ſunt, a ſiniſtro cornu penes lacum idem Woievvoda quinque vexilla locauerat, tum ex propriis, tum ex Baronibus *Vngarorum*, poſtquam & Rex ipſe cum ſuis vexillis & aciebus electorum ex *Polonia* & *Vngaria* militum, tanquam in omnium acierum & militum cordibus magno ſplendore dignitateque fremebat, nihil magis cupiens, quam manum conſerere, credens eos, qui intra *Teucrorum* poſſeſſiones & mœnia tribus de quinquaginta diebus ſecum militauerant, & alias vna ſecum fuerant, in mille pericula mortis, omni etiam virtute ad mortem vsque ſecum eſſe pugnaturos, ſed aliter quam Rex ſperabat, euenit. Nam cum poſt vexilla Regis ad dextram locatæ eſſent, *Walachorum* acies, dextro procedendo ordine, vexillum nigrum *Vngarorum*, poſt hoc vexillum *Agrienſis* Epiſcopi *Simonis* de *Rozgon*, poſt quod & gentes *Mathkonis* de *Palencz* Bani *Sclauoniæ* ſub *Francone* Bano germano ſuo, inde vexillum Eccleſiæ ſub *Iuliano* Legato, & vltimo loco in fine eorum dextri, verſus deſertum, vexillum S. *Ladiſlai* ſub *Ioanne* de *Arbi* Præſide *Waradienſi* ad duo fere millia paſſuum. Eodem ordine *Teucris* obuiam itur, curribus regiis ipſas acies & vexilla ſubſequentibus, aduentusque *Teucrorum* in loco ipſo tribus fere horis expectatus. Et quamquam aer erat ſerenus, mareque tranquillum, tanta tamen venti tempeſtas & procella ab occidente ſuborta eſt, vt omnia fere ſigna regia, vexillo duntaxat S. *Georgii*, quod ſub cura ſolius Regis erat, excepto, ad haſtas vsque contracta ſunt & lacerata vt non ſuperi tantummodo, ſed & elementa barbaricæ victoriæ adniterentur.

Interea *Teucri* magno ordine magnisque copiis non per opertos campos & vallem, ſed per rubeta & colles, quos diximus, verſus deſertum exploratione & calliditate vſi, paulatimque ad exercitum Regis accedentes pedites ſuos ſagittarios, quas *Ianitores* ſeu *Ianczaros* appellant, præſtolantur, dextrum eorum exercitus Regii cui Præfectus erat *Waradienſis* Epiſcopus, licet debili impetu, aggreſſi ſunt, ibique pugna primordium cœpit. Sed neſcio qua fatorum inclementia tunc euenerit, quod *Prælium cum Turcis.*

Vn-

1444. *Vngari* primarum acierum & quatuor vexillorum *Varadienſis* Epiſcopi, *Iuliani* Legati, *Franconis* Bani, & Præſulis *Agrienſis* primum A impetum *Teucrorum* non ſuſtinuerant, ſed paucis occiſis *Teucris* ſtatim verſus *Galatham* inter ſinum, quem diximus, maris, & inter lacum & montes verſus *Romaniam* confugerunt, quos *Teucri* ipſi acriter ferientes haſtis & frameis ad duo milliaria, decem videlicet millibus paſſuum, per excelſos montes & denſiſſima etiam nemora inſecuti ſunt, *Walachi* pari exemplo hinc & inde diſperſi, *Teucris* minime reſtiterunt. Reſtitit autem ex quatuor vexillis, vexillum S. *Ladislai* rectum & integrum, quamuis omnes fere eius milites profugiſſent, ad quod defendendum *Iulianus* Legatus & *Franco* Banus accurrerunt cum equitibus vix ducentis. Pars *Teucrorum* fugientes hinc inde B *Vngaros* & diſperſos aurigasque ſecant & trucidant, pars vero aliquot currus ſubuertunt & ſpoliant. Alii autem vexillum *S. Ladislai* magnis circumdant viribus, ſed quia fortes erant ſub ipſo milites, & in vnum globum circulumque proſtrati, ac verſus *Teucros* inermes cuſpides haſtarum vertebant, non potuerunt animoſe pugnando quoquo modo à multitudine hoſtium ſuperari. *Wladislaus* vero vbi vidit *Vngaros* à dextro eorum terga vertentes & ſupra reliquas plurimas *Turcorum* cateruas inſurgere, ipſas *Turcorum* acies, vbi plus aduertebat, interponi diſcriminis, velut clarus Imperator & alter *Cæſar* inuaſit, & omnes cum ſuis militibus haſta gladioque, quotquot offen- C dit, aut morte afflixit, aut in errorem fugamque conuertit. Regis exemplum *Ioannes* Woiewoda Capitaneus exercitus ſecutus eſt, qui poſtquam vexillis copiisque Regiis ſe coniunxit, magno animo in *Teucros* irruit, & quatuor millibus paſſuum Rex inuictiſſimus *Teucros* inſequens, tantam in eis cædem ſtragemque commiſit, vt incredibile ſit audientibus, & his qui coram viderunt, mirandum ſtupendumque, quod in tali Principe tales vires eſſent, & viuacitas. Reuerſus poſtea ad locum vnde diſceſſerat ad reliquos hoſtes profligandos, poſtquam vidit vexillum *S. Ladislai* à *Teucris* acriter oppugnari, & magno ſubeſſe periculo, pietate ductus, pro liberatione vndi- D que à *Teucris* circumuentorum accurrit, cuius præſentia *Turci* cognita terrore conſternati, partim cæſi partim in fugam conuerſi ſunt, triaque millia in *Turcorum* illo duntaxat loco corruiſſe viſa ſunt. & quaſi in momento deleta. Et quanquam plurimæ & validæ eorum acies hinc inde pluribus locis victæ Regis virtute cecidiſſent, exigua tamen in eos videbatur ſtrages commiſſa, propter nimiam eorum multitudinem, dum recentes & nouæ victis, proſtratis, aut fugientibus ſuccederent acies. Magna inſuper aſtutia & ſumma calliditate *Teucrorum* procedebat exercitus, inter quos & ſagittarii etiam equeſtres aderant, quorum vires fuerant inhabiles ad pugnandum, vt ex illis maior terribiliorque appareret exercitus. Gregem inſuper habuerunt camelorum, partim ſericeis pannis onuſtorum, partim ſagittis & rebus ad vſum hominum militiamque ſpectantibus, inter quos quidam viſi ſunt, qui aurea & argentea moneta graues erant, quam ex induſtria iuxta antiquam *Tartarorum* conſuetudinem, cum ſe proſterni aut perſequi conſpexerint, obrutis ſaccis ſuderunt in terram, vt inde milites regios à curſu & perſecutione retardarent. Obfuerunt etiam exercitui cameli ipſi aliquorum equos, ſuorum monſtroſitate, vertendo in fugam, ita vt eos vix ſeſſores ad quam voluerunt partem diuertere potuerunt, in quibus occidendis *Walachi* & alii quidam, æris cupidiores quam gloriæ, fortes & ſtrenuos ſe præbuerunt. 1444.

Inuadit præterea Rex & proſternit acies hoſtiles, inter quos quædam copiæ *Tartarorum*, electiſſimorum certe militum, manu Regis corruunt, cuius ante faciem non ſtantes *Teucri* fugiebant, quaſi conſpexiſſent ſubitum fulgur deſcendere à cœlo. Deinde reuertens ad *Teucrorum* ſagittarios pedeſtres, quos *Ianczarones* nuncupant, plurimos ex eis morte affecit, nec ſine tamen ingenti damno ac læſione ſuorum militum & equorum. Nam & ſagittas *Teucri Ianczarones* in vno loco firmati; & longis ſcutis ne læderentur in terram defixis, protecti, adeo frequentes in exercitum Regium emittebant, vt & aer ſagittis ipſis non aliter opplebatur, quam cadente de cœlo grandine ſuper terram, vnde & plures mortales de exercitu ictibus eorum mortui ſunt, & equorum ex vulneratione deficientium immenſus clamor, antiqua vero loca adeo ſagittis conſtrata fuere, vt nullus per illa equiti aut pediti pateret tranſitus. In hac pedeſtrium pugna maior clades in exercitu regio accepta eſt, & multos inſignes milites ex *Polonia* Rex deſiderauit. Dum enim terribilis eſſet, tum multitudine tum ſagittarum miſſione pedeſtrium *Ianczarorum* acies, omnibus diſſimulantibus Regio mandato *Polonorum* milites irruerunt in illam, deinde Rex ipſe deſertor eſſe ſuorum militum nolens, pugnæ ſe mediæ iniecit, & magnam ſtragem in pedeſtri exercitu edidit, adeo vt *Ianczarones* ipſi deliberabundi preſſo gradu ſiſterent, & tam ſe exercitumque omnem ſuum, qui totus ex renegatis conſtabat, quam Cæſarem, qui in medio illorum verſabatur, tradere in poteſtatem Regis concluſiſſent, ſi regii exercitus fugam diſceſſionemq; non notaſſent. Sed catholicus populus felicitate à Deo eorum ſceleribus irato iudicabatur indignus. Aſſerunt & nonulli diſciplinæ militaris periti, qui bello huiusmodi interfuerunt *Wladislaum* Regem cladi, quæ ſucceſſerat, oc-

1444. occaſionem propterea, quod in pugnæ principio *Turcos* venientes & deuictos longius proſequebatur, præbuiſſe, ſi enim modum in proſequendo hoſte tenuiſſet, referre triumphum & præſentis certaminis gloriam, & ſummam belli perficere, haud incertum erat, poterat tamen pugna reſtitui, poterat *Turcus* vinci & pelli, ſi *Ioannes* de *Huniad* & *Vngarorum* cohors exemplum eius ſecuta pronior ad bonam ſpem quam ad fugam fuerit.

Magni autem animi Rex etſi à quibuſdam ex ipſa pugna traheretur, & quidam illum a prælio ſtudebant abducere, belli cupidus & victoriæ, quam ſibi partam iam viderat, *Teucros* hoſtes longo etiam curſu, tertiò perſecutus eſt, in multiſque locis langueſcens prælium aut deficiens reſtituit, quem cum armorum ſplendore & ſtrenuitate cognouiſſent, ad propinquiores eorum acies aut ad montes aufugiebant, & nihilominus tot ex eis moriebantur, vt quatuor aut quinque millibus paſſuum erat ſtratus campus corporibus occiſorum. Adde quod de exercitu Regio multi ceciderunt, & ſignanter ex *Polonis*. *Walachi* vero qui ad ſpoliandos mortuos potius, quam ad perſequendos viuos hoſtes intendebant, nullo fuerunt Regi ſubſidio, ſed cum hoſtes inſequebatur Rex, ſpolia capiebant, dum autem gentes Regis perſequerentur ab hoſtibus, fugam dabant. Quidam etiam de exercitu Regis, tum puſillanimitate ducti, dum equorum ſuorum viribus diffidentes, relicta in media dimicatione Rege, ad deſertum per montes & ſyluas diffugierunt. Solicitatus deinde *Wladiſlaus* Rex *Ioannis de Hunniad*, qui ſe iam e prælio fuga ſubduxerat, frequentibus nuntiis, *vt pugna & acie omiſſa, ſecum vna & locorum peritis fuga ſe ſaluaret*, animo feroci reſpondens, negat *ſibi & ſanguini ſuo fugam competere, malleque ſe in ea pugna cadere, quam contra maiorum ſuorum dignitatem pedem referre, militibus ſuis auſpicium ſuum ſecutis deſertis, vel potius proditis & de protrahenda vita per fugam ignominioſam cogitare, cuius vſum omni morte poſt fugam ſciret amariorem, incertum habens, an etiam per fugam euaſurus ſit, & poſt euaſionem ad craſtinum victurus, pro comperto habens, quantacunque animorum acceſſione labem præſentis fugæ non poſſe deleri, nec eſſe honeſtatis Regiæ & vincere velle & fugere, & quamuis certum diſcrimen adeſſe videat, manendum potius & glorioſam oppetiturus mortem, quam militibus ſuis proditis in turpem fugam dilapſurum.*

Rex denique, quem *Poloni* ſui fortiſſimi ac bellicoſi milites nunquam deſeruerunt, vſque ad crepuſculum noctis cum hoſtibus dimicauit, quos circiter circa decem millia paſſuum a caſtello *Warna*, vnde diſceſſum fuit, eſt inſecutus, *Teucrique* ipſi in fugam à Rege conuerſi ſunt, & triginta millibus paſſuum retroceſſerunt. Situs autem Rex *Wladiſlaus* in dimicantium medio, orantibus pleriſque *ne ſe euidentibus miſceret periculis, atq; exercitu diſperſo, ſolus ſummam periculi ſubiret, ſuo periculo pernitiem vniuerſis orthodoxæ fidei cultoribus allaturus*, non acquieſcit, ſed militiæ decus præponens ſaluti, & glorioſam mortem vitæ opprobrio, in confertiſſimos hoſtes cum agmine militum ſe immiſcens, aliquanto tempore pugnauit fortiſſime, donec magis ac magis infundentibus ſe *Turcis*, cum ſuis occluſus, magnificam mortem oppetiit, damno ſui corporis & Chriſtianæ Reip. & Regni *Polonici* ingenti iactura & vulnere, manu ipſe hoſtili oppreſſus & interemptus, victis iam debellatiſque hoſtibus, neque vllam ſibi futuram ſalutem ſperantibus, inſperatam & illuſtrem victoriam præbuit. 1444. *in qua ipſe Wladiſlaus cadit.*

Hoſtium ſiquidem multitudine vndique circumactus, cedere pudori ducens refugientibus & ſe deſerentibus *Ioanne* de *Hunniad* & *Vngaris*, prælium quanta vi poterat reſumens, multis cæſis & ipſe tandem cum omnibus *Polonorum* militibus propriam mortem animoſiſſime vltus, occubuit. DEUM ſiquidem ſuæ maieſtati adeſſe, vbi amplius conſilio nihil adminiſtrari poterat, confidens, illa ſolerti conſilio tranſtulit Princeps magnanimus in virtutem. Cum enim plurima & egregia tam Ducis quam militis munera illo prælio edidiſſet, & maximis hoſtium copiis fuſis fugatiſque totus ſanguine barbarico maderet, *Ioannes* de *Huniad* hoſtium magnitudine & paucitate regii exercitus deterritus, in fugam effuſus, omnem exercitum *Vngarorum* ſuo exemplo ſecum traxit. Sed & parum ducens, ipſe plures nuntios ad *Wladiſlaum* Regem miſit, qui monerent, *vt ipſe prælio diſcedens fuga ſe ſaluaret*. At Rex in nuntios vehementer iratus: *abite & renunciate*, inquit, *Ioanni deſertori meo non militi, Vngaros exercitu hoc amiſſo, alterum parare poſſe, ſe vero ſine ſuo dedecore fugere non poſſe, malleque vitæ quam gloriæ iacturam facere, & die illa pro fide, pro Religione, pro populo Chriſtiano, atq; Vngariæ glorioſam mortem quam turpem fugam appetere, viderit ipſe qui ferocius intra parietes tutus loquebatur, & qui reclamantem renitentemq; me in huius horæ diſcrimen perduxit, ſi recte agit, ſi fidem & ſacramentum militiæ mibi præſtita cuſtodit, & ſi tam promtam habeat manum iuxta ac linguam habuerat, Regis ſui à præſenti & poſtera ætate deſertor iudicandus.* Nocte autem ſuperueniente vtraque pars victam ſe credens abiit, *Vngari* ſiquidem credentes omnes cetrus exercitus Regii fuiſſe ſpoliatos ab illis *Teucris*, qui in primo congreſſu eos profligauerant, verſus deſertum per opacas etiam ſyluas ac montes, & valles, locaque præcipitantia fugerant, quibus fugientibus de *Teucrorum* exercitu quidam ſæpius acclamans, Hungarico dixit idiomate: *Quæ eſt, o Vngari, veſtra dementia, quæ puſillanimitas, qui cũ victores eſtis, aufugitis.* Quo ne quicquam reuocante, & obſtante etiam, quod *Vngari* ab ipſo Rege iterum at-

1444. atque iterum reuocarentur ad pugnam,quiſque tamen velociori curſu fugiebat, nec ſeruus de ſeruando Domino pietate motus eſt, neque Dominus præſentem & anhelantem ſeruum præſtolatus, tanto quiſque terrore perculſus fuit,vt quicunque opaca & inuia loca per conſertas arbores, ſaxa, & per denſiſſima nemora, velut in apertos & planos campos tenebroſa nocte cucurrit, & ipſe quoque Woiewoda *Ioannes* Capitaneus exercitus cum pluribus equitibus, *Vngarorum* Rege non expectato,diffugit. Qui autem vltra lacum in primo congreſſu ante *Teucros* fugerant, & quos *Teucrorum* gladius non vorauit, eadem nocte clanculum ad ipſum deſertum confugerunt,vt poſſent ipſi quoque per *Danubium* in *Walachiam* transfretare,& penes currus regios reuertentes auſi non fuerunt currus accedere,metuentes ne *Teucri* iam circa currus nocturnam requiem ſtationemque recepiſſent,quibus tamen in curribus plerique de exercitu Regio nocte tota ſed & die ſequenti pacifice ſteterunt, expectantes aſſidue reditum Regis & totius exercitus,quem ſuis hoſtibus præualuiſſe viderent,& in eadem opinione ipſi quoque *Turci* verſabantur. Nam cum ſe vidiſſent vbique proſterni, auſi non fuerunt ſequenti die, transacto iam veſpere, Regios currus inuadere,metuentes ne Chriſtiani milites ad currus & ad primum pugnæ locum reuertiſſent *Ioannem* de *Huniad* Commendatorem & plurimos *Vngarorum* neque reuocauit pudor neque animauit metus, ne deſerti Regis ignominia notarentur.

Fugientibus autem *Vngaris*, *Walachis*,& aliis de exercitu Regis,talis timor pedibus addebat alas,vt Woiewoda *Ioannes* Capitaneus exercitus,qui certos ductores habuit, in duobus diebus & noctibus,ad ripam *Danubij* & ad paſſum *Laſſlocze*,demum in *Walachiam* euolauit, quidam in tribus,quidam in quatuor diebus, quidam vero in quinque diebus & noctibus etiam nihil comedentes, ad eandem *Danubij* ripam peruenerunt, ad quam in decem vel octo ad minus diebus communiter equitando vix perueniri poteſt per deſertum ipſum, in quo nihil ad vſum humanum eſt repertum, & plerique tribus equitando diebus nullas etiam aquas repererunt, & non pauci ſiti languebant & inedia. Tanta inerat miſeries fugientibus cupiditas fugiendi. Præter autem *Walachos* nemo quo tenderet ſciuit, nam quiſque ad eam ſe partem conuertebat, ad quam ipſum aut impellebat timor,aut ab ipſa fortuna trahebatur. Nulla enim ratione iter agebant,qui ſine *Walachis* fugiebant. Hi ſiquidem interdiu per ſolem,nocte vero per ſtellas etſi quandoque circuirent tuto tamen ad *Danubium* profecti ſunt. Qui autem Ducibus *Walachis* caruerunt,aut ad *Teucrorum* loca, quæ Chriſtianorum eſſe putabant, peruenerant,aut errore,aut frigore,aut denique ipſa inedia perierunt, ita quod plures de exercitu Regis fames,plures error,& plures frigus extinxit, quam *Teucrorum* gladius interemit. Quod ſi *Teucri* ab ipſo Rege proſtrati non cecidiſſent, & inſequendi fugientes non fuiſſet illis adempta poteſtas,aut in ipſo deſerto ſingulos fugientes non comprehendiſſent,vel perdidiſſent,aut ſi ad *Danubium* vſque veniſſent proſequentes fugientes flumine omnes merſiſſent. Sed Deus ipſe tantas in prælio vires in ſolo Rege dimiſit,vt quicunque ſaluus eſt, opera & ope Regia eſt ſaluatus. Plurimi autem *Teucrorum* qui in primo congreſſu per Regem cæſi, & ad multa paſſuum millia profligati ſunt, non prius ſiſtebant fugam,donec peruenerunt *Adrianopolim*, vbi vulgata ſua ſtrage & regis victoria,vniuerſa *Adrianopolis* pauore concuſſa,qualiter fugeret,qualiterque ex *Europa* in *Natoliam* per mare traiiceret, ſummo conatu ſperabat. Viſus eſt *Iulianus* Cardinalis Legatus cum *Ioanne* Woiewoda à prælio diſceſſiſſe, qui alias nunquam voluit deſerere Regem, niſi poſtquam *Ioannem* Capitaneum exercitus,Regem & exercitum linquentem cum magna multitudine ſe ſequente vidit diſceſſiſſe. Incertum autem eſt,quo euentu *Iulianus* Cardinalis à conſortio *Ioannis* Woiewodæ diſtractus,dum in rara ſocietate *Danubium* perueniſſet, à quodam *Walacho*,qui in parua cymba vnicum duntaxat illum traiiciebat,cognito auro, quod ipſe *Iulianus* dicitur geſtare,& cuius pondere cymba ipſa demonſtrat molem, occiſus eſt,& corpus exanime,vt plures ferunt, ſingulis veſtimentis & auro ſpoliatum eſt,& in *Danubium* proiectum, ita vt vir eloquentiſſimus, prudentiſſimusque occidit, ac ſuum illum digniſſimum ſpiritum & nobiliſſimum,ad omnia quæcunque ageret diuinitus aptum,exhalauit. Viſus eſt *Waradienſis* Epiſcopus inter primos fugiens,dum initio pugnæ perſequeretur à *Teucris* ad lacum confugere,in quo dicitur ſubmerſus eſſe. Viſus etiam *Agrienſis* Epiſcopus, qui & cum primis non impetum ſuſtinuit,ad *Warnam* caſtellum ſua pro ſalute confugiſſe,qui cum ab oppidanis non eſſet receptus, ad milites regios pugnantes reuerſus eſt,& ingreſſus acies fortiter dimicauit. *Polonorum* vero militum, præter duos,nullus euaſit,eo quod pro more ſuo de fuga ſua nunquam cogitauerunt , & quod bellicoſum ſit genus hominum. Hi enim dum vitalis ſpiritus ſpirauit ab ipſo Rege minime diſceſſerunt. Occubuerunt autem ex præſtantoribus, *Ioannes Maior* & *Ioannes Gratus* fratres germani de *Tarnow*, & *Martinus* ac *Stanislaus* de *Roznow* filii duo optimæ memoriæ *Nigri Zawiſcha*, qui in illa infelici clade per Imperatorem *Sigiſmundum* circa caſtrum *Golubiecz* a *Turcis* accepta, dimicando ſtrenue occubuerat, & alii plures milites Nobiles *Poloni*. Saluati autem ſunt per fugam *Rzeſowski* qui pugnæ propter vulnerationem intereſſe non valens in curru Regio decumbebat,

Iulianus Cardinalis Legatus interficitur.

1444 bat, de domo *Pulcozicz*, ex poſt in *Cracouienſem* Epiſcopum, *Georgius* de *Sanoch* in Archi-Epiſcopum *Leopolienſem*, de domo *Streparum*, A *Paulus* de *Garbow* de domo *Powala* in Epiſcopum *Chelmenſem*, *Albertus* de *Zichtin* in Regni *Poloniæ* Vice-Cancellarium, *Ioannes Watrobka* de *Strzelcze*, de domo *Oxa*, in Præpoſitum *S. Michaelis* & Canonicum *Cracouienſem* promoti: *Andreas* de *Sienno*; de domo *Debno*. *Ioannes* de *Borownn* de domo *Szrenoawa*, *Martinus Chorapiec* de domo *Pulkocicz*, *Petrus* de *Latoſyn*, de domo *Gryffonum* captiuitatem *Turcorum* mirabiliter aufugerunt.

Rex vero *Wladislaus* poſtquam bellum nocte diremptum eſſet, nusquam apparuit, nec tamen eſt repertus, qui eum aut capi aut occidi vidériſ, ac mira quidem & res ſtupenda eſt, cum de cæteris militibus qui non redierunt, certa B noua aut de morte aut de captiuitate relata ſunt. Sed Rex ipſe eodem in prælio omnibus vno ore teſtantibus vltra quam corpore humano poſſibile videretur efficeret, tantamque ſtragem propria manu commiſit in *Teucros*, vt opera magnanimitateque ſua, quarta pars præſtantiorum militum, hoſtilis exercitus defecit prælio, cuius virtus & ſtrenuitas ſupra Chriſtianum exercitum veniſſe dicuntur, & nihil dubium eſt, quin Rex vera *Teucros* ſuperauerit virtute, quanquam ipſi exercitum Regium multitudine potius quam gladio perterruerint. *Vngari* pro maiori parte ſalui reuerſi ſunt, ſed præſtantiores etiam milites *Vngarorum* prælio C defecerunt, & ſuperſtitiſſent, niſi Regis, quanquam incomparabiliter, ſuperiores erant numero hoſtes. Erat ſpes nihilominus habendæ victoriæ, & iam Deus Regi triumphum dederat propter ſigna ea quæ dixi, niſi illum fuga exercitus ſui labefactaſſet. Ex omni autem Regis exercitu, in quo verum dicam vix aderant viginti millia militum, non creditur quintam partem morte aut captiuitate periiſſe, & nullam denique iacturam Chriſtianus accepit exercitus, ſi modo *Wladislaus* Rex nobis aduenisset, quo principe nulla ætas aut vnquam vidit, aut vnquam viſura eſt præſtantiorem pugilem pro fide noſtra Catholica, aut Catholicum magis & Sanctum Imperatorem, qui pro ſumma eius bonitate nemini vnquam nocuit homini Chriſtiano, Deum ſemper laudans & benedicens auditus eſt, tum in Pſalmis tum in omni eius verbo & opere. In cibo moderatiſſimus Princeps, & ſpreto vino, ſola in potu contentus aqua, ac veluti ſanctus Rex & angelus alter in terris cœlibem & virgineam vitam domi militiæque duxit. Cæſa ſunt ea pugna octuaginta millia pluresque illuſtres animæ in cœlum vel inferos tranſierant. Inſignis eſt hic annus multis cladibus, nam & *Swaiczeri* apud *Baſileam* cæſi ſunt, & *Delphinus* quam plurimas *Almaniæ* Vrbes occupauit, & Rex *Franciæ*, *Tulun*, *Werdinumq;* cepit, nulla tamen quam *Pannonica* clades inſignior, poſtquam victus & victor diuerſa loca ſortiti ſunt. Victus enim *Wladislaus Polonorum* & *Hunnorum* Rex conſociatus eſt angelis, victor *Turcus* addictus eſt perpetuis ſuppliciis. Tranſacti mali in animis *Polonorum* inſpirata quædam habebatur diuinatio, & nedum fama regiæ cladis *Poloniam* perueniente, mœſta tamen lamenta matronarum, natos & cognatos ſuos ex ſola coniectura & ſuſpicione deplorantium audiebatur. 1444.

Wladislai Regis indoles deſcribitur.

Cum in *Adrianopolim* ventum foret, *Turcorum* Cæſar captiuos recenſens duodecim *Polonorum* ingenuos iuuenes nondum epheborum ætatem ingreſſos, quorum videbat eminere genus & formam, e cætera turba ſecreuit & in thalamum ſuum deduci iuſſit. Qui cum ob formæ præſtantiam primum ſe ritu profano & ſpurciſſimo circumcidendos, deinde in ſcortorum numerum deſtinatos cognouiſſent, ne execranda lege & libidine fœdentur, in necem Cæſaris coniurant, rem tamen cum vno *Bulgaro* ſimili turpitudini deſtinato communicant, quem & in necem & coniurationem pelliciunt. Sed cum obſeruato meridionali tempore, quo corporis Cæſaris cuſtodes ſopori ſe dari ſoliti erant, propoſitum exequi pergunt. *Bulgarus* illos præcurrens Cæſari quieſcenti prodidit, & *quanto in periculo verſaretur, niſi mature prouideret*, indicauit, non ob id tamen machinatio coniuratorum quieuit, ſed Cæſarem adorti, in illius trucidationem toto conatu (non ephebos ſed viros crederes) ferebantur, perpetraſſent inſigne tyrannicidium, niſi Cæſar per gradus & ſcalas abditas in tecta domorum ſcandens, manus illorum euaſiſſet. Accurrentibus autem corporis cuſtodibus *Ianczaris* in grandi multitudine, nemo ſe coniuratorum capi permiſit, ſed thalamo, ex quo Cæſar aufugerat, firmis repagulis clauſo atque obfirmato, ne barbarorum manus, qui illos magna oppugnabant virtute, inirent, mutua in ſe ad vnum omnes debacchati cæde, glorioſam & memorabilem mortem oppetiere, relinquentes exemplũ honeſtis mentiD bus, magis fidem & pudicitiam curæ eſſe, quam vitam. Et ſi idem animus *Ioanni* de *Huniad* & cæteris militibus ad *Warnam* cum *Wladislao* Rege contra *Turcum* pugnantibus, qui ætati infirmæ, adfuiſſet, neque *Wladislaus* Rex ab eis deſertus, neque tot pulcherrimarum legionum interitus fuiſſet ſecutus, neque Catholicorum debellator exercitus, qui etſi laudabile viſus fuiſſet inſumpſiſſe in anno tranſacto principium: occulto tamen Deo permittente iudicio proceſſum debilem & finem habuit penitus infelicem.

IN-

INDEX RERVM
IN DLVGOSSO OCCVRRENTIVM.

Prior numerus librum, poſterior columnam: littera vero partem columnæ notat.

A.

AAron ex Cluniaco vocatus. III. 228. C. *ſit abbas Thyniecenſis.* ibid. D. *ſit Archiep. Cracov.* 230. D. *moritur.* 248. B. *vita eius repetitur.* ibid.

Abba Comes ſit Rex Hungariæ. III. 223. A. *propter crudelitatem eiicitur.* 232. C. *in Thracia trucidatur.* 233. B.

Abel Danorum tyrannus. IV. 421. D. *a Boleslao eiicitur.* 422. C.

Accipitrum domus. X. 112. B.

Aceruorum domus. IV. 416. D. VI. 531. A. IX. 897. D. 965. B. X. 137. B.

Adalbertus Berengarij filius. II. 106. D.

Adalbertus ſit Pragenſis Epiſc. II. 105. 106. A. *reſignat.* 110. A. B. *eius cognati propterea trucidantur.* 113. C. *Pragam iterum venit.* 115. B. *qua relicta in Hungariam venit.* 115. D. *mox in Poloniam.* 116. B. *vbi ſit Archiep. Gneſn.* 117. C. *Pruthenos autem convertere volens.* 118. C. *interficitur.* 120. B. *miraculum in eius corpore factum.* 125. C. ſ. *Gneſnam transfertur.* 127. B. *eum viſitat Otto III Imp* 128. C. ſ. *eius brachium donatur eidem.* 134. B. *eius corpus transfertur.* IV. 427. B.

Adalmunda Lotharij Imp. vidua, poſt Ottonis coniux. II. 106. 107. A.

Adleidis Poloniæ Duciſſa Geiſæ Pannon. Principi nubit. II. 98. A. B. *Hungaros ad fidem conuertit.* 98. C. D. *ex annunciatione Stephani Protomartyris.* 99. D. *parit filium Stephanum.* 100. A.

Adleida Andreæ Regis Hung. filia coniux Wratislai Ducis Bohem. III. 254. D.

Adleida Friderici I. neptis Miecslao maioris Poloniæ Duci nubit. V. 496. A.

Adleida Caſimiri Ducis filia. VI. 584. A.

Adleida Haſſiæ Landgravij filia nubit Caſimiro. IX. 1060. A. *ab eo abit.* 1109. D.

Adrianus III. Papa V. 489 A. *moritur.* 498. B.

Adrianus V. Papa. VII. 808. D.

Ægidius. v. Egidius.

S. Ægidius ſterilitatem Iudithæ depellit. IV. 306. A. B.

A.

Agapitus II. Papa. I. 81. A. II. 101. A. 103. A. *moritur.* 106. C.

Agaſia Maſoviæ Duciſſa. VII. 704. A.

Ag rius Epiſc. Wladislau. VI. 576. B.

Agneta Abbatiſſa Trzebnicenſis. VI. 616. C.

Agricolarum domus. V. 484. D.

Alanus ex poſteris Iaphet. I. 5. B.

Alba Comes ſit Rex Hungariæ. III. 223. A. *v. Abba.*

Alba Pomeraniæ vrbs a Boleslao capitur. IV. 361. C. D.

Albertus pater Ioannis XIII. P. R. II. 103. A.

- *filius Berengarij Italiæ Regis.* II. 103. B.

Albertus Epiſc. Livoniæ. IV. 318. C. *ordinem Cruciferorum inſtituit.* VI. 600. A.

Albertus Abbas fundator ordinis Ciſtercienſis. IV. 330. B.

Albertus Antipapa vincitur. IV. 346. A.

Albertus Epiſc. Wladislau. VII. 795. B. *moritur.* 832. D.

Albertus Palat. Cracov. VII. 820. D.

Albertus Aduocatus Cracov. IX. 951. A. ſ.

Albertus Cancellarius Dobrzin. IX. 1095. A.

Albertus Malski. XI. 276

Albinus Archiep. Moguntinenſis. II. 180. D.

Albinus Epiſc. Plocenſis moritur. III. 220 A.

Album caſtrum. I 10. C.

Aldemburg. I. 66. B.

Aldemberg (Theod. de) Marſchalcus Pruſſiæ. IX. 923. B. *ſit Magiſter.* 1036. A. *moritur.* 1062. D.

Alexander II. Papa. III. 253. D. *moritur* 285. D.

Alexander Epiſc. Plocenſis. IV. 430. D. *moritur.* V. 491. C.

Alexander III. Papa. V. 498. B. *moritur.* IV. 548. C.

Alexander IV. Papa. VII. 737. D. *moritur.* 765. D.

Alexander Withawdus Lithuaniæ Dux. X. 61. C. *e carcere per vxorem liberatur.* 66. D. *eius fuga & conuerſio.* 120. B. ſ. *Lithuaniam invadit.* 127. D. ſ. *Tartaros vincit.* X. 153. C. D. 169. D. *Moſcouiam vaſtat.* 184. A. 189. B. *Pruſſiam vaſtat.* 204. A. XI. 243 D. 244. A. 350.

350. B. 356. D. *vxorem ducit.* 393. C. *ei regnum Bohemiæ offertur.* 436. C. D. *Pſkovienſes vincit.* 492. B. ſ. *Ruthenos Nouogrodenſes vincit.* 509. D. ſ. *a Sigismundo Imp. perſuadetur, vt ſe Regem Lithuaniæ creet.* 515. D. ſ. *moritur.* 557. B. *eius mores.* C. ſ.

Alexander Walachiæ Palatinus. XI. 640. C.
Alexander V. Papa moritur. XI. 306. B.
Alexius v. Olech.
Almus Colomani Hung. Regis frater. IV. 371. C. *in Poloniam fugit.* 404. C.
Alpes Sarmaticæ, montes Poloniam ab Hungaria diſterminantes. I. 22. C.
Anacletus Papa. IV, 433. B.
Anaſtaſia Ruſſiæ Duciſſa Andreæ Hung. Regi nubit. III. 236. C.
Anaſtaſia Ruſſiæ Duciſſa Boleslao Criſpo nubit. V. 484. C. *moritur.* 496. B.
Anaſtaſius III *Papa.* V. 489. *moritur.* 490. A.
Andreas Hungariæ Dux. II. 186. B. *fit Hungariæ Rex.* III. 235. A. *Anaſtaſiam Ruſſiæ Duciſſam vxorem ducit.* 236. C. *cum Henrico* III. *Imp. fœdus pangit.* 239. B. *a fratre Bela vincitur.* 257. D. *moritur.* 258. A.
Andreas I. *Epiſc. Wratislauienſis.* III. 244. C. *moritur.* 300. B.
Andreas miles. III. 258. D.
Andreas Olomuncenſis Epiſc. IV. 317. C.
Andreas Dux de Suſdal. V. 516. A.
Andreas Hungariæ Rex VI. 586. B. *moritur.* 647. A.
Andreas Pragenſis Epiſc. Premislaum excommunicat. VI. 619. D.
Andreas Canonicus Cracou. VI. 631. D.
Andreas Epiſc. Plocenſis. VI. 662. A. *moritur.* VII. 713. B.
Andreas Cziolek Epiſc. Poſnan. VII. 733. C.
Andreas Hung. Dux in Poloniam fugit ibique occiditur. VII. 856. B. C.
Andreas Simonowicz Epiſc. Plocenſis. VIII. 890. D.
Andreas Ceretenſis Epiſc. X. 47. D.
Andreas Lithuaniæ Dux. X. 61. C.
Andrzeionienſe monaſt. fundatur. V. 455. A. *& oppidum Andrzeiow ei donatur.* ibid. B. *varie ditatur.* 487. C. ſ.
Andrzeiowo villa. V. 519. B.
Angelotus fit Ep. Plocenſis. II. 96. B. *moritur.* II. 107. A.
Anna Gedimini Lithuani filia Poloniæ Regina. IX. 988. 989. A. *moritur.* 1036. A. B.
Anna Ciliæ ducis vxor deſponſatur Wladislao. X. 166. C. *coronatur.* 172. D. *moritur.* XI. 371. A.
Aquarum inundatio. II. 109. C. VII. 734. C. IX. 1156. B.
Arnoldus I. Epiſc. Poſnan. VI. 536. A. *moritur* 556. A.
Arnoldus Epiſc. Culmenſis. X. 178. D.
Arnolphus Imp. a pediculis corroſus. I. 77. C.
Arnulphus Antipapa. IV. 346. A.
Arphat Stephani Hung. Regis filius. V. 485. D.
Arſonium vrbs. I. 43. C.
Aruiſch diſtrictus. X. 44. D.
Aſcanalis vrbs antiqua Poloniæ. I. 43. C.
Athanaſius Ruthenus theſauris Boleslai præfectus. II. 154. C.
Auguſtinus citatur. I. 17. C. 31. B.
Auſtericus abbas montis ferrei. II. 124. A.

B.

Baba mons. I. 34. A.
Baba Mich. XI. 564. D.
Babimoſth opp. IX. 923. A.
Babin villa. IX. 1093. C.
Babnow villa. I. 14. B.
Babrowniki villa. X. 72. D.
Baden (Arnold.) XI. 146. D.
Badkow XI. 306. A.
Badzin ædificauit Caſimirus. XI. 1163. D.
Baianus Bulgarorum Dux Græcos bello vexat. II. 117. D.
Balaban Ruthenorum Dux. XI. 588. D.
Balachow caſtrum. IX. 1161. C.
Baldrzikow mons. VI. 531. B.
Balduinus I. Epiſc. Cracou. IV. 348. A. *moritur.* 387. B.
Balduinus Epiſc. Wladislau. IV. 391. B. *moritur.* 419. B.
Balga a Cruciferis capitur. VI. 665. A.
Baliczky (Andr.) XI. 327 D. *moritur.* 434. D.
Balthaſar Cardinal. XI. 306. D.
Bambergæ ſepelitur Henricus Imp. II. 179. D.
Bandzieſchino villa. X. 177. B.
Bankbanus Gertrudim Hung. Reginam occidit. VI. 614. C.
Banowice villa. I. 15. C.
Baptiſta I. Wratislau. Ep. III. 300. B.
Baptiſta I. Wladislau. Epiſc. IV. 336. C.
Baranow villa. I. 16. A. 18. A.
Baronowe błotho paludes. I. 19. A.
Bardo caſtrum a Bretislao conflagratur. IV. 336. B.
Baricz fl. I. 15. D.
Bariczka Mart. ſuffocatur. IX. 1089. B. C.
Barkowice villa. I. 14. C.
Barnabas anachoreta. II. 142. B. 147. C.
Barnabas comes B. Adalberti. II. 120. D.
Bartha Cantor Wladisl. X. 47. D.
Barta Ruſſiæ regio II. 163. A.
Bartha Epiſc. Wladislav. VI. 594. A. *moritur.* 618. D.
Barthen Lithuaniæ caſtrum. X. 138. C.
Barthena (Diuam de) VII. 812. C.
Bartholdus Morauiæ Dux. VI. 586. B.
Bartholdus Epiſc. Liuoniæ. VI. 600. A.
Baruinus filius naturalis Leſzkonis III. I. 65. D. *accipit Pomeraniam inferiorem.* 66. D.
Barwin Caſſubiæ Dux. VII. 707. C.
Barycz fl. I. 16. A. VI. 615. C.
Baſſa fl. I. 18. A.
Baſzko Cuſtos Poſnan. VII. 751. A.
Bathi Tartarorum Imp. VII. 672. C.

Bauorno opp. I.15.D.
Bdanie lacus. I.24.D.
Beatrix v. Bozena.
Beberſteyn Ianuſſ. IX.924.A.B.
Beberuch (Matthias) XI.248.B.
Beier caſtrum. IX.923.B.
Bela Hungariæ Dux in Poloniam venit. II.186. B. *fortiter contra Pomeranos pugnat & filiam Miecslai accipit.* 186. C. *tertiam Hungariæ partem accipit.* III. 236. C. *in Poloniam redit.* 250. D. *in Hungariam redit.* 256. C. *Andream fratrem vincit.* 257. D. *in Regem coronatur.* 258. A. B. *Hungaros a fide deficientes in ordinem redigit.* 259. C. *caſu ædium opprimitur.* 263.D.
Bela cæcus fit Rex Hungariæ. IV. 432. D. *moritur.* V.457.D.
Bela Stephani Regis filius. V.485.D. *Halicienſem Ducatum occupat.* VI. 554. A. *Poloniam vaſtat.* 559. D. *moritur.* 581. D.
Bela Andreæ fil. fit Rex. VI. 647. A. *moritur.* VII.790.B.
Belderſteyn (Vigand. de) Crucifer. X.17.D. 43.C.
Belinum fl. Bohemiæ. III.219 D.
Belenenſis Comes Procopius. ibid.
Bełkaczow villa. I.16.A.
Bełz fl. I.18.C.
Bełz caſtrum Poloniæ Regi traditur. X.36.C.
Bełzenſis terra Semouito Maſouiæ Duci donatur. X.119.A.
Benedictus anachoreta & martyr. II.124.A.
Benedictus comes B. Adalberti. II.120.D.
Benedictus V. Papa. I.86. C. *ab Ottone I. deponitur.* II.107.B.
Benedictus VI. Papa. II.115. C. *a Curtio ſtrangulatur.* II.117.C.
Benedictus VII. Papa. II. 118. B. *moritur.* 127. D.
Benedictus anachoreta. II. 142. B. *occiditur.* 144. C.
Benedictus VIII. Papa. II. 160. D. *moritur.* 180. D.
Benedictus IX. Papa. II. 190. B. *eiicitur bis.* III. 212. A. *petit denarium Petri ex Polonia.* 219. C.
Benedictus XI. Papa. IX. 104. D. *moritur.* 908. C.
Benedictus XII. Papa. IX. 1031. C. *moritur.* 1065. C.
Benedictus I. Epiſc. Poſnan. II. 190. C. *moritur.* III. 235. B.
Berengarius Italiæ Rex ab Ottone vincitur. II. 101. A. 103. B.
Bereſław erigitur. II. 123. B.
Bereſtow Principatus. II. 145. A.
Bereſtow caſtrum: in eo moritur Wlodimirus. II. 145. B.
Bergfridt caſtrum. VII.772. A.
Bernardus citatur. III. 142. C. 282. D. *regulam Templariorum confeciſſe dicitur.* IV. 346. A.
Bernardus Epiſc. Poſnanienſis. V. 502. C. *moritur.* VI.517.C.
Bernardus Marſchalcus. X.158.C.
Berſty lacus. I.30.D.
Beskid mons. I.11.C.
Beſt villa. V.488.B.
Biała fl. I.11.A.
— *fl. alter.* I.11.C.
— *villa.* I.11.C. V.488.B. VI.531.C.
— *alius fl.* I.12.B. *alius.* I.17.B.
— *lacus.* I.27.D.
Biale iezioro vrbs. I. 49. B.
Białekozy villa. VII. 832. D.
Bialogrod Pomeraniæ vrbs a Boleslao capitur. IV. 361. C.D.
Białouica Koſacorum vrbs. II. 96. C.
Bichawa domus. XI. 341. C.
Bidgoſtia Conradus Maſouiæ Dux potitur. VI. 664. C. *Boleslaus Stetinenſis accipit.* IX. 1161. C. X. 37. A. C. D. *Poloni capiunt.* X.199. B. C.
Biechow opp. VII. 711. D.
Biecz opp. I.12. A. X.167. A. XI. 334. C.
Biedrza fl. I. 13. A.
Bieganino villa. X. 177. B.
Bielawsky (Nic.) XI. 294. B.
Biel Henr. X. 72. B.
Bielsko opp. I.13. A. 18. D. *villa.* I. 26. C. *lacus.* ibid. XI. 334. C.
Bieniaſſium XI.285.B.
Bieniewicze villa. X. 185. B.
Bieniowicz (Withek) VII. 693. B. C.
Bienyſchin (Lamp. de) XI. 447. C.
Biernatowicze villa. VII. 737. B.
Bieskrzyc lacus. I.13. B.
Bieszkid mons. I.17. D.
Bieszkow villa. I.14. A.
Bieſzczad mons. I.35. C.
Bieſzcze lacus. I.26. C.
Bieznik villa. VI. 618. A.
Bilimin (Nic.) XI. 341. A.
Bipennium domus. VII. 687. A. 795. D. IX. 1078. B. 1093. C. 1123. A. X. 87. D. 166. C. 172. B. 175. D. 176. B. 190. D. XI. 237. B. 291. D. 294. A. 434. D.
Biſchoffwerder oppidum capitur. XI. 355. C.
Biſkupicze villa. X. 72. D.
Biſſouienſe monaſt. VII. 850. B.
Biſtranowsky (Pakoſz.) XI. 285. B.
Bithow caſtrum. XI. 276. D.
Bitom opp. I.26. B. *a Polonis capitur.* IV. 357. D.
Blanilno lacus. I. 25. A.
Bleſzno (Henr. de) X. 72. B.
Blinow villa. I. 12. A.
Bliſzmi opp. XI. 220. B.
Bliſzyn villa. I. 14. C.
Blonica villa. V. 488. B.
Błonie villa. V. 488. A. *monaſt. ibi exſtruitur.* VII. 870. D.
Błothnia fl. I. 19. A.
Błozwa fl. I. 18. B.

Błozwie villa. I. 18. B.
Blut Palatinus Kiouienſis. II. 103. C.
Bnin caſtrum. VII. 711. D.
Bobel vrbs. I. 67. C.
Boboltcze villa. X. 72. C.
Bobowa (Nic.) XI. 243. A.
Bobr fl. I. 15. C. 20. A.
Bobrka opp. XI. 334. C.
Bobrowniki villa. X. 72. D. 197. D.
Bochnia villa. VII. 719. A. XI. 334. C.
Boczkowo. X. 177. B.
Bodzanta de Iannowo Epiſc. Cracov. IX. 1087. A. *moritur.* 1151. B.
Bodzanta de Scheligi Archiep. Gneſn. X. 58. C. *moritur.* 124. A.
Bodzanzin opp. X. 48. A. XI. 220. A. B.
Bogdalus filius naturalis Leſzkonis. III. I. 65. D. *accipit Pomeraniam inferiorem.* 66. D.
Bogoria domus. IX. 1061. A. 1144. D. XI. 341. B.
Bogoria (Nic.) X. 78. B. 97. C.
Bogudza (Io.) IX. 1161. D.
Bogumilowicze (Mich. de) X. 178. D. XI. 342. A.
Bogumilowicze (Paul. de) XI. 342. B.
Bogumilowicze (Io. de) ib.
Bogunow donatur monaſt. Lubenſi. III. 229. A.
Boguphalus I. Epiſc. Poſnan. V. 479. C. *moritur.* 484. B.
Boguphalus II. Epiſc. Poſn. VII. 692. C. *moritur.* 732 C.
Boguphalus III. Epiſc. Poſn. VII. 737. B. *moritur.* 773. D.
Boguphalus Præpoſitus Wratiſl. VII. 743. C.
Boguslaus Pomeraniæ Præfectus. VI. 538. C.
Boguslaus Ord. Minor. VII. 784. D.
Boguslaus Ord. Prædic. VII. 714. B.
Boguslaus Dux Stetinenſis. IX. 1069. D. 1161. B.
Boguslaus Canonic. Gneſn. X. 57. C.
Boguſſius Iudex Pomeraniæ. IX. 920. C. 925. A.
Boguſzyno villa donatur monaſt. Mogilnenſi. III. 258. D.
Boh fl. I 20. A.
Bohemiæ nomen vnde. I. 7. C. *magnitudo.* ibid. *à Boleſlao Chobri Polonorum Rege ſubiugatur.* II. 139. A. *ab Henrico Imp. vaſtatur.* III. 219. A. *à Boleſlao Duce vaſtatur.* IV. 400. C.
Bokui ſilua. III. 258. A.
Bolechowice villa. I. 26. A.
Boleslaus Bohemiæ Dux fratrem necat. I. 90. A. *Miecslai Regis gener fit.* II. 97. C.
Boleslaus Bohem. Dux huius filius. ib. *fundat cathedram Pragenſem.* II. 102. A. B. *moritur* 123. B.
Boleslaus Chobri Miecslai Regis filius naſcitur. II. 97. B. *Iuditham vxorem ducit.* 107. D. *fit Dux Poloniæ.* 124. B. *eius laudes.* 124. C. *corpus Adalberti a Pruthenis redimit.* 125. C. *ab Ottone III. Imp. in Regem Poloniæ creatur.* 131. C. *Bohemos ſubiugat.* 135. C. ſ. 139. A. *Morauiam ſibi ſubiicit.* 141. A. *Iaroslaum vincit.* 152. C. 157. C. 168. A. *Kiouiam capit.* 153. A. *Ruſſiam diripit.* 154. B. *monaſt. S. Benedicti fundat.* 158. C. *Saxoniam peruadit.* 160. A. B. *ſeptentrionales prouincias regno ſubiicit.* 161. A. *Pruſſos ſibi tributarios facit.* 163. B. *iuſtitiam obſeruat.* 163. D. *& miſericordiam.* 164. C. *Eccleſias ditat.* 169. D. *fines regni munit.* 170. B. *diſſidia religionis ſoluit.* 171. B. *moritur.* 177. D. *eius laudes.* 173. A. 174. D. 179. A.
Boleslaus filius naturalis Leſzkonis III. I. 65. D. *Pomeraniam inferiorem accipit.* 66. D.
Boleslaus III. Boh. Dux a Miecslao confirmatur in ſede ſua. II. 123. B. C. *Polonis bellum infert.* 135. C. 136. B. C. *a Boleslao Poloniæ Rege excæcatur.* 140. C. *moritur.* 193. A.
Boleslaus Caſimiri Regis filius naſcitur. III. 223. B. *fit Rex.* 247. A. D. *Morauiam vaſtat.* 253 B. *Pruthenos vincit.* 256. A. *Belam in Regem Hungariæ conſtituit.* 256. B. ſ. *monaſterium in Mogilno fundat & dotat.* 258. B. ſ. *Wiſſeslauam Ruſſiæ Duciſſam vxorem ducit.* 270 C. *eius liberalitas.* 261. 262. *Premisliam capit.* 267. D. *Geiſam cum fratribus in Hungariam reſtituit.* 270. D. *Expeditionem ſuſcipit in Ruſſiam.* 271. D. ſ. 278. C. *Wſzewoldum vincit.* 274. D. *a Stanislao adulterij cauſſa monetur.* 275. A. *Kiouiam capit.* 279. C. *in libidines prolabitur.* 280. B. *& Stanislaum ſe admonentem.* 284. D. *& excommunicantem.* 287. C. 289. 290. A. *interficit.* 291. C. *poſtea in Hungariam fugit.* 297. C. D. *moritur.* 298. B.
Boleslaus Krzywouſti Wladislai Ducis filius naſcitur. IV 308. B. *nouennis cum exercitu in Morauiam mittitur.* 325. B. C. *Pomeraniæ caſtrum Miedzyrzecz capit.* IV. 330. D. ſ. *eius heroica indoles.* 331. B. *Pomeranos vincit.* 343. B. 345. B. 375. A. *baltheo militari cingitur.* 345. C. *Ruthenos vincit.* 347. A. *eius laus.* 349. C. D. *Zbislauam vxorem ducit.* 350. B. D. *Pomeraniam inuadit.* 355. C. *cum paucis militibus adv. eos pugnat.* 358. A. B. *vix euadit.* ibid. D. *Albam Pomer. vrbem capit.* 361. C. *Kozle caſtrum reſtaurat.* 363. B. *Czarnkow capit.* 370. B. *fœdus cum Colomano Hung. Rege facit.* 372. A. *Bohemiam vaſtat.* 373. A. *Sbigneum fratrem capit.* 372 B. *& exilio mulctat.* 376. C. *Henricum Imp. vexat.* 378. B. *Bohemos vincit.* 390. D. 403. D. *Pomeranos vincit.* 398. B. *Bohemiam vaſtat.* 400. C. 436. A. *Pruſſiam vaſtat.* 406. A. *Pomeranos & Pruthenos vincit.* 412. B. *Suantopelkonem ſubiugat.* 413. D. *Nakiel & Wiſſegrad capit.* 414. B. C. *in Daniam cum claſſe proficiſcitur.* 422. C. *Wolodorum vincit, & Ruſſiam vaſtat.* 424. D. *Cracouienſem Eccleſiam ædificat.* 425. A. *in Galliam ad monaſt. S. Ægidij.* 429. B. ſ. *in Hungariam ad corpus S. Stephani proficiſcitur.* 431. B. *Morauiam vaſtat.*

ſtat. 435. B. a Ruſſis in prælio circumuenitur. 444. D. moritur. 450. D. Niſſam vrbem fundat. I. 42. C.
Boleslaus Criſpus naſcitur. IV. 427. A. accipit Maſouiam. V. 454. B. fit Monarcha Poloniæ. 474. C. ducit Anaſtaſiam Ruſſiæ Duciſſam. 484. B. C. poſtea Helenam Przemislienſem. 499. C. moritur. 521. A.
Boleslaus Pomerniæ Dux moritur. VI. 525. C.
Boleslaus Caſimiri filius moritur. VI. 550. A.
Boleslaus Criſpi filius naſcitur. V. 491. A. moritur. 520. D.
Boleslaus Pudicus Leſzkonis Albi filius naſcitur. VI. 627. A. 634. C. capitur. 650. A. terris ſuis reſtituitur, 652. B. Cunigundim ducit. VI. 663. A. Boleslaum Maſouiæ Ducem vincit. VII. 694. B. C. vincitur. 704. B. Iaczwingos vincit & conuertit. VII. 771. A. Ruthenos vincit. 777. A. eius vitia enumerantur. 801. A. moritur. 817. A.
Boleslaus Maſouiæ Caſtellanus. V. 516. C. Vernerum Plocenſem Ep. interficit. 517. D. ad ignem condemnatur. 518. C.
Boleslaus Miecslai filius naſcitur. V. 499. A. B. moritur in prælio. VI. 572. D.
Boleslaus Maſoniæ Dux Gertrudim ducit. VI. 659. A.
Boleslaus Suidnicenſis Dux. IX. 899. D.
Boleslaus Dux Teſchnenſis. XI. 495. B.
Boleslaus altus Gigantem duello perimit. V. 500 B. ſ. accipit terram Wratislav. & Kroſnenſem. 504. C. moritur. VI. 585. D.
Boleslaus huius filius. VI. 586. A.
Boleslaus caluus Wratislauiam accipit. VII. 699 C. accipit Legniczam. ibid. turbas agit. 707 C. 709. B. C. 712. B. C. 716. B. C. Henr. Legnicenſem capit. 809. C. moritur. 813. C. D.
Boleslaus Pius Caliſſienſis. VII. 707. A. moritur. 816. B.
Boleslaus Opolienſis Cracouiam capit. IX. 951. B. moritur. 955. A.
Boleslaus Ruſſiæ gubernator. IX. 1057. D. interficitur. 1058. A.
Boleslaus Maſouiæ & Plocenſis Dux. IX. 1094. B.
Boleslaus Oppolienſis moritur. X. 70. B.
Boleslawicz caſtrum ædificat Caſimirus. IX. 1163. D.
Bolimyn (Georg.) XI. 373. D.
Bolmo villa donatur monaſt. Mogilnenſi. IV. 258. D.
Bomno villa X. 177. B.
Boniak Polowconum Dux. IV. 329. B.
Bonifacius Papa Rom. Eccl. ſpoliat, & melancholia extinguitur. II. 118. A.
Bonifacius VIII. Papa. VII. 871. B. moritur. IX. 904. C.
Bonifacius IX. Papa. X. 119. C. moritur. 174. A.
Bonus campus. VII. 678. B.
Borchoczicze (Andr. de) XI. 272. A.
Boris Wlodimiri Ruſſiæ Ducis filius. II. 104. B. Roſtow accipit. 145. A. contra fratres pugnat. 145. B. & interficitur. D.
Borys Ruſſiæ Dux varias turbas agit. III. 283. C. interficitur. 384. A.
Boris Lithuaniæ Dux. X. 61. C.
Borkowicz (Matth.) IX. 1115. D.
Borona villa. X. 185. B.
Borowa villa. V. 488. A.
Borſzak Bohemiæ Baro. IV. 373. D.
Borzacin villa. I. 12. A.
Borzanice villa. I. 17. A.
Borzislaus Archiep. Gneſn. IX. 909. B. moritur. 918. D.
Borzychowo lacus. I. 27. C.
Borzymowski lacus. I. 27 B.
Borzywoi Bohemiæ Dux. I. 90. A.
Borzywoy Bohemiæ Dux. IV. 346. A. Vdalricum fratrem vincit. 347. C. eiicitur. 357. B. in Poloniam fugit. 359. C. 369. B. poſt ad Henricum Imp. 369. C. cuius ope reſtituitur. ibid. D. partem Bohemiæ accipit. 410 B. C. moritur. 416. B.
Boriſthenes fl. I. 10. D.
Borowa villa. XI. 451. C.
Borowyecz (Nic.) XI. 294. C.
Boryſzow opp. I. 20. A. fl. 20. B.
Boſutta Archiep. Gneſnenſis. II. 183. A. moritur II. 200. C.
Boynar (Nic.) XI. 341. B.
Bozei Bohemiæ Baro. IV. 347. D. occiditur. 373. D.
Bozei Sancz vrbs Bohem. ib.
Bozena ruſtica fœmina Vdalrici Bohemiæ Ducis concubina. II. 182. B.
Boznanowice villæ. VI. 653. B.
Brunsko caſtrum. X. 189. C.
Brathian caſtrum. XI. 276. D.
Brda fl. Pomer. I. 14 D.
Brdow lacus. I. 26. D.
Breinow villa. VI. 592. D.
Brema olim ad Poloniam numerata. I. 45. C. 66. B. 67. A.
Brennica villa. I. 12. B.
Brenno opp. I. 25 B.
Bretislaus Ruſſiæ Dux a Iaroslao vincitur. II. 159. C. D.
Bretislaus Bohemiæ Dux contra Miecslaum rebellat. II. 182. B. C. Morauiam Polonis eripit. 183. A. B. fit Dux. 193. A. Poloniam vaſtat. 195. A. ſ. apud P. R. accuſatur. III. 201. A. ſe Henrico III. Imp. dedit. 222. B. moritur. 243. B.
Bretislaus Wratislai Bohemiæ Ducis filius. III. 254. D. alius eiusdem nominis. 255. A. vnus ex his fit Rex Bohemiæ. IV. 424. A. Poloniam vaſtat. ibid. D. Kaminiec monaſt. Sleſiæ fundat. 336. C. Boleslao Polon. Duci donat. 343. C. occiditur. 345. D.
Brinski (Andreas) Epiſc. Poſnan. XII. 710. B.
Brnew villa. I. 12. B.
Brochoczice (Andreas de) XI. 240. C. 294. C. 299. C. Prathenos vincit. 462. A. ſ.

Brodnicza vrbs XI.288.D.355.D.
Bronislaus Cancell. Gneſn. X.57.C.
Brudzewo (Iarand. de) XI.242.A.
Bruinowo villa. X.185.B.
Brunhayn (Barth. de) VII.861.D.
Brunna vrbs Bohem. I.8.A.
Bruno Carthuſienſium fundator. III.282.D.
Bruno Fuldenſis Epiſc. III.241.C.
Brunsberg exſtruitur. VII.740.A.
Brunſuicenſe monaſt. S. Petri ædificat Rikſcha Regina Poloniæ. III.214.B.
Brunſwik (Luther. de) Magiſter Pruſſiæ. IX.1007. C. *moritur.* 1036.A.
Brunthal opp. I.15.C.
Bruſna Hungariæ Baro occiditur. III.233.D.
Bruznik villa. VI.618.A.
Brzeg vrbs. I.42.C.
Brzem villa. V.488.A.
Brzeſczie vrbs à Caſimiro capitur. VI.546.C.D. *à Cruciferis.* IX.1010.B. XI.287.D. 288.D.
Breſtenſis terra Poloniæ Regno adiungitur. IX.1088.A.
Brzeſczie (Przedb. de) X.33.D.
Brzeſnia fl. I.19.B.D.
Brzeſzna villa. V.488.A.
Brzewa caſtrum. I.20.A.
Brzezie (Sbign. de) X.189.B. XI.342.B.242.B.276.C.415.B.
Brzezie (Luther. de) XI.530.B.C.
Brzeznica fl. I.13.C.20.A.
Brzeznica villa. V.455.B.487.D. VI.662.A. *caſtrum.* IX.1163.D.
Brzna fl. I.30.A.
Brzozogłowy (Ianuſſ.) XI.218.C.223.B.248 C.288.B.295.A.B.308.B.
Brzozow opp. I.11.C. VI.618.A.
Brzymice lacus. I.31.D.
Buczacz (Theod. Mich. & Mirz. de) XI.563.B.
Buczyna villa. VI.531.B.
Buda Baro Hungariæ. III.222.D. *lapidibus obruitur.* 223.B.
Buda alius occiditur. III.233.D.
Budoricum vrbs antiqua Poloniæ. I.43.C.
Budy Boleslaum Poloniæ Regem maledictis adficit. II.152.A.B.
Bug fl. I.10.C. *qui in eum fluuij labantur.* I.18.C. *eius teloneum donatur monaſterio Mogilnenſi.* III.258.C.
Buguſius de Zemlice. III.269.B.
Buham Rex al. Presbyter Iohannes. VI.557.B.
Bukowiany villa. I.14.A.
Bukowiec al. Lubeca. I.3.D.45.C.66.B.67.A. II.185.C.
Bulgari à Swatislao Ruſſiæ Duce ſubiugati. II.100.D.
Buniak Polowconum Dux. IV.370.C.
Bura Pieczeniegorum Dux Swantoslam vincit. II.101.C.
Burik Dux Ruſſiæ. III.289.B.
Busko opp. I.18.D.
Buskow villa. V.488.B. VII.674.D.
Busko monaſt. XI.369.A.
Buthaw Lithuaniæ Dux. IX.1144.D. X.61.C.
Buthrim Lithuanus. XI.211.A.
Byala domus. XI.341.C.
Byczyna opp. I.16.C. *eo transfertur Epiſcop. Smogorzovienſis.* II.95.C. III.239.D.
Byecenſis diſtrictus aufertur Epiſc. Cracov. IX.953.A.
Byenino. X.177.B.
Byſtrzyca fl. I.12.A.
Bythen (Schinckel de) VII.763.B.
Bzdow villa. I.14.A.
Bzrzenica fl. I.11.C.
Bzura fl. I.14.C.42.C. XI.220.D.

C.

Caballorum domus XI.289.A.
Calen villa. X.185.B.
Calinowa (Mart. de) XI.591.A.
Caliſch. v. lit. K.
Calixtus II. Papa. IV.416.B. *moritur.* 426.A.
Calvaria mons, eius prolixa deſcriptio. I.32.A.ſ. II.148.D.
Calvi montis monaſterium fundatur. II.149.C. *ditatur.* 171.D. *vaſtatur.* VII.760.D.
Camenecenſis Epiſc. a denario Petri exemtus. III.230.C.
Camencz (Henr. de) XI.244.D.
Caminenſes ſe Boleslao Duci dedunt. IV.362.B.
Camyeniecz Wladislao Regi donatur. X.182.B.
Candulus Epiſc. Parmenſis. III.253.D.
Carnaczian (Petr.) X.182.C.
Carolus M. Leſzkonem II. Poloniæ R. interfeciſſe dicitur. I.65.A.B.
Carolus Hungariæ Rex. IX.975.A. *à Walachis vincitur.* 1006.C. *moritur.* 1063.B.
Carolus Bohemiæ Rex. IX.1077.A.
Carpetes mons. I.31.B.
Carthuſienſis ordo fundatur. III.282.D.
Caſimierza minor, ibi fundatur Eccleſia Parochialis. III.269 B.
Caſimiria pars Cracouiæ. I.39.B. *Eccleſiam ibi ædificat Petrus Danus.* V.465.C. *Academia fundatur.* IX.1129.B.1163.D.
Caſimirus naturalis filius Leſzkonis III. I.65.D. *Caſſubiam accipit.* 66.D.
Caſimirus I. Rex Pol. naſcitur. II.164.C. *in litteris eruditur.* 181.182.A. *cum matre ex Polonia eiicitur.* 192.A. *Pariſiis ſtudet.* ib. C. *Cluniacenſe monaſterium ingreditur.* 200.A. *ibi fit Diaconus.* III.207.A.208.A *à Polonis reuocatur.* 207.C. *à Pontif. R. dimittitur.* 211.B. *Cluniacenſi monaſterio valedicit.* 213.B. *in Poloniam venit.* 215.C. *coronatur.* 216.C. *Dobrognieuam coniugem aſſumit.* 218.A. *Maslaum Maſouiæ tyrannum vincit.* 221.B.225.C. *duo monaſteria fundat.* 228.229.A. *denarium Petri ſoluit.* 229.C.D. *moritur.* 247.A. *eius laudes.* 246.B.

Caſi-

Caſimirus Wratiſlai Bohemiæ Ducis filius. III. 255. A.
Caſimirus Boleslai Krywouſti filius naſcitur. IV. 418. A. *moritur.* 432. C.
Caſimirus alter eiusdem filius naſcitur. IV. 448 D. *Sandomirienſem prouinciam accipit.* V. 513. A. *Helenam Ruſſiæ Duciſſam ducit.* ib.B. *Sulcionenſe monaſt. fundat.* VI. 531. A. *fit Monarcha Poloniæ.* 535. D. *prouincias quasdam recuperat.* 539. A. B. *Remp. reſtituit.* 540. D. ſ. *Brzeſcie capit.* 546. C. D. *Ruthenos vincit.* 547. D. *Hungariam vaſtat.* 559 D. *moritur.* 567. C.
Caſimirus Dux Ratibor. & Opolienſis. VI. 612. A. *ſe Bohemiæ Regi ſubiicit.* VII 852. C.
Caſimirus Cuiauiæ Dux Pomeraniam vaſtat. VII. 702. C. D. *moritur.* 785. A.
Caſimirus Lancitienſis. VII. 870. B.
Caſimirus Wladislai Loktek fil. naſcitur. IX. 934 B. *maiori Poloniæ præficitur.* 1008. D. *fit Rex.* 1029. C. *Ruſſiam ſibi ſubiicit.* 1058. B. *Ioannem Bohem. Regem vincit.* 1074. C. *leges dat Polonis.* 1080. ſ. *moritur.* 1162. A. *eius exequiæ.* X. 8. C. ſ.
Caſimirus Caſſubitarum & Dobrzin. Dux. X. 36. D.
Caſimirus Wladislai I. filius naſcitur. XI. 493. D. *moritur.* 497. C.
Caſimirus eiusdem filius naſcitur. XI. 409. C. *in Bohemiæ Regem eligitur.* XII. 700. C. *fit magnus Dux Lithuaniæ.* 751. C.
Caſſubia ad Regnum Poloniæ peruenit. X. 37. A.
Caſſubitæ a Polonis deficiunt. II. 185. A.
Ceres Dea Polonorum. I. 37. B.
Cereuiſia Polonorum. I. 8. C. 42. 43. A.
Cerlenino villa. V. 519. A.
Chaczini caſtrum. X. 205. D.
Charbinowicze (Włodko de) X. 109. B.
Charbinowski (Petr.) X. 182. C.
Charbynowicze (Staniſl. de) XI. 240. C. 289. A.
Charbzono villa. I. 27. B.
Charkzyowny lacus. I. 15. A. 28. B.
Chaſupa Polowconum Dux in prælio occidit. IV. 352. C.
Checiny mons. I. 34. A.
Chelm (Hanek de) XI 239. A.
Chelm lacus. I. 34. C. *mons* I. 35. A.
Chelm noua vrbs. I. 40. C. 41. C. *ibi Eccleſiam ædificat Petrus Danus.* V. 465. C.
Chelmno villa. I. 14. D.
Chelmenſis terra vaſtatur. IX. 1024. B. *Cruciferis traditur.* 1066. D. *Regno Poloniæ incorporatur.* 1088. A.
Chelmsky (Petr.) XI. 286. D.
Chelmza opp. I. 29. D. 40. C. *ibi Eccleſiam ædificat Petrus Danus.* V. 465. C.
Chemna villa. VI. 531. C.
Chenna villa. ib.
Chleb Włodimiri Ruſſiæ Ducis filius. II. 104. B.
Chleb Suantoslai filius accipit Nouogrodek. III. 271. C. *occiditur.* 280. A.
Chleb Suantoslawic. VI. 570. A.
Chleb Iurgieniec Turouienſis Dux. ib.
Chlewiska, ibi Eccleſiam ædificauit Petrus Danus. V. 465. C.
Chmielik villa. VI. 672. D.
Chmielik (Seteg. de) X. 137. A.
Chmielowa villa. I. 18. B.
Chodel fl. I. 12. B.
Chodnino villa. VI. 615. C.
Chodow villa. X. 55. D.
Chodza fl. I. 14. B.
Chodzcza (Sandek de) VII. 693. C.
Choinicza opp. I. 27. C. *obſidetur.* XI. 629. B.
Choiwicze villa. I. 19. C. VI. 628. A.
Chorzawa villa. V. 455. B.
Chotel (Barth. de) X. 40. C.
Chotel (Peregr. de) X. 52. A.
Chmpkowice opp. I. 15. B.
Chmſtowski (Nic.) Epiſc. Premisl. XII. 680 A.
Chriſtburg caſtrum exſtruitur. VII. 708. C. *à Pruthenis capitur.* 825. A.
Chriſtianam religionem accipiunt Poloni. II. 94. A.
Chriſtina Mſciſlai militis vxor à Boleslao Rege rapta. III. 275.
Chriſtina Henrici V. Imp. filia Wladislao Duci nubit. IV. 388. D. 417. B. *Polonos ſpernit.* ibid. C.
Chriſtinus comes B. Adalberti. II. 120. D.
Chriſtinus anachoreta. II. 142. B. *occiditur.* 144. C.
Chriſtinus Palatinus Plocenſis. VI. 597. D. *excæcatur, & interficitur.* 621. A.
Chriſtinus Epiſc. Culmenſis. VI. 625. C. *moritur.* VII 703 D.
Chriſtmemel ædificatur. IX. 953. C.
Chroberz (Drog. de) X. 36. A.
Chroberz (Nic. de) X. 87. D.
Chrobrzani villa. IX. 1159. D.
Chropi Comitatus Canonicis Craconienſibus donatur. IV. 308 D.
Chroſze XI. 344. A.
Chrubieſchow XI. 347 D.
Chrzanow villa. I. 12. A. *donatur monaſterio Mogilnenſi.* III. 258. D.
Chrzaſtowky (Nic.) XI. 294. B.
Chwoſtek vocatur à ſubditis Pompilius. II. 70. A.
Ciazin villa. X. 56. C.
Cibina fl. IV. 400. D.
Ciechanow opp. I. 12. D. *eius teloneum donatur monaſt. Mogilnenſi.* III. 258. C.
Cierpielow ſilua. I. 14. A.
Cietrzew fl. I. 19. D.
Ciphorum domus XI. 240. D.
Ciſtercienſis ordo fundatur. IV. 330. B. C.
Claræ tumbæ monaſt. IX. 972. A 1090 B.
Claudianus citatur. XI. 240. A.
Clauus Chriſti Wladislao donatur. XI. 486. A.
Clemens I. Epiſc. Wratisl. II. 148. A. *moritur.* 183. A.
Clemens II. Papa. III. 212. B. *moritur.* 232. A.
Clemens III. Papa. III. 286. A. ſ.

Clemens de domo Griphonum monaſt. Andrzeiouienſe fundat. V.455. A.
Clemens IV. Papa. VI.559. C. *moritur.* 564. A.
Clemens Caſtellanus Cracov. VII. 672. D.
Clemens Palatinus Glogov. VII. 680. A.
Clemens V. Papa. VII. 776. A. *moritur.* 785 D.
Clemens VI. Papa. IX. 909. A. *moritur.* 956. B.
Clemens Epiſc. Plocenſis. IX. 1030. A. *moritur.* 1112. B.
Clemens VII. Papa. IX. 1066. A. *moritur.* 1096. D.
Clemens VIII. Papa. X. 31. D. *moritur.* 134. A.
Clement Pruſſiæ caſtrum. VII. 825. A.
Cleparz monaſt. Slauonicum. X. 127. A.
Clericorum vitia perſtringuntur. III. 242. A. B.
Clomea villa. VII. 755. C.
Cluniacenſe monaſterium ingreditur Caſimirus. II. 200. A. *ex Cluniaco monachi euocantur in Poloniam.* III. 228. A. B.
Cæleſtinus II. Papa. V. 466. A. *moritur.* 472. C.
Cæleſtinus III. Papa. VI. 564. B. *moritur.* 579. B.
Cæleſtinus IV. Papa. VI. 668. A.
Cæleſtinus V. Papa. VII. 871. A.
Colo caſtrum. IX. 1163. D.
Colomannus Hungariæ Dux, IV. 328. D. *fit Rex.* 331. D. *fœdus pangit cum* Boleslao *Duce* 372. A. *Morauiam vaſtat.* 374. A. *moritur.* 404. B.
Colomannus huius filius. IV. 419. C.
Colomannus Rex Halicienſis. VI. 604. C. *eiicitur.* 605. A. *capitur.* 608. C. *Ducatum Halicienſem recuperat.* 623. D. *iterum eiicitur.* 626. A. *& recuperat.* 628. C. *moritur.* 633. A.
Colthini XI. 344. A.
Colver (*Conr.*) *Magiſter Pruſſiæ.* X. 71. B.
Comeſcha villa. VI. 592. D.
Cometa. II. 127. C. D. III. 260. A. VI. 611. D. VII. 773. A. IX. 900. B. 958. A. X. 41. B. 169. C. 175. C. XI. 640. B. XII. 717. B.
Concilium Conſtantienſe. XI. 358. B.
Conin vrbs. IX. 1163. D. *vide ſub K.*
Conradowicz (*Conr.*) VII. 680. A. D.
Conradus fit Imp. II. 180. C. *moritur.* III. 212. C.
Conradus Bretislai Bohemiæ *Ducis filius.* III. 243. C. *accipit partem Morauiæ.* 251. C. *fit* Bohemiæ *Dux & breui moritur.* IV. 324. A.
Conradus Morauiæ Dux eiecto Borzywoy *Bohemiæ Ducatum occupat.* IV. 357. A.
Conradus Sueuus Imp. eligitur. IV. 428. B. 449. A. *expeditionem in terram S. ſuſcipit.* V. 478. B. *moritur.* 486. B.
Conradus Morauiæ Marchio eiecto Wladislao Bohemiæ *Ducatum occupat.* V. 460. A. *iterum eiecto Friderico.* VI. 541. B. *moritur.* VI. 564. B.
Conradus Loripes Dux Glogouienſis. V. 504. C. *moritur.* 505. A.
Conradus Caſimiri filius Maſouiam accipit. VI. 569. D. *adminiſtrat Regnum Poloniæ.* 640. C.
Conradus Boleslai *Alti filius.* VI. 586. A.
Conradus Criſpus Dux Glogov. VI. 615. D. *moritur.* 616. C.
Conradus de Landsberg Crucifer. VI. 646. A.
Conradus Maſouiæ Dux maiorem Poloniam occupat. VII. 687. A. *à* Boleslao *Pudico vincitur.* 694. B. C. *Poloniam vaſtat.* 697. B. *Boleslaum Pudicum vincit.* 704. B. *moritur.* 708. A.
Conradus Wratislav. Dux. VII. 619. C.
Conradus Maſouiæ Dux Monarchiam Poloniæ accipit. VII. 837. C. *moritur* 870. D.
Conradus Stinauienſis Dux. IX. 903. D.
Conradus Oleſchnicenſis Dux. XI. 386. C.
Conſtantienſe concilium indicitur. XI. 335. C.
Conſtantinus Ruſſiæ Dux. VI. 611. C. D.
Coributh Lithuaniæ Dux. X. 61. C. XI. 244. B. 318. A. 355. C. *in* Bohemiam *mittitur.* 452. B.
Corigal Lithuaniæ Dux. X. 61. C. *decollatur.* 128. B.
Coroczora ciuitas. VI. 557. B.
Coronow oppidum XI. 288. C. 290. A.
Coryathus Lithuaniæ Dux. X. 60. C.
Coſmas Pragenſis Epiſc. IV. 317. C.
Coſmin caſtrum. I. 19. D. *ſe* Boleslao *dedit.* IV. 362. B.
Coſten caſtrum. IX. 1164. A.
Cracouiæ deſcriptio. I. 39. A. *a Gracho ædificata.* I. 51. 52. A. *ſ. ibi fundatur metropolis.* II. 95. B. *incendio abſumitur.* 180. C. *amittit ius metropoliticum* III. 251. B. *incendium ibi.* IV. 423. D. IX. 917. A. XII. 716. D. *Eccleſiam eius ditat Boleslaus Dux.* IV. 425. A. *Eccleſiam S. Andreæ ædificat Petrus Danus* V. 465. C. *Eccleſia de cœlo tangitur.* VI. 612. C. 633. B. *monaſt. Dominicanorum exſtruitur.* 627. B. C. *Hoſpitale fundatur.* 628. C. D. *Eccleſia incendio conſumitur.* 643. C. *a Tartaris vaſtatur.* VII. 674. B. 758. D. *monaſt. S. Marci fundatur.* 750. B. *Eccleſia ædificatur.* IX. 972. C. *Eccleſia Corporis Chriſti erigitur.* 1083. D. *ius Teutonicum eo transfertur.* 1105. A. *duas Eccleſias Collegiatas fundat Caſimirus.* 1164. A. *caſtrum munitur.* X. 139. C. *Academia amplificatur.* 167. D.
Crawar (*Lacek de*) XI. 352. D.
Creſcentius Fabricius pater Bonifacii *VII. P. R.* II. 128. A. *Ioannem XVI. P. R. intrudit.* 128. B. *eius tyrannis a Ottone III. domatur.* 136. D.
Creſpimirus filius naturalis Leſzkonis III. I. 65. D. *accipit Holſatiam.* 66. D.
Creſzacha miles. VI. 615. C.
Croatiæ Regnum Hungarico vnitur. IV. 331. C.
Crobia, ibi Eccleſiam S. Ægidii ædificat Petrus Danus. V. 465. D.
Cronis fl. I. 21. B.
Cruciferorum Ordo inſtituitur. VI. 600. A. *in Poloniam vocantur.* 601. B. 644. A. *eorum ſcelera enarrantur.* IX. 945. B. ſ.

Cur-

Crucis particula vbi ſeruetur. I. 32. B. C. II. 149. B. C.
Crudzewo villa. I. 19. A.
Cruſuicia ædificatur a Pompilio I. 68. B. *ibi quoque ſedes regia. ibid. ibi Popiel II. a muribus corroſus.* I. 76. B. ſ. *ibi Epiſcopatus fundatur.* III. 95. C.
Crzeslaus Brzeſtenſis X. 168. B.
Cudnow opp. I, 19. D.
Cuiauia a Cruciferis vaſtatur. IX. 1022. C. 1023. C.
Culmenſis Epiſcopatus fundatur. II. 95. C. *Eccleſia Ord. Crucif. traditur.* II. 772. A. *Archiep. Rigenſi ſubiicitur.* VIII. 884. D.
Culwa (Wloczko.) XI. 341. B.
Cunegundis Boleslao Pudico nubit. VI. 662. D.
Cunni populi. III. 299. A. B.
Curuntius fl. I. 19. A.
Cuta Dux Tranſyluanus. II. 100. A.
Cwikla Stanisl. XI. 590. D.
Cygnorum domus. XI. 240. D. 590. D.
Cyprianus Epiſc. Wratiſlau. VI. 585. D. *moritur.* 603. D.
Cyſſa fl. Hung. III. 257. C.
Cyzow villa. I. 12. B.
Czacow villa. V. 488. A.
Czacz caſtrum. IX. 1116. C.
Czantrin caſtrum. VII. 821. D.
Czapla (Ioh.) Cancellarius Maſouiæ. VI. 620. D. 621. A. *necatur.* 663. D.
Czaple villa. X. 51. B.
Czarna fl. VII. 671. C. I. 13. D.
Czarne lacus. I. 29. C. 26. A.
Czarnkow I. 17. C. VII. 711. D. *a Boleslao Duce capitur, ſed Domino ſuo reſtituitur.* IV, 370. B.
Czarnkow (Io. de) X. 46. B. 57. C. D.
Czarnobole caſtrum. I. 19. C.
Czarnowacz monaſt. I. 15. B.
Czarnowo villa. X. 185. B.
Czartoria lacus. I. 24. C.
Czartyrn Pruſſiæ caſtrum. VII. 825. A.
Czaſtochowa monaſt. fundatur. X. 72. C. 139. A.
Czayka (Sbign.) XI. 251. A.
Czebrowsky (Petr.) XI. 285. B. 327. D.
Czebulka (Nic.) XI. 211. A. 424. B. 530. B. C.
Czech venit in Bohemiam. I. 6. D. ſ.
Czechocin. XI. 287. B.
Czechow opp. II. 124. A. VI. 618. A. IX. 1088. D. 1163. D.
Czedrowicz (Andr.) IX. 932. D.
Czeluſtka (Io.) XI. 294. C.
Czemiatki villa. I. 14. C.
Czenierchpa Polowconum Dux in prælio occidit. IV. 352. C.
Czepel. XI. 327. C.
Czerckvvica villa. I. 16. D. VII. 736. B.
Czeremosna villa. I. 18. A.
Czernieiovv accipit Svvantoslaus. III. 238. C. *poſt Wladimirus.* 284. B. *templum ibi ædificatur.* IV. 308. C. *accipit Olech.* 310. A.
Czervvien a Wladimiro Ruſsiæ Duce capitur. II. 108. C. 181. B.
Czervviensk villa. III. 218. D.
Czervvony, ibi Eccleſiam ædificat Petrus Danus. V. 465. D.
Czeska vocantur Bohemi. I. 7. C.
Czeslaus Ord. Prædic. VII. 676. A.
Czeſſybieſy opp. I. 17. D.
Czeſtochovva mons. I. 33. A.
Czeſzemirus. v. Creſsimirus.
Czeſznina vrbs. I. 45. C.
Czetra diſtrictus. XI. 344. A.
Cziaslaus Epiſc. Cracou. IV. 347. 348. A.
Cziązim villa. VII. 773. D.
Cziechanovv caſtrum. VII. 782. C.
Czieliepelie domus. XI. 530. B.
Czieslavvicze villa. XI. 45. C.
Cziolek domus. XI. 341. C.
Cziolek (Andr.) Epiſc. Poſnan. VII. 773. C.
Cziolek (Andr.) XI. 240. D.
Cziolek (Stanisl.) Epiſc. Poſnan. XI. 496. C. *moritur.* XII. 710. A.
Czirmna villa. VII. 773. C.
Czirnelin domus. VII. 737. B.
Czirnin. VII. 754. C.
Czirsko caſtrum. X. 85. A.
Czirwiensko monaſt. VII. 870. D.
Czizovv (Io. & Mich. de) XI. 531. B.
Czlopen caſtrum. X. 47. B.
Czolpye lacus. XI. 272. C.
Czolovvroth (Io.) XI. 296. D.
Czonczovvicz (Gin.) XI. 341. B.
Czorſztyn opp. I. 10. C. IX. 1104. A.
Czybinia fl. I. 16. D.
Czyeley (Alb.) IX. 1072. C.
Czynkow villa. I. 15. B.
Czyrsko opp. I. 14. C.
Czyſz ſilua. I. 12. D.
Czyſzkovva monaſt. I. 15. A.
Czyſzymin villa. I. 16. D.

D.

Dabick (Nic.) XI. 289. D.
Dabie prædium Regium. X. 52. C.
Dabrovvika villa. I. 17. D. XI. 215. D. *ſiluæ* I. 18. D.
Dabrovvno opp. XI. 235. D. *capitur.* 236. C.
Dabrovvskie ieziero. XI. 235. D.
Dabno domus. XI. 341. A.
Dalemberg a Sobeslao condita. I. 67. A.
Dalen. v. Dalemberg.
Daleſzyce Eccl. Parochialis. VI. 642. A.
Dalevvicze (Gnievoſſ. de) X. 101. C. D. 122. B. ſ. XI. 243. C. 294. B.
Dalmatia Regnum Hungarico vnitur. IV. 331. C.
Damaſus II. Papa. III. 231. A. *moritur.* 236. A.
Dambno villæ. I. 17. A.
Dambno familia. IX. 1123. D. XI. 253. C.
Dambrowa (Io. de) X. 156. C.
Dambrowa villa. VI. 531. B.
Dambrowica opp. I. 20. B.
Dambrowa (Hannus de) X. 157. D.
Dambrovvka Bohemiæ *Duciſſa.* II. 93. A.

Miecslao Regi Polon. nubit. 94. B. *larga eſt in Eccleſias.* 97. B. *parit Boleslaum.* 97. C. *ea ſuadente Boleslaus frater fundat Cathedram Pragenſem.* 101. 102. A. ſ. *moritur.* 103. D.
Dambrovvno lacus. I. 20. B.
Damſchino. X. 177. B.
Damyeykovvicz (*Voyſzin.*) XI. 341. B.
Daniam claſſe petit Boleslaus Dux. IV. 421. D. ſ.
Daniel Ruthenorum Rex. VII. 698. B. *creatur.* 706. B. *moritur.* 779. B.
Dantiſcum v. Gdansk.
Daſzkovv Ruthenus. IX. 1071. C.
Daſzovv opp. I. 11. A. 20. A.
Dauid Andreæ Hung. Regis filius. III. 236. D.
Dauid Svviantoslavvic Nouogrodenſis Dux Smolensko capit. IV. 316. C.
Dauid Hreborovvicz Ruſſiæ Dux. IV. 326. B.
Dauid Wyſſegradienſis Dux. V. 516. A.
Dauid Croropecki Ruſſiæ Dux. VI. 619. C.
Davvelth (*Ziffr. de*) *Marſchalcus Pruſſiæ.* IX. 1115. B.
Davvgen ſtagnum. X. 176. D.
Dbra flumen. XI. 290. A.
de Decimis contentiones. IX. 1117. D. ſ. 1125. B. ſ. XII. 679. C. 680. B.
Dei veterum Polonorum. I. 36. D.
Demetrius Georgii Ruſſiæ Dux. V. 516. A.
Denarius Petri ſoluitur ex Polonia. III. 219. C. ſ. VII. 705. B. IX. 965. C.
Derſchavv monaſt. fundatur. VII. 852. D.
Derſleragius Præpoſitus Cracou. VII. 796. A.
Derslaus Caſtellanus Gneſnenſis. X. 53. A.
Deſzezno lacus. I. 28. A.
Devvknetovvicz (*Andr.*) XI. 341. C.
Diako (*Tho. de*) XI. 326. C.
Diana Dea Polonorum. I. 37. B.
Dionyſius I. Epiſc. Poſnan. IV. 310. B. *moritur.* 359. D.
Dionyſius de Gozdzikovvo. VI. 653. B.
Dipoldus Bohemiæ Dux Gamborienſem prouinciam accepit. I. 90. A.
Dipoldus Morauiæ Marchio. VI. 586. A. *Bohemiam vaſtat.* 594. B.
Dir Ruthenorum Dux. I. 49. B.
Dirſſicraius Bogum. Palatin. Poſnan. VII. 688. C.
Dirſungen diſtrictus. X. 23. A.
Ditmarus primus Epiſc. Pragenſis. II. 102. B. *moritur, & ante mortem ſe damnatum pronunciat.* II. 105. 106. A.
Dituonia nunc dicitur Holſatia. I. 66. D.
Dlichow villa. VI. 653. B.
Dlubnia fl. I. 13. C.
Dniepr fl. qui in eum fluuij illabantur. I. 19. C. *Vide Niepr.*
Dnieſtr fl. I. 10. C. *qui in eum fluuij cadant.* I. 17. C.
Dobczyce opp. VI. 634. D.
Dobieſz miles. V. 463. B. ſ.
Dobro villa. I. 12. B.
Dobrogiuka opp. I. 20. A.
Dobrognieva Caſimiri coniux. III. 218. C. *v. Maria.*
Dobrogoſtius miles. III. 258.
Dobrogoſtow donatur monaſterio Lubenſi. III. 229. A.
Dobroslaus Adalberti Pragenſis Epiſc. frater à Bohemis occiſus. II. 113. D.
Dobrouoda. X. 48. B.
Dobrzeslany ſilua. I. 18. A.
Dobrzicza prædium. X. 31. B.
Dobrzyca fl. I. 17. C.
Dobrzyn, eius teloneum donatur monaſt. Mogilnenſi. III. 258. C. *Cruciferis donatur.* VI. 631. B. 644. A. *à Cruciferis ſpoliatur.* IX. 980. D. *à Lithuanis vaſtatur.* 985. D. *Regno Poloniæ donatur.* 987. B. *à Rege Bohemiæ occupatur.* 995. A. *à Cruciferis vaſtatur.* X. 197. C.
Dolaga familia XI. 341. B.
Dolci Liuoniæ caſtrum. VI. 561. C.
Doliuitarum familia. VI. 604. A. IX. 975. D. 1085. A. X. 22. C. 157. D. XI. 341. B. XI. 530 B.
Doliwa Io. Epiſc. Poſnan. IX. 975. D. *moritur.* 1035. B. X. 22. C.
Dolobow villa. I. 18. B.
Dolsko opp. I. 24. D. X. 22. C. 85. D.
Domaratus Iudex Poſnan. VII. 688. C.
Domczelan villa. VI. 531. C.
Dominice lacus. I. 25. B.
Domislaus Bohemiæ Baro. IV. 373. D.
Don fl. al. Tanais. I. 3. C.
Donathowo villa. VII. 832. D.
Donus II. Papa. II. 117. C. *moritur.* 118. A.
Draco ingens Cracouiæ occiditur. I. 52. B. ſ.
Drahomicia Bohemiæ Duciſſa Ludimillam ſtrangulare iubet, & ob id à terra abſorpta. I. 90.
Draim arx. I. 17. C. 25. D. *à Polonis capitur.* X. 185. D.
Drawa fl. I. 2[illegible]. D.
Drawsko lacus. I. 17. C. 25. C.
Drdzen caſtrum. IV. 321. C. VII. 723. A. *deſtruitur.* 775. D. *reædificatur.* 788. B. *à Polonis capitur.* 798. C.
Drdzen (*Bodcze de*) X. 23. B.
Dreſſa fl. I. 18. B.
Driia domus XI. 341. B.
Drinus fl. al. Niepr. I. 10. D.
Drochum opp. I. 18. B.
Drogoſſius Capitan. Sirad. X. 87. D.
Drohiczam villa. VII. 691. B.
Drohiczyn caſtr. I. 10. D. VII. 706. C. *à Iagellone capitur.* X. 90. A. B.
Drohobicz. XI. 334. C.
Droſchen opp. I. 16. A.
Droyko Lithuaniæ Dux. IX. 898. B.
Drozin villa. VI. 655. D.
Drugnya villa. IX. 1161. D. *diſtrictus.* X. 177. D.
Druszalif Pincerna. VII. 792. C.

Druſzen

Druſzen lacus. I. 30. A.
Druſzkowo villa. VI.615. C.
Drwa fl. I. 17. C.
Drwancza fl. & villa. I. 13. A. IX. 1001. A. ſ. XI.287. B.
Drzaſtow lacus. I. 26. B.
Drzen. IV. 321. C.
Drzewianie regio. I. 45. C. *eam accipit Suentoslaus.* II. 145. A.
Drzewica fl. I. 14. B.
Drzewna villa. I. 18. D.
Drzewnia fl. I. 19. A.
Duba (Hinko de) IX.898. B.
Dubice opp. & lacus. I.30.D.
Dubiecko villa. I. 29.B.
Dubiſza fl. X. 184. C. XI. 342. D.
Dubno villa. I. 19. B.
Duleba Ruthenorum Dux. I. 49. A.
Dulebianie regio ab eo vocata. ib.
Duniacc niger & albus fl. I. 11. A.
Dupicze villa. XI. 72. C.
Duſemer (Henr.) Pruſſiæ Magiſter. IX. 1065.C. *Lithuanos vincit.* 1079. A. *moritur.* 1085.C.
Dwiekozy villa. X.175. D.
Dwina opp. X. 172. A.
Dwina fl. I. 20. A.
Dwirezno. II. 188. A.
Dworcze villa. I. 18. D.
Dworzyska villa. I. 12. B.
Dworzyſchowicze villa. X. 72. C.
Dziadowice villa. I. 17. A.
Dzialdow opp. I. 13. A. X. 36. D. 204. A.
Dzialoſſa familia. IX. 900. A. X. 166. C. XI. 253. D. 341. B. 544. A.
Dzidzielia Dea Polonorum. I. 37. A.
Dziekowie villa. I. 18. B.
Dzierzazna villa. I. 14. B. V. 488. B.
Dzierzgon caſtrum. XI. 273. A.
Dzierzgowiec villa. I. 16. B.
Dzierzkow villa. I. 13. D.
Dziewana Dea Polonorum. I. 37. C.
Dziewka mons. I. 34. B.
Dzikow villa. I. 12. B.
Dziwno villa. I. 10. B.
Dzwina fl. I. 31. A.
Dzwirzno ibi fundatur Eccleſia parochialis. II. 115. C.
Dzyaldow caſtrum. XI. 276. D. 289. A.

E.

Ebrehardus Herbip. Epiſc. XI. 295. D.
Eccardus Canon. Wratisl. VII. 743. C.
Eckembertus caſtri Dunin præfectus. IV. 399. C.
Eckersberg caſtrum Pruſſiæ. X. 44. C.
Eclipſis ſolis. VI 556. A. 564. C. VII. 769. D.
Edeſſa à Turcis expugnata. V. 476. D.
Edit fl. al. Tanais. I. 3. C.
Egelow diſtr. X. 43. D.
Egidius Cardin. & Legatus P. R. Archiepiſcop. & Ep. Poloniæ confirmat. II. 96. C.
Elbing deſcribitur. I. 43. B. *fundatur.* VI. 660. A.
Elblag, opp. I. 10. A.
Elczbor (Albert. de) XI. 247. D.
Electores inſtituti. II. 128. B.
Elgotha villa. X. 139. B.
Eliſabeth Hungariæ Regina canoniſatur. VI. 641. A.
Eliſabeth Poloniæ Duciſſa Carolo Hungariæ Regi nubit. IX. 975. B. C. *Regni Poloniæ gubernatrix.* X. 13. A. *moritur.* XI. 427. A.
Elkinger (Conrad.) XI. 292. D.
Elpheſtein (Vilhelmus) XI. 245. B.
Emerani monaſterium Ratisbonæ. II. 97. D.
Emericus venit in Poloniam. II. 148. B. *monaſterium fundat.* 149. C. *moritur.* 171. C.
Emericus Rex Hungariæ. VI. 581. D. *moritur.* 584. B.
Emerſtein. I. 28. B.
Equirea mons. I. 33. B.
Ericus Daniæ Rex Wladislaum inuiſit. XI. 474. B.
Erlogen diſtrictus. IX. 984. D. 1142. B.
Erkingar (Vlricus) XI. 293. B.
Eſoces in Viſtula. I. 10. A.
Euangelio lecto Poloni gladium educebant. II. 105. A.
Eudoxia Suantopelki filia nubit Miecslao. IV. 311. A.
Eudoxia Wſzevvolodimiri filia nubit Miecslao maioris Poloniæ Duci. V. 484. C.
Eugenius III. Papa. V. 475. B. *moritur.* 489 B.
Eugenius IV. Papa. XI. 573. A.

F.

Fabianus Capitaneus Wiſſegrudienſis. IV. 389. D.
Falkemberg opp. I. 17. C.
Falkemberg (Io.) XI. 376. B. *in carcerem detruditur.* 377. C. *iubetur comburi* 392. B.
Falutæ Decanus Poſn. VII. 774. D.
Fames in Polonia. II. 108. D. 140. D. 150. C. III. 241. B. VI. 655. A. VII. 828. A. IX. 958. B. 963. B. 970. C. 1131. 1132. A. XII. 708. D. 726. D.
Farurey (Io.) XI. 218. C. 294. B. 327. D.
Felicianus Hungarus. IX. 1003. C.
Felſchaw Pruſſiæ opp. II. 120 B.
Filka villa. I. 11. D.
Flagellantium ſecta. VII. 764. C. ſ. IX. 1094. C.
Florentia pars Cracouiæ. I. 39. B.
Florentina Synodus. III. 243. B.
Florentinus Abbas Lubenſis. VI. 526. D.
Floriani templum Crac. I. 39. B. *eius corpus Cracouiam mittitur.* VI. 552. A. B. ſ.
Florianus Palat. Landomir. VII. 694 B.
Florianus de Koſczielecz Epiſc. Plocenſis. IX. 965. B.
Flowſt, eius teloneum donatur monaſt. Mogilnenſi. III. 258. C.

Fogelſang caſtellum. VI.645. A.
Fordan opp. I.15.D.
Fridberg caſtrum. IX.923.B.
Fridericus Bohemiæ Dux eiicitur. VI. 548. B. *reſtituitur.* ib. C. *moritur.* 561.A.
Fridericus I. Imp. V. 486. B. *eius expeditio in Italiam.* 490. C. *in Poloniam.* 493. D. *Mediolanum obſidet.* 499. D. *expeditio eius in Galliam.* 520. B. *moritur.* VI.560.C.
Fridericus II. Imp. eligitur. VI. 614. A. *coronatur.* 625. D. *excommunicatur.* 626.D.
Friderici Auſtriæ Ducis expeditio adv. Bohemiam. VI.646. C.
Fridlant opp. I.15. D.
Fulko Epiſc. Cracov. VI.554. C. *fit curator Leſzkonis Ducis.* 569. C. *moritur.* 601. D.
Fulko Gneſn. Archiep. VII. 752. D.
Fulmen Ruthenorum Deus. II. 104. B.
Fulſztyn palus. I.18. B.
Furman (Ianuſſ.) Miedzirzenſ. XI. 342. B.
Furſtenvvald vrbs. I.40. D.

G.

GAdes Boleslai Chabri. I. 13. A. *in Saxonia.* II. 160. C. *in Pruſſia.* 163. B.
Gaditanum fretum. I.3. D.
Gadiza vrbs. I. 4. A.
Gadz lacus & villa. I. 14. D.
Galaska Io. X. 93. D.
Galaski villa. X. 177. B.
Galatiæ Regnum. VI.604. C.
Galebonke nemus. IX. 925. D.
Galinda Ruſsiæ regio. II. 163. A.
Gałki villa. I. 16. A.
Galli a Gracho vincuntur. I.51. A.
Galowo (Swidwa de) X. 93. D.
Gamrath (Staniſl.) XI. 342. B.
Ganifredus ordinis Templariorum fundator, IV. 346. A.
Gappa villa. I. 24. D.
Gara (Nic. de) XI. 217. C. 219. C. 329. A.
Garbow (Zauiſſ. de) X. 176. B. XI. 240. C. 383. B. *moritur.* 505. A
Garbow (Io. de) XI. 327. D.
Gargow: Eccleſiam fundat Caſimirus. IX. 1095. C. 1164. A.
Garśc villa. I. 14. D.
Gartenſteyn caſtrum. VII. 764. B.
Garthin territorium. IX. 908. A. 1142. C.
Gaſtold (Io.) XI. 341. B.
Gatirsleue (Theod. de) Magiſter Pruſſiæ. VII. 812. C.
Gaudentius frater Adalberti Epiſc. Prag. II. 115. D. *fit Archiep. Gneſn.* 118. C. *moritur.* 149. D. *corpus eius in Bohemiam translatum.* 106. C.
Gdansk. I. 3. D. *deſcribitur.* I. 43. A. *monaſt. S. Nicolai fundatur.* VI. 635. B. *Marchioni Brand. obligatur.* VII. 793. A. *a Pomeranis recuperatur.* 797. B. *a Cruciferis capitur.* IX. 925. C. 929. A. XI. 276. C. *portus diſiicitur.* 636. B.
Gdinga villa. X. 51. B.
Gebhardus Canon. Cracou. VII. 714. B.
Gebultow, ibi templum fundatur. IV. 308. C.
Gecz, ibi Eccleſiam ædificat Petrus Danus. V. 465. D.
Gedeon Ep. Cracou. V. 509. A. *Eccleſiam Kielcenſem fundat.* 519. B. C. *Miecslaum propter crudelitatem monet.* VI. 525. D. 528. A. *ſ. monaſt. Wachoko fundat.* 540. B. *moritur.* 554. B.
Gediminus Lithuaniæ Dux. IX. 923. C. *moritur.* X. 60. C.
Geiſa Pannoniorum Princeps Adleidam accipit vxorem. II. 98. A. B. *conuertitur ad fidem* 98. C. *ei naſcitur filius Stephanus.* 100. A. *multas Eccleſias fundat & moritur.* 116. B.
Geiſa Pann. Dux. II. 186. D. *ex Hungaria eiicitur.* III. 268. C. *aliquam eius partem recipit.* 270. D. *Salomone Rege victo & eiecto fit Rex Hungariæ.* 283. B. *moritur.* 288. A.
Geiſa Belæ filius fit Rex. V. 457. D. *moritur.* 485. D. 501. D.
Geiſa huius filius. ibid.
Gelaſius II. Papa. IV. 414. A. *moritur.* 416. B.
Gębice opp. I. 25. C.
Georgius Kiouienſis Dux. V. 483. B. C.
Georgius Wladimirowic. V. 503. A. *moritur.* 506. D.
Georgius Ruſsiæ Dux. V. 516. B. VI. 611. C. D.
Georgius Languinowicz Lithuaniæ Dux. XI. 244. B. 622. C.
Gerardus Chamadienſis Epiſc. III. 232. D. 234. C.
Gerardus Præpoſitus Viſlicienſis. VII. 778. C.
Gerbiſch Io. Epiſc. Poſnan. VII. 842. C. *moritur.* VIII. 890. D.
Germanus ſubulcum Regem Britanniæ conſtituit. I. 83. 84. A.
Gertrudis Belæ Hungariæ regis filia nubit Miecslao ſeni. V. 485. D. *moritur.* 493. C.
Gertrudis Hung. Regina interficitur. VI. 614. C.
Gertrudis Sleſiæ Duciſſa Conrado Maſouiæ Duci nubit. VI. 659. A. B.
Geruardus Epiſc. Poſnanienſis. VI. 531. A. *moritur.* 536. A.
Geruardus Epiſc. Wladislau. IX. 897. D. *Romam mittitur.* 959. D. *moritur.* 986. A.
Gętropolie. IV. 307. A.
Giebultow villa. I. 11. C.
Giec mons. I. 35. B.
Giecz opp. VII. 711. D.
Gielcow fl. I. 11. D.
Gierſchow diſtrictus. VII. 862. A.
Gierſzany lacus. I. 19. C.
Gierzmanowice villa. I. 13. B.
Giethno villa. I. 15. A.

Gilhardus Ratiſponenſis Epiſc. Hungariam vaſtat. III. 237. A. B. D.
Gilow caſtrum. I. 67. B.
Gimel villa in Hung. III. 263. D.
Giolub XI. 306. B.
Giſela Stephani S. Hung. Regis vxor. II. 198. A.
Giwno (Derſl. de) X. 30. B. 74. B.
Giwno (Iaroſl. de) XI. 237. B.
Gizicze (Paul. de) Epiſc. Plocenſis. XII. 720. B.
Gladium Poloni lecto Euangelium educebant. II. 105. A.
Glambokie lacus. I. 26. A.
Glambow villa. VI. 537. B.
Gleb Wlodimiri Ruſsiæ Ducis filius. II. 104. C. accipit Muromum. 145. A.
Gleczowo villa. V. 519. A.
Glinyani (Iac.) X. 199. D.
Gliniany vrbs. XI. 314. A. 334. C.
Glippinus Pruthenorum Dux. VII. 762. B.
Gliuka villa. V. 529. A.
Gliwice opp. I. 15. C.
Glogouia maior & minor. I. 42. C. maior ab Henrico Imp. obſidetur, cui ciues acriter reſiſtunt. IV. 379. D. 381. A. Bohemiæ Rex capit. IX. 937. B.
Glogow villa. VI. 609. B.
Glownia fl. I. 16. D.
Glowno (Balthaſar de) XI. 292. D.
Gluchin villa. I. 15. D.
Gluſchin Eccleſia Paroch. VIII. 886. B.
Gluſzyna opp. I. 25. B. 42. C. IX. 1013. C.
Gneſna ædificatur. I. 36. A. ibi ſimulacrum Neptuni. I. 37. B. eius deſcriptio. I. 39. D. ſedes Regia eo transfertur. I. 68. A. 82. D. ibi fundatur metropolis. II. 95. A. B. eo transfertur corpus B. Adalberti. 127. B. a Bretiſlao capitur & vaſtatur. 195. B. ſ. Eccleſia eius dedicatur. IV. 335. A. Synodus celebratur. VI. 635. B. obſidetur. 655. A. monaſt. S. Claræ fundatur. VII. 756. C. a Cruciferis incenditur. IX. 1012. B.
Gnieuomirus caſtri Czarnkow Dominus ad fidem conuertitur. IV. 370. B. adu. Boleſlaum Ducem rebellat. 374. B. capite plectitur. 377. A.
Gniew opp. I. 14. D. XI. 276. C.
Gniewkouienſis Ducatus ad Regnum Poloniæ peruenit. IX. 1147. A. B.
Gniewkow capitur. X. 24. D.
Gniewnica. I. 11. C.
Gnoynik villa. VI. 618. A.
Gnuk Manthel ſilua. I. 15. B.
Godigolth. XI. 373. D.
Godziaba domus XI. 341. C.
Godziemba domus. V. 518. D. XI. 350. D.
Godzieſzow villa. I. 12. B.
Golancza (Dobeſl. de) X. 93. D.
Golanczewo (Matth. de) Epiſc. Wladiſl. IX. 986. B. reſignat. 1144. A. moritur. 1155. A.
Golczewo (Nic. de) Epiſc. Plocenſis. IX. 1149. A. moritur. 1154. A.
Golczewo (Stan. de) ſucceſſor. ib. moritur. 1156 B.
Golczewo (Boleſl. de) frater & ſucceſſor. ibid. C.
Goldberg à Boleſlao fruſtra obſidetur. IV. 356 D. ſe Boleſlao dedit. 362. B. auri fodina. VII. 678 A.
Goleſch caſtrum. I. 12. A. mons. I. 33. D.
Goli (Io.) XI. 285. B. 327. D.
Golikowo villa. VI. 615. C.
Golpridowa villa. VI. 618. A.
Goltbach (Elingus de) Magiſter Pruſſiæ. IX. 898. A.
Golub caſtrum XI. 276. D. 305. A. à Polonis capitur. 458 B. C.
Golubiecz caſtrum. XI. 504. A.
Goluchowo (Przeczl. de) X. 2. A. 14. A. 93. D.
Goluchowo villa. X. 177. B.
Golumbino villa donatur monaſt. Mogilnenſi. III 258. D.
Gompo Archiep. Cracov. II. 172. A. moritur. 187. A.
Goniadz opp. I. 13. A.
Goplinica fl. I. 17. A. 24. D.
Goplo lacus. I. 16. A. 17. A. deſcribitur. I. 24. A. B.
Gora villa. VI. 609. B.
Gomy (Demetr. de) X. 102. C.
Gomyski (Alex.) XI. 240. D. 294. C.
Gorbi. I. 16. D.
Gori (Skarbek de) XI. 240. C. 294. C.
Gori (Iw. de) X. 198. C.
Gori domus XI. 218. C.
Gorka villa. I. 12. C. V. 519. A. VII. 743. C.
Gorskow (Nic. de) Epiſc. Vilnenſis. X. 394. C.
Gorzno villa. X. 177. B.
Gorzyka villa. VI. 653. C.
Gorzno lacus. I. 21. C.
Gorzymowo villa donatur monaſt. Mogilnenſi. III. 258. D.
Goslaus Plocenſis Epiſc. VI. 630. B.
Goslaus II. Epiſc. Plocenſis. VII. 790 D. 821. B. moritur. VIII. 886 A.
Goslawicze (Laskar. de) Wladiſlauienſ. XI. 348 C. 350. D.
Goſtachow villa. VI. 653. B.
Goſtinin caſtrum. VII. 841. C. 842. C. IX. 1163. B.
Goſtinino lacus. VII. 832 C.
Goſzlicze villa. VII. 820 C.
Goſzkowo villa. V 519. A.
Gotartowicze (Varcz. de) X. 197. D.
Gottefridus Dux Spoletanus. III. 254. A.
Gotfridus Ep. Wratiſlauienſis. II. 96. B. moritur. II. 107. C.
Gothlant villa. I. 14. D.
Gotteswerder caſtrum ædificatur. IX. 1158. B.
Gotuſzyn villa. I. 18. D.
Govoritius Palatinus Sandomir. VI. 581. B.
Goworko miles. IX. 1159. D.
Goworzinsky XI. 285. B.
Goworzino (Mart. de) XI. 483. C.

Goz-

Gozdikowo monaſt. fundatur. VI.653.B.
Gozdnica villa. I.12.C.
Gozdiuitarum familia. VI.620.C.630.C.
Grabia lacus. I.14.D. *fl.* I.16.D.
opp. I.16.C.
Grabino caſtrum. I.14.D.XI.276.B.
Grabina miles. VII.673.C.
Grabow (Bern. de) X.52.D.
Grabowiecz caſtrum. X.36.B.
Grachus in Regem Poloniæ eligitur. I.50.D. *genus eius à Grachis Romanis.* 51.A. *Gallos vincit.* 51.C. *Bohemiam ſibi ſubiecit.* ibid. *Cracouiam ædificat.* 51.D. ſ. *leges Polonis condit.* 53.A. *moritur.* 53.B.C.
Grachus filius à fratre Lechone necatur. I.54.B.C.
Grancowy villa. VI.537.B.
Grandimontenſis ordo inſtituitur. III.283.A.
Granicze villa. X.185.B.
Granow (Vinc. de) X.191.B.XI.276.C.242.C.
Granwaldi villa. XI.238.D.
Granowska (Eliſabeth) Regina Poloniæ coronatur. XI.382.B.
Grecz Bohemiæ caſtrum. IV.325.A.
Gredicz caſtrum. V.485.B.
Gredko Plocenſis Epiſc. VI.630.B.
Gregorius V. P. R. II.128.A.137.A. *cum Ottone III. Imp. Electores inſtituit.* 128.B. *moritur.* 142.A.
Gregorius Hungarus, armiger Boryſz, quem obtruncat. II.145.D.
Gregorius Iaroslai filius Wladimiriam accipit. III.238.C. *& Smolensko.* 243.A. *cum Boleslao pacem facit.* 273.C.
Gregorius VII. Papa. III.286.A. ſ. *moritur.* IV.311.B.
Gregorius Antipapa. IV.414.A.
Gregorius Svvantopelkovvic Ruſſiæ Dux. V.516.B.
Gregorius VII. Papa. VI.559.B.
Gregorius de Creſcentia Legatus Papæ in Poloniam. VI.630 A.
Gregorius IX. Papa. VI.635.C. *moritur.* 667.C.
Gregorius X. Papa. VII.794.795.A.
Gregorius XI. Papa. IX.1158.A. *moritur.* X.41.C.
Gregorius XII. Papa. X.178.B. *abdicat ſe* XI.366.D.
Grimalitarum domus. XI.240.C.
Grintan lacus. XI.273.D.
Grinwaldt (Io.) XI.228.C.
Griphonum familia. IV.399.A. V.502.C. 509.A. VI.538.C.631.D.662.A. VII.732.C.790.D.821.B. IX.931.D.1123.A. XI.289.D.
Griſzovienſe monaſt. IX.899.D.
Grobesko: eius teloneum donatur monaſt. Mogilnenſi. III.258.C.
Grochowiska villa. VII.737.B.
Groda fl. I.17.B.
Grodecz opp. VII.711.D.
Grodek ſilua & villa. I.18.C. XI.334.B.
Grodek caſtrum à Boleslao obſidetur. III.255.C.
Grodkovv opp. I.15.B.
Grodzisko (Oſſep. de) X.57.C.
Gromadno opp. I.35.B.
Gronfeld opp. I.30.B.
Groſs (Barthol.) XI.310.C.
Groth (Stanisl.) XI.602.D.
Grotho (Io.) Epiſc. Cracov. IX.991.B. *moritur.* 1084.B.C.
Grotho de Stupcza. X.175.D.
Grotniki villa. I.13.D.
Gruda fl. I.17.C.
Grudziądz opp. I.13.A. *monaſterio Mogilnenſi donatur.* III.258.C. *a Pruthenis capitur.* VII.825.A. XI.276.C.
Grzimala familia. IX.975.D. X.16.D.35.C. XI.218.C. XI.237.C.341.B.
Grzimala Caſtellanus Coſtrzinenſis. X.53.A.
Grzimislava Ruſſiæ Duciſſa Leſzkoni Albo nubit. VI.625.B.
Grzimislaw villa. VII.832.C.
Grzybowo villa. VI.615.C.
Grzymala domus XI.294.A.C.
Grzymislaus vide Nieklam.
Gualdus Ep. Baluacenſis Nuncius Apoſt. Poloniam viſitat. IV.354.D.
Guerdinforth (Meinko de) Magiſter Pruſſiæ. VII.786.D.
Gui fl. Slauoniæ. I.7.A.
Guido Cardinalis Legatus in Poloniam. VII.781.D.
Guillermus Dux de Monte ſe Wladislao Regi ſubiicit. XI.447.C.D.
Gunterus Epiſc. Plocenſis. VI.635.C. *moritur.* 647.A.
Gurmenſis prouincia. I.90.A.
Guthouo villa X.177.B.
Guttalus lat. Odra. I.10.B.15.A.
Gwiazdowo villa. X.177.B.
Gwild (Io.) XI.341.C.
Gwilhelmus Legatus Apoſtolicus. VII.696.B.
Gzyorſthin (Vidzga) miles. VII.706.D.

H.

HAb, magnus lacus. I.10.A. VI.660.A.
Habdankorum familiæ origo. IV.384.B. *memoratur.* IV.399.D. VII.693.A.774.C. IX.1123.B. XI.218.C.240.C.294.B.341.B.
Haimo Epiſc. Wratislav. IV.426.C.
Haimo Magiſter Pruſſiæ. VII.821.D.
Halicienſis Ducatus. VI.546.D.548.A.553.C. ſ. *Regno Poloniæ ſubiicitur.* IX.1059.A.
Halicienſe caſtrum ædificat Caſimirus. IX.1164.A. *Metropolis erigitur.* X.26.A.
Halicz mons. I.34.D.
Halicz occiſor Boryſz & Gleb. II.146.A.
Halſchten capitur XI.353.C.
Hamburg olim ad Poloniam numeratur. I.45.C.
Hanulo Capitan. Vilnenſis. X.96.C.

Ha-

Hanusborg lacus. I. 30. A.
Harslonopa Polowconum Dux. IV. 352. C.
Hartlipdorff villa. VI. 591. D.
Hatteſteyn (Kuy de) X. 44. D.
Hayna Eccl. Paroch. X. 112. B.
Hamerſchten caſtrum XI. 276. D.
Hecardus. v. Eccardus.
Hedvigis Boleslai Legnicenſis vxor. VII. 756. C.
S. Hedvigis moritur VII. 696. D. eius canoniſatio procuratur. 767. C. 773. C. canoniſatur. 780. A. 783. A. B.
Hedvigis Loktek coniux. IX. 1059. D.
Hedvigis coniux Caſimiri. IX. 1112. B.
Hedvigis Ludouici filia Regina Poloniæ. X. 69. D. coronatur. 95. D. puellam parit 160. B. Sanctitas poſt mortem miraculis declaratur. 162. C. eiusdem Epitaphium. D.
Hedvigis Wladislai Regis filia naſcitur. X. 191. D deſponſatur Friderico Marchioni Brandeb. 437. C moritur. XI. 600. A.
Heilsburg caſtrum. VII. 892. A. obſidetur. XI. 353. D.
Helena al. Olba Ruſſiæ Duciſſa. I. 50. A. B. alia II. 100. C.
Helena Roſcislai Przemislienſis filia Wladislao Criſpo nubit. V. 499. C.
Helena Wſzewoldi filia Caſimiro nubit. V. 513. B. ei committitur Reſpubl. VI. 575. A.
Helena Hungariæ Duciſſa Boleslao Pudico nubit. VII. 745. A.
Helias Palatinus Valachiæ. XI. 640. C. XII. 690. D. ſ.
Helinga Duciſſa. VII. 696. B. moritur. 737. C.
Helmericus Pruſſiæ Magiſter. VII. 772. B.
Henrichow monaſt. fundatur. VI. 628. B.
Henricus Leo Nicolaum Slauorum Ducem cum filiis deleuit. I. 66. C.
Henricus Bauarus fit Imp. II. 137. C. Romæ coronatur. 162. A. moritur. 179. D.
Henricus III. Imp. III. 212. C. viaticum dat Caſimiro in Poloniam redeunti. 215. A. Bohemiam vaſtat. 219. A. D. 222. A. ſchiſma Pontif. ſedat. 231. D. expeditiones in Hungariam. 236. D. 237. A. D. 238. D. moritur 245. A.
Henricus IV. Imp. III. 245. C. Salomonem in Hungariæ Regnum reſtituit. 268. 269. A. deponitur & à filio in carcerem conijcitur. IV. 342. A. B. imperio cedit. 360. A. moritur. 371. A.
Henricus V. Imp. IV. 342. B. cum patre bellum gerit. 356. D. fit Imp. 371. A. Hungariam vaſtat. 372. 373. A. Poloniam inuadit. 377. B. vbi à Boleslao vexatur. 378. B. Glogouiam fruſtra obſidet. 379. D ſ. à Polonis vincitur. 385. C. pacem cum Boleslao facit. 388. A. à Paſchali Papa coronatur. 393. C. moritur. 426 A.
Henricus Boleslai Krywouſti filius naſcitur. IV. 434. D. accipit Sandomiriam. V. 454. B. expeditionem in terram S. ſuſcipit. 486. D. monaſt. in Lubin & Eccleſiam in Kaliſz fundat. 489. C. D. moritur in prælio. 511. A.
Henricus de Kietlic conſiliarius Miecslai ſenis. VI. 524. A. 563. B. fit Archiep. Gneſnenſis. 581. C. moritur. 624. B.
Henricus VI. Imp. VI. 561. A. moritur. 579. B.
Henricus Sleſiæ Dux Trzebnicenſe monaſt. fundat. VI. 592. D.
Henricus Pragenſis Epiſc. fit Dux Bohemiæ. VI. 566. C. Morauiam occupat & Serbiam vaſtat. 570. B. moritur. 576. C.
Henricus cum barba Glogouienſis. VI. 615. D. maiorem Poloniam occupat. 649. A. Monarchiam occupat. 658. B. moritur. 661. A.
Henricus huius filius. VI. 661. C. occidit in prælio. VII. 680. C. D.
Henricus Archiep. Salzburg. VII. 700. A.
Henricus Epiſc. Chelmenſis. VII. 703. D.
Henricus VII. Imp. VII. 705. B.
Henricus IV. Dux Wratisl. VII. 788. C. à Boleslao caluo capitur. 809. C. Epiſc. Wratislav. bona capit. 835. B excommunicatur. 836. C. abſoluitur. 837. B. fit monarcha Poloniæ. 851. A. moritur. 855. B.
Henricus de Naktuga. VII. 812. C.
Henricus V. Dux Wratisl. capitur. VII. 868. C.
Henricus Glogouienſis. IX. 934. A. moritur. ib. C. 936. C. D.
Henricus Lubucenſis Epiſc. IX. 1147. D. moritur X. 154. C.
Herbut. v. Gerbiſch.
Herckembaldus Caſtellan. Poſnan. VI. 609. B.
Hercobaldus Caſtellan. Gneſn. VII. 755. D.
Hercinia ſilua. I. 7. D.
Herebertus Ep. Colon. mortem Ottonis III. celat. II. 137. B.
Heresburg caſtrum. II. 101. B.
Hermannus Epiſc. Pragenſis. IV. 357. B.
Hermannus de Salca Magiſter Cruciferorum. VI. 644. A.
Hermannus Comes Ciliæ XI. 166. C.
Hers'berk opp. I. 15. C.
Herzborg (Gerb. de) Magiſter Pruſſiæ. VII. 740. B.
Heſter Caſimiri Regis pellex. IX. 1110. B.
Heſtinicus Bohemiæ Dux. I. 90. A.
Hiems magna. II. 102. D. VII. 807. C. IX. 1146 A. XI. 335. B. XII. 726. D.
Hieronymus citatur. III. 242. B.
Hieronymus Wratislav. Ep. III. 253. C.
Hildebrandus Prior Cluniacenſis. III. 241. C.
Hippolytus Archiep. Gneſn. II. 150. A. moritur. 182. D.
Hiſtoriæ vtilitas. I. 46. D.
Hiſza, ibi Eccleſiam ædificat Petrus Danus. V. 465. C.
Hizdbica. opp. I. 26. D.
Hoczfelth (Conrad.) XI. 246. A.
Hodernge (Herm. de) Magiſter Pruſſiæ. VII. 821. D.
Hoënſten à Polonis capitur. XI. 271. A.

Holcha mater Svvatoslai Ruſſiæ Ducis. II. 100. C.

Holoch (Georg de) Epiſc. Pathauienſis. XI. 401. B.

Homines Diis immolati. I. 37. D.

Honoldus Epiſc. Wladislau. V. 491. A. *moritur.* 499. D.

Honorius II. Papa. IV. 426. A. *moritur.* 433. A.

Honorius III. Papa. VI. 618. C. *moritur.* 635. C.

Honorius IV. Papa. VII. 841. B. *moritur.* 848. C.

Hoſtaſius Comes. VI. 631. D.

Hrodecz opp. IV. 405. B.

Hrodlo caſtrum. X. 36. B. XI. 342. C.

Huchteribayn (Haſſo de) X. 1. A.

Hugo Templariorum ordinis fundator. IV. 346. A.

Hungari ad fidem chriſtianam conuertuntur. II. 98. C. D. *a fide deficiunt.* III. 259. C. *a Bela reuocantur.* 260. A.

Huniana Polowconum Dux. IV. 152. C.

Hunniad (Io.) XII. 757. A.

Huska Poloninna planicies. I. 11. C.

Huſſ Io. X. 206. A.

Huſſitarum hæreſis oritur. XI. 335. A.

Hyacinthus. v. Iacintus.

I.

I*Abłonkow opp.* I. 15. B.

Iacintus Ep. Lubucenſis. II. 96. B

Iacintus Ord. Prædic. VII. 751. C

Iacobus de Zbilutowice. III. 269. B

Iacobus I. Archiep. Gneſnenſis. IV. 411. B. *pro fratribus a Wladislao eiectis intercedit.* V. 467. C. D. *moritur.* 481. B.

Iacobus Archiep. Halicienſis. X. 137. B.

Iacobus Canonicus Chelmenſis fit Epiſcopus. X. 165. D.

Iacobus Epiſc. Vilnenſis. X. 194.

Iaczko Ord. Prædic. VII. 751. C.

Iaczwingi barbari. III. 223. C. IV. 394. C. VII. 770. B. C. *a Iaroslao vincuntur.* IV. 394. C. *a Boleslao Pudico vincuntur & conuertuntur.* VII. 771. A.

Iadrzni (Stiborius) XI. 327. D.

Iagodno villa. V. 519. A.

Iagoſc villa. ibi Eccleſia Parochialis fundatur. V. 487. A.

Iagyello Lithuaniæ Dux. X. 61. C. V. *Wladislaus.*

Iakini Wolinorum Dux. II. 162. B.

Iakoſchin (Io. de) XI. 342. A.

Iangrod villa. I. 13. C.

Ianin. v. Ioannes.

Ianina domus. VI. 540. C. IX. 1093. C. XI. 341. B.

Ianislaus. v. Ianuſius.

Iankowicz (Groth. de) XI. 342. B.

Iankowo villa. I. 17. B. X. 177. B.

Iankowo v. Bodzanta.

Ianowice villa. I. 14. B.

Ianowlyn opp. I. 17. B.

Ianus Hieroſol. Rex ad Wladislaum nuncios mittit. IX. 609. B.

Ianuſius Palatinus Cracou- VI. 662. D.

Ianuſius Archiep. Gneſn. VII. 753. A. 757. A. *moritur.* 798. D.

Ianuſius Palatin. Sandomir. VII. 776. C. 820. D.

Ianuſius Archiep. Gneſn. IX. 919. A. *moritur.* 1060. D.

Ianuſius Maſouiæ Dux. X. 142. A. *capitur.* 180. A. B. XI. 241. D.

Ianuſius Ratiborienſis Dux moritur. XI. 409. C.

Ianuſzowa villa. X. 139. B.

Iarogniewy villa. V. 519. A.

Iarogniewsky Io. XI. 594. C.

Iaromirus Boleslai III. Bohem. Ducis filius a Boleslao Polon. Rege capitur. II. 139. D. *a fratre excæcatur.* 150. C. *occiditur.* 193. B.

Iaromirus Bretislai Bohemiæ Ducis filius. III. 243. C. *ſtudiis deſertis.* 251. C. *in Poloniam fugit.* 252. A. *fit Epiſc. Pragenſis.* 262. D. *Ioannem Olomuncenſem Epiſc. verberibus tractat.* 272. D. *deponitur.* 273. A. *reſtituitur.* ibid. B. *iterum deponitur.* IV. 317. C.

Iaroieniſce ſilua & palus. I. 18. C.

Iaropelkus filius Swatislai Ruſſiæ Ducis. II. 100. C. *fit Drzewlanorum Dux.* 101. A. *interficitur.* 103. C.

Iaropelkus Zaslai filius accipit Wiſſogrod. III. 280. A. *Wſzewoldo bellum infert.* 288. C. *interficitur.* 289. B.

Iaropelkus Wſzewoldi filius accipit Turou. III. 284. B.

Iaropelkus Wladimirowicz adu. Polonos rebellat. IV. 436. C. D. *ſed aſtu capitur.* 438. C. *moritur.* V. 456. B.

Iaroslaus Wlodimiri Ruſſiæ Ducis filius. II. 104. B. *Roſtow accipit.* 145. A. *cum fratribus pugnat & vincitur.* 145. C. *Swantopelkum fratrem vincit.* 151. A. *a Boleslao Rege bis vincitur.* 152. B. *iterum.* 157. C. 168. A. *Suantopelkum ter vincit.* 159. A. *Bretislaum Ruſſiæ Ducem prælio & Rededam Ducem de Koſchochori ſingulari certamine vincit.* 159. D. 160. A. *a Mſcislao fratre bis vincitur, & tamen Kiouienſem ſedem retinet.* 161. A. B. *Pieczyngos vincit.* 188. B. *Eccleſiam S. Sophiæ erigit.* ibid. *varia templa & monaſteria ædificat.* 189. B. *Poloniam vaſtat.* 200. B. *eius claſſis adu. Græcos naufragio perit.* III. 212. D. *Ducatum ſuum filiis diuidit & moritur.* 238. C. D.

Iaroslaus Iaropelczyc a Suantopelko vincitur IV. 346. B.

Iaroslaus Suantopelkonis filius Iaczvvingos vincit. IV. 394. B. *in Poloniam fugit.* 411. D. *moritur.* 420. *B.*

Iaroslaus Izaslavvic moritur. VI. 551. B.

Iaroslaus Epiſc. Wratisl. moritur. VI. 585. C. D.
Iaroslaus Wſzevvoldovvic. VI. 619. C.
Iaroslaus Archiepiſc. Gneſn. IX. 1061. A. *Lovvicz ædificat.* I. 42. B. *reſignat.* X. 16. D. *moritur.* 30. C. D.
Iaroslavv (Spithko de) XI. 242. D. 602. D.
Iaroſzyn caſtr. VII. 704. D.
Iaſiel ſl. I. 12. A.
Iaskier opp. X. 204. B.
Iasko Nic. VII. 693. C.
Iasło opp. I. 12. A.
Iaſtrzambiecz domus. X. 158. D. 176. B. XI. 341. A.
Iaſtrzambiecz. Alb. Epiſc. Poſn. X. 155. D. 159. A. XI. 242. A. 314. D. 332. D. 336. B. *fit Archiep. Gneſn.* XI. 469. C. *moritur.* XII. 692. C.
Iatzieniecz caſtrum. XI. 637. A.
Iaszevvice villa. V. 488. A.
Iavvnus Palat. Trocenſ. XI. 341. A.
Iavvnuta Lithuaniæ Dux. X. 60. C.
Iavvor monaſt. Trzebnicenſi donatur. VI. 592. D.
Iavvornik mons. I. 34. B.
Iaxa filius naturalis Leſzkonis III. I. 65. D. *accipit Serbiam.* 66. D.
Iaxa Serbiæ Dux. V. 464. C.
Iaxa de Miechovv duo monaſteria fundat. V. 50.. D. *ſeditionem excitat.* 514. D.
Iazceſchovva villa. VI. 618. A.
Iazdovv opp. VII. 870. D.
Idola Dominica Lætare e Polonia eiiciuntur. II. 94. C.
Iedlino lacus. I. 25. D.
Iedlna vrbs XI. 306. A.
Iednowladec, monarchia Ruſſiæ. II. 188. A.
Icleu lacus. I. 25. C.
Ielitho (Stanisl.) XI. 294. B.
Ielithonum domus. X. 185. D. XI. 252. D. 240. C. 341. C.
Iemielno villa. I. 16. D.
Ienczikowicz (Io.) XI. 243. B.
Ieruſalem a Zoldano Babyloniæ capta. V. 496. B. *a Saladino.* VI. 559. A.
Ieſcenow villa. I. 19. C.
Ieſſe Deus Polonorum. I. 36. D.
Ieziora ſl. I. 14. C.
Ignis apud Samogithas pro Deo cultus. XI. 343. A.
Ihor Ruthenorum Dux. I. 49. C.
Ilana opp. I. 30. C.
Ilkuſz. opp. I. 34. A. IX. 1163. D.
Ilow caſtrum. I. 66. B.
Ilszan ſl. I. 30. C.
Ilza ſl. I. 14. A.
Ilza opp. X. 48. A.
Imislaus Epiſc. Wratislau. IV. 416. D.
Imramowicze monaſt. XI. 369. A.
Imramus Zarichoſtenſis. X. 168. B.
Ingeuones pop. I. 20. D.
Innocentius II. Papa. IV. 433. B. *moritur.* V. 466. A.
Innocentius III. Papa. VI. 579. B. *moritur.* 618. B.
Innocentius IV. Papa. VII. 690. C. *moritur.* 737. C.
Innocentius V. Papa. VII. 808. C.
Innocentius VI. Papa. IX. 1096. D. *moritur.* 1128. C.
Innocentius VII. Papa. X. 174. C. *moritur.* 178. A.
Innovvidz villa. VII. 737. B.
Inovvlodz opp. IX. 1163. D.
Inſterberg. X. 37. A.
Interregnum in Polonia. II. 190. C. 193. C. III. 204. A.
Ioannes Epiſc. Wratislau. III. 253. C. *moritur.* 271. C.
Ioannes II. Epiſc. Wratisl. V. 476. A. *fit Archiep. Gneſnenſis.* 481. B. *moritur.* 508. A.
Ioannes anachoreta. II. 142. B. *occiditur.* 144. C.
Ioannes Græcorum Imp. cum Ottone II. bellum gerit. II. 111. C. ſ.
Ioannes de Iakuſovvicze. III. 269. B.
Ioannes X. Pont. I. 86. C.
XII. in exilium mittitur. II 106. C.
XIII. II. 96. C. 103. A
XIV. P. R. in exilium miſſus & ab Ottone III. reſtitutus. II. 100. B. D. 108. C. *moritur.* 115. C.
Ioannes Diac. Card. ei oculi a Bonifacio P. R. eruuntur. II. 118. B.
comes B. Adalberti. II. 120. D.
Ioannes XV. P. R. II. 127. 128 A.
XVI. II. 128. B.
XVIII. II. 142. A. *moritur.* 148. A.
XIX. II. 155. A. *moritur.* 158. B.
XX. II. 158. C. *moritur* 160. C.
XXI. II. 160. D. *moritur.* 190. B.
Ioannes Epiſc. Olomuncenſis verberibus tractatur. III. 2[illegible]2. D.
Ioannes Metropolita Kiouienſis. III. 289. B.
Ioannes Czyſtes Suantopelkum Bohemiæ Ducem interficit. IV. 383. A.
Ioannes Wratisl. Epiſc. monaſt. Andrzeiouienſe fundat. V. 455. A.
Ioannes de Temporibus. V. 484. D.
Ioannes Boleslai Alti filius. VI. 586. A.
Ioannes Epiſc. Plocenſis. VI. 630. B. *moritur.* 635. C.
Io. Wiſzkovviecz Epiſc. Poſnanienſis. VII. 802. D. *moritur.* 842. B.
Ioannes XXII. Papa. VII. 808. D. *ab ædificio comprimitur.* 811 D.
Io. Longus Epiſc. Plocenſis. VIII. 886. A. *moritur.* IX 935. B.
Io. Abrahæ Epiſc. Plocenſis. IX. 935. B. *moritur.* 965 B.
Ioannes XXII. Papa. IX. 960. D. *moritur.* 1031. B.
Iohannes Bohemiæ Rex a Polonis vincitur. IX. 1074. C. *moritur.* 1077. A. 1078. C.
Ioannes Epiſc. Poſnan. IX. 1101. B.
Ioannes Epiſc. Cracou. X. 137. A.
Ioannes Ratiborienſis Dux. X. 169. A.

Ioannes Epiſc. Pomeſan. X. 178. D.
Ioannes Dux Minſterb. XI. 295. D. 298. D.
Ioannes XXIIII. Papa. XI. 306. B. *deponitur* 366. B.
Ioannes Strigonienſ. Archiep. XI. 330. B. 334. A.
Ioannes Epiſc. Premisl. XII. 680. A.
Iokol caſtrum Liuoniæ. VI. 561. C.
Iopuchovv (Mroczk. de) XI. 272. C.
Ior Ruſſiæ Dux capitur. V. 479. 480. A.
Iordanus Ep. Poſnanienſis. II. 96. B.
Irzgola. XI. 344. A.
Iſaac comes B. Adalberti. II. 120. D.
Iſſaac anachoreta II. 142. B. *occiditur.* 144. C.
Isdvparta fl. I. 16. B.
Itlar Polovvconum Dux. IV. 315. C.
Iudæi multis immunitatibus ſub Caſimiro fruuntur. IX. 1110. C. *Cracouiæ ob infanticidium fere exſtirpantur.* X. 186. 187. A. ſ.
Iudicia in campis & pratis habita. III. 276. B.
Iudith Geiſæ Hung. Ducis filia, vxor Boleslai Chobri, II. 107. C. *filium parit Miecslaum* II. 110. C. *moritur.* 164. D.
Iuditha Bretislai Bohemiæ Ducis coniunx e Bohemia eiicitur. III. 243. D.
Iuditha Wratislai Bohemiæ Ducis filia. III. 254. D. *nubit Wladislao Poloniæ Duci.* IV. 309. C. *eius ſterilitas a S. Ægidio depellitur.* 306. A. B. *Boleslaum parit.* 308. B *moritur.* ibid. C. *eius liberalitas.* ibid. D. 309. A.
Iuditha Boleslai Kryvvouſti filia Stephano Colomani filio nubit. IV. 372. A.
Iuco mons. I. 18. B.
Iulianus Epiſc. Camenecenſis. II. 96. B.
Iungen (Conr. de) Magiſter Pruſſiæ. X. 141. B.
Iungen (Vlr. de) Aduoc. Sambienſis. X. 141. C. *poſt Mag. Pruſſiæ in prælio moritur.* XI. 264. C. 245. A.
Iunivvladislauia capitur. IX. 1010. B.
Iupiter Polonorum Deus. I. 36. D. ſ.
Iurgenburg caſtrum. X. 121. C.
Iurkovv villa. VI. 618. A.
Iurſza Capitaneus Lucenſis. XI. 587. C. 589. C.
Iurzincz villa. IX. 1161 D.
Ius Teutonicum Cracouiæ inſtitutum. VII. 750. A.
Ivvanovvicz Io. VII. 680. B.
Ivvo Epiſc. Cracou. VI. 622. C. *duo monaſt. fundat.* 627. C. D. *Hoſpitale Cracou. fundat.* 628. C. D. *Metropoliticam dignitatem Eccleſiæ ſuæ recuperat.* 642. C. *moritur.* ibid. *Cracouiam transfertur.* 660. A.
Izaslaus Wlodimiri Ruſſiæ Ducis filius. II. 104. B. *accipit Polocko.* 145. A.
Izaslaus Iaroslai Ruſſiæ Ducis filius. II. 162. C.
Izaslaus Percaslauienſis Dux. V. 479. D. *ex Kiouia eiicitur.* 483. A. *moritur.* 496. C.
Izaslaus Dauidovvic. V. 496. C. *fit Dux Kiouienſis.* 506. D. VI. 570. A.

K.

Kaczbach fl. I. 16. A.
Kaczyce monaſt. fundatur. VI. 628. A. *transfertur Mogilam.* 634. D.
Kadlub (Dzik de) XI. 294. B. 512. D.
Kadlubko. v. Vincentius.
Kaidanus Tartarorum Princeps. VII. 672. C.
Kaldenſchein (Lud. de) Cruciſ. Magiſter. VII. 772. B.
Kalina villa. VII. 671. B. 755. C.
Kalino monaſt. IV. 422. 423. A.
Kalinow (Martin. de) Siradienſ. XI. 342. A.
Kaliſz vrbis deſcriptio. I. 42. A. 43. B. *Eccleſia S. Pauli fundatur.* V. 489. C. D. *Hoſpitale fundatur.* VII. 831. C. *à Cruciferis capitur.* IX. 1012. A.
Kalski (Thomas) XI. 218. C. 294. C.
Kamenecenſis Epiſcopatus fundatur. II. 96. C.
Kamien vrbs. I. 40. C. *fundatur.* X. 30. D.
Kaminiec villa. I. 14. D. 19. A. V. 488. B.
- *opp. Maſouiæ.* I. 18. D.
- *vrbs.* I. 40. 41. A.
- *monaſt. Sleſiæ fundatur.* IV. 336. C. *Boleslao Duci donatur.* 343. C.
Kamien villa. I. 14. C. X. 72. D.
Kamiona fl. I. 14. A.
- *alius* I. 16. A.
Kampa villa. VI. 531. B.
Kanczyc villa. I. 11. C.
Kapa (Vinc. de) X. 73. C.
Kapaino villa. I. 17. B.
Kapinski (Wyerzbyatha) X. 175. B.
Karſzovin caſtrum. VII. 762. A.
Karſzko villa. V. 516. C.
Karwow vicus. VI. 603. A.
Kaſimirus, Kaſimierza. vid. Caſim.
Kaſzubianie Poloniæ regio. I. 45. C.
Kathy villa. I. 17. A.
Kazimierz (Sandiv. de) X. 75. C.
Kcinia: ibi templum fundatur. IV. 308. C.
Kempa villa. X. 1013. C.
Kerdeiowicz (Hriczko) XI. 563. A.
Kernovv Lithuaniæ Dux. X. 60. C.
Kerſinius fl. I. 21. B.
Keyſtuth Lithuaniæ Dux. IX. 1085. D. *capitur.* 1093. A. 1125. A. 1130. D. *euadit.* 1131. A. *accipit Troky.* X. 60. C. *necatur.* X. 66. A.
Keyſzil caſtrum. VII. 764. C.
Kieidany opp. I. 19. B.
Kielcze vrbs I. 42. A. II. 148. D. *ibi Eccleſia fundatur.* V. 519. B. C.
Kietlicz (Adam de) Epiſc. Lubuc. X. 59. D.
Kig fundator Kiouiæ. I. 41. B. 48. D.
Kiie Eccleſiam ibi ædificat Petrus Danus. V. 465. C.
Kikalopa Polowconum Dux. IV. 352. C.
Kikerzicz Dipold. XI. 258. C.
Kinboldus Lithuaniæ Marſchalcus. X. 191. D.
Kinncz lacus. I. 29. C.
Kinga Boleslao Pudico nubit. VII. 662. D.

Ki-

Kiniſna Hung. riuus. III.263.D.

Kinzgalon Lithuaniæ Baro. XI.346.B.

Kioniæ deſcriptio. I.41.B. à Pieczeniegis fruſtra obſeſſa. II.100.C.D. eam accipiunt Stanislaus & Poſuisd. 145.A. de ea inter Wlodimiri filios contentio. 145.B. à Iaroslao capitur. 151.A. poſt à Boleslao Rege Polon. 153.A. III.279.C. Iaroslao reſtituitur. II.162.B. accipit Zaslaus. III.238.C. & hoc eiecto Suantoslaus.271.B. quo mortuo Wſzewoldus. ibid. C. Zaslao reſtituitur.280.A. accipit Wſzewoldus. 284.B. poſt Suantopelkus. IV.304.A. vaſtatur. XI.375.A.

Kirbielia mons. I.18.B.

Kiſzchow caſtrum. I.27.B.

Kitanus Polowconum Dux. IV.315.C. interficitur. 316.A.

Kithadowo villa. VI.615.B.

Klay (Clemens de) XI.415.A.

Klecko opp. II.136.D. à Cruciferis conflagratur. IX.1012.B.

Kleſcze piſces. I.27.A.28.D.

Kliczanow villa. VII.737.B.

Kliczborn torrens. I.16.B.

Klimuntowo (Clem. de) Caſtellanus Cracov. VI.662.D. VII.732.B.C.

Kliſowo villa. VI.609.B.

Klobuczko, Eccleſiam ibi ædificat Petrus Danus. V.465.C.

Klocko Bohemiæ opp. incenditur. IV.401.C. Bohemiæ Regi donatur. VII.810.D.

Klodawa opp. I.26.D. ibi templum fundatur. IV.308.C.X.112.B.

Klodawa villa. VI.653.C.

Kłodnica fl. I.15.C.

Kluſzow villa. I.18.C.

Kmitha (Laſchko) X.34.A.D.

Kmitha (Nic.) XI.243.A.

Kmitha (Petr.) X.34.A.D.167.A.168.B.

Knapnik villa donatur monaſt. Mogilnenſi. III.258.D.

Kniprode (Vinr. de) Magiſter Pruſſiæ. IX.1055.C moritur. X.72.B.

Kobilani (Domar. de) XI.240.C.194.C.

Kobilani (Iac. de) X.188.A.XI.327.D.342.A.512.D.

Kobryn opp. & lacus. I.34.C.

Kobylniki villa. VII.737.B.

Kocawa fl. I.16.B.

Kochan Bohemiæ Baro. II.139.B.

Kochmagiſter (Mich.) Crucifer. X.184.C.XI.347.A.294.A.

Kochmagiſter (Vlr.) XI.547.B.

Kocza Polowconum Dux. IV.372.C.

Koczai Bohemus Iaromirum interficit. II.193.B.

Koczawie villa. X.199.A.

Kocziel Slauorum Dux. I.85.B.

Kodmb villa. I.16.C.

Koſin opp. I.16.A.

Kogez opp. I.30.C.

Kokerżicz (Popo de) Crucifer. IX.1021.C.

Kokywcytus ſilua. X.114.C.

Kolaczyce opp. I.33.D.

Kolczow villa. I.10.D.

Kolda domus. XI.341.C.

Kolein caſtrum. VII.861.D.

Kolinski (Dobrog.) XI.594.C.

Kolno villa. I.15.C.

Kolpin villa. X.51.A.

Kolpithe lacus. I.12.B.

Komorow villa. V.502.A.

Komorowski (Iac.) XI.585.C.

Konari villa. IV.410.B.VII.737.B.176.B.

Konczyska villa. VI.618.A.

Konieczpolie (Iac. de) X.168.B.XI.242.A.341.D.

Konieczpolye (Io.) XI 498.C.

Konik (Ludolph.) Magiſter Pruſſiæ. IX.1063.A. mente capitur. 1065.C.

Konin opp. IX.1013.B. Eccleſiam ibi ædificat Petrus Danus. V.465.C.

Koniuſza mons. I.33.B.

Konoſzowka villa. XI.270.B.

Konskye (Iuo de) Epiſc. Cracov. IX.1090.B.

Koſtacz domus. XI.341.B.

Kopanicza caſtrum. VII.707.C.

Kopciowice villa. I.13.B.

Kopidlowski (Przedp.) XI.260.C.

Kopielow opp. I.10.D.19.D.

Kopki opp. XI.211.C.

Koplow (Conr. de) XI.245.B.

Koprziwnica fl. I.14.A. alius. I.17.A.

Koprzivvnicenſe monaſt. fundatur. VI.554.C.D. IX.1160.A.B.

Korzbog domus. XI.229.A.

Korczbog (Petr.) ib.

Korczyn noua ciuitas. I.13.D. IX.1160.C. arcem & monaſt. fundat Caſimirus. 1164.A.

Korow Ruthenorum Dux. I.48.D.

Korewica arx ab eo ædificata. ib.

Korezakowic domus. XI.341.C.

Koributh (Sigism.) Dux Lithuaniæ. XI.243.D. vide Coributh.

Korieiow villa. VI.609.B.

Kormin maius. I.15.D.

Koronow monaſt. VII.850.C.XI.306.B.

Korſzyn Græcorum ciuitas à Wladimiro Ruſſiæ Duce occupata. II.110.D.

Korytnicza (Florian. de) XI.240.C.243.B.286.D.

Korzkew (Zakl.) XI.293.A.294.B.

Korzkiew (Iac. de) Epiſc. Plocenſis. X.150.C.

Koſan. I.12.D.

Koſcerzyno. I.14.D.

Koſchaczin villa. X.72.D.

Koſchutow (Nic. de) X.16.B.

Koſciel (Dobesl. de) X.82.C.

Koſcielec villa. VII.691.B.

Koſciol villa: ibi fundatur monaſt. VI.609.B.

Koſczien (Paul.) X.158.D.

Koſczielecz (Ianuſſ. de) XI.342.A.427.D.

Koſcziol (Albert. de) XI.342.A.

Koſiorowa torrens. I.34.B.

Koſmin opp. I.25.A.

Koſſow villa donatur monaſt. Mogilnenſi. III. 258. D.
Koſtrz villa. VII. 737. B.
Koſtrzazow opp. IX. 1116. D.
Koſtrzyn fl. I. 18. D.
Koſtrzyn opp. I. 16. A. *a Cruciferis conflagratur.* IX. 1012. B.
Koſzian opp. IX. 1025. B.
Koſzyak (Alb. de) X. 166. D.
Koſzycki opp. I. 13. C.
Koſzmin villa. VII. 803. D.
Kotſa fl. I. 30. D.
Koth (Matth.) XI. 342. B.
Kotra fl. I. 19. C.
Kotropol. IV. 307. C.
Kouale villa. VI. 621. A.
Kowalie opp. I. 27. A. 29. D. XI. 276. D. 428. B. *obſidetur.* 463. B.
Kowno opp. I. 19. B. *capitur.* IX. 1133. A. 1145. B.
Koyata e Bohemia eiicitur. IV. 336. D.
Kozari Ruſſiæ populi. II. 96. C.
Koziegłowy (Criſtinus de) XI. 242. D. 342. A.
Kozielsko villa. I. 45. A.
Kozienycze opp. XI. 209. A.
Kozlie opp. I. 15. C. 16. B. *caſtrum eius incendio abſumitur.* IV. 363. A. *a Boleslao reſtauratur.* ib. B.
Kozlierogi familia. VI. 648. A.
Kozlow villa. I. 14. C. VII. 733. B. XI. 220. D.
Kozmin opp. I. 16. A. IX. 1116. C. X. 68. A.
Kozmin (Barth. de) X. 71. B. 108. B.
Kozminiecz fortalitium. X. 68. A. 71. D.
Kpiſcheuo villa. X. 177. B.
Krag lacus. I. 27. D.
Kraiowicze villa. IX. 927. B.
Krampa (Petr. de) VII. 757. D.
Krampnica fl. I. 17. C.
Krampska lacus. ibid.
Krankowo villa. VI. 609. B.
Kransko lacus. I. 14. D. 25. D.
Krapa villa. X. 177. B.
Kraska (Io.) XI. 498. C.
Krasniſtaw. I. 12. B.
Krasniſtaw (Troian. de) X. 228. C.
Kraſſocyn. I. 14. B.
Kray villa. IX. 927. B.
Kreborg (Conr. de) X. 141. D.
Krempa fl. I. 14. A.
Krempsko lacus. I. 28. A.
Krenno villa. III. 258. D.
Kretkowski (Io.) XI. 271. A. 276. D.
Kreua Eccl. Paroch. X. 112. B.
Kriue dicitur Pruthenorum gentilium Pontifex. II. 119. A.
Krobia: ibi templum fundatur. IV. 308. C. X. 85. D.
Kroleſtbuo tributum. X. 40. A.
Krolikowo (Mart. de) XI. 342. A.
Kromolovv vicus. I. 10. C.
Kropidlo (Io.) Epiſc. Poſnan. X. 58. C. *fit Epiſc. Wladisl.* 95. A. 144. A. *amittit Epiſcopatum:* 124. B. 143. C. *reſtituitur.* 173. D. *in carcerem coniicitur.* XI. 309. D. *moritur* 445. C.
Kroſna opp. I. 15. C.
Kroſznovva villa. IX. 917. C.
Krovvodrza villa. VI. 628. D. X. 72. D. 139. B.
Kruczeberg caſtrum. VII. 764. B.
Kruplin villa. X. 72. C.
Kruſchice villa. X. 55. D.
Kruſwica vrbs. I. 42. D. *Boguslao Stetinenſi legatur.* IX. 1151. C.
Krwawi Diabel (Io.) X. 108. B.
Krynice lacus. I. 31. D.
Krzeczovv opp. IX. 1088. D.
Krzemieniecz mons. I. 34. D.
Krzemyeniecz caſtrum capitur. XI. 391. D.
Krzemionka fl. I. 29. A.
Krzemno lacus. I. 29. B.
Krzepicze opp. fundatur. IX. 1144. C. 1164. A. X. 72. D.
Krzesłavv Adalberti Ep. Prag. frater. II. 113. D.
Krzeſze fl. I. 19. C.
Krzeſzovv fl. I. 12. A. B.
Krzevviantka lacus. I. 27. A.
Krzyn villa. I. 14. A. ſ.
Krzyvvoſad Comes. II. 158. D.
Krzyvvoſandovvo villa. VI. 609. B.
Krzyzanovvice villa. VII. 737. B. *monaſt.* XI. 369. A.
Kuchmagiſter. v. Kochm.
Kucovvna villa. I. 11. B.
Kuczkovvski (Ianuſz.) X. 87. D.
Kuczyn vrbs. I. 66. B.
Kulcza fl. VI. 613. A.
Kulich (Iakusl.) X. 82. C.
Kunovv villa. VII. 795. D.
Kupki fl. I. 12. B.
Kurdvvano (Flor. de) X. 150. C.
Kurnik (Viſch. de) X. 18. C.
Kurnik (Nic. de) Epiſc. Poſnan. X. 22. D. *moritur.* 56. C.
Kuronovv monaſt.. I. 15. A.
Kuropatvva (Io.) XI. 544. A.
Kurovvski (Nic.) Epiſc. Poſnan. X. 144. A. *fit Archiep. Gneſn.* 173. C. *moritur.* XI. 114. B.
Kurovvski (Petr.) XI. 314. D. 498. C.
Kurozvvaki (Dobesl. de) X. 49. A.
Kurozvvaki (Zauiſſ. de) Epiſc. Cracou. X. 48. B. *fit Vicarius Regni Poloniæ.* 49. A.
Kurtaka Polovvconum Dux. IV. 352. D.
Kurzagora villa. I. 25. B.
Kurzathnik opp. XI. 227. D. 276. D.
Kurzecino villa. VI. 655. D.
Kurzelovv vrbs. I. 42. B. VII. 737. C.
Kuſtek Cunnorum Dux. III. 299. A. B.
Kuſza (Petr) VII. 680. D.
Kuſzan (Theoph. de) VII. 731. A.
Kuſzeczki (Henr.) XI. 246. D.
Kuſzolovvicz (Woyd.) XI. 341. C.
Kuthovv villa. IX. 1161. D.
Kvvidzin opp. I. 13. B. VI. 650. D.

Kvvieczys-

Kvvieczyſzevvska fl. I. 17. A.
Kvvieczyſzevvo opp. X. 84. A.
Kvviſza fl. I. 16. A.

L.

Labencz domus. XI. 341. A.
Labima diſtrictus. IX. 1142. B.
Labiſzin (Matth. de) X. 199. C. XI. 294. A.
Labiſzyn opp. I. 17. B.
Labyow diſtrictus. X. 43. D. 44. D.
Lacus Poloniæ deſcribuntur. I. 23. B. ſ.
Lada fl. I. 12. A.
Ladislaus Hungariæ Rex. VI. 584. B. *moritur.* V. 586. B.
Lætare Domin. idola e Polonia eiiciuntur. II. 94. C.
Lagoda domus. X. 157. D.
Lagievvniki villa. I. 14. C.
Lagovv (Io. de) XI. 292. D.
Lagovv opp. I. 14. A.
Lagouienſis Caſtellania Eccleſiæ Wladislauienſi donatur. IV. 309. A.
Laki villa. I. 11. B.
Lakocziny villa. X. 177. B.
Lakoſchiny (Io. de) X. 74 A.
Lamberg (Nic.) XI. 309. D.
Lambertus Archiep. Cracou. II. 117. D. *ad Papam petendæ Miecslao coronæ cauſſa miſſus.* 121. B. *moritur.* 161. C.
Lampertus Belæ Hung. Ducis filius. III. 236. D. *ex Hungaria eiicitur.* 268. C. *aliquam eius partem recipit.* 270. D.
Lampertus Zula Archiep. Cracou. archiepiſcopalia inſignia non petiit. III. 251. A. B. *moritur.* 269. B.
Lampertus Epiſc. Cracou. IV. 303. A.
Lancitia vrbs. I. 42. A. *a Cruciferis capitur.* IX. 1012. A. *caſtrum a Caſimiro ædificatum.* 1163. D. *monaſt.* 1164. A.
Lanczkoronenſe caſtrum. IX. 1163. D.
Lanczno villa. I. 26. B. VI. 531. C. *monaſt. Andrzeiouienſi donatur.* V. 455. B. *lacus* I. 27. A.
Landenſe monaſt. VII. 708. A.
Landenſis Caſtellania. VII. 752. A. B.
Langdorff villa. XI. 330. B.
Langvvin Lithuaniæ Dux. X. 61. C. XI. 244. B.
Lanzko villa. XI. 289. D.
Lapſchice Eccl. Coll. IX. 1164. A.
Labiſchin (Matth. de) Brzeſtenſ. XI. 342. A.
Laczuchovv (Io. de) Zuichoſtenſ. XI. 342. B.
Languinovvicz (Georg.) Lithuaniæ Dux XI. 512. D.
Las kari (Andr.) Epiſc. Poſn. XI. 313. A. *moritur.* 496. A.
Laski domus. XI 272. C.
Lasko occiſor Boryſz & Gleb. II. 146. A.
Laſoczki Nic. XI. 484. A.
Laſſotinus mons tumulus Grachi Regis. I. 53. C. *inundatur.* VII. 789. C.
Laszenice (Io. Glovvacz de) X. 156. C.
Laszkovvice villa. I. 16. D.
Laszyn, ex eo decem marcæ donantur monaſt. Mogilnenſi. III. 258. C.
Lateranenſe Concilium. VI. 618. A.
Laucariſtus vrbs antiqua Poloniæ. I. 43. C.
Laudoncz (Ladisl. de) XI. 216. A.
Lauredano (Anton. de) XI. 319. B.
Laurentius Lorek venator Bretislaum Bohemiæ Ducem occidit. IV. 345. D.
Laurentius I. Epiſc. Poſnan. IV. 359. D. *moritur.* 427. C.
Laurentius Epiſc. Wratislau. VI. 604. A. *moritur.* 648. A.
Lavvarzyski villa. I. 19. B.
Lavvice lacus. I. 17. B.
Lavvy villa. I. 13. D.
Lazuri opp. I. 34. A.
Leba lacus & fl. I. 15. A. 27. B.
Lebel (Hannus) XI. 292. D
Lebsko lacus. I. 27. B.
Lech venit in Bohemiam & Poloniam I. 6. 7. ſ.
Lechitæ dicti Poloni. I. 22. A.
Lechus Gneſnam ædificat. I. 36. A.
Lechus II. Grachi filius rex fit. I. 54. C. *ſed a ſuis eiicitur.* D. 55. A.
Lech filius Pompilii II. I. 70. D. *vna cum patre a muribus corroditur.* 76. B. ſ.
Lechnicenſe monaſt. vaſtatur. XI. 576. B.
Lednica lacus. I. 24. D.
Leges Polonis dat Caſimirus. IX. 1080. A. ſ. *Wladislaus auget.* XI. 472. B.
Legnica vrbs. I. 42. D.
Lekno opp. I. 45. A.
Lelivva domus. IX. 1123. A.
Lelouienſis terra. VII. 765. B.
Lelovv caſtrum a Caſimiro ædificatur. IX. 1163. D.
Lemberg opp. I. 17. C.
Lendeker (Fredericus) X. 166. D.
Leo VIII. Papa. II. 94. A. 106. C. *a Romanis depoſitus ab Ottone I. reſtituitur.* 107. B. *moritur.* 108. C.
Leo IX. Papa. III. 236. A. *S. Wolfgangum canoniſat.* 239. C. *Nortmannos bello inuadens vincitur.* 240. 241. A. *moritur.* 241. B. *eius electio deſcribitur.* ibid.
Leo Ruſſiæ Dux. VII. 782. B. *a Leſkone nigro vincitur.* 812. D.
Leonardus I. Ep. Wratisl. II. 192. D.
Leoninum mare. I. 21. B.
Leopoldus Auſtriæ Marchio a Bohemis vincitur. IV. 303. B.
Leopolis. I. 18. D. *eius deſcriptio.* I. 40. A. *Metropolis erigitur.* IX. 1131. D. *renouatur.* 1163. D.
Leſczyny villa. I. 14. C. II. 263. C.
Leſczynarum domus. IV. 416. D.
Leſzko: vide Przemyslaus.
Leſzek dolo ad Regnum peruenire volens occiditur. I. 62. B. ſ.
Leſzek II. inopinate ad regnum peruenit. I. 63. D. *eius regnum laudatur.* 64. A. ſ. *a Carolo M. dicitur interfectus.* I. 65. A. B.

Leſzko III. bene regnat. I. 65. B. C. *filiis naturalibus terras extra Poloniam diuidit.* I. 65. D. ſ.
Leſco Rex Poloniæ. I. 85. 86. A.
Leſzko Boleslai Criſpi filius naſcitur. V. 496. B.
Leſzko Maſouiæ Dux Miecslao ſe ſubiicit. VI. 549. C. *poſt Caſimiro.* 551. A. *moritur.* 555. B.
Leſzko Albo Caſimiri filius fit Monarcha Poloniæ. VI. 569. B. 601. A. *Grzimislauam Ruſſiæ Duciſſam ducit.* 625. B. *interficitur.* 637. C.
Leſzo niger Siradienſis Dux. VII. 764. A. *accipit Ducatum Cracov. & Sandomir.* 817. D. *Leonem Ruſſiæ Ducem vincit.* 820. D. *Lithuanos vincit.* 826. C. 830. D. *deponitur.* 837. C. *moritur.* 851. A.
Leſzko Dux Michalouienſis. IX. 906. C. D.
Leſznica villa. VII. 737. B.
Lethycow villa. I. 12. B.
Leuenta Stephani Hung. Regis filius. II. 186. B. III. 235. A.
Leuinenſe monaſt. VI. 653. C.
Lewkowo X. 177. B.
Lewtomorzycz Bohemiæ urbs. IV. 347. D.
Lezaysko opp. XI. 211. C.
Liada Deus Polonorum. I. 37. A.
Liberalitatis exemplum. III. 262. A. XI. 562. A.
Lichin (Io. de) XI. 591. A.
Lichtenſtein (Conr. de) X. 178. D. XI. 245. A.
Lichterſtein (Henr.) VII. 702. C.
Licowno villa. I. 12. A.
Lidinia fl. I. 12. D.
Liec opp. I. 30. A.
Ligaza (Io.) X. 168. B. XI. 242. B. 343. A.
Ligaza (Iac.) XI. 585. C.
Ligota villa. I. 17. A.
Lilia alueus. I. 10. D.
Limoſalcum vrbs antiqua Poloniæ. I. 43. C.
Linda (Godofr. de) X. 43. C.
Lintici Saxoniam vaſtant. III. 244. D.
Lion (Io.) XI. 294. C.
Lipini villa. XI. 451. C.
Lipitnica fl. I. 11. D.
Lipnica villa. V. 519. B. VI. 592. D.
Lipno opp. I. 31. C. *vaſtatur.* X. 197. C.
Lippa fl. I. 18. A.
Liſa gora mons. I. 34. D.
Liściec villa donatur monaſt. Mogilnenſi. III. 258. D. *molendinum monaſt. in Koſciol.* VI. 609. B.
Liſſa fl. I. 35. C.
Liſſow villa. I. 16. C.
Liſzi domus. XI. 341. A.
Lithuani à Ruthenis vincuntur. VI. 599. C. D. 602. D. *ad fidem conuertuntur.* X. 110. A. *libertatem & ſigna accipiunt.* XI. 336. D.
Lithuaniæ deſcriptio & ortus. X. 113. B. ſ.
Liuia, villa. VI. 653. C.
Liuniewo villa. V. 488. A.
Liuonia ad fidem conuertitur. VI. 318. C. VI. 561. C.
Liuoni vincuntur XI. 304. A.
Liw fl. I. 18. B.
Liwna fl. I. 13. B.
Liwocz mons. I. 33. D.
Locuſtæ multæ in Polonia. IX. 1035. D.
Lodzya (Io.) Epiſc. Poſnan. IX. 1035. C. *moritur.* 1077. D.
Lodzya familia. X. 22. D. XI. 341. C.
Logota villa. I. 16. C.
Logow villa. I. 17. A.
Lopata (Io.) XI. 512. D.
Loſoſina fl. I. 11. A.
Loſzow caſtrum. X. 87. A.
Lotharius Galliæ Rex vincitur ab Ottone II. Imp. II. 108. B.
Lotharius fit Imp. IV. 426. B. *coronatur.* 442. C. *moritur.* 448. C.
Lowinicza (Io. de) X. 36. A.
Lowce caſtrum. II. 150. D.
Lowicz villa. VI. 666. A.
Lowicz occiſor Boryſz & Gleb. II. 146. A.
Lowicz vrbs. I. 42. B. *à Lithuanis diripitur.* VII. 769. A.
Lowczyce villa. I. 18. B.
Lubaczow caſtrum. IX. 1059. A. 1164. A. X. 36. C.
Lubardus Lithuaniæ Dux. X. 2. A. 60. C. *alius* X. 61. C.
Luben opp. I. 15. C. *lacus.* XI. 238. D.
Lubenow villa. I. 16. D.
Lubens monaſt. I. 16. A. *fundatur.* III. 229. A.
Lubens opp. monaſterio donatur. III. 229. A.
Lubicz molendinum. XI. 488. B. C. 489. C. 491. C.
Lubien: ibi monaſt. fundatur. IV. 399. D.
Lubik opp. Bohemiæ. II. 113. D.
Lubik ſ. Lubeca. I. 3. D. *olim ad Poloniam pertinuit.* I. 45. C. 67. A.
Lublin monaſt. fundatur. V. 489. C.
Lubiow caſtrum. IX. 1086. A.
Lublinum capitur. VII. 698. B. *exuritur.* 738. C. *renouatur & caſtrum ædificatur.* IX. 1163. D.
Lubno lacus. I. 30. B.
Lubnicza domus. X. 159. A.
Lubnicza (Mart. de) Brzezinenſ. XI. 342. B.
Luboczyn villa. I. 29. A.
Lubochnia opp. XI. 209. A. 220. D.
Lubomla caſtrum. I. 19. C. XI. 318. C. 320. C.
Lubotyn lacus. I. 27. A.
Lubow v. Mikielburg.
Lubowlya caſtrum bis capitur. X. 107. A. B.
Lubrancz (Andr. de) XI. 342. B.
Lubſtowo lacus. I. 25. C.
Lubucenſis Epiſcopatus inſtituitur. II. 95. C.
Lubuſch vrbs. I. 40. D. *ab Henrico V. Imp. fruſtra obſidetur.* IV. 378. D. ſ. *à Regno alienatur.* VII. 716. C.

Lu-

Lubuſſa Bohemiæ Regina Przemyſl ruſticum in coniugem aſſumit. I.53.54.A.
Lucidus Ep. Wladiſlauienſis. II.96.B. *Eccl. parochialem in Dzwirczno fundat, & moritur.* 114.C.
Lucieza fl. I.14.C.
Lucilius I. Ep. Wratiſlauienſis. II.183.A. *moritur.* 192.D.
Lucius II. Papa. V.472 C. *moritur.* 475.A.
Lucius III. Papa. VI.548.D. *moritur.* 556.B.
Lucko Pragenſis Epiſc. III.261.B. *expellitur.* 262.D.
Luckow opp. I.18.D.41.C.
Lucomir fl. & lacus. I.28.C.
Lucslawice villa. VI.618.A.
Luczanie Ruſſiæ populi. I.49.A.
Luczka obſidetur. XI.580.B.ſ.
Luczkovienſis terra Regno Poloniæ incorporatur. IX.1087.D.
Luczycze (Petr. de) X.99.A.
Ludimilla Bohemiæ Duciſſa. I.90.A. *occiſa & inter Sanctas relata.* I.90.C.
Ludimilla Wratiſlai Bohemiæ Ducis filia. III.254.D.
Ludinia villa. I.14.B.
Ludomierz villa. I.11.D.
Ludouicus Caroli Hungariæ Regis fil. declaratur ſucceſſor Regni Poloniæ. IX.1055.C. *fit Rex Hungariæ.* 1063.D. *regnum Poloniæ ſuſcipit.* X.4.D. *coronatur.* 7.D. *moritur.* 68.B.
Ludzimierz monaſt. fundatur. VI.652.D.
Lukamie lacus. I.28.B.
Lukawa fl. I.14.A.42.A.
Lukowa villa. I.12.B.
Lukie lacus. I.29.B.
Lukierdis maioris Poloniæ Duciſſa interficitur. VII.831.C.
Luna (Petrus de) XI.306.C. *moritur* 375.C.
Lunæ tres adparent. V.514.C.IX.958.A.
Luneburg à Polonis ædificata. I.66.B.67.A.
Lupus Epiſc. Plocenſis. V.518.D. *moritur.* VI.540.C.
Lutemburg (Otto de) Crucifer. IX.1010.A.
Lutha fl. I.20.A.
Luthinia fl. I.17.A.35.B.
Luthko miles Henricum V. Ducem capit. VII.868.C.
Lutidanum vrbs antiqua Poloniæ. I.43.C.
Lutomie lacus. I.14.D.
Lutowo villa. XI.451.C.
Lyada domus. X.146.B.
Lyk lacus. I.30.D.
Lyſſakow villa. V.455.B.

M.

Magdeburgum à Vislao fundatur. I.67.A. *Archiepiſcopatus ab Ottone I. Imp. fundatur.* II.101.C. *ibi moritur Otto I.* II.107.C. *ius ibi petunt Poloni.* IX.1104.B.C.
Magiero (Criſtinus) XI.294.B.
Magiſtratus Polonorum. I.8.D. *non ex alienis ſumuntur.* I.38.C.
Magnus Comes Wratiſlauienſis. IV.333.C.ſ. *Pomeranos & Pruthenos vincit.* 392.D.
Magnus Epiſc. Cracov. V.457.D. *moritur.* 476.A.
Magnuſzewo villa. I.12.D.
Maldeſze lacus. I.30.B.
Maldrzik Nic. XI.562.B.
Malechow vrbs. I.66.B.
Malocha Petr. X.35.C.52.C.D.
Malowiecz (Henr.) XI.296.D.
Malski (Albertus) XI.218.C.288.A.294.C.300.B.327.D.
Managa regio. VII.714.A.
Manegolde Magiſter Pruſſiæ. VII.821.D.
Mangoſius abbas Mogilnenſis. III.358.D.
Mankowice villa. VI.628.A.
Marcellus Epiſc. Cruſvicienſis. II.162.A.
Marcellus I. Epiſc. Poſnanienſis. III.235.B. *moritur.* 259.A.
Marcus Epiſc. Plocenſis. III.261.C. *moritur.* IV.310.D.
Marcus Palatinus Cracov. VI.631.D.
Mardurum pelles. I.21.C.
Margarethæ de Zemboczyn pudicitia. III.281.D.
Margonino (Theod. de) X.75.A.
Margonino (Io. de) X.87.B.
Mariæ virginis imago Czaſtochowæ. I.33.B.
Maria Ruſſiæ Duciſſa nubit Caſimiro Poloniæ Regi. III.218.A. *religionem Græcam abdicat.* ibid.B. *moritur.* IV.310.B. *v. Dobrognieva.*
Marienburg extruitur. VII.821.D. *exuritur.* X.121.C.
Mariewerder opp. I.19.B. VII.825.A.
Marimunt Lithuaniæ Dux. X.61.C.
Marlebo vrbs. I.67.C.
Mars Deus Polonorum. I.37.A.
Marſzyna e Bohemia eiicitur. IV.336.D.
Martialis Ep. Plocenſis. II.107.A. *moritur.* 146.B.
Martinus Gallicus citatur. I.65.A.
III. Papa. II.101.A.
Martinus Ep. Plocenſis. II.146.B.
Martinus I. Archiep. Gneſn. IV.323.D. *moritur.* 411.B.
Martinus I. Epiſc. Poſnan. IV.427.C. *moritur.* V.469.C.
Martinus de Sandomiria Prior Kiovienſis. VI.649.C.D.
Martinus IV. Papa. VII.823.C.
Martinus Bohemus. X.169.A.
Martinus V. Papa. XI.384.B. *moritur.* XI.572.D.
Marzaki (Dziu.) XI.252.D.
Marzanna Dea Polonorum. I.37.C.
Maſchkowicze (Zuidr. de) X.125.B.XI.226.D.240.B.
Maslaus Subpincerna gerit ſe pro Principe Plocenſi. II.194.D.III.204.C.210.A. *vincitur.* 221.B. *ſe iterum mouet.* 223.C. *vincitur.* 225.

225. C. *in Pruſſia trucidatur & patibulo affigitur.* 226. C. D.
Maſouia vaſtatur à Iaroslao. II. 200. B. *rebellat ſub Maslao.* 194. D. III. 204. C. 220. A. *ſubiicitur Caſimiro.* 221. C. 226. A.
Mathildis Duciſſa Lucenſis. III. 273. B.
Matthæus Comes B. Adalberti. II. 120. D.
Matthæus anachoreta. II. 142. B. *occiditur.* 144. C.
Matthæus Epiſc. Cracov. V. 461. D. *moritur.* 509. A.
Matthæus Palat. Siradienſis. VII. 848. D.
Matthias Epiſc. Wladislav. IX. 1144. A. *moritur.* 1155. A.
Matthias Epiſc. Przemisl. X. 137. B.
Matthias Gniewkovienſis X. 168. B.
Mauritij Eccleſia Magdeburgi. II. 107. C. *lancea donatur Boleslao Regi Polon.* 134. A.
Mauritius Epiſc. Wladislav. II. 115. C. *moritur* 162. A.
Mauritius Abbas de Kamien. VII. 783. B.
Maurus Epiſc. Cracovienſis. IV. 387. C. *moritur.*
Mazik Io. XI. 251. A. 243. A.
Medelanski Petr. XI. 253. D.
Mederabe caſtrum. VII. 862. A.
Medica XI. 334. C.
Mediolanum capitur. V. 503. C.
Medniki vrbs & fl. I. 41. B. XI. 334. C. XI. 344. A.
Megalopolis. v. Mikielburg.
Meinhardus Epiſc. Livoniæ. IV. 318. C.
Meldeze lacus XI. 286. A.
Melno lacus. I. 20. B.
Melſchtin (Spithko de) Caſimiri Regis gubernator. IX. 1030. A. *Palatinus Cracov.* X. 78. A. *ei donatur terra Podoliæ.* 150. D. *à Tartaris vincitur.* 157. C. 158. A. *turbas mouet.* XII. 697. D. *occiditur.* 714. A.
Memel caſtrum Pruſſiæ. I. 10. D.
Menchardus Epiſc. Pragenſis. IV. 432. C.
Menchardus Liuonos conuertit. VI. 561. C.
Mendog Lithuanorum Dux. VII. 723. C. 738. C. *Poloniam vaſtat.* 759. D. 760. A. *occiditur* 769. B.
Merecz fl. & opp. I. 19. A. X. 176. D. XI. 415. A.
Meſthuinus Pomeraniæ Dux. VII. 790. C.
Metanaſte mons. I. 31. B.
Metemburg caſtrum. X. 121. D. 132. C.
Methodius Slauos conuertit. I. 85. B. *Morauorum Epiſc.* 90. A.
Mianow villa. VI. 531. B.
Michael Epiſc. Wladisl. VII. 744. D.
Michalko Dux Wladimirienſis. VI. 551. C.
Michalko Ruſſiæ Dux. V. 519. D.
Michaël Græcorum Imp. I. 85. B.
Michael Comes de Habdank. IV. 399. D.
Michael Epiſc. Wladislav. VI. 618. D.
Michalkow Halicienſem Ducatum accipit. VI. 633. B.
Michalouienſis terra Cruciferis traditur. IX. 1066. D.
Michow (Varſius de) X. 157. D.
Michalow (Nic. de) Cracovienſ. X. 191. B. XI. 242. B. 341. D. *exercitui præficitur.* 628. B.
Miciewnica Polowconum Dux. VI. 605. A.
Miechow opp. I. 35. A.
Miechowo villa. IV. 410. B. *ibi conſtruitur monaſt.* V. 502. A.
Miecslai (Nic.) XI. 620. D.
Miecslaus filius Zemomysl cæcus naſcitur. I. 86. D. *viſum ſeptennis accipit.* 87. D. *ad libidinem pronus.* 89. B. *Dambrowkam Bohemiæ Ducis filiam vxorem accipit.* II. 91. A. ſ. *& cum ea religionem chriſtianam.* 93. C. *quam tota Polonia ſuſcipit.* 94. A. *ſeptem cathedrales Eccleſias fundat* 95. B. C. *& dotat.* 96. 97. A. *naſcitur ei filius Boleslaus.* 97. C. *religionem chriſtianam propagat.* 100. A. 104. C. 105. B. *coronam à Papa petit, nec impetrat.* 121. B. ſ. *Bohemiæ Ducem Boleslaum reſtituit.* 123. B. C. *moritur.* 124. B.
Miecslaus huius nepos, Boleslai filius naſcitur. II. 110. C. *accipit Rixam Ottonis Imp. neptem.* 161. B. *ei naſcitur filius Caſimirus.* 164. C. *fit Rex.* 180. A. *Ruſſos in ordinem redigit.* 181. B. C. *Morauiam vaſtat.* 184. A. *Pomeranos vincit.* 186. C. *vitia eius.* 187. B. *demens fit.* 188. C. *moritur.* 188. D.
Miecslaus Caſimiri filius naſcitur. III. 231. C. *moritur.* 259. B.
Miecslaus Boleslai II. filius naſcitur. III. 263. B. *ex Hungaria reuocatur.* IV. 304. B. *Eudoxiam Suantopelki filiam vxorem ducit.* 312. A. *moritur.* 314. A. 352. D.
Miecslaus Wlodimirowicz Nouogrodenſem Ducatum occupat. IV. 316. C.
Miecslaus ſenex accipit Poſnaniam. V. 454. B. *monaſt. Wągrowiec fundat.* 473. A. *ducit Eugeniam Ruſſiæ Duciſſam.* 484. D. *ducit Gertrudim Hungariæ Regis filiam.* 485. D. *hoſpitale Poſnaniæ fundat.* 519. A. *fit Monarcha Poloniæ.* 522. A. *fit crudelis in ſubditos.* VI. 524. A. *à Monarchia excluditur.* 535. D. *eam adfectat.* 562. B. C. *ſed repellitur.* 563. A. 573. B. 585. B. *iterum accipit.* 588. B. *moritur.* ib. D.
Miecslaus Dux Ratiborienſis & Opolienſis. V. 504. C. 571. D. *moritur.* VI. 611. D.
Miecslaus Cuiauienſis Dux à muribus deuoratur. VI. 658. D.
Miecslaus Caſimirides Dux Opolienſis. VII. 675. B.
Miecslaus Miecslai Poſnan. filius naſcitur. V. 506. B.
Mieczniki villa. I. 19. C.
Miedzinski Petr. XI. 591. A.
Miedniki fl. I. 19. B.
Miedniki Eccl. Paroch. X. 112. B.
Miedzyborze. v. Magdeburgum.
Miedzyrzec opp. I. 16. D. *à Boleslao Polon. Duce capitur.* IV. 330. 331. A. *caſtrum ædificatur.* IX. 1164. A.
Miedzygorze (Zakl. de) X. 109. B. 190. D.

Mieloſtowo villa. V. 519. B.
Mienſk ſilua. I. 12. D.
Mierzawa villa. V. 488. B. XI. 451. C.
Miesko. v. Mieslaus.
Mikielburg. I. 66. B. 67. B. *Ducatus origo.* II. 158. D.
Miklo qui Mikielburg condidit. I. 67. B.
Milkow villa. VI. 531. C.
Miloſtaw (Petrus de) X. 157. D.
Miloſtowo villa. VI. 655. D.
Mingede caſtrum. VII. 869. D.
Mingedin diſtrictus. VII. 861. D.
Mingyel (Iac.) XI. 341. B.
Minigal Caſtellan. Vilnenſ. XI. 341. A.
Minislaus Bohemiæ Rex. I. 58. A.
Miroslaus Epiſc. Poſn. XI. 496. A.
Mirouice villa. IV. 410. B.
Miſericordiæ exemplum. II. 164. D. ſ.
Miſſerwica Polowconum Dux. VI. 605. A.
Miskina Ruthenorum Dux. I. 49. D.
Mislakowo villa. VI. 615. C.
Miszocholi Eccl. Paroch. X. 112. B.
Mlada Duciſſa Bohemiæ fit ſacerdos. II. 97. D. 102. C.
Mlecka fl. I. 11. C.
Mlini villa. I. 13. D.
Mnatha Bohemiæ Rex. I. 58. A.
Mnichow villa. I. 17. A.
Mochay vrbs XI. 327. B.
Moczenigo (Franciſ.) XI. 329. B.
Mogat opp. I. 10. A.
Mogiła opp. I. 13. C.
Mogilno monaſterium fundat & dotat Boleslaus. III. 258. B. *ſpoliatur.* VI. 643. D.
Mobilno opp. I. 19. B.
Mokowo lacus. I. 31. C.
Mokrsko (Florian. de) Epiſc. Cracov. IX. 1151. C.
Mokrsko (Clemens de) Radomienſ. XI. 342. A.
Moldawa fl. I. 18. B.
Monarchiæ incommoda. I. 47. B.
Mondigerd (Petr.) XI. 341. B.
de Monetæ diſceptatio. XII. 695. B. 708. D.
Moniatowice villa. I. 16. C.
Moniwid Palat. Vilnenſ. XI. 341. A.
Mons ferreus monaſt. S. Benedicti in Hungaria. II. 124. A.
Monſtrum in lacu iuxta Cracov. capitur. VII. 814. C. D.
Montuinus Lithuaniæ Dux. X. 60. C.
Morag opp. XI. 272. A. 300. A.
Morawa fl. I. 7. A.
Morauia à Boleslao Chobri vaſtatur. II. 141. A. *Polonis eripitur.* 183. B. *à Miecslao vaſtatur.* 184. A. *à Wladislao.* IV. 326. A. *à Polonis vaſtatur.* 353. A. 354. C.
Moraui a Przemislao vincuntur. I. 59. D. ſ.
Morawica fl. I. 14. A. *alius.* I. 15. C.
Morawiecz Nic. XI. 251. A. 270. B.
Morcheyn. XI. 245 B.
Morimundenſe monaſt. V. 455. B.
Moromoſz Ducatus. IV. 319. D.
Moryslawa villa. I. 17. A. 24. D.
Moskorzow villa. I. 13. D.
Moskorzow (Nic. de) X. 109. B. 131. B. 167. A.
Moskorzow (Clemens de) X. 167. A. 168. B. 178. D. XI. 241. C.
Moſzenica fl. I. 14. C.
Moſzina fl. VII. 705. B.
Mothlawa fl. I. 14. D.
Mrokota Epiſc. Poſnanienſis. VI. 556. A. *moritur.* 575. B.
Mrokowo villa. X. 185. B.
Mrukow mons. I. 34. A.
Mscisława Ruſſiæ Duciſſa à Boleslao captiuatur II. 154. B.
Msćislai duo Wlodimiri Ruſſiæ Ducis filij. II. 104. B. *vnus Iaroslaum fratrem bis vincit.* 162. A. B. *moritur.* 188. A.
Mscislaus Iaroslai Kiouienſis filius. III. 266. A. C.
Mſcislai militis vxorem Chriſtinam abducit Boleslaus Rex. III. 275. A.
Mſcislaus Wlodimiri filius accipit Kioviam. IV. 425. D. *moritur.* 430. C.
Mſcislaus Izaslawic Ruſſiæ. V. 503. A. 516. A.
Mſcislaus Halicienſis regno ſuo reſtituitur. VI. 548. A. *à Caſimiro deficit.* 553. B. *veneno extinguitur.* ibid. C.
Mſcislaus Roſcislavic. VI. 551. C.
Mſcislaus Romanowic VI. 570. A.
Mſcislaus Wladimirowic. VI. 589. B.
Mſcislaus Boleslai filius monaſt. in Koſciol fundat. VI. 609. B.
Mſcislaus Dauidowic. VI. 619. C.
Mſczugius de Iakuſovvice. III. 269. B.
Mſzane lacus. I. 29. A.
Mſzugius Pomeraniæ Dux. VI. 525. C. VII. 696. B.
Mthavva fl. I. 13. A.
Mthavvsko lacus. ibid.
Muchavviec fl. I. 18. C. 34. C.
Mukſcha lacus. I. 28. A.
Multana fl. Bohemiæ. I. 7. A. B.
Mumickovvice villa. I. 19. D.
Muromum accipit Gleb. II. 145. A.
Murzynovv villa. VI. 644. B. XI. 219. B.
Muſchata Io. Epiſc. Cracov. VIII. 879. C. *moritur.* IX. 972. A.
Mutina Bohemiæ vrbs. IV. 347. D.
Mutina Bohemiæ Baro. IV. 372. D. *occiditur.* 373. D.
Myedzvviedz (Petr. de) XI. 294. A. 482. D.
Myedzygorze (Zakl. de) X. 36. A.
Myędzyrzecz caſtrum. VII. 787. A. B.

N.

NAbiſzicze fortalit. X. 68. A.
Naborzicze villa. X. 177. B.
Nactaga regio. VII. 714. A.
Nactida filia Ottonis II. Imp. II. 108. A.
Nadobni Io. XI. 544. A.
Nadrowąsz Pruſsia regio. II. 163. A.

Nadub lacus. I. 26. C.
Nadzierzowo villa. VI. 609. B.
Nadzyeziecze. XI. 334. C.
Nakel fl. IV. 321. C.
Nakiel castrum ab Wladislao frustra obſidetur. IV. 322. D. ſ. *a Polonis capitur.* 399. D. 414. C. D. VII. 696. A. *a Pomeranis capitur.* 738. D. *a Cruciferis incenditur.* IX. 999. B. 1012. B. *castrum ædificatur.* 1164. A. XI. 288. D.
Nalecz domus. X. 218. C. XI. 341. C.
Nalencz domus. VII. 712. A. IX. 934. A. 935. B. X. 46. A. 57. C. 95. B. 143. D. 144. A. 157. D. XI. 218. C. 240. C.
Nalibin donatur monaſterio Lubenſi. III. 229. A.
Nankerus Epiſc. Cracou. IX. 972. B. *fit Epiſc. Wratisl.* 991. A. *Io. Bohemiæ Regem excommunicat.* 1040. D. *moritur.* 1061. B.
Napſtir donatur monaſterio Lubenſi. III. 229. A.
Narevv fl. I. 10. D.
- - *deſcribitur.* I. 12. C. D.
Narimunt Lithuaniæ Dux. X. 60. C. *interficitur.* 129. D.
Naſchian (Io. de) X. 167. A. XI. 291. D. 294. B.
Naſilsko eius teloneum donatur monaſt. Mogilnenſi. III. 258. C.
Nauandz caſtrum. X. 121. C.
Nauctaga Pruſſiæ regio. I. 163. A.
Naugarder caſtrum. X. 121. D. 132. C.
Navvir Dobrzinenſ. XI. 295. A.
Navvoz villa. I. 12. A.
Navvrotynski Ruthenus. IV. 424. D.
Neczko (Petr.) XI. 310. C.
Nekanda (Andr.) X. 175. B.
Neptunus Deus Polonorum. I. 37. A.
Nerouena villa. X. 176. D.
Neuerken opp. X. 204. A.
Nicolaus Slauorum Princeps ab Henrico Leone victus. I. 66. C.
Nicolaus II. Papa. III. 246. A. *moritur.* 253. C.
Nicolaus de Mikołaiovv. III. 269. B.
Nicolaus de Zemboczyn. III. 281. D.
Nicolaus Archidiac. Gneſnenſis a Pomeranis capitur. IV. 368. B.
Nicolaus Bogoria. VI. 554. D.
Nicolaus Palatinus Cracou. curator Leſzkonis. VI. 569. C. 581. B. *deponitur.* 587. D. *Miecslao Monarchiam reſtituit.* 588. B. *moritur.* 600. C.
Nicolaus de Henrichovv. VI. 628. A. B.
Nicolaus Caſtellanus Caliſſienſis. VII. 755. D.
Nicolaus Epiſc. Poſnan. VII. 775. B. *moritur.* 802. D.
Nicolaus Abbas de Lubens. VII. 783. B.
Nicolaus III. Papa. VII. 812. A. *moritur.* 821. C.
Nicolaus IV. Papa. VII. 850. B. *moritur.* 865. B.
Nicolaus Dux Oppauienſis. IX. 903. C.
Nicolaus Abbas Mogilnenſis. IX. 974. B.
Nicolaus Caſtellanus Sandomir. X. 52. C.
Nicolaus Scholaſt. Poſnan. X. 56. C. 57. D.
Nicolaus pincerna. X. 158. C.
Nicolaus Epiſc. Wladisl. X. 166. D.
Nicolaus Poloniæ Vice-Cancell. XI. 248. D. 289. C.
Nicolaus Brodnicza XI. 276. A.
Nidborg caſtrum. XI. 276. D. 289. A. *capitur.* XI. 353. A.
Nieszobya domus. XI. 240. C.
Nida fl. I. 13. D. 24. C.
Nidborg opp. I. 12. D. X. 37. A.
Nieborovvsky Criſtin. XI 487. D.
Niechbaldus Comes. III. 257. A.
Niechrovvy villa. V. 519. B.
Niedzica fl. I. 13. D.
Niedzvviedz (Andr. de) VII. 693. C.
Nieklam Bohemiæ rex Wratislaum vincit. I. 58. B. *alius.* I. 90. A.
Nieliſch villa. I. 12. B.
Niemce caſtrum. V. 485. B.
Niemen fl. I. 10. D. *qui in eum fluuii illabatur.* I. 19. A. *fl. pacificus.* I. 21. A.
Niemiecka Oſtrovva opp. I. 15. C.
Niemierza Caſimiri filius naturalis. IX. 1110. C.
Niepolomicenſe caſtrum erigitur. IX. 1163. D. *eccleſ. Colleg.* 1164. A.
Niepr fl. I. 10. D.
Nieradzek Iaropelcum interficit. III. 289. B.
Nieſzovv vrbs Cruciferis donatur. VI. 644. B.
Nievvienczany opp. I. 19. C.
Nievvieſza fl. I. 19. B. X. 43. C. 184. C.
Nievvſzaſtovv villa. I. 17. B.
Niezamysl lacus. I. 25. A. IX. 1013. C.
Nigrum caſtrum. I. 10. C.
Niia Deus Polonorum. I. 37. A.
Niko mons. I. 35. C.
Nikſz (Nicol.) XI. 245. A. 310. C.
Nippen (Vilhelm.) XI. 245. C.
Nir. I. 16. D.
Niſam fl. tres. I. 15. B. C.
Niſza vrbs & fl. I. 42. C.
Nivviska villa. X. 139. B.
Nix multa. II. 109. D. IX. 1031. B. 1097. D.
Niz fl. I. 16. C.
Nobel lacus. I. 29. D.
Nobilitatis Polonicæ mores. I. 38. A.
Nobliny lacus. I. 17. C. 25. D.
Nochovv villa. I. 45. A.
Nogai Tartarorum Dux. VII. 757. C.
Nogi ſilua. I. 14. A.
Noſtvvicz (Nic.) XI. 288. A.
Nosz (Io.) XI. 294. B.
Northerius fundator ordinis Præmonſtrat. IV. 417. A.
Normanni Leonem IX. P. R. vincunt. III. 240. 241. A.
Notes fl. I. 10. C.
Noteſz fl. & villa. I. 16. A. 24. B. *alius.* 17. B.
Nouæ cellæ monaſt. I. 16. A.
Nouogrod accipit Wiſſeslaus. II. 145. A. *a Chleb poſſidetur.* III. 271. C. *poſtea a Svvantopelko.* 280. A. *occupatur a Miecslao Wlodimirovvicz.* IV. 316. C. *a Withavvodo.* 511. B. C.
Nouogrodek comburitur. X. 132. A.

Ne-

Nouoslupsko Pomeraniæ vrbs. VI. 609. D.
Nouum forum donatur monaſterio Lubenſi. III. 219. A.
Novve opp. I. 15. D. *eius teloneum donatur monaſt. Mogilnenſi.* III. 258. C
Novvemiaſto. I. 12. D.
Novvidvvor (Dobrog. de) X. 57. C.
Novvin Dobrany monaſt. VII. 803. D.
Novvoś iedlce villa. I. 20. A.
Novvydvvor vrbs Maſouiæ. I. 12. C.
- - villa. I. 13. A.
Novvydvvor (Dobrog. de) X. 95. B. *fit Epiſc. Plocenſis.* 143. D.
Novvygrod opp. I. 12. D.
Novvynadimus. XI. 341. B.
Novvytarg opp. VI. 652. D.
Nur fl. I. 18. D.
Nyemcz (Conr.) XI. 292. D. 297. A.
Nyemcza Eccl. Paroch. X. 112. B.
Nyemyen fl. X. 183. B. 184. C. XI. 342. D.
Nyempcz (Conr.) XI. 297. A.
Nyeſchovv villa. XI. 219. B.
Nyeſchovv caſtrum. XI. 288. A.
Nyetupa villa. X. 204. B.
Nyevvyaſza fluuius. XI. 343. A. 346. B.

O.

OBichovv (Ivvan de) X. 166. B. 167. A. 190. D. XI. 342. B.
Obidovva mons. I. 11. D.
Obiezierze villa. VI. 655. D.
Oblink monaſt. I. 16. A.
Obolcze Eccl. Paroch. X. 112. B.
Oborniki opp. I. 17. B.
Oborniki (Cathar. de) VII. 693. A.
Obra villa & fl. I. 15. D.
Obrzel villa. V. 519. B.
Octauianus Ep. Culmenſis. II. 96. B.
Oczanſche. X. 177. B.
Oczakovv caſtrum. I. 31. A.
Oczchovv opp. I. 11. B.
Ocziec caſtrum. IX. 1164. A.
Oderberg opp. I. 15. B.
Odiniec, taurus magnus. IV. 364. D.
Odmuchovv vrbs. I. 42. D.
Odo Cluniacenſis. IV. 312. B.
Odolny miles. III. 258. D.
Odolanovv caſtrum. X. 52. A. 108. C.
Odolanovvski (Barth. de) X. 85. C.
Odouacer fuit Ruthenus. I. 23. A.
Odra fl. eius deſcriptio. I. 10. B. *qui fluuii in eum influant.* I. 15. A.
- - alius. I. 16. D.
Odrovvacz villa. I. 14. A.
Odrovvasz familia. VI. 622. C. XI. 216. A. 240. D. 341. B. 574. D.
Odrovvasz Io. Archiep. Leopolienſis. XII. 691 D.
Odry opp. I. 10. B.
Ogiorius Epiſc. Wladislau. VI. 594. A.
Ogrodzeniec opp. I. 13. B.
Ogrodzyniecz (Wlodko de) X. 97. B.
Okunin lacus. I. 29. C.
Okain diſtrictus. VII. 862. A.
Okvvia (Dobeslaus.) XI. 240. B. 294. B.
Olavva fl. I. 15. B.
Olavva lacus. X. 176. D.
Olbiasz lacus. I. 29. D.
Olbrachcyce opp. I. 15. C.
Olcha filius Svvatoslai Ruſſiæ Ducis. II. 100. C. *fit Drzevvlanorum Dux.* 101. A. *a fratre interficitur.* 103. B.
Olech Ruſſiæ Dux varias turbas mouet. III. 283. C. *Czernieiovv capit.* IV. 310. A.
Olech Georgii Ruſſiæ Dux. V. 496. C.
Olech Pereaslauienſis Dux. V. 516. A.
Oleſchnicza (Sbign. de) IX. 1123. D. XI. 313. A. 424. B. *vide Sbigneus.*
Oleſchnicza (Grzim. de) X. 83. C.
Oleſchnicza (Iaschko de) Capitaneus Lithuaniæ. X. 131. C.
Oleſchnicza (Petr. de) XI. 286. D.
Oleſchnicza (Dobesl. de) X. 179. C. XI. 242. D. 286. C. 327. D.
Olesko opp. I. 10. D. I. 17. A. 19. C. *capitur.* XI. 612. C.
Oleśno opp. I. 15. C.
Oleuinski (Dobesl.) XI. 294. B.
Olgerth Lithuanorum Dux. IX. 925. C. *moritur.* 1079. A. *accipit Krenani.* X. 60. C. D. *moritur.* 61. D.
Olha Ruthenorum Duciſſa. I. 50. A.
Olha fl. IV. 391. C.
Olieſchnicza (Dobesl. de) XI. 342. A.
Oliua monaſt. a quo fundatum. VI. 525. C. 537. B.
Olivvyenski Dobesl. X. 198. C.
Olka fl. I. 49. A.
Ollæ naſcuntur in Polonia. I. 44. A.
Olobog monaſt. I. 15. D. VI. 604. A. *fundatur.* 615. B. C.
fl. I. 16. C. VI. 615. C.
Olobog caſtrum. VII. 843. C.
Oloczyce I. 17. C.
Olomuncenſis Epiſcopatus Pragenſi vnitur. IV. 311. A. *ciuitatem & prouinciam Olomunc. accipit Sobieslaus.* 405. B.
Olowno villa. I. 19. C.
Olſcham fl. I. 15. B.
Olſzowa villa. VI. 618. A.
Olſztyn vrbs. I. 35. A. X. 148. B.
Omolow fl. I. 13. A.
Ondregowo villa. VI. 655. D.
Onkaim caſtrum. IX. 898. B.
Opatow opp. I. 32. A. 42. A.
Opatowiec opp. I. 11. B. VI. 618. A.
Opathowek villa. VII. 755. C.
Opauica fl. I. 15. C.
Operiaſz XI. 320. D.
Opiſo Legatus Apoſtol. VII. 705. A. 706. A.
Opoczka caſtrum. XI. 519. D.
Opoczno opp. IX. 1088. D. 1163. D.
Opole vrbs. I. 42. C.

Opolienſium Ducum è concubina origo. VII. 723. B. C.
Oporow (Wladiſl. de) Epiſc. Wladiſl. XI. 639. B.
Orinia fl. I. 20. B.
Orlia fl. & villa. I. 16. A.
Orlie lacus. I. 26. D.
Orlik villa. I. 14. D.
Orlow villa. VI. 644. B.
Orſzela (Vernh. de) Magiſter Pruſſiæ. IX. 994 D. *moritur.* 1007. B.
Orzechowski (Ianuſſius) XI. 245. A.
Orzimow caſtrum. VII. 754. C.
Orsko villa. I. 11. D.
Orsza opp. I. 19. D. *fl.* I. 20. B.
Orzechow lacus. I. 29. A. *alius* I. 30. A.
Orzechowiec lacus. I. 29. A.
Orzechowsky (Ianuſſ.) XI. 316. C.
Orzic fl. I. 12. D.
Oſelch, eius teloneum donatur monaſt. Mogilnenſi. III. 258. C.
Oſieczno opp. I. 25. B. *lacus.* I. 27. C.
Oſiek caſtrum. ibid.
Oskald Ruthenorum Dux. I. 49. B.
Oſmorog domus. XI. 341. C.
Oſſa fl. I. 13. A.
Oſſobita mons & torrens. I. 34. C.
Oſſoblokam fl. I. 15. B.
Oſſobogla fl. I. 41. C.
Oſſolin (Nic. de) X. 36. A.
Oſſoria domus. X. 240. C.
Oſterna (Popo de) Magiſter Pruſſiæ. VII. 740. B.
Oſterrod opp. I. 30. C. XI. 276. D. 289. A.
Oſterwicz (Vlr. Schenk de) X. 166. D.
Oſthen (Vlr. de) X. 24. C.
Oſtoia domus. X. 15. C. 146. B. 170. D. XI. 239. A. 294. B.
Oſtraua Niemiecka opp. I. 15. D.
Oſtrauica fl. ibid.
Oſtrog (Fethko de) XI. 618. B. ſ.
Oſtrolęka opp. I. 13. A.
de Oſtrorog (Sandigovius) X. 156. B. 157. D. XI. 242. A. 288. D. 294. A. 302. C.
Oſtrow (Dan. de) IX. 1071. C. D.
Oſtrow (Criſtin. de) X. 97. C. 147. D. XI. 242. A.
Oſtrowcze (Ioh. de) X. 166. C.
Oſtrow villa. I. 14. B. 29. C. 67. C.
Oſtrowaczno (Mich. Thom. de) X. 72. A.
Oſtrowice lacus. I. 27. D.
Oſtrowie lacus. I. 29. A.
Oſtrzeſzow opp. I. 15. D. IX. 1163. D.
Oſtwiſz lacus. I. 26. C.
Oſuchow villa. I. 14. B. C. XI. 306. A.
Oſwięcim opp. I. 11. A. 13. B.
Oſziek IX. 1160. C.
Oſzolin (Nic. de) X. 109. A.
Oſzolin (Io. de) X. 175. D.
Otardus Saxoniæ Dux. III. 219. A. *Bohemiam vaſtat.* ibid. D.
Otha de domo Bipenn. VII. 795. D.
Otha Chelmenſ. Epiſc. moritur X. 165. D.
Otmuchovv caſtrum. VII. 835. B.
Otto filius naturalis Leſzkonis III. I. 65. D. *accipit Holſatiam.* 66. D.
Otto I. Imp. hoſtes ſuos vincit. II. 101. A. *Magdeburgenſem Archiep. fundat.* 101. B. *moritur.* ibid. *Ioannem Papam deponit.* 106. D. *Adalmundam ducit.* 107. A. *moritur.* 107. C.
Otto II. in Regem Rom. creatur. II. 107. B. *fit Imp.* 108. A. *Lotharium Galliæ Regem vincit.* X. 108. B. *cum Ioanne Græcorum Imp. bellum gerit.* 111. C. D. *moritur.* 112. C.
Otto III. fit Imp. II. 108. B. *Electores inſtituit.* II. 128. B. *S. Adalberti cauſa proficiſcitur in Poloniam.* 128. C. ſ. *Boleſlaum in Regem creat.* 131. C. *moritur.* 137. B.
Otto Caſimiri I. filius. III. 235. D.
Otto Bretislai Bohemiæ Ducis filius. II. 243. C. *accipit partem Morauiæ.* 251. C.
Otto Bohemiæ Dux, IV. 386. D. *cadit in prælio* 426. D.
Otto Miecslai ſenis filius naſcitur. V. 490. B.
Otto IV. fit Imp. VI. 580. A. *Siciliam inuadit.* VI. 613. D. *moritur.* 62 . A.
Ottocarus Bohemiæ Rex moritur. VI. 643. D.
Ouidius citatur. III. 213. B.
Ovvięnska monaſt. fundatur. VII. 692. D.
Ozimini XI. 316. C.

P.

Pabianice terra. IV. 308. D.
Pacoslaus Sandomir. Palatinus. VI. 638. C. VII. 672. D.
Pacoslaus miles: eius hiſtoria. VII. 866. C. ſ.
Paczanovv villa. VI. 531. B.
Paczanovvski (Florian.) XI. 499. D.
Padnievvo villa donatur monaſt. Mogilnenſi. III. 258. D.
Paklica fl. I. 16. D.
Pakość opp. I. 17. B.
Pakosławv villa. I. 14. B. 16. A.
Pakoslavvsky Henr. XI. 585. C.
Pakovv opp. X. 43. D.
Pałovvice villa. I. 16. B.
Pałuka (Alb.) Epiſc. Poſnan. IX. 1078. B. *moritur.* 1101. A.
Pałuki diſtrictus. I. 45. A.
Pannonij à Przemyslao vincuntur. I. 59. D. ſ.
Papovv (Ziffrid. de) IX. 974. B.
Pamueſino (Iac. de) XI. 445. A.
Parcovv. I. 12. C.
Parczovv opp. I. 26. A.
Parkanie Eccleſ. Parochialis. III. 300. B.
Parsk caſtrum. X. 72. B.
Parteczino lacus. I. 30. A.
Parthenopolis. v. *Magdeburg.*
Parthonice opp. I. 16. A.
Parunem diſtrictus. IX. 1142. A.
Paſchalis Epiſc. Plocenſis. III. 220. A. *moritur.* 261. B.
Paſchalis II. Papa. IV. 346. A. *moritur.* 413. D.

Paſchonis Ianuſſ. X. 16. C.
Paſtovv diſtrictus. X. 43. D.
Paſturovv villa. VI. 531. C.
Patrikig Lithuaniæ Dux. IX. 1085. D. X. 61. C.
Paulinus I. Epiſc. Poſnanienſis. II. 170. A. moritur. 190. B.
Paulinus I. Epiſc. Wladislauienſis. IV. 336. C. moritur. 391. B.
Paulus miles. III. 258. D.
Paulus I. Epiſc. Poſnan. VI. 609. C. capitur & euadit. 655. C. moritur. VII. 692. C.
Paulus Epiſc. Cracou. VII. 778. C. propter impietatem capitur. 795. C. D. dimittitur. 796. A. iterum capitur. 831. B. moritur. 865. A.
Pavvłovvice villa. I. 14. A.
Pavlowski (Staniſl.) XI. 487. A. B. fit Epiſc. Plocenſis. D. moritur. XII. 720. A.
Peczenthan XI. 247. A.
Pełcznica (Clem. de) VII. 680. D.
Pełczyska mons. I. 34. A.
Pelka Caſimiri filius naturalis. IX. 1110. C.
Pelka Præpoſ. Curzelov. X. 52. C.
Pella (Io.) Epiſc. Wladisl. XI. 445. C. moritur. 500. B.
Pelplin monaſt. XI. 632. C. D.
Pelusa Lithuaniæ Dux. VII. 842. D.
Pereasłavv accipit Wſzevvoldus Iaroslai filius. III. 238. D. poſtea filius Roſcislaus. IV. 304. A. Iaropolkus. 425. D.
Perkuno Samozitharum Deus XI. 343. D.
Perner (Conradus) X. 166. D.
Perolba fl. I. 31. A.
Perſiuna domus. VII. 795. B.
Peruſa villa. I. 14. B.
Peſtis in Polonia. II. 140. D. 150. C. VI. 630. C. VII. 828. B. IX. 1086. B. 1090. A. 1123. B. X. 17. C. XI. 488. D.
Petrus Bulgarorum Dux Græcos vexat. II. 117. D.
Petrus Damiani citatur. II. 181. A.
Petrus Epiſc. Cracov. X. 161. B.
Petrus Wilhelmi Burgundiæ Ducis filius fit Rex Hungariæ. II. 198. A. B. eiicitur. III. 223. A. reuocatur. 233. A. excæcatur & occiditur. 234. D.
Petrus Archiep. Gneſnenſis. III. 248. A. moritur IV. 323. D.
Petrus Epiſc. Wratislauienſis. III. 271. C. moritur. IV. 321. A.
Petrus miles à mortuis ſuſcitatus Stanislao dat teſtimonium. III. 277. C. ſ.
Petrus Canonicus Cracov. IV. 305. D.
Petrus Danus Comes Skrzynenſis. IV. 421. A. ſ. theſauros ſuos in Poloniam aduehit. 422. D. pudicitiam Chriſtinæ infamat. V. 463. D. oculis & lingua priuatur. 464. D. multas Eccleſias fundauit. 465. C.
Petrus Wloſczczovvicz de Xiaż Iaropelkum Ruſſiæ Ducem aſtu capit. IV. 438. C.
Petrus Archiep. Gneſnenſis. V. 508 B. moritur VI. 548. A.
Petrus S. Mariæ Cardinalis Polonicas Eccleſias reformat. VI. 573. C.
Petrus Epiſc. Plocenſis. VI. 647. B. moritur. 662. A.
Petrus Archiep. Gneſnenſis. VI. 648. B.
Petrus Epiſc. Plocenſis. VII. 713. B. moritur. VII. 733. B. 769. D.
Petrus Epiſc. Poſnan. VII. 732. D. moritur. 737. B.
Petrus Valachiæ Palatinus. IX. 1123. A.
Petrus Epiſc. Lubucenſis. IX. 1147. D.
Petrus Cracouienſis X. 166. D. Epiſcopus. XI. 332. B.
Pezowo lacus. I. 25. B.
Pheter Iudæus comburitur. X. 186. B.
Philippus Epiſc. Plocenſis. IV. 343. D. moritur 362. B.
Philippus Epiſc. Poſnan. VI. 573. B. moritur. 609. B.
Philiſtinorum forum. I. 18. B.
Pianthkovv villa. VII. 832. C.
Pianus Epiſc. Poſnanienſis. V. 484. B. moritur ibid. C.
Piaſeczno lacus. I. 28. A. alius. I. 29. A.
Piaſt ciuis Cruſuicienſis vir hoſpitalis. I. 79. A. duos peregrinos ſuſcepit 79. B. qui eum Regem fore prænunciant. 81. B. Rex fit. 81. D. & feliciter regnat. 82. C. ſedem Gneſnam transfert. 82. D. Duces Caſſubitarum vincit. 83. A. moritur. 84. B.
Pieczeniegi Kiiouiam obſident & relinquere coguntur. II. 100. C. D. Svvantoslaum Ruſſiæ Ducem vincunt. 101. B. à Ruthenis vincuntur. 123. A. Wladimirum Ruſſiæ Ducem vincunt. 123. D. Iaroslao auxiliantur. 145. B. à Iaroslao vincuntur. 188. B.
Pieczona villa. I. 18. A.
Pielgrzymouicze villa. X. 48. B.
Pieniaſzkovvo villa. VI. 615. C.
Pierzchala familia. IX. 1030. A. XI. 487. D.
Pierzchno (Dom. de) Capitaneus mai. Polon. X. 35. B. C.
Pieſtrzecz villa. X. 155. D.
Pieſtrzykovv villa. I. 17. A.
Piiana villa. I. 10. B.
Pikna (Sigismund.) XI. 240. D.
Pilcaſl. & caſtrum. I. 14. B. VI. 531. B.
Pilcza (Otto de) IX. 1089. A. X. 14. A. 36. A.
Pilczyca fl. I. 14. B.
Pilik Varſchouienſis X. 157. D.
Pinea arbor mutatur in ſilicem. I. 45. B.
Pinsko diſtrictus. I. 19. C. 29. D. XI. 347. D.
Piotrek v. Petrus.
Piotrowin villa, de ea controuerſiæ. III. 275. C. ſ. VI. 531. C.
Piotrkow opp. I. 35. A. IX. 1163. D. monaſt. 1164. A.
Piotrkowicz Thom. VII. 680. D.
Pipinus Pruthenus. IV. 646. B. C.
Pirethon fl. I. 31. A.
Piskupice villa. VI. 629. A.
Piſten caſtrum. IX. 984. D.

Piſz fl. & caſtrum. I.12.D.
Pizdry vrbs. I. 20. C. 35. B. *incenditur.* IX. 1010. D. *caſtrum ædificatur.* 1163. D. *capitur.* X. 73. C.
Pkanow: ibi templum fundatur. IV. 308. C.
Plawen (Henr. de) Commend. Swiecziensis. XI. 265 C. *fit Magiſter Pruſſiæ.* 285. D. 245. A. 299. C. 300. A. *officio deponitur.* 346. D. 347. C.
Pleczemin Brod. I. 17. C.
Plichta Maſouiæ Marſchalcus. XI. 211. A.
Plisk fl. I. 16. A.
Plocice lacus. I. 29. C.
Plocko ciuitas. I. 13. A. 40. C. *ibi Episcopatus fundatur.* II. 95. C. *Eccleſia incendio conſumitur.* VI. 622. B. *à Pruthenis exuritur.* 628. A. *à Lithuanis.* 760. A. *readificatur.* 767. B. *munitur.* IX. 1097. B. *à Semouito capitur.* XI. 1163. B. *renouatur & arx ædificatur.* 1163. D.
Plocko monaſt. VI. 540. D.
Plock eius teloneum donatur monaſt. Mogilnenſi. III. 258. C.
Plock (Henr. de) Magiſter Pruſiæ. IX. 953. C. *a Lithuanis vincitur.* 974. A.
Plomikowski (Iaroslaus.) XI. 240. D.
Plomikowski Barth. X. 298. A. XI. 240. D. 294 B.
Plomikow (Io. de) Palatin. Wladislau. IX. 907. A.
Plomini (Io. de) X. 197. D.
Plomyani domus. X. 198. A.
Plona fl. I. 12. D.
Plona vrbs. I. 66. B.
Plonsko opp. I. 11. D.
Pluuia magna. IV. 411. A. VI. 626. A.
Pobiedziska opp. I. 16. D. 25. A. *a Cruciferis conflagratur.* IX. 1012. B.
Poboz familia. II. 200. C.
Pochoſt villa. I. 19. C.
Podchorzyce villa. I 18. C.
Podogorzyce villa. I 16. C.
Podoliæ terram accipit Spithko de Melſchtyn. X. 150. D. *Switrigal Dux Lithuaniæ.* XI. 564. C.
Podzimierz villa. I. 18 D.
Pogeza Pruſiæ regio. II. 163. A.
Pogoda Dea Polonorum. I. 37. B.
Pogonia villa. I. 13. D.
Pogorzelica villa. VI. 655. D.
Pogotkow villa. VII. 803. D.
Pogrzibowo villa. X. 177. B.
Pokucie. I. 17. D.
Połaniec opp. I. 13. D. VI. 671. C.
Potapy villa. I. 29. A.
Polenc villa. VI. 653. C.
Polibow villa. I. 18. D.
Polichta villa. VI. 618. A.
Polmo lacus & villa. I. 29. A.
Polocko accipit Iſaslaus. II. 145. A.
Poloniæ antiqua deſcriptio. I. 8. A. B.
- - *termini.* I. 9. A. B. 21. B. *nomen vnde.* I. 22. B.
Poloni: eorum mores. I. 38. A. B. 43. 44. A. ſ. *religionem Chriſtianam adſumunt.* II. 94. A.
Polota fl. I. 20. A.
Polowci Wſzewoldum Ruſiæ Ducem vincunt. III. 247. A. B. *Ruſſos iterum vincunt.* 249. A. *a Suantoslao vincuntur.* 249. D. *Wſzewoldum vincunt.* 283. D. *Swantopelkum bis vincunt.* IV. 307. B. D. *& caſtrum Torcz capiunt.* ibid. D. *variis præliis funduntur.* 316. A. *a Boleslao Duce vincuntur.* 343. B. 345. B. 375. B. 392. D. 398. B. *a Ruthenis.* 352. B. 370. C. 391. D. VI. 599. A. B. *ſe Boleslao Duci dedunt.* 412. C. *Ruſiam vaſtant.* V. 519. D. *Polpin villa.* VII. 803. D.
Polthew fl. I. 18. D.
Poltowsk vrbs. I. 42. D.
Polukoſza domus. VII. 778. C. IX. 1123. B. XI. 257. A. 240. B. 341. B.
Polukoza domus. XI. 294. C.
Polwica villa. I. 25. B.
Pomerani a Polonis deficientes vincuntur. II. 186. A. B. IV. 317. C. ſ. 321. B. ſ. 324. B.
Pomeraniam vſurpant Cruciferi. IX. 919. A. *emunt a Marchionibus Brandeb.* 939. B. ſ. *Cruciferis donat Rex Bohemiæ.* 996. B. *a Caſimiro Cruciferis traditur.* 1066. D. *vaſtatur.* XI. 302. C.
Pomiani domus. XI 341. B.
Pomorzanie Poloniæ regio. I. 45 D.
Pompilius I. Rex Polon. I. 67. D. *ſedem regiam in Gneſnam & Cruſuiciam transfert.* 68. B. *moritur.* I. 68. C. D.
Pompilius II. fit Rex. I. 69. A. *eius vitia enumerantur.* 69. B. C. *ab vxore effoeminatur.* 70. B. *a patruis caſtigatur.* 70. D. *quos veneno necat.* 74. C. ſ. *& ob id a muribus corroditur.* 76. B. ſ.
Pampilius huius filius. I. 70. D. *vna cum patre a muribus corroſus.* 76. B. ſ.
Pompinus Crucif. Magiſter. VI. 665. A.
Pompo idem qui Pompinus.
Pomyani domus. XI. 240. D. 445. C.
Ponyecz caſtrum. X. 85. C.
Popiel v. Pompilus.
Popo Archiep. Cracou. II. 161. D. *moritur.* 171. 172. A.
Popowo villa. VII. 832. D.
Poproth fl. I. 11. B. XI. 303. A.
Por fl. I. 12. A.
Poradlne tributum. X. 17. B. 40. A.
Pomi frater Adalberti Prag. Ep. II. 113. D. *auctor familiæ Roſarum.* 114. B.
Ponie familia. XI. 341. A.
Poremba villa. X. 55. D.
Poroſtow villa. I. 20. A.
Porſzy fluuius. II. 181. B.
Porta inde monachi in Lubenſe monaſt. transferuntur. VI. 526. C. D.
Portegal caſtrum. VI. 665. B.
Poſnaniæ deſcriptio. I. 40. A. *ibi fundatur Epiſco-*

ſcopatus. II. 95. C. *a Bretislao vaſtatur.* 195. B. *hoſpitale fundatur.* V. 519. A. VII. 772. C. *dotatur.* VI. 655. C. D. *monaſt. ſanctimonalium fundatur.* 832. C. *arx ædificatur.* IX. 1163 D.
Poſthonow diſtrictus. VII. 862. A.
Poſuiſd filius Wlodimiri Ruſsiæ Ducis. II. 144. C. *accipit cum aliis Kiiouienſem & Bereſtow Principatus.* 145. A.
Poſzadow (Mroczck de) XI. 332. D.
Poſzna villa. VI. 618. A.
Potbylie mons. I. 35. A.
Potilicz opp. I. 45. B.
Potock villa. V. 455. B.
Po'ylica fl. I. 35. A.
Poualorum domus. XI. 240. D. 297. A.
Powala domus. XI. 270. B. 240 D. 341. B.
Powała (Nic.) XI. 294. A. 295. B. 327. D.
Powidz opp. & lacus. I. 24. D.
Pradnik fl. I. 13. B.
Prædicatorum ordo introducitur in Poloniam. VI. 623. B.
Præfecti duodecim regunt Poloniam I. 47. C. ſ. 58. 59. A. ſ.
Præmislaus filius naturalis Leſzkonis. III. I. 65. D. *accipit Brandeburgum.* 66. D.
Præmonſtratenſis ordinis initium. IV. 416. 417. A.
Praga a Czecho ædificata. I. 7. C. *ibi Cathedralis Eccleſia fundatur.* II. 102. B. *a Boleslao Chobri Poloniæ Rege capitur.* 139. D. *Metropolis fit.* IX. 1073. A. *Academia fundatur.* 1129. B.
Prądnik villa. VI. 628. C.
Prandnik fl. I. 26. A.
Prand cin villa. VI. 628. A.
Prand tha Episc. Cracou. VII. 778. B.
Prand cyn molend. I. 17. A.
Prawditarum domus. VI. 546. C. VII. 732. D. IX. 1149. A. 1154. A. X. 157. D.
Pregor fl. VII. 762. B.
Premisliam accipit Roſcislaus. IV. 425. C. *capit Caſimirus Rex.* IX. 1059. A. *Cathedralis Eccl. erigitur.* X. 26. A.
Presburg ab Henrico III. Imp. obſidetur. III. 236. D.
Presbyter Iohannes. VI. 557. B.
Priuilegia Polonorum confirmantur. IX. 1102. B.
Procboczicze (Andr. de) XI. 210. B.
Prochorius Archiep. Cracouienſis. II. 96. B. *moritur.* 108. C.
Procopius Belinenſis Comes. III. 219. D.
Procopius Episc. Cracou. VII. 865. A. *moritur.* VIII. 879. C.
Procopius notarius. X. 158. C.
Procopius Rafus Bohemus. XI. 480. D.
Proculſus Archiep. Cracou. II. 108. D. *moritur.* 117. D.
Prodigia; acies igneæ in cælo viſæ. II. 103. D. XI. 238. A.
Proborinus Episc. Poſnan. II. 136. C.
Proſna fl. I. 42. B. VII. 707. B.
Proſzowice opp. I. 33. B. III. 281. D. XI. 316. D.
Prusias Bithyniæ Rex Pruſsiæ nomen dedit. II. 119. B. C.
Prusmorg opp. capitur. XI. 272. C.
Pruſsiæ deſcriptio. II. 162. 163. A.
Pruth fl. I. 17. D.
Pruthení idololatræ. II. 118. D. VII. 689. C. *eorum origo.* 119. A. *mores.* 120. D. *Boleslao fiunt tributarii.* 163. B. *a Boleslao II. vincuntur.* III. 256. A. *a Wladislao deficientes vincuntur.* IV. 317. C. ſ. 321. B. ſ. *a Boleslao Duce* 392. C. *ſe Boleslao Duci dedunt.* 412. C. *ad fidem conuertuntur.* V. 505. D. *ab ea deficiunt.* 507. A. *Poloniam inuadunt.* 508. C. 631. A. B. *Polonos cædunt.* 510. C. D.
Prypuſt, eius teloneum donatur monaſt. Mogilnenſi. III 258. C.
Przecopa villa. V. 488. A.
Przecslaua Ruſsiæ Ducisſa a Boleslao captiuatur. II. 154. B.
Przeczlaus Episc. Wratisl. IX. 1062. A. *moritur.* X. 29. B.
Przeczlaus Vicetheſaurarius. X. 158. C.
Przedborz opp. I. 35. A. IX. 1159. A. 1163. D.
Przekora (Iac.) XI. 468. C. 512. D.
Przemąkow villa. I. 11. B.
Przemąkow (Iazdo de) VII. 778. C.
Przement caſtrum. VII. 707. B.
Przement monaſterium. I. 25. B.
Przemiesłauice villa. IV. 410. B.
Przemislia vrbs. I. 40. D. *a Wladimiro Ruſsiæ Duce occupatur.* II. 108. C. *a Boleslao II. Rege.* III. 267. 268. A. *caſtrum ædificatur.* IX. 1163. D. *templum Ruthenum Latino ritu conſecratur.* XI. 334. B.
Przemisl ruſticus fit Rex Bohemiæ. I. 54. A. B.
Premislaus Dux Bohemiæ. v. Nicklam.
Premislaus Bohemiæ Rex excommunicatur. VI. 619. D.
Przemislaus Poſnanienſis Dux. VII. 707. B. *Rudenſe caſtrum occupat.* 718. B. *moritur.* 750. B.
Przemislaus huius filius. VII. 751. A. *accipit Ducatum Caliſsienſem.* 816. C. *fit Rex Poloniæ.* VIII. 877. D. *interficitur.* 881. B.
Przemislaus Ratibor. Dux. VIII. 878. A. B.
Przemislaus Oſſwyaczimenſis Dux. X. 169. A.
Przemſcha albus & niger fl. I. 13. B.
Przemyslaus miles I. 60. A. *Pannonios & Morauos aſtu ſuperat, & Rex Poloniæ fit.* I. 60. 61. A.
Przeſzeka (Przibko de) X. 93. D.
Przewloki mons. I. 24. D.
Przeworsk villa. I. 18. C.
Przezwan diſtrictus. X. 44. D.
Przischow caſtrum. IX. 1164. A. X. 213 B. 371. D.
Przischow (Wyerzb.) XI. 576. A.
Przoſna fl. I. 16. C. VII. 707. B. IX. 1013. A.

Przybyslaus eques: ei multi adducuntur equi. I.33. B. C.
Przybyslaus filius naturalis Leſzkonis III.1. 65. D. accipit Dituoniam. 66.D.
Przybyslaus Nicolai Slauorum Ducis filius. I. 66. C.
Przygodzicze villa. X.177.B.
Przypiec fl. I.19.C.28.D.
Pſari arx Slauoniæ. I. 7. A.
Pſchonka Petr. IX. 1093. C.
Pſkouienſes a Withawdo vincuntur. XI.492.B.C.
Pſyna fl. I.15. D.
Pſzto fl. X. 156. C.
Ptolemaeus citatur. I. 42. B. 43. B.
Ptur lacus. I.27. B.
Puchala (Dobesl.) XI. 288. A. 294. C. 300. B. 303. D. 357. A.
Puchſza occiſor Boryſz & Gleb. II.146.A.
Pudicitiæ exemplum. III.281 D.
Pulkoſza domus. XI. 531. B. XII. 690. B.
Pullen caſtrum. IX.1038.A.B.
Pultowsko villa. IX. 1030. A.
Pultowsko opp. IX.1154. C.D.
Puſchata (Dobeslaus) X. 218. C.
Putata Palatinus Kiouienſis IV. 394. A.
Puteolanus Hiſtoricus citatur. I.21. A.
Puthemken caſtrum. IX.916.D. 917.A.
Puxer (Andreas) X.165. D.
Pyerſzchala domus XI. 341. B.
Pyeſchkowa Skálá caſtrum. X.36. D.
Pyzdry opp. I.16. C.

Q.

QVadrageſima olim in Polonia à Septuageſima cœpit. VII.710.C.
Querinforth (Mamer de) Magiſter Pruſſiæ. VII. 836. B.
Quidzin caſtrum XI.286. A.

R.

RAba fl. I.11. A.
Rablany villa. VI. 615. C.
Rabſtyn mons. I. 34. A.
Rachanie villa. I. 12. A.
Rachelinus Archiep. Cracov. II. 187. A. moritur. III. 230. D.
Rachowo villa. V. 455. B.
Raczesburg. I. 66. B.
Racziaſz capitur. VII. 740. D. 756. D. Eccleſiæ Wladisl. adiudicatur. 768. C. D. à Cruciferis incenditur. IX.999.B.
Racziborowicz (Io.) VII. 672. D.
Raczno lacus. I. 26. A.
Radimnice à Wladimiro Ruſſiæ Duce occupatur. II. 108. C.
Radlicza Io. Epiſc. Cracov. X.56. A.
Radlouienſes ſiluæ. VII. 691. C.
Radom opp. IV. 1163. D.
Radomierza fl. I. 14. B.
Radoſz Epiſc. Cracov. IV. 410. B. moritur. V. 457. C.
Radowiecz villa. IX. 1093. C.
Radſztow villa. I.28. D.
Raduanus Epiſc. Poſnan. V. 490. B. moritur. 502. C.
Radunya fl. X. 51. B.
Radzanow opp. I.35. C.
Radzicze (Bandz. de) X. 83. D.
Radzieiow villa. X. 199. A.
Radzieſzow molend. I. 16. D.
Radzim caſtrum. VII. 812. D. XI. 286. A. capitur. C. liberatur. 300. C.
Radzimno (Stibor. de) Epiſc. Plocenſis. X. 15. C.
Radzin opp. I. 13. A. 30. B. eius teloneum donatur monaſt. Mogilnenſi. III. 258. C.
Radzin. v. Gaudentius. II. 125. B.
Radzymierzanie regio. I.49. A.
Radzyn Ruthenorum Dux. ibid.
Rakoſino villa. V. 455. B.
Rambeſryce villa. V. 488. A.
Ranæ circa Vislicam non coaxant. I. 41. D.
Raskowo villa. X. 177. B.
Ratha fl. I. 18. D.
Rathibor vrbs. I. 42. D. à Polonis condita. 67. B. monaſt. S. Spiritus fundatur. IX. 1037. B.
Rathiborienſis Collegiata Eccleſia fundatur. XI. 374. B.
Rathiborienſium Ducum è concubina origo. VII. 723. B. C.
Rathno caſtrum. I. 20. A. XI. 209. A. 588. C.
Ratibor Pomeran. Dux Crucif. ordinem ingreditur. VII. 833. C.
Rava caſtrum. IX. 1099. A. à Semovito capitur. 1163. B.
Rava domus. X. 157. D.
Raue (Engelb.) Pruſſiæ Marſchalcus. I. 36. D.
Ravitarum familia. IV. 373. D. VI. 581. B. VII. 703. D. IX. 991. D. 1123. A. XI. 341. A.
Rawa fl. I. 14. C.
Rawa v. Ravitarum fam.
Rebaptizatio Græcorum ad Catholicos tranſeuntium. III. 218. C.
Rededa Dux de Koſchochori à Iaroslao Ruſſiæ Duce ſingulari certamine vincitur. II. 159. D. 160. A.
Redere (Io.) XI. 246. B.
Regiomontum ædificatur. VII. 740. A. à Pruthenis capitur. 764. B. monaſt. virginum fundatur. IX. 1079. B.
Remigius Archiep. Remenſis. I. 83. C.
Remygola villa. I. 19. B.
Renia fl. I. 13. A.
Reſchkini (Gierald. de) XI. 341. C.
Rey (Io.) XI. 294. C.
Reycharth (Leonard) XI 309. D.
Reydburg (Herward) XI. 296. D.
Rhaczin (Iaſchkon. de) X. 161. B.
Rhiphæi montes. I. 3. C.
Rhomka Io. Epiſc. Wratisl. VII. 863. D. moritur. IX. 900. A.
Rie-

Riczow villa. II. 148. A.
Rigenſis metropolis inſtituitur. IV. 318. C. *Teutonici accipiunt.* IX. 1007. A. *donatur ordini Teutonicorum* X. 153. B.
Rikſcha filia Gotfridi Com. Palat. Rheni Miecſlao Poloniæ Duci deſponſatur. II. 133. C. 135. A. *nuptiæ fiunt.* 161. B. C. *ob Polonorum contemtum.* 191. A. *cum filio e Polonia eiicitur.* 192. A. *Caſimiro reditum in Poloniam fruſtra diſſuadet.* III. 213. C. *duo monaſteria erigit.* 214. B. *Coloniæ ſepelitur.* ib. C.
Ripin, eius teloneum donatur monaſt. Mogilnenſi. III. 258. C. *vaſtatur.* X. 197. C.
Ripin XI. 288. D.
Riſzemberg caſtrum XI. 355
Ritberski (Petr.) X. 172. A. XI. 292. B. 294. B.
Ritberwerder caſtrum. X. 121. D. 132. C.
Rithogarus Almanus Vandæ coniugium petit. I. 55. D. *ab ea vincitur.* 56. D. *ſe ipſum interficit.* 57. B.
Rithwensky (Martin.) XI. 327. D.
Ritwiany (Derſl. de) XII. 698. C.
Rixa. v. Riſckſcha.
Robertus Archiep. Gneſn. moritur. II. 117. C.
Robertus Guiſtardi. III. 240. D.
Robertus Abbas fundator ordinis Ciſtercienſis. IV. 330. B.
Robertus Epiſc. Wratislav. IV. 426. C.
Robertus Epiſc. Cracov. V. 457. C. *moritur.* 461. D.
Rogala (Io. de) X. 175. D.
Rogala Stib. XI. 211. A.
Rogalitarum domus. X. 175. D.
Rogovv (Hinczka de) X. 167. A. XI. 253. D. 482. D. 498. C.
Rogovvskie lacus. I. 17. B.
Rogoznik maior & minor fl. I. 11. D.
Rogozno villa. I. 12. A. *opp.* I. 29. B. II. 163. C.
Rokicziana Caſimiri pellex. IX. 1110. A.
Rokitnicza (Florian. de) XI. 342. A.
Rokitno villa. I. 13. B.
Rokitowicz (Volczko.) XI. 341. B.
Rokuthi (Volczko) XI. 251. A.
Rolga domus XI. 341. B.
Roma. v. Romove.
Romanowtarg. I. 18. B.
Romanus Ruſſiæ Dux a Polovvcis interficitur. III. 286. C.
Romanus Smolienſis Dux. V. 516. A.
Romanus Mſcislawic. VI. 572. A. *Halicienſem Ducatum occupat.* 578. B. *à Leſzkone deficit.* 592. B. *Poloniam vaſtat.* 596. A. *in prælio moritur.* 597. C.
Romove Pruthenorum metropolis. II. 119. A. *à Boleslao capitur.* 163. A.
Romualdus mittit duos monachos in Poloniam. II. 142. B. C. *ei à Caſimiro donatur caballus.* 199. C.
Ropa fl. I. 12. A.
Ropkow (Conr. de) XI. 310. C.
Roſa (Balthaſ. de) XI. 307. A.
Roſa familia. V. 491. C. 515. D. VII. 692. C. IX. 1087. B. 1144. C. X. 48. B. 137. A. 146. B. 218. C. XI. 289. D. 562. B.
Roſcislaus Iaropelki Ruſſiæ Ducis filius. III. 289. B.
Roſcislaus Wſzewoldi filius accipit Pereaslaw. IV. 304. A. *in aquis ſuffocatur.* 307. B.
Roſcislaus Mſcislai filius moritur. IV. 308. A.
Roſcislaus Wolodori filius accipit Pramisliam. IV. 425. C.
Roſcislaus Davidowic VI. 606. A.
Roſcislaus Mſcislawic ib.
Roskopaczow lacus. I. 26. B.
Roskopaczowka Wola villa. ib.
Roskow (Zaviſſ. de) X. 126. A.
Roskowicze (Hincza de) X. 99. A. 125. A.
Roſprza opp. I. 14. C. VII. 708. B. *ex eo ſeptem marcæ donantur monaſt. Mogilnenſi.* III. 258. C.
Roſſa alueus I. 10. D.
Roſtochia à Polonis condita. I. 66. B. 67. B.
Roſtow accipit Iaroslaus poſtea Boryſz. II. 145. A.
Roſz fl. I. 19. D.
Roszemburg (Marquardus de) XI. 244. D.
Roszena XI. 344. A.
Roth (Albr.) XI. 301. A.
Roth (Vinc.) Archiep. Gneſnenſis. XII. 693. A.
Rotislaus Slauorum Dux. I. 85. B.
Rozarum familia. v. Roſa.
Rozotnice villa. VI. 592. D.
Rubieſchovv XI. 331. D.
Rubieſſa fl. II. 123. A.
Rubieſzovv opp. I. 41. C.
Rubkowo lacus. XI. 228. D.
Rubo fl. I. 21. B.
Ruboſa Polovvconum Dux. IV. 351. D. *in prælio occidit.* 352. C.
Ruczowtowicz (Staniſl.) XI. 341. C.
Ruda fl. Bohemiæ. I. 8. A.
alius. I. 16. A. *alius* I. 16. C.
monaſt. I. 16. B.
Ruda (Stancz. de) X. 148. D.
Rudawa fl. I. 13. B. VII. 704. C.
Rude Gerb. IX. 974. A.
Rudenſis ciuitas & collegium. I. 42. B. *caſtrum capitur.* VII. 718. B.
Rudgierus abbas Mogilnenſis. III. 258. D.
Rudgerus abbas de Oliua. IX. 923. A.
Rudgerus Epiſc. Wladulav. V. 499. D. *moritur* 515. C.
Rudka (Slanka de) XI. 294. C.
Rugium vrbs antiqua Poloniæ. I. 43. C.
Ruboldus (Gaſt.) XI. 585. B.
Rumpenheym (Io. de) X. 178. D.
Rupertus. v. Robertus.
Rupertus Imperator X. 167. B.
Rurek Ruthenorum Dux. I. 149. B.
Ruric Roſcislawic. VI. 570. A. *Kiouiam occupat* 589. A. B.
Ruſcigen diſtrictus. IX. 984. D.
Ruſczinski Io. X. 51. A.
Ruſcza (Clem. & Suliſl. de) VII. 685. D.

Ruſdorff. (Paul. de) Magiſter Pruſſiæ XI.347.C.
Ruſlaus Comes. VI.531. B.
Ruſſiæ nomen vnde. I. 21. C. 21. D. quomodo creuerit. I. 48. C. ſ. ad fidem conuertitur. II. 112. 113. A. Poloniæ Regno ſubiicitur. IX. 1058. B. 1150. B.
Ruſz frater Lechi. I. 21. C. 22. D.
Ruſticorum Polonorum mores. I. 38. B.
Rutheni Pieczyngos vincunt. II. 123. D. à Boleſlao Rege vincuntur. 181. C. à Polonis deficiunt. IV. 316. D. à Boleſlao Duce vincuntur. 347. A. Polovvcos vincunt. 352. B. 370. C. 391. D.
Rybitwy villa. I. 11. D.
Rybniki opp. I. 16. A.
Ryczywol opp. I. 14. B. 18. A.
Rym nidowicz (Io.) XI. 341. B.
Rzebno villa. X. 204. B.
Rzececz. IV. 318. A.
Rzepica Piaſti vxor. I. 79. B.
Rzerzuchowa mons. I. 35. A.
Rzeſchow (Io. de) Archiep. Leopol. XII. 690. B.
Rzeſchowski (Io.) fit Archiepiſc. Halicienſis. XI. 315. B.
Rzeſzow villa. I. 14. A.
Rzip mons Bohemiæ. I. 7. B.

S.

Sabellonum pelles. I. 21. C.
Sacko lacus & villa. I. 28. C. XI. 209. A.
Sadlnik mons. I. 34. B.
Saganum v. Zegan.
Sal in Polonia. I. 8. C. 34. B. VII. 719. A.
Sala v. Sola.
Saladinus Hieroſolyma occupat. VI. 550. A. moritur. 565. D.
Salczbach (Marqu. de) XI. 248. B.
Salczberg (Marqu. de) XI. 262. D.
Saliecz ſilua. VII. 755. C.
Salkowice villa. VI. 537. B.
Salmones in Viſtula. I. 10. A.
Salome Leſzkonis Albi filia naſcitur. VI. 631. B. moritur & canoniſatur. VII. 784. B.
Salomon Andreæ Hung. Regis filius. III. 236. D. in Regem coronatur. 250. C. regno reſtituitur. 268. 269. A. a Geiſa vincitur, & eiicitur. 283. B. a Wladislao vincitur. 299. A. B.
Sama Pruſſiæ regio. II. 163. A.
Sambor. XI. 336. C.
Samborius Comes. I. 90. A.
Samborius Pomeraniæ Dux monaſt. Oliua fundat. VI. 537. B. quomodo Pomeraniam acceperit. 538. C.
Samborius Suantopelki fil. in Crucif. ord. ingreditur. VII. 833. C.
Samoczyrska villa. V. 519. A.
Samogithia datur Cruciferis. X. 183. D.
Samogithæ conuertuntur. XI. 343. A.
Sandec vetus & noua. I. 11. C. 42. A. noua ædificatur. IX. 902. C. hoſpitale & monaſt. ædificatur. XI. 215. C. D.
Sandek villa terræ Sieuerienſis. I. 13. C.
Sanduzow (Paul Koſczien de) X. 158. D.
Sandiwogius Caſſilienſis X. 168. B.
Sandomiriæ deſcriptio. I. 41. D. monaſt. Iacobi fundatur. VI. 584. A. à Tartaris diripitur. VII. 758. B. Eccleſia S. Mariæ fundatur. IX. 1095. C. renouatur. 1163. D. Eccleſ. Colleg. fundatur. 1164. A.
Sangam (Georg.) XI. 341. B.
Sanna fl. I. 12. B.
Sanok XI. 334. C.
Sanok caſtrum. IX. 1059. A. 1163. D.
Santocinum villa. I. 12. D.
Santok caſtrum. I. 10. C. 16. A. à Pomeranis fruſtra inuaditur. IV. 335. B. VII. 707. C. D. à Regno Poloniæ abalienatur. 760. B. C. deſtruitur. 775. D. 778. A. reædificatur. 788. A. Saxones capiunt. VI. 664. D. X. 1. B.
Sarlenſe caſtrum. I. 24. B.
Sarmatæ ſ. Poloni. I. 3. D. 21. C.
Sarmaticum mare. ibid.
Sarmatæ ab Aſcenaz. I. 4. A.
Sarnow opp. I. 35. C.
Sarnowsky (Io.) XI. 241. A.
Sarolth vxor Geiſæ Hung. Principis. II. 100. A.
Sarpkovv villa. VII. 737. B.
Sarukam Polovvconum Dux. IV. 370. C.
Saſſinus Ducis Maſouiæ Marſchalcus. X. 87. D. 146. B.
Satyczovv villa. I. 19. D.
Saxoniam peruadit Boleſlaus Chobri. II. 160. A. B.
Sbigneus filius naturalis Leſzkonis III. I. 65. D.
Sbigneus filius naturalis Wladislai Ducis. IV. 332. A. in monaſterium detruditur. ibid. B. nouas res adu. Patrem molitur. ibid. C. Wratislauiam occupat. 333. D. quam poſt relinquit. 335. B. cum patre confligit, vincitur & capitur. ibid. D. liberatur & partem Regni accipit. 336. A. in Ruſſiam confugit. 300. C. ſe hoſtibus fratris adiungit. 366. A. B. omnibus prouinciis priuatur. 367. C. Maſouia tamen redditur. ibid. a Boleſlao eiicitur. 372. B. capitur. 375. B. in exilium mittitur. 376. C. recipitur. 406. B. obtruncatur. 408. D.
Sbigneus de Oleſchnicza fit Epiſc. Cracou. XI. 469. D.
Sbilutus miles. III. 258. D.
Sbigneus de Golancza Epiſc. Wladislau. IX. 1144. B. moritur. X. 87. D.
Sbuczymir, ex eo ſeptem marcæ donantur monaſt. Mogilnenſi. III. 258. C.
Scarbimiria Vrbs. I. 42. A.
Scarbimirus Dux bellicus Boleſlai in Pomeraniam mittitur. IV. 357. C. 359. D. 396. D. 397. D. noua moliens coecatur. 410. A.
Sceny a. X. 146. B.
Schadek opp. IX. 1012. C.
Schafraniecz Petr. X. 36. D. XI. 242. B. 296. B. D. 297. A. 302. D. 305. D. 342. B.
Scha-

Schaſnuiecz Io. Epiſc. Wladiſlau. XI. 500. B. *moritur.* 639. A.
Schamotuli (Dobrog. de) IX. 934. A. XI. 288. C.
Schamotuli (Vincent. de) a Capitaneatu maioris Polon. deponitur. IX. 1009. A. *cum Cruciferis Poloniam vaſtat.* 1010. A. ſ. *ad Regem redit.* 1019. B. *interficitur.* 1025. D. X. 157. D.
Schamotuli (Io. de) X. 93. D.
Schamotuli (Dobrogoſtius de) X. 156. C. XI. 242. D.
Schari (Florian.) miles. IX. 1010. C.
Scharkovv villa. I. 18. A.
Scharleiovvska villa. X. 139. B.
Scharley caſtrum. X. 19. B.
Scharza familia. XI. 341. B.
Schaſchovvicz (Friczko de) Poloniæ Præfectus. IX. 903. D.
Schaſz (Ludouicus) X. 166. D.
Scheilang lacus. I. 30. C.
Scheliga (Thom.) XI. 289. D.
Scheliga (Petr.) XI. 301. A.
Schelmski (Petr.) XI. 451. D.
Schemberg villa. I. 30. C.
Schidlovv opp. VII. 671. D. *Eccleſiam ibi fundat Caſimirus.* IX. 1095. C. *arcem.* 1163. D.
Schindekop Marſchalcus Pruſſiæ. IX. 1125. A.
Schippin (Ludou. de) VIII. 888. D. *moritur.* IX. 898. A.
Schirzik Petr. Epiſc. Cracou. IX. 1085. A. *moritur.* 1087. A.
Schiſma Pontificum. II. 161. D. IV. 312. C. D. 433. B. V. 519. 520. A. X. 42. B. XII. 768. C.
Schmeiſſe villa. VII. 850. B.
Schochovv villa. I. 15. C.
Schodnia fl. I. 13. D.
Schomenfelth (Io.) XI. 246. A.
Schramovvicze opp. XI. 526. D.
Schrandin caſtrum. VI. 665. B.
Schtum caſtrum. XI. 299. C.
Schuraſz caſtrum. X. 136. D.
Schvvorcz (Iac.) XI. 309. D.
Schydla villa. I. 15. C.
Schyrzvv monaſt. VII. 653. A.
Scyniew Dux Ruſſiæ. I. 49. B.
Scythæ a quo oriundi. I. 5. A. *ita vocantur Poloni.* I. 22. C. D. *Kiiouiam vaſtant.* XI. 375. A.
Scythno caſtrum. I. 13. A.
Sczecino Pomeraniæ vrbs a Polonis capitur. IV. 363. D.
Sczekarzovvicze opp. XI. 331. D.
Sczekoczino (Io. de) XI. 216. A. 342. A. 512. D.
Sczekoczino (Petr. & Dobesl. de) XI. 498. C.
Sczepanovvice villa. I. 18. A. VI. 531. C.
Sczepyeczki (Dobrog.) X. 158. C.
Scziczki (Io.) XI. 294. B.
Sczigliczones Barones. X. 47. A.
Sczithniki (Nyemſth. de) XI. 276. D.
Sczity villa. X. 139. B.
Sczodrochovvskie villa. I. 29. D.
Sczodrovvsky (Mart.) XI. 327. D.
Sczukovvski (Krzesl.) X. 78. B.
Sczukovvskye (Cath. & Eliſ.) XI. 498. D.
Sczuri. X. 177. B.
Sczyk, Ruthenorum Dux. I. 48. D.
Sczykavvica caſtrum ab eo ædificatum. ibid.
Sczykło fl. I. 18. A.
Sdericus Bohemus, Wratislao Regi ſimilis. I. 58. B.
Secundus Caſtellan. Gneſn. VII. 688. C.
Sedibaba vrbs antiqua Poloniæ. I. 43. C.
Sedlcze (Iaracz. de) X. 93. D.
Seleuold Germaniæ vrbs. III. 213. C.
Semianus filius naturalis Leſzkonis III. I. 65. D. *accipit Ramam.* 66. D.
Semomislaus filius naturalis Leſzkonis III. I. 65. D. *accipit Brandeburgum.* 66. D. *v. Zemomysl.*
Semouitus filius naturalis Leſzkonis III. I. 65. D. *accipit Brandeburgum.* 66. D.
Semouitus Piaſti filius tondetur. I. 80. B. *fit Rex Poloniæ.* 84. B. *rem militarem bene ordinat.* 84. D. *Pomeranos & Caſſubitas vincat.* 85. A. *moritur.* 85. B.
Semouitus Maſouiæ Dux interficitur. VII. 766. B.
Semouitus Boleslai Maſouiæ Ducis filius naſcitur. VII. 831. B. *moritur.* IX. 1071. B. C.
Semouitus Maſouiæ Dux Caſimiro homagium præſtat. IX. 1099. C. D. *moritur.* X. 50. A.
Sempno palus. VII. 707. B.
Seno mons. I. 20. D.
Semouitus Maſouiæ Dux in Regem Poloniæ eligitur. X. 78. D. 80. D. 83. A. XI. 241. D. 306. A. *moritur.* 496. C.
Sepich. eius teloneum donatur monaſt. Mogilnenſi. III. 258. C.
Sepinski (Nic.) XI. 373. D. 512. D.
Sepnycza Palat. Sandomir. IX. 1072. C.
Serb præfectus Polonorum. I. 45. D.
Serbianie Poloniæ regio. ibid.
Serbiani a Polonis deficiunt. II. 185. A. B.
Sereth fl. I. 18. A. *alius & mons.* I. 18. A.
Sergius IV. P. R. II. 160. D.
Sesnikovvicz (Minimund.) XI. 341. C.
Setegius Comes. II. 158. C. D. *monaſterium Calui montis ditat.* 171. D.
Setegius Palatinus Cracou. adu. Pomeranos *mittitur.* IV. 321. C. *adu. Morauos.* 325. B. C. *ob ſuſpectam potentiam.* 337. A. *in exilium mittitur.* 339. D.
Setegius Pincerna *a S. Ægidio emendatur.* IV. 363. D. C.
Seuerus Pragenſis Epiſc. II. 196. A. *apud* P. R. *accuſatur.* III. 201. A. *ſe Henrico III. Imp. dedit.* 212. B. *moritur.* 260. D.
Seuoloſch caſtrum. X. 36. B.
Seymicze piſcina. XI. 220. D.
Shan fl. I. 11. C.
Siccitas in Polonia. II. 109. C. IV. 417. D. IX. 1025. C. D.

Siciliam inuadit Otto IV. Imp. VI.613.D.
Siczow opp. VII.736.B.
Siec'iechow villa, ibi ædificatur monaſterium S. Benedicti. II. 158. C. D. caſtrum. IX. 1164. A.
Sieczicchovvice villa. X.176.B.
Siedlec villa. I.18.D. X. 199. A.
Siekal Polovvcorum Dux. III.247.B.
Sielany lacus. I. 26. D.
Sieraczec opp. I. 13. D.
Sieſtrzenitovv villa. I. 12. A.
Siffridus Commendator de Gnievv. IX.932.A.
Sigerburg. I. 66. B.
Sigiſmundus Marchio Brandeb. X. 67. D. fit Rex Hungariæ. 118. A. B. a Turcis vincitur. X. 145. D.
Sigillum regni Poloniæ. VIII. 880. B.
Sigismundus Lithuaniæ Dux. X. 61. C. fit magnus Dux. XI. 611. A. occiditur. XII.724.A.
Sileſiæ Duces ad Regnum Bohemiæ deficiunt. IX. 991. D. f.
Silla vxor Stephani S. Hung. Regis. II. 148. B.
Silueſter II fit Papa. II. 148. a Dæmone promotus. 154. D. moritur. 155. A.
Simeon, Dux Lithuan. XI. 244. B.
Simon Plocenſis Epiſc. IV 362. B. precibus ſuis victoriam Polonis impetrat. 392. D. moritur. 430. D.
Sinovviecz (Nic. de) XI. 289. A.
Siradia a Cruciferis capitur. IX. 1012. C. caſtrum ædificatur. 1163. D.
Siradzki (Sulisl.) XI. 585. C.
Sirokomlia domus. X. 150. C.
Skała caſtrum. VII. 687. B. capitur. 688. A. monaſt. eo transfertur. IX. 768. A.
Skałka mons. I. 9. D.
Skampsko lacus. I. 31. C.
Skarbek Comes Habdank. IV. 384. B.
Skarbimierze villa. X. 52. B.
Skarzeſzovv (Iac. de) VII. 714. B. C.
Skavva fl. I. 11. A.
Skavvina opp. 1163. D.
Skirgyello Lithuaniæ Dux. X. 61. C. veneno necatur. 142. D.
Skoczovv opp. I. 9. D.
Skoki (Ianuſſ. de) X. 93. D.
Skomanth Lithuanorum Dux. VII. 816. B.
Skora (Nic.) Caſtellanus Caliſſ. VII. 693. A.
Skoraczevvski Dobesl. XI. 222. A.
Skorevv (Drogosl. & Petrus.) VII. 774. C.
Skotniki villa. I. 14. A. V. 488. A.
Skovvrodno villa. V. 488. B.
Skrankovva villa. VI. 592. D.
Skrobotovv villa. VII. 797. C.
Skrzin (Io. de) IX. 1160. B.
Skrzin (Dun. de) XI. 210. B.
Skrzin (Mſczug. de) XI. 264. C. 140. D. 294. A. 327. D. 512. D.
Skrzynenſis Comitatus donatur Petro Dano. IV. 421. C.
Skrzipino (Chriſt. de) X. 23. C.
Skurskie lacus. I. 17. B.
Skvvirzyna opp. I. 17. A.
Skyrgello Lithuaniæ Dux. IX. 1096. D.
Slatoniki villa. V. 488. A.
Slauenta miles Kiouienſis. IV. 315. D.
Slauonica lingua ſacra fiunt & ſcriptura conuertitur. I. 85. B. 127. B.
Slavviecz Vexillifer Maſouiæ. X. 84. A.
Slavvnick Adalberti Prag. Epiſc. pater. II. 106. A.
Slavvsko (Martin. de) XI. 241. D.
Sleſino lacus. I. 24. C.
Sleśnik olim ad Poloniam numerata. I. 45. C. 66. B.
Sleſſino (Sandiu. de) X. 2. B.
Slochovv lacus. I. 16. A. opp. I. 27. C.
Słonievvo (Geruard. de) X. 24. D.
Słonim opp. I. 12. C.
Slonenſes barbari Pruthcni. III. 223. C.
Słonsko. XI. 348. B.
Słucz maior fl. I. 19. C. minor. D.
Słunievv fl. I. 19. D.
Słup molendinum. II. 163. C.
Słupcza. v. Grotho.
Słupcza villa. IX. 1010. C.
Słupka. I. 14. A.
Słupsko Pomeraniæ pars. VI. 538. C.
Słupenſis Caſtellania Regno Poloniæ ſubiicitur. VI. 544. 545. A.
Slyedz (Io.) XI. 315. B.
Smierdzaca Wodo lacus. I. 16. C.
Smierdziaca fl. & villa. I. 13. B.
Smigał Caſtellan. Trocenſ. XI. 341. A.
Smogieſzow villa. II. 148. A.
Smogorzoviæ fundatur Epiſcopatus. II. 95. C. transfertur Byczynam & Wratislauiam. III. 239. D.
Smogulecz (Wyerzb. de) X. 75. A. 83. C.
Smolensko accipit Venceslaus Iaroslai filius. III. 238. D. & hoc mortuo Wenceslaus. 243. A. poſtea Wladimirus. 280. A. occupatur à Dauide Suiantoslawic. IV. 316. C. Lithuaniæ adiungitur. X. 175. A.
Smolice opp. I. 11. A.
Smolnenſis Ducatus Lithuaniæ adiungitur. X. 175. B.
Smolniany opp. I. 19. D.
Smotricz fl. I. 18. A. 41. A.
Smow lacus. I. 29. B.
Sobal Polowcorum Dux. III. 247. B.
Sobien caſtrum. I. 10. C. 17. C.
Sobieslaus filius naturalis Leſzkonis III. I. 65. D. ædificat Dalemberg. 67. A.
Sobieslaus Bohemiæ Dux. IV. 373. A. Wackonem interficit, & in Poloniam confugit. 399. B. C. partem Bohemiæ accipit. 405. B. eiicitur & in Poloniam fugit. 419. A. B. crudelis eſt in ſuos. 432. B. Poloniam vaſtat. 434. B. moritur. V. 456. B.
Sobieslaus huius filius. V. 479. C. D. fit Dux Bohemiæ. VI. 525. B. eiicitur. 536. B. moritur. 540. A.
Sobieslaus Pomeraniæ Dux. VI. 525. C.

Sobieslaus Wratislai Bohemiæ Ducis filius. III. 255. A.
Sobkow villa. I. 15. A.
Sobobor frater Adalberti Ep. Prag. à Bohemis occiſus. II. 113. D.
Socawa fl. I. 18. B. *vrbs.* I. 41. C.
Socha (Abrah.) X. 82. B.
Socha Io. X. 157. D. XI. 272. D.
Sochaczow caſtrum. IX. 1163. B.
Sokalie opp. I. 19. A.
Sokoł (Iaſckon) XI. 287. A. *veneno perit* D.
Sokol Io. XI. 253. D. 241. A.
Sokoł (Nic. & Iarosl.) XI. 288. A.
Sokolniki villa. VII. 832. D. IX. 1084. D. X. 139. B.
Sokolowo villa donatur monaſt. Mogilnenſi. III. 258. D.
Sokolowski Barth. X. 27. A.
Sola fl. I. 11. A. 34. A. *mons.* I. 34. B.
Sola vel Solaua Saxoniæ fl. vbi Boleslaus Chobri Gades poſuit. II. 160. C.
Solaua Ruſſiæ regio. II. 163. A.
Solecz caſtrum & Eccleſia Colleg. IX. 1164. A.
Solecz prædium. VII. 732. C.
Solecznik villa. I. 19. B.
Soles tres adparent. V. 514. C.
Soliec opp. I. 14. A.
Solinus citatur. I. 20. D. 44. D.
Solnik villa. VII. 737. B.
Sonka nubit Wladislao Regi. XI. 446. D. *coronatur.* 475. C.
Sophia. v. Sonka.
Sophiæ templum Kiouiæ erigitur. II. 188. B. 189. B.
Sophia filia Henrici III. Imp. filio regis Andreæ Hung. deſponſatur. III. 239. C.
Sophia Salomonis Hung. Regis vidua nubit Wladislao Duci. IV. 311. D.
Sośnice villa. I. 16. B.
Soſno villa. I. 19. A.
Soſnowice villa. ib.
Sovemburg (Theodoricus de) XI. 244. D.
Sowka (Dobesl.) Epiſc. Plocenſis. X. 15. B. *moritur.* 53. A.
Sperdeni lacus. I. 30. A.
Spicigneuus filius naturalis Leszkonis III. I. 65. D.
Spiczymierz Eccl. Parochialis à Pomeranis ſpoliatur. IV. 368. A. *caſtrum.* VII. 708. B.
Spicimirus Caſtellanus Cracov. ædificauit Tarnow. I. 42. A.
Spicimirus filius naturalis Leſzkonis. III. I. 65. D.
Spicimirus frater Adalberti Pragenſis Ep. à Bohemis occiſus. II. 113. D.
Spitigneus Bohemiæ Dux. I. 90. B.
Spitigneuus Boh. Dux Germanos & matrem ſuam expellit. III. 243. C. D. *in fratrem crudelis.* 244. A. *moritur.* 251. C.
Sprowa fl. I. 16. A.
Sprowa (Io. de) XI. 240. D.
Spudo Lithuanus. IX. 917. A.
Srebrnik. I. 16. B.
Srokomlia domus XI. 341. B.
Srzeniauitarum familia. I. 33. B. V. 490. C. 508. B. IX. 1123. A. X. 34. A. 173. C. XI. 544. A.
Srzoda opp. IX. 1012. B.
Srzodka monaſt. fundatur. VI. 647. A.
Srzonek villa. I. 24. D.
Stado ludus Polonorum. I. 38. A.
Stampin villa. VI. 531. C.
Stampocicz Alb. VII. 673. C.
Stange (Henr.) Crucifer. VII. 780. D.
Standow villa. VI. 531. C.
Staniątki monaſt. fundatur. VII. 732. B. C.
Stanislaus Wlodimiri Ruſſiæ Ducis filius. II. 144. D. *accipit cum aliis Kiouienſem & Bereſtow Principatus.* II. 145. A.
Stanislaus de Zemlice. III. 269. B.
Stanislai baſilica Cracoviæ. I. 39. B.
Stanislaus Epiſc. Cracov. III. 269. C. *mortuum quendam teſtem excitat.* 277. C. ſ. *Boleslaum monet.* 275. A. 284. D. *excommunicat.* 287. C. 289. 290. A. *à Boleslao occiditur.* 291. C. *laceratur.* 292. C. *corpus ab aquilis cuſtoditur.* 293. A. *ſepelitur.* ibid. C. *miraculum circa eius ſepulcrum.* 296. D. *corpus eius in Eccleſiam S. Wenceslai transfertur.* IV. 312. 313. A. *de eius canoniſatione agitur.* VII. 714. B. ſ. 718. D. 722. A. ſ. 723. D. ſ. *canoniſatur.* 728. A. ſ. 735. A. *oſſa eius Wenceslao Regi donantur.* 734. B.
Staritarg villa & lacus. XI. 273. C.
Starodub caſtrum. X. 189. C.
Starogard opp. I. 27. D.
Staſow (Moſzezic de) Poſnanienſ. XI. 342. A.
Staſzewo (Przedp. de) X. 18. C. 74. A.
Staſzewo (Moſzcicio de) XI. 276. C.
Stauiſchino (Laſzot. de) X. 82. D.
Staw opp. IX. 1012. C.
Stawanth lacus. I. 30. C.
Stawiſzin opp. IX. 1163. D.
Stawowe villa. VI. 537. B.
Stiborius Mſcziczonis. X. 81. D. 82. A.
Stiborzicze (Stibor. de) X. 170. D. XI. 217. C. 219. C. 302. D. *vincitur.* 303. B. 318. A.
Stebna villa. IV. 345. D.
Steklno lacus. I. 28. A.
Stenna. I. 39. A.
Steno (Mich.) XI. 319. B.
VIII. II. 100. A.
Stepanic villa. XI. 586. D.
Stephanus VII. Papa. II. 94. A.
Stephanus Protomartyr Adleidi Vngariæ Principi promittit filium. II. 99. D.
Stephanus Hung. Rex naſcitur. II. 100. A. *coronam à Papa petit.* 121. D. *& impetrat.* 122. B. *vir ſanctus.* 148. B. *moritur.* 198. B.
Stephanus I. Archiep. Gneſnenſis. II. 200. C. *Bretislaum apud Papam accuſat.* III. 201. A. *Caſimirum reuocandum ſuadet.* 206. B. *moritur.* 248. A.

Stephanus IX. Papa. III. 245. D. moritur. 246. A.
Stephanus Grandimontenſis ordinis fundator. III. 283. A.
Stephanus I. Epiſc. Plocenſis. IV. 310. D. moritur. 343. D.
Stephanus tertius Abbas ordinis Ciſtercienſis. IV. 330. C.
Stephanus Colomani Regis filius Iuditham Poloniæ Duciſſam vxorem ducit. IV. 372. A. fit Rex. 404. C. moritur. 432. D.
Stephanus Epiſc. Poſnan. V. 484. D. moritur. 490. C.
Stephanus Belæ filius Hungariæ Rex. V. 485. D.
Stephanus Miecslai Poſnanienſis filius. V. 493. C.
Stephanus Hungariæ Rex fit. V. 501. D. moritur 522. C.
Stephanus Palatinus Cracov. VI. 532. C.
Stephanus Epiſc. Wladiſlav. VI. 561. D. moritur. 574. B.
Stephanus Cracov. Canon. VII. 778. C.
Stephanus Hung. Rex. VII. 790. C. moritur. 797. C.
Stephanus Valachiæ Palatinus. IX. 1122. D.
Stepin donatur monaſterio Lubenſi. III. 229. A.
Sterczow villa. VI. 537. B.
Stetin. eius teloneum donatur monaſt. Mogilnenſi. III. 258. C.
Steygwik villa. X. 176. D.
Stężyca opp. I. 12. A.
Sthokliſchki villa. X. 176. D.
Stibor villa. VI. 531. C.
Stiborius Epiſc. Plocenſis. X. 33. B. moritur. 133. A.
Stinauia expugnatur. IX. 1068. C.
Stobnicenſem Eccleſ. fundat Caſimirus. IX. 1095. C. 1164. A
Strobnawa fl. I. 15. C.
Stobnicza diſtrictus. X. 177.
Stodzey (Paulus) XI. 240. C.
Stoki opp. X. 204. B.
Stolkow villa. I. 13. D.
Stoll (Baldev.) XI. 246. B.
Stopsko: eius teloneum donatur monaſt. Mogilnenſi. III. 258. C.
Straciquas Bohemiæ Dux Pragenſem Epiſc. recuſat. II. 110. A. B. 136. A.
Stracislaus Bohemiæ Dux fit monachus. II. 97. D.
Stradomie villa. I. 15. C. hoſpitale. IX. 1164. A.
Straſch (Io.) XI. 574. D.
Strawa fl. X. 176. D.
Stremech ſilua. VII. 672. A.
Stripa fl. I. 18. B.
Striy diſtrictus. X. 177. D.
Strkwa fl. I. 13. A.
Stroinatus Lithuaniæ Dux. VII. 754. C. occiditur. 772. D.
Stromiecz. XI. 306. A.
Stronow (Nic. de) X. 47. D.
Strosberg (Nic. de) X. 53. C.
Stroza vectigal. II. 170. D.
Strozko villa. I. 14. C.
Strzegomia domus. X. 122. B. 243. C.
Strzelce villa. VI. 531. B. caſtrum à Polonis capitur. VII. 798. A.
Strzelcze (Nic. de) X. 59. A. XI. 342. B.
Strzelcze (Petr. de) X. 59. A.
Strzelno monaſt. IV. 421. 422. A. 435. C. D.
Strzeniawa fl. I. 13 C.
Strzezislava Adalberti Epiſc. Pragenſis mater. II. 106. A.
Strzoza villa. I. 11. D.
Strzyborz lacus. I. 29. D.
Stuchnia fl. IV. 307. A.
Stunow villa. I. 26. A.
Sturgum vrbs antiqua Poloniæ. I. 43. C.
Stvvorzna Gac lacus. I. 27. C.
Styr fl. I. 19. C.
Styrus fl. I. 17. D.
Svantoslavva Boleslai Krivvouſti filia. IV. 360. C.
Svantoslaus Ruſſiæ Dux. I. 50. A. Wlodimiri filius. II. 104. B. regionem Drzevviany accipit. 145. A.
Svantoslaus Iaroslai filius accipit Czernieiovv. III. 238. C. contra Wſzeslaum bellum gerit. 255. A. fratrem Czaslaum expellit. 271. B. moritur. C.
Svantoslaus Wladimiri filius Polovvcys obſes datur. IV. 315. D.
Svantoslaus Svantopelki filius occiditur. IV. 342. C.
Svantoslaus miles ſeditionem excitat. V. 514. D.
Svantoslaus Epiſc. Poſnan. VI. 526. C. moritur. 531. A.
Svatislaus Ruſſiæ Dux Kozaros vincit. II. 96. C.
Suantoslaus Czernieiouienſis Kiouiam capit. VI. 539. B. C. 551. C.
Svantoslaus Wſzevvoldovvic. VI. 551. C. 570. A.
Svantoborius Boleslai vaſallus à Pomeranis liberatur. IV. 356. A. C.
Svantopelkus Wlodimiri Ruſſiæ Ducis filius. II. 104. B. accipit Turovv. 145. A. Kiouienſem Ducatum occupat. C. duos fratres occidit. 145. 146. A. à Iaroslao fratre vincitur. 151. A. quem poſt ope Boleslai Regis Pol. bis vincit. 152. C. & poſtea ab eo deficit. 154. A. à Iaroslao ter vincitur. 159. A. moritur. B.
Svantopelkus Zaslai Kiouienſis filius. III. 266. C. accipit Novogrodenſem Ducatum. 280. A. accipit Kioviam. IV. 304. à Polowcys bis vincitur. 307. B. Tubortkam Polowconum Ducis filiam ducit. 309. D. capit Wlodimiriam. 342. C. Iaroslaum Iaropelzyc vincit. 346. A. Polowcos vincit. 360. B. moritur. 393. D.
Svantopelkus Morauiæ Dux. IV. 352. A. ſeq. ab Henrico Imp. capitur. 369. D. ſed ſtatim liberatur. 370. A. Hungariam vaſtat. 372. 373. A. interficitur. 383. A.
Svantopelkus Poloniæ Baro Nakiel accipit in tenutam. IV. 399. A. adv. Boleslaum rebellis,

lis. 412. D. *ſe ipſi dedit.* 413. D. *iterum deſicit.* 414. B. *capitur.* 415. D.
Svantopelkus Wladimiri Bohemiæ Regis filius. 515. D.
Svantopelkus Pomeraniæ gubernationem à Leſzkone Albo accipit. VI. 610. A. *rebellat.* ib. C. *Leſzkonem interficit.* 637. C. *ſe pro Pomeraniæ Duce gerit.* 638. A. *Pruthenos ad idololatriam pertrahit.* VII. 689. C. *Poloniam vaſtat.* 690. A. 700. A. D. *moritur.* 785. D.
Sucha mons. I. 34. B.
Suchiwilk (Io.) Cancellarius Regni Poloniæ. IX. 1161. *fit Archiep. Gneſn.* X. 16. D. *moritur.* 56. D.
Suchodol. opp. VII. 694. B.
Suchodol (Nic. de) XI. 342. C.
Suchum lacus. I. 27. D.
Sucza (Io.) XI. 436. A.
Sudislaus Wlodimiri Ruſſiæ Ducis filius. II. 144. C. *accipit cum aliis Kiouienſem & Bereſtow Principatus.* I. 145. A.
Sudlino villa. VI. 592. D.
Sudoua Pruſſiæ regio. II. 163. A.
Sventopelkus Slauorum Dux. I. 85. B. *v. Svant.*
Svidgerus Epiſc. Cruſvicienſis. V. 491. A. *v. Swidg.*
Svidnica opp. I. 16. A.
Svientochna filia Caſimiri Regis naſcitur. III. 243. A. *Wratislao Bohemiæ Duci nubit.* 254. D.
S. *Suiperti inſula.* III. 215. A.
Sukowicz (Concz) XI. 341. C.
Sula fl. IV. 370. C. X. 156. C.
Suleiouenſe monaſt. fundatur. VI. 531. A.
Sulienz caſtrum. VII. 787. A. B.
Sulima familia. VII. 865. D. VIII. 886. B. IX. 919. A. XI. 211. C. 218. C. 240. C. 289. C. 341. C.
Sulislaus Caſtellanus Sandomir. VI. 611. B.
Sulislaus miles. VII. 673. C.
Sulkowicz (Chriſt.) ib. *(Andr.)* 693. C.
Sulofawa villa. I. 13. C.
Sulow ſilua. I. 13. A.
Sumberg Crucifer. XI. 262. D.
Sunink (Io. de) XI. 240. C.
Surboz Polo vconum Dux. IV. 352. C.
Surgoth opp. I. 15. A.
Suriwil Lithuaniæ Dux. IX. 1148. D.
Swanden (Burc. de) Crucif. Magiſter. VII. 836. A.
Swarno Ruſſiæ Dux. VII. 773. D. *à Boleslao Pudico vincitur.* 777. A.
Swatislaus Ruſſiæ Dux Bulgaris bellum infert. II. 100. C. *Ruſſiam filiis diuidit.* 101. A. *à Pieczenicgis vincitur & occiditur.* 101. B. C.
Swerin à Polonis condita. I. 67. B.
Swiaczicze villa. X. 185. B.
Swiatha fl. I. 19. B. *villa.* ibid.
Swiatoslaus v. Swatisl.
Swider fl. I. 12. D.
Swidgierus Epiſc. Wladisl. IV. 429. B.
Swidrigal. v. Boleslaus, & Switr.
Swidwa (Sandiv.) X. 73. D. 74. C.
Swieborowice villa. VII. 737. B.
Swiecie opp. I. 14. D. VII. 701. D.
Swieciechovv lacus & villa. I. 24. C.
Swieradovvo (Albert. de) X. 83. C.
Swinia villa. I. 10. B. *fl.* I. 18. D. 20. A.
Swinigrod accipit Wladimirus. IV. 425. C.
Swinka domus. XI. 341. C.
Swinka (Iac.) Archiep. Gneſn. VII. 832. B. *moritur.* IX. 909. A.
Swisloc fl. I. 20. A.
Switaſch lacus. I. 28. C.
Switrigiello Lithuaniæ Dux. X. 61. C. 177. C. D. *fit magnus Dux.* XI. 559. B. *à Sigismundo vincitur.* 622. B.
Swyancza (Petr. de) Cancellarius Pomeraniæ. IX. 919. B. ſ.
Swyrardus anachoreta. II. 124. A.
Syedmiliſchki villa. X. 176. D.
Syncznice villa. VI. 537. B.
Szak (Conr.) Magiſter Pruſſiæ. IX. 898. A. 908. A.
Szeroczec monaſt. Mogilnenſi donatur. III. 258. C.
Szlocovv. I. 28. B.
Szocavva opp. I. 19. B.
Szumbach (Io.) X. 44. C.
Szvviecie caſtrum. VII. 803. D. *à Cruciferis capitur.* IX. 933. C. *à Polonis.* XI. 223. B. 276. D.
Szytavva opp. I. 15. C.

T.

Taczin (Andr. de) XI. 242. B.
Tagmarus frater Ottonis I. Imp. interficitur. II. 101. B.
Tanais, Europæ terminus. I. 3. C.
eius curſus. ibid.
Tanenburg villa. XI. 238. D.
Taniovv villa. VI. 531. C.
Tarczyn Eccl. Paroch. X. 185. A.
Targoviſce opp. I. 18. A.
Tarlo (Zakl.) XI. 564. D.
Tarnovv vrbs. I. 42. A.
Tarnovv (Iaſchko de) X. 91. D.
Tarnovv (Spithko de) X. 109. B.
Tarnov. (Raphael de) X. 157. D.
Tarnov (Io. de) Sandomirienſis X. 166. D. 168. B. C.
Tarnovv (Io. de) Palatinus Cracovienſ XI. 242. A. 341. D.
Tartari, nomen vnde. VII. 673. C. D. *prorumpunt.* VI. 557. B. C. *Ruſſos & Polonos vincunt.* 612. 613. A. ſ. *Ruſſiam vaſtant.* 640. C. *Poloniam peruadunt & vaſtant.* VII. 670. ſ. 757. C. 846. D. *Hungariam.* 691. C. ſ.
Tarſzavva villa. V. 455. B.
Taſza Polovvconum Dux. IV. 370. D.
Tatri vertex Alpium. I. 11. B.

Taurorum domus. VII.733. C. XI. 240. D.
Tawtigerd (Nic.) XI. 341. B.
Tczow caſtrum XI. 276. B.
Temreries Dea Polonorum. I. 37. B.
Templariorum ordo fundatur. IV. 346. A. *deſtruitur.* VII. 700. A. IX. 953. B.
Tenczyn I. 13. B.
Tepht villa. I. 10. A.
Terræ motus rari in Polonia I. 8. C. II. 127. C. 164. C. VI. 583. D. VII. 754. B. IX. 1086. C.
Teſzyn vrbs. I. 67. C.
Teutonicorum ordo inſtituitur. VI. 603. D.
Teutonicum ius Cracouiæ inſtituitur. VII. 750. A. IX. 1105. A.
Thabor ciuitas conditur XI. 429. B.
Thamow opp. X. 204. A.
Thanczin (Andr. & Navog. de) IX. 1123. A. XI. 289. C.
Thanczin (Iaſchko de) X. 36 A.
Thanczin (Io. de) X. 168. B. 166. D.
Thanew fl. I. 12. A.
Thargovisko (Iaxa de) XI. 240. C.
Tharſchek curia. VII. 865. A.
Thaynow opp. X. 38 A.
Theobaldus Bohemiæ Dux a fratre in exilium pellitur. V. 553. A.
Theodericus Antipapa. IV. 346. A.
Theodoricus Palat Cracov. VI. 652. D.
Theodoricus Pruſſiæ Marſchalcus. VII. 695. B. *cadit in prælio.* 700. C.
Theodoricus Pruſſiæ Magiſter. VII. 790. C.
Theodoricus Epiſc. Wratisl. X. 29. C. 43. B.
Theodoricus Præpoſit. Wladisl. X. 88. A.
Theodorus Epiſc. Poſnanienſis. III. 259. A. *moritur.* IV. 310. B.
Theophania Ottonis II. Imp. vxor. II. 108 A.
Thetinger (Vern.) Marſchalcus Pruſſiæ. X. 138. D.
Thilia (Gotf. de) Marſchalcus Pruſſiæ. X. 23. A.
Thiniecenſe monaſterium fundatur. III. 228. C. D.
Thirberg (Conr. de) Magiſter Pruſiæ. VII. 842. D.
Thomas Cantuarienſis martyrio coronatur. VI. 525. C.
Thomas Archidiac. Gneſnenſis. VI. 581. C.
Thomas Epiſc. Wratislav. VI. 648. A. *capitur.* VII. 743. C. *liberatur.* 746. A. *moritur.* 782. C.
Thomas Caſtellan. Poſnan. VII. 688. C. 712. A.
Thomas Epiſc. Plocenſis. VII. 769. D. *moritur.* 790. D.
Thomas Epiſc. Wratisl. VII. 788. C. *moritur.* 865. C.
Thomislaus Pincerna. VII 712. A.
Thomko Subpincerna Cracov. X. 109. B.
Thopeiow. X. 121. B.
Thorun. v. Torun.
Thſczow monaſt. fundatur. VII. 852. D.
Thſczow à Cruciferis conflagratur. IX. 931. B. *à Polonis.* 933. C.
Thuliskowo (Ianusſius de) XI. 276. C.
Thumigrala (Nic.) XI. 592. C. D.
Thur lacus & villa. I. 28. C. XI. 209. A.
Thur (Petr. de) Lancicienſ. XI. 342. C.
Thurek opp. I. 17. A.
Thurski Petr. X. 2. B.
Thyſmienica fl. I 12. C.
Timbarg opp. I. 11. B.
Timotheus Epiſc. Poſnanienſis. II. 136. C. *moritur.* 170. A.
Timutokany accipit Mſcislaus. II. 145. A.
Tiras fl. I. 17. C.
Tiriſanis fl. ib.
Tłumacz opp. X. 148. D.
Tonowskie lacus. I. 17. B.
Tonſuræ Polonorum origo. III. 211. D.
Topori domus XI. 341. A.
Torcz caſtrum Polowcy capiunt. IV. 307. D.
Torun deſcribitur. I. 43. B. *ædificatur.* VI. 644. B. *monaſt. Prædicat. fundatur.* VII. 769. C. *monaſt. ſanctimonialium fundatur.* IX. 944 D. *eius ſuburbana incenduntur.* XI. 464. C.
Totwil Lithuaniæ Dux. X. 61. C. *interficitur.* 130. A.
Towaczow domus. XI. 253. C.
Traba Nic. X. 207. D. *Regni Poloniæ Vicecancellarius fit Archiepiſc. Halicienſ.* XI. 312. C. *Gneſnen. Archiepiſc.* 315. A.
Trabaczow villa. X. 139. B.
Trabi familia. XI. 341. A.
Trabowla caſtrum. IX. 1059. A. 1164. A.
Trczano lacus. I. 26. B.
Trawniance Poloniæ regio. I. 45. C.
Treſthka (Iac.) XI. 620. D.
Treziel caſtrum. IX. 923. A.
Trebowica villa. I. 15. D.
Trebowla (Barthoſſ. de) XI. 285. B.
Tremno villa. I. 20. A.
Tribuch mons. I. 11. D.
Trincza villa. I. 11. C.
Trirquin (Henr. de) Pruſiæ Magiſter IX. 953. C.
Trlang (Steph. de) X. 18. C.
Trlang (Io. de) X. 59. B.
Troianus Epiſc. Wladisl. X. 88. A.
Troki capitur. X. 64. C. 90. B. XI. 346. C.
Troſchnouia domus. XI. 406. D.
Tropiſow villa. V. 488. B.
Trubor Ruthenorum Dux. I. 49. C.
Truboſza fl. IV. 319. D.
Trukiſzeſz (Conr.) XI. 292. D.
Trzebieſzewo vrbs. I. 67. C.
Trzebnicenſe monaſt. fundatur. VI. 592. D.
Trzeczen (Io.) X. 169. C.
Trzemesla fl. I. 17. A.
Trzemeszno monaſt. II. 127. B.
Trzyſemik ſilua. I. 13. B.
Tucholya (Henr. de) XI. 245. D.
Tucholia caſtrum. I. 27. C. XI. 295. A. C. *Cruciferis deditur.* XI. 288. B. 289. C.
Tuchowiecz. XI. 285. B. 294 C.
Tuczmandorff villa. VI. 592. D.
Tuczno villa. IX. 199. A.
Tuhorka Polowconum Dux. IV. 319. C.

Tu-

Tuhortka Polowconum Ducis filia Suantopelko nubit. IV. 309. D.
Tulanus lacus. I. 25. C.
Tuliskow (Ianuſſ. de) X. 191. B. XI. 342. A.
Tunauienſe territorium. VII. 803. D.
Tunil (Conr. de) VII. 842. D.
Tur lacus. I. 26. D.
Turko fl. I. 17. C.
Turobinenſes venationes. I. 12. B.
Turow opp. I. 18. C. 19. D. *accipit Suatopelkus.* II. 145. A. *poſtea Iaropelkus.* III. 284. B.
Turſko maior villa. VI. 671. C.
Turuncius fl. I. 21. B.
Turza mons. I. 35. A.
Tuſcus campus. I. 58. B.
Tuſzyn opp. I. 14. C.
Twerkowa villa. VI. 618. A.
Tworow villa. I. 15. D.
Tybiſcus fl. I. 17. D.
Tykocin opp. I. 13. A.
Tymom villa. VI. 618. A.
Tyniec mons & monaſt. I. 33. D. *vide Tbiniec.*
Tyſa fl. I. 17. B.
Tyſmienica fl. I. 17. D. 26. B.

V.

Vacha de Belus Hungariæ Baro magiæ ſtudioſus. III. 234. B.
Vadwicz domus. X. 257. D.
Vaglieſchyn villa. X. 48. B.
Vagliſchyn (Peregr. de) X. 85. C.
Vagliſchyn (Thom. de) X. 185. D.
Vagri domus. X. 218. C.
Valachia villa I. 18. B.
Valaſta virgo fœminarum Bohemicarum Dux. I. 54. A.
Valdouo (Arn. de) X. 87. B.
Vallerod (Frideric. de) Marſchalcus Pruſſiæ. XI. 244. B.
Valtherus. v. Walth.
Vanda Gracchi filia. I. 54. B. *eius laudes.* 55. A. B. *Rithogarum Almanum coniugium eius ambientem vincit.* 56. D. *in Viſtulam inſiliens Diis ſe deuouet.* I. 9. C. 57. C. D.
Vandali vnde. I. 5. B.
- *nunc dicuntur Poloni.* ibid. I. 22. B.
Vandalus dicitur Viſtula. I. 5. B. 9. C. 57. D.
Vanko Maſouiæ Dux. IX. 993. B. 994. C. *moritur.* 1007. A.
Varabi pop. Iaroslao auxiliantur. II. 145. B.
Varczislaus Slauorum Dux. VII. 754. D.
Varczislaus Pomer. Dux. VII. 833. C.
Varka Eccleſ. Paroch. X. 185. B.
Varken diſtrictus. IX. 984. D.
Varſchouia Eccleſia Parochialis fundatur. X. 185. A.
Varszewski (Io.) XI. 240. C.
Vartha villa. I. 15. B. IX. 1012. C.
Vaſchmunthow (Nic. de) X. 130. B.
Vaſchoſze v. Waſzoſze.
Vaſzilo Smolnenſis Dux. X. 175. B. XI. 588. D.
Vauel mons. I. 32. A. 33. A.
Vauelski (Przeczl.) X. 92. D.
Vayſchino (Zuczka de) X. 157. D.
Vazik domus. XI. 341. C.
Vazik (Nic.) XI. 345. C.
Vazul Hungariæ Regno deſtinatus excæcatur. II. 197. 198. A.
Vbrk (Bucardus) XI. 246. B.
Vczevv fl. I. 18. C.
Vdalricus Boleslai III. Bohemiæ Ducis filius. II. 141. D. *a Boleslao dimiſſus ei rebellis eſt.* 150. B. *& fratrem excæcat.* 150. C.
Vdalricus cum fratre Borzyvvoy de Bohemiæ Ducatu contendit & vincitur. IV. 347. C.
Vdalricus Bohem. Dux in Poloniam confugit. V. 489. D.
Vdo Archiep. Magdeb. propter ſcelera decollatur. II. 137. D.
Ved (Frid.) XI. 246. A.
Vedel (Frid. de) X. 28. B. C.
Vedel (Suliſſ. de) X. 46. D.
Vedel (Ianuſſ. de) X. 47. B.
Velen caſtrum. IX. 1164. A.
Velma arx. X. 93. D.
Venantius Ep. Wratislau. II. 188. A. *moritur.* III. 244. C.
Vende (Io.) XI. 247. B.
Venus Dea Polonorum. I. 37. A.
Verla a Polonis condita. I. 66. B. 67. B.
Vernerus Epiſc. Plocenſis. V. 491. C. *occiditur.* 517. D.
Vethlie villa. I. 28. D.
Veygovv diſtrictus. X. 23. A.
Viazd villa. V. 488. B. VI. 618. A.
Vichomino villa. VII. 797. C.
Vichucza (Saſzinus de) XI. 240. D.
Victor II. Papa. III. 241. D. *Synodum Florentinam conuocat.* 243. B. 244. C. *moritur.* 245. D.
Victor III. Papa. IV. 311. B. *moritur.* 312. B.
Victor Antipapa creatur. V. 502. D.
Vida (Henr. de) Crucif. Magiſter. VII. 708. B.
Vidnlky. XI. 344. A.
Vielunya caſtrum. IX. 923. B.
Vielunenſe monaſt. X. 139. B.
Vienyavva domus. X. 166. C.
Vierzink (Thomas) X. 157. D.
de Vierbna (Andr. & Steph.) VII. 680. D.
Virbna (Henr. de) Epiſc. Wratisl. IX. 900. A. *moritur.* 969. C.
Viguntb Lithuaniæ Dux. X. 61. C. *veneno necatur.* 134. D.
Vilcz (Nikloſz) IX. 245. C.
Vikſchino donatur monaſterio Lubenſi. III. 229. A.
Vilia fl. I. 19. A. 41. B.
Vilibaldinus Archiep. Gneſnenſis. II. 96. B.
Vilkomiria. I. 19. B. *comburitur.* X. 132. B.
Vilna capitur. X. 63. A. 64. B. *Cathedralis Eccl. fundatur.* 111. D. XI. 346. D.
Vilthina monaſterium. III. 298. B.

Vimarus Burgribius. VII. 696. B.
Vincentius Kadlubkow citatur. IV. 362. C. 430. D *fit Epiſc. Cracou.* VI 603. A. *Eccleſiam Cracou. dotat.* 6.7. 618. A. *reſignat.* 622. D. C. *moritur.* 629. B.
Vincentius Archiep. Gneſn. VI. 624. B. *moritur.* 648. B.
Vintkimſchen (Herm. de) XI. 280. B.
Virgilius citatur. XI. 343. B.
Viritium vrbs antiqua Poloniæ. I. 43. C.
Viſch Petr. Epiſc. Cracou. X. 137. B. 160. C. XI. 306. B. 332. B. *fit Epiſc. Poſnanienſ.* C. 336. B. *moritur.* 350. B.
Viſchemburg (Thaſza de) IX. 898 C.
Viſchkonicze opp. XI. 220. D.
Viſchota (Thom.) X. 85. C.
Viſimirus filius naturalis Leſzkonis III. I. 65. D. *ædificat Wiſmaria.* 67. A.
Visko Hungariæ Baro occiditur. III. 233. D.
Vislaus de Zabavva monaſterium Calui montis ditat. II. 171. D. *ædificat Wislicam.* I. 41. D. II. 175. C.
Vislaus filius naturalis Leſzkonis III. I. 65. D. *ædificat Magdeburgum.* 67. A.
Vislaus Epiſc. Cracou. VI. 643. A. 647. B. *moritur.* VII. 690. C. D.
Vislaus Epiſc. Wladisl. VII. 832. D. *moritur.* IX. 897. C.
Viſmaria a Viſimiro ædificato. I. 67. A.
Viſnia fl. I. 18. A.
Vislicia opp. IX. 1163. D. 1164. A.
Viſſeslaus v. Weſſeslaus.
Viskitky. XI. 306. A.
Viſtula olim Vandalus. I. 5. B. 9. C. *qui in eam fluuii ſe exonerent.* I. 11. A. *eius laudes.* I. 20. B. C.
Viszegrad caſtrum capitur. VII. 696. A. *a Cruciferis comburitur.* IX. 999. B. *caſtrum ædificatur.* 1164. A.
Viszemburg (Barth. de) X. 27. A. XI. 594. C.
Viszigin (Staniſl.) XI. 341. B.
Viſnice (Kmitha de) XI. 275. D.
Viszon Canon. Cracou. VII. 778. C.
Vithenen Lithuaniæ Dux. VII. 869. D. *Lancitiam conflagrat.* 870. A.
Vitus Gaudentius Adalberti Prag. Ep. frater. II. 110. B. *v. Gaudent.*
Vitus Epiſc. Plocenſis. VI. 540. C.
Vnchtenange (Conr. de) Magiſter Pruſſiæ. VII. 821. D.
Vnchvvange (Sifrid. de Magiſter Pruſſiæ. IX. 901. B.
Vnieiovv opp. I. 16. C. IX. 909. A. *a Cruciferis capitur.* 1012. C. *monaſt. fundatur.* 1147. D. *capitur.* X. 59. A.
Vnislaus Bohemiæ Rex. I. 58. A.
Vnislaus Bohemiæ Baro. IV. 373. D.
Volborz caſtrum ſpoliatur. X. 88 A.
Volgoſch opp. I. 10. B.
Volhinia Regno Poloniæ ſubiicitur. IX. 1058 D.
Volker (Nicolaus) X. 166. D.
Volkomiria Eccl. Paroch. X. 112. B.
Volkoniska opp. X. 204. B
Volmirus. v. Wladimirus.
Vorzſala fl. X. 156. B. C.
Voydath Lithuaniæ Dux. IX. 1135. B. X. 61. C.
Voydilo ruſticus. X. 62. B. *ſuſpenditur.* 64. A.
Voynicz. XI. 350. D.
Vnelphus. v. Wonelphus.
Vrbanus I. Ep. Wratislauienſis. II. 107. C. *moritur.* 148. A.
Vrbanus II. Papa. IV. 312. C. *moritur.* 346. A.
Vrbanus III. Papa. VI. 556. C. *moritur.* 559. B.
Vrbanus IV. Papa. VII. 765. D. *moritur.* 773. B.
Vrbanus V. Papa. IX. 1128. D. *moritur.* II. 58. A
Vrbanus VI. Papa. X. 112. D.
Vrſinis (Paulus de) XI. 306. D.
Vrſouicenſium familia in Bohemia II. 139. A. ſ. *in Poloniam migrat.* IV. 373. D. *v. Rauitæ.*
Vſchovv fl. I. 11. B.
Vſcie opp. I. 11. A. 17. C. *a Pomeranis expugnatur.* IV. 374. B. *a Wladislao Ottonis.* VI. 609 D.
Vſczie (Matth. de) XI. 512 D.
Vſoſin ſaltus. IV. 364. D.
Vſtonovv lacus. I 26. A.
Vulpium domus. VI. 581. B. IX. 1123. A. XI. 240. C.
Vynyecz villa. X. 85. D.
Vyr (Sandiu. de) X. 46. A.
Vzdzice lacus. I. 27. B.

W.

NB. Quæ ſub hac littera non inuenies, euolue ſub antecedente V.

Wachoko monaſt. fundatur. VI. 540. B.
Wacinenſis Eccleſia fundatur. III. 283. B.
Wacko Bohemiæ Baro IV. 372. D. *interficitur.* 399. B.
Wadwicz domus. XI. 253. C. 341. B.
Wagrovviec monaſt. fundatur. V. 473. B.
Waicz. I. 25. D. *caſtrum legatur Boguslao Stetinenſi.* IX. 1161. C. X. 37. A. C. D.
Waldapevv fl. I. 15. B.
Waltherus Epiſc. Wratislau. V. 481. B. C. *moritur.* 515. C.
Waltherus Canon. Cracou. VII. 796. A.
Waraſz caſtrum. II. 103. B.
Warekovv opp. I. 15. A.
Warczyslaus Nicolai Slauorum Ducis filius. I. 66. C.
Warka fl. I. 12. D.
Warſzius Caſtellanus Cracou. VII. 810. D.
Wartemberg caſtrum. VII. 872. D.
Wartha fl. eius deſcript. I. 10. B. C. *qui fluuii in ea illabantur.* I. 16. B.
Wartha opp. I. 16. B.
Waſchoſze (Matth. de) XI. 341. D.
Waſilko Roſtislavvic Poloniam vaſtat. III. 300. A. *cæcatur.* 326. D. *accipit Trebovvla.* 327. C.

Waſi'ko Ruſſiæ Dux. VII.757.D.
Waſzoſze villa. I. 16. B.
Waſzoſze (Matth. de) XI.237. A.
Watrobka (Petrus) X.169. C.
Wawel mons. I. 33. A.
Wawelnicza opp. IX.1163. D.
Wawrzynczyce Eccl. Parochialis. VI. 642. A. IX.1084.B.
Wawrzynczowicz (Prisbisl.) VII. 693. B.
Wezelye domus. XI. 592. D.
Wegielno villa. IV.410. B.
Welikie villa. I. 15. D. *lacus.* I. 29. C.
Wenceslaus S. Bohemiæ Rex à fratre interficitur. I.90. B. C.
Wenceslaus Iaroslai Ruſſiæ Ducis filius. II. 188. B. *accipit Smolensko.* III. 238. D. *moritur.* 243. A.
Wenceslaus Bohemiæ Ducatum turbat. VI. 550. C. *fit Dux.* 564. B. *fit Rex Romanorum.* 640.D.
Wenceslaus Bohemiæ Dux. VII. 833. B. *Cracouiam cepit.* 862. D. *Siradiam capit.* 863. A. *in Poloniæ Regem coronatur.* IX. 895. C. *moritur.* 910. D.
Wenceslaus II. Bohemiæ Rex. IX. 911. A. *occiditur.* 913.A.
Wenceslaus Episc. Lubucenſis fit Wratislav. X. 59. C.
Wratislaus Bohem. Rex capitur. X. 143. A. B. *regno exuitur.* X. 167. B.
Wernerus v. Vernerus.
Wernerus Episc. Wladislav. V. 515. C. *moritur.* VI. 537. D.
Weyat Comes. VII. 696. B.
Wiaczanie villa. I. 16. C.
Wiaśnia silua. I. 11. A.
Wiathko Ruthenorum Dux. I. 49. A.
Wiatyczanie regio ab eo vocata. ib.
Wichatow (Nicolaus de) X.167.A.
Widawa fl. I. 15. C. *alius.* I. 16. B.
Widawa (Io. de) Siradienſ. XI. 342. B.
Wieczerzino. XI. 592. D.
Wiecznino lacus. I. 29. D.
Wiedukki diſtrictus. IX. 923. D.
Wielegrad à Czecho ædificata. I. 7. A.
Wielerich villa donatur monaſt. Mogilnenſi. III. 258. D.
Wieliczka opp. IX. 1163. D.
Wielikie villa. V.519.B. VI. 655. D.
Wielina fl. I. 17. B.
Wielka Puſzcza mons. I. 34. C.
Wielopole opp. I.11.C.
Wielowieſz villa. X.32.D.
Wielun ciuitas. I. 16. C. *deſcribitur.* I. 42. B. *capitur.* IX. 1145. C. *renouatur.* IX. 1163. D.
Wieniawa domus. VI. 573. B. VII. 795. B. XI. 240. D.
Wieprz fl. I. 12. A.
alius. ib.
Wieprzec fl. & villa. I.12.B.
Wieprzowe Iezioro lacus. I. 12. A.
Wieruſch Bien. XI. 253. C.
Wieruſzonum domus. XI. 253. C.
Wierzbno, vide Virbna.
Wierzbyeta miles. VI.615. C.
Wierzchucino villa. VI. 655. D.
Wierzchowiska villa. I. 12. B. 13. C.
Wierzchrata villa. I. 18. D.
Wierzyſza fl. I. 14. D. *alius.* I. 17. A. 27. D.
Wiethli villa. I. 29. C.
Wilhelmus Dux Burgundiæ. II.198 A.
Wilhelmus Auſtriæ Dux. X.101.C.
Wilka villa. I. 19. B.
Wilkowa villa. I. 15. B.
Wilkſchin villa. I.15. C.
Wilna fl. I. 19. B. 41. B.
Wilno ciuitas. ib.
Wiskitno villa. I. 16. C.
Wisla, v. Viſtula.
Wislaus. v. Vislaus.
Wislica fl. I. 11. D. *vrbs.* I.41. D.
Wislok fl. I. 11. C.
Wisloka fl. ib.
Wisłucz fl. I 19. B.
Wiſſegrad Pomer. vrbs à Polonis capitur. IV. 414. C.
Wiſſegrod Bohemiæ vrbs à Boleslao Chobri capitur. II. 139. D.
Wiſſeslaus Wlodimiri Ruſſiæ Ducis filius. II. 104. B. *accipit Novogrod.* 145. A.
Wiſſocka villa. I.17.D.
Wiſſogrod accipit Iaropelkus. III. 280. A.
Wiſzeslava Ruſſiæ Duciſſa nubit Boleslao II. Regi. III. 260. C.
Wiſzew fl. I. 20. A.
Wiſznowia villa. XI. 451. C.
Withawdus v. Alexander.
Withba fl. I. 21. B.
Witowicz miles. VII.673.C.
Witow monaſt. VI. 540. D.
Wiur fl. I. 11. D.
Wizna caſtrum. VIII.879.C.
Wkra fl. I.13.A. XI.225.B.
Wladawa. I. 15 A.
Wladimierz capitur. XI. 583. C.
Wladimiriam accipit Georgius Ruſſiæ Dux. III. 238. C. *capit Svantopelkus.* IV. 342. C. *Regno Poloniæ ſubiicitur.* IX. 1058. D. *caſtrum munitur.* IX. 1150. C. D. *à Lithuanis capitur.* X.3.D.
Wladimiri (Paul.) XI. 445. A *moritur.* XII.686.A.B.
Wladimirus Svvantoslai Ruſſiæ Ducis filius. II. 100. C. *fit Novogrodenſis Dux.* 101. A. *fit idololatra.* 104. A. *eius vxores & liberi.* 104. B. *cum Polonis bellum gerit.* 108. B. *Græcam religionem ſuſcipit.* 109. C. *Annam Græcorum Impp. ſororem coniugem ducit.* 111. A. *& Ruthenos ad fidem conuertit.* 112. 113. A. *caſtrum Bereslaw erigit.* 123. B. *à Pieczyngis vincitur.* 123. D. *fœdus init cum Boleslao Poloniæ Rege.* 135. B. C. *filiis regiones diuidit.* 144. A. *moritur.* 145. B.

Wladimirus Iaroslai filius naufragium patitur. III. 212. B.
Wladimirus Zaslai filius accipit Smolensko. III. 280. A.
Wladimirus Wſzewoldi filius accipit Czernieiow. III. 284. B. *eiicitur.* IV. 310. A.
Wladimirus Iaropelki filius. III. 289. B.
Wladimirus Zaslai filius Kiouiam accipit. IV. 394. A. *moritur.* 425. D.
Wladimirus Wolodori filius Svvinigrod accipit IV. 425. C.
Wlodimirus Mſcislawic. V. 516. A.
Wlodimir Andrzeiowic. ib.
Wladimirus Chlebowic. VI. 551. D.
Wladimirus Halicienſis Dux eiicitur. VI. 553. B. *à Rege Hungariæ capitur.* ib. D. *euadit.* 556. D. *Poloniam vaſtat.* 557. A. *reſtituitur.* 558. D. *moritur.* 576. D.
Wladimirus Palatinus Cracov. VII. 671. C. D.
Wladimirus Epiſc. Wladislav. VII. 744. D. *moritur.* VII. 795. B.
Wladislauiæ deſcriptio. I. 40. B. *eius Epiſcopatus.* II. 95. C. V. 491. A. *à Bohemis occupatur.* IX. 995. C. *Eccleſia reædificatur.* IX. 1095. C.
Wladislaus filius naturalis Leſzkonis III. I. 65. D. *accipit Caſſubiam.* 66. D.
Wladislaus S. Hungariæ Rex. II. 186. D. *ex Hungaria eiicitur.* III. 268. C. *aliquam Hungariæ partem recipit.* 270. D. *fit Rex Hungariæ.* 288. A. *Salomonem vincit.* 299. A. B. *moritur.* IV. 331. C.
Wladislaus Caſimiri fil. naſcitur. III. 227. D. *fit Dux Poloniæ.* IV. 301. A. *Iuditham Bohemiæ Duciſſam vxorem ſumit.* IV. 303. C. *poſtea Sophiam.* 311. D. *Pomeranos & Pruthenos ſubiugat.* 316. 317. A. 321. B. ſ. 324. B. *Sbigneum naturalem filium vincit.* 335. D. *filiis duobus regnum partitur.* 338. A. *moritur.* 348. B.
Wladislaus Wratislai Bohemiæ Ducis filius. III. 255. A. *fit Dux Bohemiæ.* IV. 386. D. *à Boleslao bello impetitur.* 400. A. *pacem facit.* 405. A.
Wladislaus Boleslai Kriwouſti filius naſcitur. IV. 355. A. *Chriſtinam Henrici V. Imp. filiam ducit.* 388. D. 417. B. *fit Monarcha Poloniæ.* V. 454. B. *fratres eiicit.* 466. B. & *ab iis eiicitur.* 473. D. *Poloniam infeſtans retunditur.* 485. B. *reſtituitur.* 495. D. *moritur.* 497. B.
Wladislaus Laskonogi naſcitur. IV. 430. D. *fit Monarcha Poloniæ.* VI. 592. C. *moritur.* 600. D.
Wladislaus Miecslai maioris Poloniæ filius naſcitur. V. 513. B.
Wladislaus Ottonis Dux Caliſſ. monaſt. Olobok fundat. VI. 615. B. C. *capitur & euadit.* 641. C. *moritur.* 662. B.
Wladislaus Sobieslai fil. Dux Bohemiæ. V. 456. B. *eiicitur.* 460. A. *reſtituitur.* 462. A.
Wladislaus Hungariæ Dux accipit Tranſſyluaniam. V. 506. D. *eiicitur.* V. 525. A. B.
Wladislaus Wratislav. VII. 699. C. *Archiep. Salzburg. fit Epiſc. Wratisl.* 782. D. *moritur.* 788. B.
Wladislaus Rex Hungariæ VII. 797. D.
Wladislaus Lokcek Cuiauiæ Dux. VII. 842. B. *Henricum Probum vincit.* 854. A. *Bohemos vincit.* 869. B. C. *Lancitienſem Ducatum accipit.* 870. C. *declaratur Rex Poloniæ.* VIII. 884. B. *eiicitur.* IX. 894. B. *Romam fugit.* IX. 897. C. *Poloniam maiorem accipit.* 934. D. *in Regem coronatur.* 971. B. *Marchiam vaſtat.* 990. A. *Cruciferorum terras vaſtat.* 994. B. 1001. A. *Cruciferos vincit.* 1019. B. C. *eius laudes.* 1021. A. *moritur.* 1027. D.
Wladislaus Albus Gniewkov. Dux Regnum Poloniæ adfectat. X. 17. D. 23. B. ſ. *renunciat* 27. D. 28. A.
Wladislaus Oppolienſis Dux. X. 37. C. *fit gubernator Regni Poloniæ.* 39. B.
Wladislaus Iagyello Rex Poloniæ baptizatur. X. 104. D. *Heduigim ducit.* 105. A. *coronatur.* 106. A. *Lithuanos conuertit.* 110. A. D. *confirmatur in regno.* 165. C. *fundat cœnobium* D. *matrimonium init cum Anna.* 166. C. 169. D. *Pruthenos vincit.* XI. 260. B. *Cruciferos vincit* 291. D. *Pomeraniam vaſtat* 302. C. *cum Pruthenis init fœdus* XI. 308. D 310. A. *cum Sigismundo pernicioſum init fœdus* XI. 319. C. *Samogithas conuertit.* 343. A. *Oppidum & caſtrũ Nidborg expugnat.* XI. 353. A. *it. Halſchten.* 353. B. *Eliſabeth Granowska ducit in vxorem* 379. D. *fulmine terretur.* 404. A. *Regnum Bohemiæ regi offertur* 428. D. 432. C. *Sonka vxorem ducit.* 446. D. *pes frangitur.* 489. C. *priuilegia Polonorum confirmat.* 536. B. ſ. *moritur.* 651. D.
Wladislaus II. naſcitur. XI. 483. B. *baptizatur* 485. A. *in regem coronatur.* 667. D. *in regem Hungariæ eligitur.* XII. 721. 722. A. *in Hungariam proficiſcitur.* 729. D. *Budæ coronatur.* 732. B. *expeditionem primam adv. Turcos ſuſcipit.* 775. C. D. ſ.
Wladislaus Siciliæ Rex moritur XI. 335. D.
Wlatow caſtrum. X. 37. A. C. D.
Wlera fl. & villa. I. 12. D.
Włodawa fl. I. 19. A.
Wlodimirus. v. Wladimirus.
Wlodkowicz (Petr.) XI. 182. C.
Wlodyslaw. eius teloneum donatur monaſt. Mogilnenſi. III. 258. C.
Wlodzislaw opp. IX. 1161. D.
Włoſzowa (Petr. de) XI. 342. A.
Włoſzczowice villa. I. 14. A.
Włoska lacus. I. 20. A.
Wloſtoborius Archiep. Gneſnenſis. VII. 818. C.
Włoſtowsky (Derslaus) XI. 294. C. 353. C.
Wloſzewo (Io. de) X. 130. B.

Woi-

Woiciech nomen Bohemicum Adalberti Prag. Epiſc. II. 106. A.
Woiewodæ duodecim creantur. I. 58. D. ſ.
Woislaus Boleslai Ducis Pædagogus. IV. 336. D. 340. B.
Wola fl. I. 14. D.
Wola villa. VII. 737. B.
Wolborza fl. & opp. I. 14. C. *ex eo quatuor marcæ donantur monaſt. Mogilnenſi.* III. 258. C.
Wolczwin fl. I. 18. D.
Wolek mons. I. 34. C.
Wolfgangus canoniſatur. III. 239. C.
Wolga fl. I. 31. A.
Wolina fl. IV. 391. C.
Wolin caſtrum. I. 18. C. *à Boleslao Rege conquiritur.* 272. C. *ſe Boleslao Duce dedit.* IV. 362. B.
Wołynska terra. I. 18. C.
Wolodimiriam accipit Wſzewoldus. II. 145. A.
Wolodor Ruſſiæ Dux Poloniam infeſtat & captiuatur. IV. 418. B. 423. C. *à Boleslao vincitur.* 424. D. *moritur.* 425. D.
Wonelphus Epiſc. Wladislav. VI. 537. D. *moritur.* 561 C.
Wonieska lacus. I. 25. B.
Woſczyska villa. I. 16. B.
Woſzego ſilua. I. 65. B.
Woyszalk Lithuanus. VII. 772. D. *occiditur.* 78 . B.
Wratislauiæ deſcriptio. I. 40. B. *Epiſcopatus.* II. 95. C. *qui ex Byczyna eo transfertur.* III. 239. D. *a Bretislao vaſtatur.* 195. B. *a Zbigneo capitur.* IV. 333. D. *Eccleſia S. Crucis erigitur.* VII. 850. C. D. *incendium.* IX. 1063. A. B. 1130. A. *Eccleſia Gneſnenſi ſubditur.* 1096. A. *Eccleſia ſpoliatur* X. 54. A. ſ. *Conſules Capitulo iurant.* 60. B.
Wratislaus Bohemiæ Rex a Nieklam victus. I. 58.
Wratislaus filius naturalis Leſzkonis III. I. 65. D. *accipit Ramam.* 66 D.
Wratislaus Bohemiæ Dux. I 90. B.
Wratislaus Bretislai Bohemiæ Ducis filius. III. 243. C. 244. A. *fit Dux Bohemiæ.* 251. C. *Poloniam inuadit.* 252. B C. *pacem cum Polonis facit.* 254. C. *Leopoldum Auſtriæ Marchionem vincit.* IV. 303. B. *in Regem coronatur.* 310. C. *moritur.* 324. A.
Wratislaus huius filius. III. 254. D.
Wroczimowycze (*Mart. de*) XI. 257. A. 240. B. 294. C. 313. A. 342. B.
Wronin duæ villæ. VI. 628. D.
Wronski (*Ianisl.*) *Epiſc. Plocenſis.* IX. 111 . B. C. *moritur.* 1149. A.
Wrosle villa. VI. 615. C.
Wrzaſchowski Zau. XI. 576. A.
Wſcheradow (*Paul. de*) XI. 276. C.
Wſchouenſe territorium. IX. 1068. B. *vaſtatur.* X. 85. B.
Wſczekſych. III.
Wſzeborius ductor militiæ Boleslai. III. 257. A. 265. A.
Września fl. I. 17. A. 18. A.
Wſtronic villa. I. 9. D.
Wſzeslaus Dux Polocenſis a Polowcis captus liberatur. III. 249. C. *Kiouienſem Ducatum accipit.* 250. A. *a reliquis Ducibus Ruſſiæ vincitur.* 255. A. *& in carcerem coniicitur.* ibid. B. *moritur.* IV. 346. B.
Wſzewoldus Wlodimiri Ruſſiæ Ducis filius. II. 104. B. *accipit Wlodimiriam.* 145. A.
Wſzewoldus Iaroslai filius accipit Pereaslaw. III. 238. C. *a Polowcis vincitur.* 247. A. B. *contra Wſzeslaum belligerit.* 255. A. *Zaslaum fratrem eiicit.* 271. B. *a Boleslao Rege vincitur.* 274. C. D. *a fratribus auxilio Polowcorum vincitur.* 283. D. *Kiouienſem Principatum accipit.* 284. B. *moritur.* IV. 304. A.
Wſzewoldus Iaropelki fil. accipit Kiow. V. 456. B. *moritur.* 479. D.
Wſzewoldus Ruſſiæ Dux. VI. 551. D.
Wſzewoldus Mſciſławic. VI. 570. A.
Wſzewoldus Olchowic. ibid. C.
Wułuca fl. I. 12. B.
Wyelunya. XI. 344. A.
Wyelynow villa. XI. 261. D.
Wyenczlaw, caſtrum XI. 276. C.
Wyeniawa domus. XI. 218. C. 294. B. C. 303. D.
Wyerzbno X. 177. B.
Wygonowo villa. V. 519. B. VI. 655. D.
Wylkolewicz (*Woyznar*) XI. 341.
Wyſſogrod opp. I. 14. C. *eius teloneum donatur monaſt. Mogilnenſi.* III. 258. C.
Wyſznia. XI. 334. C.

X.

Xianicze villa Tiniecenſi monaſt. donata. IV. 309. A.
Xiaſch opp. X. 81. D.

Z.

Zabawa familia. VI. 643. A. VII. 833 A.
Zabawa villa. VI. 691. B.
Zaborze (*Budek de*) XI. 294. C.
Zabrzezno comburitur. XI. 457. C.
Zadora familia. V. 481. C. XI. 341. A.
Zagorzyce villa. V. 502. A.
Zaicz (*Io.*) XI. 298. B.
Zaklicza XI. 243.
Zakrocim monaſterio Mogilnenſi donatur. III. 258 C.
Zakrzow villa. X. 139. B. XI. 352. B.
Zakrzowski Nic. XI. 593. D.
Zaleśie ſilua. I. 13. B.
Zamientki villa. X. 176. D.
Zamorowice villa. I. 29 A.
Zandowice villa. I. 13. D.
Zanthir caſtrum. VII. 701. C.
Zapoth fl. I. 12. B.
Zareba domus. XI. 341. B.
Zareba (*Laur.*) XI. 498. C.
Zarezyce villa. V. 488. A.
Zaremba familia. VIII. 890. D.
Zariszow opp. VII. 704. B.

Zarnow, ex ea 2½. marcæ donantur monaſt. Mogilnenſi. III.258.C.
Zarnowiec vicus. IV.340.B.C. *opp.* IX.1060.D.
Zarnowki mons. I.34.C.
Zaromirus vltimus Dalmatarum Rex. IV.331.C.
Zarſlawicza caſtrum capitur. VII.695.C.
Zary opp. I.16.B.
Zarzece villa. V.488.B.
Zaskitarg. I.18.B.
Zaskow villa. I.18.D.
Zaslaus Iaroslai filius Kiouiam accipit. III.238.C. *a reliquis Ruſſiæ ducibus vincitur* 255.A. *& in carcerem conijcitur.* ibid. B. *Ducatum ſuum recipit.* 266.C. *eiicitur & in Poloniam confugit.* 271.A.B. *in pugna interficitur.* 284.B.
Zaniſſa Adalberti Ep. Prag. frater a Bohemis occiſus. II.113.D.
Zawady villa. I.14.C.16.D.
Zawada (Swiatopelk de) XI.294.C.
Zawichoſt opp. I.12.B. *monaſt. fundatur.* VII.751.D. *vaſtatur.* 760.D. *caſtrum ædificatur.* IX.1164.A.
Zawieprzyce villa. I.12.A.
Zawſzytinski Ruthenus. IV.424.D.
Zayacki villa. IX.1144.D.
Zbaszyn opp. I.25.A. *fundatur.* VII.696.A. *a latronibus capitur.* 719.C.D. *recuperatur.* 720.A. *a Cruciferis capitur.* IX.919.A.
Zbaszyn (Abrah.) XII.715.C.
Zbieraskie mons. I.18.A.
Zbiesko villa. I.17.B.
Zbigneus v. Sbigneus.
Zbikowo villa. X.22.C.
Zbislaua Suantopelki filia Boleslao Poloniæ Duci nubit. IV.350.B. *moritur.* 374.B.
Zbislawek. XI.241.A.
Zborow, ibi templum fundatur. IV.308.C.
Zborowski Petr. X.176.B.
Zborsk vrbs Ruſſiæ. I.49.C.
Zborzenski Paul. XI.585.C.
Zbrozek Andr. X.176.B.
Zbrucz fl. I.18.A.
Zdakow villa. I.11.C.
Zdakow (Io. de) X.130.B.
Zdania villa. VI.618.A.
Zdanowice villa. V.488.A.
Zdiechow (Silu. de) XII.690.B.
Zdislaus Archiep. Gneſnenſis. VI.548.A. *moritur.* 581.C.
Zdithow opp. X.204.B.
Zeben (Henr. de) XI.296.D.
Zebrace opp. I.11.A.
Zeganenſis Ducatus vaſtatur. IX.1068.A.
Zegotha miles. VII.687.A.796.D. *Palatinus Cracou.* 830.D. *Vexillifer.* X.167.A.
Zelazne nogi ſilua. I.18.A.
Zelislaus Boleslai Dux Morauiam vaſtat. IV.353.A. *vbi dextram amittit.* ibid. D. *pro qua auream fieri fecit Boleslaus.* 354.A.
Zementha miles. VII.673.C.
Zemomysl fit Rex Poloniæ. I.86.B. *filius eius cæcus natus.* 86.D. *viſum accipit.* 87.D. *moritur.* 89.A.
Zemomisl Lancitienſis Dux. VII.764.A.
Zeno (Ant.) Nuncius Apoſt. XI.447.B.
Zermino (Butrim de) XI.355.A.
Zerniki. I.14.A.
Zgierz opp. I.14.C.
Zgowiathna fl. I.14.C.26.D.
Zidaczouienſis terra. X.177.C.
Ziemiam miles. III.258.D.
Zirnawoda fl. X.156.C.
Zin Comes. VI.539.A.549.C.
Ziroslaus I. Epiſc. Wratislav. IV.321.A. *moritur.* 416.D.
Ziroslaus II. V.515.C. *moritur.* VI.546.C.
Ziſchka. XI.406.D.429.A. *ciuitatem condit* B.481.A.
Zithno X.145.A.
Zlotenſes villæ. IX.1089.A.
Złotoria opp. I.13.A. *caſtrum.* IX.1164.A. X.142.A. *capitur.* X.28.D.198.C.
Zmigrod opp. I.34.A.
Znena opp. IX.1012.B. X.56.D.
Zochow villa. XI.223.B.
Zolawa (Io.) XI.253.C.
Zolkiew fl. & villa. I.12.B.
Zorardus. v. Svvyrardus.
Zorawa villa. XI.451.C.
Zubrza villa. I.18.D.
Zula fl. Ruſſiæ. III.264.B.C.
Zula Cracov. Epiſc. v. Lampertus.
Zwanowo vrbs à Polonis condita. I.67.B.
Zwierzyniec monaſt. VI.633.B.
Zydaczow opp. I.17.D.
Zydowopole villa. VI.615.C.
Zyrkow mons. I.35.B.
Zywie Deus Polonorum. I.37.B.
Zywiec opp. I.34.A.
Zwanowo (Mart. de) X.93.D.
Zwiendzic. eius teloneum donatur monaſt. Mogilnenſi. III.258.C.
Zwierżyniec monaſt. fundatur. V.502.A.
Zwolna villa. IX.1013.C.

Digitized by Google

Digitized by Google